THE LIBRARY OF CONGRESS
1800

CORPUS

POETARUM LATINORUM.

EDIDIT

GULIELMUS SIDNEY WALKER,

SS. TRIN. COLL. SOCIUS.

LIBRARY OF CONGRESS
CITY OF WASHINGTON

LONDINI:

HENRY G. BOHN, YORK STREET, COVENT GARDEN.

MDCCCXLIX.

PA6121
A2
1849

LONDINI:
Typis W. Clowes et Fil.,
Stamford Street.

Cum primum ad Corpus hoc Poetarum publici juris faciendum operam meam librariis pollicerer, id tantum a me exigebatur, ut typographi culpas corrigerem, breviculasque singulis auctoribus notitias, quas dicunt, præmitterem. Quod monitum volui lectorem, ne, quod alieni consilii esset, id mihi, velut totius rei auctori atque ordinatori, tribueretur. Quod si, animi studio ultra præscriptos fines provectus, aliquid de meo adjecerim, id vero, quale quantumque sit, cum fusius exponere olim statuissem, tacere decrevi. In hujusmodi scilicet rebus non, quomodo quid effectum sit, quæritur, sed quale sit id, quod effectum est. Illud autem agebatur, ut opus ejusmodi prodiret, quod neque eruditis prorsus displiceret, et Romanæ poeseos studiosis gratum acceptumque esset. Quod si consecuti sumus, ut aliqua certe ex parte consecutos nos esse speramus, minime sane opus erit, ut aut meritorum præconio aut vitiorum excusatione lectorem moremur.

Dabam e Collegio SS. Trinitatis apud Cantabrigienses, XVI. Kal. Dec. MDCCCXXVII.

GULIELMUS SIDNEY WALKER.

INDEX AUCTORUM.

I. CATULLUS.

Pag.
Carmina 1

II. LUCRETIUS.

De Rerum Natura Lib. I. 21
——— II. 30
——— III. 39
——— IV. 49
——— V. 59
——— VI. 70

III. VIRGILIUS.

Bucolicon Liber 81
Georgicon Lib. I. 89
——— II. 93
——— III. 97
——— IV. 102
Æneidos Lib. I. 106
——— II. 112
——— III. 119
——— IV. 124
——— V. 130
——— VI. 137
——— VII. 144
——— VIII. 151
——— IX. 157
——— X. 164
——— XI. 171
——— XII. 178
Culex 186
Opuscula 189

IV. TIBULLUS.

Carminum Lib. I. 192
——— II. 198
——— III. 202
——— IV. 204

V. PROPERTIUS.

Elegiarum Lib. I. 208
——— II. 213
——— III. 224
——— IV. 232

VI. OVIDIUS.

Pag.
Heroides. 240
Amorum Lib. I. 271
——— II. 277
——— III. 284
Artis Amatoriæ Lib. I. 291
——— II. 297
——— III. 302
Amoris Remedia 309
Medicamina Faciei, Fragmentum. . . 315
Halieuticon 316
Epicedion Drusi Cæsaris 317
Nux Elegia 321
A. Sabini Epistolæ tres tribus Ovidii Epistolis respondentes 322
Metamorphoseon Lib. I. 325
——— II. 332
——— III. 339
——— IV. 345
——— V. 351
——— VI. 357
——— VII. 363
——— VIII. 370
——— IX. 377
——— X. 384
——— XI. 390
——— XII. 396
——— XIII. 401
——— XIV. 409
——— XV. 416
Fastorum Lib. I. 423
——— II. 430
——— III. 437
——— IV. 444
——— V. 451
——— VI. 457
Tristium Lib. I. 463
——— II. 469
——— III. 473
——— IV. 480
——— V. 485
Epistolarum ex Ponto Lib. I. 491
——— II. 493
——— III. 504
——— IV. 510
Ibis. 517

VII. HORATIUS.

Pag.
Odarum Lib. I. 523
——— II. 530
——— III. 535
——— IV. 542
Epodon Liber. 547
Carmen Sæculare 552
Satirarum Lib. I. 553
——— II. 561
Epistolarum Lib. I. 570
——— II. 578
De Arte Poetica Liber 582

VIII. PHÆDRUS.

Fabularum Lib. I. 586
——— II. 589
——— III. 591
——— IV. 594
——— V. 598
Fabularum Appendix 599

IX. LUCANUS.

Pharsaliæ Lib. I. 604
——— II. 609
——— III. 615
——— IV. 621
——— V. 627
——— VI. 633
——— VII. 639
——— VIII. 646
——— IX. 652
——— X. 661

X. PERSIUS.

Satirarum Liber 666

XI. JUVENALIS.

Satirarum Lib. I. 672
——— II. 679
——— III. 684
——— IV. 690
——— V. 695

XII. MARTIALIS.

De Spectaculis Liber 702
Epigrammatum Lib. I. 704
——— II. 712
——— III. 717
——— IV. 724
——— V. 730
——— VI. 736
——— VII. 742
Pag.
Epigrammatum Lib. VIII. 749
——— IX. 756
——— X. 764
——— XI. 772
——— XII. 779
——— XIII. 786
——— XIV. 790
Quædam Martiali afficta 797

XIII. SULPICIA.

Satira 798

XIV. STATIUS.

Sylvarum Lib. I. 799
——— II. 805
——— III. 812
——— IV. 818
——— V. 824
Thebaidos Lib. I. 830
——— II. 836
——— III. 841
——— IV. 847
——— V. 853
——— VI. 859
——— VII. 867
——— VIII. 873
——— IX. 879
——— X. 886
——— XI. 893
——— XII. 899
Achilleidos Lib. I. 906
——— II. 911

XV. SILIUS ITALICUS.

Punicorum Lib. I. 915
——— II. 920
——— III. 926
——— IV. 931
——— V. 937
——— VI. 942
——— VII. 948
——— VIII. 953
——— IX. 958
——— X. 963
——— XI. 968
——— XII. 973
——— XIII. 979
——— XIV. 985
——— XV. 990
——— XVI. 996
——— XVII. 1002

XVI. VALERIUS FLACCUS.

Pag.
Argonauticon Lib. I. 1007
——— II. 1013
——— III. 1018
——— IV. 1024
——— V. 1030
——— VI. 1035
——— VII. 1041
——— VIII. 1046

XVII. CALPURNIUS SICULUS.

Bucolicon Liber 1051

XVIII. AUSONIUS.

Epigrammata 1060
Ephemeris 1069
Parentalia 1070
Commemoratio Professorum Burdigalensium 1074
Epitaphia Heroum 1079
Epitaphia Aliquot Aliorum 1080
De XII Cæsaribus 1081
Tetrasticha Historica 1081
Ordo Nobilium Urbium 1083
Ludus Septem Sapientum 1084
Septem Sapientum Sententiæ versibus explicatæ 1086
Idyllia 1087
Eclogarium 1101
Epistolæ 1104
Gratiarum Actio 1113
Periochæ 1118
Præfatiunculæ Tres 1124

XIX. CLAUDIANUS.

Pag.
In Probini et Olybrii Consulatum . . 1125
In Rufinum Lib. I. 1127
——— II. 1130
De Tertio Consulatu Honorii Augusti 1134
De Quarto Consulatu Honorii Augusti 1136
In Nuptias Honorii et Mariæ . . . 1141
——— eorundem. Fescennina . 1144
De Bello Gildonico 1145
In Fl. Mallii Theodori Consulatum . 1149
In Eutropium Lib. I. 1152
——— II. 1156
De Laudibus Stilichonis Lib. I. . . . 1161
——— II. . . . 1164
De Consulatu Stilichonis III. . . . 1168
De Bello Getico 1171
In Sextum Consulatum Honorii Augusti 1176
Laus Serenæ Reginæ 1181
Epithalamium 1183
De Raptu Proserpinæ Lib. I. . . . 1185
——— II. . . . 1187
——— III. . . . 1190
Gigantomachia 1194
Epistolæ 1195
Idyllia 1196
Epigrammata 1200

SUPPLEMENTUM IN VIRGILIUM.

Ciris 1204
Catalecta 1208
Copa 1209

CORPUS POETARUM.

I.—C. VALERIUS CATULLUS.

C. Valerius Catullus Veronæ natus est honestis parentibus, U. C. 667. Literis bene imbutum esse constat veterum testimonio, simul et ipsius carminibus meram Græcæ poëseos venustatem exprimentibus. Juvenis factus, ut opes paternas luxu sumtuosisque amicitiis imminutas aliqua ex parte reficeret, C. Memmium prætorem in Bithyniam comitatus est cum fratre, cujus immaturam ibi mortem pulcherrimis ipse versibus deflet. De reliqua ejus vita nihil cognitum habemus. Amicos habuit Corn. Nepotem, Licinium Calvum, Asinium Pollionem, aliosque primores ejus sæculi viros. Mortuus est circa 710, U. C.

Carmen I.—*Ad Cornelium Nepotem.*

QUOI dono lepidum novum libellum,
Arida modo pumice expolitum ?
Corneli, tibi : namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas,
Jam tum, cum ausus es unus Italorum 5
Omne ævum tribus explicare chartis,
Doctis, Jupiter ! et laboriosis.
Quare habe tibi, quidquid hoc libelli est,
Qualecumque ; quod, o patrona Virgo,
Plus uno maneat perenne sæclo. 10

Carmen II.—*Ad Passerem Lesbiæ.*

Passer, deliciæ meæ puellæ,
Quîcum ludere, quem in sinu tenere,
Quoi primum digitum dare appetenti,
Et acres solet incitare morsus ;
Cum desiderio meo nitenti 5
Carum nescio quid lubet jocari,
(Ut solatiolum sui doloris,
Credo, ut tum gravis acquiescat ardor)
Tecum ludere, sicut ipsa, possem,
Et tristes animi levare curas ; 10
Tam gratum mihi, quam ferunt puellæ
Pernici aureolum fuisse malum,
Quod zonam soluït diu ligatam.

Carmen III.—*Luctus in Morte Passeris.*

Lugete, o Veneres, Cupidinesque,
Et quantum est hominum venustiorum :
Passer mortuus est meæ puellæ,
Passer deliciæ meæ puellæ,
Quem plus illa oculis suis amabat : 5
Nam mellitus erat, suamque nôrat
Ipsam tam bene, quam puella matrem :
Nec sese a gremio illius movebat ;
Sed circumsiliens modo huc, modo illuc,
Ad solam dominam usque pipilabat. 10
Qui nunc it per iter tenebricosum
Illuc, unde negant redire quemquam.
At vobis male sit, malæ tenebræ
Orci, quæ omnia bella devoratis !
Tam bellum mihi passerem abstulistis ! 15
O factum male ! O miselle passer !
Tua nunc opera meæ puellæ
Flendo turgiduli rubent ocelli.

Carmen IV.—*Dedicatio Phaseli.*

Phaselus ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse navium celerrimus,
Neque ullius natantis impetum trabis
Nequîsse præterire, sive palmulis
Opus foret volare, sive linteo. 5
Et hoc negat minacis Adriatici
Negare litus, insulasve Cycladas,
Rhodumve nobilem, horridamve Thraciam,
Propontida, trucemve Ponticum sinum ;
Ubi iste, post phaselus, antea fuit 10
Comata silva : nam, Cytorio in jugo,
Loquente sæpe sibilum edidit comâ.
Amastri Pontica, et Cytore buxifer,
Tibi hæc fuisse et esse cognitissima
Ait phaselus ; ultima ex origine 15
Tuo stetisse dicit in cacumine,
Tuo imbuisse palmulas in æquore,
Et inde tot per impotentia freta
Herum tulisse ; læva, sive dextera
Vocaret aura, sive utrumque Jupiter 20
Simul secundus incidisset in pedem ;
Neque ulla vota litoralibus Diis
Sibi esse facta, cum veniret a mare
Novissimo hunc ad usque limpidum lacum.
Sed hæc prius fuere : nunc recondita 25
Senet quiete, seque dedicat tibi,
Gemelle Castor, et gemelle Castoris.

Carmen V.—*Ad Lesbiam.*

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus ;
Rumoresque senum severiorum
Omnes unius æstimemus assis.
Soles occidere et redire possunt :
Nobis, cum semel occidit brevis lux, 5
Nox est perpetua una dormienda.
Da mî basia mille, deinde centum :
Dein mille altera, dein secunda centum,
Dein usque altera mille, deinde centum :
Dein, cum millia multa fecerimus, 10
Conturbabimus illa, ne sciamus,
Aut ne quis malus invidere possit,
Cum tantum sciat esse basiorum.

Carmen VI.—*Ad Flavium.*

Flavi, delicias tuas Catullo,
Ni sint illepidæ atque inelegantes

Velles dicere, nec tacere posses.
Verum nescio-quid febriculosi
Scorti diligis: hoc pudet fateri. 5
Nam, te non viduas jacere noctes,
Nequidquam tacitum cubile clamat,
Sertis ac Syrio fragrans olivo,
Pulvinusque peræque et hic et illic
Attritus, tremulique quassa lecti 10
Argutatio, inambulatioque.
Nam nil prævalet ista mî tacere.
Cur nunc tam latera exfututa pandas,
Ni tu quid facîas ineptiarum?
Quare, quidquid habes boni malique, 15
Dic nobis. Volo te ac tuos amores
Ad cœlum lepido vocare versu.

CARMEN VII.—*Ad Lesbiam.*

Quæris, quot mihi basiationes
Tuæ, Lesbia, sint satis superque?
Quam magnus numerus Libyssæ arenæ
Laserpiciferis jacet Cyrenis,
Oraclum Jovis inter æstuosi 5
Et Batti veteris sacrum sepulcrum;
Aut quam sidera multa, cum tacet nox,
Furtivos hominum vident amores;
Tam te basia multa basiare,
Vesano satis et super Catullo est, 10
Quæ nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

CARMEN VIII.—*Ad Seipsum.*

Miser Catulle, desinas ineptire,
Et, quod vides perisse, perditum ducas.
Fulsere quondam candidi tibi soles,
Cum ventitabas, quo puella ducebat
Amata nobis, quantum amabitur nulla. 5
Ibi illa multa tam jocosa fiebant,
Quæ tu volebas, nec puella nolebat.
Fulsere vere candidi tibi soles.
Nunc jam illa non vult: tu quoque impotens noli,
Nec, quæ fugit, sectare, nec miser vive; 10
Sed obstinata mente perfer, obdura.
Vale, puella! jam Catullus obdurat;
Nec te requiret, nec rogabit invitam.
At tu dolebis, cum rogaberis nulla,
Scelesta, nocte. Quæ tibi manet vita? 15
Quis nunc te adibit? quoi videberis bella?
Quem nunc amabis? quojus esse diceris?
Quem basiabis? quoi labella mordebis?
At tu, Catulle, destinatus obdura.

CARMEN IX.—*Ad Verannium.*

Veranni, omnibus e meis amicis
Antistans mihi millibus trecentis,
Venistine domum ad tuos Penates,
Fratresque unanimos, anumque matrem?
Venisti: o mihi nuntii beati! 5
Visam te incolumem; audiamque Iberûm
Narrantem loca, facta, nationes,
Ut mos est tuus; applicansque collum,
Jucundum os oculosque suaviabor.
O, quantum est hominum beatiorum, 10
Quid me lætius est, beatiusve?

CARMEN X.—*De Varri Scorto.*

Varrus me meus ad suos amores
Visum duxerat e foro otiosum;
Scortillum (ut mihi tum repente visum est)
Non sane illepidum, nec invenustum.
Huc ut venimus, incidêre nobis 5
Sermones varii; in quibus, quid esset
Jam Bithynia, quomodo se haberet,
Et quonam mihi profuisset ære?
Respondi (id quod erat) nihil neque ipsis
Nec prætoribus esse, nec cohorti, 10
Cur quisquam caput unctius referret;
Præsertim quibus esset irrumator
Prætor, nec faceret pili cohortem.
At certe tamen, inquiunt, quod illic
Natum dicitur esse, comparâsti 15
Ad lecticam homines. Ego, ut puellæ
Unum me facerem beatiorem,
Non, inquam, mihi tam fuit maligne,
Ut, provincia quod mala incidisset,
Non possem octo homines parare rectos. 20
At mî nullus erat neque hic neque illic,
Fractum qui veteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset.
Hic illa, ut decuit cinædiorem,
Quæso, inquit, mihi, mi Catulle, paulum 25
Istos commoda; nam volo ad Serapin
Deferri. Mane, inquii puellæ:
Istud, quod modo dixeram me habere,
Fugit me ratio: meus sodalis
Cinna est Caïus: is sibi paravit. 30
Verum, utrum illius an mei, quid ad me?
Utor tam bene, quam mihi parârim.
Sed tu insulsa male et molesta vivis,
Per quam non licet esse negligentem.

CARMEN XI.—*Ad Furium et Aurelium.*

Furi et Aureli, comites Catulli,
Sive in extremos penetrabit Indos,
Litus ut longe resonante Eoâ
Tunditur undâ;
Sive in Hyrcanos, Arabasque molles, 5
Seu Sacas, sagittiferosque Parthos,
Sive qua septemgeminus colorat
Æquora Nilus;
Sive trans altas gradietur Alpes,
Cæsaris visens monimenta magni, 10
Gallicum Rhenum, horribilesque ultimosque Britannos;
Omnia hæc, quæcumque feret voluntas
Cœlitum, tentare simul parati,
Pauca nuntiate meæ puellæ 15
Non bona dicta:
Cum suis vivat valeatque mœchis,
Quos simul complexa tenet trecentos,
Nullum amans vere, sed identidem omnium
Ilia rumpens. 20
Nec meum respectet, ut ante, amorem,
Qui illius culpa cecidit; velut prati ultimi flos, prætereunte postquam
Tactus aratro est.

CARMEN XII.—*Ad Asinium.*

Marrucine Asini, manu sinistra
Non belle uteris in joco atque vino:
Tollis lintea negligentiorum.
Hoc salsum esse putas? fugit te, inepte;
Quamvis sordida res et invenusta est. 5
Non credis mihi? crede Pollioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit: est enim leporum
Disertus puer, ac facetiarum.
Quare aut hendecasyllabos trecentos 10
Exspecta, aut mihi linteum remitte;
Quod me non movet æstimatione;

Verum est mnemosynon mei sodalis :
Nam sudaria Setaba ex Iberis
Miserunt mihi muneri Fabullus 15
Et Verannius. Hæc amem necesse est,
Ut Veranniolum meum et Fabullum.

Carmen XIII.—*Ad Fabullum.*

Cœnabis bene, mî Fabulle, apud me
Paucis, si tibi Dî favent, diebus,
Si tecum attuleris bonam atque magnam
Cœnam, non sine candida puella,
Et vino et sale, et omnibus cachinnis. 5
Hæc si, inquam, attuleris, venuste noster,
Cœnabis bene ; nam tui Catulli
Plenus sacculus est aranearum.
Sed contra accipies meros amores,
Seu quid suavius elegantiusve est ; 10
Nam unguentum dabo, quod meæ puellæ
Donarunt Veneres Cupidinesque ;
Quod tu cum olfacies, Deos rogabis
Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

Carmen XIV.—*Ad Calvum Licinium.*

Ni te plus oculis meis amarem,
Jucundissime Calve, munere isto
Odissem te odio Vatiniano.
Nam quid feci ego, quidve sum locutus,
Cur me tot male perderes poëtis ? 5
Isti Dî mala multa dent clienti,
Qui tantum tibi misit impiorum.
Quod si (ut suspicor) hoc novum ac repertum
Munus dat tibi Sulla literator,
Non est mî male, sed bene ac beate, 10
Quod non dispereunt tui labores.
Dî magni ! horribilem et sacrum libellum !
Quem tu scilicet ad tuum Catullum
Misti, continuo ut die periret,
Saturnalibus, optimo dierum. 15
Non, non hoc tibi, salse, sic abibit :
Nam, si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia ; Cæsios, Aquinios,
Suffenum, omnia colligam venena,
Ac te his suppliciis remunerabor. 20
Vos hinc interea valete, abite
Illuc, unde malum pedem tulistis,
Sæcli incommoda, pessimi poëtæ !
* * * * *
Siqui forte mearum ineptiarum
Lectores eritis, manusque vestras 25
Non horrebitis admovere nobis ;
Pædicabo ego vos, et irrumabo.

Carmen XV.—*Ad Aurelium.*

Commendo tibi me ac meos amores,
Aureli. Veniam peto pudentem,
Ut, si quidquam animo tuo cupîsti,
Quod castum expeteres et integellum,
Conserves puerum mihi pudice ; 5
Non dico a populo : nihil veremur
Istos, qui in platea modo huc, modo illuc,
In re prætereunt sua occupati :
Verum a te metuo, tuoque pene,
Infesto pueris bonis malisque : 10
Quem tu, qua lubet, ut lubet, moveto,
Quantum vis, ubi erit foris paratum.
Hunc unum excipio, ut puto, pudenter.
Quod si te mala mens, furorque vecors
In tantam impulerit, sceleste, culpam, 15
Ut nostrum insidiis caput lacessas ;
Ah ! tum te miserum, malique fati !
Quem, attractis pedibus, patente porta,
Percurrent raphanique, mugilesque.

Carmen XVI.—*Ad Aurelium et Furium.*

Pædicabo ego vos, et irrumabo,
Aureli pathice, et cinæde Furi,
Qui me ex versiculis meis putatis,
Quod sint molliculi, parum pudicum :
Nam castum esse decet pium poëtam 5
Ipsum ; versiculos nihil necesse est ;
Qui tum denique habent salem ac leporem
Si sunt molliculi, ac parum pudici,
Et, quod pruriat, incitare possunt,
Non dico pueris, sed his pilosis, 10
Qui duros nequeunt movere lumbos.
Vos, quod millia multa basiorum
Legistis, male me marem putatis :
Pædicabo ego vos, et irrumabo.

Carmen XVII.—*Ad Coloniam.*

O Colonia, quæ cupis ponte ludere longo,
Et salire paratum habes ; sed vereris inepta
Crura ponticuli adsulitantis, irredivivus
Ne supinus eat, cavaque in palude recumbat,
Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat, 5
In quo vel Salisubsulis sacra suscipiantur :
Munus hoc mihi maximi da, Colonia, risus.
Quendam municipem meum de tuo volo ponte
Ire præcipitem in lutum, per caputque pedesque ;
Verum totius ut lacus, putidæque paludis, 10
Lividissima, maximeque est profunda vorago.
Insulsissimus est homo ; nec sapit pueri instar
Bimuli, tremula patris dormientis in ulna.
Quoi cum sit viridissimo nupta flore puella,
Et puella tenellulo delicatior hædo, 15
Asservanda nigerrimis diligentius uvis ;
Ludere hanc sinit, ut lubet, nec pili facit uni ;
Nec se sublevat ex sua parte : sed, velut alnus
In fossa Liguri jacet suppernata securi,
Tantumdem omnia sentiens, quam si nulla sit usquam ; 20
Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit.
Ipse qui sit, utrum sit, an non sit, id quoque nescit.
Nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum,
Si pote stolidum repente excitare veternum,
Et supinum animum in gravi derelinquere cœno,
Ferream ut soleam tenaci in voragine mula. 26

Carmen XVIII.—*Ad Hortorum Deum.*

Hunc lucum tibi dedico, consecroque, Priape,
Qua domus tua Lampsaci est, quaque silva, Priape.
Nam te præcipue in suis urbibus colit ora
Hellespontia, cæteris ostreosior oris.

Carmen XIX.—*Hortorum Deus.*

Hunc ego, juvenes, locum, villulamque palustrem
Tectam vimine junceo, caricisque maniplis,
Quercus arida, rustica conformata securi,
Nutrivi, magis et magis ut beata quotannis. 4
Hujus nam domini colunt me, Deumque salutant,
Pauperis tugurî pater, filiusque * * *
Alter assidua colens diligentia, ut herba
Dumosa, asperaque a meo sit remota sacello ;
Alter parva ferens manu semper munera larga.
Florido mihi ponitur picta vere corolla 10
Primitu', et tenera virens spica mollis arista :
Luteæ violæ mihi, luteumque papaver,
Pallentesque cucurbitæ, et suave olentia mala

Uva pampinea rubens educata sub umbra :
Sanguine hanc etiam mihi (sed tacebitis) aram 15
Barbatus linit hirculus, cornipesque capella ;
Pro quîs omnia honoribus hæc necesse Priapo
Præstare, et domini hortulum, vineamque tueri.
Quare hinc, o pueri, malas abstinete rapinas.
Vicinus prope dives est, negligensque Priapus. 20
Inde sumite : semita hæc deinde vos feret ipsa.

Carmen XX.—*Hortorum Deus.*

Ego hæc, ego arte fabricata rustica,
Ego arida, o viator, ecce populus
Agellulum hunc, sinistra, tute quem vides,
Herique villulam, hortulumque pauperis
Tuor, malasque furis arceo manus. 5
Mihi corolla picta vere ponitur,
Mihi rubens arista sole fervido,
Mihi virente dulcis uva pampino,
Mihique glauca duro oliva frigore.
Meis capella delicata pascuis 10
In urbem adulta lacte portat ubera ;
Meisque pinguis agnus ex ovilibus
Gravem domum remittit ære dexteram ;
Teneraque, matre mugiente, vaccula
Deûm profundit ante templa sanguinem. 15
Proin', viator, hunc Deum vereberis,
Manumque sorsum habebis. Hoc tibi expedit ;
Parata namque crux, sine arte mentula.
Velim, pol, inquis : at, pol, ecce villicus
Venit, valente quoi revulsa brachio 20
Fit ista mentula apta clava dexteræ.

Carmen XXI.—*Ad Aurelium.*

Aureli, pater esuritionum,
Non harum modo, sed quot aut fuerunt,
Aut sunt, aut aliis erunt in annis,
Pædicare cupis meos amores !
Nec clam : nam simules ; jocaris una, 5
Hæres ad latus ; omnia experiris :
Frustra ; nam insidias mihi instruentem
Tangam te prior irrumatione.
Atque, si id faceres satur, tacerem.
Nunc ipsum id doleo, quod esurire 10
Ah ! meus puer, et sitire discet.
Quare desine, dum licet pudico,
Ne finem facias, sed irrumatus.

Carmen XXII.—*Ad Varrum.*

Suffenus iste, Varre, quem probe nôsti,
Homo est venustus, et dicax, et urbanus ;
Idemque longe plurimos facit versus.
Puto esse ego illi millia aut decem aut plura
Perscripta : nec sic, ut fit, in palimpsesto 5
Relata ; chartæ regiæ, novi libri,
Novi umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, et pumice omnia æquata.
Hæc cum legas, tum bellus ille et urbanus
Suffenus, unus caprimulgus aut fossor 10
Rursus videtur : tantum abhorret, ac mutat.
Hoc quid putemus esse ? qui modo scurra,
Aut siquid hac re tritius, videbatur,
Idem inficeto est inficetior rure,
Simul poëmata attigit : neque idem unquam 15
Æque est beatus, ac poëma cum scribit :
Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur.
Nimirum idem omnes fallimur ; neque est quisquam,
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis. Suus quoique attributus est error : 20
Sed non videmus, manticæ quod in tergo est.

Carmen XXIII.—*Ad Furium.*

Furi, quoi neque servus est, neque arca,
Nec cimex, neque araneus, neque ignis,
Verum est et pater, et noverca, quorum
Dentes vel silicem comesse possunt ;
Est pulchre tibi cum tuo parente, 5
Et cum conjuge lignea parentis.
Nec mirum : bene nam valetis omnes :
Pulchre concoquitis ; nihil timetis ;
Non incendia, non graves ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni, 10
Non casus alios periculorum.
Atqui corpora sicciora cornu,
Aut, siquid magis aridum est, habetis,
Sole, et frigore, et esuritione.
Quare non tibi sit bene ac beate ? 15
A te sudor abest, abest saliva,
Mucusque, et mala pituita nasi.
Hanc ad munditiem adde mundiorem,
Quod culus tibi purior salillo est ;
Nec toto decies cacas in anno : 20
Atque id durius est faba et lapillis ;
Quod tu si manibus teras, fricesque,
Non unquam digitum inquinare possis.
Hæc tu commoda tam beata, Furi,
Noli spernere, nec putare parvi ; 25
Et sestertia, quæ soles, precari
Centum desine ; nam sat es beatus.

Carmen XXIV.—*Ad Juventium Puerum.*

O qui flosculus es Juventiorum,
Non horum modo, sed quot aut fuerunt,
Aut posthac aliis erunt in annis :
Mallem divitias mihi dedisses
Isti, quoi neque servus est neque arca, 5
Quam sic te sineres ab illo amari.
Quî ? non est homo bellus ? inquies. Est :
Sed bello huic neque servus est neque arca.
Hæc tu, quam lubet, abjice, elevaque ;
Nec servum tamen ille habet neque arcam. 10

Carmen XXV.—*Ad Thallum.*

Cinæde Thalle, mollior cuniculi capillo,
Vel anseris medullula, vel imula oricilla,
Vel pene languido senis, situque araneoso ;
Idemque, Thalle, turbida rapacior procella,
Cum de via mulier aves ostendit oscitantes : 5
Remitte pallium mihi meum, quod involasti,
Sudariumque Setabum, catagraphosque Thynos,
Inepte, quæ palam soles habere, tamquam avita ;
Quæ nunc tuis ab unguibus reglutina, et remitte,
Ne laneum latusculum, natesque mollicellas, 10
Inusta turpiter tibi flagella conscribillent,
Et insolenter æstues, velut minuta magno
Deprensa navis in mari, vesaniente vento.

Carmen XXVI.—*Ad Furium.*

Furi, villula nostra non ad Austri
Flatus opposita est, nec ad Favonî,
Nec sævi Boreæ, aut Apeliotæ,
Verum ad millia quindecim et ducentos.
O ventum horribilem atque pestilentem ! 5

Carmen XXVII.—*Ad Pocillatorem Puerum.*

Minister vetuli, puer, Falerni,
Inger mî calices amariores,
Ut lex Postumiæ jubet magistræ,
Ebriosa acina ebriosioris.
At vos, quo lubet, hinc abite, lymphæ, 5

Vini pernicies; et ad severos
Migrate: hic merus est Thyonianus.

CARMEN XXVIII.—*Ad Verannium et Fabullum.*

Pisonis comites, cohors inanis,
Aptis sarcinulis et expeditis,
Veranni optime, tuque, mi Fabulle,
Quid rerum geritis? satisne, cum isto
Vappa, frigoraque et famem tulistis? 5
Ecquidnam in tabulis patet lucelli
Expensum? ut mihi, qui meum secutus
Prætorem, refero datum lucello.
O Memmi! bene me, ac diu, supinum
Tota ista trabe lentus irrumâsti. 10
Sed, quantum video, pari fuistis
Casu: nam nihilo minore verpa
Farti estis. Pete nobiles amicos.
At vobis mala multa Dî Deæque
Dent, opprobria Romuli Remique. 15

CARMEN XXIX.—*In Cæsarem.*

Quis hoc potest videre, quis potest pati,
Nisi impudicus, et vorax, et aleo,
Mamurram habere, quod Comata Gallia
Habebat uncti, et ultima Britannia?
Cinæde Romule, hæc videbis, et feres? 5
Es impudicus, et vorax, et aleo.
Et ille nunc superbus et superfluens
Perambulabit omnium cubilia,
Ut albulus columbus, aut Adoneüs?
Cinæde Romule, hæc videbis, et feres? 10
Es impudicus, et vorax, et aleo.
Eone nomine, imperator unice,
Fuisti in ultima Occidentis insula,
Ut ista vostra diffututa mentula
Ducenties comesset, aut trecenties? 15
Quid est? ait sinistra liberalitas:
Parum expatravit. An parum helluatus est?
Paterna prima lancinata sunt bona;
Secunda præda Pontica; inde tertia
Ibera, quam scit amnis aurifer Tagus. 20
Hunc Galliæ timetis et Britanniæ?
Quid hunc (malum!) fovetis? aut quid hic potest,
Nisi uncta devorare patrimonia?
Eone nomine, imperator unice,
Socer generque perdidistis omnia? 25

CARMEN XXX.—*Ad Alphenum.*

Alphene immemor, atque unanimis false sodalibus!
Jam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi:
Jam me prodere, jam non dubitas fallere, perfide!
Nec facta impia fallacûm hominum Cœlicolis placent;
Quæ tu negligis, ac me miserum deseris in malis. 5
Eheu! quid faciant dehinc homines, quoive habeant fidem?
Certe tute jubebas animam tradere, inique, me
Inducens in amorem, quasi tuta omnia mî forent.
Idem nunc retrahis te; ac tua dicta omnia factaque
Ventos irrita ferre, et nebulas aërias, sinis. 10
Si tu oblitus es, at Dî meminerunt, meminit Fides,
Quæ te ut pœniteat postmodo facti faciet tui.

CARMEN XXXI.—*Ad Sirmionem Pœninsulam.*

Pœninsularum, Sirmio, insularumque
Ocelle, quascumque in liquentibus stagnis,
Marique vasto, fert uterque Neptunus!
Quam te libenter, quamque lætus, inviso!
Vix mî ipse credens, Thyniam atque Bithynos 5
Liquisse campos, et videre te in tuto.
O! quid solutis est beatius curis?
Cum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus larem ad nostrum,
Desideratoque acquiescimus lecto. 10
Hoc est, quod unum est pro laboribus tantis.
Salve, o venusta Sirmio! atque hero gaude:
Gaudete vosque, Lydiæ lacus undæ:
Ridete, quidquid est domi cachinnorum.

CARMEN XXXII.—*Ad Ipsithillam.*

Amabo, mea dulcis Ipsithilla,
Meæ deliciæ, mei lepores,
Jube ad te veniam meridiatum.
Quod si jusseris, illud adjuvato,
Nequis liminis obseret tabellam, 5
Neu tibi lubeat foras abire;
Sed domi maneas, paresque nobis
Novem continuas fututiones.
Verum, siquid ages, statim jubeto;
Nam pransus jaceo, et satur supinus 10
Pertundo tunicamque, palliumque.

CARMEN XXXIII.—*In Vibennios.*

O furum optime balneariorum,
Vibenni pater, et cinæde fili!
(Nam dextra pater inquinatiore,
Culo filius est voraciore)
Cur non exsilium malasque in oras 5
Itis? quandoquidem patris rapinæ
Notæ sunt populo; et nates pilosas,
Fili, non potes asse venditare.

CARMEN XXXIV.—*Ad Dianam.*

Dianæ sumus in fide
Puellæ, et pueri integri:
Dianam pueri integri,
Puellæque, canamus.
O Latonia, maximi 5
Magna progenies Jovis!
Quam mater prope Deliam
Deposivit olivam;
Montium domina ut fores,
Silvarumque virentium, 10
Saltuumque recondito-
rum, amniumque sonantûm.
Tu Lucina dolentibus
Juno dicta puerperis:
Tu potens Trivia, et notho es 15
Dicta lumine Luna.
Tu, cursu, Dea, menstruo
Metiens iter annuum,
Rustica agricolæ bonis
Tecta frugibus exples. 20
Sis quocumque placet tibi
Sancta nomine; Romuli-
que antiquam, ut solita es, bona
Sospites ope gentem.

CARMEN XXXV.—*Cæcilium invitat.*

Poëtæ tenero, meo sodali,
Velim Cæcilio, papyre, dicas,
Veronam veniat, Novi relinquens
Comi mœnia, Lariumque litus:
Nam quasdam volo cogitationes 5
Amici accipiat sui, meique.
Quare, si sapiet, viam vorabit.
Quamvis candida millies puella
Euntem revocet, manusque collo

Ambas injiciens, roget morari; 10
Quæ nunc (si mihi vera nuntiantur)
Illum deperit impotente amore.
Nam, quo tempore legit inchoatam
Dindymi dominam, ex eo misellæ
Ignes interiorem edunt medullam. 15
Ignosco tibi, Sapphica puella
Musa doctior; est enim venuste
Magna Cæcilio inchoata Mater.

CARMEN XXXVI.—*In Annales Volusii.*

Annales Volusî, cacata charta,
Votum solvite pro mea puella:
Nam sanctæ Veneri Cupidinique
Vovit, si sibi restitutus essem,
Desîssemque truces vibrare iambos, 5
Electissima pessimi poëtæ
Scripta tardipedi Deo daturam
Infelicibus ustulanda lignis:
Et hæc pessima se puella vidit
Jocose et lepide vovere Divis. 10
Nunc, o cæruleo creata ponto,
Quæ sanctum Idalium, Syrosque apertos,
Quæque Ancona, Cnidumque arundinosam
Colis, quæque Amathunta, quæque Golgos,
Quæque Dyrrhachium Adriæ tabernam; 15
Acceptum face, redditumque votum,
Si non illepidum, neque invenustum est.
At vos interea venite in ignem,
Pleni ruris et inficetiarum,
Annales Volusî, cacata charta. 20

CARMEN XXXVII.—*Ad Petulantes Quosdam.*

Salax taberna, vosque contubernales,
A Pileatis nona Fratribus pila,
Solis putatis esse mentulas vobis?
Solis licere, quidquid est puellarum,
Confutuere, et putare cæteros hircos? 5
An, continenter quod sedetis insulsi
Centum aut ducenti, non putatis ausurum
Me una ducentos irrumare sessores?
Atqui putate; namque totius vobis
Frontem tabernæ scipionibus scribam: 10
Puella nam mea, quæ meo sinu fugit,
Amata tantum, quantum amabitur nulla,
Pro qua mihi sunt magna bella pugnata,
Consedit istic. Hanc boni beatique
Omnes amatis; et quidem, quod indignum est,
Omnes pusilli et semitarii mœchi; 16
Tu, præter omnes, une de capillatis
Cuniculosæ Celtiberiæ fili,
Egnati, opaca quem bonum facit barba,
Et dens Ibera defricatus urina. 20

CARMEN XXXVIII.—*Ad Cornificium.*

Male est, Cornifici, tuo Catullo:
Male est mehercule, et laboriose,
Et magis magis in dies et horas:
Quem tu, quod minimum facillimumque est,
Qua solatus es allocutione? 5
Irascor tibi. Sic meos amores?
Paulum quid lubet allocutionis,
Mœstius lacrymis Simonideis.

CARMEN XXXIX.—*In Egnatium.*

Egnatius, quod candidos habet dentes,
Renidet usquequaque. Seu ad rei ventum est
Subsellium, cum orator excitat fletum,
Renidet ille; seu pii ad rogum fili
Lugetur, orba cum flet unicum mater, 5
Renidet ille: quidquid est, ubicumque est,
Quodcumque agit, renidet. Hunc habet morbum,
Neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum.
Quare monendus es mihi, bone Egnati:
Si urbanus esses, aut Sabinus, aut Tiburs, 10
Aut pastus Umber, aut obesus Etruscus,
Aut Lanuvinus ater atque dentatus,
Aut Transpadanus, (ut meos quoque attingam)
Aut quilibet, qui puriter lavit dentes;
Tamen renidere usquequaque te nollem: 15
Nam risu inepto res ineptior nulla est.
Nunc Celtiber es: in Celtiberia terra
Quod quisque minxit, hoc solet sibi mane
Dentem atque russam defricare gingivam;
Ut, quo iste vester expolitior dens est, 20
Hoc te amplius bibisse prædicet loti.

CARMEN XL.—*Ad Ravidum.*

Quænam te mala mens, miselle Ravide, agit præcipitem in meos iambos?
Quis Deus, tibi non bene advocatus,
Vecordem parat excitare rixam?
Anne, ut pervenias in ora volgi? 5
Quid vis? qua lubet esse notus optas,
Eris; quandoquidem meos amores
Cum longa voluisti amare pœna.

CARMEN XLI.—*In Amicam Mamurræ.*

An sana illa puella defututa
Tota? millia me decem poposcit;
Ista turpiculo puella naso,
Decoctoris amica Formiani.
Propinqui, quibus est puella curæ, 5
Amicos medicosque convocate:
Non est sana puella; nec rogate
Qualis sit: solet hæc imaginosum.

CARMEN XLII.—*In Quandam.*

Adeste, hendecasyllabi, quot estis,
Omnes undique, quotquot estis, omnes.
Jocum me putat esse mœcha turpis,
Et negat mihi vostra reddituram
Pugillaria, si pati potestis. 5
Persequamur eam, et reflagitemus.
Quæ sit, quæritis? illa, quam videtis
Turpe incedere, mimice ac moleste
Ridentem catuli ore Gallicani.
Circumsistite eam, et reflagitate: 10
Mœcha putida, redde codicillos;
Redde, putida mœcha, codicillos.
Non assis facis? O lutum! lupanar!
Aut si perditius potest quid esse.
Sed non est tamen hoc satis putandum. 15
Quod si non aliud pote est, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.
Conclamate iterum altiore voce:
Mœcha putida, redde codicillos;
Redde, putida mœcha, codicillos. 20
Sed nil proficimus; nihil movetur.
Mutanda est ratio, modusque vobis,
Siquid proficere amplius potestis:
Pudica et proba, redde codicillos.

CARMEN XLIII.—*In Amicam Mamurræ.*

Salve, nec minimo puella naso,
Nec bello pede, nec nigris ocellis,
Nec longis digitis, nec ore sicco
Nec sane nimis elegante lingua,
Decoctoris amica Formiani. 5
Ten' provincia narrat esse bellam?

Tecum Lesbia nostra comparatur?
O sæclum insipiens et inficetum!

CARMEN XLIV.—*Ad Fundum suum.*

O funde noster, seu Sabine, seu Tiburs,
Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est
Cordi Catullum lædere; at, quibus cordi est,
Quovis Sabinum pignore esse contendunt.
Sed, seu Sabine, sive verius Tiburs, 5
Fui libenter in tua suburbana
Villa, malamque pectore expuli tussim;
Non immerenti quam mihi meus venter,
Dum sumtuosas appeto, dedit, cœnas.
Nam, Sextianus dum volo esse conviva, 10
Orationem in Antium petitorem,
Plenam veneni et pestilentiæ, legit.
Hic me gravedo frigida, et frequens tussis
Quassavit, usquedum in tuum sinum fugi,
Et me recuravi otioque et urtica. 15
Quare refectus maximas tibi grates
Ago, meum quod non es ulta peccatum.
Nec deprecor jam, si nefaria scripta
Sextî recepso, quin gravedinem et tussim
Non mi, sed ipsi Sextio, ferat frigus, 20
Qui tunc vocat me, cum malum legit librum.

CARMEN XLV.—*De Acme et Septimio.*

Acmen Septimius, suos amores,
Tenens in gremio, Mea, inquit, Acme,
Ni te perdite amo, atque amare porro
Omnes sum assidue paratus annos,
Quantum qui pote plurimum perire; 5
Solus in Libya, Indiave tosta,
Cæsio veniam obvius leoni.
Hoc ut dixit, Amor, sinistram ut ante,
Dextram sternuit approbationem.
At Acme leviter caput reflectens, 10
Et dulcis pueri ebrios ocellos
Illo purpureo ore suaviata,
Sic, inquit, mea vita, Septimille,
Huic uno domino usque serviamus,
Ut multo mihi major acriorque 15
Ignis mollibus ardet in medullis.
Hoc ut dixit, Amor, sinistram ut ante,
Dextram sternuit approbationem.
Nunc, ab auspicio bono profecti,
Mutuis animis amant, amantur. 20
Unam Septimius misellus Acmen
Mavolt, quam Syrias Britanniasque:
Uno in Septimio fidelis Acme
Facit delicias, libidinesque.
Quis ullos homines beatiores 25
Vidit? quis Venerem auspicatiorem?

CARMEN XLVI.—*Ad se ipsum, de Adventu Veris.*

Jam ver egelidos refert tepores;
Jam cœli furor æquinoctialis
Jucundis Zephyri silescit auris.
Linquantur Phrygii, Catulle, campi,
Nicææque ager uber æstuosæ. 5
Ad claras Asiæ volemus urbes.
Jam mens prætrepidans avet vagari;
Jam læti studio pedes vigescunt.
O dulces comitum valete cœtus,
Longe quos simul a domo profectos 10
Diverse variæ viæ reportant.

CARMEN XLVII.—*Ad Porcium et Socrationem.*

Porci et Socration, duæ sinistræ
Pisonis, scabies famesque Memmî,
Vos Veranniolo meo et Fabullo
Verpus præposuit Priapus ille?
Vos convivia lauta sumtuose 5
De die facitis; mei sodales
Quærunt in triviis vocationes?

CARMEN XLVIII.—*Ad Juventium.*

Mellitos oculos tuos, Juventi,
Siquis me sinat usque basiare,
Usque ad millia basiem trecenta;
Nec unquam saturum inde cor futurum est;
Non, si densior aridis aristis 5
Sit nostræ seges osculationis.

CARMEN XLIX.—*Ad M. T. Ciceronem.*

Dissertissime Romuli nepotum,
Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque post aliis erunt in annis;
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, pessimus omnium poëta; 5
Tanto pessimus omnium poëta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

CARMEN L.—*Ad Licinium.*

Hesterno, Licini, die otiosi
Multum lusimus in meis tabellis,
Ut convenerat esse; delicatos
Scribens versiculos uterque nostrûm
Ludebat numero modo hoc, modo illoc, 5
Reddens mutua per jocum atque vinum.
Atque illinc abii, tuo lepore
Incensus, Licini, facetiisque,
Ut nec me miserum cibus juvaret,
Nec somnus tegeret quiete ocellos; 10
Sed toto indomitus furore lecto
Versarer, cupiens videre lucem,
Ut tecum loquerer, simulque ut essem.
At, defessa labore membra postquam
Semimortua lectulo jacebant, 15
Hoc, jucunde, tibi poëma feci,
Ex quo perspiceres meum dolorem.
Nunc audax cave sis, precesque nostras,
Oramus, cave despuas, ocelle,
Ne pœnas Nemesis reposcat a te: 20
Est vehemens Dea; lædere hanc caveto.

CARMEN LI.—*Ad Lesbiam.*

Ille mî par esse Deo videtur,
Ille (si fas est) superare Divos,
Qui, sedens adversus, identidem te
Spectat et audit
Dulce ridentem; misero quod omnes 5
Eripit sensus mihi: nam simul te,
Lesbia, adspexi, nihil est super mî
. . . . . .
Lingua sed torpet: tenuis sub artus
Flamma dimanat: sonitu suopte 10
Tintinant aures: gemina teguntur
Lumina nocte.
Otium, Catulle, tibi molestum est;
Otio exsultas, nimiumque gestis:
Otium et reges prius, et beatas
Perdidit urbes.

CARMEN LII.—*Ad Seipsum, de Struma et Vatinio.*

Quid est, Catulle, quid moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius sedet:
Per consulatum pejerat Vatinius.
Quid est, Catulle, quid moraris emori?

Carmen LIII.—*De Calvo.*

Risi nescio quem modo in corona,
Qui, cum mirifice Vatiniana
Meus crimina Calvus explicasset,
Admirans ait hæc, manusque tollens:
Dî magni! salaputium disertum! 5

Carmen LIV.—*Ad Cæsarem.*

Othonis caput oppido pusillum,
Vettî, rustice, semilauta crura,
Subtile et leve peditum Libonis;
Si non omnia displicere vellem
Tibi, et Fuffitio seni recocto. 5
Irascere iterum meis iambis
Immerentibus, unice imperator.

Carmen LV.—*Ad Camerium.*

Oramus, si forte non molestum est,
Demonstres ubi sint tuæ tenebræ.
Te quæsivimus in minore Campo,
Te in Circo, te in omnibus libellis,
Te in templo superi Jovis sacrato, 5
In Magni simul ambulatione:
Femellas omnes, amice, prendi,
Quas voltu vidi tamen sereno;
Has [vel te sic] ipse flagitabam:
Camerium mihi, pessimæ puellæ. 10
Quædam inquit, nudum sinum reducens:
En hîc in roseis latet papillis.
Sed te jam ferre Herculei labos est:
Tanto te in fastu negas, amice.
Dic nobis, ubi sis futurus: ede, 15
Audacter committe, crede luci.
Num te lacteolæ tenent puellæ?
Si linguam clauso tenes in ore,
Fructus projicies amoris omnes:
Verbosa gaudet Venus loquela. 20
Vel, si vis, licet obseres palatum,
Dum vostri sim particeps amoris:
Non, custos si fingar ille Cretum,
Non si Pegaseo ferar volatu,
Non Ladas si ego, pennipesve Perseus, 25
Non Rhesi niveæ citæque bigæ;
Adde huc plumipedes volatilesque,
Ventorumque simul require cursum,
Quos junctos, Cameri, mihi dicares;
Defessus tamen omnibus medullis, 30
Et multis languoribus peresus
Essem, te, mi amice, quæritando.

Carmen LVI.—*Ad Catonem.*

O rem ridiculam, Cato, et jocosam,
Dignamque auribus, et tuo cachinno!
Ride, quidquid amas, Cato, Catullum:
Res est ridicula et nimis jocosa.
Deprendi modo pupulum puellæ 5
Trusantem. Hunc ego, si placet Dionæ,
Pro telo rigida mea cecidi.

Carmen LVII.—*In Mamurram et Cæsarem.*

Pulchre convenit improbis cinædis,
Mamurræ pathicoque, Cæsarique.
Nec mirum: maculæ pares utrisque,
Urbana altera, et illa Formiana,
Impressæ resident, nec eluentur. 5
Morbosi pariter, gemelli utrique:
Uno in lectulo, eruditi ambo:
Non hic, quam ille, magis vorax adulter:
Rivales socii puellularum
Pulchre convenit improbis cinædis. 10

Carmen LVIII.—*Ad Cœlium, de Lesbiâ.*

Cœli, Lesbia nostra, Lesbia illa,
Illa Lesbia, quam Catullus unam
Plus quam se atque suos amavit omnes,
Nunc in quadriviis et angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes. 5

Carmen LIX.—*De Rufâ et Rufulo.*

Bononiensis Rufa Rufulum fellat,
Uxor Meneni, sæpe quam in sepulcretis
Vidistis ipso rapere de rogo cœnam,
Cum, devolutum ex igne prosequens panem,
Ab semiraso tunderetur ustore. 5

Carmen LX.

Num te leæna montibus Libyssinis,
Aut Scylla latrans infimâ inguinum parte,
Tam mente dura procreavit ac tetra,
Ut supplicis vocem in novissimo casu
Contemtam haberes? O nimis fero corde! 5

Carmen LXI.—*In Nuptias Juliæ et Manlii.*

Collis o Heliconii
Cultor, Uraniæ genus,
Qui rapis teneram ad virum
Virginem, o Hymenæe Hymen!
Hymen o Hymenæe! 5
Cinge tempora floribus
Suaveolentis amaraci:
Flammeum cape: lætus huc
Huc veni, niveo gerens
Luteum pede soccum: 10
Excitusque hilari die,
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnula,
Pelle humum pedibus, manu
Pineam quate tædam. 15
Namque Julia Manlio,
Qualis Idalium colens
Venit ad Phrygium Venus
Judicem, bona cum bona
Nubit alite virgo; 20
Floridis velut enitens
Myrtus Asia ramulis,
Quos Hamadryades Deæ
Ludicrum sibi roscido
Nutriunt humore. 25
Quare age, huc aditum ferens,
Perge linquere Thespiæ
Rupis Aonios specus,
Lympha quos super irrigat
Frigerans Aganippe: 30
Ac domum dominam voca,
Conjugis cupidam novi,
Mentem amore revinciens,
Ut tenax hedera huc et huc
Arborem implicat errans. 35
Vos item simul, integræ
Virgines, quibus advenit
Par dies, agite, in modum
Dicite, O Hymenæe Hymen!
Hymen o Hymenæe! 40
Ut lubentius, audiens
Se citarier ad suum
Munus, huc aditum ferat
Dux bonæ Veneris, boni
Conjugator amoris. 45

Quis Deus magis, ah! magis
Est petendus amantibus?
Quem colent homines magis
Cœlitum? O Hymenæe Hymen!
Hymen o Hymenæe! 50
Te suis tremulus parens
Invocat: tibi virgines
Zonula solüunt sinus:
Te timens cupida novus
Captat aure maritus. 55
Tu fero juveni in manus
Floridam ipse puellulam
Matris e gremio suæ
Dedis, o Hymenæe Hymen!
Hymen o Hymenæe! 60
Nil potest sine te Venus,
Fama quod bona comprobet,
Commodi capere: at potest,
Te volente. Quis huic deo
Compararier ausit? 65
Nulla quit sine te domus
Liberos dare, nec parens
Stirpe jungier: at potest,
Te volente. Quis huic deo
Compararier ausit? 70
Quæ tuis careat sacris,
Non queat dare præsides
Terra finibus: at queat,
Te volente. Quis huic deo
Compararier ausit? 75
Claustra pandite januæ:
Virgo adest. Viden', ut faces
Splendidas quatiunt comas?
Sed moraris; abit dies:
Prodeas, nova nupta. 80
Tardat ingenuus pudor,
Quæ tamen magis audiens
Flet, quod ire necesse sit.
Sed moraris; abit dies:
Prodeas, nova nupta. 85
Flere desine. Non tibi, Aurunculeia, periculum est,
Ne qua femina pulchrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem. 90
Talis in vario solet
Divitis domini hortulo
Stare flos hyacinthinus.
Sed moraris; abit dies:
Prodeas, nova nupta. 95
Prodeas, nova nupta, sis,
(Jam videtur) et audias
Nostra verba. Viden'? faces
Aureas quatiunt comas.
Prodeas, nova nupta. 100
Non tuus levis in mala
Deditus vir adultera,
Probra turpia persequens,
A tuis teneris volet
Secubare papillis; 105
Lenta qui velut assitas
Vitis implicat arbores,
Implicabitur in tuum
Complexum. Sed abit dies:
Prodeas, nova nupta. 110

* * *
* * *
* * *

O cubile! quot (o nimis
Candido pede lecti) 115
Quæ tuo veniunt hero,
Quanta gaudia, quæ vaga
Nocte, quæ media die
Gaudeat. Sed abit dies:
Prodeas, nova nupta. 120
Tollite, o pueri, faces:
Flammeum video venire. Ite, concinite in modum,
Io Hymen Hymenæe, io!
Io Hymen Hymenæe! 125
Neu diu taceat procax
Fescennina locutio;
Neu nuces pueris neget,
Desertum domini audiens
Concubinus amorem. 130
Da nuces pueris, iners
Concubine. Satis diu
Lusisti nucibus. Lubet
Jam servire Thalassio.
Concubine, nuces da. 135
Sordebant tibi villuli,
Concubine, hodie atque heri:
Nunc tuum cinerarius
Tondet os. Miser, ah! miser
Concubine, nuces da. 140
Diceris male te a tuis,
Unguentate, glabris, marite, abstinere: sed abstine.
Io Hymen Hymenæe, io!
Io Hymen Hymenæe! 145
Scimus hæc tibi, quæ licent,
Sola cognita: sed marito ista non eadem licent.
Io Hymen Hymenæe, io!
Io Hymen Hymenæe! 150
Nupta, tu quoque, quæ tuus
Vir petet, cave ne neges;
Ne petitum aliunde eat.
Io Hymen Hymenæe, io!
Io Hymen Hymenæe! 155
En tibi domus ut potens
Et beata viri tui,
Quæ tibi sine serviat,
(Io Hymen Hymenæe, io!
Io Hymen Hymenæe!) 160
Usque dum tremulum movens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus annuit.
Io Hymen Hymenæe, io!
Io Hymen Hymenæe! 165
Transfer, omine cum bono,
Limen aureolos pedes,
Rasilemque subi forem.
Io Hymen Hymenæe, io!
Io Hymen Hymenæe! 170
Adspice, intus ut accubans
Vir tuus Tyrio in toro,
Totus immineat tibi.
Io Hymen Hymenæe, io!
Io Hymen Hymenæe! 75
Illi, non minus ac tibi,
Pectore uritur intimo
Flamma, sed penite magis.
Io Hymen Hymenæe, io!
Io Hymen Hymenæe! 180
Mitte brachiolum teres,
Prætextate, puellulæ;
Jam cubile adeant viri.
Io Hymen Hymenæe, io!
Io Hymen Hymenæe! 185

Vos bonæ, senibus viris
Cognitæ bene feminæ,
Collocate puellulam.
Io Hymen Hymenæe, io!
Io Hymen Hymenæe! 190
Jam licet venias, marite: uxor in thalamo est tibi
Ore floridulo nitens;
Alba parthenice velut,
Luteumve papaver. 195
At marite (ita me juvent
Cœlites) nihilo minus
Pulcher es, neque te Venus
Negligit. Sed abit dies:
Perge; ne remorare. 200
Non diu remoratus es:
Jam venis. Bona te Venus
Juverit, quoniam palam,
Quod cupis, capis, et bonum
Non abscondis amorem. 205
Ille pulvis Erythrii,
Siderumque micantium,
Subducat numerum prius,
Qui vostri numerare volt
Multa millia ludi. 210
Ludite, ut lubet, et brevi
Liberos date. Non decet
Tam vetus sine liberis
Nomen esse, sed indidem
Semper ingenerari. 215
Torquatus, volo, parvolus
Matris e gremio suæ
Porrigens teneras manus,
Dulce rideat ad patrem,
Semihiante labello. 220
Sit suo similis patri
Manlio, et facile insciis
Noscitetur ab omnibus,
Et pudicitiam suæ
Matris indicet ore. 225
Talis illius a bona
Matre laus genus approbet,
Qualis unica ab optima
Matre Telemacho manet
Fama Penelopeo. 230
Claudite ostia, virgines:
Lusimus satis. At, bonî
Conjuges, bene vivite, et
Munere assiduo valentem exercete juventam. 235

CARMEN LXII.—*Carmen Nuptiale.*

JUVENES.

Vesper adest; juvenes, consurgite: Vesper Olympo
Exspectata diu vix tandem lumina tollit.
Surgere jam tempus, jam pingues linquere mensas:
Jam veniet virgo; jam dicetur Hymenæus.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe!

PUELLÆ.

Cernitis, innuptæ, juvenes? consurgite contra: 6
Nimirum Œtæos ostendit Noctifer ignes.
Sic certe; viden' ut perniciter exsiluere?
Non temere exsiluêre: canent, quod visere par est.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe!

JUVENES.

Non facilis nobis, æquales, palma parata est: 11
Adspicite, innuptæ secum ut meditata requirunt.
Non frustra meditantur: habent, memorabile quod sit:
Nec mirum; totâ penitus quæ mente laborent.
Nos alio mentes, alio divisimus aures. 15
Jure igitur vincemur: amat victoria curam.
Quare nunc animos saltem committite vestros:
Dicere jam incipient; jam respondere decebit:
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe!

PUELLÆ.

Hespere, qui cœlo fertur crudelior ignis? 20
Qui natam possis complexu avellere matris,
Complexu matris retinentem avellere natam,
Et juveni ardenti castam donare puellam?
Quid faciant hostes capta crudelius urbe?
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe!

JUVENES.

Hespere, qui cœlo lucet jucundior ignis? 26
Qui desponsa tua firmes connubia flamma,
[Quæ] pepigere viri, pepigerunt ante parentes;
Nec junxere prius, quam se tuus extulit ardor.
Quid datur a Divis felici optatius hora? 30
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe!

PUELLÆ.

Hesperus e nobis, æquales, abstulit unam.
* * * * *
Namque tuo adventu vigilat custodia semper.
Nocte latent fures, quos idem sæpe revertens,
Hespere, mutato comprendis nomine eosdem. 35

JUVENES.

* * * * *
At lubet innuptis ficto te carpere questu.
Quid tum si carpunt, tacita quem mente requirunt?
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe!

PUELLÆ.

Ut flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro, 40
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber:
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ:
Idem cum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ:
Sic virgo, dum intacta manet, dum cara suis est.
Cum castum amisit polluto corpore florem, 46
Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe!

JUVENES.

Ut vidua in nudo vitis quæ nascitur arvo,
Numquam se extollit, nunquam mitem educat uvam; 50
Sed, tenerum prono deflectens pondere corpus,
Jam jam contingit summum radice flagellum:
Hanc nulli agricolæ, nulli accoluere juvenci:
At, si forte eadem est ulmo conjuncta marito,
Multi illam agricolæ, multi accoluere juvenci: 55
Sic virgo, dum intacta manet, dum inculta senescit.
Cum par connubium maturo tempore adepta est,
Cara viro magis, et minus est invisa parenti.
At tu ne pugna cum tali conjuge, virgo. 59
Non æquum est pugnare, pater quoi tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est.
Virginitas non tota tua est: ex parte parentum est:
Tertia pars patri data, pars data tertia matri;
Tertia sola tua est: noli pugnare duobus,
Qui genero sua jura simul cum dote dederunt. 65
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe!

Carmen LXIII.—*De Atye.*

Super alta vectus Atys celeri rate maria,
Phrygium nemus citato cupide pede tetigit,
Adiitque opaca silvis redimita loca Deæ:
Stimulatus ubi furenti rabie, vagus animi,
Devolvit illa acuta sibi pondera silice. 5
Itaque ut relicta sensit sibi membra sine viro,
Et jam recente terræ sola sanguine maculans,
Niveis citata cepit manibus leve typanum,
Typanum, tubam, Cybelle, tua, mater, initia:
Quatiensque terga tauri teneris cava digitis, 10
Canere hæc suis adorta est tremebunda comitibus:
Agite, ite ad alta, Gallæ, Cybeles nemora simul;
Simul ite, Dindymenæ dominæ vaga pecora,
Aliena quæ petentes, velut exsules, loca,
Sectam meam exsecutæ, duce me, mihi comites,
Rapidum salum tulistis, truculentaque pelagi, 16
Et corpus evirâstis Veneris nimio odio.
Hilarate heræ citatis erroribus animum.
Mora tarda mente cedat: simul ite, sequimini
Phrygiam ad domum Cybelles, Phrygia ad nemora Deæ, 20
Ubi cymbalûm sonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo,
Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ,
Ubi sacra sancta acutis ululatibus agitant,
Ubi suevit illa Divæ volitare vaga cohors; 25
Quo nos decet citatis celerare tripudiis.
Simul hæc comitibus Atys cecinit, notha mulier,
Thiasus repente linguis trepidantibus ululat;
Leve tympanum remugit; cava cymbala recrepant.
Viridem citus adit Idam properante pede chorus.
Furibunda simul, anhelans, vaga vadit, animi egens, 31
Comitata tympano Atys, per opaca nemora dux,
Veluti juvenca vitans onus indomita jugi.
Rapidæ ducem sequuntur Gallæ pede propero.
Itaque, ut domum Cybelles tetigere, lassulæ 35
Nimio e labore, somnum capiunt sine Cerere.
Piger his labante languore oculos sopor operit.
Abit in quiete molli rabidus furor animi.
Sed ubi oris aurei Sol radiantibus oculis 39
Lustravit æthera album, sola dura, mare ferum,
Pepulitque noctis umbras vegetis sonipedibus;
Ibi Somnus excitum Atyn fugiens citus abiit:
Trepidantem eum recepit Dea Pasithea sinu.
Ita de quiete molli, rapida sine rabie,
Simul ipsa pectore Atys sua facta recoluit, 45
Liquidâque mente vidit sine quîs, ubique foret;
Animo æstuante rursum reditum ad vada tetulit:
Ibi maria vasta visens lacrymantibus oculis,
Patriam allocuta voce est ita mœsta miseriter:
Patria o mea creatrix! patria o mea genitrix!
Ego quam miser relinquens, dominus ut herifugæ
Famuli solent, ad Idæ tetuli nemora pedem; 52
Ut apud nivem et ferarum gelida stabula forem,
Et earum omnia adirem furibunda latibula:
Ubinam, aut quibus locis te positam, patria, rear?
Cupit ipsa pupula ad te sibi dirigere aciem, 56
Rabie fera carens dum breve tempus animus est.
Egone a mea remota hæc ferar in nemora domo?
Patria, bonis, amicis, genitoribus abero?
Abero foro, palæstra, stadio et gymnasiis? 60
Miser, ah miser, querendum est etiam atque etiam, anime.
Quod enim genus figuræ est, ego non quod habuerim?
Ego puber, ego adolescens, ego ephebus, ego puer,
Ego gymnasî fui flos; ego eram decus olei.
Mihi januæ frequentes, mihi limina tepida, 65
Mihi floridis corollis redimita domus erat,
Linquendum ubi esset orto mihi sole cubiculum.
Egone Deûm ministra, et Cybeles famula ferar?
Ego Mænas, ego mei pars, ego vir sterilis ero?
Ego viridis algida Idæ nive amicta loca colam?
Ego vitam agam sub altis Phrygiæ columinibus,
Ubi cerva silvicultrix, ubi aper nemorivagus? 72
Jam jam dolet, quod egi, jam jamque pœnitet.
Roseis ut huic labellis palans sonitus abiit,
Geminas Deorum ad aures nova nuntia referens,
Ibi juncta juga resolvens Cybele leonibus, 76
Lævumque pecoris hostem stimulans, ita loquitur:
Agedum, inquit, age ferox, i: face ut hinc furoribus,
Face ut hinc furoris ictu, reditum in nemora ferat,
Mea libere nimis qui fugere imperia cupit. 80
Age, cæde terga cauda: tua verbera patere:
Face cuncta mugienti fremitu loca retonent:
Rutilam ferox torosa cervice quate jubam.
Ait hæc minax Cybelle, religatque juga manu.
Ferus, ipse sese adhortans, rapidum incitat animum: 85
Vadit, fremit, refringit virgulta pede vago.
At ubi ultima albicantis loca litoris adiit,
Tenerumque vidit Atyn prope marmora pelagi,
Facit impetum. Ille demens fugit in nemora fera.
Ibi semper omne vitæ spatium famula fuit. 90
Dea, magna Dea, Cybelle, Didymi Dea domina,
Procul a mea tuus sit furor omnis, hera, domo:
Alios age incitatos, alios age rabidos.

Carmen LXIV.—*Nuptiæ Pelei et Thetidos.*

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nâsse per undas
Phasidos ad fluctus, et fines Æetæos;
Cum lecti juvenes, Argivæ robora pubis,
Auratam optantes Colchis avertere pellem, 5
Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi,
Cærula verrentes abiegnis æquora palmis;
Diva quibus, retinens in summis urbibus arces,
Ipsa levi fecit volitantem flamine currum,
Pinea conjungens inflexæ texta carinæ. 10
Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.
Quæ simul ac rostro ventosum proscidit æquor,
Tortaque remigio spumis incanuit unda;
Emersêre feri candenti e gurgite vultus,
Æquoreæ monstrum Nereides admirantes; 15
Illaque, haudque alia, viderunt luce marinas
Mortales oculi nudato corpore nymphas,
Nutricum tenus exstantes e gurgite cano.
Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore:
Tum Thetis humanos non despexit hymenæos: 20
Tum Thetidi pater ipse jugandum Pelea sensit.
O nimis optato sæclorum tempore nati
Heroës, salvete, Deûm genus! o bona mater!
Vos ego sæpe meo vos carmine compellabo:
Teque adeo eximie tædis felicibus aucte, 25
Thessaliæ columen Peleu, quoi Jupiter ipse,
Ipse suos Divûm genitor concessit amores.
Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?
Tene suam Tethys concessit ducere neptem,
Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem?

Quæ simul optatæ finito tempore luces 31
Advenere, domum conventu tota frequentat
Thessalia: oppletur lætanti regia cœtu:
Dona ferunt: præ se declarant gaudia vultu.
Deseritur Scyros: linquunt Phthiotica Tempe,
Cranonisque domos, ac mœnia Larissæa: 36
Pharsalon coëunt, Pharsalia tecta frequentant.
Rura colit nemo: mollescunt colla juvencis:
Non humilis curvis purgatur vinea rastris:
Non glebam prono convellit vomere taurus: 40
Non falx attenuat frondatorum arboris umbram:
Squalida desertis robigo infertur aratris.
Ipsius at sedes, quacumque opulenta recessit
Regia, fulgenti splendent auro, atque argento.
Candet ebur soliis; collucent pocula mensis: 45
Tota domus gaudet regali splendida gaza.
Pulvinar vero Divæ geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roseo conchylî purpura fuco.
Hæc vestis priscis hominum variata figuris, 50
Heroum mira virtutes indicat arte.
Namque fluentisono prospectans litore Diæ
Thesea cedentem celeri cum classe tuetur
Indomitos in corde gerens Ariadna furores:
Necdum etiam sese, quæ visit, visere credit; 55
Utpote fallaci quæ tum primum excita somno
Desertam in sola miseram se cernit arena.
Immemor at juvenis fugiens pellit vada remis,
Irrita ventosæ linquens promissa procellæ:
Quem procul ex alga mœstis Minoïs ocellis, 60
Saxea ut effigies bacchantis prospicit Evœ,
Prospicit, et magnis curarum fluctuat undis:
Non flavo retinens subtilem vertice mitram,
Non contecta levi velatum pectus amictu,
Non tereti strophio luctantes vincta papillas; 65
Omnia quæ, toto delapsa e corpore passim,
Ipsius ante pedes fluctus salis alludebant.
Sed neque tum mitræ, neque tum fluitantis amictûs
Illa vicem curans, toto ex te pectore, Theseu,
Toto animo, tota pendebat perdita mente. 70
Ah misera! assiduis quam luctibus externavit
Spinosas Erycina serens in pectore curas
Illa tempestate, ferox quo tempore Theseus
Egressus curvis e litoribus Piræei
Attigit injusti regis Gortynia tecta. 75
Nam perhibent olim crudeli peste coactam
Androgeneæ pœnas exsolvere cædis,
Electos juvenes simul, et decus innuptarum,
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro:
Quîs angusta malis cum mœnia vexarentur, 80
Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis
Projicere optavit potius, quam talia Cretam
Funera Cecropiæ ne-funera portarentur.
Atque ita nave levi nitens ac lenibus auris
Magnanimum ad Minoa venit, sedesque superbas.
Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo 86
Regia, quam suaves exspirans castus odores
Lectulus in molli complexu matris alebat;
(Quales Eurotæ progignunt flumina myrtos,
Aurave distinctos educit verna colores) 90
Non prius ex illo flagrantia declinavit
Lumina, quam cuncto concepit pectore flammam
Funditus, atque imis exarsit tota medullis.
Heu! misere exagitans immiti corde furores,
Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces, 95
Quæque regis Golgos, quæque Idalium frondosum,
Qualibus incensam jactâstis mente puellam
Fluctibus, in flavo sæpe hospite suspirantem!
Quantos illa tulit languenti corde timores!
Quantum sæpe magis fulgore expalluit auri! 100
Cum, sævum cupiens contra contendere monstrum,
Aut mortem oppeteret Theseus, aut præmia laudis.
Non ingrata, tamen frustra, munuscula Divis
Promittens, tacito suspendit vota labello. 104
Nam, velut in summo quatientem brachia Tauro
Quercum, aut conigeram sudanti corpore pinum,
Indomitus turbo, contorquens flamine robur,
Eruit; illa procul, radicibus exturbata,
Prona cadit, lateque et cominus obvia frangens;
Sic domito sævum prostravit corpore Theseus,
Nequidquam vanis jactantem cornua ventis. 111
Inde pedem sospes multa cum laude reflexit,
Errabunda regens tenui vestigia filo;
Ne labyrintheis e flexibus egredientem
Tecti frustraretur inobservabilis error. 115
Sed quid ego, a primo digressus carmine, plura
Commemorem? ut linquens genitoris filia vultum,
Ut consanguineæ complexum, ut denique matris,
Quæ misera in nata flevit deperdita, læta
Omnibus his Thesei dulcem præoptârit amorem?
Aut ut vecta ratis spumosa ad litora Diæ? 121
Aut ut eam, tristi devinctam lumina somno,
Liquerit immemori discedens pectore conjux?
Sæpe illam perhibent ardenti corde furentem
Clarisonas imo fudisse e pectore voces, 125
Ac tum præruptos tristem conscendere montes,
Unde aciem in pelagi vastos protenderet æstus;
Tum tremuli salis adversas procurrere in undas,
Mollia nudatæ tollentem tegmina suræ;
Atque hæc extremis mœstam dixisse querelis,
Frigidulos udo singultus ore cientem: 131
Siccine me patriis avectam, perfide, ab oris,
Perfide, deserto liquisti in litore, Theseu?
Siccine discedens, neglecto numine Divûm,
Immemor, ah! devota domum perjuria portas?
Nullane res potuit crudelis flectere mentis 136
Consilium? tibi nulla fuit clementia præsto,
Immite ut nostri vellet miserescere pectus?
At non hæc quondam nobis promissa dedisti
Voce: mihi non hoc miseræ sperare jubebas;
Sed connubia læta, sed optatos hymenæos: 141
Quæ cuncta aërii discerpunt irrita venti.
Jam jam nulla viro juranti femina credat;
Nulla viri speret sermones esse fideles:
Qui, dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt:
Sed, simul ac cupidæ mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant. 148
Certe ego te in medio versantem turbine leti
Eripui, et potius germanum amittere crevi, 150
Quam tibi fallaci supremo in tempore deessem.
Pro quo dilaceranda feris dabor alitibusque
Præda, neque injecta tumulabor mortua terra.
Quænam te genuit sola sub rupe leæna?
Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis? 155
Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vasta Charybdis,
Talia qui reddis pro dulci præmia vita?
Si tibi non cordi fuerant connubia nostra,
Sæva quod horrebas prisci præcepta parentis;
Attamen in vestras potuisti ducere sedes, 160
Quæ tibi jucundo famularer serva labore,
Candida permulcens liquidis vestigia lymphis,
Purpureave tuum consternens veste cubile.

Sed quid ego ignaris nequidquam conqueror auris,
Externata malo, quæ nullis sensibus auctæ 165
Nec missas audire queunt, nec reddere voces?
Ille autem prope jam mediis versatur in undis;
Nec quisquam apparet vacua mortalis in alga.
Sic, nimis insultans extremo tempore, sæva
Fors etiam nostris invidit questibus aures. 170
Jupiter omnipotens, utinam ne tempore primo
Gnossia Cecropiæ tetigissent litora puppes;
Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Cretam religâsset navita funem;
Nec malus hic, celans dulci crudelia forma 175
Consilia, in nostris requiêsset sedibus hospes!
Nam quo me referam? quali spe perdita nitar?
Idomeniosne petam montes? at gurgite lato
Discernens ponti truculentum dividit æquor.
An patris auxilium sperem? quemne ipsa reliqui,
Respersum juvenem fraterna cæde secuta? 181
Conjugis an fido consoler memet amore?
Quine fugit lentos incurvans gurgite remos?
Præterea litus, nullo sola insula tecto:
Nec patet egressus, pelagi cingentibus undis. 185
Nulla fugæ ratio, nulla spes: omnia muta,
Omnia sunt deserta: ostentant omnia letum.
Non tamen ante mihi languescent lumina morte,
Nec prius a fesso secedent corpore sensus, 189
Quam justam a Divis exposcam prodita multam,
Cœlestûmque fidem postrema comprecer hora.
Quare facta virûm multantes vindice pœna
Eumenides, quibus anguineo redimita capillo
Frons exspirantes præportat pectoris iras,
Huc huc adventate, meas audite querelas, 195
Quas ego (væ miseræ!) extremis proferre medullis
Cogor, inops, ardens, amenti cæca furore.
Quæ quoniam vere nascuntur pectore ab imo,
Vos nolite pati nostrum vanescere luctum:
Sed, quali solam Theseus me mente reliquit, 200
Tali mente, Deæ, funestet seque suosque.
Has postquam mœsto profudit pectore voces,
Supplicium sævis exposcens anxia factis;
Annuit invicto Cœlestûm numine rector, 204
Quo tunc et tellus, atque horrida contremuerunt
Æquora, concussitque micantia sidera mundus.
Ipse autem cæca mentem caligine Theseus
Consitus, oblito dimisit pectore cuncta,
Quæ mandata prius constanti mente tenebat:
Dulcia nec mœsto sustollens signa parenti, 210
Sospitem et ereptum se ostendit visere portum.
Namque ferunt olim classi cum mœnia Divæ
Linquentem natum ventis concrederet Ægeus,
Talia complexum juveni mandata dedisse:
Nate, mihi longa jucundior unice vita, 215
Nate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,
Reddite in extremæ nuper mihi fine senectæ,
Quandoquidem fortuna mea, ac tua fervida virtus
Eripit invito mihi te, quoi languida nondum
Lumina sunt nati cara saturata figura; 220
Non ego te gaudens lætanti pectore mittam,
Nec te ferre sinam Fortunæ signa secundæ:
Sed primum multas expromam mente querelas,
Canitiem terra atque infuso pulvere fœdans:
Inde infecta vago suspendam lintea malo, 225
Nostros ut luctus, nostræque incendia mentis
Carbasus obscura dicat ferrugine Ibera.
Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,
(Quæ nostrum genus ac sedes defendere fretis
Annuit) ut tauri respergas sanguine dextram; 230
Tum vero facito, ut memori tibi condita corde
Hæc vigeant mandata, nec ulla obliteret ætas:
Ut, simul ac nostros invisent lumina colles,
Funestam antennæ deponant undique vestem,
Candidaque intorti sustollant vela rudentes, 235
Lucida qua splendent summi carchesia mali:
Quamprimum cernens ut lætâ gaudia mente
Agnoscam, cum te reducem ætas prospera sistet.
Hæc mandata prius constanti mente tenentem
Thesea, ceu pulsæ ventorum flamine nubes 240
Aërium nivei montis liquere cacumen.
At pater, ut summa prospectum ex arce petebat,
Anxia in assiduos absumens lumina fletus,
Cum primum inflati conspexit lintea veli,
Præcipitem sese scopulorum e vertice jecit, 245
Amissum credens immiti Thesea fato.
Sic funesta domus ingressus tecta paterna
Morte ferox Theseus, qualem Minoïdi luctum
Obtulerat, mente immemori talem ipse recepit.
Quæ tum prospectans cedentem mœsta carinam,
Multiplices animo volvebat saucia curas. 251
At parte ex alia florens volitabat Iacchus,
Cum thiaso Satyrorum, et Nysigenis Silenis,
Te quærens, Ariadna, tuoque incensus amore;
Qui tum alacres passim lymphata mente furebant,
Evœ bacchantes, Evœ, capita inflectentes. 256
Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos;
Pars e divulso raptabant membra juvenco;
Pars sese tortis serpentibus incingebant;
Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis, 260
Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani:
Plangebant alii proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.
Multis raucisonos efflabant cornua bombos,
Barbaraque horribili stridebat tibia cantu. 265
Talibus amplifice vestis decorata figuris
Pulvinar complexa suo velabat amictu.
Quæ postquam cupide spectando Thessala pubes
Expleta est, sanctis cœpit decedere Divis.
Hîc qualis flatu placidum mare matutino 270
Horrificans Zephyrus proclivas incitat undas,
Aurora exoriente, vagi sub lumina solis;
Quæ tarde primum clementi flamine pulsæ
Procedunt, leni resonant plangore cachinni:
Post, vento crescente, magis magis increbrescunt,
Purpureaque procul nantes a luce refulgent: 276
Sic tum vestibuli linquentes regia tecta,
Ad se quisque vago passim pede discedebant.
Quorum post abitum, princeps e vertice Pelî
Advenit Chiron portans silvestria dona: 280
Nam quotcumque ferunt campi, quos Thessala magnis
Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi fœcunda Favonî,
Hos indistinctis plexos tulit ipse corollis,
Quîs permulsa domus jucundo risit odore. 285
Confestim Peneos adest, viridantia Tempe,
Tempe, quæ silvæ cingunt superimpendentes,
Mnemonidum, linquens, doctis celebranda choreis,
Non vacuus: namque ille tulit radicitus altas
Fagos, ac recto proceras stipite laurus, 290
Non sine nutanti platano, lentaque sorore
Flammati Phaëthontis, et aëria cupressu:
Hæc circum sedes late contexta locavit,
Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.
Post hunc consequitur sollerti corde Prometheus,
Extenuata gerens veteris vestigia pœnæ, 296
Quam quondam silici restrictus membra catena
Persolvit, pendens e verticibus præruptis.
Inde pater Divûm sancta cum conjuge natisque

Advenit cœlo, te solum, Phœbe, relinquens, 300
Unigenamque simul cultricem montibus Idri:
Pelea nam tecum pariter soror adspernata est,
Nec Thetidis tædas voluit celebrare jugales.
Qui postquam niveos flexerunt sedibus artus,
Large multiplici constructæ sunt dape mensæ; 305
Cum interea, infirmo quatientes corpora motu,
Veridicos Parcæ cœperunt edere cantus.
His corpus tremulum complectens undique quercus,
Candida purpurea quam Tyro incinxerat ora:
At roseo niveæ residebant vertice vittæ, 310
Æternumque manus carpebant rite laborem.
Læva colum molli lana retinebat amictum:
Dextera tum leviter deducens fila supinis
Formabat digitis; tum prono in pollice torquens
Libratum tereti versabat turbine fusum: 315
Atque ita decerpens æquabat semper opus dens,
Laneaque aridulis hærebant morsa labellis,
Quæ prius in levi fuerant exstantia filo.
Ante pedes autem candentis mollia lanæ
Vellera virgati custodibant calathisci. 320
Hæ tum clarisona pellentes vellera voce,
Talia divino fuderunt carmine fata,
Carmine, perfidiæ quod post nulla arguet ætas:
O decus eximium magnis virtutibus augens,
Emathiæ tutamen opis, clarissime nato! 325
Accipe, quod læta tibi pandunt luce sorores,
Veridicum oraclum: sed vos, quæ fata sequuntur,
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Adveniet tibi jam portans optata maritis 329
Hesperus: adveniet fausto cum sidere conjux,
Quæ tibi flexanimo mentem perfundat amore,
Languidulosque paret tecum conjungere somnos,
Lævia substernens robusto brachia collo.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Nulla domus tales unquam contexit amores:
Nullus amor tali conjunxit fœdere amantes, 336
Qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Nascetur vobis expers terroris Achilles,
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus:
Qui, persæpe vago victor certamine cursûs, 341
Flammea prævertet celeris vestigia cervæ.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Non illi quisquam bello se conferet heros,
Cum Phrygii Teucro manabunt sanguine rivi;
Troïcaque obsidens longinquo mœnia bello 346
Perjuri Pelopis vastabit tertius hæres.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Illius egregias virtutes claraque facta
Sæpe fatebuntur natorum in funere matres; 350
Cum in cinerem canos solvent a vertice crines,
Putridaque infirmis variabunt pectora palmis.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Namque velut densas prosternens cultor aristas
Sole sub ardenti flaventia demetit arva, 355
Trojugenûm infesto prosternet corpora ferro.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri,
Quæ passim rapido diffunditur Hellesponto:
Quojus iter cæsis angustans corporum acervis,
Alta tepefaciet permixtâ flumina cæde. 361
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Denique testis erit morti quoque dedita præda,
Cum teres, excelso coacervatum aggere, bustum
Excipiet niveos perculsæ virginis artus. 365
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Nam, simul ac fessis dederit fors copiam Achivis
Urbis Dardaniæ Neptunia solvere vincla,
Alta Polyxenia madefient cæde sepulcra;
Quæ velut ancipiti succumbens victima ferro
Projiciet truncum submisso poplite corpus. 371
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Quare agite, optatos animi conjungite amores;
Accipiat conjux felici fœdere Divam:
Dedatur cupido jamdudum nupta marito. 375
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Non illam nutrix orienti luce revisens,
Hesterno collum poterit circumdare filo.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Anxia nec mater, discordis mœsta puellæ 380
Secubitu, caros mittet sperare nepotes.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Talia profantes quondam, felicia Pelei
Carmina divino cecinerunt omine Parcæ.
Præsentes namque ante domos invisere castas 385
Sæpius, et sese mortali ostendere cœtu
Cœlicolæ, nondum spreta pietate, solebant.
Sæpe pater Divûm templo in fulgente revisens
Annua, cum festis venissent sacra diebus,
Conspexit terra centum procurrere currus. 390
Sæpe vagus Liber Parnassi vertice summo
Thyadas effusis evantes crinibus egit:
Cum Delphi tota certatim ex urbe ruentes
Acciperent læti Divum fumantibus aris.
Sæpe in letifero belli certamine Mavors, 395
Aut rapidi Tritonis hera, aut Rhamnusia virgo,
Armatas hominum est præsens hortata catervas.
Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Justitiamque omnes cupida de mente fugârunt;
Perfudere manus fraterno sanguine fratres; 400
Destitit exstinctos natus lugere parentes;
Optavit genitor primævi funera nati,
Liber ut innuptæ poteretur flore novercæ;
Ignaro mater substernens se impia nato,
Impia non verita est Divos scelerare penates; 405
Omnia fanda, nefanda, malo permixta furore,
Justificam nobis mentem avertere Deorum.
Quare nec tales dignantur visere cœtus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro.

Carmen LXV.—*Ad Hortalum.*

Etsi me assiduo confectum cura dolore
Sevocat a doctis, Hortale, virginibus;
Nec potis est dulces Musarum expromere fœtus
Mens animi; tantis fluctuat ipsa malis;
Namque mei nuper Lethæo gurgite fratris 5
Pallidulum manans alluit unda pedem;
Troïa Rhœteo quem subter litore tellus
Ereptum nostris obterit ex oculis.
[Alloquar? audierone unquam tua facta loquentem?]
Nunquam ego te vita, frater, amabilior, 10
Adspiciam posthac? at certe semper amabo,
Semper mœsta tua carmina morte canam;
Qualia sub densis ramorum concinit umbris
Daulias, absumti fata gemens Ityli.
Sed tamen in tantis mœroribus, Hortale, mitto
Hæc expressa tibi carmina Battiadæ; 16
Ne tua dicta vagis nequidquam credita ventis
Effluxisse meo forte putes animo:
Ut missum sponsi furtivo munere malum
Procurrit casto virginis e gremio, 20
Quod, miseræ oblitæ molli sub veste locatum,
Dum adventu matris prosilit, excutitur;
Atque illud prono præceps agitur decursu;
Huic manat tristi conscius ore rubor.

CARMEN LXVI.—*De Coma Berenices.*

Omnia qui magni dispexit lumina mundi,
Qui stellarum ortus comperit atque obitus:
Flammeus ut rapidi solis nitor obscuretur,
Ut cedant certis sidera temporibus,
Ut Triviam furtim sub Latmia saxa relegans 5
Dulcis amor gyro devocet aërio:
Idem me ille Conon cœlesti lumine vidit
E Bereniceo vertice cæsariem
Fulgentem clare: quam multis illa Deorum,
Lævia protendens brachia, pollicita est, 10
Qua rex tempestate, novo auctus hymenæo,
Vastatum fines iverat Assyrios,
Dulcia nocturnæ portans vestigia rixæ,
Quam de virgineis gesserat exuviis.
Estne novis nuptis odio Venus? anne parentûm 15
Frustrantur falsis gaudia lacrymulis,
Ubertim thalami quas intra limina fundunt?
Non, ita me Divi, vera gemunt, juerint.
Id mea me multis docuit regina querelis,
Invisente novo prœlia torva viro. 20
Ut tu nunc orbum luxti deserta cubile,
Et fratris cari flebile discidium!
Quam penitus mœstas exedit cura medullas!
Ut tibi nunc toto pectore sollicitæ
Sensibus ereptis mens excidit! Atqui ego certe
Cognôram a parva virgine magnanimam. 26
Anne bonum oblita es facinus, quo regium adepta es
Conjugium, quod non fortior ausit alis?
Sed tum, mœsta virum mittens, quæ verba locuta es!
Jupiter! ut trîsti lumina sæpe manu! 30
Quis te mutavit tantus Deus? an quod amantes
Non longe a caro corpore abesse volunt?
Atque ibi me cunctis pro dulci conjuge Divis,
Non sine taurino sanguine, pollicita es, 34
Si reditum tetulisset is haud in tempore longo, et
Captam Asiam Ægypti finibus adjiceret.
Quîs ego pro factis cœlesti reddita cœtu,
Pristina vota novo munere dissolüo.
Invita, o regina, tuo de vertice cessi,
Invita: adjuro teque tuumque caput, 40
Digna ferat, quod siquis inaniter adjurârit:
Sed qui se ferro postulet esse parem? [in oris
Ille quoque eversus mons est, quem maximum
Progenies Thiæ clara supervehitur,
Cum Medi peperere novum mare, cumque juventus 45
Per medium classi barbara navit Athon.
Quid facient crines, cum ferro talia cedant?
Jupiter! ut Chalybon omne genus pereat,
Et qui principio sub terra quærere venas
Institit, ac ferri fingere duritiem! 50
Abjunctæ paulo ante comæ mea fata sorores
Lugebant, cum se Memnonis Æthiopis
Unigena, impellens nutantibus aëra pennis
Obtulit Arsinoës Chloridos ales equus;
Isque per ætherias me tollens avolat auras, 55
Et Veneris casto collocat in gremio.
Ipsa suum Zephyritis eo famulum legârat,
Grata Canopeis in loca litoribus.
Scilicet in vario ne solum limite cœli
Ex Ariadnæis aurea temporibus 60
Fixa corona foret; sed nos quoque fulgeremus
Devotæ flavi verticis exuviæ.
Uvidulam a fletu cedentem ad templa Deûm me
Sidus in antiquis Diva novum posuit.
Virginis et sævi contingens namque Leonis 65
Lumina, Callisto juncta Lycaoniæ
Vertor in occasum, tardum dux ante Boöten,
Qui vix sero alto mergitur Oceano.
Sed quamquam me nocte premunt vestigia Divûm,
Luce autem canæ Tethyi restituor; 70
(Pace tua fari hæc liceat, Rhamnusia virgo;
Namque ego non ullo vera timore tegam,
Non si me infestis discerpant sidera dictis,
Condita quin veri pectoris evolüam)
Non his tam lætor rebus, quam me abfore semper,
Abfore me a dominæ vertice discrucior: 76
Quîcum ego, dum virgo quondam fuit, omnibus [explens]
Unguentis, una millia multa bibi.
Nunc vos, optato quas junxit lumine tæda,
Non prius unanimis corpora conjugibus 80
Tradite, nudantes rejecta veste papillas,
Quam jucunda mihi munera libet onyx;
Vester onyx, casto petitis quæ jura cubili.
Sed, quæ se impuro dedit adulterio,
Illius, ah! mala dona levis bibat irrita pulvis:
Namque ego ab indignis præmia nulla peto. 86
Sic magis, o nuptæ, semper concordia vestras,
Semper amor sedes incolat assiduus.
Tu vero, regina, tuens cum sidera Divam,
Placabis festis luminibus Venerem, 90
Sanguinis expertem, non votis esse tuam me,
Sed potius largis effice muneribus.
Sidera cur retinent? utinam coma regia fiam:
Proximus Hydrochöei fulgeret Oarion.

CARMEN LXVII.—*Ad Januam Mœchæ cujusdam.*

CATULLUS.

O dulci jucunda viro, jucunda parenti,
Salve! teque bonâ Jupiter auctet ope,
Janua, quam Balbo dicunt servîsse benigne
Olim, cum sedes ipse senex tenuit;
Quamque ferunt rursus voto servîsse maligno, 5
Postquam est porrecto facta marita sene.
Dic agedum nobis, quare mutata feraris
In dominum veterem deseruisse fidem.

JANUA.

Non, ita Cæcilio placeam, quoi tradita nunc sum,
Culpa mea est, quamquam dicitur esse mea. 10
Nec peccatum a me quisquam pote dicere quidquam:
Verum isti populo janua quidque facit;
Qui, quacumque aliquid reperitur non bene factum,
Ad me omnes clamant: Janua, culpa tua est.

CATULLUS.

Non istuc satis est uno te dicere verbo; 15
Sed facere, ut quivis sentiat et videat.

JANUA.

Quî possum? nemo quærit, nec scire laborat.

CATULLUS.

Nos volumus: nobis dicere ne dubita.

JANUA.

Primum igitur, virgo quod fertur tradita nobis,
Falsum est. Non illam vir prior attigerat, 20
Languidior tenera quoi pendens sicula beta
Nunquam se mediam sustulit ad tunicam:
Sed pater illius nati violâsse cubile
Dicitur, et miseram conscelerâsse domum;
Sive quod impia mens cæco flagrabat amore, 25
Seu quod iners sterili semine natus erat;
Et quærendum unde unde foret nervosius illud,
Quod posset zonam solvere virgineam.

CATULLUS.

Egregium narras mira pietate parentem,
Qui ipse sui nati minxerit in gremium. 30

JANUA.

Atqui non solum hoc se dicit cognitum habere
Brixia, Cycnææ supposita speculæ,
[Flavus quam molli percurrit flumine Mela,
Brixia, Veronæ mater amata meæ ;]
Sed de Postumio, et Corneli narrat amore, 35
Cum quibus illa malum fecit adulterium.
Dixerit hic aliquis : " Quî tu istæc, janua, nôsti,
Quoi nunquam domini limine abesse licet,
Nec populum auscultare ; sed, huic suffixa tigillo,
Tantum operire soles, aut aperire domum ?"
Sæpe illam audivi furtiva voce loquentem 41
Solam cum ancillis hæc sua flagitia,
Nomine dicentem, quos diximus ; utpote quæ mî
Speraret nec linguam esse, nec auriculam.
Præterea addebat quemdam, quem dicere nolo
Nomine, ne tollat rubra supercilia. 46
Longus homo est, magnas quoi lites intulit olim
Falsum mendaci ventre puerperium.

CARMEN LXVIII.—*Ad Manlium.*

Quod mihi, fortuna casuque oppressus acerbo,
Conscriptum hoc lacrymis mittis epistolium,
Naufragum ut ejectum spumantibus æquoris undis
Sublevem, et a mortis limine restituam ;
Quem neque sancta Venus molli requiescere somno 5
Desertum in lecto cœlibe perpetitur ;
Nec veterum dulci scriptorum carmine Musæ
Oblectant, cum mens anxia pervigilat :
Id gratum est mihi, me quoniam tibi ducis amicum,
Muneraque et Musarum hinc petis et Veneris.
Sed tibi ne mea sint ignota incommoda, Manli, 11
Neu me odisse putes hospitis officium ;
Accipe, quîs merser fortunæ fluctibus ipse,
Ne amplius a misero dona beata petas.
Tempore quo primum vestis mihi tradita pura est,
Jucundum cum ætas florida ver ageret, 16
Multa satis lusi : non est Dea nescia nostri,
Quæ dulcem curis miscet amaritiem.
Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
Abstulit. O misero frater ademte mihi ! 20
Tu mea, tu moriens fregisti commoda, frater :
Tecum una tota est nostra sepulta domus :
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Quojus ego interitu tota de mente fugavi 25
Hæc studia, atque omnes delicias animi.
Quare, quod scribis, " Veronæ turpe Catullo
Esse, quod hic quisquis de meliore nota
Frigida deserto tepefecit membra cubili :"
Id, Manli, non est turpe ; magis miserum est.
Ignosces igitur, si, quæ mihi luctus ademit, 31
Hæc tibi non tribuo munera, cum nequeo.
Nam, quod scriptorum non magna est copia apud me,
Hoc fit, quod Romæ vivimus : illa domus ;
Illa mihi sedes, illic mea carpitur ætas : 35
Huc una ex multis capsula me sequitur.
Quod cum ita sit, nolim statuas, nos mente maligna
Id facere, aut animo non satis ingenuo,
Quod tibi non utriusque petiti copia facta est :
Ultro ego deferrem, copia siqua foret. 40
Non possum reticere, Deæ, qua Manlius in re
Juverit, aut quantis juverit officiis ;
Ne fugiens sæclis obliviscentibus ætas
Illius hoc cæca nocte tegat studium.
Sed dicam vobis : vos porro dicite multis 45
Millibus, et facite hæc charta loquatur anus.
* * * * *
Notescatque magis mortuus, atque magis ;
Ne tenuem texens sublimis aranea telam
Deserto in Manli nomine opus faciat. 50
Nam mihi quam dederit duplex Amathusia curam
Scitis, et in quo me corruerit genere :
Cum tantum arderem, quantum Trinacria rupes,
Lymphaque in Œtæis Malia Thermopylis ;
Mœsta neque assiduo tabescere lumina fletu 55
Cessarent, tristique imbre madere genæ.
Qualis in aërii pellucens vertice montis
Rivus muscoso prosilit e lapide,
Qui cum de prona præceps est valle volutus,
Per medium densi transit iter populi, 60
Dulce viatori lasso in sudore levamen,
Cum gravis exustos æstus hiulcat agros :
Ac veluti nigro jactatis turbine nautis
Lenius adspirans aura secunda venit,
Jam prece Pollucis, jam Castoris, implorata : 65
Tale fuit nobis Manlius auxilium.
Is clausum lato patefecit limite campum,
Isque domum nobis, isque dedit dominam,
Ad quam communes exerceremus amores,
Quo mea se molli candida Diva pede 70
Intulit, et trito fulgentem in limine plantam
Innixa, arguta constitit in solea :
Conjugis ut quondam flagrans advenit amore,
Protesilaëam Laodamia domum,
Inceptam frustra, nondum cum sanguine sacro 75
Hostia cœlestes pacificâsset heros.
Nil mihi tam valde placeat, Rhamnusia virgo,
Quod temere invitis suscipiatur heris.
Quam jejuna pium desideret ara cruorem,
Docta est amisso Laodamia viro ; 80
Conjugis ante coacta novi dimittere collum,
Quam veniens una atque altera rursus hiems
Noctibus in longis avidum saturâsset amorem,
Posset ut abrupto vivere conjugio ;
Quod scibant Parcæ non longo tempore abesse,
Si miles muros îsset ad Iliacos. 86
Nam tum Helenæ raptu primores Argivorum
Cœperat ad sese Troja ciere viros :
Troja nefas, commune sepulcrum Europæ Asiæque,
Troja virûm et virtutum omnium acerba cinis ;
Quæ nempe et nostro letum miserabile fratri 91
Attulit : hei misero frater ademte mihi !
Hei misero fratri jucundum lumen ademtum !
Tecum una tota est nostra sepulta domus :
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra, 95
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor :
Quem nunc tam longe, non inter nota sepulcra,
Nec prope cognatos compositum cineres,
Sed Troja obscœna, Troja infelice sepultum
Detinet extremo terra aliena solo : 100
Ad quam tum properans fertur simul undique pubes
Græca penetrales deseruisse focos,
Ne Paris abducta gavisus libera mœcha
Otia pacato degeret in thalamo.
Quo tibi tum casu, pulcherrima Laodamia, 105
Ereptum est vita dulcius atque anima
Conjugium : tanto te absorbens vortice amoris
Æstus in abruptum detulerat barathrum ;

Quale ferunt Graii Pheneum prope Cylleneum
Siccare emulsa pingue palude solum, 110
Quod quondam cæsis montis fodisse medullis
Audit falsiparens Amphitryoniades,
Tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta
Perculit, imperio deterioris heri;
Pluribus ut cœli tereretur janua Divis, 115
Hebe nec longa virginitate foret.
Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo,
Qui tunc indomitam ferre jugum docuit.
Nam neque tam carum confecto ætate parenti
Una caput seri nata nepotis alit: 120
Qui, cum divitiis vix tandem inventus avitis
Nomen testatas intulit in tabulas,
Impia derisi gentilis gaudia tollens,
Suscitat a cano vulturium capite.
Nec tantum niveo gavisa est ulla columbo 125
Compar: quæ multo dicitur improbius
Oscula mordenti semper decerpere rostro;
Quamquam præcipue multivola est mulier.
Sed tu horum magnos vicisti sola furores,
Ut semel es flavo conciliata viro: 130
Aut nihil, aut paulo quoi tum concedere digna,
Lux mea se nostrum contulit in gremium.
Quam circumcursans hinc illinc sæpe Cupido
Fulgebat crocina candidus in tunica.
Quæ tamen etsi uno non est contenta Catullo, 135
Rara verecundæ furta feremus heræ,
Ne nimium simus stultorum more molesti.
Sæpe etiam Juno, maxima cœlicolum,
Conjugis in culpa flagravit quotidiana,
Noscens omnivoli plurima furta Jovis. 140
Atqui nec Divis homines componier æquum est:
Ingratum tremuli tolle parentis onus.
Nec tamen illa mihi, dextra deducta paterna,
Fragrantem Assyrio venit odore domum:
Sed furtiva dedit mira munuscula nocte, 145
Ipsius ex ipso demta viri gremio.
Quare illud satis est, si nobis is datur unus,
Quem lapide illa diem candidiore notat.
Hoc tibi, quod potui, confectum carmine munus
Pro multis, Manli, redditur officiis: 150
Ne vostrum scabra tangat robigine nomen
Hæc atque illa dies, atque alia, atque alia.
Huc addent Divi quam plurima, quæ Themis olim
Antiquis solita est munera ferre piis.
Sitis felices et tu simul et tua vita, 155
Et domus ipsa, in qua lusimus, et domina:
Et qui principio nobis te tradidit, a quo
Sunt primo nobis omnia nata bona:
Et longe ante omnes, mihi quæ me carior ipso est,
Lux mea; qua viva vivere dulce mihi est. 160

Carmen LXIX.—*Ad Rufum.*

Noli admirari, quare tibi femina nulla,
Rufe, velit tenerum supposuisse femur:
Non ullam raræ labefactes munere vestis,
Aut pelluciduli deliciis lapidis.
Lædit te quædam mala fabula, qua tibi fertur 5
Valle sub alarum trux habitare caper.
Hunc metuunt omnes: neque mirum; nam mala valde est
Bestia, nec quîcum bella puella cubet.
Quare aut crudelem nasorum interfice pestem,
Aut admirari desine, cur fugiunt. 10

Carmen LXX.—*De Inconstantiâ feminei Amoris.*

Nulli se dicit mulier mea nubere malle,
Quam mihi: non si se Jupiter ipse petat.
Dicit: sed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento et rapida scribere oportet aqua.

Carmen LXXI.—*Ad Virronem.*

Siquoi, Virro, bono sacer alarum obstitit hircus,
Aut siquem merito tarda podagra secat:
Æmulus iste tuus, qui vostrum exercet amorem,
Mirifice est a te nactus utrumque malum.
Nam, quoties futuit, toties ulciscitur ambos: 5
Illam affligit odore, ipse perit podagra.

Carmen LXXII.—*Ad Lesbiam.*

Dicebas quondam, solum te nôsse Catullum,
Lesbia; nec præ me velle tenere Jovem.
Dilexi tum te, non tantum ut volgus amicam,
Sed pater ut natos diligit et generos.
Nunc te cognovi. Quare, etsi impensius uror, 5
Multo mî tamen es vilior et levior.
Quî potis est? inquis. Quod amantem injuria talis
Cogit amare magis, sed bene velle minus.

Carmen LXXIII.—*In Ingratum.*

Desine de quoquam quidquam bene velle mereri,
Aut aliquem fieri posse putare pium.
Omnia sunt ingrata: nihil fecisse benigne est:
Immo etiam tædet, tædet obestque magis; 4
Ut mihi, quem nemo gravius nec acerbius urget,
Quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.

Carmen LXXIV.—*In Gellium.*

Gellius audierat patruum objurgare solere,
Siquis delicias diceret, aut faceret.
Hoc ne ipsi accideret, patrui perdepsuit ipsam
Uxorem, et patruum reddidit Harpocratem.
Quod voluit, fecit: nam, quamvis inrumet ipsum 5
Nunc patruum, verbum non faciet patruus.

Carmen LXXV.—*Ad Lesbiam.*

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam
Vere, quantum a me, Lesbia, amata, mea, es.
Nulla fides ullo fuit unquam fœdere tanta,
Quanta in amore tuo ex parte reperta mea est.
Nunc est mens adducta tua, mea Lesbia, culpa, 5
Atque ita se officio perdidit ipsa pio,
Ut jam nec bene velle queam tibi, si optima fias,
Nec desistere amare, omnia si facias.

Carmen LXXVI.—*Ad Seipsum.*

Siqua recordanti benefacta priora voluptas
Est homini, cum se cogitat esse pium,
Nec sanctam violasse fidem, nec fœdere in ullo
Divum ad fallendos numine abusum homines;
Multa parata manent in longa ætate, Catulle, 5
Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.
Nam, quæcunque homines bene quoiquam aut dicere possunt,
Aut facere, hæc a te dictaque factaque sunt;
Omnia quæ ingratæ perierunt credita menti.
Quare jam te cur amplius excrucies? 10
Quin te animo obfirmas, teque istinc usque reducis,
Et, Dîs invitis, desinis esse miser?
Difficile est longum subito deponere amorem:
Difficile est: verum hoc qualubet efficias.
Una salus hæc est; hoc est tibi pervincendum.
Hoc facies, sive id non pote, sive pote. 16
O Di, si vostrum est misereri, aut si quibus unquam

Extrema jam ipsa in morte tulistis opem;
Me miserum adspicite; et, si vitam puriter egi,
Eripite hanc pestem perniciemque mihi, 20
Quæ mihi subrepens imos, ut torpor, in artus
Expulit ex omni pectore lætitias.
Non jam illud quæro, contra ut me diligat illa.
Aut, quod non potis est, esse pudica velit:
Ipse valere opto, et tetrum hunc deponere morbum. 25
O Dî, reddite mî hoc pro pietate mea.

CARMEN LXXVII.—*Ad Rufum.*

Rufe, mihi frustra ac nequidquam credite amice,
Frustra? immo magno cum pretio atque malo;
Siccine subrepsti mî, atque, intestina perurens,
Mi misero eripuisti omnia nostra bona?
Eripuisti. Heu! heu nostræ crudele venenum 5
Vitæ! heu! heu nostræ pestis amicitiæ!

CARMEN LXXVIII.—*De Gallo.*

Gallus habet fratres, quorum est lepidissima conjux
Alterius, lepidus filius alterius.
Gallus homo est bellus: nam dulces jungit amores,
Cum puero ut bello bella puella cubet.
Gallus homo est stultus, nec se videt esse maritum, 5
Qui patruus patrui monstret adulterium.
Sed nunc id doleo, quod puræ impura puellæ
Suavia conjunxit spurca saliva tua.
Verum id non impune feres: nam te omnia sæcla
Noscent, et qui sis fama loquetur anus. 10

CARMEN LXXIX.—*In Lesbium.*

Lesbius est pulcher: quidni? quem Lesbia malit,
Quam te cum tota gente, Catulle, tua.
Sed tamen hic pulcher vendat cum gente Catullum,
Si tria notorum suavia reppererit.

CARMEN LXXX.—*Ad Gellium.*

Quid dicam, Gelli, quare rosea ista labella
Hiberna fiant candidiora nive,
Mane domo cum exis, et cum te octava, quiete
E molli, longo suscitat hora die?
Nescio quid certe est. An vere fama susurrat, 5
Grandia te medii tenta vorare viri?
Sic certe clamant Virronis rupta miselli
Ilia, et emulso labra notata sero.

CARMEN LXXXI.—*Ad Juventium.*

Nemone in tanto potuit populo esse, Juventi,
Bellus homo, quem tu diligere inciperes:
Præterquam iste tuus moribunda a sede Pisauri
Hospes, inaurata pallidior statua?
Qui tibi nunc cordi est, quem tu præponere nobis
Audes. Ah! nescis, quod facinus facias. 6

CARMEN LXXXII.—*Ad Quintium.*

Quinti, si tibi vis oculos debere Catullum,
Aut aliud, siquid carius est oculis;
Eripere ei noli, multo quod carius illi
Est oculis; siquid carius est oculis.

CARMEN LXXXIII.—*In Maritum Lesbiæ.*

Lesbia mî, præsente viro, mala plurima dicit:
Hoc illi fatuo maxima lætitia est.
Mule, nihil sentis. Si nostri oblita taceret,
Sana esset: quod nunc gannit et obloquitur,
Non solum meminit; sed, quæ multo acrior est res, 5
Irata est: hoc est, uritur, et loquitur.

CARMEN LXXXIV.—*De Arrio.*

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, et *hinsidias* Arrius insidias:
Et tum mirifice sperabat se esse locutum.
Cum, quantum poterat, dixerat *hinsidias.*
Credo, sic mater, sic Liber avunculus ejus, 5
Sic maternus avus dixerit, atque avia.
Hoc misso in Syriam, requiêrant omnibus aures;
Audibant eadem hæc leniter et leviter;
Nec sibi postilla metuebant talia verba,
Cum subito adfertur nuntius horribilis, 10
Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
Jam non Iönios esse, sed *Hionios.*

CARMEN LXXXV.—*De Amore suo.*

Odi et amo. Quare id faciam, fortasse requiris.
Nescio: sed fieri sentio, et excrucior.

CARMEN LXXXVI.—*De Quintia et Lesbia.*

Quintia formosa est multis: mihi candida, longa;
Recta est. Hoc ego; sic singula confiteor:
Totum illud, formosa, nego; nam nulla venustas:
Nulla in tam magno est corpore mica salis.
Lesbia formosa est; quæ cum pulcherrima tota est, 5
Tum omnibus una omnes surripuit Veneres.

CARMEN LXXXVII.

[☞ *Quatuor illi versiculi* (Nulla potest mulier, &c.) *qui, quasi integrum poëmation, hanc in antiquioribus libris stationem usu occupabant, Scaligeri admonitu translati sunt ad initium Carminis LXXV. quam nunc sedem longe commodius obtinent, feliciter admodum sequentibus consentientes.*]

CARMEN LXXXVIII.—*In Gellium.*

Quid facit is, Gelli, qui cum matre atque sorore
Prurit, et abjectis pervigilat tunicis?
Quid facit is, patruum qui non sinit esse maritum?
Ecquid scis, quantum suscipiat sceleris?
Suscipit, o Gelli, quantum non ultima Tethys, 5
Non genitor Nympharum abluat Oceanus.
Nam nihil est quidquam sceleris, quo prodeat ultra:
Non si demisso se ipse voret capite.

CARMEN LXXXIX.—*De Gellio.*

Gellius est tenuis: quidni? quoi tam bona mater,
Tamque valens vivat, tamque venusta soror,
Tamque bonus patruus, tamque omnia plena puellis
Cognatis: quare is desinat esse macer?
Qui ut nihil attingat, nisi quod fas tangere non est, 5
Quantumvis quare sit macer, invenies.

CARMEN XC.—*In Gellium.*

Nascatur magus ex Gellî matrisque nefando
Conjugio, et discat Persicum haruspicium:
Nam magus ex matre et nato gignatur oportet,
Si vera est Persarum impia relligio;
Natus ut accepto veneretur carmine Divos, 5
Omentum in flamma pingue liquefaciens.

Carmen XCI.—*In Gellium.*

Non ideo, Gelli, sperabam te mihi fidum
In misero hoc nostro, hoc perdito amore fore:
Quod te cognôssem bene, constantemve putarem,
Aut posse a turpi mentem inhibere probro:
Sed quod nec matrem nec germanam esse videbam 5
Hanc tibi, quojus me magnus edebat amor.
Et, quamvis tecum multo conjungerer usu,
Non satis id causæ credideram esse tibi.
Tu satis id duxti: tantum tibi gaudium in omni
Culpa est, in quacumque est aliquid sceleris.

Carmen XCII.—*De Lesbia.*

Lesbia mî dicit semper male, nec tacet unquam
De me: Lesbia me, dispeream, nisi amat.
Quo signo? quasi non totidem mox deprecor illi
Assidue: verum dispeream, nisi amo.

Carmen XCIII.—*In Cæsarem.*

Nil nimium studeo, Cæsar, tibi velle placere,
Nec scire, utrum sis albus an ater homo.

Carmen XCIV.—*In Mentulam.*

Mentula mœchatur: mœchatur mentula: certe
Hoc est, quod dicunt: Ipsa olera olla legit.

Carmen XCV.—*De Smyrna Cinnæ Poetæ.*

"Smyrna" mei Cinnæ nonam post denique messem,
Quam cœpta est, nonamque edita post hiemem;
Millia cum interea quingenta Hortensius uno
* * * * *
Smyrna cavas Atacis penitus mittetur ad undas;
Smyrnam incana diu sæcula pervolüent. 6
At Volusi annales [*Paduam morientur ad ipsam,*]
Et laxas scombris sæpe dabunt tunicas.
Parva mei mihi sunt cordi monumenta [*laboris;*]
At populus tumido gaudeat Antimacho. 10

Carmen XCVI.—*Ad Calvum de Quintilia.*

Si quidquam mutis gratum acceptumque sepulcris
Accidere a nostro, Calve, dolore potest,
Quo desiderio veteres renovamus amores,
Atque olim amissas flemus amicitias:
Certe non tanto mors immatura dolori est 5
Quintiliæ, quantum gaudet amore tuo.

Carmen XCVII.—*In Æmilium.*

Non, ita me Dî ament, quidquam referre putavi,
Utrumne os an culum olfacerem Æmilio.
Nihilo mundius hoc, nihiloque immundius illud:
Verum etiam culus mundior et melior;
Nam sine dentibus est: hoc dentes sesquipedales,
Gingivas vero ploxemi habet veteris: 6
Præterea rictum, qualem diffissus in æstu
Meientis mulæ cunnus habere solet.
Hic futuit multas, et se facit esse venustum;
Et non pistrino traditur atque asino? 10
Quem siqua attingit, non illam posse putemus
[Ægroti] culum lingere carnificis?

Carmen XCVIII.—*Ad Vettium.*

In te, si in quemquam, dici pote, putide Vetti,
Id quod verbosis dicitur et fatuis:
Ista cum lingua, si usus veniat tibi, possis
Culos et crepidas lingere carbatinas.
Si nos omnino vis omnes perdere, Vetti, 5
Dicas: omnino, quod cupis, efficies.

Carmen XCIX.—*Ad Juventium.*

Surripui tibi, dum ludis, mellite Juventi,
Suaviolum dulci dulcius ambrosia.
Verum id non impune tuli; namque amplius horam
Suffixum in summa me memini esse cruce;
Dum tibi me purgo, nec possum fletibus ullis 5
Tantillum vostræ demere sævitiæ.
Nam, simul id factum est, multis diluta labella
Guttis abstersisti omnibus articulis:
Ne quidquam nostro contractum ex ore maneret,
Tamquam comminctæ spurca saliva lupæ. 10
Præterea infesto miserum me tradere amori
Non cessasti, omnique excruciare modo:
Ut mî ex ambrosio mutatum jam foret illud
Suaviolum tristi tristius helleboro.
Quam quoniam pœnam misero proponis amori,
Non unquam posthac basia surripiam. 16

Carmen C.—*De Cœlio et Quintio.*

Cœlius Aufilenum, et Quintius Aufilenam,
Flos Veronensium depereunt juvenum;
Hic fratrem, ille sororem. Hoc est, quod dicitur, illud
Fraternum vere dulce sodalitium.
Quoi faveam potius? Cœli, tibi: nam tua nobis 5
Perspecta exigit hoc unica amicitia,
Cum vesana meas torreret flamma medullas.
Sis felix, Cœli; sis in amore potens.

Carmen CI.—*Inferiæ ad Fratris Tumulum.*

Multas per gentes et multa per æquora vectus
Adveni has miseras, frater, ad inferias,
Ut te postremo donarem munere mortis,
Et mutum nequidquam alloquerer cinerem;
Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum:
Heu misero indigne frater ademte mihi! 6
Nunc tamen interea prisco quæ more parentûm
Tradita sunt tristes munera ad inferias,
Accipe, fraterno multum manantia fletu:
Atque in perpetuum, frater, ave, atque vale.

Carmen CII.—*Ad Cornelium.*

Si quidquam tacito commissum est fido ab amico,
Quojus sit penitus nota fides animi;
Me unum esse invenies illorum jure sacratum,
Corneli, et factum me esse puta Harpocratem.

Carmen CIII.—*Ad Silonem.*

Aut, sodes, mihi redde decem sestertia, Silo,
Deinde esto quamvis sævus et indomitus;
Aut, si te nummi delectant, desine, quæso,
Leno esse, atque idem sævus et indomitus.

Carmen CIV.—*Ad Quendam de Lesbia.*

Credis me potuisse meæ maledicere vitæ,
Ambobus mihi quæ carior est oculis?
Nec potui; nec, si possem, tam perdite amarem:
Sed tu cum Tappone omnia monstra facis.

Carmen CV.—*In Mentulam.*

Mentula conatur Pimpleum scandere montem:
Musæ furcillis præcipitem ejiciunt.

Carmen CVI.—*De Puero et Præcone.*

Cum puero bello præconem qui vidit esse,
Quid credat, nisi se vendere discupere?

Carmen CVII.—*Ad Lesbiam.*

Si quidquam cupidoque optantique obtigit unquam, et
Insperanti, hoc est gratum animo proprie:
Quare hoc est gratum nobis quoque, carior auro,
Quod te restituis, Lesbia, mî cupido.
Restituis cupido, atque insperanti ipsa refers te
Nobis. O lucem candidiore nota! 6
Quis me uno vivit felicior? aut magis hac quid
Optandum vita dicere quis poterit?

Carmen CVIII.—*In Cominium.*

Si, Comini, populi arbitrio tua cana senectus
Spurcata impuris moribus intereat:
Non equidem dubito, quin primum inimica bonorum
Lingua exsecta avido sit data volturio:
Effossos oculos voret atro gutture corvus, 5
Intestina canes, cætera membra lupi.

Carmen CIX.—*Ad Lesbiam.*

Jucundum, mea vita, mihi proponis amorem
Hunc nostrum inter nos, perpetuumque fore.
Dî magni, facite ut vere promittere possit,
Atque id sincere dicat, et ex animo:
Ut liceat nobis tota producere vita 5
Æternum hoc sanctæ fœdus amicitiæ.

Carmen CX.—*Ad Aufilenam.*

Aufilena, bonæ semper laudantur amicæ:
Accipiunt pretium, quæ facere instituunt.
Tu, quod promîsti mihi, quod mentita, inimica es;
Quod nec das, et fers sæpe, facis facinus.
Aut facere ingenuæ est, aut non promîsse pudicæ,
Aufilena, fuit: sed data conripere 6
Fraudando, efficitur plus quam meretricis avaræ,
Quæ sese toto corpore prostituit.

Carmen CXI.—*Ad Aufilenam.*

Aufilena, viro contentas vivere solo,
Nuptarum laus e laudibus eximiis.
Sed quoivis quamvis potius succumbere fas est,
Quam matrem fratres efficere ex patruo.

Carmen CXII.—*In Nasonem.*

Multus homo es, Naso; nam tecum, multus homo est, qui
Descendit: Naso, multus es et pathicus.

Carmen CXIII.—*Ad Cinnam.*

Consule Pompeio primum, duo, Cinna, solebant
Mœchulei: facto consule nunc iterum,
Manserunt duo; sed creverunt millia in unum
Singula: fecundum semen adulterio.

Carmen CXIV.—*In Mentulam.*

Formiano saltu non falso Mentula dives
Fertur: qui quot res in se habet egregias!
Aucupia omne genus, pisces, prata, arva, ferasque;
Nequidquam: fructus sumtibus exsuperat.
Quare concedo sit dives, dum omnia desint. 5
Saltum laudemus, dummodo ipse egeat.

Carmen CXV.—*In Mentulam.*

Mentula habet [instar] triginta jugera prati,
Quadraginta arvi: cætera sunt maria.
Cur non divitiis Crœsum superare potis sit?
Uno qui in saltu tot bona possideat;
Prata, arva, ingentes silvas, saltusque, paludesque, 5
Usque ad Hyperboreos, et mare ad Oceanum?
Omnia magna hæc sunt: tamen ipse est maximus [ultor,]
Non homo, sed vere mentula magna, minax.

Carmen CXVI.—*Ad Gellium.*

Sæpe tibi studioso animo venanda requirens
Carmina uti possem mittere Battiadæ,
Quîs te lenirem nobis, neu conarere
Infestum telis icere mî usque caput;
Hunc video mihi nunc frustra sumtum esse laborem, 5
Gelli, nec nostras hinc valuisse preces.
Contra, nos tela ista tua evitamus amictu:
At fixus nostris tu dabi' supplicium.

II.—T. LUCRETII CARI

DE RERUM NATURA.

De T. Lucretii Cari vita, quod summis sæpe poëtis contigit, nihil fere traditum habemus. Constat tantum Romanum fuisse, vetusta Lucretiorum stirpe oriundum. Memmii autem, nobilis viri, in amicitia fuisse, e carminis inscriptione liquet. Narravit quidam eum amatorio poculo ab uxore sive amica Lucilia dato in furorem versum, sibi ipsi mortem conscivisse. Natus est U. C. 659; mortuus circa 700.

LIBER PRIMUS.

Æneadûm genetrix, hominum Divômque voluptas,
Alma Venus, cœli subter labentia signa
Quæ mare navigerum, quæ terras frugiferenteis
Concelebras; per te quoniam genus omne animantum
Concipitur, visitque exortum lumina solis: 5
Te, Dea, te fugiunt ventei, te nubila cœli,
Adventumque tuum: tibi suaveis dædala tellus
Summittit flores; tibi rident æquora ponti,
Placatumque nitet diffuso lumine cœlum.
Nam, simul ac species patefacta est verna diei, 10
Et reserata viget genitabilis aura Favoni,
Aëriæ primum volucreis te, Diva, tuumque
Significant initum, perculsæ corda tua vi.
Inde feræ, pecudes persultant pabula læta,
Et rapidos tranant amneis: ita, capta lepore, 15
[Illecebreisque tueis omnis natura animantum]
Te sequitur cupide, quo quamque inducere pergis.
Denique per maria, ac monteis, fluviosque rapaceis, [teis,
Frundiferasque domos avium, camposque viren-
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem,
Efficis, ut cupide generatim sæcla propagent.
Quæ quoniam rerum naturam sola gubernas,
Nec sine te quidquam dias in luminis oras
Exoritur, neque fit lætum neque amabile quidquam;
Te sociam studeo scribundeis versibus esse, 25
Quos ego de rerum natura pangere conor [omni
Memmiadæ nostro: quem tu, Dea, tempore in
Omnibus ornatum voluisti excellere rebus.
Quo magis æternum da dicteis, Diva, leporem.
Effice, ut interea fera mœnera militiaï 30
Per maria ac terras omneis sopita quiescant.
Nam tu sola potes tranquilla pace juvare
Mortaleis: quoniam belli fera mœnera Mavors
Armipotens regit, in gremium qui sæpe tuum se
Rejicit, æterno devictus volnere amoris: 35
Atque ita, suspiciens tereti cervice reposta,
Pascit amore avidos, inhians in te, Dea, visus;
Eque tuo pendet resupini spiritus ore.
Hunc tu, Diva, tuo recubantem corpore sancto
Circumfusa super, suaveis ex ore loquelas 40
Funde, petens placidam Romaneis, incluta, pacem.
Nam neque nos agere hoc patriaï tempore iniquo
Possumus æquo animo, nec Memmî clara propago
Talibus in rebus communi dêsse saluti.
Quod superest, vacuas aureis mihi, Memmius, et te, 45
Semotum a cureis, adhibe veram ad rationem:
Ne mea dona, tibi studio dispôsta fideli,
Intellecta prius quam sint, contemta relinquas.
Nam tibi de summa cœli ratione deûmque
Disserere incipiam, et rerum primordia pandam;
Unde omneis natura creet res, auctet, alatque; 51
Quoque eadem rursum natura peremta resolvat:
Quæ nos materiem, et genitalia corpora rebus
Reddunda in ratione vocare, et semina rerum
Appellare suëmus, et hæc eadem usurpare 55
Corpora prima, quod ex illeis sunt omnia primeis.
[Omnis enim per se divôm natura necesse est
Immortali ævo summa cum pace fruatur,
Semota ab nostreis rebus, sejunctaque longe;
Nam, privata dolore omni, privata pericleis, 60
Ipsa sueis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeriteis capitur, nec tangitur ira.]
Humana ante oculos fede quom vita jaceret
In terreis, oppressa gravi sub Religione,
Quæ caput a cœli regionibus ostendebat, 65
Horribili super aspectu mortalibus instans;
Primum Graius homo mortaleis tollere contra
Est oculos ausus, primusque obsistere contra:
Quem neque fama deûm, nec fulmina, nec minitanti
Murmure compressit cœlum; sed eo magis acrem
Irritât animi virtutem, effringere ut arta 71
Naturæ primus portarum claustra cupiret.
Ergo vivida vis animi pervicit, et extra
Processit longe flammantia mœnia mondi;
Atque omne immensum peragravit mente animoque: 75
Unde refert nobis victor, quid possit oriri,
Quid nequeat; finita potestas denique quoique
Quanam sit ratione, atque alte terminus hærens.
Quare Religio, pedibus subjecta, vicissim
Obteritur, nos exæquat victoria cœlo. 80
Illud in heis rebus vereor, ne forte rearis
Impia te rationis inire elementa, viamque
Indugredi sceleris; quod contra sæpius illa
Religio peperit scelerosa atque impia facta.
Aulide quo pacto Triviaï virginis aram 85
Iphianassaï turpârunt sanguine fede
Ductores Danaûm delectei, prima virorum.
Cui simul infula, virgineos circumdata comtus,
Ex utraque pari malarum parte profusa est,
Et mæstum simul ante aras astare parentem 90

Sensit, et hunc propter ferrum celare ministros,
Aspectuque suo lacrumas effundere civeis,
Muta metu, terram, genibus summissa, petebat;
Nec miseræ prodesse in tali tempore quibat,
Quod patrio princeps donarat nomine regem. 95
Nam sublata virûm manibus, tremebundaque, ad aras
Deducta est; non ut, solenni more sacrorum
Perfecto, posset claro comitari hymenæo;
Sed, casta inceste, nubendi tempore in ipso,
Hostia concideret mactatu mæsta parentis, 100
Exitus ut classi felix faustusque daretur.
Tantum religio potuit suadere malorum!
Tutemet a nobis jam quovis tempore, vatum
Terriloqueis victus dicteis, desciscere quæres.
Quippe etenim quam multa tibi jam fingere possum 105
Somnia, quæ vitæ rationes vortere possint,
Fortunasque tuas omneis turbare timore.
Et merito: nam, si certam finem esse viderent
Ærumnarum homines, aliqua ratione valerent
Religionibus atque mineis obsistere vatum: 110
Nunc ratio nulla est restandi, nulla facultas,
Æternas quoniam pœnas in morte timendum.
Ignoratur enim, quæ sit natura animaï;
Nata sit, an contra nascentibus insinuetur;
Et simul intereat nobiscum, morte diremta,
An tenebras Orci visat, vastasque lacunas; 116
An pecudes alias divinitus insinuet se;
Ennius ut noster cecinit, qui primus amœno
Detulit ex Helicone perenni frunde coronam,
Per genteis Italas hominum quæ clara clueret.
Etsi præterea tamen esse Acherusia templa 121
Ennius æterneis exponit versibus edens,
Quo neque permanent animæ, neque corpora nostra,
Sed quædam simulacra, modeis pallentia mireis:
Unde sibi exortam semper florentis Homeri 125
Commemorat speciem lacrumas effundere salsas
Cœpisse, et rerum naturam expandere dicteis.
Quapropter, bene quom supereis de rebus habenda
Nobis est ratio, solis lunæque meatus
Qua fiant ratione, et qua vi quæque gerantur 130
In terreis; tunc cum primeis, ratione sagaci,
Unde anima atque animi constet natura, videndum:
Et quæ res, nobis vigilantibus obvia, mentes
Terrificet, morbo affecteis, somnoque sepulteis;
Cernere utei videamur eos, audireque coram, 135
Morte obita quorum tellus amplectitur ossa.
Nec me animi fallit, Graiorum obscura reperta
Difficile illustrare Latineis versibus esse;
Multa noveis verbeis præsertim quom sit agundum,
Propter egestatem linguæ, et rerum novitatem:
Sed tua me virtus tamen, et sperata voluptas 141
Suavis amicitiæ, quemvis efferre laborem
Suadet, et inducit nocteis vigilare serenas,
Quærentem dicteis quibus, et quo carmine demum
Clara tuæ possim præpandere lumina menti, 145
Res quibus occultas penitus convisere possis.
Hunc igitur terrorem animi tenebrasque necesse est
Non radiei solis, neque lucida tela diei
Discutiant, sed naturæ species, ratioque:
Quoius principium heinc nobis exordia sumet,
Nullam rem e nihilo gigni divinitus umquam. 151
Quippe ita formido mortaleis continet omneis,
Quod multa in terreis fieri cœloque tuentur,
Quorum operum caussas nulla ratione videre
Possunt; ac fieri divino numine rentur. 155
Quas ob res, ubi viderimus nil posse creari
De nihilo, tum, quod sequimur, jam rectius inde
Perspiciemus, et unde queat res quæque creari,
Et quo quæque modo fiant opera sine divôm.
Nam, si de nihilo fierent, ex omnibu' rebus 160
Omne genus nasci posset: nil semine egeret.
E mare primum homines, e terra posset oriri
Squamigerum genus, et volucreis: erumpere cœlo
Armenta: atque aliæ pecudes, genus omne, ferarum
Incerto partu, culta ac deserta tenerent: 165
Nec fructus idem arboribus constare solerent,
Sed mutarentur; ferre omneis omnia possent.
Quippe, ubi non essent genitalia corpora quoique,
Quî posset mater rebus consistere certa?
At nunc, seminibus quia certeis quæque creantur,
Inde enascitur, atque oras in luminis exit, 171
Materies ubi inest quoiusque et corpora prima:
Atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni,
Quod certeis in rebus inest secreta facultas.
Præterea, quur vere rosam, frumenta calore,
Viteis auctumno fundi suadente videmus; 176
Si non, certa suo quia tempore semina rerum
Quom confluxerunt, patefit quodquomque creatur,
Dum tempestates assunt, et vivida tellus
Tuto res teneras effert in luminis oras? 180
Quod si de nihilo fierent, subito exorerentur
Incerto spatio, atque alieneis partibus anni:
Quippe ubi nulla forent primordia, quæ genitali
Concilio possent arceri tempore iniquo.
Nec porro augendeis rebus spatio foret usus
Seminis ad coitum, e nihilo si crescere possent.
Nam fierent juvenes subito ex infantibu' parvis,
E terraque, exorta repente, arbusta salirent:
Quorum nil fieri manifestum est, omnia quando
Paullatim crescunt, ut par est, semine certo; 190
Crescendoque genus servant: ut noscere possis
Quæque sua de materia grandescere, alique.
Huc accedit, utei sine certis imbribus anni
Lætificos nequeat fetus summittere tellus.
Nec porro, secreta cibo, natura animantum 195
Propagare genus possit, vitamque tueri:
Ut potius multeis communia corpora rebus
Multa putes esse, ut verbeis elementa videmus,
Quam sine principieis ullam rem exsistere posse.
Denique, quur homines tantos natura parare
Non potuit, pedibus quei pontum per vada possent 201
Transire, et magnos manibus divellere monteis,
Multaque vivendo vitalia vincere sæcla;
Si non, materies quia rebus reddita certa est
Gignundeis, e qua constat quid possit oriri? 205
Nil igitur fieri de nilo posse fatendum est;
Semine quando opus est rebus, quo quæque creatæ
Aëris in teneras possent proferrier auras.
Postremo, quoniam inculteis præstare videmus
Culta loca, et manibus meliores reddere fetus,
Esse videlicet in terreis primordia rerum; 211
Quæ nos, fecundas vortentes vomere glebas,
Terraïque solum subigentes, cimus ad ortus.
Quod si nulla forent, nostro sine quæque labore
Sponte sua multo fieri meliora videres. 215
Huc accedit, utei quidque in sua corpora rursum
Dissolvat natura, neque ad nihilum interimat res.

Nam, si quid mortale e cuncteis partibus esset,
Ex oculeis res quæque repente erepta periret;
Nulla vi foret usus enim, quæ partibus ejus 220
Discidium parere, et nexus exsolvere posset.
Quod nunc, æterno quia constant semine quæque,
Donec vis obiit, quæ res diverberet ictu,
Aut intus penetret per inania, dissolvatque,
Nullius exitium patitur natura videri. 225
Præterea, quæquomque vetustate amovet ætas,
Si penitus perimit consumens materiem omnem,
Unde animale genus generatim in lumina vitæ
Reducit Venus; et reductum dædala tellus
Unde alit, atque auget, generatim pabula præbens?
Unde mare ingenuei fonteis, æternaque longe 231
Flumina suppeditant? unde æther sidera pascit?
Omnia enim debet, mortali corpore quæ sunt,
Infinita ætas consumpse anteacta, diesque.
Quod si in eo spatio, atque anteacta ætate fuere, 235
E quibus hæc rerum consistit summa refecta;
Immortali sunt natura prædita certe:
Haud igitur possunt ad nilum quæque revorti.
Denique, res omneis eadem vis caussaque volgo
Conficeret, nisi materies æterna teneret 240
Inter se nexu minus aut magis indupedita;
Tactus enim leti satis esset caussa profecto;
Quippe ubi nulla forent æterno corpore; quorum
Contextum vis deberet dissolvere quæque.
At nunc, inter se quia nexus principiorum 245
Dissimileis constant, æternaque materies est,
Incolomi remanent res corpore, dum satis acris
Vis obeat, pro textura quoiusque reperta.
Haud igitur redit ad nihilum res ulla, sed omneis
Discidio redeunt in corpore materiaï. 250
Postremo, pereunt imbreis, ubi eos pater Æther
In gremium matris Terraï præcipitavit:
At nitidæ surgunt fruges, rameique virescunt
Arboribus; crescunt ipsæ, fetuque gravantur.
Hinc alitur porro nostrum genus, atque ferarum:
Hinc lætas urbeis puerûm florere videmus, 256
Frundiferasque noveis avibus canere undique sylvas:
Hinc fessæ pecudes pingueis per pabula læta
Corpora deponunt, et candens lacteus humor
Uberibus manat distenteis: hinc nova proles 260
Artubus infirmeis teneras lasciva per herbas
Ludit, lacte mero mentes perculsa novellas.
Haud igitur penitus pereunt quæquomque videntur;
Quando alid ex alio reficit natura, nec ullam
Rem gigni patitur, nisi morte adjuta aliena. 265
Nunc age, res quoniam docui non posse creari
De nihilo, neque item genitas ad nil revocari;
Ne qua forte tamen cœptes diffidere dicteis,
Quod nequeunt oculeis rerum primordia cerni;
Accipe præterea, quæ corpora tute necesse est
Confiteare esse in rebus, nec posse videri. 271
Principio, venti vis verberat incita pontum,
Ingenteisque ruit naveis, et nubila differt;
Interdum, rapido percurrens turbine, campos
Arboribus magneis sternit, monteisque supremos
Sylvifrageis vexat flabreis: ita perfurit acri
Cum fremitu, sævitque minaci murmure, pontus.
Sunt igitur ventei nimirum corpora cæca,
Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cœli
Verrunt, ac subito vexantia turbine raptant. 280
Nec ratione fluunt alia, stragemque propagant,
Ac quom mollis aquæ fertur natura repente
Flumine abundanti, quem largeis imbribus auget
Montibus ex alteis magnus decursus aquaï,
Fragmina conjiciens sylvarum, arbustaque tota:
Nec validei possunt ponteis venientis aquaï 286
Vim subitam tolerare; ita magno turbidus imbri
Molibus incurrit, valideis cum viribus, amnis;
Dat sonitu magno stragem, volvitque sub undeis
Grandia saxa, ruit qua quidquam fluctibus obstat.
Sic igitur debent venti quoque flamina ferri: 291
Quæ, velutei validum quom flumen procubuere
Quamlibet in partem, trudunt res ante, ruuntque
Impetibus crebreis; interdum vortice torto
Corripiunt, rapideique rotanti turbine portant.
Quare etiam atque etiam sunt ventei corpora cæca; 296
Quandoquidem facteis, et moribus, æmula magneis
Amnibus inveniuntur, aperto corpore quei sunt.
Tum porro varios rerum sentimus odores,
Nec tamen ad nareis venienteis cernimus umquam: 300
Nec validos æstus tuimur, nec frigora quimus
Usurpare oculeis, nec voces cernere suemus:
Quæ tamen omnia corporea constare necesse est
Natura, quoniam sensus impellere possunt:
Tangere enim, aut tangi, nisi corpus, nulla potest res. 305
Denique fluctifrago suspensæ in litore vesteis
Uvescunt; eædem dispansæ in sole, serescunt:
At neque, quo pacto persederit humor aquaï,
Visum est, nec rursum quo pacto fugerit æstu.
In parvas igitur parteis dispergitur humor, 310
Quas oculei nulla possunt ratione videre.
Quin etiam, multeis solis redeuntibus anneis,
Annulus in digito subtertenuatur habendo:
Stillicidî casus lapidem cavat: uncus aratri
Ferreus occulte decrescit vomer in arveis: 315
Strataque jam volgi pedibus detrita viarum
Saxea conspicimus: tum, portas propter, ahena
Signa manus dextras ostendunt attenuari
Sæpe salutantum tactu, præterque meantum.
Hæc igitur minui, quom sint detrita, videmus;
Sed, quæ corpora decedant in tempore quoque,
Invida præclusit speciem natura videndi.
Postremo, quæquomque dies naturaque rebus
Paullatim tribuit, moderatim crescere cogens,
Nulla potest oculorum acies contenta tueri; 325
Nec porro quæquomque ævo macieque senescunt:
Nec, mare quæ impendent, vesco sale saxa peresa
Quid quoque amittant in tempore cernere possis.
Corporibus cæceis igitur natura gerit res.
Nec tamen undique corporea stipata tenentur
Omnia natura; namque est in rebus inane. 331
Quod tibi cognôsse in multeis erit utile rebus,
Nec sinet errantem dubitare, et quærere semper
De summa rerum, et nostreis diffidere dicteis.
Quapropter locus est intactus, inane, vacansque.
Quod si non esset, nulla ratione moveri 336
Res possent; namque, officium quod corporis exstat,
Officere atque obstare, id in omni tempore adesset
Omnibus: haud igitur quidquam procedere possent,
Principium quoniam cedendi nulla daret res. 340
At nunc per maria, ac terras, sublimaque cœli,
Multa modeis multeis varia ratione moveri
Cernimus ante oculos: quæ, si non esset inane,
Non tam solicito motu privata carerent,
Quam genita omnino nulla ratione fuissent: 345

Undique materies quoniam stipata quiesset.
Præterea, quamvis solidæ res esse putentur,
Heinc tamen esse licet raro cum corpore cernas.
In saxeis ac spelunceis permanat aquarum 349
Liquidus humor, et uberibus flent omnia gutteis :
Dissupat in corpus sese cibus omne animantum :
Crescunt arbusta, et fetus in tempore fondunt,
Quod cibus in totas, usque ab radicibus imeis,
Per troncos ac per ramos diffonditur omneis :
Inter sæpta meant voces, et clusa domorum 355
Transvolitant : rigidum permanat frigus ad ossa.
Quod, nisi inania sint, qua possent corpora quæque
Transire, haud ulla fieri ratione videres.
Denique, quur alias alieis præstare videmus
Pondere res rebus, nihilo majore figura ? 360
Nam, si tantumdem est in lanæ glomere, quantum
Corporis in plumbo est, tantumdem pendere par est ;
Corporis officium est quoniam premere omnia deorsum :
Contra autem natura manet sine pondere inanis.
Ergo, quod magnum est æque, leviusque videtur,
Nimirum plus esse sibi declarat inanis ; 366
At contra gravius plus in se corporis esse
Dedicat, et multo vacuum minus intus habere.
Est igitur nimirum id, quod ratione sagaci
Quærimus, admixtum rebus ; quod inane vocamus. 370
Illud, in heis rebus ne te deducere vero
Possit, quod queidam fingunt, præcurrere cogor.
Cedere squamigereis latices nitentibus aiunt,
Et liquidas aperire vias, quia post loca pisceis
Linquant, quo possint cedentes confluere undæ :
Sic alias quoque res inter se posse moveri, 376
Et mutare locum, quamvis sint omnia plena.
Scilicet id falsa totum ratione receptum est.
Nam quo squamigerei poterunt procedere tandem,
Ni spatium dederint latices ? concedere porro 380
Quo poterunt undæ, quum pisceis ire nequibunt ?
Aut igitur motu privandum est corpora quæque,
Aut esse admixtum dicundum est rebus inane,
Unde initum primum capiat res quæque movendi.
Postremo, duo de concurso corpora lata 385
Si cita dissiliant, nempe aër omne necesse est,
Inter corpora quod fiat, possidat inane.
Is porro quamvis, circum celerantibus aureis,
Confluat, haud poterit tamen uno tempore totum
Compleri spatium : nam primum quemque necesse est 390
Occupet ille locum, deinde omnia possideantur.
Quod si forte aliquis, quom corpora dissiluere,
Tum putat id fieri, quia se condenseat aër,
Errat : nam vacuum tum fit, quod non fuit ante ;
Et repletur item, vacuum quod constitit ante :
Nec tali ratione potest denserier aër, 396
Nec, si jam posset, sine inani posset, opinor,
Ipse in se trahere, et parteis conducere in unum.
Quapropter, quamvis caussando multa moreris,
Esse in rebus inane tamen fateare necesse est. 400
Multaque præterea tibi possum commemorando
Argumenta fidem dicteis corradere nostreis :
Verum animo satis hæc vestigia parva sagaci
Sunt, per quæ possis cognoscere cætera tute.
Namque, canes ut montivagæ persæpe feraï 405
Naribus inveniunt intectas frunde quietes,
Quom semel institerunt vestigia certa viaï :
Sic alid ex alio per te tute ipse videre
Talibus in rebus poteris, cæcasque latebras
Insinuare omneis, et verum protrahere inde. 410
Quod si pigraris, paullumve recesseris abs re,
Hoc tibi de plano possum promittere, Memmi :
Usque adeo largos haustus de fontibu' magneis
Lingua meo suavis diti de pectore fondet,
Ut verear, ne tarda prius per membra senectus
Serpat, et in nobis vitaï claustra resolvat, 416
Quam tibi de quavis una re versibus omnis
Argumentorum sit copia missa per aureis.
Sed nunc, ut repetam cœptum pertexere dicteis.
Omnis, ut est, igitur, per se, natura, duabus 420
Constitit in rebus : nam corpora sunt, et inane,
Hæc in quo sita sunt, et qua divorsa moventur.
Corpus enim per se communis dedicat esse
Sensus ; quoi nisi prima fides fundata valebit,
Haud erit, occulteis de rebus quo referenteis 425
Confirmare animos quidquam ratione queamus.
Tum porro locus, ac spatium, quod inane vocamus,
Si nullum foret, haud quaquam sita corpora possent
Esse, neque omnino quoquam divorsa meare :
Id quod jam supra tibi paullo ostendimus ante.
Præterea, nihil est, quod possis dicere ab omni
Corpore sejunctum, secretumque esse ab inani ;
Quod quasi tertia sit numero natura reperta.
Nam quodquomque erit, esse aliquid debebit id ipsum ;
Augmine vel grandi, vel parvo denique, dum sit ;
Quoi si tactus erit quamvis levis, exiguusque, 436
Corporis augebit numerum, summamque sequetur :
Sin intactile erit, nulla de parte quod ullam
Rem prohibere queat per se transire meantem,
Scilicet hocc' id erit vacuum, quod inane vocamus. 440
Præterea, per se quodquomque erit, aut faciet quid,
Aut alieis fungi debebit agentibus ipsum,
Aut erit, ut possunt in eo res esse, gerique :
At facere, et fungi, sine corpore nulla potest res ;
Nec præbere locum porro, nisi inane vacansque.
Ergo præter inane, et corpora, tertia per se 446
Nulla potest rerum in numero natura relinqui,
Nec quæ sub sensus cadat ullo tempore nostros,
Nec ratione animi quam quisquam possit apisci.
Nam quæquomque cluent, aut heis conjuncta duabus 450
Rebus ea invenies, aut horum eventa videbis.
Conjunctum est id, quod numquam sine perniciali
Discidio potis est sejungi, seque gregari,
Pondus utei saxi, calor ignis, liquor aquaï,
Tactus corporibus cuncteis, intactus inani. 455
Servitium contra, paupertas, divitiæque,
Libertas, bellum, concordia, cætera, quorum
Adventu manet incolomis natura, abituque ;
Hæc soliti sumus, ut par est, eventa vocare. 459
Tempus item per se non est, sed rebus ab ipseis
Consequitur sensus, transactum quid sit in ævo,
Tum, quæ res instet, quid porro deinde sequatur :
Nec per se quemquam tempus sentire fatendum est
Semotum ab rerum motu, placidaque quiete.
Denique, Tyndaridem raptam, belloque subactas 465
Trojugenas genteis quom dicunt *esse*, videndum est,
Ne forte hæc per se cogant nos *esse* fateri ;
Quando ea sæcla hominum, quorum hæc eventa fuerunt,

Irrevocabilis abstulerit jam præterita ætas.
Namque aliud terreis, aliud legionibus ipseis, 470
Eventum dici poterit, quodquomque erit actum.
Denique, materies si rerum nulla fuisset,
Nec locus, ac spatium, res in quo quæque geruntur;
Numquam Tyndaridis formæ conflatus amore
Ignis, Alexandri Phrygio sub pectore gliscens,
Clara accendisset sævi certamina belli: 476
Nec clam Durateus Trojanis Pergama partu
Inflammasset equus nocturno Grajugenarum:
Perspicere ut possis, res gestas funditus omneis
Non ita, utei corpus, per se constare, neque esse;
Nec ratione cluere eadem, qua constat inane: 481
Sed magis ut merito possis eventa vocare
Corporis, atque loci, res in quo quæque gerantur.
Corpora sunt porro partim primordia rerum,
Partim concilio quæ constant principiorum. 485
Sed, quæ sunt rerum primordia, nulla potest vis
Stringere; nam solido vincunt ea corpore demum:
Etsi difficile esse videtur credere, quidquam
In rebus solido reperiri corpore posse:
Transit enim fulmen cœli per sæpta domorum,
Clamor ut, ac voces: ferrum candescit in igni;
Dissiliuntque fere ferventi saxa vapore: 492
Collabefactatus rigor auri solvitur æstu:
Tum glacies æris, flamma devicta, liquescit:
Permanat calor argentum, penetraleque frigus;
Quando utrumque manu, retinentes pocula rite,
Sensimus, infuso lympharum rore superne: 497
Usque adeo in rebus solidi nihil esse videtur.
Sed quia vera tamen ratio, naturaque rerum
Cogit, ades, pauceis dum versibus expediamus
Esse ea, quæ solido atque æterno corpore constent; 501
Semina quæ rerum, primordiaque, esse docemus:
Unde omnis rerum nunc constet summa creata.
Principio, quoniam duplex natura duarum
Dissimilis rerum longe constare reperta est, 505
Corporis, atque loci, res in quo quæque geruntur,
Esse utramque sibi per se, puramque, necesse est.
Nam quaquomque vacat spatium, quod inane vocamus,
Corpus ea non est: qua porro quomque tenet se
Corpus, ea vacuum nequaquam constat inane. 510
Sunt igitur solida, ac sine inani, corpora prima.
Præterea, quoniam geniteis in rebus inane est,
Materiem circum solidam constare necesse est:
Nec res ulla potest vera ratione probari
Corpore inane suo celare atque intus habere,
Si non, quod cohibet, solidum constare relinquas. 516
Id porro nihil esse potest, nisi materiaï
Concilium, quod inane queat tectum cohibere.
Materies igitur, solido quæ corpore constat,
Esse æterna potest, quom cætera dissolvantur. 520
Tum porro, si nil esset, quod inane vacaret,
Omne foret solidum: nisi contra corpora certa
Essent, quæ loca complerent, quæquomque tenerent,
Omne, quod est, spatium, vacuum constaret inane.
Alterneis igitur nimirum corpus inani 525
Distinctum; quoniam nec plenum gnaviter exstat,
Nec porro vacuum: sunt ergo corpora certa,
Quæ spatium pleno possint distinguere inane.
Hæc neque dissolvi plageis extrinsecus icta
Possunt; nec porro penitus penetrata retexi; 530
Nec ratione queunt alia tentata labare:
Id quod jam supra tibi paullo ostendimus ante.
Nam neque collidi sine inani posse videtur
Quidquam, nec frangi, nec fondi in bina secando:
Nec capere humorem, neque item manabile frigus, 535
Nec penetralem ignem; quibus omnia conficiuntur.
Et quo quæque magis cohibet res intus inane,
Tam magis heis rebus penitus tentata labascit.
Ergo, si solida ac sine inani corpora prima
Sunt, ita utei docui, sint hæc æterna necesse est.
Præterea, nisi materies æterna fuisset, 541
Antehac ad nihilum penitus res quæque redîssent;
De nihiloque renata forent, quæquomque videmus.
At quoniam supra docui nil posse creari
De nihilo, neque, quod genitum est, ad nil revocari; 545
Esse immortali primordia corpore debent,
Dissolvi quo quæque supremo tempore possint,
Materies ut suppeditet rebus reparandeis.
Sunt igitur solida primordia simplicitate,
Nec ratione queunt alia, servata per ævom, 550
Ex infinito jam tempore res reparare.
Denique, si nullam finem natura parasset
Frangundeis rebus, jam corpora materiaï
Usque redacta forent, ævo frangente priore,
Ut nihil ex illeis a certo tempore posset, 555
Conceptum, summum ætatis pervadere finem;
Nam quidvis citius dissolvi posse videmus,
Quam rursus refici: quapropter longa diei
Infinita ætas anteacti temporis omnis,
Quod fregisset adhuc, disturbans dissolvensque,
Numquam in reliqüo reparari tempore posset:
At nunc nimirum frangundi reddita finis 562
Certa manet, quoniam refici rem quamque videmus,
Et finita simul generatim tempora rebus
Stare, quibus possint ævi contingere florem. 565
Huc accedit, utei solidissima materiaï
Corpora quom constant, possint tamen omnia reddi
Mollia, quæ fiunt, aër, aqua, terra, vapores,
Quo pacto fiant, et qua vi quomque gerantur:
Admixtum quoniam semel est in rebus inane. 570
At contra, si mollia sint primordia rerum,
Unde queant validei silices ferrumque creari,
Non poterit ratio reddi: nam funditus omnis
Principio fundamenti natura carebit.
Sunt igitur solida pollentia simplicitate; 575
Quorum condenso magis omnia conciliatu
Artari possunt, validasque ostendere vireis.
Porro, si nulla est frangundeis reddita finis
Corporibus, tamen ex æterno tempore quæque
Nunc etiam superare necesse est corpora rebus,
Quæ nondum clueant ullo tentata periclo. 581
At, quoniam fragili natura prædita constant,
Discrepat, æternum tempus potuisse manere
Innumerabilibus plageis vexata per ævom.
Denique, jam quoniam generatim reddita finis
Crescendeis rebus constat, vitamque tenendi, 586
Et quid quæque queant, per fœdera naturaï,
Quid porro nequeant, sancitum quandoquidem exstat;
Nec commutatur quidquam; quin omnia constant
Usque adeo, variæ volucreis ut, in ordine cunctæ,
Ostendant maculas generaleis corpore inesse;
Immutabile materiæ quoque corpus habere 592

Debent nimirum. Nam, si primordia rerum
Commutari aliqua possent ratione revicta,
Incertum quoque jam constet, quid possit oriri,
Quid nequeat; finita potestas denique quoique
Quanam sit ratione, atque alte terminus hærens;
Nec totiens possent generatim sæclà referre
Naturam, motus, victum, moresque parentum.
Tum porro, quoniam extremum quojusque cacumen 600
Corporis est illud, quod nostrei cernere sensus
Jam nequeunt; id nimirum sine partibus exstat,
Et minuma constat natura: nec fuit umquam
Per se secretum, neque posthac esse valebit;
Alterius quoniam est ipsum pars primaque, et ima: 605
Inde aliæ atque aliæ similes ex ordine parteis
Agmine condenso naturam corporis explent.
Quæ, quoniam per se nequeunt constare, necesse est
Hærere; unde queant nulla ratione revelli.
Sunt igitur solida primordia simplicitate, 610
Quæ minumis stipata cohærent partibus arte;
Non ex ullorum conventu conciliata,
Sed magis æterna pollentia simplicitate:
Unde neque avelli quidquam, neque diminui jam,
Concedit natura, reservans semina rebus. 615
Præterea, nisi erit minumum, parvissima quæque
Corpora constabunt ex partibus infiniteis:
Quippe ubi dimidiæ partis pars semper habebit
Dimidiam partem, nec res præfiniet ulla.
Ergo rerum inter summam, minumamque, quid escit? 620
Nil erit, ut distent: nam, quamvis funditus omnis
Summa sit infinita, tamen, parvissima quæ sunt,
Ex infiniteis constabunt partibus æque.
Quod, quoniam ratio reclamat vera, negatque 624
Credere posse animum, victus fateare necesse est,
Esse ea, quæ nulleis jam prædita partibus exstent,
Et minuma constant natura; quæ quoniam sunt,
Illa quoque esse tibi solida, atque æterna, fatendum.
Denique, ni minumas in parteis cuncta resolvi
Cogere consuêsset rerum natura creatrix, 630
Jam nihil ex illeis eadem reparare valeret:
Propterea, quia, quæ nulleis sunt partibus aucta,
Non possunt ea, quæ debet genitalis, habere
Materies, varios connexus, pondera, plagas, 634
Concursus, motus, per quos res quæque geruntur.
Quapropter, quei materiem rerum esse putarunt
Ignem, atque ex igni summam consistere solo,
Magnopere a vera lapsei ratione videntur.
Heraclitus inît quorum dux prœlia primus, 639
Clarus ob obscuram linguam magis inter inaneis,
Quamde graveis inter, Graios, qui vera requirunt.
Omnia enim stolidei magis admirantur amantque,
Inverseis quæ sub verbeis latitantia cernunt;
Veraque constituunt, quæ belle tangere possunt
Aureis, et lepido quæ sunt fucata sonore. 645
Nam quur tam variæ res possent esse, requiro,
Ex uno si sunt igni, puroque creatæ?
Nil prodesset enim calidum denserier ignem,
Nec rarefieri, si parteis ignis eamdem
Naturam, quam totus habet super ignis, haberent.
Acrior ardor enim conducteis partibus esset: 651
Languidior porro disjecteis, disque supateis.
Amplius hoc fieri nihil est quod posse rearis
Talibus in causseis; nedum variantia rerum
Tanta queat denseis, rareisque, ex ignibus esse.
Id quoque, si faciant admixtum rebus inane,
Denseri poterunt igneis, rareique relinqui:
Sed quia multa sibi cernunt contraria inesse,
Et fugitant in rebus inane relinquere purum;
Ardua dum metuunt, amittunt vera, viaï: 660
Nec rursum cernunt exemtum rebus inane,
Omnia denseri, fierique ex omnibus unum
Corpus, nil ab se quod possit mittere raptim,
Æstifer ignis utei lumen jacit, atque vaporem;
Ut videas non e stipateis partibus esse. 665
Quod si forte ulla credunt ratione potesse
Igneis in cœtus stingui, mutareque corpus;
Scilicet ex nulla facere id si parte reparcent,
Occidet ad nihilum nimirum funditus ardor 669
Omnis, et ex nihilo fient quæquomque creantur.
Nam quodquomque sueis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est ollius, quod fuit ante:
Proinde aliquid superare necesse est incolome olleis,
Ne tibi res redeant ad nilum funditus omneis,
De nihiloque renata virescat copia rerum. 675
Nunc igitur, quoniam certissima corpora quædam
Sunt, quæ conservant naturam semper eamdem,
Quorum abitu, aut aditu, mutatoque ordine, mutant
Naturam res, et convortunt corpora sese;
Scire licet, non esse hæc ignea corpora rerum. 680
Nil referret enim, quædam decedere, abire,
Atque alio attribui, mutarique ordine quædam,
Si tamen ardoris naturam cuncta tenerent:
Ignis enim foret omnimodis, quodquomque crearet.
Verum, ut opinor, ita est: sunt quædam corpora, quorum 685
Concursus, motus, ordo, positura, figuræ,
Efficiunt igneis, mutatoque ordine mutant
Naturam; neque sunt igni simulata, neque ullæ
Præterea rei, quæ corpora mittere possit
Sensibus, et nostros adjectu tangere tactus. 690
Dicere porro ignem res omneis esse, neque ullam [ignem,
Rem veram in numero rerum constare, nisi
Quod facit hic idem, perdelirum esse videtur.
Nam contra sensus ab sensibus ipse repugnat,
Et labefactat eos, unde omnia credita pendent;
Unde hic cognitus est ipsi, quem nominat ignem,
Credit enim sensus ignem cognoscere vere; 697
Cætera non credit, quæ nilo clara minus sunt:
Quod mihi quom vanum, tum delirum esse videtur.
Quo referemus enim? quid nobis certius ipseis
Sensibus esse potest? quî vera ac falsa notemus?
Præterea, quare quisquam magis omnia tollat,
Et velit ardoris naturam linquere solam,
Quam neget esse igneis, summam tamen esse relinquat? 704
Æqua videtur enim dementia dicere utrumque,
Quapropter, quei materiem rerum esse putarunt
Ignem, atque ex igni summam consistere posse;
Et quei principium gignundeis aëra rebus
Constituere; aut humorem queiquomque putarunt
Fingere res ipsum per se; terramve creare 710

Omnia, et in rerum naturas vortier omneis;
Magnopere a vero longei dêrrasse videntur.
Adde etiam, quei conduplicant primordia rerum,
Aëra jungenteis igni, terramque liquori;
Et quei quatuor ex rebus posse omnia rentur, 715
Ex igni, terra atque anima procrescere, et imbri.
Quorum Agragantinus cum primeis Empedocles est:
Insula quem triquetreis terrarum gessit in oreis;
Quam fluitans circum magneis amfractibus, æquor
Ionium glauceis adspergit virus ab undeis, 720
Angustoque fretu rapidum, mare dividit undeis
Æoliæ terrarum oras a finibus ejus:
Heic est vasta Charybdis, et heic Ætnæa minantur
Murmura flammarum rursum se colligere iras,
Faucibus eruptos iterum ut vis evomat igneis,
Ad cœlumque ferat flammaï fulgura rursum. 726
Quæquom magna modeis multeis miranda videtur
Gentibus humaneis regio, visundaque fertur,
Rebus opima boneis, multa munita virûm vi: 729
Nil tamen hoc habuisse viro præclarius in se,
Nec sanctum magis, et mirum, carumque videtur.
Carmina quin etiam divini pectoris ejus
Vociferantur, et exponunt præclara reperta;
Ut vix humana videatur stirpe creatus.
Hic tamen, et, supra quos diximus, inferiores 735
Partibus egregie multeis, multoque minores;
Quamquam, multa bene ac divinitus invenienteis,
Ex adyto tamquam cordis, responsa dedere
Sanctius, et multo certa ratione magis, quam
Pythia, quæ tripode ex Phœbi lauroque profatur;
Principieis tamen in rerum fecere ruinas, 741
Et graviter magnei magno cecidere ibi casu:
Primum, quod motus, exemto rebus inani,
Constituunt, et res molleis rarasque relinquunt,
Aëra, solem, ignem, terras, animalia, fruges; 745
Nec tamen admiscent in eorum corpus inane·
Deinde, quod omnino finem non esse secandeis
Corporibus faciunt, neque pausam stare fragori;
Nec prorsum in rebus minumum consistere quidquam:
Quom videamus id extremum quoiusque cacumen
Esse, quod ad sensus nostros minumum esse videtur; 751
Conjicere ut possis ex hoc, quod cernere non quis,
Extremum quod habent, minumum consistere rebus.
Huc accedit item, quoniam primordia rerum
Mollia constituunt, quæ nos nativa videmus 755
Esse, et mortali cum corpore funditus: atqui
Debeat ad nihilum jam rerum summa revorti,
De nihiloque renata vigescere copia rerum:
Quorum utrumque quid a vero jam distet, habebas.
Deinde inimica modeis multeis sunt, atque venena
Ipsa, sibi inter se; quare aut congressa peribunt,
Aut ita diffugient, ut, tempestate coacta, 762
Fulmina diffugere, atque imbreis, ventosque videmus.
Denique, quatuor ex rebus si cuncta creantur,
Atque in eas rursum res omnia dissolvuntur; 765
Qui magis illa queunt rerum primordia dici,
Quam contra res illorum, retroque putari?
Alterneis gignuntur enim, mutantque colorem,
Et totam inter se naturam, tempore ab omni.
Sin ita forte putas ignis terræque coire 770
Corpus, et aërias auras, roremque liquorum,
Nil in concilio naturam ut mutet eorum;
Nulla tibi ex olleis poterit res esse creata,
Non animans, non exanimo cum corpore, ut arbos;
Quippe suam quidque in cœtu variantis acervi
Naturam ostendet, mixtusque videbitur aër
Cum terra simul, et quodam cum rore, manere:
At primordia gignundeis in rebus oportet
Naturam clandestinam cæcamque adhibere;
Emineat ne quid, quod contra pugnet et obstet,
Quo minus esse queat proprie, quodquomque creatur. 781
Quin etiam repetunt a cœlo, atque ignibus ejus;
Et primum faciunt ignem se vortere in auras
Aëris: heinc imbrem gigni, terramque creari
Ex imbri; retroque a terra cuncta revorti, 785
Humorem primum, post aëra, deinde calorem:
Nec cessare hæc inter se mutare, meare
A cœlo ad terram, de terra ad sidera mondi:
Quod facere haud ullo debent primordia pacto.
Immutabile enim quiddam superare necesse est;
Ne res ad nihilum redigantur funditus omneis.
Nam quodquomque sueis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est ollius, quod fuit ante.
Quapropter, quoniam quæ paullo diximus ante,
In commutatum veniunt, constare necesse est 795
Ex alieis ea, quæ nequeant convortier usquam:
Ne tibi res redeant ad nilum funditus omneis.
Quin potius tali natura prædita quædam
Corpora constituas; ignem si forte creârint,
Posse eadem, dempteis pauceis, pauceisque tributeis,
Ordine mutato, et motu, facere aëris auras: 801
Sic alias alieis rebus mutarier omneis.
At manifesta palam res indicat, inquis, in auras
Aëris e terra res omneis crescere, alique;
Et, nisi tempestas indulget tempore fausto 805
Imbribus, et tabe nimborum arbusta vacillant,
Solque sua pro parte fovet, tribuitque calorem;
Crescere non possint fruges, arbusta, animanteis.
Scilicet; et nisi nos cibus aridus, et tener humor
Adjuvat, amisso jam corpore, vita quoque omnis
Omnibus e nerveis atque ossibus exsolvatur.
Adjutamur enim dubio procul, atque alimur nos
Certeis ab rebus, certeis aliæ atque aliæ res:
Nimirum, quia multimodeis communia multeis
Multarum rerum in rebus primordia multa 815
Sunt; ideo varieis variæ res rebus aluntur.
Atque eadem magni refert primordia sæpe
Cum quibus, et quali positura contineantur,
Et quos inter se dent motus, accipiantque.
Namque eadem cœlum, mare, terras, flumina, solem 820
Constituunt; eadem fruges, arbusta, animanteis:
Verum alieis alioque modo commixta moventur.
Quin etiam passim nostreis in versibus ipseis
Multa elementa vides multeis communia verbeis;
Quom tamen inter se versus, ac verba, necesse est
Confiteare et re, et sonitu distare sonanti: 826
Tantum elementa queunt, permutato ordine solo!
At rerum quæ sunt primordia, plura adhibere
Possunt, unde queant variæ res quæque creari.
Nunc et Anaxagoræ scrutemur ὁμοιομέρειαν,
Quam Graiei memorant, nec nostra dicere lingua
Concedit nobis patrii sermonis egestas: 832
Sed tamen ipsam rem facile est exponere verbeis,
Principium rerum, quam dicit ὁμοιομέρειαν.

Ossa videlicet e pauxilleis atque minuteis 835
Ossibu', sic et de pauxilleis atque minuteis
Visceribus viscus gigni, sanguenque creari
Sanguinis inter se multeis coëuntibu' gutteis;
Ex aurique putat miceis consistere posse
Aurum, et de terreis terram concrescere parveis;
Ignibus ex igneis, humorem humoribus esse.
Cætera consimili fingit ratione, putatque. 842
Nec tamen esse ulla parte idem in rebus inane
Concedit, neque corporibus finem esse secandeis.
Quare in utraque mihi pariter ratione videtur
Errare atque olleis juxta, quos diximus ante.
Adde, quod imbecilla nimis primordia fingit;
Si primordia sunt, simili quæ prædita constant
Natura, atque ipsæ res sunt, æqueque laborant,
Et pereunt, neque ab exitio res ulla refrenat. 850
Nam quid in oppressu valido durabit eorum,
Ut mortem effugiat, leti sub dentibus ipseis?
Ignis? an humor? an aura? quid horum? sanguis an? anne os?
Nil, ut opinor; ubi ex æquo res funditus omnis
Tam mortalis erit, quam quæ manifesta videmus 855
Ex oculeis nostreis aliqua vi victa perire.
At neque recidere ad nihilum res posse, neque autem
Crescere de nihilo, testor res ante probatas.
Præterea, quoniam cibus auget corpus alitque,
Scire licet, nobis venas, et sanguen, et ossa, 860
Et nervos, alienigeneis ex partibus esse:
Sive cibos omneis commixto corpore dicent
Esse, et habere in se nervorum corpora parva,
Ossaque, et omnino venas, parteisque cruoris;
Fiet, utei cibus omnis et aridus, et liquor ipse,
Ex alienigeneis rebus constare, putentur,
Ossibus, et nerveis, veneisque, et sanguine mixta.
Præterea, quæquomque e terra corpora crescunt,
Si sunt in terreis, terram constare necesse est
Ex alienigeneis, quæ terreis exoriuntur. 870
Transfer item, totidem verbeis utare licebit:
In ligneis si flamma latet, fumusque, cinisque,
Ex alienigeneis consistant ligna necesse est.
Linquitur heic quædam latitandi copia tenuis,
Id, quod Anaxagoras sibi sumit; ut omnibus omneis 875
Res putet immixtas rebus latitare, sed illud
Apparere unum, quoius sint pluria mixta,
Et magis in promtu, primaque in fronte locata:
Quod tamen a vera longe ratione repulsum est.
Conveniebat enim, fruges quoque sæpe, minaci
Robore quom in saxi franguntur, mittere signum
Sanguinis, aut aliquid, nostro quæ corpore aluntur:
[Quom lapidem in lapidem terimus, manare cruorem:]
Consimili ratione herbeis quoque, sæpe decebat
Et laticis dulceis guttas similique sapore 885
Mittere, lanigeræ quales sunt ubere lactis:
Scilicet; et glebeis terrarum sæpe friateis
Herbarum genera, et fruges, frundeisque videri
Dispertita, ac in terram latitare minute: 889
Postremo in ligneis cinerem fumumque videri,
Quom præfracta forent, igneisque latere minutos.
Quorum nil fieri quoniam manifesta docet res,
Scire licet, non esse in rebus res ita mixtas;
Verum semina multimodeis immixta latere 894
Multarum rerum in rebus communia debent.
At sæpe in magneis fit montibus, inquis, ut alteis
Arboribus vicina cacumina summa terantur
Inter se, valideis facere id cogentibus austreis,
Donec flammaï fulserunt flore coorto: 899
Scilicet; et non est ligneis tamen insitus ignis,
Verum semina sunt ardoris multa, terendo
Quæ quom confluxere, creant incendia sylveis.
Quod si facta foret sylveis abscondita flamma,
Non possent ullum tempus celarier igneis: 904
Conficerent volgo sylvas, arbusta cremarent.
Jamne vides igitur, paullo quod diximus ante,
Permagni referre, eadem primordia sæpe
Cum quibus, et quali positura contineantur,
Et quos inter se dent motus, accipiantque?
Atque eadem, paullo inter se mutata, creare 910
Igneis e ligneis? quo pacto verba quoque ipsa
Inter se paullo mutateis sunt elementeis,
Quom ligna atque igneis distincta voce notemus.
Denique, jam quæquomque in rebus cernis aperteis,
Si fieri non posse putas, quin materiaï 915
Corpora consimili natura prædita fingas,
Hac ratione tibi pereunt primordia rerum:
Fiet, utei risu tremulo concussa cachinnent,
Et lacrumeis salseis humectent ora, genasque.
Nunc age, quod superest, cognosce, et clarius audi: 920
Nec me animi fallit quam sint obscura; sed acri
Percussit thyrso laudis spes magna meum cor,
Et simul incussit suavem mî in pectus amorem
Musarum: quo nunc instinctus, mente vigenti
Avia Pieridum peragro loca, nullius ante 925
Trita solo: juvat integros accedere funteis,
Atque haurire; juvatque novos decerpere flores,
Insignemque meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velârint tempora Musæ. 929
Primum, quod magneis doceo de rebus, et arteis
Religionum animos nodeis exsolvere pergo:
Deinde, quod obscura de re tam lucida pango
Carmina, Musæo contingens cuncta lepore:
Id quoque enim non ab nulla ratione videtur;
Sed, velutei puereis absinthia tetra medenteis
Quom dare conantur, prius oras, pocula circum,
Contingunt mellis dulci flavoque liquore, 937
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus; interea perpotet amarum
Absinthî laticem, deceptaque non capiatur, 940
Sed potius tali facto recreata valescat:
Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerumque videtur
Tristior esse, quibus non est tractata, retroque
Volgus abhorret ab hac; volui tibi suaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere nostram, 945
Et quasi Musæo dulci contingere melle;
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Versibus in nostreis possem, dum perspicis omnem
Naturam rerum, qua constet comta figura.
Sed quoniam docui, solidissima materiaï 950
Corpora perpetuo volitare, invicta per ævom;
Nunc age, summaï quædam sit finis eorum,
Necne sit, evolvamus: item, quod inane repertum est,
Seu locus, ac spatium, res in quo quæque gerantur,
Pervideamus, utrum finitum funditus omne 955
Constet, an immensum pateat, vasteque profundum.
Omne quod est, igitur, nulla regione viarum
Finitum est; namque extremum debebat habere:
Extremum porro nullius posse videtur

Esse, nisi ultra sit quod finiat; ut videatur, 960
Quo non longius hæc sensus natura sequatur.
Nunc extra summam quoniam nihil esse fatendum est,
Non habet extremum; caret ergo fine, modoque:
Nec refert, quibus assistas regionibus ejus:
Usque adeo, quem quisque locum possedit, in omneis 965
Tantumdem parteis infinitum omne relinquit.
Præterea, si jam finitum constituatur
Omne, quod est, spatium, si quis procurrat ad oras
Ultimus extremas, jaciatque volatile telum,
Id valideis utrum contortum viribus ire, 970
Quo fuerit missum, mavis, longeque volare;
An prohibere aliquid censes obstareque posse?
Alterutrum fatearis enim, sumasque necesse est:
Quorum utrumque tibi effugium præcludit, et omne
Cogit ut exemta concedas fine patere. 975
Nam sive est aliquid, quod prohibeat efficiatque
Quo minu', quo missum est, veniat, finique locet se,
Sive foras fertur, non est a fine profectum.
Hoc pacto sequar, atque, oras ubiquomque locaris
Extremas, quæram, quid telo denique fiat. 980
Fiet, utei nusquam possit consistere finis,
Effugiumque fugæ prolatet copia semper.
Præterea, spatium summaï totius omne
Undique si inclusum certeis consisteret oreis,
Finitumque foret, jam copia materiaï 985
Undique ponderibus solideis confluxet ad imum,
Nec res ulla geri sub cœli tegmine posset;
Nec foret omnino cœlum, neque lumina solis:
Quippe ubi materies omnis cumulata jaceret
Ex infinito jam tempore, subsidendo. 990
At nunc nimirum requies data principiorum
Corporibus nulla est; quia nil est funditus imum,
Quo quasi confluere, et sedeis ubi ponere, possint.
Semper in assiduo motu res quæque geruntur 994
Partibus in cuncteis, æternaque suppeditantur,
Ex infinito cita, corpora materiaï.
Postremo, ante oculos rem res finire videtur:
Aër dissæpit colleis, atque aëra monteis;
Terra mare, et contra mare terras terminat omneis:
Omne quidem vero nihil est quod finiat extra.
Est igitur natura loci, spatiumque profundi, 1001
Quod neque clara suo percurrere flumina cursu
Perpetuo possint ævi labentia tractu;
Nec prorsum facere, ut restet minus ire, meando:
Usque adeo passim patet ingens copia rebus, 1005
Finibus exemteis, in cunctas undique parteis.
Ipsa modum porro sibi rerum summa parare,
Ne possit, natura tenet: quia corpus inani,
Et quod inane autem est, finiri corpore cogit;
Ut sic alterneis infinita omnia reddat. 1010
Aut etiam, alterutrum nisi terminet alterum eorum,
Simplice natura, ut pateat tamen immoderatum:
Nec mare, nec tellus, neque cœli lucida templa,
Nec mortale genus, nec divôm corpora sancta,
Exiguum possent horaï sistere tempus. 1015
Nam dispulsa suo de cœtu, materiaï
Copia ferretur magnum per inane, soluta;
Sive adeo potius numquam concreta creasset
Ullam rem, quoniam cogi disjecta nequisset. 1019
Nam certe neque consilio primordia rerum
Ordine se suo quæque sagaci mente locarunt;
Nec quos quæque darent motus, pepigere profecto:
Sed quia multa, modeis multeis mutata, per omne,
Ex infinito, nexantur percita plageis;
Omne genus motus et cœtus experiundo, 1025
Tandem deveniunt in taleis disposituras,
Qualibus hæc rebus consistit summa creata:
Et multos etiam magnos servata per annos, 1028
Ut semel in motus conjecta est convenienteis,
Efficit, ut largeis avidum mare fluminis undeis
Integrent amneis, et solis terra vapore
Fota novet fetus; summa quoque gens animantum
Floreat, et vivant labenteis ætheris igneis.
Quod nullo facerent pacto, nisi materiaï
Ex infinito suboriri copia posset, 1035
Unde amissa solent reparare in tempora quoque.
Nam velutei privata cibo natura animantum
Diffluit, amittens corpus; sic omnia debent
Dissolvi, simul ac defecit suppeditare
Materies, aliqua regione aversa viaï. 1040
Nec plagæ possunt extrinsecus undique summam
Conservare omnem, quæquomque est conciliata:
Cudere enim crebro possunt, partemque morari,
Dum veniant aliæ, ac suppleri summa queatur.
Interdum resilire tamen coguntur, et una 1045
Principiis rerum spatium tempusque fugaï
Largiri, ut possint a cœtu libera ferri.
Quare etiam atque etiam suboriri multa necesse est: [ipsæ,
Et tamen, ut plagæ quoque possint suppetere
Infinita opus est vis undique materiaï. 1050
Ollud in heis rebus longe fuge credere, Memmi,
In medium summæ, quod dicunt, omnia niti;
Atque ideo mondi naturam stare sine ulleis
Ictibus externeis, neque quoquam posse resolvi
Summa atque ima, quod in medium sint omnia nixa: 1055
Ipsum si quidquam posse in se sistere credis;
Et, quæ pondera sunt sub terreis, omnia sursum
Nitier, in terraque retro requiescere pôsta;
Ut per aquas quæ nunc rerum simulacra videmus:
Et simili ratione animalia suppa vagari 1060
Contendunt, neque posse e terreis in loca cœli
Recidere inferiora magis, quam corpora nostra
Sponte sua possint in cœli templa volare:
Ollei quom videant solem, nos sidera noctis
Cernere, et alterneis nobiscum tempora cœli
Dividere, et nocteis parileis agitare diebus.
Sed vanus stolideis hæc omnia finxerit error,
Amplexei quod habent perverse prima viaï.
Nam medium nihil esse potest, ubi inane locusque
Infinita: neque omnino, si jam medium sit, 1070
Possit ibei quidquam hac potius consistere caussa,
Quam quavis alia longe regione manere.
Omnis enim locus, ac spatium, quod inane vocamus,
Per medium, per non medium, concedat oportet
Æqueis ponderibus, motus quaquomque feruntur.
Nec quisquam locus est, quo corpora quom venere, 1076
Ponderis amissa vi, possint stare in inani:
Nec, quod inane autem est, ulli subsistere debet,
Quin, sua quod natura petit, concedere pergat:
Haud igitur possunt tali ratione teneri 1080
Res in concilium, medii cupedine victæ.
Præterea, quoniam non omnia corpora fingunt
In medium niti, sed terrarum, atque liquores,

Humorem ponti, magnasque e montibus undas
Et quasi terreno quæ corpore contineantur :
At contra tenueis exponunt aëris auras 1086
Et calidos simul a medio differrier igneis ;
Atque ideo totum circumtremere æthera signeis,
Et solis flammam per cœli cærula pasci,
Quod calor, a medio fugiens, ibi colligat omnis :
Quippe etiam vesci e terra mortalia sæcla ;
Nec prorsum arboribus summos frundescere ramos
Posse, nisi a terreis paullatim quoique cibatum
Terra det : at supra circumtegere omnia cœlum ;
Ne, volucri ritu flammarum, mœnia mondi 1095
Diffugiant subito magnum per inane, soluta,
Et ne cætera consimili ratione sequantur :
Neve ruant cœli tonitralia templa superne,
Terraque se pedibus raptim subducat, et omneis,
Inter permixtas rerum cœlique ruinas, 1100
Corpora solventeis,abeant per inane profundum :
Temporis ut puncto nihil exstet reliquiarum,
Desertum præter spatium, et primordia cæca.
Nam, quaquomque prius de parti corpora de'sse
Constitues, hæc rebus erit pars janua leti : 1105
Hac se turba foras dabit omnis materiaï.
Hæc si pernosces, parva perfunctus opella ;
Namque alid ex alio clarescet ; nec tibi cæca
Nox iter eripiet, quin ultima naturaï
Pervideas : ita res accendent lumina rebus. 1110

LIBER SECUNDUS.

Suave, mari magno turbantibus æquora venteis,
E terra magnum alterius spectare laborem ;
Non quia vexari quemquam est jocunda voluptas,
Sed, quibus ipse maleis careas, quia cernere suave est.
Per campos instructa, tua sine parte pericli, 5
Suave etiam belli certamina magna tueri :
Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere,
Edita doctrina sapientum, templa serena,
Despicere unde queas alios, passimque videre
Errare, atque viam palenteis quærere vitæ ; 10
Certare ingenio, contendere nobilitate,
Nocteis atque dies niti præstante labore
Ad summas emergere opes, rerumque potiri.
O miseras hominum menteis ! o pectora cæca !
Qualibus in tenebreis vitæ,quanteisque pericleis
Degitur hocc' ævi quodquomque est ! Nonne videre est, 16
Nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut, quoi
Corpore sejunctus dolor absit, mente fruatur
Jocundo sensu, cura semota metuque ?
Ergo corpoream ad naturam pauca videmus
Esse opus omnino, quæ demant quomque dolorem, 21
Delicias quoque utei multas substernere possint ;
Gratius interdum neque natura ipsa requirit.
Si non aurea sunt juvenum simulacra per ædeis,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextreis,
Lumina nocturneis epuleis ut suppeditentur ; 26
Nec domus argento fulget, auroque renidet ;
Nec citharæ reboant laqueata aurataque templa ;
Quom tamen inter se,prostratei in gramine molli,
Propter aquæ rivum, sub rameis arboris altæ, 30
Non magneis opibus jocunde corpora curant :
Præsertim quom tempestas arridet, et anni
Tempora conspergunt viridanteis floribus herbas.
Nec calidæ citius decedunt corpore febreis,
Textilibus si in pictureis ostroque rubenti 35
Jactaris, quam si plebeia in veste cubandum est.
Quapropter, quoniam nil nostro in corpore gazæ
Proficiunt, neque nobilitas, nec gloria regni,
Quod superest, animo quoque nil prodesse putandum :
Si non forte tuas legiones per loca campi 40
Fervere quom videas, belli simulacra cienteis ;
Fervere quom videas classem, lateque vagari ;
Heis tibi cum rebus timefactæ religiones
Effugiunt animo pavidæ, mortisque timores ;
Tum vacuum tempus linquunt, curaque solutum.
Quod si ridicula hæc, ludibriaque, esse videmus,
Re veraque metus hominum curæque sequaceis
Nec metuunt sonitus armorum, nec fera tela ;
Audacterque inter reges, rerumque potenteis
Vorsantur, neque fulgorem reverentur ab auro,
Nec clarum vestis splendorem purpureaï : 51
Quid dubitas, quin omni' sit hæc rationi' potestas,
Omnis quom in tenebreis præsertim vita laboret?
Nam velutei puerei trepidant, atque omnia cæceis
In tenebreis metuunt : sic nos in luce timemus
Interdum,nihilo quæ sunt metuenda magis,quam
Quæ puerei in tenebreis pavitant, finguntque futura. [est,
Hunc igitur terrorem animi tenebrasque,necesse
Non radiei solis, neque lucida tela diei
Discutiant, sed naturæ species, ratioque. 60
Nunc age, quo motu genitalia materiaï
Corpora res varias gignant,genitasque resolvant,
Et qua vi facere id cogantur, quæque sit olleis
Reddita mobilitas magnum per inane meandi,
Expediam : tu te dicteis præbere memento. 65
Nam certe non inter se stipata cohæret
Materies,quoniam minui rem quamque videmus,
Et quasi longinquo fluere omnia cernimus ævo,
Ex oculeisque vetustatem subducere nostreis ;69
Quom tamen incolomis videatur summa manere :
Propterea, quia, quæ decedunt corpora quoique,
Unde abeunt, minuunt ; quo venere, augmine donant :
Olla senescere, at hæc contra florescere cogunt.
Nec remorantur ibei : sic rerum summa novatur
Semper, et inter se mortaleis mutua vivunt. 75
Augescunt aliæ genteis, aliæ minuuntur ;
Inque brevi spatio mutantur sæcla animantum,
Et, quasi cursores, vitaï lampada tradunt.
Si cessare putas rerum primordia posse,
Cessandoque novos rerum progignere motus ; 80
Avius a vera longe ratione vagaris. [cesse est
Nam, quoniam per inane vagantur, cuncta ne-
Aut gravitate sua ferri primordia rerum,
Aut ictu forte alterius : nam concita, sæpe,
Obvia quom flixere, fit, ut divorsa repente 85
Dissiliant : neque enim mirum, durissima quæ sint, [ibus obstet.
Ponderibus solideis, neque quidquam a tergo
Et quo jactari magis omnia materiaï
Corpora pervideas, reminiscere, totius imum
Nil esse in summa ; neque habere, ubi corpora prima 90

Consistant: quoniam spatium sine fine modoque est,
Immensumque patere in cunctas undique parteis,
Pluribus ostendit, certa et ratione probatum est.
Quod quoniam constat, nimirum nulla quies est
Reddita corporibus primeis per inane profundum; 95
Sed magis, assiduo varioque exercita motu,
Partim intervalleis magneis conflicta resultant,
Pars etiam brevibus spatieis nexantur ab ictu.
Et quæquomque, magis condenso conciliatu,
Exigueis intervalleis, convecta resultant, 100
Indupedita sueis perplexeis ipsa figureis;
Hæc validas saxi radices, et fera ferri
Corpora constituunt, et cætera de genere horum
Paucula: quæ porro magnum per inane vagantur,
Cætera dissiliunt longe, longeque recursant,
In magneis intervalleis; hæc aëra rarum 106
Sufficiunt nobis, et splendida lumina solis.
Multaque præterea magnum per inane vagantur,
Concilieis rerum quæ sunt rejecta, nec usquam
Consociare etiam motus potuere recepta. 110
Quoius, utei memoro, rei simulacrum et imago
Ante oculos semper nobis vorsatur et instat.
Contemplator enim, quom solis lumina quomque
Insertim fondunt radios per opaca domorum,
Multa minuta modeis multeis per inane videbis
Corpora misceri radiorum lumine in ipso; 116
Et, velut æterno certamine, prœlia pugnasque
Edere, turmatim certantia; nec dare pausam,
Concilieis et discidieis exercita crebreis:
Conjicere ut possis ex hoc, primordia rerum 120
Quale sit in magno jactari semper inani.
Dumtaxat rerum magnarum parva potest res
Exemplare dare, et vestigia notitiaï.
Hoc etiam magis hæc animum te advortere par est
Corpora, quæ in solis radieis turbare videntur;
Quod taleis turbæ motus quoque materiaï 126
Significant clandestinos cæcosque subesse.
Multa videbis enim plageis ibi percita cæceis
Commutare viam, retroque repulsa revorti, 129
Nunc huc, nunc illuc, in cunctas undique parteis.
Scilicet hicc' a principieis est omnibus error:
Prima moventur enim per se primordia rerum;
Unde ea, quæ parvo sunt corpora conciliatu,
Et quasi proxima sunt ad vireis principiorum,
Ictibus ollorum cæceis impulsa, cientur; 135
Ipsaque, quæ porro paullo majora, lacessunt.
Sic a principieis ascendit motus, et exit
Paullatim nostros ad sensus; ut moveantur
Olla quoque, in solis quæ lumine cernere quimus;
Nec quibus id faciant plageis apparet aperte. 140
Nunc, quæ mobilitas sit reddita materiaï
Corporibus, pauceis licet hinc cognoscere, Memmi.
Primum, Aurora novo quom spargit lumine terras,
Et variæ volucreis, nemora avia pervolitanteis
Aëra per tenerum, liquideis loca vocibus opplent;
Quam subito soleat sol ortus tempore tali 146
Convestire sua perfondens omnia luce,
Omnibus in promptu, manifestumque esse videmus.
At vapor is, quem sol mittit, lumenque serenum,
Non per inane meat vacuum; quo tardius ire 150
Cogitur, aërias quod sic diverberat undas:
Nec singillatim corpuscula quæque vaporis,
Sed complexa meant inter se, comque globata:
Quapropter simul inter se retrahuntur, et extra
Officiuntur, utei cogantur tardius ire. 155
At, quæ sunt solida primordia simplicitate,
Quom per inane meant vacuum, nec res remoratur
Ulla foreis, atque ipsa sueis e partibus unum,
Unum, in quem cœpere locum, connixa feruntur;
Debent nimirum præcellere mobilitate, 160
Et multo citius ferri, quam lumina solis;
Multiplexque loci spatium transcurrere eodem
Tempore, quo solis pervolgant fulgura cœlum:
Nam neque consilio debent tardata morari,
Nec persectari primordia singula quæque, 165
Ut videant, qua quidque geratur cum ratione.
At queidam contra hæc, ignarei, materiaï
Naturam non posse, deûm sine numine, reddi
Tantopere humaneis rationibus admoderate;
Tempora mutare annorum, frugesque creare; 170
Et jam cætera, mortaleis quæ suadet adire,
Ipsaque deducit dux vitæ dia Voluptas,
Ut res per Veneris blanditim sæcla propagent,
Ne genus occidat humanum: quorum omnia caussa 174
Constituisse deos quom fingunt omnibu' rebus,
Magnopere a vera lapsei ratione videntur.
Nam, quamvis rerum ignorem primordia quæsint,
Hoc tamen ex ipseis cœli rationibus ausim
Confirmare, alieisque ex rebus reddere multeis,
Nequaquam nobis divinitus esse creatam 180
Naturam mondi: quamquam hæc sint prædita culpa;
Quæ tibi posterius, Memmi, faciemus aperta.
Nunc id, quod superest, de motibus expediemus.
Nunc locus est, ut opinor, in heis ollud quoque rebus
Confirmare tibei; nullam rem posse sua vi 185
Corpoream sursum ferri, sursumque meare.
Nec tibi dent in eo flammarum corpora fraudem;
Sursus enim vorsus gignuntur, et augmina sumunt:
Et sursum nitidæ fruges arbustaque crescunt,
Pondera, quantum in se est, quom deorsum cuncta ferantur. 190
Nec quom subsiliunt igneis ad tecta domorum,
Et celeri flamma degustant tigna trabeisque,
Sponte sua facere id, sine vi subigente, putandum est:
Quod genus, e nostro quom missus corpore sanguis
Emicat, exsultans alte, spargitque cruorem. 195
Nonne vides etiam, quanta vi tigna trabeisque
Respuat humor aquæ? non, quo magis ursimus altum
Directa, et magna vi multei pressimus ægre,
Tam cupide sursum revomit magis, atque remittit,
Plus ut parte foras emergant, exsiliantque? 200
Nec tamen hæc, quantum est in se, dubitamus, opinor,
Quin vacuum per inane deorsum cuncta ferantur.
Sic igitur debent flammæ quoque posse per auras
Aëris, expressæ sursum, succedere, quamquam
Pondera, quantum in se est, deorsum deducere pugnent: 205
Nocturnasque faceis, cœli sublime volanteis,
Nonne vides longos flammarum ducere tractus,
In quasquomque dedit parteis natura meatum?
Non cadere in terra stellas et sidera cernis?
Sol etiam summo de vortice dissupat omneis 210
Ardorem in parteis, et lumine conserit arva:
In terras igitur quoque solis vergitur ardor.
Transvorsosque volare per imbreis fulmina cernis:
Nunc heinc nunc illeinc abruptei nubibus igneis

Concursant; cadit in terras vis flammea volgo.
Ollud in heis quoque te rebus cognoscere avemus:
Corpora, quom deorsum rectum per inane feruntur, 217
Ponderibus proprieis incerto tempore ferme,
Incerteisque loceis, spatio depellere paullum:
Tantum, quod momen mutatum dicere possis.
Quod nisi declinare solerent, omnia deorsum.
Imbris utei guttæ, caderent per inane profundum;
Nec foret offensus natus, nec plaga creata
Principieis; ita nil umquam natura creâsset.224
Quod si forte aliquis credit graviora potesse
Corpora, quo citius rectum per inane feruntur,
Incidere ex supero levioribus, atque ita plagas
Gignere, quæ possint genitaleis reddere motus;
Avius a vera longe ratione recedit.
Nam per aquas quæquomque cadunt atque aëra deorsum, 230
Hæc pro ponderibus casus celerare necesse est:
Propterea, quia corpus aquæ naturaque tenuis
Aëris haud possunt æque rem quamque morari;
Sed citius cedunt, gravioribus exsuperata.
At contra nulli, de nulla parte, neque ullo 235
Tempore, inane potest vacuum subsistere rei,
Quin, sua quod natura petit, concedere pergat.
Omnia quapropter debent per inane quietum
Æque, ponderibus non æqueis, concita ferri.239
Haud igitur poterunt levioribus incidere umquam
Ex supero graviora, neque ictus gignere per se,
Quei varient motus, per quos natura gerat res.
Quare etiam atque etiam paullum inclinare necesse est [motus
Corpora, nec plus quam minumum; ne fingere
Obliquos videamur, et id res vera refutet. 245
Namque hoc in promtu manifestumque esse videmus, [meare,
Pondera, quantum in se est, non posse obliqua
Ex supero quom præcipitant, quod cernere possis.
Sed nihil omnino recta regione viaï
Declinare, quis est, qui possit cernere, sese? 250
Denique si semper motus connectitur omnis,
Et vetere exoritur semper novus ordine certo;
Nec declinando faciunt primordia motus
Principium quoddam, quod fati fœdera rumpat,
Ex infinito ne caussam caussa sequatur: 255
Libera per terras unde hæc animantibus exstat,
Unde est hæc, inquam, fatis avolsa voluntas,
Per quam progredimur, quo ducit quemque voluptas;
Declinamus item motus, nec tempore certo,
Nec regione loci certa, sed uti ipsa tulit mens?
Nam dubio procul heis rebus sua quoique voluntas [rigantur. 261
Principium dat; et heinc motus per membra
Nonne vides etiam, patefacteis tempore puncto
Carceribus, non posse tamen prorumpere equorum [ipsa?
Vim cupidam tam de subito, quam mens avet
Omnis enim totum per corpus materiaï 266
Copia conquiri debet, concita per artus
Omneis, ut studium mentis connexa sequatur:
Ut videas initum motus a corde creari,
Ex animique voluntate id procedere primum;
Inde dari porro per totum corpus et artus. 271
Nec simile est, ut quom, impulsei, procedimus ictu,
Viribus alterius magneis, magnoque coactu;
Nam tum materiem totius corporis omnem
Perspicuum est nobis inviteis ire, rapique, 275
Donec eam refrenavit per membra voluntas.
Jamne vides igitur, quamquam vis extera multos
Pellat, et invitos cogat procedere sæpe,
Præcipiteisque rapi, tamen esse in pectore nostro
Quiddam, quod contra pugnare obstareque possit;
Quoius ad arbitrium quoque copia materiaï 281
Cogitur interdum flecti per membra, per artus,
Et projecta refrenatur, retroque residit?
Quare, in seminibus quoque idem fateare, necesse est,
Esse aliam præter plagas et pondera, caussam
Motibus, unde hæc est olleis innata potestas:
De nihilo quoniam fieri nil posse videmus. 287
Pondus enim prohibet, ne plageis omnia fiant,
Externa quasi vi: sed ne mens ipsa necessum
Intestinum habeat cuncteis in rebus agundeis,
Et, devicta quasi, cogatur ferre patique: 291
Id facit exiguum clinamen principiorum,
Nec regione loci certa, nec tempore certo.
Nec stipata magis fuit umquam materiaï
Copia, nec porro majoribus intervalleis: 295
Nam neque adaugescit quidquam, neque deperit inde.
Quapropter, quo nunc in motu principiorum
Corpora sunt, in eodem anteacta ætate fuere,
Et posthac semper simili ratione ferentur;
Et quæ consuêrunt gigni, gignentur eadem 300
Conditione; et erunt, et crescent, inque valebunt,
Quantum quoique datum est per fœdera naturaï:
Nec rerum summam commutare ulla potest vis.
Nam neque quo possit genus ullum materiaï
Effugere ex omni, quidquam est, neque rursus in omne 305
Unde coorta queat nova vis irrumpere, et omnem
Naturam rerum mutare, et vortere motus.
Ollud in heis rebus non est mirabile, quare,
Omnia quom rerum primordia sint in motu,
Summa tamen summa videatur stare quiete, 310
Præterquam si quid proprio dat corpore motus.
Omnis enim longe nostreis ab sensibus infra
Primorum natura jacet: quapropter, ubi ipsam
Cernere jam nequeas, motus quoque surpere debent;
Præsertim quom, quæ possimus cernere, celent
Sæpe tamen motus, spatio diducta locorum. 316
Nam sæpe in colli tondenteis pabula læta
Lanigeræ reptant pecudes, quo quamque vocanteis
Invitant herbæ, gemmanteis rore recenti:
Et satiatei agnei ludunt, blandeque coruscant:
Omnia quæ nobis longe confusa videntur, 321
Et veluti in viridi candor consistere colli.
Præterea, magnæ legiones quom loca cursu
Camporum complent, belli simulacra cienteis,
Fulgur ibi ad cœlum se tollit, totaque circum 325
Ære renidescit tellus; subterque virûm vi
Excitur pedibus sonitus, clamoreque monteis
Ictei rejectant voces ad sidera mondi;
Et circumvolitant equites, mediosque repente
Tramittunt valido quatienteis impete campos:
Et tamen est quidam locus alteis montibus, unde
Stare videntur, et in campeis consistere fulgur.
Nunc age, jam deinceps cunctarum exordia rerum, 323
Qualia sint, et quam longe distantia formeis,
Percipe; multigeneis quam sint variata figureis:
Non, quo multa parum simili sint prædita forma,

Sed quia non volgo paria omnibus omnia constant,
Nec mirum : nam quom sit eorum copia tanta,
Ut neque finis, utei docui, neque summa sit ulla ;
Debent nimirum non omnibus omnia prorsum
Esse pari filo, similique affecta figura. 341
Præterea genus humanum, mutæque natanteis
Squamigerûm pecudes, et læta armenta, feræque,
Et variæ volucreis, lætantia quæ loca aquarum
Concelebrant, circum ripas, funteisque, lacusque,
Et quæ pervolgant nemora avia pervolitanteis.
Horum unum quodvis generatim sumere perge ;
Invenies tamen inter se differre figureis.
Nec ratione alia proles cognoscere matrem, 349
Nec mater posset prolem : quod posse videmus,
Nec minus, atque homines, inter se nota cluere.
Nam sæpe ante deûm vitulus delubra decora
Turicremas propter mactatus concidit aras,
Sanguinis exspirans calidum de pectore flumen :
At mater, virideis saltus orbata peragrans, 355
Linquit humi pedibus vestigia pressa bisulceis,
Omnia convisens oculeis loca, si queat usquam
Conspicere amissum fetum : completque quereleis
Frundiferum nemus, assistens ; et crebra revisit
Ad stabulum, desiderio perfixa juvenci : 360
Nec teneræ salices, atque herbæ, rore vigenteis,
Fluminaque olla queunt, summeis labentia ripeis,
Oblectare animum, subitamque avortere curam :
Nec vitulorum aliæ species per pabula læta
Derivare queunt animum, curaque levare : 365
Usque adeo quiddam proprium notumque requirit.
Præterea, tenerei tremuleis cum vocibus hædei
Cornigeras norunt matres ; agnique petulci
Balatum pecudes : ita, quod natura reposcit,
Ad sua quisque fere decurrunt ubera lactis. 370
Postremo quodvis frumentum, non tamen omne,
Quidque suo genere, inter se simile esse videbis,
Quin intercurrat quædam distantia formeis ;
Concharumque genus parili ratione videmus 374
Pingere telluris gremium, qua mollibus undeis
Litoris incurvi bibulam pavit æquor arenam.
Quare etiam atque etiam simili ratione necesse est, [sunt,
Natura quoniam constant, neque facta manu
Unius ad certam formam primordia rerum
Dissimili inter se quadam volitare figura. 380
Perfacile est animi ratione exsolvere nobis,
Quare fulmineus multo penetralior ignis,
Quam noster, fluat, e tedeis terrestribus ortus.
Dicere enim possis, cœlestem fulminis ignem,
Subtilem magis, e parveis constare figureis ; 385
Atque ideo transire foramina, quæ nequit ignis
Noster hic, e ligneis ortus, tedaque creatus.
Præterea, lumen per cornum transit ; at imber
Respuitur : quare ? nisi luminis illa minora
Corpora sunt, quam de quibus est liquor almus aquarum. 390
Et, quamvis subito, per colum vina videmus
Perfluere ; at contra tardum conctatur olivum :
Aut quia nimirum majoribus est elementeis.
Aut magis hamateis inter se, perque plicateis ;
Atque ideo fit, utei non tam deducta repente 395
Inter se possint primordia singula quæque
Singula per quoiusque foramina permanare.
Huc accedit, utei mellis lactisque liquores
Jocundo sensu linguæ tractentur in ore ;
At contra tetra absinthî natura ferique 400
Centauri fedo pertorquent ora sapore ;
Ut facile agnoscas, e levibus atque rotundeis
Esse ea, quæ sensus jocunde tangere possunt :
At contra, quæ amara atque aspera quomque videntur,
Hæc magis hamateis inter se nexa teneri ; 405
Proptereaque solere vias rescindere nostreis
Sensibus, introituque suo perrumpere corpus.
Omnia postremo bona sensibus, et mala tactu,
Dissimili inter se pugnant perfecta figura :
Ne tu forte putes, serræ stridentis acerbum 410
Horrorem constare elementeis lævibus æque,
Ac Musæa mele, per chordas organicei quæ
Mobilibus digiteis expergefacta figurant :
Neu simili penetrare putes primordia forma
In nareis hominum, quom tetra cadavera torrent,
Et quom scena croco Cilici perfusa recens est,
Araque Panchæos exhalat propter odores : 417
Neve bonos rerum simili constare colores
Semine constituas, oculos quei pascere possunt,
Et quei compungunt aciem, lacrumareque cogunt,
Aut feda specie tetrei turpesque videntur. 421
Omnis enim, sensus quæ mulcet quomque videntum,
Haud sine principiali aliquo lævore creata est :
At contra, quæquomque molesta atque aspera constat, 424
Non aliquo sine materiæ squalore reperta est.
Sunt etiam, quæ jam nec lævia jure putantur
Esse, neque omnino flexeis mucronibus unca ;
Sed magis angelleis paullum prostantibus, et quæ
Titillare magis sensus, quam lædere, possint : 429
Fæcula jam quo de genere est, inulæque sapores.
Denique, jam calidos igneis, gelidamque pruinam, 431
Dissimili dentata modo compungere sensus
Corporis, indicio nobis est tactus uterque.
Tactus enim, tactus, pro divôm numina sancta !
Corporis est sensus, vel quom res extera sese 435
Insinuat, vel quom lædit, quæ in corpore nata est,
Aut juvat egrediens genitaleis per Veneris res :
Aut, ex offensu quom turbant corpore in ipso
Semina, confondunt inter se concita sensum :
Ut, si forte manu quamvis jam corporis ipse 440
Tute tibi partem ferias, atque experiare.
Quapropter longe formas distare necesse est
Principieis, varios quæ possint edere sensus.
Denique, quæ nobis durata ac spissa videntur,
Hæc magis hamateis inter sese esse necesse est,
Et quasi ramoseis alte compacta teneri. 446
In quo jam genere in primeis adamantina saxa
Prima acie constant, ictus contemnere sueta ;
Et validei silices, ac duri robora ferri,
Æraque quæ claustreis restantia vociferantur.
Olla quidem debent ex lævibus atque rotundeis
Esse magis, fluido quæ corpore liquida constant ;
[Namque papaveris haustus item est facilis quod aquarum :] [quæque,
Nec retinentur enim inter se glomeramina
Et procursus item in proclive volubilis exstat.
Omnia postremo, quæ puncto tempore cernis
Diffugere, ut fumum, nebulas, flammasque, necesse est,
Si minus omnia sunt e lævibus atque rotundeis,
At non esse tamen perplexeis indupedita ; 459
Pungere utei possint corpus, penetrareque saxa :
Nec tamen hærere inter se, quod quisque videmus

Sentibus esse datum: facile ut cognoscere possis,
Non e perplexeis, sed acuteis esse elementeis.
Sed quod amara vides eadem, quæ fluvida constant, 464
Sudor utei maris est,minume mirabile quoiquam.
Nam quod fluvidum est, e levibus atque rotundeis
Est; et levibus atque rotundeis mixta doloris
Corpora: nec tamen hæc retineri hamata necessum: [stent,
Scilicet esse globosa tamen, quom squalida con-
Provolvi simul ut possint, et lædere sensus. 470
Et quod mixta putes magis aspera levibus esse
Principieis, unde est Neptuni corpus acerbum;
Est ratio secernundi, seorsumque videndi:
Humor dulcis, ubei per terras crebrius idem
Percolatur, ut in foveam fluat, ac mansuescat.
Linquit enim supra tetri primordia viri 476
Aspera, quo magis in terreis hærescere possint.
Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quæ
Ex hoc apta fidem ducit: primordia rerum
Finita variare figurarum ratione. 480
Quod si non ita sit, rursum jam semina quædam
Esse infinito debebunt corporis auctu.
Nam, quod eadem una quojusvis in brevitate
Corporis, inter se multum variare figuræ 484
Non possunt: face enim, minumeis e partibus esse
Corpora prima; tribus, vel paullo pluribus,auge;
Nempe ubi eas parteis unius corporis omneis,
Summa atque ima, locans, transmutans dextera læveis, [ordo
Omnimodeis expertus eris, quam quisque det
Formarum speciem totius corporis ejus: 490
Quod superest, si forte voles variare figuras,
Addendum parteis alias erit: inde sequetur,
Assimili ratione, alias ut postulet ordo,
Si tu forte voles etiam variare figuras.
Ergo formarum novitatem corporis augmen 495
Subsequitur: quare non est ut credere possis
Esse infiniteis distantia semina formeis;
Ne quædam cogas immani maxumitate
Esse: supra quod jam docui non esse probare.
Jam tibi barbaricæ vesteis, Melibœaque fulgens 500
Purpura, Thessalico concharum tincta colore, et
Aurea pavonum ridenti imbuta lepore
Pepla, novo rerum superata colore jacerent:
Contemtus sudos smyrnæ, mellisque sapores:
Et cycnea mele, Phœbeaque dædala chordeis
Carmina,consimili ratione oppressa silerent: 506
Namque alieis aliud præstantius exoreretur.
Cedere item retro possent in deteriores
Omnia sic parteis, ut diximus in meliores:
Namque alieis aliud retro quoque tetrius esset
Naribus, auribus, atque oculeis, orisque sapori.
Quæ quoniam non sunt, quin rebus reddita certa [est 512
Finis utrimque tenet summam; fateare necesse
Materiam quoque finiteis differre figureis.
Denique, ab ignibus ad gelidas hiemisque pruinas 515
Finitum est, retroque pari ratione remensum est.
Omnis enim calor, ac frigus, medieique tepores
Inter utrasque jacent, explenteis ordine summam.
Ergo finita distant ratione creata;
Ancipiti quoniam mucroni utrimque notantur,
Heinc flammis, illeinc rigideis incessa pruineis.
Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quæ 522
Ex hoc apta fidem ducit: primordia rerum,
Inter se simili quæ sunt perfecta figura,
Infinita cluere: etenim distantia quom sit 525
Formarum finita, necesse est, quæ similes sint,
Esse infinitas, aut summam materiaï
Finitam constare: id quod non esse probavi.
Quod quoniam docui, nunc suaviloqueis, age, pauceis
Versibus ostendam, corpuscula materiaï 530
Ex infinito summam rerum usque tenere,
Undique protelo plagarum continuato.
Nam quod rara vides magis esse animalia quædam,
Fecundamque magis naturam cernis in olleis;
At regione locoque alio, terreisque remoteis, 535
Multa licet genere esse in eo, numerumque repleri: [mus
Sic, uti quadrupedum cum primeis esse vide-
In genere anguimanos elephantos, India quorum
Millibus e multeis vallo munitur eburno,
Ut penitus nequeat penetrari: tanta ferarum 540
Vis est; quarum nos perpauca exempla videmus.
Sed tamen, id quoque utei concedam, quam lubet esto
Unica res quædam, nativo corpore sola,
Quoi similis toto terrarum non sit in orbi;
Infinita tamen nisi erit vis materiaï, 545
Unde ea progigni possit concepta, creari
Non poterit, neque, quod superest, procrescere alique.
Quippe etenim sumant oculei, finita per omne
Corpora jactari unius genitalia rei;
Unde, ubi, qua vi, et quo pacto, congressa coïbunt
Materiæ tanto in pelago, turbaque aliena? 551
Non, ut opinor, habent rationem conciliandi:
Sed, quasi naufragieis magneis multeisque coorteis
Disjectare solet magnum mare transtra,cavernas,
Antemnas, proram, malos, tonsasque natanteis;
Per terrarum omneis oras fluitantia aplustra 556
Ut videantur, et indicium mortalibus edant,
Infidi maris insidias, vireisque, dolumque
Ut vitare velint, neve ullo tempore credant,
Subdola quom ridet placidi pellacia ponti: 560
Sic tibi, si finita semel primordia quædam
Constitues, ævom debebunt sparsa per omnem
Disjectare æstus divorsei materiaï;
Numquam in concilium ut possint compulsa coire,
Nec remorari in concilio, nec crescere adaucta:
Quorum utrumque palam fieri manifesta docet res, 566
Et res progigni, et genitas procrescere posse.
Esse igitur genere in quovis primordia rerum
Infinita palam est, unde omnia suppeditantur.
Nec superare queunt motus itaque exitialeis
Perpetuo, neque in æternum sepelire salutem;
Nec porro rerum genitaleis auctificeique
Motus perpetuo possunt servare creata.
Sic æquo geritur certamine principiorum
Ex infinito contractum tempore bellum: 575
Nunc heic, nunc illeic, superant vitalia rerum,
Et superantur item: miscetur funere vagor,
Quem puerei tollunt visenteis luminis oras.
Nec nox ulla diem, neque noctem aurora sequuta est,
Quæ non audierit mixtos vagitibus ægri 580

Ploratus, mortis comites et funeris atri.
Ollud in heis obsignatum quoque rebus habere
Convenit, et memori mandatum mente tenere :
Nil esse, in promtu quorum natura videtur,
Quod genere ex uno consistat principiorum, 585
Nec quidquam, quod non permixto semine constet.
Et quæquomque magis vis multas possidet in se
Atque potestates, ita plurima principiorum
In sese genera, ac varias docet esse figuras.
Principio, tellus habet in se corpora prima, 590
Unde mare immensum volventeis flumina fonteis
Assidue renovent ; habet igneis unde oriantur :
Nam multeis succensa loceis ardent sola terræ ;
Eximieis vero furit ignibus impetus Ætnæ.
Tum porro nitidas fruges arbustaque læta 595
Gentibus humaneis habet unde extollere possit :
Unde etiam fluidas frundeis et pabula læta
Montivago generi possit præbere ferarum :
Quare magna deûm mater, materque ferarum,
Et nostri genetrix hæc dicta est corporis una. 600
Hanc veteres Graiûm doctei cecinere poëtæ
Sedibus in curru bijugos agitare leones ;
Aëris in spatio magnam pendere docenteis
Tellurem, neque posse in terra sistere terram. 604
Adjunxere feras, quod, quamvis effera, proles
Officiis debet molliri victa parentum ;
Muralique caput summum cinxere corona,
Eximieis munita loceis quod sustinet urbeis :
Quo nunc insigni per magnas prædita terras
Horrifice fertur divinæ Matris imago. 610
Hanc variæ genteis antiquo more sacrorum
Idæam vocitant matrem, Phrygiasque catervas
Dant comites, quia primum ex olleis finibus edunt
Per terrarum orbeis fruges cœpisse creari. 614
Gallos attribuunt, quia, numen quei violârint
Matris, et ingratei genitoribus inventei sint,
Significare volunt indignos esse putandos
Vivam progeniem quei in oras luminis edant.
Tympana tenta tonant palmeis, et cymbala circum
Concava, raucisonoque minantur cornua cantu,
Et Phrygio stimulat numero cava tibia mentes ;
Telaque præportant, violenti signa furoris, 622
Ingratos animos atque impia pectora volgi
Conterrere metu quæ possint numine divæ.
Ergo quom primum magnas invecta per urbeis
Munificat tacita mortaleis muta salute, 626
Ære atque argento sternunt iter omne viarum,
Largifica stipe ditanteis, ninguntque rosarum
Floribus, umbranteis Matrem comitumque catervam.
Heic armata manus, Curetas nomine Græcei 630
Quos memorant Phrygios, inter se forte catenas
Ludunt, in numerumque exsultant sanguine lætei :
Terrificas capitum quatienteis numine cristas,
Dictæos referunt Curetas, quei Jovis ollum
Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur ;
Quom puerei circum puerum pernice chorea 636
Armatei in numerum pulsarent æribus æra,
Ne Saturnus eum maleis mandaret adeptus,
Æternumque daret matri sub pectore volnus.
Propterea magnam armatei Matrem comitantur :
Aut quia significant divam prædicere, ut armeis
Ac virtute velint patriam defendere terram, 642
Præsidioque parent decorique parentibus esse.
Quæ, bene et eximie quamvis disposta ferantur,
Longe sunt tamen a vera ratione repulsa. 645
Omnis enim per se divôm natura necesse est
Immortali ævo summa cum pace fruatur,
Semota a nostreis rebus sejunctaque longe :
Nam privata dolore omni, privata pericleis,
Ipsa sueis pollens opibus, nihil indiga nostri, 650
Nec bene promeriteis capitur, neque tangitur ira.
Terra quidem vero caret omni tempore sensu ;
Sed, quia multarum potitur primordia rerum,
Multa modeis multeis effert in lumina solis.
Heic si quis mare Neptunum, Cereremque vocare 655
Constituet fruges, et Bacchi nomine abuti
Mavolt, quam laticis proprium proferre vocamen ;
Concedamus, ut hic terrarum dictitet orbem
Esse deûm matrem, dum vera re tamen ipse.
Sæpe itaque ex uno tondenteis gramina campo
Lanigeræ pecudes, et equorum duellica proles,
Buceriæque greges, eodem sub tegmine cœli,
Ex unoque sitim sedanteis flumine aquaï, 663
Dissimili vivunt specie, retinente parentem
Naturam, et mores generatim quæque imitantur.
Tanta est, in quovis genere herbæ, materiaï 666
Dissimilis ratio ; tanta est in flumine quoque.
Heinc porro quem vis animantem ex omnibus una
Ossa, cruor, venæ, calor, humor, viscera, nervei
Constituunt ; quæ sunt porro, distantia longe,
Dissimili perfecta figura principiorum. 671
Tum porro, quæquomque igni flammata cremantur,
Si nihil præterea, tamen hæc in corpore aluntur,
Unde ignem jacere, et lumen summittere possint,
Scintillasque agere, ac late differre favillam. 675
Cætera, consimili mentis ratione peragrans,
Invenies igitur multarum semina rerum
Corpore celare, et varias cohibere figuras. [una
Denique multa vides, quibus et color et sapor
[Reddita sunt cum odore ; in primeis pleraque dona, 680
Religione animum turpi quom tangere pacto.]
Hæc igitur varieis debent constare figureis :
Nidor enim penetrat, qua sucus non it in artus ;
Sucus item seorsum, et seorsum sapor, insinuatur
Sensibus ; ut noscas primeis differre figureis. 685
Dissimiles igitur formæ glomeramen in unum
Conveniunt, et res permixto semine constant.
Quin etiam passim nostreis in versibus ipseis
Multa elementa vides multeis communia verbeis;
Quom tamen inter se versus ac verba necesse est
Confiteare alia ex alieis constare elementeis : 691
Non quo multa parum communis litera currat,
Aut nulla inter se duo sint ex omnibus eadem ;
Sed quia non volgo paria omnibus omnia constant :
Sic alieis in rebus item communia multa, 695
Multarum rerum quom sint primordia, longe
Dissimili tamen inter se consistere summa
Possunt : ut merito ex alieis constare feratur
Humanum genus, ut fruges, arbustaque læta.
Nec tamen omnimodeis connecti posse putandum est 700
Omnia : nam volgo fieri portenta videres ;
Semiferas hominum species exsistere ; et altos
Interdum ramos e gigni corpore vivo ;
Multaque connecti terrestria membra marineis ;
Tum flammam tetro spiranteis ore Chimæras
Pascere naturam per terras omniparenteis. 706
Quorum nil fieri manifestum est, omnia quando
Seminibus certeis certa genetrice creata
Conservare genus crescentia posse videmus.
Scilicet id certa fieri ratione necesse est : 710

Nam, sua quoique, cibeis ex omnibus intus in artus
Corpora discedunt, connexaque convenienteis
Efficiunt motus : at contra aliena videmus
Rejicere in terras naturam ; multaque cæceis
Corporibus fugiunt e corpore, percita plageis ;
Quæ neque connecti quoquam potuere, neque inter
Vitaleis motus consentire atque animari.
Sed ne forte putes animalia sola teneri
Legibus heis, quædam ratio disterminat omneis.
Nam velutei tota natura dissimileis sunt 720
Inter se genitæ res quæque, ita quomque necesse est
Dissimili constare figura principiorum :
Non quo multa parum simili sint prædita forma ;
Sed quia non volgo paria omnibus omnia constent.
Semina quom porro distent, differre necesse est
Intervalla, vias, connexus, pondera, plagas, 726
Concursus, motus : quæ non animalia solum
Corpora sejungunt, sed terras ac mare totum
Secernunt, cœlumque a terreis omne retentant.
Nunc age, dicta, meo dulci quæsita labore, 730
Percipe : ne forte hæc albeis ex alba rearis
Principieis esse, ante oculos quæ candida cernis ;
Aut ea, quæ nigrant, nigro de semine nata :
Neve alium quemvis quæ sunt imbuta colorem,
Propterea gerere hunc credas, quod materiaï
Corpora consimili sint ejus tincta colore. 736
Nullus enim color est omnino materiaï
Corporibus, neque par rebus, neque denique dispar.
In quæ corpora si nullus tibi forte videtur
Posse animi injectus fieri, procul avius erras. 740
Nam quom cæcigenei, solis quei lumina numquam
Dispexere, tamen cognoscant corpora tactu
Ex ineunte ævo nullo conjuncta colore ;
Scire licet, menti quoque nostræ corpora posse
Vorti in notitiam, nullo circumlita fuco. 745
Denique nos ipsei, cæceis quæquomque tenebreis
Tangimus, haud ullo sentimus tincta colore.
Quod, quoniam vinco fieri, nunc esse docebo.
Omnis enim color omnino mutatur in omneis ;
Quod facere haud ullo debent primordia pacto :
Immutabile enim quiddam superare necesse est, 751
Ne res ad nihilum redigantur funditus omneis.
Nam quodquomque sueis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est ollius, quod fuit ante.
Proinde colore cave continguas semina rerum,
Ne tibi res redeant ad nilum funditus omneis.
Præterea, si nulla coloris principeis est 757
Reddita natura, et varieis sunt prædita formeis,
Equibus omnigenos gignunt, variantque, colores :
Præterea, magni quod refert, semina quæque
Cum quibus, et quali positura contineantur, 761
Et quos inter se dent motus, accipiantque :
Perfacile extemplo rationem reddere possis,
Quur ea, quæ nigro fuerint paullo ante colore,
Marmoreo fieri possint candore repente : 765
Ut mare, quom magnei commôrunt æquora ventei,
Vortitur in canos candenti marmore fluctus.
Dicere enim possis nigrum, quod sæpe videmus,
Materies ubi permixta est ollius, et ordo
Principieis mutatus, et addita demtaque quædam, 770
Continuo id fieri ut candens videatur et album.
Quod si cæruleeis constarent æquora ponti
Seminibus, nullo possent albescere pacto :
Nam quoquomque modo perturbes, cærula quæ sint, 774
Numquam in marmoreum possint migrare colorem.
Sin alio atque alio sunt semina tincta colore,
Quæ maris efficiunt unum purumque nitorem :
Ut sæpe ex alieis formeis, varieisque figureis,
Efficitur quiddam quadratum, unaque figura :
Conveniebat, uti in quadrato cernimus esse 780
Dissimileis formas, ita cernere in æquore ponti,
Aut alio in quovis uno puroque nitore,
Dissimileis longe inter se variosque colores.
Præterea, nihil officiunt, obstantque figuræ
Dissimileis, quo quadratum minus omne sit extra : 785
At variei rerum impediunt prohibentque colores,
Quo minus esse uno possit res tota nitore.
Tum porro, quæ ducit et illicit, ut tribuamus
Principieis rerum nonnunquam, caussa, colores,
Occidit ; ex albeis quoniam non alba creantur,
Nec, quæ nigra cluent, de nigreis, sed varieis de.
Quippe etenim multo proclivius exorientur 792
Candida de nullo, quam nigro nata colore,
Aut alio quovis, qui contra pugnet et obstet.
Præterea, quoniam nequeunt sine luce colores
Esse, neque in lucem exsistunt primordia rerum ;
Scire licet, quam sint nullo velata colore. 797
Qualis enim cæceis poterit color esse tenebreis,
Lumine qui in ipso mutatur, propterea quod
Recta aut obliqua percussus luce refulget? 800
Pluma columbarum quo pacto in sole videtur,
Quæ sita cervices circum collumque coronat :
Namque alia fit, utei claro fit rubra pyropo ;
Interdum quodam sensu fit, utei videatur
Inter curalium virideis miscere smaragdos ; 805
Caudaque pavonis, larga quom luce repleta est,
Consimili mutat ratione obvorsa colores.
Quei quoniam quodam gignuntur luminis ictu,
Scire licet, sine eo fieri non posse putandum.
Et quoniam plagæ quoddam genus excipit in se
Pupula, quom sentire colorem dicitur album,
Atque aliud porro, nigrum quom, et cætera, sentit ; 812
Nec refert, ea, quæ tangis, quo forte colore
Prædita sint, verum quali magis apta figura :
Scire licet, nil principieis opus esse colores, 815
Sed varieis formeis varianteis edere tactus.
Præterea, quoniam non certeis certa figureis
Est natura coloris, et omnia principiorum
Formamenta queunt in quovis esse nitore :
Quur ea, quæ constant ex olleis, non pariter sunt
Omnigeneis perfusa coloribus in genere omni?
Conveniebat enim, corvos quoque sæpe volanteis
Ex albeis album penneis jactare colorem,
Et nigros fieri nigro de semine cycnos,
Aut alio quovis uno, varioque, colore. 825
Quin etiam, quanto in parteis res quæque minutas
Distrahitur magis, hoc magis est, ut cernere possis
Evanescere paullatim, stinguique, colorem :
Ut fit, ubi in parvas parteis discerpitur aurum,
Purpura, pœniceusque color clarissimu' multo,
Filatim quom distractu'st, disperditur omnis :
Noscere ut heinc possis, prius omnem efflare colorem 832
Particulas, quam discedant ad semina rerum.
Postremo, quoniam non omnia corpora vocem
Mittere concedis, neque odorem : propterea fit,

Ut non omnibus attribuas sonitus et odores : 836
Sic, oculeis quoniam non omnia cernere quimus,
Scire licet, quædam tam constare orba colore,
Quam sine odore ullo quædam, sonituque remota :
Nec minus hæc animum cognoscere posse sagacem, 840
Quam quæ sunt alieis rebus privata noteisque.
Sed ne forte putes, solo spoliata colore
Corpora prima manere ; etiam secreta teporis
Sunt, ac frigoris omnino, calidique vaporis,
Et sonitu sterila, et suco jejuna feruntur, 845
Nec jaciunt ullum proprio de corpore odorem.
Sicut amaracini blandum stactæque liquorem,
Et nardi florem, nectar qui naribus halat,
Quom facere instituas ; cum primeis quærere par est,
Quoad licet, ac possis reperire, inolentis olivi 850
Naturam, nullam quæ mittat naribus auram :
Quam minume ut possit mixtos in corpore odores
Concoctosque, suo contactos perdere viro.
Propterea tandem debent primordia rerum
Non adhibere suum gignundeis rebus odorem,
Nec sonitum ; quoniam nihil ab se mittere possunt : 856
Nec simili ratione saporem denique quemquam,
Nec frigus, neque item calidum tepidumque vaporem.
Cætera, quæ quom ita sunt tamen, ut mortalia constent,
Molli lenta, fragosa putri, cava corpore raro, 860
Omnia sint a principieis sejuncta, necesse est ;
Immortalia si volumus subjungere rebus
Fundamenta, quibus nitatur summa salutis :
Ne tibi res redeant ad nilum funditus omneis.
Nunc ea, quæ sentire videmus quomque, necesse est 865
Ex insensilibus tamen omnia confiteare
Principieis constare : neque id manifesta refutant,
Nec contra pugnant, in promtu cognita quæ sunt ;
Sed magis ipsa manu ducunt, et credere cogunt,
Ex insensilibus, quod dico, animalia gigni. 870
Quippe videre licet, vivos existere vermeis
Stercore de tetro, putorem quom sibi nacta est,
Intempestiveis ex imbribus humida, tellus :
Præterea cunctas itidem res vortere sese :
Vortunt se fluviei in frundeis, et pabula læta 875
In pecudes, vortunt pecudes in corpora nostra
Naturam ; et nostro de corpore sæpe ferarum
Augescunt vires, et corpora pennipotentum.
Ergo omneis natura cibos in corpora viva
Vortit, et heinc sensus animantum procreat omneis : 880
Non alia longe ratione, atque arida ligna
Explicat in flammas, et in igneis omnia vorsat.
Jamne vides igitur, magni primordia rerum
Referre in quali sint ordine quæque locata,
Et commixta quibus dent motus, accipiantque ?
Tum porro, quid id est, animum quod percutit ipsum, 886
Quod movet, et varios sensus expromere cogit,
Ex insensilibus ne credas sensile gigni ?
Nimirum lapides, et ligna, et terra, quod una
Mixta tamen nequeunt vitalem reddere sensum.
Ollud in heis igitur fœdus meminisse decebit,
Non ex omnibus omnino, quæquomque creant res, 892
Sensile, et extemplo me gigni dicere sensus :
Sed magni referre, ea primum quantula constent,
Sensile quæ faciunt, et qua sint prædita forma ;
Motibus, ordinibus, positureis denique quæ sint :
Quarum nil rerum in ligneis glebeisque videmus.
Et tamen hæc, quom sunt quasi putrefacta per imbreis,
Vermiculos pariunt, quia corpora materiaï,
Antiqueis ex ordinibus permota nova re, 900
Conciliantur ita, ut debent animalia gigni.
Deinde, ex sensilibus quom sensile posse creari
Constituunt, porro, ex alieis sentire suëti,
Mollia tum faciunt : nam sensus jungitur omnis
Visceribus, nerveis, veneis, quæquomque videmus 905
Mollia mortali consistere corpore creta.
Sed tamen esto jam, posse hæc æterna manere:
Nempe tamen debent aut sensum partis habere,
Aut simileis toteis animalibus esse putari.
At, nequeant per se partes sentire, necesse est.
Namque alios sensus membrorum respuit omnis :
Nec manus a nobis potis est secreta, neque ulla
Corporis omnino sensum pars sola tenere.
Linquitur, ut toteis animalibus assimilentur,
Vitali ut possint consentire undique sensu. 915
Quî poterunt igitur rerum primordia dici,
Et leti vitare vias, animalia quom sint,
Atque, animalibus in mortalibus, una eademque?
Quod tamen ut possint, ab cœtu concilioque
Nil facient præter volgum turbamque animantum ; 920
Scilicet, ut nequeant homines, armenta, feræque,
Inter sese ullam rem gignere conveniundo.
Sic itidem, qua sentimus, sentire necesse est.
Quod si forte suum dimittunt corpore sensum,
Atque alium capiunt ; quid opus fuit attribui id, quod 925
Detrahitur ? tum præterea, quo fugimus ante,
Quatenus in pullos animaleis vortier ova
Cernimus alituum, vermeisque effervere, terram
Intempestivos quom putor cepit ob imbreis ;
Scire licet gigni posse ex non sensibu' sensus. 930
Quod si forte aliquis dicet, dumtaxat oriri
Posse a non sensu sensus mutabilitate,
Ante aliquo tamquam partu quam proditur extra:
Huic satis ollud erit planum facere atque probare,
Non fieri partum nisi consilio ante coacto, 935
Nec commutari quidquam sine conciliatu
Principiôm ; nequeunt ullius corporis esse
Sensus ante ipsam genitam naturam animantis :
Nimirum quia materies disjecta tenetur
Aëre, fluminibus, terreis, terraque createis ; 940
Nec, congressa modo, vitaleis convenienteis
Contulit inter se motus, quibus omne tuenteis
Accensei sensus animantum quamque tuentur.
Præterea, quamvis animantem grandior ictus,
Quam patitur natura, repente affligit, et omneis
Corporis atque animi pergit confondere sensus.
Dissolvuntur enim posituræ principiorum, 947
Et penitus motus vitaleis impediuntur ;
Donec materies, omneis concussa per artus,
Vitaleis animæ nodos e corpore solvit, 950
Dispersamque foras per caulas eïcit omneis.
Nam quid præterea facere ictum posse reamur
Oblatum, nisi discutere ac dissolvere quæque ?
Fit quoque, utei soleant, minus oblato acriter ictu,
Reliquiæ motus vitalis vincere sæpe ; 955
Vincere, et ingenteis plagæ sedare tumultus,
Inque suos quidquid rursus revocare meatus ;

Et quasi jam leti dominantem in corpore motum
Discutere, ac pene amissos accendere sensus.
Nam quare potius leti jam limine ab ipso 960
Ad vitam possint conjecta mente revorti,
Quam, quo decursum prope jam siet, ire et abire?
Præterea, quoniam dolor est, ubi materiaï
Corpora vi quadam per viscera viva, per artus
Solicitata, sueis trepidant in sedibus intus; 965
Inque locum quando remigrant, fit blanda voluptas:
Scire licet, nullo primordia posse dolore
Tentari, nullamque voluptatem capere ex se;
Quandoquidem non sunt ex olleis principiorum
Corporibus, quorum motus novitate laborent, 970
Aut aliquem fructum capiant dulcedinis almæ:
Haud igitur debent esse ullo prædita sensu.
Denique, utei possint sentire animalia quæque,
Principieis si jam est sensus tribuendus eorum;
Quid? genus humanum propritim de quibus auctum est, 975
Scilicet et risu tremulo concussa cachinnant,
Et lacrumeis spargunt rorantibus ora genasque:
Multaque de rerum mixtura dicere callent,
Et, sibi proporro quæ sint primordia, quærunt.
Quandoquidem toteis mortalibus assimilata, 980
Ipsa quoque ex alieis debent constare elementeis;
Inde alia ex alieis, nusquam consistere ut ausis.
Quippe sequar, quodquomque loqui ridereque dices,
Et sapere, ex alieis eadem hæc facientibus ut sit.
Quod si delira hæc furiosaque cernimus esse, 985
Et ridere potest non ex ridentibus auctus,
Et sapere, et docteis rationem reddere dicteis,
Non ex seminibus sapientibus, atque diserteis:
Quî minus esse queant ea, quæ sentire videmus.
Seminibus permixta carentibus undique sensu?
Denique, cœlesti sumus omneis semine oriundi: [teis 992
Omnibus olle idem pater est, unde alma liquen-
Humoris guttas mater quom Terra recepit,
Feta parit nitidas fruges, arbustaque læta,
Et genus humanum; parit omnia sæcla ferarum;
Pabula quom præbet, quibus omneis corpora pascunt,
Et dulcem ducunt vitam, prolemque propagant:
Quapropter merito maternum nomen adepta est.
Cedit item retro, de terra quod fuit ante,
In terras; et, quod missum est ex ætheris oreis,
Id rursum cœli relatum templa receptant: 1001
Nec sic interimit mors res, ut materiaï
Corpora conficiat, sed cœtum dissupat olleis:
Inde alieis aliud conjungit, et efficit omneis
Res ita convortant formas, mutentque colores,
Et capiant sensus, et puncto tempore reddant;
Ut noscas referre, eadem primordia rerum 1007
Cum quibus, et quali positura contineantur,
Et quos inter se dent motus, accipiantque:
Neve putes æterna parum residere potesse 1010
Corpora prima, quod in summeis fluitare videmus
Rebus, et interdum nasci, subitoque perire:
Quin etiam refert nostreis in versibus ipseis,
Cum quibus, et quali sint ordine quæque locata.
Namque eadem cœlum, mare, terras, flumina, solem 1015
Significant; eadem fruges, arbusta, animanteis;
Si non omnia sint, at multa maxuma pars est
Consimilis: verum positura discrepitant res.
Sic ipseis in rebus item jam materiaï
Intervalla, viæ, connexus, pondera, plagæ, 1020
Concursus, motus, ordo, positura, figuræ
Quom permutantur, mutari res quoque debent.
Nunc animum nobis adhibe veram ad rationem.
Nam tibi vehementer nova res molitur ad aureis
Accidere, et nova se species ostendere rerum.
Sed neque tam facilis res ulla est, quin ea primum 1026
Difficilis magis ad credundum constet; itemque
Nil adeo magnum, neque tam mirabile quidquam,
Quod non paullatim minuant mirarier omneis.
Principio, cœli clarum purumque colorem,
Quemque in se cohibent palantia sidera passim,
Lunamque, et solis præclara luce nitorem: 1032
Omnia quæ nunc si primum mortalibus essent,
Ex improviso ceu sint objecta repente;
Quid magis heis rebus poterat mirabile dici,
Aut minus ante quod auderent fore credere genteis? 1036
Nil, ut opinor; ita hæc species miranda fuisset,
Quam tibi jam nemo, fessus satiate videndi,
Suspicere in cœli dignatur lucida templa.
Desine quapropter, novitate exterritus ipsa, 1040
Exspuere ex animo rationem; sed magis acri
Judicio perpende, et, si tibi vera videntur,
Dede manus; aut, si falsum est, accingere contra.
Quærit enim ratione animus, quom summa loci sit
Infinita foreis hæc extra mœnia mondi, 1045
Quid sit ibei porro, quo prospicere usque velit mens,
Atque animi jactus liber quo pervelit ire.
Principio, nobis in cunctas undique parteis,
Et latere ex utroque, infraque, superque, per omne
Nulla est finis, utei docui, res ipsaque per se
Vociferatur, et elucet natura profundi. 1051
Nullo jam pacto veri simile esse putandum est,
Undique quom vorsum spatium vacet infinitum,
Seminaque innumero numero summaque profunda
Multimodeis volitent, æterno percita motu, 1055
Hunc unum terrarum orbem cœlumque creatum;
Nil agere olla foreis tot corpora materiaï:
Quom præsertim hic sit natura factus, et ipsa,
Sponte sua, forte offensando semina rerum
Multimodeis, temere, incassum, frustraque, coacta 1060
Tandem coaluerint ea, quæ, conjecta repente,
Magnarum rerum fierent exordia semper,
Terraï, maris, et cœli, generisque animantum.
Quare etiam atque etiam taleis fateare necesse est
Esse alios alibei congressus materiaï, 1065
Qualis hic est, avido complexu quem tenet æther.
Præterea, quom materies est multa parata,
Quom locus est præsto, nec res, nec caussa moratur
Ulla, geri debent nimirum et confieri res. 1069
Nunc, et seminibus si tanta est copia, quantam
Enumerare ætas animantum non queat omnis,
Visque eadem et natura manet, quæ semina rerum
Conjicere in loca quæque queat, simili ratione
Atque huc sunt conjecta, necesse est confiteare
Esse alios alieis terrarum in partibus orbeis, 1075
Et varias hominum genteis, et sæcla ferarum.
Huc accedit, uti in summa res nulla sit una,
Unica quæ gignatur, et unica solaque crescat,

Quin aliquoju' siet sæcli, permultaque eodem
Sint genere: in primeis animalibus indice mente
Invenies sic montivagum genus esse ferarum,
Sic hominum geminam prolem, sic denique mutas
Squamigerûm pecudes, et corpora cuncta volantum.
Quapropter cœlum simili ratione fatendum est
Terramque, et solem, lunam, mare, cætera quæ sunt, 1085
Non esse unica, sed numero magis innumerali;
Quandoquidem vitæ depactus terminus alte
Tam manet hæc, et tam nativo corpore constant,
Quam genus omne, quod heis generatim rebus abundans. 1089
Quæ bene cognita si teneas, natura videtur
Libera continuo, domineis privata superbeis,
Ipsa sua per se sponte omnia dîs agere expers.
Nam, pro sancta deûm tranquilla pectora pace,
Quæ placidum degunt ævom, multumque serenum! [fundi 1094
Quis regere immensi summam, quis habere pro-
Indu manu validas potis est moderanter habenas?
Quis pariter cœlos omneis convortere, et omneis
Ignibus ætherieis terras suffire feraceis;
Omnibus inve loceis esse omni tempore præsto,
Nubibus ut tenebras faciat, cœlique serena 1100
Concutiat sonitu? tum fulmina mittat, et ædeis
Ipse suas disturbet; et in deserta recedens
Sæviat, exercens telum, quod sæpe nocenteis
Præterit, exanimatque indignos inque merenteis? [que 1104
Multaque, post mondi tempus genitale, diem-
Primigenum maris, et terræ, solisque coortum,
Addita corpora sunt extrinsecus, addita circum
Semina, quæ magnum jaculando contulit omne,
Unde mare et terræ possent augescere, et unde
Appareret spatium cœli domus, altaque tecta
Tolleret a terreis procul, et consurgeret aër.
Nam sua quoique, loceis ex omnibus, omnia plageis 1112
Corpora distribuuntur, et ad sua sæcla recedunt:
Humor ad humorem, terreno corpore terra
Crescit, et ignem igneis procudunt, ætheraque æther: 1115
Denique ad extremum crescundi perfica finem
Omnia perduxit rerum natura creatrix:
Ut fit, ubei nihilo jam plus est, quod datur intra
Vitaleis venas, quam quod fluit, atque recedit.
Omnibus heis ætas debet consistere rebus: 1120
Heic natura sueis refrenat viribus auctum.
Nam, quæquomque vides hilaro grandescere adauctu,
Paullatimque gradus ætatis scandere adultæ,
Plura sibi assumunt, quam de se corpora mittunt;
Dum facile in venas cibus omneis inditur, et dum
Non ita sunt late dispersa, ut multa remittant,
Et plus dispendi faciant, quam vescitur ætas.
Nam certe fluere ac decedere corpora rebus
Multa, manus dandum est: sed plura accedere debent,
Donec alescundi summum tetigere cacumen. 1130
Inde minutatim vireis et robur adultum
Frangit, et in partem pejorem liquitur ætas.
Quippe etenim, quanto est res amplior, augmine ademto,
Et quo latior est, in cunctas undique parteis
Plura modo dispergit, et a se corpora mittit;
Nec facile en venas cibus omneis diditur ei: 1136
Nec satis est, pro quam largos exæstuat æstus,
Unde queant tantum suboriri ac suppeditare,
[Quantum opus est, et, quod satis est, natura novare.]
Jure igitur pereunt, quom rarefacta fluundo 1140
Sunt, et quom externeis succumbunt omnia plageis:
Quandoquidem grandi cibus ævo denique defit,
Nec tuditantia rem cessant extrinsecus ullam
Corpora conficere, et plageis infesta domare.
Sic igitur magni quoque circum mœnia mondi
Expugnata dabunt labem, putreisque ruinas.
Omnia debet enim cibus integrare novando, 1147
Et fulcire cibus; cibus omnia sustentare.
Nequidquam; quoniam nec venæ perpetiuntur
Quod satis est, neque, quantum opus est, natura ministrat. 1150
Jamque adeo fracta est ætas, effetaque tellus
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Sæcla, deditque ferarum ingentia corpora partu.
Haud, ut opinor, enim mortalia sæcla superne
Aurea de cœlo demisit funis in arva: 1155
Nec mare, nec fluctus, plangenteis saxa, crearunt;
Sed genuit tellus eadem, quæ nunc alit ex se.
Præterea nitidas fruges, vinetaque læta
Sponte sua primum mortalibus ipsa creavit;
Ipsa dedit dulceis fetus per pabula laeta: 1160
Quæ nunc vix nostro grandescunt aucta labore;
Conterimusque boves, et vireis agricolarum
Conficimus, sereis vix arveis suppeditatei:
Usque adeo pereunt fetus, augentque labore.
Jamque caput quassans grandis suspirat arator
Crebrius in cassum magnum cecidisse labores;
Et, quom tempora temporibus præsentia confert
Præteriteis, laudat fortunas sæpe parentis. 1168
Tristis item vetulæ vitis sator, [acta peragrans]
Temporis, incusat numen, cœlumque fatigat;
Et crepat, antiquum genus ut, pietate repletum,
Perfacile angusteis tolerarit finibus ævom, 1072
Quom minor esset agri multo modus ante viritim:
Nec tenet, omnia paullatim tabescere, et ire
Ad capulum, spatio ætatis defessa vetusto. 1175

LIBER TERTIUS.

O, tenebreis tanteis tam clarum extollere lumen
Qui primus potuisti, illustrans commoda vitæ,
Te sequor, o Graiæ gentis decus inque tueis nunc
Fixa pedum pono presseis vestigia signeis;
Non ita certandi cupidus, quam propter amorem,
Quod te imitari aveo. Quid enim contendat hirondo 6
Cycneis? aut quidnam tremuleis facere artubus hædei
Consimile in cursu possint, et fortis equi vis?
Tu, pater, es rerum inventor; tu patria nobis
Suppeditas præcepta; tueis ex, inclute, charteis,
Florifereis ut apes in saltibus omnia libant, 11
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea, perpetua semper dignissima vita.

Nam simul ac ratio tua cœpit vociferari
Naturam rerum, divina mente coortam, 15
Diffugiunt animi terrores; mœnia mondi
Discedunt; totum video per inane geri res.
Apparet divôm numen, sedesque quietæ;
Quas neque concutiunt ventei, nec nubila nimbeis
Aspergunt, neque nix acri concreta pruina 20
Cana cadens violat; semper sine nubibus æther
Integer, et large diffuso lumine ridet.
Omnia suppeditat porro natura, neque ulla
Res animi pacem delibat tempore in ullo.
At contra nusquam apparent Acherusia templa;
Nec tellus obstat, quin omnia despiciantur, 26
Sub pedibus quæquomque infra per inane geruntur.
Heis ibi me rebus quædam divina voluptas
Percipit, atque horror; quod sic natura, tua vi
Tam manifesta patens, ex omni parte retecta est.
Et quoniam docui, cunctarum exordia rerum
Qualia sint, et quam, varieis distantia formeis,
Sponte sua volitent, æterno percita motu;
Quoque modo possint res ex heis quæque creari:
Hasce secundum res animi natura videtur 35
Atque animæ claranda meeis jam versibus esse;
Et metus ille foras præceps Acheruntis agundus,
Funditus humanam qui vitam turbat ab imo,
Omnia suffuscans mortis nigrore, neque ullam
Esse voluptatem liquidam puramque relinquit.
Nam quod sæpe homines morbos magis esse timendos 41
Infamemque ferunt vitam, quam tartara leti;
Et se scire animæ naturam, sanguinis esse,
Aut etiam venti, si fert ita forte voluntas,
Nec prorsum quidquam nostræ rationis egere: 45
Heinc licet advortas animum, magis omnia laudis
Jactari caussa, quam quod res ipsa probetur:
Extorres îdem patria, longeque fugatei
Conspectu ex hominum, fedatei crimine turpi,
Omnibus ærumneis affectei denique, vivunt; 50
Et quoquomque tamen miserei venere, parentant,
Et nigras mactant pecudes, et manibu' diveis
Inferias mittunt; multoque in rebus acerbeis
Acrius advortunt animos ad religionem.
Quo magis in dubieis hominem spectare pericleis [sit. 55
Convenit, advorseisque in rebus noscere, quid
Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Eliciuntur, et eripitur persona, manet res.
Denique avarities, et honorum cæca cupido,
Quæ miseros homines cogunt transcendere fineis
Juris, et interdum, socios scelerum atque ministros, 61
Nocteis atque dies niti præstante labore
Ad summas emergere opes; hæc volnera vitæ
Non minumam partem mortis formidine aluntur.
Turpis enim ferme contemtus, et acris egestas,
Semota ab dulci vita stabilique videntur, 66
Et quasi jam leti portas conctarier ante.
Unde homines, dum se, falso terrore coactei,
Effugisse volunt longe, longeque remôsse,
Sanguine civili rem conflant, divitiasque 70
Conduplicant avidei, cædem cæde accumulanteis:
Crudeleis gaudent in tristi funere fratris:
Et consanguineûm mensas odere, timentque.
Consimili ratione, ab eodem sæpe timore
Macerat invidia, ante oculos ollum esse potentem, 75
Ollum adspectari, claro qui incedit honore;
Ipsei se in tenebreis volvi cœnoque queruntur.
Intereunt partim statuarum et nominis ergo;
Et sæpe usque adeo, mortis formidine, vitæ
Percipit humanos odium lucisque videndæ, 80
Ut sibi consciscant mœrenti pectore letum:
Oblitei funtem curarum hunc esse timorem;
Hunc vexare pudorem; hunc vincula amicitiaï
Rumpere; et, in summa, pietatem evortere suadet. [renteis 84
Nam jam sæpe homines patriam carosque pa-
Prodiderunt, vitare Acherusia templa petenteis.
Nam velutei puerei trepidant, atque omnia cæceis
In tenebreis metuunt; sic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ sunt metuenda magis, quam
Quæ puerei in tenebreis pavitant, finguntque futura. [est 90
Hunc igitur terrorem animi tenebrasque necesse
Non radiei solis, neque lucida tela diei
Discutiant, sed naturæ species, ratioque.
Primum, animum dico, mentem quem sæpe vocamus,
In quo consilium vitæ regimenque locatum est,
Esse hominis partem nihilo minus, ac manus, et pes, 96
Atque oculei, parteis animantis totius exstant.
Quamvis multa quidem sapientum turba putârunt
Sensum animi certa non esse in parte locatum;
Verum habitum quemdam vitalem corporis esse,
Ἁρμονίαν Graiei quam dicunt; qui faciat nos 101
Vivere cum sensu, nulla quom in parte siet mens:
Ut bona sæpe valetudo quom dicitur esse
Corporis, et non est tamen hæc pars ulla valentis;
Sic animi sensum non certa parte reponunt:
Magnopere in quo mî divorsei errare videntur.
Sæpe itaque in promtu corpus, quod cernitur, ægrum,
Quom tamen ex alia lætamur parte latenti:
Et retro fit, utei contra sit sæpe vicissim,
Quom miser ex animo lætatur corpore toto: 110
Non alio pacto, quam si, pes quom dolet ægri,
In nullo caput interea sit forte dolore.
Præterea, molli quom somno dedita membra
Effusumque jacet sine sensu corpus onustum,
Est aliud tamen in nobis, quod tempore in ollo
Multimodeis agitatur, et omneis accipit in se 116
Lætitiæ motus, ac curas cordis inaneis.
Nunc animam quoque ut in membreis cognoscere possis
Esse, neque harmoniam corpus retinere solere:
Principio, fit utei, detracto corpore multo, 120
Sæpe tamen nobis in membreis vita moretur;
Atque eadem rursum, quom corpora pauca caloris
Diffugere, forasque per os est editus aër,
Deserit extemplo venas, atque ossa relinquit;
Noscere ut heinc possis, non æquas omnia parteis
Corpora habere, neque ex æquo fulcire salutem:
Sed magis hæc, venti quæ sunt calidique vaporis
Semina, curare in membreis ut vita moretur.
Est igitur calor ac ventus vitalis in ipso
Corpore, qui nobis moribundos deserit artus. 130
Quapropter, quoniam est animi natura reperta
Atque animæ, quasi pars hominis; redde harmoniaï
Nomen, ab organicis alto delatum Heliconi;
Sive aliunde ipsei porro traxere, et in ollam
Transtulerunt, proprio quæ tum res nomine egebat; 135

Quidquid id est, habeant; tu cætera percipe dicta.
Nunc animum atque animam dico conjuncta
Inter se, atque unam naturam conficere ex se;
Sed caput esse quasi, et dominari in corpore toto
Consilium, quod nos animum, mentemque vocamus: 140
Idque situm media regione in pectoris hæret.
Heic exsultat enim pavor ac metus; hæc loca circum
Lætitæ mulcent: heic ergo mens animusque est.
Cætera pars animæ, per totum dissita corpus,
Paret, et ad numen mentis momenque movetur:
Idque sibi solum per se sapit, et sibi gaudet, 146
Quom neque res animam, neque corpus, commovet una.
Et quasi quom caput, aut oculus, tentante dolore,
Læditur in nobis, non omni concruciamur
Corpore; sic animus nonnumquam læditur ipse,
Lætitiaque viget, quom cætera pars animaï 151
Per membra atque artus nulla novitate cietur.
Verum, ubi vehementi magis est commota metu mens,
Consentire animam totam per membra videmus:
Sudoresque ita, palloremque exsistere toto 155
Corpore, et infringi linguam, vocemque aboriri,
Caligare oculos, sonere aureis, succidere artus.
Denique concidere ex animi terrore videmus
Sæpe homines: facile ut quivis heinc noscere possit,
Esse animam cum animo conjunctam; quæ, quom animi vi 159
Percussa est, exin corpus propellit, et icit.
Hæc eadem ratio naturam animi, atque animaï,
Corpoream docet esse: ubi enim propellere membra,
Corripere ex somno corpus, mutareque voltum,
Atque hominem totum regere ac vorsare videtur:
Quorum nil fieri sine tactu posse videmus, 166
Nec tactum porro sine corpore; nonne fatendum est
Corporea natura animum constare animamque?
Præterea, pariter fungi cum corpore, et una
Consentire animum nobis in corpore cernis. 170
Si minus offendit vitam vis horrida teli,
Ossibus ac nerveis discluseis, intus adacta;
At tamen insequitur languor, terræque petitus
Suavis, et in terra mentis qui gignitur æstus,
Interdumque quasi exsurgendi incerta voluntas.
Ergo corpoream naturam animi esse necesse est,
Corporeeis quoniam teleis ictuque laborat. 177
Is tibi nunc animus quali sit corpore, et unde
Constiterit, pergam rationem reddere dicteis.
Principio esse aio persubtilem, atque minuteis
Perquam corporibus factum constare: id ita esse,
Heinc, licet advortas animum, ut pernoscere possis.
Nil adeo fieri celeri ratione videtur,
Quam si mens fieri proponit, et inchoat ipsa.
Ocius ergo animus, quam res se perciet ulla, 185
Ante oculos quorum in promtu natura videtur.
At, quod mobile tantopere est, constare rotundeis
Perquam seminibus debet, perquamque minuteis;
Momine utei parvo possint impulsa moveri.
Namque movetur aqua, et tantillo momine flutat,
Quippe volubilibus parveisque creata figureis.
At contra mellis constantior est natura, 192
Et pigrei latices magis, et contantior actus.
Hæret enim inter se magis omnis materiaï
Copia; nimirum quia non tam levibus exstat
Corporibus, neque tam subtilibus atque rotundeis. 196
Namque papaveris, aura potest suspensa levisque
Cogere, ut ab summo tibi diffluat altus acervus;
At contra lapidum conjectum, spicarumque
Nenu potest: igitur parvissima corpora pro quam
Et levissima sunt, ita mobilitate fruuntur. 201
At contra, quæquomque magis cum pondere magno
Asperaque inveniuntur, eo stabilita magis sunt.
Nunc igitur, quoniam est animi natura reperta
Mobilis egregie, perquam constare necesse est
Corporibus parveis, et levibus, atque rotundeis.
Quæ tibi cognita res in multeis, o bone, rebus
Utilis invenietur, et opportuna cluebit.
Hæc quoque res etiam naturam dedicat ejus,
Quam tenui constet textura, quamque loco se
Contineat parvo, si possit conglomerari: 211
Quod, simul atque hominem leti secura quies est
Indepta, atque animi natura animæque recessit,
Nil ibi libatum de toto corpore cernas
Ad speciem, nil ad pondus: mors omnia præstat,
Vitalem præter sensum calidumque vaporem.
Ergo animam totam perparveis esse necesse est
Seminibus, nexam per venas, viscera, nervos:
Quatenus, omnis ubi e toto jam corpore cessit,
Extima membrorum circumcæsura tamen se 220
Incolumem præstat; nec defit ponderis hilum:
Quod genus est, Bacchi quom flos evanuit, aut quom
Spiritus unguenti suavis diffugit in auras,
Aut aliquo quom jam sucus de corpore cessit:
Nil oculeis tamen esse minor res ipsa videtur 225
Propterea, neque detractum de pondere quidquam:
Nimirum quia multa minutaque semina sucos
Efficiunt et odorem in toto corpore rerum.
Quare etiam atque etiam mentis naturam animæque
Scire licet perquam pauxilleis esse creatam 230
Seminibus, quoniam fugiens nil ponderis aufert.
Nec tamen hæc simplex nobis natura putanda est:
Tenuis enim quædam moribundos deserit aura
Mixta vapore; vapos porro trahit aëra secum;
Nec calor est quisquam, quoi non sit mixtus et aër. 235
Rara quod ejus enim constat natura, necesse est
Aëris inter eum primordia multa moveri.
Jam triplex animi est igitur natura reperta.
Nec tamen hæc sat sunt ad sensum cuncta creandum;
Nil horum quoniam recipit mens posse creare
Sensiferos motus quædam quei mente volutant.
Quarta quoque heis igitur quædam natura necesse est 242
Attribuatur: ea est omnino nominis expers:
Qua neque mobilius quidquam, neque tenuius exstat,
Nec magis est parveis et levibus ex elementeis;
Sensiferos motus quæ didit prima per artus. 246
Prima cietur enim, parveis perfecta figureis;
Inde calor motus, et venti cæca potestas
Accipit, inde aër; inde omnia mobilitantur;
Concutitur sanguis, tum viscera persentiscunt
Omnia; postremeis datur ossibus atque medulleis, 251
Sive voluptas est, sive est contrarius ardor.
Nec temere huc dolor usque potest penetrare, neque acre

Permanare malum, quin omnia perturbentur
Usque adeo, ut vitæ desit locus, atque animaï 255
Diffugiant parteis per caulas corporis omneis.
Sed plerumque fit, in summo quasi corpore, finis
Motibus: hanc ob rem vitam retinere valemus.
Nunc, ea quo pacto inter sese mixta, quibusque
Comta modeis vigeant, rationem reddere aventem
Abstrahit invitum patrii sermonis egestas: 261
Sed tamen, ut potero summatim attingere, tangam.
Inter enim cursant primordia, principiorum
Motibus inter se, nihil ut secernier unum
Possit, nec spatio fieri divisa potestas; 265
Sed quasi multæ vis unius corporis exstant.
Quod genus, in quo vis animantum visere volgo,
Est odor, et quidam calor, et sapor; et tamen ex heis
Omnibus est unum perfectum corporis augmen.
Sic calor atque aër et venti cæca potestas 270
Mixta creant unam naturam, et mobilis olla
Vis, initum motus ab se quæ dividit olleis;
Sensifer unde oritur primum per viscera motus.
Nam penitus prorsum latet hæc natura subestque,
Nec magis hac infra quidquam est in corpore nostro; 275
Atque anima est animæ proporro totius ipsa:
Quod genus in nostreis membreis et corpore toto
Mixta latens animi vis est animæque potestas;
Corporibus quia de parveis pauceisque creata est.
Sic tibi nominis hæc expers vis facta minuteis
Corporibus latet, atque animæ quasi totius ipsa
Proporro est anima, et dominatur corpore toto.
Consimili ratione necesse est ventus et aër
Et calor inter se vigeant commixta per artus,
Atque alieis aliud subsit magis, emineatque; 285
Ut quiddam fieri videatur ab omnibus unum:
Ne calor, ac ventus seorsum, seorsumque potestas
Aëris, interimant sensum, diductaque solvant.
Est etiam calor ille animo, quem sumit in ira,
Quom fervescit, et ex oculeis micat acrius ardor.
Est et frigida multa, comes formidinis, aura, 291
Quæ ciet horrorem membreis, et concitat artus.
Est etiam quoque pacati status aëris ille,
Pectore tranquillo fit qui voltuque sereno.
Sed calidi plus est olleis, quibus acria corda, 295
Iracundaque mens facile effervescit in ira:
Quo genere in primeis vis est violenta leonum;
Pectora quei fremitu rumpunt plerumque gementeis,
Nec capere irarum fluctus in pectore possunt.
At ventosa magis cervorum frigida mens est,
Et gelidas citius per viscera concitat auras; 301
Quæ tremulum faciunt membreis exsistere motum.
At natura boum placido magis aëre vivit,
Nec minus iraï fax numquam subdita percit
Fumida, suffundens cæcæ caliginis umbram; 305
Nec gelideis torpet teleis perfixa vaporis:
Inter utrasque sita est, cervos sævosque leones.
Sic hominum genus est: quamvis doctrina politos
Constituat pariter quosdam, tamen olla relinquit
Naturæ quojusque animæ vestigia prima: 310
Nec radicitus evelli mala posse putandum est,
Quin proclivius hic iras decurrat ad acreis;
Ille metu citius paullo tentetur; at ille
Tertius accipiat quædam clementius æquo: 314
Inque alieis rebus multeis differre necesse est
Naturas hominum varias, moresque sequaceis:
Quorum ego nunc nequeo cæcas exponere caussas,
Nec reperire figurarum tot nomina, quot sunt
Principieis, unde hæc oritur variantia rerum.
Ollud in heis rebus videor firmare potesse,
Usque adeo naturarum vestigia linqui 321
Parvola, quæ nequeat ratio depellere dicteis;
Ut nihil impediat dignam dîs degere vitam.
Hæc igitur natura tenetur corpore ab omni,
Ipsaque corporis est custos, et caussa salutis;
Nam communibus inter se radicibus hærent, 326
Nec sine pernicie divelli posse videntur.
Quod genus, e turis glebeis evellere odorem
Haud facile est, quin intereat natura quoque ejus.
Sic animi atque animæ naturam corpore toto
Extrahere haud facile est, quin omnia dissolvantur; 331
Implexeis ita principieis ab origine prima
Inter se fiunt consorti prædita vita:
Nec sibi quæque sine alterius vi posse videtur
Corporis atque animi seorsum sentire potestas:
Sed communibus inter eos conflatur utrimque
Motibus, accensus nobis per viscera, sensus.
Præterea, corpus per se nec gignitur umquam,
Nec crescit, neque post mortem durare videtur.
Non enim, ut humor aquæ, dimittit sæpe vaporem, 340
Qui datus est, neque ea caussa convellitur ipse,
Sed manet incolomis; non, inquam, sic animaï
Discidium possunt artus perferre relictei;
Sed penitus pereunt convolsei, conque putrescunt.
Ex ineunte ævo sic corporis atque animaï 345
Mutua vitaleis discunt contagia motus,
Materneis etiam membreis, alvoque reposta;
Discidium ut nequeat fieri sine peste maloque:
Ut videas, quoniam conjuncta est caussa salutis,
Conjunctam quoque naturam consistere eorum.
Quod superest, si quis corpus sentire refutat,
Atque animam credit, permixtam corpore toto,
Suscipere hunc motum, quem sensum nominitamus; 353
Vel manifestas res contra verasque repugnat.
Quid sit enim corpus sentire quis afferet umquam,
Si non ipsa palam quod res dedit ac docuit nos?
At, dimissa anima, corpus caret undique sensu:
Perdit enim, quod non proprium fuit ejus in ævo;
Multaque præterea perdit, quom expellitur ævo.
Dicere porro, oculos nullam rem cernere posse,
Sed per eos animum ut foribus spectare recluseis,
Difficile est, contra quom sensus ducat eorum;
Sensus enim trahit, atque acies detrudit ad ipsas:
Fulgida præsertim quom cernere sæpe nequimus,
Lumina luminibus quia nobis præpediuntur; 365
Quod foribus non fit: neque enim, qua cernimus ipsei,
Ostia suscipiunt ullum reclusa laborem.
Præterea, si pro foribus sunt lumina nostra,
Jam magis, exemteis oculeis, debere videtur
Cernere res animus, sublateis postibus ipseis. 370
Ollud in heis rebus nequaquam sumere possis,
Democriti quod sancta viri sententia ponit;
Corporis atque animi primordia singula, priveis
Apposita alterneis variare ac nectere membra.
Nam quom multo sunt animaï elementa minora,
Quam quibus et corpus nobis, et viscera constant; 376
Tum numero quoque concedunt, et rara per artus
Dissita sunt, dumtaxat ut hoc promittere possis,
Quantula prima queant, nobis injecta, ciere

Corpora sensiferos motus in corpore, tanta 380
Intervalla tenere exordia prima animaï.
Nam neque polveris interdum sentimus adhæsum
Corpore, nec membreis incussam sidere cretam,
Nec nebulam noctu, neque aranei tenuia fila
Obvia sentimus, quando obretimur eunteis, 385
Nec supera caput ejusdem cecidisse vietam
Vestem, nec plumas avium, papposque volanteis,
Quei nimia levitate cadunt plerumque gravatim:
Nec repentis itum quojusvisquomque animantis
Sentimus, nec priva pedum vestigia quæque,
Corpore quæ in nostro culices, et cætera, ponunt.
Usque adeo prius est in nobis multa ciendum,
Quam primordia sentiscant concussa animaï,
Semina, corporibus nostreis immixta per artus,
Et quam intervalleis tanteis tuditantia possint
Concursare, coïre, et dissultare vicissim. 396
Et magis est animus vitaï claustra coërcens,
Et dominantior ad vitam, quam vis animaï.
Nam sine mente animoque nequit residere per artus 399
Temporis exiguam partem pars ulla animaï:
Sed comes insequitur facul, et discedit in auras,
Et gelidos artus in leti frigore linquit.
At manet in vita, quoi mens animusque remansit,
Quamvis est circum cæseis lacer undique membreis: [remotus, 404
Troncus, ademta anima circum, membreisque
Vivit, et ætherias vitaleis suscipit auras;
Si non omnimodeis, at magna parte animaï
Privatus, tamen in vita conctatur et hæret.
Ut lacerato oculo circum, si pupula mansit
Incolomis, stat cernundi vivata potestas; 410
Dummodo ne totum corrumpas luminis orbem;
Sed circumcidas aciem, solamque relinquas.
Id quoque enim sine pernicie non fiet eorum:
At si tantula pars oculi media illa peresa est,
Occidit extemplo lumen, tenebræque sequuntur,
Incolomis quamvis alioqui splendidus orbis.
Hoc anima atque animus junctei sunt fœdere semper.
Nunc age, nativos animantibus et mortaleis
Esse animos animasque leveis ut noscere possis;
Conquisita diu, dulcique reperta labore 420
Digna tua pergam disponere carmina vita.
Tu face utrumque uno subjungas nomine eorum,
Atque animam, verbi caussa, quom dicere pergam, [credas:
Mortalem esse docens, animum quoque dicere
Quatenus est unum inter se, conjunctaque res est.
Principio, quoniam tenuem constare minuteis
Corporibus docui, multoque minoribus esse
Principieis factam, quam liquidus humor aquaï,
Aut nebula, aut fumus: nam longe mobilitate
Præstat, et a tenui caussa magis icta movetur;
Quippe ubi imaginibus fumi nebulæque moventur: [alta 431
Quod genus, in somneis sopitei ubi cernimus
Exhalare vapore altaria, ferreque fumum:
Nam procul hæc dubio nobis simulacra genuntur:
Nunc igitur, quoniam quassateis undique vaseis
Diffluere humorem, et laticem discedere cernis,
Et nebula ac fumus quoniam discedit in auras;
Crede animam quoque diffundi, multoque perire
Ocius, ac citius dissolvi in corpora prima,
Quom semel ex hominis membreis ablata recessit. 440
Quippe etenim corpus, quod vas quasi constitit ejus, [re,
Quam cohibere nequit, conquassatum ex aliqua
Ac rarefactum, detracto sanguine veneis,
Aëre quî credas posse hanc cohiberier ullo?
Corpore quî nostro rarus magis incohibessit?
Præterea, gigni pariter cum corpore, ut una
Crescere sentimus, pariterque senescere mentem.
Nam velut infirmo puerei teneroque vagantur
Corpore, sic animi sequitur sententia tenuis:
Inde, ubi robusteis adolevit viribus ætas, 450
Consilium quoque majus, et auctior est animi vis:
Post, ubi jam valideis quassatum est viribus ævi
Corpus, et obtuseis ceciderunt viribus artus,
Claudicat ingenium, delirat linguaque mensque:
Omnia deficiunt, atque uno tempore desunt. 455
Ergo dissolvi quoque convenit omnem animaï
Naturam, ceu fumus in altas aëris auras,
Quandoquidem gigni pariter, pariterque videmus
Crescere, et, ut docui, simul ævo fessa fatisci.
Huc accedit, utei videamus, corpus ut ipsum
Suscipere immaneis morbos, durumque laborem;
Sic animum curas acreis, luctumque, metumque.
Quare participem leti quoque convenit esse.
Quin etiam morbeis in corporis avius errat
Sæpe animus; dementit enim, deliraque fatur:
Interdumque gravi lethargo fertur in altum 466
Æternumque soporem, oculeis nutuque cadenti:
Unde neque exaudit voces, neque noscere voltus
Ollorum potis est, ad vitam quei revocanteis
Circumstant, lacrumeis roranteis ora genasque.
Quare animum quoque dissolvi fateare necesse est, 471
Quandoquidem penetrant in eum contagia morbi;
Nam dolor ac morbus leti fabricator uterque est,
Multorum exitio perdoctei quod sumus ante.
Denique, cor hominum quom vini vis penetravit 475
Acris, et in venas discessit diditus ardor,
Consequitur gravitas membrorum, præpediuntur
Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens,
Nant oculei; clamor, singultus, jurgia gliscunt;
Et jam cætera de genere hoc, quæquomque sequuntur: 480
Quur ea sunt, nisi quod vehemens violentia vini
Conturbare animam consuevit corpore in ipso?
At, quæquomque queunt conturbari, inque pediri,
Significant, paullo si durior insinuarit
Caussa, fore ut pereant, ævo privata futuro. 485
Quin etiam subito vi morbi sæpe coactus
Ante oculos aliquis nostros, ut fulminis ictu,
Concidit, et spumas agit; ingemit, et tremit artus;
Desipit, extentat nervos, torquetur, anhelat
Inconstanter, et in jactando membra fatigat: 490
Nimirum qua vis morbi distracta per artus
Turbat agens animam, spumanti ut in æquore salso
Ventorum valideis fervescunt viribus undæ.
Exprimitur porro gemitus, quia membra dolore
Afficiuntur, et omnino quod semina vocis 495
Eliciuntur, et ore foras glomerata feruntur,
Qua quasi consuerunt, et sunt munita viaï.
Desipientia fit, qua vis animi atque animaï
Conturbatur, et, ut docui, divisa seorsum
Disjectatur, eodem illo distracta veneno. 500
Inde, ubi jam morbi reflexit caussa, reditque
In latebras acer corrupti corporis humor;
Tum, quasi vacillans, primum consurgit, et omneis

Paullatim redit in sensus, animamque receptat.
Hæc igitur tanteis ubi morbeis corpore in ipso
Jactentur, misereisque modeis distracta laborent; 506
Quur eadem credis sine corpore, in aëre aperto,
Cum valideis venteis ætatem degere posse?
Et quoniam mentem sanari, corpus ut ægrum,
Cernimus, et flecti medicina posse videmus; 510
Id quoque præsagit, mortalem vivere mentem.
Addere enim parteis, aut ordine trajicere æquum est,
Aut aliquid prorsum de summa detrahere hilum,
Commutare animum quiquomque adoritur et infit;
Aut aliam quamvis naturam flectere quærit. 515
At neque transferri sibi parteis nec tribui volt,
Immortale quod est, quidquam, neque defluere hilum.
Nam quodquomque sueis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est ollius, quod fuit ante.
Ergo animus, sive ægrescit, mortalia signa
Mittit, ut edocui; seu flectitur a medicina; 521
Usque adeo falsæ rationi vera videtur
Res occurrere, et effugium præcludere eunti,
Ancipitique refutatu convincere falsum.
Denique sæpe hominem paullatim cernimus ire, 525
Et membratim vitalem deperdere sensum:
In pedibus primum digitos livescere et ungueis;
Inde pedes et crura mori; post inde per artus
Ire alios tractim gelidi vestigia leti.
Scinditur atque animo quoniam natura, nec uno
Tempore sincera exsistit, mortalis habenda est.
Quod si forte putas, ipsam se posse per artus
Introrsum trahere, et parteis conducere in unum,
Atque ideo cuncteis sensum deducere membreis;
At locus ille tamen, quo copia tanta animaï 535
Cogitur, in sensu debet majore videri.
Qui quoniam nusquam est, nimirum, ut diximus ante,
Dilaniata foras dispergitur; interit ergo.
Quin etiam, si jam libeat concedere falsum,
Et dare posse animam glomerari in corpore eorum, 540
Lumina quei linquunt moribundei particulatim;
Mortalem tamen esse animam fateare necesse est:
Nec refert, utrum pereat dispersa per auras,
An contracta sueis e partibus obbrutescat;
Quando hominem totum magis ac magis undique sensus 545
Deficit, et vitæ minus et minus undique restat.
Et quoniam mens est hominis pars una, locoque
Fixa manet certo, velut aureis atque oculei sunt,
Atque aliei sensus qui vitam quomque gubernant: [sum, 549
Et velutei manus, atque oculus, nareisve seor-
Secreta ab nobis, nequeunt sentire, neque esse;
Secta etenim parvo liquuntur tempore tabi:
Sic animus per se non quit sine corpore, et ipso
Esse homine, ollius quasi quod vas esse videtur,
Sive aliud quid vis potius connexius ei 555
Fingere, quandoquidem connexu corpus adhæret.
Denique corporis atque animi vivata potestas,
Inter se conjuncta, valent, vitaque fruuntur:
Nec sine corpore enim vitaleis edere motus
Sola potest animi per se natura, nec autem 560
Cassum anima corpus durare et sensibus uti:
Scilicet avolsus radicibus ut nequit ullam
Dispicere ipse oculus rem seorsum corpore toto:
Sic anima atque animus per se nil posse videtur:
Nimirum quia per venas et viscera mixtim, 565
Per nervos atque ossa, tenentur corpore ab omni:
Nec magneis intervalleis primordia possunt
Libera dissultare; ideo conclusa moventur
Sensiferos motus; quos extra corpus in auras
Aëris haud possunt post mortem ejecta movere:
Propterea quia non simili ratione tenentur. 571
Corpus enim atque animam serit aër, si cohibere
Sese anima, atque in eos poterit concludere motus,
Quos ante in nerveis et in ipso corpore agebat.
Quare etiam atque etiam, resoluto corporis omni
Tegmine, et ejecteis extra vitalibus aureis, 576
Dissolvi sensus animi fateare necesse est
Atque animam; quoniam conjuncta est caussa duobus. [animaï
Denique, quom corpus nequeat preferre
Discidium, quin in tetro tabescat odore; 580
Quid dubitas, quin ex imo penitusque coorta
Emanarit, utei fumus, diffusa animæ vis;
Atque ideo tanta mutatum putre ruina
Conciderit corpus penitus, quia mota loco sunt
Fundamenta, foras manant animæque per artus,
Perque viarum omneis flexus, in corpore quei sunt, 586
Atque foramina? multimodeis ut noscere possis
Dispertitum animæ naturam exîsse per artus;
Et prius esse sibi distractam corpore in ipso,
Quam prolapsa foras enaret in aëris auras? 590
Quin etiam, fineis dum vitæ vortitur intra,
Sæpe aliqua tamen e caussa labefacta videtur
Ire anima, ac toto solvi de corpore mentem;
Et quasi supremo languescere tempore voltus,
Molliaque exsangui cadere omnia corpore membra. 595
Quod genus est, animo male factum quom perhibetur, [omneis
Aut animam liquisse; ubi jam trepidatur, et
Extremum cupiunt vitæ reprehendere vinclum.
Conquassatur enim tum mens, animæque potestas
Omnis, et hæc ipso cum corpore collabefiunt:
Ut gravior paullo possit dissolvere caussa. 601
Quid dubitas, tandem quin extra prodita corpus
Imbecilla foras, in aperto, tegmine demto,
Non modo non omnem possit durare per ævom,
Sed minumum quodvis nequeat consistere tempus? [tur 605
Nec sibi enim quisquam moriens sentire vide-
Ire foras animam incolomem de corpore toto,
Nec prius ad jugulum et superas succedere fauceis,
Verum deficere in certa regione locatam,
Ut sensus alios in parti quemque sua scit 610
Dissolvi: quod si immortalis nostra foret mens,
Non jam se moriens dissolvi conquereretur,
Sed magis ire foras, vestemque relinquere, ut anguis,
Gauderet, prælonga senex aut cornua cervus.
Denique quur animi numquam mens consiliumque [uneis 615
Gignitur in capite, aut pedibus, manibusve, sed
Sedibus, ac certeis regionibus omnibus hæret;
Si non certa loca ad nascundum reddita quoique
Sunt, ut ubei quidquid possit durare creatum;
Atque ita multimodeis pro toteis artubus esse;
Membrorum ut nunquam exsistat præposterus ordo? [creari 621
Usque adeo sequitur res rem, neque flamma
Fluminibus solita est, neque in igni gignier algor.

Præterea, si immortalis natura animaï est,
Et sentire potest secreta a corpore nostro, 625
Quinque, ut opinor, eam faciundum est sensibus auctam:
Nec ratione alia nosmet proponere nobis
Possumus infernas animas Acherunte vagare.
Pictores itaque et scriptorum sæcla priora
Sic animas introduxerunt sensibus auctas. 630
At neque seorsum oculei, neque nareis, nec manus ipsa [aureis
Esse potest anima, neque seorsum lingua, neque
Auditum per se possunt sentire, neque esse.
Et quoniam toto sentimus corpore inesse
Vitalem sensum, et totum esse animale videmus;
Si subito medium celeri præciderit ictu 636
Vis aliqua, ut seorsum partem secernat utramque,
Dispertita procul dubio quoque vis animaï
Et discissa simul cum corpore disjicietur.
At quod scinditur, et parteis discedit in ullas,
Scilicet æternam sibi naturam abnuit esse. 641
Falciferos memorant currus abscidere membra
Sæpe ita de subito, permixta cæde calenteis,
Ut tremere in terra videatur ab artubus id, quod
Decidit abscisum; quom mens tamen atque hominis vis 645
Mobilitate mali non quit sentire dolorem.
Et simul in pugnæ studio quod dedita mens est,
Corpore cum reliquo pugnam cædeisque petessit;
Nec tenet, amissam lævam cum tegmine sæpe
Inter equos abstraxe rotas, falceisque rapaceis,
Nec cecidisse alius dextram, quom scandit et instat. 651
Inde alius conatur ademto surgere crure,
Quom digitos agitat propter moribundus humi pes:
Et caput, abscisum calido viventeque tronco,
Servat humi voltum vitalem, oculosque patenteis, 655
Donec reliquias animaï reddidit omneis.
Quin etiam tibi si, lingua vibrante, minanti
Serpentis cauda et procero corpore, utrumque
Sit lubitum in multas parteis discidere ferro;
Omnia jam seorsum cernes amcisa recenti 660
Volnere tortari, et terram conspergere tabo,
Ipsam seque retro partem petere ore priorem,
Volneris ardenti, ut morsu premat, icta dolore.
Omnibus esse igitur totas dicemus in olleis
Particuleis animas? at ea ratione sequetur 665
Unam animantem animas habuisse in corpore multas.
Ergo divisa est ea, quæ fuit una simul cum
Corpore: quapropter mortale utrumque putandum est;
In multas quoniam parteis disciditur æque.
Præterea, si immortalis natura animaï 670
Constat, et in corpus nascentibus insinuatur;
Quur super anteactam ætatem meminisse nequimus,
Nec vestigia gestarum rerum ulla tenemus?
Nam si tantopere est animi mutata potestas,
Omnis ut actarum exciderit retinentia rerum; 675
Non, ut opinor, id ab leto jam longiter errat.
Quapropter fateare necesse est, quæ fuit ante,
Interiisse, et quæ nunc est, nunc esse creatam.
Præterea, si, jam perfecto corpore, nobis
Inferri solita est animi vivata potestas, 680
Tum quom gignimur, et vitæ quom limen inimus;
Haud ita conveniebat, utei cum corpora, et una
Cum membreis, videatur in ipso sanguine crêsse;
Sed velut in cavea per se sibi vivere solam
Convenit, ut sensu corpus tamen affluat omne.
Quare etiam atque etiam neque originis esse putandum est 686
Experteis animas, nec leti lege solutas.
Nam neque tantopere annecti potuisse putandum est
Corporibus nostreis, extrinsecus insinuatas;
(Quod fieri totum contra manifesta docet res: 690
Namque ita connexa est per venas, viscera, nervos,
Ossaque, utei dentes quoque sensu participentur;
Morbus ut indicat, et gelidaï stringor aquaï,
Et lapis oppressus subiteis e frugibus asper;)
Nec, tam contextæ quom sint, exire videntur 695
Incolomes posse, et salvas exsolvere sese
Omnibus e nerveis, atque ossibus articuleisque.
Quod si forte putas extrinsecus insinuatam
Permanare animam nobis per membra solere,
Tanto quoique magis cum corpore fusa peribit.
Quod permanat enim, dissolvitur: interit ergo.
Dispertita ergo per caulas corporis omneis, 702
(Ut cibus in membra atque artus quom diditur omneis,
Disperit, atque aliam naturam sufficit ex se)
Sic anima atque animus, quamvis integra recens in 705
Corpus eunt, tamen in manando dissolvuntur,
Dum quasi per caulas omneis diduntur in artus
Particulæ, quibus hæc animi natura creatur:
Quæ nunc in nostro dominatur corpore, nata
Ex olla, quæ tunc peritat, partita per artus. 710
Quapropter neque natali privata videtur
Esse die natura animæ, nec funeris expers.
Semina præterea linquuntur, necne, animaï
Corpore in exanimo? quod si linquuntur, et insunt,
Haud erit ut merito immortalis possit haberi;
Partibus amisseis quoniam libata recessit. 716
Sin ita, sincereis membreis ablata, profugit,
Ut nullas parteis in corpore liquerit ex se;
Unde cadavera rancenti jam viscere vermeis
Exspirant? atque unde animantum copia tanta,
Exos et exsanguis, tumidos perfluctuat artus?
Quod si forte animas extrinsecus insinuari
Vermibus, et priva si in corpora posse venire
Credis; nec reputas, quur millia multa animarum
Conveniant, unde una recesserit: hoc tamen est, ut 725
Quærundum videatur, et in discrimen agundum:
Utrum tandem animæ venentur semina quæque
Vermiculorum, ipsæque sibi fabricentur, ubei sint;
An jam corporibus perfecteis insinuentur.
At neque quur faciant ipsæ, quareve laborent,
Dicere suppeditat; neque enim, sine corpore quom sunt, 731
Solicitæ volitant morbeis, alguque, fameque.
Corpus enim magis heis vitieis, et fine, laborat;
Et mala cuncta animus contagi fungitur ejus.
Sed tamen heis esto quamvis facere utile corpus,
Quod subeant; at, qua possint, via nulla videtur.
Haud igitur faciunt animæ sibi corpora et artus.
Nec tamen est, quî cum perfecteis insinuentur
Corporibus: neque enim poterunt subtiliter esse
Connexæ, neque consensu contagia fient. 740
Denique, quur acris violentia triste leonum
Seminium sequitur, volpeis dolus; et fuga cerveis
A patribus datur, et patrius pavor incitat artus;
Et jam cætera de genere hoc quur omnia membreis

Ex ineunte ævo generascunt, ingenioque; 745
Si non, certa suo quia semine seminioque
Vis animi pariter crescit cum corpore quoque?
Quod si immortalis foret, et mutare soleret
Corpora, permixteis animanteis moribus essent:
Effugeret canis Hyrcano de semine sæpe 750
Cornigeri incursum cervi, tremeretque per auras
Aëris accipiter fugiens veniente columba,
Desiperent homines, saperent fera sæcla ferarum.
Ollud enim falsa fertur ratione, quod aiunt,
Immortalem animam mutato corpore flecti: 755
Quod mutatur enim, dissolvitur; interit ergo.
Trajiciuntur enim parteis, atque ordine migrant;
Quare dissolvi quoque debent posse per artus,
Denique ut intereant una cum corpore cunctæ.
Sin animas hominum dicent in corpora semper
Ire humana; tamen quæram, quur e sapienti 761
Stulta queat fieri, nec prudens sit puer ullus,
Nec tam doctus equæ pullus, quam fortis equi vis:
Si non, certa suo quia semine seminioque
Vis animi pariter crescit cum corpore quoque?
Scilicet in tenero tenerascere corpore mentem
Confugient; quod si jam fit, fateare necesse est
Mortalem esse animam, quoniam, mutata per artus
Tantopere, amittit vitam sensumque priorem.
Quove modo poterit pariter cum corpore quoque 770
Confirmata cupitum ætatis tangere florem
Vis animi, nisi erit consors in origine prima?
Quidve foras sibi volt membreis exire senectis?
An metuit conclusa manere in corpore putri?
An, domus ætatis spatio ne fessa vetusto 775
Obruat? at non sunt jam immortali ulla pericla.
Denique connubia ad Veneris, partusque ferarum,
Esse animas præsto, deridiculum esse videtur;
Exspectare immortaleis mortalia membra
Innumero numero, certareque præproperanter
Inter se, quæ prima potissimaque insinuetur 781
Si non forte ita sunt animarum fœdera pacta,
Ut, quæ prima volans advenerit, insinuetur
Prima, neque inter se contendant viribus hilum.
Denique in æthere non arbor, non æquore in alto 785
Nubeis esse queunt, nec pisceis vivere in arveis,
Nec cruor in ligneis, nec saxeis sucus inesse:
Certum ac dispositum est, ubi quidquid crescat et insit.
Sic animi natura nequit sine corpore oriri 789
Sola, neque a nerveis et sanguine longius esse.
Quod si posset enim, multo prius ipsa animi vis
In capite, aut humereis, aut imeis calcibus esse
Posset, et innasci quavis in parte soleret,
Quamde in eodem homine atque in eodem vase manere. [certum, 794
Quod quoniam nostro quoque constat corpore
Dispositumque videtur, ubi esse et crescere possit [ficiandum,
Seorsum anima atque animus: tanto magis in-
Totum posse extra corpus durare genique.
Quare corpus ubi interiit, periisse necesse est
Confiteare animam distractam in corpore toto.
Quippe etenim mortalem æterno jungere, et una 801
Consentire putare, et fungi mutua posse,
Desipere est: quid enim divorsius esse putandum est,
Aut magis inter se disjunctum discrepitansque,
Quam mortale quod est, immortali atque perenni
Junctum in concilio sævas tolerare procellas?
Præterea, quæquomque manent æterna, necesse est 807
Aut, quia sunt solido cum corpore, respuere ictus,
Nec penetrare pati sibi quidquam quod queat artas
Dissociare intus parteis; ut materiaï 810
Corpora sunt, quorum naturam ostendimus ante:
Aut ideo durare ætatem posse per omnem,
Plagarum quia sunt expertia, sicut inane est,
Quod manet intactum, neque ab ictu frangitur hilum:
Aut etiam quia nulla loci sit copia circum, 815
Quo quasi res possint discedere dissolvique:
Sicuti summarum summa est æterna, neque extra
Quis locus est, quo diffugiant, neque corpora sunt, quæ
Possint incidere, et valida dissolvere plaga: 819
At neque, utei docui, solido cum corpore mentis
Natura est, quoniam admixtum est in rebus inane:
Nec tamen est ut inane; neque autem corpora desunt,
Ex infinito quæ possint forte coorta
Proruere hanc mentis violento turbine molem,
Aut aliam quamvis cladem importare pericli: 825
Nec porro natura loci, spatiumque profundi
Deficit, exspergi quo possit vis animaï,
Aut alia quamvis possit vi pulsa perire.
Haud igitur leti præclusa est janua menti.
Quod si forte ideo magis immortalis habenda est, 830
Quod vitalibus ab rebus munita tenetur;
Aut quia non veniunt omnino aliena salutis,
Aut quia, quæ veniunt, aliqua ratione recedunt
Pulsa prius, quam quid noceant sentire queamus:
Scilicet a vera longe ratione remotum est. 835
Præter enim, quam quod morbeis tum corporis ægrit,
Advenit id, quod eam de rebus sæpe futureis
Macerat, inque metu male habet, cureisque fatigat, [dent.
Præteriteisque male admisseis peccata remor-
Adde furorem animi proprium, atque oblivia rerum; 840
Adde, quod in nigras lethargi mergitur undas.
Nil igitur mors est, ad nos neque pertinet hilum,
Quandoquidem natura animi mortalis habetur.
Et velut anteacto nil tempore sensimus ægri,
Ad confligundum venientibus undique Pœnis,
Omnia quom belli trepido concussa tumultu 846
Horrida contremuere sub alteis ætheris aureis,
In dubioque fuere utrorum ad regna cadundum
Omnibus humaneis esset terraque marique:
Sic ubi non erimus, quom corporis atque animaï
Discidium fuerit, quibus e sumus uniter aptei,
Scilicet haud nobis quidquam, quei non erimus tum, 852
Accidere omnino poterit, sensumque movere;
Non si terra mari miscebitur, et mare cœlo.
Et si jam nostro sentit de corpore, postquam
Detracta est animi natura, animæque potestas;
Nil tamen est ad nos, quei comtu conjugioque
Corporis atque animæ consistimus uniter aptei.
Nec, si materiam nostram collegerit ætas
Post obitum, rursumque redegerit, ut sita nunc est, 860
Atque iterum nobis fuerint data lumina vitæ,
Pertineat quidquam tamen ad nos id quoque factum,

Interrupta semel quom sit repetentia nostreis;
Et nunc nil ad nos de nobis attinet, ante
Quei fuimus: nec jam de olleis nos afficit angor,
Quos de materia nostra nova proferat ætas. 866
Nam quum respicias immensi temporis omne
Præteritum spatium; tum motus materiaï
Multimodei quam sint; facile hoc accredere possis,
Semina sæpe in eodem, ut nunc sunt, ordine posta: [mente; 870
Nec memori tamen id quimus reprehendere
Inter enim jecta est vitaï pausa, vageque
Deerrârunt passim motus ab sensibus omneis.
Debet enim, misere est quoi forte ægreque futurum,
Ipse quoque esse in eo tum tempore, quoi male possit [prohibet 875
Accidere: id quoniam mors eximit, esseque
Ollum, quoi possint incommoda conciliari
Hæc eadem, quibus e nunc nos sumus, ante fuisse;
Scire licet nobis nihil esse in morte timendum:
Nec miserum fieri, qui non est, posse; neque hilum 880
Differre, nullo fuerit jam tempore natus;
Mortalem vitam mors quom immortalis ademit.
Proinde, ubi se videas hominem indignarier ipsum,
Post mortem fore, ut aut putrescat corpore posto,
Aut flammeis interfiat, maleisve ferarum; 885
Scire licet, non sincerum sonere, atque subesse
Cæcum aliquem cordi stimulum; quamvis neget ipse [turum.
Credere se quemquam sibi sensum in morte fu-
Non, ut opinor, enim dat quod promittit et unde,
Nec radicitus e vita se tollit et eicit, 890
Sed facit esse sui quiddam super inscius ipse.
Vivus enim sibi quom proponit quisque, futurum
Corpus utei volucreis lacerent in morte feræque,
Ipse sui miseret: neque enim se dividit hilum,
Nec removet satis a projecto corpore; et ollud
Se fingit, sensuque suo contaminat astans. 896
Heinc indignatur se mortalem esse creatum;
Nec videt, in vera nullum fore morte alium se,
Qui possit vivus sibi se lugere peremtum,
Stansque jacentem se lacerari urive dolere. 900
Nam si in morte malum est maleis morsuque ferarum
Tractari, non invenio quî non sit acerbum,
Ignibus impositum, calideis torrescere flammeis,
Aut in melle situm suffocari, atque rigere
Frigore, quom summo gelidi cubat æquore saxi,
Urgerive superne obtritum pondere terræ. 906
"Nam jam non domus accipiet te læta, neque uxor
"Optuma, nec dulceis occurrent oscula natei
"Præripere, et tacita pectus dulcedine tangent.
"Non poteris facteis florentibus esse, tueisque
"Præsidium: misero misere," aiunt, "omnia ademit 911
"Una dies infesta tibei tot præmia vitæ."
Ollud in heis rebus non addunt: "nec tibi earum
"Jam desiderium rerum insidet insuper una."
Quod bene si videant animo, dicteisque sequantur, 915
Dissolvant animi magno se angore metuque.
Tu quidem, ut es loco sopitus, sic eris, ævi
Quod superest, cuncteis privatu' doloribus ægreis:
At nos horrifico cinefactum de prope busto
Insatiabiliter deflebimus, æternumque 920
Nulla dies nobis mœrorem e pectore demet.
Ollud ab hoc igitur quærundum est, quid sit amari
Tantopere, ad somnum si res redit atque quietem,
Quur quisquam æterno possit tabescere luctu.
Hoc etiam faciunt, ubi discubuere, tenentque
Pocula sæpe homines, et inumbrant ora coroneis,
Ex animo ut dicant: "brevis hicc' est fructus "homulleis: ["cebit!" 927
"Jam fuerit; neque post umquam revocare li-
Tamquam in morte mali cum primeis hoc sit eorum,
Quod sitis exurat miseros atque arida torreat, 930
Aut aliæ quojus desiderium insideat rei.
Nec sibi enim quisquam tum se vitamque requiret,
Quom pariter mens et corpus sopita quiescunt;
Nam licet æternum per nos sic esse soporem:
Nec desiderium nostri nos attigit ullum: 935
Et tamen haudquaquam nostros tunc olla per artus
Longe ab sensifereis primordia motibus errant,
Quin correptus homo ex somno se colligit ipse.
Multo igitur mortem minus ad nos esse putandum est: [demus. 939
Si minus esse potest, quam quod nihil esse vi-
Major enim turbæ disjectus materiaï
Consequitur leto; nec quisquam expergitus exstat,
Frigida quem semel est vitaï pausa sequuta.
Denique, si vocem rerum natura repente
Mittat, et hoc aliquoi nostrûm sic increpet ipsa:
"Quid tibi tantopere est, mortalis, quod nimis "ægreis [ac fles? 946
"Luctibus indulges? quid mortem congemis,
"Nam gratum fuerit tibi vita anteacta priorque,
"Et non omnia, pertusum congesta quasi in vas,
"Commoda perfluxere, atque ingrata interiere;
"Quur non, ut plenus vitæ conviva, recedis, 951
"Æquo animoque capis securam, stulte, quietem? [fusa,
"Sin ea, quæ fructus quomque es, periere pro-
"Vitaque in offenso est; quur amplius addere quæris, [dat omne? 954
"Rursum quod pereat male, et ingratum occi-
"Non potius vitæ finem jacis atque laboris?
"Nam tibi præterea quod machiner inveniamque, [semper.
"Quod placeat, nihil est: eadem sunt omnia
"Si tibi non anneis corpus jam marcet, et artus
"Confectei languent; eadem tamen omnia restant, 960
"Omnia si pergas vivendo vincere sæcla;
"Atque etiam potius, si numquam sis moriturus."
Quid respondemus, nisi justam intendere litem
Naturam, et veram verbeis exponere caussam?
At qui obitum lamentetur miser amplius æquo,
Non merito inclamet magis, et voce increpet acri? [querelas." 966
"Aufer abheinc lacrumas, barathre, et compesce
Grandior hic vero si jam seniorque queratur:
"Omnia perfunctus vitaï præmia, marces;
"Sed quia semper aves quod abest, præsentia temnis, 970
"Imperfecta tibi elapsa est ingrataque vita,
"Et necopinanti mors ad caput astitit ante,
"Quam satur ac plenus possis discedere rerum.
"Nunc aliena tua tamen ætate omnia mitte,
"Æquo animoque, agedum, magneis concede; necesse est:" 975

Jure, ut opinor, agat, jure increpet inciletque.
Cedit enim rerum novitate extrusa vetustas
Semper, et ex alieis aliud reparare necesse est;
Nec quisquam in barathrum, nec Tartara deditur atra.
Materies opus est, ut crescant postera sæcla: 980
Quæ tamen omnia te, vita perfuncta, sequentur:
Nec minus ergo ante hæc, quam tu, cecidere, cadentque.
Sic alid ex alio numquam desistet oriri;
Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.
Respice item, quam nil ad nos anteacta vetustas 985
Temporis æterni fuerit, quam nascimur, ante.
Hoc igitur speculum nobis natura futuri
Temporis exponit post mortem denique nostram.
Numquid ibi horribile apparet? num triste videtur
Quidquam? non omni somno securius exstat?
Atque animarum etiam, quæquomque Acherunte profundo 991
Prodita sunt esse, in vita sunt omnia nobis:
Nec miser impendens magnum timet aëre saxum
Tantalus, ut fama est, cassa formidine torpens;
Sed magis in vita divôm metus urguet inanis 995
Mortaleis, casumque timent, quem quoique ferat fors. [centem;
Nec Tityon volucreis ineunt Acherunte ja-
Nec, quod sub magno scrutentur pectore, quidquam
Perpetuam ætatem poterunt reperire profecto,
Quamlibet immani projectu corporis exstet, 1000
Qui non sola novem disperseis jugera membreis
Obtineat, sed qui terraï totius orbem:
Non tamen æternum poterit perferre dolorem,
Nec præbere cibum proprio de corpore semper:
Sed Tityos nobis hic est, in amore jacentem
Quem volucreis lacerant, atque exest anxius angor, 1006
Aut alia quavis scindunt turpedine curæ.
Sisyphus in vita quoque nobis ante oculos est,
Qui petere a populo fasceis sævasque secureis
Imbibit, et semper victus tristisque recedit. 1010
Nam petere imperium, quod inane est, nec datur umquam,
Atque in eo semper durum sufferre laborem;
Hoc est, advorso nixantem trudere monte
Saxum, quod tamen a sumno jam vortice rursum
Volvitur, et plani raptim petit æquora campi.
Deinde animi ingratam naturam pascere semper, [quam; 1016
Atque explere boneis rebus satiareque num-
Quod faciunt nobis annorum tempora, circum
Quom redeunt, fetusque ferunt variosque lepores:
Nec tamen explemur vitaï fructibus umquam:
Hoc, ut opinor, id est, ævo florente puellas
Quod memorant laticem pertusum congerere in vas, 1022
Quod tamen expleri nulla ratione potestur.
Cerberus et Furiæ jam vero, et lucis egestas
Tartarus, horriferos eructans faucibus æstus;
Quei neque sunt usquam, nec possunt esse profecto: 1026
Sed metus in vita pœnarum pro male facteis
Est insignibus insignis; scelerisque luela
Carcer, et horribilis de saxo jactus eorum, 1029
Verbera, carnufices, robur, pix, lamina, tedæ:
Quæ tamen etsi absunt, at mens sibi conscia facteis
Præmetuens adhibet stimulos, torretque flagelleis;
Nec videt interea qui terminus esse malorum
Possit, quive siet pœnarum denique finis;
Atque eadem metuit magis hæc ne in morte gravescant: 1035
Heinc Acherusia fit stultorum denique vita.
Hoc etiam tibi tute interdum dicere possis:
"Lumina suis oculeis etiam bonus Ancu' reliquit;"
Qui melior multeis quam tu fuit, improbe, rebus.
Inde aliei multei reges rerumque potentes 1040
Occiderunt, magneis quei gentibus imperitarunt.
Ille quoque ipse, viam qui quondam per mare magnum
Stravit, iterque dedit legionibus ire per altum,
Ac pedibus salsas docuit superare lacunas, 1044
Et contemsit equeis insultans murmura ponti,
Lumine adempto, animam moribundo corpore fudit.
Scipiades, belli fulmen, Carthaginis horror,
Ossa dedit terræ, proinde ac famul infimus esset.
Adde repertores doctrinarum atque leporum;
Adde Heliconiadum comites; quorum unus Homerus 1050
Sceptra potitus, eadem alieis sopitu' quiete est.
Denique Democritum postquam matura vetustas
Admonuit memores motus languescere mentis,
Sponte sua leto caput obvius obtulit ipse.
Ipse Epicurus obit, decurso lumine vitæ, 1055
Qui genus humanum ingenio superavit, et omneis
Restinxit, stellas exortus uti aërius sol.
Tu vero dubitabis, et indignabere obire,
Mortua quoi vita est prope jam vivo atque videnti?
Qui somno partem majorem conteris ævi, 1060
Et vigilans stertis, nec somnia cernere cessas,
Solicitamque geris cassa formidine mentem;
Nec reperire potes, quid sit tibi sæpe mali, quom
Ebrius urgueris multeis miser undique cureis,
Atque animo incerto fluitans, errore vagaris?
Si possent homines, proinde ac sentire videntur
Pondus inesse animo, quod se gravitate fatiget,
E quibus id fiat causseis quoque noscere, et unde
Tanta mali tamquam moles in pectore constet;
Haud ita vitam agerent, ut nunc plerumque videmus, [semper 1070
Quid sibi quisque velit, nescire, et quærere
Commutare locum, quasi onus deponere possit.
Exit sæpe foras magneis ex ædibus ille,
Esse domi quem pertæsum est, subitoque reventat, 1074
Quippe foreis nihilo melius qui sentiat esse:
Currit, agens mannos, ad villam præcipitanter,
Auxilium tecteis quasi ferre ardentibus instans:
Oscitat extemplo, tetigit quom limina villæ,
Aut abit in somnum gravis, atque oblivia quærit;
Aut etiam properans urbem petit, atque revisit.
Hoc se quisque modo fugit: at quem scilicet, ut fit, 1081
Effugere haud potis est, ingratîs hæret, et odit;
Propterea, morbi quia caussam non tenet æger:
Quam bene si videat, jam rebus quisque relicteis
Naturam primum studeat cognoscere rerum;
Temporis æterni quoniam, non unius horæ,
Ambigitur status, in quo sit mortalibus omnis
Ætas post mortem, quæ restat quomque, manendo.
Denique tantopere in dubieis trepidare pericleis

Quæ mala nos subigit vitaï tanta cupido? 1090
Certa quidem finis vitæ mortalibus astat,
Nec devitari letum pote, quin obeamus. [usque,
Præterea vorsamur ibeidem atque insumus
Nec nova vivendo procuditur ulla voluptas:
Sed dum abest quod avemus, id exsuperare videtur 1095
Cætera; post aliud, quom contigit ollud, avemus;
Et sitis æqua tenet vitaï semper hianteis: [ætas,
Posteraque in dubio est fortunam quam vehat
Quidve ferat nobis casus, quive exitus instet.
Nec prorsum vitam ducundo demimus hilum
Tempore de mortis; nec delibrare valemus, 1101
Quo minus esse diu possimus morte peremtei.
Proinde, licet quot vis vivendo condere sæcla,
Mors æterna tamen nihilo minus olla manebit:
Nec minus ille diu jam non erit, ex hodierno
Lumine qui finem vitaï fecit, et ille 1106
Mensibus atque anneis qui multeis occidit ante.

LIBER QUARTUS.

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo: juvat integros accedere fonteis,
Atque haurire; juvatque novos decerpere flores,
Insignemque meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Musæ. 5
Primum, quod magneis doceo de rebus, et arteis
Religionum animos nodeis exsolvere pergo;
Deinde, quod obscura de re tam lucida pango
Carmina, Musæo contingens cuncta lepore:
Id quoque enim non ab nulla ratione videtur. 10
Nam velutei puereis absinthia tetra medenteis
Quom dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus; interea perpotet amarum 15
Absinthî laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius tali attactu recreata valescat: [tur
Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerumque vide-
Tristior esse, quibus non est tractata, retroque
Volgus abhorret ab hac, volui tibi suaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere nostram, 21
Et quasi Musæo dulci contingere melle;
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Versibus in nostreis possem, dum percipis omnem
Naturam rerum, ac persentis utilitatem. 25
Sed quoniam docui cunctarum exordia rerum
Qualia sint, et quam varieis distantia formeis
Sponte sua volitent, æterno percita motu;
Quoque modo possint res ex heis quæque creari:
Atque animi quoniam docui natura quid esset, 30
Et quibus e rebus cum corpore comta vigeret,
Quove modo distracta rediret in ordia prima:
Nunc agere incipiam tibi, quod vehementer ad has res
Attinet, esse ea, quæ rerum simulacra vocamus;
Quæ, quasi membranæ summo de corpore rerum
Dereptæ, volitant ultro citroque per auras: 36
Atque eadem nobis vigilantibus obvia mentes
Terrificant, atque in somneis, quom sæpe figuras
Contuimur miras, simulacraque luce carentum,
Quæ nos horrifice languenteis sæpe sopore 40
Excierunt: ne forte animas Acherunte reamur
Effugere, aut umbras inter vivos volitare;
Neve aliquid nostri post mortem posse relinqui,
Quom corpus simul atque animi natura, peremta,
In sua discessum dederunt primordia quæque. 45
Dico igitur rerum effigias tenueisque figuras
Mittier ab rebus, summo de corpore, eorum [est,
Quæ quasi membranæ, vel cortex nominitanda
Quod speciem ac formam similem gerit ejus imago,
Quojusquomque cluet de corpore fusa vagari. 50
Id licet heinc quamvis hebeti cognoscere corde:
Principio, quoniam mittunt in rebus aperteis
Corpora res multæ, partim diffusa solutæ,
Robora ceu fumum mittunt, igneisque vaporem;
Et partim contexta magis condensaque, ut olim
Quom teretes ponunt tunicas æstate cicadæ, 56
Et vitulei quom membranas de corpore summo
Nascenteis mittunt; et item quom lubrica serpens
Exuit in spinis vestem; nam sæpe videmus
Ollorum spolieis vepreis volitantibus auctas. 60
Quæ quoniam fiunt, tenuis quoque debet imago
Ab rebus mitti, summo de corpore rerum.
Nam quur illa cadant magis, ab rebusque recedant [testas;
Quam quæ tenuia sunt, hiscundi est nulla po-
Præsertim, quom sint in summeis corpora rebus
Multa minuta, jaci quæ possint ordine eorum, 66
Quo fuerint, et formaï servare figuram;
Et multo citius, quanto minus indupediri
Pauca queunt, et sunt in prima fronte locata.
Nam certe jacere ac perciri multa videmus; 70
Non solum ex alto penitusque, ut diximus ante,
Verum de summeis ipsum quoque sæpe colorem
Et volgo faciunt id lutea, russaque vela,
Et ferrugina, quom magneis intenta theatreis
Per malos volgata trabeisque trementia fluctant:
Namque ibi consessum caveaï subter, et omnem
Scenalem speciem patrum, matrumque, deorumque
Inficiunt, coguntque suo fluitare colore:
Et, quanto circum mage sunt inclusa theatri
Moenia, tam magis hæc intus, perfusa lepore, 80
Omnia corrident correpta luce diei.
Ergo lintea de summo quom corpore fucum
Mittunt, effigias quoque debent mittere tenueis
Res quæque; ex summo quoniam jaculantur utræque.
Sunt igitur jam formarum vestigia certa, 85
Quæ volgo volitant, subtili prædita filo,
Nec singillatim possunt secreta videri. [res
Præterea, omnis odos, fumus, vapor, atque aliæ
Consimileis ideo diffusæ rebus abundant,
Ex alto quia, dum veniunt extrinsecus, ortæ 90
Scinduntur per iter flexum, nec recta viarum
Ostia sunt, qua contendant exire coortæ.
At contra tenuis summi membrana coloris
Quom jacitur, nihil est quod eam discerpere possit,
In promtu quoniam est in prima fronte locata. 95
Postremo, speculeis, in aqua, splendoreque in omni [est,
Quæquomque apparent nobis simulacra, necesse
Quandoquidem simili specie sunt prædita rerum,
Esse in imaginibus misseis consistere eorum. 99
Nam quur illa cadant magis, ab rebusque recedant
Corpora, res multæ quæ mittunt corpore aperto,

Quam quæ tenuia sunt, hiscundi est nulla potestas.
Sunt igitur tenueis formarum dissimileisque
Effigies, singillatim quas cernere nemo 104
Quom possit, tamen, assiduo crebroque repulsu
Rejectæ, reddunt speculorum ex æquore visum:
Nec ratione alia servari posse videntur
Tantopere, ut simileis reddantur quoique figuræ.
Nunc age, quam tenui natura constet imago,
Percipe; et in primeis, quoniam primordia tantum 110
Sunt infra nostros sensus, tantoque minora,
Quam quæ primum oculei cœptant non posse tueri. [rerum
Nunc tamen, id quoque utei conformem, exordia
Cunctarum quam sint subtilia, percipe pauceis.
Primum, animalia sunt jam partim tantula, ut horum 115
Tertia pars nulla possit ratione videri. [est?
Horum intestinum quodvis quale esse putandum
Quid cordis globus, aut oculei? quid membra? quid artus? [que,
Quantula sunt? quid præterea, primordia quæ-
Unde anima atque animi constet natura necessum est, 120
Nonne vides quam sint subtilia, quamque minuta?
Præterea, quæquomque suo de corpore odorem
Exspirant acrem, panaces, absinthia tetra,
Abrotoneique graveis, et tristia centaurea:
Quorum unumquidvis leviter si forte ciebis, 125
Quin potius noscas rerum simulacra vagare
Multa modeis multeis, nulla vi, cassaque sensu:
[Quorum quantula pars sit imago, dicere nemo est
Qui possit, neque eam rationem reddere dicteis.]
Sed ne forte putes ea demum sola vagari, 130
Quæquomque ab rebus rerum simulacra recedunt;
Sunt etiam, quæ sponte sua gignuntur, et ipsa
Constituuntur in hoc cœlo, qui dicitur aër;
Quæ multeis formata modeis sublime feruntur,
Nec speciem mutare suam liquentia cessant, 135
Et quojusque modi formarum vortere in oras.
Ut nubes facere interdum, quom crescere in altum
Cernimus, et mondi speciem violare serenam,
Aëra mulceuteis motu: nam sæpe gigantum
Ora volare videntur, et umbram ducere late;
Interdum magnei montes, avolsaque saxa 141
Montibus anteire, et solem succedere propter:
Inde alios trahere atque inducere bellua nimbos.
Nunc, ea quam facili et celeri ratione gerantur,
Perpetuoque fluant ab rebus, lapsaque cedant.
Semper enim summum quidquid de rebus abundat, [in res,
Quod jaculentur; et hoc, alias quom pervenit
Transit, ut in primeis vestem: sed ubi aspera saxa
Aut in materiam ligni pervenit, ibei jam 149
Scinditur, ut nullum simulacrum reddere possit.
At quom splendida quæ constant opposta fuerunt
Densaque, ut in primeis speculum est, nihil accidit horum, [ante
Nam neque, utei vestem, possunt transire, neque
Scindi, quam meminit levor præstare salutem.
Quapropter fit, ut heinc nobis simulacra redundent: 155
Et quamvis subito, quovis in tempore, quamque
Rem contra speculum ponas, apparet imago:
Perpetuo fluere ut noscas e corpore summo
Texturas rerum tenueis, tenueisque figuras.
Ergo multa brevi spatio simulacra geruntur, 160
Ut merito celer heis rebus dicatur origo.
Et quasi multa brevi spatio summittere debet
Lumina sol, ut perpetuo sint omnia plena:
Sic a rebus item simili ratione necesse est 164
Temporis in puncto rerum simulacra ferantur
Multa modeis multeis in cunctas undique parteis:
Quandoquidem, speculum quoquomque obvertimus oreis,
Res ibi respondent simili forma atque colore.
Præterea, modo quom fuerit liquidissima cœli
Tempestas, perquam subito fit turbida fede 170
Undique, utei tenebras omneis Acherunta rearis
Liquisse, et magnas cœli complêsse cavernas.
Usque adeo tetra nimborum nocte coorta
Impendent atræ Formidinis ora superne. 174
Quorum quantula pars sit imago, dicere nemo est
Qui possit, neque eam rationem reddere dicteis.
Nunc age, quam celeri motu simulacra ferantur,
Et quæ mobilitas olleis tranantibus auras
Reddita sit, longo spatio ut brevis hora teratur,
In quem quæque locum divorso numine tendit,
Suavidiceis potius, quam multeis versibus edam:
Parvus ut est cycni melior canor, ille gruum quam
Clamor in aetherieis dispersus nubibus austri.
Principio, persæpe leveis res, atque minuteis
Corporibus stanteis, celereis licet esse videre.
In quo jam genere est solis lux, et vapor ejus;
Propterea quia sunt e primeis facta minuteis,
Quæ quasi cuduntur, perque aëris intervallum
Non dubitant transire, sequenti concita plaga;
Suppeditatur enim confestim lumine lumen, 190
Et quasi protelo stimulatur fulgure fulgur.
Quapropter simulacra pari ratione necesse est
Immemorabile per spatium transcurrere posse
Temporis in puncto: primum, quod parvola caussa [lat:
Est procul a tergo, quæ provehat atque propel-
Deinde, quod usque adeo textura prædita rara
Mittuntur, facile ut quasvis penetrare queant res,
Et quasi permanare per aëris intervallum.
Præterea, si, quæ penitus corpuscula rerum
Ex altoque foras mittuntur, solis utei lux 200
Ac vapor, hæc puncto cernuntur lapsa diei
Per totum cœli spatium diffundere sese,
Perque volare mare ac terras, cœlumque rigare
Quod super est; ubi tam volucri levitate feruntur:
Quid? quæ sunt igitur jam prima fronte, parata
Quom jaciuntur, et emissum res nulla moratur,
Quone vides citius debere et longius ire;
Multiplexque loci spatium transcurrere eodem
Tempore, quo solis pervolgant lumina cœlum?
Hoc etiam in primeis specimen verum esse videtur, 210
Quam celeri motu rerum simulacra ferantur:
Quod, simul ac primum sub diu splendor aquai
Ponitur, extemplo, cœlo stellante sereno,
Sidera respondent in aqua radiantia mondi.
Jamne vides igitur, quam puncto tempore imago
Ætheris ex oreis in terrarum occidat oras? 216
Quare etiam atque etiam mira fateare necesse est
Corpora, quæ feriant oculos, visumque lacessant,
Perpetuoque fluant certeis ab rebus obortu;
Frigus ut a fluvieis, calor ab sole, æstus ab undeis
Æquoris, exesor mœrorum litora circum: 221
Nec variæ cessant voces volitare per auras:
Denique in os salsi venit humor sæpe saporis,
Quom mare vorsamur propter; dilutaque contra
Quom tuimur misceri absinthia, tangit amaror.

Usque adeo omnibus ab rebus res quæque fluenter
Fertur, et in cunctas dimittitur undique parteis,
Nec mora nec requies inter datur ulla fluundi:
Perpetuo quoniam sentimus, et omnia semper
Cernere, odorari licet, et sentire sonare. 230
Præterea, quoniam manibus tractata figura
In tenebreis quædam cognoscitur esse eadem, quæ
Cernitur in luce et claro candore, necesse est
Consimili caussa tactum visumque moveri.
Nunc igitur, si quadratum tentamus et id nos 235
Commovet in tenebreis, in luci quæ poterit res
Accidere ad speciem, quadrata nisi ejus imago.
Esse in imaginibus quapropter caussa videtur
Cernundi, neque posse sine heis res ulla videri.
Nunc ea, quæ dico, rerum simulacra feruntur
Undique, et in cunctas jaciuntur didita parteis.
Verum, nos oculeis quia soleis cernere quimus,
Propterea fit, utei, speciem quo vortimus, omneis
Res ibi eam contra feriant forma atque colore.
Et quantum quæque ab nobis res absit, imago 245
Efficit ut videamus, et internoscere curat.
Nam quom mittitur, extemplo procudit agitque
Aëra, qui inter se quomque est oculosque locatus;
Isque ita per nostras acies perlabitur omnis,
Et quasi pertergit pupillas, atque ita transit. 250
Propterea fit, utei videamus, quam procul absit
Res quæque: et quanto plus aëris ante agitatur,
Et nostros oculos perterget longior aura,
Tam procul esse magis res quæque remota videtur
Scilicet hæc summe celeri ratione geruntur, 255
Quale sit ut videamus, et una quam procul absit.
Ollud in heis rebus minume mirabile habendum est,
Quur ea, quæ feriant oculos simulacra, videri
Singula quom nequeant, res ipsæ perspiciantur.
Ventus enim quoque paullatim quom verberat, et quom 260
Acre fluit frigus, non primam quamque solemus
Particulam venti sentire, et frigoris ejus,
Sed magis unvorsum: fierique perinde videmus
Corpora tum plagas in nostro, tamquam aliquæ res
Verberet, atque sui det sensum corporis extra.
Præterea, lapidem digito quom tundimus, ipsum
Tangimus extremum saxi, summumque colorem:
Nec sentimus eum tactu, verum magis ipsam
Duritiem penitus saxi sentimus in alto.
Nunc age, quur ultra speculum videatur imago,
Percipe: nam certe penitus remota videtur. 271
Quod genus olla, foreis quæ vere transpiciuntur,
Janua quom per se transpectum præbet apertum,
Multa facitque foreis ex ædibus ut videantur:
Is quoque enim duplici geminoque fit aëre visus.
Primus enim citra posteis concernitur aër: 276
Inde foreis ipsæ dextra laevaque sequuntur:
Post extraria lux oculos pertinget, et aër
Alter, et olla foreis quæ vere transpiciuntur.
Sic, ubi se primum speculi projecit imago, 280
Dum venit ad nostras acies, procudit agitque
Aëra, qui inter se quomque est oculosque locatus:
Et facit, ut prius hunc omnem sentire queamus,
Quam speculum: sed ubi in speculum quoque sensimus ipsum,
Continuo a nobis in eum, quæ fertur imago, 285
Pervenit, et nostros oculos rejecta revisit:
Atque alium præ se propellens aëra volvit,
Et facit, ut prius hunc quam se videamus: eoque
Distare a speculo tantum semota videtur. 289
Quare etiam atque etiam minume mirarier est par
Olleis, quæ reddunt speculorum ex æquore visum,
Aëribus bineis; quoniam res confit utraque.
Nunc ea, quæ nobis membrorum dextera pars est,
In speculeis fit utei læva videatur, eo quod 294
Planitiem ad speculi veniens quom offendit imago,
Non convortitur incolomis, sed recta retrorsum
Sic eliditur, ut si quis, prius arida quam sit
Cretea persona, allidat pilæve trabive,
Atque ea continuo rectam si fronte figuram
Servet, et elisam retro sese exprimat ipsa, 300
Fiet, ut ante oculos fuerit qui dexter, hic idem
Nunc sit lævus, et e lævo sit mutua dexter.
Fit quoque, de speculo in speculum ut tradatur imago;
Quinque, etiam sex, ut fieri simulacra suërint.
Nam quæquomque retro parte interiore latebit,
Inde tamen, quamvis torte penitusque remota,
Omnia, per flexos aditus educta, licebit
Pluribus hæc speculeis videantur in ædibus esse.
Usque adeo e speculo in speculum tralucet imago,
Et, quom læva data est, fit rursum ut dextera fiat,
Inde retro rursum redit, et convortit eodem. 311
Quin etiam, quæquomque latuscula sunt speculorum
Assimili lateris flexura prædita nostri,
Dextera eapropter nobis simulacra remittunt:
Aut quia de speculo in speculum transfertur imago, 315
Inde ad nos, elisa bis, advolat; aut etiam quod
Circumagitur, quom venit imago, propterea quod
Flexa figura docet speculi convortier ad nos.
Indugredi porro pariter simulacra, pedemque
Ponere nobiscum credas, gestumque imitari; 320
Propterea quia, de speculi qua parte recedas,
Continuo nequeunt illeinc simulacra revorti:
Omnia quandoquidem cogit natura referri
Ac resilire ab rebus, ad æquos reddita flexus.
Splendida porro oculei fugitant, vitantque tueri;
Sol etiam cæcat, contra si tendere pergas. 326
Propterea quia vis magna est ipsius, et alte
Aëra per purum graviter simulacra feruntur,
Et feriunt oculos, turbantia compositurâs. 329
Præterea splendor, quiquomque est acer, adurit
Sæpe oculos, ideo quod semina possidet ignis
Multa, dolorem oculeis quæ gignunt insinuando.
Lurida præterea fiunt, quæquomque tuentur
Arquatei; quia luroris de corpore eorum
Semina multa fluunt simulacreis obvia rerum;
Multaque sunt oculeis in eorum denique mixta,
Quæ contage sua palloribus omnia pingunt.
E tenebreis autem, quæ sunt in luce, tuemur;
Propterea quia, quom propior caliginis aër
Ater inît oculos prior, et possedit apertos, 340
Insequitur candens confestim lucidus aër,
Qui quasi purgat eos, ac nigras discutit umbras
Aëris ollius: nam multeis partibus hic est
Mobilior, multeisque minutior, et mage pollens.
Qui simul atque vias oculorum luce replevit, 345
Atque patefecit, quas ante obsederat ater,
Continuo rerum simulacra adaperta sequuntur,
Quæ sita sunt in luce, lacessuntque, ut videamus.
Quod contra facere in tenebreis e luce nequimus;
Propterea, quia posterior caliginis aër 350
Crassior insequitur, qui cuncta foramina complet,
Obsiditque vias oculorum, ne simulacra
Possint ullarum rerum contecta moveri. [urbis,
Quadratasque procul turreis quom cernimus
Propterea fit utei videantur sæpe rotundæ, 355
Angulus obtusus quia longe cernitur omnis;
Sive etiam potius non cernitur, ac perit ejus

Plaga, nec ad nostras acies perlabitur ictus;
Aëra per multum quia dum simulacra feruntur,
Cogit hebescere eum crebreis offensibus aër. 360
Hinc, ubi suffugit sensum simul angulus omnis,
Fit quasi ut ad tornum saxorum structa tuantur:
Non tamen ut coram quæ sunt vereque rotunda,
Sed quasi adumbratim paullum simulata videntur.
Umbra videtur item nobis in sole moveri, 365
Et vestigia nostra sequi, gestumque imitari;
Aëra si credis privatum lumine posse [tem.
Indugredi, motus hominum gestumque sequen-
Nam nihil esse potest aliud nisi lumine cassus
Aër id, quod nos umbram perhibere suëmus. 370
Nimirum quia terra loceis ex ordine certeis
Lumine privatur solis, quaquomque meanteis
Officimus; repletur item quod liquimus ejus.
Propterea fit, utei videatur, quæ fuit umbra
Corporis, e regione eadem nos usque sequnta. 375
Semper enim nova se radiorum lumina fundunt,
Primaque dispereunt, quasi in ignem lana trahatur.
Propterea facile et spoliatur lumine terra, 378
Et repletur item, nigrasque sibi abluit umbras.
Nec tamen heic oculos falli concedimus hilum:
Nam quoquomque loco sit lux, atque umbra, tueri
Ollorum est: eadem vero sint lumina necne,
Umbraque, quæ fuit heic, eadem nunc transeat illuc,
An potius fiat, paullo quod diximus ante,
Hoc animi demum ratio discernere debet, 385
Nec possunt oculei naturam noscere rerum.
Proinde animi vitium hoc oculeis affingere noli.
Qua vehimur navi, fertur, quom stare videtur;
Quæ manet in statione, ea præter creditur ire:
Et fugere ad puppim colleis campeique videntur,
Quos agimus præter navem, veleisque volamus.
Sidera cessare aetherieis affixa caverneis
Cuncta videntur, et assiduo sunt omnia motu;
Quandoquidem longos obitus exorta revisunt,
Quom permensa suo sunt cœlum corpore claro:
Solque pari ratione manere et luna videtur 396
In statione, ea quæ ferri res indicat ipsa. [teis,
Exstanteisque procul medio de gurgite mon-
Classibus inter quos liber patet exitus; ingens
Insula conjuncteis tamen ex heis una videtur.
Atria vorsari, et circumcursare columnæ 401
Usque adeo fit utei puereis videantur, ubi ipsei
Desierunt vorti, vix ut jam credere possint
Non supra sese ruere omnia tecta minari.
Jamque rubrum tremuleis jubar ignibus erigere alte 405
Quom cœptat natura, supraque extollere monteis;
Quos tibi tum supra sol monteis esse videtur,
Comminus ipse suo contingens fervidus igni,
Vix absunt nobis missus bis mille sagittæ;
Vix etiam cursus quingentos sæpe veruti. 410
Inter eos solemque jacent immania ponti
Æquora, substrata aetherieis ingentibus oreis:
Interjectaque sunt terrarum millia multa,
Quæ variæ retinent genteis et sæcla ferarum.
At conjectus aquæ, digitum non altior unum, 415
Qui lapides inter sistit per strata viarum,
Despectum præbet sub terras impete tanto,
A terreis quantum cœli patet altus hiatus;
Nubila despicere, et coelum ut videare videre, et
Corpora mirande sub terras abdita cœlo. 420
Denique ubi in medio nobis equus acer obhæsit
Flumine, et in rapidas amnis dispeximus undas,
Stantis equi corpus transvorsum ferre videtur
Vis, et in advorsum flumen contrudere raptim:
Et, quoquomque oculos trajecimus, omnia ferri
Et fluere assimili nobis ratione videntur. 426
Porticus æquali quamvis est denique ductu,
Stansque in perpetuum paribus suffulta columneis;
Longa tamen, parte ab summa quom tota videtur,
Paullatim trahit angusti fastigia coni, 430
Tecta solo jungens, atque omnia dextera læveis,
Donec in obscurum coni conduxit acumen.
In pelago nauteis, ex undeis ortus, in undeis
Sol fit utei videatur obire, et condere lumen:
Quippe ubi nil aliud, nisi aquam cœlumque tuentur, 435
Ne leviter credas labefactari undique sensus.
At maris ignareis in portu clauda videntur
Navigia aplustreis fractas obnitier undas: [est
Nam quæquomque supra rorem salis edita pars
Remorum, recta est; et recta superne guberna:
Quæ demersa liquore obeunt, refracta videntur
Omnia convorti, sursumque supina revorti,
Et reflexa prope in summo fluitare liquore.
Raraque per cœlum tum ventei nubila portant
Tempore nocturno, quom splendida signa videntur 445
Labier advorsum nimbos, atque ire superne
Longe aliam in partem, quam quo ratione feruntur.
At si forte oculo manus uni subdita, subter
Pressit eum, quodam sensu fit utei videantur
Omnia, quæ tuimur, fieri tum bina tuundo; 450
Bina lucernarum florentia lumina flammeis,
Binaque per totas ædeis geminare supellex,
Et dupliceis hominum facies et corpora bina.
Denique, quom suavi devinxit membra sopore
Somnus, et in summa corpus jacet omne quiete,
Tum vigilare tamen nobis, ac membra movere
Nostra videntur, et in noctis caligine cæca
Cernere censemus solem, lumenque diurnum;
Conclusoque loco cœlum, mare, flumina, monteis
Mutare, et campos pedibus transire videmur, 460
Et sonitus audire, severa silentia noctis [teis.
Undique quom constent, et reddere dicta tacen-
Cætera de genere hoc mirande multa videmus,
Quæ violare fidem quasi sensibus omnia quærunt:
Nequidquam; quoniam pars horum maxima fallit
Propter opinatus animi, quos addimus ipsei, 466
Pro viseis ut sint, quæ non sunt sensibu' visa.
Nam nihil ægrius est, quam res secernere apertas
Ab dubieis, animus quas ab se protinus abdit.
Denique, nil sciri si quis putat, id quoque nescit 470
An sciri possit, quo se nil scire fatetur.
Hunc igitur contra mittam contendere caussam,
Qui capite ipse suo in statuit vestigia sese.
Et tamen hoc quoque utei concedam scire, at id ipsum
Quæram, quom in rebus veri nil viderit ante, 475
Unde sciat, quid sit scire, et nescire vicissim:
Notitiam veri quæ res falsique creârit;
Et dubium certo quæ res differre probârit.
Invenies primeis ab sensibus esse creatam
Notitiam veri, neque sensus posse refelli: 480
Nam majore fide debet reperirier ollud,
Sponte sua vereis quod possit vincere falsa.
Quid majore fide porro, quam sensus, haberi
Debet? an ab sensu falso ratio orta valebit

Dicere eos contra, quæ tota ab sensibus orta est?
Quei nisi sint verei, ratio quoque falsa fit omnis.
An poterunt oculos aureis reprehendere? an aureis [oris?
Tactus? an hunc porro tactum sapor arguet
An confutabunt nareis, oculeive revincent?
Non, ut opinor, ita est: nam seorsum quoique potestas 490
Divisa est: sua vis quoique est: ideoque necesse est
Et quod molle sit, et gelidum, fervensve, videri;
Et seorsum varios rerum sentire colores,
Et quæquomque coloribu' sint conjuncta, necesse est. 494
Seorsus item sapor oris habet vim, seorsus odores
Nascuntur, seorsum sonitus: ideoque necesse est
Non possint alios aliei convincere sensus.
Nec porro poterunt ipsei reprehendere sese,
Æqua fides quoniam debebit semper haberi.
Proinde, quod in quoque est heis visum tempore, verum est. 500
Et si non poterit ratio dissolvere caussam,
Quur ea quæ fuerint juxtim quadrata, procul sint
Visa rotunda: tamen præstat rationis egentem
Reddere mendose caussas utriusque figuræ,
Quam manibus manifesta sueis emittere quoquam, 505
Et violare fidem primam, et convellere tota
Fundamenta, quibus nixatur vita salusque. [ipsa
Non modo enim ratio ruat omnis; vita quoque
Concidat extemplo, nisi credere sensibus ausis,
Præcipitesque locos vitare, et cætera, quæ sint
In genere hoc fugiunda; sequi, contraria quæ sint.
Olla tibi est igitur verborum copia cassa
Omnis, quæ, contra sensus instructa, parata est.
Denique, ut in fabrica, si prava est regula prima,
Normaque si fallax recteis regionibus exit, 515
Et libella aliqua si ex parti claudicat hilum,
Omnia mendose fieri atque obstipa necessum est,
Prava, cubantia, prona, supina, atque absona tecta:
Jam ruere ut quædam videantur velle, ruantque
Prodita judicieis fallacibus omnia primeis: 520
Sic igitur ratio tibi rerum prava necesse est,
Falsaque sit, falseis quæquomque ab sensibus orta est.
Nunc aliei sensus quo pacto quisque suam rem
Sentiat, haudquaquam ratio scruposa relicta est.
Principio, auditur sonus et vox omnis, in aureis
Insinuata suo pepulere ubi corpore sensum. 526
Corpoream quoque enim vocem constare fatendum est
Et sonitum, quoniam possunt impellere sensus.
Propterea radit vox fauceis sæpe, facitque
Asperiora foras gradiens arteria clamor. 530
Quippe per angustum, turba majore coorta,
Ire foras ubi cœperunt primordia vocum,
Scilicet expleteis quoque janua raditur oris
Rauca vieis, et iter lædit, qua vox it in auras.
Haud igitur dubium est, quin voces verbaque constent 535
Corporeis e principieis, ut lædere possint.
Nec te fallit item, quid corporis auferat, et quid
Detrahat ex hominum nerveis ac viribus ipseis
Perpetuus sermo, nigraï noctis ad umbram
Auroræ perductus ab exoriente nitore; 540
Præsertim si cum summo est clamore profusus.
Ergo corpoream vocem constare necesse est,
Multa loquens quoniam amittit de corpore partem.
Nec simili penetrant aureis primordia forma,
Quom tuba depresso graviter sub murmure mugit, 545
Et revocat raucum retro cita barbara bombum;
Vallibus et cycnei detorteis ex Heliconis
Quom liquidam tollunt lugubri voce querelam.
Hasce igitur penitus voces, quom corpore nostro
Exprimimus, rectoque foras emittimus ore, 550
Mobilis articulat, verborum dædala, lingua,
Formaturaque labrorum pro parte figurat.
Asperitas autem vocis fit ab asperitate
Principiorum, et item levor levore creatur.
Hoc ubi non longum spatium est, unde una profecta [ipsa, 555
Perveniat vox quæque, necesse est verba quoque
Plane exaudiri, discernique articulatim;
Servat enim formaturam, servatque figuram.
At si interpositum spatium sit longius æquo,
Aëra per multum confundi verba necesse est,
Et conturbari vocem, dum travolat auras. 561
Ergo fit sonitum ut possis audire, neque ollam
Internoscere, verborum sententia quæ sit:
Usque adeo confusa venit vox, inque pedita.
Præterea, verbum sæpe unum perciet aureis
Omnibus, in populo missum præconis ab ore.
In multas igitur voces vox una repente
Diffugit, in privas quoniam se dividit aureis,
Obsignans formam verbeis clarumque sonorem.
At quæ pars vocum non aureis incidit ipsas,
Præterlata perit frustra, diffusa per auras; 571
Pars solideis allisa, lapis rejecta, sonorem
Reddit, et interdum frustratur imagine verbi.
Quæ, bone, quom videas, rationem reddere possis 574
Tute tibi atque alieis, quo pacto per loca sola
Saxa pareis formas verborum ex ordine reddant,
Palanteis comites quom monteis inter opacos
Quærimus, et magna dispersos voce ciemus.
Sex etiam aut septem loca vidi reddere voces,
Unam quom jaceres: ita colleis collibus ipsei
Verba repulsanteis iterabant dicta referri. [nere
Hæc loca capripedes Satyros Nymphasque te-
Finitumei fingunt, et Faunos esse loquuntur,
Quorum noctivago strepitu ludoque jocanti
Affirmant volgo taciturna silentia rumpi, 585
Chordarumque sonos fieri, dulceisque querelas,
Tibia quas fundit digiteis pulsata canentum;
Et genus agricolûm late sentiscere, quom Pan,
Pinea semiferi capitis vallamina quassans,
Udo sæpe labro calamos percurrit hianteis, 590
Fistula sylvestrem ne cesset fundere musam.
Cætera de genere hoc monstra ac portenta loquuntur,
Ne loca, deserta ab diveis quoque, forte putentur
Sola tenere; ideo jactant miracula dicteis:
Aut aliqua ratione alia ducuntur, ut omne 595
Humanum genus est avidum nimis auricularum.
Quod superest, non est mirandum, qua ratione
Per loca, qua nequeunt oculei res cernere apertas,
Hæc loca per voces veniant, aureisque lacessant:
Colloquium cluseis foribus quoque sæpe videmus.
Nimirum quia vox per flexa foramina rerum
Incolomis transire potest, simulacra renutant;
Perscinduntur enim, nisi recta foramina tranant;
Qualia sunt vitri, species quæ travolat omnis.
Præterea, parteis in cunctas dividitur vox,
Ex alieis aliæ quoniam gignuntur; ubei nam
Dissiluit semel in multas, exorta quasi ignis
Sæpe solet scintilla suos se spargere in igneis.
Ergo replentur loca vocibus, abdita retro 600

Omnia quæ circum fuerunt, sonituque cientur.
At simulacra vieis de recteis omnia tendunt,
Ut sunt missa semel: quapropter cernere nemo
Sæpta supra potis est, at voces accipere extra.
Et tamen ipsa quoque hæc, dum transit clusa viarum, 614
Vox obtunditur, atque aureis confusa penetrat,
Et sonitum potius, quam verba audire videmur.
Hoc, quo sentimus sucum, lingua atque palatum,
Plusculum habent in se rationis, plus operaï.
Principio, sucum sentimus in ore, cibum quom
Mandundo exprimimus: ceu plenam spongiam aquaï 620
Si quis forte manu premere ac siccare coëpit.
Inde, quod exprimimus, per caulas omne palati
Diditur, et raræ perplexa foramina linguæ.
Hæc, ubi levia sunt mananteis corpora suci,
Suaviter attingunt, et suaviter omnia tractant
Humida linguaï circum sudantia templa. 626
At contra pungunt sensum lacerantque coorta,
Quanto quæque magis sunt asperitate repleta.
Deinde, voluptas est e suco, fine palati;
Quom vero deorsum per fauceis præcipitavit,
Nulla voluptas est, dum diditur omnis in artus:
Nec refert quidquam, quo victu corpus alatur,
Dummodo quod capias concoctum didere possis
Artubus, et stomachi humectum servare tenorem.
Nunc, alieis alius quî sit cibus, ut videamus,
Expediam; quareve, alieis quod triste et amarum est, 636
Hoc tamen esse alieis possit perdulce videri,
Tantaque in heis rebus distantia differitasque est,
Ut quod alis cibus est, alieis fuat acre venenum.
Est itaque, ut serpens, hominis quæ tacta saliveis
Disperit, ac sese mandundo conficit ipsa. 641
Præterea, nobis veratrum est acre venenum,
At capreis adipes et coturnicibus auget.
Id quibus ut fiat rebus cognoscere possis,
Principio meminisse decet, quæ diximus ante,
Semina multimodeis in rebus mixta teneri.
Porro omneis, quæquomque cibum capiunt, animanteis,
Ut sunt disimileis extrinsecus, et generatim
Extima membrorum circumcæsura coërcet, 649
Proinde et seminibus constant, variantque figura.
Semina quom porro distent, differre necesse est
Intervalla, viasque foramina quæ perhibemus,
Omnibus in membreis, et in ore, ipsoque palato.
Esse minora igitur quædam majoraque debent;
Esse triquetra alieis, alieis quadrata necesse est,
Multa rotunda, modeis multeis multangula quædam. 656
Namque figurarum ratio ut motusque reposcunt,
Proinde foraminibus debent differre figuræ,
Et variare viæ, proinde ac textura coërcet.
Hoc, ubi quod suave est alieis, alieis fit amarum:
Olli, quoi suave est, levissima corpora debent
Contractabiliter caulas intrare palati: 662
At contra, quibus est eadem res intus acerba,
Aspera nimirum penetrant hamataque fauceis.
Nunc facile est ex heis rebus cognoscere quæque. 665
Quippe ubi quoi febris bili superante coorta est,
Aut alia ratione aliqua est vis excita morbi,
Perturbatur ibei totum jam corpus, et omneis
Commutantur ibei posituræ principiorum: 669
Fit, prius ad sensum quæ corpora conveniebant,
Nunc non conveniant, et cætera sint magis apta,
Quæ penetrata queunt sensum progignere acerbum.
Utraque enim sunt in mellis commixta sapore;
Id quod jam supra tibi sæpe ostendimus ante.
Nunc age, quo pacto nareis adjectus odoris
Tangat, agam. Primum res multas esse necesse est, 676
Unde fluens volvat varius se fluctus odorum;
Et fluere, et mitti volgo spargique, putandum est.
Verum alieis alius magis est animantibus aptus,
Dissimileis propter formas; ideoque per auras
Mellis apes, quamvis longe, ducuntur odore,
Volturiique cadaveribus: tum fissa ferarum
Ungula quo tulerit gressum, permissa canum vis
Ducit; et humanum longe præsentit odorem
Romulidarum arcis servator candidus anser. 685
Sic alieis alius nidor datus ad sua quemque
Pabula ducit, et a tetro resilire veneno
Cogit; eoque modo servantur sæcla ferarum.
Hic odor ipse igitur, nareis quiquomque lacessit,
Est alio ut possit permitti longius alter: [rum,
Sed tamen haud quisquam tam longe fertur eo-
Quam sonitus, quam vox; mitto jam dicere, quam res,
Quæ feriunt oculorum acies, visumque lacessunt.
Errabundus enim tarde venit, ac perit ante
Paullatim, facileis distractus in aëris auras: 695
Ex alto primum quia vix emittitur ex re.
Nam penitus fluere atque recedere rebus odores
Significat, quod fracta magis redolere videntur
Omnia, quod contrita, quod igni collabefacta.
Deinde videre licet, majoribus esse creatum
Principieis, quam vox; quoniam per saxea sæpta
Non penetrat, qua vox volgo sonitusque feruntur.
Quare etiam quod olet, non tam facile esse videbis
Investigare, in qua sit regione locatum. 704
Refrigescit enim conctando plaga per auras,
Nec calida ad sensum decurrit, nuntia rerum.
Errant sæpe canes itaque, et vestigia quærunt.
Nec tamen hoc soleis in odoribus, atque saporum [colores
In genere est: sed idem species rerum atque
Non ita conveniunt ad sensus omnibus omneis,
Ut non sint alieis quædam magis acria visu. 711
Quin etiam gallum, noctem explodentibus aleis,
Auroram clara consuetum voce vocare,
Nenu queunt rapidei contra constare leones,
Inque tueri; ita continuo meminere fugaï: 715
Nimirum quia sunt gallorum in corpore quædam
Semina, quæ, quom sunt oculeis immissa leonum,
Pupillas interfodiunt, acremque dolorem
Præbent, ut nequeant contra durare feroceis:
Quom tamen hæc nostras acies nil lædere possint: [olleis, 720
Aut quia non penetrant, aut quod penetrantibus
Exitus ex oculeis liber datur, in remorando
Lædere ne possint ex ulla lumina parte. [et unde,
Nunc age, quæ moveant animum res, accipe;
Quæ veniunt, veniant in mentem, percipe pauceis.
Principio hoc dico, rerum simulacra vagari
Multa modeis multeis in cunctas undique parteis
Tenuia, quæ facile inter se junguntur in aureis,
Obvia quom veniunt, ut aranea, bracteaque auri.
Quippe etenim multo magis hæc sunt tenuia textu, [sunt:
Quam quæ percipiunt oculos, visumque laces-
Corporis hæc quoniam penetrant per rara, cientque [sunt.
Tenuem animi naturam intus, sensumque laces-
Centauros itaque et Scyllarum membra videmus, 734

Cerbereasque canum fauceis, simulacraque eorum,
Quorum morte obita tellus amplectitur ossa:
Omne genus quoniam passim simulacra feruntur,
Partim sponte sua quæ fiunt aëre in ipso,
Partim quæ varieis ab rebus quomque recedunt,
Et quæ conficiunt ex horum facta figureis. 740
Nam certe ex vivo Centauri non fit imago,
Nulla fuit quoniam talis natura animaï: [imago,
Verum ubi equi atque hominis casu convenit
Hærescit facile extemplo, quod diximus ante,
Propter subtilem naturam et tenuia texta. 745
Cætera de genere hoc eadem ratione creantur:
Quæ quom mobiliter summa levitate feruntur,
Ut prius ostendi, facile uno commovet ictu
Quælibet una animum nobis subtilis imago.
Tenuis enim mens est, et mire mobilis ipsa. 750
Hæc fieri, ut memoro, facile heinc cognoscere possis, [mus,
Quatenus hoc simile est olli, quod mente vide-
Atque oculeis, simili fieri ratione necesse est.
Nunc igitur, docui quoniam me forte leonum
Cernere per simulacra, oculos quæquomque lacessunt; 755
Scire licet, mentem simili ratione moveri
Per simulacra leonum, et cætera, quæ videt æque,
Nec minus, atque oculei; nisi quod mage tenuia cernit. [fudit, 758
Nec ratione alia, quom somnus membra pro-
Mens animi vigilat, nisi qua simulacra lacessunt
Hæc eadem nostros animos, quæ quom vigilamus:
Usque adeo certe ut videamur cernere eum, quem
Reddita vitaï jam pausa, et terra potita est.
Hoc ideo fieri cogit natura, quod omneis
Corporis offectei sensus per membra quiescunt,
Nec possunt falsum vereis convincere rebus. 766
Præterea, meminisse jacet, languetque sopore;
Nec dissentit, eum mortis letique potitum
Jam pridem, quem mens vivum se cernere credit.
Quod superest, non est mirum simulacra moveri, [bra. 770
Brachiaque in numerum jactare, et cætera mem-
Nam fit, ut in somneis facere hoc videatur imago.
Hoc, ubi prima perit, alioque est altera nata
Inde statu, prior heic gestum mutâsse videtur.
Scilicet id fieri celeri ratione putandum est: 775
Tanta est mobilitas, et rerum copia tanta,
Tantaque sensibili quovis est tempore in uno
Copia particularum, ut possit suppeditare.
Multaque in heis rebus quæruntur, multaque nobis
Clarandum est, plane si res exponere avemus. 780
Quæritur in primeis, quare, quod quoique libido
Venerit, extemplo mens cogitet ejus id ipsum.
nne voluntatem nostram simulacra tuentur,
Et, simul ac volumus, nobis occurrit imago? 784
Si mare, si terram cordi est, si denique cœlum,
Conventus hominum, pompam, convivia, pugnas,
Omnia sub verbone creat natura paratque?
Quom præsertim alieis, eadem in regione locoque,
Longe dissimileis animus res cogitet omneis?
Quid porro, in numerum procedere quom simulacra 790
Cernimus in somneis, et mollia membra movere;
Mollia mobiliter quom alterneis brachia mittunt,
Et repetunt oculeis gestum pede convenienti?
Scilicet arte madent simulacra, et docta vagantur,
Nocturno facere ut possint in tempore ludos? 795
An magis ollud erit verum, quia tempore in uno
Consentimus id, ut, quom vox emittitur una,
Tempora multa latent, ratio quæ comperit esse?
Propterea fit, utei quovis in tempore quæque
Præsto sint simulacra locos in quosque parata;
Tanta est mobilitas, et rerum copia tanta: 801
Hoc, ubi prima perît, alioque est altera nata
Inde statu, prior heic gestum mutâsse videtur.
Et quia tenuia sunt, nisi quæ contendit, acute
Cernere non potis est animus; proinde omnia, quæ sunt 805
Præterea, pereunt, nisi sic sese ipse paravit.
Ipse parat sese porro, speratque futurum,
Ut videat, quod consequitur, rem quamque; fit ergo. [sunt,
Nonne vides oculos etiam, quom, tenuia quæ
Cernere cœperunt, contendere se atque parare,
Nec sine eo fieri posse, ut cernamus acute? 811
Et tamen in rebus quoque aperteis noscere possis;
Si non advortas animum, proinde esse, quasi omni
Tempore semotum fuerit, longeque remotum.
Quur igitur mirum est, animus si cætera perdit,
Præterquam quibus est in rebus deditus ipse?
Deinde adopinamur de signeis maxuma parveis,
Ac nos in fraudem induimus frustraminis ipsei.
Fit quoque, ut interdum non suppeditetur imago
Ejusdem generis, sed, femina quæ fuit ante 820
In manibus, vir utei factus videatur adesse:
Aut alia ex alia facies ætasque sequatur:
Quod ne miremur, sopor atque oblivia curant.
Ollud in heis rebus vitium vehementer inesse
Effugere errorum, vitareque præmetuenter, 825
Lumina ne facias oculorum clara creata,
Prospicere ut possimus; et, ut proferre viaï
Proceros passus, ideo fastigia posse
Surarum ac feminum pedibus fundata plicari:
Brachia tum porro valideis ex apta lacerteis 830
Esse, manusque dàtas utraque a parte ministras,
Ut facere ad vitam possemus quæ foret usus.
Cætera de genere hoc, inter quaquomque pretantur,
Omnia pervorsa præpostera sunt ratione: 834
Nil adeo quoniam natum est in corpore, ut uti
Possemus; sed, quod natum est, id procreat usum.
Nec fuit ante videre oculorum lumina nata,
Nec dicteis orare prius, quam lingua creata est:
Sed potius longe linguæ præcessit origo
Sermonem, multoque creatæ sunt prius aureis,
Quam sonus est auditus; et omnia denique membra 841
Ante fuere, ut opinor, eorum quam foret usus.
Haud igitur potuere utundi crescere caussa.
At contra conferre manu certamina pugnæ,
Et lacerare artus, fedareque membra cruore, 845
Ante fuit multo, quam lucida tela volarent:
Et volnus vitare prius natura coëgit,
Quam daret objectum parmaï læva per artem.
Scilicet et fessum corpus mandare quieti 849
Multo antiquius est, quam lecti mollia strata:
Et sedare sitim prius est, quam pocula, natum.
Hæc igitur possunt utundi cognita caussa
Credier, ex usu quæ sunt vitaque reperta.
Olla quidem seorsum sunt omnia, quæ prius ipsa
Nata, dedere suæ post notitiam utilitatis: 855
Quo genere in primeis sensus et membra videmus:
Quare etiam atque etiam procul est, ut credere possis,
Utilitatis ob officium potuisse creari.
Ollud item non est mirandum, corporis ipsa
Quod natura cibum quærit quojusque animantis.

Quippe etenim fluere atque recedere corpora rebus 861
Multa modeis multeis docui: sed plurima debent
Ex animalibus, hæc quia sunt exercita motu,
Multaque per sudorem ex alto pressa feruntur,
Multa per os exhalantur, quom languida anhelant. 865
Heis igitur rebus rarescit corpus, et omnis
Subruitur natura, dolor quam consequitur rem.
Propterea capitur cibus, ut suffulciat artus,
Et recreet vireis interdatus, atque patentem
Per membra ac venas ut amorem obturet edundi.
Humor item discedit in omnia, quæ loca quamque 871
Poscunt humorem: glomerataque multa vaporis
Corpora, quæ stomacho præbent incendia nostro,
Dissupat adveniens liquor, ac restinguit ut ignem,
Urere ne possit calor amplius aridus artus. 875
Sic igitur tibi anhela sitis de corpore nostro
Abluitur, sic expletur jejuna cupido.
Nunc qui fiat, utei passus proferre queamus,
Quom volumus, vareque datum sit membra movere;
Et quæ res tantum hoc oneris protrudere nostri
Corporis insuêrit, dicam: tu percipe dicta. 881
Dico, animo nostro primum simulacra meandi
Accidere, atque animum pulsare, ut diximus ante.
Inde voluntas fit: neque enim facere incipit ullam
Rem quisquam, quam mens providit, quid velit, ante. 885
Id, quod providet, ollius rei constat imago.
Ergo animus quom sese ita commovet, ut velit ire
Inque gredi, ferit extemplo, quæ in corpore toto
Per membra atque artus animaï dissita vis est:
Et facile est factum, quoniam conjuncta tenetur.
Inde ea proporro corpus ferit, atque ita tota 891
Paullatim moles protruditur atque movetur.
Præterea, tum rarescit quoque corpus, et aër
Scilicet, ut debet, qui semper mobilis exstat,
Per patefacta venit, penetratque foramina largus,
Et dispergitur ad parteis ita quisque minutas 896
Corporis: heic igitur rebus fit utrimque duabus,
Corpus ut, ac navis veleis ventoque, feratur.
Nec tamen ollud in heis rebus mirabile constat,
Tantula quod tantum corpus corpuscula possint
Contorquere, et onus totum convortere nostrum.
Quippe etenim ventus subtili corpore tenuis
Trudit agens magnam magno molimine navem:
Et manus una regit quantovis impete euntem,
Atque gubernaclum contorquet quolibet unum:
Multaque per trochleas et tympana pondere magno 906
Commovet, atque levi sustollit machina nixu.
Nunc, quibus ille modeis somnus per membra quietem
Irriget, atque animi curas e pectore solvat, 909
Suavidiceis potius, quam multeis versibus edam:
Parvus ut est cycni melior canor, ille gruum quam
Clamor in ætherieis dispersus nubibus Austri.
Tu mihi da tenueis aureis, animumque sagacem,
Ne fieri negites, quæ dicam, posse, retroque
Vera repulsanti discedas pectore dicta, 915
Tutemet in culpa quom sis, neque cernere possis.
Principio, somnus fit, ubi est distracta per artus
Vis animæ, partimque foras ejecta recessit,
Et partim contrusa magis concessit in altum. [que.
Dissolvuntur enim tum demum membra, fluunt-
Nam dubium non est, animaï quin opera sit 921
Sensus hic in nobis, quem quom sopor impedit esse, [est
Tum nobis animam perturbatam esse putandum
Ejectamque foras: non omnem; namque jaceret
Æterno corpus perfusum frigore leti; 925
Quippe ubi nulla latens animaï pars remaneret
In membreis, cinere ut multo latet obrutus ignis;
Unde reconflari sensus per membra repente
Possit, et ex igni cæco consurgere flamma. 929
Sed quibus hæc rebus novitas confletur, et unde
Perturbari anima, et corpus languescere possit,
Expediam: tu fac ne venteis verba profundam.
Principio, externa corpus de parte necessum est,
Aërieis quoniam vicinum tangitur aureis,
Tundier, atque ejus crebro pulsarier ictu. 935
Proptereaque fere res omneis aut corio sunt,
Aut etiam concheis, aut callo, aut cortice tectæ.
Interiorem etiam partem spirantibus aër
Verberat hic idem, quom ducitur, atque reflatur.
Quare utrimque secus quom corpus vapulet, et quom 940
Perveniant plagæ per parva foramina nobis
Corporis ad primas parteis, elementaque prima;
Fit quasi paullatim nobis per membra ruina:
Conturbantur enim positurae principiorum
Corporis atque animi, sic, ut pars inde animaï
Eliciatur, et introrsum pars abdita cedat; 946
Pars etiam, distracta per artus, non queat esse
Conjuncta inter se, neque motu mutua fungi:
Inter enim sepit aditus natura viasque.
Ergo sensus abit mutateis motibus alte: 950
Et quoniam non est, quasi quod suffulciat artus,
Debile fit corpus, languescuntque omnia membra;
Brachia palpebræque cadunt, poplitesque cubanti
Sæpe tama summittuntur, vireisque resolvunt.
Deinde cibum sequitur somnus, quia, quæ facit aër, 955
Hæc eadem cibus, in venas dum diditur omneis,
Efficit: et multo sopor ille gravissumus exstat,
Quem satur, aut lassus, capias; quia plurima tum se
Corpora conturbant, magno contusa labore.
Fit ratione eadem conjectus parte animaï 960
Altior, atque foras ejectus largior ejus,
Et divisior inter se ac distractior intus.
Et, quo quisque fere studio defunctus adhæret,
Aut quibus in rebus multum sumus ante moratei,
Atque in ea ratione fuit contenta magis mens;
In somneis eadem plerumque videmur obire; 966
Caussidicei caussas agere, et componere leges;
Induperatores pugnare, ac prœlia obire;
Nautæ contractum cum venteis degere bellum;
Nos agere hoc autem, et naturam quærere rerum, 970
Semper et inventam patrieis exponere charteis.
Cætera sic studia atque arteis plerumque videntur
In somneis animos hominum frustrata tenere.
Et, queiquomque dies multos ex ordine ludeis
Assiduas dederint operas, plerumque videmus,
Quom jam destiterunt ea sensibus usurpare, 976
Relicuas tamen esse vias in mente patenteis,
Qua possint eadem rebus simulacra venire.
Permultos itaque olla dies eadem obvorsantur
Ante oculos, etiam vigilanteis ut videantur 980
Cernere saltanteis, et mollia membra moventeis,
Et citharæ liquidum carmen chordasque loquenteis
Auribus accipere, et consessum cernere eumdem,

Scenaïque simul varios splendere decores. 984
Usque adeo magni refert studium atque voluntas,
Et quibus in rebus consuêrint esse operatei
Non homines solum, sed vero animalia cuncta.
Quippe videbis equos forteis, quom membra jacebunt
In somneis, sudare tamen spirareque semper,
Et quasi de palma summas contendere vireis, 990
Aut quasi carceribus patefacteis sæpe quiete.
Venantumque canes in molli sæpe quiete
Jactant crura tamen subito, vocesque repente
Mittunt, et crebras reducunt naribus auras,
Ut vestigia si teneant inventa ferarum, 995
Expergefacteique sequuntur inania sæpe
Cervorum simulacra, fugæ quasi dedita cernant;
Donec discusseis redeant erroribus ad se.
At consueta domu catulorum blanda propago
* * * * * *
Discutere et corpus de terra corripere instant,
Proinde quasi ignotas facies atque ora tuantur.
Et, quo quæque magis sunt aspera seminiorum,
Tam magis in somneis eadem sævire necessum est.
At variæ fugiunt volucreis, pinneisque repente
Solicitant divôm nocturno tempore lucos, 1005
Accipitres somno in leni si prœlia pugnasque
Edere sunt persectanteis, visæque volanteis.
Porro hominum mentes, magnis quæ motibus edunt,
Magna itidem sæpe in somneis faciuntque geruntque,
Reges expugnant, capiuntur, prœlia miscent,
Tollunt clamorem, quasi si jugulentur ibeidem.
Multei depugnant, gemitusque doloribus edunt,
Et quasi pantheræ morsu sævive leonis
Mandantur, magneis clamoribus omnia complent.
Multei de magneis per somnum rebu' loquuntur,
Indicioque sui facti persæpe fuere. 1016
Multei mortem obeunt: multei, de montibus alteis
Ut quei præcipitent ad terram, corpore toto
Exterruntur, et ex somno, quasi mentibu' captei,
Vix ad se redeunt, permotei corporis æstu. 1020
Flumen item sitiens aut fontem propter amœnum
Assidet, et totum prope faucibus occupat amnem.
Puerei sæpe lacum propter se ac dolia curta,
Somno devinctei, credunt extollere vestem:
Totius humorem saccatum corpori' fundunt; 1025
Quom Babylonica magnifico splendore rigantur.
Tum, quibus ætatis freta primitus insinuantur,
Semen ubi ipsa dies membreis matura creavit,
Conveniunt simulacra foreis e corpore quoque,
Nuntia præclari voltus pulcrique coloris, 1030
Qui ciet irritans loca turguida semine multo;
Ut, quasi transacteis sæpe omnibu' rebu,' profundant
Fluminis ingenteis fluctus, vestemque cruentent.
Solicitatur id in nobis, quod diximu sante, 1034
Semen, adulta ætas quom primum roborat artus.
Namque alias aliud res commovet atque lacessit;
Ex homine humanum semen ciet una hominis vis.
Quod simul atque sueis ejectum sedibus exit,
Per membra atque artus decedit corpore toto
In loca conveniens nervorum certa, cietque 1040
Continuo parteis genitaleis corporis ipsas:
Irritata tument loca semine, fitque voluntas
Ejicere id, quo se contendit dira libido;
Idque petit corpus mens, unde est saucia amore.
Namque omneis plerumque cadunt in volnus, et ollam 1045
Emicat in partem sanguis, unde icimur ictu:
Et, si comminus est, hostem ruber occupat humor.
Sic igitur Veneris qui teleis accipit ictus,
Sive puer membreis muliebribus hunc jaculatur,
Seu mulier, toto jactans e corpore amorem; 1050
Unde feritur, eo tendit, gestitque coire,
Et jacere humorem in corpus de corpore ductum;
Namque voluptatem præsagit multa cupido.
Hæc Venus est nobis; heinc ductum est nomen Amoris; 1054
Heinc olla et primum Veneris dulcedinis in cor
Stillavit gutta, et successit fervida cura.
Nam si abest quod ames, præsto simulacra tamen sunt
Ollius, et nomen dulce obvorsatur ad aureis.
Sed fugitare decet simulacra, et pabula amoris
Absterrere sibi, atque alio convortere mentem,
Et jacere humorem conjectum in corpora quæque,
Nec retinere semel convorsum unius amore,
Et servare sibi curam, certumque dolorem.
Ulcus enim vivescit et inveterascit alundo, 1064
Inque dies gliscit furor, atque ærumna gravescit;
Si non prima noveis conturbes volnera plageis,
Volgivagaque vagus Venere ante recentia cures,
Aut alio possis animi traducere motus.
Nec Veneris fructu caret is, qui vitat amorem,
Sed potius, quæ sunt sine pœna, commoda sumit.
Nam certe pura est saneis magis inde voluptas,
Quam misereis; etenim potiundi tempore in ipso
Fluctuat in certeis erroribus ardor amantum:
Nec constat, quid primum oculeis manibusque fruantur.
Quod petiere, premunt arte, faciuntque dolorem
Corporis, et denteis illidunt sæpe labelleis, 1076
Osculaque affligunt, quia non est pura voluptas:
Et stimulei subsunt, qui instigant lædere id ipsum,
Quodquomque est, rabies unde illæ germina turguent. 1079
Sed leviter pœnas frangit Venus inter amorem,
Blandaque refrenat morsus admixta voluptas.
Namque in eo spes est, unde est ardoris origo,
Restingui quoque posse ab eodem corpore flammam;
Quod fieri contra coram natura repugnat:
Unaque res hæc est, quojus quo plurima habetus:
Tam magis ardescit dira cupedine pectus.
Nam cibus atque humor membreis assumitur inquam
Quæ quoniam certas possunt obsidere parteis,
Hoc facile expletur laticum frugumque cupido:
Ex hominis vero facie, pulcroque colore, 1090
Nil datur in corpus præter simulacra fruundum
Tenuia, quæ vento spes rapta est sæpe misella.
Ut bibere in somneis sitiens quom quærit, et humor
Non datur, ardorem qui membreis stinguere possit,
Sed laticum simulacra petit, frustraque laborat,
In medioque sitit torrenti flumine potans: 1096
Sic in amore Venus simulacreis ludit amanteis;
Nec satiare queunt spectando corpora coram,
Nec manibus quidquam tenereis abradere membreis
Possunt, erranteis incertei corpore toto. 1100
Denique quom, membreis collateis, flore fruuntur
Ætatis, jam quom præsagit gaudia corpus,
Atque in eo est Venus, ut muliebria conserat arva;
Affigunt avide corpus, junguntque salivas
Oris, et inspirant, pressanteis dentibus ora 1105
Nequidquam; quoniam nihil inde abradere possunt,
Nec penetrare et abire in corpus corpore toto.
Nam facere interdum velle, et certare videntur;

Usque adeo cupide in Veneris compagibus hærent, 1109
Membra voluptatis dum vi labefacta liquescunt.
Tandem ubi se erupit nerveis conjecta cupido,
Parva fit ardoris violenti pausa parumper;
Inde redit rabies eadem, et furor ille revisit,
Quom sibi, quod cupiant ipsei, contingere quærunt, [vincat:
Nec reperire malum id possunt quæ machina
Usque adeo incertei tabescunt volnere cæco.
Adde quod absumunt nervos, pereuntque labore:
Adde quod alterius sub nutu degitur ætas:
Labitur interea res, et vadimonia fiunt: 1119
Languent officia, atque ægrotat fama vacillans;
Unguenta, et pulcra in pedibus Sicyonia, rident
Scilicet, et grandeis viridi cum luce smaragdei
Auro includuntur, teriturque thalassina vestis
Assidue, et Veneris sudorem exercita potat:
Et bene parta patrum fiunt anademata, mitræ:
Interdum in pallam, atque Alidensia, Chiaque vortunt.
Eximia veste et victu convivia, ludei, 1127
Pocula crebra, unguenta, coronæ, serta parantur;
Nequidquam: quoniam medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipseis floribus angat:
Aut quom conscius ipse animus se forte remordet
Desidiose agere ætatem, lustreisque perire;
Aut quod in ambiguo verbum jaculata reliquit,
Quod cupido affixum cordi vivescit, ut ignis;
Aut nimium jactare oculos, aliumve tueri 1135
Quod putat, in voltuque videt vestigia risus.
Atque in amore mala hæc proprio summeque secundo
Inveniuntur: in advorso vero atque inopi sunt,
Prendere quæ possis oculorum lumine aperto,
Innumerabilia: ut melius vigilare sit, ante 1140
Qua docui ratione, cavereque ne illiciaris.
Nam vitare plagas in Amoris ne jaciamur
Non ita difficile est, quam captum retibus ipseis
Exire, et validos Veneris perrumpere nodos.
Et tamen implicitus quoque possis inque peditus 1145
Effugere infestum, nisi tute tibi obvius obstes;
Et prætermittas animi vitia omnia primum,
Tum quæ corpori' sunt ejus, quam perpetis ac vis.
Nam faciunt homines plerumque, cupidine cæcei,
Et tribuunt ea, quæ non sunt heis commoda vere.
Multimodeis igitur pravas turpeisque videmus
Esse in delicieis, summoque in honore vigere.
Atque alios aliei irrident, Veneremque suädent
Ut placent, quoniam fedo afflictentur amore;
Nec sua respiciunt miserei mala maxuma sæpe.
Nigra, μελίχροος est; immunda ac fetida, ἄκοσμος·
Cæsia, Παλλάδιον· nervosa et lignea, Δορκάς·
Parvola, pumilio, Χαρίτων μία, tota merum sal;
Magna atque immanis, κατάπληξις, plenaque honoris; [est;
Balba loqui non quit? τραυλίζει· muta, pudens
At flagrans, odiosa, loquacula, Λαμπάδιον fit;
Ἰσχνὸν ἐρωμένιον tum fit, quom vivere non quit
Præ macie; ῥαδινὴ vero est, jam mortua tussi;
At gemina et mammosa, Ceres est ipsa ab Iaccho;
Simula, Σιληνὴ ac Σατύρα est; labiosa, φίλημα:
Cætera de genere hoc longum est, si dicere coner.
Sed tamen esto jam quantovis oris honore,
Quoi Veneris membreis vis omnibus exoriatur:
Nempe aliæ quoque sunt: nempe hac sine viximus ante:
Nempe eadem facit, et scimus facere omnia turpeis;
Et miseram tetreis se suffit odoribus ipsa, 1171
Quam famulæ longe fugitant, furtimque cachinnant.
At lacrumans exclusus amator limina sæpe
Floribus et serteis operit, posteisque superbos
Unguit amaracino, et foribus miser oscula figit.
Quem si jam admissum venientem offenderit aura
Una modo, caussas abeundi quærat honestas,
Et meditata diu cadat alte sumta querela, 1178
Stultitiaque ibi se damnet, tribuisse quod olli
Plus videat, quam mortali concedere par est.
Nec Veneres nostras hoc fallit: quo magis ipsæ
Omnia summopere hos vitæ postscenia celant,
Quos retinere volunt, adscriptosque esse in amore;
Nequidquam: quoniam tu animo tamen omnia posses
Protrahere in lucem, atque omneis inquirere risus:
Et, si bello animo est, et non odiosa vicissim,
Prætermittere humaneis concedere rebus.
Nec mulier semper ficto suspirat amore,
Quæ complexa viri corpus cum corpore jungit,
Et tenet assucteis humectans oscula labreis. 1190
Nam facit ex animo sæpe, et communia quærens,
Gaudia, solicitat spatium decurrere amoris.
Nec ratione alia volucreis, armenta, feræque,
Et pecudes, et equæ, maribus subsidere possent,
Si non ipsa, quod ollorum subat, ardet abundans
Natura, et venerem salientum læta retractant.
Nonne vides, Memmi, quos mutua sæpe voluptas 1197
Vinxit, ut in vincleis communibus excrucientur?
In trivieis quom sæpe canes, discedere aventeis
Divorsei, cupide summeis ex viribu' tendunt,
Quom interea valideis Veneris compagibus hærent? [sent,
Quod facerent numquam, nisi mutua gaudia nôs-
Quæ jacere in fraudem possent vinctosque tenere.
Quare etiam atque etiam, ut dico, est communi' voluptas. 1204
Et commiscendo quom semine forte virili
Femina vim mulxit subita vi, corripuitque;
Tum simileis matrum materno semine fiunt,
Ut patribus patrio: sed quos utriusque figuræ
Esse vides juxtim, miscenteis volta parentum,
Corpore de patrio ac materno sanguine crescunt,
Semina quom, Veneris stimuleis excita per artus,
Obvia conflixit conspirans mutuus ardor,
Et neque utrum superavit eorum, nec superatum est.
Fit quoque, ut interdum simileis exsistere avorum 1214
Possint, et referant proavorum sæpe figuras;
Propterea quia multa modeis primordia multeis
Mixta suo celant in corpore sæpe parentes,
Quæ patribus patres tradunt a stirpe profecta:
Inde Venus varia producit sorte figuras, 1219
Majorumque refert voltus, vocesque, comasque.
Quandoquidem nihilo minus hæc de semine certo
Fiunt, quam facies, et corpora, membraque nobis:
Et muliebre oritur patrio de semine sæclum,
Maternoque mareis exsistunt corpore cretei.
Semper enim partus duplici de semine constat:
Atque utri simile est magis id, quodquomque creatur, 1226
Ejus habet plus parte æqua; quod cernere possis,
Sive virûm suboles, sive est muliebris origo.
Nec divina satum genitalem numina quoiquam
Absterrent, pater a nateis ne dulcibus umquam

Appelletur, et ut sterili Venere exigat ævom;
Quod plerumque putant, et multo sanguine mæstei
Conspergunt aras, adolentque altaria doneis,
Ut gravidas reddant uxores semine largo. 1234
Nequidquam divôm numen sorteisque fatigant.
Nam sterileis nimium crasso sunt semine partim,
Et liquido præter justum, tenuique vicissim.
Tenue, loceis quia non potis est affigere adhæsum,
Liquitur extemplo, et revocatum cedit abortu.
Crassius heic porro, quoniam concretius æquo
Mittitur, aut non tam prolixo provolat ictu,
Aut penetrare locos æque nequit,aut penetratum
Ægre admiscetur muliebri semine semen. 1243
Nam multum harmoniæ Veneris differre videntur:
Atque alias aliei complent magis, ex alieisque
Suscipiunt aliæ pondus magis, inque gravescunt;
Quom multæ sterileis Hymenæeis ante fuerunt
Pluribus, et nactæ post sunt tamen, unde puellos
Suscipere, et partu possent ditescere dulci; 1249
Et quibus ante domi fecundæ sæpe nequissent
Uxores parere, inventa est olleis quoque compar
Natura, ut possent nateis munire senectam.
Usque adeo magni refert, ut semina possint
Seminibus commisceri genitaliter apta, [seis.
Crassaque conveniant liquideis, et liquida cras-
Atque in eo refert, quo victu vita colatur: [breis,
Namque alieis rebus concrescunt semina mem-
Atque alieis extenuantur, tabentque vicissim.
Et quibus ipsa modeis tractetur blanda voluptas,
Id quoque permagni refert: nam more ferarum
Quadrupedumque magis ritu plerumque putantur 1261
Concipere uxores, quia sic loca sumere possunt,
Pectoribus positeis sublateis semina lumbeis.
Nec molles opu' sunt motus uxoribus hilum:
Nam mulier prohibet se concipere, atque repugnat, 1265
Clunibus ipsa viri Venerem si læta retractet;
Atque exossato ciet omni pectore fluctus.
Eicit enim sulcum recta regione viaque
Vomeris, atque loceis avortit seminis ictum.
Idque sua caussa consuêrunt scorta moveri,1270
Ne complerentur crebro, gravidæque jacerent,
Et simul ipsa vireis Venus ut concinnior esset;
Conjugibus quod nil nostreis opus esse videtur.
Nec divinitus interdum, Venerisque sagitteis,
Deteriore fit ut forma muliercula ametur: 1275
Nam facit ipsa sueis interdum femina facteis,
Morigereisque modeis, et mundo corpore culto,
Ut facile insuescat secum vir degere vitam.
Quod superest, consuetudo concinnat amorem.
Nam, leviter quamvis, quod crebro tunditur ictu,
Vincitur id longo spatio tamen, atque labascit.
Nonne vides etiam guttas in saxa cadenteis
Humoris longo in spatio pertundere saxa? 1283

LIBER QUINTUS.

Quis potis est dignum pollenti pectore carmen
Condere pro rerum majestate, heisque reperteis?
Quisve valet verbeis tantum, qui fingere laudes
Pro meriteis ejus possit, qui talia nobis
Pectore parta suo quæsitaque præmia liquit? 5
Nemo, ut opinor, erit mortali corpore cretus.
Nam si, ut ipsa petit majestas cognita rerum,
Dicundum est, Deus ille fuit, Deus, inclute Memmi,
Qui princeps vitæ rationem invenit eam, quæ
Nunc appellatur sapientia; quique per artem 10
Fluctibus e tanteis vitam, tanteisque tenebreis
In tam tranquillo, et tam clara luce locavit.
Confer enim divina aliorum antiqua reperta.
Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus instituisse; 15
Quom tamen heis posset sine rebus vita manere,
Ut fama est aliquas etiam nunc vivere genteis:
At bene non poterat sine puro pectore vivi.
Quo magis hic merito nobis Deus esse videtur,
Ex quo nunc etiam per magnas didita genteis 20
Dulcia permulcent animos solatia vitæ.
Herculis antistare autem si facta putabis,
Longius a vera multo ratione ferere.
Quid Nemeæus enim nobis nunc magnus hiatus
Ille leonis obesset, et horrens Arcadius sus? 25
Denique quid Cretæ taurus, Lernæaque pestis
Hydra venenateis posset vallata colubreis?
Quidve tripectora tergemini vis Geryonaï,
Et Diomedis equei spiranteis naribus ignem 29
Thracen, Bistoniasque plagas, atque Ismara propter,
Tantopere officerent nobis, unceisque timendæ
Unguibus Arcadiæ volucreis Stymphala colenteis:
Aureaque Hesperidum servans fulgentia mala
Asper, acerba tuens, immani corpore serpens,
Arboris amplexus stirpem; quid denique obesset
Propter Atlanteum litus, pelagique severa, 36
Quo neque noster adit quisquam, nec barbarus audet? [emta,
Cætera de genere hoc quæ sunt portenta per-
Si non victa forent, quid tandem viva nocerent?
Nil, ut opinor: ita ad satiatem terra ferarum 40
Nunc etiam scatit, et trepido terrore repleta est,
Per nemora, ac monteis magnos, sylvasque profundas:
Quæ loca vitandi plerumque est nostra potestas.
At nisi purgatum est pectus, quæ prœlia nobis
Atque pericula sunt ingratis insinuandum? 45
Quantæ tum scindunt hominem cupedinis acreis
Solicitum curæ, quanteique perinde timores?
Quidve superbia,spurcitia,ac petulantia, quantas
Efficiunt cladeis? quid luxus desidiæque?
Hæc igitur qui cuncta subegerit, ex animoque
Expulerit dicteis, non armeis, nonne decebit 51
Hunc hominem numero divôm dignarier esse?
Quom bene præsertim multa ac divinitus ipseis
Jam mortalibu' de diveis dare dicta suërit,
Atque omnem rerum naturam pandere dicteis. 55
Quojus ego ingressus vestigia, dum rationes
Persequor, ac doceo dicteis, quo quæque creata
Fædere sint, in eo quam sit durare necessum,
Nec validas valeant ævi rescindere leges.
Quo genere in primeis animi natura reperta est
Nativo primum consistere corpore creta; 61
Nec posse incolomem magnum durare per ævom:
Sed simulacra solere in somneis fallere mentem,
Cernere quom videamur eum,quem vita reliquit.
Quod superest, nunc huc rationis detulit ordo,
Ut mihi mortali consistere corpore mondum, 66
Nativumque simul, ratio reddunda sit, esse:

Et quibus ille modeis congressus materiaï
Fundârit terram, cœlum, mare, sidera, solem,
Lunaïque globum : tum quæ tellure animanteis
Exstiterint, et quæ nullo sint tempore natæ : 71
Quove modo genus humanum variante loquela
Cœperit inter se vesci per nomina rerum :
Et quibus ille modeis divôm metus insinuârit
Pectora, terrarum qui in orbi sancta tuetur 75
Fana, lacus, lucos, aras, simulacraque divôm.
Præterea, solis cursus lunæque meatus
Expediam qua vi flectat Natura gubernans :
Ne forte hæc inter cœlum terramque reamur
Libera sponte sua cursus lustrare perenneis, 80
Morigera ad frugeis augendas atque animanteis ;
Neve aliqua divôm volvi ratione putemus.
Nam bene quei didicere, deos securum agere ævom,
Si tamen interea mirantur, qua ratione
Quæque geri possint, præsertim rebus in olleis 85
Quæ supra caput ætherieis cernuntur in oreis ;
Rursus in antiquas referuntur religiones,
Et dominos acreis adsciscunt, omnia posse
Quos miserei credunt ; ignarei quid queat esse,
Quid nequeat ; finita potestas denique quoique 90
Quanam sit ratione, atque alte terminus hærens.
Quod superest, ne te in promisseis plura moremur,
Principio maria, ac terras, cœlumque tuere :
Horum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
Treis species tam dissimileis, tria talia texta, 95
Una dies dabit exitio ; multosque per annos
Sustentata ruet moles et machina mondi.
Nec me animi fallit, quam res nova miraque menti
Accidat exitium cœli terræque futurum,
Et quam difficile id mihi sit pervincere dicteis :
Ut fit, ubi insolitam rem apportes auribus ante,
Nec tamen hanc possis oculorum subdere visu,
Nec jacere indu manus, via qua munita fidei
Proxuma fert humanum in pectus templaque mentis. 104
Sed tamen effabor : dicteis dabit ipsa fidem res
Forsitan, et graviter terrarum, motibus orteis,
Omnia conquassari in parvo tempore cernes :
Quod procul a nobis flectat Fortuna gubernans ;
Et ratio potius, quam res persuadeat ipsa, 109
Succidere horrisono posse omnia victa fragore.
Qua prius aggrediar quam de re fundere fata
Sanctius, et multo certa ratione magis, quam
Pythia, quæ tripode e Phœbi lauroque profatur ;
Multa tibi expediam docteis solatia dicteis ;
Religione refrenatus ne forte rearis, 115
Terras, et solem, cœlum, mare, sidera, lunam,
Corpore divino, debere æterna meare ;
Proptereaque putes ritu par esse gigantum
Pendere eos pœnas immani pro scelere omneis,
Quei ratione sua disturbent mœnia mondi, 120
Præclarumque velint cœli restinguere solem,
Immortalia mortali sermone notanteis :
Quæ procul usque adeo divino ab numine distent,
Inque deûm numero quæ sint indigna videri ;
Notitiam potius præbere ut posse putentur, 125
Quid sit vitali motu sensuque remotum.
Quippe etenim non est, cum quovis corpore ut esse
Posse animi natura putetur consiliumque :
Sicut in æthere non arbor, nec in æquore salso
Nubeis esse queunt, neque pisceis vivere in arveis, 130
Nec cruor in ligneis, nec saxeis sucus inesse :
Certum ac dispositum est, ubi quidquid crescat et insit :
Sic animi natura nequit sine corpore oriri
Sola, neque a nerveis et sanguine longius esse.
Quod si posset enim, multo prius ipsa animi vis
In capite, aut humereis, aut imeis calcibus esse
Posset, et innasci quavis in parte soleret, 137
Quamde in eodem homine atque in eodem vase manere. [certum,
Quod quoniam nostro quoque constat corpore
Dispositumque videtur ubi esse et crescere possit
Seorsum anima atque animus ; tanto magis inficiandum, [lem,
Totum posse extra corpus, formamque anima-
Putribus in glebeis terrarum, aut solis in igni,
Aut in aqua durare, aut alteis ætheris oreis.
Haud igitur constant divino prædita sensu, 145
Quandoquidem nequeunt vitaliter esse animata.
Ollud item non est ut possis credere, sedeis
Esse deûm sanctas in mondi partibus ulleis.
Tenuis enim natura deûm, longeque remota 149
Sensibus ab nostreis, animi vix mente videtur.
Quæ quoniam manuum tactum suffugit et ictum,
Tactile nil nobis quod sit, contingere debet ;
Tangere enim non quit, si tangi non licet ipsum.
Quare etiam sedeis quoque nostreis sedibus esse
Dissimileis debent, tenueis, de corpore eorum :
Quæ tibi posterius largo sermone probabo. 156
Dicere porro, hominum caussa voluisse parare
Præclaram mondi naturam, proptereaque
Allaudabile opus divôm laudare decere,
Æternumque putare atque immortale futurum.
Nec fas esse, deûm quod sit ratione vetusta 161
Gentibus humaneis fundatum perpetuo ævo,
Solicitare sueis ulla vi ex sedibus umquam,
Nec verbeis vexare, et ab imo evortere summa :
Cætera de genere hoc affingere et addere, Memmi, 165
Desipere est : quid enim immortalibus atque beateis
Gratia nostra queat largirier emolumenti,
Ut nostra quidquam caussa gerere aggrediantur ?
Quidve novi potuit tanto post ante quietos
Illicere, ut cuperent vitam mutare priorem ? 170
Nam gaudere noveis rebus debere videtur,
Quoi veteres obsunt ; sed quoi nihil accidit ægri
Tempore in anteacto, quom pulcre degeret ævom,
Quid potuit novitatis amorem accendere tali ?
An, credo, in tenebreis vita ac mœrore jacebat,
Donec diluxit rerum genitalis origo ? 176
Quidve mali fuerat nobis non esse createis ?
Natus enim debet, quiquomque est, velle manere
In vita, donec retinebit blanda voluptas :
Qui numquam vero vitæ gustavit amorem, 180
Nec fuit in numero, quid obest non esse creatum ?
Exemplum porro gignundeis rebus, et ipsa
Notities hominum dîs unde est insita primum,
Quid vellent facere, ut scirent, animoque viderent ?
Quove modo est umquam vis cognita principiorum, 185
Quidque inter sese permutato ordine possent,
Si non ipsa dedit specimen Natura creandi ?
Namque ita, multimodeis, multeis primordia rerum
Ex infinito jam tempore percita plageis, 189
Ponderibusque sueis consuêrunt concita ferri,
Omnimodeisque coire, atque omnia pertentare,
Quæquomque inter se possint congressa creare ;
Ut non sit mirum, si in taleis dispositurâs

Deciderunt quoque, et in taleis venere meatus,
Qualibus hæc rerum geritur nunc summa novando. [sint,
Quod si jam rerum ignorem primordia quæ
Hoc tamen ex ipseis cœli rationibus ausim 197
Confirmare, alieisque ex rebus reddere multeis,
Nequaquam nobis divinitus esse paratam
Naturam rerum; tanta stat prædita culpa. 200
Principio, quantum cœli tegit impetus ingens,
Inde avidam partem monteis sylvæque ferarum
Possedere, tenent rupeis, vastæque paludes,
Et mare, quod late terrarum distinet oras.
Inde duas porro prope parteis fervidus ardor 205
Assiduusque geli casus mortalibus aufert.
Quod superest arvi, tamen id natura sua vi
Sentibus obducat, ni vis humana resistat,
Vitaï caussa valido consueta bidenti 209
Ingemere, et terram presseis proscindere aratreis:
Si non fecundas vortenteis vomere glebas,
Terraïque solum subigenteis, cimus ad ortus,
Sponte sua nequeant liquidas exsistere in auras.
Et tamen interdum, magno quæsita labore 214
Quom jam per terras frondent atque omnia florent,
Aut nimieis torret fervoribus ætherius sol,
Aut subitei perimunt imbreis, gelidæque pruinæ,
Flabraque ventorum violento turbine vexant.
Præterea genus horriferum Natura ferarum,
Humanæ genti infestum, terraque marique 220
Quur alit atque auget? quur anni tempora morbos
Apportant? quare Mors immatura vagatur?
Tum porro puer, ut sæveis projectus ab undeis
Navita, nudus humi jacet, infans, indigus omni
Vitali auxilio, quom primum in luminis oras 225
Nixibus ex alvo matris Natura profudit;
Vagituque locum lugubri complet, ut æquum est,
Quoi tantum in vita restet transire malorum.
At variæ crescunt pecudes, armenta, feræque:
Nec crepitacilleis opus est, nec quoiquam adhibenda est 230
Almæ nutricis blanda atque infracta loquela;
Nec varias quærunt vesteis pro tempore cœli;
Denique non armeis opus est, non mœnibus alteis,
Queîs sua tutentur, quando omnibus omnia large
Tellus ipsa parit, Naturaque dædala rerum. 235
Principio, quoniam terraï corpus, et humor,
Aurarumque leveis animæ, calideique vapores,
E quibus hæc rerum consistere summa videtur,
Omnia nativo ac mortali corpore constant;
Debet eodem omnis mondi natura putari. [mus,
Quippe etenim, quorum parteis et membra vide-
Corpore nativo, in mortalibus esse figureis,
Hæc eadem ferme mortalia cernimus esse,
Et nativa simul: quapropter maxuma mundi
Quom videam membra ac parteis, consumta, regigni, 245
Scire licet, cœli quoque idem terræque fuisse
Principiale aliquod tempus, clademque futuram.
Ollud in heis rebus ne corripuisse rearis,
Memmi, quod terram atque ignem mortalia sumsi
Esse, neque humorem dubitavi aurasque perire,
Atque eadem gigni rursusque augescere dixi:
Principio, pars terraï nonnulla, perusta
Solibus assidueis, multa pulsata pedum vi,
Polveris exhalat nebulam nubeisque volanteis,
Quas validei toto dispergunt aëre ventei: 255
Pars etiam glebarum ad diluviem revocatur
Imbribus, et ripas radentia flumina rodunt.
Præterea, pro parte sua, quodquomque alid auget,
Roditur: et quoniam dubio procul esse videtur
Omniparens eadem rerum commune sepulcrum;
Ergo terra tibi libatur, et aucta recrescit. 261
Quod superest, humore novo mare, flumina, fonteis
Semper abundare, et latices manare perenneis,
Nil opus est verbeis; magnus decursus aquarum
Undique declarat: sed primum, quidquid aquaï
Tollitur, in summaque fit, ut nihil humor abundet;
Partim quod validei verrenteis æquora ventei
Deminuunt, radieisque retexens ætherius sol;
Partim quod subter per terras diditur omneis.
Percolatur enim virus, retroque remanat 270
Materies humoris, et ad caput amnibus omnis
Convenit; inde super terras fluit agmine dulci,
Qua via secta semel liquido pede detulit undas.
Aëra nunc igitur dicam, quid corpore toto
Innumerabiliter privas mutatur in horas: 275
Semper enim, quodquomque fluit de rebus, id omne
Aëris in magnum fertur mare; qui nisi contra
Corpora retribuat rebus, recreetque fluenteis,
Omnia jam resoluta forent, et in aëra vorsa.
Haud igitur cessat gigni de rebus, et in res 280
Recidere assidue, quoniam fluere omnia constat.
Largus item liquidi fons luminis, ætherius sol,
Irrigat assidue cœlum candore recenti,
Suppeditatque novo confestim lumine lumen.
Nam primum quidquid fulgoris disperit ei, 285
Quoquomque accidit: id licet heinc cognoscere possis,
Quod, simul ac primum nubeis succedere soli
Cœpere, et radios inter quasi rumpere lucis,
Extemplo inferior pars horum disperit omnis,
Terraque inumbratur, qua nimbei quomque feruntur; 290
Ut noscas, splendore novo res semper egere,
Et primum jactum fulgoris quemque perire;
Nec ratione alia res posse in sole videri,
Perpetuo ni suppeditet lucis caput ipsum. 294
Quin etiam nocturna tibei terrestria quæ sunt
Lumina, pendenteis lychnei, claræque corusceis
Fulguribus, pingueis multa fuligine tedæ,
Consimili properant ratione, ardore ministro,
Suppeditare novum lumen, tremere ignibus instant; 299
Instant, nec loca lux inter quasi rupta relinquit:
Usque adeo properantur ab omnibus ignibus ei
Exitium celeri celeratur origine flammæ.
Sic igitur solem, lunam, stellasque putandum
Ex alio atque alio lucem jactare subortu, 304
Et primum quidquid flammarum perdere semper;
Inviolabilia hæc ne credas forte vigere. [ævo?
Denique, non lapides quoque vinci cernis ab
Non altas turreis ruere, et putrescere saxa?
Non delubra deûm simulacraque fessa fatisci?
Nec sanctum numen fati protollere fineis 310
Posse, neque advorsus naturæ fœdera niti? [mus?
Denique, non monimenta virûm dilapsa vide-
Quærere proporro sibi quomque senescere credas.
Non ruere avolsos silices a montibus alteis,
Nec validas ævi vireis perferre patique 315
Finiti? neque enim caderent avolsa repente,
Ex infinito quæ tempore pertolerâssent
Omnia tormenta ætatis, privata fragore. [omne
Denique, jam tuere hoc circum supraque, quod
Continet amplexu terrarum, procreat ex se 320
Omnia, quod queidam memorant, recipitque peremta:

Totum nativum mortali corpore constat.
Nam quodquomque alias ex se res auget alitque,
Deminui debet; recreari, quom recipit res.
Præterea, si nulla fuit genitalis origo 325
Terrarum et cœli, semperque æterna fuere;
Quur supra bellum Thebanum, et funera Trojæ,
Non alias aliei quoque res cecinere poëtæ? [quam
Quo tot facta virûm totiens cecidere, neque us-
Æterneis famæ monimenteis insita florent? 330
Verum, ut opinor, habet novitatem summa, recensque
Natura est mondi, neque pridem exordia cepit.
Quare etiam quædam nunc arteis expoliuntur,
Nunc etiam augescunt: nunc addita navigieis sunt
Multa; modo organicei melicos peperere sonores.
Denique natura hæc rerum ratioque reperta est
Nuper; et hanc, primus cum primeis ipse repertus
Nunc ego sum, in patrias qui possim vortere voces.
Quod si forte fuisse antehac eadem omnia credis,
Sed periisse hominum torrenti sæcla vapore, 340
Aut cecidisse urbeis magno vexamine mundi,
Aut ex imbribus assidueis exîsse rapaceis
Per terras amneis, atque oppida cooperuisse;
Tanto quique magis victus fateare necesse est,
Exitium quoque terrarum cœlique futurum. 345
Nam, quom res tanteis morbeis tanteisque pericleis
Tentarentur, ibei si tristior incubuisset
Caussa, darent late cladem magnasque ruinas.
Nec ratione alia mortaleis esse videmur 349
Inter nos, nisi quod morbeis ægrescimus îsdem
Atque ollei, quos a vita natura removit.
Præterea, quæquomque manent æterna, necessum est [tus,
Aut, quia sunt solido cum corpore, respuere ic-
Nec penetrare pati sibi quidquam, quod queat artas
Dissociare intus parteis; ut materiaï 355
Corpora sunt, quorum naturam ostendimus ante;
Aut ideo durare ætatem posse per omnem,
Plagarum quia sunt expertia, sicut inane est,
Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum;
Aut etiam quia nulla loci sit copia circum, 360
Quo quasi res possint discedere, dissolvique:
Sicut summarum summa est æterna, neque extra
Quis locus est, quo dissiliant, neque corpora sunt, quæ
Possint incidere, et valida dissolvere plaga. 364
At neque, utei docui, solido cum corpore mundi
Natura est, quoniam admixtum est in rebus inane;
Nec tamen est ut inane: neque autem corpora desunt,
Ex infinito quæ possint forte coorta
Corruere hanc rerum violento turbine summam,
Aut aliam quamvis cladem importare pericli. 370
Nec porro natura loci spatiumque profundi
Deficit, expergi quo possint mœnia mundi;
Aut alia quavis possunt vi pulsa perire.
Haud igitur leti præclusa est janua cœlo, 374
Nec soli, terræque, neque alteis æquoris undeis;
Sed patet immane, et vasto respectat hiatu.
Quare etiam nativa necessum est confiteare
Hæc eadem: neque enim, mortali corpore quæ sunt,
Ex infinito jam tempore adhuc potuissent
Immensi validas ævi contemnere vireis. [mundi
Denique, tantopere inter se quom maxuma
Pugnent membra, pio nequaquam concita bello;
Nonne vides aliquam longi certaminis olleis
Posse dari finem? vel quom sol et vapor omnis,
Omnibus epoteis humoribus, exsuperârint, 385
Quod facere intendunt, neque adhuc conata patrantur:
Tantum suppeditant amneis, ultroque minantur
Omnia diluviare ex alto gurgite ponti:
Nequidquam; quoniam verrenteis æquora ventei
Deminuunt, radieisque retexens ætherius sol;
Et siccare prius confidunt omnia posse, 391
Quam liquor incepti possit contingere finem.
Tantum spiranteis æquo certamine bellum
Magneis de rebus inter se cernere certant;
Quom semel interea fuerit superantior ignis, 395
Et semel, ut fama est, humor regnârit in arveis.
Ignis enim superavit, et ambens multa perussit,
Avia quom Phaëthonta rapax vis solis equorum
Æthere raptavit toto, terrasque per omneis.
At pater omnipotens ira tum percitus acri 400
Magnanimum Phaëthonta repenti fulminis ictu
Deturbavit equeis in terram; Solque, cadenti
Obvius, æternam suscepit lampada mundi,
Disjectosque redegit equos, junxitque trementeis;
Inde suum per iter recreavit cuncta gubernans;
Scilicet ut veteres Graiûm cecinere poëtæ: 406
Quod procul a vera nimis est ratione repulsum.
Ignis enim superare potest, ubi materiaï
Ex infinito sunt corpora plura coorta;
Inde cadunt vireis, aliqua ratione revictæ; 410
Aut pereunt res exustæ torrentibus aureis.
Humor item quondam cœpit superare coortus,
Ut fama est, hominum multos quando obruit undeis.
Inde ubi vis aliqua ratione avorsa recessit,
Ex infinito fuerat quæquomque coorta, 415
Constiterunt imbreis, et flumina vim minuerunt.
Sed quibus ille modeis conjectus materiaï
Fundârit terram, et cœlum, pontique profunda,
Solis, lunaï cursus, ex ordine ponam.
Nam certe neque consilio primordia rerum
Ordine se suo quæque sagaci mente locârunt,
Nec, quos quæque darent motus, pepigere profecto. 422
Sed quia multa modeis multeis primordia rerum,
Ex infinito jam tempore percita plageis,
Ponderibusque sueis consuêrunt concita ferri,
Omnimodeisque coire, atque omnia pertentare,
Quæquomque inter se possent congressa creare;
Propterea fit, utei, magnum volgata per ævom,
Omnigenos cœtus et motus experiundo, 429
Tandem conveniant ea, quæ conventa repente
Magnarum rerum fiunt exordia sæpe,
Terraï, maris, et cœli, generisque animantum.
Heic neque tum solis rota cerni lumine largo
Altivolans poterat, nec magni sidera mundi, 434
Nec mare, nec cœlum, nec denique terra, nec aër,
Nec similis nostreis rebus res ulla videri.
Sed nova tempestas quædam molesque coorta:
Diffugere inde loci parteis cœpere, pareisque
Cum paribus jungi res, et discludere mundum,
Membraque dividere, et magnas disponere parteis
Omnigeneis e principieis; discordia quorum 441
Intervalla, vias, connexus, pondera, plagas,
Concursus, motus conturbât prœlia miscens,
Propter dissimileis formas variasque figuras;
Quod non omnia sic poterant conjuncta manere,

Nec motus inter sese dare convenienteis. 446
Hoc est a terreis altum secernere cœlum,
Et seorsum mare utei secreto humore pateret,
Seorsus item purei secreteique ætheris igneis.
Quippe etenim primum terraï corpora quæque,
Propterea quod erant gravia et perplexa, coibant
In medio, atque imas capiebant omnia sedeis:
Quæ, quanto magis inter se perplexa coibant,
Tam magis expressere ea, quæ mare, sidera, solem, 454
Lunamque efficerent, et magni mœnia mundi.
Omnia enim magis hæc e levibus atque rotundeis
Seminibus, multoque minoribu' sunt elementeis
Quam tellus: ideo per rara foramina terræ
Partibus erumpens primus se sustulit æther
Ignifer, et multos secum levis abstulit igneis: 460
Non alia longe ratione ac sæpe videmus,
Aurea quom primum gemmanteis rore per herbas
Matutina rubent radiati lumina solis, [neis,
Exhalantque lacus nebulam, fluvieique peren-
Ipsaque et interdum tellus fumare videtur. 465
Omnia quæ sursum quom conciliantur in alto
Corpore concreto, subtexunt nubila cœlum.
Sic igitur tum se levis ac diffusilis æther
Corpore concreto circumdatus undique sepsit,
Et late diffusus in omneis undique parteis, 470
Omnia sic avido complexu cætera sepsit.
Hunc exordia sunt solis lunæque sequuta, et
Inter utrasque globei quorum vortuntur in aureis;
Quæ neque terra sibi adscivit, nec maxumus æther, [derent, 474
Quod neque tam fuerint gravia, ut depressa se-
Nec levia, ut possent per summas labier oras;
Et tamen inter utrasque ita sunt, ut corpora viva
Vorsent, et parteis ut mundi totius exstent.
Quod genus, in nobis quædam licet in statione
Membra manere, tamen quom sint ea quæ moveantur. 480
Heis igitur rebus retracteis, terra repente
Maxuma, qua nunc se ponti plaga cærula tendit,
Succidit, et salso suffodit gurgite fossas:
Inque dies quanto circum magis ætheris æstus
Et radiei solis cogebant undique terram 485
Verberibus crebreis, extrema ad limina apertam,
In medio ut propulsa suo condensa coiret;
Tam magis expressus salsus de corpore sudor
Augebat mare manando, camposque natanteis;
Et tanto magis olla foras elapsa volabant 490
Corpora multa vaporis, et aëris; altaque cœli
Densabant procul a terreis fulgentia templa;
Sidebant campei; crescebant montibus alteis
Ascensus; neque enim poterant subsidere saxa,
Nec pariter tantumdem omneis succumbere parteis. 495
Sic igitur terræ concreto corpore pondus
Constitit, atque omnis mundi quasi limus in imum
Confluxit gravis, et subsedit funditus ut fæx.
Inde mare, inde aër, inde æther ignifer ipse
Corporibus liquideis sunt omnia pura relicta;
Et leviora alieis alia; et liquidissimus æther 501
Atque levissimus aërias super influit auras;
Nec liquidum corpus turbantibus aëris auras
Commisci; sinit hæc violenteis omnia vorti
Turbinibus, sinit incerteis turbare procelleis;
Ipse suos igneis certo fert impete labens. 506
Nam modice fluere atque uno posse æthera nixu
Significat ponto mare, certo quod fluit æstu,
Unum labundi conservans usque tenorem. [mus.
Motibus astrorum nunc quæ sit caussa cana-
Principio, magnus cœli si vortitur orbis, 511
Ex utraque polum parti premere aëra nobis [que:
Dicundum est, extraque tenere, et cludere utrim-
Inde alium supra fluere, atque intendere eodem,
Quo volvunda micant externi sidera mundi: 515
Ast alium subter, contra qui subvehat orbem:
Ut fluvios versare rotas atque haustra videmus.
Est etiam quoque, utei possit cœlum omne manere
In statione, tamen quom lucida signa ferantur:
Sive quod inclusei rapidi sunt ætheris æstus, 520
Quærenteisque viam circumvorsantur, et igneis
Passim per cœli volvunt immania templa;
Sive aliunde fluens aliquunde extrinsecus aër
Vorsat agens igneis; sive ipsei serpere possunt,
Quo quojusque cibus vocat atque invitat eunteis,
Flammea per cœlum pascenteis corpora passim.
Nam quid in hoc mundo sit eorum, ponere certum
Difficile est: sed quid possit fiatque per omne
In varieis mundeis, varia ratione createis, 529
Id doceo; plureisque sequor disponere caussas
Motibus astrorum, quæ possint esse per omne:
E quibus una tamen sit et hæc quoque caussa necesse est,
Quæ vegeat motum signeis; sed, quæ sit earum,
Præcipere, haudquaquam est pedetentim progredientis. 534
Terraque ut in media mondi regione quiescat,
Evanescere paullatim et decrescere pondus
Convenit; atque aliam naturam subter habere,
Ex ineunte ævo conjunctam, atque uniter aptam
Partibus aërieis mundi, quibus insita vivit. 539
Propterea non est oneri, neque deprimit auras;
Ut sua quoique homini nullo sunt pondere membra,
Nec caput est oneri collo, nec denique totum
Corporis in pedibus pondus sentimus inesse.
At quæquomque foreis veniunt, impostaque nobis
Pondera sunt, lædunt permulto sæpe minora: 545
Usque adeo magni refert, quid quæque queat res.
Sic igitur tellus non est aliena repente
Allata, atque aureis aliunde objecta alieneis;
Sed pariter prima concepta ab origine mondi,
Certaque pars ejus, quasi nobis membra videntur.
Præterea, grandi tonitru concussa repente 551
Terra, supra se quæ sunt, concutit omnia motu;
Quod facere haud ulla posset ratione, nisi esset
Partibus aërieis mundi cœloque revincta:
Nam communibus inter se radicibus hærent, 555
Ex ineunte ævo conjuncta atque uniter aucta.
Nonne vides etiam, quam magno pondere nobis
Sustineat corpus tenuissima vis animaï, [est?
Propterea, quia tam conjuncta atque uniter apta
Denique, jam saltu pernici tollere corpus 560
Quis potis est, nisi vis animæ, quæ membra gubernat?
Jamne vides, quantum tenuis natura valere
Possit, ubi est conjuncta gravi cum corpore; ut aër
Conjunctus terreis, et nobis est animi vis? 564
Nec nimio solis major rota, nec minor ardor
Esse potest, nostreis quam sensibus esse videtur.
Nam quibus e spatieis quomque igneis lumina possunt
Allicere, et calidum membreis affiare vaporem,
Nil missus intervalleis de corpore librant 569
Flammarum, nihil ad speciem est contractior ignis.
Proinde, calor quoniam solis lumenque profusum
Perveniunt nostros ad sensus, et loca fulgent,
Forma quoque heinc solis debet filumque videri,
Nil adeo ut possis plus aut minus addere vera.

Lunaque, sive notho fertur loca lumine lustrans,
Sive suo proprio jactat de corpore lucem, 576
Quidquid id est, nihilo fertur majore figura, [tur.
Quam nostreis oculeis, qua cernimus, esse vide-
Nam prius omnia, quæ longe semota tuemur
Aëra per multum, specie confusa videntur, 580
Quam minui filum : quapropter luna necesse est,
Quandoquidem claram speciem certamque figuram
Præbet, ut est oreis extremeis quomque notata,
Quantaque quanta est, heinc nobis videatur, in alto. [igneis, 584
Postremo, quosquomque vides heinc ætheris
Quandoquidem, quosquomque in terreis cernimus igneis, [eorum,
Dum tremor est clarus, dum cernitur ardor
Perparvum quiddam interdum mutare videtur
Alteram utram in partem filum, quo longius absit;
Scire licet, perquam pauxillo posse minores 590
Esse, vel exigua majores parte brevique.
Ollud item non est mirandum, qua ratione
Tantulus ille queat tantum sol mittere lumen,
Quod maria ac terras omneis cœlumque rigando
Compleat, et calido perfundat cuncta vapore.
Nam licet heinc mundi patefactum totius unum
Largifluum fontem scatere, atque erumpere lumen,
Ex omni mundo quia sic elementa vaporis
Undique conveniunt, et sic conjectus eorum 599
Confluit, ex uno capite hic ut profluat ardor.
Nonne vides etiam, quam late parvus aquaï
Prata riget fons interdum, campeisque redundet?
Est etiam quoque, utei non magno solis ab igni
Aëra percipiat calideis fervoribus ardor;
Opportunus ita est si forte et idoneus aër, 605
Ut queat accendi parveis ardoribus ictus : [mus
Quod genus interdum segetes stipulamque vide-
Accipere ex una scintilla incendia passim.
Forsitan et rosea sol alte lampade lucens
Possideat multum cæceis fervoribus ignem 610
Circum se, nullo qui sit fulgore notatus,
Æstifer in tantum radiorum exaugeat ictum.
Nec ratio solis simplex aut recta patescit,
Quo pacto æstiveis e partibus Ægocerotis
Brumaleis adeat flexus, atque inde revortens
Canceris ut vortat metas ad solstitialeis : 616
Lunaque mensibus id spatium videatur obire,
Annua sol in quo consumit tempora cursu : [est.
Non, inquam, simplex heis rebus reddita caussa
Nam fieri vel cum primeis id posse videtur, 620
Democriti quod sancta viri sententia ponit :
Quanto quæque magis sint terram sidera propter,
Tanto posse minus cum cœli turbine ferri :
Evanescere enim rapidas ollius, et acreis
Imminui subter vireis; ideoque relinqui 625
Paullatim solem cum posterioribu' signeis,
Inferior multum quod sit quam fervida signa :
Et magis hoc lunam, quanto demissior ejus [quat,
Cursus abest procul a cœlo, terreisque propin-
Tanto posse minus cum signeis tendere cursum.
Flaccidiore etiam quanto jam turbine fertur 631
Inferior, quam sol, tanto magis omnia signa
Hanc adipiscuntur circum, præterque feruntur.
Propterea fit, ut hæc ad signum quodque revorti
Mobilius videatur, ad hanc quia signa revisunt.
Fit quoque, et e mundi transvorseis partibus aër
Alterneis certo fluere alter tempore possit,
Qui queat æstiveis solem detrudere signeis
Brumaleis usque ad flexus gelidumque rigorem,
Et qui rejiciat gelideis ab frigoris umbreis 640
Æstiferas usque in parteis et fervida signa.
Et ratione pari lunam stellasque putandum est,
Quæ volvunt magnos in magneis orbibus annos,
Aëribus posse alterneis e partibus ire.
Nonne vides etiam divorseis nubila venteis 645
Divorsas ire in parteis, inferna superneis?
Quî minus olla queant per magnos ætheris orbeis
Æstibus inter se divorseis sidera ferri?
At nox obruit ingenti caligine terras,
Aut ubi de longo cursu sol ultima cœli 650
Impulit, atque suos afflavit languidus igneis,
Concussos itere, et labefactos aëre multo :
Aut quia sub terras cursum convortere cogit
Vis eadem, supra terras quæ pertulit, orbem.
Tempore item certo roseam Matuta per oras
Ætheris auroram defert, et lumina pandit; 656
Aut quia sol idem sub terras ille, revortens,
Anticipat cœlum radieis accendere tentans;
Aut quia conveniunt igneis, et semina multa
Confluere ardoris consuêrunt tempore certo, 660
Quæ faciunt solis nova semper lumina gigni.
Quod genus Idæeis fama est e montibus alteis
Dispersos igneis orienti lumine cerni, [orbem.
Inde coire globum quasi in unum, et conficere
Nec tamen ollud in heis rebus mirabile debet
Esse, quod hæc ignis tam certo tempore possint
Semina confluere, et solis reparare nitorem.
Multa videmus enim certo quæ tempore fiunt
Omnibus in rebus : florescunt tempore certo
Arbusta, et certo dimittunt tempore florem. 670
Nec minus in certo denteis cadere imperat ætas
Tempore, et impubem molli pubescere veste,
Et pariter mollem maleis demittere barbam.
Fulmina postremo, nix, imbreis, nubila, ventei,
Non nimis incerteis fiunt in partibus anni. 675
Namque, ubi sic fuerunt caussarum exordia prima,
Atque uti res mondi cecidere ab origine prima,
Consequiæ quodque est jam rerum ex ordine certo.
Crescere itemque dies licet, et tabescere nocteis,
Et minui luces, quom sumant augmina nocteis;
Aut quia sol idem sub terras atque superne 681
Imparibus currens amfractibus, ætheris oras
Partit, et in parteis non æquas dividit orbem;
Et quod ab alterutra detraxit parte, reponit
Ejus in advorsa tanto plus parte relatus; 685
Donec ad id signum cœli pervenit, ubi anni
Nodus nocturnas exæquat lucibus umbras :
(Nam medio cursu flatus Aquilonis et Austri
Distinet æquato cœlum discrimine metas,
Propter signiferi posituram totius orbis; 690
Annua sol in quo contundit tempora serpens,
Obliquo terras et cœlum lumine lustrans;
Ut ratio declarat eorum, quei loca cœli
Omnia dispositeis signeis ornata notârunt:)
Aut, quia crassior est certeis in partibus aër, 695
Sub terreis ideo tremulum jubar hæsitat igni,
Nec penetrare potest facile atque emergere ad ortus;
Propterea nocteis hiberno tempore longæ
Cessant, dum veniat radiatum insigne diei :
Aut etiam quia sic alterneis partibus anni 700
Tardius et citius consuêrunt confluere igneis,
Quei faciunt solem certa de surgere parte.
Luna potest solis radieis percussa nitere,
Inque dies majus lumen convortere nobis
Ad speciem, quantum solis secedit ab orbe, 705
Donec eum contra pleno bene lumine fulsit,
Atque oriens obitus ejus super edita vidit :

Inde minutatim retro quasi condere lumen
Debet item, quanto propius jam solis ad ignem
Labitur ex alia signorum parte per orbem: 710
Ut faciunt, lunam quei fingunt esse pilaï
Consimilem, cursusque viam sub sole tenere:
Propterea fit, utei videantur dicere verum.
Est etiam quare proprio cum lumine possit
Volvier, et varias splendoris reddere formas. 715
Corpus enim licet esse aliud, quod fertur, et una
Labitur, omnimodeis occursans officiensque,
Nec potis est cerni, quia cassum lumine fertur;
Vorsarique potest, globus ut si forte pilaï
Dimidia ex parti candenti lumine tinctus, 720
Vorsandoque globum varianteis edere formas.
Denique, eam partem, quæquomque est ignibus aucta,
Ad speciem vortit nobis, oculosque patenteis:
Inde minutatim retro contorquet, et aufert,
Luciferam partem glomeraminis atque pilaï; 725
Ut Babylonica Chaldæûm doctrina, refutans
Astrologorum artem, contra convincere tendit:
Proinde quasi id fieri nequeat, quod pugnat uterque,
Aut minus hoc ollo sit quur amplectier ausis.
Denique, quur nequeat semper nova luna creari
Ordine formarum certo, certeisque figureis, 731
Inque dies privos aborisci quæque creata,
Atque alia ollius reparari in parte locoque,
Difficile est ratione docere, et vincere verbeis;
Ordine quom videas tam certo multa creari. 735
It Ver, et Venus; et Veris prænuntius ante
Pennatus graditur Zephyrus, vestigia propter
Flora quibus mater præspergens ante viaï
Cuncta coloribus egregieis et odoribus opplet.
Inde loci sequitur Calor aridus, et comes una 740
Polverulenta Ceres, et Etesia flabra Aquilonum.
Inde Auctumnus adit: graditur simul Evius Evan:
Inde aliæ Tempestates Venteique sequuntur,
Altitonans Vulturnus, et Auster fulmine pollens.
Tandem Bruma niveis affert, pigrumque rigorem
Reddit; Hiems sequitur, crepitans ac dentibus Algus. 746
Quo minus est mirum, si certo tempore luna
Gignitur, et certo deletur tempore rursus;
Quom fieri possint tam certo tempore multa.
Solis item quoque defectus, lunæque latebras
Pluribus e causseis fieri tibi posse putandum est.
Nam quur luna queat terram secludere, poscis,
Lumine, et a terreis altum caput obstruere ei,
Objiciens cæcum radieis ardentibus orbem? 754
Tempore eodem aliud facere id non posse putetur
Corpus, quod cassum labatur lumine semper?
Solque suos etiam dimittere languidus igneis
Tempore quur certo nequeat, recreareque lumen,
Quom loca præteriit flammeis infesta per auras,
Quæ faciunt igneis interstingui atque pariri? 760
Et quur terra queat lunam spoliare vicissim
Lumine, et oppressum solem super ipsa tenere,
Menstrua dum rigidas coni perlabitur umbras;
Tempore eodem aliud nequeat succurrere lunæ
Corpus, vel supra solis perlabier orbem, 765
Quod radios interrumpat, lumenque profusum?
Et tamen, ipsa suo si fulget luna nitore,
Quur nequeat certa mundi languescere parte,
Dum loca luminibus proprieis inimica peragrat?
Quod superest, quoniam magni per cærula mundi 770
Qua fieri quidquid posset ratione, resolvi:
Solis utei varios cursus lunæque meatus
Noscere possemus, quæ vis et caussa cieret;
Quove modo soleant offecto lumine obire,
Et necopinanteis tenebreis obducere terras, 775
Quom quasi connivent, et aperto lumine rursum
Omnia convisunt clara loca candida luce:
Nunc redeo ad mundi novitatem, et mollia terræ
Arva, novo fetu quid primum in luminis oras
Tollere, et incerteis tentârint credere venteis. 780
Principio genus herbarum, viridemque nitorem
Terra dedit circum colleis; camposque per omneis
Florida fulserunt viridanti prata colore;
Arboribusque datum est varieis exinde per auras
Crescundi magnum immisseis certamen habeneis.
Ut pluma atque pilei primum setæque creantur
Quadrupedum membreis, et corpore pennipotentum: 787
Sic nova tum tellus herbas virgultaque primum
Sustulit; inde loci mortalia sæcla creavit
Multa modeis multeis, varia ratione, coorta. 790
Nam neque de cœlo cecidisse animalia possunt,
Nec terrestria de salseis exisse lacuneis:
Linquitur, ut merito maternum nomen adepta
Terra sit, e terra quoniam sunt cuncta creata.
Multaque nunc etiam exsistunt animalia terreis,
Imbribus et calido solis concreta vapore. 796
Quo minus est mirum, si tum sunt plura coorta
Et majora, nova tellure, atque æthere adulta.
Principio genus alituum, variæque volucreis
Ova relinquebant, exclusæ tempore verno: 800
Folliculos ut nunc tereteis æstate cicadæ
Linquunt sponte sua, victum vitamque petenteis.
Tum tibi terra dedit primum mortalia sæcla:
Multus enim calor atque humor superabat in arveis: 804
Hoc, ubi quæque loci regio opportuna dabatur,
Crescebant uterei terra radicibus aptei:
Quos ubi tempore maturo patefecerat ætas
Infantum, fugiens humorem, aurasque petissens,
Convortebat ibei Natura foramina terræ,
Et sucum veneis cogebat fundere aperteis, 810
Consimilem lactis: sicut nunc femina quæque,
Quom peperit, dulci repletur lacte, quod omnis
Impetus in mammas convortitur ille alimenti.
Terra cibum puereis, vestem vapor, herba cubile
Præbebat, multa, et molli lanugine abundans.
At novitas mundi nec frigora dura ciebat,
Nec nimios æstus, nec magneis viribus auras.
Omnia enim pariter crescunt, et robora sumunt.
Quare etiam atque etiam maternum nomen adepta 819
Terra tenet merito, quoniam genus ipsa creavit
Humanum, atque animans prope certo tempore fudit
Omne, quod in magneis bacchatur montibu' passim,
Aëriasque simul volucreis variantibu' formeis.
Sed, quia finem aliquam pariundi debet habere,
Destitit, ut mulier spatio defessa vetusto. 825
Mutat enim mundi naturam totius ætas,
Ex alioque alius status excipere omnia debet,
Nec manet ulla sui similis res, omnia migrant,
Omnia commutat Natura, et vortere cogit. 829
Namque aliud putrescit, et ævo debile languet,
Porro aliud concrescit, et e contemtibus exit.
Sic igitur mundi naturam totius ætas
Mutat, et ex alio terram status excipit alter:
Quod potuit, nequeat; possit, quod non tulit ante.
Multaque tum tellus etiam portenta creare 835
Conata est, mira facie membreisque coorta;
[Androgynum inter utros, nec utrumque, utrimque remotum:]
Orba pedum partim, manuum viduata vicissim;
Muta sine ore etiam, sine voltu cæca reperta,

Vinctaque membrorum per totum corpus adhæsu;
Nec facere ut possent quidquam, nec cedere quoquam, 841
Nec vitare malum, nec sumere quod foret usus.
Cætera de genere hoc monstra ac portenta creabat, [tum:
Nequidquam; quoniam Natura absterruit auc-
Nec potuere cupitum ætatis tangere florem, 845
Nec reperire cibum, nec jungi per Veneris res.
Multa (videmus) enim rebus concurrere debent,
Ut propagando possint producere sæcla: [tus
Pabula primum ut sint; genitalia deinde per ar-
Semina, quæ possint membreis manare remisseis;
Feminaque ut maribus conjungi possit, habere
Mutua, queis nectant inter se gaudia uterque.
Multaque tum interiisse animantum sæcla necesse est,
Nec potuisse propagando producere prolem. 854
Nam quæquomque vides vesci vitalibus aureis,
Aut dolus, aut virtus, aut denique mobilitas est
Ex ineunte ævo genus id tutata, reservans;
Multaque sunt, nobis ex utilitate sua quæ
Commendata manent, tutelæ tradita nostræ. 859
Principio, genus acre leonum sævaque sæcla
Tutata est virtus, volpeis dolus, et fuga cervos;
At levisomna canum fido cum pectore corda,
Et genus omne quod est veterino semine partum,
Lanigeræque simul pecudes, et bucera sæcla,
Omnia sunt hominum tutelæ tradita, Memmi:
Nam cupide fugere feras, pacemque sequutæ
Sunt, et larga suo sine pabula parta labore;
Quæ damus utilitatis eorum præmia caussa.
At queis nil horum tribuit Natura, neque ipsa
Sponte sua possent ut vivere, nec dare nobis 870
Utilitatem aliquam, quare pateremur eorum
Præsidio nostro pasci genus, esseque tutum?
Scilicet hæc alieis prædæ lucroque jacebant
Indupedita sueis fatalibus omnia vincleis,
Donec ad interitum genus id Natura redegit. 875
Sed neque Centaurei fuerunt, nec tempore in ullo
Esse queunt; duplici natura et corpore bino
Ex alienigeneis membreis compacta potestas,
Heinc illeinc par vis ut non sic esse potis sit, 879
Id licet heinc quamvis hebeti cognoscere corde.
Principio, circum tribus acteis impiger anneis
Floret equus; puer haud ita quaquam; sæpe etiam nunc
Ubera mammarum in somneis lactantia quæret.
Post, ubi equum validæ vireis ætate senecta
Membraque deficiunt, fugienti languida vita, 885
Tum demum puerili ævo florente juventas
Occipit, et molli vestit lanugine malas:
Ne forte ex homine et veterino semine equorum
Confieri credas Centauros posse, neque esse;
Aut rabideis canibus succinctas semimarineis
Corporibus Scyllas; et cætera de genere horum,
Inter se quorum discordia membra videmus: 892
Quæ neque florescunt pariter, nec robora sumunt
Corporibus, neque projiciunt ætate senecta;
Nec simili Venere ardescunt, nec moribus uneis
Conveniunt, nec sunt eadem jocunda per artus.
Quippe videre licet pinguescere sæpe cicuta 897
Barbigeras pecudes, homini quæ est acre venenum. [num
Flamma quidem vero quom corpora fulva leo-
Tam soleat torrere atque urere, quam genus omne
Visceris, in terreis quodquomque, et sanguinis, exstet: 901
Quî fieri potuit, triplici cum corpore ut una,
Prima leo, postrema draco, medio ipsa chimæra,
Ore ferox acrem flaret de corpore flammam?
Quare etiam tellure nova, cœloque recenti 905
Talia qui fingit potuisse animalia gigni,
Nixus in hoc uno novitatis nomine inani;
Multa licet simili ratione effutiat ore.
Aurea tum dicat per terras flumina volgo
Fluxisse, et gemmeis florere arbusta suësse; 910
Aut hominem tanto membrorum esse impete natum,
Trans maria alta pedum nixus ut pandere posset,
Et manibus totum circum se vortere cœlum.
Nam quod multa fuere in terreis semina rerum,
Tempore quo primum tellus animalia fudit; 915
Nil tamen est signi, mixtas potuisse creari
Inter se pecudes, compactaque membra animantum: [abundant
Propterea quia, quæ de terreis nunc quoque
Herbarum genera, ac fruges, arbustaque læta,
Non tamen inter se possunt complexa creari. 920
Sed si quæque suo ritu procedit, et omneis,
Fœdere naturæ certo, discrimina servant.
Et genus humanum multo fuit ollud in arveis
Durius, ut decuit, tellus quod dura creâsset;
Et majoribus, et solideis magis ossibus intus 925
Fundatum, valideis aptum per viscera nerveis;
Nec facile ex æstu, nec frigore quod caperetur,
Nec novitate cibi, nec labi corporis ulla.
Multaque per cœlum solis volventia lustra
Volgivago vitam tractabant more ferarum. 930
Nec robustus erat curvi moderator aratri
Quisquam, nec scibat ferro molirier arva, [teis
Nec nova defodere in terram virgulta, neque al-
Arboribus veteres decidere falcibu' ramos.
Quod sol atque imbreis dederant, quod terra creârat 935
Sponte sua, satis id placabat pectora donum:
Glandiferas inter curabant corpora quercus
Plerumque; et, quæ nunc hiberno tempore cernis
Arbuta puniceo fieri matura colore,
Plurima tum tellus, etiam majora, ferebat: 940
Multaque præterea novitas tum florida mondi
Pabula dura tulit, misereis mortalibus ampla.
At sedare sitim fluviei fonteisque vocabant;
Ut nunc montibus e magneis decursus aquaï
Claricitat late sitientia sæcla ferarum. 945
Denique nota vageis sylvestria templa tenebant
Nympharum, quibus exibant humore fluenta
Lubrica, proluvie larga lavere humida saxa,
Humida saxa, super viridi stillantia musco; 949
Et partim plano scatere atque erumpere campo.
Necdum res igni scibant tractare, neque uti
Pellibus, et spolieis corpus vestire ferarum:
Sed nemora atque cavos monteis sylvasque colebant,
Et frutices inter condebant squalida membra,
Verbera ventorum vitare imbreisque coactei. 955
Nec commune bonum poterant spectare, neque ulleis
Moribus inter se scierant, nec legibus uti.
Quod quoique obtulerat prædæ fortuna, ferebat,
Sponte sua sibi quisque valere et vivere doctus.
Et Venus in sylveis jungebat corpora amantum:
Conciliabat enim vel mutua quamque cupido, 961
Vel violenta viri vis atque impensa libido, [ta.
Vel pretium, glandeis, atque arbuta, vel pira lec-
Et manuum mira fretei virtute pedumque,
Consectabantur sylvestria sæcla ferarum 965
Missilibus saxeis, et magno pondere clavæ;
Multaque vincebant, vitabant pauca latebreis;
Setigereisque pareis subus sylvestribu', membra

Nudabant terræ, nocturno tempore captei,
Circum se folieis ac frundibus involventeis. 970
Nec plangore diem magno, solemque, per agros
Quærebant pavidei, palenteis noctis in umbreis:
Sed tacitei exspectabant, somnoque sepultei,
Dum rosea face sol inferret lumina cœlo.
A parveis quod enim consuêrant cernere semper
Alterno tenebras et lucem tempore gigni, 976
Non erat ut fieri posset mirarier umquam,
Nec diffidere, ne terras æterna teneret
Nox, in perpetuum detracto lumine solis.
Sed magis ollud erat curæ, quod sæcla ferarum
Infestam misereis faciebant sæpe quietem, 981
Ejecteique domo fugiebant saxea tecta
Spumigeri suis adventu, validique leonis,
Atque intempesta cedebant nocte paventeis
Hospitibus sæveis instrata cubilia fronde. 985
Nec nimio tum plus, quam nunc, mortalia sæcla
Dulcia linquebant lamenteis lumina vitæ.
Unus enim tum quisque magis deprensus eorum
Pabula viva fereis præbebat, dentibus haustus;
Et nemora ac monteis gemitu sylvasque replebat,
Viva videns vivo sepeliri viscera busto. 991
At, quos effugium servârat, corpore adeso,
Posterius, tremulas super ulcera tetra tenenteis
Palmas, horrifereis accibant vocibus Orcum:
Denique eos vita privabant vermina sæva, 995
Experteis opis, ignaros quid volnera vellent.
At non multa virûm sub signeis millia ducta
Una dies dabat exitio; nec turbida ponti
Æquora lædebant naveis ad saxa virosque;
Sed temere incursu fluctus mare sæpe coortum
Sævibat, leviterque minas ponebat inaneis; 1001
Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti
Subdola pellicere in fraudem ridentibus undeis:
Improba navigii ratio tum cæca jacebat.
Tum penuria deinde cibi languentia leto 1005
Membra dabat; contra nunc rerum copia mersat.
Ollei imprudenteis ipsei sibi sæpe venenum
Vergebant; nunc dant alieis sollertius ipsei.
Inde casas postquam, ac pelleis, ignemque parârunt,
Et mulier conjuncta viro concessit in unum,
Castaque privatæ Veneris connubia læta 1011
Cognita sunt, prolemque ex se videre creatam;
Tum genus humanum primum mollescere cœpit.
Ignis enim curavit, ut alsia corpora frigus
Non ita jam possent cœli sub tegmine ferre; 1015
Et Venus imminuit vireis; puereique parentum
Blanditieis facile ingenium fregere superbum.
Tunc et amicitiam cœperunt jungere habenteis
Finitumei inter se, nec lædere, nec violare; 1019
Et pueros commendarunt, muliebreque sæclum
Vocibus et gestu; quom balbe significarent,
Imbecillorum esse æquum misererier omni.
Non tamen omnimodeis poterat concordia gigni:
Sed bona magnaque pars servabat fœdera casteis;
Aut genus humanum jam tum foret omne peremtum, 1025
Nec potuisset adhuc perducere sæcla propago.
At varios linguæ sonitus natura subegit
Mittere, et utilitas expressit nomina rerum:
Non alia longe ratione, atque ipsa videtur 1029
Protrahere ad gestum pueros infantia linguæ;
Quom facit, ut digito, quæ sint præsentia, monstret.
Sentit enim vim quisque suam quod possit abuti.
Cornua nata prius vitulo quam frontibus exstent,
Olleis iratus petit, atque infensus inurguet;
At catulei pantherarum scymneique leonum
Unguibus ac pedibus jam tum morsuque repugnant, 1036
Vix etiam quom sunt denteis ungueisque createi.
Alituum porro genus aleis omne videmus
Fidere, et a penneis tremulum petere auxiliatum.
Proinde putare, aliquem tum nomina distribuisse
Rebus, et inde homines didicisse vocabula prima,
Desipere est: nam quur hic posset cuncta notare
Vocibus, et varios sonitus emittere linguæ, [tur?
Tempore eodem aliei facere id non quîsse puten-
Præterea, si non aliei quoque vocibus usei 1045
Inter se fuerant, unde insita notities est
Utilitatis, et unde data est huic prima potestas,
Quid vellet facere ut sciret, animoque videret?
Cogere item plureis unus, victosque domare
Non poterat, rerum ut perdiscere nomina vellent;
Nec ratione docere ulla, suadereque surdeis, [tur,
Quid sit opus facto; facileis neque enim pateren-
Nec ratione ulla sibi ferrent amplius aureis
Vocis inauditos sonitus obtundere frustra. [re,
Postremo, quid in hac mirabile tantopere est
Si genus humanum, cui vox et lingua vigeret,
Pro vario sensu varias res voce notaret; [rum
Quom pecudes mutæ, quom denique sæcla fera-
Dissimileis soleant voces variasque ciere,
Quom metus aut dolor est, et quom jam gaudia gliscunt? 1060
Quippe etenim licet in rebus cognoscere aperteis.
Irritata canum quom primum magna Molossûm
Mollia ricta fremunt, duros nudantia denteis,
Longe alio sonitu rabies districta minatur, 1064
Et quom jam latrant, et vocibus omnia complent.
At catulos blande quom lingua lambere tentant,
Aut ubi eos jactant pedibus, morsuque petenteis
Suspenseis teneros imitantur dentibus haustus,
Longe alio pacto gannitu vocis adulant, 1069
Et quom desertei baubantur in ædibus, aut quom
Ploranteis fugiunt summisso corpore plagas.
Denique, non hinnitus item differre videtur,
Inter equos ubi equus florenti ætate juvencus
Pennigeri sævit calcaribus ictus Amoris, 1074
Et fremitum patuleis sub naribus edit ad arma,
Et quom sis alias concusseis artubus hinnit?
Postremo genus alituum, variæque volucreis,
Accipitreis, atque ossifragæ mergeique, marineis
Fluctibus in salso victum vitamque petenteis,
Longe alias alio jaciunt in tempore voces, 1080
Et quom de victu certant, prædaque repugnant.
Et partim mutant cum tempestatibus una
Raucisonos cantus; cornicum sæcla vetusta,
Corvorumque greges; ubi aquam dicuntur et imbreis
Poscere, et interdum ventos aurasque vocare.
Ergo si variei sensus animalia cogunt, 1086
Muta tamen quom sint, varias emittere voces;
Quanto mortaleis magis æquum est tum potuisse
Dissimileis alia atque alia res voce notare?
Ollud in heis rebus tacitus ne forte requiras,
Fulmen detulit in terram mortalibus ignem
Primitus; inde omnis flammarum diditur ardor.
Multa videmus enim cœlestibus incita flammeis
Fulgere, quom cœli donavit plaga vapores. 1094
Et ramosa tamen quom venteis pulsa vacillans
Æstuat, in ramos incumbens arboris, arbor,
Exprimitur valideis extritus viribus ignis:
Emicat interdum flammaï fervidus ardor,
Mutua dum inter se ramei stirpeisque teruntur:
Quorum utrumque dedisse potest mortalibus ignem. 1100
Inde cibum coquere, ac flammæ mollire vapore
Sol docuit; quoniam mitescere multa videbant

Verberibus radiorum atque æstu victa per agros :
Inde dies magis hi victum vitamque priorem
Commutare noveis monstrabant rebus et igni,
Ingenio quei præstabant, et corde vigebant.
Condere cœperunt urbeis, arcemque locare
Præsidium reges ipsei sibi perfugiumque ; 1108
Et pecudes et agros divisere, atque dedere
Pro facie quojusque, et viribus, ingenioque.
Nam facies multum valuit, vireisque vigentes.
Posterius res inventa est, aurumque repertum,
Quod facile et valideis et pulcreis demsit honorem :
Divitioris enim sectam plerumque sequuntur
Quamlibet et forteis, et pulcro corpore cretei.
Quod si quis vera vitam ratione gubernat,
Divitiæ grandeis homini sunt, vivere parce
Æquo animo ; neque enim est umquam penuria parvi.
At claros homines voluerunt se atque potenteis,
Ut fundamento stabili fortuna maneret, 1120
Et placidam possent opulentei degere vitam ;
Nequidquam : quoniam ad summum succedere honorem
Certanteis, iter infestum fecere viaï.
Et tamen e summo, quasi fulmen, dejicit ictos
Invidia interdum contemtim in Tartara tetra :
Ut satius multo jam sit parere quietum, 1126
Quam regere imperio res velle, et regna tenere.
Proinde sine incassum defessei sanguine sudent,
Angustum per iter luctanteis ambitionis :
Invidia quoniam, ceu fulmine, summa vaporant
Plerumque, et quæ sunt alteis magis edita quomque : 1131
Quandoquidem sapiunt alieno ex ore, petuntque
Res ex auditeis potius, quam sensibus ipseis ;
Nec magis id nunc est, nec erit mox, quam fuit ante.
Ergo regibus occiseis subvorsa jacebat 1135
Pristina majestas soliorum, et sceptra superba ;
Et capitis summi præclarum insigne cruentum
Sub pedibus volgi magnum lugebat honorem :
Nam cupide conculcatur nimis ante metutum.
Res itaque ad summam fæcem turbasque residit, [tebat. 1140
Imperium sibi quom ac summatum quisque pe-
Inde magistratum partim docuere creare,
Juraque constituere, ut vellent legibus uti.
Nam genus humanum, defessum vi colere ævom,
Ex inimicitieis languebat : quo magis ipsum
Sponte sua cecidit sub leges artaque jura. 1146
Acrius ex ira quod enim se quisque parabat
Ulcisci, quam nunc concessum est legibus æqueis;
Hanc ob rem est homines pertæsum vi colere ævom.
Inde metus maculat pœnarum præmia vitæ.
Circumretit enim vis atque injuria quemque,
Atque, unde exorta est, ad eum plerumque revortit ;
Nec facile est placidam ac pacatam degere vitam,
Qui violat facteis communia fœdera pacis.
Etsi fallit enim divôm genus humanumque, 1155
Perpetuo tamen id fore clam diffidere debet :
Quippe ubi se multei per somnia sæpe loquenteis,
Aut morbo deliranteis, protrâxe ferantur,
Et celata diu in medium peccata dedisse.
Nunc quæ caussa deûm per magnas numina genteis 1160
Pervolgârit, et ararum compleverit urbeis,
Suscipiendaque curârit sollennia sacra,
[Quæ nunc in magneis florent sacra rebu' loceisque :]
Unde etiam nunc est mortalibus insitus horror,
Qui delubra deûm nova toto suscitat orbi 1165
Terrarum, et festeis cogit celebrare diebus,
Non ita difficile est rationem reddere verbeis.
Quippe etenim jam tum divôm mortalia sæcla
Egregias animo facies vigilante videbant, 1169
Et magis in somneis, mirando corporis auctu.
Heis igitur sensum tribuebant, propterea quod
Membra movere videbantur, vocesque superbas
Mittere pro facie præclara, et viribus ampleis :
Æternamque dabant vitam, quia semper eorum
Suppeditabatur facies, et forma manebat : 1175
Et tamen omnino, quod tanteis viribus auctos
Non temere ulla vi convinci posse putabant :
Fortuneisque ideo longe præstare putabant,
Quod mortis timor haud quemquam vexaret eorum, 1179
Et simul in somneis quia multa et mira videbant
Efficere, et nullum capere ipsos inde laborem.
Præterea, cœli rationes ordine certo
Et varia annorum cernebant tempora vorti ;
Nec poterant quibus id fieret cognoscere causseis.
Ergo perfugium sibi habebant, omnia diveis 1185
Tradere, et ollorum nutu facere omnia flecti ;
In cœloque deûm sedeis et templa locârunt,
Per cœlum volvi quia nox et luna videtur ;
Luna, dies et nox, et noctis signa severa,
Noctivagæque faceis cœli, flammæque volanteis,
Nubila, sol, imbreis, nix, ventei, fulmina, grando,
Et rapidei fremitus, et murmura magna minarum.
O genus infelix humanum ! talia diveis 1193
Quom tribuit facta, atque iras adjunxit acerbas :
Quantos tum gemitus ipsei sibi, quantaque nobis
Volnera, quas lacrumas peperere minoribu' nostreis !
Nec pietas ulla est, velatum sæpe videri
Vortier ad lapidem, atque omneis accedere ad aras ; [palmas
Nec procumbere humi prostratum, et pandere
Ante deûm delubra, neque aras sanguine multo
Spargere quadrupedum, nec voteis nectere vota ;
Sed mage placata posse omnia mente tueri.
Nam quom suspicimus magni cœlestia mundi
Templa super, stelleisque micantibus æthera fixum,
Et venit in mentem solis lunæque viarum, 1205
Tunc alieis oppressa maleis in pectora cura
Olla quoque expergefactum caput erigere infit,
Ecquæ forte deûm nobis immensa potestas
Sit, vario motu quæ candida sidera vorset.
Tentat enim dubiam mentem rationis egestas,
Ecquænam fuerit mundi genitalis origo, 1211
Et simul ecquæ sit finis, quoad mœnia mundi
Hunc tanti motus possint sufferre laborem :
An divinitus æterna donata salute,
Perpetuo possint ævi labentia tractu 1215
Immensi validas ævi contemnere vireis.
Præterea, quoi non animus formidine divôm
Contrahitur ; quoi non correpunt membra pavore,
Fulminis horribili quom plaga torrida tellus
Contremit, et magnum percurrunt murmura cœlum ? [perbei 1220
Non populei genteisque tremunt ? regesque su-
Corripiunt divôm perculsei membra timore,
Ne quod ob admissum fede, dictumve superbe
Pœnarum grave sit solvundi tempus adauctum ?
Summa etiam quom vis violenti per mare venti
Induperatorem classis super æquora verrit, 1226
Cum valideis pariter legionibus atque elephanteis;

Non divôm pacem voteis adit, ac prece quæsit
Ventorum pavidus paces, animasque secundas?
Nequidquam: quoniam violento turbine sæpe
Correptus, nihilo fertur minus ad vada leti. 1231
Usque adeo res humanas vis abdita quædam
Obterit, et pulcros fasceis sævasque secureis
Proculcare, ac ludibrio sibi habere videtur.
Denique, sub pedibus tellus quom tota vacillat,
Concussæque cadunt urbeis, dubiæque minantur;
Quid mirum, si se temnunt mortalia sæcla, 1237
Atque potestates magnas mirasque relinquunt
In rebus vireis divôm, quæ cuncta gubernent?
Quod superest, æs, atque aurum, ferrumque repertum est, 1240
Et simul argenti pondus, plumbique potestas,
Ignis ubi ingenteis sylvas ardore cremârat
Montibus in magneis, seu cœli fulmine misso,
Sive quod inter se bellum sylvestre gerenteis
Hostibus intulerant ignem formidinis ergo; 1245
Sive quod, inductei terræ bonitate, volebant
Pandere agros pingueis, et pascua reddere rura;
Sive feras interficere, et ditescere præda:
Nam fovea atque igni prius est venarier ortum,
Quam sæpire plageis saltum, canibusque ciere.
Quidquid id est, quaquomque ex caussa flammeus ardor 1251
Horribili sonitu sylvas exederat alteis
Ab radicibus, et terram percoxerat igni,
Manabat veneis ferventibus in loca terræ
Concava conveniens argenti rivus et auri, 1255
Æris item et plumbi: quæ quom concreta videbant
Posterius claro in terris splendere colore,
Tollebant, nitido captei lævique lepore;
Et simili formata videbant esse figura,
Atque lacunarum fuerant vestigia quoique. 1260
Tum penetrabat eos, posse hæc, liquefacta vapore,
Quamlibet in formam et faciem decurrere rerum,
Et prorsum quamvis in acuta ac tenuia posse
Mucronum duci fastigia procudendo,
Ut sibi tela parent, sylvas quibu' cædere possint,
Materiem lævare, dolare, ac radere tigna, 1166
Et terebrare etiam, ac pertundere, perque forare.
Nec minus argento facere hæc auroque parabant
Quam validi primum violenteis viribus æris;
Nequidquam: quoniam cedebat victa potestas,
Nec poterat pariter durum sufferre laborem.
Nam fuit in pretio magis æs, aurumque jacebat
Propter inutilitatem, hebeti mucrone retusum;
Nunc jacet æs, aurum in summum successit honorem. 1274
Sic volvunda ætas commutat tempora rerum:
Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore;
Porro aliud succedit, et e contemtibus exit,
Inque dies magis appetitur, floretque repertum
Laudibus, et miro mortaleis inter honore est.
Nunc tibi, quo pacto ferri natura reperta 1280
Sit, facile est ipsi per te cognoscere, Memmi.
Arma antiqua manus, ungueis, denteisque fuerunt,
Et lapides, et item sylvarum fragmina ramei;
Et, flamma atque igneis postquam sunt cognita primum,
Posterius ferri vis est ærisque reperta. 1285
Et prior æris erat, quam ferri, cognitus usus,
Quo facilis magis est natura, et copia major.
Ære solum terræ tractabant, æreque belli
Miscebant fluctus, et volnera vasta serebant,
Et pecus atque agros adimebant; nam facile olleis 1290
Omnia cedebant armateis nuda et inerma.
Inde minutatim processit ferreus ensis,
Vorsaque in obscænum species est falcis ahenæ,
Et ferro cœpere solum proscindere terræ,
Exæquataque sunt creperi certamina belli. 1295
Et prius est armatum in equi conscendere costas,
Et moderarier hunc freneis, dextraque ciere,
Quam bijugo curru belli tentare pericla:
Et bijugum prius est, quam bis conjungere binos,
Et quam falciferos armatum adscendere currus.
Inde boves Lucas turrito corpore tetros, 1301
Anguimanos, belli docuerunt volnera Pœnei
Sufferre, et magnas Martis turbare catervas.
Sic alid ex alio peperit discordia tristis,
Horribile humaneis quod gentibus esset in armeis, 1305
Inque dies belli terroribus addidit augmen.
Tentârunt etiam tauros in mœnere belli,
Experteique sues sævos sunt mittere in hosteis;
Et validos Parthei præ se misere leones, 1309
Cum ductoribus armateis, sæveisque magistreis,
Quei moderarier heis possent, vincleisque tenere;
Nequidquam: quoniam permixta cæde calenteis
Turbabant sævei nullo discrimine turmas, 1313
Terrificas capitum quatienteis undique cristas;
Nec poterant equites fremitu perterrita equorum
Pectora mulcere, et freneis convortere in hosteis.
Irritata leæ jaciebant corpora saltu
Undique, et advorsum venientibus ora petebant;
Et necopinanteis a tergo diripiebant, 1319
Deplexæque dabant in terram volnere victos,
Morsibus affixæ valideis atque unguibus unceis:
Jactabantque suos taurei, pedibusque terebant;
Et latera ac ventres hauribant subter equorum
Cornibus, et terram minitanti mente ruebant:
At valideis socios cædebant dentibus aprei, 1325
Tela infracta suo tinguenteis sanguine sævei,
[In se fracta suo tinguenteis sanguine tela,]
Permixtasque dabant equitum peditumque ruinas.
Nam transvorsa feros exibant dentis ad actus
Jumenta, aut pedibus ventos erecta petebant;
Nequidquam: quoniam ab nerveis succisa videres 1331
Concidere, atque gravi terram consternere casu.
Si quos ante domi domitos satis esse putabant,
Effervescere cernebant in rebus agundeis,
Volneribus, clamore, fuga, terrore, tumultu;
Nec poterant ullam partem reducere eorum.
Diffugiebat enim varium genus omne ferarum:
Ut nunc sæpe boves Lucæ, ferro male mactæ,
Diffugiunt, fera facta sueis quom multa dedere.
Si fuit, ut facerent: sed vix adducor, ut ante
Non quierint animo præsentire atque videre,
Quam commune malum fueret fedumque futurum:
Et magis id possis factum contendere in omni,
In varieis mundeis, varia ratione createis, 1344
Quam certo atque uno terrarum quolibet orbi.
Sed facere id non tam vincundi spe voluerunt,
Quam dare quod gemerent hosteis, ipseique perire,
Quei numero diffidebant, armeisque vacabant.
Nexilis ante fuit vestis, quam textile tegmen:
Textile post ferrum est; quia ferro tela paratur:
Nec ratione alia possunt tam lævia gigni 1351
Insilia, ac fusei, radiei, scapeique sonanteis.
Et facere ante viros lanam natura coëgit
Quam muliebre genus; nam longe præstat in arte
Et sollertius est multo genus omne virile: 1355

Agricolæ donec vitio vortere severei,
Ut muliebribus id manibus concedere vellent,
Atque ipsei pariter durum sufferre laborem,
Atque opere in duro durarent membra manusque.
At specimen sationis, et insitionis origo 1360
Ipsa fuit rerum primum Natura creatrix:
Arboribus quoniam baccæ glandeisque caducæ
Tempestiva dabant pullorum examina subter.
Unde etiam libitum est stirpeis committere rameis, 1364
Et nova defodere in terram virgulta per agros.
Inde aliam atque aliam culturam dulcis agelli
Tentabant, fructusque feros mansuescere terra
Cernebant indulgendo, blandeque colundo;
Inque dies magis in montem succedere sylvas
Cogebant, infraque situm concedere culteis:
Prata, lacus, rivos, segetes, vinetaque læta
Collibus et campeis ut haberent; utque olearum
Cærula distinguens inter plaga currere posset,
Per tumulos et convalleis camposque profusa:
Ut nunc esse vides vario distincta lepore 1375
Omnia, quæ pomeis intersita dulcibus ornant,
Arbusteisque tenent felicibus obsita circum.
At liquidas avium voces imitarier ore
Ante fuit multo, quam lævia carmina cantu 1379
Concelebrare homines possent, aureisque juvare.
Et Zephyri cava per calamorum sibila primum
Agresteis docuere cavas inflare cicutas.
Inde minutatim dulceis didicere querelas,
Tibia quas fundit digiteis pulsata canentum,
Avia per nemora ac sylvas saltusque reperta,
Per loca pastorum deserta, atque otia dia. 1386
Sic unumquidquid paullatim protrahit ætas
In medium, ratioque in luminis eruit oras.
Hæc animos olleis mulcebant atque juvabant
Cum satiate cibi: nam tum sunt omnia cordi.
Sæpe itaque inter se, prostratei in gramine molli,
Propter aquæ rivum, sub rameis arboris altæ,
Non magneis opibus jocunde corpora habebant:
Præsertim quom tempestas ridebat, et anni 1394
Tempora pingebant viridanteis floribus herbas.
Tum joca, tum sermo, tum dulceis esse cachinnei
Consuêrant; agrestis enim tum musa vigebat.
Tum caput atque humeros plexeis redimire coroneis,
Floribus, et folieis lascivia læta monebat,
Atque extra numerum procedere, membra moventeis 1400
Duriter, et duro terram pede pellere matrem:
Unde oriebantur risus, dulceisque cachinnei,
Omnia quod nova tum magis hæc et mira vigebant.
Et vigilantibus heinc aderant solatia somno,
Ducere multimodeis voces, et flectere cantus,
Et supera calamos unco percurrere labro: 1406
Unde etiam vigileis nunc hæc accepta tuentur,
Et numereis servare genus didicere; neque hilo
Majore interea capiunt dulcedine fructum, 1409
Quam sylvestre genus capiebat terrigenarum.
Nam quod adest præsto, nisi quid cognovimus ante
Suavius, in primeis placet, et pollere videtur;
Posteriorque fere melior res olla reperta
Perdit, et immutat sensus ad pristina quæque.
Sic odium cœpit glandis; sic olla relicta 1415
Strata cubilia sunt herbeis, et frondibus aucta;
Pellis item cecidit, vestis contemta ferina,
Quam reor invidia tali tunc esse repertam,
Ut letum insidieis, qui gessit primus, obiret;
Et tandem inter eos distractam sanguine multo
Disperiisse, neque in fructum convortere quisse.
Tunc igitur pelleis, nunc aurum et purpura, cureis
Exercent hominum vitam, belloque fatigant;
Quo magis in nobis, ut opinor, culpa residit.
Frigus enim nudos sine pellibus excruciabat
Terrigenas; at nos nil lædit veste carere 1426
Purpurea, atque auro signeisque rigentibus apta;
Dum plebeia tamen sit, quæ defendere possit.
Ergo hominum genus incassum frustraque laborat 1429
Semper, et in cureis consumit inanibus ævom:
Nimirum quia non cognovit quæ sit habendi
Finis, et omnino quoad crescat vera voluptas:
Idque minutatim vitam provexit in altum,
Et belli magnos commovit funditus æstus.
At vigiles mundi magnum et vorsatile templum 1435
Sol et luna suo lustranteis lumine circum
Perdocuere homines, annorum tempora vorti,
Et certa ratione geri rem, atque ordine certo.
Jam valideis sæptei degebant turribus ævom,
Et divisa colebatur, discretaque, tellus. 1440
Tum mare velivolum florebat navibu' pandeis;
Auxilia ac socios jam, pacto fœdere habebant:
Carminibus quom res gestas cœpere poëtæ
Tradere; nec multo priu' sunt elementa reperta.
Propterea, quid sit prius actum, respicere ætas
Nostra nequit, nisi qua ratio vestigia monstrat.
Navigia, atque agri culturas, mœnia, leges,
Arma, vias, vesteis, et cætera de genere horum
Præmia, delicias quoque vitæ funditus omneis,
Carmina, picturas, ac dædala signa, politus 1450
Usus, et impigræ simul experientia mentis
Paullatim docuit pedetentim progredienteis.
Sic unumquidquid paullatim protrahit ætas
In medium, ratioque in luminis erigit oras. 1454
Namque alid ex alio clarescere corde videmus
Artibus, ad summum donec venere cacumen.

LIBER SEXTUS.

Primæ frugiferos fetus mortalibus ægreis
Dididerunt quondam præclaro nomine Athenæ;
Et recreaverunt vitam, legesque rogârunt;
Et primæ dederunt solatia dulcia vitæ,
Quom genuere virum tali cum corde repertum, 5
Omnia veridico qui quondam ex ore profudit:
Quojus et exstincti propter divina reperta
Divolgata vetus jam ad cœlum gloria fertur.
Nam quom vidit hic, ad victum quæ flagitat usus,
Omnia jam ferme mortalibus esse parata, 10
Et per quæ possent vitam consistere tutam,
Divitieis homines, et honore et laude potenteis,
Affluere, atque bona natorum extollere fama;
Nec minus esse domi quoiquam tamen anxia corda,
Atque animi ingrateis vitam vexare quereleis: 15
Caussam, quæ infesteis cogit sævire quereleis,
Intellegit ibei: vitium vas efficere ipsum,
Omniaque ollius vitio corrumpier intus,

Quæ con læta foreis et commoda quomque venirent: 19
Partim quod fluxum pertusumque esse videbat,
Ut nulla posset ratione explerier umquam;
Partim quod tetro quasi conspurcare sapore
Omnia cernebat, quæquomque receperat intus.
Veridiceis igitur purgavit pectora dicteis,
Et finem statuit cupedinis atque timoris, 25
Exposuitque, bonum summum, quo tendimus omneis,
Quid foret, atque viam monstravit tramite parvo,
Qua possemus ad id recto contendere cursu:
Quidve mali foret in rebus mortalibu' passim,
[Quod flueret naturali, varieque volaret,] 30
Seu casu, seu vi, quod sic Natura parâsset;
Et quibus e porteis occurri quoique deceret:
Et genus humanum frustra plerumque probavit
Volvere curarum tristeis in pectore fluctus.
Nam velutei puerei trepidant, atque omnia cæceis
In tenebris metuunt; sic nos in luce timemus 36
Interdum, nihilo quæ sunt metuenda magis, quam [futura.
Quæ puerei in tenebreis pavitant, finguntque
Hunc igitur terrorem animi tenebrasque necesse est
Non radiei solis, neque lucida tela diei 40
Discutiant, sed naturæ species ratioque:
Quo magis inceptum pergam pertexere dicteis.
Et quoniam docui, mundi mortalia templa
Esse, et nativo consistere corpore cœlum;
Et quæquomque in eo fiunt, fierique necesse est,
Pleraque dissolvi; quæ restant, percipe, porro:
Quandoquidem semel insignem conscendere currum
Ventorum excierat pacator, et omnia rursum,
Quæ furerent, sint placato convorsa furore.
Cætera, quæ fieri in terreis cœloque tuentur
Mortaleis, pavideis quom pendent mentibu' sæpe,
Efficiunt animos humileis formidine divôm, 52
Depressosque premunt ad terram; propterea quod
Ignorantia caussarum conferre deorum
Cogit ad imperium res, et concedere regnum: 55
Quorum operum caussas nulla ratione videre
Possunt, ac fieri divino numine rentur.
Nam, bene quei didicere, deos securum agere ævom,
Si tamen interea mirantur, qua ratione
Quæque geri possint, præsertim rebus in olleis 60
Quæ supra caput ætherieis cernuntur in oreis.
Rursus in antiquas referuntur religiones,
Et dominos acreis adsciscunt, omnia posse
Quos miserei credunt: ignarei quid queat esse,
Quid nequeat; finita potestas denique quoique
Quanam sit ratione, atque alte terminus hærens:
Quo magis erranteis cæca ratione feruntur.
Quæ nisi respuis ex animo, longeque remittis
Dîs indigna putare, alienaque pacis eorum;
Delibata deûm per te tibi numina sancta 70
Sæpe oberunt: non quo violari summa deûm vis
Possit, ut ex ira pœnas petere imbibat acreis;
Sed quia tute tibei, placida cum pace quietus,
Constitues magnos irarum volvere fluctus;
Nec delubra deûm placido cum pectore adibis;
Nec, de corpore quæ sancto simulacra fuerunt, 76
In mentes hominum divinæ nuntia formæ,
Suspicere hæc animi tranquilla pace valebis.
Inde videre licet qualis jam vita sequatur:
Quam quidem ut a nobis ratio verissima longe
Rejiciat, quamquam sunt a me multa profecta, 81
Multa tamen restant, et sunt ornanda politeis
Versibus, et ratio superûm cœlique tenenda.
Sunt tempestates et fulmina clara canenda;
Quid faciant, et qua de caussa quomque ferantur;
Ne trepides cœli diviseis partibus amens, 86
Unde volans ignis pervenerit, aut in utram se
Vorterit heinc partem; quo pacto per loca sæpta
Insinuârit, et heinc dominatus ut extulerit se:
Quorum operum caussas nulla ratione videre 90
Possunt, ac fieri divino numine rentur.
Tu mihi supremæ præscripta ad candida calcis
Currenti spatium præmonstra, callida Musa,
Calliope, requies hominum, divômque voluptas;
Te duce ut insigni capiam cum laude coronam.
Principio, tonitru quatiuntur cærula cœli, 96
Propterea quia concurrunt, sublime volanteis,
Ætheriæ nubeis, contra pugnantibu' venteis.
Nec fit enim sonitus cœli de parte serena;
Verum ubiquomque magis denso sunt agmine nubeis, [sæpe. 100
Tam magis heinc magno fremitus fit murmure
Præterea, neque tam condenso corpore nubeis
Esse queunt, quam sunt lapides ac tigna; neque autem [lanteis.
Tam tenueis quam sunt nebulæ fumeique vo-
Nam cadere aut bruto deberent pondere pressæ,
Ut lapides; aut, ut fumus, constare nequirent,
Nec cohibere niveis gelidas, et grandinis imbreis. [mundi, 107
Dant etiam sonitum patuli super æquora
Carbasus ut quondam magneis intenta theatreis
Dat crepitum, malos inter jactata trabeisque:
Interdum perscissa furit petulantibus aureis,
Et fragileis sonitus chartarum commeditatur;
Id quoque enim genus in tonitru cognoscere possis: [teis,
Aut ubi suspensam vestem, chartasque volan-
Verberibus ventei vorsant, planguntque per auras. [currere nubeis
Fit quoque enim interdum, ut non tam con-
Frontibus advorseis possint, quam de latere ire,
Divorso motu radenteis corpora tractim:
Aridus unde aureis terget sonus ille, diuque
Ducitur, exierit donec regionibus arteis. 120
Hoc etiam pacto tonitru concussa videntur
Omnia sæpe gravi tremere, et divolsa repente
Maxuma dissiluisse capacis mœnia mundi;
Quom subito validi venti collecta procella
Nubibus intorsit sese, conclusaque ibeidem 125
Turbine vorsante magis ac magis undique nubem
Cogit, utei fiat spisso cava corpore circum.
Post, ubi commovit vis ejus et impetus acer,
Tum perterricrepo sonitu dat missa fragorem.
Nec mirum: quom plena animæ vesicula parva
Sæpe ita dat magnum sonitum, displosa repente.
Est etiam ratio, quom ventei nubila perflant,
Ut sonitus faciant; etenim ramosa videmus 133
Nubila sæpe modeis multeis atque aspera ferri:
Scilicet ut crebram sylvam quom flamina Cauri
Perflant, dant sonitum frondeis, rameique fragorem. 136
Fit quoque ut interdum validi vis incita venti
Perscindat nubem, perfringens impete recto.
Nam quid possit ibei flatus, manifesta docet res
Heic, ubi lenior est, in terra, quom tamen alta
Arbusta evolvens radicibus haurit ab imeis. 141
Sunt etiam fluctus per nubila, quei quasi murmur [alteis
Dant in frangundo graviter: quod item fit in
Fluminibus, magnoque mari, quom frangitur æstu. [ardens
Fit quoque ubi e nube in nubem vis incidit

Fulminis: hæc, multo si forte humore recepit
Ignem, continuo magno clamore trucidat:
Ut calideis candens ferrum e fornacibus olim
Stridit, ubi in gelidum propter demersimus imbrem.
Aridior porro si nubes accipit ignem, 150
Uritur ingenti sonitu succensa repente:
Lauricomos ut si per monteis flamma vagetur,
Turbine ventorum comburens impete magno:
Nec res ulla magis, quam Phœbi Delphica laurus,
Terribili sonitu, flamma crepitante, crematur.
Denique, sæpe geli multus fragor, atque ruina
Grandinis in magneis sonitum dat nubibus alte.
Ventus enim quom confercit, franguntur, in artum
Concretei, monteis nimborum et grandine mixta.
Fulgit item, nubeis ignis quom semina multa
Excussere suo concursu, ceu lapidem si [lumen
Percutiat lapis, aut ferrum: nam tum quoque
Exsilit, et claras scintillas dissupat ignis.
Sed tonitrum fit utei post auribus accipiamus
Fulgere quam cernant oculei; quia semper ad aureis [res. 165
Tardius adveniunt, quam visum, quæ moveant,
Id licet heinc etiam cognoscere; cædere si quem
Ancipiti videas ferro procul arboris auctum, 168
Ante fit ut cernas ictum, quam plaga per auras
Det sonitum: sic fulgorem quoque cernimus ante,
Quam tonitrum accipimus, pariter qui mittitur igni
Et simili caussa, concursu natus eodem. 172
Hoc etiam pacto volucri loca lumine tinguunt
Nubeis, et tremulo tempestas impete fulgit:
Ventus ubi invasit nubem, et vorsatus ibeidem
Fecit, ut ante, cavam, docui, spissescere nubem,
Mobilitate sua fervescit, ut omnia motu
Percalefacta vides ardescere: plumbea vero
Glans etiam longo cursu volvunda liquescit. 179
Ergo fervidus hic, nubem quom perscidit atram,
Dissupat ardoris quasi per vim expressa repente
Semina, quæ faciunt nictantia fulgura flammæ:
Inde sonus sequitur, qui tardius allicit aureis,
Quam quæ perveniunt oculorum ad limina nostra.
Scilicet hoc denseis fit nubibus, et simul alte
Exstructeis alieis alias super impete miro. 186
Ne tibi sit fraudi, quod nos inferne videmus
Quam sint lata magis, quam sursum exstructa quid exstent.
Contemplator enim, quom montibus assimilata
Nubila portabunt ventei transvorsa per auras;
Aut ubi per magnos monteis cumulata videbis
Insuper esse alieis alia, atque urguere superna
In statione locata, sepulteis undique venteis: 193
Tum poteris magnas moleis cognoscere eorum,
Speluncasque velut, saxeis pendentibu' structas,
Cernere; quas ventei quom, tempestate coorta,
Complêrunt, magno indignantur murmure clusei
Nubibus, in caveeisque ferarum more minantur;
Nunc heinc nunc illeinc fremitus per nubila mittunt, 199
Quærenteisque viam circumvorsantur, et ignis
Semina convolvunt e nubibus; atque ita cogunt
Multa, rotantque caveis flammam fornacibus intus,
Donec divolsa fulserunt nube coruscei.
Hac etiam fit utei de caussa mobilis ille 204
Devolet in terram liquidi color aureus ignis;
Semina quod nubeis ipsas permulta necesse est
Ignis habere: etenim, quom sunt humore sine ullo,
Flammeus est plerumque colos et splendidus olleis.
Quippe etenim solis de lumine multa necesse est
Concipere, ut merito rubeant, igneisque profondant. [unum
Hasce igitur quom ventus agens contrusit in
Compressitque locum cogens; expressa profondunt 212
Semina, quæ faciunt flammæ fulgere colores.
Fulgit item, quom rarescunt quoque nubila cœli.
Nam quom ventus eas leviter diducit eunteis
Dissolvitque, cadant ingratis olla necesse est
Semina, quæ faciunt fulgorem: tum sine tetro
Terrore et soniteis fulgit, nulloque tumultu.
Quod superest, quali natura prædita constent
Fulmina, declarant ictus, et inusta vapore 220
Signa, notæque graveis halanteis sulphuris auras:
Ignis enim sunt hæc, non venti signa, neque imbris. [rum,
Præterea, sæpe accendunt quoque tecta domo-
Et celeri flamma dominantur in ædibus ipseis.
Hunc tibi subtilem, cum primeis ignibus, ignem
Constituit natura, minuteis motibus atque 226
Corporibus, quoi nil omnino obsistere possit.
Transit enim validum fulmen per sæpta domorum,
Clamor uti, ac voces; transit per saxa, per æra;
Et liquidum puncto facit æs in tempore et aurum.
Curat item, vaseis integreis vina repente 231
Diffugiant; quia nimirum facile omnia circum
Collaxat, rareque facit lateramina vasi,
Adveniens calor ejus; ut, insinuatus in ipsum,
Mobiliter solvens differt primordia vini: 235
Quod solis vapor ætatem non posse videtur
Efficere, usque adeo cellens fervore corusco:
Tanto mobilior vis et dominantior hæc est.
Nunc, ea quo pacto gignantur, et impete tanto
Fiant, ut possint ictu discludere turreis, 240
Disturbare domos, avellere tigna trabeisque,
Et monumenta virûm demoliri atque ciere,
Exanimare homines, pecudes prosternere passim;
Cætera de genere hoc qua vi facere omnia possint,
Expediam, neque te in promisseis plura morabor.
Fulmina gignier e crasseis, alteque putandum est 246
Nubibus exstructeis: nam cœlo nulla sereno,
Nec leviter denseis mittuntur nubibus umquam.
Nam dubio procul hoc fieri manifesta docet res,
Quod tunc per totum concrescunt aëra nubeis
Undique, utei tenebras omneis Acherunta reamur
Liquisse, et magnas cœli complêsse cavernas:
Usque adeo tetra nimbrorum nocte coorta 253
Impendent atræ Formidinis ora superne,
Quom commoliri tempestas fulmina cœptat.
Præterea, persæpe niger quoque per mare nimbus, 256
Ut picis e cœlo demissum flumen, in undas
Sic cadit, et fertur tenebreis procul, et trahit atram [celleis,
Fulminibus gravidam tempestatem, atque pro-
Ignibus, ac venteis, cum primeis ipse repletus:
In terra quoque ut horrescant, ac tecta requirant.
Sic igitur supera nostrum caput esse putandum est
Tempestatem altam: neque enim caligine tanta
Obruerent terras, nisi inædificata superne
Multa forent multeis exemto nubila sole: 265
Nec tanto posset venienteis opprimere imbri,
Flumina abundare ut facerent, camposque natare,
Si non exstructeis foret alte nubibus æther.
Heic igitur venteis atque ignibus omnia plena
Sunt: ideo passim fremitus et fulgura fiunt. 270
Quippe etenim supra docui, permulta vaporis
Semina habere cavas nubeis; et multa necesse est
Concipere ex solis radieis, ardoreque eorum.

Heic, ubi ventus, eas idem qui cogit in unum
Forte locum quemvis, expressit multa vaporis
Semina, seque simul cum eo commiscuit igni;
Insinuatus ibei vortex vorsatur in alto, 277
Et calideis acuit fulmen fornacibus intus.
Nam duplici ratione accenditur; ipse sua cum
Mobilitate calescit, et e contagibus ignis. 280
Inde ubi percaluit vis venti, vel gravis ignis
Impetus incessit; maturum tum quasi fulmen
Perscindit subito nubem, ferturque corusceis
Omnia luminibus lustrans loca percitus ardor:
Quem gravis insequitur sonitus, displosa repente
Opprimere ut cœli videantur templa superne.
Inde tremor terras graviter pertentat, et altum
Murmura percurrunt cœlum; nam tota fere tum
Tempestas concussa tremit, fremitusque moventur:
Quo de concussu sequitur gravis imber et uber,
Omnis utei videatur in imbrem vortier æther,
Atque ita præcipitans ad diluviem revocare: 292
Tantus, discidio nubis, ventique procella,
Mittitur ardenti sonitus quom provolat ictu.
Est etiam, quom vis extrinsecus incita venti
Incidit in validam maturo fulmine nubem: 296
Quam quom perscidit, extemplo cadit igneus ille
Vortex, quem patrio voeitamus nomine fulmen.
Hoc fit idem in parteis alias, quoquomque tulit vis. [igni,
Fit quoque, ut interdum venti vis, missa sine
Igniscat tamen in spatio, longoque meatu, 301
Dum venit, amitteus in cursu corpora quædam
Grandia, quæ nequeunt pariter penetrare per auras:
Atque alia ex ipso corradens aëre portat
Parvola, quæ faciunt ignem, commixta, volando:
Non alia longe ratione, ac plumbea sæpe 306
Fervida fit glans in cursu, quom, multa rigoris
Corpora dimittens, ignem concepit in aureis.
Fit quoque, ut ipsius plagæ vis excitet ignem,
Frigida quom venti pepulit vis, missa sine igni;
Nimirum quia, quom vehementi perculit ictu,
Confluere ex ipso possunt elementa vaporis, 312
Et simul ex olla, quæ tum res excipit ictum:
Ut, lapidem ferro quom cædimus, evolat ignis;
Nec, quod frigida vis ferri est, hoc secius olla
Semina concurrunt calidi fulgoris ad ictum. 316
Sic igitur quoque res accendi fulmine debet,
Opportuna fuit si forte et idonea flammeis.
Nec temere omnino plane vis frigida venti
Esse potest, ex quo tanta vi missa superne est;
Quin prius, in cursu si non accenditur igni, 321
At tepefacta tamen veniat, commixta calore.
Mobilitas autem fit fulminis, et gravis ictus,
Ac celeri ferme pergunt sic fulmina lapsu,
Nubibus ipsa quod omnino prius incita se vis
Colligit, et magnum conamen sumit eundi. 326
Inde, ubi non potuit nubes capere impetis auctum,
Exprimitur vis; atque ideo volat impete miro,
Ut valideis quæ de tormenteis missa feruntur.
Adde, quod e parveis et lævibus est elementeis;
Nec facile est tali naturæ obsistere quidquam:
Inter enim fugit, ac penetrat per rara viarum.
Non igitur multeis offensibus in remorando
Hæsitat: hanc ob rem celeri volat impete labens.
Deinde, quod omnino natura pondera deorsum
Omnia nituntur: quom plaga sit addita vero, 336
Mobilitas duplicatur, et impetus ille gravescit;
Ut vehementius et citius, quæquomque morantur
Obvia, discutiat plageis, itinerque sequatur.
Denique, quod longo venit impete, sumere debet [eundo,
Mobilitatem, etiam atque etiam quæ crescit
Et validas auget vireis, et roborat ictum. 342
Nam facit, ut, quæ sint ollius semina quomque,
E regione locum quasi in unum cuncta ferantur,
Omnia conjiciens in eum volventia cursum. 345
Forsitan ex ipso veniens trahat aëre quædam
Corpora, quæ plageis incendant mobilitatem;
Incolumeisque venit per res, atque integra transit
Multa, foraminibus liquidus quia traviat ignis;
Multaque perfregit, quom corpora fulminis ipsa
Corporibus rerum inciderint, qua texta tenentur.
Dissolvit porro facile æs, aurumque repente
Confervefacit; e parveis quia facta minute
Corporibus vis est, et lævibus ex elementeis,
Quæ facile insinuantur, et insinuata repente 355
Dissolvunt nodos omneis, et vincla relaxant.
Auctumnoque magis, stelleis fulgentibus apta,
Concutitur cœli domus undique, totaque tellus,
Et quom tempora se veris florentia pandunt.
Frigore enim desunt igneis, venteique calore 360
Deficiunt, neque sunt tam denso corpore nubeis.
Inter utrasque igitur quom cœli tempora constant,
Tum variæ caussæ concurrunt fulminis omneis.
Nam fretus ipse anni permiscet frigus et æstum;
Quorum utrumque opus est fabricanda ad fulmina nobis, 365
Ut discordia sit rerum, magnoque tumultu
Ignibus et venteis furibundus fluctuet aër.
Prima caloris enim pars, et postrema rigoris,
Tempus id est vernum; quare pugnare necesse est
Dissimileis inter sese, turbareque mixtas. 370
Et calor extremus primo cum frigore mixtus
Volvitur, auctumni quod fertur nomine tempus.
Heic quoque confligunt hiemes æstatibus acreis.
Propterea sunt hæc bella anni nominitanda;
Nec mirum est, in eo si tempore plurima fiunt
Fulmina, tempestasque cietur turbida cœlo, 376
Ancipiti quoniam bello turbatur utrimque,
Heinc flammeis, illeinc venteis, humoreque mixto.
Hoc est igniferi naturam fulminis ipsam
Perspicere, et qua vi faciat rem quamque videre:
Non, Tyrrhena retro volventem carmina frustra
Indicia occultæ divôm perquirere mentis; 382
Unde volans ignis pervenerit, aut in utram se
Vorterit hic partem, quo pacto per loca sæpta
Insinuârit, et heinc dominatus ut extulerit se;
Quidve nocere queat de cœlo fulminis ictus. 386
Quod si Jupiter atque aliei fulgentia divei
Terrifico quatiunt sonitu cœlestia templa,
Et jaciunt ignem, quo quoique est quomque voluntas; [que est,
Quur, quibus incautum scelus avorsabile quom-
Non faciunt, ictei flammas ut fulguris halent 391
Pectore perfixo, documen mortalibus acre?
Et potius nulla sibi turpi conscius in re
Volvitur in flammeis innoxius, inque peditur,
Turbine cœlesti subito correptus et igni? 395
Quur etiam loca sola petunt, frustraque laborant? [tos?
An tum brachia consuescunt, firmantque lacer-
In terraque patris quur telum perpetiuntur
Obtundi? quur ipse sinit, neque parcit in hosteis? [puro
Denique, quur nunquam cœlo jacit undique
Jupiter in terras fulmen, sonitusque profondit?
An, simul ac nubeis successere, ipsus in æstum
Descendit, prope ut heinc teli determinet ictus?

In mare qua porro mittit ratione? quid undas
Arguit, et liquidam molem, camposque natanteis?
Præterea, si volt caveamus fulminis ictum,
Quur dubitat facere,ut possimus cernere missum?
Si necopinanteis autem volt opprimere igni,
Quur tonat ex olla parte, ut vitare queamus?
Quur tenebras ante, et fremitus, et murmura concit? 410
Et simul in multas parteis quî credere possis
Mittere? an hocc' ausis nunquam contendere factum,
Ut fierent ictus uno sub tempore plureis?
At sæpe est numero factum, fierique necesse est,
Ut pluere in multeis regionibus, et cadere imbreis,
Fulmina sic uno fieri sub tempore multa. 416
Postremo, quur sancta deûm delubra, suasque
Discutit infesto præclaras fulmine sedeis,
Et bene facta deûm frangit simulacra, sueisque
Demit imaginibus violento volnere honorem?
Altaque quur plerumque petit loca; plurima quo plus 421
Montibus in summeis vestigia cernimus ignis?
Quod superest, facile est ex heis cognoscere rebus,
Πρηστῆρας Graiei quos ab re nominitarunt,
In mare qua missei veniant ratione superne. 425
Nam fit ut interdum, tamquam demissa columna,
In mare de cœlo descendant: quam freta circum
Fervescunt, graviter spirantibus incita flabreis;
Et quæquomque in eo tum sunt deprensa tumultu
Navigia, in summum veniunt vexata periclum.
Hoc fit, ubi interdum non quit vis incita venti
Rumpere, quam cepit, nubem; sed deprimit,ut sit
In mare de cœlo tamquam demissa columna
Paullatim; quasi quid pugno brachîque superne
Conjectu trudatur, et extendatur in undas: 435
Quam quom discidit, heinc prorumpitur in mare venti
Vis, et fervorem mirum concinnat in undeis.
Vorsabundus enim turbo descendit, et ollam
Deducit pariter lento cum corpore nubem:
Quam simul ac gravidam detrudit ad æquora ponti, 440
Ille in aquam subito totum se immittit, et omne
Excitat ingenti sonitu mare, fervere cogens.
Fit quoque, ut involvat venti se nubibus ipse
Vortex, corradens ex aëre semina nubis,
Et quasi demissum cœlo πρηστῆρα imitetur. 445
Heic, ubi se in terras demisit dissolvitque, [lat.
Turbinis immanem vim provomit, atque procel-
Sed quia fit raro omnino, monteisque necesse est
Officere in terreis, apparet crebrius idem
Prospectu maris in magno, cœloque patenti. 450
Nubila concrescunt, ubi corpora multa volando
Hoc super in cœlo spatio coiere repente
Asperiora, modeis quæ possint indupedita
Exigueis, tamen inter se compressa teneri.
Hæc faciunt primum parvas consistere nubeis;
Inde ea comprendunt inter se, conque gregantur,
Et conjungundo crescunt, venteisque feruntur
Usque adeo, donec tempestas sæva coorta est.
Fit quoque, utei montis vicina cacumina cœlo
Quam sint quoique magis, tanto magis edita fument 460
Assidue fulvæ nubis caligine crassa;
Propterea quia, quom consistunt nubila primum,
Ante videre oculei quam possint tenuia, ventei
Portanteis cogunt ad summa cacumina montis.
Heic demum fit, utei, turba majore coorta, 465
Et condensa atque arta apparere, et simul ipso
Vortice de montis videatur surgere in æthram.
Nam loca declarat sursum ventosa patere [altos.
Res ipsa et sensum, monteis quom adscendimus
Præterea, permulta mari quoque tollere toto
Corpora naturam, declarant litore vesteis 471
Suspensæ, quom concipiunt humoris adhæsum.
Quod magis ad nubeis augendas multa videntur
Posse quoque e salso consurgere momine ponti:
Nam ratio consanguinea est humoribus omnis.
Præterea fluvieis ex omnibus, et simul ipsa
Surgere de terra nebulas, æstumque videmus;
Quæ velut halitus heinc ita sursum expressa feruntur, 478
Suffunduntque sua cœlum caligine, et altas
Sufficiunt nubeis paullatim conveniundo. [æstus,
Urguet enim quoque signiferi super ætheris
Et quasi densendo subtexit cærula nimbeis.
Fit quoque, ut hunc veniant in cœtum extrinsecus olli [lanteis.
Corpora, quæ faciunt nubeis, nimbosque vo-
Innumerabilem enim numerum, summamque profundi 485
Esse infinitam docui, quantaque volarent
Corpora mobilitate ostendi, quamque repente
Immemorabile per spatium transire solerent.
Haud igitur mirum est, si parvo tempore sæpe
Tam magnos monteis tempestas atque tenebræ
Cooperiant, maria, ac terras, impensa superne:
Undique quandoquidem, per caulas ætheris omneis, 492
Et quasi per magni circum spiracula mundi,
Exitus introitusque elementeis redditus exstat.
Nunc age,quo pacto pluvius concrescat in alteis
Nubibus humor, et in terras dimissus ut imber
Decidat, expediam. Primum jam semina aquaï
Multa simul vincam consurgere nubibus ipseis
Omnibus ex rebus, pariterque ita crescere utrumque, [exstat,
Et nubeis, et aquam, quæquomque in nubibus
Ut pariter nobis corpus cum sanguine crescit,
Sudor item, atque humor quiquomque est denique membreis. 502
Concipiunt etiam multum quoque sæpe marinum
Humorem, velutei pendentia vellera lanæ,
Quom supera magnum mare ventei nubila portant. 505
Consimili ratione ex omnibus amnibus humor
Tollitur in nubeis: quo quom bene semina aquarum [aucta,
Multa modeis multeis convenere, undique ad-
Confertæ nubeis tum se dimittere certant
Dupliciter: nam vis venti contrudit, et ipsa
Copia nimborum, turba majore coacta, 511
Urguens ex supero premit, ac facit effluere imbreis. [venteis,
Præterea, quom rarescunt quoque nubila
Aut dissolvuntur solis super icta calore, [igni
Mittunt humorem pluvium, stillantque, quasi
Cera super calido tabescens multa liquescat.
Sed vehemens imber fit, ubei vehementer utrimque 517
Nubila vi cumulata premuntur et impete venti.
At retinere diu pluviæ, longumque morari
Consuêrunt, ubi multa fluenter semina aquarum,
Atque alieis aliæ nubeis nimbeique riganteis 521
Insuper, atque omni volgo de parte, feruntur,
Terraque quom fumans humorem tota redhalat.
Heic ubi sol radieis, tempestatem inter opacam,
Advorsa fulsit nimborum adspergine contra:

Tum color in nigreis exsistit nubibus arqui.
Cætera quæ sursum crescunt, sursumque creantur, 527
Et quæ concrescunt in nubibus omnia prorsum,
Sicuti nix, ventei, grando, gelidæque pruinæ,
Et vis magna geli, magnum duramen aquarum,
Et mora quæ fluvios passim refrenat, aventeis
Perfacile est tamen hæc reperire, animoque videre 532
Omnia quo pacto fiant, qua reve creentur,
Quom bene cognôris elementeis reddita quæ sint.
Nunc age, quæ ratio terraï motibus exstet,
Percipe : et in primeis terram face ut esse rearis
Subter item, ut supera, ventoseis undique plenam
Spelunceis; multosque lacus, multasque lacunas
In gremio gerere, et rupeis, diruptaque saxa;
Multaque sub tergo terraï flumina tecta [est:
Volvere vi fluctus, submersaque saxa putandum
Undique enim similem esse sui res postulat ipsa.
Heis igitur rebus subjuncteis suppositeisque,
Terra superne tremit, magneis concussa ruineis
Subter, ubi ingenteis speluncas subruit ætas:
Quippe cadunt totei monteis, magnoque repente
Concussu late disserpunt inde tremores;
Et merito; quoniam plostris concussa tremiscunt
Tecta viam propter, non magno pondere, tota:
Nec minus exsultant æstu, quom fortis equûm vis
Ferratos utrimque rotarum succutit orbeis. 551
Fit quoque, ubei magnas in aquæ vastaque lacunas
Gleba vetustate e terra provolvitur ingens,
Ut jactetur aquæ fluctu quoque terra vacillans;
Ut vas in terra non quit constare, nisi humor
Destitit in dubio fluctu jactarier intus.
Præterea, ventus quom, per loca subcava terræ
Collectus, parte ex una procumbit, et urguet
Obnixus magneis speluncas viribus altas;
Incumbit tellus, quo venti prona premit vis: 560
Tum, supra terram quæ sunt exstructa domorum,
Ad cœlumque magis quanto sunt edita quæque,
Inclinata minent in eamdem prodita partem,
Protractæque trabeis impendent, ire paratæ.
Et metuunt magni naturam credere mundi 565
Exitiale aliquod tempus clademque manere,
Quom videant tantam terrarum incumbere molem?
Quod, nisi respirent ventei, vis nulla refrenet
Res, neque ab exitio possit reprendere eunteis:
Nunc, quia respirant alterneis, inque gravescunt,
Et quasi collectei redeunt, ceduntque repulsei;
Sæpius hanc ob rem minitatur terra ruinas, 572
Quam facit: inclinatur enim, retroque recellit,
Et recipit prolapsa suas in pondere sedeis.
Hac igitur ratione vacillant omnia tecta, 575
Summa magis medieis, media imeis, ima perhilum.
Est hæc ejusdem quoque magni caussa tremoris, [quædam,
Ventus ubi, atque animæ subito vis maxuma
Aut extrinsecus, aut ipsa tellure coorta,
In loca se cava terraï conjecit, ibeique 580
Speluncas inter magnas fremit ante tumultu,
Vorsabundaque portatur; post, incita quom vis
Exagitata foras erumpitur, et simul, altam
Diffindens terram, magnum concinnat hiatum:
In Syria Sidone quod accidit, et fuit Ægü 585
In Peloponneso; quas exitus hic animaï
Disturbât urbeis, et terræ motus obortus:
Multaque præterea ceciderunt mœnia magneis
Motibus in terreis, et multæ per mare pessum
Subsedere sueis pariter cum civibus urbeis. 590
Quod nisi prorumpit, tamen impetus ipse animaï
Et fera vis venti per crebra foramina terræ
Dispertitur, ut horror, et incutit inde tremorem:
Frigus utei, nostros penitus quom venit in artus,
Concutit, invitos cogens tremere atque movere.
Ancipiti trepidant igitur terrore per urbeis; 596
Tecta superne timent, metuunt inferne cavernas
Terraï ne dissolvat Natura repente,
Neu distracta suum late dispandat hiatum,
Idque sueis confusa velit complere ruineis. 600
Proinde, licet quamvis cœlum terramque reantur
Incorrupta fore, æternæ mandata saluti;
Attamen interdum præsens vis ipsa pericli
Subditat hunc stimulum, quadam de parte, timoris,
Ne pedibus raptim tellus subtracta feratur 605
In barathrum, rerumque sequatur prodita summa
Funditus, et fiat mondi confusa ruina. [æquor.
Nunc ratio reddunda, augmen quur nesciat
Principio, mare mirantur non reddere majus
Naturam, quo sit tantus decursus aquarum, 610
Omnia quo veniant ex omni flumina parte;
Adde vagos imbreis, tempestatesque volanteis,
Omnia quæ maria ac terras sparguntque rigantque; [mam
Adde suos fonteis: tamen ad maris omnia sum-
Guttaï vix instar erunt unius ad augmen: 615
Quo minus est mirum mare non augescere magnum.
Præterea, magnum sol partem detrahit æstu:
Quippe videmus enim vesteis, humore madenteis,
Exsiccare sueis radieis ardentibu' solem.
At pelage multa, et late substrata videmus: 620
Proinde, licet quamvis ex unoquoque loco sol
Humoris parvam delibet ab æquore partem,
Largiter in tanto spatio tamen auferet undeis.
Tum porro ventei magnam quoque tollere partem
Humoris possunt, verrenteis æquora ponti; 625
Una nocte vias quoniam persæpe videmus
Siccari, mollisque luti concrescere crustas.
Præterea, docui multum quoque tollere nubeis
Humorem, magno conceptum ex æquore ponti;
Et passim toto terrarum spargere in orbi, 630
Quom pluit in terreis, et ventei nubila portant.
Postremo, quoniam raro cum corpore tellus
Est, et conjuncta est, oras maris undique cingens;
Debet, ut in mare de terreis venit humor aquaï,
In terras itidem manare ex æquore salso: 635
Percolatur enim virus, retroque remanat
Materies humoris, et ad caput amnibus omnis
Confluit; inde super terras redit agmine dulci,
Qua via secta semel liquido pede detulit undas.
Nunc ratio quæ sit, per fauceis montis ut Ætnæ
Exspirent igneis interdum turbine tanto, 641
Expediam: neque enim dia de clade coorta
Flammæ tempestas, Siculûm dominata per agros,
Finitumeis ad se convortit gentibus ora,
Fumida quom cœli scintillare omnia templa 645
Cernenteis, pavida complebant pectora cura,
Quid moliretur rerum Natura novarum.
Heisce tibi in rebus late est alteque videndum,
Et longe cunctas in parteis dispiciundum,
Ut reminiscaris summam rerum esse profundam,
Et videas, cœlum summaï totius unum 651
Quam sit parvola pars, et quam multesima constet:
Nec tota pars, homo terraï quota totius unus.

Quod bene propositum si plane contueare
Ac videas plane, mirari multa relinquas. 655
Num quis enim nostrûm miratur, si quis in artus
Accepit calido febrim fervore coortam,
Aut alium quemvis morbi per membra dolorem?
Obturgescit enim subito pes, arripit acer
Sæpe dolor denteis, oculos invadit in ipsos; 660
Exsistit sacer ignis, et urit, corpore serpens,
Quamquomque arripuit partem, repitque per artus;
Nimirum quia sunt multarum semina rerum:
Et satis hæc tellus nobis cœlumque mali fert,
Unde queat vis immensi procrescere morbi. 665
Sic igitur toti cœlo terræque putandum est
Ex infinito satis omnia suppeditare,
Unde repente queat tellus concussa moveri,
Perque mare ac terras rapidus percurrere turbo,
Ignis abundare Ætnæus, flammescere cœlum;
Id quoque enim fit, et ardescunt cœlestia templa.
Et tempestates pluviæ graviore coortu 672
Sunt, ubi forte ita se tetulerunt semina aquarum.
At nimis est ingens incendî turbidus ardor.
Scilicet et fluvius, qui visus, maxumus ei est,
Qui non ante aliquem majorem vidit; et ingens
Arbor, homoque, videtur; et omnia de genere omni, 677
Maxuma quæ vidit quisque, hæc ingentia fingit:
Quom tamen omnia cum cœlo, terraque, marique,
Nil sint ad summam summaï totius omnem. 680
Nunc tamen, olla modeis quibus, irritata repente,
Flamma foras vasteis Ætnæ fornacibus efflet,
Expediam. Primum totius subcava montis
Est natura, fere silicum suffulta caverneis. 684
Omnibus est porro in spelunceis ventus et aër;
Ventus enim fit, ubi est agitando percitus aër:
Hic ubi percaluit, calefecitque omnia circum
Saxa furens, qua contingit, terramque, et ab olleis
Excussit calidum flammeis velocibus ignem:
Tollit se, ac recteis ita faucibus ejicit alte, 690
Vortitque ardorem longe, longeque favillam
Differt, et crassa volvit caligine fumum,
Extruditque simul mirando pondere saxa.
Ne dubites, quin hæc animaï turbida sit vis.
Præterea, magna ex parti mare montis ad ejus 695
Radices frangit fluctus, æstumque resolvit.
Ex hoc usque mari speluncæ montis ad altas
Perveniunt subter fauceis: hac ire, fatendum est,
Et penetrare mari, penitus res cogit, aperto,
Atque efflare foras; ideoque extollere flammas,
Saxaque subjectare, et arenæ tollere nimbos. 701
In summo sunt vertice enim crateres, ut ipsei
Nominitant, nos quod fauceis perhibemus et ora.
Sunt aliquot quoque res, quarum unam dicere caussam 704
Non satis est, verum plureis; unde una tamen sit.
Corpus ut exanimum si quod procul ipse jacere
Conspicias hominis, fit, ut omneis dicere caussas
Conveniat leti, dicatur ut ollius una.
Nam neque eum ferro, nec frigore, vincere possis
Interiisse, neque a morbo, neque forte veneno;
Verum aliquid genere esse ex hoc, quod contigit ei, 711
Scimus: item in multeis hoc rebus dicere habemus.
Nilus in æstatem crescit, campeisque redundat,
Unicus in terreis, Ægypti totius amnis.
Is rigat Ægyptum medium per sæpe calorem;
Aut quia sunt æstate Aquilones ostia contra, 716
Anni tempore eo, qui Etesiæ esse feruntur,
Et contra fluvium flanteis remorantur, et undas
Cogenteis sursus, replent, coguntque manere.
Nam dubio procul hæc advorso flabra feruntur
Flumine, quæ gelideis ab stelleis axis aguntur:
Ille ex æstifera parte venit amnis, ab Austro
Inter nigra virûm percocto sæcla colore,
Exoriens penitus media ab regione diei. 724
Est quoque, utei possit magnus congestus arenæ
Fluctibus advorseis oppilare ostia contra,
Quom mare permotum venteis ruit intus arenam:
Quo fit utei pacto liber minus exitus amnis,
Et proclivus item fiat minus impetus undeis.
Fit quoque, utei pluviæ forsan magis ad caput ejus 730
Tempore eo fiant, quo Etesia flabra Aquilonum
Nubila conjiciunt in eas tunc omnia parteis.
Scilicet ad mediam regionem ejecta diei
Quom convenerunt, ibi ad altos denique monteis
Contrusæ nubeis coguntur, vique premuntur. 735
Forsitan Æthiopum penitus de montibus alteis
Crescat, ubi in campos albas descendere ningueis
Tabificeis subigit radieis sol, omnia lustrans.
Nunc age, Averna tibei quæ sint loca quomque lacusque
Expediam, quali natura prædita constent. 740
Principio, quod Averna vocantur nomine, id ab re
Impositum est, quia sunt avibus contraria cuncteis,
Et regione ea quod loca quom venere volanteis,
Remigium oblitæ, pennarum vela remittunt,
Præcipiteisque cadunt molli cervice profusæ
In terram, si forte ita fert natura locorum, 746
Aut in aquam, si forte lacus substratus Averni.
Hic locus est Cumas apud, acri sulphure monteis
Oppletei calideis ubi fumant fontibus auctei.
Est et Athenæeis in mœnibus, arcis in ipso
Vertice, Palladis ad templum Tritonidis almæ,
Quo numquam penneis appellunt corpora raucæ
Cornices, non quom fumant altaria doneis;
Usque adeo fugitant, non iras Palladis acreis, 754
Pervigili caussa, Graiûm ut cecinere poëtæ;
Sed natura loci opus efficit ipsa suapte.
In Syria quoque fertur item locus esse videri,
Quadrupedes quoque quo simul ac vestigia primum
Intulerint, graviter vis cogat concidere ipsa,
Manibus ut si sint diveis mactata, repente. 760
Omnia quæ naturali ratione geruntur,
Et, quibus e fiant causseis, apparet origo:
Janua ne posita heis Orci regionibus esse
Credatur; post heinc animas Acheruntis in oras
Ducere forte deos Maneis inferne reamur: 765
Naribus alipedes ut cervei sæpe putantur
Ducere de latebreis serpentia sæcla ferarum.
Quod procul a vera quam sit ratione repulsum
Percipe: namque ipsa de re nunc dicere conor.
Principio hoc dico, quod dixi sæpe quoque ante, 770
In terra quojusque modi rerum esse figuras:
Multa homini quæ sunt vitalia, multaque morbos
Incutere, et mortem quæ possint accelerare:
Et magis esse alieis alias animantibus aptas
Res ad vitaï rationem, ostendimus ante, 775
Propter dissimilem naturam, dissimileisque
Texturas inter sese, primasque figuras:
Multa meant inimica per aureis, multa per ipsas

Insinuant nareis infesta atque aspera tactu:
Nec sunt multa parum tactu vitanda, neque autem
Aspectu fugiunda, saporeque tristia quæ sint.
Deinde, videre licet, quam multæ sint homini res
Acriter infesto sensu, spurcæque, graveisque.
Arboribus primum certeis gravis umbra tributa;
Usque adeo capitis faciant ut sæpe dolores, 785
Si quis eas subter jacuit prostratus in herbeis.
Est etiam magneis Heliconis montibus arbos,
Floris odore hominem tetro consueta necare.
Scilicet hæc ideo terreis ex omnia surgunt, 789
Multa modeis multeis multarum semina rerum
Quod permixta gerit tellus, discretaque tradit.
Nocturnumque recens exstinctum lumen, ubi acreis
Nidore offendit nareis, tum sopit ibeidem,
Concidere ut pronos qui morbus mittere suevit.
Castoreoque gravi mulier sopita recumbit,
Et manibus nitidum tenereis opus effluit ei,
Tempore eo si odorata est, quo menstrua solvit.
Multaque præterea languentia membra per artus
Solvunt, atque animam labefactant sedibus intus.
Denique, si calideis etiam conctere lavabreis
Plenior, et flueris solio ferventis aquaï; 801
Quam facile in medio fit utei des sæpe ruinas?
Carbonumque gravis vis atque odor insinuatur
Quam facile in cerebrum, nisi aquam præcepimus ante?
At, quom membra domus percepit fervida, nerveis
Tum fit odor vini plagæ mactabilis instar.
Nonne vides etiam terra quoque sulphur ipsa
Gignier, et tetro concrescere odore bitumen?
Denique, ubi argenti venas agrique sequuntur,
Terraï penitus scrutanteis abdita ferro, 810
Qualeis exspiret scaptensula subter odores?
Quidve mali fit, ut exhalent aurata metalla?
Quas hominum reddunt facies, qualeisque colores?
Nonne vides, audisve, perire in tempore parvo
Quam soleant, et quam vitaï copia desit;
Quos opere in tali cohibet vis magna, necessest?
Hos igitur tellus omneis exæstuat æstus, 817
Exspiratque foras in apertum, promtaque cœli.
Sic et Averna loca alitibus summittere debent
Mortiferam vim, de terra quæ surgit in auras,
Ut spatium cœli quadam de parte venenet: 821
Quo simul ac primum penneis delata sit ales,
Impediatur ibei, cæco correpta veneno,
Ut cadat e regione loci, qua se erigit æstus:
Quo quom corruit, hæc eadem vis ollius æstus
Reliquias vitæ membreis ex omnibus aufert.
Quippe etenim primo quasi quemdam conciet æstum; 827
Posterius fit, utei, quom jam cecidere veneni
In fonteis ipsos, ibi sit quoque vita vomunda,
Propterea quod magna mali sit copia circum.
Fit quoque, ut interdum vis hæc atque æstus Averni locatus,
Aëra, qui inter aveis quomque est terramque
Discutiat, prope utei locus heinc linquatur inanis:
Quojus ubi e regione loci venere volanteis,
Claudicat extemplo pennarum nixus inanis, 835
Et conamen utrimque alarum proditur omne.
Heic, ubi nictari nequeunt, insistereque aleis,
Scilicet in terram delabi pondere cogit teis,
Natura; et vacuum prope jam per inane jacen-
Dispergunt animas per caulas corporis omneis.
Frigidior porro in puteeis æstate fit humor,
Rarescit quia terra calore, et semina si qua
Forte vaporis habet, propere dimittit in auras.
Quo magis est igitur tellus effeta calore,
Fit quoque frigidior, qui in terra est abditus, humor. itque, 845
Frigore quom premitur porro omnis terra, co-
Et quasi concrescit; fit scilicet in coëundo,
Exprimat in puteos, si quem gerit ipsa, calorem.
Esse apud Hammonis fanum fons luce diurna
Frigidus, et calidus nocturno tempore, fertur.
Hunc homines fontem nimis admirantur, et acri
Sole putant subter terras fervescere raptim,
Nox ubi terribili terram caligine texit:
Quod nimis a vera est longe ratione remotum.
Quippe ubi sol, nudum contrectans corpus aquaï,
Non quierit calidum supera de reddere parte,
Quom superum lumen tanto fervore fruatur:
Quî queat hic, subter tam crasso corpore terram,
Percoquere humorem, et calido sociare vapore?
Præsertim, quom vix possit per sæpta domorum
Insinuare suum radieis ardentibus æstum? 861
Quæ ratio est igitur? nimirum terra magis quod
Rara tenet circum fontem, quam cætera tellus;
Multaque sunt ignis prope semina corpus aquaï.
Hoc, ubi rorifereis terram nox obruit umbreis,
Extemplo subtus frigescit terra, coitque. 866
Hac ratione fit, ut, tamquam compressa manu sit,
Exprimat in fontem, quæ semina quomque habet ignis; rem.
Quæ calidum faciunt laticis tactum atque vapo-
Inde, ubi sol radieis terram dimovit oborteis,
Et rarefecit, calido miscente vapore, 871
Rursus in antiquas redeunt primordia sedeis
Ignis, et in terram cedit calor omnis aquaï:
Frigidus hanc ob rem fit fons in luce diurna.
Præterea, solis radieis jactatur aquaï 875
Humor, et in lucem tremulo rarescit ab æstu:
Propterea fit, utei, quæ semina quomque habet ignis,
Dimittat; quasi sæpe gelum, quod continet in se,
Mittit, et exsolvit glaciem, nodosque relaxat.
Frigidus est etiam fons, supra quem sita sæpe
Stuppa jacit flammam, concepto protinus igni;
Tedaque consimili ratione accensa per undas
Collucet, quoquomque natans impellitur aureis:
Nimirum quia sunt in aqua permulta vaporis
Semina, de terraque necesse est funditus ipsa
Ignis corpora per totum consurgere fontem, 886
Et simul exspirare foras, exireque in auras;
Non tam viva tamen, calidus queat ut fieri fons.
Præterea, dispersa foras, erumpere cogit 889
Vis per aquam subito, sursumque ea conciliare:
Quod genus indu mari Aradio fons dulcis aquaï,
Qui scatit, et salsas circum se dimovet undas;
Et multeis alieis præbet regionibus æquor
Utilitatem opportunam sitientibu' nauteis,
Quod dulceis inter salsas intervomit undas. 895
Sic igitur per eum possunt erumpere fontem
Et scatere olla foras in stuppam semina; quæ quom
Conveniunt, aut in tedaï corpore adhærent,
Ardescunt facile extemplo, quod multa quoque in se 899
Semina habent ignis stuppæ tedæque tenenteis.
Nonne vides etiam, nocturna ad lumina linum
Nuper ubi exstinctum admoveas, accendier ante
Quam tetigit flammam; tedamque pari ratione?
Multaque præterea prius ipso tacta vapore 904

Eminus ardescunt,quam comminus imbuat ignis.
Hoc igitur fieri quoque in ollo fonte putandum est.
Quod superest, agere incipiam, quo fœdere fiat
Naturæ, lapis hicc' ut ferrum ducere possit,
Quem Magneta vocant patrio de nomine Graiei,
Magnetum quia sit patrieis in finibus ortus. [nam
Hunc homines lapidem mirantur ; quippe cate-
Sæpe ex annelleis reddit pendentibus ex se :
Quinque etenim licet interdum plureisque videre,
Ordine demisso, levibus jactarier aureis,
Unus ubi ex uno dependet subter adhærens, 915
Ex alioque alius lapidis vim vinclaque noscit :
Usque adeo permananter vis pervalet ejus.
Hoc genus in rebus firmandum est multa prius, quam
Ipsius rei rationem reddere possis ; 919
Et nimium longeis ambagibus est adeundum :
Quo magis attentas aureis animumque reposco.
Principio, omnibus a rebus, quasquomque videmus,
Perpetuo fluere, ac mitti, spargique necesse est
Corpora, quæ feriant oculos,visumque lacessant :
Perpetuoque fluunt certeis ab rebus odores, 925
Frigus ut a fluvieis, calor a sole, æstus ab undeis
Aquoris, exesor mœrorum litora propter :
Nec variei cessant sonitus manare per auras.
Denique, in os salsi venit humor sæpe saporis,
Quom mare vorsamur propter ; dilutaque contra
Quom tuimur misceri absinthia, tangit amaror.
Usque adeo omnibus ab rebus res quæque fluenter
Fertur, et in cunctas dimittitur undique parteis :
Nec mora, nec requies, inter datur ulla fluundi ;
Perpetuo quoniam sentimus, et omnia semper
Cernere, odorari licet, et sentire sonare. [res
Nunc omneis repetam quam raro corpore sint
Commemorare, quod in primo quoque carmine claret. [ad res
Quippe etenim, quamquam multas hoc pertinet
Noscere,cum primeis hanc ad rem protinus ipsam,
Qua de disserere aggredior, firmare necesse est,
Nil esse in promtu, nisi mixtum corpus inani.
Principio, fit, ut in spelunceis saxa superna
Sudent humore, et gutteis manantibu' stillent :
Manat item nobis e toto corpore sudor : [artus :
Crescit barba, pileique per omnia membra, per
Diditus in venas cibus omneis auget, alitque
Corporis extremas quoque parteis unguiculosque.
Frigus item transire per æs,calidumque vaporem
Sentimus : sentimus item transire per aurum,
Atque per argentum,quom pocula plena tenemus.
Denique, per dissæpta domorum saxea voces
Pervolitant, permanat odos, frigusque, vaposque
Ignis : qui ferri quoque vim penetrare suëvit
Denique, qua circum colli lorica coërcet. [atur.
Morbida visque simul, quom extrinsecus insinu-
Et tempestatem, terra cœloque coortam, 957
In cœlum terramque remote jure facessunt,
Quandoquidem nihil est, non raro corpore nexum.
Huc accedit, utei non omnia, quæ jaciuntur
Corpora quomque ab rebus,eodem prædita sensu,
Atque eodem pacto rebus sint omnibus apta.
Principio, terram sol excoquit, et facit are ;
At glaciem dissolvit, et alteis montibus altas
Exstructas ningueis radieis tabescere cogit : 965
Denique, cera liquescit in ejus posta vapore.
Ignis item liquidum facit æs, aurumque resolvit ;
At coria et carnem trahit, et conducit in unum.
Humor aquæ porro ferrum condurat ab igni ;
At coria et carnem mollit, durata calore. 970
Barbigeras oleaster eo juvat usque capellas,
Effluat ambrosia quasi vero et nectare tinctus :
Qua nihil est homini quod amariu' frondeat estu :
Denique, amaracinum fugitat sus, et timet omne
Unguentum ; nam setigereis subus acre venenum est, 975
Quod nos interdum tamquam recreare videtur.
At contra, nobis cœnum teterrima quom sit
Spurcities, eadem suibus res munda videtur,
Insatiabiliter totei ut volvantur ibeidem. 979
Hoc etiam superest, ipsa quam dicere de re
Aggredior, quod dicundum prius esse videtur.
Multa foramina quom varieis sint reddita rebus,
Dissimili inter se natura prædita debent
Esse, et habere suam naturam quæque viasque.
Quippe etenim variei sensus animantibus insunt,
Quorum quisque suam proprie rem percipit in se.
Nam penetrare alio sonitus, alioque saporem
Cernimus e suceis, alio nidoris odores. 988
Præterea manare aliud per saxa videtur,
Atque aliud ligneis, aliud transire per aurum ;
Argentoque foras aliud, vitroque, meare ;
(Nam fluere hac species, illac calor ire, videtur)
Atque alieis aliud citius transmittere eadem.
Scilicet id fieri cogit natura viarum,
Multimodeis varians, ut paullo ostendimus ante,
Propter dissimilem naturam textaque rerum.
Quapropter, bene ubi hæc confirmata atque locata 997
Omnia constiterint nobis præposta, parata ;
Quod superest, facile heinc ratio reddetur, et omnis
Caussa patefiet, quæ ferri pelliceat vim. [est
Principio, fluere e lapide hoc permulta necesse
Semina, sive æstum, qui discutit ëra plageis,
Inter qui lapidem ferrumque est quomque locatus.
Hoc ubi inanitur spatium, multusque vacescit
In medio locus ; extemplo primordia ferri 1005
In vacuum prolapsa cadunt conjuncta, fit utque
Annulus ipse sequatur, eatque ita corpore toto.
Nec res ulla magis, primoribus ex elementeis
Indupedita sueis, arte connexa cohæret,
Quam validi ferri naturæ frigidus horror. 1010
Quo minus est mirum, paullo quod diximus ante,
Corpora si nequeunt de ferro plura coorta
In vacuum ferri, quin ananlus ipse sequatur :
Quod facit ; et sequitur, donec pervenit ad ipsum
Jam lapidem, cæceisque in eo compagibus hæsit.
Hoc fit item cunctas in parteis ; unde vacescit
Quomque locus, sive ex transvorso, sive superne,
Corpora continuo in vacuum vicina feruntur.
Quippe agitantur enim plageis aliunde, nec ipsa
Sponte sua sursum possunt consurgere in auras.
Huc accedit item, quare queat id magis esse :
Quod simul a fronte est annelli rarior aër 1022
Factus, inanitusque locus magis ac vacuatus ;
Continuo fit, utei, qui post est quomque locatus
Aër, a tergo quasi provehat atque propellat.
Semper enim circum positus res verberat aër ;
Sed tali fit utei propellat tempore ferrum,
Parte quod ex una spatium vacat, et capit in se
Hic tibi, quem memoro, per crebra foramina ferri
Parvas ad parteis subtiliter insinuatus, 1030
Trudit et impellit, quasi navem velaque venteis.
[Hæc quoque res adjumento motuque juvatur.]
Denique res omneis debent in corpore habere
Aëra, quandoquidem raro sunt corpore, et aër

Omnibus est rebus circumdatus appositusque.
Hicc' igitur, penitus qui in ferro est abditus, aër
Solicito motu semper jactatur, eoque
Verberat annellum dubio procul, et ciet intus
Scilicet, atque eodem fertur, quo præcipitavit
Jam semel, et vacuam in partem conamina sumsit. 1040
Fit quoque, ut a lapide hoc ferri natura recedat
Interdum, fugere atque sequi consueta vicissim.
Exsultare etiam Samothracia ferrea vidi,
Ac ramenta simul ferri furere intus aheneis
In scaphieis, lapis hic Magnes quom subditus esset: 1045
Usque adeo fugere a saxo gestire videtur,
Ære interposito; discordia tanta creatur:
Propterea, quia nimirum prius æstus ubi æris
Præcepit, ferrique vias possedit apertas,
Posterior lapidis venit æstus, et omnia plena
Invenit in ferro, neque habet qua tranet, ut ante.
Cogitur offensare igitur pulsareque fluctu 1052
Ferrea texta suo: quo pacto respuit ab se,
Atque per æs agitat, sine eo quod sæpe resorbet.
Ollud in heis rebus mirari mitte, quod æstus
Non valet e lapide hoc alias impellere item res.
Pondere enim fretæ partim stant; quod genus aurum:
Ac partim, raro quia sunt cum corpore, ut æstus
Pervolet intactus, nequeunt impellier usquam;
Lignea materies in quo genere esse videtur.
Inter utrasque igitur ferri natura locata,
Æris ubi accepit quædam corpuscula, tum fit
Impellant ut eam Magnetis flumina saxi.
Nec tamen hæc ita sunt aliarum rerum aliena,
Ut mihi multa parum genere ex hoc suppeditentur, 1065
Quæ memorare queam inter se singlariter apta.
Saxa vides primum sola coolescere calce:
Glutine materies taurino jungitur una,
Ut vitio venæ tabularum sæpius hiscant,
Quam laxare queant compages taurea vincla.
Vitigenei latices in aquaï fontibus audent
Misceri, quom pix nequeat gravis, et leve olivum.
Purpureusque colos conchylî jungitur uno
Corpore cum lanæ, dirimi qui non queat usquam;
Non, si Neptuni fluctu renovare operam des;
Non, mare si totum velit eluere omnibus undeis.
Denique, res auro argentum concopulat una,
Ærique æs plumbo fit utei jungatur ab albo.
Cætera jam quam multa licet reperire? quid ergo?
Nec tibi tam longeis opus est ambagibus usquam,
Nec me tam multam heic operam consumere par est: 1081
Sed breviter pauceis præstat comprendere multa.
Quorum ita texturæ ceciderunt mutua contra,
Ut cava conveniant pleneis hæc ollius, olla
Hujusque; inter se junctura hæc optuma constat.
Est etiam, quasi ut annelleis hameisque plicata
Inter se quædam possint coplata teneri: 1087
Quod magis in lapide hoc fieri ferroque videtur.
Nunc, ratio quæ sit morbeis, aut unde repente
Mortiferam possit cladem conflare coorta 1090
Morbida vis hominum generi pecudumque caterveis,
Expediam. Primum multarum semina rerum
Esse supra docui, quæ sint vitalia nobis;
Et contra, quæ sint morbo mortique, necesse est
Multa volare: ea quom casu sunt forte coorta,
Et perturbârunt cœlum, fit morbidus aër. 1096
Atque ea vis omnis morborum pestilitasque
Aut extrinsecus, ut nubeis nebulæque, superne
Per cœlum veniunt; aut ipsa sæpe coorta
De terra surgunt, ubi putorem humida nacta est,
Intempestiveis pluvieisque et solibus icta. 1101
Nonne vides etiam cœli novitate et aquarum
Tentari, procul a patria queiquomque domoque
Adveniunt, ideo quia longe discrepitant res?
Nam quid Britanneis cœlum differre putamus,
Et quod in Ægypto est, qua mundi claudicat axis?
Quidve quod in Ponto est differre, et Gadibus,
Usque ad nigra virûm percocto sæcla calore?
Quæ quom quatuor, inter se divorsa, videmus
Quatuor a venteis et cœli partibus esse; 1110
Tum color et facies hominum distare videntur
Largiter, et morbei generatim sæcla tenere.
Est elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Ægypto in media, neque præterea usquam.
Atthide tentantur gressus, oculeique in Achæis
Finibus: inde alieis alius locus est inimicus
Partibus ac membreis; varius concinnat id aër.
Proinde, ubi se cœlum, quod nobis forte alienum,
Commovet, atque aër inimicus serpere cœpit;
Ut nebula ac nubes, paullatim repit, et omne,
Qua graditur, conturbat et immutare coactat.
Fit quoque, ut in nostrum quom venit denique cœlum,
Corrumpat, reddatque sui simile, atque alienum.
Hæc igitur subito clades nova, pestilitasque,
Aut in aquas cadit, aut fruges persidit in ipsas,
Aut alios hominum pastus, pecudumque cibatus;
Aut etiam suspensa manet vis aëre in ipso:
Et, quom spiranteis mixtas heinc ducimus auras,
Olla quoque in corpus pariter sorbere necesse est.
Consimili ratione venit bubus quoque sæpe 1130
Pestilitas; etiam pigreis balantibus ægror.
Nec refert, utrum nos in loca deveniamus
Nobis advorsa, et cœli mutemus amictum;
An cœlum nobis ultro natura alienum
Deferat, aut aliquid, quod non consuevimus uti;
Quod nos adventu possit tentare recenti. 1136
Hæc ratio quondam morborum, et mortifer æstus
Finibu' Cecropieis funestos reddidit agros,
Vastavitque vias, exhausit civibus urbem.
Nam penitus, veniens Ægypti finibus, ortus,
Aëra permensus multum, camposque natanteis,
Incubuit tandem populum Pandionis omnem:
Inde catervatim morbo mortique dabantur.
Principio, caput incensum fervore gerebant,
Et dupliceis oculos suffusa luce rubenteis. 1145
Sudabant etiam fauceis, intrinsecus atræ,
Sanguine, et ulceribus vocis via sæpta coibat,
Atque animi interpres manabat lingua cruore,
Debilitata maleis, motu gravis, aspera tactu.
Inde, ubi per fauceis pectus complêrat, et ipsum
Morbida vis in cor mæstum confluxerat ægreis;
Omnia tum vero vitaï claustra lababant. 1152
Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem,
Rancida quo perolent projecta cadavera ritu.
Atque animi prorsum vireis totius, et omne
Languebat corpus, leti jam limine in ipso: 1156
Intolerabilibusque maleis erat anxius angor
Assidue comes, et gemitu commixta querela;
Singultusque frequens noctem per sæpe, diemque,

Corripere assidue nervos et membra coactans,
Dissolvebat eos, defessos ante fatigans. 1161
Nec nimio quoiquam posses ardore tueri
Corporis in summo summam fervescere partem;
Sed potius tepidum manibus proponere tactum,
Et simul ulceribus quasi inusteis omne rubere
Corpus, ut est, per membra sacer quom diditur ignis. 1166
Intima pars hominum vero flagrabat ad ossa;
Flagrabat stomacho flamma, ut fornacibus, intus: [breis
Nil adeo posses quoiquam leve tenueque mem-
Vortere in utilitatem: ad ventum et frigora semper, 1170
In fluvios partim gelidos ardentia morbo
Membra dabant, nudum jacienteis corpus in undas;
Multei præcipiteis lympheis putealibus alte
Inciderunt, ipso venienteis ore patente:
Insedabiliter sitis arida, corpora mersans, 1175
Æquabat multum parveis humoribus imbrem.
Nec requies erat ulla mali: defecta jacebant
Corpora; mussabat tacito medicina timore;
Quippe patentia quom totas ardentia nocteis
Lumina vorsarent oculorum expertia somno;
Multaque præterea mortis tum signa dabantur:
Perturbata animi mens in mærore metuque;
Triste supercilium; furiosus voltus, et acer;
Solicitæ porro plenæque sonoribus aureis;
Creber spiritus, aut ingens, raroque coortus;
Sudorisque madens per collum splendidus humos;
Tenuia sputa, minuta, croci contacta colore,
Salsaque, per fauceis raucas vix edita tussi;
In manibus vero nervei trahere, et tremere artus;
A pedibusque minutatim succedere frigus
Non dubitabat: item ad supremum denique tempus
Compressæ nareis; nasi primoris acumen 1192
Tenue; cavatei oculei; cava tempora; frigida pellis [bat.
Duraque; inhorrebat rictum; frons tenta mea-
Nec nimio rigida post artus morte jacebant;
Octavoque fere candenti lumine solis, 1196
Aut etiam nona reddebant lampade vitam.
Quorum si quis, ut est, vitârat funera leti,
Visceribus tetreis, et nigra proluvie alvi;
Posterius tamen hunc tabes letumque manebat;
Aut etiam multus capitis cum sæpe dolore 1201
Corruptus sanguis expleteis naribus ibat;
Huc hominis totæ vireis, corpusque fluebat.
Profluvium porro qui tetri sanguinis acre
Exierat, tamen in nervos huic morbus et artus
Ibat, et in parteis genitaleis corporis ipsas: 1206
Et graviter partim metuenteis limina leti
Vivebant, ferro privatei parte virili; [bant
Et manibus sine nonnullei, pedibusque, mane-
In vita tamen, et perdebant lumina partim: 1210
Usque adeo mortis metus heis incesserat acer.
Atque etiam quosdam cepere oblivia rerum
Cunctarum, neque se possent cognoscere ut ipsei.
Multaque humi quom inhumata jacerent corpora supra 1214
Corporibus, tamen alituum genus atque ferarum
Aut procul absiliebat, ut acrem exiret odorem,
Aut, ubi gustârat, languebat morte propinqua.
Nec tamen omnino temere olleis solibus ulla
Comparebat avis, nec noctibu' sæcla ferarum
Exibant sylveis: languebant pleraque morbo,
Et moriebantur; cum primeis fida canum vis
Strata vieis animam ponebat in omnibus ægre:
Extorquebat enim vitam vis morbida membreis.
Incomitata rapi certabant funera vasta.
Nec ratio remedî communis certa dabatur: 1225
Nam, quod alî dederat vitaleis aëris auras
Volvere in ore licere, et cœli templa tueri,
Hocc' alieis erat exitio, letumque parabat.
Ollud in heis rebus miserandum et magnopere unum 1229
Ærumnabile erat, quod, ubei se quisque videbat
Implicitum morbo, morti damnatus ut esset,
Deficiens animo, mæsto cum corde jacebat
Funera respectans, animam et mittebat ibeidem.
Quippe etenim nullo cessabant tempore apisci
Ex alieis alios avidi contagia morbi. 1235
Idque vel in primeis cumulabat funere funus;
Nam queiquomque suos fugitabant visere ad ægros,
Vitaï nimium cupidos mortisque timenteis
Pœnibat paullo post turpi morte malaque,
Desertos, opis experteis, incuria mactans 1240
Lanigeras tamquam pecudes, et bucera sæcla.
Quei fuerant autem præsto, contagibus ibant,
Atque labore, pudor quem tum cogebat obire,
Blandaque lassorum vox mixta voce querelæ.
Optumus hoc leti genus ergo quisque subibat.
Inque alieis alium, populum sepelire suorum
Certanteis, lacrumeis lassei luctuque redibant:
Inde bonam partem in letum mærore dabantur:
Nec poterat quisquam reperiri, quem neque morbus,
Nec mors, nec luctus tentaret tempore tali. 1250
Præterea jam pastor et armentarius omnis,
Et robustus item curvi moderator aratri,
Languebat, penitusque casa contrusa jacebant
Corpora, paupertate et morbo dedita morti. 1254
Exanimeis puereis super exanimata parentum
Corpora nonnumquam posses, retroque videre
Matribus et patribus natos super edere vitam.
Nec minumam partem ex agris mœroris in urbem
Confluxit, languens quem contulit agricolarum
Copia, conveniens ex omni morbida parte: 1260
Omnia complebant loca tectaque: quo magis æstu
Confertos ita acervatim mors accumulabat.
Multa siti prostrata viam per, proque voluta
Corpora, silanos ad aquarum strata jacebant,
Interclusa anima nimia ab dulcedine aquarum:
Multaque per populi passim loca promta, viasque, [deres,
Languida semianimo cum corpore membra vi-
Horrida pædore, et pannis cooperta, perire
Corporis inluvie: pellis super ossibus una, 1269
Visceribus tetris prope jam sordique sepulta.
Omnia denique sancta deum delubra replêrat
Corporibus mors exanimis, oneratque passim
Cuncta cadaveribus cœlestum templa manebant,
Hospitibus loca quæ complêrant ædituentes.
Nec jam religio divôm, neque numina magni
Pendebantur: enim præsens dolor exsuperabat.
Nec mos ille sepulturæ remanebat in urbe,
Quo pius hic populus semper consuêrat humari:
Perturbatus enim totus trepidabat, et unus 1279
Quisque suum pro re consortem mæstus humabat.
Multaque vi subita paupertas horrida suasit:
Namque suos consanguineos aliena rogorum
Insuper exstructa ingenti clamore locabant, 1283
Subdebantque faceis, multo cum sanguine sæpe
Rixantes potius, quam corpora desererentur.

III.—P. VIRGILII MARONIS BUCOLICON LIBER.

P. Virgilius Maro Andibus, agri Mantuani vico, domo rustica quidem, sed libera et honesta natus est, U. C. 684. Octaviano autem Cæsare terram Mantuanam militibus suis dividente, ad hæreditatem repetendam Romam profectus, cum jam antea carminum aliquot suavitate innotuisset, non tantum agros recepit, sed Mecænatis opera, communis ingeniorum fautoris, tum Principis ipsius tum clarissimorum quorumque ejus ætatis virorum favorem amicitiamque adeptus est. Georgica mox eodem hortante scripsit, ad animos scilicet hominum a bellicis studiis ad agrestia revocandos. Ubi autem omnium jam consensu principatum inter sui sæculi poetas nactus esset, Æneidem aggressus est. Cui dum supremam manum imponeret, Brundisii, aut, ut aliis placet, Tarenti mortuus est, U. C. 753.

ECLOGA I.—Melibœus. Tityrus.

MELIBŒUS.

Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine fagi
Sylvestrem tenui musam meditaris avena :
Nos patriæ fines et dulcia linquimus arva ;
Nos patriam fugimus : tu, Tityre, lentus in umbra
Formosam resonare doces Amaryllida sylvas. 5

TITYRUS.

O Melibœe, deus nobis hæc otia fecit :
Namque erit ille mihi semper deus; illius aram
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
Ludere, quæ vellem, calamo permisit agresti. 10

MELIBŒUS.

Non equidem invideo; miror magis: undique totis
Usque adeo turbatur agris. En ipse capellas
Protenus æger ago; hanc etiam vix, Tityre, duco.
Hic inter densas corylos modo namque gemellos,
Spem gregis, ah! silice in nuda connixa reliquit.
Sæpe malum hoc nobis, si mens non læva fuisset,
De cœlo tactas memini prædicere quercus.
[Sæpe sinistra cava prædixit ab ilice cornix.]
Sed tamen, iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.

TITYRUS.

Urbem quam dicunt Romam, Melibœe, putavi
Stultus ego huic nostræ similem, quo sæpe solemus 21
Pastores ovium teneros depellere fetus.
Sic canibus catulos similes, sic matribus hædos
Nôram; sic parvis componere magna solebam.
Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi. 26

MELIBŒUS.

Et quæ tanta fuit Romam tibi caussa videndi ?

TITYRUS.

Libertas : quæ, sera, tamen respexit inertem,
Candidior postquam tondenti barba cadebat;
Respexit tamen, et longo post tempore venit. 30
Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
Namque, fatebor enim, dum me Galatea tenebat,
Nec spes libertatis erat, nec cura peculî.
Quamvis multa meis exiret victima sæptis,
Pinguis et ingratæ premeretur caseus urbi : 35
Non unquam gravis ære domum mihi dextra redibat.

MELIBŒUS.

Mirabar quid mæsta deos, Amarylli, vocares;
Cui pendere sua patereris in arbore poma.
Tityrus hinc aberat. Ipsæ te, Tityre, pinus,
Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta, vocabant. 40

TITYRUS.

Quid facerem? neque servitio me exire licebat,
Nec tam præsentes alibi cognoscere divos.
Hic illum vidi juvenem, Melibœe, quotannis
Bis senos cui nostra dies altaria fumant.
Hic mihi responsum primus dedit ille petenti :
Pascite, ut ante, boves, pueri; submittite tauros.

MELIBŒUS.

Fortunate senex, ergo tua rura manebunt :
Et tibi magna satis; quamvis lapis omnia nudus
Limosoque palus obducat pascua junco.
Non insueta graves tentabunt pabula fetus; 50
Nec mala vicini pecoris contagia lædent.
Fortunate senex, hic inter flumina nota
Et fontes sacros frigus captabis opacum.
Hinc tibi quæ semper vicino ab limite sæpes
Hyblæis apibus florem depasta salicti, 55
Sæpe levi somnum suadebit inire susurro.
Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras;
Nec tamen interea raucæ, tua cura, palumbes,
Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.

TITYRUS.

Ante leves ergo pascentur in æthere cervi, 60
Et freta destituent nudos in littore pisces :
Ante, pererratis amborum finibus, exsul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim :
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

MELIBŒUS.

At nos hinc alii sitientes ibimus Afros, [Oaxem,
Pars Scythiam, et rapidum Cretæ veniemus
Et penitus toto divisos orbe Britannos. 67
En unquam patrios longo post tempore fines,
Pauperis et tugurî congestum cespite culmen,
Post aliquot, mea regna videns, mirabor aristas?
Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? en quo discordia cives
Produxit miseros! en quîs consevimus agros!
Insere nunc, Melibœe, piros, pone ordine vites.
Ite meæ, felix quondam pecus, ite capellæ. 75

Non ego vos posthac, viridi projectus in antro,
Dumosa pendere procul de rupe videbo;
Carmina nulla canam; non, me pascente, capellæ,
Florentem cytisum et salices carpetis amaras.

TITYRUS.

Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem 80
Fronde super viridi; sunt nobis mitia poma,
Castaneæ molles, et pressi copia lactis:
Et jam summa procul villarum culmina fumant,
Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.

ECLOGA II.

Alexis.

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin,
Delicias domini; nec, quid speraret, habebat.
Tantum inter densas, umbrosa cacumina, fagos
Assidue veniebat; ibi hæc incondita solus
Montibus et sylvis studio jactabat inani: 5
O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?
Nil nostri miserere? mori me denique coges.
Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant;
Nunc virides etiam occultant spineta lacertos;
Thestylis et rapido fessis messoribus æstu 10
Allia serpyllumque herbas contundit olentes:
At mecum raucis, tua dum vestigia lustro,
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.
Nonne fuit satius tristes Amaryllidis iras 14
Atque superba pati fastidia? nonne Menalcan?
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses.
O formose puer, nimium ne crede colori.
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
Despectus tibi sum, nec, qui sim, quæris, Alexi;
Quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans.
Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ. 21
Lac mihi non æstate novum, non frigore defit.
Canto quæ solitus, si quando armenta vocabat,
Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.
Nec sum adeo informis: nuper me in littore vidi,
Cum placidum ventis staret mare; non ego Daphnin, 26
Judice te, metuam, si nunquam fallat imago.
O tantum libeat mecum tibi sordida rura
Atque humiles habitare casas, et figere cervos,
Hædorumque gregem viridi compellere hibisco!
Mecum una in sylvis imitabere Pana canendo.
Pan primus calamos cera conjungere plures 32
Instituit; Pan curat oves oviumque magistros.
Nec te pœniteat calamo trivisse labellum:
Hæc eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas?
Est mihi disparibus septem compacta cicutis 36
Fistula, Damœtas dono mihi quam dedit olim,
Et dixit moriens: Te nunc habet ista secundum:
Dixit Damœtas; invidit stultus Amyntas.
Præterea duo, nec tuta mihi valle reperti, 40
Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo,
Bina die siccant ovis ubera; quos tibi servo.
Jam pridem a me illos abducere Thestylis orat;
Et faciet; quoniam sordent tibi munera nostra.
Huc ades, o formose puer: tibi lilia plenis 45
Ecce ferunt Nymphæ calathis; tibi candida Naïs,
Pallentes violas et summa papavera carpens,
Narcissum et florem jungit bene olentis anethi;
Tum, casia atque aliis intexens suavibus herbis,
Mollia luteola pingit vaccinia caltha. 50
Ipse ego cana legam tenera lanugine mala,
Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat:
Addam cerea pruna; honos erit huic quoque pomo:
Et vos, o lauri, carpam, et te, proxima myrte,
Sic positæ quoniam suaves miscetis odores. 55
Rusticus es, Corydon; nec munera curat Alexis;
Nec, si muneribus certes, concedat Iolas.
Heu heu, quid volui misero mihi! floribus Austrum
Perditus, et liquidis immisi fontibus apros.
Quem fugis, ah demens? habitârunt dì quoque sylvas, 60
Dardaniusque Paris. Pallas, quas condidit, arces
Ipsa colat: nobis placeant ante omnia sylvæ.
Torva leæna lupum sequitur; lupus ipse capellam;
Florentem cytisum sequitur lasciva capella;
Te Corydon, o Alexi: trahit sua quemque voluptas.
Adspice, aratra jugo referunt suspensa juvenci,
Et sol crescentes decedens duplicat umbras: 67
Me tamen urit amor; quis enim modus adsit amori?
Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit!
Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est. 70
Quin tu aliquid saltem, potius quorum indiget usus,
Viminibus mollique paras detexere junco.
Invenies alium, si te hic fastidit, Alexin.

ECLOGA III.

Palæmon.

MENALCAS. DAMŒTAS. PALÆMON.

MENALCAS.

Dic mihi, Damœta, cujum pecus? an Meliboei?

DAMŒTAS.

Non; verum Ægonis: nuper mihi tradidit Ægon.

MENALCAS.

Infelix o semper, oves, pecus! ipse Neæram
Dum fovet, ac, ne me sibi præferat illa, veretur,
Hic alienus oves custos bis mulget in hora: 5
Et succus pecori, et lac subducitur agnis.

DAMŒTAS.

Parcius ista viris tamen objicienda memento.
Novimus et qui te, transversa tuentibus hircis,
Et quo (sed faciles Nymphæ risere) sacello.

MENALCAS.

Tum, credo, quum me arbustum videre Myconis
Atque mala vites incidere falce novellas. 11

DAMŒTAS.

Aut hic ad veteres fagos, cum Daphnidis arcum
Fregisti et calamos: quæ tu, perverse Menalca,
Et cum vidisti puero donata, dolebas;
Et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses. 15

MENALCAS.

Quid domini faciant, audent quum talia fures!
Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis, multum latrante Lycisca?
Et cum clamarem, Quo nunc se proripit ille?
Tityre, coge pecus: tu post carecta latebas. 20

DAMŒTAS.

An mihi cantando victus non redderet ille,
Quem mea carminibus meruisset fistula, caprum?
Si nescis, meus ille caper fuit; et mihi Damon
Ipse fatebatur; sed reddere posse negabat.

MENALCAS.

Cantando tu illum? aut unquam tibi fistula cera
Juncta fuit? non tu in triviis, indocte, solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?

DAMŒTAS.

Vis ergo inter nos quid possit uterque vicissim
Experiamur? ego hanc vitulam (ne forte recuses,

Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fetus) 30
Depono: tu dic, mecum quo pignore certes.

MENALCAS.

De grege non ausim quidquam deponere tecum:
Est mihi namque domi pater, est injusta noverca;
Bisque die numerant ambo pecus, alter et hædos.
Verum, id quod multo tute ipse fatebere majus,
(Insanire libet quoniam tibi) pocula ponam 36
Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis:
Lenta quibus torno facili superaddita vitis
Diffusos hedera vestit pallente corymbos.
In medio duo signa, Conon, et, quis fuit alter,
Descripsit radio totum qui gentibus orbem; 41
Tempora quæ messor, quæ curvus arator haberet?
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.

DAMŒTAS.

Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,
Et molli circum est ansas amplexus acantho; 45
Orpheaque in medio posuit, sylvasque sequentes.
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.
Si ad vitulam spectas, nihil est quod pocula laudes.

MENALCAS.

Nunquam hodie effugies; veniam, quocunque vocâris. 49
Audiat hæc tantum, vel qui venit, ecce, Palæmon.
Efficiam posthac, ne quenquam voce lacessas.

DAMŒTAS.

Quin age, si quid habes: in me mora non erit ulla;
Nec quenquam fugio: tantum, vicine Palæmon,
Sensibus hæc imis, res est non parva, reponas. 54

PALÆMON.

Dicite: quandoquidem in molli consedimus herba;
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,
Nunc frondent sylvæ, nunc formosissimus annus.
Incipe, Damœta; tu deinde sequere, Menalca.
Alternis dicetis; amant alterna Camœnæ.

DAMŒTAS.

Ab Jove principium Musæ; Jovis omnia plena:
Ille colit terras: illi mea carmina curæ. 61

MENALCAS.

Et me Phœbus amat: Phœbo sua semper apud me
Munera sunt, lauri, et suave rubens hyacinthus.

DAMŒTAS.

Malo me Galatea petit, lasciva puella;
Et fugit ad salices, et se cupit ante videri. 65

MENALCAS.

At mihi sese offert ultro, meus ignis, Amyntas;
Notior ut jam sit canibus non Delia nostris.

DAMŒTAS.

Parta meæ Veneri sunt munera: namque notavi
Ipse locum, aëriæ quo congessere palumbes.

MENALCAS.

Quod potui, puero sylvestri ex arbore lecta 70
Aurea mala decem misi; cras altera mittam.

DAMŒTAS.

O quoties, et quæ nobis Galatea locuta est!
Partem aliquam, venti, divûm referatis ad aures!

MENALCAS.

Quid prodest, quod me ipse animo non spernis, Amynta,
Si, dum tu sectaris apros, ego retia servo? 75

DAMŒTAS.

Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Iola:
Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.

MENALCAS.

Phyllida amo ante alias: nam me discedere flevit;
Et, Longum, formose, vale, vale, inquit, Iola. 79

DAMŒTAS.

Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis iræ.

MENALCAS.

Dulce satis humor, depulsis arbutus hædis,
Lenta salix feto pecori, mihi solus Amyntas.

DAMŒTAS.

Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam:
Pierides, vitulam lectori pascite vestro. 85

MENALCAS.

Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum,
Jam cornu petat, et pedibus qui spargat arenam.

DAMŒTAS.

Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet:
Mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.

MENALCAS.

Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi:
Atque idem jungat vulpes, et mulgeat hircos. 91

DAMŒTAS.

Qui legitis flores et humi nascentia fraga,
Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

MENALCAS.

Parcite, oves, nimium procedere; non bene ripæ
Creditur: ipse aries etiam nunc vellera siccat. 95

DAMŒTAS.

Tityre, pascentes a flumine reice capellas;
Ipse, ubi tempus erit, omnes in fonte lavabo.

MENALCAS.

Cogite oves, pueri; si lac præceperit æstus,
Ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.

DAMŒTAS.

Heu, heu, quam pingui macer est mihi taurus in ervo! 100
Idem amor exitium pecori, pecorisque magistro.

MENALCAS.

His certe neque amor caussa est: vix ossibus hærent.
Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

DAMŒTAS.

Dic quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cœli spatium non amplius ulnas. 105

MENALCAS.

Dic quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores; et Phyllida solus habeto.

PALÆMON.

Non nostrum inter vos tantas componere lites:
[Et vitula tu dignus, et hic; et quisquis amores
Aut metuet dulces, aut experietur amaros.] 110
Claudite jam rivos, pueri: sat prata biberunt.

ECLOGA IV.

Pollio.

Sicelides Musæ, paulo majora canamus;
Non omnes arbusta juvant humilesque myricæ:
Si canimus sylvas, sylvæ sint Consule dignæ.
Ultima Cumæi venit jam carminis ætas:
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo. 5
Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna;
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina; tuus jam regnat Apollo. 10

Teque adeo decus hoc ævi, te Consule inibit,
Pollio, et incipient magni procedere menses:
Te duce, si qua manent, sceleris vestigia nostri
Irrita perpetua solvent formidine terras.
Ille Deûm vitam accipiet, divisque videbit 15
Permixtos heroas, et ipse videbitur illis;
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu
Errantes hederas passim cum baccare tellus,
Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho. 20
Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Ubera; nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet et serpens, et fallax herba veneni
Occidet; Assyrium vulgo nascetur amomum. 25
At simul heroum laudes et facta parentis
Jam legere, et quæ sit poteris cognoscere virtus;
Molli paullatim flavescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus uva,
Et duræ quercus sudabunt roscida mella. 30
Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis,
Quæ tentare Thetin ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ jubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Tiphys, et altera quæ vehat Argo
Delectos heroas: erunt etiam altera bella; 35
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.
Hinc ubi jam firmata virum te fecerit ætas,
Cedet et ipse mari vector; nec nautica pinus
Mutabit merces; omnis feret omnia tellus; 39
Non rastros patietur humus, non vinea falcem;
Robustus quoque jam tauris juga solvet arator;
Nec varios discet mentiri lana colores;
Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto;
Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos. 45
Talia sæcla, suis dixerunt, currite, fusis
Concordes stabili fatorum numine Parcæ.
Aggredere o magnos (aderit jam tempus) honores,
Cara deûm soboles, magnum Jovis incrementum!
Adspice convexo nutantem pondere mundum, 50
Terrasque tractusque maris cœlumque profundum;
Adspice, venturo lætentur ut omnia sæclo.
O mihi tam longæ maneat pars ultima vitæ,
Spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta!
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus; huic mater quamvis, atque huic pater adsit, 56
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
Pan etiam Arcadia mecum si judice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se judice victum.
Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem;
Matri longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe, parve puer; cui non risere parentes,
Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

ECLOGA V.

Daphnis.

MENALCAS. MOPSUS.

MENALCAS.

Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare leves, ego dicere versus,
Hic corylis mixtas inter considimus ulmos?

MOPSUS.

Tu major; tibi me est æquum parere, Menalca:
Sive sub incertas Zephyris mutantibus umbras, 5
Sive antro potius succedimus: adspice ut antrum
Sylvestris raris sparsit labrusca racemis.

MENALCAS.

Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.

MOPSUS.

Quid, si idem certet Phœbum superare canendo?

MENALCAS.

Incipe, Mopse, prior: si quos aut Phyllidis ignes,
Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri. 11
Incipe; pascentes servabit Tityrus hædos.

MOPSUS.

Immo hæc, in viridi nuper quæ cortice fagi
Carmina descripsi, et modulans alterna notavi,
Experiar: tu deinde jubeto certet Amyntas. 15

MENALCAS.

Lenta salix quantum pallenti cedit olivæ,
Puniceis humilis quantum saliunca rosetis; 17
Judicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.

MOPSUS.

Sed tu desine plura, puer; successimus antro.
Extinctum Nymphæ crudeli funere Daphnin
Flebant; vos coryli testes et flumina Nymphis:
Cum, complexa sui corpus miserabile nati, 22
Atque deos atque astra vocat crudelia mater.
Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina; nulla neque amnem 25
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.
Daphni, tuum Pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesque feri sylvæque loquuntur.
Daphnis et Armenias curru subjungere tigres
Instituit; Daphnis thiasos inducere Bacchi, 30
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.
Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvæ,
Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis;
Tu decus omne tuis. Postquam te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo. 35
Grandia sæpe quibus mandavimus hordea sulcis,
Infelix lolium et steriles nascuntur avenæ.
Pro molli viola, pro purpureo narcisso,
Carduus et spinis surgit paliurus acutis.
Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras,
Pastores; mandat fieri sibi talia Daphnis: 41
Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen:
Daphnis ego in sylvis, hinc usque ad sidera notus,
Formosi pecoris custos, formosior ipse.

MENALCAS.

Tale tuum carmen nobis, divine poeta, 45
Quale sopor fessis in gramine, quale per æstum
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.
Nec calamis solum æquiparas, sed voce magistrum:
Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.
Nos tamen hæc quocunque modo tibi nostra vicissim 50
Dicemus, Daphninque tuum tollemus ad astra;
Daphnin ad astra feremus: amavit nos quoque Daphnis.

MOPSUS.

An quicquam nobis tali sit munere majus?
Et puer ipse fuit cantari dignus; et ista
Jam pridem Stimicon laudavit carmina nobis. 55

MENALCAS.

Candidus insuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.
Ergo alacris sylvas et cætera rura voluptas,
Panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas.
Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis 60
Ulla dolum meditantur: amat bonus otia Daphnis.

Ipsi lætitia voces ad sidera jactant
Intonsi montes; ipsæ jam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta: deus, deus ille, Menalca!
Sis bonus, o felixque tuis: en quatuor aras; 65
Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phœbo:
Pocula bina novo spumantia lacte quotannis
Craterasque duo statuam tibi pinguis olivi;
Et multo in primis hilarans convivia Baccho,
Ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra,
Vina novum fundam calathis Ariusia nectar. 71
Cantabunt mihi Damœtas et Lyctius Ægon:
Saltantes Satyros imitabitur Alphesibœus.
Hæc tibi semper erunt, et quum sollennia vota
Reddemus Nymphis, et quum lustrabimus agros.
Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit, 76
Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ;
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.
Ut Baccho Cererique, tibi sic vota quotannis
Agricolæ facient; damnabis tu quoque votis. 80

MOPSUS.

Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona?
Nam neque me tantum venientis sibilus Austri,
Nec percussa juvant fluctu tam littora, nec quæ
Saxosas inter decurrunt flumina valles.

MENALCAS.

Hac te nos fragili donabimus ante cicuta: 85
Hæc nos, Formosum Corydon ardebat Alexin;
Hæc eadem docuit, Cujum pecus? an Melibœi?

MOPSUS.

At tu sume pedum, quod, me quum sæpe rogaret,
Non tulit Antigenes, et erat tum dignus amari,
Formosum paribus nodis atque ære, Menalca. 90

ECLOGA VI.

Silenus.

Prima Syracosio dignata est ludere versu
Nostra, neque erubuit sylvas habitare, Thalia.
Cum canerem reges et prœlia, Cynthius aurem
Vellit, et admonuit: Pastorem, Tityre, pingues
Pascere oportet oves, deductum dicere carmen. 5
Nunc ego (namque super tibi erunt, qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant, et tristia condere bella)
Agrestem tenui meditabor arundine Musam.
Non injussa cano. Si quis tamen hæc quoque, si quis
Captus amore leget, te nostræ, Vare, myricæ, 10
Te nemus omne canet: nec Phœbo gratior ulla est,
Quam sibi quæ Vari præscripsit pagina nomen.
Pergite, Pierides. Chromis et Mnasylus in antro
Silenum pueri somno videre jacentem,
Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho: 15
Serta procul, tantum capiti delapsa, jacebant,
Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.
Aggressi (nam sæpe senex spe carminis ambo
Luserat) injiciunt ipsis ex vincula sertis.
Addit se sociam, timidisque supervenit Ægle,
Ægle Naiadum pulcherrima; jamque videnti 21
Sanguineis frontem moris et tempora pingit.
Ille dolum ridens, Quo vincula nectitis? inquit.
Solvite me, pueri; satis est potuisse videri.
Carmina, quæ vultis, cognoscite; carmina vobis,
Huic aliud mercedis erit. Simul incipit ipse. 26
Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus.
Nec tantum Phœbo gaudet Parnassia rupes;
Nec tantum Rhodope mirantur et Ismarus Orphea. 30
Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque animæque marisque fuissent,
Et liquidi simul ignis; ut his exordia primis
Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis;
Tum durare solum, et discludere Nerea ponto 35
Cœperit, et rerum paullatim sumere formas;
Jamque novum terræ stupeant lucescere solem,
Altius atque cadant summotis nubibus imbres;
Incipiant sylvæ cum primum surgere, cumque
Rara per ignotos errent animalia montes. 40
Hinc lapides Pyrrhæ jactos, Saturnia regna,
Caucasiasque refert volucres, furtumque Promethei.
His adjungit, Hylan nautæ quo fonte relictum
Clamassent, ut littus, Hyla, Hyla, omne sonaret.
Et fortunatam, si nunquam armenta fuissent, 45
Pasiphaën nivei solatur amore juvenci.
Ah, virgo infelix, quæ te dementia cepit?
Prœtides implêrunt falsis mugitibus agros:
At non tam turpes pecudum tamen ulla secuta est
Concubitus, quamvis collo timuisset aratrum, 50
Et sæpe in lævi quæsîsset cornua fronte.
Ah, virgo infelix, tu nunc in montibus erras;
Ile, latus niveum molli fultus hyacintho,
Illice sub nigra pallentes ruminat herbas;
Aut aliquam in magno sequitur grege. Claudite, Nymphæ, 55
Dictææ Nymphæ, nemorum jam claudite saltus;
Si qua forte ferant oculis sese obvia nostris
Errabunda bovis vestigia; forsitan illum
Aut herba captum viridi, aut armenta secutum,
Perducant aliquæ stabula ad Gortynia vaccæ. 60
Tum canit Hesperidum miratam mala puellam.
Tum Phaëthontiadas musco circumdat amaræ
Corticis, atque solo proceras erigit alnos.
Tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum
Aonas in montes ut duxerit una sororum; 65
Utque viro Phœbi chorus assurrexerit omnis;
Ut Linus hæc illi divino carmine pastor,
Floribus atque apio crines ornatus amaro,
Dixerit: Hos tibi dant calamos, en accipe, Musæ,
Ascræo quos ante seni; quibus ille solebat 70
Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grynei nemoris dicatur origo;
Ne quis sit lucus, quo se plus jactet Apollo.
Quid loquar, ut Scyllam Nisi, quam fama secuta est,
Candida succinctam latrantibus inguina monstris, 75
Dulichias vexâsse rates, et gurgite in alto,
Ah! timidos nautas canibus lacerâsse marinis?
Aut ut mutatos Terei narraverit artus;
Quas illi Philomela dapes, quæ dona parârit,
Quo cursu deserta petiverit, et quibus ante 80
Infelix sua tecta supervolitaverit alis? [tus
Omnia quæ, Phœbo quondam meditante, bea-
Audiit Eurotas, jussitque ediscere lauros,
Ille canit: pulsæ referunt ad sidera valles:
Cogere donec oves stabulis, numerumque referre
Jussit, et invito processit Vesper Olympo. 86

ECLOGA VII.

Melibœus.

MELIBŒUS. CORYDON. THYRSIS.

MELIBŒUS.

Forte sub arguta consederat ilice Daphnis,
Compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum;
Thyrsis oves, Corydon distentas lacte capellas;
Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, et respondere parati. 5
Huc mihi, dum teneras defendo a frigore myrtos,
Vir gregis ipse caper deerraverat; atque ego Daphnin
Adspicio: ille ubi me contra videt: Ocius, inquit, [hædi:
Huc ades, o Melibœe; caper tibi salvus, et
Et, si quid cessare potes, requiesce sub umbra.
Huc ipsi potum venient per prata juvenci; 11
Hic virides tenera prætexit arundine ripas
Mincius, eque sacra resonant examina quercu.
Quid facerem? neque ego Alcippen, nec Phyllida habebam,
Depulsos a lacte domi quæ clauderet agnos: 15
Et certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum.
Posthabui tamen illorum mea seria ludo.
Alternis igitur contendere versibus ambo
Cœpere: alternos Musæ meminisse volebant.
Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis. 20

CORYDON.

Nymphæ, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite; proxima Phœbi
Versibus ille facit: aut, si non possumus omnes,
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.

THYRSIS.

Pastores, hedera crescentem ornate poetam, 25
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro;
Aut, si ultra placitum laudârit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

CORYDON.

Setosi caput hoc apri tibi, Delia, parvus
Et ramosa Mycon vivacis cornua cervi. 30
Si proprium hoc fuerit, levi de marmore tota
Puniceo stabis suras evincta cothurno.

THYRSIS.

Sinum lactis, et hæc te liba, Priape, quotannis
Exspectare sat est: custos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus; at tu,
Si fetura gregem suppleverit, aureus esto. 36

CORYDON.

Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblæ,
Candidior cycnis, hedera formosior alba;
Quum primum pasti repetent præsepia tauri,
Si qua tui Corydonis habet te cura, venito. 40

THYRSIS.

Immo ego Sardois videar tibi amarior herbis,
Horridior rusco, projecta vilior alga;
Si mihi non hæc lux toto jam longior anno est.
Ite domum pasti, si quis pudor, ite juvenci.

CORYDON.

Muscosi fontes, et somno mollior herba, 45
Et quæ vos rara viridis tegit arbutus umbra,
Solstitium pecori defendite; jam venit æstas
Torrida, jam læto turgent in palmite gemmæ.

THYRSIS.

Hic focus, et tædæ pingues, hic plurimus ignis
Semper, et assidua postes fuligine nigri. 50
Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.

CORYDON.

Stant et juniperi, et castaneæ hirsutæ; [poma;
Strata jacent passim sua quaque sub arbore
Omnia nunc rident: at, si formosus Alexis 55
Montibus his abeat, videas et flumina sicca.

THYRSIS.

Aret ager, vitio moriens sitit aëris herba,
Liber pampineas invidit collibus umbras:
Phyllidis adventu nostræ nemus omne virebit,
Jupiter et læto descendet plurimus imbri. 60

CORYDON.

Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho,
Formosæ myrtus Veneri, sua laurea Phœbo:
Phyllis amat corylos; illas dum Phyllis amabit,
Nec myrtus vincet corylos, nec laurea Phœbi.

THYRSIS.

Fraxinus in sylvis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluviis, abies in montibus altis: 66
Sæpius at si me, Lycida formose, revisas,
Fraxinus in sylvis cedat tibi, pinus in hortis.

MELIBŒUS.

Hæc memini, et victum frustra contendere Thyrsin. 69
[Ex illo Corydon, Corydon est tempore nobis.]

ECLOGA VIII.

Pharmaceutria.

DAMON. ALPHESIBŒUS.

Pastorum Musam Damonis et Alphesibœi,
Immemor herbarum quos est mirata juvenca
Certantes, quorum stupefactæ carmine lynces,
Et mutata suos requiêrunt flumina cursus;
Damonis Musam dicemus et Alphesibœi. 5
Tu mihi seu magni superas jam saxa Timavi,
Sive oram Illyrici legis æquoris; en erit unquam
Ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?
A te principium; tibi desinet: accipe jussis 11
Carmina cœpta tuis, atque hanc sine tempora circum
Inter victrices hederam tibi serpere lauros.
Frigida vix cœlo noctis decesserat umbra,
Cum ros in tenera pecori gratissimus herba, 15
Incumbens tereti Damon sic cœpit olivæ:

DAMON.

Nascere, præque diem veniens age, Lucifer, almum;
Conjugis indigno Nisæ deceptus amore [illis
Dum queror, et Divos, quanquam nil testibus
Profeci, extrema moriens tamen alloquor hora.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus. 21
Mænalus argutumque nemus pinosque loquentes
Semper habet; semper pastorum ille audit amores. [ertes.
Panaque, qui primus calamos non passus in-
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus. 25
Mopso Nisa datur: quid non speremus amantes?
Jungentur jam gryphes equis; ævoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.
Mopse, novas incide faces; tibi ducitur uxor.
Sparge, marite, nuces; tibi deserit Hesperus Œtam. 30

Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
O digno conjuncta viro! dum despicis omnes,
Dumque tibi est odio mea fistula, dumque capellæ,
Hirsutumque supercilium, promissaque barba;
Nec curare deûm credis mortalia quenquam. 35
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Sæpibus in nostris parvam te roscida mala
(Dux ego vester eram) vidi cum matre legentem:
Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus;
Jam fragiles poteram a terra contingere ramos.
Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus. 42
Nunc scio quid sit Amor: duris in cautibus illum
Aut Tmaros, aut Rhodope, aut extremi Garamantes, 44
Nec generis nostri puerum nec sanguinis, edunt.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus. 46
Sævus Amor docuit natorum sanguine matrem
Commaculare manus: crudelis tu quoque mater.
[Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer: crudelis tu quoque mater.]
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc et oves ultro fugiat lupus; aurea duræ
Mala ferant quercus; narcisso floreat alnus;
Pinguia corticibus sudent electra myricæ;
Certent et cycnis ululæ; sit Tityrus Orpheus;
Orpheus in sylvis, inter delphinas Arion. 56
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Omnia vel medium fiant mare. Vivite silvæ.
Præceps aërii specula de montis in undas
Deferar; extremum hoc munus morientis habeto.
Desine Mænalios, jam desine, tibia, versus. 61
Hæc Damon: vos, quæ responderit Alphesibœus,
Dicite, Pierides: non omnia possumus omnes.

ALPHESIBŒUS.

Effer aquam, et molli cinge hæc altaria vitta,
Verbenasque adole pingues, et mascula thura;
Conjugis ut magicis sanos avertere sacris 66
Experiar sensus: nihil hic nisi carmina desunt.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam;
Carminibus Circe socios mutavit Ulixi; 70
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Terna tibi hæc primum triplici diversa colore
Licia circumdo, terque hæc altaria circum
Effigiem duco: numero deus impare gaudet. 75
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores;
Necte, Amarylli, modo; et, Veneris, dic, vincula necto. [Daphnin.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite
Limus ut hic durescit, et hæc ut cera liquescit
Uno eodemque igni; sic nostro Daphnis amore.
Sparge molam, et fragiles incende bitumine lauros: [laurum.
Daphnis me malus urit; ego hanc in Daphnide
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin. 84
Talis amor Daphnin, qualis cum fessa juvencum
Per nemora atque altos quærendo bucula lucos,
Propter aquæ rivum viridi procumbit in ulva
Perdita, nec seræ meminit decedere nocti; 88
Talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin. 90
Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,
Pignora cara sui; quæ nunc ego limine in ipso,
Terra, tibi mando: debent hæc pignora Daphnin.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin. 94
Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Mœris: nascuntur plurima Ponto:
His ego sæpe lupum fieri, et se condere sylvis
Mœrin, sæpe animas imis excire sepulchris,
Atque satas alio vidi traducere messes.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin. 100
Fer cineres, Amarylli, foras, rivoque fluenti
Transque caput jace; nec respexeris: his ego Daphnin
Aggrediar; nihil ille deos, nil carmina curat.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Adspice; corripuit tremulis altaria flammis 105
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. Bonum sit!
Nescio quid certe est; et Hylax in limine latrat.
Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt? [Daphnis.
Parcite, ab urbe venit, jam parcite, carmina,

ECLOGA IX.

Mœris.

LYCIDAS. MŒRIS.

LYCIDAS.

Quo te, Mœri, pedes? an, quo via ducit, in urbem?

MŒRIS.

O Lycida, vivi pervenimus, advena nostri,
Quod nunquam veriti sumus, ut possessor agelli
Diceret, Hæc mea sunt: veteres migrate coloni.
Nunc victi, tristes, quoniam fors omnia versat, 5
Hos illi (quod nec bene vertat) mittimus hædos.

LYCIDAS.

Certe equidem audieram, qua se subducere colles
Incipiunt, mollique jugum demittere clivo,
Usque ad aquam, et veteres, jam fracta cacumina, fagos,
Omnia carminibus vestrum servâsse Menalcan. 10

MŒRIS.

Audieras; et fama fuit: sed carmina tantum
Nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt aquila veniente columbas.
Quod nisi me quacunque novas incidere lites
Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix; 15
Nec tuus hic Mœris, nec viveret ipse Menalcas.

LYCIDAS.

Heu! cadit in quenquam tantum scelus? heu, tua nobis
Pæne simul tecum solatia rapta, Menalca!
Quis caneret Nymphas? quis humum florentibus herbis
Spargeret? aut viridi fontes induceret umbra?
Vel quæ sublegi tacitus tibi carmina nuper, 21
Quum te ad delicias ferres Amaryllida nostras?
"Tityre, dum redeo, brevis est via, pasce capellas;
Et potum pastas age, Tityre; et inter agendum
Occursare capro (cornu ferit ille) caveto." 25

MŒRIS.

Immo hæc, quæ Varo necdum perfecta canebat;
"Vare, tuum nomen (superet modo Mantua nobis,

Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ !)
Cantantes sublime ferent ad sidera cycni."

LYCIDAS.

Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos; 30
Sic cytiso pastæ distendant ubera vaccæ :
Incipe, si quid habes. Et me fecere poetam
Pierides; sunt et mihi carmina; me quoque dicunt
Vatem pastores : sed non ego credulus illis.
Nam neque adhuc Varo videor, nec dicere Cinna
Digna, sed argutos inter strepere anser olores. 36

MŒRIS.

Id quidem ago, et tacitus, Lycida, mecum ipse voluto,
Si valeam meminisse; neque est ignobile carmen.
"Huc ades, o Galatea; quis est nam ludus in undis? 39
Hic ver purpureum ; varios hic flumina circum
Fundit humus flores; hic candida populus antro
Imminet, et lentæ texunt umbracula vites.
Huc ades : insani feriant sine litora fluctus."

LYCIDAS.

Quid, quæ te pura solum sub nocte canentem
Audieram? numeros memini, si verba tenerem.

MŒRIS.

"Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus?
Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum ;
Astrum, quo segetes gauderent frugibus, et quo
Duceret apricis in collibus uva colorem.
Insere, Daphni, piros; carpent tua poma nepotes." [longos 51
Omnia fert ætas, animum quoque : sæpe ego
Cantando puerum memini me condere soles :
Nunc oblita mihi tot carmina; vox quoque Mœrin
Jam fugit ipsa : lupi Mœrin videre priores.
Sed tamen ista satis referet tibi sæpe Menalcas.

LYCIDAS.

Caussando nostros in longum ducis amores. 56
Et nunc omne tibi stratum silet æquor, et omnes,
Adspice, ventosi ceciderunt murmuris auræ.
Hinc adeo media est nobis via; namque sepulchrum
Incipit apparere Bianoris : hic, ubi densas 60
Agricolæ stringunt frondes, hic, Mœri, canamus;
Hic hædos depone; tamen veniemus in urbem.
Aut si, nox pluviam ne colligat ante, veremur,
Cantantes licet usque (minus via lædat) eamus;
Cantantes ut eamus, ego hoc te fasce levabo. 65

MŒRIS.

Desine plura, puer; et, quod nunc instat, agamus.
Carmina tum melius, quum venerit ipse, canemus.

ECLOGA X.

Gallus.

Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem.
Pauca meo Gallo, sed quæ legat ipsa Lycoris.
Carmina sunt dicenda : neget quis carmina Gallo?
Sic tibi, quum fluctus subterlabere Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat undam. 5
Incipe : sollicitos Galli dicamus amores,
Dum tenera attondent simæ virgulta capellæ.
Non canimus surdis : respondent omnia sylvæ.
Quæ nemora, aut qui vos saltus habuere, puellæ
Naïdes, indigno quum Gallus amore periret? 10
Nam neque Parnassi vobis juga, nam neque Pindi
Ulla moram fecere, neque Aonie Aganippe.
Illum etiam lauri, etiam flevere myricæ ;
Pinifer illum etiam sola sub rupe jacentem
Mænalus, et gelidi fleverunt saxa Lycæi. 15
Stant et oves circum (nostri nec pœnitet illas;
Nec te pœniteat pecoris, divine poeta :
Et formosus oves ad flumina pavit Adonis.)
Venit et upilio; tardi venere bubulci;
Uvidus hiberna venit de glande Menalcas. 20
Omnes, unde amor iste, rogant, tibi? Venit Apollo :
Galle, quid insanis? inquit : tua cura Lycoris
Perque nives alium perque horrida castra secuta est.
Venit et agresti capitis Silvanus honore
Florentes ferulas et grandia lilia quassans. 25
Pan deus Arcadiæ venit : quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.
Ecquis erit modus? inquit. Amor non talia curat :
Nec lacrymis crudelis Amor, nec gramina rivis,
Nec cytiso saturantur apes, nec fronde capellæ.
Tristis at ille : Tamen cantabitis, Arcades, inquit, 31
Montibus hæc vestris; soli cantare periti
Arcades. O mihi tum quam molliter ossa quiescant,
Vestra meos olim si fistula dicat amores !
Atque utinam ex vobis unus, vestrique fuissem
Aut custos gregis, aut maturæ vinitor uvæ ! 36
Certe, sive mihi Phyllis, sive esset Amyntas,
Seu quicunque furor, (quid tum, si fuscus Amyntas?
Et nigræ violæ sunt, et vaccinia nigra)
Mecum inter salices lenta sub vite jaceret : 40
Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.
Hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori,
Hic nemus; hic ipso tecum consumerer ævo.
Nunc insanus amor duri te Martis in armis
Tela inter media atque adversos detinet hostes.
Tu procul a patria (nec sit mihi credere tantum!)
Alpinas, ah dura! nives et frigora Rheni
Me sine sola vides. Ah te ne frigora lædant!
Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!
Ibo, et Chalcidico quæ sunt mihi condita versu
Carmina, pastoris Siculi modulabor avena. 51
Certum est in sylvis, inter spelæa ferarum,
Malle pati, tenerisque meos incidere amores
Arboribus : crescent illæ; crescetis amores.
Interea mixtis lustrabo Mænala Nymphis; 55
Aut acres venabor apros : non me ulla vetabunt
Frigora Parthenios canibus circumdare saltus.
Jam mihi per rupes videor lucosque sonantes
Ire; libet Partho torquere Cydonia cornu [ris,
Spicula : tanquam hæc sint nostri medicina furo-
Aut deus ille malis hominum mitescere discat!
Jam neque Hamadryades rursum, nec carmina nobis
Ipsa placent; ipsæ rursum concedite sylvæ.
Non illum nostri possunt mutare labores; 64
Nec si frigoribus mediis Hebrumque bibamus,
Sithoniasque nives hiemis subeamus aquosæ;
Nec si, cum moriens alta liber aret in ulmo,
Æthiopum versemus oves sub sidere Cancri.
Omnia vincit Amor; et nos cedamus Amori.
Hæc sat erit, divæ, vestrum cecinisse poetam,
Dum sedet, et gracili fiscellam texit hibisco, 71
Pierides; vos hæc facietis maxima Gallo :
Gallo, cujus amor tantum mihi crescit in horas,
Quantum vere novo viridis se subjicit alnus.
Surgamus : solet esse gravis cantantibus umbra;
Juniperi gravis umbra; nocent et frugibus umbræ.
Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite, capellæ.

GEORGICON

LIBER PRIMUS.

Ad C. Cilnium Mecænatem.

Quid faciat lætas segetes, quo sidere terram
Vertere, Mecænas, ulmisque adjungere vites
Conveniat; quæ cura boum, qui cultus habendo
Sit pecori; apibus quanta experientia parcis:
Hinc canere incipiam. Vos o clarissima mundi
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber et alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista,
Poculaque inventis Acheloïa miscuit uvis;
Et vos agrestum præsentia numina Fauni, 10
Ferte simul Faunique pedem Dryadesque puellæ:
Munera vestra cano. Tuque o, cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percussa tridenti,
Neptune; et cultor nemorum, cui pinguia Ceæ
Ter centum nivei tondent dumeta juvenci; 15
Ipse, nemus linquens patrium saltusque Lycæi,
Pan ovium custos, tua si tibi Mænala curæ,
Adsis, o Tegeæe, favens; oleæque Minerva
Inventrix; uncique puer monstrator aratri; 19
Et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum;
Dîque deæque omnes, studium quibus arva tueri,
Quique novas alitis non ullo semine fruges,
Quique satis largum cœlo demittitis imbrem.
Tuque adeo, quem mox quæ sint habitura deorum 24
Concilia, incertum est; urbesne invisere, Cæsar,
Terrarumque velis curam, et te maximus orbis
Auctorem frugum tempestatumque potentem
Accipiat, cingens materna tempora myrto;
An deus immensi venias maris, ac tua nautæ 29
Numina sola colant, tibi serviat ultima Thule,
Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis;
Anne novum tardis sidus te mensibus addas,
Qua locus Erigonen inter Chelasque sequentes
Panditur: ipse tibi jam brachia contrahit ardens
Scorpios, et cœli justa plus parte relinquit: 35
Quicquid eris (nam te nec sperent Tartara regem,
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido:
Quamvis Elysios miretur Græcia campos,
Nec repetita sequi curet Proserpina matrem)
Da facilem cursum, atque audacibus annue cœptis,
Ignarosque viæ mecum miseratus agrestes, 41
Ingredere, et votis jam nunc assuesce vocari.
Vere novo, gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, et Zephyro putris se gleba resolvit,
Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, et sulco attritus splendescere vomer.
Illa seges demum votis respondet avari
Agricolæ, bis quæ solem, bis frigora sensit;
Illius immensæ ruperunt horrea messes.
At prius ignotum ferro quam scindimus æquor,
Ventos et varium cœli prædiscere morem 51
Cura sit, ac patrios cultusque habitusque locorum;
Et quid quæque ferat regio, et quid quæque recuset.
Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ;
Arborei fetus alibi, atque injussa virescunt 55
Gramina. Nonne vides croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi;
At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epiros equarum?
Continuo has leges æternaque fœdera certis 60
Imposuit natura locis, quo tempore primum
Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem,
Unde homines nati, durum genus. Ergo age, terræ
Pingue solum primis extemplo a mensibus anni
Fortes invertant tauri, glebasque jacentes 65
Pulverulenta coquat maturis solibus æstas.
At si non fuerit tellus fecunda, sub ipsum
Arcturum tenui sat erit suspendere sulco:
Illic, officiant lætis ne frugibus herbæ;
Hic, sterilem exiguus ne deserat humor arenam.
Alternis idem tonsas cessare novales, 71
Et segnem patiere situ durescere campum.
Aut ibi flava seres, mutato sidere, farra,
Unde prius lætum siliqua quassante legumen,
Aut tenuis fetus viciæ, tristisque lupini 75
Sustuleris fragiles calamos sylvamque sonantem.
Urit enim lini campum seges, urit avenæ;
Urunt Lethæo perfusa papavera somno.
Sed tamen alternis facilis labor: arida tantum
Ne saturare fimo pingui pudeat sola; neve 80
Effetos cinerem immundum jactare per agros.
Sic quoque mutatis requiescunt fetibus arva;
Nec nulla interea est inaratæ gratia terræ.
Sæpe etiam steriles incendere profuit agros,
Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis; 85
Sive inde occultas vires et pabula terræ
Pinguia concipiunt; sive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exudat inutilis humor;
Seu plures calor ille vias et cæca relaxat
Spiramenta, novas veniat qua succus in herbas;
Seu durat magis, et venas adstringit hiantes, 91
Ne tenues pluviæ, rapidive potentia solis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.
Multum adeo, rastris glebas qui frangit inertes,
Vimineasque trahit crates, juvat arva; neque illum 95
Flava Ceres alto nequidquam spectat Olympo;
Et qui, proscisso quæ suscitat æquore terga,
Rursus in obliquum verso perrumpit aratro,
Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis.
Humida solstitia atque hiemes orate serenas,
Agricolæ; hiberno lætissima pulvere farra, 101
Lætus ager; nullo tantum se Mysia cultu
Jactat, et ipsa suas mirantur Gargara messes.
Quid dicam, jacto qui semine cominus arva
Insequitur, cumulosque ruit male pinguis arenæ;
Deinde satis fluvium inducit rivosque sequentes,
Et, cum exustus ager morientibus æstuat herbis,
Ecce supercilio clivosi tramitis undam 108
Elicit? illa cadens raucum per lævia murmur
Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva.
Quid, qui, ne gravidis procumbat culmus aristis,
Luxuriem segetum tenera depascit in herba,
Cum primum sulcos æquant sata? quique paludis
Collectum humorem bibula deducit arena?
Præsertim incertis si mensibus amnis abundans
Exit, et obducto late tenet omnia limo; 116

Unde cavæ tepido sudant humore lacunæ.
Nec tamen, hæc cum sint hominumque boumque labores
Versando terram experti, nihil improbus anser,
Strymoniæque grues, et amaris intuba fibris 120
Officiunt, aut umbra nocet. Pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit; primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda;
Nec torpere gravi passus sua regna veterno.
Ante Jovem nulli subigebant arva coloni: 125
Ne signare quidem aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant; ipsaque tellus
Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.
Ille malum virus serpentibus addidit atris,
Prædarique lupos jussit, pontumque moveri, 130
Mellaque decussit foliis, ignemque removit,
Et passim rivis currentia vina repressit:
Ut varias usus meditando extunderet artes
Paullatim, et sulcis frumenti quæreret herbam;
Ut silicis venis abstrusum excuderet ignem. 135
Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas;
Navita tum stellis numeros et nomina fecit,
Pleïadas, Hyadas, claramque Lycaonîs Arcton;
Tum laqueis captare feras, et fallere visco, 139
Inventum, et magnos canibus circumdare saltus;
Atque alius latum funda jam verberat amnem,
Alta petens; pelagoque alius trahit humida lina;
Tum ferri rigor, atque argutæ lamina serræ,
Nam primi cuneis scindebant fissile lignum,
Tum variæ venere artes: labor omnia vicit 145
Improbus, et duris urguens in rebus egestas.
Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit; cum jam glandes atque arbuta sacræ
Deficerent sylvæ, et victum Dodona negaret.
Mox et frumentis labor additus; ut mala culmos
Esset robigo, segnisque horreret in arvis 151
Carduus: intereunt segetes; subit aspera sylva,
Lappæque tribulique, interque nitentia culta
Infelix lolium et steriles dominantur avenæ.
Quod nisi et assiduis terram insectabere rastris,
Et sonitu terrebis aves, et ruris opaci 156
Falce premes umbras, votisque vocaveris imbrem;
Heu, magnum alterius frustra spectabis acervum,
Concussaque famem in sylvis solabere quercu.
Dicendum et quæ sint duris agrestibus arma,
Quîs sine nec potuere seri, nec surgere messes;
Vomis, et inflexi primum grave robur aratri,
Tardaque Eleusinæ matris volventia plaustra,
Tribulaque, traheæque, et iniquo pondere rastri;
Virgea præterea Celei vilisque supellex, 165
Arbuteæ crates, et mystica vannus Iacchi.
Omnia quæ multo ante memor provisa repones,
Si te digna manet divini gloria ruris.
Continuo in sylvis magni vi flexa domatur
In burim, et curvi formam accipit ulmus aratri:
Huic a stirpe pedes temo protentus in octo; 171
Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorso.
Cæditur et tilia ante jugo levis, altaque fagus
Stivaque, quæ currus a tergo torqueat imos;
Et suspensa focis explorat robora fumus. 175
Possum multa tibi veterum præcepta referre;
Ni refugis, tenuesque piget cognoscere curas.
Area cum primis ingenti æquanda cylindro,
Et vertenda manu, et creta solidanda tenaci,
Ne subeant herbæ, neu pulvere victa fatiscat;
Tum variæ illudant pestes: sæpe exiguus mus
Sub terris posuitque domos atque horrea fecit;
Aut oculis capti fodere cubilia talpæ;
Inventusque cavis bufo, et quæ plurima terræ
Monstra ferunt; populatque ingentem farris acervum 185
Curculio, atque inopi metuens formica senectæ.
Contemplator item, cum se nux plurima sylvis
Induet in florem, et ramos curvabit olentes:
Si superant fetus, pariter frumenta sequentur,
Magnaque cum magno veniet tritura calore:
At si luxuria foliorum exuberat umbra, 191
Nequicquam pingues palea teret area culmos.
Semina vidi equidem multos medicare serentes,
Et nitro prius et nigra perfundere amurca,
Grandior ut fetus siliquis fallacibus esset; 195
Et, quamvis igni exiguo properata maderent,
Vidi lecta diu et multo spectata labore
Degenerare tamen, ni vis humana quotannis
Maxima quæque manu legeret: sic omnia fatis
In pejus ruere, ac retro sublapsa referri. 200
Non aliter, quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si brachia forte remisit,
Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.
Præterea tam sunt Arcturi sidera nobis
Hædorumque dies servandi et lucidus Anguis,
Quam quibus in patriam ventosa per æquora vectis 206
Pontus et ostriferi fauces tentantur Abydi.
Libra die somnique pares ubi fecerit horas,
Et medium luci atque umbris jam dividit orbem,
Exercete, viri, tauros, serite hordea campis, 210
Usque sub extremum brumæ intractabilis imbrem;
Nec non et lini segetem et Cereale papaver
Tempus humo tegere, et jamdudum incumbere aratris,
Dum sicca tellure licet, dum nubila pendent.
Vere fabis satio; tum te quoque, Medica, putres
Accipiunt sulci, et milio venit annua cura: 216
Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus, et adverso cedens Canis occidit astro.
At si triticeam in messem robustaque farra
Exercebis humum, solisque instabis aristis, 220
Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur,
Gnossiaque ardentis decedat stella Coronæ,
Debita quam sulcis committas semina, quamque
Invitæ properes anni spem credere terræ.
Multi ante occasum Maiæ cœpere; sed illos
Expectata seges vanis elusit aristis. 226
Si vero viciamque seres vilemque faselum,
Nec Pelusiacæ curam adspernabere lentis,
Haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes;
Incipe, et ad medias sementem extende pruinas.
Idcirco certis dimensum partibus orbem 231
Per duodena regit mundi Sol aureus astra.
Quinque tenent cœlum zonæ: quarum una corusco
Semper sole rubens, et torrida semper ab igni;
Quam circum extremæ dextra lævaque trahuntur
Cærulea glacie concretæ atque imbribus atris:
Has inter mediamque, duæ mortalibus ægris
Munere concessæ divûm; via secta per ambas,
Obliquus qua se signorum verteret ordo. 239
Mundus ut ad Scythiam Rhipæasque arduus arces
Consurgit, premitur Libyæ devexus in Austros.
Hic vertex nobis semper sublimis; at illum
Sub pedibus Styx atra videt, Manesque profundi.
Maximus hic flexu sinuoso elabitur Anguis
Circum, perque duas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani metuentes æquore tingui: 246
Illic, ut perhibent, aut intempesta silet nox,

Semper et obtenta densantur nocte tenebræ;
Aut redit a nobis Aurora, diemque reducit;
Nosque ubi primus equis Oriens afflavit anhelis,
Illic sera rubens accendit lumina Vesper. 251
Hinc tempestates dubio prædiscere cœlo
Possumus, hinc messisque diem tempusque serendi;
Et quando infidum remis impellere marmor
Conveniat, quando armatas deducere classes,
Aut tempestivam sylvis evertere pinum. 256
Nec frustra signorum obitus speculamur et ortus,
Temporibusque parem diversis quatuor annum.
Frigidus agricolam si quando continet imber:
Multa, forent quæ mox cœlo properanda sereno,
Maturare datur; durum procudit arator 261
Vomeris obtusi dentem, cavat arbore lintres,
Aut pecori signum aut numeros impressit acervis.
Exacuunt alii vallos furcasque bicornes,
Atque Amerina parant lentæ retinacula viti.
Nunc facilis rubea texatur fiscina virga; 266
Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.
Quippe etiam festis quædam exercere diebus
Fas et jura sinunt: rivos deducere nulla
Religio vetuit, segeti prætendere sæpem, 270
Insidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio mersare salubri.
Sæpe oleo tardi costas agitator aselli
Vilibus aut onerat pomis; lapidemque revertens
Incusum, aut atræ massam picis urbe reportat.
Ipsa dies alios alio dedit ordine Luna 276
Felices operum: quintam fuge; pallidus Orcus,
Eumenidesque satæ; tum partu Terra nefando
Cœumque Iapetumque creat, sævumque Typhoëa,
Et conjuratos cœlum rescindere fratres. 280
Ter sunt conati imponere Pelio Ossam
Scilicet, atque Ossæ frondosum involvere Olympum:
Ter pater exstructos disjecit fulmine montes.
Septima post decimam felix, et ponere vitem,
Et prensos domitare boves, et licia telæ 285
Addere; nona fugæ melior, contraria furtis.
Multa adeo gelida melius se nocte dedere,
Aut cum sole novo terras irrorat Eous.
Nocte leves melius stipulæ, nocte arida prata
Tondentur: noctes lentus non deficit humor.
Et quidam seros hiberni ad luminis ignes 291
Pervigilat, ferroque faces inspicat acuto:
Interea longum cantu solata laborem
Arguto conjux percurrit pectine telas;
Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem,
Et foliis undam trepidi despumat aheni. 296
At rubicunda Ceres medio succiditur æstu,
Et medio tostas æstu terit area fruges.
Nudus ara, sere nudus: hiems ignava colono.
Frigoribus parto agricolæ plerumque fruuntur,
Mutuaque inter se læti convivia curant. 301
Invitat genialis hiems, curasque resolvit:
Ceu pressæ cum jam portum tetigere carinæ,
Puppibus et læti nautæ imposuere coronas.
Sed tamen et quernas glandes tum stringere tempus,
Et lauri baccas, oleamque, cruentaque myrta;
Tum gruibus pedicas, et retia ponere cervis,
Auritosque sequi lepores; tum figere damas,
Stuppea torquentem Balearis verbera fundæ:
Cum nix alta jacet, glaciem cum flumina trudunt.
Quid tempestates auctumni et sidera dicam?
Atque, ubi jam breviorque dies et mollior æstas,
Quæ vigilanda viris? vel cum ruit imbriferum ver, 313
Spicea jam campis cum messis inhorruit, et cum
Frumenta in viridi stipula lactentia turgent?
Sæpe ego, cum flavis messorem induceret arvis
Agricola, et fragili jam stringeret hordea culmo,
Omnia ventorum concurrere prœlia vidi, 318
Quæ gravidam late segetem ab radicibus imis
Sublime expulsam eruerent; ita turbine nigro
Ferret hiems culmumque levem stipulasque volantes.
Sæpe etiam immensum cœlo venit agmen aquarum,
Et fœdam glomerant tempestatem imbribus atris
Collectæ ex alto nubes; ruit arduus æther, 324
Et pluvia ingenti sata læta boumque labores
Diluit; implentur fossæ, et cava flumina crescunt
Cum sonitu, fervetque fretis spirantibus æquor.
Ipse Pater, media nimborum in nocte, corusca
Fulmina molitur dextra; quo maxima motu
Terra tremit; fugere feræ; et mortalia corda 330
Per gentes humilis stravit pavor: ille flagranti
Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Dejicit; ingeminant Austri, et densissimus imber;
Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt. 334
Hoc metuens, cœli menses et sidera serva:
Frigida Saturni sese quo stella receptet;
Quos ignis cœli Cyllenius erret in orbes.
In primis venerare deos, atque annua magnæ
Sacra refer Cereri lætis operatus in herbis, 339
Extremæ sub casum hiemis, jam vere sereno.
Tunc pingues agni, et tunc mollissima vina;
Tunc somni dulces, densæque in montibus umbræ.
Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret;
Cui tu lacte favos et miti dilue Baccho, 344
Terque novas circum felix eat hostia fruges;
Omnis quam chorus et socii comitentur ovantes,
Et Cererem clamore vocent in tecta: neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri torta redimitus tempora quercu
Det motus incompositos, et carmina dicat. 350
Atque hæc ut certis possimus discere signis,
Æstusque, pluviasque, et agentes frigora ventos:
Ipse Pater statuit, quid menstrua luna moneret,
Quo signo caderent Austri, quid sæpe videntes
Agricolæ propius stabulis armenta tenerent.
Continuo, ventis surgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata tumescere, et aridus altis
Montibus audiri fragor, aut resonantia longe
Littora misceri, et nemorum increbrescere murmur. 359
Jam sibi tum curvis male temperat unda carinis,
Cum medio celeres revolant ex æquore mergi,
Clamoremque ferunt ad littora; cumque marinæ
In sicco ludunt fulicæ, notasque paludes 363
Deserit, atque altam supra volat ardea nubem.
Sæpe etiam stellas, vento impendente, videbis
Præcipites cœlo labi, noctisque per umbram
Flammarum longos a tergo albescere tractus;
Sæpe levem paleam et frondes volitare caducas.
Aut summa nantes in aqua colludere plumas.
At Boreæ de parte trucis cum fulminat, et cum
Eurique Zephyrique tonat domus; omnia plenis
Rura natant fossis, atque omnis navita ponto
Humida vela legit. Nunquam imprudentibus imber 373
Obfuit: aut illum surgentem vallibus imis
Aëriæ fugere grues; aut bucula cœlum

Suspiciens patulis captavit naribus auras;
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo;
Et veterem in limo ranæ cecinere querelam;
Sæpius et tectis penetralibus extulit ova
Angustum formica terens iter; et bibit ingens
Arcus; et e pastu decedens agmine magno 381
Corvorum increpuit densis exercitus alis.
Jam varias pelagi volucres, et quæ Asia circum
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri,
Certatim largos humeris infundere rores, 385
Nunc caput objectare fretis, nunc currere in undas,
Et studio incassum videas gestire lavandi.
Tum cornix plena pluviam vocat improba voce,
Et sola in sicca secum spatiatur arena. 389
Ne nocturna quidem carpentes pensa puellæ
Nescivere hiemem, testa cum ardente viderent
Scintillare oleum, et putres concrescere fungos.
Nec minus ex imbri soles et aperta serena
Prospicere, et certis poteris cognoscere signis.
Nam neque tum stellis acies obtusa videtur;
Nec fratris radiis obnoxia surgere Luna; 396
Tenuia nec lanæ per cœlum vellera ferri;
Non tepidum ad solem pennas in littora pandunt
Dilectæ Thetidi alcyones; non ore solutos
Immundi meminere sues jactare maniplos: 400
At nebulæ magis ima petunt, campoque recumbunt;
Solis et occasum servans de culmine summo
Nequicquam seros exercet noctua cantus.
Apparet liquido sublimis in aëre Nisus,
Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo: 405
Quacunque illa levem fugiens secat æthera pennis,
Ecce inimicus atrox magno stridore per auras
Insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras,
Illa levem fugiens raptim secat æthera pennis.
Tum liquidas corvi presso ter gutture voces 410
Aut quater ingeminant; et sæpe cubilibus altis,
Nescio qua præter solitum dulcedine læti,
Inter se foliis strepitant; juvat imbribus actis
Progeniem parvam dulcesque revisere nidos.
Haud, equidem credo, quia sit divinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia major; 416
Verum, ubi tempestas et cœli mobilis humor
Mutavere vias, et Jupiter uvidus Austris
Denset, erant quæ rara modo, et, quæ densa, relaxat;
Vertuntur species animorum, et pectora motus
Nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat,
Concipiunt: hinc ille avium concentus in agris,
Et lætæ pecudes, et ovantes gutture corvi.
Si vero solem ad rapidum, lunasque sequentes
Ordine respicies: nunquam te crastina fallet
Hora, neque insidiis noctis capiere serenæ.
Luna, revertentes cum primum colligit ignes,
Si nigrum obscuro comprenderit aëra cornu,
Maximus agricolis pelagoque parabitur imber.
At si virgineum suffuderit ore ruborem, 430
Ventus erit; vento semper rubet aurea Phœbe.
Sin ortu quarto (namque is certissimus auctor)
Pura, neque obtusis per cœlum cornibus ibit:
Totus et ille dies, et qui nascentur ab illo
Exactum ad mensem, pluvia ventisque carebunt;
Votaque servati solvent in littore nautæ 436
Glauco et Panopeæ et Inoo Melicertæ.
Sol quoque, et exoriens, et cum se condet in undas,
Signa dabit; solem certissima signa sequuntur,
Et quæ mane refert, et quæ surgentibus astris.
Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum,
Conditus in nubem, medioque refugerit orbe,
Suspecti tibi sint imbres; namque urget ab alto
Arboribusque satisque Notus pecorique sinister.
Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese 445
Diversi rumpent radii, aut ubi pallida surget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile;
Heu, male tum mites defendet pampinus uvas,
Tam multa in tectis crepitans salit horrida grando.
Hoc etiam, emenso cum jam decedet Olympo,
Profuerit meminisse magis: nam sæpe videmus
Ipsius in vultu varios errare colores; 452
Cæruleus pluviam denuntiat, igneus Euros.
Sin maculæ incipient rutilo immiscerier igni,
Omnia tunc pariter vento nimbisque videbis
Fervere: non illa quisquam me nocte per altum
Ire, neque a terra moneat convellere funem.
At si, cum referetque diem, condetque relatum,
Lucidus orbis erit: frustra terrebere nimbis,
Et claro sylvas cernes Aquilone moveri. 460
Denique, quid vesper serus vehat, unde serenas
Ventus agat nubes, quid cogitet humidus Auster,
Sol tibi signa dabit. Solem quis dicere falsum
Audeat? ille etiam cæcos instare tumultus
Sæpe monet, fraudemque et operta tumescere bella; 465
Ille etiam exstincto miseratus Cæsare Romam,
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.
Tempore quanquam illo tellus quoque, et æquora ponti,
Obscœnique canes, importunæque volucres, 470
Signa dabant. Quoties Cyclopum effervere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam,
Flammarumque globos liquefactaque volvere saxa!
Armorum sonitum toto Germania cœlo 474
Audiit; insolitis tremuerunt motibus Alpes.
Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes
Ingens; et simulacra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis; pecudesque locutæ,
Infandum! sistunt amnes, terræque dehiscunt;
Et mæstum illacrymat templis ebur, æraque sudant. 480
Proluit insano contorquens vortice sylvas
Fluviorum rex Eridanus, camposque per omnes
Cum stabulis armenta tulit. Nec tempore eodem
Tristibus aut extis fibræ apparere minaces,
Aut puteis manare cruor cessavit; et altæ 485
Per noctem resonare lupis ululantibus urbes.
Non alias cœlo ceciderunt plura sereno
Fulgura; nec diri toties arsere cometæ.
Ergo inter sese paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi; 490
Nec fuit indignum superis, bis sanguine nostro
Emathiam et latos Hæmi pinguescere campos.
Scilicet et tempus veniet, cum finibus illis
Agricola, incurvo terram molitus aratro,
Exesa inveniet scabra rubigine pila, 495
Aut gravibus rastris galeas pulsabit inanes,
Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulchris.
Di patrii Indigetes, et Romule, Vestaque mater,
Quæ Tuscum Tiberim et Romana Palatia servas,
Hunc saltem everso juvenem succurrere sæclo
Ne prohibete! Satis jam pridem sanguine nostro
Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ. 502
Jam pridem nobis cœli te regia, Cæsar, [phos:
Invidet, atque hominum queritur curare trium-

Quippe ubi fas versum atque nefas, tot bella per orbem, 505
Tam multæ scelerum facies, non ullus aratro
Dignus honos; squalent abductis arva colonis,
Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem:
Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum;
Vicinæ ruptis inter se legibus urbes 510
Arma ferunt; sævit toto Mars impius orbe:
Ut, cum carceribus sese effudere, quadrigæ
Addunt in spatia, et frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

LIBER SECUNDUS.

Hactenus arvorum cultus et sidera cœli;
Nunc te, Bacche, canam, nec non sylvestria tecum
Virgulta, et prolem tarde crescentis olivæ.
Huc, pater o Lenæe; tuis hic omnia plena
Muneribus; tibi pampineo gravidus auctumno
Floret ager, spumat plenis vindemia labris: 6
Huc, pater o Lenæe, veni, nudataque musto
Tinge novo mecum dereptis crura cothurnis.
Principio arboribus varia est natura creandis:
Namque aliæ, nullis hominum cogentibus, ipsæ
Sponte sua veniunt, camposque et flumina late 11
Curva tenent: ut molle siler, lentæque genestæ,
Populus, et glauca canentia fronde salicta.
Pars autem posito surgunt de semine: ut altæ
Castaneæ, nemorumque Jovi quæ maxima frondet
Æsculus, atque habitæ Graiis oracula quercus.
Pullulat ab radice aliis densissima sylva:
Ut cerasis, ulmisque; etiam Parnassia laurus
Parva sub ingenti matris se subjicit umbra. 19
Hos Natura modos primum dedit; his genus omne
Sylvarum fruticumque viret nemorumque sacrorum.
Sunt alii, quos ipse via sibi repperit usus.
Hic plantas tenero abscidens de corpore matrum
Deposuit sulcis; hic stirpes obruit arvo,
Quadrifidasque sudes et acuto robore vallos; 25
Sylvarumque aliæ pressos propaginis arcus
Exspectant, et viva sua plantaria terra;
Nil radicis egent aliæ; summumque putator
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.
Quin et caudicibus sectis (mirabile dictu) 30
Truditur e sicco radix oleagina ligno;
Et sæpe alterius ramos impune videmus
Vertere in alterius, mutatamque insita mala
Ferre pirum, et prunis lapidosa rubescere corna.
Quare agite o, proprios generatim discite cultus,
Agricolæ, fructusque feros mollite colendo; 36
Neu segnes jaceant terræ. Juvat Ismara Baccho
Conserere, atque olea magnum vestire Taburnum.
Tuque ades, inceptumque una decurre laborem,
O decus, o famæ merito pars maxima nostræ 40
Mecænas, pelagoque volans da vela patenti.
Non ego cuncta meis amplecti versibus opto;
Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox: ades, et primi lege littoris oram;
In manibus terræ; non hic te carmine ficto, 45
Atque per ambages et longa exorsa, tenebo.
Sponte sua quæ se tollunt in luminis oras,
Infecunda quidem, sed læta et fortia surgunt;
Quippe solo natura subest. Tamen hæc quoque si quis
Inserat, aut scrobibus mandet mutata subactis,
Exuerint sylvestrem animum, cultuque frequenti
In quascunque voces artes haud tarda sequentur.
Nec non et sterilis, quæ stirpibus exit ab imis,
Hoc faciet, vacuos si sit digesta per agros:
Nunc altæ frondes et rami matris opacant, 55
Crescentique adimunt fetus, uruntque ferentem.
Jam, quæ seminibus jactis se sustulit arbos,
Tarda venit, seris factura nepotibus umbram;
Pomaque degenerant succos oblita priores;
Et turpes, avibus prædam, fert uva racemos. 60
Scilicet omnibus est labor impendendus, et omnes
Cogendæ in sulcum, ac multa mercede domandæ.
Sed truncis oleæ melius, propagine vites
Respondent, solido Paphiæ de robore myrtus;
Plantis et duræ coryli nascuntur, et ingens 65
Fraxinus, Herculeæque arbos umbrosa coronæ,
Chaoniique patris glandes; etiam ardua palma
Nascitur, et casus abies visura marinos.
Inseritur vero et fetu nucis arbutus horrida,
Et steriles platani malos gessere valentes; 70
Castaneæ fagus, ornusque incanuit albo
Flore piri, glandemque sues fregere sub ulmis.
Nec modus inserere atque oculos imponere simplex.
Nam, qua se medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas, angustus in ipso 75
Fit nodo sinus; huc aliena ex arbore germen
Includunt, udoque docent inolescere libro.
Aut rursum enodes trunci resecantur, et alte
Finditur in solidum cuneis via; deinde feraces
Plantæ immittuntur: nec longum tempus, et ingens 80
Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos,
Miraturque novas frondes et non sua poma.
Præterea genus haud unum, nec fortibus ulmis,
Nec salici, lotoque, neque Idæis cyparissis.
Nec pingues unam in faciem nascuntur olivæ,
Orchades, et radii, et amara pausia bacca; 86
Pomaque, et Alcinoi sylvæ: nec surculus idem
Crustumiis Syriisque piris, gravibusque volemis.
Non eadem arboribus pendet vindemia nostris,
Quam Methymnæo carpit de palmite Lesbos;
Sunt Thasiæ vites, sunt et Mareotides albæ;
Pinguibus hæ terris habiles, levioribus illæ;
Et passo Psythia utilior, tenuisque Lageos,
Tentatura pedes olim, vincturaque linguam;
Purpureæ, preciæque; et, quo te carmine dicam,
Rhætica? nec cellis ideo contende Falernis. 96
Sunt et Aminææ vites, firmissima vina,
Tmolus et assurgit quibus, et rex ipse Phanæus,
Argitisque minor, cui non certaverit ulla
Aut tantum fluere, aut totidem durare per annos.
Non ego te, dîs et mensis accepta secundis, 101
Transierim, Rhodia, et tumidis, bumaste, racemis.
Sed neque quam multæ species, nec nomina quæ sint,
Est numerus; neque enim numero comprendere refert:
Quem qui scire velit, Libyci velit æquoris idem

Discere quam multæ Zephyro turbentur arenæ;
Aut, ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Nôsse quot Ionii veniant ad littora fluctus.
Nec vero terræ ferre omnes omnia possunt.
Fluminibus salices, crassisque paludibus alni
Nascuntur, steriles saxosis montibus orni; 111
Littora myrtetis lætissima; denique apertos
Bacchus amat colles, Aquilonem et frigora taxi.
Adspice et extremis domitum cultoribus orbem,
Eoasque domos Arabum, pictosque Gelonos. 115
Divisæ arboribus patriæ: sola India nigrum
Fert ebenum; solis est thurea virga Sabæis.
Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsamaque, et baccas semper frondentis acanthi?
Quid nemora Æthiopum, molli canentia lana,
Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres? 121
Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
Extremi sinus orbis; ubi aëra vincere summum
Arboris haud ullæ jactu potuere sagittæ?
Et gens illa quidem sumtis non tarda pharetris.
Media fert tristes succos tardumque saporem
Felicis mali, quo non præsentius ullum, 127
Pocula si quando sævæ infecere novercæ,
[Miscueruntque herbas, et non innoxia verba,]
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipsa ingens arbos faciemque simillima lauro;
Et, si non alium late jactaret odorem, 132
Laurus erat: folia haud ullis labentia ventis;
Flos apprima tenax: animas et olentia Medi
Ora fovent illo, et senibus medicantur anhelis.
Sed neque Medorum, sylvæ ditissima, terra,
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus,
Laudibus Italiæ certent; non Bactra, neque Indi,
Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.
Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem
Invertere, satis immanis dentibus hydri; 141
Nec galeis densisque virûm seges horruit hastis:
Sed gravidæ fruges et Bacchi Massicus humor
Implevere; tenent oleæ, armentaque læta.
Hinc bellator equus campo sese arduus infert;
Hinc albi, Clitumne, greges, et maxima taurus
Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro,
Romanos ad templa deûm duxere triumphos.
Hic ver assiduum, atque alienis mensibus æstas;
Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbor.
At rabidæ tigres absunt, et sæva leonum 151
Semina; nec miseros fallunt aconita legentes;
Nec rapit immensos orbes per humum, neque tanto
Squameus in spiram tractu se colligit anguis.
Adde tot egregias urbes, operumque laborem,
Tot congesta manu præruptis oppida saxis, 156
Fluminaque antiquos subterlabentia muros.
An mare, quod supra, memorem, quodque alluit infra?
Anne lacus tantos? te, Lari maxime, teque, 159
Fluctibus et fremitu assurgens, Benace, marino?
An memorem portus, Lucrinoque addita claustra,
Atque indignatum magnis stridoribus æquor,
Julia qua ponto longe sonat unda refuso,
Tyrrhenusque fretis immittitur æstus Avernis?
Hæc eadem argenti rivos ærisque metalla 165
Ostendit venis, atque auro plurima fluxit.
Hæc genus acre virûm, Marsos, pubemque Sabellam,
Assuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos
Extulit; hæc Decios, Marios, magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello, et te, maxime Cæsar, 170
Qui nunc extremis Asiæ jam victor in oris
Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.
Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus,
Magna virûm: tibi res antiquæ laudis et artis
Ingredior, sanctos ausus recludere fontes, 175
Ascræumque cano Romana per oppida carmen.
Nunc locus arvorum ingeniis: quæ robora cuique,
Quis color, et quæ sit rebus natura ferendis.
Difficiles primum terræ, collesque maligni,
Tenuis ubi argilla et dumosis calculus arvis,
Palladia gaudent sylva vivacis olivæ. 181
Indicio est tractu surgens oleaster eodem
Plurimus, et strati baccis sylvestribus agri.
At quæ pinguis humus, dulcique uligine læta,
Quique frequens herbis et fertilis ubere campus;
Qualem sæpe cava montis convalle solemus 186
Dispicere: huc summis liquuntur rupibus amnes,
Felicemque trahunt limum; quique editus Austro,
Et filicem curvis invisam pascit aratris;
Hic tibi prævalidas olim multoque fluentes 190
Sufficiet Baccho vites; hic fertilis uvæ,
Hic laticis, qualem pateris libamus et auro,
Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras,
Lancibus et pandis fumantia reddimus exta.
Sin armenta magis studium vitulosque tueri,
Aut fetus ovium, aut urentes culta capellas:
Saltus et saturi petito longinqua Tarenti, 197
Et qualem infelix amisit Mantua campum,
Pascentem niveos herboso flumine cycnos:
Non liquidi gregibus fontes, non gramina deerunt;
Et, quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.
Nigra fere et presso pinguis sub vomere terra,
Et cui putre solum (namque hoc imitamur arando),
Optima frumentis: non ullo ex æquore cernes
Plura domum tardis decedere plaustra juvencis:
Aut unde iratus sylvam devexit arator, 207
Et nemora evertit multos ignava per annos,
Antiquasque domos avium cum stirpibus imis
Eruit: illæ altum nidis petiere relictis; 210
At rudis enituit impulso vomere campus.
Nam jejuna quidem clivosi glarea ruris
Vix humiles apibus casias roremque ministrat;
Et tophus scaber, et nigris exesa chelydris
Creta, negant alios æque serpentibus agros 215
Dulcem ferre cibum et curvas præbere latebras.
Quæ tenuem exhalat nebulam fumosque volucres,
Et bibit humorem, et, cum vult, ex se ipsa remittit;
Quæque suo viridi semper se gramine vestit,
Nec scabie et salsa lædit rubigine ferrum, 220
Illa tibi lætis intexet vitibus ulmos;
Illa ferax oleo est; illam experiere colendo
Et facilem pecori, et patientem vomeris unci.
Talem dives arat Capua, et vicina Vesevo
Ora jugo, et vacuis Clanius non æquus Acerris.
Nunc, quo quamque modo possis cognoscere, dicam. 226
Rara sit, an supra morem si densa requiras:
Altera frumentis quoniam favet, altera Baccho;
Densa magis Cereri, rarissima quæque Lyæo:
Ante locum capies oculis, alteque jubebis 230
In solido puteum demitti, omnemque repones
Rursus humum, et pedibus summas æquabis arenas.

Si deerunt, rarum, pecorique et vitibus almis
Aptius, uber erit; sin in sua posse negabunt
Ire loca, et scrobibus superabit terra repletis,
Spissus ager; glebas cunctantes crassaque terga
Exspecta, et validis terram proscinde juvencis.
Salsa autem tellus, et quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix (ea nec mansuescit arando, 239
Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina servat),
Tale dabit specimen: tu spisso vimine qualos
Colaque prælorum fumosis deripe tectis;
Huc ager ille malus, dulcesque a fontibus undæ,
Ad plenum calcentur: aqua eluctabitur omnis
Scilicet, et grandes ibunt per vimina guttæ; 245
At sapor indicium faciet manifestus, et ora
Tristia tentantum sensu torquebit amaror.
Pinguis item quæ sit tellus, hoc denique pacto
Discimus: haud unquam manibus jactata fatiscit,
Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo.
Humida majores herbas alit, ipsaque justo 251
Lætior; ah nimium ne sit mihi fertilis illa,
Neu se prævalidam primis ostendat aristis!
Quæ gravis est, ipso tacitam se pondere prodit,
Quæque levis. Promtum est oculis prædiscere nigram, 255
Et quis cui color. At sceleratum exquirere frigus
Difficile est: piceæ tantum taxique nocentes
Interdum, aut hederæ pandunt vestigia nigræ.
His animadversis, terram multo ante memento
Excoquere, et magnos scrobibus concidere montes, 260
Ante supinatas Aquiloni ostendere glebas,
Quam lætum infodias vitis genus; optima putri
Arva solo: id venti curant, gelidæque pruinæ,
Et labefacta movens robustus jugera fossor.
At si quos haud ulla viros vigilantia fugit, 265
Ante locum similem exquirunt, ubi prima paretur
Arboribus seges, et quo mox digesta feratur;
Mutatam ignorent subito ne semina matrem.
Quin etiam cœli regionem in cortice signant;
Ut quo quæque modo steterit, qua parte calores
Austrinos tulerit, quæ terga obverterit axi, 271
Restituant: adeo in teneris consuescere multum est.
Collibus, an plano melius sit ponere vitem,
Quære prius. Si pinguis agros metabere campi,
Densa sere; in denso non segnior ubere Bacchus:
Sin tumulis acclive solum collesque supinos, 276
Indulge ordinibus. Nec secius omnis in unguem
Arboribus positis secto via limite quadret.
Ut sæpe ingenti bello cum longa cohortes
Explicuit legio, et campo stetit agmen aperto,
Directæque acies, ac late fluctuat omnis 281
Ære renidenti tellus, necdum horrida miscent
Prœlia, sed dubius mediis Mars errat in armis:
Omnia sint paribus numeris dimensa viarum;
Non animum modo uti pascat prospectus inanem;
Sed quia non aliter vires dabit omnibus æquas
Terra, neque in vacuum poterunt se extendere rami.
Forsitan et, scrobibus quæ sint fastigia, quæras.
Ausim vel tenui vitem committere sulco:
Altior ac penitus terræ defigitur arbos: 290
Æsculus in primis; quæ quantum vertice ad auras
Ætherias, tantum radice in Tartara tendit.
Ergo non hiemes illam, non flabra, neque imbres
Convellunt; immota manet, multosque nepotes,
Multa virûm volvens durando sæcula, vincit: 295
Tum fortes late ramos et brachia tendens
Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram.
Neve tibi ad solem vergant vineta cadentem;
Neve inter vites corylum sere; neve flagella
Summa pete, aut summa destringe ex arbore plantas; 300
Tantus amor terræ: neu ferro læde retuso
Semina; neve oleæ sylvestres insere truncos.
Nam sæpe incautis pastoribus excidit ignis,
Qui, furtim pingui primum sub cortice tectus,
Robora comprendit, frondesque elapsus in altas
Ingentem cœlo sonitum dedit, inde secutus 306
Per ramos victor perque alta cacumina regnat,
Et totum involvit flammis nemus, et ruit atram
Ad cœlum picea crassus caligine nubem:
Præsertim si tempestas a vertice sylvis 310
Incubuit, glomeratque ferens incendia ventus.
Hoc ubi, non a stirpe valent, cæsæque reverti
Possunt, atque ima similes revirescere terra:
Infelix superat foliis oleaster amaris.
Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor, 315
Tellurem Borea rigidam spirante moveri.
Rura gelu tum claudit hiems, nec semine jacto
Concretam patitur radicem affigere terræ.
Optima vinetis satio, cum vere rubenti
Candida venit avis longis invisa colubris; 320
Prima vel auctumni sub frigora, cum rapidus Sol
Nondum hiemem contingit equis, jam præterit æstas.
Ver adeo frondi nemorum, ver utile sylvis;
Vere tument terræ, et genitalia semina poscunt.
Tum pater omnipotens fecundis imbribus Æther
Conjugis in gremium lætæ descendit, et omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore, fetus.
Avia tum resonant avibus virgulta canoris,
Et Venerem certis repetunt armenta diebus;
Parturit almus ager; Zephyrique tepentibus auris
Laxant arva sinus; superat tener omnibus humor; 331
Inque novos soles audent se germina tuto
Credere; nec metuit surgentes pampinus Austros,
Aut actum cœlo magnis Aquilonibus imbrem;
Sed trudit gemmas, et frondes explicat omnes.
Non alios prima crescentis origine mundi 336
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, et hibernis parcebant flatibus Euri:
Cum primæ lucem pecudes hausere, virûmque
Ferrea progenies duris caput extulit arvis, 341
Immissæque feræ sylvis, et sidera cœlo.
Nec res hunc teneræ possent perferre laborem,
Si non tanta quies iret frigusque caloremque
Inter, et exciperet cœli indulgentia terras. 345
Quod superest, quæcumque premes virgulta per agros,
Sparge fimo pingui, et multa memor occule terra;
Aut lapidem bibulum, aut squalentes infode conchas:
Inter enim labentur aquæ, tenuisque subibit
Halitus, atque animos tollent sata. Jamque reperti, 350
Qui saxo super atque ingentis pondere testæ
Urgerent: hoc effusos munimen ad imbres;
Hoc, ubi hiulca siti findit canis æstifer arva.
Seminibus positis, superest deducere terram
Sæpius ad capita, et duros jactare bidentes; 355
Aut presso exercere solum sub vomere, et ipsa

Flectere luctantes inter vineta juvencos:
Tum læves calamos, et rasæ hastilia virgæ,
Fraxineasque aptare sudes, furcasque bicornes,
Viribus eniti quarum, et contemnere ventos 360
Assuescant, summasque sequi tabulata per ulmos.
Ac dum prima novis adolescit frondibus ætas,
Parcendum teneris; et dum se lætus ad auras
Palmes agit, laxis per purum immissus habenis,
Ipsa acie nondum falcis tentanda; sed uncis 365
Carpendæ manibus frondes, interque legendæ.
Inde ubi jam validis amplexæ stirpibus ulmos
Exierint, tum stringe comas, tum brachia tonde:
Ante reformidant ferrum; tum denique dura
Exerce imperia, et ramos compesce fluentes. 370
Texendæ sæpes etiam, et pecus omne tenendum,
Præcipue dum frons tenera imprudensque laborum;
Cui, super indignas hiemes solemque potentem,
Sylvestres uri assidue capreæque sequaces
Illudunt; pascuntur oves avidæque juvencæ. 375
Frigora nec tantum cana concreta pruina,
Aut gravis incumbens scopulis arentibus æstas,
Quantum illi nocuere greges, durique venenum
Dentis, et admorso signata in stirpe cicatrix.
Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, et veteres ineunt proscenia ludi; 381
Præmiaque ingeniis pagos et compita circum
Thesidæ posuere, atque inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos saluere per utres.
Nec non Ausonii, Troja gens missa, coloni 385
Versibus incomtis ludunt risuque soluto;
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis;
Et te, Bacche, vocant per carmina læta, tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubescit vinea fetu; 390
Complentur vallesque cavæ saltusque profundi,
Et quocunque deus circum caput egit honestum.
Ergo rite suum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, lancesque et liba feremus;
Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram, 395
Pinguiaque in veribus torrebimus exta colurnis.
Est etiam ille labor curandis vitibus alter,
Cui nunquam exhausti satis est; namque omne quotannis
Terque quaterque solum scindendum, glebaque versis
Æternum frangenda bidentibus, omne levandum
Fronde nemus: redit agricolis labor actus in orbem, 401
Atque in se sua per vestigia volvitur annus.
Ac jam olim, seras posuit cum vinea frondes,
Frigidus et sylvis Aquilo decussit honorem:
Jam tum acer curas venientem extendit in annum
Rusticus, et curvo Saturni dente relictam 406
Persequitur vitem attondens, fingitque putando.
Primus humum fodito, primus devecta cremato
Sarmenta, et vallos primus sub tecta referto;
Postremus metito. Bis vitibus ingruit umbra;
Bis segetem densis obducunt sentibus herbæ: 411
Durus uterque labor. Laudato ingentia rura,
Exiguum colito. Nec non etiam aspera rusci
Vimina per sylvam, et ripis fluvialis arundo
Cæditur, incultique exercet cura salicti. 415
Jam vinctæ vites, jam falcem arbusta reponunt,
Jam canit extremos effetus vinitor antes:
Sollicitanda tamen tellus, pulvisque movendus;
Et jam maturis metuendus Jupiter uvis. 419
Contra, non ulla est oleis cultura; neque illæ
Procurvam exspectant falcem rastrosque tenaces,
Quum semel hæserunt arvis, aurasque tulerunt.
Ipsa satis tellus, cum dente recluditur unco,
Sufficit humorem, et gravidas cum vomere fruges.
Hoc pinguem et placitam Paci nutritor olivam.
Poma quoque, ut primum truncos sensere valentes, 426
Et vires habuere suas, ad sidera raptim
Vi propria nituntur, opisque haud indiga nostræ.
Nec minus interea fetu nemus omne gravescit,
Sanguineisque inculta rubent aviaria baccis; 430
Tondentur cytisi; tædas sylva alta ministrat,
Pascunturque ignes nocturni, et lumina fundunt.
Et dubitant homines serere, atque impendere curam?
Quid majora sequar? salices humilesque genestæ,
Aut illæ pecori frondem, aut pastoribus umbras
Sufficiunt, sæpemque satis, et pabula melli. 436
Et juvat undantem buxo spectare Cytorum,
Naryciæque picis lucos; juvat arva videre
Non rastris, hominum non ulli obnoxia curæ.
Ipsæ Caucasio steriles in vertice sylvæ, 440
Quas animosi Euri assidue franguntque feruntque,
Dant alios aliæ fetus; dant utile lignum
Navigiis pinos, domibus cedrumque cupressosque;
Hinc radios trivere rotis, hinc tympana plaustris
Agricolæ, et pandas ratibus posuere carinas. 445
Viminibus salices fecundæ, frondibus ulmi;
At myrtus validis hastilibus, et bona bello
Cornus; Ituræos taxi torquentur in arcus.
Nec tiliæ leves, aut torno rasile buxum, 449
Non formam accipiunt, ferroque cavantur acuto;
Nec non et torrentem undam levis innatat alnus,
Missa Pado; nec non et apes examina condunt
Corticibusque cavis vitiosæque ilicis alveo.
Quid memorandum æque Baccheïa dona tulerunt?
Bacchus et ad culpam causas dedit; ille furentes
Centauros leto domuit, Rhœtumque Pholumque,
Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.
O fortunatos nimium, sua si bona nôrint,
Agricolas; quibus ipsa, procul discordibus armis,
Fundit humo facilem victum justissima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta superbis 461
Mane salutantum totis vomit ædibus undam;
Nec varios inhiant pulchra testudine postes,
Illusasque auro vestes, Ephyreïaque æra;
Alba neque Assyrio fucatur lana veneno, 465
Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi:
At secura quies, et nescia fallere vita,
Dives opum variarum; at latis otia fundis,
Speluncæ, vivique lacus; at frigida Tempe,
Mugitusque boum, mollesque sub arbore somni
Non absunt: illic saltus ac lustra ferarum; 471
Et patiens operum, exiguoque assueta juventus;
Sacra deum, sanctique patres: extrema per illos
Justitia excedens terris vestigia fecit.
Me vero primum dulces ante omnia Musæ, 475
Quarum sacra fero ingenti percussus amore,
Accipiant, cœlique vias et sidera monstrent,
Defectus solis varios, lunæque labores;
Unde tremor terris; qua vi maria alta tumescant
Objicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant; 480
Quid tantum Oceano properent se tingere soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.
Sin, has ne possim naturæ accedere partes,
Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis,

Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes;
Flumina amem sylvasque inglorius. O ubi campi,
Spercheosque, et virginibus bacchata Lacænis
Taygeta! o qui me gelidis in vallibus Hæmi
Sistat, et ingenti ramorum protegat umbra!
Felix, qui potuit rerum cognoscere causas, 490
Atque metus omnes et inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari!
Fortunatus et ille, deos qui novit agrestes,
Panaque Silvanumque senem Nymphasque sorores!
Illum non populi fasces, non purpura regum 495
Flexit, et infidos agitans discordia fratres,
Aut conjurato descendens Dacus ab Istro;
Non res Romanæ, perituraque regna; neque ille
Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti.
Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura 500
Sponte tulere sua, carpsit: nec ferrea jura,
Insanumque forum, aut populi tabularia vidit.
Sollicitant alii remis freta cæca; ruuntque
In ferrum; penetrant aulas et limina regum;
Hic petit excidiis Urbem miserosque Penates, 505
Ut gemma bibat, et Sarrano indormiat ostro;
Condit opes alius, defossoque incubat auro;
Hic stupet attonitus rostris; hunc plausus hiantem [que
Per cuneos geminatus enim plebisque patrum-
Corripuit; gaudent perfusi sanguine fratrum, 510
Exilioque domos et dulcia limina mutant,
Atque alio patriam quærunt sub sole jacentem.
Agricola incurvo terram dimovit aratro:
Hinc anni labor; hinc patriam parvosque nepotes
Sustinet; hinc armenta boum, meritosque juvencos; 515
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,
Aut fetu pecorum, aut Cerealis mergite culmi,
Proventuque oneret sulcos, atque horrea vincat.
Venit hiems: teritur Sicyonia bacca trapetis;
Glande sues læti redeunt; dant arbuta sylvæ;
Et varios ponit fetus auctumnus; et alte 521
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.
Interea dulces pendent circum oscula nati;
Casta pudicitiam servat domus; ubera vaccæ
Lactea demittunt; pinguesque in gramine læto
Inter se adversis luctantur cornibus hædi. 526
Ipse dies agitat festos; fususque per herbam,
Ignis ubi in medio, et socii cratera coronant,
Te libans, Lenæe, vocat; pecorisque magistris
Velocis jaculi certamina ponit in ulmo: 530
Corporaque agresti nudant prædura palæstra.
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini;
Hanc Remus et frater; sic fortis Etruria crevit;
Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma,
Septemque una sibi muro circumdedit arces. 535
Ante etiam sceptrum Dictæi regis, et ante
Impia quam cæsis gens est epulata juvencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.
Necdum etiam audierant inflari classica, necdum
Impositos duris crepitare incudibus enses. 540
Sed nos immensum spatiis confecimus æquor.
Et jam tempus equûm fumantia solvere colla.

LIBER TERTIUS.

Te quoque, magna Pales, et te, memorande, canemus
Pastor ab Amphryso; vos, sylvæ amnesque Lycæi.
Cætera, quæ vacuas tenuissent carmine mentes,
Omnia jam vulgata; quis aut Eurysthea durum,
Aut illaudati nescit Busiridis aras? 5
Cui non dictus Hylas puer, et Latonia Delos,
Hippodameque, humeroque Pelops insignis eburno,
Acer equis? Tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo, victorque virûm volitare per ora.
Primus ego in patriam mecum, modo vita supersit, 10
Aonio rediens deducam vertice Musas;
Primus Idumæas referam tibi, Mantua, palmas;
Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius, et tenera prætexit arundine ripas. 15
In medio mihi Cæsar erit, templumque tenebit.
Illi victor ego, et Tyrio conspectus in ostro,
Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.
Cuncta mihi, Alpheum linquens lucosque Molorchi,
Cursibus et crudo decernet Græcia cæstu. 20
Ipse, caput tonsæ foliis ornatus olivæ,
Dona feram. Jam nunc sollennes ducere pompas
Ad delubra juvat, cæsosque videre juvencos;
Vel scena ut versis discedat frontibus, utque
Purpurea intexti tollant aulæa Britanni. 25
In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto
Gangaridûm faciam, victorisque arma Quirini;
Atque hic undantem bello magnumque fluentem
Nilum, ac navali surgentes ære columnas.
Addam urbes Asiæ domitas, pulsumque Niphaten,
Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis, 31
Et duo rapta manu diverso ex hoste tropæa,
Bisque triumphatas utroque ab littore gentes.
Stabunt et Parii lapides, spirantia signa,
Assaraci proles, demissæque ab Jove gentis 35
Nomina, Trosque parens, et Trojæ Cynthius auctor.
Invidia infelix Furias amnemque severum
Cocyti metuet, tortosque Ixionis angues,
Immanemque rotam, et non exuperabile saxum.
Interea Dryadum sylvas saltusque sequamur 40
Intactos, tua, Mecænas, haud mollia jussa.
Te sine nil altum mens inchoat. En age, segnes
Rumpe moras; vocat ingenti clamore Cithæron,
Taygetique canes, domitrixque Epidaurus equorum;
Et vox assensu nemorum ingeminata remugit. 45
[Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas
Cæsaris, et nomen fama tot ferre per annos,
Tithoni prima quot abest ab origine Cæsar.]
Seu quis, Olympiacæ miratus præmia palmæ,
Pascit equos; seu quis fortes ad aratra juvencos:
Corpora præcipue matrum legat. Optima torvæ
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix,
Et crurum tenus a mento palearia pendent;
Tum longo nullus lateri modus; omnia magna,
Pes etiam; et camuris hirtæ sub cornibus aures.

Nec mihi displiceat maculis insignis et albo; 56
Aut juga detrectans, interdumque aspera cornu,
Et faciem tauro propior; quæque ardua tota
Et gradiens ima verrit vestigia cauda.
Ætas Lucinam justosque pati hymenæos 60
Desinit ante decem, post quatuor incipit annos:
Cætera nec feturæ habilis, nec fortis aratris.
Interea, superat gregibus dum læta juventas,
Solve mares; mitte in Venerem pecuaria primus,
Atque aliam ex alia generando suffice prolem, 65
Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit; subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor, et duræ rapit inclementia mortis.
Semper erunt, quarum mutari corpora malis:
Semper enim refice; ac, ne post amissa requiras,
Anteveni, et subolem armento sortire quotannis.
Necnon et pecori est idem delectus equino.
Tu modo, quos in spem statues submittere gentis,
Præcipuum jam inde a teneris impende laborem.
Continuo pecoris generosi pullus in arvis 75
Altius ingreditur, et mollia crura reponit.
Primus et ire viam, et fluvios tentare minaces
Audet, et ignoto sese committere ponti;
Nec vanos horret strepitus. Illi ardua cervix,
Argutumque caput, brevis alvus, obesaque terga;
Luxuriatque toris animosum pectus. Honesti
Spadices, glaucique; color deterrimus albis, 82
Et gilvo. Tum, si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit; micat auribus, et tremit artus;
Collectumque premens volvit sub naribus ignem.
Densa juba, et dextro jactata recumbit in armo;
At duplex agitur per lumbos spina; cavatque
Tellurem et solido graviter sonat ungula cornu.
Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus, et, quorum Graii meminere poetæ, 90
Martis equi bijuges, et magni currus Achilli.
Talis et ipse jubam cervice effudit equina
Conjugis adventu pernix Saturnus, et altum
Pelion hinnitu fugiens implevit acuto.
Hunc quoque, ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis 95
Deficit, abde domo; nec turpi ignosce senectæ.
Frigidus in Venerem senior, frustraque laborem
Ingratum trahit; et, si quando ad prœlia ventum est,
Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis,
Incassum furit. Ergo animos ævumque notabis
Præcipue; hinc alias artes, prolemque parentum,
Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ.
Nonne vides, quum præcipiti certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus, 104
Quum spes arrectæ juvenum, exultantiaque haurit
Corda pavor pulsans: illi instant verbere torto,
Et proni dant lora; volat vi fervidus axis;
Jamque humiles, jamque elati sublime videntur
Aëra per vacuum ferri, atque assurgere in auras:
Nec mora, nec requies; at fulvæ nimbus arenæ
Tollitur; humescunt spumis flatuque sequentum:
Tantus amor laudum, tantæ est victoria curæ.
Primus Erichthonius currus et quatuor ausus
Jungere equos, rapidusque rotis insistere victor.
Frena Pelethronii Lapithæ gyrosque dedere 115
Impositi dorso, atque equitem docuere sub armis
Insultare solo, et gressus glomerare superbos.
Æquus uterque labor; æque juvenemque magistri [acrem;
Exquirunt, calidumque animis, et cursibus
Quamvis sæpe fuga versos ille egerit hostes, 120
Et patriam Epirum referat, fortesque Mycenas,
Neptunique ipsa deducat origine gentem.
His animadversis instant sub tempus, et omnes
Impendunt curas, denso distendere pingui,
Quem legere ducem, et pecori dixere maritum;
Pubentesque secant herbas, fluviosque ministrant,
Farraque; ne blando nequeat superesse labori,
Invalidique patrum referant jejunia nati.
Ipsa autem macie tenuant armenta volentes; 129
Atque ubi concubitus primos jam nota voluptas
Sollicitat, frondesque negant, et fontibus arcent;
Sæpe etiam cursu quatiunt, et sole fatigant,
Quum graviter tunsis gemit area frugibus, et quum
Surgentem ad Zephyrum paleæ jactantur inanes.
Hoc faciunt, nimio ne luxu obtusior usus 135
Sit genitali arvo, et sulcos oblimet inertes;
Sed rapiat sitiens Venerem, interiusque recondat.
Rursus cura patrum cadere, et succedere matrum
Incipit. Exactis gravidæ quum mensibus errant:
Non illas gravibus quisquam juga ducere plaustris,
Non saltu superare viam sit passus, et acri 141
Carpere prata fuga, fluviosque innare rapaces.
Saltibus in vacuis pascant, et plena secundum
Flumina, muscus ubi, et viridissima gramine ripa,
Speluncæque tegant, et saxea procubet umbra.
Est lucos Silari circa illcibusque virentem 146
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo
Romanum est, œstrum Graii vertere vocantes,
Asper, acerba sonans; quo tota exterrita sylvis
Diffugiunt armenta; furit mugitibus æther 150
Concussus, sylvæque et sicci ripa Tanagri.
Hoc quondam monstro horribiles exercuit iras
Inachiæ Juno pestem meditata juvencæ.
Hunc quoque, nam mediis fervoribus acrior instat,
Arcebis gravido pecori, armentaque pasces 155
Sole recens orto, aut noctem ducentibus astris.
Post partum cura in vitulos traducitur omnis;
Continuoque notas et nomina gentis inurunt,
Et, quos aut pecori malint submittere habendo,
Aut aris servare sacros, aut scindere terram, 160
Et campum horrentem fractis invertere glebis;
Cætera pascuntur virides armenta per herbas.
Tu quos ad studium atque usum formabis agrestem,
Jam vitulos hortare, viamque insiste domandi,
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas.
Ac primum laxos tenui de vimine circlos 166
Cervici subnecte; dehinc, ubi libera colla
Servitio assuêrint, ipsis e torquibus aptos
Junge pares, et coge gradum conferre juvencos;
Atque illis jam sæpe rotæ ducantur inanes 170
Per terram, et summo vestigia pulvere signent:
Post valido nitens sub pondere faginus axis
Instrepat, et junctos temo trahat æreus orbes.
Interea pubi indomitæ non gramina tantum, 174
Nec vescas salicum frondes, ulvamque palustrem,
Sed frumenta manu carpes sata. Nec tibi fetæ,
More patrum, nivea implebunt mulctraria vaccæ;
Sed tota in dulces consument ubera natos.
Sin ad bella magis studium turmasque feroces,
Aut Alphea rotis prælabi flumina Pisæ, 180
Et Jovis in luco currus agitare volantes;
Primus equi labor est, animos atque arma videre
Bellantum, lituosque pati; tractuque gementem
Ferre rotam, et stabulo frenos audire sonantes;

Tum magis atque magis blandis gaudere magistri
Laudibus, et plausæ sonitum cervicis amare. 186
Atque hæc jam primo depulsus ab ubere matris
Audeat, inque vicem det mollibus ora capistris
Invalidus, etiamque tremens, etiam inscius ævi.
At, tribus exactis, ubi quarta accesserit æstas, 190
Carpere mox gyrum incipiat, gradibusque sonare
Compositis, sinuetque alterna volumina crurum,
Sitque laboranti similis; tum cursibus auras,
Tum vocet, ac per aperta volans, ceu liber habenis,
Æquora, vix summa vestigia ponat arena: 195
Qualis Hyperboreis Aquilo quum densus ab oris
Incubuit, Scythiæque hiemes atque arida differt
Nubila: tum segetes altæ campique natantes
Lenibus horrescunt flabris, summæque sonorem
Dant sylvæ, longique urgent ad littora fluctus: 200
Ille volat, simul arva fuga, simul æquora verrens
Hic vel ad Elei metas et maxima campi
Sudabit spatia, et spumas aget ore cruentas,
Belgica vel molli melius feret esseda collo.
Tum demum crassa magnum farragine corpus
Crescere jam domitis sinito; namque ante domandum 206
Ingentes tollent animos, prensique negabunt
Verbera lenta pati et duris parere lupatis.
Sed non ulla magis vires industria firmat,
Quam Venerem et cæci stimulos avertere amoris,
Sive boum, sive est cui gratior usus equorum.
Atque ideo tauros procul atque in sola relegant
Pascua, post montem oppositum, et trans flumina lata;
Aut intus clausos satura ad præsepia servant.
Carpit enim vires paullatim uritque videndo 215
Fœmina; nec nemorum patitur meminisse, nec herbæ.
Dulcibus illa quidem illecebris et sæpe superbos
Cornibus inter se subigit decernere amantes.
Pascitur in magna Sila formosa juvenca:
Illi alternantes multa vi prœlia miscent 220
Vulneribus crebris; lavit ater corpora sanguis,
Versaque in obnixos urgentur cornua vasto
Cum gemitu; reboant sylvæque et longus Olympus.
Nec mos bellantes una stabulare: sed alter
Victus abit, longeque ignotis exulat oris, 225
Multa gemens ignominiam, plagasque superbi
Victoris, tum quos amisit inultus amores;
Et stabula adspectans regnis excessit avitis.
Ergo omni cura vires exercet, et inter
Durat jacet pernox instrato saxa cubili, 230
Frondibus hirsutis et carice pastus acuta;
Et tentat sese, atque irasci in cornua discit
Arboris obnixus trunco; ventosque lacessit
Ictibus, et sparsa ad pugnam proludit arena.
Post, ubi collectum robur viresque refectæ, 235
Signa movet, præcepsque oblitum fertur in hostem:
Fluctus uti, medio cœpit quum albescere ponto,
Longius ex altoque sinum trahit; utque, volutus
Ad terras, immane sonat per saxa, neque ipso
Monte minor procumbit; at ima exæstuat unda
Vorticibus, nigramque alte subjectat arenam. 241
Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque,
Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres,
In furias ignemque ruunt: amor omnibus idem.
Tempore non alio catulorum oblita leæna 245
Sævior erravit campis; nec funera vulgo
Tam multa informes ursi stragemque dedere
Per sylvas; tum sævus aper, tum pessima tigris;
Heu, male tum Libyæ solis erratur in agris.
Nonne vides, ut tota tremor pertentet equorum
Corpora, si tantum notas odor attulit auras? 251
Ac neque eos jam frena virûm, neque verbera sæva,
Non scopuli rupesque cavæ, atque objecta retardant
Flumina, correptos unda torquentia montes.
Ipse ruit, dentesque Sabellicus exacuit sus, 255
Et pede prosubigit terram, fricat arbore costas,
Atque hinc atque illinc humeros ad vulnera durat. [nem
Quid juvenis, magnum cui versat in ossibus ig-
Durus amor? nempe abruptis turbata procellis
Nocte natat cæca serus freta; quem super ingens
Porta tonat cœli, et scopulis illisa reclamant
Æquora; nec miseri possunt revocare parentes,
Nec moritura super crudeli funere virgo.
Quid lynces Bacchi variæ, et genus acre luporum,
Atque canum? quid, quæ imbelles dant prœlia cervi? 265
Scilicet ante omnes furor est insignis equarum;
Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci
Potniades malis membra absumsere quadrigæ.
Illas ducit amor trans Gargara, transque sonantem
Ascanium; superant montes, et flumina tranant;
Continuoque, avidis ubi subdita flamma medullis,
Vere magis, quia vere calor redit ossibus, illæ
Ore omnes versæ in Zephyrum stant rupibus altis,
Exceptantque leves auras; et sæpe sine ullis
Conjugiis, vento gravidæ (mirabile dictu) 275
Saxa per et scopulos et depressas convalles
Diffugiunt; non, Eure, tuos, neque Solis ad ortus;
In Borean Caurumque, aut unde nigerrimus Auster
Nascitur, et pluvio contristat frigore cœlum.
Hic demum, hippomanes vero quod nomine dicunt 280
Pastores, lentum destillat ab inguine virus;
Hippomanes, quod sæpe malæ legere novercæ,
Miscueruntque herbas et non innoxia verba.
Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus,
Singula dum capti circumvectamur amore. 285
Hoc satis armentis. Superat pars altera curæ,
Lanigeros agitare greges hirtasque capellas.
Hic labor; hinc laudem fortes sperate coloni.
Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum
Quam sit, et angustis hunc addere rebus honorem.
Sed me Parnassi deserta per ardua dulcis 291
Raptat amor: juvat ire jugis, qua nulla priorum
Castaliam molli devertitur orbita clivo. [dum.
Nunc, veneranda Pales, magno nunc ore sonan-
Incipiens stabulis edico in mollibus herbam 295
Carpere oves, dum mox frondosa reducitur æstas;
Et multa duram stipula filicumque maniplis
Sternere subter humum, glacies ne frigida lædat
Molle pecus, scabiemque ferat turpesque podagras.
Post, hinc digressus, jubeo frondentia capris 300
Arbuta sufficere, et fluvios præbere recentes;
Et stabula a ventis hiberno opponere soli
Ad medium conversa diem, quum frigidus olim
Jam cadit, extremoque irrorat Aquarius anno.
Hæ quoque non cura nobis leviore tuendæ, 305
Nec minor usus erit; quamvis Milesia magno
Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.
Densior hinc soboles; hinc largi copia lactis:
Quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra,

Læta magis pressis manabunt flumina mammis.
Nec minus interea barbas incanaque menta 311
Cinyphii tondent hirci, setasque comantes,
Usum in castrorum, et miseris velamina nautis.
Pascuntur vero sylvas, et summa Lycæi,
Horrentesque rubos, et amantes ardua dumos;
Atque ipsæ memores redeunt in tecta, suosque
Ducunt, et gravido superant vix ubere limen.
Ergo omni studio glaciem ventosque nivales,
Quo minor est illis curæ mortalis egestas,
Avertes; victumque feres et virgea lætus 320
Pabula, nec tota claudes fœnilia bruma.
At vero, Zephyris quum læta vocantibus æstas
In saltus utrumque gregem atque in pascua mittet:
Luciferi primo cum sidere frigida rura
Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent, 325
Et ros in tenera pecori gratissimus herba.
Inde, ubi quarta sitim cœli collegerit hora,
Et cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ:
Ad puteos aut alta greges ad stagna jubeto
Currentem ilignis potare canalibus undam: 330
Æstibus at mediis umbrosam exquirere vallem,
Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus
Ingentes tendat ramos, aut sicubi nigrum
Ilicibus crebris sacra nemus accubet umbra:
Tum tenues dare rursus aquas, et pascere rursus,
Solis ad occasum, quum frigidus aëra vesper
Temperat, et saltus reficit jam roscida luna,
Littoraque alcyonen resonant, acalanthida dumi.
Quid tibi pastores Libyæ, quid pascua versu
Prosequar, et raris habitata mapalia tectis? 340
Sæpe diem noctemque, et totum ex ordine mensem,
Pascitur, itque pecus longa in deserta sine ullis
Hospitiis: tantum campi jacet. Omnia secum
Armentarius Afer agit, tectumque, Laremque,
Armaque, Amyclæumque canem, Cressamque pharetram. 345
Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Injusto sub fasce viam quum carpit, et hosti
Ante exspectatum positis stat in agmine castris.
At non, qua Scythiæ gentes, Mæotiaque unda,
Turbidus et torquens flaventes Ister arenas, 350
Quaque redit medium Rhodope porrecta sub axem,
Illic clausa tenent stabulis armenta; neque ullæ
Aut herbæ campo apparent, aut arbore frondes;
Sed jacet aggeribus niveis informis et alto
Terra gelu late, septemque assurgit in ulnas. 355
Semper hiems, semper spirantes frigora Cauri.
Tum Sol pallentes haud unquam discutit umbras;
Nec quum invectus equis altum petit æthera, nec quum
Præcipitem Oceani rubro lavit æquore currum.
Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ,
Undaque jam tergo ferratos sustinet orbes, 361
Puppibus illa prius, patulis nunc hospita plaustris;
Æraque dissiliunt vulgo, vestesque rigescunt
Indutæ, cæduntque securibus humida vina,
Et totæ solidam in glaciem vertere lacunæ, 365
Stiriaque impexis induruit horrida barbis.
Interea toto non secius aëre ninguit;
Intereunt pecudes; stant circumfusa pruinis
Corpora magna boum; confertoque agmine cervi
Torpent mole nova, et summis vix cornibus exstant. 370
Hos non immissis canibus, non cassibus ullis,
Puniceæve agitant pavidos formidine pinnæ:
Sed frustra oppositum trudentes pectore montem
Cominus obtruncant ferro, graviterque rudentes
Cædunt, et magno læti clamore reportant. 375
Ipsi in defossis specubus secura sub alta
Otia agunt terra, congestaque robora totasque
Advolvere focis ulmos, ignique dedere.
Hic noctem ludo ducunt, et pocula læti
Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis.
Talis Hyperboreo septem subjecta trioni 381
Gens effrena virûm Rhipæo tunditur Euro,
Et pecudum fulvis velatur corpora setis.
Si tibi lanitium curæ: primum aspera sylva,
Lappæque tribulique, absint; fuge pabula læta;
Continuoque greges villis lege mollibus albos.
Illum autem, quamvis aries sit candidus ipse,
Nigra subest udo tantum cui lingua palato, 388
Rejice, ne maculis infuscet vellera pullis
Nascentum; plenoque alium circumspice campo.
Munere sic niveo lanæ, si credere dignum est,
Pan deus Arcadiæ captam te, Luna, fefellit, 392
In nemora alta vocans; nec tu adspernata vocantem.
At cui lactis amor, cytisum lotosque frequentes
Ipse manu salsasque ferat præsepibus herbas.
Hinc et amant fluvios magis, ac magis ubera tendunt, 396
Et salis occultum referunt in lacte saporem.
Multi jam excretos prohibent a matribus hædos,
Primaque ferratis præfigunt ora capistris.
Quod surgente die mulsere horisque diurnis, 400
Nocte premunt; quod jam tenebris et sole cadente,
Sub lucem exportans calathis adit oppida pastor;
Aut parco sale contingunt, hiemique reponunt.
Nec tibi cura canum fuerit postrema: sed una
Veloces Spartæ catulos acremque Molossum 405
Pasce sero pingui. Nunquam custodibus illis
Nocturnum stabulis furem, incursusque luporum,
Aut impacatos a tergo horrebis Iberos.
Sæpe etiam cursu timidos agitabis onagros,
Et canibus leporem, canibus venabere damas;
Sæpe volutabris pulsos sylvestribus apros 411
Latratu turbabis agens, montesque per altos
Ingentem clamore premes ad retia cervum.
Disce et odoratam stabulis accendere cedrum,
Galbaneoque agitare graves nidore chelydros. 415
Sæpe sub immotis præsepibus aut mala tactu
Vipera delituit, cœlumque exterrita fugit,
Aut tecto assuetus coluber succedere et umbræ,
Pestis acerba boum, pecorique adspergere virus,
Fovit humum. Cape saxa manu, cape robora, pastor, 420
Tollentemque minas et sibila colla tumentem
Dejice; jamque fuga timidum caput abdidit alte,
Quum medii nexus extremæque agmina caudæ
Solvuntur, tardosque trahit sinus ultimus orbes.
Est etiam ille malus Calabris in saltibus anguis,
Squamea convolvens sublato pectore terga, 426
Atque notis longam maculosus grandibus alvum:
Qui, dum amnes ulli rumpuntur fontibus, et dum
Vere madent udo terræ ac pluvialibus austris,
Stagna colit, ripisque habitans hic piscibus atram 430
Improbus ingluviem ranisque loquacibus explet:
Postquam exusta palus, terræque ardore dehiscunt,
Exilit in siccum, et flammantia lumina torquens
Sævit agris, asperque siti atque exterritus æstu.

Ne mihi tum molles sub divo carpere somnos,
Neu dorso nemoris libeat jacuisse per herbas:
Quum positis novus exuviis, nitidusque juventa
Volvitur, aut catulos tectis aut ova relinquens,
Arduus ad solem, et linguis micat ora trisulcis.
Morborum quoque te caussas et signa docebo.
Turpis oves tentat scabies, ubi frigidus imber 441
Altius ad vivum persedit, et horrida cano
Bruma gelu; vel quum tonsis illotus adhæsit
Sudor, et hirsuti secuerunt corpora vepres.
Dulcibus idcirco fluviis pecus omne magistri
Perfundunt, udisque aries in gurgite villis 446
Mersatur, missusque secundo defluit amni;
Aut tonsum tristi contingunt corpus amurca,
Et spumas miscent argenti, vivaque sulfura,
Idæasque pices, et pingues unguine ceras, 450
Scillamque, helleborosque graves, nigrumque bitumen. [est,
Non tamen ulla magis præsens fortuna laborum
Quam si quis ferro potuit rescindere summum
Ulceris os: alitur vitium, vivitque tegendo; 454
Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor
Abnegat, aut meliora deos sedet omina poscens.
Quin etiam, ima dolor balantum lapsus ad ossa
Quum furit, atque artus depascitur arida febris,
Profuit incensos æstus avertere, et inter
Ima ferire pedis salientem sanguine venam: 460
Bisaltæ quo more solent, acerque Gelonus,
Quum fugit in Rhodopen, atque in deserta Getarum,
Et lac concretum cum sanguine potat equino.
Quam procul aut molli succedere sæpius umbræ
Videris, aut summas carpentem ignavius herbas,
Extremamque sequi, aut medio procumbere campo 466
Pascentem, et seræ solam decedere nocti:
Continuo culpam ferro compesce, priusquam
Dira per incautum serpant contagia vulgus.
Non tam creber agens hiemem ruit æquore turbo, 470
Quam multæ pecudum pestes. Nec singula morbi
Corpora corripiunt; sed tota æstiva repente,
Spemque gregemque simul, cunctamque ab origine gentem.
Tum sciat, aërias Alpes et Norica si quis
Castella in tumulis, et Iapydis arva Timavi, 475
Nunc quoque post tanto videat, desertaque regna
Pastorum, et longe saltus lateque vacantes.
Hic quondam morbo cœli miseranda coorta est
Tempestas, totoque auctumni incanduit æstu,
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum, 480
Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.
Nec via mortis erat simplex; sed ubi ignea venis
Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus,
Rursus abundabat fluidus liquor, omniaque in se
Ossa minutatim morbo collapsa trahebat. 485
Sæpe in honore deûm medio stans hostia ad aram,
Lanea dum nivea circumdatur infula vitta,
Inter cunctantes cecidit moribunda ministros.
Aut si quam ferro mactaverat ante sacerdos,
Inde neque impositis ardent altaria fibris, 490
Nec responsa potest consultus reddere vates;
Ac vix suppositi tinguuntur sanguine cultri,
Summaque jejuna sanie infuscatur arena.
Hinc lætis vituli vulgo moriuntur in herbis,
Et dulces animas plena ad præsepia reddunt. 495
Hinc canibus blandis rabies venit; et quatit ægros
Tùssis anhela sues, ac faucibus angit obesis.
Labitur infelix studiorum, atque immemor herbæ,
Victor equus, fontesque avertitur, et pede terram
Crebra ferit; demissæ aures; incertus ibidem 500
Sudor; et ille quidem morituris frigidus; aret
Pellis, et ad tactum tractanti dura resistit.
Hæc ante exitium primis dant signa diebus.
Sin in processu cœpit crudescere morbus, 504
Tum vero ardentes oculi, atque attractus ab alto
Spiritus, interdum gemitu gravis; imaque longo
Ilia singultu tendunt; it naribus ater
Sanguis, et obsessas fauces premit aspera lingua.
Profuit inserto latices infundere cornu
Lenæos; ea visa salus morientibus una; 510
Mox erat hoc ipsum exitio, furiisque refecti
Ardebant, ipsique suos, jam morte sub ægra,
(Dî meliora piis, erroremque hostibus illum!)
Discissos nudis laniabant dentibus artus.
Ecce autem duro fumans sub vomere taurus 515
Concidit, et mixtum spumis vomit ore cruorem,
Extremosque ciet gemitus. It tristis arator,
Mœrentem abjungens fraterna morte juvencum,
Atque opere in medio defixa reliquit aratra.
Non umbræ altorum nemorum, non mollia possunt 520
Prata movere animum, non qui per saxa volutus,
Purior electro, campum petit amnis: at ima
Solvuntur latera, atque oculos stupor urget inertes,
Ad terramque fluit devexo pondere cervix.
Quid labor, aut benefacta juvant? quid vomere terras 525
Invertisse graves? atqui non Massica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repostæ;
Frondibus et victu pascuntur simplicis herbæ;
Pocula sunt fontes liquidi, atque exercita cursu
Flumina; nec somnos abrumpit cura salubres.
Tempore non alio dicunt regionibus illis 531
Quæsitas ad sacra boves Junonis, et uris
Imparibus ductos alta ad donaria currus.
Ergo ægre rastris terram rimantur, et ipsis
Unguibus infodiunt fruges, montesque per altos
Contenta cervice trahunt stridentia plaustra. 536
Non lupus insidias explorat ovilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat; acrior illum
Cura domat. Timidi damæ cervique fugaces
Nunc interque canes et circum tecta vagantur.
Jam maris immensi prolem, et genus omne natantum, 541
Littore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus
Proluit; insolitæ fugiunt in flumina phocæ.
Interit et curvis frustra defensa latebris
Vipera, et attoniti squamis adstantibus hydri.
Ipsis est aër avibus non æquus, et illæ 546
Præcipites alta vitam sub nube relinquunt.
Præterea jam nec mutari pabula refert,
Quæsitæque nocent artes; cessere magistri,
Phillyrides Chiron Amythaoniusque Melampus;
Sævit et in lucem Stygiis emissa tenebris 551
Pallida Tisiphone; Morbos agit ante Metumque,
Inque dies avidum surgens caput altius effert.
Balatu pecorum et crebris mugitibus amnes
Arentesque sonant ripæ collesque supini. 555
Jamque catervatim dat stragem, atque aggerat ipsis
In stabulis turpi dilapsa cadavera tabo;
Donec humo tegere, ac foveis abscondere discunt.
Nam neque erat coriis usus; nec viscera quisquam 559

Aut undis abolere potest, aut vincere flamma;
Nec tondere quidem morbo illuvieque peresa
Vellera, nec telas possunt attingere putres.
Verum etiam, invisos si quis tentârat amictus,
Ardentes papulæ, atque immundus olentia sudor
Membra sequebatur: nec longo deinde moranti
Tempore contactos artus sacer ignis edebat. 566

LIBER QUARTUS.

Protinus aërii mellis cœlestia dona
Exsequar. Hanc etiam, Mecænas, adspice partem.
Admiranda tibi levium spectacula rerum,
Magnanimosque duces, totiusque ordine gentis
Mores, et studia, et populos, et prœlia dicam. 5
In tenui labor; at tenuis non gloria: si quem
Numina læva sinunt, auditque vocatus Apollo.
Principio, sedes apibus statioque petenda,
Quo neque sit ventis aditus (nam pabula venti
Ferre domum prohibent) neque oves hædique petulci 10
Floribus insultent, aut errans bucula campo
Decutiat rorem, et surgentes atterat herbas.
Absint et picti squalentia terga lacerti
Pinguibus a stabulis, meropesque, aliæque volucres;
Et manibus Procne pectus signata cruentis. 15
Omnia nam late vastant, ipsasque volantes
Ore ferunt dulcem nidis immitibus escam.
At liquidi fontes et stagna virentia musco
Adsint, et tenuis fugiens per gramina rivus,
Palmaque vestibulum aut ingens oleaster inumbret: 20
Ut, quum prima novi ducent examina reges
Vere suo, ludetque favis emissa juventus,
Vicina invitet decedere ripa calori,
Obviaque hospitiis teneat frondentibus arbos.
In medium, seu stabit iners, seu profluet humor,
Transversas salices et grandia conjice saxa; 26
Pontibus ut crebris possint consistere, et alas
Pandere ad æstivum solem, si forte morantes
Sparserit, aut præceps Neptuno immerserit Eurus.
Hæc circum casiæ virides, et olentia late 30
Serpylla, et graviter spirantis copia thymbræ
Floreat, irriguumque bibant violaria fontem.
Ipsa autem, seu corticibus tibi suta cavatis,
Seu lento fuerint alvearia vimine texta,
Angustos habeant aditus. Nam frigore mella 35
Cogit hiems, eademque calor liquefacta remittit.
Utraque vis apibus pariter metuenda; neque illæ
Nequicquam in tectis certatim tenuia cera
Spiramenta linunt, fucoque et floribus oras
Explent, collectumque hæc ipsa ad munera gluten 40
Et visco et Phrygiæ servant pice lentius Idæ.
Sæpe etiam effossis, si vera est fama, latebris
Sub terra fovere larem, penitusque repertæ
Pumicibusque cavis exesæque arboris antro.
Tu tamen e levi rimosa cubilia limo 45
Ungue fovens circum, et raras super injice frondes;
Neu propius tectis taxum sine; neve rubentes
Ure foco cancros; altæ neu crede paludi,
Aut ubi odor cœni gravis, aut ubi concava pulsu
Saxa sonant, vocisque offensa resultat imago. 50
Quod superest, ubi pulsam hiemem Sol aureus egit
Sub terras, cœlumque æstiva luce reclusit:
Illæ continuo saltus sylvasque peragrant,
Purpureosque metunt flores, et flumina libant 54
Summa leves. Hinc nescio qua dulcedine lætæ
Progeniem nidosque fovent; hinc arte recentes
Excudunt ceras, et mella tenacia fingunt.
Hinc, ubi jam emissum caveis ad sidera cœli
Nare per æstatem liquidam suspexeris agmen,
Obscuramque trahi vento mirabere nubem; 60
Contemplator; aquas dulces, et frondea semper
Tecta petunt. Huc tu jussos adsperge sapores,
Trita melisphylla, et cerinthæ ignobile gramen;
Tinnitusque cie, et Matris quate cymbala circum:
Ipsæ consident medicatis sedibus; ipsæ 65
Intima more suo sese in cunabula condent.
Sin autem ad pugnam exierint — nam sæpe duobus
Regibus incessit magno discordia motu,
Continuoque animos vulgi et trepidantia bello
Corda licet longe præsciscere, namque morantes
Martius ille æris rauci canor increpat, et vox 71
Auditur fractos sonitus imitata tubarum—
Tum trepidæ inter se coëunt, pennisque coruscant,
Spiculaque exacuunt rostris, aptantque lacertos,
Et circa regem atque ipsa ad prætoria densæ 75
Miscentur, magnisque vocant clamoribus hostem.
Ergo, ubi ver nactæ sudum, camposque patentes,
Erumpunt portis, concurritur; æthere in alto
Fit sonitus; magnum mixtæ glomerantur in orbem,
Præcipitesque cadunt; non densior aëre grando,
Nec de concussa tantum pluit ilice glandis. 81
Ipsi per medias acies, insignibus alis,
Ingentes animos angusto in pectore versant,
Usque adeo obnixi non cedere, dum gravis aut hos
Aut hos versa fuga victor dare terga subegit. 85
Hi motus animorum atque hæc certamina tanta
Pulveris exigui jactu compressa quiescent.
Verum ubi ductores acie revocaveris ambo,
Deterior qui visus, eum, ne prodigus obsit,
Dede neci; melior vacua sine regnet in aula. 90
Alter erit maculis auro squalentibus ardens:
Nam duo sunt genera: hic melior, insignis et ore,
Et rutilis clarus squamis; ille horridus alter
Desidia, latamque trahens inglorius alvum.
Ut binæ regum facies, ita corpora plebis: 95
Namque aliæ turpes horrent, ceu pulvere ab alto
Quum venit, et sicco terram spuit ore viator
Aridus; elucent aliæ, et fulgore coruscant,
Ardentes auro, et paribus lita corpora guttis.
Hæc potior soboles; hinc cœli tempore certo
Dulcia mella premes; nec tantum dulcia, quantum 101
Et liquida, et durum Bacchi domitura saporem.
At quum incerta volant, cœloque examina ludunt,
Contemnuntque favos, et frigida tecta relinquunt:
Instabiles animos ludo prohibebis inani. 105

Nec magnus prohibere labor; tu regibus alas
Eripe: non illis quisquam cunctantibus altum
Ire iter, aut castris audebit vellere signa.
Invitent croceis halantes floribus horti,
Et custos furum atque avium cum falce saligna
Hellespontiaci servet tutela Priapi. 111
Ipse thymum pinosque ferens de montibus altis
Tecta serat late circum, cui talia curæ;
Ipse labore manum duro terat; ipse feraces
Figat humo plantas, et amicos irriget imbres. 115
Atque equidem, extremo ni jam sub fine laborum [ram,
Vela traham, et terris festinem advertere pro-
Forsitan et pingues hortos quæ cura colendi
Ornaret, canerem, biferique rosaria Pæsti;
Quoque modo potis gauderent intuba rivis, 120
Et virides apio ripæ; tortusque per herbam
Crescere in ventrem cucumis; nec sera comantem
Narcissum, aut flexi tacuissem vimen acanthi,
Pallentesque ederas, et amantes littora myrtos.
Namque sub Œbaliæ memini me turribus arcis,
Qua niger humectat flaventia culta Galæsus, 126
Corycium vidisse senem, cui pauca relicti
Jugera ruris erant: nec fertilis illa juvencis,
Nec pecori opportuna seges, nec commoda Baccho.
Hic rarum tamen in dumis olus albaque circum
Lilia verbenasque premens vescumque papaver,
Regum æquabat opes animis; seraque revertens
Nocte domum dapibus mensas onerabat inemtis.
Primus vere rosam, atque auctumno carpere poma; 134
Et, quum tristis hiems etiamnum frigore saxa
Rumperet, et glacie cursus frenaret aquarum,
Ille comam mollis jam tondebat hyacinthi,
Æstatem increpitans seram zephyrosque morantes
Ergo apibus fetis idem atque examine multo
Primus abundare, et spumantia cogere pressis 140
Mella favis; illi tiliæ, atque uberrima pinus;
Quotque in flore novo pomis se fertilis arbos
Induerat, totidem auctumno matura tenebat.
Ille etiam seras in versum distulit ulmos,
Eduramque pirum, et spinos jam pruna ferentes,
Jamque ministrantem platanum potantibus umbras. 146
Verum hæc ipse equidem spatiis exclusus iniquis [quo.
Prætereo, atque aliis post me memoranda relin-
Nunc age, naturas apibus quas Jupiter ipse
Addidit, expediam, pro qua mercede, canoros 150
Curetum sonitus crepitantiaque æra secutæ,
Dictæo cœli regem pavere sub antro.
Solæ communes natos, consortia tecta [ævum;
Urbis habent, magnisque agitant sub legibus
Et patriam solæ et certos novere Penates; 155
Venturæque hiemis memores æstate laborem
Experiuntur, et in medium quæsita reponunt.
Namque aliæ victu invigilant, et fœdere pacto
Exercentur agris; pars intra septa domorum
Narcissi lacrymam, et lentum de cortice gluten,
Prima favis ponunt fundamina, deinde tenaces
Suspendunt ceras; aliæ, spem gentis, adultos
Educunt fetus; aliæ purissima mella
Stipant, et liquido distendunt nectare cellas;
Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti; 165
Inque vicem speculantur aquas et nubila cœli;
Aut onera accipiunt venientum; aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a præsepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
Ac veluti lentis Cyclopes fulmina massis 170
Quum properant, alii taurinis follibus auras
Accipiunt redduntque, alii stridentia tinguunt
Æra lacu: gemit impositis incudibus Ætna:
Illi inter sese magna vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe ferrum.
Non aliter, si parva licet componere magnis, 176
Cecropias innatus apes amor urget habendi,
Munere quamque suo. Grandævis oppida curæ,
Et munire favos, et dædala fingere tecta:
At fessæ multa referunt se nocte minores, 180
Crura thymo plenæ; pascuntur et arbuta passim,
Et glaucas salices, casiamque, crocumque rubentem,
Et pinguem tiliam, et ferrugineos hyacinthos.
Omnibus una quies operum, labor omnibus unus.
Mane ruunt portis; nusquam mora; rursus, easdem 185
Vesper ubi e pastu tandem decedere campis
Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant.
Fit sonitus, mussantque oras et limina circum.
Post, ubi jam thalamis se composuere, siletur
In noctem, fessosque sopor suus occupat artus.
Nec vero a stabulis pluvia impendente recedunt
Longius, aut credunt cœlo adventantibus Euris;
Sed circum tutæ sub mœnibus urbis aquantur,
Excursusque breves tentant, et sæpe lapillos,
Ut cymbæ instabiles fluctu jactante saburram, 195
Tollunt; his sese per inania nubila librant.
Illum adeo placuisse apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In Venerem solvunt, aut fetus nixibus edunt:
Verum ipsæ e foliis natos et suavibus herbis 200
Ore legunt; ipsæ regem parvosque Quirites
Sufficiunt, aulasque et cerea regna refingunt.
Sæpe etiam duris errando in cotibus alas
Attrivere, ultroque animam sub fasce dedere:
Tantus amor florum, et generandi gloria mellis.
Ergo ipsas quamvis angusti terminus ævi 206
Excipiat—neque enim plus septima ducitur ætas—
At genus immortale manet, multosque per annos
Stat fortuna domus, et avi numerantur avorum.
Præterea regem non sic Ægyptus, et ingens 210
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes, [est;
Observant. Rege incolumi, mens omnibus una
Amisso, rupere fidem, constructaque mella
Diripuere ipsæ, et crates solvere favorum. 214
Ille operum custos; illum admirantur, et omnes
Circumstant fremitu denso, stipantque frequentes;
Et sæpe attollunt humeris, et corpora bello [tem.
Objectant, pulchramque petunt per vulnera mor-
His quidam signis, atque hæc exempla secuti,
Esse apibus partem divinæ mentis et haustus 220
Ætherios dixere; deum namque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum; [rum,
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne fera-
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas;
Scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri 225
Omnia; nec morti esse locum; sed viva volare
Sideris in numerum, atque alto succedere cœlo.
Si quando sedem augustam servataque mella
Thesauris relines: prius haustu sparsus aquarum
Ora fove, fumosque manu prætende sequaces. 230
Bis gravidos cogunt fetus, duo tempora messis.

Taygete simul os terris ostendit honestum
Pleias, et Oceani spretos pede repulit amnes;
Aut eadem sidus fugiens ubi Piscis aquosi
Tristior hibernas cœlo descendit in undas. 235
Illis ira modum supra est, læsæque venenum
Morsibus inspirant, et spicula cæca relinquunt
Affixæ venis, animasque in vulnere ponunt.
Sin duram metues hiemem, parcesque futuro,
Contusosque animos et res miserabere fractas,
At suffire thymo, cerasque recidere inanes 241
Quis dubitet? nam sæpe favos ignotus adedit
Stellio, et lucifugis congesta cubilia blattis;
Immunisque sedens aliena ad pabula fucus,
Aut asper crabro imparibus se immiscuit armis;
Aut dirum tineæ genus; aut invisa Minervæ
Laxos in foribus suspendit aranea casses.
Quo magis exhaustæ fuerint, hoc acrius omnes
Incumbent generis lapsi sarcire ruinas, 249
Complebuntque foros, et floribus horrea texent.
Si vero, quoniam casus apibus quoque nostros
Vita tulit, tristi languebunt corpora morbo—
Quod jam non dubiis poteris cognoscere signis—
Continuo est ægris alius color; horrida vultum
Deformat macies; tum corpora luce carentum
Exportant tectis, et tristia funera ducunt; 256
Aut illæ pedibus connexæ ad limina pendent,
Aut intus clausis cunctantur in ædibus, omnes
Ignavæque fame et contracto frigore pigræ; 259
Tum sonus auditur gravior, tractimque susurrant.
Frigidus ut quondam sylvis immurmurat Auster;
Ut mare sollicitum stridit refluentibus undis;
Æstuat ut clausis rapidus fornacibus ignis:
Hic jam galbaneos suadebo incendere odores,
Mellaque arundineis inferre canalibus, ultro 265
Hortantem et fessas ad pabula nota vocantem.
Proderit et tunsum gallæ admiscere saporem,
Arentesque rosas, aut igni pinguia multo
Defruta, vel Psythia passos de vite racemos,
Cecropiumque thymum, et grave olentia centaurea. 270
Est etiam flos in pratis, cui nomen amello
Fecere agricolæ, facilis quærentibus herba;
Namque uno ingentem tollit de cespite sylvam,
Aureus ipse; sed in foliis, quæ plurima circum
Funduntur, violæ sublucet purpura nigræ; 275
Sæpe deûm nexis ornatæ torquibus aræ;
Asper in ore sapor; tonsis in vallibus illum
Pastores et curva legunt prope flumina Mellæ.
Hujus odorato radices incoque Baccho,
Pabulaque in foribus plenis appone canistris. 280
Sed si quem proles subito defecerit omnis,
Nec, genus unde novæ stirpis revocetur, habebit,
Tempus et Arcadii memoranda inventa magistri
Pandere, quoque modo cæsis jam sæpe juvencis
Insincerus apes tulerit cruor. Altius omnem 285
Expediam prima repetens ab origine famam.
Nam qua Pellæi gens fortunata Canopi
Accolit effuso stagnantem flumine Nilum,
Et circum pictis vehitur sua rura phaselis;
Quaque pharetratæ vicinia Persidis urget, 290
[Et viridem Ægyptum nigra fecundat arena,
Et diversa ruens septem discurrit in ora]
Usque coloratis amnis devexus ab Indis;
Omnis in hac certam regio jacit arte salutem. 294
Exiguus primum atque ipsos contractus ad usus
Eligitur locus: hunc angustique imbrice tecti
Parietibusque premunt arctis, et quatuor addunt,
Quatuor a ventis, obliqua luce fenestras.
Tum vitulus, bima curvans jam cornua fronte,
Quæritur: huic geminæ nares et spiritus oris 300
Multa reluctanti obsuitur, plagisque peremto
Tunsa per integram solvuntur viscera pellem.
Sic positum in clauso linquunt, et ramea costis
Subjiciunt fragmenta, thymum, casiasque recentes. [undas, 305
Hoc geritur, Zephyris primum impellentibus
Ante novis rubeant quam prata coloribus, ante
Garrula quam tignis nidum suspendat hirundo.
Interea teneris tepefactus in ossibus humor
Æstuat; et visenda modis animalia miris, 309
Trunca pedum primo, mox et stridentia pennis
Miscentur, tenuemque magis magis aëra carpunt;
Donec, ut æstivis effusus nubibus imber,
Erupere, aut ut, nervo pulsante, sagittæ,
Prima leves ineunt si quando prœlia Parthi.
Quis deus hanc, Musæ, quis nobis extudit artem? 315
Unde nova ingressus hominum experientia cepit?
Pastor Aristæus, fugiens Peneïa Tempe,
Amissis, ut fama, apibus morboque fameque,
Tristis ad extremi sacrum caput adstitit amnis,
Multa querens, atque hac affatus voce parentem.
Mater Cyrene, mater, quæ gurgitis hujus 321
Ima tenes, quid me præclara stirpe deorum
(Si modo, quem perhibes, pater est Thymbræus Apollo)
Invisum fatis genuisti? aut quo tibi nostri 324
Pulsus amor? quid me cœlum sperare jubebas?
En etiam hunc ipsum vitæ mortalis honorem,
Quem mihi vix frugum et pecudum custodia sollers
Omnia tentanti extuderat, te matre, relinquo.
Quin age, et ipsa manu felices erue sylvas,
Fer stabulis inimicum ignem, atque interfice messes, 330
Ure sata, et validam in vites molire bipennem:
Tanta meæ si te ceperunt tædia laudis.
At mater sonitum thalamo sub fluminis alti
Sensit: eam circum Milesia vellera Nymphæ
Carpebant, hyali saturo fucata colore; 335
Drymoque, Xanthoque, Ligeaque, Phyllodoceque,
Cæsariem effusæ nitidam per candida colla;
[Nesæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque,]
Cydippeque, et flava Lycorias; altera virgo,
Altera tum primos Lucinæ experta labores; 340
Clioque et Beroë soror, Oceanitides ambæ,
Ambæ auro, pictis incinctæ pellibus ambæ;
Atque Ephyre, atque Opis, et Asia Deïopea;
Et tandem positis velox Arethusa sagittis.
Inter quas curam Clymene narrabat inanem 345
Vulcani, Martisque dolos et dulcia furta;
Aque Chao densos divûm numerabat amores.
Carmine quo captæ dum fusis mollia pensa
Devolvunt, iterum maternas impulit aures
Luctus Aristæi, vitreisque sedilibus omnes 350
Obstupuere; sed ante alias Arethusa sorores
Prospiciens, summa flavum caput extulit unda:
Et procul: O gemitu non frustra exterrita tanto
Cyrene soror, ipse tibi, tua maxima cura,
Tristis Aristæus Penei genitoris ad undam 355
Stat lacrimans, et te crudelem nomine dicit.
Huic percussa nova mentem formidine mater,
Duc age, duc ad nos; fas illi limina divûm
Tangere, ait. Simul alta jubet discedere late
Flumina, qua juvenis gressus inferret. At illum
Curvata in montis faciem circumstetit unda, 361
Accepitque sinu vasto, misitque sub amnem.
Jamque domum mirans genitricis, et humida regna,

Speluncisque lacus clausos, lucosque sonantes,
Ibat, et, ingenti motu stupefactus aquarum, 365
Omnia sub magna labentia flumina terra
Spectabat diversa locis, Phasimque, Lycumque,
Et caput unde altus primum se erumpit Enipeus,
Unde pater Tiberinus, et unde Aniena fluenta,
Saxosumque sonans Hypanis, Mysusque Caïcus,
Et gemina auratus taurino cornua vultu 371
Eridanus, quo non alius per pinguia culta
In mare purpureum violentior effluit amnis.
Postquam est in thalami pendentia pumice tecta
Perventum, et nati fletus cognovit inanes 375
Cyrene: manibus liquidos dant ordine fontes
Germanæ, tonsisque ferunt mantelia villis.
Pars epulis onerant mensas, et plena reponunt
Pocula; Panchæis adolescunt ignibus aræ:
Et mater, Cape Mæonii carchesia Bacchi; 380
Oceano libemus, ait. Simul ipsa precatur
Oceanumque, patrem rerum, Nymphasque sorores, [vant:
Centum quæ sylvas, centum quæ flumina ser-
Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam:
Ter flamma ad summum tecti subjecta reluxit.
Omine quo firmans animum, sic incipit ipsa: 386
Est in Carpathio Neptuni gurgite vates
Cæruleus Proteus, magnum qui piscibus æquor
Et juncto bipedum curru metitur equorum
Hic nunc Emathiæ portus patriamque revisit
Pallenen; hunc et Nymphæ veneramur, et ipse
Grandævus Nereus; novit namque omnia vates,
Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur. 393
Quippe ita Neptuno visum est; immania cujus
Armenta et turpes pascit sub gurgite phocas.
Hic tibi, nate, prius vinclis capiundus, ut omnem
Expediat morbi causam, eventusque secundet.
Nam sine vi non ulla dabit præcepta, neque illum 398
Orando flectes; vim duram et vincula capto
Tende: doli circum hæc demum frangentur inanes. 400
Ipsa ego te, medios quum sol accenderit æstus,
Quum sitiunt herbæ, et pecori jam gratior umbra est,
In secreta senis ducam, quo fessus ab undis
Se recipit, facile ut somno aggrediare jacentem.
Verum ubi correptum manibus vinclisque tenebis, 405
Tum variæ eludent species atque ora ferarum:
Fiet enim subito sus horridus, atraque tigris,
Squamosusque draco, et fulva cervice leæna;
Aut acrem flammæ sonitum dabit, atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapsus abibit. 410
Sed quanto ille magis formas se vertet in omnes,
Tanto, nate, magis contende tenacia vincla:
Donec talis erit mutato corpore, qualem
Videris, incepto tegeret cum lumina somno.
Hæc ait, et liquidum ambrosiæ diffundit odorem, 415
Quo totum nati corpus perduxit; at illi
Dulcis compositis spiravit crinibus aura,
Atque habilis membris venit vigor. Est specus ingens
Exesi latere in montis, quo plurima vento
Cogitur inque sinus scindit sese unda reductos;
Deprensis olim statio tutissima nautis; 421
Intus se vasti Proteus tegit objice saxi.
Hic juvenem in latebris aversum a lumine Nympha
Collocat: ipsa procul nebulis obscura resistit.
Jam rapidus torrens sitientes Sirius Indos 425
Ardebat; cœlo et medium Sol igneus orbem
Hauserat; arebant herbæ, et cava flumina siccis
Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant:
Quum Proteus consueta petens e fluctibus antra
Ibat; eum vasti circum gens humida ponti 430
Exsultans rorem late dispersit amarum.
Sternunt se somno diversæ in littore phocæ.
Ipse, velut stabuli custos in montibus olim,
Vesper ubi e pastu vitulos ad tecta reducit,
Auditisque lupos acuunt balatibus agni, 435
Considit scopulo medius, numerumque recenset.
Cujus Aristæo quoniam est oblata facultas:
Vix defessa senem passus componere membra,
Cum clamore ruit magno, manicisque jacentem
Occupat. Ille, suæ contra non immemor artis,
Omnia transformat sese in miracula rerum, 441
Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem.
Verum ubi nulla fugam reperit pellacia, victus
In sese redit, atque hominis tandem ore locutus.
Nam quis te, juvenum confidentissime, nostras
Jussit adire domus? quidve hinc petis? inquit.
At ille: 446
Scis, Proteu, scis ipse; neque est te fallere quidquam;
Sed tu desine velle. Deûm præcepta secuti
Venimus hinc lapsis quæsitum oracula rebus.
Tantum effatus. Ad hæc vates vi denique multa
Ardentes oculos intorsit lumine glauco, 451
Et graviter frendens sic fatis ora resolvit:
Non te nullius exercent numinis iræ. [pheus
Magna luis commissa: tibi has miserabilis Or-
Haud quaquam ob meritum pœnas, ni Fata resistant, 455
Suscitat, et rapta graviter pro conjuge sævit.
Illa quidem, dum te fugeret per flumina præceps,
Immanem ante pedes hydrum moritura puella
Servantem ripas alta non vidit in herba.
At chorus æqualis Dryadum clamore supremos
Implêrunt montes; flêrunt Rhodopeïæ arces, 461
Altaque Pangæa, et Rhesi Mavortia tellus,
Atque Getæ, atque Hebrus, et Actias Orithyia.
Ipse, cava solans ægrum testudine amorem,
Te, dulcis conjux, te solo in littore secum, 465
Te veniente die, te decedente canebat.
Tænarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingressus, Manesque adiit, Regemque tremendum,
Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.
At cantu commotæ Erebi de sedibus imis 471
Umbræ ibant tenues simulacraque luce carentum:
Quam multa in foliis avium se millia condunt,
Vesper ubi aut hibernus agit de montibus imber,
Matres, atque viri, defunctaque corpora vita 475
Magnanimûm heroum, pueri, innuptæque puellæ,
Impositique rogis juvenes ante ora parentum;
Quos circum limus niger et deformis arundo
Cocyti tardaque palus inamabilis unda
Alligat, et novies Styx interfusa coërcet. 480
Quin ipsæ stupuere domus atque intima leti
Tartara, cæruleosque implexæ crinibus angues
Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora,
Atque Ixionii vento rota constitit orbis.
Jamque pedem referens casus evaserat omnes,
Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,
Pone sequens—namque hanc dederat Proserpina legem— 487
Quum subita incautum dementia cepit amantem,

Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes.
Restitit, Eurydicenque suam jam luce sub ipsa,
Immemor, heu! victusque animi respexit. Ibi omnis 491
Effusus labor, atque immitis rupta tyranni
Fœdera, terque fragor stagnis auditus Avernis.
Illa, Quis et me, inquit, miseram, et te perdidit, Orpheu?
Quis tantus furor? En iterum crudelia retro 495
Fata vocant, conditque natantia lumina somnus.
Jamque vale. Feror ingenti circumdata nocte,
Invalidasque tibi tendens, heu! non tua, palmas.
Dixit, et ex oculis subito, ceu fumus in auras 499
Commixtus tenues, fugit diversa; neque illum
Prensantem nequidquam umbras, et multa volentem
Dicere, præterea vidit; nec portitor Orci
Amplius objectam passus transire paludem.
Quid faceret? quo se rapta bis conjuge ferret?
Quo fletu Manes, qua Numina voce moveret?
Illa quidem Stygia nabat jam frigida cymba. 506
Septem illum totos perhibent ex ordine menses,
Rupe sub aëria, deserti ad Strymonis undam,
Flevisse, et gelidis hæc evolvisse sub antris, 509
Mulcentem tigres, et agentem carmine quercus.
Qualis populea mœrens Philomela sub umbra
Amissos queritur fetus, quos durus arator
Observans nido implumes detraxit: at illa 513
Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
Integrat, et mœstis late loca questibus implet.
Nulla Venus, non ulli animum flexere Hymenæi.
Solus Hyperboreas glacies Tanaimque nivalem
Arvaque Rhipæis nunquam viduata pruinis
Lustrabat, raptam Eurydicen atque irrita Ditis
Dona querens: spretæ Ciconum quo munere matres, 520
Inter sacra deûm nocturnique orgia Bacchi,
Discerptum latos juvenem sparsere per agros.
Tum quoque, marmorea caput a cervice revulsum
Gurgite quum medio portans Œagrius Hebrus
Volveret, Eurydicen vox ipsa et frigida lingua,
Ah miseram Eurydicen! anima fugiente vocabat;
Eurydicen toto referebant flumine ripæ. 527
Hæc Proteus: et se jactu dedit æquor in altum;
Quaque dedit, spumantem undam sub vortice torsit.
At non Cyrene; namque ultro affata timentem;
Nate, licet tristes animo deponere curas. 531
Hæc omnis morbi causa; hinc miserabile Nymphæ,
Cum quibus illa choros lucis agitabat in altis,
Exitium misere apibus. Tu munera supplex 534
Tende, petens pacem, et faciles venerare Napæas.
Namque dabunt veniam votis, irasque remittent.
Sed, modus orandi qui sit, prius ordine dicam.
Quatuor eximios præstanti corpore tauros,
Qui tibi nunc viridis depascunt summa Lycæi,
Delige, et intacta totidem cervice juvencas. 540
Quatuor his aras alta ad delubra dearum
Constitue, et sacrum jugulis demitte cruorem;
Corporaque ipsa boum frondoso desere luco.
Post, ubi nona suos Aurora ostenderit ortus,
Inferias Orphei Lethæa papavera mittes, 545
Placatam Eurydicen vitula venerabere cæsa,
Et nigram mactabis ovem, lucumque revises.
Haud mora: continuo matris præcepta facessit.
Ad delubra venit; monstratas excitat aras;
Quatuor eximios præstanti corpore tauros 550
Ducit, et intacta totidem cervice juvencas.
Post, ubi nona suos Aurora induxerat ortus,
Inferias Orphei mittit, lucumque revisit.
Hic vero subitum ac dictu mirabile monstrum
Adspiciunt, liquefacta boum per viscera toto 555
Stridere apes utero, et ruptis effervere costis;
Immensasque trahi nubes; jamque arbore summa
Confluere, et lentis uvam demittere ramis.

Hæc super arvorum cultu pecorumque canebam,
Et super arboribus: Cæsar dum magnus ad altum
Fulminat Euphraten bello, victorque volentes 561
Per populos dat jura, viamque affectat Olympo.
[Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis otî:
Carmina qui lusi pastorum, audaxque juventa,
Tityre, te patulæ cecini sub tegmine fagi.] 566

ÆNEIDOS.

LIBER PRIMUS.

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen, et, egressus sylvis, vicina coegi
Ut quamvis avido parerent arva colono,
Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis

Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Lavinia venit
Littora; multum ille et terris jactatus et alto,
Vi superûm, sævæ memorem Junonis ob iram;
Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem,
Inferretque deos Latio: genus unde Latinum, 6
Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ.
Musa, mihi causas memora, quo numine læso,
Quidve dolens, regina deûm tot volvere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores 10
Impulerit. Tantæne animis cœlestibus iræ?
Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
Carthago, Italiam contra Tiberinaque longe
Ostia, dives opum. studiisque asperrima belli:
Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo; hic illius arma, 16
Hic currus fuit; hoc regnum dea gentibus esse,
Si qua fata sinant, jam tum tenditque fovetque.
Progeniem sed enim Trojano a sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces; 20
Hinc populum late regem, belloque superbum
Venturum excidio Libyæ; sic volvere Parcas.
Id metuens, veterisque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Trojam pro caris gesserat Argis:
Necdum etiam caussæ irarum sævique dolores 25
Exciderant animo; manet alta mente repostum
Judicium Paridis, spretæque injuria formæ,
Et genus invisum, et rapti Ganymedis honores.

His accensa super, jactatos æquore toto
Troas, reliquias Danaûm atque immitis Achilli,
Arcebat longe Latio; multosque per annos 31
Errabant acti fatis maria omnia circum.
Tantæ molis erat Romanam condere gentem.
Vix e conspectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti, et spumas salis ære ruebant; 35
Quum Juno, æternum servans sub pectore vulnus,
Hæc secum: Mene incepto desistere victam,
Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?
Quippe vetor fatis. Pallasne exurere classem
Argivûm, atque ipsos potuit submergere ponto,
Unius ob noxam et furias Ajacis Oïlei? 41
Ipsa, Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem,
Disjecitque rates, evertitque æquora ventis;
Illum exspirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto. 45
Ast ego, quæ divûm incedo regina, Jovisque
Et soror et conjux, una cum gente tot annos
Bella gero. Et quisquam numen Junonis adoret
Præterea, aut supplex aris imponat honorem?
Talia flammato secum dea corde volutans, 50
Nimborum in patriam, loca feta furentibus Austris,
Æoliam venit. Hic vasto rex Æolus antro
Luctantes ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis et carcere frenat.
Illi indignantes magno cum murmure montis 55
Circum claustra fremunt. Celsa sedet Æolus arce
Sceptra tenens, mollitque animos, et temperat iras.
Ni faciat, maria ac terras cœlumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.
Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris, 60
Hoc metuens; molemque et montes insuper altos
Imposuit; regemque dedit, qui fœdere certo
Et premere, et laxas sciret dare jussus habenas.
Ad quem tum Juno supplex his vocibus usa est:
Æole—namque tibi divûm pater atque hominum rex 65
Et mulcere dedit fluctus et tollere vento—
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,
Ilium in Italiam portans, victosque Penates.
Incute vim ventis, submersasque obrue puppes:
Aut age diversos; et disjice corpora ponto. 70
Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ,
Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeam
Connubio jungam stabili, propriamque dicabo:
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, et pulchra faciat te prole parentem. 75
Æolus hæc contra: Tuus, o regina, quid optes,
Explorare labor; mihi jussa capessere fas est.
Tu mihi quodcumque hoc regni, tu sceptra Jovemque
Concilias; tu das epulis accumbere divûm, 79
Nimborumque facis tempestatumque potentem.
Hæc ubi dicta, cavum conversa cuspide montem
Impulit in latus; ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt, et terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque a sedibus imis
Una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis 85
Africus, et vastos volvunt ad littora fluctus. [tum.
Insequitur clamorque virûm stridorque ruden-
Eripiunt subito nubes cœlumque diemque
Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra;
Intonuere poli, et crebris micat ignibus æther; 90
Præsentemque viris intentant omnia mortem.
Extemplo Æneæ solvuntur frigore membra.
Ingemit, et duplices tendens ad sidera palmas
Talia voce refert: O terque quaterque beati, 94
Quîs ante ora patrum Trojæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere! o Danaûm fortissime gentis
Tydide, mene Iliacis occumbere campis [dextra!
Non potuisse, tuaque animam hanc effundere
Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector, ubi ingens
Sarpedon; ubi tot Simoïs correpta sub undis 100
Scuta virûm galeasque et fortia corpora volvit.
Talia jactanti stridens Aquilone procella
Velum adversa ferit, fluctusque ad sidera tollit.
Franguntur remi; tum prora avertit, et undis
Dat latus; insequitur cumulo præruptus aquæ mons. 105
Hi summo in fluctu pendent; his unda dehiscens
Terram inter fluctus aperit: furit æstus arenis.
Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet:
[Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus, aras:]
Dorsum immane mari summo. Tres Eurus ab alto
In brevia et Syrtes urget, miserabile visu, 111
Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.
Unam, quæ Lycios fidumque vehebat Oronten,
Ipsius ante oculos ingens a vertice pontus
In puppim ferit: excutitur, pronusque magister
Volvitur in caput; ast illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, et rapidus vorat æquore vortex.
Apparent rari nantes in gurgite vasto; 118
Arma virûm, tabulæque, et Troïa gaza per undas.
Jam validam Ilionei navem, jam fortis Achatæ,
Et qua vectus Abas, et qua grandævus Aletes,
Vicit hiems; laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.
Interea magno misceri murmure pontum, 124
Emissamque hiemem sensit Neptunus, et imis
Stagna refusa vadis, graviter commotus; et alto
Prospiciens, summa placidum caput extulit unda.
Disjectam Æneæ toto videt æquore classem;
Fluctibus oppressos Troas cœlique ruina.
Nec latuere doli fratrem Junonis et iræ. 130
Eurum ad se Zephyrumque vocat; dehinc talia fatur:
Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?
Jam cœlum terramque meo sine numine, Venti,
Miscere, et tantas audetis tollere moles?
Quos ego.....sed motos præstat componere fluctus. 135
Post mihi non simili pœna commissa luetis.
Maturate fugam, regique hæc dicite vestro:
Non illi imperium pelagi sævumque tridentem,
Sed mihi sorte datum. Tenet ille immania saxa,
Vestras, Eure, domos; illa se jactet in aula 140
Æolus, et clauso ventorum carcere regnet.
Sic ait, et dicto citius tumida æquora placat,
Collectasque fugat nubes, solemque reducit.
Cymothoe simul et Triton adnixus acuto
Detrudunt naves scopulo; levat ipse tridenti;
Et vastas aperit Syrtes, et temperat æquor; 146
Atque rotis summas levibus perlabitur undas.
Ac veluti magno in populo quum sæpe coorta est
Seditio, sævitque animis ignobile vulgus, 149
Jamque faces et saxa volant; furor arma ministrat: [quem
Tum pietate gravem ac meritis si forte virum
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant;
Iste regit dictis animos, et pectora mulcet:
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, æquora postquam 154
Prospiciens genitor, cœloque invectus aperto,
Flectit equos, curruque volans dat lora secundo.

Defessi Æneadæ, quæ proxima, littora cursu
Contendunt petere, et Libyæ vertuntur ad oras.
Est in secessu longo locus: insula portum
Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto 160
Frangitur inque sinus scindit sese unda reductos.
Hinc atque hinc vastæ rupes geminique minantur
In cœlum scopuli, quorum sub vertice late
Æquora tuta silent; tum sylvis scena coruscis
Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra. 165
Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum;
Intus aquæ dulces, vivoque sedilia saxo,
Nympharum domus. Hic fessas non vincula naves
Ulla tenent, unco non alligat ancora morsu.
Huc septem Æneas collectis navibus omni 170
Ex numero subit; ac, magno telluris amore
Egressi, optata potiuntur Troës arena,
Et sale tabentes artus in littore ponunt.
Ac primum silici scintillam excudit Achates,
Suscepitque ignem foliis, atque arida circum 175
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.
Tum Cererem corruptam undis Cerealiaque arma
Expediunt fessi rerum; frugesque receptas
Et torrere parant flammis et frangere saxo. 179
Æneas scopulum interea conscendit, et omnem
Prospectum late pelago petit; Anthea si quem
Jactatum vento videat, Phrygiasque biremes,
Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caïci.
Navem in conspectu nullam, tres littore cervos
Prospicit errantes; hos tota armenta sequuntur
A tergo, et longum per valles pascitur agmen. 186
Constitit hic, arcumque manu celeresque sagittas
Corripuit; fidus quæ tela gerebat Achates;
Ductoresque ipsos primum, capita alta ferentes
Cornibus arboreis, sternit; tum vulgus et omnem
Miscet agens telis nemora inter frondea turbam.
Nec prius absistit, quam septem ingentia victor
Corpora fundat humi, et numerum cum navibus æquet. 193
Hinc portum petit, et socios partitur in omnes.
Vina, bonus quæ deinde cadis onerârat Acestes
Littore Trinacrio, dederatque abeuntibus heros,
Dividit, et dictis mærentia pectora mulcet:
O socii—neque enim ignari sumus ante malorum—
O passi graviora, dabit deus his quoque finem.
Vos et Scyllæam rabiem penitusque sonantes 200
Accêstis scopulos; vos et Cyclopia saxa
Experti. Revocate animos, mæstumque timorem
Mittite. Forsan et hæc olim meminisse juvabit.
Per varios casus, per tot discrimina rerum,
Tendimus in Latium: sedes ubi fata quietas 205
Ostendunt. Illic fas regna resurgere Trojæ.
Durate, et vosmet rebus servate secundis.
Talia voce refert; curisque ingentibus æger
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.
Illi se prædæ accingunt dapibusque futuris: 210
Tergora deripiunt costis, et viscera nudant;
Pars in frusta secant, veribusque trementia figunt;
Littore aëna locant alii, flammasque ministrant.
Tum victu revocant vires; fusique per herbam
Implentur veteris Bacchi pinguisque ferinæ. 215
Postquam exemta fames epulis, mensæque remotæ:
Amissos longo socios sermone requirunt; [dant,
Spemque metumque inter dubii, seu vivere cre-
Sive extrema pati, nec jam exaudire vocatos.
Præcipue pius Æneas, nunc acris Oronti, 220
Nunc Amyci casum gemit, et crudelia secum
Fata Lyci, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Et jam finis erat: quum Jupiter æthere summo
Despiciens mare velivolum, terrasque jacentes,
Littoraque, et latos populos, sic vertice cœli 225
Constitit, et Libyæ defixit lumina regnis.
Atque illum tales jactantem pectore curas
Tristior, et lacrimis oculos suffusa nitentes,
Alloquitur Venus: O qui res hominumque deûmque
Æternis regis imperiis, et fulmine terres, 230
Quid meus Æneas in te committere tantum,
Quid Troës potuere? quibus, tot funera passis,
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis.
Certe hinc Romanos olim, volventibus annis,
Hinc fore ductores, revocato a sanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent, 236
Pollicitus. Quæ te, Genitor, sententia vertit?
Hoc equidem occasum Trojæ tristesque ruinas
Solabar, fatis contraria fata rependens.
Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos 240
Insequitur. Quem das finem, rex magne, laborum?
Antenor potuit, mediis elapsus Achivis,
Illyricos penetrare sinus atque intima tutus
Regna Liburnorum, et fontem superare Timavi;
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare proruptum, et pelago premit arva sonanti:
Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit
Teucrorum, et genti nomen dedit, armaque fixit
Troïa; nunc placida compostus pace quiescit.
Nos, tua progenies, cœli quibus annuis arcem,
Navibus (infandum) amissis, unius ob iram 251
Prodimur, atque Italis longe disjungimur oris.
Hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?
Olli subridens hominum sator atque deorum
Vultu, quo cœlum tempestatesque serenat, 255
Oscula libavit natæ; dehinc talia fatur:
Parce metu, Cytherea; manent immota tuorum
Fata tibi; cernes urbem et promissa Lavinî
Mœnia, sublimemque feres ad sidera cœli 259
Magnanimum Ænean: neque me sententia vertit.
Hic (tibi fabor enim, quando hæc te cura remordet,
Longius et volvens fatorum arcana movebo)
Bellum ingens geret Italia, populosque feroces
Contundet, moresque viris et mœnia ponet:
Tertia dum Latio regnantem viderit æstas, 265
Ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo
[Additur, (Ilus erat, dum res stetit Ilia regno)]
Triginta magnos volvendis mensibus orbes
Imperio explebit, regnumque ab sede Lavinî 270
Transferet, et longam multa vi muniet Albam.
Hic jam ter centum totos regnabitur annos
Gente sub Hectorea; donec regina sacerdos
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde lupæ fulvo nutricis tegmine lætus 275
Romulus excipiet gentem, et Mavortia condet
Mœnia, Romanosque suo de nomine dicet.
Hic ego nec metas rerum nec tempora pono;
Imperium sine fine dedi. Quin aspera Juno,
Quæ mare nunc terrasque metu cœlumque fatigat,
Consilia in melius referet, mecumque fovebit 281
Romanos rerum dominos, gentemque togatam.
Sic placitum. Veniet lustris labentibus ætas,
Quum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas

Servitio premet, ac victis dominabitur Argis. 285
Nascetur pulchra Trojanus origine Cæsar,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris,
Julius, a magno demissum nomen Iulo:
Hunc tu olim cœlo, spoliis Orientis onustum,
Accipies secura; vocabitur hic quoque votis.
Aspera tum positis mitescent sæcula bellis. 291
Cana Fides, et Vesta, Remo cum fratre Quirinus,
Jura dabunt; diræ ferro et compagibus arctis
Claudentur belli portæ; Furor impius intus, 294
Sæva sedens super arma, et centum vinctus aënis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.
Hæc ait: et Maia genitum demittit ab alto,
Ut terræ, utque novæ pateant Carthaginis arces
Hospitio Teucris: ne fati nescia Dido
Finibus arceret. Volat ille per aëra magnum 300
Remigio alarum, ac Libyæ citus adstitit oris:
Et jam jussa facit; ponuntque ferocia Pœni
Corda, volente deo. In primis regina quietum
Accipit in Teucros animum mentemque benignam. 304
At pius Æneas, per noctem plurima volvens,
Ut primum lux alma data est, exire, locosque
Explorare novos; quas vento accesserit oras,
Qui teneant, (nam inculta videt) hominesne feræne,
Quærere constituit, sociisque exacta referre. 309
Classem in convexo nemorum, sub rupe cavata,
Arboribus clausam circum atque horrentibus umbris
Occulit; ipse uno graditur comitatus Achate,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Cui mater media sese tulit obvia sylva, 314
Virginis os habitumque gerens, et virginis arma
Spartanæ; vel qualis equos Threïssa fatigat
Harpalyce, volucremque fuga prævertitur Eurum.
Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis,
Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentes. 320
Ac prior, Heus, inquit, juvenes, monstrate mearum
Vidistis si quam hic errantem forte sororum,
Succinctam pharetra et maculosæ tegmine lyncis,
Aut spumantis apri cursum clamore prementem.
Sic Venus; et Veneris contra sic filius orsus:
Nulla tuarum audita mihi neque visa sororum,
O, quam te memorem? virgo; namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat; o dea certe:
An Phœbi soror? an Nympharum sanguinis una?
Sis felix, nostrumque leves, quæcumque, laborem: 330
Et quo sub cœlo tandem, quibus orbis in oris
Jactemur, doceas. Ignari hominumque locorumque
Erramus, vento huc et vastis fluctibus acti.
Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.
Tum Venus: Haud equidem tali me dignor honore; 335
Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoque alte suras vincire cothurno.
Punica regna vides, Tyrios, et Agenoris urbem:
Sed fines Libyci, genus intractabile bello.
Imperium Dido Tyria regit urbe profecta, 340
Germanum fugiens. Longa est injuria, longæ
Ambages; sed summa sequar fastigia rerum.
Huic conjux Sychæus erat, ditissimus agri
Phœnicum, et magno miseræ dilectus amore:
Cui pater intactam dederat, primisque jugârat 345
Ominibus. Sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, scelere ante alios immanior omnes.
Quos inter medius venit furor. Ille Sychæum
Impius ante aras, atque auri cæcus amore,
Clam ferro incautum superat, securus amorum 350
Germanæ; factumque diu celavit, et ægram,
Multa malus simulans, vana spe lusit amantem.
Ipsa sed in somnis inhumati venit imago
Conjugis; ora modis attollens pallida miris,
Crudeles aras trajectaque pectora ferro 355
Nudavit, cæcumque domus scelus omne retexit.
Tum celerare fugam patriaque excedere suadet;
Auxiliumque viæ veteres tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus et auri.
His commota fugam Dido sociosque parabat. 360
Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni,
Aut metus acer erat; naves, quæ forte paratæ,
Corripiunt, onerantque auro. Portantur avari
Pygmalionis opes pelago; dux fœmina facti.
Devenere locos, ubi nunc ingentia cernes 365
Mœnia, surgentemque novæ Carthaginis arcem;
Mercatique solum, facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum possent circumdare tergo.
Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris,
Quove tenetis iter? Quærenti talibus ille 370
Suspirans, imoque trahens a pectore vocem:
O dea, si prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annales nostrorum audire laborum,
Ante diem clauso componet vesper Olympo.
Nos Troja antiqua, si vestras forte per aures 375
Trojæ nomen iit, diversa per æquora vectos
Forte sua Libycis tempestas appulit oris.
Sum pius Æneas, raptos qui ex hoste Penates
Classe veho mecum, fama super æthera notus.
Italiam quæro patriam; genus ab Jove summo. 380
Bis denis Phrygium conscendi navibus æquor,
Matre dea monstrante viam, data fata secutus.
Vix septem convulsæ undis Euroque supersunt.
Ipse ignotus, egens, Libyæ deserta peragro,
Europa atque Asia pulsus. Nec plura querentem
Passa Venus medio sic interfata dolore est: 386
Quisquis es, haud, credo, invisus cœlestibus auras
Vitales carpis, Tyriam qui adveneris urbem.
Perge modo, atque hinc te reginæ ad limina perfer.
Namque tibi reduces socios classemque relatam
Nuntio, et in tutum versis Aquilonibus actam:
Ni frustra augurium vani docuere parentes. 392
Adspice bis senos lætantes agmine cycnos,
Ætheria quos lapsa plaga Jovis ales aperto
Turbabat cœlo; nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas jam despectare videntur.
Ut reduces illi ludunt stridentibus alis,
Et cœtu cinxere polum, cantusque dedere:
Haud aliter puppesque tuæ pubesque tuorum
Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo. 400
Perge modo, et, qua te ducit via, dirige gressum.
Dixit, et avertens rosea cervice refulsit,
Ambrosiæque comæ divinum vertice odorem
Spiravere; pedes vestis defluxit ad imos;
Et vera incessu patuit dea. Ille, ubi matrem 405
Agnovit, tali fugientem est voce secutus:
Quid natum toties, crudelis tu quoque, falsis
Ludis imaginibus? cur dextræ jungere dextram
Non datur, ac veras audire et reddere voces?
Talibus incusat, gressumque ad mœnia tendit. 410
At Venus obscuro gradientes aëre sepsit,
Et multo nebulæ circum dea fudit amictu,
Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset,
Molirive moram, aut veniendi poscere causas.

Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit 415
Læta suas : ubi templum illi, centumque Sabæo
Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.
Corripuere viam interea, qua semita monstrat.
Jamque adscendebant collem, qui plurimus urbi
Imminet, adversasque adspectat desuper arces.
Miratur molem Æneas, magalia quondam ; 421
Miratur portas, strepitumque, et strata viarum.
Instant ardentes Tyrii : pars ducere muros,
Molirique arcem, et manibus subvolvere saxa ;
Pars optare locum tecto, et concludere sulco. 425
[Jura, magistratusque legunt, sanctumque senatum.]
Hic portus alii effodiunt ; hic alta theatris
Fundamenta locant alii, immanesque columnas
Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.
Qualis apes æstate nova per florea rura 430
Exercet sub sole labor ; quum gentis adultos
Educunt fetus, aut quum liquentia mella
Stipant, et dulci distendunt nectare cellas ;
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a præsepibus arcent : 435
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
O fortunati, quorum jam mœnia surgunt !
Æneas ait, et fastigia suspicit urbis.
Infert se septus nebula (mirabile dictu) 439
Per medios, miscetque viris, neque cernitur ulli.
Lucus in urbe fuit media, lætissimus umbræ,
Quo primum, jactati undis et turbine, Pœni
Effodere loco signum, quod regia Juno
Monstrârat, caput acris equi ; sic nam fore bello
Egregiam, et facilem victu per sæcula gentem.
Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido 446
Condebat, donis opulentum et numine divæ :
Ærea cui gradibus surgebant limina, nexæque
Ære trabes, foribus cardo stridebat aënis.
Hoc primum in luco nova res oblata timorem 450
Leniit ; hic primum Æneas sperare salutem
Ausus, et afflictis melius confidere rebus.
Namque, sub ingenti lustrat dum singula templo,
Reginam opperiens, dum, quæ fortuna sit urbi,
Artificumque manus inter se, operumque laborem,
Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas, 456
Bellaque jam fama totum vulgata per orbem,
Atridas, Priamumque, et sævum ambobus Achillem.
Constitit ; et lacrymans, Quis jam locus, inquit, Achate,
Quæ regio in terris nostri non plena laboris ? 460
En Priamus. Sunt hic etiam sua præmia laudi ;
Sunt lacrymæ rerum ; et mentem mortalia tangunt.
Solve metus ; feret hæc aliquam tibi fama salutem.
Sic ait, atque animum pictura pascit inani,
Multa gemens, largoque humectat flumine vultum. 465
Namque videbat, uti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graii, premeret Trojana juventus :
Hac Phryges ; instaret curru cristatus Achilles.
Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis 469
Agnoscit lacrymans : primo quæ prodita somno
Tydides multa vastabat cæde cruentus ;
Ardentesque avertit equos in castra, prius quam
Pabula gustâssent Trojæ, Xanthumque bibissent.
Parte alia fugiens amissis Troïlus armis,
Infelix puer, atque impar congressus Achilli, 475
Fertur equis, curruque hæret resupinus inani,
Lora tenens tamen : huic cervixque comæque trahuntur
Per terram, et versa pulvis inscribitur hasta.
Interea ad templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant 480
Suppliciter tristes, et tunsæ pectora palmis :
Diva solo fixos oculos aversa tenebat.
Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo :
Ut spolia, ut currus, utque ipsum corpus amici,
Tendentemque manus Priamum conspexit inermes.
Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis,
Eoasque acies, et nigri Memnonis arma.
Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis 490
Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet,
Aurea subnectens exsertæ cingula mammæ
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.
Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur,
Dum stupet, obtutuque hæret defixus in uno, 495
Regina ad templum, forma pulcherrima, Dido
Incessit, magna juvenum stipante caterva.
Qualis in Eurotæ ripis, aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros ; quam mille secutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades : illa pharetram 500
Fert humero, gradiensque deas supereminet omnes :
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus :
Talis erat Dido ; talem se læta ferebat
Per medios, instans operi regnisque futuris.
Tum foribus divæ, media testudine templi, 505
Septa armis, solioque alte subnixa resedit.
Jura dabat legesque viris ; operumque laborem
Partibus æquabat justis, aut sorte trahebat.
Quum subito Æneas concursu accedere magno
Anthea Sergestumque videt fortemque Cloanthum, 510
Teucrorumque alios, ater quos æquore turbo
Dispulerat, penitusque alias avexerat oras.
Obstupuit simul ipse, simul percussus Achates
Lætitiaque metuque ; avidi conjungere dextras
Ardebant ; sed res animos incognita turbat. 515
Dissimulant ; et nube cava speculantur amicti,
Quæ fortuna viris ; classem quo littore linquant ;
Quid veniant : cunctis nam lecti navibus ibant,
Orantes veniam, et templum clamore petebant.
Postquam introgressi, et coram data copia fandi ; 520
Maximus Ilioneus placido sic pectore cœpit :
O regina, novam cui condere Jupiter urbem,
Justitiaque dedit gentes frenare superbas,
Troës te miseri, ventis maria omnia vecti,
Oramus ; prohibe infandos a navibus ignes ; 525
Parce pio generi, et propius res adspice nostras.
Non nos aut ferro Libycos populare Penates
Venimus, aut raptas ad littora vertere prædas :
Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.
Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt, 530
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ ;
Œnotri coluere viri ; nunc fama, minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.
Huc cursus fuit :
Quum subito assurgens fluctu nimbosus Orion 535
In vada cæca tulit, penitusque procacibus Austris
Perque undas, superante salo, perque invia saxa
Dispulit ; huc pauci vestris adnavimus oris.
Quod genus hoc hominum, quæve hunc tam barbara morem 539
Permittit patria ? hospitio prohibemur arenæ :

Bella cient, primaque vetant consistere terra.
Si genus humanum et mortalia temnitis arma,
At sperate deos memores fandi atque nefandi.
Rex erat Æneas nobis, quo justior alter
Nec pietate fuit, nec bello major et armis. 545
Quem si fata virum servant, si vescitur aura
Ætheria, neque adhuc crudelibus occubat umbris,
Non metus, officio ne te certâsse priorem
Pœniteat. Sunt et Siculis regionibus urbes,
Arvaque, Trojanoque a sanguine clarus Acestes.
Quassatam ventis liceat subducere classem,
Et sylvis aptare trabes, et stringere remos. 552
Si datur Italiam, sociis et rege recepto,
Tendere, ut Italiam læti Latiumque petamus.
Sin absumta salus, et te, pater optime Teucrûm,
Pontus habet Libyæ, nec spes jam restat Iuli,
At freta Sicaniæ saltem, sedesque paratas,
Unde huc advecti, regemque petamus Acesten.
Talibus Ilioneus. Cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ. 560
Tum breviter Dido, vultum demissa, profatur:
Solvite corde metum, Teucri; secludite curas.
Res dura, et regni novitas me talia cogunt
Moliri, et late fines custode tueri. 564
Quis genus Æneadûm, quis Trojæ nesciat urbem,
Virtutesque virosque, aut tanti incendia belli?
Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni;
Nec tam aversus equos Tyria Sol jungit ab urbe.
Seu vos Hesperiam magnam Saturniaque arva,
Sive Erycis fines regemque optatis Acesten, 570
Auxilio tutos dimittam, opibusque juvabo.
Vultis et his mecum pariter considere regnis?
Urbem quam statuo, vestra est; subducite naves;
Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.
Atque utinam rex ipse, Noto compulsus eodem,
Afforet Æneas! equidem per littora certos 576
Dimittam, et Lîbyæ lustrare extrema jubebo,
Si quibus ejectus sylvis aut urbibus errat.
His animum arrecti dictis, et fortis Achates
Et pater Æneas, jamdudum erumpere nubem
Ardebant. Prior Ænean compellat Achates: 581
Nate dea, quæ nunc animo sententia surgit?
Omnia tuta vides, classem, sociosque receptos;
Unus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi
Submersum; dictis respondent cætera matris.
Vix ea fatus erat, quum circumfusa repente 586
Scindit se nubes, et in æthera purgat apertum.
Restitit Æneas, claraque in luce refulsit,
Os humerosque deo similis; namque ipsa decoram
Cæsariem nato genetrix, lumenque juventæ 590
Purpureum, et lætos oculis afflârat honores:
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum, Pariusve lapis, circumdatur auro.
Tum sic reginam alloquitur, cunctisque repente
Improvisus ait: Coram, quem quæritis, adsum
Troïus Æneas, Libycis ereptus ab undis. 596
O sola infandos Trojæ miserata labores,
Quæ nos, reliquias Danaûm, terræque marisque
Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos,
Urbe, domo socias! grates persolvere dignas 600
Non opis est nostræ, Dido, nec quicquid ubique est
Gentis Dardaniæ, magnum quæ sparsa per orbem.
Dî tibi, si qua pios respectant numina, si quid
Usquam justitia est et mens sibi conscia recti,
Præmia digna ferant. Quæ te tam læta tulerunt
Sæcula? qui tanti talem genuere parentes? 606
In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet:
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt;
Quæ me cunque vocant terræ. Sic fatus, amicum
Ilionea petit dextra, lævaque Serestum; 611
Post alios, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Obstupuit primo adspectu Sidonia Dido;
Casu deinde viri tanto; et sic ore locuta est.
Quis te, nate dea, per tanta pericula casus 615
Insequitur? quæ vis immanibus applicat oris?
Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ
Alma Venus Phrygii genuit Simoëntis ad undam?
Atque equidem Teucrum memini Sidona venire,
Finibus expulsum patriis, nova regna petentem
Auxilio Beli: genitor tum Belus opimam 621
Vastabat Cyprum, et victor ditione tenebat:
Tempore jam ex illo casus mihi cognitus urbis
Trojanæ, nomenque tuum, regesque Pelasgi.
Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat, 625
Seque ortum antiqua Teucrorum ab stirpe volebat.
Quare agite, o, tectis, juvenes, succedite nostris.
Me quoque per multos similis fortuna labores
Jactatam hac demum voluit consistere terra.
Non ignara mali miseris succurrere disco. 630
Sic memorat: simul Ænean in regia ducit
Tecta; simul divûm templis indicit honorem.
Nec minus interea sociis ad littora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga suum, pingues centum cum matribus agnos, 635
Munera lætitiamque dei.
At domus interior regali splendida luxu
Instruitur, mediisque parant convivia tectis.
Arte laboratæ vestes, ostroque superbo;
Ingens argentum mensis, cælataque in auro 640
Fortia facta patrum, series longissima rerum,
Per tot ducta viros antiqua ab origine gentis.
Æneas (neque enim patrius consistere mentem
Passus amor) rapidum ad naves præmittit Achaten,
Ascanio ferat hæc, ipsumque ad mœnia ducat.
Omnis in Ascanio cari stat cura parentis. 646
Munera præterea, Iliacis erepta ruinis,
Ferre jubet; pallam signis auroque rigentem,
Et circumtextum croceo velamen acantho,
Ornatus Argivæ Helenæ: quos illa Mycenis, 650
Pergama quum peteret inconcessosque Hymenæos,
Extulerat, matris Ledæ mirabile donum.
Præterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim,
Maxima natarum Priami, colloque monile
Baccatum, et duplicem gemmis auroque coronam.
Hæc celerans, iter ad naves tendebat Achates.
At Cytherea novas artes, nova pectore versat
Consilia: ut faciem mutatus et ora Cupido 658
Pro dulci Ascanio veniat, donisque furentem
Incendat reginam, atque ossibus implicet ignem.
Quippe domum timet ambiguam Tyriosque bilingues: 661
Urit atrox Juno, et sub noctem cura recursat.
Ergo his aligerum dictis affatur Amorem:
Nate, meæ vires, mea magna potentia, solus,
Nate, patris summi qui tela Typhoïa temnis: 665
Ad te confugio, et supplex tua numina posco.
Frater ut Æneas pelago tuus omnia circum
Littora jactetur, odiis Junonis iniquæ,
Nota tibi; et nostro doluisti sæpe dolore.

Hunc Phœnissa tenet Dido, blandisque moratur
Vocibus; et vereor, quo se Junonia vertant 671
Hospitia: haud tanto cessabit cardine rerum.
Quocirca capere ante dolis, et cingere flamma
Reginam meditor; ne quo se numine mutet:
Sed magno Æneæ mecum teneatur amore. 675
Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem:
Regius accitu cari genitoris ad urbem
Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura,
Dona ferens, pelago et flammis restantia Trojæ:
Hunc ego sopitum somno, super alta Cythera,
Aut super Idalium, sacrata sede recondam; 681
Ne qua scire dolos, mediusve occurrere possit:
Tu faciem illius noctem non amplius unam
Falle dolo, et notos pueri puer indue vultus:
Ut, quum te gremio accipiet lætissima Dido, 685
Regales inter mensas laticemque Lyæum,
Quum dabit amplexus atque oscula dulcia figet,
Occultum inspires ignem, fallasque veneno.
Paret Amor dictis caræ genetricis, et alas
Exuit, et gressu gaudens incedit Iuli. 690
At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat, et fotum gremio dea tollit in altos
Idaliæ lucos: ubi mollis amaracus illum
Floribus et dulci adspirans complectitur umbra.
Jamque ibat, dicto parens, et dona Cupido 695
Regia portabat Tyriis, duce lætus Achate.
Quum venit, aulæis jam se regina superbis
Aurea composuit sponda mediamque locavit.
Jam pater Æneas, et jam Trojana juventus
Conveniunt, stratoque super discumbitur ostro.
Dant famuli manibus lymphas, Cereremque canistris 701
Expediunt, tonsisque ferunt mantelia villis.
Quinquaginta intus famulæ: quibus ordine longo
Cura penum struere, et flammis adolere Penates.
Centum aliæ, totidemque pares ætate ministri,
Qui dapibus mensas onerant, et pocula ponunt.
Nec non et Tyrii per limina læta frequentes
Convenere, toris jussi discumbere pictis.
Mirantur dona Æneæ; mirantur Iulum,
Flagrantesque dei vultus, simulataque verba, 710
Pallamque, et pictum croceo velamen acantho.
Præcipue infelix, pesti devota futuræ,
Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo
Phœnissa, et puero pariter donisque movetur.
Ille, ubi complexu Æneæ colloque pependit, 715
Et magnum falsi implevit genitoris amorem;
Reginam petit. Hæc oculis, hæc pectore toto
Hæret; et interdum gremio fovet inscia Dido,
Insidat quantus miseræ deus! At memor ille
Matris Acidaliæ, paullatim abolere Sychæum 720
Incipit, et vivo tentat prævertere amore
Jam pridem resides animos desuetaque corda.
Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ,
Crateras magnos statuunt, et vina coronant.
Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria; dependent lychni laquearibus aureis 726
Incensi, et noctem flammis funalia vincunt.
Hic regina gravem gemmis auroque poposcit,
Implevitque mero pateram: quam Belus, et omnes
A Belo soliti. Tum facta silentia tectis: 730
Jupiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur,
Hunc lætum Tyriisque diem Trojaque profectis
Esse velis, nostrosque hujus meminisse minores.
Adsit lætitiæ Bacchus dator, et bona Juno.
Et vos, o, cœtum, Tyrii, celebrate faventes. 735
Dixit, et in mensam laticum libavit honorem,
Primaque, libato, summo tenus attigit ore.
Tum Bitiæ dedit increpitans; ille impiger hausit
Spumantem pateram, et pleno se proluit auro.
Post alii proceres. Cithara crinitus Iopas 740
Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem lunam, solisque labores;
Unde hominum genus, et pecudes; unde imber, et ignes;
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones;
Quid tantum Oceano properent se tinguere soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet. 746
Ingeminant plausu Tyrii, Troësque sequuntur.
Nec non et vario noctem sermone trahebat
Infelix Dido, longumque bibebat amorem:
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa; 750
Nunc quibus Auroræ venisset filius armis;
Nunc quales Diomedes equi: nunc quantus Achilles.
Immo age, et a prima, dic, hospes, origine nobis
Insidias, inquit, Danaûm, casusque tuorum,
Erroresque tuos. Nam te jam septima portat 755
Omnibus errantem terris et fluctibus æstas.

LIBER SECUNDUS.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant;
Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto:
Infandum, regina, jubes renovare dolorem;
Trojanas ut opes et lamentabile regnum
Eruerint Danai; quæque ipse miserrima vidi, 5
Et quorum pars magna fui. Quis talia fando
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulixi
Temperet a lacrymis! Et jam nox humida cœlo
Præcipitat, suadentque cadentia sidera somnos.
Sed, si tantus amor casus cognoscere nostros, 10
Et breviter Trojæ supremum audire laborem,
Quanquam animus meminisse horret, luctuque refugit,
Incipiam. Fracti bello, fatisque repulsi
Ductores Danaûm, tot jam labentibus annis,
Instar montis equum divina Palladis arte 15
Ædificant, sectaque intexunt abiete costas:
Votum pro reditu simulant; ea fama vagatur.
Huc delecta virûm sortiti corpora furtim
Includunt cæco lateri, penitusque cavernas
Ingentes uterumque armato milite complent. 20
Est in conspectu Tenedos, notissima fama
Insula, dives opum, Priami dum regna manebant;
Nunc tantum sinus, et statio male fida carinis.
Huc se provecti deserto in littore condunt.
Nos abiisse rati, et vento petiisse Mycenas. 25
Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu.
Panduntur portæ; juvat ire, et Dorica castra
Desertosque videre locos littusque relictum.
Hic Dolopum manus, hic sævus tendebat Achilles;
Classibus hic locus; hic acie certare solebant. 30
Pars stupet innuptæ donum exitiale Minervæ,

Et molem mirantur equi; primusque Thymœtes
Duci intra muros hortatur, et arce locari,
Sive dolo, seu jam Trojæ sic fata ferebant.
At Capys, et quorum melior sententia menti, 35
Aut pelago Danaûm insidias suspectaque dona
Præcipitare jubent, subjectisve urere flammis;
Aut terebrare cavas uteri et tentare latebras.
Scinditur incertum studia in contraria vulgus.
Primus ibi ante omnes, magna comitante caterva, 40
Laocoon ardens summa decurrit ab arce;
Et procul, O miseri, quæ tanta insania, cives?
Creditis avectos hostes? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaûm? sic notus Ulixes?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi; 45
Aut hæc in nostros fabricata est machina muros,
Inspectura domos, venturaque desuper urbi;
Aut aliquis latet error. Equo ne credite, Teucri.
Quicquid id est, timeo Danaos et dona ferentes.
Sic fatus, validis ingentem viribus hastam 50
In latus inque feri curvam compagibus alvum
Contorsit. Stetit illa tremens, uteroque recusso
Insonuere cavæ gemitumque dedere cavernæ.
Et si fata deûm, si mens non læva fuisset,
Impulerat ferro Argolicas fœdare latebras, 55
Trojaque nunc stares, Priamique arx alta maneres.
Ecce, manus juvenem interea post terga revinctum
Pastores magno ad regem clamore trahebant
Dardanidæ; qui se ignotum venientibus ultro, 59
Hoc ipsum ut strueret, Trojamque aperiret Achivis,
Obtulerat, fidens animi, atque in utrumque paratus,
Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.
Undique visendi studio Trojana juventus
Circumfusa ruit, certantque illudere capto. 64
Accipe nunc Danaûm insidias, et crimine ab uno
Disce omnes.
Namque, ut conspectu in medio turbatus, inermis,
Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit:
Heu, quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora possunt 69
Accipere? aut quid jam misero mihi denique restat?
Cui neque apud Danaos usquam locus; et super ipsi
Dardanidæ infensi pœnas cum sanguine poscunt.
Quo gemitu conversi animi, compressus et omnis
Impetus. Hortamur fari, quo sanguine cretus,
Quidve ferat, memoret, quæ sit fiducia capto. 75
Ille hæc deposita tandem formidine fatur:
Cuncta equidem tibi, rex, fuerit quodcunque, fatebor;
Vera, inquit, neque me Argolica de gente negabo;
Hoc primum; nec, si miserum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget. 80
Fando aliquod si forte tuas pervenit ad aures
Belidæ nomen Palamedis, et inclyta fama
Gloria; quem falsa sub proditione Pelasgi
Insontem, infando indicio, quia bella vetabat,
Demisere neci, nunc cassum lumine lugent. 85
Illi me comitem, et consanguinitate propinquum,
Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.
Dum stabat regno incolumis, regumque vigebat
Conciliis, et nos aliquod nomenque decusque
Gessimus. Invidia postquam pellacis Ulixi 90
(Haud ignota loquor) superis concessit ab oris,
Afflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,
Et casum insontis mecum indignabar amici.
Nec tacui demens; et me, fors si qua tulisset,
Si patrios unquam remeâssem victor ad Argos, 95
Promisi ultorem; et verbis odia aspera movi.
Hinc mihi prima mali labes; hinc semper Ulixes
Criminibus terrere novis; hinc spargere voces
In vulgum ambiguas, et quærere conscius arma.
Nec requievit enim, donec Calchante ministro—
Sed quid ego hæc autem nequidquam ingrata revolvo? 101
Quidve moror? si omnes uno ordine habetis Achivos,
Idque audire sat est, jamdudum sumite pœnas.
Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridæ.
Tum vero ardemus scitari, et quærere causas,
Ignari scelerum tantorum artisque Pelasgæ. 106
Prosequitur pavitans, et ficto pectore fatur.
Sæpe fugam Danai Troja cupiere relicta
Moliri, et longo fessi discedere bello.
Fecissentque utinam! sæpe illos aspera ponti 110
Interclusit hiems, et terruit Auster euntes.
Præcipue, cum jam hic trabibus contextus acernis
Staret equus, toto sonuerunt æthere nimbi.
Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phœbi
Mittimus, isque adytis hæc tristia dicta reportat:
Sanguine placâstis ventos et virgine cæsa, 116
Cum primum Iliacas Danai venistis ad oras:
Sanguine quærendi reditus, animaque litandum
Argolica. Vulgi quæ vox ut venit ad aures:
Obstupuere animis, gelidusque per ima cucurrit 120
Ossa tremor; cui fata parent, quem poscat Apollo.
Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios; quæ sint ea numina Divûm,
Flagitat. Et mihi jam multi crudele canebant
Artificis scelus, et taciti ventura videbant. 125
Bis quinos silet ille dies, tectusque recusat
Prodere voce sua quenquam, aut opponere morti
Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus,
Composito rumpit vocem, et me destinat aræ.
Assensere omnes; et, quæ sibi quisque timebat,
Unius in miseri exitium conversa tulere. 131
Jamque dies infanda aderat: mihi sacra parari,
Et salsæ fruges, et circum tempora vittæ.
Eripui, fateor, leto me, et vincula rupi;
Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva 135
Delitui, dum vela, darent si forte, dedissent.
Nec mihi jam patriam antiquam spes ulla videndi,
Nec dulces natos exoptatumque parentem:
Quos illi fors ad pœnas ob nostra reposcent
Effugia, et culpam hanc miserorum morte piabunt. 140
Quod te, per superos et conscia numina veri,
Per, si qua est quæ restet adhuc mortalibus usquam
Intemerata fides, oro, miserere laborum
Tantorum, miserere animi non digna ferentis.
His lacrymis vitam damus, et miserescimus ultro. 145
Ipse viro primus manicas atque arcta levari
Vincla jubet Priamus; dictisque ita fatur amicis:
Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Graios;
Noster eris; mihique hæc edissere vera roganti.
Quo molem hanc immanis equi statuere? quis auctor? 150
Quidve petunt? quæ religio? aut quæ machina belli?

Dixerat. Ille dolis instructus et arte Pelasga,
Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas:
Vos, æterni ignes, et non violabile vestrum 154
Testor numen, ait; vos, aræ, ensesque nefandi,
Quos fugi, vittæque deûm, quas hostia gessi:
Fas mihi Graiorum sacrata resolvere jura,
Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,
Si qua tegunt; teneor patriæ nec legibus ullis.
Tu modo promissis maneas, servataque serves
Troja fidem; si vera feram, si magna rependam. 161
Omnes spes Danaûm, et cœpti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit. Impius ex quo
Tydides sed enim, scelerumque inventor Ulixes,
Fatale aggressi sacrato avellere templo 165
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausi divæ contingere vittas:
Ex illo fluere ac retro sublapsa referri 169
Spes Danaûm, fractæ vires, aversa Deæ mens.
Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.
Vix positum castris simulacrum, arsere coruscæ
Luminibus flammæ arrectis, salsusque per artus
Sudor iit; terque ipsa solo (mirabile dictu)
Emicuit, parmamque ferens hastamque trementem. 175
Extemplo tentanda fuga canit æquora Calchas;
Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis,
Omina ni repetant Argis, numenque reducant,
Quod pelago et curvis secum avexere carinis.
Et nunc, quod patrias vento petiere Mycenas,
Arma deosque parant comites, pelagoque remenso 181
Improvisi aderunt. Ita digerit omina Calchas.
Hanc pro Palladio, moniti, pro numine læso
Effigiem statuere, nefas quæ triste piaret. 184
Hanc tamen immensam Calchas attollere molem
Roboribus textis, cœloque educere jussit:
Ne recipi portis, aut duci in mœnia posset,
Neu populum antiqua sub religione tueri.
Nam si vestra manus violâsset dona Minervæ,
Tum magnum exitium (quod dî primus omen in ipsum 190
Convertant!) Priami imperio Phrygibusque futurum.
Sin manibus vestris vestram adscendisset in urbem,
Ultro Asiam magno Pelopea ad mœnia bello
Venturam, et nostros ea fata manere nepotes.
Talibus insidiis perjurique arte Sinonis 195
Credita res, captique dolis lacrymisque coactis,
Quos neque Tydides, nec Larissæus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinæ.
Hic aliud majus miseris multoque tremendum
Objicitur magis, atque improvida pectora turbat.
Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos, 201
Sollennes taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta
(Horresco referens) immensis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad littora tendunt:
Pectora quorum inter fluctus arrecta jubæque 206
Sanguineæ exsuperant undas; pars cætera pontum
Pone legit, sinuantque immensa volumine terga.
Fit sonitus spumante salo. Jamque arva tenebant,
Ardentesque oculos suffecti sanguine et igni, 210
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
Diffugimus visu exsangues. Illi agmine certo
Laocoonta petunt; et primum parva duorum
Corpora natorum serpens amplexus uterque
Implicat, et miseros morsu depascitur artus; 215
Post ipsum, auxilio subeuntem ac tela ferentem,
Corripiunt, spirisque ligant ingentibus; et jam
Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
Terga dati, superant capite et cervicibus altis.
Ille simul manibus tendit divellere nodos, 220
Perfusus sanie vittas atroque veneno;
Clamores simul horrendos ad sidera tollit:
Quales mugitus, fugit cuum saucius aram
Taurus, et incertam excussit cervice securim.
At gemini lapsu delubra ad summa dracones 225
Effugiunt, sævæque petunt Tritonidis arcem;
Sub pedibusque deæ clypeique sub orbe teguntur.
Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
Insinuat pavor; et scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur 230
Læserit, et tergo sceleratam intorserit hastam.
Ducendum ad sedes simulacrum, orandaque divæ
Numina conclamant.
Dividimus muros, et mœnia pandimus urbis.
Accingunt omnes operi, pedibusque rotarum 235
Subjiciunt lapsus, et stuppea vincula collo
Intendunt. Scandit fatalis machina muros,
Feta armis. Pueri circum innuptæque puellæ
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.
Illa subit, mediæque minans illabitur urbi. 240
O patria, o divûm domus Ilium, et inclyta bello
Mœnia Dardanidûm! quater ipso in limine portæ
Substitit, atque utero sonitum quater arma dedere.
Instamus tamen immemores cæcique furore,
Et monstrum infelix sacrata sistimus arce. 245
Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora, dei jussu non unquam credita Teucris.
Nos delubra deûm miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.
Vertitur interea cœlum, et ruit oceano nox, 250
Involvens umbra magna terramque polumque,
Myrmidonumque dolos: fusi per mœnia Teucri
Conticuere; sopor fessos complectitur artus.
Et jam Argiva phalanx instructis navibus ibat
A Tenedo, tacitæ per amica silentia lunæ, 255
Littora nota petens: flammas cum regia puppis
Extulerat; fatisque deûm defensus iniquis,
Inclusos utero Danaos et pinea furtim
Laxat claustra Sinon: illos patefactus ad auras
Reddit equus; lætique cavo se robore promunt
Thersandrus Sthenelusque duces, et dirus Ulixes, 261
Demissum lapsi per funem, Acamasque, Thoasque,
Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon,
Et Menelaus, et ipse doli fabricator Epeos.
Invadunt urbem somno vinoque sepultam; 265
Cæduntur vigiles; portisque patentibus omnes
Accipiunt socios, atque agmina conscia jungunt.
Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, et dono divûm gratissima serpit. 269
In somnis ecce ante oculos mœstissimus Hector
Visus adesse mihi, largosque effundere fletus;
Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
Pulvere, perque pedes trajectus lora tumentes.
Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli, 275
Vel Danaûm Phrygios jaculatus puppibus ignes!
Squalentem barbam, et concretos sanguine crines,
Vulneraque illa gerens, quæ circum plurima muros

Accepit patrios. Ultro flens ipse videbar
Compellare virum, et mœstas expromere voces:
O lux Dardaniæ, spes o fidissima Teucrûm, 281
Quæ tantæ tenuere moræ? quibus Hector ab oris
Exspectate venis? ut te post multa tuorum
Funera, post varios hominumque urbisque labores
Defessi adspicimus! quæ causa indigna serenos
Fœdavit vultus? aut cur hæc vulnera cerno? 286
Ille nihil; nec me quærentem vana moratur:
Sed graviter gemitus imo de pectore ducens,
Heu fuge, nate Dea, teque his, ait, eripe flammis.
Hostis habet muros; ruit alto a culmine Troja. 290
Sat patriæ Priamoque datum. Si Pergama dextra
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.
Sacra suosque tibi commendat Troja Penates:
Hos cape fatorum comites; his mœnia quære,
Magna pererrato statues quæ denique ponto. 295
Sic ait; et manibus vittas, Vestamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.
Diverso interea miscentur mœnia luctu;
Et magis atque magis, quanquam secreta parentis
Anchisæ domus arboribusque obtecta recessit,
Clarescunt sonitus, armorumque ingruit horror.
Excutior somno, et summi fastigia tecti
Adscensu supero, atque arrectis auribus adsto:
In segetem veluti cum flamma furentibus Austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens 305
Sternit agros, sternit sata læta boumque labores,
Præcipitesque trahit silvas; stupet inscius alto
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.
Tum vero manifesta fides, Danaûmque patescunt
Insidiæ. Jam Deïphobi dedit ampla ruinam, 310
Vulcano superante, domus; jam proximus ardet
Ucalegon. Sigea igni freta lata relucent.
Exoritur clamorque virûm clangorque tubarum.
Arma amens capio; nec sat rationis in armis: 314
Sed glomerare manum bello, et concurrere in arcem
Cúm sociis ardent animi. Furor iraque mentem
Præcipitant; pulchrumque mori succurrit in armis.
Ecce autem telis Pantheus elapsus Achivûm,
Pantheus Othryades, arcis Phœbique sacerdos,
Sacra manu, victosque deos, parvumque nepotem
Ipse trahit, cursuque amens ad limina tendit.
Quo res summa loco, Pantheu? quam prendimus arcem?
Vix ea fatus eram, gemitu quum talia reddit:
Venit summa dies et ineluctabile tempus 324
Dardaniæ. Fuimus Troës; fuit Ilium, et ingens
Gloria Teucrorum. Ferus omnia Jupiter Argos
Transtulit. Incensa Danai dominantur in urbe.
Arduus armatos mediis in mœnibus adstans
Fundit equus, victorque Sinon incendia miscet,
Insultans. Portis alii bipatentibus adsunt, 330
Millia quot magnis unquam venere Mycenis.
Obsedere alii telis angusta viarum
Oppositi: stat ferri acies mucrone corusco
Stricta, parata neci: vix primi prœlia tentant
Portarum vigiles, et cæco Marte resistunt.
Talibus Othryadæ dictis et numine divûm 335
In flammas et in arma feror, quo tristis Erinnys,
Quo fremitus vocat, et sublatus ad æthera clamor.
Addunt se socios Rhipeus, et maximus armis 339
Epytus; oblati per lunam Hypanisque Dymasque,
Et lateri agglomerant nostro, juvenisque Corœbus
Mygdonides; illis ad Trojam forte diebus
Venerat, insano Cassandræ incensus amore;
Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat:
Infelix, qui non sponsæ præcepta furentis 345
Audierit.
Quos ubi confertos audere in prœlia vidi,
Incipio super his: Juvenes, fortissima frustra
Pectora, si vobis audentem extrema cupido
Certa sequi, quæ sit rebus fortuna videtis; 350
Excessere omnes adytis arisque relictis [urbi
Dî, quibus imperium hoc steterat; succurritis
Incensæ: moriamur, et in media arma ruamus.
Una salus victis nullam sperare salutem. 354
Sic animis juvenum furor additus. Inde, lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit cæcos rabies, catulique relicti
Faucibus exspectant siccis, per tela, per hostes
Vadimus haud dubiam in mortem, mediæque tenemus 359
Urbis iter. Nox atra cava circumvolat umbra.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lacrymis æquare labores?
Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos;
Plurima perque vias sternuntur inertia passim
Corpora, perque domos, et religiosa Deorum 365
Limina. Nec soli pœnas dant sanguine Teucri:
Quondam etiam victis redit in præcordia virtus;
Victoresque cadunt Danai. Crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago.
Primus se, Danaûm magna comitante caterva,
Androgeos offert nobis, socia agmina credens 371
Inscius; atque ultro verbis compellat amicis:
Festinate, viri; nam quæ tam sera moratur
Segnities? alii rapiunt incensa feruntque
Pergama: vos celsis nunc primum a navibus itis?
Dixit; et extemplo (neque enim responsa dabantur 376
Fida satis) sensit medios delapsus in hostes.
Obstupuit, retroque pedem cum voce repressit.
Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit
Attollentem iras, et cærula colla tumentem: 381
Haud secus Androgeos visu tremefactus abibat.
Irruimus, densis et circumfundimur armis;
Ignarosque loci passim et formidine captos
Sternimus. Adspirat primo Fortuna labori. 385
Atque hic successu exsultans animisque Corœbus,
O socii, qua prima, inquit, fortuna salutis
Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur.
Mutemus clypeos, Danaûmque insignia nobis 389
Aptemus: dolus, an virtus, quis in hoste requirat?
Arma dabunt ipsi. Sic fatus, deinde comantem
Androgei galeam clypeique insigne decorum
Induitur, laterique Argivum accommodat ensem.
Hoc Rhipeus, hoc ipse Dymas, omnisque juventus
Læta facit; spoliis se quisque recentibus armat.
Vadimus immixti Danais, haud numine nostro;
Multaque per cæcam congressi prœlia noctem
Conserimus; multos Danaûm demittimus Orco.
Diffugiunt alii ad naves, et littora cursu
Fida petunt: pars ingentem formidine turpi 400
Scandunt rursus equum, et nota conduntur in alvo.
Heu nihil invitis fas quenquam fidere Divis!
Ecce trahebatur passis Priameïa virgo
Crinibus a templo Cassandra adytisque Minervæ,
Ad cœlum tendens ardentia lumine frustra: 405
Lumina; nam teneras arcebant vincula palmas.
Non tulit hanc speciem furiata mente Corœbus,
Et sese medium injecit periturus in agmen.
Consequimur cuncti, et densis incurrimus armis.
Hic primum ex alto delubri culmine telis 410
Nostrorum obruimur, oriturque miserrima cædes,

Armorum facie et Graiarum errore jubarum.
Tum Danai, gemitu atque ereptæ virginis ira,
Undique collecti invadunt; acerrimus Ajax,
Et gemini Atridæ, Dolopumque exercitus omnis.
Adversi rupto ceu quondam turbine venti 416
Confligunt, Zephyrusque, Notusque, et lætus Eois
Eurus equis: stridunt silvæ, sævitque tridenti
Spumeus atque imo Nereus ciet æquora fundo.
Illi etiam, si quos obscura nocte per umbram 420
Fudimus insidiis, totaque agitavimus urbe,
Apparent; primi clypeos mentitaque tela
Agnoscunt, atque ora sono discordia signant.
Ilicet obruimur numero. Primusque Corœbus
Penelei dextra, Divæ armipotentis ad aram, 425
Procumbit; cadit et Rhipeus, justissimus unus
Qui fuit in Teucris et servantissimus æqui:
Dis aliter visum; pereunt Hypanisque Dymasque
Confixi a sociis; nec te tua plurima, Pantheu,
Labentem pietas nec Apollinis infula texit. 430
Iliaci cineres, et flamma extrema meorum,
Testor, in occasu vestro nec tela nec ullas
Vitavisse vices Danaûm; et, si fata fuissent
Ut caderem, meruisse manu. Divellimur inde,
Iphitus et Pelias mecum: quorum Iphitus ævo
Jam gravior, Pelias et vulnere tardus Ulixi: 436
Protinus ad sedes Priami clamore vocati.
Hic vero ingentem pugnam, ceu cætera nusquam
Bella forent, nulli tota morerentur in urbe;
Sic Martem indomitum, Danaosque ad tecta ruentes 440
Cernimus, obsessumque acta testudine limen.
Hærent parietibus scalæ, postesque sub ipsos
Nituntur gradibus, clypeosque ad tela sinistris
Protecti objiciunt; prensant fastigia dextris.
Dardanidæ contra turras ac tecta domorum 445
Culmina convellunt: his se, quando ultima cernunt,
Extrema jam in morte parant defendere telis;
Auratasque trabes, veterum decora alta parentum,
Devolvunt; alii strictis mucronibus imas
Obsedere fores: has servant, agmine denso, 450
Instaurati animi, regis succurrere tectis,
Auxilioque levare viros, vimque addere victis.
Limen erat, cæcæque fores, et pervius usus
Tectorum inter se Priami, postesque relicti
A tergo: infelix qua se, dum regna manebant, 455
Sæpius Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros, et avo puerum Astyanacta trahebat.
Evado ad summi fastigia culminis: unde
Tela manu miseri jactabant irrita Teucri. 459
Turrim in præcipiti stantem, summisque sub astra
Eductam tectis, unde omnis Troja videri,
Et Danaûm solitæ naves, et Achaïa castra,
Aggressi ferro circum, qua summa labantes
Juncturas tabulata dabant, convellimus altis 464
Sedibus, impulimusque. Ea lapsa repente ruinam
Cum sonitu trahit, et Danaûm super agmina late
Incidit. Ast alii subeunt; nec saxa, nec ullum
Telorum interea cessat genus. [Pyrrhus
Vestibulum ante ipsum primoque in limine
Exsultat, telis et luce coruscus aëna. 470
Qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus,
Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc positis novus exuviis nitidusque juventa
Lubrica convolvit sublato pectore terga 474
Arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis.
Una ingens Periphas, et equorum agitator Achillis
Armiger Automedon, una omnis Scyria pubes
Succedunt tecto, et flammas ad culmina jactant.
Ipse inter primos correpta dura bipenni
Limina perrumpit, postesque a cardine vellit 480
Æratos; jamque excisa trabe firma cavavit
Robora, et ingentem lato dedit ore fenestram.
Apparet domus intus, et atria longa patescunt;
Apparent Priami et veterum penetralia regum;
Armatosque vident stantes in limine primo. 485
At domus interior gemitu miseroque tumultu
Miscetur, penitusque cavæ plangoribus ædes
Femineis ululant: ferit aurea sidera clamor.
Tum pavidæ tectis matres ingentibus errant, 489
Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.
Instat vi patria Pyrrhus; nec claustra, neque ipsi
Custodes sufferre valent. Labat ariete crebro
Janua, et emoti procumbunt cardine postes.
Fit via vi: rumpunt aditus, primosque trucidant
Immissi Danai, et late loca milite complent. 495
Non sic, aggeribus ruptis cum spumeus amnis
Exiit, oppositasque evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulo, camposque per omnes
Cum stabulis armenta trahit. Vidi ipse furentem
Cæde Neoptolemum, geminosque in limine Atridas; [per aras 500
Vidi Hecubam, centumque nurus, Priamumque
Sanguine fœdantem, quos ipse sacraverat, ignes.
Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum,
Barbarico postes auro spoliisque superbi, 504
Procubuere. Tenent Danai, qua deficit ignis.
Forsitan et Priami fuerint quæ fata requiras.
Urbis uti captæ casum, convulsaque vidit
Limina tectorum, et medium in penetralibus hostem,
Arma diu senior desueta trementibus ævo 509
Circumdat nequicquam humeris, et inutile ferrum
Cingitur, ac densos fertur moriturus in hostes.
Ædibus in mediis, nudoque sub ætheris axe,
Ingens ara fuit; juxtaque veterrima laurus
Incumbens aræ, atque umbra complexa Penates.
Hic Hecuba et natæ nequicquam altaria circum,
Præcipites atra ceu tempestate columbæ, 516
Condensæ, et divûm amplexæ simulacra sedebant.
Ipsum autem sumtis Priamum juvenilibus armis
Ut vidit: Quæ mens tam dira, miserrime conjux,
Impulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit. 520
Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget; non, si ipse meus nunc afforet Hector.
Huc tandem concede; hæc ara tuebitur omnes:
Aut moriere simul. Sic ore effata, recepit
Ad sese, et sacra longævum in sede locavit. 525
Ecce autem elapsus Pyrrhi de cæde Polites,
Unus natorum Priami, per tela, per hostes,
Porticibus longis fugit, et vacua atria lustrat
Saucius; illum ardens infesto vulnere Pyrrhus
Insequitur, jam jamque manu tenet, et premit hasta. 530
Ut tandem ante oculos evasit et ora parentum.
Concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit.
Hic Priamus, quanquam in media jam morte tenetur,
Non tamen abstinuit, nec voci iræque pepercit:
At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis,
Di, si qua est cœlo pietas quæ talia curet, 536
Persolvant grates dignas, et præmia reddant
Debita; qui nati coram me cernere letum

Fecisti, et patrios fœdâsti funere vultus.
At non ille, satum quo te mentiris, Achilles 540
Talis in hoste fuit Priamo; sed jura fidemque
Supplicis erubuit, corpusque exsangue sepulcro
Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit.
Sic fatus senior, telumque imbelle sine ictu
Conjecit: rauco quod protinus ære repulsum, 545
Et summo clypei nequicquam umbone pependit.
Cui Pyrrhus: Referes ergo hæc, et nuntius ibis
Pelidæ genitori. Illi mea tristia facta,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.
Nunc morere. Hoc dicens, altaria ad ipsa trementem 550
Traxit, et in multo lapsantem sanguine nati;
Implicuitque comam læva, dextraque coruscum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.
Hæc finis Priami fatorum; hic exitus illum 554
Sorte tulit, Trojam incensam et prolapsa videntem
Pergama, tot quondam populis terrisque superbum
Regnatorem Asiæ. Jacet ingens littore truncus,
Avulsumque humeris caput, et sine nomine corpus.
At me tum primum sævus circumstetit horror.
Obstupui; subiit cari genitoris imago, 560
Ut regem æquævum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem; subiit deserta Creüsa,
Et direpta domus, et parvi casus Iuli.
Respicio, et quæ sit me circum copia lustro.
Deseruere omnes defessi, et corpora saltu 565
Ad terram misere, aut ignibus ægra dedere.
[Jamque adeo super unus eram: cum limina Vestæ
Servantem et tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida adspicio; dant clara incendia lucem
Erranti, passimque oculos per cuncta ferenti. 570
Illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros,
Et pœnas Danaûm, et deserti conjugis iras
Præmetuens, Trojæ et patriæ communis Erinnys,
Abdiderat sese, atque aris invisa sedebat.
Exarsere ignes animo; subit ira cadentem 575
Ulcisci patriam, et scleratas sumere pœnas.
Scilicet hæc Spartam incolumis patriasque Mycenas
Adspiciet, partoque ibit regina triumpho? [debit,
Conjugiumque, domumque, patres, natosque vi-
Illiadum turba et Phrygiis comitata ministris? 580
Occiderit ferro Priamus? Troja arserit igni?
Dardanium toties sudârit sanguine littus? [men
Non ita. Namque etsi nullum memorabile no-
Fœminea in pœna est, nec habet victoria laudem;
Exstinxisse nefas tamen, et sumsisse merentis
Laudabor pœnas; animumque explêsse juvabit
Ultricis flammæ, et cineres satiâsse meorum.
Talia jactabam, et furiata mente ferebar;]
Cum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit, et pura per noctem in luce refulsit 590
Alma parens, confessa Deam, qualisque videri
Cœlicolis et quanta solet; dextraque prehensum
Continuit, roseoque hæc insuper addidit ore:
Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit?
Non prius adspicies, ubi fessum ætate parentem
Liqueris Anchisen? superet conjuxne Creüsa,
Ascaniusque puer; quos omnes undique Graiæ
Circum errant acies, et, ni mea cura resistat, 599
Jam flammæ tulerint, inimicus et hauserit ensis.
Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacænæ,
Culpatusve Paris; divûm inclementia, divûm
Has evertit opes, sternitque a culmine Trojam.
Adspice: namque omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus tibi, et humida circum
Caligat, nubem eripiam. Tu ne qua parentis 606
Jussa time, neu præceptis parere recusa.
Hic, ubi disjectas moles avulsaque saxis
Saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum,
Neptunus muros magnoque emota tridenti 610
Fundamenta quatit, totamque ab sedibus urbem
Eruit. Hic Juno Scæas sævissima portas
Prima tenet, sociumque furens a navibus agmen,
Ferro accincta, vocat.
Jam summas arces Tritonia, respice, Pallas 615
Insedit, nimbo effulgens et Gorgone sæva.
Ipse pater Danais animos viresque secundas
Sufficit; ipse deos in Dardana suscitat arma.
Eripe, nate, fugam, finemque impone labori.
Nusquam abero, et tutum patrio te limine sistam.
Dixerat; et spissis noctis se condidit umbris. 621
Apparent diræ facies, inimicaque Trojæ
Numina magna Deûm.
Tum vero omne mihi visum considere in ignis
Ilium, et ex imo verti Neptunia Troja. 625
Ac veluti, summis antiquam in montibus ornum
Cum ferro accisam crebrisque bipennibus instant
Eruere agricolæ certatim; illa usque minatur,
Et tremefacta comam concusso vertice nutat;
Vulneribus donec paulatim evicta supremum
Congemuit, traxitque jugis avulsa ruinam. 631
Descendo, ac ducente deo flammam inter et hostes
Expedior; dant tela locum, flammæque recedunt.
Atque, ubi jam patriæ perventum ad limina sedis 634
Antiquasque domos, genitor, quem tollere in altos
Optabam primum montes, primumque petebam,
Abnegat excisa vitam producere Troja,
Exsiliumque pati. Vos o, quibus integer ævi
Sanguis, ait, solidæque suo stant robore vires,
Vos agitate fugam. 640
Me si cœlicolæ voluissent ducere vitam,
Has mihi servâssent sedes. Satis una superque
Vidimus excidia, et captæ superavimus urbi.
Sic o, sic positum affati discedite corpus.
Ipse manu mortem inveniam. Miserebitur hostis,
Exuviasque petet. Facilis jactura sepulcri. 646
Jampridem invisus Divis, et inutilis, annos
Demoror: ex quo me divûm pater atque hominum rex
Fulminis afflavit ventis, et contigit igni.
Talia perstabat memorans, fixusque manebat. 650
Nos contra effusi lacrymis, conjuxque Creüsa,
Ascaniusque, omnisque domus, ne vertere secum
Cuncta pater, fatoque urgenti incumbere vellet.
Abnegat, inceptoque et sedibus hæret in îsdem.
Rursus in arma feror, mortemque miserrimus opto. [batur? 655
Nam quod consilium, aut quæ jam fortuna da-
Mene efferre pedem, genitor, te posse relicto
Sperâsti? tantumque nefas patrio excidit ore?
Si nihil ex tanta superis placet urbe relinqui,
Et sedet hoc animo, perituræque addere Trojæ
Teque tuosque juvat, patet isti janua leto; 661
Jamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,
Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras. [ignes
Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per
Eripis, ut mediis hostem in penetralibus, utque
Ascanium, patremque meum, juxtaque Creüsam

Alterum in alterius mactatos sanguine cernam?
Arma, viri, ferte arma: vocat lux ultima victos.
Reddite me Danais; sinite instaurata revisam
Prœlia. Nunquam omnes hodie moriemur inulti.
Hinc ferro accingor rursus, clypeoque sinistram
Insertabam aptans, meque extra tecta ferebam.
Ecce autem complexa pedes in limine conjux
Hærebat, parvumque patri tendebat Iulum:
Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum; 675
Sin aliquam expertus sumtis spem ponis in armis,
Hanc primum tutare domum. Cui parvus Iulus,
Cui pater, et conjux, quondam tua dicta, relinquor?
Talia vociferans gemitu tectum omne replebat:
Cum subitum dictuque oritur mirabile monstrum.
Namque manus inter mœstorumque ora parentum, 681
Ecce levis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tractuque innoxia molli
Lambere flamma comas, et circum tempora pasci.
Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere, et sanctos restinguere fontibus ignes.
At pater Anchises oculos ad sidera lætus 687
Extulit, et cœlo palmas cum voce tetendit:
Jupiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Adspice nos; hoc tantum; et, si pietate meremur,
Da deinde auxilium, pater, atque hæc omina firma.
Vix ea fatus erat senior, subitoque fragore
Intonuit lævum, et de cœlo lapsa per umbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam, summa super labentem culmina tecti, 695
Cernimus Idæa claram se condere silva,
Signantemque vias; tum longo limite sulcus
Dat lucem, et late circum loca sulphure fumant.
Hic vero victus genitor se tollit ad auras,
Affaturque Deos, et sanctum sidus adorat. 700
Jam jam nulla mora est. Sequor, et, qua ducitis, adsum.
Dî patrii, servate domum, servate nepotem:
Vestrum hoc augurium, vestroque in numine Troja est.
Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuso.
Dixerat ille; et jam per mœnia clarior ignis
Auditur, propiusque æstus incendia volvunt.
Ergo age, care pater, cervici imponere nostræ:
Ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit;
Quo res cunque cadent, unum et commune periclum,
Una salus ambobus erit. Mihi parvus Iulus 710
Sit comes, et longe servet vestigia conjux.
Vos famuli, quæ dicam, animis advertite vestris.
Est urbe egressis tumulus templumque vetustum
Desertæ Cereris, juxtaque antiqua cupressus,
Religione patrum multos servata per annos: 715
Hanc ex diverso sedem veniemus in unam.
Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque Penates;
Me, bello e tanto digressum et cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero. 720
Hæc fatus, latos humeros subjectaque colla
Veste super fulvique insternor pelle leonis;
Succedoque oneri. Dextræ se parvus Iulus
Implicuit, sequiturque patrem non passibus æquis.
Pone subit conjux. Ferimur per opaca locorum;
Et me, quem dudum non ulla injecta movebant
Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graii,
Nunc omnes terrent auræ, sonus excitat omnis
Suspensum, et pariter comitique onerique timentem.
Jamque propinquabam portis, omnemque videbar 730
Evasisse vicem: subito cum creber ad aures
Visus adesse pedum sonitus; genitorque per umbram
Prospiciens, Nate, exclamat, fuge, nate; propinquant;
Ardentes clypeos atque æra micantia cerno.
Hic mihi nescio quod trepido male numen amicum 735
Confusam eripuit mentem. Namque, avia cursu
Dum sequor, et nota excedo regione viarum,
Heu! misero conjux fatone erepta Creüsa
Substitit, erravitne via, seu lassa resedit,
Incertum: nec post oculis est reddita nostris;
Nec prius amissam respexi, animumve reflexi,
Quam tumulum antiquæ Cereris sedemque sacratam
Venimus; hic demum collectis omnibus una
Defuit, et comites, natumque, virumque fefellit.
Quem non incusavi amens hominumque deorumque? 745
Aut quid in eversa vidi crudelius urbe?
Ascanium, Anchisenque patrem, Teucrosque Penates
Commendo sociis, et curva valle recondo;
Ipse urbem repeto, et cingor fulgentibus armis.
Stat casus renovare omnes, omnemque reverti
Per Trojam, et rursus caput objectare periclis.
Principio muros obscuraque limina portæ,
Qua gressum extuleram, repeto; et vestigia retro
Observata sequor per noctem, et lumine lustro.
Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.
Inde domum, si forte pedem, si forte tulisset, 756
Me refero. Irruerant Danai, et tectum omne tenebant.
Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento
Volvitur; exsuperant flammæ; furit æstus ad auras.
Procedo, et Priami sedes arcemque reviso. 760
Et jam porticibus vacuis Junonis asylo
Custodes lecti Phœnix et dirus Ulixes
Prædam adservabant. Huc undique Troïa gaza
Incensis erepta adytis, mensæque deorum,
Crateresque auro solidi, captivaque vestis 765
Congeritur. Pueri et pavidæ longo ordine matres
Stant circum.
Ausus quin etiam voces jactare per umbram,
Implevi clamore vias, mœstusque Creüsam
Nequicquam ingeminans iterumque iterumque vocavi. 770
Quærenti, et tectis urbis sine fine furenti,
Infelix simulacrum atque ipsius umbra Creüsæ
Visa mihi ante oculos, et nota major imago.
Obstupui, steteruntque comæ, et vox faucibus hæsit.
Tum sic affari, et curas his demere dictis: 775
Quid tantum insano juvat indulgere dolori,
O dulcis conjux? non hæc sine numine Divûm
Eveniunt; nec te hinc comitem asportare Creüsam
Fas, aut ille sinit superi regnator Olympi.
Longa tibi exsilia, et vastum maris æquor arandum; 780
Et terram Hesperiam venies, ubi Lydius, arva
Inter opima virûm, leni fluit agmine Tibris.
Illic res lætæ, regnumque, et regia conjux
Parta tibi; lacrymas dilectæ pelle Creüsæ.
Non ego Myrmidonum sedes Dolopumve superbas 785
Adspiciam, aut Graiis servitum matribus ibo,
Dardanis, et divæ Veneris nurus:
Sed me magna deûm genitrix his detinet oris.

Jamque vale, et nati serva communis amorem.
Hæc ubi dicta dedit, lacrymantem, et multa volentem 790
Dicere, deseruit, tenuesque recessit in auras.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum;
Ter frustra comprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.
Sic demum socios consumta nocte reviso. 795
Atque hic ingentem comitum affluxisse novorum
Invenio admirans numerum; matresque virosque,
Collectam exsilio pubem, miserabile vulgus.
Undique convenere, animis opibusque parati,
In quascunque velim pelago deducere terras. 800
Jamque jugis summæ surgebat Lucifer Idæ,
Ducebatque diem; Danaique obsessa tenebant
Limina portarum: nec spes opis ulla dabatur.
Cessi, et sublato montem genitore petivi.

LIBER TERTIUS.

Postquam res Asiæ Priamique evertere gentem
Immeritam visum superis, ceciditque superbum
Ilium, et omnis humo fumat Neptunia Troja,
Diversa exsilia et desertas quærere terras
Auguriis agimur Divûm; classemque sub ipsa 5
Antandro et Phrygiæ molimur montibus Idæ;
Incerti quo fata ferant, ubi sistere detur;
Contrahimusque viros. Vix prima inceperat æstas,
Et pater Anchises dare fatis vela jubebat: 9
Litora cum patriæ lacrymans portusque relinquo,
Et campos, ubi Troja fuit. Feror exsul in altum
Cum sociis, natoque, Penatibus et magnis dis.
Terra procul vastis colitur Mavortia campis;
Thraces arant acri quondam regnata Lycurgo;
Hospitium antiquum Trojæ, sociique Penates, 15
Dum fortuna fuit. Feror huc, et littore curvo
Mœnia prima loco, fatis ingressus iniquis;
Æneadasque meo nomen de nomine fingo.
Sacra Dionææ matri divisque ferebam
Auspicibus cœptorum operum, superoque nitentem 20
Cœlicolûm regi mactabam in littore taurum.
Forte fuit juxta tumulus, quo cornea summo
Virgulta, et densis hastilibus horrida myrtus.
Accessi; viridemque ab humo convellere sylvam
Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras, 25
Horrendum et dictu video mirabile monstrum.
Nam, quæ prima solo ruptis radicibus arbor
Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttæ,
Et terram tabo maculant. Mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine sanguis. 30
Rursus et alterius lentum convellere vimen
Insequor, et causas penitus tentare latentes:
Ater et alterius sequitur de cortice sanguis.
Multa movens animo, Nymphas venerabar agrestes,
Gradivumque patrem, Geticis qui præsidet arvis,
Rite secundarent visus, omenque levarent. 36
Tertia sed postquam majore hastilia nisu
Aggredior, genibusque adversæ obluctor arenæ,
Eloquar, an sileam? gemitus lacrymabilis imo
Auditur tumulo, et vox reddita fertur ad aures: 40
Quid miserum, Ænea, laceras? jam parce sepulto;
Parce pias scelerare manus. Non me tibi Troja
Externum tulit, aut cruor hic de stipite manat.
Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum.
Nam Polydorus ego. Hic confixum ferrea texit
Telorum seges, et jaculis increvit acutis. 46
Tum vero ancipiti mentem formidine pressus
Obstupui, steteruntque comæ, et vox faucibus hæsit.
Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandârat alendum 50
Threïcio regi; cum jam diffideret armis
Dardaniæ, cingique urbem obsidione videret.
Ille, ut opes fractæ Teucrûm, et fortuna recessit,
Res Agamemnonias victriciaque arma secutus,
Fas omne abrumpit; Polydorum obtruncat, et auro 55
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames! Postquam pavor ossa reliquit,
Delectos populi ad proceres, primumque parentem,
Monstra Deûm refero, et quæ sit sententia posco.
Omnibus idem animus, scelerata excedere terra,
Linqui pollutum hospitium, et dare classibus Austros. 61
Ergo instauramus Polydoro funus, et ingens
Aggeritur tumulo tellus; stant Manibus aræ,
Cæruleis mœstæ vittis atraque cupresso;
Et circum Iliades crinem de more solutæ. 65
Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis et sacri pateras; animamque sepulchro
Condimus, et magna supremum voce ciemus.
Inde, ubi prima fides pelago, placataque venti
Dant maria, et lenis crepitans vocat Auster in altum: 70
Deducunt socii naves, et littora complent.
Provehimur portu; terræque urbesque recedunt.
Sacra mari colitur medio gratissima tellus
Nereidum matri et Neptuno Ægæo:
Quam pius arcitenens, oras et litora circum 75
Errantem, Gyaro celsa Myconoque revinxit,
Immotamque coli dedit, et contemnere ventos.
Huc feror; hæc fessos tuto placidissima portu
Accipit. Egressi veneramur Apollinis urbem.
Rex Anius, rex idem hominum Phœbique sacerdos, 80
Vittis et sacra redimitus tempora lauro,
Occurrit; veterem Anchisen agnoscit amicum.
Jungimus hospitio dextras, et tecta subimus.
Templa Dei saxo venerabar structa vetusto:
Da propriam, Thymbræe, domum; da mœnia fessis, 85
Et genus, et mansuram urbem; serva altera Trojæ
Pergama, reliquias Danaûm atque immitis Achilli.
Quem sequimur? quove ire jubes? ubi ponere sedes?
Da, pater, augurium; atque animis illabere nostris.
Vix ea fatus eram: tremere omnia visa repente,
Liminaque, laurusque Dei; totusque moveri 91
Mons circum, et mugire adytis cortina reclusis.
Submissi petimus terram, et vox fertur ad aures:
Dardanidæ duri, quæ vos a stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto 95
Accipiet reduces. Antiquam exquirite matrem.
Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris,

Et nati natorum, et qui nascentur ab illis.
Hæc Phœbus: mixtoque ingens exorta tumultu
Lætitia; et cuncti, quæ sint ea mœnia, quærunt;
Quo Phœbus vocet errantes, jubeatque reverti.
Tum genitor, veterum volvens monumenta virorum, 102
Audite, o proceres, ait, et spes discite vestras.
Creta Jovis magni medio jacet insula ponto;
Mons Idæus ubi, et gentis cunabula nostræ.
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna:
Maximus unde pater, si rite audita recordor, 107
Teucrus Rhœteas primum est advectus ad oras,
Optavitque locum regno. Nondum Ilium, et arces
Pergameæ steterant; habitabant vallibus imis.
Hinc mater cultrix Cybelæ, Corybantiaque æra,
Idæumque nemus; hinc fida silentia sacris,
Et juncti currum dominæ subiere leones. [mur;
Ergo agite, et, divûm ducunt qua jussa, sequa-
Placemus ventos, et Gnossia regna petamus. 115
Nec longo distant cursu; modo Jupiter adsit,
Tertia lux classem Cretæis sistet in oris.
Sic fatus, meritos aris mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo;
Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam. 120
Fama volat, pulsum regnis cessisse paternis
Idomenea ducem, desertaque litora Cretæ;
Hoste vacare domos, sedesque adstare relictas.
Linquimus Ortygiæ portus, pelagoque volamus;
Bacchatamque jugis Naxon, viridemque Donysam, 125
Olearon, niveamque Paron, sparsasque per æquor
Cycladas, et crebris legimus freta consita terris.
Nauticus exoritur vario certamine clamor;
Hortantur socii, Cretam proavosque petamus.
Prosequitur surgens a puppi ventus euntes; 130
Et tandem antiquis Curetum allabimur oris.
Ergo avidus muros optatæ molior urbis,
Pergameamque voco, et lætam cognomine gentem
Hortor amare focos, arcemque attollere tectis.
Jamque fere sicco subductæ litore puppes; 135
Connubiis arvisque novis operata juventus; [bris,
Jura domosque dabam: subito cum tabida mem-
Corrupto cœli tractu, miserandaque venit
Arboribusque satisque lues, et letifer annus.
Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora: tum steriles exurere Sirius agros; 141
Arebant herbæ, et victum seges ægra negabat.
Rursus ad oraclum Ortygiæ Phœbumque remenso
Hortatur pater ire mari, veniamque precari:
Quam fessis finem rebus ferat; unde laborum
Tentare auxilium jubeat; quo vertere cursus.
Nox erat, et terris animalia somnus habebat.
Effigies sacræ divûm Phrygiique Penates,
Quos mecum a Troja mediisque ex ignibus urbis
Extuleram, visi ante oculos adstare jacentis 150
Insomnis, multo manifesti lumine, qua se
Plena per insertas fundebat luna fenestras:
Tum sic affari, et curas his demere dictis:
Quod tibi delato Ortygiam dicturus Apollo est,
Hic canit; et tua nos en ultro ad limina mittit.
Nos te, Dardania incensa, tuaque arma secuti;
Nos tumidum sub te permensi classibus æquor:
Idem venturos tollemus in astra nepotes, 158
Imperiumque urbi dabimus. Tu mœnia magnis
Magna para; longumque fugæ ne linque laborem.
Mutandæ sedes. Non hæc tibi littora suasit 161
Delius, aut Cretæ jussit considere, Apollo.
Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt:
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ;
Œnotri coluere viri: nunc fama minores 165
Italiam dixisse, ducis de nomine, gentem:
Hæ nobis propriæ sedes; hinc Dardanus ortus,
Iasiusque pater, genus a quo principe nostrum.
Surge age, et hæc lætus longævo dicta parenti
Haud dubitanda refer: Corythum, terrasque requirat 170
Ausonias. Dictæa negat tibi Jupiter arva.
Talibus attonitus visis, ac voce Deorum, [tus,
(Nec sopor illud erat, sed coram agnoscere vul-
Velatasque comas, præsentiaque ora videbar;
Tum gelidus toto manabat corpore sudor) 175
Corripio e stratis corpus, tendoque supinas
Ad cœlum cum voce manus, et munera libo
Intemerata focis. Perfecto lætus honore
Anchisen facio certum, remque ordine pando.
Agnovit prolem ambiguam, geminosque parentes,
Seque novo veterum deceptum errore locorum.
Tum memorat: Nate, Iliacis exercite fatis,
Sola mihi tales casus Cassandra canebat. [tro;
Nunc repeto, hæc generi portendere debita nos-
Et sæpe Hesperiam, sæpe Itala regna vocare.
Sed quis ad Hesperiæ venturos littora Teucros
Crederet? aut quem tum vates Cassandra moveret?
Cedamus Phœbo, et moniti meliora sequamur.
Sic ait: et cuncti dicto paremus ovantes. 189
Hanc quoque deserimus sedem, paucisque relictis [æquor.
Vela damus, vastumque cava trabe currimus
Postquam altum tenuere rates, nec jam amplius ullæ [tus:
Apparent terræ, cœlum undique et undique pon-
Tum mihi cæruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hiememque ferens; et inhorruit unda tenebris. 195
Continuo venti volvunt mare, magnaque surgunt
Æquora; dispersi jactamur gurgite vasto.
Involvere diem nimbi, et nox humida cœlum
Abstulit; ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur cursu, et cæcis erramus in undis. 200
Ipse diem noctemque negat discernere cœlo;
Nec meminisse viæ media Palinurus in unda.
Tres adeo incertos cæca caligine soles
Erramus pelago, totidem sine sidere noctes.
Quarto terra die primum se attollere tandem 205
Visa, aperire procul montes, ac volvere fumum.
Vela cadunt; remis insurgimus; haud mora, nautæ
Adnixi torquent spumas, et cærula verrunt.
Servatum ex undis Strophadum me litora primum
Accipiunt, Strophades Graio stant nomine dictæ,
Insulæ Ionio in magno: quas dira Celæno, 211
Harpyiæque colunt aliæ, Phineïa postquam
Clausa domus, mensasque metu liquere priores.
Tristius haud illis monstrum, nec sævior ulla
Pestis et ira deûm Stygiis sese extulit undis. 215
Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
Proluvies, uncæque manus, et pallida semper
Ora fame.
Huc ubi delati portus intravimus: ecce
Læta boum passim campis armenta videmus,
Caprigenûmque pecus nullo custode per herbas.
Irruimus ferro, et divos ipsumque vocamus
In partem prædamque Jovem. Tum littore curvo
Exstruimusque toros, dapibusque epulamur opimis.
At subitæ horrifico lapsu de montibus adsunt 225

Harpyiæ, et magnis quatiunt clangoribus alas,
Diripiuntque dapes, contactuque omnia fœdant
Immundo; tum vox tetrum dira inter odorem.
Rursum in secessu longo sub rupe cavata,
Arboribus clausi circum atque horrentibus umbris, 230
Instruimus mensas, arisque reponimus ignem:
Rursum ex diverso cœli cæcisque latebris [uncis;
Turba sonans prædam pedibus circumvolat
Polluit ore dapes. Sociis tunc arma capessant
Edico, et dira bellum cum gente gerendum. 235
Haud secus ac jussi faciunt, tectosque per herbam
Disponunt enses, et scuta latentia condunt.
Ergo, ubi delapsæ sonitum per curva dedere
Littora, dat signum specula Misenus ab alta
Ære cavo: invadunt socii, et nova prœlia tentant, 240
Obscænas pelagi ferro fœdare volucres.
Sed neque vim plumis ullam, nec vulnera tergo
Accipiunt; celerique fuga sub sidera lapsæ
Semesam prædam et vestigia fœda relinquunt.
Una in præcelsa consedit rupe Celæno, 245
Infelix vates, rumpitque hanc pectore vocem:
Bellum etiam pro cæde boum stratisque juvencis,
Laomedontiadæ, bellumne inferre paratis,
Et patrio Harpyias insontes pellere regno? 249
Accipite ergo, animis atque hæc mea figite dicta:
Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, vobis Furiarum ego maxima pando.
Italiam cursu petitis, ventisque vocatis
Ibitis Italiam, portusque intrare licebit:
Sed non ante datam cingetis mœnibus urbem, 255
Quam vos dira fames, nostræque injuria cædis,
Ambesas subigat malis absumere mensas.
Dixit, et in silvam pennis ablata refugit.
At sociis subita gelidus formidine sanguis 259
Deriguit; cecidere animi; nec jam amplius armis,
Sed votis precibusque jubent exposcere pacem,
Sive deæ, seu sint diræ obscænæque volucres.
Et pater Anchises passis de littore palmis [res:
Numina magna vocat, meritosque indicit honoDî, prohibete minas; dî, talem avertite casum;
Et placidi servate pios. Tum littore funem 266
Deripere, excussosque jubet laxare rudentes.
Tendunt vela Noti: ferimur spumantibus undis,
Qua cursum ventusque gubernatorque vocabant.
Jam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos,
Dulichiumque, Sameque, et Neritos ardua saxis.
Effugimus scopulos Ithacæ, Laërtia regna, 272
Et terram altricem sævi exsecramur Ulixi.
Mox et Leucatæ nimbosa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo. 275
Hunc petimus fessi, et parvæ succedimus urbi.
Anchora de prora jacitur; stant littore puppes.
Ergo insperata tandem tellure potiti,
Lustramurque Jovi, votisque incendimus aras;
Actiaque Iliacis celebramus littora ludis. 280
Exercent patrias oleo labente palæstras
Nudati socii. Juvat evasisse tot urbes
Argolicas, mediosque fugam tenuisse per hostes.
Interea magnum sol circumvolvitur annum,
Et glacialis hiems Aquilonibus asperat undas. 285
Ære cavo clypeum, magni gestamen Abantis,
Postibus adversis figo, et rem carmine signo:
Æneas hæc de Danais victoribus arma.
Linquere tum portus jubeo, et considere transtris.
Certatim socii feriunt mare, et æquora verrunt.
Protinus aërias Phæacum abscondimus arces, 291
Littoraque Epiri legimus, portuque subimus
Chaonio, et celsam Buthroti accedimus urbem.
Hic incredibilis rerum fama occupat aures,
Priamiden Helenum Graias regnare per urbes, 295
Conjugio Æacidæ Pyrrhi sceptrisque potitum:
Et patrio Andromachen iterum cessisse marito.
Obstupui: miroque incensum pectus amore,
Compellare virum, et casus cognoscere tantos.
Progredior portu, classes et litora linquens. 300
Sollennes tum forte dapes et tristia dona,
Ante urbem in luco, falsi Simoëntis ad undam,
Libabat cineri Andromache, Manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite inanem, 304
Et geminas, causam lacrymis, sacraverat aras.
Ut me conspexit venientem, et Troïa circum
Arma amens vidit, magnis exterrita monstris
Deriguit visu in medio; calor ossa reliquit;
Labitur, et longo vix tandem tempore fatur:
Verane te facies, verus mihi nuntius affers, 310
Nate dea? vivisne? aut, si lux alma recessit,
Hector ubi est? Dixit, lacrymasque effudit, et omnem
Implevit clamore locum. Vix pauca furenti
Subjicio, et raris turbatus vocibus hisco. 314
Vivo equidem, vitamque extrema per omnia duco.
Ne dubita: nam vera vides.
Heu! quis te casus dejectam conjuge tanto
Excipit? aut quæ digna satis fortuna revisit?
Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia servas?
Dejecit vultum, et demissa voce locuta est: 320
O felix una ante alias Priameïa virgo,
Hostilem ad tumulum Trojæ sub mœnibus altis
Jussa mori, quæ sortitus non pertulit ullos,
Nec victoris heri tetigit captiva cubile!
Nos, patria incensa, diversa per æquora vectæ, 325
Stirpis Achilleæ fastus, juvenemque superbum,
Servitio enixæ, tulimus; qui deinde, secutus
Ledæam Hermionen Lacedæmoniosque Hymenæos, [bendam.
Me famulo famulamque Heleno transmisit ha-
Ast illum, ereptæ magno inflammatus amore 330
Conjugis, et scelerum furiis agitatus, Orestes
Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.
Morte Neoptolemi regnorum reddita cessit 333
Pars Heleno; qui Chaonios cognomine campos,
Chaoniamque omnem Trojano a Chaone dixit;
Pergamaque, Iliacamque jugis hanc addidit arcem.
Sed tibi qui cursum venti, quæ fata dedere?
Aut quisnam ignarum nostris Deus appulit oris?
Quid puer Ascanius? superatne, et vescitur aura?
Quem tibi jam Troja * * * * 340
Ecqua tamen puero est amissæ cura parentis?
Ecquid in antiquam virtutem animosque viriles
Et pater Æneas et avunculus excitat Hector?
Talia fundebat lacrymans, longosque ciebat
Incassum fletus: quum sese a mœnibus heros 345
Priamides multis Helenus comitantibus affert,
Agnoscitque suos, lætusque ad limina ducit,
Et multum lacrymas verba inter singula fundit.
Procedo, et parvam Trojam, simulataque magnis
Pergama, et arentem Xanthi cognomine rivum
Agnosco, Scææque amplector limina portæ. 351
Necnon et Teucri socia simul urbe fruuntur.
Illos porticibus rex accipiebat in amplis.
Aulaï in medio libabant pocula Bacchi,
Impositis auro dapibus, paterasque tenebant. 355

Jamque dies, alterque dies processit, et auræ
Vela vocant, tumidoque inflatur carbasus Austro.
His vatem aggredior dictis, ac talia quæso:
Trojugena, interpres divûm, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis, 360
Et volucrum linguas, et præpetis omina pennæ,
Fare age—namque omnem cursum mihi prospera dixit
Religio, et cuncti suaserunt numine Divi
Italiam petere, et terras tentare repostas;
Sola novum dictuque nefas Harpyia Celæno 365
Prodigium canit, et tristes denuntiat iras,
Obscænamque famem—quæ prima pericula vito?
Quidve sequens, tantos possim superare labores?
Hic Helenus, cæsis primum de more juvencis,
Exorat pacem divûm, vittasque resolvit 370
Sacrati capitis, meque ad tua limina, Phœbe,
Ipse manu multo suspensum numine ducit;
Atque hæc deinde canit divino ex ore sacerdos:
Nate Dea—nam te majoribus ire per altum
Auspiciis manifesta fides; sic fata Deûm rex 375
Sortitur, volvitque vices; is vertitur ordo—
Pauca tibi e multis, quo tutior hospita lustres
Æquora, et Ausonio possis considere portu,
Expediam dictis; prohibent nam cætera Parcæ
Scire Helenum, farique vetat Saturnia Juno. 380
Principio Italiam, quam tu jam rere propinquam,
Vicinosque, ignare, paras invadere portus,
Longa procul longis via dividit invia terris.
Ante et Trinacria lentandus remus in unda,
Et salis Ausonii lustrandum navibus æquor, 385
Infernique lacus, Ææque insula Circes,
Quam tuta possis urbem componere terra.
Signa tibi dicam; tu condita mente teneto.
Quum tibi sollicito secreti ad fluminis undam
Littoreis ingens inventa sub ilicibus sus, 390
Triginta capitum fetus enixa, jacebit,
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati;
Is locus urbis erit; requies ea certa laborum.
Nec tu mensarum morsus horresce futuros:
Fata viam invenient, aderitque vocatus Apollo.
Has autem terras, Italique hanc littoris oram, 396
Proxima quæ nostri perfunditur æquoris æstu,
Effuge: cuncta malis habitantur mœnia Graiis.
Hic et Narycii posuerunt mœnia Locri,
Et Sallentinos obsedit milite campos 400
Lyctius Idomeneus; hic illa ducis Melibœi
Parva Philoctetæ subnixa Petilia muro.
Quin, ubi transmissæ steterint trans æquora classes,
Et positis aris jam vota in littore solves,
Purpureo velare comas adopertus amictu; 405
Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum
Hostilis facies occurrat, et omina turbet.
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto;
Hac casti maneant in religione nepotes.
Ast, ubi digressum Siculæ te admoverit oræ 410
Ventus, et angusti rarescent claustra Pelori,
Læva tibi tellus, et longo læva petantur
Æquora circuitu; dextrum fuge littus et undas.
Hæc loca, vi quondam et vasta convulsa ruina,
—Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas—
Dissiluisse ferunt, cum protinus utraque tellus
Una foret; venit medio vi pontus, et undis 417
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque et urbes
Littore diductas angusto interluit æstu. [dis
Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charyb-
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos 421
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos, et sidera verberat unda.
At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris,
Ora exsertantem, et naves in saxa trahentem. 425
Prima hominis facies, et pulchro pectore virgo
Pube tenus; postrema immani corpore pistrix,
Delphinum caudas utero commissa luporum.
Præstat Trinacrii metas lustrare Pachyni
Cessantem, longos et circum flectere cursus, 430
Quam semel informem vasto vidisse sub antro
Scyllam, et cæruleis canibus resonantia saxa.
Præterea, si qua est Heleno prudentia, vati
Si qua fides, animum si veris implet Apollo, 434
Unum illud tibi, nate dea, præque omnibus unum
Prædicam, et repetens iterumque iterumque monebo.
Junonis magnæ primum prece numen adora;
Junoni cane vota libens, dominamque potentem
Supplicibus supera donis: sic denique victor
Trinacria fines Italos mittere relicta. 440
Huc ubi delatus Cumæam accesseris urbem,
Divinosque lacus, et Averna sonantia silvis,
Insanam vatem adspicies, quæ rupe sub ima
Fata canit, foliisque notas et nomina mandat. 444
Quæcumque in foliis descripsit carmina virgo,
Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit.
Illa manent immota locis, neque ab ordine cedunt.
Verum eadem, verso tenuis cum cardine ventus
Impulit, et teneras turbavit janua frondes, 449
Nunquam deinde cavo volitantia prendere saxo,
Nec revocare situs, aut jungere carmina curat.
Inconsulti abeunt, sedemque odere Sibyllæ.
Hic tibi ne qua moræ fuerint dispendia tanti, 453
Quamvis increpitent socii, et vi cursus in altum
Vela vocet, possisque sinus implere secundos,
Quin adeas vatem, precibusque oracula poscas
Ipsa canat, vocemque volens atque ora resolvat.
Illa tibi Italiæ populos, venturaque bella, [rem,
Et quo quemque modo fugiasque ferasque labo-
Expediet, cursusque dabit venerata secundos. 460
Hæc sunt, quæ nostra liceat te voce moneri.
Vade age, et ingentem factis fer ad æthera Trojam.
Quæ postquam vates sic ore effatus amico est,
Dona dehinc auro gravia, sectoque elephanto
Imperat ad naves ferri, stipatque carinis 465
Ingens argentum, Dodonæosque lebetas,
Loricam consertam hamis auroque trilicem,
Et conum insignis galeæ, cristasque comantes,
Arma Neoptolemi. Sunt et sua dona parenti.
Addit equos, additque duces; 470
Remigium supplet; socios simul instruit armis.
Interea classem velis aptare jubebat
Anchises, fieret vento mora ne qua ferenti.
Quem Phœbi interpres multo compellat honore:
Conjugio, Anchisa, Veneris dignate superbo, 475
Cura deûm, bis Pergameis erepte ruinis,
Ecce tibi Ausoniæ tellus: hanc arripe velis.
Et tamen hanc pelago præterlabare necesse est;
Ausoniæ pars illa procul, quam pandit Apollo.
Vade, ait, o felix nati pietate. Quid ultra 480
Provehor, et fando surgentes demoror Austros?
Nec minus Andromache, digressu mœsta supremo,
Fert picturatas auri subtemine vestes,
Et Phrygiam Ascanio chlamydem; nec cedit honori;
Textilibusque onerat donis, ac talia fatur: 485
Accipe et hæc, manuum tibi quæ monumenta mearum [amorem,
Sint, puer, et longum Andromachæ testentur
Conjugis Hectoreæ. Cape dona extrema tuorum,
O mihi sola mei super Astyanactis imago.

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat; 490
Et nunc æquali tecum pubesceret ævo.
Hos ego digrediens lacrymis affabar obortis:
Vivite felices, quibus est fortuna peracta
Jam sua. Nos alia ex aliis in fata vocamur. 494
Vobis parta quies; nullum maris æquor arandum;
Arva neque Ausoniæ, semper cedentia retro,
Quærenda. Effigiem Xanthi, Trojamque videtis,
Quam vestræ fecere manus, melioribus, opto,
Auspiciis, et quæ fuerit minus obvia Graiis. 499
Si quando Tibrim, vicinaque Tibridis arva
Intrâro, gentique meæ data mœnia cernam,
Cognatas urbes olim, populosque propinquos,
Epiro, Hesperia, quibus idem Dardanus auctor,
Atque idem casus, unam faciemus utramque 504
Trojam animis. Maneat nostros ea cura nepotes.
Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta:
Unde iter Italiam cursusque brevissimus undis.
Sol ruit interea, et montes umbrantur opaci.
Sternimur optatæ gremio telluris ad undam,
Sortiti remos, passimque in littore sicco 510
Corpora curamus: fessos sopor irrigat artus.
Necdum orbem medium Nox horis acta subibat,
Haud segnis strato surgit Palinurus, et omnes
Explorat ventos, atque auribus aëra captat;
Sidera cuncta notat tacito labentia cœlo, 515
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones,
Armatumque auro circumspicit Oriona.
Postquam cuncta videt cœlo constare sereno,
Dat clarum e puppi signum; nos castra movemus,
Tentamusque viam, et velorum pandimus alas.
Jamque rubescebat stellis Aurora fugatis, 521
Cum procul obscuros colles humilemque videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates;
Italiam læto socii clamore salutant.
Tum pater Anchises magnum cratera corona 525
Induit, implevitque mero, divosque vocavit
Stans celsa in puppi:
Dî, maris et terræ tempestatumque potentes,
Ferte viam vento facilem, et spirate secundi.
Crebrescunt optatæ auræ, portusque patescit
Jam propior, templumque apparet in arce Minervæ. 531
Vela legunt socii, et proras ad litora torquent.
Portus ab Euroo fluctu curvatus in arcum;
Objectæ salsa spumant adspergine cautes:
Ipse latet. Gemino demittunt brachia muro 535
Turriti scopuli, refugitque ab littore templum.
Quatuor hic, primum omen, equos in gramine vidi
Tondentes campum late, candore nivali. [tas;
Et pater Anchises: Bellum, o terra hospita, por-
Bello armantur equi; bellum hæc armenta minantur. 540
Sed tamen idem olim curru succedere sueti
Quadrupedes, et frena jugo concordia ferre;
Spes et pacis, ait. Tum numina sancta precamur
Palladis armisonæ, quæ prima accepit ovantes;
Et capita ante aras Phrygio velamur amictu; 545
Præceptisque Heleni, dederat quæ maxima, rite
Junoni Argivæ jussos adolemus honores.
Haud mora; continuo perfectis ordine votis,
Cornua velatarum obvertimus antennarum,
Grajugenûmque domos suspectaque linquimus arva. 550
Hinc sinus Herculei, si vera est fama, Tarenti
Cernitur. Attollit se diva Lacinia contra,
Caulonisque arces, et navifragum Scylaceum.
Tum procul e fluctu Trinacria cernitur Ætna;
Et gemitum ingentem pelagi, pulsataque saxa
Audimus longe, fractasque ad littora voces; 556
Exsultantque vada, atque æstu miscentur arenæ.
Et pater Anchises: Nimirum hæc illa Charybdis;
Hos Helenus scopulos, hæc saxa horrenda canebat.
Eripite, o socii, pariterque insurgite remis. 560
Haud minus ac jussi faciunt, primusque rudentem
Contorsit lævas proram Palinurus ad undas;
Lævam cuncta cohors remis ventisque petivit.
Tollimur in cœlum curvato gurgite, et idem
Subducta ad Manes imos desidimus unda. 565
Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere:
Ter spumam elisam et rorantia vidimus astra.
Interea fessos ventus cum sole reliquit;
Ignarique viæ Cyclopum allabimur oris.
Portus ab accessu ventorum immotus, et ingens 570
Ipse; sed horrificis juxta tonat Ætna ruinis,
Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo et candente favilla,
Attollitque globos flammarum, et sidera lambit:
Interdum scopulos avulsaque viscera montis 575
Erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exæstuat imo.
Fama est, Enceladi semiustum fulmine corpus
Urgeri mole hac, ingentemque insuper Ætnam
Impositam ruptis flammam expirare caminis;
Et, fessum quoties mutet latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, et cœlum subtexere fumo.
Noctem illam tecti sylvis immania monstra 583
Perferimus; nec, quæ sonitum det causa, videmus. [æthra
Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus
Siderea polus; obscuro sed nubila cœlo, 586
Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.
Postera jamque dies primo surgebat Eoo,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram:
Cum subito e sylvis, macie confecta suprema, 590
Ignoti nova forma viri, miserandaque cultu,
Procedit, supplexque manus ad litora tendit.
Respicimus. Dira illuvies, immissaque barba,
Consertum tegumen spinis; at cætera Graius,
Ut quondam patriis ad Trojam missus in armis.
Isque ubi Dardanios habitus et Troïa vidit 596
Arma procul, paulum adspectu conterritus hæsit,
Continuitque gradum; mox sese ad litora præceps
Cum fletu precibusque tulit; Per sidera testor,
Per Superos, atque hoc cœli spirabile lumen, 600
Tollite me, Teucri; quascunque abducite terras:
Hoc sat erit. Scio me Danais e classibus unum,
Et bello Iliacos fateor petiisse Penates:
Pro quo, si sceleris tanta est injuria nostri, 604
Spargite me in fluctus, vastoque immergite ponto.
Si pereo, hominum manibus periisse juvabit.
Dixerat; et genua amplexus, genibusque volutans
Hærebat. Qui sit, fari, quo sanguine cretus,
Hortamur; quæ deinde agitet fortuna, fateri. 609
Ipse pater dextram Anchises, haud multa moratus, [mat.
Dat juveni, atque animum præsenti pignore fir-
Ille hæc, deposita tandem formidine, fatur:
Sum patria ex Ithaca, comes infelicis Ulixi,
Nomen Achæmenides, Trojam genitore Adamasto
Paupere — mansissetque utinam fortuna — profectus. 615

Hic me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
Immemores socii vasto Cyclopis in antro
Deseruere. Domus sanie dapibusque cruentis,
Intus opaca, ingens. Ipse arduus, altaque pulsat
Sidera—dî talem terris avertite pestem— 620
Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli;
Visceribus miserorum et sanguine vescitur atro.
Vidi egomet, duo de numero cum corpora nostro
Prensa manu magna medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum, sanieque exspersa natarent
Limina; vidi atro cum membra fluentia tabo 626
Manderet, et tepidi tremerent sub dentibus artus.
Haud impune quidem; nec talia passus Ulixes,
Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto. 629
Nam simul, expletus dapibus, vinoque sepultus,
Cervicem inflexam posuit, jacuitque per antrum
Immensus, saniem eructans ac frusta cruento
Per somnum commixta mero, nos, magna precati
Numina, sortitique vices, una undique circum
Fundimur, et telo lumen terebramus acuto 635
Ingens, quod torva solum sub fronte latebat,
Argolici clypei aut Phœbeæ lampadis instar;
Et tandem læti sociorum ulciscimur umbras.
Sed fugite, o miseri, fugite, atque ab littore funem
Rumpite. 640
Nam, qualis quantusque cavo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes, atque ubera pressat,
Centum alii curva hæc habitant ad littora vulgo
Infandi Cyclopes, et altis montibus errant.
Tertia jam lunæ se cornua lumine complent, 645
Cum vitam in sylvis, inter deserta ferarum
Lustra domosque traho, vastosque ab rupe Cyclopas [misco.
Prospicio, sonitumque pedum vocemque tre-
Victum infelicem, baccas lapidosaque corna,
Dant rami, et vulsis pascunt radicibus herbæ. 650
Omnia collustrans, hanc primum ad litora classem
Conspexi venientem; huic me, quæcunque fuisset,
Addixi; satis est gentem effugisse nefandam.
Vos animam hanc potius quocunque absumite leto.
Vix ea fatus erat, summo cum monte videmus
Ipsum inter pecudes vasta se mole moventem 656
Pastorem Polyphemum, et littora nota petentem,
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum.
Trunca manu pinus regit, et vestigia firmat.
Lanigeræ comitantur oves, ea sola voluptas, 660
Solamenque mali. [venit,
Postquam altos tetigit fluctus, et ad æquora
Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem,
Dentibus infrendens gemitu; graditurque per æquor 664
Jam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit.
Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto
Supplice, sic merito; tacitique incidere funem;
Verrimus et proni certantibus æquora remis.
Sensit, et ad sonitum vocis vestigia torsit.
Verum ubi nulla datur dextra affectare potestas,
Nec potis Ionios fluctus æquare sequendo: 671
Clamorem immensum tollit, quo pontus, et omnes
Intremuere undæ, penitusque exterrita tellus
Italiæ, curvisque immugiit Ætna cavernis.
At genus e sylvis Cyclopum et montibus altis 675
Excitum ruit ad portus, et littora complent.
Cernimus adstantes nequicquam lumine torvo
Ætnæos fratres, cœlo capita alta ferentes,
Concilium horrendum: quales cum vertice celso
Aëriæ quercus, aut coniferæ cyparissi 680
Constiterunt, sylva alta Jovis, lucusve Dianæ.
Præcipites metus acer agit quocunque rudentes
Excutere, et ventis intendere vela secundis.
[Contra jussa monent Heleni, Scyllam atque Charybdim
Inter utramque viam, leti discrimine parvo, 685
Ni teneant cursus: certum est dare lintea retro.]
Ecce autem Boreas angusta ab sede Pelori
Missus adest. Vivo prætervehor ostia saxo
Pantagiæ, Megarosque sinus, Thapsumque jacentem.
Talia monstrabat relegens errata retrorsum 690
Littora Achæmenides, comes infelicis Ulixi.
Sicanio prætenta sinu jacet insula contra
Plemmyrium undosum, nomen dixere priores
Ortygiam. Alpheum fama est huc Elidis amnem
Occultas egisse vias subter mare, qui nunc 695
Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis.
Jussi numina magna loci veneramur; et inde
Exsupero præpingue solum stagnatis Helori.
Hinc altas cautes projectaque saxa Pachyni
Radimus; et fatis nunquam concessa moveri 700
Apparet Camarina procul, campique Geloi,
Immanisque Gela fluvii cognomine dicta.
Arduus inde Acragas ostentat maxima longe
Mœnia, magnanimûm quondam generator equorum;
Teque datis linquo ventis, palmosa Selinus, 705
Et vada dura lego saxis Lilybeïa cæcis.
Hinc Drepani me portus et illætabilis ora
Accipit. Hic, pelagi tot tempestatibus actus,
Heu genitorem, omnis curæ casusque levamen,
Amitto Anchisen. Hic me, pater optime, fessum
Deseris, heu tantis nequicquam erepte periclis!
Nec vates Helenus, cum multa horrenda moneret,
Hos mihi prædixit luctus, non dira Celæno. 713
Hic labor extremus, longarum hæc meta viarum.
Hinc me digressum vestris deus appulit oris.
Sic pater Æneas, intentis omnibus, unus
Fata renarrabat divûm, cursusque docebat.
Conticuit tandem, factoque hic fine quievit.

LIBER QUARTUS.

At regina gravi jamdudum saucia cura
Vulnus alit venis, et cæco carpitur igni.
Multa viri virtus animo, multusque recursat
Gentis honos; hærent infixi pectore vultus,
Verbaque; nec placidam membris dat cura quietem. 5
Postera Phœbea lustrabat lampade terras,
Humentemque Aurora polo dimoverat umbram;
Cum sic unanimam alloquitur male sana sororem:
Anna soror, quæ me suspensam insomnia terrent!
Quis novus hic nostris successit sedibus hospes!
Quem sese ore ferens! quam forti pectore, et armis! 11
Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum. [ille
Degeneres animos timor arguit. Heu quibus

Jactatus fatis! quæ bella exhausta canebat!
Si mihi non animo fixum immotumque sederet,
Ne cui me vinclo vellem sociare jugali, 16
Postquam primus amor deceptam morte fefellit;
Si non pertæsum thalami tædæque fuisset,
Huic uni forsan potui succumbere culpæ.
Anna, fatebor enim, miseri post fata Sychæi 20
Conjugis, et sparsos fraterna cæde Penates,
Solus hic inflexit sensus, animumque labantem
Impulit. Agnosco veteris vestigia flammæ.
Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras, 25
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam,
Ante, Pudor, quam te violo, aut tua jura resolvo.
Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit; ille habeat secum servetque sepulcro.
Sic effata sinum lacrymis implevit obortis. 30
Anna refert: O luce magis dilecta sorori,
Solane perpetua mœrens carpere juventa?
Nec dulces natos, Veneris nec præmia nôris?
Id cinerem aut Manes credis curare sepultos?
Esto: ægram nulli quondam flexere mariti; 35
Non Libyæ, non ante Tyro; despectus Iarbas,
Ductoresque alii, quos Africa terra triumphis
Dives alit: placitone etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem, quorum consederis arvis?
Hinc Gætulæ urbes, genus insuperabile bello, 40
Et Numidæ infreni cingunt, et inhospita Syrtis;
Hinc deserta siti regio, lateque furentes
Barcæi. Quid bella Tyro surgentia dicam,
Germanique minas?
Dîs equidem auspicibus reor, et Junone secunda,
Hunc cursum Iliacas vento tenuisse carinas. 46
Quam tu urbem, soror, hanc cernes! quæ surgere regna
Conjugio tali! Teucrûm comitantibus armis,
Punica se quantis attollet gloria rebus!
Tu modo posce Deos veniam, sacrisque litatis 50
Indulge hospitio, causasque innecte morandi;
Dum pelago desævit hiems, et aquosus Orion,
Quassatæque rates, dum non tractabile cœlum.
His dictis incensum animum inflammavit amore,
Spemque dedit dubiæ menti, solvitque pudorem.
Principio delubra adeunt, pacemque per aras
Exquirunt; mactant lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri, Phœboque, patrique Lyæo;
Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ. 59
Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fundit;
Aut ante ora Deûm pingues spatiatur ad aras,
Instauratque diem donis, pecudumque reclusis
Pectoribus inhians spirantia consulit exta.
Heu vatum ignaræ mentes! quid vota furentem,
Quid delubra juvant? Est mollis flamma medullas 66
Interea, et tacitum vivit sub pectore vulnus.
Uritur infelix Dido, totaque vagatur
Urbe furens: qualis conjecta cerva sagitta,
Quam procul incautam nemora inter Cresia fixit
Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum 71
Nescius; illa fuga silvas saltusque peragrat
Dictæos; hæret lateri letalis arundo.
Nunc media Æneau secum per mœnia ducit,
Sidoniasque ostentat opes, urbemque paratam;
Incipit effari, mediaque in voce resistit. 76
Nunc eadem, labente die, convivia quærit,
Iliacosque iterum demens audire labores
Exposcit, pendetque iterum narrantis ab ore.
Post, ubi digressi, lumenque obscura vicissim 80
Luna premit, suadentque cadentia sidera somnos:
Sola domo mœret vacua, stratisque relictis
Incubat. Illum absens absentem auditque videtque.
Aut gremio Ascanium, genitoris imagine capta,
Detinet, infandum si fallere possit amorem. 85
Non cœptæ assurgunt turres; non arma juventus
Exercet; portusve aut propugnacula bello
Tuta parant; pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, æquataque machina cœlo.
Quam simul ac tali persensit peste teneri 90
Cara Jovis conjux, nec famam obstare furori;
Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis:
Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis
Tuque puerque tuus, magnum et memorabile nomen,
Una dolo divûm si fœmina victa duorum est. 95
Nec me adeo fallit, veritam te mœnia nostra,
Suspectas habuisse domos Carthaginis altæ.
Sed quis erit modus? aut quo nunc certamina tanta?
Quin potius pacem æternam pactosque Hymenæos
Exercemus? habes, tota quod mente petisti: 100
Ardet amans Dido, traxitque per ossa furorem.
Communem hunc ergo populum, paribusque regamus
Auspiciis; liceat Phrygio servire marito,
Dotalesque tuæ Tyrios permittere dextræ.
Olli—sensit enim simulata mente locutam, 105
Quo regnum Italiæ Libycas averteret oras—
Sic contra est ingressa Venus: Quis talia demens
Abnuat, aut tecum malit contendere bello?
Si modo, quod memoras, factum fortuna sequatur.
Sed fatis incerta feror, si Jupiter unam 110
Esse velit Tyriis urbem Trojaque profectis,
Miscerive probet populos, aut fœdera jungi.
Tu conjux; tibi fas animum tentare precando.
Perge; sequar. Tum sic excepit regia Juno:
Mecum erit iste labor. Nunc qua ratione, quod instat, 115
Confieri possit, paucis, adverte, docebo.
Venatum Æneas unaque miserrima Dido
In nemus ire parant, ubi primos crastinus ortus
Extulerit Titan, radiisque retexerit orbem. 119
His ego nigrantem commixta grandine nimbum,
Dum trepidant alæ, saltusque indagine cingunt,
Desuper infundam, et tonitru cœlum omne ciebo.
Diffugient comites, et nocte tegentur opaca;
Speluncam Dido dux et Trojanus eandem 124
Devenient. Adero, et, tua si mihi certa voluntas,
Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.
Hic Hymenæus erit. Non adversata petenti
Annuit, atque dolis risit Cytherea repertis.
Oceanum interea surgens Aurora relinquit.
It portis jubare exorto delecta juventus. 130
Retia rara, plagæ, lato venabula ferro,
Massylique ruunt equites, et odora canum vis.
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum exspectant; ostroque insignis et auro
Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit.
Tandem progreditur, magna stipante caterva,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo;
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in auram;
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.
Necnon et Phrygii comites, et lætus Iulus, 140
Incedunt. Ipse ante alios pulcherrimus omnes
Infert se socium Æneas, atque agmina jungit.
Qualis, ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta

Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo,
Instauratque choros, mixtique altaria circum 145
Cretesque Dryopesque fremunt pictique Agathyrsi;
Ipse jugis Cynthi graditur, mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro;
Tela sonant humeris. Haud illo segnior ibat
Æneas; tantum egregio decus enitet ore. 150
Postquam altos ventum in montes, atque invia lustra,
Ecce feræ, saxi dejectæ vertice, capræ
Decurrere jugis; alia de parte patentes
Transmittunt cursu campos atque agmina cervi
Pulverulenta fuga glomerant, montesque relinquunt. 155
At puer Ascanius mediis in vallibus acri [illos,
Gaudet equo; jamque hos cursu, jam præterit
Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.
Interea magno misceri murmure cœlum 160
Incipit. Insequitur commixta grandine nimbus.
Et Tyrii comites passim, et Trojana juventus,
Dardaniusque nepos Veneris, diversa per agros
Tecta metu petiere. Ruunt de montibus amnes.
Speluncam Dido dux et Trojanus eandem 165
Deveniunt. Prima et Tellus et pronuba Juno
Dant signum: fulsere ignes, et conscius æther
Connubiis; summoque ululârunt vertice Nymphæ.
Ille dies primus leti primusque malorum
Causa fuit. Neque enim specie famave movetur,
Nec jam furtivum Dido meditatur amorem; 171
Conjugium vocat; hoc prætexit nomine culpam.
Extemplo Libyæ magnas it Fama per urbes:
Fama malum, quo non aliud velocius ullum;
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo; 175
Parva metu primo: mox sese attollit in auras,
Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.
Illam Terra parens, ira irritata deorum,
Extremam, ut perhibent, Cœo Enceladoque sororem
Progenuit, pedibus celerem et pernicibus alis;
Monstrum horrendum, ingens; cui, quot sunt corpore plumæ, 181
Tot vigiles oculi subter, mirabile dictu,
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures.
Nocte volat cœli medio terræque, per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina somno. 185
Luce sedet custos aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, et magnas territat urbes;
Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.
Hæc tum multiplici populos sermone replebat
Gaudens, et pariter facta atque infecta canebat;
Venisse Ænean, Trojano a sanguine cretum, 191
Cui se pulchra viro dignetur jungere Dido;
Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere,
Regnorum immemores, turpique cupidine captos.
Hæc passim dea fœda virûm diffundit in ora.
Protinus ad regem cursus detorquet Iarban, 196
Incenditque animum dictis, atque aggerat iras.
Hic Hammone satus, rapta Garamantide Nympha,
Templa Jovi centum latis immania regnis,
Centum aras posuit; vigilemque sacraverat ignem, 200
Excubias divûm æternas, pecudumque cruore
Pingue solum, et variis florentia limina sertis.
Isque amens animi, et rumore accensus amaro,
Dicitur ante aras, media inter numina divûm,
Multa Jovem manibus supplex orâsse supinis:
Jupiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris Lenæum libat honorem, 207
Adspicis hæc? An te, genitor, cum fulmina torques,
Nequicquam horremus? cæcique in nubibus ignes
Terrificant animos, et inania murmura miscent?
Fœmina, quæ nostris errans in finibus urbem 211
Exiguam pretio posuit, cui littus arandum,
Cuique loci leges dedimus, connubia nostra
Reppulit, ac dominum Ænean in regna recepit.
Et nunc ille Paris, cum semiviro comitatu, 215
Mæonia mentum mitra crinemque madentem
Subnixus, rapto potitur: nos munera templis
Quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem.
Talibus orantem dictis, arasque tenentem,
Audiit omnipotens, oculosque ad mœnia torsit
Regia, et, oblitos famæ melioris, amantes. 221
Tum sic Mercurium alloquitur, ac talia mandat:
Vade age, nate, voca Zephyros, et labere pennis;
Dardaniumque ducem, Tyria Carthagine qui nunc
Exspectat, fatisque datas non respicit urbes, 225
Alloquere, et celeres defer mea dicta per auras.
Non illum nobis genitrix pulcherrima talem
Promisit, Graiûmque ideo bis vindicat armis;
Sed fore, qui gravidam imperiis belloque frementem
Italiam regeret, genus alto a sanguine Teucri 230
Proderet, ac totum sub leges mitteret orbem.
Si nulla accendit tantarum gloria rerum,
Nec super ipse sua molitur laude laborem,
Ascanione pater Romanas invidet arces?
Quid struit? aut qua spe inimica in gente moratur? 235
Nec prolem Ausoniam et Lavinia respicit arva?
Naviget. Hæc summa est; hic nostri nuntius esto.
Dixerat. Ille patris magni parere parabat
Imperio; et primum pedibus talaria nectit 239
Aurea, quæ sublimem alis, sive æquora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam capit; hac animas ille evocat Orco
Pallentes; alias sub Tartara tristia mittit;
Dat somnos adimitque, et lumina morte resignat
Illa fretus agit ventos, et turbida tranat 245
Nubila. Jamque volans apicem et latera ardua cernit
Atlantis duri, cœlum qui vertice fulcit;
Atlantis, cinctum assidue cui nubibus atris
Piniferum caput et vento pulsatur et imbri;
Nix humeros infusa tegit; tum flumina mento
Præcipitant senis, et glacie riget horrida barba.
Hic primum paribus nitens Cyllenius alis 252
Constitit: hinc toto præceps se corpore ad undas
Misit; avi similis, quæ circum littora, circum
Piscosos scopulos, humilis volat æquora juxta.
[Haud aliter terras inter cœlumque volabat 256
Littus arenosum ad Libyæ, ventosque secabat,
Materno veniens ab avo Cyllenia proles.]
Ut primum alatis tetigit magalia plantis:
Ænean fundantem arces ac tecta novantem 260
Conspicit; atque illi stellatus iaspide fulva
Ensis erat, Tyrioque ardebat murice læna
Demissa ex humeris, dives quæ munera Dido
Fecerat, et tenui telas discreverat auro.

Continuo invadit: Tu nunc Carthaginis altæ 265
Fundamenta locas, pulchramque uxorius urbem
Exstruis? heu regni rerumque oblite tuarum!
Ipse deûm tibi me claro demittit Olympo
Regnator, cœlum et terras qui numine torquet;
Ipse hæc ferre jubet celeres mandata per auras:
Quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris?
Si te nulla movet tantarum gloria rerum, 372
Nec super ipse tua moliris laude laborem,
Ascanium surgentem, et spes heredis Iuli
Respice; cui regnum Italiæ Romanaque tellus
Debentur. Tali Cyllenius ore locutus 276
Mortales visus medio sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
At vero Æneas adspectu obmutuit amens,
Arrectæque horrore comæ, et vox faucibus hæsit.
Ardet abire fuga, dulcesque relinquere terras, 281
Attonitus tanto monitu imperioque deorum.
Heu quid agat? quo nunc reginam ambire furentem
Audeat affatu? quæ prima exordia sumat?
[Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc, 285
In partesque rapit varias, perque omnia versat.]
Hæc alternanti potior sententia visa est:
Mnesthea Sergestumque vocat, fortemque Cloanthum,
Classem aptent taciti, socios ad litora cogant,
Arma parent, et, quæ sit rebus caussa novandis,
Dissimulent; sese interea, quando optima Dido
Nesciat, et tantos rumpi non speret amores, 292
Tentaturum aditus, et quæ mollissima fandi
Tempora, quis rebus dexter modus. Ocius omnes
Imperio læti parent, ac jussa facessunt. 295
At regina dolos—quis fallere possit amantem?—
Præsensit, motusque excepit prima futuros;
Omnia tuta timens. Eadem impia Fama furenti
Detulit armari classem, cursumque parari.
Sævit inops animi, totamque incensa per urbem
Bacchatur; qualis commotis excita sacris 301
Thyias, ubi audito stimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithæron.
Tandem his Ænean compellat vocibus ultro:
Dissimulare etiam sperâsti, perfide, tantum 305
Posse nefas, tacitusque mea decedere terra?
Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?
Quin etiam hiberno moliris sidere classem,
Et mediis properas Aquilonibus ire per altum,
Crudelis? Quid? si non arva aliena domosque
Ignotas peteres, et Troja antiqua maneret, 312
Troja per undosum peteretur classibus æquor!
Mene fugis? Per ego has lacrymas, dextramque tuam te,
(Quando aliud mihi jam miseræ nihil ipsa reliqui) 315
Per connubia nostra, per inceptos Hymenæos;
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum, miserere domus labentis, et istam,
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.
Te propter Libycæ gentes Nomadumque tyranni
Odere; infensi Tyrii; te propter eundem 321
Exstinctus pudor, et, qua sola sidera adibam,
Fama prior. Cui me moribundam deseris, hospes?
Hoc solum nomen quoniam de conjuge restat.
Quid moror? an mea Pygmalion dum mœnia frater 325
Destruat, aut captam ducat Gætulus Iarbas?
Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam soboles; si quis mihi parvulus aula
Luderet Æneas, qui te tamen ore referret;
Non equidem omnino capta ac deserta viderer.
Dixerat. Ille Jovis monitis immota tenebat 331
Lumina, et obnixus curam sub corde premebat.
Tandem pauca refert: Ego te, quæ plurima fando
Enumerare vales, nunquam, regina, negabo
Promeritam; nec me meminisse pigebit Elissæ,
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus. 336
Pro re pauca loquar. Neque ego hanc abscondere furto
Speravi, ne finge, fugam; nec conjugis unquam
Prætendi tædas, aut hæc in fœdera veni.
Me si fata meis paterentur ducere vitam 340
Auspiciis, et sponte mea componere curas,
Urbem Trojanam primum dulcesque meorum
Reliquias colerem; Priami tecta alta manerent;
Et recidiva manu posuissem Pergama victis.
Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo, 345
Italiam Lyciæ jussere capessere sortes.
Hic amor, hæc patria est. Si te Carthaginis arces
Phœnissam, Libycæque adspectus detinet urbis,
Quæ tandem Ausonia Teucros considere terra
Invidia est? Et nos fas extera quærere regna. 350
Me patris Anchisæ, quoties humentibus umbris
Nox operit terras, quoties astra ignea surgunt,
Admonet in somnis et turbida terret imago:
Me puer Ascanius, capitisque injuria cari, 354
Quem regno Hesperiæ fraudo et fatalibus arvis.
Nunc etiam interpres divûm, Jove missus ab ipso,
(Testor utrumque caput) celeres mandata per auras
Detulit. Ipse deum manifesto in lumine vidi
Intrantem muros, vocemque his auribus hausi.
Desine meque tuis incendere teque querelis; 360
Italiam non sponte sequor.
Talia dicentem jamdudum aversa tuetur,
Huc illuc volvens oculos, totumque pererrat
Luminibus tacitis, et sic accensa profatur:
Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor, 365
Perfide; sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæque admôrunt ubera tigres.
Nam quid dissimulo? aut quæ me ad majora reservo?
Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lacrymas victus dedit, aut miseratus amantem est? 370
Quæ quibus anteferam? Jam, jam nec maxima Juno,
Nec Saturnius hæc oculis pater adspicit æquis.
Nusquam tuta fides. Ejectum litore, egentem
Excepi, et regni demens in parte locavi;
Amissam classem, socios, a morte reduxi. 375
Heu Furiis incensa feror! Nunc augur Apollo,
Nunc Lyciæ sortes, nunc et Jove missus ab ipso
Interpres divûm fert horrida jussa per auras.
Scilicet is superis labor est; ea cura quietos 379
Sollicitat. Neque te teneo, neque dicta refello.
I, sequere Italiam ventis; pete regna per undas.
Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,
Supplicia hausurum scopulis, et nomine Dido
Sæpe vocaturum. Sequar atris ignibus absens;
Et, cum frigida mors anima seduxerit artus, 385
Omnibus umbra locis adero. Dabis, improbe, pœnas.
Audiam; et hæc Manes veniet mihi fama sub [imos.
His medium dictis sermonem abrumpit, et auras

Ægra fugit, seque ex oculis avertit et aufert,
Linquens multa metu cunctantem, et multa parantem 390
Dicere. Suscipiunt famulæ, collapsaque membra
Marmoreo referunt thalamo, stratisque reponunt.
At pius Æneas, quanquam lenire dolentem
Solando cupit, et dictis avertere curas,
Multa gemens, magnoque animum labefactus amore; 395
Jussa tamen divûm exsequitur, classemque revisit.
Tum vero Teucri incumbunt, et littore celsas
Deducunt toto naves. Natat uncta carina:
Frondentesque ferunt remos et robora silvis
Infabricata, fugæ studio. 400
Migrantes cernas, totaque ex urbe ruentes.
Ac veluti ingentem formicæ farris acervum
Cum populant, hiemis memores, tectoque reponunt;
It nigrum campis agmen, prædamque per herbas
Convectant calle angusto; pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris; pars agmina cogunt,
Castigantque moras: opere omnis semita fervet.
Quis tibi tunc, Dido, cernenti talia sensus! 408
Quosve dabas gemitus, cum littora fervere late
Prospiceres arce ex summa, totumque videres
Misceri ante oculos tantis clamoribus æquor! 411
Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?
Ire iterum in lacrymas, iterum tentare precando
Cogitur, et supplex animos submittere amori,
Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.
Anna, vides toto properari littore; circum 416
Undique convenere; vocat jam carbasus auras;
Puppibus et læti nautæ imposuere coronas.
Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,
Et perferre, soror, potero. Miseræ hoc tamen unum 420
Exsequere, Anna, mihi; solam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus;
Sola viri molles aditus et tempora nôras.
I, soror, atque hostem supplex affare superbum:
Non ego cum Danais Trojanam exscindere gentem 425
Aulide juravi, classemve ad Pergama misi;
Nec patris Anchisæ cinerem Manesve revelli:
Cur mea dicta negat duras demittere aures?
Quo ruit? extremum hoc miseræ det munus amanti:
Exspectet facilemque fugam, ventosque ferentes.
Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro; 431
Nec pulchro ut Latio careat, regnumque relinquat:
Tempus inane peto, requiem spatiumque furori;
Dum mea me victam doceat fortuna dolere.
Extremam hanc oro veniam—miserere sororis—
Quam mihi cum dederis, cumulatam morte remittam. 436
Talibus orabat, talesque miserrima fletus
Fertque refertque soror: sed nullis ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit.
Fata obstant, placidasque viri deus obstruit aures.
Ac velut annoso validam quum robore quercum
Alpini Boreæ nunc hinc nunc flatibus illinc 442
Eruere inter se certant; it stridor, et alte
Consternunt terram concusso stipite frondes;
Ipsa hæret scopulis; et quantum vertice ad auras
Ætherias, tantum radice in Tartara tendit: 446
Haud secus assiduis hinc atque hinc vocibus heros
Tunditur, et magno persentit pectore curas:
Mens immota manet; lacrymæ volvuntur inanes.
Tum vero infelix, fatis exterrita, Dido 450
Mortem orat; tædet cœli convexa tueri;
Quo magis inceptum peragat, lucemque relinquat,
Vidit, thuricremis cum dona imponeret aris,
(Horrendum dictu) latices nigrescere sacros,
Fusaque in obscænum se vertere vina cruorem.
Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori. 456
Præterea fuit in tectis de marmore templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,
Velleribus niveis et festa fronde revinctum:
Hinc exaudiri voces et verba vocantis 460
Visa viri, nox cum terras obscura teneret;
Solaque culminibus ferali carmine bubo
Sæpe queri, et longas in fletum ducere voces.
Multaque præterea vatum prædicta piorum
Terribili monitu horrificant. Agit ipse furentem
In somnis ferus Æneas; semperque relinqui 466
Sola sibi, semper longam incomitata videtur
Ire viam, et Tyrios deserta quærere terra. [theus,
Eumenidum veluti demens videt agmina Pen-
Et solem geminum, et duplices se ostendere Thebas: 470
Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes,
Armatam facibus matrem et serpentibus atris
Cum fugit, ultricesque sedent in limine Diræ.
Ergo ubi concepit furias evicta dolore,
Decrevitque mori, tempus secum ipsa modumque 475
Exigit, et, mœstam dictis aggressa sororem,
Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat:
Inveni, germana, viam—gratare sorori—
Quæ mihi reddat eum, vel eo me solvat amantem.
Oceani finem juxta, solemque cadentem 480
Ultimus Æthiopum locus est, ubi maximus Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.
Hinc mihi Massylæ gentis monstrata sacerdos,
Hesperidum templi custos, epulasque draconi
Quæ dabat, et sacros servabat in arbore ramos,
Spargens humida mella soporiferumque papaver.
Hæc se carminibus promittit solvere mentes
Quas velit; ast aliis duras immittere curas;
Sistere aquam fluviis, et vertere sidera retro;
Nocturnosque ciet Manes; mugire videbis 490
Sub pedibus terram, et descendere montibus ornos.
Testor, cara, deos, et te, germana, tuumque
Dulce caput, magicas invitam accingier artes.
Tu secreta pyram tecto interiore sub auras
Erige; et arma viri, thalamo quæ fixa reliquit 495
Impius, exuviasque omnes, lectumque jugalem,
Quo perii, superimponas. Abolere nefandi
Cuncta viri monumenta jubet monstratque sacerdos.
Hæc effata silet: pallor simul occupat ora.
Non tamen Anna novis prætexere funera sacris
Germanam credit, nec tantos mente furores 501
Concipit, aut graviora timet, quam morte Sychæi.
Ergo jussa parat.
At regina, pyra penetrali in sede sub auras
Erecta ingenti, tædis atque ilice secta, 505
Intenditque locum sertis, et fronde coronat
Funerea; super exuvias, ensemque relictum,
Effigiemque toro locat, haud ignara futuri.
Stant aræ circum; et crines effusa sacerdos
Ter centum tonat ore deos, Erebumque, Chaosque, 510
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

Sparserat et latices simulatos fontis Averni;
Falcibus et messæ ad Lunam quæruntur aënis
Pubentes herbæ, nigri cum lacte veneni;
Quæritur et nascentis equi de fronte revulsus,
Et matri præreptus amor. 516
Ipsa mola manibusque piis, altaria juxta,
Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta,
Testatur moritura deos, et conscia fati 519
Sidera; tum, si quod non æquo fœdere amantes
Curæ numen habet justumque memorque, precatur.
Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, sylvæque et sæva quiêrant
Æquora; cum medio volvuntur sidera lapsu,
Cum tacet omnis ager, pecudes, pictæque volucres, 525
Quæque lacus late liquidos, quæque aspera dumis
Rura tenent, somno positæ sub nocte silenti.
[Lenibant curas, et corda oblita laborum.]
At non infelix animi Phœnissa, neque unquam
Solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem 530
Accipit: ingeminant curæ; rursusque resurgens
Sævit amor, magnoque irarum fluctuat æstu.
Sic adeo insistit, secumque ita corde volutat:
En quid ago? rursusne procos irrisa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia supplex, 535
Quos ego sim toties jam dedignata maritos?
Iliacas igitur classes, atque ultima Teucrûm
Jussa sequar? quiane auxilio juvat ante levatos,
Aut bene apud memores veteris stat gratia facti?
Quis me autem—fac velle—sinet? ratibusve superbis 540
Invisam accipiet? nescis heu, perdita, necdum
Laomedonteæ sentis perjuria gentis?
Quid tum? sola fuga nautas comitabor ovantes?
An Tyriis omnique manu stipata meorum
Inferar? et, quos Sidonia vix urbe revelli, 545
Rursus agam pelago, et ventis dare vela jubebo?
Quin morere, ut merita es; ferroque averte dolorem.
Tu, lacrimis evicta meis, tu prima furentem
His, germana, malis oneras, atque objicis hosti.
Non licuit thalami expertem sine crimine vitam
Degere, more feræ, tales nec tangere curas! 551
Non servata fides cineri promissa Sychæo!
Tantos illa suo rumpebat pectore questus.
Æneas celsa in puppi, jam certus eundi,
Carpebat somnos, rebus jam rite paratis. 555
Huic se forma dei vultu redeuntis eodem
Obtulit in somnis, rursusque ita visa monere est;
Omnia Mercurio similis, vocemque, coloremque,
Et crines flavos, et membra decora juventæ.
Nate dea, potes hoc sub casu ducere somnos?
Nec quæ te circum stent deinde pericula cernis, 561
Demens? nec Zephyros audis spirare secundos?
Illa dolos dirumque nefas in pectore versat,
Certa mori, varioque irarum fluctuat æstu.
Non fugis hinc præceps, dum præcipitare potestas? 565
Jam mare turbari trabibus, sævasque videbis
Collucere faces, jam fervere littora flammis,
Si te his attigerit terris Aurora morantem.
Eia age, rumpe moras. Varium et mutabile semper
Fœmina. Sic fatus nocti se immiscuit atræ. 570
Tum vero Æneas, subitis exterritus umbris,
Corripit e somno corpus, sociosque fatigat;
Præcipites vigilate, viri, et considite transtris;
Solvite vela citi. Deus, æthere missus ab alto,
Festinare fugam, tortosque incidere funes 575
Ecce iterum stimulat. Sequimur te, sancte deorum,
Quisquis es, imperioque iterum paremus ovantes.
Adsis o, placidusque juves, et sidera cœlo
Dextra feras. Dixit; vaginaque eripit ensem
Fulmineum, strictoque ferit retinacula ferro. 580
Idem omnes simul ardor habet; rapiuntque, ruuntque;
Littora deseruere; latet sub classibus æquor;
Adnixi torquent spumas, et cærula verrunt.
Et jam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile. 585
Regina e speculis ut primum albescere lucem
Vidit, et æquatis classem procedere velis,
Littoraque et vacuos sensit sine remige portus:
Terque quaterque manu pectus percussa decorum,
Flaventesque abscissa comas, Pro Jupiter! ibit
Hic, ait, et nostris illuserit advena regnis? 591
Non arma expedient, totaque ex urbe sequentur,
Deripientque rates alii navalibus? Ite,
Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.
Quid loquor? aut ubi sum? quæ mentem insania mutat? 595
Infelix Dido, nunc te facta impia tangunt?
Tum decuit, cum sceptra dabas. En dextra fidesque!
Quem secum patrios aiunt portare Penates!
Quem subiisse humeris confectum ætate parentem!
Non potui abreptum divellere corpus, et undis
Spargere? non socios, non ipsum absumere ferro 601
Ascanium, patriisque epulandum ponere mensis?
Verum anceps pugnæ fuerat fortuna. Fuisset;
Quem metui moritura? Faces in castra tulissem,
Implêssemque foros flammis, natumque patremque 605
Cum genere extinxem, memet super ipsa dedissem.
Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras,
Tuque harum interpres curarum et conscia Juno,
Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes,
Et Diræ ultrices, et dî morientis Elissæ, 610
Accipite hæc, meritumque malis advertite numen,
Et nostras audite preces. Si tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare necesse est;
Et sic fata Jovis poscunt; hic terminus hæret:
At bello audacis populi vexatus et armis, 615
Finibus extorris, complexu avulsus Iuli
Auxilium imploret, videatque indigna suorum
Funera; nec, cum se sub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno aut optata luce fruatur:
Sed cadat ante diem mediaque inhumatus arena.
Hæc precor; hanc vocem extremam cum sanguine fundo. 621
Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum
Exercete odiis; cinerique hæc mittite nostro
Munera. Nullus amor populis, nec fœdera sunto.
Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor, 625
Qui face Dardanios ferroque sequare colonos,
Nunc, olim, quocunque dabunt se tempore vires.
Littora littoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis: pugnent ipsique nepotesque.
Hæc ait, et partes animum versabat in omnes,

Invisam quærens quamprimum abrumpere lucem. 631
Tum breviter Barcen nutricem affata Sychæi—
Namque suam patria antiqua cinis ater habebat—
Annam, cara mihi nutrix, huc siste sororem;
Dic corpus properet fluviali spargere lympha, 635
Et pecudes secum et monstrata piacula ducat:
Sic veniat; tuque ipsa pia tege tempora vitta.
Sacra Jovi Stygio, quæ rite incepta paravi,
Perficere est animus, finemque imponere curis,
Dardaniique rogum capitis permittere flammæ.
Sic ait. Illa gradum studio celerabat anili. 641
At trepida et cœptis immanibus effera Dido,
Sanguineam volvens aciem, maculisque trementes
Interfusa genas, et pallida morte futura,
Interiora domus irrumpit limina, et altos 645
Conscendit furibunda rogos, ensemque recludit
Dardanium, non hos quæsitum munus in usus.
Hic, postquam Iliacas vestes notumque cubile
Conspexit, paullum lacrimis et mente morata,
Incubuitque toro, dixitque novissima verba: 650
Dulcis exuviæ, dum fata deusque sinebant,
Accipite hanc animam, meque his exsolvite curis.
Vixi, et quem dederat cursum fortuna peregi;
Et nunc magna mei sub terras ibit imago.
Urbem præclaram statui; mea mœnia vidi; 655
Ulta virum, pœnas inimico a fratre recepi:
Felix, heu nimium felix, si littora tantum
Nunquam Dardaniæ tetigissent nostra carinæ!
Dixit; et os impressa toro, Moriemur inultæ!
Sed moriamur, ait. Sic, sic juvat ire sub umbras.
Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto 661
Dardanus, et nostræ secum ferat omina mortis.
Dixerat. Atque illam media inter talia ferro
Collapsam adspiciunt comites, ensemque cruore
Spumantem, sparsasque manus. It clamor ad alta 665
Atria. Concussam bacchatur fama per urbem.
Lamentis, gemituque, et femineo ululatu
Tecta fremunt; resonat magnis plangoribus æther:
Non aliter, quam si immissis ruat hostibus omnis
Carthago, aut antiqua Tyros; flammæque furentes 670
Culmina perque hominum volvantur perque deorum.
Audiit exanimis, trepidoque exterrita cursu,
Unguibus ora soror fœdans, et pectora pugnis,
Per medios ruit, ac morientem nomine clamat:
Hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas? 675
Hoc rogus iste mihi, hoc ignes aræque parabant?
Quid primum deserta querar? comitemne sororem
Sprevisti moriens? eadem me ad fata vocâsses:
Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora tulisset.
His etiam struxi manibus, patriosque vocavi 680
Voce deos, sic te ut posita, crudelis, abessem?
Extinxti me teque, soror, populumque, patresque
Sidonios, urbemque tuam. Date vulnera lymphis,
Abluam, et, extremus si quis super halitus errat,
Ore legam. Sic fata gradus evaserat altos, 685
Semianimemque sinu germanam amplexa fovebat
Cum gemitu, atque atros siccabat veste cruores.
Illa, graves oculos conata attollere, rursus
Deficit. Infixum stridit sub pectore vulnus.
Ter sese attollens cubitoque adnixa levavit; 690
Ter revoluta toro est, oculisque errantibus alto
Quæsivit cœlo lucem, ingemuitque reperta.
Tum Juno omnipotens, longum miserata dolorem
Difficilesque obitus, Irim demisit Olympo,
Quæ luctantem animam nexosque resolveret artus. 695
Nam, quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem, subitoque accensa furore,
Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.
Ergo Iris croceis per cœlum roscida pennis, 700
Mille trahens varios adverso sole colores,
Devolat, et supra caput adstitit: Hunc ego Diti
Sacrum jussa fero, teque isto corpore solvo.
Sic ait, et dextra crinem secat. Omnis et una
Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit. 705

LIBER QUINTUS.

Interea medium Æneas jam classe tenebat
Certus iter, fluctusque atros Aquilone secabat,
Mœnia respiciens, quæ jam infelicis Elissæ
Collucent flammis. Quæ tantum accenderit ignem,
Caussa latet: duri magno sed amore dolores 5
Polluto, notumque, furens quid fœmina possit,
Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.
Ut pelagus tenuere rates, nec jam amplius ulla
Occurrit tellus; maria undique, et undique cœlum;
Olli cæruleus supra caput adstitit imber, 10
Noctem hiememque ferens; et inhorruit unda tenebris.
Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta:
Heu! quianam tanti cinxerunt æthera nimbi?
Quidve, pater Neptune, paras? Sic deinde locutus
Colligere arma jubet, validisque incumbere remis; 15
Obliquatque sinus in ventum, ac talia fatur:
Magnanime Ænea, non, si mihi Jupiter auctor
Spondeat, hoc sperem Italiam contingere cœlo.
Mutati transversa fremunt, et vespere ab atro
Consurgunt venti, atque in nubem cogitur aër.
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum 21
Sufficimus. Superat quoniam Fortuna, sequamur,
Quoque vocat, vertamus iter. Nec littora longe
Fida reor fraterna Erycis, portusque Sicanos;
Si modo rite memor servata remetior astra. 25
Tum pius Æneas: Equidem sic poscere ventos
Jamdudum, et frustra cerno te tendere contra.
Flecte viam velis. An sit mihi gratior ulla,
Quove magis fessas optem demittere naves,
Quam quæ Dardanium tellus mihi servat Acesten,
Et patris Anchisæ gremio complectitur ossa? 31
Hæc ubi dicta, petunt portus, et vela secundi
Intendunt Zephyri; fertur cita gurgite classis;
Et tandem læti notæ advertuntur arenæ.
At procul excelso miratus vertice montis 35
Adventum sociasque rates, occurrit Acestes,
Horridus in jaculis et pelle Libystidis ursæ,
Troia Crimiso conceptum flumine mater

Quem genuit. Veterum non immemor ille parentum
Gratatur reduces, et gaza lætus agresti 40
Excipit, ac fessos opibus solatur amicis.
Postera cum primo stellas Oriente fugârat
Clara dies, socios in cœtum littore ab omni
Advocat Æneas, tumulique ex aggere fatur:
Dardanidæ magni, genus alto a sanguine divûm,
Annuus exactis completur mensibus orbis, 46
Ex quo reliquias divinique ossa parentis
Condidimus terra, mœstasque sacravimus aras.
Jamque dies, ni fallor, adest, quem semper acerbum,
Semper honoratum (sic dî voluistis), habebo. 50
Hunc ego Gætulis agerem si Syrtibus exul,
Argolicove mari deprensus, et urbe Mycenæ,
Annua vota tamen sollennesque ordine pompas
Exsequerer, strueremque suis altaria donis.
Nunc ultro ad cineres ipsius et ossa parentis, 55
Haud equidem sine mente, reor, sine numine divûm,
Adsumus, et portus delati intramus amicos.
Ergo agite, et lætum cuncti celebremus honorem;
Poscamus ventos; atque hæc me sacra quotannis
Urbe velit posita templis sibi ferre dicatis. 60
Bina boum vobis Troja generatus Acestes
Dat numero capita in naves; adhibete Penates
Et patrios epulis, et quos colit hospes Acestes.
Præterea, si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radiisque retexerit orbem, 65
Prima citæ Teucris ponam certamina classis;
Quique pedum cursu valet, et qui viribus audax
Aut jaculo incedit melior levibusque sagittis,
Seu crudo fidit pugnam committere cæstu:
Cuncti adsint, meritæque exspectent præmia palmæ, 70
Ore favete omnes, et tempora cingite ramis.
Sic fatus, velat materna tempora myrto.
Hoc Elymus facit, hoc ævi maturus Acestes,
Hoc puer Ascanius; sequitur quos cætera pubes.
Ille e concilio multis cum millibus ibat 75
Ad tumulum, magna medius comitante caterva.
Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro;
Purpureosque jacit flores, ac talia fatur:
Salve, sancte parens, iterum; salvete recepti 80
Nequicquam cineres, animæque umbræque paternæ.
Non licuit fines Italos, fataliaque arva,
Nec tecum Ausonium, quicunque est, quærere Tibrim.
Dixerat hæc: adytis cum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina traxit, 85
Amplexus placide tumulum, lapsusque per aras:
Cæruleæ cui terga notæ, maculosus et auro
Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus
Mille jacit varios adverso sole colores.
Obstupuit visu Æneas. Ille agmine longo 90
Tandem inter pateras et lævia pocula serpens,
Libavitque dapes, rursusque innoxius imo
Successit tumulo, et depasta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori instaurat honores,
Incertus Geniumne loci, famulumne parentis 95
Esse putet; cædit binas de more bidentes,
Totque sues, totidem nigrantes terga juvencos:
Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat
Anchisæ magni, Manesque Acheronte remissos.
Nec non et socii, quæ cuique est copia, læti 100
Dona ferunt, onerantque aras, mactantque juvencos.
Ordine aëna locant alii, fusique per herbam
Subjiciunt veribus prunas, et viscera torrent.
Exspectata dies aderat, nonamque serena
Auroram Phaëthontis equi jam luce vehebant;
Famaque finitimos et clari nomen Acestæ 106
Excierat: læto complêrant littora cœtu
Visuri Æneadas, pars et certare parati.
Munera principio ante oculos circoque locantur
In medio; sacri tripodes, viridesque coronæ, 110
Et palmæ, pretium victoribus, armaque, et ostro
Perfusæ vestes, argenti aurique talenta;
Et tuba commissos medio canit aggere ludos.
Prima pares ineunt gravibus certamina remis
Quatuor, ex omni delectæ classe, carinæ. 115
Velocem Mnestheus agit acri remige Pristin;
Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmî;
Ingentemque Gyas ingenti mole Chimæram,
Urbis opus, triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt, terno consurgunt ordine remi; 120
Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen,
Centauro invehitur magna; Scyllâque Cloanthus
Cærulea, genus unde tibi, Romane Cluenti.
Est procul in pelago saxum spumantia contra
Littora, quod tumidis submersum tunditur olim
Fluctibus, hiberni condunt ubi sidera Cori; 126
Tranquillo silet, immotaque attollitur unda
Campus, et apricis statio gratissima mergis.
Hic viridem Æneas frondenti ex ilice metam
Constituit signum nautis pater, unde reverti 130
Scirent, et longos ubi circumflectere cursus.
Tum loca sorte legunt, ipsique in puppibus auro
Ductores longe effulgent ostroque decori;
Cætera populea velatur fronde juventus,
Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit. 135
Considunt transtris, intentaque brachia remis;
Intenti exspectant signum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans, laudumque arrecta cupido.
Inde, ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes, 139
Haud mora, prosiluere suis; ferit æthera clamor
Nauticus; adductis spumant freta versa lacertis.
Infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit
Convulsum remis rostrisque tridentibus æquor.
Non tam præcipites bijugo certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus; 145
Nec sic immissis aurigæ undantia lora
Concussere jugis, pronique in verbera pendent.
Tum plausu fremitque virûm studiisque faventum
Consonat omne nemus, vocemque inclusa volutant
Littora; pulsati colles clamore resultant. 150
Effugit ante alios, primisque elabitur undis
Turbam inter fremitumque Gyas; quem deinde Cloanthus
Consequitur, melior remis: sed pondere pinus
Tarda tenet. Post hos æquo discrimine Pristis
Centaurusque locum tendunt superare priorem;
Et nunc Pristis habet, nunc victam præterit ingens 156
Centaurus; nunc una ambæ junctisque feruntur
Frontibus, et longa sulcant vada salsa carina.
Jamque propinquabant scopulo, metamque tenebant:
Cum princeps medioque Gyas in gurgite victor
Rectorem navis compellat voce Menœten: 161
Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige gressum;
Littus ama, et lævas stringat sine palmula cautes;

Altum alii teneant. Dixit: sed cæca Menœtes
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad undas. 165
Quo diversus abis? iterum, pete saxa, Menœte,
Cum clamore Gyas revocabat; et ecce Cloanthum
Respicit instantem tergo, et propiora tenentem.
Ille inter navemque Gyæ scopulosque sonantes
Radititer lævum interior, subitoque priorem 170
Præterit, et metis tenet æquora tuta relictis.
Tum vero exarsit juveni dolor ossibus ingens;
Nec lacrymis caruere genæ; segnemque Menœten,
Oblitus decorisque sui sociûmque salutis,
In mare præcipitem puppi deturbat ab alta; 175
Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister,
Hortaturque viros, clavumque ad littora torquet.
At gravis, ut fundo vix tandem redditus imo est
Jam senior, madidaque fluens in veste, Menœtes,
Summa petit scopuli, siccaque in rupe resedit. 180
Illum et labentem Teucri, et risere natantem.
[Et salsos rident revomentem pectore fluctus.]
Hic læta extremis spes est accensa duobus,
Sergesto Mnestheique, Gyan superare morantem.
Sergestus capit ante locum, scopuloque propinquat: 185
Nec tota tamen ille prior præeunte carina;
Parte prior, partem rostro premit æmula Pristis.
At media socios incedens nave per ipsos [mis,
Hortatur Mnestheus: Nunc, nunc insurgite re-
Hectorei socii, Trojæ quos sorte suprema 190
Delegi comites; nunc illas promite vires,
Nunc animos, quibus in Gætulis Syrtibus usi,
Ionioque mari, Maleæque sequacibus undis.
Non jam prima peto Mnestheus, neque vincere certo;
Quanquam o! sed superent, quibus hoc, Neptune, dedisti; 195
Extremos pudeat rediisse: hoc vincite, cives,
Et prohibete nefas. Olli certamine summo
Procumbunt; vastis tremit ictibus ærea puppis,
Subtrahiturque solum; tum creber anhelitus artus
Aridaque ora quatit; sudor fluit undique rivis.
Attulit ipse viris optatum casus honorem. 201
Namque furens animi dum proram ad saxa suburget
Interior, spatioque subit Sergestus iniquo,
Infelix saxis in procurrentibus hæsit.
Concussæ cautes, et acuto in murice remi 201
Obnixi crepuere, illisaque prora pependit.
Consurgunt nautæ, et magno clamore morantur;
Ferratasque trudes et acuta cuspide contos
Expediunt, fractosque legunt in gurgite remos.
At lætus Mnestheus, successuque acrior ipso, 210
Agmine remorum celeri, ventisque vocatis,
Prona petit maria, et pelago decurrit aperto.
Qualis spelunca subito commota columba,
Cui domus et dulces latebroso in pumice nidi,
Fertur in arva volans, plausumque exterrita pennis 215
Dat tecto ingentem: mox aëre lapsa quieto
Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas:
Sic Mnestheus, sic ipsa fuga secat ultima Pristis
Æquora, sic illam fert impetus ipse volantem.
Et primum in scopulo luctantem deserit alto 220
Sergestum brevibusque vadis, frustraque vocantem
Auxilia, et fractis discentem currere remis.
Inde Gyan ipsamque ingenti mole Chimæram
Consequitur; cedit, quoniam spoliata magistro est.
Solus jamque ipso superest in fine Cloanthus: 225
Quem petit, et summis adnixus viribus urget.
Tum vero ingeminat clamor, cunctique sequentem
Instigant studiis, resonatque fragoribus æther.
Hi proprium decus et partum indignantur honorem
Ni teneant; vitamque volunt pro laude pacisci:
Hos successus alit; possunt, quia posse videntur. 231
Et fors æquatis cepissent præmia rostris,
Ni, palmas ponto tendens utrasque, Cloanthus
Fudissetque preces, divosque in vota vocâsset:
Dî quibus imperium est pelagi, quorum æquora curro, 235
Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum
Constituam ante aras voti reus, extaque salsos
Porriciam in fluctus, et vina liquentia fundam.
Dixit, eumque imis sub fluctibus audiit omnis
Nereidum Phorcique chorus, Panopeaque virgo,
Et pater ipse manu magna Portunus euntem 241
Impulit: illa noto citius volucrique sagitta
Ad terram fugit, et portu se condidit alto.
Tum satus Anchisa, cunctis ex more vocatis,
Victorem magna præconis voce Cloanthum 245
Declarat, viridique advelat tempora lauro;
Muneraque in naves ternos optare juvencos,
Vinaque, et argenti magnum dat ferre talentum.
Ipsis præcipuos ductoribus addit honores;
Victori chlamydem auratam, quam plurima circum 250
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit;
Intextusque puer frondosa regius Ida
Veloces jaculo cervos cursuque fatigat
Acer, anhelanti similis, quem præpes ab Ida 254
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.
Longævi palmas nequicquam ad sidera tendunt
Custodes; sævitque canum latratus in auras.
At qui deinde locum tenuit virtute secundum,
Lævibus huic hamis concertam auroque trilicem
Loricam, quam Demoleo detraxerat ipse 260
Victor apud rapidum Simoënta sub Ilio alto,
Donat habere viro, decus et tutamen in armis.
Vix illam famuli Phegeus Sagarisque ferebant
Multiplicem, connixi humeris; indutus at olim
Demoleos cursu palantes Troas agebat. 265
Tertia dona facit geminos ex ære lebetas,
Cymbiaque argento perfecta, atque aspera signis.
Jamque adeo donati omnes, opibusque superbi,
Puniceis ibant evincti tempora tænis:
Cum sævo e scopulo multa vix arte revulsus, 270
Amissis remis, atque ordine debilis uno,
Irrisam sine honore ratem Sergestus agebat.
Qualis sæpe viæ deprensus in aggere serpens,
Ærea quem obliquum rota transiit, aut gravis ictu
Seminecem liquit saxo lacerumque viator, 275
Nequicquam longos fugiens dat corpore tortus,
Parte ferox, ardensque oculis, et sibila colla
Arduus attollens; pars vulnere clauda retentat
Nexantem nodis, seque in sua membra plicantem.
Tali remigio navis se tarda movebat; 280
Vela facit tamen, et velis subit ostia plenis.
Sergestum Æneas promisso munere donat,
Servatam ob navem lætus sociosque reductos.
Olli serva datur, operum haud ignara Minervæ,

Cressa genus Pholoë, geminique sub ubere nati.
Hoc pius Æneas misso certamine tendit 286
Gramineum in campum, quem collibus undique curvis
Cingebant sylvæ, mediaque in valle theatri
Circus erat, quo se multis cum millibus heros
Consessu medium tulit, exstructoque resedit. 290
Hic, qui forte velint rapido contendere cursu,
Invitat pretiis animos, et præmia ponit.
Undique conveniunt Teucri, mixtique Sicani;
Nisus et Euryalus primi:
Euryalus forma insignis viridique juventa, 295
Nisus amore pio pueri; quos deinde secutus
Regius egregia Priami de stirpe Diores;
Hunc Salius, simul et Patron: quorum alter Acarnan,
Alter ab Arcadio Tegeææ sanguine gentis;
Tum duo Trinacrii juvenes, Elymus Panopesque, 300
Assueti sylvis, comites senioris Acestæ;
Multi præterea, quos fama obscura recondit.
Æneas quibus in mediis sic deinde locutus:
Accipite hæc animis, lætasque advertite mentes.
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Gnossia bina dabo lævato lucida ferro 306
Spicula cælatamque argento ferre bipennem:
Omnibus hic erit unus honos. Tres præmia primi
Accipient, flavaque caput nectentur oliva:
Primus equum phaleris insignem victor habeto;
Alter Amazoniam pharetram plenamque sagittis
Threiciis, lato quam circumplectitur auro 312
Balteus, et tereti subnectit fibula gemma;
Tertius Argolica hac galea contentus abito.
Hæc ubi dicta, locum capiunt, signoque repente
Corripiunt spatia audito, limenque relinquunt,
Effusi nimbo similes; simul ultima signant. 317
Primus abit, longeque ante omnia corpora Nisus
Emicat, et ventis et fulminis ocior alis.
Proximus huic, longo sed proximus intervallo,
Insequitur Salius; spatio post deinde relicto 321
Tertius Euryalus;
Euryalumque Elymus sequitur; quo deinde sub ipso
Ecce volat, calcemque terit jam calce Diores,
Incumbens humero: spatia et si plura supersint,
Transeat elapsus prior, ambiguumve relinquat.
Jamque fere spatio extremo, fessique sub ipsam
Finem adventabant: lævi cum sanguine Nisus
Labitur infelix; cæsis ut forte juvencis
Fusus humum viridesque super madefecerat herbas. 330
Hic juvenis jam victor ovans, vestigia presso
Haud tenuit titubata solo; sed pronus in ipso
Concidit immundoque fimo sacroque cruore.
Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum:
Nam sese opposuit Salio per lubrica surgens;
Ille autem spissa jacuit revolutus arena. 326
Emicat Euryalus, et munere victor amici
Prima tenet, plausuque volat fremituque secundo.
Post Elymus subit, et nunc tertia palma Diores.
Hic totum caveæ consessum ingentis, et ora 340
Prima patrum magnis Salius clamoribus implet,
Ereptumque dolo reddi sibi poscit honorem.
Tutatur favor Euryalum, lacrymæque decoræ,
Gratior et pulchro veniens in corpore virtus.
Adjuvat, et magna proclamat voce Diores, 345
Qui subiit palmæ, frustraque ad præmia venit
Ultima, si primi Salio redduntur honores.
Tum pater Æneas, Vestra, inquit, munera vobis
Certa manent, pueri; et palmam movet ordine nemo:
Me liceat casus miserari insontis amici. 350
Sic fatus, tergum Gætuli immane leonis
Dat Salio, villis onerosum atque unguibus aureis.
Hic Nisus, Si tanta, inquit, sunt præmia victis,
Et te lapsorum miseret: quæ munera Niso
Digna dabis? primam merui qui laude coronam;
Ni me, quæ Salium, fortuna inimica tulisset. 356
Et simul his dictis faciem ostentabat, et udo
Turpia membra fimo. Risit pater optimus olli;
Et clypeum efferri jussit, Didymaonis artes,
Neptuni sacro Danais de poste refixum. 360
Hoc juvenem egregium præstanti munere donat.
Post, ubi confecti cursus, et dona peregit;
Nunc, si cui virtus, animusque in pectore præsens,
Adsit, et evinctis attollat brachia palmis.
Sic ait, et geminum pugnæ proponit honorem:
Victori velatum auro vittisque juvencum; 366
Ensem, atque insignem galeam, solatia victo.
Nec mora; continuo vastis cum viribus effert
Ora Dares, magnoque virûm se murmure tollit:
Solus qui Paridem solitus contendere contra; 370
Idemque ad tumulum, quo maximus occubat Hector,
Victorem Buten immani corpore, qui se
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit, et fulva moribundum extendit arena.
Talis prima Dares caput altum in prœlia tollit,
Ostenditque humeros latos, alternaque jactat 376
Brachia protendens, et verberat ictibus auras.
Quæritur huic alius: nec quisquam ex agmine tanto
Audet adire virum, manibusque inducere cæstus.
Ergo alacris, cunctosque putans excedere palma,
Æneæ stetit ante pedes; nec plura moratus, 381
Tum læva taurum cornu tenet, atque ita fatur:
Nate dea, si nemo audet se credere pugnæ,
Quæ finis standi? quo me decet usque teneri?
Ducere dona jube. Cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ, reddique viro promissa jubebant. 386
His gravis Entellum dictis castigat Acestes,
Proximus ut viridante toro consederat herbæ:
Entelle, heroum quondam fortissime frustra,
Tantane tam patiens nullo certamine tolli 390
Dona sines? ubi nunc nobis deus ille, magister
Nequicquam memoratus, Eryx? ubi fama per omnem
Trinacriam, et spolia illa tuis pendentia tectis?
Ille sub hæc: Non laudis amor, nec gloria cessit
Pulsa metu: sed enim gelidus tardante senecta
Sanguis hebet, frigentque effetæ in corpore vires.
Si mihi, quæ quondam fuerat, quaque improbus iste 397
Exsultat fidens, si nunc foret illa juventas,
Haud equidem pretio inductus pulchroque juvenco
Venissem; nec dona moror. Sic deinde locutus
In medium geminos immani pondere cæstus 401
Projecit; quibus acer Eryx in prœlia suetus
Ferre manum, duroque intendere brachia tergo.
Obstupuere animi: tantorum ingentia septem
Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant.
Ante omnes stupet ipse Dares, longeque recusat;
Magnanimusque Anchisiades et pondus et ipsa
Huc illuc vinclorum immensa volumina versat.
Tum senior tales referebat pectore voces:
Quid, si quis cæstus ipsius et Herculis arma 410
Vidisset, tristemque hoc ipso in littore pugnam?
Hæc germanus Eryx quondam tuus arma gerebat,

Sanguine cernis adhuc fractoque infecta cerebro.
His magnum Alciden contra stetit; his ego suetus: 414
Dum melior vires sanguis dabat, æmula necdum
Temporibus geminis canebat sparsa senectus.
Sed, si nostra Dares hæc Troïus arma recusat,
Idque pio sedet Æneæ, probat auctor Acestes,
Æquemus pugnas. Erycis tibi terga remitto;
Solve metus; et tu Trojanos exue cæstus. 420
Hæc fatus, duplicem ex humeris rejecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna ossa lacertosque
Exuit, atque ingens media consistit arena.
Tum satus Anchisa cæstus pater extulit æquos,
Et paribus palmas amborum innexuit armis. 425
Constitit in digitos extemplo arrectus uterque,
Brachiaque ad superas interritus extulit auras.
Abduxere retro longe capita ardua ab ictu;
Immiscentque manus manibus, pugnamque lacessunt:
Ille pedum melior motu, fretusque juventa; 430
Hic membris et mole valens; sed tarda trementi
Genua labant, vastos quatit æger anhelitus artus.
Multa viri nequicquam inter se vulnera jactant,
Multa cavo lateri ingeminant, et pectore vastos
Dant sonitus; erratque aures et tempora circum
Crebra manus; duro crepitant sub vulnere malæ.
Stat gravis Entellus, nisuque immotus eodem,
Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit. 438
Ille, velut celsam oppugnat qui molibus urbem,
Aut montana sedet circum castella sub armis,
Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat
Arte locum, et variis assultibus irritus urget.
Ostendit dextram insurgens Entellus, et alte
Extulit: ille ictum venientem a vertice velox
Prævidit, celerique elapsus corpore cessit. 445
Entellus vires in ventum effudit, et ultro
Ipse gravis graviterque ad terram pondere vasto
Concidit: ut quondam cava concidit aut Erymantho,
Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.
Consurgunt studiis Teucri et Trinacria pubes;
It clamor cœlo: primusque accurrit Acestes, 451
Æquævumque ab humo miserans attollit amicum.
At non tardatus casu neque territus, heros
Acrior ad pugnam redit, ac vim suscitat ira;
Tum pudor incendit vires, et conscia virtus; 455
Præcipitemque Daren ardens agit æquore toto,
Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.
Nec mora, nec requies. Quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant, sic densis ictibus heros
Creber utraque manu pulsat versatque Dareta.
Tum pater Æneas procedere longius iras, 461
Et sævire animis Entellum haud passus acerbis;
Sed finem imposuit pugnæ, fessumque Dareta
Eripuit, mulcens dictis, ac talia fatur:
Infelix, quæ tanta animum dementia cepit? 465
Non vires alias, conversaque numina sentis?
Cede deo. Dixitque, et prœlia voce diremit.
Ast illum fidi æquales, genua ægra trahentem,
Jactantemque utroque caput, crassumque cruorem
Ore ejectantem, mixtosque in sanguine dentes,
Ducunt ad naves; galeamque ensemque vocati
Accipiunt: palmam Entello taurumque relinquunt. 472
Hic victor, superans animis, tauroque superbus,
Nate dea, vosque hæc, inquit, cognoscite, Teucri,
Et mihi quæ fuerint juvenili in corpore vires, 475
Et qua servetis revocatum a morte Dareta.
Dixit, et adversi contra stetit ora juvenci,
Qui donum adstabat pugnæ; durosque reducta
Libravit dextra media inter cornua cæstus
Arduus, effractoque illisit in ossa cerebro. 480
Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos.
Ille super tales effundit pectore voces:
Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis
Persolvo: hic victor cæstus artemque repono.
Protenus Æneas celeri certare sagitta 485
Invitat, qui forte velint, et præmia ponit;
Ingentique manu malum de nave Seresti
Erigit; et volucrem trajecto in fune columbam,
Quo tendant ferrum, malo suspendit ab alto.
Convenere viri, dejectamque ærea sortem 490
Accepit galea; et primus clamore secundo
Hyrtacidæ ante omnes exit locus Hippocoontis;
Quem modo navali Mnestheus certamine victor
Consequitur, viridi Mnestheus evinctus oliva.
Tertius Eurytion, tuus, o clarissime, frater, 495
Pandare, qui quondam, jussus confundere fœdus,
In medios telum torsisti primus Achivos.
Extremus galeaque ima subsidit Acestes;
Ausus et ipse manu juvenum tentare laborem.
Tum validis flexos incurvant viribus arcus 500
Pro se quisque viri, et depromunt tela pharetris;
Primaque per cœlum nervo stridente sagitta
Hyrtacidæ juvenis volucris diverberat auras,
Et venit, adversique infigitur arbore mali.
Intremuit malus, timuitque exterrita pennis 505
Ales, et ingenti sonuerunt omnia plausu.
Post acer Mnestheus adducto constitit arcu,
Alta petens, pariterque oculos telumque tetendit.
Ast ipsam miserandus avem contingere ferro
Non valuit; nodos et vincula linea rupit, 510
Quis innexa pedem malo pendebat ab alto.
Illa Notos atque atra volans in nubila fugit.
Tum rapidus jamdudum arcu contenta parato
Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocavit,
Jam vacuo lætam cœlo speculatus, et alis 515
Plaudentem nigra figit sub nube columbam.
Decidit exanimis, vitamque reliquit in astris
Ætheriis, fixamque refert delapsa sagittam.
Amissa solus palma superabat Acestes:
Qui tamen aërias telum contendit in auras, 520
Ostentans artemque pater, arcumque sonantem.
Hic oculis subitum objicitur, magnoque futurum
Augurio monstrum; docuit post exitus ingens,
Seraque terrifici cecinerunt omina vates.
Namque volans liquidis in nubibus arsit arundo,
Signavitque viam flammis, tenuesque recessit 526
Consumta in ventos: cœlo ceu sæpe refixa
Transcurrunt crinemque volantia sidera ducunt.
Attonitis hæsere animis, superosque precati
Trinacrii Teucrique viri: nec maximus omen 530
Abnuit Æneas; sed lætum amplexus Acesten,
Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur:
Sume, pater; nam te voluit rex magnus Olympi
Talibus auspiciis exsortem ducere honores.
Ipsius Anchisæ longævi hoc munus habebis, 535
Cratera impressum signis, quem Thracius olim
Anchisæ genitori in magno munere Cisseus
Ferre sui dederat monumentum et pignus amoris.
Sic fatus cingit viridanti tempora lauro,
Et primum ante omnes victorem appellat Acesten. 540

Nec bonus Eurytion prælato invidit honori;
Quamvis solus avem cœlo dejecit ab alto.
Proximus ingreditur donis, qui vincula rupit;
Extremus, volucri qui fixit arundine malum.
At pater Æneas, nondum certamine misso, 545
Custodem ad sese comitemque impubis Iuli
Epytiden vocat, et fidam sic fatur ad aurem:
Vade age, et Ascanio, si jam puerile paratum
Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum,
Ducat avo turmas, et sese ostendat in armis, 550
Dic, ait. Ipse omnem longo decedere circo
Infusum populum, et campos jubet esse patentes.
Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis; quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit Trojæque juventus. 555
Omnibus in morem tonsa coma pressa corona;
Cornea bina ferunt præfixo hastilia ferro;
Pars leves humero pharetras; it pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur
Ductores; pueri bis seni quemque secuti 561
Agmine partito fulgent, paribusque magistris.
Una acies juvenum, ducit quam parvus ovantem
Nomen avi referens Priamus, tua clara, Polite,
Progenies, auctura Italos; quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis, vestigia primi 566
Alba pedis frontemque ostentans arduus albam.
Alter Atys, genus unde Atii duxere Latini;
Parvus Atys, pueroque puer dilectus Iulo. 569
Extremus, formaque ante omnes pulcher, Iulus
Sidonio est invectus equo, quem candida Dido
Esse sui dederat monumentum et pignus amoris.
Cætera Trinacriis pubes senioris Acestæ
Fertur equis. 574
Excipiunt plausu pavidos, gaudentque tuentes
Dardanidæ; veterumque agnoscunt ora parentum.
Postquam omnem læti consessum oculosque suorum
Lustravere in equis: signum clamore paratis
Epytides longe dedit, insonuitque flagello.
Olli discurrere pares, atque agmina terni 580
Diductis solvere choris, rursusque vocati
Convertere vias, infestaque tela tulere.
Inde alios ineunt cursus aliosque recursus
Adversis spatiis, alternisque orbibus orbes 584
Impediunt, pugnæque cient simulacra sub armis;
Et nunc terga fuga nudant; nunc spicula vertunt
Infensi; facta pariter nunc pace feruntur.
Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque
Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi
Falleret indeprensus et irremeabilis error. 591
Haud alio Teucrûm nati vestigia cursu
Impediunt, texuntque fugas et prœlia ludo,
Delphinum similes: qui per maria humida nando
Carpathium Libycumque secant, luduntque per undas.] 595
Hunc morem, hos cursus, atque hæc certamina primus
Ascanius, Longam muris cum cingeret Albam,
Retulit, et priscos docuit celebrare Latinos,
Quo puer ipse modo, secum quo Troïa pubes.
Albani docuere suos; hinc maxima porro 600
Accepit Roma, et patrium servavit honorem;
Trojaque nunc, pueri Trojanum dicitur agmen.
Hac celebrata tenus sancto certamina patri.
Hic primum Fortuna fidem mutata novavit.
Dum variis tumulo referunt sollennia ludis, 605
Irim de cœlo misit Saturnia Juno
Iliacam ad classem, ventosque adspirat eunti,
Multa movens, necdum antiquum saturata dolorem.
Illa viam celerans per mille coloribus arcum,
Nulli visa, cito decurrit tramite virgo. 610
Conspicit ingentem concursum, et littora lustrat,
Desertosque videt portus classemque relictam.
At procul in sola secretæ Troades acta
Amissum Anchisen flebant, cunctæque profundum
Pontum adspectabant flentes. Heu tot vada fessis, 615
Et tantum superesse maris! vox omnibus una.
Urbem orant; tædet pelagi perferre laborem.
Ergo inter medias sese haud ignara nocendi
Conjicit, et faciemque deæ vestemque reponit:
Fit Beroë, Tmarii conjux longæva Dorycli; 620
Cui genus, et quondam nomen, natique fuissent;
Ac sic Dardanidûm mediam se matribus infert:
O miseræ, quas non manus, inquit, Achaica bello
Traxerit ad letum patriæ sub mœnibus! o gens
Infelix! cui te exitio Fortuna reservat? 625
Septima post Trojæ excidium jam vertitur æstas:
Cum freta, cum terras omnes, tot inhospita saxa
Sideraque emensæ ferimur; dum per mare magnum
Italiam sequimur fugientem, et volvimur undis.
Hic Erycis fines fraterni, atque hospes Acestes:
Quid prohibet muros jacere, et dare civibus urbem? 631
O patria, et rapti nequicquam ex hoste Penates,
Nullane jam Trojæ dicentur mœnia? nusquam
Hectoreos amnes, Xanthum et Simoënta, videbo?
Quin agite, et mecum infaustas exurite puppes.
Nam mihi Cassandræ per somnum vatis imago
Ardentes dare visa faces: Hic quærite Trojam,
Hic domus est, inquit, vobis. Jam tempus agi res;
Nec tantis mora prodigiis. En quatuor aræ
Neptuno. Deus ipse faces animumque ministrat.
Hæc memorans, prima infensum vi corripit ignem, 641
Sublataque procul dextra connixa coruscat,
Et jacit. Arrectæ mentes, stupefactaque corda
Iliadum. Hic una e multis, quæ maxima natu,
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix, 645
Non Beroë vobis, non hæc Rhœteïa, matres,
Est Dorycli conjux. Divini signa decoris,
Ardentesque notate oculos; qui spiritus illi,
Qui vultus, vocisve sonus, vel gressus eunti.
Ipsa egomet dudum Beroën digressa reliqui 650
Ægram, indignantem tali quod sola careret
Munere, nec meritos Anchisæ inferret honores.
Hæc effata.
At matres primo ancipites, oculisque malignis
Ambiguæ, spectare rates, miserum inter amorem
Præsentis terræ, fatisque vocantia regna: 656
Cum dea se paribus per cœlum sustulit alis,
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Tum vero attonitæ monstris, actæque furore
Conclamant, rapiuntque focis penetralibus ignem; 660
Pars spoliant aras, frondem ac virgulta facesque
Conjiciunt. Furit immissis Vulcanus habenis
Transtra per et remos et pictas abiete puppes.
Nuntius Anchisæ ad tumulum cuneosque theatri
Incensas perfert naves Eumelus; et ipsi 665
Respiciunt atram in nimbo volitare favillam.
Primus et Ascanius, cursus ut lætus equestres
Ducebat, sic acer equo turbata petivit
Castra; nec examines possunt retinere magistri

Quis furor iste novus? quo nunc, quo tenditis, inquit, 670
Heu miseræ cives? non hostem, inimicaque castra
Argivûm; vestras spes uritis. En, ego vester
Ascanius: galeam ante pedes projecit inanem,
Qua ludo indutus belli simulacra ciebat.
Accelerat simul Æneas, simul agmina Teucrûm.
Ast illæ diversa metu per littora passim 676
Diffugiunt; sylvasque, et sicubi concava furtim
Saxa, petunt. Piget incepti, lucisque; suosque
Mutatæ agnoscunt, excussaque pectore Juno est.
Sed non idcirco flammæ atque incendia vires 680
Indomitas posuere: udo sub robore vivit [nas
Stuppa, vomens tardum fumum, lentusque cari-
Est vapor, et toto descendit corpore pestis;
Nec vires heroum infusaque flumina prosunt.
Tum pius Æneas humeris abscindere vestem, 685
Auxilioque vocare deos, et tendere palmas:
Jupiter omnipotens, si nondum exosus ad unum
Trojanos, si quid pietas antiqua labores
Respicit humanos: da flammam evadere classi
Nunc, pater, et tenues Teucrûm res eripe leto:
Vel tu, quod superest, infesto fulmine morti, 691
Si mereor, demitte, tuaque hic obrue dextra.
Vix hæc ediderat, cum effusis imbribus atra
Tempestas sine more furit, tonitruque tremiscunt
Ardua terrarum et campi; ruit æthere toto 695
Turbidus imber aqua densisque nigerrimus Austris;
Implenturque super puppes: semiusta madescunt
Robora: restinctus donec vapor omnis, et omnes,
Quatuor amissis, servatæ a peste carinæ.
At pater Æneas, casu concussus acerbo, 700
Nunc huc ingentes, nunc illuc pectore curas
Mutabat versans: Siculisne resideret arvis,
Oblitus fatorum, Italasne capesseret oras.
Tum senior Nautes, unum Tritonia Pallas
Quem docuit, multaque insignem reddidit arte;
Hic responsa dabat, vel quæ portenderet ira 706
Magna deûm, vel quæ fatorum posceret ordo:
Isque his Æneas solatus vocibus infit:
Nate dea, quo fata trahunt retrahuntque, sequamur. [est.
Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo
Est tibi Dardanius divinæ stirpis Acestes: 711
Hunc cape consiliis socium, et conjunge volentem;
Huic trade, amissis superant qui navibus, et quos
Pertæsum magni incepti rerumque tuarum est;
Longævosque senes, ac fessas æquore matres, 715
Et quicquid tecum invalidum metuensque pericli est,
Delige; et his habeant terris sine mœnia fessi:
Urbem appellabunt permisso nomine Acestam.
Talibus incensus dictis senioris amici.
Tum vero in curas animum diducitur omnes:
Et Nox atra polum bigis subvecta tenebat. 721
Visa dehinc cœlo facies delapsa parentis
Anchisæ subito tales effundere voces:
Nate, mihi vita quondam, dum vita manebat,
Care magis; nate, Iliacis exercite fatis; 725
Imperio Jovis huc venio: qui classibus ignem
Depulit, et cœlo tandem miseratus ab alto est.
Consiliis pare, quæ nunc pulcherrima Nautes
Dat senior: lectos juvenes, fortissima corda,
Defer in Italiam: gens dura atque aspera cultu
Debellanda tibi Latio est. Ditis tamen ante 731
Infernas accede domos, et Averna per alta
Congressus pete, nate, meos. Non me impia namque
Tartara habent, tristes umbræ; sed amœna piorum
Concilia Elysiumque colo. Huc casta Sibylla 735
Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.
Tum genus omne tuum, et quæ dentur mœnia, disces.
Jamque vale. Torquet medios Nox humida cursus;
Et me sævus equis Oriens afflavit anhelis. 739
Dixerat: et tenues fugit, ceu fumus, in auras.
Æneas, Quo deinde ruis? quo proripis? inquit,
Quem fugis? aut quis te nostris complexibus arcet?
Hæc memorans, cinerem et sopitos suscitat ignes;
Pergameumque Larem, et canæ penetralia Vestæ,
Farre pio et plena supplex veneratur acerra. 745
Extemplo socios primumque arcessit Acesten,
Et Jovis imperium et cari præcepta parentis
Edocet, et quæ nunc animo sententia constet.
Haud mora consiliis, nec jussa recusat Acestes.
Transscribunt urbi matres, populumque volentem
Deponunt, animos nil magnæ laudis egentes. 751
Ipsi transtra novant, flammisque ambesa reponunt
Robora navigiis; aptant remosque rudentesque,
Exigui numero, sed bello vivida virtus.
Interea Æneas urbem designat aratro, 755
Sortitusque domos, hoc Ilium, et hæc loca Tro-
Esse jubet. Gaudet regno Trojanus Acestes, [jam
Indicitque forum, et patribus dat jura vocatis.
Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliæ, tumuloque sacerdos 760
Ac lucus late sacer additur Anchiseo.
Jamque dies epulata novem gens omnis, et aris
Factus honos: placidi straverunt æquora venti,
Creber et adspirans rursus vocat Auster in altum.
Exoritur procurva ingens per littora fletus; 765
Complexi inter se noctemque diemque morantur.
Ipsæ jam matres, ipsi quibus aspera quondam
Visa maris facies, et non tolerabile nomen,
Ire volunt, omnemque fugæ perferre laborem.
Quos bonus Æneas dictis solatur amicis, 770
Et consanguineo lacrymans commendat Acestæ.
Tres Eryci vitulos, et tempestatibus agnam,
Cædere deinde jubet, solvique ex ordine funem.
Ipse, caput tonsæ foliis evinctus olivæ, [sos
Stans procul in prora pateram tenet, extaque sal-
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit. 776
Prosequitur surgens a puppi ventus euntes.
Certatim socii feriunt mare, et æquora verrunt.
At Venus interea Neptunum exercita curis
Alloquitur, talesque effundit pectore questus:
Junonis gravis ira, nec exsaturabile pectus, 781
Cogunt me, Neptune, preces descendere in omnes:
Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla;
Nec Jovis imperio fatisve infracta quiescit.
Non media de gente Phrygum exedisse nefandis
Urbem odiis satis est, nec pœnam traxe per omnem 786
Reliquias; Trojæ cineres atque ossa peremtæ
Insequitur. Caussas tanti sciat illa furoris.
Ipse mihi nuper Libycis tu testis in undis
Quam molem subito excierit: maria omnia cœlo
Miscuit, Æoliis nequicquam freta procellis; 791
In regnis hoc ausa tuis.
Per scelus ecce etiam Trojanis matribus actis
Exussit fœde puppes; et classe subegit
Amissa socios ignotæ linquere terræ. 795

Quod superest, oro, liceat dare tuta per undas
Vela tibi! liceat Laurentem attingere Tibrim!
Si concessa peto, si dant ea mœnia Parcæ.
Tum Saturnius hæc domitor maris edidit alti:
Fas omne est, Cytherea, meis te fidere regnis, 800
Unde genus ducis. Merui quoque; sæpe furores
Compressi et rabiem tantam cœlique marisque.
Nec minor in terris, Xanthum Simoëntaque testor,
Æneæ mihi cura tui. Cum Troïa Achilles
Exanimata sequens impingeret agmina muris,
Millia multa daret leto, gemerentque repleti 806
Amnes, nec reperire viam atque evolvere posset
In mare se Xanthus; Pelidæ tunc ego forti
Congressum Ænean, nec dîs nec viribus æquis,
Nube cava rapui; cuperem cum vertere ab imo
Structa meis manibus perjuræ mœnia Trojæ. 811
Nunc quoque mens eadem perstat mihi: pelle timorem.
Tutus, quos optas, portus accedet Averni.
Unus erit tantum, amissum quem gurgite quæret;
Unum pro multis dabitur caput. 815
His ubi læta deæ permulsit pectora dictis,
Jungit equos auro genitor, spumantiaque addit
Frena feris, manibusque omnes effundit habenas.
Cæruleo per summa levis volat æquora curru.
Subsidunt undæ, tumidumque sub axe tonanti
Sternitur æquor aquis; fugiunt vasto æthere nimbi. 821
Tum variæ comitum facies; immania cete,
Et senior Glauci chorus, Inousque Palæmon,
Tritonesque citi, Phorcique exercitus omnis.
Læva tenent Thetis, et Melite, Panopeaque virgo,
Nesæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque. 826
Hic patris Æneæ suspensam blanda vicissim
Gaudia pertentant mentem: jubet ocius omnes
Attolli malos, intendi brachia velis.
Una omnes fecere pedem; pariterque sinistros,
Nunc dextros solvere sinus; una ardua torquent
Cornua, detorquentque. Ferunt sua flamina classem. 832
Princeps ante omnes densum Palinurus agebat
Agmen: ad hunc alii cursum contendere jussi.
Jamque fere mediam cœli Nox humida metam
Contigerat; placida laxârant membra quiete
Sub remis fusi per dura sedilia nautæ, 837
Cum levis ætheriis delapsus Somnus ab astris
Aëra dimovit tenebrosum, et dispulit umbras,
Te, Palinure, petens, tibi somnia tristia portans
Insonti; puppique deus consedit in alta, 841
Phorbanti similis; funditque has ore loquelas:
Iaside Palinure ferunt ipsa æquora classem;
Æquatæ spirant auræ; datur hora quieti:
Pone caput, fessosque oculos furare labori. 845
Ipse ego paulisper pro te tua munera inibo.
Cui vix attollens Palinurus lumina fatur:
Mene salis placidi vultum fluctusque quietos
Ignorare jubes? mene huic confidere monstro?
Ænean credam quid enim fallacibus Austris, 850
Et cœli toties deceptus fraude sereni?
Talia dicta dabat, clavumque affixus et hærens
Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.
Ecce deus ramum Lethæo rore madentem, 854
Vique soporatum Stygia, super utraque quassat
Tempora; cunctantique natantia lumina solvit.
Vix primos inopina quies laxaverat artus;
Et super incumbens, cum puppis parte revulsa,
Cumque gubernaclo, liquidas projecit in undas
Præcipitem, ac socios nequicquam sæpe vocantem. 860
Ipse volans tenues se sustulit ales ad auras.
Currit iter tutum non secius æquore classis,
Promissisque patris Neptuni interrita fertur.
Jamque adeo scopulos Sirenum advecta subibat,
Difficiles quondam, multorumque ossibus albos,
Tum rauca assiduo longe sale saxa sonabant, 866
Cum pater amisso fluitantem errare magistro
Sensit, et ipse ratem nocturnis rexit in undis,
Multa gemens, casuque animum concussus amici;
O nimium cœlo et pelago confise sereno, 870
Nudus in ignota, Palinure, jacebis arena!

LIBER SEXTUS.

Sic fatur lacrymans, classique immittit habenas,
Et tandem Euboïcis Cumarum allabitur oris.
Obvertunt pelago proras: tum dente tenaci
Ancora fundabat naves, et littora curvæ
Prætexunt puppes; juvenum manus emicat ardens 5
Littus in Hesperium; quærit pars semina flammæ
Abstrusa in venis silicis; pars densa ferarum
Tecta rapit sylvas; inventaque flumina monstrat.
At pius Æneas arces quibus altus Apollo
Præsidet, horrendæque procul secreta Sibyllæ,
Antrum immane, petit; magnam cui mentem animumque 11
Delius inspirat vates, aperitque futura.
Jam subeunt Triviæ lucos, atque aurea tecta.
Dædalus, ut fama est, fugiens Minoïa regna,
Præpetibus pennis ausus se credere cœlo, 15
Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos,
Chalcidicaque levis tandem super adstitit arce.
Redditus his primum terris, tibi, Phœbe, sacravit
Remigium alarum, posuitque immania templa.
In foribus letum Androgei: tum pendere pœnas
Cecropidæ jussi, (miserum) septena quotannis
Corpora natorum; stat ductis sortibus urna; 22
Contra elata mari respondet Gnossia tellus;
Hîc crudelis amor tauri, suppostaque furto
Pasiphaë, mixtumque genus, prolesque biformis
Minotaurus inest, Veneris monimenta nefandæ;
Hîc labor ille domus, et inextricabilis error; 27
Magnum reginæ sed enim miseratus amorem
Dædalus, ipse dolos tecti ambagesque resolvit,
Cæca regens filo vestigia. Tu quoque magnam
Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes. 31
Bis conatus erat casus effingere in auro;
Bis patriæ cecidere manus. Quin protinus omnia
Perlegerent oculis, ni jam præmissus Achates
Afforet, atque una Phœbi Triviæque sacerdos,
Deiphobe Glauci, fatur quæ talia regi: 36
Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit:
Nunc grege de intacto septem mactare juvencos
Præstiterit, totidem lectas de more bidentes.
Talibus affata Ænean—nec sacra morantur 40
Jussa viri—Teucros vocat alta in templa sacerdos.
Excisum Euboïcæ latus ingens rupis in antrum,
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum;
Unde ruunt totidem voces, responsa Sibyllæ. 44

Ventum erat ad limen, cum virgo, Poscere fata
Tempus, ait: deus, ecce, deus. Cui talia fanti
Ante fores, subito non vultus, non color unus,
Non comtæ mansere comæ; sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument; majorque videri,
Nec mortale sonans; afflata est numine quando
Jam propiore dei. Cessas in vota precesque,
Tros, ait, Ænea? cessas? neque enim ante dehiscent
Attonitæ magna ora domus. Et talia fata
Conticuit. Gelidus Teucris per dura cucurrit
Ossa tremor; funditque preces rex pectore ab imo: 55
Phœbe, graves Trojæ semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela manusque
Corpus in Æacidæ; magnas obeuntia terras
Tot maria intravi duce te, penitusque repostas
Massylûm gentes, prætentaque Syrtibus arva;
Jam tandem Italiæ fugientis prendimus oras;
Hac Trojana tenus fuerit Fortuna secuta. 62
Vos quoque Pergameæ jam fas est parcere genti,
Dîque deæque omnes, quibus obstitit Ilium, et ingens
Gloria Dardaniæ. Tuque, o sanctissima vates,
Præscia venturi, da—non indebita posco 66
Regna meis fatis—Latio considere Teucros,
Errantesque deos, agitataque numina Trojæ.
Tum Phœbo et Triviæ solido de marmore templum
Instituam festosque dies de nomine Phœbi. 70
Te quoque magna manent regnis penetralia nostris.
Hic ego namque tuas sortes, arcanaque fata
Dicta meæ genti, ponam, lectosque sacrabo,
Alma, viros. Foliis tantum ne carmina manda;
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis. 75
Ipsa canas oro. Finem dedit ore loquendi.
At Phœbi nondum patiens, immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse deum; tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo. 80
Ostia jamque domus patuere ingentia centum
Sponte sua, vatisque ferunt responsa per auras:
O tandem magnis pelagi defuncte periclis!
Sed terra graviora manent. In regna Lavini
Dardanidæ venient; mitte hanc de pectore curam: 85
Sed non et venisse volent. Bella, horrida bella,
Et Tibrim multo spumantem sanguine cerno.
Non Simoïs tibi, nec Xanthus, nec Dorica castra
Defuerint. Alius Latio jam partus Achilles,
Natus et ipse dea. Nec Teucris addita Juno 90
Usquam aberit: cum tu supplex in rebus egenis
Quas gentes Italûm, aut quas non oraveris urbes!
Causa mali tanti conjux iterum hospita Teucris,
Eternique iterum thalami.
Tu ne cede malis; sed contra audentior ito, 95
Quam tua te fortuna sinet. Via prima salutis,
Quod minime reris, Graia pandetur ab urbe.
Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque remugit,
Obscuris vera involvens: ea frena furenti 100
Concutit, et stimulos sub pectore vertit Apollo.
Ut primum cessit furor, et rabida ora quiêrunt,
Incipit Æneas heros: Non ulla laborum,
O virgo, nova mî facies inopinave surgit.
Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.
Unum oro: quando hic inferni janua regis 106
Dicitur, et tenebrosa palus Acheronte refuso;
Ire ad conspectum cari genitoris et ora
Contingat; doceas iter, et sacra ostia pandas.
Illum ego per flammas et mille sequentia tela 110
Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi;
Ille, meum comitatus iter, maria omnia mecum
Atque omnes pelagique minas cœlique ferebat
Invalidus, vires ultra sortemque senectæ. 114
Quin, ut te supplex peterem, et tua limina adirem,
Idem orans mandata dabat. Natique patrisque,
Alma, precor, miserere; potes namque omnia; nec te
Nequicquam lucis Hecate præfecit Avernis.
Si potuit Manes arcessere conjugis Orpheus,
Threïcia fretus cithara fidibusque canoris; 120
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque reditque viam toties: quid Thesea, magnum
Quid memorem Alciden? et mî genus ab Jove summo.
Talibus orabat dictis, arasque tenebat; 124
Cum sic orsa loqui vates: Sate sanguine divûm,
Tros Anchisiada, facilis descensus Averno;
Noctes atque dies patet atri janua Ditis:
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras, [amavit
Hoc opus, hic labor est. Pauci, quos æquus
Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus, 130
Dîs geniti, potuere. Tenent media omnia sylvæ,
Cocytusque sinu labens circumvenit atro.
Quod si tantus amor menti, si tanta cupido est,
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara, et insano juvat indulgere labori: 135
Accipe quæ peragenda prius. Latet arbore opaca
Aureus et foliis et lento vimine ramus,
Junoni infernæ dictus sacer: hunc tegit omnis
Lucus, et obscuris claudunt convallibus umbræ.
Sed non ante datur telluris operta subire, 140
Auricomos quam quis decerpserit arbore fetus.
Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus
Instituit. Primo avulso, non deficit alter
Aureus; et simili frondescit virga metallo.
Ergo alte vestiga oculis, et rite repertum 145
Carpe manu. Namque ipse volens facilisque sequetur,
Si te fata vocant: aliter non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.
Præterea jacet exanimum tibi corpus amici, 149
—Heu nescis—totamque incestat funere classem;
Dum consulta petis, nostroque in limine pendes.
Sedibus hunc refer ante suis, et conde sepulchro.
Duc nigras pecudes: ea prima piacula sunto.
Sic demum lucos Stygios, regna invia vivis,
Adspicies. Dixit, pressoque obmutuit ore. 155
Æneas mœsto defixus lumina vultu
Ingreditur, linquens antrum, cæcosque volutat
Eventus animo secum: cui fidus Achates
It comes, et paribus curis vestigia figit.
Multa inter sese vario sermone serebant; 160
Quem socium exanimem vates, quod corpus humandum
Diceret. Atque illi Misenum in littore sicco,
Ut venere, vident indigna morte peremtum;
Misenum Æoliden, quo non præstantior alter
Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.
Hectoris hic magni fuerat comes; Hectora circum
Et lituo pugnas insignis obibat et hasta: 167
Postquam illum vita victor spoliavit Achilles,
Dardanio Æneæ sese fortissimus heros
Addiderat socium, non inferiora secutus. 170
Sed tum, forte cava dum personat æquora concha
Demens, et cantu vocat in certamina divos,

Æmulus exceptum Triton—si credere dignum est—
Inter saxa virum spumosa immerserat unda.
Ergo omnes magno circum clamore fremebant;
Præcipue pius Æneas. Tum jussa Sibyllæ—176
Haud mora—festinant flentes, aramque sepulcri
Congerere arboribus, cœloque educere certant.
Itur in antiquam sylvam, stabula alta ferarum:
Procumbunt piceæ; sonat icta securibus ilex;
Fraxineæque trabeis cuneis et fissile robur 181
Scinditur; advolvunt ingentes montibus ornos.
Necnon Æneas opera inter talia primus
Hortatur socios, paribusque accingitur armis;
Atque hæc ipse suo tristi cum corde volutat,
Adspectans sylvam immensam, et sic voce precatur: 186
Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto! quando omnia vere,
Heu nimium de te vates, Misene, locuta est.
Vix ea fatus erat, geminæ cum forte columbæ
Ipsa sub ora viri cœlo venere volantes, 191
Et viridi sedere solo. Tum maximus heros
Maternas agnoscit aves, lætusque precatur:
Este duces, o, si qua via est, cursumque per auras
Dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat 195
Ramus humum. Tuque, o dubiis ne defice rebus,
Diva parens. Sic effatus vestigia pressit;
Observans quæ signa ferant, quo tendere pergant.
Pascentes illæ tantum prodire volando, 199
Quantum acie possent oculi servare sequentum.
Inde, ubi venere ad fauces graveolentis Averni,
Tollunt se celeres; liquidumque per aëra lapsæ
Sedibus optatis geminæ super arbore sidunt,
Discolor unde auri per ramos aura refulsit.
Quale solet sylvis brumali frigore viscum 205
Fronde virere nova, quod non sua seminat arbos,
Et croceo fetu teretes circumdare truncos.
Talis erat species auri frondentis opaca
Ilice; sic leni crepitabat bractea vento.
Corripit Æneas extemplo, avidusque refringit
Cunctantem, et vatis portat sub tecta Sibyllæ. 211
Nec minus interea Misenum in littore Teucri
Flebant, et cineri ingrato suprema ferebant.
Principio pinguem tædis et robore secto 214
Ingentem struxere pyram; cui frondibus atris
Intexunt latera, et ferales ante cupressos [mis.
Constituunt, decorantque super fulgentibus ar-
Pars calidos latices et aëna undantia flammis
Expediunt, corpusque lavant frigentis et unguunt. [nunt,
Fit gemitus. Tum membra toro defleta repo-
Purpureasque super vestes, velamina nota, 221
Conjiciunt; pars ingenti subiere feretro—
Triste ministerium—et subjectam more parentum
Aversi tenuere facem. Congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo. 225
Postquam collapsi cineres, et flamma quievit,
Reliquias vino et bibulam lavere favillam;
Ossaque lecta cado texit Corynæus aëno.
Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi et ramo felicis olivæ, 230
Lustravitque viros, dixitque novissima verba.
At pius Æneas ingenti mole sepulchrum
Imponit, suaque arma viro, remumque, tubamque,
Monte sub aërio; qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternumque tenet per sæcula nomen.
His actis, propere exsequitur præcepta Sibyllæ. 236
Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro nemorumque tenebris;
Quam super haud ullæ poterant impune volantes
Tendere iter pennis: talis sese halitus atris 240
Faucibus effundens supera ad convexa ferebat.
[Unde locum Graii dixerunt nomine Aornon.]
Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos
Constituit, frontique invergit vina sacerdos;
Et summas carpens media inter cornua setas,
Ignibus imponit sacris, libamina prima, 246
Voce vocans Hecaten, Cœloque Ereboque potentem.
Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris. Ipse atri velleris agnam
Æneas matri Eumenidum magnæque sorori 250
Ense ferit, sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.
Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,
Et solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue super oleum infundens ardentibus extis.
Ecce autem, primi sub lumina solis et ortus, 255
Sub pedibus mugire solum, et juga cœpta moveri
Sylvarum, visæque canes ululare per umbram,
Adventante dea. Procul o, procul este profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco: 259
Tuque invade viam, vaginaque eripe ferrum;
Nunc animis opus, Ænea, nunc pectore firmo.
Tantum effata, furens antro se immisit aperto:
Ille ducem haud timidis vadentem passibus æquat.
Dî quibus imperium est animarum, umbræque silentes, 264
Et Chaos, et Phlegethon, loca nocte tacentia late,
Sit mihi fas audita loqui; sit, numine vestro,
Pandere res alta terra et caligine mersas.
Ibant obscuri sola sub nocte per umbram,
Perque domos Ditis vacuas, et inania regna:
Quale per incertam lunam sub luce maligna 270
Est iter in sylvis, ubi cœlum condidit umbra
Jupiter, et rebus nox abstulit atra colorem.
Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
Luctus et ultrices posuere cubilia Curæ; 274
Pallentesque habitant Morbi, tristisque Senectus,
Et Metus, et malesuada Fames, ac turpis Egestas,
Terribiles visu formæ; Letumque, Labosque;
Tum consanguineus Leti Sopor; et mala mentis
Gaudia; mortiferumque adverso in limine Bellum;
Ferreique Eumenidum thalami, et Discordia demens, 280
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.
In medio ramos annosaque brachia pandit
Ulmus opaca, ingens; quam sedem Somnia vulgo
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus hærent.
Multaque præterea variarum monstra ferarum,
Centauri in foribus stabulant, Scyllæque biformes,
Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernæ
Horrendum stridens, flammisque armata Chimæra,
Gorgones, Harpyiæque, et forma tricorporis umbræ. 289
Corripit hic subita trepidus formidine ferrum
Æneas, strictamque aciem venientibus offert;
Et, ni docta comes tenues sine corpore vitas
Admoneat volitare cava sub imagine formæ,
Irruat, et frustra ferro diverberet umbras.

Hinc via, Tartarei quæ fert Acherontis ad undas. 295
Turbidus hic cœno vastaque voragine gurges
Æstuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.
Portitor has horrendus aquas et flumina servat
Terribili squalore Charon; cui plurima mento
Canities inculta jacet; stant lumina flamma; 300
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat,
Et ferruginea subvectat corpora cymba;
Jam senior, sed cruda deo viridisque senectus.
Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat; 305
Matres atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimûm heroum, pueri innuptæque puellæ,
Impositique rogis juvenes ante ora parentum.
Quam multa in sylvis auctumni frigore primo
Lapsa cadunt folia; aut ad terram gurgite ab alto
Quam multæ glomerantur aves, ubi frigidus annus 311
Trans pontum fugat, et terris immittit apricis.
Stabant orantes primi transmittere cursum,
Tendebantque manus ripæ ulterioris amore:
Navita sed tristis nunc hos, nunc accipit illos;
Ast alios longe summotos arcet arena. 316
Æneas, miratus enim, motusque tumultu,
Dic, ait, o virgo, quid vult concursus ad amnem?
Quidve petunt animæ? vel quo discrimine ripas
Hæ linquunt, illæ remis vada livida verrunt?
Olli sic breviter fata est longæva sacerdos:
Anchisa generate, deûm certissima proles, 322
Cocyti stagna alta vides, Stygiamque paludem,
Dî cujus jurare timent et fallere numen.
Hæc omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est; 325
Portitor ille, Charon; hi, quos vehit unda, sepulti.
Nec ripas datur horrendas et rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quiêrunt.
Centum errant annos, volitantque hæc littora circum.
Tum demum admissi stagna exoptata revisunt.
Constitit Anchisa satus, et vestigia pressit, 331
Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam.
Cernit ibi mœstos, et mortis honore carentes,
Leucaspim, et Lyciæ ductorem classis Oronten;
Quos simul a Troja ventosa per æquora vectos
Obruit Auster, aqua involvens navemque virosque. 336
Ecce gubernator sese Palinurus agebat;
Qui Libyco nuper cursu, dum sidera servat,
Exciderat puppi, mediis effusus in undis.
Hunc ubi vix multa mœstum cognovit in umbra,
Sic prior alloquitur: Quis te, Palinure, deorum
Eripuit nobis, medioque sub æquore mersit?
Dic age: namque mihi, fallax haud ante repertus,
Hoc uno responso animum delusit Apollo, 344
Qui fore te ponto incolumem, finesque canebat
Venturum Ausonios. En hæc promissa fides est?
Ille autem: Neque te Phœbi cortina fefellit,
Dux Anchisiada, nec me deus æquore mersit.
Namque gubernaclum multa vi forte revulsum,
Cui datus hærebam custos, cursusque regebam,
Præcipitans traxi mecum. Maria aspera juro,
Non ullum pro me tantum cepisse timorem, 352
Quam tua ne, spoliata armis, excussa magistro,
Deficeret tantis navis surgentibus undis.
Tres Notus hibernas immensa per æquora noctes
Vexit me violentus aqua: vix lumine quarto 356
Prospexi Italiam, summa sublimis ab unda.
Paulatim adnabam terræ; jam tuta tenebam;
Ni gens crudelis madida cum veste gravatum,
Prensantemque uncis manibus capita aspera montis, 360
Ferro invasisset, prædamque ignara putâsset.
Nunc me fluctus habet, versantque in littore venti.
Quod te per cœli jucundum lumen et auras,
Per genitorem oro, per spes surgentis Iuli, 364
Eripe me his, invicte, malis, aut tu mihi terram
Injice, namque potes, portusque require Velinos;
Aut tu, si qua via est, si quam tibi diva creatrix
Ostendit,—neque enim, credo, sine numine divûm [dem—
Flumina tanta paras Stygiamque innare paludem
Da dextram misero, et tecum me tolle per undas;
Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.
Talia fatus erat, cœpit cum talia vates: 372
Unde hæc, o Palinure, tibi tam dira cupido?
Tu Stygias inhumatus aquas amnemque severum
Eumenidum adspicies, ripamve injussus adibis?
Desine fata deûm flecti sperare precando. 376
Sed cape dicta memor, duri solatia casus.
Nam tua finitimi, longe lateque per urbes
Prodigiis acti cœlestibus, ossa piabunt;
Et statuent tumulum, et tumulo sollennia mittent; 380
Æternumque locus Palinuri nomen habebit.
His dictis curæ emotæ, pulsusque parumper
Corde dolor tristi, gaudet cognomine terra.
Ergo iter inceptum peragunt, fluvioque propinquant.
Navita quos jam inde ut Stygia prospexit ab unda 385
Per tacitum nemus ire, pedemque advertere ripæ,
Sic prior aggreditur dictis, atque increpat ultro:
Quisquis es, armatus qui nostra ad flumina tendis, [gressum,
Fare age, quid venias; jam istinc et comprime
Umbrarum hic locus est, somni noctisque soporæ; 390
Corpora viva nefas Stygia vectare carina.
Nec vero Alciden me sum lætatus euntem
Accepisse lacu, nec Thesea Pirithoumque,
Dis quanquam geniti, atque invicti viribus essent.
Tartareum ille manu custodem in vincla petivit;
Ipsius a solio regis, traxitque trementem; 396
Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.
Quæ contra breviter fata est Amphrysia vates:
Nullæ hic insidiæ tales; absiste moveri;
Nec vim tela ferunt; licet ingens janitor antro
Æternum latrans exsangues terreat umbras;
Casta licet patrui servet Proserpina limen. 402
Troïus Æneas, pietate insignis et armis,
Ad genitorem imas Erebi descendit ad umbras.
Si te nulla movet tantæ pietatis imago, 405
At ramum hunc—aperit ramum qui veste latebat—
Agnoscas. Tumida ex ira tum corda residunt.
Nec plura his. Ille, admirans venerabile donum
Fatalis virgæ, longo post tempore visum,
Cæruleam advertit puppim, ripæque propinquat. 410
Inde alias animas, quæ per juga longa sedebant,
Deturbat, laxatque foros; simul accipit alveo
Ingentem Ænean. Gemuit sub pondere cymba
Sutilis, et multam accepit rimosa paludem.
Tandem trans fluvium incolumes vatemque virumque 415

Informi limo glaucaque exponit in ulva.
Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Personat, adverso recubans immanis in antro;
Cui vates, horrere videns jam colla colubris,
Melle soporatam et medicatis frugibus offam 420
Objicit. Ille fame rabida tria guttura pandens
Corripit objectam, atque immania terga resolvit
Fusus humi, totoque ingens extenditur antro.
Occupat Æneas aditum custode sepulto,
Evaditque celer ripam irremeabilis undæ. 425
Continuo auditæ voces, vagitus et ingens,
Infantumque animæ flentes in limine primo;
Quos dulcis vitæ exsortes, et ab ubere raptos
Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo.
Hos juxta, falso damnati crimine mortis. 430
Nec vero hæ sine sorte datæ, sine judice sedes.
Quæsitor Minos urnam movet; ille silentum
Conciliumque vocat, vitasque et crimina discit.
Proxima deinde tenent mœsti loca, qui sibi letum
Insontes peperere manu, lucemque perosi 435
Projecere animas. Quam vellent æthere in alto
Nunc et pauperiem et duros perferre labores!
Fas obstat, tristique palus inamabilis unda
Alligat, et novies Styx interfusa coërcet.
Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem 440
Lugentes campi; sic illos nomine dicunt.
Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, et myrtea circum
Sylva tegit; curæ non ipsa in morte relinquunt.
His Phædram, Procrinque locis, mœstamque Eriphylen 445
Crudelis nati monstrantem vulnera cernit,
Evadnenque, et Pasiphaën; his Laodamia
It comes, et juvenis quondam, nunc fœmina, Cænis,
Rursus et in veterem fato revoluta figuram.
Inter quas Phœnissa recens a vulnere Dido 450
Errabat sylva in magna; quam Troïus heros
Ut primum juxta stetit, agnovitque per umbras
Obscuram, qualem primo qui surgere mense
Aut videt, aut vidisse putat per nubila lunam;
Demisit lacrymas, dulcique affatus amore est:
Infelix Dido, verus mihi nuntius ergo 456
Venerat, exstinctam, ferroque extrema secutam!
Funeris, heu, tibi causa fui? Per sidera juro,
Per superos, et si qua fides tellure sub ima est:
Invitus, regina, tuo de littore cessi. 460
Sed me jussa deûm, quæ nunc has ire per umbras,
Per loca senta situ cogunt, noctemque profundam,
Imperiis egere suis; nec credere quivi
Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.
Siste gradum, teque adspectu ne subtrahe nostro.
Quem fugis? extremum fato, quod te alloquor, hoc est. 466
Talibus Æneas ardentem et torva tuentem
Lenibat dictis animum, lacrymasque ciebat.
Illa solo fixos oculos aversa tenebat;
Nec magis incepto vultum sermone movetur, 470
Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.
Tandem corripuit sese, atque inimica refugit
In nemus umbriferum; conjux ubi pristinus illi
Respondet curis, æquatque Sychæus amorem.
Nec minus Æneas, casu percussus iniquo, 475
Prosequitur lacrymans longe, et miseratur euntem.
Inde datum molitur iter. Jamque arva tenebant
Ultima, quæ bello clari secreta frequentant.
Hic illi occurrit Tydeus, hic inclytus armis
Parthenopæus, et Adrasti pallentis imago. 480
Hic multum fleti ad superos, belloque caduci
Dardanidæ; quos ille omnes longo ordine cernens
Ingemuit, Glaucumque, Medontaque, Thersilochumque,
Tres Antenoridas, Cererique sacrum Polyphœten,
Idæumque, etiam currus, etiam arma tenentem.
Circumstant animæ dextra lævaque frequentes:
Nec vidisse semel satis est; juvat usque morari,
Et conferre gradum, et veniendi discere causas.
At Danaûm proceres, Agamemnoniæque phalanges, 489
Ut videre virum fulgentiaque arma per umbras,
Ingenti trepidare metu; pars vertere terga,
Ceu quondam petiere rates; pars tollere vocem
Exiguam; inceptus clamor frustratur hiantes.
Atque hic Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora, 495
Ora manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, et truncas inhonesto vulnere nares.
Vix adeo agnovit pavitantem, et dira tegentem
Supplicia; et notis compellat vocibus ultro:
Deiphobe armipotens, genus alto a sanguine Teucri 500
Quis tam crudeles optavit sumere pœnas?
Cui tantum de te licuit? Mihi fama suprema
Nocte tulit, fessum vasta te cæde Pelasgûm
Procubuisse super confusæ stragis acervum.
Tunc egomet tumulum Rhœteo in littore inanem
Constitui, et magna Manes ter voce vocavi. 506
Nomen et arma locum servant; te, amice, nequivi
Conspicere, et patria decedens ponere terra.
Ad quæ Priamides: Nihil o, tibi, amice, relictum;
Omnia Deiphobo solvisti et funeris umbris. 510
Sed me fata mea et scelus exitiale Lacænæ
His mersere malis; illa hæc monimenta reliquit.
Namque ut supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nôsti; et nimium meminisse necesse est:
Cum fatalis equus saltu super ardua venit 515
Pergama, et armatum peditem gravis attulit alvo;
Illa, chorum simulans, evantes orgia circum
Ducebat Phrygias; flammam media ipsa tenebat
Ingentem, et summa Danaos ex arce vocabat.
Tum me, confectum curis somnoque gravatum,
Infelix habuit thalamus, pressitque jacentem 521
Dulcis et alta quies, placidæque simillima morti.
Egregia interea conjux arma omnia tectis
Emovet, et fidum capiti subduxerat ensem;
Intra tecta vocat Menelaum, et limina pandit; 525
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,
Et famam exstingui veterum sic posse malorum.
Quid moror? irrumpunt thalamo; comes additus una
Hortator scelerum Æolides. Dî, talia Graiis
Instaurate, pio si pœnas ore reposco. 530
Sed te qui vivum casus, age fare vicissim,
Attulerint. Pelagine venis erroribus actus,
An monitu divûm; an, quæ te fortuna fatigat,
Ut tristes sine sole domos, loca turbida, adires?
Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis
Jam medium ætherio cursu trajecerat axem; 536
Et fors omne datum traherent per talia tempus;
Sed comes admonuit, breviterque affata Sibylla est:
Nox ruit, Ænea; nos flendo ducimus horas. 539
Hic locus est, partes ubi se via findit in ambas;
Dextera, quæ Ditis magni sub mœnia tendit;

Hac iter Elysium nobis; at læva malorum
Exercet pœnas, et ad impia Tartara mittit.
Deiphobus contra: Ne sævi, magna sacerdos;
Discedam; explebo numerum, reddarque tenebris.
I decus, i, nostrum; melioribus utere fatis. 546
Tantum effatus, et in verbo vestigia torsit.
Respicit Æneas subito, et sub rupe sinistra
Mœnia lata videt, triplici circumdata muro;
Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.
Porta adversa ingens, solidoque adamante columnæ;
Vis ut nulla virûm, non ipsi exscindere ferro
Cœlicolæ valeant. Stat ferrea turris ad auras;
Tisiphoneque sedens, palla succincta cruenta, 555
Vestibulum exsomnis servat noctesque diesque.
Hinc exaudiri gemitus, et sæva sonare
Verbera: tum stridor ferri, tractæque catenæ.
Constitit Æneas, strepitumque exterritus hausit.
Quæ scelerum facies? o virgo, effare; quibusve
Urgentur pœnis? qui tantus plangor ad auras?
Tum vates sic orsa loqui: Dux inclyte Teucrûm,
Nulli fas casto sceleratum insistere limen; 563
Sed me, cum lucis Hecate præfecit Avernis,
Ipsa deûm pœnas docuit, perque omnia duxit.
Gnossius hæc Rhadamanthus habet durissima regna;
Castigatque auditque dolos, subigitque fateri,
Quæ quis apud superos, furto lætatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.
Continuo sontes ultrix, accincta flagello, 570
Tisiphone quatit insultans, torvosque sinistra
Intentans angues, vocat agmina sæva sororum,
Tum demum horrisono stridentes cardine sacræ
Panduntur portæ. Cernis custodia qualis
Vestibulo sedeat? facies quæ limina servet? 575
Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra
Sævior intus habet sedem. Tum Tartarus ipse
Bis patet in præceps tantum, tenditque sub umbras,
Quantus ad ætherium cœli suspectus Olympum.
Hic genus antiquum terræ, Titania pubes, 580
Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.
Hic et Aloïdas geminos, immania vidi
Corpora; qui manibus magnum rescindere cœlum
Aggressi, superisque Jovem detrudere regnis.
Vidi et crudeles dantem Salmonea pœnas, 585
Dum flammas Jovis et sonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic invectus equis et lampada quassans,
Per Graiûm populos mediæque per Elidis urbem
Ibat ovans, divûmque sibi poscebat honorem;
Demens! qui nimbos et non imitabile fulmen 590
Ære et cornipedum pulsu simulârat equorum.
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit; non ille faces, nec fumea tædis 593
Lumina; præcipitemque immani turbine adegit.
Nec non et Tityon, terræ omniparentis alumnum,
Cernere erat; per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur; rostroque immanis vultur obunco
Immortale jecur tondens, fecundaque pœnis
Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto
Pectore; nec fibris requies datur ulla renatis. 600
Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pirithoumque?
Quos super atra silex jam jam lapsura, cadentique
Imminet assimilis: lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris, epulæque ante ora paratæ
Regifico luxu; Furiarum maxima juxta 605
Accubat, et manibus prohibet contingere mensas,
Exsurgitque facem attollens, atque intonat ore.
Hic quibus invisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatusve parens, et fraus innexa clienti;
Aut qui divitiis soli incubuere repertis, 610
Nec partem posuere suis; quæ maxima turba est:
Quique ob adulterium cæsi; quique arma secuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras;
Inclusi pœnam exspectant. Ne quære doceri
Quam pœnam; aut quæ forma viros fortunave mersit. 615
Saxum ingens volvunt alii, radiisve rotarum
Districti pendent; sedet, æternumque sedebit,
Infelix Theseus: Phlegyasque miserrimus omnes
Admonet, et magna testatur voce per umbras: 619
"Discite justitiam moniti, et non temnere divos."
Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Imposuit, fixit leges pretio atque refixit. [næos.
Hic thalamum invasit natæ, vetitosque hyme-
Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti. 624
Non, mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possim. 627
Hæc ubi dicta dedit Phœbi longæva sacerdos:
Sed jam age, carpe viam, et susceptum perfice munus;
Acceleremus, ait: Cyclopum educta caminis 630
Mœnia conspicio, atque adverso fornice portas,
Hæc ubi nos præcepta jubent deponere dona.
Dixerat, et, pariter gressi per opaca viarum,
Corripiunt spatium medium, foribusque propinquant.
Occupat Æneas aditum, corpusque recenti 635
Spargit aqua, ramumque adverso in limine figit.
His demum exactis, perfecto munere divæ,
Devenere locos lætos, et amœna vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas,
Largior hic campos æther et lumine vestit 540
Purpureo; solemque suum, sua sidera nôrunt.
Pars in gramineis exercent membra palæstris;
Contendunt ludo, et fulva luctantur arena;
Pars pedibus plaudunt choreas, et carmina dicunt.
Necnon Threïcius longa cum veste sacerdos 645
Obloquitur numeris septem discrimina vocum;
Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.
Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles,
Magnanimi heroës, nati melioribus annis, 649
Ilusque, Assaracusque, et Trojæ Dardanus auctor.
Arma procul currusque virûm miratur inanes.
Stant terra defixæ hastæ, passimque soluti
Per campos pascuntur equi. Quæ gratia currûm
Armorumque fuit vivis, quæ cura nitentes 654
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.
Conspicit ecce alios dextra lævaque per herbam
Vescentes, lætumque choro pæana canentes,
Inter odoratum lauri nemus; unde superne
Plurimus Eridani per sylvam volvitur amnis.
Hic manus, ob patriam pugnando vulnera passi,
Quique sacerdotes casti dum vita manebat, 661
Quique pii vates, et Phœbo digna locuti,
Inventas aut qui vitam excoluere per artes,
Quique sui memores alios fecere merendo;
Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta. 665
Quos circumfusos sic est affata Sibylla;
Musæum ante omnes; medium nam plurima turba [altis:
Hunc habet, atque humeris exstantem suspicit
Dicite, felices animæ, tuque optime vates, 669
Quæ regio Anchisen, quis habet locus? illius ergo
Venimus, et magnos Erebi tranavimus amnes.
Atque huic responsum paucis ita reddidit heros

Nulli certa domus. Lucis habitamus opacis,
Riparumque toros et prata recentia rivis 674
Incolimus. Sed vos, si fert ita corde voluntas,
Hoc superate jugum; et facili jam tramite sistam.
Dixit, et ante tulit gressum, camposque nitentes
Desuper ostentat; dehinc summa cacumina linquunt.
At pater Anchises penitus convalle virenti
Inclusas animas, superumque ad lumen ituras, 680
Lustrabat studio recolens, omnemque suorum
Forte recensebat numerum, carosque nepotes,
Fataque, fortunasque virûm, moresque, manusque.
Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit
Ænean, alacris palmas utrasque tetendit, 685
Effusæque genis lacrymæ; et vox excidit ore:
Venisti tandem, tuaque spectata parenti
Vicit iter durum pietas? datur ora tueri,
Nate, tua, et notas audire et reddere voces? 689
Sic equidem ducebam animo, rebarque futurum,
Tempora dinumerans; nec me mea cura fefellit.
Quas ego te terras, et quanta per æquora vectum
Accipio! quantis jactatum, nate, periclis!
Quam metui, ne quid Libyæ tibi regna nocerent!
Ille autem: Tua me, genitor, tua tristis imago,
Sæpius occurrens, hæc limina tendere adegit.
Stant sale Tyrrheno classes. Da jungere dextram, 697
Da, genitor; teque amplexu ne subtrahe nostro.
Sic memorans largo fletu simul ora rigabat.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum; 700
Ter frustra comprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.
Interea videt Æneas in valle reducta
Seclusum nemus, et virgulta sonantia sylvis,
Lethæumque, domos placidas qui prænatat, amnem. 705
Hunc circum innumeræ gentes populique volant;
Ac veluti in pratis ubi apes æstate serena
Floribus insidunt variis, et candida circum
Lilia funduntur; strepit omnis murmure campus.
Horrescit visu subito, causasque requirit 710
Inscius Æneas, quæ sint ea flumina porro,
Quive viri tanto complêrint agmine ripas.
Tum pater Anchises: Animæ, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethæi ad fluminis undam
Securos latices et longa oblivia potant. 715
Has equidem memorare tibi atque ostendere coram,
Jampridem hanc prolem cupio enumerare meorum;
Quo magis Italia mecum lætere reperta.
O pater, anne aliquas ad cœlum hinc ire putandum est,
Sublimes animas, iterumque in tarda reverti 720
Corpora? quæ lucis miseris tam dira cupido?
Dicam equidem, nec te suspensum, nate, tenebo:
Suscipit Anchises, atque ordine singula pandit.
Principio cœlum ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra, 725
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.
Igneus est ollis vigor et cœlestis origo 730
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
Hinc metuunt, cupiuntque; dolent, gaudentque; neque auras
Dispiciunt, clausæ tenebris et carcere cæco.
Quin et supremo cum lumine vita reliquit, 735
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporæ excedunt pestes; penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliæ panduntur inanes 740
Suspensæ ad ventos; aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni;
Quisque suos patimur Manes: exinde per amplum
Mittimur Elysium, et pauci læta arva tenemus;
Donec longa dies, perfecto temporis orbe, 745
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Ætherium sensum, atque auraï simplicis ignem.
Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethæum ad fluvium deus evocat agmine magno;
Scilicet immemores supera ut convexa revisant.
Rursus et incipiant in corpora velle reverti. 751
Dixerat Anchises; natumque unaque Sibyllam
Conventus trahit in medios, turbamque sonantem;
Et tumulum capit, unde omnes longo ordine possit
Adversos legere, et venientum discere vultus.
Nunc age, Dardaniam prolem quæ deinde sequatur 756
Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
Illustres animas, nostrumque in nomen ituras,
Expediam dictis, et te tua fata docebo.
Ille (vides?) pura juvenis qui nititur hasta, 760
Proxima sorte tenet lucis loca: primus ad auras
Ætherias Italo commixtus sanguine surget,
Sylvius, Albanum nomen, tua postuma proles;
Quem tibi longævo serum Lavinia conjux
Educet sylvis regem, regumque parentem: 765
Unde genus Longa nostrum dominabitur Alba.
Proximus ille Procas, Trojanæ gloria gentis,
Et Capys, et Numitor, et qui te nomine reddet
Sylvius Æneas, pariter pietate vel armis 769
Egregius, si unquam regnandam acceperit Albam.
Qui juvenes quantas ostentant, adspice, vires!
At, qui umbrata gerunt civili tempora quercu,
Hi tibi Nomentum, et Gabios, urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces, 774
[Laude pudicitiæ celebres, addentque superbos]
Pometios, Castrumque Inui, Bolamque, Coramque.
Hæc tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terræ.
Quin et avo comitem sese Mavortius addet
Romulus; Assaraci quem sanguinis Ilia mater
Educet. Viden' ut geminæ stant vertice cristæ,
Et pater ipse suo superûm jam signat honore?
En hujus, nate, auspiciis illa inclyta Roma 782
Imperium terris, animos æquabit Olympo,
Septemque una sibi muro circumdabit arces,
Felix prole virûm; qualis Berecynthia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes, 786
Læta deûm partu, centum complexa nepotes,
Omnes cœlicolas, omnes supera alta tenentes.
Huc geminas nunc flecte acies; hanc adspice gentem,
Romanosque tuos. Hic Cæsar, et omnis Iuli 790
Progenies, magnum cœli ventura sub axem.
Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis,
Augustus Cæsar, divi genus; aurea condet
Sæcula qui rursus Latio, regnata per arva 794

Saturno quondam; super et Garamantas et Indos
Proferet imperium. Jacet extra sidera tellus,
Extra anni solisque vias, ubi cœlifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.
Hujus in adventum jam nunc et Caspia regna
Responsis horrent divûm, et Mæotia tellus, 800
Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.
Nec vero Alcides tantum telluris obivit:
Fixerit æripedem cervam licet, aut Erymanthi
Pacârit nemora, et Lernam tremefecerit arcu;
Nec, qui pampineis victor juga flectit habenis,
Liber, agens celso Nysæ de vertice tigres. 806
Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?
Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?
Quis procul ille autem ramis insignis olivæ,
Sacra ferens? nosco crines incanaque menta 810
Regis Romani; primus qui legibus urbem
Fundabit, Curibus parvis et paupere terra
Missus in imperium magnum. Cui deinde subibit,
Otia qui rumpet patriæ, residesque movebit 814
Tullus in arma viros, et jam desueta triumphis
Agmina. Quem juxta sequitur jactantior Ancus,
Nunc quoque jam nimium gaudens popularibus auris.
Vis et Tarquinios reges, animamque superbam
Ultoris Bruti, facesque videre receptos? 819
Consulis imperium hic primus sævasque secures
Accipiet; natosque pater, nova bella moventes,
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit:
Infelix! utcumque ferent ea facta minores; 823
Vincet amor patriæ, laudumque immensa cupido.
Quin Decios, Drusosque procul, sævumque securi [lum.
Adspice Torquatum, et referentem signa Camil-
Illæ autem, paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animæ nunc, et dum nocte prementur,
Heu! quantum inter se bellum, si lumina vitæ
Attigerint, quantas acies stragemque ciebunt!
Aggeribus socer Alpinis atque arce Monœci 831
Descendens; gener adversis instructus Eois.
Ne, pueri, ne tanta animis assuescite bella;
Neu patriæ validas in viscera vertite vires. 834
Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo;
Projice tela manu, sanguis meus.
Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, cæsis insignis Achivis. 838
Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas,
Ipsumque Æaciden, genus armipotentis Achilli;
Ultus avos Trojæ, templa et temerata Minervæ.
Quis te, magne Cato, tacitum, aut te, Cosse, relinquat? [belli,
Quis Gracchi genus, aut geminos, duo fulmina
Scipiadas, cladem Libyæ, parvoque potentem
Fabricium, vel te sulco, Serrane, serentem? 845
Quo fessum rapitis, Fabii? tu Maximus ille es,
Unus qui nobis cunctando restituis rem.
Excudent alii spirantia mollius æra;
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus;
Orabunt causas melius, cœlique meatus 850
Describent radio, et surgentia sidera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento;
Hæ tibi erunt artes; pacisque imponere morem,
Parcere subjectis, et debellare superbos. [dit:
Sic pater Anchises, atque hæc mirantibus ad-
Adspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis 856
Ingreditur, victorque viros supereminet omnes!
Hic rem Romanam, magno turbante tumultu,
Sistet; eques sternet Pœnos, Gallumque rebellem,
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.
Atque hic Æneas; una namque ire videbat 861
Egregium forma juvenem et fulgentibus armis,
Sed frons læta parum, et dejecto lumina vultu:
Quis, pater, ille virum qui sic comitatur euntem?
Filius, anne aliquis magna de stirpe nepotum?
Qui strepitus circa comitum! quantum instar in ipso est! 866
Sed nox atra caput tristi circumvolat umbra.
Tum pater Anchises lacrymis ingressus obortis:
O nate, ingentem luctum ne quære tuorum;
Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Esse sinent. Nimium vobis Romana propago 871
Visa potens, superi, propria hæc si dona fuissent.
Quantos ille virûm magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus! vel quæ, Tiberine, videbis
Funera, cum tumulum præterlabere recentem!
Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos 876
In tantum spe tollet avos; nec Romula quondam
Ullo se tantum tellus jactabit alumno.
Heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello
Dextera! non illi se quisquam impune tulisset
Obvius armato, seu cum pedes iret in hostem, 881
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
Heu miserande puer! si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis;
Purpureos spargam flores, animamque nepotis
His saltem accumulem donis, et fungar inani 886
Munere. Sic tota passim regione vagantur
Aëris in campis latis, atque omnia lustrant.
Quæ postquam Anchises natum per singula duxit,
Incenditque animum famæ venientis amore: 890
Exin bella viro memorat quæ deinde gerenda,
Laurentesque docet populos, urbemque Latini;
Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem. [tur
Sunt geminæ somni portæ: quarum altera fer-
Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto; 896
Sed falsoa ad cœlum mittunt insomnia Manes.
His ubi tum natum Anchises unaque Sibyllam
Prosequitur dictis, portaque emittit eburna;
Ille viam secat ad naves, sociosque revisit. 900
Tum se ad Caietæ recto fert limite portum.
Ancora de prora jacitur; stant littore puppes.

LIBER SEPTIMUS.

Tu quoque littoribus nostris, Æneïa nutrix,
Æternam moriens famam, Caieta, dedisti;
Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen
Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signat.
At pius exsequiis Æneas rite solutis, 5
Aggere composito tumuli, postquam alta quiêrunt
Æquora, tendit iter velis, portumque relinquit.
Adspirant auræ in noctem, nec candida cursus
Luna negat; splendet tremulo sub lumine pontus.
Proxima Circææ raduntur littora terræ; 10
Dives inaccessos ubi Solis filia lucos
Assiduo resonat cantu, tectisque superbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum,

Arguto tenues percurrens pectine telas.
Hinc exaudîri gemitus iræque leonum 15
Vincla recusantum, et sera sub nocte rudentum;
Sætigerique sues, atque in præsepibus ursi
Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum;
Quos hominum ex facie dea sæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum. 20
Quæ ne monstra pii paterentur talia Troës
Delati in portus, neu littora dira subirent:
Neptunus ventis implevit vela secundis,
Atque, fugam dedit, et præter vada fervida vexit.
Jamque rubescebat radiis mare, et æthere ab alto 25
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis:
Cum venti posuere, omnisque repente resedit
Flatus, et in lento luctantur marmore tonsæ.
Atque hic Æneas ingentem ex æquore lucum
Prospicit. Hunc inter fluvio Tiberinus amœno,
Vorticibus rapidis, et multa flavus arena, 31
In mare prorumpit. Variæ circumque supraque
Assuetæ ripis volucres et fluminis alveo
Æthera mulcebant cantu, lucoque volabant.
Flectere iter sociis terræque advertere proras 35
Imperat, et lætus fluvio succedit opaco. [rum,
Nunc age, qui reges, Erato, quæ tempora re-
Quis Latio antiquo fuerit status, advena classem
Cum primum Ausoniis exercitus appulit oris,
Expediam, et primæ revocabo exordia pugnæ. 40
Tu vatem, tu, diva, mone. Dicam horrida bella;
Dicam acies, actosque animis in funera reges,
Tyrrhenamque manum, totamque sub arma coactam
Hesperiam. Major rerum mihi nascitur ordo;
Majus opus moveo. Rex arva Latinus et urbes
Jam senior longa placidas in pace regebat. 46
Hunc Fauno et nympha genitum Laurente Marica
Accipimus; Fauno Picus pater; isque parentem
Te, Saturne, refert; tu sanguinis ultimus auctor.
Filius huic, fato divûm, prolesque virilis 50
Nulla fuit, primaque oriens erepta juventa est.
Sola domum et tantas servabat filia sedes,
Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.
Multi illam magno e Latio totaque petebant
Ausonia; petit ante alios pulcherrimus omnes 55
Turnus, avis atavisque potens: quem regia conjux
Adjungi generum miro properabat amore;
Sed variis portenta deûm terroribus obstant.
Laurus erat tecti medio, in penetralibus altis, 59
Sacra comam, multosque metu servata per annos:
Quam pater inventam, primas cum conderet arces,
Ipse ferebatur Phœbo sacrâsse Latinus,
Laurentesque ab ea nomen posuisse colonis.
Hujus apes summum densæ (mirabile dictu),
Stridore ingenti liquidum trans æthera vectæ, 65
Obsedere apicem; et, pedibus per mutua nexis,
Examen subitum ramo frondente pependit.
Continuo vates, Externum cernimus, inquit,
Adventare virum, et partes petere agmen easdem
Partibus ex îsdem, et summa dominarier arce. 70
Præterea, castis adolet dum altaria tædis,
Ut juxta genitorem adstat Lavinia virgo,
Visa (nefas) longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regalesque accensa comas, accensa coronam, 75
Insignem gemmis; tum fumida lumine fulvo
Involvi, ac totis Vulcanum spargere tectis.
Id vero horrendum ac visu mirabile ferri:
Namque fore illustrem fama fatisque canebant
Ipsam; sed populo magnum portendere bellum.
At rex sollicitus monstris, oracula Fauni, 81
Fatidici genitoris, adit, lucosque sub alta
Consulit Albunea: nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, sævamque exhalat opaca mephitim.
Hinc Italæ gentes, omnisque Œnotria tellus, 85
In dubiis responsa petunt. Huc dona sacerdos
Cum tulit, et cæsarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit:
Multa modis simulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque deorum 90
Colloquio, atque imis Acheronta affatur Avernis.
Hic et tum pater ipse petens responsa Latinus
Centum lanigeras mactabat rite bidentes,
Atque harum effultus tergo stratisque jacebat
Velleribus. Subita ex alto vox reddita luco est:
Ne pete connubiis natam sociare Latinis, 96
O mea progenies, thalamis neu crede paratis;
Externi veniunt generi, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferent, quorumque ab stirpe nepotes
Omnia sub pedibus, qua Sol utrumque recurrens
Adspicit Oceanum, vertique regique videbunt.
Hæc responsa patris Fauni, monitusque silenti
Nocte datos, non ipse suo premit ore Latinus:
Sed circum late volitans jam Fama per urbes
Ausonias tulerat; cum Laomedontia pubes 105
Gramineo ripæ religavit ab aggere classem.
Æneas, primique duces, et pulcher Iulus,
Corpora sub ramis deponunt arboris altæ;
Instituuntque dapes, et adorea liba per herbam
Subjiciunt epulis (sic Jupiter ille monebat) 110
Et Cereale solum pomis agrestibus augent.
Consumtis hic forte aliis, ut vertere morsus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi,
Et violare manu malisque audacibus orbem
Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris: 115
Heus! etiam mensas consumimus? inquit Iulus.
Nec plura alludens. Ea vox audita laborum
Prima tulit finem, primamque loquentis ab ore
Eripuit pater, ac stupefactus numine pressit.
Continuo, Salve fatis mihi debita Tellus, 120
Vosque, ait, o fidi Trojæ salvete Penates.
Hic domus, hæc patria est. Genitor mihi talia, namque
Nunc repeto, Anchises fatorum arcana reliquit:
Cum te, nate, fames ignota ad littora vectum
Accisis coget dapibus consumere mensas; 125
Tum sperare domos defessus, ibique memento
Prima locare manu molirique aggere tecta.
Hæc erat illa fames; hæc nos suprema manebat,
Exitiis positura modum.
Quare agite, et primo læti cum lumine solis, 130
Quæ loca, quive habeant homines, ubi mœnia gentis,
Vestigemus, et a portu diversa petamus.
Nunc pateras libate Jovi, precibusque vocate
Anchisen genitorem, et vina reponite mensis.
Sic deinde effatus frondenti tempora ramo 135
Implicat, et Geniumque loci, primamque deorum
Tellurem, Nymphasque, et adhuc ignota precatur
Flumina; tum Noctem, Noctisque orientia Signa,
Idæumque Jovem, Phrygiamque ex ordine Matrem,
Invocat, et duplices cœloque Ereboque parentes.
Hic pater omnipotens ter cœlo clarus ab alto 141
Intonuit; radiisque ardentem lucis et auro

Ipse manu quatiens ostendit ab æthere nubem.
Diditur hic subito Trojana per agmina rumor,
Advenisse diem, quo debita mœnia condant. 145
Certatim instaurant epulas, atque omine magno
Crateras læti statuunt, et vina coronant.
Postera cum prima lustrabat lampade terras
Orta dies; urbem, et fines, et littora gentis 149
Diversi explorant; hæc fontis stagna Numicî,
Hunc Tibrim fluvium, hic fortes habitare Latinos.
Tum satus Anchisa delectos ordine ab omni
Centum oratores augusta ad mœnia regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes, 154
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris.
Haud mora; festinant jussi, rapidisque feruntur
Passibus. Ipse humili designat mœnia fossa,
Moliturque locum; primasque in littore sedes,
Castrorum in morem, pinnis atque aggere cingit.
Jamque iter emensi, turres ac tecta Latinorum
Ardua cernebant juvenes, muroque subibant:
Ante urbem pueri, et primævo flore juventus, 162
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus;
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt:
Cum prævectus equo longævi regis ad aures 166
Nuntius ingentes ignota in veste reportat
Advenisse viros. Ille intra tecta vocari
Imperat, et solio medius consedit avito.
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis, 170
Urbe fuit summa, Laurentis regia Pici,
Horrendum sylvis et religione parentum.
Hic sceptra accipere, et primos attollere fasces
Regibus omen erat; hoc illis curia templum,
Hæ sacris sedes epulis; hic ariete cæso 175
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e cedro, Italusque, paterque Sabinus
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem,
Saturnusque senex, Janique bifrontis imago, 180
Vestibulo adstabant; aliique ab origine reges,
Martiaque ob patriam pugnando vulnera passi.
Multaque præterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque secures, 184
Et cristæ capitum, et portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis.
Ipse Quirinali lituo, parvaque sedebat
Succinctus trabea, lævaque ancile gerebat
Picus, equûm domitor: quem capta cupidine conjux
Aurea percussum virga, versumque venenis, 190
Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.
Tali intus templo divûm patriaque Latinus
Sede sedens, Teucros ad sese in tecta vocavit;
Atque hæc ingressis placido prior edidit ore:
Dicite, Dardanidæ, neque enim nescimus et urbem, 195
Et genus, auditique advertitis æquore cursum,
Quid petitis? quæ causa rates, aut cujus egentes
Littus ad Ausonium tot per vada cærula vexit?
Sive errore viæ, seu tempestatibus acti,
(Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto) 200
Fluminis intrâstis ripas, portuque sedetis;
Ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus æquam,
Sponte sua veterisque dei se more tenentem. 204
Atque equidem memini (fama est obscurior annis)
Auruncos ita ferre senes, his ortus ut agris
Dardanus Idæas Phrygiæ penetrârit ad urbes,
Threïciamque Samum, quæ nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Corythi Tyrrhena ab sede profectum
Aurea nunc solio stellantis regia cœli 210
Accipit, et numerum divorum altaribus addit.
Dixerat. Et dicta Ilioneus sic voce secutus.
Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra subegit hiems vestris succedere terris,
Nec sidus regione viæ littusve fefellit: 215
Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem
Afferimur, pulsi regnis, quæ maxima quondam
Extremo veniens Sol adspiciebat Olympo.
Ab Jove principium generis; Jove Dardana pubes
Gaudet avo; rex ipse Jovis de gente suprema
Troïus Æneas tua nos ad limina misit. 221
Quanta per Idæos sævis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos; quibus actus uterque
Europæ atque Asiæ fatis concurrerit orbis:
Audiit, et si quem tellus extrema refuso 225
Submovet Oceano, et si quem extenta plagarum
Quatuor in medio dirimit plaga solis iniqui.
Diluvio ex illo tot vasta per æquora vecti
Dîs sedem exiguam patriis, littusque rogamus
Innocuum, et cunctis undamque auramque patentem. 230
Non erimus regno indecores; nec vestra feretur
Fama levis, tantive abolescet gratia facti;
Nec Trojam Ausonios gremio excepisse pigebit.
Fata per Æneæ juro, dextramque potentem, 234
Sive fide, seu quis bello est expertus et armis;
Multi nos populi, multæ (ne temne quod ultro
Præferimus manibus vittas ac verba precantia)
Et petiere sibi et voluere adjungere gentes.
Sed nos fata deûm vestras exquirere terras
Imperiis egere suis. Hinc Dardanus ortus 240
Huc repetit, jussisque ingentibus urget Apollo
Tyrrhenum ad Tibrim, et fontis vada sacra Numicî.
Dat tibi præterea fortunæ parva prioris
Munera, reliquias Troja ex ardente receptas.
Hoc pater Anchises auro libabat ad aras; 245
Hoc Priami gestamen erat, cum jura vocatis
More daret populis; sceptrumque, sacerque tiaras,
Iliadumque labor vestes.
Talibus Ilionei dictis defixa Latinus
Obtutu tenet ora, soloque immobilis hæret, 250
Intentos volvens oculos. Nec purpura regem
Picta movet, nec sceptra movent Priameïa tantum,
Quantum in connubio natæ thalamoque moratur;
Et veteris Fauni volvit sub pectore sortem.
Hunc illum fatis externa ab sede profectum 255
Portendi generum, paribusque in regna vocari
Auspiciis; huic progeniem virtute futuram
Egregiam, et totum quæ viribus occupet orbem.
Tandem lætus ait: Dî nostra incepta secundent,
Auguriumque suum! Dabitur, Trojane, quod optas. 260
Munera nec sperno. Non vobis, rege Latino,
Divitis uber agri Trojæve opulentia deerit.
Ipse modo Æneas, nostri si tanta cupido est,
Si jungi hospitio properat, sociusque vocari,
Adveniat; vultus neve exhorrescat amicos. 265
Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.
Vos contra regi mea nunc mandata referte.
Est mihi nata, viro gentis quam jungere nostræ,
Non patrio ex adyto sortes, non plurima cœlo 269
Monstra sinunt: generos externis affore ab oris,

Hoc Latio restare canunt, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant. Hunc illum poscere fata
Et reor, et, si quid veri mens augurat, opto.
Hæc effatus, equos numero pater eligit omni.
Stabant ter centum nitidi in præsepibus altis: 275
Omnibus extemplo Teucris jubet ordine duci
Instratos ostro alipedes pictisque tapetis.
Aurea pectoribus demissa monilia pendent;
Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum.
Absenti Æneæ currum geminosque jugales, 280
Semine ab ætherio, spirantes naribus ignem,
Illorum de gente, patri quos dædala Circe
Supposita de matre nothos furata creavit.
Talibus Æneadæ donis dictisque Latini 284
Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant.
Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis
Sæva Jovis conjux, aurasque invecta tenebat:
Et lætum Ænean classemque ex æthere longo
Dardaniam Siculo prospexit ab usque Pachyno.
Moliri jam tecta videt, jam fidere terræ; 290
Deseruisse rates. Stetit acri fixa dolore.
Tum quassans caput, hæc effundit pectore dicta:
Heu stirpem invisam, et fatis contraria nostris
Fata Phrygum! num Sigeis occumbere campis,
Num capti potuere capi? num incensa cremavit
Troja viros? medias acies, mediosque per ignes
Invenere viam. At, credo, mea numina tandem
Fessa jacent, odiis aut exsaturata quievi.
Quin etiam patria excussos infesta per undas 299
Ausa sequi, et profugis toto me opponere ponto.
Absumtæ in Teucros vires cœlique marisque.
Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
Profuit? optato conduntur Tibridis alveo,
Securi pelagi atque mei. Mars perdere gentem
Immanem Lapithûm valuit; concessit in iras 305
Ipse deûm antiquam genitor Calydona Dianæ;
Quod scelus aut Lapithas tantum, aut Calydona merentem?
Ast ego, magna Jovis conjux, nil linquere inausum
Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti,
Vincor ab Ænea. Quod si mea numina non sunt
Magna satis, dubitem haud equidem implorare quod usquam est. 311
Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.
Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis,
Atque immota manet fatis Lavinia conjux;
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus;
At licet amborum populos exscindere regum. 316
Hac gener atque socer coëant mercede suorum.
Sanguine Trojano et Rutulo dotabere, virgo,
Et Bellona manet te pronuba. Nec face tantum
Cisseïs prægnans ignes enixa jugales; 320
Quin idem Veneri partus suus, et Paris alter,
Funestæque iterum recidiva in Pergama tædæ.
Hæc ubi dicta dedit, terras horrenda petivit.
Luctificam Allecto dirarum ab sede sororum
Infernisque ciet tenebris: cui tristia bella, 325
Iræque, insidiæque, et crimina noxia cordi.
Odit et ipse pater Pluton; odere sorores
Tartareæ monstrum; tot sese vertit in ora,
Tam sævæ facies, tot pullulat atra colubris.
Quam Juno his acuit verbis, ac talia fatur: 330
Hunc mihi da proprium, virgo sata Nocte, laborem,
Hanc operam, ne noster honos infractave cedat
Fama loco: neu connubiis ambire Latinum
Æneadæ possint, Italosve obsidere fines.
Tu potes unanimos armare in prœlia fratres, 335
Atque odiis versare domos; tu verbera tectis
Funereasque inferre faces; tibi nomina mille,
Mille nocendi artes. Fecundum concute pectus·
Disjice compositam pacem; sere crimina belli;
Arma velit, poscatque simul, rapiatque juventus.
Exin Gorgoneis Allecto infecta venenis 341
Principio Latium et Laurentis tecta tyranni
Celsa petit, tacitumque obsedit limen Amatæ:
Quam super adventu Teucrûm Turnique hymenæis
Fœmineæ ardentem curæque iræque coquebant.
Huic dea cæruleis unum de crinibus anguem 346
Conjicit, inque sinum præcordia ad intima subdit;
Quo furibunda domum monstro permisceat omnem.
Ille, inter vestes et lævia pectora lapsus,
Volvitur attactu nullo, fallitque furentem, 350
Viperam inspirans animam; fit tortile collo
Aurum ingens coluber; fit longæ tænia vittæ,
Innectitque comas, et membris lubricus errat.
Ac dum prima lues udo sublapsa veneno 354
Pertentat sensus, atque ossibus implicat ignem,
Necdum animus toto percepit pectore flammam,
Mollius, et solito matrum de more, locuta est,
Multa super nata lacrymans Phrygiisque hymenæis:
Exulibusne datur ducenda Lavinia Teucris,
O genitor? nec te miseret natæque, tuique? 360
Nec matris miseret, quam primo Aquilone relinquet
Perfidus, alta petens abducta virgine, prædo?
At non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor,
Ledæamque Helenam Trojanas vexit ad urbes?
Quid tua sancta fides? quid cura antiqua tuorum,
Et consanguineo toties data dextera Turno? 366
Si gener externa petitur de gente Latinis,
Idque sedet, Faunique premunt te jussa parentis,
Omnem equidem sceptris terram quæ libera nostris
Dissidet, externam reor, et sic dicere divos. 370
Et Turno, si prima domus repetatur origo,
Inachus Acrisiusque patres, mediæque Mycenæ.
His ubi nequicquam dictis experta, Latinum
Contra stare videt, penitusque in viscera lapsum
Serpentis furiale malum, totamque pererrat: 375
Tum vero infelix, ingentibus excita monstris,
Immensam sine more furit lymphata per urbem.
Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent; ille actus habena 380
Curvatis fertur spatiis; stupet inscia supra
Impubesque manus, mirata volubile buxum;
Dant animos plagæ. Non cursu segnior illo
Per medias urbes agitur populosque feroces.
Quin etiam in sylvas, simulato numine Bacchi,
Majus adorta nefas, majoremque orsa furorem,
Evolat, et natam frondosis montibus abdit; 387
Quo thalamum eripiat Teucris, tædasque moretur:
Evœ Bacche, fremens, solum te virgine dignum,
Vociferans; etenim molles tibi sumere thyrsos,
Te lustrare choro, sacrum tibi pascere crinem.
Fama volat; furiisque accensas pectore matres
Idem omnes simul ardor agit, nova quærere tecta.
Deseruere domos; ventis dant colla comasque.
Ast aliæ tremulis ululatibus æthera complent,
Pampineasque gerunt, incinctæ pellibus, hastas. 396

Ipsa inter medias flagrantem fervida pinum
Sustinet, ac natæ Turnique canit hymenæos,
Sanguineam torquens aciem; torvumque repente
Clamat: Io matres, audite, ubi quæque, Latinæ;
Si qua piis animis manet infelicis Amatæ 401
Gratia, si juris materni cura remordet:
Solvite crinales vittas, capite orgia mecum.
Talem inter sylvas, inter deserta ferarum,
Reginam Allecto stimulis agit undique Bacchi.
Postquam visa satis primos acuisse furores, 406
Consiliumque omnemque domum vertisse Latini,
Protinus hinc fuscis tristis dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros: quam dicitur urbem
Acrisioneis Danae fundâsse colonis, 410
Præcipiti delata Noto. Locus Ardea quondam
Dictus avis: et nunc magnum manet Ardea nomen;
Sed fortuna fuit. Tectis hic Turnus in altis
Jam mediam nigra carpebat nocte quietem.
Allecto torvam faciem et furialia membra 415
Exuit: in vultus sese transformat aniles,
Et frontem obscænam rugis arat; induit albos
Cum vitta crines; tum ramum innectit olivæ:
Fit Calybe, Junonis anus templique sacerdos;
Et juveni ante oculos his se cum vocibus offert:
Turne, tot incassum fusos patiere labores, 421
Et tua Dardaniis transscribi sceptra colonis?
Rex tibi conjugium et quæsitas sanguine dotes
Abnegat, externusque in regnum quæritur hæres.
I nunc, ingratis offer te, irrise, periclis; 425
Tyrrhenas, i, sterne acies; tege pace Latinos.
Hæc adeo tibi me, placida cum nocte jaceres,
Ipsa palam fari omnipotens Saturnia jussit.
Quare age, et armari pubem, portisque moveri
Lætus in arma para, et Phrygios, qui flumine pulchro 430
Consedere, duces pictasque exure carinas.
Cœlestum vis magna jubet. Rex ipse Latinus,
Ni dare conjugium et dicto parere fatetur,
Sentiat, et tandem Turnum experiatur in armis.
Hic juvenis, vatem irridens, sic orsa vicissim
Ore refert: Classes invectas Tibridis alveo 436
Non, ut rere, meas effugit nuntius aures.
Ne tantos mihi finge metus: nec regia Juno
Immemor est nostri.
Sed te victa situ verique effeta senectus, 440
O mater, curis nequicquam exercet, et arma
Regum inter falsa vatem formidine ludit.
Cura tibi, divûm effigies et templa tueri:
Bella viri pacemque gerent [quîs bella gerenda].
Talibus Allecto dictis exarsit in iras. 445
At juveni oranti subitus tremor occupat artus;
Deriguere oculi; tot Erinnys sibilat hydris,
Tantaque se facies aperit. Tum flammea torquens
Lumina, cunctantem et quærentem dicere plura
Reppulit, et geminos erexit crinibus angues, 450
Verberaque insonuit, rabidoque hæc addidit ore:
En ego victa situ, quam veri effeta senectus
Arma inter regum falsa formidine ludit;
Respice ad hæc: adsum dirarum ab sede sororum;
Bella manu letumque gero. 455
Sic effata facem juveni conjecit, et atro
Lumine fumantes fixit sub pectore tædas.
Olli somnum ingens rumpit pavor, ossaque et artus
Perfundit toto proruptus corpore sudor.
Arma amens fremit; arma toro tectisque requirit. 460
Sævit amor ferri, et scelerata insania belli;
Ira super: magno veluti cum flamma sonore
Virgea suggeritur costis undantis aëni,
Exsultantque æstu latices; furit intus aquai
Fumidus atque alte spumis exuberat amnis; 465
Nec jam se capit unda; volat vapor ater ad auras.
Ergo iter ad regem polluta pace Latinum
Indicit primis juvenum, et jubet arma parari,
Tutari Italiam, detrudere finibus hostem: 469
Se satis ambobus Teucrisque venire Latinisque.
Hæc ubi dicta dedit, divosque in vota vocavit,
Certatim sese Rutuli exhortantur in arma.
Hunc decus egregium formæ movet atque juventæ;
Hunc atavi reges; hunc claris dextera factis.
Dum Turnus Rutulos animis audacibus implet, 475
Allecto in Teucros Stygiis se concitat alis;
Arte nova speculata locum, quo littore pulcher
Insidiis cursuque feras agitabat Iulus,
Hic subitam canibus rabiem Cocytia virgo
Objicit, et noto nares contingit odore, 480
Ut cervum ardentes agerent: quæ prima laborum
Causa fuit, belloque animos accendit agrestes.
Cervus erat forma præstanti et cornibus ingens,
Tyrrhidæ pueri quem matris ab ubere raptum
Nutribant, Tyrrheusque pater, cui regia parent
Armenta, et late custodia credita campi. 486
Assuetum imperiis soror omni Sylvia cura
Mollibus intexens ornabat cornua sertis,
Pectebatque ferum, puroque in fonte lavabat.
Ille, manum patiens, mensæque assuetus herili,
Errabat sylvis; rursusque ad limina nota 491
Ipse domum sera quamvis se nocte ferebat.
Hunc procul errantem rabidæ venantis Iuli
Commovere canes, fluvio cum forte secundo
Deflueret, ripaque æstus viridante levaret. 495
Ipse etiam, eximiæ laudis succensus amore,
Ascanius curvo direxit spicula cornu:
Nec dextræ erranti deus abfuit; actaque multo
Perque uterum sonitu perque ilia venit arundo.
Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit, 500
Successitque gemens stabulis, questuque, cruentus
Atque imploranti similis, tectum omne replebat.
Sylvia prima soror, palmis percussa lacertos,
Auxilium vocat, et duros conclamat agrestes.
Olli, pestis enim tacitis latet aspera sylvis, 505
Improvisi adsunt: hic torre armatus obusto,
Stipitis hic gravidi nodis; quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit. Vocat agmina Tyrrheus.
Quadrifidam quercum cuneis ut forte coactis
Scindebat, rapta spirans immane securi. 510
At sæva e speculis tempus dea nacta nocendi
Ardua tecta petit stabuli; et de culmine summi
Pastorale canit signum, cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem: qua protenus omne
Contremuit nemus, et sylvæ intonuere profundæ;
Audiit et Triviæ longe lacus; audiit amnis 516
Sulphurea Nar albus aqua, fontesque Velini;
Et trepidæ matres pressere ad pectora natos.
Tum vero ad vocem celeres, qua buccina signum
Dira dedit, raptis concurrunt undique telis 520
Indomiti agricolæ; nec non et Troïa pubes
Ascanio auxilium castris effundit apertis.
Direxere acies. Non jam certamine agresti,

Stipitibus duris agitur sudibusve præustis;
Sed ferro ancipiti decernunt, atraque late 525
Horrescit strictis seges ensibus, æraque fulgent
Sole lacessita, et lucem sub nubila jactant:
Fluctus uti primo cœpit cum albescere vento,
Paullatim sese tollit mare, et altius undas
Erigit, inde imo consurgit ad æthera fundo. 530
Hic juvenis primam ante aciem stridente sagitta,
Natorum Tyrrhei fuerat qui maximus, Almo
Sternitur; hæsit enim sub gutture vulnus, et udæ
Vocis iter tenuemque inclusit sanguine vitam.
Corpora multa virûm circa, seniorque Galæsus, 535
Dum paci medium se offert; justissimus unus
Qui fuit, Ausoniisque olim ditissimus arvis:
Quinque greges illi balantum, quina redibant
Armenta, et terram centum vertebat aratris.
Atque ea per campos æquo dum Marte geruntur, 540
Promissi dea facta potens, ubi sanguine bellum
Imbuit, et primæ commisit funera pugnæ,
Deserit Hesperiam, et, cœli convexa per auras,
Junonem victrix affatur voce superba:
En perfecta tibi bello discordia tristi; 545
Dic, in amicitiam coëant, et fœdera jungant.
Quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros:
Hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas,
Finitimas in bella feram rumoribus urbes,
Accendamque animos insani Martis amore, 550
Undique ut auxilio veniant: spargam arma per agros.
Tum contra Juno: Terrorum et fraudis abunde est.
Stant belli causæ; pugnatur cominus armis.
[Quæ fors prima dedit, sanguis novus imbuit arma.]
Talia connubia, et tales celebrent hymenæos 555
Egregium Veneris genus et rex ipse Latinus.
Te super ætherias errare licentius auras
Haud pater ille velit summi regnatur Olympi.
Cede locis. Ego, si qua super fortuna laborum est,
Ipsa regam. Tales dederat Saturnia voces. 560
Illa autem attollit stridentes anguibus alas,
Cocytique petit sedem, supera ardua linquens.
Est locus Italiæ medio sub montibus altis
Nobilis, et fama multis memoratus in oris,
Amsancti valles: densis hunc frondibus atrum
Urget utrinque latus nemoris, medioque fragosus 566
Dat sonitum saxis et torto vertice torrens:
Hic specus horrendum, sævi spiracula Ditis,
Monstratur, ruptoque ingens Acheronte vorago
Pestiferas aperit fauces; quîs condita Erinnys,
Invisum numen, terras cœlumque levabat. 571
Nec minus interea extremam Saturnia bello
Imponit regina manum. Ruit omnis in urbem
Pastorum ex acie numerus, cæsosque reportant
Almonem puerum fœdatique ora Galæsi; 575
Implorantque deos, obtestanturque Latinum.
Turnus adest, medioque in crimine cædis et ignis
Terrorem ingeminat: Teucros in regna vocari;
Stirpem admisceri Phrygiam; se limine pelli.
Tum, quorum attonitæ Baccho nemora avia matres 580
Insultant thiasis — neque enim leve nomen Amatæ—
Undique collecti coëunt, Martemque fatigant.
Ilicet infandum cuncti contra omina bellum,
Contra fata deûm, perverso nomine poscunt;
Certatim regis circumstant tecta Latini. 585
Ille, velut pelagi rupes immota, resistit:
[Ut pelagi rupes, magno veniente fragore,]
Quæ sese, multis circum latrantibus undis,
Mole tenet; scopuli nequicquam et spumea circum
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga. 590
Verum, ubi nulla datur cæcum exsuperare potestas
Consilium, et sævæ nutu Junonis eunt res:
Multa deos aurasque pater testatus inanes,
Frangimur heu fatis, inquit, ferimurque procella!
Ipsi has sacrilego pendetis sanguine pœnas, 595
O miseri. Te, Turne, nefas, te triste manebit
Supplicium; votisque deos venerabere seris.
Nam mihi parta quies, omnisque in limine portus;
Funere felici spolior. Nec plura locutus
Sæpsit se tectis; rerumque reliquit habenas. 600
Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus urbes
Albanæ coluere sacrum, nunc maxima rerum
Roma colit, cum prima movent in prœlia Martem,
Sive Getis inferre manu lacrymabile bellum,
Hyrcanisve Arabisve parant, seu tendere ad Indos, 605
Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa:
Sunt geminæ Belli portæ (sic nomine dicunt)
Religione sacræ et sævi formidine Martis:
Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora; nec custos absistit limine Janus. 610
Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnæ,
Ipse, Quirinali trabea cinctuque Gabino
Insignis, reserat stridentia limina Consul;
Ipse vocat pugnas, sequitur tum cætera pubes,
Æreaque assensu conspirant cornua rauco. 615
Hoc et tum Æneadis indicere bella Latinus
More jubebatur, tristesque recludere portas.
Abstinuit tactu pater, aversusque refugit
Fœda ministeria, et cæcis se condidit umbris.
Tum regina deûm cœlo delapsa morantes 620
Impulit ipsa manu portas, et cardine verso
Belli ferratos rupit Saturnia postes.
Ardet inexcita Ausonia atque immobilis ante.
Pars pedes ire parat campis; pars arduus altis
Pulverulentus equis furit; omnes arma requirunt. 625
Pars leves clypeos et spicula lucida tergunt
Arvina pingui, subiguntque in cote secures;
Signaque ferre juvat, sonitusque audire tubarum.
Quinque adeo magnæ positis incudibus urbes
Tela novant, Atina potens, Tiburque superbum, 630
Ardea, Crustumerique, et turrigeræ Antemnæ.
Tegmina tuta cavant capitum, flectuntque salignas
Umbonum crates; alii thoracas aënos,
Aut læves ocreas lento ducunt argento; 634
Vomeris huc, et falcis honos, huc omnis aratri
Cessit amor; recoquunt patrios fornacibus enses.
Classica jamque sonant; it bello tessera signum.
Hic galeam tectis trepidus rapit; ille frementes
Ad juga cogit equos; clypeumque auroque trilicem
Loricam induitur, fidoque accingitur ense. 640
Pandite nunc Helicona, deæ, cantusque movete,

Qui bello exciti reges, quæ quemque secutæ
Complêrint campos acies; quibus Itala jam tum
Floruerit terra alma viris, quibus arserit armis.
Et meministis enim, divæ, et memorare potestis:
Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura. 646
Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris
Contemtor divûm Mezentius, agminaque armat.
Filius huic juxta Lausus, quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni. 650
Lausus, equûm domitor, debellatorque ferarum,
Ducit Agyllina nequicquam ex urbe secutos
Mille viros; dignus, patriis qui lætior esset
Imperiis, et cui pater haud Mezentius esset.
Post hos insignem palma per gramina currum 655
Victoresque ostentat equos satus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus; clypeoque insigne paternum
Centum angues cinctamque gerit serpentibus Hydram:
Collis Aventini sylva quem Rhea sacerdos
Furtivum partu sub luminis edidit oras, 660
Mixta deo mulier, postquam Laurentia victor,
Geryone exstincto, Tirynthius attigit arva,
Tyrrhenoque boves in flumine lavit Iberas.
Pila manu sævosque gerunt in bella dolones;
Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello. 665
Ipse pedes, tegumen torquens immane leonis,
Terribili impexum seta, cum dentibus albis,
Indutus capiti, sic regia tecta subibat
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.
Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt, 670
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catillusque acerque Coras, Argiva juventus;
Et primam ante aciem densa inter tela feruntur:
Ceu, duo nubigenæ cum vertice montis ab alto
Descendunt Centauri, Homolen Othrymque nivalem 675
Linquentes cursu rapido; dat euntibus ingens
Sylva locum, et magno cedunt virgulta fragore.
Nec Prænestinæ fundator defuit urbis,
Vulcano genitum pecora inter agrestia regem
Inventumque focis omnis quem credidit ætas, 680
Cæculus. Hunc legio late comitatur agrestis:
Quique altum Præneste viri, quique arva Gabinæ
Junonis, gelidumque Anienem, et roscida rivis
Hernica saxa colunt; quos, dives Anagnia, pascis,
Quos, Amasene pater. Non illis omnibus arma,
Nec clypei currusve sonant: pars maxima glandes 686
Liventis plumbi spargit; pars spicula gestat
Bina manu; fulvosque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti; vestigia nuda sinistri
Instituere pedis; crudus tegit altera pero. 690
At Messapus equûm domitor, Neptunia proles,
Quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro,
Jam pridem resides populos, desuetaque bello
Agmina, in arma vocat subito, ferrumque retractat.
Hi Fescenninas acies Æquosque Faliscos, 695
Hi Soractis habent acres Flaviniaque arva,
Et Cimini cum monte lacum, lucosque Capenos.
Ibant æquati numero, regemque canebant:
Ceu quondam nivei liquida inter nubila cycni,
Cum sese e pastu referunt, et longa canoros 700
Dant per colla modos; sonat amnis, et Asia longe
Pulsa palus.
Nec quisquam æratas acies ex agmine tanto
Misceri putet; aëriam sed gurgite ab alto
Urgeri volucrum raucarum ad littora nubem.
Ecce, Sabinorum prisco de sanguine, magnum 706
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar,
Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.
Una ingens Amiterna cohors, priscique Quirites, 710
Ereti manus omnis, oliviferæque Mutuscæ;
Qui Nomentum urbem, qui Rosea rura Velini,
Qui Tetricæ horrentis rupes, montemque Severum,
Casperiamque colunt, Forulosque, et flumen Himellæ;
Qui Tibrim Fabarimque bibunt, quos frigida misit 715
Nursia, et Hortinæ classes, populique Latini;
Quosque secans infaustum interluit Allia nomen:
Quam multi Libyco volvuntur marmore fluctus,
Sævus ubi Orion hibernis conditur undis:
Vel cum sole novo densæ torrentur aristæ 720
Aut Hermi campo, aut Lyciæ flaventibus arvis.
Scuta sonant, pulsuque pedum conterrita tellus.
Hinc Agamemnonius, Trojani nominis hostis,
Curru jungit Halæsus equos, Turnoque feroces
Mille rapit populos: vertunt felicia Baccho 725
Massica qui rastris; et quos de collibus altis
Aurunci misere patres, Sidicinaque juxta
Æquora; quique Cales linquunt; amnisque vadosi
Accola Vulturni, pariterque Saticulus asper,
Oscorumque manus. Teretes sunt aclydes illis
Tela: sed hæc lento mos est aptare flagello. 731
Lævas cætra tegit; falcati cominus enses.
Nec tu carminibus nostris indictus abibis,
Œbale, quem generâsse Telon Sebethide nympha
Fertur, Teleboûm Capreas cum regna teneret
Jam senior; patriis sed non et filius arvis 736
Contentus, late jam tum ditione premebat
Sarrastes populos, et quæ rigat æquora Sarnus,
Quique Rufras Batulumque tenet atque arva Celennæ,
Et quos maliferæ despectant mœnia Abellæ: 740
Teutonico ritu soliti torquere cateias;
Tegmina quîs capitum raptus de subere cortex;
Æratæque micant peltæ, micat æreus ensis.
Et te montosæ misere in prœlia Nersæ,
Ufens, insignem fama et felicibus armis: 745
Horrida præcipue cui gens, assuetaque multo
Venatu nemorum, duris Æquicula glebis.
Armati terram exercent, semperque recentes
Convectare juvat prædas, et vivere rapto. 749
Quin et Marrubia venit de gente sacerdos,
Fronde super galeam et felici comtus oliva,
Archippi regis missu, fortissimus Umbro:
Vipereo generi et graviter spirantibus hydris
Spargere qui somnos cantuque manuque solebat,
Mulcebatque iras, et morsus arte levabat. 755
Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum
Evaluit; neque eum juvere in vulnera cantus
Somniferi, et Marsis quæsitæ montibus herbæ.
Te nemus Anguitiæ, vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi flevere lacus. 760
Ibat et Hippolyti proles pulcherrima bello
Virbius; insignem quem mater Aricia misit,
Eductum Egeriæ lucis, humentia circum
Littora, pinguis ubi et placabilis ara Dianæ.

Namque ferunt fama Hippolytum, postquam arte novercæ 765
Occiderit, patriasque explêrit sanguine pœnas
Turbatis distractus equis, ad sidera rursus
Ætheria et superas cœli venisse sub auras,
Pæoniis revocatum herbis et amore Dianæ.
Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris 770
Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,
Ipse repertorem medicinæ talis et artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit in undas.
At Trivia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus, et nymphæ Egeriæ nemorique relegat;
Solus ubi in sylvis Italis ignobilis ævum 776
Exigeret, versoque ubi nomine Virbius esset.
Unde etiam templo Triviæ lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi; quod littore currum
Et juvenem monstris pavidi effudere marinis. 780
Filius ardentes haud secius æquore campi
Exercebat equos, curruque in bella ruebat.
Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, et toto vertice supra est:
Cui triplici crinita juba galea alta Chimæram 785
Sustinet, Ætnæos efflantem faucibus ignes:
Tam magis illa fremens, et tristibus effera flammis,
Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.
At levem clypeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, jam setis obsita, jam bos, 790
Argumentum ingens, et custos virginis Argus,
Cælataque amnem fundens pater Inachus urna.
Insequitur nimbus peditum, clypeataque totis
Agmina densentur campis, Argivaque pubes,
Auruncæque manus, Rutuli, veteresque Sicani,
Et Sacranæ acies, et picti scuta Labici: 796
Qui saltus, Tiberine, tuos, sacrumque Numicî
Littus arant, Rutulosque exercent vomere colles,
Circæumque jugum; quîs Jupiter Anxurus arvis
Præsidet, et viridi gaudens Feronia luco; 800
Qua Saturæ jacet atra palus, gelidusque per imas
Quærit iter valles, atque in mare conditur Ufens.
Hos super advenit Volsca de gente Camilla,
Agmen agens equitum, et florentes ære catervas,
Bellatrix: non illa colo calathisve Minervæ 805
Fœmineas assueta manus; sed prœlia virgo
Dura pati, cursuque pedum prævertere ventos.
Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas; 809
Vel mare per medium, fluctu suspensa tumenti,
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.
Illam omnis tectis agrisque effusa juventus
Turbaque miratur matrum, et prospectat euntem,
Attonitis inhians animis; ut regius ostro
Velet honos læves humeros; ut fibula crinem 815
Auro internectat; Lyciam ut gerat ipsa pharetram,
Et pastoralem præfixa cuspide myrtum.

LIBER OCTAVUS.

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, et rauco strepuerunt cornua cantu;
Utque acres concussit equos, utque impulit arma;
Extemplo turbati animi; simul omne tumultu
Conjurat trepido Latium, sævitque juventus 5
Effera. Ductores primi Messapus et Ufens,
Contemtorque deûm Mezentius, undique cogunt
Auxilia, et latos vastant cultoribus agros.
Mittitur et magni Venulus Diomedis ad urbem,
Qui petat auxilium, et, Latio consistere Teucros,
Advectum Ænean classi, victosque Penates 11
Inferre, et fatis regem se dicere posci,
Edoceat, multasque viro se adjungere gentes
Dardanio, et late Latio increbrescere nomen.
Quid struat his cœptis, quem, si fortuna sequatur, 15
Eventum pugnæ cupiat, manifestius ipsi,
Quam Turno regi, aut regi apparere Latino.
Talia per Latium: quæ Laomedontius heros
Cuncta videns, magno curarum fluctuat æstu;
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc, 20
In partesque rapit varias, perque omnia versat.
Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen aënis
Sole repercussum, aut radiantis imagine lunæ,
Omnia pervolitat late loca, jamque sub auras
Erigitur, summique ferit laquearia tecti. 25
Nox erat: et terras animalia fessa per omnes
Alituum pecudumque genus sopor altus habebat:
Cum pater in ripa gelidique sub ætheris axe
Æneas, tristi turbatus pectora bello,
Procubuit, seramque dedit per membra quietem. 30
Huic deus ipse loci fluvio Tiberinus amœno
Populeas inter senior se attollere frondes
Visus; eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus, et crines umbrosa tegebat arundo;
Tum sic affari, et curas his demere dictis: 35
O sate gente deûm, Trojanam ex hostibus urbem
Qui revehis nobis, æternaque Pergama servas,
Exspectate solo Laurenti arvisque Latinis,
Hic tibi certa domus; certi, ne absiste, Penates;
Neu belli terrere minis. Tumor omnis et iræ 40
Concessere deûm.
Jamque tibi, ne vana putes hæc fingere somnum,
Littoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Tringinta capitum fetus enixa, jacebit,
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati. 45
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum:
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis
Ascanius clari condet cognominis Albam.
Haud incerta cano. Nunc qua ratione, quod instat,
Expedias victor, paucis, adverte, docebo. 50
Arcades his oris, genus a Pallante profectum,
Qui regem Evandrum comites, qui signa secuti,
Delegere locum, et posuere in montibus urbem,
Pallantis proavi de nomine Pallanteum.
Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina. 55
Hos castris adhibe socios, et fœdera junge.
Ipse ego te ripis et recto flumine ducam,
Adversum remis superes subvectus ut amnem.
Surge age, nate dea; primisque cadentibus astris
Junoni fer rite preces, iramque minasque 60
Supplicibus supera votis. Mihi victor honorem

Persolves. Ego sum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, et pinguia culta secantem,
Cæruleus Tibris, cœlo gratissimus amnis.
Hic mihi magna domus, celsis caput urbibus, exit.
Dixit, deinde lacu Fluvius se condidit alto,
Ima petens. Nox Ænean somnusque reliquit.
Surgit, et, ætherii spectans orientia solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Sustulit, ac tales effundit ad æthera voces: 70
Nymphæ, Laurentes Nymphæ, genus amnibus unde est,
Tuque, o Tibri tuo genitor cum flumine sancto,
Accipite Ænean, et tandem arcete periclis.
Quo te cunque lacus, miserantem incommoda nostra, 74
Fonte tenet, quocunque solo pulcherrimus exis;
Semper honore meo, semper celebrabere donis
Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum.
Adsis o tantum, et propius tua numina firmes.
Sic memorat, geminasque legit de classe biremes,
Remigioque aptat; socios simul instruit armis. 80
Ecce autem, subitum atque oculis mirabile monstrum,
Candida per sylvam cum fetu concolor albo
Procubuit, viridique in littore conspicitur sus:
Quam pius Æneas tibi enim, tibi, maxima Juno,
Mactat, sacra ferens, et cum grege sistit ad aram.
Tibris ea fluvium, quam longa est, nocte tumentem 86
Leniit, et tacita refluens ita substitit unda,
Mitis ut in morem stagni placidæque paludis
Sterneret æquor aquis, remo ut luctamen abesset.
Ergo iter inceptum celerant; rumore secundo 90
Labitur uncta vadis abies: mirantur et undæ,
Miratur nemus insuetum fulgentia longe
Scuta virûm fluvio pictasque innare carinas.
Olli remigio noctemque diemque fatigant,
Et longos superant flexus, variisque teguntur 95
Arboribus, viridesque secant placido æquore sylvas.
Sol medium cœli conscenderat igneus orbem:
Cum muros arcemque procul ac rara domorum
Tecta vident; quæ nunc Romana potentia cœlo
Æquavit; tum res inopes Evandrus habebat. 100
Ocius advertunt proras, urbique propinquant.
Forte die sollennem illo rex Arcas honorem
Amphitryoniadæ magno divisque ferebat
Ante urbem in luco. Pallas huic filius una, 104
Una omnes juvenum primi, pauperque senatus,
Thura dabant; tepidusque cruor fumabat ad aras.
Ut celsas videre rates, atque inter opacum
Allabi nemus, et tacitis incumbere remis:
Terrentur visu subito, cunctique relictis 109
Consurgunt mensis. Audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat, raptoque volat telo obvius ipse;
Et procul e tumulo: Juvenes, quæ causa subegit
Ignotas tentare vias? quo tenditis? inquit.
Qui genus? unde domo? pacemne huc fertis, an arma?
Tum pater Æneas puppi sic fatur ab alta, 115
Paciferæque manu ramum prætendit olivæ:
Trojugenas ac tela vides inimica Latinis;
Quos illi bello profugos egere superbo.
Evandrum petimus. Ferte hæc, et dicite lectos
Dardaniæ venisse duces, socia arma rogantes.
Obstupuit tanto percussus nomine Pallas: 121
Egredere o, quicunque es, ait, coramque parentem
Alloquere, ac nostris succede Penatibus hospes.
Excepitque manu, dextramque amplexus inhæsit.
Progressi subeunt luco, fluviumque relinquunt.
Tum regem Æneas dictis affatur amicis: 126
Optime Grajugenûm, cui me fortuna precari,
Et vitta comtos voluit prætendere ramos;
Non equidem extimui, Danaûm quod ductor et Arcas,
Quodque ab stirpe fores geminis conjunctus Atridis; 130
Sed mea me virtus, et sancta oracula divûm,
Cognatique patres, tua terris didita fama,
Conjunxere tibi, et fatis egere volentem.
Dardanus, Iliacæ primus pater urbis et auctor,
Electra, ut Graii perhibent, Atlantide cretus, 135
Advehitur Teucros; Electram maximus Atlas
Edidit, ætherios humero qui sustinet orbes.
Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia
Cyllenæ gelido conceptum vertice fudit; 139
At Maiam, auditis si quicquam credimus, Atlas,
Idem Atlas generat, cœli qui sidera tollit.
Sic genus amborum scindit se sanguine ab uno.
His fretus, non legatos, neque prima per artem
Tentamenta tui pepigi: me me ipse, meumque
Objeci caput, et supplex ad limina veni. 145
Gens eadem, quæ te, crudeli Daunia bello
Insequitur; nos si pellant, nihil abfore credunt,
Quin omnem Hesperiam penitus sua sub juga mittant,
Et mare quod supra teneant, quodque alluit infra.
Accipe, daque fidem. Sunt nobis fortia bello 150
Pectora, sunt animi, et rebus spectata juventus.
Dixerat Æneas. Ille os, oculosque loquentis
Jam dudum, et totum lustrabat lumine corpus.
Tum sic pauca refert: Ut te, fortissime Teucrûm,
Accipio agnoscoque libens! ut verba parentis 155
Et vocem Anchisæ magni vultumque recordor!
Nam memini Hesionæ visentem regna sororis
Laomedontiaden Priamum, Salamina petentem,
Protinus Arcadiæ gelidos invisere fines. 159
Tum mihi prima genas vestibat flore juventa;
Mirabarque duces Teucros, mirabar et ipsum
Laomedontiaden: sed cunctis altior ibat
Anchises. Mihi mens juvenili ardebat amore
Compellare virum, et dextræ conjungere dextram.
Accessi, et cupidus Phenei sub mœnia duxi. 165
Ille mihi insignem pharetram Lyciasque sagittas
Discedens, chlamydemque auro dedit intertextam, [Pallas.
Frenaque bina, meus quæ nunc habet, aurea,
Ergo et, quam petitis, juncta est mihi fœdere dextra;
Et, lux cum primum terris se crastina reddet, 170
Auxilio lætos dimittam, opibusque juvabo.
Interea sacra hæc, quando huc venistis amici,
Annua, quæ differre nefas, celebrate faventes
Nobiscum, et jam nunc sociorum assuescite mensis. 174
Hæc ubi dicta, dapes jubet et sublata reponi
Pocula, gramineoque viros locat ipse sedili;
Præcipuumque toro et villosi pelle leonis
Accipit Ænean, solioque invitat acerno.
Tum lecti juvenes certatim araeque sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris 180
Dona laboratæ Cereris, Bacchumque ministrant.
Vescitur Æneas, simul et Trojana juventus,
Perpetui tergo bovis et lustralibus extis.

Postquam exemta fames, et amor compressus edendi,
Rex Evandrus ait: Non hæc sollennia nobis, 185
Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram
Vana superstitio veoterumque ignara deorum
Imposuit: sævis, hospes Trojane, periclis
Servati facimus, meritosque novamus honores.
Jam primum saxis suspensam hanc adspice rupem. 190
Disjectæ procul ut moles, desertaque montis
Stat domus, et scopuli ingentem traxere ruinam.
Hic spelunca fuit, vasto summota recessu;
Semihominis Caci facies quam dira tenebat,
Solis inaccessam radiis; semperque recenti 195
Cæde tepebat humus; foribusque affixa superbis
Ora virûm tristi pendebant pallida tabo.
Huic monstro Vulcanus erat pater; illius atros
Ore vomens ignes, magna se mole ferebat.
Attulit et nobis aliquando optantibus ætas 200
Auxilium adventumque dei. Nam maximus ultor,
Tergemini nece Geryonæ spoliisque superbus,
Alcides aderat, taurosque hac victor agebat
Ingentes; vallemque boves amnemque tenebant.
At furiis Caci mens effera, ne quid inausum 205
Aut intractatum scelerisve dolive fuisset,
Quatuor a stabulis præstanti corpore tauros
Avertit, totidem forma superante juvencas.
Atque hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis,
Cauda in speluncam tractos, versisque viarum
Indiciis raptos, saxo occultabat opaco. 211
Quærenti nulla ad speluncam signa ferebant.
Interea, cum jam stabulis saturata moveret
Amphitryoniades armenta, abitumque pararet,
Discessu mugire boves, atque omne querelis 215
Impleri nemus, et colles clamore relinqui.
Reddidit una boum vocem, vastoque sub antro
Mugiit, et Caci spem custodita fefellit.
Hic vero Alcidæ furiis exarserat atro
Felle dolor: rapit arma manu, nodisque gravatum 220
Robur, et ætherii cursu petit ardua montis.
Tum primum nostri Cacum videre timentem,
Turbatumque oculis. Fugit ilicet ocior Euro,
Speluncamque petit; pedibus timor addidit alas.
Ut sese inclusit, ruptisque immane catenis 225
Dejecit saxum, ferro quod et arte paterna
Pendebat, fultosque emuniit objice postes.
Ecce furens animis aderat Tirynthius; omnemque
Accessum lustrans huc ora ferebat et illuc,
Dentibus infrendens. Ter totum fervidus ira 230
Lustrat Aventini montem; ter saxea tentat
Limina nequicquam; ter fessus valle resedit.
Stabat acuta silex, præcisis undique saxis,
Speluncæ dorso insurgens, altissima visu;
Dirarum nidis domus opportuna volucrum. 235
Hanc, ut prona jugo lævum incumbebat ad amnem,
Dexter in adversum nitens concussit, et imis
Avulsam solvit radicibus; inde repente
Impulit: impulsu quo maximus insonat æther;
Dissultant ripæ, refluitque exterritus amnis. 240
At specus et Caci detecta apparuit ingens
Regia, et umbrosæ penitus patuere cavernæ:
Non secus, ac si qua penitus vi terra dehiscens
Infernas reseret sedes, et regna recludat 244
Pallida, dîs invisa; superque immane barathrum
Cernatur, trepidentque immisso lumine Manes.
Ergo insperata deprensum in luce repente,
Inclusumque cavo saxo, atque insueta rudentem,
Desuper Alcides telis premit, omniaque arma
Advocat, et ramis vastisque molaribus instat. 250
Ille autem—neque enim fuga jam super ulla pericli—
Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
Evomit, involvitque domum caligine cæca,
Prospectum eripiens oculis; glomeratque sub antro
Fumiferam noctem commixtis igne tenebris. 255
Non tulit Alcides animis, seque ipse per ignem
Præcipiti injecit saltu, qua plurimus undam
Fumus agit, nebulaque ingens specus æstuat atra.
Hic Cacum in tenebris, incendia vana vomentem,
Corripit in nodum complexus, et angit inhærens 260
Elisos oculos, et siccum sanguine guttur.
Panditur extemplo foribus domus atra revulsis;
Abstractæque boves abjuratæque rapinæ
Cœlo ostenduntur, pedibusque informe cadaver
Protrahitur. Nequeunt expleri corda tuendo 265
Terribiles oculos, vultum, villosaque sætis
Pectora semiferi, atque exstinctos faucibus ignes.
Ex illo celebratus honos, lætique minores
Servavere diem, primusque Potitius auctor,
Et domus Herculei custos Pinaria sacri. 270
[Hanc aram luco statuit, quæ Maxima semper
Dicetur nobis, et erit quæ maxima semper.]
Quare agite, o juvenes, tantarum in munere laudum
Cingite fronde comas, et pocula porgite dextris,
Communemque vocate deum, et date vina volentes. 275
Dixerat: Herculea bicolor cum populus umbra
Velavitque comas, foliisque innexa pependit;
Et sacer implevit dextram scyphus. Ocius omnes
In mensam læti libant, divosque precantur.
Devexo interea propior fit Vesper Olympo;
Jamque sacerdotes primusque Potitius ibant, 281
Pellibus in morem cincti, flammasque ferebant.
[Instaurant epulas, et mensæ grata secundæ
Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.]
Tum Salii ad cantus, incensa altaria circum, 285
Populeis adsunt evincti tempora ramis;
Hic juvenum chorus, ille senum; qui carmine laudes
Herculeas et facta ferunt: ut prima novercæ
Monstra manu geminosque premens eliserit angues;
Ut bello egregias idem disjecerit urbes, 290
Trojamque Œchaliamque; ut duros mille labores
Rege sub Eurystheo, fatis Junonis iniquæ,
Pertulerit. Tu nubigenas, invicte, bimembres
Hylæumque Pholumque manu, tu Cresia mactas
Prodigia, et vastum Nemea sub rupe leonem.
Te Stygii tremuere lacus, te janitor Orci 296
Ossa super recubans antro semesa cruento;
Nec te ullæ facies, non terruit ipse Typhöeus
Arduus, arma tenens; non te rationis egentem
Lernæus turba capitum circumstetit anguis. 300
Salve, vera Jovis proles, decus addite divis,
Et nos et tua dexter adi pede sacra secundo.
Talia carminibus celebrant; super omnia Caci
Speluncam adjiciunt, spirantemque ignibus ipsum.
Consonat omne nemus strepitu, collesque resultant. 305
Exin se cuncti divinis rebus ad urbem
Perfectis referunt. Ibat rex obsitus ævo,

Et comitem Æneam juxta natumque tenebat
Ingrediens, varioque viam sermone levabat.
Miratur, facilesque oculos fert omnia circum 310
Æneas, capiturque locis; et singula lætus
Exquiritque auditque virûm monumenta priorum.
Tum rex Evandrus, Romanæ conditor arcis:
Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant,
Gensque virûm truncis et duro robore nata: 315
Quîs neque mos neque cultus erat; nec jungere tauros,
Aut componere opes nôrant, aut parcere parto:
Sed rami atque asper victu venatus alebat.
Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens, et regnis exul ademtis. 320
Is genus indocile ac dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.
Aurea quæ perhibent, illo sub rege fuerunt
Sæcula: sic placida populos in pace regebat.
Deterior donec paulatim ac decolor ætas, 326
Et belli rabies, et amor successit habendi.
Tum manus Ausonia et gentes venere Sicanæ;
Sæpius et nomen posuit Saturnia tellus.
Tum reges, asperque immani corpore Tibris:
A quo post Itali fluvium cognomine Tibrim 331
Diximus; amisit verum vetus Albula nomen.
Me pulsum patria, pelagique extrema sequentem,
Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum
His posuere locis, matrisque egere tremenda 335
Carmentis Nymphæ monita, et deus auctor Apollo.
Vix ea dicta; dehinc progressus, monstrat et aram,
Et Carmentalem Romano nomine portam
Quam memorant, Nymphæ priscum Carmentis honorem,
Vatis fatidicæ; cecinit quæ prima futuros 340
Æneadas magnos et nobile Pallanteum.
Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum
Rettulit, et gelida monstrat sub rupe Lupercal,
Parrhasio dictum Panos de more Lycæi.
Nec non et sacri monstrat nemus Argileti, 345
Testaturque locum, et letum docet hospitis Argi.
Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis.
Jam tum religio pavidos terrebat agrestes 349
Dira loci; jam tum sylvam saxumque tremebant.
Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem,
Quis deus incertum est, habitat deus; Arcades ipsum
Credunt se vidisse Jovem, cum sæpe nigrantem
Ægida concuteret dextra nimbosque cieret.
Hæc duo præterea disjectis oppida muris, 355
Reliquias veterumque vides monumenta virorum.
Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem:
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.
Talibus inter se dictis ad tecta subibant
Pauperis Evandri, passimque armenta videbant
Romanoque Foro et lautis mugire Carinis. 361
Ut ventum ad sedes: Hæc, inquit, limina victor
Alcides subiit; hæc illum regia cepit.
Aude, hospes, contemnere opes, et te quoque dignum
Finge deo; rebusque veni non asper egenis. 365
Dixit, et angusti subter fastigia tecti
Ingentem Ænean duxit, stratisque locavit
Effultum foliis et pelle Libystidis ursæ.
Nox ruit, et fuscis tellurem amplectitur alis.
At Venus haud animo nequicquam exterrita mater, 370
Laurentumque minis et duro mota tumultu,
Vulcanum alloquitur, thalamoque hæc conjugis aureo
Incipit, et dictis divinum adspirat amorem:
Dum bello Argolici vastabant Pergama reges
Debita, casurasque inimicis ignibus arces, 375
Non ullum auxilium miseris, non arma rogavi
Artis opisque tuæ; nec te, carissime conjux,
Incassumve tuos volui exercere labores;
Quamvis et Priami deberem plurima natis,
Et durum Æneæ flevissem sæpe laborem. 380
Nunc Jovis imperiis Rutulorum constitit oris:
Ergo eadem supplex venio, et sanctum mihi numen
Arma rogo, genetrix nato. Te filia Nerei,
Te potuit lacrymis Tithonia flectere conjux.
Adspice, qui coëant populi, quæ mœnia clausis
Ferrum acuant portis in me excidiumque meorum. 386
Dixerat; et niveis hinc atque hinc diva lacertis
Cunctantem amplexu molli fovet. Ille repente
Accepit solitam flammam; notusque medullas
Intravit calor, et labefacta per ossa cucurrit: 390
Non secus atque olim, tonitru cum rupta corusco
Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.
Sensit læta dolis et formæ conscia conjux.
Tum pater æterno fatur devinctus amore:
Quid causas petis ex alto? fiducia cessit 395
Quo tibi, diva, mei? Similis si cura fuisset,
Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset;
Nec pater omnipotens Trojam, nec fata vetabant
Stare, decemque alios Priamum superesse per annos.
Et nunc, si bellare paras, atque hæc tibi mens est, 400
Quicquid in arte mea possum promittere curæ,
Quod fieri ferro liquidove potest electro,
Quantum ignes animæque valent; absiste precando
Viribus indubitare tuis. Ea verba locutus
Optatos dedit amplexus, placidumque petivit 405
Conjugis infusus gremio per membra soporem.
Inde, ubi prima quies medio jam noctis abactæ
Curriculo expulerat somnum, cum fœmina primum,
Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva
Impositum, cinerem et sopitos suscitat ignes, 410
Noctem addens operi, famulasque ad lumina longo
Exercet penso, castum ut servare cubile
Conjugis, et possit parvos educere natos:
Haud secus ignipotens nec tempore segnior illo
Mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit. 415
Insula Sicanium juxta latus Æoliamque
Erigitur Liparen, fumantibus ardua saxis:
Quam subter specus et Cyclopum exesa caminis
Antra Ætnæa tonant, validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, striduntque cavernis
Stricturæ Chalybum, et fornacibus ignis anhelat; 421
Vulcani domus, et Vulcania nomine tellus.
Hoc tunc ignipotens cœlo descendit ab alto.
Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesque, Steropesque, et nudus membra Pyracmon. 425
His informatum manibus jam parte polita

Fulmen erat; toto genitor quæ plurima cœlo
Dejicit in terras; pars imperfecta manebat.
Tres imbris torti radios, tres nubis aquosæ
Addiderant, rutili tres ignis, et alitis Austri. 430
Fulgores nunc horrificos, sonitumque, metumque
Miscebant operi, flammisque sequacibus iras.
Parte alia Marti currumque rotasque volucres
Instabant; quibus ille viros, quibus excitat urbes;
Ægidaque horriferam, turbatæ Palladis arma, 435
Certatim squamis serpentum auroque polibant,
Connexosque angues, ipsamque in pectore divæ
Gorgona, desecto vertentem lumina collo.
Tollite cuncta, inquit, cœptosque auferte labores,
Ætnæi Cyclopes, et huc advertite mentem: 440
Arma acri facienda viro. Nunc viribus usus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra.
Præcipitate moras. Nec plura effatus: et illi
Ocius incubuere omnes, pariterque laborem
Sortiti: fluit æs rivis, aurique metallum; 445
Vulnificusque chalybs vasta fornace liquescit.
Ingentem clypeum informant, unum omnia contra
Tela Latinorum; septenosque orbibus orbes
Impediunt. Alii ventosis follibus auras 449
Accipiunt redduntque; alii stridentia tingunt
Æra lacu. Gemit impositis incudibus antrum.
Illi inter sese multa vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe massam.
Hæc pater Æoliis properat dum Lemnius oris,
Evandrum ex humili tecto lux suscitat alma, 455
Et matutini volucrum sub culmine cantus.
Consurgit senior, tunicaque inducitur artus,
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis;
Tum lateri atque humeris Tegeæum subligat ensem,
Demissa ab læva pantheræ terga retorquens.
Nec non et gemini custodes limine ab alto 461
Præcedunt gressumque canes comitantur herilem.
Hospitis Æneæ sedem et secreta petebat,
Sermonum memor et promissi muneris, heros.
Nec minus Æneas se matutinus agebat. 465
Filius huic Pallas, illi comes ibat Achates.
Congressi jungunt dextras, mediisque residunt
Ædibus, et licito tandem sermone fruuntur.
Rex prior hæc:
Maxime Teucrorum ductor, quo sospite nunquam 470
Res equidem Trojæ victas aut regna fatebor;
Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exiguæ vires. Hinc Tusco claudimur amni,
Hinc Rutulus premit, et murum circumsonat armis.
Sed tibi ego ingentes populos opulentaque regnis 475
Jungere castra paro: quam fors inopina salutem
Ostentat. Fatis huc te poscentibus affers.
Haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto
Urbis Agyllinæ sedes; ubi Lydia quondam
Gens, bello præclara, jugis insedit Etruscis. 480
Hanc multos florentem annos rex deinde superbo
Imperio et sævis tenuit Mezentius armis.
Quid memorem infandas cædes! quid facta tyranni
Effera! dî capiti ipsius generique reservent!
Mortua quin etiam jungebat corpora vivis, 485
Componens manibusque manus, atque oribus ora,
(Tormenti genus) et sanie taboque fluentes
Complexu in misero longa sic morte necabat.
At fessi tandem cives infanda furentem
Armati circumsistunt ipsumque domumque; 490
Obtruncant socios, ignem ad fastigia jactant.
Ille inter cædes Rutulorum elapsus in agros
Confugere, et Turni defendier hospitis armis.
Ergo omnis furiis surrexit Etruria justis; 494
Regem ad supplicium præsenti Marte reposcunt.
His ego te, Ænea, ductorem millibus addam.
Toto namque fremunt condensæ littore puppes;
Signaque ferre jubent; retinet longævus haruspex
Fata canens: O Mæoniæ delecta juventus,
Flos veterum virtusque virûm, quos justus in hostem 500
Fert dolor, et merita accendit Mezentius ira;
Nulli fas Italo tantam subjungere gentem;
Externos optate duces. Tum Etrusca resedit
Hoc acies campo, monitis exterrita divûm.
Ipse oratores ad me regnique coronam 505
Cum sceptro misit, mandatque insignia Tarcho,
Succedam castris, Tyrrhenaque regna capessam.
Sed mihi tarda gelu sæclisque effeta senectus
Invidet imperium, seræque ad fortia vires.
Natum exhortarer, ni mixtus matre Sabella 510
Hinc partem patriæ traheret. Tu, cujus et annis
Et generi fata indulgent, quem numina poscunt,
Ingredere, o Teucrûm atque Italûm fortissime ductor.
Hunc tibi præterea, spes et solatia nostri,
Pallanta adjungam: sub te tolerare magistro 515
Militiam et grave Martis opus, tua cernere facta
Assuescat, primis et te miretur ab annis.
Arcadas huic equites bis centum, robora pubis
Lecta, dabo; totidemque suo tibi nomine Pallas.
Vix ea fatus erat: defixique ora tenebant 520
Æneas Anchisiades et fidus Achates,
Multaque dura suo tristi cum corde putabant;
Ni signum cœlo Cytherea dedisset aperto.
Namque improviso vibratus ab æthere fulgor
Cum sonitu venit, et ruere omnia visa repente, 525
Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor.
Suspiciunt; iterum atque iterum fragor increpat ingens;
Arma inter nubem, cœli in regione serena,
Per sudum rutilare vident, et pulsa tonare.
Obstupuere animis alii; sed Troïus heros 530
Agnovit sonitum, et divæ promissa parentis.
Tum memorat: Ne vero, hospes, ne quære profecto,
Quem casum portenta ferant; ego poscor Olympo.
Hoc signum cecinit missuram diva creatrix,
Si bellum ingrueret; Vulcaniaque arma per auras 535
Laturam auxilio.
Heu quantæ miseris cædes Laurentibus instant!
Quas pœnas mihi, Turne, dabis! quam multa sub undas
Scuta virûm galeasque et fortia corpora volves,
Tibri pater! Poscant acies, et fœdera rumpant.
Hæc ubi dicta dedit, solio se tollit ab alto; 541
Et primum Herculeis sopitas ignibus aras
Excitat, hesternumque Larem parvosque Penates
Lætus adit; mactant lectas de more bidentes
Evandrus pariter, pariter Trojana juventus. 545
Post hinc ad naves graditur, sociosque revisit;
Quorum de numero, qui sese in bella sequantur,
Præstantes virtute legit; pars cætera prona
Fertur aqua, segnisque secundo defluit amni,
Nuntia ventura Ascanio rerumque patrisque. 550
Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva:
Ducunt exsortem Æneæ, quem fulva leonis
Pellis obit totum, præfulgens unguibus aureis.

Fama volat parvam subito vulgata per urbem,
Ocius ire equites Tyrrheni ad limina regis. 555
Vota metu duplicant matres, propiusque periclo
It timor, et major Martis jam apparet imago.
Tum pater Evandrus, dextram complexus euntis,
Hæret, inexpletum lacrymans, ac talia fatur:
O mihi præteritos referat si Jupiter annos! 560
Qualis eram, cum primam aciem Præneste sub ipsa
Stravi, scutorumque incendi victor acervos;
Et regem hac Herilum dextra sub Tartara misi;
Nascenti cui tres animas Feronia mater 564
(Horrendum dictu) dederat, terna arma movenda;
Ter leto sternendus erat: cui tunc tamen omnes
Abstulit hæc animas dextra, et totidem exuit armis.
Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquam,
Nate, tuo; neque finitimus Mezentius usquam,
Huic capiti insultans, tot ferro sæva dedisset 570
Funera, tam multis viduâsset civibus urbem.
At vos, o superi, et divûm tu maxime rector
Jupiter, Arcadii, quæso, miserescite regis,
Et patrias audite preces: Si numina vestra
Incolumem Pallanta mihi, si fata reservant, 575
Si visurus eum vivo, et venturus in unum,
Vitam oro; patiar quemvis durare laborem.
Sin aliquem infandum casum, Fortuna, minaris,
Nunc, o nunc liceat crudelem abrumpere vitam,
Dum curæ ambiguæ, dum spes incerta futuri, 580
Dum te, care puer, mea sera et sola voluptas,
Complexu teneo; gravior ne nuntius aures
Vulneret. Hæc genitor digressu dicta supremo
Fundebat; famuli collapsum in tecta ferebant.
Jamque adeo exierat portis equitatus apertis;
Æneas inter primos et fidus Achates; 586
Inde alii Trojæ proceres; ipse agmine Pallas
In medio, chlamyde et pictis conspectus in armis:
Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda, 589
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,
Extulit os sacrum cœlo, tenebrasque resolvit.
Stant pavidæ in muris matres, oculisque sequuntur
Pulveream nubem, et fulgentes ære catervas.
Olli per dumos, qua proxima meta viarum,
Armati tendunt. It clamor, et agmine facto 595
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.
Est ingens gelidum lucus prope Cæritis amnem,
Religione patrum late sacer; undique colles
Inclusere cavi, et nigra nemus abiete cingunt.
Sylvano fama est veteres sacrâsse Pelasgos, 600
Arvorum pecorisque deo, lucumque diemque,
Qui primi fines aliquando habuere Latinos.
Haud procul hinc Tarcho et Tyrrheni tuta tenebant
Castra locis, celsoque omnis de colle videri
Jam poterat legio, et latis tendebat in arvis. 605
Huc pater Æneas et bello lecta juventus
Succedunt, fessique et equos et corpora curant.
At Venus ætherios inter dea candida nimbos
Dona ferens aderat: natumque in valle reducta
Ut procul egelido secretum flumine vidit: 610
Talibus affata est dictis, seque obtulit ultro;
En perfecta mei promissa conjugis arte
Munera; ne mox aut Laurentes, nate, superbos,
Aut acrem dubites in prœlia poscere Turnum.
Dixit, et amplexus nati Cytherea petivit; 615
Arma sub adversa posuit radiantia quercu.
Ille, deæ donis et tanto lætus honore,
Expleri nequit, atque oculos per singula volvit,
Miraturque, interque manus et brachia versat
Terribilem cristis galeam flammasque vomentem,
Fatiferumque ensem, loricam ex ære rigentem,
Sanguineam, ingentem, qualis cum cærula nubes
Solis inardescit radiis, longeque refulget;
Tum læves ocreas electro auroque recocto,
Hastamque, et clypei non enarrabile textum. 625
Illic res Italas Romanorumque triumphos,
Haud vatum ignarus venturique inscius ævi,
Fecerat ignipotens. Illic genus omne futuræ
Stirpis ab Ascanio, pugnataque in ordine bella.
Fecerat et viridi fetam Mavortis in antro 630
Procubuisse lupam; geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, et lambere matrem
Impavidos; illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos, et corpora fingere lingua.
Nec procul hinc Romam, et raptas sine more Sabinas 635
Consessu caveæ, magnis Circensibus actis,
Addiderat; subitoque novum consurgere bellum
Romulidis, Tatioque seni, Curibusque severis.
Post idem, inter se posito certamine, reges
Armati Jovis ante aram, paterasque tenentes, 640
Stabant, et cæsa jungebant fœdera porca.
Haud procul inde, citæ Metium in diversa quadrigæ
Distulerant (at tu dictis, Albane, maneres!),
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus
Per sylvam, et sparsi rorabant sanguine vepres.
Nec non Tarquinium ejectum Porsena jubebat
Accipere, ingentique urbem obsidione premebat;
Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant. 648
Illum indignanti similem, similemque minanti
Adspiceres; pontem auderet quod vellere Cocles,
Et fluvium vinclis innaret Clœlia ruptis.
In summo custos Tarpeiæ Manlius arcis
Stabat pro templo, et Capitolia celsa tenebat.
[Romuleoque recens horrebat regia culmo.]
Atque hic auratis volitans argenteus anser 655
Porticibus, Gallos in limine adesse canebat;
Galli per dumos aderant, arcemque tenebant,
Defensi tenebris et dono noctis opacæ:
Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis;
Virgatis lucent sagulis; tum lactea colla 660
Auro innectuntur; duo quisque Alpina coruscant
Gæsa manu, scutis protecti corpora longis.
Hic exsultantes Salios, nudosque Lupercos,
Lanigerosque apices, et lapsa ancilia cœlo
Extuderat: castæ ducebant sacra per urbem 665
Pilentis matres in mollibus. Hinc procul addit
Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis;
Et scelerum pœnas, et te, Catilina, minaci
Pendentem scopulo, Furiarumque ora trementem;
Secretosque pios: his dantem jura Catonem. 670
Hæc inter tumidi late maris ibat imago
Aurea; sed fluctu spumabant cærula cano;
Et circum argento clari delphines in orbem
Æquora verrebant caudis, æstumque secabant.
In medio classes æratas, Actia bella, 675
Cernere erat; totumque instructo Marte videres
Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus.
Hinc Augustus agens Italos in prœlia Cæsar
Cum patribus, populoque, Penatibus et magnis dis,
Stans celsa in puppi: geminas cui tempora flammas 580
Læta vomunt, patriumque aperitur vertice sidus.
Parte alia ventis et dis Agrippa secundis
Arduus agmen agens: cui, belli insigne superbum,
Tempora navali fulgent rostrata corona.
Hinc ope barbarica, variisque Antonius armis,

Victor ab Auroræ populis et littore rubro, 686
Ægyptum viresque Orientis et ultima secum
Bactra vehit; sequiturque (nefas) Ægyptia conjux.
Una omnes ruere, ac totum spumare, reductis
Convulsum remis rostrisque tridentibus, æquor.
Alta petunt; pelago credas innare revulsas 691
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos;
Tanta mole viri turritis puppibus instant.
Stuppea flamma manu telisque volatile ferrum
Spargitur; arva nova Neptunia cæde rubescunt.
Regina in mediis patrio vocat agmina sistro; 696
Necdum etiam geminos a tergo respicit angues.
Omnigenûmque deûm monstra, et latrator Anubis, [vam
Contra Neptunum et Venerem contraque Miner-
Tela tenent. Sævit medio in certamine Mavors
Cælatus ferro, tristesque ex æthere Diræ; 701
Et scissa gaudens vadit Discordia palla:
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo
Desuper; omnis eo terrore Ægyptus, et Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.
Ipsa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare, et laxos jam jamque immittere funes.
Illam inter cædes pallentem morte futura
Fecerat ignipotens undis et Iapyge ferri; 710
Contra autem magno mœrentem corpore Nilum,
Pandentemque sinus, et tota veste vocantem
Cæruleum in gremium latebrosaque flumina victos.
At Cæsar, triplici invectus Romana triumpho
Mœnia, dis Italis votum immortale sacrabat,
Maxima ter centum totam delubra per urbem.
Lætitia ludisque viæ plausuque fremebant;
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aræ;
Ante aras terram cæsi stravere juvenci.
Ipse, sedens niveo candentis limine Phœbi, 720
Dona recognoscit populorum, aptatque superbis
Postibus; incedunt victæ longo ordine gentes,
Quam variæ linguis, habitu tam vestis et armis.
Hic Nomadum genus et discinctos Mulciber Afros,
Hic Lelegas, Carasque, sagittiferosque Gelonos
Finxerat. Euphrates ibat jam mollior undis, 726
Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis,
Indomitique Dahæ, et pontem indignatus Araxes.
Talia per clypeum Vulcani, dona parentis,
Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet, 730
Attollens humero famamque et fata nepotum.

LIBER NONUS.

Atque ea diversa penitus dum parte geruntur,
Irim de cœlo misit Saturnia Juno
Audacem ad Turnum. Luco tum forte parentis
Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.
Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est:
Turne, quod optanti divûm promittere nemo 6
Auderet, volvenda dies en attulit ultro.
Æneas, urbe, et sociis, et classe relicta,
Sceptra Palatini sedemque petît Evandri. 9
Nec satis: extremas Corythi penetravit ad urbes,
Lydorumque manum, collectos armat agrestes.
Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus.
Rumpe moras omnes, et turbata arripe castra.
Dixit, et in cœlum paribus se sustulit alis;
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum. 15
Agnovit juvenis, duplicesque ad sidera palmas
Sustulit, et tali fugientem est voce secutus:
Iri, decus cœli, quis te mihi nubibus actam
Detulit in terras? unde hæc tam clara repente
Tempestas? medium video discedere cœlum, 20
Palantesque polo stellas. Sequor omina tanta,
Quisquis in arma vocas. Et sic effatus ad undam
Processit, summoque hausit de gurgite lymphas,
Multa deos orans; oneravitque æthera votis.
Jamque omnis campis exercitus ibat apertis,
Dives equûm, dives pictai vestis et auri. 26
Messapus primas acies, postrema coërcent
Tyrrhidæ juvenes: medio dux agmine Turnus
[Vertitur arma tenens, et toto vertice supra est.]
Ceu septem surgens sedatis amnibus altus 30
Per tacitum Ganges, aut pingui flumine Nilus,
Cum refluit campis, et jam se condidit alveo.
Hic subitam nigro glomerari pulvere nubem
Prospiciunt Teucri, ac tenebras insurgere campis.
Primus ab adversa conclamat mole Caicus: 35
Quis globus, o cives, caligine volvitur atra!
Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros,
Hostis adest, eja. Ingenti clamore per omnes
Condunt se Teucri portas, et mœnia complent.
Namque ita discedens præceperat optimus armis
Æneas; si qua interea Fortuna fuisset, 41
Ne struere auderent aciem, neu credere campo;
Castra modo et tutos servarent aggere muros.
Ergo, etsi conferre manum pudor iraque monstrat,
Objiciunt portas tamen, et præcepta facessunt,
Armatique cavis exspectant turribus hostem. 46
Turnus, ut ante volans tardum præcesserat agmen,
Viginti lectis equitum comitatus et urbi
Improvisus adest: maculis quem Thracius albis
Portat equus, cristaque tegit galea aurea rubra.
Ecquis erit mecum, juvenes? qui primus in hostem?
En, ait; et jaculum attorquens emittit in auras,
Principium pugnæ, et campo sese arduus infert.
Clamore excipiunt socii, fremituque sequuntur
Horrisono; Teucrûm mirantur inertia corda; 55
Non æquo dare se campo, non obvia ferre
Arma viros, sed castra fovere. Huc turbidus atque huc
Lustrat equo muros, aditumque per avia quærit.
Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili, 59
Cum fremit ad caulas, ventos perpessus et imbres,
Nocte super media; tuti sub matribus agni
Balatum exercent: ille asper et improbus ira
Sævit in absentes; collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, et siccæ sanguine fauces.
Haud aliter Rutulo, muros et castra tuenti, 65
Ignescunt iræ; duris dolor ossibus ardet,
Qua tentet ratione aditus, et quæ via clausos
Excutiat Teucros vallo, atque effundat in æquor.
Classem, quæ lateri castrorum adjuncta latebat,
Aggeribus sæptam circum et fluvialibus undis,
Invadit; sociosque incendia poscit ovantes; 71
Atque manum pinu flagranti fervidus implet.

Tum vero incumbunt; urget præsentia Turni;
Atque omnis facibus pubes accingitur atris.
Diripuere focos; piceum fert fumida lumen 75
Tæda, et commixtam Vulcanus ad astra favillam.
Quis deus, o Musæ, tam sæva incendia Teucris
Avertit? tantos ratibus quis depulit ignes?
Dicite. Prisca fides facto, sed fama perennis.
Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida
Æneas classem, et pelagi petere alta parabat,
Ipsa deûm fertur genetrix Berecynthia magnum
Vocibus his affata Jovem: Da, nate, petenti,
Quod tua cara parens domito te poscit Olympo.
Pinea sylva mihi, multos dilecta per annos, 85
[Lucus in arce fuit summa, quo sacra ferebant,
Nigranti picea trabibusque obscurus acernis:]
Has ego Dardanio juveni, cum classis egeret,
Læta dedi; nunc sollicitam timor anxius urget.
Solve metus, atque hoc precibus sine posse parentem; 90
Ne cursu quassatæ ullo, neu turbine venti
Vincantur; prosit nostris in montibus ortas.
Filius huic contra, torquet qui sidera mundi:
O genetrix, quo fata vocas? aut quid petis istis?
Mortaline manu factæ immortale carinæ 95
Fas habeant? certusque incerta pericula lustret
Æneas? cui tanta deo permissa potestas?
Immo, ubi defunctæ finem portusque tenebunt
Ausonios, olim quæcunque evaserit undis,
Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva,
Mortalem eripiam formam, magnique jubebo
Æquoris esse deas: qualis Nereïa Doto
Et Galatea secant spumantem pectore pontum.
Dixerat: idque ratum Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentes atraque voragine ripas 105
Annuit, et totum nutu tremefecit Olympum.
Ergo aderat promissa dies, et tempora Parcæ
Debita complêrant, cum Turni injuria Matrem
Admonuit, ratibus sacris depellere tædas.
Hic primum nova lux oculis offulsit, et ingens 110
Visus ab Aurora cœlum transcurrere nimbus,
Idæique chori: tum vox horrenda per auras
Excidit, et Troum Rutulorumque agmina complet:
Ne trepidate meas, Teucri, defendere naves,
Neve armate manus; maria ante exurere Turno,
Quam sacras dabitur pinus. Vos ite solutæ, 116
Ite, deæ pelagi; Genitrix jubet. Et, sua quæque,
Continuo puppes abrumpunt vincula ripis,
Delphinumque modo demersis æquora rostris
Ima petunt. Hinc virgineæ, mirabile monstrum,
[Quot prius æratæ steterant ad littora proræ,]
Reddunt se totidem facies, pontoque feruntur.
Obstupuere animis Rutuli conterritus ipse
Turbatis Messapus equis; cunctatur et amnis
Rauca sonans, revocatque pedem Tiberinus ab alto. 125
At non audaci cessit fiducia Turno;
Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro:
Trojanos hæc monstra petunt; his Jupiter ipse
Auxilium solitum eripuit; non tela, nec ignes
Exspectant Rutulos. Ergo maria invia Teucris,
Nec spes ulla fuga; rerum pars altera ademta est:
Terra autem in nostris manibus; tot millia, gentes
Arma ferunt Italæ. Nil me fatalia terrent,
Si qua Phryges præ se jactant, responsa deorum.
Sat fatis Venerique datum, tetigere quod arva
Fertilis Ausoniæ Troës. Sunt et mea contra 136
Fata mihi, ferro sceleratam exscindere gentem,
Conjuge prærepta; nec solos tangit Atridas
Iste dolor, solisque licet capere arma Mycenis.
Sed periisse semel satis est. Peccare fuisset 140
Ante satis, penitos modo non genus omna perosos
Fœmineum: quibus hæc medii fiducia valli,
Fossarumque moræ, leti discrimina parva,
Dant animos. At non viderunt mœnia Trojæ
Neptuni fabricata manu considere in ignes? 145
Sed vos, o lecti, ferro qui scindere vallum
Apparat, et mecum invadit trepidantia castra?
Non armis mihi Vulcani, non mille carinis
Est opus in Teucros. Addant se protinus omnes
Etrusci socios. Tenebras et inertia furta 150
[Palladii, cæsis summæ custodibus arcis,]
Ne timeant; nec equi cæca condemur in alvo;
Luce, palam, certum est igni circumdare muros.
Haud sibi cum Danais rem faxo et pube Pelasga
Esse putent, decumum quos distulit Hector in annum. 155
Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei,
Quod superest, læti bene gestis corpora rebus
Procurate, viri; et pugnam sperate parati.
Interea vigilum excubiis obsidere portas
Cura datur Messapo, et mœnia cingere flammis.
Bis septem, Rutulo muros qui milite servent, 161
Delecti: ast illos centeni quemque sequuntur
Purpurei cristis juvenes auroque corusci.
Discurrunt, variantque vices, fusique per herbam
Indulgent vino, et vertunt crateras aënos. 165
Collucent ignes: noctem custodia ducit
Insomnem ludo.
Hæc super e vallo prospectant Troës, et armis
Alta tenent; nec non trepidi formidine portas 169
Explorant, pontesque et propugnacula jungunt;
Tela gerunt. Instant Mnestheus acerque Serestus:
Quos pater Æneas, si quando adversa vocarent,
Rectores juvenum et rerum dedit esse magistros.
Omnis per muros legio, sortita periclum,
Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum est. 175
Nisus erat portæ custos, acerrimus armis,
Hyrtacides; comitem Æneæ quem miserat Ida
Venatrix, jaculo celerem levibusque sagittis;
Et juxta comes Euryalus, quo pulchrior alter
Non fuit Æneadûm, Trojana neque induit arma;
Ora puer prima signans intonsa juventa. 181
His amor unus erat, pariterque in bella ruebant;
Tum quoque communi portam statione tenebant.
Nisus ait: Dîne hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale? an sua cuique deus fit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid jam dudum invadere magnum 186
Mens agitat mihi; nec placida contenta quiete est.
Cernis, quæ Rutulos habeat fiducia rerum.
Lumina rara micant; somno vinoque sepulti
Procubuere; silent late loca. Percipe porro, 190
Quid dubitem, et quæ nunc animo sententia surgat.
Ænean acciri omnes, populusque patresque,
Exposcunt; mittique viros, qui certa reportent.
Si tibi, quæ posco, promittunt (nam mihi facti
Fama sat est) tumulo videor reperire sub illo
Posse viam ad muros et mœnia Pallantea. 196
Obstupuit, magno laudum percussus amore,
Euryalus; simul his ardentem affatur amicum:
Mene igitur socium summis adjungere rebus,
Nise, fugis? solum te in tanta pericula mittam?
Non ita me genitor bellis assuetus Opheltes 201
Argolicum terrorem inter Trojæque labores
Sublatum erudiit; nec tecum talia gessi,

Magnanimum Ænean et fata extrema secutus.
Est hic, est animus lucis contemtor, et istum 205
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.
Nisus ad hæc: Equidem de te nil tale verebar;
Nec fas; non —ita me referat tibi magnus ovantem [æquis—
Jupiter, aut quicunque oculis hæc adspicit
Sed, si quis (quæ multa vides discrimine tali),
Si quis in adversum rapiat, casusve, deusve,
Te superesse velim; tua vita dignior ætas. 212
Sit, qui me raptum pugna, pretiove redemtum
Mandet humo solita; aut, si qua id fortuna vetabit,
Absenti ferat inferias, decoretque sepulchro.
Neu matri miseræ tanti sim causa doloris: 216
Quæ te sola, puer, multis e matribus ausa
Persequitur, magni nec mœnia curat Acestæ.
Ille autem: Causas nequicquam nectis inanes,
Nec mea jam mutata loco sententia cedit. 220
Acceleremus, ait. Vigiles simul excitat. Illi
Succedunt, servantque vices: statione relicta
Ipse comes Niso graditur, regemque requirunt.
Cætera per terras omnes animalia somno
Laxabant curas et corda oblita laborum: 225
Ductores Teucrûm primi, delecta juventus,
Consilium summis regni de rebus habebant,
Quid facerent, quisve Æneæ jam nuntius esset.
Stant longis annixi hastis, et scuta tenentes,
Castrorum et campi medio. Tum Nisus et una
Euryalus confestim alacres admittier orant: 231
Rem magnam, pretiumque moræ fore. Primus Iulus
Accepit trepidos, ac Nisum dicere jussit.
Tum sic Hyrtacides: Audite o mentibus æquis,
Æneadæ; neve hæc nostris spectentur ab annis,
Quæ ferimus. Rutuli somno vinoque soluti 236
Conticuere; locum insidiis conspeximus ipsi,
Qui patet in bivio portæ, quæ proxima ponto;
Interrupti ignes, aterque ad sidera fumus
Erigitur. Si fortuna permittitis uti, 240
Quæsitum Ænean ad mœnia Pallantea
Mox hic cum spoliis, ingenti cæde peracta,
Affore cernetis. Nec nos via fallit euntes:
Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem
Venatu assiduo, et totum cognovibus amnem.
Hic annis gravis atque animi maturus Aletes:
Dî patrii, quorum semper sub numine Troja est,
Non tamen omnino Teucros delere paratis, 248
Cum tales animos juvenum, et tam certa tulistis
Pectora. Sic memorans, humeros dextrasque tenebat 250
Amborum, et vultum lacrymis atque ora rigabat:
Quæ vobis, quæ digna, viri, pro laudibus istis,
Præmia posse rear solvi? pulcherrima primum
Dî moresque dabunt vestri; tum cætera reddet
Actutum pius Æneas, atque integer ævi 255
Ascanius, meriti tanti non immemor unquam.
Immo ego vos, cui sola salus genitore reducto,
Excipit Ascanius, per magnos, Nise, Penates,
Assaracique Larem, et canæ penetralia Vestæ,
Obtestor (quæcunque mihi fortuna fidesque est,
In vestris pono gremiis): revocate parentem;
Reddite conspectum; nihil illo triste recepto.
Bina dabo argento perfecta atque aspera signis
Pocula, devicta genitor quæ cepit Arisba,
Et tripodas geminos; auri duo magna talenta;
Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
Si vero capere Italiam sceptrisque potiri 267
Contigerit victori, et prædæ ducere sortem.
Vidisti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus: ipsum illum, clypeum cristasque rubentes, 270
Excipiam sorti, jam nunc tua præmia, Nise.
Præterea bis sex genitor lectissima matrum
Corpora, captivosque dabit, suaque omnibus arma;
Insuper his, campi quod rex habet ipse Latinus.
Te vero, mea quem spatiis propioribus ætas
Insequitur, venerande puer, jam pectore toto
Accipio et comitem casus complector in omnes.
Nulla meis sine te quæretur gloria rebus; 278
Seu pacem seu bella geram: tibi maxima rerum
Verborumque fides. Contra quem talia fatur
Euryalus: Me nulla dies tam fortibus ausis 281
Dissimilem arguerit: tantum fortuna secunda
Aut adversa cadat. Sed te super omnia dona
Unum oro. Genitrix Priami de gente vetusta
Est mihi, quam miseram tenuit non Ilia tellus
Mecum excedentem, non mœnia regis Acestæ.
Hanc ego nunc ignarum hujus quodcunque pericli est 287
Inque salutatam linquo: nox et tua testis
Dextera, quod nequeam lacrymas perferre parentis.
At tu, oro, solare inopem, et succurre relictæ.
Hanc sine me spem ferre tui: audentior ibo 291
In casus omnes. Percussa mente dederunt
Dardanidæ lacrymas; ante omnes pulcher Iulus;
Atque animum patriæ strinxit pietatis imago.
Tum sic effatur: 295
Spondeo digna tuis ingentibus omnia cœptis.
Namque erit ista mihi genitrix, nomenque Creüsæ
Solum defuerit; nec partum gratia talem
Parva manet. Casus factum quicunque sequentur, 299
Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat;
Quæ tibi polliceor reduci, rebusque secundis,
Hæc eadem matrique tuæ generique manebunt.
Sic ait illacrymans; humero simul exuit ensem
Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon 304
Gnossius, atque habilem vagina aptârat eburna.
Dat Niso Mnestheus pellem horrentisque leonis
Exuvias; galeam fidus permutat Aletes.
Protinus armati incedunt: quos omnis euntes
Primorum manus ad portas juvenumque senumque
Prosequitur votis. Nec non et pulcher Iulus, 310
Ante annos animumque gerens curamque virilem,
Multa patri portanda dabat mandata. Sed auræ
Omnia discerpunt, et nubibus irrita donant.
Egressi superant fossas, noctisque per umbram
Castra inimica petunt, multis tamen ante futuri
Exitio. Passim somno vinoque per herbam 316
Corpora fusa vident, arrectos littore currus,
Inter lora rotasque viros, simul arma, jacere,
Vina simul. Prior Hyrtacides sic ore locutus:
Euryale, audendum dextra. Nunc ipsa vocat res.
Hac iter est. Tu, ne qua manus se attollere nobis
A tergo possit, custodi, et consule longe. 322
Hæc ego vasta dabo, et lato te limite ducam.
Sic memorat, vocemque premit; simul ense superbum
Rhamnetem aggreditur, qui forte tapetibus altis
Exstructus toto proflabat pectore somnum; 326
Rex idem, et regi Turno gratissimus augur:
Sed non augurio potuit depellere pestem.
Tres juxta famulos temere inter tela jacentes,
Armigerumque Remi premit, aurigamque sub ipsis

Nactus equis; ferroque secat pendentia colla;
Tum caput ipsi aufert domino, truncumque relinquit 332
Sanguine singultantem; atro tepefacta cruore
Terra torique madent. Nec non Lamyrumque Lamumque,
Et juvenem Sarranum, illa qui plurima nocte
Luserat, insignis facie, multoque jacebat 336
Membra deo victus: felix, si protinus illum
Æquâsset nocti ludum, in lucemque tulisset.
Impastus ceu plena leo per ovilia turbans 339
(Suadet enim vesana fames) manditque trahitque
Molle pecus mutumque metu; fremit ore cruento.
Nec minor Euryali cædes: incensus et ipse
Perfurit; ac multam in medio sine nomine plebem,
Fadumque Herbesumque subit, Rhœtumque Abarimque, 344
Ignaros; Rhœtum vigilantem, et cuncta videntem;
Sed magnum metuens se post cratera tegebat;
Pectore in adverso totum cui cominus ensem
Condidit assurgenti, et multa morte recepit.
Purpuream vomit ille animam, et cum sanguine mixta 349
Vina refert moriens. Hic furto fervidus instat.
Jamque ad Messapi socios tendebat; ubi ignem
Deficere extremum, et religatos rite videbat
Carpere gramen equos: breviter cum talia Nisus
(Sensit enim nimia cæde atque cupidine ferri),
Absistamus, ait: nam lux inimica propinquat.
Pœnarum exhaustum satis est; via facta per hostes. 356
Multa virûm solido argento perfecta relinquunt [tas.
Armaque, craterasque simul, pulchrosque tape-
Euryalus phaleras Rhamnetis, et aurea bullis
Cingula, Tiburti Remulo ditissimus olim 360
Quæ mittit dona, hospitio cum jungeret absens,
Cædicus; ille suo moriens dat habere nepoti;
Post mortem bello Rutuli pugnaque potiti;
Hæc rapit, atque humeris nequicquam fortibus aptat. 364
Tum galeam Messapi habilem cristisque decoram
Induit. Excedunt castris, et tuta capessunt.
Interea præmissi equites ex urbe Latina,
Cætera dum legio campis instructa moratur,
Ibant, et Turno regis responsa ferebant,
Ter centum, scutati omnes, Volscente magistro.
Jamque propinquabant castris, murosque subibant, 371
Cum procul hos lævo flectentes limite cernunt;
Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra
Prodidit immemorem, radiisque adversa refulsit.
Haud temere est visum. Conclamat ab agmine Volscens: 375
State, viri; quæ causa viæ? quive estis in armis?
Quove tenetis iter? Nihil illi tendere contra;
Sed celerare fugam in sylvas, et fidere nocti.
Objiciunt equites sese ad divortia nota
Hinc atque hinc, omnemque abitum custode coronant. 380
Sylva fuit late dumis atque ilice nigra
Horrida, quam densi complêrant undique sentes;
Rara per occultos lucebat semita calles.
Euryalum tenebræ ramorum onerosaque præda
Impediunt, fallitque timor regione viarum. 385
Nisus abit: jamque imprudens evaserat hostes,
Atque lacus; qui post Albæ de nomine dicti
Albani; tum rex stabula alta Latinus habebat.
Ut stetit, et frustra absentem respexit amicum,
Euryale, infelix qua te regione reliqui? 390
Quave sequar? Rursus perplexum iter omne revolvens
Fallacis sylvæ, simul et vestigia retro
Observata legit, dumisque silentibus errat.
Audit equos, audit strepitus et signa sequentum.
Nec longum in medio tempus; cum clamor ad aures 395
Pervenit, ac videt Euryalum: quem jam manus omnis,
Fraude loci et noctis, subito turbante tumultu,
Oppressum rapit, et conantem plurima frustra.
Quid faciat? qua vi juvenem, quibus audeat armis
Eripere? an sese medios moriturus in enses 400
Inferat, et pulchram properet per vulnera mortem?
Ocius adducto torquens hastile lacerto,
Suspiciens altam Lunam, sic voce precatur:
Tu, dea, tu præsens nostro succurre labori,
Astrorum decus, et nemorum Latonia custos;
Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi:
Hunc sine me turbare globum, et rege tela per auras.
Dixerat: et toto connixus corpore ferrum 410
Conjicit. Hasta volans noctis diverberat umbras,
Et venit aversi in tergum Sulmonis, ibique
Frangitur, ac fisso transit præcordia ligno.
Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
Frigidus, et longis singultibus ilia pulsat. 415
Diversi circumspiciunt. Hoc acrior idem
Ecce aliud summa telum librabat ab aure;
Dum trepidant, iit hasta Tago per tempus utrumque
Stridens, trajectoque hæsit tepefacta cerebro.
Sævit atrox Volscens, nec teli conspicit usquam
Auctorem, nec quo se ardens immittere possit.
Tu tamen interea calido mihi sanguine pœnas
Persolves amborum, inquit; simul ense recluso
Ibat in Euryalum. Tum vero exterritus, amens,
Conclamat Nisus; nec se celare tenebris 425
Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem:
Me, me, (adsum, qui feci) in me convertite ferrum, [sus,
O Rutuli: mea fraus omnis; nihil iste nec au-
Nec potuit: cœlum hoc et conscia sidera testor.
Tantum infelicem nimium dilexit amicum. 430
Talia dicta dabat; sed viribus ensis adactus
Transabiit costas, et candida pectora rumpit.
Volvitur Euryalus leto, pulchrosque per artus
It cruor, inque humeros cervix collapsa recumbit:
Purpureus veluti cum flos, succisus aratro, 435
Languescit moriens; lassove papavera collo
Demisere caput, pluvia cum forte gravantur.
At Nisus ruit in medios, solumque per omnes
Volscentem petit; in solo Volscente moratur.
Quem circum glomerati hostes, hinc cominus atque hinc 440
Proturbant. Instat non secius, ac rotat ensem
Fulmineum; donec Rutuli clamantis in ore
Condidit adverso, et moriens animam abstulit hosti.
Tum super exanimem sese projecit amicum 444
Confossus, placidaque ibi demum morte quievit.
Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo:

Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.
Victores præda Rutuli spoliisque potiti, 450
Volscentem exanimum flentes in castra ferebant.
Nec minor in castris luctus, Rhamnete reperto
Exsangui, et primis una tot cæde peremtis, 453
Sarranoque Numaque. Ingens concursus ad ipsa
Corpora, seminecesque viros, tepidaque recentem
Cæde locum, et plenos spumanti sanguine rivos.
Agnoscunt spolia inter se, galeamque nitentem
Messapi, et multo phaleras sudore receptas.
Et jam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile: 460
Jam sole infuso, jam rebus luce retectis,
Turnus in arma viros, armis circumdatus ipse,
Suscitat; æratasque acies in prœlia cogit,
Quisque suos, variisque acuunt rumoribus iras.
Quin ipsa arrectis (visu miserabile) in hastis 465
Præfigunt capita, et multo clamore sequuntur,
Euryali et Nisi.
Æneadæ duri murorum in parte sinistra
Opposuere aciem (nam dextera cingitur amni),
Ingentesque tenent fossas, et turribus altis 470
Stant mæsti: simul ora virûm præfixa movebant,
Nota nimis miseris, atroque fluentia tabo.
Interea pavidam volitans pennata per urbem
Nuntia Fama ruit, matrisque allabitur aures
Euryali. At subitus miseræ calor ossa reliquit. 475
Excussi manibus radii, revolutaque pensa.
Evolat infelix, et fœmineo ululatu,
Scissa comam, muros amens atque agmina cursu
Prima petit: non illa virûm, non illa pericli
Telorumque memor; cœlum dehinc questibus implet: 480
Hunc ego te, Euryale, adspicio? tune, illa senectæ
Sera meæ requies, potuisti linquere solam,
Crudelis? nec te, sub tanta pericula missum,
Affari extremum miseræ data copia matri?
Heu, terra ignota canibus date præda Latinis 485
Alitibusque jaces; nec te tua funera mater
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi,
Veste tegens; tibi quam noctes festina diesque
Urgebam, et tela curas solabar aniles.
Quo sequar? aut quæ nunc artus, avulsaque membra, 490
Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te,
Nate, refers? hoc sum terraque marique secuta?
Figite me, si qua est pietas; in me omnia tela
Conjicite, o Rutuli; me primam absumite ferro;
Aut tu, magne pater divûm, miserere, tuoque 495
Invisum hoc detrude caput sub Tartara telo,
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.
Hoc fletu concussi animi, mœstusque per omnes
It gemitus; torpent infractæ ad prœlia vires.
Illam incendentem luctus Idæus et Actor, 500
Ilionei monitu et multum lacrymantis Iuli,
Corripiunt, interque manus sub tecta reponunt.
At tuba terribilem sonitum procul ære canoro
Increpuit. Sequitur clamor, cœlumque remugit.
Accelerant acta pariter testudine Volsci; 505
Et fossas implere parant, ac vellere vallum.
Quærunt pars aditum, et scalis adscendere muros;
Qua rara est acies, interlucetque corona
Non tam spissa viris. Telorum effundere contra
Omne genus Teucri, ac duris detrudere contis,
Assueti longo muros defendere bello. 511
Saxa quoque infesto volvebant pondere, si qua
Possent tectam aciem perrumpere: cum tamen omnes
Ferre juvat subter densa testudine casus.
Nec jam sufficiunt. Nam, qua globus imminet ingens, 515
Immanem Teucri molem volvuntque ruuntque;
Quæ stravit Rutulos late, armorumque resolvit
Tegmina. Nec curant cæco contendere Marte
Amplius audaces Rutuli; sed pellere vallo
Missilibus certant. 520
Parte alia horrendus visu quassabat Etruscam
Pinum, et fumiferos infert Mezentius ignes;
At Messapus equûm domitor, Neptunia proles,
Rescindit vallum, et scalas in mœnia poscit.
Vos, o Calliope, precor, adspirate canenti, 525
Quas ibi tunc ferro strages, quæ funera Turnus
Ediderit; quem quisque virûm demiserit Orco:
Et mecum ingentes oras evolvite belli.
[Et meministis enim, divæ, et memorare potestis.] 529
Turris erat vasto suspectu, et pontibus altis,
Opportuna loco: summis quam viribus omnes
Expugnare Itali, summaque evertere opum vi
Certabant; Troës contra defendere saxis,
Perque cavas densi tela intorquere fenestras.
Princeps ardentem conjecit lampada Turnus, 535
Et flammam affixit lateri; quæ plurima vento
Corripuit tabulas, et postibus hæsit adesis.
Turbati trepidare intus, frustraque malorum
Velle fugam. Dum se glomerant, retroque residunt 539
In partem, quæ peste caret: tum pondere turris
Procubuit subito, et cœlum tonat omne fragore.
Semineces ad terram, immani mole secuta,
Confixique suis telis, et pectora duro
Transfossi ligno, veniunt. Vix unus Helenor,
Et Lycus elapsi: quorum primævus Helenor, 545
Mæonio regi quem serva Licymnia furtim
Sustulerat, vetitisque ad Trojam miserat armis,
Ense levis nudo, parmaque inglorius alba.
Isque ubi se Turni media inter millia vidit,
Hinc acies, atque hinc acies adstare Latinas; 550
Ut fera, quæ, densa venantum sæpta corona,
Contra tela furit, seseque haud nescia morti
Injicit, et saltu supra venabula fertur;
Haud aliter juvenis medios moriturus in hostes
Irruit, et, qua tela videt densissima, tendit. 555
At, pedibus longe melior, Lycus inter et hostes,
Inter et arma, fuga muros tenet, altaque certat
Prendere tecta manu, sociûmque attingere dextras.
Quem Turnus, pariter cursu teloque secutus,
Increpat his victor: Nostrasne evadere demens
Sperâsti te posse manus? simul arripit ipsum 561
Pendentem, et magna muri cum parte revellit.
Qualis ubi aut leporem, aut candenti corpore cycnum,
Sustulit alta petens pedibus Jovis armiger uncis;
Quæsitum aut matri multis balatibus agnum 565
Martius a stabulis rapuit lupus. Undique clamor
Tollitur. Invadunt, et fossas aggere complent;
Ardentes tædas alii ad fastigia jactant.
Ilioneus saxo atque ingenti fragmine montis
Lucetium, portæ subeuntem, ignesque ferentem;
Emathiona Liger, Corynæum sternit Asylas: 571
Hic jaculo bonus, hic longe fallente sagitta;
Ortygium Cæneus, victorem Cænea Turnus;
Turnus Itym, Cloniumque, Dioxippum, Promolumque, 574

Et Sagarim, et summis stantem pro turribus Idan;
Privernum Capys. Hunc primo levis hasta Temillæ
Strinxerat: ille manum projecto tegmine demens
Ad vulnus tulit; ergo alis allapsa sagitta,
Et lævo affixa est lateri manus, abditaque intus
Spiramenta animæ letali vulnere rumpit. 580
Stabat in egregiis Arcentis filius armis,
Pictus acu chlamydem, et ferrugine clarus Ibera,
Insignis facie, genitor quem miserat Arcens,
Eductum matris luco, Symæthia circum
Flumina: pinguis ubi et placabilis ara Palici. 585
Stridentem fundam, positis Mezentius hastis,
Ipse ter adducta circum caput egit habena;
Et media adversi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.
Tum primum bello celerem intendisse sagittam
Dicitur, ante feras solitus terrere fugaces,
Ascanius, fortemque manu fudisse Numanum;
Cui Remulo cognomen erat; Turnique minorem
Germanam nuper thalamo sociatus habebat. 594
Is primam ante aciem, digna atque indigna relatu
Vociferans, tumidusque novo præcordia regno,
Ibat, et ingentem sese clamore ferebat:
Non pudet obsidione iterum valloque teneri,
Bis capti Phryges, et Marti prætendere muros?
En, qui nostra sibi bello connubia poscunt! 600
Quis deus Italiam, quæ vos dementia adegit?
Non hic Atridæ, nec fandi fictor Ulixes.
Durum ab stirpe genus, natos ad flumina primum
Deferimus, sævoque gelu duramus et undis;
Venatu invigilant pueri, silvasque fatigant; 605
Flectere ludus equos, et spicula tendere cornu.
At patiens operum parvoque assueta juventus
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne ævum ferro teritur, versaque juvencûm
Terga fatigamus hasta; nec tarda senectus 610
Debilitat vires animi, mutatque vigorem.
Canitiem galea premimus; semperque recentes
Comportare juvat prædas, et vivere rapto.
Vobis picta croco, et fulgenti murice vestis;
Desidiæ cordi; juvat indulgere choreis; 615
Et tunicæ manicas, et habent redimicula mitræ.
O vere Phrygiæ, neque enim Phryges, ite per alta
Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum.
Tympana vos buxusque vocant Berecynthia matris
Idææ. Sinite arma viris, et cedite ferro. 620
Talia jactantem dictis, ac dira canentem,
Non tulit Ascanius; nervoque obversus equino
Intendit telum, diversaque brachia ducens
Constitit, ante Jovem supplex per vota precatus:
Jupiter omnipotens, audacibus annue cœptis. 625
Ipse tibi ad tua templa feram sollennia dona,
Et statuam ante aras aurata fronte juvencum
Candentem, pariterque caput cum matre ferentem,
Jam cornu petat, et pedibus qui spargat arenam.
Audiit, et cœli genitor de parte serena 630
Intonuit lævum: sonat una fatifer arcus.
Effugit horrendum stridens adducta sagitta;
Perque caput Remuli venit, et cava tempora ferro
Trajicit. I, verbis virtutem illude superbis. 634
Bis capti Phryges hæc Rutulis responsa remittunt.
Hoc tantum Ascanius. Teucri clamore sequuntur,
Lætitiaque fremunt, animosque ad sidera tollunt.
Ætheria tum forte plaga crinitus Apollo
Desuper Ausonias acies urbemque videbat,
Nube sedens: atque his victorem affatur Iulum:
Macte nova virtute, puer; sic itur ad astra; 641
Dîs genite, et geniture deos. Jure omnia bella
Gente sub Assaraci fato ventura resident.
Nec te Troja capit. Simul, hæc effatus, ab alto
Æthere se mittit, spirantes dimovet auras, 645
Ascaniumque petit. Formam tum vertitur oris
Antiquum in Buten. Hic Dardanio Anchisæ
Armiger ante fuit, fidusque ad limina custos;
Tum comitem Ascanio pater addidit. Ibat Apollo
Omnia longævo similis, vocemque, coloremque,
Et crines albos, et sæva sonoribus arma; 651
Atque his ardentem dictis affatur Iulum:
Sit satis, Æneada, telis impune Numanum
Oppetiisse tuis; primam hanc tibi magnus Apollo
Concedit laudem, et paribus non invidet armis;
Cætera parce, puer, bello. Sic orsus Apollo 656
Mortales medio adspectus sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
Agnovere deum proceres divinaque tela
Dardanidæ, pharetramque fuga sensere sonantem. 660
Ergo avidum pugnæ, dictis ac numine Phœbi,
Ascanium prohibent; ipsi in certamina rursus
Succedunt, animasque in aperta pericula mittunt.
It clamor totis per propugnacula muris;
Intendunt acres artus, amentaque torquent. 665
Sterniter omne solum telis; tum scuta cavæque
Dant sonitum flictu galeæ; pugna aspera surgit.
Quantus ab occasu veniens, pluvialibus Hædis,
Verberat imber humum; quam multa grandine nimbi
In vada præcipitant, cum Jupiter horridus Austris
Torquet aquosam hiemem, et cœlo cava nubila rumpit. 671
Pandarus et Bitias, Idæo Alcanore creti,
Quos Jovis eduxit luco sylvestris Iæra,
Abietibus juvenes patriis et montibus æquos,
Portam, quæ ducis imperio commissa, recludunt
Freti armis, ultroque invitant mœnibus hostem.
Ipsi intus dextra ac læva pro turribus adstant
Armati ferro, et cristis capita alta corusci. 678
Quales aëriæ liquentia flumina circum,
Sive Padi ripis, Athesim seu propter amœnum,
Consurgunt geminæ quercus, intonsaque cœlo
Attollunt capita, et sublimi vertice nutant.
Irrumpunt, aditus Rutuli ut videre patentes.
Continuo Quercens, et pulcher Aquicolus armis,
Et præceps animi Tmarus, et Mavortius Hæmon,
Agminibus totis aut versi terga dedere, 686
Aut ipso portæ posuere in limine vitam.
Tum magis increscunt animis discordibus iræ;
Et jam collecti Troës glomerantur eodem,
Et conferre manum, et procurrere longius audent.
Ductori Turno diversa in parte furenti, 691
Turbantique viros, perfertur nuntius, hostem
Fervere cæda nova, et portas præbere patentes.
Deserit inceptum, atque immani concitus ira
Dardaniam ruit ad portam fratresque superbos;
Et primum Antiphaten, is enim se primus agebat, 696
Thebana de matre nothum Sarpedonis alti,
Conjecto sternit jaculo: volat Itala cornus
Aëra per tenerum, stomachoque infixa sub altum
Pectus abit; reddit specus atri vulneris undam
Spumantem, et fixo ferrum in pulmone tepescit.
Tum Meropem atque Erymanta manu, tum sternit Aphidnum; 702

Tum Bitian ardentem oculis, animisque frementem,
Non jaculo—neque enim jaculo vitam ille dedisset—
Sed magnum stridens contorta phalarica venit,
Fulminis acta modo: quam nec duo taurea terga,
Nec duplici squama lorica fidelis et auro
Sustinuit; collapsa ruunt immania membra;
Dat tellus gemitum, et clypeum super intonat ingens.
Qualis in Euboïco Baiarum litore quondam 710
Saxea pila cadit, magnis quam molibus ante
Constructam ponto jaciunt; sic illa ruinam
Prona trahit, penitusque vadis illisa recumbit;
Miscent se maria, et nigræ attolluntur arenæ;
Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile
Inarime Jovis imperiis imposta Typhöeo. 716
Hic Mars armipotens animum viresque Latinis
Addidit, et stimulos acres sub pectore vertit;
Immisitque Fugam Teucris atrumque Timorem.
Undique conveniunt; quoniam data copia pugnæ,
Bellatorque animos deus incidit. 721
Pandarus, ut fuso germanum corpore cernit,
Et quo sit fortuna loco, qui casus agat res,
Portam vi multa converso cardine torquet,
Obnixus latis humeris, multosque suorum 725
Mœnibus exclusos duro in certamine linquit;
Ast alios secum includit recipitque ruentes,
Demens; qui Rutulûm in medio non agmine regem
Viderit irrumpentem, ultroque incluserit urbi,
Immanem veluti pecora inter inertia tigrim. 730
Continuo nova lux oculis offulsit, et arma
Horrendum sonuere; tremunt in vertice cristæ
Sanguineæ, clypeoque micantia fulmina mittunt. [bra
Agnoscunt faciem invisam atque immania mem-
Turbati subito Æneadæ. Tum Pandarus ingens
Emicat, et mortis fraternæ fervidus ira 736
Effatur: Non hæc dotalis regia Amatæ,
Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.
Castra inimica vides; nulla hinc exire potestas.
Olli subridens sedato pectore Turnus: 740
Incipe, si qua animo virtus, et consere dextram;
Hic etiam inventum Priamo narrabis Achillem.
Dixerat. Ille rudem nodis et cortice crudo
Intorquet summis annixus viribus hastam.
Excepere auræ vulnus; Saturnia Juno 745
Detorsit veniens; portæque infigitur hasta.
At non hoc telum, mea quod vi dextera versat,
Effugies: neque enim is teli nec vulneris auctor.
Sic ait, et sublatum alte consurgit in ensem,
Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Dividit, impubesque immani vulnere malas. 751
Fit sonus; ingenti concussa est pondere tellus.
Collapsos artus atque arma cruenta cerebro
Sternit humi moriens; atque illi partibus æquis
Huc caput atque illuc humero ex utroque pependit. 755
Diffugiunt versi trepida formidine Troës.
Et, si continuo victorem ea cura subisset,
Rumpere claustra manu sociosque immittere portis,
Ultimus ille dies bello gentique fuisset.
Sed furor ardentem cædisque insana cupido 760
Egit in adversos.
Principio Phalerim, et succiso poplite Gygen
Excipit; hinc raptas fugientibus ingerit hastas
In tergus: Juno vires animumque ministrat.
Addit Halym comitem, et confixa Phegea parma;
Ignaros deinde in muris Martemque cientes 766
Alcandrumque Haliumque Noëmonaque Prytanimque;
Lyncea tendentem contra, sociosque vocantem,
Vibranti gladio connixus ab aggere dexter
Occupat: huic uno dejectum cominus ictu 770
Cum galea longe jacuit caput. Inde ferarum
Vastatorem Amycum, quo non felicior alter
Ungere tela manu, ferrumque armare veneno;
Et Clytium Æoliden, et amicum Crethea Musis;
Crethea Musarum comitem, cui carmina semper
Et citharæ cordi, numerosque intendere nervis;
Semper equos, atque arma virûm, pugnasque canebat. 777
Tandem ductores, audita cæde suorum,
Conveniunt Teucri, Mnestheus acerque Serestus;
Palantesque vident socios, hostemque receptum.
Et Mnestheus, quo deinde fugam, quo tenditis? inquit. 781
Quos alios muros, quæ jam ultra mœnia habetis?
Unus homo, et vestris, o cives, undique sæptus
Aggeribus, tantas strages impune per urbem
Ediderit? juvenum primos tot miserit Orco? 785
Non infelicis patriæ, veterumque deorum,
Et magni Æneæ segnes miseretque pudetque?
Talibus accensi firmantur, et agmine denso
Consistunt. Turnus paullatim excedere pugna,
Et fluvium petere, ac partem quæ cingitur amni.
Acrius hoc Teucri clamore incumbere magno,
Et glomerare manum: ceu sævum turba leonem
Cum telis premit infensis; at territus ille, 793
Asper, acerba tuens, retro redit; et neque terga
Ira dare aut virtus patitur, nec tendere contra,
Ille quidem hoc cupiens, potis est per tela virosque.
Haud aliter retro dubius vestigia Turnus
Improperata refert, et mens exæstuat ira.
Quin etiam bis tum medios invaserat hostes;
Bis confusa fuga per muros agmina vertit. 800
Sed manus e castris propere coit omnis in unum.
Nec contra vires audet Saturnia Juno
Sufficere; aëriam cœlo nam Jupiter Irim
Demisit, germanæ haud mollia jussa ferentem,
Ni Turnus cedat Teucrorum mœnibus altis. 805
Ergo nec clypeo juvenis subsistere tantum,
Nec dextra valet: injectis sic undique telis
Obruitur. Strepit assiduo cava tempora circum
Tinnitu galea, et saxis solida æra fatiscunt;
Discussæque jubæ capiti; nec sufficit umbo 810
Ictibus; ingeminant hastis et Troës, et ipse
Fulmineus Mnestheus. Tum toto corpore sudor
Liquitur, et piceum (nec respirare potestas)
Flumen agit; fessos quatit acer anhelitus artus.
Tum demum præceps saltu sese omnibus armis
In fluvium dedit. Ille suo cum gurgite flavo 816
Accepit venientem, ac mollibus extulit undis;
Et lætum sociis abluta cæde remisit.

LIBER DECIMUS.

Panditur interea domus omnipotentis Olympi,
Conciliumque vocat divûm pater atque hominum rex
Sideream in sedem; terras unde arduus omnes,
Castraque Dardanidûm adspectat, populosque Latinos.
Considunt tectis bipatentibus. Incipit ipse: 5
Cœlicolæ magni, quianam sententia vobis
Versa retro, tantumque animis certatis iniquis?
Abnueram bello Italiam concurrere Teucris.
Quæ contra vetitum discordia? quis metus aut hos
Aut hos arma sequi, ferrumque lacessere, suasit?
Adveniet justum pugnæ, ne arcessite, tempus, 11
Cum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum atque Alpes immittet apertas:
Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit.
Nunc sinite; et placitum læti componite fœdus.
Jupiter hæc paucis; at non Venus aurea contra
Pauca refert: 17
O pater, o hominum divûmque æterna potestas,
(Namque aliud quid sit, quod jam implorare queamus?)
Cernis ut insultent Rutuli; Turnusque feratur 20
Per medios insignis equis, tumidusque secundo
Marte ruat? Non clausa tegunt jam mœnia Teucros;
Quin intra portas atque ipsis prœlia miscent
Aggeribus murorum; et inundant sanguine fossæ.
Æneas ignarus abest. Nunquamne levari 25
Obsidione sines? Muris iterum imminet hostis
Nascentis Trojæ; nec non exercitus alter,
Atque iterum in Teucros Ætolis surgit ab Arpis
Tydides. Equidem credo, mea vulnera restant;
Et tua progenies mortalia demoror arma! 30
Si sine pace tua, atque invito numine, Troës
Italiam petiere, luant peccata; neque illos
Juveris auxilio: sin tot responsa secuti,
Quæ superi Manesque dabant, cur nunc tua quisquam 34
Vertere jussa potest? aut cur nova condere fata?
Quid repetam exustas Erycino in litore classes?
Quid tempestatum regem, ventosque furentes
Æolia excitos? aut actam nubibus Irim?
Nunc etiam Manes (hæc intentata manebat
Sors rerum) movet, et superis immissa repente
Allecto, medias Italûm bacchata per urbes. 41
Nil super imperio moveor: speravimus ista,
Dum fortuna fuit: vincant, quos vincere mavis.
Si nulla est regio, Teucris quam det tua conjux
Dura, per eversæ, genitor, fumantia Trojæ 45
Excidia obtestor, liceat dimittere ab armis
Incolumem Ascanium; liceat superesse nepotem.
Æneas sane ignotis jactetur in undis,
Et quamcumque viam dederit Fortuna, sequatur:
Hunc tegere, et diræ valeam subducere pugnæ.
Est Amathus, est celsa mihi Paphus, atque Cythera, 51
Idaliæque domus; positis inglorius armis
Exigat hic ævum. Magna ditione jubeto
Carthago premat Ausoniam; nihil urbibus inde
Obstabit Tyriis. Quid pestem evadere belli 55
Juvit, et Argolicos medium fugisse per ignes,
Totque maris vastæque exhausta pericula terræ,
Dum Latium Teucri recidivaque Pergama quærunt?
Non satius, cineres patriæ insedisse supremos,
Atque solum, quo Troja fuit? Xanthum et Simoënta 60
Redde, oro, miseris; iterumque revolvere casus
Da, pater, Iliacos Teucris. Tum regia Juno
Acta furore gravi: Quid me alta silentia cogis
Rumpere, et obductum verbis vulgare dolorem?
Ænean hominum quisquam divûmve subegit 65
Bella sequi, aut hostem regi se inferre Latino?
Italiam fatis petiit auctoribus; esto:
Cassandræ impulsus furiis. Num linquere castra
Hortati sumus, aut vitam committere ventis? 69
Num puero summam belli, num credere muros?
Tyrrhenamve fidem aut gentes agitare quietas?
Quis deus in fraudem, quæ dura potentia nostri
Egit? Ubi hic Juno, demissave nubibus Iris?
Indignum est, Italos Trojam circumdare flammis
Nascentem, et patria Turnum consistere terra,
Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater: 76
Quid, face Trojanos atra vim ferre Latinis?
Arva aliena jugo premere, atque avertere prædas?
Quid, soceros legere, et gremiis abducere pactas?
Pacem orare manu, præfigere puppibus arma? 80
Tu potes Ænean manibus subducere Graiûm,
Proque viro nebulam et ventos obtendere inanes·
Et potes in totidem classem convertere Nymphas:
Nos aliquid Rutulos contra juvisse, nefandum est?
Æneas ignarus abest: ignarus et absit. 85
Est Paphus Idaliumque tibi, sunt alta Cythera:
Quid gravidam bellis urbem et corda aspera tentas?
Nosne tibi fluxas Phrygiæ res vertere fundo
Conamur? nos? an miseros qui Troas Achivis
Objecit? quæ causa fuit, consurgere in arma 90
Europamque Asiamque, et fœdera solvere furto?
Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter?
Aut ego tela dedi, fovive cupidine bella?
Tum decuit metuisse tuis: nunc sera querelis
Haud justis assurgis, et irrita jurgia jactas. 95
Talibus orabat Juno; cunctique fremebant
Cœlicolæ assensu vario: ceu flamina prima
Cum deprensa fremunt sylvis, et cæca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.
Tum pater omnipotens, rerum cui summa potestas, 100
Infit. Eo dicente, deûm domus alta silescit,
Et tremefacta solo tellus; silet arduus æther;
Tum Zephyri posuere; premit placida æquora pontus.
Accipite ergo animis atque hæc mea figite dicta.
Quandoquidem Ausonios conjungi fœdere Teucris
Haud licitum; nec vestra capit discordia finem:
Quæ cuique est fortuna hodie, quam quisque secat spem, 107
Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo:
Seu fatis Italûm castra obsidione tenentur,
Sive errore malo Trojæ monitisque sinistris. 110
Nec Rutulos solvo. Sua cuique exorsa laborem
Fortunamque ferent. Rex Jupiter omnibus idem.

Fata viam invenient. Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentes atraque voragine ripas,
Annuit, et totum nutu tremefecit Olympum. 115
Hic finis fandi. Solio tum Jupiter aureo
Surgit: cœlicolæ medium quem ad limina ducunt.
Interea Rutuli portis circum omnibus instant
Sternere cæde viros, et mœnia cingere flammis.
At legio Æneadûm vallis obsessa tenetur; 120
Nec spes ulla fugæ. Miseri stant turribus altis
Nequicquam, et rara muros cinxere corona:
Asius Imbrasides, Hicetaoniusque Thymœtes,
Assaracique duo, et senior cum Castore Thymbris, 124
Prima acies. Hos germani Sarpedonis ambo,
Et Clarus et Themon, Lycia comitantur ab alta.
Fert ingens toto connixus corpore saxum,
Haud partem exiguam montis, Lyrnessius Acmon,
Nec Clytio genitore minor, nec fratre Menestheo.
Hi jaculis, illi certant defendere saxis, 130
Molirique ignem, nervoque aptare sagittas.
Ipse inter medios, Veneris justissima cura,
Dardanius caput, ecce, puer detectus honestum,
Qualis gemma, micat, fulvum quæ dividit aurum,
Aut collo decus, aut capiti; vel quale per artem
Inclusum buxo, aut Oricia terebintho, 136
Lucet ebur; fusos cervix cui lactea crines
Accipit, et molli subnectens circulus auro.
Te quoque magnanimæ viderunt, Ismare, gentes
Vulnera dirigere, et calamos armare veneno, 140
Mæonia generose domo; ubi pinguia culta
Exercentque viri, Pactolusque irrigat auro.
Affuit et Mnestheus, quem pulsi pristina Turni
Aggere mœrorum sublimem gloria tollit,
Et Capys; hinc nomen Campanæ ducitur urbi.
Illi inter sese duri certamina belli 146
Contulerant: media Æneas freta nocte secabat.
Namque, ut ab Evandro castris ingressus Etruscis, [que;
Regem adit, et regi memorat nomenque genus-
Quidve petat, quidve ipse ferat; Mezentius arma
Quæ sibi conciliet, violentaque pectora Turni,
Edocet; humanis quæ sit fiducia rebus 152
Admonet, immiscetque preces. Haud fit mora; Tarcho
Jungit opes, fœdusque ferit: tum libera fati
Classem conscendit jussis gens Lydia divûm, 155
Externo commissa duci. Æneïa puppis
Prima tenet, rostro Phrygios subjuncta leones:
Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.
Hic magnus sedet Æneas, secumque volutat
Eventus belli varios; Pallasque sinistro 160
Affixus lateri jam quærit sidera, opacæ
Noctis iter, jam quæ passus terraque marique.
Pandite nunc Helicona, deæ, cantusque movete;
Quæ manus interea Tuscis comitetur ab oris
Ænean, armetque rates, pelagoque vehatur. 165
Massicus ærata princeps secat æquora Tigri:
Sub quo mille manus juvenum, qui mœnia Clusî,
Quique urbem liquere Cosas: quîs tela sagittæ,
Corytique leves humeris, et letifer arcus.
Una torvus Abas: huic totum insignibus armis
Agmen, et aurato fulgebat Apolline puppis. 170
Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli juvenes; ast Ilva trecentos
Insula, inexhaustis Chalybum generosa metallis.
Tertius, ille hominum divûmque interpres Asylas,
Cui pecudum fibræ, cœli cui sidera parent, 176
Et linguæ volucrum, et præsagi fulminis ignes,
Mille rapit densos acie atque horrentibus hastis.
Hos parere jubent Alpheæ ab origine Pisæ:
Urb Etrusca solo. Sequitur pulcherrimus Astur,
Astur equo fidens, et versicoloribus armis. 181
Ter centum adjiciunt, mens omnibus una sequendi,
Qui Cærete domo, qui sunt Minionis in arvis,
Et Pyrgi veteres, intempestæque Graviscæ. 184
Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello,
Transierim, Cinyra, et paucis comitate Cupavo,
Cujus olorinæ surgunt de vertice pennæ,—
Crimen amor vestrum, formæque insigne paternæ. [amati,
Namque ferunt, luctu Cycnum Phaëthontis
Populeas inter frondes umbramque sororum 190
Dum canit, et mæstum Musa solatur amorem,
Canentem molli pluma duxisse senectam,
Linquentem terras, et sidera voce sequentem.
Filius, æquales comitatus classe catervas,
Ingentem remis Centaurum promovet; ille 195
Instat aquæ, saxumque undis immane minatur
Arduus, et longa sulcat maria alta carina.
Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicæ Mantus et Tusci filius amnis: 199
Qui muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen;
Mantua dives avis; sed non genus omnibus unum:
Gens illi triplex, populi sub gente quaterni;
Ipsa caput populis; Tusco de sanguine vires.
Hinc quoque quingentos in se Mezentius armat,
Quos patre Benaco velatus arundine glauca 205
Mincius infesta ducebat in æquora pinu.
It gravis Aulestes, centenaque arbore fluctus
Verberat assurgens: spumant vada marmore verso.
Hunc vehit immanis Triton, et cærula concha
Exterrens freta, cui laterum tenus hispida nanti
Frons hominem præfert, in pristin destinit alvus;
Spumea semifero sub pectore murmurat unda.
Tot lecti proceres ter denis navibus ibant 213
Subsidio Trojæ, et campos salis ære secabant.
Jamque dies cœlo concesserat; almaque curru
Noctivago Phœbe medium pulsabat Olympum:
Æneas (neque enim membris dat cura quietem)
Ipse sedens clavumque regit velisque ministrat.
Atque illi medio in spatio chorus, ecce, suarum
Occurrit comitum: Nymphæ, quas alma Cybebe
Numen habere maris, Nymphasque e navibus esse, 221
Jusserat, innabant pariter, fluctusque secabant,
Quot prius æratæ steterant ad litora proræ.
Agnoscunt longe regem, lustrantque choreis.
Quarum, quæ fandi doctissima, Cymodocea 225
Pone sequens dextra puppim tenet, ipsaque dorso
Eminet, ac læva tacitis subremigat undis.
Tum sic ignarum alloquitur: Vigilasne, deûm gens,
Ænea? vigila, et velis immitte rudentes.
Nos sumus Ideæ sacro de vertice pinus, 230
Nunc pelagi Nymphæ, classis tua. Perfidus ut nos
Præcipites ferro Rutulus flammaque premebat,
Rupimus invitæ tua vincula, teque per æquor
Quærimus. Hanc Genitrix faciem miserata refecit,
Et dedit esse deas, ævumque agitare sub undis.
At puer Ascanius muro fossisque tenetur, 236
Tela inter media atque horrentes Marte Latinos.
Jam loca jussa tenent forti permixtus Etrusco
Arcas eques. Medias illis opponere turmas,
Ne castris jungant, certa est sententia Turno. 240
Surge age, et Aurora socios veniente vocari

Primus in arma jube, et clypeum cape, quem dedit ipse
Invictum Ignipotens, atque oras ambiit auro.
Crastina lux, mea si non irrita dicta putâris,
Ingentes Rutulæ spectabit cædis acervos. 245
Dixerat: et dextra discedens impulit altam,
Haud ignara modi, puppim. Fugit illa per undas
Ocior et jaculo et ventos æquante sagitta.
Inde aliæ celerant cursus. Stupet inscius ipse
Tros Anchisiades; animos tamen omine tollit.
Tum breviter, supera adspectans convexa, precatur: 251
Alma parens Idæa deûm, cui Dindyma cordi,
Turrigeræque urbes, bijugique ad frena leones,
Tu mihi nunc pugnæ princeps, tu rite propinques
Augurium, Phrygibusque adsis pede, diva, secundo. 255
Tantum effatus; et interea revoluta ruebat
Matura jam luce dies, noctemque fugârat.
Principio sociis edicit, signa sequantur,
Atque animos aptent armis, pugnæque parent se.
Jamque in conspectu Teucros habet et sua castra,
Stans celsa in puppi; clypeum cum deinde sinistra 261
Extulit ardentem. Clamorem ad sidera tollunt
Dardanidæ e muris. Spes addita suscitat iras.
Tela manu jaciunt: quales sub nubibus atris 264
Strymoniæ dant signa grues, atque æthera tranant
Cum sonitu, fugiuntque Notos clamore secundo.
At Rutulo regi ducibusque ea mira videri
Ausoniis; donec versas ad littora puppes
Respiciunt, totumque allabi classibus æquor.
Ardet apex capiti, cristisque a vertice flamma 270
Funditur, et vastos umbo vomit aureus ignes:
Non secus, ac liquida si quando nocte cometæ
Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor:
Ille sitim morbosque ferens mortalibus ægris
Nascitur, et lævo contristat lumine cœlum. 275
Haud tamen audaci Turno fiducia cessit
Littora præcipere, et venientes pellere terra.
[Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro:]
Quod votis optâstis, adest, perfringere dextra.
In manibus Mars ipse, viri. Nunc conjugis esto
Quisque suæ tectique memor; nunc magna referto 281
Facta patrum, laudes. Ultro occurramus ad undam,
Dum trepidi, egressique labant vestigia prima.
Audentes Fortuna juvat.
Hæc ait: et secum versat, quos ducere contra, 285
Vel quibus obsessos possit concredere muros.
Interea Æneas socios de puppibus altis
Pontibus exponit. Multi servare recursus
Languentis pelagi, et brevibus se credere saltu;
Per remos alii. Speculatus litora Tarcho, 290
Qua vada non spirant, nec fracta remurmurat unda,
Sed mare inoffensum crescenti allabitur æstu;
Advertit subito proras, sociosque precatur:
Nunc, o lecta manus, validis incumbite remis;
Tollite, ferte rates; inimicam findite rostris 295
Hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina.
Frangere nec tali puppim statione recuso;
Arrepta tellure semel. Quæ talia postquam
Effatus Tarcho, socii consurgere tonsis,
Spumantesque rates arvis inferre Latinis; 300
Donec rostra tenent siccum, et sedere carinæ
Omnes innocuæ. Sed non puppis tua, Tarcho:
Namque, inflicta vadis, dorso dum pendet iniquo,
Anceps sustentata diu, fluctusque fatigat:
Solvitur, atque viros mediis exponit in undis; 305
Fragmina remorum quos et fluitantia transtra
Impediunt, retrahitque pedem simul unda relabens. [acer
Nec Turnum segnis retinet mora; sed rapit
Totam aciem in Teucros, et contra in littore sistit.
Signa canunt. Primus turmas invasit agrestes
Æneas, omen pugnæ, stravitque Latinos, 311
Occiso Therone, virûm qui maximus ultro
Æneam petit: huic gladio perque ærea suta,
Per tunicam squalentem auro, latus haurit apertum.
Inde Lichan ferit, exsectum jam matre peremta,
Et tibi, Phœbe, sacrum, casus evadere ferri 316
Quod licuit parvo. Nec longe Cissea durum
Immanemque Gyan, sternentes agmina clava,
Dejecit leto: nihil illos Herculis arma,
Nec validæ juvere manus, genitorque Melampus
Alcidæ comes, usque graves cum terra labores 321
Præbuit. Ecce Pharo, voces dum jactat inertes,
Intorquens jaculum, clamanti sistit in ore.
Tu quoque, flaventem prima lanugine malas
Dum sequeris Clytium infelix, nova gaudia, Cydon; 325
Dardania stratus dextra, securus amorum, [res:
Qui juvenum tibi semper erant, miserande, jace-
Ni fratrum stipata cohors foret obvia, Phorci
Progenies; septem numero, septenaque tela
Conjiciunt: partim galea clypeoque resultant
Irrita; deflexit partim stringentia corpus 331
Alma Venus. Fidum Æneas affatur Achaten:
Suggere tela mihi, non ullum dextera frustra
Torserit in Rutulos, steterunt quæ in corpore Graiûm 334
Iliacis campis. Tum magnam corripit hastam,
Et jacit. Illa volans clypei transverberat æra
Mæonis, et thoraca simul cum pectore rumpit.
Huic frater subit Alcanor, fratremque ruentem
Sustentat dextra: trajecto missa lacerto 339
Protinus hasta fugit, servatque cruenta tenorem;
Dexteraque ex humero nervis moribunda pependit.
Tum Numitor, jaculo fratris de corpore rapto,
Æneam petiit; sed non et figere contra
Est licitum, magnique femur perstrinxit Achatæ.
Hic Curibus fidens primævo corpore Clausus 345
Advenit, et rigida Dryopem ferit eminus hasta
Sub mentum, graviter pressa, pariterque loquentis [ille
Vocem animamque rapit, trajecto gutture; at
Fronte ferit terram, et crassum vomit ore cruorem. 349
Tres quoque Threïcios Boreæ de gente suprema,
Et tres quos Idas pater et patria Ismara mittit,
Per varios sternit casus. Accurrit Halæsus,
Auruncæque manus; subit et Neptunia proles,
Insignis Messapus equis. Expellere tendunt
Nunc hi, nunc illi; certatur limine in ipso 355
Ausoniæ. Magno discordes æthere venti
Prælia ceu tollunt, animis et viribus æquis;
Non ipsi inter se, non nubila, non mare cedunt:
Anceps pugna diu; stant obnixi; omnia contra.
Haud aliter Trojanæ acies aciesque Latinæ 360
Concurrunt: hæret pede pes, densusque viro vir.
At parte ex alia, qua saxa rotantia late
Impulerat torrens arbustaque diruta ripis,
Arcadas, insuetos acies inferre pedestres,
Ut vidit Pallas Latio dare terga sequaci; 365
Aspera quîs natura loci dimittere quando
Suasit equos: unum quod rebus restat egenis,

Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris:
Quo fugitis, socii? per vos et fortia facta,
Per ducis Evandri nomen, devictaque bella, 370
Spemque meam, patriæ quæ nunc subit æmula laudi,
Fidite ne pedibus. Ferro rumpenda per hostes
Est via. Qua globus ille virûm densissimus urget:
Hac vos et Pallanta ducem patria alta reposcit.
Numina nulla premunt: mortali urgemur ab hoste 375
Mortales; totidem nobis animæque manusque.
Ecce, maris magna claudit nos objice pontus;
Deest jam terra fugæ: pelagus Trojamne petemus?
Hæc ait, et medius densos prorumpit in hostes.
Obvius huic primum, fatis adductus iniquis, 380
Fit Lagus: hunc, magno vellit dum pondere saxum,
Intorto figit telo, discrimina costis
Per medium qua spina dabat; hastamque receptat
Ossibus hærentem. Quem non super occupat Hisbo, [tem,
Ille quidem hoc sperans; nam Pallas ante ruen-
Dum furit, incautum crudeli morte sodalis, 386
Excipit, atque ensem tumido in pulmone recondit.
Hinc Sthenelum petit, et Rhœti de gente vetusta
Anchemolum, thalamos ausum incestare novercæ.
Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in arvis, 390
Daucia, Laride Thymberque, simillima proles,
Indiscreta suis gratusque parentibus error;
At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas:
Nam tibi, Thymbre, caput Evandrius abstulit ensis;
Te decisa suum, Laride, dextera quærit; 395
Semanimesque micant digiti, ferrumque retractant.
Arcadas accensos monitu, et præclara tuentes
Facta viri, mixtus dolor et pudor armat in hostes.
Tum Pallas bijugis fugientem Rhœtea præter 399
Trajicit. Hoc spatium tantumque moræ fuit Ilo;
Ilo namque procul validam direxerat hastam;
Quam medius Rhœteus intercipit, optime Teuthra,
Te fugiens, fratremque Tyren: curruque volutus,
Cædit semanimis Rutulorum calcibus arva.
Ac velut, optato ventis æstate coortis, 405
Dispersa immittit silvis incendia pastor;
Correptis subito mediis, extenditur una
Horrida per latos acies Vulcania campos;
Ille sedens victor flammas despectat ovantes:
Non aliter sociûm virtus coit omnis in unum, 410
Teque juvat, Palla. Sed bellis acer Halæsus
Tendit in adversos, seque in sua colligit arma.
Hic mactat Ladona, Pheretaque, Demodocumque;
Strymonio dextram fulgenti deripit ense
Elatam in jugulum; saxo ferit ora Thoantis, 415
Ossaque dispersit cerebro permixta cruento.
Fata canens silvis genitor celârat Halæsum;
Ut senior leto canentia lumina solvit:
Injecere manum Parcæ, telisque sacrârunt 419
Evandri. Quem sic Pallas petit ante precatus:
Da nunc, Tibri pater, ferro, quod missile libro,
Fortunam atque viam duri per pectus Halæsi.
Hæc arma exuviasque viri tua quercus habebit.
Audiit illa deus: dum texit Imaona Halæsus,
Arcadio infelix telo dat pectus inermum. 425
At non cæde viri tanta perterrita Lausus,
Pars ingens belli, sinit agmina: primus Abantem
Oppositum interimit, pugnæ nodumque moramque.
Sternitur Arcadiæ proles; sternuntur Etrusci;
Et vos, o Graiis imperdita corpora Teucri. 430
Agmina concurrunt ducibusque et viribus æquis.
Extremi addensant acies: nec turba moveri
Tela manusque sinit. Hinc Pallas instat et urget,
Hinc contra Lausus, nec multum discrepat ætas,
Egregii formæ; sed quîs Fortuna negârat 435
In patriam reditus. Ipsos concurrere passus
Haud tamen inter se magni regnator Olympi;
Mox illos sua fata manent majore sub hoste.
Interea soror alma monet succurrere Lauso
Turnum; qui volucri curru medium secat agmen.
Ut vidit socios; Tempus desistere pugnæ; 441
Solus ego in Pallanta feror; soli mihi Pallas
Debetur; cuperem ipse parens spectator adesset.
Hæc ait; et socii cesserunt æquore jusso. 444
At, Rutulûm abscessu, juvenis tum, jussa superba
Miratus, stupet in Turno, corpusque per ingens
Lumina volvit, obitque truci procul omnia visu.
Talibus et dictis it contra dicta tyranni:
Aut spoliis ego jam raptis laudabor opimis, 449
Aut leto insigni. Sorti pater æquus utrique est.
Tolle minas. Fatus medium procedit in æquor.
Frigidus Arcadibus coit in præcordia sanguis.
Desiluit Turnus bijugis; pedes apparat ire
Cominus. Utque leo, specula cum vidit ab alta
Stare procul campis meditantem in prœlia taurum, 455
Advolat; haud alia est Turni venientis imago.
Hunc ubi contiguum missæ fore credidit hastæ,
Ire prior Pallas, si qua fors adjuvet ausum
Viribus imparibus; magnumque ita ad æthera fatur:
Per patris hospitium, et mensas quas advena adisti, 460
Te precor, Alcide, cœptis ingentibus adsis;
Cernat semineci sibi me rapere arma cruenta,
Victoremque ferant morientia lumina Turni.
Audiit Alcides juvenem, magnumque sub imo
Corde premit gemitum, lacrymasque effudit inanes. 465
Tum genitor natum dictis affatur amicis:
Stat sua cuique dies; breve et irreparabile tempus
Omnibus est vitæ: sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. Trojæ sub mœnibus altis
Tot nati cecidere deûm; quin occidit una 470
Sarpedon, mea progenies. Etiam sua Turnum
Fata vocant, metasque dati pervenit ad ævi.
Sic ait, atque oculos Rutulorum rejicit arvis.
At Pallas magnis emittit viribus hastam,
[Vaginaque cava fulgentem deripit ensem.] 475
Illa volans, humeri surgunt qua tegmina summa,
Incidit, atque, viam clypei molita per oras,
Tandem etiam magno strinxit de corpore Turni.
Hic Turnus ferro præfixum robur acuto
In Pallanta diu librans jacit, atque ita fatur: 480
Adspice, num mage sit nostrum penetrabile telum.
Dixerat; at clypeum, tot ferri terga, tot æris,
Cum pellis toties obeat circumdata tauri,
Vibranti medium cuspis transverberat ictu,
Loricæque moras et pectus perforat ingens. 485
Ille rapit calidum frustra de vulnere telum;
Una eademque via sanguis animusque sequuntur.
Corruit in vulnus; sonitum super arma dedere;
Et terram hostilem moriens petit ore cruento.
Quem Turnus super assistens: 490
Arcades, hæc, inquit, memores mea dicta referte
Evandro: qualem meruit, Pallanta remitto.

Quisquis honos tumuli, quicquid solamen humandi est,
Largior. Haud illi stabunt Æneïa parvo
Hospitia. Et lævo pressit pede, talia fatus, 495
Exanimem, rapiens immania pondera baltei,
Impressumque nefas: una sub nocte jugali
Cæsa manus juvenum fœde, thalamique cruenti;
Quæ Clonus Eurytides multo cælaverat auro:
Quo nunc Turnus ovat spolio gaudetque potitus.
Nescia mens hominum fati sortisque futuræ, 501
Et servare modum, rebus sublata secundis.
Turno tempus erit, magno cum optaverit emtum
Intactum Pallanta, et cum spolia ista diemque
Oderit. At socii multo gemitu lacrymisque 505
Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.
O dolor atque decus magnum rediture parenti;
Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert:
Cum tamen ingentes Rutulorum linquis acervos.
Nec jam fama mali tanti, sed certior auctor
Advolat Æneæ, tenui discrimine leti 511
Esse suos; tempus versis succurrere Teucris.
Proxima quæque metit gladio, latumque per agmen
Ardens limitem agit ferro; te, Turne, superbum
Cæde nova quærens. Pallas, Evander, in ipsis
Omnia sunt oculis; mensæ quas advena primas
Tunc adiit, dextræque datæ. Sulmone creatos
Quatuor hic juvenes; totidem quos educat Ufens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas. 520
Inde Mago procul infensam contenderat hastam:
Ille astu subit; at tremebunda supervolat hasta;
Et genua amplectens affatur talia supplex:
Per patrios Manes, per spes surgentis Iuli,
Te precor, hanc animam serves natoque patrique. 525
Est domus alta; jacent penitus defossa talenta
Cælati argenti; sunt auri pondera facti
Infectique mihi. Non hic victoria Teucrûm
Vertitur, aut anima una dabit discrimina tanta.
Dixerat: Æneas contra cui talia reddit: 530
Argenti atque auri memoras quæ multa talenta,
Natis parce tuis. Belli commercia Turnus
Sustulit ista prior jam tum Pallante peremto.
Hoc patris Anchisæ Manes, hoc sentit Iulus.
Sic fatus, galeam læva tenet, atque reflexa 535
Cervice orantis capulo tenus applicat ensem.
Nec procul Hæmonides, Phœbi Triviæque sacerdos,
Infula cui sacra redimibat tempora vitta,
Totus collucens veste atque insignibus armis:
Quem congressus agit campo, lapsumque superstans 540
Immolat, ingentique umbra tegit; arma Serestus
Lecta refert humeris, tibi, rex Gradive, tropæum.
Instaurant acies Vulcani stirpe creatus
Cæculus et veniens Marsorum montibus Umbro.
Dardanides contra furit. Anxuris ense sinistram
Et totum clypei ferro dejecerat orbem; 546
Dixerat ille aliquid magnum, vimque affore verbo
Crediderat, cœloque animum fortasse ferebat,
Canitiemque sibi et longos promiserat annos.
Tarquitus exsultans contra fulgentibus armis, 550
Sylvicolæ Fauno Dryope quem nympha creârat,
Obvius ardenti sese obtulit. Ille reducta
Loricam clypeique ingens onus impedit hasta.
Tum caput orantis nequicquam, et multa parantis
Dicere, deturbat terræ; truncumque tepentem
Provolvens, super hæc inimico pectore fatur:
Istic nunc, metuende, jace. Non te optima mater
Condet humi, patriove onerabit membra sepulcro:
Alitibus linquere feris; aut gurgite mersum
Unda feret, piscesque impasti vulnera lambent.
Protinus Antæum et Lucam, prima agmina Turni, 561
Persequitur, fortemque Numam, fulvumque Camertem,
Magnanimo Volscente satum, ditissimus agri
Qui fuit Ausonidûm, et tacitis regnavit Amyclis.
Ægæon qualis, centum cui brachia dicunt 565
Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribusque arsisse, Jovis cum fulmina contra
Tot paribus streperet clypeis, tot stringeret enses:
Sic toto Æneas desævit in æquore victor,
Ut semel intepuit mucro. Quin ecce Niphæi 570
Quadrijuges in equos adversaque pectora tendit:
Atque illi, longe gradientem et dira frementem
Ut videre, metu versi retroque ruentes
Effunduntque ducem, rapiuntque ad litora currus.
Interea bijugis infert se Lucagus albis 575
In medios, fraterque Liger; sed frater habenis
Flectit equos; strictum rotat acer Lucagus ensem.
Haud tulit Æneas tanto fervore furentes:
Irruit, adversaque ingens apparuit hasta.
Cui Liger: 580
Non Diomedis equos, nec currus cernis Achilli,
Aut Phrygiæ campos: nunc belli finis et ævi
His dabitur terris. Vesano talia late
Dicta volant Ligeri; sed non et Troïus heros
Dicta parat contra; jaculum nam torquet in hostem. 585
Lucagus ut pronus pendens in verbera telo
Admonuit bijugos; projecto dum pede lævo
Aptat se pugnæ; subit oras hasta per imas
Fulgentis clypei, tum lævum perforat inguen.
Excussus curru moribundus volvitur arvis. 590
Quem pius Æneas dictis affatur amaris:
Lucage, nulla tuos currus fuga segnis equorum
Prodidit, aut vanæ vertere ex hostibus umbræ;
Ipse rotis saliens juga deseris. Hæc ita fatus
Arripuit bijugos. Frater tendebat inermes 595
Infelix palmas, curru delapsus eodem:
Per te, per qui te talem genuere parentes,
Vir Trojane, sine hanc animam, et miserere precantis.
Pluribus oranti Æneas: Haud talia dudum 599
Dicta dabas. Morere, et fratrem ne desere frater.
Tum latebras animæ pectus mucrone recludit.
Talia per campos edebat funera ductor
Dardanius, torrentis aquæ vel turbinis atri
More furens. Tandem erumpunt, et castra relinquunt 604
Ascanius puer et nequicquam obsessa juventus.
Junonem interea compellat Jupiter ultro:
O germana mihi atque eadem gratissima conjux,
Ut rebare, Venus (nec te sententia fallit)
Trojanas sustentat opes; non vivida bello 609
Dextra viris, animusque ferox, patiensque pericli.
Cui Juno submissa: Quid, o pulcherrime conjux,
Sollicitas ægram, et tua tristia dicta timentem?
Si mihi, quæ quondam fuerat, quamque esse decebat,
Vis in amore foret: non hoc mihi namque negares, 614
Omnipotens, quin et pugnæ subducere Turnum,
Et Dauno possem incolumem servare parenti.
Nunc pereat, Teucrisque pio det sanguine pœnas.
Ille tamen nostra deducit origine nomen,

Pilumnusque illi quartus pater; et tua larga
Sæpe manu multisque oneravit limina donis. 620
Cui rex ætherii breviter sic fatur Olympi:
Si mora præsentis leti tempusque caduco
Oratur juveni, meque hoc ita ponere sentis,
Tolle fuga Turnum, atque instantibus eripe fatis.
Hactenus indulsisse vacat. Sin altior istis 625
Sub precibus venia ulla latet, totumque moveri
Mutarive putas bellum, spes pascis inanes.
Et Juno allacrymans: Quid si, quod voce gravaris, 628
Mente dares; atque hæc Turno rata vita maneret! [veri
Nunc manet insontem gravis exitus; aut ego
Vana feror. Quod ut o potius formidine falsa
Ludar, et in melius tua, qui potes, orsa reflectas!
Hæc ubi dicta dedit, cœlo se protenus alto
Misit, agens hiemem nimbo succincta per auras;
Iliacamque aciem et Laurentia castra petivit. 635
Tum dea nube cava tenuem sine viribus umbram
In faciem Æneæ (visum mirabile monstrum)
Dardaniis ornat telis; clypeumque jubasque
Divini assimulat capitis; dat inania verba;
Dat sine mente sonum, gressusque effingit euntis:
Morte obita quales fama est volitare figuras, 641
Aut quæ sopitos deludunt somnia sensus.
At primas læta ante acies exsultat imago,
Irritatque virum telis, et voce lacessit.
Instat cui Turnus, stridentemque eminus hastam
Conjicit; illa dato vertit vestigia tergo. 646
Tum vero, Ænean aversum ut cedere Turnus
Credidit, atque animo spem turbidus hausit inanem:
Quo fugis, Ænea? thalamos ne desere pactos:
Hac dabitur dextra tellus quæsita per undas. 650
Talia vociferans sequitur, strictumque coruscat
Mucronem; nec ferre videt sua gaudia ventos.
Forte ratis celsi conjuncta crepidine saxi
Expositis stabat scalis, et ponte parato;
Qua rex Clusinis advectus Osinius oris. 655
Huc sese trepida Æneæ fugientis imago
Conjicit in latebras: nec Turnus segnior instat,
Exsuperatque moras, et pontes transilit altos.
Vix proram attigerat, rumpit Saturnia funem,
Avulsamque rapit revoluta per æquora navem.
Illum autem Æneas absentem in prœlia poscit;
Obvia multa virûm demittit corpora morti. 662
Tum levis haud ultra latebras jam quærit imago,
Sed sublime volans nubi se immiscuit atræ:
Cum Turnum medio interea fert æquore turbo.
Respicit ignarus rerum, ingratusque salutis, 666
Et duplices cum voce manus ad sidera tendit:
Omnipotens genitor, tanton' me crimine dignum
Duxisti, et tales voluisti expendere pœnas?
Quo feror? unde abii? quæ me fuga, quemve reducet? 670
Laurentesne iterum muros aut castra videbo?
Quid manus illa virûm, qui me meaque arma secuti?
Quosne (nefas) omnes infanda in morte reliqui?
Et nunc palantes video, gemitumque cadentum
Accipio. Quid ago? aut quæ jam satis ima dehiscat 675
Terra mihi? vos o potius miserescite, venti,
In rupes, in saxa—volens vos Turnus adoro—
Ferte ratem, sævisque vadis immittite Syrtis,
Quo neque me Rutuli, nec conscia fama sequatur.
Hæc memorans, animo nunc huc, nunc fluctuat illuc, 680
An sese mucrone ob tantum dedecus amens
Induat, et crudum per costas exigat ensem;
Fluctibus an jaciat mediis, et littora nando
Curva petat, Teucrûmque iterum se reddat in arma. 684
Ter conatus utramque viam: ter maxima Juno
Continuit, juvenemque animi miserata repressit.
Labitur alta secans fluctuque æstuque secundo:
Et patris antiquam Dauni defertur ad urbem.
At Jovis interea monitis Mezentius ardens 689
Succedit pugnæ, Teucrosque invadit ovantes.
Concurrunt Tyrrhenæ acies; atque omnibus uni,
Uni odiisque viro telisque frequentibus instant.
Ille—velut rupes, vastum quæ prodit in æquor,
Obvia ventorum furiis, expostaque ponto,
Vim cunctam atque minas perfert cœlique marisque, 695
Ipsa immota manens—prolem Dolichaonis Hebrum [fugacem;
Sternit humi, cum quo Latagum, Palmumque
Sed Latagum saxo atque ingenti fragmine montis
Occupat os faciemque adversam; poplite Palmum
Succiso volvi segnem sinit; armaque Lauso 700
Donat habere humeris, et vertice figere cristas.
Nec non Evanthen Phrygium, Paridisque Mimanta
Æqualem comitemque: una quem nocte Theano
In lucem genitori Amyco dedit, et face prægnans
Cisseis regina Parin: Paris urbe paterna 705
Occubat; ignarum Laurens habet ora Mimanta.
Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit, multosve palus Laurentia, silva 709
Pastus arundinea, postquam inter retia ventum est,
Substitit, infremuitque ferox, et inhorruit armos;
Nec cuiquam irasci propiusve accedere virtus;
Sed jaculis tutisque procul clamoribus instant;
Ille autem impavidus partes cunctatur in omnes,
Dentibus infrendens, et tergo decutit hastas. 715
Haud aliter, justæ quibus est Mezentius iræ,
Non ulli est animus stricto concurrere ferro;
Missilibus longe et vasto clamore lacessunt.
Venerat antiquis Corythi de finibus Acron,
Graius homo; infectos linquens profugus hymenæos: 720
Hunc ubi miscentem longe media agmina vidit,
Purpureum pennis et pactæ conjugis ostro,
Impastus stabula alta leo ceu sæpe peragrans
(Suadet enim vesana fames) si forte fugacem
Conspexit capream, aut surgentem in cornua cervum, 725
Gaudet hians immane, comasque arrexit, et hæret
Visceribus super incumbens, lavit improba teter
Ora cruor:
Sic ruit in densos alacer Mezentius hostes.
Sternitur infelix Acron, et calcibus atram 730
Tundit humum exspirans, infractaque tela cruentat.
Atque idem fugientem haud est dignatus Oroden
Sternere, nec jacta cæcum dare cuspide vulnus;
Obvius adversoque occurrit, seque viro vir 734
Contulit, haud furto melior, sed fortibus armis.
Tum super abjectum posito pede nixus et hasta:
Pars belli haud temnenda, viri, jacet altus Orodes.
Conclamant socii lætum pæana secuti.
Ille autem exspirans: Non me, quicunque es, inulto,
Victor, nec longum lætabere: te quoque fata 740
Prospectant paria, atque eadem mox arva tenebis.

Ad quem subridens mixta Mezentius ira:
Nunc morere: ast de me divûm pater atque hominum rex
Viderit. Hoc dicens eduxit corpore telum.
Olli dura quies oculos et ferreus urget 745
Somnus; in æternam clauduntur lumina noctem.
Cædicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaspen,
Partheniumque Rapo, et prædurum viribus Messapus Cloniumque, Lycaoniumque Ericeten;
Illum infrenis equi lapsu tellure jacentem: 750
Hunc peditem pedes. Et Lycius processerat Agis;
Quem tamen haud expers Valerus virtutis avitæ
Dejicit; at Thronium Salius, Saliumque Nealces,
Insignis jaculo et longe fallente sagitta.
Jam gravis æquabat luctus et mutua Mavors
Funera; cedebant pariter pariterque ruebant 756
Victores victique; neque his fuga nota, neque illis.
Dî Jovis in tectis iram miserantur inanem
Amborum, ut tantos mortalibus esse labores.
Hinc Venus, hinc contra spectat Saturnia Juno.
Pallida Tisiphone media inter millia sævit. 761
At vero ingentem quatiens Mezentius hastam
Turbidus ingreditur campo. Quam magnus Orion,
Cum pedes incedit medii per maxima Nerei
Stagna viam scindens, humero supereminet undas; 765
Aut summis referens annosam montibus ornum,
Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit:
Talis se vastis infert Mezentius armis.
Huic contra Æneas, speculatus in agmine longo,
Obvius ire parat. Manet imperterritus ille, 770
Hostem magnanimum opperiens, et mole sua stat,
Atque oculis spatium emensus, quantum satis hastæ,
Dextra mihi deus, et telum, quod missile libro,
Nunc adsint; voveo prædonis corpore raptis
Indutum spoliis ipsum te, Lause, tropæum 775
Æneæ. Dixit, stridentemque eminus hastam
Injicit; illa volans clypeo est excussa, proculque
Egregium Antoren latus inter et ilia figit;
Herculis Antoren comitem, qui missus ab Argis
Hæserat Evandro, atque Itala consederat urbe.
Sternitur infelix alieno vulnere, cœlumque 781
Adspicit, et dulces moriens reminiscitur Argos.
Tum pius Æneas hastam jacit: illa per orbem
Ære cavum triplici, per linea terga, tribusque
Transiit intextum tauris opus, imaque sedit 785
Inguine; sed vires haud pertulit. Ocius ensem
Æneas, viso Tyrrheni sanguine lætus,
Eripit a femine, et trepidanti fervidus instat.
Ingemuit cari graviter genitoris amore,
Ut vidit, Lausus, lacrymæque per ora volutæ.
Hic mortis duræ casum, tuaque optima facta, 791
Si qua fidem tanto est operi latura vetustas,
Non equidem, nec te, juvenis memorande, silebo.
Ille pedem referens, et inutilis, inque ligatus
Cedebat, clypeoque inimicum hastile trahebat.
Prorupit juvenis, seseque immiscuit armis; 796
Jamque assurgentis dextra plagamque ferentis
Æneæ subiit mucronem, ipsumque morando
Sustinuit; socii magno clamore sequuntur:
Dum genitor nati parma protectus abiret; 800
Telaque conjiciunt, proturbantque eminus hostem
Missilibus. Furit Æneas, tectusque tenet se.
Ac velut, effusa si quando grandine nimbi
Præcipitant, omnis campis diffugit arator,
Omnis et agricola, et tua latet arce viator, 805
Aut amnis ripis, aut alti fornice saxi,
Dum pluit in terris; ut possint, sole reducto,
Exercere diem: sic obrutus undique telis
Æneas nubem belli, dum detonet, omnem
Sustinet, et Lausum increpitat, Lausoque minatur: 810
Quo moriture ruis, majoraque viribus audes?
Fallit te incautum pietas tua. Nec minus ille
Exsultat demens: sævæ jamque altius iræ
Dardanio surgunt ductori, extremaque Lauso
Parcæ fila legunt: validum namque exigit ensem
Per medium Æneas juvenem, totumque recondit; 816
Transiit et parmam mucro, levia arma minacis,
Et tunicam, molli mater quam neverat auro;
Implevitque sinum sanguis: tum vita per auras
Concessit mæsta ad Manes, corpusque reliquit.
At vero ut vultum vidit morientis et ora, 821
Ora modis Anchisiades pallentia miris,
Ingemuit miserans graviter, dextramque tetendit,
Et mentem patriæ strinxit pietatis imago.
Quid tibi nunc, miserande puer, pro laudibus istis, 825
Quid pius Æneas tanta dabit indole dignum?
Arma, quibus lætatus, habe tua: teque parentum
Manibus et cineri, si qua est ea cura, remitto.
Hoc tamen infelix miseram solabere mortem;
Æneæ magni dextra cadis. Increpat ultro 830
Cunctantes socios, et terra sublevat ipsum,
Sanguine turpantem comtos de more capillos.
Interea genitor Tiberini ad fluminis undam
Vulnera siccabat lymphis, corpusque levabat
Arboris acclinis trunco. Procul ærea ramis 835
Dependet galea, et prato gravia arma quiescunt.
Stant lecti circum juvenes; ipse æger, anhelans,
Colla fovet, fusus propexam in pectore barbam;
Multa super Lauso rogitat, multumque remittit,
Qui revocent, mæstique ferant mandata parentis.
At Lausum socii exanimem super arma ferebant
Flentes, ingentem atque ingenti vulnere victum.
Agnovit longe gemitum præsaga mali mens.
Canitiem multo deformat pulvere, et ambas
Ad cœlum tendit palmas, et corpore inhæret. 845
Tantane me tenuit vivendi, nate, voluptas,
Ut pro me hostili paterer succedere dextræ
Quem genui? Tuane hæc genitor per vulnera servor,
Morte tua vivens? Heu, nunc misero mihi demum
Exilium infelix! nunc alte vulnus adactum! 850
Idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen,
Pulsus ob invidiam solio sceptrisque paternis.
Debueram patriæ pœnas odiisque meorum:
Omnes per mortes animam sontem ipse dedissem.
Nunc vivo! neque adhuc homines lucemque relinquo!
Sed linquam. Simul hoc dicens attollit in
Se femur; et, quanquam vis alto vulnere tardat,
Haud dejectus, equum duci jubet. Hoc decus illi,
Hoc solamen erat; bellis hoc victor abibat 859
Omnibus. Alloquitur mærentem, et talibus infit:
Rhœbe, diu—res si qua diu mortalibus ulla est—
Viximus. Aut hodie victor spolia illa cruenta
Et caput Æneæ referes, Lausique dolorum
Ultor eris mecum; aut, aperit si nulla viam vis,
Occumbes pariter. Neque enim, fortissime, credo, 865
Jussa aliena pati et dominos dignabere Teucros.
Dixit, et exceptus tergo consueta locavit
Membra, manusque ambas jaculis oneravit acu-

Ære caput fulgens, cristaque hirsutus equina.
Sic cursum in medios rapidus dedit; æstuat ingens 870
Uno in corde pudor, mixtoque insania luctu:
[Et furiis agitatus amor, et conscia virtus:]
Atque hic Ænean magna ter voce vocavit.
Æneas agnovit enim, lætusque precatur:
Sic pater ille deûm faciat, sic altus Apollo, 875
Incipias conferre manum.
Tantum effatus, et infesta subit obvius hasta.
Ille autem: Quid me, erepto, sævissime, nato,
Terres? hæc via sola fuit, qua perdere posses. 879
Nec mortem horremus, nec divûm parcimus ulli.
Desine. Jam venio moriturus, et hæc tibi porto
Dona prius. Dixit, telumque intorsit in hostem;
Inde aliud super atque aliud figitque, volatque
Ingenti gyro: sed sustinet aureus umbo.
Ter circum adstantem lævos equitavit in orbes,
Tela manu jaciens; ter secum Troïus heros 886
Immanem ærato circumfert tegmine silvam.
Inde ubi tot traxisse moras, tot spicula tædet
Vellere, et urgetur pugna congressus iniqua,
Multa movens animo, jam tandem erumpit, et inter
Bellatoris equi cava tempora conjicit hastam.
Tollit se arrectum quadrupes, et calcibus auras
Verberat, effusumque equitem super ipse secutus
Implicat, ejectoque incumbit cernuus armo.
Clamore incendunt cœlum Troësque Latinique.
Advolat Æneas, vaginaque eripit ensem; 896
Et super hæc: Ubi nunc Mezentius acer, et illa
Effera vis animi? Contra Tyrrhenus, ut auras
Suspiciens hausit cœlum, mentemque recepit,
Hostis amare, quid increpitas, mortemque minaris? 900
Nullum in cæde nefas: nec sic ad prælia veni;
Nec tecum meus hæc pepigit mihi fœdera Lausus.
Unum hoc, per, si qua est victis venia hostibus, oro;
Corpus humo patiare tegi. Scio acerba meorum
Circumstare odia: hunc, oro defende furorem;
Et me consortem nati concede sepulchro.
Hæc loquitur; juguloque haud inscius accipit ensem, 907
Undantique animam diffundit in arma cruore.

LIBER UNDECIMUS.

Oceanum interea surgens Aurora reliquit. [dis
Æneas, quanquam et sociis dare tempus humanPræcipitant curæ, turbataque funere mens est:
Vota deûm primo victor solvebat Eoo.
Ingentem quercum decisis undique ramis 5
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti ducis exuvias, tibi, magne, tropæum,
Bellipotens: aptat rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca viri, et bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis; clypeumque ex ære sinistræ 10
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.
Tum socios, namque omnis eum stipata tegebat
Turba ducum, sic incipiens hortatur ovantes:
Maxima res effecta, viri; timor omnis abesto,
Quod superest; hæc sunt spolia, et de rege superbo 16
Primitiæ; manibusque meis Mezentius hic est.
Nunc iter ad regem nobis murosque Latinos.
Arma parate, animis et spe præsumite bellum;
Ne qua mora ignaros, ubi primum vellere signa
Annuerint superi, pubemque educere castris, 20
Impediat, segnisve metu sententia tardet.
Interea socios inhumataque corpora terræ [est.
Mandemus: qui solus honos Acheronte sub imo
Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
Muneribus; mæstamque Evandri primus ad urbem 26
Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem,
Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo.
Sic ait illacrymans, recipitque ad limina gressum;
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Accœtes
Servabat senior, qui Parrhasio Evandro 31
Armiger ante fuit; sed non felicibus æque
Tum comes auspiciis caro datus ibat alumno.
Circum omnis, famulûmque manus, Trojanaque turba,
Et mæstum Iliades crinem de more solutæ. 35
Ut vero Æneas foribus sese intulit altis,
Ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt
Pectoribus, mæstoque immugit regia luctu.
Ipse, caput nivei fultum Pallantis et ora
Ut vidit, lævique patens in pectore vulnus 40
Cuspidis Ausoniæ, lacrymis ita fatur obortis:
Tene, inquit, miserande puer, cum læta veniret,
Invidit Fortuna mihi, ne regna videres
Nostra, neque ad sedes victor veherere paternas?
Non hæc Evandro de te promissa parenti 45
Discedens dederam; cum me complexus euntem
Mitteret in magnum imperium, metuensque moneret
Acres esse viros, cum dura prælia gente.
Et nunc ille quidem spe multum captus inani
Fors et vota facit, cumulatque altaria donis: 50
Nos juvenem exanimum, et nil jam cœlestibus ullis
Debentem, vano mæsti comitamur honore.
Infelix, nati funus crudele videbis!
Hi nostri reditus, exspectatique triumphi?
Hæc mea magna fides? At non, Evandre, pudendis 55
Vulneribus pulsum adspicies; nec sospite dirum
Optabis nato funus pater. Hei mihi, quantum
Præsidium Ausonia, et quantum tu perdis, Iule!
Hæc ubi deflevit, tolli miserabile corpus
Imperat, et toto lectos ex agmine mittit 60
Mille viros, qui supremum comitentur honorem,
Intersintque patris lacrymis, solatia luctus
Exigua ingentis, misero sed debita patri.
Haud segnes alii crates et molle feretrum
Arbuteis texunt virgis et vimine querno, 65
Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant.
Hic juvenem agresti sublimem stramine ponunt:
Qualem virgineo demessum pollice florem,
Seu mollis violæ, seu languentis hyacinthi,
Cui neque fulgor adhuc, nec dum sua forma recessit; 70
Non jam mater alit tellus, viresque ministrat.
Tunc geminas vestes, auroque ostroque rigentes,
Extulit Æneas: quas illi læta laborum
Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, et tenui telas discreverat auro: 75

Harum unam juveni supremum mæstus honorem
Induit, arsurasque comas obnubit amictu;
Multaque præterea Laurentis præmia pugnæ
Aggerat, et longo prædam jubet ordine duci. 79
Addit equos, et tela, quibus spoliaverat hostem.
Vinxerat et post terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, cæso sparsuros sanguine flammam;
Indutosque jubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi.
Ducitur infelix ævo confectus Acœtes, 85
Pectora nunc fœdans pugnis, nunc unguibus ora;
Sternitur et toto projectus corpore terræ.
Ducunt et Rutulo perfusos sanguine currus.
Post bellator equus, positis insignibus, Æthon
It lacrymans, guttisque humectat grandibus ora.
Hastam alii galeamque ferunt; nam cætera Turnus 91
Victor habet. Tum mæsta phalanx, Teucrique sequuntur,
Tyrrhenique duces, et versis Arcades armis.
Postquam omnis longe comitum processerat ordo,
Substitit Æneas, gemituque hæc addidit alto: 95
Nos alias hinc ad lacrymas eadem horrida belli
Fata vocant. Salve æternum mihi, maxime Palla,
Æternumque vale. Nec plura effatus, ad altos
Tendebat muros, gressumque in castra ferebat.
Jamque oratores aderant ex urbe Latina, 100
Velati ramis oleæ, veniamque rogantes,
Corpora, per campos ferro quæ fusa jacebant,
Redderet, ac tumulo sineret succedere terræ:
Nullum cum victis certamen et æthere cassis: 104
Parceret hospitibus quondam socerisque vocatis.
Quos bonus Æneas haud aspernanda precantes
Prosequitur venia, et verbis hæc insuper addit:
Quænam vos tanto fortuna indigna, Latini,
Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos?
Pacem me exanimis et Martis sorte peremtis 110
Oratis? equidem et vivis concedere vellem.
Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent;
Nec bellum cum gente gero: rex nostra reliquit
Hospitia, et Turni potius se credidit armis.
Æquius huic Turnum fuerat se opponere morti,
Si bellum finire manu, si pellere Teucros 116
Apparat, his mecum decuit concurrere telis;
Vixet, cui vitam Deus aut sua dextra dedisset.
Nunc ite, et miseris supponite civibus ignem.
Dixerat Æneas. Olli obstupuere silentes; 120
Conversique oculos inter se atque ora tenebant.
Tum senior, semperque odiis et crimine Drances
Infensus juveni Turno, sic ore vicissim
Orsa refert: O fama ingens, ingentior armis,
Vir Trojane, quibus cœlo te laudibus æquem?
Justitiæne prius mirer, belline laborum? 126
Nos vero hæc patriam grati referemus ad urbem;
Et te, si qua viam dederit fortuna, Latino
Jungemus regi. Quærat sibi fœdera Turnus.
Quin et fatales murorum attollere moles, 130
Saxaque subvectare humeris Trojana, juvabit.
Dixerat hæc, unoque omnes eadem ore fremebant.
Bis senos pepigere dies, et, pace sequestra,
Per sylvas Teucri, mixtique impune Latini,
Erravere jugis. Ferro sonat icta bipenni 135
Fraxinus; evertunt actas ad sidera pinus;
Robora nec cuneis et olentem scindere cedrum,
Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.
Et jam Fama volans, tanti prænuntia luctus,
Evandrum Evandrique domos et mœnia complet,
Quæ modo victorem Latio Pallanta ferebat. 141
Arcades ad portas ruere, et de more vetusto
Funereas rapuere faces. Lucet via longo
Ordine flammarum, et late discriminat agros.
Contra turba Phrygum veniens plangentia jungunt 145
Agmina. Quæ postquam matres succedere tectis
Viderunt, mæstam incendunt clamoribus urbem.
At non Evandrum potis est vis ulla tenere;
Sed venit in medios. Feretro Pallanta reposto
Procubuit super, atque hæret lacrymansque gemensque; 150
Et via vix tandem voci laxata dolore est:
Non hæc, o Palla, dederas promissa parenti.
Cautius ut sævo velles te credere Marti.
Haud ignarus eram, quantum nova gloria in armis,
Et prædulce decus primo certamine posset. 155
Primitiæ juvenis miseræ! bellique propinqui
Dura rudimenta! et nulli exaudita deorum
Vota precesque meæ! tuque, o sanctissima conjux, [rem!
Felix morte tua, neque in hunc servata dolo-
Contra ego vivendo vici mea fata, superstes 160
Restarem ut genitor. Troum socia arma secutum
Obruerent Rutuli telis! animam ipse dedissem,
Atque hæc pompa domum me, non Pallanta, referret!
Nec vos arguerim, Teucri, nec fœdera, nec quas
Junximus hospitio dextras: sors ista senectæ 165
Debita erat nostræ. Quod si immatura manebat
Mors natum, cæsis Volscorum millibus ante,
Ducentem in Latium Teucros cecidisse, juvabit.
Quin ego non alio digner te funere, Palla,
Quam pius Æneas, et quam magni Phryges, et quam 170
Tyrrhenique duces, Tyrrhenûm exercitus omnis.
Magna tropæa ferunt, quos dat tua dextera leto.
Tu quoque nunc stares immanis truncus in armis,
Esset par ætas, et idem si robur ab annis, 174
Turne. Sed infelix Teucros quid demoror armis,
Vadite, et hæc memores regi mandata referte:
Quod vitam moror invisam, Pallante peremto,
Dextera causa tua est; Turnum natoque patrique
Quam debere vides. Meritis vacat hic tibi solus
Fortunæque locus. Non vitæ gaudia quæro; 180
Nec fas; sed nato Manes perferre sub imos.
Aurora interea miseris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera atque labores.
Jam pater Æneas, jam curvo in littore Tarcho
Constituere pyras. Huc corpora quisque suorum
More tulere patrum; subjectisque ignibus atris
Conditur in tenebras altum caligine cœlum.
Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos; ter mœstum funeris ignem
Lustravere in equis; ululatusque ore dedere. 190
Spargitur et tellus lacrymis, sparguntur et arma.
It cœlo clamorque virûm clangorque tubarum.
Hinc alii spolia occisis derepta Latinis
Conjiciunt igni, galeas, ensesque decoros,
Frenaque, ferventesque rotas; pars munera nota,
Ipsorum clypeos, et non felicia tela. 196
Multa boum circa mactantur corpora Morti;
Setigerosque sues raptasque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes. Tum littore toto
Ardentes spectant socios, semiustaque servant
Busta; neque avelli possunt; nox humida donec
Invertit cœlum stellis fulgentibus aptum. 202
Nec minus et miseri diversa in parte Latini
Innumeras struxere pyras, et corpora partim

Multa virûm terræ infodiunt, avectaque partim
Finitimos tollunt in agros, urbique remittunt; 206
Cætera, confusæque ingentem cædis acervum,
Nec numero nec honore cremant. Tunc undique vasti
Certatim crebris collucent ignibus agri.
Tertia lux gelidam cœlo dimoverat umbram;
Mærentes altum cinerem et confusa ruebant 211
Ossa focis, tepidoque onerabant aggere terræ.
Jam vero in tectis, prædivitis urbe Latini,
Præcipuus fragor, et longi pars maxima luctus.
Hic matres, miseræque nurus, hic cara sororum
Pectora mærentum, puerique parentibus orbi,
Dirum exsecrantur bellum, Turnique hymenæos;
Ipsum armis, ipsumque jubent decernere ferro,
Qui regnum Italiæ et primos sibi poscat honores.
Ingravat hæc sævus Drances, solumque vocari
Testatur, solum posci in certamina Turnum. 221
Multa simul contra variis sententia dictis
Pro Turno; et magnum reginæ nomen obumbrat;
Multa virum meritis sustentat fama tropæis.
Hos inter motus, medio in flagrante tumultu,
Ecce super mæsti magna Diomedis ab urbe 226
Legati responsa ferunt; nihil omnibus actum
Tantorum impensis operum: nil dona neque aurum,
Nec magnas valuisse preces; alia arma Latinis
Quærenda, aut pacem Trojano ab rege petendam.
Deficit ingenti luctu rex ipse Latinus. 231
Fatalem Ænean manifesto numine ferri
Admonet ira deûm, tumulique ante ora recentes.
Ergo concilium magnum, primosque suorum
Imperio accitos, alta intra limina cogit. 235
Olli convenere, fluuntque ad regia plenis
Tecta viis. Sedet in mediis et maximus ævo,
Et primus sceptris, haud læta fronte, Latinus.
Atque hic legatos Ætola ex urbe remissos,
Quæ referant, fari jubet, et responsa reposcit
Ordine cuncta suo. Tum facta silentia linguis,
Et Venulus dicto parens ita farier infit:
Vidimus, o cives, Diomede Argivaque castra;
Atque iter emensi casus superavimus omnes; 244
Contigimusque manum, qua concidit Ilia tellus.
Ille urbem Argyripam, patriæ cognomine gentis,
Victor Gargani condebat Iapygis arvis.
Postquam introgressi, et coram data copia fandi,
Munera præferimus, nomen patriamque docemus; [pos.
Qui bellum intulerint, quæ causa attraxerit Ar-
Auditis ille hæc placido sit reddidit ore: 251
O fortunatæ gentes, Saturnia regna,
Antiqui Ausonii, quæ vos fortuna quietos
Sollicitat, suadetque ignota lacessere bella?
Quicunque Iliacos ferro violavimus agros [altis,
—Mitto ea, quæ muris bellando exhausta sub
Quos Simois premat ille viros—infanda per orbem
Supplicia et scelerum pœnas expendimus omnes;
Vel Priamo miseranda manus. Scit triste Minervæ
Sidus, et Euboicæ cautes, ultorque Caphereus.
Militia ex illa diversum ad littus adacti, 261
Atrides Protei Menelaus ad usque columnas
Exulat; Ætnæos vidit Cyclopas Ulixes.
Regna Neoptolemi referam, versosque penates
Idomenei? Libycone habitantes littore Locros?
Ipse Mycenæus magnorum ductor Achivûm 266
Conjugis infandæ prima intra limina dextra
Oppetiit; devictam Asiam subsedit adulter.
Invidisse deos, patriis ut redditus aris
Conjugium optatum et pulchram Calydona viderem! 270
Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur,
Et socii amissi petierunt æthera pennis,
Fluminibusque vagantur aves, (heu dira meorum
Supplicia!) et scopulos lacrymosis vocibus implent.
Hæc adeo ex illo mihi jam speranda fuerunt 275
Tempore, cum ferro cœlestia corpora demens
Appetii, et Veneris violavi vulnere dextram.
Ne vero, ne me ad tales impellite pugnas.
Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum
Pergama; nec veterum memini lætorve malorum.
Munera, quæ patriis ad me portatis ab oris, 281
Vertite ad Ænean. Stetimus tela aspera contra,
Contulimusque manus: experto credite, quantus
In clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastam.
Si duo præterea tales Idæa tulisset 285
Terra viros: ultro Inachias venisset ad urbes
Dardanus, et versis lugeret Græcia fatis.
Quicquid apud duræ cessatum est mœnia Trojæ,
Hectoris Æneæque manu victoria Graiûm
Hæsit, et in decumum vestigia rettulit annum.
Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis;
Hic pietate prior. Coëant in fœdera dextræ,
Qua datur; ast, armis concurrant arma, cavete.
Et responsa simul quæ sint, rex optime, regis
Audisti, et quæ sit magno sententia bello. 295
Vix ea legati; variusque per ora cucurrit
Ausonidûm turbata fremor: ceu, saxa morantur
Cum rapidos amnes, fit clauso gurgite murmur,
Vicinæque fremunt ripæ crepitantibus undis.
Ut primum placati animi, et trepida ora quierunt, 300
Præfatus Divos, solio rex infit ab alto:
Ante equidem summa de re statuisse, Latini,
Et vellem, et fuerat melius; non tempore tali
Cogere concilium, cum muros assidet hostis.
Bellum importunum, cives, cum gente deorum
Invictisque viris gerimus, quos nulla fatigant 306
Prælia, nec victi possunt absistere ferro. [mis,
Spem, si quam adscitis Ætolûm habuistis in ar-
Ponite. Spes sibi quisque. Sed hæc quam angusta videtis.
Cætera qua rerum jaceant perculsa ruina, 310
Ante oculos interque manus sunt omnia vestras.
Nec quenquam incuso. Potuit quæ plurima virtus
Esse, fuit. Toto certatum est corpore regni.
Nunc adeo, quæ sit dubiæ sententia menti, 314
Expediam, et paucis (animos adhibete) docebo.
Est antiquus ager Tusco mihi proximus amni,
Longus, in occasum, fines super usque Sicanos;
Aurunci Rutulique serunt, et vomere duros
Exercent colles, atque horum asperrima pascunt.
Hæc omnis regio, et celsi plaga pinea montis,
Cedat amicitiæ Teucrorum; et fœderis æquas
Dicamus leges, sociosque in regna vocemus:
Considant, si tantus amor, et mœnia condant.
Sin alios fines aliamque capessere gentem 324
Est animus, poscuntque solo decedere nostro,
Bis denas Italo texamus robore naves, [dam
Seu plures complere valent: jacet omnis ad un-
Materies: ipsi numerumque modumque carinis
Præcipiant; nos æra, manus, navalia demus.
Præterea, qui dicta ferant, et fœdera firment,
Centum oratores prima de gente Latinos
Ire placet, pacisque manu prætendere ramos;
Munera portantes aurique eborisque talenta,
Et sellam regni trabeamque insignia nostri. 334

Consulite in medium, et rebus succurrite fessis.
Tum Drances idem infensus, quem gloria Turni
Obliqua invidia stimulisque agitabat amaris,
Largus opum, et lingua melior, sed frigida bello
Dextera, consiliis habitus non futilis auctor, 339
Seditione potens—genus huic materna superbum
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat—
Surgit, et his onerat dictis atque aggerat iras:
Rem nulli obscuram, nostræ nec vocis egentem,
Consulis, o bone rex. Cuncti se scire fatentur,
Quid fortuna ferat populi; sed dicere mussant.
Det libertatem fandi, flatusque remittat, 346
Cujus ob auspicium infaustum moresque sinistros
—Dicam equidem, licet arma mihi mortemque minetur—
Lumina tot cecidisse ducum, totamque videmus
Consedisse urbem luctu; dum Troia tentat 350
Castra, fugæ fidens, et cœlum territat armis.
Unum etiam donis istis, quæ plurima mitti
Dardanidis dicique jubes, unum, optime regum,
Adjicias; nec te ullius violentia vincat, 354
Quin natam egregio genero dignisque hymenæis
Des, pater, et pacem hanc æterno fœdere jungas.
Quod si tantus habet mentes et pectora terror:
Ipsum obtestemur, veniamque oremus ab ipso,
Cedat, jus proprium regi patriæque remittat.
Quid miseros toties in aperta pericula cives 360
Projicis, o Latio caput horum et causa malorum?
Nulla salus bello: pacem te poscimus omnes,
Turne; simul pacis solum inviolabile pignus.
Primus ego, invisum quem tu tibi fingis, et esse
Nil moror, en supplex venio. Miserere tuorum,
Pone animos, et pulsus abi. Sat funera fusi 366
Vidimus, ingentes et desolavimus agros.
Aut, si fama movet, si tantum pectore robur
Concipis, et si adeo dotalis regia cordi est,
Aude, atque adversum fidens fer pectus in hostem. 370
Scilicet, ut Turno contingat regia conjux,
Nos, animæ viles, inhumata infletaque turba,
Sternamur campis. Et jam tu, si qua tibi vis,
Si patrii quid Martis habes, illum adspice contra,
Qui vocat. 375
Talibus exarsit dictis violentia Turni;
Dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces:
Larga quidem, Drance, semper tibi copia fandi
Tum, cum bella manus poscunt: patribusque vocatis 379
Primus ades. Sed non replenda est curia verbis,
Quæ tuto tibi magna volant, dum distinet hostem
Agger mœrorum, nec inundant sanguine fossæ.
Proinde tona eloquio—solitum tibi—meque timoris
Argue tu, Drance; quando tot stragis acervos
Teucrorum tua dextra dedit, passimque tropæis
Insignis agros. Possit quid vivida virtus, 386
Experiare licet; nec longe scilicet hostes
Quærendi nobis: circumstant undique muros.
Imus in adversos? quid cessas? an tibi Mavors
Ventosa in lingua pedibusque fugacibus istis 390
Semper erit?
Pulsus ego? aut quisquam merito, fœdissime, pulsum
Arguet, Iliaco tumidum qui crescere Tibrim
Sanguine, et Evandri totam cum stirpe videbit
Procubuisse domum, atque exutos Arcadas armis? 395
Haud ita me experti Bitias et Pandarus ingens,
Et quos mille die victor sub Tartara misi,
Inclusus muris, hostilique aggere septus.
Nulla salus bello. Capiti cane talia demens 399
Dardanio, rebusque tuis. Proinde omnia magno
Ne cessa turbare metu, atque extollere vires
Gentis bis victæ; contra premere arma Latini.
Nunc et Myrmidonum proceres Phrygia arma tremiscunt; 403
Nunc et Tydides, et Larissæus Achilles;
Amnis et Hadriacas retro fugit Aufidus undas.
Vel cum se pavidum contra mea jurgia fingit
Artificis scelus, et formidine crimen acerbat. 407
Nunquam animam talem dextra hac (absiste moveri)
Amittes; habitet tecum, et sit pectore in isto.
Nunc ad te, et tua magna, pater, consulta revertor.
Si nullam nostris ultra spem ponis in armis; 411
Si tam deserti sumus, et semel agmine verso
Funditus occidimus, neque habet fortuna regressum,
Oremus pacem, et dextras tendamus inertes.
Quanquam, o, si solitæ quidquam virtutis adesset, 415
Ille mihi ante alios fortunatusque laborum
Egregiusque animi, qui, ne quid tale videret,
Procubuit moriens, et humum semel ore momordit.
Sin et opes nobis, et adhuc intacta juventus,
Auxilioque urbes Italæ populique supersunt;
Sin et Trojanis cum multo gloria venit
Sanguine; sunt illis sua funera, parque per omnes
Tempestas: cur indecores in limine primo
Deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?
Multa dies variique labor mutabilis ævi 425
Rettulit in melius, multos alterna revisens
Lusit, et in solido rursus Fortuna locavit.
Non erit auxilio nobis Ætolus et Arpi.
At Messapus erit, felixque Tolumnius, et quos
Tot populi misere duces; nec tarda sequetur
Gloria delectos Latio et Laurentibus agris.
Est et Volscorum egregia de gente Camilla,
Agmen agens equitem, et florentes ære catervas.
Quod si me solum Teucri in certamina poscunt,
Idque placet, tantumque bonis communibus obsto,
Non adeo has exosa manus Victoria fugit, 436
Ut tanta quidquam pro spe tentare recusem.
Ibo animis contra; vel magnum præstet Achillem,
Factaque Vulcani manibus paria induat arma
Ille licet. Vobis animam hanc soceroque Latino
Turnus ego, haud ulli veterum virtute secundus,
Devovi. Solum Æneas vocat. Et vocet oro. 442
Nec Drances potius, sive est hæc ira deorum,
Morte luat; sive est virtus et gloria, tollat.
Illi hæc inter se dubiis de rebus agebant 445
Certantes; castra Æneas aciemque movebat.
Nuntius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit, magnisque urbem terroribus implet:
Instructos acie Tiberino a flumine Teucros
Tyrrhenamque manum totis descendere campis.
Extemplo turbati animi, concussaque vulgi 451
Pectora, et arrectæ stimulis haud mollibus iræ.
Arma manu trepidi poscunt; fremit arma juventus; [clamor
Flent mæsti mussantque patres. Hic undique
Dissensu vario magnus se tollit in auras: 455
Haud secus atque alto in luco cum forte catervæ
Consedere avium, piscosove amne Padusæ
Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni.
Immo, ait, o cives, arrepto tempore, Turnus,
Cogite concilium, et pacem laudate sedentes; 460
Illi armis in regna ruant. Nec plura locutus

Corripuit sese et tectis citus extulit altis.
Tu, Voluse, armari Volscorum edice maniplis;
Duc, ait, et Rutulos. Equitem Messapus in armis,
Et cum fratre Coras, latis diffundite campis. 465
Pars aditus urbis firment, turresque capessant:
Cætera, qua jusso, mecum manus inferat arma.
Ilicet in muros tota discurritur urbe.
Concilium ipse pater et magna incepta Latinus
Deserit, ac tristi turbatus tempore differt; 470
Multaque se incusat, qui non acceperit ultro
Dardanium Ænean, generumque adsciverit urbi.
Præfodiunt alii portas, aut saxa sudesque
Subvectant. Bello dat signum rauca cruentum
Buccina. Tum muros varia cinxere corona 475
Matronæ puerique; vocat labor ultimus omnes.
Nec non ad templum summasque ad Palladis arces
Subvehitur magna matrum regina caterva,
Dona ferens; juxtaque comes Lavinia virgo,
Causa mali tanti, oculos dejecta decoros. 480
Succedunt matres, et templum thure vaporant;
Et mæstas alto fundunt de limine voces:
Armipotens, præses belli, Tritonia virgo,
Frange manu telum Phrygii prædonis, et ipsum
Pronum sterne solo, portisque effunde sub altis.
Cingitur ipse furens certatim in prælia Turnus.
Jamque adeo Rutulum thoraca indutus aënis 487
Horrebat squamis, surasque incluserat auro;
Tempora nudus adhuc; laterique accinxerat ensem;
Fulgebatque alta decurrens aureus arce; 490
Exsultatque animis, et spe jam præcipit hostem.
Qualis, ubi abruptis fugit præsepia vinclis,
Tandem liber, equus, campoque potitus aperto,
Aut ille in pastus armentaque tendit equarum,
Aut assuetus aquæ perfundi flumine noto 495
Emicat, arrectisque fremit cervicibus alte
Luxurians, luduntque jubæ per colla, per armos.
Obvia cui, Volscorum acie comitante, Camilla
Occurrit, portisque ab equo regina sub ipsis
Desiluit; quam tota cohors imitata relictis 500
Ad terram defluxit equis: tum talia fatur:
Turne, sui merito si qua est fiducia forti,
Audeo, et Æneadûm promitto occurrere turmæ,
Solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra.
Me sine prima manu tentare pericula belli: 505
Tu pedes ad muros subsiste, et mœnia serva.
Turnus ad hæc, oculos horrenda in virgine fixus:
O decus Italiæ, virgo, quas dicere grates, [do
Quasve referre parem? sed nunc, est omnia quan-
Iste animus supra, mecum partire laborem. 510
Æneas, ut fama fidem missique reportant
Exploratores, equitum levia improbus arma
Præmisit, quaterent campos; ipse ardua montis
Per deserta jugo superans adventat ad urbem.
Furta paro belli convexo in tramite sylvæ, 515
Ut bivias armato obsidam milite fauces.
Tu Tyrrhenum equitem collatis excipe signis;
Tecum acer Messapus erit, turmæque Latinæ,
Tiburnique manus: ducis et tu concipe curam.
Sic ait, et paribus Messapum in prælia dictis 520
Hortatur, sociosque duces; et pergit in hostem.
Est curvo anfractu valles, accommoda fraudi
Armorumque dolis; quam densis frondibus atrum
Urget utrimque latus; tenuis quo semita ducit,
Angustæque ferunt fauces aditusque maligni. 525
Hanc super, in speculis summoque in vertice montis
Planities ignota jacet, tutique receptus;
Seu dextra lævaque velis occurrere pugnæ,
Sive instare jugis, et grandia volvere saxa.
Huc juvenis nota fertur regione viarum; 530
Arripuitque locum, et sylvis insedit iniquis.
Velocem interea superis in sedibus Opim,
Unam ex virginibus sociis sacraque caterva,
Compellabat, et has tristi Latonia voces 534
Ore dabat: Graditur bellum ad crudele Camilla,
O virgo, et nostris nequicquam cingitur armis,
Cara mihi ante alias. Neque enim novus iste Dianæ
Venit amor, subitaque animum dulcedine movit.
Pulsus ob invidiam regno viresque superbas, 539
Priverno antiqua Metabus cum excederet urbe,
Infantem, fugiens media inter prælia belli,
Sustulit exilio comitem, matrisque vocavit
Nomine Casmillæ, mutata parte, Camillam.
Ipse, sinu præ se portans, juga longa petebat 544
Solorum nemorum; tela undique sæva premebant,
Et circumfuso volitabant milite Volsci.
Ecce, fugæ medio, summis Amasenus abundans
Spumabat ripis; tantus se nubibus imber
Ruperat. Ille, innare parans, infantis amore 549
Tardatur, caroque oneri timet. Omnia secum
Versanti subito vix hæc sententia sedit:
Telum immane, manu valida quod forte gerebat
Bellator, solidum nodis et robore cocto,
Huic natam, libro et sylvestri subere clausam,
Implicat, atque habilem mediæ circumligat hastæ; 555
Quam dextra ingenti librans, ita ad æthera fatur:
Alma, tibi hanc, nemorum cultrix, Latonia virgo,
Ipse pater famulam voveo; tua prima per auras
Tela tenens supplex hostem fugit. Accipe, testor,
Diva, tuam, quæ nunc dubiis committitur auris.
Dixit, et adducto contortum hastile lacerto 561
Immittit: sonuere undæ: rapidum super amnem
Infelix fugit in jaculo stridente Camilla. [va,
At Metabus, magna propius jam urguente cater-
Dat sese fluvio, atque hastam cum virgine victor
Gramineo, donum Triviæ, de cespite vellit. 566
Non illum tectis ullæ, non mœnibus urbes
Accepere; neque ipse manus feritate dedisset:
Pastorum et solis exegit montibus ævum.
Hic natam, in dumis interque horrentia lustra,
Armentalis equæ mammis et lacte ferino 571
Nutribat, teneris immulgens ubera labris.
Utque pedum primis infans vestigia plantis
Institerat, jaculo palmas oneravit acuto, 574
Spiculaque ex humero parvæ suspendit et arcum.
Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ,
Tigridis exuviæ per dorsum a vertice pendent.
Tela manu jam tum tenera puerilia torsit,
Et fundam tereti circum caput egit habena; 579
Strymoniamque gruem, aut album dejecit olorem.
Multæ illam frustra Tyrrhena per oppida matres
Optavere nurum. Sola contenta Diana,
Æternum telorum et virginitatis amorem
Intemerata colit. Vellem haud correpta fuisset
Militia tali, conata lacessere Teucros:
Cara mihi comitumque foret nunc una mearum.
Verum age, quandoquidem fatis urgetur acerbis,
Labere, Nympha, polo, finesque invise Latinos,
Tristis ubi infausto committitur omine pugna.
Hæc cape, et ultricem pharetra deprome sagittam: 590
Hac, quicunque sacrum violarit vulnere corpus,
Tros Italusve, mihi pariter det sanguine pœnas.
Post ego nube cava miserandæ corpus et arma

Inspoliata feram tumulo, patriæque reponam.
Dixit: at illa leves cœli delapsa per auras 595
Insonuit, nigro circumdata turbine corpus.
At manus interea muris Trojana propinquat,
Etruscique duces, equitumque exercitus omnis,
Compositi numero in turmas. Fremit æquore toto
Insultans sonipes, et pressis pugnat habenis, 600
Huc obversus et huc; tum late ferreus hastis
Horret ager, campique armis sublimibus ardent.
Nec non Messapus contra, celeresque Latini,
Et cum fratre Coras, et virginis ala Camillæ,
Adversi campo apparent, hastasque reductis 605
Protendunt longe dextris, et spicula vibrant;
Adventusque virûm fremitusque ardescit equorum.
Jamque intra jactum teli progressus uterque
Substiterat. Subito erumpunt clamore, frementesque 609
Exhortantur equos; fundunt simul undique tela
Crebra nivis ritu, cœlumque obtexitur umbra.
Continuo adversis Tyrrhenus et acer Aconteus
Connixi incurrunt hastis, primique ruinam
Dant sonitu ingenti, perfractaque quadrupedantum [teus,
Pectora pectoribus rumpunt. Excussus Acon-
Fulminis in morem, aut tormento ponderis acti,
Præcipitat longe, et vitam dispergit in auras. 617
Extemplo turbatæ acies, versique Latini
Rejiciunt parmas, et equos ad mœnia vertunt.
Troës agunt; princeps turmas inducit Asylas. 620
Jamque propinquabant portis: rursusque Latini
Clamorem tollunt, et mollia colla reflectunt;
Hi fugiunt, penitusque datis referuntur habenis.
Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terras, scopulosque superjacit undam 625
Spumeus, extremamque sinu perfundit arenam;
Nunc rapidus retro, atque æstu revoluta resorbens
Saxa fugit, littusque vado labente relinquit.
Bis Tusci Rutulos egere ad mœnia versos;
Bis rejecti armis respectant, terga tegentes. 630
Tertia sed postquam congressi in prœlia, totas
Implicuere inter se acies, legitque virum vir:
Tum vero et gemitus morientum, et sanguine in alto
Armaque, corporaque, et permixti cæde virorum
Semianimes volvuntur equi; pugna aspera surgit.
Orsilochus Remuli, quando ipsum horrebat adire,
Hastam intorsit equo, ferrumque sub aure reliquit;
Quo sonipes ictu furit arduus, altaque jactat
Vulneris impatiens arrecto pectore crura.
Volvitur ille excussus humi. Catillus Iolan, 640
Ingentemque animis, ingentem corpore et armis,
Dejicit Herminium: nudo cui vertice fulva
Cæsaries, nudique humeri; nec vulnera terrent;
Tantus in arma patet. Latos huic hasta per armos
Acta tremit, duplicatque virum transfixa dolore.
Funditur ater ubique cruor; dant funera ferro
Certantes, pulchramque petunt per vulnera mortem. 647
At medias inter cædes exsultat Amazon,
Unum exserta latus pugnæ, pharetrata Camilla;
Et nunc lenta manu spargens hastilia denset; 650
Nunc validam dextra rapit indefessa bipennem.
Aureus ex humero sonat arcus, et arma Dianæ.
Illa etiam, si quando in tergum pulsa recessit,
Spicula converso fugientia dirigit arcu.
At circum lectæ comites, Larinaque virgo, 655
Tullaque, et æratam quatiens Tarpeia securem,
Italides; quas ipsa decus sibi dia Camilla
Delegit, pacisque bonas bellique ministras.
Quales Threïciæ cum flumina Thermodontis
Pulsant, et pictis bellantur Amazones armis; 660
Seu circum Hippolyten, seu cum se Martia curru
Penthesilea refert, magnoque ululante tumultu
Fœminea exsultant lunatis agmina peltis.
Quem telo primum, quem postremum, aspera virgo, [dis?
Dejicis? aut quot humi morientia corpora fun-
Eunæum Clytio primum patre; cujus apertum
Adversi longa transverberat abiete pectus. 667
Sanguinis ille vomens rivos cadit, atque cruentam
Mandit humum, moriensque suo se in vulnere versat. [habenas
Tum Lirim, Pagasumque super; quorum alter
Suffosso revolutus equo dum colligit, alter 671
Dum subit, ac dextram labenti tendit inermem,
Præcipites pariterque ruunt. His addit Amastrum [hasta
Hippotaden; sequiturque incumbens eminus
Tereaque, Harpalycumque, et Demophoonta, Chromimque; 675
Quotque emissa manu contorsit spicula virgo,
Tot Phrygii cecidere viri. Procul Ornytus armis
Ignotis, et equo venator Iapyge fertur;
Cui pellis latos humeros erepta juvenco
Pugnatori operit; caput ingens oris hiatus 680
Et malæ texere lupi cum dentibus albis;
Agrestisque manus armat sparus. Ipse catervis
Vertitur in mediis, et toto vertice supra est.
Hunc illa exceptum, neque enim labor agmine verso,
Trajicit, et super hæc inimico pectore fatur: 685
Sylvis te, Tyrrhene, feras agitare putâsti?
Advenit qui vestra dies muliebribus armis [trum
Verba redarguerit. Nomen tamen haud leve pa-
Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillæ.
Protinus Orsilochum et Buten, duo maxima Teucrûm 690
Corpora: sed Buten aversum cuspide fixit
Loricam galeamque inter, qua colla sedentis
Lucent, et lævo dependet parma lacerto; [bem,
Orsilochum, fugiens magnumque agitata per or-
Eludit gyro interior, sequiturque sequentem;
Tum validam perque arma viro perque ossa securim, 696
Altior exsurgens, oranti et multa precanti
Congeminat; vulnus calido rigat ora cerebro.
Incidit huic, subitoque adspectu territus hæsit
Appenninicolæ bellator filius Auni, 700
Haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant.
Isque, ubi se nullo jam cursu evadere pugnæ
Posse, neque instantem reginam avertere, cernit,
Consilio versare dolus ingressus et astu, 704
Incipit hæc; Quid tam egregium, si fœmina forti
Fidis equo? dimitte fugam, et te cominus æquo
Mecum crede solo, pugnæque accinge pedestri;
Jam nosces, ventosa ferat cui gloria laudem.
Dixit. At illa furens, acrique accensa dolore,
Tradit equum comiti, paribusque resistit in armis, 710
Ense pedes nudo, puraque interrita parma.
At juvenis, vicisse dolo ratus, avolat ipse, [nis,
Haud mora, conversisque fugax aufertur habe-
Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.
Vane Ligus, frustraque animis elate superbis, 715

Nequicquam patrias tentâsti lubricus artes;
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.
Hæc fatur virgo, et pernicibus ignea plantis
Transit equum cursu, frenisque adversa prehensis
Congreditur, pœnasque inimico ex sanguine sumit. 720
Quam facile accipiter saxo sacer ales ab alto
Consequitur pennis sublimem in nube columbam,
Comprensamque tenet, pedibusque eviscerat uncis;
Tum cruor et vulsæ labuntur ab æthere plumæ.
At non hæc nullis hominum sator atque deorum 725
Observans oculis summo sedet altus Olympo.
Tyrrhenum genitor Tarchonem in prælia sæva
Suscitat, et stimulis haud mollibus injicit iras.
Ergo inter cædes cedentiaque agmina Tarcho
Fertur equo, variisque instigat vocibus alas, 730
Nomine quemque vocans; reficitque in prœlia pulsos:
Quis metus, o nunquam dolituri, o semper inertes
Tyrrheni, quæ tanta animis ignavia venit?
Fœmina palantes agit, atque hæc agmina vertit.
Quo ferrum, quidve hæc gerimus tela irrita dextris? 735
At non in Venerem segnes, nocturnaque bella,
Aut, ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Exspectare dapes, et plenæ pocula mensæ;
Hic amor, hoc studium; dum sacra secundus haruspex 739
Nuntiet, ac lucos vocet hostia pinguis in altos.
Hæc effatus, equum in medios, moriturus et ipse,
Concitat, et Venulo adversum se turbidus infert;
Dereptumque ab equo dextra complectitur hostem,
Et gremium ante suum multa vi concitus aufert.
Tollitur in cœlum clamor; cunctique Latini 745
Convertere oculos. Volat igneus æquore Tarcho,
Arma virumque ferens; tum summa ipsius ab hasta
Defringit ferrum, et partes rimatur apertas,
Qua vulnus letale ferat: contra ille repugnans
Sustinet a jugulo dextram, et vim viribus exit.
Utque volans alte raptum cum fulva draconem
Fert aquila, implicuitque pedes, atque unguibus hæsit; 752
Saucius at serpens sinuosa volumina versat,
Arrectisque horret squamis, et sibilat ore,
Arduus insurgens; illa haud minus urget obunco
Luctantem rostro; simul æthera verberat alis.
Haud aliter prædam Tiburtum ex agmine Tarcho
Portat ovans. Ducis exemplum eventumque secuti
Mæonidæ incurrunt. Tum fatis debitus Arruns
Velocem jaculo et multa prior arte Camillam 760
Circuit, et, quæ sit fortuna facillima, tentat.
Qua se cunque furens medio tulit agmine virgo,
Hac Arruns subit, et tacitus vestigia lustrat;
Qua victrix redit illa, pedemque ex hoste reportat,
Hac juvenis furtim celeres detorquet habenas.
Hos aditus, jamque hos aditus, omnemque pererrat [hastam.
Undique circuitum; et certam quatit improbus
Forte sacer Cybelæ Chloreus, olimque sacerdos,
Insignis longe Phrygiis fulgebat in armis, [aënis
Spumantemque agitabat equum, quem pellis,
In plumam squamis, auro conserta tegebat. 771
Ipse, peregrina ferrugine clarus et ostro,
Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu;
Aureus ex humeris sonat arcus, et aurea vati
Cassida; tum croceam chlamydemque sinusque crepantes 775
Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro,
Pictus acu tunicas, et barbara tegmina crurum.
Hunc virgo, sive ut templis præfigeret arma
Troïa, captivo sive ut se ferret in auro
Venatrix, unum ex omni certamine pugnæ 780
Cæca sequebatur; totumque incauta per agmen
Fœmineo prædæ et spoliorum ardebat amore:
Telum ex insidiis cum tandem tempore capto
Concitat, et superos Arruns sic voce precatur:
Summe deûm, sancti custos Soractis Apollo, 785
Quem primi colimus; cui pineus ardor acervo
Pascitur, et medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus vestigia pruna:
Da, pater, hoc nostris aboleri dedecus armis,
Omnipotens. Non exuvias, pulsæve tropæum 790
Virginis, aut spolia ulla peto; mihi cætera laudem
Facta ferent; hæc dira meo dum vulnere pestis
Pulsa cadat, patrias remeabo inglorius urbes.
Audiit, et voti Phœbus succedere partem 794
Mente dedit; partem volucres dispersit in auras.
Sterneret ut subita turbatam morte Camillam,
Annuit oranti: reducem ut patria alta videret,
Non dedit; inque Notos vocem vertere procellæ.
Ergo, ut missa manu sonitum dedit hasta per auras,
Convertere animos acres oculosque tulere 800
Cuncti ad reginam Volsci. Nihil ipsa neque auræ
Nec sonitus memor, aut venientis ab æthere teli,
Hasta sub exsertam donec perlata papillam
Hæsit, virgineumque alte bibit acta cruorem.
Concurrunt trepidæ comites, dominamque ruentem 805
Suscipiunt. Fugit ante omnes exterritus Arruns,
Lætitia mixtoque metu; nec jam amplius hastæ
Credere, nec telis occurrere virginis audet.
Ac velut ille, prius quam tela inimica sequantur,
Continuo in montes sese avius abdidit altos, 810
Occiso pastore, lupus, magnove juvenco,
Conscius audacis facti, caudamque remulcens
Subjecit pavitantem utero, sylvasque petivit:
Haud secus ex oculis se turbidus abstulit Arruns,
Contentusque fuga mediis se immiscuit armis.
Illa manu moriens telum trahit; ossa sed inter
Ferreus ad costas alto stat vulnere mucro.
Labitur exsanguis; labuntur frigida leto
Lumina; purpureus quondam color ora reliquit.
Tum sic exspirans Accam, ex æqualibus unam,
Alloquitur; fida ante alias quæ sola Camillæ;
Quicum partiri curas; atque hæc ita fatur: 822
Hactenus, Acca soror, potui; nunc vulnus acerbum
Conficit, et tenebris nigrescunt omnia circum.
Effuge, et hæc Turno mandata novissima perfer:
Succedat pugnæ, Trojanos arceat urbe. 826
Jamque vale. Simul his dictis linquebat habenas,
Ad terram non sponte fluens. Tum frigida toto
Paullatim exsolvit se corpore, lentaque colla
Et captum leto posuit caput, arma relinquens;
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.
Tum vero immensus surgens ferit aurea clamor
Sidera: dejecta crudescit pugna Camilla;
Incurrunt densi simul omnis copia Teucrûm,
Tyrrhenique duces, Evandrique Arcades alæ.
At Triviæ custos jam dudum in montibus Opis
Alta sedet summis, spectatque interrita pugnas.
Utque procul medio juvenum in clamore furentum
Prospexit tristi multatam morte Camillam,

Ingemuitque, deditque has imo pectore voces:
Heu nimium, virgo, nimium crudele luisti 841
Supplicium, Teucros conata lacessere bello!
Nec tibi desertæ in dumis coluisse Dianam
Profuit, aut nostras humero gessisse pharetras.
Non tamen indecorem tua te regina reliquit 845
Extrema jam in morte; neque hoc sine nomine letum
Per gentes erit; aut famam patieris inultæ.
Nam quicunque tuum violavit vulnere corpus,
Morte luet merita. Fuit ingens monte sub alto
Regis Dercenni terreno ex aggere bustum 850
Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum.
Hic Dea se primum rapido pulcherrima nisu
Sistit, et Arruntem tumulo speculatur ab alto.
Ut vidit fulgentem armis, ac vana tumentem, 854
Cur, inquit, diversus abis? hac dirige gressum,
Huc periture veni, capias ut digna Camillæ
Præmia. Tune etiam telis moriere Dianæ?
Dixit, et aurata volucrem Threïssa sagittam
Depromsit pharetra, cornuque infensa tetendit,
Et duxit longe, donec curvata coirent 860
Inter se capita, et manibus jam tangeret æquis,
Læva aciem ferri, dextra nervoque papillam.
Extemplo teli stridorem aurasque sonantes
Audiit una Arruns, hæsitque in corpore ferrum.
Illum exspirantem socii atque extrema gementem
Obliti ignoto camporum in pulvere linquunt; 866
Opis ad ætherium pennis aufertur Olympum.
Prima fugit, domina amissa, levis ala Camillæ;
Turbati fugiunt Rutuli; fugit acer Atinas;
Disjectique duces desolatique manipli 870
Tuta petunt, et equis aversi ad mœnia tendunt.
Nec quisquam instantes Teucros letumque ferentes
Sustentare valet telis, aut sistere contra:
Sed laxos referunt humeris languentibus arcus;
Quadrupedumque putrem cursu quatit ungula campum. 875
Volvitur ad muros caligine turbidus atra
Pulvis, et e speculis percussæ pectora matres
Fœmineum clamorem ad cœli sidera tollunt.
Qui cursu portas primi irrupere patentes, 879
Hos inimica super mixto premit agmine turba;
Nec miseram effugiunt mortem, sed limine in ipso,
Mœnibus in patriis, atque inter tuta domorum
Confixi exspirant animas. Pars claudere portas;
Nec sociis aperire viam, nec mœnibus audent
Accipere orantes; oriturque miserrima cædes
Defendentum armis aditus, inque arma ruentum.
Exclusi, ante oculos lacrymantumque ora parentum,
Pars in præcipites fossas, urgente ruina, 890
Volvitur; immissis pars cæca et concita frenis
Arietat in portas et duros objice postes.
Ipsæ de muris summo certamine matres
(Monstrat amor verus patriæ), ut videre Camillam,
Tela manu trepidæ jaciunt; ac robore duro
Stipitibus ferrum sudibusque imitantur obustis
Præcipites, primæque mori pro mœnibus ardent.
Interea Turnum in sylvis sævissimus implet
Nuntius, et juveni ingentem fert Acca tumultum:
Deletas Volscorum acies, cecidisse Camillam,
Ingruere infensos hostes, et Marte secundo
Omnia corripuisse; metum jam ad mœnia ferri.
Ille furens—et sæva Jovis sic numina poscunt—
Deserit obsessos colles, nemora aspera linquit.
Vix e conspectu exierat, campumque tenebat,
Cum pater Æneas, saltus ingressus apertos,
Exsuperatque jugum, sylvaque evadit opaca. 905
Sic ambo ad muros rapidi totoque feruntur
Agmine, nec longis inter se passibus absunt;
Ac simul Æneas fumantes pulvere campos
Prospexit longe, Laurentiaque agmina vidit;
Et sævum Ænean agnovit Turnus in armis, 910
Adventumque pedum flatusque audivit equorum.
Continuoque ineant pugnas et prœlia tentent;
Ni roseus fessos jam gurgite Phœbus Ibero
Tingat equos, noctemque die labente reducat. 914
Considunt castris ante urbem, et mœnia vallant.

LIBER DUODECIMUS.

Turnus ut infractos adverso Marte Latinos
Defecisse videt, sua nunc promissa reposci,
Se signari oculis, ultro implacabilis ardet,
Attollitque animos. Pœnorum qualis in arvis,
Saucius ille gravi venantum vulnere pectus, 5
Tum demum movet arma leo, gaudetque comantes
Excutiens cervice toros, fixumque latronis
Impavidus frangit telum, et fremit ore cruento:
Haud secus accenso gliscit violentia Turno. 9
Tum sic affatur regem, atque ita turbidus infit:
Nulla mora in Turno; nihil est quod dicta retractent
Ignavi Æneadæ; nec, quæ pepigere, recusent.
Congredior. Fer sacra, pater, et concipe fœdus.
Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam,
Desertorem Asiæ—sedeant spectentque Latini—
Et solus ferro crimen commune refellam, 16
Aut habeat victos; cedat Lavinia conjux.
Olli sedato respondit corde Latinus:
O præstans animi juvenis, quantum ipse feroci
Virtute exsuperas, tanto me impensius æquum est
Consulere, atque omnes metuentem expendere casus.
Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
Multa manu; nec non aurumque animusque Latino est;
Sunt aliæ innuptæ Latio et Laurentibus agris,
Nec genus indecores. Sine me hæc haud mollia fatu 25
Sublatis aperire dolis; simul hoc animo hauri.
Me natam nulli veterum sociare procorum
Fas erat, idque omnes divique hominesque canebant.
Victus amore tui, cognato sanguine victus, 29
Conjugis et mæstæ lacrymis, vincla omnia rupi:
Promissam eripui genero; arma impia sumsi.
Ex illo qui me casus, quæ, Turne, sequantur
Bella, vides; quantos primus patiare labores.
Bis magna victi pugna, vix urbe tuemur
Spes Italas; recalent nostro Tiberina fluenta 35
Sanguine adhuc, campique ingentes ossibus albent.
Quo referor toties? quæ mentem insania mutat?
Si Turno exstincto socios sum adscire paratus,
Cur non incolumi potius certamina tollo?
Quid consanguinei Rutuli, quid cætera dicet 40
Italia; ad mortem si te—fors dicta refutet!—
Prodiderim, natam et connubia nostra petentem?

Respice res bello varias; miserere parentis
Longævi, quem nunc mæstum patria Ardea longe
Dividit. Haudquaquam dictis violentia Turni
Flectitur: exsuperat magis, ægrescitque medendo.
Ut primum fari potuit, sic institit ore:
Quam pro me curam geris, hanc precor, optime, pro me
Deponas, letumque sinas pro laude pacisci. 49
Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, et nostro sequitur de vulnere sanguis.
Longe illi dea mater erit, quæ nube fugacem
Fœminea tegat, et vanis sese occulat umbris.
At regina, nova pugnæ conterrita sorte, 54
Flebat; et ardentem generum moritura tenebat:
Turne, per has ego te lacrymas, per si quis Amatæ
Tangit honos animum—spes tu nunc una, senectæ
Tu requies miseræ; decus imperiumque Latini
Te penes; in te omnis domus inclinata recumbit—
Unum oro; desiste manum committere Teucris.
Qui te cunque manent isto certamine casus, 61
Et me, Turne, manent. Simul hæc invisa relinquam
Lumina, nec generum Ænean captiva videbo.
Accepit vocem lacrymis Lavinia matris
Flagrantes perfusa genas; cui plurimus ignem
Subjecit rubor, et calefacta per ora cucurrit. 66
Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur; aut mixta rubent ubi lilia multa
Alba rosa: tales virgo dabat ore colores,
Illum turbat amor, figitque in virgine vultus: 70
Ardet in arma magis, paucisque affatur Amatam:
Ne, quæso, ne me lacrymis, neve omine tanto
Prosequere in duri certamina Martis euntem,
O mater; neque enim Turno mora libera mortis.
Nuntius hæc Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer: Cum primum crastina cœlo
Puniceis invecta rotis Aurora rubescit: 77
Non Teucros agat in Rutulos. Teucrûm arma quiescant
Et Rutulûm. Nostro dirimamus sanguine bellum.
Illo quæratur conjux Lavinia campo. 80
Hæc ubi dicta dedit, rapidusque in tecta recessit,
Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementes:
Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia;
Qui candore nives anteirent, cursibus auras.
Circumstant properi aurigæ, manibusque lacessunt 85
Pectora plausa cavis, et colla comantia pectunt.
Ipse dehinc auro squalentem alboque orichalco
Circumdat loricam humeris; simul aptat habendo
Ensemque clypeumque et rubræ cornua cristæ;
Ensem, quem Dauno ignipotens deus ipse parenti 90
Fecerat, et Stygia candentem tinxerat unda.
Exin, quæ mediis ingenti adnixa columnæ
Ædibus adstabat, validam vi corripit hastam,
Actoris Aurunci spolium; quassatque trementem,
Vociferans: Nunc, o nunquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest; te maximus Actor, 96
Te Turni nunc dextra gerit. Da sternere corpus,
Loricamque manu valida lacerare revulsam
Semiviri Phrygis, et fœdare in pulvere crines
Vibratos calido ferro, myrrhaque madentes. 100
His agitur furiis; totoque ardentis ab ore
Scintillæ absistunt; oculis micat acribus ignis.
Mugitus veluti cum prima in prœlia taurus
Terrificos ciet, atque irasci in cornua tentat,
Arboris obnixus trunco; ventosque lacessit 105
Ictibus, et sparsa ad pugnam proludit arena.
Nec minus interea maternis sævus in armis
Æneas acuit Martem, et se suscitat ira,
Oblato gaudens componi fœdere bellum.
Tum socios mæstique metum solatur Iuli, 110
Fata docens; regique jubet responsa Latino
Certa referre viros, et pacis dicere leges.
Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies; cum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemque elatis naribus efflant; 115
Campum ad certamen magnæ sub mœnibus urbis
Dimensi Rutulique viri Teucrique parabant;
In medioque focos et dis communibus aras
Gramineas. Alii fontemque ignemque ferebant,
Velati limo, et verbena tempora vincti. 120
Procedit legio Ausonidûm, pilataque plenis
Agmina se fundunt portis. Hinc Troïus omnis,
Tyrrhenusque ruit variis exercitus armis;
Haud secus instructi ferro, quam si aspera Martis
Pugna vocet. Nec non mediis in millibus ipsi
Ductores auro volitant ostroque decori, 126
Et genus Assaraci Mnestheus, et fortis Asylas,
Et Messapus equûm domitor, Neptunia proles.
Utque dato signo spatia in sua quisque recessit,
Defigunt tellure hastas, et scuta reclinant; 130
Tum studio effusæ matres, et vulgus inermum,
Invalidique senes, turres et tecta domorum
Obsedere; alii portis sublimibus adstant.
At Juno, e summo, qui nunc Albanus habetur,
(Tum neque nomen erat nec honos aut gloria monti)
Prospiciens tumulo, campum adspectabat, et
Laurentum Troumque acies urbemque Latini.
Extemplo Turni sic est affata sororem 138
Diva deam, stagnis quæ fluminibusque sonoris
Præsidet; hunc illi rex ætheris altus honorem
Jupiter erepta pro virginitate sacravit:
Nympha, decus fluviorum, animo gratissima nostro,
Scis, ut te cunctis unam, quæcunque Latinæ
Magnanimi Jovis ingratum adscendere cubile,
Prætulerim, cœlique lubens in parte locârim; 145
Disce tuum, ne me incuses, Juturna, dolorem.
Qua visa est fortuna pati, Parcæque sinebant
Cedere res Latio, Turnum et tua mœnia texi;
Nunc juvenem imparibus video concurrere fatis;
Parcarumque dies et vis inimica propinquat. 150
Non pugnam adspicere hanc oculis, non fœdera possum.
Tu, pro germano si quid præsentius audes,
Perge; decet. Forsan miseros meliora sequentur.
Vix ea: cum lacrymas oculis Juturna profudit;
Terque quaterque manu pectus percussit honestum. 155
Non lacrymis hoc tempus, ait Saturnia Juno:
Accelera, et fratrem, si quis modus, eripe morti:
Aut tu bella cie, conceptumque excute fœdus.
Auctor ego audendi. Sic exhortata reliquit
Incertam, et tristi turbatam vulnere mentis. 160
Interea reges, ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen: bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato crispans hastilia ferro. 165
Hinc pater Æneas, Romanæ stirpis origo,
Sidereo flagrans clypeo et cœlestibus armis,
Et juxta Ascanius, magnæ spes altera Romæ,

Procedunt castris; puraque in veste sacerdos
Setigeri fetum suis, intonsamque bidentem, 170
Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.
Illi, ad surgentem conversi lumina solem,
Dant fruges manibus salsas, et tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.
Tum pius Æneas stricto sic ense precatur: 175
Esto nunc Sol testis et hæc mihi terra vocanti,
Quam propter tantos potui perferre labores,
Et pater omnipotens, et tu Saturnia Juno,
Jam melior, jam, diva, precor, tuque inclyte Mavors, 179
Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine torques;
Fontesque, fluviosque voco, quæque ætheris alti
Religio, et quæ cæruleo sunt numina ponto;
Cesserit Ausonio si fors victoria Turno:
Convenit. Evandri victos discedere ad urbem;
Cedet Iulus agris; nec post arma ulla rebelles 185
Æneadæ referent, ferrove hæc regna lacessent.
Sin nostrum annuerit nobis victoria Martem
(Ut potius reor, et potius dî numine firment)
Non ego nec Teucris Italos parere jubebo,
Nec mihi regna peto; paribus se legibus ambæ
Invictæ gentes æterna in fœdera mittant. 191
Sacra deosque dabo; socer arma Latinus habeto;
Imperium sollenne socer: mihi mœnia Teucri
Constituent, urbique dabit Lavinia nomen. 194
Sic prior Æneas; sequitur sic deinde Latinus,
Suspiciens cœlum, tenditque ad sidera dextram:
Hæc eadem, Ænea, terram, mare, sidera, juro,
Latonæque genus duplex, Janumque bifrontem,
Vimque deûm infernam et duri sacraria Ditis;
Audiat hæc genitor, qui fœdera fulmine sancit;
Tango aras; medios ignes et numina testor: 201
Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpet,
Quo res cunque cadent; nec me vis ulla volentem
Avertet; non, si tellurem effundat in undas,
Diluvio miscens, cœlumque in Tartara solvat: 205
Ut sceptrum hoc—dextra sceptrum nam forte gerebat— [bras,
Nunquam fronde levi fundet virgulta neque um-
Cum semel in sylvis, imo de stirpe recisum,
Matre caret, posuitque comas et brachia ferro,
Olim arbos, nunc artificis manus ære decoro 210
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.
Talibus inter se firmabant fœdera dictis,
Conspectu in medio procerum. Tum rite sacratas
In flammam jugulant pecudes, et viscera vivis
Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
At vero Rutulis impar ea pugna videri 216
Jamdudum, et vario misceri pectora motu;
Tum magis, ut propius cernunt, non viribus æquis.
Adjuvat, incessu tacito progressus, et aram 219
Suppliciter venerans demisso lumine, Turnus,
Tabentesque genæ, et juvenili in corpore pallor.
Quem simul ac Juturna soror crebescere vidit
Sermonem, et vulgi variare labantia corda,
In medias acies, formam assimulata Camerti;
Cui genus a proavis ingens, clarumque paternæ
Nomen erat virtutis, et ipse acerrimus armis; 226
In medias dat sese acies, haud nescia rerum,
Rumoresque serit varios, ac talia fatur:
Non pudet, o Rutuli, pro cunctis talibus unam
Objectare animam? numerone, an viribus æqui
Non sumus? En, omnes et Troës, et Arcades, hi sunt, 231
Fatalisque manus, infensa Etruria Turno.
Vix hostem, alterni si congrediamur, habemus.
Ille quidem ad superos, quorum se devovet aris,
Succedet fama, vivusque per ora feretur; 235
Nos, patria amissa, dominis parere superbis
Cogemur, qui nunc lenti consedimus arvis.
Talibus incensa est juvenum sententia dictis,
Jam magis atque magis; serpitque per agmina murmur.
Ipsi Laurentes mutati, ipsique Latini. 240
Qui sibi jam requiem pugnæ rebusque salutem
Sperabant; nunc arma volunt, fœdusque precantur
Infectum, et Turni sortem miserantur iniquam.
His aliud majus Juturna adjungit, et alto 244
Dat signum cœlo; quo non præsentius ullum
Turbavit mentes Italas, monstroque fefellit.
Namque volans rubra fulvus Jovis ales in æthra
Littoreas agitabat aves, turbamque sonantem
Agminis aligeri; subito cum lapsus ad undas
Cycnum excellentem pedibus rapit improbus uncis. 250
Arrexere animos Itali; cunctæque volucres
Convertunt clamore fugam (mirabile visu)
Ætheraque obscurant pennis, hostemque per auras
Facta nube premunt; donec vi victus, et ipso
Pondere defecit, prædamque ex unguibus ales
Projecit fluvio, penitusque in nubila fugit. 256
Tum vero augurium Rutuli clamore salutant,
Expediuntque manus; primusque Tolumnius augur,
Hoc erat, hoc votis, inquit, quod sæpe petivi;
Accipio, agnoscoque deos; me, me duce, ferrum
Corripite, o miseri, quos improbus advena bello
Territat, invalidas ut aves, et littora vestra 262
Vi populat. Petit ille fugam, penitusque profundo
Vela dabit. Vos unanimi densate catervas,
Et regem vobis pugna defendite raptum. 265
Dixit, et adversos telum contorsit in hostes
Procurrens; sonitum dat stridula cornus, et auras
Certa secat. Simul hoc, simul ingens clamor, et omnes
Turbati cunei, calefactaque corda tumultu.
Hasta volans, ut forte novem pulcherrima fratrum
Corpora constiterant contra, quos fida creârat
Una tot Arcadio conjux Tyrrhena Gylippo, 272
Horum unum, ad medium, teritur qua sutilis alvo
Balteus, et laterum juncturas fibula mordet,
Egregium forma juvenem, et fulgentibus armis,
Transadigit costas, fulvaque effundit arena. 276
At fratres, animosa phalanx, accensaque luctu,
Pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum
Corripiunt, cæcique ruunt. Quos agmina contra
Procurrunt Laurentum; hinc densi rursus inundant 280
Troës, Agyllinique, et pictis Arcades armis.
Sic omnes amor unus habet decernere ferro.
Diripuere aras; it toto turbida cœlo
Tempestas telorum, ac ferreus ingruit imber;
Craterasque focosque ferunt. Fugit ipse Latinus
Pulsatos referens, infecto fœdere, divos. 286
Infrenant alii currus, aut corpora saltu
Subjiciunt in equos, et strictis ensibus adsunt.
Messapus regem, regisque insigne gerentem,
Tyrrhenum Aulesten, avidus confundere fœdus,
Adverso proterret equo: ruit ille recedens, 291
Et miser oppositis a tergo involvitur aris [hasta
In caput inque humeros. At fervidus advolat

Messapus, teloque orantem multa trabali 294
Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur:
Hoc habet; hæc melior magnis data victima divis.
Concurrunt Itali, spoliantque calentia membra.
Obvius ambustum torrem Corynæus ab ara 298
Corripit, et venienti Ebuso plagamque ferenti
Occupat os flammis; olli ingens barba reluxit,
Nidoremque ambusta dedit; super ipse secutus
Cæsariem læva turbati corripit hostis,
Impressoque genu nitens terræ applicat ipsum;
Sic rigido latus ense ferit. Podalirius Alsum
Pastorem, primaque acie per tela ruentem, 305
Ense sequens nudo superimminet; ille securi
Adversi frontem mediam mentumque reducta
Disjicit, et sparso late rigat arma cruore.
Olli dura quies oculos et ferreus urget 309
Somnus; in æternam clauduntur lumina noctem.
At pius Æneas dextram tendebat inermem
Nudato capite, atque suos clamore vocabat:
Quo ruitis? quæve ista repens discordia surgit?
O cohibete iras! ictum jam fœdus, et omnes
Compositæ leges; mihi jus concurrere soli; 315
Me sinite, atque auferte metus. Ego fœdera faxo
Firma manu; Turnum jam debent hæc mihi sacra.
Has inter voces, media inter talia verba,
Ecce, viro stridens alis allapsa sagitta est; 319
Incertum, qua pulsa manu, quo turbine adacta;
Quis tantam Rutulis laudem, casusne, deusne,
Attulerit. Pressa est insignis gloria facti;
Nec sese Æneæ jactavit vulnere quisquam.
Turnus, ut Ænean cedentem ex agmine vidit,
Turbatosque duces, subita spe fervidus ardet;
Poscit equos, atque arma simul, saltuque superbus 326
Emicat in currum, et manibus molitur habenas.
Multa virûm volitans dat fortia corpora leto;
Semineces volvit multos, aut agmina curru
Proterit, aut raptas fugientibus ingerit hastas.
Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clypeo increpat, atque furentes
Bella movens immittit equos; illi æquore aperto
Ante Notos Zephyrumque volant; gemit ultima pulsu 334
Thraca pedum; circumque atræ Formidinis ora,
Iræque, Insidiæque, dei comitatus, aguntur.
Talis equos alacer media inter prœlia Turnus
Fumantes sudore quatit, miserabile cæsis
Hostibus insultans; spargit rapida ungula rores
Sanguineos, mixtaque cruor calcatur arena. 340
Jamque neci Sthenelumque dedit, Thamyrimque, Pholumque, [ambo
Hunc congressus, et hunc; illum eminus; eminus
Imbrasidas, Glaucum atque Laden, quos Imbrasus ipse
Nutrierat Lycia, paribusque ornaverat armis,
Vel conferre manum, vel equo prævertere ventos.
A arte alia media Eumedes in prœlia fertur, 346
An iqui proles bello præclara Dolonis;
Nom.ne avum referens, animo manibusque parentem: [adiret,
Qui quondam, castra ut Danaûm speculator
Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus; 350
Illum Tydides alio pro talibus ausis
Affecit pretio; nec equis adspirat Achillis.
Hunc procul ut campo Turnus prospexit aperto,
Ante levi jaculo longum per inane secutus,
Sistit equos bijugis, et curru desilit, atque 355
Semianimi lapsoque supervenit, et, pede collo
Impresso, dextræ mucronem extorquet, et alto
Fulgentem tingit jugulo, atque hæc insuper addit:
En, agros, et, quam bello, Trojane, petisti, 359
Hesperiam metire jacens: hæc præmia, qui me
Ferro ausi tentare, ferunt; sic mœnia condunt.
Huic comitem Asbuten conjecta cuspide mittit;
Chloreaque, Sybarimque, Daretaque, Thersilochumque;
Et sternacis equi lapsum cervice Thymœten.
Ac velut Edoni Boreæ cum spiritus alto 365
Insonat Ægæo, sequiturque ad littora fluctus,
Qua venti incubuere, fugam dant nubila cœlo;
Sic Turno, quacunque viam secat, agmina cedunt,
Conversæque ruunt acies; fert impetus ipsum,
Et cristam adverso curru quatit aura volantem.
Non tulit instantem Phegeus animisque frementem; 371
Objecit sese ad currum, et spumantia frenis
Ora citatorum dextra detorsit equorum. [tum
Dum trahitur, pendetque jugis, hunc lata retec-
Lancea consequitur, rumpitque infixa bilicem
Loricam, et summum degustat vulnere corpus.
Ille tamen clypeo objecto conversus in hostem
Ibat, et auxilium ducto mucrone petebat;
Cum rota præcipitem, et procursu concitus axis
Impulit, effunditque solo; Turnusque secutus,
Imam inter galeam, summi thoracis et oras, 381
Abstulit ense caput, truncumque reliquit arenæ.
Atque ea dum campis victor dat funera Turnus,
Interea Ænean Mnestheus et fidus Achates
Ascaniusque comes castris statuere cruentum.
Alternos longa nitentem cuspide gressus. 386
Sævit, et infracta luctatur arundine telum
Eripere, auxilioque viam, quæ proxima, poscit:
Ense secent lato vulnus, telique latebram 389
Rescindant penitus, seseque in bella remittant.
Jamque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapis
Iasides; acri quondam cui captus amore
Ipse suas artes, sua munera, Iætus Apollo
Augurium citharamque dabat celeresque sagittas.
Ille, ut depositi proferret fata parentis, 395
Scire potestates herbarum usumque medendi
Maluit, et mutas agitare inglorius artes.
Stabat acerba fremens, ingentem nixus in hastam,
Æneas, magno juvenum et mærentis Iuli
Concursu, lacrymis immobilis. Ille retorto 400
Pæonium in morem senior succinctus amictu,
Multa manu medica Phœbique potentibus herbis
Nequicquam trepidat, nequicquam spicula dextra
Sollicitat, prensatque tenaci forcipe ferrum.
Nulla viam fortuna regit; nihil auctor Apollo
Subvenit; et sævus campis magis ac magis horror
Crebrescit, propiusque malum est. Jam pulvere cœlum [castris
Stare vident, subeuntque equites, et spicula
Densa cadunt mediis. It tristis ad æthera clamor
Bellantum juvenum, et duro sub Marte cadentum.
Hic Venus, indigno nati concussa dolore, 411
Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis et flore comantem
Purpureo: non illa feris incognita capris
Gramina, cum tergo volucres hæsere sagittæ. 415
Hoc Venus, obscuro faciem circumdata nimbo,
Detulit; hoc fusum labris splendentibus amnem
Inficit. occulte medicans; spargitque salubres
Ambrosiæ succos, et odoriferam panaceam.
Fovit ea vulnus lympha longævus Iapis 420
Ignorans; subitoque omnis de corpore fugit

Quippe dolor; omnis stetit imo vulnere sanguis.
Jamque secuta manum, nullo cogente, sagitta
Excidit, atque novæ rediere in pristina vires.
Arma citi properate viro: quid statis? Iapis 425
Conclamat, primusque animos accendit in hostem.
Non hæc humanis opibus, non arte magistra
Proveniunt; neque te, Ænea, mea dextera servat;
Major agit deus, atque opera ad majora remittit.
Ille, avidus pugnæ, suras incluserat auro 430
Hinc atque hinc, oditque moras, hastamque coruscat.
Postquam habilis lateri clypeus loricaque tergo [est,
Ascanium fusis circum complectitur armis, 433
Summaque per galeam delibans osculo fatur:
Disce, puer, virtutem ex me, verumque laborem;
Fortunam ex aliis. Nunc te mea dextera bello
Defensum dabit, et magna inter præmia ducet.
Tu facito, mox cum matura adoleverit ætas,
Sis memor; et te animo repetentem exempla tuorum 439
Et pater Æneas, et avunculus excitet Hector.
Hæc ubi dicta dedit, portis sese extulit ingens,
Telum immane manu quatiens; simul agmine denso
Antheusque Mnestheusque ruunt, omnisque relictis
Turba fluit castris. Tum cæco pulvere campus
Miscetur, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Vidit ab adverso venientes aggere Turnus, 446
Videre Ausonii, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor. Prima ante omnes Juturna Latinos
Audiit agnovitque sonum, et tremefacta refugit.
Ille volat, campoque atrum rapit agmen aperto.
Qualis ubi ad terras abrupto sidere nimbus 451
It mare per medium; miseris, heu, præscia longe
Horrescunt corda agricolis, dabit ille ruinas
Arboribus, stragemque satis; ruet omnia late;
Ante volant sonitumque ferunt ad littora venti:
Talis in adversos ductor Rhœteïus hostes 456
Agmen agit; densi cuneis se quisque coactis
Agglomerant. Ferit ense gravem Thymbræus Osirim;
Archetium Mnestheus, Epulonem obtruncat Achates, 459
Ufentemque Gyas; cadit ipse Tolumnius augur,
Primus in adversos telum qui torserat hostes.
Tollitur in cœlum clamor, versique vicissim
Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.
Ipse neque aversos dignatur sternere morti;
Nec pede congressos æquo, nec tela ferentes 465
Insequitur, solum densa in caligine Turnum
Vestigat lustrans, solum in certamina poscit.
Hoc concussa metu mentem, Juturna virago
Aurigam Turni media inter lora Metiscum
Excutit, et longe lapsum temone relinquit; 470
Ipsa subit, manibusque undantes flectit habenas,
Cuncta gerens, vocemque et corpus et arma Metisci.
Nigra velut magnas domini cum divitis ædes
Pervolat, et pennis alta atria lustrat hirundo,
Pabula parva legens, nidisque loquacibus escas,
Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum
Stagna sonat, similis medios Juturna per hostes
Fertur equis, rapidoque volans obit omnia curru;
Jamque hic germanum, jamque hic, ostentat ovantem, 479
Nec conferre manum patitur; volat avia longe.
Haud minus Æneas tortos legit obvius orbes,
Vestigatque virum, et disjecta per agmina magna
Voce vocat. Quoties oculos conjecit in hostem
Alipedumque fugam cursu tentavit equorum,
Aversos toties currus Juturna retorsit. 485
Heu quid agat? vario nequicquam fluctuat æstu;
Diversæque vocant animum in contraria curæ.
Huic Messapus, uti læva duo forte gerebat
Lenta, levis cursu, præfixa hastilia ferro,
Horum unum certo contorquens dirigit ictu. 490
Substitit Æneas, et se collegit in arma,
Poplite subsidens; apicem tamen incita summum
Hasta tulit, summasque excussit vertice cristas.
Tum vero assurgunt iræ; insidiisque subactus,
Diversos ubi sensit equos currumque referri, 495
Multa Jovem et læsi testatus fœderis aras,
Jam tandem invadit medios, et Marte secundo
Terribilis, sævam nullo discrimine cædem
Suscitat; irarumque omnes effundit habenas.
Quis mihi nunc tot acerba deus, quis carmine cædes 500
Diversas, obitumque ducum, quos æquore toto
Inque vicem nunc Turnus agit, nunc Troïus heros,
Expediat? tanton' placuit concurrere motu,
Jupiter, æterna gentes in pace futuras!
Æneas Rutulum Sucronem—ea prima ruentes
Pugna loco statuit Teucros,—haud multa moratus,
Excipit in latus, et, qua fata celerrima, crudum
Transadigit costas et crates pectoris ensem. 508
Turnus equo dejectum Amycum, fratremque Diorem, [longa,
Congressus, pedes, hunc venientem cuspide
Hunc mucrone ferit; curruque abscisa duorum
Suspendit capita, et rorantia sanguine portat.
Ille Talon Tanaimque neci fortemque Cethegum,
Tres uno congressu, et mæstum mittit Onyten,
Nomen Echionium, matrisque genus Peridiæ;
Hic fratres Lycia missos et Apollinis agris, 516
Et juvenem exosum nequicquam bella Menœten
Arcada: piscosæ cui circum flumina Lernæ
Ars fuerat, pauperque domus; nec nota potentum
Limina; conductaque pater tellure serebat. 520
Ac velut immissi diversis partibus ignes
Arentem in sylvam et virgulta sonantia lauro;
Aut ubi decursu rapido de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes, et in æquora currunt, 524
Quisque suum populatus iter; non segnius ambo
Æneas Turnusque ruunt per prœlia; nunc, nunc
Fluctuat ira intus; rumpuntur nescia vinci
Pectora; nunc totis in vulnera viribus itur.
Murranum hic, atavos et avorum antiqua sonantem 529
Nomina, per regesque actum genus omne Latinos,
Præcipitem scopulo atque ingentis turbine saxi
Excutit, effunditque solo; hunc lora et juga subter 532
Provolvere rotæ: crebro super ungula pulsu
Incita, nec domini memorum, proculcat equorum;
Ille ruenti Hyllo, animisque immane frementi,
Occurrit, telumque aurata ad tempora torquet;
Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro.
Dextera nec tua te, Graiûm fortissime, Creteu,
Eripuit Turno; nec Dî texere Cupencum,
Ænea veniente, sui; dedit obvia ferro 540
Pectora; nec misero clypei mora profuit ærei.
Te quoque Laurentes viderunt, Æole, campi
Oppetere, et late terram consternere tergo;
Occidis, Argivæ quem non potuere phalanges

Sternere, nec Priami regnorum eversor Achilles:
Hic tibi mortis erant metæ; domus alta sub Ida;
Lyrnessi domus alta, solo Laurente sepulchrum,
Totæ adeo conversæ acies, omnesque Latini,
Omnes Dardanidæ; Mnestheus, acerque Serestus.
Et Messapus equûm domitor, et fortis Asylas,
Tuscorumque phalanx, Evandrique Arcades alæ.
Pro se quisque viri summa nituntur opum vi.
Nec mora, nec requies; vasto certamine tendunt.
Hic mentem Æneæ genitrix pulcherrima misit,
Iret ut ad muros, urbique adverteret agmen 555
Ocius, et subita turbaret clade Latinos.
Ille, ut, vestigans diversa per agmina Turnum,
Huc atque huc acies circumtulit, adspicit urbem
Immunem tanti belli, atque impune quietam.
Continuo pugnæ accendit majoris imago; 560
Mnesthea Sergestumque vocat fortemque Serestum, [crûm
Ductores, tumulumque capit; quo cætera Teu-
Concurrit legio; nec scuta aut spicula densi
Deponunt. Celso medius stans aggere fatur: 564
Ne qua meis esto dictis mora. Jupiter hac stat.
Neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.
Urbem hodie, causam belli, regna ipsa Latini,
Ni frenum accipere et victi parere fatentur,
Eruam, et æqua solo fumantia culmina ponam.
Scilicet exspectem, libeat dum prœlia Turno 570
Nostra pati; rursusque velit concurrere victus?
Hoc caput, o cives, hæc belli summa nefandi.
Ferte faces propere, fœdusque reposcite flammis.
Dixerat, atque animis pariter certantibus omnes
Dant cuneum; densaque ad muros mole feruntur.
Scalæ improviso, subitusque apparuit ignis. 576
Discurrunt alii ad portas, primosque trucidant;
Ferrum alii torquent, et obumbrant æthera telis.
Ipse inter primos dextram sub mœnia tendit
Æneas, magnaque incusat voce Latinum, 580
Testaturque Deos, iterum se ad prœlia cogi;
Bis jam Italos hostes; hæc altera fœdera rumpi.
Exoritur trepidos inter discordia cives: 583
Urbem alii reserare jubent, et pandere portas
Dardanidis, ipsumque trahunt in mœnia regem;
Arma ferunt alii, et pergunt defendere muros:
Inclusas ut cum latebroso in pumice pastor
Vestigavit apes, fumoque implevit amaro;
Illæ intus trepidæ rerum per cerea castra
Discurrunt, magnisque acuunt stridoribus iras;
Volvitur ater odor tectis; tum murmure cæco
Intus saxa sonant; vacuas it fumus ad auras.
Accidit hæc fessis etiam fortuna Latinis,
Quæ totam luctu concussit funditus urbem.
Regina ut tectis venientem prospicit hostem,
Incessi muros, ignes ad tecta volare; 596
Nusquam acies contra Rutulas, nulla agmina Turni,
Infelix pugnæ juvenem in certamine credit
Exstinctum; et, subito mentem turbata dolore,
Se causam clamat, crimenque, caputque malorum; 600
Multaque per mæstum demens effata furorem,
Purpureos moritura manu discindit amictus,
Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.
Quam cladem miseræ postquam accepere Latinæ,
Filia prima manu flavos Lavinia crines 605
Et roseas laniata genas, tum cætera circum
Turba, furit; resonant late plangoribus ædes.
Hinc totam infelix vulgatur fama per urbem.
Demittunt mentes; it scissa veste Latinus,
Conjugis attonitus fatis, urbisque ruina, 610
Canitiem immundo perfusam pulvere turpans,
Multaque se incusat, qui non acceperit ante
Dardanium Ænean, generumque adsciverit ultro.
Interea extremo bellator in æquore Turnus
Palantes sequitur paucos, jam segnior, atque
Jam minus atque minus successu lætus equorum.
Attulit hunc illi cæcis terroribus aura
Commixtum clamorem, arrectasque impulit aures
Confusæ sonus urbis, et illætabile murmur. 619
Hei mihi! quid tanto turbantur mœnia luctu?
Quisve ruit tantus diversa clamor ab urbe?
Sic ait, adductisque amens subsistit habenis.
Atque huic, in faciem soror ut conversa Metisci
Aurigæ, currumque et equos et lora regebat,
Talibus occurrit dictis: Hac, Turne, sequamur
Trojugenas, qua prima viam victoria pandit; 626
Sunt alii, qui tecta manu defendere possint.
Ingruit Æneas Italis, et prœlia miscet;
Et nos sæva manu mittamus funera Teucris.
Nec numero inferior, pugnæ nec honore recedes.
Turnus ad hæc: 631
O soror, et dudum agnovi, cum prima per artem
Fœdera turbâsti, teque hæc in bella dedisti;
Et nunc nequicquam fallis dea: sed quis Olympo
Demissam tantos voluit te ferre labores? 635
An fratris miseri letum ut crudele videres?
Nam quid ago? aut quæ jam spondet fortuna salutem?
Vidi oculos ante ipse meos, me voce vocantem,
Murranum, quo non superat mihi carior alter,
Oppetere, ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Occidit infelix, ne nostrum dedecus Ufens 641
Adspiceret; Teucri potiuntur corpore et armis.
Exscindine domos (id rebus defuit unum)
Perpetiar? dextra nec Drancis dicta refellam?
Terga dabo? et Turnum fugientem hæc terra videbit? 645
Usque adeone mori miserum est? vos o mihi Manes
Este boni: quoniam superis aversa voluntas.
Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpæ
Descendam, magnorum haud unquam indignus avorum.
Vix ea fatus erat; medios volat ecce per hostes
Vectus equo spumante Saces, adversa sagitta
Saucius ora, ruitque implorans nomine Turnum·
Turne, in te suprema salus; miserere tuorum.
Fulminat Æneas armis, summasque minatur 654
Dejecturum arces Italûm, excidioque daturum;
Jamque faces ad tecta volant. In te ora Latini,
In te oculos referunt; mussat rex ipse Latinus,
Quos generos vocet, aut quæ sese ad fœdera flectat.
Præterea regina, tui fidissima, dextra
Occidit ipsa sua, lucemque exterrita fugit. 660
Soli pro portis Messapus et acer Atinas [langes
Sustentant aciem. Circum hos utrinque pha-
Stant densæ, strictisque seges mucronibus horret
Ferrea; tu currum deserto in gramine versas.
Obstupuit varia confusus imagine rerum 665
Turnus, et obtutu tacito stetit. Æstuat ingens
Uno in corde pudor, mixtoque insania luctu,
Et furiis agitatus amor, et conscia virtus.
Ut primum discussæ umbræ, et lux reddita menti,
Ardentes oculorum orbes ad mœnia torsit 670
Turbidus, eque rotis magnam respexit ad urbem.
Ecce autem flammis inter tabulata volutus
Ad cœlum undabat vortex, turrimque tenebat,

Turrim, compactis trabibus quam eduxerat ipse,
Subdideratque rotas, pontesque instraverat altos.
Jam jam fata, soror, superant; absiste morari;
Quo deus, et quo dura vocat fortuna, sequamur.
Stat conferre manum Æneæ; stat, quicquid acerbi est 678
Morte, pati; nec me indecorem, germana, videbis [rem.
Amplius. Hunc, oro, sine me furere ante furo-
Dixit, et e curru saltum dedit ocius arvis; 681
Perque hostes, per tela ruit; mæstamque sororem
Deserit, ac rapido cursu media agmina rumpit.
Ac veluti, montis saxum de vertice præceps
Cum ruit avulsum vento, seu turbidus imber
Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas, 686
Fertur in abruptum magno mons improbus actu,
Exsultatque solo; sylvas, armenta, virosque
Involvens secum: disjecta per agmina Turnus
Sic urbis ruit ad muros, ubi plurima fuso 690
Sanguine terra madet, striduntque hastilibus auræ;
Significatque manu, et magno simul incipit ore:
Parcite jam, Rutuli; et vos tela inhibete, Latini;
Quæcunque est fortuna, mea est; me verius unum
Pro vobis fœdus luere, et decernere ferro. 695
Discessere omnes medii, spatiumque dedere.
At pater Æneas, audito nomine Turni,
Deserit et muros, et summas deserit arces; [pit,
Præcipitatque moras omnes, opera omnia rum-
Lætitia exsultans, horrendumque intonat armis:
Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse, coruscis 701
Cum fremit ilicibus, quantus, gaudetque nivali
Vertice se attollens pater Apenninus ad auras.
Jam vero et Rutuli certatim, et Troës, et omnes
Convertere oculos Itali, quique alta tenebant 705
Mœnia, quique imos pulsabant ariete muros;
Armaque deposuere humeris. Stupet ipse Latinus,
Ingentes, genitos diversis partibus orbis,
Inter se coiisse viros, et cernere ferro. 709
Atque illi, ut vacuo patuerunt æquore campi,
Procursu rapido, conjectis eminus hastis,
Invadunt Martem clypeis atque ære sonoro.
Dat gemitum tellus: tum crebros ensibus ictus
Congeminant. Fors et virtus miscentur in unum.
Ac velut ingenti Sila, summove Taburno, 716
Cum duo conversis inimica in prœlia tauri
Frontibus incurrunt, pavidi cessere magistri;
Stat pecus omne metu mutum, mussantque juvencæ, [quantur;
Quis nemori imperitet, quem tota armenta se-
Illi inter sese multa vi vulnera miscent, 720
Cornuaque obnixi infigunt, et sanguine largo
Colla armosque lavant; gemitu nemus omne remugit:
Haud aliter Tros Æneas et Daunius heros [plet.
Concurrunt clypeis. Ingens fragor æthera com-
Jupiter ipse duas æquato examine lances 725
Sustinet, et fata imponit diversa duorum;
Quem damnet labor, et quo vergat pondere letum.
Emicat hic, impune putans, et corpore toto
Alte sublatum consurgit Turnus in ensem,
Et ferit. Exclamant Troës trepidique Latini,
Arrectæque amborum acies. At perfidus ensis
Frangitur, in medioque ardentem deserit ictu:
Ni fuga subsidio subeat. Fugit ocior Euro,
Ut capulum ignotum dextramque adspexit inermem.
Fama est, præcipitem, cum prima in prœlia junctos 735
Conscendebat equos, patrio mucrone relicto,
Dum trepidat, ferrum aurigæ rapuisse Metisci;
Idque diu, dum terga dabant palantia Teucri,
Suffecit; postquam arma dei ad Vulcania ventum,
Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu 740
Dissiluit; fulva resplendent fragmina arena.
Ergo amens diversa fuga petit æquora Turnus;
Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes.
Undique enim densa Teucri inclusere corona;
Atque hinc vasta palus, hinc ardua mœnia cingunt. 745
Nec minus Æneas, quanquam tardata sagitta
Interdum genua impediunt, cursumque recusant,
Insequitur, trepidique pedem pede fervidus urget.
Inclusum veluti si quando flumine nactus
Cervum, aut puniceæ septum formidine pennæ,
Venator cursu, canis et latratibus, instat; 751
Ille autem, insidiis et ripa territus alta,
Mille fugit refugitque vias: at vividus Umber
Hæret hians, jam jamque tenet, similisque tenenti
Increpuit malis, morsuque elusus inani est. 755
Tum vero exoritur clamor; ripæque lacusque
Responsant circa, et cœlum tonat omne tumultu.
Ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omnes,
Nomine quemque vocans, notumque efflagitat ensem.
Æneas mortem contra, præsensque minatur 760
Exitium, si quisquam adeat; terretque trementes,
Excisurum urbem minitans, et saucius instat.
Quinque orbes explent cursu, totidemque retexunt [tur
Huc illuc. Neque enim levia aut ludicra petun-
Præmia; sed Turni de vita et sanguine certant.
Forte sacer Fauno foliis oleaster amaris 766
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum;
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo, et votas suspendere vestes.
Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum 770
Sustulerant, puro ut possent concurrere campo.
Hic hasta Æneæ stabat; huc impetus illam
Detulerat, fixam et lenta in radice tenebat.
Incubuit, voluitque manu convellere ferrum
Dardanides, teloque sequi, quem prendere cursu
Non poterat. Tum vero amens formidine Turnus, [ferrum
Faune, precor, miserere, inquit; tuque optima
Terra tene; colui vestros si semper honores,
Quos contra Æneadæ bello fecere profanos. 779
Dixit, opemque dei non cassa in vota vocavit.
Namque diu luctans, lentoque in stirpe moratus,
Viribus haud ullis valuit discludere morsus
Roboris Æneas. Dum nititur acer, et instat,
Rursus in aurigæ faciem mutata Metisci 784
Procurrit, fratrique ensem dea Daunia reddit.
Quod Venus audaci nymphæ indignata licere,
Accessit, telumque alta ab radice revellit.
Olli sublimes, armis animisque refecti,
Hic gladio fidens, hic acer et arduus hasta,
Adsistunt contra certamine Martis anheli. 790
Junonem interea rex omnipotentis Olympi
Alloquitur, fulva pugnas de nube tuentem:
Quæ jam finis erit, conjux? quid denique restat?
Indigetem Ænean scis ipsa, et scire fateris,
Deberi cœlo, fatisque ad sidera tolli. [hæres?
Quid struis? aut qua spe gelidis in nubibus
Mortalin' decuit violari vulnere divum? 797
Aut ensem—quid enim sine te Juturna valeret?—

Ereptum reddi Turno, et vim crescere victis?
Desine jam tandem, precibusque inflectere nostris; 800
Nec te tantus edat tacitam dolor; et mihi curæ
Sæpe tuo dulci tristes ex ore recursent.
Ventum ad supremum est. Terris agitare vel undis
Trojanos potuisti; infandum accendere bellum,
Deformare domum, et luctu miscere hymenæos;
Ulterius tentare veto. Sic Jupiter orsus; 806
Sic dea submisso contra Saturnia vultu:
Ista quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas,
Jupiter, et Turnum et terras invita reliqui.
Nec tu me aëria solam nunc sede videres 810
Digna indigna pati; sed, flammis cincta, sub ipsam [Teucros.
Starem aciem, traheremque inimica in prœlia
Juturnam misero, fateor, succurrere fratri
Suasi, et pro vita majora audere probavi;
Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum;
Adjuro Stygii caput implacabile fontis,
Una superstitio superis quæ reddita divis. [quo.
Et nunc cedo equidem, pugnasque exosa relin-
Illud te, nulla fati quod lege tenetur,
Pro Latio obtestor, pro majestate tuorum: 820
Cum jam connubiis pacem felicibus, esto,
Component, cum jam leges et fœdera jungent:
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri jubeas, Teucrosque vocari;
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestes. 825
Sit Latium; sint Albani per sæcula reges;
Sit Romana potens Itala virtute propago;
Occidit, occideritque sinas cum nomine Troja.
Olli subridens hominum rerumque repertor:
Et germana Jovis, Saturnique altera proles, 830
Irarum tantos volvis sub pectore fluctus? [rem.
Verum age, et inceptum frustra submitte furo-
Do, quod vis; et me victusque volensque remitto.
Sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt;
Utque est, nomen erit; commixti corpore tantum
Subsident Teucri. Morem ritusque sacrorum 836
Adjiciam, faciamque omnes uno ore Latinos.
Hinc genus, Ausonio mixtum quod sanguine surget,
Supra homines, supra ire deos pietate videbis;
Nec gens ulla tuos æque celebrabit honores. 840
Annuit his Juno, et mentem lætata retorsit.
Interea excedit cœlo, nubemque reliquit.
His actis, aliud genitor secum ipse volutat;
Juturnamque parat fratris dimittere ab armis.
Dicuntur geminæ pestes cognomine Diræ, 845
Quas et Tartaream Nox intempesta Megæram
Uno eodemque tulit partu, paribusque revinxit
Serpentum spiris, ventosasque addidit alas.
Hæc Jovis ad solium, sævique in limine regis,
Apparent, acuuntque metum mortalibus ægris,
Si quando letum horrificum morbosque deûm rex
Molitur, meritas aut bello territat urbes. 852
Harum unam celerem demisit ab æthere summo
Jupiter, inque omen Juturnæ occurrere jussit.
Illa volat, celerique ad terram turbine fertur,
Non secus ac nervo per nubem impulsa sagitta,
Armatam sævi Parthus quam felle veneni,
Parthus, sive Cydon, telum immedicabile, torsit,
Stridens et celeres incognita transilit umbras.
Talis se sata Nocte tulit, terrasque petivit. 860
Postquam acies videt Iliacas atque agmina Turni,
Alitis in parvæ subitam collecta figuram,
Quæ quondam in bustis, aut culminibus desertis
Nocte sedens, serum canit importuna per umbras;
Hanc versa in faciem, Turni se pestis ob ora 865
Fertque refertque sonans, clypeumque everberat alis.
Illi membra novus solvit formidine torpor;
Arrectæque horrore comæ, et vox faucibus hæsit.
At, procul ut Diræ stridorem agnovit et alas,
Infelix crines scindit Juturna solutos, 870
Unguibus ora soror fœdans, et pectora pugnis;
Quid nunc te tua, Turne, potest germana juvare?
Aut quid jam duræ superat mihi? qua tibi lucem
Arte morer? talin' possum me opponere monstro?
Jam jam linquo acies. Ne me terrete timentem,
Obscænæ volucres; alarum verbera nosco, 876
Letalemque sonum; nec fallunt jussa superba
Magnanimi Jovis. Hæc pro virginitate reponit!
Quo vitam dedit æternam? cur mortis ademta est
Conditio? possem tantos finire dolores [bras.
Nunc certe, et misero fratri comes ire per um-
Immortalis ego? aut quicquam mihi dulce meorum 882
Te sine, frater, erit? O quæ satis alta dehiscat
Terra mihi, Manesque deam demittat ad imos?
Tantum effata, caput glauco contexit amictu,
Multa gemens, et se fluvio dea condidit alto.
Æneas instat contra, telumque coruscat
Ingens arboreum, et sævo sic pectore fatur:
Quæ nunc deinde mora est? aut quid jam, Turne, retractas? 889
Non cursu, sævis certandum est cominus armis.
Verte omnes tete in facies; et contrahe, quicquid
Sive animis, sive arte vales; opta ardua pennis
Astra sequi, clausumve cava te condere terra.
Ille caput quassans: Non me tua fervida terrent 894
Dicta, ferox; dî me terrent, et Jupiter hostis.
Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens,
Saxum antiquum, ingens, campo quod forte jacebat,
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.
Vix illud lecti bis sex cervice subirent, 899
Qualia nunc hominum producit corpora tellus;
Ille manu raptum trepida torquebat in hostem,
Altior insurgens, et cursu concitus, heros.
Sed neque currentem se, nec cognoscit euntem,
Tollentemve manu saxumque immane moventem; 904
Genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis.
Tum lapis ipse viri, vacuum per inane volutus,
Nec spatium evasit totum, nec pertulit ictum.
Ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequicquam avidos extendere cursus 909
Velle videmur, et in mediis conatibus ægri
Succidimus; non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur;
Sic Turno, quacunque viam virtute petivit,
Successum dea dira negat. Tum pectore sensus
Vertuntur varii. Rutulos adspectat, et urbem,
Cunctaturque metu, telumque instare tremiscit,
Nec quo se eripiat, nec qua vi tendat in hostem,
Nec currus usquam videt, aurigamve sororem.
Cunctanti telum Æneas fatale coruscat,
Sortitus fortunam oculis; et corpore toto 920
Eminus intorquet. Murali concita nunquam
Tormento sic saxa fremunt, nec fulmine tanti
Dissultant crepitus. Volat atri turbinis instar
Exitium dirum hasta ferens, orasque recludit
Loricæ, et clypei extremos septemplicis orbes;
Per medium stridens transit femur. Incidit ictus 926

Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
Consurgunt gemitu Rutuli, totusque remugit
Mons circum, et vocem late nemora alta remittunt.
Ille humilis supplexque oculos dextramque precantem [quit;
Protendens, Equidem merui, nec deprecor, in-
Utere sorte tua. Miseri te si qua parentis
Tangere cura potest, oro—fuit et tibi talis 933
Anchises genitor—Dauni miserere senectæ;
Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,
Redde meis. Vicisti; et victum tendere palmas
Ausonii videre: tua est Lavinia conjux;
Ulterius ne tende odiis. Stetit acer in armis
Æneas, volvens oculos, dextramque repressit;
Et jam jamque magis cunctantem flectere sermo
Cœperat: infelix humero cum apparuit alto
Balteus, et notis fulserunt cingula bullis 942
Pallantis pueri; victum quem vulnere Turnus
Straverat, atque humeris inimicum insigne gerebat.
Ille, oculis postquam sævi monumenta doloris
Exuviasque hausit, furiis accensus, et ira 946
Terribilis: Tune hinc spoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, et pœnam scelerato ex sanguine sumit.
Hoc dicens, ferrum adverso sub pectore condit
Fervidus. Ast illi solvuntur frigore membra,
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.

NONNULLA P. VIRGILII MARONIS OPUSCULA.

CULEX,

A CHR. G. HEYNIO

"probabiliter" (*ut ipse ait*) "restitutus."

Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia,
Atque, ut araneoli, tenuem formavimus orsum:
Lusimus: hæc propter Culicis sunt carmina dicta,
Omnis ut historiæ per ludum consonet ordo.
Notitiam ducunt voces. Licet invidus adsit. 5
Quisquis erit culpare jocos Musamque paratus,
Pondere vel culicis levior famaque feretur.
Posterius graviore sono tibi Musa loquetur
Nostra, dabunt cum securos mihi tempora portus,
Ut tibi digna tuo poliantur carmina sensu. 10
Latonæ magnique Jovis genus, aurea proles,
Phœbus erit nostri princeps et carminis auctor,
Et recinente lyra fautor; seu detinet illum
Alma Chimæreo Xanthus perfusa liquore,
Seu nemus Asteriæ, seu qua Parnassia rupes 15
Hinc atque hinc patula præpandit cornua fronte,
Castaliæque sonans liquido pede labitur unda.
Vos quoque Pierii laticis decus, ite, sorores
Naïades, celebrare deum plaudente chorea. 19
Et tu, sancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agrestum fetura; tibi sit cura canentis
Aërios nemorum tractus sylvasque; virentes,
Te cultrice, vagus saltus feror inter et antra.
At tu, cui meritis oritur fiducia chartis,
Octavi venerande, meis allabere cœptis. 25
Triste Jovis Cœique canit non pagina bellum,
Phlegra giganteo sparsa est quo sanguine tellus;
Nec Centaureos Lapithas compellit in enses.
Urit Erichthonias Oriens non ignibus arces; 29
Non perfossus Athos, nec magno vincula ponto
Jacta, meo quærent jam sera volumine famam;
Non Hellespontus pedibus pulsatus equorum,
Græcia cum timuit venientes undique Persas;
Mollia sed tenui percurrere carmina versu, et
Viribus apta suis Phœbo duce ludere gaudet. 35
Et tu, sancte puer, memorabere; sic tibi perstet
Gloria perpetuum lucis victura per ævum;
Et tibi sede pia maneat locus, et tibi sospes
Debita felices memoretur vita per annos 39
Grata, bonis lucens. Sed nos ad cœpta feramur.
Igneus ætherias jam Sol penetrârat ad arces,
Candidaque aurato quatiebat lumina curru,
Crinibus et roseis tenebras Aurora fugârat:
Propulit ut stabulis ad pabula læta capellas
Pastor, et excelsi montis juga summa petivit, 45
Uvida qua patulos velabant gramina colles.
Jam sylvis dumisque vagæ, jam vallibus abdunt
Corpora; jamque omni nemoris de parte vagantes
Scrupea desertæ perrepunt avia rupis.
Tondentur tenero viridantia gramina dente, 50
Pendula projectis carpuntur et arbuta ramis,
Densaque virgultis avide labrusca petuntur.
Hæc suspensa rapit rodente cacumina morsu
Vel salicis lentæ, vel, quæ nova nascitur, alni,
Hæc teneræ fruticem sentis rimatur; at illa 55
Imminet e ripa prostans in imaginis umbram.
O bona pastoris, si quis non pauperis usum
Mente prius docta ruris fastidiat; illi
Omnia, luxuriæ pretiis incognita, curis
Quæ lacerant avidas inimico pectore mentes. 60
Si non Assyrio fuerint bis lauta colore,
Attalicis opibus data, vellera; si nitor auri
Sub laqueare domus animum non tangit avarum
Picturæque decus; lapidum nec fulgor ab ulla
Cognitus utilitate movet; nec pocula Graiûm 65
Alconis referunt Boethique toreuma; nec Indi
Conchea bacca maris pretio est: at pectore puro
Sæpe super tenero prosternit gramine corpus;
Florida cum tellus gemmantes picta per herbas
Vere novat dulci distincta coloribus arva; 70
Atque illum calamo lætum recinente palustri,
Otiaque invidia degentem et fraude remota,
Pollentemque sui, viridi cum palmite ludens
Tmolia pampineo subter coma velat amictu.
Illi sunt gravidæ roranti lacte capellæ, 75
Et nemus, et fecunda Pales, et valle sub ima
Semper opaca novis manantia fontibus antra.
Quis magis optato queat esse beatior ævo,
Quam qui mente procul pura sensuque probando
Non avidas inhiavit opes; non tristia bella 80
Nec funesta timet validæ certamina classis;
Non, spoliis ut sancta deûm fulgentibus ornet
Templa, vel evectus finem transcendat habendi,
Adversum sævis ultro caput hostibus offert?
Illi falce deus colitur, non arte, politus; 85
Ille colit lucos; illi Panchaia rura,
Floribus agrestes herbæ variantibus, adsunt;
Illi dulcis adest requies, et pura voluptas,
Libera; simplicibus curis: huic imminet, omnes

Dirigit huc sensus, hæc cura est subdita cordi,
Qualibet ut tenui victu contentus abundet, 91
Jucundoque liget languentia lumina somno.
O pecudes, o Panes, et o gratissima Tempe,
Naiades ac Dryades: quarum non divite cultu
Æmulus Ascræo pastor sibi quisque poëtæ 95
Securam placido traducit pectore vitam!
Talibus in studiis baculo dum nixus agresti
Pastor agit curas, et dum, non arte canorus,
Compacta solitum modulatur arundine carmen:
Tendit jam evectus radios Hyperionis ardor, 100
Lucidaque ætherio ponit discrimina mundo,[cas.
Qua jacit Oceanum flammas in utrumque corus-
Et jam compellente vagæ pastore capellæ
Lene susurrantis repebant ad vada lymphæ, 104
Quæ subter viridem resonabat garrula muscum:
Jam medias operum partes evectus erat Sol:
Cum densas pastor pecudes cogebat in umbras,
Et procul adspexit luco recubare virenti,
Delia diva, tuo; quo quondam victa furore
Venit Nyctelium fugiens Cadmeis Agave, 110
Infandas scelerata manus e cæde cruenta,
Et gelidis bacchata jugis requievit in antro,
Posterius pœnam nati de morte datura.
Hic etiam viridi ludentes Panes in herba
Et Satyri Dryadesque choros egere puellæ, 115
Naïadum et cœtus: tantum non Orpheus Hebrum
Restantem tenuit ripis sylvasque canendo,
Quantum te pernix remorantem, diva, chorea,
Multa tibi læto fundentes gaudia vultu.
Ipsa loci natura domum resonante susurro 120
His dabat, et dulci fessas refovebat in umbra.
Nam primum prona surgebant valle patentes
Aëriæ platanus; inter quas impia lotos,
Impia, quæ socios Ithaci mærentis abegit,
Hospita dum nimia tenuit dulcedine captos; 125
Ac, quibus insigni curru projectus equorum
Ambustus Phaëthon luctu mataverat artus,
Heliades teneris implexæ brachia truncis
Candida pandebant lentis velamina ramis.
Posterius, cui Demophoon æterna reliquit 130
Perfidiæ lamenta, [dolis dum lusit inultis;]
Quam comitabantur, fatalia carmina, quercus,
Quercus ante datæ, Cereris quam semina, vitæ;
Illas Triptolemi mutavit sulcus aristis.
Hic magnum Argoæ navi decus, edita pinus 135
Proceras decorat sylvas, hirsuta per artus;
Ac petit aëriis contingere frondibus astra
Ilicis et nigræ et species haud læta cupressus;
Umbrosæque patent fagus; hederæque ligantes
Brachia, fraternos plangat ne populus ictus, 140
Ipsæ succedunt ad summa cacumina lentæ,
Pinguntque aureolos viridi pallore corymbos:
Quis aderat veteris myrtus non nescia fati.
At volucres patulis residentes dulcia ramis
Carmina per varios edunt resonantia cantus; 145
Adstrepit et gelidis manans e fontibus unda,
Quæ levibus placidum rivis sonat orta liquorem;
Et circum geminas avium vox obstrepit aures;
Hinc querulas referunt voces, quîs nantia limo
Corpora lympha fovet; sonitus alit aëris Echo,
Argutis et cuncta fremunt arbusta cicadis. 151
At circa fessæ passim cubuere capellæ
Excelsis subter dumis, quos leniter afflans
Aura susurrantis possit confundere venti.
Pastor, ut ad fontem densa requievit in umbra,
Mitem concepit projectus membra soporem, 156
Anxius insidiis nullis; sed lentus in herbis
Securo pressos somno mandaverat artus:
Stratus humi dulcem capiebat corde quietem:
Ni fors incertos voluisset ducere casus: 160
Cum solitum volvens ad tempus tractibus îsdem
Immanis vario maculatus corpore serpens,
Mersus ut in limo magnos subsideret æstus,
Obvia vibranti lambens gravis ore trilingui,
Squamosos late torquebat nexibus orbes. 165
Pallebant herbæ visus liventis ad auram;
Jam magis atque magis corpus resolubile volvens
Attollit nitidis pectus fulgoribus, et se
Sublimi cervice rapit: dum crista superne
Edita purpureo lucens maculatur amictu, 170
Adspectuque micant flammantia lumina torvo.
Metabat late circum loca; tum videt [herba]
Adversum recubare ducem gregis. Acrior instat
Lumina diffundens intenta, ore obvia torvo
Sæpius arripiens infringere, quod sua quisquam
Ad vada venisset, matura et comparat arma. 176
Ardet mente, furit stridoribus, intonat ore;
Flexibus et versis torquetur corpus in orbes;
Manant sanguineæ per tractus undique guttæ;
Spiritus et rumpit fauces; quo cuncta parante,
Parvulus humoris pastorem exterret alumnus,
Et mortem vitare monet, per spicuia; [namque
Qua diducta genas pandebant lumina gemmis,
Hac senioris erat naturæ pupula telo]
Icta levi. Sic prosiluit furibundus, et illum 185
Obtritum morti misit; cui dissitus omnis
Spiritus excessit membris. Tum torva tenentem
Lumina prospexit serpentem cominus; inde
Impiger, exanimis, vix compos mente, refugit,
Et validum dextra truncum detraxit ab orno; 190
Qui casus sociârit opem numenve deorum,
[Namque illi dederitne vitam casusve deusve]
Prodere sit dubium: voluit sed vincere talem.
Horrida squamosi volventis membra draconis,
Atque reluctantis, crebris fœdeque patentis 195
Ictibus, ossa ferit, qua cingunt tempore cristæ,
Et quod erat tardus, somni languore remoto.
[Nescius adspiciens; timor occæcaverat artus]
Hoc minus implicuit dira formidine mentem;
Tum, postquam vidit cæsum languescere, sedit.
Jamque atro bijuges oriens Erebo cit equos Nox, 201
Et piger aurata procedit Vesper ab Œta,
Cum grege compulso pastor, duplicantibus umbris,
Vadit, et in requiem fessos dare comparat artus.
Cujus ut intravit levior per corpora somnus, 205
Languidaque infuso requiêrunt membra sopore,
Effigies ad eum Culicis devenit, et illi
Tristis ab eventu cecinit convicia mortis.
En quid, ait, meritus, aut quo delatus, acerbas
Cogor adire vices? tua dum mihi carior ipsa 210
Vita fuit vita, rapior per inania Averni.
Tu lentus refoves jucunda membra quiete,
Ereptus tetris e cladibus; at mea Manes
Viscera Lethæas cogunt transnare per undas.
Præda Charontis agor; video ut flagrantia tædis
Lumina [collucent infestis omnia tædis.] 216
[Obvia] Tisiphone serpentibus undique cincta,
Et flammas et sæva quatit mihi verbera Pœna;
Cerberus et diris flagrat latratibus ora,
Anguibus hinc atque hinc horrent cui colla repexis, 220
Sanguineumque micant ardorem luminis orbes.
Ecquid ab officio digressa est gratia, cum te
Restitui superis leti jam limine ab ipso!
Præmia ubi pietatis? ubi pietatis honores?
In vanas abiere vices; et rure recessit 225

Justitia, et prior illa Fides. Instantia vidi
Alterius, sine respectu mea fata relinquens:
Ad pariles agor eventus; fit pœna merenti;
Pœna fit exitium; modo sit dum grata voluntas,
Existat par officium. Feror avia carpens, 230
Avia Cimmerios inter distantia lucos,
Quæ circa tristes densentur in omnia pœnæ.
Nam vinctus sedet immanis serpentibus Otos,
Devinctum mæstus procul adspiciens Ephialten;
Conati cum sint quondam rescindere mundum:
Et Tityos, Latona, tuæ memor anxius iræ, 236
(Implacabilis ira nimis!) jacet alitis esca.
Terreor, ah! tantis insistere terreor umbris,
Ad Stygias revocatus aquas: vix ultimus amni
Exstat, nectareas divûm qui prodidit escas, 240
Gutture ab arenti revolutis fluminis undis.
Quid, saxum procul adverso qui monte revolvit,
Numina contemsisse dolor quem vincit acerbus,
Otia quærentem frustra sibi? quidve puellas,
Dira quibus tædas accendit pronuba Erinnys, 245
(Sicut Hymen præsaga dedit connubia mortis)
Atque alias alio denset super agmine turmas?
Impietate fera vecordem Colchida matrem
Anxia sollicitis meditantem vulnera natis?
An Pandionias miserandas prole puellas? 250
Quarum vox cit Ityn et Ityn, quo Bistonius rex
Orbus epops mæret volucres evectus in auras.
At discordantes Cadmeo semine fratres
Jam truculenta ferunt infestaque lumina corpus
Alter in alterius; jamque aversatur uterque, 255
Impia germani manat quod sanguine dextra.
Heu! heu! mutandus nunquam labor! Auferor ultra
In diversa. Magis distantia limina cerno;
[Læta loca] Elysiamque vagor delatus ad umbram.
Obvia Persephone comites heroïdas urguet 260
Adversas perferre vices. Alcestis ab omni
Inviolata vacat cura, quod sæva mariti
Ipsa suis fatis Admeti fata morata est.
Ecce Ithaci conjux [Laërtiadæ] Icariotis
Fœmineum incorrupta decus: manet et procul illa
Turba ferox juvenum telis confixa mariti. 266
Quid misera Eurydice? tacito mærore recessit,
Poneque respectantem et nunc manet Orphea serum.
Audax ille quidem, qui mitem Cerberon unquam
Credidit, aut ulli Ditis placabile numen, 270
Nec timuit Phlegethonta furentem ardentibus undis,
Nec mæsta obtutu, dira et ferrugine regna,
Defossasque domos, ac Tartara nocte tremenda
Obsita, nec faciles Ditis sine judice sedes,
Judice, post mortem qui vitæ vindicat acta. 275
Sed fortuna favens audacem fecerat Orphea;
Jam rapidi steterant amnes, et spissa ferarum
Blanda voce sequax insiderat arva corona;
Jamque imam viridi radicem emoverat alta
Quercus humo, sequiturque comes, sylvæque sonoros 280
Sponte sua cantus rapiebant cortice amara.
Labentes bijuges etiam per sidera Luna
Pressit equos; et tu currentes, menstrua virgo,
Auditura lyram tenuisti nocte relecta. 284
Hæc eadem potuit, Ditis, te vincere, conjux,
Eurydicenque viro ducendam reddere. Non fas,
Non erat, invitam. Divæ exorabile numen!
Illa quidem, nimium Manes experta severos,
Præceptum signabat iter; nec rettulit intus
Lumina, nec divæ corrupit munera lingua. 290
Sed tu crudelis, crudelis tu magis, Orpheu,
Oscula cara petens rupisti jussa deorum:
Dignus amor venia, gratum si Tartara nôssent
Peccatum ignovisse. Sed et vos sede piorum,
Vos manet, heroës, contra nemus. Hic et uterque 295
Æacides, Peleus nempe et Telamonia virtus,
Per patris secura locantur numina; quorum
Connubius Venus et Virtus injunxit honorem:
Hunc cepit serva, ast illum Nereis amavit.
Assidet his juvenis, sociat quem gloria, fortis,
Acer, inexustis referens a navibus ignes 301
Argolicis Phrygios, torva feritate repulsos.
O quis non repetat talis divortia belli,
Quæ Troës videre viri, videreque Graii!
Teucria cum multo manaret sanguine tellus,
Et Simois Xanthique liquor; Sigeaque propter
Littora cum Troas, sævi ducis Hectoris ira,
Videre in classes inimica mente Pelasgas 308
Vulnera, tela, neces, ignes, inferre paratos.
Ipsa jugis namque Ida patens vernantibus, ipsa
Ida faces altrix cupidis præbebat alumnis,
Omnis ut in cineres Rhœtei littoris ora 312
Classibus ambustis flamma superante daretur.
Hinc erat oppositus contra Telamonius heros,
Objectoque dabat clypeo certamina; et illinc 315
Hector erat, Trojæ summum decus: acer uterque,
Fulminibus cœlo veluti fragor editus alto;
Ignibus hic tædisque furens, si classibus Argos
Eripiat reditus; ille at Vulcania ferro
Vulnera protectis depellere navibus instat. 320
Hic erat Æacides alter, lætatus honore,
Dardaniis alte fuso quod sanguine campis
Hectoreo victor lustravit corpore Trojam.
[Rursus acerba fremunt, Paris hunc quod letat, et hujus
Alma dolis Ithaci virtus quod concidit icta.]
Huic gerit aversos proles Laërtia vultus, 326
Et jam Strymonii Rhesi victorque Dolonis,
Pallade jam lætatur ovans; rursusque tremiscit
Jam Ciconas, jam rursus atrox Læstrygonas horret;
Illum Scylla rapax canibus succincta Molossis,
Ætnæus Cyclops illum, Zanclæa Charybdis, 331
Pallentesque lacus et squalida Tartara terrent.
Hic et Tantalei generis decus amplus Atrides
Assidet, Argivûm lumen; quo flamma regente
Doris Erichthonias prostravit funditus arces.
Reddidit heu Graius pœnas tibi, Troja, ruenti!
[Hellespontiacis obiturus reddidit undis.] 337
Illa vices hominum testata est copia quondam,
Ne quisquam nimium fortunæ munere fidens
Tenderet evectus cœlum super; omne propinquo
Frangitur invidiæ telo decus. Ibat in altum 341
Vis Argeia, petens patriam, ditataque præda
Arcis Erichthoniæ; comes huic erat aura secunda;
Per placidum cursus pelagus; Nereides undis
Innabant, pars inflexas circum acta carinas:
Cum seu cœlesti fato, seu sideris ortu, 346
Undique mutatur cœli nitor; omnia ventis,
Omnia turbinibus sunt concita; jam maris unda
Sideribus certat consurgere, jamque superne
Corripere et soles et sidera cuncta minatur; 350
At ruere in terras cœli fragor. Hic modo læta
Copia, nunc miseris circumdatur anxia fatis,
Immoriturque super fluctus et saxa Capherei,
Euboicas et per cautes Ægæaque late
Littora: tum Phrygiæ passim vaga præda peremtæ 355

Fluctuat omnis in æquoreo navifraga fluctu.
Hic alii sidunt pariles virtutis honore
Heroës, mediisque siti sunt sedibus omnes, 358
Omnes Roma decus magni quos suspicit orbis.
Hic Fabii Deciique, hic est et Horatia virtus,
Hic et fama vetus nullum peritura per ævum
Curtius, in mediis quondam quem sedibus urbis
Devotum tetri consumsit gurgitis haustus;
Mucius et prudens ardorem corpore passus.
[Legitime, cessit cui fracta potentia regis.] 365
Hic Curius, claræ socius virtutis et ille
Fabricius, cessit cui fracta potentia regis.
Jure igitur tales sedes pietatis honorat.
Illic Scipiadæque duces, devota triumphis
Mœnia quos rapidis Libycæ Carthaginis horrent.
Illi laude sua vigeant: ego Ditis opacos 371
Cogor adire lacus, viduatos lumine Phæbi,
Et vastum Phlegethonta, atro quo flumine Minos
Conscelerata pia discernit limina sede.
Ergo jam causam mortis, jam dicere vitæ 375
Verberibus sævo cogunt a judice Pœnæ;
Cum mihi tu sis causa mali, nec conscius adsis;
Sed tolerabilibus curis hæc immemor audis;
Hæc, vana ut, rapidis dimittens somnia ventis.
Digredior, nunquam rediturus. Tu cole fontes
Et virides nemorum sylvas et pascua lætus, 381
Et mea diffusas rapiantur dicta per auras.
Dixit, et extrema tristis cum voce recessit.
Hunc ubi sollicitum dimisit inertia somni:
Ingemuit graviter, mentem æger; nec tulit ultra
Sensibus infusum Culicis de morte dolorem. 386
Quantumcunque sibi vires tribuere seniles,
(Quis tamen infestum pugnans devicerat hostem)
Rivum propter aquæ, viridi sub fronde latentem
Conformare locum parat impiger; hunc et in orbem 390
Destinat, ac ferri capulum repetivit in usum,
Gramineam ut viridi foderet de cespite terram.
Jam memor inceptum peragens sibi cura laborem
Aggestam cumulavit humum; jamque aggere multo
Telluris tumulus formatum crevit in orbem. 395
Quem circum lapidum lævi de marmore formans
Conserit, assiduæ curæ memor: hic et acanthus,
Et rosa purpureo crescit rubicunda colore,
Et violæ genus omne hic est, Spartanaque myrtus,
Atque hyacinthus, et hic Cilici crocus editus antro; 400
Laurus item Phœbi surgens decus; hic rhododaphne,
Liliaque, et roris non avia cura marini,
Herbaque thuris opes priscis imitata Sabinis,
Chrysanthesque, hederæque nitor pallente corymbo,
Et bocchus Libyæ regis memor; hic amarantus
Buphthalmusque virens, et semper florida pinus;
Non illinc Narcissus abest, cui gratia formæ 407
Igne Cupidineo proprios exarsit in artus;
Et quoscunque novant vernantia tempora flores.
Hic tumulus super ingeritur; tum fronte locatur
Elogium, tacita quod format littera voce: 411
Parve culex, pecudum custos tibi tale merenti
Funeris officium vitæ pro munere reddit.

MORETUM.

Jam nox hibernas bis quinque peregerat horas,
Excubitorque diem cantu prædixerat ales,
Simulus exigui cultor cum rusticus agri,
Tristia venturæ metuens jejunia lucis,
Membra levat sensim, vili demissa grabato, 5
Sollicitaque manu tenebras explorat inertes,
Vestigatque focum, læsus quem denique sensit.
Parvulus exusto remanebat stipite fumus,
Et cinis obductæ celabat lumina prunæ.
Admovet his pronam, submissa fronte, lucernam,
Et producit acu stupas humore carentes, 11
Excitat et crebris languentem flatibus ignem;
Tandem concepto tenebræ fulgore recedunt,
Oppositaque manu lumen defendit ab aura,
Et reserat clausa, quæ prævidet, ostia clavi. 15
Fusus erat terra frumenti pauper acervus;
Hinc sibi depromit, quantum mensura patebat,
Quæ bis in octonas excurrit pondere libras.
Inde abit, adsistitque molæ; parvaque tabella,
Quam fixam paries illos servabat in usus, 20
Lumina fida locat; geminos tunc veste lacertos
Liberat, et cinctus villosæ tergore capræ
Præverrit cauda silices gremiumque molarum.
Advocat inde manus operi, partitus utrinque:
Læva ministerio, dextra est intenta labori; 25
Hæc rotat assiduis gyris et concitat orbem.
Tunsa Ceres rapido silicum decurrit ab ictu.
Interdum fessæ succedit læva sorori,
Alternatque vices. Modo rustica carmina cantat,
Agrestique suum solatur voce laborem. 30
Interdum clamat Cybalen; erat unica custos,
Afra genus, tota patriam testante figura;
Torta comam, labroque tumens, et fusca colorem,
Pectore lata, jacens mammis, compressior alvo,
Cruribus exilis, spatiosa prodiga planta; 35
Continuis rimis calcanea scissa rigebant.
Hanc vocat, atque arsura focis imponere ligna
Imperat, et flamma gelidos adolere liquores.
Postquam implevit opus justum versatile finem,
Transfert inde manu fusas in cribra farinas, 40
Et quatit. At remanent summo purgamina dorso;
Subsidit sincera, foraminibusque liquatur
Emundata Ceres. Lævi tum protinus illam
Componit tabula, et tepidas super ingerit undas.
Contrahit admixtos nunc fontes atque farinas; 45
Transversat durata manu, liquidoque coacto
Interdum grumos spargit sale. Jamque subactum
Lævat opus, palmisque suum dilatat in orbem,
Et notat, impressis æquo discrimine quadris.
Infert inde foco (Cybale mundaverat aptum 50
Ante locum) testisque tegit; super aggerat ignes.
Dumque suas peragit Vulcanus testaque partes:
Simulus interea vacua non cessat in hora;
Verum aliam sibi quærit opem; neu sola palato
Sit non grata Ceres, quas jungat, comparat escas.
Non illi suspensa focum carnaria juxta, 56
Durati sale terga suis, truncique, vacabant:
Trajectus medium sparto sed caseus orbem,
Et vetus adstricti fascis pendebat anethi.
Ergo aliam molitur opem sibi providus heros. 60
Hortus erat junctus casulæ, quem vimina pauca
Et calamo recidiva levi munibat arundo;
Exiguus spatio, variis sed fertilis herbis.
Non illi deerat, quod pauperis exigit usus.
[Interdum locuples a paupere plura petebat. 65
Nec sumtus erat illud opus. Sed regula curæ:]
Si quando vacuum casula pluviæve tenebant,
Festave lux; si forte labor cessabat aratro:
Horti opus illud erat. Varias deponere plantas
Nôrat, et occultæ committere semina terræ, 70

Vicinosque apte cura submittere rivos.
Hic olus, hic late fundentes brachia betæ,
Fecundusque rumex, malvæque, inulæque virebant,
Hic siser, et capiti nomen debentia porra,
Hic etiam nocuum capiti gelidumque papaver,
Grataque nobilium requies lactuca ciborum, 76
Et gravis in latum demissa cucurbita ventrem.
Verum hic non domini (quis enim contractior illo ?)
Sed populi proventus erat; nonisque diebus
Venales olerum fasces portabat in urbem; 80
Inde domum cervice levis, gravis ære, redibat,
Vix unquam urbani comitatus merce macelli,
Cepa rubens, sectique famem domat area porri,
Quæque trahunt acri vultus nasturtia morsu,
Intubaque, et Venerem revocans eruca morantem. 85
Tum quoque tale aliquid meditans intraverat hortum.
Ac primum, leviter digitis tellure refossa,
Quatuor educit cum spissis allia fibris;
Inde comas apii graciles, rutamque rigentem
Vellit, et exiguo coriandra trementia filo. 90
Hæc ubi collegit, lætum consedit ad ignem,
Et clara famulam poscit mortaria voce.
Singula tum capitum numeroso cortice nudat,
Et summis spoliat coriis, contemtaque passim
Spargit humi atque abicit. Servatum gramine bulbum 95
Tingit aqua, lapidisque cavum demittit in orbem.
Hinc salis inspergit micas; sale durus adeso
Caseus adjicitur; dictas super ingerit herbas;
Et læva vestem setosa sub inguina fulcit.
Dextera pistillo primum fragrantia mollit 100
Allia; tum pariter misto terit omnia succo.
It manus in gyrum; paulatim singula vires
Deperdunt proprias; color est e pluribus unus:
Nec totus viridis, quia lactea frusta repugnant,
Nec de lacte nitens, quia tot variatur ab herbis.
Sæpe viri nares acer jaculatur apertas 106
Spiritus, et simo damnat sua prandia vultu;
Sæpe manu summa lacrymantia lumina tergit,
Immeritoque furens dicit convicia fumo.
Procedebat opus. Non jam salebrosus, ut ante,
Sed gravior lentos ibat pistillus in orbes. 111
Ergo Palladii guttas instillat olivi,
Exiguique super vires infundit aceti,
Atque iterum commiscet opus, mixtumque retractat.
Tum demum digitis mortaria tota duobus 115
Circuit; inque globum distantia contrahit unum,
Constet ut effecti species nomenque moreti.
Eruit interea Cybale quoque sedula panem;
Quem lætus recipit manibus, pulsoque timore
Jam famis, inque diem securus Simulus illam,
Ambit crura ocreis paribus, tectusque galero 121
Sub juga parentes cogit lorata juvencos,
Atque agit in segetes, et terræ condit aratrum.

Copa.

Copa Syrisca, caput Graia redimita mitella,
Crispum sub crotalo docta movere latus,
Ebria fumosa saltat lasciva taberna,
Ad cubitum raucos excutiens calamos.
Quid juvat æstivo defessum pulvere abesse, 5
Quam potius bibulo decubuisse toro ?
Sunt cupæ, calices, cyathi, rosa, tibia, chordæ,
Et trichila umbriferis frigida arundinibus;
Est et Mænalio quæ garrit dulce sub antro
Rustica pastoris fistula more sonans; 10
Est et vappa, cado nuper diffusa picato;
Est strepitans rauco murmure rivus aquæ;
Sunt etiam croceo violæ de flore corollæ,
Sertaque purpurea lutea mista rosa;
Et quæ virgineo libata Achelois ab amne 15
Lilia vimineis attulit in calathis.
Sunt et caseoli, quos juncea fiscina siccat;
Sunt auctumnali cerea pruna die;
Castaneæque nuces, et suave rubentia mala:
Est hic munda Ceres, est Amor, est Bromius.
Sunt et mora cruenta, et lentis uva racemis; 21
Est pendens junco cæruleus cucumis;
Est tugurî custos armatus falce saligna;
Sed non et vasto est inguine terribilis.
Huc, Calybita, veni: fessus jam sudat asellus: 25
Parce illi; vestrum delicium est asinus.
Nunc cantu crebro rumpunt arbusta cicadæ;
Nunc etiam in gelida sede lacerta latet.
Si sapis, æstivo recubans te prolue vitro;
Seu vis crystallo ferre novos calices. 30
Eja age, pampinea fessus requiesce sub umbra,
Et gravidum roseo necte caput strophio;
Candida formosæ decerpes ora puellæ:
Ah pereat, cui sunt prisca supercilia!
Quid cineri ingrato servas bene olentia serta? 35
Anne coronato vis lapide ista legi?
Pone merum et talos. Pereant, qui crastina curant:
Mors aurem vellens, Vivite, ait: venio.

Ad M. Valerium Messalam.

Pauca mihi, niveo sed non incognita Phœbo,
Pauca mihi doctæ, dicite, Pegasides. [phi,
Victor adest, magni magnum decus ecce trium-
Victor qua terræ, quaque patent maria,
Horrida barbaricæ portans insignia pugnæ, 5
Magnus ut Œnides, utque superbus Eryx;
Nec minus idcirco nostros expromere cantus
Maximus, et sanctos dignus inire choros.
Hoc itaque insuetis jactor magis, optime, curis,
Quid de te possim scribere, quidve tibi. 10
Namque, fatebor enim, quæ maxima deterrendi
Debuit, hortandi maxima causa fuit.
Pauca tua in nostras venerunt carmina chartas,
Carmina cum lingua, tum sale Cecropio;
Carmina quæ Pylium, sæclis accepta futuris, 15
Carmina quæ Pylium vincere digna senem.
Molliter hic viridi patulæ sub tegmine quercus
Mœris pastores et Melibœus erant,
Dulcia jactantes alterno carmina versu,
Qualia Trinacriæ doctus amat juvenis. 20
Certatim ornabant omnes heroida divi,
Certatim divæ munere quæque suo.
Felicem ante alias tanto scriptore puellam!
Altera non fama dixerit esse prior:
Non illa, Hesperidum ni munere capta fuisset, 25
Quæ volucrem cursu vicerat Hippomenem;
Candida cycneo non edita Tyndaris ovo;
Non supero fulgens Cassiopea polo;
Non defensa diu volucrum certamine equorum,
Optabant Graiæ quam sibi quæque manus, 30
Sæpe animam generi pro qua pater impius hausit,
Sæpe rubro Eleis sanguine fluxit humus,
Regia non Semele, non Inachis Acrisione,
Immitti exspectant fulmine, et imbre, Jovem;
Cujus et ob raptum pulsi liquere Penates 35

Tarquinii patrios, filius atque pater,
Illo quo primum dominatus Roma superbos
Mutavit placidis tempore consulibus. [nis;
Multa, neque immeritis, donavit præmia alum-
Præmia Messalis maxima Poplicolis. 40
Nam quid ego immensi memorem studia ista laboris?
Horrida quid duræ tempora militiæ?
Castra foro solitos, urbi præponere castra, 43
Tam procul hoc nato, tam procul hac patria?
Immoderata pati nunc frigora, nuncque calores,
Stertere vel dura posse super silice; 46
Sæpe trucem adverso perlabi sidere pontum,
Sæpe mare audendo vincere, sæpe hiemem;
Sæpe etiam densos immittere corpus in hostes,
Communem belli nec timuisse deum? 50
Nunc celeres Afros, perituraque millia gentes,
Aurea nunc rapidi flumina adire Tagi?
Nunc aliam ex alia bellando quærere gentem,
Vincere et Oceani finibus ulterius?
Non nostrum est, inquam, tantas attingere laudes;
Quin ausim hoc etiam dicere, vix hominum est. 56
Ipsa, hæc ipsa ferent rerum monumenta per orbem,
Ipsa sibi egregium facta decus parient.
Nos ea, quæ tecum finxerunt carmina divi,
Cynthius, et Musæ, Bacchus, et Aglaïe: 60
[Si laudes adspirem, humili sed adire Camena;]
Si patrio Graios carmine adire sales
Possumus: optatis plus jam procedimus ipsis.
Hoc satis est: pingui nil mihi cum populo.

Ad Venerem.

Si mihi susceptum fuerit decurrere munus,
O Paphon, o sedes quæ colis Idalias,
Troïus Æneas Romana per oppida digno
Jam tandem ut tecum carmine vectus eat;
Non ego thure modo, aut picta tua templa tabella 5
Ornabo, et puris serta feram manibus;
Corniger hos aries humiles, et maxima taurus
Victima sacratos tinget honore focos;
Marmoreusque tibi, dea, versicoloribus alis,
In morem picta stabit Amor pharetra 10
Adsis, o Cytherea; tuus te Cæsar Olympo,
Et Surrentini littoris ora vocat.

In Pompeium Magnum, vel in Mithridatem.

Adspice, quem valido subnixum gloria regno
Altius et cœli sedibus extulerat;
Terrarum hic bello magnum concusserat orbem;
Hic reges Asiæ fregerat et populos;
Hic grave servitium tibi, jam tibi, Roma, ferebat: 5
Cetera namque viri cuspide conciderant:
Cum subito in medio rerum certamine præceps
Corruit, e patria pulsus in exilium.
Tale deæ numen; tali mortalia nutu
Fallax momento temporis hora dedit. 10

Ad Villam Syronis.

Villula, quæ Syronis eras, et pauper agelle,
Verum illi domino tu quoque divitiæ, [vi,
Me tibi, et hos una mecum, et quos semper ama-
Si quid de patria tristius audiero,
Commendo, in primisque patrem. Tu nunc eris illi, 5
Mantua quod ferat, quodque Cremona prius.

De Sabino Parodia Catulliana.

Sabinus ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse mulio celerrimus:
Neque ullius volantis impetum cisî
Nequisse præterire, sive Mantuam
Opus foret volare, sive Brixiam. 5
Neque hoc negat Tryphonis æmuli domum
Negare nobilem, insulamve Cæruli:
Ubi iste, post Sabinus, ante Quinctio
Bidente dicit attodisse forfice
Comata colla, nequa sordidum, jugo 10
Premente, dura vulnus ederet juba.
Cremona frigida, et lutosa Gallia,
Tibi hæc fuisse et esse cognitissima
Ait Sabinus; ultima ex origine
Tua stetisse dicit in voragine, 15
Tua in palude deposisse sarcinas,
Et inde tot per orbitosa millia
Jugum tulisse; læva, sive dextera
Strigare mulas, sive utræque cœperant:
Neque ulla vota semitalibus deis 20
Sibi esse facta, propter hoc novissimum,
Paterna lora, proximumque pectinem.
Sed hæc prius fuere; nunc eburnea
Sedetque sede, seque dedicat tibi,
Gemelle Castor, et gemelle Castoris. 25

ALBII TIBULLI CARMINUM LIBRI QUATUOR.

Albius Tibullus, eques Romanus, circiter U. C. 690 natus est, honestis parentibus, amploque patrimonio, quo tamen postea, sive civilium turbarum injuria sive alio quodam casu incertum est, maxima ex parte privatus est, relicto tantum quod homini simplici modestoque satis foret. Rure autem, cujus perquam erat amator, otiosis fere studiis se videtur dedisse, nisi quod M. Valerii Messalæ summi viri clients, idemque contubernalis, bello Aquitanico militaribus donis ornatus fuerit. Quin et Horatium aliosque sibi ingenio cognatos in familiaribus habuit. Cæterum Messalam mari in Asiam euntem comitatus, Corcyræ morbo gravi correptus est, ibique decessit, U. C. 735 vel 736.

LIBER PRIMUS.

ELEGIA I.

Divitias alius fulvo sibi congerat auro,
Et teneat culti jugera multa soli,
Quem labor assiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent:
Me mea paupertas vitæ traducat inerti, 5
Dum meus assiduo luceat igne focus.
Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus, et facili grandia poma manu.
Nec Spes destituat; sed frugum semper acervos
Præbeat, et pleno pinguia musta lacu. 10
Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florea serta lapis:
Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante deo.
Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona 15
Spicea, quæ templi pendeat ante fores;
Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat ut sæva falce Priapus aves.
Vos quoque, felicis quondam, nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera vestra, Lares. 20
Tunc vitula innumeros lustrabat cæsa juvencos:
Nunc agna exigui est hostia magna soli.
Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
Clamet, Io! messes et bona vina date.

* * * * *

Jam modo non possum contentus vivere parvo,
Nec semper longæ deditus esse viæ; 26
Sed Canis æstivos ortus vitare sub umbra
Arboris, ad rivos prætereuntis aquæ.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem,
Aut stimulo tardos increpuisse boves. 30
Non agnamve sinu pigeat, fetumve capellæ
Desertum oblita matre referre domum.
At vos exiguo pecori, furesque lupique,
Parcite; de magno est præda petenda grege.

* * * * *

Hîc ego pastoremque meum lustrare quotannis,
Et placidam soleo spargere lacte Palem. 36
Adsitis, divi; neu vos de paupere mensa
Dona, nec e puris spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitque luto. 40
Non ego divitias patrum, fructusque requiro
Quos tulit antiquo condita messis avo:
Parva seges satis est; satis est, requiescere lecto
Si licet, et solito membra levare toro.
Quam juvat immites ventos audire cubantem,
Et dominam tenero detinuisse sinu! 46
Aut gelidas hibernus aquas cum fuderit Auster,
Securum somnos, imbre juvante, sequi!
Hoc mihi contingat: sit dives jure, furorem
Qui maris et tristes ferre potest pluvias. 50
O quantum est auri potius pereatque smaragdi,
Quam fleat ob nostras ulla puella vias!
Te bellare decet terra, Messala, marique,
Ut domus hostiles præferat exuvias.
Me retinent vinctum formosæ vincla puellæ, 55
Et sedeo duras janitor ante fores.
Non ego laudari curo, mea Delia; tecum
Dummodo sim, quæso, segnis inersque vocer.
Te spectem, suprema mihi cum venerit hora;
Te teneam moriens deficiente manu. 60
Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto,
Tristibus et lacrymis oscula mixta dabis.
Flebis; non tua sunt duro præcordia ferro
Vincta, nec in tenero stat tibi corde silex.
Illo non juvenis poterit de funere quisquam 65
Lumina, non virgo, sicca referre domum.
Tu Manes ne læde meos; sed parce solutis
Crinibus, et teneris, Delia, parce genis.
Interea, dum fata sinunt, jungamus amores;
Jam veniet tenebris Mors adoperta caput. 70
Jam subrepet iners ætas; nec amare decebit,
Dicere nec cano blanditias capite.
Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes
Non pudet, et rixas inseruisse juvat.
Hic ego dux milesque bonus; vos, signa tubæque, 75
Ite procul, cupidis vulnera ferte viris,
Ferte et opes: ego, composito securus acervo,
Despiciam dites, despiciamque famem.

ELEGIA II.

Adde merum, vinoque novos compesce dolores,
Occupet ut fessi lumina victa sopor;
Neu quisquam multo perfusum tempora Baccho

Excitet, infelix dum requiescit amor.
Nam posita est nostræ custodia sæva puellæ, 5
Clauditur et dura janua fulta sera.
Janua difficilis dominæ, te verberet imber;
Te Jovis imperio fulmina missa petant.
Janua, jam pateas uni mihi, victa querelis;
Neu furtim verso cardine aperta sones. 10
Et mala siqua tibi dixit dementia nostra,
Ignoscas; capiti sint, precor, illa meo.
Te meminisse decet, quæ plurima voce peregi
Supplice, cum posti florea serta darem.
Tu quoque ne timide custodes, Delia, falle: 15
Audendum est: fortes adjuvat ipsa Venus.
Illa favet, seu quis juvenis nova limina tentat,
Seu reserat fixo dente puella fores.
Illa docet furtim molli descendere lecto,
Illa pedem nullo ponere posse sono; 20
Illa viro coram nutus conferre loquaces,
Blandaque compositis abdere verba notis.
Nec docet hoc omnes, sed quos nec inertia tardat,
Nec vetat obscura surgere nocte timor.
Nec sinit, occurrat quisquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta præmia veste petat. 26
Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque
Qualibet: insidias non timuisse decet.
Non mihi pigra nocent hibernæ frigora noctis,
Non mihi, cum multa decidit imber aqua. 30
Non labor hic lædit; reseret modo Delia postes,
Et vocet ad digiti me taciturna sonum.
Parcite luminibus, seu vir, seu fœmina fias
Obvia: celari vult sua furta Venus.
Neu strepitu terrete pedum, neu quærite nomen,
Neu prope fulgenti lumina ferte face. 36
Siquis et imprudens adspexerit, occulat ille,
Perque deos omnes se meminisse neget.
Nam, fuerit quicumque loquax, is sanguine natam,
Is Venerem e rapido sentiet esse mari. 40
Nec tamen huic credet conjux tuus; ut mihi verax
Pollicita est magico saga ministerio.
Hanc ego de cœlo ducentem sidera vidi:
Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter:
Hæc cantu finditque solum, Manesque sepulcris
Elicit, et tepido devocat ossa rogo. 46
Jam tenet infernas magico stridore catervas,
Jam jubet adspersas lacte referre pedem.
Cum libet, hæc tristi depellit nubila cœlo;
Cum libet, æstivo convocat orbe nives. 50
Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas,
Sola feros Hecatæ perdomuisse canes.
Hæc mihi composuit cantus, quîs fallere posses.
Ter cane; ter dictis despue carminibus:
Ille nihil poterit de nobis credere cuiquam, 55
Non sibi, si in molli viderit ipse toro.
Tu tamen abstineas aliis; nam cætera cernet
Omnia: de me uno sentiet ipse nihil.
Quid credam? nempe hæc eadem se dixit amores
Cantibus aut herbis solvere posse meos; 60
Et me lustravit tædis; et nocte serena
Concidit ad magicos hostia pulla deos.
Non ego, totus abesset amor, sed mutuus esset,
Orabam; nec te posse carere velim.
* * * * *
Ferreus ille fuit, qui, te cum posset habere, 65
Maluerit prædas stultus et arma sequi.
Ille licet Cilicum victas agat ante catervas,
Ponat et in capto Martia castra solo;
Totus et argento contextus, totus et auro,
Insideat celeri conspiciendus equo. 70
Ipse boves, mea, sim tecum modo, Delia, possim
Jungere, et in solo pascere monte pecus;
Et, te dum liceat teneris retinere lacertis,
Mollis in inculta sit mihi somnus humo.
Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo 75
Prodest, cum fletu nox vigilanda venit?
Nam neque tum plumæ, nec stragula picta soporem,
Nec sonitus placidæ ducere possit aquæ.
* * * * *
Num Veneris magnæ violavi numina verbo,
Et mea nunc pœnas impia lingua luit? 80
Num feror incestus sedes adiisse deorum,
Sertaque de sanctis deripuisse focis?
Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus;
Non ego tellurem genibus perrepere supplex, 85
Et miserum sancto tundere poste caput.
At tu, qui lætus rides mala nostra, caveto
Mox tibi; non unus sæviet usque deus.
Vidi ego, qui juvenum miseros lusisset amores,
Post Veneris vinclis subdere colla senem; 90
Et sibi blanditias tremula componere voce,
Et manibus canas fingere velle comas;
Stare nec ante fores puduit, caræve puellæ
Ancillam medio detinuisse foro.
Hunc puer, hunc juvenis turba circumterit arcta; 95
Despuit in molles et sibi quisque sinus.
At mihi parce, Venus: semper tibi dedita servit
Mens mea: quid messes uris, acerba, tuas?

ELEGIA III.

Ibitis Ægeas sine me, Messala, per undas,
O utinam memores, ipse cohorsque, mei!
Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris.
Abstineas avidas, Mors, precor, atra, manus!
Abstineas, Mors atra, precor; non hic mihi mater, 5
Quæ legat in mæstos ossa perusta sinus;
Non soror, Assyrios cineri quæ dedat odores,
Et fleat effusis ante sepulcra comis;
Delia non usquam est; quæ, me quam mitteret urbe,
Dicitur ante omnes consuluisse deos. 10
Illa sacras pueri sortes ter sustulit: illi
Rettulit e triviis omina certa puer.
Cuncta dabant reditus: tamen est deterrita nunquam,
Quin fleret, nostras respiceretque vias.
Ipse ego solator, cum jam mandata dedissem, 15
Quærebam tardas anxius usque moras.
Aut ego sum causatus aves, aut omina dira,
Saturni aut sacram me tenuisse diem.
O quoties, ingressus iter, mihi tristia dixi
Offensum in porta signa dedisse pedem! 20
Audeat invito nequis discedere Amore;
Aut sciat egressum se prohibente deo.
Quid tua nunc Isis mihi, Delia, quid mihi prosunt
Illa tua toties æra repulsa manu?
Quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari 25
Te (memini) et puro secubuisse toro?
Nunc, dea, nunc succurre mihi: nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis:
Ut mea votivas persolvens Delia voces
Ante sacras, lino tecta, fores sedeat; 30
Bisque die, resoluta comas, tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia:

At mihi contingat patrios celebrare penates,
Reddereque antiquo menstrua thura Lari.
Quam bene Saturno vivebant rege, prius quam
Tellus in longas est patefacta vias! 36
Nondum cæruleas pinus contemserat undas,
Effusum ventis præbueratque sinum;
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Presserat externa navita merce ratem. 40
Illo non validus subiit juga tempore taurus;
Non domito frenos ore momordit equus;
Non domus ulla fores habuit; non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva lapis.
Ipsæ mella dabant quercus; ultroque ferebant 45
Obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella; nec ensem
Immiti sævus duxerat arte faber.
Nunc Jove sub domino cædes, nunc vulnera semper;
Nunc mare; nunc leti multa reperta via. 50
Parce, pater; timidum non me perjuria terrent,
Non dicta in sanctos impia verba deos.
Quod si fatales jam nunc explevimus annos,
Fac lapis his scriptus stet super ossa notis:
"Hic jacet immiti consumtus morte Tibullus,
Messalam terra dum sequiturque mari." 56
Sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,
Ipsa Venus campos ducet ad Elysios.
Hic choreæ cantusque vigent, passimque vagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aves. 60
Fert casiam non culta seges, totosque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.
Hic juvenum series teneris immixta puellis
Ludit, et assidue prœlia miscet Amor.
Illic est, cuicumque rapax mors venit amanti, 65
Et gerit insigni myrtea serta coma.
At scelerata jacet sedes in nocte profunda
Abdita, quam circum flumina nigra sonant:
Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues
Sævit, et huc illuc impia turba fugit. 70
Tum niger intorto serpentum Cerberus ore
Stridit, et æratas excubat ante fores.
Illic Junonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota;
Porrectusque novem Tityus per jugera terræ 75
Assiduas atro viscere pascit aves.
Tantalus est illic, et circum stagna; sed acrem
Jamjam poturi deserit unda sitim:
Et Danai proles, Veneris quæ numina læsit,
In cava Lethæas dolia portat aquas. 80
Illic sit, quicunque meos violavit amores,
Optavit lentas et mihi militias.
At tu casta, precor, maneas; sanctique pudoris
Assideat custos sedula semper anus.
Hæc tibi fabellas referat, positaque lucerna 85
Deducat plena stamina longa colo:
Ac circa gravibus pensis affixa puella
Paulatim somno fessa remittat opus.
Tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante:
Sed videar cœlo missus adesse tibi. 90
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
Obvia nudato, Delia, curre pede.
Hoc precor: hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

ELEGIA IV.

Sic umbrosa tibi contingant tecta, Priape,
Ne capiti soles, ne noceantque nives:
Quæ tua formosos cepit sollertia? certe
Non tibi barba nitet, non tibi culta coma est;
Nudus et hibernæ producis frigora brumæ, 5
Nudus et æstivi tempora sicca Canis.
Sic ego. Tum Bacchi respondet rustica proles,
Armatus curva, sic mihi, falce deus:
O fuge te teneræ puerorum credere turbæ;
Nam causam justi semper amoris habent. 10
Hic placet, angustis quod equum compescit habenis;
Hic placidam niveo pectore pellit aquam.
Hic, quia fortis adest audacia, cepit; at illi
Virgineus teneras stat pudor ante genas.
Sed te ne capiant, primo si forte negarit, 15
Tædia; paulatim sub juga colla dabit.
Longa dies homini docuit parere leones;
Longa dies molli saxa peredit aqua.
Annus in apricis maturat collibus uvas;
Annus agit certa lucida signa vice. 20
Nec jurare time: Veneris perjuria venti
Irrita per terras et freta summa ferunt.
Gratia magna Jovi; vetuit pater ipse valere,
Jurasset cupide quicquid ineptus amor.
Perque suas impune sinit Dictynna sagittas 25
Affirmes, crines perque Minerva suos.
At si tardus eris, errabis: transiit ætas
Quam cito! non segnis stat remeatve dies.
Quam cito purpureos deperdit terra colores!
Quam cito formosas populus alba comas! 30
Quam jacet, infirmæ venere ubi fata senectæ,
Qui prior Eleo est carcere missus equus!
Vidi ego jam juvenem, premeret cum serior ætas,
Mærentem stultos præteriisse dies.
Crudeles divi! serpens novus exuit annos; 35
Formæ non ullam fata dedere moram.
Solis æterna est Phœbo Bacchoque juventas;
Nam decet intonsus crinis utrumque deum.
Tu, puero quodcunque tuo tentare libebit,
Cedas: obsequio plurima vincit amor. 40
Neu comes ire neges, quamvis via longa paretur,
Et Canis arenti torreat arva siti;
Quamvis, prætexens picea ferrugine cœlum,
Venturam admittat imbrifer arcus aquam.
Vel si cæruleas puppi volet ire per undas, 45
Ipse levem remo per freta pelle ratem.
Nec te pœniteat duros subiisse labores,
Aut opere insuetas atteruisse manus;
Nec, velit insidiis altas si claudere valles,
Dum placeas, humeri retia ferre negent. 50
Si volet arma, levi tentabis ludere dextra;
Sæpe dabis nudum, vincat ut ille, latus.
Tunc tibi mitis erit; rapias tum cara licebit
Oscula: pugnabit; sed tamen apta dabit.
Rapta dabit primo; mox offeret ipse roganti; 55
Post etiam collo se implicuisse volet.
Heu! male nunc artes miseras hæc sæcula tractant:
Jam tener assuevit munera velle puer.
At tibi, qui Venerem docuisti vendere primus,
Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis. 60
Pieridas, pueri, doctos et amate poëtas;
Aurea nec superent munera Pieridas.
Carmine purpurea est Nisi coma; carmina ni sint,
Ex humero Pelopis non nituisset ebur.
Quem referent Musæ, vivet, dum robora tellus,
Dum cœlum stellas, dum vehet amnis aquas.
At qui non audit Musas, qui vendit amorem, 67
Idææ currus ille sequatur Opis,
Et ter centenas erroribus expleat urbes,

Et secet ad Phrygios vilia membra modos. 70
Blanditiis vult esse locum Venus ipsa; querelis
Supplicibus, miseris fletibus illa favet.
Hæc mihi, quæ canerem Titio, deus edidit ore;
Sed Titium conjux hæc meminisse vetat.
Pareat ille suæ: vos me celebrate magistrum, 75
Quos male habet multa callidus arte puer.
Gloria cuique sua est: me, qui spernentur, amantes
Consultent; cunctis janua nostra patet.
Tempus erit, cum me Veneris præcepta ferentem
Deducat juvenum sedula turba senem. 80
Heu heu! quam lento Marathus me torquet amore!
Deficiunt artes, deficiuntque doli.
Parce, puer, quæso, ne turpis fabula fiam,
Cum mea ridebunt vana magisteria.

ELEGIA V.

Asper eram, et bene dissidium me ferre loquebar;
At mihi nunc longe gloria fortis abest.
Namque agor, ut per plana citus sola verbere turbo,
Quem celer assueta versat ab arte puer.
Ure ferum, et torque: libeat ne dicere quidquam
Magnificum posthac, horrida verba doma. 6
Parce tamen, per te furtivi fœdera lecti,
Per Venerem, quæso, compositumque caput.
Ille ego, cum tristi morbo defessa jaceres,
Te dicor votis eripuisse meis: 10
Ipseque ter circum lustravi sulfure puro,
Carmine cum magico præcinuisset anus.
Ipse ego curavi, ne possent sæva nocere
Somnia, ter sancta deveneranda mola.
Ipse ego, velatus filo, tunicisque solutis, 15
Vota novem Triviæ nocte silente dedi.
Omnia persolvi: fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix utitur ille meis.
At mihi felicem vitam, si salva fuisses,
Fingebam demens, sed renuente deo. 20
Rura colam, frugumque aderit mea Delia custos,
Area dum messes, sole calente, teret;
Aut mihi servabit plenis in lintribus uvas,
Pressaque veloci candida musta pede.
Consuescet numerare pecus; consuescet amantis
Garrulus in dominæ ludere verna sinu. 26
Illa deo sciet agricolæ pro vitibus uvam,
Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.
Illa regat cunctos; illi sint omnia curæ,
Et juvet in tota me nihil esse domo. 30
Huc veniet Messala meus, cui dulcia poma
Delia selectis detrahet arboribus.
[Et tantum venerata virum, hunc sedula curet;
Huic paret, atque epulas ipsa ministra gerat.]
Hæc mihi fingebam, quæ nunc Eurusque Notusque 35
Jactat odoratos vota per Armenios.

* * * * *

Sæpe ego tentavi curas depellere vino;
At dolor in lacrymas verterat omne merum.
Sæpe aliam tenui; sed, jam cum gaudia adirem,
Admonuit dominæ deseruitque Venus. 40
Tunc me devotum descendens femina dixit,
Et (pudet heu!) narrat scire nefanda mea.
Non facit hoc verbis; facie tenerisque lacertis
Devovet, et flavis nostra puella comis.
Talis ad Hæmonium Nereïs Pelea quondam 45
Vecta est frenato cærula pisce Thetis.
Hæc nocuere mihi: quod adest huic dives amator;
Venit in exitium callida lena meum.
Sanguineas edat illa dapes, atque ore cruento
Tristia cum multo pocula felle bibat. 50
Hanc volitent animæ circum sua fata querentes
Semper, et e tectis strix violenta canat.
Ipsa fame stimulante furens herbasque sepulcris
Quærat, et a sævis ossa relicta lupis;
Currat et inguinibus nudis, ululetque per urbes;
Post agat e triviis aspera turba canum. 56
Evenient: dat signa deus; sunt numina amanti,
Sævit et injusta lege relicta Venus.
At tu quam primum sagæ præcepta rapacis
Desere; non donis vincitur omnis amor. 60
Pauper erit præsto tibi; præsto pauper adibit
Primus, et in tenero fixus erit latere;
Pauper in angusto fidus comes agmine turbæ
Subjicietque manus, efficietque viam.
Pauper ad occultos furtim deducit amicos, 65
Vinclaque de niveo detrahit ipse pede.
Heu canimus frustra: nec verbis victa fatiscit
Janua, sed plena est percutienda manu.

* * * * *

At tu, qui potior nunc es, mea fata timeto:
Versatur celeri fors levis orbe rotæ. 70
Non frustra quidam jam nunc in limine perstat
Sedulus, ac crebro prospicit, ac refugit;
Et simulat transire domum, mox deinde recurrit
Solus; et ante ipsas exscreat usque fores.
Nescio quid furtivus amor parat: utere, quæso,
Dum licet; in liquida nat tibi linter aqua.

ELEGIA VI.

Semper, ut inducar, blandos offers mihi vultus;
Post tamen es misero tristis et asper, Amor.
Quid tibi, sæve puer, mecum est? an gloria magna
Insidias homini composuisse deum?
Jam mihi tenduntur casses; jam Delia furtim 5
Nescio quem tacita callida nocte fovet.
Illa quidem jurata negat: sed credere durum est.
Sic etiam de me pernegat usque viro.
Ipse miser docui, quo posset ludere pacto 9
Custodes: heu heu, nunc premor arte mea.
Fingere tunc didicit causas, cur sola cubaret;
Cardine tunc tacito vertere posse fores.
Tum succos herbasque dedi, quis livor abiret,
Quem facit impresso mutua dente Venus.
At tu, fallacis conjux incaute puellæ, 15
Me quoque servato, peccet ut illa minus.
Neu juvenes celebret multo sermone, caveto;
Neve cubet laxo pectus aperta sinu;
Neu te decipiat nutu, digitoque liquorem
Ne trahat, et mensæ ducat in orbe notas. 20
Exibit cum sæpe, time; seu visere dicet
Sacra Bonæ, maribus non adeunda, Deæ.
At, mihi si credas, illam sequar unus ad aras.
Tunc mihi non oculis sit timuisse meis.
Sæpe, velut gemmas ejus signumve probarem,
Per causam memini me tetigisse manum. 26
Sæpe mero somnum peperi tibi; at ipse bibebam
Sobria supposita pocula victor aqua.
Non ego te læsi prudens; ignosce fatenti:
Jussit Amor: contra quis ferat arma deos? 30
Ille ego sum (nec me jam dicere vera pudebit)
Instabat tota cui tua nocte canis.
Quid tenera tibi conjuge opus? tua si bona nescis

Servare, ah frustra clavis inest foribus.
Te tenet; absentes alios suspirat amores, 35
Et simulat subito condoluisse caput.
At mihi servandam credas; non sæva recuso
Verbera, detrecto non ego vincla pedum.
Tunc procul absitis, quisquis colis arte capillos,
Effluit effuso cui toga laxa sinu. 40
Quisquis et occurret, ne possit crimen habere,
Stet procul ante, alia stet procul ante via.
Sic fieri jubet ipse deus; sic magna sacerdos
Est mihi divino vaticinata sono.
Hæc, ubi Bellonæ motu est agitata, nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet. 46
Ipsa bipenne suos cædit violenta lacertos,
Sanguineque effuso spargit inulta deam:
Statque latus præfixa veru, stat saucia pectus;
Et canit eventus, quos dea magna monet: 50
"Parcite, quam custodit Amor, violare puellam,
Ne pigeat magno post didicisse malo.
Attigeris; labentur opes, ut vulnere nostro
Sanguis, ut hic ventis diripiturque cinis."
Et tibi nescio quas dixit, mea Delia, pœnas; 55
Si tamen admittas, sit precor illa levis.
Non ego te propter parco tibi: sed tua mater
Me movet, atque iras aurea vincit anus.
Hæc mihi te adducit tenebris, multoque timore
Conjungit nostras clam taciturna manus. 60
Hæc foribusque manet noctu me affixa, proculque
Cognoscit strepitus, me veniente, pedum.
Vive diu mihi, dulcis anus; proprios ego tecum,
Sit modo fas, annos contribuisse velim. 64
Te semper, natamque tuam te propter, amabo.
Quicquid agat, sanguis est tamen illa tuus.
Sit modo casta doce; quamvis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.
Et mihi sint duræ leges; laudare nec ullam 69
Possim ego, quin oculos appetat illa meos.
Et si quid peccasse puter, ducterque capillis
Immerito, pronas proripiarque vias;
Non ego te pulsare velim; sed, venerit iste
Si furor, optarim non habuisse manus.
Nec sævo sis casta metu; sed mente fideli 75
Mutuus absenti te mihi servet amor.
At quæ fida fuit nulli, post, victa senecta,
Ducit inops tremula stamina torta manu,
Firmaque conductis annectit licia telis,
Tractaque de niveo vellere ducta putat. 80
Hanc animo gaudente vident, juvenumque catervæ
Commemorant merito tot mala ferre senem.
Hanc Venus ex alto flentem sublimis Olympo
Spectat, et, infidis quam sit acerba, monet.
Hæc aliis maledicta cadant: nos, Delia, amoris
Exemplum cana stemus uterque coma.

ELEGIA VII.

Hunc cecinere diem Parcæ fatalia nentes
Stamina, non ulli dissoluenda deo;
Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atur.
Evenere; novos pubes Romana triumphos 5
Vidit, et evinctos brachia capta duces.
At te victrices lauros, Messala, gerentem
Portabat niveis currus eburnus equis.
Non sine me tibi partus honos. Tarbella Pyrene
Testis, et Oceani littora Santonici: 10
Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna,
Carnuti et flavi cærula lympha Liger.
An te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis
Cæruleis placidus per vada serpis aquis?
Quantus et ætherio contingat vertice nubes 15
Frigidus intonsos Taurus alat Cilicas?
Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palæstino sancta columba Syro?
Utque maris vastum prospectet turribus æquor
Prima ratem ventis credere docta Tyros? 20
Qualis et, arentes cum findit Sirius agros,
Fertilis æstiva Nilus abundet aqua?
Nile pater, quanam possum te dicere causa,
Aut quibus in terris, occuluisse caput?
Te propter nullos tellus tua postulat imbres, 25
Arida nec Pluvio supplicat herba Jovi.
Te canit, atque suum pubes miratur Osirim
Barbara, Memphiten plangere docta bovem.
Primus aratra manu sollerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitavit humum. 30
Primus inexpertæ commisit semina terræ,
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem;
Hic viridem dura cædere falce comam.
Illi jucundos primum matura sapores 35
Expressa incultis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit et ad certos nescia membra modos.
Bacchus et agricolæ magno confecta labore
Pectora lætitia dissoluenda dedit: 40
Bacchus et afflictis requiem mortalibus affert,
Crura licet dura compede pulsa sonent.
Non tibi sunt tristes curæ, nec luctus, Osiri,
Sed chorus, et cantus, et levis aptus amor;
Sed varii flores, et frons redimita corymbis, 45
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes,
Et Tyriæ vestes, et dulcis tibia cantu,
Et levis occultis conscia cista sacris.
Huc ades, et Genium ludis Geniumque choreis
Concelebra, et multo tempora funde mero. 50
Illius e nitido stillent unguenta capillo;
Et capite et collo mollia serta gerat.
Sic venias, hodierne: tibi dum thuris honores,
Liba et Mopsopio dulcia melle feram.
At tibi succrescat proles, quæ facta parentis 55
Augeat, et circa stet veneranda senem.
Nec taceat monimenta viæ, quem Tuscula tellus,
Candida quem antiquo detinet Alba Lare.
Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur; hic apta jungitur arte silex. 60
Te canet agricola, e magna cum venerit urbe
Serus, inoffensum rettuleritque pedem.
At tu, natalis, multos celebrande per annos,
Candidior semper candidiorque veni.

ELEGIA VIII.

Non ego celari possim, quid nutus amantis,
Quidve ferant miti lenia verba sono.
Nec mihi sunt sortes, nec conscia fibra deorum;
Præcinit eventus nec mihi cantus avis:
Ipsa Venus magico religatum brachia nodo 5
Perdocuit, multis non sine verberibus.
Desine dissimulare; deus crudelius urit,
Quos videt invitos succubuisse sibi.
Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos,
Sæpeque mutatas disposuisse comas? 10
Quid succo splendente genas onerasse? quid ungues
Artificis docta subsecuisse manu?
Frustra jam vestes, frustra mutantur amictus,
Ansaque compressos colligit arcta pedes.

Ipsa placet, quamvis inculto venerit ore, 15
Nec nitidum tarda comserit arte caput.
Num te carminibus, num te pollentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus?
Cantus vicinis fruges traducit ab agris:
Cantus et iratæ detinet anguis iter: 20
Cantus et e curru Lunam deducere tentat;
Et faceret, si non æra repulsa sonent.
Quid queror (heu) misero carmen nocuisse? quid herbas?
Forma nihil magicis utitur auxiliis:
Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse 25
Oscula, sed femori conseruisse femur.
Nec tu difficilis puero tamen esse memento;
Persequitur pœnis tristia facta Venus.
Munera ne poscas: det munera canus amator,
Ut foveas molli frigida membra sinu. 30
Carior est auro juvenis, cui lævia fulgent
Ora, nec amplexus aspera barba terit.
Huic tu candentes humero suppone lacertos,
Et regum magnæ despiciantur opes.
At Venus inveniet puero succumbere furtim, 35
Dum tumet, et teneros conserit usque sinus,
Et dare anhelanti pugnantibus humida linguis
Oscula, et in collo figere dente notas.
Non lapis hanc gemmæque juvent, quæ frigore sola
Dormiat; et nulli sit cupienda viro. 40
Heu sero revocatur amor, seroque juventas,
Cum vetus infecit cana senecta caput.
Tum studium formæ; coma tum mutatur, ut annos
Dissimulet viridi cortice tincta nucis.
Tollere tunc cura est albos a stirpe capillos, 45
Et faciem demta pelle referre novam.
At tu, dum primi floret tibi temporis ætas,
Utere; non tardo labitur illa pede.
Neu Marathum torque; puero quæ gloria victo?
In veteres esto dura, puella, senes. 50
Parce precor tenero; non illi sontica causa est;
Sed nimius luto corpora tingit amor.
Ah miser absenti mæstas quam sæpe querelas
Conjicit, et lacrymis omnia plena madent!
Quid me spernit? ait: poterat custodia vinci:
Ipse dedit cupidis fallere posse deus. 56
Nota Venus furtiva mihi est; ut lenis agatur
Spiritus, ut nec dent oscula rapta sonum.
Et possim media quamvis obrepere nocte,
Et strepitu nullo clam reserare fores. 60
Quid prosunt artes, miserum si spernit amantem,
Et fugit ex ipso sæva puella toro?
Vel cum promittit, subito sed perfida fallit;
Est mihi nox multis evigilanda modis.
Dum mihi venturam fingo quodcunque movetur,
Illius credo tunc sonuisse pedem. 66
Desistas lacrymare, puer: non frangitur illa;
Et tua jam fletu lumina fessa tument.
Oderunt, Pholoë, (moneo) fastidia divi;
Nec prodest sanctis thura dedisse focis. 70
Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes,
Nescius ultorem post caput esse deum.
Sæpe etiam lacrymas fertur risisse dolentis,
Et cupidum ficta detinuisse mora.
Nunc omnes odit fastus; nunc displicet illi, 75
Quæcunque apposita est janua dura sera.
At te pœna manet, ni desinis esse superba.
Quam cupies votis hunc revocare diem!

ELEGIA IX.

Quid mihi, si fueras miseros læsurus amores,
Fœdera per divos, clam violanda, dabas?
Ah miser! et si quis primo perjuria celat,
Sera tamen tacitis Pœna venit pedibus.
Parcite cœlestes: æquum est impune licere 5
Numina formosis lædere vestra semel.
Lucra petens habili tauros adjungit aratro,
Et durum terræ rusticus urget opus.
Lucra petituras freta per parentia ventis
Ducunt instabiles sidera certa rates. 10
Muneribus meus est captus puer; at deus illa
In cinerem et liquidas munera vertat aquas.
Jam mihi persolvet pœnas; pulvisque decorem
Detrahet, et ventis horrida facta coma.
Uretur facies, urentur sole capilli; 15
Deteret invalidos et via longa pedes.
Admonui quoties: "Auro ne pollue formam;
Sæpe solent auro multa subesse mala.
Divitiis captus siquis violavit amorem,
Asperaque est illi difficilisque Venus. 20
Ure meum potius flamma caput, et pete ferro
Corpus, et intorto verbere terga seca.
Nec tibi celandi spes sit peccare paranti;
Est deus, occultos qui vetat esse dolos.
Ipse deus tacito permisit lena ministro 25
Ederet ut multo libera verba mero.
Ipse deus somno domitos emittere vocem
Jussit, et invitos facta tegenda loqui."
Hæc ego dicebam; nunc me flevisse loquentem,
Nunc pudet ad teneros procubuisse pedes. 30
Tunc mihi jurabas, nullo te divitis auri
Pondere, non gemmis vendere velle fidem;
Non tibi si pretium Campania terra daretur,
Non tibi si Bacchi cura Falernus ager.
Illis eriperes verbis mihi, sidera cœlo 35
Lucere, et puras fulminis esse vias.
Quin etiam flebas: at, non ego fallere doctus,
Tergebam humentes credulus usque genas.
Quid faceres, nisi et ipse fores in amore puellæ?
Sit, precor, exemplo sit levis illa tuo! 40
O quoties, verbis ne quisquam conscius esset,
Ipse comes multa lumina nocte tuli!
Sæpe insperanti venit tibi munere nostro,
Et latuit clausas post adoperta fores.
Tum miser interii, stulte confisus amari: 45
Nam poteram ad laqueos cautior esse tuos.
Quin etiam attonita laudes tibi mente canebam:
At me nunc nostri Pieridumque pudet.
Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma
Torreat, et liquida deleat amnis aqua. 50
Tu procul hinc absis, cui formam vendere cura est,
Et pretium plena grande referre manu.
At te, qui puerum donis corrumpere es ausus,
Rideat assiduis uxor inulta dolis;
Et, cum furtivo juvenem lassaverit usu, 55
Tecum interposita languida veste cubet.
Semper sint externa tuo vestigia lecto,
Et pateat cupidis semper aperta domus:
Nec lasciva soror dicatur plura bibisse
Pocula, vel plures emeruisse viros. 60
Illam sæpe ferunt convivia ducere Baccho,
Dum rota Luciferi provocet orta diem.
Illa nulla queat melius consumere noctem,
Aut operum varias disposuisse vices.
At tua perdidicit; nec tu, stultissime, sentis, 65
Cum tibi non solita corpus ab arte movet.
Tune putas illam pro te disponere crines,
Aut tenues denso pectere dente comas?
Ista hæc persuadet facies, auroque lacertos
Vinciat, et Tyrio prodeat apta sinu? 70
Non tibi, sed juveni cuidam vult bella videri,

Devoveat pro quo remque domumque tuam.
Nec facit hoc vitio; sed corpora fœda podagra,
Et senis amplexus, culta puella fugit.
Huic tamen accubuit noster puer; hunc ego credam 75
Cum trucibus Venerem jungere posse feris.
Blanditiasne meas aliis tu vendere es ausus?
Tune aliis demens oscula ferre mea?
Tunc flebis, cum me vinctum puer alter habebit,
Et geret in gremio regna superba tuo. 80
At tua tum me pœna juvet; Venerique merenti
Fixa notet casus aurea palma meos:
"Hanc tibi fallaci resolutus amore Tibullus
Dedicat, et grata sis, dea, mente rogat."

ELEGIA X.

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus, et vere ferreus ille fuit!
Tunc cædes hominum generi, tunc prœlia nata;
Tunc brevior diræ mortis aperta via est.
At nihil ille miser meruit: nos ad mala nostra 5
Vertimus, in sævas quod dedit ille feras.
Divitis hoc vitium est auri: nec bella fuerunt,
Faginus adstabat cum scyphus ante dapes;
Non arces, non vallus erat; somnumque petebat
Securus varias dux gregis inter oves. 10
Tunc mihi vita foret, vulgi nec tristia nossem
Arma, nec audîssem corde micante tubam!
Nunc ad bella trahor; et jam quis forsitan hostis
Hæsura in nostro tela gerit latere.
Sed patrii servate Lares; aluistis et îdem, 15
Cursarem vestros cum tener ante pedes.
Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos;
Sic veteris sedes incoluistis avi.
Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde deus. 20
Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,
Seu dederat sanctæ spicea serta comæ.
Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat,
Postque comes purum filia parva favum.
At nobis ærata, Lares, depellite tela: 25
Hostia erit plena rustica porcus hara;
Hanc pura cum veste sequar, myrtoque canistra
Vincta geram, myrto vinctus et ipse caput.
Sic placeam vobis: alius sit fortis in armis,
Sternat et adversos Marte favente duces; 30
Ut mihi potanti possit sua dicere facta
Miles, et in mensa pingere castra mero.
Quis furor est atram bellis arcessere mortem?
Imminet, et tacito clam venit illa pede.
Non seges est infra, non vinea culta; sed audax
Cerberus, et Stygiæ navita turpis aquæ. 36
Illic exesisque genis ustoque capillo
Errat ad obscuros pallida turba lacus.
Quam potius laudandus hic est, quem prole parata
Occupat in parva pigra senecta casa! 40
Ipse suas sectatur oves, at filius agnos;
Et calidam fesso comparat uxor aquam.
Sic ego sim; liceatque caput candescere canis,
Temporis et prisci facta referre senem.
Interea Pax arva colat. Pax candida primum 45
Duxit araturos sub juga curva boves.
Pax aluit vites, et succos condidit uvæ,
Funderet ut nato testa paterna merum.
Pace bidens vomerque vigent: at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs. 50
Rusticus e lucoque vehit, male sobrius ipse,
Uxorem plaustro progeniemque domum.
Sed Veneris tum bella calent; scissosque capillos
Fœmina, perfractas conqueriturque fores.
Flet teneras subtusa genas; sed victor et ipse
Flet sibi dementes tam valuisse manus. 56
At lascivus amor rixæ mala verba ministrat,
Inter et iratum lentus utrumque sedet. [lam
Ah! lapis est ferrumque, suam quicunque puel-
Verberat: e cœlo deripit ille deos. 60
Sit satis e membris tenuem rescindere vestem;
Sit satis ornatus dissoluisse comæ;
Sit lacrymas movisse satis; quater ille beatus,
Quo tenera irato flere puella potest.
Sed manibus qui sævus erit, scutumque sudemque 65
Is gerat, et miti sit procul a Venere.
At nobis, Pax alma, veni, spicamque teneto,
Perpluat et pomis candidus ante sinus.

LIBER SECUNDUS.

ELEGIA I.

Quisquis ades, faveas; fruges lustramus et agros,
Ritus ut a prisco traditus exstat avo.
Bacche, veni, dulcisque tuis e cornibus uva
Pendeat; et spicis tempora cinge, Ceres.
Luce sacra requiescat humus, requiescat arator;
Et grave suspenso vomere cesset opus. 6
Solvite vincla jugis; nunc ad præsepia debent
Plena coronato stare boves capite.
Omnia sint operata deo, non audeat ulla
Lanificam pensis imposuisse manum. 10
Vos quoque abesse procul jubeo, discedite ab aris,
Quîs tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent superis: pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.
Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras, 15
Vinctaque post olea candida turba comas.
Di patrii, purgamus agros, purgamus agrestes:
Vos mala de nostris pellite limitibus.
Neu seges eludat messem fallacibus herbis,
Neu timeat celeres tardior agna lupos. 20
Tunc nitidus plenis confisus rusticus agris
Ingeret ardenti grandia ligna foco;
Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,
Ludet, et e virgis exstruet ante casas.
Eventura precor. Viden' ut felicibus extis 25
Significet placidos nuntia fibra deos?
Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
Consulis, et Chio solvite vincla cado.
Vina diem celebrent; non festa luce madere
Est rubor, errantes et male ferre pedes. 30
Sed, "Bene Messalam," sua quisque ad pocula dicat;
Nomen et absentis singula verba sonent.
Gentis Aquitanæ celeber Messala triumphis,
Et magna intonsis gloria victor avis,
Huc ades, adspiraque mihi, dum carmine nostro
Redditur agricolis gratia cœlitibus. 36
Rura cano, rurisque deos; his vita magistris
Desuevit querna pellere glande famem.

Illi compositis primum docuere tigillis
Exiguam viridi fronde operire domum. 40
Illi etiam tauros primum docuisse feruntur
Servitium, et plaustro supposuisse rotam.
Tunc victus abiere feri; tunc consita pomus;
Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.
Aurea tunc pressos pedibus dedit uva liquores,
Mixtaque securo est sobria lympha mero. 46
Rura ferunt messes, calidi cum sideris æstu
Deponit flavas annua terra comas.
Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
Compleat ut dulci sedula melle favos. 50
Agricola assiduo primum satiatus aratro
Cantavit certo rustica verba pede;
Et satur arenti primum est modulatus avena
Carmen, ut ornatos diceret ante deos.
Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti 55
Primus inexperta duxit ab arte choros.
Huic datus a pleno, memorabile munus, ovili
[Dux pecoris hircus: duxerat hircus oves.]
Rure puer verno primum de flore coronam
Fecit, et antiquis imposuit Laribus. 60
Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
Molle gerit tergo lucida vellus ovis;
Hinc et fœmineus labor est; hinc pensa colusque;
Fusus et apposito pollice versat opus;
Atque aliqua assiduæ textis operata Minervæ 65
Cantat, et applauso tela sonat latere.
Ipse interque greges interque armenta Cupido
Natus et indomitas dicitur inter equas.
Illic indocto primum se exercuit arcu. [nus!
Hei mihi! quam doctas nunc habet ille ma-
Nec pecudes, velut ante, petit; fixisse puellas
Gestit, et audaces perdomuisse viros.
Hic juveni detraxit opes; hic dicere jussit
Limen ad iratæ verba pudenda senem.
Hoc duce custodes furtim transgressa jacentes
Ad juvenem tenebris sola puella venit, 76
Et pedibus prætentat iter, suspensa timore,
Explorat cæcas cui manus ante vias.
Ah miseri, quos hic graviter deus urget! at ille
Felix, cui placidus leniter afflat Amor! 80
Sancte, veni dapibus festis: sed pone sagittas;
Et procul ardentes hinc, procul abde faces.
Vos celebrem cantate deum, pecorique vocate;
Voce palam pecori, clam sibi quisque vocet;
Aut etiam sibi quisque palam: nam turba jocosa
Obstrepit, et Phrygio tibia curva sono. 86
Ludite: jam Nox jungit equos, currumque sequuntur
Matris lascivo sidera fulva choro;
Postque venit tacitus fuscis circumdatus alis
Somnus, et incerto Somnia nigra pede. 90

ELEGIA II.

Dicamus bona verba, venit natalis, ad aras:
Quisquis ades, lingua, vir mulierque, fave.
Urantur pia thura focis, urantur odores,
Quos tener e terra divite mittit Arabs.
Ipse suos adsit Genius visurus honores, 5
Cui decorent sanctas mollia serta comas;
Illius puro destillent tempora nardo,
Atque satur libo sit, madeatque mero.
Annuat et, Cerinthe, tibi, quodcunque rogabis.
En age, quid cessas? annuet ille; roga. 10
Auguror, uxoris fidos optabis amores;
Jam reor hoc ipsos edidicisse deos.
Nec tibi malueris, totum quæcunque per orbem
Fortis arat valido rusticus arva bove;
Nec tibi gemmarum quicquid felicibus India 15
Nascitur, Eoi qua maris unda rubet. [alis,
Vota cadunt. Viden' ut trepidantibus advolet
Flavaque conjugio vincula portet Amor?
Vincula, quæ maneant semper, dum tarda senectus
Inducat rugas, inficiatque comas. 20
Hac venias, natalis, avi, prolemque ministres,
Ludat et ante tuos turba novella pedes.

ELEGIA III.

Rura meam, Cerinthe, tenent villæque puellam.
Ferreus est, eheu, quisquis in urbe manet.
Ipsa Venus lætos jam nunc migravit in agros,
Verbaque aratoris rustica discit Amor.
O ego, cum dominam adspicerem, quam fortiter illic 5
Versarem valido pingue bidente solum!
Agricolæque modo, curvum sectarer aratrum,
Dum subigunt steriles arva serenda boves.
Nec quererer, quod sol graciles exureret artus,
Læderet aut teneras pustula rupta manus. 10
Pavit et Admeti tauros formosus Apollo;
Nec cithara, intonsæ profueruntve comæ.
Nec potuit curas sanare salubribus herbis;
Quicquid erat medicæ vicerat artis amor.
Tunc fiscella levi texta est de vimine junci, 15
Raraque per nexus est via facta sero.
O quoties, illo vitulum gestante per agros,
Dicitur occurrens erubuisse soror!
O quoties ausæ, caneret dum valle sub alta,
Rumpere mugitu carmina docta boves! 20
Sæpe duces trepidis petiere oracula rebus,
Venit et a templis irrita turba domum.
Sæpe horrere sacros doluit Latona capillos,
Quos admirata est ipsa noverca prius.
Quisquis inornatumque caput, crinesque solutos
Adspiceret, Phœbi quæreret ille comam. 26
Delos ubi nunc, Phœbe, tua est? ubi Delphica Pytho?
Nempe amor in parva te jubet esse casa.
Felices olim, Veneri cum fertur aperte
Servire æternos non puduisse deos. 30
Fabula nunc ille est: sed cui sua cura puella est,
Fabula sit mavult, quam sine amore deus.

* * * * *

At tu, quisquis is es, cui tristi fronte Cupido
Imperitat, nostra sint tua castra domo.
Ferrea non Venerem, sed prædam sæcula laudant;
Præda tamen multis est operata malis. 36
Præda feras acies cinxit discordibus armis;
Hinc cruor, hinc cædes, mors propiorque venit.
Præda vago jussit geminare pericula ponto,
Bellica cum dubiis rostra dedit ratibus. 40
Prædator cupit immensos obsidere campos,
Ut multo innumeram jugere pascat ovem;
Cui lapis externus curæ est; urbique tumultus,
Portatur validis mille columna jugis;
Claudit et indomitum moles mare, lentus ut intra
Negligat hibernas piscis adesse minas. 46
At tibi læta trahant Samiæ convivia testæ,
Fictaque Cumana lubrica terra rota.
Heu heu, divitibus video gaudere puellas!
Jam veniant prædæ, si Venus optat opes; 50
Ut mea luxuria Nemesis fluat, utque per urbem
Incedat donis conspicienda meis.
Illa gerat vestes tenues, quas fœmina Coa
Texuit, auratas disposuitque vias.

Illi sint comites fusci, quos India torret, 55
Solis et admotis inficit ignis equis.
Illi selectos certent præbere colores
Africa puniceum, purpureumque Tyros.
Nota loquor; regnum ipse tenet, quem sæpe coëgit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes. 60
* * * * *
At tibi, dura Ceres, Nemesin quæ abducis ab urbe,
Persolvat nulla semina terra fide.
Et tu, Bacche tener, jucundæ consitor uvæ,
Tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus.
Haud impune licet formosas tristibus agris 65
Abdere: non tanti sunt tua musta, pater.
O valeant fruges, ne sint modo rure puellæ;
Glans alat, et prisco more bibantur aquæ.
Glans aluit veteres; et passim semper amarunt.
Quid nocuit sulcos non habuisse satos? 70
Tum, quibus adspirabat Amor, præbebat aperte
Mitis in umbrosa gaudia valle Venus.
Nullus erat custos, nulla exclusura dolentes
Janua: si fas est, mos (precor) ille, redi.
* * * * *
Horrida villosa corpora veste tegant. 75
Nunc si clausa mea est, si copia rara videndi,
Heu miserum! in laxa quid juvat esse toga?
Ducite; ad imperium dominæ sulcabimus agros:
Non ego me vinclis verberibusque nego. 80

ELEGIA IV.

Hic mihi servitium video dominamque paratam.
Jam mihi, libertas illa paterna, vale.
Servitium sed triste datur, teneorque catenis,
Et nunquam misero vincla remittit amor.
Et, seu quid merui, seu quid peccavimus, urit:
Uror, io! remove, sæva puella, faces. 6
O ego, ne possim tales sentire dolores,
Quam mallem in gelidis montibus esse lapis;
Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quam vasti tunderet unda maris!
Nunc et amara dies, et noctis amarior umbra est;
Omnia jam tristi tempora felle madent. 12
Nec prosunt elegi, nec carminis auctor Apollo;
Illa cava pretium flagitat usque manu.
Ite procul, Musæ, si nil prodestis amanti: 15
Non ego vos, ut sint bella canenda, colo;
Nec refero solisque vias, et qualis, ubi orbem
Complevit, versis luna recurrat equis:
Ad dominam faciles aditus per carmina quæro.
Ite procul, Musæ, si nihil ista valent. 20
At mihi per cædem et facinus sunt dona paranda,
Ne jaceam clausam flebilis ante domum;
Aut rapiam suspensa sacris insignia fanis:
Sed Venus ante alios est violanda mihi.
Illa malum facinus suadet, dominamque rapacem
Dat mihi; sacrilegas sentiat illa manus. 26
O pereat, quicunque legit viridesque smaragdos,
Et niveam Tyrio murice tingit ovem!
Hic dat avaritiæ causas, et Coa puellis
Vestis, et a rubro lucida concha mari. 30
Hæc fecere malas; hinc clavem janua sensit,
Et cœpit custos liminis esse canis.
Sed pretium si grande feras, custodia victa est,
Nec prohibent claves, et canis ipse tacet.
Heu, quicunque dedit formam cœlestis avaræ,
Quale bonum multis addidit ille malis! 36
Hinc fletus rixæque sonant; hæc denique causa
Fecit, ut infamis nunc deus esset amor.
At tibi, quæ prætio victos excludis amantes,
Diripiant partas ventus et ignis opes. 40
Quin tua tunc juvenes spectent incendia læti,
Nec quisquam flammæ sedulus addat aquam.
Seu veniet tibi mors; neque erit qui lugeat ullus,
Nec qui det mæstas munus in exequias.
At bona quæ, nec avara fuit, centum licet annos
Vixerit, ardentem flebitur ante rogum. 46
Atque aliquis senior, veteres veneratus amores,
Annua constructo serta dabit tumulo; [escas;
Et, "Bene," discedens dicet, "placideque qui-
Terraque securæ sit super ossa levis!" 50
Vera quidem moneo; sed prosunt quid mihi vera?
Illius est nobis lege colendus amor.
Quin etiam sedes jubeat si vendere avitas,
Ite sub imperium, sub titulumque, Lares. 54
* * * * *
Quicquid habet Circe, quicquid Medea veneni,
Quicquid et herbarum Thessala terra gerit,
Et quod, ubi indomitis gregibus Venus afflat amores,
Hippomanes cupidæ stillat ab inguine equæ;
Si modo me placido videat Nemesis mea vultu,
Mille alias herbas misceat illa, bibam. 60

ELEGIA V.

Phœbe, fave: novus ingreditur tua templa sacerdos:
Huc age cum cithara carminibusque veni.
Nunc te vocales impellere pollice chordas,
Nunc precor ad laudes flectere verba meas.
Ipse, triumphali devinctus tempora lauro, 5
Dum cumulant aras, ad tua sacra veni:
Sed nitidus pulcherque veni: nunc indue vestem
Sepositam; longas nunc bene pecte comas:
Qualem te memorant, Saturno rege fugato,
Victori laudes concinuisse Jovi. 10
Tu procul eventura vides; tibi debitus augur
Scit bene, quid fati provida cantet avis;
Tuque regis sortes; per te præsentit haruspex,
Lubrica signavit cum deus exta notis;
Te duce Romanos nunquam frustrata Sibylla est,
Abdita quæ senis fata canit pedibus. 16
Phœbe, sacras Messalinum sine tangere chartas
Vatis; et ipse, (precor) quid canat illa, doce.
Hæc dedit Æneæ sortes, postquam ille parentem
Dicitur et raptos sustinuisse Lares; 20
Nec fore credebat Romam, cum mæstus ab alto
Ilion, ardentes respiceretque deos:
(Romulus æternæ nondum formaverat urbis
Mœnia, consorti non habitanda Remo:
Sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccæ, 25
Et stabant humiles in Jovis arce casæ.
Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbræ,
Et facta agresti lignea falce Pales;
Pendebatque vagi pastoris in arbore votum,
Garrula sylvestri fistula sacra deo; 30
Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo,
Nam calamus cera jungitur usque minor.
At qua Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pulsa per vada linter aqua.
Illa sæpe gregis diti placitura magistro 35
Ad juvenem festa est vecta puella die;
Cum qua fecundi redierunt munera ruris,
Caseus, et niveæ candidus agnus ovis.)
Impiger Ænea, volitantis frater Amoris,
Troïa qui profugis sacra vehis ratibus, 40
Jam tibi Laurentes assignat Jupiter agros;
Jam vocat errantes hospita terra Lares.

Illic sanctus eris, cum te veneranda Numicî
Unda deum cœlo miserit indigetem.
Ecce super fessas volitat Victoria puppes; 45
Tandem ad Trojanos diva superba venit.
Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris.
Jam tibi prædico, barbare Turne, necem.
Ante oculos Laurens castrum, murusque Lavinî est,
Albaque ab Ascanio condita Longa duce. 50
Te quoque jam video, Marti placitura sacerdos
Ilia, Vestales deseruisse focos;
Concubitusque tuos furtim, vittasque jacentes,
Et cupidi ad ripas arma relicta dei.
Carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas,
Dum licet; hic magnæ jam locus urbis erit. 56
Roma, tuum nomen terris fatale regendis,
Qua sua de cœlo prospicit arva Ceres,
Quaque patent ortus, et qua fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos. 60
Troja quidem tum se mirabitur, et sibi dicet
Vos bene tam longa consuluisse via.
Vera cano; sic usque sacras innoxia laurus
Vescar, et æternum sit mihi virginitas.
Hæc cecinit vates, et te sibi, Phœbe, vocavit, 65
Jactavit fusas et caput ante comas.

* * * * *

Quicquid Amalthea, quicquid Mermessia dixit,
Herophile Phœbo grataque quod monuit,
Quasque Albuna sacras Tiberis per flumina sortes
Portarit, sicco pertuleritque sinu. 70
Hæ fore dixerunt, belli mala signa, cometen,
Multus ut in terras deplueretque lapis;
Atque tubas atque arma ferunt crepitantia cœlo
Audita, et lucos præcinuisse fugam.
Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit 75
Jungere pallentes nubilus annus equos;
Et simulacra deûm lacrymas fudisse tepentes,
Fataque vocales præmonuisse boves.
Hæc fuerint olim. Sed tu jam mitis, Apollo,
Prodigia indomitis merge sub æquoribus; 80
Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis,
Omine quo felix et sacer annus erit.
Laurus, io, bona signa dedit; gaudete, coloni:
Distendet spicis horrea plena Ceres;
Oblitus et musto feriet pede rusticus uvas, 85
Dolia dum magni deficiantque lacus.
At madidus Baccho sua festa Palilia pastor
Concinet; a stabulis tunc procul este, lupi.
Ille levis stipulæ sollennes potus acervos
Accendet, flammas transilietque sacras; 90
Et fetus matrona dabit, natusque parenti
Oscula comprensis auribus eripiet.
Nec tædebit avum parvo advigilare nepoti,
Balbaque cum puero dicere verba senem.
Tunc operata deo pubes discumbet in herba, 95
Arboris antiquæ qua levis umbra cadit;
Aut e veste sua tendent umbracula sertis
Vincta: coronatus stabit et ante calix.
At sibi quisque dapes et festas exstruet alte
Cespitibus mensas, cespitibusque torum. 100
Ingeret hic potus juvenis maledicta puellæ,
Postmodo quæ votis irrita facta velit.
Nam ferus ille suæ plorabit sobrius idem,
Et se jurabit mente fuisse mala.
Pace tua, pereantque arcus, pereantque sagittæ,
Phœbe, modo in terris erret inermis Amor. 106
Ars bona: sed postquam sumsit sibi tela Cupido,
Heu heu, quam multis ars dedit illa malum!
Et mihi præcipue, jaceo cum saucius annum,
Et faveo morbo; tam juvat ipse dolor; 110
Vixque cano Nemesin, sine qua versus mihi nullus
Verba potest, justos aut reperire pedes.
At tu (nam divûm servat tutela poëtas)
Præmoneo, vati parce, puella, sacro;
Ut Messalinum celebrem, cum præmia belli 115
Ante suos currus, oppida victa, ferent.
Ipse gerens laurus, lauro devinctus agresti,
Miles Io, magna voce, Triumphe canet.
Tunc Messala meus pia det spectacula turbæ,
Et plaudat curru prætereunte pater. 120
Annue; sic tibi sint intonsi, Phœbe, capilli;
Sic tua perpetuo sit tibi casta soror.

ELEGIA VI.

Castra Macer sequitur: tenero quid fiet Amori?
Sit comes, et collo fortiter arma gerat?
Et seu longa virum terræ via, seu vaga ducent
Æquora, cum telis ad latus ire volet?
Ure, puer, quæso, tua qui ferus otia liquit; 5
Atque iterum erronem sub tua signa voca.
Quod si militibus parces, erit hic quoque miles,
Ipse levem galea qui sibi portet aquam. [ellæ:
Castra peto: valeatque Venus, valeantque pu-
Et mihi sunt vires, et mihi facta tuba est. 10
Magna loquor: sed magnifice mihi magna locuto
Excutiunt clausæ fortia verba fores.
Juravi quoties rediturum ad limina nunquam!
Cum bene juravi, pes tamen ipse redit.
Acer Amor, fractas utinam, tua tela, sagittas 15
Ilicet, exstinctas adspiciamque faces!
Tu miserum torques; tu me mihi dira precari
Cogis, et insana mente nefanda loqui.
Jam mala finissem leto; sed credula vitam
Spes fovet, et fore cras semper ait melius. 20
Spes alit agricolas; spes sulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine pisces,
Cum tenues hamos abdidit ante cibus.
Spes etiam valida solatur compede vinctum: 25
Crura sonant ferro; sed canit inter opus.
Spes facilem Nemesin spondet mihi; sed negat illa.
Hei mihi! ne vincas, dura puella, deam!
Parce, per immatura tuæ precor ossa sororis;
Sic bene sub tenera parva quiescat humo. 50
Illa mihi sancta est · illius dona sepulcro
Et madefacta meis serta feram lacrymis;
Illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo,
Et mea cum muto fata querar cinere.
Non feret usque suum, te propter, flere clientem;
Illius ut verbis, sis mihi lenta, veto; 36
Ne tibi neglecti mittant mala somnia Manes,
Mæstaque sopitæ stet soror ante torum,
Qualis, ab excelsa præceps delapsa fenestra,
Venit ad infernos sanguinolenta lacus. 40
Desino, ne dominæ luctus renoventur acerbi:
Non ego sum tanti, ploret ut illa semel.
Nec lacrymis oculos digna est fœdare loquaces.
Lena nocet nobis; ipsa puella bona est.
Lena necat miserum Phryne; furtimque tabellas
Occulto portans itque reditque sinu. 46
Sæpe, ego cum dominæ dulces a limine duro
Agnosco voces, hæc negat esse domi.
Sæpe, ubi nox promissa mihi est, languere puellam
Nuntiat, aut aliquas extimuisse minas. 50
Tunc morior curis; tunc mens mihi perdita fingit,
Quisve meam teneat, quot teneatve modis
Tunc tibi, lena, precor diras: satis anxia vives,
Moverit e votis pars quotacumque deos.

LIBER TERTIUS.

ELEGIA I.

Martis Romani festæ venere Calendæ;
Exoriens nostris hinc fuit annus avis.
Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa
Perque vias urbis munera, perque domos.
Dicite, Pierides, quonam donetur honore 5
Seu mea, seu fallor, cara Neæra tamen.
Carmine formosæ, pretio capiuntur avaræ.
Gaudeat, ut digna est, versibus illa meis.
Lutea sed niveum involvat membrana libellum,
Pumex cui canas tondeat ante comas; 10
Summaque prætexat tenuis fastigia chartæ,
Indicet ut nomen, littera facta, meum;
Atque inter geminas pingantur cornua frontes;
Sic etenim comtum mittere oportet opus.
Per, vos auctores hujus mihi carminis oro, 15
Castaliamque umbram Pieriosque lacus,
Ite domum, cultumque illi donate libellum,
Sicut erit; nullus defluat inde color.
Illa mihi referat, si nostri mutua cura est,
An minor, an toto pectore deciderim. 20
Sed primum meritam longa donate salute,
Atque hæc submisso dicite verba sono:
Hæc tibi vir quondam, nunc frater, casta Neæra,
Mittit, et, accipias munera parva, rogat;
Teque suis jurat caram magis esse medullis: 25
Sive sibi conjux, sive futura soror.
Sed potius conjux; hujus spem nominis illi
Auferet exstincto pallida Ditis aqua.

ELEGIA II.

Qui primus caram juveni, carumque puellæ
Eripuit juvenem, ferreus ille fuit.
Durus et ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
Vivere et erepta conjuge qui potuit.
Non ego firmus in hoc; non hæc patientia nostro 5
Ingenio: frangit fortia corda dolor.
Nec mihi vera loqui pudor est, vitæque fateri
Tot mala perpessæ tædia nata meæ.
Ergo cum tenuem fuero mutatus in umbram,
Candidaque ossa super nigra favilla teget; 10
Ante meum veniat, longos incomta capillos,
Et fleat ante meum mæsta Neæra rogum.
Sed veniat caræ matris comitata dolore;
Mæreat hæc genero, mæreat illa viro.
Præfatæ ante meos Manes, animamque precatæ, 15
Perfusæque pias ante liquore manus,
Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa
Incinctæ nigra candida veste legant;
Et primum annoso spargant collecta Lyæo,
Mox etiam niveo fundere lacte parent; 20
Post hæc carbaseis humorem tollere velis,
Atque in marmorea ponere sicca domo.
Illuc quas mittit dives Panchaïa merces,
Eoique Arabes, pinguis et Assyria,
Et nostri memores lacrymæ fundantur eodem:
Sic ego componi, versus in ossa, velim. 26
Sed tristem mortis demonstret littera causam,
Atque hæc in celebri carmina fronte notet:
"Lygdamus hic situs est; dolor huic et cura Neæræ
Conjugis ereptæ causa perire fuit." 30

ELEGIA III.

Quid prodest cœlum votis implesse, Neæra,
Blandaque cum multa thura dedisse prece?
Non, ut marmorei prodirem e limine tecti,
Insignis clara conspicuusque domo;
Aut ut multa mei renovarent jugera tauri, 5
Et magnas messes terra benigna daret;
Sed tecum ut longæ sociarem gaudia vitæ,
Inque tuo caderet nostra senecta sinu;
Tunc cum, præmensæ defunctus tempora lucis,
Nudus Lethæa cogerer ire rate. 10
Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri?
Arvaque si findant pinguia mille boves?
Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis,
Tænare, sive tuis, sive, Caryste, tuis?
Et nemora in domibus sacros imitantia lucos? 15
Auratæque trabes, marmoreumque solum?
Quidve, in Erythræo legitur quæ littore concha,
Tinctaque Sidonio murice lana juvat?
Et quæ præterea populus miratur? in illis
Invidia est: falso plurima vulgus amat. 20
Non opibus mentes hominum curæque levantur;
Nam Fortuna sua tempora lege regit.
Sit mihi paupertas tecum jucunda, Neæra;
At sine te regum munera nulla volo.
O niveam, quæ te poterit mihi reddere, lucem! 25
O mihi felicem terque quaterque diem!
At si, pro dulci reditu quæcunque voventur,
Audiat aversa non meus aure deus;
Nec me regna juvent, nec Lydius aurifer amnis,
Nec quas terrarum sustinet orbis opes. 30
Hæc alii cupiant; liceat mihi, paupere cultu,
Securo cara conjuge posse frui.
Adsis, et timidis faveas, Saturnia, votis,
Et faveas concha, Cypria, vecta tua.
Aut si Fata negant reditum, tristesque sorores, 35
Stamina quæ ducunt, quæque futura canunt;
Me vocet in vastos amnes nigramque paludem
Dives in ignava luridus Orcus aqua.

ELEGIA IV.

Dî meliora ferant, nec sint insomnia vera,
Quæ tulit extrema pessima nocte quies.
[Ite procul. Vanum falsumque avertite visum;
Desinite in vobis quærere velle fidem.]
Divi vera monent; venturæ nuntia sortis 5
Vera monent Tuscis exta probata viris:
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes falsa timere jubent.
At natum in curas hominum genus omina noctis
Farre pio placant et saliente sale. 10
Et tamen utcunque est, sive illi vera monenti,
Mendaci somno credere sive volent;
Efficiat vanos noctis Lucina timores,
Et frustra immeritum prætimuisse velit;
Si mea nec turpi mens est obnoxia facto, 15
Nec læsit magnos impia lingua deos.
Jam Nox ætherium nigris emensa quadrigis
Mundum, cæruleo laverat amne rotas:
Nec me sopierat menti deus utilis ægræ
Somnus; sollicitas deficit ante domos. 20
Tandem, cum summo Phœbus prospexit ab ortu,
Pressit languentis lumina sera quies.
Hic juvenis casta redimitus tempora lauru
Est visus nostra ponere sede pedem.

[Non illo quicquam formosius ulla priorum 25
Ætas, humanum nec videt illud opus.]
Intonsi crines longa cervice fluebant;
Stillabat Syrio myrtea rore coma.
Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,
Et color in niveo corpore purpureus; 30
Ut juveni primum virgo deducta marito
Inficitur teneras ore rubente genas;
Ut cum contexunt amarantis alba puellæ
Lilia; ut auctumno candida mala rubent.
Ima videbatur talis illudere palla; 35
Namque hæc in nitido corpore vestis erat.
Artis opus raræ, fulgens testudine et auro,
Pendebat læva garrula parte lyra.
Hanc primum veniens plectro modulatus eburno,
Felices cantus ore sonante dedit. 40
Sed postquam fuerant digiti cum voce locuti,
Edidit hæc dulci tristia verba modo:
Salve, cura deûm; casto nam rite poëtæ
Phœbusque et Bacchus Pieridesque favent. 44
Sed proles Semelæ Bacchus, doctæque sorores
Dicere non nôrunt, quid ferat hora sequens:
At mihi fatorum leges, ævique futuri
Eventura pater posse videre dedit.
Quare ego quæ dico non fallax, accipe, vates,
Quodque deus vero Cynthius ore feram. 50
Tantum cara tibi, quantum nec filia matri,
Quantum nec cupido bella puella viro;
Pro qua sollicitas cœlestia numina votis;
Quæ tibi securos non sinit ire dies;
Et, cum te fusco Somnus velavit amictu, 55
Vanum nocturnis fallit imaginibus;
Carminibus celebrata tuis, formosa Neæra
Alterius mavult esse puella viri;
Diversasque tuis agitat mens impia curas;
Nec gaudet casta nupta Neæra domo. 60
Ah crudele genus, nec fidum fœmina nomen!
Ah pereat, didicit fallere siqua virum!
Sed flecti poterit: mens est mutabilis illis.
Tu modo cum multa brachia tende prece.
Sævus Amor docuit validos tentare labores; 65
Sævus Amor docuit verbera posse pati.
Me quondam Admeti niveos pavisse juvencos
Non est in vanum fabula ficta jocum.
Tunc ego nec cithara poteram gaudere sonora,
Nec similes chordis reddere voce sonos; 70
Sed perlucenti cantus meditabar avena,
Ille ego Latonæ filius atque Jovis.
Nescis quid sit amor, juvenis, si ferre recusas
Immitem dominam conjugiumque ferum.
Ergo ne dubita blandas adhibere querelas. 75
Vincuntur molli pectora dura prece.
Quod si vera canunt sacris oracula templis,
Hæc illi nostro nomine dicta refer:
Hoc tibi conjugium promittit Delius ipse.
Felix hoc, alium desine velle virum. 80
Dixit, et ignavus defluxit pectore somnus.
Ah ego ne possim tanta videre mala!
Nec tibi crediderim nostris contraria vota,
Nec tantum crimen pectore inesse tuo.
Nam te nec vasti genuerunt æquora ponti, 85
Nec flammam volvens ore Chimæra fero,
Nec canis anguinea redimitus terga caterva,
Cui tres sunt linguæ, tergeminumque caput,
Scyllave virgineam canibus succincta figuram,
Nec te conceptam sæva leæna tulit, 90
Barbara nec Scythiæ tellus, horrendave Syrtis;
Sed culta, et duris non habitanda domus,
Et longe ante alias omnes mitissima mater,
Isque pater, quo non alter amabilior.
Hæc deus in melius crudelia somnia vertat, 95
Et jubeat tepidos irrita ferre Notos.

ELEGIA V.

Vos tenet, Etruscis manat quæ fontibus unda,
Unda sub æstivum non adeunda Canem,
Nunc autem sacris Baiarum maxima lymphis,
Cum se purpureo vere remittit humus.
At mihi Persephone nigram denuntiat horam: 5
Immerito juveni parce nocere, dea.
Non ego tentavi nulli temeranda virorum
Audax laudandæ sacra docere deæ;
Nec mea mortiferis infecit pocula succis
Dextera, nec cuiquam tetra venena dedit; 10
Nec nos sacrilegos templis admovimus ignes;
Nec cor sollicitant facta nefanda meum;
Nec nos insanæ meditantes jurgia linguæ
Impia in adversos solvimus ora deos.
Et nondum cani nigros læsere capillos, 15
Nec venit tardo curva senecta pede.
[Natalem nostri primum videre parentes,
Cum cecidit fato consul uterque pari.]
Quid fraudare juvat vitem crescentibus uvis?
Et modo nata mala vellere poma manu? 20
Parcite, pallentes undas quicunque tenetis,
Duraque sortiti tertia regna dei.
Elysios olim liceat cognoscere campos,
Lethæamque ratem, Cimmeriosque lacus;
Cum mea rugosa pallebunt ora senecta, 25
Et referam pueris tempora prisca senex.
Atque utinam vano nequicquam terrear æstu!
Languent ter quinos sed mea membra dies.
At vobis Tuscæ celebrantur numina lymphæ,
Et facilis lenta pellitur unda manu. 30
Vivite felices, memores et vivite nostri,
Sive erimus, seu nos fata fuisse volent.
Interea nigras pecudes promittite Diti,
Et nivei lactis pocula mixta mero.

ELEGIA VI.

Candide Liber, ades: sic sit tibi mystica vitis
Semper, sic hedera tempora vincta geras.
[Aufer et ipse meum pariter medicande dolorem:]
Sæpe tuo cecidit munere victus amor.
Care puer, madeant generoso pocula Baccho; 5
I, nobis prona funde Falerna manu.
Ite procul durum curæ genus, ite labores;
Fulserit hic niveis Delius alitibus.
Vos modo proposito dulces, faveatis, amici,
Neve neget quisquam me duce se comitem. 10
Aut siquis vini certamen mite recusat,
Fallat eum tecto cara puella dolo.
Ille facit dites animos deus; ille ferocem
Contudit, et dominæ misit in arbitrium.
Armenias tigres et fulvas ille leænas 15
Vicit, et indomitis mollia corda dedit.
Hæc Amor et majora valet: sed poscite Bacchi
Munera; quem vestrûm pocula sicca juvant?
Convenit ex æquo, nec torvus Liber in illis,
Qui se, quique una vina jocosa colunt. 20
Nam venit iratus nimium nimiumque severis:
Qui timet irati numina magna, bibat.
Quas læsus pœnas, quales, quantasque minetur,
Cadmeæ matris præda cruenta docet.
Sed procul a nobis hic sit timor; impia siqua est,
Quid valeat læsi, sentiat, ira dei. 26
Quid precor, ah demens? venti temeraria vota,
Aëriæ et nubes diripienda ferant!

Quamvis nulla mei superest tibi cura, Neæra,
Sis felix, et sint candida fata tua. 30
At nos securæ reddamus tempora mensæ.
Venit post multos una serena dies.
Hei mihi! difficile est imitari gaudia falsa;
Difficile est tristi fingere mente jocum:
Nec bene mendaci risus componitur ore; 35
Nec bene sollicitis ebria verba sonant.
Quid queror infelix? turpes discedite curæ.
Odit Lenæus tristia verba pater.
Gnossia, Theseæ quondam perjuria linguæ
Flevisti ignoto sola relicta mari. 40
Sic cecinit pro te doctus, Minoï, Catullus,
Ingrati referens impia facta viri.
Vos ego nunc moneo: felix, quicunque dolore
Alterius disces posse carere tuo.
Nec vos aut capiant pendentia brachia collo, 45
Aut fallat blanda subdola lingua prece.
Etsi perque suos audax jurabit ocellos,
Junonemque suam, perque suam Venerem;
Nulla fides inerit: perjuria ridet amantum
Jupiter, et ventos irrita ferre jubet. 50
Ergo quid toties fallacis verba puellæ
Conqueror? ite a me, seria verba, procul.
Quam vellem longas tecum requiescere noctes,
Et tecum longos pervigilare dies!
Perfida, nec merito, nobis, nec amica merenti!
Perfida, sed, quamvis perfida, cara tamen. 56
Naïda Bacchus amat; quid cessas, lente minister?
Temperat annosum Marcia lympha merum.
Non ego, si fugiat nostræ convivia mensæ
Ignotum cupiens vana puella torum, 60
Sollicitus repetam tota suspiria nocte.
Tu, puer, i, liquidum fortius adde merum.
Jamdudum Syria madefactus tempora nardo
Debueram sertis implicuisse comas.

LIBER QUARTUS.

CARMEN I.

Te, Messala, canam. Quanquam me cognita virtus
Terret, ut infirmæ nequeant subsistere vires,
Incipiam tamen. At meritas si carmina laudes
Deficiant, humilis tantis sim conditor actis,
Nec tua te præter chartis intexere quisquam 5
Facta queat, dictis ut non majora supersint;
Est nobis voluisse satis. Nec munera parva
Respueris. Etiam Phœbo gratissima dona
Cres tulit; et cunctis Baccho jucundior hospes
Icarus, ut puro testantur sidera cœlo, 10
Erigoneque Canisque, neget ne longior ætas.
Quin etiam Alcides, deus adscensurus Olympum,
Læta Molorcheis posuit vestigia tectis.
Parvaque cœlestes pacavit mica, nec illis
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu. 15
Hic quoque sit gratus parvus labor, ut tibi possim
Inde alios aliosque memor componere versus.
Alter dicat opus magni mirabile mundi,
Qualis in immenso desederit aëre tellus;
Qualis et in curvum pontus confluxerit orbem,
Et vagus, a terris qua surgere nititur, aër, 21
Huic et contextus passim fluat igneus æther,
Pendentique super claudantur ut omnia cœlo.
At quodcunque meæ poterunt audere Camœnæ,
Seu tibi par poterunt, (sed quod spes abnuit ultro) 25
Sive minus, (certeque canent minus) omne vovemus
Hoc tibi; nec tanto careat mihi nomine charta.
Nam, quanquam antiquæ gentis superant tibi laudes,
Non tua majorum contenta est gloria fama,
Nec quæris, quid quaque index sub imagine dicat; 30
Sed generis priscos contendis vincere honores,
Quam tibi majores, majus decus ipse futuris.
At tua non titulus capiet sub stemmate facta;
Æterno sed erunt tibi magna volumina versu,
Convenientque tuas cupidi componere laudes 35
Undique quique canent vincto pede, quique soluto.
Quis potior, certamen erit; sim victus in illis,
Ut nostrum tantis inscribam nomen in actis.
Nam quis te majora gerit castrisve forove?
Nec tamen hinc, aut hinc, tibi laus majorve minorve; 40
Justa pari premitur veluti cum pondere libra,
Prona nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illa:
Qualis, inæquatum si quando onus urget utrimque,
Instabilis natat, alterno depressior orbe.
Nam seu diversi fremat inconstantia vulgi, 45
Non alius sedare queat; seu judicis ira
Sit placanda, tuis poterit mitescere verbis.
Non Pylos aut Ithace tantos genuisse feruntur
Nestora, vel parvæ magnum decus urbis Ulixen;
Vixerit ille senex quamvis, dum terna per orbem
Sæcula fertilibus Titan decurrerit horis: 51
Ille per ignotas audax erraverit urbes,
Qua maris extremis tellus excluditur undis.
Nam Ciconumque manus adversis reppulit armis;
Nec valuit lotos cœptos avertere cursus, 55
Cessit et Ætnææ Neptunius incola rupis,
Victa Maroneo fœdatus lumina Baccho;
Vexit et Æolios placidum per Nerea ventos;
Incultos adiit Læstrygonas, Antiphatenque,
Nobilis Artacie gelida quos irrigat unda; 60
Solum nec doctæ verterunt pocula Circes,
Quamvis illa foret Solis genus, apta vel herbis,
Apta vel et cantu veteres mutare figuras;
Cimmeriorum etiam obscuras accessit ad arces,
Quis nunquam candente dies apparuit ortu, 65
Sive supra terras Phœbus, seu curreret infra;
Vidit ut inferno Plutonis subdita regno
Magna deûm proles levibus discurreret umbris;
Præteriitque cita Sirenum littora puppi.
Illum inter geminæ nantem confinia mortis 70
Nec Scyllæ sævo conterruit impetus ore,
Quin canibus rabidas inter freta curreret undas;
Nec violenta suo consumsit in orbe Charybdis,
Vel si sublimis fluctu consurgeret imo,
Vel si interrupto nudaret gurgite pontum. 75
Non violata vagi sileantur pascua Solis,
Non amor, et fecunda Atlantidos arva Calypsûs,
Finis et errorum misero Phæacia tellus.
Atque hæc seu nostras inter sunt cognita terras,
Fabula sive novum dedit his erroribus orbem, 80
Sit labor illius, tua dum facundia major.
Jam te non alius belli tenet aptius artes:
Qua deceat tutam castris præducere fossam;
Qualiter adversos hosti defigere cervos;

Quemve locum ducto melius sit claudere vallo:
Fontibus ut dulces erumpat terra liquores, 86
Ut facilisque tuis aditus sit, et arduus hosti,
Laudis et assiduo vigeat certamine miles:
Quis tardamve sudem melius, celeremve sagittam
Jecerit, aut lento perfregerit obvia pilo; 90
Aut quis equum celerem arctato compescere freno
Possit, et effusas tardo permittere habenas;
Inque vicem modo directo contendere cursu,
Seu libeat curvo brevius compellere gyro;
Quis parma, seu dextra velit seu læva tueri, 95
Sive hac sive illac veniat gravis impetus hastæ,
Amplior, aut signata cita loca tangere funda.
Jam, simul audacis veniunt certamina Martis,
Adversisque parant acies concurrere signis:
Tunc tibi non desit faciem componere pugnæ;
Seu sit opus quadratum acies consistat in agmen,
Rectus ut æquatis decurrat frontibus ordo; 102
Seu libeat duplici sejunctim cernere Marte,
Dexter uti lævum teneat, dextrumque sinister
Miles, sitque duplex geminis victoria castris. 105
At non per dubias errant mea carmina laudes;
Nam bellis experta cano. Testis mihi victæ
Fortis Iapydiæ miles: testis quoque fallax
Pannonius gelidas passim disjectus in Alpes;
Testis Arupinas et pauper, natus in armis; 110
Quem siquis videat vetus ut non fregerit ætas,
Terna minus Pyliæ miretur secula famæ.
Centum fecundos Titan renovaverit annos;
Ipse tamen velox celerem super edere corpus
Audet equum, validisque sedet moderator habenis.
Te duce non alias conversus Dalmata tergum,
Libera Romanæ subjecit colla catenæ.
Nec tamen his contentus eris: majora peractis
Instant; compertum est veracibus ut mihi signis,
Quis Amythaonius nequeat certare Melampus.
Nam modo fulgentem Tyrio subtemine vestem
Indueras, oriente die duce fertilis anni:
Splendidior liquidis cum sol caput extulit undis,
Et fera discordes tenuerunt flamina venti,
Curva nec assuetos egerunt flumina cursus; 125
Quin rapidum placidis etiam mare constitit undis;
Nulla nec aërias volucris perlabitur auras,
Nec quadrupes densas depascitur aspera sylvas;
Quin largita tuis sunt muta silentia votis.
Jupiter ipse levi vectus per inania curru 130
Adfuit, et cœlo vicinum liquit Olympum,
Intentaque tuis precibus se præbuit aure,
Cunctaque veraci capite annuit. Additus aris
Lætior eluxit structos super ignis acervos.
Quin, hortante deo, magnis insistere rebus 135
Incipe; non idem tibi sint aliisque triumphi.
Non te vicino remorabitur obvia Marte
Gallia, nec latis audax Hispania terris;
Nec fera Theræo tellus obsessa colono;
Nec qua vel Nilus, vel regia lympha Choaspes
Profluit, aut rapidus, Cyri dementia, Gyndes 141
Radit Arectæos haud una per ostia campos;
Nec qua regna vago Tomyris finivit Araxe,
Impia vel sævis celebrans convivia mensis
Ultima vicinus Phœbo tenet arva Padæus, 145
Quaque Istrus Tanaisque Getas rigat atque Magynos.
Quid moror? Oceanus ponto qua continet orbem,
Nulla tibi adversis regio sese offeret armis.
Te manet invictus Romano Marte Britannus,
Teque interjecto mundi pars altera sole. 150
Nam circumfuso considit in aëre tellus,
Et quinque in partes toto disponitur orbe:
Atque duæ gelido vastantur frigore semper;
Illic et densa tellus absconditur umbra,
Et nulla incepto perlabitur unda liquore, 155
Sed durata riget densam in glaciemque nivemque;
Quippe ubi non unquam Titan superingerit ortus.
At media est Phœbi semper subjecta calori,
Seu propior terris æstivum fertur in orbem,
Seu celer hibernas properat decurrere luces. 160
Non ergo presso tellus consurgit aratro,
Nec frugem segetes præbent, nec pabula terræ;
Non illic colit arva deus Bacchusve, Ceresve,
Nulla nec exustas habitant animalia partes. 164
Fertilis hanc inter posita est interque rigentes,
Nostraque, et huic adversa solo pars altera nostro;
Quas utrinque tenens similis vicinia cœli
Temperat, alter et alterius vires necat aër.
Hinc placidus nobis per tempora vertitur annus:
Hinc et colla jugo didicit submittere taurus, 170
Et lenta excelsos vitis conscendere ramos;
Tondeturque seges maturos annua partus;
Et ferro tellus, pontus conscinditur ære.
Quin etiam structis exsurgunt oppida muris.
Ergo, ubi per claros ierint tua facta triumphos,
Solus utroque idem diceris magnus in orbe. 176
Non ego sum satis ad tantæ præconia laudis;
Ipse mihi non si præscribat carmina Phœbus.
Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus,
Valgius: æterno propior non alter Homero. 180
Languida nec noster peragit labor otia, quamvis
Fortuna, ut mos est, semper me adversa fatiget.
Nam, mihi cum magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flavi ditantes ordine sulci
Horrea, fecundas ad deficientia messes, 185
Cuique pecus denso pascebant agmine colles,
Et domino satis, et nimium furique lupoque;
Nunc desiderium superest: nam cura novatur,
Cum memor anteactos semper dolor admonet annos.
Sed licet asperiora cadant, spolierque relictis,
Non te deficient nostræ memorare Camœnæ. 191
Nec solum tibi Pierii tribuentur honores.
Pro te vel rapidas ausim maris ire per undas,
Adversis hiberna licet tumeant freta ventis;
Pro te vel solus densis subsistere turmis, 195
Vel parvum Ætnææ corpus committere flammæ.
Sum quodcunque, tuum est: nostri sit parvula cura,
Sit tibi, quanta libet; si sit modo: non mihi regna
Lydia, non magni potior sit fama Gylippi,
Posse Meleteas nec mallem vincere chartas. 200
Quod tibi si versus noster totusve, minusve,
Vel bene sit notus, summo vel inerret in ore:
Nulla mihi statuent finem te fata canendi.
Quin etiam mea cum tumulus contexerit ossa,
Seu matura dies celerem properat mihi mortem, 205
Longa manet seu vita; tamen, mutata figura
Seu me finget equum rigidos percurrere campos
Doctum, seu tardi pecoris sim gloria taurus,
Sive ego per liquidum volucri vehar aëra penna,
Quandocunque hominem me longa receperit ætas,
Inceptis de te subtexam carmina chartis. 211

Sulpiciæ et aliorum, ut quibusdam videtur, Elegidia.

Carmen II.

Sulpicia est tibi culta tuis, Mars magne, Calendis;
Spectatum e cœlo, si sapis, ipse veni.
Hoc Venus ignoscet: at tu, violente, caveto,
Ne tibi miranti turpiter arma cadant.
Illius ex oculis, cum vult exurere divos, 5
Accendit geminas lampadas acer Amor.
Illam, quicquid agit, quoquo vestigia flectit,
Componit furtim subsequiturque decor.
Seu solvit crines, fusis decet esse capillis;
Seu comsit, comtis est veneranda comis. 10
Urit, seu Tyria voluit procedere palla;
Urit, seu nivea candida veste venit.
Talis in æterno felix Vertumnus Olympo
Mille habet ornatus, mille decenter habet.
Sola puellarum digna est, cui mollia caris 15
Vellera det succis bis madefacta Tyros,
Possideatque, metit quicquid bene olentibus arvis
Cultor odoratæ dives Arabs segetis,
Et quascunque niger rubro de littore conchas
Proximus Eois colligit Indus equis. 20
Hanc vos, Pierides, festis cantate Calendis,
Et testudinea Phœbe superbe lyra.
Hoc sollenne sacrum multos celebretur in annos.
Dignior est vestro nulla puella choro.

Carmen III.

Parce meo juveni, seu quis bona pascua campi,
Seu colis umbrosi devia montis, aper;
Neve velis duros acuisse in prœlia dentes:
Incolumem custos hunc mihi servet amor.
Sed procul abducit venandi Delia cura. 5
O pereant sylvæ, deficiantque canes!
Quis furor est, quæ mens, densos indagine colles
Claudentem teneras lædere vepre manus?
Quidve juvat furtim latebras intrare ferarum,
Candidaque hamatis crura notare rubis? 10
Sed tamen, ut tecum liceat, Cerinthe, vagari,
Ipsa ego per montes retia torta feram.
Ipsa ego velocis quæram vestigia cervæ,
Et demam celeri ferrea vincla cani.
Tunc mihi, tunc placeant sylvæ, si, lux mea, tecum 15
Arguar ante ipsas concubuisse plagas.
Tunc veniat licet ad casses, illæsus abibit,
Ne Veneris cupidæ gaudia turbet, aper.
Nunc sine me sit nulla Venus; sed lege Dianæ,
Caste puer, casta retia tende manu: 20
Et quæcumque meo furtim subrepet amori,
Incidat in sævas diripienda feras.
At tu venandi studium concede parenti,
Et celer in nostros ipse recurre sinus.

Carmen IV.

Huc ades, et teneræ morbos expelle puellæ;
Huc ades, intonsa Phœbe superbe coma.
Crede mihi, propera; nec te jam, Phœbe, pigebit
Formosæ medicas applicuisse manus.
Effice, ne macies pallentes occupet artus, 5
Neu notet informis candida membra color:
Et quodcunque mali est, et quicquid triste timemus,
In pelagus rapidis devehat amnis aquis.
Sancte, veni, tecumque feras quicunque sopores,
Quicunque et cantus corpora fessa levant. 10
Neu juvenem torque, metuit qui fata puellæ,
Votaque pro domina vix numeranda facit·
Interdum vovet, interdum, quod langueat illa,
Dicit in æternos aspera verba deos. 14
Pone metum, Cerinthe; deus non lædit amantes.
Tu modo semper ama: salva puella tibi est.
Nil opus est fletu; lacrymis erit aptius uti,
Si quando fuerit tristior illa tibi.
At nunc tota tua est; te solum candida secum
Cogitat; et frustra credula turba sedet. 20
Phœbe, fave: laus magna tibi tribuetur, in uno
Corpore servato restituisse duos.
Jam celeber, jam lætus eris, cum debita reddet
Certatim sanctis lætus uterque focis.
Tunc te felicem dicet pia turba deorum, 25
Optabunt artes et sibi quisque tuas.

Carmen V.

Qui mihi te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi sanctus,
Atque inter festos semper habendus erit.
Te nascente novum Parcæ cecinere puellis
Servitium, et dederunt regna superba tibi.
Uror ego ante alias: juvat hoc, Cerinthe, quod uror, 5
Si tibi de nobis mutuus ignis adest.
Mutuus adsit amor, per te dulcissima furta,
Perque tuos oculos, per Geniumque rogo.
Magne Geni, cape dona libens, votisque faveto;
Si modo, cum de me cogitat, ille calet. 10
Quod si forte alios jam nunc suspirat amores,
Tunc precor infidos, sancte, relinque focos.
Nec tu sis injusta, Venus; vel serviat æque
Vinctus uterque tibi, vel mea vincla leva:
Sed potius valida teneamur uterque catena, 15
Nulla queat posthac quam soluisse dies.
Optat idem juvenis, quod nos, sed tectius optat;
Nam pudet hæc illum dicere verba palam.
At tu, Natalis, quoniam deus omnia sentis,
Annue: quid refert clamne palamne roget?

Carmen VI.

Natalis Juno, sanctos cape thuris honores,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.
Tota tibi est hodie; tibi se lætissima comsit,
Staret ut ante tuos conspicienda focos.
Illa quidem ornandi causas tibi, diva, relegat; 5
Est tamen, occulte cui placuisse velit.
At tu, sancta, fave, neu quid divellat amantes;
Sed juveni, quæso, mutua vincla para.
Sic bene compones; non ulli est ille puellæ
Servire, aut cuiquam dignior illa viro. 10
Nec possit cupidos vigilans deprendere custos,
Fallendique vias mille ministret amor.
Annue, purpureaque veni perlucida palla.
Ter tibi fit libo, ter, dea casta, mero.
Præcipit en natæ mater studiosa, quod optet; 15
Illa aliud tacita clam sibi mente rogat.
Uritur, ut celeres urunt altaria flammæ;
Nec, liceat quamvis, sana fuisse velit.
Sic juveni placeat: veniet cum proximus annus,
Hic idem votis jam vetus adsit amor. 20

Carmen VII.

Tandem venit amor, qualem texisse pudore,
Quam nudasse alicui, sit mihi fama minor.
Exorata meis illum Cytherea Camœnis
Attulit, in nostrum deposuitque sinum.
Exsolvit promissa Venus; mea gaudia narret, 5
Dicetur si quis non habuisse suam.
Non ego signatis quicquam mandare tabellis,
Ne legat id nemo, quam meus, ante, velim:

Sed peccasse juvat; vultus componere famæ
Tædet; cum digno digna fuisse ferar. 10

Carmen VIII.

Invisus natalis adest, qui rure molesto,
Et sine Cerintho tristis agendus erit.
Dulcius urbe quid est? an villa sit apta puellæ,
Atque Reatino frigidus annus agro?
Jam, nimium Messala mei studiose, quiescas, 5
[Non tempestivæ sæpe propinque viæ.]
Hic animum sensusque meos abducta relinquo,
Arbitrii quoniam non sinis esse mei.

Carmen IX.

Scis, iter ex animo sublatum triste puellæ?
Natali Romæ nunc sinit esse suo.
Omnibus ille dies nobis natalis agatur,
Qui nec opinanti jam tibi forte venit.

Carmen X.

Gratum est, securus multum quod jam tibi de me
Promittis, subito ne male inepta cadam.
Si tibi cura toga est potior, pressumque quasillo
Scortum, quam Servî filia Sulpicia;
Solliciti sunt pro nobis, quibus illa dolori est, 5
Ne cedam ignoto, maxima cura, toro.

Carmen XI.

Estne tibi, Cerinthe, tuæ pia cura puellæ,
Dum mea nunc vexat corpora fessa calor?
Ah ego non aliter tristes evincere morbos
Optarim, quam si te quoque velle putem.
Nam mihi quid prosit morbos evincere, si tu 5
Nostra potes lento pectore ferre mala?

Carmen XII.

Ne tibi sim, mea lux, æque jam fervida cura,
Ac videor paucos ante fuisse dies,
Si quicquam tota commisi stulta juventa
Cujus me fatear pœnituisse magis,
Hesterna quam te solum quod nocte reliqui, 5
Ardorem cupiens dissimulare meum.

Carmen XIII.

Nulla tuum nobis subducet fœmina lectum.
Hoc primum juncta est fœdere nostra Venus.
Tu mihi sola places; nec jam te præter in urbe
Formosa est oculis ulla puella meis.
Atque utinam possis uni mihi bella videri, 5
Displiceas aliis: sic ego tutus ero.
Nil opus invidia est; procul absit gloria vulgi.
Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.
Tecum ego secretis possim bene vivere sylvis,
Qua nulla humano sit via trita pede. 10
Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra
Lumen, et in solis tu mihi turba locis.
Nunc licet e cœlo mittatur amica Tibullo,
Mittetur frustra, deficietque Venus.
Hæc tibi sancta tuæ Junonis numina juro, 15
Quæ sola ante alios est mihi magna deos.
Quid facio demens? heu, heu, mea pignora cedo.
Juravi stulte: proderat iste timor.
Nunc tu fortis eris; nunc tu me audacius ures.
Hoc peperit misero garrula lingua malum. 20
Jam faciam, quodcunque voles; tuus usque manebo;
Nec fugiam notæ servitium dominæ:
Sed Veneris sanctæ considam vinctus ad aras.
Hæc notat injustos, supplicibusque favet.

Carmen XIV.

Rumor ait, crebro nostram peccare puellam.
Nunc ego me surdis auribus esse velim.
Crimina non hæc sunt nostro sine jacta dolore.
Quid miserum torques, rumor acerbe? tace.

Carmen XV.

Domitii Marsi.

Te quoque Virgilio comitem non æqua, Tibulle,
Mors juvenem campos misit ad Elysios;
Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

SEX. AURELII PROPERTII ELEGIARUM

LIBER PRIMUS.

Sex. Aurelius Propertius Hispello Umbriæ oppido natus est, U. C. 702. De ejus vita nihil constat, nisi quod eodem, quo Virgilius et Tibullus, naufragio afflictus Romam videtur commigrasse, atque ibi favore et fama principum floruisse. Mortuus est circa 739.

CYNTHIA.

Elegia I.—*Ad Tullum.*

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
Contactum nullis ante cupidinibus.
Tum mihi constantis dejecit lumina fastus,
Et caput impositis pressit Amor pedibus;
Donec me docuit castas odisse puellas 5
Improbus, et nullo vivere consilio.
Et mihi jam toto furor hic non deficit anno;
Cum tamen adversos cogor habere Deos.
Milanion, nullos fugiendo, Tulle, labores,
Sævitiam duræ contudit Läsidos. 10
Nam modo Partheniis amens errabat in antris,
Ibat et hirsutas ille videre feras;
Ille etiam, Hylæi percussus vulnere rami,
Saucius Arcadiis rupibus ingemuit.
Ergo velocem potuit domuisse puellam: 15
Tantum in amore preces et benefacta valent.
In me tardus Amor non ullas cogitat artes;
Nec meminit notas, ut prius, ire vias.
At vos, deductæ quibus est fallacia Lunæ,
Et labor in magicis sacra piare focis; 20
En, agedum, dominæ mentem convertite nostræ,
Et facite illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim vobis, et sidera et amnes
Posse Cytæeis ducere carminibus.
Aut vos, qui sero lapsum revocatis, amici, 25
Quærite non sani pectoris auxilia.
Fortiter et ferrum sævos patiemur et ignes;
Sit modo libertas, quæ velit ira, loqui.
Ferte per extremas gentes, et ferte per undas,
Qua non ulla meum femina norit iter. 30
Vos remanete, quibus facili Deus annuit aure;
Sitis et in tuto semper amore pares.
In me nostra Venus noctes exercet amaras,
Et nullo vacuus tempore defit Amor.
Hoc, moneo, vitate malum; sua quemque moretur 35
Cura; neque assueto mutet amore locum.
Quod siquis monitis tardas adverterit aures,
Heu, referet quanto verba dolore mea!

Elegia II.—*Ad Cynthiam.*

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo,
Et tenues Coa veste movere sinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrha,
Teque peregrinis vendere muneribus?
Naturæque decus mercato perdere cultu, 5
Nec sinere in propriis membra nitere bonis?
Crede mihi, non ulla tuæ est medicina figuræ.
Nudus Amor formam non amat artificem.
Adspice quos submittat humus formosa colores,
Ut veniant hederæ sponte sua melius; 10
Surgat et in solis formosior arbutus antris,
Et sciat indociles currere lympha vias;
Littora nativos per se dent picta lapillos,
Et volucres nulla dulcius arte canant.
Non sic Leucippis succendit Castora Phœbe, 15
Pollucem cultu non Hilaïra soror;
Non, Idæ et cupido quondam discordia Phœbo,
Eveni patriis filia littoribus.
Nec Phrygium falso traxit candore maritum
Avecta externis Hippodamia rotis: 20
Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis;
Qualis Apelleis est color in tabulis.
Non illis studium vulgo conquirere amantes.
Illis ampla satis forma pudicitia.
Non ego nunc vereor, ne sis mihi vilior istis. 25
Uni siqua placet, culta puella sat est.
Cum tibi præsertim Phœbus sua carmina donet,
Aoniamque libens Calliopea lyram;
Unica nec desit jucundis gratia verbis,
Omnia quæque Venus, quæque Minerva probat.
His tu semper eris nostræ gratissima vitæ, 31
Tædia dum miseræ sint tibi luxuriæ.

Elegia III.—*Ad Cynthiam.*

Qualis Thesea jacuit cedente carina
Languida desertis Gnossia littoribus;
Qualis et accubuit primo Cepheïa somno
Libera jam duris cautibus Andromede;
Nec minus assiduis Edonis fessa choreis 5
Qualis in herboso concidit Apidano:
Talis visa mihi mollem spirare quietem
Cynthia, non certis nixa caput manibus;
Ebria cum multo traherem vestigia Baccho,
Et quaterent sera nocte facem pueri. 10
Hanc ego, nondum etiam sensus deperditus omnes,
Molliter impresso conor adire toro;
Et quamvis duplici correptum ardore juberent
Hac Amor, hac Liber, durus uterque Deus,
Subjecto leviter positam tentare lacerto, 15
Osculaque admota sumere ad ora manu:
Non tamen ausus eram dominæ turbare quietem,
Expertæ metuens verbera sævitiæ:
Sed sic intentis hærebam fixus ocellis,
Argus ut ignotis cornibus Inachidos. 20

Et modo solvebam nostra de fronte corollas,
Ponebamque tuis, Cynthia, temporibus;
Et modo gaudebam lapsos formare capillos;
Nunc furtiva cavis poma dabam manibus:
Omnia quæ ingrato largibar munera somno, 25
Munera de prono sæpe voluta sinu.
Et quoties raro duxti suspiria motu,
Obstupui vano credulus auspicio,
Nequa tibi insolitos portarent visa timores,
Neve quis invitam cogeret esse suam; 30
Donec divisas percurrens Luna fenestras,
Luna moraturis sedula luminibus,
Compositos levibus radiis patefecit ocellos.
Sic ait, in molli nixa toro cubitum:
Tandem te nostro referens injuria lecto 35
Alterius clausis expulit e foribus.
Jamque ubi longa meæ consumsti tempora noctis,
Languidus exactis, hei mihi! sideribus?
O utinam tales producas, improbe, noctes,
Me miseram quales semper habere jubes! 40
Nam modo purpureo fallebam stamine somnum,
Rursus et Orpheæ carmine fessa lyræ;
Interdum mecum graviter deserta querebar
Externo longas sæpe in amore moras;
Dum me jucundis lapsam sopor impulit alis. 45
Illa fuit lacrymis ultima cura meis.

ELEGIA IV.—*Ad Bassum.*

Quid mihi tam multas laudando, Basse, puellas,
Mutatum domina cogis abire mea?
Quid me non pateris, vitæ quodcunque sequetur,
Hoc magis assueto ducere servitio?
Tu licet Antiopæ formam Nycteidos, et tu 5
Spartanam referas laudibus Hermionen,
Et quascunque tulit formosi temporis ætas;
Cynthia non illas nomen habere sinet:
Nedum, si levibus fuerit collata figuris,
Inferior duro judice turpis eat. 10
Hæc sed forma mei pars est extrema furoris:
Sunt majora, quibus, Basse, perire juvat:
Ingenuus color, et multis decus artibus, et quæ
Gaudia sub tacita dicere mente libet. 14
Quo magis et nostros contendis solvere amores,
Hoc magis adducta [fallit uterque] fide.
Non impune feres: sciet hoc insana puella;
Et tibi non tacitis vocibus hostis erit.
Nec tibi me post hæc committet Cynthia, nec te
Quæret; erit tanti criminis illa memor: 20
Et te circum omnes alias irata puellas
Differet: heu! nullo limine carus eris.
Nullas illa suis non tinget fletibus aras.
Et quicunque sacer, qualis ubique, lapis.
Non ullo gravius tentatur Cynthia damno, 25
Quam sibi cum rapto cessat amore deus;
Præcipue nostro. Maneat sic semper adoro;
Nec quicquam ex illa, quod querar, inveniam.

ELEGIA V.—*Ad Æmulum suum Gallum.*

Invide, tu tandem voces compesce molestas,
Et sine nos cursu, quo sumus, ire pares.
Quid tibi vis, insane? meos sentire furores?
Infelix! properas ultima nosse mala,
Et miser ignotos vestigia ferre per ignes, 5
Et bibere e tota toxica Thessalia.
Non est illa vagis similis collata puellis;
Molliter irasci non sciet illa tibi.
Quod si forte tuis non est contraria votis,
At tibi curarum millia quanta dabit! 10
Non tibi jam somnos, non illa relinquet ocellos.
Illa feros animis alligat una viros.
Ah! mea contemtus quoties ad limina curres,
Cum tibi singultu fortia verba cadent,
Et tremulus mæstis orietur fletibus horror, 15
Et timor informem ducet in ore notam,
Et, quæcunque voles, fugient tibi verba querenti,
Nec poteris qui sis, aut ubi, nosse miser.
Tum grave servitium nostræ cogere puellæ
Discere, et exclusum quid sit abire domum.
Nec jam pallorem toties mirabere nostrum, 21
Aut cur sim toto corpore nullus ego.
Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti:
Nescit amor priscis cedere imaginibus.
Quod si parva tuæ dederis vestigia curæ, 25
Quam cito de tanto nomine rumor eris!
Non ego tum potero solatia ferre roganti,
Cum mihi nulla mei sit medicina mali.
Sed pariter miseri socio cogemur amore
Alter in alterius mutua flere sinu. 30
Quare quid possit mea Cynthia, desine, Galle,
Quærere: non impune illa rogata venit.

ELEGIA VI.—*Ad Tullum.*

Non ego nunc Adriæ vereor mare noscere tecum,
Tulle, neque Ægæo ducere vela salo;
Cum quo Rhipæos possim conscendere montes,
Ulteriusque domos vadere Memnonias.
Sed me complexæ remorantur verba puellæ, 5
Mutatoque graves sæpe colore preces.
Illa mihi totis argutat noctibus ignes,
Et queritur nullos esse relicta deos.
Illa meam mihi se jam denegat: illa minatur,
Quæ solet ingrato tristis amica viro. 10
His ego non horam possum durare querelis.
Ah pereat, siquis lentus amare potest.
An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas,
Atque Asiæ veteres cernere divitias,
Ut mihi deducta faciat convicia puppi 15
Cynthia, et insanis ora notet manibus;
Osculaque opposito dicat sibi debita vento,
Et nihil infido durius esse viro?
Tu patrui meritas conare anteire secures,
Et vetera oblitis jura refer sociis. 20
Nam tua non ætas unquam cessavit Amori;
Semper at armatæ cura fuit patriæ:
Et tibi non unquam nostros puer iste labores
Afferat, et lacrymis omnia nota meis.
Me sine, quem semper voluit fortuna jacere, 25
Hanc animam extremæ reddere nequitiæ.
Multi longinquo periere in amore libenter:
In quorum numero me quoque terra tegat.
Non ego sum laudi, non natus idoneus armis:
Hanc me militiam fata subire volunt. 30
At tu, seu mollis qua tendit Ionia, seu qua
Lydia Pactoli tingit arata liquor;
Seu pedibus terras, seu pontum carpere remis
Ibis, et accepti pars eris imperii;
Tum tibi siqua mei veniet non immemor hora,
Vivere me duro sidere certus eris.

ELEGIA VII.—*Ad Ponticum Poëtam.*

Dum tibi Cadmeæ dicuntur, Pontice, Thebæ,
Armaque fraternæ tristia militiæ;
Atque (ita sim felix) primo contendis Homero,
Sint modo fata tuis mollia carminibus,
Nos, ut consuemus, nostros agitamus amores, 5
Atque aliquid duram quærimus in dominam.
Nec tantum ingenio, quantum servire dolori
Cogor, et ætatis tempora dura queri.

Hic mihi conteritur vitæ modus; hæc mea fama est:
Hinc cupio nomen carminis ire mei. 10
Me laudent doctæ solum placuisse puellæ,
Pontice, et injustas sæpe tulisse minas.
Me legat assidue post hæc neglectus amator,
Et prosint illi cognita nostra mala.
Te quoque si certo puer hic concusserit arcu,
(Quod nolim nostros evoluisse deos) 16
Longe castra tibi, longe miser agmina septem
Flebis in æterno surda jacere situ:
Et frustra cupies mollem componere versum;
Nec tibi subjiciet carmina serus amor. 20
Tunc me non humilem mirabere sæpe poëtam;
Tunc ego Romanis præferar ingeniis:
Nec poterunt juvenes nostro reticere sepulcro,
"Ardoris nostri magne poëta, jaces."
Tu cave nostra tuo contemnas carmina fastu:
Sæpe venit magno fœnore tardus amor. 26

Elegia VIII.—*Ad Cynthiam.*

Tune igitur demens? nec te mea cura moratur?
An tibi sum gelida vilior Illyria?
Et tibi jam tanti, quicunque est iste, videtur,
Ut sine me vento quolibet ire velis?
Tune audire potes vesani murmura ponti, 5
Fortis et in dura nave jacere potes?
Tu pedibus teneris positas calcare pruinas,
Tu potes insolitas, Cynthia, ferre nives?
O utinam hibernæ duplicentur tempora brumæ,
Et sit iners tardis navita Vergiliis; 10
Nec tibi Tyrrhena solvatur funis in ora,
Neve inimica meas elevet aura preces;
Atque ego non videam tales subsidere ventos,
Cum tibi provectas auferet unda rates;
Ut me defixum vacua patiaris arena 15
Crudelem infesta sæpe vocare manu.
Sed, quocunque modo de me perjura mereris,
Sit Galatea tuæ non aliena viæ;
Ut te, prævectam felice Ceraunia remo,
Accipiat placidis Oricos æquoribus. 20
Nam me non ullæ poterunt corrumpere [tædæ,]
Quin ego, vita, tuo limine acerba querar.
Nec me deficiet nautas rogitare citatos;
Dicite, quo portu clausa puella mea est?
Et dicam: Licet Atraciis considat in oris, 25
Et licet Eleis, illa futura mea est.

* * * * *

Hic erit; hic jurata manet: rumpantur iniqui:
Vicimus: assiduas non tulit illa preces.
Falsa licet cupidus deponat gaudia livor:
Destitit ire novas Cynthia nostra vias. 30
Illi carus ego: per me carissima Roma
Dicitur; et sine me dulcia regna negat.
Illa vel angusto mecum requiescere lecto,
Et quocunque modo maluit esse mea,
Quam sibi dotatæ regnum vetus Hippodamiæ,
Et quas Elis opes ante pararat equis.
Quamvis magna daret, quamvis majora daturus,
Non tamen illa meos fugit avara sinus.
Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
Sed potui blandi carminis obsequio. 40
Sunt igitur Musæ, neque amanti tardus Apollo;
Quis ego fretus amo. Cynthia rara mea est.
Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis:
Sive dies seu nox venerit, illa mea est.
Nec mihi rivalis certos subducit amores. 45
Ista meam norit gloria canitiem.

Elegia IX.—*Ad Ponticum suum.*

Dicebam tibi venturos, irrisor, amores,
Nec tibi perpetuo libera verba fore.
Ecce jaces, supplexque venis ad jura puellæ;
Ecce tibi quovis imperat emta modo.
Non me Chaoniæ vincant in amore columbæ 5
Dicere, quos juvenes quæque puella domet.
Me dolor et lacrymæ merito fecere peritum:
Atque utinam posito dicar amore rudis!
Quid tibi nunc misero prodest grave dicere carmen,
Aut Amphioniæ mœnia flere lyræ? 10
Plus in amore valet Mimnermi versus Homero;
Carmina mansuetus lenia quærit amor.
I, quæso, et tristes istos compone libellos,
Et cane, quod quævis nosse puella velit.
Quid, si non esset facilis tibi copia? nunc tu
Insanus medio flumine quæris aquam.
Necdum etiam palles, vero nec tangeris igni:
Hæc est venturi prima favilla mali.
Tunc magis Armenias cupies accedere tigres,
Et magis infernæ vincula nosse rotæ, 20
Quam pueri toties arcum sentire medullis,
Et nihil iratæ posse negare tuæ.
Nullus amor cuiquam faciles ita præbuit alas,
Ut non alterna presserit ille manu.
Nec te decipiat, quod sit satis illa parata. 25
Acrius illa subit, Pontice, siqua tua est.
Quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos,
Nec vigilare alio nomine, cedat Amor?
Qui non ante patet, donec manus attigit ossa.
Quisquis es, assiduas, ah! fuge blanditias. 30
Illis et silices, et possunt cedere quercus;
Nedum tu possis, spiritus iste levis.
Quare, si pudor est, quamprimum errata fatere.
Dicere quo pereas, sæpe in amore levat.

Elegia X.—*Ad Gallum.*

O jucunda quies, primo cum testis amori
Affueram vestris conscius in lacrymis!
O noctem meminisse mihi jucunda voluptas!
O quoties votis illa vocanda meis!
Cum te complexa morientem, Galle, puella 5
Vidimus, et longa ducere verba mora.
Quamvis labentes premeret mihi somnus ocellos,
Et mediis cœlo Luna ruberet equis;
Non tamen a vestro potui secedere lusu:
Tantus in alternis vocibus ardor erat. 10
Sed quoniam non es veritus concredere nobis,
Accipe commissæ munera lætitiæ.
Non solum vestros didici reticere dolores;
Est quiddam in nobis majus, amice, fide.
Possum ego diversos iterum conjungere amantes,
Et dominæ tardas possum aperire fores: 16
Et possum alterius curas sanare recentes,
Nec levis in verbis est medicina meis.
Cynthia me docuit semper, quæcunque petenda,
Quæque cavenda forent: non nihil egit amor.
Tu cave ne tristi cupias pugnare puellæ, 21
Neve superba loqui, neve tacere diu;
Neu, siquid petiit, ingrata fronte negaris;
Neu tibi pro vano verba benigna cadant.
Irritata venit, quando contemnitur illa, 25
Nec meminit justas ponere læsa minas.
At quo sis humilis magis, et subjectus amori,
Hoc magis effectu sæpe fruare bono.
Is poterit felix una remanere puella,
Qui nunquam vacuo pectore liber erit. 30

ELEGIA XI.—*Ad Cynthiam.*

Ecquid te mediis cessantem, Cynthia, Baiis,
Qua jacet Herculeis semita littoribus,
Et modo Thesproti mirantem subdita regno,
Et modo Misenis æquora nobilibus,
Nostri cura subit memores, ah! ducere noctes?
Ecquis in externo restat amore locus? 6
An te nescio quis simulatis ignibus hostis
Sustulit e nostris, Cynthia, carminibus?
Atque utinam mage te remis confisa minutis
Parvula Lucrina cymba moretur aqua; 10
Aut teneat clausam tenui Teuthrantis in unda
Alternæ facilis cedere lympha manu;
Quam vacet alterius blandos audire susurros
Molliter in tacito littore compositam;
Ut solet amoto labi custode puella 15
Perfida, communes nec meminisse deos.
Non quia perspecta non es mihi cognita fama;
Sed quod in hac omnis parte timetur amor.
Ignosces igitur, siquid tibi triste libelli
Attulerint nostri; culpa timoris erit. 20
An mihi sit major caræ custodia matris,
Aut sine te vitæ cura sit ulla meæ?
Tu mihi sola domus, tu, Cynthia, sola parentes,
Omnia tu nostræ tempora lætitiæ.
Seu tristis veniam, seu contra lætus amicis; 25
Quicquid ero, dicam, Cynthia causa fuit.
Tu modo quamprimum corruptas desere Baias:
Multis ista dabunt littora discidium;
Littora, quæ fuerant castis inimica puellis:
Ah! pereant Baiæ, crimen amoris, aquæ! 30

ELEGIA XII.—*Ad Amicum.*

Quid mihi desidiæ non cessas fingere crimen,
Quod faciat nobis conscia Roma moram?
Tam multa illa meo divisa est millia lecto,
Quanta Hypanis Veneto dissidet Eridano.
Nec mihi consuetos amplexu nutrit amores 5
Cynthia, nec nostra dulcis in aure sonat.
Olim gratus eram: non illo tempore cuiquam
Contigit, ut simili posset amare fide.
Invidiæ fuimus? num me deus obruit, aut quæ
Lecta Prometheis dividit herba jugis? 10
Non sum ego qui fueram? an mutat via longa puellas?
Quantus in exiguo tempore fugit amor!
Nunc primum longas solus cognoscere noctes
Cogor, et ipse meis auribus esse gravis.
Felix, qui potuit præsenti flere puellæ! 15
Nonnihil adspersis gaudet amor lacrymis.
Aut, si despectus potuit mutare calores,
Sunt quoque translato gaudia servitio.
Mi neque amare aliam, neque ab hac discedere fas est:
Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit. 20

ELEGIA XIII.—*Ad Gallum.*

Tu, quod sæpe soles, nostro lætabere casu,
Galle, quod abrepto solus amore vacem.
At non ipse tuas imitabor, perfide, voces:
Fallere te nunquam, Galle, puella velit.
Dum tibi deceptis augetur fama puellis, 5
Certus et in nullo quæris amore moram;
Perditus in quadam tardis pallescere curis
Incipis, et primo lapsus abire gradu.
Hæc erit illarum contemti pœna doloris:
Multarum miseras exiget una vices. 10
Hæc tibi vulgares istos compescet amores,
Nec nova quærendo semper amicus eris.
Hæc ego non rumore malo, non augure doctus;
Vidi ego: me, quæso, teste negare potes?
Vidi ego te toto vinctum languescere collo, 15
Et flere injectis, Galle, diu manibus,
Et cupere optatis animam deponere labris,
Et quæ deinde meus celat, amice, pudor.
Non ego complexus potui diducere vestros:
Tantus erat demens inter utrosque furor. 20
Non sic Hæmonio Salmonida mixtus Enipeo
Tænarius facili pressit amore deus;
Nec sic cœlestem flagrans amor Herculis Heben
Sensit ab Œtæis gaudia prima jugis.
Una [dies] omnes potuit præcurrere amantes: 25
Nam tibi non tepidas subdidit illa faces.
Nec tibi præteritos passa est succedere fastus:
Nec sinet abduci: te tuus ardor aget. [dæ,
Nec mirum, cum sit Jove digna, et proxima Le-
Et Ledæ partu, gratior una tribus; 30
Illa sit Inachiis et blandior heroinis,
Illa suis verbis cogat amare Jovem.
Tu vero, quoniam semel es periturus amore,
Utere: non alio limine dignus eras.
Quæ tibi sit felix, quoniam novus incidit error
Et, quotcunque voles, una sit ista tibi.

ELEGIA XIV.—*Ad Tullum.*

Tu licet abjectus Tiberina molliter unda
Lesbia Mentoreo vina bibas opere;
Et modo tam celeres mireris currere lintres,
Et modo tam tardas funibus ire rates;
Et nemus omne satas intendat vertice sylvas, 5
Urgetur quantis Caucasus arboribus;
Non tamen ista meo valeant contendere amori.
Nescit amor magnis cedere divitiis.
Nam sive optatam mecum trahit ille quietem,
Seu facili totum ducit amore diem; 10
Tunc mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores,
Et legitur rubris gemma sub æquoribus.
Tum mihi cessuros spondent mea gaudia reges;
Quæ maneant, dum me fata perire volent!
Nam quis divitiis adverso gaudet amore? 15
Nulla mihi tristi præmia sint Venere.
Illa potest magnas heroum infringere vires,
Illa etiam duris mentibus esse dolor.
Illa neque Arabium metuit transcendere limen,
Nec timet ostrino, Tulle, subire toro, 20
Et miserum toto juvenem versare cubili:
Quid relevant variis serica textilibus?
Quæ mihi dum placata aderit, non ulla verebor
Regna, nec Alcinoi munera despicere.

ELEGIA XV.—*Ad Cynthiam.*

Sæpe ego multa tuæ levitatis dura timebam,
Hac tamen excepta, Cynthia, perfidia.
Adspice, me quanto rapiat fortuna periclo:
Tu tamen in nostro lenta timore venis.
Et potes hesternos manibus componere crines, 5
Et longa faciem quærere desidia;
Nec minus Eois pectus variare lapillis,
Ac formosa novo quæ parat ire viro.
At non sic Ithaci digressu mota Calypso
Desertis olim fleverat æquoribus. 10
Multos illa dies incomtis mæsta capillis
Sederat, injusto multa locuta salo;
Et, quamvis nunquam post hæc visura, dolebat
Illa tamen longæ conscia lætitiæ.
Alphesibœa suos ulta est pro conjuge fratres, 15
Sanguinis et cari vincula rupit amor.
Nec sic Æsoniden rapientibus anxia ventis
Hypsipyle vacuo constitit in thalamo.

Hypsipyle nullos post illum sensit amores,
Ut semel Hæmonio tabuit hospitio. 20
Conjugis Evadne miseros elata per ignes
Occidit, Argivæ fama pudicitiæ.
Quarum nulla tuos potuit convertere mores,
Tu quoque uti fieres nobilis historia.
Desine jam revocare tuis perjuria verbis, 25
Cynthia, et oblitos parce movere deos.
Audax ah nimium, nostro dolitura periclo,
Siquid forte tibi durius inciderit.
Muta prius vasto labantur flumina ponto,
Annus et inversas duxerit ante vices, 30
Quam tua sub nostro mutetur pectore cura,
(Sis quodcunque voles, non aliena tamen)
Quamve mihi viles isti videantur ocelli,
Per quos sæpe mihi credita perfidia est.
Hos tu jurabas, siquid mentita fuisses, 35
Ut tibi suppositis excideremt manibus.
Et contra magnum potes hos attollere Sole,
Nec tremis admissæ conscia nequitiæ?
Quis te cogebat multos pallere colores,
Et fletum invitis ducere luminibus? 40
Quis ego nunc pereo, similes moniturus amantes.
O nullis tutum credere blanditiis!

Elegia XVI.—*Verba Januæ conquerentis.*

Quæ fueram magnis olim patefacta triumphis,
Janua Tarpeiæ nota pudicitiæ,
Cujus inaurati celebrarunt limina currus,
Captorum lacrymis humida supplicibus;
Nunc ego nocturnis potorum saucia rixis, 5
Pulsata indignis sæpe queror manibus;
Et mihi non desunt turpes pendere corollæ
Semper, et exclusi signa jacere faces;
Nec possum infames dominæ defendere noctes
Nobilis obscænis tradita carminibus. 10
Nec tamen illa suæ revocatur parcere famæ,
[Turpior et sæcli vivere luxuria.]
Hæc inter gravibus cogor deflere querelis
Supplicis, ah! longas tristior excubias.
Ille meos nunquam patitur requiescere postes, 15
Arguta referens carmina blanditia:
Janua, vel domina penitus crudelior ipsa,
Quid mihi tam duris clausa taces foribus?
Cur nunquam reserata meos admittis amores,
Nescia furtiva cedere mota prece? 20
Nullane finis erit nostro concessa dolori?
Tristis et in tepido limine somnus erit?
Me mediæ noctes, me sidera prona jacentem,
Frigidaque Eoo me videt aura gelu.
Tu sola humanos nunquam miserata labores 25
Respondes tacitis mutua cardinibus.
O utinam trajecta cava mea vocula rima
Percussas dominæ vertat in auriculas!
Sit licet et saxo patientior illa Sicano,
Sit licet et ferro durior et chalybe; 30
Non tamen illa suos poterit compescere ocellos:
Surget et invitis spiritus in lacrymis.
Nunc jacet alterius felici nixa lacerto;
At mea nocturno verba cadunt Zephyro.
Sed tu sola mei, tu maxima causa doloris, 35
Victa meis nunquam, janua, muneribus.
Te non ulla meæ læsit petulantia linguæ,
Quæ solet ingrato dicere turba joco;
Ut me tam longa raucum patiare querela
Sollicitas trivio pervigilare moras, 40
At tibi sæpe novo deduxi carmina versu,
Osculaque impressis fixa dedi gradibus.
Ante tuas quoties verti me, perfida, postes,
Debitaque occultis vota tuli manibus!
Hæc ille, et si quæ miseri novistis amantes, 45
En, matutinis obstrepit alitibus.
Sic ego nunc dominæ vitiis, nunc semper amantis
Fletibus, alterna differor invidia.

Elegia XVII.—*Ad Cynthiam, de Maris Tempestate.*

Et merito, quoniam potui fugisse puellam,
Nunc ego desertas alloquor alcyonas;
Nec mihi Cassiope solito visura carinam est
Omine, et ingrato littore vota cadunt.
Quin etiam absenti prosunt tibi, Cynthia, venti.
Adspice quam sævas increpet aura minas. 6
Nullane placatæ veniet fortuna procellæ?
Hæccine parva meum funus arena teget?
Tu tamen in melius sævas converte querelas:
Sat tibi sit pœnæ nox et iniqua vada. 10
An poteris siccis mea fata reponere ocellis,
Ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?
Ah pereat, quicunque rates et vela paravit
Primus, et invito gurgite fecit iter!
Nonne fuit levius dominæ pervincere mores, 15
(Quamvis dura, tamen cara puella fuit)
Quam sic ignotis circumdata littora sylvis
Cernere, et optatos quærere Tyndaridas?
Illic siqua meum sepelissent fata dolorem,
Ultimus et posito staret amore lapis; 20
Illa meo caros donasset funere crines,
Molliter et tenera poneret ossa rosa:
Illa meum extremo clamasset pulvere nomen,
Ut mihi non ullo pondere terra foret.
At vos, æquoreæ formosa Doride natæ, 25
Candida felici solvite vela choro.
Si quando vestras labens Amor attigit undas,
Mansuetis socio parcite littoribus.

Elegia XVIII.—*Lamentatur solus.*

Hæc certe deserta loca, et taciturna querenti;
Hoc vacuum Zephyri possidet aura nemus.
Hic licet occultos proferre impune dolores,
Si modo sola queant saxa tenere fidem.
Unde tuos primum repetam, mea Cynthia fastus?
Quod mihi das flendi, Cynthia, principium? 6
Qui modo felices inter numerabar amantes,
Nunc in amore tuo cogor habere notam.
Quid tantum merui? quæ te mihi crimina mutant?
An nova tristitiæ causa puella tuæ? 10
Sic mihi te referas lenis, non altera nostro
Limine formosos intulit ulla pedes.
Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet,
Non ita sæva tamen venerit ira mihi,
Ut tibi sim merito semper furor, et tua flendo 15
Lumina dejectis turpia sint lacrymis.
An quia parva damus mutato signa colore,
Et non ulla meo clamat in ore fides?
Vos eritis testes, si quos habet arbor amores,
Fagus, et Arcadio pinus amica deo. 20
Ah quoties teneras resonant mea verba sub umbras,
Scribitur et vestris Cynthia corticibus!
Ah tua quot peperit nobis injuria curas,
Quæ solum tacitis cognita sunt foribus!
Omnia consuevi timidus perferre superbæ 25
Jussa, neque arguto ficta dolore queri.
Pro quo, devexi montes, et frigida rupes,
Et datur inculto tramite dura quies:
Et quodcunque meæ possunt narrare querelæ,
Cogor ad argutas dicere solus aves. 30
Sed, qualiscunque es, resonant mihi 'Cynthia' sylvæ,
Nec deserta tuo nomine saxa vacant.

ELEGIA XIX.—*Ad Cynthiam.*

Non ego nunc tristes vereor, mea Cynthia, Manes,
Nec moror extremo debita fata rogo:
Sed, ne forte tuo careat mihi funus amore,
Hic timor est ipsis durior exequiis.
Non adeo leviter nostris puer hæsit ocellis, 5
Ut meus oblito pulvis amore vacet.
Sic et Phylacides jucundæ conjugis heros
Non potuit cæcis immemor esse locis;
Sed cupidus falsis attingere gaudia palmis,
Thessalis antiquam venerat umbra domum. 10
Illic, quicquid ero, semper tua dicar imago:
Trajicit et fati littora magnus amor.
Illic formosæ veniant chorus heroinæ,
Quas dedit Argivis Dardana præda viris;
Quarum nulla tua fuerit mihi, Cynthia, forma 15
Gratior: et Venus hoc, si dea justa, sinat.
Quamvis te longæ remorentur fata senectæ,
Cara tamen lacrymis ossa futura tuis;
Quas si, vita, mea possim sentire favilla,
Tum mihi non ullo mors sit amara loco. 20
Quam vereor, ne te contemto, Cynthia, busto,
Abstrahat a nostro pulvere iniquus amor;
Cogat et invitam lacrymas siccare cadentes!
Flectitur assiduis certa puella minis.
Dum licet, inter nos igitur lætemur amantes. 25
Non satis est ullo tempore longus amor.

ELEGIA XX.—*Ad Gallum.*

At pro continuo te, Galle, monemus amore,
Id tibi ne vacuo defluat ex animo:
Sæpe imprudenti fortuna occurrit amanti.
Crudelis Minyis dixerit Ascanius.
Est tibi non infra speciem, non nomine dispar, 5
Thiodamanteo proximus ardor Hylæ.
Huic te, sive leges umbrosæ flumina sylvæ,
Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes,
Sive gigantea spatiabere littoris ora,
Sive ubicunque vago fluminis hospitio; 10
Nympharum cupidas semper defende rapinas.
Non minor Ausoniis est amor, ah! Dryasin.
Ne tibi sit durum montes et frigida saxa,
Galle, neque expertos semper adire lacus:
Quæ miser ignotis error perpessus in oris 15
Herculis, indomito fleverat Ascanio!
Namque ferunt olim Pagasæ navalibus Argo
Egressam longe Phasidos isse viam;
Et jam præteritis labentem Athamantidos undis
Mysorum scopulis applicuisse ratem. 20
Hic manus heroum placitis ut constitit oris,
Mollia composita littora fronde tegit.
At comes invicti juvenis processerat ultra,
Raram sepositi quærere fontis aquam.
Hunc duo sectati fratres, Aquilonia proles, 25
Hunc super et Zetes, hunc super et Calais,
Oscula suspensis instabant carpere palmis,
Oscula et alterna ferre supina fuga.
Ille sub extrema pendens secluditur ala,
Et volucres ramo summovet insidias. 30
Jam Pandioniæ cessat genus Orithyiæ:
Ah! dolor ibat Hylas, ibat Hamadryasin.
Hic erat Arganthi Pege sub vertice montis
Grata domus Nymphis humida Thyniasin;
Quam supra nullæ pendebant debita curæ 35
Roscida desertis poma sub arboribus;
Et circum irriguo surgebant lilia prato
Candida, purpureis mixta papaveribus:
Quæ modo decerpens tenero pueriliter ungui,
Proposito florem prætulit officio; 40
Et modo formosis incumbens nescius undis,
Errorem blandis tardat imaginibus.
Tandem haurire parat demissis flumina palmis,
Innixus dextro plena trahens humero.
Cujus at accensæ Dryades candore puellæ 45
Miratæ solitos destituere choros,
Prolapsum leviter facili traxere liquore:
Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.
Cui procul Alcides iterat responsa; sed illi
Nomen ab extremis fontibus aura refert. 50
His, o Galle, tuos monitis servabis amores,
Formosum Nymphis credere tutus Hylan.

ELEGIA XXI.—*Gallus loquitur.*

Tu, qui consortem properas evadere casum,
Miles ab Etruscis saucius aggeribus,
Quid nostro gemitu turgentia lumina torques?
Pars ego sum vestræ proxima militiæ.
Sic te servato possint gaudere parentes, 5
Hæc soror Acca tuis sentiat e lacrymis,
Gallum, per medios ereptum Cæsaris enses,
Effugere ignotas non potuisse manus:
Ut quæcunque super dispersa invenerit ossa
Montibus Etruscis, hæc sciat esse mea. 10

ELEGIA XXII.—*Ad Tullum, de Patria sua.*

Qualis, et unde genus, qui sint mihi, Tulle, penates,
Quæris pro nostra semper amicitia.
Si Perusina tibi patriæ sunt nota sepultæ
Italiæ duris funera temporibus,
Cum Romana suos egit discordia cives; 5
(Sis mihi præcipue, pulvis Etrusca, dolor:
Tu projecta mei perpessa es membra propinqui:
Tu nullo miseri contegis ossa solo:)
Proxima supposito contingens Umbria campo
Me genuit, terris fertilis uberibus. 10

LIBER SECUNDUS.

ELEGIA I.—*Ad Mecænatem.*

Quæritis, unde mihi toties scribantur amores?
Unde meus veniat mollis in ora liber?
Non hæc Calliope, non hæc mihi dictat Apollo.
Ingenium nobis ipsa puella facit.
Sive illam Cois fulgentem incedere vidi, 5
Totum de Coa veste volumen erit;
Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,
Gaudet laudatis ire superba comis;
Sive lyræ carmen digitis percussit eburnis,
Miramur, faciles ut premat arte manus; 10
Seu cum poscentes somnus declinat ocellos,
Invenio causas mille poëta novas;
Seu nuda erepto mecum luctatur amictu,
Tunc vero longas condimus Iliadas;
Seu quicquid fecit, sive est quodcunque locuta,
Maxima de nihilo nascitur historia. 16
Quod mihi si tantum, Mecænas, fata dedissent,
Ut possem heroas ducere in arma manus;
Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
Impositum, ut cœlo Pelion esset iter; 20
Non veteres Thebas, nec Pergama nomen Homeri,
Xerxis et imperio bina coisse vada;

Regnave prima Remi, aut animos Carthaginis altæ,
Cimbrorumque minas, et benefacta Marî.
Bellaque resque tui memorarem Cæsaris; et tu,
Cæsare sub magno, cura secunda fores. 26
Nam quoties Mutinam, aut civilia busta Philip-
Aut canerem Siculæ classica bella fugæ, [pos,
Eversosque focos antiquæ gentis Etruscæ,
Et Ptolemæeæ littora capta Phari; 30
Aut canerem Ægyptum, et Nilum, cum tractus in urbem
Septem captivis debilis ibat aquis;
Aut regum auratis circumdata colla catenis,
Actiaque in Sacra currere rostra via;
Te mea Musa illis semper contexeret armis, 35
Et sumta et posita pace fidele caput.
[Theseus infernis, superis testatur Achilles,
Hic Ixioniden, ille Menœtiaden.] [tus
Sed neque Phlegræos Jovis Enceladique tumul-
Intonet angusto pectore Callimachus; 40
Nec mea conveniunt duro præcordia versu
Cæsaris in Phrygios condere nomen avos.
Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves.
Nos contra angusto versamus prœlia lecto. 45
Qua pote quisque, in ea conterat arte diem.
Laus in amore mori: laus altera, si datur uno
Posse frui: fruar, o! solus amore meo.
Si memini, solet illa leves culpare puellas,
Et totam ex Helena non probat Iliada. 50
Pocula seu Phædræ mihi sint tangenda novercæ,
Pocula privigno non nocitura suo;
Seu mihi Circæo pereundum gramine, sive
Colchis Iolciacis urat aëna focis;
Una meos quoniam prædata est fœmina sensus,
Ex hac ducentur funera nostra domo. 56
Omnes humanos sanat medicina dolores;
Solus amor morbi non amat artificem.
Tarda Philoctetæ sanavit crura Machaon,
Phœnicis Chiron lumina Phillyrides; 60
Et deus exstinctum Cressis Epidaurius herbis
Restituit patriis Androgeona focis;
Mysus et Hæmonii juvenis qua cuspide vulnus
Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.
Hoc siquis vitium poterit mihi demere, solus 65
Tantaleæ poterit tradere poma manu;
Dolia virgineis idem ille repleverit urnis,
Ne tenera assidua colla graventur aqua;
Idem Caucasea solvet de rupe Promethei
Brachia, et a medio pectore pellet avem. 70
Quandocunque igitur vitam mea fata reposcent,
Et breve in exiguo marmore nomen ero;
Mæcenas, nostræ pars invidiosa juventæ,
Et vitæ et morti gloria justa meæ,
Si te forte meo ducet via proxima busto, 75
Esseda cælatis siste Britanna jugis,
Taliaque illacrymans mutæ jace verba favillæ:
Huic misero fatum dura puella fuit.

Elegia II.—*Cynthiæ Laudes.*

Liber eram, et vacuo quærebam vivere lecto;
At me composita pace fefellit Amor.
Cur hæc in terris facies humana moratur?
Jupiter, agnosco pristina furta tua. [toto
Fulva coma est, longæque manus, et maxima
Corpore, et incedit vel Jove digna soror; 6
Aut cum Munychias Pallas spatiatur ad aras,
Gorgonis anguiferæ pectus operta comis;
Qualis et Ischomache Lapithûm genus heroine,
Centauris medio grata rapina mero, 10
Mercurio et sanctis fertur Bœbeidos undis
Virgineum Brimo composuisse latus.
Cedite jam, divæ, quas pastor viderat olim
Idæis tunicam ponere verticibus.
Hanc utinam faciem nolit mutare senectus, 15
Et sic Cumææ sæcula vatis agat.

Elegia III.—*Adversum se.*

Qui nullam tibi dicebas jam posse nocere,
Hæsisti: cecidit spiritus ille tuus.
Vix unum potes infelix requiescere mensem,
Et turpis de te jam liber alter erit.
Quærebam, sicca si posset piscis arena,
Nec solitus ponto vivere torvus aper;
Aut ego si possem studiis vigilare severis.
Differtur, nunquam tollitur ullus amor.
Nec me tam facies, quamvis sit candida, cepit,
Lilia nec domina sint magis alba mea; 10
Ut Mæotica nix minio si certet Ibero,
Utque rosæ puro lacte natant folia:
Nec de more comæ per lævia colla fluentes,
Non oculi, geminæ, sidera nostra, faces;
Nec siqua Arabio lucet bombyce puella: 15
(Non sum de nihilo blandus amator ego)
Quantum, quod posito formose saltat Iaccho,
Egit ut evantes dux Ariadna choros;
Et quantum, Æolio cum tentat carmina plectro,
Par Aganippeæ ludere docta lyræ; 20
Et sua cum antiquæ committit scripta Corinnæ,
Carminaque Erinnes non putat æqua suis.
Nam tibi nascenti primis, mea vita, diebus
Aureus argutum sternuit omen Amor.
Hæc tibi contulerunt cœlestia munera divi, 25
Hæc tibi: ne matrem forte dedisse putes:
Non, non humani sunt partus talia dona:
Ista decem menses non peperere bona.
Gloria Romanis una es tu nata puellis.
Romana accumbes prima puella Jovi: 30
Nec semper nobis humana cubilia vises.
Post Helenam hæc terris forma secunda redît.
Hac ego nunc mirer si flagret nostra juventus?
Pulchrius hac fuerat, Troja, perire tibi.
Olim mirabar, cur tanti ad Pergama belli 35
Europæ atque Asiæ causa puella fuit.
Nunc, Pari, tu sapiens, et tu, Menelae, fuisti:
Tu, quia poscebas; tu, quia lentus eras.
Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles,
Vel Priamo belli causa probanda fuit. 40
Siquis vult fama tabulas anteire vetustas,
Hic dominam exemplo ponat in arte meam.
Sive illam Hesperiis, sive illam ostendet Eois,
Uret et Eoos, uret et Hesperios.
His saltem ut tenear jam finibus: aut mihi siquis
Venerit alter amor, acrius ut moriar. 46
Ac veluti primo taurus detrectat aratra,
Post venit assueto mollis ad arva jugo;
Sic primo juvenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti post hæc æqua et iniqua ferunt.
Turpia perpessus vates est vincla Melampus, 51
Cognitus Iphicli surripuisse boves;
Quem non lucra, magis Pero formosa coëgit,
Mox Amythaonia nupta futura domo.

Elegia IV.—*Ad Amantem.*

Multa prius dominæ delicta queraris oportet;
Sæpe roges aliquid, sæpe repulsus eas;
Et sæpe immeritos corrumpas dentibus ungues.
Et crepitum dubio suscitet ira pede.
Nequicquam perfusa meis unguenta capillis, 5
Ibat et expenso planta morata gradu.

Non hic herba valet, non hic nocturna Cytæis,
Non Perimedea gramina cocta manu. [tus,
Quippe ubi nec causas, nec apertos cernimus ic-
Unde tamen veniant tot mala, cæca via est. 10
Non eget hic medicis, non lectis mollibus æger:
Huic nullum cœli tempus et aura nocet.
Ambulat, et subitum mirantur funus amici.
Sic est incautum, quicquid habetur amor.
Nam cui non ego sum fallaci præmia vati? 15
Quæ mea non decies somnia versat anus?
Hostis siquis erit nobis, amet ille puellas:
Gaudeat in puero, siquis amicus erit.
Tranquillo tuta descendis flumine cymba:
Quid tibi tam parvi littoris unda nocet? 20
Alter sæpe uno mutat præcordia verbo:
Altera vix ipso sanguine mollis erit.

ELEGIA V.—*Ad Cynthiam.*

Hoc verum est, tota te ferri, Cynthia, Roma,
Et non ignota vivere nequitia?
Hæc merui sperare? dabis mihi, perfida, pœnas.
Et nobis Aquilo, Cynthia, ventus erit.
Inveniam tamen e multis fallacibus unam, 5
Quæ fieri nostro carmine nota velit;
Nec mihi tam duris insultet moribus, et te
Vellicet: heu! sero flebis, amata diu.
Nunc est ira recens; nunc est discedere tempus:
Si dolor abfuerit, crede, redibit amor. 10
Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus undæ,
Nec dubio nubes vertitur atra Noto;
Quam facile irati verbo mutantur amantes.
Dum licet, injusto subtrahe colla jugo.
Nec tu non aliquid, sed prima nocte, dolebis: 15
Omne in amore malum, si patiare, leve est.
At tu, per dominæ Junonis dulcia jura,
Parce tuis armis, vita, nocere tibi.
Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem,
Verum etiam instanti læsa repugnat ovis. 20
Nec tibi perjuro scindam de corpore vestem,
Nec mea præclusas fregerit ira fores:
Nec tibi connexos iratus carpere crines,
Nec duris ausim lædere pollicibus. 24
Rusticus hæc aliquis tam turpia prœlia quærat,
Cujus non hederæ circuiere caput.
Scribam igitur, tua quod nunquam deleverit ætas,
Cynthia forma potens, Cynthia forma levis.
Crede mihi, quamvis contemnis murmura famæ,
Hic tibi pallori, Cynthia, versus erit. 30

ELEGIA VI.—*Ad Cynthiam.*

Non ita complebant Ephyreæ Laidos ædes,
Ad cujus jacuit Græcia tota fores;
Turba Menandreæ fuerat nec Thaidos olim
Tanta, in qua populus lusit Erichthonius;
Nec, quæ deletas potuit componere Thebas, 5
Phryne tam multis facta beata viris.
Quin etiam falsos fingis tibi sæpe propinquos,
Oscula, ne desint, qui tibi jure ferant.
Me juvenum facies pictæ, me nomina lædunt,
Me tener in cunis et sine voce puer: 10
Me lædit, si multa tibi dedit oscula, mater;
Me soror, et tibi quæ dormit amica simul.
Omnia me lædunt: (timidus sum; ignosce timori)
Et miser in tunica suspicor esse virum.
His olim, ut fama est, vitiis ad prœlia ventum est;
His Trojana vides funera principiis. 16
Aspera Centauros eadem dementia jussit
Frangere in adversum pocula Pirithoum.
Cur exempla petam Graiûm? tu criminis auctor,
Nutritus duro, Romule, lacte lupæ. 20
Tu rapere intactas docuisti impune Sabinas;
Per te nunc Romæ quidlibet audet Amor.
Felix Admeti conjux, et lectus Ulixis,
Et quæcunque viri fœmina limen amat. 24
Templa Pudicitiæ quid opus statuisse puellis,
Si cuivis nuptæ quidlibet esse licet?
Quæ manus obscænas depinxit prima tabellas,
Et posuit casta turpia visa domo,
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiæque suæ noluit esse rudes. 30
Ah! gemat in terris, ista qui protulit arte
Jurgia sub tacita condita lætitia!
Non istis olim variabant tecta figuris.
Tum paries nullo crimine pictus erat.
Sed non immerito velavit aranea fanum, 35
Et mala desertos occupat herba deos.
Quos igitur tibi custodes, quæ limina ponam,
Quæ nunquam supra pes inimicus eat?
Nam nihil invitæ tristis custodia prodest:
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est. 40
Uxor me nunquam, nunquam me ducet amica:
Semper amica mihi, semper et uxor eris.

ELEGIA VII.—*Ad Cynthiam.*

Gavisa es certe sublatam, Cynthia, legem,
Qua quondam edicta flemus uterque diu,
Ni nos divideret; quamvis diducere amantes
Non queat invitos Jupiter ipse duos.
At magnus Cæsar. Sed magnus Cæsar in armis.
Devictæ gentes nil in amore valent.
Nam citius paterer caput hoc discedere collo,
Quam possem nuptæ perdere amore faces;
Aut ego transirem tua limina clausa maritus,
Respiciens udis prodita luminibus. 10
Ah! mea tum quales faceret tibi tibia cantus,
Tibia funesta tristior illa tuba!
Unde mihi patriis natos præbere triumphis?
Nullus de nostro sanguine miles erit.
Quod si Romanæ comitarent castra puellæ, 15
Non mihi sat magnus Castoris iret equus.
Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen,
Gloria ad hibernos lata Borysthenidas;
Tu mihi sola places: placeam tibi, Cynthia, solus:
Hic erit et patrio sanguine pluris amor. 20

ELEGIA VIII.—*Ad Amicum.*

Eripitur nobis jampridem cara puella,
Et tu me lacrymas fundere, amice, vetas.
Nullæ sunt inimicitiæ, nisi amoris, acerbæ.
Ipsum me jugula: lenior hostis eris.
Possum ego in alterius positam spectare lacerto?
Nec mea dicetur, quæ modo dicta mea est? 6
Omnia vertuntur; certe vertuntur amores.
Vinceris, aut vincis; hæc in amore rota est.
Magni sæpe duces, magni cecidere tyranni:
Et Thebæ steterunt, altaque Troja fuit. 10
Munera quanta dedi, [vel] qualia carmina feci!
Illa tamen nunquam ferrea dixit, Amo.
Ergo tam multos nimium temerarius annos,
Improba, qui tulerim teque tuamque domum.
Ecquandone tibi liber sum visus? an usque 15
In nostrum jacies verba superba caput?
Sic igitur prima moriere ætate, Properti?
Sed morere: interitu gaudeat illa tuo.
Exagitet nostros Manes, sectetur et umbras,
Insultetque rogis, calcet et ossa mea. 20
Quid? non Antigonæ tumulo Bœotius Hæmon
Corruit ipse suo saucius ense latus;
Et sua cum miseræ permiscuit ossa puellæ,
Qua sine Thebanam noluit ire domum?

Sed non effugies: mecum moriaris, oportet; 25
Hoc eodem ferro stillet uterque cruor.
Quamvis ista mihi mors est inhonesta futura;
Mors inhonesta quidem: tu moriere tamen.
Ille etiam abrepta desertus conjuge Achilles
Cessare in Teucros pertulit arma sua. 30
Viderat ille fugas, fractos in littore Achivos,
Fervere et Hectorea Dorica castra face;
Viderat informem multa Patroclon arena
Porrectum, et sparsas cæde jacere comas;
Omnia formosam propter Briseida passus: 35
Tantus in erepto sævit amore dolor.
At postquam sera captiva est reddita pœna,
Fortem illum Hæmoniis Hectora traxit equis.
Inferior multo cum sim vel matre, vel armis,
Mirum, si de me jure triumphat Amor? 40

Elegia IX.—*Ad Amicam, de Rivali.*

Iste quod est, ego sæpe fui: sed fors et in hora,
Hoc ipso ejecto, carior alter erit.
Penelope poterat bis denos sola per annos
Vivere, tam multis fœmina digna procis.
Conjugium falsa poterat differre Minerva, 5
Nocturno solvens texta diurna dolo.
Visura et quamvis nunquam speraret Ulixen,
Illum exspectando facta remansit anus.
Nec non exanimum amplectens Briseis Achillem
Candida vesana verberet ora manu; 10
Et dominum lavit mærens captiva cruentum
Appositum flavis in Simoënta vadis;
Fœdavitque comas; et tanti corpus Achilli
Maximaque in parva sustulit ossa manu;
Quando ibi nec Peleus aderat, nec cærula mater,
Scyria nec viduo Deidamia toro. 16
Tunc igitur veris gaudebat Græcia natis:
Tunc etiam felix inter et arma pudor.
At tu non una potuisti nocte vacare,
Impia, non unum sola manere diem. 20
Quin etiam multo duxisti pocula risu;
Forsitan et de me verba fuere mala.
Hic etiam petitur, qui te prius ipse reliquit.
Dî faciant, isto capta fruare viro! 24
Quæ mihi vota tuam propter suscepta salutem,
Cum capite hoc Stygiæ jam poterentur aquæ,
Et lectum flentes circumstaremus amici!
Hic ubi tum, (pro dî) perfida, quisve fuit?
Quid si longinquos retinerer miles ad Indos?
Aut mea si staret navis in Oceano? 30
Sed vobis facile est verba et componere fraudes:
Hoc unum didicit fœmina semper opus.
Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,
Nec folia hiberno tam tremefacta Noto;
Quam cito fœminea non constat fœdus in ira,
Sive ea causa gravis, sive ea causa levis. 36
Nunc, quoniam ista tibi placuit sententia, cedam.
Tela precor, pueri, promite acuta magis;
Figite certantes, atque hanc mihi solvite vitam:
Sanguis erit vobis maxima palma meus. 40
Sidera sunt testes, et matutina pruina,
Et furtim misero janua aperta mihi,
Te nihil in vita nobis acceptius unquam:
Nunc quoque eris, quamvis sis inimica mihi:
Nec domina ulla meo ponet vestigia lecto; 45
Solus ero, quoniam non licet esse tuo.
Atque utinam, si forte pios eduximus annos,
Ille vir in medio fiat amore lapis!
Non ob regna magis diris cecidere sub armis
Thebani, media non sine matre, duces; 50
Quam, mihi si media liceat pugnare puella,
Mortem ego non fugiam morte subire tua.

Elegia X.—*Ad Musam.*

Jam tempus lustrare aliis Helicona choreis,
Et campum Aonio jam dare tempus equo.
Jam libet et fortes memorare ad prœlia turmas,
Et Romana mei dicere castra ducis.
Quod si deficiant vires, audacia certe 5
Laus erit: in magnis et voluisse sat est.
Ætas prima canat Veneres, extrema tumultus.
Bella canam, quando scripta puella mea est.
Nunc volo subducto gravior procedere vultu:
Nunc aliam citharam me mea Musa docet. 10
Surge, anime: ex humili jam carmine sumite vires,
Pierides: magni nunc erit oris opus.
Jam negat Euphrates equitem post terga tueri
Parthorum, et Crassos se tenuisse dolet.
India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho, 15
Et domus intactæ te tremit Arabiæ.
Et siqua extremis tellus se subtrahit oris,
Sentiet illa tuas postmodo capta manus. [do
Hæc ego castra sequar: vates tua castra canen-
Magnus ero: servent hunc mihi fata diem. 20
Ut, caput in magnis ubi non est tangere signis,
Ponitur hic imos ante corona pedes:
Sic nos [nunc, inopes laudis conscendere carmen,]
Pauperibus sacris vilia thura damus. [fontes,
Necdum etiam Ascræos norunt mea carmina
Sed modo Permessi flumine lavit Amor. 26

Elegia XI.—*Ad Cynthiam.*

Scribant de te alii, vel sis ignota, licebit;
Laudet, qui sterili semina ponit humo.
Omnia, crede mihi, secum uno munera lecto
Auferet extremi funeris atra dies;
Et tua transibit contemnens ossa viator, 5
Nec dicet, Cinis hic docta puella fuit.

Elegia XII.—*De Amore.*

Quicunque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem,
Nonne putas miras hunc habuisse manus?
Hic primum vidit, sine sensu vivere amantes,
Et levibus curis magna perire bona.
Idem non frustra ventosas addidit alas, 5
Fecit et humano corde volare deum;
Scilicet alterna quoniam jactamur in unda,
Nostraque non ullis permanet aura locis.
Et merito hamatis manus est armata sagittis, 9
Et pharetra ex humero Gnossia utroque jacet;
Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.
In me tela manent, manet et puerilis imago,
Sed certe pennas perdidit ille suas; [quam,
Evolat, heu! nostro quoniam de pectore nun-
Assiduusque meo sanguine bella gerit. 16
Quid tibi jucundum siccis habitare medullis?
Si pudor est, alio trajice tela tua.
Intactos isto satius tentare veneno:
Non ego, sed tenuis vapulat umbra mei: 20
Quam si perdideris, quis erit, qui talia cantet?
Hæc mea Musa levis gloria magna tua est;
Quæ caput, et digitos, et lumina nigra puellæ,
Et canit, ut soleant molliter ire pedes.

Elegia XIII.—*Ad Cynthiam.*

Non tot Achæmeniis armantur Susa sagittas,
Spicula quot nostro pectore fixit Amor.
Hic me tam graciles vetuit contemnere Musas,
Jussit et Ascræum sic habitare nemus:

Non ut Pieriæ quercus mea verba sequantur, 5
Aut possim Ismaria ducere valle feras;
Sed magis ut nostro tepefiat Cynthia versu:
Tunc ego sim Inachio notior arte Lino.
Non ego sum formæ tantum mirator honestæ,
Nec siqua illustres fœmina jactat avos; 10
Me juvat in gremio doctæ legisse puellæ,
Auribus et puris scripta probasse mea.
Hæc ubi contigerint, populi confusa valeto
Fabula; nam domina judice tutus ero;
Quæ si forte bonas ad pacem verterit aures, 15
Possim inimicitias tunc ego ferre Jovis.

* * * * *

Quandocunque igitur nostros nox claudet ocellos,
Accipe, quæ serves funeris acta mei.
Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa,
Nec tuba sit fati vana querela mei; 20
Nec mihi tum fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.
Desit odoriferis ordo mihi lancibus; adsint
Plebeii parvæ funeris exequiæ.
Sat mea, sat magna est, si tres sint pompa libelli,
Quos ego Persephonæ maxima dona feram. 26
Tu vero nudum pectus lacerata sequeris,
Nec fueris nomen lassa vocare meum;
Osculaque in gelidis ponas suprema labellis,
Cum dabitur Syrio munere plenus onyx. 30
Deinde, ubi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat Manes parvula testa meos:
Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
Quæ tegat extincti funeris umbra locum.
Et duo sint versus; "Qui nunc jacet arida pulvis, 35
Unius hic quondam servus Amoris erat."
Nec minus hæc nostri notescet fama sepulcri,
Quam fuerant Phthii busta cruenta viri.
Tu quoque, siquando venies ad fata, (memento
Hoc iter!) ad lapides, cara, veni memores. 40
Interea cave sis nos adspernata sepultos.
Nonnihil [ad verum] conscia terra sapit.

* * * * *

Atque utinam primis animam me ponere cunis
Jussisset quævis de tribus una soror.
Nam quo tam dubiæ servetur spiritus horæ? 45
Nestoris est visus post tria sæcla cinis.
Si tam longævæ minuisset fata senectæ
[Gallicus] Iliacis miles in aggeribus,
Non ille Antilochi vidisset corpus humati,
Diceret aut, O mors! cur mihi sera venis? 50
Tu tamen amisso nonnunquam flebis amico:
Fas est præteritos semper amare viros.
Testis, quem niveum quondam percussit, Adonis,
Venantem Idalio vertice durus aper.
Illis formosum flevisse paludibus, illuc 55
Diceris effusa tu, Venus, isse coma.
Sed frustra mutos revocabis, Cynthia, Manes:
Nam mea quid poterunt ossa minuta loqui?

ELEGIA XIV.—*Lætatur potitus Amica.*

Non ita Dardanio gavisus Atrida triumpho est,
Cum caderent magnæ Laomedontis opes;
Nec sic errore exacto lætatus Ulixes,
Cum tetigit caræ littora Dulichiæ;
Nec sic Electra, salvum cum adspexit Oresten, 5
Cujus falsa tenens fleverat ossa soror;
Nec sic incolumem Minois Thesea vidit,
Dædaleum lino cum duce rexit iter;
Quanta ego præterita collegi gaudia nocte.
Immortalis ero, crastina talis eat. 10
At, dum demissis supplex cervicibus ibam,
Dicebar sicco vilior esse lacu.
Nec mihi jam fastus opponere quærit iniquos,
Nec mihi ploranti lenta sedere potest.
Atque utinam non tam sero mihi nota fuisset 15
Conditio: cineri nunc medicina datur.
Ante pedes cæcis lucebat semita nobis.
Scilicet insano nemo in amore videt.
Hoc sensi prodesse magis. Contemnite, amantes:
Sic hodie veniet, siqua negavit heri. 20
Pulsabant alii frustra, dominamque vocabant:
Mecum habuit positum lenta puella caput.
Hæc mihi devictis potior victoria Parthis:
Hæc spolia, hæc reges, hæc mihi currus erunt.
Magna ego dona tua figam, Cytherea, columna, 25
Taleque sub nostro munere carmen erit:
Has pono ante tuam tibi, diva, Propertius ædem
Exuvias, tota nocte receptus amans.
Nunc a te, mea lux, veniat mea littore navis
Servata, an mediis sidat onusta vadis. 30
Quod si forte aliqua nobis mutabere culpa,
Vestibulum jaceam mortuus ante tuum.

ELEGIA XV.—*Narrat Voluptates suas.*

O me felicem! o nox mihi candida! et o tu
Lectule deliciis facte beate meis!
Quam multa apposita narramus verba lucerna!
Quantaque sublato lumine rixa fuit!
Nam modo nudatis mecum est luctata papillis; 5
Interdum tunica duxit operta moram.
Illa meos somno lapsos patefecit ocellos
Ore suo, et dixit: Siccine lente jaces? [tum
Quam vario amplexu mutamus brachia! quan
Oscula sunt labris nostra morata tuis! 10
Non juvat in cæco Venerem corrumpere motu.
Si nescis, oculi sunt in amore duces.
Ipse Paris nuda fertur periisse Lacæna,
Cum Menelaeo surgeret e thalamo.
Nudus et Endymion Phœbi cepisse sororem 15
Dicitur, et nudæ concubuisse deæ.
Quod si pertendens animo vestita cubaris,
Scissa veste meas experiere manus.
Quin etiam, si me ulterius provexerit ira,
Ostendes matri brachia læsa tuæ. 20
Necdum inclinatæ prohibent te ludere mammæ.
Viderit hoc, siquam jam peperisse pudet.
Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore:
Nox tibi longa venit, nec reditura dies.
Atque utinam hærentes sic nos vincire catena
Vellent, ut nunquam solveret ulla dies.
Exemplo junctæ tibi sint in amore columbæ,
Masculus et totum fœmina conjugium.
Errat, qui finem vesani quærit amoris:
Verus amor nullum novit habere modum. 30
Terra prius falso partu deludet arantes,
Et citius nigros Sol agitabit equos,
Fluminaque ad caput incipient revocare liquores,
Aridus et sicco gurgite piscis erit;
Quam possim nostros alio transferre calores. 35
Hujus ero vivus, mortuus hujus ero.
Quod mihi si secum tales concedere noctes
Illa velit, vitæ longus et annus erit:
Si dabit hæc multas, fiam immortalis in illis.
Nocte una quivis vel deus esse potest. 40
Qualem si cuncti vellent decurrere vitam,
Et pressi multo membra jacere mero;
Non ferrum crudele esset, neque bellica navis,
Nec nostra Actiacum verreret ossa mare; 44
Nec, toties propiis circum oppugnata triumphis,
Lassa foret crines solvere Roma suos.

Me certe merito poterunt laudare minores:
Læserunt nullos pocula nostra deos.
Tu modo, dum licet, hunc fructum ne desere vitæ.
Omnia si dederis oscula, pauca dabis. 50
Ac veluti folia arentes liquere corollas,
Quæ passim calathis strata natare vides;
Sic nobis, qui nunc magnum spiramus amantes,
Forsitan includet crastina fata dies.

Elegia XVI.—*Ad Cynthiam.*

Prætor ab Illyricis venit modo, Cynthia, terris,
Maxima præda tibi, maxima cura mihi.
Non potuit saxo vitam posuisse Cerauno?
Ah, Neptune! tibi qualia dona darem!
Nunc, sine me, plena fiunt convivia mensa: 5
Nunc, sine me, tota janua nocte patet.
Quare, si sapis, oblatas ne desere messes;
Et stolidum pleno vellere carpe pecus.
Deinde, ubi consumto restabit munere pauper,
Dic alias iterum naviget Illyrias. 10
Cynthia non sequitur fasces, non curat honores:
Semper amatorum ponderat illa sinus.
At tu nunc nostro, Venus, o, succurre dolori,
Rumpat ut assiduis membra libidinibus.
Ergo muneribus quivis mercatur amorem? 15
Jupiter! indigna merce puella perit.
Semper in Oceanum mittit me quærere gemmas,
Et jubet ex ipsa tollere dona Tyro.
Atque utinam Romæ nemo esset dives; et ipse
Straminea posset dux habitare casa. 20
Nunquam venales essent ad munus amicæ,
Atque una fieret cana puella domo.
Non quia septenas noctes sejuncta cubaris,
Candida tam fœdo brachia fusa viro;
Non qui peccaris, testor te; sed quia vulgo 25
Formosis levitas semper amica fuit.
Barbarus excussis agitat fastidia lumbis,
Et subito felix nunc mea regna tenet.
Adspice quid donis Eriphyla invenit amaris;
Arserit et quantis nupta Creüsa malis. 30
Nullane sedabit nostros injuria fletus?
An dolor hic vitiis nescit abesse suis?
Tot jam abiere dies, cum me nec cura theatri,
Nec tetigit Campi, nec mea Musa juvat.
Ah! pudeat, certe pudeat; nisi forte (quod aiunt)
Turpis amor surdis auribus esse solet. 36
Cerne ducem, modo qui fremitu complevit inani
Actia damnatis æquora militibus.
Hunc infamis amor versis dare terga carinis
Jussit, et extremo quærere in orbe fugam. 40
Cæsaris hæc virtus, et gloria Cæsaris hæc est:
Illa, qua vicit, condidit arma manu. [ragdos,
Sed quascunque tibi vestes, quoscunque sma-
Quosve dedit flavo lumine chrysolithos;
Hæc videam rapidas in vanum ferre procellas; 45
Quæ tibi terra, velim, quæ tibi fiat aqua.
Non semper placidus perjuros ridet amantes
Jupiter, et surda negligit aure preces.
Vidistin' toto sonitus procurrere cœlo,
Fulminaque ætheria desiluisse domo? 50
Non hæc Pleïades faciunt, neque aquosus Orion;
Nec sic de nihilo fulminis ira cadit.
Perjuras tunc ille solet punire puellas:
Deceptus quoniam flevit et ipse deus.
Quare ne tibi sit tanti Sidonia vestis, 55
Ut timeas, quoties nubilus Auster erit.

Elegia XVII.—*De Exclusione.*

Mentiri noctem, promissis ducere amantem,
Hoc erit infectas sanguine habere manus.
Horum ego sum vates, quoties desertus amaras
Explevi noctes fractus utroque toro.
Vel tu Tantalea moveare ad flumina sorte, 5
Ut liquor arenti fallat ab ore sitim;
Vel tu Sisyphios licet admirere labores,
Difficile ut toto monte volutet onus;
Durius in terris nihil est quod vivat amante;
Nec, modo si sapias, quod minus esse velis. 10
Quem modo felicem invidia mirante ferebant,
Nunc decimo admittor vix ego quoque die.
Nunc jacere e duro corpus juvat, impia, saxo,
Sumere et in nostras tetra venena manus.
Nec licet in triviis sicca requiescere luna, 15
Aut per rimosas mittere verba fores.
Quod quamvis ita sit, dominam mutare cavebo.
Tum flebit, cum in me senserit esse fidem.

Elegia XVIII.—*Ad Cynthiam.*

Assiduæ multis odium peperere querelæ:
Frangitur in tacito fœmina sæpe viro.
Siquid vidisti, semper vidisse negato:
Aut siquid doluit forte, dolere nega.
Quid, mea si canis ætas candesceret annis, 5
Et faceret scissas languida ruga genas?
At non Tithoni spernens Aurora senectam
Desertum Eoa passa jacere domo est.
Illum sæpe suis decedens fovit in ulnis,
Quam prius abjunctos sedula lavit equos. 10
Illum ad vicinos cum amplexa quiesceret Indos,
Maturos iterum est questa redire dies.
Illa deos, currum conscendens, dixit iniquos,
Invitum et terris præstitit officium;
Cui majora senis Tithoni gaudia vivi, 15
Quam gravis amisso Memnone luctus erat.
Cum sene non puduit talem dormire puellam,
Et canæ toties oscula ferre comæ.
At tu etiam juvenem odisti me perfida, cum sis
Ipsa anus haud longa curva futura die. 20
Quin ego deminuo curam, quod sæpe Cupido
Huic malus esse solet, cui bonus ante fuit.
Nunc etiam infectos demens imitare Britannos,
Ludis et externo tincta nitore caput.
Ut natura dedit, sic omnis recta figura: 25
Turpis Romano Belgicus ore color.
An, si cæruleo quædam sua tempora fuco
Tinxerit, idcirco cærula forma bona est?
Illi sub terris fiant mala multa puellæ,
Quæ mentita suas vertit inepta comas. 30
De me, mî certe poteris formosa videri,
Mî formosa sat es, si modo sæpe venis.
Cum tibi nec frater, nec sit tibi filius ullus,
Frater ego, et tibi sim filius unus ego.
Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus; 35
Nec nimis ornata fronte sedere velis.
Credam ego narranti (noli committere) famæ:
Et terras rumor transilit et maria.

Elegia XIX.—*Ad eandem.*

Etsi me invito discedis, Cynthia, Roma,
Lætor, quod sine me devia rura colis.
Nullus erit castis juvenis corruptor in agris,
Qui te blanditiis non sinat esse probam.
Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras, 5
Nec tibi clamatæ somnus amarus erit.
Sola eris, et solos spectabis, Cynthia, montes,
Et pecus, et fines pauperis agricolæ.
Illic te nulli poterunt corrumpere ludi,
Fanaque, peccatis plurima causa tuis. 10
Illic assidue tauros spectabis arantes,
Et vitem docta ponere falce comas.

Atque ibi rara feres inculto thura sacello,
Hædus ubi agrestes corruet ante focos.
Protinus et nuda choreas imitabere sura; 15
Omnia ab externo sint modo tuta viro.
Ipse ego venabor: jam nunc me sacra Dianæ
Suscipere, et Veneri ponere vota juvat.
Incipiam captare feras, et reddere pinu
Cornua, et audaces ipse movere canes. 20
Non tamen ut vastos ausim tentare leones,
Aut celer agrestes cominus ire sues.
Hæc igitur mihi sit lepores audacia molles
Excipere, et stricto figere avem calamo,
Qua formosa suo Clitumnus flumina luco 25
Integit, et niveos abluit unda boves.
Tu, quoties aliquid conabere, vita, memento
Venturum paucis me tibi Luciferis.
Sic me nec solæ poterunt avertere sylvæ,
Nec vaga muscosis flumina fusa jugis. 30
Quin ego in assidua mutem tua nomina lingua;
Absenti nemo ne nocuisse velit.

Elegia XX.—*Ad Cynthiam.*

Quid fles abducta gravius Briseide? quid fles
Anxia captiva tristius Andromacha?
Quidve mea de fraude deos, insana, fatigas?
Quid quereris nostram sic cecidisse fidem?
Non tam nocturna volucris funesta querela 5
Attica Cecropiis obstrepit in foliis;
Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba
Sollicito lacrymas depluit e Sipylo.
Me licet æratis adstringant brachia nodis, 9
Sint mea vel Danaës condita membra domo;
In te ego et æratas rumpam, mea vita, catenas,
Ferratam Danaës transiliamque domum.
De te quodcunque, ad surdas mihi dicitur aures:
Tu modo ne dubita de gravitate mea.
Ossa tibi juro per matris, et ossa parentis, 15
(Si fallo, cinis, heu! sit mihi uterque gravis)
Me tibi ad extremas mansurum, vita, tenebras.
Ambos una fides auferet, una dies.
Quod si nec nomen, nec me tua forma teneret,
Posset servitium mite tenere tuum. 20
Septima jam plenæ deducitur orbita Lunæ,
Cum de me, et de te, compita nulla tacent.
Interea nobis non nunquam janua mollis,
Non nunquam lecti copia facta tui;
Nec mihi muneribus nox ulla est emta beatis: 25
Quicquid eram, hoc animi gratia magna tui.
Cum te tam multi peterent, tu me una petisti.
Possim ego naturæ non meminisse tuæ?
Tunc me vel tragicæ vexetis Erinnyes, et me
Inferno damnes, Æace, judicio; 30
Tunc inter Tityi volucres mea pœna vagetur;
Atque ego Sisyphio saxa labore geram.
Nec tu supplicibus me sis venerata tabellis.
Ultima talis erit, quæ mea prima fides.
Hoc mihi perpetuo jus est, quod solus amator 35
Nec cito desisto, nec temere incipio.

Elegia XXI.—*Ad Cynthiam, de Pantho.*

At, quantum de me Panthi tibi pagina finxit,
Tantum illi Pantho ne sit amica Venus.
Sed tibi jam videor Dodona verior augur?
Uxorem ille tuus pulcher amator habet.
Tot noctes periere: nihil pudet? adspice, cantat
Liber: tu, nimium credula, sola jaces. 6
Et nunc inter eos es sermo, et te ille superbus
Dicit, se invito, sæpe fuisse domi.
Dispeream, si quicquam aliud, quam gloria, de te
Quæritur: has laudes ille maritus habet. 10
Colchida sic hospes quondam decepit Iason:
Ejectæ tenuit namque Creüsa domum.
Sic a Dulichio juvene et delusa Calypso
Vidit amatorem pandere vela suum.
Ah! nimium faciles aurem præbere puellæ, 15
Discite desertæ non temere esse bonæ.
Nunc quoque, qui restet, jampridem quæritur alter.
Experta in primo, stulta, cavere potes.
Nos quocunque loco, nos omni tempore tecum,
Sive ægra pariter, sive valente, sumus. 20

Elegia XXII.—*Ad Demophoontem.*

Scis here mî multas pariter placuisse puellas;
Scis mihi, Demophoon, multa venire mala.
Nulla meis frustra lustrantur compita plantis:
Omnia in exitium nata theatra meum;
Sive aliquis molli deducit candida gestu 5
Brachia, seu varios incinit ore modos.
Interea nostri quærunt sibi vulnus ocelli,
Candida non tecto pectore siqua sedet;
Sive vagi crines puris in frontibus errant,
Indica quos medio vertice gemma tenet: 10
Quæ si forte aliquid vultu mihi dura negarat,
Frigida de tota fronte cadebat aqua.
Quæris, Demophoon, cur sim tam mollis in omnes?
Quod quæris, quare non habet ullus amor?
Cur aliquis sacris laniat sua brachia cultris, 15
Et Phrygis insanos cæditur ad numeros?
Unicuique dedit vitium natura creato.
Mî natura aliquid semper amare dedit.
Me licet et Thamyræ cantoris fata sequantur,
Nunquam ad formosas, invide, cæcus ero. 20
Sed, tibi si exiles videor tenuatus in artus,
Falleris; haud unquam est culta labore Venus.
Percontere licet; sæpe est experta puella
Officium tota nocte valere meum.
Jupiter Alcmenæ geminas requieverat Arctos,
Et cœlum noctu bis sine rege fuit. 26
Nec tamen idcirco languens ad fulmina venit.
Nullus amor vires eripit ipse suas.
Quid? cum e complexu Briseidos iret Achilles,
Num fugere minus Thessala tela Phryges? 30
Quid? ferus Andromachæ lecto cum surgeret Hector,
Bella Mycenææ non timuere rates?
Ille, vel hic, classes poterat, vel perdere muros.
Hic ego Pelides, hic ferus Hector ego.
Adspice, uti cœlo modo sol, modo luna ministret: 35
Sic etiam nobis una puella parum est.
Altera me cupidis teneat foveatque lacertis,
Altera siquando non sinit esse locum;
Aut, si forte irata meo sit facta ministro,
Ut sciat esse aliam, quæ velit esse mea. 40
Nam melius duo defendunt retinacula navem;
Tutius et geminos anxia mater alit.
Aut si es dura, nega: sin es non dura, venito.
Quid juvat in nullo pondere verba loqui?
Hic unus dolor est ex omnibus acer amanti, 45
Speranti subito siqua venire negat.
Quanta illum toto versant suspiria lecto,
Cum recipi, quem non noverit ille, putat?
Et rursum puerum quærendo audita fatigat;
Quem, quæ scire timet, dicere plura jubet. 50

Elegia XXIII.—*De Amoris Servitute.*

Cui fuit indocto fugienda hæc semita vulgi,
Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est.

Ingenuus quisquam alterius dat munera servo,
Ut commissa suæ verba ferat dominæ?
Et quærit toties, Quænam nunc porticus illam 5
Integit? et, Campo quo movet illa pedes?
Deinde ubi pertuleris, quos dicit fama labores
Herculis, ut scribat, Muneris ecquid habes?
Cernere uti possis vultum custodis avari,
Captus et immunda sæpe latere casa. 10
Quam care semel in toto nox venditur anno!
Ah pereant, siquos janua clausa juvat.
Contra, rejecto quæ libera vadit amictu,
Custodum et nullo septa timore, placet;
Cui sæpe immundo Sacra conteritur via socco, 15
Nec sinit esse moram, siquis adire velit.
Differet hæc nunquam, nec poscet garrula, quæ te
Adstrictus ploret sæpe dedisse pater.
Nec dicet, Timeo: propera jam surgere, quæso:
Infelix! hodie vir mihi rure venit. 20
Et quas Euphrates, et quas mihi misit Orontes,
Me capiant: nolim furta pudica tori.
Libertas quoniam nulli jam restat amanti,
Nullus liber erit, siquis amare volet.

Elegia XXIV.—*De Cynthia, in Æmulum.*

Tu loqueris, cum sis jam noto fabula libro,
Et tua sit toto Cynthia lecta foro?
Cui non his verbis adspergat tempora [surdo]
Aut pudor ingenuus, aut reticendus amor?
Quod si tam facilis spiraret Cynthia nobis, 5
Non ego nequitiæ dicerer esse caput,
Nec sic per totam infamis traducerer urbem:
Urerer et quamvis, nomine verba darem.
Quare ne tibi sit mirum me quærere viles:
Parcius infamant: num tibi causa levis? 10
Et modo pavonis caudæ flabella superbæ,
Et manibus dura frigus habere pila;
Et [cupit iratum] talos me poscere eburnos,
Quæque nitent Sacra vilia dona via.
Ah peream, si me ista movent dispendia: verum
Fallaci dominæ jam pudet esse jocum. 16

* * * * *

Hoc erat in primis quod me gaudere jubebas?
Tam te formosam non pudet esse levem?
Una aut altera nox nondum est in amore peracta,
Et dicor lecto jam gravis esse tuo. 20
Me modo laudabas, et carmina nostra legebas.
Ille tuus pennas tam cito vertit amor?
Contendat mecum ingenio, contendat et arte;
In primis una discat amare domo:
Si libitum tibi erit, Lernæas pugnet ad hydras,
Et tibi ab Hesperio mala dracone ferat; 26
Tetra venena libens, et naufragus ebibat undas,
Et nunquam pro te deneget esse miser;
(Quos utinam in nobis, vita, experiare labores)
Jam tibi de timidis iste protervus erit, 30
Qui nunc se in tumidum jactando venit honorem;
Dissidium vobis proximus annus erit.
At me non ætas mutabit tota Sibyllæ,
Non labor Alcidæ, non niger ille dies.
Tu me compones, et dices, Ossa, Properti, 35
Hæc tua sunt: eheu! tu mihi certus eras.
Certus eras, eheu! quamvis nec sanguine avito
Nobilis, et quamvis non ita dives eras.
Nil ego non patiar: nunquam me injuria mutat:
Ferre ego formosam nullum onus esse puto.
Credo ego non paucos ista periisse figura; 41
Credo ego sed multos non habuisse fidem.
Parvo dilexit spatio Minoïda Theseus,
Phyllida Demophoon, hospes uterque malus.
Jam tibi Iasonia vecta est Medea carina, 45
Et modo servato sola relicta viro.
Dura est, quæ multis simulatum fingit amorem,
Et se plus uni siqua parare potest.
Noli nobilibus, noli te offerre beatis.
Vix venit, extremo qui legat ossa die. 50
Hi tibi nos erimus: sed tu potius precor ut me
Demissis plangas pectore nuda comis.

Elegia XXV.—*Ad Cynthiam.*

Unica nata meo pulcherrima cura dolori,
Excludi quoniam sors mea sæpe, venis.
Ista meis fiet notissima forma libellis,
Calve, tua venia, pace, Catulle, tua.
Miles depositis annosus secubat armis, 5
Grandævique negant ducere aratra boves,
Putris et in vacua requiescit navis arena,
Et vetus in templo bellica parma vacat:
At me ab amore tuo diducet nulla senectus,
Sive ego Tithonus, sive ego Nestor ero. 10
Nonne fuit satius duro servire tyranno,
Et gemere in tauro, sæve Perille, tuo?
Gorgonis et satius fuit obdurescere vultu?
Caucasias etiam si pateremur aves?
Sed tamen obsistam: teritur rubigine mucro 15
Ferreus, et parvo sæpe liquore silex;
At nullo dominæ teritur sub limine amator:
Restat, et immerita sustinet aure minas.
Ultro contemtus rogat, et peccasse fatetur
Læsus, et invitis ipse redit pedibus. 20
Tu quoque, qui pleno fastus assumis amore,
Credule, nulla diu fœmina pondus habet.
An quisquam in mediis persolvit vota procellis,
Cum sæpe in portu fracta carina natet?
Aut prius infecto deposcit præmia cursu, 25
Septima quam metam triverit ante rota?
Mendaces ludunt flatus in amore secundo.
Siqua venit sero, magna ruina venit.
Tu tamen interea, quamvis te diligat illa,
In tacito cohibe gaudia clausa sinu. 30
Namque, in amore suo, semper sua maxima cuique
Nescio quo pacto verba nocere solent.
Quamvis te persæpe vocet, semel ire memento.
Invidiam quod habet, non solet esse diu.
At si sæcla forent antiquis grata puellis, 35
Essem ego, quod nunc tu: tempore vincor ego.
Non tamen ista meos mutabunt sæcula mores.
Unusquisque sua noverit ire via.
At vos, qui officia in multos revocatis amores,
Quantus sic cruciat lumina vestra dolor! 40
Vidistis pleno teneram candore puellam;
Vidistis fusco: ducit uterque color.
Vidistis quandam Argiva prodire figura;
Vidistis nostras: utraque forma rapit.
Illaque plebeio, vel sit sandicis amictu: 45
Hæc atque illa mali vulneris una via est.
Cum satis una tuis insomnia portet ocellis,
Una sit et cuivis fœmina multa mala.

Elegia XXVI.—*Ad eandem, de Insomnio Naufragii.*

Vidi te in somnis fracta, mea vita, carina
Ionio lassas ducere rore manus,
Et, quæcunque in me fueras mentita, fateri,
Nec jam humore graves tollere posse comas:
Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen, 5
Aurea quam molli tergore vexit ovis.
Quam timui, ne forte tuum mare nomen haberet,
Atque tua labens navita fleret aqua!

Quæ tum ego Neptuno, quæ tum cum Castore fratri,
Quæque tibi excepi tum, dea Leucothee! 10
At tu, vix primas extollens gurgite palmas,
Sæpe meum nomen jam peritura vocas.
Quod si forte tuos vidisset Glaucus ocellos,
Esses Iönii facta puella maris;
Et tibi præ invidia Nereïdes increpitarent, 15
Candida Nesæe, cærula Cymothoë.
Sed tibi subsidio delphinum currere vidi;
Qui, puto, Arioniam vexerat ante lyram.
Jamque ego conabar summo me mittere saxo,
Cum mihi discussit talia visa metus. 20

* * * * *

Nunc admirentur, quod tam mihi pulchra puella
Serviat, et tota dicar in urbe potens.
Non si Cambysæ redeant, et flumina Crœsi,
Dicat: De nostro surge, poëta, toro.
Nam mea cum recitat, dicit se odisse beatos. 25
Carmina tam sancte nulla puella colit.
Multum in amore fides, multum constantia prodest.
[Qui dare multa potest, multa et amare potest.]
Seu mare per longum mea cogitet ire puella,
Hanc sequar, et fidos una aget aura duos. 30
Unum littus erit sopitis, unaque tecto
Arbor, et ex una sæpe bibemus aqua.
Et tabula una duos poterit componere amantes,
Prora cubile mihi, seu mihi puppis erit.
Omnia perpetiar; sævus licet urgeat Eurus, 35
Velaque in incertum frigidus Auster agat.
Quicunque et venti miserum vexastis Ulixen,
Et Danaûm Euboico littore mille rates;
Et qui movistis duo littora, cum rudis Argûs
Dux erat ignoto missa columba mari. 40
Illa meis tantum non usquam desit ocellis,
Incendat navem Jupiter ipse licet.
Certe îsdem nudi pariter jactabimur oris,
Me licet unda ferat, te modo terra tegat.
Sed non Neptunus tanto crudelis amori; 45
Neptunus fratri par in amore Jovi.
Testis Amymone, latices cum ferret, in Argis
Compressa, et Lernæ pulsa tridente palus.
Jam deus amplexu votum persolvit; at illi
Aurea divinas urna profudit aquas. 50
Crudelem et Boream rapta Orithyia negabit.
Hic deus et terras et maria alta domat.
Crede mihi, nobis mitescet Scylla; nec unquam
Alternas revomet vasta Charybdis aquas.
Ipsaque sidera erunt nullis obscura tenebris: 55
Purus et Orion, purus et Hædus erit.
Quod mihi si ponenda tuo sit corpore vita,
Exitus hic nobis non inhonestus erit.

ELEGIA XXVII.—*Quod incerta Hora Mortis.*

At vos incertam, mortales, funeris horam
Quæritis, et qua sit Mors aditura via;
Quæritis et cœlo Phœnicum inventa sereno,
Quæ sit stella homini commoda, quæque mala.
Seu pedibus Parthos sequimur, seu classe Britannos, 5
Et maris et duræ cæca pericla viæ.
Rursus et objectum fletis capiti esse tumultum,
Cum Mavors dubias miscet utrinque manus:
Præterea domibus flammam, [domibusque] ruinam,
Neu subeant labris pocula nigra tuis. 10
Solus amans novit quando periturus, et a qua
Morte: neque hic Boreæ flabra, neque arma timet.
Jam licet et Stygia sedeat sub arundine remex,
Cernat et infernæ tristia vela ratis;
Si modo clamantis revocaverit aura puellæ, 15
Concessum nulla lege redibit iter.

ELEGIA XXVIII.—*Ad Jovem, pro Amica ægrotante.*

Jupiter, affectæ tandem miserere puellæ:
Tam formosa tuum mortua crimen erit.
Venit enim tempus, quo torridus æstuat aër,
Incipit et sicco fervere terra Cane.
Sed non tam ardoris culpa est, neque crimina cœli, 5
Quam toties sanctos non habuisse deos.
Hoc perdit miseras, hoc perdidit ante, puellas.
Quicquid jurarunt, ventus et unda rapit.
Num sibi collatam doluit Venus? illa peræque
Præ se formosis invidiosa dea est. 10
An contemta tibi Junonis templa Pelasgæ?
Palladis aut oculos ausa negare bonos?
Semper, formosæ, non nostis parcere verbis:
Hoc tibi lingua nocens, hoc tibi forma dedit.
Sed tibi, vexatæ per multa pericula, vitæ 15
Extremo veniet mollior hora die.
Io versa caput primos mugiverat annos:
Nunc dea, quæ Nili flumina vacca bibit.
Ino etiam prima terras ætate vagata est:
Hanc miser imploret navita Leucothoen. 20
Andromede monstris fuerat devota marinis:
Hæc eadem Persei nobilis uxor erat.
Callisto Arcadios erraverat ursa per agros:
Hæc nocturna suo sidere vela regit.
Quod si forte tibi properarint fata quietem, 25
Illa sepulturæ fata beata tuæ;
Narrabis Semelæ, quo sis formosa periclo;
Credet et illa suo docta puella malo.
Et tibi Mæonias inter Heroidas omnes
Primus erit, nulla non tribuente, locus. 30
Nunc, utcunque potes, fato gere saucia morem.
Et deus, et durus vertitur ipse dies.
Hoc tibi vel poterit conjux ignoscere Juno:
Frangitur et Juno, siqua puella perit.
Deficiunt magico torti sub carmine rhombi, 35
Et tacet exstincto laurus adusta foco;
Et jam Luna negat toties descendere cœlo,
Nigraque funestum concinit omen avis.
Una ratis fati nostros portabit amores
Cærula, ad infernos velificata lacus. 40
Si non unius, quæso miserere duorum:
Vivam, si vivet: si cadet illa, cadam.
Pro quibus optatis sacro me carmine damno:
Scribam ego: Per magnum salva puella Jovem.
Ante tuosque pedes illa ipsa operata sedebit, 45
Narrabitque sedens longa pericla sua.
Hæc tua, Persephone, maneat clementia; nec tu,
Persephones conjux, sævior esse velis.
Sunt apud infernos tot millia formosarum:
Pulchra sit in superis, si licet, una locis. 50
Vobiscum est Iole, vobiscum candida Tyro,
Vobiscum Europe, nec proba Pasiphaë;
Et quot [Iona] tulit, vetus et quot Achaia formas,
Et Thebæ, et Priami diruta regna senis.
Et quæcunque erat in numero Romana puella,
Occidit. Has omnes ignis avarus habet. 56
Nec forma æternum, aut cuiquam est fortuna perennis.
Longius, aut propius, mors sua quemque manet.

Tu quoniam es, mea lux, magno dimissa periclo,
Munera Dianæ debita redde, choros. 60
Redde etiam excubias divæ nunc, ante juvencæ:
Votivas noctes et mihi solve decem.

Elegia XXIX.—*Ad Cynthiam.*

Hesterna, mea lux, cum potus nocte vagarer,
Nec me servorum duceret ulla manus,
Obvia, nescio quot pueri, mihi turba minuta
Venerat; (hos vetuit me numerare timor)
Quorum alii faculas, alii retinere sagittas, 5
Pars etiam visa est vincla parare mihi.
Sed nudi fuerant: quorum lascivior unus,
Arripite hunc, inquit: nam bene nostis eum.
Hic erat; hunc mulier nobis irata locavit.
Dixit, et in collo jam mihi nodus erat. 10
Hîc alter jubet in medium propellere; et alter,
Intereat, qui nos non putat esse deos.
Hæc te non meritum totas exspectat in horas;
(At tu nescio quas quæris, inepte, fores)
Quæ cum Sidoniæ nocturna ligamina mitræ 15
Solverit, atque oculos moverit illa graves;
Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores,
Sed quos ipse suis fecit Amor manibus.
Parcite jam, fratres: jam certos spondet amores:
Et jam ad mandatam venimus ecce domum. 20
Atque ita mî injecto dixerunt rursus amictu:
I nunc, et noctes disce manere domi.
Mane erat, et volui, si sola quiesceret illa,
Visere: at in lecto Cynthia sola fuit.
Obstupui: non illa mihi formosior unquam 25
Visa, neque ostrina cum fuit in tunica;
Ibat et hinc castæ narratum somnia Vestæ,
Neu sibi, neve mihi quæ nocitura forent.
Talis visa mihi somno dimissa recenti.
Heu! quantum per se candida forma valet! 30
Quo tu matutinus, ait, speculator amicæ?
Me similem vestris moribus esse putas?
Non ego tam facilis; sat erit mihi cognitus unus,
Vel tu, vel siquis verior esse potest.
Apparent non ulla toro vestigia presso, 35
Signa voluptatis: nec jacuisse duos.
Adspice, ut in toto nullus mihi corpore surgat
Spiritus, admisso [motus] adulterio.
Dixit, et opposita propellens suavia dextra,
Prosilit in laxa nixa pedem solea. 40
Sic ego tam sancti custos excludor amoris.
Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

Elegia XXX.—*Ad eandem.*

Quo fugis, ah demens? nulla est fuga: tu licet usque
Ad Tanaim fugias, usque sequetur Amor.
Non si Pegaseo vecteris in aëre dorso;
Nec tibi si Persei moverit ala pedes.
Vel, si te sectæ rapiant talaribus auræ, 5
Nil tibi Mercurii proderit alta via.
Instat semper Amor supra caput, instat amanti;
Et gravis ipse super libera colla sedet.
Excubat ille acer custos, et tollere nunquam
Te patietur humo lumina capta semel. 10
Et jam si pecces, deus exorabilis ille est,
Si modo præsentes viderit esse preces.
Ista senes licet accusent convivia duri,
Nos modo propositum, vita, teramus iter.
Illorum antiquis onerentur legibus aures: 15
Hic locus est in quo, tibia docta, sones,
Quæ non jure vado Mæandri jacta natasti,
Turpia cum faceret Palladis ora tumor.
Num jam, dura, paras Phrygias nunc ire per undas,
Et petere Hyrcani littora nota maris; 20
Spargereque alterna communes cæde penates,
Et ferre ad patrios præmia dira lares?
Una contentum pudeat me vivere amica?
Hoc si crimen erit, crimen amoris erit. 24
Mî nemo objiciat: libeat tibi, Cynthia, mecum
Roscida muscosis antra tenere jugis.
Illic adspicias scopulis hærere Sorores,
Et canere antiqui dulcia furta Jovis;
Ut Semela est combustus, ut est deperditus Io;
Denique ut ad Trojæ tecta volarit avis. 30
Quod si nemo exstat, qui vicerit alitis arma,
Communis culpæ cur reus unus agor?
Nec tu virginibus reverentia moveris ora:
Hic quoque non nescit, quid sit amare, chorus;
Si tamen Œagri quædam compressa figura 35
Bistoniis olim rupibus accubuit.
Hic ubi me prima statuent in parte choreæ,
Et medius tecta cuspide Bacchus erit,
Tum capiti sacros patiar pendere corymbos;
Nam sine te nostrum non valet ingenium. 40

Elegia XXXI.—*Ad eandem.*

Quæris cur veniam tibi tardior? Aurea Phœbi
Porticus a magno Cæsare aperta fuit.
Tota erat in speciem Pœnis digesta columnis;
Inter quas Danai fœmina turba senis.
Hic [equidem] Phœbo visus mihi pulchrior ipso
Marmoreus tacita carmen hiare lyra.
Atque aram circum steterant armenta Myronis,
Qua tuor artifices, vivida signa, boves.
Tum medium Clario surgebat marmore templum,
Et patria Phœbo carius Ortygia. 10
Auro Solis erat supra fastigia currus;
Et valvæ Libyci nobile dentis opus.
Altera dejectos Parnassi vertice Gallos,
Altera mærebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem deus ipse, interque sororem,
Pythius in longa carmina veste sonat. 16

Elegia XXXII.—*Ad eandem.*

Qui videt, is peccat: qui non te viderit, ergo
Non cupiet: facti crimina lumen habet.
Nam quid Prænestis dubias, o Cynthia, sortes,
Quid petis Ææi mœnia Telegoni?
Curve te in Herculeum deportant esseda Tibur?
Appia cur toties te via [ducit anum?] 6
Hoc utinam spatiere loco, quodcumque vocabis,
Cynthia! sed tibi me credere turba vetat,
Cum videt accensis devotam currere tædis
In nemus, et Triviæ lumina ferre deæ. 10
Scilicet umbrosis sordet Pompeia columnis
Porticus, aulæis nobilis Attalicis;
Et creber platanis pariter surgentibus ordo,
Flumina sopito quæque Marone cadunt,
Et leviter Nymphis tota crepitantibus urbe, 15
Cum subito Triton ore recondit aquam.
Falleris: ista tui furtum via monstrat amoris.
Non urbem, demens, lumina nostra fugis.
Nil agis: insidias in me componis inanes:
Tendis iners docto retia nota mihi. 20
Sed de me minus est: famæ jactura pudicæ
Tanta tibi miseræ, quanta mereris, erit.
Nuper enim de te nostras pervenit ad aures
Rumor, et in tota non bonus urbe fuit.

Sed tu non debes inimicæ credere linguæ; 25
Semper formosis fabula pœna fuit.
Non tua deprenso damnata est fama veneno.
Testis eris puras, Phœbe, videre manus.
Sin autem longo nox una aut altera lusu
Consumta est, non me crimina parva movent.
Tyndaris externo patriam mutavit amore, 31
Et sine decreto viva reducta domum est.
Ipsa Venus fertur corrupta libidine Martis:
Nec minus in cœlo semper honesta fuit.
Quamvis Ida Parim pastorem dicat amasse, 35
Atque inter pecudes accubuisse deam:
Hoc et Hamadryadum spectavit turba sororum,
Silenique senes, et pater ipse chori;
Cum quibus Idæo legisti poma sub antro,
Supposita excipiens, Naï, caduca manu. 40
An quisquam in tanto stuprorum examine quærit,
Cur hæc tam dives? quis dedit? unde dedit?
O nimium nostro felicem tempore Romam,
Si contra mores una puella facit!
Hæc eadem ante illam impune et Lesbia fecit. 45
Quæ sequitur, certe est invidiosa minus.
Qui quærit Tatios veteres, durasque Sabinas,
Hic posuit nostra nuper in urbe pedem.
Tu prius et fluctus poteris siccare marinos,
Altaque mortali deripere astra manu; 50
Quam facere, ut nostræ nolint peccare puellæ.
Hic mos Saturno regna tenente fuit;
Et cum Deucalionis aquæ fluxere per orbem,
Et post antiquas Deucalionis aquas.
Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum? 55
Quæ dea cum solo vivere sola deo?
Uxorem quondam magni Minois, ut aiunt,
Corrupit torvi candida forma bovis.
Nec minus ærato Danaë circumdata muro
Non potuit magno casta negare Jovi. 60
Quod seu tu Graias es, sive imitata Latinas,
Semper vive meo libera judicio.

ELEGIA XXXIII.—*Ad eandem.*

Tristia jam redeunt iterum sollennia nobis:
Cynthia jam noctes est operata decem.
Atque utinam Nilo pereat quæ sacra tepente
Misit matronis Inachis Ausoniis.
Quæ dea tam cupidos toties divisit amantes, 5
Quæcunque illa fuit, semper amara fuit.
Tu certe Jovis occultis in amoribus, Io.
Sensisti, multas quid sit inire vias;
Cornua cum Juno te jussit habere puellam,
Et pecoris duro perdere verba sono. 10
Ah quoties quernis læsisti frondibus ora,
Mansisti ut stabulis abdita pasta tuis!
An, quoniam agrestem detraxit ab ore figuram
Jupiter, idcirco facta superba dea es?
An tibi non satis est fuscis Ægyptus alumnis? 15
Cur tibi tam longa Roma petita via?
Quidve tibi prodest, viduas dormire puellas?
Sed tibi, crede mihi, cornua rursus erunt:
Aut nos e nostra te, sæva, fugabimus urbe:
Cum Tiberi Nilo gratia nulla fuit. 20
At tu, quæ nostro nimium placata dolore es,
Noctibus his vacui ter faciamus iter.
Non audis, et verba sinis mea ludere; cum jam
Flectant Icarii sidera tarda boves.
Lenta bibis: mediæ nequeunt te frangere noctes.
An nondum est talos mittere lassa manus? 26
Ah pereat, quicunque meracas repperit uvas,
Corrupitque bonas nectare primus aquas.
Icare, Cecropiis merito jugulate colonis,
Pampineus, nosti, quam sit amarus odor. 30
Tu quoque, o Eurytion, vino, Centaure, perîsti;
Nec non Ismario tu, Polypheme, mero.
Vino forma perit; vino corrumpitur ætas;
Vino sæpe suum nescit amica virum.
Me miserum! ut multo nihil est mutata Lyæo! 35
Jam bibe; formosa es: nil tibi vina nocent;
Cum tua præpendent demissæ in pocula sertæ,
Et mea deducta carmina voce legis,
Largius effuso madeat tibi mensa Falerno,
Spumet et aurato mollius in calice. 40
Nulla tamen lecto recipit se sola libenter.
Est quiddam, quod vos quærere cogat Amor.
Semper in absentes felicior æstus amantes:
Elevat assiduos copia longa viros.

ELEGIA XXXIV.—*Ad Lynceum Poëtam.*

Cur quisquam faciem dominæ jam credat amico?
Sic erepta mihi pæne puella mea est.
Expertus dico: nemo est in amore fidelis.
Formosam raro non sibi quisque petit.
Polluit ille deus cognatos, solvit amicos, 5
Et bene concordes tristia ad arma vocat.
Hospes in hospitium Menelao venit adulter:
Ignotum Colchis nonne secuta virum est?
Lynceu, tune meam potuisti tangere curam?
Perfide, nonne tuæ tunc cecidere manus? 10
Quid? si non constans illa et tam certa fuisset,
Posses in tanto vivere flagitio?
Tu mihi vel ferro pectus, vel perde veneno:
A domina tantum te modo tolle mea.
Te socium vitæ, te corporis, esse licebit; 15
Te dominum admitto rebus, amice, meis.
Lecto te solum, lecto te deprecor uno:
Rivalem possim non ego ferre Jovem.
Ipse meas solus, quod nil est, æmulor umbras;
Stultus, quod stulto sæpe timore tremo. 20
Una tamen causa est, qua crimina tanta remitto,
Errabant multo quod tua verba mero.
Sed nunquam vitæ fallet me ruga severæ.
Omnes jam norunt, quam sit amare bonum.
Lynceus ipse meos insanit serus amores. 25
Solum te nostros lætor adire deos.
Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris
Proderit? aut rerum dicere posse vias?
Aut quid [Cretæi] prosunt tibi carmina lecta?
Nil juvat in magno vester amore senex. 30
Tu satius Musis meliorem imitere Philetam,
Et non inflati somnia Callimachi.
Non cursus licet Ætoli referas Acheloi,
Luxerit ut magno fractus amore liquor;
Atque etiam ut Phrygio fallax Mæandria campo
Errat, et ipsa suas decipit unda vias; 36
Qualis et Adrasti fuerit vocalis Arion,
Tristia ad Archemori funera victor equus.
Amphiaraëæ nil prosunt fata quadrigæ,
Aut Capanei magno grata ruina Jovi. 40
Desine Achilleo componere verba cothurno,
Desine; et ad molles membra resolve choros.
Incipe jam angusto versus includere torno;
Inque meos ignes, dure poëta, veni.
Tu non Antimacho, non tutior ibis Homero. 45
Despicit et magnos recta puella deos.
Sed non ante gravi taurus succumbit aratro,
Cornua quam validis hæserit in laqueis.
Nec tu tam duros per te patieris amores;
Trux tamen a nobis arte domandus eris, 50
Harum nulla solet rationem quærere mundi,
Nec cur fraternis Luna laboret equis;
Nec si post Stygias aliquid restaverit undas,
Nec si consulto fulmina missa tonent.

Adspice me, cui parva domi fortuna relicta est,
Nullus et antiquo Marte triumphus avi; 56
Ut regnem mixtas inter conviva puellas
Hoc, ego quo tibi nunc elevor, ingenio
Me juvet hesternis positum languere corollis,
Quem tetigit jactu certus ad ossa deus; 60
Actia Virgilium custodis littora Phœbi,
Cæsaris et fortes dicere posse rates;
Qui nunc Æneæ Trojani suscitat arma,
Jactaque Lavinis mœnia littoribus.
Cedite, Romani scriptores; cedite, Graii. 65
Nescio quid majus nascitur Iliade.
Tu canis umbrosi subter pineta Galesi
Thyrsin, et attritis Daphnin arundinibus;
Utque decem possint corrumpere mala puellam,
Missus et impressis hædus ab uberibus. 70
Felix, qui viles pomis mercaris amores:
Huic, licet ingratæ, Tityrus ipse canat.
Felix, intactum Corydon qui tentat Alexin
Agricolæ domini carpere delicias.
Quamvis ille suam lassus requiescat avenam, 75
Laudatur faciles inter Hamadryadas.
Tu canis Ascræi veteris præcepta poëtæ,
Quo seges in campo, quo viret uva jugo.
Tale facis carmen docta testudine, quale
Cynthius impositis temperat articulis. 80
Non tamen hæc ulli venient ingrata legenti,
Sive in amore rudis, sive peritus erit.
Nec minor his animus; nec, si minor ore, canorus
Anseris indocto carmine cessit olor.
Hæc quoque perfecto ludebat Iasone Varro, 85
Varro Leucadiæ maxima flamma suæ.
Hæc quoque lascivi cantarunt scripta Catulli,
Lesbia quîs ipsa notior est Helena.
Hæc etiam docti confessa est pagina Calvi,
Cum caneret miseræ funera Quintiliæ. 90
Et modo formosa qui multa Lycoride Gallus
Mortuus inferna vulnera lavit aqua.
Cynthia quin etiam versu laudata Propertî;
Hos inter si me ponere Fama volet.

LIBER TERTIUS.

Elegia I.

Callimachi Manes, et Coi sacra Philetæ,
In vestrum, quæso, me sinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Graios orgia ferre choros.
Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro, 5
Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam.
Ah valeat, Phœbum quicunque moratur in armis.
Exactus tenui pumice versus eat,
Quo me Fama levet terra sublimis, et a me
Nata coronatis Musa triumphet equis; 10
Et mecum in curru parvi vectentur Amores;
Scriptorumque meas turba secuta rotas.
Quid frustra missis in me certatis habenis?
Non datur ad Musas currere lata via.
Multi, Roma, tuas laudes annalibus addent, 15
Qui finem imperii Bactra futura canant.
Sed, quod pace legas, opus hoc de monte sororum
Detulit intacta pagina nostra via.
Mollia, Pegasides, vestro date serta poëtæ;
Non faciet capiti dura corona meo. 20
At mihi, quod vivo detraxerit invida turba,
Post obitum duplici fœnore reddet honos.
Omnia post obitum fingit majora vetustas:
Majus ab exequiis nomen in ore venit.
Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces? 25
Fluminaque Æmonio comminus isse viro?
Idæum Simoënta, Jovis cunabula parvi?
Hectora ter campos, ter maculasse rotas?
Deiphobumque, Helenumque, et Polydamanta sine armis?
Qualemcunque Parin vix sua nosset humus.
Exiguo sermone fores nunc, Ilion, et tu 31
Troja, bis Œtæi numine capta dei.
Nec non ille tui casus memorator Homerus
Posteritate suum crescere sentit opus.
Meque inter seros laudabit Roma nepotes. 35
Illum post cineres auguror ipse diem.
Ne mea contemto lapis indicet ossa sepulchro,
Provisum est, Lycio vota probante deo.
Carminis interea nostri redeamus in orbem,
Gaudeat ut solito tacta puella sono. 40

Elegia II.—*Poëmata solum vacare Morte.*

Orpheu, te lenisse feras, et concita dicunt
Flumina Threicia sustinuisse lyra.
Saxa Cithæronis, Thebas agitata per artem,
Sponte sua in muri membra coisse ferunt.
Quin etiam, Polypheme, fera Galatea sub Ætna 5
Ad tua rorantes carmina flexit equos.
Miremur, nobis et Baccho et Apolline dextro,
Turba puellarum si mea verba colit?
Quod non Tænariis domus est mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes; 10
Nec mea Phæacas æquant pomaria sylvas,
Non operosa rigat Marcius antra liquor:
At Musæ comites, et carmina cara legenti,
Et defessa choris Calliopea meis.
Fortunata, meo siqua es celebrata libello: 15
Carmina erunt formæ tot monimenta tuæ.
Nam neque Pyramidum sumtus ad sidera ducti,
Nec Jovis Elei cœlum imitata domus,
Nec Mausolei dives fortuna sepulcri,
Mortis ab extrema conditione vacat. 20
Aut illis flamma, aut imber subducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quæsitum nomen ab ævo
Excidet: ingenio stat sine morte decus.

Elegia III.—*Propertii Somnium.*

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,
Bellerophontei qua fluit humor equi,
Reges, Alba, tuos, et regum facta tuorum,
Tantum operis, nervis hiscere posse meis:
Parvaque tam magnis admoram fontibus ora, 5
Unde pater sitiens Ennius ante bibit,
Et cecinit Curios fratres, et Horatia pila,
Regiaque Æmilia vecta tropæa rate;
Victricesque moras Fabii, pugnamque sinistram
Cannensem, et versos ad pia vota Deos; 10
Hannibalemque Lares Romana sede fugantes,
Anseris et tutum voce fuisse Jovem;
Cum me Castalia speculans ex arbore Phœbus
Sic ait, aurata nixus ad antra lyra:
Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te
Carminis heroi tangere jussit opus? 16

Non hinc ulla tibi speranda est fama, Properti.
Mollia sunt parvis prata terenda rotis;
Ut tuus in scamno jactetur sæpe libellus,
Quem legat exspectans sola puella virum. 20
Cur tua præscriptos evecta est pagina gyros?
Non est ingenii cymba gravanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas;
Tutus eris: medio maxima turba mari est.
Dixerat, et plectro sedem mihi monstrat eburno,
Qua nova muscoso semita facta solo est. 26
Hic erat affixis viridis spelunca lapillis;
Pendebantque cavis tympana pumicibus.
Ergo Musarum, et Sileni patris imago
Fictilis, et calami, Pan Tegeæe, tui: 30
Et Veneris dominæ volucres, mea turba, columbæ
Tingunt Gorgoneo punica rostra lacu:
Et diversa novem sortitæ jura puellæ
Exercent teneras in sua dona manus.
Hæc hederas legit in thyrsos; hæc carmina nervis 35
Aptat; at illa manu texit utraque rosam.
E quarum numero me contigit una sororum:
Ut reor a facie, Calliopea fuit:
Contentus niveis semper vectabere cycnis;
Nec te fortis equi ducet ad arma sonus. 40
Ne tibi sit rauco prætoria classica cornu
Flare, nec Aonium cingere Marte nemus;
Aut quibus in campis Mariano prœlia signo
Stent, et Teutonicas Roma refringat opes;
Barbarus aut Suevo perfusus sanguine Rhenus
Saucia mærenti corpora vectet aqua.
Quippe coronatos alienum ad limen amantes,
Nocturnæque canes ebria signa fugæ;
Ut per te clausas sciat excantare puellas,
Qui volet austeros arte ferire viros." 50
Talia Calliope, lymphisque a fonte petitis,
Ora Philetæa nostra rigavit aqua.

ELEGIA IV.—*Descriptio Triumphi.*

Arma deus Cæsar dites meditatur ad Indos,
Et freta gemmiferi findere classe maris.
Magna viæ merces; parat ultima terra triumphos:
Tigris et Euphrates sub tua jura fluent:
Seres et Ausoniis venient provincia virgis: 5
Assuescent Latio Partha tropæa Jovi.
Ite, agite, expertæ bello date lintea proræ;
Et solitum, armigeri, ducite munus equi.
Omina fausta cano. Crassos cladesque piate;
Ite, et Romanæ consulite historiæ. 10
Mars pater, et sacræ fatalia lumina Vestæ,
Ante meos obitus sit, precor, illa dies,
Qua videam, spoliis onerato Cæsaris axe,
Ad vulgi plausus sæpe resistere equos:
Inque sinu caræ nixus spectare puellæ 15
Incipiam, et titulis oppida capta legam:
Tela fugacis equi, et braccati militis arcus,
Et subter captos arma sedere duces.
Ipsa tuam serva prolem, Venus: hoc sit in ævum,
Cernis ab Ænea quod superesse caput. 20
Præda sit hæc illis, quorum meruere labores:
Mi sat erit, Sacra plaudere posse via.

ELEGIA V.—[*Ad Amicam iratam.*]

Pacis Amor deus est: pacem veneramur amantes.
Sat mihi cum domina prœlia dura mea.
Non tamen inviso pectus mihi carpitur auro,
Nec bibit e gemma divite nostra sitis;
Nec mihi mille jugis Campania pinguis aratur;
Nec miser æra paro clade, Corinthe, tua.
O prima infelix fingenti terra Prometheo!
Ille parum cauti pectoris egit opus:
Corpora disponens, mentem non vidit in arte:
Recta animi primum debuit esse via. 10
Nunc maris in tantum vento jactamur, et hostem
Quærimus, atque armis nectimus arma nova.
Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas;
Nudus ab inferna, stulte, vehere rate.
Victor cum victis pariter miscebimur Indis; 15
Consule cum Mario, capte Jugurtha, sedes.
Lydus Dulichio non distat Crœsus ab Iro.
Optima mors, parca quæ venit apta die.
Me juvat in prima coluisse Helicona juventa,
Musarumque choris implicuisse manus; 20
Me juvat et multo mentem vincire Lyæo,
Et caput in verna semper habere rosa. [ætas,
Atque, ubi jam Venerem gravis interceperit
Sparserit et nigras alba senecta comas;
Tum mihi naturæ libeat perdiscere mores: 25
Quis deus hanc mundi temperet arte domum;
Qua venit Exoriens, qua deficit; unde coactis
Cornibus in plenum menstrua luna redit;
Unde salo superant venti; quid flamine captet
Eurus; et in nubes unde perennis aqua; 30
Sit ventura dies, mundi quæ subruat arces;
Purpureus pluvias cur bibat arcus aquas;
Aut cur Perrhæbi tremuere cacumina Pindi,
Solis et atratis luxerit orbis equis;
Cur serus versare boves et plaustra Bootes; 35
Pleïadum spisso cur coit imbre chorus;
Curve suos fines altum non exeat æquor,
Plenus et in partes quatuor annus eat;
Sub terris si jura deûm, et tormenta gigantum;
Tisiphones atro si furit angue caput; 40
Aut Alcmæoniæ furiæ, aut jejunia Phinei;
Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas;
Num tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus, et Tityo jugera pauca novem;
An ficta in miseras descendit fabula gentes, 45
Et timor haud ultra, quam rogus, esse potest.
Exitus hic vitæ superet mihi: vos, quibus arma
Grata magis, Crassi signa referte domum.

ELEGIA VI.—*Ad Lygdamum.*

Dic mihi de nostra, quæ sentis vera, puella:
Sic tibi sint dominæ, Lygdame, demta juga.
Num me lætitia tumefactum fallis inani,
Hæc referens, quæ me credere velle putas?
Omnis enim debet sine vano nuntius esse, 5
Majoremque metu servus habere fidem.
Nunc mihi, siqua tenes, ab origine dicere prima
Incipe: suspensis auribus ista bibam.
Siccine eam incomtis vidisti flere capillis?
Illius ex oculis multa cadebat aqua? 10
Nec speculum strato vidisti, Lygdame, lecto?
Ornabat niveas nullane gemma manus?
Ac mæstam teneris vestem pendere lacertis?
Scriniaque ad lecti clausa jacere pedes?
Tristis erat domus? et tristes sua pensa ministræ 15
Carpebant? medio nebat et ipsa loco?
Humidaque impressa siccabat lumina lana
Rettulit et querulo jurgia nostra sono?
"Hæc, te teste, mihi promissa est, Lygdame, merces?
Est pœnæ servo rumpere teste fidem. 20
Ille potest nullo miseram me linquere facto?
Æqualem nulla dicere habere domo?

Gaudet me vacuo solam tabescere lecto?
Si placet, insultet, Lygdame, morte mea.
Non me moribus illa, sed herbis improba vicit.
Staminea rhombi ducitur ille rota; 26
Illum turgentis ranæ portenta rubetæ,
Et lecta exsuccis anguibus ossa trahunt,
Et strigis inventæ per busta jacentia plumæ,
Cinctaque funesto lanea vitta toro. 30
Si non vana canunt mea, Lygdame, somnia, testor,
Pœna erit ante meos sera, sed ampla, pedes:
Putris et in vacuo texetur aranea lecto:
Noctibus illorum dormiet ipsa Venus."
Quæ tibi si veris animis est questa puella, 35
Hac eadem rursus, Lygdame, curre via;
Et mea cum multis lacrymis mandata reporta,
Iram, non fraudes, esse in amore meo;
Me quoque consimili impositum torquerier igni;
Jurabo et bis sex integer esse dies. 40
Quod mihi si tanto felix concordia bello
Exstiterit, per me, Lygdame, liber eris.

Elegia VII.—*De Morte Pæti ob Avaritiam.*

Ergo sollicitæ tu causa, pecunia, vitæ es.
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes;
Semina curarum de capite orta tuo.
Tu Pætum ad Pharios tendentem lintea portus
Obruis insano terque quaterque mari. 6
Nam dum te sequitur, primo miser excidit ævo,
Et nova longinquis piscibus esca natat.
Et mater non justa piæ dare debita terræ,
Nec pote cognatos inter humare rogos: 10
Sed tua nunc volucres adstant super ossa marinæ:
Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare.
Infelix Aquilo, raptæ timor Orithyiæ,
Quæ spolia ex illo tanta fuere tibi?
Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina?
Portabat sanctos alveus ille viros. 16
Pæte, quid ætatem numeras? quid cara natanti
Mater in ore tibi est? non habet unda deos.
Nam tibi nocturnis, ad saxa ligata, procellis
Omnia detrito vincula fune cadunt. 20
Sunt Agamemnonias testantia littora curas,
Qua notat Argynni pœna natantis aquas.
Hic juvene amisso classem non solvit Atrides;
Pro qua mactata est Iphigenia mora.
Reddite corpus humo; positaque in gurgite vita, 25
Pætum sponte tua, vilis arena, tegas;
Ut, quoties Pæti transibit nauta sepulcrum,
Dicat: Et audaci tu timor esse potes.
Ite, rates curvas et leti texite causas:
Ista per humanas mors venit acta manus. 30
Terra parum fuerat: fatis adjecimus undas:
Naturæ miseras auximus arte vias.
Anchora te teneat, quem non tenuere penates?
Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?
Ventorum est quodcunque paras: haud ulla carina 35
Consenuit: fallit portus et ipse fidem.
Fortuna insidias pontum substravit avaris.
Ut tibi succedat, vix semel esse potest.
Saxa triumphales fregere Capharia puppes,
Naufraga cum vasto Græcia tracta salo est.
Palantûm sociûm jacturam flevit Ulixes, 41
In mare cui soliti non valuere doli.
Quod si contentus patrio bove verteret agros,
Verbaque duxisset pondus habere mea;
Viveret ante suos dulcis conviva Penates, 45
Pauper, at in terra, nil ubi fiere potest.
Non tulit hic Pætus stridorem audire procellæ,
Nec duro teneras lædere fune manus:
Sed Thyiæ thalamo, aut Oriciæ terebinthi,
Effultum pluma versicolore caput. 50
Huic fluctus vivos radicitus abstulit ungues;
Et niger invitam traxit hiatus aquam.
Hunc parvo ferri vidit nox improba ligno.
Pætus ut occideret, tot coiere mala.
Flens tamen extremis dedit hæc mandata querelis, 55
Cum moribunda niger clauderet ora liquor:
Dî maris, Ægæi quos sunt penes æquora, venti,
Et quæcunque meum degravat unda caput;
Quo rapitis miseros primæ lanuginis annos?
Attulimus longas in freta vestra manus. 60
Ah miser! alcyonum scopulis affigar acutis;
In me cæruleo fuscina sumta deo est.
At saltem Italiæ regionibus advehat æstus.
Hoc de me, sat erit, si modo matris erit.
Subtrahit hæc fantem torta vertigine fluctus;
Ultima quæ Pæto voxque diesque fuit.
O centum æquoreæ Nereo genitore puellæ,
Et tu, materno tacta dolore, Theti,
Vos decuit lasso supponere brachia mento:
Non poterat vestras ille gravare manus. 70
At tu, sæve Aquilo, nunquam mea vela videbis:
Ante fores dominæ condar oportet iners.

Elegia VIII.—*Ad Cynthiam.*

Dulcis ad extremas fuerat mihi rixa lucernas,
Vocis et insanæ tot maledicta tuæ,
Dum furibunda mero mensam propellis, et in me
Projicis insana cymbia plena manu.
Tu vero nostros audax invade capillos, 5
Et mea formosis unguibus ora nota.
Tu minitare oculos subjecta exurere flamma;
Fac mea rescisso pectora nuda sinu:
Nimirum veri dantur mihi signa caloris;
Nam sine amore gravi fœmina nulla dolet. 10
Quæ mulier rabida jactat convicia lingua,
Et Veneris magnæ volvitur ante pedes;
Custodum gregibus seu cum se stipat euntem,
Seu sequitur medias, Mænas ut icta, vias;
Seu timidam crebro dementia somnia terrent,
Seu miseram in tabula picta puella movet:
His ego tormentis animi sum verus haruspex:
Has certas didici sæpe in amore notas.
Non est certa fides, quam non injuria versat.
Hostibus eveniat lenta puella meis. 20
Immorso æquales videant mea vulnera collo;
Me doceat livor mecum habuisse meam.
Aut in amore dolere volo, aut audire dolentem;
Sive meas lacrymas, sive videre tuas;
Tecta superciliis seu quando verba remittis, 25
Aut tua cum digitis scripta silenda notas.
Odi ego, quos nunquam rumpunt suspiria, somnos.
Semper in irata pallidus esse velim.
Dulcior ignis erat Paridi, cum Graia per arma
Tyndaridi poterat gaudia ferre suæ. 30
Dum vincunt Danai, dum restat barbarus Hector,
Ille Helenæ in gremio maxima bella gerit.
Aut tecum, aut pro te mihi cum rivalibus, arma
Semper erunt: in te pax mihi nulla placet.
Gaude, quod nulla est æque formosa: doleres,
Siqua foret; nunc sis jure superba licet. 36
At tibi, qui nostro nexisti retia lecto,
Sit socer æternum, nec sine matre domus,

Cui nunc siqua data est furandæ copia noctis,
Offensa illa mihi, non tibi amica, dedit. 40

Elegia IX.—*Ad Mecænatem.*

Mecænas, eques Etrusco de sanguine regum,
Intra fortunam qui cupis esse tuam;
Quid me scribendi tam vastum mittis in æquor?
Non sunt apta meæ grandia vela rati.
Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus, 5
Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta;
Fama nec ex æquo ducitur una jugo.
Gloria Lysippo est animosa effingere signa:
Exactis Calamis se mihi jactat equis. 10
In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles:
Parrhasius parva vindicat arte locum.
Argumenta magis sunt Mentoris addita formæ:
At Myos exiguum flectit acanthus iter.
[Phidiacus signo se Jupiter ornat eburno: 15
Praxitelem Paria vindicat urbe lapis.]
Est quibus Eleæ concurrit palma quadrigæ:
Est quibus in celeres gloria nata pedes. [mis.
Hic satus ad pacem: hic castrensibus utilis ar-
Naturæ sequitur semina quisque suæ. 20
At tua, Mecænas, vitæ præcepta recepi;
Cogor et exemplis te superare tuis.
Cum tibi Romano dominas in honore secures,
Et liceat medio ponere jura foro;
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hastas, 25
Atque onerare tuam fixa per arma domum;
Et tibi ad effectum vires det Cæsar, et omni
Tempore tam faciles insinuentur opes; [bras:
Parcis, et in tenues humilem te colligis um-
Velorum plenos subtrahis ipse sinus. 30
Crede mihi, magnos æquabunt ista Camillos
Judicia, et venies tu quoque in ora virûm;
Cæsaris et famæ vestigia juncta tenebis.
Mecænatis erunt vera tropæa fides.
Non ego velifera tumidum mare findo carina: 35
Tuta sit exiguo flumine nostra ratis.
Non flebo in cineres arcem sidisse paternos
Cadmi, nec septem prœlia clade pari:
Nec referam Scæas et Pergama Apollinis arces,
Et Danaûm undecimo vere redisse rates, 40
Mœnia cum Graio Neptunia pressit aratro
Victor Palladiæ ligneus arcis equus.
Inter Callimachî sat erit placuisse libellos,
Et cecinisse modis, Coe poeta, tuis.
Hæc pueri curent, hæc curent scripta puellæ; 45
Meque deum clament, et mihi sacra ferant.
Te duce vel Jovis arma canam, cœloque minantem
Cœum, et Phlegræis Oromedonta jugis;
Celsaque Romanis decerpta Palatia tauris
Ordiar, et cæso mœnia firma Remo; 50
Eductosque pares sylvestri ex ubere reges:
Crescet et ingenium sub tua jussa meum.
Prosequar et currus utroque ab littore ovantes;
Parthorum astutæ tela remissa fugæ;
Claustraque Pelusî Romano subruta ferro, 55
Antonique graves in sua fata manus.
Mollia tu cœptæ fautor cape lora juventæ,
Dexteraque immissis da mihi signa rotis.
Hoc mihi, Mecænas, laudis concedis; et a te est,
Quod ferar in partes ipse fuisse tuas. 60

Elegia X.—*De Natali Amicæ suæ.*

Mirabar, quidnam misissent mane Camœnæ,
Ante meum stantes sole rubente torum.
Natalis nostræ signum misere puellæ,
Et manibus faustos ter crepuere sonos.
Transeat hic sine nube dies; stent aere venti; 5
Ponat et in sicco molliter unda minas.
Adspiciam nullos hodierna luce dolentes;
Et Niobæ lacrymas supprimat ipse lapis.
Alcyonum positis requiescant ora querelis,
Increpet absumtum nec sua mater Ityn. 10
Tuque, o cara mihi, felicibus edita pennis,
Surge, et poscentes justa precare deos.
Ac primum pura somnum tibi discute lympha,
Et nitidas presso pollice finge comas.
Dein, qua pridem oculos cepisti veste Propertî,
Indue; nec vacuum flore relinque caput: 16
Et pete, qua polles, ut sit tibi forma perennis,
Inque meum semper stent tua regna caput.
Inde, coronatas ubi thure piaveris aras,
Luxerit et tota flamma secunda domo; 20
Sit mensæ ratio; noxque inter pocula currat;
Et crocino nares murrheus ungat onyx.
Tibia nocturnis succumbat rauca choreis;
Et sint nequitiæ libera verba tuæ;
Dulciaque ingratos adimant convivia somnos, 25
Publica vicinæ perstrepat aura viæ.
Sit sors et nobis talorum interprete jactu,
Quem gravibus pennis verberet ille puer.
Cum fuerit multis exacta trientibus hora,
Noctis et instituet sacra ministra Venus; 30
Annua solvamus thalamo sollennia nostro,
Natalisque tui sic peragamus iter.

Elegia XI.—*Fœminas imperare Amantibus.*

Quid mirare, meam si versat fœmina vitam,
Et trahit addictum sub sua jura virum?
Criminaque ignavi capitis mihi turpia fingis,
Quod nequeam fracto rumpere vincla jugo?
Venturam melius præsagit navita [noctem:] 5
Vulneribus didicit miles habere metum.
Ista ego præterita jactavi verba juventa:
Tu nunc exemplo disce timere meo.
Colchis flagrantes adamantina sub juga tauros
Egit, et armigera prœlia sevit humo; 10
Custodisque feros clausit serpentis hiatus,
Iret ut Æsonias aurea lana domos.
Ausa ferox ab equo contra oppugnare sagittis
Mæotis Danaûm Penthesilea rates;
Aurea cui postquam nudavit cassida frontem,
Vicit victorem candida forma virum. 16
Omphala et in tantum formæ processit honorem
Lydia Gygæo tincta puella lacu,
Ut, qui pacato statuisset in orbe columnas,
Tam dura traheret mollia pensa manu. 20
Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
Ut solidum cocto tolleret aggere opus;
Et duo in adversum misit per mœnia currus,
Ne possent tacto stringere ab axe latus:
Duxit et Euphratem medium, quam condidit, arci, 25
Jussit et imperio surgere Bactra caput.
Nam quid ego heroas, quid raptem in crimina divos?
Jupiter infamat seque suamque domum. [mis,
Quid? modo quæ nostris opprobria vexerat ar-
Et famulos inter fœmina trita suos, 30
Conjugii obscæni pretium Romana poposcit
Mœnia, et addictos in sua regna patres.
Noxia Alexandrea, dolis aptissima tellus,
Et toties nostro Memphi cruenta malo!
Tres ubi Pompeio detraxit verna triumphos. 35
Tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam.

Issent Phlegræo melius tibi funera campo,
Vel tua si socero colla daturus eras.
Scilicet incesti meretrix regina Canopi
(Una Philippeo sanguine inusta nota) 40
Ausa Jovi nostro latrantem opponere Anubim,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas;
Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,
Baridos et contis rostra Liburna sequi;
Fœdaque Tarpeio conopia tendere saxo, 45
Jura dare et statuas inter et arma Marî.
Quid nunc Tarquinii fractas juvat esse secures,
Nomine quem simili vita superba notat;
Si mulier patienda fuit? Cape, Roma, triumphum,
Et longam Augusto salva precare diem. 50
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili:
Accepere tuæ Romula vincla manus.
Brachia spectavi sacris admorsa colubris,
Et trahere occultum membra soporis iter.
Non hæc, Roma, fuit tanto tibi cive verenda, 55
Nec ducis assiduo lingua sepulta mero.
Septem urbs alta jugis, toto quæ præsidet orbi,
Fœmineas timuit, territa Marte, minas.
Nunc ubi Scipiadæ classes? ubi signa Camilli,
Et modo Pompeia Bospora capta manu; 60
Hannibalis spolia, et victi monimenta Syphacis,
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes?
Curtius expletis statuit monimenta lacunis;
Admisso Decius prœlia rupit equo;
Coclitis abscissos testatur semita pontes; 65
Est, cui cognomen corvus habere dedit.
Hæc dî condiderunt, hæc dî quoque mœnia servant.
Vix timeat, salvo Cæsare, Roma Jovem.
Leucadius versas acies memorabit Apollo:
Tantum operis belli sustulit una dies. 70
At tu, sive petes portus, seu, navita, linques,
Cæsaris in toto sis memor Ionio.

Elegia XII.—*Ad Postumum, de Galla.*

Postume, plorantem potuisti linquere Gallam,
Miles et Augusti fortia signa sequi?
Tantine ulla fuit spoliati gloria Parthi,
Ne faceres, Galla multa rogante tua?
Si fas est, omnes pariter pereatis, avari, 5
Et quisquis fido prætulit arma toro.
Tu tamen injecta tectus, vesane, lacerna,
Potabis galea fessus Araxis aquam.
Illa quidem interea fama tabescet inani,
Hæc tua ne virtus fiat amara tibi; 10
Neve tua Medæ lætentur cæde sagittæ,
Ferreus aurato neu cataphractus equo;
Neve aliquid de te flendum referatur in urna.
Sic redeunt, illis qui cecidere locis.
Ter quater in casta felix, o Postume, Galla, 15
Moribus his alia conjuge dignus eras.
Quid faciet nullo munita puella timore,
Cum sit luxuriæ Roma magistra suæ?
Sed securus eas. Gallam non munera vincent;
Duritiæque tuæ non erit illa memor. 20
Nam quocunque die salvum te fata remittent,
Pendebit collo Galla pudica tuo.
Postumus alter erit miranda conjuge Ulixes;
Non illi longæ tot nocuere moræ:
Castra decem annorum, et Ciconum manus, Ismara capta, 25
Exustæque tuæ mox, Polypheme, genæ;
Et Circæ fraudes, lotosque, herbæque tenaces,
Scyllaque, et alternas scissa Charybdis aquas;
Lampeties Ithacis verubus mugisse juvencos,
(Paverat hos Phœbo filia Lampetie) 30
Et thalamum Æææ flentis fugisse puellæ;
Totque hiemis noctes, totque natasse dies;
Nigrantesque domos animarum intrasse silentum;
Sirenum surdo remige adisse lacus;
Et veteres arcus leto renovasse procorum; 35
Errorisque sui sic statuisse modum:
Nec frustra; quia casta domi persederat uxor.
Vincet Penelopes Ælia Galla fidem.

Elegia XIII.—*De Avaritia Puellarum.*

Quæritis, unde avidis nox sit pretiosa puellis,
Et Venere exhaustæ damna querantur opes?
Certa quidem tantis causa et manifesta ruinis:
Luxuriæ nimium libera facta via est.
Inda cavis aurum mittit formica metallis, 5
Et venit e rubro concha Erycina salo;
Et Tyros ostrinos præbet Cadmea colores,
Cinnamon et multi pastor odoris Arabs.
Hæc etiam clausas expugnant arma pudicas,
Quæque terunt fastus, Icarioti, tuos. 10
Matrona incedit census induta nepotum,
Et spolia opprobrii nostra per ora trahit.
Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi;
Aut, siqua est, pretio tollitur ista mora.
Felix Eois lex funeris una maritis, 15
Quos Aurora suis rubra colorat equis:
Namque ubi mortifero jacta est fax ultima lecto,
Uxorum positis stat pia turba comis:
Et certamen habent leti, quæ viva sequatur
Conjugium: pudor est non licuisse mori. 20
Ardent victrices, et flammæ pectora præbent,
Imponuntque suis ora perusta viris.
Hic genus infidum nuptarum: hic nulla puella
Nec fida Evadne, nec pia Penelope.
Felix agrestum quondam pacata juventus, 25
Divitiæ quorum messis et arbor erant.
Illis pompa fuit, decussa Cydonia ramo
Et dare puniceis plena canistra rubis;
Nunc violas tondere manu, nunc mixta referre
Lilia, vimineos lucida per calathos; 30
Et portare suis vestitas frondibus uvas,
Aut variam plumæ versicoloris avem.
His tum blanditiis furtiva per antra puellæ
Oscula sylvicolis emta dedere viris.
Hinnulei pellis totos operibat amantes, 35
Altaque nativo creverat herba toro;
Pinus et incumbens latas circumdabat umbras;
Nec fuerat nudas pœna videre deas.
Corniger Idæi vacuam pastoris in aulam
Dux aries saturas ipse reduxit oves. 40
Dîque deæque omnes, quibus est tutela per agros,
Præbebant vestris verba secunda focis.
Et leporem, quicunque venis, venaberis, hospes,
Et, si forte meo tramite quæris avem:
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato, 45
Sive petas calamo præmia, sive cane.
At nunc desertis cessant sacraria lucis:
Aurum omnes victa jam pietate colunt.
Auro pulsa fides; auro venalia jura;
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor. 50
Torrida sacrilegum testantur fulmina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna dei.
At mons laurigero concussus vertice diras
Gallica Parnassus sparsit in ora nives.
Te scelus accepto Thracis Polymestoris auro 55
Nutrit in hospitio non, Polydore, pio.
Tu quoque ut auratos gereres, Eriphyla, lacertos,
Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.

Proloquar, atque utinam patriæ sim vanus haruspex!
Frangitur ipsa suis Roma superba bonis. 60
Certa loquor; sed nulla fides: neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis mænas habenda malis.
Sola Parin Phrygiæ fatum componere, sola
Fallacem patriæ serpere dixit equum.
Ille furor patriæ fuit utilis, ille parenti. 65
Experta est veros irrita lingua deos.

ELEGIA XIV.—*Ad Spartam, de Ludis Laconicis.*

Multa tuæ, Sparte, miramur jura palæstræ,
Sed mage virginei tot bona gymnasii;
Quod non infames exercet corpore ludos
Inter luctantes nuda puella viros;
Cum pila veloci fallit per brachia jactu, 5
Increpat et versi clavis adunca trochi;
Pulverulentaque ad extremas stat fœmina metas,
Et patitur duro vulnera pancratio;
Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris;
Missile nunc disci pondus in orbe rotat; 10
Gyrum pulsat equis; niveum latus ense revincit,
Virgineumque cavo protegit ære caput;
Et modo Taygeti, crines adspersa pruina,
Sectatur patrios per juga longa canes:
Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis 15
Thermodonteis turma vagatur agris;
Qualis et Eurotæ Pollux et Castor arenis,
Hic victor pugnis, ille futurus equis:
Inter quos Helene nudis capere arma papillis
Fertur, nec fratres erubuisse deos. 20
Lex igitur Spartana vetat secedere amantes;
Et licet in triviis ad latus esse suæ.
Nec timor, aut ulla est clausæ tutela puellæ,
Nec gravis austeri pœna cavenda viri;
Nullo præmisso, de rebus tute loquaris 25
Ipse tuis: longæ nulla repulsa moræ.
Non Tyriæ vestes errantia lumina fallunt;
Est neque odoratæ cura molesta comæ.
At nostra ingenti vadit circumdata turba;
Nec digitum angusta est inseruisse via. 30
Nec quæ sint facies, nec quæ sint verba rogandi,
Invenias: cæcum versat amator iter.
Quod si jura fores pugnasque imitata Laconum,
Carior hoc esses tu mihi, Roma, bono.

ELEGIA XV.—*Ad Cynthiam, de Lycinna.*

Sic ego non ullos jam norim in amore tumultus,
Nec veniat sine te nox vigilanda mihi;
Ut mihi prætextæ pudor est elatus amictu,
Et data libertas noscere amoris iter,
Illa rudes animos per noctes conscia primas 5
Imbuit, heu nullis capta Lycinna datis.
Tertius, haud multo minus est, cum ducitur annus;
Vix memini nobis verba coisse decem.
Cuncta tuus sepelivit amor: nec fœmina post te
Ulla dedit collo dulcia vincla meo. 10
At tu non meritam parcas vexare Lycinnam.
Nescit vestra ruens ira referre pedem.
Testis erit Dirce, tam vero crimine sæva,
Nycteos Antiopen accubuisse Lyco.
Ah quoties pulchros vulsit regina capillos, 15
Molliaque immites fixit in ora manus!
Ah quoties famulam pensis oneravit iniquis,
Et caput in dura ponere jussit humo!
Sæpe illam immundis passa est habitare tenebris:
Vilem jejunæ sæpe negavit aquam. 20
Jupiter, Antiopæ nusquam succurris habenti
Tot mala? corrumpit dura catena manus.
Si deus es, tibi turpe tuam servire puellam.
Invocet Antiope quem nisi vincta Jovem?
Sola tamen, quæcunque aderant in corpore vires,
Regales manicas rupit utraque manu. 26
Inde Cithæronis timido pede currit in arces·
Nox erat, et sparso triste cubile gelu.
Sæpe, vago Asopi sonitu permota fluentis,
Credebat dominæ pone venire pedes. 30
Et durum Zethum, et lacrymis Amphiona mollem,
Experta est stabulis mater abacta suis.
Ac veluti, magnos cum ponunt æquora motus,
Eurus ubi adverso desinit ire Noto,
Littore sub tacito sonitus rarescit arenæ: 35
Sic cadit inflexo lapsa puella genu.
Sera tamen pietas; natis est cognitus error:
Digne, Jovis natos qui tueare, senex.
Tu reddis pueris matrem; puerique trahendam
Vinxerunt Dircen sub trucis ora bovis. 40
Antiope, cognosce Jovem: tibi gloria Dirce
Ducitur, in multis mortem habitura locis.
Prata cruentantur Zethi; victorque canebat
Pæana Amphion rupe, Aracynthe, tua.
Fabula nulla tuas de nobis concitet aures: 45
Te solam, et lignis funeris ustus, amem.

ELEGIA XVI.—*De Imperio Amicæ.*

Nox media, et dominæ mihi venit epistola nostræ:
Tibure me missa jussit adesse mora;
Candida qua geminas ostendunt culmina turres,
Et cadit in patulos Nympha Aniena lacus.
Quid faciam? Obductis committam mene tenebris, 5
Ut timeam audaces in mea membra manus?
At si hæc distulero nostro mandata timore,
Nocturno fletus sævior hoste mihi.
Peccaram semel, et totum sum pulsus in annum.
In me mansuetas non habet illa manus. 10
Nec tamen est quisquam, sacros qui lædat amantes.
Scironis media sic licet ira via.
Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris,
Nemo adeo, ut noceat, barbarus esse volet.
Luna ministrat equis: demonstrant astra salebras:
Ipse Amor accensas præcutit ante faces. 16
Sæva canum rabies morsus avertit hiantes.
Huic generi quovis tempore tuta via est.
Sanguine tam parvo quis enim spargatur amantis
Improbus? [exclusis] fit comes ipsa Venus. 20
Quod si certa meos sequerentur funera casus,
Talis mors pretio vel sit emenda mihi.
Afferet hæc unguenta mihi, sertisque sepulcrum
Ornabit, custos ad mea busta sedens.
Dî faciant, mea ne terra locet ossa frequenti, 25
Qua facit assiduo tramite vulgus iter.
Post mortem tumuli sic infamantur amantum.
Met tegat arborea devia terra coma;
Aut humet ignotæ cumulus vallatus arenæ:
Non juvat in media nomen habere via. 30

ELEGIA XVII.—*Ad Bacchum.*

Nunc, o Bacche, tuis humiles advolvimur aris;
Da mihi pacato vela secunda, pater.
Tu potes insanæ Veneris compescere fastus,
Curarumque tuo fit medicina mero.
Per te junguntur, per te solvuntur amantes. 5
Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo.
Te quoque enim non esse rudem testatur in astris
Lyncibus in cœlum vecta Ariadna tuis.
Hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignes,
Funera sanabunt, vel tua vina, malum. 10

Semper enim vacuos nox sobria torquet amantes;
Spesque timorque animum versat utroque meum.
Quod si, Bacche, tuis per fervida tempora donis
Arcessitus erit somnus in ossa mea,
Ipse seram vites, pangamque ex ordine colles, 15
Quos carpant nullæ, me vigilante, feræ:
Dummodo purpureo spument mihi dolia musto,
Et nova pressantes inquinet uva pedes.
Quod superest vitæ, per te et tua cornua vivam,
Virtutisque tuæ, Bacche, poeta ferar. 20
Dicam ego maternos Ætnæo fulmine partus;
Indica Nysæis arma fugata choris; [gum;
Vesanumque nova nequicquam in vite Lycur-
Pentheos in triplices funera rapta greges;
Curvaque Tyrrhenos delphinum corpora nautas
In vada pampinea desiluisse rate. 26
Et tibi per mediam bene olenti flumine Naxon,
(Unde tuum potant Naxia turba merum)
Candida laxatis onerato colla corymbis
Cinget Bassaricas Lydia mitra comas. 30
Lævis odorato cervix manabit olivo;
Et feries nudos veste fluente pedes.
Mollia Dircææ pulsabunt tympana Thebæ:
Capripedes calamo Panes hiante canent.
Vertice turrigero juxta dea magna Cybebe 35
Tundet ad Idæos cymbala rauca choros.
Ante fores templi cratere antistes et auro
Libatum fundens in tua sacra merum. [no,
Hæc ego non humili referam memoranda cothur-
Qualis Pindarico spiritus ore tonat. 40
Tu modo servitio vacuum me siste superbo,
Atque hoc sollicitum vince sopore caput.

Elegia XVIII.—*Defletur Mors Marcelli.*

Clausus ab umbroso qua ludit pontus Averno,
Fumida Baiarum stagna tepentis aquæ,
Qua jacet et Trojæ tubicen Misenus arena,
Et sonat Herculeo structa labore via;
Hic ubi, Marte Italas dextro cum quæreret urbes,
Cymbala Thebano concrepuere deo; 6
At nunc invisæ magno cum crimine Baiæ,
Quis deus in vestra constitit hostis aqua?
His pressus Stygias vultum demersit in undas;
Errat et in vestro spiritus ille lacu. 10
Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi
Mater, et amplexum Cæsaris esse focos?
Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro,
Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit, ut misero steterat vigesimus annus. 15
Tot bona tam parvo clausit in orbe dies.
I nunc, tolle animos, et tecum finge triumphos,
Stantiaque in plausum tota theatra juvent;
Attalicas supera vestes, atque omnia magnis
Gemmea sint ludis: ignibus usta dabis. 20
Sed tamen huc omnes: huc primus et ultimus ordo:
Est mala, sed cunctis ista terenda via.
Exoranda canis tria sunt latrantia colla:
Scandenda est torvi publica cymba senis.
Ille licet ferro cautus se condat et ære, 25
Mors tamen inclusum protrahet inde caput.
Nirea non facies, non vix exemit Achillem,
Crœsum aut, Pactoli quas parit humor, opes.
Sic olim ignaros luctus populavit Achivos,
Atridæ magno cum stetit alter amor. 30
At tibi, nauta, pias hominum qui trajicis umbras,
Huc animæ portes corpus inane suæ;
Qua Siculæ victor telluris Claudius, et qua
Cæsar ab humana cessit in astra via.

Elegia XIX.—*De Incontinentia Mulierum.*

Objicitur toties a te mihi nostra libido:
Crede mihi, vobis imperat ista magis.
Vos, ubi contemti rupistis frena pudoris,
Nescitis captæ mentis habere modum.
Flamma per incensas citius sedetur aristas, 5
Fluminaque ad fontis sint reditura caput;
Et placidum Syrtes portum, et bona littora nautis
Præbeat hospitio sæva Malea suo;
Quam possit vestros quisquam reprehendere cursus,
Et rabidæ stimulos frangere nequitiæ. 10
Testis, Cretæi fastus quæ passa juvenci
Induit abiegnæ cornua falsa bovis;
Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,
Quæ voluit liquido tota subire deo.
Crimen et illa fuit, patria succensa senecta, 15
Arboris in frondes condita Myrrha novæ.
Nam quid Medeæ referam, quo tempore matris
Iram natorum cæde piavit amor? [cenis
Quidve Clytæmnestræ, propter quam tota My-
Infamis stupro stat Pelopea domus? 20
Tuque o Minoa venundata, Scylla, figura,
Tondens purpuream, regna paterna, comam.
Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti?
Nise, tuas portas fraude reclusit amor.
At vos, innuptæ, felicius urite tædas: 25
Pendet Cretæa tracta puella rate.
Non tamen immerito Minos sedet arbiter Orci:
Victor erat quamvis, æquus in hoste fuit.

Elegia XX.—*Ad Amicam.*

Credis eum jam posse tuæ meminisse figuræ,
Vidisti a lecto quem dare vela tuo;
Durus qui lucro potuit mutare puellam?
Tantine, ut lacrymes, Africa tota fuit?
At tu, stulta, deos, tu fingis inania verba; 5
Forsitan ille alio pectus amore terit,
Est tibi forma potens, sunt castæ Palladis artes,
Splendidaque a docto fama refulget avo.
Fortunata domus, modo sit tibi fidus amicus.
Fidus ero; in nostros curre, puella, sinus. 10
Nox mihi prima venit; primæ data tempora noctis
Longius in primo, Luna, morare toro.
Tu quoque, qui æstivos spatiosius exigis ignes,
Phœbe, moraturæ contrahe lucis iter.
Fœdera sunt ponenda prius, signandaque jura, 15
Et scribenda mihi lex in amore novo,
Quam multæ ante meis cedant sermonibus horæ,
Dulcia quam nobis concitet arma Venus.
Hæc Amor ipse suo constringet pignora signo:
Testis sidereæ tota corona deæ. 20
Namque ubi non certo vincitur fœdere lectus,
Non habet ultores nox vigilanda deos;
Et quibus imposuit, solvit mox vincla libido.
Contineant nobis omina prima fidem.
Ergo, qui tactas in fœdera ruperit aras, 25
Polluerit que novo sacra marita toro,
Ille sint, quicunque solent in amore dolores,
Et caput argutæ præbeat historiæ.
Nec flenti dominæ patefiant nocte fenestræ;
Semper amet, fructu semper amoris egens. 30

Elegia XXI.—*Ad Cynthiam.*

Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
Ut me longa gravi solvat amore via.

Crescit enim assidue spectando cura puellæ :
Inde alimenta sibi maxima præbet Amor.
Omnia sunt tentata mihi, quacunque fugari 5
Possit ; at ex omni me premit ille deus.
Vix tamen aut semel admittit, cum sæpe negavit ;
Seu venit, extremo dormit amica toro.
Unum erit auxilium : mutatis, Cynthia, terris, 9
Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.
Nunc agite, o socii, propellite in æquora navem,
Remorumque pares ducite sorte vices,
Jungiteque extremo felicia lintea malo :
Jam liquidum nautis aura secundat iter.
Romanæ turres, et vos valeatis amici ; 15
Qualiscunque mihi, tuque, puella, vale. [pes,
Ergo ego nunc rudis Adriaci vehar æquoris hos-
Cogar et undosos nunc prece adire deos.
Deinde per Ionium vectus, cum fessa Lechæo
Sedarit placida vela phaselus aqua ; 20
Quod superest, sufferte, pedes ; properate laborem,
Isthmos qua terris arcet utrumque mare.
Inde ubi Piræei capient me littora portus,
Scandam ego Theseæ brachia longa viæ.
Illic aut spatiis animum emendare Platonis 25
Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis ;
Persequar aut studium linguæ, Demosthenis arma,
Librorumque tuos, munde Menandre, sales ;
Aut certe tabulæ capient mea lumina pictæ,
Sive ebore exactæ, seu magis ære manus. 30
Aut spatia annorum, aut longa intervalla profundi,
Lenibunt tacito vulnera nostra situ.
Seu moriar, fato, non turpi fractus amore :
Atque erit illa mihi mortis honesta dies.

ELEGIA XXII.—*Ad Tullum.*

Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmos aqua,
Dindymus, et sacræ fabricata juvenca Cybebæ,
Raptorisque tulit qua via Ditis equos ?
Si te forte juvant Helles Athamantidos urbes, 5
Nec desiderio, Tulle, movere meo ;
Tu licet adspicias cœlum omne Atlanta gerentem,
Sectaque Persea Phorcidos ora manu,
Geryonæ stabula, et luctantum in pulvere signa
Herculis Antæique, Hesperidumque choros ;
Tuque tuo Colchon propellas remige Phasin, 11
Peliacæque trabis totum iter ipse legas,
Qua rudis Argoa natat inter saxa columba
In faciem proræ pinus adacta novæ ;
Et qua Gygæi visenda est ora Caystri, 15
Et qua septenas temperat unda vias ;
Omnia Romanæ cedent miracula terræ.
Natura hic posuit, quicquid ubique fuit.
Armis apta magis tellus, quam commoda noxæ,
Famam, Roma, tuæ non pudet historiæ : 20
Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus : victrices temperat illa manus.
Hic, Anio Tiburne, fluis, Clitumnus ab Umbro
Tramite, et æternum Marcius humor opus ;
Albanusque lacus socii Nemorensis ab unda, 25
Potaque Pollucis nympha salubris equo.
At non squamoso labuntur ventre cerastæ ;
Itala portentis nec furit unda novis.
Non hic Andromedæ resonant pro matre catenæ ;
Nec tremis Ausonias, Phœbe fugate, dapes ; 30
Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes,
Exitium nato matre movente suo.
Penthea non sævæ venantur in arbore Bacchæ ;
Nec solvit Danaas subdita cerva rates ;
Cornua nec valuit curvare in pellice Juno, 35
Aut faciem turpi dedecorare bove ;
* * * * *
Arboreasque cruces Sinis, et non hospita Graiis
Saxa, et curvatas in sua fata trabes. [sedes :
Hæc tibi, Tulle, parens, hæc est pulcherrima
Hic tibi pro digna gente petendus honos. 40
Hic tibi ad eloquium cives ; hic ampla nepotum
Spes, et venturæ conjugis aptus amor.

ELEGIA XXIII.—*De Tabulis perditis.*

Ergo tam doctæ nobis periere tabellæ,
Scripta quibus pariter tot periere bona !
Has quondam nostris manibus detriverat usus,
Qui non signatas jussit habere fidem.
Illæ jam sine me norant placare puellam, 5
Et quædam sine me verba diserta loqui.
Non illas fixum caras effecerat aurum ;
Vulgari buxo sordida cera fuit.
Qualescunque, mihi semper mansere fideles,
Semper et effectus promeruere bonos. 10
Forsitan hæc illis fuerant mandata tabellis :
Irascor, quoniam es, lente, moratus heri.
An tibi nescio quæ visa est formosior ? an tu
Non bene de nobis crimina ficta jacis ?
Aut dixit : Venies hodie : cessabimus una : 15
Hospitium tota nocte paravit amor.
Et quæcunque volens repetit non stulta puella,
Garrula cum blandis ducitur hora jocis.
Me miserum ! his aliquis rationem scribit avarus,
Et ponit duras inter ephemeridas. 20
Quas siquis mihi rettulerit, donabitur auro.
Quis pro divitiis ligna retenta velit ?
I, puer, et citus hæc aliqua propone columna ;
Et dominum Esquiliis scribe habitare tuum.

ELEGIA XXIV.—*Ad Cynthiam superbientem.*

Falsa est ista tuæ, mulier, fiducia formæ,
Olim oculis nimium facta superba meis.
Noster amor tales tribuit tibi, Cynthia, laudes :
Versibus insignem te, pudet, esse meis.
Mixtam te varia laudavi sæpe figura, 5
Ut, quod non esses, esse putaret amor ;
Et color est toties roseo collatus Eoo,
Cum tibi quæsitus candor in ore foret ;
Quod mihi non patrii poterant avertere amici,
Eluere aut vasto Thessala saga mari. 10
Hæc ego, non ferro, non igne coactus, et ipsa
Naufragus Ægæa vera fatebar aqua.
Correptus sævo Veneris torrebar aëno ;
Vinctus eram versas in mea terga manus.
Ecce coronatæ portum tetigere carinæ ; 15
Trajectæ Syrtes, anchora jacta mihi est.
Nunc demum vasto fessi resipiscimus æstu,
Vulneraque ad sanum nunc coiere mea.
Mens bona, siqua dea es, tua me in sacraria condo.
Exciderint surdo tot mea vota Jovi. 20

ELEGIA XXV.—*Ad Cynthiam.*

Risus eram positis inter convivia mensis,
Et de me poterat quilibet esse loquax.
Quinque tibi potui servire fideliter annos :
Ungue meam morso sæpe querere fidem.
Nil moveor lacrymis ; ista sum captus ab arte. 5
Semper ab insidiis, Cynthia, fiere soles.

Flebo ego discedens; sed fletum injuria vincit:
Tu bene conveniens non sinis ire jugum.
Limina jam nostris valeant lacrymantia verbis,
Nec tamen irata janua fracta manu. 10
At te celatis ætas gravis urgeat annis,
Et veniat formæ ruga sinistra tuæ.
Vellere tum cupies albos a stirpe capillos,
Ah speculo rugas increpitante tibi;
Exclusa inque vicem fastus patiere superbos; 15
Et, quæ fecisti, facta quereris anus.
Has tibi fatales cecinit mea pagina diras.
Eventum formæ disce timere tuæ.

LIBER QUARTUS.

ELEGIA I.—*De Urbe Roma.*

Hoc, quodcunque vides, hostes, qua maxima Roma est,
Ante Phrygem Ænean collis et herba fuit.
Atque ubi navali stant sacra Palatia Phœbo,
Evandri profugæ concubuere boves.
Fictilibus crevere deis hæc aurea templa, 5
Nec fuit opprobrio facta sine arte casa;
Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat,
Et Tiberis nostris advena bubus erat.
Qua gradibus domus ista Remi se sustulit olim,
Unus erat fratrum maxima regna focus. 10
Curia, prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit, rustica corda, patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites.
Centum illi in prato sæpe senatus erant.
Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro; 15
Pulpita sollennes non oluere crocos.
Nulli cura fuit externos quærere divos,
Cum tremeret patrio pendula turba sacro.
Annuaque accenso celebrare Palilia fœno,
Qualia nunc curvo lustra novantur equo. 20
Vesta coronatis pauper gaudebat asellis:
Ducebant macræ vilia sacra boves.
Parva saginati lustrabant compita porci;
Pastor et ad calamos exta litabat ovis.
Verbera pellitus setosa movebat arator; 25
Unde licens Fabius sacra Lupercus habet.
Nec rudis infestis miles radiabat in armis;
Miscebant usta prœlia nuda sude:
Prima galeritus posuit prætoria Lucmo; 29
Magnaque pars Tatio rerum erat inter oves.
Hinc Tities Ramnesque viri, Luceresque coloni:
Quatuor hinc albos Romulus egit equos.
Quippe suburbanæ parva minus urbe Bovillæ;
Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabî;
Et stetit Alba potens, albæ suis omine nata, 35
Hac, ubi Fidenas longe erat ire, via.
Nil patrium, nisi nomen, habet Romanus alumnus;
Sanguinis altricem nunc pudet esse lupam.
Huc melius profugos misisti, Troja, Penates.
Heu! quali vecta est Dardana puppis ave! 40
Jam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam
Læserat abiegni venter apertus equi;
Cum pater in nati trepidus cervice pependit,
Et verita est humeros urere flamma pios.
Tunc animi venere Decî, Brutique secures; 45
Vexit et ipsa sui Cæsaris arma Venus.
Arma resurgentis portans victricia Trojæ,
Felix terra tuos cepit, Iule, deos:
Si modo Avernalis tremulæ cortina Sibyllæ
Dixit Aventino rura pianda Remo; 50
Aut si Pergameæ sero rata carmina vatis
Longævum ad Priami vera fuere caput:
Vertite equum, Danai: male vincitis. Ilia tellus
Vivet; et huic cineri Jupiter arma dabit.
Optima nutricum nostris lupa Martia rebus, 55
Qualia creverunt mœnia lacte tuo!
Mœnia namque pio conor disponere versu.
Hei mihi, quod nostro parvus in ore sonus!
Sed tamen exiguo quodcunque in pectore rivi
Fluxerit, hoc patriæ serviat omne meæ. 60
Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
Mî folia ex hedera porrige, Bacche, tua;
Ut nostris tumefacta superbiat Umbria libris,
Umbria Romani patria Callimachi.
Scandentes si quis cernet de vallibus arces, 65
Ingenio muros æstimet ille meo.
Roma, fave; tibi surgit opus: date candida, cives,
Omina; et inceptis dextera cantet avis. [rum:
Sacra diesque canam, et cognomina prisca loco-
Has meus ad metas sudet oportet equus. 70
Dicam, Troja cades, et Troia Roma resurges;
Et maris et terræ longa pericla canam.—
"Quo ruis imprudens vaga dicere fata, Properti?
Non sunt, ah! dextra condita fila colu.
Aversis Charisin cantas: aversus Apollo 75
Poscitur invita verba pigenda lyra.
Certa feram certis auctoribus; aut ego vates
Nescius ærata signa movere pila.
Me creat Archytæ soboles Babylonius Horos,
Horos, et a proavo ducta Conone domus. 80
Dî mihi sunt testes, non degenerasse propinquis,
Inque meis libris nil prius esse fide.
Nunc pretium fecere deos, et fallitur auro
Jupiter; obliquæ signa iterata rotæ;
Felicesque Jovis stellas, Martisque rapacis, 85
Et grave Saturni sidus in omne caput;
Quid moveant Pisces, animosaque signa Leonis,
Lætus et Hesperia quid Capricornus aqua.
Dixi ego, cum geminos produceret Arria natos,
(Illa dabat natis arma vetante deo) 90
Non posse ad patrios sua pila referre Penates.
Nempe meam firmant nunc duo busta fidem.
Quippe Lupercus eques, dum saucia protegit ora,
Heu! sibi prolapso non bene cavit equo:
Gallus at in castris, dum credita signa tuetur, 95
Concidit ante aquilæ rostra cruenta suæ.
Fatales pueri, duo funera matris avaræ!
Vera, sed invito, contigit ista fides.
Idem ego, cum Cinaræ traheret Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera lenta moram, 100
Junoni votum facito impetrabile, dixi.
Illa parit: libris est data palma meis.
Hoc neque arenosum Libyci Jovis explicat antrum,
Aut sibi commissos fibra locuta deos,
Aut siquis motas cornicis senserit alas, 105
Umbra neque hæc magicis mortua prodit aquis:
Adspicienda via est cœli, versusque per astra
Trames, et ab zonis quinque petenda fides.
Exemplum grave erit Calchas: namque Aulide solvit
Ille bene hærentes ad pia saxa rates. 110

Idem Agamemnoniæ ferrum cervice puellæ
Tinxit, et Atrides vela cruenta dedit.
Nec rediere tamen Danai. Tu diruta fletum
Supprime, et Euboicos respice, Troja, sinus.
Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes;
Et natat exuviis Græcia pressa tuis. 116
Victor Oïlide, raptam nunc dilige vatem,
Quam vetat avelli veste Minerva sua.
Hactenus historiæ: nunc ad tua devehor astra:
Incipe tu lacrymis æquus adesse tuis. 120
Umbria te notis antiqua penatibus edit.
Mentior? an patriæ tangitur ora tuæ?
Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
Et lacus æstivis intepet Umber aquis;
Scandentisque arcis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo. 126
Ossaque legisti, non illa ætate legenda,
Patris; et in tenues cogeris ipse lares.
Nam tua cum multi versarent rura juvenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes. 130
Mox, ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
Matris et ante deos libera sumta toga;
Tum tibi pauca suo de culmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.
At tu finge elegos, fallax opus: hæc tua castra:
Scribat ut exemplo cætera turba tuo. 136
Militiam Veneris blandis patiere sub armis,
Et Veneris pueris utilis hostis eris.
Nam tibi, victrici quascunque labore parasti,
Eludet palmas una puella tuas. 140
Et bene cum fixum mento decusseris uncum,
Nil erit hoc; rostro te premet ansa suo.
Illius arbitrio noctem lucemque videbis:
Gutta quoque ex oculis non nisi jussa cadet.
Nec mille excubiæ, nec te signata juvabunt 145
Limina: persuasæ fallere rima sat est.
Nunc tua vel mediis puppis luctetur in undis,
Vel licet armatis hostis inermis eas,
Vel tremefacta cavo tellus diducat hiatu:
Octipedis Cancri terga sinistra cave." 150

ELEGIA II.—*Vertumnus.*

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna dei.
Tuscus ego, et Tuscis orior: nec pœnitet inter
Prœlia Volsinios deseruisse focos.
Hæc me turba juvat; nec templo lætor eburno:
Romanum satis est posse videre forum. 6
Hac quondam Tiberinus iter faciebat, et aiunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne deus. 10
Seu quia vertentis fructum præcepimus anni,
Vertumni rursus creditur esse sacrum.
Prima mihi variat liventibus uva racemis,
Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hic dulces cerasos, hic auctumnalia pruna 15
Cernis, et æstivo mora rubere die.
Insitor hic solvit pomosa vota corona,
Cum pirus invito stipite mala tulit.
Mendax fama, noces: alius mihi nominis index:
De se narranti tu modo crede deo. 20
Opportuna mea est cunctis natura figuris.
In quamcunque voles verte, decorus ero.
Indue me Cois; fiam non dura puella:
Meque virum sumta quis neget esse toga?
Da falcem, et torto frontem mihi comprime fœno; 25
Jurabis nostra gramina secta manu.
Arma tuli quondam, et (memini) laudabar in illis:
Corbis et imposito pondere messor eram.
Sobrius ad lites; at cum est imposta corona,
Clamabis capiti vina subisse meo. 30
Cinge caput mitra, speciem furabor Iacchi:
Furabor Phœbi, si modo plectra dabis.
Cassibus impositis venor; sed arundine sumta
Faunus plumoso sum deus aucupio.
Est etiam aurigæ species Vertumnus, et ejus 35
Trajicit alterno qui leve pondus equo.
Suppetat; hoc pisces calamo prædabor; et ibo
Mundus demissis institor in tunicis.
Pastor me ad baculum possum curvare, vel idem
Sirpiculis medio pulvere ferre rosam. 40
Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima cura est,
Hortorum in manibus dona probata meis?
Cæruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre,
Me notat, et junco brassica vincta levi.
Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter 45
Impositus fronti langueat ante meæ.
At mihi, quod formas unus vertebar in omnes,
Nomen ab eventu patria lingua dedit.
Et tu, Roma, meis tribuisti præmia Tuscis,
Unde hodie vicus nomina Tuscus habet; 50
Tempore quo sociis venit Lucumonius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tatî.
Vidi ego labentes acies, et tela caduca,
Atque hostes turpi terga dedisse fugæ.
Sed facias, divûm sator, ut Romana per ævum
Transeat ante meos turba togata pedes. 56
Sex superant versus: te, qui ad vadimonia curris,
Non moror: hæc spatiis ultima meta meis.
Stipes acernus eram, properanti falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in urbe deus. 60
At tibi, Mamuri, formæ cælator aënæ,
Tellus artifices ne terat Osca manus,
Qui me tam dociles potuisti fundere in usus.
Unum opus est; operi non datur unus honos.

ELEGIA III.—*Epistola Arethusæ ad Lycotam.*

Hæc Arethusa suo mittit mandata Lycotæ,
Cum toties absis, si potes esse meus.
Siqua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
Hæc erit e lacrymis facta litura meis.
Aut siqua incerto fallet te littera tractu, 5
Signa meæ dextræ jam morientis erunt.
Te modo viderunt iteratos Bactra per ortus,
Te modo munito Sericus hostis equo;
Hibernique Getæ, pictoque Britannia curru,
Ustus et Eoo decolor Indus equo. 10
Hæcne marita fides? hæ pactæ sunt mihi noctes,
Cum rudis urgenti brachia victa dedi?
Quæ mihi deductæ fax omen prætulit, illa
Traxit ab everso lumina nigra rogo;
Et Stygio sum sparsa lacu; nec recta capillis 15
Vitta data est: nupsi non comitante deo.
Omnibus, heu! portis pendent mea noxia vota:
Texitur hæc castris quarta lacerna tuis.
Occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum,
Et struxit querulas rauca per ossa tubas; 20
Dignior obliquo, funem qui torqueat, Ocno,
Æternusque tuam pascat, aselle, famem.
Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
Num gravis imbelles atterit hasta manus?
Hæc noceant potius, quam dentibus ulla puella
Det mihi plorandas per tua colla notas. 26
Diceris et macie vultum tenuasse: sed opto
E desiderio sit color ille meo.

At, mihi cum noctes induxit Vesper amaras,
Siqua relicta jacent, osculor arma tua. 30
Tum queror, in toto non sidere pallia lecto,
Lucis et auctores non dare carmen aves.
Noctibus hibernis castrensia pensa laboro,
Et Tyria in radios vellera lecta suos.
Et disco, qua parte fluat vincendus Araxes, 35
Quot sine aqua Parthus millia currat eques.
Cogor et e tabula pictos ediscere mundos,
Qualis et hæc docti sit positura dei;
Quæ tellus sit lenta gelu, quæ putris ab æstu;
Ventus in Italiam qui bene vela ferat. 40
Assidet una soror; curis et pallida nutrix
Dejerat hiberni temporis esse moras.
Felix Hippolyte nuda tulit arma papilla,
Et texit galea barbara molle caput.
Romanis utinam patuissent castra puellis; 45
Essem militiæ sarcina fida tuæ;
Nec me tardarent Scythiæ juga, cum pater altas
Africus in glaciem frigore nectit aquas.
Omnis amor magnus; deserta in conjuge major.
Hanc Venus, ut vivat, ventilat ipsa facem. 50
Nam mihi quo, Pœnis si purpura fulgeat ostris,
Crystallusque meas ornet aquosa manus?
Limina surda tacent: lanis assueta colendis
Vix aperit clausos una puella lares.
Glaucidos et catulæ vox est mihi grata querentis:
Illa tui partem vindicat una tori. 56
Flore sacella tego, verbenis compita velo,
Et crepat ad veteres herba Sabina focos.
Sive in finitimo gemuit stans noctua tigno,
Seu voluit tangi parca lucerna mero; 60
Illa dies hornis cædem denuntiat agnis,
Succinctique calent ad nova sacra popæ.
Ne, precor, adscensis tanti sit gloria Bactris,
Raptave odorato carbasa lina duci,
Plumbea cum tortæ sparguntur pondera fundæ,
Subdolus et versis increpat arcus equis. 66
Sed (tua sic, domitis Parthæ telluris alumnis,
Pura triumphantes hasta sequatur equos)
Incorrupta mei conserva fœdera lecti.
Hac ego te sola lege redisse velim. 70
Armaque cum tulero portæ votiva Capenæ,
Subscribam: Salvo grata puella viro.

ELEGIA IV.—*Fabula Tarpeiæ.*

Tarpeium nemus, et Tarpeiæ turpe sepulcrum
Fabor, et antiqui limina capta Jovis.
Lucus erat felix hederoso consitus antro,
Multaque nativis obstrepit arbor aquis;
Silvani ramosa domus, quo dulcis ab æstu 5
Fistula poturas ire jubebat oves.
Hunc Tatius fontem vallo præcingit acerno,
Fidaque suggesta castra coronat humo.
Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
Cum quateret lento murmure saxa Jovis? 10
Atque, ubi nunc terris dicuntur jura subactis,
Stabant Romano pila Sabina foro.
Murus erant montes: ubi nunc est curia septa,
Bellicus ex illo fonte bibebat equus.
Hinc Tarpeia deæ fontem libavit: at illi 15
Urgebat medium fictilis urna caput.
Et satis una malæ potuit mors esse puellæ,
Quæ voluit flammas fallere, Vesta, tuas?
Vidit arenosis Tatium proludere campis,
Pictaque per flavas arma levare jubas. 20
Obstupuit regis facie et regalibus armis;
Interque oblitas excidit urna manus.
Sæpe illa immeritæ causata est omina Lunæ,
Et sibi tingendas finxit in amne comas.
Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis, 25
Romula ne faciem læderet hasta Tatî.
Dumque subit primo Capitolia nubila fumo,
Rettulit hirsutis brachia secta rubis;
Et sua Tarpeia residens ita flevit ab arce
Vulnera, vicino non patienda Jovi: 30
Ignes castrorum, et Tatiæ prætoria turmæ,
Et formosa oculis arma Sabina meis,
O utinam ad vestros sedeam captiva Penates,
Dum captiva mei conspicer ora Tatî!
Romani montes, et montibus addita Roma, 35
Et valeat probro Vesta pudenda meo.
Ille equus, ille meos in castra reponet amores,
Cui Tatius dextras collocat ipse jubas.
Quid mirum in patrios Scyllam sævisse capillos,
Candidaque in sævos inguina versa canes? 40
Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,
Cum patuit lecto stamine torta via? [ellis,
Quantum ego sum Ausoniis crimen factura pu-
Improba virgineo lecta ministra foco!
Pallados exstinctos siquis mirabitur ignes, 45
Ignoscat: lacrymis spargitur ara meis.
Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur urbe:
Tu cave spinosi rorida terga jugi.
Lubrica tota via est, et perfida: quippe tacentes
Fallaci celat limite semper aquas. 50
O utinam magicæ nossem cantamina Musæ!
Hæc quoque formoso lingua tulisset opem.
Te toga picta decet; non quem, sine matris honore,
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.
Sic hospes, pariamne tua regina sub aula, 55
Dos tibi non humilis prodita Roma venit.
Sin minus; at, raptæ ne sint impune Sabinæ,
Me rape, et alterna lege repende vices.
Commissas acies ego possum solvere: nuptæ,
Vos medium palla fœdus inite mea. 60
Adde, Hymenæe, modos: tubicen, fera murmura conde.
Cedite, vestra meus molliat arma torus.
Et jam quarta canit venturam buccina lucem,
Ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt.
Experiar somnum: de te mihi somnia quæram;
Fac venias oculis umbra benigna meis. 66
Dixit, et incerto permisit brachia somno,
Nescia se furiis accubuisse novis.
Nam Vesta, Iliacæ felix tutela favillæ,
Culpam alit, et plures condit in ossa faces. 70
Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta
Strymonis abscisso fertur aperta sinu.
Urbi festus erat; dixere Palilia patres;
Hic primus cœpit mœnibus esse dies:
Annua pastorum convivia, lusus in urbe, 75
Cum pagana madent fercula deliciis,
Cumque super raros fœni flammantis acervos
Trajicit immundos ebria turba pedes.
Romulus excubias decrevit in otia solvi,
Atque intermissa castra silere tuba. 80
Hoc Tarpeia suum tempus rata, convenit hostem:
Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.
Mons erat adscensu dubius, festoque remissus.
Nec mora, vocales occupat ense canes.
Omnia præbebant somni. Sed Jupiter unus 85
Decrevit pœnis invigilare suis. [tem;
Prodiderat portæque fidem, patriamque jacen-
Nubendique petit, quem velit ipse, diem.
At Tatius (neque enim sceleri dedit hostis honorem)
"Nube," ait, "et regni scande cubile mei." 90

Dixit, et ingestis comitum superobruit armis.
Hæc, virgo, officiis dos erat apta tuis.
[A duce Tarpeio mons est cognomen adeptus.
O vigil, injustæ præmia sortis habes.]

Elegia V.—*In Lenam.*

Terra tuum spinis obducat, lena, sepulcrum,
Et tua, quod non vis, sentiat umbra sitim;
Nec sedeant cineri Manes; at Cerberus ultor
Turpia jejuno terreat ossa sono.
Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem,
Concordique toro pessima semper avis. 6
Penelopen quoque, neglecto rumore mariti,
Nubere lascivo cogeret Antinoo.
Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum,
Et volucris nidis esse noverca suis. 10
Quippe et Collinas ad fossam moverit herbas,
Stagnaque currenti diluerentur aqua.
Audax cantatæ leges imponere Lunæ,
Et sua nocturno fallere terga lupo.
Possit ut intentos astu cæcare maritos, 15
Cornicum immeritas eruit ungue genas.
Consuluitque striges nostro de sanguine, et in me
Hippomanes fetæ semina legit equæ.
Exornabat opus verbis, ceu blanda pererret,
Saxosamque terat sedula lympha viam: 20
Si te Eoa, [Doroxanium,] juvat aurea ripa,
Et quæ sub Tyria concha superbit aqua;
Eurypylisque placet Coæ textura Minervæ,
Sectaque ab Attalicis putria signa toris;
Seu quæ palmiferæ mittunt venalia Thebæ, 25
Murrheaque in Parthis pocula cocta focis;
Sperne fidem; provolve deos; mendacia vincant;
Frange et damnosæ jura pudicitiæ.
Et simulare virum pretium facit: utere causis:
Major dilata nocte recurret amor. 30
Si tibi forte comas vexaverit utilis ira,
Postmodo mercata pace premendus erit.
Denique, ubi amplexu Venerem promiseris emto,
Fac simules puros Isidis esse dies.
Ingerat Apriles Iole; prætendat Amycle, 35
Natalem Maiis Idibus esse tuum.
Supplex ille sedet: posita tu scribe cathedra
Quidlibet. Has artes si pavet ille, tenes.
Semper habe morsus circa tua colla recentes,
Litibus alterius quos putet esse datos. 40
Nec te Medeæ delectent probra sequacis:
Nempe tulit fastus ausa rogare prior.
Sed potius mundi Thais pretiosa Menandri,
Cum ferit astutos comica mœcha Getas.
In mores te verte viri: si cantica jactat, 45
I comes, et voces ebria junge tuas.
Janitor ad dantes vigilet: si pulset inanis,
Surdus in obductam somniet usque seram.
Nec tibi displiceat miles non factus amori,
Nauta nec, attrita si ferat æra manu; 50
Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
Cretati medio cum saluere foro.
Aurum spectato, non quæ manus afferat aurum.
Versibus auditis quid, nisi verba, feres?
Qui versus, Coæ dederit nec munera vesti, 55
Istius tibi sit surda sine arte lyra.
Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus,
Utere, ne quid cras libet ab ore dies.
Vidi ego odorati victura rosaria Pæsti
Sub matutino cocta jacere Noto." 60
His animum nostræ dum versat Acanthis amicæ,
* * * * *
Sed cape torquatæ, Venus o regina, columbæ,
Ob meritum, ante tuos guttura secta focos.
Vidi ego rugoso tussim concrescere collo,
Sputaque per dentes ire cruenta cavos; 65
Atque animam in tegetes putrem exspirare paternas.
Horruit algenti tegula curta foco.
Exequiæ fuerunt rari furtiva capilli
Vincula, et immundo pallida mitra situ,
Et canis, in nostros nimis experrecta dolores, 70
Cum fallenda meo pollice clathra forent.
Sit tumulus lenæ curto vetus amphora collo:
Urgeat hanc supra vis, caprifice, tua.
Quisquis amas, scabris hoc bustum cædite saxis;
Mixtaque cum saxis addite verba mala. 75

Elegia VI.—*De Pugna Actiaca navali.*

Sacra facit vates; sint ora faventia sacris,
Et cadat ante meos icta juvenca focos.
Serta Philetæis certent Romana corymbis;
Et Cyrenæas urna ministret aquas.
Costum molle date, et blandi mihi thuris honores; 5
Terque focum circa laneus orbis eat.
Spargite me lymphis; carmenque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.
Ite procul, fraudes: alio sint aëre noxæ:
Pura novum vati laurea mollit iter. 10
Musa, Palatini reseramus Apollinis ædem:
Res est, Calliope, digna favore tuo.
Cæsaris in nomen ducuntur carmina: Cæsar
Dum canitur, quæso, Jupiter, ipse vaces.
Est Phœbi fugiens Athamana ad littora portus,
Qua sinus Ioniæ murmura condit aquæ; 16
Actia Iüleæ pelagus monimenta carinæ,
Nautarum votis non operosa via.
Huc mundi coïere manus: stetit æquore moles
Pinea; nec remis æqua favebat avis. 20
Altera classis erat Teucro damnata Quirino,
Pilaque fœminea turpiter acta manu.
Hinc Augusta ratis plenis Jovis omine velis,
Signaque jam patriæ vincere docta suæ.
Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus:
Armorum radiis icta tremebat aqua. 26
Cum Phœbus, linquens stantem se vindice Delon,
(Nam tulit iratos mobilis ante Notos)
Adstitit Augusti puppem super, et nova flamma
Luxit in obliquam ter sinuata facem. 30
Non ille attulerat crines in colla solutos,
Aut testudineæ carmen inerme lyræ;
Sed quali adspexit Pelopeum Agamemnona vultu,
Egessitque avidis Dorica castra rogis;
Aut qualis flexos solvit Pythona per orbes 35
Serpentem, imbelles quem timuere lyræ.
Mox ait: O longa mundi servator ab Alba,
Auguste, Hectoreis cognite major avis;
Vince mari: jam terra tua est: tibi militat arcus,
Et favet ex humeris hoc onus omne meis. 40
Solve metu patriam, quæ nunc, te vindice freta,
Imposuit proræ publica vota tuæ.
Quam nisi defendes, murorum Romulus auctor
Ire Palatinas non bene vidit aves.
En nimium remis audent: pro turpe, Latinos,
Principe te, fluctus regia vela pati! 46
Nec te, quod classis centenis remigat alis,
Terreat: invito labitur illa mari.
Quodque vehunt proræ Centauros saxa minantes,
Tigna cava, et pictos experiere metus. 50
Frangit, et attollit vires in milite causa;
Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.

Tempus adest: committe rates: ego temporis auctor
Ducam laurigera Julia rostra manu.
Dixerat, et pharetræ pondus consumit in arcus:
Proxima post arcus Cæsaris hasta fuit. 56
Vincit Roma fide Phœbi; dat fœmina pœnas;
Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.
At pater Idalio miratus Cæsar ab astro,
Sum deus: en nostri sanguinis ista fides. 60
Prosequitur cantu Triton, omnesque marinæ
Plauserunt circa libera signa deæ.
Illa petit Nilum cymba male nixa fugaci,
Hoc unum, jusso non moritura die.
Dî melius: quantus mulier foret una triumphus,
Ductus erat per quas ante Jugurtha vias! 66
Actius hinc traxit Phœbus monimenta, quod ejus
Una decem vicit missa sagitta rates.
Bella satis cecini: citharam jam poscit Apollo
Victor, et ad placidos exuit arma choros. 70
Candida nunc molli subeant convivia ludo,
[Blanditiæque] fluant per mea colla rosæ;
Vinaque fundantur prelis elisa Falernis;
Terque lavet nostras spica Cilissa comas.
Ingenium potis irritat Musa poetis. 75
Bacche, soles Phœbo fertilis esse tuo.
Ille paludosos memoret servire Sicambros;
Cepheam hic Meroen fuscaque regna canat;
Hic referat sero confectum fœdere Parthum:
Reddat signa Remi; mox dabit ipse sua. 80
Sive aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
Differet in pueros ista tropæa suos. [nas:
Gaude, Crasse, nigras siquid sapis inter are-
Ire per Euphraten ad tua busta licet.
Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec 85
Injiciat radios in mea vina dies.

Elegia VII.—*De Cynthia.*

Sunt aliquid Manes; letum non omnia finit,
Luridaque evictos effugit umbra rogos.
Cynthia namque meo visa est incumbere fulcro,
Marmor ad extremæ nuper humata viæ;
Cum mihi ab exequiis somnus penderet amarus,
Et quererer lecti frigida regna mei. 6
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
Eosdem oculos; lateri vestis adusta fuit;
Et solitam digito beryllon adederat ignis;
Summaque Lethæus tinxerat ora liquor. 10
Spirantisque animos, et vocem misit: at illi
Pollicibus fragiles increpuere manus:
Perfide, nec cuiquam melior sperande puellæ,
In te jam vires somnus habere potest?
Jamne tibi exciderunt vigilantis furta Suburræ,
Et mea nocturnis trita fenestra dolis? 16
Per quam demisso quoties tibi fune pependi,
Alterna veniens in tua colla manu!
Sæpe Venus trivio commissa, et pectore mixto
Fecerunt tepidas pallia nostra vias. 20
Fœderis heu taciti! cujus fallacia verba
Non audituri diripuere Noti.
At mihi non oculos quisquam inclinavit euntes:
Unum impetrassem, te revocante, diem.
Nec crepuit fissa, me propter, arundine custos;
Læsit et objectum tegula curta caput.
Denique, quis nostro curvum te funere vidit?
Atram quis lacrymis incaluisse togam?
Si piguit portas ultra procedere, at illuc
Jussisses lectum lentius ire meum. 30
Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti?
Cur nardo flammæ non oluere meæ?
Hoc etiam grave erat, nulla mercede hyacinthos
Injicere, et fracto busta piare cado?
Lygdamus uratur, candescat lamina vernæ. 35
(Sensi ego, cum insidiis pallida vina bibi.)
Aut Nomas arcanas tollat versuta salivas.
Dicet damnatas ignea testa manus.
Quæ modo per viles inspecta est publica noctes,
Hæc nunc aurata cyclade signat humum: 40
Et graviora rependit iniquis pensa quasillis,
Garrula de facie siqua locuta mea est.
Nostraque quod Petale tulit ad monimenta coronas,
Caudicis immundi vincula sentit anus.
Cæditur et Lalage tortis suspensa capillis, 45
Per nomen quoniam est ausa rogare meum.
Te patiente meæ conflavit imaginis aurum,
Ardenti e nostro dotem habitura rogo.
Non tamen insector, quamvis mereare, Properti:
Longa mea in libris regna fuere tuis. 50
Juro ego fatorum nulli revocabile carmen,
Tergeminumque canem (sic mihi molle sonet)
Me servasse fidem: si fallo, vipera nostris
Sibilet in tumulis, et super ossa cubet.
Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem,
Turbaque diversa remigat omnis aqua. 56
Una Clytæmnestræ stuprum vehit, ac rate Cressæ
Portat mentitæ lignea monstra bovis.
Ecce coronato pars altera vecta phaselo,
Mulcet ubi Elysias aura beata rosas; 60
Qua numerosa fides, quaque æra rotunda Cybebes,
Mitratisque sonant Lydia plectra choris.
Andromedeque et Hypermnestre, sine fraude maritæ
Narrant historias, pectora nota, suas.
Hæc sua maternis queritur livere catenis 65
Brachia, nec meritas frigida saxa manus:
Narrat Hypermnestre magnum ausas esse sorores,
In scelus hoc animum non valuisse suum.
Sic ortis lacrymis vitæ sanamus amara.
Celo ego perfidiæ crimina multa tuæ. 70
Sed tibi nunc mandata damus, si forte moveris,
Si te non totum Doridos herba tenet:
Nutrix in tremulis ne quid desideret annis
Parthenie: patuit, nec tibi avara fuit.
Deliciæque meæ Latris, (cui nomen ab usu) 75
Ne speculum dominæ porrigat illa novæ.
Et quoscunque meo fecisti nomine versus,
Ure mihi: laudes desine habere meas.
Pelle hederam tumulo, mihi quæ pugnante corymbo 80
Mollia contortis alligat ossa comis.
Pomosis Anio qua spumifer incubat arvis,
Et nunquam Herculeo numine pallet ebur,
Hoc carmen media, dignum me, scribe columna,
Sed breve, quod currens vector ab Urbe legat:
Hic Tiburtina jacet aurea Cynthia terra: 85
Accessit ripæ laus, Aniene, tuæ.
Nec tu sperne piis venientia somnia portis:
Cum pia venerunt somnia, pondus habent.
Nocte vagæ ferimur: nox clausas liberat umbras,
Errat et ab'ecta Cerberus ipse sera. 90
Luce jubent leges Lethæa ad stagna reverti:
Nos vehimur: vectum nauta recenset onus.
Nunc te possideant aliæ: mox sola tenebo.
Mecum eris, et mixtis ossibus ossa teram."
Hæc postquam querula mecum sub lite peregit,
Inter complexus excidit umbra meos. 96

ELEGIA VIII.—*De Cynthia.*

Disce, quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas,
Cum vicina novis turba cucurrit agris.
Lanuvium annosi vetus est tutela draconis,
Hic, ubi tam raræ non perit hora moræ,
Qua sacer abripitur cæco descensus hiatu, 5
Qua penetrat virgo, (tale iter omne cave)
Jejuni serpentis honos, cum pabula poscit
Annua, et ex ima sibila torquet humo.
Talia demissæ pallent ad sacra puellæ,
Cum tenera anguino creditur ore manus. 10
Ille sibi admotas a virgine corripit escas:
Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.
Si fuerint castæ, redeunt in colla parentum;
Clamantque agricolæ, Fertilis annus erit.
Huc mea detonsis advecta est Cynthia mannis:
Causa fuit Juno, sed mage causa Venus.
Appia, dic, quæso, quantum, te teste, triumphum
Egerit, effusis per tua saxa rotis;
Turpis in arcana sonuit cum rixa taberna,
Si sine me, famæ non sine labe meæ. 20
Spectaclum ipsa sedens primo temone pependit,
Ausa per impuros frena movere locos.
Serica nam taceo vulsi carpenta nepotis,
Atque armillatos colla Molossa canes;
Qui dabit immundæ venalia fata saginæ, 25
Vincet ubi erasas barba pudenda genas.
Cum fieret nostro toties injuria lecto,
Mutato volui castra movere toro.
Phyllis Aventinæ quædam est vicina Dianæ,
Sobria grata parum; cum bibit, omne decet.
Altera Tarpeios est inter Teia lucos,
Candida, sed potæ non satis unus erit.
His ego constitui noctem lenire vocatis,
Et Venere ignota furta novare mea.
Unus erat tribus in secreta lectulus umbra. 35
Quæris concubitus? inter utramque fui.
Lygdamus ad cyathos, vitrique æstiva supellex,
Et Methymnæi grata saliva meri.
Nilotes tibicen erat, crotalistria Phyllis,
Et facilis spargi munda sine arte rosa. 40
Nanus et ipse suos breviter curvatus in artus
Jactabat truncas ad cava buxa manus.
Sed neque suppletis constabat flamma lucernis;
Recidit inque suos mensa supina pedes.
Me quoque per talos Venerem quærente secundos 45
Semper damnosi subsiluere canes.
Cantabant surdo; nudabant pectora cæco.
Lanuvii ad portas (hei mihi) solus eram.
Cum subito rauci sonuerunt cardine postes,
Et levia ad primos murmura facta lares. 50
Nec mora, cum totas resupinat Cynthia valvas,
Non operosa comis, sed furibunda, decens.
Pocula mi digitos inter cecidere remissos,
Palluerantque ipso labra soluta mero.
Fulminat illa oculis, et, quantum fœmina, sævit;
Spectaclum capta nec minus urbe fuit. 56
Phyllidos iratos in vultum conjicit ignes:
Territa vicinas Teia clamat aquas.
Lumina sopitos turbant elata Quirites,
Omnis et insana semita voce tonat. 60
Illas direptisque comis tunicisque solutis
Excipit obscuræ prima taberna viæ.
Cynthia in exuviis gaudet, victrixque recurrit,
Et mea perversa sauciat ora manu;
Imponitque notam collo, morsuque cruentat;
Præcipueque oculos, qui meruere, ferit. 66
Atque ubi jam nostris lassavit brachia plagis,
Lygdamus, ad plutei fulcra sinistra latens,
Exuitur, geniumque meum prostratus adorat.
Lygdame, nil potui; tecum ego captus eram.
Supplicibus palmis tum demum ad fœdera veni;
Cum vix tangendos præbuit illa pedes, 72
Atque ait: Admissæ si vis me ignoscere culpæ,
Accipe, quæ nostræ formula legis erit.
Tu neque Pompeia spatiabere cultus in umbra;
Et, cum lascivum sternet arena forum, 76
Colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum,
Aut lectica tuæ sidat aperta moræ.
Lygdamus in primis, omnis mihi causa querelæ,
Veneat, et pedibus vincula bina trahat. 80
Indixit leges: respondi ego, Legibus utar.
Riserat imperio facta superba dato.
Dein, quemcunque locum externæ tetigere pullæ,
Suffiit, et pura limina tergit aqua;
Imperat et totas iterum mutare lacernas; 85
Terque meum tetigit sulphuris igne caput.
Atque ita, mutato per singula pallia lecto,
Et sponda, et toto, movimus arma, toro.

ELEGIA IX.—*De Hercule, et Morte Caci.*

Amphitryoniades qua tempestate juvencos
Egerat a stabulis, ora Erythia, tuis,
Venit ad invictos pecorosa Palatia montes,
Et statuit fessos fessus et ipse boves,
Qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque 5
Nauta per urbanas velificabat aquas.
Sed non infido manserunt hospite Caco
Incolumes: furto polluit ille Jovem.
Accola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
Per tria partitos qui dabat ora focos. 10
Hic, ne certa forent manifestæ signa rapinæ,
Aversos cauda traxit in antra boves;
Nec sine teste deo: furem sonuere juvenci:
Furis at implacidas diruit ira fores.
Mænalio jacuit pulsus tria tempora ramo 15
Cacus; et Alcides, Sic, ait, ite, boves;
Herculis ite boves, nostræ labor ultime clavæ,
Bis mihi quæsitæ, bis mea præda, boves;
Arvaque mugitu sancite boaria longo.
Nobile erunt Romæ pascua vestra forum. 20
Dixerat, et sicco torquet sitis ora palato:
Terraque non ullas fissa ministrat aquas.
Sed procul inclusas audit ridere puellas,
Lucus ubi umbroso fecerat orbe nemus,
Fœmineæ loca clausa deæ, fontesque piandos,
Impune et nullis sacra retecta viris. 26
Devia puniceæ velabant limina vittæ;
Putris odorato luxerat igne casa;
Populus et longis ornabat frondibus ædem,
Multaque cantantes umbra tegebat aves. 30
Huc ruit, in siccam congesto pulvere barbam,
Et jacit ante fores verba minora deo:
Vos precor, o luci sacro quæ luditis antro,
Pandite defessis hospita fana viris.
Fontis egens erro, circaque sonantia lymphis:
Et cava suscepto flumine palma sat est.
Audistisne aliquem, tergo qui sustulit orbem?
Ille ego sum: Alciden terra recepta vocat.
Quis facta Herculeæ non audit fortia clavæ,
Et nunquam ad vastas irrita tela feras; 40
Atque uni Stygias hominum luxisse tenebras?

* * * * *

Quod si Junoni sacrum faceretis amaræ,
Non clausisset aquas ipsa noverca suas.
Sin aliquam vultusque meus, setæque leonis
Terrent, et Libyco sole perusta coma; 45

Idem ego Sidonia feci servilia palla
Officia, et Lyda pensa diurna colu;
Mollis et hirsutum cepit mihi fascia pectus,
Et manibus duris apta quasilla tuli.
Talibus Alcides: at talibus alma sacerdos, 50
Puniceo canas stamine vincta comas:
Parce oculis, hospes, lucoque abscede verendo:
Cede agedum, et tuta limina linque fuga.
Interdicta viris metuenda lege piatur,
Quæ se submota vindicat ara casa. 55
Magno Tiresias adspexit Pallada vates,
Fortia dum posita Gorgone membra lavat.
Di tibi dent alios fontes: hæc lympha puellis
Avia secreti limitis una fluit.
Sic anus. Ille humeris postes concussit opacos;
Nec tulit iratam janua clausa sitim. 61
At postquam exhausto jam flumine vicerat æstum,
Ponit vix siccis tristia jura labris.
Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
Accipit: hæc fesso vix mihi terra patet. 65
Maxima quæ gregibus devota est ara repertis,
Ara per has, inquit, maxima facta manus,
Hæc nullis unquam pateat veneranda puellis;
Herculis eximii ne sit inulta sitis. 69
Sancte pater, salve, cui jam favet aspera Juno:
Sancte, velis libro dexter adesse meo. [bem,
Hunc, quoniam manibus purgatum sanxerat or-
Sic Sanctum Tatiæ composuere Cures.

ELEGIA X.—*Quare Jupiter Feretrius dictus.*

Nunc Jovis incipiam causas aperire Feretrî,
Armaque de ducibus trina recepta tribus.
Magnum iter adscendo; sed dat mihi gloria vires.
Non juvat ex facili lecta corona jugo.
Imbuis exemplum primæ tu, Romule, palmæ 5
Hujus, et exuviis plenus ab hoste redis,
Tempore quo portas Cæninum Acrona petentem
Victor in eversum cuspide fundis equum.
Acron Herculeus, Cænina ductor ab arce,
Roma, tuis quondam finibus horror erat. 10
Hic, spolia ex humeris ausus sperare Quirini,
Ipse dedit, sed non sanguine sicca suo.
Hunc videt ante cavas vibrantem spicula turres
Romulus, et votis occupat ante ratis:
Jupiter! hæc hodie tibi victima corruet Acron.
Voverat; et spolium corruit ille Jovi.
Urbis virtutumque parens sic vincere suevit,
Qui tulit aprico frigida castra lare.
Idem equus et frenis, idem fuit aptus aratris;
Et galea hirsuta compta lupina juba. 20
Picta nec inducto fulgebat parma pyropo:
Præbebant cæsi baltea lenta boves.
Cossus at insequitur Veientis cæde Tolumnî.
Vincere tum Veios posse laboris erat.
Necdum ultra Tiberim belli sonus; ultima præda
Nomentum, et captæ jugera terna Coræ. 26
Et Veii veteres, et vos, tum regna fuistis,
Et vestro posita est aurea sella foro.
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat, et in vestris ossibus arva metunt. 30
Forte super portæ dux Veius adstitit arcem,
Colloquiumque sua fretus ab urbe dedit.
Dumque aries murum cornu pulsabat aëno,
Vineaque inductum longa tegebat opus,
Cossus ait, Forti melius concurrere campo. 35
Nec mora fit; plano sistit uterque gradum.
Dî Latias juvere manus: desecta Tolumnî
Cervix Romanos sanguine lavit equos.
Claudius Eridanum trajectos arcuit hostes,
Belgica cui vasti palma relata ducis, 40
Virdumari: genus hic Rheno jactabat ab ipso,
Nobilis e tectis fundere gæsa rotis.
Illi virgatis jaculantis ab agmine braccis
Torquis ab incisa decidit unca gula.
Nunc spolia in templo tria condita. Causa Feretrî, 45
Omine quod certo dux ferit ense ducem;
Seu quia victa suis humeris huc arma ferebant,
Hinc Feretrî dicta est ara superba Jovis.

ELEGIA XI.—*Defuncta Cornelia Paulum alloquitur.*

Desine, Paule, meum lacrymis urgere sepulcrum:
Panditur ad nullas janua nigra preces.
Cum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viæ.
Te licet orantem fuscæ deus audiat aulæ, 5
Nempe tuas lacrymas littora surda bibent.
Vota movent Superos: ubi portitor æra recepit,
Obserat umbrosos lurida porta rogos.
Sic mæstæ cecinere tubæ, cum subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput. 10
Quid mihi conjugium Pauli, quid currus avorum
Profuit, aut famæ pignora tanta meæ?
Num minus immites habuit Cornelia Parcas?
En sum, quod digitis quinque levatur onus.
Damnatæ [noctes,] et vos, vada lenta, paludes,
Et quæcunque meos implicat unda pedes,
Immatura licet, tamen huc non noxia veni:
Det pater hic umbræ mollia jura meæ.
Aut siquis posita judex sedet Æacus urna,
In mea sortita vindicet ossa pila. 20
Assideat frater juxta, Minoia sella,
Eumenidum intento turba severa foro.
Sisyphe, mole vaces; taceant Ixionis orbes;
Fallax Tantaleo corripere ore liquor.
Cerberus et nullas hodie petat improbus umbras;
Sed jaceat tacita lapsa catena sera. 26
Ipsa loquar pro me: si fallo, pœna sororum
Infelix humeros urgeat urna meos.
Sicui fama fuit per avita tropæa decori,
Afra Numantinos regna loquuntur avos. 30
Altera maternos exæquat turba Libones;
Et domus est titulis utraque fulta suis.
Mox ubi jam facibus cessit prætexta maritis,
Vinxit et adspersas altera vitta comas;
Jungor, Paule, tuo, sic discessura, cubili. 35
In lapide huic uni nupta fuisse legar.
Testor majorum cineres tibi, Roma, verendos,
Sub quorum titulis Africa tonsa jacet;
Qui Persen proavi simulantem pectus Achillis,
Et tumidas proavo fregit Achille domos; 40
Me neque censuræ legem mollisse, nec ulla
Labe mea nostros erubuisse focos.
Non fuit exuviis damnum Cornelia tantis:
Quin et eram magnæ pars imitanda domus.
Nec mea mutata est ætas: sine crimine tota est:
Viximus insignes inter utramque facem. 46
Mî natura dedit leges a sanguine ductas,
Nec possum melior judicis esse metu.
Quamlibet austeras de me ferat urna tabellas,
Turpior assessu non erit ulla meo; 50
Vel tu, quæ tardam movisti fune Cybeben,
Claudia, turritæ cara ministra deæ;

Vel cui, commissos cum Vesta reposceret ignes,
Exhibuit vivos carbasus alba focos.
Nec te, dulce caput, mater Scribonia, læsi. 55
In me mutatum quid, nisi fata, velis?
Maternis laudor lacrymis, urbisque querelis;
Defensa et gemitu Cæsaris ossa mea.
Ille sua nata dignam vixisse sororem
Increpat; et lacrymas vidimus ire deo. 60
Et tamen emerui generosos vestis honores;
Nec mea de sterili facta rapina domo.
Tu, Lepide, et tu, Paule, meum post fata levamen;
Condita sunt vestro lumina nostra sinu.
Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem;
Consule quo fati tempore rapta soror. 66
Filia, tu specimen censuræ nata paternæ,
Fac teneas unum, nos imitata, virum.
Et serie fulcite genus. Mihi cymba volenti
Solvitur, aucturis non mea fata malis. 70
Hæc est fœminei merces extrema triumphi,
Laudat ubi emeritum libera fama rogum.
Nunc tibi commendo communia pignora natos:
Hæc cura et cineri spirat inusta meo:
Fungere maternis vicibus, pater: illa meorum 75
Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula cum dederis tua flentibus, adjice matris.
Tota domus cœpit nunc onus esse tuum.
Et siquid doliturus eras sine testibus illis,
Cum venient, siccis oscula falle genis. 80
Sat tibi sint noctes, quas de me, Paule, fatiges;
Somniaque in faciem credita sæpe meam.
Atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,
Ut responsuræ singula verba jace.
Seu tamen adversum mutarit janua lectum, 85
Sederit et nostro cauta noverca toro;
Conjugium, pueri, laudate et ferte paternum.
Capta dabit vestris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis: collata priori
Vertet in offensas libera verba suas. 90
Seu memor ille mea contentus manserit umbra,
Et tanti cineres duxerit esse meos;
Discite venturam jam nunc lenire senectam;
Cœlibis ad curas nec vacet ulla via.
Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos. 95
Prole mea Paulum sic juvet esse senem.
Et bene habet: nunquam mater lugubria sumsi.
Venit in exequias tota caterva meas.
Causa perorata est: flentes me surgite testes,
Dum pretium vitæ grata rependit humus. 100
Moribus et cœlum patuit: sim digna merendo,
Cujus honoratis ossa vehantur avis.

P. OVIDII NASONIS

HEROIDES.

P. Ovidius Naso Sulmone Pelignorum oppido natus U. C. 711, vetere domo equestri, censu satis liberali. Romæ litteris bonisque artibus optime eruditus, patre hortante foro se dedit; ibique cum haud parum profecisset, et publicis quibusdam muneribus insuper functus esset, mox legum servitutem solito poetis fastidio exosus, mortuo præterea patre, ad poesin se contulit. Et hoc quidem tempore scripsit opera amatoria, Metamorphoseon libros, quos imperfectos reliquit, Medeam tragœdiam deperditam; per quæ maximam apud suos famam adeptus est. Tres duxit uxores; quarum ultimam et ob ingenii dotes cultumque, et ob fidum in adversis animum summa ipse laude dignatus est. Cæterum Augusto suspectus, sive quod filiam ejus Juliam sub ficto Corinnæ nomine amasset, sive quod occulto alicui ipsius principis flagitio casu interfuisset, sive aliam ob causam (de hoc enim nihil compertum) ficto crimine velut corruptor juventutis Tomos, Euxini littoris oppidum, relegatus est. Ibi inter varia belli, barbariæ, immitis cœli mala, Fastos composuit, quorum sex tantum libri ad nos pervenerunt; scripsit item Tristium libros, epistolas de Ponto, aliaque, quæ jam exciderunt. Ibi etiam mortuus est, U. C. 771. Sed de vita Ovidii imprimis consulendus ipse, Trist. Lib. IV. Eleg. 10.

EPISTOLA PRIMA.

PENELOPE ULIXI.

Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulixe.
  Nil mihi rescribas ut tamen: ipse veni.
Troja jacet certe, Danais invisa puellis.
  Vix Priamus tanti, totaque Troja, fuit.
O utinam tunc, cum Lacedæmona classe petebat,
  Obrutus insanis esset adulter aquis! 6
Non ego deserto jacuissem frigida lecto,
  Nec quererer tardos ire relicta dies;
Nec mihi quærenti spatiosam fallere noctem
  Lassaret viduas pendula tela manus. 10
Quando ego non timui graviora pericula veris?
  Res est solliciti plena timoris amor.
In te fingebam violentos Troas ituros:
  Nomine in Hectoreo pallida semper eram.
Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum; 15
  Antilochus nostri causa timoris erat:
Sive Menœtiaden falsis cecidisse sub armis;
  Flebam successu posse carere dolos.
Sanguine Tlepolemus Lyciam tepefecerat hastam;
  Tlepolemi leto cura novata mea est. 20
Denique, quisquis erat castris jugulatus Achivis,
  Frigidius glacie pectus amantis erat.
Sed bene consuluit casto deus æquus amori.
  Versa est in cinerem sospite Troja viro.
Argolici rediere duces: altaria fumant: 25
  Ponitur ad patrios barbara præda deos.
Grata ferunt nymphæ pro salvis dona maritis:
  Illi victa suis Troia fata canunt.
Mirantur justique senes, trepidæque puellæ:
  Narrantis conjux pendet ab ore viri. 30
Atque aliquis posita monstrat fera prœlia mensa,
  Pingit et exiguo Pergama tota mero.
Hac ibat Simois; hæc est Sigeia tellus;
  Hic steterat Priami regia celsa senis;
Illic Æacides, illic tendebat Ulixes; 35
  Hic lacer admissos terruit Hector equos.
Omnia namque tuo senior, te quærere misso,
  Rettulerat nato Nestor: at ille mihi.
Rettulit et ferro Rhesumque Dolonaque cæsos,
  Utque sit hic somno proditus, ille dolo. 40
Ausus es, o nimium nimiumque oblite tuorum,
  Thracia nocturno tangere castra dolo,
Totque simul mactare viros, adjutus ab uno.
  At bene cautus eras, et memor ante mei.
Usque metu micuere sinus, dum victor amicum
  Dictus es Ismariis isse per agmen equis. 46
Sed mihi quid prodest vestris disjecta lacertis
  Ilios? et, murus quod fuit ante, solum?
Si maneo, qualis Troja durante manebam;
  Virque mihi, demto fine carendus, abest? 50
Diruta sunt aliis, uni mihi Pergama restant;
  Incola captivo quæ bove victor arat:
Jam seges est ubi Troja fuit, resecandaque falce
  Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus:
Semisepulta virûm curvis feriuntur aratris 55
  Ossa: ruinosas occulit herba domos.
Victor abes; nec scire mihi, quæ causa morandi,
  Aut in quo lateas ferreus orbe, licet. [pim,
Quisquis ad hæc vertit peregrinam littora pup-
  Ille mihi de te multa rogatus abit. 60
Quamque tibi reddat, si te modo viderit usquam,
  Traditur huic digitis charta notata meis.
Nos Pylon, antiqui Neleia Nestoris arva,
  Misimus: incerta est fama remissa Pylo.
Misimus et Sparten: Sparte quoque nescia veri.
  Quas habitas terras, aut ubi lentus abes? 66
Utilius starent etiam nunc mœnia Phœbi.
  (Irascor votis heu levis ipsa meis!)
Scirem ubi pugnares; et tantum bella timerem;
  Et mea cum multis juncta querela foret. 70
Quid timeam ignoro: timeo tamen omnia demens;
  Et patet in curas area lata meas. [tellus,
Quæcunque æquor habet, quæcunque pericula
  Tam longæ causas suspicor esse moræ. 74
Hæc ego dum stulte meditor (quæ vestra libido est)
  Esse peregrino captus amore potes.
Forsitan et narres, quam sit tibi rustica conjux;
  Quæ tantum lanas non sinat esse rudes.

Fallar, et hoc crimen tenues vanescat in auras :
Neve, revertendi liber, abesse velis. 80
Me pater Icarius viduo discedere lecto
Cogit, et immensas increpat usque moras.
Increpet usque licet : tua sum, tua dicar oportet
Penelope : conjux semper Ulixis ero.
Ille tamen pietate mea precibusque pudicis 85
Frangitur, et vires temperat ipse suas.
Dulichii, Samiique, et quos tulit alta Zacynthos,
Turba ruunt in me luxuriosa, proci :
Inque tua regnant, nullis prohibentibus, aula.
Viscera nostra, tuæ dilaniantur opes. 90
Quid tibi Pisandrum, Polybumque, Medontaque dirum,
Eurymachique avidas, Antinoique manus,
Atque alios referam, quos omnes turpiter absens
Ipse tuo partis sanguine rebus alis ?
Irus egens, pecorisque Melanthius actor edendi,
Ultimus accedunt in tua damna pudor. 96
Tres sumus imbelles numero ; sine viribus uxor,
Laertesque senex, Telemachusque puer.
Ille per insidias pæne est mihi nuper ademtus,
Dum parat, invitis omnibus, ire Pylon. 100
Di precor hoc jubeant, ut, euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.
Hoc faciunt custosque boum, longævaque nutrix,
Tertius immundæ cura fidelis haræ.
Sed neque Laertes, ut qui sit inutilis armis, 105
Hostibus in mediis regna tenere valet.
Telemacho veniet (vivat modo) fortior ætas :
Nunc erat auxiliis illa tuenda patris.
Nec mihi sunt vires inimicos pellere tectis.
Tu citius venias, portus et ara tuis. 110
Est tibi, sitque precor, natus, qui mollibus annis
In patrias artes erudiendus erat.
Respice Laerten : ut jam sua lumina condas,
Extremum fati sustinet ille diem.
Certe ego, quæ fueram, te discedente, puella, 115
Protinus ut redeas, facta videbor anus.

EPISTOLA II.

PHYLLIS DEMOPHOONTI.

Hospita, Demophoon, tua te, Rhodopeia Phyllis,
Ultra promissum tempus abesse queror.
Cornua cum Lunæ pleno quater orbe coissent,
Littoribus nostris anchora pacta tua est.
Luna quater latuit ; pleno quater orbe recrevit ; 5
Nec vehit Actæas Sithonis unda rates,
Tempora si numeres, bene quæ numeramus amantes,
Non venit ante suum nostra querela diem.
Spes quoque lenta fuit. Tarde, quæ credita lædunt,
Credimus : invita nunc et amante nocent. 10
Sæpe fui mendax pro te mihi ; sæpe putavi
Alba procellosos vela referre Notos.
Thesea devovi, quia te dimittere nollet ;
Nec tenuit cursus forsitan ille tuos.
Interdum timui, ne, dum vada tendis ad Hebri,
Mersa foret cana naufraga puppis aqua. 16
Sæpe deos supplex pro te, scelerate, rogavi,
Cum prece thuricremis devenerata focis.
Sæpe videns ventos cœlo pelagoque faventes,
Ipsa mihi dixi : Si valet ille, venit. 20
Denique fidus amor, quicquid properantibus obstat,
Finxit, et ad causas ingeniosa fui.
At tu lentus abes, nec te jurata reducunt
Numina, nec nostro motus amore redis.
Demophoon, ventis et verba et vela dedisti : 25
Vela queror reditu, verba carere fide.
Dic mihi, quid feci ; nisi non sapienter amavi ?
Crimine te potui demeruisse meo.
Unum, in me scelus est, quod te, scelerate, recepi.
Sed scelus hoc meriti pondus et instar habet. 30
Jura, fides, ubi nunc, commissaque dextera dextræ ?
Quique erat in falso plurimus ore deus ?
Promissus socios ubi nunc Hymenæus in annos,
Qui mihi conjugii sponsor et obses erat ? 34
Per mare, quod totum ventis agitatur et undis ;
Per quod sæpe ieras, per quod iturus eras ;
Perque tuum mihi jurasti, (nisi fictus et ille est)
Concita qui ventis æquora mulcet, avum ;
Per Venerem, nimiumque mihi facientia tela,
Altera tela arcus, altera tela faces ; 40
Junonemque, toris quæ præsidet alma maritis,
Et per tædiferæ mystica sacra deæ.
Si de tot læsis sua numina quisque deorum
Vindicet ; in pœnas non satis unus eris.
At laceras etiam puppes furiosa refeci : 45
Ut, qua desererer, firma carina foret.
Remigiumque dedi, quo me fugiturus abires.
Heu patior telis vulnera facta meis !
Credidimus blandis, quorum tibi copia, verbis ;
Credidimus generi, nominibusque tuis ; 50
Credidimus lacrymis : an et hæ simulare docentur ? [eunt ?
Hæ quoque habent artes, quaque jubentur,
Dis quoque credidimus. Quo jam tot pignora nobis ?
Parta satis potui qualibet inde capi.
Nec moveor, quod te juvi portuque locoque. 55
Debuit hoc meriti summa fuisse mei.
Turpiter hospitium lecto cumulasse jugali
Pœnitet, et lateri conseruisse latus.
Quæ fuit ante illam, mallem suprema fuisset
Nox mihi ; dum potui Phyllis honesta mori. 60
Speravi melius, quia me meruisse putavi.
Quæcunque ex merito spes venit, æqua venit.
Fallere credentem non est operosa puellam
Gloria. Simplicitas digna favore fuit.
Sum decepta tuis, et amans et fœmina, verbis.
Di faciant, laudis summa sit ista tuæ : 66
Inter et Ægidas media statuaris in urbe :
Magnificus titulis stet pater ante suis.
Cum fuerit Scyron lectus, torvusque Procrustes,
Et Sinis, et tauri mixtaque forma viri ; 70
Et domitæ bello Thebæ, fusique bimembres,
Et pulsata nigri regia cæca dei :
Hoc tua post illum titulo signetur imago :
Hic est, cujus amans hospita capta dolo est.
De tanta rerum turba, factisque parentis, 75
Sedit in ingenio Cressa relicta tuo.
Quod solum excusat, solum miraris in illo.
Hæredem patriæ, perfide, fraudis agis.
Illa (nec invideo) fruitur meliore marito,
Inque capistratis tigribus alta sedet. 80
At mea despecti fugiunt connubia Thraces,
Quod ferar externum præposuisse meis.
Atque aliquis, Doctas jam nunc eat, inquit, Athenas :
Armiferam Thracen qui regat, alter erit.
Exitus acta probat. Careat successibus opto, 85
Quisquis ab eventu facta notanda putat.
At si nostra tuo spumescant æquore remo,
Jam mihi, jam dicar consuluisse meis.
Sed neque consului ; nec te mea regia tanget,
Fessave Bistonia membra lavabis aqua. 90

Illa meis oculis species abeuntis inhæret,
Cum premeret portus classis itura meos.
Ausus es amplecti, colloque infusus amantis
Oscula per longas jungere pressa moras;
Cumque tuis lacrymis lacrymas confundere nostras; 95
Quodque foret velis aura secunda, queri;
Et mihi discedens suprema dicere voce,
Phylli, face exspectes Demophoonta tuum.
Exspectem, qui me nunquam visurus abisti?
Exspectem pelago vela negata meo? 100
Et tamen exspecto; redeas modo serus amanti:
Ut tua sit solo tempore lapsa fides.
Quid precor infelix? jam te tenet altera conjux
Forsitan, et, nobis qui male favit, amor. 104
Utque tibi excidimus, nullam, puto, Phyllida nosti.
Hei mihi! si, quæ sim Phyllis, et unde, rogas:
Quæ tibi, Demophoon, longis erroribus acto
Threicios portus hospitiumque dedi;
Cujus opes auxere meæ; cui dives egenti
Munera multa dedi, multa datura fui; 110
Quæ tibi subjeci latissima regna Lycurgi,
Nomine fœmineo vix satis apta regi; [mum,
Qua patet umbrosum Rhodope glacialis ad Hæ-
Et sacer admissas exigit Hebrus aquas.
Cui mea virginitas avibus libata sinistris, 115
Castaque fallaci zona recincta manu.
Pronuba Tisiphone thalamis ululavit in illis,
Et cecinit mæstum devia carmen avis.
Adfuit Alecto, brevibus torquata colubris;
Suntque sepulcrali lumina mota face. 120
Mæsta tamen scopulos fruticosaque littora calco,
Quaque patent oculis æquora lata meis.
Sive die laxatur humus, seu frigida lucent
Sidera, prospicio, quis freta ventus agat.
Et quæcunque procul venientia lintea vidi, 125
Protinus illa meos auguror esse deos.
In freta procurro, vix me retinentibus undis,
Mobile qua primas porrigit æquor aquas.
Quo magis accedunt, minus et minus utilis adsto:
Linquor, et ancillis excipienda cado. 130
Est sinus, adductos modice falcatus in arcus;
Ultima prærupta cornua mole rigent.
Hinc mihi suppositas immittere corpus in undas
Mens fuit; et, quoniam fallere pergis, erit.
Ad tua me fluctus projectam littora portent, 135
Occurramque oculis intumulata tuis.
Duritie ferrum ut superes, adamantaque, teque;
Non tibi sic, dices, Phylli, sequendus eram.
Sæpe venenorum sitis est mihi: sæpe cruenta
Trajectam gladio morte perire juvat. 140
Colla quoque, infidis quia se nectenda lacertis
Præbuerunt, laqueis implicuisse libet.
Stat nece matura tenerum pensare pudorem:
In necis electum parva futura mora est.
Inscribere meo causa invidiosa sepulcro: 145
Aut hoc, aut simili carmine notus eris:
Phyllida Demophoon leto dedit, hospes amantem:
Ille neci causam præbuit, illa manum.

EPISTOLA III.

BRISEIS ACHILLI.

Quam legis, a rapta Briseide littera venit,
Vix bene barbarica Græca notata manu.
Quascunque adspicies, lacrymæ fecere lituras;
Sed tamen et lacrymæ pondera vocis habent.
Si mihi pauca queri de te, dominoque viroque, 5
Fas est; de domino pauca viroque querar.
Non, ego poscenti quod sum cito tradita regi,
Culpa tua est: quamvis hæc quoque culpa tua est.
Nam simul Eurybates me Talthybiusque vocarunt,
Eurybati data sum Talthybioque comes. 10
Alter in alterius jactantes lumina vultum,
Quærebant taciti, noster ubi esset amor.
Differri potui: pœnæ mora grata fuisset.
Hei mihi! discedens oscula nulla dedi.
At lacrymas sine fine dedi, rupique capillos. 15
Infelix iterum sum mihi visa capi.
Sæpe ego decepto volui custode reverti;
Sed, me qui timidam prenderet, hostis erat.
Si progressa forem, caperer ne forte timebam,
Quamlibet ad Priami munus itura nurum. 20
Sed data sim, quia danda fui: tot noctibus absum,
Nec repetor. Cessas, iraque lenta tua est.
Ipse Menœtiades, tunc cum tradebar, in aurem,
Quid fles? hic parvo tempore, dixit, eris.
Non repetisse parum est: pugnas, ne reddar, Achille. 25
I nunc, et cupidi nomen amantis habe.
Venerunt ad te Telamone et Amyntori nati;
Ille gradu propior sanguinis, ille comes;
Laertaque satus: per quos comitata redirem.
Auxerunt blandæ grandia dona preces: 30
Viginti fulvos operoso ex ære lebetas,
Et tripodas septem, pondere et arte pares;
Addita sunt illis auri bis quinque talenta;
Bis sex assueti vincere semper equi;
Quodque supervacuum, forma præstante puellæ
Lesbides, eversa corpora capta domo. 36
Cumque tot his, (sed non opus est tibi conjuge) conjux
Ex Agamemnoniis una puella tribus.
Si tibi ab Atrida pretio redimenda fuissem,
Quæ dare debueras, accipere illa neges? 40
Qua merui culpa fieri tibi vilis, Achille?
Quo levis a nobis tam cito fugit amor?
An miseros tristis fortuna tenaciter urget,
Nec venit inceptis mollior aura meis?
Diruta Marte tuo Lyrnessia mœnia vidi: 45
Et fueram patriæ pars ego magna meæ.
Vidi ego consortes pariter generisque necisque
Tres cecidisse: tribus, quæ mihi, mater erat.
Vidi ego, quantus erat, fusum tellure cruenta,
Pectora jactantem sanguinolenta, virum. 50
Tot tamen amissis te compensavimus unum.
Tu dominus, tu vir, tu mihi frater eras.
Tu mihi, juratus per numina matris aquosæ,
Utile dicebas ipse fuisse capi.
Scilicet ut, quamvis veniam dotata, repellas, 55
Et mecum, fugias, quæ tibi dentur, opes.
Quin etiam fama est, cum crastina fulserit Eos,
Te dare nubiferis linea vela Notis.
Quod scelus ut pavidas miseræ mihi contigit aures,
Sanguinis atque animi pectus inane fuit. 60
Ibis: et (o miseram) cui me, violente, relinques?
Quis mihi desertæ mite levamen erit?
Devorer ante, precor, subito telluris hiatu,
Aut rutilo missi fulminis igne cremer;
Quam sine me Phthiis canescant æquora remis,
Et videam puppes ire relicta tuas. 66
Si tibi jam reditusque placent, patriique penates;
Non ego sum classi sarcina magna tuæ.
Victorem captiva sequar, non nupta maritum:
Est mihi, quæ lanas molliat, apta manus. 70

Inter Achaïadas longe pulcherrima matres
In thalamos conjux ibit, eatque, tuos.
Digna nurus socero, Jovis Æginæque nepote,
Cuique senex Nereus prosocer esse velit.
Nos humiles, famulæque tuæ, data pensa trahemus, 75
Et minuent plenas stamina nostra colos.
Exagitet ne me tantum tua, deprecor, uxor,
Quæ mihi nescio quo non erit æqua modo.
Neve meos coram scindi patiare capillos,
Et leviter dicas: Hæc quoque nostra fuit. 80
Vel patiare licet; dum ne contemta relinquar.
Hic mihi væ miseræ concutit ossa metus.
Quid tamen exspectas? Agamemnona pœnitet iræ,
Et jacet ante tuos Græcia mæsta pedes. 84
Vince animos, iramque tuam, qui cætera vincis.
Quid lacerat Danaas impiger Hector opes?
Arma cape, Æacide, sed me tamen ante recepta:
Et preme turbatos, Marte favente, viros.
Propter me mota est, propter me desinat ira:
Simque ego tristitiæ causa modusque tuæ. 90
Nec tibi turpe puta precibus succumbere nostris:
Conjugis Œnides versus in arma prece est.
Res audita mihi, nota est tibi. Fratribus orba
Devovit nati spemque caputque parens.
Bellum erat: ille ferox positis secessit ab armis,
Et patriæ rigida mente negavit opem. 96
Sola virum conjux flexit. Felicior illa:
At mea pro nullo pondere verba cadunt.
Nec tamen indignor: nec me pro conjuge gessi,
Sæpius in dominum serva vocata torum. 100
Me quædam (memini) dominam captiva vocabat:
Servitio, dixi, nominis addis onus.
Per tamen ossa viri, subito male tecta sepulcro,
Semper judiciis ossa verenda meis;
Perque trium fortes animas, mea numina, fratrum, 105
Qui bene pro patria, cum patriaque jacent;
Perque tuum nostrumque caput, quæ junximus una;
Perque tuos enses, cognita tela meis;
Nulla Mycenæum sociasse cubilia mecum
Juro: fallentem deseruisse velis. 110
Si tibi nunc dicam: Fortissime, tu quoque jura,
Nulla tibi sine me gaudia facta: neges.
At Danai mærere putant. Tibi plectra moventur:
Te tenet in tepido mollis amica sinu.
Et si quis quærat, quare pugnare recuses; 115
Pugna nocet: citharæ, voxque, Venusque juvant.
Tutius est jacuisse toro, tenuisse puellam,
Threiciam digitis increpuisse lyram;
Quam manibus clypeos, et acutæ cuspidis hastam,
Et galeam pressa sustinuisse coma. 120
Sed tibi pro tutis insignia facta placebant:
Partaque bellando gloria dulcis erat.
An tantum, dum me caperes, fera bella probabas?
Cumque mea patria laus tua victa jacet?
Di melius: validoque, precor, vibrata lacerto
Transeat Hectoreum Pelias hasta latus. 126
Mittite me, Danai; dominum legata rogabo:
Multaque mandatis oscula mixta feram.
Plus ego quam Phœnix, plus quam facundus Ulixes, 129
Plus ego quam Teucri (credite) frater agam.
Est aliquid collum solitis tetigisse lacertis,
Præsentisque oculos admonuisse sui.
Sis licet immitis, matrisque ferocior undis;
Ut taceam, lacrymis comminuere meis.
Nunc quoque (sic omnes Peleus pater impleat annos, 135
Sic eat auspiciis Pyrrhus in arma tuis)
Respice sollicitam Briseida, fortis Achille;
Nec miseram lenta ferreus ure mora.
Aut si versus amor tuus est in tædia nostri;
Quam sine te cogis vivere, coge mori. 140
Utque facis, coges. Abiit corpusque colorque;
Sustinet hoc animæ spes tamen una tui.
Qua si destituor, repetam fratresque virumque:
Nec tibi magnificum fœmina jussa mori.
Cur autem jubeas? stricto pete corpora ferro.
Est mihi, qui fosso pectore sanguis eat. 146
Me petat ille tuus, qui, si dea passa fuisset,
Ensis in Atridæ pectus iturus erat.
Ah potius serves nostram, tua munera, vitam.
Quod dederas hosti victor, amica rogo. 150
Perdere quos melius possis, Neptunia præbent
Pergama. Materiam cædis ab hoste pete.
Me modo, sive paras impellere remige classem,
Sive manes, domini jure venire jube.

EPISTOLA IV.

PHÆDRA HIPPOLYTO.

Qua, nisi tu dederis, caritura est ipsa, salutem
Mittit Amazonio Cressa puella viro.
Perlege quodcunque est: quid epistola lecta nocebit?
Te quoque, in hac aliquid, quod juvet, esse potest.
His arcana notis terra pelagoque feruntur: 5
Inspicit acceptas hostis ab hoste notas.
Ter tecum conata loqui, ter inutilis hæsit
Lingua, ter in primo destitit ore sonus.
Qua licet, et sequitur, pudor est miscendus amori.
Dicere quæ puduit, scribere jussit Amor. 10
Quicquid Amor jussit, non est contemnere tutum.
Regnat, et in dominos jus habet ille deos.
Ille mihi primo dubitanti scribere, dixit,
Scribe; dabit victas ferreus ille manus.
Adsit, et, ut nostras avido fovet igne medullas,
Figat sic animos in mea vota tuos. 16
Non ego nequitia socialia fœdera rumpam.
Fama (velim quæras) crimine nostra vacat.
Venit Amor gravius, quo serius. Urimur intus,
Urimur; et cæcum pectora vulnus habent. 20
Scilicet ut teneros lædunt juga prima juvencos,
Frenaque vix patitur de grege captus equus.
Sic male vixque subit primos rude pectus amores,
Sarcinaque hæc animo non sedet apta meo.
Ars fit, ubi a teneris crimen condiscitur annis.
Quæ venit exacto tempore, pejus amat. 26
Tu nova servatæ capies libamina famæ;
Et pariter nostrum fiet uterque nocens.
Est aliquid plenis pomaria carpere ramis,
Et tenui primam deligere ungue rosam. 30
Si tamen ille prior, quo me sine crimine gessi,
Candor ab insolita labe notandus erat;
At bene successit, digno quod adurimur igni.
Pejus adulterio turpis adulter abest.
Si mihi concedat Juno fratremque virumque, 35
Hippolytum videar præpositura Jovi.

Jam quoque (vix credas) ignotas nitor in artes:
Est mihi per sævas impetus ire feras.
Jam mihi prima dea est cornu præsignis adunco
Delia: judicium subsequor ipsa tuum. 40
In nemus ire libet, pressisque in retia cervis
Hortari celeres per juga summa canes;
Aut tremulum excusso jaculum vibrare lacerto;
Aut in graminea ponere corpus humo.
Sæpe juvat versare leves in pulvere currus, 45
Torquentem frenis ora sequacis equi.
Nunc feror, ut Bacchi furiis Eleleides actæ,
Quæque sub Idæo tympana colle movent:
Aut quas semideæ Dryades, Faunique bicornes
Numine contactas attonuere suo. 50
Namque mihi referunt, cum se furor ille remisit,
Omnia. Me tacitam conscius urit amor.
Forsitan hunc generis fato reddamus amorem;
Et Venus e tota gente tributa petat.
Jupiter Europen (prima est ea gentis origo) 55
Dilexit, tauro dissimulante deum.
Pasiphae mater, decepto subdita tauro,
Enixa est utero crimen onusque suo.
Perfidus Ægides, ducentia fila secutus,
Curva meæ fugit tecta sororis ope. 60
En ego nunc, ne forte parum Minoia credar,
In socias leges ultima gentis eo.
Hoc quoque fatale est: placuit domus una duabus.
Me tua forma capit; capta parente soror.
Thesides Theseusque duas rapuere sorores. 65
Ponite de nostra bina tropæa domo.
Tempore quo vobis inita est Cerealis Eleusin,
Gnossia me vellem detinuisset humus.
Tunc mihi præcipue (nec non tamen ante) placebas:
Acer in extremis ossibus hæsit amor. 70
Candida vestis erat, præcincti flore capilli:
Flava verecundus tinxerat ora rubor.
Quemque vocant aliæ vultum rigidumque trucemque,
Pro rigido, Phædra judice, fortis erat.
Sint procul a nobis juvenes, ut fœmina, comti.
Fine coli modico forma virilis amat. 76
Te tuus iste rigor, positique sine arte capilli,
Et levis egregio pulvis in ore decet.
Sive ferocis equi luctantia colla recurvas;
Exiguo flexos miror in orbe pedes. 80
Sive actum valido torques hastile lacerto;
Ora ferox in se versa lacertus habet.
Sive tenes lato venabula cornea ferro:
Denique, nostra juvat lumina, quicquid agas.
Tu modo duritiem sylvis depone jugosis. 85
Non sum materia digna perire tua.
Quid juvat incinctæ studia exercere Dianæ,
Et Veneri numeros eripuisse suos?
Quod caret alterna requie, durabile non est:
Hæc reparat vires, fessaque membra novat. 90
Arcus, (et arma tuæ tibi sunt imitanda Dianæ,)
Si nunquam cesses tendere, mollis erit.
Clarus erat sylvis Cephalus, multæque per herbam
Conciderant, illo percutiente, feræ.
Nec tamen Auroræ male se præbebat amandum.
Ibat ad hunc sapiens a sene diva viro. 96
Sæpe sub ilicibus Venerem, Cinyraque creatum,
Sustinuit positos quælibet herba duos.
Arsit et Œnides in Mænalia Atalanta.
Illa feræ spolium pignus amoris habet. 100
Nos quoque jam primum turba numeremur in ista.
Si Venerem tollas, rustica sylva tua est.
Ipsa comes veniam: nec me salebrosa movebunt
Saxa, nec obliquo dente timendus aper.
Æquora bina suis oppugnant fluctibus Isthmon,
Et tenuis tellus audit utrumque mare. 106
Hic tecum Trœzena colam, Pittheia regna:
Jam nunc est patria gratior illa mea.
Tempore abest, aberitque diu Neptunius heros;
Illum Pirithoi detinet ora sui. 110
Præposuit Theseus (nisi sic manifesta negamus)
Pirithoum Phædræ, Pirithoumque tibi.
Sola nec hæc nobis injuria venit ab illo:
In magnis læsi rebus uterque sumus.
Ossa mei fratris clava perfracta trinodi 115
Sparsit humi: soror est præda relicta feris.
Prima securigeras inter virtute puellas
Te peperit, nati digna vigore parens.
Si quæras, ubi sit; Theseus latus ense peregit:
Nec tanto mater pignore tuta fuit. 120
At ne nupta quidem, tædaque accepta jugali.
Cur? nisi ne caperes regna paterna nothus.
Addidit et fratres ex me tibi: quos tamen omnes
Non ego tollendi causa, sed ille fuit.
O utinam nocitura tibi, pulcherrime rerum, 125
In medio nisu viscera rupta forent!
I nunc, sic meriti lectum reverere parentis;
Quem fugit, et factis abdicat ille suis.
Nec, quia privigno videar coitura noverca,
Terruerint animos nomina vana tuos. 130
Ista vetus pietas, ævo moritura futuro,
Rustica Saturno regna tenente fuit.
Jupiter esse pium statuit, quodcunque juvaret:
Et fas omne facit fratre marita soror.
Illa coit firma generis junctura catena, 135
Imposuit nodos cui Venus ipsa suos.
Nec labor est; celare licet. Pete munus ab illa.
Cognato poterit nomine culpa tegi.
Viderit amplexos aliquis; laudabimur ambo.
Dicar privigno fida noverca meo. 140
Non tibi per tenebras duri reseranda mariti
Janua, non custos decipiendus erit.
Ut tenuit domus una duos, domus una tenebit.
Oscula aperta dabas, oscula aperta dabis.
Tutus eris mecum, laudemque merebere culpa,
Tu licet in lecto conspiciare meo. 146
Tolle moras tantum, properataque fœdera junge.
Qui mihi nunc sævit, sic tibi parcat Amor.
Non ego dedignor supplex humilisque precari.
Heu ubi nunc fastus altaque verba jacent?
Et pugnare diu, nec me submittere culpæ 151
Certa fui: certi si quid haberet Amor.
Victa precor, genibusque tuis regalia tendo
Brachia. Quid deceat, non videt ullus amans.
Depuduit, profugusque pudor sua signa relinquit.
Da veniam fassæ, duraque corda doma. 156
Quo mihi, quod genitor, qui possidet æquora, Minos?
Quod veniant proavi fulmina torta manu?
Quod sit avus, radiis frontem vallatus acutis,
Purpureo tepidum qui movet axe diem? 160
Nobilitas sub amore jacet. Miserere priorum:
Et, mihi si non vis parcere, parce meis.
Est mihi dotalis tellus Jovis insula Crete:
Serviat Hippolyto regia tota meo.
Flecte feros animos. Potuit corrumpere taurum
Mater. Eris tauro sævior ipse truci? 166
Per Venerem parcas oro, quæ plurima mecum est:
Sic nunquam, quæ te spernere possit, ames.

Sic tibi secretis agilis dea saltibus adsit,
Sylvaque perdendas præbeat alta feras. 170
Sic faveant Satyri, montanaque numina Panes,
Et cadat adversa cuspide fossus aper.
Sic tibi dent Nymphæ (quamvis odisse puellas
Diceris) arentem quæ levet unda sitim.
Addimus his lacrymas precibus quoque: verba precantis 175
Perlegis; at lacrymas finge videre meas.

EPISTOLA V.

ŒNONE PARIDI.

Perlegis? an conjux prohibet nova? perlege: non est
Ista Mycenæa litera facta manu.
Pegasis Œnone, Phrygiis celeberrima sylvis,
Læsa queror de te, si sinis ipse, meo.
Quis deus opposuit nostris sua numina votis? 5
Ne tua permaneam, quod mihi crimen obest?
Lenitur, ex merito quicquid patiare, ferendum est:
Quæ venit indignæ pœna, dolenda venit.
Nondum tantus eras, cum te contenta marito,
Edita de magno flumine Nympha, fui. 10
Qui nunc Priamides, (adsit reverentia vero)
Servus eras: servo nubere Nympha tuli.
Sæpe greges inter requievimus arbore tecti,
Mixtaque cum foliis præbuit herba torum.
Sæpe super stramen, fœnoque jacentibus alto 15
Defensa est humili cana pruina casa.
Quis tibi monstrabat saltus venatibus aptos,
Et tegeret catulos qua fera rupe suos?
Retia sæpe comes maculis distincta tetendi:
Sæpe citos egi per juga longa canes. 20
Incisæ servant a te mea nomina fagi,
Et legor Œnone, falce notata, tua:
Et quantum trunci, tantum mea nomina crescunt:
Crescite, et in titulos surgite rite meos.
Populus est (memini) fluviali consita ripa, 25
Est in qua nostri littera scripta memor.
Popule, vive precor, quæ consita margine ripæ
Hoc in rugoso cortice carmen habes:
Cum Paris Œnone poterit spirare relicta,
Ad fontem Xanthi versa recurret aqua. 30
Xanthe, retro propera, versæque recurrite lymphæ;
Sustinet Œnonen deseruisse Paris.
Illa dies fatum miseræ mihi dixit; ab illa
Pessima mutati cœpit amoris hiems;
Qua Venus et Juno, sumtisque decentior armis
Venit in arbitrium nuda Minerva tuum. 36
Attoniti micuere sinus, gelidusque cucurrit,
Ut mihi narrasti, dura per ossa tremor.
Consului (neque enim modice terrebar) anusque
Longævosque senes: constitit esse nefas. 40
Cæsa abies, sectæque trabes, et, classe peracta,
Cærula ceratas accipit unda rates.
Flesti discedens: hoc saltem parce negare.
Præterito magis est iste pudendus amor.
Et flesti, et nostros vidisti flentis ocellos: 45
Miscuimus lacrymas mæstus uterque suas.
Non sic appositis vincitur vitibus ulmus,
Ut tua sunt collo brachia nexa meo.
Ah quoties, cum te vento quererere teneri,
Riserunt comites! ille secundus erat. 50
Oscula dimissæ quoties repetita dedisti!
Quam vix sustinuit dicere lingua, Vale!
Aura levis rigido pendentia lintea malo
Suscitat, et remis eruta canet aqua.
Prosequor infelix oculis abeuntia vela, 55
Qua licet; et lacrymis humet arena meis.
Utque celer venias virides Nereïdas oro.
Scilicet ut venias in mea damna celer.
Votis ergo meis alii rediture redisti?
Hei mihi, pro dira pellice blanda fui! 60
Adspicit immensum moles nativa profundum;
Mons fuit: æquoreis illa resistit aquis.
Hinc ego vela tuæ cognovi prima carinæ:
Et mihi per fluctus impetus ire fuit.
Dum moror, in summa fulsit mihi purpura prora:
Pertimui: cultus non erat ille tuus. 66
Fit propior, terrasque cita ratis attigit aura:
Fœmineas vidi corde tremente genas.
Non satis id fuerat: quid enim furiosa morabar?
Hærebat gremio turpis amica tuo. 70
Tunc vero rupique sinus, et pectora planxi,
Et secui madidas ungue rigente genas:
Implevique sacram querulis ululatibus Iden.
Illinc has lacrymas in mea saxa tuli.
Sic Helene doleat, desertaque conjuge ploret:
Quæque prior nobis intulit, ipsa ferat. 76
Nunc tibi conveniunt, quæ te per aperta sequantur
Æquora, legitimos destituantque toros.
At cum pauper eras, armentaque pastor agebas,
Nulla, nisi Œnone, pauperis uxor erat. 80
Non ego miror opes, nec me tua regia tangit,
Nec de tot Priami dicar ut una nurus.
Non tamen ut Priamus Nymphæ socer esse recuset,
Aut Hecubæ fuerim dissimulanda nurus. 84
Dignaque sum, et cupio fieri matrona potentis.
Sunt mihi, quas possint sceptra decere, manus.
Nec me, faginea quod tecum fronde jacebam,
Despice: purpureo sum magis apta toro.
Denique, tutus amor meus est tibi: nulla parantur
Bella, nec ultrices advehit unda rates. 90
Tyndaris infestis fugitiva reposcitur armis.
Hac venit in thalamos dote superba tuos.
Quæ si sit Danais reddenda, vel Hectora fratrem,
Vel cum Deiphobo Polydamanta roga.
Quid gravis Antenor, Priamus quid censeat ipse,
Consule, quîs ætas longa magistra fuit. 96
Turpe rudimentum, patriæ præponere raptam.
Causa pudenda tua est; justa vir arma movet.
Nec tibi, si sapias, fidam promitte Lacænam,
Quæ sit in amplexus tam cito versa tuos. 100
Ut minor Atrides temerati fœdera lecti
Clamat, et externo læsus amore dolet;
Tu quoque clamabis. Nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia est: deperit illa semel.
Ardet amore tui: sic et Menelaon amavit; 105
Nunc jacet in viduo credulus ille toro.
Felix Andromache, certo bene nupta marito!
Uxor ad exemplum fratris habenda fui.
Tu levior foliis, tunc cum, sine pondere succi,
Mobilibus ventis arida facta volant; 110
Et minus est in te, quam summa pondus arista,
Quæ levis assiduis solibus usta riget.
Hoc tua (nam recolo) quondam germana canebat,
Sic mihi diffusis vaticinata comis:
Quid facis, Œnone? quid arenæ semina mandas?
Non profecturis littora bubus aras. 116
Graia juvenca venit, quæ te, patriamque, domumque
Perdat. Io prohibe; Graia juvenca venit.
Dum licet, obscænam ponto, di, mergite puppim.
Heu quantum Phrygii sanguinis illa vehit!

Dixerat. In cursu famulæ rapuere furentem; 121
At mihi flaventes diriguere comæ.
Ah nimium vates miseræ mihi vera fuisti!
Possidet en saltus illa juvenca meos.
Sit facie quamvis insignis, adultera certe est.
Deseruit socios hospite capta deos. 126
Illam de patria Theseus, (nisi nomine fallor)
Nescio quis Theseus, abstulit ante sua.
A juvene et cupido credatur reddita virgo,
Unde hoc compererim tam bene, quæris? amo.
Vim licet appelles, et culpam nomine veles; 131
Quæ toties rapta est, præbuit ipsa rapi.
At manet Œnone fallenti casta marito:
Et poteras falli legibus ipse tuis.
Me Satyri celeres (sylvis ego tecta latebam) 135
Quæsierunt rapido turba proterva pede;
Cornigerumque caput pinu præcinctus acuta
Faunus, in immensis qua tumet Ida jugis.
Me fide conspicuus Trojæ munitor amavit:
Ille meæ spolium virginitatis habet. 140
Id quoque luctando: rupi tamen ungue capillos,
Oraque sunt digitis aspera facta meis.
Nec pretium stupri gemmas aurumve poposci.
Turpiter ingenuum munera corpus emunt.
Ipse, ratus dignam, medicas mihi tradidit artes,
Admisitque meas ad sua dona manus. 146
Quæcunque herba potens ad opem, radixque medenti
Utilis in toto nascitur orbe, mea est.
Me miseram, quod amor non est medicabilis herbis!
Deficior prudens artis ab arte mea. 150
Ipse repertor opis vaccas pavisse Pheræas
Fertur, et a nostro saucius igne fuit.
Quod neque graminibus tellus fecunda creandis,
Nec deus, auxilium tu mihi ferre potes.
Et potes, et merui. Dignæ miserere puellæ.
Non ego cum Danais arma cruenta fero; 156
Sed tua sum, tecumque fui puerilibus annis:
Et tua, quod superest temporis, esse precor.

EPISTOLA VI.

HYPSIPYLE JASONI.

Littora Thessaliæ reduci tetigisse carina
Diceris, auratæ vellere dives ovis.
Gratulor incolumi, quantum sinis. Hoc tamen ipsum
Debueram scripto certior esse tuo.
Nam, ne pacta tibi [præter] mea regna redires,
Cum cuperes; ventos non habuisse potes. 6
Quamlibet adverso signetur epistola vento;
Hypsipyle missa digna salute fui.
Cur mihi fama prior, quam nuntia littera, venit,
Isse sacros Marti sub juga panda boves? 10
Seminibus jactis segetes adolesse virorum,
Inque necem dextra non eguisse tua?
Pervigilem spolium pecudis servasse draconem,
Rapta tamen forti vellera fulva manu?
Hæc ego si possem timide credentibus, Ista 15
Ipse mihi scripsit, dicere, quanta forem!
Quid queror officium lenti cessasse mariti?
Obsequium, maneo si tua, grande tuli.
Barbara narratur venisse venefica tecum,
In mihi promissi parte recepta tori. 20
Credula res amor est. Utinam temeraria dicar
Criminibus falsis insimulasse virum!
Nuper ab Hæmoniis hospes mihi Thessalus oris
Venerat; et tactum vix bene limen erat:
Æsonides, dixi, quid agit meus? Ille pudore 25
Hæsit, in opposita lumina fixus humo.
Protinus exsilui, tunicisque a pectore ruptis,
Vivit? an, exclamo, me quoque fata trahunt?
Vivit, ait. Timidumque mihi jurare coegi.
Vix mihi teste deo credita vita tua est. 30
Ut rediit animus, tua facta requirere cœpi.
Narrat aënipedes Martis arasse boves;
Vipereos dentes in humum pro semine jactos,
Et subito natos arma tulisse viros;
Terrigenas populos, civili Marte peremtos, 35
Implesse ætatis fata diurna suæ.
Devicto serpente, iterum, si vivat Iason,
Quærimus. Alternant spesque timorque fidem.
Singula dum narrat; studio cursuque loquendi,
Detegit ingenio vulnera facta tuo. 40
Heu ubi pacta fides? ubi connubialia jura?
Faxque sub arsuros dignior ire rogos?
Non ego sum furto tibi cognita. Pronuba Juno
Adfuit, et sertis tempora vinctus Hymen.
At mihi nec Juno, nec Hymen, sed tristis Erinnys
Prætulit infaustas sanguinolenta faces. 46
Quid mihi cum Minyis? quid cum Tritonide pinu?
Quid tibi cum patria, navita Tiphy, mea?
Non erat hic aries villo spectabilis aureo:
Nec senis Æetæ regia Lemnos erat. 50
Certa fui primo (sed me mala fata trahebant)
Hospita fœminea pellere castra manu;
Lemniadesque viros, nimium quoque, vincere norunt.
Milite tam forti ripa tuenda fuit.
Urbe virum vidi, tectoque animoque recepi: 55
Hic tibi bisque æstas, bisque cucurrit hiems.
Tertia messis erat: cum tu, dare vela coactus,
Implesti lacrymis talia verba tuis:
Abstrahor, Hypsipyle: sed (dent modo fata recursus)
Vir tuus hinc abeo, vir tibi semper ero. 60
Quod tamen e nobis gravida celatur in alvo,
Vivat; et ejusdem simus uterque parens.
Hactenus: et, lacrymis in falsa fluentibus ora,
Cætera te memini non potuisse loqui.
Ultimus e sociis sacram conscendis in Argo. 65
Illa volat: ventus concava vela tenet.
Cærula propulsæ subducitur unda carinæ:
Terra tibi, nobis adspiciuntur aquæ.
In latus omne patens turris circumspicit undas.
Huc feror; et lacrymis osque sinusque madent.
Per lacrymas specto; cupidæque faventia menti
Longius assueto lumina nostra vident. 72
Addo preces castas, immixtaque vota timori,
Nunc quoque te salvo persoluenda mihi.
Vota ego persolvam? votis Medea fruetur? 75
Cor dolet; atque ira mixtus abundat amor.
Dona feram templis, vivum quod Iasona perdo?
Hostia pro damnis concidat icta meis?
Non equidem secura fui; semperque verebar,
Ne pater Argolica sumeret urbe nurum. 80
Argolidas timui: nocuit mihi barbara pellex.
Non exspectato vulnus ab hoste tuli.
Nec facie meritisve placet; sed carmine movit:
Diraque cantata pabula falce metit.
Illa reluctantem curru deducere Lunam 85
Nititur, et tenebris abdere Solis equos.
Illa refrenat aquas, obliquaque flumina sistit:
Illa loco sylvas, vivaque saxa movet.
Per tumulos errat passis discincta capillis,
Certaque de tepidis colligit ossa rogis. 90
Devovet absentes, simulacraque cerea figit,
Et miserum tenues in jecur urget acus.

Et quæ nescierim melius. Male quæritur herbis,
Moribus et forma conciliandus, amor.
Hanc potes amplecti? thalamoque relictus in uno
Impavidus somno nocte silente frui? 96
Scilicet ut tauros, ita te juga ferre coegit;
Quaque feros angues, te quoque mulcet ope.
Adde, quod adscribi factis procerumque tuisque
Se favet; et titulo conjugis uxor obest. 100
Atque aliquis Peliæ de partibus acta venenis
Imputat, et populum, qui sibi credat, habet.
Non hæc Æsonides, sed Phasias Æetine
Aurea Phryxeæ terga revellit ovis.
Non probat Alcimede mater tua; consule matrem:
Non pater, a gelido cui venit axe nurus. 106
Illa sibi Tanai, Scythiæque paludibus udæ
Quærat, et a patria Phasidos usque virum.
Mobilis Æsonide, vernaque incertior aura,
Cur tua pollicito pondere verba carent? 110
Vir meus hinc ieras, vir non meus inde redisti.
Sim reducis conjux, sicut euntis eram.
Si te nobilitas, generosaque nomina tangunt;
En ego Minoo nata Thoante feror.
Bacchus avus; Bacchi conjux redimita corona
Præradiat stellis signa minora suis. 116
Dos tibi Lemnos erit, terra ingeniosa colenti.
Me quoque res tales inter habere potes.
Nunc etiam peperi: gratare ambobus, Iason:
Dulce mihi gravidæ fecerat auctor onus. 120
Felix in numero quoque sum; prolemque gemellam
Pignora Lucina bina favente dedi.
Si quæris, cui sint similes; cognosceris illis.
Fallere non norunt: cætera patris habent.
Legatis quos pene dedi pro matre ferendos:
Sed tenuit cœptas sæva noverca vias. 126
Medeam timui: plus est Medea noverca.
Medeæ faciunt ad scelus omne manus.
Spargere quæ fratris potuit laniata per agros
Corpora, pignoribus parceret illa meis? 130
Hanc tamen, o demens, Colchisque ablate venenis,
Diceris Hypsipyles præposuisse toro.
Turpiter illa virum cognovit adultera virgo:
Me tibi, teque mihi tæda pudica dedit. 134
Prodidit illa patrem: rapui de cæde Thoanta.
Deseruit Colchos: me mea Lemnos habet.
Quid refert, scelerata piam si vincit, et ipso
Crimine dotata est, emeruitque virum?
Lemniadum facinus culpo, non miror, Iason.
Quamlibet iratis ipse dat arma dolor. 140
Dic age, si ventis (ut oportuit) actus iniquis
Intrasses portus tuque comesque meos;
Obviaque exissem, fœtu comitata gemello:
(Hiscere nempe tibi terra roganda foret:)
Quo vultu natos, quo me, scelerate, videres?
Perfidiæ pretio qua nece dignus eras? 146
Ipse quidem per me tutus sospesque fuisses:
Non quia tu dignus, sed quia mitis ego.
Pellicis ipsa meos implessem sanguine vultus,
Quosque veneficiis abstulit illa suis. 150
Medeæ Medea forem. Quod si quid ab alto
Justus adest votis Jupiter ipse meis;
Quod gemit Hypsipyle, lecti quoque subnuba nostri
Mæreat, et leges sanciat ipsa suas.
Utque ego destituor conjux, materque duorum;
A totidem natis orba sit, aque viro. 156
Nec male parta diu teneat, pejusque relinquat.
Exulet, et toto quærat in orbe fugam.
Quam fratri germana fuit, miseroque parenti
Filia, tam natis, tam sit acerba viro. 160
Cum mare, cum terras consumserit; aëra tentet.
Erret inops, exspes, cæde cruenta sua.
Hæc ego conjugio fraudata Thoantias oro.
Vivite devoto, nuptaque virque, toro. 164

EPISTOLA VII.

DIDO ÆNEÆ.

Sic, ubi fata vocant, udis abjectus in herbis,
Ad vada Mæandri concinit albus olor.
Nec, quia te nostra sperem prece posse moveri,
Alloquor: adverso movimus ista deo.
Sed merita, et famam, corpusque animumque pudicum 5
Cum male perdiderim, perdere verba leve est.
Certus es ire tamen, miseramque relinquere Dido:
Atque îdem venti vela fidemque ferent.
Certus es, Ænea, cum fœdere solvere naves:
Quæque ubi sint nescis, Itala regna sequi. 10
Nec nova Carthago, nec te crescentia tangunt
Mœnia, nec sceptro tradita summa tuo.
Facta fugis; facienda petis. Quærenda per orbem
Altera, quæsita est altera terra tibi.
Ut terram invenias, quis eam tibi tradet habendam? 15
Quis sua non notis arva tenenda dabit?
Alter habendus amor tibi restat, et altera Dido:
Quamque iterum fallas, altera danda fides.
Quando erit, ut condas instar Carthaginis urbem,
Et videas populos altus ab arce tuos? 20
Omnia ut eveniant, nec te tua vota morentur;
Unde tibi, quæ te sic amet, uxor erit?
Uror, ut inducto ceratæ sulphure tædæ:
Ut pia fumosis addita thura focis.
Æneas oculis semper vigilantis inhæret: 25
Ænean animo noxque diesque refert.
Ille quidem male gratus, et ad mea munera surdus;
Et quo, si non sim stulta, carere velim:
Non tamen Ænean, quamvis male cogitat, odi:
Sed queror infidum, questaque pejus amo. 30
Parce, Venus, nurui, durumque amplectere fratrem,
Frater Amor: castris militet ille tuis.
Aut ego, quem cœpi (neque enim dedignor) amare;
Materiam curæ præbeat ille meæ.
Fallor, et ista mihi falso jactatur imago. 35
Matris ab ingenio dissidet ille suæ.
Te lapis, et montes, innataque rupibus altis
Robora, te sævæ progenuere feræ: [tis:
Aut mare, quale vides agitari nunc quoque ven-
Quod tamen adversis fluctibus ire paras. 40
Quo fugis? obstat hiems: hiemis mihi gratia prosit.
Adspice, ut eversas concitet Eurus aquas.
Quod tibi maluerim, sine me debere procellis.
Justior est animo ventus et unda tuo.
Non ego sum tanti, (quamvis merearis, inique,)
Ut pereas, dum me per freta longa fugis. 46
Exerces pretiosa odia, et constantia magno,
Si, dum me careas, est tibi vile mori.
Jam venti ponent, strataque æqualiter unda,
Cæruleis Triton per mare curret equis. 50
Tu quoque cum ventis utinam mutabilis esses!
Et, nisi duritia robora vincis, eris.
Quid? si nescieris, insana quid æquora possint?
Expertæ toties quam male credis aquæ!

Ut pelago suadente etiam retinacula solvas, 55
Multa tamen latus tristia pontus habet.
Nec violasse fidem tentantibus æquora prodest.
Perfidiæ pœnas exigit ille locus.
Præcipue cum læsus Amor: quia mater Amoris
Nuda Cytheriacis edita fertur aquis. 60
Perdita ne perdam timeo, noceamve nocenti;
Neu bibat æquoreas naufragus hostis aquas.
Vive, precor: sic te melius, quam funere, perdam.
Tu potius leti causa ferare mei. [dus)
Finge, age, te rapido (nullum sit in omine pon-
Turbine deprendi: quid tibi mentis erit? 66
Protinus occurrent falsæ perjuria linguæ,
Et Phrygia Dido fraude coacta mori.
Conjugis ante oculos deceptæ stabit imago
Tristis, et effusis sanguinolenta comis. 70
Quicquid id est, totum merui, concedite, dicas:
Quæque cadent, in te fulmina missa putes.
Da breve sævitiæ spatium pelagique tuæque:
Grande moræ pretium tuta futura via est.
Nec mihi parcatur; puero parcatur Iulo 75
Te satis est titulum mortis habere meæ.
Quid puer Ascanius, quid dî meruere Penates?
Ignibus ereptos obruet unda deos.
Sed neque fers tecum: nec, quæ mihi, perfide, jactas,
Presserunt humeros sacra paterque tuos. 80
Omnia mentiris: nec enim tua fallere lingua
Incipit a nobis, primaque plector ego.
Si quæras, ubi sit formosi mater Iuli:
Occidit, a duro sola relicta viro. 84
Hæc mihi narraras: nec me movere: merentem
Ure; minor culpa pœna futura mea est.
Nec mihi mens dubia est, quin te tua numina damnent.
Per mare, per terras septima jactat hiems.
Fluctibus ejectum tuta statione recepi,
Vixque bene audito nomine, regna dedi. 90
His tamen officiis utinam contenta fuissem:
Et mihi concubitus fama sepulta foret!
Illa dies nocuit, qua nos declive sub antrum
Cæruleus subitis compulit imber aquis.
Audieram vocem; Nymphas ululasse putavi. 95
Eumenides fatis signa dedere meis.
Exige, læse pudor, pœnas, violate Sichæo:
Ad quem (me miseram!) plena pudoris eo.
Est mihi marmorea sacratus in æde Sichæus:
Appositæ frondes velleraque alba tegunt. 100
Hinc ego me sensi noto quater ore citari:
Ipse sono tenui dixit, Elissa, veni.
Nulla mora est; venio; venio tibi debita conjux:
Sed tamen admissi tarda pudore mei.
Da veniam culpæ; decepit idoneus auctor: 105
Invidiam noxæ detrahit ille meæ.
Diva parens, seniorque pater pia sarcina nati,
Spem mihi mansuri rite dedere viri.
Si fuit errandum, causas habet error honestas.
Adde fidem, nulla parte pigendus erit. 110
Durat in extremum, vitæque novissima nostræ
Persequitur fati, qui fuit ante, tenor.
Occidit internas conjux mactatus ad aras:
Et sceleris tanti præmia frater habet.
Exsul agor, cineresque viri patriamque relinquo:
Et feror in duras hoste sequente vias. 116
Applicor ignotis: fratrique elapsa fretoque,
Quod tibi donavi, perfide, littus emo.
Urbem constitui, lateque patentia fixi
Mœnia, finitimis invidiosa locis. 120
Bella tument: bellis peregrina et fœmina tentor:
Vixque rudes portas urbis, et arma, paro.
Mille procis placui: qui me coiere, querentes
Nescio quem thalamis præposuisse suis.
Quid dubitas vinctam Gætulo tradere Iarbæ?
Præbuerim sceleri brachia nostra tuo. 126
Est etiam frater, cujus manus impia possit
Respergi nostro, sparsa cruore viri.
Pone deos, et quæ tangendo sacra profanas:
Non bene cœlestes impia dextra colit. 130
Si tu cultor eras elapsis igne futurus,
Pœnitet elapsos ignibus esse deos.
Forsitan et gravidam Dido, scelerate, relinquas,
Parsque tui lateat corpore clausa meo.
Accedet fatis matris miserabilis infans, 135
Et nondum nato funeris auctor eris;
Cumque parente sua frater morietur Iuli;
Pœnaque connexos auferet una duos.
Sed jubet ire deus. Vellem vetuisset adire;
Punica nec Teucris pressa fuisset humus. 140
Hoc duce nempe deo ventis agitaris iniquis,
Et teris in rapido tempora longa freto.
Pergama vix tanto tibi erant repetenda labore,
Hectore si vivo, quanta fuere, forent.
Non patrium Simoenta petis, sed Tibridis undas. 145
Nempe, ut pervenias quo cupis, hospes eris.
Utque latet, vitatque tuas abstrusa carinas,
Vix tibi continget terra petita seni.
Hos potius populos in dotem, ambage remissa,
Accipe, et advectas Pygmalionis opes. 150
Ilion in Tyriam transfer felicius urbem:
Hancque locum regni, sceptraque sacra tene.
Si tibi mens avida est belli, si quærit Iulus
Unde suo partus Marte triumphus eat;
Quem superet, ne quid desit, præbebimus hostem.
Hic pacis leges, hic locus arma capit. 156
Tu modo, per matrem, fraternaque tela sagittas,
Perque fugæ comites, Dardana sacra, deos:
Sic superent quoscunque tua de gente reportas,
Mars ferus et damnis sit modus ille tuis; 160
Ascaniusque suos feliciter impleat annos,
Et senis Anchisæ molliter ossa cubent:
Parce precor domui, quæ se tibi tradit habendam.
Quod crimen dicis, præter amasse, meum?
Non ego sum Phthias, magnisque oriunda Mycenis: 165
Nec steterunt in te virque paterque meus.
Si pudet uxoris; non nupta, sed hospita dicar.
Dum tua sit Dido, quodlibet esse feret.
Nota mihi freta sunt Afrum frangentia littus:
Temporibus certis dantque negantque viam.
Cum dabit aura viam, præbebis carbasa ventis.
Nunc levis ejectam continet alga ratem. 172
Tempus ut observem, manda mihi; certius ibis:
Nec te, si cupies ipse, manere sinam.
Et socii requiem poscunt, laniataque classis
Postulat exiguas semirefecta moras. 176
Pro meritis, et siqua tibi præbebimus ultra,
Pro spe conjugii, tempora parva peto; [usu
Dum freta mitescunt, et Amor: dum tempore et
Fortiter edisco tristia posse pati. 180
Sin minus; est animus nobis effundere vitam.
In me crudelis non potes esse diu.
Adspicias utinam, quæ sit scribentis imago!
Scribimus; et gremio Troicus ensis adest:
Perque genas lacrymæ strictum labuntur in ensem; 185
Qui jam pro lacrymis sanguine tinctus erit.
Quam bene conveniunt fato tua munera nostro?
Instruis impensa nostra sepulcra brevi.

Nec mea nunc primo feriuntur pectora telo:
Ille locus sævi vulnus Amoris habet. 190
Anna soror, soror Anna, meæ male conscia culpæ,
Jam dabis in cineres ultima dona meos.
Nec, comsumta rogis, inscribar, Elissa Sichæi;
Hoc tamen in tumuli marmore carmen erit:
Præbuit Æneas et causam mortis et ensem. 195
Ipsa sua Dido concidit usa manu.

EPISTOLA VIII.

HERMIONE ORESTÆ.

Alloquor Hermione nuper fratremque virumque,
Nunc fratrem; nomen conjugis alter habet.
Pyrrhus Achillides, animosus imagine patris,
Inclusam contra jusque piumque tenet.
Quod potui, renui; ne non invita tenerer; 5
Cætera fœmineæ non valuere manus.
Quid facis, Æacide? non sum sine vindice, dixi:
Hæc tibi sub domino, Pyrrhe, puella suo est.
Surdior ille freto clamantem nomen Orestæ
Traxit inornatis in sua tecta comis. 10
Quid gravius capta Lacedæmone serva tulissem,
Si raperet Graias barbara turba nurus?
Parcius Andromachen vexavit Achaia victrix,
Cum Danaus Phrygias ureret ignis opes.
At tu, cura mei si te pia tangit, Oreste, 15
Injice non timidas in tua jura manus.
An, si quis rapiat stabulis armenta reclusis,
Arma feras; rapta conjuge lentus eris?
Sit socer exemplo nuptæ repetitor ademtæ,
Cui pia militiæ causa puella fuit. 20
Si socer ignavus vidua sedisset in aula,
Nupta foret Paridi mater, ut ante fuit.
Nec tu mille rates sinuosaque vela pararis,
Nec numeros Danai militis: ipse veni.
Sic quoque eram repetenda tamen: nec turpe marito, 25
Aspera pro caro bella tulisse toro.
Quid, quod avus nobis idem Pelopeius Atreus?
Et si non esses vir mihi, frater eras?
Vir precor uxori, frater succurre sorori:
Instant officio nomina bino tuo. 30
Me tibi Tyndareos, vita gravis auctor et annis,
Tradidit: arbitrium neptis habebat avus.
At pater Æacidæ promiserit, inscius acti;
Plus quoque, qui prior est ordine, possit avus.
Cum tibi nubebam, nulli mea tæda nocebat: 35
Si jungar Pyrrho, tu mihi læsus eris.
Et pater ignoscet nostro Menelaus amori:
Succubuit telis præpetis ipse dei.
Quem sibi permisit, genero permittet amorem.
Proderit exemplo mater amata suo. 40
Tu mihi, quod matri pater, es: quas egerat olim
Dardanius partes advena, Pyrrhus agit.
Ille licet patriis sine fine superbiat actis;
Et tu, quæ referas, acta parentis habes.
Tantalides omnes, ipsumque regebat Achillen.
Hic pars militiæ, dux erat ille ducum. 46
Tu quoque habes proavum Pelopem, Pelopisque parentem:
Si melius numeres, a Jove quintus eris.
Nec virtute cares: arma invidiosa tulisti.
Sed tu quid faceres? induit illa pater. 50
Materia vellem fortis meliore fuisses:
Non lecta est, operi sed data causa tuo.
Hanc tamen implesti; juguloque Ægisthus aperto
Tecta cruentavit, quæ pater ante tuus.
Increpat Æacides, laudemque in crimina vertit;
Et tamen adspectus sustinet ille meos. 56
Rumpor, et ora mihi pariter cum mente tumescunt,
Pectoraque inclusis ignibus usta dolent.
Hermione coram quicquamne objectet Orestæ?
Nec mihi sunt vires, nec ferus ensis adest. 60
Flere licet certe: flendo diffundimus iram:
Perque sinum lacrymæ fluminis instar eunt.
Has solas habeo semper, semperque profundo:
Hument incultæ fonte perenne genæ.
Hoc generis fato, quod nostros errat in annos,
Tantalides matres apta rapina sumus. 66
Non ego fluminei referam mendacia cycni,
Nec querar in plumis delituisse Jovem.
Qua duo porrectus longe freta distinet Isthmos,
Vecta peregrinis Hippodamia rotis. 70
Castori Amyclæo et Amyclæo Polluci
Reddita Mopsopia Tænaris urbe soror.
Tænaris, Idæo trans æquor ab hospite rapta,
Argolicas pro se vertit in arma manus.
Vix equidem memini; memini tamen: omnia luctus, 75
Omnia solliciti plena timoris erant.
Flebat avus, Phœbeque soror, fratresque gemelli:
Orabat superos Leda, suumque Jovem.
Ipsa ego, non longos etiam nunc scissa capillos,
Clamabam, Sine me, me sine, mater, abis? 80
Nam conjux aberat. Ne non Pelopeia credar,
Ecce Neoptolemo præda parata fui.
Pelides utinam vitasset Apollinis arcus!
Damnaret nati facta proterva pater.
Nec quondam placuit, nec jam placuisset Achilli,
Abducta viduum conjuge flere virum. 86
Quæ mea cœlestes injuria fecit iniquos?
Quod mihi (væ miseræ) sidus obesse querar?
Parva mea sine matre fui: pater arma ferebat:
Et, duo cum vivant, orba duobus eram. 90
Non tibi blanditias primis, mea mater, in annis
Incerto dictas ore puella tuli.
Non ego captavi brevibus tua colla lacertis,
Nec gremio sedi sarcina grata tuo.
Non cultus tibi cura mei: nec pacta marito 95
Intravi thalamos, matre parante, novos.
Obvia prodieram reduci tibi, (vera fatebor)
Nec facies nobis nota parentis erat.
Te tamen esse Helenen, quod eras pulcherrima, sensi.
Ipsa requirebas, quæ tibi nata foret. 100
Pars hæc una mihi conjux bene cessit Orestes:
Is quoque, ni pro se pugnet, ademtus erit.
Pyrrhus habet raptam, reduce et victore parente:
Munus et hoc nobis diruta Troja dedit.
Cum tamen altus equis Titan radiantibus instat,
Perfruor infelix liberiore malo. 106
Nox ubi me thalamis ululantem et acerba gementem
Condidit, in mæsto procubuique toro;
Pro somno lacrymis oculi funguntur obortis:
Quaque licet fugio, sicut ab hoste, virum. 110
Sæpe malis stupeo, rerumque oblita locique
Ignara tetigi Scyria membra manu;
Utque nefas sensi, male corpora tacta relinquo,
Et mihi pollutas credor habere manus.
Sæpe Neoptolemi pro nomine nomen Orestæ
Exit: et errorem vocis, ut omen, amo. 116
Per genus infelix juro, generisque parentem,
Qui freta, qui terras, qui sua regna quatit;

Per patris ossa tui, patrui mihi; quæ tibi debent,
Quod se sub tumulo fortiter ulta jacent: 120
Aut ego præmoriar, primoque extinguar in ævo;
Aut ego Tantalidæ Tantalis uxor ero.

EPISTOLA IX.

DEIANIRA HERCULI.

Gratulor Œchaliam titulis accedere nostris:
Victorem victæ succubuisse queror.
Fama Pelasgiadas subito pervenit in urbes
Decolor, et factis inficianda tuis;
Quem nunquam Juno, seriesque immensa laborum 5
Fregerit, huic Iolen imposuisse jugum.
Hoc velit Eurystheus, velit hoc germana Tonantis:
Lætaque sit vitæ labe noverca tuæ.
At non ille velit, cui nox (si creditur) una
Non tanti, ut tantus conciperere, fuit. 10
Plus tibi, quam Juno, nocuit Venus. Illa premendo
Sustulit; hæc humili sub pede colla tenet.
Respice vindicibus pacatum viribus orbem,
Qua latam Nereus cærulus ambit humum.
Se tibi pax terræ, tibi se tuta æquora debent:
Implesti meritis Solis utramque domum. 16
Quod te laturum est, cœlum prior ipse tulisti:
Hercule supposito sidera fulcit Atlas.
Quid nisi notitia est misero quæsita pudori,
Si maculas turpi facta priora notas? 20
Tene ferunt geminos pressisse tenaciter angues,
Cum tener in cunis jam Jove dignus eras?
Cœpisti melius, quam desinis. Ultima primis
Cedunt: dissimiles hic vir, et ille puer.
Quem non mille feræ, quem non Sthenelcius hostis, 25
Non potuit Juno vincere; vincit Amor.
At bene nupta feror, quia nominer Herculis uxor:
Sitque socer, rapidis qui tonat altus equis.
Quam male inæquales veniant ad aratra juvenci,
Tam premitur magno conjuge nupta minor.
Non honor est, sed onus: species læsura ferentem. 31
Si qua voles apte nubere, nube pari.
Vir mihi semper abest; et conjuge notior hospes
Monstraque, terribiles persequiturque feras.
Ipsa domo vidua, votis operata pudicis, 35
Torqueor, infesto ne vir ab hoste cadat.
Inter serpentes, aprosque, avidosque leones
Jactor, et esuros terna per ora canes.
Me pecudum fibræ, simulacraque inania somni,
Ominaque arcana nocte petita movent. 40
Aucupor infelix incertæ murmura famæ:
Speque timor dubia, spesque timore cadit.
Mater abest; queriturque deo placuisse potenti;
Nec pater Amphitryon, nec puer Hyllus adest.
Arbiter Eurystheus iræ Junonis iniquæ 45
Sentitur nobis, iraque longa deæ. [amores.
Hæc mihi ferre parum est: peregrinos addis
Et mater de te quælibet esse potest.
Non ego Partheniis temeratam vallibus Augen,
Nec referam partus, Ormeni nympha, tuos; 50
Non tibi crimen erunt Teuthrantia turba sorores,
Quarum de populo nulla relicta tibi.
Una, recens crimen, præfertur adultera nobis,
Unde ego sum Lydo facta noverca Lamo.
Mæandros, toties qui terris errat in isdem, 55
Qui lassas in se sæpe retorquet aquas,
Vidit in Herculeo suspensa monilia collo;
Illo, cui cœlum sarcina parva fuit.
Non puduit fortes auro cohibere lacertos,
Et solidis gemmas apposuisse toris. 60
Nempe sub his animam pestis Nemeæa lacertis
Edidit: unde humerus tegmina lævus habet.
Ausus es hirsutos mitra redimire capillos:
Aptior Herculeæ populus alba comæ.
Nec te Mæonia, lascivæ more puellæ, 65
Incingi zona dedecuisse putas?
Non tibi succurrit crudi Diomedis imago,
Efferus humana qui dape pavit equas?
Si te vidisset cultu Busiris in isto,
Huic victor victo nempe pudendus eras. 70
Detrahat Antæus duro redimicula collo;
Ne pigeat molli succubuisse viro.
Inter Ioniacas calathum tenuisse puellas
Diceris, et dominæ pertimuisse minas.
Non fugis, Alcide, victricem mille laborum 75
Rasilibus calathis imposuisse manum?
Crassaque robusto deducis pollice fila,
Æquaque famosæ pensa rependis heræ?
Ah quoties, digitis dum torques stamina duris,
Prævalidæ fusos comminuere manus! 80
Crederis, infelix, scuticæ tremefactus habenis
Ante pedes dominæ procubuisse tuæ.
Eximias pompas, præconia summa triumphi,
Factaque narrabas dissimulanda tibi.
Scilicet immanes elisis faucibus hydros 85
Infantem cunis involuisse manum?
Ut Tegeæus aper cupressifero Erymantho
Incubet, et vasto pondere lædat humum?
Non tibi Threiciis affixa penatibus ora,
Non hominum pingues cæde tacentur equæ?
Prodigiumque triplex, armenti dives Iberi 91
Geryones; quamvis in tribus unus erat?
Inque canes totidem trunco digestus ab uno
Cerberos, implicitis angue minante comis?
Quæque redundabat fecundo vulnere serpens
Fertilis, et damnis dives ab ipsa suis? [tum,
Quique inter lævumque latus, lævumque lacer-
Prægrave compressa fauce pependit onus?
Et male confisum pedibus formaque bimembri
Pulsum Thessalicis agmen equestre jugis?
Hæc tu Sidonio potes insignitus amictu 101
Dicere? non cultu lingua retenta silet?
Se quoque nympha tuis ornavit Iardanis armis,
E tulit e capto bina tropæa viro.
I nunc, tolle animos, et fortia facta recense:
Quod tu non esses jure, vir illa fuit: 106
Qua tanto minor es, quanto te, maxime rerum,
Quam quos vicisti, vincere majus erat.
Illi procedit rerum mensura tuarum.
Cede bonis: hæres laudis amica tuæ. 110
Pro pudor! hirsuti costas exuta leonis
Aspera texerunt vellera molle latus.
Falleris, et nescis: non sunt spolia ista leonis,
Sed tua; tuque feri victor es, illa tui.
Fœmina tela tulit Lernæis atra venenis, 115
Ferre gravem lana vix satis apta colum:
Instruxitque manum clava domitrice ferarum:
Vidit et in speculo conjugis arma sui.
Hæc tamen audieram: licuit non credere famæ;
En venit ad sensus mollis ab aure dolor. 120
Ante meos oculos adducitur advena pellex:
Nec mihi, quæ patior, dissimulare licet.
Non sinis averti; mediam captiva per urbem
Invitis oculis adspicienda venit.
Nec venit incultis, captarum more, capillis, 125
Fortunam vultus fassa tegendo suos.

Ingreditur late lato spectabilis auro :
Qualiter in Phrygia tu quoque cultus eras.
Dat vultum populo sublimis ab Hercule victo :
Œchaliam vivo stare parente putes. 130
Forsitan et, pulsa Ætolide Deianira,
Nomine deposito pellicis, uxor erit :
Eurytidosque Ioles, atque insani Alcidæ
Turpia famosus corpora junget Hymen.
Mens fugit admonitu, frigusque perambulat artus,
Et jacet in gremio languida facta manus. 136
Me quoque cum multis, sed me sine crimine, amasti :
Ne pigeat, pugnæ bis tibi causa fui.
Cornua flens leget ripis Achelous in udis,
Truncaque limosa tempora mersit aqua. 140
Semivir occubuit in letifero Eveno
Nessus, et infecit sanguis equinus aquas.
Sed quid ego hæc refero ? scribenti nuntia venit
Fama, virum tunicæ tabe perire meæ.
Hei mihi ! quid feci ? quo me furor egit amantem?
Impia quid dubitas Deianira mori ? 146
An tuus in media conjux lacerabitur Œta ;
Tu, sceleris tanti causa, superstes eris ?
Si quid adhuc habeo facti, cur Herculis uxor
Credar ; conjugii mors mihi pignus erit. 150
Tu quoque cognosces in me, Meleagre, sororem.
Impia quid dubitas Deianira mori ?
Heu devota domus ! solio sedet Agrios alto :
Œnea desertum nuda senecta premit.
Exulat ignotis Tydeus germanus in oris. 155
Alter fatali [vivus] in igne fuit.
Exegit ferrum sua per præcordia mater.
Impia quid dubitas Deianira mori ?
Deprecor hoc unum, per jura sacerrima lecti ;
Ne videar fatis insidiata tuis. 160
Nessus, ut est avidum percussus arundine pectus,
Hic, dixit, vires sanguis amoris habet.
Illita Nesseo misi tibi texta veneno.
Impia quid dubitas Deianira mori ? [Gorge,
Jamque vale, seniorque pater, germanaque
Et patria, et patriæ frater ademte tuæ. 166
Et tu, lux oculis hodierna novissima nostris,
Virque, (sed o possis !) et puer Hylle, vale.

EPISTOLA X.

ARIADNE THESEO.

Mitius inveni, quam te, genus omne ferarum :
Credita non ulli, quam tibi, pejus eram.
Quæ legis, ex illo, Theseu, tibi littore mitto,
Unde tuam sine me vela tulere ratem :
In quo me somnusque meus male prodidit, et tu,
Per facinus somnis insidiate meis. 6
Tempus erat, vitrea quo primum terra pruina
Spargitur, et tectæ fronde queruntur aves.
Incertum vigilans, a somno languida, movi
Thesea pressuras semisupina manus. 10
Nullus erat : referoque manus, iterumque retento,
Perque torum moveo brachia : nullus erat.
Excussere metus somnum. Conterrita surgo :
Membraque sunt viduo præcipitata toro.
Protinus adductis sonuerunt pectora palmis : 15
Utque erat a somno turbida, rapta coma est.
Luna fuit : specto, si quid, nisi littora, cernam.
Quod videant oculi, nil, nisi littus, habent.
Nunc huc, nunc illuc, et utroque sine ordine curro :
Alta puellares tardat arena pedes. 20
Interea toto clamanti littore, Theseu,
Reddebant nomen concava saxa tuum :
Et quoties ego te, toties locus ipse vocabat.
Ipse locus miseræ ferre volebat opem.
Mons fuit ; apparent frutices in vertice rari : 25
Hinc scopulus raucis pendet adesus aquis
Adscendo, (vires animus dabat) atque ita late
Æquora prospectu metior alta meo.
Inde ego (nam ventis quoque sum crudelibus usa)
Vidi præcipiti carbasa tenta Noto. 30
Aut vidi, aut, etiam, cum me vidisse putarem,
Frigidior glacie semianimisque fui.
Nec languere diu patitur dolor. Excitor illo,
Excitor, et summa Thesea voce voco.
Quo fugis ? exclamo : scelerate, revertere, Theseu. 35
Flecte ratem : numerum non habet illa suum.
Hæc ego. Quod voci deerat, plangore replebam.
Verbera cum verbis mixta fuere meis.
Si non audires, ut saltem cernere posses,
Jactatæ late signa dedere manus. 40
Candidaque imposui longæ velamina virgæ,
Scilicet oblitos admonitura mei.
Jamque oculis ereptus eras : tum denique flevi.
Torpuerant molles ante dolore genæ.
Quid potius facerent, quam me mea lumina flerent,
Postquam desierant vela videre tua ? 46
Aut ego diffusis erravi sola capillis,
Qualis ab Ogygio concita Baccha deo :
Aut mare prospiciens in saxo frigida sedi :
Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui. 50
Sæpe torum repeto, qui nos acceperat ambos,
Sed non acceptos exhibiturus erat.
Et tua, qua possum, pro te, vestigia tango,
Strataque quæ membris intepuere tuis.
Incumbo, lacrymisque toro manante profusis,
Pressimus, exclamo, te duo : redde duos. 56
Venimus huc ambo : cur non discedimus ambo ?
Perfide, pars nostri, lectule, major ubi est ?
Quid faciam ? quo sola ferar ? vacat insula cultu.
Non hominum video, non ego facta boum. 60
Omne latus terræ cingit mare. Navita nusquam,
Nulla per ambiguas puppis itura vias.
Finge dari comitesque mihi, ventosque, ratemque;
Quid sequar ? accessus terra paterna negat.
Ut rate felici pacata per æquora labar, 65
Temperet ut ventos Æolus ; exul ero.
Non ego te, Crete, centum digesta per urbes,
Adspiciam, puero cognita terra Jovi.
Nam pater, et tellus justo regnata parenti,
Prodita sunt facto, nomina cara, meo : 70
Cum tibi, ne victor tecto morerere recurvo,
Quæ regerent passus, pro duce fila dedi.
Cum mihi dicebas, Per ergo ipsa pericula juro,
Te fore, dum nostrum vivet uterque meam.
Vivimus : et non sum, Theseu, tua : si modo vivis, 75
Fœmina, perjuri fraude sepulta viri.
Me quoque, qua fratrem, mactasses, improbe, clava.
Esset, quam dederas, morte soluta fides.
Nunc ego non tantum, quæ sum passura, recordor,
Sed quæcunque potest ulla relicta pati. 80
Occurrunt animo pereundi mille figuræ : [bet.
Morsque minus pœnæ, quam mora mortis, ha-
Jam jam venturos aut hac, aut suspicor illac,
Qui lanient avido viscera dente, lupos.
Forsitan et fulvos tellus alat ista leones. 85
Quis scit an hæc sævas tigridas insula habet ?
Et freta dicuntur magnas expellere phocas.
Quid vetat et gladios per latus ire meum ?

Tantum ne religer dura captiva catena,
Neve traham serva grandia pensa manu: 90
Cui pater est Minos, cui mater filia Phœbi:
Quodque magis memini, quæ tibi pacta fui.
Si mare, si terras, porrectaque littora vidi;
Multa mihi terræ, multa minantur aquæ.
Cœlum restabat: timeo simulacra deorum. 95
Destituor rabidis præda cibusque feris.
Sive colunt habitantque viri, diffidimus illis.
Externos didici læsa timere viros.
Viveret Androgeos utinam: nec facta luisses
Impia funeribus, Cecropi terra, tuis: 100
Nec tua mactasset nodoso stipite, Theseu,
Ardua parte virum dextera, parte bovem:
Nec tibi, quæ reditus monstrarent, fila dedissem,
Fila per adductas sæpe recepta manus!
Non equidem miror, si stat victoria tecum. 105
Strataque Cretæam bellua tinxit humum.
Non poterant figi præcordia ferrea cornu:
Ut te non tegeres, pectore tutus eras.
Illic tu silices, illic adamanta tulisti:
Illic, qui silices, Thesea, vincat, habes. 110
Crudeles somni, quid me tenuistis inertem!
At semel æterna nocte premenda fui.
Vos quoque, crudeles venti, nimiumque parati,
Flaminaque in lacrymas officiosa meas;
Dextera crudelis, quæ me fratremque necavit;
Et data poscenti, nomen inane, fides. 116
In me jurarunt somnus, ventusque, fidesque.
Prodita sum causis una puella tribus.
Ergo ego nec lacrymas matris moritura videbo,
Nec, mea qui digitus lumina condat, erit? 120
Spiritus infelix peregrinas ibit in auras;
Nec positos artus unguet amica manus?
Ossa superstabunt volucres inhumata marinæ?
Hæc sunt officiis digna sepulcra meis?
Ibis Cecropios portus; patriaque receptus 125
Cum steteris urbis celsus in arce tuæ,
Et bene narraris letum taurique virique,
Sectaque per dubias saxea tecta vias;
Me quoque narrato sola tellure relictam:
Non ego sum titulis surripienda tuis. 130
Nec pater est Ægeus, nec tu Pittheidos Æthræ
Filius: auctores saxa fretumque tui.
Dî facerent, ut me summa de puppe videres!
Movisset vultus mæsta figura tuos. [mente
Nunc quoque non oculis, sed, qua potes, adspice
Hærentem scopulo, quem vaga pulsat aqua.
Adspice demissos lugentis in ore capillos,
Et tunicas lacrymis, sicut ab imbre, graves.
Corpus, ut impulsæ segetes Aquilonibus, horret:
Litteraque articulo pressa tremente labat. 140
Non te per meritum, quoniam male cessit, adoro.
Debita sit facto gratia nulla meo;
Sed nec pœna quidem. Si non ego causa salutis,
Non tamen est, cur sis tu mihi causa necis.
Has tibi, plangendo lugubria pectora lassas,
Infelix tendo trans freta longa manus. 146
Has tibi, qui superant, ostendo mæsta capillos.
Per lacrymas oro, quas tua facta movent:
Flecte ratem, Theseu, versoque relabere velo.
Si prius occidero; tu tamen ossa leges. 150

EPISTOLA XI.

CANACE MACAREO.

Si qua tamen cæcis errabunt scripta lituris,
Oblitus a dominæ cæde libellus erit.
Dextra tenet calamum; strictum tenet altera ferrum;
Et jacet in gremio charta soluta meo.
Hæc est Æolidos fratri scribentis imago: 5
Sic videor duro posse placere patri.
Ipse necis cuperem nostræ spectator adesset,
Auctorisque oculis exigeretur opus.
Ut ferus est, multoque suis truculentior Euris,
Spectasset siccis vulnera nostra genis. 10
Scilicet est aliquid cum sævis vivere ventis:
Ingenio populi convenit ille sui.
Ille Noto Zephyroque, et Sithonio Aquiloni
Imperat, et pennis, Eure proterve, tuis.
Imperat (heu) ventis, tumidæ non imperat iræ:
Possidet et vitiis regna minora suis. 16
Quid juvat admotam per avorum nomina cœlo
Inter cognatos posse referre Jovem?
Num minus infestum, funebria munera, ferrum
Fœminea teneo, non mea tela, manu? 20
O utinam, Macareu, quæ nos commisit in unum,
Venisset leto serior hora meo!
Cur unquam plus me, frater, quam frater amasti?
Et tibi, non debet quod soror esse, fui?
Ipsa quoque incalui: qualemque audire solebam, 25
Nescio quem sensi corde tepente deum.
Fugerat ore color: macies adduxerat artus:
Sumebant minimos ora coacta cibos.
Nec somni faciles, et nox erat annua nobis:
Et gemitum nullo læsa dolore dabam. 30
Nec cur hæc facerem, poteram mihi reddere causam:
Nec noram, quid amans esset: at illud eram.
Prima malum nutrix animo præsensit anili:
Prima mihi nutrix, Æoli, dixit, amas.
Erubui, gremioque pudor dejecit ocellos. 35
Hæc satis in tacita signa fatentis erant.
Jamque tumescebant vitiati pondera ventris,
Ægraque furtivum membra gravabat onus.
Quas mihi non herbas, quæ non medicamina nutrix
Attulit, audaci supposuitque manu; 40
Ut penitus nostris (hoc te celavimus unum)
Visceribus crescens excuteretur onus?
Ah! nimium vivax admotis restitit infans
Artibus, et tecto tutus ab hoste fuit.
Jam novies erat orta soror pulcherrima Phœbi,
Denaque luciferos Luna movebat equos. 46
Nescia quæ faceret subitos mihi causa dolores,
Et rudis ad partus, et nova miles eram.
Nec tenui vocem. Quid, ait, tua crimina prodis?
Oraque clamantis conscia pressit anus. 50
Quid faciam infelix? gemitus dolor edere cogit;
Sed timor, et nutrix, et pudor ipse, vetant.
Contineo gemitus, elapsaque verba reprendo,
Et cogor lacrymas combibere ipsa meas. 54
Mors erat ante oculos; et opem Lucina negabat;
Et grave, si morerer, mors quoque crimen erat.
Cum superincumbens, scissa tunicaque comaque,
Pressa refovisti pectora nostra tuis;
Et mihi, Vive soror, soror o carissima, dixti,
Vive: nec unius corpore perde duos. 60
Spes bona det vires: fratri nam nupta futura es.
Illius, es de quo mater, et uxor eris.
Mortua (crede mihi) tamen ad tua verba revixi:
Et positum est uteri crimen onusque mei.
Quid tibi grataris? media sedet Æolus aula: 65
Crimina sunt oculis surripienda patris.
Frugibus infantem, ramisque albentis olivæ,
Et levibus vittis sedula celat anus:
Fictaque sacra facit, dicitque precantia verba.
Dat populus sacris, dat pater ipse, viam.

Jam prope limen erat: patrias vagitus ad aures
Venit, et indicio proditur ille suo.
Eripit infantem, mentitaque sacra revelat
Æolus: insana regia voce sonat.
Ut mare fit tremulum, tenui cum stringitur aura;
Ut quatitur tepido fraxina virga Noto; 76
Sic mea vibrari pallentia membra videres.
Quassus ab imposito corpore lectus erat.
Irruit, et nostrum vulgat clamore pudorem:
Et vix a misero continet ore manus. 80
Ipsa nihil, præter lacrymas, pudibunda profudi:
Torpuerat gelido lingua retenta metu.
Jamque dari parvum canibusque avibusque nepotem
Jusserat, in solis destituique locis.
Vagitus dedit ille miser, (sensisse putares) 85
Quaque suum poterat voce rogabat avum.
Quid mihi tunc animi credas, germane, fuisse,
(Nam potes ex animo colligere ipse tuo)
Cum mea me coram sylvas inimicus in altas
Viscera montanis ferret edenda lupis? 90
Exierat thalamo: tunc demum pectora plangi
Contigit, inque meas unguibus ire genas.
Interea patrius vultu mærente satelles
Venit, et indignos edidit ore sonos:
Æolus hunc ensem mittit tibi, (tradidit ensem)
Et jubet ex merito scire, quid iste velit. 96
Scimus; et utemur violento fortiter ense:
Pectoribus condam dona paterna meis.
His mea muneribus, genitor, connubia donas?
Hac tua dote, pater, filia dives erit? 100
Tolle procul decepte faces, Hymenæe, maritas,
Et fuge turbato tecta nefanda pede.
Ferte faces in me, quas fertis, Erinnyes atræ,
Ut meus ex isto luceat igne rogus.
Nubite felices Parca meliore sorores: 105
Admissi memores sed tamen este mei.
Quid puer admisit, tam paucis editus horis?
Quo læsit facto, vix bene natus, avum?
Si potuit meruisse necem, meruisse putetur.
Ah miser admisso plectitur ille meo! 110
Nate dolor matris, rabidarum præda ferarum,
(Hei mihi) natali dilacerate tuo:
Nate, parum fausti miserabile pignus amoris;
Hæc tibi prima dies, hæc tibi summa fuit.
Non mihi te licuit lacrymis perfundere justis,
In tua non tonsas ferre sepulcra comas; 116
Non superincubui; non oscula frigida carpsi;
Diripiunt avidæ viscera nostra feræ. [bras;
Ipsa quoque infantes cum vulnere prosequar um-
Nec mater fuero dicta, nec orba, diu. 120
Tu tamen, o frustra miseræ sperate sorori,
Sparsa, precor, nati collige membra tui:
Et refer ad matrem, socioque impone sepulcro:
Urnaque nos habeat, quamlibet arcta, duos.
Vive memor nostri, lacrymasque in vulnera funde:
Neve reformida corpus amantis amans. 126
[Tu (rogo) projectæ nimium mandata sororis
Perfer: mandatis perfruar ipsa patris.]

EPISTOLA XII.

MEDEA JASONI.

At tibi Colchorum (memini) regina vacavi,
Ars mea, cum peteres, ut tibi ferret opem.
Tunc, quæ dispensant mortalia fila, sorores
Debuerant fusos evoluisse meos.
Tunc potui Medea mori bene. Quicquid ab illo
Produxi vitæ tempore, pœna fuit. 6
Hei mihi! cur unquam juvenilibus acta lacertis
Phryxeam petiit Pelias arbor ovem?
Cur unquam Colchi Magnetida vidimus Argo,
Turbaque Phasiacam Graia bibistis aquam? 10
Cur mihi plus æquo flavi placuere capilli,
Et decor, et linguæ gratia ficta tuæ? [nas
Aut (semel in nostras quoniam nova puppis are-
Venerat, audaces attuleratque viros,)
Isset anhelatos non præmedicatus in ignes 15
Immemor Æsonides, oraque adunca boum.
Semina jecisset, totidem sensisset et hostes:
Ut caderet cultu cultor ab ipse suo.
Quantum perfidiæ tecum, scelerate, perisset!
Demta forent capiti quam mala multa meo! 20
Est aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas:
Hac fruar: hæc de te gaudia sola feram.
Jussus inexpertam Colchos advertere puppim,
Intrasti patriæ regna beata meæ.
Hoc illic Medea fui, nova nupta quod hic est.
Quam pater est illi, tam mihi dives erat. 26
Hic Ephyren bimarem, Scythiæ latus ille nivosæ
Omne tenet, Ponti qua plaga læva jacet.
Accipit hospitio juvenes Æeta Pelasgos,
Et premitis pictos corpora Graia toros. 30
Tunc ego te vidi: tunc cœpi scire quid esses.
Illa fuit mentis prima ruina meæ.
Ut vidi, ut perii; nec notis ignibus arsi,
Ardet ut ad magnos pinea tæda deos.
Et formosus eras, et me mea fata trahebant: 35
Abstulerant oculi lumina nostra tui.
Perfide, sensisti: quis enim bene celat amorem?
Eminet indicio prodita flamma suo.
Dicitur interea tibi lex, ut dura ferorum
Insolito premeres vomere colla boum. 40
[Martis erant tauri plus, quam per cornua, sævi,
Quorum terribilis spiritus ignis erat.]
Ære pedes solidi, prætentaque naribus æra,
Nigra per afflatus hæc quoque facta suos.
Semina præterea populos genitura juberis 45
Spargere devota lata per arva manu,
Qui peterent secum natis tua corpora telis:
Illa est agricolæ messis iniqua suo.
Lumina custodis succumbere nescia somno
Ultimus est aliqua decipere arte labor. 50
Dixerat Æetes. Mæsti consurgitis omnes,
Mensaque purpureos deserit alta toros.
Quam tibi tunc longe regnum dotale Creusæ,
Et socer, et magni nata Creontis erant?
Tristis abis. Oculis abeuntem prosequor udis,
Et dixit tenui murmure lingua, Vale. 56
Ut positum tetigi thalamo male saucia lectum,
Acta est per lacrymas nox mihi, quanta fuit.
Ante oculos taurique truces, segetesque nefandæ,
Ante meos oculos pervigil anguis erat. 60
Hinc amor, hinc timor est. Ipsum timor auget amorem.
Mane erat, et thalamo cara recepta soror;
Disjectamque comas aversaque in ora jacentem
Invenit, et lacrymis omnia plena meis.
Orat opem Minyis: petit altera, et alter habebit.
Æsonio juveni, quod rogat illa, damus. 66
Est nemus, et piceis et frondibus ilicis atrum:
Vix illud radiis solis adire licet.
Sunt in eo, fuerantque diu, delubra Dianæ:
Aurea barbarica stat dea facta manu. 70
Nostin', an exciderunt mecum loca? venimus illuc;
Orsus es infido sic prior ore loqui:
Jus tibi et arbitrium nostræ fortuna salutis
Tradidit, inque tua vitaque morsque manu. 74

Perdere posse sat est, si quem juvet ipsa potestas;
Sed tibi servatus gloria major ero. [vamen;
Per mala nostra precor, quorum potes esse le-
Per genus, et numen cuncta videntis avi;
Per triplicis vultus, arcanaque sacra Dianæ,
Et si forte alios gens habet ista deos; 80
O virgo, miserere mei; miserere meorum:
Effice me meritis tempus in omne tuum.
Quod si forte virum non dedignare Pelasgum,
(Sed mihi tam faciles unde, meosque deos?)
Spiritus ante meus tenues vanescat in auras, 85
Quam thalamo, nisi tu, nupta sit ulla meo.
Conscia sit Juno, sacris præfecta maritis,
Et dea, marmorea cujus in æde sumus.
Hæc animum (et quota pars hæc sunt?) movere puellæ
Simplicis; et dextræ dextera juncta meæ. 90
Vidi etiam lacrymas. An pars est fraudis in illis?
Sic cito sum verbis capta puella tuis.
Jungis et æripedes inadusto corpore tauros,
Et solidam jusso vomere findis humum.
Arva venenatis pro semine dentibus imples: 95
Nascitur, et gladios scutaque miles habet.
Ipsa ego, quæ dederam medicamina, pallida sedi,
Cum vidi subitos arma tenere viros:
Donec terrigenæ (facinus miserabile) fratres
Inter se strictas conseruere manus. 100
Pervigil ecce draco squamis crepitantibus horrens
Sibilat, et torto pectore verrit humum.
Dotis opes ubi tunc? ubi tunc tibi regia conjux?
Quique maris gemini distinet Isthmos aquas?
Illa ego, quæ tibi sum nunc denique barbara facta, 105
Nunc tibi sum pauper, nunc tibi visa nocens;
Flammea subduxi medicato lumina somno,
Et tibi, quæ raperes, vellera tuta dedi. [qui;
Proditus est genitor; regnum patriamque reli-
Munus in exilio quodlibet esse tuli. 110
Virginitas facta est peregrini præda latronis;
Optima cum cara matre relicta soror.
At non te fugiens sine me, germane, reliqui.
Deficit hoc uno littera nostra loco.
Quod facere ausa mea est, non audet scribere dextra. 115
Sic ego, sed tecum, dilaceranda fui. [rem?)
Nec tamen extimui (quid enim post illa time-
Credere me pelago fœmina, jamque nocens.
Numen ubi est? ubi dî? meritas subeamus in alto,
Tu fraudis pœnas, credulitatis ego. 120
Complexos utinam Symplegades elisissent,
Nostraque adhærerent ossibus ossa tuis!
Aut nos Scylla rapax canibus misisset edendos!
Debuit ingratis Scylla nocere viris:
Quæque vomit fluctus totidem, totidemque resorbet, 125
Nos quoque Trinacriæ supposuisset aquæ!
Sospes ad Hæmonias victorque reverteris urbes:
Ponitur ad patrios aurea lana deos.
Quid referam Peliæ natas pietate nocentes,
Cæsaque virginea membra paterna manu? 130
Ut culpent alii, tibi me laudare necesse est,
Pro quo sum toties esse coacta nocens.
Ausus es o, (justo desunt sua verba dolori)
Ausus es, Æsonia, dicere, cede domo.
Jussa domo cessi, natis comitata duobus, 135
Et, qui me sequitur semper, amore tui.
Ut subito nostras Hymen cantatus ad aures
Venit, et accenso lampades igne micant,
Tibiaque effundit socialia carmina vobis,
At mihi funerea flebiliora tuba; 140
Pertimui; nec adhuc tantum scelus esse putabam:
Sed tamen in toto pectore frigus erat.
Turba ruunt, et, Hymen, clamant, Hymenæe, frequentant.
Quo propior vox hæc, hoc mihi pejus erat.
Diversi flebant servi, lacrymasque tegebant.
Quis vellet tanti nuntius esse mali? 146
Me quoque, quicquid erat, potius nescire juvabat:
Sed, tanquam scirem, mens mihi tristis erat.
Cum minor e pueris, jussus, studioque videndi,
Constitit ad geminæ limina prima foris: 150
Hic mihi, Mater, abi; pompam pater, inquit, Iason
Ducet, et adjunctos aureus urguet equos.
Protinus abscissa planxi mea pectora veste,
Tuta nec a digitis ora fuere meis.
Ire animus mediæ suadebat in agmina turbæ,
Sertaque compositis demere rapta comis. 156
Vix me continui, quin sic laniata capillos
Clamarem, Meus est, injiceremque manus.
Læse pater, gaude: Colchi gaudete relicti:
Inferias, umbræ fratris, habete, mei. 160
Deseror, amissis regno, patriaque, domoque,
Conjuge: qui nobis omnia solus erat.
Serpentes igitur potui, taurosque furentes,
Unum non potui perdomuisse virum? 164
Quæque feros pepuli doctis medicatibus ignes,
Non valeo flammas effugere ipsa meas?
Ipsi me cantus, herbæque, artesque relinquunt?
Nil dea, nil Hecates sacra potentis agunt?
Non mihi grata dies: noctes vigilantur amaræ;
Nec tener in misero pectore somnus adest. 170
Quæ me non possum, potui sopire draconem.
Utilior cuivis, quam mihi, cura mea est.
Quos ego servavi, pellex amplectitur artus:
Et nostri fructus illa laboris habet.
Forsitan et, stultæ dum te jactare maritæ 175
Quæris, et injustis auribus apta loqui,
In faciem moresque meos nova crimina fingas.
Rideat, et vitiis læta sit illa meis.
Rideat, et Tyrio jaceat sublimis in ostro;
Flebit, et ardores vincet adusta meos. 180
Dum ferrum flammæque aderunt, succusque veneni,
Hostis Medeæ nullus inultus erit.
Quod si forte preces præcordia ferrea tangunt,
Nunc animis audi verba minora meis.
Tam tibi sum supplex, quam tu mihi sæpe fuisti:
Nec moror ante tuos procubuisse pedes. 186
Si tibi sum vilis, communes respice natos.
Sæviet in partus dira noverca meos.
Et nimium similes tibi sunt: et imagine tangor:
Et, quoties video, lumina nostra madent. 190
Per superos oro, per avitæ lumina flammæ,
Per meritum, et natos, pignora nostra, duos:
Redde torum, pro quo tot res insana reliqui.
Adde fidem dictis; auxiliumque refer.
Non ego te imploro contra taurosque virosque,
Utque tua serpens victa quiescat ope. 196
Te peto, quem merui, quem nobis ipse dedisti;
Cum quo sum pariter facta parente parens.
Dos ubi sit, quæris? campo numeravimus illo,
Qui tibi laturo vellus arandus erat. 200
Aureus ille aries, villo spectabilis aureo,
Dos mea: quam, dicam si tibi, redde; neges.
Dos mea, tu sospes: dos est mea Graia juventus.
I nunc, Sisyphias, improbe, confer opes.

Quod vivis; quod habes nuptam, socerumque potentem; 205
Hoc ipsum, ingratus quod potes esse, meum est. [nam
Quos equidem actutum! sed quid prædicere pœ-
Attinet? ingentes parturit ira minas.
Quo feret ira, sequar. Facti fortasse pigebit.
Et piget infido consuluisse viro. 210
Viderit ista deus, qui nunc mea pectora versat.
Nescio quid certe mens mea majus agit.

EPISTOLA XIII.

LAODAMIA PROTESILAO.

Mittit, et optat amans, quo mittitur, ire, salutem,
Hæmonis Hæmonio Laodamia viro.
Aulide te fama est vento retinente morari.
Ah! me cum fugeres, hic ubi ventus erat?
Tum freta debuerant vestris obsistere remis. 5
Illud erat sævis utile tempus aquis.
Oscula plura viro, mandataque plura dedissem:
Et sunt quæ volui dicere plura tibi.
Raptus es hinc præceps: et, qui tua vela vocaret,
Quem cuperent nautæ, non ego, ventus erat.
Ventus erat nautis aptus, non aptus amanti. 11
Solvor ab amplexu, Protesilae, tuo;
Linguaque mandantis verba imperfecta relinquit;
Vix illud potuit dicere triste, Vale.
Incubuit Boreas, abreptaque vela tetendit; 15
Jamque meus longe Protesilaus erat.
Dum potui spectare virum, spectare juvabat:
Sumque tuos oculos usque secuta meis.
Ut te non poteram, poteram tua vela videre:
Vela diu vultus detinuere meos. 20
At postquam nec te, nec vela fugacia vidi,
Et quod spectarem, nil, nisi pontus, erat;
Lux quoque tecum abiit; tenebris exsanguis obortis
Succiduo dicor procubuisse genu.
Vix socer Iphiclus, vix me grandævus Acastus,
Vix mater gelida mæsta refecit aqua. 26
Officium fecere pium, sed inutile nobis.
Indignor miseræ non licuisse mori.
Ut rediit animus, pariter rediere dolores;
Pectora legitimus casta momordit amor. 30
Nec mihi pectendos cura est præbere capillos,
Nec libet aurata corpora veste tegi.
Ut quas pampinea tetigisse Bicorniger hasta
Creditur, huc illuc, quo furor egit, eo.
Conveniunt matres Phylleïdes, et mihi clamant,
Indue regales, Laodamia, sinus. 36
Scilicet ipsa geram saturatas murice vestes:
Bella sub Iliacis mœnibus ille gerat?
Ipsa comas pectar: galea caput ille prematur?
Ipsa novas vestes: dura vir arma ferat? 40
Qua possum, squalore tuos imitata labores
Dicar, et hæc belli tempora tristis agam.
Dux Pari Priamide, damno formose tuorum,
Tam sis hostis iners, quam malus hospes eras.
Aut te Tænariæ faciem culpasse maritæ, 45
Aut illi vellem displicuisse tuam.
Tu, qui pro rapta nimium, Menelae, laboras,
Hei mihi, quam multis flebilis ultor eris!
Dî, precor, a nobis omen removete sinistrum:
Et sua det reduci vir meus arma Jovi. 50
Sed timeo: quotiesque subit miserabile bellum,
More nivis, lacrymæ, sole madentis, eunt.
Ilion, et Tenedos, Simoisque, et Xanthus, et Ide,
Nomina sunt ipso pæne timenda sono.
Nec rapere ausurus, nisi se defendere posset,
Hospes erat: vires noverat ille suas. 56
Venerat, ut fama est, multo spectabilis auro,
Quique suo Phrygias corpore ferret opes;
Classe virisque potens, per quæ fera bella geruntur;
Et sequitur regni pars quotaquæque sui? 60
His ego te victam, consors Ledæa gemellis,
Suspicor: hæc Danais posse nocere puto.
Hectora nescio quem timeo. Paris Hectora dixit
Ferrea sanguinea bella movere manu.
Hectora, quisquis is est, si sum tibi cara, caveto.
Signatum memori pectore nomen habe. 66
Hunc ubi vitaris, alios vitare memento:
Et multos illic Hectoras esse puta.
Et facito dicas, quoties pugnare parabis,
Parcere me jussit Laodamia sibi. 70
Si cadere Argolico fas est sub milite Trojam,
Te quoque non ullum vulnus habente cadat.
Pugnet, et adversos tendat Menelaus in hostes:
Ut rapiat Paridi, quam Paris ante sibi.
Irruat; et causa quem vincit, vincat et armis. 75
Hostibus e mediis nupta petenda viro est.
Causa tua est dispar. Tu tantum vivere pugna,
Inque pios dominæ posse redire sinus.
Parcite, Dardanidæ, de tot (precor) hostibus uni:
Ne meus ex illo corpore sanguis eat. 80
Non est, quem deceat nudo concurrere ferro,
Sævaque in oppositos pectora ferre viros.
Fortius ille potest multo, cum pugnat amore.
Bella gerant alii; Protesilaus amet.
Nunc fateor; volui revocare; animusque ferebat:
Substitit auspicii lingua timore mali. 86
Cum foribus velles ad Trojam exire paternis,
Pes tuus offenso limine signa dedit.
Ut vidi, ut gemui; tacitoque in pectore dixi,
Signa reversuri sint, precor, ista viri. 90
Hæc tibi nunc refero, ne sis animosus in armis.
Fac meus in ventos hic timor omnis eat.
Sors quoque nescio quem fato designat iniquo,
Qui primus Danaûm Troada tangat humum.
Infelix, quæ prima virum lugebit ademtum! 95
Dî faciant, ne tu strenuus esse velis!
Inter mille rates tua sit millesima puppis,
Jamque fatigatas ultima verset aquas.
Hoc quoque præmoneo: de nave novissimus exi.
Non est, quo properes, terra paterna tibi. 100
Cum venies, remoque move veloque carinam,
Inque tuo celerem littore siste gradum.
Sive latet Phœbus, seu terris altior exstat,
Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte, venis.
Nocte tamen, quam luce, magis. Nox grata puellis, 105
Quarum suppositus colla lacertus habet.
Aucupor in lecto mendaces cælibe somnos.
Dum careo veris, gaudia falsa juvant.
Sed tua cur nobis pallens occurrit imago?
Cur venit a verbis multa querela tuis? 110
Excutior somno, simulacraque noctis adoro;
Nulla caret fumo Thessalis ara meo. [relucet,
Thura damus, lacrymamque super; qua sparsa
Ut solet affuso surgere flamma mero. [tis,
Quando ego, te reducem cupidis amplexa lacer-
Languida lætitia solvar ab ipsa mea? 116
Quando erit, ut lecto mecum bene junctus in uno
Militiæ referas splendida facta tuæ?
Quæ mihi dum referes, quamvis audire juvabit,
Multa tamen capies oscula, multa dabis. 120
Semper in his apte narrantia verba resistunt.
Promtior est dulci lingua retenta mora.

Sed cum Troja subit, subeunt ventique fretumque,
Spes bona sollicito victa timore cadit. [rinas,
Hoc quoque, quod venti prohibent exire ca-
Me movet: invitis ire paratis aquis. 126
Quis velit in patriam vento prohibente reverti?
A patria pelago vela vetante datis.
Ipse suam non præbet iter Neptunus ad urbem.
Quo ruitis? vestras quisque redite domos.
Quo ruitis, Danai? ventos audite vetantes.
Non subiti casus, numinis ista mora est.
Quid petitur tanto nisi turpis adultera bello?
Dum licet, Inachiæ vertite vela rates. 134
Sed quid ego revoco hæc? omen revocantis abesto,
Blandaque compositas aura secundet aquas.
Troasin invideo: quæ si lacrymosa suorum
Funera conspicient, nec procul hostis erit;
Ipsa suis manibus forti nova nupta marito
Imponet galeam, barbaraque arma dabit. 140
Arma dabit; dumque arma dabit, simul oscula sumet;
Hoc genus officii dulce duobus erit:
Producetque virum; dabit et mandata reverti;
Et dicet, Referas ista face arma Jovi. 144
Ille, ferens dominæ mandata recentia secum,
Pugnabit caute, respicietque domum.
Exuet hæc reduci clypeum, galeamque resolvet,
Excipietque suo pectora lassa sinu.
Nos sumus incertæ: nos anxius omnia cogit,
Quæ possunt fieri, facta putare timor. 150
Dum tamen arma geres diverso miles in orbe,
Quæ referat vultus est mihi cera tuos.
Illi blanditias, illi tibi debita verba
Dicimus: amplexus accipit illa meos.
Crede mihi, plus est, quam quod videatur, imago.
Adde sonum ceræ, Protesilaus erit. 156
Hanc specto, teneoque sinu, pro conjuge vero:
Et, tanquam possit verba referre, queror.
Per reditus, corpusque tuum, mea numina, juro;
Perque pares animi conjugiique faces; 160
Perque, quod ut videam canis albere capillis,
Quod tecum possis ipse referre, caput;
Me tibi venturam comitem, quocunque vocaris;
Sive, (quod heu timeo!) sive superstes eris.
Ultima mandato claudetur epistola parvo; 165
Si tibi cura mei, sit tibi cura tui.

EPISTOLA XIV.

HYPERMNESTRA LYNCEO.

Mittit Hypermnestra de tot modo fratribus uni;
Cætera nuptarum crimine turba jacet. [clis.
Clausa domo teneor, gravibusque coercita vin-
Est mihi supplicii causa, fuisse piam.
Quod manus extimuit jugulo demittere ferrum,
Sum rea: laudarer, si scelus ausa forem. 6
Esse ream præstat, quam sic placuisse parenti.
Non piget immunes cædis habere manus.
Me pater igne licet, quem non violavimus, urat,
Quæque aderant sacris, tendat in ora faces; 10
Aut illo jugulet, quem non bene tradidit, ense;
Ut qua non cecidit vir nece, nupta cadam:
Non tamen, ut dicant morientia, Pœnitet, ora,
Efficiet: non es, quam piget esse piam.
Pœniteat sceleris Danaum, sævasque sorores. 15
Hic solet eventus facta nefanda sequi.
Cor pavet admonitu temeratæ sanguine noctis,
Et subitus dextræ præpedit orsa tremor.
Quam tu cæde putes fungi potuisse mariti,
Scribere de facta non sibi cæde timet. 20
Sed tamen experiar. Modo facta crepuscula terris;
Ultima pars noctis, primaque lucis erat:
Ducimur Inachides magni sub tecta tyranni,
Et socer armatas accipit æde nurus.
Undique collucent præcinctæ lampades auro:
Dantur in invitos impia thura focos. 26
Vulgus, Hymen, Hymenæe, vocant: fugit ille vocantes.
Ipsa Jovis conjux cessit ab urbe sua.
Ecce mero dubii, comitum clamore frequentes,
Flore novo madidas impediente comas, 30
In thalamos læti, thalamos sua busta, feruntur,
Strataque corporibus, funere digna, premunt.
Jamque cibo vinoque graves somnoque jacebant,
Securumque quies alta per Argos erat:
Circum me gemitus morientum audire videbar:
Et tamen audibam, quodque verebar, erat. 36
Sanguis abit; mentemque calor corpusque relinquit;
Inque novo jacui frigida facta toro.
Ut leni Zephyro fragiles vibrantur aristæ;
Frigida populeas ut quatit aura comas; 40
Aut sic, aut etiam tremui magis. Ipse jacebas:
Quæque tibi dederam vina, soporis erant.
Excussere metum violenti jussa parentis:
Erigor, et capio tela tremente manu.
Non ego falsa loquar; ter acutum sustulit ensem,
Ter male sublato recidit ense manus. 46
[Admovi jugulo (sine me tibi vera fateri)
Admovi jugulo tela paterna tuo.]
Sed timor et pietas crudelibus obstitit ausis,
Castaque mandatum dextra refugit opus. 50
Purpureos laniata sinus, laniata capillos,
Exiguo dixi talia verba sono:
Sævus, Hypermnestra, pater est tibi: jussa parentis
Effice: germanis sit comes iste suis.
Fœmina sum, et virgo; natura mitis, et annis.
Non faciunt molles ad fera tela manus. 56
Quin age, dumque jacet, fortes imitare sorores.
Credibile est cæsos omnibus esse viros.
Si manus hæc aliquam posset committere cædem,
Morte foret dominæ sanguinolenta suæ. 60
Quo meruere necem patruelia regna tenendo,
Quæ tamen externis danda forent generis?
Finge viros meruisse mori: quid fecimus ipsæ?
Quo mihi commisso non licet esse piæ?
Quid mihi cum ferro? quo bellica tela puellæ?
Aptior est digitis lana colusque meis. 66
Hæc ego: dumque queror, lacrymæ sua verba sequuntur,
Deque meis oculis in tua membra cadunt.
Dum petis amplexus, sopitaque brachia jactas,
Pæne manus telo saucia facta tua est. 70
Jamque patrem, famulosque patris, lucemque timebam.
Expulerunt somnos hæc mea dicta tuos:
Surge age, Belide, de tot modo fratribus unus;
Nox tibi, ni properas, ista perennis erit.
Territus exsurgis: fugit omnis inertia somni.
Adspicis in timida fortia tela manu. 76
Quærenti causam, Dum nox sinit, effuge, dixi.
Dum nox atra sinit, tu fugis: ipsa moror.
Mane erat, et Danaus generos ex cæde jacentes
Dinumerat. Summæ criminis unus abes. 80
Fert male cognatæ jacturam mortis in uno,
Et queritur facti sanguinis esse parum.
Abstrahor a patriis pedibus, raptamque capillis
(Hæc meruit pietas præmia) carcer habet.

Scilicet ex illo Junonia permanet ira, 85
Quo bos ex homine est, ex bove facta dea.
At satis est pœnæ teneram mugisse puellam,
Nec, modo formosam, posse placere Jovi.
Adstitit in ripa liquidi nova vacca parentis,
Cornuaque in patriis non sua vidit aquis: 90
Conatoque queri mugitus edidit ore:
Territaque est forma, territa voce sua.
Quid furis, infelix? quid te miraris in umbra?
Quid numeras factos ad nova membra pedes?
Illa Jovis magni pellex, metuenda sorori, 95
Fronde levas nimiam cespitibusque famem.
Fonte bibis, spectasque tuam stupefacta figuram:
Et te ne feriant, quæ geris, arma, times.
Quæque modo, ut posses etiam Jove digna videri,
Dives eras; nuda nuda recumbis humo. 100
Per mare, per terras, cognataque flumina curris;
Dat mare, dant amnes, dat tibi terra viam.
Quæ tibi causa fugæ? quid, Io, freta longa pererras?
Non poteris vultus effugere ipsa tuos.
Inachi, quo properas? eadem sequerisque fugisque.
Tu tibi dux comiti: tu comes ipsa duci. 106
Per septem Nilus portus emissus in æquor
Exuit insanæ pellicis ora bovi.
Ultima quid refero, quorum mihi cana senectus
Auctor? dant anni quod querar, ecce, mei. 110
Bella pater patruusque gerunt: regnoque domoque
Pellimur. Ejectos ultimus orbis habet.
Ille ferox solus solio sceptroque potitur:
Cum sene nos inopi turba vagamur inops.
De fratrum populo pars exiguissima restas; 115
Quique dati leto, quæque dedere, fleo.
Nam mihi quot fratres, totidem periere sorores.
Accipiat lacrymas utraque turba meas.
En ego, quod vivis, pœnæ crucianda reservor.
Quid fiet sonti, cum rea laudis agar? 120
Et consanguineæ quondam centesima turbæ,
Infelix, uno fratre manente, cadam.
At tu, si qua piæ, Lynceu, tibi cura sororis,
Quæque tibi tribui munera dignus habes;
Vel fer opem; vel dede neci: defunctaque vita
Corpora furtivis insuper adde rogis; 126
Et sepeli lacrymis perfusa fidelibus ossa;
Scriptaque sint titulo nostra sepulcra brevi.
Exul Hypermnestra pretium pietatis iniquum,
Quam mortem fratri depulit, ipsa tulit. 130
Scribere plura libet: sed pondere lassa catenæ
Est manus, et vires subtrahit ipse timor.

EPISTOLA XV.

SAPPHO PHAONI.

Ecquid, ut inspecta est studiosæ litera dextræ,
Protinus est oculis cognita nostra tuis?
An, nisi legisses auctoris nomina Sapphus,
Hoc breve nescires unde veniret opus?
Forsitan et, quare mea sint alterna, requiras, 5
Carmina; cum lyricis sim magis apta modis.
Flendus amor meus est: elegeia flebile carmen.
Non facit ad lacrymas barbitos ulla meas.
Uror, ut, indomitis ignem exercentibus Euris,
Fertilis accensis messibus ardet ager. 10
Arva Phaon celebrat diversa Typhoidos Ætnæ:
Me calor Ætnæo non minor igne coquit.
Nec mihi, dispositis quæ jungam carmina nervis,
Proveniunt; vacuæ carmina mentis opus.
Nec me Pyrrhiades Methymniadesve puellæ, 15
Nec me Lesbiadum cætera turba juvant.
Vilis Anactorie, vilis mihi candida Cydno:
Non oculis grata est Atthis, ut ante, meis:
Atque aliæ centum, quas non sine crimine amavi.
Improbe, multarum quod fuit, unus habes. 20
Est in te facies, sunt apti lusibus anni.
O facies oculis insidiosa meis!
Sume fidem et pharetram; fies manifestus Apollo.
Accedant capiti cornua; Bacchus eris. 24
Et Phœbus Daphnen, et Gnossida Bacchus amavit,
Nec norat lyricos illa, vel illa, modos.
At mihi Pegasides blandissima carmina dictant:
Jam canitur toto nomen in orbe meum.
Nec plus Alcæus, consors patriæque lyræque,
Laudis habet: quamvis grandius ille sonet. 30
Si mihi difficilis formam natura negavit;
Ingenio formæ damna rependo meæ.
Sum brevis; at nomen, quod terras impleat omnes,
Est mihi: mensuram nominis ipsa fero.
Candida si non sum; placuit Cepheia Perseo 35
Andromede, patriæ fusca colore suæ.
Et variis albæ junguntur sæpe columbæ:
Et niger a viridi turtur amatur ave.
Si, nisi quæ facie poterit te digna videri,
Nulla futura tua est; nulla futura tua est. 40
At, me cum legeres, etiam formosa videbar:
Unam jurabas usque decere loqui.
Cantabam; memini: meminerunt omnia amantes:
Oscula cantanti tu mihi rapta dabas.
Hæc quoque laudabas: omnique a parte placebam. 45
Sed tum præcipue, cum fit amoris opus.
Tunc te plus solito lascivia nostra juvabat,
Crebraque mobilitas, aptaque verba joco;
Quique, ubi jam amborum fuerat consumta voluptas,
Plurimus in lasso corpore languor erat. 50
Nunc tibi Sicelides veniunt nova præda puellæ.
Quid mihi cum Lesbo? Sicelis esse volo.
At vos erronem tellure remittite nostrum,
Nisiades matres, Nisiadesque nurus.
Neu vos decipiant blandæ mendacia linguæ. 55
Quæ dicit vobis, dixerat ante mihi.
Tu quoque, quæ montes celebras, Erycina, Sicanos,
(Nam tua sum) vati consule, diva, tuæ.
An gravis inceptum peragit fortuna tenorem,
Et manet in cursu semper acerba suo? 60
Sex mihi natales ierant, cum lecta parentis
Ante diem lacrymas ossa bibere meas.
Arsit inops frater captus meretricis amore,
Mixtaque cum turpi damna pudore tulit.
Factus inops agili peragit freta cærula remo, 65
Quasque male amisit, nunc male quærit opes.
Me quoque, quod monui bene multa fideliter, odit.
Hoc mihi libertas, hoc pia lingua dedit.
Et tanquam desint, quæ me sine fine fatigent,
Accumulat curas filia parva meas. 70
Ultima tu nostris accedis causa querelis.
Non agitur vento nostra carina suo.
Ecce jacent collo sparsi sine lege capilli,
Nec premit articulos lucida gemma meos.
Veste tegor vili: nullum est in crinibus aurum:
Non Arabo noster rore capillus olet. 76
Cui colar infelix, aut cui placuisse laborem?
Ille mei cultus unicus auctor abest.
Molle meum, levibusque cor est violabile telis:
Et semper causa est, cur ego semper amem.

Sive ita nascenti legem dixere sorores, 81
Nec data sunt vitæ fila severa meæ;
Sive abeunt studia in mores, artesque magistræ;
Ingenium nobis molle Thalia facit.
Quid mirum, primæ si me lanuginis ætas 85
Abstulit, atque anni, quos vir amare potest?
Hunc ne pro Cephalo raperes, Aurora, timebam.
Et faceres: sed te prima rapina tenet.
Hunc si conspiciat, quæ conspicis omnia, Phœbe,
Jussus erit somnos continuare Phaon. 90
Hunc Venus in cœlum curru vexisset eburno;
Sed videt et Marti posse placere suo.
O nec adhuc juvenis, nec jam puer, utilis ætas!
O decus, atque ævi gloria magna tui!
Huc ades, inque sinus, formose, relabere nostros. 95
Non ut ames oro, verum ut amare sinas.
Scribimus, et lacrymis oculi rorantur obortis.
Adspice, quam sit in hoc multa litura loco.
Si tam certus eras hinc ire, modestius isses;
Et modo dixisses, Lesbi puella, vale. 100
Non tecum lacrymas, non oscula summa tulisti.
Denique non timui, quod dolitura fui.
Nil de te mecum est, nisi tantum injuria: nec tu,
Admoneat quod te, pignus amantis habes.
Non mandata dedi: neque enim mandata dedissem 105
Ulla, nisi ut nolles immemor esse mei.
Per, tibi qui nunquam longe discedat, Amorem,
Perque novem juro, numina nostra, deas;
Cum mihi nescio quis, Fugiunt tua gaudia, dixit;
Nec me flere diu, nec potuisse loqui. 110
Et lacrymæ deerant oculis, et lingua palato:
Adstrictum gelido frigore pectus erat.
Postquam se dolor invenit; nec pectora plangi,
Nec puduit scissis exululare comis:
Non aliter, quam si nati pia mater ademti 115
Portet ad exstructos corpus inane rogos.
Gaudet, et e nostro crescit mærore Charaxus
Frater; et ante oculos itque reditque meos.
Utque pudenda mei videatur causa doloris;
Quid dolet hæc? certa filia vivit, ait. 120
Non veniunt in idem pudor atque amor. Omne videbat
Vulgus; eram lacero pectus aperta sinu.
Tu mihi cura, Phaon: te somnia nostra reducunt,
Somnia formoso candidiora die.
Illic te invenio, quanquam regionibus absis. 125
Sed non longa satis gaudia somnus habet.
Sæpe tuos nostra cervice onerare lacertos,
Sæpe tuæ videor supposuisse meos.
Blandior interdum, verisque simillima verba
Eloquor: et vigilant sensibus ora meis. 130
Oscula cognosco, quæ tu committere linguæ,
Aptaque consueras accipere, apta dare,
Ulteriora pudet narrare: sed omnia fiunt.
Et juvat, et sine te non libet esse mihi.
At cum se Titan ostendit, et omnia secum; 135
Tam cito me somnos destituisse queror.
Antra nemusque peto; tanquam nemus antraque prosint.
Conscia deliciis illa fuere tuis.
Illuc mentis inops, ut quam furialis Erichtho
Impulit, in collo crine jacente, feror. 140
Antra vident oculi scabro pendentia topho,
Quæ mihi Mygdonii marmoris instar erant.
Invenio sylvam, quæ sæpe cubilia nobis
Præbuit, et multa texit opaca coma:
At non invenio dominum sylvæque meumque.
Vile solum locus est: dos erat ille loci. 146
Agnovi pressas noti mihi cespitis herbas:
De nostro curvum pondere gramen erat.
Incubui, tetigique locum, qua parte fuisti.
Grata prius lacrymas combibit herba meas.
Quin etiam rami positis lugere videntur 151
Frondibus, et nullæ dulce queruntur aves.
Sola virum non ulta pie mæstissima mater
Concinit Ismarium Daulias ales Ityn.
Ales Ityn, Sappho desertos cantat amores. 155
Hactenus; ut media cætera nocte silent.
Est nitidus, vitroque magis perlucidus omni,
Fons sacer: hunc multi numen habere putant;
Quem supra ramos expandit aquatica lotos,
Una nemus: tenero cespite terra viret. 160
Hic ego cum lassos posuissem fletibus artus,
Constitit ante oculos Naïas una meos.
Constitit, et dixit: Quoniam non ignibus æquis
Ureris, Ambracias terra petenda tibi.
Phœbus ab excelso, quantum patet, adspicit æquor: 165
Actiacum populi Leucadiumque vocant.
Hinc se Deucalion, Pyrrhæ succensus amore,
Misit, et illæso corpore pressit aquas.
Nec mora: versus amor tetigit lentissima Pyrrhæ
Pectora; Deucalion igne levatus erat. 170
Hanc legem locus ille tenet. Pete protinus altam
Leucada, nec saxo desiluisse time.
Ut monuit, cum voce abiit. Ego frigida surgo:
Nec gravidæ lacrymas continuere genæ.
Ibimus, o Nymphæ, monstrataque saxa petemus.
Sit procul insano victus amore timor. 176
Quicquid erit, melius quam nunc erit. Aura, subito:
Hæc mea non magnum corpora pondus habent.
Tu quoque, mollis Amor, pennas suppone cadenti:
Ne sim Leucadiæ mortua crimen aquæ. 180
Inde chelyn Phœbo, communia munera, ponam:
Et sub ea versus unus et alter erunt:
Grata lyram posui tibi, Phœbe, poetria Sappho:
Convenit illa mihi, convenit illa tibi. 184
Cur tamen Actiacas miseram me mittis ad oras,
Cum profugum possis ipse referre pedem?
Tu mihi Leucadia potes esse salubrior unda:
Et forma et meritis tu mihi Phœbus eris.
An potes, o scopulis undaque ferocior illa,
Si moriar, titulum mortis habere meæ? 190
At quanto melius jungi mea pectora tecum,
Quam poterant saxis præcipitanda dari!
Hæc sunt illa, Phaon, quæ tu laudare solebas,
Visaque sunt toties ingeniosa tibi. [stat,
Nunc vellem facunda forent. Dolor artibus ob-
Ingeniumque meis substitit omne malis. 196
Non mihi respondent veteres in carmina vires.
Plectra dolore tacent: muta dolore lyra est.
Lesbides æquoreæ, nupturaque, nuptaque proles;
Lesbides, Æolia nomina dicta lyra; 200
Lesbides, infamem quæ me fecistis amatæ;
Desinite ad citharas turba venire meas.
Abstulit omne Phaon, quod vobis ante placebat
Me miseram! dixi quam modo pæne, meus!
Efficite ut redeat: vates quoque vestra redibit.
Ingenio vires ille dat, ille rapit. 206
Ecquid ago precibus? pectusne agreste movetur?
An riget? et Zephyri verba caduca ferunt?
Qui mea verba ferunt, vellem tua vela referrent.
Hoc te, si saperes, lente, decebat opus. 210
Sive redis, puppique tuæ votiva parantur
Munera; quid laceras pectora nostra mora?

Solve ratem. Venus orta mari mare præstat amanti.
Aura dabit cursum. Tu modo solve ratem.
Ipse gubernabit residens in puppe Cupido: 215
Ipse dabit tenera vela, legetque manu.
Sive juvat longe fugisse Pelasgida Sappho;
Non tamen invenies, cur ego digna fuga.
Hoc saltem miseræ crudelis epistola dicat:
Ut mihi Leucadiæ fata petantur aquæ. 220

EPISTOLA XVI.

PARIS HELENÆ.

Hanc tibi Priamides mitto, Ledæa, salutem,
Quæ tribui sola te mihi dante potest.
Eloquar? an flammæ non est opus indice notæ,
Et plus, quam vellem, jam meus exstat amor?
Ille quidem malim lateat; dum tempora dentur
Lætitiæ mixtos non habitura metus. 6
Sed male dissimulo. Quis enim celaverit ignem,
Lumine qui semper proditur ipse suo?
Si tamen exspectas, vocem quoque rebus ut addam;
Uror. Habes animi nuntia verba mei. 10
Parce, precor, fasso: nec vultu cætera duro
Perlege, sed formæ conveniente tuæ.
Jamdudum gratum est, quod epistola nostra recepta
Spem facit, hoc recipi me quoque posse modo.
Quæ rata sint, nec te frustra promiserit, opto,
Hoc mihi quæ suasit mater Amoris iter. 16
Namque ego divino monitu, ne nescia pecces,
Advehor, et cœpto non leve numen adest.
Præmia magna quidem, sed non indebita posco:
Pollicita est thalamo te Cytherea meo. 20
Hoc duce Sigeo dubias a littore feci
Longa Phereclea per freta puppe vias.
Illa dedit faciles auras, ventosque secundos.
In mare nimirum jus habet orta mari.
Perstet: et ut pelagi, sic pectoris adjuvet æstum: 25
Deferat in portus et mea vota suos.
Attulimus flammas, non hic invenimus, illas.
Hæ mihi tam longæ causa fuere viæ.
Nam neque tristis hiems, neque nos huc appulit error.
Tænaris est classi terra petita meæ. 30
Nec me crede fretum merces portante carina
Findere. Quas habeo, dî tueantur opes.
Nec venio Graias veluti spectator ad urbes.
Oppida sunt regni divitiora mei. 34
Te peto, quam lecto pepigit Venus aurea nostro.
Te prius optavi, quam mihi nota fores.
Ante tuos animo vidi, quam lumine, vultus:
Prima fuit vultus nuntia fama tui.
Nec tamen est mirum, si, sicut oporteat, [arcu]
Missilibus telis eminus ictus, amo. 40
Sic placuit fatis: quæ ne convellere tentes,
Accipe cum vera dicta relata fide.
Matris adhuc utero, partu remorante, tenebar:
Jam gravidus justo pondere venter erat. 44
Illa sibi ingentem visa est sub imagine somni
Flammiferam pleno reddere ventre facem.
Territa consurgit; metuendaque noctis opacæ
Visa seni Priamo, vatibus ille, refert.
Arsuram Paridis vates canit Ilion igni.
Pectoris, ut nunc est, fax fuit illa mei. 50
Forma vigorque animi, quamvis de plebe videbar,
Indicium tectæ nobilitatis erant.
Est locus in mediæ nemorosis vallibus Idæ
Devius, et piceis ilicibusque frequens: 54
Qui nec ovis placidæ, nec amantis saxa capellæ,
Nec patulo tardæ carpitur ore bovis.
Hinc ego Dardaniæ muros excelsaque tecta,
Et freta prospiciens, arbore nixus eram.
Ecce pedum pulsu visa est mihi terra moveri:
Vera loquar, veri vix habitura fidem. 60
Constitit ante oculos actus velocibus alis
Atlantis magni Pleïonesque nepos.
Fas vidisse fuit; fas sit mihi visa referre:
Inque dei digitis aurea virga fuit. 64
Tresque simul divæ, Venus, et cum Pallade Juno,
Graminibus teneros imposuere pedes.
Obstupui, gelidusque comas erexerat horror;
Cum mihi, Pone metum, nuntius ales ait:
Arbiter es formæ: certamina siste dearum,
Vincere quæ forma digna sit una duas. 70
Neve recusarem, verbis Jovis imperat: et se
Protinus ætheria tollit in astra via.
Mens mea convaluit, subitoque audacia venit:
Nec timui vultu quamque notare meo. 74
Vincere erant omnes dignæ: judexque querebar
Non omnes causam vincere posse suam.
Sed tamen ex illis jam tunc magis una placebat:
Hanc esse ut scires, unde movetur amor.
Tantaque vincendi cura est, ingentibus ardent
Judicium donis sollicitare meum. 80
Regna Jovis conjux, virtutem filia jactat.
Ipse potens dubito, fortis an, esse velim.
Dulce Venus risit: Nec te, Pari, munera tangant,
Utraque suspensi plena timoris, ait. 84
Nos dabimus quod ames: et pulchræ filia Ledæ
Ibit in amplexus, pulchrior ipsa, tuos.
Dixit: et ex æquo donis formaque probata,
Victorem cœlo rettulit illa pedem.
Interea, credo, versis ad prospera fatis,
Regius agnoscor per rata signa puer. 90
Læta domus nato per tempora longa recepto:
Addit et ad festos hunc quoque Troja diem.
Utque ego te cupio, sic me cupiere puellæ.
Multarum votum sola tenere potes.
Nec tantum regum natæ petiere ducumque: 95
Sed Nymphis etiam curaque amorque fui.
At mihi cunctarum subeunt fastidia, postquam
Conjugii spes est, Tyndari, facta tui.
Te vigilans oculis, animo te nocte videbam, 99
Lumina cum placido victa sopore jacent. [bas?
Quid faceres præsens, quæ nondum visa place-
Ardebam, quamvis hinc procul ignis erat.
Nec potui debere mihi spem longius istam,
Cærulea peterem quin mea vota via.
Troia cæduntur Phrygia pineta securi, 105
Quæque erat æquoreis utilis arbor aquis:
Ardua proceris spoliantur Gargara sylvis:
Innumerasque mihi longa dat Ida trabes.
Fundatura citas flectuntur robora naves,
Texitur et costis panda carina suis. 110
Addimus antennas, et vela sequentia malos:
Accipit et pictos puppis adunca deos.
Qua tamen ipse vehor, comitata Cupidine parvo
Sponsor conjugii stat dea picta sui. 114
Imposita est factæ postquam manus ultima classi,
Protinus Ægæis ire [jubebar] aquis.
Et pater et genitrix inhibent mea vota rogando,
Propositumque pia voce morantur iter:
Et soror effusis, ut erat, Cassandra capillis,
Cum vellent nostræ jam dare vela rates, 120
Quos ruis? exclamat; referes incendia tecum:
Quanta per hac, nescis, flamma petatur aquas.

Vera fuit vates: dictos invenimus ignes;
Et ferus in molli pectore flagrat amor. 124
Portubus egredior; ventisque ferentibus usus
Applicor in terras, Œbali nympha, tuas.
Excipit hospitio vir me tuus. Hoc quoque factum
Non sine consilio numinibusque deum.
Ille quidem ostendit, quicquid Lacedæmone tota
Ostendi dignum conspicuumque fuit. 130
Sed mihi laudatam cupienti cernere formam,
Lumina, nil aliud, quo caperentur, erat.
Ut vidi, obstupui; præcordiaque intima sensi
Attonitus curis intumuisse novis. 34
His similes vultus, quantum reminiscor, habebat,
Venit in arbitrium cum Cytherea meum.
Si tu venisses pariter certamen in illud,
In dubium Veneris palma futura fuit.
Magna quidem de te rumor præconia fecit,
Nullaque de facie nescia terra tua est; 140
Nec tibi par usquam Phrygia, nec solis ab ortu
Inter formosas altera nomen habet.
Credis at hoc nobis? minor est tua gloria vero:
Famaque de forma pæne maligna tua est.
Plus hic invenio, quam quod promiserit illa:
Et tua materia gloria victa sua est. 146
Ergo arsit merito, qui noverat omnia, Theseus:
Et visa es tanto digna rapina viro:
More tuæ gentis nitida dum nuda palæstra 149
Ludis, et es nudis femina mista viris; [quam.
Quod rapuit, laudo: miror, quod reddidit un-
Tam bona constanter præda tenenda fuit.
Ante recississet caput hoc cervice cruenta,
Quam tu de thalamis abstraherere meis.
Tene manus unquam nostræ dimittere vellent?
Tene meo paterer vivus abire sinu? 156
Si reddenda fores, aliquid tamen ante tulissem:
Nec Venus ex toto nostra fuisset iners.
Vel mihi virginitas esset libata; vel illud,
Quod poterat salva virginitate rapi. 160
Da modo te; quæ sit Paridi constantia, nosces.
Flamma rogi flammas finiet una meas.
Præposui regnis ego te, quæ maxima quondam
Pollicita est nobis nupta sororque Jovis. 164
Dumque tuo possem circumdare brachia collo,
Contemta est virtus, Pallade dante, mihi.
Nec piget, aut unquam stulte legisse videbor:
Permanet in voto mens mea firma suo.
Spem modo ne nostram fieri patiare caducam
Te precor, o tanto digna labore peti. 170
Non ego conjugium generosæ degener opto,
Nec mea, crede mihi, turpiter uxor eris.
Pleiada, si quæres, in nostra gente Jovemque
Invenies, medios ut taceamus avos.
Sceptra parens Asiæ, qua nulla beatior ora, 175
Finibus immensis vix obeunda tenet.
Innumeras urbes, atque aurea tecta videbis,
Quæque suos dicas templa decere deos.
Ilion adspicies, firmataque turribus altis
Mœnia, Phœbeæ structa canore lyræ. 180
Quid tibi de turba narrem numeroque virorum?
Vix populum tellus sustinet illa suum.
Occurrent denso tibi Troades agmine matres:
Nec capient Phrygias atria nostra nurus.
O quoties dices, Quam pauper Achaia nostra est!
Una domus quævis urbis habebit opes. 186
Nec mihi fas fuerit Sparten contemnere vestram.
In qua tu nata es, terra beata mihi est.
Parca sed est Sparte: tu cultu divite digna es.
Ad talem formam non facit iste locus. 190
Hanc faciem largis sine fine paratibus uti,
Deliciisque decet luxuriare novis.
Cum videas cultum nostra de gente virorum,
Qualem Dardanidas credis habere nurus? 194
Da modo te facilem: nec dedignare maritum,
Rure Therapnæo nata puella, Phrygem.
Phryx erat, et nostro genitus de sanguine, qui nunc
Cum dîs potandas nectare miscet aquas.
Phryx erat Auroræ conjux: tamen abstulit illum
Extremum noctis quæ dea finit iter. 200
Phryx etiam Anchises, volucrum cui mater Amorum
Gaudet in Idæis concubuisse jugis.
Nec, puto, collatis forma Menelaus et annis,
Judice te, nobis anteferendus erit. 204
Non dabimus certe socerum tibi clara fugantem
Lumina, qui trepidos a dape vertat equos;
Nec pater est Priamo soceri de cæde cruentus,
Et qui Myrtoas crimine signet aquas;
Nec proavo Stygia nostro captantur in unda 209
Poma, nec in mediis quæritur humor aquis.
Quid tamen hoc refert, si te tenet ortus ab illis?
Cogitur huic domui Jupiter esse socer.
Heu facinus! totis indignus noctibus ille
Te tenet, amplexu perfruiturque tuo: 214
At mihi conspiceris posita vix denique mensa:
Multaque, quæ lædant, hoc quoque tempus habet.
Hostibus eveniant convivia talia nostris,
Experior posito qualia sæpe mero.
Pœnitet hospitii, cum, me spectante, lacertos
Imposuit collo rusticus iste tuo. 220
Rumpor, et invideo, quid enim tamen omnia narrem?
Membra superjecta cum tua veste fovet.
Oscula cum vero coram non dura daretis,
Ante oculos posui pocula sumta meos.
Lumina demitto, cum te tenet arctius ille: 225
Crescit et invito lentus in ore cibus.
Sæpe dedi gemitus: et te, lasciva, notavi
In gemitu risum non tenuisse meo.
Sæpe mero volui flammam compescere: at illa
Crevit, et ebrietas ignis in igne fuit. 230
Multaque ne videam, versa cervice recumbo;
Sed revocas oculos protinus ipsa meos.
Quid faciam dubito. Dolor est meus illa videre.
Sed dolor a facie major abesse tua.
Qua licet et possum, luctor celare furorem: 235
Sed tamen apparet dissimulatus amor.
Nec tibi verba damus: sentis mea vulnera, sentis.
Atque utinam soli sint ea nota tibi!
Ah quoties, lacrymis venientibus, ora reflexi,
Ne causam fletus quæreret ille mei! 240
Ah quoties juvenum narravi potus amores,
Ad vultus referens singula verba tuos!
Indiciumque mei ficto sub nomine feci.
Ille ego, si nescis, verus amator eram. 244
Quin etiam, ut possem verbis petulantius uti,
Non semel ebrietas est simulata mihi.
Prodita sunt, memini, tunica tua pectora laxa,
Atque oculis aditum nuda dedere meis;
Pectora vel puris nivibus, vel lacte, tuamque
Complexo matrem candidiora Jove. 250
Dum stupeo visis, nam pocula forte tenebam,
Tortilis e digitis excidit ansa meis.
Oscula si natæ dederas, ego protinus illa
Hermiones tenero lætus ab ore tuli. 254
Et modo cantabam veteres resupinus amores:
Et modo per nutum signa tegenda dabam.
Et comitum primas, Clymenen Æthramque, tuarum

Ausus sum blandis nuper adire sonis:
Quæ mihi non aliud, quam formidare, locutæ,
Orantis medias deseruere preces. 260
Dî facerent, magni pretium certaminis esses,
Teque suo victor posset habere toro!
Ut tulit Hippomenes Schœneida prœmia cursus;
Venit ut in Phrygios Hippodamia sinus;
Ut ferus Alcides Acheloia cornua fregit, 265
Dum petit amplexus, Deianira, tuos;
Nostra per has leges audacia fortior isset,
Teque mei scires esse laboris opus.
Nunc mihi nil superest, nisi te, formosa, precari,
Amplectique tuos, si patiare, pedes: 270
O decus, o præsens geminorum gloria fratrum;
O Jove digna viro, ni Jove nata fores!
Aut ego Sigeos repetam te conjuge portus,
Aut ego Tænaria contegar exul humo. 274
Non mea sunt summa leviter destricta sagitta
Pectora: descendit vulnus ad ossa meum.
Hoc mihi, nam repeto, fore ut a cœleste sagitta
Figar, erat verax vaticinata soror.
Parce datum fatis, Helene, contemnere amorem.
Sic habeas faciles in tua vota deos. 280
Multa quidem subeunt: sed coram ut plura loquamur,
Excipe me lecto nocte silente tuo.
An pudet, et metuis Venerem temerare maritam,
Castaque legitimi fallere jura tori? 284
Ah nimium simplex, Helene, ne rustica dicam,
Hanc faciem culpa posse carere putas!
Aut faciem mutes, aut sis non dura, necesse est.
Lis est cum forma magna pudicitiæ. 288
Jupiter his gaudet, gaudet Venus aurea furtis.
Hæc tibi nempe patrem furta dedere Jovem.
Vix fieri, si sunt vires in semine avorum,
Et Jovis et Ledæ filia, casta potes.
Casta tamen tum sis, cum te mea Troja tenebit:
Et tua sim, quæso, crimina solus ego. 294
Nunc ea peccemus, quæ corrigat hora jugalis:
Si modo promisit non mihi vana Venus.
Sed tibi et hoc suadet rebus, non voce, maritus:
Neve sui furtis hospitis obstet, abest.
Non habuit tempus, quo Cressia regna videret,
Aptius. O mira calliditate virum! 300
Ivit, et, Idæi, mando tibi, dixit iturus,
Curam pro nobis hospitis, uxor, agas.
Negligis absentis, testor, mandata mariti:
Cura tibi non est hospitis ulla tui. 304
Hunccine tu speres hominem sine pectore dotes
Posse satis formæ, Tyndari, nosse tuæ?
Falleris: ignorat: nec, si bona summa putaret
Quæ tenet, externo crederet illa viro.
Ut te nec mea vox, nec te meus incitet ardor;
Cogimur ipsius commoditate frui. 310
Aut erimus stulti, sic ut superemus et ipsum,
Si tam securum tempus abibit iners.
Pæne suis ad te manibus deducit amantem.
Utere non vafri simplicitate viri.
Sola jaces viduo tam longa nocte cubili; 315
In viduo jaceo solus et ipse toro.
Te mihi, meque tibi communia gaudia jungant.
Candidior medio nox erit illa die.
Tunc ego jurabo quævis tibi numina, meque
Adstringam verbis in sacra jura tuis. 320
Tunc ego, si non est fallax fiducia nostri,
Efficiam præsens, ut mea regna petas.
Si pudet, et metuis ne me videare secuta;
Ipse reus sine te criminis hujus agar. 324
Nam sequar Ægidæ factum, fratrumque tuorum.
Exemplo tangi non propiore potes.
Te rapuit Theseus; geminas Leucippidas illi:
Quartus in exemplis annumerabor ego.
Troia classis adest, armis instructa virisque.
Jam facient celeres remus et aura vias. 330
Ibis Dardanias ingens regina per urbes,
Teque novam credet vulgus adesse deam:
Quaque feres gressus, adolebunt cinnama flammæ,
Cæsaque sanguineam victima planget humum:
Dona pater fratresque, et cum genitrice sorores,
Iliadesque omnes, totaque Troja dabit. 336
Hei mihi! pars a me vix dicitur ulla futuri.
Plura feres, quam quæ littera nostra refert.
Nec tu rapta time, ne nos fera bella sequantur,
Concitet et vires Græcia magna suas. 340
Tot prius abductis, dic quæ repetita per arma est?
Crede mihi, vanos res habet ista metus.
Nomine ceperunt Aquilonis Erechthida Thraces:
Et tuta a bello Bistonis ora fuit.
Phasida puppe nova vexit Pagasæus Iason: 345
Læsa nec est Colcha Thessala terra manu.
Te quoque qui rapuit, rapuit Minoida Theseus:
Nulla tamen Minos Cretas ad arma vocat.
Terror in his ipso major solet esse periclo:
Quæque timere libet, pertimuisse pudet. 350
Finge tamen, si vis, ingens consurgere bellum:
Et mihi sunt vires, et mea tela nocent.
Nec minor est Asiæ, quam vestræ copia terræ:
Illa viris dives, dives abundat equis.
Noc plus Atrides animi Menelaus habebit, 355
Quam Paris, aut armis anteferendus erit
Pæne puer cæsis abducta armenta recepi
Hostibus: et causam nominis inde tuli.
Pæne puer vario juvenes certamine vici,
In quibus Ilioneus, Deiphobusque fuit. 360
Neve putes, non me, nisi cominus, esse timendum:
Figitur in jusso nostra sagitta loco.
Num potes hæc illi primæ dare facta juventæ?
Instruere Atriden num potes arte mea?
Omnia si dederis; numquid dabis Hectora fratrem? 365
Unus is innumeri militis instar habet.
Quid valeam, nescis: et te mea robora fallunt.
Ignoras, cui sis nupta futura viro.
Aut igitur nullo belli repetere tumultu,
Aut cedent Marti Dorica castra meo. 370
Nec tamen indigner pro tanta sumere ferrum
Conjuge: certamen prœmia magna movent.
Tu quoque, si de te totus contenderit orbis,
Nomen ab æterna posteritate feres. 374
Spe modo non timida, dîs hinc egressa secundis,
Exige cum plena munera pacta fide.

EPISTOLA XVII.

HELENA PARIDI.

Nunc oculos tua cum violarit epistola nostros,
Non rescribendi gloria visa levis.
Ausus es hospitii temeratis, advena, sacris,
Legitimam nuptæ sollicitare fidem?
Scilicet idcirco ventosa per æquora vectum 5
Excepit portu Tænaris ora suo;
Nec tibi, diversa quamvis e gente venires,
Oppositas habuit regia nostra fores;
Esset ut officii merces injuria tanti?
Qui sic intrabas, hospes, an hostis, eras? 10
Nec dubito, quin hæc, cum sit tam justa, vocetur
Rustica judicio nostra querela tuo.
Rustica sim sane, dum non oblita pudoris;
Dumque tenor vitæ sit sine labe meæ.

Si non est ficto vultus mihi tristis in ore, 15
Nec sedeo duris torva superciliis;
Fama tamen clara est, et adhuc sine crimine vixi,
Et laudem de me nullus adulter habet.
Quo magis admiror, quæ sit fiducia cœpti,
Spemque tori dederit quæ tibi causa mei. 20
An, quia vim nobis Neptunius attulit heros,
Rapta semel, videor bis quoque digna rapi?
Crimen erat nostrum, si delenita fuissem:
Cum sim rapta, meum quid, nisi nolle, fuit?
Non tamen e facto fructum tulit ille petitum: 25
Excepto redii passa timore nihil.
Oscula luctanti tantummodo pauca protervus
Abstulit: ulterius nil habet ille mei.
Quæ tua nequitia est, non his contenta fuisset.
Dî melius! similis non fuit ille tui. 30
Reddidit intactam; minuitque modestia crimen:
Et juvenem facti pœnituisse patet.
Thesea pœnituit, Paris ut succederet illi;
Ne quando nomen non sit in ore meum? 34
Nec tamen irascor; quis enim irascatur amanti?
Si modo, quem præfers, non simulatur amor.
Hoc quoque enim dubito. Non quo fiducia desit,
Aut mea si facies non bene nota mihi:
Sed quia credulitas damno solet esse puellis,
Verbaque dicuntur vestra carere fide. 40
At peccant aliæ, matronaque rara pudica est.
Quid prohibet raris nomen inesse meum?
Nam mea quod visa est tibi mater idonea, cujus
Exemplo flecti me quoque posse putes;
Matris in admisso, falsa sub imagine lusæ, 45
Error inest: pluma tectus adulter erat.
Nil ego, si peccem, possim nescisse, nec ullus
Error, qui facti crimen obumbret, erit.
Illa bene erravit, vitiumque auctore redemit.
Felix in culpa quo Jove dicar ego? 50
Quod genus, et proavos, et regia nomina jactas:
Clara satis domus hæc nobilitate sua est.
Jupiter ut soceri proavus taceatur, et omne
Tantalidæ Pelopis Tyndareique decus; 54
Dat mihi Leda Jovem cycno decepta parentem,
Quæ falsam gremio credula fovit avem.
I nunc, et Phrygiæ late primordia gentis,
Cumque suo Priamum Laomedonte refer.
Quos ego suspicio: sed, qui tibi gloria magna est
Quintus, is a nostro nomine primus erit. 60
Sceptra tuæ quamvis rear esse potentia Trojæ,
Non tamen hæc illis esse minora puto.
Si jam divitiis locus hic numeroque virorum
Vincitur: at certe barbara terra tua est.
Munera tanta quidem promittit epistola dives, 65
Ut possint ipsas illa movere deas.
Sed si jam fines vellem transire pudoris,
Tu melior culpæ causa futurus eras.
Aut ego perpetuo famam sine labe tenebo;
Aut ego te potius, quam tua dona, sequar. 70
Utque ea non sperno; sic acceptissima semper
Munera sunt, auctor quæ pretiosa facit.
Plus multo est, quod amas; quod sum tibi causa laboris;
Quod per tam longas spes tua venit aquas.
Illa quoque, apposita quæ nunc facis, improbe, mensa, 75
Quamvis experiar dissimulare, noto.
Cum modo me spectas oculis, lascive, protervis,
Quos vix instantes lumina nostra ferunt;
Et modo suspiras; modo pocula proxima nobis
Sumis, quaque bibi, tu quoque parte bibis. 80
Ah quoties digitis, quoties ego tecta notavi
Signa supercilio pæne loquente dari!
Et sæpe extimui, ne vir meus illa videret,
Non satis occultis erubuique notis.
Sæpe vel exiguo, vel nullo murmure, dixi, 85
Nil pudet hunc. Nec vox hæc mea falsa fuit.
Orbe quoque in mensæ legi sub nomine nostro,
Quod deducta mero littera fecit, Amo.
Credere me tamen hoc oculo renuente negavi.
Hei mihi! jam didici, sic quoque posse loqui.
His ego blanditiis, si peccatura fuissem, 91
Flecterer: his poterant pectora nostra capi.
Est quoque, confiteor, facies tibi rara: potestque
Velle sub amplexus ire puella tuos.
Altera vel potius felix sine crimine fiat, 95
Quam cadat externo noster amore pudor.
Disce meo exemplo, formosis posse carere.
Est virtus placitis abstinuisse bonis.
Quam multos credas juvenes optare, quod optas,
Qui sapiant? oculos an Paris unus habes? 100
Non tu plus cernis: sed plus temerarius audes.
Nec tibi plus cordis, sed magis oris, inest.
Tunc ego te vellem celeri venisse carina,
Cum mea virginitas mille petita procis.
Si te vidissem, primus de mille fuisses. 105
Judicio veniam vir dabit ipse meo.
Ad possessa venis præceptaque gaudia serus.
Spes tua lenta fuit: quod petis, alter habet.
Ut tamen optarem fieri tibi Troia conjux;
Invitam sic me nec Menelaus habet. 110
Desine molle, precor, verbis convellere pectus:
Neve mihi, quam te dicis amare, noce:
Sed sine, quam tribuit sortem fortuna, tueri:
Nec spolium nostri turpe pudoris habe.
At Venus hoc pacta est: et in altæ vallibus Idæ
Tres tibi se nudas exhibuere deæ: 116
Unaque cum regnum, belli daret altera laudem,
Tyndaridos conjux, tertia dixit, eris.
Credere vix equidem cœlestia corpora possum
Arbitrio formam supposuisse tuo. 120
Utque sit hoc verum, certe pars altera ficta est,
Judicii pretium qua data dicor ego.
Non est tanta mihi fiducia corporis, ut me
Maxima, teste dea, dona fuisse putem.
Contenta est oculis hominum mea forma probari;
Laudatrix Venus est invidiosa mihi. 126
Sed nihil infirmo: faveo quoque laudibus istis:
Nam mea vox quare, quod cupit, esse neget?
Nec tu succense, nimium mihi creditus ægre.
Tarda solet magnis rebus inesse fides. 130
Prima mea est igitur Veneri placuisse voluptas;
Proxima, me visam præmia summa tibi:
Nec te Palladios, nec te Junonis honores
Auditis Helenæ præposuisse bonis.
Ergo ego sum virtus? ego sum tibi nobile regnum? 135
Ferrea sim, si non hoc ego pectus amem.
Ferrea, crede mihi, non sum: sed amare repugno
Illum, quem fieri vix puto posse meum.
Quid bibulum curvo proscindere littus aratro,
Spemque sequi coner, quam locus ipse neget?
Sum rudis ad Veneris furtum: nullaque fidelem,
Dî mihi sunt testes, lusimus arte virum. 142
Nunc quoque, quod tacito mando mea verba libello,
Fungitur officio littera nostra novo.
Felices quibus usus adest: ego, nescia rerum,
Difficilem culpæ suspicor esse viam. [omnes
Ipse malo metus est. Jam nunc confundor, et
In nostris oculos vultibus esse reor.
Nec reor hoc falso. Sensi mala murmura vulgi:
Et quasdam voces rettulit Æthra mihi. 150

At tu dissimula; nisi si desistere mavis.
Sed cur desistas? dissimulare potes.
Lude, sed occulte. Major, non maxima, nobis
Est data libertas, quod Menelaus abest.
Ille quidem procul est, ita re cogente, profectus.
Magna fuit subitæ justaque causa viæ: 156
Aut mihi sic visum est. Ego, cum dubitaret an iret,
Quamprimum, dixi, fac rediturus eas.
Omine lætatus dedit oscula: Resque, domusque,
Et tibi sit curæ Troius hospes, ait. 160
Vix tenui risum; quem dum compescere luctor,
Nil illi potui dicere, præter, Erit.
Vela quidem Creten ventis dedit ille secundis:
Sed tu non ideo cuncta licere puta.
Sic meus hinc vir abest, ut me custodiat absens.
An nescis longas regibus esse manus? 166
Fama quoque est oneri. Nam quo constantius ore
Laudamur vestro, justius ille timet. [est:
Quæ juvat, ut nunc est, eadem mihi gloria damno
Et melius famæ verba dedisse foret. 170
Nec, quod abest, hic me tecum mirare relictam:
Moribus et vitæ credidit ille meæ.
De facie metuit, vitæ confidit: et illum
Securum probitas, forma timere facit.
Tempora ne pereant ultro data, præcipis, utque
Simplicis utamur commoditate viri. 176
Et libet, et timeo; nec adhuc exacta voluntas
Est satis; in dubio pectora nostra labant.
Et vir abest nobis; et tu sine conjuge dormis;
Inque vicem tua me, te mea forma capit; 180
Et longæ noctes; et jam sermone coimus;
Et tu, me miseram! blandus; et una domus.
Et peream, si non invitant omnia culpam.
Nescio quo tardor, sed tamen ipsa metu.
Quam male persuades, utinam bene cogere possis! 185
Vi mea rusticitas excutienda fuit.
Utilis interdum est ipsis injuria passis.
Sic certe felix esse coacta velim.
Dum novus est, potius cœpto pugnemus amori.
Flamma recens parva sparsa resedit aqua. 190
Certus in hospitibus non est amor; errat, ut ipsi:
Cumque nihil speres firmius esse, fuit.
Hypsipyle testis, testis Minoia virgo est,
In non exhibitis utraque lusa toris.
Tu quoque dilectam multos, infide, per annos
Diceris Œnonen destituisse tuam. 196
Nec tamen ipse negas; et nobis omnia de te
Quærere, si nescis, maxima cura fuit.
Adde quod, ut cupias constans in amore manere,
Non potes: expediunt jam tua vela Phryges.
Dum loqueris mecum, dum nox sperata paratur,
Qui ferat in patriam, jam tibi ventus erit. 202
Cursibus in mediis novitatis plena relinques
Gaudia: cum ventis noster abibit amor.
An sequar, ut suades, laudataque Pergama visam,
Pronurus et magni Laomedontis ero? 206
Non ita contemno volucris præconia Famæ,
Ut probris terras impleat illa meis.
Quid de me Sparte poterit, quid Achaïa tota,
Quid gentes Asiæ, quid tua Troja loqui? 210
Quid Priamus de me, Priami quid sentiet uxor,
Totque tui fratres, Dardanidesque nurus?
Tu quoque quî poteris tibi me sperare fidelem,
Et non exemplis anxius esse tuis?
Quicunque Iliacos intraverit advena portus, 215
Is tibi solliciti causa timoris erit.
Ipse mihi quoties iratus, Adultera, dices!
Oblitus nostro crimen inesse tuum.
Delicti fies idem reprehensor et auctor.
Terra, precor, vultus obruat ante meos. 220
At fruar Iliacis opibus, cultuque beato;
Donaque promissis uberiora feram. [tur,
Purpura nempe mihi, pretiosaque texta dabun-
Congestoque auri pondere dives ero.
Da veniam fassæ; non sunt tua munera tanti.
Nescio quo tellus me tenet ista modo. 226
Quis mihi, si lædar, Phrygiis succurrat in oris?
Unde petam fratres, unde parentis opem?
Omnia Medeæ fallax promisit Iason:
Pulsa est Æsonia num minus illa domo? 230
Non erat Æetes, ad quem despecta rediret;
Non Ipsea parens, Chalciopeque soror.
Tale nihil timeo: sed nec Medea timebat.
Fallitur augurio spes bona sæpe suo.
Omnibus invenies, quæ nunc jactantur in alto,
Navibus a portu lene fuisse fretum. 236
Fax quoque me terret, quam se peperisse cruentam
Ante diem partus est tua visa parens.
Et vatum timeo monitus, quos igne Pelasgo
Ilion arsuram præmonuisse ferunt. 240
Utque favet Cytherea tibi, quia vicit, habetque
Parta per arbitrium bina tropæa tuum;
Sic illas vereor, quæ, si tua gloria vera est,
Judice te causam non tenuere duæ.
Nec dubito, quin, te si prosequar, arma parentur.
Ibit per gladios, hei mihi! noster amor. 246
An fera Cantauris indicere bella coegit
Atracis Hæmonios Hippodamia viros;
Tu fore tam justa lentum Menelaon in ira,
Et geminos fratres, Tyndareumque putas?
Quod bene te jactes, et fortia facta loquaris;
A verbis facies dissidet ista suis. 252
Apta magis Veneri, quam sunt tua corpora Marti.
Bella gerant fortes: tu, Pari, semper ama.
Hectora, quem laudas, pro te pugnare jubeto:
Militia est operis altera digna tuis. 256
His ego, si saperem, paulloque audacior essem,
Uterer. Utetur, si qua puella sapit.
Aut ego deposito faciam fortasse pudore;
Et dabo conjunctas tempore victa manus. 260
Quod petis, ut furtim præsentes plura loquamur;
Scimus quid captes, colloquiumque voces.
Sed nimium properas, et adhuc tua messis in herba est.
Hæc mora sit voto forsan amica tuo.
Hactenus arcanum furtivæ conscia mentis 265
Littera, jam lasso pollice, sistat opus.
Cætera per socias Clymenen Æthramque loquamur,
Quæ mihi sunt comites consiliumque duæ.

EPISTOLA XVIII.

LEANDER HERONI

Mittit Abydenus, quam mallet ferre, salutem,
Si cadat ira maris, Sesti puella, tibi.
Si mihi dî faciles, et sunt in amore secundi,
Invitis oculis hæc mea verba leges. [tur,
Sed non sunt faciles: nam cur mea vota moren-
Currere me nota nec patiantur aqua? 6
Ipsa vides cœlum pice nigrius, et freta ventis
Turbida, perque cavas vix obeunda rates.
Unus, et hic audax, a quo tibi littera nostra
Redditur, e portu navita movit iter. 10
Adscensurus eram: nisi quod, cum vincula proræ
Solveret, in speculis omnis Abydos erat.

Non poteram celare meos, velut ante, parentes:
Quemque tegi volumus, non latuisset amor.
Protinus hæc scribens, Felix, i, littera, dixi: 15
Jam tibi formosam porriget illa manum.
Forsitan admotis dominæ tangere labellis,
Rumpere dum niveo vincula dente volet.
Talibus exiguo dictis mihi murmure verbis,
Cætera cum charta dextra locuta mea est. 20
At quanto mallem, quam scriberet, illa nataret,
Meque per assuetas sedula ferret aquas!
Aptior illa quidem placido dare verbera ponto:
Est tamen et sensus apta ministra mei.
Septima nox agitur, spatium mihi longius anno,
Sollicitum raucis ut mare fervet aquis. 26
His ego si vidi mulcentem pectora somnum
Noctibus, insani sit mora longa freti.
Rupe sedens aliqua specto tua littora tristis,
Et quo non possum corpore, mente feror. 30
Lumina quin etiam summa vigilantia turre
Aut videt, aut acies nostra videre putat.
Ter mihi deposita est in sicca vestis arena;
Ter grave tentavi carpere nudus iter.
Obstitit inceptis tumidum juvenilibus æquor,
Mersit et adversis ora natantis aquis. 36
At tu, de rapidis immansuetissime ventis,
Quid mecum certa prælia mente geris?
In me, si nescis, Borea, non æquora, sævis.
Quid faceres, esset ni tibi notus amor? 40
Tam gelidus cum sis, non te tamen, improbe, quondam
Ignibus Actæis incaluisse neges.
Gaudia rapturo si quis tibi claudere vellet
Aerios aditus, quo paterere modo?
Parce, precor, facilemque move moderatius auram. 45
Imperet Hippotades sic tibi triste nihil.
Vana peto, precibusque meis obmurmurat ipse:
Quasque quatit, nulla parte coercet aquas.
Nunc daret audaces utinam mihi Dædalus alas!
Icarium quamvis hic prope littus adest. 50
Quicquid erit, patiar: liceat modo corpus in auras
Tollere, quod dubia sæpe pependit aqua.
Interea, dum cuncta negant ventique fretumque,
Mente agito furti tempora prima mei.
Nox erat incipiens (namque est meminisse voluptas) 55
Cum foribus patriis egrediebar amans.
Nec mora; deposito pariter cum veste timore,
Jactabam liquido brachia lenta mari.
Luna fere tremulum præbebat lumen eunti,
Ut comes in nostras officiosa vias. 60
Hanc ego suspiciens, Faveas, dea candida, dixi;
Et subeant animo Latmia saxa tuo.
Non sinat Endymion te pectoris esse severi.
Flecte, precor, vultus ad mea furta tuos.
Tu, dea, mortalem cælo delapsa petebas. 65
Vera loqui liceat; quam sequor, ipsa dea est.
Neu referam mores cœlesti pectore dignos;
Forma nisi in veras non cadit illa deas.
A Veneris facie non est prior ulla, tuaque.
Neve meis credas vocibus, ipsa vides. 70
Quanto, cum fulges radiis argentea puris,
Concedunt flammis sidera cuncta tuis;
Tanto formosis formosior omnibus illa est:
Si dubitas, cæcum, Cynthia, lumen habes.
Hæc ego, vel certe non his diversa, locutus 75
Per mihi cedentes [nocte] ferebar aquas.
Unda repercussæ radiabat imagine Lunæ,
Et nitor in tacita nocte diurnus erat:
Nullaque vox, nostras nullum veniebat ad aures
Præter dimotæ corpore, murmur, aquæ. 80
Alcyones solæ memores Ceycis amati
Nescio quid visæ sunt mihi dulce queri.
Jamque fatigatis humero sub utroque lacertis,
Fortiter in summas erigor altus aquas.
Ut procul adspexi lumen, Meus ignis in illo est;
Illa meum, dixi, littora numen habent. 86
Et subito lassis vires rediere lacertis:
Visaque, quam fuerat, mollior unda mihi.
Frigora ne possim gelidi sentire profundi,
Qui calet in cupido pectore, præstat amor. 90
Quo magis accedo, propioraque littora fiunt,
Quoque minus restat; plus libet ire mihi.
Cum vero possum cerni quoque; protinus addis
Spectatrix animos, ut valeamque facis.
Nunc etiam nando dominæ placuisse laboro, 95
Atque oculis jacto brachia nostra tuis.
Te tua vix prohibet nutrix descendere in altum.
Hoc quoque enim vidi: nec mihi verba dabas.
Nec tamen effecit, quamvis retinebat euntem,
Ne fieret prima pes tuus udus aqua. 100
Excipis amplexu, feliciaque oscula jungis:
Oscula, dî magni! trans mare digna peti.
Deque tuis demtos humeris mihi tradis amictus,
Et madidam siccas æquoris imbre comam.
Cætera nox, et nos, et turris conscia novit, 105
Quodque mihi lumen per vada monstrat iter.
Nec magis illius numerari gaudia noctis,
Hellespontiaci quam maris alga potest.
Quo brevius spatium nobis ad furta dabatur,
Hoc magis est cautum, ne foret illud iners.
Jamque, fugatura Tithoni conjuge noctem,
Prævius Auroræ Lucifer ortus erat.
Oscula congerimus properata sine ordine raptim,
Et querimur parvas noctibus esse moras.
Atque ita cunctatus, monitu nutricis amaro 115
Frigida deserta littora turre peto.
Digredimur flentes: repetoque ego virginis æquor,
Respiciens dominam, dum licet, usque meam.
Si qua fides vero est; veniens huc esse natator,
Cum redeo videor naufragus esse mihi. 120
Hoc quoque si credas; ad te via prona videtur,
A te cum redeo, clivus inertis aquæ.
Invitus repeto patriam: quis credere possit?
Invitus certe nunc moror urbe mea.
Hei mihi! cur animo juncti secernimur undis?
Unaque mens, tellus non habet una duos? 126
Vel tua me Sestos, vel te mea sumat Abydos:
Tam tua terra mihi, quam tibi nostra, placet.
Cur ego confundor, quoties confunditur æquor?
Cur mihi causa levis, ventus, obesse potest?
Jam nostros curvi norunt delphines amores, 131
Ignotum nec me piscibus esse reor.
Jam patet attritus solitarum limes aquarum,
Non aliter multa quam via pressa rota.
Quod mihi non esset, nisi sic, iter ante querebar:
At nunc per ventos hoc quoque deesse queror.
Fluctibus immodicis Athamantidos æquora canent, 137
Vixque manet portu tuta carina suo.
Hoc mare, cum primum de virgine nomina mersa,
Quæ tenet, est nactum, tale fuisse puto. 140
Et satis amissa locus hic infamis ab Helle est:
Utque mihi parcat, crimine nomen habet.
Invideo Phryxo, quem per freta tristia tutum
Aurea lanigero vellere vexit ovis.

Nec tamen officium pecoris navisve requiro, 145
Dummodo, quas findam corpore, dentur aquæ.
Arte egeo nulla: fiat modo copia nandi,
Idem navigium, navita, vector ero.
Nec sequar aut Helicen, aut, qua Tyros utitur, Arcton:
Publica non curat sidera noster amor. 150
Andromeden alius spectet, claramve Coronam,
Quæque micat gelido Parrhasis Ursa polo.
At mihi, quod Perseus et cum Jove Liber amarunt,
Indicium dubiæ non placet esse viæ.
Est aliud lumen multo mihi certius istis, 155
Non erit in tenebris quo duce noster amor.
Hoc ego dum spectem, Colchos, et in ultima Ponti,
Quaque viam fecit Thessala pinus, eam:
Et juvenem possim superare Palæmona nando,
Miraque quem subito reddidit herba deum.
Sæpe per assiduos languent mihi brachia motus,
Vixque per immensas fessa trahuntur aquas:
His ego cum dixi, Pretium non vile laboris,
Jam dominæ vobis colla tenenda dabo:
Protinus illa valent, atque ad sua præmia tendunt,
Ut celer Eleo carcere missus equus. 166
Ipse meos igitur servo, quibus uror, amores:
Teque, magis cœlo digna puella, sequor.
Digna quidem cœlo, sed adhuc tellure morare:
Aut dic, ad superos et mihi qua sit iter. 170
Hic es, et exiguum misero contingis amanti:
Cumque mea fiunt turbida mente freta.
Quid mihi, quod lato non separor æquore, prodest?
Num minus hæc nobis tam brevis obstat aqua?
An malim, dubito, toto procul orbe remotus 175
Cum domina longe spem quoque habere mea.
Quo propius nunc es, flamma propiore calesco:
Et res non semper, spes mihi semper adest.
Pæne manu, quod amo, tanta est vicinia, tango:
Sæpe sed, heu! lacrymas hoc mihi pæne movet.
Velle quid est aliud fugientia prendere poma,
Spemque suo refugi fluminis ore sequi? 182
Ergo ego te nunquam, nisi cum volet unda, tenebo?
Et me felicem nulla videbit hiems? [unda,
Cumque minus firmum nil sit, quam ventus et
In ventis et aqua spes mea semper erit? 186
Æstus adhuc tamen est. Quid, cum mihi læserit æquor
Pleias, et Arctophylax, Oleniumque pecus?
Aut ego non novi, quam sit temerarius, aut me
In freta non cautum tunc quoque mittet amor.
Neve putes id me, quod abest, promittere tempus:
Pignora polliciti non tibi tarda dabo. 192
Sit tumidum paucis etiam nunc noctibus æquor,
Ire per invitas experiemur aquas.
Aut mihi continget felix audacia salvo, 195
Aut mors solliciti finis amoris erit.
Optabo tamen, ut partes expellar in illas;
Et teneant portus naufraga membra tuos.
Flebis enim, tactuque meum dignabere corpus:
Et, Mortis, dices, huic ego causa fui. 200
Scilicet interitus offenderis omine nostri,
Litteraque invisa est hac mea parte tibi.
Desino; parce queri. Sed et ut mare finiat iram,
Accedant, quæso, fac tua vota meis.
Pace brevi nobis opus est, dum transferor isto:
Cum tua contigero littora, perstet hiems. 206
Illic est aptum nostræ navale carinæ,
Et melius nulla stat mea puppis aqua.
Illic me claudat Boreas, ubi dulce morari;
Tunc piger ad nandum, tunc ego cautus ero.
Nec faciam surdis convicia fluctibus ulla, 211
Triste nataturo nec querar esse fretum.
Me pariter venti teneant, pariterque lacerti:
Per causas istic impediarque duas. 214
Cum patietur hiems, remis ego corporis utar.
Lumen in adspectu tu modo semper habe.
Interea pro me pernoctet epistola tecum;
Quam, precor, ut minima prosequar ipse mora.

EPISTOLA XIX.

HERO LEANDRO.

Quam mihi misisti verbis, Leandre, salutem,
Ut possim missam rebus habere; veni.
Longa mora est nobis omnis, quæ gaudia differt.
Da veniam fassæ; non patienter amo.
Urimur igne pari: sed sum tibi viribus impar. 5
Fortius ingenium suspicor esse viris.
Ut corpus, teneris ita mens infirma puellis.
Deficiam, parvi temporis adde moram.
Vos, modo venando, modo rus geniale colendo,
Ponitis in varia tempora longa mora. 10
Aut fora vos retinent, aut unctæ dona palestræ:
Flectitis aut freno colla sequacis equi.
Nunc volucrem laqueo, nunc piscem ducitis hamo.
Diluitur posito serior hora mero.
His mihi submotæ, vel si minus acriter urar, 15
Quod faciam, superest, præter amare, nihil.
Quod superest, facio: teque, o mea sola voluptas,
Plus quoque, quam reddi quod mihi possit, amo.
Aut ego cum cara de te nutrice susurro,
Quæque tuum, miror, causa moretur iter: 20
Aut mare prospiciens, odioso concita vento
Corripio verbis æquora pæne tuis:
Aut, ubi sævitiæ paullum gravis unda remisit,
Posse quidem, sed te nolle venire, queror.
Dumque queror, lacrymæ per amantia lumina manant: 25
Pollice quas tremulo conscia siccat anus.
Sæpe tui, specto, si sint in littore passus:
Impositas tanquam servet arena notas.
Utque rogem de te, et scribam tibi, si quis Abydo
Venerit, aut quæro, si quis Abydon eat. 30
Quid referam, quoties dem vestibus oscula, quas tu
Hellespontiaca ponis iturus aqua?
Sic ubi lux acta est, et noctis amicior hora
Exhibuit pulso sidera clara die;
Protinus in summa vigilantia lumina turre 35
Ponimus, assuetæ signa notamque viæ:
Tortaque versato ducentes stamina fuso
Fœminea tardas fallimus arte moras.
Quid loquar interea tam longo tempore, quæris?
Nil, nisi Leandri nomen, in ore meo est. 40
Jamne putes exisse domo mea gaudia, nutrix?
An vigilant omnes; et timet ille suos?
Jamne suas humeris illum deponere vestes,
Pallade jam pingui tingere membra putes?
Annuit illa fere: non nostra quod oscula curet; 45
Sed movet obrepens somnus anile caput.
Postque moræ minimum, Jam certe navigat, inquam,
Lentaque dimotis brachia jactat aquis.
Paucaque cum tacta perfeci stamina tela, 49
An medio possis, quærimus, esse freto. [mur,
Et modo prospicimus: timida modo voce preca-
Ut tibi det faciles utilis aura vias.

Auribus interdum voces captamus, et omnem
Adventus strepitum credimus esse tui.
Sic ubi deceptæ pars est mihi maxima noctis 55
Acta; subit furtim lumina fessa sopor.
Forsitan invitus, mecum tamen, improbe, dormis:
Et, quanquam non vis ipse venire, venis.
Nam modo te videor prope me spectare natantem;
Brachia nunc humeris humida ferre meis; 60
Nunc dare, quæ soleo, madidis velamina membris;
Pectora nunc juncto vestra fovere sinu;
Multaque præterea, linguæ reticenda modestæ:
Quæ fecisse juvat, facta referre pudet.
Me miseram! brevis est hæc, et non vera voluptas; 65
Nam tu cum somno semper abire soles.
Firmius, o, cupidi tandem coeamus amantes:
Nec careant vera gaudia nostra fide.
Cur ego tot viduas exegi frigida noctes?
Cur toties a me, lente natator, abes? 70
Est mare, confiteor, nondum tractabile nanti:
Nocte sed hesterna lenior aura fuit.
Cur ea præterita est? cur non ventura timebas?
Tam bona cur periit, nec tibi rapta via est?
Protinus ut similis detur tibi copia cursus, 75
Hoc melior certe, quo prior, illa fuit.
At cito mutata est jactati forma profundi:
Tempore, cum properas, sæpe minore venis.
Hic, puto, deprensus nil, quod querereris, haberes;
Meque tibi amplexo nulla noceret hiems. 80
Certe ego tum ventos audirem lenta sonantes,
Et nunquam placidas esse precarer aquas.
Quid tamen evenit, cur sis metuentior undæ,
Contemtumque prius nunc vereare fretum?
Nam memini, cum te sævum veniente minaxque 85
Non minus, aut multo non minus, æquor erat:
Cum tibi clamabam, Sic tu temerarius esto,
Ne miseræ virtus sit tua flenda mihi. [git?
Unde novus timor hic? quoque illa audacia fu-
Magnus ubi est spretis ille natator aquis? 90
Sis tamen hoc potius, quam quod prius esse solebas:
Et facias placidum per mare tutus iter:
Dummodo sis idem; dum sic, ut scribis, amemur,
Flammaque non fiat frigidus illa cinis.
Non ego tam ventos timeo mea vota morantes,
Quam, similis vento ne tuus erret amor; 96
Ne non sim tanti, superentque pericula causam,
Et videar merces esse labore minor.
Interdum metuo, patria ne lædar, et impar
Ducar Abydeno Thressa puella toro. 100
Ferre tamen possum patientius omnia, quam si
Otia nescio qua pellice captus agas;
In tua si veniant alieni colla lacerti,
Sitque novus nostri finis amoris amor.
Ah potius peream, quam crimine vulnerer isto,
Fataque sint culpa nostra priora tua! 106
Nec, quia venturi dederis mihi signa doloris,
Hæc loquor, aut fama sollicitata nova.
Omnia sed vereor: quis enim securus amavit?
Cogit et absentes plura timere locus. 110
Felices illas, sua quas præsentia nosse
Crimina vera jubet, falsa timere vetat.
Nos tam vana movet, quam facta injuria fallit:
Incitat et morsus error uterque pares.
O utinam venias! aut ut ventusve paterve 115
Causa sit, aut certe fœmina nulla, moræ!
Quod si quam sciero, moriar, mihi crede, dolendo.
Jamdudum peccas, si mea fata petis.
Sed neque peccabis, frustraque ego terreor istis:
Quoque minus venias, invida pugnat hiems.
Me miseram! quanto planguntur littora fluctu,
Et latet obscura condita nube dies! 122
Forsitan ad pontum mater pia venerit Helles,
Mersaque roratis nata fleatur aquis:
An mare ab inviso privignæ nomine dictum 125
Vexat in æquoream versa noverca deam?
Non favet, ut nunc est, teneris locus iste puellis.
Hac Helle periit; hac ego lædor aqua.
At tibi flammarum memori, Neptune, tuarum
Nullus erat ventis impediendus amor: 130
Si neque Amymone, nec laudatissima forma
Criminis est Tyro fabula vana tui; [nata,
Lucidaque Alcyone, Circeque, et [Alymone]
Et nondum nexis angue Medusa comis;
Flavaque Laodice, cœloque recepta Celæno;
Et quarum memini nomina lecta mihi.
Has certe pluresque canunt, Neptune, poetæ
Molle latus lateri composuisse tuo.
Cur igitur, toties vires expertus amoris,
Assuetum nobis turbine claudis iter? 140
Parce, ferox, latoque mari tua prælia misce.
Seducit terras hæc brevis unda duas.
Te decet aut magnas magnum jactare carinas,
Aut etiam totis classibus esse trucem.
Turpe deo pelagi, juvenem terrere natantem:
Gloriaque est stagno quolibet ista minor. 146
Nobilis ille quidem est, et clarus origine: sed non
A tibi suspecto ducit Ulixe genus.
Da veniam, servaque duos. Natat ille: sed îsdem
Corpus Leandri, spes mea, pendet aquis. 150
Sternuit et lumen: posito nam scribimus illo:
Sternuit, et nobis prospera signa dedit.
Ecce merum nutrix faustos instillat in ignes,
Crasque erimus plures, inquit, et ipsa bibit.
Effice nos plures, evicta per æquora lapsus, 155
O penitus toto corde recepte mihi.
In tua castra redi, socii desertor Amoris.
Ponuntur medio cur mea membra toro?
Quod timeas non est. Auso Venus ipsa favebit,
Sternet et æquoreas, æquore nata, vias. 160
Ire libet tumidas ipsi mihi sæpe per undas:
Sed solet hoc maribus tutius esse fretum.
Nam cur, hoc vectis Phryxo Phryxique sorore,
Sela dedit vastis fœmina nomen aquis?
Forsitan ad reditum metuas ne tempora desint,
Aut gemini nequeas ferre laboris onus. 166
At nos diversi medium coeamus in æquor,
Obviaque in summis oscula demus aquis:
Atque ita quisque suas iterum redeamus ad urbes.
Exiguum, sed plus quam nihil, illud erit. 170
Vel pudor hic utinam, qui nos clam cogit amare,
Vel timidus famæ cedere vellet amor! [nant.
Nunc male res junctæ, calor et reverentia, pug-
Quid sequar, in dubio est. Hæc decet; ille juvat.
Ut semel intravit Colchos Pagasæus Iason, 175
Impositam celeri Phasida puppe tulit.
Ut semel Idæus Lacedæmona venit adulter,
Cum præda rediit protinus ille sua.
Tu, quam sæpe petis quod amas, tam sæpe relinquis:
Et quoties grave fit puppibus ire, natas. 180
Sic tamen, o, juvenis tumidarum victor aquarum,
Sic facito spernas, ut vereare, fretum.

Arte laboratæ merguntur ab æquore puppes:
Tu tua plus remis brachia posse putes?
Quod cupis, hoc nautæ metuunt, Leandre, natare.
Exitus hic fractis puppibus esse solet. 186
Me miseram! cupio non persuadere, quod hortor:
Sisque, precor, monitis fortior ipse meis:
Dummodo pervenias, excussaque sæpe per undas
Injicias humeris brachia lassa meis. 190
Sed mihi, cæruleas quoties obvertor ad undas,
Nescio quæ pavidum frigora pectus habent.
Nec minus hesternæ confundor imagine noctis;
Quamvis est sacris illa piata meis.
Namque sub Auroram, jam dormitante lucerna,
(Somnia quo cerni tempore vera solent) 196
Stamina de digitis cecidere sopore remissis,
Collaque pulvino nostra ferenda dedi.
Hic ego ventosas mantem delphina per undas
Cernere non dubia sum mihi visa fide: 200
Quem, postquam bibulis illisit fluctus arenis,
Unda simul miserum vitaque deseruit.
Quicquid id est, timeo. Nec tu mea somnia ride:
Nec nisi tranquillo brachia crede mari.
Si tibi non parcis, dilectæ parce puellæ: 205
Quæ nunquam, nisi te sospite, sospes erit.
Spes tamen est fractis vicinæ pacis in undis.
Tum placidas tuto pectore finde vias.
Interea, nanti quoniam freta pervia non sunt,
Leniat invisas littera missa moras. 210

EPISTOLA XX.

ACONTIUS CYDIPPÆ.

Pone metum: nihil hic iterum jurabis amanti.
Promissam satis est te semel esse mihi.
Perlege: discedat sic corpore languor ab isto,
Qui meus est, ulla parte dolente, dolor.
Quid pudor ora subit? nam, sicut in æde Dianæ,
Suspicor ingenuas erubuisse genas. 6
Conjugium pactamque fidem, non crimina, posco:
Debitus ut conjux, non ut adulter, amo.
Verba licet repetas, quæ demtus ab arbore fœtus
Pertulit ad castas, me jaciente, manus; 10
Invenies illic id te spondere, quod opto
Te potius, virgo, quam meminisse deam.
Nunc quoque idem timeo: sed idem tamen acrius illud
Assumsit vires; auctaque flamma mora est.
Quique fuit nunquam parvus, nunc tempore longo, 15
Et spe, quam dederas tu mihi, crevit amor.
Spem mihi tu dederas: meus hic tibi credidit ardor.
Non potes hoc factum teste negare dea.
Affuit, et præsens, ut erat, tua verba notavit:
Et visa est mota dicta probasse coma. 20
Deceptam dicas nostra te fraude licebit;
Dum fraudis nostræ causa feratur amor.
Fraus mea quid petiit, nisi quo tibi jungerer uni?
Id me, quod quereris, conciliare potest.
Non ego natura, nec sum tam callidus usu: 25
Sollertem tu me, crede, puella, facis.
Te mihi compositis, si quid tamen egimus, a me
Adstrinxit verbis ingeniosus Amor.
Dictatis ab eo feci sponsalia verbis,
Consultoque fui juris Amore vafer. 30
Sit fraus huic nomen facto, dicarque dolosus:
Si tamen est, quod ames velle tenere, dolus.
En iterum scribo, mittoque rogantia verba.
Altera fraus hæc est, quodque quæraris habes.
Si noceo, quod amo, fateor, sine fine nocebo; 35
Teque, peti caveas tu licet usque, petam.
Per gladios alii placitas rapuere puellas:
Scripta mihi caute littera crimen erit?
Di faciant, possim plures imponere nodos,
Ut tua sit nulla libera parte fides! 40
Mille doli restant: clivo sudamus in imo.
Ardor inexpertum nil sinet esse meus.
Sit dubium, possisne capi; captabere certe.
Exitus in dis est: sed capiere tamen.
Ut partem effugias, non omnia retia falles; 45
Quæ tibi, quam credis, plura tetendit amor.
Si non proficiant artes, veniemus ad arma;
Inque tui cupido rapta ferere sinu.
Non sum, qui soleam Paridis reprehendere factum,
Nec quenquam, qui, vir posset ut esse, fuit. 50
Nos quoque: sed taceo. Mors hujus pœna rapinæ
Ut sit, erit, quam te non habuisse, minor.
Aut esses formosa minus, peterere modeste.
Audaces facie cogimur esse tua.
Tu facis hoc, oculique tui, quibus ignea cedunt
Sidera, qui flammæ causa fuere meæ; 56
Hoc flavi faciunt crines, et eburnea cervix;
Quæque, precor, veniant in mea colla manus;
Et decor, et vultus sine rusticitate pudentes;
Et, Thetidi quales vix rear esse, pedes. 60
Cætera si possem laudare, beatior essem:
Nec dubito, totum quin sibi par sit opus.
Hac ego compulsus, non est mirabile, forma,
Si pignus volui vocis habere tuæ.
Denique, dum captam tu te cogare fateri, 65
Insidiis esto capta puella meis.
Invidiam patiar: passo sua præmia dentur.
Cur suus a tanto crimine fructus abest?
Hesionen Telamon, Briseida cepit Achilles:
Utraque victorem victa secuta suum. 70
Quamlibet accuses, et sis irata, licebit;
Irata liceat dum mihi posse frui.
Idem, qui facimus, factam tenuabimus iram:
Copia placandæ sit modo parva tui.
Ante tuos flentem liceat consistere vultus; 75
Et liceat lacrymis addere verba suis;
Utque solent famuli, cum verbera sæva verentur,
Tendere submissas ad tua crura manus.
Ignoras tua jura; voca: cur arguor absens?
Jamdudum dominæ more venire jube. 80
Ipsa meos scindas licet imperiosa capillos,
Oraque sint digitis livida facta tuis:
Omnia perpetiar: tantum fortasse timebo,
Corpore lædatur ne manus ista meo.
Sed neque compedibus, nec me compesce catenis:
Servabor firmo vinctus amore tui. 86
Cum bene se, quantumque volet, satiaverit ira,
Ipsa tibi dices, Quam patienter amat!
Ipsa tibi dices, ubi videris omnia ferre,
Tam bene qui servit, serviat iste mihi. 90
Nunc reus infelix absens agor: et mea, cum sit
Optima, non ullo causa tuente perit.
Hoc quoque, quod jus est, sit scriptum injuria nostrum:
Quod de me solo nempe queraris, habes.
Non meruit falli mecum quoque Delia. Si non
Vis mihi promissum reddere, redde deæ. 96
Affuit, et vidit, cum tu decepta rubebas:
Et vocem memori condidit aure tuam.
Omnia re careant: nihil est violentius illa,
Cum sua, quod nolim, numina læsa videt. 100
Testis erit Calydonis aper: nam scimus, ut illo
Sit magis in natum sæva reperta parens.
Testis et Actæon, quondam fera creditus illis,
Ipse dedit leto cum quibus ante feras: 104

Quæque superba parens, saxo per corpus oborto,
Nunc quoque Mygdonia flebilis exstat humo.
Hei mihi, Cydippe! timeo tibi dicere verum,
Ne videar causa falsa monere mea; [ægra
Dicendum tamen est: hoc est, mihi crede, quod
Ipso nubendi tempore sæpe jaces. 110
Consulit ipsa tibi; neu sis perjura laborat:
Et salvam salva te cupit esse fide.
Inde fit, ut, quoties [existere] perfida tentas,
Peccatum toties corrigat illa tuum.
Parce movere feros animosæ virginis arcus. 115
Mitis adhuc fieri, si patiare, potest.
Parce, precor, teneros corrumpere febribus artus.
Servetur facies ista fruenda mihi;
Serventur vultus ad nostra incendia nati;
Quique subest niveo lætus in ore rubor. 120
Hostibus e si quis, ne fias nostra, repugnat;
Sic sit, ut, invalida te, solet esse mihi.
Torqueor ex æquo vel te nubente, vel ægra:
Dicere nec possum, quid minus ipse velim.
Maceror interdum, quod sim tibi causa dolendi:
Teque mea lædi calliditate puto. 126
In caput hæc nostrum dominæ perjuria, quæso,
Eveniant: pœna tuta sit illa mea.
Ne tamen ignorem, quid agas, ad limina crebro
Anxius huc illuc dissimulanter eo. 130
Subsequor ancillam furtim famulumve, requirens,
Profuerint somni quid tibi, quidve cibi.
Me miserum! quod non medicorum jussa ministro,
Effingoque manus, insideoque toro. 134
Et rursus miserum, quod, me procul inde remoto,
Quem minime vellem, forsitan alter adest.
Ille manus istas effingit, et assidet ægræ,
Invisus superis, cum superisque mihi.
Dumque suo tentat salientem pollice venam,
Candida per causam brachia sæpe tenet; 140
Contrectatque sinus, et forsitan oscula jungit.
Officio merces plenior ista suo est.
Quis tibi permisit nostras præcerpere messes?
Ad sepem alterius quis tibi fecit iter?
Iste sinus meus est: mea turpiter oscula sumis.
A mihi promisso corpore tolle manus. 146
Improbe, tolle manus. Quam tangis, nostra futura est.
Postmodo si facias istud, adulter eris.
Elige de vacuis, quam non sibi vindicet alter.
Si nescis, dominum res habet ista suum. 150
Nec mihi credideris: recitetur formula pacti.
Neu falsam dicas esse, face ipsa legat.
Alterius thalamo, tibi nos, tibi dicimus, exi.
Quid facis hic? exi; non vacat iste torus.
Nam quod habes et tu humani verba altera pacti;
Non erit idcirco par tua causa meæ. 156
Hæc mihi se pepigit; pater hanc tibi, primus ab illa:
Sed propior certe, quam pater, ipsa sibi est.
Promisit pater hanc: hæc adjuravit amanti.
Ille homines, hæc est testificata deam. 160
Hic metuit mendax, timet hæc perjura vocari.
Num dubites, hic sit major, an ille metus?
Denique, ut amborum conferre pericula possis,
Respice ad eventus: hæc cubat; ille valet.
Nos quoque dissimili certamina mente subimus;
Nec spes par nobis, nec timor æquus adest.
Tu petis ex tuto: gravior mihi morte repulsa est:
Idque ego jam, quod tu forsan amabis, amo.
Si tibi justitiæ, si recti cura fuisset,
Cedere debueras ignibus ipse meis. 170
Nunc quoniam ferus hic pro causa pugnat iniqua,
Ad quid, Cydippe, littera nostra redit?
Hic facit, ut jaceas, et sis suspecta Dianæ.
Hunc tu, si sapias, limen adire vetes.
Hoc faciente subis tam sæva pericula vitæ. 175
Atque utinam pro te, qui movet illa, ferat!
Quem si reppuleris, nec, quem dea damnat, amaris;
Et tu continuo, certe ego salvus ero.
Siste metum, virgo: stabili potiere salute.
Fac modo polliciti conscia templa colas. 180
Nec bove mactato cœlestia numina gaudent,
Sed, quæ præstanda est et sine teste, fide.
Ut valeant aliæ, ferrum patiuntur et ignes:
Fert aliis tristem succus amarus opem.
Nil opus est istis; tantum perjuria vita. 185
Teque simul serva, meque, datamque fidem.
Præteritæ veniam dabit ignorantia culpæ:
Exciderint animo fœdera lecta tuo.
Admonita es modo voce mea, modo [cassibus] istis,
Quos, quoties tentas fallere, ferre soles. 190
His quoque vitatis, in partu nempe rogabis,
Ut tibi luciferas offerat illa manus.
Audiet; et, repetens quæ sint audita, requiret
Ipsa, tibi de quo conjuge partus eat.
Promittes votum; scit te promittere falso: 195
Jurabis; scit te fallere posse deos.
Non agitur de me: cura majore laboro.
Anxia sunt vitæ pectora nostra tuæ.
Cur modo te dubiam pavidi flevere parentes,
Ignaros culpæ quos sinis esse tuæ? 200
Et cur ignorent? matri licet omnia narres;
Nil tua, Cydippe, facta ruboris habent.
Ordine fac referas: ut sis mihi cognita primum,
Sacra pharetratæ dum facis ipsa deæ;
Ut te conspecta subito (si forte notasti) 205
Restiterim fixis in tua membra genis;
Ut, te dum nimium miror, nota certa furoris,
Deciderint humero pallia lapsa meo.
Postmodo nescio qua venisse volubile malum,
Verba ferens doctis insidiosa notis. 210
Quod quia sit lectum sancta præsente Diana,
Esse tuam vinctam, numine teste, fidem.
Ne tamen ignoret quæ sit sententia scripto,
Lecta tibi quondam nunc quoque verba refer.
Nube, precor, dicet, cui te bona numina jungunt:
Quem fore jurasti, sit gener ille mihi. 216
Quisquis is est; placeat; quoniam placet ante Dianæ.
Talis erit mater, si modo mater erit.
Sic tamen et quærat, qui sim quantusque, jubeto:
Inveniet vobis consuluisse deam. 220
Insula, Coryciis quondam celeberrima Nymphis,
Cingitur Ægeo, nomine Cea, mari.
Illa mihi patria est: nec, si generosa probaris
Nomina, despectis arguor ortus avis.
Sunt et opes nobis: sunt et sine crimine mores:
Amplius utque nihil, me tibi jungit amor. 226
Appeteres talem vel non jurata maritum:
Juratæ vel non talis habendus erat.
Hæc tibi me in somnis jaculatrix scribere Phœbe,
Hæc tibi me vigilem scribere jussit Amor. 230
E quibus alterius mihi jam nocuere sagittæ:
Alterius noceant ne tibi tela, cave.
Juncta salus nostra est: miserere meique tuique.
Quid dubitas unam ferre duobus opem?
Quod si contigerit; cum jam data signa sonabunt,
Tinctaque votivo sanguine Delos erit, 236

Aurea ponetur mali felicis imago,
Causaque versiculis scripta duobus erit:
Effigie pomi testatur Acontius hujus,
Quæ fuerint in eo scripta, fuisse rata. 240
Longior infirmum ne lasset epistola corpus,
Clausula consueto sit sibi fine; vale.

EPISTOLA XXI.

CYDIPPE ACONTIO.

Pertimui, scriptumque tuum sine murmure legi,
Juraret ne quos inscia lingua deos.
Et, puto, captasses iterum: nisi, ut ipse fateris,
Promissam scires me satis esse semel.
Nec lectura fui: sed, si tibi dura fuissem, 5
Aucta foret sævæ forsitan ira deæ.
Omnia cum faciam, cum dem pia tura Dianæ;
Illa tamen justa plus tibi parte favet.
Utque cupis credi, memori te vindicat ira.
Talis in Hippolyto vix fuit illa suo. 10
At melius virgo favisset virginis annis;
Quos vereor paucos ne velit esse mihi.
Languor enim causis non apparentibus hæret,
Adjuvor et nulla fessa medentis ope.
Quam tibi nunc gracilem vix hæc rescribere, quamque 15
Pallida vix cubito membra levare putas?
Huc timor accedit, ne quis, nisi conscia nutrix,
Colloquii nobis sentiat esse vices.
Ante fores sedet hæc; quid agamque rogantibus intus,
Ut possim tuto scribere, Dormit, ait. 20
Mox ubi, secreti longi causa optima, somnus
Credibilis tarda desinit esse mora,
Jamque venire videt, quos non admittere durum est:
Exscreat, et ficta dat mihi signa nota:
Sicut eram, properans verba imperfecta relinquo,
Et tegitur trepido littera cauta sinu. 26
Inde meos digitos iterum repetita fatigat.
Quantus sit nobis, adspicis ipse, labor.
Quo, peream, si dignus eras, ut vera loquamur:
Sed melior justo, quamque mereris, ego. 30
Ergo te propter toties incerta salutis
Commentis pœnas doque dedique tuis?
Hæc nobis formæ te laudatore superbæ
Contingit merces? et placuisse nocet?
Si tibi deformis, quod mallem, visa fuissem, 35
Culpatum nulla corpus egeret ope.
Nunc laudata gemo: nunc me certamine vestro
Proditis, et proprio vulneror ipsa bono.
Dum neque tu cedis, nec se putat ille secundum;
Tu votis obstas illius, ille tuis. 40
Ipsa velut navis jactor, quam certus in altum
Propellit Boreas, æstus et unda refert.
Cumque dies caris optata parentibus instat,
Immodicus pariter corporis ardor inest:
Et mihi conjugii tempus crudelis ad ipsum 45
Persephone nostras pulsat acerba fores.
Jam pudet: et timeo, quamvis mihi conscia non sim,
Offensos videar ne meruisse deos.
Accidere hoc aliquis casu contendit: et alter
Acceptum superis hunc negat esse virum. 50
Neve nihil credas in te quoque dicere famam,
Facta veneficiis pars putat ista tuis.
Causa latet: mala nostra patent. Vos pace movetis
Aspera submota prælia: plector ego.
Dicam nunc, solitoque tibi me decipe more: 55
Quid facies odio, sic ubi amore noces?
Si lædis, quod amas, hostem sapienter amabis.
Me, precor, ut serves, perdere velle velis.
Aut tibi jam nulla est speratæ cura puellæ,
Quam ferus indigna tabe perire sinis: 60
Aut, dea si frustra pro me tibi sæva rogatur,
Quid mihi te jactas? gratia nulla tua est.
Elige, quid fingas. Non vis placare Dianam;
Immemor es nostri: non potes; illa tui est.
Vel nunquam mallem, vel non mihi tempore in illo 65
Esset in Ægæis cognita Delos aquis.
Tunc mea difficili deducta est æquore navis,
Et fuit ad cœptas hora sinistra vias.
Quo pede processi! quo me pede limine movi!
Picta citæ tetigi quo pede texta ratis! 70
Bis tamen adverso redierunt carbasa vento.
Mentior ah demens! ille secundus erat.
Ille secundus erat, qui me referebat euntem,
Quique parum felix impediebat iter.
Atque utinam constans contra mea vela fuisset!
Sed stultum est venti de levitate queri. 76
Mota loci fama properabam visere Delon;
Et facere ignava puppe videbar iter.
Quam sæpe, ut tardis, feci convicia remis,
Questaque sum vento lintea parca dari! 80
Et jam transieram Myconon, jam Tenon et Andron:
Inque meis oculis candida Delos erat.
Quam procul ut vidi, Quid me fugis, insula? dixi:
Laberis in magno numquid, ut ante, mari?
Institeram terræ, cum jam, prope luce peracta,
Demere purpureis Sol juga vellet equis: 86
Quos idem solitos postquam revocavit ad ortus,
Comuntur nostræ, matre jubente, comæ.
Ipsa dedit gemmas digitis, et crinibus aurum,
Et vestes humeris induit ipsa meis. 90
Protinus egressæ superis, quibus insula sacra est,
Flava salutatis thura merumque damus.
Dumque parens aras votivo sanguine tingit,
Festaque fumosis ingerit exta focis;
Sedula me nutrix alias quoque ducit in ædes,
Erramusque vago per loca sacra pede. 96
Et modo porticibus spatior; modo munera regum
Miror, et in cunctis stantia signa locis;
Miror et innumeris structam de cornibus aram,
Et dea qua pariens arbore nixa fuit; 100
Et quæ præterea (neque enim meminive libetve,
Quicquid ibi vidi, dicere) Delos habet.
Forsitan hæc spectans, a te spectabar, Aconti;
Visaque simplicitas est mea posse capi.
In templum redeo, gradibus sublime, Dianæ.
Tutior hoc ecquis debuit esse locus?
Mittitur ante pedes malum cum carmine tali.
Hei mihi! juravi nunc quoque pæne tibi.
Sustulit hoc nutrix, miratque, Perlege, dixit.
Insidias legi, magne poeta, tuas. 110
Nomine conjugii dicto, confusa pudore
Sensi me totis erubuisse genis:
Luminaque in gremio veluti defixa tenebam,
Lumina propositi facta ministra tui.
Improbe, quid gaudes? aut quæ tibi gloria parta est? 115
Quidve vir elusa virgine laudis habes?
Non ego constiteram sumta peltata securi,
Qualis in Iliaco Penthesilea solo.
Nullus Amazonio cælatus balteus auro,
Sicut ab Hippolyte, præda relata tibi est. 120

Verba, quid exultas, tua si mihi verba dederunt;
Sumque parum prudens capta puella dolis?
Cydippen pomum, pomum Schœneida cepit.
Tu nunc Hippomenes scilicet alter eris.
At fuerat melius, si te puer iste tenebat, 125
Quem tu nescio quas dicis habere faces,
More bonis solito spem non corrumpere fraude.
Exoranda tibi, non capienda fui.
Cur, me cum peteres, ea non profitenda putabas,
Propter quæ nobis ipse petendus eras? 130
Cogere cur potius, quam persuadere, volebas,
Si poteram audita conditione capi?
Quid tibi nunc prodest jurandi formula juris,
Linguaque præsentem testificata deam?
Quæ jurat, mens est; nil conjuravimus illa. 135
Illa fidem dictis addere sola potest.
Consilium prudensque animi sententia jurat:
Et, nisi judicii, vincula nulla valent.
Si tibi conjugium volui promittere nostrum,
Exige polliciti debita jura tori: 140
Sed si nil dedimus, præter sine pectore vocem,
Verba suis frustra viribus orba tenes.
Non ego juravi: legi jurantia verba.
Vir mihi non isto more legendus eras.
Decipe sic alias: succedat epistola pomo. 145
Si valet hoc, magnas divitis aufer opes;
Fac jurent reges sua se tibi regna daturos;
Sitque tuum, toto quicquid in orbe placet.
Major es hoc ipsa multo, mihi crede, Diana.
Si tua tam præsens littera numen habet. 150
Cum tamen hæc dixi, cum me tibi firma negavi,
Cum bene promissi causa peracta mei est;
Confiteor, timeo sævæ Latoidos iram:
Et corpus lædi suspicor inde meum.
Nam quare, quoties socialia sacra parantur, 155
Nupturæ toties languida membra cadunt?
Ter mihi jam veniens positas Hymenæus ad aras
Fugit, et e thalami limine terga dedit:
Vixque manu pigra toties [infusa] resurgunt
Lumina; vix moto corripit igne faces. 160
Sæpe coronatis stillant unguenta capillis,
Et trahitur multo splendida palla croco.
Cum tetigit limen, lacrymas mortisque timorem
Cernit, et a cultu multa remota suo.
Projicit ipse sua deductas fronte coronas, 165
Spissaque de nitidis tergit amoma comis;
Et pudet in tristi lætum consurgere turba;
Quique erat in palla, transit in ora rubor.
At mihi, væ miseræ! torrentur febribus artus:
Et gravius justo pallia pondus habent. 170
Nostraque plorantes video super ora parentes:
Et, face pro thalami, fax mihi mortis adest.
Parce laboranti, picta dea læta pharetra;
Daque salutiferam jam mihi fratris opem.
Turpe tibi est, illum causas depellere leti, 175
Te contra titulum mortis habere meæ.
Numquid, in umbroso cum velles fonte lavari,
Imprudens vultus ad tua labra tuli?
Præteriine tuas de tot cœlestibus aras?
Atque tua est nostra spreta parente parens?
Nil ego peccavi, nisi quod perjuria legi, 181
Inque parum fausto carmine docta fui.
Tu quoque pro nobis, si non mentiris amorem,
Thura feras. Prosint, quæ nocuere, manus,
Cur, quæ succenset, quod adhuc tibi pacta puella
Non tua fit, fieri ne tua possit, agit? 186
Omnia de viva tibi sunt speranda. Quid aufert
Sæva mihi vitam, spem tibi diva mei?
Nec tu credideris illum, cui destinor uxor,
Ægra superposita membra fovere manu. 190
Assidet ille quidem, quantum permittitur ipsi:
Sed meminit nostrum virginis esse torum.
Jam quoque nescio quid de me sensisse videtur:
Nam lacrymæ causa sæpe latente cadunt.
Et minus audacter blanditur, et oscula rara 195
Accipit, et timido me vocat ore suam.
Nec miror sensisse, notis cum prodar apertis:
In dextrum versor, cum venit ille, latus:
Nec loquor; et tecto simulatur lumine somnus;
Captantem tactus rejicioque manum. 200
Ingemit, et tacito suspirat pectore: meque
Offensam, quamvis non mereatur, habet.
Hei mihi, quod gaudes, et te juvat ista voluptas!
Hei mihi, quod sensus sum tibi fassa meos!
Si mihi lingua foret, tu nostra justius ira, 205
Qui mihi tenebas retia, dignus eras.
Scribis, ut invalidum liceat tibi visere corpus;
Es procul a nobis: et tamen inde noces.
Mirabar, quare tibi nomen Acontius esset:
Quod faciat longe vulnus, acumen habes. 210
Certe ego convalui nondum de vulnere tali,
Ut jaculo, scriptis eminus icta tuis.
Quid tamen huc venias? anne ut miserabile corpus,
Ingenii videas digna tropæa tui?
Concidimus macie; color est sine sanguine: qualem 215
In pomo refero mente fuisse tuo.
Candida nec mixto sublucent ora rubore:
Forma novi talis marmoris esse solet;
Argenti color est inter convivia talis,
Quod tactum gelidæ frigore pallet aquæ. 220
Si me nunc videas, visam prius esse negabis:
Arte nec est, dices, ista petenda mea:
Promissique fidem, ne sim tibi juncta, remittes;
Et cupies illud non meminisse deam.
Forsitan et facies, jurem ut contraria rursus;
Quæque legam, mittes altera verba mihi. 226
Sed tamen adspiceres vellem, prout ipse rogabas,
Et discas sponsæ languida membra tuæ.
Durius et ferro cum sit tibi pectus, Aconti,
Tu veniam nostris vocibus ipse petas. 230
Ne tamen ignores, ope qua revalescere possim:
Quæritur a Delphis fata canente deo.
Is quoque nescio quam, nunc ut vaga fama susurrat,
Neglectam queritur testis habere fidem.
Hoc deus et vates, hoc et mea carmina dicunt:
An desunt voto carmina nulla tuo? 236
Unde tibi favor hic? nisi quod nova forte reperta est,
Quæ capiat magnos littera lecta deos.
Teque tenente deos, numen sequor ipsa deorum:
Doque libens victas in tua vota manus. 240
Fassaque sum matri deceptæ fœdera linguæ,
Lumina fixa tenens, plena pudoris, humo.
Cætera cura tua est. Plus hoc quoque virgine factum,
Non timuit tecum quod mea charta loqui.
Jam satis invalidos calamo lassavimus artus,
Et manus officium longius ægra negat.
Quid, nisi, quod cupio me jam conjungere tecum,
Restat, ut adscribat littera nostra? Vale.

P. OVIDII NASONIS AMORUM LIBRI TRES.

LIBER PRIMUS.

EPIGRAMMA IN AMORES SUOS.

Qui modo Nasonis fueramus quinque libelli,
Tres sumus: hoc illi prætulit auctor opus.
Ut jam nulla tibi nos sit legisse voluptas;
At levior demtis pœna duobus erit.

ELEGIA I.

Arma gravi numero, violentaque bella parabam
Edere, materia conveniente modis.
Par erat inferior versus: risisse Cupido
Dicitur, atque unum surripuisse pedem.
Quis tibi, sæve puer, dedit hoc in carmina juris?
Pieridum vates, non tua turba, sumus. 6
Quid, si præripiat flavæ Venus arma Minervæ,
Ventilet accensas flava Minerva faces?
Quis probet in sylvis Cererem regnare jugosis,
Lege pharetratæ virginis arva coli? 10
Crinibus insignem quis acuta cuspide Phœbum
Instruat, Aoniam Marte movente lyram?
Sunt tibi magna, puer, nimiumque potentia regna;
Cur opus affectas, ambitiose, novum?
An, quod ubique, tuum? tua sunt Heliconia Tempe? 15
Vix etiam Phœbo jam lyra tuta sua est?
Cum bene surrexit versu nova pagina primo,
Attenuat nervos protinus ille meos.
Nec mihi materia est numeris levioribus apta,
Aut puer, aut longas comta puella comas. 20
Questus eram; pharetra cum protinus ille soluta
Legit in exitium spicula facta meum:
Lunavitque genu sinuosum fortiter arcum:
Quodque canas, vates, accipe, dixit, opus.
Me miserum! certas habuit puer ille sagittas.
Uror, et in vacuo pectore regnat Amor.
Sex mihi surgat opus numeris; in quinque residat.
Ferrea cum vestris bella valete modis.
Cingere littorea flaventia tempora myrto,
Musa, per undenos emodulanda pedes. 30

ELEGIA II.

Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur
Strata, neque in lecto pallia nostra sedent;
Et vacuus somno noctem, quam longa, peregi,
Lassaque versati corporis ossa dolent?
Nam puto sentirem, si quo tentarer amore. 5
An subit, et tacita callidus arte nocet?
Sic erat. Hæserunt tenues in corde sagittæ,
Et possessa ferus pectora versat Amor.
Cedimus? an subitum luctando accendimus ignem?
Cedamus: leve fit, quod bene fertur, onus. 10
Vidi ego jactatas mota face crescere flammas,
Et vidi nullo concutiente mori.
Verbera plura ferunt, quam quos juvat usus aratri,
Detrectant pressi dum juga prima boves.
Asper equus duris contunditur ora lupatis: 15
Frena minus sentit, quisquis ad arma facit.
Acrius invitos multoque ferocius urget,
Quam qui servitium ferre fatentur, Amor.
En ego confiteor: tua sum nova præda, Cupido:
Porrigimus victas ad tua jura manus. 20
Nil opus est bello: pacem veniamque rogamus.
Nec tibi laus, armis victus inermis, ero.
Necte comam myrto: maternas junge columbas.
Qui deceat, currum vitricus ipse dabit;
Inque dato curru, populo clamante triumphum,
Stabis: et adjunctas arte movebis aves. 26
Ducentur juvenes capti captæque puellæ.
Hæc tibi magnificus pompa triumphus erit.
Ipse ego, præda recens, factum modo vulnus habebo,
Et nova captiva vincula mente feram. 30
Mens bona ducetur manibus post terga retortis,
Et Pudor, et castris quicquid Amoris obest.
Omnia te metuent: ad te sua brachia tendens
Vulgus, Io, magna voce, Triumphe, canet.
Blanditiæ comites tibi erunt, Errorque, Furorque,
Assidue partes turba secuta tuas. 36
His tu militibus superas hominesque deosque:
Hæc tibi si demas commoda, nudus eris.
Læta triumphanti de summo mater Olympo
Plaudet, et appositas sparget in ora rosas. 40
Tu, pennas gemma, gemma variante capillos,
Ibis in auratis aureus ipse rotis.
Tum quoque non paucos, si te bene novimus, ures:
Tum quoque præteriens vulnera multa dabis.
Non possunt, licet ipse velis, cessare sagittæ. 45
Fervida vicino flamma vapore nocet.
Talis erat domita Bacchus Gangetide terra.
Tu gravis alitibus, tigribus ille fuit.
Ergo, ego cum possim sacri pars esse triumphi,
Parce tuas in me perdere, victor, opes. 50
Adspice cognati felicia Cæsaris arma.
Qua vincit, victos protegit ille manu.

ELEGIA III.

Justa precor: quæ me nuper prædata puella est,
Aut amet, aut faciat, cur ego semper amem.
Ah nimium volui! tantum patiatur amari;
Audierit nostras tot Cytherea preces.
Accipe, per longos tibi qui deserviat annos: 5
Accipe, qui pura norit amare fide.
Si me non veterum commendant magna parentum
Nomina; si nostri sanguinis auctor eques;
Nec meus innumeris renovatur campus aratris;
Temperat et sumtus parcus uterque parens: 10

At Phœbus, comitesque novem, vitisque repertor,
Hoc faciant; et, me qui tibi donat, Amor;
Et nulli cessura fides; sine crimine mores;
Nudaque simplicitas, purpureusque pudor.
Non mihi mille placent: non sum desultor Amoris.
Tu mihi, si qua fides, cura perennis eris. 16
Tecum, quos dederint annos mihi fila sororum,
Vivere contingat, teque dolente mori.
Te mihi materiem felicem in carmina præbe;
Provenient causa carmina digna sua. 20
Carmine nomen habent exterrita cornibus Io,
Et quam fluminea lusit adulter ave;
Quæque, super pontum simulato vecta juvenco,
Virginea tenuit cornua vara manu.
Nos quoque per totum pariter cantabimur orbem, 25
Junctaque semper erunt nomina nostra tuis.

ELEGIA IV.

Vir tuus est epulas nobis aditurus easdem.
Ultima cœna tuo sit, precor, illa viro.
Ergo ego dilectam tantum conviva puellam
Adspiciam? tangi quem juvet, alter erit?
Alteriusque sinus apte subjecta fovebis? 5
Injiciet collo, cum volet, ille manum?
Desine mirari, posito quod candida vino
Atracis ambiguos traxit in arma viros.
Nec mihi sylva domus, nec equo mea membra cohærent:
Vix a te videor posse tenere manus. 10
Quæ tibi sint facienda tamen, cognosce: nec Euris
Da mea, nec tepidis verba ferenda Notis.
Ante veni, quam vir. Nec, quid, si veneris ante,
Possit agi, video: sed tamen ante veni. 14
Cum premit ille torum, vultu comes ipsa modesto
Ibis, ut accumbas: clam mihi tange pedem.
Me specta, nutusque meos, vultumque loquacem:
Excipe furtivas, et refer ipsa, notas.
Verba superciliis sine voce loquentia dicam:
Verba leges digitis, verba notata mero. 20
Cum tibi succurrit Veneris lascivia nostræ,
Purpureas tenero pollice tange genas.
Si quid erit, de me tacita quod mente queraris,
Pendeat extrema mollis ab aure manus.
Cum tibi, quæ faciam, mea lux, dicamve, placebunt, 25
Versetur digitis annulus usque tuis.
Tange manu mensam, quo tangunt more precantes,
Optabis merito cum mala multa viro.
Quod tibi miscuerit, sapias, bibat ipse jubeto:
Tu puerum leviter posce, quod ipsa velis. 30
Quæ tu reddideris, ego primus pocula sumam;
Et qua tu biberis, hac ego parte bibam.
Si tibi forte dabit, quos prægustaverit ipse,
Rejice libatos illius ore cibos.
Nec premat impositis sinito tua colla lacertis,
Mite nec in rigido pectore pone caput. 36
Nec sinus admittat digitos, habilesve papillæ.
Oscula præcipue nulla dedisse velis.
Oscula si dederis, fiam manifestus amator:
Et dicam, Mea sunt, injiciamque manus. 40
Hæc tamen adspiciam: sed quæ bene pallia celant,
Illa mihi cæci causa timoris erunt.
Nec femori committe femur, nec crure cohære,
Nec tenerum duro cum pede junge pedem.
Multa miser timeo, quia feci multa proterve: 45
Exemplique metu torqueor ipse mei.
Sæpe mihi, dominæque meæ properata voluptas
Veste sub injecta dulce peregit opus.
Hoc tu non facies: sed ne fecisse puteris,
Conscia de gremio pallia deme tuo. 50
Vir bibat usque roga: precibus tamen oscula desint.
Dumque bibit, furtim, si potes, adde merum.
Si bene compositus somno vinoque jacebit,
Consilium nobis resque locusque dabunt.
Cum surges abitura domum, surgemus et omnes;
In medium turbæ fac memor agmen eas. 56
Agmine me invenies, aut invenieris, in illo.
Quicquid ibi poteris tangere, tange mei.
Me miserum! paucas monui quod prosit in horas.
Separor a domina, nocte jubente, mea. 60
Nocte vir includet: lacrymis ego mæstus obortis,
Qua licet, ad sævas prosequar usque fores.
Oscula jam sumet: jam non tantum oscula sumet.
Quod mihi das furtim, jure coacta dabis.
Verum invita dato (potes hoc) similisque coactæ; 65
Blanditiæ taceant, sitque maligna Venus.
Si mea vota valent, illum quoque nil juvet opto:
Sin minus; at certe te juvet inde nihil.
Sed quæcunque tamen noctem fortuna sequatur,
Cras mihi constanti voce dedisse nega. 70

ELEGIA V.

Æstus erat, mediamque dies exegerat horam:
Apposui medio membra levanda toro.
Pars adaperta fuit, pars altera clausa fenestræ:
Quale fere sylvæ lumen habere solent;
Qualia sublucent fugiente crepuscula Phœbo;
Aut ubi nox abiit, nec tamen orta dies. 6
Illa verecundis lux est præbenda puellis,
Qua timidus latebras speret habere pudor.
Ecce Corinna venit, tunica velata recincta,
Candida dividua colla tegente coma: 10
Qualiter in thalamos formosa Semiramis isse
Dicitur, et multis Lais amata viris.
Deripui tunicam; nec multum rara nocebat:
Pugnabat tunica sed tamen illa tegi.
Cumque ita pugnaret, tanquam quæ vincere nollet, 15
Victa est non ægre proditione sua.
Ut stetit ante oculos posito velamine nostros,
In toto nusquam corpore menda fuit.
Quos humeros, quales vidi tetigique lacertos!
Forma papillarum quam fuit apta premi! 20
Quam castigato planus sub pectore venter!
Quantum et quale latus! quam juvenile femur!
Singula quid referam? nil non laudabile vidi:
Et nudam pressi corpus ad usque meum.
Cætera quis nescit? lassi requievimus ambo.
Proveniant medii sic mihi sæpe dies. 26

ELEGIA VI.

Janitor (indignum) dura religate catena,
Difficilem moto cardine pande forem.
Quod precor, exiguum est: aditu fac janua parvo
Obliquum capiat semiadaperta latus.
Longus amor tales corpus tenuavit in usus, 5
Aptaque subducto pondere membra dedit.
Ille per excubias custodum leniter ire
Monstrat: inoffensos dirigit ille pedes.

At quondam noctem, simulacraque vana timebam:
Mirabar, tenebris si quis iturus erat. 10
Risit, ut audirem, tenera cum matre Cupido,
Et leviter, Fies tu quoque fortis, ait.
Nec mora; venit amor: non umbras nocte volantes,
Non timeo strictas in mea fata manus.
Te nimium lentum timeo; tibi blandior uni: 15
Tu, me quo possis perdere, fulmen habes;
Adspice (et, ut videas, immitia claustra relaxa)
Uda sit ut lacrymis janua facta meis.
Certe ego, cum posita stares ad verbera veste,
Ad dominam pro te verba tremente tuli. 20
Ergo, quæ valuit pro te quoque gratia quondam,
Heu facinus! pro me nunc valet illa parum?
Redde vicem meritis: grato licet esse. Quod optas,
Tempora noctis eunt: excute poste seram.
Excute: sic unquam longa relevere catena, 25
Nec tibi perpetuo serva bibatur aqua.
Ferreus orantem nequicquam, janitor, audis.
Roboribus duris janua fulta riget.
Urbibus obsessis clausæ munimina portæ
Prosint; in media pace quid arma times? 30
Quid facias hosti, qui sic excludis amantem?
Tempora noctis eunt: excute poste seram.
Non ego militibus venio comitatus et armis.
Solus eram, si non sævus adesset Amor.
Hunc ego, si cupiam, nusquam dimittere possim.
Ante vel a membris dividar ipse meis. 36
Ergo Amor, et modicum circa mea tempora vinum
Mecum est, et madidis lapsa corona comis.
Arma quis hæc timeat? quis non eat obvius illis?
Tempora noctis eunt: excute poste seram. 40
Lentus es? an somnus, qui se male præbet amanti,
Verba dat in ventos aure repulsa tua?
At (memini) primo, cum te celare solebam,
Pervigil in mediæ sidera noctis eras.
Forsitan et tecum tua nunc requiescit amica. 45
Heu! melior quanto sors tua sorte mea!
Dummodo sic, in me duræ transite catenæ.
Tempora noctis eunt: excute poste seram.
Fallimur? an verso sonuerunt cardine postes,
Raucaque concussæ signa dedere fores? 50
Fallimur: impulsa est animoso janua vento.
Hei mihi, quam longe spem tulit aura meam!
Si satis es raptæ, Borea, memor Orithyiæ,
Huc ades, et surdas flamine tunde fores.
Urbe silent tota: vitreoque madentia rore 55
Tempora noctis eunt: excute poste seram.
Aut ego jam ferroque ignique paratior ipse,
Quem face sustineo, tecta superba petam.
Nox, et Amor, vinumque, nihil moderabile suadent:
Illa pudore vacat: Liber Amorque metu. 60
Omnia consumsi: nec te precibusve minisve
Movimus, o foribus surdior ipse tuis.
Non te formosæ decuit servare puellæ
Limina: sollicito carcere dignus eras.
Jamque pruinosos molitur Lucifer axes; 65
Inque suum miseros excitat ales opus.
At tu, non lætis detracta corona capillis,
Dura super tota limina nocte jace.
Tu dominæ, cum te projectam mane videbit,
Temporis absumti tam male testis eris. 70
Qualiscunque vale, sentique abeuntis amorem,
Lente, nec admisso turpis amante: vale.
Vos quoque crudeles rigido cum limine postes,
Duraque conservæ ligna valete fores.

ELEGIA VII.

Adde manus in vincla meas, meruere catenas,
Dum furor omnis abit, si quis amicus ades.
Nam furor in dominam temeraria brachia movit.
Flet mea vesana læsa puella manu.
Tunc ego vel caros potui violare parentes, 5
Sæva vel in sanctos verbera ferre deos.
Quid? non et clypei dominus septemplicis Ajax
Stravit deprensos lata per arva greges?
Et, vindex in matre patris, malus ultor Orestes
Ausus in arcanas poscere tela deas? 10
Ergo ego digestos potui laniare capillos;
Nec dominam motæ dedecuere comæ?
Sic formosa fuit; talem Schœneida dicunt
Mænalias arcu sollicitasse feras.
Talis perjuri promissaque velaque Thesei 15
Flevit præcipites Cressa tulisse Notos.
Sic, nisi vittatis quod erat, Cassandra, capillis,
Procubuit templo, casta Minerva, tuo.
Quis mihi non, Demens, quis non mihi, Barbare, dixit?
Ipsa nihil: pavido lingua retenta metu. 20
Sed taciti fecere tamen convicia vultus.
Egit me lacrymis, ore silente, reum.
Ante meos humeris vellem cecidisse lacertos:
Utilius potui parte carere mei.
In mea vesanas habui dispendia vires, 25
Et valui pœnam fortis in ipse meam.
Quid mihi vobiscum, cædis scelerumque ministræ?
Debita sacrilegæ vincla subite manus.
An, si pulsassem minimum de plebe Quiritem,
Plecterer; in dominam jus mihi majus erit? 30
Pessima Tydides scelerum monumenta reliquit.
Ille deam primus perculit; alter ego.
Sed minus ille nocens: mihi, quam profitebar amari,
Læsa est; Tydides sævus in hoste fuit.
I nunc, magnificos victor molire triumphos; 35
Cinge comam lauro, votaque redde Jovi;
Quæque tuos currus comitatus, turba sequetur,
Clamet: Io forti victa puella viro!
Ante eat effuso tristis captiva capillo,
Si sinerent læsæ, candida tota, genæ. 40
Aptius impressis erat os livere labellis,
Et collo blandi dentis habere notam.
Denique, si tumidi ritu torrentis agebar,
Cæcaque me prædam fecerat ira suam;
Nonne satis fuerat timidæ inclamasse puellæ,
Nec nimium rigidas intonuisse minas? 46
Aut tunicam summa deducere turpiter ora
Ad mediam? mediæ zona tulisset opem.
At nunc sustinui, raptis a fronte capillis,
Ferreus ingenuas ungue notare genas. 50
Adstitit illa amens albo et sine sanguine vultu,
Cæduntur Pariis qualia saxa jugis.
Exanimes artus, et membra trementia vidi;
Ut cum populeas ventilat aura comas;
Ut leni Zephyro gracilis vibratur arundo; 55
Summave cum tepido stringitur unda Noto.
Suspensæque diu lacrymæ fluxere per ora,
Qualiter abjecta de nive manat aqua.
Tunc ego me primum cœpi sentire nocentem.
Sanguis erant lacrymæ, quas dabat illa, meus.
Ter tamen ante pedes volui procumbere supplex: 61
Ter formidatas reppulit illa manus.

At tu ne dubita (minuet vindicta dolorem)
Protinus in vultus unguibus ire meos.
Nec nostris oculis, nec nostris parce capillis. 65
Quamlibet infirmas adjuvet ira manus.
Neve mei sceleris tam tristia signa supersint,
Pone recompositas in statione comas.

ELEGIA VIII.

Est quædam (quicunque volet cognoscere lenam,
Audiat) est quædam, nomine Dipsas, anus.
Ex re nomen habet. Nigri non illa parentem
Memnonis in roseis sobria vidit equis.
Illa magas artes, Ææaque carmina novit, 5
Inque caput rapidas arte recurvat aquas.
Scit bene quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, quid valeat virus amantis equæ.
Cum voluit, toto glomerantur nubila cœlo:
Cum voluit, puro fulget in orbe dies. 10
Sanguine, si qua fides, stillantia sidera vidi:
Purpureus Lunæ sanguine vultus erat.
Hanc ego nocturnas versam volitare per umbras
Suspicor, et pluma corpus anile tegi.
Suspicor; et fama est. Oculis quoque pupula duplex 15
Fulminat, et gemino lumen ab orbe venit.
Evocat antiquis proavos atavosque sepulcris,
Et solidam longo carmine findit humum.
Hæc sibi proposuit thalamos temerare pudicos,
Nec tamen eloquio lingua nocente caret. 20
Fors me sermoni testem dedit. Illa monebat
Talia; me duplices occuluere fores:
Scis here te, mea lux, juveni placuisse beato.
Hæsit, et in vultu constitit usque tuo.
Et cui non placeas? nulli tua forma secunda est.
Me miseram! dignus corpore cultus abest. 26
Tam felix esses, quam formosissima, vellem.
Non ego, te facta divite, pauper ero.
Stella tibi oppositi nocuit contraria Martis.
Mars abiit: signo nunc Venus apta tuo. 30
Prosit ut adveniens, en adspice: dives amator
Te cupit, et curæ, quid tibi desit, habet.
Est etiam facies, quæ se tibi comparet, illi:
Si te non emtam vellet, emendus erat.
Erubuit: decet alba quidem pudor ora: sed iste, 35
Si simules, prodest: verus obesse solet.
Cum bene dejectis gremium spectabis ocellis,
Quantum quisque ferat, respiciendus erit.
Forsitan immundæ, Tatio regnante, Sabinæ
Noluerint habiles pluribus esse viris. 40
Nunc Mars externis animos exercet in armis:
At Venus Æneæ regnat in urbe sui.
Ludite, formosæ. Casta est, quam nemo rogavit:
Aut, si rusticitas non vetat, ipsa rogat.
Has quoque, quas frontis rugas in vertice portas,
Excute: de rugis crimina multa cadent. 46
Penelope juvenum vires tentabat in arcu:
Qui latus argueret, corneus arcus erat.
Labitur occulte, fallitque volubilis ætas,
Ut celer admissis labitur amnis aquis. 50
Æra nitent usu: vestis bona quærit haberi:
Canescunt turpi tecta relicta situ.
Forma, nisi admittas, nullo exercente senescit:
Nec satis effectus unus et alter habent.
Certior e multis, nec tam invidiosa, rapina est.
Plena venit canis de grege præda lupis.
Ecce, quid iste tuus præter nova carmina vates
Donat? amatoris millia multa leges.
Ipse deus vatum, palla spectabilis aurea,
Tractat inauratæ consona fila lyræ. 60
Qui dabit, ille tibi magno sit major Homero.
Crede mihi, res est ingeniosa dare.
Nec tu, si quis erit capitis mercede redemtus,
Despice: gypsati crimen inane pedis.
Nec te decipiant veteres quinquatria ceræ. 65
Tolle tuos tecum, pauper amator, avos.
Quid? quia pulcher erit, poscet sine munere noctem?
Quod dat, amatorem flagitet ante suum.
Parcius exigito pretium, dum retia tendis,
Ne fugiant: captos legibus ure tuis. 70
Nec nocuit simulatus amor. Sine credat amari:
Sed cave, ne gratis hic tibi constet amor.
Sæpe nega noctes. Capitis modo finge dolorem:
Et modo, quæ causas præbeat, Isis erit.
Mox recipe; ut nullum patiendi colligat usum,
Neve relentescat sæpe repulsus amor. 76
Surda sit oranti tua janua, laxa ferenti.
Audiat exclusi verba receptus amans.
Et, quasi læsa prior, nonnunquam irascere læso.
Vanescat culpa culpa repensa tua. 80
Sed nunquam dederis spatiosum tempus in iram;
Sæpe simultates ira morata facit.
Quin etiam discant oculi lacrymare coacti,
Et faciant udas illa vel illa genas.
Nec, si quem falles, tu perjurare timeto. 85
Commodat illusis numina surda Venus.
Servus, et ad partes sollers ancilla, parentur,
Qui doceant, apte quid tibi possit emi:
Et sibi pauca rogent: multos si pauca rogabunt,
Postmodo de stipula grandis acervus erit. 90
Et soror, et mater, nutrix quoque, carpat amantem.
Fit cito per multas præda petita manus.
Cum te deficient poscendi munera causæ,
Natalem libo testificare tuum.
Ne securus amet nullo rivale, caveto. 95
Non bene, si tollas prælia, durat amor.
Ille viri toto videat vestigia lecto,
Factaque lascivis livida colla notis.
Munera præcipue videat, quæ miserit alter.
Si tibi nil dederit, Sacra roganda via est. 100
Cum multa abstuleris, ut non tamen omnia donet;
Quod nunquam reddas, commodet usque roga.
Lingua juvet, mentemque tegat. Blandire, noceque.
Impia sub dulci melle venena latent.
Hæc si præstiteris, usu mihi cognita longo, 105
Nec tulerint voces ventus et aura meas;
Sæpe mihi dices vivæ bene: sæpe rogabis,
Ut mea defunctæ molliter ossa cubent.
Vox erat in cursu, cum me mea prodidit umbra.
At nostræ vix se continuere manus, 110
Quin albam raramque comam, lacrymosaque vino
Lumina, rugosas distraherentque genas.
Dî tibi dent nullosque lares, inopemque senectam,
Et longas hiemes, perpetuamque sitim.

ELEGIA IX.

Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido.
Attice, crede mihi; militat omnis amans.
Quæ bello est habilis, Veneri quoque convenit, ætas.
Turpe senex miles, turpe senilis amor.
Quos petiere duces annos in milite forti, 5
Hos petit in socio bella puella toro.
Pervigilant ambo: terra requiescit uterque.
Ille fores dominæ servat, at ille ducis.
Militis officium longa est via. Mitte puellam;
Strenuus, exemto fine, sequetur amans. 10

Ibit in adversos montes, duplicataque nimbo
Flumina, congestas exteret ille nives.
Nec freta pressurus tumidos causabitur Euros,
Aptave verrendis sidera quæret aquis.
Quis, nisi vel miles vel amans, et frigora noctis,
Et denso mistas perferet imbre nives? 16
Mittitur infestos alter speculator in hostes:
In rivale oculos alter, ut hoste, tenet.
Ille graves urbes, hic duræ limen amicæ
Obsidet: hic portas frangit, at ille fores. 20
Sæpe soporatos invadere profuit hostes,
Cædere et armata vulgus inerme manu.
Sic fera Threicii ceciderunt agmina Rhesi,
Et dominum capti deseruistis equi.
Sæpe maritorum somnis utuntur amantes, 25
Et sua sopitis hostibus arma movent.
Custodum transire manus, vigilumque catervas,
Militis et miseri semper amantis opus.
Mars dubius, nec certa Venus; victique resurgunt;
Quosque neges unquam posse jacere, cadunt.
Ergo desidiam quicunque vocabit amorem, 31
Desinat. Ingenii est experientis amor.
Ardet in abducta Briseide magnus Achilles.
Dum licet, Argolicas frangite Troes opes.
Hector ab Andromaches complexibus ibat in arma: 35
Et, galeam capiti quæ daret, uxor erat.
Summa ducum Atrides, visa Priameide, fertur
Mænadis effusis obstupuisse comis.
Mars quoque deprensus fabrilia vincula sensit.
Notior in cœlo fabula nulla fuit. 40
Ipse ego segnis eram, discinctaque in otia natus:
Mollierant animos lectus et umbra meos.
Impulit ignavum formosæ cura puellæ,
Jussit et in castris æra merere suis.
Inde vides agilem, nocturnaque bella gerentem.
Qui nolet fieri desidiosus, amet. 46

ELEGIA X.

Qualis ab Eurota Phrygiis avecta carinis
Conjugibus belli causa duobus erat;
Qualis erat Lede, quam plumis abditus albis
Callidus in falsa lusit adulter ave;
Qualis Amymone siccis errabat in agris, 5
Cum premeret summi verticis urna comam;
Talis eras; aquilamque in te taurumque timebam,
Et quicquid magno de Jove fecit amor.
Nunc timor omnis abest, animique resanuit error;
Nec facies oculos jam capit ista meos. 10
Cur sim mutatus, quæris? quia munera poscis.
Hæc te non patitur causa placere mihi.
Donec eras simplex, animum cum corpore amavi:
Nunc mentis vitio læsa figura tua est.
Et puer est, et nudus Amor: sine sordibus annos,
Et nullas vestes, ut sit apertus, habet. 16
Quid puerum Veneris pretio prostare jubetis?
Quo pretium condat, non habet ille sinum.
Nec Venus apta feris, Veneris nec filius, armis:
Non decet imbelles æra merere deos. 20
Stat meretrix certo cuivis mercabilis ære,
Et miseras jusso corpore quæret opes.
Devovet imperium tamen hæc lenonis avari,
Et, quod vos facitis sponte, coacta facit.
Sumite in exemplum pecudes ratione carentes.
Turpe erit, ingenium mitius esse feris. 26
Non equa munus equum, non taurum vacca poposcit:
Non aries placitam munere captat ovem.
Sola viro mulier spoliis exultat ademtis:
Sola locat noctes: sola locanda venit: 30
Et vendit, quod utrumque juvat, quod uterque petebat:
Et pretium, quanti gaudeat ipsa, facit.
Quæ Venus ex æquo ventura est grata duobus,
Altera cur illam vendit, et alter emit?
Cur mihi sit damno, tibi sit lucrosa voluptas, 35
Quam socio motu fœmina virque ferunt?
Non bene conducti vendunt perjuria testes:
Non bene selecti judicis arca patet.
Turpe reos emta miseros defendere lingua:
Quod faciat magnas, turpe, tribunal opes. 40
Turpe tori reditu census augere paternos,
Et faciem lucro prostituisse suam.
Gratia pro rebus merito debetur inemtis:
Pro male conducto gratia nulla toro.
Omnia conductor solvit: mercede soluta 45
Non manet officio debitor ille tuo.
Parcite, formosæ, pretium pro nocte pacisci.
Non habet eventus sordida præda bonos.
Non fuit armillas tanti pepigisse Sabinas,
Ut premerent sacræ virginis arma caput. 50
E quibus exierat, trajecit viscera ferro
Filius: et pœnæ causa monile fuit.
Nec tamen indignum est, a divite munera posci.
Munera poscenti quo dare possit, habet.
Carpite de plenis pendentes vitibus uvas: 55
Præbeat Alcinoi poma benignus ager.
Officium pauper numeret, studiumque, fidemque:
Quod quis habet, dominæ conferat omne suæ.
Est quoque carminibus meritas celebrare puellas
Dos mea; quam volui, nota fit arte mea. 60
Scindentur vestes: gemmæ frangentur et aurum:
Carmina quam tribuent, fama perennis erit.
Nec dare, sed pretium posci dedignor et odi.
Quod nego poscenti, desine velle; dabo.

ELEGIA XI.

Colligere incertos, et in ordine ponere crines
Docta, neque ancillas inter habenda, Nape;
Inque ministeriis furtivæ cognita noctis
Utilis, et dandis ingeniosa notis;
Sæpe venire ad me dubitantem hortata Corinnam; 5
Sæpe laboranti fida reperta mihi;
Accipe, et ad dominam peraratas mane tabellas
Perfer, et obstantes sedula pelle moras.
Nec silicum venæ, nec durum in pectore ferrum,
Nec tibi simplicitas ordine major inest. 10
Credibile est, et te sensisse Cupidinis arcus;
In me militiæ signa tuere tuæ.
Si quæret, quid agam; spe noctis vivere dices.
Cætera fert blanda cera notata manu.
Dum loquor, hora fugit; vacuæ bene redde tabellas: 15
Verum continuo fac tamen illa legat.
Adspicias oculos mando frontemque legentis.
E tacito vultu scire futura licet.
Nec mora: perlectis rescribat multa jubeto.
Odi, cum late splendida cera vacat. 20
Comprimat ordinibus versus, oculosque moretur
Margine in extremo littera rasa meos.
Quid digitos opus est graphio lassare tenendo?
Hoc habeat scriptum tota tabella, Veni.
Non ego victrices lauro redimire tabellas, 25
Nec Veneris media ponere in æde meos.
Subscribam: Veneri fidas sibi Naso ministras
Dedicat; at nuper vile fuistis acer.

ELEGIA XII.

Flete meos casus: tristes rediere tabellæ.
Infelix hodie littera posse negat.
Omina sunt aliquid; modo cum discedere vellet,
Ad limen digitos restitit icta Nape.
Missa foras iterum limen transire memento 5
Cautius, atque alte sobria ferre pedem.
Ite hinc difficiles, funebria ligna, tabellæ,
Tuque negaturis cera referta notis:
Quam, puto, de longæ collectam flore cicutæ
Melle sub infami Corsica misit apis. 10
At, tanquam minio, penitus medicata rubebas.
Ille color vere sanguinolentus erat.
Projectæ triviis jaceatis, inutile lignum:
Vosque rotæ frangat prætereuntis onus.
Illum etiam, qui vos ex arbore vertit in usum, 15
Convincam puras non habuisse manus.
Præbuit illa arbor misero suspendia collo:
Carnifici diras præbuit illa cruces.
Illa dedit turpes raucis bubonibus umbras:
Vulturis in ramis et strigis ova tulit. 20
His ego commisi nostros insanus amores,
Molliaque ad dominam verba ferenda dedi?
Aptius hæ capiant vadimonia garrula ceræ,
Quas aliquis duro cognitor ore legat.
Inter ephemeridas melius tabulasque jacerent,
In quibus absumtas fleret avarus opes.
Ergo ego vos rebus duplices pro nomine sensi?
Auspicii numerus non erat ipse boni.
Quid precer iratus? nisi vos cariosa senectus
Rodat, et immundo cera sit alba situ. 30

ELEGIA XIII.

Jam super Oceanum venit a seniore marito,
Flava pruinoso quæ vehit axe diem.
Quo properas, Aurora? mane. Sic Memnonis umbris
Annua sollenni cæde parentet avis.
Nunc juvat in teneris dominæ jacuisse lacertis:
Si quando, lateri nunc bene juncta meo est. 6
Nunc etiam somni pingues: nunc frigidus humor:
Et liquidum tenui gutture cantat avis.
Quo properas, ingrata viris, ingrata puellis?
Roscida purpurea supprime lora manu. 10
Ante tuos ortus melius sua sidera servat
Navita, nec media nescius errat aqua.
Te surgit, quamvis lassus, veniente viator:
Miles et armiferas aptat ad arma manus.
Prima bidente vides oneratos arva colentes: 15
Prima vocas tardos sub juga panda boves.
Tu pueros somno fraudas, tradisque magistris,
Ut subeant teneræ verbera sæva manus.
Atque eadem sponsum consulti ante atria mittis,
Unius ut verbi grandia damna ferat. 20
Nec tu causidico, nec tu jucunda diserto:
Cogitur ad lites surgere uterque novas.
Tu, cum fœminei possint cessare labores,
Lanificam revocas ad sua pensa manum.
Omnia perpeterer: sed surgere mane puellas 25
Quis, nisi cui non est ulla puella, ferat?
Optavi quoties, ne nox tibi cedere vellet,
Neu fugerent vultus sidera mota tuos!
Optavi quoties, aut ventus frangeret axem,
Aut caderet spissa nube retentus equus! 30
Invida, quo properas? quod erat tibi filius ater,
Materni fuerat pectoris ille color.
[Quid, si non Cephali quondam flagrasset amore?
An putat ignotam nequitiam esse suam?]
Tithono vellem de te narrare liceret: 35
Fabula non cœlo turpior ulla foret.
Illum dum refugis, longo quia frigidus ævo,
Surgis ad invisas a sene mane rotas.
At si quem manibus Cephalum complexa teneres,
Clamares, Lente currite noctis equi. 40
Cur ego plectar amans, si vir tibi marcet ab annis?
Num me nupsisti conciliante seni?
Adspice, quot somnos juveni donarit amato
Luna: neque illius forma secunda tuæ.
Ipse deûm genitor, ne te tam sæpe videret, 45
Commisit noctes in sua vota duas.
Jurgia finieram. Scires audisse; rubebat.
Nec tamen assueto tardius orta dies.

ELEGIA XIV.

Dicebam, Medicare tuos desiste capillos.
Tingere quam possis, jam tibi nulla coma est.
At, si passa fores, quid erat spatiosius illis?
Contigerant imum, qua patet usque, latus.
Quid, quod erant tenues, et quos ornare timeres;
Vela colorati qualia Seres habent; 6
Vel pede quod gracili deducit aranea filum,
Cum leve deserta sub trabe nectit opus?
Nec tamen ater erat, nec erat tamen aureus illis,
Sed, quamvis neuter, mixtus uterque color; 10
Qualem clivosæ madidis in vallibus Idæ
Ardua derepta cortice cedrus habet.
Adde, quod et dociles, et centum flexibus apti,
Et tibi nullius causa doloris erant.
Non acus abrupit, non vallus pectinis illos: 15
Ornatrix tuto corpore semper erat.
Ante meos sæpe est oculos ornata, nec unquam
Brachia derepta saucia fecit acu.
Sæpe etiam, nondum digestis mane capillis,
Purpureo jacuit semisupina toro. 20
Tum quoque erat neglecta decens; ut Threcia Bacche,
Cum temere in viridi gramine lassa jacet.
Cum graciles essent tamen, et lanuginis instar;
Heu! mala vexatæ quanta tulere comæ!
Quam se præbuerunt ferro patienter et igni, 25
Ut fieret torto flexilis orbe sinus!
Clamabam, Scelus est, istos scelus urere crines.
Sponte decent: capiti, ferrea, parce tuo.
Vim procul hinc remove: non est, qui debeat uri;
Erudit admotas ipse capillus acus. 30
Formosæ periere comæ, quas vellet Apollo,
Quas vellet capiti Bacchus inesse suo.
Illis contulerim, quas quondam nuda Dione
Pingitur humenti sustinuisse manu. 34
Quid male dispositos quereris periisse capillos?
Quid speculum mæsta ponis, inepta, manu?
Non bene consuetis a te spectaris ocellis.
Ut placeas, debes immemor esse tui.
Non te cantatæ læserunt pellicis herbæ,
Non anus Hæmonia perfida lavit aqua; 40
Nec tibi vis morbi nocuit; (procul omen abesto)
Nec minuit densas invida lingua comas.
Facta manu culpaque tua dispendia sentis.
Ipsa dabas capiti mixta venena tuo.
Nunc tibi captivos mittet Germania crines: 45
Culta triumphatæ munere gentis eris.
O quam sæpe, comas aliquo mirante, rubebis,
Et dices, Emta nunc ego merce probor!
Nescio quam pro me laudat nunc iste Sicambram;
Fama tamen, memini, cum fuit ista mei. 50
Me miserum! lacrymas male continet, oraque dextra
Protegit, ingenuas picta rubore genas.
Sustinet antiquos gremio spectare capillos,
Hei mihi! non illo munera digna loco.

Collige cum vultu mentem: reparabile damnum est. 55
Postmodo nativa conspiciere coma.

ELEGIA XV.

Quid mihi, Livor edax, ignavos objicis annos;
Ingeniique vocas carmen inertis opus?
Non me more patrum, dum strenua sustinet ætas,
Præmia militiæ pulverulenta sequi;
Nec me verbosas leges ediscere; nec me 5
Ingrato vocem prostituisse foro?
Mortale est, quod quæris, opus. Mihi fama perennis
Quæritur; in toto semper ut orbe canar.
Vivet Mæonides, Tenedos dum stabit et Ide,
Dum rapidas Simois in mare volvet aquas. 10
Vivet et Ascræus, dum mustis uva tumebit,
Dum cadet incurva falce resecta Ceres.
Battiades semper toto cantabitur orbe;
Quamvis ingenio non valet, arte valet.
Nulla Sophocleo veniet jactura cothurno. 15
Cum sole et luna semper Aratus erit.
Dum fallax servus, durus pater, improba lena
Vivent, dum meretrix blanda, Menandros erit.
Ennius arte carens, animosique Accius oris,
Casurum nullo tempore nomen habent. 20
Varronem primamque ratem quæ nesciat ætas,
Aureaque Æsonio terga petita duci?
Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
Exitio terras cum dabit una dies.
Tityrus, et fruges, Æneiaque arma legentur, 25
Roma, triumphati dum caput orbis eris.
Donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma,
Discentur numeri, culte Tibulle, tui.
Gallus et Hesperiis, et Gallus notus Eois,
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit. 30
Ergo, cum silices, cum dens patientis aratri,
Depereant ævo, carmina morte carent.
Cedant carminibus reges, regumque triumphi,
Cedat et auriferi ripa beata Tagi.
Vilia miretur vulgus. Mihi flavus Apollo 35
Pocula Castaliæ plena ministret aquæ:
Sustineamque coma metuentem frigora myrtum:
Atque a sollicito multus amante legar.
Pascitur in vivis Livor: post fata quiescit,
Cum suus ex merito quemque tuetur honos.
Ergo etiam, cum me supremus adederit ignis,
Vivam, parsque mei multa superstes erit. 42

LIBER SECUNDUS.

ELEGIA I.

Hoc quoque composui, Pelignis natus aquosis,
Ille ego nequitiæ Naso poeta meæ.
Hoc quoque jussit Amor. Procul hinc, procul este severæ:
Non estis teneris apta theatra modis.
Me legat in sponsi facie non frigida virgo, 5
Et rudis ignoto tactus amore puer.
Atque aliquis juvenum, quo nunc ego, saucius arcu,
Agnoscat flammæ conscia signa suæ:
Miratusque diu, Quo, dicat, ab indice doctus
Composuit casus iste poeta meos? 10
Ausus eram, memini, cœlestia dicere bella,
Centimanumque Gygen; et satis oris erat:
Cum male se Tellus ulta est, ingestaque Olympo
Ardua devexum Pelion Ossa tulit.
In manibus nimbos, et cum Jove fulmen habenti, 15
Quod bene pro cœlo mitteret ille suo,
Clausit amica fores. Ego cum Jove fulmen omisi.
Excidit ingenio Jupiter ipse meo.
Jupiter, ignoscas: nil me tua tela juvabant.
Clausa tuo majus janua fulmen erat. 20
Blanditias elegosque leves, mea tela, resumsi;
Mollierunt duras lenia verba fores.
Carmina sanguineæ deducunt cornua Lunæ,
Et revocant niveos Solis euntis equos.
Carmine dissiliunt abruptis faucibus angues, 25
Inque suos fontes versa recurrit aqua.
Carminibus cessere fores; insertaque posti,
Quamvis robur erat, carmine victa sera est.
Quid mihi profuerit velox cantatus Achilles?
Quid pro me Atrides alter et alter agant? 30
Quique tot errando, quot bello, perdidit annos?
Raptus et Hæmoniis flebilis Hector equis?
At, facie teneræ laudata sæpe puellæ,
Ad vatem pretium carminis ipsa venit.
Magna datur merces. Heroum clara valete 35
Nomina: non apta est gratia vestra mihi.
Ad mea formosæ vultus adhibete puellæ
Carmina, purpureus quæ mihi dictat Amor.

ELEGIA II.

Quem penes est dominam servandi cura, Bagoe,
Dum perago tecum pauca, sed apta, vaca.
Hesterna vidi spatiantem luce puellam,
Illa, quæ Danai porticus agmen habet.
Protinus, ut placuit, misi, scriptoque rogavi. 5
Rescripsit trepida, Non licet, illa manu.
Et, cur non liceat, quærenti, reddita causa est,
Quod nimium dominæ cura molesta tua est.
Si sapis, o custos, odium, mihi crede, mereri
Desine. Quem metuit quisque, perisse cupit.
Vir quoque non sapiens: quid enim servare laboret, 11
Unde nihil, quamvis non tueare, perit?
Sed gerat ille suo morem furiosus amori,
Et castum, multis quod placet, esse putet.
Huic furtiva tuo libertas munere detur; 15
Quam dederis illi, reddat ut illa tibi.
Conscius esse velis: domina est obnoxia servo:
Conscius esse times: dissimulare licet.
Scripta leget secum: matrem misisse putato.
Venerit ignotus, postmodo notus eat. 20
Ibit ad affectam, quæ non languebit, amicam
Visere; judiciis ægra sit illa tuis.
Si faciet tarde, ne te mora longa fatiget,
Imposita gremio stertere fronte potes.
Nec tu, linigeram fieri quid possit ad Isin, 25
Quæsieris, nec tu curva theatra time.
Conscius assiduos commissi tollet honores.
Quis minor est autem, quam tacuisse, labor?

Ille placet, versatque domum, neque verbera sentit:
Ille potens: alii sordida turba jacent. 30
Huic, veræ ut lateant causæ, finguntur inanes:
Atque ambo domini, quod probat una, probant.
Cum bene vir traxit vultum, rugasque coegit;
Quod voluit fieri blanda puella, facit.
Sed tamen interdum tecum quoque jurgia nectat,
Et simulet lacrymas, carnificemque vocet. 36
Tu contra objiciens, quæ tuto diluat illa,
In verum falso crimine deme fidem.
Sic tibi semper honos, sic curta peculia crescent:
Hæc face, et exiguo tempore liber eris. 40
Adspicis indicibus nexas per colla catenas:
Squalidus orba fide pectora carcer habet.
Quærit aquas in aquis, et poma fugacia captat
Tantalus: hoc illi garrula lingua dedit.
Dum nimium servat custos Junonius Io, 45
Ante suos annos occidit; illa dea est.
Vidi ego compedibus liventia crura gerentem,
Unde vir incestum scire coactus erat.
Pœna minor merito. Nocuit mala lingua duobus.
Vir doluit; famæ damna puella tulit. 50
Crede mihi, nulli sunt crimina grata marito:
Nec quenquam, quamvis audiat illa, juvant.
Seu tepet, indicium securas prodis ad aures:
Sive amat, officio fit miser ille tuo.
Culpa nec ex facili, quamvis manifesta, probatur. 55
Judicis illa sui tuta favore venit.
Viderit ipse licet; credet tamen ipse neganti,
Damnabitque oculos, et sibi verba dabit.
Adspiciat dominæ lacrymas; plorabit et ipse:
Et dicet, Pœnas garrulus iste dabit. 60
Quam dispar certamen inis! tibi verbera victo
Adsunt: in gremio judicis illa sedet.
Non scelus aggredimur: non ad miscenda coimus
Toxica: non stricto fulminat ense manus.
Quærimus, ut tuto per te possimus amare. 65
Quid precibus nostris mollius esse potest?

ELEGIA III.

Hei mihi, quod dominam, nec vir, nec femina, servas:
Mutua nec Veneris gaudia nosse potes!
Qui primus pueris genitalia membra recidit,
Vulnera, quæ fecit, debuit ipse pati.
Mollis in obsequium, facilisque rogantibus esses,
Si tuus in quavis prætepuisset amor. 6
Non tu natus equo, non fortibus utilis armis:
Bellica non dextræ convenit hasta tuæ.
Ista mares tractent: tu spes depone viriles.
Sint tibi cum domina signa ferenda tua. 10
Hanc imple meritis: hujus tibi gratia prosit.
Si careas illa, quis tuus usus erit?
Est etiam facies, sunt apti lusibus anni.
Indigna est pigro forma perire situ.
Fallere te potuit, quamvis habeare molestus: 15
Non caret effectu, quod voluere duo.
Aptius ut fuerit precibus tentasse, rogamus:
Dum bene ponendi munera tempus habes.

ELEGIA IV.

Non ego mendosos ausim defendere mores,
Falsaque pro vitiis arma movere meis.
Confiteor; si quid prodest delicta fateri:
In mea nunc demens crimina, fassus, eo.
Odi, nec possum cupiens non esse, quod odi. 5
Heu quam, quæ studeas ponere, ferre grave est! [dum.
Nam desunt vires ad me mihi jusque regen-
Auferor, ut rapida concita puppis aqua.
Non est certa meos quæ forma irritet amores.
Centum sunt causæ, cur ego semper amem. 10
Sive aliqua est oculos in se dejecta modestos;
Uror, et insidiæ sunt pudor ille meæ.
Sive procax aliqua est; capior, quia rustica non est,
Spemque dat in molli mobilis esse toro. 14
Aspera si visa est, rigidasque imitata Sabinas;
Velle, sed ex alto dissimulare, puto.
Sive es docta; places raras dotata per artes:
Sive rudis; placita es simplicitate tua.
Est, quæ Callimachi præ nostris rustica dicat
Carmina: cui placeo, protinus ipsa placet. 20
Est etiam, quæ me vatem, et mea carmina culpet:
Culpantis cupiam sustinuisse femur.
Molliter incedit; motu capit. Altera dura est;
At poterit tacto mollior esse viro.
Hæc quia dulce canit, flectitque facillima vocem, 25
Oscula cantanti rapta dedisse velim.
Hæc querulas agili percurrit pollice chordas;
Tam doctas quis non possit amare manus?
Illa placet gestu, numerosaque brachia ducit,
Et tenerum molli torquet ab arte latus: 30
Ut taceam de me, qui causa tangor ab omni;
Illic Hippolytum pone; Priapus erit.
Tu, quia tam longa es, veteres Heroidas æquas:
Et potes in toto multa jacere toro.
Hæc habilis brevitate sua. Corrumpor utraque.
Conveniunt voto longa brevisque meo. 36
Non est culta; subit quid cultæ accedere possit.
Ornata est; dotes exhibet illa suas.
Candida me capiet, capiet me flava puella:
Est etiam fusco grata colore Venus. 40
Seu pendent nivea pulli cervice capilli;
Leda fuit nigra conspicienda coma.
Seu flavent; placuit croceis Aurora capillis.
Omnibus historiis se meus aptat amor.
Me nova sollicitat, me tangit serior ætas: 45
Hæc melior specie corporis: illa sapit.
Denique, quas tota quisquam probet urbe puellas,
Noster in has omnes ambitiosus amor.

ELEGIA V.

Nullus amor tanti est (abeas, pharetrate Cupido)
Ut mihi sint toties maxima vota mori.
Vota mori mea sunt, cum te peccasse recordor.
Hei mihi, perpetuum nata puella malum!
Non mihi deletæ nudant tua facta tabellæ: 5
Non data furtive munera crimen habent.
O utinam arguerem sic, ut non vincere possem!
Me miserum! quare tam bona causa mea est?
Felix, qui, quod amat, defendere fortiter audet:
Cui sua, Non feci, dicere amica potest. 10
Ferreus est, nimiumque suo favet ille dolori,
Cui petitur victa palma cruenta rea.
Ipse miser vidi, cum me dormire putares,
Sobrius apposito crimina vestra mero.
Multa supercilio vidi vibrante loquentes. 15
Nutibus in vestris pars bona vocis erat.
Non oculi tacuere tui, conscriptaque vino
Mensa; nec in digitis littera nulla fuit.

Sermonem agnovi, quod non videatur, agentem,
Verbaque pro certis jussa valere notis. 20
Jamque frequens ierat mensa conviva remota:
Compositi juvenes unus et alter erant.
Improba tum vero jungentes oscula vidi.
Illa mihi lingua nexa fuisse liquet.
Qualia nec fratri tulerit germana severo, 25
Sed tulerit cupido mollis amica viro:
Qualia credibile est, nec Phœbum ferre Dianæ,
Sed Venerem Marti sæpe tulisse suo.
Quid facis? exclamo; quo nunc mea gaudia defers?
Injiciam dominas in mea jura manus. 30
Hæc tibi sint mecum, mihi sint communia tecum.
In bona cur quisquam tertius ista venit?
Hæc ego, quæque dolor linguæ dictavit: at illi
Conscia purpureus venit in ora pudor;
Quale coloratum Tithoni conjuge cœlum 35
Subrubet, aut sponso visa puella novo;
Quale rosæ fulgent inter sua lilia mixtæ;
Aut ubi cantatis, Luna, laborat equis;
Aut quod, ne longis flavescere possit ab annis,
Mæonis Assyrium fœmina tinxit ebur. 40
His erat, aut alicui color ille simillimus horum:
Et nunquam casu pulchrior illa fuit.
Spectabat terram; terram spectare decebat.
Mæsta erat in vultu; mæsta decenter erat.
Sicut erant, et erant culti, laniare capillos, 45
Et fuit in teneras impetus ire genas.
Ut faciem vidi, fortes cecidere lacerti:
Defensa est armis nostra puella suis.
Qui modo sævus eram, supplex ultroque rogavi,
Oscula ne nobis deteriora daret. 50
Risit, et ex animo dedit optima: qualia possent
Excutere irato tela trisulca Jovi.
Torqueor infelix, ne tam bona sumserit alter:
Et volo non ex hac illa fuisse nota.
Hæc quoque, quam docui, multo meliora fuerunt; 55
Et quiddam visa est addidicisse novi.
Quod nimium placuere, malum est: quod tota labellis
Lingua tua est nostris, nostra recepta tuis.
Nec tamen hoc unum doleo: non oscula tantum
Juncta queror; quamvis hæc quoque juncta queror: 60
Illa, nisi in lecto, nusquam potuere doceri.
Nescio quis pretium grande magister habet.

ELEGIA VI.

Psittacus, Eois imitatrix ales ab Indis,
Occidit. Exequias ite frequenter aves.
Ite, piæ volucres, et plangite pectora pennis,
Et rigido teneras ungue notate genas.
Horrida pro mæstis lanietur pluma capillis: 5
Pro longa resonent carmina vestra tuba.
Quid scelus Ismarii quereris, Philomela, tyranni?
Expleta est annis ista querela suis.
Alitis in raræ miserum devertite funus.
Magna, sed antiqui causa doloris Itys. 10
Omnes, quæ liquido libratis in aere cursus,
Tu tamen ante alias, turtur amice, dole.
Plena fuit vobis omni concordia vita,
Et stetit ad finem longa tenaxque fides.
Quod fuit Argolico juvenis Phoceus Orestæ, 15
Hoc tibi, dum licuit, psittace, turtur erat.
Quid tamen ista fides? quid rari forma coloris?
Quid vox mutandis ingeniosa sonis?
Quid juvat, ut datus es, nostræ placuisse puellæ?
Infelix avium gloria, nempe jaces. 20
Tu poteras virides pennis hebetare smaragdos,
Tincta gerens rubro Punica rostra croco.
Non fuit in terris vocum simulantior ales:
Reddebas blæso tam bene verba sono.
Raptus es invidia. Non tu fera bella movebas:
Garrulus, et placidæ pacis amator eras. 26
Ecce coturnices inter sua prælia vivunt:
Forsitan et fiant inde frequenter anus.
Plenus eras minimo: nec præ sermonis amore
In multos poteras ora vacare cibos. 30
Nux erat esca tibi, causæque papavera somni;
Pellebatque sitim simplicis humor aquæ.
Vivit edax vultur, ducensque per aera gyros
Miluus, et pluviæ graculus auctor aquæ.
Vivit et armiferæ cornix invisa Minervæ; 35
Illa quidem sæclis vix moritura novem.
Occidit ille loquax, humanæ vocis imago,
Psittacus, extremo munus ab orbe datum.
Optima prima fere manibus rapiuntur avaris;
Implentur numeris deteriora suis. 40
Tristia Phylacidæ Thersites funera vidit:
Jamque cinis, vivis fratribus, Hector erat.
Quid referam timidæ pro te pia vota puellæ,
Vota procelloso per mare rapta Noto?
Septima lux aderat, non exhibitura sequentem,
Et stabat vacua jam tibi Parca colo. 46
Nec tamen ignavo stupuerunt verba palato.
Clamavit moriens lingua, Corinna, vale.
Colle sub Elysio nigra nemus ilice frondens,
Udaque perpetuo gramine terra, viret. 50
Si qua fides dubiis, volucrum locus ille piarum
Dicitur, obscænæ quo prohibentur aves.
Illic innocui late pascuntur olores;
Et vivax Phœnix, unica semper avis.
Explicat ipsa suas ales Junonia pennas: 55
Oscula dat cupido blanda columba mari.
Psittacus has inter, nemorali sede receptus,
Convertit volucres in sua verba pias.
Ossa tegit tumulus: tumulus pro corpore parvus;
Quo lapis exiguus par sibi carmen habet: 60
Colligor ex ipso dominæ placuisse sepulcro.
Ora fuere mihi plus ave docta loqui.

ELEGIA VII.

Ergo ego sufficiam reus in nova crimina semper?
Ut vincam, toties dimicuisse piget.
Sive ego marmorei respexi summa theatri;
Eligis e multis, unde dolere velis:
Candida seu tacito me vidit fœmina vultu; 5
In vultu tacitas arguis esse notas.
Si quam laudavi; miseros petis ungue capillos:
Si culpo; crimen dissimulare putas.
Sive bonus color est, in te quoque frigidus esse;
Seu malus, alterius dicor amore mori. 10
Atque ego peccati vellem mihi conscius essem.
Æquo animo pœnam, qui meruere, ferunt.
Nunc temere insimulas: credendoque omnia frustra,
Ipsa vetas iram pondus habere tuam.
Adspice, ut auritus miserandæ sortis asellus 15
Assiduo domitus verbere lentus eat.
Ecce, novum crimen, sollers ornare Cypassis
Objicitur dominæ contemerasse torum.
Dî melius, quam me, si sit peccasse libido,
Sordida contemtæ sortis amica juvet! 20
Quis Veneris famulæ connubia liber inire,
Tergaque complecti verbere secta velit?
Adde, quod ornandis illa est operata capillis,
Et tibi per doctas grata ministra manus. 24

Scilicet ancillam, quæ tam tibi fida, rogarem?
Quid, nisi ut indicio juncta repulsa foret?
Per Venerem juro, puerique volatilis arcus,
Me non admissi criminis esse reum.

ELEGIA VIII.

Ponendis in mille modos perfecta capillis,
Comere sed solas digna, Cypassi, deas;
Et mihi jucundo non rustica cognita furto;
Apta quidem dominæ, sed magis apta mihi;
Quis fuit inter nos sociati corporis index? 5
Sensit concubitus unde Corinna tuos?
Num tamen erubui? num verbo lapsus in ullo
Furtivæ Veneris conscia signa dedi?
Quid, quod in ancilla si quis delinquere posset,
Illum ego contendi mente carere bona? 10
Thessalus ancillæ facie Briseidos arsit:
Serva Mycenæo Phœbas amata duci.
Non ego Tantalide major, nec major Achille.
Quod decuit reges, cur mihi turpe putem?
Ut tamen iratos in te defixit ocellos, 15
Vidi de totis erubuisse genis.
At quanto, si forte refers, præsentior ipse
Per Veneris feci numina magna fidem!
Tu, dea, tu jubeas animi perjuria puri
Carpathium tepidos per mare ferre Notos. 20
Pro quibus officiis pretium mihi dulce rependе
Concubitus hodie, fusca Cypassi, tuos.
Quid renuis, fingisque novos, ingrata, timores?
Unum est e dominis emeruisse satis.
Quod si stulta negas, index anteacta fatebor, 25
Et veniam culpæ proditor ipse meæ;
Quoque loco tecum fuerim, quotiesque, Cypassi,
Narrabo dominæ, quotque quibusque modis.

ELEGIA IX.

O nunquam pro me satis indignate Cupido,
O in corde meo desidiose puer!
Quid me, qui miles nunquam tua signa reliqui,
Lædis? et in castris vulneror ipse meis?
Cur tua fax urit, figit tuus arcus amicos? 5
Gloria pugnantes vincere major erat.
Quid? non Hæmonius, quem cuspide perculit, heros
Confossum medica postmodo juvit ope?
Venator sequitur fugientia, capta relinquit:
Semper et inventis ulteriora petit. 10
Nos tua sentimus, populus tibi deditus, arma:
Pigra reluctanti cessat in hoste manus.
Quid juvat in nudis hamata retundere tela
Ossibus? ossa mihi nuda relinquit amor. 14
Tot sine amore viri, tot sunt sine amore puellæ.
Hinc tibi cum magna laude triumphus eat.
Roma, nisi immensum vires promosset in orbem,
Stramineis esset nunc quoque densa casis.
Fessus in acceptos miles deducitur agros:
Mittitur in saltus carcere liber equus: 20
Longaque subductam celant navalia pinum:
Tutaque deposito poscitur ense rudis.
Me quoque, qui toties merui sub amore puellæ,
Defunctum placide vivere tempus erat.
Vive, deus, posito, si quis mihi dicat, amore; 25
Deprecer: usque adeo dulce puella malum est.
Cum bene pertæsum est, animoque relanguit ardor,
Nescio quo miseræ turbine mentis agor.
Ut rapit in præceps dominum, spumantia frustra
Frena retentantem, durior oris equus: 30
Ut subitus, prope jam prensa tellure, carinam
Tangentem portus ventus in alta rapit:
Sic me sæpe refert incerta Cupidinis aura;
Notaque purpureus tela resumit Amor.
Fige, puer; positis nudus tibi præbeor armis.
Hic tibi sint vires: hic tua dextra facit. 36
Huc, tanquam jussæ, veniunt jam sponte sagittæ.
Vix illis præ me nota pharetra sua est.
Infelix, tota quicunque quiescere nocte
Sustinet, et somnos præmia magna vocat. 40
Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?
Longa quiescendi tempora fata dabunt.
Me modo decipiant voces fallacis amicæ:
Sperando certe gaudia magna feram.
Et modo blanditias dicat; modo jurgia quærat.
Sæpe fruar domina; sæpe repulsus eam. 46
Quod dubius Mars est, per te, privigne Cupido, est;
Et movet exemplo vitricus arma tuo.
Tu levis es, multoque tuis ventosior alis:
Gaudiaque ambigua dasque negasque fide. 50
Si tamen exaudis, pulchra cum matre, rogantem,
Indeserta meo pectore regna tene.
Accedant regno, nimium vaga turba, puellæ.
Ambobus populis sic venerandus eris.

ELEGIA X.

Tu mihi, tu certe, memini, Græcine, negabas,
Uno posse aliquem tempore amare duas.
Per te ego decipior: per te deprensus inermis,
Ecce, duas uno tempore turpis amo.
Utraque formosa est: operosæ cultibus ambæ: 5
Artibus, in dubio est, hæc sit, an illa, prior.
Pulchrior hac illa est, hæc est quoque pulchrior illa.
Et magis hæc nobis, et magis illa placet.
Errant, ut ventis discordibus acta phaselos,
Dividuumque tenent alter et alter amor. 10
Quid geminas, Erycina, meos sine fine dolores?
Nonne erat in curas una puella satis?
Quid folia arboribus, quid pleno sidera cœlo,
In freta collectas alta quid addis aquas?
Sed tamen hoc melius, quam si sine amore jacerem. 15
Hostibus eveniat vita severa meis.
Hostibus eveniat viduo dormire cubili,
Et medio laxe ponere membra toro.
At mihi sævus amor somnos abrumpat inertes:
Simque mei lecti non ego solus onus. 20
Me mea disperdat, nullo prohibente, puella,
Si satis una potest: si minus una, duæ.
Sufficiant graciles, sed non sine viribus, artus:
Pondere, non nervis, corpora nostra carent.
Et lateri dabit in vires alimenta voluptas. 25
Decepta est opera nulla puella mea.
Sæpe ego, lascivæ consumto tempore noctis,
Utilis, et forti corpore, mane fui.
Felix, quem Veneris certamina mutua rumpunt!
Dî faciant, leti causa sit ista mei! 30
Induat adversis contraria pectora telis
Miles, et æternum sanguine nomen emat.
Quærat avarus opes; et quæ lassarit arando
Æquora, perjuro naufragus ore bibat.
At mihi contingat Veneris languescere motu;
Cum moriar, medium solvar et inter opus: 36
Atque aliquis, nostro lacrymans in funere, dicat,
Conveniens vitæ mors fuit ista suæ.

ELEGIA XI.

Prima malas docuit, mirantibus æquoris undis,
Peliaco pinus vertice cæsa vias:

Quæ concurrentes inter temeraria cautes
Conspicuam fulvo vellere vexit ovem.
O utinam, remo ne quis freta longa moveret, 5
Argo funestas pressa bibisset aquas!
Ecce fugit notumque torum, sociosque penates,
Fallacesque vias ire Corinna parat.
Quid tibi, me miserum! Zephyros Eurosque timebo,
Et gelidum Borean, egelidumque Notum? 10
Non illic urbes, non tu mirabere sylvas:
Una est injusti cærula forma maris.
Nec medius tenues conchas, pictosve lapillos,
Pontus habet: bibuli littoris illa mora est.
Littora marmoreis pedibus signanda, puellæ. 15
Hactenus est tutum: cætera cæca via est.
Et vobis alii ventorum prælia narrent;
Quas Scylla infestet, quasve Charybdis aquas:
Et quibus emineant violenta Ceraunia saxis:
Quo lateant Syrtes, quove Malea sinu. 20
Hæc alii referant: at vos, quod quisque loquetur,
Credite; credenti nulla procella nocet.
Sero respicitur tellus, ubi fune soluto
Currit in immensum panda carina salum.
Navita sollicitus qua ventos horret iniquos, 25
Et prope tam letum, quam prope cernit aquam.
Quid, si concussas Triton exasperat undas?
Quam tibi nunc toto nullus in ore color!
Tum generosa voces fecundæ sidera Ledæ:
Et, Felix, dicas, quam sua terra tenet! 30
Tutius est fovisse torum, legisse libellos,
Threiciam digitis increpuisse lyram.
At, si vana ferunt volucres mea dicta procellæ,
Æqua tamen puppi sit Galatea tuæ.
Vestrum crimen erit talis jactura puellæ, 35
Nereidesque Deæ, Nereidumque pater.
Vade memor nostri, vento reditura secundo.
Impleat illa tuos fortior aura sinus.
Tum mare in hæc magnus proclinet littora Nereus:
Huc venti spirent: huc agat æstus aquas. 40
Ipsa roges, Zephyri veniant in lintea pleni:
Ipsa tua moveas turgida vela manu.
Primus ego adspiciam notam de littore pinum;
Et dicam, Nostros advehit illa deos;
Excipiamque humeris, et multa sine ordine carpam 45
Oscula. Pro reditu victima vota cadet.
Inque tori formam molles sternentur arenæ,
Et tumulus mensæ quilibet instar erit.
Illic apposito narrabis multa Lyæo,
Pæne sit ut mediis obruta navis aquis: 50
Dumque ad me properas, nec iniquæ tempora noctis,
Nec te præcipites extimuisse Notos.
Omnia pro veris credam, sint ficta licebit.
Cur ego non votis blandiar ipse meis?
Hæc mihi quamprimum cœlo nitidissimus alto
Lucifer admisso tempora portet equo. 56

ELEGIA XII.

Ite triumphales circum mea tempora lauri.
Vicimus: in nostro est ecce Corinna sinu;
Quam vir, quam custos, quam janua firma (tot hostes)
Servabant, ne qua posset ab arte capi.
Hæc est præcipuo victoria digna triumpho, 5
In qua, quæcunque est, sanguine præda caret.
Non humiles muri, non parvis oppida fossis
Cincta, sed est ductu capta puella meo.
Pergama cum caderent bello superata bilustri;
Ex tot, in Atrida pars quota laudis erat? 10
At mea seposita est, et ab omni milite dissors
Gloria, nec titulum muneris alter habet.
Me duce ad hanc voti finem, me milite, veni:
Ipse eques, ipse pedes, signifer ipse fui.
Nec casum fortuna meis immiscuit actis. 15
Huc ades, o cura parte Triumphe mea.
Nec belli nova causa mei. Nisi rapta fuisset
Tyndaris, Europæ pax Asiæque foret.
Fœmina sylvestres Lapithas, populumque bimembrem
Turpiter apposito vertit in arma mero. 20
Fœmina Trojanos iterum fera bella movere
Impulit in regno, juste Latine, tuo.
Fœmina Romanis, etiam nunc urbe recenti,
Immisit soceros, armaque sæva dedit.
Vidi ego pro nivea pugnantes conjuge tauros: 25
Spectatrix animos ipsa juvenca dabat.
Me quoque cum multis, sed me sine cæde, Cupido
Jussit militiæ signa movere suæ.

ELEGIA XIII.

Dum labefactat onus gravidi temeraria ventris,
In dubio vitæ lassa Corinna jacet.
Illa quidem, clam me tantum molita pericli,
Ira digna mea: sed cadit ira metu.
Sed tamen aut ex me conceperat, aut ego credo.
Est mihi pro facto sæpe, quod esse potest. 6
Isi, Parætonium, genialiaque arva Canopi
Quæ colis, et Memphin, palmiferamque Pharon,
Quaque celer Nilus lato dilapsus ab alveo
Per septem portus in maris exit aquas; 10
Per tua sistra precor, per Anubidis ora verendi:
Sic tua sacra pius semper Osiris amet,
Pigraque labatur circa donaria serpens,
Et comes in pompam corniger Apis eat:
Huc adhibe vultus, et in una parce duobus. 15
Nam vitam dominæ tu dabis, illa mihi.
Sæpe tibi sedit certis operata diebus,
Qua cingit lauros Gallica turma tuas.
Tuque laborantes utero miserata puellas,
Quarum tarda latens corpora tendit onus, 20
Lenis ades, precibusque meis fave, Ilithyia.
Digna est, quam jubeas muneris esse tui.
Ipse ego thura dabo fumosis candidus aris:
Ipse feram ante tuos munera vota pedes.
Adjiciam titulum, Servata Naso Corinna. 25
Tu modo fac titulo muneribusque locum.
Si tamen in tanto fas est monuisse timore;
Hac tibi sit pugna dimicuisse satis.

ELEGIA XIV.

Quid juvat immunes belli cessare puellas,
Nec fera peltatas agmina velle sequi;
Si sine Marte suis patiuntur vulnera telis,
Et cæcas armant in sua fata manus?
Quæ prima instituit teneros convellere fœtus, 5
Militia fuerat digna perire sua.
Scilicet, ut careat rugarum crimine venter,
Sternatur pugnæ tristis arena tuæ?
Si mos antiquis placuisset matribus idem,
Gens hominum vitio deperitura fuit; 10
Quique iterum generis jaceret primordia nostri
In vacuo lapides orbe, parandus erat.
Quis Priami fregisset opes, si numen aquarum
Justa recusasset pondera ferre Thetis?

Ilia si tumido geminos in ventre necasset, 15
Casurus dominæ conditor urbis erat.
Si Venus Ænean gravida temerasset in alvo,
Cæsaribus tellus orba futura fuit.
Tu quoque, cum posses nasci, formosa, perisses,
Tentasset, quod tu, si tua mater opus. 20
Ipse ego, cum fuerim melius periturus amando,
Vidissem nullos, matre necante, dies.
Quid plenam fraudas vitem crescentibus uvis,
Pomaque crudeli vellis acerba manu?
Sponte fluant matura sua. Sine crescere nata: 25
Est pretium parvæ non leve vita moræ.
Vestra quid effoditis subjectis viscera telis,
Et nondum natis dira venena datis?
Colchida respersam puerorum sanguine culpant,
Atque sua cæsum matre queruntur Ityn. 30
Utraque sæva parens: sed tristibus utraque causis
Jactura socii sanguinis ulta virum.
Dicite, quis Tereus, quis vos irritet Iason
Figere sollicita corpora vestra manu?
Hoc neque in Armeniis tigres fecere latebris, 35
Perdere nec fœtus ausa leæna suos.
At teneræ faciunt, sed non impune, puellæ,
Sæpe, suos utero quæ necat, ipsa perit.
Ipsa perit, ferturque toro resoluta capillos:
Et clamant, Merito, qui modo cunque vident.
Ista sed ætherias vanescant dicta per auras, 41
Et sint ominibus pondera nulla meis.
Dî faciles, peccasse semel concedite tuto:
Id satis est. Pœnam culpa secunda ferat.

ELEGIA XV.

Annule, formosæ digitum vincture puellæ,
In quo censendum nil, nisi dantis amor;
Munus eas gratum. Te læta mente receptum
Protinus articulis induat illa suis.
Tam bene convenias, quam mecum convenit illi;
Et digitum justo commodus orbe teras. 6
Felix, a domina tractaberis, annule, nostra.
Invideo donis jam miser ipse meis.
O utinam fieri subito mea munera possim
Artibus Ææis, Carpathiive senis! 10
Tunc ego te dominæ cupiam tetigisse papillas,
Et lævam tunicis inseruisse manum.
Elabar digito, quamvis angustus et hærens,
Inque sinum mira laxus ab arte cadam.
Idem ego, ut arcanas possim signare tabellas, 15
Neve tenax ceram siccave gemma trahat,
Humida formosæ tangam prius ora puellæ.
Tantum ne signem scripta dolenda mihi.
Si dabor, ut condar loculis; exire negabo,
Adstringens digitos orbe minore tuos. 20
Non ego dedecori tibi sim, mea vita, futurus;
Quodve tener digitus ferre recuset, onus.
Me gere, cum calidis perfunderis imbribus artus:
Damnaque sub gemma perfer euntis aquæ.
Sed, puto, te nuda mea membra libidine surgent,
Et peragam partes annulus ille viri. 26
Irrita quid voveo? parvum proficiscere munus.
Illa datam tecum sentiat esse fidem.

ELEGIA XVI.

Pars me Sulmo tenet Peligni tertia ruris;
Parva, sed irriguis ora salubris aquis:
Sol licet admoto tellurem sidere findat,
Et micet Icarii stella proterva canis;
Arva pererrantur Peligna liquentibus undis, 5
Et viret in tenero fertilis herba solo.
Terra ferax Cereris, multoque feracior uvæ:
Dat quoque bacciferam Pallada rarus ager.
Perque resurgentes rivis labentibus herbas
Gramineus madidam cespes obumbrat humum. 10
At meus ignis abest. Verbo peccavimus uno.
Quæ movet ardores, est procul; ignis adest.
Non ego, si medius Polluce et Castore ponar,
In cœli sine te parte fuisse velim.
Solliciti jaceant, terraque premantur iniqua, 15
In longas orbem qui secuere vias.
Aut juvenum comites jussissent ire puellas,
Si fuit in longas terra secanda vias.
Tum mihi, si premerem ventosas horridus Alpes,
Dummodo cum domina, molle fuisset iter. 20
Cum domina Libycas ausim perrumpere Syrtes,
Et dare non æquis vela ferenda Notis.
Non, quæ virgineo portenta sub inguine latrant,
Nec timeam vestros, curva Malea, sinus:
Non qua, submersis ratibus saturata, Charybdis
Fundit, et affusas ore resorbet aquas. 26
Quod si Neptuni ventosa potentia vincit,
Et subventuros auferet unda deos;
Tu nostris niveos humeris impone lacertos.
Corpore nos facili dulce feremus onus. 30
Sæpe petens Hero juvenis tranaverat undas.
Tunc quoque tranasset; sed via cæca fuit.
At sine te, quamvis operosi vitibus agri
Me teneant, quamvis amnibus arva natent,
Et vocet in rivos parentem rusticus undam, 35
Frigidaque arboreas mulceat aura comas;
Non ego Pelignos videor celebrare salubres,
Non ego natalem, rura paterna, locum;
Sed Scythiam, Cilicasque feros, viridesque Britannos,
Quæque Prometheo saxa cruore rubent. 40
Ulmus amat vitem, vitis non deserit ulmum:
Separor a domina cur ego sæpe mea?
At mihi te comitem juraras usque futuram,
Per me, perque oculos, sidera nostra, tuos.
Verba puellarum, foliis leviora caducis, 45
Irrita, qua visum est, ventus et unda ferunt.
Si qua mei tamen est in te pia cura relicti,
Incipe pollicitis addere facta tuis:
Parvaque quamprimum rapientibus esseda mannis
Ipsa per admissas concute lora jubas. 50
At vos, qua veniet, tumidi subsidite montes,
Et faciles curvis vallibus este viæ.

ELEGIA XVII.

Si quis erit, turpe putet servire puellæ,
Illo convincar judice turpis ego.
Sim licet infamis; dum me moderatius urat,
Quæ Paphon, et fluctu pulsa Cythera tenet.
Atque utinam dominæ miti quoque præda fuissem; 5
Formosæ quoniam præda futurus eram.
Dat facies animos. Facie violenta Corinna est;
Me miserum! cur est tam bene nota sibi?
Scilicet a speculi sumuntur imagine fastus;
Nec nisi compositam se prius illa videt. 10
Non, tibi si facies nimium dat in omnia regni,
(O facies oculos nata tenere meos!)
Collatum idcirco tibi me contemnere debes.
Aptari magnis inferiora licet.
Creditur et Nymphe mortalis amore Calypso 15
Capta reluctantem detinuisse virum.
Creditur æquoream Phthio Nereida regi,
Egeriam justo concubuisse Numæ;

Vulcano Venerem, quamvis, incude relicta,
Turpiter obliquo claudicet ille pede. 20
Carminis hoc ipsum genus impar; sed tamen apte
Jungitur herous cum breviore modo.
Tu quoque me, mea lux, in quaslibet accipe leges.
Te deceat medio jura dedisse toro.
Non tibi crimen ero, nec quo lætere remoto. 25
Non erit hic nobis inficiandus amor.
Sint tibi pro magno felicia carmina censu:
Et multæ per me nomen habere volunt.
Novi aliquam, quæ se circumferat esse Corinnam.
Ut fiat, quid non illa dedisse velit? 30
Sed neque diversi ripa labuntur eadem
Frigidus Eurotas, populiferque Padus;
Nec, nisi tu, nostris cantabitur ulla libellis.
Ingenio causas tu dabis una meo.

ELEGIA XVIII.

Carmen ad iratum dum tu perducis Achillen,
Primaque juratis induis arma viris;
Nos, Macer, ignavæ Veneris cessamus in umbra:
Et tener ausuros grandia frangit amor.
Sæpe meæ, Tandem, dixi, discede, puellæ: 5
In gremio sedit protinus illa meo.
Sæpe, Pudet, dixi: lacrymis vix illa retentis,
Me miseram! jam te, dixit, amare pudet?
Implicuitque suos circum mea colla lacertos,
Et, quæ me perdunt, oscula mille dedit. 10
Vincor; et ingenium sumtis revocatur ab armis:
Resque domi gestas, et mea bella, cano.
Sceptra tamen sumsi; curaque Tragœdia nostra
Crevit: et huic operi quamlibet aptus eram.
Risit Amor pallamque meam, pictosque cothurnos, 15
Sceptraque privata tam bene sumta manu.
Hinc quoque me dominæ numen deduxit iniquæ:
Deque cothurnato vate triumphat Amor.
Quod licet, aut artes teneri profitemur amoris,
(Hei mihi, præceptis urgeor ipse meis!) 20
Aut, quod Penelopes verbis reddatur Ulixi.
Scribimus, aut lacrymas, Phylli relicta, tuas:
Quod Paris, et Macareus, et quod male gratus Iason,
Hippolytique parens, Hippolytusque legant:
Quodque tenens strictum Dido miserabilis ensem
Dicat, et Æoliæ Lesbis amica lyræ. 26
Quam celer e toto rediit meus orbe Sabinus,
Scriptaque diversis rettulit ille locis!
Candida Penelope signum cognovit Ulixis:
Legit ab Hippolyto scripta noverca suo. 30
Jam pius Æneas miseræ rescripsit Elissæ:
Quodque legat Phyllis, si modo vivit, habet.
Tristis ad Hypsipylen ab Iasone litera venit:
Det votam Phœbo Lesbis amata lyram.
Nec tibi, qua tutum vati, Macer, arma canenti,
Aureus in medio Marte tacetur Amor. 36
Et Paris est illic, et adultera nobile crimen;
Et comes exstincto Laodamia viro.
Si bene te novi, non bella libentius istis
Dicis; et a vestris in mea castra redis. 40

ELEGIA XIX.

Si tibi non opus est servata, stulte, puella;
At mihi fac serves: quo magis ipse velim.
Quod licet, ingratum est: quod non licet, acrius urit.
Ferreus est, si quis, quod sinit alter, amat.
Speremus pariter, pariter metuamus amantes:
Et faciat voto rara repulsa locum. 6
Quo mihi fortunam, quæ nunquam fallere curet?
Nil ego, quod nullo tempore lædat, amo.
Viderat hoc in me vitium versuta Corinna;
Quaque capi possem, callida norat opem. 10
Ah quoties sani capitis mentita dolores,
Cunctantem tardo jussit abire pede!
Ah quoties finxit culpam, quantumque libebat,
Insontis speciem præbuit esse, nocens!
Sic ubi vexarat, tepidosque refoverat ignes, 15
Rursus erat votis comis et apta meis.
Quas mihi blanditias, quam dulcia verba parabat!
Oscula, dî magni, qualia quotque dabat!
Tu quoque, quæ nostros rapuisti nuper ocellos,
Sæpe time insidias, sæpe rogata nega: 20
Et sine me, ante tuos projectum in limine postes,
Longa pruinosa frigora nocte pati.
Sic mihi durat amor, longosque adolescit in usus:
Hoc juvat: hæc animi sunt alimenta mei. 24
Pinguis amor, nimiumque patens, in tædia nobis
Vertitur, et stomacho, dulcis ut esca, nocet.
Si nunquam Danaen habuisset aënea turris,
Non esset Danae de Jove facta parens.
Dum servat Juno sinuatam cornibus Io,
Facta est, quam fuerat, gratior illa Jovi. 30
Quod licet, et facile est, quisquis cupit, arbore frondes
Carpat, et e magno flumine potet aquam.
Si qua volet regnare diu, deludat amantem.
Hei mihi, quod monitis torqueor ipse meis!
Cuilibet eveniat, nocet indulgentia nobis. 35
Quod sequitur, fugio: quod fugit, usque sequor.
At tu, formosæ nimium secure puellæ,
Incipe jam prima claudere nocte domum.
Incipe, quis toties furtim tua limina pulset, 39
Quærere; quid latrent nocte silente canes;
Quo ferat aut referat sollers ancilla tabellas;
Cur toties vacuo secubet ipsa toro.
Mordeat ista tuas aliquando cura medullas:
Daque locum nostris materiamque dolis.
Ille potest vacuo furari littore arenas, 45
Uxorem stulti si quis amare potest.
Jamque ego præmoneo; nisi tu servare puellam
Incipis, incipiet desinere esse mea.
Multa diuque tuli: speravi sæpe futurum,
Cum bene servasses, ut bene verba darem.
Lentus es, et pateris nulli patienda marito. 51
At mihi concessi finis amoris erit.
Scilicet infelix nunquam prohibebor adire?
Nox mihi sub nullo vindice semper erit?
Nil metuam? per nulla traham suspiria somnos?
Nil facies, cur te jure perisse velim? 56
Quid mihi cum facili, quid cum lenone marito?
Corrumpis vitio gaudia nostra tuo.
Quin alium, quem tanta juvet patientia, quæris?
Me tibi rivalem si juvat esse, veta.

LIBER TERTIUS.

ELEGIA I.

Stat vetus et multos incædua sylva per annos:
Credibile est illi numen inesse loco.
Fons sacer in medio, speluncaque pumice pendens:
Et latere ex omni dulce queruntur aves.
Hic ego dum spatior tectus nemoralibus umbris,
Quod mea, quærebam, Musa moveret opus. 6
Venit odoratos Elegeia nexa capillos:
Et, puto, pes illi longior alter erat.
Forma decens: vestis tenuissima, cultus amantis:
In pedibus vitium causa decoris erat. 10
Venit et ingenti violenta Tragœdia passu:
Fronte comæ torva, palla jacebat humi:
Læva manus sceptrum late regale tenebat:
Lydius alta pedum vincla cothurnus erat.
Et prior, Ecquis erit, dixit, tibi finis amandi,
O argumenti lente poeta tui? 16
Nequitiam vinosa tuam convivia narrant;
Narrant in multas compita secta vias.
Sæpe aliquis digito vatem designat euntem,
Atque ait, Hic ille est, quem ferus urit amor.
Fabula, nec sentis, tota jactaris in urbe, 21
Dum tua præterito facta pudore refers.
Tempus erat thyrso pulsum graviore moveri.
Cessatum satis est: incipe majus opus.
Materia premis ingenium; cane facta virorum:
Hæc animo, dices, area digna meo est. 26
Quod teneræ cantent, lusit tua Musa, puellæ;
Primaque per numeros acta juventa suos.
Nunc habeam per te Romana Tragœdia nomen.
Implebit leges spiritus iste meas. 30
Hactenus: et movit pictis innixa cothurnis
Densum cæsarie terque quaterque caput.
Altera, si memini, limis subrisit ocellis.
Fallor, an in dextra myrtea virga fuit? 34
Quid gravibus verbis, animosa Tragœdia, dixit,
Me premis? an nunquam non gravis esse potes?
Imparibus tamen es numeris dignata moveri.
In me pugnasti versibus usa meis. 38
Non ego contulerim sublimia carmina nostris.
Obruit exiguas regia vestra fores. [pido.
Sum levis; et mecum levis est, mea cura, Cu-
Non sum materia fortior ipsa mea.
Rustica fit sine me lascivi mater Amoris:
Huic ego proveni lena, comesque deæ. 44
Quam tu non poteris duro reserare cothurno,
Hæc est blanditiis janua laxa meis.
Et tamen emerui plus, quam tu, posse, ferendo
Multa, supercilio non patienda tuo.
Per me decepto didicit custode Corinna
Liminis adstricti sollicitare fidem; 50
Delabique toro tunica velata recincta;
Atque impercussos nocte movere pedes.
Vel quoties foribus duris incisa pependi,
Non verita a populo prætereunte legi!
Quin ego me memini, dum custos sævus abiret,
Ancillæ missam delituisse sinu. 56
Quid, cum me munus natali mittis? at illa
Rumpit, et apposita barbara mersit aqua?
Prima tuæ movi felicia semina mentis.
Munus habet, quod te jam petit, ista meum.
Desierant; cœpi: Per vos utramque rogamus,
In vacuas aures verba timentis eant.
Altera me sceptro decoras, altoque cothurno.
Jam nunc contacto magnus in ore sonor.
Altera das nostro victurum nomen amori. 65
Ergo ades, et longis versibus adde breves.
Exiguum vati concede, Tragœdia, tempus.
Tu labor æternus: quod petit illa, breve est.
Mota dedit veniam. Teneri properentur amores,
Dum vacat; a tergo grandius urget opus. 70

ELEGIA II.

Non ego nobilium sedeo studiosus equorum:
Cui tamen ipsa faves, vincat ut ille precor.
Ut loquerer tecum, veni, tecumque sederem:
Ne tibi non notus, quem facis, esset amor.
Tu cursus spectas, ego te: spectemus uterque 5
Quod juvat, atque oculos pascat uterque suos.
O cuicunque faves, felix agitator equorum!
Ergo illi curæ contigit esse tuæ.
Hoc mihi contingat; sacro de carcere missis
Insistam forti mente vehendus equis: 10
Et modo lora dabo; modo verbere terga notabo;
Nunc stringam metas interiore rota.
Si mihi currenti fueris conspecta, morabor:
Deque meis manibus lora remissa fluent.
Ah quam pæne Pelops Pisæa concidit hasta, 15
Dum spectat vultus, Hippodamia, tuos!
Nempe favore suæ vicit tamen ille puellæ.
Vincamus dominæ quisque favore suæ.
Quid frustra refugis? cogit nos linea jungi.
Hæc in lege loci commoda Circus habet. 20
Tu tamen, a dextra quicunque es, parce puellæ.
Contactu lateris læditur ista tui.
Tu quoque, qui spectas post nos, tua contrahe crura,
Si pudor est, rigido nec preme terga genu.
Sed nimium demissa jacent tibi pallia terræ. 25
Collige; vel digitis en ego tollo meis.
Invida vestis eras, quæ tam bona crura tegebas;
Quoque magis spectes, invida vestis eras.
Talia Milanion Atalantes crura fugacis
Optavit manibus sustinuisse suis. 30
Talia succinctæ pinguntur crura Dianæ,
Cum sequitur fortes, fortior ipsa, feras.
His ego non visis arsi; quid fiet ab istis?
In flammam flammas, in mare fundis aquas.
Suspicor ex istis et cætera posse placere, 35
Quæ bene sub tenui condita veste latent.
Vis tamen interea faciles arcessere ventos,
Quos faciat nostra mota tabella manu?
An magis hic meus est animi, non aëris, æstus,
Captaque fœmineus pectora torret amor? 40
Dum loquor, alba nigro sparsa est tibi pulvere vestis.
Sordide de niveo corpore pulvis abi.
Sed jam pompa venit; linguis animisque favete.
Tempus adest plausus: aurea pompa venit.
Prima loco fertur passis Victoria pennis: 45
Huc ades, et meus hic fac, dea, vincat amor.
Plaudite Neptuno, nimium qui creditis undis:
Nil mihi cum pelago; me mea terra capit.
Plaude tuo, miles, Marti: nos odimus arma.
Pax juvat, et media pace repertus amor. 50
Auguribus Phœbus, Phœbe venantibus adsit:
Artifices in te verte, Minerva, manus.

Ruricolæ Cereri, teneroque adsurgite Baccho:
Pollucem pugiles, Castora placet eques.
Nos tibi, blanda Venus, puerisque potentibus arcu 55
Plaudimus: inceptis annue, diva, meis:
Daque novæ mentem dominæ; patiatur amari.
Annuit, et motu signa secunda dedit.
Quod dea promisit, promittas ipsa rogamus.
Pace loquor Veneris; tu dea major eris. 60
Per tibi tot juro testes, pompamque deorum,
Te dominam nobis tempus in omne peti.
Sed pendent tibi crura: potes, si forte juvabit,
Cancellis primos inseruisse pedes.
Maxima jam vacuo Prætor spectacula Circo 65
Quadrijuges æquo carcere misit equos.
Cui studeas video: vincet cuicunque favebis.
Quid cupias, ipsi scire videntur equi.
Me miserum! metam spatioso circuit orbe.
Quid facis? admoto proximus axe subit. 70
Quid facis, infelix? perdis bona vota puellæ.
Tende precor valida lora sinistra manu.
Favimus ignavo. Sed enim revocate, Quirites;
Et date jactatis undique signa togis.
En revocant. At, ne turbet toga mota capillos,
In nostros abdas te licet usque sinus. 76
Jamque patent iterum reserato carcere postes.
Evolat admissis discolor agmen equis.
Nunc saltem supera, spatioque insurge patenti.
Sint mea, sint dominæ fac rata vota meæ. 80
Sunt dominæ rata vota meæ: mea vota supersunt.
Ille tenet palmam, palma petenda mihi est.
Risit, et argutis quiddam promisit ocellis.
Hoc satis hic: alio cætera redde loco.

ELEGIA III.

Esse deos, i, crede. Fidem jurata fefellit;
Et facies illi, quæ fuit ante, manet.
Quam longos habuit nondum jurata capillos,
Tam longos, postquam numina lusit, habet,
Candida candorem roseo suffusa rubore 5
Ante stetit: niveo lucet in ore rubor.
Pes erat exiguus: pedis est aptissima forma.
Longa decensque fuit: longa decensque manet.
Argutos habuit, radiant ut sidus, ocellos,
Per quos mentita est perfida sæpe mihi. 10
Scilicet æterno falsum jurare puellis
Dî quoque concedunt; formaque numen habet.
Perque suos illam nuper jurasse recordor,
Perque meos oculos; et doluere mei.
Dicite, dî; si vos impune fefellerit illa, 15
Alterius meritis cur ego damna tuli?
At non invidiæ vobis Cepheia virgo est,
Pro male formosa jussa parente mori.
Non satis est, quod vos habui sine pondere testes,
Et mecum lusos ridet inulta deos; 20
Ut sua per nostram redimat perjuria pœnam,
Victima deceptus decipientis ero?
Aut sine re nomen deus est, frustraque timetur,
Et stulta populos credulitate movet:
Aut, si quis deus est, teneras amat ille puellas,
Et nimium solas omnia posse jubet. 26
Nobis fatifero Mavors accingitur ense:
Nos petit invicta Palladis hasta manu:
Nobis flexibiles curvantur Apollinis arcus:
In nos alta Jovis dextera fulmen habet. 30
Formosas superi metuunt offendere læsi:
Atque ultro, quæ se non timuere, timent.
Et quisquam pia thura focis imponere curet?
Certe plus animi debet inesse viris.
Jupiter igne suo lucos jaculatur et arces, 35
Missaque perjuras tela ferire vetat.
Tot meruere peti. Semele miserabilis arsit:
Officio est illi pœna reperta suo.
At si venturo se subduxisset amanti,
Non pater in Baccho matris haberet onus. 40
Quid queror, et toti facio convicia cœlo?
Dî quoque habent oculos: dî quoque pectus habent.
Si deus ipse forem, numen sine fraude liceret
Fœmina mendaci falleret ore meum.
Ipse ego jurarem verum jurare puellas; 45
Et non de tetricis dicerer esse deus.
Tu tamen illorum moderatius utere dono:
Aut oculis certe parce, puella, meis.

ELEGIA IV.

Dure vir, imposito teneræ custode puellæ
Nil agis: ingenio quæque tuenda suo.
Si qua metu demto casta est, ea denique casta est.
Quæ, quia non liceat, non facit, illa facit.
Ut jam servaris bene corpus, adultera mens est:
Nec custodiri, ni velit, illa potest. 6
Nec mentem servare potes, licet omnia claudas.
Omnibus occlusis intus adulter erit.
Cui peccare licet, peccat minus. Ipsa potestas
Semina nequitiæ languidiora facit. 10
Desine, crede mihi, vitia irritare vetando:
Obsequio vincas aptius illa tuo.
Vidi ego nuper equum, contra sua vincla tenacem,
Ore reluctanti fulminis ire modo.
Constitit, ut primum concessas sensit habenas,
Frenaque in effusa laxa jacere juba. 16
Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.
Sic interdictis imminet æger aquis.
Centum fronte oculos, centum cervice gerebat
Argus: et hos unus sæpe fefellit amor. 20
In thalamum Danae saxo ferroque perennem
Quæ fuerat virgo tradita, mater erat.
Penelope mansit, quamvis custode carebat,
Inter tot juvenes intemerata procos.
Quicquid servatur, cupimus magis: ipsaque furem 25
Cura vocat. Pauci, quod sinit alter, amant.
Nec facie placet illa sua, sed amore mariti.
Nescio quid, quod te ceperit, esse putant.
Non proba sit, quam vir servat, sed adultera; cara est:
Ipse timor pretium corpore majus habet. 30
Indignere licet; juvat inconcessa voluptas.
Sola placet, Timeo, dicere si qua potest.
Nec tamen ingenuam jus est servare puellam.
Hic metus externæ corpora gentis agat.
Scilicet ut possit custos, Ego, dicere, feci, 35
In laudem servi casta sit illa tui.
Rusticus est nimium, quem lædit adultera conjux;
Et notos mores non satis urbis habet:
In qua Martigenæ non sunt sine crimine nati
Romulus Iliades, Iliadesque Remus. 40
Quo tibi formosam, si non nisi casta placebat?
Non possunt ullis ista coire modis.
Si sapis, indulge dominæ, vultusque severos
Exue, nec rigidi jura tuere viri.
Et cole, quos dederit (multos dabit) uxor amicos.
Gratia sic minimo magna labore venit. 46
Sic poteris juvenum convivia semper inire:
Et, quæ non dederis, multa videre domi.

ELEGIA V.

Nox erat, et somnus lassos submisit ocellos.
Terruerunt animum talia visa meum.
Colle sub aprico celeberrimus ilice lucus
Stabat; et in ramis multa latebat avis.
Area gramineo suberat viridissima prato, 5
Uvida de guttis lene sonantis aquæ.
Ipse sub arboreis vitabam frondibus æstum;
Fronde sub arborea sed tamen æstus erat.
Ecce, petens variis immixtas floribus herbas,
Constitit ante oculos candida vacca meos; 10
Candidior nivibus, tunc cum cecidere recentes,
In liquidas nondum quas mora vertit aquas;
Candidior, quod adhuc spumis stridentibus albet,
Et modo siccatam, lacte, relinquit ovem.
Taurus erat comes huic, feliciter ille maritus:
Cumque sua teneram conjuge pressit humum.
Dum jacet, et lente revocatas ruminat herbas,
Atque iterum pasto pascitur ante cibo;
Visus erat, somno vires adimente, ferenti
Cornigerum terræ deposuisse caput. 20
Huc levibus cornix pennis delapsa per auras
Venit, et in viridi garrula sedit humo;
Terque bovis niveæ petulanti pectora rostro
Fodit, et albentes abstulit ore jubas.
Illa locum taurumque diu cunctata relinquit:
Sed niger in vaccæ pectore livor erat. 26
Utque procul vidit carpentes pabula tauros,
(Carpebant tauri pabula læta procul)
Illuc se rapuit, gregibusque immiscuit illis,
Et petiit herbæ fertilioris humum. 30
Dic age, nocturnæ quicunque es imaginis augur,
Si quid habent veri, visa quid ista ferant.
Sic ego: nocturnæ sic dixit imaginis augur,
Expendens animo singula visa suo:
Quem tu mobilibus foliis vitare volebas, 35
Sed male vitabas, æstus amoris erat.
Vacca puella tua est: aptus color ille puellæ.
Tu vir, et in vacca compare taurus eras.
Pectora quod rostro cornix fodiebat acuto;
Ingenium dominæ lena movebit anus. 40
Quod cunctata diu taurum sua vacca reliquit;
Frigidus in viduo destituere toro.
Livor, et adverso maculæ sub pectore nigræ,
Pectus adulterii labe carere negant.
Dixerat interpres: gelido mihi sanguis ab ore
Fugit, et ante oculos nox stetit alta meos. 46

ELEGIA VI.

Amnis, arundinibus limosas obsite ripas,
Ad dominam propero; siste parumper aquas:
Nec tibi sunt pontes, nec quæ sine remigis ictu
Concava trajecto cymba rudente vehat.
Parvus eras, memini; nec te transire refugi; 5
Summaque vix talos contigit unda meos.
Nunc ruis opposito nivibus de monte solutis,
Et turpi crassas gurgite volvis aquas.
Quid properasse juvat? quid parca dedisse quieti
Tempora? quid nocti conseruisse diem? 10
Si tamen hic standum; si non datur artibus ullis
Ulterior nostro ripa premenda pedi?
Nunc ego, quas habuit pennas Danaeius heros,
Terribili densum cum tulit angue caput;
Nunc opto currum, de quo Cerealia primum 15
Semina venerunt in rude missa solum.
Prodigiosa loquor veterum mendacia vatum.
Nec tulit hæc, nec fert, nec feret ulla dies.
Tu potius, ripis effuse capacibus amnis,
Sic æternus eas, labere fine tuo. 20
Non eris invidiæ, torrens, mihi crede, ferendæ,
Si dicar per te forte retentus amans.
Flumina deberent juvenes in amore juvare:
Flumina senserunt ipsa, quid esset amor.
Inachus in Melie Bithynide pallidus isse 25
Dicitur, et gelidis incaluisse vadis.
Nondum Troja fuit lustris obsessa duobus,
Cum rapuit vultus, Xanthe, Neæra tuos.
Quid? non Alpheon diversis currere terris
Virginis Arcadiæ certus adegit amor? 30
Te quoque promissam Xantho, Penee, Creusam
Phthiotûm terris occuluisse ferunt.
Quid referam Asopon, quem cepit Martia Thebe,
Natarum Thebe quinque futura parens?
Cornua si tua nunc ubi sint, Acheloe, requiram;
Herculis irata fracta querere manu. 36
Nec tanti Calydon, nec tota Ætolia tanti;
Una tamen tanti Deianira fuit.
Ille fluens dives septena per ostia Nilus,
Qui patriam tantæ tam bene celat aquæ, 40
Fertur in Evadne collectam Asopide flammam
Vincere gurgitibus non potuisse suis.
Siccus ut amplecti Salmonida posset Enipeus,
Cedere jussit aquam: jussa recessit aqua.
Nec te prætereo, qui per cava saxa volutans 45
Tiburis Argei spumifer arva rigas:
Ilia cui placuit, quamvis erat horrida cultu,
Ungue notata comas, ungue notata genas.
Illa gemens patruique nefas, delictaque Martis,
Errabat nudo per loca sola pede. 50
Hanc amnis rapidis animosus vidit ab undis,
Raucaque de mediis sustulit ora vadis:
Atque ita, Quid nostras, inquit, teris anxia ripas,
Ilia, ab Idæo Laomedonte genus?
Quo cultus abiere tui? quid sola vagaris? 55
Vitta nec evincias impedit alba comas? [los,
Quid fles, et madidos lacrymis corrumpis ocel-
Pectoraque insana plangis aperta manu?
Ille habet et silices, et vivum in pectore ferrum,
Qui tenero lacrymas lentus in ore videt. 60
Ilia, pone metus; tibi regia nostra patebit;
Teque colent amnes: Ilia, pone metus.
Tu centum, aut plures, inter dominabere Nymphas:
Nam centum, aut plures, flumina nostra tenent.
Ne me sperne, precor, tantum, Trojana propago:
Munera promissis uberiora feres. 66
Dixerat. Illa oculos in humum dejecta modestos
Spargebat tepidos flebilis imbre sinus.
Ter molita fugam, ter ad altas restitit undas,
Currendi vires eripiente metu. 70
Sera tamen scindens inimico pollice crinem,
Edidit indignos ore tremente sonos:
O utinam mea lecta forent, patrioque sepulcro
Condita, dum poterant virginis ossa legi!
Cur modo Vestalis tædas invitor ad ullas 75
Turpis, et Iliacis inficianda focis?
Quid moror? en digitis designor adultera vulgi,
Desit, famosis qui notet ora, pudor.
Hactenus; et vestem tumidis prætendit ocellis;
Atque ita se in rapidas perdita misit aquas. 80
Supposuisse manus ad pectora lubricus amnis
Dicitur, et socii jura dedisse tori.
Te quoque credibile est aliqua caluisse puella:
Sed nemora et sylvæ crimina vestra tegunt.
Dum loquor, increvit latis spatiosius undis, 85
Nec capit admissas alveus altus aquas.
Quid mecum, furiose, tibi? quid mutua differs
Gaudia? quid cœptum, rustice, rumpis iter?

Quid, si legitimum flueres, si nobile flumen;
Si tibi per terras maxima fama foret? 90
Nomen habes nullum, rivis collecte caducis;
Nec tibi sunt fontes, nec tibi certa domus.
Fontis habes instar pluviamque nivesque solutas,
Quas tibi divitias pigra ministrat hiems.
Aut lutulentus agis brumali tempore cursus, 95
Aut premis arentem pulverulentus humum.
Quis te tum potuit sitiens haurire viator?
Quis grata dixit voce, Perennis eas?
Damnosus pecori curris, damnosior agris. 99
Forsitan hæc alios; me mea damna movent.
Huic ego, væ! demens narrabam fluminum amores?
Jactasse indigno nomina tanta pudet.
Nescio quid spectans Acheloon et Inachon amnes,
Et potui nomen, Nile, referre tuum. 104
At tibi pro meritis opto, non candide torrens,
Sint rapidi soles, siccaque semper hiems.

ELEGIA VII.

At non formosa est, at non bene culta puella;
At, puto, non votis sæpe petita meis.
Hanc tamen in nullos tenui male languidus usus,
Sed jacui pigro crimen onusque toro.
Nec potui cupiens, pariter cupiente puella, 5
Inguinis effeti parte juvante frui.
Illa quidem nostro subjecit eburnea collo
Brachia, Sithonia candidiora nive;
Osculaque inseruit cupidæ luctantia linguæ,
Lascivum femori supposuitque femur; 10
Et mihi blanditias dixit, dominumque vocavit,
Et quæ præterea publica verba juvant.
Tacta tamen veluti gelida mea membra cicuta,
Segnia propositum destituere suum. 14
Truncus iners jacui, species, et inutile pondus:
Nec satis exactum est, corpus an umbra forem.
Quæ mihi ventura est, siquidem ventura, senectus,
Cum desit numeris ipsa juventa suis?
Ah pudet annorum! quo me juvenemque virumque,
Nec juvenem, nec me sensit amica virum. 20
Sic flammas aditura pias æterna sacerdos
Surgit, et a caro fratre verenda soror.
At nuper bis flava Chlide, ter candida Pitho,
Ter Libas officio continuata meo.
Exigere a nobis angusta nocte Corinnam, 25
Me memini numeros sustinuisse novem.
Num mea Thessalico languent devota veneno
Corpora? num misero carmen et herba nocent?
Sagave Punicea defixit nomina cera,
Et medium tenues in jecur egit acus? 30
Carmine læsa Ceres sterilem vanescit in herbam:
Deficiunt læsæ carmine fontis aquæ:
Ilicibus glandes, cantataque vitibus uva
Decidit, et nullo poma movente fluunt.
Quid vetat et nervos magicas torpere per artes?
Forsitan impatiens sit latus inde meum. 36
Huc pudor accessit: facti pudor ipse nocebat:
Ille fuit vitii causa secunda mei.
At qualem vidi tantum tetigique puellam,
Sic etiam tunica tangitur ipsa sua. 40
Illius ad tactum Pylius juvenescere possit,
Tithonusque annis fortior esse suis.
Hæc mihi contigerat; sed vir non contigit illi.
Quas nunc concipiam per nova vota preces?
Credo etiam magnos, quo sum tam turpiter usus,
Muneris oblati pœnituisse deos. 46
Optabam certe recipi; sum nempe receptus:
Oscula ferre; tuli: proximus esse; fui.
Quo mihi fortunæ tantum? quo regna sine usu?
Quid, nisi possedi dives avarus opes? 50
Sic aret mediis taciti vulgator in undis,
Pomaque, quæ nullo tempore tangat, habet.
A tenera quisquam sic surgit mane puella,
Protinus ut sanctos possit adire deos.
Sed non blanda, puto, non optima perdidit in me
Oscula, non omni sollicitavit ope. 56
Illa graves potuit quercus, adamantaque durum,
Surdaque blanditiis saxa movere suis.
Digna movere fuit certe vivosque virosque;
Sed neque tum vixi, nec vir, ut ante, fui. 60
Quid juvet, ad surdas si cantet Phemius aures?
Quid miserum Thamyran picta tabella juvet?
At quæ non tacita formavi gaudia mente!
Quos ego non finxi disposuique modos!
Nostra tamen jacuere, velut præmortua, membra
Turpiter, hesterna languidiora rosa. 66
Quæ nunc ecce rigent intempestiva, valentque;
Nunc opus exposcunt, militiamque suam.
Quin istic pudibunda jaces, pars pessima nostri?
Sic sum pollicitis captus et ante tuis. 70
Tu dominam fallis: per te deprensus inermis
Tristia cum magno damna pudore tuli.
Hanc etiam non est mea dedignata puella
Molliter admota sollicitare manu.
Sed postquam nullas consurgere posse per artes,
Immemoremque sui procubuisse videt; 76
Quid me ludis? ait: quis te, male sane, jubebat
Invitum nostro ponere membra toro?
Aut te trajectis Ææa venefica lanis
Devovet, aut alio lassus amore venis. 80
Nec mora: desiluit tunica velata recincta:
Et decuit nudos proripuisse pedes.
Neve suæ possent intactam scire ministræ,
Dedecus hoc sumta dissimulavit aqua.

ELEGIA VIII.

Et quisquam ingenuas etiamnum suspicit artes,
Aut tenerum dotes carmen habere putat?
Ingenium quondam fuerat pretiosius auro:
At nunc barbaries grandis, habere nihil.
Cum pulchre nostri dominæ placuere libelli; 5
Quo licuit libris, non licet ire mihi.
Cum bene laudavit, laudato janua clausa est.
Turpiter huc illuc ingeniosus eo.
Ecce recens dives, parto per vulnera censu,
Præfertur nobis, sanguine pastus eques. 10
Hunc potes amplecti formosis, vita, lacertis?
Hujus in amplexus, vita, venire potes?
Si nescis, galeam caput hoc portare solebat:
Ense latus cinctum, quod tibi servit, erat.
Læva manus, cui nunc serum male convenit aurum, 15
Scuta tulit; dextram tange, cruenta fuit.
Qua periit aliquis, potes hanc contingere dextram?
Heu ubi mollities pectoris illa tui?
Cerne cicatrices, veteris vestigia pugnæ.
Quæsitum est illi corpore, quicquid habet. 20
Forsitan et, quoties hominem jugulaverit, ille
Indicet: hoc fassas tangis, avara, manus?
Ille ego Musarum purus Phœbique sacerdos
Ad rigidas canto carmen inane fores.
Discite, qui sapitis, non quæ nos scimus inertes,
Sed trepidas acies, et fera castra sequi: 26
Proque bono versu primum deducite pilum.
Hoc tibi, si velles, possit, Homere, dari.

Jupiter, admonitus nihil esse potentius auro,
Corruptæ pretium virginis ipse fuit. 30
Dum merces aberat; durus pater, ipsa severa,
Ærati postes, ferrea turris erat:
Sed postquam sapiens in munera venit adulter,
Præbuit ipsa sinus, et, dare jussa, dedit.
At cum regna senex cœli Saturnus haberet, 35
Omne lucrum tenebris alta premebat humus.
Æraque et argentum, cumque auro pondera ferri
Manibus admorat: nullaque massa fuit.
At meliora dabat; curvo sine vomere fruges,
Pomaque, et in quercu mella reperta cava. 40
Nec valido quisquam terras findebat aratro:
Signabat nullo limite mensor humum.
Non freta demissi verrebant eruta remi.
Ultima mortali tum via littus erat.
Contra te sollers, hominum natura, fuisti, 45
Et nimium damnis ingeniosa tuis.
Quo tibi, turritis incingere mœnibus urbes?
Quo tibi, discordes addere in arma manus?
Quid tibi cum pelago? terra contenta fuisses.
Cur non et cœlum, tertia regna, petis? 50
Qua licet, affectas cœlum quoque. Templa Quirinus,
Liber, et Alcides, et modo Cæsar, habent.
Eruimus terra solidum pro frugibus aurum.
Possidet inventas sanguine miles opes.
Curia pauperibus clausa est: dat census honores;
Inde gravis judex, inde severus eques. 56
Omnia possideant: illis Campusque forumque
Serviat: hi pacem crudaque bella gerant.
Tantum ne nostros avidi prædentur amores:
Et satis est, aliquid pauperis esse sinant. 60
At nunc, exæquet tetricas licet illa Sabinas,
Imperat ut captæ, qui dare multa potest.
Me prohibet custos: in me timet illa maritum.
Si dederim, tota cedet uterque domo.
O si neglecti quisquam deus ultor amantis 65
Tam male quæsitas pulvere mutet opes!

ELEGIA IX.

Memnona si mater, mater ploravit Achillen,
Et tangunt magnas tristia fata deas;
Flebilis indignos, Elegeïa, solve capillos.
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit!
Ille tui vates operis, tua fama, Tibullus 5
Ardet in exstructo corpus inane rogo.
Ecce puer Veneris fert eversamque pharetram,
Et fractos arcus, et sine luce facem.
Adspice, demissis ut eat miserabilis alis,
Pectoraque infesta tundat aperta manu. 10
Excipiunt sparsi lacrymas per colla capilli,
Oraque singultu concutiente sonant.
Fratris in Æneæ sic illum funere dicunt
Egressum tectis, pulcher Iule, tuis.
Nec minus est confusa Venus, moriente Tibullo,
Quam juveni rupit cum ferus inguen aper. 16
At sacri vates, et divûm cura vocamur:
Sunt etiam, qui nos numen habere putent.
Scilicet omne sacrum Mors importuna profanat:
Omnibus obscuras injicit illa manus. 20
Quid pater Ismario, quid mater profuit Orpheo?
Carmine quid victas obstupuisse feras?
Ælinon in sylvis idem pater, Ælinon, altis
Dicitur invita concinuisse lyra.
Adjice Mæoniden, a quo ceu fonte perenni 25
Vatum Pieriis ora rigantur aquis;
Hunc quoque summa dies nigro submersit Averno.
Diffugiunt avidos carmina sola rogos.
Durat opus vatum, Trojani fama laboris,
Tardaque nocturno tela retexta dolo. 30
Sic Nemesis longum, sic Delia, nomen habebunt;
Altera cura recens, altera primus amor.
Quid vos sacra juvant? quid nunc Ægyptia prosunt
Sistra? quid in vacuo secubuisse toro?
Cum rapiant mala fata bonos (ignoscite fasso)
Sollicitor nullos esse putare deos. 36
Vive pius; moriere; pius cole sacra; colentem
Mors gravis a templis in cava busta trahet.
Carminibus confide bonis; jacet ecce Tibullus.
Vix manet e tanto parva quod urna capit. 40
Tene, sacer vates, flammæ rapuere rogales;
Pectoribus pasci nec timuere tuis?
Aurea sanctorum potuissent templa deorum
Urere; quæ tantum sustinuere nefas.
Avertit vultus, Erycis quæ possidet arces. 45
Sunt quoque, qui lacrymas continuisse negent.
Sed tamen hoc melius, quam si Phæacia tellus
Ignotum vili supposuisset humo.
Hinc certe madidos fugientis pressit ocellos
Mater, et in cineres ultima dona tulit. 50
Hinc soror in partem misera cum matre doloris
Venit, inornatas dilaniata comas.
Cumque tuis sua junxerunt Nemesisque priorque
Oscula, nec solos destituere rogos.
Delia discedens, Felicius, inquit, amata 55
Sum tibi: vixisti, dum tuus ignis eram.
Cui Nemesis, Quid ais? tibi sint mea damna dolori?
Me tenuit moriens deficiente manu.
Si tamen e nobis aliquid, nisi nomen et umbra,
Restat, in Elysia valle Tibullus erit. 60
Obvius huic venias, hedera juvenilia cinctus
Tempora, cum Calvo, docte Catulle, tuo.
Tu quoque, si falsum est temerati crimen amici,
Sanguinis atque animæ prodige Galle tuæ.
His comes umbra tua est; si quid modo corporis umbra est. 65
Auxisti numeros, culte Tibulle, pios.
Ossa quieta, precor, tuta requiescite in urna,
Et sit humus cineri non onerosa tuo.

ELEGIA X.

Annua venerunt Cerealis tempora sacri.
Secubat in vacuo sola puella toro.
Flava Ceres, tenues spicis redimita capillos,
Cur inhibes sacris commoda nostra tuis?
Te, dea, munificam gentes ubicunque loquuntur: 5
Nec minus humanis invidet ulla bonis.
Ante nec hirsuti torrebant farra coloni,
Nec notum terris area nomen erat:
Sed glandem quercus, oracula prima, ferebant:
Hæc erat, et teneri cespitis herba, cibus. 10
Prima Ceres docuit turgescere semen in agris,
Falce coloratas subsecuitque comas.
Prima jugo tauros supponere colla coegit,
Et veterem curvo dente revellit humum.
Hanc quisquam lacrymis lætari credit amantum,
Et bene tormentis secubituque coli? 16
Nec tamen est, quamvis agros amet illa feraces,
Rustica: nec viduum pectus amoris habet.
Cretes erunt testes; nec fingunt omnia Cretes:
Cretes, nutrito terra superba Jove. 20
Illic, sideream mundi qui temperat arcem,
Exiguus tenero lac bibit ore puer.
Magna fides testi: testis laudatur alumno.
Fassuram Cererem crimina nota puto.

Viderat Iasium Cretæa Diva sub Ida 25
Figentem certa terga ferina manu.
Vidit, et ut teneræ flammam rapuere medullæ
(Hinc pudor, ex alia parte trahebat amor)
Victus amore pudor. Sulcos arere videres,
Et sata cum minima parte redire sui. 30
Cum bene jactati pulsarant arva ligones,
Ruperat et duram vomer aduncus humum,
Seminaque in latos ierant æqualiter agros;
Irrita decepti vota colentis erant.
Diva potens frugum sylvis cessabat in altis: 35
Deciderant longæ spicea serta comæ.
Sola fuit Crete fecundo fertilis anno.
Omnia, qua tulerat se dea, messis erant.
Ipse locus nemorum canebat frugibus Ide,
Et ferus in sylva farra metebat aper. 40
Optavit Minos similes sibi legifer annos:
Optavit Cereris longus ut esset amor.
Quod tibi secubitus tristes, dea flava, fuissent,
Hoc cogor sacris nunc ego ferre tuis.
Cur ego sim tristis, cum sit tibi nata reperta, 45
Regnaque, quam Juno, sorte minora regat?
Festa dies Veneremque vocat, cantusque merumque.
Hæc decet ad dominos munera ferre deos.

ELEGIA XI.

Multa diuque tuli: vitiis patientia victa est.
Cede fatigato pectore, turpis amor.
Scilicet asserui jam me, rupique catenas:
Et quæ depuduit ferre, tulisse pudet. [rem.
Vicimus; et domitum pedibus calcamus amo-
Venerunt capiti cornua sera meo. 6
Perfer, et obdura: dolor hic tibi proderit olim.
Sæpe tulit lassis succus amarus opem.
Ergo ego sustinui foribus tam sæpe repulsus
Ingenuum dura ponere corpus humo. 10
Ergo ego nescio cui, quem tu complexa tenebas,
Excubui clausam, servus ut, ante domum.
Vidi ego, cum foribus lassus prodiret amator,
Invalidum referens emeritumque latus. [illo.
Hoc tamen est levius, quam quod sum visus ab
Eveniat nostris hostibus ille pudor. 16
Quando ego non fixus lateri spatiantis adhæsi,
Ipse tuus custos, ipse vir, ipse comes?
Scilicet et populo per me cantata placebas.
Causa fuit multis noster amoris amor. 20
Turpia quid referam vanæ mendacia linguæ,
Et perjuratos in mea damna deos?
Quid juvenum tacitos inter convivia nutus,
Verbaque compositis dissimulata notis?
Dicta erat ægra mihi: præceps amensque cucurri. 25
Veni; et rivali non erat ægra meo.
His, et quæ taceo, duravi sæpe ferendis.
Quære alium, pro me qui queat ista pati.
Jam mea, votiva puppis redimita corona,
Lenta tumescentes æquoris audit aquas. 30
Desine blanditias, et verba, potentia quondam,
Perdere. Non ego sum stultus, ut ante fui.
Luctantur, pectusque leve in contraria tendunt
Hac amor, hac odium: sed, puto, vincit amor.
Odero, si potero: si non, invitus amabo. 35
Nec juga taurus amat: quæ tamen odit, habet.
Nequitiam fugio; fugientem forma reducit.
Aversor morum crimina; corpus amo.
Sic ego nec sine te, nec tecum vivere possum:
Et videor voti nescius esse mei. [vellem.
Aut formosa fores minus, aut minus improba
Non facit ad mores tam bona forma malos. 42
Facta movent odium; facies exorat amorem.
Me miserum! vitiis plus valet illa suis.
Parce, per o lecti socialia jura, per omnes, 45
Qui dent fallendos se tibi sæpe, deos,
Perque tuam faciem, magni mihi numinis instar,
Perque tuos oculos, qui rapuere meos;
Quicquid eris, mea semper eris: tu selige tantum,
Me quoque velle velis, anne coactus amem?
Lintea dem potius, ventisque ferentibus utar;
Ut, quamvis nolim, cogar amare tamen. 52

ELEGIA XII.

Quis fuit ille dies, quo tristia semper amanti
Omina non albæ concinuistis aves?
Quodve putem sidus nostris occurrere fatis?
Quosve deos in me bella movere querar?
Quæ modo dicta mea est, quam cœpi solus amare, 5
Cum multis vereor ne sit habenda mihi.
Fallimur? an nostris innotuit illa libellis?
Sic erat: ingenio prostitit illa meo.
Et merito: quid enim formæ præconia feci?
Vendibilis culpa facta puella mea est. 10
Me lenone placet: duce me perductus amator.
Janua per nostras est adaperta manus.
An prosint, dubium; nocuerunt carmina certe.
Invidiæ nostris illa fuere bonis.
Cum Thebæ, cum Troja forent, cum Cæsaris acta; 15
Ingenium movit sola Corinna meum.
Aversis utinam tetigissem carmina Musis,
Phœbus et inceptum destituisset opus!
Nec tamen, ut testes mos est audire poetas,
Malueram verbis pondus abesse meis. 20
Per nos Scylla, patri canos furata capillos,
Pube premit rabidos inguinibusque canes.
Nos pedibus pennas dedimus, nos crinibus angues.
Victor Abantiades alite fertur equo.
Iidem per spatium Tityon porreximus ingens,
Et tria vipereo fecimus ora cani.
Fecimus Enceladum jaculantem mille lacertis:
Ambiguæ captos virginis ore viros.
Æolios Ithacis inclusimus utribus Euros:
Proditor in medio Tantalus amne sitit. 30
De Niobe silicem, de virgine fecimus ursam:
Concinit Odrysium Cecropis ales Ityn.
Jupiter aut in aves, aut se transformat in aurum,
Aut secat imposita virgine taurus aquas.
Protea quid referam, Thebanaque semina dentes?
Qui vomerent flammas ore, fuisse boves? 36
Flere genis electra tuas, auriga, sorores?
Quæque rates fuerint, nunc maris esse deas?
Aversumque diem mensis furialibus Atrei?
Duraque percussam saxa secuta lyram? 40
Exit in immensum fecunda licentia vatum,
Obligat historica nec sua verba fide.
Et mea debuerat falso laudata videri
Fœmina: credulitas nunc mihi vestra nocet.

ELEGIA XIII.

Cum mihi pomiferis conjux foret orta Faliscis;
Mœnia contigimus, victa, Camille, tibi.
Casta sacerdotes Junoni festa parabant
Per celebres ludos, indigenamque bovem.
Grande moræ pretium, ritus cognoscere: quamvis 5
Difficilis clivis huc via præbet iter.

Stat vetus, et densa prænubilus arbore lucus.
Adspice; concedas numen inesse loco.
Accipit ara preces, votivaque thura piorum;
Ara per antiquas facta sine arte manus. 10
Hinc ubi præsonuit sollenni tibia cantu,
It per velatas annua pompa vias.
Ducuntur niveæ, populo plaudente, juvencæ,
Quas aluit campis herba Falisca suis;
Et vituli nondum metuenda fronte minaces; 15
Et minor ex humili victima porcus hara;
Duxque gregis cornu per tempora dura recurvo.
Invisa est dominæ sola capella deæ.
Illius indicio sylvis inventa sub altis
Dicitur inceptam destituisse fugam. 20
Nunc quoque per pueros jaculis incessitur index,
Et pretium auctori vulneris ipsa datur.
Qua ventura dea est, juvenes timidæque puellæ
Præverrunt latas veste jacente vias.
Virginei crines auro gemmaque premuntur: 25
Et tegit auratos palla superba pedes.
More patrum Graio velatæ vestibus albis
Tradita supposito vertice sacra ferunt.
Ore favent populi, tunc cum venit aurea pompa:
Ipsa sacerdotes subsequiturque suas. 30
Argiva est pompæ facies. Agamemnone cæso
Et scelus et patrias fugit Halesus opes.
Jamque pererratis profugus terraque fretoque,
Mœnia felici condidit alta manu.
Ille suos docuit Junonia sacra Faliscos. 35
Sint mihi, sint populo semper amica suo.

ELEGIA XIV.

Non ego, ne pecces, cum sis formosa, recuso;
Sed ne sit misero scire necesse mihi.
Nec te nostra jubet fieri censura pudicam;
Sed tantum tentes dissimulare, rogat.
Non peccat, quæcunque potest peccasse negare:
Solaque deformem culpa professa facit.
Quis furor est, quæ nocte latent, sub luce fateri?
Et quæ clam facias, facta referre palam?
Ignoto meretrix corpus junctura Quiriti
Apposita populum submovet ante sera. 10
Tu tua prostitues famæ peccata sinistræ,
Commissi perages indiciumque tui?
Sit tibi mens melior, saltemve imitere pudicas;
Teque probam, quamvis non eris, esse putem.
Quæ facis, hæc facito; tantum fecisse negato:
Nec pudeat coram verba modesta loqui. 16
Est qui nequitiam locus exigat: omnibus illum
Deliciis imple; stet procul inde pudor.
Hinc simul exieris, lascivia protinus omnis
Absit: et in lecto crimina pone tuo. 20
Illic nec tunicam tibi sit posuisse rubori,
Nec femori impositum sustinuisse femur:
Illic purpureis condatur lingua labellis,
Inque modos Venerem mille figuret amor.
Illic nec voces, nec verba juvantia cessent: 25
Spondaque lasciva mobilitate tremat.
Indue cum tunicis metuentem crimina vultum:
Et pudor obscænum diffiteatur opus.
Da populo, da verba mihi: sine nescius errem;
Et liceat stulta credulitate frui. 30
Cur toties video mitti recipique tabellas?
Cur pressus prior est interiorque torus?
Cur plus, quam somno, turbatos esse capillos,
Collaque conspicio dentis habere notam?
Tantum non oculos crimen deducis ad ipsos. 35
Si dubitas famæ parcere; parce mihi.
Mens abit, et morior, quoties peccasse fateris,
Perque meos artus frigida gutta fluit.
Tunc amo: tunc odi frustra, quod amare necesse est:
Tunc ego, sed tecum, mortuus esse velim. 40
Nil equidem inquiram; nec, quæ celare parabis,
Insequar: et falsi criminis instar erit.
Si tamen in media deprensa tenebere culpa,
Et fuerint oculis probra videnda meis;
Quæ bene visa mihi fuerint, bene visa negato.
Concedent verbis lumina nostra tuis. 46
Prona tibi vinci cupientem vincere palma est.
Sit modo, Non feci, dicere lingua memor.
Cum tibi contingat verbis superare duobus;
Et, si non causa, judice vince tuo. 50

ELEGIA XV.

Quære novum vatem, tenerorum mater Amorum:
Raditur hic Elegis ultima meta meis;
Quos ego composui, Peligni ruris alumnus;
Nec me deliciæ dedecuere meæ.
Si quid id est, usque a proavis vetus ordinis hæres, 5
Non modo militiæ turbine factus eques.
Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo;
Pelignæ dicar gloria gentis ego:
Quam sua libertas ad honesta coegerat arma,
Cum timuit socias anxia Roma manus. 10
Atque aliquis spectans hospes Sulmonis aquosi
Mœnia, qua campi jugera pauca tenent;
Quæ tantum, dicet, potuistis ferre poetam,
Quantulacunque estis, vos ego magna voco.
Culte puer, puerique parens Amathusia culti, 15
Aurea de campo vellite signa meo.
Corniger increpuit thyrso graviore Lyæus:
Pulsanda est magnis area major equis.
Imbelles Elegi, genialis Musa, valete;
Post mea mansurum fata superstes opus. 20

P. OVIDII NASONIS ARTIS AMATORIÆ LIBRI TRES.

LIBER PRIMUS.

Si quis in hoc artem populo non novit amandi,
Me legat; et lecto carmine doctus amet.
Arte citæ, veloque rates, remoque moventur:
Arte leve currus, arte regendus Amor.
Curribus Automedon, lentisque erat aptus habenis: 5
Tiphys in Hæmonia puppe magister erat.
Me Venus artificem tenero præfecit Amori.
Tiphys et Automedon dicar Amoris ego.
Ille quidem ferus est, et qui mihi sæpe repugnet;
Sed puer est: ætas mollis et apta regi. 10
Phillyrides puerum cithara perfecit Achillen,
Atque animos placida contudit arte feros.
Qui toties socios, toties exterruit hostes,
Creditur annosum pertimuisse senem.
Quas Hector sensurus erat, poscente magistro,
Verberibus jussas præbuit ille manus. 16
Æacidæ Chiron, ego sum præceptor Amoris.
Sævus uterque puer: natus uterque dea.
Sed tamen et tauri cervix oneratur aratro,
Frenaque magnanimi dente teruntur equi. 20
Et mihi cedet Amor: quamvis mea vulneret arcu
Pectora, jactatas excutiatque faces.
Quo me fixit Amor, quo me violentius ussit,
Hoc melior facti vulneris ultor ero.
Non ego, Phœbe, datas a te mihi mentior artes:
Nec nos aeriæ voce monemur avis: 26
Nec mihi sunt visæ Clio Cliusque sorores,
Servanti pecudes vallibus, Ascra, tuis.
Usus opus movet hoc: vati parete perito.
Vera canam: cœptis, mater Amoris, ades. 30
Este procul vittæ tenues, insigne pudoris,
Quæque tegis medios, instita longa, pedes.
Nos Venerem tutam, concessaque furta, canemus:
Inque meo nullum carmine crimen erit.
Principio, quod amare velis, reperire labora, 35
Qui nova nunc primum miles in arma venis.
Proximus huic labor est, placitam exorare puellam.
Tertius, ut longo tempore duret amor.
Hic modus; hæc nostro signabitur area curru;
Hæc erit admissa meta terenda rota. 40
Dum licet, et loris passim potes ire solutis,
Elige, cui dicas, Tu mihi sola places.
Hæc tibi non tenues veniet delapsa per auras.
Quærenda est oculis apta puella tuis.
Scit bene venator, cervis ubi retia tendat; 45
Scit bene, qua frendens valle moretur aper.
Aucupibus noti frutices: qui sustinet hamos,
Novit, quæ multo pisce natentur aquæ.
Tu quoque, materiam longo qui quæris amori,
Ante frequens quo scit disce puella loco. 50
Non ego quærentem vento dare vela jubebo,
Nec tibi, ut invenias, longa terenda via est.
Andromeden Perseus nigris portarit ab Indis,
Raptaque sit Phrygio Graia puella viro.
Tot tibi tamque dabit formosas Roma puellas,
Hæc habet, ut dicas, quicquid in orbe fuit. 56
Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos;
Æquore quot pisces, fronde teguntur aves;
Quot cœlum stellas, tot habet tua Roma puellas:
Mater et Æneæ constat in urbe sui. 60
Seu caperis primis et adhuc crescentibus annis;
Ante oculos veniet vera puella tuos: [bunt.
Sive cupis juvenem; juvenes tibi mille place-
Cogeris voti nescius esse tui.
Seu te forte juvat sera et sapientior ætas; 65
Hoc quoque, crede mihi, plenius agmen erit.
Tu modo Pompeia lentus spatiare sub umbra,
Cum sol Herculei terga leonis adit;
Aut ubi muneribus nati sua munera mater
Addidit, externo marmore dives opus. 70
Nec tibi vitetur, quæ priscis sparsa tabellis
Porticus auctoris Livia nomen habet;
Quaque parare necem miseris patruelibus ausæ
Belides, et stricto stat ferus ense pater.
Nec te prætereat Veneri ploratus Adonis; 75
Cultaque Judæo septima sacra Syro.
Neu fuge linigeræ Memphitica templa juvencæ.
Multas illa facit, quod fuit ipsa Jovi.
Et fora conveniunt (quis credere possit?) amori;
Flammaque in arguto sæpe reperta foro; 80
Subdita qua Veneris facto de marmore templo
Appias expressis aëra pulsat aquis.
Illo sæpe loco capitur consultus Amori:
Quique aliis cavit, non cavet ipse sibi.
Illo sæpe loco desunt sua verba diserto, 85
Resque novæ veniunt, causaque agenda sui est.
Hunc Venus e templis, quæ sunt confinia, ridet.
Qui modo patronus, nunc cupit esse cliens.
Sed tu præcipue curvis venare theatris.
Hæc loco sunt voto fertiliora tuo. 90
Illic invenies, quod ames, quod ludere possis,
Quodque semel tangas, quodque tenere velis.
Ut redit itque frequens longum formica per agmen,
Granifero solitum cum vehit ore cibum;
Aut ut apes, saltusque suos et olentia nactæ 95
Pascua, per flores et thyma summa volant;
Sic ruit in celebres cultissima femina ludos;
Copia judicium sæpe morata meum.
Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsæ
Ille locus casti damna pudoris habet. 100
Primus sollicitos fecisti, Romule, ludos:
Cum juvit viduos rapta Sabina viros.
Tunc neque marmoreo pendebant vela theatro,
Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.

Illic, quas tulerant nemorosa Palatia, frondes
Simpliciter positæ; scena sine arte fuit.
In gradibus sedit populus de cespite factis,
Qualibet hirsutas fronde tegente comas.
Respiciunt, oculisque notant sibi quisque puellam, 109
Quam velit, et tacito pectore multa movent.
Dumque, rudem præbente modum tibicine Tusco,
Ludius æquatam ter pede pulsat humum;
In medio plausu (plausus tunc arte carebat)
Rex populo prædæ signa petenda dedit.
Protinus exiliunt, animum clamore fatentes, 115
Virginibus cupidas injiciuntque manus.
Ut fugiunt aquilas, timidissima turba, columbæ,
Utque fugit visos agna novella lupos;
Sic illæ timuere viros sine more ruentes.
Constitit in nulla, qui fuit ante, color. 120
Nam timor unus erat; facies non una timoris.
Pars laniat crines; pars sine mente sedet:
Altera mæsta silet; frustra vocat altera matrem:
Hæc queritur; stupet hæc: hæc manet; illa fugit.
Ducuntur raptæ, genialis præda, puellæ: 125
Et potuit multas ipse decere pudor.
Si qua repugnarat nimium, comitemque negarat,
Sublatam cupido vir tulit ipse sinu.
Atque ita, Quid teneros lacrymis corrumpis ocellos?
Quod matri pater est, hoc tibi, dixit, ero. 130
Romule, militibus scisti dare commoda solus.
Hæc mihi si dederis commoda, miles ero.
Scilicet ex illo sollennia more theatra
Nunc quoque formosis insidiosa manent.
Nec te nobilium fugiat certamen equorum: 135
Multa capax populi commoda Circus habet.
Nil opus est digitis, per quos arcana loquaris:
Nec tibi per nutus accipienda nota est.
Proximus a domina, nullo prohibente, sedeto:
Junge tuum lateri, quam potes, usque latus.
Et bene, quod cogit, si nolit, linea jungi; 141
Quod tibi tangenda est lege puella loci.
Hic tibi quæratur socii sermonis origo:
Et moveant primos publica verba sonos.
Cujus equi veniant, facito, studiose, requiras. 145
Nec mora; quisquis erit, cui favet illa, fave.
At cum pompa frequens cœlestibus ibit eburnis,
Tu Veneri dominæ plaude favente manu.
Utque fit, in gremium pulvis si forte puellæ
Deciderit, digitis excutiendus erit. 150
Et, si nullus erit pulvis, tamen excute nullum.
Quælibet officio causa sit apta tuo.
Pallia si terræ nimium demissa jacebunt,
Collige, et immunda sedulus effer humo.
Protinus, officii pretium, patiente puella, 155
Contingent oculis crura videnda tuis.
Respice præterea, post vos quicunque sedebit,
Ne premat opposito mollia terga genu.
Parva leves capiunt animos. Fuit utile multis,
Pulvinum facili composuisse manu. 160
Profuit et tenui ventum movisse tabella;
Et cava sub tenerum scamna dedisse pedem.
Hos aditus Circusque novo præbebit amori,
Sparsaque sollicito tristis arena foro.
Illa sæpe puer Veneris pugnavit arena: 165
Et qui spectavit vulnera, vulnus habet.
Dum loquitur, tangitque manum, poscitque libellum,
Et quærit, posito pignore, vincat uter;
Saucius ingemuit, telumque volatile sensit:
Et pars spectati muneris ipse fuit. 170
Quid, modo cum belli navalis imagine Cæsar
Persidas induxit Cecropidasque rates?
Nempe ab utroque mari juvenes, ab utroque puellæ
Venere: atque ingens orbis in Urbe fuit.
Quis non invenit, turba quod amaret in illa? 175
Eheu, quam multos advena torsit amor!
Ecce parat Cæsar domito, quod defuit, orbi
Addere: nunc, Oriens ultime, noster eris.
Parthe, dabis pœnas: Crassi gaudete sepulti, 179
Signaque barbaricas non bene passa manus.
Ultor adest; primisque ducem profitetur in armis:
Bellaque non puero tractat agenda puer.
Parcite natales, timidi, numerare deorum:
Cæsaribus virtus contigit ante diem.
Ingenium cœleste suis velocius annis 185
Surgit, et ignavæ fert male damna moræ.
Parvus erat, manibusque duos Tirynthius angues
Pressit: et in cunis jam Jove dignus erat.
Nunc quoque qui puer es, quantus tum, Bacche, fuisti,
Cum timuit thyrsos India victa tuos? 190
Auspiciis animisque patris, puer, arma movebis:
Et vinces animis auspiciisque patris,
Tale rudimentum tanto sub nomine debes
Nunc juvenum princeps, deinde future senum.
Cum tibi sint fratres, fratres ulciscere læsos: 195
Cumque pater tibi sit, jura tuere patris.
Induit arma tibi genitor patriæque tuusque.
Hostis ab invito regna parente rapit.
Tu pia tela feres, sceleratas ille sagittas:
Stabunt pro signis jusque piumque tuis. 200
Vincuntur causa Parthi; vincantur et armis.
Eoas Latio dux meus addat opes.
Marsque pater, Cæsarque pater, date numen eunti.
Nam deus e vobis alter es, alter eris.
Auguror en! vinces; votivaque carmina reddam:
Et magno nobis ore sonandus eris. 206
Consistes; aciemque meis hortabere verbis.
O desint animis ne mea verba tuis!
Tergaque Parthorum, Romanaque pectora dicam;
Telaque, ab averso quæ jacit hostis equo. 210
Qui fuis, ut vincas, quid victo, Parthe, relinquis?
Parthe, malum jam nunc Mars tuus omen habet.
Ergo erit illa dies, qua tu, pulcherrime rerum,
Quatuor in niveis aureus ibis equis?
Ibunt ante duces onerati colla catenis; 215
Ne possint tuti, qua prius, esse fuga.
Spectabunt læti juvenes, mixtæque puellæ
Diffundetque animos omnibus ista dies.
Atque aliqua ex illis cum regum nomina quæret,
Quæ loca, qui montes, quæve ferantur aquæ;
Omnia responde: nec tantum si qua rogabit; 221
Et, quæ nescieris, ut bene nota refer.
Hic est Euphrates, præcinctus arundine frontem:
Cui coma dependet cærula, Tigris erit.
Hos facito Armenios: hæc est Danaeïa Persis:
Urbs in Achæmeniis vallibus ista fuit. 226
Ille, vel ille, duces: et erunt, quæ nomina dicas:
Si poteris, vere; si minus, apta tamen.
Dant etiam positis aditum convivia mensis:
Est aliquid, præter vina, quod inde petas. 230
Sæpe illic positi teneris adducta lacertis
Purpureus Bacchi cornua pressit Amor.
Vinaque cum bibulas sparsere Cupidinis alas,
Permanet, et capto stat gravis ille loco.
Ille quidem pennas velociter excutit udas: 235
Sed tamen et spargi pectus amore nocet.

Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos :
Cura fugit multo diluiturque mero.
Tunc veniunt risus : tunc pauper cornua sumit :
Tunc dolor et curæ, rugaque frontis abit. 240
Tunc aperit mentes, ævo rarissima nostro,
Simplicitas, artes excutiente deo.
Illic sæpe animos juvenum rapuere puellæ :
Et Venus in vinis, ignis in igne fuit.
Hic tu fallaci nimium ne crede lucernæ. 245
Judicio formæ noxque merumque nocent.
Luce deas cœloque Paris spectavit aperto,
Cum dixit Veneri, Vincis utramque, Venus.
Nocte latent mendæ, vitioque ignoscitur omni :
Horaque formosam quamlibet illa facit. 250
Consule de gemmis, de tincta murice lana,
Consule de facie corporibusque diem.
Quid tibi fœmineos cœtus venatibus aptos
Enumerem ? numero cedet arena meo. 254
Quid referam Baias, prætextaque littora velis,
Et, quæ de calido sulphure fumat, aquam ?
Hinc aliquis vulnus referens in pectore, dixit :
Non hæc, ut fama est, unda salubris erat.
Ecce suburbanæ templum nemorale Dianæ, 259
Partaque per gladios regna nocente manu.
Illa quod est virgo, quod tela Cupidinis odit,
Multa dedit populo vulnera, multa dabit.
Hactenus, unde legas quod ames, ubi retia ponas,
Præcipit imparibus vecta Thalia rotis.
Nunc tibi, quæ placuit, quas sit capienda per artes, 265
Dicere præcipuæ molior artis opus.
Quisquis ubique viri, dociles advertite mentes,
Pollicitisque favens vulgus adeste meis.
Prima tuæ menti veniat fiducia, cunctas
Posse capi ; capies : tu modo tende plagas.
Vere prius volucres taceant, æstate cicadæ, 271
Mænalius lepori det sua terga canis ;
Fœmina quam juveni blande tentata repugnet.
Hæc quoque, quam poteris credere nolle, volet.
Utque viro furtiva Venus, sic grata puellæ. 275
Vir male dissimulat : tectius illa cupit.
Conveniat maribus, ne quam nos ante rogemus :
Fœmina jam partes victa rogantis agat.
Mollibus in pratis admugit fœmina tauro :
Fœmina cornipedi semper adhinnit equo. 280
Fortior in nobis, nec tam furiosa libido.
Legitimum finem flamma virilis habet.
Byblida quid referam, vetito quæ fratris amore
Arsit, et est laqueo fortiter ulta nefas ?
Myrrha patrem, sed non quo filia debet, amavit :
Et nunc obducto cortice pressa latet. 286
Illius et lacrymis, quas arbore fundit odora,
Ungimur ; et dominæ nomina gutta tenet.
Forte sub umbrosis nemorosæ vallibus Idæ
Candidus, armenti gloria, taurus erat, 290
Signatus tenui media inter cornua nigro.
Una fuit labes ; cætera lactis erant.
Illum Gnossiadesque Cydoneæque juvencæ
Optarunt tergo sustinuisse suo.
Pasiphae fieri gaudebat adultera tauri : 295
Invida formosas oderat illa boves.
Nota cano. Non hoc, centum quæ sustinet urbes,
Quamvis sit mendax, Creta negare potest.
Ipsa novas frondes, et prata tenerrima, tauro
Fertur inassueta subsecuisse manu. 300
It comes armentis ; nec ituram cura moratur
Conjugis : et Minos a bove victus erat.
Quo tibi, Pasiphae, pretiosas sumere vestes ?
Iste tuus nullas sentit adulter opes.
Quid tibi cum speculo montana armenta petenti ?
Quid toties positas fingis, inepta, comas ? 306
Crede tamen speculo, quod te negat esse juvencam.
Quam cuperes fronti cornua nata tuæ !
Sive placet Minos ; nullus quæratur adulter :
Sive virum mavis fallere ; falle viro. 310
In nemus et saltus thalamo regina relicto
Fertur, ut Aonio concita Baccha deo.
Ah quoties vaccam vultu spectavit iniquo,
Et dixit, Domino cur placet ista meo !
Adspice, ut ante ipsum teneris exsultet in herbis :
Nec dubito, quin se stulta decere putet. 316
Dixit ; et ingenti jamdudum de grege duci
Jussit, et immeritam sub juga panda trahi :
Aut cadere ante aras commentaque sacra coegit,
Et tenuit læta pellicis exta manu. 320
Pellicibus quoties placavit numina cæsis,
Atque ait, exta tenens, Ite, placete meo !
Et modo se Europen fieri, modo postulat Io :
Altera quod bos est ; altera vecta bove. 324
Hanc tamen implevit, vacca deceptus acerna,
Dux gregis : et partu proditus auctor erat.
Cressa Thyesteo si se abstinuisset amore,
(O quantum est, uni posse placere viro !)
Non medium rupisset iter, curruque retorto
Auroram versis Phœbus adisset equis. 330
Filia purpureos Niso furata capillos,
Pube premit rabidos inguinibusque canes.
Qui Martem terra, Neptunum effugit in undis,
Conjugis Atrides victima dira fuit.
Cui non defleta est Ephyrææ flamma Creüsæ ?
Et nece natorum sanguinolenta parens ? 336
Flevit Amyntorides per inania lumina Phœnix :
Hippolytum pavidi diripuistis equi.
Quid fodis immeritis, Phineu, sua lumina natis ?
Pœna reversura est in caput ista tuum. 340
Omnia fœminea sunt ista libidine mota.
Acrior est nostra, plusque furoris habet.
Ergo age, ne dubita cunctas superare puellas :
Vix erit e multis quæ neget una tibi. [gatæ.
Quæ dant, quæque negant, gaudent tamen esse ro-
Ut jam fallaris, tuta repulsa tua est. 346
Sed cur fallaris, cum sit nova grata voluptas ?
Et capiant animos plus aliena suos ?
Fertilior seges est alienis semper in agris :
Vicinumque pecus grandius uber habet. 350
Sed prius ancillam captandæ nosse puellæ
Cura sit : accessus molliat illa tuos.
Proxima consiliis dominæ sit ut illa videto ;
Neve parum tacitis conscia fida jocis. 354
Hanc tu pollicitis, hanc tu corrumpe rogando.
Quod petis, e facili, si volet illa, feres. [vant)
Illa legat tempus (medici quoque tempora ser-
Quo facilis dominæ mens sit, et apta capi.
Mens erit apta capi, tunc cum, lætissima rerum,
Ut seges in pingui luxuriabit humo. 360
Pectora dum gaudent, nec sunt adstricta dolore,
Ipsa patent : blanda tum subit arte Venus.
Tum, cum tristis erat, defensa est Ilios armis :
Militibus gravidum læta recepit equum.
Tum quoque tentanda est, cum pellice læsa dolebit : 365
Tum facias opera, ne sit inulta, tua.
Hanc matutinos pectens ancilla capillos
Incitet : et velo remigis addat opem.
Et, secum tenui suspirans murmure, dicat :
Ut puto, non poteris ipsa referre vicem. 370
Tum de te narret : tum persuadentia verba
Addat ; et insano juret amore mori.

Sed propera, ne vela cadant, auræque residant.
Ut fragilis glacies, interit ira mora.
Quæris, an hanc ipsam prosit violare ministram?
Talibus admissis alea grandis inest. 376
Hæc a concubitu fit sedula, tardior illa:
Hæc dominæ munus te parat, illa sibi.
Casus in eventu est. Licet hæc indulgeat ausis,
Consilium tamen est abstinuisse meum. 380
Non ego per præceps et acuta cacumina vadam:
Nec juvenum quisquam, me duce, captus erit.
Si tamen illa tibi, dum dat recipitque tabellas,
Corpore, non tantum sedulitate, placet;
Fac domina potiare prius; comes illa sequatur.
Non tibi ab ancilla est incipienda Venus. 386
Hoc unum moneo (si quid modo creditur arti,
Nec mea dicta rapax per mare ventus agit)
Aut non tentaris, aut perfice. Tollitur index,
Cum semel in partem criminis ipsa venit.
Non avis utiliter viscatis effugit alis: 391
Non bene de laxis cassibus exit aper:
Saucius arrepto piscis teneatur ab hamo.
Perprime tentatam: nec, nisi victor, abi.
Tum neque te prodet communi obnoxia culpæ:
Factaque erunt dominæ dictaque nota tibi.
Sed bene celetur. Bene si celabitur index,
Notitiæ suberit semper amica tuæ.
Tempora qui solis operosa colentibus arva,
Fallitur, et nautis adspicienda putat. 400
Nec semper credenda Ceres fallacibus arvis,
Nec semper viridi concava puppis aquæ.
Nec teneras semper tutum captare puellas.
Sæpe dato melius tempore fiet idem.
Sive dies aderit natalis; sive Kalendæ, 405
Quas Venerem Marti continuasse juvat;
Sive erit ornatus non, ut fuit ante, sigillis,
Sed regum expositas Circus habebit opes:
Differ opus: tunc tristis hiems, tunc Pleiades instant: 409
Tunc tener æquorea mergitur Hædus aqua.
Tunc bene desinitur: tunc, si quis creditur alto,
Vix tenuit laceræ naufraga membra ratis.
Tu licet incipias, qua flebilis Allia luce
Vulneribus Latiis sanguinolenta fuit:
Quaque die redeunt rebus minus apta gerendis
Culta Palæstino septima festa Syro. 416
Magna superstitio tibi sit natalis amicæ:
Quaque aliquid dandum est, illa sit atra dies.
Cum bene vitaris, tamen auferet: invenit artem
Fœmina, qua cupidi carpat amantis opes. 420
Institor ad dominam veniet discinctus emacem,
Expediet merces teque sedente suas.
Quas illa, inspicias, sapere ut videare, rogabit.
Oscula deinde dabit: deinde rogabit, emas.
Hoc fore contentam multos jurabit in annos.
Nunc opus esse sibi, nunc bene dicet emi.
Si non esse domi, quos des, causabere nummos;
Littera poscetur; ne didicisse juvet.
Quid, quasi natali cum poscit munera libo;
Et quoties opus est, nascitur ipsa sibi? 430
Quid, cum mendaci damno mæstissima plorat,
Elapsusque cava fingitur aure lapis?
Multa rogant utenda dari: data reddere nolunt.
Perdis, et in damno gratia nulla tuo.
Non mihi, sacrilegas meretricum ut prosequar artes, 435
Cum totidem linguis, sint satis ora decem.
Cera vadum tentet, rasis infusa tabellis:
Cera tuæ primum nuntia mentis eat.
Blanditias ferat illa tuas: imitataque amantum
Verba, nec exiguas, quisquis es, adde preces.
Hectora donavit Priamo, prece motus, Achilles:
Flectitur iratus voce rogante deus. 442
Promittas facito: quid enim promittere lædit?
Pollicitis dives quilibet esse potest. [gum:
Spes tenet in tempus, semel est si credita, lon-
Illa quidem fallax, sed tamen apta dea est.
Si dederis aliquid, poteris ratione relinqui.
Præteritum tulerit, perdideritque nihil.
At, quod non dederis, semper videare daturus.
Sic dominum sterilis sæpe fefellit ager. 450
Sic, ne perdiderit, non cessat perdere lusor:
Et revocat cupidas alea blanda manus. [jungi.
Hoc opus, hic labor est, primo sine munere
Ne dederit gratis, quæ dedit, usque dabit.
Ergo eat, et blandis peraretur littera verbis,
Exploretque animos, primaque tentet iter.
Littera Cydippen pomo perlata fefellit.
Insciaque est verbis capta puella suis.
Disce bonas artes, moneo, Romana juventus;
Non tantum, trepidos ut tueare reos. 460
Quam populus, judexque gravis, lectusque senatus,
Tam dabit eloquio victa puella manus.
Sed lateant vires, nec sis in fronte disertus.
Effugiant ceræ verba molesta tuæ.
Quis, nisi mentis inops, teneræ declamet amicæ?
Sæpe valens odii littera causa fuit. 466
Sit tibi credibilis sermo, consuetaque verba:
Blanda tamen, præsens ut videare loqui.
Si non accipiet scriptum, illectumque remittet;
Lecturam spera, propositumque tene. 470
Tempore difficiles veniunt ad aratra juvenci;
Tempora lenta pati frena docentur equi.
Ferreus assiduo consumitur annulus usu:
Interit assidua vomer aduncus humo.
Quid magis est saxo durum, quid mollius unda?
Dura tamen molli saxa cavantur aqua. 476
Penelopen ipsam, persta modo, tempore vinces.
Capta vides sero Pergama, capta tamen.
Legerit, et nolit rescribere; cogere noli.
Tu modo blanditias fac legat usque tuas. 480
Quæ voluit legisse, volet rescribere lectis.
Per numeros venient ista gradusque suos.
Forsitan et primo veniet tibi littera tristis,
Quæque roget, ne se sollicitare velis.
Quod rogat illa, timet: quod non rogat, optat ut instes. 485
Insequere, et voti postmodo compos eris.
Interea, sive illa toro resupina feretur;
Lecticam dominæ dissimulanter adi:
Neve aliquis verbis odiosas afferat aures, 489
Quam potes, ambiguis callidus abde notis.
Seu pedibus vacuis illi spatiosa teretur
Porticus; hic socias tu quoque junge moras.
Et modo præcedas facito; modo terga sequaris:
Et modo festines; et modo lentus eas. 494
Nec tibi de mediis aliquot transire columnas
Sit pudor, aut lateri continuasse latus.
Nec sine te curvo sedeat spatiosa theatro:
Quod spectes, humeris afferet illa suis.
Illam respicias, illam mirere licebit;
Multa supercilio, multa loquare notis. 500
Et plaudas, aliquam mimo saltante puellam;
Et faveas illi, quisquis agatur amans.
Cum surget, surges; donec sedet illa, sedebis.
Arbitrio dominæ tempora perde tuæ.
Sed tibi nec ferro placeat torquere capillos, 505
Nec tua mordaci pumice crura teras.
Ista jube faciant, quorum Cybeleia mater
Concinitur Phrygiis exululata modis.

Forma viros neglecta decet. Minoida Theseus
Abstulit, a nulla tempora comtus acu. 510
Hippolytum Phædra, nec erat bene cultus, amavit.
Cura deæ sylvis aptus Adonis erat.
Munditiæ placeant: fuscentur corpora Campo:
Sit bene conveniens, et sine labe toga:
Linguaque ne rigeat: careant rubigine dentes:
Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet: 516
Nec male deformet rigidos tonsura capillos:
Sit coma, sit docta barba resecta manu:
Et nihil emineant, et sint sine sordibus ungues:
Inque cava nullus stet tibi nare pilus: 520
Nec male odorati sit tristis anhelitus oris:
Nec lædant nares virque paterque gregis.
Cætera lascivæ faciant, concede, puellæ,
Et si quis male vir quærit habere virum.
Ecce suum vatem Liber vocat: hic quoque amantes 525
Adjuvat, et flammæ, qua calet ipse, favet.
Gnossis in ignotis amens errabat arenis,
Qua brevis æquoreis Dia feritur aquis.
Utque erat a somno tunica velata recincta,
Nuda pedem, croceas irreligata comas; 530
Thesea crudelem surdas clamabat ad undas,
Indigno teneras imbre rigante genas. [bat:
Clamabat, flebatque simul; sed utrumque dece-
Nec facta est lacrymis turpior illa suis.
Jamque iterum tundens mollissima pectora palmis, 535
Perfidus ille abiit: quid mihi fiet? ait.
Quid mihi fiet? ait: sonuerunt cymbala toto
Littore, et attonita tympana pulsa manu.
Excidit illa metu, rupitque novissima verba:
Nullus in exanimi corpore sanguis erat. 540
Ecce Mimallonides sparsis in terga capillis:
Ecce leves Satyri, prævia turba dei:
Ebrius ecce senex pando Silenus asello
Vix sedet, et pressas continet arte jubas.
Dum sequitur Bacchas, Bacchæ fugiuntque petuntque, 545
Quadrupedem ferula dum malus urget eques;
In caput aurito cecidit delapsus asello.
Clamarunt Satyri, Surge age, surge, pater.
Jam deus e curru, quem summum texerat uvis,
Tigribus adjunctis aurea lora dabat. 550
Et color, et Theseus, et vox abiere puellæ:
Terque fugam petiit: terque retenta metu.
Horruit, ut steriles, agitat quas ventus, aristæ;
Ut levis in madida canna palude tremit.
Cui deus, En adsum tibi cura fidelior, inquit,
Pone metum; Bacchi, Gnossias, uxor eris. 556
Munus habe cœlum: cœlo spectabile sidus
Sæpe reges dubiam Cressa Corona ratem.
Dixit; et e curru, ne tigres illa timeret,
Desilit: imposito cessit arena pedi: 560
Implicitamque sinu, neque enim pugnare valebat,
Abstulit: ut facile est omnia posse deo. [evoe!
Pars, Hymenæe, canunt; pars clamant, Evoe,
Sic coeunt sacro nupta deusque toro.
Ergo, ubi contigerint positi tibi munera Bacchi,
Atque erit in socii fœmina parte tori; 566
Nycteliumque patrem, nocturnaque sacra precare,
Ne jubeant capiti vina nocere tuo.
Hic tibi multa licet sermone licentia tecto
Dicere, quæ dici sentiat illa sibi: 570
Blanditiasque leves tenui perscribere vino,
Ut dominam in mensa se legat illa tuam:
Atque oculos oculis spectare fatentibus ignem.
Sæpe tacens vocem verbaque vultus habet.
Fac primus rapias illius tacta labellis 575
Pocula; quaque bibet parte puella, bibas.
Et quodcunque cibi digitis libaverit illa,
Tu pete: dumque petes, sit tibi tacta manus.
Sint etiam tua vota viro placuisse puellæ.
Utilior vobis factus amicus erit. 580
Huic, si sorte bibes, sortem concede priorem:
Huic detur capiti demta corona tuo.
Sive sit inferior, seu par, prior omnia sumat:
Neu dubites illi verba secunda loqui.
Tuta frequensque via est, per amicum fallere nomen. 585
Tuta frequensque licet sit via, crimen habet.
Inde procurator nimium quoque multa procurat,
Et sibi mandatis plura videnda putat.
Certa tibi a nobis dabitur mensura bibendi:
Officium præstent mensque pedesque suum.
Jurgia præcipue vino stimulata caveto, 591
Et nimium faciles ad fera bella manus.
Occidit Eurytion stulte data vina bibendo.
Aptior est dulci mensa merumque joco.
Si vox est, canta: si mollia brachia, salta: 595
Et, quacunque potes dote placere, place.
Ebrietas ut vera nocet, sic ficta juvabit.
Fac titubet blæso subdola lingua sono:
Ut, quicquid facies dicesve protervius æquo,
Credatur nimium causa fuisse merum. 600
Et, Bene, dic, dominæ; bene, cum quo dormiat illa:
Sed, male sit, tacita mente precare, viro.
At, cum discedet mensa conviva remota,
Ipsa tibi accessus turba locumque dabit;
Insere te turbæ, leviterque admotus eunti, 605
Velle latus digitis, et pede tange pedem.
Colloquio jam tempus adest: fuge rustice longe
Hinc pudor: audentem forsque Venusque juvant.
Non tua sub nostras veniat facundia leges.
Fac tantum incipias, sponte disertus eris. 610
Est tibi agendus amans, imitandaque vulnera verbis.
Hinc tibi quæratur qualibet arte fides.
Nec credi labor est: sibi quæque videtur amanda.
Pessima sit, nulli non sua forma placet.
Sæpe tamen vere cœpit simulator amare: 615
Sæpe, quod incipiens finxerat esse, fuit.
Quo magis o faciles imitantibus este, puellæ.
Fiet amor verus, qui modo falsus erat.
Blanditiis animum furtim deprendere nunc sit,
Ut pendens liquida ripa subitur aqua. 620
Nec faciem, nec te pigeat laudare capillos,
Et teretes digitos, exiguumque pedem.
Delectant etiam castas præconia formæ.
Virginibus curæ grataque forma sua est.
Nam cur in Phrygiis Junonem et Pallada sylvis
Nunc quoque judicium non tenuisse pudet? 626
Laudatas ostentat avis Junonia pennas:
Si tacitus spectes, illa recondit opes.
Quadrupedes inter rapidi certamina cursus
Depexæque jubæ, plausaque colla juvant. 630
Nec timide promitte: trahunt promissa puellas.
Pollicito testes quoslibet adde deos.
Jupiter ex alto perjuria ridet amantum,
Et jubet Æolios irrita ferre Notos.
Per Styga Junoni falsum jurare solebat 635
Jupiter: exemplo nunc favet ipse suo.
Expedit esse deos: et, ut expedit, esse putemus
Dentur in antiquos thura merumque focos.

Nec secura quies illos similisque sopori
Detinet: innocue vivite; numen adest. 640
Reddite depositum: pietas sua fœdera servet:
Fraus absit: vacuas cædis habete manus.
Ludite, si sapitis, solas impune puellas.
Hac minus est una fraude tuenda fides.
Fallite fallentes: ex magna parte profanum 645
Sunt genus: in laqueos, quos posuere, cadant.
Dicitur Ægyptos caruisse juvantibus arva
Imbribus, atque annos sicca fuisse novem:
Cum Thrasius Busirin adit, monstratque piari
Hospitis effuso sanguine posse Jovem. 650
Illi Busiris, Fies Jovis hostia primus,
Inquit, et Ægypto tu dabis hospes aquam.
Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit: infelix imbuit auctor opus.
Justus uterque fuit: neque enim lex æquior ulla,
Quam necis artifices arte perire sua. 656
Ergo, ut perjuras merito perjuria fallunt,
Exemplo doleat fœmina lusa suo. [bis.
Et lacrymæ prosunt: lacrymis adamanta move-
Fac madidas videat, si potes, illa genas. 660
Si lacrymæ (neque enim veniunt in tempore semper)
Deficient, uda lumina tange manu.
Quis sapiens blandis non misceat oscula verbis?
Illa licet non det; non data sume tamen.
Pugnabit primo fortassis, et, Improbe, dicet: 665
Pugnando vinci sed tamen illa volet.
Tantum, ne noceant teneris male rapta labellis,
Neve queri possit dura fuisse, cave.
Oscula qui sumsit, si non et cætera sumet,
Hæc quoque, quæ data sunt, perdere dignus erit. 670
Quantum defuerat pleno post oscula voto!
Hei mihi! rusticitas, non pudor ille fuit.
Vim licet appelles, grata est vis ista puellis:
Quod juvat, invitæ sæpe dedisse volunt.
Quæcunque est subita Veneris violata rapina, 675
Gaudet, et improbitas muneris instar habet.
At quæ, cum cogi posset, non tacta recessit,
Ut simulet vultu gaudia, tristis erit.
Vim passa est Phœbe; vis est allata sorori:
Et gratus raptæ raptor uterque fuit. 680
Fabula nota quidem, sed non indigna referri,
Scyrias Hæmonio juncta puella viro.
Jam dea laudatæ dederat sua præmia formæ,
Colle sub Idæo vincere digna duas.
Jam nurus ad Priamum diverso venerat orbe,
Graiaque in Iliacis mœnibus uxor erat. 686
Jurabant omnes in læsi verba mariti:
Nam dolor unius, publica causa fuit. [les
Turpe, nisi hoc matris precibus tribuisset, Achil-
Veste virum longa dissimulatus erat. 690
Quid facis, Æacida? non sunt tua munera lanæ.
Tu titulos alia Palladis arte petas. [rendo est.
Quid tibi cum calathis? clypeo manus apta te-
Pensa quid in dextra, qua cadet Hector, habes?
Rejice succinctos operoso stamine fusos. 695
Quassanda est ista Pelias hasta manu.
Forte erat in thalamo virgo regalis eodem:
Hæc illum stupro comperit esse virum. [tet:
Viribus illa quidem victa est; ita credere opor-
Sed voluit vinci viribus illa tamen. 700
Sæpe, Mane, dixit, cum jam properaret Achilles:
Fortia nam posita sumserat arma colo.
Vis ubi nunc illa est? quid blanda voce moraris
Auctorem stupri, Deidamia, tui?
Scilicet, ut pudor est quondam cœpisse priorem.
Sic alio gratum est incipiente pati. 706
Ah nimia est juveni propriæ fiducia formæ,
Exspectat si quis, dum prior illa roget!
Vir prior accedat: vir verba precantia dicat.
Excipiet blandas comiter illa preces. 710
Ut potiare, roga: tantum cupit illa rogari.
Da causam voti principiumque tui.
Jupiter ad veteres supplex Heroidas ibat:
Corripuit magnum nulla puella Jovem.
Si tamen a precibus tumidos accedere flatus 715
Senseris; incepto parce, referque pedem.
Quod refugit, multæ cupiunt: odere, quod instat.
Lenius instando tædia tolle tui.
Nec semper Veneris spes est profitenda roganti:
Intret amicitiæ nomine tectus amor. 720
Hoc aditu vidi tetricæ data verba puellæ:
Qui fuerat cultor, factus amator erat.
Candidus in nauta turpis color: æquoris unda
Debet, et a radiis sideris esse niger.
Turpis et agricolæ, qui vomere semper adunco
Et gravibus rastris sub Jove versat humum.
Et tibi, Palladiæ petitur cui palma coronæ, 727
Candida si fuerint corpora, turpis eris.
Palleat omnis amans: hic est color aptus amanti.
Hic decet: hoc vultu non valuisse putent. 730
Pallidus in [Lyrice] sylvis errabat Orion:
Pallidus in lenta Naïde Daphnis erat.
Arguat et macies animum: nec turpe putaris,
Palliolum nitidis imposuisse comis.
Attenuent juvenum vigilatæ corpora noctes, 735
Curaque, et, e magno qui sit amore, dolor.
Ut voto potiare tuo, miserabilis esto:
Ut, qui te videat, dicere possit, Amas.
Conquerar, an moneam, mistum fas omne nefasque?
Nomen amicitia est, nomen inane fides. 740
Hei mihi! non tutum est, quod ames, laudare sodali.
Cum tibi laudanti credidit, ipse subit.
At non Actorides lectum temeravit Achillis:
Quantum ad Pirithoum, Phædra pudica fuit.
Hermionen Pylades, quo Pallada Phœbus, amabat: 745
Quodque tibi geminus, Tyndari, Castor erat.
Si quis idem sperat, jacturas poma myricas
Speret, et e medio flumine mella petat.
Nil, nisi turpe, juvat: curæ est sua cuique voluptas.
Hæc quoque ab alterius grata dolore venit. 750
Heu facinus! non est hostis metuendus amanti.
Quos credis fidos, effuge; tutus eris.
Cognatum fratremque cave, carumque sodalem:
Præbebit veros hæc tibi turba metus.
Finiturus eram: sed sunt diversa puellis 755
Pectora. Mille animos excipe mille modis.
Nec tellus eadem parit omnia. Vitibus illa
Convenit; hæc oleis: hac bene farra virent.
Pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figuræ:
Qui sapit, innumeris moribus aptus erit. 760
Utque leves Proteus modo se tenuabit in undas;
Nunc leo, nunc arbor, nunc erit hirtus aper.
Hi jaculo pisces, illi capiuntur ab hamis:
Hos cava contento retia fune trahunt.
Nec tibi conveniat cunctos modus unus ad annos:
Longius insidias cerva videbit anus. 766
Si doctus videare rudi, petulansve pudenti;
Diffidet miseræ protinus illa sibi.
Inde fit, ut, quæ se timuit committere honesto,
Vilis in amplexus inferioris eat. 770
Pars superat cœpti, pars est exhausta, laboris.
Hic teneat nostras anchora jacta rates.

LIBER SECUNDUS.

Dicite, Io Pæan, et, Io, bis dicite, Pæan.
Decidit in casses præda petita meos.
Lætus amans donet viridi mea carmina palma:
Præferar Ascræo Mæonioque seni.
Talis ab armiferis Priameïus hospes Amyclis 5
Candida cum rapta conjuge vela dedit.
Talis erat, qui te curru victore ferebat,
Vecta peregrinis Hippodamia rotis.
Quid properas, juvenis? mediis tua pinus in undis
Navigat, et longe, quem peto, portus abest.
Non satis est venisse tibi me vate puellam. 11
Arte mea capta est: arte tenenda mea est.
Nec minor est virtus, quam quærere, parta tueri.
Casus inest illic: hic erit artis opus.
Nunc mihi, si quando, Puer et Cytherea, favete:
Nunc Erato: nam tu nomen amoris habes.
Magna paro; quas possit Amor remanere per artes 17
Dicere, tam vasto pervagus orbe puer.
Et levis est, et habet geminas, quibus avolet, alas.
Difficile est illis imposuisse modum. 20
Hospitis effugio præstruxerat omnia Minos:
Audacem pennis repperit ille viam.
Dædalus ut clausit conceptum crimine matris
Semibovemque virum, semivirumque bovem;
Sit modus exilio, dixit, justissime Minos: 25
Accipiat cineres terra paterna meos.
Et quoniam in patria, fatis agitatus iniquis,
Vivere non potui, sit mihi posse mori.
Da reditum puero, senis est si gratia vilis:
Si non vis puero parcere, parce seni. 30
Dixerat hæc: sed et hæc, et multo plura licebat
Dicere: regressus non dabat ille viro.
Quod simul ac sensit: Nunc, o nunc, Dædale, dixit,
Materiam, qua sis ingeniosus, habes.
Possidet en terras, et possidet æquora Minos:
Nec tellus nostræ, nec patet unda fugæ. 36
Restat iter cœlo: cœlo tentabimus ire.
Da veniam cœpto, Jupiter alte, meo.
Non ego sidereas affecto tangere sedes.
Qua fugiam dominum nulla, nisi ista, via est.
Per Styga detur iter: Stygias tranabimus undas. 41
Sint mihi naturæ jura novanda meæ.
Ingenium mala sæpe movent. Quis crederet unquam
Aerias hominem carpere posse vias?
Remigium volucres disponit in ordine pennas;
Et leve per lini vincula nectit opus; 46
Imaque pars ceris adstringitur igne solutis:
Finitusque novæ jam labor artis erat.
Tractabat ceramque puer pennasque renidens,
Nescius hæc humeris arma parata suis. 50
Cui pater, His, inquit, patria est adeunda carinis:
Hac nobis Minos effugiendus ope.
Aëra non potuit Minos; alia omnia clausit.
Quem licet, inventis aëra rumpe meis.
Sed tibi nec virgo Tegeæa, comesque Bootæ 55
Ensiger Orion adspiciendus erit.
Me pennis sectare datis: ego prævius ibo.
Sit tua cura sequi: me duce tutus eris.
Nam sive ætherias vicino sole per auras
Ibimus; impatiens cera caloris erit: 60
Sive humiles propiore freto jactabimus alas;
Mobiles æquoreis penna madescet aquis.
Inter utrumque vola. Ventos quoque, nate, timeto;
Quaque ferent auræ, vela secunda dato.
Dum monet; aptat opus puero, monstratque moveri, 65
Erudit infirmas ut sua mater aves.
Inde sibi factas humeris accommodat alas,
Perque novum timide corpora librat iter.
Jamque volaturus parvo dedit oscula nato:
Nec patriæ lacrymas continuere genæ. 70
Monte minor collis, campis erat altior æquis:
Hinc data sunt miseræ corpora bina fugæ.
Et movet ipse suas, et nati respicit alas
Dædalus; et cursus sustinet usque suos.
Jamque novum delectat iter, positoque timore
Icarus audaci fortius arte volat. 76
Hos aliquis, tremula dum captat arundine pisces,
Vidit, et inceptum dextra reliquit opus.
Jam Samos a læva fuerant Naxosque relictæ,
Et Paros, et Clario Delos amata deo: 80
Dextra Lebynthos erant, sylvisque umbrosa Calymne,
Cinctaque piscosis Astypalæa vadis:
Cum puer, incautis nimium temerarius ausis,
Altius egit iter, deseruitque ducem.
Vincla labant, et cera deo propiore liquescit:
Nec tenues ventos brachia mota tenent. 86
Territus e summo despexit in æquora cœlo:
Nox oculis pavido venit oborta metu.
Tabuerant ceræ; nudos quatit ille lacertos,
Et trepidat; nec, quo sustineatur, habet. 90
Decidit; atque cadens, Pater, o pater, auferor, inquit.
Clauserunt virides ora loquentis aquæ.
At pater infelix, nec jam pater, Icare, clamat,
Icare, clamat, ubi es? quove sub axe volas?
Icare, clamabat: pennas adspexit in undis. 95
Ossa tegit tellus; æquora nomen habent.
Non potuit Minos hominis compescere pennas:
Ipse deum volucrem detinuisse paro.
Fallitur, Hæmonias si quis decurrit ad artes,
Datque, quod a teneri fronte revellit equi.
Non facient, ut vivat amor, Medeïdes herbæ,
Mixtaque cum magicis nænia Marsa sonis.
Phasias Æsoniden, Circe tenuisset Ulixen,
Si modo servari carmine posset amor. 104
Nec data profuerint pallentia philtra puellis.
Philtra nocent animis, vimque furoris habent.
Sit procul omne nefas. Ut ameris, amabilis esto:
Quod tibi non facies, solave forma dabit.
Sis licet antiquo Nireus adamatus Homero,
Naïadumque tener crimine raptus Hylas; 110
Ut dominam teneas, nec te mirere relictum,
Ingenii dotes corporis adde bonis. [ad annos,
Forma bonum fragile est, quantumque accedit
Fit minor; et spatio carpitur ipsa suo.
Nec violæ semper, nec hiantia lilia florent; 115
Et riget amissa spina relicta rosa.
Et tibi jam cani venient, formose, capilli:
Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.
Jam molire animum, qui duret, et adstrue formæ.
Solus ad extremos permanet ille rogos. 120

Nec levis, ingenuas pectus coluisse per artes,
Cura sit, et linguas edidicisse duas.
Non formosus erat, sed erat facundus Ulixes;
Et tamen æquoreas torsit amore deas.
O quoties illum doluit properare Calypso, 125
Remigioque aptas esse negavit aquas!
Hæc Trojæ casus iterumque iterumque rogabat.
Ille referre aliter sæpe solebat idem.
Littore constiterant: illic quoque pulchra Calypso
Exigit Odrysii fata cruenta ducis. 130
Ille levi virga (virgam nam forte tenebat)
Quod rogat, in spisso littore pingit opus.
Hæc, inquit, Troja est: (muros in littore fecit:)
Hic tibi sit Simois: hæc mea castra puta.
Campus erat, (campumque facit,) quem cæde Dolonis 135
Sparsimus, Hæmonios dum vigil optat equos.
Illic Sithonii fuerant tentoria Rhesi:
Hac ego sum raptis parte revectus equis.
Pluraque pingebat: subitus cum Pergama fluctus
Abstulit, et Rhesi cum duce castra suo. 140
Tum dea, Quas, inquit, fidas tibi credis ituro,
Perdiderint undæ nomina quanta, vides?
Ergo age, fallaci timide confide figuræ,
Quisquis es: aut aliquid corpore pluris habe.
Dextera præcipue capit indulgentia mentes:
Asperitas odium, sævaque verba, movent.
Odimus accipitrem, qui semper vivit in armis,
Et pavidum solitos in pecus ire lupos.
At caret insidiis hominum, quia mitis, hirundo:
Quasque colat turres Chaonis ales habet. 150
Este procul lites, et amaræ prœlia linguæ.
Dulcibus est verbis mollis alendus amor.
Lite fugent nuptæque viros, nuptasque mariti:
Inque vicem credant res sibi semper agi.
Hoc decet uxores: dos est uxoria, lites. 155
Audiat optatos semper amica sonos.
Non legis jussu lectum venistis in unum:
Fungitur in vobis munere legis amor.
Blanditias molles, auremque juvantia verba
Affer, ut adventu læta sit illa tuo. 160
Non ego divitibus venio præceptor amoris.
Nil opus est illi, qui dabit, arte mea.
Secum habet ingenium, qui, cum libet, Accipe, dicit.
Cedimus: inventis plus placet ille meis. 164
Pauperibus vates ego sum, quia pauper amavi.
Cum dare non possem munera, verba dabam.
Pauper amet caute: timeat maledicere pauper:
Multaque, divitibus non patienda, ferat.
Me memini iratum dominæ turbassa capillos:
Hæc mihi quam multos abstulit ira dies! 170
Nec puto, nec sensi tunicam laniasse; sed ipsa
Dixerat: et pretio est illa redemta meo.
At vos, qui sapitis, vestri peccata magistri
Effugite, et culpæ damna timete meæ. 174
Prœlia cum Parthis, cum culta pax sit amica;
Et jocus, et causas quicquid amoris habet.
Si nec blanda satis, nec erit tibi comis amanti,
Perfer, et obdura: postmodo mitis erit.
Flectitur obsequio curvatus ab arbore ramus.
Frangis, si vires experiere tuas. 180
Obsequio tranantur aquæ: nec vincere possis
Flumina, si contra, quam rapit unda, nates.
Obsequium tigresque domat Numidasque leones.
Rustica paullatim taurus aratra subit.
Quid fuit asperius Nonacrina Atalanta? 185
Succubuit meritis trux tamen illa viri.
Sæpe suos casus, nec mitia facta puellæ
Flesse sub arboribus Milaniona ferunt.
Sæpe tulit jusso fallacia retia collo:
Sæpe fera torvos cuspide fixit apros. 190
Sensit et Hylæi contentum saucius arcum:
Sed tamen hoc arcu notior alter erat.
Non te Mænalias armatum scandere sylvas,
Nec jubeo collo retia ferre tuo:
Pectora nec missis jubeo præbere sagittis. 195
Artis erunt cauto mollia jussa meæ.
Cede repugnanti; cedendo victor abibis.
Fac modo, quas partes illa jubebit, agas.
Arguet, arguito; quicquid probat illa, probato:
Quod dicet, dicas; quod negat illa, neges.
Riserit, arride: si flebit, flere memento. 201
Imponat leges vultibus illa tuis.
Seu ludet, numerosque manu jactabit eburnos;
Tu male jactato, tu male jacta dato.
Seu jacies talos, victam ne pœna sequatur, 205
Damnosi facito stent tibi sæpe canes:
Sive latrocinii sub imagine calculus ibit;
Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.
Ipse tene distenta suis umbracula virgis:
Ipse face in turba, qua venit illa, locum. 210
Nec dubita tereti scamnum producere lecto:
Et tenero soleam deme, vel adde, pedi.
Sæpe etiam dominæ, quamvis horrebis et ipse,
Algentis manus est calfacienda sinu.
Nec tibi turpe puta (quamvis tibi turpe, placebit) 215
Ingenua speculum sustinuisse manu.
Ille, fatigatæ perimendo monstra novercæ
Qui meruit cœlum, quod prior ipse tulit,
Inter Ioniacas calathum tenuisse puellas
Creditur, et lanas excoluisse rudes. 220
Paruit imperio dominæ Tirynthius heros.
I nunc, et dubita ferre, quod ille tulit.
Jussus adesse foro, jussa maturius hora
Fac semper venias; nec nisi serus abi.
Occurras aliquo tibi dixerit; omnia differ. 225
Curre, nec inceptum turba moretur iter.
Nocte domum repetens epulis perfuncta redibit:
Tunc quoque pro servo, si vocat illa, veni.
Rure eris, et dicet, Venias: (Amor odit inertes)
Si rota defuerit, tu pede carpe viam. 230
Nec grave te tempus sitiensve Canicula tardet,
Nec via per jactas candida facta nives.
Militiæ species amor est: discedite segnes.
Non sunt hæc timidis signa tuenda viris. 234
Nox, et hiems, longæque viæ, sævique dolores
Mollibus his castris, et labor omnis inest.
Sæpe feres imbrem cœlesti nube solutum:
Frigidus et nuda sæpe jacebis humo.
Cynthius Admeti vaccas pavisse Pheræas
Fertur, et in parva delituisse casa. 240
Quod Phœbum decuit, quem non decet? exue fastus,
Curam mansuri quisquis amoris habes.
Si tibi per tutum planumque negabitur ire,
Atque erit apposita janua fulta sera;
At tu per præceps tecto delabere aperto: 245
Det quoque furtivas alta fenestra vias.
Læta erit, ut causam tibi se sciet esse pericli.
Hoc dominæ certi pignus amoris erit.
Sæpe tua poteras, Leandre, carere puella:
Tranabas, animum nosset ut illa tuum. 250
Nec pudor ancillas, ut quæque erit ordine prima,
Nec tibi sit servos demeruisse pudor.
Nomine quemque suo (nulla est jactura) saluta
Junge tuis humiles, ambitiose, manus.
Sed tamen et servo (levis est impensa) roganti
Porrige fortunæ munera parva tuæ. 256

Porrige et ancillæ, qua pœnas luce pependit
Lusa maritali Gallica veste manus.
Fac plebem, mihi crede, tuam: sit semper in illa
Janitor, et thalami qui jacet ante fores. 260
Nec dominam jubeo pretioso munere dones:
Parva, sed e parvis callidus apta dato.
Dum bene dives ager, dum rami pondere nutant,
Afferat in calatho rustica dona puer.
Rure suburbano poteris tibi dicere missa, 265
Illa vel in Sacra sint licet emta via.
Afferat aut uvas, aut quas Amaryllis amabat;
At nunc castaneas non amat illa nuces.
Quin etiam turdoque licet missaque columba
Te memorem dominæ testificere tuæ. 270
Turpiter his emitur spes mortis, et orba senectus.
Ah pereant, per quos munera crimen habent!
Quid tibi præcipiam teneros quoque mittere versus?
Hei mihi! non multum carmen honoris habet.
Carmina laudantur, sed munera magna petuntur.
Dummodo sit dives, barbarus ipse placet. 276
Aurea nunc vere sunt sæcula: plurimus auro
Venit honos: auro conciliatur amor.
Ipse licet Musis venias comitatus, Homere;
Si nihil attuleris, ibis, Homere, foras. 280
Sunt tamen et doctæ, rarissima turba, puellæ:
Altera non doctæ turba, sed esse volunt.
Utraque laudentur per carmina: carmina lector
Commendet dulci qualiacunque sono.
His ergo, aut illis, vigilatum carmen in ipsas,
Forsitan exigui muneris instar erit. 286
At, quod eris per te facturus, et utile credis,
Id tua te facito semper amica roget.
Libertas alicui fuerit promissa tuorum;
Hanc tamen a domina fac petat ille tua. 290
Si pœnam servo, si vincula sæva remittis;
Quod facturus eras, debeat illa tibi.
Utilitas tua sit: titulus donetur amicæ.
Perde nihil: partes illa potentis agat.
Sed te, cuicunque est retinendæ cura puellæ,
Attonitum forma fac putet esse sua. 296
Sive erit in Tyriis; Tyrios laudabis amictus:
Sive erit in Cois; Coa decere puta.
Aurata est; ipso tibi sit pretiosior auro:
Gausapa si sumsit; gausapa sumta proba. 300
Adstiterit tunicata; Moves incendia, clama:
Sed timida, caveat frigora, voce roga.
Compositum discrimen erit; discrimina lauda:
Torserit igne comam; torte capille, place.
Brachia saltantis, vocem mirare canentis: 305
Et, quod desierit, verba querentis habe.
Ipsos concubitus, ipsum venerere licebit,
Quod juvat; et querula gaudia voce notes.
Ut fuerit torva violentior illa Medusa,
Fiet amatori lenis et æqua suo. 310
Tantum, ne pateas verbis simulator in illis,
Effice: nec vultu destrue dicta tuo.
Si latet ars, prodest; affert deprensa pudorem,
Atque adimit merito tempus in omne fidem.
Sæpe sub auctumno, cum formosissimus annus,
Plenaque purpureo subrubet uva mero; 316
Cum modo frigoribus premimur, modo solvimur æstu,
Aere non certo corpora languor habet.
Illa quidem valeat: sed si male firma cubarit,
Et vitium cœli senserit ægra sui; 320
Tunc amor et pietas tua sit manifesta puellæ:
Tunc sere, quod plena postmodo falce metas.
Nec tibi morosi veniant fastidia morbi;
Perque tuas fiant, quæ sinet ipsa, manus.
Et videat flentem; nec tædeat oscula ferre; 325
Et sicco lacrymas combibat ore tuas.
Multa vove: sed cuncta palam; quotiesque libebit,
Quæ referas illi, somnia læta vide.
Et veniat, quæ lustret, anus, lectumque locumque,
Præferat et tremula sulphur et ova manu. 330
Omnibus his inerunt gratæ vestigia curæ:
In tabulas multis hæc via fecit iter.
Ne tamen officiis odium quæratur ab ægra,
Sit suus in blanda sedulitate modus.
Neve cibo prohibe, nec amari pocula succi 335
Porrige: rivalis misceat illa tuus.
Sed non, cui dederis a littore carbasa, vento
Utendum, medio cum potiere freto.
Dum novus errat amor, vires sibi colligat usu:
Si bene nutrieris, tempore firmus erit. 340
Quem taurum metuis, vitulum mulcere solebas:
Sub qua nunc recubas arbore, virga fuit.
Nascitur exiguus, sed opes acquirit eundo,
Quaque venit, multas accipit amnis aquas.
Fac tibi consuescat: nil consuetudine majus:
Quam tibi dum capias, tædia nulla fuge. 346
Te semper videat: tibi semper præbeat aurem:
Exhibeat vultus noxque diesque tuos.
Cum tibi major erit fiducia, posse requiri;
Tum procul, absenti cura futurus, abi. 350
Da requiem; requietus ager bene credita reddit:
Terraque cœlestes arida sorbet aquas.
Phyllida Demophoon præsens moderatius ussit:
Exarsit velis acrius illa datis.
[Penelopen absens sollers torquebat Ulixes: 355
Phylacides aberat, Laodamia, tuus.]
Sed mora tuta brevis: lentescunt tempore curæ;
Vanescitque absens, et novus intrat, amor.
Dum Menelaus abest, Helene, ne sola jaceret,
Hospitis est tepido nocte recepta sinu. 360
Qui stupor hic, Menelae, fuit? tu solus abibas:
Isdem sub tectis hospes et uxor erant.
Accipitri timidas credis, furiose, columbas?
Plenum montano credis ovile lupo? 364
Nil Helene peccat; nil hic committit adulter:
Quod tu, quod faceret quilibet, ille facit.
Cogis adulterium, dando tempusque locumque.
Quo, nisi consilio est usa puella tuo?
Quid faciat? vir abest, et adest non rusticus hospes:
Et timet in vacuo sola cubare toro. 370
Viderit Atrides. Helenen ego crimine solvo.
Usa est humani commoditate viri.
Sed neque fulvus aper media tam sævus in ira,
Fulmineo rabidos cum rotat ore canes;
Nec lea, cum catulis lactentibus ubera præbet:
Nec brevis ignaro vipera læsa pede; 376
Fœmina quam, socii deprensa pellice lecti,
Ardet; et in vultu pignora mentis habet.
In ferrum flammasque ruit: positoque decore
Fertur, ut Aonii cornibus icta dei. 380
Conjugis admissum, violataque jura maritæ,
Barbara per natos Phasias ulta suos.
Altera dira parens; hæc est, quam cernis, hirundo:
Adspice, signatum sanguine pectus habet. 384
Hoc bene compositos, hoc firmos solvit amores:
Crimina sunt cautis ista timenda viris.
Nec mea vos uni damnat censura puellæ.
Dî melius! vix hoc nupta tenere potest.
Ludite: sed furto celetur culpa modesto.
Gloria peccati nulla petenda sui. 390

Nec dederis munus, cognosse quod altera possit:
Nec sint nequitiæ tempora certa tuæ.
Et, ne te latebris capiat sibi fœmina notis,
Non uno est omnis convenienda loco.
Et quoties scribes, totas prius ipse tabellas 395
Inspice: plus multæ, quam sibi missa, legunt.
Læsa Venus justa arma movet, telumque remittit:
Et, modo quod questa est, ipse querare, facit.
Dum fuit Atrides una contentus, et illa
Casta fuit; vitio est improba facta viri. 400
Audierat, laurumque manu vittasque ferentem
Pro nata Chrysen non valuisse sua.
Audierat, Lyrnessi, tuos, abducta, dolores;
Bellaque per turpes longius isse moras.
Hæc tamen audierat: Priameida viderat ipsam.
Victor eras prædæ præda pudenda tuæ. 406
Inde Thyestiaden thalamoque animoque recepit,
Et male peccantem Tyndaris ulta virum est.
Quæ bene celaris, si qua tamen acta patebunt,
Illa licet pateant, tu tamen usque nega. 410
Tum neque subjectus, solito nec blandior esto.
Hæc animi multum signa nocentis habent.
Sed lateri nec parce tuo: pax omnis in uno
Concubitu: prior hoc inficianda Venus.
Sunt, qui præcipiant herbas satureia nocentes
Sumere: judiciis ista venena meis. 416
Aut piper urticæ mordacis semine miscent,
Tritaque in annoso flava pyrethra mero.
Sed dea non patitur sic ad sua gaudia cogi,
Colle sub umbroso quam tenet altus Eryx. 420
Candidus, Alcathoi qui mittitur urbe Pelasga,
Bulbus, et, ex horto quæ venit, herba salax,
Ovaque sumantur, sumantur Hymettia mella,
Quasque tulit folio pinus acuta nuces.
Docta, quid ad medicas, Erato, diverteris artes?
Interior curru meta terenda meo est. 426
Qui modo celabas monitu tua crimina nostro,
Flecte iter, et monitu detege furta meo.
Nec levitas culpanda mea est. Non semper eodem
Impositos vento panda carina vehit. 430
Nam modo Threicio Borea, modo currimus Euro:
Sæpe tument Zephyro lintea, sæpe Noto.
Adspice, ut in curru modo det fluitantia rector
Lora, modo admissos arte retentet equos.
Sunt, quibus ingrate timida indulgentia servit:
Et, si nulla subest æmula, languet amor. 436
Luxuriant animi rebus plerumque secundis,
Nec facile est æqua commoda mente pati.
Ut levis absumtis paullatim viribus ignis
Ipse latet, summo canet in igne cinis: 440
Sed tamen extinctas admoto sulphure flammas
Invenit, et lumen, quod fuit ante, redit:
Sic, ubi pigra situ securaque pectora torpent,
Acribus est stimulis eliciendus amor.
Fac timeat de te, tepidamque recalface mentem:
Palleat indicio criminis illa tui. 446
O quater, et quoties numero comprendere non est
Felicem, de quo læsa puella dolet!
Quæ, simul invitas crimen pervenit ad aures,
Excidit; et miseræ voxque colorque fugit.
Ille ego sim, cujus laniet furiosa capillos: 451
Ille ego sim, teneras cui petat ungue genas:
Quem videat lacrymans: quem torvis spectet ocellis:
Quo sine non possit vivere; posse velit.
Si spatium quæras; breve sit, quo læsa queratur: 455
Ne lenta vires colligat ira mora.
Candida jamdudum cingantur colla lacertis:
Inque tuos flens est accipienda sinus.
Oscula da flenti: Veneris da gaudia flenti.
Pax erit: hoc uno solvitur ira modo. 460
Cum bene sævierit, cum certa videbitur hostis,
Tum pete concubitus fœdera: mitis erit.
Illic depositis habitat Concordia telis:
Illo, crede mihi, Gratia nata loco est.
Quæ modo pugnarunt, jungunt sua rostra columbæ: 465
Quarum blanditias, verbaque murmur habet.
Prima fuit rerum confusa sine ordine moles,
Unaque erant facies sidera, terra, fretum.
Mox cœlum impositum terris; humus æquore cincta est:
Inque suas partes cessit inane Chaos. 470
Sylva feras, volucres aer accepit habendas:
In liquida pisces delituistis aqua.
Tum genus humanum solis errabat in agris:
Idque meræ vires, et rude pectus erat.
Sylva domus fuerat, cibus herba, cubilia frondes
Jamque diu nulli cognitus alter erat. 476
Blanda truces animos fertur mollisse voluptas:
Constiterant uno fœmina virque loco:
Quod facerent, ipsi nullo didicere magistro:
Arte Venus nulla dulce peregit opus. 480
Ales habet, quod amet: cum quo sua gaudia jungat,
Invenit in media fœmina piscis aqua.
Cerva parem sequitur: serpens serpente tenetur:
Hæret adulterio cum cane nexa canis.
Læta salitur ovis: tauro quoque læta juvenca est: 485
Sustinet immundum sima capella marem.
In furias agitantur equæ, spatioque remota
Per loca dividuos amne sequuntur equos.
Ergo age, et iratæ medicamina fortia præbe:
Illa feri requiem sola doloris habent. 490
Illa Machaonios superant medicamina succos;
His, ubi peccaris, restituendus eris.
Hæc ego cum canerem, subito manifestus Apollo
Movit inauratæ pollice fila lyræ.
In manibus laurus: sacris inducta capillis 495
Laurus erat: vates ille videndus agit.
Is mihi, Lascivi, dixit, præceptor amoris,
Duc, age, discipulos ad mea templa tuos.
Est ibi diversum fama celebrata per orbem
Littera, cognosci quæ sibi quemque jubet.
Qui sibi notus erit, solus sapienter amabit: 501
Atque opus ad vires exiget omne suas.
Cui faciem natura dedit, spectetur ab illa:
Cui color est, humero sæpe patente cubet.
Qui sermone placet, taciturna silentia rumpat:
Qui canit arte, canat: qui bibit arte, bibat.
Sed neque declament medio sermone diserti:
Nec sua non sanus scripta poeta legat.
Sic monuit Phœbus: Phœbo parete monenti.
Certa dei sacro est hujus in ore fides. 510
Ad propiora vocor. Quisquis sapienter amabit,
Vincet; et e nostra, quod petet, arte feret.
Credita nec semper sulci cum fœnore reddunt,
Nec semper dubias adjuvat aura rates.
Quod juvat, exiguum; plus est, quod lædit amantes. 515
Proponant animo multa ferenda suo.
Quot lepores in Atho, quot apes pascuntur in Hybla,
Cærula quot baccas Pallados arbor habet;
Littore quot conchæ; tot sunt in amore dolores.
Quæ patimur, multo spicula felle madent.

Dicta erit isse foras, quam tu fortasse videbis:
Isse foras, et te falsa videre puta.
Clausa tibi fuerit promissa janua nocte:
Perfer et immunda ponere corpus humo.
Forsitan et vultu mendax anicula superbo 525
Dicet, Quid nostras obsidet iste fores?
Postibus et duræ supplex blandire puellæ,
Et capiti demtas in fore pone rosas.
Cum volet, accedes: cum te vitabit, abibis.
Dedecet ingenuos tædia ferre sui. 530
Effugere hunc non est, quare tibi possit amica
Dicere? non omni tempore sensus adest.
Nec maledicta puta, nec verbera ferre puellæ
Turpe, nec ad teneros oscula ferre pedes. 534
Quid moror in parvis? animus majoribus instet.
Magna canam: toto pectore, vulgus, ades.
Ardua molimur: sed nulla, nisi ardua, virtus.
Difficilis nostra poscitur arte labor.
Rivalem patienter habe; victoria tecum
Stabit: eris magni victor in arce Jovis. 540
Hæc tibi non hominem, sed quercus crede Pelasgas
Dicere. Nil istis ars mea majus habet.
Innuet illa, feras: scribet, ne tange tabellas:
Unde volet, veniat: quoque libebit, eat.
Hoc in legitima præstant uxore mariti, 545
Cum, tener, ad partes tu quoque, somne, venis.
Hac ego, confiteor, non sum perfectus in arte.
Quid faciam? monitis sum minor ipse meis.
Mene palam nostræ det quisquam signa puellæ,
Et patiar? nec me quolibet ira ferat? 550
Oscula vir dederat, memini, suus: oscula questus
Sum data. Barbarie noster abundat amor.
Non semel hoc vitium nocuit mihi: doctior ille est,
Quo veniunt alii conciliante viro.
Sed melius nescisse fuit. Sine furta tegantur:
Ne fugiat victo fassus ab ore pudor. 556
Quo magis, o juvenes, deprendere parcite vestras.
Peccent: peccantes verba dedisse putent.
Crescit amor prensis. Ubi par fortuna duorum est,
In causa damni perstat uterque sui. 560
Fabula narratur toto notissima cœlo,
Mulciberis capti Marsque Venusque dolis.
Mars pater, insano Veneris turbatus amore,
De duce terribili factus amator erat.
Nec Venus oranti (neque enim dea mollior ulla est) 565
Rustica Gradivo difficilisve fuit.
Ah quoties lasciva pedes risisse mariti
Dicitur, et duras igne vel arte manus!
Marte palam simulat Vulcanum imitata; decebat:
Multaque cum forma gratia mixta fuit. 570
Sed bene concubitus primos celare solebant:
Plena verecundi culpa pudoris erat.
Indicio Solis (quis Solem fallere possit?)
Cognita Vulcano conjugis acta suæ.
Quam mala, Sol, exempla moves? pete munus ab illa; 575
Et tibi, si taceas, quod dare possit, habet.
Mulciber obscuros lectum circaque superque
Disponit laqueos: lumina fallit opus.
Fingit iter Lemnon: veniunt ad fœdus amantes:
Impliciti laqueis nudus uterque jacent. 580
Convocat ille deos: præbent spectacula capti.
Vix lacrymas Venerem continuisse putant.
Non vultus texisse suos, non denique possunt
Partibus obscænis opposuisse manus.
His aliquis ridens, In me, fortissime Mavors,
Si tibi sunt oneri, vincula transfer, ait.
Vix precibus, Neptune, tuis captiva resolvit
Corpora. Mars Thracen occupat; illa Paphon.
Hoc tibi profectum, Vulcane: quod ante tegebant,
Liberius faciunt, ut pudor omnis abest. 590
Sæpe tamen demens stulte fecisse fateris:
Teque ferunt iræ pœnituisse tuæ.
Hoc vetui: vos ecce vetat deprensa Dione
Insidias illas, quas tulit ipsa, pati.
Nec vos rivali laqueos disponite: nec vos 595
Excipite arcana verba notata manu.
Ista viri captent (si jam captanda putabunt)
Quos faciunt justos ignis et unda viros.
En iterum testor: nihil hic, nisi lege remissum,
Luditur: in nostris instita nulla jocis. 600
Quis Cereris ritus ausit vulgare profanis,
Magnaque Threïcia sacra reperta Samo?
Exigua est virtus, præstare silentia rebus:
At contra gravis est culpa, tacenda loqui.
O bene, quod, frustra captatis arbore pomis,
Garrulus in media Tantalus aret aqua!
Præcipue Cytherea jubet sua sacra taceri.
Admoneo, veniat ne quis ad illa loquax.
Condita si non sunt Veneris mysteria cistis,
Nec cava vesanis ictibus æra sonant; 610
Attamen inter nos medio versantur in usu:
Sed sic, inter nos ut latuisse velint.
Ipsa Venus pubem, quoties velamina ponit,
Protegitur læva semireducta manu.
In medio passimque coit pecus: hoc quoque viso
Avertit vultus sæpe puella suos. 616
Conveniunt thalami furtis et janua nostris:
Parsque sub injecta veste pudenda latet:
Et si non tenebras, at quiddam nubis opacæ
Quærimus, atque aliquid luce patente minus.
Tunc quoque, cum solem nondum prohibebat et imbrem 621
Tegula, sed quercus tecta cibumque dabat,
In nemore atque antris, non sub Jove, juncta voluptas:
Tanta rudi populo cura pudoris erat.
At nunc nocturnis titulos imponimus actis, 625
Atque emitur magno nil, nisi posse loqui.
Scilicet excuties omnes ubicunque puellas,
Cuilibet ut dicas, Hæc quoque nostra fuit:
Ne desint, quas tu digitis ostendere possis;
Ut quamque attigeris, fabula turpis erit. 630
Parva queror: fingunt quidam, quæ vera negarent;
Et nulli non se concubuisse ferunt.
Corpora si nequeunt, quæ possunt, nomina tractant:
Famaque, non tacto corpore, crimen habet.
I nunc, claude fores, custos odiose, puellæ, 635
Et centum duris postibus adde seras.
Quid tuti superest, cum nominis extat adulter,
Et credi, quod non contigit esse, cupit?
Nos etiam veros parce profitemur amores:
Tectaque sunt solida mystica furta fide. 640
Parcite præcipue vitia exprobrare puellæ,
Utile quæ multis dissimulasse fuit.
Nec suus Andromedæ color est objectus ab illo,
Mobilis in gemino cui pede penna fuit.

Omnibus Andromache visa est spatiosior æquo:
Unus, qui modicam diceret, Hector erat. 646
Quod male fers, assuesce; feres bene. Multa vetustas
Lenit: at incipiens omnia sentit amor.
Dum novus in viridi coalescit cortice ramus,
Concutiat tenerum quælibet aura, cadet. 650
Mox eadem ventis, spatio durata, resistet,
Firmaque adoptivas arbor habebit opes.
Eximet ipsa dies omnes e corpore mendas:
Quodque fuit vitium, desinit esse mora.
Ferre novæ nares taurorum terga recusant: 655
Assiduo domitas tempore fallit odor.
Nominibus mollire licet mala. Fusca vocetur,
Nigrior Illyrica cui pice sanguis erit.
Si pæta est, Veneri similis: si flava, Minervæ.
Sit gracilis, macie quæ male viva sua est. 660
Dic habilem, quæcunque brevis: quæ turgida, plenam:
Et lateat vitium proximitate boni.
Nec quotus annus eat, nec quo sit nata require
Consule: quæ rigidus munera Censor habet.
Præcipue, si flore caret, meliusque peractum 665
Tempus, et albentes jam legit illa comas.
Utilis, o juvenes, aut hæc, aut serior ætas.
Iste feret segetes; iste serendus ager.
Dum vires annique sinunt, tolerate labores:
Jam veniêt tacito curva senecta pede. 670
Aut mare remigiis, aut vomere findite terras:
Aut fera belligeras addite in arma manus:
Aut latus, et vires, operamque afferte puellis.
Hoc quoque militiæ est; hoc quoque quærit opes. 674
Adde, quod est illis operum prudentia major:
Solus et artifices qui facit, usus adest.
Illæ munditiis annorum damna rependunt,
Et faciunt cura, ne videantur anus.
Utque velis, Venerem jungunt per mille figuras.
Inveniat plures nulla tabella modos. 680
Illis sentitur non irritata voluptas:
Quod juvet, ex æquo fœmina virque ferant
Odi concubitus, qui non utrumque resolvunt:
Hoc est, cur pueri tangar amore minus. 684
Odi, quæ præbet, quia sit præbere necesse;
Siccaque de lana cogitat ipsa sua.
Quæ datur officio, non est mihi grata voluptas.
Officium faciat nulla puella mihi.
Me voces audire juvat sua gaudia fassas: 689
Utque morer memet, sustineamque, roget.
Adspiciam dominæ victos amentis ocellos.
Langueat, et tangi se vetet illa diu.
Hæc bona non primæ tribuit natura juventæ,
Quæ cito post septem lustra venire solent.
Qui properant, nova musta bibant: mihi fundat avitum 695
Consulibus priscis condita testa merum.
Nec platanus, nisi sera, potest obsistere Phœbo:
Et lædunt nudos prata novella pedes.
Scilicet Hermionen Helenæ præponere posses?
Et melior Gorge, quam sua mater, erat? 700
Ad Venerem quicunque voles attingere seram,
Si modo duraris, præmia digna feres.
Conscius ecce duos accepit lectus amantes:
Ad thalami clausas, Musa, resiste fores.
Sponte sua sine te celeberrima verba loquentur:
Nec manus in lecto læva jacebit iners. 706
Invenient digiti, quod agant in partibus illis,
In quibus occulte spicula figit Amor. [tor;
Fecit in Andromache prius hoc fortissimus Hec-
Nec solum bellis utilis ille fuit. 710
Fecit et in capta Lyrnesside magnus Achilles,
Cum premeret mollem lassus ab hoste torum.
Illis te tangi manibus, Brisei, sinebas,
Imbutæ Phrygia quæ nece semper erant.
An fuit hoc ipsum, quod te, lasciva, juvaret,
Ad tua victrices membra venire manus? 716
Crede mihi, non est Veneris properanda voluptas:
Sed sensim tarda prolicienda mora.
Cum loca reppereris, quæ tangi fœmina gaudet;
Non obstet, tangas quo minus illa, pudor. 720
Adspicies oculos tremulo fulgore micantes,
Ut sol a liquida sæpe refulget aqua.
Accedent questus, accedet amabile murmur,
Et dulces gemitus, aptaque verba loco.
Sed neque tu dominam velis majoribus usus 725
Desine; nec cursus anteeat illa tuos.
Ad metam properate simul. Tum plena voluptas,
Cum pariter victi fœmina virque jacent.
Hic tibi servandus tenor est, cum libera dantur
Otia, furtivum nec timor urget opus. 730
Cum mora non tuta est, totis incumbere remis
Utile, et admisso subdere calcar equo.
Finis adest operi. Palmam date, grata juventus,
Sertaque odoratæ myrtea ferte comæ.
Quantus apud Danaos, Podalirius arte medendi,
Æacides dextra, pectore Nestor erat; 736
Quantus erat Calchas extis, Telamonius armis,
Automedon curru; tantus amator ego.
Me vatem celebrate, viri, mihi dicite laudes:
Cantetur toto nomen in orbe meum. 740
Arma dedi vobis: dederat Vulcanus Achilli.
Vincite muneribus, vicit ut ille, datis.
Sed quicunque meo superarit Amazona ferro,
Inscribat spoliis, Naso magister erat.
Ecce rogant teneræ, sibi dem præcepta, puellæ;
Vos eritis chartæ proxima cura meæ. 746

LIBER TERTIUS.

Arma dedi Danais in Amazonas: arma supersunt
Quæ tibi dem, et turmæ, Penthesilea, tuæ.
Ite in bella pares: vincant quibus alma Dione
Faverit, et, toto qui volat orbe, puer.
Non erat armatis æquum concurrere nudas: 5
Sic etiam vobis vincere turpe, viri.
Dixerit e multis aliquis, Quid virus in anguem
Adjicis? et rabidæ tradis ovile lupæ?
Parcite paucarum diffundere crimen in omnes:
Spectetur meritis quæque puella suis. 10
Si minor Atrides Helenen, Helenesque sororem
Quo premat Atrides crimine major habet;
Si scelere Œclides Talaïoniæ Eriphyles
Vivus, et in vivis ad Styga venit equis;
Est pia Penelope, lustris errante duobus, 15
Et totidem lustris bella gerente viro.
Respice Phylaciden: et quæ comes isse marito
Fertur, et ante annos occubuisse suos.
Fata Pheretiadæ conjux Pagasæa redemit,
Proque sui est uxor funere lata viri. 20

Accipe me, Capaneu; cineres miscebimur, inquit
Iphias, in medios desiluitque rogos.
Ipsa quoque et cultu est et nomine fœmina Virtus.
Non mirum, populo si favet illa suo.
Nec tamen hæ mentes nostra poscuntur ab arte.
Conveniunt cymbæ vela minora meæ. 26
Nil nisi lascivi per me discuntur amores:
Fœmina præcipiam quo sit amanda modo.
Fœmina nec flammas, nec sævos discutit arcus.
Parcius hæc video tela nocere viris. 30
Sæpe viri fallunt, teneræ non sæpe puellæ:
Paucaque, si quæras, crimina fraudis habent.
Phasida jam matrem fallax dimisit Iason:
Venit in Æsonios altera nupta sinus.
Quantum in te, Theseu, volucres Ariadna marinas 35
Pavit, in ignoto sola relicta loco.
Quære, novem cur isse vias dicatur; et audi
Depositis sylvas Phyllida flesse comis.
At famam pietatis habet; tamen hospes et ensem
Præbuit, et causam mortis, Elissa, tuæ. 40
Quid vos perdiderit, dicam? nescistis amare.
Defuit ars vobis; arte perennat amor.
Nunc quoque nescirent: sed me Cytherea docere
Jussit: et ante oculos constitit ipsa meos.
Tum mihi, Quid miseræ, dixit, meruere puellæ?
Traditur armatis vulgus inerme viris. 46
Illos artifices gemini fecere libelli:
Hæc quoque pars monitis erudienda tuis.
Probra Therapnææ qui dixerat ante maritæ,
Mox cecinit laudes prosperiore lyra. 50
Si bene te novi, cultas ne læde puellas.
Gratia, dum vives, ista petenda tibi.
Dixit: et e myrto (myrto nam vincta capillos
Constiterat) folium, granaque pauca dedit.
Sensimus acceptis numen quoque: purior æther
Fulsit, et e toto pectore cessit onus. 56
Dum facit ingenium; petite hinc præcepta, puellæ,
Quas pudor, et leges, et sua jura sinunt.
Venturæ memores jam nunc estote senectæ:
Sic nullum vobis tempus abibit iners. 60
Dum licet, et vernos etiam nunc editis annos,
Ludite: eunt anni more fluentis aquæ.
Nec, quæ præteriit, iterum revocabitur unda,
Nec, quæ præteriit, hora redire potest.
Utendum est ætate; cito pede labitur ætas: 65
Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.
Hos ego, qui canent frutices, violaria vidi:
Hac mihi de spina grata corona data est.
Tempus erit, quo tu, quæ nunc excludis amantem,
Frigida deserta nocte jacebis anus: 70
Nec tua nocturna frangetur janua rixa:
Sparsa nec invenies limina mane rosa.
Quam cito, me miserum! laxantur corpora rugis,
Et perit, in nitido qui fuit ore, color;
Quasque fuisse tibi canas a virgine jures, 75
Spargentur subitæ per caput omne comæ.
Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas,
Nec faciunt cervos cornua jacta senes.
Nostra sine auxilio fugiunt bona. Carpite florem;
Qui, nisi carptus erit, turpiter ipse cadet. 80
Adde, quod et partus faciunt breviora juventæ
Tempora; continua messe senescit ager.
Latmius Endymion non est tibi, Luna, rubori;
Nec Cephalus roseæ præda pudenda deæ.
Ut Veneri, quem luget adhuc, donetur Adonis;
Unde habet Ænean Harmonienque suos? 86
Ite per exemplum, genus o mortale, dearum,
Gaudia nec cupidis vestra negate viris.
Ut jam decipiant, quid perditis? omnia constant.
Mille licet sumant; deperit inde nihil. 90
Conteritur ferrum; silices tenuantur ab usu.
Sufficit, et damni pars caret illa metu.
Quid vetet apposito lumen de lumine sumi?
Quisve cavo vastas in mare servet aquas? 94
Det tamen ulla viro mulier, non expedit, inquis.
Quid, nisi quam sumes, dic mihi, perdis, aquam?
Nec vos prostituit mea vox; sed vana timere
Damna vetat. Damnis munera vestra carent.
Sed me flaminibus venti majoris iturum,
Dum sumus in portu, provehat aura levis. 100
Ordior a cultu. Cultis bene Liber ab uvis
Provenit, et culto stat seges alta solo.
Forma dei munus: forma quota quæque superbit?
Pars vestrum tali munere magna caret.
Cura dabit faciem: facies neglecta peribit, 105
Idaliæ similis sit licet illa deæ.
Corpora si veteres non sic coluere puellæ;
Nec veteres cultos sic habuere viros.
Si fuit Andromache tunicas induta valentes,
Quid mirum? duri militis uxor erat. 110
Scilicet Ajaci conjux ornata venires,
Cui tegimen septem terga fuere boum.
Simplicitas rudis ante fuit; nunc aurea Roma
Edomiti magnas possidet orbis opes.
Adspice, quæ nunc sunt Capitolia, quæque fuerunt; 115
Alterius dicas illa fuisse Jovis.
Curia, concilio quæ nunc dignissima tanto est,
De stipula, Tatio regna tenente, fuit.
Quæ nunc sub Phœbo ducibusque Palatia fulgent,
Quid, nisi araturis pascua bubus, erant? 120
Prisca juvent alios: ego me nunc denique natum
Gratulor: hæc ætas moribus apta meis.
Non quia nunc terræ lentum subducitur aurum,
Lectaque diverso littore concha venit:
Nec quia decrescunt effosso marmore montes:
Nec quia cæruleæ mole fugantur aquæ: 126
Sed quia cultus adest; nec nostros mansit in annos
Rusticitas, priscis illa superstes avis.
Vos quoque non caris aures onerate lapillis,
Quos legit in viridi decolor Indus aqua: 130
Nec prodite graves insuto vestibus auro:
Per quas nos petitis, sæpe fugatis, opes.
Munditiis capimur: non sint sine lege capilli.
Admotæ formam dantque negantque manus.
Nec genus ornatus unum est: quod quamque decebit, 135
Eligat, et speculum consulat ante suum.
Longa probat facies capitis discrimina puri:
Sic erat ornatis Laodamia comis.
Exiguum summa nodum sibi fronte relinqui,
Ut pateant aures, ora rotunda volunt. 140
Alterius crines humero jactentur utroque:
Talis es assumta, Phœbe canore, lyra.
Altera succinctæ religetur more Dianæ,
Ut solet, attonitas cum petit illa feras.
Huic decet inflatos laxe jacuisse capillos: 145
Illa sit adstrictis impedienda comis.
Hanc placet ornari testudine Cyllenea:
Sustineat similes fluctibus illa sinus.
Sed neque ramosa numerabis in ilice glandes;
Nec quot apes Hyble, nec quot in Alpe feræ;
Nec mihi tot positus numero comprendere fas est.
Adjicit ornatus proxima quæque dies. 152
Et neglecta decet multas coma: sæpe jacere
Hesternam credas; illa repexa modo est.

Ars casum simulet. Sic capta vidit ut urbe 155
Alcides Iolen, Hanc ego, dixit, amo.
Talem te Bacchus, Satyris clamantibus Evœ,
Sustulit in currus, Gnossi relicta, suos.
O quantum indulget vestro Natura decori.
Quarum sunt multis damna pianda modis! 160
Nos male detegimur, raptique ætate capilli,
Ut Borea frondes excutiente, cadunt.
Fœmina canitiem Germanis inficit herbis,
Et melior vero quæritur arte color.
Fœmina procedit densissima crinibus emtis, 165
Proque suis alios efficit ære suos.
Nec rubor est emisse palam. Venire videmus
Herculis ante oculos, Virgineumque chorum.
Quid de veste loquar? nec vos, segmenta, requiro,
Nec quæ bis Tyrio murice lana rubes. 170
Cum tot prodierint pretio leviore colores,
Quis furor est, census corpore ferre suo?
Aëris ecce color, tum cum sine nubibus aër,
Nec tepidus pluvias concitat Auster aquas.
Ecce tibi similis, qui quondam Phryxon et Hellen 175
Diceris Inois eripuisse dolis.
Hic undas imitatus, habet quoque nomen ab undis:
Crediderim Nymphas hac ego veste tegi.
Ille crocum simulat: croceo velatur amictu,
Roscida luciferos cum dea jungit equos. 180
Hic Paphias myrtos: hic purpureas amethystos,
Albentesve rosas, Threiciamve gruem.
Nec glandes, Amarylli, tuæ, nec amygdala desunt:
Et sua velleribus nomina cera dedit.
Quot nova terra parit flores, cum vere tepenti
Vitis agit gemmas, pigraque cedit hiems: 186
Lana tot, aut plures succos bibit. Elige certos:
Nam non conveniens omnibus omnis erit.
Pulla decent niveas: Briseida pulla decebant.
Cui rapta est, pulla tum quoque veste fuit. 190
Alba decent fuscas: albis, Cephei, placebas.
Sic tibi vestitæ pressa Seriphos erat.
Quam pæne admonui, ne trux caper iret in alas,
Neve forent duris aspera crura pilis!
Sed non Caucasea doceo de rupe puellas, 195
Quæque bibant undas, Myse Caïce, tuas.
Quid, si præcipiam, ne fuscet inertia dentes;
Oraque suscepta mane laventur aqua?
Scitis et inducta candorem quærere creta.
Sanguine quæ vero non rubet, arte rubet, 200
Arte supercilii confinia nuda repletis,
Parvaque sinceras velat aluta genas.
Nec pudor est oculos tenui signare favilla,
Vel prope te nato, lucide Cydne, croco.
Est mihi, quo dixi vestræ medicamina formæ,
Parvus, sed cura grande, libellus, opus. 206
Hinc quoque præsidium læsæ petitote figuræ:
Non est pro vestris ars mea rebus iners.
Non tamen expositas mensa deprendat amator
Pyxidas: ars faciem dissimulata juvat. 210
Quem non offendat toto fæx illita vultu,
Cum fluit in tepidos pondere lapsa sinus?
Œsypa quid redolent, quamvis mittatur Athenis
Demtus ab immundo vellere succus ovis?
Nec coram mixtas cervæ sumsisse medullas, 215
Nec coram dentes defricuisse probem.
Ista dabunt faciem, sed erunt deformia visu:
Multaque, dum fiunt turpia, facta placent.
Quæ nunc nomen habent operosi signa Myronis,
Pondus iners quondam, duraque massa fuit.
Annulus ut fiat, primo colliditur aurum: 221
Quas geritis vestes, sordida lana fuit.
Cum fieret, lapis asper erat; nunc nobile signum
Nuda Venus madidas exprimit imbre comas.
Tu quoque dum coleris, nos te dormire putemus;
Aptius a summa conspiciare manu. 226
Cur mihi nota tuo causa est candoris in ore?
Claude forem thalami: quid rude prodis opus?
Multa viros nescire decet. Pars maxima rerum
Offendat, si non interiora tegas. 230
Aurea quæ pendent ornato signa theatro,
Inspice, quam tenuis bractea ligna tegat.
Sed neque ad illa licet populo, nisi facta, venire:
Nec nisi submotis forma paranda viris.
At non pectendos coram præbere capillos, 235
Ut jaceant fusi per tua terga, vetem.
Illo præcipue, ne sis morosa, caveto
Tempore: nec lapsas sæpe resolve comas.
Tuta sit ornatrix. Odi, quæ sauciat ora
Unguibus, et rapta brachia figit acu. 240
Devovet, et dominæ tangit caput illa, simulque
Plorat ad invisas sanguinolenta comas.
Quæ male crinita est, custodem in limine ponat;
Orneturve Bonæ semper in æde deæ.
Dictus eram cuidam subito venisse puellæ; 245
Turbida perversas induit illa comas.
Hostibus eveniat tam fœdi causa pudoris,
Inque nurus Parthas dedecus illud eat.
Turpe pecus mutilum: turpe est sine gramine campus,
Et sine fronde frutex; et sine crine caput. 250
Non mihi venistis, Semele, Ledeve, docendæ;
Perque fretum falso, Sidoni, vecta bove:
Aut Helene, quam non stulte, Menelae, reposcis,
Tu quoque non stulte, Troie raptor, habes.
Turba docenda venit, pulchræ turpesque puellæ:
Pluraque sunt semper deteriora bonis. 256
Formosæ minus artis opem præceptaque curant:
Est illis sua dos, forma sine arte potens.
Cum mare compositum est, securus navita cessat:
Cum tumet, auxiliis assidet ille suis. 260
Rara tamen mendo facies caret. Occule mendas:
Quamque potes, vitium corporis abde tui.
Si brevis es, sedeas; ne stans videare sedere:
Inque tuo jaceas quantulacunque toro.
Hic quoque, ne possit fieri mensura cubantis,
Injecta lateant fac tibi veste pedes. 266
Quæ nimium gracilis, pleno velamina filo
Sumat, et ex humeris laxus amictus eat.
Pallida purpureis tingat sua corpora virgis:
Nigrior ad Pharii confuge piscis opem. 270
Pes malus in nivea semper celetur aluta,
Arida nec vinclis crura resolve suis.
Conveniunt tenues scapulis analectrides altis;
Inflatum circa fascia pectus eat.
Exiguo signet gestu quodcunque loquetur, 275
Cui digiti pingues, et scaber unguis erunt.
Cui gravis oris odor, nunquam jejuna loquatur;
Et semper spatio distet ab ore viri.
Si niger, aut ingens, aut non erit ordine natus
Dens tibi; ridendo maxima damna feres. 280
Quis credat? discunt etiam ridere puellæ:
Quæritur atque illis hac quoque parte decor.
Sint modici rictus, sint parvæ utrimque lacunæ;
Et summos dentes ima labella tegant.
Nec sua perpetuo contendant ilia risu: 285
Sed leve nescio quid fœmineumque sonent.
Est, quæ perverso distorqueat ora cachinno:
Cum risu læta est altera, flere putes.
Illa sonat raucum, quiddamque inamabile stridet,
Ut rudit ad scabram turpis asella molam. 290

Quo non ars penetrat? discunt lacrymare decenter:
Quoque volunt plorant tempore, quoque modo.
Quid? cum legitima fraudatur littera voce,
Blæsaque fit jusso lingua coacta sono:
In vitio decor est, quædam male reddere verba.
Discunt posse minus, quam potuere, loqui. 296
Omnibus his, quoniam prosunt, impendite curam.
Discite fœmineo corpora ferre gradu.
Est et in incessu pars non temnenda decoris.
Allicit ignotos ille, fugatque viros. 300
Hæc movet arte latus, tunicisque fluentibus auras
Excipit, extensos fertque superba pedes.
Illa, velut conjux Umbri rubicunda mariti,
Ambulat, ingentes varica fertque gradus.
Sed sit, ut in multis, modus hic quoque: rusticus alter 305
Motus; in incessu mollior alter erit.
Pars humeri tamen ima tui, pars summa lacerti
Nuda sit, a læva conspicienda manu.
Hoc vos præcipue, niveæ, decet: hoc ubi vidi,
Oscula ferre humero, qua patet, usque libet.
Monstra maris Sirenes erant, quæ voce canora
Quamlibet admissas detinuere rates. 312
His sua Sisyphides auditis pæne resolvit
Corpora: nam sociis illita cera fuit.
Res est blanda canor: discant cantare puellæ.
Pro facie multis vox sua lena fuit.
Et modo marmoreis referant audita theatris,
Et modo Niliacis carmina lusa modis.
Nec plectrum dextra, citharam tenuisse sinistra
Nesciat arbitrio fœmina docta meo. 320
Saxa ferasque lyra movit Rhodopeius Orpheus,
Tartareosque lacus, tergeminumque canem.
Saxa tuo cantu, vindex justissime matris,
Fecerunt muros officiosa novos.
Quamvis mutus erat, voci favisse putatur 325
Piscis, Arioniæ fabula nota lyræ.
Disce etiam duplici genialia naulia palma
Verrere: conveniunt dulcibus illa jocis.
Sit tibi Callimachi, sit Coi nota poetæ,
Sit quoque vinosi Teia Musa senis. 330
Nota sit et Sappho: quid enim lascivius illa?
Cuive pater vafri luditur arte Getæ.
Et teneri possis carmen legisse Propertî:
Sive aliquid Galli, sive, Tibulle, tuum.
Dictaque Varroni fulvis insignia villis 335
Vellera, germanæ, Phryxe, querenda tuæ.
Et profugum Ænean, altæ primordia Romæ,
Quo nullum Latio clarius extat opus.
Forsitan et nostrum nomen miscebitur istis:
Nec mea Lethæis scripta dabuntur aquis. 340
Atque aliquis dicet, Nostri lege culta magistri
Carmina, quis partes instruit ille duas.
Deve tribus libris, titulus quos signat Amorum,
Elige, quod docili molliter ore legas.
Vel tibi composita cantetur Epistola voce; 345
Ignotum hoc aliis ille novavit opus.
O ita, Phœbe, velis; ita vos, pia numina vatum,
Insignis cornu Bacche, novemque deæ!
Quis dubitet, quin scire velim saltare puellam;
Ut moveat posito brachia jussa mero? 350
Artifices lateris, scenæ spectacula, amantur:
Tantum mobilitas illa decoris habet.
Parva monere pudet: talorum ducere jactus
Ut sciat, et vires, tessera missa, tuas. 354
Et modo tres jactet numeros: modo cogitet, apte
Quam subeat partem callida, quamque vocet.
Cautaque non stulte latronum prælia ludat:
Unus cum gemino calculus hoste perit,
Bellatorque sua prensus sine compare bellat;
Æmulus et cœptum sæpe recurrit iter. 360
Reticuloque pilæ leves fundantur aperto:
Nec, nisi quam tolles, ulla movenda pila est.
Est genus in totidem tenui ratione redactum
Scriptula, quot menses lubricus annus habet.
Parva tabella capit ternos utrimque lapillos;
In qua vicisse est, continuasse suos. 366
Mille facesse jocos; turpe est nescire puellam
Ludere: ludendo sæpe paratur amor.
Sed minimus labor est, sapienter jactibus uti:
Majus opus, mores composuisse suos. 370
Dum sumus incauti, studioque aperimur in ipso,
Nudaque per lusus pectora nostra patent;
Ira subit, deforme malum, lucrique cupido,
Jurgiaque, et rixæ, sollicitusque dolor. 374
Crimina dicuntur: resonat clamoribus æther:
Invocat iratos et sibi quisque deos.
Nulla fides; tabulæque novæ per vota petuntur.
Et lacrymis vidi sæpe madere genas.
Jupiter a vobis tam turpia crimina pellat,
In quibus est ulli cura placere viro. 380
Hos ignava jocos tribuit natura puellis:
Materia ludunt uberiore viri.
Sunt illis celeresque pilæ, jaculumque, trochique,
Armaque, et in gyros ire coactus equus. 384
Nec vos Campus habet, nec vos gelidissima Virgo,
Nec Tuscus placida devehit amnis aqua.
At licet, et prodest, Pompeias ire per umbras,
Virginis ætheriis cum caput ardet equis.
Visite laurigero sacrata Palatia Phœbo:
Ille Parætonias mersit in alta rates. 390
Quæque soror conjuxque Ducis monumenta pararunt,
Navalique gener cinctus honore caput.
Visite thuricremas vaccæ Memphitidos aras:
Visite conspicuis terna theatra locis. 394
Spectentur tepido maculosæ sanguine arenæ,
Metaque ferventi circueunda rota.
Quod latet, ignotum est: ignoti nulla cupido.
Fructus abest, facies cum bona teste caret.
Tu licet et Thamyran superes, et Amœbea cantu,
Non erit ignotæ gratia magna lyræ. 400
Si Venerem Cous nusquam posuisset Apelles,
Mersa sub æquoreis illa lateret aquis.
Quid petitur sacris, nisi tantum fama, poetis?
Hoc votum nostri summa laboris habet.
Cura ducum fuerunt olim regumque poetæ, 405
Præmiaque antiqui magna tulere chori:
Sanctaque majestas, et erat venerabile nomen
Vatibus: et largæ sæpe dabantur opes.
Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni, Scipio magne, tibi. 410
Nunc hederæ sine honore jacent: operataque doctis
Cura vigil Musis nomen inertis habet.
Sed famæ vigilare juvet: quis nosset Homerum,
Ilias æternum si latuisset opus? 414
Quis Danaen nosset, si semper clausa fuisset,
Inque sua turri perlatuisset anus?
Utilis est vobis, formosæ, turba, puellæ.
Sæpe vagos ultra limina ferte pedes.
Ad multas lupa tendit oves, prædetur ut unam:
Et Jovis in multas devolat ales aves. 420
Se quoque det populo mulier speciosa videndam:
Quem trahat, e multis forsitan unus erit.
Omnibus illa locis maneat studiosa placendi:
Et curam tota mente decoris agat.
Casus ubique valet: semper tibi pendeat hamus.
Quo minime credas gurgite, piscis erit. 426

Sæpe canes frustra nemorosis montibus errant:
Inque plagam nullo cervus agente cadit.
Quid minus Andromedæ fuerat sperare revinctæ,
Quam lacrymas ulli posse placere suas? 430
Funere sæpe viri vir quæritur. Isse solutis
Crinibus, et fletus non tenuisse decet.
Sed vitate viros cultum formamque professos;
Quique suas ponunt in statione comas.
Quæ vobis dicunt, dixerunt mille puellis. 435
Errat, et in nulla sede moratur amor.
Fœmina quid faciat, cum sit vir lævior ipsa;
Forsitan et plures possit habere viros?
Vix mihi credetis; sed credite: Troja maneret,
Præceptis Priami si foret usa sui. 440
Sunt qui mendaci specie grassentur amoris,
Perque aditus tales lucra pudenda petant.
Nec coma vos fallat liquida nitidissima nardo,
Nec brevis in rugas cingula pressa suas;
Nec toga decipiat filo tenuissima; nec si 445
Annulus in digitis alter et alter erit.
Forsitan ex horum numero cultissimus ille
Fur sit, et uratur vestis amore tuæ.
Redde meum, clamant spoliatæ sæpe puellæ:
Redde meum, toto voce boante foro. 450
Has Venus e templis multo radiantibus auro
Lenta vides lites, Appiadesque deæ. [fama:
Sunt quoque non dubia quædam mala nomina
Deceptæ a multis crimen amantis habent.
Discite ab alterius vestris timuisse querelis:
Janua fallaci nec sit aperta viro. 456
Parcite, Cecropides, juranti credere Theseo;
Quos faciet testes, fecit et ante, deos.
Et tibi, Demophoon, Thesei criminis heres,
Phyllide decepta nulla relicta fides. 460
Si bene promittant, totidem promittite verbis:
Si dederint, et vos gaudia pacta date.
Illa potest vigiles flammas extinguere Vestæ,
Et rapere e templis, Inachi, sacra tuis;
Et dare mista viro tritis aconita cicutis; 465
Accepto Venerem munere si qua negat.
Fert animus propius consistere: supprime habenas,
Musa, nec admissis excutiare rotis.
Verba vadum tentent abiegnis scripta tabellis.
Accipiat missas apta ministra notas. 470
Inspice: quodque leges, ex ipsis collige verbis,
Fingat, an ex animo, sollicitusque roget.
Postque brevem rescribe moram: mora semper amantes
Incitat, exiguum si modo tempus habet. 474
Sed neque te facilem juveni promitte roganti,
Nec tamen eduro, quod petit, ore nega.
Fac timeat speretque simul: quotiesque remittes,
Spesque magis veniat certa, minorque metus.
Munda, sed e medio, consuetaque verba, puellæ,
Scribite: sermonis publica forma placet. 480
Ah quoties dubius scriptis exarsit amator;
Et nocuit formæ barbara lingua bonæ!
Sed quoniam, quamvis vittæ careatis honore,
Est vobis vestros fallere cura viros;
Ancillæ puerive manus ferat apta tabellas: 485
Pignora nec juveni credite vestra novo.
Vidi ego pallentes isto terrore puellas
Servitium miseras tempus in omne pati.
Perfidus ille quidem, qui talia pignora servat:
Sed tamen Ætnæi fulminis instar habet. 490
Judice me fraus est concessa, repellere fraudem:
Armaque in armatos sumere jura sinunt.
Ducere consuescat multas manus una figuras.
Ah pereant, per quos ista monenda mihi!
Nec nisi deletis tutum rescribere ceris: 495
Ne teneat geminas una tabella manus.
Fœmina dicatur scribenti semper amator;
Illa sit in vestris, qui fuit ille, notis.
Sed libet a parvis animum ad majora referre,
Plenaque curvato pandere vela sinu. 500
Pertinet ad faciem rabidos compescere mores.
Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument ira; nigrescunt sanguine venæ;
Lumina Gorgoneo sævius igne micant. 504
I procul hinc, dixit, non es mihi, tibia, tanti,
Ut vidit vultus Pallas in amne suos.
Vos quoque si media speculum spectetis in ira,
Cognoscat faciem vix satis ulla suam.
Nec minus in vultu damnosa superbia vestro:
Comibus est oculis alliciendus amor. 510
Odimus immodicos (experto credite) fastus.
Sæpe tacens odii fœmina vultus habet.
Spectantem specta: ridenti mollia ride.
Innuet; acceptas tu quoque redde notas.
Sic ubi prolusit, rudibus puer ille relictis 515
Spicula de pharetra promit acuta sua.
Odimus et mæstas. Tecmessam diligat Ajax:
Nos, hilarem populum, fœmina læta capit.
Nunquam ego te, Andromache, nec te, Tecmessa, rogarem,
Ut mea de vobis altera amica foret. 520
Credere vix videor, cum cogar credere partu,
Vos ego cum vestris concubuisse viris.
Scilicet Ajaci mulier mæstissima dixit,
Lux mea; quæque solent verba juvare viros;
Quid vetat a magnis ad res exempla minores
Sumere, nec nomen pertimuisse ducis? 526
Dux bonus huic centum commisit vite regendos;
Huic equites; illi signa tuenda dedit.
Vos quoque, de nobis quem quisque sit aptus ad usum,
Inspicite, et certo ponite quemque loco. 530
Munera det dives: jus qui profitebitur, adsit:
Facundus causam sæpe clientis agat.
Carmina qui facimus, mittamus carmina tantum.
Hic chorus ante alios aptus amare sumus.
Nos facimus placitæ late præconia formæ. 535
Nomen habet Nemesis: Cynthia nomen habet.
Vesper et Eoæ novere Lycorida terræ.
Et multi, quæ sit nostra Corinna, rogant.
Adde, quod insidiæ sacris a vatibus absunt:
Et facit ad mores ars quoque nostra suos. 540
Nec nos ambitio, nec amor nos tangit habendi:
Contemto colitur lectus et umbra foro.
Sed facile hæremus, validoque perurimur æstu;
Et nimium certa scimus amare fide.
Scilicet ingenium placida mollimur ab arte, 545
Et studio mores convenienter eunt.
Vatibus Aoniis faciles estote, puellæ.
Numen inest illis, Pieridesque favent.
Est deus in nobis, et sunt commercia cœli.
Sedibus ætheriis spiritus ille venit. 550
A doctis pretium scelus est sperare poetis.
Me miserum! scelus hoc nulla puella timet.
Dissimulate tamen, nec prima fronte rapaces
Este: novus viso casse resistet amans.
Sed neque vector equum, qui nuper sensit habenas,
Comparibus frenis, artificemque regat. 556
Nec stabiles annis animos, viridemque juventam
Ut capias, idem limes agendus erit.
Hic rudis, et castris nunc primum notus amoris,
Qui tetigit thalamos præda novella tuos; 560

Te solam norit; tibi semper inhæreat uni.
Cingenda est altis sepibus ista seges.
Effuge rivalem: vinces, dum sola tenebis.
Non bene cum sociis regna Venusque manent.
Ille vetus miles sensim et sapienter amabit:
Multaque tironi non patienda feret. 566
Nec franget postes, nec sævis ignibus uret;
Nec dominæ teneras appetet ungue genas;
Nec scindet tunicasve suas tunicasve puellæ;
Nec raptus flendi causa capillus erit. 570
Ista decent pueros, ætate et amore calentes:
Hic fera composita vulnera mente feret.
Ignibus hic lentis uretur, ut humida tæda;
Ut modo montanis sylva recisa jugis.
Certior hic amor est: brevis et fecundior ille. 575
Quæ fugiunt, celeri carpite poma manu.
Omnia tradantur: portas reseravimus hosti;
Et sit in infida proditione fides.
Quod datur ex facili, longum male nutrit amorem.
Miscenda est lætis rara repulsa jocis. 580
Ante fores jaceat: Crudelis janua, clamet:
Multaque submisse, multa minanter agat.
Dulcia non ferimus: succo renovemur amaro.
Sæpe perit ventis obruta cymba suis.
Hoc est, uxores quod non patiatur amari: 585
Conveniunt illas, cum voluere, viri.
Obde forem, et duro dicat tibi janitor ore,
Non potes: exclusum te quoque tanget amor.
Ponite jam gladios hebetes; pugnetur acutis.
Nec dubito, telis quin petar ipse meis. 590
Dum cadit in laqueos captus quoque nuper amator,
Solum se thalamos speret habere tuos.
Postmodo rivalem, partitaque fœdera lecti
Sentiat: has artes tolle; senescet amor. 594
Tum bene fortis equus reserato carcere currit,
Cum, quos prætereat, quosque sequatur, habet.
Quamlibet exstinctos injuria suscitat ignes.
En ego, confiteor, non nisi læsus amo.
Causa tamen nimium non sit manifesta doloris:
Pluraque sollicitus, quam sciat, esse putet.
Incitet et ficti tristis custodia servi, 601
Et nimium duri cura molesta viri.
Quae venit ex tuto, minus est accepta voluptas.
Ut sis liberior Thaide; finge metus.
Cum melius foribus possis, admitte fenestra: 605
Inque tuo vultu signa timentis habe.
Callida prosiliat, dicatque ancilla, Perîmus:
Tu juvenem trepidum quolibet abde loco.
Admiscenda tamen Venus est secura timori;
Ne tanti noctes non putet esse tuas. 610
Qua vafer eludi possit ratione maritus,
Quaque vigil custos, præteriturus eram.
Nupta virum timeat: rata sit custodia nuptæ.
Hoc decet: hoc leges jusque pudorque jubent.
Te quoque servari, modo quam vindicta redemit,
Quis ferat? ut fallas, ad mea sacra veni. 616
Tot licet observent, adsit modo certa voluntas,
Quot fuerant Argo lumina, verba dabis.
Scilicet obstabit custos, ne scribere possis,
Sumendæ detur cum tibi tempus aquæ? 620
Conscia cum possit scriptas portare tabellas,
Quas tegat in tepido fascia lata sinu?
Cum possit sura chartas celare ligatas,
Et vincto blandas sub pede ferre notas?
Caverit hæc custos: pro charta conscia tergum
Præbeat, inque suo corpore verba ferat. 626
Tuta quoque est, fallitque oculos e lacte recenti
Littera: carbonis pulvere tange; leges.
Fallet et humiduli quæ fiet acumine lini,
Et feret occultas pura tabella notas. 630
Affuit Acrisio servandæ cura puellæ:
Hunc tamen illa suo crimine fecit avum.
Quid faciat custos, cum sint tot in Urbe theatra?
Cum spectet junctos illa libenter equos?
Cum sedeat Phariæ sistris operata juvencæ; 635
Quoque sui comites ire vetentur, eat?
Cum fuget e templis oculos Bona Diva virorum
Præterquam si quos illa venire jubet:
Cum, custode foris tunicas servante puellæ,
Celent furtivos balnea tuta viros: 640
Cum, quoties opus est, fallax ægrotet amica;
Et cedat lecto quamlibet ægra suo:
Nomine cum doceat, quid agamus, adultera clavis,
Quasque petas, non det janua sola, vias.
Fallitur et multo custodis cura Lyæo: 645
Illa vel Hispano lecta sit uva jugo.
Sunt quoque quæ faciant altos medicamina somnos,
Victaque Lethæa lumina nocte premant.
Nec male deliciis odiosum conscia tardis
Detinet, et longa jungitur ipsa mora. 650
Quid juvat ambages, præceptaque parva movere,
Cum minimo custos munere possit emi?
Munera, crede mihi, capiunt hominesque deosque:
Placatur donis Jupiter ipse datis.
Quid sapiens faciat? stultus quoque munere gaudet. 655
Ipse vir, accepto munere, mutus erit. [num:
Sed semel est custos longum redimendus in an-
Sæpe dabit, dederit quas semel, ille manus.
Questus eram, memini, metuendos esse sodales:
Non tangit solos ista querela viros. 660
Credula si fueris, aliæ tua gaudia carpent,
Et lepus hic aliis exagitandus erit.
Hæc quoque, quæ prebet lectum studiosa locumque,
Crede mihi, mecum non semel illa fuit.
Nec nimium vobis formosa ancilla ministret:
Sæpe vicem dominæ præstitit illa mihi. 666
Quo feror insanus? quid aperto pectore in hostem
Nitor, et indicio prodor ad ipse meo?
Non avis aucupibus monstrat, qua parte petatur:
Non docet infestos currere cerva canes. 670
Viderit utilitas: præcepta fideliter edam.
Lemniasi gladios in mea fata dabo.
Efficite, et facile est, ut nos credamus amari:
Prona venit cupidis in sua vota fides.
Spectet amabilius juvenem; suspiret ab imo 675
Fœmina; tam sero cur veniatque roget.
Accedant lacrymæ, dolor et de pellice fictus
Et laniet digitis illius ora suis.
Jamdudum persuasus erit; miserebitur ultro:
Et dicet, Cura carpitur ista mei. 680
Præcipue, si cultus erit, speculoque placebit,
Posse suo tangi credet amore deas.
Sed te, quæcunque es, moderate injuria turbet;
Neu sis audita pellice mentis inops.
Nec cito credideris: quantum cito credere lædat, 685
Exemplum vobis non leve Procris erit.
Est prope purpureos colles florentis Hymetti
Fons sacer, et viridi cespite mollis humus.
Sylva nemus non alta facit: tegit arbutus herbam: 689
Ros maris, et lauri, nigraque myrtus olent.
Nec densæ foliis buxi, fragilesque myricæ,
Nec tenues cytisi, cultaque pinus abest.

Lenibus impulsæ Zephyris auraque salubri
Tot generum frondes, herbaque summa, tremunt.
Grata quies Cephalo; famulis canibusque relictis
Lassus in hac juvenis sæpe resedit humo. 696
Quoque meos releves æstus, cantare solebat,
Accipienda sinu, mobilis Aura, veni,
Conjugis ad timidas aliquis male sedulus aures
Auditos memori detulit ore sonos. 700
Procris ut accepit nomen, quasi pellicis, Auræ,
Excidit: et subito muta dolore fuit.
Palluit, ut seræ, lectis de vite racemis,
Pallescunt frondes, quas nova læsit hiems;
Quæque suos curvant matura cydonia ramos;
Cornaque adhuc nostris non satis apta cibis.
Ut rediit animus, tenues a pectore vestes
Rumpit, et indignas sauciat ungue genas.
Nec mora; per medias sparsis furibunda capillis
Evolat, ut thyrso concita Baccha, vias. 710
Ut prope perventum; comites in valle relinquit.
Ipsa nemus tacito clam pede fortis init.
Quid tibi mentis erat, cum sic male sana lateres,
Procri? quis attoniti pectoris ardor erat?
Jam jam venturam, quæcunque erat Aura, putabas
Scilicet, atque oculis probra videnda tuis. 716
Nunc venisse piget; neque enim deprendere velles:
Nunc juvat: incertus pectora versat amor.
Credere quæ jubeant, locus est, et nomen, et index;
Et quia amans semper, quod timet, esse putat.
Vidit ut oppressam, vestigia corporis, herbam,
Pulsantur trepidi corde micante sinus. 722
Jamque dies medius tenues contraxerat umbras,
Inque pari spatio vesper et ortus erant.
Ecce redit Cephalus sylvis, Cyllenia proles, 725
Oraque fontana fervida spargit aqua.
Anxia, Procri, lates; solitas jacet ille per herbas;
Et, Zephyri molles, Auraque, dixit, ades.
Ut patuit miseræ jucundus nominis error,
Et mens, et rediit verus in ora color. 730
Surgit, et appositas agitato corpore frondes
Movit, in amplexus uxor itura viri.
Ille feram sonuisse ratus, juveniliter arcum
Corripit: in dextra tela fuere manu.
Quid facis, infelix? non est fera: supprime tela.
Me miserum! jaculo fixa puella tuo est. 736
Hei mihi! conclamat, fixisti pectus amicum.
Hic locus a Cephalo vulnera semper habet.
Ante diem morior, sed nulla pellice læsa:
Hoc faciet positæ te mihi, terra, levem. 740
Nomine suspectas jam spiritus exit in auras:
Labor; io! cara lumina conde manu.
Ille sinu dominæ morientia corpora mæsto
Sustinet, et lacrymis vulnera sæva lavat.
Exit, et, incauto paullatim pectore lapsus, 745
Excipitur miseri spiritus ore viri. [est,
Sed repetamus iter: nudis mihi rebus agendum
Ut tangat portus fessa carina suos.
Scilicet exspectes, dum te in convivia ducam,
Et quæras monitus hac quoque parte meos?
Sera veni; positaque decens incede lucerna. 751
Grata mora est Veneri: maxima lena mora est.
Etsi turpis eris, formosa videbere potis:
Et latebras vitiis nox dabit ipsa tuis.
Carpe cibos digitis; est quiddam gestus edendi:
Ora nec immunda tota perunge manu. 756
Neve domi præsume dapes: et desine, citra
Quam capies paullo, quam potes esse, minus.
Priamides Helenen avide si spectet edentem,
Oderit; et dicat, Stulta rapina mea est. 760
Aptius est, deceatque magis potare puellas.
Cum Veneris puero non male, Bacche, facis.
Hoc quoque, qua patiens caput est, animusque pedesque
Constent, nec, quæ sint singula, bina vide.
Turpe jacens mulier, multo madefacta Lyæo:
Dignaque concubitus quoslibet illa pati. 766
Nec somnis posita tutum succumbere mensa:
Per somnos fieri multa pudenda solent.
Ulteriora pudet docuisse: sed alma Dione,
Præcipue nostrum est, quod pudet, inquit, opus. 770
Nota sibi sint quæque: modos a corpore certos
Sumite: non omnes una figura decet.
Quæ facie præsignis eris, resupina jaceto:
Spectentur tergo, quîs sua terga placent.
Milanion humeris Atalantes crura ferebat: 775
Si bona sunt, hoc sunt accipienda modo.
Parva vehatur equo: quod erat longissima, nunquam
Thebais Hectoreo nupta resedit equo.
Strata premat genibus, paullum cervice reflexa,
Fœmina per longum conspicienda latus. 780
Cui femur est juvenile, carent cui pectora menda,
Stet vir, in obliquo fusa sit ipsa toro.
Nec tibi turpe puta crinem, ut Phylleia mater,
Solvere, et effusis colla reflecte comis.
Tu quoque, cui rugis uterum Lucina notavit,
Ut celer aversis utere Parthus equis. 786
Mille modi Veneris. Simplex minimique laboris,
Cum jacet in dextrum semisupina latus.
Sed neque Phœbei tripodes, nec corniger Ammon,
Vera magis vobis, quam mea Musa, canent.
Si qua fides arti, quam longo fecimus usu, 791
Credite: præstabunt carmina nostra fidem.
Sentiat ex imis Venerem resoluta medullis
Fœmina; et ex æquo res juvet illa duos.
Nec blandæ voces, jucundaque murmura cessent,
Nec taceant mediis improba verba jocis. 796
Tu quoque, cui Veneris sensum natura negavit,
Dulcia mendaci guadia finge sono.
Infelix, cui torpet hebes locus ille, puella es,
Quo pariter debent fœmina virque frui. 800
Tantum, cum finges, ne sis manifesta caveto:
Effice per motum luminaque ipsa fidem.
Quod juvet, et voces et anhelitus arguat oris.
Ah pudet! arcanas pars habet ista notas.
Gaudia post Veneris quæ poscet munus amantem,
Ipsa suas nolet pondus habere preces. 806
Nec lucem in thalamos totis admitte fenestris.
Aptius in vestro corpore multa latent.
Lusus habet finem: cycnis descendere tempus,
Duxerunt collo qui juga nostra suo. 810
Ut quondam juvenes, ita nunc, mea turba, puellæ
Inscribant spoliis, Naso magister erat.

P. OVIDII NASONIS REMEDIORUM AMORIS

LIBER UNUS.

Legerat hujus Amor titulum nomenque libelli:
Bella mihi, video, bella parantur, ait.
Parce tuum vatem sceleris damnare, Cupido,
Tradita qui toties, te duce, signa tuli.
Non ego Tydides, a quo tua saucia mater 5
In liquidum rediit æthera Martis equis.
Sæpe tepent alii juvenes; ego semper amavi:
Et si, quid faciam nunc quoque, quæris; amo.
Quin etiam docui, qua possis arte parari:
Et quod nunc ratio est, impetus ante fuit. 10
Nec te, blande puer, nec nostras prodimus artes:
Nec nova præteritum Musa retexit opus.
Si quis amat, quod amare juvat, feliciter ardens
Gaudeat, et vento naviget ille suo.
At, si quis male fert indignæ regna puellæ, 15
Ne pereat, nostræ sentiat artis opem.
Cur aliquis, collum laqueo nodatus ab arcto,
E trabe sublimi triste pependit onus?
Cur aliquis rigido fodit sua viscera ferro?
Invidiam cædis, pacis amator, habes. 20
Qui, nisi desierit, misero periturus amore est,
Desinat: et nulli funeris auctor eris. [tet.
Et puer es; nec te quicquam, nisi ludere, opor-
Lude: decent annos mollia regna tuos.
Nam poteras uti nudis ad bella sagittis: 25
Sed tua letifero sanguine tela carent.
Vitricus et gladiis et acuta dimicet hasta,
Et victor multa cæde cruentas eat.
Tu cole maternas, tuto quibus utimur, artes,
Et quarum vitio nulla fit orba parens. 30
Effice nocturna frangatur janua rixa,
Et tegat ornatas multa corona fores.
Fac coeant furtim juvenes, timidæque puellæ:
Verbaque dent cauto qualibet arte viro.
Et modo blanditias, rigido modo jurgia posti
Dicat, et exclusus flebile cantet amans. 36
His lacrymis contentus eris sine crimine mortis.
Non tua fax avidos digna subire rogos.
Hæc ego: movit Amor gemmatas aureus alas,
Et mihi, Propositum perfice, dixit, opus. 40
Ad mea, decepti juvenes, præcepta venite,
Quos suus ex omni parte fefellit amor.
Discite sanari, per quem dedicistis amare:
Una manus vobis vulnus opemque feret.
Terra salutares herbas, eademque nocentes 45
Nutrit; et urticæ proxima sæpe rosa est.
Vulnus in Herculeo quæ quondam fecerat hoste,
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.
Sed quæcunque viris, vobis quoque dicta, puellæ,
Credite: diversis partibus arma damus. 50
E quibus ad vestros si quid non pertinet usus,
Attamen exemplo multa docere potest.
Utile propositum, sævas extinguere flammas,
Nec servum vitii pectus habere sui.
Vixisset Phyllis, si me foret uso magistro; 55
Et per quod novies, sæpius isset iter.
Nec moriens Dido summa vidisset ab arce
Dardanidas vento vela dedisse rates.
Nec dolor armasset contra sua viscera matrem,
Quæ socii damno sanguinis ulta virum est. 60
Arte mea Tereus, quamvis Philomela placeret,
Per facinus fieri non meruisset avis.
Da mihi Pasiphaen; jam tauri ponet amorem:
Da Phædram; Phædræ turpis abibit amor.
Redde Parin nobis; Helenen Menelaus habe-
bit: 65
Nec manibus Danais Pergama victa cadent.
Impia si nostros legisset Scylla libellos;
Hæsisset capiti purpura, Nise, tuo.
Me duce damnosas, homines, compescite curas:
Rectaque cum sociis, me duce, navis eat. 70
Naso legendus erat, tunc cum didicistis amare;
Idem nunc vobis Naso legendus erit.
Publicus assertor dominis oppressa levabo
Pectora: vindictæ quisque favete suæ.
Te precor, o vates, adsit tua laurea nobis, 75
Carminis et medicæ, Phœbe, repertor opis.
Tu pariter vati, pariter succurre medenti:
Utraque tutelæ subdita cura tuæ.
Dum licet, et modici tangunt præcordia motus,
Si piget, in primo limine siste pedem. 80
Opprime, dum nova sunt, subiti mala semina
morbi;
Et tuus, incipiens ire, resistat equus. [uvas:
Nam mora dat vires; teneras mora percoquit
Et validas segetes, quod fuit herba, facit.
Quæ præbet latas arbor spatiantibus umbras,
Quo posita est primum tempore, virga fuit.
Tum poterat manibus summa tellure revelli;
Nunc stat in immensum viribus aucta suis.
Quale sit id, quod amas, celeri circumspice
mente:
Et tua læsuro subtrahe colla jugo. 90
Principiis obsta: sera medicina paratur,
Cum mala per longas convaluere moras.
Sed propera, nec te venturas differ in horas.
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.
Verba dat omnis amor, reperitque alimenta mo-
rando. 95
Optima vindictæ proxima quæque dies.
Flumina pauca vides de magnis fontibus orta:
Plurima collectis multiplicantur aquis.
Si cito sensisses, quantum peccare parares,
Non tegeres vultus cortice, Myrrha, tuos. 100
Vidi ego, quod primo fuerat sanabile, vulnus
Dilatum longæ damna tulisse moræ.
Sed, quia delectat Veneris decerpere flores,
Dicimus assidue, Cras quoque fiet idem.
Interea tacitæ serpunt in viscera flammæ, 105
Et mala radices altius arbor agit.
Si tamen auxilii perierunt tempora primi,
Et vetus in capto pectore sedit amor;
Majus opus superest: sed non, quia serior ægro
Advocor, ille mihi destituendus erit. 110
Quam læsus fuerat partem Pœantius heros,
Certa debuerat præsecuisse manu.
Post tamen hic multos sanatus creditur annos
Supremam bellis imposuisse manum.
Qui modo nascentes properabam pellere morbos,
Admoveo tardam nunc tibi lentus opem. 116

Aut nova, si possis, sedare incendia tentes:
Aut ubi per vires procubuere suas.
Cum furor in cursu est, currenti cede furori.
Difficiles aditus impetus omnis habet. 120
Stultus, ab obliquo qui cum descendere possit,
Pugnat in adversas ire natator aquas.
Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte,
Respuit, atque odio verba monentis habet.
Aggrediar melius tunc, cum sua vulnera tangi
Jam sinet, et veris vocibus aptus erit. 126
Quis matrem, nisi mentis inops, in funere nati
Flere vetet? non hoc illa monenda loco.
Cum dederit lacrymas, animumque expleverit ægrum,
Ille dolor verbis emoderandus erit. 130
Temporis ars medicina fere est: data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.
Quin etiam accendas vitia, irritesque vetando,
Temporibus si non aggrediare suis.
Ergo, ubi visus eris nostræ medicabilis arti,
Fac monitis fugias otia prima meis. 136
Hæc, ut ames, faciunt: hæc, ut fecere, tuentur:
Hæc sunt jucundi causa cibusque mali.
Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemtæque jacent, et sine luce, faces. 140
Quam platanus vino gaudet, quam populus unda,
Et quam limosa canna palustris humo;
Tam Venus otia amat. Qui finem quæris amoris,
(Cedit amor rebus) res age: tutus eris.
Languor, et immodici sub nullo vindice somni,
Aleaque, et multo tempora quassa mero, 146
Eripiunt omnes animis sine vulnere nervos.
Adfluit incautis insidiosus Amor.
Desidiam puer ille sequi solet: odit agentes.
Da vacuæ menti, quo teneatur, opus. 150
Sunt fora, sunt leges, sunt, quos tuearis, amici:
Vade per urbanæ candida castra togæ.
Vel tu sanguinei juvenilia munera Martis
Suscipe: deliciæ jam tibi terga dabunt.
Ecce fugax Parthus, magni nova causa triumphi, 155
Jam videt in campis Cæsaris arma suis.
Vince Cupidineas pariter Parthasque sagittas:
Et refer ad patrios bina tropæa deos.
Ut semel Ætola Venus est a cuspide læsa,
Mandat amatori bella gerenda suo. 160
Quæritis, Ægisthus quare sit factus adulter?
In promtu causa est: desidiosus erat.
Pugnabant alii tardis apud Ilion armis:
Transtulerat vires Græcia tota suas.
Sive operam bellis vellet dare, nulla gerebat;
Sive foro, vacuum litibus Argos erat. 166
Quod potuit, fecit; ne nil ageretur, amavit.
Sic venit ille puer: sic puer ille manet.
Rura quoque oblectant animos, studiumque colendi:
Quælibet huic curæ cedere cura potest. 170
Colla jube domitos oneri supponere tauros,
Sauciet ut duram vomer aduncus humum.
Obrue versata Cerealia semina terra,
Quæ tibi cum multo fœnore reddat ager.
Adspice curvatos pomorum pondere ramos, 175
Ut sua, quod peperit, vix ferat arbor onus.
Adspice jucundo labentes murmure rivos:
Adspice tondentes fertile gramen oves.
Ecce petunt rupes præruptaque saxa capellæ.
Jam referent hædis ubera plena suis. 180
Pastor inæquali modulatur arundine carmen:
Nec desunt comites, sedula turba, canes.
Parte sonant alia sylvæ mugitibus altæ,
Et queritur vitulum mater abesse suum. 184
Quid, cum suppositas fugiunt examina taxos,
Ut relevent demti vimina torta favi?
Poma dat autumnus; formosa est messibus æstas:
Ver præbet flores: igne levatur hiems.
Temporibus certis maturam rusticus uvam
Deligit, et nudo sub pede musta fluunt: 190
Temporibus certis desectas alligat herbas,
Et tonsam raro pectine verrit humum.
Ipse potes riguis plantam deponere in hortis:
Ipse potes rivos ducere lenis aquæ.
Venerit insitio; fac ramum ramus adoptet, 195
Stetque peregrinis arbor operta comis.
Cum semel hæc animum cœpit mulcere voluptas,
Debilibus pennis irritus exit Amor.
Vel tu venandi studium cole: sæpe recessit
Turpiter a Phœbi victa sorore Venus. 200
Nunc leporem pronum catulo sectare sagaci:
Nunc tua frondosis retia tende jugis:
Aut pavidos terre varia formidine cervos:
Aut cadat adversa cuspide fossus aper.
Nocte fatigatum somnus, non cura puellæ, 205
Excipit, et pingui membra quiete levat.
Lenius est studium, studium tamen, alite capta,
Aut lino, aut calamis præmia parva sequi:
Vel, quæ piscis edax avido male devoret ore,
Abdere supremis æra recurva cibis. 210
Aut his, aut aliis, donec dediscis amare,
Ipse tibi furtim decipiendus eris.
Tu tantum i, quamvis firmis retinebere vinclis,
I procul, et longas carpere perge vias.
Flebis, ut occurret desertæ nomen amicæ: 215
Stabit et in media pes tibi sæpe via.
Sed quanto minus ire voles, magis ire memento:
Perfer: et invitos currere coge pedes.
Nec pluvias vites: nec te peregrina morentur
Sabbata: nec damnis Allia nota tuis. 220
Nec quot transieris, sed quot tibi, quære, supersint
Millia: nec, maneas ut prope, finge moras:
Tempora nec numera: nec crebro respice Romam: [est.
Sed fuge: tutus adhuc Parthus ab hoste fuga
Dura aliquis præcepta vocet mea; dura fatemur
Esse: sed, ut valeas, multa dolenda feres.
Sæpe bibi succos, quamvis invitus, amaros 227
Æger; et oranti mensa negata mihi.
Ut corpus redimas, ferrum patieris et ignes,
Arida nec sitiens ora levabis aqua; 230
Ut valeas animo, quicquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore majus habet.
Sed tamen est artis strictissima janua nostræ,
Et labor est unus tempora prima pati.
Adspicis, ut prensos urant juga prima juvencos?
Ut nova velocem cingula lædat equum? 236
Forsitan a Laribus patriis exire pigebit.
Sed tamen exibis: deinde redire voles.
Nec te Lar patrius, sed amor revocabit amicæ,
Prætendens culpæ splendida verba suæ. 240
Cum semel exieris, centum solatia curæ
Et rus, et comites, et via longa dabunt.
Nec satis esse puta discedere: lentus abesto,
Dum perdat vires, sitque sine igne, cinis.
Si nisi firmata properabis mente reverti, 245
Inferet arma tibi sæva rebellis Amor.
Quid quod, ut abfueris, avidus sitiensque redibis;
Et spatium damno cesserit omne tuo?
Viderit, Hæmoniæ si quis mala pabula terræ,
Et magicas artes posse juvare putat. 250

Ista veneficii vetus est via: noster Apollo
Innocuam sacro carmine monstrat opem.
Me duce non tumulo prodire jubebitur umbra:
Non anus infami carmine rumpet humum:
Non seges ex aliis alios transibit in agros: 255
Nec subito Phœbi pallidus orbis erit.
Ut solet, æquoreas ibit Tiberinus in undas:
Ut solet, in niveis Luna vehetur equis.
Nulla recantatas deponent pectora curas,
Nec fugiet vivo sulphure victus amor. 260
Quid te Phasiacæ juverunt gramina terræ,
Cum cuperes patria, Colchi, manere domo?
Quid tibi profuerunt, Circe, Perseides herbæ,
Cum sua Neritias abstulit aura rates?
Omnia fecisti, ne callidus hospes abiret: 265
Ille dedit certæ lintea plena fugæ.
Omnia fecisti, ne te ferus ureret ignis:
Longus at invito pectore sedit amor.
Vertere quæ poteras homines in mille figuras,
Non poteras animi vertere jura tui. 270
Diceris his etiam, cum jam discedere vellet,
Dulichium verbis detinuisse ducem:
Non ego, quod primo, memini, sperare solebam,
Jam precor, ut conjux tu meus esse velis.
Et tamen, ut conjux essem tua, digna videbar:
Quod dea, quod magni filia Solis eram. 276
Ne properes oro; spatium pro munere posco.
Quid minus optari per mea vota potest?
Et freta mota vides; et debes illa timere.
Utilior velis postmodo ventus erit. 280
Quæ tibi causa fugæ? non hic nova Troja resurgit:
Non alius socios Rhesus ad arma vocat.
Hic amor, hic pax est; in qua male vulneror una:
Totaque sub regno terra futura tuo est.
Illa loquebatur: navem solvebat Ulixes: 285
Irrita cum velis verba tulere Noti.
Ardet, et assuetas Circe decurrit ad artes:
Nec tamen est illis attenuatus amor.
Ergo age, quisquis opem nostra tibi poscis ab arte,
Deme veneficiis carminibusque fidem. 290
Si te causa potens domina retinebit in Urbe,
Accipe, consilium quod sit in Urbe meum.
Optimus ille fuit vindex, lædentia pectus
Vincula qui rupit, dedoluitque semel.
Si cui tantum animi est, illum mirabor et ipse:
Et dicam, Monitis non eget ille meis. 296
Tu mihi, qui, quod amas, ægre dediscis amare;
Nec potes, et velles posse; docendus eris.
Sæpe refer tecum sceleratæ facta puellæ,
Et pone ante oculos omnia damna tuos. 300
Illud et illud habet: nec ea contenta rapina,
Sub titulum nostros misit avara lares.
Sic mihi juravit: sic me jurata fefellit
Ante suam quoties passa jacere forem!
Diligit ipsa alios: a me fastidit amari. 305
Institor heu noctes, quas mihi non dat, habet!
Hæc tibi per totos inacescant omnia sensus:
Hæc refer: hinc odii semina quære tui.
Atque utinam possis etiam facundus in illis
Esse! dole tantum; sponte disertus eris. 310
Hæserat in quadam nuper mea cura puella:
Conveniens animo non erat illa meo.
Curabar propriis æger Podalirius herbis:
Et, fateor, medicus turpiter æger eram.
Profuit assidue vitiis insistere amicæ; 315
Idque mihi factum sæpe salubre fuit.
Quam mala sunt nostræ, dicebam, crura puellæ;
Nec tamen, ut vere confiteamur, erant.
Brachia quam non sunt nostræ formosa puellæ!
Et tamen, ut vere confiteamur, erant. 320
Quam brevis est! nec erat: quam multum poscit amantem!
Hinc odio venit maxima causa meo.
Et mala sunt vicina bonis: errore sub illo
Pro vitio virtus crimina sæpe tulit.
Quam potes, in pejus dotes deflecte puellæ, 325
Judiciumque brevi limite falle tuum.
Turgida, si plena est: si fusca est, nigra vocetur.
In gracili macies crimen habere potest.
Et poterit dici petulans, quæ rustica non est:
Et poterit dici rustica, si qua proba est. 330
Quin etiam, quacunque caret tua fœmina dote,
Hanc moveat, blandis usque precare sonis.
Exige quod cantet, si qua est sine voce puella:
Fac saltet, nescit si qua movere manum.
Barbara sermone est; fac tecum multa loquatur.
Non didicit chordas tangere; posce lyram. 336
Durius incedit; face inambulet: omne papillæ
Pectus habent tumidæ; fascia nulla tegat.
Si male dentata est; narra, quod rideat, illi.
Mollibus est oculis; quod fleat illa, refer. 340
Proderit et subito, cum se non finxerit ulli,
Ad dominam celeres mane tulisse gradus.
Auferimur cultu: gemmis auroque teguntur
Omnia; pars minima est ipsa puella sui.
Sæpe, ubi sit, quod ames, inter tam multa requiras.
Decipit hac oculos ægide dives amor. 346
Improvisus ades; deprendes tutus inermem:
Infelix vitiis excidet illa suis.
Nec tamen huic nimium præcepto credere tutum est:
Fallit enim multos forma sine arte decens.
Tum quoque, cum positis sua collinet ora venenis, 351
Ad dominæ vultus, nec pudor obstet, eas.
Pyxidas invenies, et rerum mille colores;
Et fluere in tepidos œsypa lapsa sinus.
Illa tuas redolent, Phineu, medicamina mensas:
Non semel hinc stomacho nausea facta meo.
Nunc tibi, quæ medio Veneris præstentur in usu,
Eloquar: ex omni parte fugandus amor.
Multa quidem ex illis pudor est mihi dicere: sed tu 359
Ingenio verbis concipe plura meis.
Nuper enim nostros quidam carpsere libellos,
Quorum censura Musa proterva mea est.
Dummodo sic placeam, dum toto canter in orbe;
Quam volet, impugnent unus et alter opus.
Ingenium magni detrectat livor Homeri: 365
Quisquis es, ex illo, Zoile, nomen habes.
Et tua sacrilegæ laniarunt carmina linguæ,
Pertulit huc victos quo duce Troja deos.
Summa petit livor: perflant altissima venti:
Summa petunt dextra fulmina missa Jovis.
At tu, quicunque es, quem nostra licentia lædit,
Si sapis, ad numeros exige quidque suos.
Fortia Mæonio gaudent pede bella referri.
Deliciis illic quis locus esse potest? 375
Grande sonant Tragici; Tragicos decet ira cothurnos:
Usibus e mediis soccus habendus erit.
Liber in adversos hostes stringatur Iambus;
Seu celer, extremum seu trahat ille pedem.
Blanda pharetratos Elegeïa cantet Amores,
Et levis arbitrio ludat amica suo. 380

Callimachi numeris non est dicendus Achilles:
Cydippe non est oris, Homere, tui.
Quis ferat Andromaches peragentem Thaida partes?
Peccat, in Andromache Thaida si quis agat.
Thais in arte mea: lascivia libera nostra est.
Nil mihi cum vitta: Thais in arte mea est.
Si mea materiæ respondet Musa jocosæ,
Vicimus, ut falsi criminis acta rea est.
Rumpere, livor edax; jam magnum nomen habemus:
Majus erit; tantum, quo pede cœpit, eat. 390
Sed nimium properas: vivam modo, plura dolebis:
Et capiunt animi carmina multa mei.
Nam juvat, et studium famæ mihi crescit amore:
Principio clivi noster anhelat equus.
Tantum se nobis elegi debere fatentur, 395
Quantum Virgilio nobile debet opus.
Hactenus invidiæ respondimus: attrahe lora
Fortius, et gyro curre, poeta, tuo.
Ergo ubi concubitus, et opus juvenile petetur,
Et prope promissæ tempora noctis erunt;
Gaudia ne dominæ, pleno si pectore sumes,
Te capiant; ineas quamlibet ante velim.
Quamlibet invenias, in qua tibi prima voluptas
Desinat: a prima proxima segnis erit.
Sustentata Venus gratissima: frigore soles, 405
Sole juvant umbræ: grata fit unda siti.
Et pudet, et dicam, Venerem quoque junge figura,
Qua minime jungi quamque decere putes.
Nec labor efficere est: raræ sibi vera fatentur:
Et nihil est, quod se dedecuisse putent. 410
Tunc etiam jubeo totas aperire fenestras,
Turpiaque admisso membra notare die.
At, simul ad metas venit finita voluptas,
Lassaque cum tota corpora mente jacent;
Dum piget, et nullam malis tetigisse puellam,
Tacturusque tibi non videare diu;
Tunc animo signa, quodcunque in corpore mendæ est,
Luminaque in vitiis illius usque tene.
Forsitan hæc aliquis, nam sunt quoque, parva vocabit: 419
Sed, quæ non prosunt singula, multa juvant.
Parva necat morsu spatiosum vipera taurum:
A cane non magno sæpe tenetur aper.
Tu tantum numero pugna, præceptaque in unum
Contrahe: de multis grandis acervus erit.
Sed quoniam mores totidem, totidemque figuræ,
Non sunt judiciis omnia danda meis. 426
Quo tua non possunt offendi pectora facto,
Forsitan hoc alio judice crimen erit.
Ille quod obscænas in aperto corpore partes
Viderat, in cursu qui fuit, hæsit amor: 430
Ille quod, a Veneris rebus surgente puella,
Vidit in immundo signa pudenda toro.
Luditis o, si quos potuerunt ista movere.
Afflarant tepidæ pectora vestra faces.
Attrahat ille puer contentos fortius arcus; 435
Saucia majorem turba petetis opem.
Quid, qui clam latuit reddente obscæna puella,
Et vidit, quæ mos ipse videre vetat? [quam!
Di melius, quam nos moneamus talia quem-
Ut prosint, non sunt experienda tamen. 440
Hortor et, ut pariter binas habeatis amicas.
Fortior est, plures si quis habere potest.
Secta bipartito cum mens discurrit utroque,
Alterius vires subtrahit alter amor.
Grandia per multos tenuantur flumina rivos,
Cassaque seducto stipite flamma perit. 446
Non satis una tenet ceratas anchora puppes:
Non satis est liquidis unicus hamus aquis.
Qui sibi jam pridem solatia bina paravit,
Jam pridem summa victor in arce fuit. 450
At tibi, qui dominæ fueris male creditus uni,
Nunc saltem novus est inveniendus amor.
Pasiphaes Minos in Procride prodidit ignes:
Cessit ab Idæa conjuge victa prior.
Amphiloci frater ne Phegida semper amaret,
Callirhoe fecit parte recepta tori. 456
Et Parin Œnone summos tenuisset ad annos,
Si non Œbalia pellice læsa foret.
Conjugis Odrysio placuisset forma tyranno:
Sed melior clausæ forma sororis erat. 460
Quid moror exemplis, quorum me turba fatigat?
Successore novo vincitur omnis amor.
Fortius e multis mater desiderat unum,
Quam cui flens clamat, Tu mihi solus eras.
Ac ne forte putes nova me tibi condere jura;
(Atque utinam inventi gloria nostra foret!)
Vidit id Atrides: quid enim non ille videret,
Cujus in arbitrio Græcia tota fuit?
Marte suo captam Chryseida victor amabat:
At senior stulte flebat ubique parens. 470
Quid lacrymas, odiose senex? bene convenit illis.
Officio natam lædis, inepte, tuo.
Quam postquam reddi Calchas, ope tutus Achillis,
Jusserat, et patria est illa recepta domo;
Est, ait Atrides, illi quam proxima forma; 475
Et, si prima sinat syllaba, nomen idem:
Hanc mihi, si sapiat, per se concedat Achilles:
Sin minus; imperium sentiat ille meum.
Quod si quis vestrûm factum hoc incusat, Achivi,
Est aliquid valida sceptra tenere manu. 480
Nam, si rex ego sum, nec mecum dormiet illa,
In mea Thersites regna, licebit, eat.
Dixit; et hanc habuit solatia magna prioris:
Et prior est cura cura sepulta nova.
Ergo assume novas, auctore Agamemnone, flammas; 485
Et tuus in bivio distineatur amor.
Quæris, ubi invenias? artes, i, perlege nostras.
Plena puellarum jam tibi navis eat.
Quod si quid præcepta valent mea, si quid Apollo
Utile mortales perdocet ore meo; 490
Quamvis infelix media torreberis Ætna,
Frigidior glacie fac videare tuæ.
Et sanum simula, ne, si quid forte dolebis,
Sentiat: et ride, cum tibi flendus eris.
Non ego te jubeo medias abrumpere curas: 495
Non sunt imperii tam fera jura mei.
Quod non es, simula; positosque imitare furores:
Sic facies vere, quod meditatus eris.
Sæpe ego, ne biberem, volui dormire videri:
Dum videor, somno lumina victa dedi. 500
Deceptum risi, qui se simulabat amare,
In laqueos auceps decideratque suos.
Intrat amor mentes usu: dediscitur usu.
Qui poterit sanum fingere, sanus erit.
Dixerit, ut venias pacta tibi nocte; venito:
Veneris, et fuerit janua clausa; feras. 506
Nec dic blanditias, nec fac convicia posti,
Nec latus in duro limine pone tuum.
Postera lux aderit; careant tua verba querelis,
Et nulla in vultu signa dolentis habe. 510

Jam ponet fastus, cum te languere videbit:
Hoc etiam nostra munus ab arte feres.
Te quoque falle tamen, nec sit tibi finis amandi.
Propositis frenis sæpe repugnat equus.
Utilitas lateat; quod non profitebere, fiet. 515
Quæ nimis apparent retia, vitat avis.
Ne sibi tam placeat, quo te contemnere possit,
Sume animos: animis cedat ut illa tuis.
Janua forte patet; quamvis revocabere, transi.
Est data nox; dubita nocte venire data. 520
Posse pati facile est; tibi ni sapientia desit,
Promtius e facili gaudia ferre licet.
Et quisquam præcepta potest mea dura vocare?
En etiam partes conciliantis ago.
Nam, quoniam variant animi, variamus et artes.
Mille mali species, mille salutis erunt. 526
Corpora vix ferro quædam sanantur acuto:
Auxilium multis succus et herba fuit.
Mollior es, nec abire potes, vinctusque teneris,
Et tua sævus Amor sub pede colla premit;
Desine luctari; referant tua carbasa venti: 531
Quaque vocant fluctus, hac tibi remus eat.
Explenda est sitis ista tibi, qua perditus ardes.
Cedimus: e medio jam licet amne bibas.
Sed bibe plus etiam, quam quod præcordia poscunt: 535
Gutture fac pleno sumta redundet aqua.
Perfruere usque tua, nullo prohibente, puella.
Illa tibi noctes auferat, illa dies.
Tædia quære: malis faciunt et tædia finem. 539
Jam quoque, cum credas posse carere, mane.
Dum bene te cumules, et copia tollat amorem;
E fastidita non juvet isse domo.
Fit quoque longus amor, quem diffidentia nutrit.
Hunc tu si quæres ponere, pone metum.
Qui timet, ut sua sit, neu quis sibi detrahat illam,
Ille Machaonia vix ope sanus erit. 546
Plus amat e natis mater plerumque duobus,
Pro cujus reditu, quod gerit arma, timet.
Est prope Collinam templum venerabile portam:
Imposuit templo nomina celsus Eryx. 550
Est illic Lethæus Amor, qui pectora sanat,
Inque suas gelidam lampadas addit aquam.
Illic et juvenes votis oblivia poscunt,
Et si qua est duro capta puella viro.
Is mihi sic dixit: (dubito, verusne Cupido, 555
An somnus fuerit; sed puto somnus erat:)
O qui sollicitos modo das, modo demis, amores,
Adjice præceptis hoc quoque, Naso, tuis.
Ad mala quisque animum referat sua; ponet amorem:
Omnibus illa deus plusve minusve dedit. 560
Qui Puteal Janumque timet, celeresque Kalendas,
Torqueat hunc æris mutua summa sui.
Cui pater est durus, votis ut cætera cedant,
Huic pater ante oculos durus habendus erit.
Hic male dotata pauper cum conjuge vivit: 565
Uxorem fato credat obesse suo.
Est tibi rure bono generosæ fertilis uvæ
Vinea: ne nascens uva sit usta time.
Ille habet in reditu navim: mare semper iniquum
Cogitet, et damno littora fœda suo. 570
Filius hunc miles, te filia nubilis angant.
Et quis non causas mille doloris habet?
Ut posses odisse tuam, Pari, funera fratrum
Debueras oculis substituisse tuis.
Plura loquebatur; placidum puerilis imago 575
Destituit somnum: si modo somnus erat.
Quid faciam? media navim Palinurus in unda
Deserit: ignotas cogor inire vias.
Quisquis amas, loca sola nocent: loca sola caveto
Quo fugis? in populo tutior esse potes. 580
Non tibi secretis (augent secreta furores)
Est opus: auxilio turba futura tibi est.
Tristis eris, si solus eris: dominæque relictæ
Ante oculos facies stabit, ut ipsa, tuos.
Tristior idcirco nox est, quam tempora Phœbi:
Quæ relevet luctus, turba sodalis abest. 586
Nec fuge colloquium: nec sit tibi janua clausa:
Nec tenebris vultus flebilis abde tuos.
Semper habe Pyladen, qui consoletur Oresten.
Hic quoque amicitiæ non levis usus erit. 590
Quid nisi secretæ læserunt Phyllida sylvæ?
Certa necis causa est: incomitata fuit.
Ibat, ut Edono referens trieterica Baccho
Ire solet fusis barbara turba comis.
Et modo, qua poterat, longum spectabat in æquor.
Nunc in arenosa lassa jacebat humo. 596
Perfide Demophoon, surdas clamabat ad undas:
Ruptaque singultu verba dolentis erant.
Limes erat tenuis longa subnubilus umbra,
Quo tulit illa suos ad mare sæpe pedes. 600
Nona terebatur miseræ via. Videris, inquit:
Et spectat zonam pallida facta suam. [audet:
Adspicit et ramos: dubitat, refugitque quod
Et timet: et digitos ad sua colla refert.
Sithoni, tunc certe vellem non sola fuisses; 605
Non fleres positis Phyllida, sylva, comis.
Phyllidis exemplo nimium secreta timete,
Læse vir a domina, læsa puella viro.
Præstiterat juvenis, quicquid mea Musa jubebat,
Inque suæ portu pæne salutis erat. 610
Recidit, ut cupidos inter devenit amantes:
Et, quæ condiderat, tela resumsit Amor.
Si quis amas, nec vis; facito contagia vites.
Hæc etiam pecori sæpe nocere solent.
Dum spectant oculi læsos, læduntur et ipsi: 615
Multaque corporibus transitione nocent.
In loca nonnunquam siccis arentia glebis
De prope currenti flumine manat aqua.
Manat amor tectus, si non ab amante recedas:
Turbaque in hoc omnes ingeniosa sumus. 620
Alter item jam sanus erat; vicinia læsit.
Occursum dominæ non tulit ille suæ.
Vulnus in antiquum rediit male firma cicatrix,
Successumque artes non habuere meæ.
Proximus a tectis ignis defenditur ægre: 625
Utile finitimis abstinuisse locis.
Nec, quæ ferre solet spatiantem porticus illam,
Te ferat: officium neve colatur idem. [tem?
Quid juvat admonitu tepidam recalescere men-
Alter, si possis, orbis habendus erit. 630
Non facile esuriens posita retinebere mensa:
Et multam saliens incitat unda sitim.
Non facile est visa taurum retinere juvenca:
Fortis equus visæ semper adhinnit equæ. 634
Hæc ubi præstiteris, ut tandem littora tangas,
Non satis est ipsam deseruisse tibi.
Et soror, et mater, valeant, et conscia nutrix,
Et quicquid dominæ pars erit ulla tuæ.
Nec veniat servus: nec flens ancillula fictum
Suppliciter dominæ nomine dicat, Ave. 640
Nec, si scire voles, quid agat tamen illa, rogabis.
Profer: erit lucro lingua retenta suo.
Tu quoque, qui causam finiti reddis amoris,
Deque tua domina multa querenda refers;
Parce queri: melius sic ulciscere tacendo; 645
Dum desideriis effluat illa tuis.
Et malim taceas, quam te desisse loquaris.
Qui nimium multis, Non amo, dicit; amat.

Sed meliore fide paullatim extinguitur ignis,
Quam subito: lente desine; tutus eris. 650
Flumine perpetuo torrens solet acrius ire:
Sed tamen hæc brevis est, illa perennis aqua.
Fallat, et in tenues evanidus exeat auras,
Perque gradus molles emoriatur amor.
Sed modo dilectam scelus est odisse puellam:
Exitus ingeniis convenit iste feris. 656
Non curare sat est: odio qui finit amorem,
Aut amat, aut ægre desinet esse miser.
Turpe, vir et mulier, juncti modo, protinus hostes:
Non illas lites Appias ipsa probat. 660
Sæpe reas faciunt, et amant: ubi nulla simultas
Incidit, admonitu liber aberrat amor.
Forte aderam juveni: dominam lectica tenebat:
Horrebant sævis omnia verba minis.
Jamque vadaturus, Lectica prodeat, inquit. 665
Prodierat: visa conjuge mutus erat.
Et manus, et manibus duplices cecidere tabellæ:
Venit in amplexus: atque ita, Vincis, ait.
[Tutius est, aptumque magis, discedere pace,
Quam petere a thalamis litigiosa fora:] 670
Munera quæ dederis, habeat sine lite jubeto:
Esse solent magno damna minora bono.
Quod si vos aliquis conducet casus in unum,
Mente memor tota, quæ damus arma, tene.
Nunc opus est armis: hic, o fortissime, pugna.
Vincenda est telo Penthesilea tuo. 676
Nunc tibi rivalis, nunc durum limen, amanti:
Nunc mediis subeant irrita verba deis.
Nec compone comas, quia sis venturus ad illam:
Nec toga sit laxo conspicienda sinu. 680
Nulla sit ut placeas alienæ cura puellæ;
Jam facito e multis una sit illa tibi.
Sed quid præcipue nostris conatibus obstet,
Eloquar; exemplo quemque docente suo.
Desinimus tarde, quia nos speramus amari. 685
Dum sibi quisque placet, credula turba sumus.
At tu nec voces (quid enim fallacius illis?)
Crede, nec æternos pondus habere deos.
Neve puellarum lacrymis moveare caveto:
Ut flerent, oculos erudiere suos. 690
Artibus innumeris mens oppugnatur amantum,
Ut lapis æquoreis undique pulsus aquis.
Nec causas aperi, quare divortia malis:
Nec dic, quid doleas; clam tamen usque dole.
Nec peccata refer; ne diluat. Ipse favebis:
Ut melior causa causa sit illa tua. 696
Qui silet, est firmus: qui dicit multa puellæ
Probra, satisfieri postulat ille sibi.
Non ego Dulichio furiales more sagittas,
Nec rapidas ausim tingere in amne faces. 700
Nec nos purpureas pueri resecabimus alas,
Nec sacer arte mea laxior arcus erit.
Consilium est, quodcunque cano. Parete canenti:
Utque facis, cœptis, Phœbe saluber, ades. 704
Phœbus adest: sonuere lyræ; sonuere pharetræ.
Signa deum nosco per sua: Phœbus adest.
Confer Amyclæis medicatum vellus ahenis
Murice cum Tyrio: turpius illud erit.
Vos quoque formosis vestras conferte puellas:
Incipiet dominæ quemque pudere suæ. 710
Utraque formosæ Paridi potuere videri:
Sed sibi collatam vicit utramque Venus.
Nec solam faciem, mores quoque confer et artes:
Tantum judicio ne tuus obsit amor. [illud
Exiguum est, quod deinde canam: sed profuit
Exiguum multis: in quibus ipse fui. 716
Scripta cave relegas blandæ servata puellæ:
Constantes animos scripta relecta movent.
Omnia pone feros, quamvis invitus, in ignes:
Et dic, Ardoris sit rogus iste mei. 720
Thestias absentem succendit stipite natum:
Tu timide flammæ perfida verba dabis?
Si potes, et ceras remove; quid imagine muta
Carperis? hoc periit Laodamia modo.
Et loca multa nocent: fugito loca conscia vestri
Concubitus: causas mille doloris habent. 726
Hic fuit: hic cubuit: thalamo dormivimus isto:
Hic mihi lasciva gaudia nocte dedit.
Admonitu refricatur amor, vulnusque novatum
Scinditur: infirmis causa pusilla nocet. 730
Ut pæne exstinctum cinerem si sulphure tangas,
Vivet, et e minimo maximus ignis erit:
Sic, nisi vitaris quicquid renovabit amorem,
Flamma redardescet, quæ modo nulla fuit.
Argolides cuperent fugisse Capharea puppes,
Teque, senex, luctus ignibus ulte tuos. 736
Præterita cautus Niseide navita gaudet.
Tu loca, quæ nimium grata fuere, cave.
Hæc tibi sint Syrtes: hæc Acroceraunia vita:
Hic vomit epotas dira Charybdis aquas. 740
Sunt, quæ non possint aliquo cogente juberi,
Sæpe tamen casu facta juvare solent.
Perdat opes Phædra; parces, Neptune, nepoti:
Nec faciet pavidos taurus avitus equos.
Gnossida fecisses inopem; sapienter amasset.
Divitiis alitur luxuriosus amor. 746
Cur nemo est, Hecalen, nulla est, quæ ceperit Iron?
Nempe quod alter egens, altera pauper erat.
Non habet, unde suum paupertas pascat amorem.
Non tamen hoc tanti est, pauper ut esse velis.
At tibi sit tanti, non indulgere theatris, 751
Dum bene de vacuo pectore cedat amor.
Enervant animos citharæ, lotosque, lyræque,
Et vox, et numeris brachia mota suis.
Illic assidue ficti saltantur amantes: 755
Quid caveas actor, quid juvet, arte docet.
Eloquar invitus: teneros ne tange poetas.
Submoveo dotes impius ipse meas.
Callimachum fugito; non est inimicus amori:
Et cum Callimacho tu quoque, Coe, noces.
Me certe Sappho meliorem fecit amicæ: 761
Nec rigidos mores Teia Musa dedit.
Carmina quis potuit tuto legisse Tibulli?
Vel tua, cujus opus Cynthia sola fuit?
Quis potuit lecto durus discedere Gallo? 765
Et mea nescio quid carmina dulce sonant.
Quod nisi dux operis vatem frustratur Apollo,
Æmulus est nostri maxima causa mali.
At tu rivalem noli tibi fingere quenquam:
Inque suo solam crede jacere toro. 770
Acrius Hermionen ideo dilexit Orestes,
Esse quod alterius cœperat illa viri.
Quid, Menelae, doles? ibas sine conjuge Creten:
Et poteras nupta lentus abesse tua.
Ut Paris hanc rapuit, nunc demum uxore carere
Non potes: alterius crevit amore tuus. 776
Hoc et in abducta Briseide flebat Achilles,
Illam Plisthenio gaudia ferre toro.
Nec frustra flebat; mihi credite. Fecit Atrides,
Quod si non faceret, turpiter esset iners. 780
Certe ego fecissem; nec sum sapientior illo.
Invidiæ fructus maximus ille fuit.
Nam sibi quod nunquam tactam Briseida jurat
Per sceptrum; sceptrum non putat esse deos.
Di faciant, dominæ possis transire relictæ 785
Limina, proposito sufficiantque pedes.
Et poteris; modo velle tene: nunc fortiter ire,
Nunc opus est celeri subdere calcar equo.

Illo Lotophagos, illo Sirenas in antro
Esse puta: remis adjice vela tuis. 790
Hunc quoque, quo quondam nimium rivale dolebas,
Vellem desineres hostis habere loco.
At certe, quamvis odio remanente, saluta.
Oscula cum poteris jam dare, sanus eris.
Ecce cibos etiam, medicinæ fungar ut omni 795
Munere, quos fugias, quosve sequare, dabo.
Daunius, an Libycis bulbus tibi missus ab oris,
An veniat Megaris, noxius omnis erit.
Nec minus erucas aptum vitare salaces,
Et quicquid Veneri corpora nostra parat. 800
Utilius sumas acuentes lumina rutas,
Et quicquid Veneri corpora nostra negat.
Quid tibi præcipiam de Bacchi munere, quæris?
Spe brevius monitis expediere meis.
Vina parant animum Veneri, nisi plurima sumas,
Et stupeant multo corda sepulta mero. 806
Nutritur vento, vento restinguitur ignis.
Lenis alit flammam, grandior aura necat.
Aut nulla ebrietas, aut tanta sit, ut tibi curas
Eripiat: si qua est inter utramque, nocet.
Hoc opus exegi: fessæ date serta carinæ. 811
Contigimus portum, quo mihi cursus erat.
Postmodo reddetis sacro pia vota poetæ,
Carmine sanati fœmina virque meo.

MEDICAMINA FACIEI, FRAGMENTUM.

Discite, quæ faciem commendet cura, puellæ,
Et quo sit vobis forma tuenda modo.
Cultus humum sterilem Cerealia pendere jussit
Munera: mordaces interiere rubi.
Cultus et in pomis succos emendat acerbos, 5
Fissaque adoptivas accipit arbor opes.
Culta placent: auro sublimia tecta linuntur;
Nigra sub imposito marmore terra latet.
Vellera sæpe eadem Tyrio medicantur aheno:
Sectile deliciis India præbet ebur. 10
Forsitan antiquæ, Tatio sub rege, Sabinæ
Maluerint, quam se, rura paterna coli:
Cum matrona, premens altum rubicunda sedile,
Assiduo durum pollice nebat opus;
Ipsaque claudebat, quos filia paverat, agnos: 15
Ipsa dabat virgas cæsaque ligna foco.
At vestræ teneras matres peperere puellas.
Vultis inaurata corpora veste tegi:
Vultis odoratos positu variare capillos:
Conspicuam gemmis vultis habere manum. 20
Induitis collo lapides Oriente paratos,
Et quantos oneri est aure tulisse duos.
Nec tamen indignum, si vobis cura placendi,
Cum comtos habeant sæcula nostra viros.
Fœminea vestri poliuntur lege mariti: 25
Et vix ad cultus nupta, quot addat, habet.
Proin se quæque parent: nec, quo venentur amores,
Refert: munditiæ crimina nulla merent.
Rure latent, finguntque comas: licet arduus illas
Celet Athos, cultas altus habebit Athos. 30
Est etiam placuisse sibi quotacunque voluptas:
Virginibus cordi grataque forma sua est.
Laudatas homini volucris Junonia pennas
Explicat, et forma muta superbit avis.
Sic potius nos uret amor, quam fortibus herbis,
Quas maga terribili subsecat arte manus. 36
Nec vos graminibus, nec mixto credite succo:
Nec tentate nocens virus amantis equæ.
Nec mediæ Marsis finduntur cantibus angues,
Nec redit in fontes unda supina suos. 40
Et quamvis aliquis Temesæa removerit æra,
Nunquam Luna suis excutietur equis.
Prima sit in vobis morum tutela, puellæ.
Ingenio facies conciliante placet.
Certus amor morum est: formam populabitur ætas, 45
Et placitus rugis vultus aratus erit.
Tempus erit, quo vos speculum vidisse pigebit,
Et veniet rugis altera causa dolor.
Sufficit, et longum probitas perdurat in ævum,
Fertque suos annos: hinc bene pendet amor.
Disce age, cum teneros somnus dimiserit artus,
Candida quo possint ora nitere modo.
Hordea, quæ Libyci ratibus misere coloni,
Exue de palea tegminibusque suis.
Par ervi mensura decem madefiat ab ovis: 55
Sed cumulent libras hordea nuda duas.
Hæc ubi ventosas fuerint siccata per auras,
Lenta jube scabra frangat asella mola.
Et, quæ prima cadunt vivaci cornua cervo,
Contere: in hæc solidi sexta face assis eat. 60
Jamque ubi pulvereæ fuerint confusa farinæ,
Protinus in cribris omnia cerne cavis.
Adjice Narcissi bis sex sine cortice bulbos,
Strenua quos puro marmore dextra terat:
Sextantemque trahat gummi cum semine Tusco.
Huc novies tanto plus tibi mellis eat. 66
Quæcunque afficiet tali medicamine vultum,
Fulgebit speculo lævior ipsa suo.
Nec tu pallentes dubita torrere lupinos,
Et simul inflantes corpora frige fabas. 70
Utraque sex habeant, æquo discrimine, libras;
Utraque da nigris comminuenda molis.
Nec cerussa tibi, nec nitri spuma rubentis
Desit, et Illyrica quæ venit iris humo.
Da validis juvenum pariter subigenda lacertis:
Sed justum tritis uncia pondus erit. 76
Addita de querulo volucrum medicamina nido
Ore fugant maculas: Halcyonea vocant.
Pondere, si quæris, quo sim contentus in illis;
Quod trahit in partes uncia sexta duas. 80
Ut coeant, apteque lini per corpora possint,
Adjice de flavis Attica mella favis.
Quamvis thura deos irataque numina placent,
Non tamen accensis omnia danda focis.
Thus ubi miscueris radenti tubera nitro; 85
Ponderibus justis fac sit utrinque triens.
Parte minus quarta dereptum cortice gummi,
Et modicum e myrrhis pinguibus adde cubum.
Hæc ubi contriris, per densa foramina cerne:
Pulvis ab infuso melle premendus erit. 90
Profuit et marathros bene olentibus addere myrrhis; [novem.
Quinque trahant marathri scrupula, myrrha
Arentisque rosæ quantum manus una prehendat,
Cumque Ammoniaco mascula thura sale.
Hordea quem faciunt illis affunde cremorem. 95
Æquent expensas cum sale thura rosas.
Tempore sis parvo molles licet illita vultus,
Hærebit toto multus in ore color.
Vidi quæ gelida madefacta papavera lympha
Contereret, teneris illineretque genis. 100
. . . . . .

HALIEUTICON

FRAGMENTUM.

Accepit mundus legem : dedit arma per omnes,
Admonuitque sui : vitulus sic namque minatur,
Qui nondum gerit in tenera jam cornua fronte :
Sic damæ fugiunt, pugnant virtute leones,
Et morsu canis, et caudæ sic scorpius ictu : 5
Concussisque levis pennis sic evolat ales.
Omnibus ignotæ mortis timor, omnibus hostem,
Præsidiumque datum sentire, et noscere teli
Vimque modumque sui : sic et Scarus arte sub undis . . . . . .
Incidit, assumtamque dolo tandem pavet escam.
Non audet radiis obnixa occurrere fronte, 11
Aversus crebro veniens sed verbere caudæ
Laxans subsequitur, tutumque evadit in æquor.
Quin etiam si forte aliquis, dum pone nataret,
Mitis luctantem Scarus hunc in vimine vidit, 15
Aversi caudam morsu tenet : atque ita *
*Uber servato, quem texit, in *resultet.
Sepia tarda fugæ, tenui cum forte sub unda
Deprensa est, jamjamque manus timet illa rapaces,
Inficiens æquor nigrum vomit ore cruorem, 20
Avertitque vias, oculos frustrata sequentes.
Clausus rete Lupus, quamvis immanis et acer,
Dimotis cauda submissus sidit arenis.
. . . . . in auras
Emicat, atque dolos saltu deludit inultus ; 25
Et Muræna ferox teretis sibi conscia tergi,
Ad laxata magis conversa foramina retis,
Tandem permultos evadit lubrica flexus,
Exemploque nocens cunctis intervenit una.
At contra scopulis crinali corpore segnis 30
Polypus hæret, et hac eludit retia fraude,
Et sub lege loci sumit mutatque colorem,
Semper ei similis, quem contigit: atque ubi prædam
Pendentem sætis avidus rapit, hic quoque fallit
Elato calamo, cum demum emersus in auras 35
Brachia dissolvit, populatumque exspuit hamum.
At Mugil cauda pendentem everberat escam,
Excussamque legit. Lupus acri concitus ira
Discursu fertur vario, fluctusque ferentes
Prosequitur, quassatque caput, dum vulnere sævus 40
Laxato cadat hamus, et ora patentia linquat.
Nec proprias vires nescit Muræna nocendi :
Auxilioque sibi, morsu nec cominus acri
Deficit, aut animos ponit captiva minaces.
Anthias his, tergo quæ non videt, utitur armis,
Vim spinæ novitque suæ, versoque supinus 46
Corpore, lina secat, fixumque intercipit hamum.
. . . . . .
Cætera quæ densas habitant animalia sylvas,
Aut vani quatiunt semper lymphata timores,
Aut trahit in præceps non sana ferocia mentis.
Ipsa sequi natura monet, vel cominus ire. 51
Impiger ecce Leo venantum sternere pergit
Agmina, et adversis infert sua pectora telis :
Quoque venit, fidens magis et sublatior ardet,
Concussitque toros, et viribus addidit iram. 55
*Prodidit, atque suo properat sibi robore letum.
Fœdus Lucanis provolvitur Ursus ab antris,
Quid nisi pondus iners, stolidæque ferocia mentis ?
Actus Aper sætis iram denuntiat hirtis :
Et ruit oppositi nitens in vulnera ferri, 60
Pressus et emisso moritur per viscera telo.
Altera pars fidens pedibus, dat terga sequenti,
Ut pavidi Lepores, ut fulvo tergore Damæ,
Et capto fugiens Cervus sine fine timore.
[Ipsa sequi natura docet, vel cominus ire.] 65
Hic generosus honos, et gloria major Equorum :
Nam capiunt animis palmam, gaudentque triumpho.
Seu septem spatiis Circo meruere coronam ;
Nonne vides victor quanto sublimius altum
Attollat caput, et vulgi se venditet auræ ? 70
Celsave cum cæso decoratur terga leone, [actu,
Quam tumidus, quantoque venit spectabilis
*Compescatque solum generoso concita pulsu
Ungula sub spoliis graviter redeuntis opimis.
Quæ laus prima Canum ? quibus est audacia præceps, 75
Venandique sagax virtus, viresque sequendi.
Quæ nunc elatis rimantur naribus auras,
Et nunc demisso quærunt vestigia rostro,
Et produnt clamore feram, dominumque vocando
Increpitant ; quem si collatis effugit armis, 80
Insequitur tumulosque canis camposque per omnes. . . . . .

Noster in arte labor positus : spes omnis in illa.
Nec tamen in medias pelagi te pergere sedes
Admoneam, vastique maris tentare profundum.
Inter utrumque loci melius moderabere finem,
Aspera num saxis loca sint : nam talia lentos :
Deposcunt calamos ; at purum retia littus. 87
Num mons horrentes demittat celsior umbras
In mare: nam varie quidam fugiuntque petuntque.
Num vada subnatis imo viridentur ab herbis
* * *
Objectetque moras, et molli serviat algæ.
Descripsit sedes varie Natura profundi :
Nec cunctos una voluit consistere pisces.
Nam gaudent pelago, quales Scombrique, Bovesque,
Hippuri celeres, et nigro tergore Milvi : 95
Et pretiosus Helops, nostris incognitus undis :
Ac durus Xiphias, ictu non mitior ensis :
Et pavidi magno fugientes agmine Thunni :
Parva Echeneis adest (mirum) mora puppibus ingens : 99
Tuque comes ratium, tractique per æquora sulci,
Qui semper spumas sequeris, Pompile, nitentes :
Cercyrosque ferox scopulorum fine moratus :
Cantharus ingratus succo : tum concolor illi
Orphus, cæruleaque rubens Erythinus in unda :
Insignis Sargusque notis, insignis et alis : 105
Et superaurata Sparulus cervice refulgens :
Et rutilus Pagur, et fulvi Synodontes, et ex se
Concipiens Channe, gemino fraudata parente.

Tum viridis squamis parvo Saxatilis ore,
Et rarus Faber, et pictæ Mormyres, et auri 110
Chrysophrys imitata decus: tum corporis Umbræ
Liventis, rapidique Lupi, Percæque, Tragique.
Quin laude insignis caudæ Melanurus, et ardens
Auratis Muræna notis, Merulæque virentes,
Immitisque suæ Conger par vulnera gentis: 115
Et capitis duro nociturus Scorpius ictu:
Ac nunquam æstivo conspectus sidere Glaucus.
At contra herbosa pisces laxantur arena,
Ut Scarus, epastas solus qui ruminat escas;
Fecundumque genus Mænæ, Lamyrosque, Smarisque, 120
Atque immunda Chromis, merito vilissima Salpa:
Atque avium [dulces] nidos imitata sub undis,
Et Squalus, et tenui suffusus sanguine Mullus:
Fulgentes Soleæ candore, et concolor illis
Passer, et Adriaco mirandus littore Rhombus:
Tunc Epodes lati, tum molles tergore Ranæ. 126
Extremi parent *
*
*
Lubricus et spina nocuus non Gobius ulla,
Et nigrum niveo portans in corpore virus
Loligo, durique Sues, sinuosaque Caris: 130
Et tam deformi non dignus nomine Asellus:
Tuque peregrinis, Acipenser, nobilis undis.

EPICEDION DRUSI CÆSARIS, ET NUX ELEGIA,

QUÆ OVIDIO DUBIE ADSCRIBUNTUR:

A. SABINI EPISTOLÆ TRES,

QUÆ PENELOPÆ, PHYLLIDI, ET ŒNONÆ NASONIANIS RESPONDENT.

INCERTI AUCTORIS CONSOLATIO AD LIVIAM AUGUSTAM DE MORTE DRUSI NERONIS FILII EJUS *QUI IN GERMANIA MORBO PERIIT.*

Visa diu felix, mater modo dicta Neronum,
Jam tibi dimidium nominis hujus abest.
Jam legis in Drusum miserabile, Livia, carmen.
Unum, qui dicat jam tibi, Mater, habes.
Nec tua te pietas distendit amore duorum: 5
Nec posito filî nomine, dicis, Uter?
Et quisquam leges audet tibi dicere flendi?
Et quisquam lacrymas temperat ore tuas?
Hei mihi! quam facile est, quamvis hic contigit omnes,
Alterius luctu fortia verba loqui! 10
Scilicet exiguo percussa es fulminis ictu;
Fortior ut possis cladibus esse tuis.
Occidit exemplum juvenis venerabile morum:
Maximus ille armis, maximus ille toga.
Ille modo eripuit latebrosas hostibus Alpes, 15
Et titulum belli dux, duce fratre, tulit.
Ille genus Suevos acre, indomitosque Sygambros
Contudit, inque fugam barbara terga dedit;
Ignotumque tibi meruit, Romane, triumphum,
Protulit in terras imperiumque novas. 20
Solvere vota Jovi, fatorum ignara tuorum,
Mater, et armiferæ solvere vota deæ,
Gradivumque patrem donis implere parabas,
Et quoscunque coli jusque piumque deos. 24
Maternaque sacros agitabas mente triumphos:
Forsitan et curæ jam tibi currus erat.
Funera pro sacris tibi sunt ducenda triumphis:
Et tumulus Drusum pro Jovis arce manet.
Fingebas reducem, præceptaque mente fovebas
Gaudia; et ante oculos jam tibi victor erat. 30
Jam veniet: jam me gratantem turba videbit:
Jam mihi pro Druso dona ferenda meo.
Obvia progrediar, felixque per oppida dicar;
Collaque et hoc oculos illius ore premam.
Talis erit: sic occurret: sic oscula junget: 35
Hoc mihi narrabit; sic prior ipsa loquar.
Gaudia vana foves: spem, pone miserrima, falsam.
Desine de Druso læta referre tuo.
Cæsaris illud opus, voti pars altera vestri,
Occidit; indignas, Livia, solve comas. 40
Quid tibi nunc mores prosunt, actumque pudice
Omne ævum, et tanto tam placuisse viro?
[Quidque, pudicitia tantum inviolata bonorum,]
Ultima sit laudes inter ut illa tuas?
Quid, tenuisse animum contra sua sæcula rectum, 45
Altius et vitiis exseruisse caput?
Nec nocuisse ulli, et fortunam habuisse nocendi?
Nec quenquam nervos extimuisse tuos?
Nec vires errasse tuas Campoque Foroque;
Quamque licet citra constituisse domum? 50
Nempe per hos etiam Fortuna injuria mores
Regnat, et incerta est hic quoque nixa rota.
Hic quoque sentitur: ne quid non improba carpat,
Sævit, et injustum jus sibi ubique facit.
Scilicet immunis si luctus una fuisset 55
Livia, Fortunæ regna minora forent?
Quid, si non habitu sic se gessisset in omni,
Ut sua non essent invidiosa bona?
Cæsaris adde domum: quæ certe, funeris expers,
Debuit humanis altior esse malis. 60
Ille vigil, summa sacer ipse locatus in arce,
Res hominum ex tuto cernere dignus erat.
Nec fleri ipse suis, nec quenquam flere suorum;
Nec, quæ nos patimur vulgus, et ipse pati.
Vidimus erepta mærentem stirpe sororis. 65
Luctus, ut in Druso, publicus ille fuit.
Condidit Agrippam, quo te, Marcelle, sepulcro:
Et cepit generos jam locus ille duos.
Vix posito Agrippa tumuli bene janua clausa est:
Perficit officium funeris, ecce, soror. 70
Ecce, ter ante datis, jactura novissima, Drusus
A magno lacrymas Cæsare quartus habet.

Claudite jam, Parcæ, nimium reserata sepulcra;
Claudite: plus justo jam domus ista patet.
Cedis, et incassum tua nomina, Druse, levantur.
Ultima sit fati hæc summa querela tui. 76
Iste potest implere dolor vel sæcula tota,
Et magni luctus obtinuisse locum.
Multi in te amissi: nec, cui tot turba bonorum,
Omnis cui virtus contigit, unus eras. 80
Nec genetrice tua fecundior ulla parentum,
Tot bona per partus quæ dedit una duos.
Heu par illud ubi est, totidem virtutibus æquum?
Et concors pietas, nec dubitatus amor?
Vidimus, attonitum fraterna morte, Neronem 85
Squalida promissa flere per ora coma,
Dissimilemque sui vultu profitente dolorem:
Hei mihi! quam toto luctus in ore fuit!
Tu tamen extremo moriturum tempore fratrem
Vidisti; lacrymas vidit et ille tuas: 90
Affigique suis moriens tua pectora sensit,
Et tenuit vultu lumina fixa tuo:
Lumina, cærulea jam jamque natantia morte,
Lumina, fraternas jam subitura manus.
At miseranda parens suprema neque oscula fixit,
Frigida nec fovit membra tremente sinu. 96
Non animam apposito fugientem excepit hiatu;
Nec traxit cæsas per tua membra comas.
Raptus es absenti, dum te fera bella morantur,
Utilior patriæ, quam tibi, Druse, tuæ. 100
Liquitur, ut quondam Zephyris et solibus ictæ
Solvuntur teneræ, vere tepente, nives.
Te queritur, casusque malos, irrisaque tales, *
Accusatque annos, ut diuturna, suos. 104
Talis in umbrosis, mitis nunc denique, sylvis
Deflet Threicium Daulias ales Ityn:
Halcyonum tales ventosa per æquora questus
Ad surdas tenui voce sonantur aquas.
Sic plumosa novis plangentes pectora pennis
Œniden subitæ concinuistis aves. 110
Sic flevit Clymene: sic et Clymeneides, alte
Cum juvenis patriis excidit ictus equis.
Congelat interdum lacrymas, duratque, tenetque,
Suspensasque oculos fortior intus agit.
Erumpunt, iterumque gravant gremiumque sinusque, 115
Effusæ gravidis uberibusque genis.
In vires abiit flendi mora: plenior unda
Defluit, exigua si qua retenta mora.
Tandem ubi per lacrymas licuit, sic flebilis orsa est,
Singultu medios impediente sonos: 120
Nate, brevis fructus, duplicis sors altera partus,
Gloria confectæ, nate, parentis, ubi es?
Sed neque jam duplicis, neque jam sors altera, partus,
Gloria confectæ nunc quoque matris, ubi es?
Heu! modo tantus, ubi es? tumulo portaris et igni. 125
Hæc sunt in reditus dona paranda tuos?
Siccine dignus eras oculis occurrere matris?
Sic ego te reducem digna videre fui?
Cæsaris uxori si talia dicere fas est,
Jam dubito, magnos an rear esse deos. 130
Nam quid ego admisi? quæ non ego numina cultu,
Quos ego non potui demeruisse deos?
Hic pietatis honos? artus amplector inanes,
Et vorat hos ipsos flamma rogusque sinus.
Tene ego sustineo positum scelerata videre? 135
Tene meæ poterunt ungere, nate, manus?
Nunc ego te infelix summum teneoque tuorque?
Effingoque manus? oraque ad ora fero?
Nunc primum adspiceris consul victorque parenti?
Sic mihi, sic miseræ nomina tanta refers? 140
Quos primum vidi fasces, in funere vidi,
Et vidi eversos, indiciumque mali.
Quis credat? matri lux hæc mæstissima venit,
Qua natum in summo vidit honore suum.
Jamne ego non felix? jam pars mihi rapta Neronum, 145
Materni celeber nomine Drusus avi?
Jamne meus non est, nec me facit ille parentem?
Jamne fui Drusi mater? et ipse fuit?
Nec cum victorem referetur adesse Neronem,
Dicere jam potero, Major, an alter, adest? 150
Ultima contigimus: jus matris habemus ab uno;
Unius est munus, quod tamen orba negor.
Me miseram! extimui, frigusque per ossa cucurrit.
Nil ego jam possum certa vocare meum.
Hic meus ecce fuit: jubet hic de fratre vereri.
Omnia jam metuo: fortior ante fui. 156
Sospite te saltem moriar, Nero; tu mea condas
Lumina, et excipias hanc animam ore pio.
Atque utinam Drusi manus altera, et altera fratris
Formarent oculos, comprimerentque, meos!
Quod licet, hoc certe tumulo ponemur in uno,
Druse: neque ad veteres conditus ibis avos.
Miscebor cinerique cinis, atque ossibus ossa.
Hanc lucem celeri turbine Parca neat! [tur,
Hæc et plura refert: lacrymæ sua verba sequun-
Oraque nequicquam per modo questa fluunt.
Quin etiam corpus, matri vix vixque remissum,
Exsequiis caruit, Livia, pæne suis.
Quippe ducem arsuris exercitus omnis in armis,
Inter quæ periit, ponere certus erat. 170
Abstulit invitis corpus venerabile frater,
Et Drusum patriæ, quod licuitque, dedit.
Funera ducuntur Romana per oppida Drusi,
(Heu facinus!) per quæ victor iturus erat:
Per quæ deletis Rhætorum venerat armis. 175
Hei mihi! quam dispar huic fuit illud iter!
Consul init fractis mærentem fascibus Urbem:
Quid faceret victus, sic ubi victor init?
Mæsta domus plangore sonat, cui figere lætus
Parta sua dominus voverat arma manu. 180
Urbs gemit, et vultum miserabilis induit unum.
Gentibus adversis forma sit illa precor!
Incerti clauduntque domos, strepitantque per urbem;
Hic illic pavidi clamque palamque dolent.
Jura silent, mutæque tacent sine vindice leges:
Adspicitur toto purpura nulla foro. 186
Dique latent templis: neque iniqua ad funera vultus
Præbent: nec poscunt thura ferenda rogo.
Obscuros delubra tenent: pudet ora colentum
Adspicere, invidiæ, quam meruere, metu. 190
Atque aliquis de plebe pius pro paupere nato
Sustulerat timidas sidera ad alta manus:
Jamque precaturus, Quid ego autem credulus, inquit,
Suscipiam in nullos irrita vota deos?
Livia, non illos pro Druso Livia movit: 195
Nos erimus magno maxima cura Jovi?
Dixit; et iratus vota insuscepta reliquit,
Duravitque animum, destituitque preces.
Obvia turba ruit, lacrymisque rigantibus ora
Consulis erepti publica damna refert. 200

Omnibus îdem oculi; par est concordia flendi.
Funeris exsequiis adsumus omnis eques.
Omnis adest ætas: mærent juvenesque senesque,
Ausoniæ matres, Ausoniæque nurus.
Auctorisque sui præfertur imagine mæsta, 205
Quæ victrix templis debita laurus erat.
Certat onus lecti generosa subire juventus,
Et studet officio sedula colla dare.
Et voce et lacrymis laudasti, Cæsar, alumnum:
Tristia cum medius rumperet orsa dolor. 210
Tu letum optasti, dis aversantibus omen,
Par tibi: si sinerent te tua fata mori.
Sed tibi debetur cœlum: te fulmine pollens
Accipiet cupidi regia magna Jovis.
Quod petiit tulit ille, tibi ut sua facta placerent:
Magnaque laudatus præmia mortis habet. 216
Armatæque rogum celebrant de more cohortes,
Et pedes exsequias reddit equesque duci.
Te clamore vocant iterumque iterumque supremo:
At vox adversis collibus icta redit. 220
Ipse pater flavis Tiberinus inhorruit undis,
Sustulit et medio nubilus amne caput.
Tum salice implexum muscoque et arundine crinem
Cæruleo magna legit ab ore manu:
Uberibusque oculis lacrymarum flumina misit.
Vix capit adjectas alveus altus aquas. 226
Jamque rogi flammas extinguere fluminis ictu,
Corpus et intactum tollere, certus erat.
Sustentabat aquas, cursusque inhibebat equorum,
Ut posset toto proluere amne rogum. 230
Sed Mavors templo vicinus, et accola Campi
Tot dixit, siccis, verba, nec ipse genis:
Quanquam amnes decet ira, tamen, Tiberine, quiescas:
Non tibi, non ullis vincere fata datur.
Iste meus periit: periit arma inter et enses: 235
Et dux pro patria; funere causa patet.
Quod potui tribuisse, dedi: victoria parta est.
Auctor abît operis, sed tamen exstat opus.
Quondam ego tentavi Clothoque, duasque sorores,
Pollice quæ certo pensa severa trahunt; 240
Ut Remus Iliades, et frater conditor Urbis
Effugerent aliqua stagna profunda via.
De tribus una mihi, Partem accipe, quæ datur, inquit,
Muneris: ex istis, quod petis, alter erit.
Hic tibi; mox Veneri Cæsar promissus uterque.
Hos debet solos Martia Roma deos. 246
Sic cecinere deæ: nec tu, Tiberine, repugna,
Irrite: nec flammas amne morare tuo:
Nec juvenis positi supremos destrue honores.
Vade age, et admissis labere pronus aquis. 250
Paret, et in longum spatiosas explicat undas;
Structaque pendenti pumice tecta subit.
Flamma, diu cunctata caput contingere sanctum,
Erravit posito lenta sub usque toro.
Tandem ubi complexa est sylvas, alimentaque sumit, 255
Æthera subjectis lambit et astra comis:
Qualis in Herculeæ colluxit collibus Œtæ,
Cum sunt imposito membra cremata deo.
Uritur heu decor ille viri, generosaque forma,
Et faciles vultus; uritur ille vigor; 260
Victricesque manus, facundaque principis ora,
Pectoraque, ingenii magna capaxque domus.
Spes quoque multorum flammis uruntur in îsdem
Iste rogus miseræ viscera matris habet.
Facta ducis vivent, operosaque gloria rerum. 265
Hæc manet: hæc avidos effugit una rogos.
Pars erit historiæ, totoque legetur in ævo:
Seque opus ingeniis carminibusque dabit.
Stabis et in rostris tituli speciosus honore;
Causaque dicemur nos tibi, Druse, necis. 270
At tibi jus veniæ superest, Germania, nullum.
Postmodo tu pœnas, barbare, morte dabis.
Adspiciam regum liventia colla catenis,
Duraque per sævas vincula nexa manus:
Et tandem trepidos vultus: inque illa ferocum
Invitis lacrymas decidere ora genis. 276
Spiritus ille minax, et Drusi morte superbus,
Carnifici in mæsto carcere dandus erit.
Consistam, lætisque oculis lentusque videbo
Strata per obscænas corpore nuda vias. 280
Hunc Aurora diem, spectacula tanta ferentem,
Quam primum croceis roscida portet equis.
Adjice Ledæos, concordia sidera, fratres,
Templaque Romano conspicienda foro.
Quam parvo numeros implevit principis ævo, 285
In patriam meritis occubuitque senex!
Nec sua conspiciet, (miserum me!) munera Drusus,
Nec sua pro templi nomina fronte leget.
Sæpe Nero, illacrymans, submissa voce loquetur,
Cur adeo fratres, heu sine fratre, deos? 290
Certus eras, nunquam, nisi victor, Druse, reverti.
Hæc te debuerant tempora: victor eras.
Consule nos, duce nos, duce jam victore, caremus:
Invenit en tota mæror in Urbe locum.
At comitum squalent immissis ora capillis, 295
Infelix, Druso sed pia turba suo.
Quorum aliquis, tendens in te sua brachia, dixit,
Cur sine me, cur sic incomitatus abis?
Quid referam de te, dignissima conjuge Druso,
Atque eadem Drusi digna parente nurus? 300
Par bene compositum; juvenum fortissimus alter,
Altera tam forti mutua cura viro.
Fœmina tu princeps; tu filia Cæsaris: illi
Nec minor es magni conjuge visa Jovis.
Tu concessus amor, tu solus et ultimus illi, 305
Tu requies fesso grata laboris eras.
Te moriens per verba novissima questus abesse,
Et mota in nomen frigida lingua tuum.
Infelix recipis, non quem promiserat ipse,
Nec qui missus erat: nec tuus ille redit. 310
Nec tibi deletos poterit narrare Sicambros,
Ensibus et Suevos terga dedisse suis:
Fluminaque, et montes, et nomina magna locorum:
Et si quid miri vidit in orbe novo.
Frigidus ille tibi, corpusque refertur inane: 315
Quemque premat sine te, sternitur ecce torus.
Quo raperis, laniata comas, similisque furenti?
Quo ruis? attonita quid petis ora manu?
Hoc fuit Andromache, cum vir religatus ad axem
Terruit admissos sanguinolentus equos. 320
Hoc fuit Evadne, tunc cum ferienda coruscis
Fulminibus Capaneus impavida ora dedit.
Quid mortem tibi mæsta rogas? amplexaque natos
Pignora de Druso sola relicta tenes?
Et modo per somnos agitaris imagine falsa, 325
Teque tuo Drusum credis habere sinu?
Et subito tentasque manu, sperasque receptum;
Quæris et in vacui parte priore tori?
Ille pio, si non temere hæc creduntur, in arvo
Inter honoratos excipietur avos: 330

Magnaque maternis majoribus, æqua paternis
Gloria, quadrijugis aureus ibit equis:
Regalique habitu, curruque superbus eburno,
Fronde triumphali tempora vinctus erit.
Accipient juvenem Germanica signa ferentem
Consulis imperio, conspicuumque decus: 336
Gaudebuntque suæ merito cognomine gentis;
Quod solum domito victor ab hoste tulit.
Vix credent tantum rerum cepisse tot annos.
Magna viri latum quærere facta locum. 340
Hæc ipsum sublime ferent: hæc, optima mater,
Debuerant luctus attenuare tuos.
Fœmina digna illis, quos aurea condidit ætas,
Principibus natis, principe digna viro:
Quid deceat Drusi matrem, matremque Neronis,
Adspice; quo surgas, adspice, mane toro. 346
Non eadem vulgusque decent, et lumina rerum.
Est quod præcipuum debeat ista domus.
Imposuit te alto fortuna, locumque tueri
Jussit honoratum, Livia: perfer onus. 350
Ad te oculos, auresque trahis; tua facta notamus.
Nec vox missa potest principis ore tegi.
Alta mane; supraque tuos exsurge dolores:
Infragilemque animum, quod potes, usque tene.
An melius per te virtutum exempla petemus, 355
Quam si Romanæ principis edis opus?
Fata manent omnes: omnes exspectat avarus
Portitor: et turbæ vix satis una ratis.
Tendimus huc omnes: metam properamus ad unam.
Omnia sub leges mors vocat atra suas. 360
Ecce necem intentam cœlo, terræque, fretoque,
Casurumque triplex vaticinatur opus.
I nunc, et, rebus tanta impendente ruina,
In te solam oculos et tua damna refer.
Maximus ille quidem juvenum, spes publica vixit;
Et, qua natus erat, gloria summa domus. 366
Sed mortalis erat: nec tu secura fuisti,
Fortia progenie bella gerente tua.
Vita data est utenda: data est sine fœnore nobis
Mutua, nec certa persoluenda die. 370
Fortuna arbitriis tempus dispensat iniquis.
Illa rapit juvenes: sustinet illa senes.
Quaque ruit, furibunda ruit: totumque per orbem
Fulminat, et cæcis cæca triumphat equis.
Regna deæ immitis parce irritare querendo: 375
Sollicitare animos parce potentis heræ.
Quæ tamen hoc uno tristis tibi tempore venit,
Sæpe eadem rebus favit amica tuis.
Nata quod en alte es, quod fœtibus aucta duobus;
Quodque etiam magno consociata Jovi: 380
Quod semper domito rediit tibi Cæsar ab orbe,
Gessit et invicta prospera bella manu:
Quod spes implerunt maternaque vota Nerones;
Quod pulsus toties hostis utroque duce.
Rhenus, et Alpinæ valles, et sanguine nigro 385
Decolor infecta testis Itargus aqua:
Danubiusque rapax, et Dacius orbe remoto
[Apulus] huic hosti perbreve Pontus iter:
Armeniusque fugax, et tandem Dalmata supplex,
Summaque dispersi per juga Pannonii: 390
Et modo Germanus Romanis cognitus orbis.
Adspice quot meritis culpa sit una minor.
Adde quod est absens functus: nec cernere nati
Semineces oculos sustinuere tui.
Quique dolor menti lenissimus influit ægræ, 395
Accipere es luctus aure coacta tuos:
Prævertitque metus per longa pericula luctum,
Tu quibus auditis anxia mentis eras.
Non ex præcipiti dolor in tua pectora venit,
Sed per mollitos ante timore gradus. 400
Jupiter ante dedit fati mala signa cruenti,
Flammifera petiit cum tria templa manu:
[Junonisque gravi nocte impavidæque Minervæ,
Sanctaque et immensi Cæsaris icta domus:]
Sidera quin etiam cœlo fugisse feruntur, 405
Lucifer et solitas destituisse vias.
Lucifer in toto nulli comparuit orbe,
Et venit stella non præeunte dies.
Sideris hoc obitus terris instare monebat,
Et mergi Stygia nobile lumen aqua. 410
At tu, qui superes mæstæ solatia matri,
Comprecor, illi ipsi conspiciare senex:
Perque annos diuturnus eas fratrisque tuosque:
Et vivat nato cum sene mater anus.
Eventura precor. Deus excusare priora 415
Dum volet, a Druso cætera læta dabit.
Tu tamen ausa potes tanto indulgere dolori:
Longius ut nolis, heu male fortis, ali.
Vix etiam fueras paucas vitalis in horas,
Obtulit invitæ cum tibi Cæsar opem: 420
Admovitque preces, et jus immiscuit illis:
Aridaque affusa guttura tinxit aqua.
Nec minor est nato servandæ cura parentis:
Hic adhibet blandas, nec sine jure, preces.
Conjugis et nati meritum pervenit ad omnes: 425
Conjugis et nati, Livia, sospes ope es.
Supprime jam lacrymas: non est revocabilis istis,
Quem semel umbrifera navita lintre tulit.
Hectora tot fratres, tot deflevere sorores,
Et pater, et conjux, Astyanaxque puer, 430
Et longæva parens: tamen ille redemtus ad ignes,
Nullaque per Stygias umbra renavit aquas.
Contigit hoc etiam Thetidi: populator Achilles
Iliaca ambustis ossibus arva premit.
Illi cæruleum Panope matertera crinem 435
Solvit, et immensas fletibus auxit aquas:
Consortesque deæ centum, longævaque magni
Oceani conjux, Oceanusque pater:
Et Thetis ante omnes: sed nec Thetis ipsa, neque omnes
Mutarunt avidi tristia jura dei. 440
Prisca quid huc repeto? Marcellum Octavia flevit,
Et flevit populo Cæsar utrumque palam.
Sed rigidum jus est et inevitabile mortis.
Stant rata, non ulla fila renenda manu.
Ipse tibi emissus nebulosi littore Averni, 445
Si liceat, forti verba tot ore sonet:
Quid numeras annos? vixi maturior annis.
Acta senem faciunt: hæc numeranda tibi.
His ævum fuit implendum, non segnibus annis.
Hostibus eveniat longa senecta meis. 450
Hoc atavi monuere mei, proavique Nerones.
Fregerunt ambo Punica bella duces.
Hoc domus ista docet, per te mea, Cæsaris alti.
Exitus hic, mater, debuit esse meus.
Nec meritis, quanquam illa juvant magis, abfuit illis, 455
Mater, honos: titulis nomina plena vides.
Consul, et ignoti victor Germanicus orbis.
Cui fuit heu, mortis publica causa, legor.
Cingor Apollinea victricia tempora lauro,
Et sensi exsequias funeris ipse mei: 460
Decursusque virum notos mihi, donaque regum,
Cunctaque per titulos oppida lecta suos:

Et quo me officio portaverit illa juventus,
Quæ fuit ante meum tam generosa torum.
Denique laudari sacrato Cæsaris ore 465
Emerui, lacrymas elicuique deo.
Et cuiquam miserandus ero? jam comprime fletus.
Hoc ego, qui flendi sum tibi causa, rogo.
Hæc sentit Drusus, si quid modo sentit in umbra:
Nec tu de tanto crede minora viro. 470
Est tibi, sitque precor, multorum filius instar:
Parsque tui partus sit tibi salva prior.
Est conjux, tutela hominum: quo sospite vestram,
Livia, funestam dedecet esse domum.

NUX ELEGIA.

Nux ego juncta viæ, cum sim sine crimine vitæ,
A populo saxis prætereunte petor.
Obruere ista solet manifestos pœna nocentes,
Publica cum lentam non capit ira moram.
Nil ego peccavi: nisi si peccasse vocatur, 5
Annua cultori poma referre suo.
At prius arboribus, tum cum meliora fuere
Tempora, certamen fertilitatis erat:
Cum domini memores sertis ornare solebant
Agricolas, fructu proveniente, deos. 10
Sæpe tuas igitur, Liber, miratus es uvas:
Mirata est oleas sæpe Minerva suas.
Pomaque læsissent matrem, ni subdita ramo
Longa laboranti furca tulisset opem.
Quin etiam exemplo pariebat fœmina nostro;
Nullaque non illo tempore mater erat. 16
At postquam platanis, sterilem præbentibus umbram,
Uberior quavis arbore venit honos;
Nos quoque frugiferæ, si nux modo ponor in illis,
Cœpimus in patulas luxuriare comas. 20
Nunc neque continuos nascuntur poma per annos:
Uvaque læsa domum, læsaque bacca venit.
Nunc uterum vitiat, quæ vult formosa videri:
Raraque in hoc ævo est, quæ velit esse parens.
Certe ego, si nunquam peperissem, tutior essem.
Ista Clytemnestræ digna querela fuit. 26
Si sciat hoc vitis, nascentes supprimet uvas:
Orbaque, si sciat hoc, Palladis arbor erit.
Hoc in notitiam veniat maloque piroque;
Destituent sylvas utraque poma suas. 30
Quæque sibi vario distinguit poma colore,
Audiat hoc cerasus; stipes inanis erit.
Non equidem invideo: numquid tamen ulla feritur,
Quæ sterilis sola conspicienda coma est?
Cernite sinceros omnes ex ordine truncos, 35
Qui modo nil, quare percutiantur, habent.
At mihi sæva nocent mutilatis vulnera ramis,
Nudaque dejecto cortice ligna patent.
Non odium facit hoc, sed spes indulta rapinæ.
Sustineant aliæ poma; querentur idem. 40
Sic reus ille fere est, de quo victoria lucro
Esse potest: inopis vindice facta carent.
Sic timet insidias, qui scit se ferre viator
Cui timeat: tutum carpit inanis iter.
Sic ego sola petor, soli quia causa petendi est.
Frondibus intactis cætera turba virent. 46
Nam quod habent frutices alii quoque proxima nobis
Fragmina, quæ læso vimine multa jacent;
Non istis sua facta nocent: vicinia damno est.
Excipiunt ictu saxa repulsa meo. 50
Idque fide careat; si non, quæ longius absunt,
Nativum retinent inviolata decus.
Ergo, si sapiant, et mentem verba sequantur,
Devoveant umbras proxima quæque meas.
Quam miserum est, odium damnis accedere nostris;
Meque ream nimiæ proximitatis agi! 56
Sed, puto, magna mei est operoso cura colono.
Invenias, qui det nil mihi, præter humum.
Sponte mea facilis contemto nascor in agro:
Parsque loci, qua sto, publica pæne via est.
Me, sata ne lædam, (quoniam sata lædere dicor,)
Imus in extremo margine fundus habet.
Non mihi falx nimias Saturnia deputat umbras:
Duratam renovat non mihi fossor humum.
Sole licet siccaque siti peritura laborem, 65
Irriguæ dabitur non mihi sulcus aquæ,
At cum maturas fisso nova cortice rimas
Nux agit, ad partes pertica sæva venit.
Pertica dat plenis immitia vulnera ramis:
Ne possim lapidum verbera sola queri. 70
Poma cadunt, mensis non interdicta secundis
Et condis lectas, parca colona, nuces.
Has puer aut rectus certo dilaminat ictu,
Aut pronus digito bisve semelve petit.
Quatuor in nucibus, non amplius, alea tota est,
Cum sibi suppositis additur una tribus. 76
Per tabulæ clivum labi jubet alter, et optat,
Tangat ut e multis quamlibet una suam.
Est etiam, par sit numerus qui dicat, an impar:
Ut divinatas auferat augur opes. 80
Fit quoque de creta, quælem cœleste figuram
Sidus, et in Græcis littera quarta gerit.
Hæc ubi distincta est gradibus, qui constitit intus
Quot tetigit virgas, tot capit inde nuces.
Vas quoque sæpe cavum, spatio distante, locatur,
In quod missa levi nux cadat una manu. 86
Felix, secreto quæ nata est arbor in arvo,
Et soli domino ferre tributa potest!
Non hominum strepitus audit, non illa rotarum:
Non a vicina pulverulenta via est. 90
Illa suo, quæcunque tulit, dare dona colono,
Et plenos fructus annumerare potest.
At mihi maturos nunquam licet edere fœtus,
Ante diemque meæ decutiuntur opes;
Lamina mollis adhuc tenero dum lacte, quod intro est; 95
Nec mala sunt ulli nostra futura bono:
Jam tamen invenias, qui me jaculentur, et ictu
Præfestinato munus inane petant.
Si fiat rapti, fiat mensura relicti,
Majorem domini parte, viator, habes. 100
Sæpe aliquis, foliis ut nuda cacumina vidit,
Esse putat Boreæ triste furentis opus.
Æstibus hic, hic me spoliatam frigore credit:
Est quoque, qui crimen grandinis esse putet.
At mihi nec grando, duris invisa colonis, 105
Nec ventus fraudi, solve, geluve fuit.

Fructus obest: peperisse nocet: nocet esse feracem:
Quæque fuit multis, et mihi præda malo est.
Præda malo, Polydore, fuit tibi: præda nefandæ
Conjugis Aonium misit in arma virum. 110
Hesperii regis pomaria tuta fuissent:
Una sed immensas arbor habebat opes.
At rubus, et sentes tantummodo lædere natæ,
Spinaque vindicta cætera tuta sua est.
Me, quia nec noceo, nec obuncis vindicor hamis,
Missa petunt avida saxa proterva manu. 116
Quid, si non aptas solem fugientibus umbras,
Finditur Icario cum cane terra, darem?
Quid, nisi suffugium nimbos vitantibus essem,
Non exspectata cum venit imber aqua? 120
Omnia cum faciam, cum præstem sedula cunctis
Officium, saxis officiosa petor.
Hæc mihi perpessæ, domini patienda querela est.
Causa habeor, quare sit lapidosus ager.
Dumque repurgat humum, collectaque saxa remittit, 125
Semper habent in me tela parata viæ.
Ergo invisa aliis, uni mihi frigora prosunt:
Illo me tutam tempore præstat hiems.
Nuda quidem tunc sum; nudam tamen expedit esse:
Nec spolium de me, quod petat, hostis habet.
At simul induimus nostris sua munera ramis, 131
Saxa novos fructus grandine plura petunt.
Forsitan hic aliquis dicat: Quæ publica tangunt,
Carpere concessum est: hoc via juris habet.
Si licet hoc, oleas destringite: cædite messes.
Improbe, vicinum carpe, viator, olus. 136
Intret et urbanas eadem petulantia portas,
Sitque tuis muris, Romule, juris idem.
Quilibet argentum prima de fronte tabernæ
Tollat, et ad gemmas quilibet alter eat. 140
Auferat hic aurum, peregrinos ille lapillos;
Et quascunque potest tangere, tollat opes.
Sed neque tolluntur: nec, dum regit omnia Cæsar,
Incolumis, tanto præside, raptor erit.
At non ille deus pacem intra mœnia finit. 145
Auxilium toto spargit in orbe suum.
Quid tamen hoc prodest, media si luce palamque
Verberor, et tutæ non licet esse mihi?
Ergo nec nidos foliis hærere, nec ullam
Sedibus in nostris stare videtis avem. 150
At lapis, in ramo sedit quicunque bifurco,
Hæret, et ut capta victor in arce manet.
Cætera sæpe tamen potuere admissa negari,
Et crimen nox est inficiata suum.
Nostra notat fusco digitos injuria succo, 155
Cortice contactas inficiente manus.
Ille cruor meus est: illo maculata cruore
Non profectura dextra lavatur aqua.
O ego, cum longæ venerunt tædia vitæ,
Optavi quoties arida facta mori! 160
Optavi quoties, aut cæco turbine verti,
Aut valido missi fulminis igne peti!
Atque utinam subitæ raperent mea poma procellæ:
Vel possem fructus excutere ipsa meos!
Sic, ubi detracta est a te tibi causa pericli, 165
Quod superest, tutum, Pontice castor, habes.
Quid mihi tunc animi est, cum sumit tela viator,
Atque oculis plagæ destinat ante locum?
Nec vitare licet moto fera verbera trunco,
Quem sub humo radix vinclaque firma tenent.
Corpora præbemus plagis: ut sæpe sagittis, 171
Cum populus manicas deposuisse vetat:
Utve gravem candens ubi tolli vacca securim,
Aut stringi cultros in sua colla videt.
Sæpe meas vento frondes tremuisse putastis:
Sed metus in nobis causa tremoris erat. 176
Si merui, videorque nocens; imponite flammæ,
Nostraque fumosis urite membra focis.
Si merui, videorque nocens; excidite ferro:
Et liceat miseræ dedecus esse semel. 180
Si nec cur urar, nec cur excidar, habetis;
Parcite: sic cœptum perficiatis iter.

A. SABINI EPISTOLÆ TRES

TRIBUS OVIDII EPISTOLIS RESPONDENTES.

EPISTOLA I.

ULIXES PENELOPÆ.

Pertulit ad miserum tandem tua casus Ulixen,
Penelope, chartis verba notata piis.
Agnovi caramque manum, gemmasque fideles.
Solamen longis illa fuere malis.
Arguis ut lentum: mallem quoque forsitan esse,
Quam tibi quæque tuli dicere, quæque feram.
Non hoc objecit mihi Græcia, cum mea fictus
Detinuit patrio littore vela furor;
Sed thalamis nec velle tuis, nec posse carere:
Causaque fingendæ tu mihi mentis eras. 10
Nil tibi rescribam curæ est, properemque venire.
Dum propero, adversi vela tulere Noti.
Non me Troja tenet, Graiis odiosa puellis,
Jam cinis, et tantum flebile Troja solum.
Deïphobusque jacet, jacet Asius, et jacet Hector,
Et quicunque tui causa timoris erat. 16
Evasi et Thracum cæso duce prælia Rheso,
In mea captivis castra revectus equis:
Tutus et e media Phrygiæ Tritonidis arce
Fatalis palmæ pignora capta tuli. 20
Nec timui commissus equo, male sedula quamvis
Clamabat vates, Urite, Troes, equum:
Urite; mendaci celantur robore Achivi,
Et Phrygas in miseros ultima bella ferunt.
Perdiderat tumuli supremum munus Achilles;
Sed Thetidi est humeris redditus ille meis. 26
Nec laudem Danai tanto renuere labori:
Erepti pretium corporis arma tuli.
Quid refert? pelago sunt obruta: non mihi classes,
Non socii superant: omnia pontus habet. 30

Solus adhuc mecum, qui me tot casibus unus
Duravit, patiens ad mala, perstat amor.
Illum non avidis canibus Niseia virgo
Fregit: non tumidis torta Charybdis aquis:
Non ferus Antiphates, nec in uno corpore dissors
Parthenope, blandis insidiosa modis: 36
Non quod Colchiacis Circe tentaverit herbis,
Non quod sollennes altera diva toros.
Utraque se nobis mortalia demere fila
Spondebat, Stygias utraque posse vias. 40
Te tamen, hac etiam spreta mercede, petivi,
Passurus terra tot mala, totque mari.
Sed tu fœmineo nunc forsan nomine tacta,
Non secura leges cætera verba mea:
Quæque mihi Circe, quæ sit mihi causa Calypso, 45
Jamdudum ignoto sollicitere metu.
Certe ego cum Antinoum, Polybumque, Medontaque legi,
Heu toto sanguis corpore nullus erat!
Tot juvenes inter, tot vina licentia, semper
(Hei mihi! quo credam pignore?) casta manes. 50
Curve placent ulli, si sunt in fletibus ora,
Deperit et lacrymis non decor iste tibi?
Pacta quoque es thalamo, nisi mendax tela moretur,
Et cœptum revoces callida semper opus.
Ars pia; sed quoties oculos frustrabere lana, 55
Successum toties ars dabit ista tibi.
Ah melius, Polypheme, tuo superatus in antro
Finissem ingratos ad mala tanta dies!
Threicio melius cecidissem milite victus,
Ismaron errantes cum tenuere rates: 60
Crudelemve illo satiassem tempore Ditem,
Quo redii Stygiis fata moratus aquis.
Vidi ubi, nequicquam quod me tua littera celat,
Sospes digresso quæ mihi mater erat.
Retulit illa domus eadem mala: meque querentem 65
Fugit, ab implexu ter resoluta meo.
Phylaciden vidi: contemtis sortibus ille
Primus in Hectoreas intulit arma domos.
Felix laudata cum conjuge! læta per umbras
Illa suum fortes it comitata virum. 70
Necdum illi Lachesis dictos numeraverat annos:
Sed juvat ante suum sic cecidisse diem.
Vidi, nec lacrymas oculi tenuere cadentes,
Deformem Atriden, hei mihi! cæde nova.
Illum Troja virum non læserat: ille furentem 75
Nauplion, Euboicos transieratque sinus.
Quid refert? animam per vulnera mille profudit,
Jam reduci solvens debita vota Jovi.
Tyndaris has illi læso pro fœdere pœnas
Struxerat, externos ipsa secuta viros. 80
Ah! mihi quid prodest, captivas Teucridas inter
Cum staret conjux Hectoris, atque soror,
Defectis Hecuben potius legisse sub annis,
Ne tibi suspectus pellicis esset amor?
Prima meis omen metuendum puppibus illa 85
Fecit, non membris ipsa reperta suis.
Latratu miseras finivit mæsta querelas,
Et stetit in rabidam protinus acta canem.
Prodigio tali placidum Thetis abstulit æquor,
Æolus [infusis] incubuitque Notis. 90
Pervagus hinc toto non felix differor orbe,
Et, quocunque vocant fluctus et aura, feror.
Sed si Tiresias tam læti providus augur,
Quam verax vates in mala nostra fuit;
Et terra et pelago, quicquid mihi triste canebat,
Emensus, fato jam meliore vagor. 96
Jam mihi nescio quo comitem se in littore jungit
Pallas, et hospitibus per loca tuta trahit.
Nunc primum Pallas versæ post funera Trojæ
Visa mihi: medium temporis ira tulit. 100
Quicquid Oilides commiserat, omnibus unus
Peccavit: Danais omnibus ira nocens.
Nec te, Tydide, cujus modo foverat arma,
Eximit: errato tu quoque ab orbe venis.
Non Telamone satum capta de conjuge Teucrum, 105
Non ipsum, pro quo mille fuere rates.
Felix Plisthenide, quacunque in sorte fuisti
Conjuge cum cara: non gravis illa fuit.
Seu venti fecere moras, sive æquora vobis;
Ad nulla est vester damna retentus amor. 110
Oscula nec venti certe tenuere, nec undæ:
Promtaque in amplexus brachia semper erant.
Sic utinam errarem! faceres tu mollia, conjux,
Æquora: te socia nil mihi triste foret.
Nunc quoque, Telemacho tecum mihi sospite lecto, 115
Omnia sunt animo jam leviora mala.
Quem tamen infestas rursus queror ire per undas
Herculeam Sparten, Nestoreamque Pylon.
Ingrata est pietas, cui tanta pericula subsunt:
Nam male commissus fluctibus ipse fuit. 120
Sed labor in fine est: occursum in littore vates
Dixit: in amplexus, care, serere tuos.
Noscendus soli veniam tibi: tu preme sollers
Lætitiam, et tacito gaudia conde sinu.
Non vi certandum, nec aperta in bella ruendum.
Sic cecinit laurus ille monere suas. 126
Forsitan ante dapes, interque vacantia vina,
Ultoris pharetris utile tempus erit:
Et modo despectum subito mirentur Ulixen
Heu precor, ut properet ille venire dies! 130
Antiqui renovet qui lætus fœdera lecti:
Et tandem incipias conjuge, cara, frui.

EPISTOLA II.

DEMOPHOON PHYLLIDI.

Hanc tibi Demophoon patria dimittit ab urbe:
Et patriam meminit muneris esse tui.
Nec face Demophoon alia, nec conjuge captus,
Sed tam non felix, quam tibi notus erat.
Thesea, (quo socero nequicquam, Phylli, tumebas; 5
Impuleritque ignes forsitan ille tuos:)
Turpe pati nobis, regno ferus expulit hospes:
Hunc illi finem longa senecta dedit.
Qui modo peltiferas fudit Mæotidas armis,
Alcidæ magni, non minor ipse, comes: 10
Qui socerum Minoa gravi sibi fecit ab hoste,
Mirantem monstri cornua victa sui.
Arguor exilii, quis credat? causa fuisse,
Nec tacitum frater me sinit esse reum:
Dum thalamos, inquit, dilectæ Phyllidos urges,
Et tuus externo cessat in igne furor; 16
Fluxere interea pede tempora lapsa fugaci,
Prævenitque tuas flebilis hora moras.
Forsitan aut nondum fractis occurrere rebus,
Aut poteras fractis utilis esse tamen. 20
Cur potiora tibi Rhodopeia regna fuere,
Quæque magis regnis cara puella fuit?
Intonat his Acamas: eadem mox objicit Æthra,
Infelix functæ jam prope sortis anus.

Et quod non condant nati sua lumina palmæ,
Fecisse hæc nostras arguit usque moras. 26
Non equidem inficior: multum clamavit uterque
Staret Threiciis cum mihi puppis aquis: [ti:
Poscunt, Demophoon, quid cessas? carbasa ven-
Demophoon, patrios respice, dure, deos: 30
Respice: et exemplum, qua gaudes, Phyllida sume.
Sic amat, ut terra nolit abire sua.
Utque redire velis, non ut comitetur euntem,
Te rogat: et præfert barbara regna tuis.
Me tamen hæc inter tacitum convicia sæpe 35
Adversis memini vota tulisse Notis:
Sæpe abitura tuo ponentem brachia collo,
Gavisum in fluctus æquora mota truces.
Nec metuam hoc ipso coram genitore fateri:
Libertas meritis est mihi facta tuis; 40
Dicere, Non duro dilectam Phyllida liqui
Pectore: nec præceps vela ferenda dedi.
Et flevi, et flentem solando sæpe, remansi,
Cum staret cursus jam mihi certa dies.
Denique Threicia veni rate: non dare Phyllis
Quam potuit, jussit tardius ire ratem. 46
Ignoscet fasso: memor est Minoidos ipse.
Antiquus necdum pectore cessit amor.
Et quoties oculis circumdat sidera, dicit,
Quæ fulget cœlo, nostra puella fuit. 50
Illum dilecta Bacchus sibi cedere jussit
Conjuge; desertæ crimen at ille subit.
Exemploque patris perjurus dicor et ipse:
Nec quæris causas, Sithoni dura, moræ:
Nec satis ampla putas redituri pignora, si me
Non amor alterius, non amor ullus habet. 56
Nullane fama tibi turbatos, Phylli, penates
Theseos, et miseræ retulit acta domus?
Non laqueos audis cari me flere parentis?
Flebilior laqueis (hei mihi!) causa subest. 60
Non fratrem Hippolytum? cecidit miserabilis ille
Præceps attonitis per freta raptus equis.
Non tamen excuso reditus: licet undique fata
Accumulent causas; tempora parva peto. 64
Thesea, quod superest, patrem tumulabimus ante.
Succedat tumulo non sine honore decens.
Da spatium veniamque, peto: non perfidus absum:
Nec mihi jam terra tutior ulla tua est.
Quicquid mite fuit post diruta Pergama, quicquid
Aut bella, aut pelagi detinuere moræ; 70
Sola fuit Thrace: patria quoque jactor in ipsa:
Auxilium superes casibus una meis.
Si modo mens eadem: nec, quod sit jam [mihi] dives
Regia, Cecropia non minor arce, movet: 74
Nec patris offendunt casus, nec crimina matris;
Nec jam non felix omine Demophoon.
Quid, si Phœbeam peterem te conjuge Trojam,
Perque annos sequerer bella gerenda decem?
Penelopen audis: toto laudatur in orbe
Exemplum fidi non leve facta tori. 80
Illa piæ, sic rumor ait, mendacia telæ
Struxit, et instantes distulit arte procos:
Cum properata palam revocaret stamina noctu,
Atque iterum in lanas omne rediret opus.
At tua ne fugiant spreti connubia Thraces, 85
Phylli, times: ulli nubere, dura, potes?
Estque tibi pectus cujusquam accedere tædæ?
Obstat perfidiæ nec metus iste tuæ?
Ah tibi quantus erit facti rubor! ah tibi quantus
Tum dolor, adspicies cum mea vela procul!
Damnabisque tuos sero temeraria questus: 91
Demophoon, dices, hei mihi, fidus erat!
Demophoon rediit, et sævos forsitan Euros
Passus, et hibernas dum quoque currit aquas.
Ah cur nescio quam properavimus, (hei mihi!) culpam?
Rupi, quam ruptam sum mihi questa, fidem.
Sic tamen ah potius, sic perstes, quam mihi de te
Ulterior tangat pectora, Phylli, dolor!
Quos tibi, (me miserum!) laqueos, quæ fata minaris?
Et nimis audaces gens habet ista deos. 100
Parce, precor: famamque domus mihi crimen habentis
Perfidiæ, gemina ne preme, dura, nota.
Excuset patrem fatis in parte relicta
Gnossis: non merui, cur ferar ipse nocens.
Nec venti mea verba ferunt, qui vela tulerunt.
Est animus reditus; sed pia causa tenet. 106

EPISTOLA III.

PARIS ŒNONÆ.

Quæ satis apta tibi tam juste, Nympha, querenti
Rescribam, fateor quærere verba manum.
Quærit, nec subeunt; sentit sua crimina tantum:
Solvere, quæ sentit, non sinit alter amor.
Si levat hoc iras, ipso me judice damnor. 5
Quid refert? causa tu meliore cales.
Damnatumque tibi me sub sua jura Cupido
Retrahit: alterius sic quoque præda sumus.
Prima meis tu pacta toris, fassusque juventam
Te primum accepta est conjuge noster amor.
Nondum tantus eram. Quo me genitore superbum
Arguis, hoc domino tunc retinendus eram. 12
Non ego Deiphobum sperabam, aut Hectora fratrem,
Cum pastos agerem, te comitante, greges:
Reginamque Hecuben, non matris nomine, noram: 15
Et fueras illi digna manere nurus.
Sed non est rationis amor: te consule, Nympha.
Læsa es: sed læsam scribis amare tamen.
Cumque petant Satyri connubia, cum tua Panes,
Rejectæ memor es tu tamen usque facis. 20
Adde, quod hic fatis amor est adjutus, et illum
Præscia venturi viderat ante soror.
Nondum Tyndaridos nomen mihi sederat aure,
Et cecinit Graios illa vocare toros.
Omnia vera vides: superant mea vulnera tantum,
Utque tuam supplex poscere cogar opem. 26
Te penes arbitrium nostræ vitæque necisque:
Victuri jam nunc pectora sume tibi.
Flevisti, memini, tamen hac in voce canentis:
Et, Mala, dixisti, sint precor ista procul: 30
Nec sic fata ferant, tulerint sic cætera quamvis,
Ut possim Œnone perdere læsa Parin.
Tot superare metus, qui me, nec credere cogit,
(Ignoscas) idem te quoque fallit Amor.
Imperat ille deis: cum vult, in cornua tauri,
Cum vult, in pennas destruit ille Jovem. 36
Non foret in terris tanto miranda decore
Tyndaris, heu flammis nata puella meis!
Si sua non cycno mutasset Jupiter ora.
Fluxerat in Danaes aureus ante sinus: 40
Piniferamque Iden falsus lustraverat ales:
Inter Agenoreas constiteratque boves.

Victorem Alciden dominæ quis pensa tenere
Crederet? at lanas nere coegit Amor.
Dicitur et Coa sedisse in veste puellæ: 45
Illa Cleonæo tecta leone fuit.
Te memini Phœbum, Œnone, (mea crimina dico)
Fugisse, et nostros præposuisse toros.
Non ego præstabam Phœbo: sed tela Cupido
His in te voluit legibus ire sua. 50
Consolare tamen digna tua pellice damna:
Quam tibi prætulimus, nata puella Jove est.
Sed quod nata Jove est, minimum me tangit in illa:
Quod non est facies pulchrior ulla, nocet.
Atque utinam formæ judex incallidus essem 55
Creditus Idæis, Pegasi Nympha, jugis!
Non mihi Junonis, nec obesset Pallados ira,
Laudata est oculis quod Cytherea meis.
Dividit hæc aliis flammas celeresque paresque:
Ut libitum est, nati temperat ipsa faces. 60
Non tamen evaluit vitare domestica tela.
Quos aliis arcus, et sibi dura tulit.
Deprensam conjux illam in Mavorte dolebat.
Testibus hic divis cum Jove questus erat.
Jam dolet et Mavors, terras ultroque reliquit:
Prætulit Anchisen huic habitura suum. 66
Anchisen propter voluit formosa videri:
Visaque post latam jacuit ulta deam.*
Quid mirum est, potuisse Parin succumbere amori,
Immunis sub quo non fuit ipsa parens? 70
Quam læsus Menelaus amat, non læsus amavi.
Adjice, non læso quod comes ipsa fuit.
Et magnos, video, cogit mihi rapta tumultus,
Armatæque petunt Pergama mille rates.
Non vereor belli ne non sit causa probanda: 75
Est illi facies digna movere duces.
Si mihi nulla fides, armatos respice Atridas.
Quam sibi sic repetunt, sic retinenda mihi est.
Quod si vertendæ spem mentis concipis hujus,
Cur cessant herbæ, carmina curve tua? 80
Nam te nec Phœbi sollertior artibus ulla est,
Phœbeæque Hecates somnia vera vides.
Tecum sideribus, tecum deducere Lunam
Nubibus, et memini surripuisse diem.
Pascebam tauros, interque armenta leones 85
Obstupui placidos vocibus ire tuis.
Quid retro Xanthum, retro Simoenta vocatum
Adjiciam cursus non tenuisse suos?
Ipse pater Cebren, natæ male tutus ab ore,
Cantatas quoties restitit inter aquas! 90
Nunc locus Œnonæ est, nunc illam ostende: parabis
Sive tuos ignes pellere, sive meos.

P. OVIDII NASONIS METAMORPHOSEON LIBRI XV.

NASONIS EPIGRAMMA.

Orba parente suo quicunque volumina tangis,
His saltem vestra detur in urbe locus.
Quoque magis faveas, non sunt hæc edita ab illo,
Sed quasi de domini funere rapta sui.
Quicquid in his igitur vitii rude carmen habebit,
Emendaturus, si licuisset, erat.

LIBER PRIMUS.

In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora. Di, cœptis (nam vos mutastis et illas)
Adspirate meis: primaque ab origine mundi
Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.
Ante mare et tellus, et, quod tegit omnia, cœlum, 5
Unus erat toto Naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos; rudis indigestaque moles,
Nec quicquam, nisi pondus iners, congestaque eodem 8
Non bene junctarum discordia semina rerum.
Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan:
Nec nova crescendo reparabat cornua Phœbe:
Nec circumfuso pendebat in aere tellus
Ponderibus librata suis: nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.
Quaque fuit tellus, illic et pontus et aer: 15
Sic erat instabilis tellus, innabilis unda,
Lucis egens aer: nulli sua forma manebat.
Obstabatque aliis aliud: quia corpore in uno
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.
Hanc Deus et melior litem Natura diremit: 21
Nam cœlo terras, et terris abscidit undas,
Et liquidum spisso secrevit ab aere cœlum.
Quæ postquam evolvit, cæcoque exemit acervo,
Dissociata locis concordi pace ligavit. 25
Ignea convexi vis et sine pondere cœli
Emicuit, summaque locum sibi legit in arce.
Proximus est aer illi levitate locoque:
Densior his tellus, elementaque grandia traxit;
Et pressa est gravitate sui: circumfluus humor
Ultima possedit, solidumque coercuit orbem.
Sic ubi dispositam, quisquis fuit ille deorum,
Congeriem secuit, sectamque in membra redegit;
Principio terram, ne non æqualis ab omni 34
Parte foret, magni speciem glomeravit in orbis.
Tum freta diffundi, rabidisque tumescere ventis
Jussit, et ambitæ circumdare littora terræ.
Addidit et fontes, immensaque stagna, lacusque;
Fluminaque obliquis cinxit declivia ripis: 39
Quæ, diversa locis, partim sorbentur ab ipsa;
In mare perveniunt partim, campoque recepta
Liberioris aquæ, pro ripis littora pulsant.
Jussit et extendi campos, subsidere valles,
Fronde tegi sylvas, lapidosos surgere montes.
Utque duæ dextra cœlum, totidemque sinistra
Parte secant zonæ, quinta est ardentior illis; 46
Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura dei, totidemque plagæ tellure premuntur.

Quarum quæ media est, non est habitabilis æstu :
Nix tegit alta duas: totidem inter utramque locavit, 50
Temperiemque dedit, mixta cum frigore flamma.
Imminet his aer, qui, quanto est pondere terræ
Pondus aquæ levius, tanto est onerosior igni.
Illic et nubilas, illic consistere nubes
Jussit, et humanas motura tonitrua mentes, 55
Et cum fulminibus facientes frigora ventos.
His quoque non passim mundi fabricator habendum
Aera permisit. Vix nunc obsistitur illis,
Cum sua quisque regant diverso flamina tractu,
Quin lanient mundum; tanta est discordia fratrum. 60
Eurus ad Auroram, Nabatæaque regna recessit,
Persidaque, et radiis juga subdita matutinis.
Vesper, et occiduo quæ littora sole tepescunt,
Proxima sunt Zephyro: Scythiam septemque trionem
Horrifer invasit Boreas: contraria tellus 65
Nubibus assiduis, pluvioque madescit ab Austro.
Hæc super imposuit liquidum, et gravitate carentem
Æthera, nec quicquam terrenæ fæcis habentem.
Vix ea limitibus dissepserat omnia certis,
Cum, quæ pressa diu massa latuere sub illa, 70
Sidera cœperunt toto effervescere cœlo.
Neu regio foret ulla suis animantibus orba,
Astra tenent cœleste solum, formæque deorum:
Cesserunt nitidis habitandæ piscibus undæ:
Terra feras cepit: volucres agitabilis aer. 75
Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, et quod dominari in cætera posset.
Natus homo est: sive hunc divino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto 80
Æthere, cognati retinebat semina cœli;
Quam satus Iapeto, mixtam fluvialibus undis,
Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.
Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri 85
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.
Sic, modo quæ fuerat rudis et sine imagine, tellus
Induit ignotas hominum conversa figuras.
Aurea prima sata est ætas, quæ, vindice nullo,
Sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebat.
Pœna metusque aberant; nec verba minacia fixo
Ære legebantur: nec supplex turba timebant
Judicis ora sui: sed erant sine vindice tuti.
Nondum cæsa suis, peregrinum ut viseret orbem,
Montibus, in liquidas pinus descenderat undas:
Nullaque mortales, præter sua, littora norant.
Nondum præcipites cingebant oppida fossæ:
Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non ensis, erant: sine militis usu
Mollia securæ peragebant otia gentes. 100
Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus:
Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, et in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes.
Ver erat æternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat:
Nec renovatus ager gravidis canebat aristis. 110
Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant:
Flavaque de viridi stillabant ilice mella.
Postquam, Saturno tenebrosa in Tartara misso,
Sub Jove mundus erat; subiit argentea proles,
Auro deterior, fulvo pretiosior ære. 115
Jupiter antiqui contraxit tempora veris: [nos,
Perque hiemes, æstusque, et inæquales autum-
Et breve ver, spatiis exegit quatuor annum.
Tum primum siccis aer fervoribus ustus
Canduit, et ventis glacies adstricta pependit.
Tum primum subiere domos: domus antra fuerunt, 121
Et densi frutices, et vinctæ cortice virgæ.
Semina tum primum longis Cerealia sulcis
Obruta sunt, pressique jugo gemuere juvenci.
Tertia post illas successit aenea proles, 125
Sævior ingeniis, et ad horrida promtior arma;
Nec scelerata tamen. De duro est ultima ferro.
Protinus irrumpit venæ pejoris in ævum
Omne nefas: fugere pudor, verumque, fidesque:
In quorum subiere locum fraudesque, dolique,
Insidiæque, et vis, et amor sceleratus habendi.
Vela dabant ventis, nec adhuc bene noverat illos
Navita: quæque diu steterant in montibus altis,
Fluctibus ignotis insultavere carinæ. 134
Communemque prius, ceu lumina solis et auras,
Cautus humum longo signavit limite mensor.
Nec tantum segetes alimentaque debita dives
Poscebatur humus; sed itum est in viscera terræ:
Quasque recondiderat, Stygiisque admoverat umbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum. 140
Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierant: prodit bellum, quod pugnat utroque;
Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.
Vivitur ex rapto: non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero: fratrum quoque gratia rara est. 145
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti:
Lurida terribiles miscent aconita novercæ:
Filius ante diem patris inquirit in annos.
Victa jacet Pietas: et virgo cæde madentes,
Ultima cœlestum, terras Astræa reliquit. 150
Neve foret terris securior arduus æther;
Affectasse ferunt regnum cœleste Gigantas,
Altaque congestos struxisse ad sidera montes.
Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum
Fulmine, et excussit subjecto Pelion Ossæ. 155
Obruta mole sua cum corpora dira jacerent;
Perfusam multo natorum sanguine Terram
Incaluisse ferunt, calidumque animasse cruorem:
Et, ne nulla suæ stirpis monumenta manerent,
In faciem vertisse hominum: sed et illa propago
Contemtrix superum, sævæque avidissima cædis,
Et violenta fuit: scires e sanguine natos.
Quæ pater ut summa vidit Saturnius arce,
Ingemit: et facto nondum vulgata recenti
Fœda Lycaoniæ referens convivia mensæ, 165
Ingentes animo et dignas Jove concipit iras;
Conciliumque vocat. Tenuit mora nulla vocatos.
Est via sublimis, cœlo manifesta sereno:
Lactea nomen habet; candore notabilis ipso.
Hac iter est superis ad magni tecta Tonantis,
Regalemque domum. Dextra lævaque deorum
Atria nobilium valvis celebrantur apertis.
Plebs habitant diversa locis; a fronte potentes
Cœlicolæ, clarique suos posuere penates.
Hic locus est, quem, si verbis audacia detur,
Haud timeam magni dixisse Palatia cœli. 176
Ergo ubi marmoreo superi sedere recessu,
Celsior ipse loco, sceptroque innixus eburno,
Terrificam capitis concussit terque quaterque
Cæsariem, cum qua terram, mare, sidera, movit.

Talibus inde modis ora indignantia solvit: 181
Non ego pro mundi regno magis anxius illa
Tempestate fui, qua centum quisque parabant
Injicere anguipedum captivo brachia cœlo.
Nam, quanquam ferus hostis erat, tamen illud ab uno 185
Corpore, et ex una pendebat origine bellum.
Nunc mihi, qua totum Nereus circumtonat orbem,
Perdendum mortale genus. Per flumina juro
Infera, sub terras Stygio labentia luco,
Cuncta prius tentata: sed immedicabile vulnus
Ense recidendum, ne pars sincera trahatur. 191
Sunt mihi Semidei, sunt rustica numina, Nymphæ,
Faunique, Satyrique, et monticolæ Silvani:
Quos quoniam cœli nondum dignamur honore,
Quas dedimus, certe terras habitare sinamus.
An satis, o superi, tutos fore creditis illos, 196
Cum mihi, qui fulmen, qui vos habeoque, regoque,
Struxerit insidias notus feritate Lycaon? [sum
Confremuere omnes: studiisque ardentibus au-
Talia deposcunt. Sic, cum manus impia sævit
Sanguine Cæsareo Romanum extinguere nomen,
Attonitum tanto subitæ terrore ruinæ 202
Humanum genus est, totusque perhorruit orbis.
Nec tibi grata minus pietas, Auguste, tuorum,
Quam fuit illa Jovi. Qui postquam voce manuque
Murmura compressit, tenuere silentia cuncti.
Substitit ut clamor, pressus gravitate regentis,
Jupiter hoc iterum sermone silentia rumpit:
Ille quidem pœnas (curam hanc dimittite) solvit;
Quod tamen admissum, quæ sit vindicta, docebo.
Contigerat nostras infamia temporis aures: 211
Quam cupiens falsam, summo delabor Olympo,
Et deus humana lustro sub imagine terras
Longa mora est, quantum noxæ sit ubique repertum,
Enumerare: minor fuit ipsa infamia vero. 215
Mænala transieram, latebris horrenda ferarum,
Et cum Cylleno gelidi pineta Lycei.
Arcados hinc sedes et inhospita tecta tyranni
Ingredior, traherent cum sera crepuscula noctem.
Signa dedi venisse deum; vulgusque precari
Cœperat. Irridet primo pia vota Lycaon; 221
Mox ait, Experiar, deus hic, discrimine aperto,
An sit mortalis: nec erit dubitabile verum.
Nocte gravem somno necopina perdere morte
Me parat: hæc illi placet experientia veri. 225
Nec contentus eo, missi de gente Molossa
Obsidis unius jugulum mucrone resolvit:
Atque ita semineces partim ferventibus artus
Mollit aquis, partim subjecto torruit igni.
Quos simul imposuit mensis; ego vindice flamma
In domino dignos everti tecta Penates. 231
Territus ille fugit; nactusque silentia ruris
Exululat, frustraque loqui conatur: ab ipso
Colligit os rabiem, solitæque cupidine cædis
Vertitur in pecudes: et nunc quoque sanguine gaudet. 235
In villos abeunt vestes, in crura lacerti.
Fit lupus, et veteris servat vestigia formæ.
Canities eadem est, eadem violentia vultu:
Idem oculi lucent: eadem feritatis imago. 239
Occidit una domus: sed non domus una perire
Digna fuit; qua terra patet, fera regnat Erinnys.
In facinus jurasse putes. Dent ocius omnes,
Quas meruere pati, sic stat sententia, pœnas.
Dicta Jovis pars voce probant, stimulosque furenti
Adjiciunt: alii partes assensibus implent. 245
Est tamen humani generis jactura dolori
Omnibus: et, quæ sit terræ, mortalibus orbæ,
Forma futura, rogant: quis sit laturus in aras
Thura: ferisne paret populandas tradere terras?
Talia quærentes, sibi enim fore cætera curæ,
Rex superum trepidare vetat: sobolemque priori
Dissimilem populo promittit origine mira. 252
Jamque erat in totas sparsurus fulmina terras;
Sed timuit, ne forte sacer tot ab ignibus æther
Conciperet flammas, longusque ardesceret axis.
Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, et mundi moles operosa laboret. 258
Tela reponuntur manibus fabricata Cyclopum.
Pœna placet diversa; genus mortale sub undis
Perdere, et ex omni nimbos dimittere cœlo.
Protinus Æoliis Aquilonem claudit in antris,
Et quæcunque fugant inductas flamina nubes:
Emittitque Notum. Madidis Notus evolat alis,
Terribilem picea tectus caligine vultum. 265
Barba gravis nimbis: canis fluit unda capillis:
Fronte sedent nebulæ: rorant pennæque, sinusque.
Utque manu lata pendentia nubila pressit,
Fit fragor: hinc densi funduntur ab æthere nimbi.
Nuntia Junonis, varios induta colores, 270
Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus affert.
Sternuntur segetes, et deplorata coloni
Vota jacent, longique labor perit irritus anni.
Nec cœlo contenta suo Jovis ira: sed illum
Cæruleus frater juvat auxiliaribus undis. 275
Convocat hic amnes: qui postquam tecta tyranni
Intravere sui, Non est hortamine longo
Nunc, ait, utendum: vires effundite vestras.
Sic opus est. Aperite domos, ac, mole remota,
Fluminibus vestris totas immittite habenas. 280
Jusserat: hi redeunt, ac fontibus ora relaxant,
Et defrenato volvuntur in æquora cursu.
Ipse tridente suo terram percussit: at illa
Intremuit, motuque sinus patefecit aquarum.
Exspatiata ruunt per apertos flumina campos;
Cumque satis arbusta simul, pecudesque, virosque, 286
Tectaque, cumque suis rapiunt penetralia sacris.
Si qua domus mansit, potuitque resistere tanto
Indejecta malo; culmen tamen altior hujus
Unda tegit, pressæque labant sub gurgite turres.
Jamque mare et tellus nullum discrimen habebant. [ponto.
Omnia pontus erant: deerant quoque littora
Occupat hic collem: cymba sedet alter adunca,
Et ducit remos illic, ubi nuper ararat. 294
Ille supra segetes, aut mersæ culmina villæ,
Navigat: hic summa piscem deprendit in ulmo.
Figitur in viridi, si fors tulit, anchora prato:
Aut subjecta terunt curvæ vineta carinæ. 298
Et, modo qua graciles gramen carpsere capellæ,
Nunc ibi deformes ponunt sua corpora phocæ.
Mirantur sub aqua lucos, urbesque, domosque
Nereides: sylvasque tenent delphines, et altis
Incursant ramis, agitataque robora pulsant.
Nat lupus inter oves: fulvos vehit unda leones:
Unda vehit tigres: nec vires fulminis apro, 305
Crura nec ablato prosunt velocia cervo.
Quæsitisque diu terris, ubi sidere detur,
In mare lassatis volucris vaga decidit alis.
Obruerat tumulos immensa licentia ponti, 309
Pulsabantque novi montana cacumina fluctus.
Maxima pars unda rapitur: quibus unda pepercit,
Illos longa domant inopi jejunia victu.

Separat Aonios Actæis Phocis ab arvis, 313
Terra ferax, dum terra fuit; sed tempore in illo
Pars maris, et latus subitarum campus aquarum.
Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus,
Nomine Parnassus, superatque cacumine nubes.
Hic ubi Deucalion, nam cætera texerat æquor,
Cum consorte tori parva rate vectus adhæsit;
Corycidas Nymphas, et numina montis adorant,
Fatidicamque Themin, quæ nunc oracla tenebat.
Non illo melior quisquam, nec amantior æqui
Vir fuit, aut illa metuentior ulla deorum. 323
Jupiter ut liquidis stagnare paludibus orbem,
Et superesse videt de tot modo millibus unum,
Et superesse videt de tot modo millibus unam;
Innocuos ambos, cultores numinis ambos;
Nubila disjecit: nimbisque Aquilone remotis,
Et cœlo terras ostendit, et æthera terris. 329
Nec maris ira manet; positoque tricuspide telo
Mulcet aquas rector pelagi: supraque profundum
Exstantem, atque humeros innato murice tectum
Cæruleum Tritona vocat; conchæque sonaci
Inspirare jubet, fluctusque et flumina signo 334
Jam revocare dato. Cava buccina sumitur illi
Tortilis, in latum quæ turbine crescit ab imo:
Buccina, quæ medio concepit ut aera ponto,
Littora voce replet sub utroque jacentia Phœbo.
Tum quoque, ut ora dei madida rorantia barba
Contigit, et cecinit jussos inflata receptus, 340
Omnibus audita est telluris et æquoris undis:
Et quibus est undis audita, coercuit omnes.
Jam mare littus habet: plenos capit alveus amnes:
Flumina subsidunt: colles exire videntur. [dis.
Surgit humus: crescunt loca, decrescentibus un-
Postque diem longam nudata cacumina sylvæ
Ostendunt, limumque tenent in fronde relictum.
Redditus orbis erat. Quem postquam vidit inanem,
Et desolatas agere alta silentia terras;
Deucalion lacrymis ita Pyrrham affatur obortis:
O soror, o conjux, o fœmina sola superstes, 351
Quam commune mihi genus, et patruelis origo,
Deinde torus junxit; nunc ipsa pericula jungunt:
Terrarum, quascunque vident occasus et ortus,
Nos duo turba sumus: possedit cætera pontus.
Nunc quoque adhuc vitæ non est fiducia nostræ
Certa satis: terrent etiamnum nubila mentem.
Quid tibi, si sine me fatis erepta fuisses,
Nunc animi, miseranda, foret? quo sola timorem
Ferre modo posses? quo consolante doleres? 360
Namque ego, crede mihi, si te modo pontus haberet, [beret.
Te sequerer, conjux: et me quoque pontus ha-
O utinam possim populos reparare paternis
Artibus, atque animas formatæ infundere terræ!
Nunc genus in nobis restat mortale duobus, 365
(Sic visum superis,) hominumque exempla manemus.
Dixerat, et flebant. Placuit cœleste precari
Numen, et auxilium per sacras quærere sortes.
Nulla mora est; adeunt pariter Cephisidas undas,
Ut nondum liquidas, sic jam vada nota secantes.
Inde ubi libatos irroravere liquores 371
Vestibus et capiti; flectunt vestigia sanctæ
Ad delubra deæ: quorum fastigia turpi
Squalebant musco, stabantque sine ignibus aræ.
Ut templi tetigere gradus, procumbit uterque
Pronus humi, gelidoque pavens dedit oscula saxo.
Atque ita, Si precibus, dixerunt, numina justis
Victa remollescunt, si flectitur ira deorum; [tri
Dic, Themi, qua generis damnum reparabile nos-
Arte sit: et mersis fer opem, mitissima, rebus.
Mota dea est, sortemque dedit: Discedite templo,
Et velate caput, cinctasque resolvite vestes:
Ossaque post tergum magnæ jactate parentis.
Obstupuere diu: rumpitque silentia voce
Pyrrha prior, jussisque deæ parere recusat: 385
Detque sibi veniam, pavido rogat ore: pavetque
Lædere jactatis maternas ossibus umbras.
Interea repetunt cæcis obscura latebris
Verba datæ sortis secum, inter seque volutant.
Inde Promethides placidis Epimethida dictis
Mulcet; et, Aut fallax, ait, est sollertia nobis,
Aut pia sunt, nullumque nefas oracula suadent.
Magna parens terra est: lapides in corpore terræ
Ossa reor dici: jacere hos post terga jubemur.
Conjugis augurio quanquam Titania mota est;
Spes tamen in dubio est. Adeo cœlestibus ambo
Diffidunt monitis: sed quid tentare nocebit?
Descendunt; velantque caput, tunicasque recingunt; 398
Et jussos lapides sua post vestigia mittunt.
Saxa (quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas?)
Ponere duritiem cœpere, suumque rigorem;
Mollirique mora, mollitaque ducere formam.
Mox, ubi creverunt, naturaque mitior illis
Contigit, ut quædam, sic non manifesta, videri
Forma potest hominis; sed uti de marmore cœpto
Non exacta satis, rudibusque simillima signis.
Quæ tamen ex illis aliquo pars humida succo,
Et terrena fuit, versa est in corporis usum.
Quod solidum est, flectique nequit, mutatur in ossa: [sit:
Quod modo vena fuit, sub eodem nomine man-
Inque brevi spatio, superorum munere, saxa
Missa viri manibus faciem traxere virilem: 412
Et de fœmineo reparata est fœmina jactu.
Inde genus durum sumus, experiensque laborum:
Et documenta damus, qua simus origine nati.
Cætera diversis tellus animalia formis [igne
Sponte sua peperit, postquam vetus humor ab
Percaluit solis; cœnumque, udæque paludes
Intumuere æstu: fecundaque semina rerum
Vivaci nutrita solo, ceu matris in alvo, 420
Creverunt, faciemque aliquam cepere morando.
Sic ubi deseruit madidos septemfluus agros
Nilus, et antiquo sua flumina reddidit alveo,
Ætherioque recens exarsit sidere limus;
Plurima cultores versis animalia glebis 425
Inveniunt, et in his quædam modo cœpta, sub ipsum
Nascendi spatium: quædam imperfecta, suisque
Trunca vident numeris: et eodem in corpore sæpe
Altera pars vivit, rudis est pars altera tellus.
Quippe ubi temperiem sumsere humorque calorque, 430
Concipiunt: et ab his oriuntur cuncta duobus.
Cumque sit ignis aquæ pugnax, vapor humidus omnes
Res creat, et discors concordia fœtibus apta est.
Ergo ubi diluvio tellus lutulenta recenti
Solibus ætheriis altoque recanduit æstu; 435
Edidit innumeras species: partimque figuras
Rettulit antiquas; partim nova monstra creavit.
Illa quidem nollet, sed te quoque, maxime Python,
Tum genuit; populisque novis, incognita serpens,
Terror eras: tantum spatii de monte tenebas. 440
Hanc deus arcitenens, et nunquam talibus armis

Ante, nisi in damis capreisque fugacibus, usus,
Mille gravem telis, exhausta pæne pharetra,
Perdidit, effuso per vulnera nigra veneno.
Neve operis famam possit delere vetustas, 445
Instituit sacros celebri certamine ludos,
Pythia, de domitæ serpentis nomine dictos.
His juvenum quicunque manu, pedibusve, rotave
Vicerat, æsculeæ capiebat frondis honorem.
Nondum laurus erat; longoque decentia crine 450
Tempora cingebat de qualibet arbore Phœbus.
Primus amor Phœbi Daphne Peneia; quem non
Fors ignara dedit, sed sæva Cupidinis ira.
Delius hunc nuper, victa serpente superbus,
Viderat adducto flectentem cornua nervo: 455
Quidque tibi, lascive puer, cum fortibus armis?
Dixerat: ista decent humeros gestamina nostros,
Qui dare certa feræ, dare vulnera possumus hosti;
Qui modo, pestifero tot jugera ventre prementem,
Stravimus innumeris tumidum Pythona sagittis.
Tu face nescio quos esto contentus amores 461
Irritare tua: nec laudes assere nostras.
Filius huic Veneris: Figat tuus omnia, Phœbe,
Te meus arcus, ait: quantoque animalia cedunt
Cuncta tibi, tanto minor est tua gloria nostra.
Dixit: et eliso percussis aere pennis 466
Impiger umbrosa Parnassi constitit arce:
Eque sagittifera promsit duo tela pharetra
Diversorum operum: fugat hoc, facit illud amorem.
Quod facit, auratum est, et cuspide fulget acuta:
Quod fugat, obtusum est, et habet sub arundine plumbum. 471
Hoc deus in Nympha Peneide fixit; at illo
Læsit Apollineas trajecta per ossa medullas.
Protinus alter amat; fugit altera nomen amantis,
Sylvarum latebris, captivarumque ferarum 475
Exuviis gaudens, innuptæque æmula Phœbes.
Vitta coercebat positos sine lege capillos.
Multi illam petiere: illa aversata petentes,
Impatiens expersque viri, nemorum avia lustrat;
Nec quid Hymen, quid amor, quid sint connubia, curat. 480
Sæpe pater dixit: Generum mihi, filia, debes.
Sæpe pater dixit: Debes mihi, nata, nepotes.
Illa, velut crimen tædas exosa jugales,
Pulchra verecundo suffunditur ora rubore;
Inque patris blandis hærens cervice lacertis, 485
Da mihi perpetua, genitor carissime, dixit,
Virginitate frui: dedit hoc pater ante Dianæ.
Ille quidem obsequitur: sed te decor iste, quod optas,
Esse vetat: votoque tuo tua forma repugnat.
Phœbus amat, visæque cupit connubia Daphnes: 490
Quæque cupit, sperat: suaque illum oracula fallunt.
Utque leves stipulæ demtis adolentur aristis;
Ut facibus sepes ardent, quas forte viator
Vel nimis admovit, vel jam sub luce reliquit;
Sic deus in flammas abiit: sic pectore toto 495
Uritur, et sterilem sperando nutrit amorem.
Spectat inornatos collo pendere capillos;
Et, Quid si comantur? ait: videt igne micantes
Sideribus similes oculos: videt oscula; quæ non
Est vidisse satis. Laudat digitosque, manusque,
Brachiaque, et nudos media plus parte lacertos.
Si qua latent, meliora putat. Fugit ocior aura
Illa levi: neque ad hæc revocantis verba resistit:
Nympha, precor, Penei, mane: non insequor hostis:
Nympha, mane. Sic agna lupum, sic cerva leonem, 505
Sic aquilam penna fugiunt trepidante columbæ;
Hostes quæque suos: amor est mihi causa sequendi.
Me miserum! ne prona cadas, indignave lædi
Crura secent sentes: et sim tibi causa doloris.
Aspera, qua properas, loca sunt: moderatius, oro, 510
Curre, fugamque inhibe: moderatius insequar ipse.
Cui placeas, inquire tamen; non incola montis,
Non ego sum pastor: non hic armenta, gregesve
Horridus observo. Nescis, temeraria, nescis
Quem fugias: ideoque fugis. Mihi Delphica tellus, 515
Et Claros, et Tenedos, Pataræaque regia servit.
Jupiter est genitor. Per me, quod eritque, fuitque,
Estque, patet: per me concordant carmina nervis.
Certa quidem nostra est, nostra tamen una sagitta
Certior, in vacuo quæ vulnera pectore fecit. 520
Inventum medicina meum est; opiferque per orbem
Dicor, et herbarum subjecta potentia nobis.
Hei mihi, quod nullis amor est medicabilis herbis: [artes!
Nec prosunt domino, quæ prosunt omnibus,
Plura locuturum timida Peneia cursu 525
Fugit, cumque ipso verba imperfecta reliquit.
Tum quoque visa decens: nudabant corpora venti,
Obviaque adversas vibrabant flamina vestes;
Et levis impexos retro dabat aura capillos:
Auctaque forma fuga est. Sed enim non sustinet ultra 530
Perdere blanditias juvenis deus: utque movebat
Ipse amor, admisso sequitur vestigia passu.
Ut canis in vacuo leporem cum Gallicus arvo
Vidit, et hic prædam pedibus petit, ille salutem:
Alter inhæsuro similis, jam jamque tenere 535
Sperat, et extento stringit vestigia rostro:
Alter in ambiguo est, an sit deprensus, et ipsis
Morsibus eripitur, tangentiaque ora relinquit:
Sic deus, et virgo est: hic spe celer, illa timore.
Qui tamen insequitur, pennis adjutus Amoris,
Ocior est, requiemque negat: tergoque fugaci
Imminet, et crinem sparsum cervicibus afflat.
Viribus absumtis expalluit illa: citæque
Victa labore fugæ, spectans Peneidas undas,
Fer, pater, inquit, opem; si flumina numen habetis. 545
Qua nimium placui, tellus, aut hisce, vel istam,
Quæ facit, ut lædar, mutando perde figuram.
Vix prece finita, torpor gravis alligat artus:
Mollia cinguntur tenui præcordia libro. 549
In frondem crines, in ramos brachia crescunt:
Pes, modo tam velox, pigris radicibus hæret:
Ora cacumen obit: remanet nitor unus in illa.
Hanc quoque Phœbus amat: positaque in stipite dextra 553
Sentit adhuc trepidare novo sub cortice pectus:
Complexusque suis ramos, ut membra, lacertis,
Oscula dat ligno: refugit tamen oscula lignum.
Cui deus, At conjux quoniam mea non potes esse,
Arbor eris certe, dixit, mea. Semper habebunt

Te coma, te citharæ, te nostræ, laure, pharetræ.
Tu ducibus Latiis aderis, cum læta triumphum
Vox canet, et longas visent Capitolia pompas.
Postibus Augustis eadem fidissima custos 562
Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum.
Utque meum intonsis caput est juvenile capillis,
Tu quoque perpetuos semper gere frondis honores. 565
Finierat Pæan. Factis modo laurea ramis
Annuit: utque caput, visa est agitasse cacumen.
Est nemus Hæmoniæ, prærupta quod undique claudit
Sylva: vocant Tempe: per quæ Peneus, ab imo
Effusus Pindo, spumosis volvitur undis: 570
Dejectuque gravi tenues agitantia fumos
Nubila conducit, summasque adspergine sylvas
Impluit, et sonitu plus quam vicina fatigat.
Hæc domus, hæc sedes, hæc sunt penetralia magni 574
Amnis: in hoc, residens facto de cautibus antro,
Undis jura dabat, Nymphisque colentibus undas.
Conveniunt illuc popularia flumina primum;
Nescia gratentur, consolenturne parentem:
Populifer Spercheos, et irrequietus Enipeus,
Apidanusque senex, lenisque Amphrysos, et Æas; 580
Moxque amnes alii, qui, qua tulit impetus illos,
In mare deducunt fessas erroribus undas.
Inachus unus abest: imoque reconditus antro
Fletibus auget aquas, natamque miserrimus Io
Luget, ut amissam. Nescit, vitane fruatur, 585
An sit apud manes: sed quam non invenit usquam,
Esse putat nusquam; atque animo pejora veretur.
Viderat a patrio redeuntem Jupiter Io
Flumine: et, O virgo Jove digna, tuoque beatum
Nescio quem factura toro, pete, dixerat, umbras
Altorum nemorum, (et nemorum monstraverat umbras,) 591
Dum calet, et medio Sol est altissimus orbe.
Quod si sola times latebras intrare ferarum,
Præside tuta deo nemorum secreta subibis:
Nec de plebe deo, sed qui cœlestia magna 595
Sceptra manu teneo; sed qui vaga fulmina mitto.
Ne fuge me; fugiebat enim. Jam pascua Lernæ,
Consitaque arboribus Lyrcea reliquerat arva;
Cum deus inducta latas caligine terras
Occuluit, tenuitque fugam, rapuitque pudorem.
Interea medios Juno despexit in agros, 601
Et noctis faciem nebulas fecisse volucres
Sub nitido mirata die; non fluminis illas
Esse, nec humenti sentit tellure remitti:
Atque suus conjux, ubi sit, circumspicit; ut quæ 605
Deprensi toties jam nosset furta mariti.
Quem postquam cœlo non reperit; Aut ego fallor,
Aut ego lædor, ait; delapsaque ab æthere summo
Constitit in terris, nebulasque recedere jussit.
Conjugis adventum præsenserat, inque nitentem
Inachidos vultus mutaverat ille juvencam. 611
Bos quoque formosa est. Speciem Saturnia vaccæ,
Quanquam invita, probat: nec non et cujus, et unde,
Quove sit armento, veri quasi nescia, quærit.
Jupiter e terra genitum mentitur, ut auctor 615
Desinat inquiri. Petit hanc Saturnia munus.
Quid faciat? crudele, suos addicere amores:
Non dare, suspectum. Pudor est, qui suadeat illinc;
Hinc dissuadet amor. Victus pudor esset amore:
Sed, leve si munus sociæ generisque torique 620
Vacca negaretur, poterat non vacca videri.
Pellice donata, non protinus exuit omnem
Diva metum; timuitque Jovem, et fuit anxia furti;
Donec Arestoridæ servandam tradidit Argo.
Centum luminibus cinctum caput Argus habebat:
Inde suis vicibus capiebant bina quietem: 626
Cætera servabant, atque in statione manebant.
Constiterat quocunque modo, spectabat ad Io:
Ante oculos Io, quamvis aversus, habebat.
Luce sinit pasci: cum Sol tellure sub alta est, 630
Claudit, et indigno circumdat vincula collo.
Frondibus arboreis, et amara pascitur herba:
Proque toro, terræ, non semper gramen habenti,
Incubat infelix; limosaque flumina potat.
Illa etiam supplex Argo cum brachia vellet 635
Tendere, non habuit, quæ brachia tenderet Argo:
Conatoque queri mugitus edidit ore,
Pertimuitque sonos, propriaque exterrita voce est.
Venit et ad ripas, ubi ludere sæpe solebat,
Inachidas ripas: novaque ut conspexit in unda
Cornua, pertimuit, seque externata refugit. 641
Naides ignorant, ignorat et Inachus ipse,
Quæ sit: at illa patrem sequitur, sequiturque sorores:
Et patitur tangi, seque admirantibus offert.
Decerptas senior porrexerat Inachus herbas; 645
Illa manus lambit, patriisque dat oscula palmis;
Nec retinet lacrymas: et, si modo verba sequantur,
Oret opem, nomenque suum, casusque loquatur.
Littera pro verbis, quam pes in pulvere duxit,
Corporis indicium mutati triste peregit. 650
Me miserum! exclamat pater Inachus: inque gementis
Cornibus, et niveæ pendens cervice juvencæ,
Me miserum! ingeminat. Tune es quæsita per omnes,
Nata, mihi terras? tu non inventa reperta 654
Luctus eras levior. Retices, nec mutua nostris
Dicta refers; alto tantum suspiria ducis
Pectore, quodque unum potes, ad mea verba remugis.
At tibi ego ignarus thalamos tædasque parabam:
Spesque fuit generi mihi prima, secunda nepotum.
De grege nunc tibi vir, nunc de grege natus habendus. 660
Nec finire licet tantos mihi morte dolores:
Sed nocet esse deum, præclusaque janua leti
Æternum nostros luctus extendit in ævum.
Talia mærenti stellatus submovet Argus,
Ereptamque patri diversa in pascua natam 665
Abstrahit: ipse procul montis sublime cacumen
Occupat, unde sedens partes speculetur in omnes.
Nec superûm rector mala tanta Phoronidos ultra
Ferre potest: natumque vocat, quem lucida partu
Pleias enixa est, letoque det imperat Argum. 670
Parva mora est, alas pedibus, virgamque potenti
Somniferam sumsisse manu, tegimenque capillis.
Hæc ubi disposuit, patria Jove natus ab arce
Desilit in terras. Illic tegimenque removit,

Et posuit pennas: tantummodo virga retenta est. 675
Hac agit, ut pastor, per devia rura capellas,
Dum venit, abductas: et structis cantat avenis.
Voce nova captus custos Junonius, At tu,
Quisquis es, hoc poteras mecum considere saxo,
Argus ait: neque enim pecori fecundior ullo 680
Herba loco est, aptamque vides pastoribus umbram.
Sedit Atlantiades, et euntem multa loquendo
Detinuit sermone diem: junctisque canendo
Vincere arundinibus servantia lumina tentat.
Ille tamen pugnat molles evincere somnos: 685
Et, quamvis sopor est oculorum parte receptus,
Parte tamen vigilat: quærit quoque, (namque reperta
Fistula nuper erat,) qua sit ratione reperta.
Tum deus, Arcadiæ gelidis in montibus, inquit,
Inter Hamadryadas celeberrima Nonacrinas 690
Naias una fuit. Nymphæ Syringa vocabant.
Non semel et Satyros eluserat ille sequentes,
Et quoscunque deos umbrosave sylva, feraxve
Rus habet. Ortygiam studiis ipsaque colebat
Virginitate deam. Ritu quoque cincta Dianæ
Falleret, et credi posset Latonia, si non 696
Corneus huic arcus, si non foret aureus illi.
Sic quoque fallebat. Redeuntem colle Lycæo
Pan videt hanc, pinuque caput præcinctus acuta
Talia verba refert. Restabat verba referre;
Et precibus spretis fugisse per avia Nympham,
Donec arenosi placidum Ladonis ad amnem
Venerit: hic illi cursum impedientibus undis,
Ut se mutarent, liquidas orasse sorores;
Panaque, cum prensam sibi jam Syringa putaret, 705
Corpore pro Nymphæ calamos tenuisse palustres:
Dumque ibi suspirat, motos in arundine ventos
Effecisse sonum tenuem, similemque querenti:
Arte nova vocisque deum dulcedine captum,
Hoc mihi concilium tecum, dixisse, manebit:
Atque ita disparibus calamis compagine ceræ
Inter se junctis nomen tenuisse puellæ.
Talia dicturus vidit Cyllenius omnes
Succubuisse oculos, adopertaque lumina somno.
Supprimit extemplo vocem: firmatque soporem,
Languida permulcens medicata lumina virga.
Nec mora: falcato nutantem vulnerat ense, 717
Qua collo confine caput: saxoque cruentum
Dejicit, et maculat præruptam sanguine cautem.
Arge, jaces: quodque in tot lumina lumen habebas, 720
Exstinctum est, centumque oculos nox occupat una.
Excipit hos, volucrisque suæ Saturnia pennis
Collocat, et gemmis caudam stellantibus implet.
Protinus exarsit, nec tempora distulit iræ;
Horriferamque oculis animoque objecit Erinnyn 725
Pellicis Argolicæ, stimulosque in pectora cæcos
Condidit, et profugam per totum terruit orbem.
Ultimus immenso restabas, Nile, labori:
Quem simul ac tetigit, positisque in margine ripæ
Procubuit genibus, resupinoque ardua collo;
Quos potuit, solos tollens ad sidera vultus, 731
Et gemitu, et lacrymis, et luctisono mugitu
Cum Jove visa queri est, finemque orare malorum.
Conjugis ille suæ complexus colla lacertis,
Finiat ut pœnas tandem, rogat: Inque futurum
Pone metus, inquit, nunquam tibi causa doloris
Hæc erit: et Stygias jubet hoc audire paludes.
Ut lenita dea est, vultus capit illa priores:
Fitque, quod ante fuit. Fugiunt e corpore setæ:
Cornua decrescunt: fit luminis arctior orbis:
Contrahitur rictus: redeunt humerique manusque: 741
Ungulaque in quinos dilapsa absumitur ungues.
De bove nil superest, formæ nisi candor, in illa:
Officioque pedum Nymphe contenta duorum
Erigitur: metuitque loqui, ne more juvencæ 745
Mugiat: et timide verba intermissa retentat.
Nunc dea linigera colitur celeberrima turba.
Huic Epaphus magni genitus de semine tandem
Creditur esse Jovis: perque urbes juncta parenti
Templa tenet. Fuit huic animis æqualis et annis 750
Sole satus Phaethon: quem quondam magna loquentem,
Nec sibi cedentem, Phœboque parente superbum,
Non tulit Inachides: Matrique, ait, omnia demens
Credis, et es tumidus genitoris imagine falsi.
Erubuit Phaethon, iramque pudore repressit:
Et tulit ad Clymenen Epaphi convicia matrem.
Quoque magis doleas, genitrix, ait, ille ego liber,
Ille ferox tacui. Pudet hæc opprobria nobis
Et dici potuisse, et non potuisse repelli.
At tu, si modo sum cœlesti stirpe creatus, 760
Ede notam tanti generis, meque assere cœlo.
Dixit; et implicuit materno brachia collo:
Perque suum, Meropisque caput, tædasque sororum
Traderet, oravit, veri sibi signa parentis.
Ambiguum, Clymene precibus Phaethontis, an ira 765
Mota magis dicti sibi criminis, utraque cœlo
Brachia porrexit: spectansque ad lumina Solis,
Per jubar hoc, inquit, radiis insigne coruscis,
Nate, tibi juro, quod nos auditque videtque;
Hoc te, quem spectas, hoc te, qui temperat orbem, 770
Sole satum. Si ficta loquor, neget ipse videndum
Se mihi; sitque oculis lux ista novissima nostris.
Nec longus labor est patrios tibi nosse penates:
Unde oritur, domus est terræ contermina nostræ.
Si modo fert animus, gradere; et scitabere ab ipso. 775
Emicat extemplo lætus post talia matris
Dicta suæ Phaethon, et concipit æthera mente:
Æthiopasque suos, positosque sub ignibus Indos
Sidereis, transit, patriosque adit impiger ortus.

LIBER SECUNDUS.

Regia Solis erat sublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammasque imitante pyropo:
Cujus ebur nitidum fastigia summa tenebat:
Argenti bifores radiabant lumine valvæ.
Materiem superabat opus: nam Mulciber illic 5
Æquora cælarat medias cingentia terras,
Terrarumque orbem, cœlumque quod imminet orbi.
Cæruleos habet unda deos; Tritona canorum,
Proteaque ambiguum, balænarumque prementem
Ægæona suis immania terga lacertis: 10
Doridaque, et natas: quarum pars nare videntur,
Pars in mole sedens virides siccare capillos;
Pisce vehi quædam. Facies non omnibus una,
Nec diversa tamen: qualem decet esse sororum.
Terra viros, urbesque gerit, sylvasque, ferasque,
Fluminaque, et Nymphas, et cætera numina ruris. 16
Hæc super imposita est cœli fulgentis imago:
Signaque sex foribus dextris, totidemque sinistris.
Quo simul acclivo Clymeneia limite proles
Venit, et intravit dubitati tecta parentis; 20
Protinus ad patrios sua fert vestigia vultus,
Consistitque procul: neque enim propiora ferebat
Lumina. Purpurea velatus veste sedebat
In solio Phœbus, claris lucente smaragdis.
A dextra, lævaque Dies, et Mensis, et Annus, 25
Sæculaque, et positæ spatiis æqualibus Horæ:
Verque novum stabat, cinctum florente corona:
Stabat nuda Æstas, et spicea serta gerebat:
Stabat et Autumnus, calcatis sordidus uvis:
Et glacialis Hiems, canos hirsuta capillos. 30
Inde loco medius, rerum novitate paventem
Sol oculis juvenem, quibus adspicit omnia, vidit:
Quæque viæ tibi causa? quid hac, ait, arce petisti,
Progenies, Phaethon, haud inficianda parenti?
Ille refert: O lux immensi publica mundi, 35
Phœbe pater, si das hujus mihi nominis usum,
Nec falsa Clymene culpam sub imagine celat;
Pignora da, genitor, per quæ tua vera propago
Credar, et hunc animis errorem detrahe nostris.
Dixerat. At genitor circum caput omne micantes 40
Deposuit radios, propiusque accedere jussit:
Amplexuque dato, Nec tu meus esse negari
Dignus es; et Clymene veros, ait, edidit ortus.
Quoque minus dubites, quodvis pete munus: ut illud,
Me tribuente, feras. Promissis testis adesto 45
Dis juranda palus, oculis incognita nostris.
Vix bene desierat: currus rogat ille paternos.
Inque diem alipedum jus et moderamen equorum.
Pœnituit jurasse patrem: qui terque quaterque
Concutiens illustre caput, Temeraria, dixit, 50
Vox mea facta tua est. Utinam promissa liceret
Non dare! confiteor, solum hoc tibi, nate, negarem.
Dissuadere licet. Non est tua tuta voluntas.
Magna petis, Phaethon, et quæ nec viribus istis
Munera conveniant, nec tam puerilibus annis. 55
Sors tua mortalis: non est mortale, quod optas.
Plus etiam, quam quod superis contingere fas sit,
Nescius affectas. Placeat sibi quisque licebit;
Non tamen ignifero quisquam consistere in axe
Me valet excepto. Vasti quoque rector Olympi,
Qui fera terribili jaculatur fulmina dextra, 61
Non agat hos currus: et quid Jove majus habemus?
Ardua prima via est, et qua vix mane recentes
Enitantur equi: medio est altissima cœlo;
Unde mare et terras ipsi mihi sæpe videre 65
Fit timor, et pavida trepidat formidine pectus.
Ultima prona via est, et eget moderamine certo.
Tunc etiam, quæ me subjectis excipit undis,
Ne ferar in præceps, Tethys solet ipsa vereri.
Adde, quod assidua rapitur vertigine cœlum, 70
Sideraque alta trahit, celerique volumine torquet.
Nitor in adversum: nec me, qui cætera, vincit
Impetus; et rapido contrarius evehor orbi.
Finge datos currus. Quid agas? poterisne rotatis
Obvius ire polis, ne te citus auferat axis? 75
Forsitan et lucos illic urbesque domosque
Concipias animo, delubraque ditia donis
Esse. Per insidias iter est, formasque ferarum.
Utque viam teneas, nulloque errore traharis;
Per tamen adversi gradieris cornua Tauri, 80
Hæmoniosque arcus, violentique ora Leonis,
Sævaque circuitu curvantem brachia longo
Scorpion, atque aliter curvantem brachia Cancrum.
Nec tibi quadrupedes animosos ignibus illis,
Quos in pectore habent, quos ore et naribus efflant, 85
In promtu regere est. Vix me patiuntur, ut acres
Incaluere animi; cervixque repugnat habenis.
At tu, funesti ne sim tibi muneris auctor,
Nate, cave: dum resque sinit, tua corrige vota.
Scilicet, ut nostro genitum te sanguine credas,
Pignora certa petis: do pignora certa timendo;
Et patrio pater esse metu probor. Adspice vultus
Ecce meos: utinamque oculos in pectora posses
Inserere, et patrias intus deprendere curas!
Denique quicquid habet dives, circumspice, mundus: 95
Eque tot ac tantis cœli, terræque, marisque,
Posce bonis aliquid: nullam patiere repulsam.
Deprecor hoc unum; quod vero nomine pœna,
Non honor est: pœnam, Phaethon, pro munere poscis.
Quid mea colla tenes blandis, ignare, lacertis?
Ne dubita; dabitur, Stygias juravimus undas,
Quodcunque optaris; sed tu sapientius opta. 102
Finierat monitus. Dictis tamen ille repugnat,
Propositumque tenet, flagratque cupidine currus.
Ergo, qua licuit, genitor cunctatus, ad altos 105
Deducit juvenem, Vulcania munera, currus.
Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curvatura rotæ; radiorum argenteus ordo.
Per juga chrysolithi, positæque ex ordine gemmæ,
Clara repercusso reddebant lumina Phœbo. 110
Dumque ea magnanimus Phaethon miratur, opusque
Perspicit: ecce vigil rutilo patefecit ab ortu
Purpureas Aurora fores, et plena rosarum

Atria. Diffugiunt stellæ: quarum agmina cogit
Lucifer, et cœli statione novissimus exit. 115
At pater ut terras, mundumque rubescere vidit,
Cornuaque extremæ velut evanescere Lunæ,
Jungere equos Titan velocibus imperat Horis.
Jussa deæ celeres peragunt: ignemque vomentes,
Ambrosiæ succo saturos, præsepibus altis 120
Quadrupedes ducunt, adduntque sonantia frena.
Tum pater ora sui sacro medicamine nati
Contigit, et rapidæ fecit patientia flammæ:
Imposuitque comæ radios: præsagaque luctus
Pectore sollicito repetens suspiria, dixit: 125
Si potes hic saltem monitis parere paternis;
Parce, puer, stimulis; et fortius utere loris.
Sponte sua properant: labor est inhibere volentes.
Nec tibi directos placeat via quinque per arcus.
Sectus in obliquum est lato curvamine limes, 130
Zonarumque trium contentus fine: polumque
Effugito Australem, junctamque Aquilonibus Arcton.
Hac sit iter: manifesta rotæ vestigia cernes.
Utque ferant æquos et cœlum et terra calores,
Nec preme, nec summum molire per æthera currum. 135
Altius egressus cœlestia tecta cremabis;
Inferius terras: medio tutissimus ibis.
Neu te dexterior tortum declinet in Anguem,
Neve sinisterior pressam rota ducat ad Aram:
Inter utrumque tene. Fortunæ cætera mando;
Quæ juvet, et melius, quam tu tibi, consulat, opto.
Dum loquor, Hesperio positas in littore metas
Humida nox tetigit. Non est mora libera nobis:
Poscimur. Effulget tenebris Aurora fugatis.
Corripe lora manu: vel, si mutabile pectus 145
Est tibi, consiliis, non curribus, utere nostris,
Dum potes, et solidis etiamnum sedibus adstas:
Dumque male optatos nondum premis inscius axes.
Quæ tutus spectes, sine me dare lumina terris.
Occupat ille levem juvenili corpore currum:
Statque super, manibusque datas contingere habenas 151
Gaudet, et invito grates agit inde parenti.
Interea volucres Pyroeis, Eous, et Æthon,
Solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibusque repagula pulsant. 155
Quæ postquam Tethys, fatorum ignara nepotis,
Reppulit, et facta est immensi copia mundi;
Corripuere viam, pedibusque per aera motis
Obstantes findunt nebulas, pennisque levati
Prætereunt ortos isdem de partibus Euros. 160
Sed leve pondus erat, nec quod cognoscere possent
Solis equi: solitaque jugum gravitate carebat.
Utque labant curvæ justo sine pondere naves,
Perque mare, instabiles nimis levitate, feruntur;
Sic onere assueto vacuos dat in aera saltus, 165
Succutiturque alte, similisque est currus inani.
Quod simul ac sensere, ruunt, tritumque relinquunt
Quadrijugi spatium, nec, quo prius, ordine currunt.
Ipse pavet; nec qua commissas flectat habenas,
Nec scit, qua sit iter: nec, si sciat, imperet illis.
Tum primum radiis gelidi caluere Triones, 171
Et vetito frustra tentarunt æquore tingi.
Quæque polo posita est glaciali proxima Serpens,
Frigore pigra prius, nec formidabilis ulli,
Incaluit, sumsitque novas fervoribus iras. 175
Te quoque turbatum memorant fugisse, Boote,
Quamvis tardus eras, et te tua plaustra tenebant.
Ut vero summo despexit ab æthere terras
Infelix Phaethon, penitus penitusque jacentes;
Palluit, et subito genua intremuere timore: 180
Suntque oculis tenebræ per tantum lumen obortæ.
Et jam mallet equos nunquam tetigisse paternos:
Jamque agnosse genus piget, et valuisse rogando:
Jam Meropis dici cupiens; ita fertur, ut acta
Præcipiti pinus Borea, cui victa remisit 185
Frena suus rector, quam Dis votisque reliquit.
Quid faciat? multum cœli post terga relictum:
Ante oculos plus est; animo metitur utrumque.
Et modo, quos illi fato contingere non est,
Prospicit occasus: interdum respicit ortus. 190
Quidque agat ignarus, stupet: et nec frena remittit,
Nec retinere valet: nec nomina novit equorum.
Sparsa quoque in vario passim miracula cœlo,
Vastarumque videt trepidus simulacra ferarum.
Est locus, in geminos ubi brachia concavat arcus 195
Scorpios, et cauda flexisque utrimque lacertis
Porrigit in spatium signorum membra duorum.
Hunc puer ut nigri madidum sudore veneni
Vulnera curvata minitantem cuspide vidit;
Mentis inops, gelida formidine lora remisit. 200
Quæ postquam summum tetigere jacentia tergum,
Exspatiantur equi: nulloque inhibente per auras
Ignotæ regionis eunt, quaque impetus egit,
Hac sine lege ruunt: altoque sub æthere fixis
Incursant stellis, rapiuntque per avia currum.
Et modo summa petunt, modo per decliva, viasque 206
Præcipites spatio terræ propiore feruntur.
Inferiusque suis fraternos currere Luna
Admiratur equos: ambustaque nubila fumant.
Corripitur flammis, ut quæque altissima, tellus,
Fissaque agit rimas, et succis aret ademtis. 211
Pabula canescunt: cum frondibus uritur arbos:
Materiamque suo præbet seges arida damno.
Parva queror; magnæ pereunt cum mœnibus urbes:
Cumque suis totas populis incendia gentes 215
In cinerem vertunt. Sylvæ cum montibus ardent:
Ardet Athos, Taurusque Cilix, et Tmolus, et Œte:
Et nunc sicca, prius celeberrima fontibus, Ide:
Virgineusque Helicon, et nondum Œagrius Hæmos. 219
Ardet in immensum geminatis ignibus Ætne:
Parnassusque biceps, et Eryx, et Cynthus, et Othrys, [que,
Et tandem Rhodope nivibus caritura, Mimas-
Dindymaque, et Mycale, natusque ad sacra Cithæron.
Nec prosunt Scythiæ sua frigora: Caucasus ardet,
Ossaque cum Pindo, majorque ambobus Olympus: 225
Aeriæque Alpes, et nubifer Apenninus.
Tunc vero Phaethon cunctis e partibus orbem
Adspicit accensum, nec tantos sustinet æstus:
Ferventesque auras, velut e fornace profunda,
Ore trahit, currusque suos candescere sentit.
Et neque jam cineres ejectatamque favillam
Ferre potest: calidoque involvitur undique fumo.
Quoque eat, aut ubi sit, picea caligine tectus,

Nescit; et arbitrio volucrum raptatur equorum.
Sanguine tum credunt in corpora summa vocato,
Æthiopum populos nigrum traxisse colorem.
Tum facta est Libye, raptis humoribus æstu,
Arida: tum Nymphæ passis fontesque, lacusque
Deflevere comis. Quærit Bœotia Dircen,
Argos Amymonen, Ephyre Pirenidas undas. 240
Nec sortita loco distantes flumina ripas
Tuta manent: mediis Tanais fumavit in undis,
Peneosque senex, Teuthranteusque Caicus,
Et celer Ismenos, cum Phocaico Erymantho,
Arsurusque iterum Xanthus, flavusque Lycormas,
Quique recurvatis ludit Mæandros in undis:
Mygdoniusque Melas, et Tænarius Eurotas. 247
Arsit et Euphrates Babylonius, arsit Orontes,
Thermodonque citus, Gangesque, et Phasis, et Ister.
Æstuat Alpheos: ripæ Spercheides ardent: 250
Quodque suo Tagus amne vehit, fluit ignibus aurum.
Et, quæ Mæonias celebrarant carmine ripas,
Flumineæ volucres medio caluere Caystro.
Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
Occuluitque caput, quod adhuc latet. Ostia septem 255
Pulverulenta vacant, septem sine flumine valles.
Fors eadem Ismarios Hebrum cum Strymone siccat,
Hesperiosque amnes, Rhenum, Rhodanumque, Padumque,
Cuique fuit rerum promissa potentia, Tibrin.
Dissilit omne solum; penetratque in Tartara rimis, 260
Lumen, et infernum terret cum conjuge regem.
Et mare contrahitur: siccæque est campus arenæ,
Quod modo pontus erat: quosque altum texerat æquor,
Exsistunt montes, et sparsas Cycladas augent.
Ima petunt pisces: nec se super æquora curvi
Tollere consuetas audent delphines in auras. 266
Corpora phocarum summo resupina profundo
Exanimata jacent. Ipsum quoque Nerea fama est,
Doridaque, et natas, tepidis latuisse sub antris.
Ter Neptunus aquis cum torvo brachia vultu
Exserere ausus erat: ter non tulit aeris æstus.
Alma tamen Tellus, ut erat circumdata ponto,
Inter aquas pelagi, contractosque undique fontes,
Qui se condiderant in opacæ viscera matris;
Sustulit omniferos collo tenus arida vultus, 275
Opposuitque manum fronti: magnoque tremore
Omnia concutiens paullum subsedit, et infra,
Quam solet esse, fuit: siccaque ita voce locuta est:
Si placet hoc, meruique, quid o tua fulmina cessant,
Summe deûm? liceat perituræ viribus ignis, 280
Igne perire tuo, clademque auctore levare.
Vix equidem fauces hæc ipsa in verba resolvo;
(Presseram ora vapor;) tostos en adspice crines,
Inque oculis tantum, tantum super ora favillæ.
Hosne mihi fructus, hunc fertilitatis honorem
Officiique refers; quod adunci vulnera aratri,
Rastrorumque fero, totoque exerceor anno? 287
Quod pecori frondes, alimentaque mitia fruges
Humano generi, vobis quod thura ministro?
Sed tamen exitium fac me meruisse: quid undæ,
Quid meruit frater? cur illi tradita sorte 291
Æquora decrescunt, et ab æthere longius absunt?
Quod si nec fratris, nec te mea gratia tangit;
At cœli miserere tui. Circumspice utrumque;
Fumat uterque polus: quos si vitiaverit ignis,
Atria vestra ruent. Atlas en ipse laborat, 296
Vixque suis humeris candentem sustinet axem.
Si freta, si terræ pereunt, si regia cœli;
In chaos antiquum confundimur. Eripe flammis,
Si quid adhuc superest: et rerum consule summæ.
Dixerat hæc Tellus: neque enim tolerare vaporem 301
Ulterius potuit, nec dicere plura: suumque
Rettulit os in se, propioraque manibus antra.
At pater omnipotens superos testatus, et ipsum,
Qui dederat currus, nisi opem ferat, omnia fato
Interitura gravi; summam petit arduus arcem,
Unde solet latis nubes inducere terris: 307
Unde movet tonitrus, vibrataque fulmina jactat.
Sed neque, quas posset terris inducere, nubes
Tunc habuit, nec, quos cœlo dimitteret, imbres.
Intonat: et dextra libratum fulmen ab aure 311
Misit in aurigam: pariterque animaque rotisque
Expulit, et sævis compescuit ignibus ignes.
Consternantur equi, et saltu in contraria facto
Colla jugo excutiunt, abruptaque lora relinquunt. 315
Illic frena jacent, illic temone revulsus
Axis; in hac radii fractarum parte rotarum:
Sparsaque sunt late laceri vestigia currus.
At Phaethon, rutilos flamma populante capillos,
Volvitur in præceps, longoque per aera tractu
Fertur; ut interdum de cœlo stella sereno, 321
Etsi non cecidit, potuit cecidisse videri.
Quem procul a patria diverso maximus orbe
Excipit Eridanus, spumantiaque abluit ora.
Naides Hesperiæ trifida fumantia flamma 325
Corpora dant tumulo: signantque hoc carmine saxum:
HIC SITUS EST PHAETHON, CURRUS AURIGA PATERNI:
QUEM SI NON TENUIT, MAGNIS TAMEN EXCIDIT AUSIS.
Nam pater obductos, luctu miserabilis ægro,
Condiderat vultus: et si modo credimus, unum
Isse diem sine Sole ferunt: incendia lumen 331
Præbebant; aliquisque malo fuit usus in illo.
At Clymene postquam dixit, quæcunque fuerunt
In tantis dicenda malis; lugubris et amens,
Et laniata sinus totum percensuit orbem; 335
Exanimesque artus primo, mox ossa requirens,
Repperit ossa tamen peregrina condita ripa,
Incubuitque loco: nomenque in marmore lectum
Perfudit lacrymas, et aperto pectore fovit.
Nec minus Heliades fletus, et inania morti 340
Munera dant lacrymas, et cæsæ pectora palmis
Non auditorum miseras Phaeontha querelas
Nocte dieque vocant, adsternunturque sepulcro.
Luna quater junctis implerat cornibus orbem:
Illæ more suo (nam morem fecerat usus) 345
Plangorem dederant. E quîs Phaethusa, sororum
Maxima, cum vellet terræ procumbere, questa est
Diriguisse pedes: ad quam conata venire
Candida Lampetie, subita radice retenta est.
Tertia, cum crinem manibus laniare pararet,
Avellit frondes. Hæc stipite crura teneri,
Illa dolet fieri longos sua brachia ramos. 352
Dumque ea mirantur, complectitur inguina cortex:
Perque gradus uterum, pectusque, humerosque, manusque [trem. 355
Ambit: et exstabant tantum ora vocantia ma-

Quid faciat mater? nisi, quo trahat impetus illam,
Huc eat, atque illuc? et, dum licet, oscula jungat?
Non satis est; truncis avellere corpora tentat,
Et teneros manibus ramos abrumpere: at inde
Sanguineæ manant, tanquam de vulnere, guttæ.
Parce, precor, mater, quæcunque est saucia, clamat: 361
Parce, precor: nostrum laniatur in arbore corpus.
Jamque vale. Cortex in verba novissima venit.
Inde fluunt lacrymæ, stillataque sole rigescunt
De ramis electra novis: quæ lucidus amnis 365
Excipit, et nuribus mittit gestanda Latinis.
Affuit huic monstro proles Stheneleia Cycnus;
Qui, tibi materno quamvis a sanguine junctus,
Mente tamen, Phaethon, propior fuit. Ille relicto
(Nam Ligurum populos, et magnas rexerat urbes)
Imperio ripas virides, amnemque querelis 371
Eridanum implerat, sylvamque sororibus auctam:
Cum vox est tenuata viro: canæque capillos
Dissimulant plumæ, collumque a pectore longum
Porrigitur, digitosque ligat junctura rubentes:
Penna latus vestit: tenet os sine acumine rostrum. 376
Fit nova Cycnus avis; nec se cœloque Jovique
Credit, ut injuste missi memor ignis ab illo.
Stagna petit, patulosque lacus: ignemque perosus,
Quæ colat, elegit contraria flumina flammis. 380
Squalidus interea genitor Phaethontis, et expers
Ipse sui decoris, qualis, cum deficit orbem,
Esse solet: lucemque odit, seque ipse, diemque:
Datque animum in luctus; et luctibus adjicit iram:
Officiumque negat mundo. Satis, inquit, ab ævi
Sors mea principiis fuit irrequieta: pigetque 386
Actorum sine fine mihi, sine honore, laborum.
Quilibet alter agat portantes lumina currus.
Si nemo est, omnesque dei non posse fatentur;
Ipse agat: ut saltem, dum nostras tentat habenas,
Orbatura patres aliquando fulmina ponat. 391
Tum sciet, ignipedum vires expertus equorum,
Non meruisse necem, qui non bene rexerit illos.
Talia dicentem circumstant omnia Solem
Numina: neve velit tenebras inducere rebus,
Supplice voce rogant. Missos quoque Jupiter ignes
Excusat, precibusque minas regaliter addit.
Colligit amentes, et adhuc terrore paventes,
Phœbus equos, stimuloque domans et verbere sævit:
Sævit enim, natumque objectat, et imputat illis.
At pater omnipotens ingentia mœnia cœli 401
Circuit, et, ne quid labefactum viribus ignis
Corruat, explorat. Quæ postquam firma, suique
Roboris esse videt; terras, hominumque labores
Perspicit. Arcadiæ tamen est impensior illi 405
Cura suæ: fontesque, et nondum audentia labi
Flumina restituit; dat terræ gramina, frondes
Arboribus, læsasque jubet revirescere sylvas.
Dum redit, itque frequens; in virgine Nonacrina
Hæsit, et accepti caluere sub ossibus ignes. 410
Non erat hujus opus lanam mollire trahendo,
Nec positu variare comas. Ubi fibula vestem,
Vitta coercuerat neglectos alba capillos,
Et modo læve manu jaculum, modo sumserat arcum;
Miles erat Phœbes: nec Mænalon attigit ulla
Gratior hac Triviæ. Sed nulla potentia longa est. 416
Ulterius medio spatium Sol altus habebat,
Cum subit illa nemus, quod nulla ceciderat ætas.
Exuit hic humero pharetram, lentosque retendit
Arcus, inque solo, quod texerat herba, jacebat:
Et pictam posita pharetram cervice premebat.
Jupiter ut vidit fessam, et custode vacantem;
Hoc certe conjux furtum mea nesciet, inquit:
Aut si rescierit; sunt o, sunt jurgia tanti. 424
Protinus induitur faciem cultumque Dianæ:
Atque ait, O comitum, virgo, pars una mearum,
In quibus es venata jugis? De cespite virgo
Se levat: et, Salve numen, me judice, dixit,
Audiat ipse licet, majus Jove. Ridet, et audit;
Et sibi præferri se gaudet, et oscula jungit, 430
Nec moderata satis, nec sic a virgine danda.
Qua venata foret sylva narrare parantem
Impedit amplexu: nec se sine crimine prodit.
Illa quidem contra, quantum modo fœmina possit,
(Adspiceres utinam, Saturnia, mitior esses!) 435
Illa quidem pugnat: sed quæ superare puella,
Quisve Jovem poterat? superum petit æthera victor
Jupiter: huic odio nemus est, et conscia sylva.
Unde pedem referens, pæne est oblita pharetram 439
Tollere cum telis, et, quem suspenderat, arcum.
Ecce suo comitata choro Dictynna per altum
Mænalon ingrediens, et cæde superba ferarum,
Adspicit hanc, visamque vocat: clamata refugit;
Et timuit primo, ne Jupiter esset in illa.
Sed postquam pariter Nymphas incedere vidit,
Sensit abesse dolos, numerumque accessit ad harum. 446
Heu quam difficile est, crimen non prodere vultu!
Vix oculos attollit humo: nec, ut ante solebat,
Juncta deæ lateri, nec toto est agmine prima:
Sed silet; et læsi dat signa rubore pudoris. 450
Et, nisi quod virgo est, poterat sentire Diana
Mille notis culpam. Nymphæ sensisse feruntur.
Orbe resurgebant Lunaria cornua nono;
Cum dea venatrix, fraternis languida flammis,
Nacta nemus gelidum, de quo cum murmure labens 455
Ibat, et attritas versabat rivus arenas.
Ut loca laudavit, summas pede contigit undas.
His quoque laudatis, Procul est, ait, arbiter omnis:
Nuda superfusis tingamus corpora lymphis.
Parrhasis erubuit. Cunctæ velamina ponunt:
Una moras quærit: dubitanti vestis ademta est:
Qua posita nudo patuit cum corpore crimen.
Attonitæ, manibusque uterum celare volenti,
I procul hinc, dixit, nec sacros pollue fontes,
Cynthia, deque suo jussit secedere cœtu. 465
Senserat hoc olim magni matrona Tonantis,
Distuleratque graves in idonea tempora pœnas.
Causa moræ nulla est: et jam puer Arcas (id ipsum
Indoluit Juno) fuerat de pellice natus.
Quo simul obvertit sævam cum lumine mentem;
Scilicet hoc unum restabat, adultera, dixit, 471
Ut fecunda fores, fieretque injuria partu
Nota, Jovisque mei testatum dedecus esset.
Haud impune feres: adimam tibi nempe figuram,
Qua tibi, quaque places nostro, importuna, marito. 475
Dixit: et adversa prensis a fronte capillis

Stravit humi pronam. Tendebat brachia supplex:
Brachia cœperunt nigris horrescere villis,
Curvarique manus, et aduncos crescere in ungues,
Officioque pedum fungi: laudataque quondam
Ora Jovi lato fieri deformia rictu. 481
Neve preces animos et verba potentia flectant,
Posse loqui eripitur: vox iracunda, minaxque,
Plenaque terroris rauco de gutture fertur.
Mens antiqua tamen facta quoque mansit in ursa: 485
Assiduoque suos gemitu testata dolores,
Qualescunque manus ad cœlum et sidera tollit;
Ingratumque Jovem, nequeat cum dicere, sentit.
Ah quoties, sola non ausa quiescere sylva,
Ante domum, quondamque suis erravit in agris!
Ah quoties per saxa canum latratibus acta est,
Venatrixque metu venantum territa fugit! 492
Sæpe feris latuit visis, oblita quid esset,
Ursaque conspectos in montibus horruit ursos:
Pertimuitque lupos, quamvis pater esset in illis.
Ecce Lycaoniæ proles ignara parentis 496
Arcas adest, ter quinque fere natalibus actis.
Dumque feras sequitur, dum saltus eligit aptos,
Nexilibusque plagis sylvas Erymanthidas ambit;
Incidit in matrem: quæ restitit Arcade viso,
Et cognoscenti similis fuit. Ille refugit, 501
Immotosque oculos in se sine fine tenentem
Nescius extimuit: propiusque accedere aventi
Vulnifico fuerat fixurus pectora telo.
Arcuit Omnipotens: pariterque ipsosque nefasque 505
Sustulit, et celeri raptos per inania vento
Imposuit cœlo, vicinaque sidera fecit.
Intumuit Juno, postquam inter sidera pellex
Fulsit: et ad canam descendit in æquora Tethyn,
Oceanumque senem, quorum reverentia movit
Sæpe deos: causamque viæ scitantibus infit:
Quæritis, ætheriis quare regina deorum 512
Sedibus huc adsim? pro me tenet altera cœlum.
Mentiar, obscurum nisi nox cum fecerit orbem,
Nuper honoratas summo, mea vulnera, cœlo 515
Videritis stellas illic, ubi circulus axem
Ultimus extremum, spatioque brevissimus, ambit.
Est vero, cur quis Junonem lædere nolit,
Offensamque tremat, quæ prosim sola nocendo?
En ego quantum egi! quam vasta potentia nostra est! 520
Esse hominem vetui: facta est dea. Sic ego pœnas
Sontibus impono: sic est mea magna potestas.
Vindicet antiquam faciem, vultusque ferinos
Detrahat, Argolica quod et ante Phoronide fecit.
Cur non et pulsa ducat Junone, meoque 525
Collocet in thalamo, socerumque Lycaona sumat?
At vos si læsæ contemtus tangit alumnæ,
Gurgite cæruleo septem prohibete triones,
Sideraque in cœlo stupri mercede recepta
Pellite, ne puro tingatur in æquore pellex. 530
Di maris annuerant. Habili Saturnia curru
Ingreditur liquidum pavonibus aera pictis:
Tam nuper pictis cæso pavonibus Argo,
Quam tu nuper eras, cum candidus ante fuisses,
Corve loquax, subito nigrantes versus in alas.
Nam fuit hæc quondam niveis argentea pennis
Ales, ut æquaret totas sine labe columbas:
Nec servaturis vigili Capitolia voce
Cederet anseribus, nec amanti flumina cycno.
Lingua fuit damno: lingua faciente loquaci,
Cui color albus erat, nunc est contrarius albo.
Pulchrior in tota, quam Larissæa Coronis,
Non fuit Hæmonia. Placuit tibi, Delphice, certe,
Dum vel casta fuit, vel inobservata: sed ales
Sensit adulterium Phœbeius: utque latentem
Detegeret culpam non exorabilis index, 546
Ad dominum tendebat iter: quem garrula motis
Consequitur pennis, scitetur ut omnia, cornix.
Auditaque viæ causa, Non utile carpis,
Inquit, iter: ne sperne meæ præsagia linguæ.
Quid fuerim, quid simque, vide; meritumque require: 551
Invenies nocuisse fidem. Nam tempore quodam
Pallas Erichthonium, prolem sine matre creatam,
Clauserat Actæo texta de vimine cista:
Virginibusque tribus, gemino de Cecrope natis,
Hanc legem dederat, sua ne secreta viderent.
Abdita fronde levi densa speculabar ab ulmo,
Quid facerent. Commissa duæ sine fraude tuentur,
Pandrosos atque Herse: timidas vocat una sorores
Aglauros, nodosque manu diducit: at intus 560
Infantemque vident, apporrectumque draconem.
Acta deæ refero: pro quo mihi gratia talis
Redditur, ut dicar tutela pulsa Minervæ,
Et ponar post noctis avem. Mea pœna volucres
Admonuisse potest, ne voce pericula quærant.
At, puto, non ultro, nec quicquam tale rogantem
Me petiit. Ipsa licet hoc a Pallade quæras:
Quamvis irata est, non hoc irata negabit.
Nam me Phocaica clarus tellure Coroneus, 569
Nota loquor, genuit, fueramque ego regia virgo:
Divitibusque procis (ne me contemne) petebar.
Forma mihi nocuit: nam cum per littora lentis
Passibus, ut soleo, summa spatiarer arena, 573
Vidit, et incaluit pelagi deus: utque precando
Tempora cum blandis consumsit inania verbis;
Vim parat, et sequitur. Fugio, densumque relinquo 576
Littus, et in molli nequicquam lassor arena.
Inde deos, hominesque voco: nec contigit ullum
Vox mea mortalem. Mota est pro virgine virgo,
Auxiliumque tulit. Tendebam brachia cœlo: 580
Brachia cœperunt levibus nigrescere pennis.
Rejicere ex humeris vestem molibar; at illa
Pluma erat, inque cutem radices egerat imas.
Plangere nuda meis conabar pectora palmis:
Sed neque jam palmas, nec pectora nuda gerebam. 585
Currebam: nec, ut ante, pedes retinebat arena,
Sed summa tollebar humo: mox acta per auras
Evehor, et data sum comes inculpata Minervæ.
Quid tamen hoc prodest, si diro facta volucris
Crimine Nyctimene nostro successit honori? 590
An, quæ per totam res est notissima Lesbon,
Non audita tibi est, patrium temerasse cubile
Nyctimenen? avis illa quidem, sed conscia culpæ [rem
Conspectum lucemque fugit, tenebrisque pudo-
Celat, et a cunctis expellitur æthere toto. 595
Talia dicenti, Tibi, ait, revocamina, corvus,
Sint precor ista malo; nos vanum spernimus omen.
Nec cœptum dimittit iter; dominoque jacentem
Cum juvene Hæmonio vidisse Coronida narrat.
Laurea delapsa est, audito crimine, amanti: 600
Et pariter vultusque deo, plectrumque, colorque
Excidit. Utque animus tumida fervebat ab ira;

Arma assueta rapit; flexumque a cornibus arcum
Tendit: et illa suo toties cum pectore juncta
Indevitato trajecit pectora telo. 605
Icta dedit gemitum, tractoque a vulnere ferro,
Candida puniceo perfudit membra cruore:
Et dixit, Potui pœnas tibi, Phœbe, dedisse;
Sed peperisse prius: duo nunc moriemur in una.
Hactenus; et pariter vitam cum sanguine fudit.
Corpus inane animæ frigus letale secutum est.
Pœnitet heu sero pœnæ crudelis amantem:
Seque, quod audierit, quod sic exarserit, odit:
Odit avem, per quam crimen causamque dolendi
Scire coactus erat: nervumque, arcumque, manumque 615
Odit, cumque manu, temeraria tela, sagittas.
Collapsamque fovet: seraque ope vincere fata
Nititur, et medicas exercet inaniter artes.
Quæ postquam frustra tentata, rogumque parari
Sensit, et arsuros supremis ignibus artus; 620
Tum vero gemitus (neque enim cœlestia tingi
Ora licet lacrymis) alto de corde petitos
Edidit, haud aliter, quam cum, spectante juvenca,
Lactentis vituli, dextra libratus ab aure,
Tempora discussit claro cava malleus ictu. 625
Ut tamen ingratos in pectora fudit odores,
Et dedit amplexus, injustaque justa peregit:
Non tulit in cineres labi sua Phœbus eosdem
Semina: sed natum flammis uteroque parentis
Eripuit, geminique tulit Chironis in antrum. 630
Sperantemque sibi non falsæ præmia linguæ
Inter aves albas vetuit considere corvum.
Semifer interea divinæ stirpis alumno
Lætus erat, mixtoque oneri gaudebat honore.
Ecce venit rutilis humeros protecta capillis 635
Filia Centauri: quam quondam Nympha Chariclo,
Fluminis in rapidi ripis enixa, vocavit
Ocyrhoen. Non hæc artes contenta paternas
Edidicisse fuit: fatorum arcana canebat.
Ergo ubi fatidicos concepit mente furores, 640
Incaluitque deo, quem clausum pectore habebat;
Adspicit infantem, Totique salutifer orbi
Cresce puer, dixit: tibi se mortalia sæpe
Corpora debebunt: animas tibi reddere ademtas
Fas erit: idque semel dis indignantibus ausus,
Posse dare hoc iterum flamma prohibere avita:
Eque deo corpus fies exsangue: deusque,
Qui modo corpus eras: et bis tua fata novabis.
Tu quoque, care pater, non jam mortalis, et ævis
Omnibus ut maneas, nascendi lege creatus; 650
Posse mori cupies tum, cum cruciabere diræ
Sanguine serpentis, per saucia membra recepto:
Teque ex æterno patientem numina mortis
Efficient, triplicesque deæ tua fila resolvent.
Restabat fatis aliquid: suspirat ab imis 655
Pectoribus, lacrymæque genis labuntur obortæ:
Atque ita, Prævertunt, inquit, me fata, vetorque
Plura loqui; vocisque meæ præcluditur usus.
Non fuerant artes tanti, quæ numinis iram
Contraxere mihi; mallem nescisse futura. 660
Jam mihi subduci facies humana videtur:
Jam cibus herba placet: jam latis currere campis
Impetus est: in equam, cognataque corpora vertor.
Tota tamen quare? pater est mihi nempe biformis.
Talia dicenti pars est extrema querelæ 665
Intellecta parum, confusaque verba fuere.
Mox nec verba quidem, nec equæ sonus ille videtur,
Sed simulantis equam: parvoque in tempore cortos
Edidit hinnitus: et brachia movit in herbas.
Tum digiti coeunt, et quinos alligat ungues 670
Perpetuo cornu levis ungula: crescit et oris,
Et colli spatium: longæ pars maxima pallæ
Cauda fit. Utque vagi crines per colla jacebant,
In dextras abiere jubas: pariterque novata est
Et vox, et facies: nomen quoque monstra dedere. 675
Flebat, opemque tuam frustra Philyreius heros,
Delphice, poscebat; nam nec rescindere magni
Jussa Jovis poteras: nec, si rescindere posses,
Tunc aderas. Elin Messaniaque arva colebas.
Illud erat tempus, quo te pastoria pellis 680
Texit, onusque fuit dextræ sylvestris oliva;
Alterius, dispar septenis fistula cannis.
Dumque amor est curæ, dum te tua fistula mulcet;
Incustoditæ Pylios memorantur in agros
Processisse boves. Videt has Atlantide Maia
Natus; et arte sua sylvis occultat abactas. 686
Senserat hoc furtum nemo, nisi notus in illo
Rure senex; Battum vicinia tota vocabant.
Divitis hic saltus herbosaque pascua Nelei,
Nobiliumque greges custos servabat equarum.
Hunc timuit, blandaque manu seduxit: et illi,
Quisquis es, hospes, ait, si forte armenta requiret
Hæc aliquis, vidisse nega: neu gratia facto 693
Nulla rependatur, nitidam cape præmia vaccam.
Et dedit. Accepta voces has reddidit hospes:
Tutus eas; lapis iste prius tua furta loquatur:
Et lapidem ostendit. Simulat Jove natus abire.
Mox redit: et, versa pariter cum voce figura,
Rustice, vidisti si quas hoc limite, dixit, 699
Ire boves, fer opem; furtoque silentia deme
Juncta suo pretium dabitur tibi fœmina tauro.
At senior, postquam merces geminata, Sub illis
Montibus, inquit, erunt: et erant sub montibus illis.
Risit Atlantiades: et, Me mihi, perfide, prodis?
Me mihi prodis? ait: perjuraque pectora vertit
In durum silicem; qui nunc quoque dicitur Index: 706
Inque nihil merito vetus est infamia saxo.
Hinc se sustulerat paribus Caducifer alis:
Munychiosque volans agros, gratamque Minervæ
Despectabat humum, cultique arbusta Lycei.
Illa forte die castæ de more puellæ 711
Vertice supposito festas in Palladis arces
Pura coronatis portabant sacra canistris.
Inde revertentes deus adspicit ales: iterque
Non agit in rectum, sed in orbem curvat eundem. 715
Ut volucris visis rapidissima miluus extis,
Dum timet, et densi circumstant sacra ministri,
Flectitur in gyrum; nec longius audet abire:
Spemque suam motis avidus circumvolat alis:
Sic super Actæas agilis Cyllenius arces 720
Inclinat cursus, et easdem circinat auras.
Quanto splendidior, quam cætera sidera, fulget
Lucifer: et quanto te, Lucifer, aurea Phœbe;
Tanto virginibus præstantior omnibus Herse
Ibat: eratque decus pompæ, comitumque suarum. 725
Obstupuit forma Jove natus: et æthere pendens
Non secus exarsit, quam cum Balearica plumbum

Funda jacit; volat illud, et incandescit eundo:
Et quos non habuit, sub nubibus invenit, ignes.
Vertit iter, cœloque petit diversa relicto: 730
Nec se dissimulat: tanta est fiducia formæ.
Quæ quanquam justa est; cura tamen adjuvat illam:
Permulcetque comas, chlamydemque, ut pendeat apte,
Collocat: ut limbus, totumque appareat aurum:
Ut teres in dextra, qua somnos ducit, et arcet,
Virga sit: ut tersis niteant talaria plantis. 736
Pars secreta domus ebore et testudine cultos
Tres habuit thalamos: quorum tu, Pandrose, dextrum,
Aglauros lævum, medium possederat Herse.
Quæ tenuit lævum, venientem prima notavit
Mercurium: nomenque dei scitarier ausa est,
Et causam adventus. Cui sic respondit Atlantis
Pleionesque nepos: Ego sum, qui jussa per auras
Verba patris porto: pater est mihi Jupiter ipse,
Nec fingam causas: tu tantum fida sorori 745
Esse velis, prolisque meæ matertera dici.
Herse causa viæ; faveas oramus amanti.
Adspicit hunc oculis isdem, quibus abdita nuper
Viderat Aglauros flavæ secreta Minervæ:
Proque ministerio magni sibi ponderis aurum
Postulat: interea tectis excedere cogit.
Vertit ad hanc torvi dea bellica luminis orbem,
Et tanto penitus traxit suspiria motu, 753
Ut pariter pectus, positamque in pectore forti
Ægida concuteret. Subit, hanc arcana profana
Detexisse manu tum, cum sine matre creatam
Lemnicolæ stirpem contra data fœdera vidit:
Et gratamque deo fore jam, gratamque sorori,
Et ditem sumto, quod avara poposcerit, auro.
Protinus Invidiæ, nigro squalentia tabo, 760
Tecta petit. Domus est imis in vallibus antri
Abdita, sole carens, non ulli pervia vento;
Tristis, et ignavi plenissima frigoris; et quæ
Igne vacet semper, caligine semper abundet.
Huc ubi pervenit belli metuenda virago: [tectis
Constitit ante domum; neque enim succedere
Fas habet: et postes extrema cuspide pulsat.
Concussæ patuere fores. Videt intus edentem
Vipereas carnes, vitiorum alimenta suorum,
Invidiam: visaque oculos avertit: at illa 770
Surgit humo pigre, semesarumque relinquit
Corpora serpentum, passuque incedit inerti.
Utque deam vidit, formaque armisque decoram,
Ingemuit, vultumque ima ad suspiria duxit.
Pallor in ore sedet: macies in corpore toto: 775
Nusquam recta acies: livent rubigine dentes:
Pectora felle virent: lingua est suffusa veneno.
Risus abest; nisi quem visi movere dolores.
Nec fruitur somno, vigilacibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabescitque videndo, 780
Successus hominum: carpitque et carpitur una:
Suppliciumque suum est. Quamvis tamen oderat illam,
Talibus affata est breviter Tritonia dictis:
Infice tabe tua natarum Cecropis unam:
Sic opus est. Aglauros ea est. Haud plura locuta
Fugit, et impressa tellurem reppulit hasta. 786
Illa, deam obliquo fugientem lumine cernens,
Murmura parva dedit, successurumque Minervæ
Indoluit: baculumque capit, quod spinea totum
Vincula cingebant: adopertaque nubibus atris,
Quacunque ingreditur, florentia proterit arva,
Exuritque herbas, et summa cacumina carpit:
Afflatuque suo populos, urbesque, domosque
Polluit: et tandem Tritonida conspicit arcem,
Ingeniis, opibusque, et festa pace virentem: [nit.
Vixque tenet lacrymas; quia nil lacrymabile cer-
Sed postquam thalamos intravit Cecrope natæ,
Jussa facit: pectusque manu ferrugine tincta
Tangit, et hamatis præcordia sentibus implet:
Inspiratque nocens virus; piceumque per ossa
Dissipat, et medio spargit pulmone venenum.
Neve mali spatium causæ per latius errent, 802
Germanam ante oculos, fortunatumque sororis
Conjugium, pulchraque deum sub imagine ponit:
Cunctaque magna facit: quibus irritata, dolore
Cecropis occulto mordetur; et anxia nocte,
Anxia luce gemit; lentaque miserrima tabe
Liquitur, ut glacies incerto saucia sole:
Felicisque bonis non secius uritur Herses, 809
Quam cum spinosis ignis supponitur herbis,
Quæ neque dant flammas, lenique vapore cremantur.
Sæpe mori voluit, ne quicquam tale videret:
Sæpe, velut crimen, rigido narrare parenti.
Denique in adverso venientem limine sedit 814
Exclusura deum. Cui blandimenta, precesque,
Verbaque jactanti mitissima, Desine, dixit:
Hinc ego me non sum nisi te motura repulso.
Stemus, ait, pacto, velox Cyllenius, isto:
Cælatasque fores virga patefecit. At illi 819
Surgere conanti partes, quascunque sedendo
Flectimus, ignava nequeunt gravitate moveri.
Illa quidem recto pugnat se attollere trunco:
Sed genuum junctura riget, frigusque per artus
Labitur, et pallent amisso sanguine venæ. 824
Utque malum late solet immedicabile cancer
Serpere, et illæsas vitiatis addere partes;
Sic letalis hiems paullatim in pectora venit,
Vitalesque vias, et respiramina clausit.
Nec conata loqui est; nec, si conata fuisset,
Vocis haberet iter. Saxum jam colla tenebat,
Oraque duruerant: signumque exsangue sedebat.
Nec lapis albus erat: sua mens infecerat illam.
Hac ubi verborun pœnas mentisque profanæ
Cepit Atlantiades; dictas a Pallade terras
Linquit, et ingreditur jactatis æthera pennis.
Sevocat hunc genitor; nec causam fassus amoris,
Fide minister, ait, jussorum, nate, meorum,
Pelle moram, solitoque celer delabere cursu:
Quæque tuam matrem tellus a parte sinistra
Suspicit, (indigenæ Sidonida nomine dicunt,)
Hanc pete: quodque procul montano gramine pasci 841
Armentum regale vides, ad littora verte.
Dixit: et expulsi jamdudum monte juvenci
Littora jussa petunt: ubi magni filia regis
Ludere, virginibus Tyriis comitata, solebat. 845
Non bene conveniunt, nec in una sede morantur
Majestas et amor. Sceptri gravitate relicta,
Ille pater rectorque deum, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem,
Induitur tauri faciem: mixtusque juvencis 850
Mugit, et in teneris formosus obambulat herbis.
Quippe color nivis est, quam nec vestigia duri
Calcavere pedis, nec solvit aquaticus Auster.
Colla toris exstant: armis palearia pendent:
Cornua parva quidem, sed quæ contendere possis
Facta manu, puraque magis perlucida gemma.
Nullæ in fronte minæ, nec formidabile lumen:
Pacem vultus habet. Miratur Agenore nata,
Quod tam formosus, quod prœlia nulla minetur.
Sed, quamvis mitem, metuit contingere primo:
Mox adit: et flores ad candida porrigit ora.

Gaudet amans; et, dum veniat sperata voluptas,
Oscula dat manibus: vix, ah! vix, cætera differt.
Et nunc alludit, viridique exsultat in herba:
Nunc latus in fulvis niveum deponit arenis. 865
Paullatimque metu demto, modo pectora præbet
Virginea plaudenda manu; modo cornua sertis
Impedienda novis. Ausa est quoque regia virgo,
Nescia quem premeret, tergo considere tauri.
Cum deus a terra, siccoque a littore, sensim 870
Falsa pedum primis vestigia ponit in undis.
Inde abit ulterius, mediique per æquora ponti
Fert prædam. Pavet hæc, littusque ablata relictum
Respicit, et dextra cornum tenet; altera dorso
Imposita est: tremulæ sinuantur flamine vestes.

LIBER TERTIUS.

Jamque deus, posita fallacis imagine tauri,
Se confessus erat; Dictæaque rura tenebat:
Cum pater ignarus Cadmo perquirere raptam
Imperat: et pœnam, si non invenerit, addit
Exsilium, facto pius et sceleratus eodem. 5
Orbe pererrato (quis enim deprendere possit
Furta Jovis?) profugus patriamque, iramque parentis
Vitat Agenorides; Phœbique oracula supplex
Consulit, et, quæ sit tellus habitanda, requirit.
Bos tibi, Phœbus ait, solis occurret in arvis, 10
Nullum passa jugum, curvique immunis aratri.
Hac duce carpe vias, et, qua requieverit herba,
Mœnia fac condas, Bœotiaque illa vocato.
Vix bene Castalio Cadmus descenderat antro:
Incustoditam lente videt ire juvencam, 15
Nullum servitii signum cervice gerentem.
Subsequitur, pressoque legit vestigia gressu;
Auctoremque viæ Phœbum taciturnus adorat.
Jam vada Cephisi, Panopesque evaserat arva:
Bos stetit; et tollens spatiosam cornibus altis 20
Ad cœlum frontem, mugitibus impulit auras.
Atque ita, respiciens comites sua terga sequentes,
Procubuit, teneraque latus submisit in herba.
Cadmus agit grates, peregrinæque oscula terræ
Figit, et ignotos montes agrosque salutat. 25
Sacra Jovi facturus erat: jubet ire ministros,
Et petere e vivis libandas fontibus undas.
Sylva vetus stabat, nulla violata securi;
Est specus in medio, virgis ac vimine densus,
Efficiens humilem lapidum compagibus arcum;
Uberibus fecundus aquis; hoc conditus antro 31
Martius anguis erat, cristis præsignis et auro;
Igne micant oculi; corpus tumet omne veneno:
Tresque vibrant linguæ: triplici stant ordine dentes.
Quem postquam Tyria lucum de gente profecti
Infausto tetigere gradu; demissaque in undas 36
Urna dedit sonitum; longum caput extulit antro
Cæruleus serpens, horrendaque sibila misit.
Effluxere urnæ manibus: sanguisque relinquit
Corpus, et attonitos subitus tremor occupat artus.
Ille volubilibus squamosos nexibus orbes 41
Torquet, et immensos saltu sinuatur in arcus:
Ac media plus parte leves erectus in auras
Despicit omne nemus: tantoque est corpore, quanto, 44
Si totum spectes, geminas qui separat Arctos.
Nec mora: Phœnicas, sive illi tela parabant,
Sive fugam, sive ipse timor prohibebat utrumque,
Occupat; hos morsu, longis complexibus illos,
Hos necat afflatos funesti tabe veneni.
Fecerat exiguas jam Sol altissimus umbras: 50
Quæ mora sit sociis miratur Agenore natus:
Vestigatque viros. Tegimen derepta leoni
Pellis erat: telum splendenti lancea ferro,
Et jaculum; teloque animus præstantior omni.
Ut nemus intravit, letataque corpora vidit, 55
Victoremque supra spatiosi corporis hostem,
Tristia sanguinea lambentem vulnera lingua;
Aut ultor vestræ, fidissima corpora, mortis,
Aut comes, inquit, ero. Dixit: dextraque molarem
Sustulit, et magnum magno conamine misit. 60
Illius impulsu cum turribus ardua celsis
Mœnia mota forent; serpens sine vulnere mansit:
Loricæque modo squamis defensus, et atræ
Duritia pellis, validos cute reppulit ictus.
At non duritia jaculum quoque vincit eadem;
Quod medio lentæ fixum curvamine spinæ 66
Constitit, et toto descendit in ilia ferro.
Ille, dolore ferox, caput in sua terga retorsit,
Vulneraque adspexit, fixumque hastile momordit.
Idque, ubi vi multa partem labefecit in omnem,
Vix tergo eripuit: ferrum tamen ossibus hæret.
Tum vero, postquam solitas accessit ad iras
Plaga recens, plenis tumuerunt guttura venis:
Spumaque pestiferos circumfluit albida rictus:
Terraque rasa sonat squamis; quique halitus exit
Ore niger Stygio, vitiatas inficit auras. 76
Ipse modo immensum spiris facientibus orbem
Cingitur: interdum longa trabe rectior exit:
Impete nunc vasto, ceu concitus imbribus amnis,
Fertur, et obstantes proturbat pectore sylvas. 80
Cedit Agenorides paullum, spolioque leonis
Sustinet incursus, instantiaque ora retardat
Cuspide prætenta. Furit ille, et inania duro
Vulnera dat ferro, frangitque in acumine dentes.
Jamque venenifero sanguis manare palato 85
Cœperat, et virides adspergine tinxerat herbas:
Sed leve vulnus erat: quia se retrahebat ab ictu,
Læsaque colla dabat retro, plagamque sedere
Cedendo arcebat, nec longius ire sinebat. 89
Donec Agenorides conjectum in gutture ferrum
Usque sequens pressit, dum retro quercus eunti
Obstitit; et fixa est pariter cum robore cervix.
Pondere serpentis curvata est arbor, et imæ
Parte flagellari gemuit sua robora caudæ.
Dum spatium victor victi considerat hostis; 95
Vox subito audita est: neque erat cognoscere promtum
Unde; sed audita est; Quid, Agenore nate, peremtum
Serpentem spectas? et tu spectabere serpens.
Ille diu pavidus, pariter cum mente colorem
Perdiderat, gelidoque comæ terrore rigebant.
Ecce viri fautrix, superas delapsa per auras 101
Pallas adest: motæque jubet supponere terræ
Viperos dentes, populi incrementa futuri.
Paret: et, ut presso sulcum patefecit aratro,
Spargit humi jussos, mortalia semina, dentes.
Inde, fide majus, glebæ cœpere moveri: 106
Primaque de sulcis acies apparuit hastæ:
Tegmina mox capitum picto nutantia cono:

Mox humeri pectusque, onerataque brachia telis
Exsistunt: crescitque seges clypeata virorum.
Sic, ubi tolluntur festis aulæa theatris, 111
Surgere signa solent, primumque ostendere vultum,
Cætera paullatim: placidoque educta tenore
Tota patent, imoque pedes in margine ponunt.
Territus hoste novo Cadmus capere arma parabat: 115
Ne cape, de populo, quem terra creaverat, unus
Exclamat, nec te civilibus insere bellis.
Atque ita terrigenis rigido de fratribus unum
Cominus ense ferit: jaculo cadit eminus ipse.
Hic quoque, qui leto dederat, non longius illo
Vivit, et exspirat, modo quas acceperat, auras.
Exemploque pari furit omnis turba: suoque
Marte cadunt subiti per mutua vulnera fratres.
Jamque brevis spatium vitæ sortita juventus
Sanguineam trepido plangebant pectore matrem, 125
Quinque superstitibus: quorum fuit unus Echion.
Is sua jecit humi, monitu Tritonidis, arma;
Fraternæque fidem pacis petiitque, deditque.
Hos operis comites habuit Sidonius hospes,
Cum posuit jussam Phœbeis sortibus urbem.
Jam stabant Thebæ: poteras jam, Cadme, videri 131
Exsilio felix: soceri tibi Marsque Venusque
Contigerant; huc adde genus de conjuge tanta,
Tot natos, natasque, et pignora cara nepotes.
Hos quoque jam juvenes; sed scilicet ultima semper 135
Exspectanda dies homini: dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.
Prima nepos inter tot res tibi, Cadme, secundas
Causa fuit luctus, alienaque cornua fronti
Addita, vosque canes satiatæ sanguine herili.
At bene si quæras; fortunæ crimen in illo, 141
Non scelus invenies; quod enim scelus error habebat?
Mons erat infectus variarum cæde ferarum:
Jamque dies rerum medias contraxerat umbras,
Et Sol ex æquo meta distabat utraque; 145
Cum juvenis placido per devia lustra vagantes
Participes operum compellat Hyantius ore:
Lina madent, comites, ferrumque cruore ferarum:
Fortunamque dies habuit satis. Altera lucem
Cum croceis evecta rotis Aurora reducet, 150
Propositum repetamus opus: nunc Phœbus utraque
Distat idem terra, finditque vaporibus arva.
Sistite opus præsens, nodosaque tollite lina.
Jussa viri faciunt intermittuntque laborem.
Vallis erat, piceis et acuta densa cupressu, 155
Nomine Gargaphie, succinctæ sacra Dianæ:
Cujus in extremo est antrum nemorale recessu,
Arte laboratum nulla: simulaverat artem
Ingenio Natura suo: nam pumice vivo,
Et levibus tophis nativum duxerat arcum. 160
Fons sonat a dextra, tenui perlucidus unda,
Margine gramineo patulos incinctus hiatus.
Hic dea sylvarum, venatu fessa, solebat
Virgineos artus liquido perfundere rore.
Quo postquam subiit; Nympharum tradidit uni
Armigeræ jaculum, pharetramque, arcusque retentos: 166
Altera depositæ subjecit brachia pallæ.
Vincla duæ pedibus demunt: nam doctior illis
Ismenis Crocale, sparsos per colla capillos
Colligit in nodum; quamvis erat ipsa solutis.
Excipiunt laticem Nepheleque, Hyaleque, Rhanisque, 171
Et Psecas, et Phiale; funduntque capacibus urnis.
Dumque ibi perluitur solita Titania lympha;
Ecce nepos Cadmi, dilata parte laborum,
Per nemus ignotum non certis passibus errans,
Pervenit in lucum: sic illum fata ferebant. 176
Qui simul intravit rorantia fontibus antra;
Sicut erant, viso nudæ sua pectora Nymphæ
Percussere viro: subitisque ululatibus omne
Implevere nemus: circumfusæque Dianam 180
Corporibus texere suis. Tamen altior illis
Ipsa dea est, colloque tenus supereminet omnes.
Qui color infectis adversi Solis ab ictu
Nubibus esse solet, aut purpureæ Auroræ:
Is fuit in vultu visæ sine veste Dianæ. 185
Quæ quanquam comitum turba est stipata suarum,
In latus obliquum tamen adstitit: oraque retro
Flexit: et ut vellet promtas habuisse sagittas,
Quas habuit, sic hausit aquas: vultumque virilem 189
Perfudit: spargensque comas ultricibus undis,
Addidit hæc cladis prænuntia verba futuræ:
Nunc tibi me posito visam velamine narres,
Si poteris narrare, licet. Nec plura minata,
Dat sparso capiti vivacis cornua cervi:
Dat spatium collo: summasque cacuminat aures: 195
Cum pedibusque manus, cum longis brachia mutat
Cruribus: et velat maculoso vellere corpus.
Additus et pavor est. Fugit Autonoeius heros:
Et se tam celerem cursu miratur in ipso.
Ut vero solitis sua cornua vidit in undis, 200
Me miserum! dicturus erat: vox nulla secuta est.
Ingemuit; vox illa fuit; lacrymæque per ora
Non sua fluxerunt; mens tantum pristina mansit.
Quid faciat? repetatne domum, regalia tecta?
An lateat sylvis? timor hoc, pudor impedit illud. 205
Dum dubitat, videre canes: primusque Melampus,
Ichnobatesque sagax latratu signa dedere:
Gnossius Ichnobates, Spartana gente Melampus.
Inde ruunt alii rapida velocius aura,
Pamphagus, et Dorceus, et Oribasus, Arcades omnes: 210
Nebrophonosque valens, et trux cum Lælape Theron,
Et pedibus Pterelas, et naribus utilis Agre,
Hylæusque fero nuper percussus ab apro,
Deque lupo concepta Nape, pecudesque secuta
Pœmenis, et natis comitata Harpyia duobus,
Et substricta gerens Sicyonius ilia Ladon, 216
Et Dromas, et Canace, Sticteque, et Tigris, et Alce,
Et niveis Leucon, et villis Asbolus atris,
Prævalidusque Lacon, et cursu fortis Aello,
Et Thous, et Cyprio velox cum fratre Lycisce:
Et nigram medio frontem distinctus ab albo 221
Harpalos, et Melaneus, hirsutaque corpore Lachne:
Et patre Dictæo, sed matre Laconide nati,
Labros, et Agriodos, et acutæ vocis Hylactor:
Quosque referre mora est. Ea turba cupidine prædæ 225
Per rupes, scopulosque, adituque carentia saxa,

Qua via difficilis, quaque est via nulla, feruntur;
Ille fugit, per quæ fuerat loca sæpe secutus.
Heu famulos fugit ipse suos! clamare libebat,
Actæon ego sum: dominum cognoscite vestrum
Verba animo desunt: resonat latratibus æther.
Prima Melanchætes in tergo vulnera fecit: 232
Proxima Theridamas; Oresitrophus hæsit in armo.
Tardius exierant; sed per compendia montis
Anticipata via est. Dominum retinentibus illis,
Cætera turba coit, confertque in corpore dentes.
Jam loca vulneribus desunt. Gemit ille, sonumque,
Etsi non hominis, quem non tamen edere possit
Cervus, habet, mæstisque replet juga nota querelis: 239
Et genibus supplex positis, similisque roganti,
Circumfert tacitos, tanquam sua brachia, vultus.
At comites rapidum solitis hortatibus agmen
Ignari instigant, oculisque Actæona quærunt,
Et velut absentem certatim Actæona clamant.
Ad nomen caput ille refert: ut abesse queruntur,
Nec capere oblatæ segnem spectacula prædæ,
Vellet abesse quidem; sed adest: velletque videre,
Non etiam sentire, canum fera facta suorum.
Undique circumstant, mersisque in corpore rostris
Dilacerant falsi dominum sub imagine cervi. 250
[Nec nisi finita per plurima vulnera vita
Ira pharetratæ fertur satiata Dianæ.]
Rumor in ambiguo est: aliis violentior æquo
Visa dea est: alii laudant, dignamque severa
Virginitate vocant. Pars invenit utraque causas.
Sola Jovis conjux non tam culpetne probetne 256
Eloquitur, quam clade domus ab Agenore ductæ
Gaudet, et a Tyria collectum pellice transfert
In generis socios odium. Subit ecce priori
Causa recens; gravidamque dolet de semine magni 260
Esse Jovis Semelen: tum linguam ad jurgia solvit.
Profeci quid enim toties per jurgia? dixit.
Ipsa petenda mihi est: ipsam, si maxima Juno
Rite vocor, perdam; si me gemmantia dextra
Sceptra tenere decet; si sum regina, Jovisque 265
Et soror et conjux: certe soror. At puto, furto est
Contenta: et thalami brevis est injuria nostri.
Concipit; id deerat: manifestaque crimina pleno
Fert utero, et mater, quod vix mihi contigit uni,
De Jove vult fieri: tanta est fiducia formæ. 270
Fallat eam faxo: nec sim Saturnia, si non
Ab Jove mersa suo Stygias penetrarit in undas.
Surgit ab his solio, fulvaque recondita nube
Limen adit Semeles; nec nubes ante removit,
Quam simulavit anum: posuitque ad tempora canos: 275
Sulcavitque cutem rugis: et curva trementi
Membra tulit passu: vocem quoque fecit anilem:
Ipsaque fit Beroe, Semeles Epidauria nutrix.
Ergo ubi, captato sermone, diuque loquendo,
Ad nomen venere Jovis; suspirat: et, Optem
Jupiter ut sit, ait: metuo tamen omnia. Multi
Nomine divorum thalamos subiere pudicos.
Nec tamen esse Jovis satis est: det pignus amoris, [alta
Si modo verus is est: quantusque, et qualis ab
Junone excipitur, tantus, talisque rogatos 285
Det tibi complexus: suaque ante insignia sumat.
Talibus ignarum Juno Cadmeida dictis
Formarat. Rogat illa Jovem sine nomine munus.
Cui deus, Elige, ait: nullam patiere repulsam.
Quoque magis credas; Stygii quoque conscia sunto 290
Numina torrentis, timor et deus ille deorum.
Læta malo, nimiumque potens, perituraque amantis
Obsequio Semele, Qualem Saturnia, dixit,
Te solet amplecti, Veneris cum fœdus initis,
Da mihi te talem. Voluit deus ora loquentis 295
Opprimere: exierat jam vox properata sub auras. [ille
Ingemuit: neque enim non hæc optasse, neque
Non jurasse potest. Ergo mæstissimus altum
Æthera conscendit, nutuque sequentia traxit
Nubila; quîs nimbos, immixtaque fulgura ventis
Addidit, et tonitrus, et inevitabile fulmen. 301
Qua tamen usque potest, vires sibi demere tentat:
Nec, quo centimanum dejecerat igne Typhoea,
Nunc armatur eo: nimium feritatis in illo.
Est aliud levius fulmen, cui dextra Cyclopum
Sævitiæ, flammæque minus, minus addidit iræ:
Tela secunda vocant superi. Capit ille, domumque
Intrat Agenoream. Corpus mortale tumultus
Non tulit ætherios, donisque jugalibus arsit.
Imperfectus adhuc infans genetricis ab alvo 310
Eripitur, patrioque tener, si credere dignum,
Insuitur femori; maternaque tempora complet.
Furtim illum primis Ino matertera cunis
Educat: inde datum Nymphæ Nyseides antris
Occuluere suis, lactisque alimenta dedere. 315
Dumque ea per terras fatali lege geruntur,
Tutaque bis geniti sunt incunabula Bacchi:
Forte Jovem memorant, diffusum nectare, curas
Seposuisse graves, vacuaque agitasse remissos
Cum Junone jocos: et, Major vestra profecto est, 320
Quam quæ contingat maribus, dixisse, voluptas.
Illa negat. Placuit, quæ sit sententia docti,
Quærere, Tiresiæ. Venus huic erat utraque nota.
Nam duo magnorum viridi coeuntia sylva
Corpora serpentum baculi violaverat ictu: 325
Deque viro factus, mirabile, fœmina, septem
Egerat autumnos: octavo rursus eosdem
Vidit: et, Est vestræ si tanta potentia plagæ,
Dixit, ut auctoris sortem in contraria mutet:
Nunc quoque vos feriam. Percussis anguibus isdem 330
Forma prior rediit, genitivaque rursus imago.
Arbiter hic igitur sumtus de lite jocosa,
Dicta Jovis firmat. Gravius Saturnia justo,
Nec pro materia fertur doluisse: suique
Judicis æterna damnavit lumina nocte. 335
At pater omnipotens (neque enim licet irrita cuiquam
Facta dei fecisse deo) pro lumine ademto
Scire futura dedit, pœnamque levavit honore.
Ille per Aonias, fama celeberrimus, urbes
Irreprehensa dabat populo responsa petenti. 340
Prima fide vocisque ratæ tentamina sumsit
Cærula Liriope: quam quondam flumine curvo
Implicuit, clausæque suis Cephisos in undis
Vim tulit. Enixa est utero pulcherrima pleno
Infantem, Nymphis jam nunc qui posset amari;
Narcissumque vocat. De quo consultus, an esset
Tempora maturæ visurus longa senectæ: 347
Fatidicus vates, Si se non viderit, inquit.
Vana diu visa est vox auguris. Exitus illam,
Resque probat, letique genus, novitasque furoris. 350

Jamque ter ad quinos unum Cephisius annum
Addiderat: poteratque puer, juvenisque videri.
Multi illum juvenes, multæ cupiere puellæ.
Sed fuit in tenera tam dira superbia forma;
Nulli illum juvenes, nullæ tetigere puellæ. 355
Adspicit hunc, trepidos agitantem in retia cervos,
Vocalis Nymphe, quæ nec reticere loquenti,
Nec prior ipsa loqui didicit, resonabilis Echo.
Corpus adhuc Echo, non vox erat: et tamen usum
Garrula non alium, quam nunc habet, oris habebat, 360
Reddere de multis ut verba novissima posset.
Fecerat hoc Juno, quia, cum deprendere posset
Cum Jove sæpe suo Nymphas in monte jacentes,
Illa deam longo prudens sermone tenebat,
Dum fugerent Nymphæ. Postquam Saturnia sensit; 365
Hujus, ait, linguæ, qua sum delusa, potestas
Parva tibi dabitur, vocisque brevissimus usus;
Reque minas firmat. Tamen hæc in fine loquendi
Ingeminat voces, auditaque verba reportat.
Ergo ubi Narcissum per devia lustra vagantem
Vidit, et incaluit: sequitur vestigia furtim; 371
Quoque magis sequitur, flamma propiore calescit.
Non aliter, quam cum summis circumlita tædis
Admotam rapiunt vivacia sulfura flammam.
O quoties voluit blandis accedere dictis, 375
Et molles adhibere preces! natura repugnat,
Nec sinit incipiat: sed, quod sinit, illa parata est
Exspectare sonos, ad quos sua verba remittat.
Forte puer, comitum seductus ab agmine fido,
Dixerat, Ecquis adest? et, Adest, responderat Echo. 380
Hic stupet: utque aciem partes dimisit in omnes,
Voce, Veni, clamat magna. Vocat illa vocantem.
Respicit: et nullo rursus veniente, Quid, inquit,
Me fugis? et totidem, quot dixit, verba recepit.
Perstat; et alternæ deceptus imagine vocis, 385
Huc coeamus, ait: nullique libentius unquam
Responsura sono, Coeamus, rettulit Echo:
Et verbis favet ipsa suis; egressaque sylvis
Ibat, ut injiceret sperato brachia collo.
Ille fugit: fugiensque, Manus complexibus aufers:
Ante, ait, emoriar, quam sit tibi copia nostri.
Rettulit illa nihil, nisi, Sit tibi copia nostri. 392
Spreta latet sylvis, pudibundaque frondibus ora
Protegit: et solis ex illo vivit in antris.
Sed tamen hæret amor, crescitque dolore repulsæ. 395
Attenuant vigiles corpus miserabile curæ:
Adducitque cutem macies; et in aera succus
Corporis omnis abit: vox tantum, atque ossa supersunt.
Vox manet: ossa ferunt lapidis traxisse figuram.
[Inde latet sylvis, nulloque in monte videtur;
Omnibus auditur, sonus est, qui vivit in illa.]
Sic hanc, sic alias, undis aut montibus ortas,
Luserat hic Nymphas; sic cœtus ante viriles.
Inde manus aliquis despectus ad æthera tollens,
Sic amet iste licet, sic non potiatur amato, 405
Dixerat. Assensit precibus Rhamnusia justis.
Fons erat illimis, nitidis argenteus undis,
Quem neque pastores, neque pastæ monte capellæ
Contigerant, aliudve pecus: quem nulla volucris,
Nec fera turbarat, nec lapsus ab arbore ramus.
Gramen erat circa, quod proximus humor alebat:
Sylvaque, sole lacum passura tepescere nullo.
Hic puer, et studio venandi lassus et æstu,
Procubuit, faciemque loci, fontemque secutus.
Dumque sitim sedare cupit, sitis altera crevit:
Dumque bibit, visæ correptus imagine formæ,
Spem sine corpore amat: corpus putat esse, quod umbra est.
Adstupet ipse sibi: vultuque immotus eodem
Hæret, ut e Pario formatum marmore signum.
Spectat humi positus geminum, sua lumina, sidus, 420
Et dignos Baccho, dignos et Apolline crines;
Impubesque genas, et eburnea colla, decusque
Oris, et in niveo mixtum candore ruborem;
Cunctaque miratur, quibus est mirabilis; ipse
Se cupit imprudens; et, qui probat, ille probatur; 425
Dumque petit, petitur; pariterque incendit, et ardet.
Irrita fallaci quoties dedit oscula fonti!
In medias quoties visum captantia collum,
Brachia mersit aquas, nec se deprendit in illis!
Quid videat, nescit; sed, quod videt, uritur illo: 430
Atque oculos idem, qui decipit, incitat error.
Credule, quid frustra simulacra fugacia captas?
Quod petis, est nusquam: quod amas, avertere, perdes.
Ista repercussæ, quam cernis, imaginis umbra est.
Nil habet ista sui, tecumque venitque, manetque:
Tecum discedat; si tu discedere possis. 436
Non illum Cereris, non illum cura quietis
Abstrahere inde potest: sed opaca fusus in herba
Spectat inexpleto mendacem lumine formam:
Perque oculos perit ipse suos: paullumque levatus, 440
Ad circumstantes tendens sua brachia sylvas;
Ecquis, io sylvæ, crudelius, inquit, amavit?
Scitis enim, et multis latebra opportuna fuistis.
Ecquem, cum vestræ tot agantur sæcula vitæ,
Qui sic tabuerit, longo meministis in ævo? 445
Et placet, et video: sed quod videoque, placetque,
Non tamen invenio: tantus tenet error amantem.
Quoque magis doleam; nec nos mare separat ingens,
Nec via, nec montes, nec clausis mœnia portis.
Exigua prohibemur aqua. Cupit ipse teneri. 450
Nam quoties liquidis porreximus oscula lymphis,
Hic toties ad me resupino nititur ore.
Posse putes tangi: minimum est, quod amantibus obstat.
Quisquis es, huc exi: quid me, puer unice, fallis?
Quove petitus abis? certe nec forma, nec ætas 455
Est mea, quam fugias: et amarunt me quoque Nymphæ.
Spem mihi nescio quam vultu promittis amico:
Cumque ego porrexi tibi brachia, porrigis ultro:
Cum risi, arrides: lacrymas quoque sæpe notavi,
Me lacrymante, tuas; nutu quoque signa remittis: 460
Et, quantum motu formosi suspicor oris,
Verba refers, aures non pervenientia nostras.
In te ego sum, sensi: nec me mea fallit imago.
Uror amore mei: flammas moveoque feroque.
Quid faciam? roger, anne rogem? quid deinde rogabo? 465
Quod cupio, mecum est: inopem me copia fecit.
O utinam nostro secedere corpore possem!

Votum in amante novum; vellem, quod amamus, abesset.
Jamque dolor vires adimit, nec tempora vitæ
Longa meæ superant: primoque exstinguor in ævo. 470
Nec mihi mors gravis est, posituro morte dolores.
Hic, qui diligitur, vellem diuturnior esset.
Nunc duo concordes anima moriemur in una.
Dixit, et ad faciem rediit male sanus eandem;
Et lacrymis turbavit aquas: obscuraque moto
Reddita forma lacu est. Quam cum vidisset abire;
Quo fugis? o remane; nec me, crudelis, amantem 477
Desere, clamavit: liceat, quod tangere non est,
Adspicere, et misero præbere alimenta furori.
Dumque dolet, summa vestem deduxit ab ore, 480
Nudaque marmoreis percussit pectora palmis.
Pectora traxerunt tenuem percussa ruborem;
Non aliter, quam poma solent, quæ candida parte,
Parte rubent; aut ut variis solet uva racemis
Ducere purpureum, nondum matura, colorem. 485
Quæ simul adspexit liquefacta rursus in unda;
Non tulit ulterius: sed, ut intabescere flavæ
Igne levi ceræ, matutinæve pruinæ
Sole tepente solent, sic attenuatus amore
Liquitur, et cæco paulatim carpitur igni. 490
Et neque jam color est mixto candore rubori;
Nec vigor, et vires, et quæ modo visa placebant,
Nec corpus remanet, quondam quod amaverat Echo.
Quæ tamen ut vidit, quamvis irata memorque,
Indoluit: quotiesque puer miserabilis, Eheu, 495
Dixerat, hæc resonis iterabat vocibus, Eheu.
Cumque suos manibus percusserat ille lacertos,
Hæc quoque reddebat sonitum plangoris eundem.
Ultima vox solitam fuit hæc spectantis in undam:
Heu frustra dilecte puer! totidemque remisit 500
Verba locus: dictoque Vale, Vale inquit et Echo.
Ille caput viridi fessum submisit in herba:
Lumina nox claudit domini mirantia formam.
Tum quoque se, postquam est inferna sede receptus,
In Stygia spectabat aqua. Planxere sorores 505
Naides, et sectos fratri posuere capillos.
Planxere et Dryades: plangentibus adsonat Echo.
Jamque rogum, quassasque faces, feretrumque parabant: [florem
Nusquam corpus erat: croceum pro corpore
Inveniunt, foliis medium cingentibus albis. 510
Cognita res meritam vati per Achaidas urbes
Attulerat famam: nomenque erat auguris ingens.
Spernit Echionides tamen hunc, ex omnibus unus
Contemtor superûm, Pentheus: præsagaque ridet
Verba senis, tenebrasque et cladem lucis ademtæ
Objicit. Ille movens albentia tempora canis, 516
Quam felix esses, si tu quoque luminis hujus
Orbus, ait, fieres, ne Bacchia sacra videres!
Jamque dies aderit, jamque haud procul auguror esse,
Qua novus huc veniat, proles Semeleia, Liber. 520
Quem nisi templorum fueris dignatus honore,
Mille lacer spargere locis, et sanguine sylvas
Fœdabis, matremque tuam, matrisque sorores.
Evenient: neque enim dignabere numen honore:
Meque sub his tenebris nimium vidisse quereris.
Talia dicentem proturbat Echione natus. 526
Dicta fides sequitur; responsaque vatis aguntur.
Liber adest, festisque fremunt ululatibus agri.
Turba ruunt: mixtæque viris matresque nurusque,
Vulgusque, proceresque, ignota ad sacra feruntur. 530
Quis furor, anguigenæ, proles Mavortia, vestras
Attonuit mentes? Pentheus ait: ærane tantum
Ære repulsa valent? et adunco tibia cornu?
Et magicæ fraudes? ut quos non belliger ensis,
Non tuba terruerint, non strictis agmina telis: 535
Fœmineæ voces, et mota insania vino,
Obscœnique greges, et inania tympana vincant?
Vosne, senes, mirer? qui longa per æquora vecti
Hac Tyron, hac profugos posuistis sede Penates,
Nunc sinitis sine Marte capi? vosne, acrior ætas,
O juvenes, propiorque meæ; quos arma tenere,
Non thyrsos, galeaque tegi, non fronde decebat?
Este, precor, memores, qua sitis stirpe creati:
Illiusque animos, qui multos perdidit unus,
Sumite serpentis. Pro fontibus ille lacuque 545
Interiit: at vos pro fama vincite vestra.
Ille dedit leto fortes: vos pellite molles,
Et patrium revocate decus. Si fata vetabant
Stare diu Thebas; utinam tormenta virique 549
Mœnia diruerent, ferrumque ignisque sonarent!
Essemus miseri sine crimine: sorsque querenda,
Non celanda foret: lacrymæque pudore carerent.
At nunc a puero Thebæ capientur inermi:
Quem neque bella juvant, nec tela, nec usus equorum, 554
Sed madidus myrrha crinis, mollesque coronæ,
Purpuraque, et pictis intextum vestibus aurum.
Quem quidem ego actutum, modo vos absistite, cogam
Assumtumque patrem commentaque sacra fateri.
An satis Acrisio est animi, contemnere vanum
Numen, et Argolicas venienti claudere portas;
Penthea terrebit cum totis advena Thebis? 561
Ite citi, (famulis hoc imperat) ite, ducemque
Attrahite huc vinctum: jussis mora segnis abesto.
Hunc avus, hunc Athamas, hunc cætera turba suorum
Corripiunt dictis, frustraque inhibere laborant.
Acrior admonitu est, irritaturque retenta 566
Et crescit rabies: remoraminaque ipsa nocebant
Sic ego torrentem, qua nil obstabat eunti,
Lenius, et modico strepitu decurrere vidi.
At, quacunque trabes obstructaque saxa tenebant,
Spumeus, et fervens, et ab objice sævior ibat. 571
Ecce cruentati redeunt: et, Bacchus ubi esset,
Quærenti domino, Bacchum vidisse negarunt.
Hunc, dixere, tamen comitem, famulumque sacrorum
Cepimus: et tradunt manibus post terga ligatis
Sacra dei quondam Tyrrhena gente secutum. 576
Adspicit hunc oculis Pentheus, quos ira tremendos
Fecerat: et, quanquam pœnæ vix tempora differt,
O periture, tuaque aliis documenta dature
Morte, ait, ede tuum nomen, nomenque parentum, 580
Et patriam; morisque novi cur sacra frequentes.
Ille metu vacuus, Nomen mihi, dixit, Acœtes;
Patria Mæonia est: humili de plebe parentes.
Non mihi, quæ duri colerent, pater, arva juvenci,
Lanigerosve greges, non ulla armenta reliquit.
Pauper et ipse fuit: linoque solebat et hamo 586
Decipere, et calamo salientes ducere pisces.
Ars illi sua census erat. Cum traderet artem,
Accipe, quas habeo, studii successor et hæres,
Dixit, opes: moriensque mihi nihil ille reliquit
Præter aquas; unum hoc possum appellare paternum. 591

Mox ego, ne scopulis hærerem semper in isdem,
Addidici regimen, dextra moderante, carinæ
Flectere: et Oleniæ sidus pluviale capellæ,
Taygetenque, Hyadasque oculis Arctonque notavi 595
Ventorumque domos, et portus puppibus aptos.
Forte petens Delon, Diæ telluris ad oras
Applicor, et dextris adducor littora remis:
Doque leves saltus, udæque immittor arenæ.
Nox ubi consumta est; Aurora rubescere primum 600
Cœperat: exsurgo, laticesque inferre recentes
Admoneo, monstroque viam, quæ ducat ad undas.
Ipse, quid aura mihi tumulo promittat ab alto,
Prospicio: comitesque voco, repetoque carinam.
Adsumus en, inquit sociorum primus Opheltes:
Utque putat, prædam deserto nactus in agro, 606
Virginea puerum ducit per littora forma.
Ille, mero somnoque gravis, titubare videtur,
Vixque sequi. Specto cultum, faciemque, gradumque;
Nil ibi, quod posset credi mortale, videbam. 610
Et sensi, et dixi sociis, Quod numen in isto
Corpore sit, dubito: sed corpore numen in isto est.
Quisquis es, o, faveas, nostrisque laboribus adsis:
His quoque des veniam. Pro nobis mitte precari,
Dictys ait: quo non alius conscendere summas
Ocior antennas, prensoque rudente relabi. 616
Hoc Libys, hoc flavus, proræ tutela, Melanthus,
Hoc probat Alcimedon, et, qui requiemque modumque
Voce dabat remis, animorum hortator Epopeus:
Hoc omnes alii. Prædæ tam cæca cupido est. 620
Non tamen hanc sacro violari pondere pinum
Perpetiar, dixi: pars hic mihi maxima juris.
Inque aditu obsisto. Furit audacissimus omni
De numero Lycabas: qui Tusca pulses ab urbe
Exsilium, dira pœnam pro cæde, luebat. 625
Is mihi, dum resto, juvenili guttura pugno
Rupit: et excussum misisset in æquora, si non
Hæsissem, quamvis amens, in fune retentus.
Impia turba probant factum. Tum denique Bacchus,
Bacchus enim fuerat, veluti clamore solutus 630
Sit sopor, aque mero redeant in pectora sensus;
Quid facitis? quis clamor? ait; qua, dicite, nautæ,
Huc ope perveni? quo me deferre paratis?
Pone metum, Proreus, et quos contingere portus
Ede velis, dixit; terra sistere petita. 635
Naxon, ait Liber, cursus advertite vestros,
Illa mihi domus est: vobis erit hospita tellus.
Per mare fallaces, perque omnia numina jurant
Sic fore: meque jubent pictæ dare vela carinæ.
Dextera Naxos erat: dextra mihi lintea danti, 640
Quid facis, o demens? quis te furor, inquit, Acœte,
Pro se quisque, tenet? lævam pete. Maxima nutu
Pars mihi significat; pars, quid velit, aure susurrat.
Obstupui: Capiatque alius moderamina, dixi:
Meque ministerio scelerisque artisque removi.
Increpor a cunctis; totumque immurmurat agmen.
E quibus Æthalion, Te scilicet omnis in uno
Nostra salus posita est! ait, et subit ipse, meumque
Explet opus; Naxoque petit diversa relicta.
Tum deus illudens, tanquam modo denique fraudem 650
Senserit, e puppi pontum prospectat adunca:
Et flenti similis, Non hæc mihi littora, nautæ,
Promisistis, ait: non hæc mihi terra rogata est.
Quo merui pœnam facto? quæ gloria vestra est,
Si puerum juvenes, si multi fallitis unum? 655
Jamdudum flebam. Lacrymas manus impia nostras
Ridet, et impellit properantibus æquora remis.
Per tibi nunc ipsum (nec enim præsentior illo
Est deus) adjuro, tam me tibi vera referre,
Quam veri majora fide. Stetit æquore puppis 660
Haud aliter, quam si siccum navale teneret.
Illi admirantes remorum in verbere perstant,
Velaque deducunt; geminaque ope currere tentant.
Impediunt hederæ remos, nexuque recurvo
Serpunt, et gravidis distinguunt vela corymbis.
Ipse, racemiferis frontem circumdatus uvis, 666
Pampineis agitat velatam frondibus hastam:
Quem circa tigres, simulacraque inania lyncum,
Pictarumque jacent fera corpora pantherarum.
Exsiluere viri; sive hoc insania fecit, 670
Sive timor: primusque Medon nigrescere pinnis
Corpore depresso, et spinæ curvamina flecti
Incipit: huic Lycabas, In quæ miracula, dixit,
Verteris? et lati rictus, et panda loquenti
Naris erat, squamamque cutis durata trahebat.
At Libys, obstantes dum vult obvertere remos,
In spatium resilire manus breve vidit; et illas
Jam non esse manus, jam pinnas posse vocari.
Alter, ad intortos cupiens dare brachia funes,
Brachia non habuit, truncoque repandus in undas 680
Corpore desiluit: falcata novissima cauda est,
Qualia dividuæ sinuantur cornua Lunæ.
Undique dant saltus, multaque adspergine rorant:
Emerguntque iterum: redeuntque sub æquora rursus:
Inque chori ludunt speciem: lascivaque jactant 685
Cerpora, et acceptum patulis mare naribus efflant.
De modo viginti, tot enim ratis illa ferebat,
Restabam solus. Pavidum, gelidumque trementi
Corpore, vixque meum firmat deus, Excute, dicens,
Corde metum, Diamque tene. Delatus in illam
Accensis aris Baccheia sacra frequento. 691
Præbuimus longis, Pentheus, ambagibus aures,
Inquit, ut ira mora vires absumere posset.
Præcipitem famuli rapite hunc, cruciataque diris,
Corpora tormentis Stygiæ demittite nocti. 695
Protinus abstractus solidis Tyrrhenus Acœtes
Clauditur in tectis: et dum crudelia jussæ
Instrumenta necis ferrumque ignisque parantur;
Sponte sua patuisse fores, lapsasque lacertis
Sponte sua fama est, nullo solvente, catenas. 700
Perstat Echionides: nec jam jubet ire, sed ipse
Vadit, ubi electus facienda ad sacra Cithæron
Cantibus et clara bacchantum voce sonabat.
Ut fremit acer equus, cum bellicus ære canoro
Signa dedit tubicen, pugnæque assumit amorem:
Penthea sic ictus longis ululatibus æther 706
Movit, et audito clangore recanduit ira.
Monte fere medio est, cingentibus ultima sylvis,

Purus ab arboribus, spectabilis undique campus.
Hic oculis illum cernentem sacra profanis 710
Prima videt, prima est insano concita motu.
Prima suum misso violavit Penthea thyrso
Mater: Io, geminæ, clamavit, adeste sorores.
Ille aper, in nostris errat qui maximus agris,
Ille mihi feriendus aper. Ruit omnis in unum 715
Turba furens: cunctæ coeunt, cunctæque sequuntur
Jam trepidum, jam verba minus violenta loquentem,
Jam se damnantem, jam se peccasse fatentem.
Saucius ille tamen, Fer opem, matertera, dixit,
Autonoe: moveant animos Actæonis umbræ.
Illa, quid Actæon, nescit, dextramque precanti
Abstulit: Inoo lacerata est altera raptu.
Non habet infelix quæ matri brachia tendat:
Trunca sed ostendens disjectis corpora membris,
Adspice, mater, ait. Visis ululavit Agave, 725
Collaque jactavit, movitque per aera crinem:
Avulsumque caput digitis complexa cruentis
Clamat, Io comites, opus hæc victoria nostrum est.
Non citius frondes autumno frigore tactas,
Jamque male hærentes, alta rapit arbore ventus;
Quam sunt membra viri manibus direpta nefandis. 731
Talibus exemplis monitæ nova sacra frequentant,
Thuraque dant, sanctasque colunt Ismenides aras.

LIBER QUARTUS.

At non Alcithoe Minyeias orgia censet
Accipienda dei: sed adhuc temeraria Bacchum
Progeniem negat esse Jovis: sociasque sorores
Impietatis habet. Festum celebrare sacerdos,
Immunesque operum dominas, famulasque suorum 5
Pectora pelle tegi, crinales solvere vittas,
Serta coma, manibus frondentes sumere thyrsos,
Jusserat: et sævam læsi fore numinis iram
Vaticinatus erat. Parent matresque nurusque;
Telasque, calathosque, infectaque pensa reponunt: 10
Thuraque dant: Bacchumque vocant, Bromiumque, Lyæumque,
Ignigenamque, satumque iterum, solumque bimatrem:
Additur his Nyseus, indetonsusque Thyoneus,
Et cum Lenæo genialis consitor uvæ,
Nycteliusque, Eleleusque parens, et Iacchus, et Evan: 15
Et quæ præterea per Graias plurima gentes
Nomina, Liber, habes. Tibi enim inconsumta juventas:
Tu puer æternus, tu formosissimus alto
Conspiceris cœlo: tibi, cum sine cornibus adstas,
Virgineum caput est: Oriens tibi victus, adusque
Decolor extremo qua tingitur India Gange. 21
Penthea tu, venerande, bipenniferumque Lycurgum
Sacrilegos mactas: Tyrrhenaque mittis in æquor
Corpora. Tu bijugum pictis insignia frenis
Colla premis lyncum: Bacchæ Satyrique sequuntur, 25
Quique senex ferula titubantes ebrius artus
Sustinet, et pando non fortiter hæret asello.
Quacunque ingrederis, clamor juvenilis, et una
Fœmineæ voces, impulsaque tympana palmis,
Concavaque æra sonant, longoque foramine buxus. 30
Pacatus mitisque, rogant Ismenides, adsis:
Jussaque sacra colunt. Solæ Minyeides intus,
Intempestiva turbantes festa Minerva,
Aut ducunt lanas, aut stamina pollice versant,
Aut hærent telæ, famulasque laboribus urgent.
E quibus una levi deducens pollice filum: 36
Dum cessant aliæ, commentaque sacra frequentant,
Nos quoque, quas Pallas, melior dea, detinet, inquit,
Utile opus manuum vario sermone levemus: 39
Perque vices aliquid, quod tempora longa videri
Non sinat, in medium vacuas referamus ad aures.
Dicta probant, primamque jubent narrare sorores.
Illa, quid e multis referat, nam plurima norat,
Cogitat; et dubia est, de te, Babylonia, narret,
Derceti, quam versa squamis velantibus artus
Stagna Palæstini credunt celebrasse figura: 46
An magis ut sumtis illius filia pennis
Extremos albis in turribus egerit annos:
Nais an ut cantu, nimiumque potentibus herbis,
Verterit in tacitos juvenilia corpora pisces, 50
Donec idem passa est: an, quæ poma alba ferebat,
Ut nunc nigra ferat contactu sanguinis arbor.
Hæc placet; hanc, quoniam vulgaris fabula non est,
Talibus orsa modis, lana sua fila sequente:
Pyramus et Thisbe, juvenum pulcherrimus alter, 55
Altera, quas Oriens habuit, prælata puellis,
Contiguas tenuere domos, ubi dicitur altam
Coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem.
Notitiam, primosque gradus vicinia fecit;
Tempore crevit amor: tædæ quoque jure coissent; 60
Sed vetuere patres. Quod non potuere vetare,
Ex æquo captis ardebant mentibus ambo.
Conscius omnis abest: nutu, signisque loquuntur.
Quoque magis tegitur, tectus magis æstuat ignis.
Fissus erat tenui rima, quam duxerat olim, 65
Cum fieret, paries domui communis utrique.
Id vitium nulli per sæcula longa notatum
(Quid non sentit amor?) primi sensistis amantes,
Et voci fecistis iter: tutæque per illud
Murmure blanditiæ minimo transire solebant.
Sæpe, ut constiterant, hinc Thisbe, Pyramus illinc, 71
Inque vicem fuerat captatus anhelitus oris;
Invide, dicebant, paries, quid amantibus obstas?
Quantum erat, ut sineres nos toto corpore jungi?
Aut hoc si nimium, vel ad oscula danda pateres?
Nec sumus ingrati: tibi nos debere fatemur, 76
Quod datus est verbis ad amicas transitus aures.
Talia diversa nequicquam sede locuti,
Sub noctem dixere Vale: partique dedere
Oscula quisque suæ, non pervenientia contra.
Postera nocturnos Aurora removerat ignes,

Solque pruinosas radiis siccaverat herbas:
Ad solitum coiere locum. Tum murmure parvo
Multa prius questi, statuunt, ut nocte silenti
Fallere custodes, foribusque excedere tentent:
Cumque domo exierint, urbis quoque claustra relinquant:
Neve sit errandum lato spatiantibus arvo,
Conveniant ad busta Nini, lateantque sub umbra
Arboris. Arbor ibi, niveis uberrima pomis,
Ardua morus, erat, gelido contermina fonti. 90
Pacta placent: et lux, tarde decedere visa,
Præcipitatur aquis, et aquis nox surgit ab îsdem.
Callida per tenebras, versato cardine, Thisbe
Egreditur, fallitque suos: adopertaque vultum
Pervenit ad tumulum, dictaque sub arbore sedit.
Audacem faciebat amor. Venit ecce recenti 96
Cæde leæna boum spumantes oblita rictus,
Depositura sitim vicini fontis in unda.
Quam procul ad Lunæ radios Babylonia Thisbe
Vidit, et obscurum trepido pede fugit in antrum: 100
Dumque fugit, tergo velamina lapsa relinquit.
Ut lea sæva sitim multa compescuit unda,
Dum redit in sylvas, inventos forte sine ipsa
Ore cruentato tenus laniavit amictus.
Serius egressus vestigia vidit in alto 105
Pulvere certa feræ, totoque expalluit ore
Pyramus. Ut vero vestem quoque sanguine tinctam
Repperit; Una duos nox, inquit, perdet amantes:
E quibus illa fuit longa dignissima vita.
Nostra nocens anima est: ego te, miseranda, peremi, 110
In loca plena metus qui jussi nocte venires,
Nec prior huc veni. Nostrum divellite corpus,
Et scelerata fero consumite viscera morsu,
O, quicunque sub hac habitatis rupe, leones 114
Sed timidi est optare necem. Velamina Thisbes
Tollit, et ad pactæ secum fert arboris umbram.
Utque dedit notæ lacrymas, dedit oscula, vesti:
Accipe nunc, inquit, nostri quoque sanguinis haustus:
Quoque erat accinctus, demittit in ilia ferrum.
Nec mora; ferventi moriens e vulnere traxit. 120
Ut jacuit resupinus humi, cruor emicat alte;
Non aliter, quam cum vitiato fistula plumbo
Scinditur, et tenues stridente foramine longe
Ejaculatur aquas, atque ictibus aera rumpit.
Arborei fetus adspergine cædis in atram 125
Vertuntur faciem, madefactaque sanguine radix
Puniceo tingit pendentia mora colore.
Ecce metu nondum posito, ne fallat amantem,
Illa redit: juvenemque oculis, animoque requirit:
Quantaque vitarit narrare pericula gestit. 130
Utque locum, et versam cognovit in arbore formam;
(Sic facit incertam pomi color) hæret, an hæc sit.
Dum dubitat, tremebunda videt pulsare cruentum [buxo
Membra solum, retroque pedem tulit: oraque
Pallidiora gerens, exhorruit, æquoris instar, 135
Quod tremit, exigua cum summum stringitur aura.
Sed postquam remorata suos cognovit amores;
Percutit indignos claro plangore lacertos:
Et laniata comas, amplexaque corpus amatum,
Vulnera supplevit lacrymis, fletumque cruori
Miscuit: et gelidis in vultibus oscula figens,
Pyrame, clamavit, quis te mihi casus ademit?
Pyrame, responde: tua te, carissime, Thisbe
Nominat: exaudi, vultusque attolle jacentes.
Ad nomen Thisbes oculos jam morte gravatos
Pyramus erexit, visaque recondidit illa. 146
Quæ postquam vestemque suam cognovit, et ense
Vidit ebur vacuum; Tua te manus, inquit, amorque
Perdidit, infelix. Est et mihi fortis in unum
Hoc manus: est et amor, dabit hic in vulnera vires. 150
Persequar extinctum, letique miserrima dicar
Causa, comesque tui: quique a me morte revelli
Heu sola poteras, poteris nec morte revelli.
Hoc tamen amborum verbis estote rogati,
O multum miseri, meus illiusque, parentes, 155
Ut, quos serus amor, quos hora novissima junxit,
Componi tumulo non invideatis eodem.
At tu, quæ ramis arbor miserabile corpus
Nunc tegis unius, mox es tectura duorum;
Signa tene cædis, pullosque et luctibus aptos
Semper habe fetus, gemini monumenta cruoris.
Dixit: et aptato pectus mucrone sub imum 162
Incubuit ferro, quod adhuc a cæde tepebat.
Vota tamen tetigere deos, tetigere parentes.
Nam color in pomo est, ubi permaturuit, ater:
Quodque rogis superest, una requiescit in urna.
Desierat; mediumque fuit breve tempus, et orsa est 167
Dicere Leuconoe: vocem tenuere sorores.
Hunc quoque, siderea qui temperat omnia luce,
Cepit amor Solem. Solis referemus amores.
Primus adulterium Veneris cum Marte putatur
Hic vidisse deus: videt hic deus omnia primus.
Indoluit facto: Junonigenæque marito 173
Furta tori, furtique locum monstravit. At illi
Et mens, et quod opus fabrilis dextra tenebat,
Excidit. Extemplo graciles ex ære catenas,
Retiaque, et laqueos, quæ lumina fallere possint,
Elimat. Non illud opus tenuissima vincant
Stamina, non summo quæ pendet aranea tigno.
Utque leves tactus, momentaque parva sequantur, 180
Efficit: et lecto circumdata collocat apte.
Ut venere torum conjux et adulter in unum;
Arte viri, vinclisque nova ratione paratis,
In mediis ambo deprensi amplexibus hærent.
Lemnius extemplo valvas patefecit eburnas, 185
Admisitque deos. Illi jacuere ligati
Turpiter: atque aliquis de dîs non tristibus optet
Sic fieri turpis. Superi risere: diuque
Hæc fuit in toto notissima fabula cœlo. 189
Exigit indicii memorem Cythereia pœnam:
Inque vices illum, tectos qui læsit amores,
Lædit amore pari. Quid nunc, Hyperione nate,
Forma, calorque tibi, radiataque lumina prosunt?
Nempe, tuis omnes qui terras ignibus uris,
Ureris igne novo; quique omnia cernere debes,
Leucotheen spectas: et virgine figis in una, 196
Quos mundo debes, oculos. Modo surgis Eoo
Temperius cœlo: modo serius incidis undis,
Spectandique mora brumales porrigis horas.
Deficis interdum, vitiumque in lumina mentis
Transit, et obscurus mortalia pectora terres. 201
Nec, tibi quod Lunæ terris propioris imago
Obstiterit, palles: facit hunc amor iste colorem.
Diligis hanc unam: nec te Clymeneve, Rhodosve, 204
Nec tenet Æææ genitrix pulcherrima Circes,
Quæque tuos Clytie, quamvis despecta, petebat
Concubitus, ipsosque illo grave vulnus habebat

Tempore. Leucothee multarum oblivia fecit.
Gentis odoriferæ quam formosissima partu
Edidit Eurynome; sed postquam filia crevit,
Quam mater cunctas, tam matrem filia vicit.
Rexit Achæmenias urbes pater Orchamus: isque
Septimus a prisci numeratur origine Beli.
Axe sub Hesperio sunt pascua Solis equorum:
Ambrosiam pro gramine habent. Ea fessa diurnis
Membra ministeriis nutrit, reparatque labori.
Dumque ibi quadrupedes cœlestia pabula carpunt, [amatos,
Noxque vicem peragit; thalamos deus intrat
Versus in Eurynomes faciem genitricis: et inter
Bis sex Leucotheen famulas ad limina cernit
Lævia versato ducentem stamina fuso. 221
Ergo ubi, ceu mater, caræ dedit oscula natæ;
Res, ait, arcana est: famulæ, discedite: neve
Eripite arbitrium matri secreta loquenti.
Paruerant: thalamoque deus sine teste relicto,
Ille ego sum, dixit, qui longum metior annum,
Omnia qui video; per quem videt omnia tellus:
Mundi oculus. Mihi crede, places. Pavet illa: metuque
Et colus, et fusus digitis cecidere remissis.
Ipse timor decuit. Nec longius ille moratus, 230
In veram rediit faciem, solitumque nitorem.
At virgo, quamvis inopino territa visu,
Victa nitore dei, posita vim passa querela est.
Invidit Clytie (neque enim moderatus in illa
Solis amor fuerat) stimulataque pellicis ira 235
Vulgat adulterium, diffamatumque parenti
Indicat. Ille ferox immansuetusque precantem,
Tendentemque manus ad lumina Solis, et, Ille
Vim tulit invitæ, dicentem, defodit alta
Crudus humo: tumulumque super gravis addit arenæ. 240
Dissipat hunc radiis Hyperione natus, iterque
Dat tibi, quo possis defossos promere vultus.
Nec tum jam poteras enectum pondere terræ
Tollere, Nympha, caput: corpusque exsangue jacebas.
Nil illo fertur volucrum moderator equorum 245
Post Phaethonteos vidisse dolentius ignes.
Ille quidem gelidos radiorum viribus artus,
Si queat, in vivum tentet revocare calorem;
Sed, quoniam tantis fatum conatibus obstat, 249
Nectare odorato spargit corpusque locumque:
Multaque præquestus, Tanges tamen æthera, dixit.
Protinus imbutum cœlesti nectare corpus
Delicuit, terramque suo madefecit odore:
Virgaque per glebas sensim radicibus actis 254
Thurea surrexit, tumulumque cacumine rupit.
Ad Clytien, quamvis amor excusare dolorem,
Indiciumque dolor poterat, non amplius auctor
Lucis adit, Venerisque modum sibi fecit in illa.
Tabuit ex illo dementer amoribus usa,
Nympharum impatiens; et sub Jove, nocte dieque, 260
Sedit humo nuda, nudis incomta capillis:
Perque novem luces expers undæque cibique,
Rore mero, lacrymisque suis jejunia pavit:
Nec se movit humo. Tantum spectabat euntis
Ora dei, vultusque suos flectebat ad illum. 265
Membra ferunt hæsisse solo: partemque coloris
Luridus exsangues pallor convertit in herbas:
Est in parte rubor, violæque simillimus ora
Flos tegit. Illa suum, quamvis radice tenetur,
Vertitur ad Solem, mutataque servat amorem.
Dixerat: et factum mirabile ceperat aures.
Pars fieri potuisse negant; pars omnia veros
Posse deos memorant: sed non et Bacchus in illis.
Poscitur Alcithoe, postquam siluere sorores:
Quæ radio stantis percurrens stamina telæ, 275
Vulgatos taceo, dixit, pastoris amores
Daphnidis Idæi, quem Nymphe pellicis ira
Contulit in saxum: tantus dolor urit amantes.
Nec loquor, ut quondam naturæ jure novato
Ambiguus fuerit modo vir, modo fœmina Scython. 280
Te quoque, nunc adamas, quondam fidissime parvo,
Celmi, Jovi, largoque satos Curetas ab imbri,
Et Crocon in parvos versum cum Smilace flores
Prætereo: dulcique animos novitate tenebo.
Unde sit infamis; quare male fortibus undis
Salmacis enervet, tactosque remolliat artus; 286
Discite. Causa latet: vis est notissima fontis.
Mercurio puerum diva Cythereide natum
Naides Idæis enutrivere sub antris:
Cujus erat facies, in qua materque paterque 290
Cognosci possent: nomen quoque traxit ab illis.
Is tria cum primum fecit quinquennia, montes
Deseruit patrios: Idaque altrice relicta
Ignotis errare locis, ignota videre
Flumina gaudebat, studio minuente laborem. 295
Ille etiam Lycias urbes, Lyciæque propinquos
Caras adit. Videt hic stagnum lucentis ad imum
Usque solum lymphæ. Non illic canna palustris,
Nec steriles ulvæ, nec acuta cuspide junci.
Perspicuus liquor est. Stagni tamen ultima vivo 300
Cespite cinguntur, semperque virentibus herbis.
Nympha colit: sed nec venatibus apta, nec arcus
Flectere quæ soleat, nec quæ contendere cursu:
Solaque Naiadum celeri non nota Dianæ.
Sæpe suas illi fama est dixisse sorores: 305
Salmaci, vel jaculum, vel pictas sume pharetras;
Et tua cum duris venatibus otia misce.
Nec jaculum sumit, nec pictas illa pharetras:
Nec sua cum duris venatibus otia miscet.
Sed modo fonte suo formosos perluit artus: 310
Sæpe Cytoriaco deducit pectine crines;
Et quid se deceat, spectatas consulit undas.
Nunc perlucenti circumdata corpus amictu,
Mollibus aut foliis, aut mollibus incubat herbis.
Sæpe legit flores: et tunc quoque forte legebat,
Cum puerum vidit: visumque optavit habere.
Nec tamen ante adiit, etsi properabat adire,
Quam se composuit, quam circumspexit amictus,
Et finxit vultum; et meruit formosa videri.
Tunc sic orsa loqui: Puer o dignissime credi 320
Esse deus; seu tu deus es, potes esse Cupido:
Sive es mortalis; qui te genuere, beati:
Et frater felix, et fortunata profecto
Si qua tibi soror est, et quæ dedit ubera nutrix.
Sed longe cunctis, longeque potentior illis, 325
Si qua tibi sponsa est; si quam dignabere tæda.
Hæc tibi sive aliqua est; mea sit furtiva voluptas:
Seu nulla est; ego sim: thalamumque ineamus eundem.
Nais ab his tacuit: pueri rubor ora notavit,
Nescia quid sit amor: sed et erubuisse decebat.
Hic color aprica pendentibus arbore pomis, 331
Aut ebori tincto est, aut sub candore rubenti,
Cum frustra resonant æra auxiliaria, Lunæ.
Poscenti Nymphæ sine fine sororia saltem 334
Oscula, jamque manus ad eburnea colla ferenti,
Desinis? an fugio, tecumque, ait, ista relinquo?
Salmacis extimuit; Locaque hæc tibi libera trado,

Hospes, ait: simulatque gradu discedere verso.
Tum quoque respiciens, fruticumque recondita sylva
Delituit, flexumque genu submisit. At ille, 340
Ut puer, et vacuis ut inobservatus in herbis,
Huc it, et hinc illuc; et in alludentibus undis
Summa pedum, taloque tenus vestigia tingit.
Nec mora; temperie blandarum captus aquarum,
Mollia de tenero velamina corpore ponit. 345
Tum vero obstupuit, nudæque cupidine formæ
Salmacis exarsit: flagrant quoque lumina Nymphes:
Non aliter, quam cum puro nitidissimus orbe
Opposita speculi referitur imagine Phœbus.
Vixque moram patitur: vix jam sua gaudia differt. 350
Jam cupit amplecti: jam se male continet amens.
Ille, cavis velox applauso corpore palmis,
Desilit in latices, alternaque brachia ducens
In liquidis translucet aquis: ut eburnea si quis
Signa tegat claro, vel candida lilia, vitro. 355
Vicimus, en meus est, exclamat Nais: et, omni
Veste procul jacta, mediis immittitur undis:
Pugnacemque tenet, luctantiaque oscula carpit;
Subjectatque manus, invitaque pectora tangit:
Et nunc hac juveni, nunc circumfunditur illac.
Denique nitentem contra, elabique volentem
Implicat, ut serpens, quam regia sustinet ales,
Sublimemque rapit: pendens caput illa, pedesque
Alligat, et cauda spatiantes implicat alas.
Utve solent hederæ longos intexere truncos: 365
Utque sub æquoribus deprensum polypus hostem
Continet, ex omni dimissis parte flagellis.
Perstat Atlantiades, speratagque gaudia Nymphæ,
Denegat. Illa premit; commissaque corpore toto
Sicut inhærebat, Pugnes licet, improbe, dixit, 370
Non tamen effugies: ita di jubeatis, et istum
Nulla dies a me, nec me diducat ab isto.
Vota suos habuere deos; nam mixta duorum
Corpora junguntur, faciesque inducitur illis
Una; velut si quis conducta cortice ramos 375
Crescendo jungi, pariterque adolescere cernat.
Sic ubi complexu coierunt membra tenaci,
Nec duo sunt, et forma duplex, nec fœmina dici,
Nec puer ut possint: neutrumque, et utrumque videntur.
Ergo ubi se liquidas, quo vir descenderat, undas
Semimarem fecisse videt, mollitaque in illis 381
Membra; manus tendens, sed jam non voce virili,
Hermaphroditus ait, Nato date munera vestro,
Et pater et genitrix, amborum nomen habenti:
Quisquis in hos fontes vir venerit, exeat inde 385
Semivir, et tactis subito mollescat in undis.
Motus uterque parens nati rata verba biformis
Fecit, et incerto fontem medicamine tinxit.
Finis erat dictis; et adhuc Minyeia proles
Urget opus, spernitque deum, festumque profanat; 390
Tympana cum subito non apparentia raucis
Obstrepuere sonis, et adunco tibia cornu,
Tinnulaque æra sonant. Redolent myrrhæque, crocique;
Resque fide major, cœpere virescere telæ, 394
Inque hederæ faciem pendens frondescere vestis.
Pars abit in vites: et quæ modo fila fuerunt,
Palmite mutantur: de stamine pampinus exit:
Purpura fulgorem pictis accommodat uvis.
Jamque dies exactus erat, tempusque subibat,
Quod tu nec tenebras, nec possis dicere lucem,
Sed cum luce tamen dubiæ confinia noctis.
Tecta repente quati, pinguesque ardere videntur
Lampades, et rutilis collucere ignibus ædes,
Falsaque sævarum simulacra ululare ferarum.
Fumida jamdudum latitant per tecta sorores, 405
Diversæque locis ignes ac lumina vitant.
Dumque petunt latebras; parvos membrana per artus
Porrigitur, tenuique inducit brachia penna.
Nec, qua perdiderint veterem ratione figuram,
Scire sinunt tenebræ. Non illas pluma levavit:
Sustinuere tamen se perlucentibus alis. 411
Conatæque loqui, minimam pro corpore vocem
Emittunt, peraguntque levi stridore querelas:
Tectaque, non sylvas, celebrant: lucemque perosæ
Nocte volant, seroque trahunt a vespere nomen. 415
Tum vero totis Bacchi memorabile Thebis
Numen erat; magnasque novi matertera vires
Narrat ubique dei: de totque sororibus expers
Una doloris erat, nisi quem fecere sorores.
Adspicit hanc natis, thalamoque Athamantis habentem 420
Sublimes animos, et alumno numine, Juno;
Nec tulit: et secum: Potuit de pellice natus
Vertere Mæonios, pelagoque immergere, nautas,
Et laceranda suæ nati dare viscera matri,
Et triplices operire novis Minyeidas alis: 425
Nil poterit Juno, nisi inultos flere dolores?
Idque mihi satis est? hæc una potentia nostra est?
Ipse docet, quid agam; fas est et ab hoste doceri:
Quidque furor valeat, Penthea cæde satisque
Ac super ostendit. Cur non stimuletur, eatque
Per cognata suis exempla furoribus Ino? 431
Est via declivis funesta nubila taxo:
Ducit ad infernas per muta silentia sedes.
Styx nebulas exhalat iners: umbræque recentes
Descendunt illac, simulacraque functa sepulcris. 435
Pallor Hiemsque tenent late loca senta: novique,
Qua sit iter, manes, Stygiam quod ducit ad urbem,
Ignorant: ubi sit nigri fera regia Ditis.
Mille capax aditus, et apertas undique portas
Urbs habet. Utque fretum de tota flumina terra,
Sic omnes animas locus accipit ille, nec ulli 441
Exiguus populo est, turbamve accedere sentit.
Errant exsangues sine corpore et ossibus umbræ:
Parsque forum celebrant, pars imi tecta tyranni;
Pars alias artes, antiquæ imitamina vitæ. 445
Sustinet ire illuc, cœlesti sede relicta,
(Tantum odiis iræque dabat,) Saturnia Juno.
Quo simul intravit, sacroque a corpore pressum
Ingemuit limen; tria Cerberus extulit ora,
Et tres latratus simul edidit. Illa sorores 450
Nocte vocat genitas, grave et implacabile numen.
Carceris ante fores clausas adamante sedebant,
Deque suis atros pectebant crinibus angues.
Quam simul agnorunt inter caliginis umbras,
Surrexere deæ: sedes Scelerata vocatur. 455
Viscera præbebat Tityos lanianda, novemque
Jugeribus distentus erat. Tibi, Tantale, nullæ
Deprenduntur aquæ: quæque imminet, effugit arbos.
Aut petis, aut urges ruiturum, Sisyphe, saxum.
Volvitur Ixion, et se sequiturque, fugitque. 460
Molirique suis letum patruelibus ausæ,
Assiduæ repetunt, quas perdant, Belides undas.
Quos omnes acie postquam Saturnia torva
Vidit, et ante omnes Ixiona; rursus ab illo 464
Sisyphon adspiciens, Cur hic e fratribus, inquit,
Perpetuas patitur pœnas; Athamanta superbum

Regia dives habet, qui me cum conjuge semper
Sprevit? et exponit causas odiique viæque, 468
Quidque velit. Quod vellet, erat, ne regia Cadmi
Staret; et in facinus traherent Athamanta sorores.
Imperium, promissa, preces confundit in unum:
Sollicitatque deas. Sic hæc Junone locuta, 472
Tisiphone canos, ut erat, turbata capillos
Movit, et obstantes rejecit ab ore colubras.
Atque ita, Non longis opus est ambagibus, infit:
Facta puta, quæcunque jubes; inamabile regnum
Desere, teque refer cœli melioris ad auras. 477
Læta redit Juno: quam cœlum intrare parantem
Roratis lustravit aquis Thaumantias Iris.
Nec mora; Tisiphone madefactam sanguine sumit 480
Importuna facem: fluidoque cruore rubentem
Induitur pallam: tortoque incingitur angue:
Egrediturque domo. Luctus comitantur euntem,
Et Pavor, et Terror, trepidoque Insania vultu.
Limine constiterat: postes tremuisse feruntur
Æolii, pallorque fores infecit acernas: 486
Solque locum fugit. Monstris exterrita conjux,
Territus est Athamas: tectoque exire parabant.
Obstitit infelix, aditumque obsedit, Erinnys:
Nexaque vipereis distendens brachia nodis, 490
Cæsariem excussit. Motæ sonuere colubræ.
Parsque jacens humeris, pars circum tempora lapsæ
Sibila dant, saniemque vomunt, linguasque coruscant.
Inde duos mediis abrumpit crinibus angues,
Pestiferaque manu raptos immisit. At illi 495
Inoosque sinus, Athamanteosque pererrant;
Inspirantque graves animas: nec vulnera membris
Ulla ferunt: mens est, quæ diros sentiat ictus.
Attulerat secum liquidi quoque monstra veneni,
Oris Cerberei spumas, et virus Echidnæ; 500
Erroresque vagos, cæcæque oblivia mentis,
Et scelus, et lacrymas, rabiemque, et cædis amorem,
Omnia trita simul: quæ sanguine mixta recenti
Coxerat ære cavo, viridi versata cicuta.
Dumque pavent illi; vertit furiale venenum 505
Pectus in amborum, præcordiaque intima movit.
Tum face jactata per eundem sæpius orbem,
Consequitur motos velociter ignibus ignes.
Sic victrix, jussique potens, ad inania magni
Regna redit Ditis, sumtumque recingitur anguem. 510
Protinus Æolides media furibundus in aula
Clamat, Io, comites, his retia tendite sylvis:
Hic modo cum gemina visa est mihi prole leæna.
Utque feræ, sequitur vestigia conjugis amens:
Deque sinu matris ridentem et parva Learchum
Brachia tendentem rapit, et bis terque per auras
More rotat fundæ, rigidoque infantia saxo 517
Discutit ossa ferox. Tum denique concita mater
(Seu dolor hoc fecit, seu sparsi causa veneni)
Exululat, passisque fugit male sana capillis. 520
Teque ferens parvum nudis, Melicerta, lacertis,
Evœ, Bacche, sonat. Bacchi sub nomine Juno
Risit: et, Hos usus præstet tibi, dixit, alumnus.
Imminet æquoribus scopulus: pars ima cavatur
Fluctibus, et tectas defendit ab imbribus undas:
Summa riget, frontemque in apertum porrigit æquor. 526
Occupat hunc (vires insania fecerat) Ino;
Seque super pontum, nullo tardata timore,
Mittit, onusque suum. Percussa recanduit unda.
At Venus immeritæ neptis miserata labores, 530
Sic patruo blandita suo est: O numen aquarum,
Proxima cui cœlo cessit, Neptune, potestas;
Magna quidem posco: sed tu miserere meorum,
Jactari quos cernis in Ionio immenso:
Et dis adde tuis: aliqua et mihi gratia ponto est: 535
Si tamen in dio quondam concreta profundo
Spuma fui, Graiumque manet mihi nomen ab illa.
Annuit oranti Neptunus; et abstulit illis,
Quod mortale fuit, majestatemque verendam
Imposuit, nomenque simul faciemque novavit:
Leucotheeque deum cum matre Palæmona dixit.
Sidoniæ comites, quantum valuere, secutæ 542
Signa pedum, primo videre novissima saxo:
Nec dubium de morte ratæ, Cadmeida palmis
Deplanxere domum, scissæ cum veste capillos.
Utque parum justæ, nimiumque in pellice sævæ,
Invidiam, fecere deæ. Convicia Juno 547
Non tulit: et, Faciam vos ipsas maxima, dixit,
Sævitiæ monumenta meæ. Res dicta secuta est.
Nam quæ præcipue fuerat pia, Persequar, inquit,
In freta reginam: saltumque datura, moveri 551
Haud usquam potuit, scopuloque affixa cohæsit.
Altera, dum solito tentat plangore ferire
Pectora, tentatos sentit riguisse lacertos. 554
Illa, manus ut forte tetenderat in maris undas,
Saxea facta manus in easdem porrigit undas:
Hujus, ut arreptum laniabat vertice crinem,
Duratos subito digitos in crine videres.
Quo quæque in gestu deprenditur, hæsit in illo.
Pars volucres factæ; quæ nunc quoque gurgite in illo 560
Æquora destringunt sumtis Ismenides alis.
Nescit Agenorides natam, parvumque nepotem
Æquoris esse deos. Luctu serieque malorum
Victus, et ostensis, quæ plurima viderat, exit
Conditor urbe sua; tanquam fortuna locorum,
Non sua se premeret: longisque erratibus actus
Contigit Illyricos profuga cum conjuge fines. 567
Jamque malis annisque graves, dum prima retractant
Fata domus, releguntque suos sermone labores;
Num sacer ille mea trajectus cuspide serpens, 570
Cadmus ait, fuerit, tum cum Sidone profectus
Vipereos sparsi per humum, nona semina, dentes?
Quem si cura deum tam certa vindicat ira,
Ipse precor serpens in longam porrigar alvum.
Dixit: et, ut serpens, in longam tenditur alvum
Duratæque cuti squamas increscere sentit, 576
Nigraque cæruleis variari corpora guttis:
In pectusque cadit pronus: commissaque in unum
Paullatim tereti sinuantur acumine crura.
Brachia jam restant: quæ restant, brachia tendit; 580
Et lacrymis per adhuc humana fluentibus ora,
Accede, o conjux, accede, miserrima, dixit,
Dumque aliquid superest de me, me tange: manumque
Accipe, dum manus est; dum non totum occupat anguis.
Ille quidem vult plura loqui: sed lingua repente
In partes est fissa duas; nec verba volenti 586
Sufficiunt: quotiesque aliquos parat edere questus,
Sibilat: hanc illi vocem natura relinquit.
Nuda manu feriens exclamat pectora conjux,
Cadme, mane: teque his, infelix, exue monstris.
Cadme, quid hoc? ubi pes? ubi sunt humerique, manusque? 591

Et color, et facies, et, dum loquor, omnia? cur non
Me quoque, cœlestes, in eandem vertitis anguem?
Dixerat. Ille suæ lambebat conjugis ora,
Inque sinus caros, veluti cognosceret, ibat, 595
Et dabat amplexus, assuetaque colla petebat.
Quisquis adest (aderant comites) terretur. At illa
Lubrica permulcet cristati colla draconis,
Et subito duo sunt, junctoque volumine serpunt;
Donec in appositi nemoris subiere latebras. 600
Nunc quoque nec fugiunt hominem, nec vulnere lædunt: [cones.
Quidque prius fuerint, placidi meminere dra-
Sed tamen ambobus versæ solatia formæ
Magna nepos fuerat, quem debellata colebat
India, quem positis celebrabat Achaia templis.
Solus Abantiades ab origine cretus eadem 606
Acrisius superest, qui mœnibus arceat urbis
Argolicæ, contraque deum ferat arma, genusque
Non putet esse Jovis: neque enim Jovis esse putabat
Persea, quem pluvio Danae conceperat auro. 610
Mox tamen Acrisium (tanta est præsentia veri)
Tam violasse deum, quam non agnosse nepotem,
Pœnitet. Impositus jam cœlo est alter: at alter
Viperei referens spolium memorabile monstri
Aera carpebat tenerum stridentibus alis. 615
Cumque super Libycas victor penderet arenas,
Gorgonei capitis guttæ cecidere cruentæ:
Quas humus exceptas varios animavit in angues;
Unde frequens illa est infestaque terra colubris.
Inde per immensum ventis discordibus actus
Nunc huc, nunc illuc, exemplo nubis aquosæ, 621
Fertur, et ex alto seductas æthere longe
Despectat terras, totumque supervolat orbem.
Ter gelidas Arctos, ter Cancri brachia vidit:
Sæpe sub occasus, sæpe est ablatus in ortus. 625
Jamque cadente die veritus se credere nocti
Constitit Hesperio, regnis Atlantis, in orbe,
Exiguamque petit requiem, dum Lucifer ignes
Evocet Auroræ, currus Aurora diurnos.
Hic hominum cunctos ingenti corpore præstans
Iapetionides Atlas fuit. Ultima tellus 631
Rege sub hoc, et pontus erat, qui Solis anhelis
Æquora subdit equis, et fessos excipit axes.
Mille greges illi, totidemque armenta per herbas
Errabant: et humum vicinia nulla premebant.
Arboreæ frondes, auro radiante virentes, 636
Ex auro ramos, ex auro poma tegebant.
Hospes, ait Perseus illi, seu gloria tangit
Te generis magni: generis mihi Jupiter auctor:
Sive es mirator rerum: mirabere nostras. 640
Hospitium, requiemque peto. Memor ille vetustæ
Sortis erat: Themis hanc dederat Parnassia sortem;
Tempus, Atla, veniet, tua quo spoliabitur auro
Arbor: et hunc prædæ titulum Jove natus habebit.
Id metuens, solidis pomaria clauserat Atlas 645
Mœnibus, et vasto dederat servanda draconi:
Arcebatque suis externos finibus omnes.
Huic quoque, Vade procul, ne longe gloria rerum,
Quas mentiris, ait, longe tibi Jupiter absit.
Vimque minis addit: foribusque expellere tentat 650
Cunctantem, et placidis miscentem fortia dictis.
Viribus inferior (quis enim par esset Atlanti
Viribus?) At quoniam parvi tibi gratia nostra est;
Accipe munus, ait: lævaque a parte Medusæ
Ipse retroversus squalentia prodidit ora. 655
Quantus erat, mons factus Atlas: jam barba comæque [que.
In sylvas abeunt: juga sunt humerique manus-
Quod caput ante fuit, summo est in monte cacumen.
Ossa lapis fiunt. Tum partes auctus in omnes
Crevit in immensum (sic di statuistis) et omne
Cum tot sideribus cœlum requievit in illo. 661
Clauserat Hippotades æterno carcere ventos:
Admonitorque operum cœlo clarissimus alto
Lucifer ortus erat. Pennis ligat ille resumtis
Parte ab utraque pedes, teloque accingitur unco,
Et liquidum motis talaribus aera findit. 666
Gentibus innumeris circumque infraque relictis,
Æthiopum populos, Cepheia, conspicit, arva.
Illic immeritam maternæ pendere linguæ 669
Andromedan pœnas immitis jusserat Ammon.
Quam simul ad duras religatam brachia cautes
Vidit Abantiades; nisi quod levis aura capillos
Moverat, et trepido manabant lumina fletu,
Marmoreum ratus esset opus. Trahit inscius ignes, 674
Et stupet; et, visæ correptus imagine formæ,
Pæne suas quatere est oblitus in aere pennas.
Ut stetit, O, dixit, non istis, digna catenis,
Sed quibus inter se cupidi jungantur amantes;
Pande requirenti nomen terræque tuumque;
Et cur vincla geras. Primo silet illa: nec audet 680
Appellare virum virgo; manibusque modestos
Celasset vultus, si non religata fuisset.
Lumina, quod potuit, lacrymis implevit obortis.
Sæpius instanti, sua ne delicta fateri
Nolle videretur, nomen terræque suumque, 685
Quantaque maternæ fuerit fiducia formæ,
Indicat: et, nondum memoratis omnibus, unda
Insonuit: veniensque immenso bellua ponto
Eminet, et latum sub pectore possidet æquor.
Conclamat virgo: genitor lugubris, et amens
Mater adest; ambo miseri, sed justius illa. 691
Nec secum auxilium, sed dignos tempore fletus
Plangoremque ferunt: vinctoque in corpore adhærent.
Cum sic hospes ait: Lacrymarum longa manere
Tempora vos poterunt: ad opem brevis hora ferendam est. 695
Hanc ego si peterem Perseus Jove natus, et illa,
Quam clausam implevit fecundo Jupiter auro,
Gorgonis anguicomæ Perseus superator, et alis
Ætheriis ausus jactatis ire per auras;
Præferrer cunctis certe gener. Addere tantis
Dotibus et meritum (faveant modo numina) tento. 701
Ut mea sit, servata mea virtute, paciscor.
Accipiunt legem, (quis enim dubitaret?) et orant,
Promittuntque super regnum dotale parentes.
Ecce velut navis, præfixo concita rostro, 705
Sulcat aquas, juvenum sudantibus acta lacertis;
Sic fera dimotis impulsu pectoris undis,
Tantum aberat scopulis, quantum Balearica torto
Funda potest plumbo medii transmittere cœli:
Cum subito juvenis, pedibus tellure repulsa, 710
Arduus in nubes abiit. Ut in æquore summo
Umbra viri visa est, visam fera sævit in umbram.
Utque Jovis præpes, vacuo cum vidit in arvo
Præbentem Phœbo liventia terga draconem,
Occupat aversum: neu sæva retorqueat ora, 715

Squamigeris avidos figit cervicibus ungues:
Sic celeri fissum præceps per inane volatu
Terga feræ pressit, dextroque frementis in armo
Inachides ferrum curvo tenus abdidit hamo.
Vulnere læsa gravi modo se sublimis in auras 720
Attollit: modo subdit aquis: modo more ferocis
Versat apri, quem turba canum circumsona terret.
Ille avidos morsus velocibus effugit alis:
Quaque patent, nunc terga cavis super obsita conchis,
Nunc laterum costas, nunc qua tenuissima cauda
Desinit in piscem, falcato verberat ense. 726
Bellua puniceo mixtos cum sanguine fluctus
Ore vomit. Maduere graves adspergine pennæ.
Nec bibulis ultra Perseus talaribus ausus 729
Credere; conspexit scopulum, qui vertice summo
Stantibus exit aquis; operitur ab æquore moto.
Nixus eo, rupisque tenens juga prima sinistra,
Ter quater exegit repetita per ilia ferrum.
Littora cum plauso clamor superasque deorum
Implevere domos. Gaudent, generumque salutant, 735
Auxiliumque domus servatoremque fatentur
Cassiope, Cepheusque pater. Resoluta catenis
Incedit virgo, pretiumque et causa laboris.
Ipse manus hausta victrices abluit unda:
Anguiferumque caput dura ne lædat arena, 740
Mollit humum foliis, natasque sub æquore virgas
Sternit, et imponit Phorcynidos ora Medusæ.
Virga recens, bibulaque etiamnum viva medulla,
Vim rapuit monstri, tactuque induruit hujus,
Percepitque novum ramis et fronde rigorem. 745
At pelagi Nymphæ factum mirabile tentant
Pluribus in virgis, et idem contingere gaudent,
Seminaque ex illis iterant jactata per undas.
Nunc quoque curaliis eadem natura remansit,
Duritiem tacto capiant ut ab aere, quodque 750
Vimen in æquore erat, fiat super æquora saxum.
Dis tribus ille focos totidem de cespite ponit;
Lævum Mercurio, dextrum tibi, bellica virgo;
Ara Jovis media est. Mactatur vacca Minervæ,
Alipedi vitulus, taurus tibi, summe deorum. 755
Protinus Andromedan, et tanti præmia facti
Indotata rapit. Tædas Hymenæus Amorque
Præcutiunt: largis satiantur odoribus ignes:
Sertaque dependent tectis: lotique, lyræque,
Tibiaque, et cantus, animi felicia læti 760
Argumenta, sonant. Reseratis aurea valvis
Atria tota patent: pulchroque instructa paratu
Cephenis proceres ineunt convivia regis.
Postquam epulis functi generosi munere Bacchi
Diffudere animos, cultusque habitusque locorum
Quærit Abantiades; quærenti protinus unus 766
[Narrat Lyncides moresque habitusque virorum.]
Quæ simul edocuit, Nunc, o, fortissime, dixit,
Fare precor, Perseu, quanta virtute, quibusque
Artibus abstuleris crinita draconibus ora. 770
Narrat Agenorides, gelido sub Atlante jacentem
Esse locum, solidæ tutum munimine molis:
Cujus in introitu geminas habitasse sorores
Phorcidas, unius partitas luminis usum:
Id se solerti furtim, dum traditur, astu 775
Supposita cepisse manu: perque abdita longe,
Deviaque, et sylvis horrentia saxa fragosis
Gorgoneas tetigisse domos: passimque per agros,
Perque vias vidisse hominum simulacra, ferarumque,
In silicem ex ipsis visa conversa Medusa: 780
Se tamen horrendæ clypei, quod læva gerebat,
Ære repercusso formam aspexisse Medusæ:
Dumque gravis somnus colubrasque ipsamque tenebat,
Eripuisse caput collo: pennisque fugacem
Pegason, et fratrem, matris de sanguine natos.
Addidit et longi non falsa pericula cursus: 786
Quæ freta, quas terras sub se vidisset ab alto:
Et quæ jactatis tetigisset sidera pennis.
Ante exspectatum tacuit tamen. Excipit unus
E numero procerum, quærens, cur sola sororum
Gesserit alternis immixtos crinibus angues. 791
Hospes ait, Quoniam scitaris digna relatu,
Accipe quæsiti causam. Clarissima forma,
Multorumque fuit spes invidiosa procorum
Illa: nec in tota conspectior ulla capillis 795
Pars fuit. Inveni, qui se vidisse referret.
Hanc pelagi rector templo vitiasse Minervæ
Dicitur. Aversa est, et castos ægide vultus
Nata Jovis texit: neve hoc impune fuisset,
Gorgoneum turpes crinem mutavit in hydros. 800
Nunc quoque, ut attonitos formidine terreat hostes,
Pectore in adverso, quos fecit, sustinet angues.

LIBER QUINTUS.

Dumque ea Cephenum medio Danaeius heros
Agmine commemorat; fremitu regalia turbæ
Atria complentur: nec conjugialia festa
Qui canat, est clamor; sed qui fera nuntiet arma.
Inque repentinos convivia versa tumultus 5
Assimulare freto possis, quod sæva quietum
Ventorum rabies motis exasperat undis.
Primus in his Phineus, belli temerarius auctor,
Fraxineam quatiens æratæ cuspidis hastam;
En, ait, en adsum præreptæ conjugis ultor. 10
Nec mihi te pennæ, nec falsum versus in aurum
Jupiter, eripient. Conanti mittere Cepheus,
Quid facis? exclamat: quæ te, germane, furentem
Mens agit in facinus? meritisne hæc gratia tantis
Redditur? hac vitam servatæ dote rependis? 15
Quam tibi non Perseus, verum si quæris, ademit:
Sed grave Nereidum numen, sed corniger Ammon,
Sed quæ visceribus veniebat bellua ponto
Exsaturanda meis. Illo tibi tempore rapta est,
Quo peritura fuit. Nisi si, crudelis id ipsum 20
Exigis, ut pereat: luctuque levabere nostro.
Scilicet haud satis est, quod, te spectante, revincta est,
Et nullam quod opem patruus sponsusve tulisti:
Insuper, a quoquam quod sit servata, dolebis,
Præmiaque eripies? quæ si tibi magna videntur;
Ex illis scopulis, ubi erant affixa, petisses: 26
Nunc sine, qui petiit, per quem hæc non orba senectus,
Ferre, quod et meritis et voce est pactus: eumque
Non tibi, sed certæ prælatum intellige morti.
Ille nihil contra: sed et hunc, et Persea vultu 30
Alterno spectans, petat hunc ignorat, an illum.
Cunctatusque brevi, contortam viribus hastam,

Quantas ira dabat, nequicquam in Persea misit.
Ut stetit illa toro; stratis tum denique Perseus
Exsiluit, teloque ferox inimica remisso 35
Pectora rupisset, nisi post altaria Phineus
Isset: et (indignum) scelerato profuit ara.
Fronte tamen Rhæti non irrita cuspis adhæsit:
Qui postquam cecidit, ferrumque ex osse revulsum est, 39
Palpitat, et positas adspergit sanguine mensas.
Tum vero indomitas ardescit vulgus in iras:
Telaque conjiciunt: et sunt, qui Cephea dicant
Cum genero debere mori. Sed limine tecti
Exierat Cepheus, testatus jusque, fidemque,
Hospitiique deos, ea, se prohibente, moveri. 45
Bellica Pallas adest, et protegit ægide fratrem,
Datque animos. Erat Indus Athis, quem flumine Gange
Edita Limnate vitreis peperisse sub antris
Creditur, egregius forma, quam divite cultu
Augebat, bis adhuc octonis integer annis; 50
Indutus chlamydem Tyriam, quam limbus obibat
Aureus; ornabant aurata monilia collum,
Et madidos myrrha curvum crinale capillos.
Ille quidem jaculo quamvis distantia misso
Figere doctus erat; sed tendere doctior arcus. 55
Tum quoque lenta manu flectentem cornua Perseus
Stipite, qui media positus fumabat in aula,
Perculit, et fractis confudit in ossibus ora.
Hunc ubi laudatos jactantem in sanguine vultus
Assyrius vidit Lycabas, junctissimus illi 60
Et comes, et veri non dissimulator amoris;
Postquam exhalantem sub acerbo vulnere vitam
Deploravit Athin, quos ille tetenderat, arcus
Arripit: et, Mecum tibi sint certamina, dixit:
Nec longum pueri fato lætabere, quo plus 65
Invidiæ, quam laudis, habes. Hæc omnia nondum
Dixerat: emicuit nervo penetrabile telum:
Vitatumque, tamen sinuosa veste pependit.
Vertit in hunc harpen, spectatam cæde Medusæ,
Acrisioniades, adigitque in pectus. At ille 70
Jam moriens, oculis sub nocte natantibus atra,
Circumspexit Athin, seque acclinavit in illum,
Et tulit ad manes junctæ solatia mortis.
Ecce Syenites genitus Methione Phorbas,
Et Libys Amphimedon, avidi committere pugnam, 75
Sanguine, quo tellus late madefacta tepebat,
Conciderant lapsi: surgentibus obstitit ensis,
Alterius costis, jugulo Phorbantis adactus.
At non Actoriden Erithon, cui lata bipennis
Telum erat, hamato Perseus petit ense: sed altis
Exstantem signis, multæque in pondere massæ,
Ingentem manibus tollit cratera duabus,
Infregitque viro. Rutilum vomit ille cruorem,
Et resupinus humum moribundo vertice pulsat.
Inde Semiramio Polydæmona sanguine cretum,
Caucasiumque Abarin, Sperchionidenque Lycetum, 86
Intonsumque comas Elycen, Phlegiamque, Clytumque
Sternit: et adstructos morientum calcat acervos.
Nec Phineus ausus concurrere cominus hosti,
Intorquet jaculum: quod detulit error in Idan, 90
Expertem frustra belli, et neutra arma secutum.
Ille tuens oculis immitem Phinea torvis,
Quandoquidem in partes, ait, attrahor, accipe, Phineu, [nus.
Quem fecisti hostem, pensaque hoc vulnere vul-
Jamque remissurus tractum de corpore telum 95
Sanguine defectos cecidit, collapsus in artus.
Hic quoque Cephenum post regem primus Odites
Ense jacet Clymeni: Prothoenora perculit Hypseus:
Hypsea Lyncides. Fuit et grandævus in illis
Emathion, æqui cultor, timidusque deorum: 100
Quem quoniam prohibent anni bellare, loquendo
Pugnat; et incessit, sceleratagque devovet arma.
Huic Chromis amplexo tremulis altaria palmis
Demetit ense caput; quod protinus incidit aræ,
Atque ibi semanimi verba exsecrantia lingua 105
Edidit, et medios animam exspiravit in ignes.
Hinc gemini fratres, Broteasque et cæstibus Ammon
Invicti, vinci si possent cæstibus enses,
Phinea cecidere manu; Cererisque sacerdos
Ampycus, albenti velatus tempora vitta. 110
Tu quoque, Iapetide, non has adhibendus in usus,
Sed qui, pacis opus, citharam cum voce moveres,
Jussus eras celebrare dapes, festumque canendo.
Cui procul adstanti, plectrumque imbelle tenenti,
Pettalus irridens, Stygiis cane cætera, dixit, 115
Manibus: et lævo mucronem tempore figit.
Concidit, et digitis morientibus ille retentat
Fila lyræ, casuque canit miserabile carmen.
Non sinit hunc impune ferox cecidisse Lycormas:
Raptaque de dextro robusta repagula posti 120
Ossibus illidit mediæ cervicis. At ille
Procubuit terræ, mactati more juvenci.
Demere tentabat lævi quoque robora postis
Cinyphius Pelates: tentanti dextera fixa est
Cuspide Marmaridæ Corythi, lignoque cohæsit.
Hærenti latus hausit Abas: nec corruit ille; 126
Sed retinente manum moriens e poste pependit.
Stenitur et Menaleus, Perseia castra secutus,
Et Nasamoniaci Dorylas ditissimus agri;
Dives agri Dorylas: quo non possederat alter
Latius, aut totidem tollebat farris acervos. 131
Hujus in obliquo missum stetit inguine ferrum:
Letifer ille locus. Quem postquam vulneris auctor
Singultantem animam, et versantem lumina vidit
Bactrius Halcyoneus, Hoc, quod premis, inquit, habeto 135
De tot agris terræ: corpusque exsangue reliquit.
Torquet in hunc hastam calide de vulnere raptam
Ultor Abantiades: media quæ nare recepta
Cervice exacta est, in partesque eminet ambas.
Dumque manum fortuna juvat; Clytiumque Claninque, 140
Matre satos una, diverso vulnere fudit.
Nam Clytii per utrumque gravi librata lacerto
Fraxinus acta femur: jaculum Clanis ore momordit.
Occidit et Celadon Mendesius: occidit Astreus,
Matre Palæstina, dubio genitore creatus: 145
Æthionque sagax quondam ventura videre,
Nunc ave deceptus falsa: regisque Thoactes
Armiger, et cæso genitore infamis Agyrtes.
Plus tamen exhausto superest: namque omnibus unum
Opprimere est animus. Conjurata undique pugnant 150
Agmina pro causa, meritum impugnante fidemque.
Hac pro parte socer frustra pius, et nova conjux
Cum genitrice, favent, ululatuque atria complent.

Sed sonus armorum superat, gemitusque cadentum:
Pollutosque semel multo Bellona penates 155
Sanguine perfundit, renovataque prælia miscet.
Circueunt unum Phineus, et mille secuti
Phinea. Tela volant hiberna grandine plura
Præter utrumque latus, præterque et lumen, et aures.
Applicat hinc humeros ad magnæ saxa columnæ:
Tutaque terga gerens, adversaque in agmina versus, 161
Sustinet instantes. Instabant parte sinistra
Chaonius Molpeus, dextra Nabatæus Ethemon.
Tigris ut, auditis diversa valle duorum
Exstimulata fame mugitibus armentorum, 165
Nescit utro potius ruat; et ruere ardet utroque:
Sic dubius Perseus, dextra lævane feratur,
Molpea trajecti submovit vulnere cruris,
Contentusque fuga est: neque enim dat tempus Ethemon;
Sed furit: et, cupiens alto dare vulnera collo, 170
Non circumspectis exactum viribus ensem
Fregit, et extrema percussæ parte columnæ
Lamina dissiluit, dominique in gutture fixa est.
Non tamen ad letum causas satis illa valentes
Plaga dedit. Trepidum Perseus, et inermia frustra 175
Brachia tendentem Cyllenide confodit harpe.
Verum ubi virtutem turbæ succumbere vidit,
Auxilium, Perseus, quoniam sic cogitis ipsi,
Dixit, ab hoste petam. Vultus avertite vestros,
Si quis amicus adest: et Gorgonis extulit ora. 180
Quære alium, tua quem moveant miracula, dixit
Thescelus: utque manu jaculum fatale parabat
Mittere, in hoc hæsit signum de marmore gestu.
Proximus huic Ampyx animi plenissima magni
Pectora Lyncidæ gladio petit: inque petendo
Dextera diriguit, nec citra mota, nec ultra. 186
At Nileus, qui se genitum septemplice Nilo
Ementitus erat, clypeo quoque flumina septem
Argento partim, partim cælaverat auro,
Adspice, ait, Perseu, nostræ primordia gentis:
Magna feres tacitas solatia mortis ad umbras,
A tanto cecidisse viro. Pars ultima vocis
In medio suppressa sono est: adapertaque velle
Ora loqui credas, nec sunt ea pervia verbis.
Increpat hos, Vitioque animi, non crinibus, inquit, 195
Gorgoneis torpetis, Eryx: incurrite mecum,
Et prosternite humi juvenem magica arma moventem.
Incursurus erat; tenuit vestigia tellus:
Immotusque silex, armataque mansit imago.
Hi tamen ex merito pœnas subiere: sed unus
Miles erat Persei, pro quo dum pugnat, Aconteus,
Gorgone conspecta saxo concrevit oborto. 202
Quem ratus Astyages etiamnum vivere, longo
Ense ferit: sonuit tinnitibus ensis acutis.
Dum stupet Astyages, naturam traxit eandem:
Marmoreoque manet vultus mirantis in ore. 206
Nomina longa mora est media de plebe virorum
Dicere. Bis centum restabant corpora pugnæ:
Gorgone bis centum riguerunt corpora visa.
Pœnitet injusti nunc denique Phinea belli. 210
Sed quid agat? simulacra videt diversa figuris,
Agnoscitque suos, et nomine quemque vocatos
Poscit opem: credensque parum, sibi proxima tangit
Corpora: marmor erant. Avertitur; atque ita supplex,
Confessasque manus, obliquaque brachia tendens, 215
Vincis, ait, Perseu: remove fera monstra, tuæque
Saxificos vultus, quæcunque ea, tolle Medusæ.
Tolle, precor; non nos odium regnive cupido
Compulit ad bellum: pro conjuge movimus arma.
Causa fuit meritis melior tua, tempore nostra.
Non cessisse piget. Nihil, o fortissime, præter
Hanc animam concede mihi: tua cætera sunto.
Talia dicenti, neque eum, quem voce rogabat,
Respicere audenti, Quod, ait, timidissime Phineu,
Et possum tribuisse, et magnum munus inerti est, 225
(Pone metum) tribuam: nullo violabere ferro.
Quin etiam mansura dabo monumenta per ævum,
Inque domo soceri semper spectabere nostri:
Ut mea se sponsi soletur imagine conjux.
Dixit: et in partem Phorcynida transtulit illam,
Ad quam se trepido Phineus obverterat ore, 231
Tum quoque conanti sua flectere lumina cervix
Diriguit, saxoque oculorum induruit humor.
Sed tamen os timidum, vultusque in marmore supplex, 234
Submissæque manus, faciesque obnoxia mansit.
Victor Abantiades patrios cum conjuge muros
Intrat, et immeriti vindex ultorque parentis
Aggreditur Prœtum: nam fratre per arma fugato
Acrisioneas Prœtus possederat arces.
Sed nec ope armorum, nec, quam male ceperat, arce 240
Torva colubriferi superavit lumina monstri.
Te tamen, o parvæ rector, Polydecta, Seriphi,
Nec juvenis virtus per tot spectata labores,
Nec mala mollierant: sed inexorabile durus
Exerces odium, nec iniqua finis in ira est. 245
Detrectas etiam laudes: fictamque Medusæ
Arguis esse necem. Dabimus tibi pignora veri;
Parcite luminibus, Perseus ait: oraque regis
Ore Medusæo silicem sine sanguine fecit.
Hactenus aurigenæ comitem Tritonia fratri
Se dedit: inde cava circumdata nube Seriphon
Deserit, a dextra Cythno Gyaroque relictis.
Quaque super pontum via visa brevissima, Thebas,
Virgineumque Helicona petit; quo monte potita
Constitit, et doctas sic est affata sorores: 255
Fama novi fontis nostras pervenit ad aures,
Dura Medusæi quem præpetis ungula rupit.
Is mihi causa viæ: volui mirabile monstrum
Cernere: vidi ipsum materno sanguine nasci.
Excipit Uranie: Quæcunque est causa videndi
Has tibi, diva, domos, animo gratissima nostro est. 261
Vera tamen fama est, et Pegasus hujus origo
Fontis: et ad latices deducit Pallada sacros.
Quæ mirata diu factas pedis ictibus undas,
Sylvarum lucos circumspicit antiquarum, 265
Antraque, et innumeris distinctas floribus herbas:
Felicesque vocat pariter studiique, locique
Mnemonidas: quam sic affata est una sororum:
O, nisi te virtus opera ad majora tulisset,
In partem ventura chori Tritonia nostri, 270
Vera refers; meritoque probas artesque locumque:
Et gratam sortem, tutæ modo simus, habemus.
Sed, vetitum est adeo sceleri nihil, omnia terrent
Virgineas mentes: dirusque ante ora Pyreneus
Vertitur, et nondum me tota mente recepi. 275

Daulia Threicio, Phoceaque milite rura
Ceperat ille ferox, injustaque regna tenebat.
Templa petebamus Parnassia: vidit euntes:
Nostraque fallaci veneratus numina cultu,
Mnemonides, cognorat enim, consistite, dixit,
Nec dubitate, precor, tecto grave sidus, et imbrem 281
(Imber erat) vitare meo: subiere minores
Sæpe casas superi. Dictis et tempore motæ
Annuimusque viro, primasque intravimus ædes.
Desierant imbres, victoque Aquilonibus Austro,
Fusca repurgato fugiebant nubila cœlo. 286
Impetus ire fuit: claudit sua tecta Pyreneus,
Vimque parat: quam nos sumtis effugimus alis.
Ipse secuturo similis stetit arduus arce:
Quaque via est vobis, erit et mihi, dixit, eadem;
Seque jacit vecors e summæ culmine turris: 291
Et cadit in vultus, discussique ossibus oris
Tundit humum moriens, scelerato sanguine tinctam.
Musa loquebatur. Pennæ sonuere per auras:
Voxque salutantum ramis veniebat ab altis. 295
Suspicit, et linguæ, quærit, tam certa loquentes
Unde sonent, hominemque putat Jove nata locutum.
Ales erat; numeroque novem, sua fata querentes,
Institerant ramis imitantes omnia picæ.
Miranti sic orsa deæ dea: Nuper et istæ 300
Auxerunt volucrem victæ certamine turbam.
Pieros has genuit Pellæis dives in arvis:
Pæonis Evippe mater fuit. Illa potentem
Lucinam novies, novies paritura, vocavit.
Intumuit numero stolidarum turba sororum: 305
Perque tot Hæmonias, et per tot Achaidas urbes
Huc venit, et tali committunt prœlia voce:
Desinite indoctum vana dulcedine vulgus
Fallere; nobiscum, si qua est fiducia vocis,
Thespiades certate deæ: nec voce, nec arte 310
Vincemur; totidemque sumus. Vel cedite victæ
Fonte Medusæo, et Hyantea Aganippe:
Vel nos Emathiis ad Pæonas usque nivosos
Cedamus campis: dirimant certamina Nymphæ.
Turpe quidem contendere erat; sed cedere visum 315
Turpius. Electæ jurant per flumina Nymphæ,
Factaque de vivo pressere sedilia saxo.
Tunc, sine sorte prior quæ se certare professa est,
Bella canit superûm: falsoque in honore gigantas
Ponit, et extenuat magnorum facta deorum; 320
Emissumque ima de sede Typhoea terræ
Cœlitibus fecisse metum; cunctosque dedisse
Terga fugæ: donec fessos Ægyptia tellus
Ceperit, et septem discretus in ostia Nilus.
Huc quoque terrigenam venisse Typhoea narrat,
Et se mentitis superos celasse figuris: 326
Duxque gregis, dixit, fit Jupiter; unde recurvis
Nunc quoque formatus Libys est cum cornibus Ammon.
Delius in corvo, proles Semeleia capro,
Fele soror Phœbi, nivea Saturnia vacca, 330
Pisce Venus latuit, Cyllenius ibidis alis.
Hactenus ad citharam vocalia moverat ora.
Poscimur Aonides: sed forsitan otia non sint,
Nec nostris præbere vacet tibi cantibus aurem.
Ne dubita, vestrumque mihi refer ordine carmen,
Pallas ait: nemorisque levi consedit in umbra.
Musa refert: Dedimus summam certaminis uni.
Surgit, et immissos hedera collecta capillos 338
Calliope querulas prætentat pollice chordas:
Atque hæc percussis subjungit carmina nervis.
Prima Ceres unco glebas dimovit aratro: 341
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris:
Prima dedit leges. Cereris sumus omnia munus.
Illa canenda mihi est: utinam modo dicere possem
Carmina digna deæ! certe dea carmine digna est.
Vasta giganteis injecta est insula membris 346
Trinacris, et magnis subjectum molibus urget
Ætherias ausum sperare Typhoea sedes.
Nititur ille quidem, pugnatque resurgere sæpe:
Dextra sed Ausonio manus est subjecta Peloro:
Læva, Pachyne, tibi: Lilybæo crura premuntur:
Degravat Ætna caput: sub qua resupinus arenas
Ejectat, flammamque fero vomit ore Typhoeus.
Sæpe remoliri luctatur pondera terræ, 354
Oppidaque, et magnos evolvere corpore montes.
Inde tremit tellus: et rex pavet ipse silentum,
Ne pateat, latoque solum retegatur hiatu,
Immissusque dies trepidantes terreat umbras.
Hanc metuens cladem tenebrosa sede tyrannus
Exierat, curruque atrorum vectus equorum 360
Ambibat Siculæ cautus fundamina terræ.
Postquam exploratum satis est loca nulla labare,
Depositique metus: videt hunc Erycina vagantem
Monte suo residens: natumque amplexa volucrem
Arma, manusque meæ, mea, nate, potentia, dixit,
Illa, quibus superas omnes, cape tela, Cupido,
Inque dei pectus celeres molire sagittas, 367
Cui triplicis cessit fortuna novissima regni.
Tu superos, ipsumque Jovem, tu numina ponti
Victa domas, ipsumque, regit qui numina ponti.
Tartara quid cessant? cur non matrisque tuumque
Imperium profers? agitur pars tertia mundi. 372
Et tamen in cœlo, quæ jam patientia nostra est,
Spernimur, ac mecum vires tenuantur Amoris.
Pallada nonne vides, jaculatricemque Dianam
Abscessisse mihi? Cereris quoque filia virgo,
Si patiamur, erit: nam spes affectat easdem.
At tu, pro socio si qua est mea gratia regno,
Junge deam patruo. Dixit Venus: ille pharetram
Solvit, et arbitrio matris de mille sagittis 380
Unam seposuit, sed qua nec acutior ulla,
Nec minus incerta est, nec quæ magis audiat arcum:
Oppositoque genu curvavit flexile cornu,
Inque cor hamata percussit arundine Ditem.
Haud procul Hennæis lacus est a mœnibus altæ, 385
Nomine Pergus, aquæ: non illo plura Caystros
Carmina cycnorum labentibus audit in undis.
Sylva coronat aquas, cingens latus omne, suisque 388
Frondibus, ut velo, Phœbeos submovet ictus.
Frigora dant rami, Tyrios humus humida flores.
Perpetuum ver est. Quo dum Proserpina luco
Ludit, et aut violas, aut candida lilia carpit;
Dumque puellari studio calathosque sinumque
Implet, et æquales certat superare legendo; 394
Pæne simul visa est, dilectaque, raptaque Diti:
Usque adeo properator amor. Dea territa mæsto
Et matrem, et comites, sed matrem sæpius, ore
Clamat: et, ut summa vestem laniarat ab ora,
Collecti flores tunicis cecidere remissis. 399
Tantaque simplicitas puerilibus adfuit annis,
Hæc quoque virgineum movit jactura dolorem.
Raptor agit currus, et nomine quemque vocatos

Exhortatur equos, quorum per colla, jubasque
Excutit obscura tinctas ferrugine habenas.
Perque lacus altos, et olentia sulfure fertur 405
Stagna Palicorum, rupta ferventia terra:
Et qua Bacchiadæ, bimari gens orta Corintho,
Inter inæquales posuerunt mœnia portus.
Est medium Cyanes, et Pisææ Arethusæ, 409
Quod coit angustis inclusum cornibus, æquor.
Hic fuit, a cujus stagnum quoque nomine dictum est,
Inter Sicelidas Cyane celeberrima Nymphas;
Gurgite quæ medio summa tenus extitit alvo,
Agnovitque deum: Nec longius ibitis, inquit. 414
Non potes invitæ Cereris gener esse: roganda,
Non rapienda fuit. Quod si componere magnis
Parva mihi fas est, et me dilexit Anapus.
Exorata tamen, nec, ut hæc, exterrita nupsi.
Dixit: et, in partes diversas brachia tendens,
Obstitit. Haud ultra tenuit Saturnius iram: 420
Terribilesque hortatus equos, in gurgitis ima
Contortum valido sceptrum regale lacerto
Condidit. Icta viam tellus in Tartara fecit,
Et pronos currus medio cratere recepit.
At Cyane, raptamque deam, contemtaque fontis
Jura sui mærens, inconsolabile vulnus 426
Mente gerit tacita, lacrymisque absumitur omnis:
Et, quarum fuerat magnum modo numen, in illas
Extenuatur aquas. Molliri membra videres:
Ossa pati flexus: ungues posuisse rigorem: 430
Primaque de tota tenuissima quæque liquescunt,
Cærulei crines, digitique, et crura, pedesque:
Nam brevis in gelidas membris exilibus undas
Transitus est. Post hæc tergumque, humerique, latusque,
Pectoraque in tenues abeunt evanida rivos. 435
Denique pro vivo vitiatas sanguine venas
Lympha subit: restatque nihil, quod prendere possis.
Interea pavidæ nequicquam filia matri
Omnibus est terris, omni quæsita profundo.
Illam non rutilis veniens Aurora capillis 440
Cessantem vidit, non Hesperus; illa duabus
Flammifera pinus manibus succendit ab Ætna;
Perque pruinosas tulit irrequieta tenebras.
Rursus, ubi alma dies hebetarat sidera, natam
Solis ad occasum, solis quærebat ab ortu. 445
Fessa labore sitim collegerat, oraque nulli
Colluerant fontes: cum tectam stramine vidit
Forte casam, parvasque fores pulsavit: at inde
Prodit anus, divamque videt; lymphamque roganti, 449
Dulce dedit, tosta quod coxerat ante polenta.
Dum bibit illa datum, duri puer oris et audax
Constitit ante deam; risitque, avidamque vocavit.
Offensa est: neque adhuc epota parte, loquentem
Cum liquido mixta perfudit diva polenta.
Combibit os maculas: et, qua modo brachia gessit, 455
Crura gerit: cauda est mutatis addita membris:
Inque brevem formam, ne sit vis magna nocendi,
Contrahitur, parvaque minor mensura lacerta est.
Mirantem, flentemque, et tangere monstra parantem
Fugit anum, latebramque petit: aptumque colori 460
Nomen habet, variis stellatus corpora guttis.
Quas dea per terras, et quas erraverit undas,
Dicere longa mora est. Quærenti defuit orbis.
Sicaniam repetit: dumque omnia lustrat eundo,
Venit et ad Cyanen: ea, ni mutata fuisset, 465
Omnia narrasset: sed et os et lingua volenti
Dicere non aderant, nec, quo loqueretur, habebat.
Signa tamen manifesta dedit, notamque parenti,
Illo forte loco delapsam gurgite sacro
Persephones zonam summis ostendit in undis.
Quam simul agnovit, tanquam tum denique raptam 471
Scisset, inornatos laniavit diva capillos,
Et repetita suis percussit pectora palmis.
Nec scit adhuc ubi sit; terras tamen increpat omnes;
Ingratasque vocat, nec frugum munere dignas.
Trinacriam ante alias, in qua vestigia damni 476
Repperit. Ergo illic sæva vertentia glebas
Fregit aratra manu: parilique irata colonos
Ruriculasque boves leto dedit: arvaque jussit
Fallere depositum, vitiataque semina fecit. 480
Fertilitas terræ, latum vulgata per orbem,
Cassa jacet: primis segetes moriuntur in herbis:
Et modo sol nimius, nimius modo corripit imber:
Sideraque, ventique nocent: avidæque volucres
Semina jacta legunt: lolium, tribulique fatigant
Triticeas messes, et inexpugnabile gramen. 486
Tum caput Eleis Alpheias extulit undis,
Rorantesque comas a fronte removit ad aures:
Atque ait: O toto quæsitæ virginis orbe,
Et frugum genetrix, immensos siste labores: 490
Neve tibi fidæ violenta irascere terræ.
Terra nihil meruit: patuitque invita rapinæ.
Nec sum pro patria supplex: huc hospita veni.
Pisa mihi patria est, et ab Elide ducimus ortum.
Sicaniam peregrina colo: sed gratior omni 495
Hæc mihi terra solo est: hos nunc Arethusa penates,
Hanc habeo sedem: quam tu, mitissima, serva.
Mota loco cur sim, tantique per æquoris undas
Advehar Ortygiam, veniet narratibus hora
Tempestiva meis; cum tu curisque levata, 500
Et vultus melioris eris. Mihi pervia tellus
Præbet iter: subterque imas ablata cavernas
Hic caput attollo, desuetaque sidera cerno.
Ergo, dum Stygio sub terris gurgite labor,
Visa tua est oculis illic Proserpina nostris. 505
Illa quidem tristis, nec adhuc interrita vultu;
Sed regina tamen, sed opaci maxima mundi;
Sed tamen inferni pollens matrona tyranni.
Mater ad auditas stupuit ceu saxea voces:
Attonitæque diu similis fuit. Utque dolore 510
Pulsa gravi gravis est amentia; curribus auras
Exit in ætherias: ibi toto nubila vultu
Ante Jovem passis stetit invidiosa capillis:
Proque meo supplex venio tibi, Jupiter, inquit,
Sanguine, proque tuo. Si nulla est gratia matris;
Nata patrem moveat: neu sit tibi cura, precamur,
Vilior illius, quod nostro est edita partu. 517
En quæsita diu tandem mihi nata reperta est:
Si reperire vocas, amittere certius; aut si
Scire, ubi sit, reperire vocas. Quod rapta, feremus: [marito
Dummodo reddat eam: neque enim prædone
Filia digna tua est; si jam mea filia digna est.
Jupiter excepit: Commune est pignus onusque
Nata mihi tecum: sed, si modo nomina rebus
Addere vera placet, non hoc injuria factum, 525
Verum amor est: neque erit nobis gener ille pudori.

Tu modo, diva, velis. Ut desint cetera, quantum est
Esse Jovis fratrem! quid quod nec cætera desunt,
Nec cedit nisi sorte mihi? sed tanta cupido
Si tibi discidii est, repetat Proserpina cœlum:
Lege tamen certa, si nullos contigit illic 531
Ore cibos: nam sic Parcarum fœdere cautum est.
Dixerat: at Cereri certum est educere natam.
Non ita fata sinunt: quoniam jejunia virgo
Solverat: et, cultis dum simplex errat in hortis,
Puniceum curva decerpserat arbore pomum, 536
Sumtaque pallenti septem de cortice grana
Presserat ore suo: solusque ex omnibus illud
Viderat Ascalaphus: quem quondam dicitur Orphne,
Inter Avernales haud ignotissima Nymphas, 540
Ex Acheronte suo furvis peperisse sub antris.
Vidit: et indicio reditum crudelis ademit.
Ingemuit regina Erebi; testemque profanam
Fecit avem: sparsumque caput Phlegethontide lympha
In rostrum, et plumas, et grandia lumina vertit.
Ille sibi ablatus fulvis amicitur ab alis; 546
Inque caput crescit; longosque reflectitur ungues;
Vixque movet natas per inertia brachia pennas;
Fœdaque fit volucris, venturi nuntia luctus,
Ignavus bubo, dirum mortalibus omen. 550
Hic tamen indicio pœnam linguaque videri
Commeruisse potest. Vobis, Acheloides, unde
Pluma pedesque avium, cum virginis ora geratis?
An quia, cum legeret vernos Proserpina flores,
In comitum numero mixtæ, Sirenes, eratis? 555
Quam postquam toto frustra quæsistis in orbe;
Protinus ut vestram sentirent æquora curam,
Posse super fluctus alarum insistere remis
Optastis: facilesque deos habuistis, et artus
Vidistis vestros subitis flavescere pennis. 560
Ne tamen ille canor, mulcendas natus ad aures,
Tantaque dos oris linguæ deperderet usum;
Virginei vultus, et vox humana remansit.
At medius fratrisque sui mæstæque sororis
Jupiter ex æquo volventem dividit annum. 565
Nunc dea, regnorum numen commune duorum,
Cum matre est totidem, totidem cum conjuge menses.
Vertitur extemplo facies et mentis et oris
Nam, modo quæ poterat Diti quoque mæsta videri,
Læta deæ frons est: ut sol, qui tectus aquosis
Nubibus ante fuit, victis ubi nubibus exit. 571
Exigit alma Ceres, nata secura reperta,
Quæ tibi causa viæ? cur sis, Arethusa, sacer fons?
Conticuere undæ; quarum dea sustulit alto
Fonte caput, viridesque manu siccata capillos
Fluminis Elei veteres narravit amores. 576
Pars ego Nympharum, quæ sunt in Achaide, dixit,
Una fui: nec me studiosius altera saltus
Legit, nec posuit studiosius altera casses.
Sed, quamvis formæ nunquam mihi fama petita est, 580
Quamvis fortis eram, formosæ nomen habebam.
Nec mea me facies nimium laudata juvabat:
Quaque aliæ gaudere solent, ego rustica dote
Corporis erubui, crimenque placere putavi.
Lassa revertebar, memini, Stymphalide sylva. 585
Æstus erat: magnumque labor geminaverat æstum.
Invenio sine vortice aquas, sine murmure euntes,
Perspicuas imo; per quas numerabilis alte
Calculus omnis erat; quas tu vix ire putares.
Cana salicta dabant, nutritaque populus unda,
Sponte sua natas ripis declivibus umbras. 591
Accessi; primumque pedis vestigia tinxi:
Poplite deinde tenus: neque eo contenta, recingor,
Molliaque impono salici velamina curvæ;
Nudaque mergor aquis: quas dum ferioque, trahoque, 595
Mille modis labens, excussaque brachia jacto;
Nescio quod medio sensi sub gurgite murmur:
Territaque insisto propioris margine ripæ.
Quo properas, Arethusa? suis Alpheus ab undis,
Quo properas? iterum rauco mihi dixerat ore. 600
Sicut eram, fugio sine vestibus: altera vestes
Ripa meas habuit. Tanto magis instat, et ardet:
Et quia nuda fui, sum visa paratior illi.
Sic ego currebam, sic me ferus ille premebat,
Ut fugere accipitrem penna trepidante columbæ,
Ut solet accipiter trepidas agitare columbas. 606
Usque sub Orchomenon, Psephidaque, Cyllenenque,
Mænaliosque sinus, gelidumque Erymanthon, et Elin
Currere sustinui: nec me velocior ille.
Sed tolerare diu cursus ego, viribus impar, 610
Non poteram: longi patiens erat ille laboris.
Per tamen et campos, per opertos arbore montes,
Saxa quoque, et rupes, et qua via nulla, cucurri.
Sol erat a tergo: vidi præcedere longam
Ante pedes umbram; nisi si timor illa videbat.
Sed certe sonituque pedum terrebar, et ingens
Crinales vittas afflabat anhelitus oris.
Fessa labore fugæ, Fer opem, deprendimur, inquam,
Armigeræ, Dictynna, tuæ: cui sæpe sdeidti
Ferre tuos arcus, inclusaque tela pharetra. 620
Mota dea est; spissisque ferens e nubibus unam
Me super injecit. Lustrat caligine tectam
Amnis, et ignarus circum cava nubila quærit:
Bisque locum, quo me dea texerat, inscius ambit:
Et bis, Io Arethusa, Io Arethusa, vocavit. 625
Quid mihi tunc animi miseræ fuit? anne quod agnæ est,
Si qua lupos audit circum stabula alta frementes?
Aut lepori, qui vepre latens hostilia cernit
Ora canum, nullosque audet dare corpore motus?
Non tamen abscedit: neque enim vestigia cernit 630
Longius ire pedum: servat nubemque locumque.
Occupat obsessos sudor mihi frigidus artus,
Cæruleæque cadunt toto de corpore guttæ.
Quaque pedem movi, manat lacus: eque capillis
Ros cadit: et citius, quam nunc tibi facta renarro, 635
In laticem mutor. Sed enim cognoscit amatas
Amnis aquas: positoque viri, quod sumserat, ore
Vertitur in proprias, ut se mihi misceat, undas.
Delia rumpit humum. Cæcis ego mersa cavernis
Advehor Ortygiam: quæ me cognomine divæ
Grata meæ superas eduxit prima sub auras. 641
Hac Arethusa tenus. Geminos dea fertilis angues
Curribus admovit, frenisque coercuit ora:
Et medium cœli terræque per aera vecta est:
Atque levem currum Tritonida misit in arcem 645
Triptolemo; partimque rudi data semina jussit
Spargere humo, partim post tempora longa recultæ.

Jam super Europen sublimis, et Asida, terras
Vectus erat juvenis; Scythias advertitur oras.
Rex ibi Lyncus erat. Regis subit ille penates.
Qua veniat, causamque viæ, nomenque rogatus,
Et patriam, Patria est claræ mihi, dixit, Athenæ;
Triptolemus nomen: veni nec puppe per undas,
Nec pede per terras: patuit mihi pervius æther.
Dona fero Cereris, latos quæ sparsa per agros 655
Frugiferas messes, alimentaque mitia reddant.
Barbarus invidit: tantique ut muneris auctor
Ipse sit, hospitio recipit, somnoque gravatum
Aggreditur ferro. Conantem figere pectus
Lynca Ceres fecit: rursusque per aera misit 660
Mopsopium juvenem sacros agitare jugales.
Finierat dictos e nobis maxima cantus.
At Nymphæ vicisse deas Helicona colentes
Concordi dixere sono. Convicia victæ
Cum jacerent: Quoniam, dixit, certamine vobis
Supplicium meruisse parum est, maledictaque culpæ 666
Additis, et non est patientia libera nobis;
Ibimus in pœnas, et, quo vocat ira, sequemur.
Rident Emathides, spernuntque minacia verba;
Conatæque loqui, et magno clamore protervas
Intentare manus, pennas exire per ungues 671
Adspexere suos; operiri brachia plumis:
Alteraque alterius rigido concrescere rostro
Ora vident, volucresque novas accedere sylvis.
Dumque volunt plangi; per brachia mota levatæ
Aere pendebant, nemorum convicia, picæ. 676
Nunc quoque in alitibus facundia prisca remansit,
Raucaque garrulitas, studiumque immane loquendi.

LIBER SEXTUS.

Præbuerat dictis Tritonia talibus aurem;
Carminaque Aonidum, justamque probaverat iram.
Tum secum, Laudare parum est; laudemur et ipsæ:
Numina nec sperni sine pœna nostra sinamus.
Mæoniæque animum fatis intendit Arachnes: 5
Quam sibi lanificæ non cedere laudibus artis
Audierat. Non illa loco, nec origine gentis
Clara, sed arte fuit. Pater huic Colophonius Idmon
Phocaico bibulas tingebat murice lanas. 9
Occiderat mater: sed et hæc de plebe, suoque
Æqua viro fuerat. Lydas tamen illa per urbes
Quæsierat studio nomen memorabile, quamvis
Orta domo parva, parvis habitabat Hypæpis.
Hujus ut adspicerent opus admirabile, sæpe
Deseruere sui Nymphæ vineta Tymoli: 15
Deseruere suas Nymphæ Pactolides undas.
Nec factas solum vestes spectare juvabat;
Tum quoque, cum fierent: tantus decor affuit arti.
Sive rudem primos lanam glomerabat in orbes;
Seu digitis subigebat opus, repetitaque longo 20
Vellera mollibat nebulas æquantia tractu;
Sive levi teretem versabat pollice fusum;
Seu pingebat acu; scires a Pallade doctam.
Quod tamen ipsa negat: tantaque offensa magistra,
Certet, ait, mecum; nihil est, quod victa recusem. 25
Pallas anum simulat: falsosque in tempora canos
Addit, et infirmos baculo quoque sustinet artus.
Tum sic orsa loqui: Non omnia grandior ætas,
Quæ fugiamus, habet: seris venit usus ab annis.
Consilium ne sperne meum. Tibi fama petatur
Inter mortales faciendæ maxima lanæ. 31
Cede deæ: veniamque tuis, temeraria, dictis
Supplice voce roga: veniam dabit illa roganti.
Adspicit hanc torvis, inceptaque fila relinquit,
Vixque manum retinens, confessaque vultibus iram, 35
Talibus obscuram resecuta est Pallada dictis:
Mentis inops, longaque venis confecta senecta:
Et nimium vixisse diu nocet. Audiat istas,
Si qua tibi nurus est, si qua est tibi filia, voces.
Consilii satis est in me mihi: neve monendo 40
Profecisse putes; eadem sententia nobis.
Cur non ipsa venit? cur hæc certamina vitat?
Tum dea, Venit, ait; formamque removit anilem,
Palladaque exhibuit. Venerantur numina Nymphæ,
Mygdonidesque nurus: sola est non territa virgo.
Sed tamen erubuit, subitusque invita notavit 46
Ora rubor, rursusque evanuit: ut solet aer
Purpureus fieri, cum primum Aurora movetur,
Et breve post tempus candescere solis ab ortu.
Perstat in incepto, stolidæque cupidine palmæ 50
In sua fata ruit. Neque enim Jove nata recusat:
Nec monet ulterius, nec jam certamina differt.
Haud mora; consistunt diversis partibus ambæ,
Et gracili geminas intendunt stamine telas.
Tela jugo vincta est: stamen secernit arundo: 55
Inseritur medium radiis subtemen acutis; [tum
Quod digiti expediunt, atque inter stamina duc-
Percusso feriunt insecti pectine dentes.
Utraque festinant: cinctæque ad pectora vestes
Brachia docta movent, studio fallente laborem,
Illic et Tyrium quæ purpura sensit aenum 61
Texitur, et tenues parvi discriminis umbræ:
Qualis ab imbre solet percussus solibus arcus
Inficere ingenti longum curvamine cœlum:
In quo diversi niteant cum mille colores, 65
Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit;
Usque adeo quod tangit idem est: tamen ultima distant.
Illic et lentum filis immittitur aurum,
Et vetus in tela deducitur argumentum.
Cecropia Pallas scopulum Mavortis in arce 70
Pingit, et antiquam de terræ nomine litem.
Bis sex cœlestes, medio Jove, sedibus altis
Augusta gravitate sedent. Sua quemque deorum
Inscribit facies. Jovis est regalis imago.
Stare deum pelagi, longoque ferire tridente 75
Aspera saxa facit, medioque e vulnere saxi
Exsiluisse fretum; quo pignore vindicet urbem.
At sibi dat clypeum, dat acutæ cuspidis hastam:
Dat galeam capiti: defenditur ægide pectus.
Percussamque sua simulat de cuspide terram 80
Prodere cum baccis fœtum canentis olivæ:
Mirarique deos. Operi victoria finis
Ut tamen exemplis intelligat æmula laudis,
Quod pretium speret pro tam furialibus ausis;
Quatuor in partes certamina quatuor addit 85
Clara colore suo, brevibus distincta sigillis.
Threiciam Rhodopen habet angulus unus, et Hæmon;

Nunc gelidos montes, mortalia corpora quondam;
Nomina summorum sibi qui tribuere deorum.
Altera Pygmææ fatum miserabile matris 90
Pars habet. Hanc Juno victam certamine jussit
Esse gruem, populisque suis indicere bellum.
Pingit et Antigonen, ausam contendere quondam
Cum magni consorte Jovis; quam regia Juno
In volucrem vertit: nec profuit Ilion illi, 95
Laomedonve pater, sumtis quin candida pennis
Ipsa sibi plaudat crepitante ciconia rostro.
Qui superest solus Cinyran habet angulus orbum:
Isque gradus templi, natarum membra suarum,
Amplectens, saxoque jacens, lacrymare videtur.
Circuit extremas oleis pacalibus oras; 101
Is modus est; operique sua facit arbore finem.
Mæonis elusam designat imagine tauri
Europen: verum taurum, freta vera putares.
Ipse videbatur terras spectare relictas, 105
Et comites clamare suas, tactumque vereri
Assilientis aquæ, timidasque reducere plantas.
Fecit et Asterien aquila luctante teneri:
Fecit olorinis Ledam recubare sub alis:
Addidit, ut Satyri celatus imagine pulchram 110
Jupiter implerit gemino Nycteida fœtu:
Amphitryon fuerit, cum te, Tirynthia, cepit:
Aureus ut Danaen, Asopida luserit igneus:
Mnemosynen pastor: varius Deoida serpens.
Te quoque mutatum torvo, Neptune, juvenco 115
Virgine in Æolia posuit. Tu visus Enipeus
Gignis Aloidas: aries Bisaltida fallis.
Et te, flava comas, frugum mitissima mater,
Sensit equum: te sensit avem crinita colubris
Mater equi volucris: sensit Delphina Melantho.
Omnibus his faciemque suam, faciemque locorum 121
Reddidit. Est illic agrestis imagine Phœbus:
Utque modo accipitris pennas, modo terga leonis
Gesserit: ut pastor Macareida luserit Issen.
Liber ut Erigonen falsa deceperit uva: 125
Ut Saturnus equo geminum Chirona crearit.
Ultima pars telæ, tenui circumdata limbo,
Nexilibus flores hederis habet intertextos.
Non illud Pallas, non illud carpere livor
Possit opus. Doluit successu flava virago: 130
Et rupit pictas, cœlestia crimina, vestes.
Utque Cytoriaco radium de monte tenebat,
Ter quater Idmoniæ frontem percussit Arachnes.
Non tulit infelix: laqueoque animosa ligavit
Guttura. Pendentem Pallas miserata levavit:
Atque ita, Vive quidem, pende tamen, improba, dixit; 136
Lexque eadem pœnæ, ne sis secura futuri,
Dicta tuo generi, serisque nepotibus esto.
Post ea discedens succis Hecateidos herbæ
Spargit: et extemplo tristi medicamine tactæ 140
Defluxere comæ, cumque bis et naris et auris:
Fitque caput minimum, totoque in corpore parva est.
In latere exiles digiti pro cruribus hærent.
Cætera venter habet: de quo tamen illa remittit
Stamen, et antiquas exercet aranea telas. 145
Lydia tota fremit: Phrygiæque per oppida facti [bem.
Rumor it, et magnum sermonibus occupat or-
Ante suos Niobe thalamos cognoverat illam,
Tum cum Mæoniam virgo Sipylumque colebat:
Nec tamen admonita est pœna popularis Arachnes 150
Cedere cœlitibus, verbisque minoribus uti.
Multa dabant animos. Sed enim nec conjugis artes,
Nec genus amborum, magnique potentia regni,
Sic placuere illi, quamvis ea cuncta placebant,
Ut sua progenies: et felicissima matrum 155
Dicta foret Niobe, si non sibi visa fuisset.
Nam sata Tiresia, venturi præscia, Manto
Per medias fuerat, divino concita motu,
Vaticinata vias: Ismenides, ite frequentes,
Et date Latonæ, Latonigenisque duobus, 160
Cum prece thura pia, lauroque innectite crinem.
Ore meo Latona jubet. Paretur: et omnes
Thebaides jussis sua tempora frondibus ornant,
Thuraque dant sanctis, et verba precantia, flammis.
Ecce venit comitum Niobe celeberrima turba,
Vestibus intexto Phrygiis spectabilis auro: 166
Et, quantum ira sinit, formosa: movensque decoro
Cum capite immissos humerum per utrumque capillos.
Constitit: utque oculos circumtulit alta superbos;
Quis furor auditos, inquit, præponere visis 170
Cœlestes? aut cur colitur Latona per aras;
Numen adhuc sine thure meum est? mihi Tantalus auctor,
Cui licuit soli superorum tangere mensas.
Pleiadum soror est genitrix mihi: maximus Atlas 174
Est avus, ætherium qui fert cervicibus axem:
Jupiter alter avus: socero quoque glorior illo.
Me gentes metuunt Phrygiæ: me regia Cadmi
Sub domina est: fidibusque mei commissa mariti
Mœnia cum populis a meque viroque reguntur.
In quamcunque domus adverto lumina partem,
Immensæ spectantur opes. Accedit eodem 181
Digna dea facies: huc natas adjice septem,
Et totidem juvenes; et mox generosque nurusque.
Quærite nunc, habeat quam nostra superbia causam:
Nescio quoque audete satam Titanida Cœo 185
Latonam præferre mihi; cui maxima quondam
Exiguam sedem pariturae terra negavit.
Nec cœlo, nec humo, nec aquis dea vestra recepta est.
Exul erat mundi; donec miserata vagantem,
Hospita tu terris erres, ego, dixit, in undis, 190
Instabilemque locum Delos dedit. Illa duobus
Facta parens: uteri pars est hæc septima nostri.
Sum felix: quis enim neget hoc? felixque manebo:
Hoc quoque quis dubitet? tutam me copia fecit.
Major sum, quam cui possit Fortuna nocere: 195
Multaque ut eripiat, multo mihi plura relinquet.
Excessere metum mea jam bona. Fingite demi
Huic aliquid populo natorum posse meorum;
Non tamen ad numerum redigar spoliata duorum
Latonæ. Turba quo quantum distat ab orba?
Ite sacris, properate sacris; laurumque capillis
Ponite. Deponunt, infectaque sacra relinquunt:
Quodque licet, tacito venerantur murmure numen.
Indignata dea est: summoque in vertice Cynthi
Talibus est dictis gemina cum prole locuta: 205
En ego vestra parens, vobis animosa creatis,
Et, nisi Junoni, nulli cessura dearum,
An dea sim, dubitor: perque omnia sæcula cultis
Arceor, o nati, nisi vos succurritis, aris.

Nec dolor hic solus: diro convicia facto 210
Tantalis adjecit, vosque est postponere natis
Ausa suis: et me, quod in ipsam recidat, orbam
Dixit, et exhibuit linguam scelerata paternam.
Adjectura preces erat his Latona relatis: [las.
Desine, Phœbus ait, (pœnæ mora longa) quere-
Dixit idem Phœbe: celerique per aera lapsu 216
Contigerant tecti Cadmeida nubibus arcem.
Planus erat lateque patens prope mœnia campus,
Assiduis pulsatus equis; ubi turba rotarum,
Duraque mollierant subjectas ungula glebas.
Pars ibi de septem genitis Amphione fortes 221
Conscendunt in equos, Tyrioque rubentia fuco
Terga premunt, auroque graves moderantur habenas.
E quibus Ismenos, qui matri sarcina quondam
Prima suæ fuerat, dum certum flectit in orbem
Quadrupedes cursus, spumantiaque ora coercet;
Hei mihi! conclamat; medioque in pectore fixus
Tela gerit, frenisque manu moriente remissis
In latus a dextro paulatim defluit armo.
Proximus, audito sonitu per inane pharetræ,
Frena dabat Sipylus: veluti cum præscius imbris
Nube fugit visa, pendentiaque undique rector
Carbasa deducit, ne qua levis effluat aura.
Frena tamen dantem non evitabile telum 234
Consequitur, summaque tremens cervice sagitta
Hæsit, et exstabat nudum de gutture ferrum.
Ille, ut erat pronus, per colla admissa jubasque
Volvitur, et calido tellurem sanguine fœdat.
Phædimus infelix, et aviti nominis hæres
Tantalus, ut solito finem imposuere labori, 240
Transierant ad opus nitidæ juvenile palæstræ:
Et jam contulerant arcto luctantia nexu
Pectora pectoribus; cum tento concita cornu,
Sicut erant juncti, trajecit utrumque sagitta.
Ingemuere simul; simul incurvata dolore 245
Membra solo posuere; simul suprema jacentes
Lumina versarunt; animam simul exhalarunt.
Adspicit Alphenor, laniataque pectora plangens
Advolat, ut gelidos complexibus allevet artus:
Inque pio cadit officio. Nam Delius illi 250
Intima fatifero rumpit præcordia ferro.
Quod simul eductum, pars est pulmonis in hamis
Eruta: cumque anima cruor est effusus in auras.
At non intonsum simplex Damasichthona vulnus
Afficit. Ictus erat, qua crus esse incipit, et qua
Mollia nervosus facit internodia poples. 256
Dumque manu tentat trahere exitiabile telum,
Altera per jugulum pennis tenus acta sagitta est.
Expulit hanc sanguis: seque ejaculatus in altum
Emicat, et longe terebrata prosilit aura. 260
Ultimus Ilioneus non profectura precando
Brachia sustulerat: Dique o communiter omnes,
Dixerat, ignarus non omnes esse rogandos,
Parcite. Motus erat, cum jam revocabile telum
Non fuit, Arcitenens: minimo tamen occidit ille
Vulnere, non alte percusso corde sagitta. 266
Fama mali, populique dolor, lacrymæque suorum
Tam subitæ matrem certam fecere ruinæ,
Mirantem potuisse, irascentemque, quod ausi
Hoc essent superi, quod tantum juris haberent.
Nam pater Amphion, ferro per pectus adacto,
Finierat moriens pariter cum luce dolorem. 272
Heu quantum hæc Niobe Niobe distabat ab illa,
Quæ modo Latois populum submoverat aris,
Et mediam tulerat gressus resupina per urbem
Invidiosa suis; at nunc miseranda vel hosti. 276
Corporibus gelidis incumbit, et ordine nullo
Oscula dispensat natos suprema per omnes.
A quibus ad cœlum liventia brachia tendens,
Pascere, crudelis, nostro Latona dolore, 280
[Pascere, ait; satiaque meo tua pectora luctu:]
Corque ferum satia, dixit: per funera septem
Efferor: exsulta, victrixque inimica triumpha.
Cur autem victrix? miseræ mihi plura supersunt,
Quam tibi felici: post tot quoque funera vinco.
Dixerat: insonuit contento nervus ab arcu; 286
Qui, præter Nioben unam, conterruit omnes.
Illa malo est audax. Stabant cum vestibus atris
Ante toros fratrum demisso crine sorores.
E quibus una, trahens hærentia viscere tela,
Imposito fratri moribunda relanguit ore. 291
Altera, solari miseram conata parentem,
Conticuit subito; duplicataque vulnere cæco est.
[Oraque non pressit, nisi postquam spiritus exit.]
Hæc frustra fugiens collabitur; illa sorori 295
Immoritur: latet hæc; illam trepidare videres.
Sexque datis leto, diversaque vulnera passis,
Ultima restabat: quam toto corpore mater,
Tota veste tegens, Unam, minimamque relinque,
De multis minimam posco, clamavit, et unam.
Dumque rogat, pro qua rogat, occidit. Orba resedit 301
Exanimes inter natos, natasque, virumque:
Diriguitque malis. Nullos movet aura capillos.
In vultu color est sine sanguine: lumina mæstis
Stant immota genis: nihil est in imagine vivi.
Ipsa quoque interius cum duro lingua palato
Congelat, et venæ desistunt posse moveri.
Nec flecti cervix, nec brachia reddere gestus,
Nec pes ire potest: intra quoque viscera saxum est. 309
Flet tamen, et validi circumdata turbine venti
In patriam rapta est. Ibi fixa cacumine montis
Liquitur, et lacrymas etiamnum marmora manant.
Tum vero tanti manifestam numinis iram
Fœmina virque timent: cultuque impensius omnes
Magna gemelliparæ venerantur numina divæ.
Utque fit, a facto propiore priora renarrant. 316
E quibus unus ait: Lyciæ quoque fertilis agris
Haud impune deam veteres sprevere coloni.
Res obscura quidem est ignobilitate virorum;
Mira tamen. Vidi præsens stagnumque locumque
Prodigio notum: nam me jam grandior ævo, 321
Impatiensque viæ genitor deducere lectos
Jusserat inde boves; gentisque illius eunti
Ipse ducem dederat: cum quo dum pascua lustro,
Ecce lacus medio sacrorum nigra favilla 325
Ara vetus stabat, tremulis circumdata cannis.
Restitit, et pavido, Faveas, mihi murmure dixit
Dux meus: et simili, Faveas, ego murmure dixi.
Naiadum, Faunine foret, tamen, ara, rogabam,
Indigenæve dei: cum talia reddidit hospes: 330
Non hac, o juvenis, montanum numen in ara est.
Illa suam vocat hanc, cui quondam regia Juno
Orbem interdixit: quam vix erratica Delos
Orantem accepit, tum cum levis insula nabat.
Illic incumbens cum Palladis arbore palmæ, 335
Edidit invita geminos Latona noverca.
Hinc quoque Junonem fugisse puerpera fertur,
Inque suo portasse sinu, duo numina, natos.
Jamque Chimæriferæ, cum sol gravis ureret arva
Finibus in Lyciæ longo dea fessa labore 340
Sidereo siccata sitim collegit ab æstu
Uberaque ebiberant avidi lactantia nati.

Forte lacum melioris aquæ prospexit in imis
Vallibus: agrestes illic fruticosa legebant
Vimina cum juncis, gratamque paludibus ulvam.
Accessit, positoque genu Titania terram 346
Pressit, ut hauriret gelidos potura liquores.
Rustica turba vetant. Dea sic affata vetantes:
Quid prohibetis aquis? usus communis aquarum.
Nec solem proprium natura, nec aera fecit, 350
Nec tenues undas: ad publica munera veni.
Quæ tamen, ut detis, supplex peto. Non ego nostros
Abluere hic artus, lassataque membra parabam:
Sed relevare sitim. Caret os humore loquentis;
Et fauces arent, vixque est via vocis in illis. 355
Haustus aquæ mihi nectar erit, vitamque fatebor
Accepisse simul: vitam dederitis in unda.
Hi quoque vos moveant, qui nostro brachia tendunt
Parva sinu: et casu tendebant brachia nati. 359
Quem non blanda deæ potuissent verba movere?
Hi tamen orantem perstant prohibere: minasque,
Ni procul abscedat, conviciaque insuper addunt.
Nec satis hoc: ipsos etiam pedibusque manuque
Turbavere lacus, imoque e gurgite mollem
Huc illuc limum saltu movere maligno. 365
Distulit ira sitim. Neque enim jam filia Cœi
Supplicat indignis, nec dicere sustinet ultra
Verba minora dea: tollensque ad sidera palmas,
Æternum stagno, dixit, vivatis in isto.
Eveniunt optata deæ: juvat isse sub undas;
Et modo tota cava submergere membra palude:
Nunc proferre caput: summo modo gurgite nare:
Sæpe super rigam stagni considere: sæpe
In gelidos resilire lacus. Et nunc quoque turpes
Litibus exercent linguas, pulsoque pudore, 375
Quamvis sint sub aqua, sub aqua maledicere tentant.
Vox quoque jam rauca est; inflataque colla tumescunt;
Ipsaque dilatant patulos convicia rictus. 378
Terga caput tangunt; colla intercepta videntur;
Spina viret; venter, pars maxima corporis, albet;
Limosoque novæ saliunt in gurgite ranæ.
Sic ubi nescio quis Lycia de gente virorum
Rettulit exitium; Satyri reminiscitur alter,
Quem Tritoniaca Latous arundine victum 384
Affecit pœna. Quid me mihi detrahis? inquit.
Ah piget: ah non est, clamabat, tibia tanti!
Clamanti cutis est summos derepta per artus:
Nec quicquam, nisi vulnus, erat. Cruor undique manat;
Detectique patent nervi, trepidæque sine ulla
Pelle micant venæ. Salientia viscera possis, 390
Et perlucentes numerare in pectore fibras.
Illum ruricolæ, sylvarum numina, Fauni,
Et Satyri fratres, et tunc quoque clarus Olympus,
Et Nymphæ flerunt: et quisquis montibus illis
Lanigerosque greges, armentaque bucera pavit.
Fertilis immaduit, madefactaque terra caducas
Concepit lacrymas, ac venis perbibit imis. 397
Quas ubi fecit aquam, vacuas emisit in auras.
Inde petens rapidum ripis declivibus æquor,
Marsya nomen habet, Phrygiæ liquidissimus amnis. 400
Talibus extemplo redit ad præsentia dictis
Vulgus, et exstinctum cum stirpe Amphiona lugent.
Mater in invidia est. Tamen hanc quoque dicitur unus [quam
Flesse Pelops: humeroque, suas ad pectora post-
Deduxit vestes, ebur ostendisse sinistro. 405
Concolor hic humerus, nascendi tempore, dextro,
Corporeusque fuit. Manibus mox cæsa paternis
Membra ferunt junxisse deos, aliisque repertis,
Qui locus est juguli medius, summique lacerti,
Defuit. Impositum est non comparentis in usum
Partis ebur: factoque Pelops fuit integer illo.
Finitimi proceres coeunt: urbesque propinquæ
Oravere suos ire ad solatia reges,
Argosque, et Sparte, Pelopeiadesque Mycenæ,
Et nondum torvæ Calydon invisa Dianæ, 415
Orchomenosque ferax, et nobilis ære Corinthos,
Messeneque ferox, Patræque, humilesque Cleonæ,
Et Nelea Pylos, neque adhuc Pittheia Trœzen:
Quæque urbes aliæ bimari clauduntur ab Isthmo, 419
Exteriusque sitæ bimari spectantur ab Isthmo.
Credere quis possit? solæ cessastis Athenæ.
Obstitit officio bellum, subvectaque ponto
Barbara Mopsopios terrebant agmina muros.
Threicius Tereus hæc auxiliaribus armis 424
Luderat, et clarum vincendo nomen habebat.
Quem sibi Pandion opibusque virisque potentem,
Et genus a magno ducentem forte Gradivo,
Connubio Procnes junxit. Non pronuba Juno,
Non Hymenæus adest, non illi gratia lecto.
Eumenides tenuere faces de funere raptas: 430
Eumenides stravere torum: tectoque profanus
Incubuit bubo, thalamique in culmine sedit.
Hac ave sunt juncti Procne Tereusque; parentes
Hac ave sunt facti. Gratata est scilicet illis 434
Thracia: disque ipsi grates egere, diemque,
Quaque data est claro Pandione nata tyranno,
Quaque erat ortus Itys, festam jussere vocari.
Usque adeo latet utilitas. Jam tempora Titan
Quinque per autumnos repetiti duxerat anni:
Cum blandita viro Procne, Si gratia, dixit, 440
Ulla mea est, vel me visendæ mitte sorori,
Vel soror huc veniat. Rediturum tempore parvo
Promittes socero: magni mihi numinis instar
Germanam vidisse dabis. Jubet ille carinas
In freta deduci, veloque et remige portus 445
Cecropios intrat, Piræaque littora tangit.
Ut primum soceri data copia, dextera dextræ
Jungitur, et fausto committitur omine sermo.
Cœperat, adventus causam, mandata referre 449
Conjugis, et celeres missæ spondere recursus:
Ecce venit magno dives Philomela paratu,
Divitior forma: quales audire solemus
Naidas et Dryadas mediis incedere sylvis:
Si modo des illis cultus, similesque paratus.
Non secus exarsit conspecta virgine Tereus, 455
Quam si quis canis ignem supponat aristis,
Aut frondem, positasque cremet fœnilibus herbas.
Digna quidem facies: sed et hunc innata libido
Exstimulat, pronumque genus regionibus illis
In Venerem est. Flagrat vitio gentisque suoque.
Impetus est illi, comitum corrumpere curam,
Nutricisque fidem: nec non ingentibus ipsam
Solicitare datis, totumque impendere regnum:
Aut rapere, et sævo raptam defendere bello.
Et nihil est, quod non effreno captus amore 465
Ausit: nec capiunt inclusas pectora flammas.
Jamque moras male fert; cupidoque revertitur ore
Ad mandata Procnes, et agit sua vota sub illis.
Facundum faciebat amor: quotiesque rogabat
Ulterius justo, Procnen ita velle ferebat. 470
Addidit et lacrymas; tanquam mandasset et illas.
Pro superi, quantum mortalia pectora cæcæ

Noctis habent! ipso sceleris molimine Tereus
Creditur esse pius, laudemque a crimine sumit.
Quid? quod idem Philomela cupit, patriosque lacertis 475
Blanda tenens humeros, ut eat visura sororem,
Perque suam, contraque suam, petit usque, salutem.
Spectat eam Tereus, præcontrectatque videndo:
Osculaque, et collo circumdata brachia cernens,
Omnia pro stimulis, facibusque, ciboque furoris
Accipit; et quoties amplectitur illa parentem,
Esse parens vellet: neque enim minus impius esset. 482
Vincitur ambarum genitor prece: gaudet, agitque
Illa patri grates: et successisse duabus
Id putat infelix, quod erit lugubre duabus. 485
Jam labor exiguus Phœbo restabat, equique
Pulsabant pedibus spatium declivis Olympi.
Regales epulæ mensis, et Bacchus in auro
Ponitur: hinc placido dantur sua corpora somno.
At rex Odrysius, quamvis secessit, in illa 490
Æstuat: et repetens faciem, motusque, manusque,
Qualia vult fingit, quæ nondum vidit; et ignes
Ipse suos nutrit, cura removente soporem. 493
Lux erat: et generi dextram complexus euntis,
Pandion comitem lacrymis commendat obortis:
Hanc ego, care gener, quoniam pia causa coegit,
[Et voluere ambæ, voluisti tu quoque, Tereu,]
Do tibi: perque fidem, cognataque pectora supplex,
Per superos oro, patrio tuearis amore:
Et mihi sollicitæ lenimen dulce senectæ 500
Quam primum (omnis erit nobis mora longa) remittas.
Tu quoque quam primum (satis est procul esse sororem)
Si pietas ulla est, ad me, Philomela, redito.
Mandabat, pariterque suæ dabat oscula natæ:
Et lacrymæ mites inter mandata cadebant. 505
Ut fidei pignus dextras utriusque poposcit,
Inter seque datas junxit, natamque, nepotemque,
Absentes memori pro se jubet ore salutent:
Supremumque vale, pleno singultibus ore,
Vix dixit: timuitque suæ præsagia mentis. 510
At simul imposita est pictæ Philomela carinæ;
Admotumque fretum remis, tellusque repulsa;
Vicimus, exclamat: mecum mea vota feruntur:
Exsultatque animo, vix et sua gaudia differt 514
Barbarus: et nusquam lumen detorquet ab illa.
Non aliter, quam cum pedibus prædator obuncis
Deposuit nido leporem Jovis ales in alto.
Nulla fuga est capto: spectat sua præmia raptor.
Jamque iter effectum; jamque in sua littora fessis 519
Puppibus exierant: cum rex Pandione natam
In stabula alta trahit, sylvis obscura vetustis,
Atque ibi pallentem, trepidamque, et cuncta timentem,
Et jam cum lacrymis, ubi sit germana, rogantem,
Includit: fassusque nefas, et virginem, et unam
Vi superat; frustra clamato sæpe parente, 525
Sæpe sorore sua, magnis super omnia divis.
Illa tremit, velut agna pavens, quæ saucia cani
Ore excussa lupi, nondum sibi tuta videtur:
Utque columba, suo madefactis sanguine plumis,
Horret adhuc, avidosque timet, quibus hæserat, ungues. 530
Mox ubi mens rediit; passos laniata capillos,
[Lugenti similis, cæsis plangore lacertis,]
Intendens palmas, Pro diris, barbare, factis,
Pro crudelis! ait: nec te mandata parentis
Cum lacrymis movere piis, nec cura sororis, 535
Nec mea virginitas, nec conjugalia jura?
Omnia turbasti: pellex ego facta sorori:
Tu geminus conjux; non hæc mihi debita pœna.
Quin animam hanc, ne quod facinus tibi, perfide, restet,
Eripis? atque utinam fecisses ante nefandos 540
Concubitus! vacuas habuissem criminis umbras.
Si tamen hæc superi cernunt; si numina divum
Sunt aliquid; si non perierunt omnia mecum;
Quandocunque mihi pœnas dabis. Ipsa, pudore
Projecto, tua facta loquar. Si copia detur, 545
In populos veniam: si sylvis clausa tenebor,
Implebo sylvas, et conscia saxa movebo.
Audiat hæc æther, et si deus ullus in illo est.
Talibus ira feri postquam commota tyranni;
Nec minor hac metus est: causa stimulatus utraque, 550
Quo fuit accinctus, vagina liberat ensem;
Arreptamque coma, flexis post terga lacertis,
Vincla pati cogit. Jugulum Philomela parabat,
Spemque suæ mortis viso conceperat ense. 554
Ille indignanti, et nomen patris usque vocanti,
Luctantique loqui, compressam forcipe linguam
Abstulit ense fero: radix micat ultima linguæ.
Ipsa jacet, terræque tremens immurmurat atræ.
Utque salire solet mutilatæ cauda colubræ,
Palpitat; et moriens dominæ vestigia quærit.
Hoc quoque post facinus (vix ausim credere) fertur 561
Sæpe sua lacerum repetisse libidine corpus.
Sustinet ad Procnen post talia facta reverti.
Conjuge quæ viso germanam quærit: at ille
Dat gemitus fictos, commentaque funera narrat.
Et lacrymæ fecere fidem. Velamina Procne 566
Deripit ex humeris auro fulgentia lato:
Induiturque atras vestes: et inane sepulcrum
Constituit, falsisque piacula manibus infert;
Et luget non sic lugendæ fata sororis. 570
Signa deus bis sex acto lustraverat anno.
Quid faciat Philomela? fugam custodia claudit:
Structa rigent solido stabulorum mœnia saxo:
Os mutum facti caret indice. Grande dolori
Ingenium est, miserisque venit solertia rebus.
Stamina barbarica suspendit callida tela: 576
Purpureasque notas filis intexuit albis,
Indicium sceleris: perfectaque tradidit uni:
Utque ferat dominæ gestu rogat. Ille rogata
Pertulit ad Procnen: nec scit quid tradat in illis.
Evoluit vestes sævi matrona tyranni, 581
Germanæque suæ carmen miserabile legit:
Et (mirum potuisse) silet. Dolor ora repressit,
Verbaque quærenti satis indignantia linguæ
Defuerunt: nec flere vacat; sed fasque nefasque
Confusura ruit, pœnæque in imagine tota est.
Tempus erat, quo sacra solent Trieterica Bacchi
Sithoniæ celebrare nurus: nox conscia sacris.
Nocte sonat Rhodope tinnitibus æris acuti:
Nocte sua est egressa domo regina, deique 590
Ritibus instruitur, furialiaque accipit arma.
Vite caput tegitur: lateri cervina sinistro
Vellera dependent: humero levis incubat hasta.
Concita per sylvas, turba comitante suarum,
Terribilis Procne, furiisque agitata doloris, 595
Bacche, tuas simulat. Venit ad stabula avia tandem:
Exululatque, Evœque sonat, portasque refringit,
Germanamque rapit: raptæque insignia Bacchi

Induit, et vultus hederarum frondibus abdit:
Attonitamque trahens intra sua limina ducit. 600
Ut sentit tetigisse domum Philomela nefandam,
Horruit infelix: totoque expalluit ore.
Nacta locum Procne, sacrorum pignora demit,
Oraque develat miseræ pudibunda sorori;
Amplexuque petit. Sed non attollere contra 605
Sustinet hæc oculos, pellex sibi visa sororis:
Dejectoque in humum vultu, jurare volenti,
Testarique deos, per vim sibi dedecus illud
Illatum, pro voce manus fuit. Ardet, et iram
Non capit ipsa suam Procne: fletumque sororis
Corripiens, Non est lacrymis hic, inquit, agendum, 611
Sed ferro; sed si quid habes, quod vincere ferrum
Possit; in omne nefas ego me, germana, paravi.
Aut ego, cum facibus regalia tecta cremaro,
Artificem mediis immittam Terea flammis: 615
Aut linguam, aut oculos, aut quæ tibi membra pudorem
Abstulerunt, ferro rapiam: aut per vulnera mille
Sontem animam expellam. Magnum quodcunque paravi;
Quid sit, adhuc dubito. Peragit dum talia Procne,
Ad matrem veniebat Itys. Quid possit, ab illo
Admonita est: oculisque tuens immitibus, Ah quam 621
Es similis patri! dixit. Nec plura locuta,
Triste parat facinus; tacitaque exæstuat ira.
Ut tamen accessit natus, matrique salutem
Attulit, et parvis adduxit colla lacertis, 625
Mixtaque blanditiis puerilibus oscula junxit;
Mota quidem est genitrix, infractaque constitit ira,
Invitique oculi lacrymis maduere coactis.
Sed simul ex nimia matrem pietate labare
Sensit, ab hoc iterum est ad vultus versa sororis;
Inque vicem spectans ambos, Cur admovet, inquit, 631
Alter blanditias; rapta silet altera lingua?
Quam vocat hic matrem, cur non vocat illa sororem?
Cui sis nupta vide, Pandione nata, marito. 634
Degeneras: scelus est pietas in conjuge Tereo.
Nec mora; traxit Ityn: veluti Gangetica cervæ
Lactentem fœtum per sylvas tigris opacas.
Utque domus altæ partem tenueque remotam;
Tendentemque manus, et jam sua fata videntem,
Et, Mater, mater, clamantem, et colla petentem
Ense ferit Procne, lateri qua pectus adhæret.
Nec vultum avertit. Satis illi ad fata vel unum
Vulnus erat: jugulum ferro Philomela resolvit.
Vivaque adhuc, animæque aliquid retinentia membra
Dilaniant. Pars inde cavis exsultat aenis: 645
Pars verubus stridet: manant penetralia tabo.
His adhibet conjux ignarum Terea mensis:
Et patrii moris sacrum mentita, quod uni
Fas sit adire viro, comites famulosque removit.
Ipse sedens solio Tereus sublimis avito 650
Vescitur: inque suam sua viscera congerit alvum.
Tantaque nox animi est, Ityn huc arcessite, dixit.
Dissimulare nequit crudelia gaudia Procne:
Jamque suæ cupiens exsistere nuntia cladis,
Intus habes, quod poscis, ait. Circumspicit ille,
Atque ubi sit, quærit. Quærenti, iterumque vocanti, 656
Sicut erat, sparsis furiali cæde capillis,
Prosiliit, Ityosque caput Philomela cruentum
Misit in ora patri: nec tempore maluit ullo
Posse loqui, et meritis testari gaudia dictis. 660
Thracius ingenti mensas clamore repellit,
Vipereasque ciet Stygia de valle sorores:
Et modo, si possit, reserato pectore diras
Egerere inde dapes, demersaque viscera gestit:
Flet modo, seque vocat bustum miserabile nati:
Nunc sequitur nudo genitas Pandione ferro. 666
Corpora Cecropidum pennis pendere putares;
Pendebant pennis. Quarum petit altera sylvas,
Altera tecta subit. Neque adhuc de pectore cædis
Excessere notæ, signataque sanguine pluma est.
Ille dolore suo, pœnæque cupidine velox, 671
Vertitur in volucrem; cui stant in vertice cristæ:
Prominet immodicum pro longa cuspide rostrum.
Nomen Epops volucri: facies armata videtur.
Hoc dolor ante diem longæque extrema senectæ 675
Tempora, Tartareas Pandiona misit ad umbras.
Sceptra loci, rerumque capit moderamen Erechtheus;
Justitia dubium, validisne potentior armis.
Quatuor ille quidem juvenes, totidemque crearat
Fœmineæ sortis: sed erat par forma duarum. 680
E quibus Æolides Cephalus te conjuge felix,
Procri, fuit: Boreæ Tereus Thracesque nocebant:
Dilectaque diu caruit deus Orithyia,
Dum rogat, et precibus mavult, quam viribus, uti.
Ast ubi blanditiis agitur nihil; horridus ira, 685
Quæ solita est illi, nimiumque domestica, vento;
Et merito, dixit: quid enim mea tela reliqui,
Sævitiam, et vires, iramque, animosque minaces,
Admovique preces, quarum me dedecet usus?
Apta mihi vis est: vi tristia nubila pello: 690
Vi freta concutio, nodosaque robora verto,
Induroque nives, et terras grandine pulso.
Idem ego, cum fratres cœlo sum nactus aperto,
(Nam mihi campus is est,) tanto molimine luctor,
Ut medius nostris concursibus intonet æther,
Exsiliantque cavis elisi nubibus ignes. 696
Idem ego, cum subii convexa foramina terræ,
Supposuique ferox imis mea terga cavernis,
Sollicito manes, totumque tremoribus orbem.
Hac ope debueram thalamos petiisse: socerque
Non orandus erat, sed vi faciendus, Erechtheus. 701
Hæc Boreas, aut his non inferiora locutus,
Excussit pennas. Quarum jactatibus omnis
Afflata est tellus, latumque perhorruit æquor
Pulvereamque trahens per summa cacumina pallam, 705
Verrit humum: pavidamque metu caligine tectus
Orithyian amans fulvis amplectitur alis.
Dum volat, arserunt agitati fortius ignes.
Nec prius aerii cursus suppressit habenas,
Quam Ciconum tenuit populos, sua mœnia, raptor. 710
Illic et gelidi conjux Actæa tyranni,
Et genitrix facta est, partus enixa gemellos,
Cætera qui matris, pennas genitoris haberent.
Non tamen has una memorant cum corpore natas:
Barbaque dum rutilis ab erat submissa capillis,
Implumes Calaisque puer Zetesque fuerunt. 716
Mox pariter ritu pennæ cœpere volucrum
Cingere utrumque latus, pariter flavescere malæ.
Ergo, ubi concessit tempus puerile juventæ,
Vellera cum Minyis nitido radiantia villo 720
Per mare non notum prima petiere carina.

LIBER SEPTIMUS.

Jamque fretum Minyæ Pagasæa puppe secabant,
Perpetuaque trahens inopem sub nocte senectam
Phineus visus erat; juvenesque Aquilone creati
Virgineas volucres miseri senis ore fugarant;
Multaque perpessi claro sub Iasone, tandem 5
Contigerant rapidas limosi Phasidos undas.
Dumque adeunt regem, Phryxeaque vellera poscunt,
Lexque datur numeris magnorum horrenda laborum;
Concipit interea validos Æetias ignes:
Et luctata diu, postquam ratione furorem 10
Vincere non poterat; Frustra, Medea, repugnas;
Nescio quis deus obstat, ait: mirumque, nisi hoc est,
Aut aliquid certe simile huic, quod amare vocatur. [tur?
Nam cur jussa patris nimium mihi dura viden-
Sunt quoque dura nimis. Cur, quem modo denique vidi, 15
Ne pereat, timeo? quæ tanti causa timoris?
Excute virgineo conceptas pectore flammas,
Si potes, infelix. Si possem, sanior essem.
Sed trahit invitam nova vis; aliudque Cupido,
Mens aliud suadet. Video meliora, proboque: 20
Deteriora sequor. Quid in hospite regia virgo
Ureris? et thalamos alieni concipis orbis?
Hæc quoque terra potest, quod ames, dare. Vivat, an ille
Occidat, in dis est: vivat tamen; idque precari
Vel sine amore licet. Quid enim commisit Iason? 25
Quam, nisi crudelem, non tanget Iasonis ætas,
Et genus, et virtus? quam non, ut cætera desint,
Forma movere potest? certe mea pectora movit.
At, nisi opem tulero, taurorum afflabitur ore,
Concurretque suæ segeti, tellure creatis 30
Hostibus, aut avido dabitur fera præda draconi.
Hoc ego si patiar, tum me de tigride natam,
Tum ferrum et scopulos gestare in corde fatebor.
Cur non et specto pereuntem? oculosque videndo
Conscelero? cur non tauros exhortor in illum, 35
Terrigenasque feros, insopitumque draconem?
Di meliora velint. Quanquam non ista precanda,
Sed facienda mihi. Prodamne ego regna parentis,
Atque ope nescio quis servabitur advena nostra,
Ut per me sospes, sine me, det lintea ventis, 40
Virque sit alterius; pœnæ Medea relinquar?
Si facere hoc, aliamve potest præponere nobis,
Occidat ingratus. Sed non is vultus in illo,
Non ea nobilitas animo est, ea gratia formæ,
Ut timeam fraudem, meritique oblivia nostri. 45
Et dabit ante fidem, cogamque in fœdera testes
Esse deos. Quid tuta times? accingere, et omnem
Pelle moram. Tibi se semper debebit Iason,
Te face solenni junget sibi: perque Pelasgas
Servatrix urbes matrum celebrabere turba. 50
Ergo ego germanam, fratremque, patremque, deosque,
Et natale solum ventis ablata relinquam?
Nempe pater sævus, nempe est mea barbara tellus,
Frater adhuc infans: stant mecum vota sororis
Maximus intra me deus est. Non magna relinquam; 55
Magna sequar: titulum servatæ pubis Achivæ,
Notitiamque loci melioris, et oppida, quorum
Hic quoque fama viget, cultusque, artesque virorum:
Quemque ego cum rebus, quas totus possidet orbis,
Æsoniden mutasse velim: quo conjuge felix 60
Et dis cara ferar, et vertice sidera tangam.
Quid, quod nescio qui mediis concurrere in undis
Dicuntur montes, ratibusque inimica Charybdis
Nunc sorbere fretum, nunc reddere; cinctaque sævis
Scylla rapax canibus Siculo latrare profundo? 65
Nempe tenens, quod amo, gremioque in Iasonis hærens
Per freta longa trahar. Nihil illum amplexa verebor:
Aut si quid metuam, metuam de conjuge solo.
Conjugiumne putas, speciosaque nomina culpæ
Imponis, Medea, tuæ? quin adspice, quantum 70
Aggrediare nefas, et, dum licet, effuge crimen.
Dixit: et ante oculos rectum, pietasque, pudorque
Constiterant, et victa dabat jam terga Cupido.
Ibat ad antiquas Hecates Perseidos aras,
Quas nemus umbrosum, secretaque sylva tegebant. 75
Et jam fortis erat, pulsusque residerat ardor,
Cum videt Æsoniden: exstinctaque flamma revixit;
Et rubuere genæ, totoque recanduit ore.
Ut solet a ventis alimenta assumere, quæque
Parva sub inducta latuit scintilla favilla, 80
Crescere, et in veteres agitata resurgere vires:
Sic jam lentus amor, jam quem languere putares,
Ut vidit juvenem, specie præsentis inarsit.
Et casu solito formosior Æsone natus
Illa luce fuit. Posses ignoscere amanti. 85
Spectat; et in vultu, veluti tum denique viso,
Lumina fixa tenet: nec se mortalia demens
Ora videre putat: nec se declinat ab illo.
Ut vero cœpitque loqui, dextramque prehendit
Hospes, et auxilium submissa voce rogavit, 90
Promisitque torum; lacrymis ait illa profusis:
Quid faciam video: nec me ignorantia veri
Decipiet, sed amor. Servabere munere nostro;
Servatus promissa dato. Per sacra triformis
Ille deæ, lucoque foret quod numen in illo, 95
Perque patrem soceri, cernentem cuncta, futuri,
Eventusque suos, et tanta pericula jurat.
Creditus, accepit cantatas protinus herbas,
Edidicitque usum; lætusque in castra recessit.
Postera depulerat stellas Aurora micantes:
Conveniunt populi sacrum Mavortis in arvum,
Consistuntque jugis. Medio rex ipse resedit
Agmine purpureus, sceptroque insignis eburno.
Ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant
Æripedes tauri: tactæque vaporibus herbæ 105
Ardent. Utque solent pleni resonare camini,
Aut ubi terrena silices fornace soluti
Concipiunt ignem liquidarum adspergine aquarum;
Pectora sic intus clausas volventia flammas,
Gutturaque usta sonant. Tamen illis Æsone natus 110

Obvius it. Vertere truces venientis ad ora
Terribiles vultus, præfixaque cornua ferro;
Pulvereumque solum pede pulsavere bisulco;
Fumificisque locum mugitibus implevere.
Diriguere metu Minyæ. Subit ille; nec ignes 115
Sentit anhelatos: tantum medicamina possunt:
Pendulaque audaci mulcet palearia dextra;
Suppositoque jugo pondus grave cogit aratri
Ducere, et insuetum ferro proscindere campum.
Mirantur Colchi: Minyæ clamoribus implent, 120
Adjiciuntque animos. Galea tum sumit aena
Vipereos dentes, et aratos spargit in agros.
Semina mollit humus valido prætincta veneno:
Et crescunt, fiuntque sati nova corpora dentes.
Utque hominis speciem materna sumit in alvo,
Perque suos intus numeros componitur infans,
Nec nisi maturus communes exit in auras;
Sic ubi visceribus gravidæ telluris imago
Effecta est hominis, feto consurgit in arvo:
Quodque magis mirum, simul edita concutit arma. 130
Quos ubi viderunt præacutæ cuspidis hastas
In caput Hæmonii juvenis torquere paratos;
Demisere metu vultumque animumque Pelasgi.
Ipsa quoque extimuit, quæ tutum fecerat illum:
Utque peti juvenem tot vidit ab hostibus unum,
Palluit, et subito sine sanguine frigida sedit. 136
Neve parum valeant a se data gramina, carmen
Auxiliare canit, secretasque advocat artes.
Ille gravem medios silicem jaculatus in hostes,
A se depulsum Martem convertit in ipsos. 140
Terrigenæ pereunt per mutua vulnera fratres,
Civilique cadunt acie. Gratantur Achivi,
Victoremque tenent, avidisque amplexibus hærent.
Tu quoque victorem complecti, barbara, velles;
Obstitit incepto pudor: et complexa fuisses: 145
Sed te, ne faceres, tenuit reverentia famæ.
Quod licet, affectu tacito lætaris, agisque
Carminibus grates, et dis auctoribus horum.
Pervigilem superest herbis sopire draconem:
Qui crista linguisque tribus præsignis, et uncis
Dentibus horrendus, custos erat arietis aurei.
Hunc postquam sparsit Lethæi gramine succi,
Verbaque ter dixit placidos facientia somnos,
Quæ mare turbatum, quæ concita flumina sistant;
Somnos in ignotos oculos advenit: et auro 155
Heros Æsonius potitur: spolioque superbus,
Muneris auctorem secum, spolia altera, portans,
Victor Iolciacos tetigit cum conjuge portus.
Hæmoniæ matres pro natis dona receptis,
Grandævique ferunt patres: congestaque flamma
Thura liquefiunt, inductaque cornibus aurum 161
Victima vota cadit. Sed abest gratantibus Æson,
Jam propior leto, fessusque senilibus annis.
Tum sic Æsonides: O, cui debere salutem
Confiteor, conjux, quanquam mihi cuncta dedisti, 165
Excessitque fidem meritorum summa tuorum;
Si tamen hoc possunt, (quid enim non carmina possint?)
Deme meis annis, et demtos adde parenti.
Nec tenuit lacrymas. Mota est pietate rogantis:
Dissimilemque animum subiit Æeta relictus. 170
Non tamen affectus tales confessa, Quod, inquit,
Excidit ore pio, conjux, scelus? ergo ego cuiquam
Posse tuæ videar spatium transcribere vitæ?
Nec sinat hoc Hecate, nec tu petis æqua: sed isto,
Quod petis, experiar majus dare munus, Iason.
Arte mea soceri longum tentabimus ævum, 176
Non annis revocare tuis. Modo diva triformis
Adjuvet, et præsens ingentibus annuat ausis.
Tres aberant noctes, ut cornua tota coirent,
Efficerentque orbem. Postquam plenissima fulsit,
Ac solida terras spectavit imagine Luna: 181
Egreditur tectis, vestes induta recinctas,
Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos:
Fertque vagos mediæ per muta silentia noctis
Incomitata gradus. Homines, volucresque, ferasque 185
Solverat alta quies: nullo cum murmure sepes,
Immotæque silent frondes; silet humidus aer.
Sidera sola micant: ad quæ sua brachia tendens
Ter se convertit; ter sumtis flumine crinem
Irroravit aquis; ternis ululatibus ora 190
Solvit: et in dura submisso poplite terra,
Nox, ait, arcanis fidissima, quæque diurnis
Aurea cum Luna succeditis ignibus astra,
Tuque, triceps Hecate, quæ cœptis conscia nostris
Adjutrixque venis, cantusque, artesque magarum, 195
Quæque magas, Tellus, pollentibus instruis herbis;
Auræque, et venti, montesque, amnesque, lacusque, [adeste:
Dique omnes nemorum, dique omnes noctis,
Quorum ope, cum volui, ripis mirantibus amnes
In fontes rediere suos: concussaque sisto, 200
Stantia concutio cantu freta: nubila pello:
Nubilaque induco: ventos abigoque, vocoque:
Vipereas rumpo verbis et carmine fauces:
Vivaque saxa, sua convulsaque robora terra,
Et sylvas moveo: jubeoque tremiscere montes,
Et mugire solum, manesque exire sepulcris. 206
Te quoque Luna, traho, quamvis Temesæa labores
Æra tuos minuant: currus quoque carmine nostro
Pallet avi; pallet nostris Aurora venenis.
Vos mihi taurorum flammas hebetastis, et unco
Haud patiens oneris collum pressistis aratro. 211
Vos serpentigenis in se fera bella dedistis:
Custodemque rudem somni sopistis: et aurum,
Vindice decepto, Graias misistis in urbes.
Nunc opus, est succis per quos renovata senectus 215
In florem redeat, primosque recolligat annos.
Et dabitis: neque enim micuerunt sidera frustra;
Nec frustra volucrum tractus cervice draconum
Currus adest. Aderat demissus ab æthere currus.
Quo simul adscendit, frenataque colla draconum 220
Permulsit, manibusque leves agitavit habenas;
Sublimis rapitur, subjectaque Thessala Tempe
Despicit, et certis regionibus applicat angues:
Et quas Ossa tulit, quas altus Pelion herbas,
Othrysque, Pindusque, et Pindo major Olympus,
Perspicit: et placita partim radice revellit, 226
Partim succidit curvamine falcis aenæ.
Multa quoque Apidani placuerunt gramina ripis,
Multa quoque Amphrysi: neque eras immunis, Enipeu:
Nec non Peneæ, nec non Spercheides undæ 230
Contribuere aliquid, juncosaque littora Bœbes:
Carpit et Euboica vivax Anthedone gramen,
Nondum mutato vulgatum corpore Glauci.
Et jam nona dies curru pennisque draconum,
Nonaque nox, omnes lustrantem viderat agros;

Cum rediit: neque erant tacti, nisi odore, dracones; 236
Et tamen annosæ pellem posuere senectæ.
Constitit adveniens citra limenque, foresque;
Et tantum cœlo tegitur: refugitque viriles
Contactus; statuitque aras e cespite binas, 240
Dexteriore Hecates, at læva parte Juventæ.
Quas ubi verbenis, sylvaque incinxit agresti,
Haud procul egesta scrobibus tellure duabus
Sacra facit, cultrosque in guttura velleris atri
Conjicit, et patulas perfundit sanguine fossas. 245
Tum super invergens liquidi carchesia Bacchi,
Æneaque invergens tepidi carchesia lactis,
Verba simul fundit, terrenaque numina poscit:
Umbrarumque rogat rapta cum conjuge regem,
Ne properent artus anima fraudare seniles. 250
Quos ubi placavit precibusque, et murmure longo,
Æsonis effetum proferri corpus ad aras
Jussit: et in plenos resolutum carmine somnos,
Exanimi similem, stratis porrexit in herbis.
Hinc procul Æsoniden, procul hinc jubet ire ministros, 255
Et monet arcanis oculos removere profanos.
Diffugiunt jussi. Sparsis Medea capillis,
Bacchantum ritu, flagrantes circuit aras;
Multifidasque faces in fossa sanguinis atra
Tingit, et intinctas geminis accendit in aris; 260
Terque senem flamma, ter aqua, ter sulfure lustrat.
Interea validum posito medicamen aeno
Fervet, et exsultat, spumisque tumentibus albet.
Illic Hæmonia radices valle resectas,
Seminaque, floresque, et succos incoquit acres.
Adjicit extremo lapides Oriente petitos, 266
Et, quas Oceani refluum mare lavit, arenas.
Addit et exceptas luna pernocte pruinas,
Et strigis infames, ipsis cum carnibus, alas,
Inque virum soliti vultus mature ferinos 270
Ambigui prosecta lupi. Nec defuit illic
Squamea Cinyphii tenuis membrana chelydri,
Vivacisque jecur cervi; quibus insuper addit
Ora caputque novem cornicis sæcula passæ.
His et mille aliis postquam sine nomine rebus
Propositum instruxit mortali barbara munus; 276
Arenti ramo jampridem mitis olivæ
Omnia confudit, summisque immiscuit ima.
Ecce vetus calido versatus stipes aeno
Fit viridis primo: nec longo tempore frondem
Induit, et subito gravidis oneratur olivis. 281
At quacunque cavo spumas ejecit aeno
Ignis, et in terram guttæ cecidere calentes,
Vernat humus, floresque et mollia pabula surgunt.
Quod simul ac vidit; stricto Medea recludit 285
Ense senis jugulum: veteremque exire cruorem
Passa, replet succis. Quos postquam combibit Æson
Aut ore acceptos, aut vulnere; barba comæque
Canitie posita nigrum rapuere colorem.
Pulsa fugit macies; abeunt pallorque situsque;
Adjectoque cavæ supplentur sanguine venæ; 291
Membraque luxuriant. Æson miratur, et olim
Ante quater denos hunc se reminiscitur annos.
Viderat ex alto tanti miracula monstri
Liber: et admonitus juvenes nutricibus annos
Posse suis reddi, petit hoc Æetida munus. 296
Neve doli cessent; odium cum conjuge falsum
Phasias assimulat, Peliæque ad limina supplex
Confugit; atque illam, quoniam gravis ipse senecta,
Excipiunt natæ: quas tempore callida parvo 300
Colchis amicitiæ mendacis imagine cepit.
Dumque refert, inter meritorum maxima, demtos
Æsonis esse situs; atque hac in parte moratur;
Spes est virginibus Pelia subjecta creatis,
Arte suum parili revirescere posse parentem. 305
Jamque petunt, pretiumque jubent sine fine pacisci.
Illa brevi spatio silet, et dubitare videtur:
Suspenditque animos ficta gravitate rogantes.
Mox ubi pollicita est, Quo sit fiducia major
Muneris hujus, ait, qui vestras maximus ævo est
Dux gregis inter oves, agnus medicamine fiet.
Protinus innumeris effetus laniger annis 312
Attrahitur, flexo circum cava tempora cornu:
Cujus ut Hæmonio marcentia guttura cultro
Fodit, et exiguo maculavit sanguine ferrum; 315
Membra simul pecudis, validosque venefica succos
Mergit in ære cavo. Minuuntur corporis artus,
Cornuaque exuitur, nec non cum cornibus annos:
Et tener auditur medio balatus aeno.
Nec mora; balatum mirantibus, exsilit agnus:
Lascivitque fuga, lactantiaque ubera quærit. 321
Obstupuere satæ Pelia: promissaque postquam
Exhibuere fidem, tum vero impensius instant.
Ter juga Phœbus equis in Ibero gurgite mersis
Demserat, et quarta radiantia nocte micabant
Sidera; cum rapido fallax Æetias igni 326
Imponit purum laticem, et sine viribus herbas.
Jamque neci similis resoluto corpore regem,
Et cum rege suo custodes somnus habebat,
Quem dederant cantus, magicæque potentia linguæ. 330
Intrarant jussæ cum Colchide limina natæ.
Ambierantque totum: Quid nunc dubitatis inertes?
Stringite, ait, gladios, veteremque haurite crorem,
Ut repleam vacuas juvenili sanguine venas.
In manibus vestris vita est, ætasque parentis.
Si pietas ulla est, nec spes agitastis inanes, 336
Officium præstate patri, telisque senectam
Exigite, et saniem conjecto emittite ferro.
His, ut quæque pia est, hortatibus impia prima est:
Et ne sit scelerata, facit scelus. Haud tamen ictus 340
Ulla suos spectare potest, oculosque reflectunt,
Cæcaque dant sævis aversæ vulnera dextris.
Ille, cruore fluens, cubito tamen allevat artus,
Semilacerque toro tentat consurgere; et inter
Tot medius gladios pallentia brachia tendens;
Quid facitis, natæ? quid vos in fata parentis 346
Armat, ait? Cecidere illis animique manusque.
Plura locuturo cum verbis guttura Colchis
Abstulit, et calidis laniatum mersit aenis.
Quod nisi pennatis serpentibus isset in auras,
Non exemta foret pœnæ. Fugit alta superque 351
Pelion umbrosum, Philyreia tecta, superque
Othryn, et eventu veteris loca nota Cerambi.
Hic ope Nympharum sublatus in aera pennis,
Cum gravis infuso tellus foret obruta ponto, 355
Deucalioneas effugit inobrutus undas.
Æoliam Pitanen a læva parte relinquit.
Factaque de saxo longi simulacra draconis:
Idæumque nemus, quo, nati furta, juvencum
Occuluit Liber falsi sub imagine cervi: 360

Quaque pater Corythi parva tumulatus arena:
Et quos Mæra novo latratu terruit agros:
Eurypylique urbem, qua Coæ cornua matres
Gesserunt, tum cum discederet Herculis agmen:
Phœbeamque Rhodon, et Ialysios Telchinas, 365
Quorum oculos ipso vitiantes omnia visu
Jupiter exosus, fraternis subdidit undis.
Transit et antiquæ Cartheia mœnia Ceæ,
Qua pater Alcidamas placidam de corpore natæ
Miraturus erat nasci potuisse columbam. 370
Inde lacus Hyries videt, et Cycneia Tempe,
Quæ subitus celebravit olor. Nam Phyllius illic
Imperio pueri volucresque ferumque leonem
Tradiderat domitos: taurum quoque vincere jussus
Vicerat: et, spreto toties iratus amore, 375
Premia poscenti taurum suprema negarat.
Ille indignatus, Cupies dare, dixit: et alto
Desiluit saxo. Cuncti cecidisse putabant:
Factus olor niveis pendebat in aere pennis.
At genitrix Hyrie, servati nescia, flendo 380
Delicuit, stagnumque suo de nomine fecit.
Adjacet his Pleuron, in qua trepidantibus alis
Ophias effugit natorum vulnera Combe.
Inde Calaureæ Letoidos adspicit arva,
In volucrem versi cum conjuge conscia regis. 385
Dextera Cyllene est, in qua cum matre Menephron
Concubiturus erat, sævarum more ferarum.
Cephison procul hinc deflentem fata nepotis
Respicit in tumidam Phocen ab Apolline versi:
Eumelique domum lugentis in aere natam. 390
Tandem vipereis Ephyren Pirenida pennis
Contigit. Hic ævo veteres mortalia primo
Corpora vulgarunt pluvialibus edita fungis.
Sed postquam Cochis arsit nova nupta venenis,
Flagrantemque domum regis mare vidit utrumque; 395
[Sanguine natorum perfunditur impius ensis:
Ultaque se male mater, Iasonis effugit arma.]
Hinc Titaniacis ablata draconibus, intrat
Palladias arces: quæ te, justissima Phini,
Teque, senex Peripha, pariter videre volantes,
Innixamque novis neptem Polypemonis alis. 401
Excipit hanc Ægeus, facto damnandus in uno:
Nec satis hospitium est: thalami quoque fœdere jungit.
Jamque aderat Theseus, proles ignara parenti,
Qui virtute sua bimarem pacaverat Isthmon. 405
Hujus in exitium miscet Medea, quod olim
Attulerat secum Scythicis aconiton ab oris.
Illud Echidneæ memorant e dentibus ortum
Esse cavis. Specus est tenebroso cæcus hiatu:
Est via declivis, per quam Tirynthius heros 410
Restantem, contraque diem, radiosque micantes
Obliquantem oculos, nexis adamante catenis
Cerberon abstraxit: rabida qui concitus ira
Implevit pariter ternis latratibus auras,
Et sparsit virides spumis albentibus agros. 415
Has concresse putant, nactasque alimenta feracis
Fecundique soli, vires cepisse nocendi.
Quæ, quia nascuntur dura vivacia caute,
Agrestes aconita vocant. Ea conjugis astu
Ipse parens Ægeus nato porrexit ut hosti. 420
Sumserat ignara Theseus data pocula dextra;
Cum pater in capulo gladii cognovit eburno
Signa sui generis, facinusque excussit ab ore.
Effugit illa necem nebulis per carmina motis.
At genitor, quanquam lætatur sospite nato,
Attonitus tantum, leti discrimine parvo, 426
Committi potuisse nefas, fovet ignibus aras,
Muneribusque deos implet: feriuntque secures
Colla torosa boum, vinctorum cornua vittis.
Nullus Erechthidis fertur celebratior illo 430
Illuxisse dies. Agitant convivia patres,
Et medium vulgus: nec non et carmina, vino
Ingenium faciente, canunt. Te, maxime Theseu,
Mirata est Marathon Cretæi sanguine tauri:
Quodque suis securus arat Cromyona colonus,
Munus opusque tuum est. Tellus Epidauria par te 435
Clavigeram vidit Vulcani occumbere prolem:
Vidit et immitem Cephisias ora Procrusten:
Cercyonis letum vidit Cerealis Eleusin.
Occidit ille Sinis, magnis male viribus usus, 440
Qui poterat curvare trabes, et agebat ab alto
Ad terram late sparsuras corpora pinus.
Tutus ad Alcathoen, Lelegeia mœnia, limes
Composito Scirone patet: sparsique latronis
Terra negat sedem, sedem negat ossibus unda:
Quæ jactata diu fertur durasse vetustas 446
In scopulos: scopulis nomen Scironis inhæret.
Si titulos, annosque tuos numerare velimus;
Facta premant annos. Pro te, fortissime, vota
Publica suscipimus: Bacchi tibi sumimus haustus. 450
Consonat assensu populi, precibusque faventum
Regia: nec tota tristis locus ullus in urbe est.
Nec tamen (usque adeo nulli sincera voluptas,
Sollicitique aliquid lætis intervenit) Ægeus
Gaudia percepit nato secura recepto. 455
Bella parat Minos: qui quanquam milite, quanquam
Classe valet, patria tamen est firmissimus ira:
Androgeique necem justis ulciscitur armis.
Ante tamen bello vires acquirit amicas,
Quaque potens habitus, volucri freta classe pererrat. 460
Hinc Anaphen sibi jungit, et Astypaleia regna;
Promisis Anaphen, regna Astypaleia bello:
Hinc humilem Myconon, cretosaque rura Cimoli,
Florentemque Cythnon, Scyron, planamque Seriphon,
Marmoreamque Paron, quamque impia prodidit Arne 465
Sithonis accepto, quod avara poposcerat, auro.
Mutata est in avem, quæ nunc quoque diligit aurum;
Nigra pedem, nigris velata monedula pennis.
At non Olearos, Didymæque, et Tenos, et Andros,
Et Gyaros, nitidæque ferax Peparethos olivæ,
Gnossiacas juvere rates: latere inde sinistro 471
Œnopiam Minos petit, Æacideia regna.
Œnopiam veteres appellavere: sed ipse
Æacus Æginam genetricis nomine dixit.
Turba ruit, tantæque virum cognoscere famæ 475
Expetit. Occurrunt illi Telamonque, minorque
Quam Telamon Peleus, et proles tertia Phocus.
Ipse quoque egreditur, tardus gravitate senili,
Æacus, et quæ sit veniendi causa requirit.
Admonitus patrii luctus suspirat, et illi 480
Dicta refert rector populorum talia centum:
Arma juves oro pro nato sumta, piæque
Pars sis militiæ: tumulo solatia posco.
Huic Asopiades, Petis irrita, dixit, et urbi
Haud facienda meæ: neque enim conjunctior ulla 485
Cecropidis hac est tellus: ea fœdera nobis.

Tristis abit, Stabuntque tibi tua fœdera magno,
Dixit: et utilius bellum putat esse minari,
Quam gerere, atque suas ibi præconsumere vires.
Classis ab Œnopiis etiamnum Lyctia muris 490
Spectari poterat, cum pleno concita velo
Attica puppis adest, in portusque intrat amicos:
Quæ Cephalum, patriæque simul mandata ferebat.
Æacidæ longo juvenes post tempore visum 494
Agnovere tamen Cephalum, dextrasque dedere:
Inque patris duxere domum. Spectabilis heros,
Et veteris retinens etiamnum pignora formæ,
Ingreditur: remumque tenens popularis olivæ,
A dextra lævaque duos ætate minores
Major habet, Clyton et Buten Pallante creatos. 500
Postquam congressus primi sua verba tulerunt;
Cecropidum Cephalus peragit mandata, rogatque
Auxilium; fœdusque refert, et jura parentum:
Imperiumque peti totius Achaidos addit.
Sic ubi mandatam juvit facundia causam; 505
Æacus in capulo sceptri nitente sinistra,
Ne petite auxilium, sed sumite, dixit, Athenæ.
Nec dubie vires, quas hæc habet insula, vestras
Ducite, et omnis eat rerum status iste mearum.
Robora non desunt: superat mihi miles, et hosti.
Gratia dis; felix et inexcusabile tempus. 511
Immo ita sit, Cephalus, crescat tua civibus opto
Res, ait. Adveniens equidem modo gaudia cepi,
Cum tam pulchra mihi, tam par ætate juventus
Obvia processit. Multos tamen inde requiro, 515
Quos quondam vidi vestra prius urbe receptus.
Æacus ingemuit; tristique ita voce locutus:
Flebile principium melior fortuna secuta est.
Hanc utinam possem vobis memorare sine illo!
Ordine nunc repetam: neu longa ambage morer vos: 520
Ossa cinisque jacent, memori quos mente requiris.
Et quota pars illi rerum periere mearum!
Dira lues ira populis Junonis iniquæ
Incidit, exosæ dictas a pellice terras.
Dum visum mortale malum, tantæque latebat
Causa nocens cladis; pugnatum est arte medendi. 526
Exitium superabat opem, quæ victa jacebat.
Principio cœlum spissa caligine terras
Pressit, et ignavos inclusit nubibus æstus.
Dumque quater junctis implevit cornibus orbem
Luna, quater plenum tenuata retexuit orbem, 531
Letiferis calidi spirarunt flatibus Austri.
Constat et in fontes vitium venisse lacusque;
Milliaque incultos serpentum multa per agros
Errasse, atque suis fluvios temerasse venenis.
Strage canum prima, volucrumque, oviumque, boumque, 536
Inque feris subiti deprensa potentia morbi.
Concidere infelix validos miratur arator
Inter opus tauros, medioque recumbere sulco.
Lanigeris gregibus, balatus dantibus ægros, 540
Sponte sua lanæque cadunt, et corpora tabent.
Acer equus quondam, magnæque in pulvere famæ,
Degenerat palmas, veterumque oblitus honorum,
Ad præsepe gemit, morbo moriturus inerti.
Non aper irasci meminit, non fidere cursu 545
Cerva, nec armentis incurrere fortibus ursi.
Omnia languor habet: sylvisque, agrisque, viisque
Corpora fœda jacent: vitiantur odoribus auræ.
Mira loquor: non illa canes, avidæque volucres,
Non cani tetigere lupi: dilapsa liquescunt, 550
Afflatuque nocent, et agunt contagia late.
Pervenit ad miseros damno graviore colonos
Pestis, et in magnæ dominatur mœnibus urbis.
Viscera torrentur primo: flammæque latentis
Indicium rubor est, et ductus anhelitus ægre.
Aspera lingua tumet: tepidisque arentia ventis
Ora patent: auræque graves captantur hiatu.
Non stratum, non ulla pati velamina possunt:
Dura sed in terra ponunt præcordia: nec fit
Corpus humo gelidum, sed humus de corpore fervet. 560
Nec moderator adest: inque ipsos sæva medentes
Erumpit clades: obsuntque auctoribus artes.
Quo propior quisque est, servitque fidelius ægro,
In partem leti citius venit. Utque salutis 564
Spes abiit, finemque vident in funere morbi;
Indulgent animis: et nulla, quid utile, cura est.
Utile enim nihil est. Passim, positoque pudore,
Fontibus, et fluviis, puteisque capacibus hærent:
Nec prius est exstincta sitis, quam vita, bibendo.
Inde graves multi nequeunt consurgere, et ipsis
Immoriuntur aquis: alius tamen haurit et illas.
Tantaque sunt miseris invisi tædia lecti, 572
Prosiliunt: aut, si prohibent consistere vires,
Corpora devolvunt in humum: fugiuntque penates
Quisque suos: sua cuique domus funesta videtur. 575
Et quia causa latet, locus est in crimine. Notis
Semanimes errare viis, dum stare valebant,
Adspiceres; flentes alios, terræque jacentes,
Lassaque versantes supremo lumina motu.
Membraque pendentis tendunt ad sidera cœli,
Hic, illic ubi mors deprenderat, exhalantes. 581
Quid mihi tunc animi fuit? an, quod debuit esse,
Ut vitam odissem, et cuperem pars esse meorum?
Quo se cunque acies oculorum flexerat, illic
Vulgus erat stratum, veluti cum putria motis
Poma cadunt ramis, agitatæque ilice glandes.
Templa vides contra, gradibus sublimia longis:
Jupiter illa tenet. Quis non altaribus illis 588
Irrita thura tulit? quoties pro conjuge conjux,
Pro nato genitor, dum verba precantia dicit,
Non exoratis animam finivit in aris:
Inque manu thuris pars inconsumta reperta est!
Admoti quoties templis, dum vota sacerdos
Concipit, et fundit purum inter cornua vinum,
Haud exspectato ceciderunt vulnere tauri! 595
Ipse ego sacra Jovi pro me, patriaque, tribusque
Cum facerem natis, mugitus victima diros
Edidit, et subito collapsa sine ictibus ullis
Exiguo tinxit subjectos sanguine cultros.
Fibra quoque ægra notas veri, monitusque deorum 600
Prodiderat: tristes penetrant ad viscera morbi.
Ante sacros vidi projecta cadavera postes:
Ante ipsas, quo mors foret invidiosior, aras.
Pars animam laqueo claudunt, mortisque timorem 604
Morte fugant, ultroque vocant venientia fata.
Corpora missa neci nullis de more feruntur
Funeribus: neque enim capiebant funera portæ.
Aut inhumata premunt terras, aut dantur in altos
Indotata rogos. Et jam reverentia nulla est:
Deque rogis pugnant, alienisque ignibus ardent
Qui lacryment, desunt: indefletæque vagantur
Natarum matrumque animæ, juvenumque senumque: 612

Nec locus in tumulos, nec sufficit arbor in ignes.
Attonitus tanto miserarum turbine rerum,
Jupiter o, dixi, si te non falsa loquuntur 615
Dicta sub amplexus Æginæ Asopidos isse,
Nec te, magne pater, nostri pudet esse parentem; [pulcro.
Aut mihi redde meos, aut me quoque conde se-
Ille notam fulgore dedit, tonitruque secundo.
Accipio, Sintque ista precor felicia mentis 620
Signa tuæ, dixi: quod das mihi, pigneror, omen.
Forte fuit juxta patulis rarissima ramis
Sacra Jovi quercus de semine Dodonæo.
Hic nos frugilegas aspeximus agmine longo
Grande onus exiguo formicas ore gerentes, 625
Rugosoque suum servantes cortice callem.
Dum numerum miror, Totidem, pater optime, dixi,
Tu mihi da cives: et inania mœnia supple.
Intremuit, ramisque sonum sine flamine motis
Alta dedit quercus. Pavido mihi membra timore 630
Horruerant, stabantque comæ. Tamen oscula terræ,
Roboribusque dedi: nec me sperare fatebar;
Sperabam tamen; atque animo mea vota fovebam.
Nox subit, et curis exercita corpora somnus
Occupat. Ante oculos eadem mihi quercus adesse, 635
Et ramos totidem, totidemque animalia ramis
Ferre suis visa est: pariterque tremiscere motu:
Graniferumque agmen subjectis spargere in arvis.
Crescere quod subito, et majus majusque videri,
Ac se tollere humo, rectoque adsistere trunco;
Et maciem, numerumque pedum, nigrumque colorem 641
Ponere, et humanam membris inducere formam.
Somnus abit. Damno vigilans mea visa; quererque
In superis opis esse nihil. At in ædibus ingens
Murmur erat: vocesque hominum exaudire videbar 645
Jam mihi desuetas. Dum suspicor has quoque somni, [clusis,
Ecce venit Telamon properus: foribusque re-
Speque fideque, pater, dixit, majora videbis:
Egredere. Egredior: qualesque in imagine somni
Visus eram vidisse viros, ex ordine tales 650
Adspicio, agnoscoque. Adeunt, regemque salutant.
Vota Jovi solvo, populisque recentibus urbem
Partior, et vacuos priscis cultoribus agros;
Myrmidonasque voco: nec origine nomina fraudo.
Corpora vidisti. Mores, quos ante gerebant 655
Nunc quoque habent; parcumque genus, patiensque laborum,
Quæsitique tenax, et qui quæsita reservent.
Hi te ad bella, pares annis animisque, sequentur,
Cum primum, qui te feliciter attulit, Eurus 659
(Eurus enim attulerat) fuerit mutatus in Austros.
Talibus atque aliis longum sermonibus illi
Implevere diem. Lucis pars ultima mensæ
Est data, nox somnis. Jubar aureus extulerat sol: 663
Flabat adhuc Eurus, redituraque vela tenebat.
Ad Cephalum Pallante sati, cui grandior ætas,
Ad regem Cephalus, simul et Pallante creati
Conveniunt. Sed adhuc regem sopor altus habebat. 667
Excipit Æacides illos in limine Phocus:
Nam Telamon fraterque viros ad bella legebant.
Phocus in interius spatium pulchrosque recessus
Cecropidas ducit: cum quis simul ipse resedit.
Adspicit Æoliden ignota ex arbore factum
Ferre manu jaculum, cujus fuit aurea cuspis.
Pauca prius mediis sermonibus ille locutus,
Sum nemorum studiosus, ait, cædisque ferinæ:
Qua tamen e sylva teneas hastile recisum, 676
Jamdudum dubito: certe, si fraxinus esset,
Fulva colore foret: si cornus, nodus inesset.
Unde sit ignoro: sed non formosius isto
Viderunt oculi telum jaculabile nostri. 680
Excipit Actæis e fratribus alter: et, Usum
Majorem specie mirabere, dixit, in isto.
Consequitur, quodcunque petit; fortunaque missum
Non regit: et revolat nullo referente cruentum.
Tum vero juvenis Nereius omnia quærit: 685
Cur sit, et unde datum; quis tanti muneris auctor.
Quæ petit. Ille refert; sed, quæ narrare pudori est,
Qua tulerit mercede, silet: tactusque dolore
Conjugis amissæ, lacrymis ita fatur obortis:
Hoc me, nate dea, (quis possit credere?) telum
Flere facit, facietque diu, si vivere nobis 691
Fata diu dederint. Hoc me cum conjuge cara
Perdidit; hoc utinam caruissem munere semper!
Procris erat, si forte magis pervenit ad aures
Orithyia tuas, raptæ soror Orithyiæ. 695
Si faciem moresque velis conferre duarum,
Dignior ipsa rapi. Pater hanc mihi junxit Erechtheus:
Hanc mihi junxit amor. Felix dicebar, eramque:
Non ita dis visum est; ac nunc quoque forsitan essem.
Alter agebatur post sacra jugalia mensis; 700
Cum me cornigeris tendentem retia cervis
Vertice de summo semper florentis Hymetti
Lutea mane videt pulsis Aurora tenebris,
Invitumque rapit. Liceat mihi vera referre
Pace deæ, quod sit roseo spectabilis ore, 705
Quod teneat lucis, teneat confinia noctis,
Nectareis quod alatur aquis; ego Procrin amabam:
Pectore Procris erat, Procris mihi semper in ore.
Sacra tori, coitusque novos, thalamosque recentes,
Primaque deserti referebam fœdera lecti. 710
Mota dea est: et, Siste tuas, ingrate, querelas;
Procrin habe, dixit. Quod si mea provida mens est:
Non habuisse voles: meque illi irata remisit.
Dum redeo, mecumque deæ memorata retracto;
Esse metus cœpit, ne jura jugalia conjux 715
Non bene servasset. Faciesque ætasque jubebant
Credere adulterium: prohibebant credere mores.
Sed tamen abfueram: sed et hæc erat, unde redibam,
Criminis exemplum: sed cuncta timemus amantes.
Quærere, quod doleam, studeo; donisque pudicam 720
Sollicitare fidem. Favet huic Aurora timori:
Immutatque meam (videor sensisse) figuram.
Palladias ineo non cognoscendus Athenas,
Ingrediorque domum. Culpa domus ipsa carebat;

Castaque signa dabat: dominoque erat anxia rapto. 725
Vix aditu per mille dolos ad Erechthida facto,
Ut vidi, obstupui: meditataque pæne reliqui
Tentamenta fide: male me, quin vera faterer,
Continui; male quin, ut oportuit, oscula ferrem.
Tristis erat; sed nulla tamen formosior illa 730
Esse potest tristi; desiderioque calebat
Conjugis abrepti. Tu collige, qualis in illa,
Phoce, decor fuerit, quam sic dolor ipse decebat.
Quid referam, quoties tentamina nostra pudici
Repulerint mores? quoties, Ego, dixerit, uni
Servor, ubicunque est: uni mea gaudia servo?
Cui non ista fide satis experientia sano 737
Magna foret, non sum contentus, et in mea pugno
Vulnera, dum census dare me pro nocte paciscor;
Muneraque augendo tandem dubitare coegi.
Exclamo: Male tectus ego en! male pactus adulter, 741
Verus eram conjux: me, perfida, teste teneris.
Illa nihil: tacito tantummodo victa pudore
Insidiosa malo cum conjuge limina fugit:
Offensaque mei genus omne perosa virorum 745
Montibus errabat, studiis operata Dianæ.
Tum mihi deserto violentior ignis ad ossa
Pervenit: orabam veniam; et peccasse fatebar:
Et potuisse datis simili succumbere culpæ 749
Me quoque muneribus; si munera tanta darentur.
Hoc mihi confesso, læsum prius ulta pudorem,
Redditur, et dulces concorditer exigit annos.
Dat mihi præterea, tanquam se parva dedisset
Dona, canem munus: quem cum sua traderet illi
Cynthia, Currendo superabit, dixerat, omnes.
Dat simul et jaculum; manibus quod (cernis) habemus. 756
Muneris alterius quæ sit fortuna requiris?
Accipe: mirandi novitate movebere facti.
Carmina Laiades non intellecta priorum
Solverat ingeniis; et præcipitata jacebat 760
Immemor ambagum vates obscura suarum.
Scilicet alma Themis non talia linquit inulta.
Protinus Aoniis immittitur altera Thebis
Pestis; et exitio multi pecorumque suoque
Rurigenæ pavere feram. Vicina juventus 765
Venimus, et latos indagine cinximus agros.
Illa levi velox superabat retia saltu,
Summaque transibat positarum lina plagarum.
Copula detrahitur canibus, quas illa sequentes
Effugit, et volucri non segnius alite ludit. 770
Poscor et ipse meum consensu Lælapa magno.
Muneris hoc nomen. Jamdudum vincula pugnat
Exuere ipse sibi, colloque morantia tendit.
Vix bene missus erat; nec jam poteramus, ubi esset,
Scire: pedum calidus vestigia pulvis habebat;
Ipse oculis ereptus erat. Non ocior illo 776
Hasta, nec excussæ contorto verbere glandes,
Nec Gortyniaco calamus levis exit ab arcu.
Collis apex medii subjectis imminet arvis:
Tollor eo, capioque novi spectacula cursus: 780
Quo modo deprendi, modo se subducere ab ipso
Vulnere visa fera est. Nec limite callida recto,
In spatiumve fugit; sed decipit ora sequentis,
Et redit in gyrum, ne sit suus impetus hosti.
Imminet hic, sequiturque parem, similisque tenenti 785
Non tenet, et vacuos exercet in aera morsus.
Ad jaculi vertebar opem: quod dextera librat
Dum mea, dum digitos amentis indere tento;
Lumina deflexi; revocataque rursus eodem
Retuleram: medio (mirum) duo marmora campo
Adspicio; fugere hoc, illud latrare putares. 791
Scilicet invictos ambo certamine cursus
Esse deus voluit; si quis deus affuit illis.
Hactenus: et tacuit. Jaculo quod crimen in ipso? 794
Phocus ait. Jaculi sic crimina reddidit ille:
Gaudia principium nostri sunt, Phoce, doloris.
Illa prius referam. Juvat o meminisse beati
Temporis, Æacida, quo primos rite per annos
Conjuge eram felix, felix erat illa marito. 799
Mutua cura duos, et amor socialis habebat.
Nec Jovis illa meo thalamos præferret amori:
Nec, me quæ caperet, non si Venus ipsa veniret,
Ulla erat: æquales urebant pectora flammæ.
Sole fere radiis feriente cacumina primis,
Venatum in sylvas juveniliter ire solebam: 805
Nec mecum famulos, nec equos, nec naribus acres
Ire canes, nec lina sequi nodosa sinebam.
Tutus eram jaculo. Sed cum satiata ferinæ
Dextera cædis erat; repetebam frigus, et umbras,
Et, quæ de gelidis halabat vallibus, auram. 810
Aura petebatur medio mihi lenis in æstu:
Auram exspectabam: requies erat illa labori.
Aura, recordor enim, venias, cantare solebam:
Meque juves, intresque sinus, gratissima, nostros: 815
Utque facis, relevare velis, quibus urimur, æstus.
Forsitan addiderim, sic me mea fata trahebant,
Blanditias plures: et, Tu mihi magna voluptas,
Dicere sim solitus: tu me reficisque, fovesque:
Tu facis, ut sylvas, ut amem loca sola: meoque
Spiritus iste tuus semper captatur ab ore. 820
Vocibus ambiguis deceptam præbuit aurem
Nescio quis, nomenque auræ tam sæpe vocatum
Esse putans Nymphæ, Nympham mihi credit amari.
Criminis extemplo ficti temerarius auctor 824
Procrin adit: linguaque refert audita susurra.
Credula res amor est. Subito collapsa dolore,
Ut sibi narratur, cecidit: longoque refecta
Tempore, se miseram, se fati dixit iniqui:
Deque fide questa est: et crimine concita vano,
Quod nihil est, metuit; metuit sine corpore nomen: 830
Et dolet infelix veluti de pellice vera.
Sæpe tamen dubitat; speratque miserrima falli:
Indicioque fidem negat; et, nisi viderit ipsa,
Damnatura sui non est delicta mariti.
Postera depulerant Auroræ lumina noctem; 835
Egredior, sylvasque peto: victorque per herbas,
Aura veni, dixi, nostroque medere labori.
Et subito gemitus inter mea verba videbar
Nescio quos audisse. Veni, tamen, optima, dixi.
Fronde levem rursus strepitum faciente caduca,
Sum ratus esse feram: telumque volatile misi.
Procris erat: medioque tenens in pectore vulnus, 842
Heu mihi! conclamat. Vox est ubi cognita fidæ
Conjugis; ad vocem præceps amensque cucurri.
Semanimem, et sparsas fœdantem sanguine vestes,

Et sua, me miserum! de vulnere dona trahentem
Invenio: corpusque meo mihi carius ulnis
Sontibus attollo: scissaque a pectore veste
Vulnera sæva ligo: conorque inhibere cruorem:
Neu me morte sua sceleratum deserat, oro. 850
Viribus illa carens, et jam moribunda, coegit
Hæc se pauca loqui: Per nostri fœdera lecti,
Perque deos supplex oro, superosque, meosque;
Per si quid merui de te bene; perque manentem
Nunc quoque, cum pereo, causam mihi mortis, amorem; 855
Ne thalamis Auram patiare innubere nostris.
Dixit: et errorem tum denique nominis esse
Et sensi, et docui. Sed quid docuisse juvabat?
Labitur, et parvæ fugiunt cum sanguine vires.
Dumque aliquid spectare potest, me spectat: et in me 860
Infelicem animam nostroque exhalat in ore.
Sed vultu meliore mori secura videtur. [ecce
Flentibus hæc lacrymans heros memorabat; et
Æacus ingreditur duplici cum prole, novoque
Milite; quem Cephalus cum fortibus accipit armis. 865

LIBER OCTAVUS.

Jam nitidum retegente diem, noctisque fugante
Tempora Lucifero, cadit Eurus; et humida surgunt
Nubila. Dant placidi cursum redeuntibus Austri
Æacidis, Cephaloque; quibus feliciter acti
Ante exspectatum portus tenuere petitos. 5
Interea Minos Lelegeia littora vastat:
Prætentatque sui vires Mavortis in urbe
Alcathoi, quam Nisus habet; cui splendidus ostro
Inter honoratos medio de vertice canos
Crinis inhærebat, magni fiducia regni. 10
Sexta resurgebant orientis cornua Phœbes:
Et pendebat adhuc belli fortuna, diuque
Inter utrumque volat dubiis Victoria pennis.
Regia turris erat vocalibus addita muris:
In quibus auratam proles Letoia fertur 15
Deposuisse lyram: saxo sonus ejus inhæsit.
Sæpe illuc solita est adscendere filia Nisi,
Et petere exiguo resonantia saxa lapillo,
Tum cum pax esset. Bello quoque sæpe solebat
Spectare ex illa rigidi certamina Martis. 20
Jamque mora belli procerum quoque nomina norat,
Armaque, equosque, habitusque, Cydoneasque pharetras.
Noverat ante alios faciem ducis Europæi;
Plus etiam, quam nosse sat est. Hac judice Minos,
Seu caput abdiderat cristata casside pennis, 25
In galea formosus erat: seu sumserat auro
Fulgentem clypeum, clypeum sumsisse decebat.
Torserat adductis hastilia lenta lacertis;
Laudabat virgo junctam cum viribus artem.
Imposito patulos calamo sinuaverat arcus; 30
Sic Phœbum sumtis jurabat stare sagittis.
Cum vero faciem demto nudaverat ære,
Purpureusque albi stratis insignia pictis
Terga premebat equi, spumantiaque ora regebat;
Vix sua, vix sanæ virgo Niseia compos 35
Mentis erat. Felix jaculum, quod tangeret ille,
Quæque manu premeret, felicia frena vocabat.
Impetus est illi, liceat modo, ferre per agmen
Virgineos hostile gradus: est impetus illi
Turribus e summis in Gnossia mittere corpus 40
Castra: vel æratas hosti recludere portas:
Vel si quid Minos aliud velit. Utque sedebat
Candida Dictæi spectans tentoria regis;
Læter, ait, doleamne geri lacrymabile bellum,
In dubio est. Doleo, quod Minos hostis amanti est. 45
Sed nisi bella forent, numquid mihi cognitus esset?
Me tamen accepta poterat deponere bellum
Obside: me comitem, me pacis pignus habere.
Si, quæ te genuit, talis, pulcherrime rerum,
Qualis es ipse, fuit; merito deus arsit in illa. 50
O ego ter felix, si pennis lapsa per auras
Gnossiaci possim castris insistere regis:
Fassaque me, flammasque meas, qua dote, rogarem,
Vellet emi! tantum patrias ne posceret arces.
Nam pereant potius sperata cubilia, quam sim
Proditione potens: quamvis sæpe utile vinci 56
Victoris placidi fecit clementia multis.
Justa gerit certe pro nato bella peremto,
In causaque valet; causamque tuentibus armis,
Ut puto, vincemur. Qui si manet exitus urbem,
Cur suus hæc illi reserabit mœnia Mavors, 61
Et non noster amor? melius sine cæde, moraque,
Impensaque sui poterit superare cruoris.
Quam metuo certe, ne quis tua pectora, Minos,
Vulneret imprudens! quis enim tam dirus, ut in te 65
Dirigere immitem, nisi nescius, audeat hastam?
Cœpta placent, et stat sententia tradere mecum
Dotalem patriam, finemque imponere bello.
Verum velle parum est. Aditus custodia servat,
Claustraque portarum genitor tenet: hunc ego solum 70
Infelix timeo: solus mea vota moratur.
Di facerent, sine patre forem! sibi quisque profecto
Fit deus: ignavis precibus Fortuna repugnat.
Altera jamdudum succensa Cupidine tanto
Perdere gauderet, quodcunque obstaret amori.
Et cur ulla foret me fortior? ire per ignes, 76
Per gladios ausim. Neque in hoc tamen ignibus ullis,
Aut gladiis opus est: opus est mihi crine paterno.
Illa mihi est auro pretiosior; illa beatam
Purpura me, votique mei factura potentem. 80
Talia dicenti curarum maxima nutrix
Nox intervenit; tenebrisque audacia crevit.
Prima quies aderat, qua curis fessa diurnis
Pectora somnus habet. Thalamos taciturna paternos
Intrat, et (heu facinus) fatali nata parentem 85
Crine suum spoliat: prædaque potita nefanda
Fert secum spolium sceleris, progressaque porta
Per medios hostes (meritis fiducia tanta est)

Pervenit ad regem: quem sic affata paventem:
Suasit amor facinus. Proles ego regia Nisi 90
Scylla, tibi trado patriosque, meosque penates.
Præmia nulla peto, nisi te: cape pignus amoris
Purpureum crinem: nec me nunc tradere crinem,
Sed patrium tibi crede caput: sceleratque dextra
Munera porrexit. Minos porrecta refugit; 95
Turbatusque novi, respondit, imagine facti:
Di te summoveant, o, nostri infamia sæcli,
Orbe suo: tellusque tibi pontusque negentur.
Certe ego non patiar Jovis incunabula Creten,
Quæ meus est orbis, tantum contingere monstrum. 100
Dixit: et, ut leges captis justissimus auctor
Hostibus imposuit, classis retinacula solvi
Jussit, et æratas impelli remige puppes.
Scylla, freto postquam deductas nare carinas, 104
Nec præstare ducem sceleris sibi præmia vidit;
Consumtis precibus violentam transit in iram:
Intendensque manus, sparsis furibunda capillis,
Quo fugis, exclamat, meritorum auctore relicta,
O patriæ prælatæ meæ, prælate parenti?
Quo fugis immitis? cujus victoria nostrum 110
Et scelus et meritum est. Nec te data munera, nec te
Noster movit amor; nec quod spes omnis in unum
Te mea congesta est. Nam quo deserta revertar?
In patriam? superata jacet. Sed finge manere:
Proditione mea clausa est mihi. Patris ad ora?
Quæ tibi donavi. Cives odere merentem: 116
Finitimi exemplum metuunt. Obstruximus orbem
Terrarum, nobis ut Crete sola pateret. [quis,
Hac quoque si prohibes, et nos, ingrate, relin-
Non genitrix Europa tibi, sed inhospita Syrtis,
Armeniæve tigres, Austrove agitata Charybdis.
Nec Jove tu natus: nec mater imagine tauri
Ducta tua est: generis falsa est ea fabula vestri:
Et ferus, et captus nullius amore juvencæ,
Qui te progenuit, taurus fuit. Exige pœnas, 125
Nise pater. Gaudete malis modo prodita nostris
Mœnia: nam fateor, merui, et sum digna perire.
Me tamen ex illis aliquis, quos impia læsi,
Me perimat. Cur, qui vicisti crimine nostro,
Insequeris crimen? scelus hoc patriæque, patrique 130
Officium tibi sit. Te vere conjuge digna est,
Quæ torvum ligno decepit adultera taurum,
Discordemque utero fœtum tulit. Ecquid ad aures
Perveniunt mea dicta tuas? an inania venti 134
Verba ferunt, idemque tuas, ingrate, carinas?
Jam jam Pasiphaen non est mirabile taurum,
Præposuisse tibi: tu plus feritatis habebas.
Me miseram! properare juvat: divulsaque remis
Unda sonat. Mecum simul ah mea terra recedit.
Nil agis, o, frustra meritorum oblite meorum.
Insequar invitum, puppimque amplexa recurvam, 141
Per freta longa trahar. Vix dixerat; insilit undas:
Consequiturque rates, faciente Cupidine vires,
Gnossiacæque hæret comes invidiosa carinæ.
Quam pater ut vidit; nam jam pendebat in auras,
Et modo factus erat fulvis Haliætos alis; 146
Ibat, ut hærentem rostro laniaret adunco.
Illa metu puppim dimittit: at aura cadentem
Sustinuisse levis, ne tangeret æquora, visa est.
Pluma fuit: plumis in avem mutata vocatur 150
Ciris: et a tonso est hoc nomen adepta capillo.
Vota Jovi Minos taurorum corpora centum
Solvit, ut egressus ratibus Curetida terram
Contigit; et spoliis decorata est regia fixis.
Creverat opprobrium generis, fœdumque patebat 155
Matris adulterium monstri novitate biformis.
Destinat hunc Minos thalamis removere pudorem,
Multiplicique domo, cæcisque includere tectis.
Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis
Ponit opus: turbatque notas, et lumina flexum
Ducit in errorem variarum ambage viarum. 161
Non secus ac liquidus Phrygiis Mæandros in arvis
Ludit, et ambiguo lapsu refluitque fluitque:
Occurrensque sibi venturas adspicit undas:
Et nunc ad fontes, nunc in mare versus apertum,
Incertas exercet aquas. Ita Dædalus implet 166
Innumeras errore vias: vixque ipse reverti
Ad limen potuit; tanta est fallacia tecti.
Quo postquam tauri geminam juvenisque figuram
Clausit, et Actæo bis pastum sanguine monstrum
Tertia sors annis domuit repetita novenis; 171
Utque ope virginea nullis iterata priorum
Janua difficilis filo est inventa relecto;
Protinus Ægides, rapta Minoide, Dian
Vela dedit: comitemque suam crudelis in illo
Littore deseruit. Desertæ, et multa querenti,
Amplexus et opem Liber tulit. Utque perenni
Sidere clara foret, sumtam de fronte coronam
Immisit cœlo. Tenues volat illa per auras:
Dumque volat, gemmæ subitos vertuntur in ignes: 180
Consistuntque loco, specie remanente Coronæ,
Qui medius nixique genu est, anguemque tenentis.
Dædalus interea Creten longumque perosus
Exsilium, tactusque soli natalis amore,
Clausus erat pelago. Terras licet, inquit, et undas 185
Obstruat: at cœlum certe patet: ibimus illac.
Omnia possideat; non possidet aera Minos.
Dixit: et ignotas animum dimittit in artes,
Naturamque novat. Nam ponit in ordine pennas,
A minima cœptas, longam breviore sequenti: 190
Ut clivo crevisse putes. Sic rustica quondam
Fistula disparibus paulatim surgit avenis.
Tum lino medias, et ceris alligat imas,
Atque ita compositas parvo curvamine flectit,
Ut veras imitentur aves. Puer Icarus una 195
Stabat: et, ignarus sua se tractare pericla,
Ore renidenti modo, quas vaga moverat aura,
Captabat plumas: flavam modo pollice ceram
Mollibat; lusuque suo mirabile patris
Impediebat opus. Postquam manus ultima cœptis 200
Imposita est; geminas opifex libravit in alas
Ipse suum corpus, motaque pependit in aura.
Instruit et natum: Medioque ut limite curras,
Icare, ait, moneo, ne, si demissior ibis,
Unda gravet pennas; si celsior, ignis adurat. 205
Inter utrumque vola. Nec te spectare Booten,
Aut Helicen jubeo, strictumve Orionis ensem.
Me duce carpe viam. Pariter præcepta volandi
Tradit, et ignotas humeris accommodat alas.
Inter opus monitusque genæ maduere seniles, 210
Et patriæ tremuere manus. Dedit oscula nato
Non iterum repetenda suo; pennisque levatus

Ante volat, comitique timet: velut ales, ab alto
Quæ teneram prolem produxit in aera nido:
Hortaturque sequi, damnosasque erudit artes:
Et movet ipse suas, et nati respicit alas. 216
Hos aliquis, tremula dum captat arundine pisces,
Aut pastor baculo, stivave innixus arator,
Vidit, et obstupuit: quique æthera carpere possent,
Credidit esse deos. Et jam Junonia læva 220
Parte Samos fuerant, Delosque, Parosque relictæ: [lymne:
Dextra Lebynthos erant, fecundaque melle Ca-
Cum puer audaci cœpit gaudere volatu,
Deseruitque ducem, cœlique cupidine tactus
Altius egit iter. Rapidi vicinia solis 225
Mollit odoratas, pennarum vincula, ceras.
Tabuerant ceræ: nudos quatit ille lacertos,
Remigioque carens non ullas percipit auras.
Oraque cærulea, patrium clamantia nomen,
Excipiuntur aqua: quæ nomen traxit ab illo. 230
At pater infelix, nec jam pater, Icare, dixit,
Icare, dixit, ubi es? qua te regione requiram?
Icare, dicebat: pennas conspexit in undis;
Devovitque suas artes; corpusque sepulcro
Condidit; et tellus a nomine dicta sepulti. 235
Hunc miseri tumulo ponentem corpora nati
Garrula ramosa prospexit ab ilice perdix:
Et plausit pennis, testataque gaudia cantu est;
Unica tunc volucris, nec visa prioribus annis,
Factaque nuper avis, longum tibi, Dædale, crimen. 240
Namque huic tradiderat, fatorum ignara, docendam
Progeniem germana suam, natalibus actis
Bis puerum senis, animi ad præcepta capacis.
Ille etiam medio spinas in pisce notatas
Traxit in exemplum, ferroque incidit acuto 245
Perpetuos dentes, et serræ reperit usum.
Primus et ex uno duo ferrea brachia nodo
Vinxit, ut, æquali spatio distantibus illis,
Altera pars staret, pars altera duceret orbem.
Dædalus invidit; sacraque ex arce Minervæ 250
Præcipitem mittit, lapsum mentitus. At illum,
Quæ favet ingeniis, excepit Pallas, avemque
Reddidit, et medio velavit in aere pennis.
Sed vigor ingenii quondam velocis in alas,
Inque pedes abiit: nomen, quod et ante, remansit. 255
Non tamen hæc alte volucris sua corpora tollit,
Nec facit in ramis, altoque cacumine, nidos;
Propter humum volitat, ponitque in sæpibus ova:
Antiquique memor metuit sublimia casus.
Jamque fatigatum tellus Ætnæa tenebat 260
Dædalon: et sumtis pro supplice Cocalus armis
Mitis habebatur. Jam lamentabile Athenæ
Pendere desierant, Thesea laude, tributum.
Templa coronantur, bellatricemque Minervam
Cum Jove disque vocant aliis: quos sanguine voto, 265
Muneribusque datis, et acerris turis adorant.
Sparserat Argolicas nomen vaga Fama per urbes
Theseos: et populi, quos dives Achaia cepit,
Hujus opem magnis imploravere periclis:
Hujus opem Calydon, quamvis Meleagron haberet, 270
Sollicita supplex petiit prece. Causa petendi
Sus erat, infestæ famulus vindexque Dianæ.
Œnea namque ferunt pleni successibus anni
Primitias, frugem Cereri, sua vina Lyæo,
Palladios flavæ latices libasse Minervæ. 275
Cœptus ab agricolis superos pervenit ad omnes
Invidiosus honos: solas sine thure relictas
Præteritæ cessasse ferunt Letoidos aras.
Tangit et ira deos. At non impune feremus;
Quæque inhonoratæ, non et dicemur inultæ, 280
Inquit: et Œneos ultorem spreta per agros
Misit aprum: quanto majores herbida tauros
Non habet Epiros: sed habent Sicula arva minores.
Sanguine et igne micant oculi: riget ardua cervix:
Et setæ densis similes hastilibus horrent: 285
[Stantque velut vallum, vel ut alta hastilia setæ.]
Fervida cum rauco latos stridore per armos
Spuma fluit: dentes æquantur dentibus Indis:
Fulmen ab ore venit: frondes afflatibus ardent.
Is modo crescenti segetes proculcat in herba:
Nunc matura metit fleturi vota coloni: 291
Et Cererem in spicis intercipit. Area frustra,
Et frustra exspectant promissas horrea messes.
Sternuntur gravidi longo cum palmite fetus,
Baccaque cum ramis semper frondentis olivæ.
Sævit et in pecudes. Non has pastorve canesve,
Non armenta truces possunt defendere tauri.
Diffugiunt populi, nec se, nisi mœnibus urbis,
Esse putant tutos: donec Meleagros, et una
Lecta manus juvenum coiere cupidine laudis. 300
Tyndaridæ gemini, spectatus cæstibus alter,
Alter equo: primæque ratis molitor Iason,
Et cum Pirithoo, felix concordia, Theseus,
Et duo Thestiadæ, prolesque Aphareia Lynceus,
Et velox Idas, et jam non fœmina Cæneus, 305
Leucippusque ferox, jaculoque insignis Acastus,
Hippothoosque, Dryasque, et cretus Amyntore Phœnix,
Actoridæque pares, et missus ab Elide Phyleus.
Nec Telamon aberat, magnique creator Achillis:
Cumque Pheretiade, et Hyanteo Iolao 310
Impiger Eurytion, et cursu invictus Echion,
Naryciusque Lelex, Panopeusque, Hyleusque, feroxque
Hippasus, et primis etiamnum Nestor in armis.
Et quos Hippocoon antiquis misit Amyclis;
Penelopesque socer, cum Parrhasio Ancæo, 315
Ampycidesque sagax, et adhuc a conjuge tutus
Œclides, nemorisque decus Tegeæa Lycæi.
Rasilis huic summam mordebat fibula vestem;
Crinis erat simplex, nodum collectus in unum:
Ex humero pendens resonabat eburnea lævo 320
Telorum custos: arcum quoque læva tenebat.
Talis erat cultus: facies, quam dicere vere
Virgineam in puero, puerilem in virgine possis.
Hanc pariter vidit, pariter Calydonius heros
Optavit, renuente deo: flammasque latentes 325
Hausit, et, O felix, si quem dignabitur, inquit,
Ista virum! nec plura sinunt tempusque, pudorque
Dicere: majus opus magni certaminis urget.
Sylva frequens trabibus, quam nulla ceciderat ætas,
Incipit a plano, devexaque prospicit arva. 330
Quo postquam venere viri; pars retia tendunt:
Vincula pars adimunt canibus: pars pressa sequuntur
Signa pedum, cupiuntque suum reperire periclum.
Concava vallis erat, qua se demittere rivi
Assuerant pluvialis aquæ. Tenet ima lacunæ 335
Lenta salix, ulvæque leves, juncique palustres,

Viminaque, et longa parvæ sub arundine cannæ.
Hinc aper excitus medios violentus in hostes
Fertur, ut excussis elisi nubibus ignes.
Sternitur incursu nemus, et propulsa fragorem
Sylva dat. Exclamant juvenes: prætentaque forti 341
Tela tenent dextra, lato vibrantia ferro.
Ille ruit, spargitque canes, ut quisque ruenti
Obstat, et obliquo latrantes dissipat ictu.
Cuspis Echionio primum contorta lacerto 345
Vana fuit, truncoque dedit leve vulnus acerno.
Proxima, si nimiis mittentis viribus usa
Non foret, in tergo visa est hæsura petito:
Longius it: auctor teli Pagasæus Iason.
Phœbe, ait Ampycides, si te coluique, coloque,
Da mihi, quod petitur, certo contingere telo. 351
Qua potuit, precibus deus annuit. Ictus ab illo,
Sed sine vulnere, aper: ferrum Diana volanti
Abstulerat jaculo: lignum sine acumine venit.
Ira feri mota est: nec fulmine lenius arsit: 355
Lux micat ex oculis, spiratque e pectore flamma.
Utque volat moles, adducto concita nervo,
Cum petit aut muros, aut plenas milite turres;
In juvenes vasto sic impete vulnificus sus
Fertur, et Eupalamon Pelagonaque, dextra tuentes 360
Cornua, prosternit. Socii rapuere jacentes.
At non letiferos effugit Enæsimus ictus [rantem
Hippocoonte satus. Trepidantem, et terga pa-
Vertere, succiso liquerunt poplite nervi.
Forsitan et Pylius citra Trojana perisset 365
Tempora: sed sumto posita conamine ab hasta,
Arboris insiluit, quæ stabat proxima, ramis,
Despexitque, loco tutus, quem fugerat, hostem.
Dentibus ille ferox in querno stipite tritis
Imminet exitio, fidensque recentibus armis 370
Othryadæ magni rostro femur hausit adunco.
At gemini, nondum cœlestia sidera, fratres,
Ambo conspicui, nive candidioribus ambo
Vectabantur equis: ambo vibrata per auras
Hastarum tremulo quatiebant spicula motu. 375
Vulnera fecissent; nisi setiger inter opacas
Nec jaculis isset, nec equo loca pervia, sylvas.
Persequitur Telamon, studioque incautus eundi,
Pronus ab arborea cecidit radice retentus.
Dum levat hunc Peleus, celerem Tegeæa sagittam 380
Imposuit nervo, sinuatoque expulit arcu.
Fixa sub aure feri summum destringit arundo
Corpus, et exiguo rubefecit sanguine setas.
Nec tamen illa sui successu lætior ictus,
Quam Meleagros erat. Primus vidisse putatur,
Et primus sociis visum ostendisse cruorem: 386
Et, Meritum, dixisse, feres virtutis honorem.
Erubuere viri, seque exhortantur, et addunt
Cum clamore animos, jaciuntque sine ordine tela.
Turba nocet jactis, et, quos petit, impedit ictus.
Ecce furens contra sua fata bipennifer Arcas,
Discite, fœmineis quid tela virilia præstent, 392
O juvenes, operique meo concedite, dixit.
Ipsa suis licet hunc Latonia protegat armis;
Hunc tamen invita perimet mea dextra Diana.
Talia magniloquo tumidus memoraverat ore:
Ancipitemque manu tollens utraque securim,
Institerat digitis, primos suspensus in artus.
Occupat audacem, quaque est via proxima leto,
Summa ferus geminos direxit in inguina dentes.
Concidit Ancæus; glomerataque sanguine multo
Viscera lapsa fluunt, madefactaque terra cruore est 402
Ibat in adversum proles Ixionis hostem
Pirithous, valida quatiens venabula dextra.
Cui procul Ægides, O me mihi carior, inquit,
Pars animæ, consiste, meæ: licet eminus esse
Fortibus: Ancæo nocuit temeraria virtus.
Dixit, et ærata torsit grave cuspide cornum:
Quo bene librato, votique potente futuro,
Obstitit æsculea frondosus ab arbore ramus. 410
Misit et Æsonides jaculum: quod casus ab illo
Vertit in immeriti fatum latrantis, et, inter
Ilia conjectum, tellure per ilia fixum est.
At manus Œnidæ variat: missisque duabus,
Hasta prior terra, medio stetit altera tergo. 415
Nec mora: dum sævit, dum corpora versat in orbem,
Stridentemque novo spumam cum sanguine fundit;
Vulneris auctor adest, hostemque irritat ad iram;
Splendidaque adversos venabula condit in armos.
Gaudia testantur socii clamore secundo: 420
Victricemque petunt dextræ conjungere dextram:
Immanemque ferum multa tellure jacentem
Mirantes spectant: neque adhuc contingere tutum
Esse putant: sed tela tamen sua quisque cruentant.
Ipse pede imposito caput exitiabile pressit: 425
Atque ita, Sume mei spolium, Nonacria, juris,
Dixit, et in partem veniat mihi gloria tecum.
Protinus exuvias, rigidis horrentia setis
Terga, dat, et magnis insignia dentibus ora.
Illi lætitiæ est cum munere muneris auctor, 430
Invidere alii; totoque erat agmine murmur.
E quibus, ingenti tendentes brachia voce,
Pone age, nec titulos intercipe, fœmina, nostros,
Thestiadæ clamant: neu te fiducia formæ
Decipiat; longeque tuo sit captus amore 435
Auctor: et huic adimunt munus, jus muneris illi.
Non tulit, et tumida frendens Mavortius ira,
Discite raptores alieni, dixit, honoris,
Facta minis quantum distent: hausitque nefando
Pectora Plexippi, nil tale timentia, ferro. 440
Toxea, quid faciat, dubium, pariterque volentem
Ulcisci fratrem, fraternaque fata timentem,
Haud patitur dubitare diu: calidumque priori
Cæde recalfecit consorti sanguine telum.
Dona deûm templis, nato victore, ferebat, 445
Cum videt exstinctos fratres Althæa referri.
Quæ, plangore dato, mæstis ululatibus urbem
Implet, et auratis mutavit vestibus atras.
At simul est auctor necis editus; excidit omnis
Luctus, et a lacrymis in pœnæ versus amorem est. 450
Stipes erat, quem, cum partus enixa jaceret
Thestias, in flammam triplices posuere Sorores:
Staminaque impresso fatalia pollice nentes,
Tempora, dixerunt eadem lignoque tibique,
O modo nate, damus. Quo postquam carmine dicto 455
Excessere deæ; flagrantem mater ab igne
Eripuit torrem, sparsitque liquentibus undis.
Ille diu fuerat penetralibus abditus imis,
Servatusque tuos, juvenis, servaverat annos.
Protulit hunc genetrix, tædasque in fragmina poni 460
Imperat, et positis inimicos admovet ignes.
Tum conata quater flammis imponere ramum,
Cœpta quater tenuit. Pugnant materque sororque,
Et diversa trahunt unum duo nomina pectus.
Sæpe metu sceleris pallebant ora futuri: 465

Sæpe suum fervens oculis dabat ira ruborem.
Et modo nescio quid similis crudele minanti
Vultus erat: modo quem misereri credere posses.
Cumque ferus lacrymas animi siccaverat ardor,
Inveniebantur lacrymæ tamen. Utque carina, 470
Quam ventus, ventoque rapit contrarius æstus,
Vim geminam sentit, paretque incerta duobus:
Thestias haud aliter dubiis affectibus errat,
Inque vicem ponit, positamque resuscitat iram.
Incipit esse tamen melior germana parente: 475
Et, consanguineas ut sanguine leniat umbras,
Impietate pia est. Nam postquam pestifer ignis
Convaluit; Rogus iste cremet mea viscera, dixit:
Utque manu dira lignum fatale tenebat,
Ante sepulcrales infelix adstitit aras: 480
Pœnarumque deæ triplices, furialibus, inquit,
Eumenides, sacris vultus advertite vestros.
Ulciscor facioque nefas: mors morte pianda est:
In scelus addendum scelus est, in funera funus.
Per coacervatos pereat domus impia luctus. 485
An felix Œneus nato victore fruetur,
Thestius orbus erit? melius lugebitis ambo.
Vos modo, fraterni manes, animæque recentes,
Officium sentite meum: magnoque paratas
Accipite inferias, uteri mala pignora nostri. 490
Heu mihi! quo rapior? fratres ignoscite matri.
Deficiunt ad cœpta manus. Meruisse fatemur
Ilium, cur pereat: mortis mihi displicet auctor.
Ergo impune feret, vivusque, et victor, et ipso
Successu tumidus regnum Calydonis habebit?
Vos cinis exiguus, gelidæque jacebitis umbræ?
Haud equidem patiar. Pereat sceleratus, et ille
Spemque patris, regnique trahat, patriæque ruinam.
Mens ubi materna est? ubi nunc pia vota parentum?
Et, quos sustinui, bis mensum quinque labores?
O utinam primis arsisses ignibus infans: 501
Idque ego passa forem! vixisti munere nostro:
Nunc merito moriere tuo. Cape præmia facti,
Bisque datam, primum partu, mox stipite rapto,
Redde animam: vel me fraternis adde sepulcris.
Et cupio, et nequeo. Quid agam? modo vulnera fratrum 506
Ante oculos mihi sunt, et tantæ cædis imago:
Nunc animum pietas, maternaque nomina frangunt.
Me miseram! male vincetis: sed vincite, fratres:
Dummodo, quæ dedero vobis solatia, vosque 510
Ipsa sequar. Dixit, dextraque aversa trementi
Funereum torrem medios conjecit in ignes.
Aut dedit, aut visus gemitus est ille dedisse
Stipes: et invitis correptus ab ignibus arsit.
Inscius atque absens flamma Meleagros in illa
Uritur, et cæcis torreri viscera sentit 516
Ignibus: at magnos superat virtute dolores.
Quod tamen ignavo cadat et sine sanguine leto,
Mæret: et Ancæi felicia vulnera dicit:
Grandævumque patrem, fratremque, piasque sorores 520
Cum gemitu, sociamque tori vocat ore supremo;
Forsitan et matrem. Crescunt ignisque dolorque,
Languescuntque iterum: simul est exstinctus uterque,
Inque leves abiit paulatim spiritus auras.
Alta jacet Calydon: lugent juvenesque senesque:
Vulgusque proceresque gemunt: scissæque capillos 526
Planguntur matres Calydonides Eveninæ.
Pulvere canitiem genitor, vultusque seniles
Fœdat humi fusus, spatiosumque increpat ævum.
Nam de matre manus, diri sibi conscia facti, 530
Exegit pœnas, acto per viscera ferro.
Non mihi si centum deus ora sonantia linguis,
Ingeniumque capax, totumque Helicona dedisset;
Tristia persequerer miserarum dicta sororum.
Immemores decoris liventia pectora tundunt:
Dumque manet corpus, corpus refoventque foventque. 536
Oscula dant ipsi, posito dant oscula lecto.
Post cinerem, cineres haustos ad pectora pressant:
Affusæque jacent tumulo, signataque saxa
Nomine complexæ, lacrymas in nomine fundunt.
Quas Parthaoniæ tandem Letoia clade 541
Exsatiata domus, præter Gorgenque, nurumque
Nobilis Alcmenæ, natis in corpore pennis
Adlevat, et longas per brachia porrigit alas,
Corneaque ora facit; versasque per aera mittit.
Interea Theseus, sociati parte laboris 546
Functus, Erechtheas Tritonidos ibat ad arces.
Clausit iter, fecitque moras Achelous eunti,
Imbre tumens. Succede meis, ait, inclyte, tectis,
Cecropida, nec te committe rapacibus undis. 550
Ferre trabes solidas, obliquaque volvere magno
Murmure saxa solent. Vidi contermina ripæ
Cum gregibus stabula alta trahi: nec fortibus illic
Profuit armentis, nec equis velocibus esse.
Multa quoque hic torrens, nivibus de monte solutis, 555
Corpora turbineo juvenilia vortice mersit.
Tutior est requies, solito dum flumina currant
Limite; dum tenues capiat suus alveus undas.
Annuit Ægides: Utarque, Acheleo, domoque,
Consilioque tuo, respondit: et usus utroque est. 560
Pumice multicavo, nec lævibus atria tophis
Structa subit: molli tellus erat humida musco.
Summa lacunabant alterno murice conchæ.
Jamque duas lucis partes Hyperione menso,
Discubuere toris Theseus comitesque laborum:
Hac Ixionides, illa Trœzenius heros 566
Parte Lelex, raris jam sparsus tempora canis:
Quosque alios parili fuerat dignatus honore
Amnis Acarnanum, lætissimus hospite tanto.
Protinus appositas nudæ vestigia Nymphæ 570
Instruxere epulis mensas: dapibusque remotis
In gemma posuere merum. Tum maximus heros,
Æquora prospiciens oculis subjecta, Quis, inquit,
Ille locus? digitoque ostendit, et, Insula nomen
Quod gerat illa, doce: quanquam non una videtur. 575
Amnis ad hæc, Non est, inquit, quod cernimus, unum.
Quinque jacent terræ: spatium discrimina fallit.
Quoque minus spretæ factum mirere Dianæ;
Naides hæ fuerant: quæ cum bis quinque juvencos
Mactassent, rurisque deos ad sacra vocassent, 580
Immemores nostri festas duxere choreas.
Intumui, quantusque feror, cum plurimus, unquam,
Tantus eram: pariterque animis immanis, et undis,
A sylvis sylvas, et ab arvis arva revelli.
Cumque loco Nymphas, memores tum denique nostri, 585

In freta provolvi. Fluctus nosterque marisque
Continuam diduxit humum, partesque resolvit
In totidem, mediis quot cernis Echinadas undis.
Ut tamen ipse vides, procul, en, procul una recessit
Insula grata mihi, Perimelen navita dicit. 590
Huic ego virgineum dilectæ nomen ademi.
Quod pater Hippodamas ægre tulit: inque profundum
Propulit e scopulo paritur： corpora natæ.
Excepi; nantemque ferens, O proxima cœlo
Regna vagæ, dixi, sortite, Tridentifer, undæ,
In quo desinimus, quo sacri currimus amnes,
[Huc ades, atque audi placidus, Neptune, precantem.] 597
Huic ego, quam porto, nocui. Si mitis, et æquus,
Si pater Hippodamas, aut si minus impius esset;
Debuit illius misereri, ignoscere nobis.
Affer opem; mersæque, precor, feritate paterna
Da, Neptune, locum: vel sit locus ipsa, licebit.
Hunc quoque complectar. Movit caput æquoreus rex,
Concussitque suis omnes assensibus undas.
Extimuit Nymphe; nabat tamen. Ipse natantis
Pectora tangebam trepido salientia motu: 606
Dumque ea contrecto, totum durescere sensi
Corpus, et inducta condi præcordia terra.
[Dum loquor; amplexa est artus nova terra natantes,
Et gravis increvit mutatis insula membris.] 610
Amnis ab his tacuit. Factum mirabile cunctos
Moverat. Irridet credentes: utque deorum
Spretor erat, mentisque ferox Ixione natus,
Ficta refers, nimiumque putas, Acheloe, potentes
Esse deos, dixit, si dant adimuntque figuras.
Obstupuere omnes; nec talia dicta probarunt:
Ante omnesque Lelex, animo maturus et ævo,
Sic ait: Immensa est, finemque potentia cœli
Non habet: et quicquid superi voluere, peractum est. 619
Quoque minus dubites; tiliæ contermina quercus
Collibus est Phrygiis, modico circumdata muro.
Ipse locum vidi: nam me Pelopeia Pittheus
Misit in arva, suo quondam regnata parenti.
Haud procul hinc stagnum, tellus habitabilis olim;
Nunc celebres mergis, fulicisque palustribus undæ. 625
Jupiter huc, specie mortali, cumque parente
Venit Atlantiades positis caducifer alis.
Mille domos adiere, locum requiemque petentes:
Mille domos clausere seræ. Tamen una recepit,
Parva quidem, stipulis et canna tecta palustri:
Sed pia Baucis anus, parilique ætate Philemon
Illa sunt annis juncti juvenilibus, illa 632
Consenuere casa: paupertatemque fatendo
Effecere levem, nec iniqua mente ferendam.
Nec refert, dominos illic, famulosve requiras;
Tota domus duo sunt: idem parentque jubentque. 636
Ergo ubi cœlicolæ parvos tetigere penates,
Submissoque humiles intrarunt vertice postes;
Membra senex posito jussit revelare sedili:
Quo superinjecit textum rude sedula Baucis.
Inde foco tepidum cinerem dimovit, et ignes
Suscitat hesternos, foliisque et cortice sicco
Nutrit, et ad flammas anima producit anili:
Multifidasque faces, ramaliaque arida tecto
Detulit, et minuit, parvoque admovit aeno. 645
Quodque suus conjux riguo collegerat horto,
Truncat olus foliis. Furca levat ille bicorni
Sordida terga suis nigro pendentia tigno:
Servatoque diu resecat de tergore partem
Exiguam, sectamque domat ferventibus undis.
Interea medias fallunt sermonibus horas, 651
Sentirique moram prohibent. Erat alveus illic
Fagineus, curva clavo suspensus ab ansa:
Is tepidis impletur aquis, artusque fovendos
Accipit. In medio torus est de mollibus ulvis
Impositus lecto, sponda pedibusque salignis.
Vestibus hunc velant, quas non nisi tempore festo [que
Sternere consuerant: sed et hæc vilisque vetus-
Vestis erat, lecto non indignanda saligno. 659
Accubuere dei: mensam succincta tremensque
Ponit anus. Mensæ sed erat pes tertius impar:
Testa parem fecit. Quæ postquam subdita clivum
Sustulit, æquatam mentæ tersere virentes.
Ponitur hic bicolor sinceræ bacca Minervæ,
Conditaque in liquida cornu autumnalia fæce,
Intubaque, et radix, et lactis massa coacti, 666
Ovaque non acri leviter versata favilla;
Omnia fictilibus. Post hæc cælatus eadem
Sistitur argilla crater, fabricataque fago
Pocula, qua cava sunt, flaventibus illita ceris.
Parva mora est, epulasque foci misere calentes:
Nec longæ rursus referuntur vina senectæ;
Dantque locum mensis paullum seducta secundis
Hic nux, hic mixta est rugosis carica palmis,
Prunaque, et in patulis redolentia mala canistris,
Et de purpureis collectæ vitibus uvæ. 676
Candidus in medio favus est. Super omnia vultus
Accessere boni, nec iners pauperque voluntas.
Interea, quoties haustum cratera repleri
Sponte sua, per seque vident succrescere vina,
Attoniti novitate pavent, manibusque supinis
Concipiunt Baucisque preces timidusque Philemon:
Et veniam dapibus, nullisque paratibus orant.
Unicus anser erat, minimæ custodia villæ:
Quem dis hospitibus domini mactare parabant:
Ille celer penna tardos ætate fatigat, 686
Eluditque diu: tandemque est visus ad ipsos
Confugisse deos. Superi vetuere necari;
Dique sumus; meritasque luet vicinia pœnas
Impia, dixerunt: vobis immunibus hujus 690
Esse mali dabitur: modo vestra relinquite tecta,
Ac nostros comitate gradus, et in ardua montis
Ite simul. Parent ambo, baculisque levati
Nituntur longo vestigia ponere clivo.
Tantum aberant summo, quantum semel ire sagitta 695
Missa potest: flexere oculos, et mersa palude
Cætera prospiciunt: tantum sua tecta manere.
Dumque ea mirantur; dum deflent fata suorum:
Illa vetus, dominis etiam casa parva duobus,
Vertitur in templum: furcas subiere columnæ;
Stramina flavescunt: adopertaque marmore tellus, 701
Cælatæque fores, auratæque tecta videntur.
Talia cum placido Saturnius edidit ore:
Dicite, juste senex, et fœmina conjuge justo
Digna, quid optetis. Cum Baucide pauca locutus, 705
Judicium superis aperit commune Philemon:
Esse sacerdotes, delubraque vestra tueri
Poscimus: et quoniam concordes egimus annos,
Auferat hora duos eadem, nec conjugis unquam

Busta meæ videam, neu sim tumulandus ab illa.
Vota fides sequitur: templi tutela fuere, 711
Donec vita data est: annis ævoque soluti
Ante gradus sacros cum starent forte, locique
Inciperent casus; frondere Philemona Baucis,
Baucida conspexit senior frondere Philemon.
Jamque super geminos crescente cacumine vultus,
Mutua, dum licuit, reddebant dicta; Valeque,
O conjux, dixere simul, simul abdita texit
Ora frutex. Ostendit adhuc Tyaneius illic
Incola de gemino vicinos corpore truncos. 720
Hæc mihi non vani, neque erat cur fallere vellent,
Narravere senes. Equidem pendentia vidi
Serta super ramos: ponensque recentia, dixi,
Cura pii dis sunt, et, qui coluere, coluntur. 724
Desierat: cunctosque et res et moverat auctor;
Thesea præcipue: quem facta audire volentem
Mira deûm, nixus cubito Calydonius amnis
Talibus alloquitur, Sunt, o fortissime, quorum
Forma semel mota est, et in hoc renovamine mansit. 729
Sunt, quibus in plures jus est transire figuras:
Ut tibi, complexi terram maris incola, Proteu.
Nam modo te juvenem, modo te videre leonem,
Nunc violentus aper, nunc, quem tetigisse timerent,
Anguis eras: modo te faciebant cornua taurum.
Sæpe lapis poteras, arbor quoque sæpe videri.
Interdum, faciem liquidarum imitatus aquarum,
Flumen eras: interdum undis contrarius ignis.
Nec minus Antolyci conjux, Erysichthone nata,
Juris habet. Pater hujus erat, qui numina divûm 739
Sperneret, et nullos aris adoleret honores.
Ille etiam Cereale nemus violasse securi
Dicitur, et lucos ferro temerasse vetustos.
Stabat in his ingens annoso robore quercus;
Una nemus: vittæ mediam, memoresque tabellæ,
Sertaque cingebant, voti argumenta potentis. 745
Sæpe sub hac Dryades festas duxere choreas:
Sæpe etiam, manibus nexis ex ordine, trunci
Circuiere modum; mensuraque roboris ulnas
Quinque ter implebat: nec non et cætera tanto
Sylva sub hac, sylva quanto jacet herba sub omni.
Non tamen idcirco ferrum Triopeius illa 751
Abstinuit; famulosque jubet succidere sacrum
Robur: et ut jussos cunctari vidit, ab uno
Edidit hæc rapta sceleratus verba securi:
Non dilecta deæ solum, sed et ipsa licebit 755
Sit dea, jam tanget frondente cacumine terram.
Dixit: et, obliquos dum telum librat in ictus,
Contremuit, gemitumque dedit Deoia quercus:
Et pariter frondes, pariter pallescere glandes
Cœpere, ac longi pallorem ducere rami. 760
Cujus ut in trunco fecit manus impia vulnus;
Haud aliter fluxit, discussa cortice, sanguis,
Quam solet, ante aras ingens ubi victima taurus
Concidit, abrupta cruor e cervice profusus.
Obstupuere omnes: aliquisque ex omnibus audet 765
Deterrere nefas, sævamque inhibere bipennem.
Adspicit hunc, Mentisque piæ cape præmia, dixit
Thessalus: inque virum convertit ab arbore ferrum,
Detruncatque caput; repetitaque robora cædit.
Editus e medio sonus est cum robore talis:
Nympha sub hoc ego sum, Cereri gratissima, ligno: 771
Quæ tibi factorum pœnas instare tuorum
Vaticinor moriens, nostri solatia leti.
Persequitur scelus ille suum: labefactaque tandem 774
Ictibus innumeris, adductaque funibus arbor
Corruit, et multam prostravit pondere sylvam.
Attonitæ Dryades damno nemorisque, suoque,
Omnes germanæ, Cererem cum vestibus atris
Mærentes adeunt, pœnamque Erysichthonis orant.
Annuit his: capitisque sui pulcherrima motu
Concussit gravidis oneratos messibus agros: 781
Moliturque genus pœnæ miserabile, si non
Ille suis esset nulli miserabilis actis,
Pestifera lacerare Fame. Quæ quatenus ipsi
Non adeunda deæ, (neque enim Cereremque Famemque 785
Fata coire sinunt) montani numinis unam
Talibus agrestem compellat Oreada dictis:
Est locus extremis Scythiæ glacialis in oris,
Triste solum, sterilis, sine fruge, sine arbore, tellus;
Frigus iners illic habitant, Pallorque, Tremorque,
Et jejuna Fames: ea se in præcordia condat 791
Sacrilegi scelerata jube: nec copia rerum
Vincat eam; superetque meas certamine vires.
Neve viæ spatium te terreat; accipe currus:
Accipe, quos frenis alte moderere, dracones. 795
Et dedit. Illa dato subvecta per aera curru
Devenit in Scythiam: rigidique cacumine montis
(Caucason appellant) serpentum colla levavit:
Quæsitamque Famem lapidoso vidit in agro,
Unguibus et raras vellentem dentibus herbas.
Hirtus erat crinis; cava lumina: pallor in ore:
Labra incana situ: scabri rubigine dentes:
Dura cutis, per quam spectari viscera possent:
Ossa sub incurvis exstabant arida lumbis:
Ventris erat pro ventre locus. Pendere putares
Pectus, et a spinæ tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumque rigebat
Orbis, et immodico prodibant tubere tali. [juxta
Hanc procul ut vidit, neque enim est accedere
Ausa, refert mandata deæ; paullumque morata,
Quanquam aberat longe, quanquam modo venerat illuc, 811
Visa tamen sensisse Famem; retroque dracones
Egit in Hæmoniam versis sublimis habenis.
Dicta Fames Cereris, quamvis contraria semper
Illius est operi, peragit; perque aera vento 815
Ad jussam delata domum est: et protinus intrat
Sacrilegi thalamos, altoque sopore solutum
(Noctis erat tempus) geminis amplectitur alis:
Seque viro inspirat, faucesque, et pectus, et ora
Afflat, et in vacuis spargit jejunia venis. 820
Functaque mandato fecundum deserit orbem
Inque domos inopes, assueta revertitur arva.
Lenis adhuc somnus placidis Erysichthona pennis
Mulcebat. Petit ille dapes sub imagine somni:
Oraque vana movet, dentemque in dente fatigat,
Exercetque cibo delusum guttur inani: 826
Proque epulis tenues nequicquam devorat auras.
Ut vero est expulsa quies; furit ardor edendi,
Perque avidas fauces, immensaque viscera regnat.
Nec mora: quod pontus, quod terra, quod educat aer, 830
Poscit; et appositis queritur jejunia mensis:
Inque epulis epulas quærit: quodque urbibus esse,

Quodque satis populo poterat, non sufficit uni.
Plusque cupit, quo plura suam demittit in alvum.
Utque fretum recipit de tota flumina terra, 835
Nec satiatur aquis, peregrinosque ebibit amnes;
Utque rapax ignis non unquam alimenta recusat,
Innumerasque trabes cremat, et, quo copia major
Est data, plura petit, turbaque voracior ipsa est:
Sic epulas omnes Erysichthonis ora profani 840
Accipiunt, poscuntque simul. Cibus omnis in illo
Causa cibi est: semperque locus fit inanis edendo.
Jamque fame patrias altique voragine ventris
Attenuarat opes: sed inattenuata manebas
Tum quoque, dira fames; implacatæque vigebat
Flamma gulæ. Tandem demisso in viscera censu, 846
Filia restabat, non illo digna parente.
Hanc quoque vendit inops. Dominum generosa recusat:
Et vicina suas tendens super æquora palmas,
Eripe me domino, qui raptæ præmia nobis 850
Virginitatis habes, ait: hæc Neptunus habebat:
Qui prece non spreta, quamvis modo visa sequenti
Esset hero, formamque novat, vultumque virilem
Induit, et cultus piscem capientibus aptos.
Hanc dominus spectans, O, qui pendentia parvo
Æra cibo celas, moderator arundinis, inquit, 856
Sic mare compositum, sic sit tibi piscis in unda
Credulus, et nullos, nisi fixus, sentiat hamos:
Quæ modo cum vili turbatis veste capillis
Littore in hoc steterat, (nam stantem in littore vidi) 860
Dic ubi sit: neque enim vestigia longius exstant.
Illa dei munus bene cedere sentit: et a se
Se quæri gaudens, his est resecuta rogantem:
Quisquis es, ignoscas; in nullam lumina partem
Gurgite ab hoc flexi; studioque operatus inhæsi. 865
Quoque minus dubites, sic has deus æquoris artes
Adjuvet, et nemo jamdudum littore in isto,
Me tamen excepto, nec fœmina constitit ulla.
Credidit, et verso dominus pede pressit arenam,
Elususque abiit. Illi sua reddita forma est. 870
Ast ubi habere suam transformia corpora sentit,
Sæpe pater dominis Triopeida vendit. At illa
Nunc equa, nunc ales, modo bos, modo cervus abibat:
Præbebatque avido non justa alimenta parenti.
Vis tamen illa mali postquam consumserat omnem 875
Materiam, dederatque gravi nova pabula morbo;
Ipse suos artus lacero divellere morsu
Cœpit, et infelix minuendo corpus alebat.
Quid moror externis? etiam mihi sæpe novandi
Corporis, o juvenes, numero finita potestas. 880
Nam modo, quod nunc sum, videor: modo flector in anguem:
Armenti modo dux vires in cornua sumo:
Cornua, dum potui: nunc pars caret altera telo
Frontis, ut ipse vides. Gemitus sunt verba secuti.

LIBER NONUS.

Quæ gemitus, truncæque deo Neptunius heros
Causa rogat frontis: cum sic Calydonius amnis
Cœpit, inornatos redimitus arundine crines:
Triste petis munus: quis enim sua prælia victus
Commemorare velit? referam tamen ordine. Nec tam 5
Turpe fuit vinci, quam contendisse decorum est:
Magnaque dat nobis tantus solatia victor.
Nomine si qua suo tandem pervenit ad aures
Deianira tuas; quondam pulcherrima virgo,
Multorumque fuit spes invidiosa procorum. 10
Cum quibus ut soceri domus est intrata petiti;
Accipe me generum, dixi, Parthaone nate.
Dixit et Alcides. Alii cessere duobus.
Ille Jovem socerum dare se, famamque laborum,
Et superata suæ referebat jussa novercæ. 15
Contra ego: turpe deum mortali cedere duxi:
(Nondum erat ille deus:) Regem me cernis aquarum
Cursibus obliquis inter tua regna fluentem.
Nec gener externis hospes tibi missus ab oris,
Sed popularis ero, et rerum pars una tuarum. 20
Tantum ne noceat, quod me nec regia Juno
Odit, et omnis abest jussorum pœna laborum.
Nam quod te jactas Alcmena matre creatum;
Jupiter aut falsus pater est, aut crimine verus.
Matris adulterio patrem petis. Elige, fictum 25
Esse Jovem malis, an te per dedecus ortum.
Talia dicentem jamdudum lumine torvo
Spectat, et accensæ non fortiter imperat iræ,
Verbaque tot reddit: Melior mihi dextera lingua.
Dummodo pugnando superem, tu vince loquendo.
Congrediturque ferox. Puduit modo magna locutum 31
Cedere. Rejeci viridem de corpore vestem,
Brachiaque opposui, tenuique a pectore varas
In statione manus; et pugnæ membra paravi.
Ille cavis hausto spargit me pulvere palmis, 35
Inque vicem fulvæ jactu flavescit arenæ.
Et modo cervicem, modo crura micantia captat,
Aut captare putes: omnique a parte lacessit.
Me mea defendit gravitas, frustraque petebar.
Haud secus ac moles, quam magno murmure fluctus 40
Oppugnat: manet illa, suoque est pondere tuta.
Digredimur paullum: rursumque ad bella coimus;
Inque gradu stetimus, certi non cedere: eratque
Cum pede pes junctus: totoque ego pectore pronus
Et digitos digitis, et frontem fronte premebam.
Non aliter fortes vidi concurrere tauros, 46
Cum pretium pugnæ, toto nitidissima saltu,
Expetitur conjux. Spectant armenta, paventque,
Nescia quem maneat tanti victoria regni.
Ter sine profectu voluit nitentia contra 50
Rejicere Alcides a se mea pectora; quarto
Exuit amplexus, adductaque brachia solvit:
Impulsumque manu (certum mihi vera fateri)
Protinus avertit, tergoque onerosus inhæsit.

Si qua fides (neque enim ficta mihi gloria voce 55
Quæritur) imposito pressus mihi monte videbar.
Vix tamen exserui sudore fluentia multo
Brachia; vix solvi duros a corpore nexus.
Instat anhelanti, prohibetque resumere vires:
Et cervice mea potitur. Tum denique tellus 60
Pressa genu nostro est, et arenas ore momordi.
Inferior virtute, meas devertor ad artes,
Elaborque viro, longum formatus in anguem.
Qui postquam flexos sinuavi corpus in orbes,
Cumque fero movi linguam stridore bisulcam;
Risit, et illudens nostras Tirynthius artes: 66
Cunarum labor est angues superare mearum,
Dixit: et, ut vincas alios, Acheloe, dracones,
Pars quota Lernææ serpens eris unus Echidnæ?
Vulneribus fecunda suis erat illa: nec ullum 70
De centum numero caput est impune recisum,
Quin gemino cervix herede valentior esset.
Hanc ego ramosam natis e cæde colubris,
Crescentemque malo, domui, domitamque peremi. 74
Quid fore te credas, falsum qui versus in anguem
Arma aliena moves; quem forma precaria celat?
Dixerat: et summo digitorum vincula collo
Injicit. Angebar, ceu guttura forcipe pressus:
Pollicibusque meas pugnabam evellere fauces.
Sic quoque devicto restabat tertia tauri 80
Forma trucis: tauro mutatus membra rebello.
Induit ille toris a læva parte lacertos,
Admissumque trahens sequitur: deprensaque dura
Cornua figit humo, meque alta sternit arena.
Nec satis id fuerat: rigidum fera dextera cornu 85
Dum tenet, infregit, truncaque a fronte revellit.
Naides hoc, pomis et odoro flore repletum,
Sacrarunt; divesque meo bona Copia cornu est.
Dixerat: at Nymphe, ritu succincta Dianæ,
Una ministrarum, fusis utrinque capillis, 90
Incessit, totumque tulit prædivite cornu
Autumnum, et mensas, felicia poma, secundas.
Lux subit: et, primo feriente cacumina sole,
Discedunt juvenes: neque enim dum flumina pacem,
Et placidos habeant lapsus, motæque residant, 95
Opperiuntur, aquæ. Vultus Achelous agrestes
Et lacerum cornu mediis caput abdidit undis.
Hunc tamen ablati domuit jactura decoris;
Cætera sospes erat. Capitis quoque fronde saligna
Aut superimposita celatur arundine damnum. 100
At te, Nesse ferox, ejusdem virginis ardor
Perdiderat, volucri trajectum terga sagitta.
Namque, nova repetens patrios cum conjuge muros
Venerat Eveni rapidas Jove natus ad undas.
Uberius solito nimbis hiemalibus auctus, 105
Vorticibusque frequens erat, atque impervius amnis.
Intrepidum pro se, curam de conjuge agentem
Nessus adit, membrisque valens, scitusque vadorum.
Officioque meo ripa sistetur in illa
Hæc, ait, Alcide: tu viribus utere nando. 110
Pallentemque metu, fluviumque, ipsumque timentem
Tradidit Aonius pavidam Calydonida Nesso.
Mox, ut erat, pharetraque gravis spolioque leonis,
(Nam clavam, et curvos trans ripam miserat arcus)
Quandoquidem cœpi, superentur flumina, dixit.
Nec dubitat; nec qua sit clementissimus amnis 116
Quærit: et obsequio deferri spernit aquarum.
Jamque tenens ripam, missos cum tolleret arcus,
Conjugis agnovit vocem: Nessoque parante
Fallere depositum, Quo te fiducia, clamat, 120
Vana pedum, violente, rapit? tibi, Nesse biformis,
Dicimus, exaudi: nec res intercipe nostras.
Si te nulla mei reverentia movit; at orbes
Concubitus vetitos poterant inhibere paterni.
Haud tamen effugies, quamvis ope fidis equina.
Vulnere, non pedibus te consequar. Ultima dicta 126
Re probat, et missa fugientia terga sagitta
Trajicit. Exstabat ferrum de pectore aduncum.
Quod simul evulsum est, sanguis per utrumque foramen
Emicuit, mixtus Lernæi tabe veneni. 130
Excipit hunc Nessus: Neque enim moriemur inulti,
Secum ait: et calido velamina tincta cruore
Dat munus raptæ, velut irritamen amoris.
Longa fuit medii mora temporis: actaque magni
Herculis implerant terras, odiumque novercæ.
Victor ab Œchalia Cenæo sacra parabat 136
Vota Jovi: cum Fama loquax præcessit ad aures,
Deianira, tuas, quæ veris addere falsa
Gaudet, et e minimo sua per mendacia crescit,
Amphitryoniaden Ioles ardore teneri. 140
Credit amans: Venerisque novæ perterrita fama
Indulsit primo lacrymis, flendoque dolorem
Diffudit miseranda suum: mox deinde, Quid autem
Flemus, ait? pellex lacrymis lætabitur istis:
Quæ quoniam adventat, properandum, aliquidque novandum est, 145
Dum licet, et nondum thalamos tenet altera nostros. [rerne?
Conquerar, an sileam? repetam Calydona, mo-
Excedam tectis? an, si nihil amplius, obstem?
Quid si, me, Meleagre, tuam memor esse sororem,
Forte paro facinus; quantumque injuria possit,
Fœmineusque dolor, jugulata pellice testor? 151
Incursus animus varios habet: omnibus illi
Prætulit imbutam Nesseo sanguine vestem
Mittere, quæ vires defecto reddat amori.
Ignaroque Lichæ, quid tradat nescia, luctus 155
Ipsa suos tradit: blandisque miserrima verbis,
Dona det illa viro, mandat. Capit inscius heros
Induiturque humeris Lernææ virus Echidnæ.
Thura dabat primis, et verba precantia, flammis,
Vinaque marmoreas patera fundebat in aras:
Incaluit vis illa mali, resolutaque flammis 161
Herculeos abiit late diffusa per artus.
Dum potuit, solita gemitum virtute repressit.
Victa malis postquam patientia, repulit aras,
Implevitque suis nemorosum vocibus Œten. 165
Nec mora; letiferam conatur scindere vestem:
Qua trahitur, trahit illa cutem; fœdumque relatu,
Aut hæret membris frustra tentata revelli;
Aut laceros artus, et grandia detegit ossa.
Ipse cruor, gelido ceu quondam lamina candens 170
Tincta lacu, stridit coquiturque ardente veneno.
Nec modus est: sorbent avidæ præcordia flammæ:

Cæruleusque fluit toto de corpore sudor:
Ambustique sonant nervi: cæcaque medullis
Tabe liquefactis, tendens ad sidera palmas, 175
Cladibus, exclamat, Saturnia, pascere nostris:
Pascere: et hanc pestem specta, crudelis, ab alto:
Corque ferum satia: vel si miserandus et hosti,
(Hostis enim tibi sum) diris cruciatibus ægram,
Invisamque animam, natamque laboribus, aufer.
Mors mihi munus erit: decet hæc dare dona novercam. 181
Ergo ego fœdantem peregrino templa cruore
Busirin domui? sævoque alimenta parentis
Antæo eripui? nec me pastoris Iberi
Forma triplex, nec forma triplex tua, Cerbere, movit? 185
Vosne, manus, validi pressistis cornua tauri?
Vestrum opus Elis habet, vestrum Stymphalides undæ,
Partheniumque nemus? vestra virtute relatus
Thermodontiaco cælatus balteus auro,
Pomaque ab insomni male custodita dracone?
Nec mihi Centauri potuere resistere, nec mi 191
Arcadiæ vestator aper? nec profuit Hydræ
Crescere per damnum, geminasque resumere vires?
Quid? cum Thracas equos humano sanguine pingues,
Plenaque corporibus laceris præsepia vidi, 195
Visaque dejeci, dominumque ipsosque peremi?
His elisa jacet moles Nemeæa lacertis?
Hac cœlum cervice tuli? defessa jubendo est
Sæva Jovis conjux: ego sum indefessus agendo.
Sed nova pestis adest, cui nec virtute resisti,
Nec telis armisve potest. Pulmonibus errat 201
Ignis edax imis, perque omnes pascitur artus.
At valet Eurystheus: et sunt, qui credere possint
Esse deos? Dixit: perque altum saucius Œten
Haud aliter graditur, quam si venabula tigris 205
Corpore fixa gerat, factique refugerit auctor.
Sæpe illum gemitus edentem, sæpe frementem,
Sæpe retentantem totas refringere vestes,
Sternentemque trabes, irascentemque videres
Montibus, aut patrio tendentem brachia cœlo. 210
Ecce Lichan trepidum, et latitantem rupe cavata
Adspicit: utque dolor rabiem collegerat omnem,
Tune, Licha, dixit, feralia dona tulisti? [que
Tune meæ necis auctor eris? tremit ille, pavet-
Pallidus, et timide verba excusantia dicit. 215
Dicentem, genibusque manus adhibere parantem,
Corripit Alcides; et terque quaterque rotatum
Mittit in Euboicas tormento fortius undas.
Ille per aerias pendens induruit auras:
Utque ferunt imbres gelidis concrescere ventis; 220
Inde nives fieri; nivibus quoque molle rotatis
Adstringi, et spissa glomerari grandine corpus;
Sic illum validis actum per inane lacertis,
Exsanguemque metu, nec quicquam humoris habentem,
In rigidas versum silices prior edidit ætas. 225
Nunc quoque in Euboico scopulus brevis emicat alte
Gurgite, et humanæ servat vestigia formæ:
Quem, quasi sensurum, nautæ calcare verentur;
Appellantque Lichan. At tu, Jovis inclyta proles,
Arboribus cæsis, quas ardua gesserat Œte, 230
Inque pyram structis, arcus, pharetramque capacem,
Regnaque visuras iterum Trojana sagittas,
Ferre jubes Pœante satum: quo flamma ministro [agger,
Subita; dumque avidis comprenditur ignibus
Congeriem sylvæ Nemeæo vellere summam 235
Sternis, et imposita clavæ cervice recumbis;
Haud alio vultu, quam si conviva jaceres
Inter plena meri redimitus pocula sertis.
Jamque valens, et in omne latus diffusa sonabat,
Securosque artus, contemtoremque petebat 240
Flamma suum. Timuere dei pro vindice terræ.
Quos ita (sensit enim) læto Saturnius ore
Jupiter alloquitur: Nostra est timor iste voluptas,
O superi: totoque libens mihi pectore grator,
Quod memoris populi dicor rectorque paterque, 245
Et mea progenies vestro quoque tuta favore est.
Nam quanquam ipsius datur hoc immanibus actis,
Obligor ipse tamen. Sed enim, ne pectora vano
Fida metu paveant, Œtæas spernite flammas.
Omnia qui vicit, vincet, quos cernitis, ignes: 250
Nec nisi materna Vulcanum parte potentem
Sentiet. Æternum est, a me quod traxit, et expers
Atque immune necis, nullaque domabile flamma.
Idque ego defunctum terra cœlestibus oris
Accipiam, cunctisque meum lætabile factum 255
Dis fore confido. Si quis tamen Hercule, si quis
Forte deo doliturus erit, data præmia nolet:
Sed meruisse dari sciet, invitusque probabit.
Assensere dei: conjux quoque regia visa est
Cætera non duro, duro tamen ultima vultu 260
Dicta tulisse Jovis, seque indoluisse notatam.
Interea, quodcunque fuit populabile flammæ,
Mulciber abstulerat; nec cognoscenda remansit
Herculis effigies; nec quicquam ab imagine ductum 264
Matris habet, tantumque Jovis vestigia servat.
Utque novus serpens, posita cum pelle senecta,
Luxuriare solet, squamaque virere recenti;
Sic, ubi mortales Tirynthius exuit artus,
Parte sui meliore viget, majorque videri
Cœpit, et augusta fieri gravitate verendus. 270
Quem pater omnipotens, inter cava nubila raptum,
Quadrijugo curru radiantibus intulit astris.
Sensit Atlas pondus. Neque adhuc Stheneleius iras [num
Solverat Eurystheus; odiumque in prole pater-
Exercebat atrox. At longis anxia curis 275
Argolis Alcmene, questus ubi ponat aniles,
Cui referat nati testatos orbe labores,
Cuive suos casus, Iolen habet. Herculis illam
Imperiis, thalamoque animoque receperat Hyllus, 279
Impleratque uterum generoso germine. Cui sic
Incipit Alcmene: Faveant tibi numina saltem,
Corripiantque moras, tum cum matura vocabis
Præpositam timidis parientibus Ilithyiam;
Quam mihi difficilem Junonis gratia fecit.
Namque laboriferi cum jam natalis adesset 285
Herculis, et decimum premeretur sidere signum:
Tendebat gravitas uterum mihi: quodque ferebam,
Tantum erat, ut posses auctorem dicere tecti
Ponderis esse Jovem. Nec jam tolerare labores
Ulterius poteram: quin nunc quoque frigidus artus, 290

Dum loquor, horror habet; parsque est meminisse doloris.
Septem ego per noctes, totidem cruciata diebus,
Fessa malis, tendensque ad cœlum brachia, magno
Lucinam, Nixosque pares, clamore vocabam.
Illa quidem venit, sed præcorrupta, meumque
Quæ donare caput Junoni vellet iniquæ. 296
Utque meos audit gemitus; subsedit in illa
Ante fores ara, dextroque a poplite lævum
Pressa genu, digitis inter se pectine junctis,
Sustinuit partus. Tacita quoque carmina voce
Dixit: et inceptos tenuerunt carmina partus. 301
Nitor, et ingrato facio convicia demens
Vana Jovi: cupioque mori: moturaque duras
Verba queror silices. Matres Cadmeides adsunt,
Votaque suscipiunt, exhortanturque dolentem.
Una ministrarum, media de plebe, Galanthis, 306
Flava comas, aderat, faciendis strenua jussis,
Officiis dilecta suis. Ea sensit iniqua
Nescio quid Junone geri: dumque exit, et intrat
Sæpe fores, divam residentem vidit in ara, 310
Brachiaque in genibus digitis connexa tenentem: [est
Et, Quæcunque es, ait, dominæ gratare; levata
Argolis Alcmene, potiturque puerpera voto
Exsiluit, junctasque manus pavefacta remisit
Diva potens uteri. Vinclis levor ipsa remissis.
Numine decepto risisse Galanthida fama est. 316
Ridentem, prensamque ipsis dea sæva capillis
Traxit, et e terra corpus relevare volentem
Arcuit: inque pedes mutavit brachia primos.
Strenuitas antiqua manet: nec terga colorem 320
Amisere suum: forma est diversa priori.
Quæ, quia mendaci parientem juverat ore,
Ore parit: nostrasque domos, ut et ante, frequentat.
Dixit: et admonitu veteris commota ministræ
Ingemuit; quam sic nurus est affata dolentem:
Te tamen, o genetrix, aliænæ sanguine vestro 326
Rapta movet facies. Quid si tibi mira sororis
Fata meæ referam? quamquam lacrymæque dolorque [matri
Impediunt, prohibentque loqui. Fuit unica
(Me pater ex alia genuit) notissima forma 330
Œchalidum Dryope: quam virginitate carentem,
Vimque dei passam Delphos Delonque tenentis,
Excipit Andræmon; et habetur conjuge felix.
Est lacus, acclivi devexo margine formam
Littoris efficiens: summum myrteta coronant.
Venerat huc Dryope fatorum nescia; quoque 336
Indignere magis, Nymphis latura coronas. [num,
Inque sinu puerum, qui nondum impleverat an-
Dulce ferebat onus, tepidique ope lactis alebat.
Haud procul a stagno, Tyrios imitata colores,
In spem baccarum florebat aquatica lotos. 341
Carpserat hinc Dryope, quos oblectamina nato
Porrigeret, flores: et idem factura videbar;
Namque aderam. Vidi guttas e flore cruentas
Decidere, et tremulo ramos horrore moveri. 345
Scilicet, ut referunt tardi nunc denique agrestes,
Lotis in hanc Nymphe, fugiens obscæna Priapi,
Contulerat versos, servato nomine, vultus.
Nescierat soror hoc; quæ cum perterrita retro
Ire, et adoratis vellet discedere Nymphis; 350
Hæserunt radice pedes. Convellere pugnat:
Nec quicquam, nisi summa, movet. Succrescit ab imo,
Totaque paulatim lentus premit inguina cortex.
Ut vidit; conata manu laniare capillos,
Fronde manum implevit: frondes caput omne tenebant. 355
At puer Amphissos, namque hoc avus Eurytus illi
Addiderat nomen, materna rigescere sentit
Ubera: nec sequitur ducentem lacteus humor.
Spectatrix aderam fati crudelis, opemque
Non poteram tibi ferre, soror: quantumque valebam, 360
Crescentem truncum, ramosque amplexa morabar,
Et, fateor, volui sub eodem cortice condi.
Ecce vir Andræmon, genitorque miserrimus, adsunt, [illis
Et quærunt Dryopen: Dryopen quærentibus
Ostendi loton. Tepido dant oscula ligno, 365
Affusique suæ radicibus arboris hærent.
Nil, nisi jam faciem, quod non foret arbor, habebas,
Cara soror. Lacrymæ misero de corpore factis
Irrorant foliis: ac dum licet, oraque præstant
Vocis iter, tales effundit in aera questus: 370
Si qua fides miseris, hoc me per numina juro
Non meruisse nefas: patior sine crimine pœnam.
Viximus innocuæ; si mentior, arida perdam,
Quas habeo, frondes, et cæsa securibus urar.
Hunc tamen infantem maternis demite ramis, 375
Et date nutrici: nostraque sub arbore sæpe
Lac facitote bibat, nostraque sub arbore ludat.
Cumque loqui poterit, matrem facitote salutet;
Et tristis dicat, Latet hoc sub stipite mater.
Stagna tamen timeat; nec carpat ab arbore flores: 380
Et frutices omnes corpus putet esse dearum.
Care vale conjux, et tu germana, paterque:
Quîs si qua est pietas, ab acutæ vulnere falcis,
A pecoris morsu frondes defendite nostras.
Et quoniam mihi fas ad vos incumbere non est,
Erigite huc artus, et ad oscula nostra venite, 386
Dum tangi possum, parvumque attollite natum.
Plura loqui nequeo: nam jam per candida mollis
Colla liber serpit, summoque cacumine condor.
Ex oculis removete manus. Sine munere vestro
Contegat inductus morientia lumina cortex. 391
Desierant simul ora loqui, simul esse: diuque
Corpore mutato rami caluere recentes.
Dumque refert Iole fatum miserabile, dumque
Eurytidos lacrymas admoto pollice siccat 395
Alcmene, flet et ipsa tamen: compescuit omnem
Res nova tristitiam. Nam limine constitit alto
Pæne puer, dubiaque tegens lanugine malas
Ora reformatus primos Iolaus in annos.
Hoc illi dederat Junonia muneris Hebe, 400
Victa viri precibus. Quæ cum jurare pararet
Dona tributuram posthac se talia nulli;
Non est passa Themis. Nam jam discordia Thebæ [vinci
Bella movent, dixit: Capaneusque nisi ab Jove
Haud poterit: ibuntque pares in vulnera fratres:
Subductaque suos manes tellure videbit 406
Vivus adhuc vates: ultusque parente parentem
Natus erit facto pius et sceleratus eodem;
Attonitusque malis, exul mentisque domusque,
Vultibus Eumenidum, matrisque agitabitur umbris; 410
Donec eum conjux fatale poposcerit aurum,
Cognatumque latus Phegeius hauserit ensis,
Tum demum magno petet hos Acheloia supplex
Ab Jove Callirhoe natis infantibus annos.
Jupiter his motus, privignæ dona nurusque 415

Præcipiet, facietque viros impubibus annis.
Hæc ubi faticano venturi præscia dixit
Ore Themis; vario superi sermone fremebant:
Et, cur non aliis eadem dare dona liceret,
Murmur erat. Queritur veteres Pallantias annos
Conjugis esse sui: queritur canescere mitis 421
Iasiona Ceres: repetitum Mulciber ævum
Poscit Erichthonio. Venerem quoque cura futuri
Tangit, et Anchisæ renovare paciscitur annos.
Cui studeat, deus omnis habet, crescitque favore
Turbida seditio; donec sua Jupiter ora 426
Solvit: et, O, nostri si qua est reverentia, dixit,
Quo ruitis? tantumne sibi quis posse videtur,
Fata quoque ut superet? fatis Iolaus in annos,
Quos egit, rediit: fatis juvenescere debent 430
Callirhoe geniti; non ambitione, nec armis.
Vos etiam, quoque hoc animo meliore feratis,
Me quoque fata regunt: quæ si mutare valerem,
Nec nostrum seri curvarent Æacon anni,
Perpetuumque ævi florem Rhadamanthus haberet, 435
Cum Minoe meo: qui propter amara senectæ
Pondera despicitur, nec, quo prius, ordine regnat.
Dicta Jovis movere deos: nec sustinet ullus,
Cum videant fessos Rhadamanthon et Æacon annis
Et Minoa queri. Qui, dum fuit integer ævi, 440
Terruerat magnas ipso quoque numine gentes.
Tunc erat invalidus; Deionidenque juventæ
Robore Miletum, Phœboque parente superbum,
Pertimuit; credensque suis insurgere regnis,
Haud tamen est patriis arcere penatibus ausus.
Sponte fugis, Milete, tua; celerique carina 446
Ægæas metiris aquas, et in Aside terra
Mœnia constituis, positoris habentia nomen.
Hic tibi, dum sequitur patriæ curvamina ripæ,
Filia Mæandri toties redeuntis eodem, 450
Cognita Cyanee, præstanti corpora forma
Byblida cum Cauno prolem est enixa gemellam.
Byblis in exemplo est, ut ament concessa puellæ:
Byblis Apollinei correpta cupidine fratris,
Non soror ut fratrem, nec qua debebat, amavit.
Illa quidem primo nullos intelligit ignes: 456
Nec peccare putat, quod sæpius oscula jungat:
Quod sua fraterno circumdet brachia collo:
Mendacique diu pietatis fallitur umbra.
Paulatim declinat amor; visuraque fratrem 460
Culta venit; nimiumque cupit formosa videri:
Et, si qua est illic formosior, invidet illi.
Sed nondum manifesta sibi est, nullumque sub illo
Igne facit votum: verumtamen æstuat intus.
Jam dominum appellat: jam nomina sanguinis odit: 465
Byblida jam mavult, quam se vocet ille sororem.
Spes tamen obscænas animo demittere non est
Ausa suo vigilans. Placida resoluta quiete
Sæpe videt, quod amat. Visa est quoque jungere fratri
Corpus; et erubuit, quamvis sopita jacebat. 470
Somnus abit: silet illa diu, repetitque quietis
Ipsa suæ speciem; dubiaque ita mente profatur:
Me miseram! tacitæ quid vult sibi noctis imago?
Quam nolim rata sit! cur hæc ego somnia vidi?
Ille quidem est oculis quamvis formosus iniquis:
Et placet, et possum, si non sit frater, amare:
Et me dignus erat. Verum nocet esse sororem.
Dummodo tale nihil vigilans committere tentem,
Sæpe licet simili redeat sub imagine somnus.
Testis abest somno; nec abest imitata voluptas.
Pro Venus, et tenera volucer cum matre Cupido, 481
Gaudia quanta tuli! quam me manifesta libido
Contigit! ut jacui totis resoluta medullis!
Ut meminisse juvat! quamvis brevis illa voluptas,
Noxque fuit præceps, et cœptis invida nostris.
O, ego, si liceat mutato nomine jungi, 486
Quam bene, Caune, tuo poteram nurus esse parenti; [renti!
Quam bene, Caune, meo poteras gener esse pa-
Omnia, di facerent, essent communia nobis,
Præter avos. Tu me vellem generosior esses.
Nescio quam facies igitur, pulcherrime, matrem:
At mihi, quæ male sum, quos tu, sortita parentes,
Nil nisi frater eris. Quod obest, id habebimus unum. [tem
Quid mihi significant ergo mea visa? quod au-
Somnia pondus habent? an habent et somnia pondus? 495
Di melius! di nempe suas habuere sorores.
Sic Saturnus Opim, junctam sibi sanguine, duxit,
Oceanus Tethyn, Junonem rector Olympi.
Sunt superis sua jura. Quid ad cœlestia ritus
Exigere humanos, diversaque fœdera tento? 500
Aut nostro vetitus de corde fugabitur ardor:
Aut, hoc si nequeo, peream precor ante, toroque
Mortua componar, positæque det oscula frater.
Et tamen arbitrium quærit res ista duorum.
Finge placere mihi: scelus esse videbitur illi.
At non Æolidæ thalamos timuere sororum.
Unde sed hos novi? cur hæc exempla paravi?
Quo feror? obscænæ procul hinc discedite flammæ:
Nec, nisi qua fas est germanæ, frater ametur.
Si tamen ipse mei captus prior esset amore, 510
Forsitan illius possem indulgere furori.
Ergo ego, quem fueram non rejectura petentem,
Ipsa petam? poterisne loqui? poterisne fateri?
Coget amor; potero. Vel, si pudor ora tenebit,
Litera celatos arcana fatebitur ignes. 515
Hæc placet, hæc dubiam vincit sententia mentem.
In latus erigitur; cubitoque innixa sinistro,
Viderit: insanos, inquit, fateamur amores.
Heu mihi! quo labor? quem mens mea concipit ignem?
Et meditata manu componit verba trementi. 520
Dextra tenet ferrum: vacuam tenet altera ceram.
Incipit; et dubitat: scribit; damnatque tabellas:
Et notat; et delet: mutat; culpatque, probatque:
Inque vicem sumtas ponit, positasque resumit.
Quid velit, ignorat: quicquid factura videtur,
Displicet. In vultu est audacia mixta pudori.
Scripta soror fuerat: visum est delere sororem,
Verbaque correctis incidere talia ceris:
Quam, nisi tu dederis, non est habitura salutem,
Hanc tibi mittit amans: pudet ah, pudet edere nomen. 530
Et si, quid cupiam, quæris; sine nomine vellem
Posset agi mea causa meo: nec cognita Byblis
Ante forem, quam spes votorum certa fuisset.
Esse quidem læsi poterant tibi pectoris index,
Et color, et macies, et vultus, humida sæpe 535
Lumina, nec causa suspiria mota patenti;
Et crebri amplexus, et quæ, si forte notasti,
Oscula sentiri non esse sororia possent.
Ipsa tamen, quamvis animo grave vulnus habebam,

Quamvis intus erat furor igneus, omnia feci, 540
(Sunt mihi di testes) ut tandem sanior essem:
Pugnavique diu violenta Cupidinis arma
Effugere infelix; et plus, quam ferre puellam
Posse putes, ego dura tuli. Superata fateri
Cogor, opemque tuam timidis exposcere votis.
Tu servare potes, tu perdere solus amantem.
Elige, utrum facias. Non hoc inimica precatur:
Sed quæ, cum tibi sit junctissima, junctior esse
Expetit, et vinclo tecum propiore ligari. 549
Jura senes norint: et quid liceatque, nefasque,
Fasque sit, inquirant, legumque examina sernent:
Conveniens Venus est annis temeraria nostris.
Quid liceat, nescimus adhuc: et cuncta licere
Credimus: et sequimur magnorum exempla deorum. 554
Nec nos aut durus pater, aut reverentia famæ,
Aut timor impedient; tantum absit causa timendi.
Dulcia fraterno sub nomine furta tegemus.
Est mihi libertas tecum secreta loquendi:
Et damus amplexus, et jungimus oscula coram.
Quantum est, quod desit? miserere fatentis amorem, 560
Et non fassuræ, nisi cogeret ultimus ardor:
Neve merere, meo subscribi causa sepulcro.
Talia nequicquam perarantem plena reliquit
Cera manum: summusque in margine versus adhæsit. 564
Protinus impressa signat sua crimina gemma,
Quam tinxit lacrymis: linguam defecerat humor.
Deque suis unum famulis pudibunda vocavit:
Et pavidum blandita, fer has, fidissime, nostro.
Dixit, et adjecit longo post tempore, fratri. 569
Cum daret, elapsæ manibus cecidere tabellæ.
Omine turbata est: misit tamen. Apta minister
Tempora nactus adit, traditque latentia verba.
Attonitus subita juvenis Mæandrius ira,
Projicit acceptas, lecta sibi parte, tabellas:
Vixque manus retinens trepidantis ab ore ministri, 575
Dum licet, o vetitæ scelerate libidinis auctor,
Effuge, ait: qui, si nostrum tua fata pudorem
Non traherent secum, pœnas mihi morte dedisses.
Ille fugit pavidus, dominæque ferocia Cauni
Dicta refert. Palles audita, Bybli, repulsa, 580
Et pavet obsessum glaciali frigore pectus.
Mens tamen ut rediit, pariter rediere furores:
Linguaque vix tales icto dedit aere voces:
Et merito: quid enim temeraria vulneris hujus
Indicium feci? quid, quæ celanda fuerunt, 585
Tam cito commisi properatis verba tabellis?
Ante erat ambiguis animi sententia dictis
Prætentanda mihi. Ne non sequeretur euntem,
Parte aliqua veli, qualis foret aura, notare
Debueram, tutoque mari decurrere: quæ nunc
Non exploratis implevi lintea ventis. 591
Auferor in scopulos igitur, submersaque toto
Obruor Oceano, neque habent mea vela recursus.
Quid? quod et ominibus certis prohibebar amori
Indulgere meo, tum cum mihi ferre jubenti 595
Excidit, et fecit spes nostras cera caducas?
Nonne vel illa dies fuerat, vel tota voluntas,
Sed potius mutanda dies? deus ipse monebat,
Signaque certa dabat, si non male sana fuissem.
Et tamen ipsa loqui, nec me committere ceræ
Debueram, præsensque meos aperire furores.
Vidisset lacrymas: vultus vidisset amantis. 602
Plura loqui poteram, quam quæ cepere tabellæ.
Invito potui circumdare brachia collo:
Amplectique pedes, affusaque poscere vitam:
Et, si rejicerer, potui moritura videri. 606
Omnia fecissem; quorum si singula duram [tem.
Flectere non poterant, potuissent omnia, men-
Forsitan et missi sit quædam culpa ministri.
Non adiit apte: non legit idonea, credo, 610
Tempora: nec petiit horamque animumque vacantem. [tus,
Hæc nocuere mihi. Neque enim de tigride na-
Nec rigidas silices, solidumve in pectore ferrum,
Aut adamanta gerit: nec lac bibit ille leænæ.
Vincetur. Repetendus erit: nec tædia cœpti
Ulla mei capiam, dum spiritus iste manebit.
Nam primum, si facta mihi revocare liceret,
Non cœpisse fuit: cœpta expugnare secundum est. [quam,
Quippe nec ille potest, ut jam mea vota relin-
Non tamen ausorum semper memor esse meorum.
Et, quia desierim, leviter voluisse videbor: 621
Aut etiam tentasse illum, insidiisque petisse.
Vel certe non hoc, qui plurimus ussit et urit
Pectora nostra, deo, sed victa libidine credar.
Denique jam nequeo nil commisisse nefandum.
Et scripsi, et petii: temerata est nostra voluntas.
Ut nihil adjiciam, non possum innoxia dici. 627
Quod superest, multum est in vota, in crimina parvum.
Dixit: et, incertæ tanta est discordia mentis,
Cum pigeat tentasse, libet tentare: modumque
Exit, et infelix committit sæpe repelli. 631
Mox ubi finis abest; patriam fugit ille, nefasque,
Inque peregrina ponit nova mœnia terra.
Tum vero mæstam tota Miletida mente
Defecisse ferunt: tum vero a pectore vestem
Deripuit, planxitque suos furibunda lacertos.
Jamque palam est demens, inconcessamque fatetur [nates
Spem Veneris, sine qua patriam, invisosque pe-
Deserit, et profugi sequitur vestigia fratris.
Utque tuo motæ, proles Semeleia, thyrso 640
Ismariæ celebrant repetita triennia Bacchæ;
Byblida non aliter latos ululasse per agros
Bubasides videre nurus: quibus illa relictis
Caras, et armiferos Lelegas, Lyciamque pererrat.
Jam Cragon, et Lymiren, Xanthique reliquerat undas, 645
Quoque Chimæra jugo mediis in partibus ignem,
Pectus et ora leæ, caudam serpentis habebat.
Deficiunt sylvæ: cum tu lassata sequendo
Procidis et dura positis tellure capillis, 649
Bybli, taces, frondesque tuo premis ore caducas.
Sæpe etiam Nymphæ teneris Lelegeides ulnis
Tollere conantur: sæpe, ut moderetur amori,
Præcipiunt, surdæque adhibent solatia menti.
Muta jacet, viridesque suis terit unguibus herbas
Byblis, et humectat lacrymarum gramina rivo.
Naidas his venam, quæ nunquam arescere posset,
Supposuisse ferunt: quid enim dare majus habebant?
Protinus, ut secto piceæ de cortice guttæ,
Utve tenax gravida manat tellure bitumen;
Utve sub adventum spirantis lene Favoni 660
Sole remollescit, quæ frigore constitit unda;
Sic lacrymis consumta suis Phœbeia Byblis
Vertitur in fontem, qui nunc quoque vallibus illis
Nomen habet dominæ, nigraque sub ilice manat.
Fama novi centum Cretæas forsitan urbes 665
Implesset monstri; si non miracula nuper
Iphide mutata Crete propiora tulisset.

Proxima Gnossiaco nam quondam Phæstia regno
Progenuit tellus, ignoto nomine Lygdum,
Ingenua de plebe virum: nec census in illo 670
Nobilitate sua major: sed vita fidesque
Inculpata fuit: gravidæ qui conjugis aures
Vocibus his movit, cum jam prope partus adesset: [bore;
Quæ voveam duo sunt: minimo ut relevere la-
Utque marem parias. Onerosior altera sors est:
Et vires fortuna negat. Quod abominor, ergo
Edita forte tuo fuerit si fœmina partu; 677
(Invitus mando: Pietas, ignosce) necetur.
Dixerat: et lacrymis vultum lavere profusis,
Tam qui mandabat, quam cui mandata dabantur.
Sed tamen usque suum vanis Telethusa maritum
Sollicitat precibus, ne spem sibi ponat in arcto.
Certa sua est Lygdo sententia. Jamque ferendo
Vix erat illa gravem maturo pondere ventrem;
Cum medio noctis spatio, sub imagine somni,
Inachis ante torum, pompa comitata suorum,
Aut stetit, aut visa est. Inerant lunaria fronti
Cornua, cum spicis nitido flaventibus auro, 688
Et regale decus; cum qua latrator Anubis,
Sanctaque Bubastis, variusque coloribus Apis:
Quique premit vocem, digitoque silentia suadet:
Sistraque erant, nunquamque satis quæsitus Osiris,
Plenaque somniferi serpens peregrina veneni.
Cum velut excussam somno, et manifesta videntem 694
Sic affata dea est: Pars o Telethusa mearum,
Pone graves curas, mandataque falle mariti.
Nec dubita, cum te partu Lucina levarit,
Tollere quicquid erit. Dea sum auxiliaris, opemque
Exorata fero: nec te coluisse quereris 699
Ingratum numen. Monuit, thalamoque recessit.
Læta toro surgit, purasque ad sidera supplex
Cressa manus tollens, rata sint sua visa precatur.
Ut dolor increvit, seque ipsum pondus in auras
Expulit, et nata est ignaro fœmina patri;
Jussit ali mater, puerum mentita: fidemque 705
Res habuit: neque erat facti, nisi, conscia, nutrix.
Vota pater solvit, nomenque imponit avitum.
Iphis avus fuerat. Gavisa est nomine mater,
Quod commune foret, nec quenquam falleret illo.
Impercepta pia mendacia fraude latebant. 710
Cultus erat pueri: facies, quam sive puellæ,
Sive dares puero, fieret formosus uterque.
Tertius interea decimo successerat annus;
Cum pater, Iphi, tibi flavam despondet Ianthen,
Inter Phæstiadas quæ laudatissima formæ 715
Dote fuit virgo, Dictæo nata Teleste.
Par ætas, par forma fuit: primasque magistris
Accepere artes, elementa ætatis, ab îsdem.
Hinc amor ambarum tetigit rude pectus, et æquum
Vulnus utrique tulit; sed erat fiducia dispar.
Conjugii pactæque exspectat tempora tædæ, 721
Quamque virum putat esse, suum fore credit Ianthe.
Iphis amat, qua posse frui desperat, et auget
Hoc ipsum flammas: ardetque in virgine virgo.
Vixque tenens lacrymas, Quis me manet exitus, inquit, 725
Cognita quam nulli, quam prodigiosa, novæque
Cura tenet Veneris? Si di mihi parcere vellent,
Perdere debuerant: si non et perdere vellent,
Naturale malum saltem et de more dedissent.
Nec vaccam vaccæ, nec equas amor urit equarum. 730
Urit oves aries: sequitur sua fœmina cervum.
Sic et aves coeunt: interque animalia cuncta
Fœmina fœmineo correpta cupidine nulla est.
Vellem nulla forem. Ne non tamen omnia Crete
Monstra ferat; taurum dilexit filia Solis, 735
Fœmina nempe marem. Meus est furiosior illo,
Si verum profitemur, amor. Tamen illa secuta est
Spem Veneris: tamen illa dolis et imagine vaccæ
Passa bovem est: et erat, qui deciperetur, adulter.
Huc licet e toto solertia confluat orbe, 740
Ipse licet revolet ceratis Dædalus alis;
Quid faciet? num me puerum de virgine doctis
Artibus, efficiet? num te mutabit, Ianthe?
Quin animum firmas, teque ipsa recolligis, Iphi,
Consiliique inopes et stultos excutis ignes? 745
Quid sis nata vide: nisi te quoque decipis ipsam;
Et pete quod fas est: et ama, quod fœmina debes.
Spes est, quæ capiat, spes est quæ pascat amorem.
Hanc tibi res adimit: non te custodia caro
Arcet ab amplexu, nec cauti cura mariti, 750
Non patris asperitas, non se negat ipsa roganti.
Nec tamen est potiunda tibi: nec, ut omnia fiant,
Esse potes felix; ut dique hominesque laborent,
Nunc quoque votorum pars una est vana meorum:
Dique mihi faciles, quicquid valuere, dederunt;
Quodque ego, vult genitor, vult ipsa, socerque futurus:
At non vult natura, potentior omnibus istis;
Quæ mihi sola nocet. Venit ecce optabile tempus,
Luxque jugalis adest: ut jam mea fiat Ianthe;
Nec mihi continget: mediis sitiemus in undis. 760
Pronuba quid Juno, quid ad hæc, Hymenæe, venitis
Sacra; quibus qui ducat abest, ubi nubimus ambæ?
Pressit ab his vocem. Nec lenius altera virgo
Æstuat: utque celer venias, Hymenæe, precatur.
Quod petit hæc, Telethusa timens, modo tempora differt, 765
Nunc ficto languore moram trahit. Omina sæpe,
Visaque causatur. Sed jam consumserat omnem
Materiam ficti: dilataque tempora tædæ
Institerant, unusque dies restabat: at illa
Crinalem capiti vittam natæque sibique 770
Detrahit: et passis aram complexa capillis,
Isi, Parætonium, Mareoticaque arva, Pharonque
Quæ colis, et septem digestum in cornua Nilum;
Fer, precor, inquit, opem, nostroque medere timori. 774
Te, dea, te quondam, tuaque hæc insignia vidi,
Cunctaque cognovi, comitesque, facesque, sonumque
Sistrorum, memorique animo tua jussa notavi.
Quod videt hæc lucem, quod non ego punior ipsa,
Consilium, monitumque tuum est. Miserere duarum, 779
Auxilioque juva. Lacrymæ sunt verba secutæ.
Visa dea est movisse suas (et moverat) aras:
Et templi tremuere fores, imitataque Lunam
Cornua fulserunt, crepuitque sonabile sistrum.
Non secura quidem, fausto tamen omine læta
Mater abit templo. Sequitur comes Iphis euntem, 785
Quam solita est, majore gradu: nec candor in ore
Permanet: et vires augentur: et acrior ipse est

Vultus: et incomtis brevior mensura capillis:
Plusque vigoris adest, habuit quam fœmina. Jam, quæ
Fœmina nuper eras, puer es. Date munera templis: 790
Nec timida gaudete fide. Dant munera templis:
Addunt et titulum: titulus breve carmen habebat:
Dona puer solvit, quæ fœmina voverat, Iphis.
Postera lux radiis latum patefecerat orbem;
Cum Venus, et Juno, sociosque Hymenæus ad ignes 795
Conveniunt: potiturque sua puer Iphis Ianthe.

LIBER DECIMUS.

Inde per immensum croceo velatus amictu
Aera digreditur, Ciconumque Hymenæus ad oras
Tendit; et Orphea nequicquam voce vocatur.
Affuit ille quidem: sed nec solennia verba,
Nec lætos vultus, nec felix attulit omen. 5
Fax quoque, quam tenuit, lacrymoso stridula fumo
Usque fuit, nullosque invenit motibus ignes.
Exitus auspicio gravior: nam nupta per herbas
Dum nova Naiadum turba comitata vagatur,
Occidit, in talum serpentis dente recepto. 10
Quam satis ad superas postquam Rhodopeius auras
Deflevit vates; ne non tentaret et umbras,
Ad Styga Tænaria est ausus descendere porta:
Perque leves populos, simulacraque functa sepulcris, 14
Persephonen adiit, inamœnaque regna tenentem
Umbrarum dominum: pulsisque ad carmina nervis
Sic ait: O positi sub terra numina mundi,
In quem recidimus, quicquid mortale creamur;
Si licet, et falsi positis ambagibus oris
Vera loqui sinitis; non huc, ut opaca viderem
Tartara, descendi; nec uti villosa colubris 21
Terna Medusæi vincirem guttura monstri.
Causa viæ conjux, in quam calcata venenum
Vipera diffudit, crescentesque abstulit annos.
Posse pati volui: nec me tentasse negabo. 25
Vicit Amor: supera deus hic bene notus in ora est:
An sit et hic, dubito: sed et hic tamen auguror esse.
Famaque si veterem non est mentita rapinam,
Vos quoque junxit Amor. Per ego hæc loca plena timoris, 29
Per Chaos hoc ingens, vastique silentia regni,
Eurydices, oro, properata retexite fila.
Omnia debemur vobis: paullumque morati,
Serius aut citius sedem properamus ad unam.
Tendimus huc omnes: hæc est domus ultima: vosque
Humani generis longissima regna tenetis. 35
Hæc quoque, cum justos matura peregerit annos,
Juris erit vestri. Pro munere poscimus usum.
Quod si fata negant veniam pro conjuge, certum est
Nolle redire mihi. Leto gaudete duorum. 39
Talia dicentem, nervosque ad verba moventem,
Exsangues flebant animæ: nec Tantalus undam
Captavit refugam; stupuitque Ixionis orbis:
Nec carpsere jecur volucres: urnisque vacarunt
Belides: inque tuo sedisti, Sisyphe, saxo. 44
Tum primum lacrymis victarum carmine fama est
Eumenidum maduisse genas: nec regia conjux
Sustinet oranti, nec qui regit ima, negare:
Eurydicenque vocant. Umbras erat illa recentes
Inter: et incessit passu de vulnere tardo.
Hanc simul, et legem Rhodopeius accipit heros,
Ne flectat retro sua lumina, donec Avernas 51
Exierit valles: aut irrita dona futura.
Carpitur acclivus per muta silentia trames,
Arduus, obscurus, caligine densus opaca.
Nec procul abfuerunt telluris margine summæ.
Hic, ne deficeret, metuens, avidusque videndi,
Flexit amans oculos: et protinus illa relapsa est.
Brachiaque intendens, prendique et prendere captans
Nil nisi cedentes infelix arripit auras.
Jamque iterum moriens non est de conjuge quicquam 60
Questa suo: quid enim nisi se queretur amatam?
Supremumque vale, quod jam vix auribus ille
Acciperet, dixit: revolutaque rursus eodem est.
Non aliter stupuit gemina nece conjugis Orpheus,
Quam tria qui timidus, medio portante catenas,
Colla canis vidit: quem non pavor ante reliquit,
Quam natura prior, saxo per corpus oborto:
Quique in se crimen traxit, voluitque videri
Olenos esse nocens, tuque o confisa figuræ,
Infelix Lethæa, tuæ; junctissima quondam 70
Pectora, nunc lapides, quos humida sustinet Ide.
Orantem, frustraque iterum transire volentem,
Portitor arcuerat. Septem tamen ille diebus
Squalidus in ripa, Cereris sine munere, sedit.
Cura dolorque animi, lacrymæque alimenta fuere.
Esse deos Erebi crudeles questus, in altam 76
Se recipit Rhodopen, pulsumque Aquilonibus Hæmon.
Tertius æquoreis inclusum Piscibus annum
Finierat Titan: omnemque refugerat Orpheus
Fœmineam Venerem; seu quod male cesserat illi, 80
Sive fidem dederat. Multas tamen ardor habebat
Jungere se vati: multæ doluere repulsæ.
Ille etiam Thracum populis fuit auctor, amorem
In teneros transferre mares: citraque juventam
Ætatis breve ver, et primos carpere flores. 85
Collis erat, collemque super planissima campi
Area, quam viridem faciebant graminis herbæ.
Umbra loco deerat. Qua postquam parte resedit
Dis genitus vates, et fila sonantia movit;
Umbra loco venit. Non Chaonis abfuit arbos,
Non nemus Heliadum, non frondibus æsculus altis, 91
Nec tiliæ molles, nec fagus, et innuba laurus,
Et coryli fragiles, et fraxinus utilis hastis,
Enodisque abies, curvataque glandibus ilex,
Et platanus genialis, acerque coloribus impar, 95
Amnicolæque simul salices, et aquatica lotos,
Perpetuoque virens buxus, tenuesque myricæ,
Et bicolor myrtus, et baccis cærula tinus:
Vos quoque flexipedes hederæ venistis, et una
Pampineæ vites, et amictæ vitibus ulmi: 100

Ornique, et piceæ, pomoque onerata rubenti
Arbutus, et lentæ, victoris præmia, palmæ;
Et succincta comas, hirsutaque vertice pinus,
Grata deum matri, siquidem Cybeleius Attis
Exuit hac hominem, truncoque induruit illo.
Affuit huic turbæ metas imitata cupressus, 106
Nunc arbor, puer ante deo dilectus ab illo,
Qui citharam nervis, et nervis temperat arcus.
Namque sacer Nymphis Carthæa tenentibus arva
Ingens cervus erat: lateque patentibus altas 110
Ipse suo capiti præbebat cornibus umbras:
Cornua fulgebant auro: demissaque in armos
Pendebant tereti gemmata monilia collo.
Bulla super frontem parvis argentea loris 114
Vincta movebatur: parilesque ex ære nitebant
Auribus in geminis circum cava tempora baccæ.
Isque metu vacuus, naturalique pavore
Deposito, celebrare domos, mulcendaque colla
Quamlibet ignotis manibus præbere solebat:
Sed tamen ante alios, Ceæ pulcherrime gentis, 120
Gratus erat, Cyparisse, tibi. Tu pabula cervum
Ad nova, tu liquidi ducebas fontis ad undam:
Tu modo texebas varios per cornua flores,
Nunc eques in tergo residens, huc lætus et illuc
Mollia purpureis frenabas ora capistris. 125
Æstus erat, mediusque dies: solisque vapore
Concava littorei fervebant brachia Cancri.
Fessus in herbosa posuit sua corpora terra
Cervus, et arborea ducebat frigus ab umbra.
Hunc puer imprudens jaculo Cyparissus acuto
Fixit: et, ut sævo morientem vulnere vidit,
Velle mori statuit. Quæ non solatia Phœbus
Dixit? et ut leviter, pro materiaque doleret,
Admonuit. Gemit ille tamen: munusque supremum
Hoc petit a superis, ut tempore lugeat omni. 130
Jamque, per immensos egesto sanguine fletus,
In viridem verti cœperunt membra colorem;
Et modo, qui nivea pendebant fronte capilli,
Horrida cæsaries fieri: sumtoque rigore
Sidereum gracili spectare cacumine cœlum. 140
Ingemuit, tristisque deus, Lugebere nobis,
Lugebisque alios, aderisque dolentibus, inquit.
Tale nemus vates attraxerat: inque ferarum
Concilio medius, turba volucrumque sedebat.
Ut satis impulsas tentavit pollice chordas, 145
Et sensit varios, quamvis diversa sonarent,
Concordare modos; hoc vocem carmine rupit:
Ab Jove, Musa parens, (cedunt Jovis omnia regno,) [testas
Carmina nostra move. Jovis est mihi sæpe podicta prius. Cecini plectro graviore Gigantas,
Sparsaque Phlegræis victricia fulmina campis.
Nunc opus est leviore lyra: puerosque canamus
Dilectos superis, inconcessisque puellas
Ignibus attonitas meruisse libidine pœnam.
Rex superûm Phrygii quondam Ganymedis amore 155
Arsit: et inventum est aliquid, quod Jupiter esse,
Quam quod erat, mallet. Nulla tamen alite verti
Dignatur, nisi quæ possit sua fulmina ferre.
Nec mora: percusso mendacibus aere pennis
Abripit Iliaden, qui nunc quoque pocula miscet,
Invitaque Jovi nectar Junone ministrat. 161
Te quoque, Amyclide, posuisset in æthere Phœbus,
Tristia si spatium ponendi fata dedissent.
Qua licet, æternus tamen es: quotiesque repellit
Ver hiemem, Piscique Aries succedit aquoso,
Tu toties oreris, viridique in cespite flores. 166
Te meus ante alios genitor dilexit: et orbe
In medio positi caruerunt præside Delphi,
Dum deus Eurotan, immunitamque frequentat
Sparten; nec citharæ, nec sunt in honore sagittæ. 170
Immemor ipse sui non retia ferre recusat,
Non tenuisse canes, non per juga montis iniqui
Isse comes: longaque alit assuetudine flammas.
Jamque fere medius Titan venientis et actæ
Noctis erat, spatioque pari distabat utrinque;
Corpora veste levant, et succo pinguis olivi
Splendescunt, latique ineunt certamina disci.
Quem prius aerias libratum Phœbus in auras
Misit, et oppositas disjecit pondere nubes:
Recidit in solidam longo post tempore terram 180
Pondus, et exhibuit junctam cum viribus artem.
Protinus imprudens, actusque cupidine ludi,
Tollere Tænarides orbem properabat: at illum
Dura repercussum subjecit in aera tellus,
In vultus, Hyacinthe, tuos. Expalluit æque, 185
Ac puer, ipse deus: collapsosque excipit artus:
Et modo te refovet, modo tristia vulnera siccat:
Nunc animam admotis fugientem sustinet herbis.
Nil prosunt artes: erat immedicabile vulnus.
Ut si quis violas, riguove papaver in horto, 190
Liliaque infringat fulvis hærentia virgis,
Marcida demittant subito caput illa gravatum,
Nec se sustineant, spectentque cacumine terram.
Sic vultus moriens jacet, et defecta vigore
Ipsa sibi est oneri cervix, humeroque recumbit
Laberis, Œbalide, prima fraudate juventa, 196
Phœbus ait: videoque tuum, mea crimina, vulnus.
Tu dolor es, facinusque meum. Mea dextera leto
Inscribenda tuo est. Ego sum tibi funeris auctor.
Quæ mea culpa tamen? nisi si lusisse vocari 200
Culpa potest: nisi culpa potest et amasse vocari;
Atque utinam pro te vitam, tecumve liceret
Reddere! sed quoniam fatali lege tenemur;
Semper eris mecum, memorique hærebis in ore.
Te lyra pulsa manu, te carmina nostra sonabunt: 205
Flosque novus scripto gemitus imitabere nostros.
Tempus et illud erit, quo se fortissimus heros
Addat in hunc florem, folioque legatur eodem.
Talia dum vero memorantur Apollinis ore,
Ecce cruor, qui fusus humi signaverat herbam,
Desinit esse cruor: Tyrioque nitentior ostro 211
Flos oritur, formamque capit, quam lilia, si non
Purpureus color huic, argenteus esset in illis.
Non satis hoc Phœbo est, (is enim fuit auctor honoris,)
Ipse suos gemitus foliis inscribit: et AI AI 215
Flos habet inscriptum, funestaque littera ducta est. [norque
Nec genuisse pudet Sparten Hyacinthon: hodurat in hoc ævi, celebrandaque more priorum
Annua prælata redeunt Hyacinthia pompa.
At si forte roges fecundam Amathunta metalli,
An genuisse velit Propœtidas: abnuat æque, 221
Atque illos, gemino quondam quibus aspera cornu
Frons erat, unde etiam nomen traxere Cerastæ.
Ante fores horum stabat Jovis Hospitis ara,
Lugubris sceleris: quam si quis sanguine tinctam
Advena vidisset, mactatos crederet illic 226
Lactentes vitulos, Amathusiacasve bidentes:
Hospes erat cæsus. Sacris offensa nefandis,
Ipsa suas urbes, Ophiusiaque arva parabat
Deserere alma Venus. Sed quid loca grata, quid urbes 230

Peccavere meæ? quod crimen, dixit, in illis?
Exsilio pœnam potius gens impia pendat,
Vel nece; vel si quid medium mortisque fugæque.
Idque quid esse potest, nisi versæ pœna figuræ?
Dum dubitat, quo mutet eos; ad cornua vultum
Flexit: et admonita est hæc illis posse relinqui:
Grandiaque in torvos transformat membra juvencos.
Sunt tamen obscænæ Venerem Propœtides ausæ
Esse negare deam: pro quo sua, numinis ira,
Corpora cum forma primæ vulgasse feruntur.
Utque pudor cessit, sanguisque induruit oris, 241
In rigidum parvo silicem discrimine versæ.
Quas quia Pygmalion ævum per crimen agentes
Viderat, offensus vitiis, quæ plurima menti
Fœmineæ natura dedit, sine conjuge cœlebs 245
Vivebat, thalamique diu consorte carebat.
Interea niveum mira feliciter arte
Sculpit ebur, formamque dedit, qua fœmina nasci
Nulla potest: operisque sui concepit amorem.
Virginis est veræ facies, quam vivere credas, 250
Et, si non obstet reverentia, velle moveri.
Ars adeo latet arte sua. Miratur, et haurit
Pectore Pygmalion simulati corporis ignes.
Sæpe manus operi tentantes admovet, an sit
Corpus, an illud ebur: nec ebur tamen esse fatetur. 255
Oscula dat, reddique putat: loquiturque, tenetque:
Et credit tactis digitos insidere membris:
Et metuit, pressos veniat ne livor in artus.
Et modo blanditias adhibet: modo grata puellis
Munera fert illi conchas, teretesque lapillos, 260
Et parvas volucres, et flores mille colorum,
Liliaque, pictasque pilas, et ab arbore lapsas
Heliadum lacrymas: ornat quoque vestibus artus:
Dat digitis gemmas, longoque monilia collo.
Aure leves baccæ, redimicula pectore pendent.
Cuncta decent: nec nuda minus formosa videtur.
Collocat hanc stratis concha Sidonide tinctis,
Appellatque tori sociam, acclinataque colla
Mollibus in plumis, tanquam sensura, reponit.
Festa dies Veneri tota celeberrima Cypro 270
Venerat: et pandis inductæ cornibus aurum
Conciderant ictæ nivea cervice juvencæ:
Thuraque fumabant: cum munere functus ad aras
Constitit; et timide, Si di dare cuncta potestis,
Sit conjux opto, (non ausus, eburnea virgo, 275
Dicere Pygmalion,) similis mea, dixit, eburnæ.
Sensit, ut ipsa suis aderat Venus aurea festis,
Vota quid illa velint: et amici numinis omen
Flamma ter accensa est, apicemque per aera duxit.
Ut rediit, simulacra suæ petit ille puellæ, 280
Incumbensque toro dedit oscula. Visa tepere est.
Admovet os iterum: manibus quoque pectora tentat.
Tentatum mollescit ebur: positoque rigore
Subsidit digitis, ceditque: ut Hymettia sole
Cera remollescit, tractataque pollice multas 285
Flectitur in facies, ipsoque fit utilis usu.
Dum stupet, et timide gaudet, fallique veretur;
Rursus amans, rursusque manu sua vota retractat.
Corpus erat: saliunt tentatæ pollice venæ. 289
Tum vero Paphius plenissima concipit heros
Verba, quibus Veneri grates agat; oraque tandem
Ore suo non falsa premit: dataque oscula virgo
Sensit, et erubuit: timidumque ad lumina lumen
Attollens, pariter cum cœlo vidit amantem.
Conjugio, quod fecit, adest dea. Jamque coactis
Cornibus in plenum novies lunaribus orbem, 296
Illa Paphon genuit: de quo tenet insula nomen.
Editus hac ille est, qui, si sine prole fuisset,
Inter felices Cinyras potuisset haberi.
Dira canam; natæ procul hinc, procul este parentes: 300
Aut, mea si vestras mulcebunt carmina mentes,
Desit in hac mihi parte fides, nec credite factum:
Vel, si credetis, facti quoque credite pœnam.
Si tamen admissum sinit hoc natura videri;
Gentibus Ismariis, et nostro gratulor orbi 305
Gratulor huic terræ, quod abest regionibus illis,
Quæ tantum genuere nefas. Sit dives amomo,
Cinnamaque, costumque suam, sudataque ligno
Thura ferat, floresque alios Panchaia tellus;
Dum ferat et Myrrham. Tanti nova non fuit arbos. 310
Ipse negat nocuisse tibi sua tela Cupido,
Myrrha, facesque suas a crimine vindicat isto.
Stipite te Stygio, tumidisque afflavit Echidnis
E tribus una soror. Scelus est odisse parentem:
Hic amor est odio majus scelus. Undique lecti 315
Te cupiunt proceres, totoque Oriente juventus
Ad thalami certamen adest. Ex omnibus unum
Elige, Myrrha, tibi; dum ne sit in omnibus unus.
Illa quidem sentit, fœdoque repugnat amori:
Et secum, Quo mente feror? quid molior? inquit. 320
Di precor, et Pietas, sacrataque jura parentum,
Hoc prohibete nefas, scelerique resistite tanto;
Si tamen hoc scelus est. Sed enim damnare negatur
Hanc Venerem Pietas: coeuntque animalia nullo
Cætera delectu: nec habetur turpe juvencæ 325
Ferre patrem tergo: fit equo sua filia conjux:
Quasque creavit, init pecudes caper: ipsaque, cujus
Semine concepta est, ex illo concipit ales.
Felices, quibus ista licent! humana malignas
Cura dedit leges: et quod natura remittit, 330
Invida jura negant. Gentes tamen esse feruntur,
In quibus et nato genitrix, et nata parenti
Jungitur, et pietas geminato crescit amore.
Me miseram! quod non nasci mihi contigit illic,
Fortunaque loci lædor! Quid in ista revolvor?
Spes interdictæ discedite. Dignus amari 336
Ille, sed ut pater, est. Ergo si filia magni
Non essem Cinyræ, Cinyræ concumbere possem.
Nunc quia tam meus est, non est meus; ipsaque damno 339
Est mihi proximitas. Aliena potentior essem.
Ire libet procul hinc, patriosque relinquere fines,
Dum scelus effugiam. Retinet malus error amantem; [quarque,
Ut præsens spectem Cinyram, tangamque, lo-
Osculaque admoveam, si nil conceditur ultra.
Ultra autem sperare aliquid potes, impia virgo?
Nec, quot confundas et jura et nomina, sentis?
Tune eris et matris pellex, et adultera patris?
Tune soror nati, genitrixque vocabere fratris?
Nec metues atro crinitas angue sorores,
Quas facibus sævis oculos atque ora petentes 350
Noxia corda vident? at tu, dum corpore non es
Passa, nefas animo ne concipe: neve potentis
Concubitu vetito naturæ pollue fœdus.
Velle puta: res ipsa vetat. Pius ille, memorque
Juris: et o vellem similis furor esset in illo! 355
Dixerat: at Cinyras, quem copia digna procorum,

Quid faciat, dubitare facit, scitatur ab ipsa,
Nominibus dictis, cujus velit esse mariti.
Illa silet primo, patriisque in vultibus hærens
Æstuat, et tepido suffundit lumina rore. 360
Virginei Cinyras hæc credens esse timoris,
Flere vetat, siccatque genas, atque oscula jungit,
Myrrha datis nimium gaudet: consultaque, qualem
Optet habere virum; Similem tibi, dixit. At ille
Non intellectam vocem collaudat; et, Esto 365
Tam pia semper, ait, Pietatis nomine dicto
Demisit vultus, sceleris sibi conscia, virgo.
Noctis erat medium, curasque et pectora somnus
Solverat. At virgo Cinyreia pervigil igni
Carpitur indomito, furiosaque vota retractat. 370
Et modo desperat; modo vult tentare: pudetque,
Et cupit; et, quod agat, non invenit. Utque securi
Saucia trabs ingens, ubi plaga novissima restat,
Quo cadat, in dubio est, omnique a parte timetur;
Sic animus vario labefactus vulnere nutat 375
Huc levis atque illuc, momentaque sumit utroque.
Nec modus aut requies, nisi mors, reperitur amoris.
Mors placet. Erigitur, laqueoque innectere fauces
Destinat: et, zona summo de poste revincta,
Care vale Cinyra, causamque intellige mortis, 380
Dixit: et aptabat pallenti vincula collo.
Murmura verborum fidas nutricis ad aures
Pervenisse ferunt, limen servantis alumnæ.
Surgit anus, reseratque fores: mortisque paratæ
Instrumenta videns, spatio conclamat eodem, 385
Seque ferit, scinditque sinus, ereptaque collo
Vincula dilaniat. Tum denique flere vacavit,
Tum dare complexus, laqueique requirere causam.
Muta silet virgo, terramque immota tuetur,
Et deprensa dolet tardæ conamina mortis. 390
Instat anus; canosque suos, et inania nudans
Ubera, per cunas alimentaque prima precatur,
Ut sibi committat, quicquid dolet. Illa rogantem
Aversata gemit. Certa est exquirere nutrix:
Nec solam spondere fidem. Dic, inquit, opemque 395
Me sine ferre tibi; non est mea pigra senectus.
Seu furor est; habeo quæ carmine sanet et herbis:
Sive aliquis nocuit; magico lustrabere ritu:
Sive est ira deûm: sacris placabilis ira.
Quid rear ulterius? certe fortuna domusque 400
Sospes, et in cursu est; vivunt genitrixque paterque.
Myrrha, patre audito, suspiria duxit ab imo
Pectore. Nec nutrix etiamnum concipit ullum
Mente nefas: aliquemque tamen præsentit amorem.
Propositique tenax, quodcunque sit, orat, ut ipsi
Indicet, et gremio lacrymantem tollit anili: 406
Atque ita complectens infirmis membra lacertis,
Sensimus, inquit, amas: et in hoc mea, pone timorem,
Sedulitas erit apta tibi: nec sentiet unquam
Hoc pater. Exsiluit gremio furibunda, torumque 410
Ore premens, Discede, precor, miseroque pudori
Parce, ait. Instanti, Discede, aut, desine, dixit,
Quærere quid doleam. Scelus est, quod scire laboras.
Horret anus; tremulasque manus annisque metuque 414
Tendit, et ante pedes supplex procumbit alumnæ.
Et modo blanditur; modo, si non conscia fiat,
Terret, et indicium laquei, cœptæque minatur
Mortis: et officium commisso spondet amori.
Extulit illa caput, lacrymisque implevit obortis
Pectora nutricis: conataque sæpe fateri, 420
Sæpe tenet vocem: pudibundaque vestibus ora
Texit, et, O, dixit, felicem conjuge matrem!
Hactenus: et gemuit. Gelidos nutricis in artus
Ossaque (sensit enim) penetrat tremor, albaque toto
Vertice canities rigidis stetit hirta capillis. 425
Multaque, ut excuteret diros, si posset, amores,
Addidit. At virgo scit se non falsa moneri,
Certa mori tamen est, si non potiatur amato.
Vive, ait hæc; potiere tuo; non ausa, parente
Dicere, conticuit: promissaque numine firmat.
Festa piæ Cereris celebrabant annua matres
Illa, quibus nivea velatæ corpora veste 432
Primitias frugum dant spicea serta suarum.
Perque novem noctes Venerem, tactusque viriles
In vetitis numerant. Turba Cenchreis in illa 435
Regis abest conjux, arcanaque sacra frequentat.
Ergo legitima vacuus dum conjuge lectus,
Nacta gravem vino Cinyram male sedula nutrix,
Nomine mentito, veros exponit amores:
Et faciem laudat. Quæsitis virginis annis, 440
Par, ait, est Myrrhæ. Quam postquam adducere jussa est,
Utque domum rediit, Gaude mea, dixit, alumna:
Vicimus. Infelix non toto corpore sentit
Lætitiam virgo, præsagaque pectora mærent:
Sed tamen et gaudet: tanta est discordia mentis.
Tempus erat, quo cuncta silent, interque Triones
Flexerat obliquo plaustrum temone Bootes. 447
Ad facinus venit ila suum. Fugit aurea cœlo
Luna: tegunt nigræ latitantia sidera nubes:
Nox caret igne suo. Primos tegis, Icare, vultus,
Erigoneque pio sacrata parentis amore. 451
Ter pedis offensi signo est revocata: ter omen
Funereus bubo letali carmine fecit.
It tamen: et tenebræ minuunt, noxque atra pudorem:
Nutricisque manum læva tenet; altera motu 455
Cæcum iter explorat. Thalami jam limina tangit:
Jamque fores aperit: jam ducitur intus: at illi
Poplite succiduo genua intremuere: fugitque
Et color et sanguis: animusque relinquit euntem.
Quoque suo propior sceleri, magis horret, et ausi 460
Pœnitet: et vellet non cognita posse reverti.
Cunctantem longæva manu deducit: et alto
Admotam lecto cum traderet, Accipe, dixit;
Ista tua est, Cinyra; devotaque corpora junxit.
Accipit obscæno genitor sua viscera lecto; 465
Virgineosque metus levat, hortaturque timentem.
Forsitan ætatis quoque nomine, Filia, dicat:
Dicat et illa, Pater; sceleri ne nomina desint.
Plena patris thalamis excedit, et impia diro
Semina fert utero, conceptaque crimina portat.
Postera nox facinus geminat: nec finis in illa est. 471
Cum tandem Cinyras, avidus cognoscere amantem
Post tot concubitus, illato lumine vidit
Et scelus, et natam: verbisque dolore retentis,
Pendenti nitidum vagina deripit ensem. 475
Myrrha fugit, tenebris et cæcæ munere noctis
Intercepta neci: latosque vagata per agros,
Palmiferos Arabas, Panchæaque rura relinquit,

Perque novem erravit redeuntis cornua lunæ;
Cum tandem terra requievit fessa Sabæa: 480
Vixque uteri portabat onus. Tum nescia voti,
Atque inter mortisque metus, et tædia vitæ,
Est tales exorsa preces: O si qua patetis
Numina confessis, merui, nec triste recuso 484
Supplicium. Sed, ne violem vivosque superstes,
Mortuaque exstinctos, ambobus pellite regnis,
Mutatæque mihi vitamque necemque negate.
Numen confessis aliquod patet. Ultima certe
Vota suos habuere deos: nam crura loquentis
Terra supervenit: ruptosque obliqua per ungues
Porrigitur radix, longi firmamina trunci: 491
Ossaque robur agunt: mediaque manente medulla
Sanguis it in succos; in magnos brachia ramos;
In parvos digiti: duratur cortice pellis.
Jamque gravem crescens uterum perstrinxerat arbor; 495
Pectoraque obruerat, collumque operire parabat;
Non tulit illa moram: venientique obvia ligno
Subsedit, mersitque suos in cortice vultus.
Quæ, quanquam amisit veteres cum corpore sensus, 499
Flet tamen, et tepidæ manant ex arbore guttæ.
Est honor et lacrymis: stillataque cortice Myrrha
Nomen herile tenet, nullique tacebitur ævo.
At male conceptus sub robore creverat infans;
Quærebatque viam, qua se, genitrice relicta,
Exsereret. Media gravidus tumet arbore venter.
Tendit onus matrem: nec habent sua verba dolores;
Nec Lucina potest parientis voce vocari.
Nitenti tamen est similis, curvataque crebros
Dat gemitus arbor, lacrymisque cadentibus humet.
Constitit ad ramos mitis Lucina dolentes, 510
Admovitque manus, et verba puerpera dixit.
Arbor agit rimas, et fissa cortice vivum
Reddit onus, vagitque puer: quem mollibus herbis
Naides impositum lacrymis unxere parentis.
Laudaret faciem livor quoque. Qualia namque
Corpora nudorum tabula pinguntur Amorum,
Talis erat: sed, ne faciat discrimina cultus,
Aut huic adde leves, aut illis deme pharetras.
Labitur occulte fallitque volatilis ætas,
Et nihil est annis velocius. Ille sorore 520
Natus avoque suo, qui conditus arbore nuper,
Nuper erat genitus; modo formosissimus infans;
Jam juvenis, jam vir, jam se formosior ipso est:
Jam placet et Veneri, matrisque ulciscitur ignes.
Namque pharetratus dum dat puer oscula matri,
Inscius exstanti destrinxit arundine pectus. 526
Læsa manu natum dea repulit: altius actum
Vulnus erat specie, primoque fefellerat ipsam.
Capta viri forma non jam Cythereia curat
Littora: non alto repetit Paphon æquore cinctam, 530
Piscosamque Cnidon, gravidamve Amathunta metalli:
Abstinet et cœlo: cœlo præfertur Adonis.
Hunc tenet: huic comes est: assuetaque semper in umbra
Indulgere sibi, formamque augere colendo,
Per juga, per sylvas, dumosaque saxa vagatur
Nuda genu, vestem ritu succincta Dianæ; 536
Hortaturque canes; tutæque animalia prædæ,
Aut pronos lepores, aut celsum in cornua cervum,
Aut agitat damas: a fortibus abstinet apris;
Raptoresque lupos, armatosque unguibus ursos
Vitat, et armenti saturatos cæde leones. 541
Te quoque, ut hos timeas, si quid prodesse monendo
Possit, Adoni, monet: Fortisque fugacibus esto,
Inquit: in audaces non est audacia tuta.
Parce meo, juvenis, temerarius esse periclo: 545
Neve feras, quibus arma dedit natura, lacesse:
Stet mihi ne magno tua gloria. Non movet ætas,
Nec facies, nec quæ Venerem movere, leones,
Setigerosque sues, oculosque animosque ferarum.
Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri:
Impetus est fulvis, et vasta leonibus ira: 551
Invisumque mihi genus est. Quæ causa, roganti,
Dicam, ait: et veteris monstrum mirabere culpæ.
Sed labor insolitus jam me lassavit: et ecce
Opportuna sua blanditur populus umbra: 555
Datque torum cespes. Libet hac requiescere tecum,
Et requievit, humo, pressitque et gramen, et ipsum:
Inque sinu juvenis posita cervice, renidens
Sic ait, ac mediis interserit oscula verbis. 559
Forsitan audieris aliquam certamine cursus
Veloces superasse viros. Non fabula rumor
Ille fuit: superabat enim: nec dicere posses,
Laude pedum, formæne bono præstantior esset.
Scitanti deus huic de conjuge, Conjuge, dixit,
Nil opus est, Atalanta, tibi. Fuge conjugis usum. 555
Nec tamen effugies: teque ipsa viva carebis.
Territa sorte dei per opacas innuba sylvas
Vivit, et instantum turbam violenta procorum
Conditione fugat: Nec sum potiunda, nisi, inquit, 569
Victa prius cursu. Pedibus contendite mecum.
Præmia veloci conjux thalamique dabuntur;
Mors pretium tardis. Ea lex certaminis esto.
Illa quidem immitis: sed, tanta potentia formæ est,
Venit ad hanc legem temeraria turba procorum.
Sederat Hippomenes cursus spectator iniqui: 575
Et, Petitur cuiquam per tanta pericula conjux?
Dixerat: at nimios juvenum damnarat amores.
Ut faciem, et posito corpus velamine vidit,
Quale meum, vel quale tuum, si fœmina fias;
Obstupuit, tollensque manus, Ignoscite, dixit, 580
Quos modo culpavi: nondum mihi præmia nota,
Quæ peteretis, erant. Laudando concipit ignem;
Et, ne quis juvenum currat velocius, optat:
Invidiaque timet. Sed cur certaminis hujus
Intentata mihi fortuna relinquitur? inquit. 585
Audentes deus ipse juvat. Dum talia secum
Exigit Hippomenes; passu volat alite virgo.
Quæ quanquam Scythica non secius ire sagitta
Aonio visa est juveni; tamen ille decorem
Miratur magis: et cursus facit ipse decorem. 590
Aura refert oblata citis talaria plantis:
Tergaque jactantur crines per eburnea, quæque
Poplitibus suberant picto genualia limbo:
Inque puellari corpus candore ruborem
Traxerat: haud aliter, quam cum super atria velum 595
Candida purpureum simulatas inficit umbras.
Dum notat hæc hospes, decursa novissima meta est:
Et tegitur festa victrix Atalanta corona.
Dant gemitum victi, penduntque ex fœdere pœnas.

Non tamen eventu juvenum deterritus horum 600
Constitit in medio; vultuque in virgine fixo,
Quid facilem titulum superando quæris inertes?
Mecum confer, ait. Seu me fortuna potentem
Fecerit; a tanto non indignabere vinci.
Namque mihi genitor Megareus Onchestius; illi
Est Neptunus avus; pronepos ego regis aquarum: 606
Nec virtus citra genus est. Seu vincar, habebis
Hippomene victo magnum et memorabile nomen.
Talia dicentem molli Schœneia vultu
Adspicit; et dubitat, superari an vincere malit
Atque ita, Quis deus hunc formosis, inquit, iniquus 611
Perdere vult? caræque jubet discrimine vitæ
Conjugium petere hoc? non sum, me judice, tanti.
Nec forma tangor. Poteram tamen hac quoque tangi.
Quid? quod adhuc puer est? non me movet ipse, sed ætas. 615
Quid? quod inest virtus, et mens interrita leti?
Quid? quod ab æquorea numeratur origine quartus?
Quid? quod amat, tantique putat connubia nostra,
Ut pereat, si me fors illi dura negarit?
Dum licet, hospes, abi, thalamosque relinque cruentos. 620
Conjugium crudele meum est. Tibi nubere nulla
Nolet: et optari potes a sapiente puella. [tis?
Cur tamen est mihi cura tui, tot jam ante perem-
Viderit: intereat, quoniam tot cæde procorum
Admonitus non est, agiturque in tædia vitæ. 625
Occidet hic igitur, voluit quia vivere mecum?
Indignamque necem pretium patietur amoris?
Non erit invidiæ victoria nostra ferendæ.
Sed non culpa mea est. Utinam desistere velles!
Aut, quoniam es demens, utinam velocior esses!
At quam virgineus puerili vultus in ore est! 631
Ah miser Hippomene, nollem tibi visa fuissem!
Vivere dignus eras. Quod si felicior essem,
Nec mihi conjugium fata importuna negarent;
Unus eras, cum quo sociare cubilia possem. 635
Dixerat: utque rudis, primoque Cupidine tacta,
Quid facit ignorans, amat, et non sentit amorem.
Jam solitos poscunt cursus populusque paterque;
Cum me sollicita proles Neptunia voce
Invocat Hippomenes. Cythereia, comprecor, ausis 640
Adsit, ait, nostris, et quos dedit adjuvet ignes.
Detulit aura preces ad me non invida blandas:
Motaque sum, fateor; nec opis mora longa dabatur.
Est ager, indigenæ Tamaseum nomine dicunt:
Telluris Cypriæ pars optima: quem mihi prisci
Sacravere senes, templisque accedere dotem 646
Hanc jussere meis. Medio nitet arbor in arvo,
Fulva comam, fulvo ramis crepitantibus auro.
Hinc tria forte mea veniens decerpta ferebam
Aurea poma manu: nullique videnda, nisi ipsi,
Hippomenen adii, docuique quis usus in illis.
Signa tubæ dederant; cum carcere pronus uterque
Emicat, et summam celeri pede libat arenam.
Posse putes illos sicco freta radere passu,
Et segetis canæ stantes percurrere aristas. 655
Adjiciunt animos juveni clamorque favorque,
Verbaque dicentum, Nunc, nunc incumbere tempus,
Hippomene: propera. Nunc viribus utere totis.
Pelle moram: vinces. Dubium Megareius heros
Gaudeat, an virgo magis his Schœneia dictis.
O quoties, cum jam posset transire, morata est,
Spectatosque diu vultus invita reliquit! 662
Aridus e lasso veniebat anhelitus ore:
Metaque erat longe. Tum denique de tribus unum
Fœtibus arboreis proles Neptunia misit. 665
Obstupuit virgo: nitidique cupidine pomi
Declinat cursus, aurumque volubile tollit.
Præterit Hippomenes. Resonant spectacula plausu.
Illa moram celeri, cessataque tempora, cursu
Corrigit, atque iterum juvenem post terga relinquit. 670
Et rursus pomi jactu remorata secundi,
Consequitur transitque virum. Pars ultima cursus
Restabat; Nunc, inquit, ades, dea muneris auctor:
Inque latus campi, quo tardius illa rediret,
Jecit ab obliquo nitidum juveniliter aurum. 675
An peteret, virgo visa est dubitare: coegi
Tollere, et adjeci sublato pondera malo:
Impediique oneris pariter gravitate moraque.
Neve meus sermo cursu sit tardior illo,
Præterita est virgo: duxit sua præmia victor. 680
Dignane cui grates ageret, cui thuris honorem
Ferret, Adoni, fui? Nec grates immemor egit,
Nec mihi thura dedit. Subitam convertor in iram;
Contemnique dolens, ne sim spernenda futuris,
Exemplo caveo, meque ipsa exhortor in ambos.
Templa deûm matri, quæ quondam clarus Echion
Fecerat ex voto, nemorosis abdita sylvis, 687
Transibant: et iter longum requiescere suasit.
Illic concubitus intempestiva cupido
Occupat Hippomenen, a numine concita nostro.
Luminis exigui fuerat prope templa recessus,
Speluncæ similis, nativo pumice tectus;
Religione sacer prisca: quo multa sacerdos
Lignea contulerat veterum simulacra deorum.
Hunc init, et vetito temerat sacraria probro. 695
Sacra retorserunt oculos: turritaque mater,
An Stygia sontes, dubitavit, mergeret unda.
Pœna levis visa est. Ergo modo lævia fulvæ
Colla jubæ velant: digiti curvantur in ungues:
Ex humeris armi fiunt: in pectora totum 700
Pondus abit: summæ cauda verruntur arenæ.
Iram vultus habet: pro verbis murmura reddunt:
Pro thalamis celebrant sylvas: aliisque timendi
Dente premunt domito Cybeleia frena leones.
Hos tu, care mihi, cumque his genus omne ferarum, 705
Quæ non terga fugæ, sed pugnæ pectora præbent,
Effuge: ne virtus tua sit damnosa duobus.
Illa quidem monuit, junctisque per aera cygnis
Carpit iter: sed stat monitis contraria virtus.
Forte suem latebris, vestigia certa secuti, 710
Excivere canes; sylvisque exire parantem
Fixerat obliquo juvenis Cinyreius ictu.
Protinus excussit pando venabula rostro,
Sanguine tincta suo, trepidumque, et tuta petentem
Trux aper insequitur, totosque sub inguine dentes 715
Abdidit, et fulva moribundum stravit arena.
Vecta levi curru medias Cytherea per auras
Cypron olorinis nondum pervenerat alis.
Agnovit longe gemitum morientis, et albas

Flexit aves illuc. Utque æthere vidit ab alto
Exanimem, inque suo jactantem sanguine corpus;
Desiluit, pariterque sinus, pariterque capillos
Rupit, et indignis percussit pectora palmis. 723
Questaque cum fatis, At non tamen omnia vestri
Juris erunt, inquit: luctus monumenta manebunt
Semper, Adoni, mei, repetitaque mortis imago
Annua plangoris peraget simulamina nostri.
At cruor in florem mutabitur. An tibi quondam
Fœmineos artus in olentes vertere menthas,
Persephone, licuit? nobis Cinyreius heros 730
Invidiæ mutatus erit? sic fata, cruorem
Nectare odorato spargit: qui tactus ab illo
Intumuit; sic, ut pluvio perlucida cœlo
Surgere bulla solet. Nec plena longior hora
Facta mora est; cum flos de sanguine concolor ortus; 735
Qualem, quæ lento celant sub cortice granum,
Punica ferre solent: brevis est tamen usus in illo.
Namque male hærentem, et nimia levitate caducum
Excutiunt îdem, qui præstant nomina, venti.

LIBER UNDECIMUS.

Carmine dum tali sylvas, animosque ferarum
Threicius vates, et saxa sequentia ducit;
Ecce nurus Ciconum tectæ lymphata ferinis
Pectora velleribus, tumuli de vertice cernunt
Orphea percussis sociantem carmina nervis. 5
E quibus una, levem jactato crine per auram,
En, ait, en hic est nostri contemtor: et hastam
Vatis Apollinei vocalia misit in ora:
Quæ foliis præsuta notam sine vulnere fecit.
Alterius telum lapis est: qui missus, in ipso 10
Aere concentu victus vocisque lyræque est,
Ac veluti supplex pro tam furialibus ausis
Ante pedes jacuit. Sed enim temeraria crescunt
Bella, modusque abiit, insanaque regnat Erinnys.
Cunctaque tela forent cantu mollita: sed ingens
Clamor, et inflato Berecynthia tibia cornu, 16
Tympanaque, plaususque, et Bacchei ululatus
Obstrepuere sono citharæ. Tum denique saxa
Non exauditi rubuerunt sanguine vatis.
Ac primum attonitas etiamnum voce canentis 20
Innumeras volucres, anguesque, agmenque ferarum,
Mænades Orphei titulum rapuere theatri:
Inde cruentatis vertuntur in Orphea dextris:
Et coeunt, ut aves, si quando luce vagantem
Noctis avem cernunt; structoque utrinque theatro 25
Ceu matutina cervus periturus arena
Præda canum est: vatemque petunt, et fronde virenti
Conjiciunt thyrsos, non hæc in munera factos.
Hæ glebas, illæ dereptos arbore ramos,
Pars torquent silices. Neu desint tela furori; 30
Forte boves presso subigebant vomere terram:
Nec procul hinc, multo fructum sudore parantes,
Dura lacertosi fodiebant arva coloni.
Agmine qui viso fugiunt, operisque relinquunt
Arma sui: vacuosque jacent dispersa per agros
Sarculaque, rastrique graves, longique ligones.36
Quæ postquam rapuere feræ, cornuque minaci
Divellere boves, ad vatis fata recurrunt;
Tendentemque manus, atque illo tempore primum
Irrita dicentem, nec quicquam voce moventem,
Sacrilegæ perimunt: perque os (pro Jupiter) illud 41
Auditum saxis, intellectumque ferarum
Sensibus, in vestos anima exhalata recessit.
Te mæstæ volucres, Orpheu, te turba ferarum
Te rigidi silices, tua carmina sæpe secutæ 45
Fleverunt sylvæ: positis te frondibus arbos,
Tonsa comam, luxit: lacrymis quoque flumina dicunt
Increvisse suis: obscuraque carbasa pullo
Naides et Dryades, passosque habuere capillos.
Membra jacent diversa locis. Caput, Hebre, lyramque. 50
Excipis; et (mirum) medio dum labitur amne,
Flebile nescio quid queritur lyra, flebile lingua
Murmurat exanimis: respondent flebile ripæ.
Jamque mare invectæ flumen populare relinquunt,
Et Methymnææ potiuntur littore Lesbi. 55
Hic ferus expositum peregrinis anguis arenis
Os petit, et sparsos stillanti rore capillos.
Tandem Phœbus adest, morsusque inferre parantem
Arcet, et in lapidem rictus serpentis apertos
Congelat, et patulos, ut erant, indurat hiatus. 60
Umbra subit terras: et, quæ loca viderat ante.
Cuncta recognoscit: quærensque per arva piorum
Invenit Eurydicen, cupidisque amplectitur ulnis.
Hic modo conjunctis spatiantur passibus ambo:
Nunc præcedentem sequitur, nunc prævius anteit, 65
Eurydicenque suam jam tuto respicit Orpheus.
Non impune tamen scelus hoc sinit esse Lyæus:
Amissoque dolens sacrorum vate suorum,
Protinus in sylvis matres Edonidas omnes,
Quæ fecere nefas, torta radice ligavit. 70
Quippe pedum digitos, in quantum quæque secuta est,
Traxit, et in solidam detrusit acumine terram.
Utque suum laqueis, quos callidus abdidit auceps,
Crus ubi commisit volucris, sensitque teneri,
Plangitur, ac trepidans adstringit vincula motu:
Sic, ut quæque solo defixa cohæserat harum, 76
Externata fugam frustra tentabat: at illam
Lenta tenet radix, exsultantemque coercet.
Dumque ubi sint digiti, dum pes ubi quærit, et ungues,
Adspicit in teretes lignum succedere suras: 80
Et conata femur mærenti plangere dextra,
Robora percussit. Pectus quoque robora fiunt:
Robora sunt humeri: porrectaque brachia veros
Esse putes ramos, et non fallare putando.
Nec satis hoc Baccho est: ipsos quoque deserit agros, 85
Cumque choro meliore sui vineta Tymoli,
Pactolonque petit: quamvis non aureus illo
Tempore, nec caris erat invidiosus arenis.
Hunc assueta cohors Satyri, Bacchæque frequentant:
At Silenus abest. Titubantem annisque, meroque 90
Ruricolæ cepere Phryges, vinctumque coronis
Ad regem traxere Midan: cui Thracius Orpheus

Orgia tradiderat cum Cecropio Eumolpo.
Qui simul agnovit socium, comitemque sacrorum,
Hospitis adventu festum genialiter egit 95
Per bis quinque dies, et junctas ordine noctes.
Et jam stellarum sublime coegerat agmen
Lucifer undecimus, Lydos cum lætus in agros
Rex venit, et juveni Silenum reddit alumno.
Huic deus optandi gratum, sed inutile, fecit
Muneris arbitrium, gaudens altore recepto 101
Ille male usurus donis, ait, Effice, quicquid
Corpore contigero, fulvum vertatur in aurum.
Annuit optatis, nocituraque munera solvit
Liber; at indoluit, quod non meliora petisset.
Lætus abit, gaudetque malo Berecyntius heros:
Pollicitamque fidem tangendo singula tentat.
Vixque sibi credens, non alta fronde virentem
Ilice detraxit virgam: virga aurea facta est.
Tollit humo saxum: saxum quoque palluit auro.
Contigit et glebam: contactu gleba potenti 111
Massa fit. Arentes Cereris decerpsit aristas:
Aurea messis erat. Demtum tenet arbore pomum:
Hesperidas donasse putes. Si postibus altis
Admovit digitos: postes radiare videntur. 115
Ille etiam liquidis palmas ubi laverat undis,
Unda fluens palmis Danaen eludere posset.
Vix spes ipse suas animo capit, aurea fingens
Omnia. Gaudenti mensas posuere ministri,
Exstructas dapibus, nec tostæ frugis egentes.
Tum vero, sive ille sua Cerealia dextra 121
Munera contigerat; Cerealia dona rigebant:
Sive dapes avido convellere dente parabat;
Lamina fulva dapes admoto dente nitebant.
Miscuerat puris auctorem muneris undis: 125
Fusile per rictus aurum fluitare videres.
Attonitus novitate mali, divesque miserque,
Effugere optat opes, et, quæ modo voverat, odit.
Copia nulla famem relevat: sitis arida guttur
Urit, et inviso meritus torquetur ab auro. 130
Ad cœlumque manus, et splendida brachia tollens,
Da veniam, Lenæe pater; peccavimus, inquit;
Sed miserere, precor, speciosoque eripe damno.
Mite deûm numen: Bacchus peccasse fatentem
Restituit, pactamque fidem, data munera, solvit.
Neve male optato maneas circumlitus auro, 136
Vade, ait, ad magnis vicinum Sardibus amnem;
Perque jugum montis labentibus obvius undis
Carpe viam, donec venias ad fluminis ortus:
Spumiferoque tuum fonti, qua plurimus exit,
Subde caput: corpusque simul, simul elue crimen.
Rex jussæ succedit aquæ. Vis aurea tinxit
Flumen, et humano de corpore cessit in amnem.
Nunc quoque jam veteris percepto semine venæ
Arva rigent, auro madidis pallentia glebis. 145
Ille, perosus opes, sylvas et rura colebat,
Panaque montanis habitantem semper in antris.
Pingue sed ingenium mansit: nocituraque, ut ante,
Rursus erant domino stolidæ præcordia mentis.
Nam freta prospiciens late riget arduus alto 150
Tmolus in adscensu: clivoque extentus utroque,
Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypæpis.
Pan ibi dum teneris jactat sua carmina Nymphis,
Et leve cerata modulatur arundine carmen;
Ausus Apollineos præ se contemnere cantus,
Judice sub Tmolo certamen venit ad impar. 156
Monte suo senior judex consedit; et aures
Liberat arboribus. Quercu coma cærula tantum
Cingitur, et pendent circum cava tempora glandes.
Isque deum pecoris spectans, In judice, dixit,
Nulla mora est. Calamis agrestibus insonat ille:
Barbaricoque Midan (aderat nam forte canenti)
Carmine delenit. Post hunc sacer ora retorsit
Tmolus ad os Phœbi: vultum sua sylva secuta est.
Ille caput flavum lauro Parnasside vinctus 165
Verrit humum Tyrio saturata murice palla:
Instructamque fidem gemmis et dentibus Indis
Sustinet a læva: tenuit manus altera plectrum.
Artificis status ipse fuit. Tum stamina docto
Pollice sollicitat: quorum dulcedine captus 170
Pana jubet Tmolus citharæ submittere cannas.
Judicium sanctique placet sententia montis
Omnibus. Arguitur tamen, atque injusta vocatur
Unius sermone Midæ. Nec Delius aures
Humanam stolidas patitur retinere figuram;
Sed trahit in spatium, villisque albentibus implet, 176
Instabilesque imo facit, et dat posse moveri.
Cætera sunt hominis: partem damnatur in unam,
Induiturque aures lente gradientis aselli.
Ille quidem celat, turpique onerata pudore
Tempora purpureis tentat velare tiaris.
Sed solitus longos ferro resecare capillos
Viderat hoc famulus. Qui, cum nec prodere visum
Dedecus auderet, cupiens efferre sub auras,
Nec posset reticere tamen, secedit; humumque
Effodit, et, domini quales adspexerit aures, 186
Voce refert parva, terræque immurmurat haustæ;
Indiciumque suæ vocis tellure regesta
Obruit, et scrobibus tacitus discedit opertis. 189
Creber arundinibus tremulis ibi surgere lucus
Cœpit; et, ut primum pleno maturuit anno,
Prodidit agricolam. Leni nam motus ab Austro
Obruta verba refert, dominique coarguit aures.
Ultus abit Tmolo, liquidumque per aera vectus 194
Angustum citra pontum Nepheleidos Helles
Laomedonteis Letoius adstitit arvis.
Dextera Sigei, Rhœtei læva profundi
Ara Panomphæo vetus est sacrata Tonanti.
Inde novæ primum moliri mœnia Trojæ 199
Laomedonta videt, susceptaque magna labore
Crescere difficili, nec opes exposcere parvas.
Cumque tridentigero tumidi genitore profundi
Mortalem induitur formam, Phrygioque tyranno
Ædificant muros, pacto pro mœnibus auro. 204
Stabat opus: pretium rex inficiatur, et addit,
Perfidiæ cumulum, falsis perjuria verbis.
Non impune feres, rector maris inquit: et omnes
Inclinavit aquas ad avaræ littora Trojæ;
Inque freti formam terras convertit, opesque
Abstulit agricolis, et fluctibus obruit arva. 210
Pœna neque hæc satis est: regis quoque filia monstro
Poscitur æquoreo: quam dura ad saxa revinctam
Vindicat Alcides, promissaque munera, dictos
Poscit equos: tantique operis mercede negata,
Bis perjura capit superatæ mœnia Trojæ. 215
Nec pars militiæ Telamon sine honore recessit,
Hesioneque data potitur. Nam conjuge Peleus
Clarus erat diva: nec avi magis ille superbit
Nomine, quam soceri: siquidem Jovis esse nepoti
Contigit haud uni; conjux dea contigit uni.

Namque senex Thetidi Proteus, Dea, dixerat, undæ,
Concipe: mater eris juvenis, qui fortibus actis
Acta patris vincet, majorque vocabitur illo.
Ergo, ne quicquam mundus Jove majus haberet,
Quamvis haud tepidos sub pectore senserat ignes
Jupiter, æquoreæ Thetidis connubia vitat, 226
Inque sua Æaciden succedere vota nepotem
Jussit, et amplexus in virginis ire marinæ.
Est sinus Hæmoniæ curvos falcatus in arcus:
Brachia procurrunt: ubi, si foret altior unda,
Portus erat: summis inductum est æquor arenis.
Littus habet solidum, quod nec vestigia servet,
Nec remoretur iter, nec opertum pendeat alga.
Myrtea sylva subest, bicoloribus obsita baccis.
Est specus in medio, natura factus an arte 235
Ambiguum, magis arte tamen: quo sæpe venire
Frenato delphine sedens, Theti nuda, solebas.
Illic te Peleus, ut somno vincta jacebas.
Occupat: et quoniam precibus tentata repugnas,
Vim parat, innectens ambobus colla lacertis.
Quod nisi venisses, variatis sæpe figuris, 241
Ad solitas artes, auso foret ille potitus.
Sed modo tu volucris; volucrem tamen ille tenebat:
Nunc gravis arbor eras; hærebat in arbore Peleus.
Tertia forma fuit maculosæ tigridis: illa 245
Territus Æacides a corpore brachia solvit.
Inde deos pelagi vino super æquora fuso,
Et pecoris fibris, et fumo thuris adorat:
Donec Carpathius medio de gurgite vates,
Æacida, dixit, thalamis potiere petitis. 250
Tu modo, cum gelido sopita quiescet in antro,
Ignaram laqueis vincloque innecte tenaci.
Nec te decipiat centum mentita figuras:
Sed preme, quicquid erit, dum, quod fuit ante, reformet.
Dixerat hæc Proteus: et condidit æquore vultum, 255
Admisitque suos in verba novissima fluctus.
Pronus erat Titan, inclinatoque tenebat
Hesperium temone fretum: cum pulchra relicto
Nereis ingreditur consueta cubilia ponto.
Vix bene virgineos Peleus invaserat artus; 260
Illa novat formas: donec sua membra teneri
Sentit, et in partes diversas brachia tendi.
Tum demum ingemuit: Neque, ait, sine numine vincis;
Exhibita estque Thetis. Confessam amplectitur heros,
Et potitur votis, ingentique implet Achille. 265
Felix et nato, felix et conjuge Peleus;
Et cui, si demas jugulati crimina Phoci,
Omnia contigerant. Fraterno sanguine sontem,
Expulsumque domo patria Trachinia tellus
Accipit. Hic regnum sine vi, sine cæde, tenebat 270
Lucifero genitore satus, patriumque nitorem
Ore ferens Ceyx; illo qui tempore mæstus,
Dissimilisque sui, fratrem lugebat ademtum.
Quo postquam Æacides fessus curaque viaque
Venit, et intravit paucis comitantibus urbem;
Quosque greges pecorum, quæ secum armenta trahebat,
Haud procul a muris sub opaca valle reliquit:
Copia cum facta est adeundi prima tyranni,
Velamenta manu prætendens supplice, qui sit,
Quoque satus, memorat: tantum sua crimina celat: 280
Mentitusque fugæ causam, petit urbe vel agro
Se juvet. Hunc contra placido Trachinius ore
Talibus alloquitur: Mediæ quoque commoda plebi
Nostra patent, Peleu, nec inhospita regna tenemus. 284
Adjicis huic animo momenta potentia, clarum
Nomen, avumque Jovem: nec tempora perde precando.
Quod petis, omne feres: tuaque hæc pro parte videto,
Qualiacunque vides. Utinam meliora videres!
Et flebat. Moveat quæ tantos causa dolores,
Peleusque comitesque rogant. Quibus ille profatur: 290
Forsitan hanc volucrem, rapto quæ vivit, et omnes
Terret aves, semper pennas habuisse putetis.
[Vir fuit: et tanta est animi constantia, quantum]
Acer erat, belloque ferox, ad vimque paratus,
Nomine Dædalion; illo genitore creatus, 295
Qui vocat Auroram, cœloque novissimus exit.
Culta mihi pax est; pacis mihi cura tuendæ,
Conjugiique fuit: fratri fera bella placebant.
Illius virtus reges gentesque subegit, 299
Quæ nunc Thisbæas agitat mutata columbas.
Nata erat huic Chione: quæ dotatissima forma
Mille procis placuit, bis septem nubilis annis.
Forte revertentes Phœbus Maiaque creatus,
Ille suis Delphis, hic vertice Cylleneo,
Videre hanc pariter, pariter traxere calorem.
Spem Veneris differt in tempora noctis Apollo.
Non tulit ille moras, virgaque movente soporem
Virginis os tangit. Tactu jacet illa potenti,
Vimque dei patitur. Nox cœlum sparserat astris;
Phœbus anum simulat, præceptaque gaudia sumit. 310
Ut sua maturus complevit tempora venter;
Alipedis de stirpe dei versuta propago
Nascitur Autolycus, furtum ingeniosus ad omne,
Qui facere assuerat, patriæ non degener artis,
Candida de nigris, et de candentibus atra. 315
Nascitur e Phœbo (namque est enixa gemellos)
Carmine vocali clarus citharaque Philammon.
Quid peperisse duos, et dis placuisse duobus,
Et forti genitore, et progenitore Tonanti
Esse satam prodest? an obest quoque gloria multis? 320
Obfuit huic certe; quæ se præferre Dianæ
Sustinuit, faciemque deæ culpavit. At illi
Ira ferox mota est: Factisque placebimus, inquit.
Nec mora; curvavit cornu, nervoque sagittam
Impulit, et meritam trajecit arundine linguam.
Lingua tacet, nec vox, tentataque verba sequuntur:
Conantemque loqui cum sanguine vita reliquit.
Quem, misera o pietas! ego tum patruoque dolorem
Corde tuli, fratrique pio solatia dixi.
Quæ pater haud aliter, quam cautes murmura ponti, 330
Accipit: et natam delamentatur ademtam.
Ut vero ardentem vidit, quater impetus illi
In medios fuit ire rogos: quater inde repulsus
Concita membra fugæ mandat, similisque juvenco
Spicula crabronum pressa cervice gerenti, 335

Qua via nulla, ruit. Jam tum mihi currere visus
Plus homine est: alasque pedes sumsisse putares.
Effugit ergo omnes, veloxque cupidine leti
Vertice Parnassi potitur. Miseratus Apollo,
Cum se Dædalion saxo misisset ab alto, 340
Fecit avem, et subitis pendentem sustulit alis:
Oraque adunca dedit, curvos dedit unguibus hamos,
Virtutem antiquam, majores corpore vires.
Et nunc accipiter, nulli satis æquus, in omnes
Sævit aves, aliisque dolens fit causa dolendi. 345
Quæ dum Lucifero genitus miracula narrat
De consorte suo; cursu festinus anhelo
Advolat armenti custos Phoceus Anetor.
Heu Peleu, Peleu, magnæ tibi nuntius adsum
Cladis, ait. Quodcunque ferat, jubet edere Peleus. 350
Pendet, et ipse metu trepidat Trachinius heros.
Ille refert: Fessos ad littora curva juvencos
Appuleram, medio cum sol altissimus orbe
Tantum respiceret, quantum superesse videret.
Parsque boum fulvis genua inclinarat arenis, 355
Latarumque jacens campos spectabat aquarum:
Pars gradibus tardis illuc errabat, et illuc:
Nant alii, celsoque exstant super æquora collo.
Templa mari subsunt, nec marmore clara nec auro, 359
Sed trabibus densis, lucoque umbrosa vetusto.
Nereides Nereusque tenent. Hos navita templi
Edidit esse deos, dum retia littore siccat.
Juncta palus huic est, densis obsessa salictis,
Quam restagnantis fecit maris unda paludem.
Inde fragore gravi strepitans loca proxima terret 365
Bellua vasta lupus, sylvisque palustribus exit,
Oblitus et spumis, et spisso sanguine rictus
Fulmineos, rubra suffusus lumina flamma.
Qui, quanquam sævit pariter rabieque fameque,
Acrior est rabie. Neque enim jejunia curat 370
Cæde boum, diramque famem satiare, sed omne
Vulnerat armentum, sternitque hostiliter omne.
Pars quoque de nobis funesto saucia morsu,
Dum defensamus, leto est data. Sanguine littus,
Undaque prima rubent, demugitæque paludes.
Sed mora damnosa est, nec res dubitare remittit.
Dum superest aliquid, cuncti coeamus, et arma,
Arma capessamus, conjunctaque tela feramus.
Dixerat agrestis. Nec Pelea damna movebant:
Sed, memor admissi, Nereida colligit orbam 380
Damna suo inferias exstincto mittere Phoco.
Induere arma viros, violentaque sumere tela
Rex jubet Œtæus: cum quis simul ipse parabat
Ire: sed Alcyone conjux excita tumultu
Prosilit, et, nondum totos ornata capillos, 385
Disjicit hos ipsos: colloque infusa mariti,
Mittat ut auxilium sine se, verbisque precatur
Et lacrymis, animasque duas ut servet in una.
Æacides illi, Pulchros, regina, piosque
Pone metus: plena est promissi gratia vestri. 390
Non placet arma mihi contra nova monstra moveri.
Numen adorandum pelagi est. Erat ardua turris,
Arce patens summa, fessis loca grata carinis.
Adscendunt illuc, stratosque in littore tauros
Cum gemitu adspiciunt, vastatoremque cruento
Ore ferum, longos infectum sanguine villos. 396
Inde manus tendens in aperti littora ponti,
Cæruleam Peleus Psamathen, ut finiat iram,
Orat, opemque ferat. Nec vocibus illa rogantis
Flectitur Æacidæ. Thetis hanc pro conjuge supplex 400
Accepit veniam. Sed enim revocatus ab acri
Cæde lupus perstat, dulcedine sanguinis asper;
Donec inhærentem laceræ cervice juvencæ
Marmore mutavit. Corpus, præterque colorem
Omnia servavit: lapidis color indicat, illum 405
Jam non esse lupum, jam non debere timeri.
Nec tamen hac profugum consistere Pelea terra
Fata sinunt: Magnetas adit vagus exul, et illic
Sumit ab Hæmonio purgamina cædis Acasto.
Interea fratrisque sui, fratremque secutis 410
Anxia prodigiis turbatus pectora Ceyx,
Consulat ut sacras, hominum oblectamina, sortes,
Ad Clarium parat ire deum: nam templa profanus
Invia cum Phlegyis faciebat Delphica Phorbas.
Consilii tamen ante sui, fidissima, certam 415
Te facit, Alcyone. Cui protinus intima frigus
Ossa receperunt, buxoque simillimus ora
Pallor obit, lacrymisque genæ maduere profusis.
Ter conata loqui, ter fletibus ora rigavit:
Singultuque pias interrumpente querelas, 420
Quæ mea culpa tuam, dixit, carissime, mentem
Vertit? ubi est, quæ cura mei prius esse solebat?
Jam potes Alcyone securus abesse relicta:
Jam via longa placet: jam sum tibi carior absens.
At, puto, per terras iter est, tantumque dolebo;
Non etiam metuam; curæque timore carebunt.
Æquora me terrent, et ponti tristis imago. 427
Et laceras nuper tabulas in littore vidi;
Et sæpe in tumulis sine corpore nomina legi.
Neve tuum fallax animum fiducia tangat, 430
Quod socer Hippotades tibi sit, qui carcere fortes
Contineat ventos, et, cum velit, æquora placet.
Cum semel emissi tenuerunt æquora venti,
Nil illis vetitum est, incommendataque tellus
Omnis, et omne fretum. Cœli quoque nubila vexant, 435
Excutiuntque feris rutilos concursibus ignes.
Quo magis hos novi, (nam novi, et sæpe paterna
Parva domo vidi,) magis hos reor esse timendos.
Quod tua si flecti precibus sententia nullis, 439
Care, potest, conjux, nimiumque es certus eundi;
Me quoque tolle simul. Certe jactabimur una:
Nec, nisi quæ patiar, metuam: pariterque feremus,
Quicquid erit: pariter super æquora lata feremur.
Talibus Æolidis dictis lacrymisque movetur
Sidereus conjux: neque enim minor ignis in ipso est. 445
Sed neque propositos pelagi dimittere cursus,
Nec vult Alcyonen in partem adhibere pericli:
Multaque respondit timidum solantia pectus.
Nec tamen idcirco causam probat. Addidit illis
Hoc quoque lenimen, quo solo flexit amantem:
Longa quidem nobis omnis mora: sed tibi juro
Per patrios ignes, si me modo fata remittent,
Ante reversurum, quam Luna bis impleat orbem.
His ubi promissis spes est admota recursus;
Protinus eductam navalibus æquore tingi, 455
Aptarique suis pinum jubet armamentis.
Qua rursus visa, veluti præsaga futuri,
Horruit Alcyone, lacrymasque emisit obortas:
Amplexusque dedit: tristique miserrima tandem
Ore, Vale, dixit: collapsaque corpore tota est.
Ast juvenes, quærente moras Ceyce, reducunt
Ordinibus geminis ad fortia pectora remos,

Æqualique ictu scindunt freta. Sustulit illa
Humentes oculos; stantemque in puppe recurva,
Concussaque manu dantem sibi signa maritum
Prima videt, redditque notas. Ubi terra recessit
Longius, atque oculi nequeunt cognoscere vultus;
Dum licet, insequitur fugientem lumine pinum.
Hæc quoque ut haud poterat spatio submota videri;
Vela tamen spectat summo fluitantia malo. 470
Ut nec vela videt; vacuum petit anxia lectum,
Seque toro ponit. Renovat lectusque locusque
Alcyonæ lacrymas, et quæ pars, admonet, absit.
Portubus exierant, et moverat aura rudentes;
Obvertit lateri pendentes navita remos, 475
Cornuaque in summa locat arbore, totaque malo
Carbasa deducit, venientesque accipit auras.
Aut minus, aut certe medium non amplius æquor
Puppe secabatur, longeque erat utraque tellus;
Cum mare sub noctem tumidis albescere cœpit
Fluctibus, et præceps spirare valentius Eurus.
Ardua jamdudum demittite cornua, rector
Clamat, et antennis totum subnectite velum.
Hic jubet: impediunt adversæ jussa procellæ,
Nec sinit audiri vocem fragor æquoris ullam. 485
Sponte tamen properant alii subducere remos:
Pars munire latus: pars ventis vela negare.
Egerit hic fluctus, æquorque refundit in æquor:
Hic rapit antennas. Quæ dum sine lege geruntur;
Aspera crescit hiems, omnique e parte feroces
Bella gerunt venti, fretaque indignantia miscent.
Ipse pavet, nec se, qui sit status, ipse fatetur
Scire ratis rector, nec quid jubeatve, vetetve:
Tanta mali moles, totaque potentior arte est.
Quippe sonant clamore viri, stridore rudentes,
Undarum incursu gravis unda, tonitribus æther.
Fluctibus erigitur, cœlumque æquare videtur
Pondus, et inductas adspergine tangere nubes.
Et modo, cum fulvas ex imo verrit arenas,
Concolor est illis, Stygia modo nigrior unda: 500
Sternitur interdum, spumisque sonantibus albet.
Ipsa quoque his agitur vicibus Trachinia puppis:
Et modo sublimis, veluti de vertice montis,
Despicere in valles, imumque Acheronta videtur:
Nunc, ubi demissam curvum circumstetit æquor,
Suspicere inferno summum de gurgite cœlum.
Sæpe dat ingentem fluctu latus icta fragorem:
Nec levius pulsata sonat, quam ferreus olim
Cum laceras aries ballistave concutit arces.
Utque solent, sumtis in cursu viribus, ire 510
Pectore in arma feri, prætentaque tela leones;
Sic ubi se ventis admiserat unda coortis,
Ibat in arma ratis, multoque erat altior illis.
Jamque labant cunei, spoliataque tegmine ceræ
Rima patet, præbetque viam letalibus undis. 515
Ecce cadunt largi resolutis nubibus imbres;
Inque fretum credas totum descendere cœlum,
Inque plagas cœli tumefactum adscendere pontum.
Vela madent nimbis, et cum cœlestibus undis
Æquoreæ miscentur aquæ. Caret ignibus æther,
Cæcaque nox premitur tenebris hiemisque suisque. 521
Discutiunt tamen has, præbentque micantia lumen
Fulmina: fulmineis ardescunt ignibus undæ.
Dat quoque jam saltus intra cava texta carinæ
Fluctus: et, ut miles numero præstantior omni,
Cum sæpe assiluit defensæ mœnibus urbis, 526
Spe potitur tandem, laudisque accensus amore,
Inter mille viros, murum tamen occupat unus.
Sic ubi pulsarunt acres latera ardua fluctus,
Vastius insurgens decimæ ruit impetus undæ:
Nec prius absistit fessam oppugnare carinam,
Quam velut in captæ descendat mœnia navis.
Pars igitur tentabat adhuc invadere pinum; 533
Pars maris intus erat. Trepidant haud secius omnes,
Quam solet urbs, aliis murum fodientibus extra,
Atque aliis murum, trepidare, tenentibus intus.
Deficit ars, animique cadunt: totidemque videntur, 537
Quot veniant fluctos, ruere atque irrumpere mortes.
Non tenet hic lacrymas: stupet hic: vocat ille beatos,
Funera quos maneant: hic votis numen adorat,
Brachiaque ad cœlum, quod non videt, irrita tollens 541
Poscit opem: subeunt illi fratresque parensque:
Huic cum pignoribus domus, et quod cuique relictum est.
Alcyone Ceyca movet: Ceycis in ore
Nulla nisi Alcyone est: et, cum desideret unam,
Gaudet abesse tamen. Patriæ quoque vellet ad oras 546
Respicere, inque domum supremos vertere vultus;
Verum ubi sit nescit: tanta vertigine pontus
Fervet, et inducta piceis e nubibus umbra
Omne latet cœlum, duplicataque noctis imago est.
Frangitur incursu nimbosi turbinis arbos: 551
Frangitur et regimen: spoliisque animosa superstans
Unda, velut victrix, sinuatas despicit undas.
Nec levius, quam si quis Athon Pindumve revulsos
Sede sua totos in apertum everterit æquor, 555
Præcipitata ruit: pariterque et pondere et ictu
Mergit in ima ratem; cum qua pars magna virorum
Gurgite pressa gravi, neque in aera reddita, fato
Functa suo est. Alii partes et membra carinæ
Trunca tenent. Tenet ipse manu, qua sceptra solebat, 560
Fragmina navigii Ceyx, socerumque patremque
Invocat, heu, frustra. Sed plurima nantis in ore
Alcyone conjux. Illam meminitque refertque:
Illius ante oculos ut agant sua corpora fluctus,
Optat, et exanimis manibus tumuletur amicis.
Dum natat, absentem, quoties sinit hiscere fluctus, 566
Nominat Alcyonen, ipsisque immurmurat undis.
Ecce super medios fluctus niger arcus aquarum
Frangitur, et rupta mersum caput obruit unda.
Lucifer obscurus, nec quem cognoscere posses,
Illa nocte fuit: quoniamque excedere Olympo
Non licuit, densis texit sua nubibus ora. 572
Æolis interea tantorum ignara malorum
Dinumerat noctes: et jam, quas induat ille,
Festinat vestes, jam quas, ubi venerit ille, 575
Ipsa gerat: reditusque sibi promittit inanes.
Omnibus illa quidem superis pia thura ferebat;
Ante tamen cunctos Junonis templa colebat:
Proque viro, qui nullus erat, veniebat ad aras.
Utque foret sospes conjux suus, utque rediret,
Optabat; nullamque sibi præferret. At illi 581
Hoc de tot votis poterat contingere solum.

At dea non ultra pro functo morte rogari
Sustinet: utque manus funestas arceat aris,
Iri, meæ, dixit, fidissima nuntia vocis, 585
Vise soporiferam Somni velociter aulam:
Exstinctique jube Ceycis imagine mittat
Somnia ad Alcyonen veros narrantia casus.
Dixerat. Induitur velamina mille colorum
Iris, et arquato cœlum curvamine signans 590
Tecta petit jussi sub rupe latentia regis.
Est prope Cimmerios longo spelunca recessu,
Mons cavus, ignavi domus et penetralia Somni:
Quo nunquam radiis oriens, mediusve, cadensve
Phœbus adire potest. Nebulæ caligine mixtæ
Exhalantur humo, dubiæque crepuscula lucis.
Non vigil ales ibi cristati cantibus oris 597
Evocat Auroram: nec voce silentia rumpunt
Sollicitive canes, canibusve sagacior anser.
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
Humanæve sonum reddunt convicia linguæ. 601
Muta quies habitat. Saxo tamen exit ab imo
Rivus aquæ Lethes: per quem cum murmure labens
Invitat somnos crepitantibus unda lapillis.
Ante fores antri fecunda papavera florent, 605
Innumeræque herbæ: quarum de lacte soporem
Nox legit, et spargit per opacas humida terras.
Janua, quæ verso stridorem cardine reddat,
Nulla domo tota; custos in limine nullus.
At medio torus est, ebeno sublimis in atra, 610
Plumeus, unicolor, pullo velamine tectus:
Quo cubat ipse deus, membris languore solutis.
Hunc circa passim, varias imitantia formas,
Somnia vana jacent totidem, quot messis aristas,
Sylva gerit frondes, ejectas littus arenas. 615
Quo simul intravit, manibusque obstantia virgo
Somnia dimovit; vestis fulgore reluxit
Sacra domus, tardaque deus gravitate jacentes
Vix oculos tollens, iterumque iterumque relabens,
Summaque percutiens nutanti pectora mento, 620
Excussit tandem sibi se: cubitoque levatus,
Quid veniat (cognorat enim) scitatur. At illa:
Somne, quies rerum, placidissime, Somne, deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corda diurnis
Fessa ministeriis mulces, reparasque labori; 625
Somnia, quæ veras æquent imitamine formas,
Herculea Trachine jube sub imagine regis
Alcyonen adeant, simulacraque naufraga fingant.
Imperat hoc Juno. Postquam mandata peregit
Iris, abit: neque enim ulterius tolerare vaporis
Vim poterat; labique ut Somnum sensit in artus,
Effugit, et remeat per quos modo venerat arcus.
At pater e populo natorum mille suorum
Excitat artificem, simulatoremque figuræ
Morphea. Non illo jussos sollertius alter 635
Exprimit incessus, vultumque sonumque loquendi;
Adjicit et vestes, et consuetissima cuique
Verba. Sed hic solos homines imitatur: at alter
Fit fera, fit volucris, fit longo corpore serpens.
Hunc Icelon superi, mortale Phobetora vulgus
Nominat. Est etiam diversæ tertius artis 641
Phantasos. Ille in humum, saxumque, undamque, trabemque,
Quæque vacant anima, feliciter omnia transit.
Regibus hi, ducibusque suos ostendere vultus
Nocte solent: populos alii plebemque pererrant.
Præterit hos senior, cunctisque e fratribus unum
Morphea, qui peragat Thaumantidos edita, Somnus 647
Eligit: et rursus molli languore solutus
Deposuitque caput, stratoque recondidit alto.
Ille volat, nullos strepitus facientibus alis, 650
Per tenebras: intraque moræ breve tempus in urbem
Pervenit Hæmoniam: positisque e corpore pennis
In faciem Ceycis abit, formaque sub illa
Luridus, exsangui similis, sine vestibus ullis,
Conjugis ante torum miseræ stetit. Uda videtur
Barba viri, madidisque gravis fluere unda capillis.
Tum lecto incumbens, fletu super ora refuso, 657
Hæc ait: Agnoscis Ceyca, miserrima conjux?
An mea mutata est facies nece? respice; nosces,
Inveniesque tuo pro conjuge conjugis umbram.
Nil opis, Alcyone, nobis tua vota tulerunt. 661
Occidimus: falsæ tibi me promittere noli.
Nubilus Ægæo deprendit in æquore navim
Auster, et ingenti jactatam flamine solvit:
Oraque nostra, tuum frustra clamantia nomen,
Implerunt fluctus. Non hæc tibi nuntiat auctor
Ambiguus: non ista vagis rumoribus audis: 667
Ipse ego fata tibi præsens mea naufragus edo.
Surge, age, da lacrymas, lugubriaque indue: nec me
Indeploratum sub inania Tartara mitte. 670
Adjicit his vocem Morpheus, quam conjugis illa
Crederet esse sui. Fletus quoque fundere veros
Visus erat: gestumque manus Ceycis habebant.
Ingemit Alcyone lacrymans, motatque lacertos
Per somnum, corpusque petens amplectitur auras:
Exclamatque, Mane. Quo te rapis? ibimus una.
Voce sua, specieque viri turbata soporem 677
Excutit: et primo si sit, circumspicit, illic,
Qua modo visus erat: nam moti voce ministri
Intulerant lumen. Postquam non invenit usquam, 680
Percutit ora manu, laniatque a pectore vestes,
Pectoraque ipsa ferit. Nec crinem solvere curat;
Scindit; et altrici, quæ luctus causa, roganti,
Nulla est Alcyone, nulla est, ait: occidit una
Cum Ceyce suo. Solantia tollite verba. 685
Naufragus interriit. Vidi, agnovique, manusque
Ad discedentem, cupiens retinere, tetendi.
Umbra fuit: sed et umbra tamen manifesta, virique
Vera mei. Non ille quidem, si quæris, habebat
Assuetos vultus, nec, quo prius ore, nitebat. 690
Pallentem, nudumque, et adhuc humente capillo
Infelix vidi. Stetit hoc miserabilis ipso
Ecce loco: et quærit, vestigia si qua supersint.
Hoc erat, hoc animo quod divinante timebam,
Et ne, me fugiens, ventos sequerere rogabam.
At certe vellem, quoniam periturus abibas, 696
Me quoque duxisses. Tecum fuit utile, tecum
Ire mihi. Neque enim de vitæ tempore quicquam
Non simul egissem; nec mors discreta fuisset.
Nunc absens pereo, jactor nunc fluctibus absens:
Et sine me te pontus habet. Crudelior ipso
Sit mihi mens pelago, si vitam ducere nitar 702
Longius, et tanto pugnem superesse dolori.
Sed neque pugnabo: nec te, miserande, relinquam: [pulcro,
Et tibi nunc saltem veniam comes; inque se-
Si non urna, tamen junget nos littera: si non

Ossibus ossa meis, at nomen nomine tangam.
Plura dolor prohibet; verboque intervenit omni
Plangor, et attonito gemitus e corde trahuntur.
Mane erat: egreditur tectis ad littus, et illum 710
Mæsta locum repetit, de quo spectarat euntem.
Dumque, Moratus ibi; dumque, Hic retinacula solvit,
Hoc mihi discedens dedit oscula littore, dicit,
Dumque notata oculis reminiscitur acta, fretumque
Prospicit; in liquida, spatio distante, tuetur 715
Nescio quid quasi corpus aqua; primoque, quid illud
Esset, erat dubium. Postquam paulo appulit unda,
Et, quamvis aberat, corpus tamen esse liquebat;
Qui foret, ignorans, quia naufragus, omine mota est:
Et, tanquam ignoto lacrymam daret, Heu miser, inquit, 720
Quisquis es, et si qua est conjux tibi! Fluctibus actum
Fit propius corpus. Quod quo magis illa tuetur,
Hoc minus, et minus est amens sua. Jamque propinquæ
Admotum terræ, jam quod cognoscere posset,
Cernit: erat conjux. Ille est, exclamat: et una
Ora, comas, vestem lacerat: tendensque trementes
Ad Ceyca manus, Sic, o carissime conjux, 727
Sic ad me, miserande, redis? ait. Adjacet undis
Facta manu moles, quæ primas æquoris iras
Frangit, et incursus quæ prædelassat aquarum.
Insilit huc: mirumque fuit potuisse: volabat:
Percutiensque levem modo natis aera pennis, 732
Stringebat summas ales miserabilis undas.
Dumque volat, mæsto similem, plenumque querelæ
Ora dedere sonum, tenui crepitantia rostro. 735
Ut vero tetigit mutum et sine sanguine corpus;
Dilectos artus amplexa recentibus alis,
Frigida nequicquam duro dedit oscula rostro.
Senserit hoc Ceyx, an vultum motibus undæ
Tollere sit visus, populus dubitabat; at ille 740
Senserat. Et tandem, superis miserantibus, ambo
Alite mutantur. Fatis obnoxius isdem
Tunc quoque mansit amor, nec conjugiale solutum
Fœdus in alitibus. Coeunt, fiuntque parentes:
Perque dies placidos, hiberno tempore, septem
Incubat Alcyone pendentibus æquore nidis. 746
Tum via tuta maris: ventos custodit, et arcet
Æolus egressu, præstatque nepotibus æquor.
Hos aliquis senior circum freta lata volantes
Spectat, et ad finem servatos laudat amores. 750
Proximus, aut idem, si fors tulit, Hic quoque, dixit,
Quem mare carpentem, substrictaque crura gerentem
Adspicis, (ostendens spatiosum gutture mergum,)
Regia progenies; et, si descendere ad ipsum
Ordine perpetuo quæris, sunt hujus origo 755
Ilus, et Assaracus, raptusque Jovi Ganymedes,
Laomedonque senex, Priamusque novissima Trojæ
Tempora sortitus. Frater fuit Hectoris iste:
Qui nisi sensisset prima nova fata juventa,
Forsitan inferius non Hectore nomen haberet:
Quamvis est illum proles enixa Dymantis, 761
Æsacon umbrosa furtim peperisse sub Ida
Fertur Alexirhoe, Granico nata bicorni.
Oderat hic urbes: nitidaque remotus ab aula
Secretos montes et inambitiosa colebat 765
Rura, nec Iliacos cœtus nisi rarus adibat.
Non agreste tamen, nec inexpugnabile amori
Pectus habens, sylvas captatam sæpe per omnes
Adspicit Hesperien patria Cebrenida ripa
Injectos humeris siccantem sole capillos. 770
Visa fugit Nymphe, veluti perterrita fulvum
Cerva lupum, longeque lacu deprensa relicto
Accipitrem fluvialis anas. Quam Troius heros
Insequitur, celeremque metu celer urget amore.
Ecce latens herba coluber fugientis adunco
Dente pedem strinxit, virusque in corpore liquit.
Cum vita suppressa fuga est. Amplectitur amens
Exanimem: clamatque, Piget, piget esse secutum:
Sed non hoc timui; nec erat mihi vincere tanti.
Perdidimus miseram nos te duo. Vulnus ab angue, 780
A me causa data est. Ego sim sceleratior illo,
Ni tibi morte mea mortis solatia mittam.
Dixit: et e scopulo, quem rauca subederat unda,
Se dedit in pontum. Tethys miserata cadentem
Molliter excepit, nantemque per æquora pennis
Texit: et optatæ non est data copia mortis. 786
Indignatur amans invitum vivere cogi,
Obstarique animæ misera de sede volenti
Exire. Utque novas humeris assumserat alas,
Subvolat, atque iterum corpus super æquora mittit. 790
Pluma levat casus. Furit Æsacos: inque profundum
Pronus abit, letique viam sine fine retentat.
Fecit amor maciem: longa internodia crurum,
Longa manet cervix: caput est a corpore longe.
Æquor amat: nomenque tenet, quia mergitur illo. 795

LIBER DUODECIMUS.

Nescius assumtis Priamus pater Æsacon alis
Vivere, lugebat: tumulo quoque nomen habenti
Inferias dederat cum fratribus Hector inanes.
Defuit officio Paridis præsentia tristi,
Postmodo qui rapta longum cum conjuge bellum
Attulit in patriam; conjuratæque sequuntur 6
Mille rates, gentisque simul commune Pelasgæ.
Nec dilata foret vindicta, nisi æquora sævi
Invia fecissent venti, Bœotaque tellus
Aulide piscosa puppes tenuisset ituras. 10
Hic patrio de more Jovi cum sacra parassent;
Ut vetus accensis incanduit ignibus ara,
Serpere cæruleum Danai videre draconem
In platanum, cœptis quæ stabat proxima sacris.
Nidus erat volucrum bis quatuor arbore summa:
Quas simul, et matrem circum sua damna volantem, 16
Corripuit serpens, avidaque recondidit alvo.
Obstupuere omnes: at veri providus augur
Thestorides, Vincemus, ait; gaudete, Pelasgi.
Troja cadet; sid erit nostri mora longa laboris.
Atque novem volucres in belli digerit annos. 21

Ille, ut erat, virides amplexus in arbore ramos,
Fit lapis, et servat serpentis imagine saxum.
Permanet Aoniis Nereus violentus in undis,
Bellaque non transfert; et sunt, qui parcere Trojæ
Neptunum credant, quia mœnia fecerat urbi.
At non Thestorides. Nec enim nescitve, tacetve
Sanguine virgineo placandam virginis iram 28
Esse deæ. Postquam pietatem publica causa,
Rexque patrem vicit, castumque datura cruorem
Flentibus ante aram stetit Iphigenia ministris;
Victa dea est, nubemque oculis objecit, et inter
Officium turbamque sacri, vocesque precantum,
Supposita fertur mutasse Mycenida cerva.
Ergo ubi, qua decuit, lenita est cæde Diana, 35
Et pariter Phœbes, pariter maris ira recessit;
Accipiunt ventos a tergo mille carinæ,
Multaque perpessæ Phrygia potiuntur arena.
Orbe locus medio est inter terrasque, fretumque,
Cœlestesque plagas, triplicis confinia mundi: 40
Unde quod est usquam, quamvis regionibus absit,
Inspicitur, penetratque cavas vox omnis ad aures.
Fama tenet, summaque domum sibi legit in arce:
Innumerosque aditus, ac mille foramina tectis
Addidit, et nullis inclusit limina portis. 45
Nocte dieque patent. Tota est ex ære sonanti:
Tota fremit, vocesque refert, iteratque quod audit.
Nulla quies intus, nullaque silentia parte.
Nec tamen est clamor, sed parvæ murmura vocis:
Qualia de pelagi, si quis procul audiat, undis 50
Esse solent: qualemve sonum, cum Jupiter atras
Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt.
Atria turba tenet: veniunt leve vulgus, euntque:
Mixtaque cum veris passim commenta vagantur
Millia rumorum, confusaque verba volutant. 55
E quibus hi vacuas implent sermonibus aures:
Hi narrata ferunt alio: mensuraque ficti
Crescit, et auditis aliquid novus adjicit auctor.
Illic Credulitas, illic temerarius Error, 59
Vanaque Lætitia est, consternatique Timores,
Seditioque repens, dubioque auctore Susurri.
Ipsa quid in cœlo rerum, pelagoque geratur,
Et tellure videt, totumque inquirit in orbem.
Fecerat hæc notum, Graias cum milite forti
Adventare rates: neque inexspectatus in armis
Hostis adest. Prohibent aditu, littusque tuentur
Troes: et Hectorea primus fataliter hasta,
Protesilae, cadis, commissaque prœlia magno
Stant Danais, fortisque animæ nece cognitus Hector.
Nec Phryges exiguo, quid Achaia dextera posset,
Sanguine senserunt. Et jam Sigea rubebant 71
Littora: jam leto proles Neptunia Cycnus
Mille viros dederat: jam curru instabat Achilles,
Troaque Peliacæ sternebat cuspidis ictu
Agmina, perque acies aut Cycnum aut Hectora quærens 75
Congreditur Cycno: decimum dilatus in annum
Hector erat. Tum colla jugo candentia pressos
Exhortatus equos, currum direxit in hostem:
Concutiensque suis vibrantia tela lacertis,
Quisquis es, o juvenis, solatia mortis habeto, 80
Dixit, ab Hæmonio quod sis jugulatus Achille.
Hactenus Æacides. Vocem gravis hasta secuta est.
Sed quanquam certa nullus fuit error in hasta,
Nil tamen emissi profecit acumine ferri:
Utque hebeti pectus tantummodo contudit ictu;
Nate dea, nam te fama prænovimus, inquit 86
Ille, quid a nobis miraris abesse?
(Mirabatur enim:) non hæc, quam cernis, equinis
Fulva jubis cassis, neque onus cava parma sinistræ 89
Auxilio mihi sunt: decor est quæsitus ab istis.
Mars quoque ob hoc capere arma solet. Removebitur omne
Tegminis officium; tamen indestrictus abibo.
Est aliquid, non esse satum Nereide, sed qui
Nereaque, et natas, et totum temperet æquor.
Dixit: et hæsurum clypei curvamine telum 95
Misit in Æaciden, quod et æs, et proxima rupit
Terga novena boum, decimo tamen orbe moratum.
Excutit hoc heros, rursusque trementia forti
Tela manu torsit: rursus sine vulnere corpus,
Sincerumque fuit: nec tertia cuspis apertum 100
Et se præbentem valuit destringere Cycnum.
Haud secus exarsit, quam Circo taurus aperto,
Cum sua terribili petit irritamina cornu
Puniceas vestes, elusaque vulnera sentit.
Num tamen exciderit ferrum, considerat, hastæ:
Hærebat ligno. Manus est mea debilis ergo,
Quasque, ait, ante habuit vires, effudit in uno.
Nam certe valuit, vel cum Lyrnessia primus
Mœnia disjeci; vel cum Tenedonque suoque
Eetioneas implevi sanguine Thebas; 110
Vel cum purpureus populari cæde Caicus
Fluxit, opusque meæ bis sensit Telephus hastæ.
Hic quoque tot cæsis, quorum per littus acervos
Et feci, et video, valuit mea dextra, valetque.
Dixit: et, ante actis veluti male crederet, hastam 115
Misit in adversum Lycia de plebe Menœten,
Loricamque simul, subjectaque pectora rupit.
Quo plagente gravem moribundo vertice terram
Extrahit illud idem calido de vulnere telum,
Atque ait; Hæc manus est, hæc, qua modo vicimus, hasta. 120
Utar in hunc isdem: sic in hoc precor exitus idem.
Sic fatus, Cycnumque petit: nec fraxinus errat,
Inque humero sonuit non evitata sinistro.
Inde, velut muro, solidave a caute, repulsa est.
Qua tamen ictus erat, signatum sanguine Cycnum 125
Viderat, et frustra fuerat gavisus Achilles.
Vulnus erat nullum: sanguis erat ille Menœtæ.
Tum vero præceps curru fremebundus ab alto
Desilit, et nitido securum cominus hostem.
Ense petens, parmam gladio, galeamque cavari
Cernit, et in duro lædi quoque corpore ferrum.
Haud tulit ulterius: clypeoque adversa reducto
Ter quater ora viri, capulo cava tempora pulsat: 133
Cedentique sequens instat, turbatque, ruitque,
Attonitoque negat requiem. Pavor occupat illum:
Ante oculosque natant tenebræ: retroque ferenti
Aversos passus, medio lapis obstitit arvo;
Quem super impulsum resupino pectore Cycnum
Vi multa vertit, terræque afflixit Achilles.
Tum clypeo genibusque premens præcordia duris, 140
Vincla trahit galeæ: quæ presso subdita mento

Elidunt fauces, et respiramen iterque
Eripiunt animæ. Victum spoliare parabat;
Arma relicta videt: corpus deus æquoris albam
Contulit in volucrem, cujus modo nomen habebat. 145
Hic labor, hæc requiem multorum pugna dierum
Attulit, et positis pars utraque substitit armis.
Dumque vigil Phrygios servat custodia muros,
Et vigil Argolicas servat custodia fossas;
Festa dies aderat, qua Cycni victor Achilles 150
Pallada vittatæ placabat sanguine vaccæ.
Cujus ut imposuit prosecta calentibus aris,
Et dis acceptus penetravit in æthera nidor;
Sacra tulere suam, pars est data cætera mensis.
Discubuere toris proceres, et corpora tosta 155
Carne replent, vinoque levant curasque sitimque.
Non illos citharæ, non illos carmina vocum,
Longave multifori delectat tibia buxi:
Sed noctem sermone trahunt: virtusque loquendi
Materia est. Pugnam referunt hostisque suamque; 160
Inque vices adita atque exhausta pericula sæpe
Commemorare juvat. Quid enim loqueretur Achilles,
Aut quid apud magnum potius loquerentur [Achillem?
Proxima præcipue domito victoria Cycno
In sermone fuit. Visum mirabile cunctis, 165
Quod juveni corpus nullo penetrabile telo,
Invictumque ad vulnera erat, ferrumque terebat.
Hoc ipse Æacides, hoc mirabantur Achivi.
Cum sic Nestor ait: Vestro fuit unicus ævo
Contemtor ferri, nulloque forabilis ictu 170
Cycnus. At ipse olim patientem vulnera mille
Corpore non læso Perrhæbum Cænea vidi:
Cænea Perrhæbum, qui factis inclytus Othryn
Incoluit. Quoque id mirum magis esset in illo,
Fœmina natus erat. Monstri novitate moventur, 175
Quisquis adest, narretque rogant. Quos inter Achilles,
Dic age, nam cunctis eadem est audire voluntas,
O facunde senex, ævi prudentia nostri;
Quis fuerit Cæneus, cur in contraria versus:
Qua tibi militia, cujus certamine pugnæ 180
Cognitus: a quo sit victus, si victus ab ullo est.
Tum senior: Quamvis obstet mihi tarda vetustas,
Multaque me fugiant primis spectata sub annis;
Plura tamen memini: nec,quæ magis hæreat illa,
Pectore res nostro est inter bellique domique 185
Acta tot. Ac si quem potuit spatiosa senectus
Spectatorem operum multorum reddere: vixi
Annos bis centum: nunc tertia vivitur ætas.
Clara decore fuit proles Elateia Cænis,
Thessalidum virgo pulcherrima, perque propinquas, 190
Perque tuas urbes, tibi enim popularis, Achille,
Multorum frustra votis optata procorum.
Tentasset Peleus thalamos quoque forsitan illos;
Sed jam aut contigerant illi connubia matris,
Aut fuerant promissa, tuæ. Nec Cænis in ullos
Denupsit thalamos: secretaque littora carpens
Æquorei vim passa dei est: ita fama ferebat.
Utque novæ Veneris Neptunus gaudia cepit;
Sint tua vota licet, dixit, secura repulsæ:
Elige quid voveas: eadem hoc quoque fama ferebat. 200
Magnum, Cænis ait, facit hæc injuria votum,
Tale pati nil posse, mihi: da, fœmina ne sim:
Omnia præstiteris. Graviore novissima dixit
Verba sono, poteratque viri vox illa videri,
Sicut erat. Nam jam voto deus æquoris alti 205
Annuerat: dederatque super, ne saucius ullis
Vulneribus fieri, ferrove occumbere posset.
Munere lætus abit, studiisque virilibus ævum
Exigit Atracides, Peneiaque arva pererrat.
Duxerat Hippodamen audaci Ixione natus,
Nubigenasque feros, positis ex ordine mensis,
Arboribus tecto discumbere jusserat antro.
Hæmonii proceres aderant; aderamus et ipsi:
Festaque confusa resonabat regia turba.
Ecce canunt Hymenæon: et ignibus atria fumant: 215
Cinctaque adest virgo matrum nuruumque caterva,
Præsignis facie. Felicem dicimus illa
Conjuge Pirithoum: quod pæne fefellimus omen.
Nam tibi, sævorum sævissime Centaurorum,
Euryte, quam vino pectus, tam virgine visa 220
Ardet, et ebrietas geminata libidine regnat.
Protinus eversæ turbant convivia mensæ: [sis.
Raptaturque comis per vim nova nupta prehen-
Eurytus Hippodamen, alii, quam quisque probarant,
Aut poterant, rapiunt: captæque erat urbis imago. 225
Fœmineo clamore sonat domus. Ocius omnes
Surgimus: et primus, Quæ te vecordia, Theseus,
Euryte, pulsat, ait, qui me vivente lacessas
Pirithoum, violesque duos ignarus in uno?
Neve ea magnanimus frustra memoraverit heros,
Submovet instantes, raptamque furentibus aufert.
Ille nihil contra: neque enim defendere verbis
Talia facta potest: sed vindicis ora protervis
Insequitur manibus, generosaque pectora pulsat.
Forte fuit juxta signis exstantibus asper 235
Antiquus crater, quem vastum vastior ipse
Sustulit Ægides, adversaque misit in ora.
Sanguinis ille globos pariter, cerebrumque, merumque
Vulnere et ore vomens, madida resupinus arena
Calcitrat. Ardescunt germani cæde bimembres:
Certatimque omnes uno ore, Arma, arma, loquuntur. 241
Vina dabant animos: et prima pocula pugna
Missa volant, fragilesque cadi, curvique lebetes:
Res epulis quondam, nunc bello et cædibus aptæ.
Primus Ophionides Amycus penetralia donis
Haud timuit spoliare suis: et primus ab æde
Lampadibus densum rapuit funale coruscis:
Elatumque alte, veluti qui candida tauri
Rumpere sacrifica molitur colla securi,
Illisit fronti Lapithæ Celadontis, et ossa 250
Non agnoscendo confusa reliquit in ore.
Exsiluere oculi, disjectisque ossibus oris
Acta retro naris, medioque infixa palato est.
Hunc pede convulso mensæ Pellæus acernæ 254
Stravit humi Belates, disjecto in pectora mento:
Cumque atro mixtos sputantem sanguine dentes
Vulnere Tartareas geminato mittit ad umbras.
Proximus ut steterat, spectans altaria vultu
Fumida terribili, Cur non, ait, utimur istis?
Cumque suis Gryneus immanem sustulit aram
Ignibus, et medium Lapitharum jecit in agmen:
Depressitque duos, Brotean et Orion. Orio
Mater erat Mycale, quam deduxisse canendo
Sæpe reluctantis constabat cornua Lunæ.
Non impune feres, teli modo copia detur, 265
Dixerat Exadius: telique habet instar, in alta

Quæ fuerant pinu votivi cornua cervi.
Figitur huic duplici Gryneus in lumina ramo,
Eruiturque oculos: quorum pars cornibus hæret,
Pars fluit in barbam, concretaque sanguine pendet. 270
Ecce rapit mediis flagrantem Rhœtus ab aris
Prunitium torrem, dextraque a parte Charaxi
Tempora perfringit fulvo protecta capillo.
Correpti rapida, veluti seges arida, flamma
Arserunt crines, et vulnere sanguis inustus 275
Terribilem stridore sonum dedit; ut dare ferrum
Igne rubens plerumque solet, quod forcipe curva
Cum faber eduxit, lacubus demittit: at illud
Stridet, et in trepida submersum sibilat unda,
Saucius hirsutis avidum de crinibus ignem 280
Excutit, inque humeros limen tellure revulsum
Tollit, onus plaustri: quod ne permittat in hostem,
Ipsa facit gravitas. Socium quoque saxea moles
Oppressit spatio stantem propriore Cometen.
Gaudio nec retinet Rhœtus. Sic comprecor, inquit, 285
Cætera sit fortis castrorum turba tuorum;
Semicremoque novat repetitum stipite vulnus;
Terque quaterque gravi juncturas verticis ictu
Rupit, et in liquido sederunt ossa cerebro.
Victor ad Evagrum, Corythumque, Dryantaque transit. 290
E quibus ut prima tectus lanugine malas
Procubuit Corythus; Puero quæ gloria fuso
Parta tibi est? Evagros ait. Nec dicere Rhœtus
Plura sinit: rutilasque ferox in aperta loquentis
Condidit ora viri, perque os in pectora, flammas.
Te quoque, sæve Drya, circum caput igne rotato
Insequitur: sed non in te quoque constitit idem
Exitus; assiduæ successu cædis ovantem,
Qua juncta est humero cervix, sude figis obusta.
Ingemuit, duroque sudem vix osse revellit 300
Rhœtus, et ipse suo madefactus sanguine fugit.
Fugit et Orneus, Lycabasque, et saucius armo
Dexteriore Medon, et cum Pisenore Thaumas:
Quique pedum nuper certamine vicerat omnes
Mermeros, accepto nunc vulnere tardius ibat: 305
Et Pholus, et Melaneus, et Abas prædator aprorum:
Quique suis frustra bellum dissuaserat augur
Astylos. Ille etiam metuenti vulnera Nesso,
Ne fuge: ad Herculeos, inquit, servaberis arcus.
At non Eurynomus, Lycidasque, et Areos, et Imbreus 310
Effugere necem: quos omnes dextra Dryantis
Perculit adversos. Adversum tu quoque, quamvis
Terga fugæ dederis, vulnus, Crenæe, tulisti.
Nam grave respiciens inter duo lumina ferrum,
Qua naris fronti committitur, accipis, imæ. 315
In tanto fremitu ductis sine fine jacebat
Sopitus vinis, et inexperrectus Aphidas:
Languentique manu carchesia mixta tenebat,
Fusus in Ossææ villosis pellibus ursæ.
Quem procul ut vidit frustra nulla arma moventem, 320
Inserit amento digitos, Miscendaque, dixit,
Cum Styge vina bibas, Phorbas. Nec plura moratus
In juvenem torsit jaculum: ferrataque collo
Fraxinus, ut casu jacuit resupinus, adacta est.
Mors caruit sensu: plenoque e gutture fluxit 325
Inque toros, inque ipsa niger carchesia sanguis.
Vidi ego Petræum conantem evellere terra
Glandiferam quercum: quam dum complexibus ambit,
Et quatit huc illuc, labefactaque robora jactat;
Lancea Pirithoi, costis immissa Petræi, 330
Pectora cum duro luctantia robore fixit.
Pirithoi virtute Lycum cecidisse ferebant:
Pirithoi cecidisse Chromin. Sed uterque minorem [runt.
Victori titulum, quam Dictys Helopsque, dede-
Fixus Helops jaculo, quod pervia tempora fecit,
Et missum a dextra lævam penetravit in aurem.
Dictys, ab ancipiti delapsus acumine montis,
Dum fugit instantem trepidans Ixione natum,
Decidit in præceps, et pondere corporis ornum
Ingentem fregit, suaque induit ilia fractæ. 340
Ultor adest Aphareus, saxumque e monte revulsum
Mittere conatur. Conantem stipite querno
Occupat Ægides, cubitique ingentia frangit
Ossa: nec ulterius dare corpus inutile leto
Aut vacat, aut curat: tergoque Bianoris alti 345
Insilit, haud solito quemquam portare, nisi ipsum:
Opposuitque genu costis, prensamque sinistra
Cæsariem retinens, vultum, minitantiaque ora
Robore nodoso, præduraque tempora, fregit.
Robore Nedymnum, jaculatoremque Lycotan 350
Sternit, et immissa protectum pectora barba
Hippason, et summis exstantem Riphea sylvis,
Tereaque, Hæmoniis qui prensos montibus ursos
Ferre domum vivos, indignantesque solebat.
Haud tulit utentem pugnæ successibus ultra 355
Thesea Demoleon: solidoque revellere trunco
Annosam pinum magno molimine tentat.
Quod quia non potuit, præfractam misit in hostem.
Sed procul a telo Theseus veniente recessit,
Pallados admonitu; credi sic ipse volebat. 360
Non tamen arbor iners cecidit: nam Crantoris alti [trum.
Abscidit jugulo pectusque, humerumque sinis-
Armiger ille tui fuerat genitoris, Achille:
Quem Dolopum rector, bello superatus, Amyntor
Æacidæ dederat pacis pignusque fidemque. 365
Hunc procul ut fœdo disjectum vulnere Peleus
Vidit, At inferias, juvenum gratissime Crantor,
Accipe, ait: validoque in Demoleonta lacerto
Fraxineam misit, mentis quoque viribus, hastam.
Quæ laterum cratem perrumpit, et ossibus hærens
Intremuit. Trahit ille manu sine cuspide lignum:
Id quoque vix sequitur: cuspis pulmone retenta est.
Ipse dolor vires animo dabat: æger in hostem
Erigitur, pedibusque virum proculcat equinis.
Excipit ille ictus galea clypeoque sonantes, 375
Defensatque humeros, prætentaque sustinet arma:
Perque armos uno duo pectora perforat ictu.
Ante tamen leto dederat Phlegræon et Hylen
Eminus: Iphinoum collato Marte Claninque.
Additur his Dorylas: qui tempora tecta gerebat
Pelle lupi, sævique vicem præstantia teli 381
Cornua vara boum multo rubefacta cruore.
Huic ego, nam vires animus dabat, Adspice, dixi,
Quantum concedant nostro tua cornua ferro:
Et jaculum torsi: quod cum vitare nequiret, 385
Opposuit dextram passuræ vulnera fronti.
Affixa est cum fronte manus: fit clamor: at illum
Hærentem Peleus, et acerbo vulnere victum,

(Stabat enim propior,) mediam ferit ense sub alvum.
Prosiluit, terraque ferox sua viscera traxit, 390
Tractaque calcavit, calcataque rupit, et illis
Crura quoque impediit, et inani concidit alvo.
Nec te pugnantem tua, Cyllare, forma redemit,
Si modo naturæ formam concedimus illi.
Barba erat incipiens; barbæ color aureus: aureaque 395
Ex humeris medios coma dependebat in armos.
Gratus in ore vigor: cervix, humerique, manusque,
Pectoraque artificum laudatis proxima signis,
Ex qua parte viri est: nec equi mendosa sub illa
Deteriorque viro facies. Da colla, caputque, 400
Castore dignus erit: sic tergum sessile, sic stant
Pectora celsa toris: totus pice nigrior atra;
Candida cauda tamen: color est quoque cruribus albus.
Multæ illum petiere sua de gente; sed una
Abstulit Hylonome, qua nulla decentior inter 405
Semiferos altis habitavit fœmina sylvis.
Hæc et blanditiis, et amando, et amare fatendo
Cyllaron una tenet. Cultus quoque quantus in illis
Esse potest membris; ut sit coma pectine levis:
Ut modo rore maris, modo se violave, rosave 410
Implicet, interdum canentia lilia gestet:
Bisque die lapsis Pagasææ vertice sylvæ
Fontibus ora lavet, bis flumine corpora tingat:
Nec, nisi quæ deceant, electarumque ferarum,
Aut humero, aut lateri prætendat vellera lævo.
Par amor est illis: errant in montibus una: 416
Antra simul subeunt: et tum Lapitheia tecta
Intrarant pariter, pariter fera bella gerebant.
Auctor in incerto est: jaculum de parte sinistra
Venit, et inferius, quam collo pectora subsunt,
Cyllare, te fixit: parvo cor vulnere læsum 421
Corpore cum toto post tela educta refrixit.
Protinus Hylonome morientes excipit artus,
Impositaque manu vulnus fovet, oraque ad ora
Admovet, atque animæ fugienti obsistere tentat.
Ut videt exstinctum, dictis, quæ clamor ad aures
Arcuit ire meas, telo, quod inhæserat illi, [est.
Incubuit, moriensque suum complexa maritum
Ante oculos stat et ille meos, qui sena leonum
Vinxerat inter se connexis vellera nodis, 430
Phæocomes, hominemque simul protectus equumque.
Codice qui misso, quem vix juga bina moverent
Juncta, Phonoleniden a summo vertice fregit.
Fracta volubilitas capitis latissima: perque os,
Perque cavas nares, oculosque, auresque cerebrum 435
Molle fluit, veluti concretum vimine querno
Lac solet; utve liquor rari sub pondere cribri
Manat, et exprimitur per densa foramina spissus.
Ast ego, dum parat hunc armis nudare jacentem,
(Scit tuus hoc genitor,) gladium spoliantis in ima
Ilia demisi. Chthonius quoque Teleboasque
Ense jacent nostro. Ramum prior ille bifurcum
Gesserat, hic jaculum. Jaculo mihi vulnera fecit.
Signa vides: apparet adhuc vetus ecce cicatrix.
Tunc ego debueram capienda ad Pergama mitti:
Tunc poteram magni, si non superare, morari 446
Hectoris arma meis. Illo sed tempore nullus,
Aut puer, Hector erat. Nunc me mea deficit ætas.
Quid tibi victorem gemini Periphanta Pyreti,
Ampyca quid referam? qui quadrupedantis Oiclei
Fixit in adverso cornum sine cuspide vultu. 456
Vecte Pelethronium Macareus in pectus adacto
Stravit Erigdupum. Memini et venabula condi
Inguine, Nesseis manibus conjecta, Cymeli.
Nec tu credideris tantum cecinisse futura 455
Ampyciden Mopsum. Mopso jaculante biformis
Occubuit, frustraque loqui tentavit Hodites,
Ad mentum lingua, mentoque ad guttura fixo.
Quinque neci Cæneus dederat, Styphelumque, Bromumque, [Pyracmon.
Antimachumque, Helymumque, securiferumque
Vulnera non memini: numerum nomenque notavi.
Provolat Emathii spoliis armatus Halesi,
Quem dederat leto, membris et corpore Latreus
Maximus. Huic ætas inter juvenemque, senemque,
Vis juvenilis erat: variabant tempora cani. 465
Qui clypeo, galeaque, Macedoniaque sarissa
Conspicuus, faciemque obversus in agmen utrumque, [orbem,
Armaque concussit, certumque equitavit in
Verbaque tot fudit vacuas animosus in auras:
Et te, Cæni, feram? nam tu mihi fœmina semper,
Tu mihi Cænis eris: nec te natalis origo 471
Comminuit? mentemque subit, quo præmia facto,
Quaque viri falsam speciem mercede pararis?
Vel quid nata vide, vel quid sis passa: columque,
I, cape cum calathis, et stamina pollice torque:
Bella relinque viris. Jactanti talia Cæneus 476
Extentum cursu missa latus eruit hasta,
Qua vir equo commissus erat. Furit ille dolore,
Nudaque Phyllei juvenis ferit ora sarissa.
Non secus hæc resilit, quam tecti a culmine grando, 480
Aut si quis parvo feriat cava tympana saxo.
Cominus aggreditur, laterique recondere duro
Luctatur gladium. Gladio loca pervia non sunt.
Haud tamen effugies: medio jugulaberis ense,
Quandoquidem mucro est hebes, inquit; et in latus ensem 485
Obliquat, longaque amplectitur ilia dextra.
Plaga facit gemitus, ceu corpore marmoris icti,
Fractaque dissiluit percusso lamina collo.
Ut satis illæsos miranti præbuit artus; 489
Nunc age, ait Cæneus, nostro tua corpora ferro
Tentemus; capuloque tenus demisit in armos
Ensem fatiferum, cæcamque in viscera movit
Versavitque manum, vulnusque in vulnere fecit.
Ecce ruunt vasto rabidi clamore bimembres,
Telaque in hunc omnes unum mittuntque, feruntque. 495
Tela retusa cadunt; manet imperfossus ab omni
Inque cruentatus Cæneus Elateius ictu.
Fecerat attonitos nova res. Heu dedecus ingens!
Monychus exclamat: populus superamur ab uno,
Vixque viro: quanquam ille vir est; nos segnibus actis, [prosunt?
Quod fuit ille, sumus. Quid membra immania
Quid geminæ vires? quid, quod fortissima rerum
In nobis duplex natura animalia junxit?
Nec nos matre dea, nec nos Ixione natos
Esse reor, qui tantus erat, Junonis ut altæ 505
Spem caperet: nos semimari superamur ab hoste.
Saxa, trabesque super, totosque involvite montes,
Vivacemque animam missis elidite sylvis:
Sylva premat fauces: et erit pro vulnere pondus.
Dixit: et insani dejectam viribus Austri 510
Forte trabem nactus, validum conjecit in hostem.
Exemplumque fuit: parvoque in tempore nudus
Arboris Othrys erat, nec habebat Pelion umbras.

Obrutus immani cumulo sub pondere Cæneus
Æstuat arborea, congestaque robora duris 515
Fert humeris. Sed enim postquam super ora caputque [auras,
Crevit onus, neque habet, quas ducat, spiritus
Deficit interdum: modo se super aera frustra
Tollere conatur, jactasque evolvere sylvas;
Interdumque movet: veluti, quam cernimus, (ecce) 520
Ardua si terræ quatiatur motibus Ide.
Exitus in dubio est: alii sub inania corpus
Tartara detrusum sylvarum mole ferebant.
Abnuit Ampycides: medioque ex aggere fulvis
Vidit avem pennis liquidas exire sub auras, 525
Quæ mihi tunc primum, tunc est conspecta supremum.
Hanc ubi lustrantem leni sua castra volatu
Mopsus, et ingenti circum clangore sonantem
Adspexit, pariterque oculis animoque secutus;
O salve, dixit, Lapithææ gloria gentis, 530
Maxime vir quondam, sed nunc avis unica, Cæneu.
Credita res auctore suo est. Dolor addidit iram:
Oppressumque ægre tulimus tot ab hostibus unum:
Nec prius abstitimus ferrum exercere cruore,
Quam data pars leto, partem fuga noxque diremit. 535
Hæc inter Lapithas et semihomines Centauros
Prœlia Tlepolemus, Pylio referente, dolorem
Præteriti Alcidæ tacito non pertulit ore:
Atque ait, Herculeæ mirum est oblivia laudis
Acta tibi, senior: certe mihi sæpe referre 540
Nubigenas domitos a se pater ipse solebat.
Tristis ad hæc Pylius: Quid me meminisse malorum
Cogis, et obductos annis rescindere luctus?
Inque tuum genitorem odium, offensasque fateri?
Ille quidem majora fide, di! gessit, et orbem 545
Implevit meritis, quod mallem posse negari:
Sed neque Deiphobum, nec Polydamanta, nec ipsum
Hectora laudamus. Quis enim laudaverit hostem?
Ille tuus genitor Messania mœnia quondam
Stravit, et immeritas urbes Elinque Pylonque 550
Diruit, inque meos ferrum flammamque penates
Impulit. Utque alios taceam, quos ille peremit;
Bis sex Nelidæ fuimus, conspecta juventus:
Bis sex Herculeis ceciderunt, me minus uno,
Viribus. Atque alios vinci potuisse ferendum est.
Mira Periclymeni mors est: cui posse figuras 556
Sumere quas vellet, rursusque reponere sumtas
Neptunus dederat, Nelei sanguinis auctor.
Hic, ubi nequicquam est formas variatus in omnes,
Vertitur in faciem volucris, quæ fulmina curvis
Ferre solet pedibus, divûm gratissima regi. 561
Viribus usus avis, pennis rostroque redunco
Hamatisque viri laniaverat unguibus ora.
Tendit in hunc nimium certos Tirynthius arcus,
Atque inter nubes sublimia membra ferentem
Pendentemque ferit, lateri qua jungitur ala. 566
Nec grave vulnus erat: sed rupti vulnere nervi
Deficiunt, motumque negant viresque volandi.
Decidit in terram, non concipientibus auras
Infirmus pennis: et qua levis hæserat alæ, 570
Corporis affixi pressa est gravitate sagitta,
Perque latus summum jugulo est exacta sinistro.
Num videor debere tui præconia rebus
Herculis, o Rhodiæ ductor pulcherrime classis?
Nec tamen ulterius, quam fortia facta silendo,
Ulciscar fratres: solida est mihi gratia tecum.
Hæc postquam dulci Neleius edidit ore; 577
A sermone senis, repetito munere Bacchi,
Surrexere toris: nox est data cætera somno.
At deus, æquoreas qui cuspide temperat undas,
In volucrem corpus nati Stheneleida versum 581
Mente dolet patria: sævumque perosus Achillem
Exercet memores plus quam civiliter iras.
Jamque fere tracto duo per quinquennia bello,
Talibus intonsum compellat Sminthea dictis: 585
O mihi de fratris longe gratissime natis,
Irrita qui mecum posuisti mœnia Trojæ,
Ecquid, ut has jam jam casuras adspicis arces,
Ingemis? aut ecquid tot defendentia muros 589
Millia cæsa doles? ecquid, ne persequar omnes,
Hectoris umbra subit circum sua Pergama tracti?
Cum tamen ille ferox, belloque cruentior ipso,
Vivit adhuc, operis nostri populator Achilles.
Det mihi se: faxo, triplici quid cuspide possim,
Sentiat. At quoniam concurrere cominus hosti
Non datur, occulta necopinum perde sagitta. 596
Annuit: atque animo pariter patruoque suoque
Delius indulgens, nebula velatus in agmen
Pervenit Iliacum, mediaque in cæde virorum
Rara per ignotos spargentem cernit Achivos 600
Tela Parin: fassusque deum, Quid spicula perdis
Sanguine plebis? ait: si qua est tibi cura tuorum,
Vertere in Æaciden, cæsosque ulciscere fratres.
Dixit: et ostendens sternentem Troia ferro
Corpora Peliden, arcus obvertit in illum, 605
Certaque letifera direxit spicula dextra. [set,
Quod Priamus gaudere senex post Hectora pos-
Hoc fuit. Ille igitur tantorum victor, Achille,
Vinceris a timido Grajæ raptore maritæ!
At si fœmineo fuerat tibi Marte cadendum, 610
Thermodontiaca malles cecidisse bipenni.
Jam timor ille Phrygum, decus et tutela Pelasgi
Nominis Æacides, caput insuperabile bello,
Arserat; armarat deus idem, idemque cremarat.
Jam cinis est; et de tam magno restat Achille 615
Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam.
At vivit, totum quæ gloria compleat orbem.
Hæc illi mensura viro respondet: et hac est
Par sibi Pelides; nec inania Tartara sentit.
Ipse etiam, ut cujus fuerit cognoscere possis, 620
Bella movet clypeus, deque armis arma feruntur.
Non ea Tydides, non audet Oileos Ajax,
Non minor Atrides, non bello major et ævo
Poscere, non alii: soli Telamone creato
Laertaque fuit tantæ fiducia laudis. 625
A se Tantalides onus invidiamque removit:
Argolicosque duces mediis considere castris
Jussit, et arbitrium litis trajecit in omnes.

LIBER TERTIUS DECIMUS.

Consedere duces, et, vulgi stante corona,
Surgit ad hos clypei dominus septemplicis Ajax.
Utque erat impatiens iræ, Sigeia torvo
Littora respexit, classemque in littore vultu; 4
Intendensque manus, Agimus, pro Jupiter, inquit,
Ante rates causam; et mecum confertur Ulixes!

At non Hectoreis dubitavit cedere flammis,
Quas ego sustinui; quas hac a classe fugavi.
Tutius est igitur fictis contendere verbis,
Quam pugnare manu. Sed nec mihi dicere promtum, 10
Nec facere est isti: quantumque ego Marte feroci,
Quantum acie valeo, tantum valet iste loquendo.
Nec memoranda tamen vobis mea facta, Pelasgi,
Esse reor, vidistis enim: sua narret Ulixes,
Quæ sine teste gerit, quorum nox conscia sola est.
Præmia magna peti fateor: sed demit honorem
Æmulus. Ajaci non est tenuisse superbum,
Sit licet hoc ingens, quicquid speravit Ulixes.
Iste tulit pretium jam nunc certaminis hujus,
Quo cum victus erit, mecum certasse feretur. 20
Atque ego, si virtus in me dubitabilis esset,
Nobilitate potens essem, Telamone creatus,
Mœnia qui forti Trojana sub Hercule cepit,
Littoraque intravit Pagasæa Colcha carina.
Æacus huic pater est, qui jura silentibus illic 25
Reddit, ubi Æoliden saxum grave Sisyphon urget.
Æacon agnoscit summus, prolemque fatetur
Jupiter esse suam. Sic ab Jove tertius Ajax.
Nec tamen hæc series in causa prosit, Achivi,
Si mihi cum magno non est communis Achille. 30
Frater erat: fraterna peto. Quid sanguine cretus
Sisyphio, furtisque et fraude simillimus illi,
Inserit Æacidis alienæ nomina gentis?
An quod in arma prior, nulloque sub indice veni,
Arma neganda mihi? potiorque videbitur ille, 35
Ultima qui cepit, detrectavitque furore
Militiam ficto: donec sollertior isto,
Sed sibi inutilior, timidi commenta retexit
Naupliades animi, vitataque traxit in arma?
Optima nunc sumat, qui sumere noluit ulla; 40
Nos inhonorati, et donis patruelibus orbi,
Obtulimus qui nos ad prima pericula, simus.
Atque utinam aut verus furor ille, aut creditus, esset;
Nec comes hic Phrygias unquam venisset ad arces
Hortator scelerum! non te, Pœantia proles, 45
Expositum Lemnos nostro cum crimine haberet:
Qui nunc, ut memorant, sylvestribus abditus antris
Saxa moves genitu, Laertiadæque precaris,
Quæ meruit: quæ, si di sunt, non vana preceris.
Et nunc ille eadem nobis juratus in arma, 50
Heu, pars una ducum, quo successore sagittæ
Herculis utuntur, fractus morboque fameque,
Velaturque, aliturque avibus; volucresque petendo
Debita Trojanis exercet spicula fatis.
Ille tamen vivit, quia non comitavit Ulixen. 55
Mallet et infelix Palamedes esse relictus.
Viveret: aut certe letum sine crimine haberet.
Quem male convicti nimium memor iste furoris
Prodere rem Danaam finxit, fictumque probavit
Crimen, et ostendit, quod jam præfoderat, aurum.
Ergo aut exsilio vires subduxit Achivis, 61
Aut nece. Sic pugnat, sic est metuendus Ulixes.
Qui, licet eloquio fidum quoque Nestora vincat,
Haud tamen efficiet, desertum ut Nestora crimen
Esse rear nullum. Qui, cum imploraret Ulixen 65
Vulnere tardus equi, fessusque senilibus annis,
Proditus a socio est. Non hæc mihi crimina fingi
Scit bene Tydides, qui nomine sæpe vocatum
Corripuit, trepidoque fugam exprobravit amico.
Adspiciunt oculis superi mortalia justis. 70
En eget auxilio, qui non tulit: utque reliquit,
Sic linquendus erat. Legem sibi dixerat ipse.
Conclamat socios. Adsum, videoque trementem,
Pallentemque metu, et trepidantem morte futura.
Opposui molem clypei, texique jacentem, 75
Servavique animam (minimum est hoc laudis) inertem.
Si perstas certare, locum redeamus in illum:
Redde hostem, vulnusque tuum, solitumque timorem: [illo.
Post clypeumque late: et mecum contende sub
At postquam eripui, cui standi vulnera vires 80
Non dederant, nullo tardatus vulnere fugit.
Hector adest, secumque deos in prœlia ducit:
Quaque ruit, non tu tantum terroris, Ulixe,
Sed fortes etiam: tantum trahit ille timoris.
Hunc ego sanguineæ successu cædis ovantem 85
Cominus ingenti resupinum pondere fudi.
Hunc ego poscentem, cum quo concurreret, unus
Sustinui: sortemque meam vovistis, Achivi:
Et vestræ valuere preces. Si quæritis hujus
Fortunam pugnæ; non sum superatus ab illo. 90
Ecce ferunt Troes ferrumque, ignemque, Jovemque
In Danaas classes. Ubi nunc facundus Ulixes?
Nempe ego mille meo protexi pectore puppes,
Spem vestri reditus. Date tot pro navibus arma.
Quod si vera licet mihi dicere, quæritur istis, 95
Quam mihi, major honos: conjunctaque gloria nostra est:
Atque Ajax armis, non Ajaci arma petuntur.
Conferat his Ithacus Rhesum, imbellemque Dolona, [tum.
Priamidenque Helenum rapta cum Pallade cap-
Luce nihil gestum, nihil est Diomede remoto. 100
Si semel ista datis meritis tam vilibus arma;
Dividite, et major pars sit Diomedis in illis.
Quo tamen hæc Ithaco? qui clam, qui semper inermis
Rem gerit, et furtis incautum decipit hostem?
Ipse nitor galeæ claro radiantis ab auro 105
Insidias prodet, manifestabitque latentem.
Sed neque Dulichius sub Achillis casside vertex
Pondera tanta feret; nec non onerosa, gravisque
Pelias esse potest imbellibus hasta lacertis.
Nec clypeus vasti cælatus imagine mundi 110
Conveniet timidæ, natæque ad furta sinistræ.
Debilitaturum quid te petis, improbe, munus?
Quod tibi si populi donaverit error Achivi,
Cur spolieris erit, non cur metuaris ab hoste.
Et fuga, qua sola cunctos, timidissime, vincis, 115
Tarda futura tibi est, gestamina tanta trahenti.
Adde, quod iste tuus, tam raro prœlia passus,
Integer est clypeus: nostro, qui tela ferendo
Mille patet plagis, novus est successor habendus.
Denique (quid verbis opus est?) spectemur agendo: 120
Arma viri fortis medios mittantur in hostes:
Inde jubete peti, et referentem ornate relatis.
Finierat Telamone satus; vulgique secutum
Ultima murmur erat: donec Laertius heros
Adstitit, atque oculos paulum tellure moratos 125
Sustulit ad proceres, exspectatoque resolvit
Ora sono: neque abest facundis gratia dictis.
Si mea cum vestris valuissent vota, Pelasgi,
Non foret ambiguus tanti certaminis hæres:
Tuque tuis armis, nos te poteremur, Achille. 130
Quem quoniam non æqua mihi, vobisque negarunt
Fata, (manuque simul veluti lacrymantia tersit
Lumina,) quis magno melius succedat Achilli,
Quam per quem magnus Danais successit Achilles?

Huic modo ne prosit, quod, ut est, hebes esse videtur:
Neve mihi noceat, quod vobis semper, Achivi,
Profuit, ingenium: meaque hæc facundia, si qua est, 137
Quæ nunc pro domino, pro vobis sæpe locuta est,
Invidia careat: bona nec sua quisque recuset.
Nam genus, et proavos, et quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco. Sed enim, quia retulit Ajax
Esse Jovis proncpos, nostri quoque sanguinis auctor
Jupiter est, totidemque gradus distamus ab illo.
Nam mihi Laertes pater est, Arcesius illi,
Jupiter huic: neque in his quicquam damnatus, et exsul. 145
Est quoque per matrem Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas. Deus est in utroque parente.
Sed neque materno quod sum generosior ortu,
Nec mihi quod pater est fraterni sanguinis insons,
Proposita arma peto: meritis expendite causam.
Dummodo quod fratres Telamon, Peleusque fuerunt, 151
Ajacis meritum non sit: nec sanguinis ordo,
Sed virtutis honos spoliis quæratur in istis.
Aut si proximitas, primusque requiritur hæres;
Est genitor Peleus, est Pyrrhus filius illi. 155
Quis locus Ajaci? Phthiam Scyronve ferantur.
Nec minus est isto Teucer patruelis Achilli.
Num petit ille tamen, num sperat, ut auferat arma?
Ergo operum quoniam nudum certamen habetur;
Plura quidem feci, quam quæ comprendere dictis
In promtu mihi sit: rerum tamen ordine ducar.
Præscia venturi genitrix Nereia leti
Dissimulat cultu natum: deceperat omnes,
In quibus Ajacem, sumtæ fallacia vestis. 164
Arma ego fœmineis, animum motura virilem,
Mercibus inserui. Neque adhuc projecerat heros
Virgineos habitus, cum parmam hastamque tenenti,
Nate dea, dixi, tibi peritura reservant [jam?
Pergama. Quid dubitas ingentem evertere Tro-
Injecique manum, fortemque ad fortia misi. 170
Ergo opera illius mea sunt. Ego Telephon hasta
Pugnantem domui: victum orantemque refeci.
Quod Thebæ cecidere, meum est. Me credite Lesbon, [urbes,
Me Tenedon, Chrysenque, et Cillan, Apollinis
Et Syron cepisse: mea concussa putate 175
Procubuisse solo Lyrnessia mœnia dextra.
Utque alias taceam, qui sævum perdere posset
Hectora, nempe dedi: per me jacet inclytus Hector.
Illis hæc armis, quibus est inventus Achilles,
Arma peto: vivo dederam; post fata reposco.
Ut dolor unius Danaos pervenit ad omnes,
Aulidaque Euboicam complerunt mille carinæ;
Exspectata diu, nulla, aut contraria classi, [sortes
Flamina sunt: duræque jubent Agamemnona
Immeritam sævæ natam mactare Dianæ. 185
Denegat hoc genitor, divisque irascitur ipsis:
Atque in rege tamen pater est. Ego mite parentis
Ingenium verbis ad publica commoda verti.
Nunc equidem fateor, fassoque ignoscat Atrides;
Difficilem tenui sub iniquo judice causam. 190
Hunc tamen utilitas populi, fraterque, datique
Summa movet sceptri, laudem ut cum sanguine penset. [astu
Mittor et ad matrem; quæ non hortanda, sed
Decipienda fuit. Quo si Telamonius isset,
Orba suis essent etiamnum lintea ventis. 195
Mittor et Iliacas audax orator ad arces:
Visaque, et intrata est altæ mihi curia Trojæ;
Plenaque adhuc erat illa viris. Interritus egi,
Quam mihi mandarat communis Græcia, causam:
Accusoque Parin, prædamque Helenamque reposco: [tum.
Et moveo Priamum, Priamoque Antenora junc-
At Paris, et fratres, et qui rapuere sub illo,
Vix tenuere manus, scis hoc, Menelae, nefandas:
Primaque lux nostri tecum fuit illa pericli. [que
Longa referre mora est, quæ consilioque, manu-
Utiliter feci spatiosi tempore belli.
Post acies primas, urbis se mœnibus hostes
Continuere diu; nec aperti copia Martis
Ulla fuit: decimo demum pugnavimus anno. 209
Quid facis interea, qui nil, nisi prœlia, nosti?
Quis tuus usus erat? nam si mea facta requiris;
Hostibus insidior: fossas munimine cingo:
Consolor socios, ut longi tædia belli
Mente ferant placida: doceo quo simus alendi
Armandive modo: mittor quo postulat usus.
Ecce Jovis monitu, deceptus imagine somni,
Rex jubet incepti curam dimittere belli. 217
Ille potest auctore suam defendere causam.
Non sinat hoc Ajax, delendaque Pergama poscat:
Quodque potest, pugnet. Cur non remoratur ituros? [quatur?
Cur non arma capit? dat, quod vaga turba se-
Non erat hoc nimium nunquam nisi magna loquenti. 222
Quid, quod et ipse fugis? vidi, puduitque videre,
Cum tu terga dares, inhonestaque vela parares.
Nec mora, Quid facitis? quæ vos dementia, dixi,
Concitat, o socii, captam dimittere Trojam? 226
Quidve domum fertis decimo, nisi dedecus, anno?
Talibus atque aliis, in quæ dolor ipse disertum
Fecerat, aversos profuga de classe reduxi.
Convocat Atrides socios terrore paventes: 230
Nec Telamoniades etiam nunc hiscere quicquam
Ausit: at ausus erat reges incessere dictis
Thersites, etiam per me haud impune, protervis.
Erigor, et trepidos cives exhortor in hostem,
Amissamque mea virtutem voce reposco. 235
Tempore ab hoc, quodcunque potest fecisse videri
Fortiter iste, meum est, qui dantem terga retraxi.
Denique de Danais quis te laudatve petitve?
At sua Tydides mecum communicat acta,
Me probat, et socio semper confidit Ulixe. 240
Est aliquid, de tot Graiorum millibus, unum
A Diomede legi. Nec me sors ire jubebat:
Sic tamen et spreto noctisque hostisque periclo,
Ausum eadem, quæ nos, Phrygia de gente Dolona
Interimo: non ante tamen, quam cuncta coegi
Prodere, et edidici, quid perfida Troja pararet.
Omnia cognoram, nec, quod specularer, habebam: 247
Et jam promissa poteram cum laude reverti.
Haud contentus ea, petii tentoria Rhesi,
Inque suis ipsum castris comitesque peremi:
Atque ita captivo victor votisque potitus,
Ingredior curru lætos imitante triumphos.
Cujus equos pretium pro nocte poposcerat hostis,
Arma negate mihi: fueritque benignior Ajax.
Quid Lycii referam Sarpedonis agmina ferro
Devastata meo? cum multo sanguine fudi 256
Cœranon, Hippasiden, et Alastoraque Chromique. [umtaninque,
Alcandrumque, Haliumque, Noemonaque, Pry-
Exitioque dedi cum Chersidamante Thoona,

Et Charopen, fatisque immitibus Ennomon actum; [bis
Quique minus celebres nostra sub mœnibus ur-
Procubuere manu. Sunt et mihi vulnera, cives,
Ipso pulchra loco: nec vanis credite verbis.
Adspicite en: vestemque manu diducit, et, Hæc sunt
Pectora semper, ait, vestris exercita rebus. 265
At nihil impendit per tot Telamonius annos
Sanguinis in socios: et habet sine vulnere corpus.
Quid tamen hoc refert, si se pro classe Pelasga
Arma tulisse refert contra Troasque, Jovemque?
Confiteorque, tulit: neque enim benefacta maligne
Detrectare meum est: sed nec communia solus
Occupet, atque aliquem vobis quoque reddat honorem. 272
Repulit Actorides, sub imagine tutus Achillis,
Troas ab arsuris cum defensore carinis.
Ausum etiam Hectoreo solum concurrere Marti
Se putat, oblitus regisque, decumque, meique;
Nonus in officio, et prælatus munere sortis.
Sed tamen eventus vestræ, fortissime, pugnæ
Quis fuit? Hector abit violatus vulnere nullo.
Me miserum, quanto cogor meminisse dolore
Temporis illius, quo Graiûm murus Achilles
Procubuit! nec me lacrymæ, luctusve, timorve
Tardarunt, quin corpus humo sublime referrem.
His humeris, his, inquam, humeris ego corpus Achillis, [boro.
Et simul arma tuli, quæ nunc quoque ferre la-
Sunt mihi, quæ valeant in talia pondera, vires:
Est animus vestros certe sensurus honores. 287
Scilicet idcirco pro nato cærula mater
Ambitiosa suo fuit, ut cœlestia dona,
Artis opus tantæ, rudis et sine pectore miles
Indueret? neque enim clypei cælamina norit,
Oceanum, et terras, cumque alto sidera cœlo,
Pleiadasque, Hyadasque, immunemque æquoris Arcton,
Diversasque urbes, nitidumque Orionis ensem.
Postulat ut capiat, quæ non intelligit, arma. 295
Quid? quod me, duri fugientem munera belli,
Arguit incepto serum accessisse labori?
Nec se magnanimo maledicere sentit Achilli?
Si simulasse vocat crimen; simulavimus ambo.
Si mora pro culpa est; ego sum maturior illo.
Me pia detinuit conjux: pia mater Achillem:
Primaque sunt illis data tempora, cætera vobis.
Haud timeo, si jam nequeo defendere crimen
Cum tanto commune viro. Deprensus Ulixis
Ingenio tamen ille; at non Ajacis Ulixes. 305
Neve in me stolidæ convicia fundere linguæ
Admiremur eum: vobis quoque digna pudore
Objicit. An falso Palameden crimine turpe
Accusasse mihi, vobis damnasse decorum est?
Sed neque Naupliades facinus defendere tantum,
Tamque patens, valuit; nec vos audistis in illo
Crimina: vidistis: pretioque objecta patebant.
Nec, Pœantiaden quod habet Vulcania Lemnos,
Esse reus merui: factum defendite vestrum,
Consensistis enim, nec me suasisse negabo; 315
Ut se subtraheret bellique viæque labori,
Tentaretque feros requie lenire dolores.
Paruit; et vivit. Non hæc sententia tantum
Fida, sed et felix; cum sit satis esse fidelem.
Quem quoniam vates delenda ad Pergama poscunt; 320
Ne mandate mihi: melius Telamonius ibit,
Eloquioque virum morbis iraque furentem
Molliet, aut aliqua producet callidus arte.
Ante retro Simois fluet, et sine frondibus Ide
Stabit, et auxilium promittet Achaia Trojæ, 325
Quam, cessante meo pro vestris pectore rebus,
Ajacis stolidi Danais sollertia prosit.
Sis licet infestus sociis, regique, mihique,
Dure Philoctete; licet exsecrere, meumque
Devoveas sine fine caput, cupiasque dolenti 330
Me tibi forte dari, nostrumque haurire cruorem:
[Utque tui mihi, sic fiat tibi copia nostri:]
Te tamen aggrediar: [mecumque reducere nitar.]
Tamque tuis potiar, faveat fortuna, sagittis, 334
Quam sum Dardanio, quem cepi, vate potitus.
Quam responsa deûm, Trojanaque fata retexi:
Quam rapui Phrygiæ signum penetrale Minervæ
Hostibus e mediis. Et se mihi comparet Ajax?
Nempe capi Trojam prohibebant fata sine illo.
Fortis ubi est Ajax? ubi sunt ingentia magni
Verba viri? cur hic metuis? cur audet Ulixes
Ire per excubias, et se committere nocti?
Perque feros enses, non tantum mœnia Troum,
Verum etiam summas arces intrare, suaque
Eripere æde deam, raptamque efferre per hostes?
Quæ nisi fecissem, frustra Telamone creatus
Gestasset læva taurorum tergora septem.
Illa nocte mihi Trojæ victoria parta est:
Pergama tum vici, cum vinci posse coegi.
Desine Tydiden vultuque et murmure nobis 350
Ostentare meum: pars est sua laudis in illis.
Nec tu, cum socia clypeum pro classe tenebas,
Solus eras: tibi turba comes, mihi contigit unus;
Qui, nisi pugnacem sciret sapiente minorem
Esse, nec indomitæ deberi præmia dextræ, 355
Ipse quoque hæc peteret: peteret moderatior Ajax,
Eurypylusque ferox, claroque Andræmone natus:
Nec minus Idomeneus, patriaque creatus eadem
Meriones: peteret majoris frater Atridæ.
Quippe manu fortes (nec sunt tibi Marte secundi)
Consiliis cessere meis. Tibi dextera bello 361
Utilis: ingenium est, quod eget moderamine nostri.
Tu vires sine mente geris: mihi cura futuri est.
Tu pugnare potes: pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides. Tu tantum corpore prodes: 365
Nos animo. Quantoque ratem qui temperat, anteit
Remigis officium, quanto dux milite major;
Tanto ego te supero. Nec non in corpore nostro
Pectora sunt potiora manu: vigor omnis in illis.
At vos, o proceres, vigili date præmia vestro: 370
Proque tot annorum cura, quos anxius egi,
Hunc titulum meritis pensandum reddite nostris.
Jam labor in fine est: obstantia fata removi,
Altaque, posse capi faciendo, Pergama cepi.
Per spes nunc socias, casuraque mœnia Troum,
Perque deos oro, quos hosti nuper ademi; 376
Per, si quid superest, quod sit sapienter agendum; [dum;
Si quid adhuc audax, ex præcipitique peten-
Si Trojæ fatis aliquid restare putatis;
Este mei memores: aut si mihi non datis arma,
Huic date. Et ostendit signum fatale Minervæ.
Mota manus procerum est: et, quid facundia posset,
Re patuit; fortisque viri tulit arma disertus.
Hectora qui solus, qui ferrum, ignemque, Jovemque
Sustinuit toties, unam non sustinet iram: 385
Invictumque virum vincit dolor. Arripit ensem;

Et, Meus hic certe est. An et hunc sibi poscet Ulixes?
Hoc, ait, utendum est in me mihi: quique cruore
Sæpe Phrygum maduit, domini nunc cæde madebit; 389
Ne quisquam Ajacem possit superare, nisi Ajax.
Dixit: et in pectus, tum denique vulnera passum,
Qua patuit ferro, letalem condidit ensem:
Nec valuere manus infixum educere telum.
Expulit ipse cruor; rubefactaque sanguine tellus
Purpureum viridi genuit de cespite florem, 395
Qui prius Œbalio fuerat de vulnere natus.
Littera communis mediis pueroque viroque
Inscripta est foliis: hæc nominis, illa querelæ.
Victor ad Hypsipyles patriam clarique Thoantis,
Et veterum terras infames cæde virorum 400
Vela dat, ut referat Tirynthia tela sagittas.
Quæ postquam ad Graios domino comitante revexit,
Imposita est sero tandem manus ultima bello.
Troja simul Priamusque cadunt: Priameia conjux
Perdidit infelix hominis post omnia formam, 405
Externasque novo latratu terruit auras.
Longus in angustum qua clauditur Hellespontus,
Ilion ardebat; neque adhuc consederat ignis:
Exiguumque senis Priami Jovis ara cruorem
Combiberat. Tractata comis antistita Phœbi 410
Non profecturas tendebat ad æthera palmas.
Dardanidas matres patriorum signa deorum,
Dum licet, amplexas, succensaque templa tenentes
Invidiosa trahunt victores præmia Graii.
Mittitur Astyanax illis de turribus, unde 415
Pugnantem pro se, proavitaque regna tuentem
Sæpe videre patrem monstratum a matre solebat.
Jamque viam suadet Boreas, flatuque secundo
Carbasa mota sonant: jubet uti navita ventis.
Troja, vale: rapimur, clamant, dantque oscula terræ 420
Troades, et patriæ fumantia tecta relinquunt.
Ultima conscendit classem, miserabile visu,
In mediis Hecube natorum inventa sepulcris.
Prensantem tumulos, atque ossibus oscula dantem
Dulichiæ traxere manus. Tamen unius hausit,
Inque sinu cineres secum tulit Hectoris haustos.
Hectoris in tumulo canum de vertice crinem,
Inferias inopes, crinem, lacrymasque relinquit.
Est, ubi Troja fuit, Phrygiæ contraria tellus,
Bistoniis habitata viris. Polymestoris illic 430
Regia dives erat, cui te commisit alendum
Clam, Polydore, pater, Phrygiisque removit ab armis.
Consilium sapiens, sceleris nisi præmia magnas
Adjecisset opes, animi irritamen avari.
Ut cecidit fortuna Phrygum, capit impius ensem
Rex Thracum, juguloque sui defigit alumni: 436
Et, tanquam tolli cum corpore crimina possent,
Exanimem e scopulo subjectas misit in undas.
Littore Threicio classem religarat Atrides,
Dum mare pacatum, dum ventus amicior esset.
Hic subito, quantus, cum viveret, esse solebat,
Exit humo late rupta, similisque minaci 442
Temporis illius vultum referebat Achilles,
Quo ferus injusto petiit Agamemnona ferro. 444
Immemoresque mei disceditis, inquit, Achivi?
Obrutaque est mecum virtutis gratia nostræ?
Ne facite: utque meum non sit sine honore sepulcrum,
Placet Achilleos mactata Polyxena manes.
Dixit: et, immiti sociis parentibus umbræ, 449
Rapta sinu matris, quam jam prope sola fovebat,
Fortis, et infelix, et plus quam fœmina, virgo
Ducitur ad tumulum, diroque fit hostia busto.
Quæ memor ipsa sui, postquam crudelibus aris
Admota est, sentitque sibi fera sacra parari;
Utque Neoptolemum stantem, ferrumque tenentem, 455
Inque suo vidit figentem lumina vultu;
Utere jamdudum generoso sanguine, dixit:
Nulla mora est. At tu jugulo vel pectore telum
Conde meo: jugulumque simul, pectusque retexit.
Scilicet aut ulli servire Polyxena ferrem, 460
Aut per tale sacrum numen placabitur ullum!
Mors tantum vellem matrem mea fallere posset.
Mater obest, minuitque necis mihi gaudia: quamvis
Non mea mors illi, verum sua vita gemenda est.
Vos modo, ne Stygios adeam non libera manes,
Este procul, si justa peto, tactuque viriles 466
Virgineo removete manus. Acceptior illi,
Quisquis is est, quem cæde mea placare paratis,
Liber erit sanguis. Si quos tamen ultima nostri
Vota movent oris: Priami vos filia regis, 470
Non captiva, rogat: genitrici corpus inemtum
Reddite; neve auro redimat jus triste sepulcri,
Sed lacrymis: tunc, cum poterat, redimebat et auro.
Dixerat. At populus lacrymas, quas illa tenebat,
Non tenet. Ipse etiam flens invitusque sacerdos
Præbita conjecto rupit præcordia ferro. 476
Illa, super terram defecto poplite labens,
Pertulit intrepidos ad fata novissima vultus.
Tunc quoque cura fuit partes velare tegendas,
Cum caderet, castique decus servare pudoris. 480
Troades excipiunt, deploratosque recensent
Priamidas, et quid dederit domus una cruoris.
Teque gemunt, virgo, teque, o modo regia conjux,
Regia dicta parens, Asiæ florentis imago; 484
Nunc etiam prædæ mala sors: quam victor Ulixes
Esse suam nollet, nisi quod tamen Hectora partu
Edideras. Dominum matri vix reperit Hector.
Quæ corpus complexa animæ tam fortis inane,
Quas toties patriæ dederat, natisque, viroque,
Huic quoque dat lacrymas; lacrymas in vulnera fundit, 490
Osculaque ore tegit, consuetaque pectora plangit;
Canitiemque suam concreto in sanguine verrens,
Plura quidem, sed et hæc laniato pectore dixit:
Nata, tuæ (quid enim superest?) dolor ultime matri,
Nata, jaces: videoque tuum, mea vulnera, vulnus.
En, ne perdiderim quenquam sine cæde meorum,
Tu quoque vulnus habes. At te, quia fœmina, rebar
A ferro tutam: cecidisti et fœmina ferro:
Totque tuos idem fratres, te perdidit idem,
Exitium Trojæ nostrique orbator, Achilles. 500
At postquam Paridis cecidit Phœbique sagittis,
Nunc certe, dixi, non est metuendus Achilles.
Nunc quoque mi metuendus erat. Cinis ipse sepulti [hostem:
In genus hoc sævit: tumulo quoque sensimus
Æacidæ fecunda fui. Jacet Ilion ingens, 505
Eventuque gravi finita est publica clades:
Si finita tamen. Soli mihi Pergama restant:
In cursuque meus dolor est. Modo maxima rerum,
Tot generis natisque potens, nuribusque, viroque,
Nunc trahor exsul, inops, tumulis avulsa meorum,

Penelopæ munus: quæ me data pensa trahentem
Matribus ostendens Ithacis, Hæc Hectoris illa est
Clara parens: hæc est, dicet, Priameia conjux.
Postque tot amissos tu nunc, quæ sola levabas
Maternos luctus, hostilia busta piasti. 515
Inferias hosti peperi. Quo ferrea resto? [tus?
Quidve moror? quo me servas, damnosa senec-
Quid, di crudeles, nisi quo nova funera cernam,
Vivacem differtis anum? quis posse putaret
Felicem Priamum, post diruta Pergama, dici? 520
Felix morte sua nec te, mea nata, peremtam
Adspicit, et vitam pariter regnumque reliquit.
At, puto, funeribus dotabere regia virgo,
Condeturque tuum monumentis corpus avitis.
Non hæc est fortuna domus. Tibi munera matris
Contingent fletus, peregrinæque haustus arenæ.
Omnia perdidimus: superest, cur vivere tempus
In breve sustineam, proles gratissima matri,
Nunc solus, quondam minimus de stirpe virili,
Has datus Ismario regi Polydorus in oras. 530
Quid moror interea crudelia vulnera lymphis
Abluere, et sparsos immiti sanguine vultus?
Dixit: et ad littus passu processit anili,
Albentes laniata comas. Date, Troades, urnam,
Dixerat infelix, liquidas hauriret ut undas: 535
Adspicit ejectum Polydori in littore corpus,
Factaque Threiciis ingentia vulnera telis.
Troades exclamant: obmutuit illa dolore;
Et pariter vocem, lacrymasque introrsus obortas
Devorat ipse dolor, duroque simillima saxo 540
Torpet; et adversa figit modo lumina terra:
Interdum torvos sustollit ad æthera vultus:
Nunc positi spectat vultum, nunc vulnera, nati,
Vulnera præcipue: seque armat et instruit ira.
Qua simul exarsit, tanquam regina maneret, 545
Ulcisci statuit; pœnæque in imagine tota est.
Utque furit catulo lactente orbata leæna,
Signaque nacta pedum sequitur, quem non videt, hostem:
Sic Hecube, postquam cum luctu miscuit iram,
Non oblita animorum, annorum oblita suorum,
Vadit ad artificem diræ Polymestora cædis, 551
Colloquiumque petit: nam se monstrare relictum
Velle latens illi, quod nato redderet, aurum.
Credidit Odrysius, prædæque assuetus amore
In secreta venit; cum blando callidus ore, 555
Tolle moras, Hecube, dixit: da munera nato.
Omne fore illius quod das, quod et ante dedisti,
Per superos juro. Spectat truculenta loquentem,
Falsaque jurantem: tumidaque exæstuat ira.
Atque ita correptum captivarum agmine matrum
Involat, et digitos in perfida lumina condit, 561
Exspoliatque genas oculis, (facit ira valentem,)
Immergitque manus, fœdataque sanguine sonti
Non lumen, (neque enim superest,) loca luminis haurit.
Clade sui Thracum gens irritata tyranni 565
Troada telorum, lapidumque incessere jactu
Cœpit. At hæc missum rauco cum murmure saxum
Morsibus insequitur; rictuque in verba parato
Latravit, conata loqui. Locus exstat, et ex re
Nomen habet: veterumque diu memor illa malorum 570
Tum quoque Sithonios ululavit mæsta per agros.
Illius Troasque suos hostesque Pelasgos,
Illius fortuna deos quoque moverat omnes;
Sic omnes, ut et ipsa Jovis conjuxque sororque
Eventus Hecubam meruisse negaverit illos. 575
Non vacat Auroræ, quanquam isdem faverat armis,
Cladibus et casu Trojæque Hecubæque moveri.
Cura deam propior, luctusque domesticas angit
Memnonis amissi: Phrygiis quem lutea campis
Vidit Achillea pereuntem cuspide mater. 580
Vidit; et ille color, quo matutina rubescunt
Tempora, palluerat, latuitque in nubibus æther.
At non impositos supremis ignibus artus
Sustinuit spectare parens: sed crine soluto, 584
Sicut erat, magni genibus procumbere non est
Dedignata Jovis, lacrymisque has addere voces:
Omnibus inferior, quas sustinet aureus æther,
(Nam mihi sunt totum rarissima templa per orbem,)
Diva tamen venio, non ut delubra, diesque 589
Des mihi sacrificos, caliturasque ignibus aras.
Si tamen adspicias, quantum tibi fœmina præstem,
Tum cum luce nova noctis confinia servo; [hic est
Præmia danda putes. Sed non ea cura: neque
Nunc status Auroræ, meritos ut poscat honores.
Memnonis orba mei venio: qui fortia frustra
Pro patruo tulit arma suo, primisque sub annis
Occidit a forti, sic vos voluistis, Achille. [rem,
Da, precor, huic aliquem, solatia mortis, hono-
Summe deum rector, maternaque vulnera leni.
Jupiter annuerat: cum Memnonis arduus alto
Corruit igne rogus, nigrique volumina fumi 601
Infecere diem; veluti cum flumina natas
Exhalant nebulas, nec sol admittitur infra.
Atra favilla volat, glomerataque corpus in unum
Densatur, faciemque capit, sumitque calorem 605
Atque animam ex igni; levitas sua præbuit alas.
Et primo similis volucri, mox vera volucris
Insonuit pennis: pariter sonuere sorores
Innumeræ, quibus est eadem natalis origo.
Terque rogum lustrant, et consonus exit in auras
Ter clangor: quarto seducunt castra volatu. 611
Tum duo diversa populi de parte feroces
Bella gerunt, rostrisque et aduncis unguibus iras
Exercent, alasque adversaque pectora lassant.
Inferiæque cadunt cineri cognata sepulto 615
Corpora: seque viro forti meminere creatas.
Præpetibus subitis nomen facit auctor; ab illo
Memnonides dictæ, cum sol duodena peregit
Signa, parentali perituræ Marte rebellant.
Ergo aliis latrasse Dymantida flebile visum: 620
Luctibus est Aurora suis intenta; piasque
Nunc quoque dat lacrymas, et toto rorat in orbe.
Nec tamen eversam Trojæ cum mœnibus esse
Spem quoque fata sinunt. Sacra, et sacra altera patrem 624
Fert humeris venerabile onus Cythereius heros.
De tantis opibus prædam pius eligit illam,
Ascaniumque suum: profugaque per æquora classe [cum
Fertur ab Antandro, sceleratagque limina Thra-
Et Polydoreo manantem sanguine terram
Linquit: et utilibus ventis æstuque secundo 630
Intrat Apollineam sociis comitantibus urbem.
Hunc Anius, quo rege homines, antistite Phœbus
Rite colebantur, temploque domoque recepit:
Urbemque ostendit, delubraque vota, duasque
Latona quondam stirpes pariente retentas. 635
Thure dato flammis, vinoque in thura profuso,
Cæsorumque boum fibris de more crematis,
Regia tecta petunt: positique tapetibus altis
Munera cum liquido capiunt Cerealia Baccho.
Tum pius Anchises: O Phœbi lecte sacerdos, 640
Fallor? an et natum, cum primum hæc mœnia vidi,

Bisque duas natas, quantum reminiscor, habebas?
Huic Anius niveis circumdata tempora vittis
Concutiens, et tristis, ait: Non falleris, heros
Maxime: natorum vidisti quinque parentem. 645
Quem nunc, tanta homines rerum inconstantia versat,
Pæne vides orbum. Quid enim mihi filius absens
Auxilii? quem dicta suo de nomine tellus
Andros habet, pro patre locumque et regna tenentem.
Delius augurium dedit huic: dedit altera Liber
Fœmineæ sorti voto majora fideque 651
Munera: nam tactu natarum cuncta mearum
In segetem, laticemque meri, baccamque Minervæ
Transformabantur: divesque erat usus in illis.
Hoc ubi cognovit Trojæ populator Atrides; 655
Ne non ex aliqua vestram sensisse procellam
Nos quoque parte putes, armorum viribus usus
Abstrahit invitas gremio genitoris, alantque
Imperat Argolicam cœlesti munere classem.
Effugiunt quo quæque potest. Eubœa duabus,
Et totidem natis Andros fraterna petita est. 661
Miles adest, et, ni dedantur, bella minatur.
Victa metu pietas consortia pectora pœnæ
Dedit: et ut timido possis ignoscere fratri,
Non hic Æneas, non qui defenderet Andron 665
Hector erat, per quos decimum durastis in annum.
Jamque parabantur captivis vincla lacertis:
Illæ tollentes etiamnum libera cœlo [que
Brachia, Bacche pater, fer opem, dixere: tulit-
Muneris auctor opem: si miro perdere more 670
Ferre vocatur opem. Nec, qua ratione figuram
Perdiderint, potui scire, aut nunc dicere possim.
Summa mali nota est: pennas sumsere, tuæque
Conjugis in volucrem niveas abiere columbas.
Talibus atque aliis postquam convivia dictis
Implerunt, mensa somnum petiere remota. 676
Cumque die surgunt, adeuntque oracula Phœbi;
Qui petere antiquam matrem, cognataque jussit
Littora. Prosequitur rex, et dat munus ituris,
Anchisæ sceptrum, chlamydem pharetramque nepoti, 680
Cratera Æneæ, quem quondam miserat illi
Hospes ab Aoniis Therses Ismenius oris.
Miserat hunc illi Therses, fabricaverat Alcon
Myleus, et longo cælaverat argumento.
Urbs erat: et septem posses ostendere portas:
Hæ pro nomine erant, et, quæ foret illa, docebant.
Ante urbem exsequiæ, tumulique, ignesque, rogique, 687
Effusæque comas, et apertæ pectora matres
Significant luctum. Nymphæ quoque flere videntur,
Siccatosque queri fontes. Sine frondibus arbos
Nuda riget: rodunt arentia saxa capellæ. 691
Ecce facit mediis natas Orione Thebis,
Hanc non fœmineum jugulo dare pectus aperto,
Illam demisso per fortia vulnera telo [bem
Pro populo cecidisse suo; pulchrisque per ur-
Funeribus ferri, celebrique in parte cremari.
Tum de virginea geminos exire favilla,
Ne genus intereat, juvenes, quos fama Coronas
Nominat, et cineri materno ducere pompam.
Hactenus antiquo signis fulgentibus ære 700
Summus inaurato crater erat asper acantho.
Nec leviora datis Trojani dona remittunt:
Dantque sacerdoti custodem thuris acerram,
Dant pateram, claramque auro gemmisque coronam.
Inde recordati Teucros a sanguine Teucri 705
Ducere principium, Creten tenuere, locique
Ferre diu nequiere Jovem: centumque relictis
Urbibus, Ausonios optant contingere portus.
Sævit hiems, jactatque viros: Strophadumque receptos
Portubus infidis exterruit ales Aello. 710
Et jam Dulichios portus, Ithacamque, Samenque,
Neritiasque domos, regnum fallacis Ulixi,
Præter erant vecti: certatam lite deorum
Ambraciam, versique vident sub imagine saxum
Judicis, Actiaco quæ nunc ab Apolline nota est,
Vocalemque sua terram Dodonida quercu, 716
Chaoniosque sinus, ubi nati rege Molosso
Impia subjectis fugere incendia pennis.
Proxima Phæacum felicibus obsita pomis
Rura petunt. Epiros ab his, regnataque vati 720
Buthrotos Phrygio, simulataque Troja tenentur.
Inde futurorum certi, quæ cuncta fideli
Priamides Helenus monitu prædixerat, intrant
Sicaniam. Tribus hæc excurrit in æquora linguis: [tros:
E quibus imbriferos obversa Pachynos ad Aus-
Mollibus expositum Zephyris Lilybæon: at Arcton 726
Æquoris expertem spectat Boreanque Peloros.
Hac subeunt Teucri, remisque æstuque secundo
Sub noctem potitur Zanclæa classis arena.
Scylla latus dextrum, lævum irrequieta Charybdis 730
Infestant. Vorat hæc raptas, revomitque carinas:
Illa feris atram canibus succingitur alvum,
Virginis ora gerens: et, si non omnia vates
Ficta reliquerunt, aliquo quoque tempore virgo.
Hanc multi petiere proci: quibus illa repulsis
Ad pelagi Nymphas, pelagi gratissima Nymphis,
Ibat, et elusos juvenum narrabat amores. 737
Quam, dum pectendos præbet Galatea capillos,
Talibus alloquitur, repetens suspiria, dictis:
Te tamen, o virgo, genus haud immite virorum
Expetit: utque facis, potes his impune negare.
At mihi, cui pater est Nereus, quam cærula Doris
Enixa est, quæ sum turba quoque tuta sororum,
Non nisi per fluctus licuit Cyclopis amorem 744
Effugere: et lacrymæ vocem impediere loquentis.
Quas ubi marmoreo detersit pollice virgo,
Et solata deam est; Refer, o carissima, dixit,
Neve tui causam tege, sum tibi fida, doloris.
Nereis his contra resecuta Cratæide natam: 749
Acis erat Fauno Nymphaque Simæthide cretus,
Magna quidem patrisque sui, matrisque voluptas,
Nostra tamen major: nam me sibi junxerat uni
Pulcher: et octonis iterum natalibus actis,
Signarat dubia teneras lanugine malas.
Hunc ego, me Cyclops, nullo cum fine petebat.
Nec, si quæsieris, odium Cyclopis, amorne 756
Acidis in nobis fuerit præsentior, edam.
Par utrumque fuit. Pro quanta potentia regni
Est, Venus alma, tui! nempe ille immitis, et ipsis
Horrendus sylvis, et visus ab hospite nullo 760
Impune, et magni cum dis contemtor Olympi,
Quid sit amor sentit, nostrique cupidine captus
Uritur, oblitus pecorum antrorumque suorum.
Jamque tibi formæ, jamque est tibi cura placendi:
Jam rigidos pectis rastris, Polypheme, capillos: 765
Jam libet hirsutam tibi falce recidere barbam:

Et spectare feros in aqua, et componere vultus.
Cædis amor, feritasque, sitisque immensa cruoris
Cessant: et tutæ veniuntque abeuntque carinæ.
Telemus interea Siculam delatus ad Ætnen, 770
Telemus Eurymides, quem nulla fefellerat ales,
Terribilem Polyphemon adit; Lumenque, quod unum
Fronte geris media, rapiet tibi, dixit, Ulixes.
Risit, et, O vatum stolidissime, falleris, inquit:
Altera jam rapuit. Sic frustra vera monentem
Spernit: et aut gradiens ingenti littora passu 776
Degravat, aut fessus sub opaca revertitur antra.
Prominet in pontum cuneatus acumine longo
Collis: utrumque latus circumfluit æquoris unda.
Huc ferus adscendit Cyclops, mediusque resedit.
Lanigeræ pecudes nullo ducente secutæ. 781
Cui postquam pinus, baculi quæ præbuit usum,
Ante pedes posita est, antennis apta ferendis,
Sumtaque arundinibus compacta est fistula centum;
Senserunt toti pastoria sibila montes, 785
Senserunt undæ. Latitans ego rupe, meique
Acidis in gremio residens, procul auribus hausi
Talia dicta meis, auditaque mente notavi:
Candidior nivei folio Galatea ligustri,
Floridior pratis, longa procerior alno, 790
Splendidior vitro, tenero lascivior hædo,
Lævior assiduo detritis æquore conchis,
Solibus hibernis, æstiva gratior umbra,
Nobilior pomis, platano conspectior alta,
Lucidior glacie, matura dulcior uva, 795
Mollior et cygni plumis, et lacte coacto,
Et, si non fugias, riguo formosior horto.
Sævior indomitis eadem Galatea juvencis,
Durior annosa quercu, fallacior undis,
Lentior et salicis virgis, et vitibus albis, 800
His immobilior scopulis, violentior amne,
Laudato pavone superbior, acrior igni,
Asperior tribulis, fœta truculentior ursa,
Surdior æquoribus, calcato immitior hydro,
Et, quod præcipue vellem tibi demere possem,
Non tantum cervo claris latratibus acto, 806
Verum etiam ventis, volucrique fugacior aura.
At, bene si noris, pigeat fugisse, morasque
Ipsa tuas damnes, et me retinere labores.
Sunt mihi, pars montis, vivo pendentia saxo 810
Antra, quibus nec sol medio sentitur in æstu,
Nec sentitur hiems: sunt poma gravantia ramos:
Sunt auro similes longis in vitibus uvæ:
Sunt et purpureæ: tibi et has servamus et illas.
Ipsa tuis manibus sylvestri nata sub umbra 815
Mollia fraga leges: ipsa autumnalia corna,
Prunaque, non solum nigro liventia succo,
Verum etiam generosa, novasque imitantia ceras.
Nec tibi castaneæ, me conjuge, nec tibi deerunt
Arborei fœtus: omnis tibi serviet arbos. 820
Hoc pecus omne meum est: multæ quoque vallibus errant:
Multas sylva tegit: multæ stabulantur in antris.
Nec, si forte roges, possim tibi dicere, quot sint.
Pauperis est numerare pecus. De laudibus harum
Nil mihi credideris: presens potes ipsa videre,
Ut vix sustineant distentum cruribus uber. 826
Sunt fetura minor tepidis in ovilibus agni:
Sunt quoque, par ætas, aliis in ovilibus hœdi.
Lac mihi semper adest niveum. Pars inde bibenda
Servatur, partem liquefacta coagula durant. 830
Nec tibi deliciæ faciles, vulgataque tantum
Munera contingent, damæ, leporesque, capræque,
Parve columbarum, demtusve cacumine nidus:
Inveni geminos, qui tecum ludere possint,
Inter se similes, vix ut dignoscere possis, 835
Villosæ catulos in summis montibus ursæ.
Inveni: et dominæ, dixi, servabimus istos.
Jam modo cæruleo nitidum caput exsere ponto:
Jam, Galatea, veni: nec munera despice nostra.
Certe ego me novi, liquidæque in imagine vidi
Nuper aquæ, placuitque mihi mea forma videnti.
Adspice, sim quantus. Non est hoc corpore major 842
Jupiter in cœlo: nam vos narrare soletis
Nescio quem regnare Jovem. Coma plurima torvos
Prominet in vultus, humerosque ut lucus obumbrat. 845
Nec mihi quod rigidis horrent densissima setis
Corpora, turpe puta. Turpis sine frondibus arbos:
Turpis equus, nisi colla jubæ flaventia velent.
Pluma tegit volucres: ovibus sua lana decori est: 849
Barba viros, hirtæque decent in corpore setæ.
Unum est in media lumen mihi fronte, sed instar
Ingentis clypei. Quid? non hæc omnia magno
Sol videt e cœlo? soli tamen unicus orbis.
Adde, quod in vestro genitor meus æquore regnat. [cesque
Hunc tibi do socerum. Tantum miserere, pre-
Supplicis exaudi: tibi enim succumbimus uni.
Quique Jovem, et cœlum sperno, et penetrabile fulmen,
Nerei, te vereor: tua fulmine sævior ira est.
Atque ego contemptus essem patientior hujus,
Si fugeres omnes. Sed cur Cyclope repulso 860
Acin amas, præfersque meis amplexibus Acin?
Ille tamen placeatque sibi, placeatque licebit,
Quod nollem, Galatea, tibi: modo copia detur,
Sentiet esse mihi tanto pro corpore vires.
Viscera viva traham divulsaque membra per agros, 865
Perque tuas spargam (sic se tibi misceat) undas.
Uror enim, læsusque exæstuat acrius ignis:
Cumque suis videor translatam viribus Ætnam
Pectore ferre meo: nec tu, Galatea, moveris.
Talia nequicquam questus, nam cuncta videbam,
Surgit: et ut taurus, vacca furibundus ademta,
Stare nequit, sylvaque et notis saltibus errat.
Cum ferus ignaros, nec quicquam tale timentes,
Me videt atque Acin: Videoque, exclamat, et ista
Ultima sit, faciam, Veneri concordia vestræ. 875
Tantaque vox, quantam Cyclops iratus habere
Debuit, illa fuit. Clamore perhorruit Ætne.
Ast ego vicino pavefacta sub æquore mergor.
Terga fugæ dederat conversa Symæthius heros:
Et, Fer opem, Galatea, precor, mihi: ferte parentes, 880
Dixerat, et vestris periturum admittite regnis.
Insequitur Cyclops, partemque e monte revulsam
Mittit; et extremus quamvis pervenit ad illum
Angulus e saxo, totum tamen obruit Acin.
At nos, quod solum fieri per fata licebat, 885
Fecimus, ut vires adsumeret Acis avitas.
Puniceus de mole cruor manabat, et intra
Temporis exiguum rubor evanescere cœpit:
Fique color primo turbati fluminis imbre, 889
Purgaturque mora. Tum moles fracta dehiscit,

Vivaque per rimas, proceraque surgit arundo:
Osque cavum saxi sonat exsultantibus undis.
Miraque res, subito media tenus exstitit alvo
Incinctus juvenis flexis nova cornua cannis: 894
Qui nisi quod major, quod toto cærulus ore est,
Acis erat. Sed sic quoque erat tamen Acis in amnem
Versus: et antiquum tenuerunt flumina nomen.
Desierat Galatea loqui: cœtuque soluto
Discedunt, placidisque natant Nereides undis.
Scylla redit: neque enim medio se credere ponto
Audet; et aut bibula sine vestibus errat arena,
Aut, ubi lassata est, seductos nacta recessus
Gurgitis, inclusa sua membra refrigerat unda.
Ecce fretum findens alti novus incola ponti, 904
Nuper in Euboica versis Anthedone membris
Glaucus adest, visæque cupidine virginis hæret:
Et, quæcunque putat fugientem posse morari,
Verba refert: fugit illa tamen, veloxque timore
Pervenit in summum positi prope littora montis.
Ante fretum est ingens, apicem collectus in unum, [tex.
Longa sine arboribus convexus ad æquora ver-
Constitit hic: et tuta loco, monstrumne, Deusne
Ille sit ignorans, admiraturque colorem,
Cæsariemque humeros subjectaque terga tegentem, 914
Ultimaque excipiat quod tortilis inguina piscis.
Sentit; et innitens, quæ stabat proxima, moli,
Non ego prodigium, non sum fera bellua, virgo;
Sum deus, inquit, aquæ: nec majus in æquora Proteus [mon.
Jus habet, aut Triton, Athamantiadesve Palæ-
Ante tamen mortalis eram: sed scilicet altis 920
Deditus æquoribus, jam tum exercebar in illis.
Nam modo ducebam ducentia retia pisces:
Nunc in mole sedens moderabar arundine linum.
Sunt viridi prato confinia littora, quorum
Altera pars undis, pars ultera cingitur herbis:
Quas neque cornigeræ morsu læsere juvencæ,
Nec placidæ carpsistis oves, hirtæve capellæ.
Non apis inde tulit collectos sedula flores:
Non data sunt capiti genialia serta: nec unquam
Falciferæ secuere manus. Ego primus in illo
Cespite consedi, dum lina madentia sicco. 931
Utque recenserem captivos ordine pisces,
Insuper exposui, quos aut in retia casus,
Aut sua credulitas in aduncos egerat hamos.
Res similis fictæ: sed quid mihi fingere prodest?
Gramine contacto cœpit mea præda moveri, 936
Et mutare latus, terraque, ut in æquore, niti.
Dumque moror, mirorque simul, fugit omnis in undas
Turba suas, dominumque novum littusque relinquunt.
Obstupui: dubiusque diu, quæ causa, requiro:
Num deus hoc aliquis, num succus fecerit herbæ.
Quæ tamen has, inquam, vires habet herba? manuque
Pabula decerpsi, decerptaque dente momordi.
Vix bene combiberant ignotos guttura succos,
Cum subito trepidare intus præcordia sensi, 945
Alteriusque rapi naturæ pectus amore.
Nec potui restare loco: Repetendaque nunquam
Terra, vale, dixi, corpusque sub æquora mersi.
Di maris exceptum socio dignantur honore:
Utque mihi quæcunque feram mortalia demant,
Oceanum Tethynque rogant. Ego lustror ab illis: 951
Et purgante nefas novies mihi carmine dicto
Pectora fluminibus jubeor supponere centum.
Nec mora: diversis lapsi de fontibus amnes,
Totaque vertuntur supra caput æquora nostrum.
Hactenus acta tibi possum memoranda referre:
Hactenus et memini: nec mens mea cætera sensit.
Quæ postquam rediit; alium me corpore toto
Ac fueram nuper, nec eundem mente, recepi.
Hanc ego tum primum viridem ferrugine barbam,
Cæsariemque meam, quam longa per æquora verro, 961
Ingentesque humeros, et cærula brachia vidi,
Cruraque pinnigero curvata novissima pisce.
Quid tamen hæc species, quid dis placuisse marinis,
Quid juvat esse deum, si tu non tangeris istis?
Talia dicentem, dicturum plura, reliquit 966
Scylla deum. Furit ille, irritatusque repulsa
Prodigiosa petit Titanidos atria Circes.

LIBER QUARTUS DECIMUS.

Jamque giganteis injectam faucibus Ætnen,
Arvaque Cyclopum, quid rastra, quid usus aratri
Nescia, nec quicquam junctis debentia bubus,
Liquerat Euboicus tumidarum cultor aquarum:
Liquerat et Zanclen, adversaque mœnia Rhegi, 5
Navifragumque fretum, gemino quod littore pressum
Ausoniæ Siculæque tenet confinia terræ.
Inde manu magna Tyrrhena per æquora lapsus,
Herbiferos adiit colles, atque atria Glaucus
Sole satæ Circes variarum plena ferarum. 10
Quam simul adspexit; dicta, acceptaque salute,
Diva, dei miserere, precor: nam sola levare
Tu potes hunc, dixit, videar modo dignus, amorem.
Quanta sit herbarum, Titani, potentia nulli,
Quam mihi, cognitius, qui sum mutatus ab illis.
Neve mei non nota tibi sit causa furoris; 16
Littore in Italico, Messania mœnia contra,
Scylla mihi visa est. Pudor est promissa, precesque,
Blanditiasque meas, contemtaque verba referre.
At tu, sive aliquid regni est in carmine; carmen
Ore move sacro: sive expugnacior herba est;
Utere tentatis operosæ viribus herbæ. 22
Nec medeare mihi, sanesque hæc vulnera mando,
Fineque nil opus est: partem ferat illa caloris.
At Circe, neque enim flammis habet aptius ulla
Talibus ingenium, seu causa est hujus in ipsa,
Seu Venus indicio facit hoc offensa paterno,
Talia verba refert: Melius sequerere volentem,
Optantemque eadem, parilique cupidine captam.
Dignus eras, ultro poteras certeque rogari: 30
Et, si spem dederis, mihi crede, rogaberis ultro.
Neu dubites, absitque tuæ fiducia formæ;
En ego, cum dea sim, nitidi cum filia Solis,
Carmine cum tantum, tantum cum gramine possim,

Ut tua sim, voveo. Spernentem sperne : sequenti
Redde vices : unoque duos ulciscere facto. 36
Talia tentanti, Prius, inquit, in æquore frondes,
Glaucus, et in summis nascentur montibus algæ,
Sospite quam Scylla nostri mutentur amores.
Indignata dea est : et lædere quatenus ipsum 40
Non poterat, nec vellet amans ; irascitur illi,
Quæ sibi prælata est : Venerisque offensa repulsa,
Protinus horrendis infamia pabula succis
Conterit, et tritis Hecateia carmina miscet ;
Cærulaque induitur velamina, perque ferarum
Agmen adulantum media procedit ab aula, 46
Oppositamque petens contra Zancleia saxa
Rhegion, ingreditur ferventes æstibus undas,
In quibus ut solida ponit vestigia ripa,
Summaque decurrit pedibus super æquora siccis.
Parvus erat gurges, curvos sinuatus in arcus, 51
Grata quies Scyllæ, quo se referebat ab æstu
Et maris et cœli, medio cum plurimus orbe
Sol erat, et minimas a vertice fecerat umbras.
Hunc dea prævitiat, portentiferisque venenis 55
Inquinat : huic fusos latices radice nocenti
Spargit, et obscurum verborum ambage novorum
Ter novies carmen magico demurmurat ore.
Scylla venit, mediaque tenus descenderat alvo,
Cum sua fœdari latrantibus inguina monstris 60
Adspicit : ac primo non credens corporis illas
Esse sui partes, refugitque, abigitque, timetque
Ora proterva canum ; sed quos fugit, attrahit una.
Et corpus quærens femorum, crurumque, pedumque,
Cerbereos rictus pro partibus invenit illis. 65
Statque canum rabies : subjectaque terga ferarum
Inguinibus truncis, uteroque exstante cohærent.
Flevit amans Glaucus, nimiumque hostiliter usæ
Viribus herbarum fugit connubia Circes.
Scylla loco mansit : cumque est data copia primum, 70
In Circes odium sociis spoliavit Ulixen.
Mox eadem Teucras fuerat mersura carinas,
Ni prius in scopulum, qui nunc quoque saxeus exstat, [vitat.
Transformata foret : scopulum quoque navita
Hanc ubi Trojanæ remis, avidamque Charybdin 75
Evicere rates ; cum jam prope littus adessent
Ausonium, Libycas vento referuntur ad oras.
Excipit Ænean illic animoque domoque,
Non bene discidium Phrygii latura mariti,
Sidonis : inque pyra sacri sub imagine facta 80
Incubuit ferro, deceptaque decipit omnes.
Rursus arenosæ fugiens nova mœnia terræ,
Ad sedemque Erycis fidumque relatus Acesten
Sacrificat, tumulumque sui genitoris honorat.
Quasque rates Iris Junonia pæne cremarat, 85
Solvit : et Hippotadæ regnum, terrasque calenti
Sulfure fumantes, Acheloiadumque relinquit
Sirenum scopulos : orbataque præside pinus
Inarimen, Prochytenque legit, sterilique locatas
Colle Pithecusas, habitantum nomine dictas. 90
Quippe deûm genitor fraudem et perjuria quondam
Cercopum exosus, gentisque admissa dolosæ,
In deforme viros animal mutavit, ut idem
Dissimiles homini possent, similesque videri :
Membraque contraxit, naresque a fronte resimas
Contudit, et rugis peraravit anilibus ora : 96
Totaque velatos flaventi corpora villo
Misit in has sedes : nec non prius abstulit usum
Verborum, et natæ dira in perjuria linguæ.
Posse queri tantum rauco stridore relinquit. 100
Has ubi præteriit, et Parthenopeia dextra
Mœnia deseruit, læva de parte canori
Æolidæ tumulum, et loca feta palustribus ulvis
Littora Cumarum, vivacisque antra Sibyllæ
Intrat : et ut manes adeat per Averna paternos,
Orat. At illa diu vultus tellure moratos 106
Erexit : tandemque deo furibunda recepto,
Magna petis, dixit, vir factis maxime, cujus
Dextera per ferrum, pietas spectata per ignes.
Pone tamen, Trojane, metum : potiere petitis,
Elysiasque domos, et regna novissima mundi
Me duce cognosces, simulacraque cara parentis.
Invia virtuti nulla est via. Dixit : et auro
Fulgentem ramum sylva Junonis Avernæ
Monstravit, jussitque suo divellere trunco. 115
Paruit Æneas, et formidabilis Orci
Vidit opes, atavosque suos, umbramque senilem
Magnanimi Anchisæ : didicit quoque jura locorum,
Quæque novis essent adeunda pericula bellis.
Inde ferens lassos averso tramite passus, 120
Cum duce Cumæa fallit sermone laborem.
Dumque iter horrendum per opaca crepuscula carpit,
Seu dea tu præsens, seu dis gratissima, dixit,
Numinis instar eris semper mihi : meque fatebor
Muneris esse tui, quæ me loca mortis adire, 125
Quæ loca me visæ voluisti evadere mortis.
Pro quibus aerias meritis evectus ad auras
Templa tibi statuam, tribuam tibi thuris honorem.
Respicit hunc vates, et suspiratibus haustis,
Nec dea sum, dixit, nec sacri thuris honore 130
Humanum dignare caput. Neu nescius erres ;
Lux æterna mihi, carituraque fine dabatur,
Si mea virginitas Phœbo patuisset amanti.
Dum tamen hanc sperat, dum præcorrumpere donis
Me cupit ; Elige, ait, virgo Cumæa, quid optes :
Optatis potiere tuis. Ego pulveris hausti [vis,
Ostendens cumulum, quot haberet corpora pul-
Tot mihi natales contingere vana rogavi :
Excidit, optarem juvenes quoque protinus annos.
Hos tamen ille mihi dabat, æternamque juventam,
Si Venerem paterer. Contemto munere Phœbi
Innuba permaneo. Sed jam felicior ætas 142
Terga dedit, tremuloque gradu venit ægra senectus, [septem
Quæ patienda diu est. Nam jam mihi sæcula
Acta vides : superest, numeros ut pulveris æquem,
Tercentum messes, tercentum musta videre. 146
Tempus erit, cum me de tanto corpore parvam
Longa dies faciat, consumtaque membra senecta
Ad minimum redigantur onus ; nec amata videbor,
Nec placuisse deo. Phœbus quoque forsitan ipse
Vel non agnoscet, vel dilexisse negabit ; 151
Usque adeo mutata ferar : nullique videnda,
Voce tamen noscar : vocem mihi fata relinquent.
Talia convexum per iter memorante Sibylla,
Sedibus Euboicam Stygiis emergit in urbem 155
Troius Æneas : sacrisque e more litatis,
Littora adit nondum nutricis habentia nomen.
Hic quoque substiterat post tædia longa laborum
Neritius Macareus, comes experientis Ulixi.
Desertum quondam mediis qui rupibus Ætnæ

Noscit Achæmeniden: improvisoque repertum
Vivere miratus, Qui te casusve deusve
Servat, Achæmenide? cur, inquit, barbara Graium
Prora vehit? petitur vestræ quæ terra carinæ?
Talia quærenti jam non hirsutus amictu, 165
Jam suus, et spinis conserto tegmine nullis,
Fatur Achæmenides: Iterum Polyphemon, et illos
Adspiciam fluidos humano sanguine rictus,
Hac mihi si potior domus est Ithaceque carina,
Si minus Ænean veneror genitore; nec unquam
Esse satis potero, præstem licet omnia, gratus.
Quod loquor, et spiro, cœlumque et sidera solis
Respicio, possimne ingratus et immemor esse?
Ille dedit, quod non anima hæc Cyclopis in ora
Venit; et, ut lumen jam nunc vitale relinquam, 175
Aut tumulo, aut certe non illa condar in alvo.
Quid mihi tunc animi (nisi si timor abstulit omnem [relictus
Sensum animumque) fuit, cum vos petere alta
Æquora prospexi? volui inclamare, sed hosti
Prodere me timui: vestræ quoque clamor Ulixis
Pæne rati nocuit: vidi, cum monte revulso 181
Immanem scopulum medias permisit in undas.
Vidi iterum, veluti tormenti viribus acta,
Vasta giganteo jaculantem saxa lacerto;
Et, ne deprimeret fluctusve lapisve carinam, 185
Pertimui, jam me non esse oblitus in illa.
Ut vero fuga vos ab acerba morte removit,
Ille quidem totam fremebundus obambulat Ætnam,
Prætentatque manu sylvas, et luminis orbus
Rupibus incursat, fœdataque brachia tabo 190
In mare protendens, gentem exsecratur Achivam.
Atque ait: O si quis referat mihi casus Ulixen,
Aut aliquem e sociis, in quem mea sæviat ira,
Viscera cujus edam, cujus viventia dextra 194
Membra mea laniem, cujus mihi sanguis inundet
Guttur, et elisi trepident sub dentibus artus;
Quam nullum, aut leve sit damnum mihi lucis ademtæ!
Hæc, et plura ferox. Me luridus occupat horror,
Spectantem vultus etiamnum cæde madentes,
Crudelesque manus, et inanem luminis orbem, 200
Membraque, et humano concretam sanguine barbam. [malorum.
Mors erat ante oculos; minimum tamen illa
Et jam prensurum, jamjam mea viscera rebar
In sua mersurum: mentique hærebat imago
Temporis illius, quo vidi bina meorum 205
Ter quater affligi sociorum corpora terræ;
Quæ super ipse jacens, hirsuti more leonis,
Visceraque, et carnes, cumque albis ossa medullis,
Semanimesque artus avidam condebat in alvum.
Me tremor invasit: stabam sine sanguine mæstus:
Mandentemque videns ejectantemque cruentas
Ore dapes, et frusta mero glomerata vomentem,
Talia fingebam misero mihi fata parari. 213
Perque dies multos latitans, omnemque tremiscens [moriri,
Ad strepitum, mortemque timens, cupidusque
Glande famem pellens, et mixta frondibus herba,
Solus, inops, exspes, leto pœnæque relictus,
Haud procul adspexi longo post tempore navim;
Oravique fugam gestu, ad littusque cucurri,
Et movi: Graiumque ratis Trojana recepit. 220
Tu quoque pande tuos, comitum gratissime, casus,
Et ducis, et turbæ, quæ tecum credita ponto est.
Æolon ille refert Tusco regnare profundo,
Æolon Hippotaden, cohibentem carcere ventos:
Quos bovis inclusos tergo, memorabile munus,
Dulichium sumsisse ducem, flatuque secundo
Lucibus isse novem, et terram adspexisse petitam,
Proxima post nonam cum sese Aurora moveret;
Invidia socios prædæque cupidine ductos,
Esse ratos aurum, demsisse ligamina ventis; 230
Cum quibus isse retro, per quas modo venerat undas,
Æoliique ratem portus repetisse tyranni. [bem
Inde Lami veterem Læstrygonis, inquit, in urVenimus. Antiphates terra regnabat in illa.
Missus ad hunc ego sum, numero comitante duorum, 235
Vixque fuga quæsita salus comitique mihique:
Tertius e nobis Læstrygonis impia tinxit
Ora cruore suo: fugientibus instat, et agmen
Concitat Antiphates. Coeunt, et saxa trabesque
Continuant, merguntque viros, merguntque carinas. 240
Una tamen, quæ nos ipsumque vehebat Ulixen,
Effugit. Amissa sociorum parte dolentes
Multaque conquesti terris allabimur illis,
Quas procul hinc cernis. Procul hinc tibi, cerne, videnda est
Insula, visi mihi. Tuque, o justissime Troum,
Nate dea, neque enim finito Marte vocandus 246
Hostis es, Ænea, moneo, fuge littora Circes.
Nos quoque Circæo religata in littore pinu
Antiphatæ memores, immansuetique Cyclopis,
Ire negabamus, et tecta ignota subire. 250
Sorte sumus lecti: sors me, fidumque Politen,
Eurylochumque simul, nimiique Elpenora vini,
Bisque novem socios Circæa ad mœnia misit.
Quæ simul attigimus, stetimusque in limine tecti,
Mille lupi, mixtæque lupis ursæque leæque 255
Occursu fecere metum: sed nulla timenda,
Nullaque erat nostro factura in corpore vulnus.
Quin etiam blandas movere per aera caudas,
Nostraque adulantes comitant vestigia; donec
Excipiunt famulæ, perque atria marmore tecta
Ad dominam ducunt. Pulchro sedet illa recessu,
Sublimis solio, pallamque induta nitentem 262
Insuper aurato circumvelatur amictu.
Nereides Nymphæque simul, quæ vellera motis
Nulla trahunt digitis, nec fila sequentia ducunt;
Gramina disponunt, sparsosque sine ordine flores
Secernunt calathis, variasque coloribus herbas.
Ipsa, quod hæ faciunt, opus exigit: ipsa, quis usus
Quoque sit in folio, quæ sit concordia mixtis,
Novit, et advertens pensas examinat herbas. 270
Hæc ubi nos vidit, dicta acceptaque salute,
Diffudit vultus, et reddidit omnia votis.
Nec mora; misceri tosti jubet hordea grani,
Mellaque, vimque meri, cum lacte coagula passo:
Quique sub hac lateant furtim dulcedine, succos
Adjicit. Accipimus sacra data pocula dextra.
Quæ simul arenti sitientes hausimus ore, 277
Et tetigit summos virga dea dira capillos;
(Et pudet, et referam,) setis horrescere cœpi,
Nec jam posse loqui; pro verbis edere raucum
Murmur, et in terram toto procumbere vultu:
Osque meum sensi pando occallescere rostro,
Colla tumere toris]: et qua modo pocula parte
Sumta mihi fuerant, illa vestigia feci. [sunt)
Cumque eadem passis (tantum medicamina pos-
Claudor hara: solumque suis caruisse figura

Vidimus Eurylochum: solus data pocula fugit.
Quæ nisi vitasset, pecoris pars una manerem
Nunc quoque setigeri: nec tantæ cladis ab illo
Certior ad Circen ultor venisset Ulixes. 290
Pacifer huic dederat florem Cyllenius album;
Moly vocant superi: nigra radice tenetur.
Tutus eo, monitisque simul cœlestibus intrat
Ille domum Circes: et ad insidiosa vocatus
Pocula, conantem virga mulcere capillos 295
Repulit, et stricto pavidam deterruit ense.
Inde fides, dextræque datæ: thalamoque receptus
Conjugii dotem sociorum corpora poscit.
Spargimur innocuæ succis melioribus herbæ,
Percutimurque caput conversæ verbere virgæ,
Verbaque dicuntur dictis contraria verbis. 301
Quo magis illa canit, magis hoc tellure levati
Erigimur, setæque cadunt, bifidosque relinquit
Rima pedes: redeunt humeri: subjecta lacertis
Brachia sunt. Flentem flentes amplectimur illum, 305
Hæremusque ducis collo: nec verba locuti
Ulla priora sumus, quam nos testantia gratos.
Annua nos illic tenuit mora: multaque præsens
Tempore tam longo vidi, multa auribus hausi.
Hoc quoque cum multis, quod clam mihi retulit una 310
Quatuor e famulis ad talia sacra paratis.
Cum duce namque meo Circe dum sola moratur,
Illa mihi niveo factum de marmore signum
Ostendit juvenile, gerens in vertice picum,
Æde sacra positum, multisque insigne coronis.
Quis foret, et quare sacra coleretur in æde, 316
Cur hanc ferret avem, quærenti, et scire volenti,
Accipe, ait, Macareu, dominæque potentia quæ sit
Hinc quoque disce meæ: tu dictis adjice mentem.
Picus in Ausoniis, proles Saturnia, terris 320
Rex fuit, utilium bello studiosus equorum.
Forma viro, quam cernis, erat. Licet ipse decorem
Adspicias, fictaque probes ab imagine veram.
Par animus formæ: nec adhuc spectasse per annos
Quinquennem poterat Graia quater Elide pugnam. 325
Ille suos Dryadas Latiis in montibus ortas
Verterat in vultus: illum fontana petebant
Numina Naiades, quas Albula, quasque Numici,
Quasque Anienis aquæ, cursuque brevissimus Almo,
Narque tulit præceps, et amœnæ Farfarus umbræ;
Quæque colunt Scythicæ regnum nemorale Dianæ,
Finitimosque lacus. Spretis tamen omnibus unam
Ille fovet Nymphen, quam quondam in colle Palati
Dicitur ancipiti peperisse Venilia Jano.
Hæc, ubi nubilibus primum maturuit annis, 335
Præposito cunctis Laurenti tradita Pico est:
Rara quidem facie, sed rarior arte canendi:
Unde Canens dicta est. Sylvas et saxa movere,
Et mulcere feras, et flumina longa morari
Ore suo, volucresque vagas retinere solebat. 340
Quæ dum fœminea modulatur carmina voce,
Exierat tecto Laurentes Picus in agros,
Indigenas fixurus apros: tergumque premebat
Acris equi, lævaque hastilia bina ferebat,
Puniceam fulvo chlamydem comprensus ab auro.
Venerat in sylvas et filia Solis easdem, 346
Utque novas legeret fecundis collibus herbas,
Nomine dicta suo Circæa reliquerat arva.
Quæ simul ac juvenem virgultis abdita vidit,
Obstupuit: cecidere sinu, quas legerat herbas:
Flammaque per totas visa est errare medullas. 351
Ut primum valido mentem collegit ab æstu,
Quid cuperet, fassura fuit. Ne posset adire,
Cursus equi fecit, circumfususque satelles.
Non tamen effugies, vento rapiare licebit, 355
Si modo me novi: si non evanuit omnis
Herbarum virtus, nec me mea carmina fallunt.
Dixit: et effigiem, nullo cum corpore, falsi
Finxit apri, præterque oculos transcurrere regis
Jussit, et in densum trabibus nemus ire videri,
Plurima qua sylva est, et equo loca pervia non sunt. 361
Haud mora: continuo prædæ petit inscius umbram
Picus, equique celer fumantia terga relinquit,
Spemque sequens vanam, sylva pedes errat in alta.
Concipit illa preces, et verba venefica dicit, 365
Ignotosque deos ignoto carmine adorat,
Quo solet et niveæ vultum confundere Lunæ,
Et patrio capiti bibulas subtexere nubes. 368
Tum quoque cantato densetur carmine cœlum,
Et nebulas exhalat humus; cæcisque vagantur
Limitibus comites, et abest custodia regi.
Nacta locum tempusque, Per o tua lumina dixit,
Quæ mea ceperunt, perque hanc, pulcherrime formam, 373
Quæ facit ut supplex tibi sim dea, consule nostris
Ignibus, et socerum, qui pervidet omnia, Solem
Accipe, nec durus Titanida despice Circen.
Dixerat. Ille ferox ipsamque precesque repellit:
Et, Quæcunque es, ait, non sum tuus: altera captum
Me tenet, et teneat per longum, comprecor, ævum.
Nec Venere externa socialia fœdera lædam, 380
Dum mihi Janigenam servabunt fata Canentem.
Sæpe retentatis precibus Titania frustra,
Non impune feres, neque enim reddere Canenti:
Læsaque quid faciat, quid amans, quid fœmina, disces 384
Rebus, ait: sed amans, et læsa, et fœmina Circe.
Tum bis ad occasum, bis se convertit ad ortus:
Ter juvenem baculo tetigit: tria carmina dixit.
Ille fugit: sese solito velocius ipse
Currere miratus, pennas in corpore vidit:
Seque novam subito Latiis accedere sylvis 390
Indignatus avem, duro fera robora rostro
Figit, et iratus longis dat vulnera ramis.
Purpureum chlamydis pennæ traxere colorem:
Fibula quod fuerat, vestemque momorderat aurum,
Pluma fit: et fulvo cervix præcingitur auro:
Nec quicquam antiqui Pico, nisi nomina, restat.
Interea comites, clamato sæpe per agros 397
Nequicquam Pico, nullaque in parte reperto,
Inveniunt Circen, nam jam tenuaverat auras,
Passaque erat nebulas ventis ac sole resolvi; 400
Criminibusque premunt veris, regemque reposcunt,
Vimque ferunt, sævisque parant incessere telis.
Illa nocens spargit virus, succosque veneni,
Et Noctem, Noctisque deos Ereboque Chaoque
Convocat, et longis Hecaten ululatibus orat. 405
Exsiluere loco, dictu mirabile, sylvæ,
Ingemuitque solum, vicinaque palluit arbos,
Sparsaque sanguineis maduerunt pabula guttis,
Et lapides visi mugitus edere raucos.
Et latrare canes, et humus serpentibus atris 410
Squalere, et tenues animæ volitare silentum.
Attonitum monstris vulgus pavet. Illa paventum

Ora venenata tetigit mirantia virga:
Cujus ab attactu variarum monstra ferarum
In juvenes veniunt: nulli sua mansit imago. 415
Presserat occiduus Tartessia littora Phœbus:
Et frustra conjux oculis animoque Canentis
Exspectatus erat. Famuli populusque per omnes
Discurrunt sylvas, atque obvia lumina portant.
Nec satis est Nymphæ flere, et lacerare capillos,
Et dare plangorem; facit hæc tamen omnia: sese
Proripit, ac Latios errat vesana per agros.
Sex illam noctes, totidem redeuntia solis
Lumina viderunt, inopem somnique cibique,
Per juga, per valles, qua fors ducebat, euntem.
Ultimus adspexit fessam luctuque viaque 426
Tibris, et in gelida ponentem corpora ripa.
Illic cum lacrymis ipso modulata dolore
Verba sono tenui mærens fundebat, ut olim
Carmina jam moriens canit exsequialia cygnus.
Luctibus extremum tenues liquefacta medullas
Tabuit, inque leves paullatim evanuit auras.
Fama tamen signata loco est: quem rite Canentem
Nomine de Nymphæ veteres dixere Camœnæ.
Talia multa mihi longum narrata per annum 435
Visaque sunt. Resides, et desuetudine tardi
Rursus inire fretum, rursus dare vela jubemur;
Ancipitesque vias, et iter Titania vastum
Dixerat, et sævi restare pericula ponti.
Pertimui, fateor: nactusque hoc littus adhæsi. 440
Finierat Macareus: urnaque Æneia nutrix
Condita marmorea, tumulo breve carmen habebat:

Hic me Cajeten, notæ pietatis alumnus
Argolico ereptam, quo debuit igne, cremavit.

Solvitur herboso religatus ab aggere funis, 445
Et procul insidias infamatæque relinquunt
Tecta deæ: lucosque petunt, ubi nubilus umbra
In mare cum flava prorumpit Tibris arena:
Faunigenæque domo potitur nataque Latini; 449
Non sine Marte tamen. Bellum cum gente feroci
Suscipitur, pactaque furit pro conjuge Turnus.
Concurrit Latio Tyrrhenia tota: diuque
Ardua sollicitis victoria quæritur armis.
Auget uterque suas externo robore vires:
Et multi Rutulos, multi Trojana tuentur 455
Castra: neque Æneas Evandri ad limina frustra,
At Venulus magnam profugi Diomedis ad urbem
Venerat. Ille quidem sub Iapyge maxima Dauno
Mœnia condiderat, dotaliaque arva tenebat. 459
Sed Venulus Turni postquam mandata peregit,
Auxiliumque petit; vires Ætolius heros
Excusat: nec se soceri committere pugnæ
Velle sui populos: nec, quos e gente suorum
Armet, habere viros. Neve hæc commenta putetis;
Admonitu quanquam luctus renovantur amaro,
Perpetiar memorare tamen. Postquam alta cremata est 466
Ilion, et Danaas paverunt Pergama flammas;
Naryciusque heros a virgine, virgine rapta,
Quam meruit solus pœnam, digessit in omnes;
Spargimur, et ventis inimica per æquora rapti, 470
Fulmina, noctem, imbres, iram cœlique marisque
Perpetimur Danai, cumulumque Capharea cladis.
Neve morer referens tristes ex ordine casus;
Græcia tum potuit Priamo quoque flenda videri.
Me tamen armiferæ servatum cura Minervæ 475
Fluctibus eripuit. Patriis sed rursus ab agris
Pellor, et antiquo memores de vulnere pœnas
Exigit alma Venus: tantosque per alta labores
Æquora sustinui, tantos terrestribus armis,
Ut mihi felices sint illi sæpe vocati, 480
Quos communis hiems, importunusque Caphareus
Mersit aquis, vellemque horum pars una fuissem.
Ultima jam passi comites belloque fretoque
Deficiunt, finemque rogant erroris. At Acmon
Fervidus ingenio, tum vero et cladibus asper, 485
Quid superest, quod jam patientia vestra recuset
Ferre, viri? dixit. Quid habet Cytherea, quod ultra,
Velle puta, faciat? nam dum pejora timentur,
Est in vota locus: sors autem ubi pessima rerum,
Sub pedibus timor est, securaque summa malorum. 490
Audiat ipsa licet; licet, ut facit, oderit omnes
Sub Diomede viros; odium tamen illius omnes
Spernimus, et magno stat magna potentia nobis.
Talibus invitam Venerem Pleuronius Acmon
Instimulat verbis, veteremque resuscitat iram. 495
Dicta placent paucis. Numeri majoris amici
Acmona corripimus: cui respondere paranti
Vox pariter, vocisque via est tenuata: comæque
In plumas abeunt: plumis nova colla teguntur,
Pectoraque, et tergum: majores brachia pennas
Accipiunt, cubitique leves sinuantur in alas.
Magna pedum digitos pars occupat: oraque cornu
Indurata rigent, finemque in acumine ponunt.
Hunc Lycus, hunc Idas, et cum Rhethenore Nycteus, 504
Hunc mirantur Abas: et dum mirantur, eandem
Accipiunt faciem: numerusque et agmine major
Subvolat, et remos plausis circumsonat alis.
Si volucrum quæ sit subitarum forma requiris;
Ut non cygnorum, sic albis proxima cygnis. 509
Vix equidem has sedes, et Iapygis arida Dauni
Arva gener teneo, minima cum parte meorum.
Hactenus Œnides. Venulus Calydonia regna,
Peucetiosque sinus, Messapiaque arva relinquit.
In quibus antra videt, quæ multa nubila sylva,
Et levibus guttis manantia, semicaper Pan 515
Nunc tenet; at quodam tenuerunt tempore Nymphæ.
Appulus has illa pastor regione fugatus
Terruit, et primo subita formidine movit:
Mox, ubi mens rediit, et contemsere sequentem,
Ad numerum motis pedibus duxere choreas. 520
Improbat has pastor, saltuque imitatus agresti
Addidit obscænis convicia rustica dictis:
Nec prius obticuit, quam guttura condidit arbor.
Arbore enim succoque licet cognoscere mores.
Quippe notam linguæ baccis oleaster amaris 525
Exhibet: asperitas verborum cessit in illas.
Hinc ubi legati rediere, negata ferentes
Arma Ætola sibi, Rutuli sine viribus illis
Bella instructa gerunt, multumque ab utraque cruoris
Parte datur. Fert ecce avidas in pinea Turnus 530
Texta faces: ignesque timent, quibus unda pepercit. [flammæ
Jamque picem, et ceras, alimentaque cætera
Mulciber urebat, perque altum ad carbasa malum
Ibat, et incurvæ fumabant transtra carinæ:
Cum memor has pinus Idæo vertice cæsas 535
Sancta deûm genitrix, tinnitibus aera pulsi
Æris, et inflati complevit murmure buxi:
Perque leves domitis invecta leonibus auras,
Irrita sacrilega jactas incendia dextra, 539
Turne, ait. Eripiam; nec me patiente cremabit
Ignis edax nemorum partes et membra meorum.
Intonuit dicente dea; tonitrum que secuti
Cum saliente graves ceciderunt grandine nimbi:
Aeraque, et subitis tumidum concursibus æquor

Astræi turbant, et eunt in prælia fratres. 545
E quibus alma parens unius viribus usa,
Stuppea prærumpit Phrygiæ retinacula classis,
Fertque rates pronas, imoque sub æquore mergit.
Robore mollito, lignoque in corpora verso,
In capitum faciem puppes mutantur aduncæ: 550
In digitos abeunt et crura natantia remi:
Quodque prius fuerat, latus est: mediisque carina
Subdita navigiis spinæ mutatur in usum.
Lina comæ molles, antennæ brachia fiunt.
Cærulus, ut fuerat, color est. Quasque ante timebant, 555
Illas virgineis exercent lusibus undas
Naides æquoreæ, durisque in montibus ortæ
Molle fretum celebrant, nec eas sua tangit origo.
Non tamen oblitæ, quam multa pericula sævo
Pertulerint pelago, jactatis sæpe carinis 560
Supposuere manus: nisi si qua vehebat Achivos.
Cladis adhuc Phrygiæ memores, odere Pelasgos,
Neritiæque ratis viderunt fragmina lætis
Vultibus: et lætæ videre rigescere puppim
Cautibus Alcinoi, saxumque increscere ligno. 565
Spes erat, in Nymphas animata classe marinas
Posse metu monstri Rutulum desistere bello.
Perstat: habetque deos pars utraque, quique deorum
Instar habent animos. Nec jam dotalia regna,
Nec soceri sceptrum, nec te, Lavinia virgo, 570
Sed vicisse petunt: deponendique pudore
Bella gerunt. Tandemque Venus victricia nati
Arma videt, Turnusque cadit; cadit Ardea, Turno
Sospite dicta potens. Quam postquam barbarus ignis
Abstulit, et tepida latuerunt tecta favilla; 575
Congerie e media tum primum cognita præpes
Subvolat, et cineres plausis everberat alis.
Et sonus, et macies, et pallor, et omnia, captam
Quæ deceant urbem, nomen quoque mansit in illa
Urbis: et ipsa suis deplangitur Ardea pennis. 580
Jamque deos omnes, ipsamque Æneia virtus
Junonem veteres finire coegerat iras:
Cum, bene fundatis opibus crescentis Iuli,
Tempestivus erat cœlo Cythereius heros;
Ambieratque Venus superos, colloque parentis
Circumfusa sui, Nunquam mihi, dixerat, ullo 586
Tempore dure pater, nunc sis mitissimus oro;
Æneæque meo, qui te de sanguine nostro
Fecit avum, quamvis parvum des, optime, numen, [regnum
Dummodo des aliquod. Satis est inamabile
Adspexisse semel, Stygios semel isse per amnes.
Assensere dei: nec conjux regia vultus
Immotos tenuit, placatoque annuit ore.
Tum pater, Estis, ait, cœlesti munere digni,
Quæque petis, pro quoque petis. Cape, nata, quod optas. 595
Fatus erat. Gaudet, gratesque agit illa parenti:
Perque leves auras junctis invecta columbis
Littus adit Laurens, ubi tectus arundine serpit
In freta flumineis vicina Numicius undis.
Hunc jubet Æneæ, quæcunque obnoxia morti, 600
Abluere, et tacito deferre sub æquora cursu.
Corniger exsequitur Veneris mandata, suisque,
Quicquid in Ænea fuerat mortale, repurgat,
Et respergit aquis. Pars optima restitit illi.
Lustratum genetrix divino corpus odore 605
Unxit, et ambrosia cum dulci nectare mixta
Contigit os, fecitque deum; quem turba Quirini
Nuncupat Indigetem, temploque arisque recepit.
Inde sub Ascanii ditione binominis Alba
Resque Latina fuit: succedit Sylvius illi: 610
Quo satus, antiquo tenuit repetita Latinus [num:
Nomina cum sceptro: claram subit Alba Lati-
Epitos ex illo. Post hunc Capetusque, Capysque;
Sed Capys ante fuit. Regnum Tiberinus ab illis
Cepit: et in Tusci demersus fluminis undis 615
Nomina fecit aquæ. De quo Remulusque, feroxque
Acrota sunt geniti: Remulus maturior annis
Fulmineo periit, imitator fulminis, ictu.
Fratre suo sceptrum moderatior Acrota forti
Tradit Aventino: qui, quo regnarat, eodem 620
Monte jacet positus, tribuitque vocabula monti.
Jamque Palatinæ summam Proca gentis habebat.
Rege sub hoc Pomona fuit: qua nulla Latinas
Inter Hamadryadas coluit sollertius hortos,
Nec fuit arborei studiosior altera fœtus: 625
Unde tenet nomen. Non sylvas illa, nec amnes,
Rus amat, et ramos felicia poma ferentes.
Nec jaculo gravis est, sed adunca dextera falce:
Qua modo luxuriem premit, et spatiantia passim
Brachia compescit; fissa modo cortice virgam
Inserit, et succos alieno præstat alumno. 631
Nec patitur sentire sitim, bibulæque recurvas
Radicis fibras labentibus irrigat undis. [cupido.
Hic amor, hoc studium; Veneris quoque nulla
Vim tamen agrestum metuens, pomaria claudit
Intus, et accessus prohibet, refugitque viriles.
Quid non et Satyri, saltatibus apta juventus,
Fecere, et pinu præcincti cornua Panes,
Sylvanusque suis semper juvenilior annis,
Quique deus fures vel falce vel inguine terret, 640
Ut poterentur ea? sed enim superabat amando
Hos quoque Vertumnus: nec erat felicior illis.
O quoties habitu duri messoris aristas
Corbe tulit, verique fuit messoris imago!
Tempora sæpe gerens fœno religata recenti, 645
Desectum poterat gramen versasse videri.
Sæpe manu stimulos rigida portabat, ut illum
Jurares fessos modo disjunxisse juvencos.
Falce data frondator erat, vitisque putator.
Induerat scalas, lecturum poma putares. 650
Miles erat gladios, piscator arundine sumta.
Denique per multas aditum sibi sæpe figuras
Reperit, ut caperet spectatæ gaudia formæ.
Ille etiam picta redimitus tempora mitra,
Innitens baculo, positis ad tempora canis, 655
Assimulavit anum, cultosque intravit in hortos;
Pomaque mirata est: Tantoque potentior, inquit,
Paucaque laudatæ dedit oscula, qualia numquam
Vera dedisset anus: glebaque incurva resedit,
Suspiciens pandos autumni pondere ramos. 660
Ulmus erat contra spatiosa tumentibus uvis:
Quam socia postquam pariter cum vite probavit;
At si staret, ait, cælebs sine palmite truncus,
Nil præter frondes, quare peteretur, haberet.
Hæc quoque, quæ juncta vitis requiescit in ulmo,
Si non nupta foret, terræ acclinata jaceret. 666
Tu tamen exemplo non tangeris arboris hujus,
Concubitusque fugis, nec te conjungere curas.
Atque utinam velles! Helene non pluribus esset
Sollicitata procis, nec quæ Lapitheia movit 670
Prœlia, nec conjux timidis audacis Ulixi.
Nunc quoque, cum fugias averserisque petentes,
Mille proci cupiunt, et semideique, deique,
Et quæcunque tenent Albanos numina montes.
Sed tu, si sapies, si te bene jungere, anumque 675
Hanc audire voles, quæ te plus omnibus illis,
Plus quam credis, amo, vulgares rejice tædas,
Vertumnumque tori socium tibi selige: pro quo

Me quoque pignus habe; neque enim sibi notior ille est,
Quam mihi: nec toto passim vagus errat in orbe;
Hæc loca sola colit: nec, uti pars magna procorum,
Quam modo vidit, amat. Tu primus et ultimus illi
Ardor eris, solique suos tibi devovet annos.
Adde, quod est juvenis, quod naturale decoris
Munus habet: formasque apte fingetur in omnes,
Et, quod erit jussus, jubeas licet omnia, fiet.
Quid, quod amatis idem? quod, quæ tibi poma coluntur, 687
Primus habet, lætaque tenet tua munera dextra?
Sed neque jam fœtus desiderat arbore demtos,
Nec, quas hortus alit, cum succis mitibus herbas;
Nec quicquam, nisi te. Miserere ardentis: et ipsum,
Qui petit, ore meo præsentem crede precari:
Ultoresque deos, et pectora dura perosam
Idalien, memoremque time Rhamnusidis iram.
Quoque magis timeas, (etenim mihi multa vetustas 695
Scire dedit,) referam tota notissima Cypro
Facta, quibus flecti facile et mitescere possis.
Viderat a veteris generosam sanguine Teucri
Iphis Anaxareten humili de stirpe creatus;
Viderat, et totis perceperat ossibus æstum. 700
Luctatusque diu, postquam ratione furorem
Vincere non potuit, supplex ad limina venit:
Et modo nutrici miserum confessus amorem,
Ne sibi dura foret, per spes oravit alumnæ; 704
Et modo de multis blanditus cuique ministris,
Sollicita petiit propensum voce favorem.
Sæpe ferenda dedit blandis sua verba tabellis:
Interdum madidas lacrymarum rore coronas
Postibus intendit, posuitque in limine duro
Molle latus, tristique seræ convicia fecit. 710
Surdior illa freto surgente cadentibus Hædis,
Durior et ferro, quod Noricus excoquit ignis,
Et saxo, quod adhuc viva radice tenetur,
Spernit, et irridet; factisque immitibus addit
Verba superba ferox, et spe quoque fraudat amantem. 715
Non tulit impatiens longi tormenta doloris
Iphis, et ante fores hæc verba novissima dixit:
Vincis, Anaxarete: neque erunt tibi tædia tandem
Ulla ferenda mei. Lætos molire triumphos,
Et Pæana voca, nitidaque incingere lauro, 720
Vincis enim, moriorque libens: age, ferrea, gaude.
Certe aliquid laudare mei cogeris, eritque [trum.
Quo tibi sim gratus, meritumque fatebere nos-
Non tamen ante tui curam cessisse memento,
Quam vitam, geminaque simul mihi luce carendum. 725
Nec tibi fama mei ventura est nuntia leti;
Ipse ego, ne dubites, adero, præsensque videbor,
Corpore ut exanimi crudelia lumina pascas.
Si tamen, o superi, mortalia fata videtis, 729
Este mei memores, (nihil ultra lingua precari
Sustinet,) et longo facite ut memoremur in ævo;
Et, quæ demsistis vitæ, date tempora famæ.
Dixit: et ad postes, ornatos sæpe coronis,
Humentes oculos, et pallida brachia tendens,
Cum foribus laquei religaret vincula summi;
Hæc tibi serta placent, crudelis et impia? dixit,
Inseruitque caput, sed tum quoque versus ad illam: 737
Atque onus infelix elisa fauce pependit. [tem
Icta pedum motu trepidantum ut multa gemen-
Visa dedisse sonum est, adapertaque janua factum
Prodidit; exclamant famuli, frustraque levatum
(Nam pater occiderat) referunt ad limina matris.
Accipit illa sinu, complexaque frigida nati [tum
Membra sui, postquam miserorum verba paren-
Edidit, et matrum miserarum facta peregit; 745
Funera ducebat mediam lacrymosa per urbem,
Luridaque arsuro portabat membra feretro.
Forte viæ vicina domus, qua flebilis ibat
Pompa, fuit, duræque sonus plangoris ad aures
Venit Anaxaretes, quam jam deus ultor agebat.
Mota tamen, Videamus, ait, miserabile funus;
Et patulis iniit tectum sublime fenestris.
Vixque bene impositum lecto prospexerat Iphin;
Deriguere oculi, calidusque e corpore sanguis
Inducto pallore fugit: conataque retro 755
Ferre pedes, hæsit: conata avertere vultus,
Hoc quoque non potuit: paulatimque occupat artus,
Quod fuit in duro jam pridem pectore, saxum.
Neve ea ficta putes, dominæ sub imagine signum
Servat adhuc Salamis: Veneris quoque nomine templum [lentos 760
Prospicientis habet. Quorum memor, o mea,
Pone, precor, fastus, et amanti jungere, Nymphe.
Sic tibi nec vernum nascentia frigus adurat
Poma, nec excutiant rapidi florentia venti.
Hæc ubi nequicquam formas deus aptus in omnes
Edidit, in juvenem rediit, et anilia demit 766
Instrumenta sibi: talisque apparuit illi,
Qualis ubi oppositas nitidissima solis imago
Evicit nubes, nullaque obstante reluxit.
Vimque parat: sed vi non est opus; inque figura
Capta dei Nymphe est, et mutua vulnera sentit.
Proximus Ausonias injusti miles Amuli 722
Rexit opes: Numitorque senex amissa nepotum
Munere regna capit: festisque Palilibus Urbis
Mœnia conduntur: Tatiusque patresque Sabini
Bella gerunt: arcisque via Tarpeia reclusa
Digna animam pœna congestis exuit armis.
Inde sati Curibus tacitorum more luporum
Ore premunt voces, et corpora victa sopore
Invadunt, portasque petunt, quas objice firma
Clauserat Iliades. Unam tamen ipsa recludit,
Nec strepitum verso Saturnia cardine fecit.
Sola Venus portæ cecidisse repagula sensit,
Et clausura fuit; nisi quod rescindere nunquam
Dis licet acta deûm. Jano loca juncta tenebant
Naides Ausoniæ gelido rorantia fonte: 786
Has rogat auxilium: nec Nymphæ justa petentem
Sustinuere deam, venasque et flumina fontis
Elicuere sui. Nondum tamen invia Jani
Ora patentis erant, neque iter præcluserat unda.
Lurida supponunt fecundo sulfura fonti, 791
Incenduntque cavas fumante bitumine venas.
Viribus his aliisque vapor penetravit ad ima
Fontis, et Alpino modo quæ certare rigori
Audebatis aquæ, non ceditis ignibus ipsis. 795
Flammifera gemini fumant adspergine postes:
Portaque, nequicquam rigidis permissa Sabinis,
Fonte fuit præstructa novo, dum Martius arma
Indueret miles. Quæ postquam Romulus ultro
Obtulit, et strata est tellus Romana Sabinis 800
Corporibus, strata estque suis; generique cruorem
Sanguine cum soceri permiscuit impius ensis;
Pace tamen sisti bellum, nec in ultima ferro
Decertare, placet, Tatiumque accedere regno.
Occiderat Tatius, populisque æquata duobus,
Romule, jura dabas; posita cum casside Mavors
Talibus affatur divûmque hominumque parentem: 807

Tempus adest, genitor, quoniam fundamine magno
Res Romana valet, nec præside pendet ab uno,
Præmia, quæ promissa mihi dignoque nepoti,
Solvere, et ablatum terris imponere cœlo.
Tu mihi concilio quondam præsente deorum,
(Nam memini, memorique animo pia verba notavi,) 813
Unus erit, quem tu tolles in cærula cœli,
Dixisti: rata sit verborum summa tuorum.
Annuit omnipotens, et nubibus aera cæcis
Occuluit, tonitruque et fulgure terruit Urbem.
Quæ sibi promissæ sensit data signa rapinæ:
Innixusque hastæ, pressos temone cruento 819
Impavidus conscendit equos Gradivus, et ictu
Verberis increpuit, pronumque per aera lapsus
Constitit in summo nemorosi colle Palati:
Reddentemque suo jam regia jura Quiriti
Abstulit Iliaden. Corpus mortale per auras
Dilapsum tenues; ceu lata plumbea funda 825
Missa solet medio glans intabescere cœlo.
Pulchra subit facies, et pulvinaribus altis
Dignior, et qualis trabeati forma Quirini.
Flebat ut amissum conjux: cum regia Juno
Irin ad Hersiliam descendere limite curvo 830
Imperat, et vacuæ sua sic mandata referre:
O et de Latia, o et de gente Sabina
Præcipuum matrona decus, dignissima tanti
Ante fuisse viri, conjux nunc esse Quirini;
Siste tuos fletus, et, si tibi cura videndi 835
Conjugis est, duce me lucum pete, colle Quirino
Qui viret, et templum Romani regis obumbrat.
Paret, et in terram pictos delapsa per arcus
Hersiliam jussis compellat vocibus Iris.
Illa verecundo vix tollens lumina vultu,[est,
O dea, namque mihi nec quæ sis dicere promtum
Et liquet esse deam, duc o, duc, inquit, et offer 842
Conjugis ora mihi: quæ si modo posse videre
Fata semel dederint, cœlum accepisse fatebor.
Nec mora, Romuleos cum virgine Thaumantea
Ingreditur colles. Ibi sidus ab æthere lapsum
Decidit in terras: a cujus lumine flagrans 847
Hersiliæ crinis cum sidere cessit in auras.
Hanc manibus notis Romanæ conditor urbis
Excipit, et priscum pariter cum corpore nomen
Mutat, Horamque vocat; quæ nunc dea juncta Quirino est.

LIBER DECIMUS QUINTUS.

Quæritur interea, qui tantæ pondera molis
Sustineat, tantoque queat succedere regi.
Destinat imperio clarum prænuntia veri
Fama Numam. Non ille satis cognosse Sabinæ
Gentis habet ritus: animo majora capaci 5
Concipit, et quæ sit rerum natura requirit.
Hujus amor curæ, patria Curibusque relictis,
Fecit, ut Herculei penetraret ad hospitis urbem.
Graia quis Italicis auctor posuisset in oris
Mœnia quærenti, sic e senioribus unus 10
Retulit indigenis, veteris non inscius ævi:
Dives ab Oceano bubus Jove natus Iberis
Littora felici tenuisse Lacinia cursu
Fertur, et, armento teneras errante per herbas,
Ipse domum magni nec inhospita tecta Crotonis
Intrasse, et requie longum relevasse laborem;
Atque ita discedens, Ævo, dixisse, nepotum 17
Hic locus urbis erit; promissaque vera fuerunt.
Nam fuit Argolico generatus Alemone quidam
Myscelos, illius dis acceptissimus ævi.
Hunc super incumbens pressum gravitate soporis
Claviger alloquitur: Patrias, age, desere sedes:
I, pete diversi lapidosas Æsaris undas. 23
Et, nisi paruerit, multa ac metuenda minatur.
Post ea discedunt pariter somnusque deusque.
Surgit Alemonides, tacitaque recentia mente
Visa refert, pugnatque diu sententia secum.
Numen abire jubet: prohibent discedere leges,
Pœnaque mors posita est patriam mutare volenti.
Candidus Oceano nitidum caput abdiderat sol,
Et caput extulerat densissima sidereum nox: 31
Visus adesse idem deus est, eademque monere;
Et, nisi paruerit, plura et graviora minari.
Pertimuit, patriumque simul transferre parabat
In sedes penetrale novas. Fit murmur in urbe,
Spretarumque agitur legum reus: utque peracta est [tum, 36
Causa prior, crimenque patet sine teste proba-
Squalidus ad superos tollens reus ora manusque,
O cui jus cœli bis sex fecere labores, [auctor.
Fer precor, inquit, opem: nam tu mihi criminis
Mos erat antiquus, niveis atrisque lapillis,
His damnare reos, illis absolvere culpæ. [omnis
Nunc quoque sic lata est sententia tristis; et
Calculus immitem demittitur ater in urnam.
Quæ simul effudit numerandos versa lapillos, 45
Omnibus e nigro color est mutatus in album:
Candidaque Herculeo sententia munere facta
Solvit Alemoniden. Grates agit ille parenti
Amphitryoniadæ: ventisque faventibus æquor
Navigat Ionium, Lacedæmoniumque Tarentum
Præterit, et Sybarin, Sallentinumque Neæthum,
Thurinosque sinus, Temesenque, et Iapygis arva.
Vixque pererratis, quæ spectant littora, terris,
Invenit Æsarei fatalia fluminis ora: [tonis 55
Nec procul hinc tumulum, sub quo sacrata Cro-
Ossa tegebat humus: jussaque ibi mœnia terra
Condidit, et nomen tumulati traxit in urbem.
Talia constabat certa primordia fama
Esse loci, positæque Italis in finibus urbis.
Vir fuit hic, ortu Samius: sed fugerat una 60
Et Samon et dominos, odioque tyrannidis exsul
Sponte erat. Isque, licet cœli regione remotos,
Mente deos adiit, et, quæ natura negabat
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit. 64
Cumque animo, et vigili perspexerat omnia cura,
In medium discenda dabat: cœtumque silentum,
Dictaque mirantum, magni primordia mundi,
Et rerum causas, et quid natura, docebat,
Quid deus: unde nives: quæ fulminis esset origo:
Jupiter an venti discussa nube tonarent: 70
Quid quateret terras: qua sidera lege mearent:
Et quodcunque latet. Primusque animalia mensis
Arcuit imponi: primus quoque talibus ora
Docta quidem solvit, sed non et credita, verbis:
Parcite, mortales, dapibus temerare nefandis 75
Corpora: sunt fruges, sunt deducentia ramos
Pondere poma suo, tumidæque in vitibus uvæ:
Sunt herbæ dulces: sunt quæ mitescere flamma
Mollirique queant: nec vobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi redolentia florem. 80
Prodiga divitias, alimentaque mitia tellus

Suggerit, atque epulas sine cæde et sanguine præbet.
Carne feræ sedant jejunia, nec tamen omnes:
Quippe equus, et pecudes, armentaque gramine vivunt.
At quibus ingenium est immansuetumque ferumque, 85
Armeniæque tigres, iracundique leones,
Cumque lupis ursi, dapibus cum sanguine gaudent.
Heu quantum scelus est, in viscera viscera condi,
Congestoque avidum pinguescere corpore corpus,
Alteriusque animantem animantis vivere leto! 90
Scilicet in tantis opibus, quas optima matrum
Terra parit, nil te nisi tristia mandere sævo
Vulnera dente juvat, ritusque referre Cyclopum?
Nec, nisi perdideris alium, placare voracis
Et male morati poteris jejunia ventris? 95
At vetus illa ætas, cui fecimus Aurea nomen,
Fetibus arboreis, et quas humus educat herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.
Tunc et aves tutas movere per aera pennas:
Et lepus impavidus mediis erravit in agris: 100
Nec sua credulitas piscem suspenderat hamo:
Cuncta sine insidiis, nullamque timentia fraudem,
Plenaque pacis erant. Postquam non utilis auctor
Victibus invidit, quisquis fuit ille virorum,
Corporeasque dapes avidam demersit in alvum;
Fecit iter sceleri: primaque e cæde ferarum 106
Incaluisse putem maculatum sanguine ferrum.
Idque satis fuerat: nostrumque petentia letum
Corpora missa neci salva pietate fatemur:
Sed quam danda neci, tam non epulanda fuerunt.
Longius inde nefas abiit, et prima putatur 111
Hostia sus meruisse mori, quia semina pando
Eruerit rostro, spemque interceperit anni.
Vite caper morsa Bacchi mactandus ad aras
Ducitur ultoris. Nocuit sua culpa duobus. 115
Quid meruistis, oves, placidum pecus, inque tuendos
Natum homines, pleno quæ fertis in ubere nectar;
Mollia quæ nobis vestras velamina lanas
Præbetis, vitaque magis quam morte juvatis?
Quid meruere boves, animal sine fraude dolisque,
Innocuum, simplex, natum tolerare labores? 121
Immemor est demum, nec frugum munere dignus,
Qui potuit curvi demto modo pondere aratri
Ruricolam mactare suum; qui trita labore
Illa, quibus toties durum renovaverat arvum, 125
Tot dederat messes, percussit colla securi.
Nec satis est, quod tale nefas committitur: ipsos
Inscripsere deos sceleri, numenque supernum
Cæde laboriferi credunt gaudere juvenci.
Victima labe carens, et præstantissima forma, 130
(Nam placuisse nocet) vittis præsignis et auro
Sistitur ante aras, auditque ignara precantem,
Imponique suæ videt inter cornua fronti
Quas coluit fruges; percussaque sanguine cultros
Inficit in liquida prævisos forsitan unda. 135
Protinus ereptas viventi pectore fibras
Inspiciunt, mentesque deûm scrutantur in illis.
Unde fames homini vetitorum tanta ciborum?
Audetis vesci, genus o mortale? quod oro 139
Ne facite, et monitis animos advertite nostris:
Cumque boum dabitis cæsorum membra palato,
Mandere vos vestros scite et sentite colonos.
Et quoniam deus ora movet, sequar ora moventem
Rite deum; Delphosque meos, ipsumque recludam
Æthera, et augustæ reserabo oracula mentis. 145
Magna, nec ingeniis evestigata priorum,
Quæque diu latuere, canam. Juvat ire per alta
Astra; juvat, terris et inerti sede relictis,
Nube vehi, validique humeris insistere Atlantis:
Palantesque animos passim, ac rationis egentes
Despectare procul: trepidosque, obitumque timentes 151
Sic exhortari, seriemque evolvere fati.
O genus attonitum gelidæ formidine mortis,
Quid Styga, quid tenebras, quid nomina vana timetis,
Materiem vatum, falsique piacula mundi? 155
Corpora sive rogus flamma, seu tabe vetustas
Abstulerit, mala posse pati non ulla putetis.
Morte carent animæ: semperque priore relicta
Sede novis domibus habitant, vivuntque receptæ.
Ipse ego (nam memini) Trojani tempore belli 160
Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quondam
Sedit in adverso gravis hasta minoris Atridæ.
Cognovi clypeum, lævæ gestamina nostra,
Nuper Abanteis templo Junonis in Argis.
Omnia mutantur: nihil interit. Errat, et illinc
Huc venit, hinc illuc, et quoslibet occupat artus
Spiritus, eque feris humana in corpora transit,
Inque feras noster, nec tempore deperit ullo.
Utque novis facilis signatur cera figuris,
Nec manet ut fuerat, nec formas servat easdem,
Sed tamen ipsa eadem est; animam sic semper eandem 171
Esse, sed in varias doceo migrare figuras.
Ergo, ne pietas sit victa cupidine ventris,
Parcite, vaticinor, cognatas cæde nefanda
Exturbare animas: nec sanguine sanguis alatur.
Et quoniam magno feror æquore, plenaque ventis
Vela dedi; nihil est toto quod perstet in orbe.
Cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago
Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,
Non secus ac flumen. Neque enim consistere flumen, 180
Nec levis hora potest: sed ut unda impellitur unda,
Urgeturque prior veniente, urgetque priorem;
Tempora sic fugiunt pariter, pariterque sequuntur:
Et nova sunt semper: nam quod fuit ante relictum est,
Fitque quod haud fuerat, momentaque cuncta novantur. 185
Cernis et emersas in lucem tendere noctes.
Et jubar hoc nitidum nigræ succedere nocti.
Nec color est idem cœlo, cum lassa quiete
Cuncta jacent media, cumque albo Lucifer exit
Clarus equo; rursumque alius, cum prævia luci
Tradendum Phœbo Pallantias inficit orbem. 191
Ipse dei clypeus, terra cum tollitur ima,
Mane rubet, terraque rubet cum conditur ima,
Candidus in summo est: melior natura quod illic
Ætheris est, terræque procul contagia vitat. 195
Nec par aut eadem nocturnæ forma Dianæ
Esse potest unquam: semperque hodierna sequente,
Si crescit, minor est; major, si contrahit orbem.
Quid? non in species succedere quatuor annum
Adspicis, ætatis peragentem imitamina nostræ?
Nam tener, et lactens, puerique simillimus ævo
Vere novo est. Tunc herba nitens, et roboris expers 202
Turget, et insolida est, et spe delectat agrestem.
Omnia tum florent, florumque coloribus almus

Ridet ager: neque adhuc virtus in frondibus ulla est. 205
Transit in Æstatem post Ver robustior Annus,
Fitque valens juvenis; neque enim robustior ætas
Ulla, nec uberior, nec quæ magis æstuet ulla est.
Excipit Autumnus posito fervore juventæ
Maturus, mitisque, inter juvenemque senemque
Temperie medius, sparsis per tempora canis. 211
Inde senilis Hiems tremulo venit horrida passu,
Aut spoliata suos, aut, quos habet, alba capillos.
Nostra quoque ipsorum semper requieque sine ulla, 214
Corpora vertuntur: nec quod fuimusve, sumusve,
Cras erimus. Fuit illa dies, qua semina tantum,
Spesque hominum primæ materna habitavimus alvo.
Artifices Natura manus admovit, et angi
Corpora visceribus distentæ condita matris
Noluit, eque domo vacuas emisit in auras. 220
Editus in lucem jacuit sine viribus infans:
Mox quadrupes, rituque tulit sua membra ferarum
Paullatimque tremens, et nondum poplite firmo
Constitit, adjutis aliquo conamine nervis. 224
Inde valens veloxque fuit: spatiumque juventæ
Transit, et, emensis medii quoque temporis annis,
Labitur occiduæ per iter declive senectæ
Subruit hæc ævi demoliturque prioris
Robora; fletque Milon senior, cum spectat inanes
Illos, qui fuerant solidorum mole tororum 230
Herculeis similes, fluidos pendere lacertos.
Flet quoque, ut in speculo rugas adspexit aniles,
Tyndaris, et secum, cur sit bis rapta, requirit
Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas,
Omnia destruitis, vitiataque dentibus ævi 235
Paullatim lenta consumitis omnia morte.
Hæc quoque non perstant, quæ nos elementa vocamus
Quasque vices peragant (animos adhibete) docebo.
Quatuor æternus genitalia corpora mundus
Continet: ex illis duo sunt onerosa, suoque 240
Pondere in inferius, tellus atque unda, feruntur.
Et totidem gravitate carent, nulloque premente
Alta petunt, aer, atque aere purior ignis.
Quæ quanquam spatio distant, tamen omnia fiunt
Ex ipsis, et in ipsa cadunt; resolutaque tellus 245
In liquidas rorescit aquas: tenuatus in auras
Aeraque humor abit: demto quoque pondere, rursus
In superos aer tenuissimus emicat ignes.
Inde retro redeunt, idemque retexitur ordo
Ignis enim densum spissatus in aera transit: 250
Hic in aquas: tellus glomerata cogitur unda.
Nec species sua cuique manet; rerumque novatrix
Ex aliis alias reparat Natura figuras.
Nec perit in tanto quicquam, mihi credite, mundo,
Sed variat, faciemque novat: nascique vocatur,
Incipere esse aliud, quam quod fuit ante; moriqueque, 256
Desinere illud idem, cum sint huc forsitan illa,
Hæc translata illuc; summa tamen omnia constant
Nil equidem durare diu sub imagine eadem
Crediderim. Sic ad ferrum venistis ab auro, 260
Sæcula: sic toties versa est fortuna locorum.
Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus,
Esse fretum; vidi factas ex æquore terras:
Et procul a pelago conchæ jacuere marinæ; 264
Et vetus inventa est in montibus ancora summis.
Quodque fuit campus, vallem decursus aquarum
Fecit; et eluvie mons est deductus in æquor·
Eque paludosa siccis humus aret arenis;
Quæque sitim tulerant, stagnata paludibus hument.
Hic fontes Natura novos emisit; at illic 270
Clausit: et antiqui tam multa tremoribus orbis
Flumina prosiliunt, aut excæcata residunt.
Sic ubi terreno Lycus est epotus hiatu,
Exsistit procul hinc, alioque renascitur ore.
Sic modo combibitur, tecto modo gurgite lapsus
Redditur Argolicis ingens Erasinus in arvis 276
Et Mysum capitisque sui, ripæque prioris
Pœnituisse ferunt, alia nunc ire, Caicum.
Nec non Sicanias volvens Amenanus arenas
Nunc fluit, interdum suppressis fontibus aret. 280
Ante bibebatur, nunc quas contingere nolis
Fundit Anigros aquas; postquam, nisi vatibus omnis
Eripienda fides, illic lavere bimembres
Vulnera, clavigeriquæ fecerat Herculis arcus.
Quid? non et Scythicis Hypanis de montibus ortus, 285
Qui fuerat dulcis, salibus vitiatur amaris?
Fluctibus ambitæ fuerant Antissa, Pharosque,
Et Phœnissa Tyros: quarum nunc insula nulla est.
Leucada continuam veteres habuere coloni:
Nunc freta circueunt. Zancle quoque juncta fuisse 290
Dicitur Italiæ; donec confinia pontus
Abstulit, et media tellurem repulit unda.
Si quæras Helicen et Burin Achaidas urbes,
Invenies sub aquis; et adhuc ostendere nautæ
Inclinata solent cum mœnibus oppida mersis. 295
Est prope Pittheam tumulus Trœzena, sine ullis
Arduus arboribus, quondam planissima campi
Area, nunc tumulus: nam, res horrenda relatu,
Vis fera ventorum, cæcis inclusa cavernis,
Exspirare aliqua cupiens, luctataque frustra 300
Liberiore frui cœlo, cum carcere rima
Nulla foret toto, nec pervia flatibus esset,
Extentam tumefecit humum; ceu spiritus oris
Tendere vesicam solet, aut derepta bicorni
Terga capro. Tumor ille loci permansit, et alti
Collis habet speciem, longoque induruit ævo. 306
Plurima cum subeant, audita aut cognita vobis,
Pauca super referam. Quid? non et lympha figuras
Datque capitque novas? medio tua, corniger Ammon,
Unda die gelida est; ortuque obituque calescit.
Admotis Athamantis aquis accendere lignum 311
Narratur, minimos cum luna recessit in orbes.
Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera, quod tactis inducit marmora rebus.
Crathis, et huic Sybaris nostris conterminus arvis,
Electro similes faciunt auroque capillos. 316
Quodque magis mirum, sunt qui non corpora tantum,
Verum animos etiam valeant mutare, liquores.
Cui non audita est obscænæ Salmacis undæ?
Æthiopesque lacus? quos si quis faucibus hausit,
Aut furit, aut mirum patitur gravitate soporem.
Clitorio quicunque sitim de fonte levarit, 322
Vina fugit, gaudetque meris abstemius undis:
Seu vis est in aqua calido contraria vino,
Sive, quod indigenæ memorant, Amythaone natus,
Prœtidas attonitas postquam per carmen et herbas
Eripuit furiis, purgamina mentis in illas 327
Misit aquas, odiumque meri permansit in undis.

Huic fluit effectu dispar Lyncestius amnis,
Quem quicunque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quam si mera vina bibisset
Est locus Arcadiæ, Pheneon dixere priores,
Ambiguis suspectus aquis; quas nocte timeto:
Nocte nocent potæ: sine noxa luce bibuntur.
Sic alias, aliasque lacus et flumina vires 335
Concipiunt. Tempusque fuit quo navit in undis,
Nunc sedet Ortygie. Timuit concursibus Argo
Undarum sparsas Symplegadas elisarum;
Quæ nunc immotæ perstant, ventisque resistunt.
Nec, quæ sulfureis ardet fornacibus, Ætne 340
Ignea semper erit: neque enim fuit ignea semper.
Nam sive est animal tellus, et vivit, habetque
Spiramenta, locis flammam exhalantia multis,
Spirandi mutare vias, quotiesque movetur,
Has finire potest, illas aperire cavernas: 345
Sive leves imis venti cohibentur in antris,
Saxaque cum saxis, et habentem semina flammæ
Materiem jactant, ea concipit ictibus ignem;
Antra relinquentur sedatis frigida ventis:
Sive bitumineæ rapiunt incendia vires, 350
Luteave exiguis ardescunt sulfura fumis;
Nempe ubi terra cibos alimentaque pinguia flammæ
Non dabit, absumtis per longum viribus ævum,
Naturæque suum nutrimen deerit edaci,
Non feret illa famem, desertaque deseret ignes.
Esse viros fama est in Hyperborea Pallene, 356
Qui soleant levibus velari corpora plumis,
Cum Tritoniacam novies subiere paludem.
Haud equidem credo, sparsæ quoque membra veneno
Exercere artes Scythides memorantur easdem. 360
Si qua fides rebus tamen est addenda probatis;
Nonne vides, quæcunque mora fluidove calore
Corpora tabuerint, in parva animalia verti?
I quoque, delectos mactatos obrue tauros;
Cognita res usu, de putri viscere passim 365
Florilegæ nascuntur apes, quæ more parentum
Rura colunt, operique favent, in spemque laborant.
Pressus humo bellator equus crabronis origo est.
Concava littoreo si demas brachia cancro,
Cætera supponas terræ; de parte sepulta 370
Scorpius exibit, caudaque minabitur unca
Quæque solent canis frondes intexere filis
Agrestes tineæ, res observata colonis,
Ferali mutant cum papilione figuram.
Semina limus habet virides generantia ranas. 375
Et generat truncas pedibus, mox apta natando
Crura dat; utque eadem sint longis saltibus apta,
Posterior partes superat mensura priores.
Nec catulus, partu quem reddidit ursa recenti,
Sed male viva caro est: lambendo mater in artus
Fingit, et in formam, quantam capit ipsa, reducit.
Nonne vides, quos cera tegit sexangula, fœtus
Melliferarum apium sine membris corpora nasci,
Et serosque pedes, serasque assumere pennas?
Junonis volucrem, quæ cauda sidera portat, 385
Armigerumque Jovis, Cythereiadasque columbas,
Et genus omne avium, mediis e partibus ovi
Ni sciret fieri, fieri quis posse putaret?
Suntqui, cum clauso putrefacta est spina sepulchro,
Mutari credant humanas angue medullas. 390
Hæc tamen ex aliis ducunt primordia rebus.
Una est, quæ reparet, seque ipsa reseminet, ales;
Assyrii Phœnica vocant. Non fruge, neque herbis,
Sed thuris lacrymis, et succo vivit amomi.
Hæc ubi quinque suæ complevit sæcula vitæ, 395
Ilicis in ramis, tremulæve cacumine palmæ,
Unguibus et pando nidum sibi construit ore.
Quo simul ac casias, et nardi lenis aristas,
Quassaque cum fulva substravit cinnama myrrha,
Se superimponit, finitque in odoribus ævum. 400
Inde ferunt, totidem qui vivere debeat annos,
Corpore de patrio parvum Phœnica renasci.
Cum dedit huic ætas vires, onerique ferendo est,
Ponderibus nidi ramos levat arboris altæ,
Ferque pius cunasque suas patriumque sepulchrum 405
Perque leves auras Hyperionis urbe potitus,
Ante fores sacras Hyperionis æde reponit.
Si tamen est aliquid miræ novitatis in istis;
Alternare vices, et quæ modo fœmina tergo
Passa marem est, nunc esse marem miremur hyænam. 410
Id quoque, quod ventis animal nutritur et aura,
Protinus assimulat tactu quoscunque colores.
Victa racemifero lyncas dedit India Baccho;
E quibus, ut memorant, quicquid vesica remisit,
Vertitur in lapides, et congelat aere tacto. 415
Sic et curalium, quo primum contigit auras
Tempore, durescit: mollis fuit herba sub undis.
Deseret ante dies, et in alto Phœbus anhelos
Æquore tinget equos, quam consequar omnia dictis
In species translata novas. Sic tempore verti 420
Cernimus, atque illas assumere robora gentes,
Concidere has. Sic magna fuit censuque virisque,
Perque decem potuit tantum dare sanguinis annos,
Nunc humilis veteres tantummodo Troja ruinas,
Et pro divitiis tumulos ostendit avorum. 425
Clara fuit Sparte: magnæ viguere Mycenæ.
Nec non Cecropiæ, nec non Amphionis arces
Vile solum Sparte est: altæ cecidere Mycenæ
Œdipodioniæ quid sunt, nisi fabula, Thebæ?
Quid Pandioniæ restant, nisi nomen, Athenæ?
Nunc quoque Dardaniam fama est consurgere Romam: 431
Appenninigenæ quæ proxima Tibridis undis
Mole sub ingenti rerum fundamina ponit.
Hæc igitur formam crescendo mutat, et olim
Immensi caput orbis erit. Sic dicere vates 435
Faticinasque ferunt sortes: quantumque recordor,
Priamides Helenus flenti, dubioque salutis,
Dixerat Æneæ, cum res Trojana labaret:
Nate dea, si nota satis præsagia nostræ
Mentis habes; non tota cadet te sospite Troja.
Flamma tibi ferrumque dabunt iter. Ibis, et una
Pergama rapta feres, donec Trojæque tibique
Externum patrio contingat amicius arvum. 443
Urbem et jam cerno Phrygios debere nepotes,
Quanta nec est, nec erit, nec visa prioribus annis.
Hanc alii proceres per sæcula longa potentem,
Sed dominam rerum de sanguine natus Iuli
Efficiet; quo, cum tellus erit usa, fruentur
Ætheriæ sedes, cœlumque erit exitus illi.
Hæc Helenum cecinisse Penatigero Æneæ 450
Mente memor refero, cognataque mœnia lætor
Crescere, et utiliter Phrygibus vicisse Pelasgos
Ne tamen oblitis ad metam tendere longe
Exspatiemur equis; cœlum, et quodcunque sub illo est,
Immutat formas, tellusque, et quicquid in illa est.
Nos quoque pars mundi, quoniam non corpora solum, 456
Verum etiam volucres animæ sumus, inque ferinas
Possumus ire domos, pecudumque in pectora condi,
Corpora, quæ possint animas habuisse parentum,
Aut fratrum, aut aliquo junctorum fœdere nobis,

Aut hominum certe, tuta esse et honesta sinamus:
Neve Thyesteis cumulemur viscera mensis
Quam male consuescit, quam se parat ille cruori
Impius humano, vituli qui guttura cultro
Rumpit, et immotas præbet mugitibus aures! 465
Aut qui vagitus similes puerilibus hædum
Edentem jugulare potest; aut alite vesci,
Cui dedit ipse cibos! quantum est, quod desit in istis 468
Ad plenum facinus? quo transitus inde paratur?
Bos aret, aut mortem senioribus imputet annis:
Horriferum contra Borean ovis arma ministret:
Ubera dent saturæ manibus pressanda capellæ:
Retia cum pedicis, laqueosque, artesque dolosas
Tollite; nec volucrem viscata fallite virga:
Nec formidatis cervos includite pinnis: 475
Nec celate cibis uncos fallacibus hamos.
Perdite, si qua nocent; verum hæc quoque perdite tantum.
Ora vacent epulis, alimentaque congrua carpant.
Talibus atque aliis instructo pectore dictis
In patriam remeasse ferunt, ultroque petitum 480
Accepisse Numam populi Latialis habenas.
Conjuge qui felix Nympha, ducibusque Camœnis,
Sacrificos docuit ritus, gentemque feroci
Assuetam bello pacis traduxit ad artes.
Quem, postquam senior regnumque ævumque peregit, 485
Exstinctum Latiæque nurus, populusque, patresque,
Deflevere Numam. Nam conjux urbe relicta
Vallis Aricinæ densis latet abdita sylvis,
Sacraque Oresteæ gemitu questuque Dianæ
Impedit. Ah quoties Nymphæ nemorisque lacusque, 490
Ne faceret, monuere, et consolantia verba
Dixere! ah quoties flenti Theseius heros,
Siste modum, dixit; neque enim fortuna querenda
Sola tua est: similes aliorum respice casus; 494
Mitius ista feres. Utinamque exempla dolentem
Non mea te possent relevare! sed et mea possunt.
Fando aliquem Hippolytum vestras, puto, contigit aures
Credulitate patris, sceleratæ fraude novercæ,
Occubuisse neci. Mirabere, vixque probabo;
Sed tamen ille ego sum. Me Pasiphaeia quondam 500
Tentatum frustra, patrium temerasse cubile,
[Quod voluit, finxit voluisse: et crimine verso,]
Indiciine metu magis, offensane repulsæ,
Arguit; immeritumque pater projecit ab urbe,
Hostilique caput prece detestatur euntis. 505
Pittheam profugo curru Trœzena petebam;
Jamque Corinthiaci carpebam littora ponti,
Cum mare surrexit, cumulusque immanis aquarum
In montis speciem curvari et crescere visus,
Et dare mugitus, summoque cacumine findi. 510
Corniger hinc taurus ruptis expellitur undis,
Pectoribusque tenus molles erectus in auras,
Naribus et patulo partem maris evomit ore.
Corda pavent comitum; mihi mens interrita mansit.
Exsiliis contenta suis: cum colla feroces 515
Ad freta convertunt, arrectisque auribus horrent
Quadrupedes, monstrique metu turbantur, et altis
Præcipitant currum scopulis. Ego ducere vana
Frena manu, spumis albentibus oblita, luctor,
Et retro lentas tendo resupinus habenas. 520
Nec vires tamen has rabies superasset equorum,
Ni rota, perpetuum qua circumvertitur axem,
Stipitis occursu fracta ac disjecta fuisset.
Excutior curru; lorisque tenentibus artus
Viscera viva trahi, nervos in stirpe teneri, 525
Membra rapi partim, partim reprensa relinqui,
Ossa gravem dare fracta sonum, fessamque videres
Exhalari animam, nullasque in corpore partes,
Noscere quas posses; unumque erat omnia vulnus.
Num potes, aut audes cladi componere nostræ, 530
Nympha, tuam? vidi quoque luce carentia regna,
Et lacerum fovi Phlegethontide corpus in unda.
Nec, nisi Apollineæ valido medicamine prolis,
Reddita vita foret. Quam postquam fortibus herbis
Atque ope Pæonia, Dite indignante, recepi; 535
Tum mihi, ne præsens augerem muneris hujus
Invidiam, densas objecit Cynthia nubes:
Utque forem tutus, possemque impune videri,
Addidit ætatem, nec cognoscenda reliquit
Ora mihi; Cretenque diu dubitavit habendam 540
Traderet, an Delon: Delo Cretaque relictis
Hic posuit, nomenque simul, quod possit equorum
Admonuisse, jubet deponere: Quique fuisti
Hippolytus, dixit, nunc idem Virbius esto
Hoc nemus inde colo, de disque minoribus unus
Numine sub dominæ lateo, atque accenseor illi.
Non tamen Egeriæ luctus aliena levare 547
Damna valent; montisque jacens radicibus imis
Liquitur in lacrymas: donec pietate dolentis
Mota, soror Phœbi gelidum de corpore fontem
Fecit, et æternas artus tenuavit in undas. 551
At Nymphas tetigit nova res: et Amazone natus
Haud aliter stupuit, quam cum Tyrrhenus arator
Fatalem glebam mediis adspexit in arvis
Sponte sua primum, nulloque agitante moveri;
Sumere mox hominis, terræque amittere formam,
Oraque venturis aperire recentia fatis.
Indigenæ dixere Tagen: qui primus Etruscam
Edocuit gentem casus aperire futuros.
Utque Palatinis hærentem collibus olim 560
Cum subito vidit frondescere Romulus hastam,
Quæ radice nova, non ferro stabat adacto;
Et jam non telum, sed lenti viminis arbor
Non exspectatas dabat admirantibus umbras
Aut sua fluminea cum vidit Cipus in unda 565
Cornua; viditenim, falsamque in imagine credens
Esse fidem, digitis ad frontem sæpe relatis,
Quæ vidit, tetigit, nec jam sua lumina damnans
Restitit, ut victor domito remeabat ab hoste:
Ad cœlumque oculos, et eodem brachia tollens,
Quicquid, ait, superi, monstro portenditur isto,
Seu lætum est, patriæ lætum, populoque Quirini;
Sive minax, mihi sit: viridique e cespide factas
Placat odoratis herbosas ignibus aras, 574
Vinaque dat pateris, mactatarumque bidentum,
Quid sibi significent, trepidantia consulit exta.
Quæ simul inspexit Tyrrhenæ gentis haruspex,
Magna quidem rerum molimina vidit in illis,
Non manifesta tamen. Cum vero sustulit acre
A pecudis fibris ad Cipi cornua lumen; 580
Rex, ait, o, salve: tibi enim, tibi, Cipe, tuisque
Hic locus, et Latiæ parebunt cornibus arces.
Tu modo rumpe moram, portasque intrare patentes
Appropera: sic fata jubent. Namque Urbe receptus
Rex eris, et sceptro tutus potiere perenni. 585
Retulit ille pedem, torvamque a mœnibus Urbis
Avertens faciem, Procul ah, procul omina, dixit,
Talia di pellant, multoque ego justius ævum

Exsul agam, quam me videant Capitolia regem.
Dixit; et extemplo populumque gravemque senatum 590
Convocat: ante tamen pacali cornua lauro
Velat, et aggeribus factis a milite forti
Insistit; priscoque deos e more precatus,
Est, ait, hic unus, quem vos ni pellitis urbe,
Rex erit. Is qui sit, signo, non nomine, dicam.
Cornua fronte gerit, quem vobis indicat augur,
Si Romam intrarit, famularia jura daturum. 597
Ille quidem potuit portas irrumpere apertas;
Sed nos obstitimus: quamvis conjunctior illo
Nemo mihi est. Vos urbe virum prohibete, Quirites: 600
Vel, si dignus erit, gravibus vincite catenis:
Aut finite metum fatalis morte tyranni.
Qualia succinctis, ubi trux insibilat Eurus,
Murmura pinetis fiunt; aut qualia fluctus
Æquorei faciunt, si quis procul audiat illos; 605
Tale sonat populus. Sed per confusa frementis
Verba tamen vulgi vox eminet una, Quis ille?
Et spectant frontes, prædictaque cornua quærunt.
Rursus ad hos Cipus, Quem poscitis, inquit, habetis;
Et demta capiti, populo prohibente, corona 610
Exhibuit gemino præsignia tempora cornu.
Demisere oculos omnes, gemitumque dedere:
Atque illud meritis clarum (quis credere possit?)
Inviti videre caput; nec honore carere
Ulterius passi, festam imposuere coronam. 615
At proceres, quoniam muros intrare vereris,
Ruris honorati tantum tibi, Cipe, dedere;
Quantum depresso subjectis bubus aratro
Complecti posses ad finem solis ab ortu.
Cornuaque æratis miram referentia formam 620
Postibus insculpunt, longum mansura per ævum.
Pandite nunc, Musæ, præsentia numina vatum,
(Scitis enim, nec vos fallit spatiosa vetustas,)
Unde Coroniden circumflua Tibridis alveo
Insula Romuleæ sacris adsciverit urbis. 625
Dira lues quondam Latias vitiaverat auras,
Pallidaque exsangui squalebant corpora tabo:
Funeribus fessi postquam mortalia cernunt
Tentamenta nihil, nihil artes posse medentum;
Auxilium cœleste petunt, mediamque tenentes
Orbis humum Delphos adeunt oracula Phœbi;
Utque salutifera miseris succurrere rebus
Sorte velit, tantæque urbis mala finiat orant.
Et locus, et laurus, et quas habet illa pharetræ,
Intremuere simul; cortinaque reddidit imo 635
Hanc adyto vocem, pavefactaque pectora movit:
Quod petis hinc, propiore loco, Romane, petisses;
Et pete nunc propiore loco: nec Apolline vobis,
Qui minuat luctus, opus est, sed Apolline nato.
Ite bonis avibus, prolemque arcessite nostram. 640
Jussa dei prudens postquam accepere senatus,
Quam colat, explorant, juvenis Phœbeius urbem,
Quique petant ventis Epidauria littora mittunt.
Quæ simul incurva missi tetigere carina,
Concilium Graiosque patres adiere, darentque
Oravere deum, qui præsens funera gentis 646
Finiat Ausoniæ; certas ita dicere sortes.
Dissidet, et variat sententia: parsque negandum
Non putat auxilium; multi renuere, suamque
Non emittere opem, nec numina tradere suadent.
Dum dubitant, seram pepulere crepuscula lucem,
Umbraque telluris tenebras induxerat orbi:
Cum deus in somnis opifer consistere visus
Ante tuum, Romane, torum; sed qualis in æde
Esse solet, baculumque tenens agreste sinistra,
Cæsariem longæ dextra deducere barbæ, 656
Et placido tales emittere pectore voces:
Pone metus: veniam, simulacraque nostra relinquam.
Hunc modo serpentem, baculum qui nexibus ambit,
Perspice, et usque nota visu, ut cognoscere possis.
Vertar in hunc: sed major ero, tantusque videbor,
In quantum verti cœlestia corpora debent.
Extemplo cum voce deus, cum voce deoque
Somnus abit; somnique fugam lux alma secuta est.
Postera sidereos Aurora fugaverat ignes: 665
Incerti quid agant proceres, ad templa petiti
Conveniunt operosa dei, quaque ipse morari
Sede velit, signis cœlestibus indicet orant.
Vix bene desierant; cum cristis aureus altis
In serpente deus prænuntia sibila misit: 670
Adventuque suo signumque, arasque, foresque,
Marmoreumque solum, fastigiaque aurea movit:
Pectoribusque tenus media sublimis in æde
Constitit, atque oculos circumtulit igne micantes.
Territa turba pavet: cognovit numina castos 675
Evinctus vitta crines albente sacerdos;
Et, deus en, deus en, linguisque animisque favete,
Quisquis ades, dixit. Sis, o pulcherrime, visus
Utiliter, populosque juves tua sacra colentes.
Quisquis adest, jussum venerantur numen; et omnes 680
Verba sacerdotis referunt geminata, piumque
Æneadæ præstant et mente et voce favorem.
Annuit his: motisque deus rata pignora cristis,
Ter repetita dedit vibrata sibila lingua.
Tum gradibus nitidis delabitur, oraque retro 685
Flectit, et antiquas abiturus respicit aras,
Adsuetasque domos, habitataque templa salutat.
Inde per injectis adopertam floribus ingens
Serpit humum, flectitque sinus, mediamque per urbem
Tendit ad incurvo munitos aggere portus. 690
Restitit hic, agmenque suum, turbæque sequentis
Officium placido visus dimittere vultu,
Corpus in Ausonia posuit rate. Numinis illa
Sensit onus: pressaque dei gravitate carina
Æneadæ gaudent, cæsoque in littore tauro 695
Torta coronatæ solvunt retinacula puppis.
Impulerat levis aura ratem. Deus eminet alte,
Impositaque premens puppim cervice recurvam
Cæruleas despectat aquas; modicisque per æquor
Ionium Zephyris sexto Pallantidos ortu 700
Italiam tenuit, præterque Lacinia, templo
Nobilitata deæ, Scylaceaque littora fertur.
Linquit Iapygiam, lævaque Amphissia remis
Saxa fugit: dextra prærupta Ceraunia parte,
Romechiumque legit, Caulonaque, Naryciamque
Evincitque fretum, Siculique angusta Pelori, 706
Hippotadæque domos regis, Temesesque metalla,
Leucosiamque petit, tepidique rosaria Pæsti.
Inde legit Capreas, promontoriumque Minervæ,
Et Surrentino generosos palmite colles, 710
Herculeamque urbem, Stabiasque, et in otia natam
Parthenopen, et ab hac Cumææ templa Sibyllæ.
Hinc calidi fontes, lentisciferumque tenentur
Liternum, multamque trahens sub gurgite arenam
Vulturnus, niveisque frequens Sinuessa columbis,
Minturnæque graves, et quam tumulavit alumnus
Antiphataeque domus, Trachasque obsessa palude
Et tellus Circæa, et spissi littoris Antium. 718
Hic ubi veliferam nautæ advertere carinam

(Asper enim jam pontus erat,) deus explicat orbes,
Perque sinus crebros et magna volumina labens,
Templa parentis init flavum tangentia littus.
Æquore pacato patrias Epidaurius aras
Linquit, et hospitio juncti sibi nominis usus,
Littoream tractu squamæ crepitantis arenam 725
Sulcat, et innixus moderamine navis, in alta
Puppe caput posuit, donec Castrumque, sacrasque
Lavini sedes, Tiberinaque ad ostia venit.
Huc omnes populi passim, matrumque patrumque
Obvia turba ruit, quæque ignes, Troica, servant,
Vesta, tuos, lætoque deum clamore salutant. 731
Quaque per adversas navis cita ducitur undas,
Thura super ripas, aris ex ordine factis,
Parte ab utraque sonant, et odorant aera fumis:
Ictaque conjectos incalfacit hostia cultros. 735
Jamque caput rerum Romanam intraverat urbem;
Erigitur serpens, summoque acclinia malo
Colla movet, sedesque sibi circumspicit aptas.
Scinditur in geminas partes circumfluus amnis,
(Insula nomen habet,) laterumque a parte duorum
Porrigit æquales media tellure lacertos. 741
Huc se de Latia pinu Phœbeius anguis
Contulit; et finem, specie cœleste resumta,
Luctibus imposuit, venitque salutifer Urbi
Hic tamen accessit delubris advena nostris, 745
Cæsar in urbe sua deus est. Quem Marte togaque
Præcipuum, non bella magis finita triumphis,
Resque domi gestæ, properataque gloria rerum
In sidus vertere novum, stellamque comantem,
Quam sua progenies. Neque enim de Cæsaris actis 750
Ullum majus opus, quam quod pater exstitit hujus.
Scilicet æquoreos plus est domuisse Britannos,
Perque papyriferi septemflua flumina Nili
Victrices egisse rates: Numidasque rebelles,
Cinyphiumque Jubam, Mithridateisque tumentem
Nominibus Pontum populo adjecisse Quirini,
Et multos meruisse, aliquos egisse triumphos,
Quam tantum genuisse virum: quo præside rerum
Humano generi, superi, cavistis abunde
Ne foret hic igitur mortali semine cretus, 760
Ille deus faciendus erat. Quod ut aurea vidit
Æneæ genitrix, vidit quoque triste parari
Pontifici letum, et conjurata arma moveri
Palluit, et cunctis, ut cuique erat obvia, divis
Adspice, dicebat, quanta mihi mole parentur 765
Insidiæ, quantaque caput cum fraude petatur
Quod de Dardanio solum mihi restat Iulo
Solane semper ero justis exercita curis?
Quam modo Tydidæ Calydonia vulneret hasta,
Nunc male defensæ confundant mœnia Trojæ 770
Quæ videam natum longis erroribus actum
Jactarique freto, sedesque intrare silentum,
Bellaque cum Turno gerere, aut, si vera fatemur,
Cum Junone magis. Quid nunc antiqua recordor
Damna mei generis? timor hic meminisse priorum
Non sinit: in me acui sceleratos cernitis enses.
Quos prohibete, precor, facinusque repellite; neve
Cæde sacerdotis flammas exstinguite Vestæ
Talia nequicquam toto Venus anxia cœlo
Verba jacit, superosque movet: qui rumpere quanquam 780
Ferrea non possunt veterum decreta sororum,
Signa tamen luctus dant haud incerta futuri
Arma ferunt nigras inter crepitantia nubes,
Terribilesque tubas, auditaque cornua cœlo
Præmonuisse nefas. Phœbi quoque tristis imago
Lurida sollicitis præbebat lumina terris. 786
Sæpe faces visæ mediis ardere sub astris:
Sæpe inter nimbos guttæ cecidere cruentæ.
Cærulus, et vultum ferrugine Lucifer atra
Sparsus erat, sparsi lunares sanguine currus. 790
Tristia mille locis Stygius dedit omina bubo:
Mille locis lacrymavit ebur: cantusque feruntur
Auditi, sanctis et verba minacia lucis.
Victima nulla litat. magnosque instare tumultus
Fibra monet: cæsumque caput reperitur in extis.
Inque foro, circumque domos, et templa deorum
Nocturnos ululasse canes, umbrasque silentum
Erravisse ferunt, motamque tremoribus urbem.
Non tamen insidias, venturaque vincere fata 799
Præmonitus potuere deûm; strictique feruntur
In templum gladii: neque enim locus ullus in Urbe
Ad facinus diramque placet, nisi curia, cædem.
Tum vero Cytherea manu percussit utraque
Pectus; et ætheria molitur condere nube,
Qua prius infesto Paris est ereptus Atridæ, 805
Et Diomedeos Æneas fugerat enses.
Talibus hanc genitor: Sola insuperabile fatum,
Nata, movere paras? intres licet ipsa sororum
Tecta trium cernes illic molimine vasto
Ex ære et solido rerum tabularia ferro: 810
Quæ neque concursum cœli, neque fulminis iram
Nec metuunt ullas tuta atque æterna ruinas.
Invenies illic inclusa adamante perenni
Fata tui generis: legi ipse, animoque notavi,
Et referam, ne sis etiamnum ignara futuri. 815
Hic sua complevit, pro quo, Cytherea, laboras,
Tempora, perfectis, quos terræ debuit, annis.
Ut deus accedat cœlo, templisque colatur,
Tu facies, natusque suus: qui nominis hæres
Impositum feret Urbis onus, cæsique parentis 820
Nos in bella suos fortissimus ultor habebit.
Illius auspiciis obsessæ mœnia pacem
Victa petent Mutinæ. Pharsalia sentiet illum,
Emathiaque iterum madefacti cæde Philippi.
Et magnum Siculis nomen superabitur undis: 825
Romanique ducis conjux Ægyptia tædæ
Non bene fisa cadet; frustraque erit illa minata
Servitura suo Capitolia nostra Canopo.
Quid tibi Barbariem, gentes ab utroque jacentes
Oceano, numerem? quodcunque habitabile tellus
Sustinet, hujus erit: pontus quoque serviet illi
Pace data terris, animum ad civilia vertet
Jura suum, legesque feret justissimus auctor.
Exemploque suo mores reget, inque futuri
Temporis ætatem venturorumque nepotum 835
Prospiciens, prolem sancta de conjuge natam
Ferre simul nomenque suum curasque jubebit
Nec, nisi cum senior similes æquaverit annos,
Ætherias sedes, cognataque sidera tanget.
Hanc animam interea cæso de corpore raptam
Fac jubar, ut semper Capitolia nostra forumque
Divus ab excelsa prospectet Julius æde.
Vix ea fatus erat; media cum sede senatus
Constitit alma Venus nulli cernenda, suique
Cæsaris eripuit membris, nec in aera solvi 845
Passa recentem animam, cœlestibus intulit astris.
Dumque tulit, lumen capere, atque ignescere sensit,
Emisitque sinu. Luna volat altius illa,
Flammiferumque trahens spatioso limite crinem
Stella micat: natique videns benefacta, fatetur 850
Esse suis majora, et vinci gaudet ab illo.
Hic sua præferri quanquam vetat acta paternis,

Libera fama tamen, nullisque obnoxia jussis,
Invitum præfert, unaque in parte repugnat.
Sic magni cedit titulis Agamemnonis Atreus: 855
Ægea sic Theseus, sic Pelea vincit Achilles.
Denique, ut exemplis ipsos æquantibus utar,
Sic et Saturnus minor est Jove. Jupiter arces
Temperat ætherias, et mundi regna triformis;
Terra sub Augusto: pater est et rector uterque.
Di, precor, Æneæ comites, quibus ensis et ignis
Cesserunt, dique indigetes, genitorque Quirine
Urbis, et invicti genitor Gradive Quirini,
Vestaque Cæsareos inter sacrata Penates,
Et cum Cæsarea tu, Phœbe domestice, Vesta,
Quique tenes altus Tarpeias Jupiter arces, 866
Quosque alios vati fas appellare piumque,
Tarda sit illa dies, et nostro serior ævo,
Qua caput Augustum, quem temperat, orbe relicto
Accedat cœlo, faveatque precantibus absens. 870

Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.
Cum volet illa dies, quæ nil nisi corporis hujus
Jus habet, incerti spatium mihi finiat ævi;
Parte tamen meliore mei super alta perennis 875
Astra ferar, nomenque erit indelebile nostrum:
Quaque patet domitis Romana potentia terris
Ore legar populi, perque omnia sæcula fama.
Si quid habent veri vatum præsagia, vivam

P. OVIDII NASONIS FASTORUM

LIBRI SEX PRIORES;

KALENDARIUM.

JANUARIUS.

A Kal. Januarii. Jani festum, Junonis, Jovis, et Æsculapii.
b IV. No.
c III. No. Cancer occidit cosmice.
d II. No.
e Nonis. Lyra oritur.
f VIII. Id.
g VII. Id.

A VI. Id. Festa Jani. Agonalia. Delphin oritur.
b V. Id. Medietas hiemis.
c IV. Id.
d III. Id. Festa Carmentis et Juturnæ.
e II. Id.
f Idubus. Festum Jovis. Redditæ sunt provinciæ populo Romano.
g XIX. Kal. Feb. Cæsar Augustus vocatur.

A XVIII. Kal. Sacrificium Carmentis. Festum Porrimæ et Postvertæ.
b XVII. Kal. Festum Concordiæ.
c XVI. Kal.
d XV. Kal. Sol in Aquario.
e XIV. Kal.
f XIII. Kal.
g XII. Kal.

A XI. Kal.
b X. Kal.
c IX. Kal. Lyra occidit.
d VIII. Kal Pectus Leonis occulitur.
e VII. Kal.
f VI. Kal. Festum Castoris [et Pollucis.]
g V. Kal.

A IV. Kal.
b III. Kal. Festum Pacis.
c II. Kal.

FEBRUARIUS.

d Kal. Feb. Templum factum est Carmenti. Celebratur Asylum.
e IV. No. Lyra penitus occidit.
f III. No. Occidit Delphin.
g II. No.

A Nonis. Augustus dictus est pater patriæ. Aquarius vadit ad occasum.
b VIII. Id.
c VII. Id. [Primus dies Feralium.]
d VI. Id.
e V. Id. Ver incipit.
f IV. Id. Initium Veris.
g III. Id. Bootes oritur: et est festum Fauni.

A II. Id.
b Idubus. Festum Jovis et Fauni. Nefastus dies Fabiorum.
c XVI. Kal. Martii. Angnis, Corvus, Crater oriuntur.
d XV. Kal. Sol intrat in Pisces. Iterum Fauni.
e XIV. Kal.
f XIII. Kal. Festum Quirini. Festum stultorum et Fornacis.
g XII. Kal. Feralia.

A IX. Kal. Caristia virorum.
b X. Kal. Termini.
c IX. Kal.
d VIII. Kal Fuga Tarquinii Superbi. Veris initium.
e VII. Kal.
f VI. Kal.
g V. Kal.

A IV. Kal.
b III. Kal. Equiria in campo Martio.
c II. Kal.

MARTIUS.

d Kal. Martii. Festum Martis et Junonis. Ancilia feruntur. Non est bonum nubere.
e VI. No.
f V. No. Alter Piscium conditur. Oritur Vindemitor.
g IV. No. Bootes citius, Vindemitor tardius occidunt cosmice.

A III. No. Festum Vestæ. Cathedra Julii.
b II. No. Festum Vejovis. Pegasus oritur heliace.
c Nonis.
d VIII. Idibus. Corona Ariadnes oritur.
e VII. Id.
f VI. Id.
g V. Id.

A IV. Id.
b III. Id.
c II. Id. Altera Equiria fiunt juxta Tiberim.
d Idibus. Festum Annæ Perennæ. Julius Cæsar occisus in Capitolio.
e XVII. Kal. Aprilis. Scorpius oritur.
f XVI. Kal. Milvius oritur. Festum Bacchi. Vilis anicula hederis coronata vendit populo libatum. Melle Libero patri sacrificamus. Libera toga datur. Milvius oritur chronice. Festum est Ledæorum, qui fuerunt Argivi, vel Larium.
g XV. Kal.

A XIV. Kal. Quinquatria Palladii captæ.
b XIII. Kal.
c XII. Kal.
d XI. Kal. Sol in Arietem.
e X. Kal. Ultimus dies Quinquatrum.
f IX. Kal
g VIII. Kal. Æquinoctium vernale.

A VII. Kal.
b VI. Kal.
c V. Kal. Festum Jani, Concordiæ, Pacis, et Salutis.
d IV. Kal.
e III. Kal.
f II. Kal. Festa Lunæ labentis: templum in Aventino monte.

APRILIS.

g Kal. Aprilis. Festum Veneris et Virilis Fortunæ. Scorpius occidit.

A IV. No. Pleiades oriuntur.
b III. No. Meretrices lavantur sub myrrho. Fors Fortuna Virilis. Scorpius occidit cosmice.
c II. No. Hebæ et Matri deorum Megalenses ludi fiunt.
d Nonis. Festum Publicæ Fortunæ.
e VIII. Id. Orion occidit chronice.
f VII. Id Festum Cerealium ludorum. Libra occidit cosmice. Juba victus a Julio Cæsare.
g VI. Id.

A V. Id.
b IV. Id.
c III. Id.
d II. Id.
e Idibus. Festum Jovis Victoris. Templum....Libertatis.
f XVIII. Kal. Mai. Dies grandinosa. Augustus Cæsar vicit Mutinenses.
g XVII. Kal. Forda litatur Telluri.
A XVI. Kal. Triumphus Augusti. Hyades occidunt heliace.
b XV. Kal. Sol in Taurum.
c XIV. Kal. Equiria. Combustio vulpium.
d XIII. Kal. Festa Palis. Roma condita.
e XII. Kal.
f XI. Kal. Festa Veneris Vinalia.
g X. Kal.

A IX. Kal.
b VIII. Kal.
c VII. Kal.
d VI. Kal. Festum Rubiginis. Aries oritur heliace.* Prothius oritur cosmice, occidit heliace. Tempora veris prima fixita sunt.
V. Kal.
IV. Kal. Festum Floræ et Vestæ.
III. Kal.
A II. Kal.

MAIUS.

b Kal. Maii. Amalthea capra oritur cosmice. Ara Laribus posita.
c VI. No. Flat ventus Argestes. Hyades oriuntur cosmice. Finis Floralium.
d V. No. Panthera Chironis oritur chronice.
e IV. No.
f III. No. Stellificatio Lyræ. Sagittarius oritur.
g II. No. Scorpius apparet in parte media.

A Nonis.
b VIII. Id. Lemuria celebrantur. Non est bonum nubere.
c VII. Id. Orion occidit chronice.
d VI. Id. Festum Martis Bisultoris.
e V. Id
f IV. Id.
g III. Id.

A II. Id. Pleiades oriuntur heliacæ. Æstas incipit.
b Idibus. Ora Tauri oriuntur heliace. Scirpea simulacra mittuntur in Tiberim. Festum est Mercurii.
c XVII. Kal. Junii.
d XVI. Kal.
e XV. Kal. Sol it in Geminos. Agonia Junii fiunt.
f XIV. Kal. Canis Orionis exit.
g XIII. Kal. Lustra Vulcani fiunt.
A XII. Kal.
b XI. Kal.
c X. Kal. Mos sacrorum pro fuga Tarquinii faciundorum. Non modo inest fuga Tarquinii. Inest VIII. Kal. Mart.
d IX. Kal. Festum Publicæ Fortunæ.
e VIII. Kal. Rostra aquilæ oriuntur chronice.
f VII. Kal. Bootes occidit heliace.
g VI. Kal. Hyas occidit heliace, oriens cosmice.
A V. Kal.
b IV. Kal.
c III. Kal.
d II. Kal.

JUNIUS.

e Kal. Junii. Festa Carnæ, Junonis Monetæ, Martis, et Tempestatis. Aquila oritur chronice.
f IV. No. Hyades oriuntur heliace.
g III. No. Bellonæ Festum.
A II. No. Dedicatio templi Herculis.
b Nonis. Festum Trinomii dei Fidii Sanci Semipatris. Malum est nubere ante Idus.
c VIII. Idus.
d VII. Id. Tergeum ursæ occidit heliace, et regis Lycaonis. Lycaonida fiunt, ludi Tiberis.
e VI. Id. Datum est templum Menti. Festum et Vestæ. Asinus coronatur. Ara Priapi. Priori Palladium liberatur ab igni Gallico. Mors Crassi et suorum.
f V. Id. Delphin oritur chronice.
g IV. Id. Matralia fiunt. Rutilius et Didius occiduntur. Templum Fortunæ Servius, Concordiæ Livia dedicavit.

A III. Id.
b II. Id.
c Idibus. Jovi Invicto datum est templum. Minora Quinquatria Palladis fiunt.
d XVIII. Kal. Julii.
e XVII. Kal. Dione orta est heliace in fronte Tauri.
f XVI. Kal. Flat Zephyrus prosper navigantibus.
g XV. Kal. Sol in Cancrum. Pallas colitur in Aventina arce.
A XIV. Kal. Secundus ventus. Orion oritur heliace.
b XIII. Kal. Delphin oritur chronice. Sol in Cancrum. Volsci et Æqui vincuntur.
c XII. Kal. Templum datum est Summano Jovi.
d XI. Kal. Æsculapius, qui et dicitur Ophiuchus et Serpentarius, chronice oritur.
e X. Kal.
f IX. Kal. Victus est Flaminius.
g VIII. Kal. Syphax vinciur. Hasdrubal occiditur. Festum Fortis Fortunæ. Solstitium.

A VII. Kal. Festum Larium et Jovis Statoris.
b VI. Kal. Orion apparet a Zona inferius. Solstitium.
c V. Kal. Larium.
d IV. Kal. Templum Quirino factum.
e III. Kal.
f II. Kal. Festum Pieridum.

LIBER PRIMUS.

Tempora cum causis Latium digesta per annum,
Lapsaque sub terras, ortaque signa canam.
Excipe pacato, Cæsar Germanice, vultu
Hoc opus, et timidæ dirige navis iter:
Officioque, levem non aversatus honorem, 5
Huic tibi devoto numine dexter ades.
Sacra recognosces Annalibus eruta priscis,
Et quo sit merito quæque notata dies.
Invenies illic et festa domestica vobis:
Sæpe tibi pater est, sæpe legendus avus. 10
Quæque ferunt illi pictos signantia fastos,
Tu quoque cum Druso præmia fratre feres.
Cæsaris arma canant alii; nos Cæsaris aras,
Et quoscunque sacris addidit ille dies.
Annue conanti per laudes ire tuorum, 15
Deque meo pavidos excute corde metus.
Da mihi te placidum: dederis in carmina vires
Ingenium vultu statque caditque tuo.
Pagina judicium docti subitura movetur
Principis, ut Clario missa legenda deo. 20
Quæ sit enim culti facundia sensimus oris,
Civica pro trepidis cum tulit arma reis.
Scimus et, ad nostras cum se tulit impetus artes,
Ingenii currant flumina quanta tui.
Si licet, et fas est, vates rege vatis habenas. 25
Auspice te felix totus ut annus eat.
Tempora digereret cum conditor urbis, in anno
Constituit menses quinque bis esse suo.

Scilicet arma magis, quam sidera, Romule, noras :
Curaque finitimos vincere major erat. 30
Est tamen et ratio, Cæsar, quæ moverit illum ·
Erroremque suum quo tueatur habet.
Quod satis est, utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno statuit temporis esse satis.
Per totidem menses a funere conjugis uxor 35
Sustinet in vidua tristia signa domo.
Hoc igitur vidit trabeati cura Quirini,
Cum rudibus populis annua jura daret.
Martis erat primus mensis, Venerisque secundus.
Hæc generis princeps, ipsius ille pater. 40
Tertius a Senibus, Juvenum de nomine quartus :
Quæ sequitur, numero turba notata fuit.
At Numa nec Janum, nec avitas præterit umbras :
Mensibus antiquis addidit ille duos.

NE tamen ignores variorum jura dierum ; 45
Non habet officii Lucifer omnis idem.
Ille Nefastus erit, per quem tria verba silentur ;
Fastus erit, per quem lege licebit agi
Neu toto perstare die sua jura putaris ;
Qui jam Fastus erit, mane Nefastus erat. 50
Nam simul exta deo data sunt, licet omnia fari,
Verbaque honoratus libera prætor habet.
Est quoque, quo populum jus est includere septis ;
Est quoque, qui nono semper ab orbe redit.
Vindicat Ausonias Junonis cura Kalendas : 55
Idibus alba Jovi grandior agna cadit.
Nonarum tutela deo caret. Omnibus istis,
Ne fallare cave, proximus Ater erit.
Omen ab eventu est : illis nam Roma diebus
Damna sub adverso tristia Marte tulit. 60
Hæc mihi dicta semel, totis hærentia fastis,
Ne seriem rerum scindere cogar, erunt.

Ecce tibi faustum, Germanice, nuntiat annum,
Inque meo primus carmine Janus adest.
Jane biceps, anni tacite labentis origo, 65
Solus de superis qui tua terga vides ;
Dexter ades ducibus, quorum secura labore
Otia terra ferax, otia pontus agit.
Dexter ades patribusque tuis, populoque Quirini,
Et resera nutu condita templa tuo. 70
Prospera lux oritur : linguisque animisque favete.
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.
Lite vacent aures, insanaque protinus absint
Jurgia : differ opus, livida lingua, tuum.
Cernis, odoratis ut luceat ignibus æther, 75
Et sonet accensis spica Cilissa focis ?
Flamma nitore suo templorum verberat aurum,
Et tremulum summa spargit in æde jubar.
Vestibus intactis Tarpeias itur in arces :
Et populus festo concolor ipse suo est. 80
Jamque novi præeunt fasces : nova purpura fulget :
Et nova conspicuum pondera sentit ebur.
Colla rudes operum præbent ferienda juvenci,
Quos aluit campis herba Falisca suis.
Jupiter, arce sua totum cum spectet in orbem,
Nil nisi Romanum, quod tueatur, habet 86
Salve, læta dies, meliorque revertere semper,
A populo rerum digna potente coli.
Quem tamen esse deum te dicam, Jane biformis?
Nam tibi par nullum Græcia numen habet. 90
Ede simul causam, cur de cœlestibus unus
Sitque quod a tergo, sitque quod ante, vides.
Hæc ego cum sumtis agitarem mente tabellis ;
Lucidior visa est, quam fuit ante, domus
Tum sacer, ancipiti mirandus imagine, Janus 95
Bina repens oculis obtulit ora meis.
Obstupui, sensique metu riguisse capillos,
Et gelidum subito frigore pectus erat.
Ille tenens dextra baculum, clavemque sinistra,
Edidit hos nobis ore priore sonos : 100
Disce, metu posito, vates operose dierum,
Quod petis, et voces percipe mente meas
Me Chaos antiqui (nam res sum prisca) vocabant
Adspice, quam longi temporis acta canam.
Lucidus hic aer, et, quæ tria corpora restant, 105
Ignis, aquæ, tellus, unus acervus erant.
Ut semel hæc rerum secessit lite suarum,
Inque novas abiit massa soluta domos ;
Flamma petit altum ; propior locus aera cepit.
Sederunt medio terra fretumque solo. 110
Tunc ego, qui fueram globus, et sine imagine moles,
In faciem redii dignaque membra deo.
Nunc quoque, confusæ quondam nota parva figuræ,
Ante quod est in me, postque videtur idem.
Accipe, quæsitæ quæ causa sit altera formæ : 115
Hanc simul ut noris, officiumque meum.
Quicquid ubique vides, cœlum, mare, nubila, terras,
Omnia sunt nostra clausa patentque manu
Me penes est unum vasti custodia mundi :
Et jus vertendi cardinis omne meum est. 120
Cum libuit pacem placidis emittere tectis,
Libera perpetuas ambulat illa vias.
Sanguine lethifero totus miscebitur orbis,
Ni teneant rigidæ condita bella seræ.
Præsideo foribus cœli cum mitibus Horis : 125
It, redit officio Jupiter ipse meo.
Inde vocor Janus. Cui cum Cereale sacerdos
Imponit libum, mixtaque farra sale ;
Nomina ridebis : modo namque Patulcius idem,
Et modo sacrifico Clusius ore vocor. 130
Scilicet alterno voluit rudis illa vetustas
Nomine diversas significare vices.
Vis mea narrata est : causam nunc disce figuræ.
Jam tamen hanc aliqua tu quoque parte vides.
Omnis habet geminas, hinc atque hinc, janua frontes : 135
E quibus hæc populum spectat, at illa Larem.
Utque sedens vester primi prope limina tecti
Janitor egressus introitusque videt :
Sic ego prospicio cœlestis janitor aulæ
Eoas partes Hesperiasque simul. 140
Ora vides Hecates in tres vergentia partes,
Servet ut in ternas compita secta vias.
Et mihi, ne flexu cervicis tempora perdam,
Cernere non moto corpore bina licet.
Dixerat ; et vultu, si plura requirere vellem, 145
Se mihi difficilem non fore, fassus erat.
Sumsi animum, gratesque deo non territus egi ;
Verbaque sum, spectans, pauca locutus, humum.
Dic age, frigoribus quare novus incipit annus,
Qui melius per ver incipiendus erat ? 150
Omnia tunc florent : tunc est nova temporis ætas :
Et nova de gravido palmite gemma tumet :
Et modo formatis amicitur frondibus arbos :
Prodit et in summum seminis herba solum :
Et tepidum volucres concentibus aera mulcent :
Ludit et in pratis luxuriatque pecus. 156
Tum blandi soles : ignotaque prodit hirundo,
Et luteum celsa sub trabe fingit opus :
Tum patitur cultus ager, et renovatur aratro :
Hæc anni novitas jure vocanda fuit. 160

Quæsieram multis: non multis ille moratus,
Contulit in versus sic sua verba duos
Bruma novi prima est, veterisque novissima solis:
Principium capiunt Phœbus et annus idem.
Post ea mirabar, cur non sine litibus esset 165
Prima dies. Causam percipe, Janus ait.
Tempora commisi nascentia rebus agendis,
Totus ab auspicio ne foret annus iners.
Quisque suas artes ob idem delibat agendo:
Nec plus quam solitum testificatur opus 170
Mox ego: Cur, quamvis aliorum numina placem,
Jane, tibi primo thura merumque fero?
Ut per me possis aditum, qui limina servo,
Ad quoscunque velim prorsus, habere deos
At cur læta tuis dicuntur verba Kalendis, 175
Et damus alternas accipimusque preces?
Tum deus incumbens baculo, quem dextra gerebat,
Omnia principiis, inquit, inesse solent.
Ad primam vocem timidas advertitis aures
Et visam primum consulit augur avem. 180
Templa patent auresque deûm, nec lingua caducas
Concipit ulla preces, dictaque pondus habent
Desierat paucis: nec longa silentia feci,
Sed tetigi verbis ultima verba meis.
Quid vult palma sibi, rugosaque carica, dixi, 185
Et data sub niveo condita mella favo?
Omen, ait, causa est, ut res sapor ille sequatur,
Et peragat cœptum dulcis ut annus iter.
Dulcia cur dentur, video; stipis adjice causam,
Pars mihi de festo ne labet ulla tuo. 190
Risit; et, O quam te fallunt tua sæcula, dixit,
Qui stipe mel sumta dulcius esse putes!
Vix ego Saturno quenquam regnante videbam,
Cujus non animo dulcia lucra forent.
Tempore crevit amor, qui nunc est summus, habendi: 195
Vix ultra, quo jam progrediatur, habet.
Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis annis,
Dum populus pauper, dum nova Roma fuit;
Dum casa Martigenam capiebat parva Quirinum,
Et dabat exiguum fluminis ulva torum. 200
Jupiter angusta vix totus stabat in æde:
Inque Jovis dextra fictile fulmen erat
Frondibus ornabant, quæ nunc Capitolia gemmis,
Pascebatque suas ipse senator oves.
Nec pudor in stipula placidam cepisse quietem.
Nec fœnum capiti supposuisse fuit. 206
Jura dabat populis posito modo consul aratro:
Et levis argenti lamina crimen erat.
At postquam fortuna loci caput extulit hujus,
Et tetigit summos vertice Roma deos; 210
Creverunt et opes, et opum furiosa cupido:
Et, cum possideant plurima, plura volunt.
Quærere, ut absumant, absumta requirere certant:
Atque ipsæ vitiis sunt alimenta vices.
Sic, quibus intumuit suffusa venter ab unda, 215
Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.
In pretio pretium nunc est: dat census honores,
Census amicitias: pauper ubique jacet.
Tu tamen, auspicium si sit stipis utile, quæris,
Curque juvent nostras æra vetusta manus. 220
Æra dabant olim; melius nunc omen in auro est.
Victaque concedit prisca moneta novæ.
Nos quoque templa juvant, quamvis antiqua probemus,
Aurea; majestas convenit ista deo.
Laudamus veteres, sed nostris utimur annis. 225
Mos tamen est æque dignus uterque coli
Finierat monitus. Placidis ita rursus, ut ante,
Clavigerum verbis alloquor ipse deum:
Multa quidem didici; sed cur navalis in ære
Altera signata est, altera forma biceps? 230
Noscere me duplici posses in imagine, dixit,
Ni vetus ipsa dies extenuaret opus.
Causa ratis superest: Tuscum rate venit in amnem
Ante pererrato falcifer orbe deus.
Hac ego Saturnum memini tellure receptum. 235
Cœlitibus regnis ab Jove pulsus erat.
Inde diu genti mansit Saturnia nomen:
Dicta quoque est Latium terra, latente deo.
At bona posteritas puppim servavit in ære,
Hospitis adventum testificata dei. 240
Ipse solum colui, cujus placidissima lævum
Radit arenosi Tibridis unda latus.
Hic, ubi nunc Roma est, incædua sylva virebat:
Tantaque res paucis pascua bubus erat.
Arx mea collis erat, quem cultrix nomine nostro
Nuncupat hæc ætas, Janiculumque vocat. 246
Tunc ego regnabam, patiens cum terra deorum
Esset, et humanis numina mista locis.
Nondum justitiam facinus mortale fugarat:
Ultima de superis illa reliquit humum. 250
Proque metu populum sine vi pudor ipse regebat.
Nullus erat, justis reddere jura, labor.
Nil mihi cum bello: pacem postesque tuebar:
Et clavem ostendens, Hæc, ait, arma gero.
Presserat ora deus. Tunc sic nostra ora resolvo,
Voce mea voces eliciente dei: 256
Cum tot sint Jani, cur stas sacratus in uno,
Hic ubi juncta foris templa duobus habes?
Ille manu mulcens propexam ad pectora barbam,
Protinus Œbalii retulit arma Titi; 260
Utque levis custos, armillis capta Sabinis,
Ad summæ Tatium duxerit arcis iter.
Inde, velut nunc est, per quem descenditis, inquit,
Arduus in valles et Fora clivus erat
Et jam contigerat portam: Saturnia cujus 265
Demserat appositas insidiosa seras
Cum tanto veritus committere numine pugnam,
Ipse meæ movi callidus artis opus,
Oraque, qua pollens ope sum, fontana reclusi;
Sumque repentinas ejaculatus aquas 270
Ante tamen gelidis subjeci sulphura venis.
Clauderet ut Tatio fervidus humor iter.
Cujus ut utilitas pulsis percepta Sabinis;
Quæque fuit, tuto reddita forma loco est;
Ara mihi posita est, parvo conjuncta sacello: 275
Hæc adolet flammis cum strue farra suis.
At cur pace lates, motisque recluderis armis?
Nec mora; quæsiti reddita causa mihi.
Ut populo reditus pateant ad bella profecto,
Tota patet demta janua nostra sera. 280
Pace fores obdo, ne qua discedere possit:
Cæsareoque diu nomine clausus ero.
Dixit; et, attollens oculos diversa tuentes,
Adspexit toto quicquid in orbe fuit; 284
Pax erat: et vestri, Germanice, causa triumphi
Tradiderat famulas jam tibi Rhenus aquas.
Jane, face æternos, pacem, pacisque ministros:
Neve suum, præsta, deserat auctor opus.
Quod tamen ex ipsis licuit mihi discere fastis;
Sacravere patres hac duo templa die. 290
Accepit Phœbo Nymphaque Coronide natum
Insula, dividua quam premit amnis aqua.
Jupiter in parte est. Cepit locus unus utrumque
Junctaque sunt magno templa nepotis avo.

Quid vetat et stellas ut quæque oriturque cadit-
que, 295
Dicere? promissi pars sit et ista mei.
Felices animos, quibus hæc cognoscere primis,
Inque domos superas scandere cura fuit!
Credibile est illos pariter vitiisque locisque
Altius humanis exseruisse caput. 300
Non Venus et vinum sublimia pectora fregit,
Officiumve fori, militiæve labor;
Nec levis ambitio, perfusaque gloria fuco
Magnarumve fames solicitavit opum
Admovere oculis distantia sidera terris, 305
Ætheraque ingenio supposuere suo.
Sic petitur cœlum: non ut ferat Ossan Olympus,
Summaque Peliacus sidera tangat apex
Nos quoque sub ducibus cœlum metabimur illis,
Ponemusque suos ad stata signa dies 310

Ergo ubi nox aderit venturis tertia Nonis,
Sparsaque cœlesti rore madebit humus,
Octipedis frustra quæruntur brachia Cancri.
Præceps occiduas ille subivit aquas

Institerint Nonæ; missi tibi nubibus atris 315
Signa dabunt imbres, exoriente Lyra

Quatuor adde dies ductis ex ordine Nonis,
Janus Agonali luce piandus erit
Nominis esse potes succinctus causa minister,
Hostia cœlitibus quo feriente cadit: 320
Qui calido strictos tincturus sanguine cultros,
Semper, Agone? rogas; nec nisi jussus agis.
Pars, quia non veniant pecudes, sed agantur, ab actu
Nomen Agonalem credit habere diem
Pars putat hoc festum priscis Agnalia dictum;
Una sit ut proprio littera demta loco. 326
An, quia prævisos in aqua timet hostia cultros,
A pecoris lux est ista notata metu?
Pars etiam, fieri solitis ætate priorum
Nomina de ludis Graja tulisse diem. 330
Et pecus antiquus dicebat Agonia sermo.
Veraque judicio est ultima causa meo.
Utque ea nunc certa est; ita rex placare sacrorum
Numina lanigeræ conjuge debet ovis.
Victima, quæ dextra cecidit victrice, vocatur.
Hostibus amotis hostia nomen habet. 336
Ante, deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, et puri lucida mica salis.
Nondum pertulerat lacrymatas cortice myrrhas
Acta per æquoreas hospita navis aquas. 340
Thura nec Euphrates, nec miserat India costum,
Nec fuerant rubri cognita fila croci.
Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus adusta sono.
Si quis erat, factis prati de flore coronis 345
Qui posset violas addere, dives erat.
Hic, qui nunc aperit percussi viscera tauri
In sacris nullum culter habebat opus.
Prima Ceres avidæ gavisa est sanguine porcæ,
Ulta suas merita cæde nocentis opes. 350
Nam sata vere novo teneris lactentia succis
Eruta setigeræ comperit ore suis.
Sus dederat pœnas. Exemplo territus hujus
Palmite debueras abstinuisse, caper.
Quem spectans aliquis dentes in vitæ prementem,
Talia non tacito dicta dolore dedit: 356
Rode, caper, vitem: tamen hinc, cum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit, erit
Verba fides sequitur: noxæ tibi deditus hostis
Spargitur affuso cornua, Bacche, mero. 360
Culpa sui nocuit: nocuit quoque culpa capellæ
Quid bos, quid placidæ commeruistis oves?
Flebat Aristæus, quod apes cum stirpe necatas
Viderat inceptos destituisse favos.
Cærula quem genitrix ægre solata dolentem, 365
Addidit hæc dictis ultima verba suis:
Siste, puer, lacrymas: Proteus tua damna levabit;
Quoque modo repares, quæ periere, dabit.
Decipiat ne te versis tamen ille figuris,
Impediant geminas vincula firma manus. 370
Pervenit ad vatem juvenis, resolutaque somno
Alligat æquorei brachia capta senis.
Illa sua faciem transformis adulterat arte:
Mox domitus vinclis in sua membra redit.
Oraque cærulea tollens rorantia barba, 375
Qua, dixit, repares arte, requiris, apes?
Obrue mactati corpus tellure juvenci:
Quod petis a nobis, obrutus ille dabit.
Jussa facit pastor. Fervent examina putri
De bove: mille animas una necata dedit. 380
Poscit ovem fatum. Verbenas improba carpsit,
Quas pia dis ruris ferre solebat anus.
Quid tuti superest; animam cum ponat in aris
Lanigerumque pecus, ruricolæque boves?
Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum, 385
Ne detur celeri victima tarda deo.
Quod semel est triplici pro virgine cæsa Dianæ,
Nunc quoque pro nulla virgine cerva cadit.
Exta canum vidi Triviæ libare Sapæos,
Et quicunque tuas accolit, Hæme, nives. 390
Cæditur et rigido custodi ruris asellus.
Causa pudenda quidem est, huic tamen apta deo.
Festa corymbiferi celebrabas, Græcia, Bacchi,
Tertia quæ solito tempore bruma refert.
Di quoque cultores in idem venere Lyæi, 395
Et quicunque joci non alienus erat:
Panes, et in Venerem Satyrorum prona juventus:
Quæque colunt amnes solaque rura deæ.
Venerat et senior pando Silenus asello,
Quique rubro pavidas inguine terret aves. 400
Dulcia qui dignum nemus in convivia nacti
Gramine vestitis accubuere toris.
Vina dabat Liber: tulerat sibi quisque coronam
Miscendas parce rivus agebat aquas.
Naides effusis aliæ sine pectinis usu, 405
Pars aderant positis arte manuque comis.
Illa super suras tunicam collecta ministrat;
Altera dissuto pectus aperta sinu.
Exserit hæc humerum; vestem trahit illa per herbas.
Impediunt teneros vincula nulla pedes. 410
Hinc aliæ Satyris incendia mitia præbent;
Pars tibi, qui pinu tempora nexa geris.
Te quoque, inexstinctæ Silene libidinis, urunt.
Nequitia est, quæ te non sinit esse senem.
At ruber, hortorum decus et tutela, Priapus 415
Omnibus ex illis Lotide captus erat.
Hanc cupit, hanc optat: sola suspirat in illa.
Signaque dat nutu, solicitatque notis.
Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam
Irrisum vultu despicit illa suo. 420
Nox erat: et, vino somnum faciente, jacebant
Corpora diversis victa sopore locis.
Lotis in herbosa, sub acernis ultima ramis,
Sicut erat lusu fessa quievit humo. 424
Surgit amans; animamque tenens, vestigia furtim
Suspenso digitis fert taciturna gradu.

Ut tetigit niveæ secreta cubilia Nymphæ;
Ipsa sui flatus ne sonet aura, cavet.
Et jam finitima corpus librabat in herba:
Illa tamen multi plena soporis erat. 430
Gaudet; et a pedibus tracto velamine, vota
Ad sua felici cœperat ire via.
Ecce rudens rauco Sileni vector asellus
Intempestivos edidit ore sonos.
Territa consurgens Nymphe manibusque Priapum
Rejicit, et fugiens concitat omne nemus. 436
At deus, obscæna nimium quoque parte paratus,
Omnibus ad lunæ lumina risus erat.
Morte dedit pœnas auctor clamoris: et hinc est
Hellespontiaco victima grata deo. 440
Intactæ fueratis aves, solatia ruris,
Assuetum sylvis, innocuumque genus;
Quæ facitis nidos, quæ plumis ova fovetis
Et facili dulces editis ore modos
Sed nihil ista juvant; quia linguæ crimen habetis, 445
Dique putant mentes vos aperire suas.
Nec tamen id falsum. Nam, dis ut proxima quæque,
Nunc penna veras, nunc datis ore notas
Tuta diu volucrum proles, tum denique cæsa est:
Juveruntque deos indicis exta sui. 450
Ergo sæpe suo conjux abducta marito
Uritur in calidis alba columba focis.
Nec defensa juvant Capitolia, quo minus anser
Det jecur in lances, Inachi lauta, tuas
Nocte deæ Nocti cristatus cæditur ales 455
Quod tepidum vigili provocat ore diem
Interea Delphin clarum super æquora sidus
Tollitur, et patriis exserit ora vadis.

Postera lux hiemem medio discrimine signat:
Æquaque præteritæ, quæ superabit, erit. 460

Proxima prospiciet Tithono nupta relicto
Arcadiæ sacrum pontificale deæ.
Te quoque lux eadem, Turni soror, æde recepit,
Hic ubi Virginea Campus obitur aqua.
Unde petam causas horum moremque sacrorum?
Dirigat in medio quis mea vela freto? 466
Ipsa mone, quæ nomen habes a carmine ductum,
Propositoque fave, ne tuus erret honos.
Orta prior Luna, de se si creditur ipsi,
A magno tellus Arcade nomen habet. 470
Hic fuit Evander, qui, quanquam clarus utroque,
Nobilior sacræ sanguine matris erat;
Quæ, simul ætherios animo conceperat ignes
Ore dabat vero carmina plena dei.
Dixerat hæc nato motus instare sibique, 475
Multaque præterea, tempore nacta fidem.
Nam juvenis, vera nimium cum matre fugatus,
Deserit Arcadium Parrhasiumque larem.
Cui genitrix flenti, Fortuna viriliter, inquit,
(Siste, puer, lacrymas,) ista ferenda tibi est. 480
Sic erat in fatis: nec te tua culpa fugavit,
Sed deus: offenso pulsus es urbe deo.
Non meriti pœnam pateris, sed numinis iram.
Est aliquid magnis crimen abesse malis. 484
Conscia mens utcuique sua est, ita concipit intra
Pectora pro facto spemque metumque suo.
Nec tamen ut primus mære mala talia passus:
Obruit ingentes ista procella viros.
Passus idem, Tyriis qui quondam pulsus ab oris
Cadmus in Aonia constitit exsul humo. 490
Passus idem Tydeus, et idem Pagasæus Iason:
Et quos præterea longa referre mora est.
Omne solum forti patria est; ut piscibus æquor.
Ut volucri, vacuo quicquid in orbe patet.
Nec fera tempestas toto tamen horret in anno.
Et tibi, crede mihi, tempora veris erunt. 496
Vocibus Evander firmata mente parentis
Nave secat fluctus, Hesperiamque tenet
Jamque ratem doctæ monitu Carmentis in amnem
Egerat, et Tuscis obvius ibat aquis. 500
Fluminis illa latus, cui sunt vada juncta Terenti,
Adspicit, et sparsas per loca sola casas.
Utque erat, immissis puppim stetit ante capillis,
Continuitque manum torva regentis iter.
Et procul in dextram tendens sua brachia ripam,
Pinea non sano ter pede texta ferit. 506
Neve daret saltum properans insistere terræ,
Vix est Evandri vixque retenta manu.
Dique petitorum, dixit, salvete locorum;
Tuque novos cœlo terra datura deos; 510
Fluminaque, et fontes, quibus utitur hospita tellus,
Et nemora, et sylvæ, Naiadumque chori;
Este bonis avibus visi natoque mihique:
Ripaque felici tacta sit ista pede.
Fallor? an hi fient ingentia mœnia colles? 515
Juraque ab hac terra cætera terra petet?
Montibus his olim totus promittitur orbis.
Quis tantum fati credat habere locum?
Et jam Dardaniæ tangent hæc littora pinus.
Hic quoque causa novi fœmina Martis erit. 520
Care nepos, Palla, funesta quid induis arma?
Indue: non humili vindice cæsus eris.
Victa tamen vinces, eversaque Troja resurges.
Obruet hostiles ista ruina domos.
Urite victrices Neptunia Pergama flammæ; 525
Num minus hic toto est altior orbe cinis?
Jam pius Æneas sacra, et sacra altera patrem,
Afferet: Iliacos excipe, Vesta, deos.
Tempus erit, cum vos, orbemque tuebitur idem:
Et fient ipso sacra colente deo: 530
Et penes Augustos patriæ tutela manebit.
Hanc fas imperii frena tenere domum.
Inde nepos natusque dei, licet ipse recuset,
Pondera cœlesti mente paterna feret.
Utque ego perpetuis olim sacrabor in aris, 535
Sic Augusta novum Julia numen erit.
Talibus ut nostros dictis descendit in annos,
Substitit in medios præscia lingua sonos.
Puppibus egressus Latia stetit exsul in herba.
Felix, exsilium cui locus ille fuit! 540
Nec mora longa fuit. Stabant nova tecta: nec alter
Montibus Ausoniis Arcade major erat.
Ecce boves illuc Erytheidas applicat heros
Emensus longi claviger orbis iter.
Dumque huic hospitium domus est Tegeæa; vagantur 545
Incustoditæ læta per arva boves.
Mane erat: excussus somno Tirynthius hospes
De numero tauros sentit abesse duos.
Nulla videt taciti quærens vestigia furti:
Traxerat aversos Cacus in antra feros; 550
Cacus, Aventinæ timor atque infamia sylvæ,
Non leve finitimis hospitibusque malum.
Dira viro facies; vires pro corpore; corpus
Grande: pater monstri Mulciber hujus erat.
Proque domo longis spelunca recessibus ingens
Abdita, vix ipsis invenienda feris. 556
Ora super postes affixaque brachia pendent,
Squalidaque humanis ossibus albet humus.
Servata male parte boum Jove natas abibas:
Mugitum rauco furta dedere sono 560

Accipio revocamen, ait; vocemque secutus
Impia per sylvas ultor ad antra venit.
Ille aditum fracti præstruxerat objice montis:
Vix juga movissent quinque bis illud opus.
Nititur hic humeris, (cœlum quoque sederat illis,)
Et vastum motu collabefactat onus. 566
Quod simul evulsum est; fragor æthera terruit ipsum,
Ictaque subsedit pondere molis humus.
Prima movet Cacus collata prælia dextra,
Remque ferox saxis stipitibusque gerit. 570
Quis ubi nil agitur; patrias male fortis ad artes
Confugit, et flammas ore sonante vomit.
Quas quoties proflat, spirare Typhoea credas,
Et rapidum Ætnæo fulgur ab igne jaci.
Occupat Alcides: adductaque clava trinodis 575
Ter quater adversi sedit in ore viri.
Ille cadit, mixtosque vomit cum sanguine fumos,
Et lato moriens pectore plangit humum.
Immolat ex illis taurum tibi, Jupiter, unum
Victor, et Evandrum ruricolasque vocat. 580
Constituitque sibi, quæ Maxima dicitur, aram,
Hic ubi pars Urbis de bove nomen habet.
Nec tacet Evandri mater, prope tempus adesse,
Hercule quo tellus sit satis usa suo.
At felix vates, ut dis gratissima vixit, 585
Possidet hunc Jani sic dea mense diem.

Idibus in magni castus Jovis æde sacerdos
Semimaris flammis viscera libat ovis:
Redditaque est omnis populo provincia nostro:
Et tuus Augusto nomine dictus avus. 590
Perlege dispositas generosa per atria ceras;
Contigerunt nulli nomina tanta viro.
Africa victorem de se vocat: alter Isauras,
Aut Cretum domitas testificatur opes.
Hunc Numidæ faciunt, illum Messana superbum.
Ille Numantina traxit ab urbe notam. 596
Et mortem et nomen Druso Germania fecit
Me miserum, virtus quam brevis illa fuit!
Si petat a victis, tot sumat nomina Cæsar,
Quot numero gentes maximus orbis habet. 600
Ex uno quidam celebres, aut torquis ademptæ,
Aut corvi titulos auxiliaris habent.
Magne, tuum nomen rerum mensura tuarum est:
Sed qui te vicit, nomine major erat.
Nec gradus est ultra Fabios cognominis ullus.
Illa domus meritis Maxima dicta suis.
Sed tamen humanis celebrantur honoribus omnes;
Hic socium summo cum Jove nomen habet.
Sancta vocant augusta patres: augusta vocantur
Templa, sacerdotum rite dicata manu. 610
Hujus et augurium dependet origine verbi
Et quodcunque sua Jupiter auget ope.
Augeat imperium nostri ducis, augeat annos:
Protegat et vestras querna corona fores.
Auspicibusque deis tanti cognominis hæres 615
Omine suscipiat, quo pater, orbis onus.

Respiciet Titan actas ubi tertius Idus;
Fient Parrhasiæ sacra relata deæ.
Nam prius Ausonias matres carpenta vehebant;
Hæc quoque ab Evandri dicta parente reor. 620
Mox honor eripitur; matronaque destinat omnis
Ingratos nulla prole novare viros.
Neve daret partus, ictu temeraria cæco
Visceribus crescens excutiebat onus.
Corripuisse patres ausas immitia nuptas, 625
Jus tamen exemtum restituisse, ferunt
Binaque nunc pariter Tegeææ sacra parenti
Pro pueris fieri virginibusque jubent.
Scortea non illi fas est inferre sacello,
Ne violent puros exanimata focos. 630
Si quis amas ritus veteres, adsiste precanti:
Nomina percipies non tibi nota prius.
Porrima placantur Postvertaque, sive so ores,
Sive fugæ comites, Mænali Nympha, tuæ.
Altera, quod porro fuerat, cecinisse putatur, 635
Altera versurum postmodo quicquid erat.

Candida te niveo posuit lux proxima templo,
Qua fert sublimes alta Moneta gradus:
Nunc bene prospicies Latiam, Concordia, turbam;
Nunc te sacratæ restituere manus. 640
Furius (antiquum) populi superator Etrusci
Voverat, et voti solverat ante fidem.
Causa, quod a patribus sumtis secesserat armis
Vulgus, et ipsa suas Roma timebat opes.
Causa recens melior: passos Germania crines 645
Porrigit auspiciis, dux venerande, tuis.
Inde triumphatæ libasti munera gentis,
Templaque fecisti, quam colis ipse, deæ.
Hæc tua constituit genitrix et rebus et ara,
Sola toro magni digna reperta Jovis. 650

Hæc ubi transierint; Capricorno, Phœbe, relicto,
Per juvenis curres signa gerentis aquam.

Septimus hinc Oriens cum se demiserit undis,
Fulgebit toto jam Lyra nulla polo.

Sidere ab hoc, ignis venienti nocte, Leonis 655
Qui micat in medio pectore, mersus erit

Ter quater evolvi signantes tempora fastos,
Nec Sementina est ulla reperta dies:
Cum mihi sensit enim, Lux hæc indicitur, inquit
Musa; quid a fastis non stata sacra petis? 660
Utque dies incerta sacro, sic tempora certa,
Seminibus jactis est ubi fetus ager.
State coronati plenum ad præsepe juvenci;
Cum tepido vestrum vere redibit opus.
Rusticus emeritum palo suspendat aratrum, 665
Omne reformidat frigida vulnus humus.
Villice, da requiem terræ semente peracta;
Da requiem, terram qui coluere, viris
Pagus agat festum: pagum lustrate, coloni,
Et date paganis annua liba focis. 670
Placentur matres frugum Tellusque Ceresque,
Farre suo gravidæ visceribusque suis.
Officium commune Ceres et Terra tuentur:
Hæc præbet causam frugibus, illa locum
Consortes operum, per quas correcta vetustas, 675
Quernaque glans victa est utiliore cibo;
Frugibus immensis avidos satiate colonos,
Ut capiant cultus præmia digna sui.
Vos date perpetuos teneris sementibus auctus.
Nec nova per gelidas herba sit usta nives. 680
Cum serimus, cœlum ventis aperite serenis:
Cum latet, ætheria spargite semen aqua.
Neve graves cultis Cerealia dona cavete
Agmine læsuro depopulentur aves.
Vos quoque subjectis, formicæ, parcite granis:
Post messem prædæ copia major erit. 686
Interea crescat scabræ robiginis expers,
Nec vitio cœli palleat ægra seges.
Et neque deficiat macie, neque pinguior æquo
Divitiis pereat luxuriosa suis 690

Et careant loliis oculos vitiantibus agri,
Nec sterilis culto surgat avena solo.
Triticeos fetus, passuraque farra bis ignem,
Hordeaque ingenti fœnore reddat ager.
Hoc ego pro vobis, hoc vos optate coloni: 695
Efficiantque ratas utraque diva preces.
Bella diu tenuere viros: erat aptior ensis
Vomere: cedebat taurus arator equo.
Sarcula cessabant: versique in pila ligones,
Factaque de rastri pondere cassis erat. 700
Gratia dis, domuique tuæ; religata catenis
Jampridem nostro sub pede bella jacent.
Sub juga bos veniat; sub terras semen ara tas.
Pax Cererem nutrit: pacis alumna Ceres.

At quæ venturas præcedet sexta Kalendas, 705
Hac sunt Ledæis templa dicata deis.
Fratribus illa deis fratres de gente deorum
Circa Juturnæ composuere lacus.
Ipsum nos carmen deducet Pacis ad aram
Hæc erit a mensis fine secunda dies. 710
Frondibus Actiacis comtos redimita capillos
Pax, ades, et toto mitis in orbe mane.
Dum desint hostes, desit quoque causa triumphi
Tu ducibus bello gloria major eris.
Sola gerat miles, quibus arma coerceat, arma:
Canteturque fera nil nisi pompa tuba. 716
Horreat Æneadas et primus et ultimus orbis;
Si qua parum Romam terra timebit, amet.
Thura, sacerdotes, pacalibus addite flammis,
Albaque percussa victima fronte cadat. 720
Utque domus, quæ præstateam, cum Pace perennet,
Ad pia propensos vota rogate deos
Sed jam prima mei pars est exacta laboris
Cumque suo finem mense libellus habet.

LIBER SECUNDUS.

Janus habet finem: cum carmine crescit et annus;
Alter ut hinc mensis, sic liber alter eat.
Nunc primum velis, elegi, majoribus itis.
Exiguum, memini, nuper eratis opus.
Certe ego vos habui faciles in amore ministros, 5
Cum lusit numeris prima juventa suis.
Idem sacra cano, signataque tempora fastis.
Ecquis ad hæc illinc crederet esse viam?
Hæc mea militia est: ferimus quæ possumus arma:
Dextraque non omni munere nostra vacat. 10
Si mihi non valido torquentur pila lacerto,
Nec bellatoris terga premuntur equi;
Nec galea tegimur, nec acuto cingimur ense;
His habilis telis quilibet esse potest.
At tua prosequimur studioso pectore, Cæsar, 15
Nomina, per titulos ingredimurque tuos.
Ergo ades, et placido paulum mea munera vultu
Respice, pacando si quid ab hoste vacas.

Februa Romani dixere piamina patres
Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem. 20
Pontifices ab rege petunt et flamine lanas,
Quis veteri lingua Februa nomen erat.
Quæque capit lictor domibus purgamina certis,
Torrida cum mica farra, vocantur idem.
Nomen idem ramo, qui, cæsus ab arbore pura, 25
Casta sacerdotum tempora fronde tegit.
Ipse ego Flaminicam poscentem februa vidi:
Februa poscenti pinea virga data est.
Denique quodcunque est, quo pectora nostra piamur,
Hoc apud intonsos nomen habebat avos. 30
Mensis ab his dictus, secta quia pelle Luperci
Omne solum lustrant, idque piamen habent.
Aut quia placatis sunt tempora pura sepulchris,
Tunc cum ferales præteriere dies.
Omne nefas, omnemque mali purgamina causam
Credebant nostri tollere posse senes. 36
Græcia principium moris fuit. Illa nocentes
Impia lustratos ponere facta putat.
Actoriden Peleus, ipsum quoque Pelea Phoci
Cæde per Hæmonias solvit Acastus aquas. 40
Vectam frenatis per inane draconibus Ægeus
Credulus immerita Phasida juvit ope.
Amphiaraides Naupactoo Acheloo,
Solve nefas, dixit; solvit et ille nefas.
Ah nimium faciles, qui tristia crimina cædis 45
Fluminea tolli posse putetis aqua!
Sed tamen, antiqui ne nescius ordinis erres,
Primus, ut est, Jani mensis et ante fuit.
Qui sequitur Janum, veteris fuit ultimus anni.
Tu quoque sacrorum, Termine, finis eras. 50
Primus enim Jani mensis, quia janua prima est.
Qui sacer est imis Manibus, imus erat.
Postmodo creduntur spatio distantia longo
Tempora bis quini continuasse viri.

Principio mensis, Phrygiæ contermina Matri 55
Sospita delubris dicitur aucta novis.
Nunc ubi sint illis, quæris, sacrata Kalendis
Templa deæ? longo procubuere die.
Cætera ne simili caderent labefacta ruina,
Cavit sacrati provida cura ducis: 60
Sub quo delubris sentitur nulla senectus
Nec satis est homines, obligat ille deos.
Templorum positor, templorum sancte repostor,
Sit superis, opto, mutua cura tui.
Dent tibi cœlestes, quot tu cœlestibus, annos, 65
Proque tua maneant in statione domo.
Tum quoque vicini lucus celebratur Asyli,
Qua petit æquoreas advena Tibris aquas.
Ad penetrale Numæ, Capitolinumque Tonantem,
Inque Jovis summa cæditur arce bidens. 70
Sæpe graves pluvias adopertus nubibus Auster
Concitat, aut posita sub nive terra latet

Proximus Hesperias Titan abiturus in undas
Gemmea purpureis cum juga demit equis;
Illa nocte aliquis, tollens ad sidera vultum, 75
Dicet, Ubi est hodie, quæ Lyra fulsit heri?
Dumque Lyram quæret, medii quoque terga Leonis
In liquidas subito mersa notabit aquas.

Quem modo cælatum stellis Delphina videbas,
Is fugiet visus nocte sequente tuos. 80
Seu fuit occultis felix in amoribus index:
Lesbida cum domino seu tulit ille lyram

Quod mare non novit, quæ nescit Ariona tellus?
Carmine currentes ille tenebat aquas.
Sæpe sequens agnam lupus est hac voce retentus; 85
Sæpe avidum fugiens restitit agna lupum:
Sæpe canes leporesque umbra cubuere sub una·
Et stetit in saxo proxima cerva leæ:
Et sine lite loquax cum Palladis alite cornix
Sedit: et accipitri juncta columba fuit 90
Cynthia sæpe tuis fertur, vocalis Arion,
Tanquam fraternis obstupuisse modis.
Nomen Arionium Siculas impleverat urbes;
Captaque erat lyricis Ausonis ora sonis.
Inde domum repetens puppim conscendit Arion,
Atque ita quæsitas arte ferebat opes. 96
Forsitan, infelix, ventos undamque timebas
At tibi nave tua tutius æquor erat.
Namque gubernator destricto constitit ense,
Cæteraque armata conscia turba manu. 100
Quid tibi cum gladio? dubiam rege, navita, pinum.
Non sunt hæc digitis arma tenenda tuis.
Ille metu vacuus, Mortem non deprecor, inquit;
Sed liceat sumta pauca referre lyra.
Dant veniam, ridentque moram. Capit ille coronam; 105
Quæ possit crines, Phœbe, decere tuos.
Induerat Tyrio bis tinctam murice pallam.
Reddidit icta suos pollice chorda sonos.
Flebilibus veluti numeris canentia dura
Trajectus penna tempora cantat olor. 110
Protinus in medias ornatus desilit undas.
Spargitur impulsa cærula puppis aqua.
Inde (fide majus) tergo delphina recurvo
Se memorant oneri supposuisse novo.
Ille sedens citharamque tenet, pretiumque vehendi 115
Cantat, et æquoreas carmine mulcet aquas.
Di pia facta vident. Astris delphina recepit
Jupiter, et stellas jussit habere novem.

Nunc mihi mille sonos, quoque est memoratus Achilles,
Vellem, Mæonide, pectus inesse tuum; 120
Dum canimus sacras alterno carmine Nonas:
Maximus hinc fastis accumulatur honos.
Deficit ingenium, majoraque viribus urgent.
Hæc mihi præcipuo est ore canenda dies.
Quid volui demens elegis imponere tantum 125
Ponderis? heroi res erat ista pedis
Sancte pater patriæ, tibi plebs, tibi curia nomen
Hoc dedit; hoc dedimus nos tibi nomen eques.
Res tamen ante dedit. Sero quoque vera tulisti
Nomina: jampridem tu pater orbis eras. 130
Hoc tu per terras, quod in æthere Jupiter alto,
Nomen habes. Hominum tu pater, ille deûm
Romule, concedas: facit hic tua magna tuendo
Mœnia; tu dederas transilienda Remo.
Te Tatius, parvique Cures, Cæninaque sensit; 135
Hoc duce Romanum est solis utrumque latus.
Tu breve nescio quid victæ telluris habebas;
Quodcunque est alto sub Jove, Cæsar habet.
Tu rapis, hic castas duce se jubet esse maritas.
Tu recipis luco, submovet ille nefas. 140
Vis tibi grata fuit; florent sub Cæsare leges.
Tu Domini nomen, Principis ille tenet.
Te Remus incusat; veniam dedit hostibus ille.
Cœlestem fecit te pater; ille patrem

Jam puer Idæus media tenus eminet alvo, 145
Et liquidas mixto nectare fundit aquas.
En etiam, si quis Borean horrere solebat,
Gaudeat; a Zephyris mollior aura venit.

Quintus ab æquoreis nitidum jubar extulit undis
Lucifer, et primi tempora veris eunt. 150
Ne fallare tamen; restant tibi frigora, restant;
Magnaque discedens signa relinquit hiems.

Tertia nox veniat: Custodem protinus Ursæ
Adspicies geminos exseruisse pedes.
Inter Hamadryadas jaculatricemque Dianam 155
Callisto sacri pars fuit una chori.
Illa deæ tangens arcus, Quos tangimus, arcus,
Este meæ testes virginitatis, ait.
Cynthia laudavit, Promissaque fœdera serva,
Et comitum princeps tu mihi, dixit, eris. 160
Fœdera servasset, si non formosa fuisset.
Cavit mortales; de Jove crimen habet.
Mille feras Phœbe sylvis venata redibat,
Aut plus, aut medium sole tenente diem.
Ut tetigit lucum, (densa niger ilice lucus; 165
In medio gelidæ fons erat altus aquæ:)
Hac, ait, in sylva, virgo Tegeæa, lavemur:
Erubuit falso virginis illa sono.
Dixerat et Nymphis: Nymphæ velamina ponunt
Hanc pudet, et tardæ dat mala signa moræ. 170
Exuerat tunicas: uteri manifesta tumore
Proditur indicio ponderis ipsa sui.
Cui dea, Virgineos, perjura Lycaoni, cœtus
Desere, nec castas pollue, dixit, aquas.
Luna novum decies implerat cornibus orbem: 175
Quæ fuerat virgo credita, mater erat.
Læsa furit Juno, formam mutatque puellæ.
Quid facis? invito pectore passa Jovem est.
Utque feræ vidit turpes in pellice vultus;
Hujus in amplexus Jupiter, inquit, eat. 180
Ursa per incultos errabat squalida montes,
Quæ fuerat summo nuper amanda Jovi.
Jam tria lustra puer furto conceptus agebat,
Cum mater nato est obvia facta suo.
Illa quidem, tanquam cognosceret, adstitit amens.
Et gemuit: gemitus verba parentis erant. 186
Hanc puer ignarus jaculo fixisset acuto;
Ni foret in superas raptus uterque domos.
Signa propinqua micant. Prior est, quam dicimus Arcton;
Arctophylax formam terga sequentis habet. 190
Sævit adhuc, canamque rogat Saturnia Tethyn,
Mænaliam tactis ne lavet Arcton aquis.

Idibus agrestis fumant altaria Fauni,
Hic ubi discretas insula rumpit aquas.
Hæc fuit illa dies, in qua Veientibus arvis 195
Ter centum Fabii, ter cecidere duo.
Una domus vires et onus susceperat urbis:
Sumunt gentiles arma professa manus.
Egreditur castris miles generosus ab isdem,
E quis dux fieri quilibet aptus erat. 200
Carmentis portæ dextro via proxima Jano est.
Ire per hanc noli, quisquis es; omen habet
Illa fama refert Fabios exisse trecentos.
Porta vacat culpa; sed tamen omen habet.
Ut celeri passu Cremeram tetigere rapacem, 205
(Turbidus hibernis ille fluebat aquis,)
Castra loco ponunt; destrictis ensibus ipsi
Tyrrhenum valido Marte per agmen eunt
Non aliter, quam cum Libyca de rupe leones
Invadunt sparsos lata per arva greges. 210

Diffugiunt hostes, inhonestaque vulnera tergo
Accipiunt: Tusco sanguine terra rubet.
Sic iterum, sic sæpe cadunt. Ubi vincere aperte
Non datur, insidias armaque cæca parant.
Campus erat: campi claudebant ultima colles, 215
Sylvaque montanas occulere apta feras.
In medio paucos, armentaque rara relinquunt;
Cætera virgultis abdita turba latet.
Ecce, velut torrens undis pluvialibus auctus,
Aut nive, quæ Zephyro victa tepente fluit, 220
Per sata perque vias fertur, nec, ut ante solebat,
Riparum clausas margine finit aquas:
Sic Fabii latis vallem discursibus implent;
Quosque vident, sternunt: nec metus alter inest.
Quo ruitis, generosa domus? male creditur hosti.
Simplex nobilitas, perfida tela cave. 226
Fraude perit virtus. In apertos undique campos
Prosiliunt hostes, et latus omne tenent.
Quid faciant pauci contra tot millia fortes?
Quidve, quod in misero tempore restet, habent? 231
Sicut aper, sylvis longe Laurentibus actus,
Fulmineo celeres dissipat ore canes;
Mox tamen ipse perit: sic non moriuntur inulti,
Vulneraque alterna dantque feruntque manu.
Una dies Fabios ad bellum miserat omnes: 235
Ad bellum missos perdidit una dies.
Ut tamen Herculeæ superessent semina gentis,
Credibile est ipsos consuluisse deos.
Nam puer impubes, et adhuc non utilis armis,
Unus de Fabia gente relictus erat. 240
Scilicet ut posses olim tu, Maxime, nasci,
Cui res cunctando restituenda foret.

Continuata loco tria sidera, Corvus et Anguis,
Et medius Crater inter utrumque jacet.
Idibus illa latent: oriuntur nocte sequenti. 245
Quæ sibi cur tria sint consociata, canam.
Forte Jovi festum Phœbus sollenne parabat:
Non faciet longas fabula nostra moras.
I mea, dixit, avis, ne quid pia sacra moretur,
Et tenuem vivis fontibus affer aquam. 250
Corvus inauratum pedibus cratera recurvis
Tollit, et aerium pervolat altus iter.
Stabat adhuc duris ficus densissima pomis.
Tentat eam rostro; non erat apta legi.
Immemor imperii sedisse sub arbore fertur, 255
Dum fierent tarda dulcia poma mora.
Jamque satur, nigris longum rapit unguibus hydrum,
Ad dominumque redit, fictaque verba refert:
Hic mihi causa moræ vivarum obsessor aquarum;
Hic tenuit fontes, officiumque meum. 260
Addis, ait, culpæ mendacia, Phœbus, et audes
Fatidicum verbis fallere velle deum?
At tibi, dum lactens hærebit in arbore ficus,
De nullo gelidæ fonte bibantur aquæ.
Dixit: et antiqui monumenta perennia facti 265
Anguis, Avis, Crater, sidera juncta micant.

Tertia post Idus nudos Aurora Lupercos
Adspicit: et Fauni sacra bicornis eunt.
Dicite, Pierides, sacrorum quæ sit origo,
Attigerint Latias unde petita domos. 270
Pana deum pecoris veteres coluisse feruntur
Arcades; Arcadiis plurimus ille jugis.
Testis erit Pholoe, testes Stymphalides undæ,
Quique citis Ladon in mare currit aquis,
Cinctaque pinetis nemoris juga Nonacrini, 275
Altaque Cyllene, Parrhasiæque nives.
Pan erat armenti custos, Pan numen equarum.
Munus ob incolumes ille ferebat oves.
Transtulit Evander sylvestria numina secum.
Hic, ubi nunc urbs est, tum locus urbis erat. 280
Inde deum colimus, devectaque sacra Pelasgis
Flamen adhuc prisco more Dialis erat.
Cur igitur currant, et cur (sic currere mos est)
Nuda ferant posita corpora veste, rogas?
Ipse deus velox discurrere gaudet in altis 285
Montibus, et subitas concitat ille feras.
Ipse deus nudus nudos jubet ire ministros:
Nec satis ad cursum commoda vestis erat.
Ante Jovem genitum terras habuisse feruntur
Arcades: et Luna gens prior illa fuit. 290
Vita feræ similis, nullos agitata per usus·
Artis adhuc expers, et rude vulgus erant.
Pro domibus frondes norant, pro frugibus herbas
Nectar erat palmis hausta duabus aqua.
Nullus anhelabat sub adunco vomere taurus: 295
Nulla sub imperio terra colentis erat:
Nullus adhuc erat usus equi: se quisque ferebat
Ibat ovis lana corpus amicta sua.
Sub Jove durabant, et corpora nuda gerebant,
Docta graves imbres et tolerare Notos. 300
Nunc quoque detecti referunt monumenta vetusti
Moris, et antiquas testificantur opes.
Sed cur præcipue fugiat velamina Faunus,
Traditur antiqui fabula plena joci.
Forte comes dominæ juvenis Tirynthius ibat: 305
Vidit ab excelso Faunus utrumque jugo.
Vidit, et incaluit, Montanaque numina, dixit,
Nil mihi vobiscum est: hæc meus ardor erit.
Ibat odoratis humeros perfusa capillis
Mæonis, aurato conspicienda sinu 310
Aurea pellebant rapidos umbracula soles;
Quæ tamen Herculeæ sustinuere manus.
Jamque nemus Bacchi, Tmoli vineta, tenebat,
Hesperus et fusco roscidus ibat equo.
Antra subit, tophis laqueataque pumice vivo. 315
Garrulus in primo limine rivus erat.
Dumque parant epulas potandaque vina ministri
Cultibus Alciden instruit illa suis.
Dat tenues tunicas, Gætulo murice tinctas:
Dat teretem zonam, qua modo cincta fuit. 320
Ventre minor zona est: tunicarum vincla re laxat,
Ut possit vastas exseruisse manus.
Fregerat armillas non illa ad brachia factas:
Stringebant magnos vincula parva pedes.
Ipsa capit clavamque gravem, spoliumque leonis,
Conditaque in pharetra tela minora sua. 326
Sic epulis functi, sic dant sua corpora somno;
Et positis juxta secubuere toris.
Causa, repertori vitis pia sacra parabant,
Quæ facerent pure, cum foret orta dies. 330
Noctis erat medium; (quid non amor improbus audet?)
Roscida per tenebras Faunus ad antra venit.
Utque videt somno comites vinoque solutos,
Spem capit in dominis esse soporis idem.
Intrat, et huc illuc temerarius errat adulter: 335
Et præfert cautas subsequiturque manus.
Venerat ad strati captata cubilia lecti;
Et prima felix sorte futurus erat.
Ut tetigit fulvi setis hirsuta leonis
Vellera, pertimuit, sustinuitque manum; 340
Attonitusque metu rediit, ut sæpe viator
Turbatum viso retulit angue pedem.
Inde tori, qui junctus erat, velamina tangit
Mollia, mendaci decipiturque nota.

Adscendit, spondaque sibi propiore recumbit; 345
Et rigido cornu durius inguen erat.
Interea tunicas ora subducit ab ima:
Horrebant densis aspera crura pilis.
Cætera tentantem cubito Tirynthius heros
Repulit, et summo decidit ille toro. 350
Fit sonus: inclamat comites, et lumina poscit
Mænonis. Illatis ignibus acta patent.
Ille gemit lecto graviter dejectus ab alto:
Membraque de dura vix sua tollit humo.
Ridet et Alcides, et qui videre jacentem; 355
Ridet amatorem Lyda puella suum.
Veste deus lusus fallentes lumina vestes
Non amat, et nudos ad sua sacra vocat.
Adde peregrinæ causam, mea Musa, Latinam:
Inque suo noster pulvere currat equus. 360
Cornipedi Fauno cæsa de more capella
Venit ad exiguas turba vocata dapes.
Dumque sacerdotes verubus transsuta salignis
Exta parant, medias sole tenente vias;
Romulus, et frater, pastoralisque juventus, 365
Solibus et campo corpora nuda dabant:
[Cæstibus, et jaculis, et missi pondere saxi
Brachia per lusus experienda dabant.]
Pastor ab excelso, Per devia rura juvencos,
Romule, prædones, eripe, dixit. agunt, 370
Longum erat armari. Diversis exit uterque
Partibus. Accursu præda recepta Remi.
Ut rediit, verubus stridentia detrahit exta;
Atque ait, Hæc certe non nisi victor edet.
Dicta facit, Fabiique simul. Venit irritus illuc
Romulus, et mensas ossaque nuda videt. 376
Risit; et indoluit Fabios potuisse Remumque
Vincere, Quinctilios non potuisse suos.
Fama manet facti: posito velamine currunt,
Et memorem famam, quod bene cessit, habet.
Forsitan et quæras, cur sit locus ille Lupercal, 381
Quæve diem tali nomine causa notet.
Ilia Vestalis cœlestia semina partu
Ediderat, patruo regna tenente suo.
Is jubet auferri parvos, et in amne necari. 385
Quid facis? ex istis Romulus alter erit.
Jussa recusantes peragunt lacrymosa ministri.
Flent tamen, et geminos in loca jussa ferunt.
Albula, quem Tibrin mersus Tiberinus in unda
Reddidit, hibernis forte tumebat aquis. 390
Hic, ubi nunc fora sunt, lintres errare videres,
Quaque jacent valles, Maxime Circe, tuæ.
Huc ubi venerunt, (neque enim procedere possunt
Longius,) ex illis unus, an alter, ait:
At quam sunt similes! at quam formosus uterque!
Plus tamen ex illis iste vigoris habet. 396
Si genus arguitur vultu, ni fallit imago,
Nescio quem vobis suspicor esse deum.
At si quis vestræ deus esset originis auctor,
In tam præcipiti tempore ferret opem. 400
Ferret opem certe, si non ope mater egeret,
Quæ facta est uno mater et orba die.
Nata simul, peritura simul, simul ite sub undas
Corpora. Desierat; deposuitque sinu.
Vagierunt clamore pari: sentire putares. 405
Hi redeunt udis in sua tecta genis.
Sustinet impositos summa cavus alveus unda.
Heu quantum fati parva tabella vehit!
Alveus in limo sylvis appulsus opacis,
Paullatim fluvio deficiente, sedet. 410
Arbor erat: remanent vestigia, quæque vocatur
Rumina nunc ficus, Romula ficus erat.
Venit ad expositos (mirum) lupa feta gemellos.
Quis credat pueris non nocuisse feram?
Non nocuisse parum est; prodest quoque: quos lupa nutrit, 415
Prodere cognatæ sustinuere manus.
Constitit, et cauda teneris blanditur alumnis,
Et fingit lingua corpora bina sua.
Marte satos scires; timor abfuit. Ubera ducunt,
Nec cibi promissi lactis aluntur ope. 420
Illa loco nomen fecit, locus ipse Lupercis.
Magna dati nutrix præmia lactis habet.
Quid vetat Arcadio dictos a monte Lupercos?
Faunus in Arcadia templa Lycæus habet.
Nupta, quid exspectas? non tu pollentibus herbis,
Nec prece, nec magico carmine mater eris. 426
Excipe fecundæ patienter verbera dextræ;
Jam socer optati nomen habebit avi.
Nam fuit illa dies, dura cum sorte maritæ
Reddebant uteri pignora rara sui. 430
Quid mihi, clamabat, prodest rapuisse Sabinas,
Romulus? (hoc illo sceptra tenente fuit:)
Si mea non vires, sed bellum injuria fecit,
Utilius fuerat non habuisse nurus.
Monte sub Esquilio, multis incæduus annis, 435
Junonis magnæ nomine lucus erat.
Huc ubi venerunt, pariter nuptæque virique
Suppliciter posito procubuere genu.
Cum subito motæ tremuere cacumina sylvæ,
Et dea per lucos mira locuta suos. 440
Italidas matres, inquit, caper hirtus inito.
Obstupuit dubio territa turba sono.
Augur erat: nomen longis intercidit annis.
Nuper ab Etrusca venerat exsul humo.
Ille caprum mactat: jussæ sua terga maritæ 445
Pellibus exsectis percutienda dabant.
Luna resumebat decimo nova cornua motu;
Virque pater subito, nuptaque mater erat.
Gratia Lucinæ: dedit hæc tibi nomina lucus;
Aut quia principium tu, dea, lucis habes. 450
Parce precor gravidis, facilis Lucina, puellis,
Maturumque utero molliter effer onus.

Orta dies fuerit; tu desine credere ventis.
Perdidit illius temporis aura fidem.
Flamina non constant: et sex reserata diebus 455
Carceris Æolii janua laxa patet.

Jam levis obliqua subsidit Aquarius urna.
Proximus ætherios excipe, Piscis, equos.
Te memorant fratremque tuum (nam juncta micatis
Signa) duos tergo sustinuisse deos. 460
Terribilem quondam fugiens Typhona Dione,
Tunc cum pro cœlo Jupiter arma tulit,
Venit ad Euphraten comitata Cupidine parvo,
Inque Palæstinæ margine sedit aquæ.
Populus et cannæ riparum summa tenebant: 465
Spemque dabant salices, hos quoque posse tegi.
Dum latet, insonuit vento nemus. Illa timore
Pallet, et hostiles credit adesse manus.
Utque sinu natum tenuit, Succurrite, Nymphæ,
Et dis auxilium ferte duobus, ait. 470
Nec mora; prosiluit. Pisces subiere gemelli.
Pro quo nunc dignum sidera munus habent.
Inde nefas ducunt genus hoc imponere mensis,
Nec violant timidi piscibus ora Syri.

Proxima lu xvacua est: at tertia dicta Quirino.
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit. 476
Sive quod hasta curis priscis est dicta Sabinis,
Bellicus a telo venit in astra deus;

Sive suum regi nomen posuere Quirites;
Sed quia Romanis junxerat ille Cures. 480
Nam pater armipotens, postquam nova mœnia vidit,
Multaque Romulea bella peracta manu,
Jupiter, inquit, habet Romana potentia vires:
Sanguinis officio non eget illa mei.
Redde patri natum: quamvis intercidit alter, 485
Pro se, proque Remo, qui mihi restat erit.
Unus erit, quem tu tolles in cærula cœli,
Tu mihi dixisti: sint rata dicta Jovis.
Jupiter annuerat. Nutu tremefactus uterque
Est polus, et cœli pondera sensit Atlas. 490
Est locus, antiqui Capream dixere paludem;
Forte tuis illic, Romule, jura dabas.
Sol fugit, et removent subeuntia nubila cœlum:
Et gravis effusis decidit imber aquis.
Hinc tonat, hinc missis abrumpitur ignibus æther.
Fit fuga, rex patriis astra petebat equis. 496
Luctus erat, falsæque latres in crimine cædis.
Hæsissetque animis forsitan illa fides;
Sed Proculus Longa veniebat Julius Alba;
Lunaque fulgebat, nec facis usus erat: 500
Cum subito motu nubes crepuere sinistræ.
Retulit ille gradus; horrueruntque comæ.
Pulcher, et humano major, trabeaque decorus
Romulus in media visus adesse via;
Et dixisse simul, Prohibe lugere Quirites; 505
Nec violent lacrymis numina nostra suis.
Thura ferant, placentque novum pia turba Quirinum,
Et patrias artes militiamque colant.
Jussit, et in tenues oculis evanuit auras.
Convocat hic populos, jussaque verba refert.
Templa deo fiunt: collis quoque dictus ab illo; 511
Et referunt certi sacra paterna dies.
Lux quoque cur eadem Stultorum festa vocetur,
Accipe: parva quidem causa, sed apta subest.
Non habuit tellus doctos antiqua colonos: 515
Lassabant agiles aspera bella viros.
Plus erat in gladio, quam curvo laudis aratro;
Neglectus domino pauca ferebat ager.
Farra tamen veteres jaciebant, farra metebant:
Primitias Cereri farra resecta dabant. 520
Usibus admoniti flammis torrenda dedere:
Multaque peccato damna tulere suo.
Nam modo verrebant nigras pro farre favillas;
Nunc ipsas igni corripuere casas.
Facta dea est Fornax: læti Fornace coloni 525
Orant, ut fruges temperet illa suas.
Curio legitimis nunc Fornacalia verbis
Maximus indicit: nec stata sacra facit:
Inque foro, multa circum pendente tabella,
Signatur certa curia quæque nota. 530
Stultaque pars populi, quæ sit sua curia, nescit;
Sed facit extrema sacra relata die.

Est honor et tumulis. Animas placate paternas.
Parvaque in exstinctas munera ferte pyras.
Parva petunt manes: pietas pro divite grata est
Munere: non avidos Styx habet ima deos, 536
Tegula projectis satis est velata coronis,
Et sparsæ fruges, parcaque mica salis,
Inque mero mollita Ceres, violæque solutæ.
Hæc habeat media testa relicta via. 540
Nec majora veto: sed et his placabilis umbra est.
Adde preces, positis et sua verba focis.
Hunc morem Æneas, pietatis idoneus auctor,
Attulit in terras, juste Latine, tuas.
Ille patris Genio sollennia dona ferebat; 545
Hinc populi ritus edidicere pios.
At quondam, dum longa gerunt pugnacibus armis
Bella, parentales deseruere dies.
Non impune fuit: nam dicitur omine ab isto
Roma suburbanis incaluisse rogis. 550
Vix equidem credo; bustis exisse feruntur,
Et tacitæ questi tempore noctis avi.
Perque vias urbis, Latiosque ululasse per agros
Deformes animas, vulgus inane, ferunt.
Post ea præteriti tumulis redduntur honores; 555
Prodigiisque venit funeribusque modus.
Dum tamen hæc fiunt, viduæ cessate puellæ:
Exspectet puros pinea tæda dies.
Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas hasta recurva comas. 560
Conde tuas, Hymenæe, faces, et ab ignibus atris
Aufer; habent alias mæsta sepulcra faces.
Di quoque templorum foribus celentur opertis:
Thure vacent aræ, stentque sine igne foci.
Nunc animæ tenues, et corpora functa sepulcris
Errant: nunc posito pascitur umbra cibo. 566
Nec tamen hæc ultra, quam tot de mense supersint
Luciferi, quot habent carmina nostra pedes.
Hanc, quia justa ferunt, dixere Feralia lucem.
Ultima placandis manibus illa dies. 570
Ecce anus in mediis residens annosa puellis
Sacra facit Tacitæ; vix tamen ipsa tacet.
Et digitis tria thura tribus sub limine ponit,
Qua brevis occultum mus sibi fecit iter.
Tum cantata ligat cum fusco licia rhombo, 575
Et septem nigras versat in ore fabas.
Quodque pice adstrinxit, quod acu trajecit aena,
Obsutum mænæ torret in igne caput.
Vina quoque instillat. Vini quodcunque relictum est,
Aut ipsa aut comites, plus tamen ipsa, bibit.
Hostiles linguas inimicaque vinximus ora, 581
Dicit, discedens, ebriaque exit anus.
Forsitan a nobis, quæ sit Dea Muta, requiras.
Disce, per antiquos quæ mihi nota senes.
Jupiter, indomito Juturnæ captus amore, 585
Multa tulit, tanto non patienda deo.
Illa modo in sylvis inter coryleta latebat;
Nunc in cognatas desiliebat aquas.
Convocat hic Nymphas, Latium, quotcunque tenebas,
Et jacit in medio talia verba choro: 590
Invidet ipsa sibi, vitatque, quod expedit illi,
Vestra soror summo jungere membra deo.
Consulite ambobus: nam quæ mea magna voluptas,
Utilitas vestræ magna sororis erit.
Vos illi in prima fugienti obsistite ripa, 595
Ne sua fluminea corpora mergat aqua.
Dixerat: annuerunt Nymphæ Tiberinides omnes,
Quæque colunt thalamos, Ilia diva, tuos.
Forte fuit Nais, Lara nomine: prima sed illi
Dicta bis antiquum syllaba nomen erat, 600
Ex vitio positum. Sæpe illi dixerat Almo,
Nata, tene linguam; nec tamen illa tenet.
Quæ, simul ac tetigit Juturnæ stagna sororis,
Effuge, ait, ripas; dicta refertque Jovis.
Illa etiam Junonem adiit; miserataque nuptam,
Naida Juturnam vir tuus, inquit, amat. 606
Jupiter intumuit; quaque est non usa modeste,
Eripuit linguam, Mercuriumque vocat;
Duc, ait, ad manes; locus ille silentibus aptus.
Nympha, sed infernæ Nympha paludis, erit. 610

Jussa Jovis fiunt; accepit lucus euntes.
Dicitur illa duci tum placuisse deo.
Vim parat hic: vultu pro verbis illa precatur,
Et frustra muto nititur ore loqui.
Fitque gravis; geminosque parit, qui compita servant, 615
Et vigilant nostra semper in urbe, Lares.

Proxima cognati dixere Caristia cari,
Et venit ad socias turba propinqua dapes.
Scilicet a tumulis, et, qui periere, propinquis,
Protinus ad vivos ora referre juvat: 620
Postque tot amissos, quicquid de sanguine restat,
Adspicere, et generis dinumerare gradus.
Innocui veniant: procul hinc, procul impius esto
Frater, et in partus mater acerba suos:
Cui pater est vivax, qui matris digerit annos: 625
Quæ premit invisam socrus iniqua nurum.
Tantalidæ fratres absint, et Iasonis uxor,
Et quæ ruricolis semina tosta dedit:
Et soror, et Procne, Tereusque duabus iniquus:
Et quicunque suas per scelus auget opes. 630
Dis generis date thura boni. Concordia fertur
Illo præcipue mitis adesse die.
Et libate dapes: ut grati pignus honoris
Nutriat incinctos missa patella Lares.
Jamque ubi suadebit placidos nox ultima somnos, 635
Parca precaturæ sumite vina manus:
Et, Bene nos, patriæ, bene te, pater, optime Cæsar,
Dicite, suffuso per sacra verba mero.

Nox ubi transierit, solito celebretur honore,
Separat indicio qui deus arva suo. 640
Termine, sive lapis, sive es defossus in agro
Stipes ab antiquis, sic quoque numen habes.
Te duo diversa domini pro parte coronant;
Binaque serta tibi, binaque liba ferunt.
Ara fit: huc ignem curto fert rustica testu 645
Sumtum de tepidis ipsa colona focis.
Ligna senex minuit, concisaque construit alte:
Et solida ramos figere pugnat humo.
Dum sicco primas irritat cortice flammas,
Stat puer, et manibus lata canistra tenet. 650
Inde, ubi ter fruges medios immisit in ignes,
Porrigit incisos filia parva avos.
Vina tenent alii: libantur singula flammis.
Spectant, et linguis candida turba favent.
Spargitur et cæsa communis Terminus agna; 655
Nec queritur, lactens cum sibi porca datur.
Conveniunt, celebrantque dapes vicinia simplex,
Et cantant laudes, Termine sancte, tuas.
Tu populos, urbesque, et regna ingentia finis:
Omnis erit sine te litigiosus ager. 660
Nulla tibi ambitio est: nullo corrumperis auro.
Legitima servas credita rura fide.
Si tu signasses olim Thyreatida terram,
Corpora non leto missa trecenta forent:
Nec foret Othryades congestis tectus in armis. 665
O quantum patriæ sanguinis ille dedit!
Quid, nova cum fierent Capitolia? nempe deorum
Cuncta Jovi cessit turba, locumque dedit.
Terminus, ut veteres memorant, conventus in æde
Restitit: et magno cum Jove templa tenet. 670
Nunc quoque, se supra ne quid nisi sidera cernat,
Exiguum templi tecta foramen habent.
Termine, post illud levitas tibi libera non est:
Qua positus fueris in statione, mane.
Nec tu vicino quicquam concede roganti; 675
Ne videare hominem præposuisse Jovi.
Et seu vomeribus, seu tu pulsabere rastris,
Clamato, Meus est hic ager, ille tuus.
Est via, quæ populum Laurentes ducit in agros,
Quondam Dardanio regna petita duci. 680
Illac lanigeri pecoris tibi, Termine, fibris
Sacra videt fieri sextus ab Urbe lapis.
Gentibus est aliis tellus data limite certo;
Romanæ spatium est Urbis et orbis idem.

Nunc dicenda mihi regis fuga. Traxit ab illa
Sextus ab extremo nomina mense dies. 686
Ultima Tarquinius Romanæ gentis habebat
Regna, vir injustus, fortis ad arma tamen.
Ceperat hic alias, alias everterat urbes;
Et Gabios turpi fecerat arte suos. 690
Namque trium minimus, proles manifesta Superbi,
In medios hostes nocte silente venit.
Nudarant gladios: Occidite, dixit, inermem.
Hoc cupiant fratres, Tarquiniusque pater;
Qui mea crudeli laceravit verbere terga. 695
Dicere ut hoc posset, verbera passus erat.
Luna fuit. Spectant juvenem, gladiosque recondunt:
Tergaque, deducta veste, notata vident.
Flent quoque, et ut secum tueatur bella, precantur.
Callidus ignaris annuit ille viris. 700
Jamque potens, misso genitorem appellat amico,
Prodendi Gabios quod sibi monstret iter.
Hortus odoratis suberat cultissimus herbis,
Sectus humum rivo lene sonantis aquæ.
Illic Tarquinius mandata latentia nati 705
Accipit, et virga lilia summa metit.
Nuntius ut rediit, decussaque lilia dixit;
Filius, Agnosco jussa parentis, ait.
Nec mora: principibus cæsis ex urbe Gabina,
Traduntur ducibus mœnia nuda suis. 710
Ecce (nefas visu) mediis altaribus anguis
Exit, et exstinctis ignibus exta rapit.
Consulitur Phœbus. Sors est ita reddita: Matri
Qui dederit princeps oscula, victor erit.
Oscula quisque suæ matri properata tulerunt, 715
Non intellecto credula turba deo.
Brutus erat stulti sapiens imitator, ut esset
Tutus ab insidiis, dire Superbe, tuis.
Ille, jacens pronus, matri dedit oscula terræ,
Creditus offenso procubuisse pede. 720
Cingitur interea Romanis Ardea signis,
Et patitur lentas obsidione moras.
Dum vacat, et metuunt hostes committere pugnam;
Luditur in castris: otia miles agit.
Tarquinius juvenis socios dapibusque meroque
Accipit, atque illis rege creatus ait: 726
Dum nos difficilis pigro tenet Ardea bello,
Nec sinit ad patrios arma referre deos;
Ecquid in officio torus est socialis? et ecquid
Conjugibus nostris mutua cura sumus? 730
Quisque suam laudant: studiis certamina crescunt,
Et fervent multo linguaque corque mero.
Surgit, cui clarum dederat Collatia nomen;
Non opus est verbis, credite rebus, ait.
Nox superest: tollamur equis, Urbemque petamus. 735
Dicta placent; frenis impediuntur equi.
Pertulerant dominos. Regalia protinus illi
Tecta petunt; custos in fore nullus erat.

Ecce nurum regis fusis per colla coronis
Inveniunt posito pervigilare mero. 740
Inde cito passu petitur Lucretia. Nebat:
Ante torum calathi lanaque mollis erant.
Lumen ad exiguum famulæ data pensa trahebant;
Inter quas tenui sic ait ipsa sono:
Mittenda est domino (nunc, nunc properate, puellæ) 745
Quamprimum nostra facta lacerna manu.
Quid tamen audistis? nam plura audire soletis:
Quantum de bello dicitur esse super?
Postmodo victa cades: melioribus, Ardea, restas,
Improba, quæ nostros cogis abesse viros! 750
Sint tantum reduces. Sed enim temerarius ille
Est meus, et stricto quolibet ense ruit.
Mens abit, et morior, quoties pugnantis imago
Me subit: et gelidum pectora frigus habet.
Desinit in lacrymas, intentaque fila remittit, 755
In gremio vultum deposuitque suum.
Hoc ipsum decuit: lacrymæ decuere pudicam:
Et facies animo dignaque parque fuit.
Pone metum, venio, conjux ait. Illa revixit;
Deque viri collo dulce pependit onus. 760
Interea juvenis furiales regius ignes
Concipit, et cæco raptus amore furit.
Forma placet, niveusque color, flavique capilli;
Quique aderat nulla factus ab arte decor.
Verba placent, et vox; et quod corrumpere non est: 765
Quoque minor spes est, hoc magis ille cupit.
Jam dederat cantum lucis prænuntius ales;
Cum referunt juvenes in sua castra pedem.
Carpitur attonitos absentis imagine sensus
Ille: recordanti plura magisque placent. 770
Sic sedit: sic culta fuit: sic stamina nevit:
Neglectæ collo sic jacuere comæ:
Hos habuit vultus: hæc illi verba fuere:
Hic decor, hæc facies, hic color oris erat.
Ut solet a magno fluctus languescere flatu; 775
Sed tamen a vento, qui fuit, unda tumet:
Sic, quamvis aberat placitæ præsentia formæ,
Quem dederat præsens forma, manebat amor.
Ardet; et injusti stimulis agitatus amoris
Comparat indigno vimque dolumque toro. 780
Exitus in dubio est: audebimus ultima, dixit.
Viderit audentes forsne deusne juvet.
Cepimus audendo Gabios quoque. Talia fatus
Ense latus cingit, tergaque pressit equi.
Accipit ærata juvenem Collatia porta, 785
Condere jam vultus sole parante suos.
Hostis, ut hospes, init penetralia Collatina:
Comiter excipitur; sanguine junctus erat.
Quantum animis erroris inest! parat inscia rerum
Infelix epulas hostibus illa suis. 790
Functus erat dapibus: poscunt sua tempora somni.
Nox erat, et tota lumina nulla domo.
Surgit, et auratum vagina liberat ensem:
Et venit in thalamos, nupta pudica, tuos.
Utque torum pressit; Ferrum, Lucretia, mecum est: 795
Natus, ait, regis, Tarquiniusque vocor.
Illa nihil: neque enim vocem viresque loquendi,
Aut aliquid toto pectore mentis habet.
Sed tremit, ut quondam stabulis deprensa relictis,
Parva sub infesto cum jacet agna lupo. 800
Quid faciat? pugnet? vincetur fœmina pugna.
Clamet? at in dextra, qui necet, ensis adest.
Effugiat? positis urgentur pectora palmis,
Nunc primum externa pectora tacta manu.
Instat amans hostis precibus, pretioque, minisque; 805
Nec prece, nec pretio, nec movet ille minis.
Nil agis; eripiam, dixit, pro crimine vitam:
Falsus adulterii testis adulter erit.
Interimam famulum, cum quo deprensa fereris.
Succubuit famæ victa puella metu. 810
Quid victor gaudes? hæc te victoria perdet.
Heu quanto regnis nox stetit una tuis!
Jamque erat orta dies: passis sedet illa capillis,
Ut solet ad nati mater itura rogum.
Grandævumque patrem fido cum conjuge castris
Evocat: et posita venit uterque mora. 816
Utque vident habitum; quæ luctus causa, requirunt:
Cui paret exsequias, quove sit icta malo.
Illa diu reticet, pudibundaque celat amictu
Ora: fluunt lacrymæ more perennis aquæ. 820
Hinc pater, hinc conjux lacrymas solantur, et orant
Indicet: et cæco flentque paventque metu.
Ter conata loqui; ter destitit: ausaque quarto,
Non oculos adeo sustulit illa suos.
Hoc quoque Tarquinio debebimus? eloquar, inquit, 825
Eloquar infelix dedecus ipsa meum.
Quæque potest narrat. Restabant ultima; flevit,
Et matronales erubuere genæ.
Dant veniam facto genitor conjuxque coacto.
Quam, dixit, veniam vos datis, ipsa nego. 830
Nec mora; celato figit sua pectora ferro;
Et cadit in patrios sanguinolenta pedes.
Tunc quoque, jam moriens, ne non procumbat honeste
Respicit. Hæc etiam cura cadentis erat.
Ecce super corpus communia damna gementes,
Obliti decoris, virque paterque jacent. 836
Brutus adest; tandemque animo sua nomina fallit:
Fixaque semanimi corpore tela rapit.
Stillantemque tenens generoso sanguine cultrum,
Edidit impavidos ore minante sonos: 840
Per tibi ego hunc juro fortem castumque cruorem,
Perque tuos manes, qui mihi numen erunt;
Tarquinium pœnas profuga cum stirpe daturum.
Jam satis est virtus dissimulata diu.
Illa jacens ad verba oculos sine lumine movit;
Visaque concussa dicta probare coma. 846
Fertur in exsequias animi matrona virilis,
Et secum lacrymas invidiamque trahit.
Vulnus inane patet. Brutus clamore Quirites
Concitat, et regis facta nefanda refert. 850
Tarquinius cum prole fugit. Capit annua consul
Jura. Dies regnis illa suprema fuit.

Fallimur? an veris prænuntia venit hirundo,
Et metuit, ne qua versa recurrat hiems?
Sæpe tamen, Procne, nimium properasse quereris, 855
Virque tuo Tereus frigore lætus erit.

Jamque duæ restant noctes de mense secundo,
Marsque citos junctis curribus urget equos:
Ex vero positum permansit Equiria nomen,
Quæ deus in Campo prospicit ipse suo. 860
Jure venis, Gradive; locum tua tempora poscunt;
Signatusque tuo nomine mensis adest.
Venimus in portum, libro cum mense peracto.
Naviget hinc alia jam mihi linter aqua.

LIBER TERTIUS.

Bellice, depositis clypeo paulisper et hasta,
Mars, ades, et nitidas casside solve comas.
Forsitan ipse roges, quid sit cum Marte poetæ.
A te, qui canitur, nomina mensis habet.
Ipse vides manibus peragi fera bella Minervæ. 5
Num minus ingenuis artibus illa vacat?
Palladis exemplo ponendæ tempora sume
Cuspidis. Invenies et quod inermis agas.
Tum quoque inermis eras, cum te Romana sacerdos
Cepit, ut huic Urbi semina digna dares. 10
Ilia Vestalis (quid enim vetat inde moveri?)
Sacra lavaturas mane petebat aquas.
Ventum erat ad molli declivem tramite ripam:
Ponitur e summa fictilis urna coma.
Fessa resedit humi, ventosque accepit aperto 15
Pectore, turbatas restituitque comas.
Dum sedet; umbrosæ salices, volucresque canoræ
Fecerunt somnos, et leve murmur aquæ.
Blanda quies victis furtim subrepit ocellis,
Et cadit a mento languida facta manus. 20
Mars videt hanc, visamque cupit, potiturque cupitam:
Et sua divina furta fefellit ope.
Somnus abit: jacet illa gravis. Jam scilicet intra
Viscera, Romanæ conditor urbis, eras.
Languida consurgit; nec scit cur languida surgat:
Et peragit tales arbore nixa sonos: 26
Utile sit faustumque, precor, quod imagine somni
Vidimus. An somno clarius illud erat?
Ignibus Iliacis aderam: cum lapsa capillis
Decidit ante sacros lanea vitta focos. 30
Inde duæ pariter, visu mirabile, palmæ
Surgunt. Ex illis altera major erat:
Et gravibus ramis totum protexerat orbem;
Contigeratque nova sidera summa coma.
Ecce meus ferrum patruus molitur in illas. 35
Terreor admonitu; corque timore micat.
Martia picus avis gemino pro stipite pugnant,
Et lupa. Tuta per hos utraque palma fuit.
Dixerat; et plenam non firmis viribus urnam
Sustulit. Implerat, dum sua visa refert. 40
Interea crescente Remo, crescente Quirino,
Cœlesti tumidus pondere venter erat.
Quo minus emeritis exiret cursibus annus,
Restabant nitido jam duo signa deo.
Sylvia fit mater: Vestæ simulacra feruntur 45
Virgineas oculis opposuisse manus.
Ara deæ certe tremuit pariente ministra,
Et subiit cineres territa flamma suos.
Hæc ubi cognovit contemtor Amulius æqui,
(Nam raptas fratri victor habebat opes,) 50
Amne jubet mergi geminos. Scelus unda refugit.
In sicca pueri destituuntur humo.
Lacte quis infantes nescit crevisse ferino,
Et picum expositis sæpe tulisse cibos?
Non ego te, tantæ nutrix Larentia gentis, 55
Nec taceam vestras, Faustule pauper, opes.
Vester honos veniet, cum Larentalia dicam:
Acceptus Geniis illa December habet.
Martia ter senos proles adoleverat annos:
Et suberat flavæ jam nova barba comæ. 60
Omnibus agricolis armentorumque magistris
Iliadæ fratres jura petita dabant.
Sæpe domum veniunt prædonum sanguine læti,
Et redigunt actos in sua rura boves.
Ut genus audierunt; animos pater editus auget: 65
Et pudet in paucis nomen habere casis:
Romuleoque cadit trajectus Amulius ense:
Regnaque longævo restituuntur avo.
Mœnia conduntur: quæ, quamvis parva fuerunt,
Non tamen expediit transiluisse Remo. 70
Jam, modo qua fuerant sylvæ, pecorumque recessus,
Urbs erat; æternæ cum pater urbis ait:
Arbiter armorum, de cujus sanguine natus
Credor; et ut credar, pignora certa dabo:
A te principium Romano ducimus anno: 75
Primus de patrio nomine mensis eat.
Vox rata fit, patrioque vocat de nomine mensem.
Dicitur hæc pietas grata fuisse deo.
Et tamen ante omnes Martem coluere priores.
Hoc dederat studiis bellica turba suis. 80
Pallada Cecropidæ, Minoia Creta Dianam,
Vulcanum tellus Hypsipylea colit:
Junonem Sparte, Pelopeiadesque Mycenæ:
Pinigerum Fauni Mænalis ora caput.
Mars Latio venerandus erat, quia præsidet armis.
Arma feræ genti remque decusque dabant, 86
Quod si forte vacas, peregrinos inspice fastos;
Mensis in his etiam nomine Martis erit.
Tertius Albanis, quintus fuit ille Faliscis:
Sextus apud populos, Hernica terra, tuos. 90
Inter Aricinos, Albanaque tempora constant,
Factaque Telegoni mœnia celsa manu.
Quintum Laurentes, bis quintum Æquicolus asper,
A tribus hunc primum turba Curensis habet.
Et tibi cum proavis, miles Peligne, Sabinis 95
Convenit: hic genti quartus utrique deus.
Romulus, hos omnes ut vinceret ordine saltem,
Sanguinis auctori tempora prima dedit.
Nec totidem veteres, quot nunc, habuere Kalendas.
Ille minor geminis mensibus annus erat. 100
Nondum tradideras victas victoribus artes,
Græcia, facundum sed male forte genus.
Qui bene pugnarat, Romanam noverat artem:
Mittere qui poterat pila, disertus erat.
Quis tunc aut Hyadas, aut Pleiadas Atlanteas 105
Senserat, aut geminos esse sub axe polos?
Esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur
Sidoniis, Helicen Graia carina notet?
Signaque, quæ longo frater percenseat anno,
Ire per hæc uno mense sororis equos? 110
Libera currebant, et inobservata per annum
Sidera: constabat sed tamen esse deos.
Non illi cœlo labentia signa movebant,
Sed sua; quæ magnum perdere crimen erat.
Illaque de fœno: sed erat reverentia fœno, 115
Quantum nunc aquilas cernis habere tuas.

Pertica suspensos portabat longa maniplos:
Unde maniplaris nomina miles habet.
Ergo animi indociles, et adhuc ratione carentes
Mensibus egerunt lustra minora decem. 120
Annus erat, decimum cum luna repleverat orbem.
Hic numerus magno tunc in honore fuit.
Seu quia tot digiti, per quos numerare solemus;
Seu quia bis quino fœmina mense parit;
Seu quod adusque decem numero crescente venitur, 125
Principium spatiis sumitur inde novis.
Inde pares centum denos secrevit in orbes
Romulus, hastatos instituitque decem.
Et totidem princeps, totidem pilanus, habebat
Corpora, legitimo quique merebat equo. 130
Quin etiam partes totidem Titiensibus idem,
Quosque vocant Ramnes, Luceribusque dedit.
Assuetos igitur numeros servavit in anno.
Hoc luget spatio fœmina mæsta virum.
Neu dubites, primæ fuerint quin ante Kalendæ
Martis; ad hæc animum signa referre potes. 136
Laurea Flaminibus, quæ toto perstitit anno,
Tollitur, et frondes sunt in honore novæ.
Janua nunc regis posita viret arbore Phœbi:
Ante tuas fit idem, curia prisca, fores. 140
Vesta quoque ut folio niteat velata recenti,
Cedit ab Iliacis laurea cana focis.
Adde, quod arcana fieri novus ignis in æde
Dicitur, et vires flamma refecta capit.
Nec mihi parva fides, annos hinc isse priores, 145
Anna quod hoc cœpta est mense Perenna coli.
Hinc etiam veteres initi memorantur honores
Ad spatium belli, perfide Pœne, tui.
Denique quintus ab hoc fuerat Quintilis: et inde
Incipit, a numero nomina quisquis habet. 150
Primus, oliviferis Romam deductus ab arvis,
Pompilius menses sensit abesse duos.
Sive hoc a Samio doctus, qui posse renasci
Nos putat; Egeria sive monente sua.
Sed tamen errabant etiamnum tempora; donec
Cæsaris in multis hæc quoque cura fuit. 156
Non hæc ille deus tantæque propaginis auctor
Credidit officiis esse minora suis:
Promissumque sibi voluit prænoscere cœlum;
Nec deus ignotas hospes inire domos. 160
Ille moras solis, quibus in sua signa rediret,
Traditur exactis disposuisse notis.
Is decies senos tercentum et quinque diebus
Junxit, et e pleno tempora quarta die.
Hic anni modus est. In lustrum accedere debet,
Quæ consummatur partibus, una dies. 166

Si licet occultos monitus audire deorum
Vatibus; ut certe fama licere putat:
Cum sis officiis, Gradive, virilibus aptus,
Dic mihi, matronæ cur tua festa colant. 170
Sic ego: sic posita dixit mihi casside Mavors,
Sed tamen in dextra missilis hasta fuit;
Nunc primum studiis pacis, deus utilis armis,
Advocor, et gressus in nova castra sero.
Nec piget incepti. Juvat hac quoque parte morari: 175
Hoc solam ne se posse Minerva putet.
Disce, Latinorum vates operose dierum,
Quod petis: et memori pectore dicta nota.
Parva fuit, si prima velis elementa referre,
Roma; sed in parva spes tamen hujus erat. 180
Mœnia jam stabant, populis augusta futuris:
Credita sed turbæ tunc nimis ampla suæ.
Quæ fuerit nostri, si quæris, regia nati;
Adspice de canna straminibusque domum.
In stipula placidi carpebat munera somni: 185
Et tamen ex illo venit in astra toro.
Jamque loco majus nomen Romanus habebat:
Nec conjux illi, nec socer ullus erat.
Spernebant generos inopes vicinia dives:
Et male credebar sanguinis auctor ego. 190
In stabulis habitasse, boves pavisse, nocebat,
Jugeraque inculti pauca tenere soli.
Cum pare quæque suo coeunt volucresque feræque:
Atque aliquam, de qua procreet, anguis habet.
Extremis dantur connubia gentibus: at, quæ 195
Romano vellet nubere, nulla fuit.
Indolui; patriamque dedi tibi, Romule, mentem.
Tolle preces, dixi: quod petis, arma dabunt.
Festa para Conso: Consus tibi cætera dicet,
Illo facta die cum sua sacra canet. 200
Intumuere Cures, et quos dolor attigit idem.
Tum primum generis intulit arma socer.
Jamque fere raptæ matrum quoque nomen habebant:
Tractaque erant longa bella propinqua mora.
Conveniunt nuptæ dictam Junonis in ædem: 205
Quas inter mea sic est nurus orsa loqui:
O pariter raptæ, quoniam hoc commune tenemus,
Non ultra lente possumus esse piæ.
Stant acies; sed utra di sint pro parte rogandi,
Eligite. Hinc conjux, hinc pater arma tenent.
Quærendum, viduæ fieri malimus, an orbæ. 211
Consilium vobis forte piumque dabo.
Consilium dederat. Parent, crinemque resolvunt,
Mæstaque funerea corpora veste tegunt.
Jam stabant acies ferro mortique paratæ; 215
Jam lituus pugnæ signa daturus erat:
Cum raptæ veniunt inter patresque virosque;
Inque sinu natos pignora cara ferunt.
Ut medium campi passis tetigere capillis;
In terram posito procubuere genu. 220
Et, quasi sentirent, blando clamore nepotes
Tendebant ad avos brachia parva suos.
Qui poterat, clamabat avum, tum denique visum;
Et qui vix poterat, posse coactus erat.
Tela viris animusque cadunt; gladiisque remotis
Dant soceri generis, accipiuntque, manus. 226
Laudatasque tenent natas: scutoque nepotem
Fert avus: hic scuti dulcior usus erat.
Inde diem, quæ prima, meas celebrare Kalendas
Œbalides matres non leve munus habent. 230
An quia, committi strictis mucronibus ausæ,
Finierant lacrymis Martia bella suis?
Vel, quod erat de me feliciter Ilia mater,
Rite colunt matres sacra, diemque meum.
Quid? quod hiems, adoperta gelu, nunc denique cedit; 235
Et pereunt victæ sole tepente nives.
Arboribus redeunt detonsæ frigore frondes;
Uvidaque e tenero palmite gemma tumet.
Quæque diu latuit, nunc, se qua tollat in auras,
Fertilis occultas invenit herba vias. 240
Nunc fecundus ager: pecoris nunc hora creandi:
Nunc avis in ramo tecta laremque parat.
Tempora jure colunt Latiæ fecunda parentes,
Quarum militiam votaque partus habet.
Adde, quod excubias regi Romanus agebat, 245
Qua nunc Esquilias nomina collis habet,
Illic a nuribus Junoni templa Latinis
Hac sunt, si memini, publica facta die.

Quid moror, et variis onero tua pectora causis?
Eminet ante oculos, quod petis, ecce tuos. 250
Mater amat nuptas: matris me turba frequentant.
Hæc nos præcipue tam pia causa decet.
Ferte deæ flores: gaudet florentibus herbis
Hæc dea: de tenero cingite flore caput.
Dicite, Tu lucem nobis, Lucina, dedisti; 255
Dicite, Tu voto parturientis ades.
Si qua tamen gravida est, resoluto crine precetur,
Ut solvat partus molliter illa suos.

Quis mihi nunc dicat, quare cœlestia Martis
Arma ferant Salii, Mamuriumque canant? 260
Nympha, mone, nemori stagnoque operata Dianæ;
Nympha, Numæ conjux, ad tua facta veni.
Vallis Aricinæ sylva præcinctus opaca
Est lacus, antiqua religione sacer. 264
Hic latet Hippolytus furiis distractus equorum:
Unde nemus nullis illud initur equis.
Licia dependent, longas velantia sepes,
Et posita est meritæ multa tabella deæ.
Sæpe potens voti, frontem redimita coronis,
Fœmina lucentes portat ab Urbe faces. 270
Regna tenent fortesque manu, pedibusque fugaces:
Et perit exemplo postmodo quisque suo.
Defluit incerto lapidosus murmure rivus:
Sæpe, sed exiguis haustibus, inde bibes.
Egeria est, quæ præbet aquas, dea grata Camœnis. 275
Illa Numæ conjux consiliumque fuit.
Principio nimium promtos ad bella Quirites
Molliri placuit jure, deûmque metu.
Inde datæ leges, ne firmior omnia posset:
Cœptaque sunt pure tradita sacra coli. 280
Exuitur feritas, armisque potentius æquum est:
Et cum cive pudet conseruisse manus.
Atque aliquis, modo trux, visa jam vertitur ara;
Vinaque dat tepidis salsaque farra focis.
Ecce deûm genitor rutilas per nubila flammas 285
Spargit, et effusis æthera siccat aquis.
Non alias missi cecidere frequentius ignes.
Rex pavet; et vulgi pectora terror habet.
Cui dea, Ne nimium terrere; piabile fulmen
Est, ait, et sævi flectitur ira Jovis. 290
Sed poterunt ritum Picus Faunusque piandi
Prodere, Romani numen uterque soli.
Nec sine vi tradent. Adhibeto vincula captis.
Atque ita, qua possint, erudit, arte capi.
Lucus Aventino suberat niger ilicis umbra, 295
Quo posses viso dicere, Numen inest.
In medio gramen, muscoque adoperta virenti
Manabat saxo vena perennis aquæ.
Inde fere soli Faunus Picusque bibebant.
Huc venit, et fonti rex Numa mactat ovem; 300
Plenaque odorati disponit pocula Bacchi;
Cumque suis antro conditus ipse latet.
Ad solitos veniunt sylvestria numina fontes,
Et relevant multo pectora sicca mero.
Vina quies sequitur: gelido Numa prodit ab antro, 305
Vinclaque sopitas addit in arcta manus.
Somnus ut abscessit, tentando vincula pugnant
Rumpere: pugnantes fortius illa tenent.
Tum Numa: Di nemorum, factis ignoscite nostris,
Si scelus ingenio scitis abesse meo: 310
Quoque modo possit fulmen, monstrate, piari.
Sic Numa; sic quatiens cornua Faunus ait:
Magna petis, nec quæ monitu tibi discere nostro
Fas sit. Habent fines numina nostra suos
Di sumus agrestes, et qui dominemur in altis 315
Montibus. Arbitrium est in sua tela Jovi.
Hunc tu non poteris per te deducere cœlo:
At poteris nostra forsitan usus ope.
Dixerat hæc Faunus: par est sententia Pici.
Deme tamen nobis vincula, Picus ait. 320
Jupiter huc veniet, valida deductus ab arte.
Nubila promissi Styx mihi testis erit.
Emissi quid agant laqueis, quæ carmina dicant,
Quaque trahant superis sedibus arte Jovem;
Scire nefas homini. Nobis concessa canantur, 325
Quæque pio dici vatis ab ore licet.
Eliciunt cœlo te, Jupiter: unde minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.
Constat Aventinæ tremuisse cacumina sylvæ,
Terraque subsedit pondere pressa Jovis. 330
Corda micant regis, totoque e pectore sanguis
Fugit, et hirsutæ diriguere comæ.
Ut rediit animus, Da certa piamina, dixit,
Fulminis, altorum rexque paterque deûm;
Si tua contigimus manibus donaria puris; 335
Hoc quoque, quod petitur, si pia lingua rogat.
Annuit oranti: sed verum ambage remota
Abdidit, et dubio terruit ore virum.
Cæde caput, dixit. Cui rex, Parebimus, inquit:
Cædenda est hortis eruta cepa meis. 340
Addidit hic, Hominis: summos, ait ille, capillos.
Postulat hic animam: cui Numa, Piscis, ait.
Risit; et, his, inquit, facito mea tela procures,
O vir colloquio non abigende meo.
Sed tibi, protulerit cum totum crastinus orbem
Cynthius, imperii pignora certa dabo. 346
Dixit, et ingenti tonitru super æthera motum
Fertur, adorantem destituique Numam.
Ille redit lætus, memoratque Quiritibus acta.
Tarda venit dictis difficilisque fides. 350
At certe credemur, ait, si verba sequatur
Exitus. En audi crastina, quisquis ades.
Protulerit terris cum totum Cynthius orbem,
Jupiter imperii pignora certa dabit.
Discedunt dubii, promissaque tarda videntur: 355
Dependetque fides a veniente die.
Mollis erat tellus, roraataque mane pruina;
Ante sui populus limina regis adest.
Prodit, et in solio medius consedit acerno.
Innumeri circa stantque silentque viri. 360
Ortus erat summo tantummodo margine Phœbus:
Sollicitæ mentes speque metuque pavent.
Constitit, atque caput niveo velatus amictu
Jam bene dis notas sustulit ille manus.
Atque ita, Tempus adest promissi muneris, inquit. 365
Pollicitam dictis, Jupiter, adde fidem.
Dum loquitur, totum jam sol emerserat orbem
Et gravis ætherio venit ab axe fragor.
Ter tonuit sine nube deus, tria fulgura misit.
Credite dicenti; mira, sed acta loquor. 370
A media cœlum regione dehiscere cœpit:
Submisere oculos cum duce turba suos.
Ecce levi scutum versatum leniter aura
Decidit. A populo clamor ad astra venit.
Tollit humo munus, cæsa prius ille juvenca, 375
Quæ dederat nulli colla premenda jugo.
Idque ancile vocat, quod ab omni parte reclsum est;
Quaque notes oculis, angulus omnis abest.
Tum, memor imperii sortem consistere in illo,
Consilium multæ calliditatis init. 380

Plura jubet fieri simili cælata figura,
Error ut ante oculos insidiantis eat.
Mamurius, morum fabræne exactior artis,
Difficile est, illud, dicere, clausit opus.
Cui Numa munificus, Facti pete præmia, dixit:
Si mea nota fides, irrita nulla petes. 386
Jam dederat Saliis (a saltu nomina ducunt)
Armaque, et ad certos verba canenda modos.
Tum sic Mamurius: Merces mihi gloria detur,
Nominaque extremo carmine nostra sonent. 390
Inde sacerdotes operi promissa vetusto
Præmia persolvunt, Mamuriumque vocant.
Nubere si qua voles, quamvis properabitis ambo,
Differ: habent parvæ commoda magna moræ.
Arma movent pugnam, pugna est aliena maritis.
Condita cum fuerint, aptius omen erit. 396
His etiam conjux apicati cincta Dialis
Lucibus impexas debet habere comas.

Tertia nox emersa suos ubi moverit ignes,
Conditus e geminis Piscibus alter erit. 400
Nam duo sunt: Austris hic est, Aquilonibus ille
Proximus. A vento nomen uterque tenet.
Cum croceis rorare genis Tithonia conjux
Cœperit, et quintæ tempora lucis aget;
Sive est Arctophylax, sive est piger ille Bootes;
Mergetur, visus effugietque tuos. 406
At non effugiet Vindemitor. Hoc quoque causam
Unde trahat sidus parva referre mora est.
Ampelon intonsum Satyro Nymphaque creatum
Fertur in Ismariis Bacchus amasse jugis. 410
[Tradidit huic vitem pendentem frondibus ulmi;
Quæ nunc de pueri nomine nomen habet.]
Dum legit in ramo pictas temerarius uvas,
Decidit: amissum Liber in astra vehit.

Sextus ubi Oceano clivosum scandit Olympum
Phœbus, et alatis æthera carpit equis; 416
Quisquis ades, canæque colis penetralia Vestæ,
Cratera Iliacis thuraque pone focis.
Cæsaris innumeris, quem maluit ille mereri,
Accessit titulis pontificalis honos. 420
Ignibus æternis æterni numina præsunt
Cæsaris. Imperii pignora juncta vides.
De veteris Trojæ dignissima præda favilla,
Qua gravis Æneas tutus ab hoste fuit;
Ortus ab Ænea tangit cognata sacerdos. 425
Numina; cognatum, Vesta, tuere caput.
Quos sancta fovet ille manu, bene vivitis ignes.
Vivite inexstincti, flammaque duxque, precor.

Una nota est Martis Nonis: sacrata quod illis
Templa putant lucos Vejovis ante duos. 430
Romulus ut saxo lucum circumdedit alto,
Quilibet, huc, inquit, confuge; tutus eris.
O quam de tenui Romanus origine crevit!
Turba vetus quam non invidiosa fuit!
Ne tamen ignaro novitas tibi nominis obstet, 435
Disce quis iste deus, curve vocetur ita.
Jupiter est juvenis: juveniles adspice vultus:
Adspice deinde manum: fulmina nulla tenet.
Fulmina, post ausos cœlum affectare gigantas,
Sumta Jovi; primo tempore inermis erat. 440
Ignibus Ossa novis, et Pelion altior Ossa
Arsit, et in solida fixus Olympus humo.
Stat quoque capra simul: Nymphæ pavisse feruntur
Cretides: infanti lac dedit illa Jovi.
Nunc vocor ad nomen. Vegrandia farra coloni,
Quæ male creverunt, vescaque parva vocant. 446
Vis ea si verbi est; cur non ego Vejovis ædem,
Ædem non magni suspicer esse Jovis?
Jamque, ubi cæruleum variabunt sidera cœlum,
Suspice: Gorgonei colla videbis equi. 450
Creditur hic cæsæ gravida cervice Medusæ
Sanguine respersis prosiluisse jubis.
Huic supra nubes et subter sidera lapso
Cœlum pro terra, pro pede penna fuit.
Jamque indignanti nova frena receperat ore, 455
Cum levis Aonias ungula fodit aquas.
Nunc fruitur cœlo, quod pennis ante petebat:
Et nitidus stellis quinque decemque micat.

Protinus adspicies venienti nocte Coronam
Gnossida. Theseo crimine facta dea est. 460
Jam bene perjuro mutarat conjuge Bacchum,
Quæ dedit ingrato fila legenda viro.
Sorte tori gaudens, Quid flebam rustica, dixit?
Utiliter nobis perfidus ille fuit.
Interea Liber depexus crinibus Indos 465
Vincit, et Eoo dives ab orbe venit.
Inter captivas facie præstante puellas
Grata nimis Baccho filia regis erat.
Flebat amans conjux, spatiataque littore curvo
Edidit incultis talia verba comis: 470
En iterum similes, fluctus, audite querelas;
En iterum lacrymas accipe, arena, meas.
Dicebam, memini, perjure et perfide Theseu.
Ille abiit: eadem crimina Bacchus habet.
Nunc quoque, nulla viro, clamabo, fœmina credat.
Nomine mutato causa relata mea est. 476
O utinam mea sors, qua primum cœperat, isset!
Jamque ego præsenti tempore nulla forem!
Quid me desertis perituram, Liber, arenis
Servabas? potui dedoluisse semel. 480
Bacche levis, leviorque tuis, quæ tempora cingunt,
Frondibus; in lacrymas cognite Bacche meas;
Ausus es ante oculos adducta pellice nostros
Tam bene compositum sollicitare torum?
Heu ubi pacta fides? ubi, quæ jurare solebas? 485
Me miseram, quoties hæc ego verba loquor!
Thesea culpabas, fallacemque ipse vocabas:
Judicio peccas turpius ipse tuo.
Ne sciat hoc quisquam, tacitisque doloribus urar:
Ne toties falli digna fuisse puter. 490
Præcipue cupiam celari Thesea; ne te
Consortem culpæ gaudeat esse suæ.
At, puto, præposita est fuscæ mihi candida pellex.
Eveniat nostris hostibus ille color.
Quid tamen hoc refert, vitio si gratior ipso est?
Quid facis? amplexus inquinat illa tuos. 496
Bacche, fidem præsta; nec præfer amoribus ullam
Conjugis, assuetæ semper amare virum.
Ceperunt matrem formosi cornua tauri;
Me tua: at hic laudi est, ille pudendus amor.
Ne noceat, quod amo: neque enim tibi, Bacche, nocebat, 501
Quod flammas nobis fassus es ipse tuas.
Nec, quod nos uris, mirum facis. Ortus in igne
Diceris, et patria raptus ab igne manu.
Illa ego sum, cui tu solitus promittere cœlum. 505
Heu mihi, pro cœlo qualia dona fero!
Dixerat: audibat jamdudum verba querentis
Liber, ut a tergo forte secutus erat.
Occupat amplexu, lacrymasque per oscula siccat:
Et, Pariter cœli summa petamus, ait. 510
Tu mihi juncta toro, mihi juncta vocabula sumes:
Jam tibi mutatæ Libera nomen erit.

Sintque tuæ tecum faciam monumenta coronæ,
Vulcanus Veneri quam dedit, illa tibi.
Dicta facit, gemmasque novem transformat in ignes. 515
Aurea per stellas nunc micat illa novem.

Sex ubi sustulerit, totidem demerserit orbes,
Purpureum rapido qui vehit axe diem;
Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curvis in latus urget aquis. 520
Qui tamen ejecta si forte tenebitur unda,
Cœlius accipiet pulverulentus equos.

Idibus est Annæ festum geniale Perennæ,
Haud procul a ripis, advena Tibri, tuis.
Plebs venit, ac virides passim disjecta per herbas
Potat, et accumbit cum pare quisque sua. 526
Sub Jove pars durat: pauci tentoria ponunt:
Sunt, quibus e ramis frondea facta casa est:
Pars ibi pro rigidis calamos statuere columnis,
Desuper extentas imposuere togas. 530
Sole tamen vinoque calent: annosque percantur,
Quot sumant cyathos, ad numerumque bibunt.
Invenies illic, qui Nestoris ebibat annos;
Quæ sit per calices facta Sibylla suos.
Illic et cantant, quicquid didicere theatris: 535
Et jactant faciles ad sua verba manus:
Et ducunt posito duras cratere choreas,
Cultaque diffusis saltat amica comis.
Cum redeunt, titubant; et sunt spectacula vulgo:
Et fortunatos obvia turba vocant. 540
Occurri nuper: visa est mihi digna relatu
Pompa: senem potum pota trahebat anus.
Quæ tamen hæc dea sit, quoniam rumoribus errant,
Fabula proposito nulla tacenda meo.
Arserat Æneæ Dido miserabilis igne: 545
Arserat exstructis in sua fata rogis.
Compositusque cinis, tumulique in marmore carmen
Hoc breve, quod moriens ipsa reliquit, erat:
Præbuit Æneas et causam mortis et ensem:
Ipsa sua Dido concidit usa manu. 550
Protinus invadunt Numidæ sine vindice regnum;
Et potitur capta Maurus Iarba domo.
Seque memor spretum, Thalamis tamen, inquit, Elissæ,
En ego, quem toties repulit illa, fruor.
Diffugiunt Tyrii, quo quemque agit error, ut olim
Amisso dubiæ rege vagantur apes. 556
Tertia nudandas acceperat area messes,
Inque cavos ierant tertia musta lacus;
Pellitur Anna domo: lacrymansque sororia linquit
Mœnia. Germanæ justa dat ante suæ. 560
Mista bibunt molles lacrymis unguenta favillæ;
Vertice libatas accipiuntque comas.
Terque, Vale dixit: cineres ter ad ora relatos
Pressit, et est illis visa subesse soror.
Nacta ratem comitemque fugæ pede labitur æquo, 565
Mœnia respiciens, dulce sororis opus.
Fertilis est Melite, sterili vicina Cosyræ
Insula, quam Libyci verberat unda freti.
Hanc petit, hospitio regis confisa vetusto.
Hospes opum dives rex ibi Battus erat. 570
Qui postquam didicit casus utriusque sororis;
Hæc, inquit, tellus quantulacunque tua est.
Et tamen hospitii servasset ad ultima munus;
Sed timuit magnas Pygmalionis opes.
Signa recensuerat bis sol sua: tertius ibat 575
Annus, et exsulibus terra petenda nova est.
Frater adest, belloque petit. Rex arma perosus,
Nos sumus imbelles, tu fuge sospes, ait.
Jussa fugit; ventoque ratem committit et undis.
Asperior quovis æquore frater erat. 580
Est prope piscosos lapidosi Crathidis amnes
Purus ager: Cameren incola turba vocant.
Illuc cursus erat. Nec longius abfuit inde,
Quam quantum novies mittere funda potest.
Vela cadunt primo, et dubia librantur ab aura. 585
Findite remigio, navita dixit, aquas.
Dumque parant torto subducere carbasa lino,
Percutitur rapido puppis adunca Noto:
Inque patens æquor, frustra pugnante magistro,
Fertur: et ex oculis visa refugit humus. 590
Adsiliunt fluctus, imoque a gurgite pontus
Vertitur, et canas alveus haurit aquas.
Vincitur ars vento: nec jam moderator habenis
Utitur; at votis: hic quoque poscit opem.
Jactatur tumidas exsul Phœnissa per undas, 595
Humidaque opposita lumina veste tegit.
Tum primum Dido felix est dicta sorori,
Et quæcunque aliquam corpore pressit humum.
Figitur ad Laurens ingenti flamine littus
Puppis: et, expositis omnibus, hausta perit. 600
Jam pius Æneas regno nataque Latini
Auctus erat, populos miscueratque duos.
Littore dotali, solo comitatus Achate,
Secretum nudo dum pede carpit iter;
Adspicit errantem, nec credere sustinet Annam
Esse. Quid in Latios illa veniret agros? 606
Dum secum Æneas: Anna est, exclamat Achates.
Ad nomen vultus sustulit illa suos.
Quo fugiat? quid agat? quos terræ quærat hiatus?
Ante oculos miseræ fata sororis erant. 610
Sensit, et alloquitur trepidam Cythereius heros:
Flet tamen admonitu mortis, Elissa, tuæ.
Anna, per hanc juro, quam quondam audire solebas
Tellurem fato prosperiore dari;
Perque deos comites, hac nuper sede locatos; 615
Sæpe meas illos increpuisse moras.
Nec timui de morte tamen: metus abfuit iste.
Heu mihi! credibili fortior illa fuit.
Ne refer. Adspexi non illo pectore digna
Vulnera, Tartareas ausus adire domos. 620
At tu, seu ratio te nostris appulit oris,
Sive deus; regni commoda carpe mei.
Multa tibi memores, nil non debemus Elissæ.
Nomine grata tuo, grata sororis, eris.
Talia dicenti, neque enim spes altera restat, 625
Credidit, errores exposuitque suos.
Utque domum intravit Tyrios induta paratus;
Incipit Æneas; cætera turba silet:
Hanc tibi cur tradam, pia causa, Lavinia conjux,
Est mihi: consumsi naufragus hujus opes.
Orta Tyro, regnum Libyca possedit in ora: 631
Quam precor ut caræ more sororis ames.
Omnia promittit, falsumque Lavinia vulnus
Mente premit tacita, dissimulatque fremens.
Donaque cum videat præter sua lumina ferri 635
Multa palam; mitti clam quoque multa putat.
Non tamen exactum, quid agat. Furialiter odit,
Et parat insidias, et cupit ulta mori.
Nox erat: ante torum visa est adstare sororis
Squalenti Dido sanguinolenta coma; 640
Et Fuge, ne dubita, mæstum, fuge, dicere, tectum.
Sub verbum querulas impulit aura fores.

Esilit; et velox humili super arva fenestra
Se jacit. Audacem fecerat ipse timor.
Quaque metu rapitur, tunica velata recincta 645
Currit, ut auditis territa dama lupis.
Corniger hanc cupidis rapuisse Numicius undis
Creditur, et stagnis occuluisse suis.
Sidonis interea magno clamore per agros
Quæritur. Apparent signa notæque pedum. 650
Ventum erat ad ripas: inerant vestigia ripis.
Sustinuit tacitas conscius amnis aquas.
Ipsa loqui visa est, Placidi sum Nympha Numici:
Amne perenne latens Anna Perenna vocor.
Protinus erratis læti vescuntur in agris, 655
Et celebrant largo seque diemque mero.
Sunt quibus hæc Luna est, quia mensibus impleat annum:
Pars Themin, Inachiam pars putat esse bovem.
Invenies, qui te Nymphen Atlantida dicant,
Teque Jovi primos, Anna, dedisse cibos. 660
Hæc quoque, quam referam, nostras pervenit ad auras
Fama: nec a vera dissidet illa fide.
Plebs vetus, et nullis etiamnum tuta tribunis,
Fugit, et in Sacri vertice montis erat.
Jam quoque, quem secum tulerant, defecerat illos 665
Victus, et humanis usibus apta Ceres.
Orta suburbanis quædam fuit Anna Bovillis,
Pauper, sed multæ sedulitatis anus.
Illa, levi mitra canos redimita capillos,
Fingebat tremula rustica liba manu; 670
Atque ita per populum fumantia mane solebat
Dividere. Hæc populo copia grata fuit.
Pace domi facta signum posuere Perennæ,
Quod sibi defectis illa tulisset opem.
Nunc mihi, cur cantent, superest, obscæna puellæ, 675
Dicere: nam coeunt, certaque probra canunt.
Nuper erat dea facta; venit Gradivus ad Annam,
Et cum seducta talia verba facit:
Mense meo coleris; junxi mea tempora tecum:
Pendet ab officio spes mihi magna tuo. 680
Armifer armiferæ correptus amore Minervæ
Uror, et hoc longo tempore vulnus alo.
Effice, di studio similes coeamus in unum.
Conveniunt partes hæ tibi, comis anus.
Dixerat. Illa deum promisso ludit inani, 685
Et stultam dubia spem trahit usque mora.
Sæpius instanti, Mandata peregimus, inquit;
Evictas precibus vix dedit illa manus.
Gaudet amans, thalamosque parat. Deducitur illuc
Anna tegens vultus, ut nova nupta, suos. 690
Oscula sumturus subito Mars adspicit Annam;
Nunc pudor elusum, nunc subit ira deum.
Ridet amatorem caræ nova diva Minervæ:
Nec res hac Veneri gratior ulla fuit.
Inde joci veteres obscænaque dicta canuntur: 695
Et juvat hanc magno verba dedisse deo.
Præteriturus eram gladios in principe fixos;
Cum sic a castis Vesta locuta focis:
Ne dubita meminisse: meus fuit ille sacerdos.
Sacrilegæ telis me petiere manus. 700
Ipsa virum rapui, simulacraque nuda reliqui.
Quæ cecidit ferro, Cæsaris umbra fuit.
Ille quidem cœlo positus Jovis atria servat,
Et tenet in Magno templa dicata Foro.
At quicunque nefas ausi, prohibente deorum 705
Numine, polluerant pontificale caput;
Morte jacent merita. Testes estote Philippi,
Et quorum sparsis ossibus albet humus.
Hoc opus, hæc pietas, hæc prima elementa fuerunt
Cæsaris, ulcisci justa per arma patrem. 710

Postera cum teneras Aurora refecerit herbas,
Scorpios a prima parte videndus erit.

Tertia post Idus lux est celeberrima Baccho.
Bacche, fave vati, dum tua festa cano.
Nec referam Semelen, ad quam nisi fulmina secum 715
Jupiter adferret, parvus inermis eras:
Nec, puer ut posses maturo tempore nasci,
Expletum patrio corpore matris onus.
Sithonas, et Scythicos longum enumerare triumphos,
Et domitas gentes, thurifer Inde, tuas: 720
Tu quoque Thebanæ mala præda tacebere matris:
Inque tuum Furiis acte, Lycurge, genu.
Ecce libet subitos pisces, Tyrrhenaque monstra
Dicere. Sed non est carminis hujus opus.
Carminis hujus opus, causas expromere; quare
Vilis anus populos ad sua liba vocet. 726
Ante tuos ortus aræ sine honore fuerunt,
Liber, et in gelidis herba reperta focis.
Te memorant Gange, totoque Oriente subacto.
Primitias magno seposuisse Jovi. 730
Cinnama tu primus captivaque thura dedisti,
Deque triumphato viscera tosta bove.
Nomine ab auctoris ducunt libamina nomen,
Libaque, quod sacris pars datur inde focis.
Liba deo fiunt: succis quia dulcibus ille 735
Gaudet, et a Baccho mella reperta ferunt.
Ibat arenoso Satyris comitatus ab Hebro:
(Non habet ingratos fabula nostra jocos:)
Jamque erat ad Rhodopen, Pangæaque florida ventum:
Æriferæ comitum concrepuere manus. 740
Ecce novæ coeunt volucres tinnitibus actæ:
Quaque movent sonitus æra, sequuntur apes.
Colligit errantes, et in arbore claudit inani
Liber: et inventi præmia mellis habet.
Ut Satyri lævisque senex tetigere saporem, 745
Quærebant flavos per nemus omne favos.
Audit in exesa stridorem examinis ulmo,
Adspicit et ceras, dissimulatque senex.
Utque piger pandi tergo residebat aselli;
Applicat hunc ulmo corticibusque cavis. 750
Constitit ipse super ramoso stipite nixus,
Atque avide trunco condita mella petit.
Millia crabronum coeunt; et vertice nudo
Spicula defigunt, oraque summa notant.
Ille cadit præceps, et calce feritur aselli: 755
Inclamatque suos, auxiliumque rogat.
Concurrunt Satyri, turgentiaque ora parentis
Rident. Percusso claudicat ille genu.
Ridet et ipse deus, limumque inducere monstrat.
Hic paret monitis, et linit ora luto. 760
Melle pater fruitur: liboque infusa calenti
Jure repertori candida mella damus.
Fœmina cur præstet, non est rationis opertæ.
Fœmineos thyrso concitat ille choros.
Cur anus hoc faciat, quæris; vinosior ætas 765
Hæc est, et gravidæ munera vitis amans.
Cur hedera cincta est? hedera est gratissima Baccho.
Hoc quoque cur ita sit, dicere nulla mora est,

Nysiades Nymphæ, puerum quærente noverca,
Hanc frondem cunis opposuere novis 770
Restat, ut inveniam, quare toga libera detur
Lucifero pueris, candide Bacche, tuo.
Sive quod ipse puer semper, juvenisque videris;
Et media est ætas inter utrumque tibi;
Seu quia tu pater es, patres, sua pignora, natos
Commendant curæ numinibusque tuis. 776
Sive, quod es Liber, vestis quoque libera per te
Sumitur, et vitæ liberioris iter.
An quia, cum prisci colerent studiosius agros,
Et patrio faceret rure senator opus, 780
Et caperet fasces a curvo consul aratro,
Nec crimen duras esset habere manus:
Rusticus ad ludos populus veniebat in Urbem?
Sed dis, non studiis ille dabatur honos.
Luce sua ludos uvæ commentor habebat: 785
Quos cum tædifera nunc habet ipse dea.
Ergo, ut tironem celebrare frequentia possit,
Visa dies dandæ non aliena togæ.
Mite, pater, caput huc placataque cornua vertas,
Et des ingenio vela secunda meo. 790
Itur ad Argeos (qui sint, sua pagina dicet)
Hac, si commemini, præteritaque die.
Stella Lycaoniam vergit proclivis ad Arcton
Miluus. Hæc illa nocte videnda venit.
Quid dederit volucri, si vis cognoscere, cœlum;
Saturnus regnis ab Jove pulsus erat. 796
Concitat iratus validos Titanas in arma,
Quæque fuit fatis debita, poscit opem.
Matre satus Terra, monstrum mirabile, taurus
Parte sui serpens posteriore fuit. 800
Hunc triplici muro lucis incluserat atris
Parcarum monitu Styx violenta trium.
Viscera qui tauri flammis adolenda dedisset,
Sors erat, æternos vincere posse deos.
Immolat hunc Briareus facta ex adamante securi:
Et jam jam flammis exta daturus erat. 806
Jupiter alitibus rapere imperat. Attulit illi
Miluus: et meritis venit in astra suis.

Una dies media est, et fiunt sacra Minervæ;
Nominaque a junctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat: nec fas concurrere ferro.
Causa, quod est illa nata Minerva die.
Altera, tresque super strata celebrantur arena.
Ensibus exsertis bellica læta dea est.
Pallada nunc pueri, teneræque ornate puellæ. 815
Qui bene placarit Pallada, doctus erit.
Pallade placata, lanam mollire puellæ
Discant, et plenas exonerare colos.
Illa etiam stantes radio percurrere telas
Erudit, et rarum pectine denset opus. 820
Hanc cole, qui maculas læsis de vestibus aufers:
Hanc cole, velleribus quisquis ahena paras.
Nec quisquam invita faciat bene vincula plantæ
Pallade; sit Tychio doctior ille licet.
Et licet antiquo manibus collatus Epeo 825
Sit prior; irata Pallade mancus erit.
Vos quoque, Phœbea morbos qui pellitis arte,
Munera de vestris pauca referte deæ.
Nec vos turba deam, censu fraudata, magistri
Spernite: discipulos attrahit illa novos. 830
Quique moves cœlum, tabulamque coloribus uris;
Quique facis docta mollia saxa manu.
Mille dea est operum; certe dea carminis illa est.
Si mereor, studiis adsit amica meis.
Cœlius ex alto qua mons descendit in æquum; 835
Hic ubi non plana est, sed prope plana via est;
Parva licet videas Captæ delubra Minervæ,
Quæ dea natali cœpit habere suo.
Nominis in dubio causa est. Capitale vocamus
Ingenium sollers: ingeniosa dea est. 840
An, quia de capitis fertur sine matre paterni
Vertice cum clypeo prosiluisse suo?
An, quia perdomitis ad nos captiva Faliscis
Venit? et hoc ipsum littera prisca docet.
An, quod habet legem, capitis quæ pendere pœnas 845
Ex illo jubeat furta reperta loco?
A quacunque trahis ratione vocabula, Pallas;
Pro ducibus nostris ægida semper habe.
Summa dies e quinque tubas lustrare canoras
Admonet, et forti sacrificare deæ. 850
Nunc potes ad solem sublato dicere vultu:
Hic here Phryxeæ vellera pressit ovis.
Seminibus tostis sceleratæ fraude novercæ
Sustulerat nullas, ut solet, herba comas.
Mittitur ad tripodas, certa qui sorte reportet, 855
Quam ster ili terræ Delphicus edat opem.
Hic quoque corruptus cum semine nuntiat Helles
Et juvenis Phryxi funera sorte peti.
Utque recusantem cives, et tempus, et Ino
Compulerunt regem jussa nefanda pati; 860
Et soror, et Phrixus, velati tempora ramis
Stant simul ante aras, junctaque fata gemunt.
Adspicit hos, ut forte pependerat æthere, mater,
Et ferit attonita pectora nuda manu;
Inque draconigenam nimbis comitantibus urbem
Desilit, et natos eripit inde suos. 866
Utque fugam capiant, aries nitidissimus auro
Traditur. Ille vehit per freta longa duos.
Dicitur infirma cornu tenuisse sinistra
Fœmina, cum de se nomina fecit aquæ. 870
Pæne simul periit, dum vult succurrere lapsæ,
Frater, et extentas porrigit usque manus.
Flebat, ut amissa gemini consorte pericli,
Cæruleo junctam nescius esse deo.
Littoribus tactis aries fit sidus: at hujus 875
Pervenit in Colchas aurea lana domos.

Tres ubi Luciferos veniens præmiserit Eos,
Tempora nocturnis æqua diurna feres.

Inde quater pastor saturos ubi clauserit hædos,
Canuerint herbæ rore recente quater; 880
Janus adorandus, cumque hoc Concordia mitis,
Et Romana Salus, araque Pacis erit.

Luna regit menses. Hujus quoque tempora mensis
Finit Aventino Luna colenda jugo.

LIBER QUARTUS.

ALMA, fave vati, geminorum mater Amorum.
Ad vatem vultus retulit illa suos.
Quid tibi, ait, mecum? certe majora canebas.
Num vetus in molli pectore vulnus habes?
Scis, dea, respondi, de vulnere: risit: et æther 5
Protinus ex illa parte serenus erat.
Saucius, an sanus, numquid tua signa reliqui?
Tu mihi propositum, tu mihi semper opus.
Qua decuit, primis sine crimine lusimus annis:
Nunc teritur nostris area major equis. 10
Tempora cum causis, Annalibus eruta priscis,
Lapsaque sub terras, ortaque signa cano.
Venimus ad quartum, quo tu celeberrima, mensem.
Et vatem et mensem scis, Venus, esse tuos.
Mota Cytheriaca leviter mea tempora myrto 15
Contigit, et Cœptum perfice, dixit, opus.
Sensimus; et subito causæ patuere dierum.
Dum licet, et spirant flamina, navis eat.
Si qua tamen pars te de Fastis tangere debet,
Cæsar, in Aprili, quo tenearis, habes. 20
Hic ad te magna descendit imagine mensis,
Et fit adoptiva nobilitate tuus.
Hoc pater Iliades, cum longum scriberet annum,
Vidit, et auctores retulit ipse suos.
Utque fero Marti primam dedit ordine sortem, 25
Quod sibi nascenti proxima causa fuit;
Sic Venerem, gradibus multis in gente repertam,
Alterius voluit mensis habere locum.
Principiumque sui generis, revolutaque quærens
Sæcula, cognatos venit ad usque deos. 30
Dardanon Electra nesciret Atlantide cretum
Scilicet; Electran concubuisse Jovi?
Hujus Erichthonius: Tros est generatus ab illo:
Assaracon creat hic: Assaracusque Capyn.
Proximus Anchisen, cum quo commune parentis
Non dedignata est nomen habere Venus. 36
Hinc satus Æneas, pietas spectata per ignes,
Sacra, patremque humeris, altera sacra, tulit.
Venimus ad felix aliquando nomen Iuli,
Unde domus Teucros Julia tangit avos. 40
Postumus huic, qui, quod sylvis fuit ortus in altis,
Sylvius in Latia gente vocatus erat.
Isque, Latine, tibi pater est: subit Alba Latinum:
Proximus est titulis Epytos, Alba, tuis.
Ille dedit Capyi recidiva vocabula Trojæ: 45
Et tuus est idem, Calpete, factus avus.
Cumque patris regnum post hunc Tiberinus haberet;
Dicitur in Tuscæ gurgite mersus aquæ.
Jam tamen Agrippan genitum, Remulumque nepotem
Viderat: in Remulum fulmina missa ferunt. 50
Venit Aventinus post hos: locus inde vocatus;
Mons quoque. Post illum tradita regna Procæ.
Quem sequitur diri Numitor germanus Amuli.
Ilia cum Lauso de Numitore sati.
Ense cadit patruo Lausus: placet Ilia Marti; 55
Teque parit, gemino juncte Quirine Remo.
Ille suos semper Venerem Martemque parentes
Dixit et emeruit vocis habere fidem.
Neve secururi possent nescire nepotes,
Tempora dis generis continuata dedit. 60
Sed Veneris mensem Graio sermone notatum
Auguror: a spumis est dea dicta maris.
Nec tibi sit mirum Graio rem nomine dici:
Itala nam tellus Græcia major erat.
Venerat Evander plena cum classe suorum: 65
Venerat Alcides, Graius uterque genus.
Hospes Aventinis armentum pavit in herbis
Claviger: et tanto est Albula pota deo.
Dux quoque Neritius. Testes Læstrygones exstant,
Et quod adhuc Circes nomina littus habet. 70
Et jam Telegoni, jam mœnia Tiburis udi
Stabant, Argolicæ quod posuere manus.
Venerat Atridæ fatis agitatus Halesus;
A quo se dictam terra Falisca putat.
Adjice Trojanæ suasorem Antenora pacis, 75
Et generum Œniden, Appule Daune, tuum.
Serus ab Iliacis, et post Antenora, flammis
Attulit Æneas in loca nostra deos.
Hujus erat Solymus Phrygia comes exsul ab Ida,
A quo Sulmonis mœnia nomen habent; 80
Sulmonis gelidi, patriæ, Germanice, nostræ.
Me miserum, Scythico quam procul illa solo est!
Ergo ego tam longe? sed supprime, Musa, querelas:
Non tibi sunt mæsta sacra canenda lyra.
Quo non livor abit? sunt qui tibi mensis honorem 85
Eripuisse velint, invideantque, Venus.
Nam, quia ver aperit tunc omnia, densaque cedit
Frigoris asperitas, fetaque terra patet:
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum:
Quem Venus injecta vindicat alma manu. 90
Illa quidem totum dignissima temperat orbem:
Illa tenet nullo regna minora deo:
Juraque dat cœlo, terræ, natalibus undis;
Perque suos initus continet omne genus.
Illa deos omnes (longum enumerare) creavit: 95
Illa satis causas arboribusque dedit:
Illa rudes animos hominum contraxit in unum,
Et docuit jungi cum pare quemque sua.
Quid genus omne creat volucrum, nisi blanda voluptas?
Nec coeant pecudes, si levis absit amor. 100
Cum mare trux aries cornu decertat: at idem
Frontem dilectæ lædere parcit ovis.
Deposita taurus sequitur feritate juvencam,
Quem toti saltus, quem nemus omne, tremunt.
Vis eadem, lato quodcunque sub æquore vivit,
Servat, et innumeris piscibus implet aquas.
Prima feros habitus homini detraxit: ab illa
Venerunt cultus mundaque cura sui.
Primus amans carmen vigilatum nocte negata
Dicitur ad clausas concinuisse fores. 110
Eloquiumque fuit duram exorare puellam:
Proque sua causa quisque disertus erat.
Mille per hanc artes motæ: studioque placendi,
Quæ latuere prius, multa reperta ferunt.

Hanc quisquam titulo mensis spoliare secundi
Audeat? a nobis sit procul iste furor. 116
Quid? quod ubique potens, templisque frequentibus aucta,
Urbe tamen nostra jus dea majus habet?
Pro Troja, Romane, tua Venus arma ferebat,
Cum gemuit teneram cuspide læsa manum; 120
Cœlestesque duas Trojano judice vicit;
Ah! nolim victas hoc meminisse deas;
Assaracique nurus dicta est; ut scilicet olim
Magnus Iuleos Cæsar haberet avos.
Nec Veneri tempus, quam ver, erat aptius ullum. 125
Vere nitent terræ; vere remissus ager.
Nunc herbæ rupta tellure cacumina tollunt;
Nunc tumido gemmas cortice palmes agit.
Et formosa Venus formoso tempore digna est:
Utque solet, Marti continuata suo. 130
Vere monet curvas materna per æquora puppes
Ire, nec hibernas jam timuisse minas.
Rite deam Latiæ colitis matresque nurusque,
Et vos, quis vittæ longaque vestis abest.
Aurea marmoreo redimicula solvite collo; 135
Demite divitias: tota lavanda dea est.
Aurea siccato redimicula reddite collo;
Nunc alii flores, nunc nova danda rosa est.
Vos quoque sub viridi myrto jubet illa lavari:
Causaque cur jubeat (discite) certa subest. 140
Littore siccabat rorantes nuda capillos.
Viderunt Satyri, turba proterva, deam.
Sensit, et opposita texit sua corpora myrto.
Tuta fuit facto: vosque referre jubet.
Discite nunc, quare Fortunæ thura Virili 145
Detis eo, calida qui locus humet aqua.
Accipit ille locus posito velamine cunctas,
Et vitium nudi corporis omne videt.
Ut tegat hoc, celetque viros, Fortuna Virilis
Præstat, et hoc parvo thure rogata facit. 150
Nec pigeat niveo tritum cum lacte papaver
Sumere, et expressis mella liquata favis.
Cum primum cupido Venus est deducta marito,
Hoc bibit. Ex illo tempore nupta fuit.
Supplicibus verbis illam placate: sub illa 155
Et forma, et mores, et bona fama manet.
Roma pudicitia proavorum tempore lapsa est:
Cumæam, veteres, consuluistis anum.
Templa jubet Veneri fieri; quibus ordine factis,
Inde Venus verso nomina corde tenet. 160
Semper ad Æneadas placido, pulcherrima, vultu
Respice, totque tuas, divas, tuere nurus.
Dum loquor, elatæ metuendus acumine caudæ
Scorpios in virides præcipitatur aquas.

Nox ubi transierit, cœlumque rubescere primo 165
Cœperit, et tactæ rore querentur aves;
Semustamque facem vigilata nocte viator
Ponet, et ad solitum rusticus ibit opus;
Pleiades incipiunt humeros relevare paternos:
Quæ septem dici, sex tamen esse solent. 170
Seu quod in amplexum sex hinc venere deorum;
Nam Steropen Marti concubuisse ferunt:
Neptuno Halcyonen, et te, formosa Celæno:
Maian, et Electran, Taygetenque Jovi:
Septima mortali Merope tibi, Sisyphe, nupsit. 175
Pœnitet; et facti sola pudore latet.
Sive quod Electra Trojæ spectare ruinas
Non tulit, ante oculos opposuitque manum.

Ter sine perpetuo cœlum versetur in axe;
Ter jungat Titan, terque resolvat equos; 180
Protinus inflexo Berecyntia tibia cornu
Flabit, et Idææ festa Parentis erunt.
Ibunt semimares, et inania tympana tundent,
Æraque tinnitus ære repulsa dabunt.
Ipsa sedens molli comitum cervice feretur 185
Urbis per medias exululata vias.
Scena sonat, ludique vocant. Spectate, Quirites;
Et fora Marte suo litigiosa vacent.
Quærere multa libet: sed me sonus æris acuti
Terret, et horrendo lotos adunca sono. 190
Da, dea, quas sciter doctas, Cybeleia, neptes.
Audit; et has curæ jussit adesse meæ.
Pandite mandati memores, Heliconis alumnæ,
Gaudeat assiduo cur dea magna sono.
Sic ego; sic Erato: Mensis Cythereius illi 195
Cessit, quod teneri nomen Amoris habet.
Reddita Saturno sors hæc erat: Optime regum,
A nato sceptris excutiere tuis.
Ille suam metuens, ut quæque erat edita, prolem
Devorat, immersam visceribusque tenet. 200
Sæpe Rhea questa est toties fecunda, nec unquam
Mater; et indoluit fertilitate sua.
Jupiter ortus erat. Pro magna teste vetustas
Creditur. Acceptam parce movere fidem.
Veste latens saxum cœlesti viscere sedit. 205
Sic genitor fatis decipiendus erat.
Ardua jamdudum resonat tinnitibus Ide,
Tutus ut infanti vagiat ore puer.
Pars clypeos rudibus, galeas pars tundit inanes:
Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus. 210
Res latuit patrem: priscique imitamina facti
Æra deæ comites raucaque terga movent.
Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant:
Tibia dat Phrygios, ut dedit ante, modos.
Desierat. Cœpi: Cur huic genus acre leones
Præbent insolitas ad juga curva jubas? 216
Desieram. Cœpit: Feritas mollita per illam
Creditur: id curru testificata suo est.
At cur turrita caput est ornata corona?
An Phrygiis turres urbibus illa dedit? 220
Annuit. Unde venit, dixi, sua membra secandi
Impetus? Ut tacui, Pieris orsa loqui:
Phryx puer in sylvis facie spectabilis Attis
Turrigeram casto vinxit amore deam.
Hunc sibi servari voluit, sua templa tueri: 225
Et dixit, Semper fac puer esse velis.
Ille fidem jussis dedit; et, Si mentiar, inquit,
Ultima, qua fallam, sit Venus illa mihi.
Fallit; et in Nympha Sagaritide desinit esse,
Quod fuit. Hinc pœnas exigit ira deæ. 230
Naida vulneribus succidit in arbore factis;
Illa perit: fatum Naidos arbor erat.
Hic furit; et, credens thalami procumbere tectum,
Effugit, et cursu Dindyma summa petit.
Et modo, Tolle faces; Remove, modo, verbera, clamat. 235
Sæpe Palæstinas jurat adesse deas.
Ille etiam saxo corpus laniavit acuto,
Longaque in immundo pulvere tracta coma est.
Voxque fuit, Merui: meritas dem sanguine pœnas.
Ah pereant partes, quæ nocuere mihi! 240
Ah pereant! dicebat adhuc. Onus inguinis aufert;
Nullaque sunt subito signa relicta viri.
Venit in exemplum furor hinc, mollesque ministri
Cædunt jactatis vilia membra comis.

Talibus Aoniæ facunda voce Camœnæ 245
Reddita quæsiti causa furoris erat.
Hoc quoque, dux operis, moneas precor, unde petita
Venerit; an nostra semper in urbe fuit?
Dindymon, et Cybelen, et amœnam fontibus Iden
Semper, et Iliacas Mater amavit opes. 250
Cum Trojam Æneas Italos portaret in agros,
Est dea sacriferas pæne secuta rates.
Sed nondum fatis Latio sua numina posci
Senserat: assuetis substiteratque locis.
Post, ut Roma potens opibus jam sæcula quinque 255
Vidit, et edomito sustulit orbe caput:
Carminis Euboici fatalia verba sacerdos
Inspicit. Inspectum tale fuisse ferunt:
Mater abest; Matrem jubeo, Romane, requiras.
Cum veniet, casta est accipienda manu. 260
Obscuræ sortis patres ambagibus errant:
Quæve parens absit, quove petenda luco.
Consulitur Pæan; Divûmque arcessite matrem,
Inquit: in Idæo est invenienda jugo.
Mittuntur proceres. Phrygiæ tum sceptra tenebat
Attalus; Ausoniis rem negat ille viris. 266
Mira canam: longo tremuit cum murmure tellus;
Et sic est adytis diva locuta suis:
Ipsa peti volui: ne sit mora: mitte volentem.
Dignus Roma locus, quo deus omnis eat. 270
Ille soni terrore pavens, Proficiscere, dixit;
Nostra eris; in Phrygios Roma refertur avos.
Protinus innumeræ cædunt pineta secures
Illa, quibus fugiens Phryx pius usus erat.
Mille manus coeunt, et picta coloribus ustis 275
Cœlestum matrem concava puppis habet.
Illa sui per aquas fertur tutissima nati,
Longaque Phryxeæ stagna sororis adit:
Rhœteumque rapax, Sigeaque littora transit:
Et Tenedon, veteres Eetionis opes. 280
Cyclades excipiunt, Lesbo post terga relicta:
Quaque Carysteis frangitur unda vadis.
Transit et Icarium, lapsas ubi perdidit alas
Icarus, et vastæ nomina fecit aquæ.
Tum læva Creten, dextra Pelopeidas undas 285
Deserit: et Veneri sacra Cythera petit.
Hinc mare Trinacrium, candens ubi tingere ferrum
Brontesque, et Steropes, Acmonidesque solent:
Æquoraque Afra legit, Sardoaque regna sinistris
Prospicit a remis, Ausoniamque tenet. 290
Ostia contigerat, qua se Tiberinus in altum
Dividit, et campo liberiore natat.
Omnis eques, mixtaque gravis cum plebe senatus,
Obvius ad Tusci fluminis ora venit.
Procedunt pariter matres, natæque, nurusque; 295
Quæque colunt sanctos virginitate focos.
Sedula fune viri contento brachia lassant.
Vix subit adversas hospita navis aquas.
Sicca diu tellus fuerat: sitis usserat herbas:
Sedit limoso pressa carina vado: 300
Quisquis adest operi, plus quam pro parte laborat;
Adjuvat et fortes voce sonante manus.
Illa velut medio stabilis sedet insula ponto.
Attoniti monstro stantque paventque viri.
Claudia Quinta genus Clauso referebat ab alto;
Nec facies impar nobilitate fuit. 306
Casta quidem; sed non et credita. Rumor iniquus
Læserat, et falsi criminis acta rea est.
Cultus, et ornatis varie prodisse capillis,
Obfuit, ad rigidos promtaque lingua senes. 310
Conscia mens recti famæ mendacia risit:
Sed nos in vitium credula turba sumus.
Hæc ubi castarum processit ab agmine matrum,
Et manibus puram fluminis hausit aquam;
Ter caput irrorat, ter tollit in æthera palmas. 315
Quicunque adspiciunt, mente carere putant.
Submissoque genu, vultus in imagine divæ
Figit, et hos edit crine jacente sonos:
Supplicis, alma, tuæ, genitrix fecunda deorum,
Accipe sub certa conditione preces. 320
Casta negor. Si tu damnas, meruisse fatebor.
Morte luam pœnas judice victa dea.
Sed si crimen abest, tu nostræ pignora vitæ
Re dabis, et castas casta sequere manus.
Dixit; et exiguo funem conamine traxit. 325
Mira, sed et scena testificata loquar.
Mota dea est; sequiturque ducem, laudatque sequendo.
Index lætitiæ fertur in astra sonus.
Fluminis ad flexum veniunt: Tiberina priores
Ostia dixerunt, unde sinister abit. 330
Nox aderat: querno religant a stipite funem,
Dantque levi somno corpora functa cibo.
Lux aderat: querno solvunt a stipite funem:
Ante tamen posito thura dedere foco.
Ante coronatum puppim sine labe juvencam 335
Mactarunt, operum conjugiique rudem.
Est locos, in Tiberin qua lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit ab amne minor.
Illic purpurea canus cum veste sacerdos
Almonis Dominam sacraque lavit aquis. 340
Exululant comites, furiosaque tibia flatur;
Et feriunt molles taurea terga manus.
Claudia præcedit læto celeberrima vultu,
Credita vix tandem teste pudica dea.
Ipsa sedens plaustro porta est invecta Capena: 345
Sparguntur junctæ flore recente boves.
Nasica accepit: templi tunc exstitit auctor.
Augustus nunc est: ante Metellus erat.
Substitit hic Erato. Mora sit, si cætera quæram.
Dic, inquam, parva cur stipe quærat opes? 350
Contulit æs populus, de quo delubra Metellus
Fecit, ait. Dandæ mos stipis inde manet.
Cur vicibus factis ineant convivia, quæro,
Tum magis, indictas concelebrentque dapes.
Quod bene mutarit sedem Berecyntia, dixit, 355
Captant mutatis sedibus omen idem.
Institeram, quare primi Megalesia ludi
Urbe forent nostra: cum dea (sensit enim).
Illa deos, inquit, peperit. Cessere parenti,
Principiumque dati mater honoris habet. 360
Cur igitur Gallos, qui se excidere, vocamus,
Cum tanto Phrygia Gallica distet humus?
Inter, ait, viridem Cybelen altasque Celænas
Amnis it insana, nomine Gallus, aqua.
Qui bibit inde, furit. Procul hinc discedite, quis est 365
Cura bonæ mentis: qui bibit inde, furit.
Non pudet herbosum, dixi, posuisse moretum
In Dominæ mensis? an sua causa subest?
Lacte mero veteres usi memorantur, et herbis,
Sponte sua si quas terra ferebat, ait. 370
Candidus elisæ miscetur caseus herbæ;
Cognoscat priscos ut dea prisca cibos.

Postera cum cœlo motis Pallantias astris
Fulserit, et niveos Luna levarit equos;
Qui dicet, Quondam sacrata est colle Quirini 375
Hac Fortuna die Publica; verus erit.

Tertia lux, memini, ludis erat. At mihi quidam
Spectanti senior, contiguusque loco,
Hæc, ait, illa dies, Libycis qua Cæsar in oris
Perfida magnanimi contudit arma Jubæ. 380
Dux mihi Cæsar erat, sub quo meruisse tribunus
Glorior. Officio præfuit ille meo.
Hanc ego militia sedem, tu pace parasti,
Inter bis quinos usus honore viros.
Plura locuturi subito seducimur imbre. 385
Pendula cœlestes Libra movebat aquas.
Ante tamen, quam summa dies spectacula sistat,
Ensifer Orion æquore mersus erit.

Proxima victricem cum Romam inspexerit Eos,
Et dederit Phœbo stella fugata locum; 390
Circus erit pompa celeber numeroque deorum:
Primaque ventosis palma petetur equis.
Hi Cereris ludi: non est opus indice causa.
Sponte deæ munus promeritumque patet.
Messis erant primis virides mortalibus herbæ, 395
Quas tellus nullo sollicitante dabat.
Et modo carpebant vivaci cespite gramen;
Nunc epulæ tenera fronde cacumen erant.
Postmodo glans nata est. Bene erat jam glande reperta,
Duraque magnificas quercus habebat opes. 400
Prima Ceres homini, ad meliora alimenta vocato,
Mutavit glandes utiliore cibo.
Illa jugo tauros collum præbere coegit:
Tum primum soles eruta vidit humus.
Æs erat in pretio: chalybeia massa latebat. 405
Heu quam perpetuo debuit illa tegi!
Pace Ceres læta est. At vos optate, coloni,
Perpetuam pacem, perpetuumque Ducem.
Farra deæ, micæque licet salientis honorem
Detis, et in veteres thurea grana focos. 410
Et, si thura aberunt, unctas accendite tædas.
Parva bonæ Cereri, sint modo casta, placent.
A bove succincti cultros removete ministri.
Bos aret: ignavam sacrificate suem.
Apta jugo cervix non est ferienda securi. 415
Vivat, et in dura sæpe laboret humo.
Exigit ipse locus, raptus ut virginis edam.
Plura recognosces; pauca docendus eris.
Terra tribus scopulis vastum procurrit in æquor
Trinacris, a positu nomen adepta loci. 420
Grata domus Cereri. Multas ibi possidet urbes;
In quibus est culto fertilis Henna solo.
Frigida cœlestum matres Arethusa vocarat.
Venerat ad sacras et dea flava dapes.
Filia, consuetis ut erat comitata puellis, 425
Errabat nudo per sua prata pede.
Valle sub umbrosa locus est, adspergine multa
Uvidus ex alto desilientis aquæ.
Tot fuerant illic, quot habet natura, colores:
Pictaque dissimili flore nitebat humus. 430
Quam simul adspexit; Comites, accedite, dixit,
Et mecum vestros flore replete sinus.
Præda puellares animos prolectat inanis;
Et non sentitur sedulitate labor.
Hæc implet lento calathos e vimine textos: 435
Hæc gremium, laxos degravat illa sinus.
Illa legit calthas: huic sunt violaria curæ;
Illæ papavereas subsecat ungue comas.
Has, hyacinthe, tenes: illas, amarante, moraris:
Pars thyma, pars casiam, pars meliloton amant: 440
Plurima lecta rosa est; et sunt sine nomine flores.
Ipsa crocos tenues, liliaque alba legit.
Carpendi studio paullatim longius itur;
Et dominam casu nulla secuta comes.
Hanc videt, et visam patruus velociter aufert; 445
Regnaque cæruleis in sua portat equis.
Illa quidem clamabat, Io, carissima mater,
Auferor; ipsa suos abscideratque sinus.
Panditur interea Diti via; jamque diurnum
Lumen inassueti vix patiuntur equi. 450
At chorus æqualis, cumulatis flore canistris,
Persephone, clamant, ad tua dona veni.
Ut clamata silet, montes ululatibus implent,
Et feriunt mæsta pectora nuda manu.
Attonita est plangore Ceres; modo venerat Hennam: 455
Nec mora, Me miseram, filia, dixit, ubi es?
Mentis inops rapitur, quales audire solemus
Threicias passis Mænadas ire comis.
Ut vitulo mugit sua mater ab ubere rapto,
Et quærit fetus per nemus omne suos: 460
Sic dea: nec retinet gemitus, et concita cursu
Fertur, et e campis incipit, Henna, tuis.
Inde puellaris nacta est vestigia plantæ,
Et pressam noto pondere vidit humum.
Forsitan illa dies errori summa fuisset, 465
Si non turbassent signa reperta sues.
Jamque Leontinos, Amenanaque flumina cursu
Præterit, et ripas, herbifer Aci, tuas:
Præterit et Cyanen, et fontem lenis Anapi:
Et te, vorticibus non adeunde Gela. 470
Liquerat Ortygien, Megareaque, Pantagienque:
Quaque Symætheas accipit æquor aquas:
Antraque Cyclopum, positis exusta caminis,
Quique locus curvæ nomina falcis habet:
Himeraque, et Didymen, Acragantaque, Tauromenonque, 475
Sacrorumque Melan pascua læta boum.
Hinc Camerinan adit, Thapsonque, et Heloria Tempe:
Quaque patet Zephyro semper apertus Eryx.
Jamque Peloriaden. Lilybæaque, jamque Pachynon
Lustrarat, terræ cornua prima suæ. 480
Quacunque ingreditur, miseris loca cuncta querelis
Implet, ut amissum cum gemit ales Ityn.
Perque vices modo, Persephone, modo, Filia, clamat.
Clamat, et alternis nomen utrumque ciet.
Sed neque Persephone Cererem, neque filia matrem 485
Audit; et alternis nomen utrumque perit.
Unaque, pastorem vidisset an arva colentem,
Vox erat, Hac gressus siqua puella tulit?
Jam color unus inest rebus, tenebrisque teguntur
Omnia: jam vigiles conticuere canes. 490
Alta jacet vasti super ora Typhoeos Ætne,
Cujus anhelatis ignibus ardet humus.
Illic accendit geminas pro lampade pinus:
Hinc Cereris sacris nunc quoque tæda datur.
Est specus exesi structura pumicis asper, 495
Non homini regio, non adeunda feræ:
Quo simul ac venit, frenatos curribus angues
Jungit, et æquoreas sicca pererrat aquas.

Effugit et Syrtes, et te, Zanclæa Charybdi:
Et vos, Nisæi, naufraga monstra, canes: 500
Adriacumque patens late, bimaremque Corinthon.
Sic venit ad portus, Attica terra, tuos.
Hic primum sedit gelido mæstissima saxo.
Illud Cecropidæ nunc quoque triste vocant.
Sub Jove duravit multis immota diebus, 505
Et lunæ patiens, et pluvialis aquæ.
Fors sua cuique loco est. Quo nunc Cerealis Eleusin,
Dicitur hoc Celei rura fuisse senis.
Ille domum glandes excussaque mora rubetis
Portat, et arsuris arida ligna focis. 510
Filia parva duas redigebat rupe capellas;
Et tener in cunis filius æger erat.
Mater, ait virgo, (mota est dea nomine matris,)
Quid facis in solis incomitata jugis?
Restitit et senior, quamvis onus urget: et orat 515
Tecta suæ subeat quantulacunque casæ.
Illa negat: (simularat anum, mitraque capillos
Presserat:) instanti talia dicta refert:
Sospes eas, semperque parens; mihi filia rapta est.
Heu melior quanto sors tua sorte mea! 520
Dixit: et, ut lacrymæ, (neque enim lacrymare deorum est,)
Decidit in tepidos lucida gutta sinus.
Flent pariter molles animi virgoque senexque:
E quibus hæc justi verba fuere senis:
Sic tibi, quam raptam quereris sit filia sospes, 525
Surge: nec exiguæ despice tecta casæ.
Cui dea, Duc, inquit; scisti, qua cogere posses:
Seque levat saxo, subsequiturque senem.
Dux comiti narrat, quam sit sibi filius æger,
Nec capiat somnos, invigiletque malis. 530
Illa soporiferum, parvos initura penates,
Colligit agresti lene papaver humo.
Dum legit, oblito fertur gustasse palato,
Longamque imprudens exsoluisse famem.
Quæ quia principio posuit jejunia noctis, 535
Tempus habent mystæ sidera visa cibi.
Limen ut intravit, luctus videt omnia plena:
Jam spes in puero nulla salutis erat.
Matre salutata (mater Metanira vocatur)
Tangere dignata est os puerile suo. 540
Pallor abit, subitæque vigent in corpore vires.
Tantus cœlesti venit ab ore vigor.
Tota domus læta est, hoc est, materque paterque
Nataque: tres illi tota fuere domus.
Mox epulas ponunt, liquefacta coagula lacte, 545
Pomaque, et in teneris aurea mella favis.
Abstinet alma Ceres, somnique papavera causas
Dat tibi cum tepido lacte bibenda, puer.
Noctis erat medium, placidique silentia somni;
Triptolemum gremio sustulit illa suo: 550
Terque manu permulsit eum, tria carmina dixit,
Carmina mortali non referenda sono.
Inque foco pueri corpus vivente favilla
Obruit, humanum purget ut ignis onus.
Excutitur somno stulte pia mater; et amens, 555
Quid facis? exclamat; membraque ab igne rapit.
Cui dea, Dum non es, dixit, scelerata fuisti:
Irrita materno sunt mea dona metu.
Iste quidem mortalis erit; sed primus arabit,
Et seret, et culta præmia tollet humo. 560
Dixit, et egrediens nubem trahit, inque dracones
Transit, et aligero tollitur axe Ceres.
Sunion expositum, Piræaque tuta recessu
Linquit, et in dextrum quæ jacet ora latus,
Hinc init Ægæum, quo Cycladas adspicit omnes:
Ioniumque rapax Icariumque legit: 565
Perque urbes Asiæ longum petit Hellespontum:
Diversumque locis alta pererrat iter.
Nam modo thurilegos Arabas, modo despicit Indos:
Hinc Libys, hinc Meroe siccaque terra subest.
Nunc adit Hesperios, Rhenum, Rhodanumque, Padumque, 571
Teque future parens, Tibri, potentis aquæ.
Quo feror? immensum est erratas dicere terras:
Præteritus Cereri nullus in orbe locus.
Errat et in cœlo: liquidique immunia ponti 575
Alloquitur gelido proxima signa polo.
Parrhasides stellæ, namque omnia nosse potestis,
Æquoreas nunquam cum subeatis aquas:
Persephonen miseræ natam monstrate parenti.
Dixerat. Huic Helice talia verba refert: 580
Crimine nox vacua est. Solem de virgine rapta
Consule, qui late facta diurna videt.
Sol aditus. Quam quæris, ait, ne vana labores,
Nupta Jovis fratri tertia regna tenet.
Questa diu secum sic est affata Tonantem: 585
Maximaque in vultu signa dolentis erant:
Si memor es, de quo mihi sit Proserpina nata;
Dimidium curæ debet habere tuæ.
Orbe pererrato, sola est injuria facti
Cognita; commissi præmia raptor habet. 590
At neque Persephone digna est prædone marito,
Nec gener hoc nobis more parandus erat.
Quid gravius victore Gyge captiva tulissem,
Quam nunc, te cœli sceptra tenente, tuli?
Verum impune ferat: nos hæc patiamur inultæ.
Reddat, et emendet facta priora novis. 596
Jupiter hanc lenit, factumque excusat amore;
Nec gener est nobis ille pudendus, ait.
Non ego nobilior. Posita est mihi regia cœlo,
Possidet alter aquas, alter inane Chaos. 600
Sed si forte tibi non est mutabile pectus,
Statque semel juncti rumpere vincla tori;
Hoc quoque tentemus, siquidem jejuna remansit;
Sin minus, inferni conjugis uxor erit.
Tartara jussus adit sumtis Caducifer alis: 605
Speque redit citius, visaque certa refert.
Rapta tribus, dixit, solvit jejunia granis,
Punica quæ lento cortice poma tegunt.
Haud secus indoluit, quam si modo rapta fuisset,
Mæsta parens; longa vixque refecta mora est.
Atque ita, Nec nobis cœlum et habitabile, dixit: 611
Tænaria recipi me quoque valle jube.
Et factura fuit; pactus nisi Jupiter esset,
Bis tribus ut cœlo mensibus illa foret.
Tum demum vultusque Ceres animumque recepit; 615
Imposuitque suæ spicea serta comæ.
Largaque provenit cessatis messis in arvis,
Et vix congestas area cepit opes.
Alba decent Cererem: vestes Cerealibus albas
Sumite: nunc pulli velleris usus abest. 620

Occupat Apriles Idus cognomine Victor
Jupiter: hac illi sunt data templa die.
Hac quoque, ni fallor, populo dignissima nostro
Atria Libertas cœpit habere sua.

Luce secutura tutos pete, navita, portus: 625
Ventus ab occasu grandine mistus erit.
Sit licet et fuerit; tamen hac Mutinensia Cæsar
Grandine militia contudit arma sua.

Tertia post Veneris cum lux surrexerit Idus,
Pontifices forda sacra litate bove. 630
Forda ferens bos est fecundaque, dicta ferendo:
Hinc etiam fetus nomen habere putant.
Nunc gravidum pecus est: gravidæ nunc semine terræ.
Telluri plenæ victima plena datur.
Pars cadit arce Jovis: ter denas Curia vaccas
Accipit, et largo sparsa cruore madet. 636
Ast ubi visceribus vitulos rapuere ministri,
Sectaque fumosis exta dedere focis;
Igne cremat vitulos, quæ natu maxima virgo;
Luce Palis populos purget ut ille cinis. 640
Rege Numa, fructu non respondente labori,
Irrita decepti vota colentis erant.
Nam modo siccus erat gelidis Aquilonibus annus;
Nunc ager assidua luxuriabat aqua.
Sæpe Ceres primis dominum fallebat in herbis:
Et levis obsesso stabat avena solo: 646
Et pecus ante diem partus edebat acerbos:
Agnaque nascendo sæpe necabat ovem.
Sylva vetus, nullaque diu violata securi,
Stabat, Mænalio sacra relicta deo. 650
Ille dabat tacitis animo responsa quieto
Noctibus. Hic geminas rex Numa mactat oves.
Prima cadit Fauno; leni cadit altera Somno.
Sternitur in duro vellus utrumque solo.
Bis caput intonsum fontana spargitur unda; 655
Bis sua faginea tempora fronde premit.
Usus abest Veneris: nec fas animalia mensis
Ponere: nec digitis annulus ullus inest.
Veste rudi tectum supra nova vellera corpus
Ponit, adorato per sua verba deo. 660
Interea placidam redimita papavere frontem
Nox venit, et secum somnia nigra trahit.
Faunus adest; oviumque premens pede vellera duro,
Edidit a dextro talia dicta toro:
Morte boum tibi, rex, tellus placanda duarum:
Det sacris animas una necata duas. 666
Excutitur terrore quies; Numa visa revolvit,
Et secum ambages cæcaque jussa referit.
Expedit errantem nemori gratissima conjux,
Et dixit, Gravidæ posceris exta bovis. 670
Exta bovis dantur gravidæ: felicior annus
Provenit, et fructum terra pecusque ferunt.
Hanc quondam Cytherea diem properantius ire
Jussit, et ætherios præcipitavit equos;
Ut titulum imperii quamprimum luce sequenti
Augusto juveni prospera bella darent. 676

Sed jam præteritos quartus tibi Lucifer Idus
Respicit. Hac Hyades Dorida nocte petunt.

Tertia post Hyadas cum lux erit orta remotas,
Carcere partitos Circus habebit equos. 680
Cur igitur missæ vinctis ardentia tædis
Terga ferant vulpes, causa docenda mihi.
Frigida Carseoli, nec olivis apta ferendis
Terra, sed ad segetes ingeniosus ager.
Hac ego Pelignos natalia rura petebam, 685
Parva, sed assiduis uvida semper aquis.
Hospitis antiqui solitas intravimus ædes.
Demserat emeritis jam juga Phœbus equis.
Is mihi multa quidem, sed et hæc, narrare solebat,
Unde meum præsens instrueretur opus: 690
Hoc, ait, in campo (campumque ostendit) habebat
Rus breve cum duro parca colona viro.
Ille suam peragebat humum; sive usus aratri,
Sive cavæ falcis, sive bidentis erat.
Hæc modo verrebat stantem tibicine villam: 695
Nunc matris plumis ova fovenda dabat.
Aut virides malvas, aut fungos colligit albos:
Aut humilem grato calfacit igne focum.
Et tamen assiduis exercet brachia telis;
Adversumque minas frigoris arma parat. 700
Filius hujus erat primo lascivus in ævo,
Addideratque annos ad duo lustra duos.
Is capit extremi vulpem sub valle salicti:
Abstulerat multas illa cohortis aves.
Captivam stipula fœnoque involvit, et ignes 705
Admovet. Urentes effugit illa manus.
Qua fugit, incendit vestitos messibus agros:
Damnosis vires ignibus aura dabat.
Factum abiit: monumenta manent. Nam vivere captam
Nunc quoque lex vulpem Carseolana vetat. 710
Utque luat pœnas gens hæc, Cerealibus ardet:
Quoque modo segetes perdidit, ipsa perit.

Postera cum veniet terras visura patentes
Memnonis in roseis lutea mater equis;
E duce lanigeri pecoris, qui prodidit Hellen, 715
Sol abit: egresso victima major adest.
Vacca sit an taurus, non est congnoscere promtum:
Pars prior apparet; posteriora latent.
Seu tamen est taurus, sive est hoc fœmina signum;
Junone invita munus amoris habet. 720
Nox abiit, oriturque Aurora. Palilia poscor.
Non poscor frustra, si favet alma Pales.
Alma Pales, faveas pastoria sacra canenti,
Prosequor officio si tua festa pio.
Certe ego de vitulo cinerem, stipulasque fabales,
Sæpe tuli plena, februa casta, manu. 726
Certe ego transilui positas ter in ordine flammas,
Virgaque roratas laurea misit aquas.
Mota dea est, operique favet. Navalibus exi,
Puppis: habent ventos jam tua vela suos. 730
I pete virginea, populus, suffimen ab ara:
Vesta dabit. Vestæ munere purus eris.
Sanguis equi suffimen erit, vitulique favilla:
Tertia res, duræ culmen inane fabæ.
Pastor, oves saturas ad prima crepuscula lustra.
Uda prius spargat, virgaque verrat humum. 736
Frondibus et fixis decorentur ovilia ramis,
Et tegat ornatas longa corona fores.
Cærulei fiant vivo de sulfure fumi,
Tactaque fumanti sulfure balet ovis. 740
Ure mares oleas, tædamque, herbasque Sabinas,
Et crepet in mediis laurus adusta focis.
Libaque de milio milii fiscella sequatur:
Rustica præcipue quo dea læta cibo est.
Adde dapes mulctramque suas: dapibusque resectis 745
Sylvicolam tepido lacte precare Palen.
Consule, dic, pecori pariter pecorisque magistris:
Effugiat stabulis noxa repulsa meis.
Sive sacro pavi, sedive sub arbore sacra;
Pabulaque in bustis inscia carpsit ovis: 750
Seu nemus intravi vetitum, nostrisve fugatæ
Sunt oculis Nymphæ, semicaperve deus:
Seu mea falx ramo lucum spoliavit opaco,
Unde data est ægræ fiscina frondis ovi:
Da veniam culpæ: nec, dum degrandinat, obsit
Agresti fano supposuisse pecus. 756
Nec noceat turbasse lacus. Ignoscite, Nymphæ,
Mota quod obscuras ungula fecit aquas.

Tu, dea, pro nobis fontes fontanaque placa
Numina, tu sparsos per nemus omne deos. 760
Nec Dryadas, nec nos videamus labra Dianæ:
Nec Faunum, medio cum premit arva die.
Polle procul morbos. Valeant hominesque gregesque;
Et valeant vigiles, provida turba, canes.
Neve minus multas redigam, quam mane fuerunt;
Neve gemam referens vellera rapta lupo. 766
Absit iniqua fames. Herbæ, frondesque supersint:
Quæque lavent artus, quæque bibantur, aquæ.
Ubera plena premam. Referat mihi caseus æra;
Dentque viam liquido vimina rara sero. 770
Sitque salax aries; conceptaque semina conjux
Reddat; et in stabulo multa sit agna meo.
Lanaque proveniat nullas læsura puellas,
Mollis, et ad teneras quamlibet apta manus.
Quæ precor, eveniant: et nos faciamus ad annum
Pastorum dominæ grandia liba Pali. 776
His dea placanda est: hæc tu conversus ad ortus
Dic ter, et in vivo perlue rore manus.
Tum licet apposita, veluti cratere, camella,
Lac niveum potes, purpureamque sapam: 780
Moxque per ardentes stipulæ crepitantis acervos
Trajicias celeri strenua membra pede.
Expositus mos est. Moris mihi restat origo.
Turba facit dubium, cœptaque nostra tenet.
Omnia purgat edax ignis, vitiumque metallis 785
Excoquit: idcirco cum duce purgat oves.
An, quia cunctarum contraria semina rerum
Sunt duo discordes, ignis et unda, dei,
Junxerunt elementa patres, aptumque putarunt
Ignibus et sparsa tangere corpus aqua? 790
An, quod in his vitæ causa est: hæc perdidit exul:
His nova fit conjux; hæc duo magna putant?
Vix equidem credo; sunt qui Phaethonta referri
Credant, et nimias Deucalionis aquas.
Pars quoque, cum saxis pastores saxa feribant,
Scintillam subito prosiluisse ferunt. 796
Prima quidem periit; stipulis excepta secunda et.
Hoc argumenti flamma Palilis habet.
An magis hunc morem pietas Æneia fecit,
Innocuum victo cui dedit ignis iter? 800
Num tamen est vero propius, cum condita Roma est,
Transferri jussos in nova tecta Lares;
Mutantesque domum tectis agrestibus ignem,
Et cessaturæ supposuisse casæ;
Per flammas saluisse pecus, saluisse colonos? 805
Quod fit natali nunc quoque, Roma, tuo.
Ipse locus causas vati facit. Urbis origo
Venit: ades festis, magne Quirine, tuis.
Jam luerat pœnas frater Numitoris, et omne
Pastorum gemino sub duce vulgus erat. 810
Contrahere agrestes, et mœnia ponere utrique
Convenit. Ambigitur mœnia ponat uter.
Nil opus est, dixit, certamine, Romulus, ullo:
Magna fides avium est: experiamur aves.
Res placet. Alter adit nemorosi saxa Palati; 815
Alter Aventinum mane cacumen init.
Sex Remus, hic volucres bis sex videt ordine; pacto
Statur: et arbitrium Romulus urbis habet.
Apta dies legitur, quæ mœnia signet aratro.
Sacra Palis suberant: inde movetur opus. 820
Fossa fit ad solidum: fruges jaciuntur in ima,
Et de vicino terra petita solo.
Fossa repletur humo, plenæque imponitur ara:
Et novus accenso fungitur igne focus.
Inde premens stivam designat mœnia sulco: 825
Alba fugum niveo cum bove vacca tulit.
Vox fuit hæc regis: Condenti, Jupiter, urbem,
Et genitor Mavors, Vestaque mater ades;
Quosque pium est adhibere deos, advertite cuncti:
Auspicibus vobis hoc mihi surgat opus. 830
Longa sit huic ætas, dominæque potentia terræ:
Sitque sub hac oriens occiduusque dies.
Ille precabatur. Tonitru dedit omina lævo
Jupiter: et lævo fulmina missa polo.
Augurio læti jaciunt fundamina cives; 835
Et novus exiguo tempore murus erat.
Hoc Celer urget opus, quem Romulus ipse vocarat;
Sintque, Celer, curæ, dixerat, ista tuæ.
Neve quis aut muros, aut factam vomere fossam
Transeat; audentem talia dede neci. 840
Quod Remus ignorans, humiles contemnere muros
Cœpit, et, His populus, dicere, tutus erit?
Nec mora, transiluit. Rutro Celer occupat ausum
Ille premit duram sanguinolentus humum.
Hæc ubi rex didicit; lacrymas introrsus obortas
Devorat, et clausum pectore vulnus habet. 846
Flere palam non vult, exemplaque fortia servat:
Sicque meos muros transeat hostis, ait.
Dat tamen exsequias: nec jam suspendere fletum
Sustinet; et pietas dissimulata patet. 850
Osculaque applicuit posito suprema feretro:
Atque ait, Invito frater ademte, vale.
Arsurosque artus unxit: fecere, quod ille,
Faustulus, et mæstas Acca soluta comas.
Tum juvenem nondum facti flevere Quirites. 855
Ultima plorato subdita flamma rogo est.
Urbs oritur (quis tunc hoc ulli credere posset?)
Victorem terris impositura pedem.
Cuncta regas: et sis magno sub Cæsare semper:
Sæpe etiam plures nominis hujus habe. 860
Et quoties steteris domito sublimis in orbe,
Omnia sint humeris inferiora tuis.

Dicta Pales nobis: idem Vinalia dicam.
Una tamen media est inter utramque dies.
Numina vulgares Veneris celebrate puellæ. 865
Multa professarum quæstibus apta Venus.
Poscite thure dato formam, populique favorem;
Poscite blanditias, dignaque verba joco.
Cumque sua dominæ date grata sisymbria myrto,
Textaque composita juncea vincla rosa. 870
Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet: a Siculo nomina colle tenent.
Utque Syracusas Arethusidas abstulit armis
Claudius, et bello te quoque cepit, Eryx;
Carmine vivacis Venus est translata Sibyllæ;
Inque suæ stirpis maluit urbe coli. 876
Cur igitur Veneris festum Vinalia dicant,
Quæritis; et quare sit Jovis ista dies?
Turnus, an Æneas Latiæ gener esset Amatæ,
Bellum erat. Etruscas Turnus adoptat opes.
Clarus erat, sumtisque ferox Mezentius armis: 881
Et vel equo magnus, vel pede major erat.
Quem Rutuli Turnusque suis adsciscere tentant
Partibus, Hæc contra dux ita Tuscus ait:
Stat mihi non parvo virtus mea. Vulnera testor,
Armaque, quæ sparsi sanguine sæpe meo. 886
Qui petis auxilium, non grandia divide mecum
Præmia, de lacubus proxima musta tuis.
Nulla mora est operæ. Vestrum dare, vincere nostrum est.
Quam velit Æneas ista negata mihi! 890

Annuerant Rutuli. Mezentius induit arma:
Induit Æneas; alloquiturque Jovem.
Hostica Tyrrheno vota est vindemia regi:
Jupiter, e Latio palmite musta feras.
Vota valent meliora; cadit Mezentius ingens, 895
Atque indignanti pectore plangit humum.
Venerat Autumnus calcatis sordidus uvis:
Redduntur merito debita vina Jovi.
Dicta dies hinc est Vinalia. Jupiter illam
Vindicat, et festis gaudet inesse suis. 900

Sex ubi, quæ restant, luces Aprilis habebit,
In medio cursu tempora veris erunt:
Et frustra pecudem quæres Athamantidos Helles:
Signaque dant imbres: exoriturque Canis.
Hac mihi Nomento Romam cum luce redirem,
Obstitit in media candida pompa via. 906
Flamen in antiquæ lucum Robiginis ibat,
Exta canis flammis, exta daturus ovis.
Protinus accessi, ritus ne nescius essem.
Edidit hæc Flamen verba, Quirine, tuus: 910
Aspera Robigo, parcas Cerealibus herbis;
Et tremat in summa læve cacumen humo.
Tu sata sideribus cœli nutrita secundi
Crescere, dum fiant falcibus apta, sinas.
Vis tua non levis est. Quæ tu frumenta notasti,
Mæstus in amissis illa colonus habet. 916
Nec venti tantum Cereri nocuere, nec imbres;
Nec sic marmoreo pallet adusta gelu;
Quantum, si culmos Titan incalfacit udos.
Tum locus est iræ, diva timenda, tuæ. 920
Parce precor, scabrasque manus a messibus aufer;
Neve noce cultis: posse nocere sat est.
Nec teneras segetes, sed durum amplecte referrum;
Quodque potest alios perdere, perde prior.
Utilius gladios et tela nocentia carpes. 925
Nil opus est illis: otia mundus agat.
Sarcula nunc, durusque bidens, et vomer aduncus,
Ruris opes niteant: inquinet arma situs.
Conatusque aliquis vagina ducere ferrum,
Adstrictum longa sentiat esse mora. 930
At tu ne viola Cererem: semperque colonus
Absenti possit solvere vota tibi.
Dixerat. A dextra villis mantele solutis,
Cumque meri patera thuris acerra fuit.
Thura focis vinumque dedit, fibrasque bidentis,
Turpiaque obscænæ (vidimus) exta canis. 936
Tum mihi, Cur detur sacris nova victima, quæris?
Quæsieram: causam percipe, Flamen ait:
Est Canis, Icarium dicunt, quo sidere moto
Tosta sitit tellus, præcipiturque seges. 940
Pro cane sidereo canis hic imponitur aræ:
Et, quare pereat, nil nisi nomen habet.

Cum Phrygis Assaraci Titania fratre relicto
Sustulit immenso ter jubar orbe suum;
Mille venit variis florum dea nexa coronis: 945
Scena joci morem liberioris habet.
Exit et in Maias sacrum Florale Kalendas.
Tunc repetam: nunc me grandius urget opus.
Aufert Vesta diem: cognato Vesta recepta est
Limine: sic justi constituere patres. 950
Phœbus habet partem; Vestæ pars altera cessit:
Quod superest illis, tertius ipse tenet.
State Palatinæ laurus, prætextaque quercu
Stet domus. Æternos tres habet una Deos.

LIBER QUINTUS.

Quæritis, unde putem Maio data nomina mensi?
Non satis est liquido cognita causa mihi.
Ut stat, et incertus, qua sit sibi, nescit, eundum,
Cum videt ex omni parte viator iter:
Sic, quia posse datur diversas reddere causas, 5
Qua ferar, ignoro: copiaque ipsa nocet.
Dicite, quæ fontes Aganippidos Hippocrenes
Grata Medusæi signa tenetis equi.
Dissensere deæ; quarum Polyhymnia cœpit
Prima: silent aliæ, dictaque mente notant. 10
Post Chaos, ut primum data sunt tria corpora mundo,
Inque novas species omne recessit opus;
Pondere terra suo subsedit, et æquora traxit:
At cœlum levitas in loca summa tulit.
Sol quoque cum stellis nulla gravitate retentus,
Et vos Lunares exsiluistis equi. 16
Sed neque terra diu cœlo, nec cætera Phœbo
Sidera cedebant: par erat omnis honos.
Sæpe aliquis solio, quod tu, Saturne, tenebas,
Ausus de media plebe sedere deus: 20
Et latus Oceano quisquam deus advena junxit:
Tethys et extremo sæpe recepta loco est.
Donec Honor, placidoque decens Reverentia vultu
Corpora legitimis imposuere toris.
Hinc sata Majestas; hos est dea censa parentes:
Quaque die partu est edita, magna fuit. 26
Nec mora: consedit medio sublimis Olympo,
Aurea, purpureo conspicienda sinu.
Consedere simul Pudor et Metus. Omne videres
Numen ad hanc cultus composuisse suos. 30
Protinus intravit mentes suspectus honorum:
Fit pretium dignis; nec sibi quisque placet.
Hic status in cœlo multos permansit in annos,
Dum senior fatis excidit arce deus.
Terra feros partus, immania monstra, gigantas
Edidit, ausuros in Jovis ire domum. 36
Mille manus illis dedit, et pro cruribus angues:
Atque ait, In magnos arma movete deos.
Exstruere hi montes ad sidera summa parabant,
Et magnum bello sollicitare Jovem. 40
Fulmina de cœli jaculatus Jupiter arce,
Vertit in auctores pondera vasta suos.
His bene Majestas armis defensa deorum
Restat: et ex illo tempore firma manet.
Assidet illa Jovi: Jovis est fidissima custos: 45
Et præstat sine vi sceptra tenenda Jovi.
Venit et in terras: coluerunt Romulus illam
Et Numa: mox alii, tempore quisque suo.
Illa patres in honore pio matresque tuetur:
Illa comes pueris virginibusque venit. 50
Illa datos fasces commendat, eburque curule:
Illa coronatis alta triumphat equis.
Finierat voces Polyhymnia. Dicta probarunt
Clioque, et curvæ scita Thalia lyræ.

Excipit Uranie; fecere silentia cunctæ; 55
Et vox audiri nulla, nisi illa, potest.
Magna fuit quondam capitis reverentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.
Martis opus juvenes animosaque bella gerebant,
Et pro dis aderant in statione suis. 60
Viribus illa minor, nec habendis utilis armis,
Consilio patriæ sæpe ferebat opem.
Nec nisi post annos patuit tunc Curia seros:
Nomen et ætatis mite senatus erat.
Jura dabat populo senior: finitaque certis 65
Legibus est ætas, unde petatur honos.
Et medius juvenum, non indignantibus ipsis,
Ibat: et interior, si comes unus erat.
Verba quis auderet coram sene digna rubore
Dicere? censuram longa senecta dabat. 70
Romulus hoc vidit, selectaque pectora patres
Dixit. Ad hos urbis summa relata novæ.
Hinc sua majores posuisse vocabula Maio
Tangor, et ætati consuluisse suæ. 74
Et Numitor dixisse potest, Da, Romule, mensem
Hunc senibus; nec avum sustinuisse nepos.
Nec leve præpositi pignus successor honoris
Junius, a juvenum nomine dictus, habet.
Tum sic, neglectos hedera redimita capillos,
Prima sui cœpit Calliopea chori: 80
Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn,
Qui terram liquidis, qua patet, ambit aquis.
Hinc sata Pleione cum cœlifero Atlante
Jungitur, ut fama est, Pleiadasque parit.
Quarum Maia suas forma superasse sorores 85
Traditur, et summo concubuisse Jovi.
Hæc enixa jugo cupressiferæ Cyllenes,
Ætherium volucri qui pede carpit iter.
Arcades hunc, Ladonque rapax, et Mænalos ingens
Rite colunt, Luna credita terra prior. 90
Exsul ab Arcadiis Latios Evander in agros
Venerat, impositos attuleratque deos.
Hic, ubi nunc Roma est orbis caput, arbor et herbæ,
Et paucæ pecudes, et casa rara fuit.
Quo postquam ventum; Consistite, præscia mater, 95
Nam locus imperii rus erit istud, ait.
Et matri et vati paret Nonacrius heros,
Inque peregrina constitit hospes humo.
Sacraque multa quidem, sed Fauni prima bicornis
Has docuit gentes, alipedsique dei. 100
Semicaper, coleris cinctutis, Faune, Lupercis,
Cum lustrant celebres vellera secta vias.
At tu materno donasti nomine mensem,
Inventor curvæ, furibus apte, fidis.
Nec pietas hæc prima tua est: septena putaris,
Pleiadum numerum, fila dedisse lyræ. 106
Hæc quoque desierat; laudata est voce sororum.
Quid faciam? turbæ pars habet omnis idem.
Gratia Pieridum nobis æqualiter adsit;
Nullaque laudetur plusve minusve mihi. 110

Ab Jove surgat opus. Prima mihi nocte videnda
Stella est in cunas officiosa Jovis.
Nascitur Oleniæ signum pluviale Capellæ:
Illa dati cœlum præmia lactis habet.
Nais Amalthee, Cretæa nobilis Ida, 115
Dicitur in sylvis occuluisse Jovem.
Huic fuit hædorum mater formosa duorum
Inter Dictæos conspicienda greges;
Cornibus aeriis, atque in sua terga recurvis;
Ubere, quod nutrix posset habere Jovis. 120
Lac dabat illa deo; sed fregit in arbore cornu,
Truncaque dimidia parte decoris erat.
Sustulit hoc Nymphe, cinctumque recentibus herbis,
Et plenum pomis ad Jovis ora tulit.
Ille, ubi res cœli tenuit, solioque paterno 125
Sedit, et invicto nil Jove majus erat;
Sidera nutricem, nutricis fertile cornu
Fecit; quod dominæ nunc quoque nomen habet.
Præstitibus Maiæ Laribus videre Kalendæ
Aram constitui, signaque parva deûm. 130
Voverat illa quidem Curius: sed multa vetustas
Destruit, et saxo longa senecta nocet.
Causa tamen positi fuerat cognominis illis,
Quod præstant oculis omnia tuta suis.
Stant quoque pro nobis, et præsunt mœnibus Urbis, 135
Et sunt præsentes, auxiliumque ferunt.
At canis ante pedes, saxo fabricatus eodem,
Stabat. Quæ standi cum Lare caussa fuit?
Servat uterque domum: domino quoque fidus uterque:
Compita grata deo; compita grata cani. 140
Exagitant et Lar et turba Diania fures:
Pervigilantque Lares, pervigilantque canes.
Bina gemellorum quærebam signa deorum
Viribus annosæ facta caduca moræ:
Mille Lares, Geniumque ducis, qui tradidit illos,
Urbs habet; et vici numina trina colunt. 146
Quo feror? Augustus mensis mihi carminis hujus
Jus dabit. Interea Diva canenda Bona est.
Est moles nativa: loco res nomina fecit.
Appellant saxum: pars bona montis ea est. 150
Huic Remus institerat frustra, quo tempore fratri
Prima Palatinæ signa dedistis aves.
Templa patres illic, oculos exosa viriles,
Leniter acclivi constituere jugo.
Dedicat hæc veteris Clausorum nominis hæres,
Virgineo nullum corpore passa virum. 156
Livia restituit; ne non imitata maritum
Esset, et ex omni parte secuta virum.

Postera cum roseam pulsis Hyperionis astris
In matutinis lampada tollit equis; 160
Frigidus Argestes summas mulcebit aristas,
Candidaque a Calabris vela dabuntur aquis.
At simul inducunt obscura crepuscula noctem,
Pars Hyadum toto de grege nulla latet. 164
Ora micant Tauri septem radiantia flammis,
Navita quas Hyadas Graius ab imbre vocat.
Pars Bacchum nutrisse putat: pars credidit esse
Tethyos has neptes, Oceanique senis.
Nondum stabat Atlas, humeros oneratus Olympo,
Cum fatus est forma conspiciendus Hyas. 170
Hunc stirps Oceani maturis nisibus Æthra
Edidit, et Nymphas; sed prior ortus Hyas.
Dum nova lanugo, pavidos formidine cervos
Terret, et est illi præda benigna lepus.
At postquam virtus annis adolevit; in apros 175
Audet, et hirsutas cominus ire feras.
Dumque petit latebras fetæ catulosque leænæ,
Ipse fuit Libycæ præda cruenta leæ.
Mater Hyan, et Hyan mæstæ flevere sorores,
Cervicemque polo suppositurus Atlas. 180
Victus uterque parens tamen est pietate sororum.
Illa dedit cœlum: nomina fecit Hyas.
Mater ades florum, ludis celebrata jocosis:
Distuleram partes mense priore tuas.
Incipis Aprili: transis in tempora Maii. 185
Alter te fugiens, cum venit alter, habet.

Cum tua sint, cedantque tibi confinia mensum;
Convenit in laudes ille vel iste tuas.
Circus in hunc exit, clamataque palma theatris:
Hoc quoque cum Circi munere carmen eat. 190
Ipsa doce quæ sis: hominum sententia fallax.
Optima tu proprii nominis auctor eris.
Sic ego; sic nostris respondit diva rogatis;
Dum loquitur, vernas efflat ab ore rosas:
Chloris eram, quæ Flora vocor. Corrupta Latino
Nominis est nostri littera Græca sono. 196
Chloris eram, Nymphe campi felicis, ubi audis
Rem fortunatis ante fuisse viris.
Quæ fuerit mihi forma, grave est narrare modestæ:
Sed generum matri reperit illa deum. 200
Ver erat: errabam. Zephyrus conspexit; abibam,
Insequitur; fugio. Fortior ille fuit.
Et dederat fratri Boreas jus omne rapinæ,
Ausus Erechthea præmia ferre domo.
Vim tamen emendat dando mihi nomina nuptæ:
Inque meo non est ulla querela toro. 206
Vere fruor semper: vere est nitidissimus annus.
Arbor habet frondes, pabula semper humus.
Est mihi fecundus dotalibus hortus in agris:
Aura fovet: liquidæ fonte rigatur aquæ. 210
Hunc meus implevit generoso flore maritus:
Atque ait, Arbitrium tu, dea, floris habe.
Sæpe ego digestos volui numerare colores,
Nec potui. Numero copia major erat.
Roscida cum primum foliis excussa pruina est,
Et variæ radiis intepuere comæ; 216
Conveniunt pictis incinctæ vestibus Horæ,
Inque leves calathos munera nostra legunt.
Protinus arripiunt Charites, nectuntque coronas,
Sertaque, cœlestes implicitura comas. 220
Prima per immensas sparsi nova semina gentes.
Unius tellus ante coloris erat.
Prima Therapnæo feci de sanguine florem:
Et manet in folio scripta querela suo.
Tu quoque nomen habes cultos, Narcisse, per hortos: 225
Infelix, quod non alter et alter eras!
Quid crocon, aut Attin referam, Cinyraque creatum,
De quorum per me vulnere surgit honor?
Mars quoque, si nescis, per nostras editus artes.
Jupiter hoc ut adhuc nesciat, usque precor. 230
Sancta Jovem Juno, nata sine matre Minerva,
Officio doluit non eguisse suo.
Ibat, ut Oceano quereretur facta mariti;
Restitit ad nostras fessa labore fores.
Quam simul adspexi; Quid te, Saturnia, dixi, 235
Attulit? exponit, quem petat, illa locum.
Addidit et causam. Verbis solabar amicis.
Non, inquit, verbis cura levanda mea est.
Si pater est factus neglecto conjugis usu
Jupiter, et nomen solus utrumque tenet; 240
Cur ego desperem fieri sine conjuge mater,
Et parere intacto, dummodo casta, viro?
Omnia tentabo latis medicamina terris,
Et freta, Tartareos excutiamque sinus.
Vox erat in cursu: vultum dubitantis habebam.
Nescio quid, Nymphe, posse videris, ait. 246
Ter volui promittere opem, ter lingua retenta est:
Ira Jovis magni causa timoris erat.
Fer precor auxilium, dixit; celabitur auctor:
Et Stygiæ numen testificatur aquæ. 250
Quod petis, Oleniis, inquam, mihi missus ab arvis
Flos dabit. Est hortis unicus ille meis
Qui dabat, Hoc, dixit, sterilem quoque tange juvencam;
Mater erit. Tetigi; nec mora, mater erat.
Protinus hærentem decerpsi pollice florem. 255
Tangitur, et tacto concipit illa sinu.
Jamque gravis Thracen, et læva Propontidos intrat:
Fitque potens voti; Marsque creatus erat.
Qui memor accepti per me natalis, Habeto
Tu quoque Romulea, dixit, in urbe locum. 260
Forsitan in teneris tantum mea regna coronis
Esse putes. Tangunt numen et arva meum.
Si bene floruerint segetes; erit area dives.
Si bene floruerit vinea; Bacchus erit.
Si bene floruerint oleæ, nitidissimus annus: 265
Pomaque proventum temporis hujus habent.
Flore semel læso pereunt viciæque fabæque,
Et pereunt lentes, advena Nile, tuæ.
Vina quoque in magnis operose condita cellis
Florent; et nebulæ dolia summa tegunt. 270
Mella meum munus. Volucres ego mella daturas
Ad violam, et cytisos, et thyma cana voco.
Nos quoque idem facimus, tunc cum juvenilibus annis
Luxuriant animi, corporaque ipsa vigent.
Talia dicentem tacitus mirabar. At illa, 275
Jus tibi discendi, si qua requiris, ait.
Dic, dea, ludorum, respondi, quæ sit origo.
Vix bene desieram; retulit illa mihi.
Cætera luxuriæ nondum instrumenta vigebant:
Aut pecus, aut latam dives habebat humum. 280
Hinc etiam locuples, hinc ipsa pecunia dicta est.
Sed jam de vetito quisque parabat opes.
Venerat in morem populi depascere saltus:
Idque diu licuit, pœnaque nulla fuit.
Vindice servabat nullo sua publica vulgus: 285
Jamque in privato pascere inertis erat.
Plebis ad ædiles delata licentia talis
Publicios: animus defuit ante viris.
Rem populus recipit: mulctam subiere nocentes.
Vindicibus laudi publica cura fuit. 290
Mulcta data est ex parte mihi: magnoque favore
Victores ludos instituere novos.
Parte locant clivum, qui tunc erat ardua rupes.
Utile nunc iter est, Publiciumque vocant.
Annua credideram spectacula facta: negavit: 295
Addidit et dictis altera verba suis.
Nos quoque tangit honos: festis gaudemus et aris,
Turbaque cœlestes ambitiosa sumus.
Sæpe deos aliquis peccando fecit iniquos,
Et pro delictis hostia blanda fuit. 300
Sæpe Jovem vidi, cum jam sua mittere vellet
Fulmina, thure dato sustinuisse manum.
At si negligimur, magnis injuria pœnis
Solvitur, et justum præterit ira modum.
Respice Thestiaden; flammis absentibus arsit.
Causa est, quod Phœbes ara sine igne fuit. 306
Respice Tantaliden; eadem dea vela tenebat.
Virgo est; et spretos bis tamen ulta focos.
Hippolyte infelix, velles coluisse Dionen,
Cum consternatis diripereris equis. 310
Longa referre mora est correcta oblivia damnis.
Me quoque Romani præteriere patres.
Quid facerem? per quod fierem manifesta dolori?
Exigerem nostræ qualia damna notæ?
Excidit officium tristi mihi. Nulla tuebar 315
Rura, nec in pretio fertilis hortus erat.
Lilia deciderant: violas arere videres,
Filaque punicei languida facta croci.

Sæpe mihi Zephyrus, Dotes corrumpere noli
Ipsa tuas, dixit: dos mihi vilis erat. 320
Florebant oleæ: venti nocuere protervi.
Florebant segetes; grandine læsa Ceres.
In spe vitis erat; cœlum nigrescit ab Austris,
Et subita frondes decutiuntur aqua.
Nec volui fieri, nec sum crudelis in ira: 325
Cura repellendi sed mihi nulla fuit.
Convenere patres: et, si bene floreat annus,
Numinibus nostris annua festa vovent.
Annuimus voto. Consul cum consule ludos
Postumio Lænas persoluere mihi. 330
Quærere conabar, quare lascivia major
His foret in ludis, liberiorque jocus:
Sed mihi succurrit, numen non esse severum,
Aptaque deliciis munera ferre deam.
Tempora sutilibus cinguntur tota coronis, 335
Et latet injecta splendida mensa rosa.
Ebrius incinctis philyra conviva capillis
Saltat, et imprudens vertitur arte meri.
Ebrius ad durum formosæ limen amicæ
Cantat. Habent unctæ mollia serta comæ. 340
Nulla coronata peraguntur seria fronte;
Nec liquidæ vinctis flore bibuntur aquæ.
Donec eras mistus nullis, Acheloe, racemis,
Gratia sumendæ non erat ulla rosæ.
Bacchus amat flores: Baccho placuisse coronam,
Ex Ariadnæo sidere nosse potes. 346
Scena levis decet hanc; non est, mihi credite, non est
Illa cothurnatas inter habenda deas.
Turba quidem cur hos celebret meretricia ludos,
Non ex difficili causa petenda subest. 350
Non est de tetricis, non est de magna professis:
Vult sua plebeio sacra patere choro.
Et monet ætatis specie, dum floreat, uti;
Contemni spinam, cum cecidere rosæ.
Cur tamen, ut dantur vestes Cerealibus albæ, 355
Sic hæc est cultu versicolore decens?
An quia maturis albescit messis aristis;
Et color et species floribus omnis inest?
Annuit; et motis flores cecidere capillis:
Accidere in mensas ut rosa missa solet. 360
Lumina restabant; quorum me causa latebat.
Cum sic errores abstulit illa meos.
Vel quia purpureis collucent floribus agri,
Lumina sunt nostros visa decere dies:
Vel quia nec flos est hebeti, nec flamma, colore,
Atque oculos in se splendor uterque trahit: 366
Vel quia deliciis nocturna licentia nostris
Convenit. A vero tertia causa venit.
Est breve præterea, de quo mihi quærere restat,
Si liceat, dixi. Dixit et illa, Licet. 370
Cur tibi pro Libycis claudantur rete leænis
Imbelles capreæ, sollicitusque lepus.
Non sibi, respondit, sylvas cessisse, sed hortos,
Arvaque pugnaci non adeunda feræ.
Omnia finierat: tenues secessit in auras. 375
Mansit odor: posses scire fuisse deam.
Floreat ut toto carmen Nasonis in ævo,
Sparge, precor, donis pectora nostra tuis.

Nocte minus quarta promet sua sidera Chiron
Semivir, et flavi corpore mixtus equi. 380
Pelion Hæmoniæ mons est obversus in Austros:
Summa virent pinu: cætera quercus habet.
Phillyrides tenuit. Saxo stant antra vetusto,
Quæ justum memorant incoluisse senem.
Ille manus, olim missuras, Hectora leto, 385
Creditur in lyricis detinuisse modis.
Venerat Alcides exacta parte laborum;
Jussaque restabant ultima pæne viro.
Stare simul casu Trojæ duo fata videres:
Hinc puer Æacides, hinc Jove natus erat. 390
Excipit hospitio juvenem Philyreius heros:
Et causam adventus hic rogat, ille docet.
Perspicit interea clavam spoliumque leonis:
Virque, ait, his armis, armaque digna viro.
Nec se, quin horrens auderent tangere setis 395
Vellus, Achilleæ continuere manus.
Dumque senex tractat squalentia tela venenis;
Excidit, et lævo fixa sagitta pede est.
Ingemuit Chiron, traxitque e corpore ferrum:
Adgemit Alcides, Hæmoniusque puer. 400
Ipse tamen lectas Pagasæis collibus herbas
Temperat, et varia vulnera mulcet ope.
Virus edax superabat opem: penitusque recepta
Ossibus, et toto corpore pestis erat.
Sanguine Centauri Lernææ sanguis Echidnæ 405
Mixtus ad auxilium tempora nulla dabant.
Stabat, ut ante patrem, lacrymis perfusus Achilles:
Sic flendus Peleus, si moreretur, erat,
Sæpe manus ægras manibus fingebat amicis;
Morum, quos fecit, præmia doctor habet. 410
Oscula sæpe dedit. Dixit quoque sæpe jacenti,
Vive precor, nec me, care, relinque, pater.
Nona dies aderat; cum tu, justissime Chiron,
Bis septem stellis corpora cinctus eras.

Hunc Lyra curva sequi cuperet; sed idonea nondum 415
Est via. Nox aptum tertia tempus erit.

Scorpius in cœlo, cum cras lucescere Nonas
Dicimus, a media parte notandus erit.

Hinc ubi protulerit formosa ter Hesperus ora,
Ter dederint Phœbo sidera victa locum; 420
Ritus erit veteris, nocturna Lemuria, sacri;
Inferias tacitas Manibus illa dabunt.
Annus erat brevior; nec adhuc pia februa norant,
Nec tu dux mensum, Jane biformis, eras.
Jam tamen exstincto cineri sua dona ferebant,
Compositique nepos busta piabat avi. 426
Mensis erat Maius, majorum nomine dictus,
Qui partem prisci nunc quoque moris habet.
Nox ubi jam media est, somnoque silentia præbet,
Et canis, et variæ conticuistis aves; 430
Ille memor veteris ritus, timidusque deorum,
Surgit: habent gemini vincula nulla pedes.
Signaque dat digitis medio cum pollice junctis,
Occurrat tacito ne levis umbra sibi.
Terque manus puras fontana perluit unda; 435
Vertitur, et nigras accipit ore fabas:
Aversusque jacit: sed dum jacit, Hæc ego mitto;
His, inquit, redimo meque meosque fabis.
Hoc novies dicit, nec respicit. Umbra putatur
Colligere, et nullo terga vidente sequi. 440
Rursus aquam tangit, Temesæaque concrepat æra:
Et rogat, ut tectis exeat umbra suis.
Cum dixit novies, Manes exite paterni;
Respicit, et pure sacra peracta putat.
Dicta sit unde dies, quæ nominis exstet origo, 445
Me fugit. Ex aliquo est invenienda deo.
Pleiade nate, mone, virga venerande potenti:
Sæpe tibi Stygii regia visa Jovis.
Venit adoratus Caducifer. Accipe causam
Nominis; ex ipso cognita causa deo est. 450
Romulus ut tumulo fraternas condidit umbras,
Et male veloci justa soluta Remo;

Faustulus infelix, et passis Acca capillis
Spargebant lacrymis ossa perusta suis.
Inde domum redeunt sub prima crepuscula mæsti, 455
Utque erat, in duro procubuere toro.
Umbra cruenta Remi visa est adsistere lecto,
Atque hæc exiguo murmure verba loqui:
En ego dimidium vestri parsaque altera voti
Cernite, sim qualis; qui modo qualis eram! 460
Qui modo, si volucres habuissem regna jubentes,
In populo potui maximus esse meo.
Nunc elapsa rogi flammis, et inanis imago.
Hæc est ex illo forma relicta Remo.
Heu ubi Mars pater est? si vos modo vera locuti,
Uberaque expositis ille ferina dedit. 466
Quem lupa servavit, manus hunc temeraria civis
Perdidit. O quanto mitior illa fuit!
Sæve Celer, crudelem animam per vulnera reddas:
Utque ego, sub terras sanguinolentus eas. 470
Noluit hoc frater. Pietas æqualis in illo est.
Quod potuit, lacrymas in mea fata dedit.
Hunc vos per lacrymas, per vestra alimenta rogate,
Ut celebrem festo signet honore diem.
Mandantem amplecti cupiunt, et brachia tendunt.
Lubrica prensantes effugit umbra manus. 476
Ut secum fugiens somnos abduxit imago;
Ad regem voces fratris uterque ferunt.
Romulus obsequitur, lucemque Remuria dixit
Illam, qua positis justa feruntur avis. 480
Aspera mutata est in lenem tempore longo
Littera, quæ toto nomine prima fuit.
Mox etiam Lemures animas dixere silentum.
Is verbi sensus, vis ea vocis erat.
Fana tamen veteres illis clausere diebus, 485
Ut nunc ferali tempore operta vides.
Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
Tempora. Quæ nupsit, non diuturna fuit.
Hac quoque de causa, si te proverbia tangunt,
Mense malas Maio nubere vulgus ait. 490
Sed tamen hæc tria sunt sub eodem tempore festa
Inter se nullo continuata die.

Quorum si mediis Bœoton Oriona quæres,
Falsus eris. Signi causa canenda mihi.
Jupiter, et lato qui regnat in æquore frater, 495
Carpebant socias, Mercuriusque, vias.
Tempus erat, quo versa jugo referuntur aratra,
Et pronum saturæ lac bibit agnus ovis.
Forte senex Hyrieus, angusti cultor agelli,
Hos videt, exiguam stabat ut ante casam. 500
Atque ita, Longa via est, nec tempora longa supersunt,
Dixit, et hospitibus janua nostra patet.
Addidit et vultum verbis, iterumque rogavit.
Parent promissis; dissimulantque deos.
Tecta senis subeunt, nigro deformia fumo: 505
Ignis in extremo stipite parvus erat.
Ipse genu posito flammas exsuscitat aura,
Et promit quassas comminuitque faces.
Stant calices: minor inde fabas, olus alter habebant:
Et fumant testu pressus uterque suo. 510
Dumque mora est, tremula dat vina rubentia dextra.
Accipit æquoreus pocula prima deus.
Quæ simul exhausit; Da nunc bibat ordine, dixit,
Jupiter. Audito palluit ille Jove.
Ut rediit animus; cultorem pauperis agri 515
Immolat, et magno torret in igne bovem.
Quæque puer quondam primis diffuderat annis,
Prodit fumoso condita vina cado.
Nec mora: flumineam lino celantibus ulvam,
Sic quoque non altis, discubuere toris. 520
Nunc dape, nunc posito mensæ nituere Lyæo.
Terra rubens crater, pocula fagus erant.
Verba fuere Jovis; Si quid fert impetus, opta:
Omne feres. Placidi verba fuere senis:
Cara fuit conjux, primæ mihi cura juventæ 525
Cognita: nunc ubi sit quæritis? urna tegit.
Huic ego juratus, vobis in verba vocatis,
Conjugio, dixi, sola fruere meo.
Et dixi, et servo. Sed enim diversa voluntas
Est mihi: nec conjux, et pater esse volo. 530
Annuerant omnes: omnes ad terga juvenci
Constiterant. Pudor est ulteriora loqui.
Tum superinjecta texere madentia terra.
Jamque decem menses, et puer ortus erat.
Hunc Hyrieus, quia sic genitus, vocat Uriona.
Perdidit antiquum littera prima sonum. 536
Creverat immensum: comitem sibi Delia sumsit.
Ille deæ custos, ille satelles erat.
Verba movent iras non circumspecta deorum.
Quam nequeam, dixit, vincere, nulla fera est.
Scorpion immisit Tellus. Fuit impetus illi 541
Curva gemelliparæ spicula ferre deæ.
Obstitit Orion. Latona nitentibus astris
Addidit, et, Meriti præmia, dixit, habe.

Sed quid et Orion, et cætera sidera mundo 545
Cedere festinant, noxque coarctat iter?
Quid solito citius liquido jubar æquore tóllit
Candida, Lucifero præveniente, dies?
Fallor? an arma sonant? non fallimur: arma sonabant.
Mars venit; et veniens bellica signa dedit. 550
Ultor ad ipse suos cœlo descendit honores,
Templaque in Augusto conspicienda Foro.
Et deus est ingens, et opus. Debebat in urbe
Non aliter nati Mars habitare sui.
Digna giganteis hæc sunt delubra tropæis: 555
Hinc fera Gradivum bella movere decet:
Seu quis ab Eoo nos impius orbe lacesset,
Seu quis ab occiduo sole domandus erit.
Prospicit Armipotens operis fastigia summi,
Et probat invictos summa tenere deos. 560
Prospicit in foribus diversæ tela figuræ,
Armaque terrarum milite victa suo.
Hinc videt Ænean oneratum pondere sacro,
Et tot Iuleæ nobilitatis avos.
Hinc videt Iliaden humeris ducis arma ferentem,
Claraque dispositis acta subesse viris. 566
Spectat et Augusto prætextum nomine templum,
Et visum lecto Cæsare majus opus.
Voverat hec juvenis tunc, cum pia sustulit arma.
A tantis Princeps incipiendus erat. 570
Ille manus tendens, hinc stanti milite justo,
Hinc conjuratis, talia dicta dedit;
Si mihi bellandi pater est, Vestæque sacerdos
Auctor, et ulcisci numen utrumque paro;
Mars, ades, et satia scelerato sanguine ferrum:
Stetque favor causa pro meliore tuus. 576
Templa feres, et, me victore, vocaberis Ultor.
Voverat; et fuso lætus ab hoste redit.
Nec satis est meruisse semel cognomina Marti:
Persequitur Parthi signa retenta manu. 580
Gens fuit et campis, et equis, et tuta sagittis,
Et circumfusis invia fluminibus.
Addiderant animos Crassorum funera genti;
Cum periit miles, signaque, duxque simul.

Signa, decus belli, Parthus Romana tenebat, 585
Romanæque aquilæ signifer hostis erat.
Isque pudor mansisset adhuc; nisi fortibus armis
Cæsaris Ausoniæ protegerentur opes.
Ille notas veteres, et longi dedecus ævi
Sustulit. Agnorunt signa recepta suos. 590
Quid tibi nunc solitæ mitti post terga sagittæ,
Quid loca, quid rapidi profuit usus equi?
Parthe, refers aquilas: victos quoque porrigis arcus.
Pignora jam nostri nulla pudoris habes.
Rite deo templumque datum, nomenque bis ulto; 595
Et meritus votis debita solvit honos.
Sollennes ludos Circo celebrate, Quirites:
Non visa est fortem scena decere deum.

Pleiadas adspicies omnes, totumque sororum
Agmen, ubi ante Idus nox erit una super. 600
Tum mihi non dubiis auctoribus incipit æstas,
Et tepidi finem tempora veris habent.

Idibus ora prior stellantia tollere taurum
Indicat: huic signo fabula nota subest.
Præbuit, ut taurus, Tyriæ sua terga puellæ 605
Jupiter, et falsa cornua fronte tulit;
Illa jubam dextra, læva retinebat amictus;
Et timor ipse novi causa decoris erat.
Aura sinus implet: flavos movet aura capillos;
Sidoni, sic fueras adspicienda Jovi. 610
Sæpe puellares subducit ab æquore plantas,
Et metuit tactas assilientis aquæ:
Sæpe deus prudens tergum demittit in undas,
Hæreat ut collo fortius illa suo.
Littoribus tactis stabat sine cornibus ullis 615
Jupiter, inque deum de bove versus erat.
Taurus init cœlum. Te, Sidoni, Jupiter implet:
Parsque tuum terræ tertia nomen habet.
Hoc alii signum Phariam dixere juvencam,
Quæ bos ex homine est, ex bove facta dea. 620
Tum quoque priscorum virgo simulacra virorum
Mittere roboreo scirpea ponte solet.
Corpora post decies senos qui credidit annos
Missa neci, sceleris crimine damnat avos.
Fama vetus: tum cum Saturnia terra vocata est,
Talia fatidici dicta fuere dei: 626
Falcifero, libata seni duo corpora, gentes,
Mittite, quæ Tuscis excipiantur aquis.
Donec in hæc venit Tirynthius arva, quotannis
Tristia Leucadio sacra peracta modo. 630
Illum stramineos in aquam misisse Quirites;
Herculis exemplo corpora falsa jaci.
Pars putat, ut ferrent juvenes suffragia soli,
Pontibus infirmos præcipitasse senes.
Tibri, doce verum: tua ripa vetustior Urbe. 635
Principium ritus tu bene nosse potes.
Tibris arundiferum medio caput extulit alveo,
Raucaque dimovit talibus ora sonis:
Hæc loca desertas vidi sine mœnibus herbas:
Pascebat sparsos utraque ripa boves. 640
Et quem nunc gentes Tiberin noruntque timentque,
Tunc etiam pecori despiciendus eram.
Arcadis Evandri nomen tibi sæpe refertur:
Ille meas remis advena torsit aquas.
Venit et Alcides turba comitatus Achiva. 645
Albula, si memini, tunc mihi nomen erat.
Excipit hospitio juvenem Pallantius heros:
Et tandem Caco debita pœna venit.
Victor abit, secumque boves, Erytheida prædam,
Abstrahit. At comites longius ire negant. 650
Magnaque pars horum desertis venerat Argis:
Montibus his ponunt spemque laremque suum.
Sæpe tamen patriæ dulci tanguntur amore,
Atque aliquis moriens hoc breve mandat opus:
Mittite me Tiberi; Tiberinis vectus ut undis 655
Littus ad Inachium pulvis inanis eam.
Displicet hæredi mandati cura sepulcri;
Mortuus Ausonia conditur hospes humo.
Scirpea pro domino Tiberi jactatur imago,
Ut repetat Graias per freta longa domos. 660
Hactenus: ut vivo subiit rorantia saxo
Antra, leves cursum sustinuistis aquæ.

Clare nepos Atlantis, ades, quem montibus olim
Edidit Arcadiis Pleias una Jovi;
Pacis et armorum superis imisque deorum 665
Arbiter, alato qui pede carpis iter;
Læte lyræ pulsu, nitida quoque læte palæstra:
Quo didicit culte lingua favente loqui.
Templa tibi posuere patres spectantia Circum
Idibus. Ex illo est hæc tibi festa dies. 670
Te, quicunque suas profitetur vendere merces,
Thure dato, tribuas ut sibi lucra, rogat.
Est aqua Mercurii portæ vicina Capenæ:
Si juvat expertis credere, numen habet.
Huc venit incinctus tunicas mercator, et urna 675
Purus suffita, quam ferat, haurit aquam.
Uda fit hinc laurus: lauro sparguntur ab uda
Omnia, quæ dominos sunt habitura novos.
Spargit et ipse suos lauro rorante capillos:
Et peragit solita fallere voce preces. 680
Ablue præteriti perjuria temporis, inquit;
Ablue præterita perfida verba die.
Sive ego te feci testem, falsove citavi
Non audituri numina magna Jovis;
Sive deum prudens alium divamve fefelli; 685
Abstulerint celeres improba dicta Noti.
Et pereant veniente die perjuria nobis;
Nec curent superi, si qua locutus ero.
Da modo lucra mihi, da facto gaudia lucro;
Et face, ut emtori verba dedisse juvet. 690
Talia Mercurius poscentem ridet ab alto,
Se memor Ortygias surripuisse boves.

At mihi pande, precor, tanto meliora petenti,
In Geminos ex quo tempore Phœbus eat.
Cum totidem de mense dies superesse videbis,
Quot sunt Herculei facta laboris, ait. 696
Dic, ego respondi, causam mihi sideris hujus.
Causam facundo prodidit ore deus:
Abstulerant raptas Phœben Phœbesque sororem
Tyndaridæ fratres, hic eques, ille pugil. 700
Pella parant, repetuntque suas et frater et Idas,
Leucippo fieri pactus uterque gener.
His amor, ut repetant, illis, ut reddere nolint,
Suadet; et ex causa pugnat uterque pari.
Effugere Œbalidæ cursu potuere sequentes; 705
Sed visum celeri vincere turpe fuga.
Liber ab arboribus locus est, apta area pugnæ.
Constiterant illic: nomen Aphidna loco.
Pectora trajectus Lynceo Castor ab ense
Non exspectato vulnere pressit humum. 710
Ultor adest Pollux, et Lyncea perforat hasta,
Qua cervix humeros continuata premit.
Ibat in hunc Idas, vixque est Jovis igne repulsus:
Tela tamen dextræ fulmine rapta negant.
Jamque tibi cœlum, Pollux, sublime patebat; 715
Cum, Mea, dixisti, percipe verba, Pater.

Quod mihi das uni, cœlum partire duobus:
Dimidium toto munere majus erit.
Dixit, et alterna fratrem statione redemit:
Utile sollicitæ sidus uterque rati. 720
Ad Janum redeat, qui quærit, Agonia quid sint;
Quæ tamen in fastis hoc quoque tempus habent.

Nocte sequente diem canis Erigoneius exit.
Est alio signi reddita causa loco.

Proxima Vulcani lux est; Tubilustria dicunt. 725
Lustrantur puræ, quas facit ille, tubæ.

Quatuor inde notis locus est; quibus ordine lectis
Vel mos sacrorum, vel fuga regis inest.

Nec te prætereo, populi Fortuna potentis
Publica, cui templum luce sequente datum.
Hanc ubi dives aquis acceperit Amphitrite, 731
Grata Jovi fulvæ rostra videbis avis.

Auferet ex oculis veniens Aurora Boöten:
Continuaque die sidus Hyantis erit.

LIBER SEXTUS.

Hic quoque mensis habet dubias in nomine causas:
Quæ placeant, positis omnibus, ipse leges.
Facta Canam; sed erunt, qui me finxisse loquantur,
Nullaque mortali numina visa putent.
Est deus in nobis: agitante calescimus illo. 5
Impetus hic sacræ semina mentis habet.
Fas mihi præcipue vultus vidisse deorum;
Vel quia sum vates; vel quia sacra cano.
Est nemus arboribus densum, secretus ab omni
Voce locus, si non obstreperetur aquis. 10
Hic ego quærebam, cœpti quæ mensis origo
Esset, et in cura nominis hujus eram.
Ecce deas vidi; non quas præceptor arandi
Viderat, Ascræas cum sequeretur oves;
Nec quas Priamides in aquosæ vallibus Idæ 15
Contulit: ex illis sed tamen una fuit.
Ex illis fuit una, sui germana mariti.
Hæc erat, agnovi, quæ stat in arce Jovis.
Horrueram, tacitoque animum pallore fatebar.
Cum dea, quos fecit, sustulit ipsa metus. 20
Namque ait: O vates Romani conditor anni,
Ause per exiguos magna referre modos;
Jus tibi fecisti numen cœleste videndi,
Cum placuit numeris condere festa tuis.
Ne tamen ignores, vulgique errore traharis; 25
Junius a nostro nomine nomen habet.
Est aliquid nupsisse Jovi, Jovis esse sororem.
Fratre magis, dubito, glorier, anne viro.
Si genus adspicitur; Saturnum prima parentem
Feci. Saturni sors ego prima fui. 30
A patre dicta meo quondam Saturnia Roma est:
Hæc illi a cœlo proxima terra fuit.
Si torus in pretio est; dicor matrona Tonantis;
Junctaque Tarpeio sunt mea templa Jovi.
An potuit Maio pellex dare nomina mensi; 35
Hic honor in nobis invidiosus erit?
Cur igitur regina vocor, princepsque dearum?
Aurea cur dextræ sceptra dedere meæ?
An faciant mensem luces, Lucinaque ab illis
Dicar; et a nullo nomina mense traham? 40
Tum me pœniteat posuisse fideliter iras
In genus Electræ, Dardaniamque domum.
Causa duplex iræ. Rapto Ganymede dolebam;
Forma quoque Idæo judice victa mea est.
Pœniteat, quod non foveo Carthaginis arces; 45
Cum mea sint illo currus et arma loco.
Pœniteat Sparten, Argosque, measque Mycenas,
Et veterem Latio supposuisse Samon.
Adde senem Tatium, Junonicolasque Faliscos,
Quos ego Romanis succubuisse tuli. 50
Sed neque pœniteat; nec gens mihi carior ulla est.
Hic colar, hic teneam cum Jove templa meo.
Ipse mihi Mavors, Commendo mœnia, dixit,
Hæc tibi: tu pollens urbe nepotis eris.
Dicta fides sequitur. Centum celebramur in aris: 55
Nec levior quovis est mihi mensis honor.
Nec tamen hunc nobis tantummodo præstat honorem
Roma: suburbani dant mihi munus idem.
Inspice, quos habeat nemoralis Aricia fastos,
Et populus Laurens, Lanuviumque meum: 60
Est illic mensis Junonius. Inspice Tibur,
Et Prænestinæ mœnia sacra deæ:
Junonale leges tempus. Nec Romulus illas
Condidit; at nostri Roma nepotis erat.
Finierat Juno. Respeximus. Herculis uxor 65
Stabat; et in vultu signa dolentis erant.
Non ego, si toto mater me cedere cœlo
Jusserit, invita matre morabor, ait. [hujus.
Nunc quoque non luctor de nomine temporis
Blandior, et partes pæne rogantis ago; 70
Remque mei juris malim tenuisse precando:
Et faveas caussæ forsitan ipse meæ.
Aurea possedit socio Capitolia templo
Mater, et ut debet, cum Jove summa tenet.
At decus omne mihi contingit origine mensis. 75
Unicus est, de quo sollicitamur, honor.
Quid grave, si titulum mensis, Romane, dedistis
Herculis uxori, posteritasque memor? [magni
Hæc quoque terra aliquid debet mihi nomine
Conjugis. Huc captas appulit ille boves. 80
Hic male defensus flammis et dote paterna
Cacus Aventinam sanguine tinxit humum.
Ad propiora vocor. Populum digessit ab annis
Romulus, in partes distribuitque duas.
Hæc dare consilium, pugnare paratior illa est: 85
Hæc ætas bellum suadet, at illa gerit.
Sic statuit, mensesque nota secrevit eadem.
Junius est Juvenum; qui fuit ante, senum.
Dixit; et in litem studio certaminis issent;
Atque ira pietas dissimulata foret. 90
Venit Apollinea longas Concordia lauro
Nexa comas, placidi numen opusque Ducis.
Hæc ubi narravit Tatium, fortemque Quirinum,
Binaque cum populis regna coisse suis;
Et lare communi soceros generosque receptos; 95
His nomen junctis Junius, inquit, habet.

Dicta triplex causa est. At vos ignoscite, divæ:
Res est arbitrio non dirimenda meo.
Ite pares a me. Perierunt judice formæ 99
Pergama: plus lædunt, quam juvet una, duæ.

Prima dies tibi, Carna, datur. Dea cardinis hæc
Numine clausa aperit, claudit aperta suo. [est.
Unde datas habeat vires, obscurior ævo
Fama; sed e nostro carmine certus eris.
Adjacet antiqui Tiberino lucus Helerni: 105
Pontifices illuc nunc quoque sacra ferunt.
Inde sata est Nymphe, Granen dixere priores,
Nequicquam multis sæpe petita procis.
Rura sequi, jaculisque feras agitare solebat,
Nodosasque cava tendere valle plagas. 110
Non habuit pharetram; Phœbi tamen esse sororem
Credebant. Nec erat, Phœbe, pudenda tibi.
Huic aliquis juvenum dixisset amantia verba;
Reddebat tales protinus illa sonos:
Hæc loca lucis habent nimis, et cum luce pudoris. 115
Si secreta magis ducis in antra, sequor. [tit,
Credulus antra subit. Frutices hæc nacta resis-
Et latet, et nullo est invenienda loco.
Viderat hanc Janus; visæque cupidine captus
Ad duram verbis mollibus usus erat. 120
Nympha jubet quæri de more remotius antrum;
Utque comes sequitur, destituitque ducem.
Stulta, videt Janus, quæ post sua terga gerantur.
Nil agis en! latebras respicit ille tuas.
Nil agis en! dixi. Nam te sub rupe latentem 125
Occupat amplexu; speque potitus ait:
Jus pro concubitu nostro tibi cardinis esto.
Hoc pretium positæ virginitatis habe.
Sic fatus, spinam, qua tristes pellere posset
A foribus noxas (hæc erat alba) dedit. 130
Sunt avidæ volucres; non quæ Phineia mensis
Guttura fraudabant; sed genus inde trahunt.
Grande caput, stantes oculi, rostra apta rapinæ:
Canities pennis, unguibus hamus inest.
Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis. 136
Carpere dicuntur lactentia viscera rostris,
Et plenum poto sanguine guttur habent.
Est illis strigibus nomen: sed nominis hujus
Caussa, quod horrenda stridere nocte solent. 140
Sive igitur nascuntur aves, seu carmine fiunt,
Næniaque in volucres Marsa figurat anus;
In thalamos venere Procæ. Proca natus in illis
Præda recens avium quinque diebus erat.
Pectoraque exsorbent avidis infantia linguis. 145
At puer infelix vagit, opemque petit.
Territa voce sui nutrix accurrit alumni,
Et rigido sectas invenit ungue genas.
Quid faceret? color oris erat, qui frondibus olim
Esse solet seris, quas nova læsit hiems. 150
Pervenit ad Granen, et rem docet. Illa, Timorem
Pone; tuus sospes, dixit, alumnus erit.
Venerat ad cunas: flebant materque paterque.
Sistite vos lacrymas, ipsa medebor, ait.
Protinus arbutea postes ter in ordine tangit 155
Fronde; ter arbutea limina fronde notat.
Spargit aquis aditus, (et aquæ medicamen habebant,)
Extaque de porca cruda bimestre tenet.
Atque ita, Noctis aves, extis puerilibus, inquit,
Parcite: pro parvo victima parva cadit. 160
Cor pro corde, precor, pro fibris sumite fibras.
Hanc animam vobis pro meliore damus.
Sic ubi libavit, prosecta sub æthere ponit,
Quique sacris adsunt, respicere illa vetat.
Virgaque Janalis de spina ponitur alba, 165
Qua lumen thalamis parva fenestra dabat.
Post illud nec aves cunas violasse feruntur;
Et rediit puero, qui fuit ante, color.
Pinguia cur illis gustentur larda Kalendis,
Mixtaque cum calido sit faba farre, rogas? 170
Prisca dea est, aliturque cibis, quibus ante solebat;
Nec petit adscitas luxuriosa dapes.
Piscis adhuc illi populo sine fraude natabat:
Ostreaque in conchis tuta fuere suis.
Nec Latium norat, quam præbet Ionia dives, 175
Nec, quæ Pygmæo sanguine gaudet, avem:
Et præter pennas nihil in pavone placebat:
Nec tellus captas miserat ante feras.
Sus erat in pretio: cæsa sue festa colebant.
Terra fabas tantum, duraque farra dabat. 180
Quæ duo mixta simul sextis quicunque Kalendis
Ederit, huic lædi viscera posse negant.
Arce quoque in summa Junoni templa Monetæ
Ex voto memorant facta, Camille, tuo.
Ante domus Manli fuerant, qui Gallica quondam
A Capitolino repulit arma Jove. 186
Quam bene, di magni! pugna cecidisset in illa
Defensor solii, Jupiter alte, tui!
Vixit, ut occideret damnatus crimine regni.
Hunc illi titulum longa senecta dabat. 190
Lux eadem Marti festa est, quem prospicit extra
Appositum Tectæ porta Capena viæ.
Te quoque, Tempestas, meritam delubra fatemur,
Cum pæne est Corsis obruta classis aquis.
Hæc hominum monumenta patent. Si quæritis astra, 195
Tunc oritur magni præpes adunca Jovis.

Postera lux Hyadas, Taurinæ cornua frontis,
Evocat: et multa terra madescit aqua.

Mane ubi bis fuerit, Phœbusque iteraverit ortus,
Factaque erit posito rore bis uda seges; 200
Hac sacrata die Tusco Bellona duello
Dicitur; et Latio prospera semper adest.
Appius est auctor, Pyrrho qui pace negata
Multum animo vidit, lumine captus erat.
Prospicit a templo summum brevis area Circum.
Est ibi non parvæ parva columna notæ. 206
Hinc solet hasta manu belli prænuntia mitti,
In regem et gentes cum placet arma capi.

Altera pars Circi custode sub Hercule tuta est;
Quod deus Euboico carmine munus habet. 210
Muneris est tempus, qui Nonas Lucifer ante est.
Si titulos quæris; Sylla probavit opus.

Quærebam Nonas Sanco Fidione referrem,
An tibi, Semo pater; cum mihi Sancus ait:
Cuicunque ex illis dederis, ego munus habebo.
Nomina trina fero: sic voluere Cures. 216
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,
Inque Quirinali constituere jugo.

Est mihi, sitque, precor, nostris diuturnior annis,
Filia: qua felix sospite somper ero. 220
Hanc ego cum vellem genero dare; tempora tædis
Apta requirebam, quæque cavenda forent.
Tum mihi post sacras monstratur Junius Idus
Utilis et nuptis, utilis esse viris.

Primaque pars hujus thalamis aliena reperta est.
Nam mihi sic conjux sancta Dialis ait: 226
Donec ab Iliaca placidus purgamina Vesta
Detulerit flavis in mare Tibris aquis;
Non mihi detonsos crines depectere buxo,
Non ungues ferro subsecuisse licet; 230
Non tetigisse virum; quamvis Jovis ille sacerdos,
Quamvis perpetua sit mihi lege datus.
Tu quoque ne propera: melius tua filia nubet,
Ignea cum pura Vesta nitebit humo.

Tertia post Nonas removere Lycaona Phœbe 235
Fertur: et a tergo non habet Ursa metum.
Tunc ego me memini ludos in gramine Campi
Adspicere: et didici, lubrice Tibri, tuos.
Festa dies illis, qui lina madentia ducunt,
Quique tegunt parvis æra recurva cibis. 240

Mens quoque numen habet. Menti delubra videmus
Vota metu belli, perfide Pœne, tui.
Pœne, rebellaras: et leto consulis omnes
Attoniti Mauras pertimuere manus.
pem metus expulerat; cum Menti vota senatus
Suscipit; et melior protinus illa venit. 246
Adspicit instantes mediis sex lucibus Idus
Illa dies, qua sunt vota soluta deæ.

Vesta, fave: tibi nunc operata resolvimus ora;
Ad tua si nobis sacra venire licet. 250
In prece totus eram. Cœlestia numina sensi,
Lætaque purpurea luce refulsit humus.
Non equidem vidi (valeant mendacia vatum)
Te, dea; nec fueras adspicienda viro.
Sed quæ nescieram, quorumque errore tenebar,
Cognita sunt, nullo præcipiente, mihi. 256
Dena quater memorant habuisse Palilia Romam,
Cum flammæ custos æde recepta sua est.
Regis opus placidi, quo non metuentius ullum
Numinis ingenium terra Sabina tulit. 260
Quæ nunc ære vides, stipula tunc tecta videres:
Et paries lento vimine textus erat.
Hic locus exiguus, qui sustinet atria Vestæ,
Tunc erat intonsi regia magna Numæ.
Forma tamen templi, quæ nunc manet, ante fuisse 265
Dicitur: et formæ causa probanda subest.
Vesta eadem est, quæ Terra: subest vigil ignis utrique.
Significant sedem terra focusque suam.
Terra pilæ similis, nullo fulcimine nixa,
Aere subjecto tam grave pendet onus. 270
Ipsa volubilitas libratum sustinet orbem:
Quique premat partes, angulus omnis abest.
Cumque sit in media rerum regione locata,
Et tangat nullum plusve minusve latus;
Ni convexa foret, parti vicinior esset: 275
Nec medium terram mundus haberet onus.
Arte Syracosia suspensus in aere clauso
Stat globus, immensi parva figura poli.
Et quantum a summis, tantum secessit ab imis
Terra. Quod ut fiat, forma rotunda facit. 280
Par facies templi: nullus procurrit in illo
Angulus. A pluvio vindicat imbre tholus.
Cur sit virgineis, quæris, dea culta ministris?
Inveniam causas hac quoque parte suas.
Ex Ope Junonem memorant Cereremque creatas
Semine Saturni: tertia Vesta fuit. 286
Utraque nupserunt; ambæ peperisse feruntur:
De tribus impatiens restitit una viri.
Quid mirum, virgo si virgine læta ministra
Admittit castas in sua sacra manus? 290
Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam;
Nataque de flamma corpora nulla vides.
Jure igitur virgo est, quæ semina nulla remittit,
Nec capit: et comites virginitatis habet.
Esse diu stultus Vestæ simulacra putavi: 295
Mox didici curvo nulla subesse tholo.
Ignis inexstinctus templo celatur in illo.
Effigiem nullam Vesta, nec ignis, habent.
Stat vi terra sua: vi stando Vesta vocatur.
Causaque par Graii nominis esse potest. 300
At focus a flammis, et quod fovet omnia, dictus:
Qui tamen in primis ædibus ante fuit.
Hinc quoque vestibulum dici reor: inde precando
Affamur Vestam, quæ loca prima tenes.
Ante focos olim longis considere scamnis 305
Mos erat, et mensæ credere adesse deos.
Nunc quoque, cum fiunt antiquæ sacra Vacunæ,
Ante Vacunales stantque sedentque focos.
Venit in hos annos aliquid de more vetusto:
Fert missos Vestæ pura patella cibos. 310
Ecce coronatis panis dependet asellis,
Et velant scabras florida serta molas.
Sola prius furnis torrebant farra coloni;
Et Fornacali sunt sua sacra deæ.
Suppositum cineri panem focus ipse parabat;
Strataque erat tepido tegula quassa solo. 316
Inde focum servat pistor, dominamque focorum,
Et quæ pumiceas versat asella molas.
Præteream, referamne tuum, rubicunde Priape,
Dedecus? est multi fabula plena joci. 320
Turrigera frontem Cybele redimita corona
Convocat æternos ad sua festa deos.
Convocat et Satyros, et rustica numina Nymphas.
Silenus, quamvis nemo vocarat, adest.
Nec licet, et longum est epulas narrare deorum:
In multo nox est pervigilata mero. 326
Hi temere errabant in opacæ vallibus Idæ;
Pars jacet, et molli gramine membra levat.
Hi ludunt, hos somnus habet: pars brachia nectit,
Et viridem celeri ter pede pulsat humum. 330
Vesta jacet, placidamque capit secura quietem,
Sicut erat positum cespite fulta caput.
At ruber hortorum custos Nymphasque deasque
Captat, et errantes fertque refertque pedes.
Adspicit et Vestam, dubium, Nymphamne putarit,
An scierit Vestam: scisse sed ipse negat. 336
Spem capit obscænam, furtimque accedere tentat,
Et fert suspensos corde micante gradus.
Forte senex, quo vectus erat, Silenus asellum
Liquerat ad ripas lene sonantis aquæ. 340
Ibat, ut inciperet longi deus Hellesponti;
Intempestivo cum rudit ille sono.
Territa voce gravi surgit dea. Convolat omnis
Turba. Per infestas effugit ille manus.
Lampsacos hoc animal solita est mactare Priapo:
Apta asini flammis indicis exta damus. 346
Quem tu, diva memor, de pane monilibus ornas.
Cessat opus: vacuæ conticuere molæ.
Nomine, quam pretio, celebratior arce Tonantis,
Dicam, Pistoris quid velit ara Jovis. 350
Cincta premebantur trucibus Capitolia Gallis:
Fecerat obsidio jam diuturna famem.
Jupiter, ad solium superis regale vocatis,
Incipe, ait Marti. Protinus ille refert:
Scilicet ignotum est, quæ sit fortuna meorum,
Et dolor hic animi voce querentis eget? 356

Si tamen, ut referam breviter mala juncta pudori,
Exigis; Alpino Roma sub hoste jacet.
Hæc est, cui fuerat promissa potentia rerum,
Jupiter? hanc terris impositurus eras? 360
Jamque Suburbanos, Etruscaque contudit arma;
Spes erat in cursu: nunc lare pulsa suo est.
Vidimus ornatos ærata per atria picta
Veste triumphales occubuisse senes.
Vidimus Iliacæ transferri pignora Vestæ 365
Sede. Putant aliquos scilicet esse deos.
At si respicerent, qua vos habitatis in arce,
Totque domos vestras obsidione premi;
Nil opis in cura scirent superesse deorum,
Et data sollicita thura perire manu. 370
Atque utinam pugnæ pateat locus! arma capessant;
Et, si non poterunt exsuperare, cadant.
Nunc inopes victus, ignavaque fata timentes
Monte suo clausos barbara turba premit.
Tum Venus, et lituo pulcher trabeaque Quirinus,
Vestaque pro Latio multa locuta suo. 376
Publica, respondit, cura est pro mœnibus istis,
Jupiter: et pœnas Gallia victa dabit.
Tu modo, quæ desunt fruges, superesse putentur,
Effice: nec sedes desere, Vesta, tuas. 380
Quodcunque est Cereris solidæ, cava machina frangat,
Mollitamque manu duret in igne focus.
Jusserat, et fratris virgo Saturnia jussis
Annuit; et mediæ tempora noctis erant.
Jam ducibus somnum dederat labor. Increpat illos
Jupiter, et sacro, quid velit, ore docet: 386
Surgite, et in medios de summis arcibus hostes
Mittite, quam minime perdere vultis, opem.
Somnus abit: quæruntque novis ambagibus acti,
Perdere quam nolint, et jubeantur, opem. 390
Ecce Ceres visa est. Jaciunt Cerealia dona.
Jacta super galeas scutaque longa sonant.
Posse fame vinci spes excidit. Hoste repulso
Candida Pistori ponitur ara Jovi.
Forte revertebar festis Vestalibus illac, 395
Qua nova Romano nunc Via juncta foro est.
Huc pede matronam vidi descendere nudo:
Obstupui, tacitus sustinuique gradum.
Sensit anus vicina loci; jussumque sedere
Alloquitur quatiens, voce tremente, caput. 400
Hoc, ubi nunc fora sunt, udæ tenuere paludes,
Amne redundatis fossa madebat aquis.
Curtius ille lacus, siccas qui sustinet aras,
Nunc solida est tellus, sed lacus ante fuit.
Qua Velabra solent in Circum ducere pompas,
Nil præter salices cassaque canna fuit. 406
Sæpe suburbanas rediens conviva per undas
Cantat, et ad nautas ebria verba jacit.
Nondum conveniens diversis iste figuris
Nomen ab averso ceperat amne deus. 410
Hic quoque lucus erat, juncis et arundine densus,
Et pede velato non adeunda palus.
Stagna recesserunt, et aquas sua ripa coercet,
Siccaque nunc tellus; mos tamen inde manet.
Reddiderat causam. Valeas, anus optima, dixi;
Quod superest ævi molle sit omne tui. 416
Cætera jam pridem didici puerilibus annis;
Non tamen idcirco prætereunda mihi.
Mœnia Dardanides nuper nova fecerat Ilus:
Ilus adhuc Asiæ dives habebat opes. 420
Creditur armiferæ signum cœleste Minervæ
Urbis in Iliacæ desiluisse juga.
Cura videre fuit: vidi templumque locumque.
Hoc superest illi: Pallada Roma tenet.
Consulitur Smintheus: lucoque obscurus opaco
Hos non mentito reddidit ore sonos: 426
Ætheriam servate deam; servabitis urbem:
Imperium secum transferet illa loci.
Servat, et inclusam summa tenet Ilus in arce;
Curaque ad hæredem Laomedonta venit. 430
Sub Priamo servata parum. Sic ipsa volebas,
Ex quo judicio forma revicta tua est.
Seu genus Adrasti, seu furtis aptus Ulixes,
Seu pius Æneas, eripuisse datur;
Auctor in incerto: res est Romana; tuetur 435
Vesta, quod assiduo lumine cuncta videt.
Heu quantum timuere patres, quo tempore Vesta
Arsit, et est adytis obruta pæne suis!
Flagrabant sancti sceleratis ignibus ignes,
Mixtaque erat flammæ flamma profana piæ. 440
Attonitæ flebant demisso crine ministræ:
Abstulerat vires corporis ipse timor.
Provolat in medium, et magna, Succurrite, voce,
Non est auxilium flere, Metellus ait.
Pignora virgineis fatalia tollite palmis: 445
Non ea sunt voto, sed rapienda manu.
Me miserum! dubitatis? ait. Dubitare videbat.
Et pavidas posito procubuisse genu.
Haurit aquas: tollensque manus, Ignoscite, dixit,
Sacra: vir intrabo non adeunda viro. 450
Si scelus est, in me commissi pœna redundet.
Sit capitis damno Roma soluta mei.
Dixit, et irrupit: factum dea rapta probavit,
Pontificisque sui munere tuta fuit.
Nunc bene lucetis sacræ sub Cæsare flammæ:
Ignis in Iliacis nunc erit, estque, focis. 456
Nullaque dicetur vittas temerasse sacerdos
Hoc duce, nec viva defodietur humo.
Sic incesta perit; quia quam violavit, in illam
Conditur: et Tellus Vestaque numen idem est.
Tum sibi Callaico Brutus cognomen in hoste 461
Fecit, et Hispanam sanguine tinxit humum.
Scilicet interdum miscentur tristia lætis;
Ne populum toto pectore festa juvent.
Crassus ad Euphraten aquilas, natumque, suosque
Perdidit: et leto est ultimus ipse datus. 466
Parthe, quid exsultas? dixit dea; signa remittes:
Quique necem Crassi vindicet, ultor erit.

At simul auritis violæ demuntur asellis,
Et Cereris fruges aspera saxa terunt; 470
Navita puppe sedens, Delphina videbimus, inquit,
Humida cum pulso nox erit orta die.

Jam, Phryx, a nupta quereris, Tithone, relinqui,
Et vigil Eois Lucifer exit aquis.
Ite, bonæ matres, (vestrum Matralia festum,) 475
Flavaque Thebanæ reddite liba deæ.
Pontibus et magno juncta est celeberrima Circo
Area, quæ posito de bove nomen habet.
Hac ibi luce ferunt Matutæ sacra parenti
Sceptriferas Servi templa dedisse manus. 480
Quæ dea sit; quare famulas a limine templi
Arceat (arcet enim) libaque tosta petat;
Bacche, racemiferos hedera redimite capillos,
Si domus, illa tua est, dirige navis iter.
Arserat obsequio Semele Jovis. Accipit Ino 485
Te, puer, et summa sedula nutrit ope.
Intumuit Juno, rapta quod pellice natum
Educet. At sanguis ille sororis erat.
Hinc agitur furiis Athamas et imagine falsa,
Tuque cadis patria, parve Learche, manu. 490
Mæsta Learcheas mater tumulaverat umbras,
Et dederat miseris omnia justa rogis.

Hæc quoque, funestos ut erat laniata capillos,
Prosilit, et cunis te, Melicerta, rapit.
Est spatio contracta brevi, freta bina repellit,
Unaque pulsatur terra duabus aquis. 496
Huc venit insanis natum complexa lacertis,
Et secum e celso mittit in alta jugo.
Excipit illæsos Panope, centumque sorores,
Et placido lapsu per sua regna ferunt. 500
Nondum Leucothee, nondum puer ille Palæmon
Vorticibus densi Tibridis ora tenent.
Lucus erat: dubium Semelæ Stimulæne vocetur;
Mænadas Ausonias incoluisse ferunt.
Quærit ab his Ino, quæ gens foret. Arcadas esse
Audit, et Evandrum sceptra tenere loci 506
Dissimulata deam Latias Saturnia Bacchas
Instimulat fictis insidiosa sonis:
O nimium faciles, o toto pectore captæ,
Non venit hæc nostris hospes amica choris. 510
Fraude petit, sacrique parat cognoscere ritum.
Quo possit pœnas pendere, pignus habet.
Vix bene desierat; complent ululatibus auras
Thyiades, effusis per sua colla comis;
Injiciuntque manus, puerumque revellere pugnant. 515
Quos ignorat adhuc, invocat illa deos:
Dique, virique loci, miseræ succurrite matri.
Clamor Aventini saxa propinqua ferit.
Appulerat ripæ vaccas Œtæus Iberas.
Audit; et ad vocem concitus urget iter. 520
Herculis adventu, quæ vim modo ferre parabant,
Turpia fœmineæ terga dedere fugæ.
Quid petis hinc, (cognorat enim,) matertera Bacchi?
An numen, quod me, te quoque vexat, ait?
Illa docet partim; partim præsentia nati 525
Continet: et furiis in scelus isse pudet.
Rumor, ut est velox, agitatis pervolat alis:
Estque frequens, Ino, nomen in ore tuum.
Hospita Carmentis fidos intrasse penates
Diceris, et longam deposuisse famem. 530
Liba sua properata manu Tegeæa sacerdos
Traditur in subito cocta dedisse foco.
Nunc quoque liba juvant festis Matralibus illam.
Rustica sedulitas gratior arte fuit.
Nunc, ait, o vates, venientia fata resigna, 535
Qua licet: hospitiis hoc, precor, adde meis.
Parva mora est: cœlum vates ac numina sumit;
Fitque sui toto pectore plena dei.
Vix illam subito posses cognoscere; tanto
Sanctior, et tanto, quam modo, major erat. 540
Læta canam: gaude defuncta laboribus, Ino,
Dixit, et huic populo dextera semper ades.
Numen eris pelagi: natum quoque pontus habebit.
In vestris aliud sumite nomen aquis.
Leucothee Graiis, Matuta vocabere nostris. 545
In portus nato jus erit omne tuo.
Quem nos Portunum, sua lingua Palæmona dicet.
Ite precor nostris æquus uterque locis.
Annuerant: promissa fides: posuere labores.
Nomina mutarunt: hic deus, illa dea est. 550
Cur vetet ancillas accedere, quæritis? odit.
Principiumque odii, si sinat ipsa, canam.
Una ministrarum solita est, Cadmei, tuarum
Sæpe sub amplexus conjugis ire tui.
Improbus hanc Athamas furtim dilexit: ab illa
Comperit agricolis semina tosta dari. 556
Ipsa quidem fecisse negat, sed fama recepit.
Hoc est, cur odio sit tibi serva manus.
Non tamen hanc pro stirpe sua pia mater adoret:
Ipsa parum felix visa fuisse parens. 560
Alterius prolem melius mandabitis illi:
Utilior Baccho quam fuit ipsa suis.
Hanc tibi, Quo properas? memorant dixisse, Rutili:
Luce mea Marso consul ab hoste cades.
Exitus accessit verbis, flumenque Tolenum
Purpureo mixtis sanguine fluxit aquis. 566
Proximus annus erat: Pallantide cæsus eadem
Didius hostiles ingeminavit opes.
Lux eadem, Fortuna, tua est, auctorque, locusque.
Sed superinjectis quis latet æde togis? 570
Servius est: hoc constat enim; sed causa latendi
Discrepat, et dubium me quoque mentis habet.
Dum dea furtivos timide profitetur amores,
Cœlestemque homini concubuisse pudet;
(Arsit enim magno correpta cupidine regis, 575
Cæcaque in hoc uno non fuit illa viro;)
Nocte domum parva solita est intrare fenestra:
Unde Fenestellæ nomina porta tenet.
Nunc pudet, et vultus velamine celat amatos:
Oraque sunt multa regia tecta toga. 580
An magis est verum, post Tulli funera plebem
Confusam placidi morte fuisse ducis?
Nec modus ullus erat: crescebat imagine luctus
Donec eam positis occuluere togis.
Tertia causa mihi spatio majore canenda est;
Nos tamen adductos intus agemus equos. 586
Tullia, conjugio, sceleris mercede, peracto,
His solita est dictis exstimulare virum:
Quid juvat esse pares, te nostræ cæde sororis,
Meque tui fratris, si pia vita placet? 590
Vivire debuerant et vir meus, et tua conjux,
Si nullum ausuri majus eramus opus.
Et caput et regnum facio dotale parentis.
Si vir es, i, dictas exige dotis opes.
Regia res scelus est. Socero cape regna necato:
Et nostras patrio sanguine tinge manus. 596
Talibus instinctus solio privatus in alto
Sederat. Attonitum vulgus ad arma ruit.
Hinc cruor, hinc cædes: infirmaque vincitur ætas.
Sceptragener socero rapta Superbus habet. 600
Ipse sub Esquiliis, ubi erat sua regia, cæsus
Concidit in dura sanguinolentus humo.
Filia, carpento patrios initura penates,
Ibat per medias alta feroxque vias.
Corpus ut adspexit, lacrymis auriga profusis 605
Restitit. Hunc tali corripit illa sono:
Vadis? an exspectas pretium pietatis amarum?
Duc, inquam, invitas ipsa per ora rotas.
Certa fides facti: dictus Sceleratus ab illa
Vicus, et æterna res ea pressa nota. 610
Post tamen hoc ausa est templum, monumenta parentis,
Tangere: mira quidem, sed tamen acta loquar.
Signum erat in solio residens sub imagine Tulli:
Dicitur hoc oculis opposuisse manum.
Et vox audita est, Vultus abscondite nostros,
Ne natæ videant ora nefanda meæ. 616
Veste data tegitur: vetat hanc Fortuna moveri,
Et sic e templo est ipsa locuta suo:
Ore revelato qua primum luce patebit
Servius, hæc positi prima pudoris erit. 620
Parcite, matronæ, vetitas attingere vestes:
Sollenni satis est voce movere preces:
Sitque caput semper Romano tectus amictu,
Qui rex in nostra septimus urbe fuit.
Arserat hoc templum: signo tamen ille pepercit
Ignis: opem nato Mulciber ipse tulit. 626

Namque pater Tulli Vulcanus, Ocresia mater,
Præsignis facie Corniculana, fuit.
Hanc secum Tanaquil, sacris de more paratis,
Jussit in ornatum fundere vina focum. 630
Hic inter cineres obscæni forma virilis
Aut fuit, aut visa est; sed fuit illa magis.
Jussa loco captiva fovet. Conceptus ab illa
Servius a cœlo semina gentis habet.
Signa dedit genitor, tum cum caput igne corusco
Contigit, inque coma flammeus arsit apex. 636
Te quoque magnifica, Concordia, dedicat æde
Livia, quam caro præstitit illa viro.
Disce tamen, veniens ætas, ubi Livia nunc est
Porticus, immensæ tecta fuisse domus. 640
Urbis opus domus una fuit: spatiumque tenebat,
Quo brevius muris oppida multa tenent.
Hæc æquata solo est, nullo sub crimine regni,
Sed quia luxuria visa nocere sua.
Sustinuit tantas operum subvertere moles, 645
Totque suas hæres perdere Cæsar opes.
Sic agitur censura, et sic exempla parantur;
Cum vindex, alios quod monet, ipse facit.
Nulla nota est veniente die, quam ducere possis.
Idibus Invicto sunt data templa Jovi. 650
Et jam Quinquatrus jubeor narrare minores.
Nunc ades o cœptis, flava Minerva, meis.
Cur vagus incedit tota tibicen in Urbe?
Quid sibi personæ, quid stola longa, volunt?
Sic ego; sic posita Tritonia cuspide dixit: 655
(Pace velim doctæ verba referre deæ:)
Temporibus veterum tibicinis usus avorum
Magnus, et in magno semper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat mæstis tibia funeribus. 660
Dulcis erat mercede labor: tempusque secutum,
Quod subito Graiæ frangeret artis opus.
Adde quod Ædilis, pompam qui funeris irent,
Artifices solos jusserat esse decem.
Exsilio mutant Urbem, Tiburque recedunt; 665
(Exsilium quodam tempore Tibur erat.)
Quæritur in scena cava tibia; quæritur aris;
Ducit supremos nænia nulla toros.
Servierat quidam, quantolibet ordine dignus,
Tibure: sed longo tempore liber erat. 670
Rure dapes parat ille suo, turbamque canoram
Convocat. Ad festas convenit illa dapes.
Nox erat; et vinis oculique animique natabant:
Cum præcomposito nuntius ore venit:
Atque ita, Quid cessas convivia solvere? dixit:
Auctor vindictæ jam venit ecce tuæ. 676
Nec mora; convivæ valido titubantia vino
Membra movent: dubii stantque labantque pedes.
At dominus, Discedite, ait: plaustroque morantes
Sustulit. In plaustro scirpea lata fuit. 680
Alliciunt somnos tempus, motusque, merumque;
Potaque se Tibur turba redire putat.
Jamque per Esquilias Romanam intraverat urbem,
Et mane in medio plaustra fuere foro.
Plautius, ut possent specie numeroque senatum
Fallere, personis imperat ora tegi. 683
Admiscetque alios: et, ut hunc tibicina cœtum
Augeat, in longis vestibus ire jubet.
Sic reduces bene posse tegi: ne forte notentur
Contra collegæ jussa redisse sui. 690
Res placuit: cultuque novo libet Idibus uti,
Et canere ad veteres verba jocosa modos.
Hæc ubi perdocuit, Superest mihi discere, dixi,
Cur sit Quinquatrus illa vocata dies.
Martius, inquit, agit tali mea nomine festa: 695
Estque sub inventis hæc quoque turba meis.
Prima terebrato per rara foramina buxo,
Ut daret, effeci, tibia longa sonos.
Vox placuit: liquidis faciem referentibus undis
Vidi virgineas intumuisse genas. 700
Ars mihi non tanti est; valeas, mes tibia, dixi.
Excipit abjectam cespite ripa suo.
Inventam Satyrus primum miratur: at usum
Nescit, et inflatam sentit habere sonum.
Et modo dimittit digitis, modo concipit auras:
Jamque inter Nymphas arte superbus erat. 706
Provocat et Phœbum. Phœbo superante pependit:
Cæsa recesserunt a cute membra sua.
Sum tamen inventrix auctorque ego carminis hujus.
Hoc est cur nostros ars colat ista dies. 710

Tertia lux veniat, qua tu, Dodoni Thyene,
Stabis Agenorei fronte videnda bovis.
Hæc est illa dies, qua tu purgamina Vestæ,
Tibri, per Etruscas in mare mittis aquas.

Si qua fides ventis, Zephyro date carbasa, nautæ;
Cras veniet vestris ille secundus aquis. 716

At pater Heliadum radios ubi tinxerit undis,
Et cinget geminos stella serena polos;
Tollet humo validos proles Hyriea lacertos:
Continua Delphin nocte videndus erit. 720
Scilicet hic olim Volscos Æquosque fugatos
Viderat in campis, Algida terra, tuis.
Unde suburbano clarus, Tuberte, triumpho,
Vectus es in niveis, Postume, victor equis.

Jam sex et totidem luces de mense supersunt;
Huic unum numero tu tamen adde diem: 726
Sol abit e Geminis, et Cancri signa rubescunt:
Cœpit Aventina Pallas in arce coli.

Jam tua, Laomedon, oritur nurus, ortaque noctem
Pellit, et e pratis uda pruina fugit. 730
Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur,
Tum cum Romanis, Pyrrhe, timendus eras.

Hanc quoque cum patriis Galatea receperit undis,
Plenaque securæ terra quietis erit;
Surgit humo juvenis telis afflatus avitis, 735
Et gemino nexas porrigit angue manus.
Notus amor Phædræ, nota est injuria Thesei:
Devovit natum credulus ille suum.
Non impune pius juvenis Trœzena petebat.
Dividit obstantes pectore taurus aquas. 740
Solliciti terrentur equi, frustraque retenti
Per scopulos dominum duraque saxa trahunt.
Exciderat curru, lorisque morantibus artus
Hippolytus lacero corpore raptus erat:
Reddideratque animam, multum indignante Diana. 745
Nulla, Coronides, causa doloris, ait.
Namque pio juveni vitam sine vulnere reddam;
Et cedent arti tristia fata meæ.
Gramina continuo loculis depromit eburnis:
Profuerunt Glauci manibus illa prius; 750
Tunc cum observatas augur descendit in herbas,
Usus et auxilio est anguis ab angue dato.

Pectora ter tetigit, ter verba salubria dixit:
Depositum terra sustulit ille caput.
Lucus eum, nemorisque tui, Dictynna, recessus
Celat: Aricino Virbius ille lacu. 756
At Clymenus Clothoque dolent, hæc fila reneri,
Hic fieri regni jura minora sui.
Jupiter, exemplum veritus, direxit in illum
Fulmina, qui nimiæ moverat artis opem. 760
Phœbe, querebaris. Deus est: placare parenti.
Propter te, fieri quod vetat, ipse facit.

Non ego te, quamvis properabis vincere, Cæsar,
Si vetet auspicium, signa movere velim.
Sint tibi Flaminius Trasimenaque littora testes,
Per volucres æquos multa monere deos. 766
Tempora si veteris quæris temeraria damni;
Quartus ab extremo mense bis ille dies.

Postera lux melior. Superat Masinissa Syphacem;
Et cecidit telis Hasdrubal ipse suis. 770

Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis,
Et fugiunt freno non remorante dies.
Quam cito venerunt Fortunæ Fortis honores!
Post septem luces Junius actus erit.
Ite, deam læti Fortem celebrate, Quirites: 775
In Tiberis ripa munera regis habet.
Pars pede, pars etiam celeri decurrite cymba.
Nec pudeat potos inde redire domum.
Ferte coronatæ juvenum convivia lintres,
Multaque per medias vina bibantur aquas. 780
Plebs colit hanc, quia, qui posuit, de plebe fuisse
Fertur, et ex humili sceptra tulisse loco.

Convenit et servis, serva quia Tullius ortus
Constituit dubiæ templa propinqua deæ.

Ecce suburbana rediens male sobrius æde 785
Ad stellas aliquis talia verba jacit:
Zona latet tua nunc, et cras fortasse latebit:
Dehinc erit, Orion, adspicienda mihi.
At si non esset potus; dixisset eadem
Venturum tempus solstitiale die. 790

Lucifero subeunte Lares delubra tulerunt,
Hic ubi fit docta multa corona manu.
Tempus idem Stator ædis habet, quam Romulus olim
Ante Patatini condidit ora jugi.

Tot restant de mense dies, quot nomina Parcis,
Cum data sunt trabeæ templa, Quirine, tuæ. 796

Tempus Iuleis cras est natale Kalendis:
Pierides, cœptis addite summa meis.
Dicite, Pierides, quis vos adjunxerit isti,
Cui dedit invitas victa noverca manus. 800
Sic ego; sic Clio: Clari monumenta Philippi
Adspicis, unde trahit Marcia casta genus;
Marcia sacrifico deductum nomen ab Anco,
In qua par facies nobilitate sua.
Par animo quoque forma suo respondet in illa:
Et genus, et facies, ingeniumque simul. 806
Nec quod laudamus formam, tam turpe putaris.
Laudamus magnas hac quoque parte deas.
Nupta fuit quondam matertera Cæsaris illi.
O decus, o sacra fœmina digna domo! 810
Sic cecinit Clio: doctæ adsensere sorores.
Annuit Alcides, increpuitque lyram.

LIBER PRIMER TRISTIUM.

ELEGIA I.

PARVE, nec invideo, sine me, liber, ibis in Urbem,
Heu mihi! quo domino non licet ire tuo.
Vade, sed incultus; qualem decet exsulis esse.
Infelix, habitum temporis hujus habe.
Nec te purpureo velent vaccinia fuco; 5
Non est conveniens luctibus ille color:
Nec titulus minio, nec cedro charta notetur;
Candida nec nigra cornua fronte geras.
Felices ornent hæc instrumenta libellos.
Fortunæ memorem te decet esse meæ. 10
Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes:
Hirsutus passis ut videare comis.
Neve liturarum pudeat. Qui viderit illas,
De lacrymis factas sentiet esse meis.
Vade, liber, verbisque meis loca grata saluta.
Contingam certe, quo licet, illa pede. 16
Si quis, ut in populo, nostri non immemor illic,
Si quis, qui, quid agam, forte requirat, erit;
Vivere me dices: salvum tamen esse negabis.
Id quoque, quod vivam, munus habere dei. 20
Atque ita te tacitus, quærenti plura, legendum,
Ne quod non opus est, forte loquare, dabis.
Protinus admonitus repetet mea crimina lector;
Et peragar populi publicus ore reus.
Neu cave defendas, quamvis mordebere dictis.
Causa patrocinio non bona pejor erit. 26
Invenies aliquem, qui me suspiret ademtum;
Carmina nec siccis perlegat ista genis:
Et tacitus secum, ne quis malus audiat, optet,
Sit mea, lenito Cæsare, pœna minor. 30
Nos quoque, quisquis erit, ne sit miser ille, precamur,
Placatos misero qui volet esse deos.
Quæque volet, rata sint: ablataque principis ira
Sedibus in patriis det mihi posse mori.
Ut peragas mandata, liber, culpabere forsan;
Ingeniique minor laude ferere mei. 36
Judicis officium est, ut res, ita tempora rerum
Quærere. Quæsito tempore tutus eris.
Carmina proveniunt animo deducta sereno:
Nubila sunt subitis tempora nostra malis. 40
Carmina secessum scribentis et otia quærunt:
Me mare, me venti, me fera jactat hiems.
Carminibus metus omnis abest: ego perditus ensem
Hæsurum jugulo jam puto jamque meo.
Hæc quoque quod facio, judex mirabitur æquus;
Scriptaque cum venia qualiacunque leget. 46
Da mihi Mæoniden, et tot circumspice casus;
Ingenium tantis excidet omne malis,

Denique securus famæ, liber, ire memento;
Nec tibi sit lecto displicuisse pudor. 50
Non ita se nobis præbet fortuna secundam,
Ut tibi sit ratio laudis habenda tuæ.
Donec eram sospes, tituli tangebar amore,
Quærendique mihi nominis ardor erat.
Carmina nunc si non studiumque, quod obfuit, odi, 55
Sit satis. Ingenio sic fuga parta meo.
I tamen, i, pro me tu, cui licet, adspice Romam.
Di facerent, possem nunc meus esse liber.
Nec te, quod venias magnam peregrinus in Urbem, 60
Ignotum populo posse venire puta.
Ut titulo careas; ipso noscere colore:
Dissimulare velis; te liquet esse meum.
Clam tamen intrato, ne te mea carmina lædant.
Non sunt, ut quondam plena favoris erant.
Si quis erit, qui te, quia sis meus, esse legendum
Non putet, e gremio rejiciatque suo; 66
Inspice, dic, titulum. Non sum præceptor amoris;
Quas meruit, pœnas jam dedit illud opus.
Forsitan exspectes, ut in alta Palatia missum
Scandere te jubeam, Cæsareamque domum. 70
Ignoscant augusta mihi loca, Dique locorum.
Venit in hoc illa fulmen ab arce caput.
Esse quidem memini mitissima sedibus illis
Numina; sed timeo, qui nocuere, deos.
Terretur minimo pennæ stridore columba, 75
Unguibus, accipiter, saucia facta tuis.
Nec procul a stabulis audet secedere, si qua
Excussa est avidi dentibus agna lupi.
Vitaret cœlum Phaethon, si viveret, et quos
Optarat stulte, tangere nollet equos. 80
Me quoque, quæ sensi, fateor Jovis arma timere:
Me reor infesto, cum tonat, igne peti.
Quicunque Argolica de classe Capharea fugit,
Semper ab Euboicis vela retorquet aquis.
Et mea cymba, semel vasta percussa procella,
Illum, quo læsa est, horret adire locum. 86
Ergo, care liber, timida circumspice mente;
Et satis a media sit tibi plebe legi.
Dum petit infirmis nimium sublimia pennis
Icarus, Icariis nomina fecit aquis. 90
Difficile est tamen, hic remis utaris an aura,
Dicere. Consilium resque locusque dabunt.
Si poteris vacuo tradi; si cuncta videbis
Mitia; si vires fregerit ira suas;
Si quis erit, qui te dubitantem et adire timentem
Tradat, et ante tamen pauca loquatur; adi. 96
Luce bona, dominoque tuo felicior ipse
Pervenias illuc, et mala nostra leves.
Namque ea vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit,
Solus Achilleo tollere more potest. 100
Tantum ne noceas, dum vis prodesse, videto.
Nam spes est animi nostra timore minor.
Quæque quiescebat, ne mota resæviat ira,
Et pœnæ tu sis altera causa, cave.
Cum tamen in nostrum fueris penetrale receptus,
Contigerisque tuam, scrinia curva, domum; 106
Adspicies illic positos ex ordine fratres,
Quos studium cunctos evigilavit idem.
Cætera turba palam titulos ostendet apertos,
Et sua detecta nomina fronte geret. 110
Tres procul obscura latitantes parte videbis.
Hi quoque, quod nemo nescit, amare docent.
Hos tu vel fugias, vel, si satis oris habebis,
Œdipodas facito Telegonosque voces.
Deque tribus, moneo, si quæ tibi cura parentis,
Ne quenquam, quamvis ipse docebit, ames. 116
Sunt quoque mutatæ ter quinque volumina formæ,
Nuper ab exsequiis carmina rapta meis:
His mando dicas, inter mutata referri
Fortunæ vultum corpora posse meæ. 120
Namque ea dissimilis subito est effecta priori:
Flendaque nunc, aliquo tempore læta fuit.
Plura quidem mandare tibi, si quæris, habebam;
Sed vereor tardæ causa fuisse moræ.
Quod si, quæ subeunt, tecum, liber, omnia ferres, 125
Sarcina laturo magna futurus eras.
Longa via est; propera. Nobis habitabitur orbis
Ultimus, a terra terra remota mea.

ELEGIA II.

Di maris et cœli, (quid enim nisi vota supersunt?)
Solvere quassatæ parcite membra ratis;
Neve, precor, magni subscribite Cæsaris iræ.
Sæpe premente deo fert deus alter opem.
Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo: 5
Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.
Oderat Ænean propior Saturnia Turno;
Ille tamen Veneris numine tutus erat.
Sæpe ferox cautum petiit Neptunus Ulixem;
Eripuit patruo sæpe Minerva suo. 10
Et nobis aliquod, quamvis distamus ab illis,
Quid vetat irato numen adesse deo?
Verba miser frustra non proficientia perdo:
Ipsa graves spargunt ora loquentis aquæ.
Terribilisque Notus jactat mea dicta, precesque,
Ad quos mittuntur, non sinit ire deos. 16
Ergo idem venti, ne causa lædar in una,
Velaque nescio quo, votaque nostra ferunt?
Me miserum, quanti montes volvuntur aquarum!
Jam jam tacturos sidera summa putes. 20
Quantæ diducto subsidunt æquore valles!
Jam jam tacturas Tartara nigra putes.
Quocunque adspicias, nihil est nisi pontus et aer,
Fluctibus hic tumidis, nubibus ille minax.
Inter utrumque fremunt immani turbine venti. 25
Nescit, cui domino pareat, unda maris.
Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu:
Nunc Zephyrus sero vespere missus adest:
Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab Arcto:
Nunc Notus adversa prœlia fronte gerit. 30
Rector in incerto est, nec quid fugiatve petatve,
Invenit. Ambiguis ars stupet ipsa malis.
Scilicet occidimus, nec spes, nisi vana, salutis:
Dumque loquor, vultus obruit unda meos.
Opprimet hanc animam fluctus: frustraque precanti 35
Ore necaturas accipiemus aquas.
At pia nil aliud quam me dolet exsule conjux:
Hoc unum nostri scitque gemitque mali.
Nescit in immenso jactari corpora ponto:
Nescit agi ventis: nescit adesse necem. 40
Di bene, quod non sum mecum conscendere passus;
Ne mihi mors misero bis patienda foret!
At nunc, ut peream, quoniam caret illa periclo,
Dimidia certe parte superstes ero.
Heu mihi quam celeri micuerunt nubila flamma!
Quantus ab ætherio personat axe fragor! 46
Nec levius laterum tabulæ feriuntur ab undis,
Quam grave balistæ mœnia pulsat onus.
Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes:
Posterior nono est, undecimoque prior. 50

Nec letum timeo : genus est miserabile leti.
Demite naufragium ; mors mihi munus erit.
Est aliquid, fatove suo ferrove cadentem
In solida moriens ponere corpus humo :
Et mandare suis aliquid, sperare sepulcra, 55
Et non æquoreis piscibus esse cibum.
Fingite me dignum tali nece ; non ego solus
Hic vehor. Immeritos cur mea pœna trahit ?
Pro superi, viridesque dei, quibus æquora curæ !
Utraque jam vestras sistite turba minas. 60
Quamque dedit vitam mitissima Cæsaris ira,
Hanc sinite infelix in loca jussa feram.
Si, quam promerui, pœnam me pendere vultis,
Culpa mea est, ipso judice, morte minor.
Mittere me Stygias si jam voluisset ad undas 65
Cæsar, in hoc vestra non eguisset ope.
Est illi nostri non invidiosa cruoris
Copia : quodque dedit, cum volet, ipse feret.
Vos modo, quos nullo certe puto crimine læsos,
Contenti nostris, di, precor, este malis. 70
Nec tamen, ut cuncti miserum servare velitis,
Quod periit, salvum jam caput esse potest.
Ut mare considat, ventisque ferentibus utar ;
Ut mihi parcatis ; num minus exsul ero ?
Non ego divitias avidus sine fine parandi 75
Latum mutandis mercibus æquor aro :
Nec peto, quas quondam petii studiosus, Athenas :
Oppida non Asiæ, non loca visa prius.
Non ut, Alexandri claram delatus in urbem,
Delicias videam, Nile jocose, tuas. 80
Quod faciles opto ventos (quis credere possit ?)
Sarmatis est tellus, quam mea vota petunt.
Obligor, ut tangam lævi fera littora Ponti ;
Quodque sit a patria tam fuga tarda, queror.
Nescio quo videam positos ut in orbe Tomitas, 85
Exilem facio per mea vota viam.
Seu me diligitis, tantos compescite fluctus,
Pronaque sint nostræ numina vestra rati ·
Seu magis odistis, jussæ me advertite terræ.
Supplicii pars est in regione mei. 90
Ferte (quid hic facio ?) rapidi mea carbasa venti.
Ausonios fines cur mea vela vident ?
Noluit hoc Cæsar ; quid, quem fugat ille, tenetis ?
Adspiciat vultus Pontica terra meos.
Et jubet, et merui : nec, quæ damnaverit ille, 95
Crimina defendi fasve piumve puto.
Si tamen acta deos nunquam mortalia fallunt ;
A culpa facinus scitis abesse mea.
Immo ita, vos scitis ; si me meus abstulit error,
Stultaque mens nobis, non scelerata, fuit : 100
Quamlibet e minimis, domui si favimus illi.
Si satis Augusti publica jussa mihi :
Hoc duce si dixi felicia sæcula, proque
Cæsare thura pius Cæsaribusque dedi :
Si fuit hic animus nobis, ita parcite, divi. 105
Sin minus ; alta cadens obruat unda caput.
Fallor ? an incipiunt gravidæ vanescere nubes,
Victaque mutati frangitur ira maris ?
Non casus, sed vos sub conditione vocati, [109
Fallere quos non est, hanc mihi fertis opem.

ELEGIA III

Cum subit illius tristissima noctis imago,
Quæ mihi supremum tempus in Urbe fuit :
Cum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui,
Labitur ex oculis nunc quoque gutta meis.
Jam prope lux aderat, qua me discedere Cæsar 5
Finibus extremæ jussera : Ausoniæ
Nec mens, nec spatium fuerant satis apta paranti :
Torpuerant longa pectora nostra mora.
Non mihi servorum, comitis non cura legendi,
Non aptæ profugo vestis opisve fuit. 10
Non aliter stupui, quam qui Jovis ignibus ictus
Vivit, et est vitæ nescius ipse suæ
Ut tamen hanc animo nubem dolor ipse removit,
Et tandem sensus convaluere mei ;
Alloquor extremum mæstos abiturus amicos, 15
Qui modo de multis unus et alter erant.
Uxor amans flentem flens acrius ipsa tenebat,
Imbre per indignas usque cadente genas.
Nata procul Libycis aberat diversa sub oris, 19
Nec poterat fati certior esse mei. [bant :
Quodcunque adspiceres, luctus gemitusque sona-
Formaque non taciti funeris intus erat. [rent :
Fœmina, virque, meo pueri quoque funere mæ-
Inque domo lacrymas angulus omnis habet.
Si licet exemplis in parvo grandibus uti ; 25
Hæc facies Trojæ, cum caperetur, erat.
Jamque quiescebant voces hominumque canumque.
Lunaque nocturnos alta regebat equos.
Hanc ego suspiciens, et ab hac Capitolia cernens,
Quæ nostro frustra juncta fuere lari ; 30
Numina vicinis habitantia sedibus, inquam,
Jamque oculis nunquam templa videnda meis ;
Dique relinquendi, quos urbs habet alta Quirini ;
Este salutati tempus in omne mihi.
Et quanquam sero clypeum post vulnera sumo ;
Attamen hanc odiis exonerate fugam ; 36
Cœlestique viro, quis me deceperit error,
Dicite ; pro culpa ne scelus esse putet :
Ut, quod vos scitis, pœnæ quoque sentiat auctor.
Placato possum non miser esse deo. 40
Hac prece adoravi superos ego : pluribus uxor :
Singultu medios præpediente sonos.
Illa etiam ante Lares passis prostrata capillis
Contigit exstinctos ore tremente focos :
Multaque in aversos effudit verba Penate 45
Pro deplorato non valitura viro.
Jamque moræ spatium nox præcipitata negabat,
Versaque ab axe suo Parrhasis Arctos erat.
Quid facerem ? blando patriæ retinebar amore :
Ultima sed jussæ nox erat illa fugæ. 50
Ah quoties aliquo dixi properante, Quid urges ?
Vel, quo festines ire, vel unde, vide.
Ah quoties certam me sum mentitus habere
Horam, propositæ quæ foret apta viæ.
Ter limen tetigi ; ter sum revocatus : et ipse 55
Indulgens animo pes mihi tardus erat.
Sæpe, Vale dicto, rursus sum multa locutus ;
Et quasi discedens oscula summa dedi
Sæpe eadem mandata dedi, meque ipse fefelli,
Respiciens oculis pignora cara meis. 60
Denique, Quid propero ? Scythia est, quo mittimur, inquam ?
Roma relinquenda est : utraque justa mora est
Uxor in æternum vivo mihi viva negatur,
Et domus, et fidæ dulcia membra domus ;
Quosque ego fraterno dilexi more sodales. 65
O mihi Thesea pectora juncta fide !
Dum licet, amplectar : nunquam fortasse licebit
Amplius. In lucro, quæ datur hora, mihi est
Nec mora ; sermonis verba imperfecta relinquo
Complectens animo proxima quæque meo. 70
Dum loquor, et flemus ; cœlo nitidissimus alto,
Stella gravis nobis, Lucifer ortus erat. [quam
Dividor haud aliter, quam si mea membra relin
Et pars abrumpi corpore visa suo est.

[Sic Priamus doluit, tunc cum in contraria versus
Ultores habuit proditionis equus.]
Tum vero exoritur clamor gemitusque meorum,
Et feriunt mæstæ pectora nuda manus.
Tum vero conjux humeris abeuntis inhærens
Miscuit hæc lacrymis tristia dicta suis:
Non potes avelli: simul ah simul ibimus, inquit:
Te sequar; et conjux exsulis exsul ero.
Et mihi facta via est: et me capit ultima tellus.
Accedam profugæ sarcina parva rati.
Te jubet e patria discedere Cæsaris ira;
Me pietas. Pietas hæc mihi Cæsar erit.
Talia tentabat: sic et tentaverat ante:
Vixque dedit victas utilitate manus.
Egredior, sive illud erat sine funere ferri,
Squalidus immissis hirta per ora comis.
Illa dolore amens tenebris narratur obortis
Semianimis media procubuisse domo.
Utque resurrexit fœdatis pulvere turpi
Crinibus, et gelida membra levavit humo;
Se modo, desertos modo complorasse penates:
Nomen et erepti sæpe vocasse viri:
Nec gemuisse minus, quam si natæve meumve
Vidisset structos corpus habere rogos:
Et voluisse mori: et moriendo ponere sensus:
Respectuque tamen non posuisse mei.
Vivat: et absentem, quoniam sic fata tulerunt,
Vivat, et auxilio sublevet usque suo.

ELEGIA IV.

Tingitur Oceano custos Erymanthidos Ursæ,
Æquoreasque suo sidere turbat aquas:
Nos tamen Ionium non nostra findimus æquor
Sponte: sed audaces cogimur esse metu.
Me miserum! quantis increscunt æquora ventis,
Erutaque ex imis fervet arena vadis!
Monte nec inferior proræ puppique recurvæ
Insilit, et pictos verberat unda deos.
Pinea texta sonant: pulsi stridore rudentes:
Adgemit et nostris ipsa carina malis.
Navita confessus gelido pallore timorem
Jam sequitur victam, non regit arte, ratem.
Utque parum validus non proficientia vector
Cervicis rigidæ frena remittit equo:
Sic non quo voluit, sed quo rapit impetus undæ,
Aurigam video vela dedisse rati.
Quod nisi mutatas emiserit Æolus auras;
In loca jam nobis non adeunda ferar.
Nam procul, Illyriis læva de parte relictis,
Interdicta mihi cernitur Italia.
Desinat in vetitas quæso contendere terras,
Et mecum magno pareat aura deo.
Dum loquor, et cupio pariter timeoque revelli,
Increpuit quantis viribus unda latus!
Parcite, cærulei, vos parcite, numina ponti;
Infestumque mihi sit satis esse Jovem.
Vos animam sævæ fessam subducite morti;
Si modo, qui periit, non periisse potest.

ELEGIA V.

O mihi post ullos nunquam memorande sodales,
O cui præcipue sors mea visa sua est;
Attonitum qui me (memini) carissime, primus
Ausus es allo quio sustinuisse tuo;
Qui mihi consilium vivendi mite dedisti,
Cum foret in misero pectore mortis amor;
Scis bene, cui dicam, positis pro nomine signis;
Officium nec te fallit, amice, tuum.
Hæc mihi semper erunt imis infixa medullis;
Perpetuusque animæ debitor hujus ero.
Spiritus et vacuas prius hic tenuandus in auras
Ibit, et in tepido deseret ossa rogo;
Quam subeant animo meritorum oblivia nostro,
Et longa pietas excidat ista die.
Di tibi sint faciles, et opis nullius egentem
Fortunam præstent, dissimilemque meæ.
Si tamen hæc navis vento ferretur amico,
Ignoraretur forsitan ista fides.
Thesea Pirithous non tam sensisset amicum,
Si non infernas vivus adisset aquas.
Ut foret exemplum veri Phoceus amoris,
Fecerunt furiæ, tristis Oresta, tuæ.
Si non Euryalus Rutulos cecidisset in hostes,
Hyrtacidæ Niso gloria nulla foret.
Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.
Dum juvat, et vultu ridet fortuna sereno,
Indelibatas cuncta sequuntur opes.
At simul intonuit, fugiunt; nec noscitur ulli,
Agminibus comitum qui modo cinctus erat.
Atque hæc exemplis quondam collecta priorum
Nunc mihi sunt propriis cognita vera malis.
Vix duo tresve mihi de tot superestis amici.
Cætera fortunæ, non mea, turba fuit.
Quo magis, o pauci, rebus succurrite lapsis,
Et date naufragio littora tuta meo:
Neve metu falso nimium trepidate, timentes
Hac offendatur ne pietate deus.
Sæpe fidem adversis etiam laudavit in armis,
Inque suis amat hanc Cæsar, in hoste probat.
Causa mea est melior; qui non contraria fov
Arma, sed hanc merui simplicitate fugar
Invigiles igitur nostris pro casibus oro;
Diminui si qua numinis ira potest.
Scire meos si quis casus desideret omnes;
Plus, quam quod fieri res sinit, ille petat.
Tot mala sum passus, quot in æthere sidera lucent,
Parvaque quot siccus corpora pulvis habet.
Multaque credibili tulimus majora, ratamque,
Quamvis acciderint, non habitura fidem.
Pars etiam quædam mecum moriatur oportet,
Meque velim possit dissimulante tegi.
Si vox infragilis, pectus mihi firmius ære,
Pluraque cum linguis pluribus ora forent;
Non tamen idcirco complecterer omnia verbis,
Materia vires exsuperante meas.
Pro duce Neritio docti mala nostra poetæ
Scribite: Neritio nam mala plura tuli.
Ille brevi spatio multis erravit in annis
Inter Dulichias Iliacasque domos:
Nos, freta sideribus notis distantia mensos,
Sors tulit in Geticos Sarmaticosque sinus.
Ille habuit fidamque manum, sociosque fideles:
Me profugum comites deseruere mei.
Ille suam lætus patriam victorque petebat:
A patria fugio victus et exsul ego.
Nec mihi Dulichium domus est, Ithaceve, Sameve,
Pœna quibus non est grandis abesse locis,
Sed quæ de septem totum circumspicit orbem
Montibus, imperii Roma deûmque locus.
Illi corpus erat durum patiensque laborum
Invalidæ vires ingenuæque mihi.
Ille erat assidue sævis agitatus in armis:
Assuetus studiis mollibus ipse fui.

Me deus oppressit, nullo mala nostra levante: 75
Bellatrix illi diva ferebat opem.
Cumque minor Jove sit, tumidis qui regnat in undis;
Illum Neptuni, me Jovis ira premit
Adde, quod illius pars maxima ficta laborum est:
Ponitur in nostris fabula nulla malis.
Denique quæsitos tetigit tamen ille penates,
Quæque diu petiit, contigit arva tamen.
At mihi perpetuo patria tellure carendum est,
Ni fuerit læsi mollior ira dei.

ELEGIA VI.

Nec tantum Clario Lyde dilecta poetæ,
Nec tantum Coo Battis amata suo est;
Pectoribus quantum tu nostris, uxor, inhæres:
Digna minus misero, non meliore viro.
Te mea, supposita veluti trabe, fulta ruina est: 5
Si quid adhuc ego sum, muneris omne tui est.
Tu facis, ut spolium ne sim, neu nuder ab illis,
Naufragii tabulas qui petiere mei.
Utque rapax, stimulante fame, cupidusque cruoris
Incustoditum captat ovile lupus: 10
Aut ut edax vultur corpus circumspicit, ecquod
Sub nulla positum cernere possit humo:
Sic mea nescio quis, rebus male fidus acerbis,
In bona venturus, si paterere, fuit.
Hunc tua per fortes virtus submovit amicos, 15
Nulla quibus reddi gratia digna potest.
Ergo quam misero, tam vero, teste probaris:
Hic aliquod pondus si modo testis habet.
Nec probitate tua prior est aut Hectoris uxor,
Aut comes exstincto Laodamia viro 20
Tu si Mæonium vatem sortita fuisses:
Penelopes esset fama secunda tuæ.
Sive tibi hoc debes, nulla pia facta magistra;
Cumque nova mores sunt tibi luce dati:
Fœmina seu princeps, omnes tibi culta per annos,
Te docet exemplum conjugis esse bonæ; 26
Adsimilemque sui longa adsuetudine fecit,
Grandia si parvis adsimilare licet.
Heu mihi, non magnas quod habent mea carmina vires,
Nostraque sunt meritis ora minora tuis! 30
Si quid et in nobis vivi fuit ante vigoris,
Exstinctum longis occidit omne malis.
Prima locum sanctas heroidas inter haberes;
Prima bonis animi conspicerere tui.
Quantumcunque tamen præconia nostra valebunt, 35
Carminibus vives tempus in omne meis.

ELEGIA VII.

Si quis habes nostris similes in imagine vultus;
Deme meis hederas, Bacchica serta, comis.
Ista decent lætos felicia signa poetas.
Temporibus non est apta corona meis.
Hæc tibi dissimulas, sentis tamen, optime, dici, 5
In digito qui me fersque refersque tuo;
Effigiemque meam fulvo complexus in auro
Cara relegati, qua potes, ora vides
Quæ quoties spectas, subeat tibi dicere forsan,
Quam procul a nobis Naso sodalis abest! 10
Grata tua est pietas: sed carmina major imago
Sunt mea; quæ mando qualiacunque legas:
Carmina mutatas hominum dicentia formas:
Infelix domini quod fuga rupit opus.
Hæc ego discedens, sicut bene multa meorum,
Ipse mea posui mæstus in igne manu.
Utque cremasse suum fertur sub stipite natum
Thestias, et melior matre fuisse soror;
Sic ego non meritos mecum peritura libellos
Imposui rapidis viscera nostra rogis. 20
Vel quod eram Musas, ut crimina nostra, perosus,
Vel quod adhuc crescens et rude carmen erat.
Quæ quoniam non sunt penitus sublata, sed exstant;
Pluribus exemplis scripta fuisse reor.
Nunc precor ut vivant, et non ignava legentum 25
Otia delectent, admoneantque mei.
Nec tamen illa legi poterunt patienter ab ullo,
Nesciet his summam si quis abesse manum.
Ablatum mediis opus est incudibus istud,
Defuit et scriptis ultima lima meis.
Et veniam pro laude peto; laudatus abunde,
Non fastiditus si tibi, lector, ero.
Hos quoque sex versus, in prima fronte libelli
Si præponendos esse putabis, habe.
Orba parente suo quicunque volumina tangis, 35
His saltem vestra detur in urbe locus.
Quoque magis faveas, non sunt hæc edita ab ipso,
Sed quasi de domini funere rapta sui.
Quicquid in his igitur vitii rude carmen habebi
Emendaturus, si licuisset, eram. 40

ELEGIA VIII.

In caput alta suum labentur ab æquore retro
Flumina: conversis solque recurret equis.
Terra feret stellas: cœlum findetur aratro:
Unda dabit flammas: et dabit ignis aquas.
Omnia naturæ præpostera legibus ibunt: 5
Parsque suum mundi nulla tenebit iter.
Omnia jam fient, fieri quæ posse negabam:
Et nihil est, de quo non sit habenda fides.
Hæc ego vaticinor, quia sum deceptus ab illo,
Laturum misero quem mihi rebar opem. 10
Tantane te, fallax, cepere oblivia nostri;
Afflictumne fuit tantus adire pudor;
Ut neque respiceres, nec solarere jacentem,
Dure, neque exsequias prosequerere meas
Illud amicitiæ sanctum ac venerabile nomen 15
Re tibi pro vili sub pedibusque jacet?
Quid fuit, ingenti prostratum mole sodalem
Visere, et alloquii parte levare tui?
Inque meos si non lacrymam demittere casus,
Pauca tamen ficto verba dolore queri? 20
Idque quod ignoti faciunt, valedicere saltem,
Et vocem populi publicaque ora sequi?
Denique lugubres vultus, nunquamque videndos
Cernere supremo, dum licuitque, die?
Dicendumque semel toto non amplius ævo 25
Accipere, et parili reddere voce Vale?
At fecere alii nullo mihi fœdere juncti,
Et lacrymas animi signa dedere sui.
Quid? nisi convictu causisque valentibus essem
Temporis et longi vinctus amore tibi? 30
Quid? nisi tot lusus et tot mea seria nosses,
Tot nossem lusus seriaque ipse tua?
Quid? si duntaxat Romæ mihi cognitus esses,
Adscitus toties in genus omne loci?
Cunctane in æquoreos abierunt irrita ventos? 35
Cunctane Lethæis mersa feruntur aquis?
Non ego te placida genitum reor urbe Quirini,
Urbe meo quæ jam non adeunda pede est;
Sed scopulis, Ponti quos hæc habet ora sinistri,
Inque feris Scythiæ Sarmaticisque jugis. 40

Et tua sunt silicis circum præcordia venæ,
Et rigidum ferri semina pectus habent.
Quæque tibi quondam tenero ducenda palato
Plena dedit nutrix ubera, tigris erat.
At mala nostra minus, quam nunc, aliena putasses, 45
Duritiæque mihi non agerere reus.
Sed quoniam accedit fatalibus hoc quoque damnis,
Ut careant numeris tempora prima suis;
Effice, peccati ne sim memor hujus, et illo
Officium laudem, quo queror, ore tuum. 50

ELEGIA IX.

Detur inoffensæ metam tibi tangere vitæ,
Qui legis hoc nobis non inimicus opus.
Atque utinam pro te possint mea vota valere,
Quæ pro me duros non tetigere deos!
Donec eris felix, multos numerabis amicos: 5
Tempora si fuerint nubila, solus eris.
Aspicis ut veniant ad candida tecta columbæ;
Accipiat nullas sordida turris aves.
Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam:
Nullus ad amissas ibit amicus opes. 10
Utque comes radios per solis euntibus umbra,
Cum latet hic pressus nubibus, illa fugit;
Mobile sic sequitur fortunæ lumina vulgus:
Quæ simul inducta nube teguntur, abit.
Hæc precor ut semper possint tibi falsa videri;
Sunt tamen eventu vera fatenda meo. 16
Dum stetimus, turbæ quantum satis esset habebat
Nota quidem, sed non ambitiosa domus.
At simul impulsa est, omnes timuere ruinam,
Cautaque communi terga dedere fugæ 20
Sæva nec admiror metuunt si fulmina, quorum
Ignibus afflari proxima quæque solent.
Sed tamen in duris remanentem rebus amicum
Quamlibet inviso Cæsar in hoste probat.
Nec solet irasci (neque enim moderatior alter) 25
Cum quis in adversis, si quid amavit, amat.
De comite Argolici postquam cognovit Orestæ,
Narratur Pyladen ipse probasse Thoas.
Quæ fuit Actoridæ cum magno semper Achille,
Laudari solita est Hectoris ore fides. 30
Quod pius ad manes Theseus comes isset amico,
Tartareum dicunt indoluisse deum.
Euryali Nisique fide tibi, Turne, relata,
Credibile est lacrymis immaduisse genas.
Est etiam miseris pietas, et in hoste probatur. 35
Heu mihi, quam paucos hæc mea dicta movent!
Hic status, hæc rerum nunc est fortuna mearum,
Debeat ut lacrymis nullus adesse modus.
At mea sunt, proprio quamvis mæstissima casu,
Pectora processu facta serena tuo. 40
Hoc eventurum jam tum, carissime, vidi,
Ferret adhuc istam cum minor aura ratem.
Sive aliquod morum, seu vitæ labe carentis
Est pretium; nemo pluris habendus erit:
Sive per ingenuas aliquis caput extulit artes; 45
Quælibet eloquio fit bona causa tuo.
His ego commotus, dixi tibi protinus ipsi:
Scena manet dotes grandis, amice, tuas.
Hæc mihi non ovium fibræ, tonitrusve sinistri,
Linguave servatæ, pennave dixit avis. 50
Augurium ratio est, et conjectura futuri:
Hac divinavi, notitiamque tuli.
Quæ quoniam vera est; tota mihi mente tibique
Gratulor, ingenium non latuisse tuum.
At nostrum tenebris utinam latuisset in imis! 55
Expedit in studio lumen abesse meo.
Utque tibi prosunt artes, facunde, severæ;
Dissimiles illis sic nocuere mihi.
Vita tamen tibi nota mea est: scis artibus illis
Auctoris mores abstinuisse sui. 60
Scis vetus hoc juveni lusum mihi carmen; et istos,
Ut non laudandos, sic tamen esse jocos.
Ergo ut defendi nullo mea posse colore,
Sic excusari crimina posse puto.
Qua potes, excusa; nec amici desere caussam. 65
Quo bene cœpisti, sic pede semper eas.

ELEGIA X.

Est mihi, sitque precor, flavæ tutela Minervæ
Navis, et a picta casside nomen habet.
Sive opus est velis; minimam bene currit ad auram:
Sive opus est remo; remige carpit iter.
Nec comites volucri contenta est vincere cursu; 5
Occupat egressas quamlibet ante rates.
Et patitur fluctus, fertque adsilientia longe
Æquora, nec sævis icta fatiscit aquis.
Illa, Corinthiacis primum mihi cognita Cenchris,
Fida manet trepidæ duxque comesque fugæ. 10
Perque tot eventus, et iniquis concita ventis
Æquora, Palladio numine tuta fuit.
Nunc quoque tuta precor vasti secet ostia Ponti,
Quasque petit, Getici littoris intret aquas.
Quæ simul Æoliæ mare me deduxit in Helles, 15
Et longum tenui limite fecit iter;
Fleximus in lævum cursus, et ab Hectoris urbe
Venimus ad portus, Imbria terra, tuos.
Inde levi vento Zerynthia littora nactis
Threiciam tetigit fessa carina Samon. 20
Sâltus ab hac terra brevis est Tempyra petenti.
Hac dominum tenus est illa secuta suum.
Nam mihi Bistonios placuit pede carpere campos;
Hellespontiacas illa relegit aquas:
Dardaniamque petit auctoris nomen habentem,
Et te ruricola, Lampsace, tuta deo: 25
Quaque per angustas vectæ male virginis undas
Seston Abydena separat urbe fretum:
Hincque Propontiacis hærentem Cyzicon oris,
Cyzicon Hæmoniæ nobile gentis opus: 30
Quaque tenent Ponti Byzantia littora fauces.
Hic locus est gemini janua vasta maris.
Hæc precor evincat, propulsaque fortibus Austris
Transeat instabiles strenua Cyaneas:
Thynniacosque sinus, et ab his per Apollinis urbem 35
Alta sub Anchiali mœnia tendat iter:
Inde Mesembriacos portus, et Odesson, et arces
Prætereat dictas nomine, Bacche, tuo:
Et quos Alcathoi memorant a mœnibus ortos
Sedibus his profugum constituisse Larem. 40
A quibus adveniat Miletida sospes ad urbem,
Offensi quo me compulit ira dei.
Hanc si contigerit, meritæ cadet agna Minervæ.
Non facit ad nostras hostia major opes.
Vos quoque, Tyndaridæ, quos hæc colit insula, fratres 45
Mite, precor, duplici numen adeste viæ.
Altera namque parat Symplegadas ire per arctas,
Scindere Bistonias altera puppis aquas.
Vos facite, ut ventos, loca cum diversa petamus,
Illa suos habeat, nec minus illa suos. 50

ELEGIA XI.

Littera quæcunque est toto tibi lecta libello,
Est mihi sollicitæ tempore facta viæ.

Aut hanc me, gelidi tremerem cum mense Decembris,
Scribentem mediis Adria vidit aquis:
Aut, postquam bimarem cursu superavimus Isthmon, 5
Alteraque est nostræ sumta carina fugæ.
Quod facerem versus inter fera murmura ponti,
Cycladas Ægæas obstupuisse puto.
Ipse ego nunc miror, tantis animique marisque
Fluctibus ingenium non cecidisse meum. 10
Seu stupor huic studio, sive est insania nomen;
Omnis ab hac cura mens relevata mea est.
Sæpe ego nimbosis dubius jactabar ab Hædis:
Sæpe minax Steropes sidere pontus erat:
Fuscabatque diem custos Erymanthidos Ursæ:
Aut Hyadas sævis auxerat Auster aquis: 16
Sæpe maris pars intus erat; tamen ipse trementi
Carmina ducebam qualiacunque manu.
Nunc quoque contenti stridunt Aquilone rudentes,
Inque modum tumuli concava surgit aqua. 20
Ipse gubernator tollens ad sidera palmas
Exposcit votis, immemor artis, opem.
Quocunque adspicio, nihil est, nisi mortis imago,
Quam dubia timeo mente, timensque precor.
Attigero portum, portu terrebor ab ipso. 25
Plus habet infesta terra timoris aqua.
Nam simul insidiis hominum pelagique laboro.
Et faciunt geminos ensis et unda metus.
Ille meo vereor ne speret sanguine prædam,
Hæc titulum nostræ mortis habere velit. 30
Barbara pars læva est, avidæque instructa rapinæ,
Quam cruor et cædes bellaque semper habent.
Cumque sit hibernis agitatum fluctibus æquor;
Pectora sunt ipso turbidiora mari.
Quo magis his debes ignoscere, candide lector,
Si spe sunt, ut sunt, inferiora tua. 36
Non hæc in nostris, ut quondam, scribimus hortis.
Nec, consuete, meum, lectule, corpus habes.
Jactor in indomito brumali luce profundo,
Ipsaque cæruleis charta feritur aquis. 40
Improba pugnat hiems, indignaturque quod ausim
Scribere, se rigidas incutiente minas.
Vincat hiems hominem. Sed eodem tempore, quæso,
Ipse modum statuam carminis, illa sui.

LIBER SECUNDUS.

Quid mihi vobiscum est, infelix cura, libelli,
Ingenio perii qui miser ipse meo?
Cur modo damnatas repeto, mea crimina, Musas?
An semel est pœnam commeruisse parum?
Carmina fecerunt, ut me cognoscere vellent 5
Omine non fausto fœmina virque, mea.
Carmina fecerunt, ut me moresque notaret
Jam demum visa Cæsar ab Arte meos.
Deme mihi studium; vitæ quoque crimina demes.
Acceptum refero versibus, esse nocens. 10
Hoc pretium curæ vigilatorumque laborum
Cepimus; ingenio pœna reperta meo.
Si saperem, doctas odissem jure sorores,
Numina cultori perniciosa suo.
At nunc, tanta meo comes est insania morbo, 15
Saxa malum refero rursus ad icta pedem.
Scilicet et victus repetit gladiator arenam;
Et redit in tumidas naufraga puppis aquas.
Forsitan, ut quondam Teuthrantia regna tenenti,
Sic mihi res eadem vulnus opemque feret: 20
Musaque, quam movit, motam quoque leniet iram:
Exorant magnos carmina sæpe deos.
Ipse quoque Ausonias Cæsar matresque nurusque
Carmina turrigeræ dicere jussit Opi.
Jusserat et Phœbo dici, quo tempore ludos 25
Fecit, quos ætas adspicit una semel.
His precor exemplis tua nunc, mitissime Cæsar,
Fiat ab ingenio mollior ira meo.
Illa quidem justa est, nec me meruisse negabo.
Non adeo nostro fugit ab ore pudor. 30
Sed, nisi peccassem, quid tu concedere posses?
Materiam veniæ sors tibi nostra dedit.
Si, quoties homines peccant, sua fulmina mittat
Jupiter; exiguo tempore inermis erit.
Hic, ubi detonuit, strepituque exterruit orbem, 35
Purum discussis aera reddit aquis.
Jure igitur genitorque deûm rectorque vocatur
Jure capax mundus nil Jove majus habet
Tu quoque, cum patriæ rector dicare paterque,
Utere more dei nomen habentis idem. 40
Idque facis: nec te quisquam moderatius unquam
Imperii potuit frena tenere sui.
Tu veniam parti superatæ sæpe dedisti,
Non concessurus quam tibi victor erat.
Divitiis etiam multos et honoribus auctos 45
Vidi, qui tulerant in caput arma tuum.
Quæque dies bellum, belli tibi sustulit iram:
Parsque simul templis utraque dona tulit.
Utque tuus gaudet miles, quod vicerit hostem;
Sic, victum cur se gaudeat, hostis habet. 50
Causa mea est melior; qui nec contraria dicor
Arma, nec hostiles esse secutus opes.
Per mare, per terras, per tertia numina juro,
Per te, præsentem conspicuumque deum;
Hunc animum favisse tibi, vir maxime: meque,
Qua sola potui, mente fuisse tuum. 56
Optavi peteres cœlestia sidera tarde;
Parsque fui turbæ parva precantis idem.
Et pia thura dedi pro te: cumque omnibus unus
Ipse quoque adjuvi publica vota meis. 60
Quid referam libros, illos quoque, crimina nostra,
Mille locis plenos nominis esse tui?
Inspice majus opus, quod adhuc sine fine reliqui,
In non credendos corpora versa modos;
Invenies vestri præconia nominis illic. 65
Invenies animi pignora multa mei.
Non tua carminibus major fit gloria, nec quo,
Ut major fiat, crescere possit, habet.
Fama Jovis superest: tamen hunc sua facta referri,
Et se materiam carminis esse, juvat: 70
Cumque gigantei memorantur prælia belli,
Credibile est lætum laudibus esse suis

Te celebrant alii quanto decet ore, tuasque
Ingenio laudes uberiore canunt.
Sed tamen, ut fuso taurorum sanguine centum, 75
Sic capitur ninimo thurishonore deus.
Ah ferus, et nobis nimium crudeliter hostis,
Delicias legit qui tibi cunque meas!
Carmina ne nostris sic te venerantia libris
Judicio possint candidiore legi. 80
Esse sed irato quis te mihi posset amicus?
Vix tunc ipse mihi non inimicus eram.
Cum cœpit quassata domus subsidere, partes
In proclinatas omne recumbit onus;
Cunctaque fortuna rimam faciente dehiscunt. 85
Ipsa suo quondam pondere tecta ruunt
Ergo hominum quæsitum odium mihi carmine: quaque
Debuit, est vultus turba secuta tuos.
At (memini) vitamque meam moresque probabas
Illo, quem dederas, prætereuntis equo. 90
[Quod si non prodest, et honesti gratia nulla
Redditur; at nullum crimen adeptus eram.]
Nec male commissa est nobis fortuna reorum,
Lisque decem decies inspicienda viris.
Res quoque privatas statui sine crimine judex:
Deque mea fassa est pars quoque victa fide. 96
Me miserum! potui, si non extrema nocerent,
Judicio tutus non semel esse tuo.
Ultima me perdunt: imoque sub æquore mergit
Incolumem toties una procella ratem. 100
Nec mihi pars nocuit de gurgite parva: sed omnes
Pressere hoc fluctus, Oceanusque caput.
Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
Cur imprudenti cognita culpa mihi?
Inscius Actæon vidit sine veste Dianam: 105
Præda fuit canibus non minus ille suis.
Scilicet in superis etiam fortuna luenda est,
Nec veniam, læso numine, casus habet.
Illa namque die, qua me malus abstulit error,
Parva quidem periit, sed sine labe, domus. 110
Sic quoque parva tamen, patrio dicatur ut ævo
Clara, nec ullius nobilitate minor:
Et neque divitiis, nec paupertate notanda:
Unde fit in neutrum conspiciendus eques.
Sit quoque nostra domus vel censu parva, vel ortu; 115
Ingenio certe non latet illa meo.
Quo videar quamvis nimium juveniliter usus,
Grande tamen toto nomen ab orbe fero.
Turbaque doctorum Nasonem novit, et audet
Non fastiditis annumerare viris. 120
Corruit hæc igitur Musis accepta, sub uno,
Sed non exiguo, crimine lapsa domus.
Atque ea sic lapsa est, ut surgere, si modo læsi
Ematuruerit Cæsaris ira, queat.
Cujus in eventu pœnæ clementia tanta est, 125
Ut fuerit nostro lenior illa metu.
Vita data est, citraque necem tua constitit ira,
O Princeps, parce viribus use tuis.
Insuper accedunt, te non adimente, paternæ,
Tanquam vita parum muneris esset, opes. 130
Nec mea decreto damnasti facta senatus,
Nec mea selecto judice jussa fuga est.
Tristibus invectus verbis (ita principe dignum)
Ultus es offensas, ut decet, ipse tuas.
Adde, quod dictum, quamvis immane minaxque,
Attamen in pœnæ nomine lene fuit. 136
Quippe relegatus, non exul, dicor in illo:
Parcaque fortunæ sunt data verba meæ.
Nulla quidem sano gravior mentisque potenti
Pœna est, quam tanto displicuisse viro. 140
Sed solet interdum fieri placabile numen:
Nube solet pulsa candidus ire dies.
Vidi ego pampineis oneratam vitibus ulmum,
Quæ fuerat sævi fulmine tacta Jovis.
Ipse licet sperare vetes, sperabimus: atque 145
Hoc unum fieri te prohibente potest.
Spes mihi magna subit, cum te, mitissime princeps;
Spes mihi, respicio cum mea fata, cadit.
Ac veluti ventis agitantibus æquora non est
Æqualis rabies, continuusque furor; 150
Sed modo subsidunt, intermissique silescunt,
Vimque putes illos deposuisse suam;
Sic abeunt, redeuntque mei, variantque timores:
Et spem placandi dantque negantque tui.
Per superos igitur, qui dent tibi longa, dabuntque
Tempora, Romanum si modo nomen amant; 156
Per patriam, quæ te tuta et secura parente est;
Cujus, ut in populo, pars ego nuper eram;
Sic tibi, quem semper factis animoque mereris,
Reddatur gratæ debitus Urbis amor: 160
Livia sic tecum sociales compleat annos,
Quæ, nisi te, nullo conjuge digna fuit:
Quæ si non esset, cœlebs te vita deceret.
Nullaque, cui posses esse maritus, erat.
Sospite sic te sit natus quoque sospes; et olim
Imperium regat hoc cum seniore senex: 166
Utque tui faciunt, sidus juvenile, nepotes,
Per tua perque sui facta parentis eant.
Sic assueta tuis semper Victoria castris
Nunc quoque se præstet, notaque signa petat:
Ausoniumque ducem solitis circumvolet alis,
Ponat et in nitida laurea serta coma. 172
Per quem bella geris, cujus nunc corpore pugnas;
Auspicium cui das grande, deosque tuos;
Dimidioque tui præsens hanc respicis urbem,
Dimidio procul es, sævaque bella geris; 176
Hic tibi sic redeat superato victor ab hoste,
Inque coronatis fulgeat altus equis;
Parce, precor, fulmenque tuum, fera tela, reconde,
Heu nimium misero cognita tela mihi! 180
Parce, pater patriæ: nec nominis immemor hujus
Olim placandi spem mihi tolle tui.
Nec precor ut redeam; quamvis majora petitis
Credibile est magnos sæpe dedisse deos.
Mitius exsilium si das, propiusque, roganti, 185
Pars erit e pœna magna levata mea.
Ultima perpetior, medios projectus in hostes:
Nec quisquam patria longius exsul abest.
Solus ad egressus missus septemplicis Istri,
Parrhasiæ gelido virginis axe premor. 190
Jazyges, et Colchi, Metereaque turba, Getæque,
Danubii mediis vix prohibentur aquis.
Cumque alii causa tibi sint graviore fugati,
Ulterior nulli, quam mihi, terra data est.
Longius hac nihil est, nisi tantum frigus et hostis,
Et maris adstricto quæ coit unda gelu. 196
Hactenus Euxini pars est Romana sinistri:
Proxima Bastarnæ Sauromatæque tenent.
Hæc est Ausonio sub jure novissima, vixque
Hæret in imperii margine terra tui. 200
Unde, precor supplex, ut nos in tuta releges,
Ne sit cum patria pax quoque demta mihi.
Ne timeam gentes, quas non bene submovet Ister
Neve tuus possim civis ab hoste capi.
Fas prohibet Latio quenquam de sanguine natum,
Cæsaribus salvis, barbara vincla pati. 206
Perdiderint cum me duo crimina, carmen et error;
Alterius facti culpa silenda mihi.

Nam non sum tanti, ut renovem tua vulnera, Cæsar,
Quem nimio plus est indoluisse semel. 210
Altera pars superest, qua turpi crimine tactus
Arguor obscæni doctor adulterii.
Fas ergo est aliqua cœlestia pectora falli;
Et sunt notitia multa minora tua.
Utque deos, cœlumque simul sublime tuenti 215
Non vacat exiguis rebus adesse Jovi;
A te pendentem sic dum circumspicis orbem,
Effugiunt curas inferiora tuas.
Scilicet imperii princeps statione relicta
Imparibus legeres carmina facta modis? 220
Non ea te moles Romani nominis urget,
Inque tuis humeris tam leve fertur onus;
Lusibus ut possis advertere numen ineptis,
Excutiasque oculis otia nostra tuis.
Nunc tibi Pannonia est, nunc Illyris ora domanda:
Rhætica nunc præbent Thraciaque arma metum 226
Nunc petit Armenius pacem: nunc porrigit arcus
Parthus eques timida, captaque signa manu.
Nunc te prole tua juvenem Germania sentit,
Bellaque pro magno Cæsare Cæsar obit. 230
Denique, ut in tanto, quantum non exstitit unquam,
Corpore pars nulla est, quæ labet, imperii;
Urbs quoque te et legum lassat tutela tuarum,
Et morum, similes quos cupis esse tuis
Nec tibi contingunt, quæ gentibus otia præstas;
Bellaque cum multis irrequieta geris. 236
Mirer in hoc igitur tantarum pondere rerum
Nunquam te nostros evoluisse jocos?
At si, quod mallem, vacuus fortasse fuisses,
Nullum legisses crimen in Arte mea. 240
Illa quidem fateor fronti non esse severæ
Scripta, nec a tanto principe digna legi:
Non tamen idcirco legum contraria jussis
Sunt ea, Romanas erudiuntque nurus.
Neve, quibus scribam, possis dubitare; libellus
Quatuor hos versus e tribus unus habet: 246
Este procul, vittæ tenues, insigne pudoris;
Quæque tegis medios instita longa pedes;
Nil nisi legitimum, concessaque furta canemus,
Inque meo nullum carmine crimen erit. 250
Ecquid ab hac omnes rigide submovimus Arte,
Quas stola contingi vittaque sumta vetat?
At matrona potest alienis artibus uti;
Quoque trahat, quamvis non doceatur, habet.
Nil igitur matrona legat: quia carmine ab omni
Ad delinquendum doctior esse potest. 256
Quodcunque attigerit, si qua est studiosa sinistri,
Ad vitium mores instruet inde suos.
Sumserit Annales, (nihil est hirsutius illis,)
Facta sit unde parens Ilia nempe leget. 260
Sumserit, Æneadûm genitrix ubi prima; requiret,
Æneadûm genitrix unde sit alma Venus.
Persequar inferius, modo si licet ordine ferri,
Posse nocere animis carminis omne genus.
Non tamen idcirco crimen liber omnis habebit.
Nil prodest, quod non lædere possit idem. 266
Igne quid utilius? si quis tamen urere tecta
Comparat, audaces instruit igne manus.
Eripit interdum, modo dat medicina salutem:
Quæque juvans monstrat, quæque sit herba nocens. 270
Et latro, et cautus præcingitur ense viator:
Ille sed insidias, hic sibi portat opem.
Discitur, innocuas ut agat, facundia, causas:
Protegit hæc sontes, immeritosque premit
Sic igitur carmen, recta si mente legatur, 275
Constabit nulli posse nocere meum.
At quiddam vitii quicunque hinc concipit, errat:
Et nimium scriptis abrogat ille meis.
Ut tamen hoc fatear; ludi quoque semina præbent
Nequitiæ. Tolli tota theatra jube; 280
Peccandi causam quæ multis sæpe dederunt,
Martia cum durum sternit arena solum.
Tollatur Circus; non tuta licentia Circi:
Hic sedet ignoto juncta puella viro.
Cum quædam spatientur in hac, ut amator eadem
Conveniat, quare porticus ulla patet? 286
Quis locus est templis augustior? hæc quoque vitet,
In culpam si qua est ingeniosa suam.
Cum steterit Jovis æde; Jovis succurret in æde,
Quam multas matres fecerit ille deus. 290
Proxima adoranti Junonia templa subibit,
Pellicibus multis hanc doluisse deam.
Pallade conspecta, natum de crimine virgo
Sustulerit quare, quæret, Erichthonium.
Venerit in magni templum, tua munera, Martis,
Stat Venus Ultori juncta viro ante fores. 296
Isidis æde sedens, cur hanc Saturnia, quæret,
Egerit Ionio Bosporioque mari
In Venere Anchises, in Luna Latmius heros,
In Cerere Iasion, qui referatur, erit. 300
Omnia perversas possunt corrumpere mentes:
Stant tamen illa suis omnia tuta locis.
At procul ab scripta solis meretricibus Arte
Submovet ingenuas pagina prima nurus.
Quæcunque irrumpit, quo non sinit ire sacerdos,
Protinus hoc vetiti criminis acta rea est. 306
Nec tamen est facinus molles evolvere versus:
Multa licet castæ non facienda legant.
Sæpe supercilii nudas matrona severi
Et Veneris stantes ad genus omne videt. 310
Corpora Vestales oculi meretricia cernunt:
Nec domino pœnæ res ea causa fuit.
At cur in nostria nimia est lascivia Musa?
Curve meus cuiquam suadet amare liber?
Nil nisi peccatum manifestaque culpa fatendum est: 315
Pœnitet ingenii judiciique mei.
Cur non Argolicis potius quæ concidit armis
Vexata est iterum carmine Troja meo?
Cur tacui Thebas, et mutua vulnera fratrum,
Et septem portas sub duce quamque suo? 320
Nec mihi materiam bellatrix Roma negabat:
Et pius est patriæ facta referre labor.
Denique, cum meritis impleveris omnia, Cæsar,
Pars mihi de multis una canenda fuit.
Utque trahunt oculos radiantia lumina solis,
Traxissent animum sic tua facta meum. 326
Arguor immerito. Tenuis mihi campus aratur:
Illud erat magnæ fertilitatis opus.
Non ideo debet pelago se credere, si qua
Audet in exiguo ludere cymba lacu. 330
Forsan (et hoc dubitem) numeris levioribus aptus
Sim satis, in parvos sufficiamque modos.
At si me jubeas domitos Jovis igne gigantas
Dicere, conantem debilitabit onus.
Divitis ingenii est immania Cæsaris acta 335
Condere, materia ne superetur opus.
Et tamen ausus eram: sed detrectare videbar,
Quodque nefas, damno viribus esse tuis.
Ad leve rursus opus, juvenilia carmina, veni,
Et falso movi pectus amore meum. 340
Non equidem vellem: sed me mea fata trahebant,
Inque meas pœnas ingeniosus eram.

Heu mihi, quod didici! quod me docuere parentes,
Litteraque est oculos ulla morata meos!
Hæc tibi me invisum lascivia fecit, ob Artes
Quas ratus es vetitos sollicitasse toros. 346
Sed neque me nuptæ didicerunt furta magistro;
Quodque parum novit, nemo docere potest.
Sic ego delicias, et mollia carmina feci,
Strinxerit ut nomen fabula nulla meum. 350
Nec quisquam est adeo media de plebe maritus,
Ut dubius vitio sit pater ille meo.
Crede mihi, mores distant a carmine nostro.
Vita verecunda est, Musa jocosa mihi.
Magnaque pars operum mendax et ficta meorum
Plus sibi permisit compositore suo. 356
Nec liber indicium est animi, sed honesta voluptas,
Plurima mulcendis auribus apta ferens.
Accius esset atrox: conviva Terentius esset:
Essent pugnaces, qui fera bella canunt. 360
Denique composui teneros non solus amores;
Composito pœnas solus amore dedi.
Quid nisi cum multo Venerem confundere vino
Præcepit lyrici Teia Musa senis?
Lesbia quid docuit Sappho, nisi amare, puellas?
Tuta tamen Sappho, tutus et ille fuit. 366
Nec tibi, Battiade, nocuit, quod sæpe legenti
Delicias versu fassus es ipse tuas.
Fabula jucundi nulla est sine amore Menandri:
Et solet hic pueris virginibusque legi. 370
Ilias ipsa quid est, nisi turpis adultera, de qua
Inter amatorem pugna virumque fuit?
Quid prius est illi flamma Chryseidos, utque
Fecerit iratos rapta puella duces?
Aut quid Odyssea est, nisi fœmina propter amorem, 375
Dum vir abest, multis una petita procis?
Quid nisi Mæonides Venerem Martemque ligatos
Narrat, in obscæno corpora prensa toro?
Unde nisi indicio magni sciremus Homeri,
Hospitis igne duas incaluisse deas? 380
Omne genus scripti gravitate Tragœdia vincit:
Hæc quoque materiam semper amoris habet.
Nam quid in Hippolyto, nisi cæcæ flamma novercæ?
Nobilis est Canace fratris amore sui.
Quid? non Tantalides, agitante Cupidine currus,
Pisæam Phrygiis vexit eburnus equis? 386
Tingeret ut ferrum natorum sanguine mater,
Concitus a læso fecit amore dolor.
Fecit amor subitas volucres, cum pellice regem,
Quæque suum luget nunc quoque mater Itys.
Si non Aeropen frater sceleratus amasset, 391
Aversos Solis non legeremus equos.
Impia nec tragicos tetigisset Scylla cothurnos,
Ni patrium crinem desecuisset amor.
Qui legis Electran, et egentem mentis Oresten,
Ægisthi crimen Tyndaridosque legis. 396
Nam quid de tetrico referam domitore Chimæræ,
Quem leto fallax hospita pæne dedit?
Quid loquor Hermionen? quidte, Schœneia virgo?
Teque, Mycenæo Phœbas amata duci? 400
Quid Danaen, Danaesque nurum, matremque Lyæi?
Hæmonaque, et noctes cui coiere duæ?
Quid generum Peliæ? quid Thesea? quidve Pelasgum,
Iliacam tetigit qui rate primus humum?
Huc Iole, Pyrrhique parens, huc Herculis uxor,
Huc accedat Hylas, Iliadesque puer. 406
Tempore deficiar, tragicos si persequar ignes,
Vixque meus capiat nomina nuda liber.
Est et in obscænos deflexa Tragœdia risus,
Multaque præteriti verba pudoris habet 410
Nec nocet auctori, mollem qui fecit Achillem,
Infregisse suis fortia facta modis.
Junxit Aristides Milesia crimina secum;
Pulsus Aristides nec tamen urbe sua.
Nec qui descripsit corrumpi semina matrum, 415
Eubius, impuræ conditor historiæ;
Nec qui composuit nuper Sybaritida, fugit;
Nec quæ concubitus non tacuere suos.
Suntque ea doctorum monumentis mixta virorum,
Muneribusque ducum publica facta patent. 420
Neve peregrinis tantum defendar ab armis;
Et Romanus habet multa jocosa liber.
Utque suo Martem cecinit gravis Ennius ore,
Ennius ingenio maximus, arte rudis;
Explicat ut causas rapidi Lucretius ignis, 425
Casurumque triplex vaticinatur opus;
Sic sua lascivo cantata est sæpe Catullo
Fœmina, cui falsum Lesbia nomen erat.
Nec contentus ea, multos vulgavit amores,
In quibus ipse suum fassus adulterium est. 430
Par fuit exigui similisque licentia Calvi,
Detexit variis qui sua furta modis.
Quid referam Ticidæ, quid Memmi carmen, apud quos
Rebus abest omnis nominibusque pudor?
Cinna quoque his comes est, Cinnaque procacior Anser, 435
Et leve Cornifici, parque Catonis opus.
Et quorum libris modo dissimulata Perillæ
Nomine, nunc legitur dicta Metella suo.
Is quoque, Phasiacas Argo qui duxit in undas,
Non potuit Veneris furta tacere suæ. 440
Nec minus Hortensi, nec sunt minus improba Servi
Carmina. Quis dubitet nomina tanta sequi?
Vertit Aristiden Sisenna; nec obfuit illi
Historiæ turpes inseruisse jocos.
Nec fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo,
Sed linguam nimio non tenuisse mero. 446
Credere juranti durum putat esse Tibullus;
Sic etiam de se quod neget illa viro.
Fallere custodem demum docuisse fatetur,
Seque sua miserum nunc ait arte premi. 450
Sæpe, velut gemmam dominæ signumve probaret,
Per causam meminit se tetigisse manum.
Utque refert, digitis sæpe est nutuque locutus,
Et tacitam mensæ duxit in orbe notam.
Et quibus e succis abeat de corpore livor, 455
Impresso fieri qui solet ore, docet.
Denique ab incauto nimium petit ille marito,
Se quoque uti servet; peccet ut illa minus.
Scit cui latretur, cum solus obambulat ipse:
Cur toties clausas exscreet ante fores. 460
Multaque dat talis furti præcepta, docetque
Qua nuptæ possint fallere ab arte viros.
Nec fuit hoc illi fraudi; legiturque Tibullus,
Et placet, et jam te principe notus erat.
Invenies eadem blandi præcepta Properti; 465
Districtus minima nec tamen ille nota est.
His ego success quoniam præstantia candor
Nomina vivorum dissimulare jubet
Non timui, fateor, ne, qua tot iere carinæ,
Naufraga, servatis omnibus, una foret. 470
Sunt aliis scriptæ, quibus alea luditur, artes
Hæc est ad nostros non leve crimen avos.

Quid valeant tali : quo possis plurima jactu
Fingere, damnosos effugiasve canes :
Tessera quot numeros habeat : distante vocato
Mittere quo doceat, quo dare missa modo. 476
Discolor ut recto grassetur limite miles,
Cum medius gemino calculus hoste perit
Ut mage velle sequi sciat, et revocare priorem
Ne tuto fugiens incomitatus eat. 480
Parva sedet ternis instructa tabella lapillis,
In qua vicisse est, continuasse suos.
Quique alii lusus (neque enim nunc persequar omnes)
Perdere rem caram, tempora nostra, solent.
Ecce canit formas alius jactusque pilarum. 485
Hic artem nandi præcipit, ille trochi.
Composita est aliis fucandi cura coloris.
Hic epulis leges hospitioque dedit.
Alter humum, de qua fingantur pocula, monstrat,
Quæque docet liquido testa sit apta mero. 490
Talia fumosi luduntur mense Decembris ;
Quæ damno nulli composuisse fuit.
His ego deceptus non tristia carmina feci ;
Sed tristis nostros pœna secuta jocos.
Denique nec video de tot scribentibus unum, 495
Quem sua perdiderit Musa ; repertus ego.
Quid ? si scripsissem mimos obscæna jocantes,
Qui semper vetiti crimen amoris habent ?
In quibus assidue cultus procedit adulter,
Verbaque dat stulto callida nupta viro. 500
Nubilis hos virgo, matronaque, virque, puerque
Spectat, et e magna parte senatus adest.
Nec satis incestis temerari vocibus aures :
Adsuescunt oculi multa pudenda pati.
Cumque fefellit amans aliqua novitate maritum,
Plauditur, et magno palma favore datur. 506
Quoque minus prodest, scena est lucrosa poetæ :
Tantaque non parvo crimina prætor emit.
Inspice ludorum sumtus, Auguste, tuorum ;
Emta tibi magno talia multa leges. 510
Hæc tu spectasti, spectandaque sæpe dedisti.
Majestas adeo comis ubique tua est.
Luminibusque tuis, totus quibus utimur orbis,
Scenica vidisti lentus adulteria.
Scribere si fas est imitantes turpia mimos ; 515
Materiæ minor est debita pœna meæ.
An genus hoc scripti faciunt sua pulpita tutum ;
Quodque libet, mimis scena licere dedit ?
Et mea sunt populo saltata poemata sæpe ;
Sæpe oculos etiam detinuere tuos. 520
Scilicet in domibus vestris ut prisca virorum
Artifici fulgent corpora picta manu ;
Sic quæ concubitus varios Venerisque figuras
Exprimat, est aliquo parva tabella loco.
Utque sedet vultu fassus Telamonius iram, 525
Inque oculis facinus barbara mater habet ;
Sic madidos siccat digitis Venus uda capillos,
Et modo maternis tecta videtur aquis.
Bella sonant alii telis instructa cruentis,
Parsque tui generis, pars tua facta canunt. 530
Invida me spatio natura coercuit arcto,
Ingenio vires exiguasque dedit.
Et tamen ille, tuæ felix Æneidos auctor,
Contulit in Tyrios arma virumque toros :
Nec legitur pars ulla magis de corpore toto, 535
Quam non legitimo fœdere junctus amor.
Phyllidis hic idem tenerosque Amaryllidis ignes
Bucolicis juvenis luserat ante modis.
Nos quoque jam pridem scripto peccavimus uno.
Supplicium patitur non nova culpa novum. 540
Carminaque edideram, cum te delicta notantem
Præterii toties jure quietus eques.
Ergo, quæ juveni mihi non nocitura putavi
Scripta parum prudens, nunc nocuere seni ?
Sera redundavit veteris vindicta libelli, 545
Distat et a meriti tempore pœna sui.
Nec tamen omne meum credas opus esse remissum,
Sæpe dedi nostræ grandia vela rati.
Sex ego Fastorum scripsi totidemque libellos ;
Cumque suo finem mense volumen habet. 550
Idque tuo nuper scriptum sub nomine, Cæsar,
Et tibi sacratum sors mea rupit opus.
Et dedimus tragicis scriptum regale cothurnis :
Quæque gravis debet verba cothurnus habet.
Dictaque sunt nobis, quamvis manus ultima cœpto
Defuit, in facies corpora versa novas. 556
Atque utinam revoces animum paulisper ab ira,
Et vacuo jubeas hinc tibi pauca legi !
Pauca, quibus prima surgens ab origine mundi
In tua deduxi tempora, Cæsar, opus. 560
Adspicias, quantum dederis mihi pectoris ipse,
Quoque favore animi teque tuosque canam.
Non ego mordaci destrinxi carmine quenquam,
Nec meus ullius crimina versus habet.
Candidus a salibus suffusis felle refugi : 565
Nulla venenato littera mixta joco est.
Inter tot populi, tot scripti millia nostri,
Quem mea Calliope læserit, unus ego.
Non igitur nostris ullum gaudere Quiritem
Auguror, at multos indoluisse, malis. 570
Nec mihi credibile est quenquam insultasse jacenti,
Gratia candori si qua relata meo est.
His precor atque aliis possint tua numina flecti.
O pater, o patriæ cura salusque tuæ.
Non ut in Ausoniam redeam, nisi forsitan olim,
Cum longo pœnæ tempore victus eris. 576
Tutius exsilium, pauloque quietius oro ;
Ut par delicto sit mea pœna suo.

LIBER TERTIUS.

ELEGIA I.

Missus in hanc venio timidi liber exsulis urbem.
Da placidam fesso, lector amice, manum :
Neve reformida, ne sim tibi forte pudori.
Nullus in hac charta versus amare docet.
Nec domini fortuna mei est, ut debeat illam 5
Infelix ullis dissimulare jocis.
Id quoque, quod viridi quondam male lusit in ævo,
Heu nimium sero damnat et odit opus.
Inspice quid portem : nihil hic nisi triste videbis,
Carmine temporibus conveniente suis. 10

Clauda quod alterno subsidunt carmina versu,
Vel pedis hoc ratio, vel via longa facit.
Quod neque sum cedro flavus, nec pumice lævis;
Erubui domino cultior esse meo.
Littera suffusas quod habet maculosa lituras; 15
Læsit opus lacrymis ipse poeta suum.
Si qua videbuntur casu non dicta Latine;
In qua scribebat, barbara terra fuit.
Dicite, lectores, si non grave, qua sit eundum,
Quasque petam sedes hospes in Urbe liber. 20
Hæc ubi sum lingua furtim titubante locutus;
Qui mihi monstraret, vix fuit unus, iter.
Di tibi dent, nostro quod non tribuere parenti,
Molliter in patria vivere posse tua.
Duc age: namque sequor; quamvis terraque marique 25
Longinquo referam lassus ab orbe pedem
Paruit; et ducens, Hæc sunt fora Cæsaris, inquit:
Hæc est a sacris quæ via nomen habet.
Hic locus est Vestæ, qui Pallada servat et ignem:
Hic fuit antiqui regia parva Numæ. 30
Inde petens dextram, Porta est, ait, ista Palati:
Hic Stator: hoc primum condita Roma loco est.
Singula dum miror; video fulgentibus armis
Conspicuos postes, tectaque digna deo.
An Jovis, hæc, dixi, domus est? Quod ut esse putarem, 35
Augurium menti querna corona dabat.
Cujus ut accepi dominum, Non fallimur, inquam:
Et magni verum est hanc Jovis esse domum.
Cur tamen apposita velatur janua lauro,
Cingit et augustas arbor opaca fores? 40
Num quia perpetuos meruit domus ista triumphos?
An quia Leucadio semper amata deo?
Ipsane quod festa est? an quod facit omnia festa?
Quam tribuit terris, pacis an ista nota est?
Utque viret semper laurus, nec fronde caduca 45
Carpitur; æternum sic habet illa decus?
Causa, superpositæ scripto testata coronæ,
Servatos cives indicat hujus ope.
Adjice servatis unum, pater optime, civem,
Qui procul extremo pulsus in orbe jacet. 50
In quo pœnarum, quas se meruisse fatetur,
Non facinus causam, sed suus error habet.
Me miserum! vereorque locum, venerorque potentem,
Et quatitur trepido littera nostra metu.
Adspicis exsangui chartam pallere colore? 55
Adspicis alternos intremuisse pedes?
Quandocunque, precor, nostro placata parenti
Isdem sub dominis adspiciare domus.
Inde tenore pari gradibus sublimia celsis
Ducor ad intonsi candida templa dei: 60
Signa peregrinis ubi sunt alterna columnis
Belides, et stricto barbarus ense pater:
Quæque viri docto veteres cepere novique
Pectore, lecturis inspicienda patent.
Quærebam fratres, exceptis scilicet illis, 65
Quos suus optaret non genuisse parens.
Quærentem frustra custos me, sedibus illis
Præpositus, sancto jussit abire loco.
Altera templa peto vicino juncta theatro;
Hæc quoque erant pedibus non adeunda meis.
Nec me, quæ doctis patuerunt prima libellis, 71
Atria Libertas tangere passa sua est.
In genus auctoris miseri fortuna redundat,
Et patimur nati, quam tulit ipse, fugam.
Forsitan et nobis olim minus asper, et illi 75
Evictus longo tempore Cæsar erit.
Di precor, atque adeo (neque enim mihi turba roganda est)
Cæsar, ades voto, maxime dive, meo.
Interea, statio quoniam mihi publica clausa est,
Privato liceat delituisse loco. 80
Vos quoque, si fas est, confusa pudore repulsæ
Sumite plebeiæ carmina nostra manus.

ELEGIA II.

Ergo erat in fatis Scythiam quoque visere nostris,
Quæque Lycaonio terra sub axe jacet?
Nec vos, Pierides, nec stirps Latoia, vestro
Docta sacerdoti turba tulistis opem?
Nec mihi, quod lusi vero sine crimine, prodest, 5
Quodque magis vita Musa jocosa mea est?
Plurima sed pelago terraque pericula passum
Ustus ab assiduo frigore Pontus habet.
Quique fugax rerum, securaque in otia natus,
Mollis, et impatiens ante laboris eram; 10
Ultima nunc patior: nec me mare portubus orbum
Perdere, diversæ nec potuere viæ.
Suffecitque malis animus: nam corpus ab illo
Accepit vires, vixque ferenda tulit.
Dum tamen et ventis dubius jactabar et undis, 15
Fallebat curas ægraque corda labor.
Ut via finita est, et opus requievit eundi,
Et pœnæ tellus est mihi tacta meæ;
Nil nisi flere libet: nec nostro parcior imber
Lumine, de verna quam nive manat aqua. 20
Roma domusque subit, desideriumque locorum,
Quicquid et amissa restat in urbe mei.
Heu mihi, quod nostri toties pulsata sepulchri
Janua, sed nullo tempore aperta fuit!
Cur ego tot gladios fugi, totiesque minata 25
Obruit infelix nulla procella caput?
Di, quos experior nimium constanter iniquos,
Participes iræ quos deus unus habet;
Exstimulate, precor, cessantia fata, meique
Interitus clausas esse vetate fores. 30

ELEGIA III.

Hæc mea, si casu miraris, epistola quare
Alterius digitis scripta sit; æger eram.
Æger in extremis ignoti partibus orbis,
Incertusque meæ pæne salutis eram.
Quid mihi nunc animi dira regione jacenti 5
Inter Sauromatas esse Getasque putes?
Nec cœlum patimur, nec aquis assuevimus istis:
Terraque nescio quo non placet ipsa modo.
Non domus apta satis: non hic cibus utilis ægro:
Nullus, Apollinea qui levet arte malum. 10
Non qui soletur, non qui labentia tarde
Tempora narrando fallat, amicus adest.
Lassus in extremis jaceo populisque locisque;
Et subit affecto nunc mihi, quicquid abest.
Omnia cum subeant; vincis tamen omnia, conjux,
Et plus in nostro pectore parte tenes. 16
Te loquor absentem: te vox mea nominat unam:
Nulla venit sine te nox mihi, nulla dies.
Quin etiam sic me dicunt aliena locutum,
Ut foret amenti nomen in ore tuum. 20
Si jam deficiat suppresso lingua palato,
Vix instillato restituenda mero;
Nuntiet huc aliquis dominam venisse; resurgam:
Spesque tui nobis causa vigoris erit
Ergo ego sum vitæ dubius; tu forsitan illic 25
Jucundum, nostri nescia, tempus agis?

Non agis, affirmo: liquet, o carissima nobis,
Tempus agi sine me non nisi triste tibi.
Si tamen implevit mea sors, quos debuit, annos,
Et mihi vivendi tam cito finis adest; 30
Quantum erat, o magni, perituro parcere, divi;
Ut saltem patria contumularer humo!
Vel pœna in mortis tempus dilata fuisset,
Vel præcepisset mors properata fugam.
Integer hanc potui nuper bene reddere lucem; 35
Exsul ut occiderem, nunc mihi vita data est.
Tam procul ignotis igitur moriemur in oris,
Et fient ipso tristia fata loco?
Nec mea consueto languescent corpora lecto?
Depositum nec me qui fleat, ullus erit? 40
Nec dominæ lacrymis in nostra cadentibus ora
Accedent animæ tempora parva meæ?
Nec mandata dabo? nec cum clamore supremo
Labentes oculos condet amica manus?
Sed sine funeribus caput hoc, sine honore sepulcri 45
Indeploratum barbara terra teget?
Ecquid, ut audieris, tota turbabere mente,
Et feries pavida pectora fida manu?
Ecquid, in has frustra tendens tua brachia partes,
Clamabis miseri nomen inane viri? 50
Parce tamen lacerare genas, nec scinde capillos.
Non tibi nunc primum, lux mea, raptus ero.
Cum patriam amisi, tum me periisse putato:
Et prior et gravior mors fuit illa mihi.
Nunc, si forte potes, (sed non potes,) optima conjux, 55
Finitis gaude tot mihi morte malis.
Quam potes, extenua forti mala corde ferendo;
Ad quæ jampridem non rude pectus habes.
Atque utinam pereant animæ cum corpore nostræ,
Effugiatque avidos pars mihi nulla rogos! 60
Nam si morte carens vacuam volat altus in auram
Spiritus, et Samii sunt rata dicta senis;
Inter Sarmaticas Romana vagabitur umbras;
Perque feros manes hospita semper erit.
Ossa tamen facito parva referantur in urna. 65
Sic ego non etiam mortuus exsul ero.
Nec vetat hoc quisquam. Fratrem Thebana peremtum
Supposuit tumulo, rege vetante, soror.
Atque ea cum foliis et amomi pulvere misce:
Inque suburbano condita pone solo. 70
Quosque legat versus oculo properante viator,
Grandibus in tumuli marmore cæde notis:
Hic ego qui jaceo, tenerorum lusor amorum,
Ingenio perii Naso poeta meo.
At tibi qui transis, ne sit grave, quisquis amasti, 75
Dicere, Nasonis molliter ossa cubent.
Hoc satis in titulo est. Etenim majora libelli
Et diuturna magis sunt monumenta mei.
Quos ego confido, quamvis nocuere, daturos
Nomen, et auctori tempora longa suo. 80
Tu tamen exstincto feralia munera ferto,
Deque tuis lacrymis humida serta dato.
Quamvis in cinerem corpus mutaverit ignis,
Sentiet officium mæsta favilla pium.
Scribere plura libet: sed vox mihi fessa loquendo
Dictandi vires, siccaque lingua negat. 86
Accipe supremo dictum mihi forsitan ore,
Quod, tibi qui mittit, non habet ipse, Vale.

ELEGIA IV.

O mihi care quidem semper, sed tempore duro
Cognite, res postquam procubuere meæ;
Usibus edocto si quicquam credis amico,
Vive tibi, et longe nomina magna fuge.
Vive tibi, quantumque potes prælustria vita. 5
Sævum prælustri fulmen ab arce venit.
Nam quanquam soli possunt prodesse potentes,
Non prosit potius, si quis obesse potest.
Effugit hibernas demissa antenna procellas,
Lataque plus parvis vela timoris habent. 10
Adspicis, ut summa cortex levis innatet unda,
Cum grave nexa simul retia mergat onus.
Hæc ego si monitor monitus prius ipse fuissem,
In qua debueram, forsitan Urbe forem.
Dum tecum vixi, dum me levis aura ferebat, 15
Hæc mea per placidas cymba cucurrit aquas.
Qui cadit in plano (vix hoc tamen evenit ipsum)
Sic cadit, ut tacta surgere possit humo;
At miser Elpenor tecto delapsus ab alto
Occurrit regi debilis umbra suo.
Quid fuit, ut tutas agitarit Dædalus alas,
Icarus immensas nomine signet aquas?
Nempe quod hic alte, demissius ille volabat.
Nam pennas ambo non habuere suas?
Crede mihi; bene qui latuit, bene vixit: et intra 25
Fortunam debet quisque manere suam.
Non foret Eumedes orbus, si filius ejus
Stultus Achilleos non adamasset equos.
Nec natum in flamma vidisset, in arbore natas,
Cepisset genitor si Phaethonta Merops. 30
Tu quoque formida nimium sublimia semper;
Propositique memor contrahe vela tui.
Nam pede inoffenso spatium decurrere vitæ
Dignus es, et fato candidiore frui.
Quæ pro te ut voveam, miti pietate mereris, 35
Hæsuraque mihi tempus in omne fide.
Vidi ego te tali vultu mea fata gementem,
Qualem credibile est ore fuisse meo.
Nostra tuas vidi lacrymas super ora cadentes,
Tempore quas uno, fidaque verba, bibi. 40
Nunc quoque submotum studio defendis amicum,
Et mala, vix ulla parte levanda, levas.
Vive sine invidia, mollesque inglorius annos
Exige; amicitias et tibi junge pares.
Nasonisque tui, quod adhuc non exsulat unum, 45
Nomen ama. Scythicus cætera Pontus habet.
Proxima sideribus tellus Erymanthidos Ursæ
Me tenet, adstricto terra perusta gelu.
Bosporos et Tanais superant, Scythicæque paludes,
Vixque satis noti nomina pauca loci. 50
Ulterius nihil est, nisi non habitabile frigus.
Heu quam vicina est ultima terra mihi!
At longe patria est, longe carissima conjux,
Quicquid et hæc nobis post duo dulce fuit.
Sic tamen hæc absunt, ut, quæ contingere non est 55
Corpore, sint animo cuncta videnda meo.
Ante oculos errat domus, Urbs, et forma locorum;
Succeduntque suis singula facta locis.
Conjugis ante oculos, sicut præsentis, imago est.
Illa meos casus ingravat, illa levat. 60
Ingravat hoc, quod abest; levat hoc, quod præstat amorem,
Impositumque sibi firma tuetur onus.
Vos quoque pectoribus nostris hæretis, amici;
Dicere quos cupio nomine quemque suo.
Sed timor officium cautus compescit; et ipsos 65
In nostro poni carmine nolle puto.
Ante volebatis, gratique erat instar honoris
Versibus in nostris nomina vestra legi.

Quod quoniam est anceps; intra mea pectora quemque
Alloquar, et nulli causa timoris ero 70
Nec meus indicio latitantes versus amicos
Protrahet. Occulte, si quis amavit, amet.
[Scite tamen, quamvis longa regione remotus
Absim, vos animo semper adesse meo.]
Et, quam quisque potest, aliqua mala nostra levate; 75
Fidam projecto neve negate manum.
Prospera sic vobis maneat fortuna, nec unquam
Contacti simili sorte rogetis opem.

Elegia V.

Usus amicitiæ tecum mihi parvus, ut illum
Non ægre posses dissimulare, fuit;
Ni me complexus vinclis propioribus esses,
Nave mea vento forsan eunte suo.
Ut cecidi, cunctique metu fugere ruinæ, 5
Versaque amicitiæ terga dedere meæ;
Ausus es igne Jovis percussum tangere corpus
Et deploratæ limen adire domus.
Idque recens præstas, nec longo cognitus usu,
Quod veterum misero vix duo tresve mihi. 10
Vidi ego confusos vultus, visusque notavi,
Osque madens fletu, pallidiusque meo:
Et lacrymas cernens in singula verba cadentes,
Ore meo lacrymas, auribus illa bibi:
Brachiaque accepi mæsto pendentia collo, 15
Et singultatis oscula mixta sonis.
Sum quoque, Care, tuis defensus viribus absens:
Scis Carum veri nominis esse loco.
Multaque præterea manifesti signa favoris
Pectoribus teneo non abitura meis. 20
Di tibi posse tuos tribuant defendere semper,
Quos in materia prosperiore juves.
Si tamen interea, quid in his ego perditus oris,
Quod te credibile est quærere, quæris, agam;
Spe trahor exigua (quam tu mihi demere noli) 25
Tristia leniri numina posse dei.
Seu temere exspecto, sive id contingere fas est;
Tu mihi, quod cupio, fas, precor, esse proba.
Quæque tibi linguæ est facundia, confer in illud,
Ut doceas votum posse valere meum. 30
Quo quis enim major, magis est placabilis iræ;
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni:
Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.
At lupus, et turpes instant morientibus ursi, 35
Et quæcunque minor nobilitate fera est.
Majus apud Trojam forti quid habemus Achille?
Dardanii lacrymas non tulit ille senis.
Quæ ducis Emathii fuerit clementia, Poros
Præclarique docent funeris exsequiæ. 40
Neve hominum referam flexas ad mitius iras;
Junonis gener est, qui prius hostis erat.
Denique non possum nullam sperare salutem,
Cum pœnæ non sit causa cruenta meæ.
Non mihi, quærenti pessundare cuncta, petitum 45
Cæsareum caput est, quod caput orbis erat.
Non aliquid dixi, violentaque lingua locuta est,
Lapsaque sunt nimio verba profana mero.
Inscia quod crimen viderunt lumina, plector,
Peccatumque oculos est habuisse meum. 50
Non equidem totam possum defendere culpam:
Sed partem nostri criminis error habet.
Spes igitur superest, facturum ut molliat ipse
Mutati pœnam conditione loci.
Hunc utinam nitidi Solis prænuntius ortum 55
Afferat admisso Lucifer albus equo.

Elegia VI.

Fœdus amicitiæ nec vis, carissime, nostræ,
Nec, si forte velis, dissimulare potes.
Donec enim licuit, nec te mihi carior alter,
Nec tibi me tota junctior Urbe fuit.
Isque erat usque adeo populo testatus, ut esset 5
Pæne magis quam tu, quamque ego, notus amor.
Quique erat in caris animi tibi candor amicis,
Cognitus est illi, quem colis ipse, viro.
Nil ita celabas, ut non ego conscius essem:
Pectoribusque dabas multa tegenda meis. 10
Cuique ego narrabam, secreti quicquid habebam,
Excepto quod me perdidit, unus eras.
Id quoque si scisses, salvo fruerere sodali,
Consilioque forem sospes, amice, tuo.
[Sed mea me in pœnam nimirum fata trahebant: 15
Omne bonæ claudunt utilitatis iter.]
Sive malum potui tamen hoc vitare cavendo,
Seu ratio fatum vincere nulla valet;
Tu tamen, o nobis usu junctissime longo,
Pars desiderii maxima pæne mei, 20
Sis memor; et si quas fecit tibi gratia vires,
Illas pro nobis experiare rogo;
Numinis ut læsi fiat mansuetior ira,
Mutatoque minor sit mea pœna loco.
Idque ita, si nullum scelus est in pectore nostro, 25
Principiumque mei criminis error habet.
Nec leve, nec tutum est, quo sint mea, dicere, casu
Lumina funesti conscia facta mali.
Mensque reformidat, veluti sua vulnera, tempus
Illud, et admonitu fit novus ipse dolor. 30
Et quæcunque adeo possunt afferre pudorem,
Illa tegi cæca condita nocte decet.
Nil igitur referam, nisi me peccasse; sed illo
Præmia peccato nulla petita mihi:
Stultitiamque meum crimen debere vocari, 35
Nomina si facto reddere vera velis.
Quæ si non ita sunt, alium, quo longius absim,
Quære, suburbana hic sit mihi terra, locum.

Elegia VII.

Vade salutatum subito perarata Perillam
Littera, sermonis fida ministra mei.
Aut illam invenies dulci cum matre sedentem,
Aut inter libros Pieridasque suas.
Quicquid aget, cum te scierit venisse, relinquet; 5
Nec mora, quid venias, quidve, requiret, agam.
Vivere me dices; sed sic ut vivere nolim:
Nec mala tam longa nostra levata mora.
Et tamen ad Musas, quamvis nocuere, reverti,
Aptaque in alternos cogere verba pedes. 10
Tu quoque, dic, studiis communibus ecquid inhæres,
Doctaque non patrio carmina more canis?
Nam tibi cum Fatis mores Natura pudicos,
Et raras dotes, ingeniumque dedit.
Hoc ego Pegasidas deduxi primus ad undas, 15
Ne male fecundæ vena periret aquæ.
Primus id adspexi teneris in virginis annis:
Utque patet, venæ duxque comesque fui.
Ergo, si remanent ignes tibi pectoris idem,
Sola tuum vates Lesbia vincet opus. 20

Sed vereor, ne te mea nunc fortuna retardet,
Postque meos casus sit tibi pectus iners.
Dum licuit, tua sæpe mihi, tibi nostra legebam;
Sæpe tui judex, sæpe magister eram.
Aut ego præbebam factis modo versibus aures, 25
Aut ubi cessaras, causa ruboris eram.
Forsitan exemplo, quia me læsere libelli,
Tu quoque sis pœnæ fata secuta meæ.
Pone, Perilla, metum. Tantummodo fœmina non sit
Devia, nec scriptis discat amare tuis. 30
Ergo desidiæ remove, doctissima, causas,
Inque bonas artes et tua sacra redi.
Ista decens facies longis vitiabitur annis,
Rugaque in antiqua fronte senilis erit.
Injicietque manum formæ damnosa senectus, 35
Quæ strepitum passu non faciente venit.
Cumque aliquis dicet, Fuit hæc formosa; dolebis,
Et speculum mendax esse querere tuum.
Sunt tibi opes modicæ, cum sis dignissima magnis.
Finge sed immensis censibus esse pares; 40
Nempe dat id cuicunque libet Fortuna, rapitque
Irus et est subito, qui modo Crœsus erat.
Singula quid referam? nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis ingeniique bonis.
En ego, cum patria caream, vobisque, domoque, 45
Raptaque sint, adimi quæ potuere, mihi;
Ingenio tamen ipse meo comitorque fruorque:
Cæsar in hoc potuit juris habere nihil.
Quilibet hanc sævo vitam mihi finiat ense;
Me tamen exstincto fama superstes erit. 50
Dumque suis victrix omnem de montibus orbem
Prospiciet domitum Martia Roma, legar.
Tu quoque, quam studii maneat felicior usus,
Effuge venturos, qua potes, usque rogos.

Elegia VIII

Nunc ego Triptolemi cuperem conscendere currus,
Misit in ignotam qui rude semen humum:
Nunc ego Medeæ vellem frenare dracones,
Quos habuit fugiens arce, Corinthe, tua:
Nunc ego jactandas optarem sumere pennas, 5
Sive tuas, Perseu, Dædale, sive tuas:
Ut, tenera nostris cedente volatibus aura,
Adspicerem patriæ dulce repente solum:
Desertæque domus vultum, memoresque sodales,
Caraque præcipue conjugis ora mihi. 10
Stulte, quid o frustra votis puerilibus optas,
Quæ non ulla tulit, fertque, feretque dies?
Si semel optandum est; Augustum numen adora,
Et quem læsisti, rite precare deum.
Ille tibi pennasque potest currusque volucres 15
Tradere. Det reditum; protinus ales eris.
Si precer hæc, (neque enim possim majora precari,)
Ne mea sint, timeo, vota modesta parum.
Forsitan hoc olim, cum se satiaverit ira,
Tum quoque sollicita mente rogandus erit. 20
Quod minus interea est, instar mihi muneris ampli,
Ex his me jubeat quolibet ire locis.
Nec cœlum, nec aquæ faciunt, nec terra, nec auræ;
Et mihi perpetuus corpora languor habet.
Seu vitiant artus ægræ contagia mentis, 25
Sive mei causa est in regione mali;
Ut refugi Pontum, vexant insomnia: vixque
Ossa tegit macies: nec juvat ora cibus.
Quique per autumnum percussis frigore primo
Est color in foliis, quæ nova læsit hiems, 30
Is mea membra tenet. Nec viribus allevor ullis;
Et nunquam queruli causa doloris abest.
Nec melius valeo, quam corpore, mente; sed ægra est
Utraque pars æque, binaque damna fero.
Hæret, et ante oculos veluti spectabile corpus 35
Adstat Fortunæ forma legenda meæ.
Cumque locum, moresque hominum, cultusque, sonumque,
Cernimus; et quid sim, quid fuerimque subit;
Tantus amor necis est, querar ut cum Cæsaris ira,
Quod non offensas vindicet ense suas, 40
At quoniam semel est odio civiliter usus,
Mutato levior sit fuga nostra loco.

Elegia IX.

Hic quoque sunt igitur Graiæ (quis credere?) urbes,
Inter inhumanæ nomina barbariæ.
Huc quoque Mileto missi venere coloni,
Inque Getis Graias constituere domos.
Sed vetus huic nomen, positaque antiquius urbe, 5
Constat ab Absyrti cæde fuisse loco.
Nam rate, quæ cura pugnacis facta Minervæ
Per non tentatas prima cucurrit aquas,
Impia desertum fugiens Medea parentem
Dicitur his remos applicuisse vadis. 10
Quem procul ut vidit tumulo speculator ab alto,
Hospes, ait, nosco, Colchide, vela, venit
Dum trepidant Minyæ, dum solvitur aggere funis,
Dum sequitur celeres anchora tracta manus;
Conscia percussit meritorum pectora Colchis 15
Ausa atque ausura multa nefanda manu.
Et, quanquam superest ingens audacia menti,
Pallor in attonito virginis ore sedet.
Ergo ubi prospexit venientia vela; Tenemur,
Et pater est aliqua fraude morandus, ait. 20
Dum quid agat quærit, dum versat in omnia vultus,
Ad fratrem casu lumina flexa tulit.
Cujus ut oblata est præsentia; Vincimus, inquit.
Hic mihi morte sua causa salutis erit.
Protinus ignari, nec quicquam tale timentis, 25
Innocuum rigido perforat ense latus.
Atque ita divellit, divulsaque membra per agros
Dissipat, in multis invenienda locis.
Neu pater ignoret, scopulo proponit in alto
Pallentesque manus, sanguineumque caput; 30
Ut genitor luctuque novo tardetur, et artus
Dum legit exstinctos, triste moretur iter.
Inde Tomi dictus locus hic; quia fertur in illo
Membra soror fratris consecuisse sui.

Elegia X.

Si quis adhuc istic meminit Nasonis ademti,
Et superest sine me nomen in Urbe meum;
Suppositum stellis nunquam tangentibus æquor
Me sciat in media vivere barbarie.
Sauromatæ cingunt fera gens, Bessique, Getæque:
Quam non ingenio nomina digna meo!
Dum tamen aura tepet, medio defendimur Istro
Ille suis liquidus bella repellit aquis.
At cum tristis hiems squalentia protulit ora,
Terraque marmoreo candida facta gelu est; 10

[Dum patet et Boreas et nix injecta sub Arcto;
Tum liquet has gentes axe tremente premi.]
Nix jacet, et jactam nec sol pluviæve resolvunt:
Indurat Boreas, perpetuamque facit.
Ergo, ubi delicuit nondum prior, altera venit: 15
Et solet in multis bima manere locis.
Tantaque commoti vis est Aquilonis, ut altas
Æquet humo turres, tectaque rapta ferat.
Pellibus et sutis arcent male frigora braccis,
Oraque de toto corpore sola patent. 20
Sæpe sonant moti glacie pendente capilli,
Et nitet inducto candida barba gelu:
Udaque consistunt, formam servantia testæ.
Vina: nec hausta meri, sed data frusta bibunt.
Quid loquar, ut vincti concrescant frigore rivi, 25
Deque lacu fragiles effodiantur aquæ?
Ipse, papyrifero qui non angustior amne
Miscetur vasto multa per ora freto,
Cæruleos ventis latices durantibus Ister
Congelat, et tectis in mare serpit aquis. 30
Quaque rates ierant, pedibus nunc itur: et undas
Frigore concretas ungula pulsat equi.
Perque novos pontes subter labentibus undis
Ducunt Sarmatici barbara plaustra boves.
Vix equidem credar; sed cum sint præmia falsi 35
Nulla, ratam testis debet habere fidem.
Vidimus ingentem glacie consistere Pontum,
Lubricaque immotas testa premebat aquas.
Nec vidisse sat est. Durum calcavimus æquor,
Undaque non udo sub pede summa fuit. 40
Si tibi tale fretum quondam, Leandre, fuisset,
Non foret angustæ mors tua crimen aquæ.
Tum neque se pandi possunt delphines in auras
Tollere; conantes dura coercet hiems.
Et quamvis Boreas jactatis insonet alis, 45
Fluctus in obsesso gurgite nullus erit.
Inclusæque gelu stabunt, ut marmore, puppes:
Nec poterit rigidas findere remus aquas.
Vidimus in glacie pisces hærere ligatos:
Et pars ex illis tum quoque viva fuit. 50
Sive igitur nimii Boreæ vis sæva marinas,
Sive redundatas flumine cogit aquas:
Protinus, æquato siccis Aquilonibus Istro,
Invehitur celeri barbarus hostis equo:
Hostis equo pollens, longeque volante sagitta, 55
Vicinam late depopulatur humum.
Diffugiunt alii, nullisque tuentibus agros
Incustoditæ diripiuntur opes:
Ruris opes parvæ, pecus, et stridentia plaustra,
Et quas divitias incola pauper habet. 60
Pars agitur victis post tergum capta lacertis,
Respiciens frustra rura laremque suum:
Pars cadit hamatis misere confixa sagittis:
Nam volucri ferro tinctile virus inest.
Quæ nequeunt secum ferre aut abducere, perdunt 65
Et cremat insontes hostica flamma casas.
Tum quoque, cum pax est, trepidant formidine belli:
Nec quisquam presso vomere sulcat humum.
Aut videt, aut metuit locus hic, quem non videt, hostem.
Cessat iners rigido terra relicta situ.
Non hic pampinea dulcis latet uva sub umbra,
Nec cumulant altos fervida musta lacus.
Poma negat regio; nec haberet Acontius, in quo
Scriberet hic dominæ verba legenda suæ.
Adspiceres nudos sine fronde, sine arbore campos. 75
Heu loca felici non adeunda viro
Ergo, tam late pateat cum maximus orbis,
Hæc est in pœnam terra reperta meam?

ELEGIA XI.

Si quis es, insultes qui casibus, improbe, nostris
Meque reum demto fine cruentus agas;
Natus es e scopulis, nutritus lacte ferino,
Et dicam silices pectus habere tuum.
Quis gradus ulterior, quo se tua porrigat ira, 5
Restat? quidve meis cernis abesse malis?
Barbara me tellus, et inhospita littora Ponti,
Cumque suo Borea Mænalis Ursa videt.
Nulla mihi cum gente fera commercia linguæ:
Omnia solliciti sunt loca plena metus. 10
Utque fugax avidis cervus deprensus ab ursis,
Cinctave montanis ut pavet agna lupis;
Sic ego belligeris a gentibus undique septus
Terreor, hoste meum pæne premente latus.
Utque sit exiguum pœnæ, quod conjuge cara, 15
Quod patria careo, pignoribusque meis;
Ut mala nulla feram, nisi nudam Cæsaris iram;
Nuda parum nobis Cæsaris ira mali est?
Et tamen est aliquis, qui vulnera cruda retractet,
Solva et in mores ora diserta meos.
In causa facili cuivis licet esse diserto:
Et minimæ vires frangere quassa valent.
Subruere est arces et stantia mœnia virtus;
Quamlibet ignavi præcipitata premunt
Non sum ego quod fueram. Quid inanem pro teris umbram? 25
Quid cinerem saxis bustaque nostra premis?
Hector erat, tunc cum bello certabat; at idem
Vinctus ad Hæmonios non erat Hector equos.
Me quoque, quem noras olim, non esse memento;
Ex illo superant hæc simulacra viro. 30
Quid simulacra, ferox, dictis incessis amaris?
Parce, precor, manes sollicitare meos.
Omnia vera puta mea crimina: nil sit in illis,
Quod magis errorem, quam scelus, esse putes;
Pendimus en profugi (satia tua pectora) pœnas, 35
Exsilioque graves, exsiliique loco.
Carnifici fortuna potest mea flenda videri;
Te tamen est uno judice mæsta parum.
Sævior et tristi Busiride: sævior illo,
Qui falsum lento torruit igne bovem; 40
Quique bovem Siculo fertur donasse tyranno,
Et dictis artes conciliasse suas:
Munere in hoc, rex, est usus, sed imagine major
Nec sola est operis forma probanda mei.
Adspicis a dextra latus hoc adapertile tauri? 45
Huc tibi, quem perdes, conjiciendus erit.
Protinus inclusum lentis carbonibus ure.
Mugiet, et veri vox erit illa bovis.
Pro quibus inventis, ut munus munere penses,
Da, precor, ingenio præmia digna meo. 50
Dixerat. At Phalaris, Pœnæ mirande repertor,
Ipse tuum præsens imbue, dixit, opus.
Nec mora; monstratis crudeliter ignibus ustus
Exhibuit querulos ore tremente sonos.
Quid mihi cum Siculis inter Scythiamque Getasque? 55
Ad te, quisquis is es, nostra querela redit.
Utque sitim nostro possis explere cruore;
Quantaque vis, avido gaudia corde feras;
Tot mala sum fugiens tellure, tot æquore passus,
Te quoque ut auditis posse dolere putem. 60
Crede mihi, si sit nobis collatus Ulixes,
Neptuni minor est, quam Jovis ira fuit.

Ergo, quicunque es, rescindere vulnera noli,
Deque gravi duras ulcere tolle manus:
Utque meæ famam tenuent oblivia culpæ, 65
Facta cicatricem ducere nostra sine.
Humanæque memor sortis, quæ tollit eosdem
Et premit, incertas ipse verere vices.
Et quoniam, fieri quod nunquam posse putavi,
Est tibi de rebus maxima cura meis; 70
Non est quod timeas. Fortuna miserrima nostra est.
Omne trahit secum Cæsaris ira malum.
Quod magis ut liqueat, neve hoc tibi fingere credar,
Ipse velim pœnas experiare meas.

ELEGIA XII.

Frigora jam Zephyri minuunt, annoque peracto
Longior antiquis visa Mæotis hiems:
Impositamque sibi qui non bene pertulit Hellen
Tempora nocturnis æqua diurna facit.
Jam violam puerique legunt, hilaresque puellæ,
Rustica quam nullo terra serente gerit. 6
Prataque pubescunt variorum flore colorum,
Indocilique loquax gutture vernat avis.
Utque malæ crimen matris deponat hirundo,
Sub trabibus cunas parvaque tecta facit. 10
Herbaque, quæ latuit Cerealibus obruta sulcis,
Exserit e tepida molle cacumen humo.
Quoque loco est vitis, de palmite gemma movetur:
Nam procul a Getico littore vitis abest.
Quoque loco est arbor, turgescit in arbore ramus:
Nam procul a Geticis finibus arbor abest. 16
Otia nunc istic: junctisque ex ordine ludis
Cedunt verbosi garrula bella fori.
Usus equi nunc est: levibus nunc luditur armis.
Nunc pila, nunc celeri volvitur orbe trochus. 20
Nunc, ubi perfusa est oleo labente juventus,
Defessos artus Virgine tingit aqua.
Scena viget, studiisque favor distantibus ardet,
Proque tribus resonant terna theatra foris.
O quater, et quoties non est numerare beatum, 25
Non interdicta cui licet Urbe frui!
At mihi sentitur nix verno sole soluta,
Quæque lacu duro vix fodiantur aquæ.
Nec mare concrescit glacie, nec, ut ante, per Istrum
Stridula Sauromates plaustra bubulcus agit. 30
Incipient aliquæ tamen huc adnare carinæ,
Hospitaque in Ponti littore puppis erit;
Sedulus occurram nautæ: dictaque salute,
Quid veniat, quæram, quisve, quibusve locis.
Ille quidem, mirum, ni de regione propinqua 35
Non nisi vicinas tutus ararit aquas.
Rarus ab Italia tantum mare navita transit:
Littora rarus in hæc portubus orba venit.
Sive tamen Graia scierit, sive ille Latina
Voce loqui; certe gratior hujus erit. 40
Fas quoque ab ore freti longæque Propontidos undis
Huc aliquem certo vela dedisse Noto.
Quisquis is est, memori rumorem voce referre,
Et fieri famæ parsque gradusque potest.
Is precor auditos possit narrare triumphos 45
Cæsaris, et Latio reddita vota Jovi;
Teque, rebellatrix, tandem, Germania, magni
Triste caput pedibus supposuisse ducis
Hæc mihi qui referet, quæ non vidisse dolebo,
Ille meæ domui protinus hospes erit. 50
Heu mihi! jamne domus Scythico Nasonis in orbe?
Jamque suum mihi dat pro Lare pœna locum?
Di faciant, Cæsar non hic penetrale domumque,
Hospitium pœnæ sed velit esse meæ.

ELEGIA XIII.

Ecce supervacuus (quid enim fuit utile gigni?)
Ad sua natalis tempora noster adest.
Dure, quid ad miseros veniebas exsulis annos?
Debueras illis imposuisse modum.
Si tibi cura mei, vel si pudor ullus inesset, 5
Non ultra patriam me sequerere meam.
Quoque loco primum tibi sum male cognitus infans,
Illo tentasses ultimus esse mihi.
Jamque relinquenda, quod idem fecere sodales,
Tu quoque dixisses tristis in Urbe, Vale. 10
Quid tibi cum Ponto? num te quoque Cæsaris ira
Extremam gelidi misit in orbis humum?
Scilicet exspectas soliti tibi moris honorem,
Pendeat ex humeris vestis ut alba meis?
Fumida cingatur florentibus ara coronis? 15
Micaque solienni thuris in igne sonet?
Libaque dem pro me genitale notantia tempus?
Concipiamque bonas ore favente preces?
Non ita sum positus, nec sunt ea tempora nobis,
Adventu possim lætus ut esse tuo. 20
Funeris ara mihi ferali cincta cupresso
Convenit, et structis flamma parata rogis.
Nec dare thura libet nihil exorantia divos;
In tantis subeunt nec bona verba malis.
Si tamen est aliquid nobis hac luce petendum,
In loca ne redeas amplius ista, precor; 26
Dum me terrarum pars pæne novissima Pontus,
Euxini falso nomine dictus, habet.

ELEGIA XIV.

Cultor et antistes doctorum sancte virorum,
Qui facis ingenio semper, amice, meo;
Ecquid, ut incolumem quondam celebrare solebas,
Nunc quoque, ne videar totus abesse, canes?
Suscipis, exceptis, ecquid mea carmina, solis 5
Artibus, artifici quæ nocuere suo?
Immo ita fac, vatum, quæso, studiose novorum:
Quaque potes, retine corpus in Urbe meum.
Est fuga dicta mihi, non est fuga dicta libellis,
Qui domini pœnam non meruere sui. 10
Sæpe per extremas profugus pater exsulat oras,
Urbe tamen natis exsŭlis esse licet.
Palladis exemplo de me sine matre creata
Carmina sunt. Stirps hæc progeniesque mea est.
Hanc tibi commendo: quæ, quo magis orba parente, 15
Hoc tibi tutori sarcina major erit.
Tres mihi sunt nati contagia nostra secuti:
Cætera fac curæ sit tibi turba palam.
Sunt quoque mutatæ terquinque volumina formæ,
Carmina de domini funere rapta sui. 20
Illud opus potuit, si non prius ipse perissem,
Certius a summa nomen habere manu.
Nunc incorrectum populi pervenit in ora;
In populi quicquam si tamen ore meum est.
Hoc quoque nescio quid nostris appone libellis,
Diverso missum quod tibi ab orbe venit. 26
Quod quicunque leget, si quis leget, æstimet ante
Compositum quo sit tempore, quoque loco.

Æquus erit scriptis, quorum cognoverit esse
Exsilium tempus, barbariemque locum. 30
Inque tot adversis carmen mirabitur ullum
Ducere me tristi sustinuisse manu.
Ingenium fregere meum mala : cujus et ante
Fons infecundus parvaque vena fuit.
Sed quæcunque fuit, nullo exercente refugit, 35
Et longo periit arida facta situ.
Non hic librorum, per quos inviter alarque,
Copia. Pro libris arcus et arma sonant.
Nullus in hac terra, recitem si carmina, cujus
Intellecturis auribus utar, adest. 40
Nec, quo secedam, locus est. Custodia muri
Submovet infestos, clausaque porta Getas.
Sæpe aliquod verbum quæro, nomenque, locumque :
Nec quisquam est, a quo certior esse queam.
Dicere sæpe aliquid conanti (turpe fateri) 45
Verba mihi desunt, dedidicique loqui.
Threicio Scythicoque fere circumsonor ore ;
Et videor Geticis scribere posse modis.
Crede mihi ; timeo, ne sint immixta Latinis,
Inque meis scriptis Pontica verba legas. 50
Qualemcunque igitur venia dignare libellum ;
Sortis et excusa conditione meæ.

LIBER QUARTUS.

ELEGIA I.

Si qua meis fuerint, ut erunt, vitiosa libellis ;
Excusata suo tempore, lector, habe.
Exsul eram, requiesque mihi, non fama petita est ;
Mens intenta suis ne foret usque malis.
Hoc est, cur cantet vinctus quoque compede fossor,
Indocili numero cum grave mollit opus : 6
Cantet et, innitens limosæ pronus arenæ,
Adverso tardam qui trahit amne ratem :
Quique ferens pariter lentos ad pectora remos
In numerum pulsa brachia versat aqua. 10
Fessus ut incubuit baculo, saxove resedit
Pastor, arundineo carmine mulcet oves.
Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis
Fallitur ancillæ decipiturque labor.
Fertur et abducta Lyrnesside tristis Achilles 15
Hæmonia curas attenuasse lyra.
Cum traheret sylvas Orpheus et dura canendo
Saxa, bis amissa conjuge mæstus erat.
Me quoque Musa levat Ponti loca jussa petentem.
Sola comes nostræ perstitit illa fugæ. 20
Sola nec insidias hominum, nec militis ensem,
Nec mare, nec ventos, barbariemque timet.
Scit quoque, cum perii, quis me deceperit error:
Et culpam in facto, non scelus, esse meo.
Scilicet hoc ipso nunc æqua, quod obfuit ante,
Cum mecum juncti criminis acta rea est. 26
Non equidem vellem, quoniam nocitura fuerunt,
Pieridum sacris imposuisse manum.
Sed nunc quid faciam ? vis me tenet ipsa sororum;
Et carmen demens, carmine læsus, amo. 30
Sic nova Dulichio lotos gustata palato,
Illo, quo nocuit, grata sapore fuit..
Sentit amans sua damna fere, tamen hæret in illis,
Materiam culpæ persequiturque suæ.
Nos quoque delectant, quamvis nocuere, libelli,
Quodque mihi telum vulnera fecit, amo. 36
Forsitan hoc studium possit furor esse videri ;
Sed quiddam furor hic utilitatis habet.
Semper in obtutu mentem vetat esse malorum,
Præsentis casus immemoremque facit. 40
Utque suum Bacchis non sentit saucia vulnus,
Dum stupet Edonis exululata jugis ;
Sic, ubi mota calent viridi mea pectora thyrso,
Altior humano spiritus ille malo est.
Ille nec exsilium, Scythici nec littora ponti, 45
Ille nec iratos sentit adesse deos.
Utque soporiferæ biberem si pocula Lethes,
Temporis adversi sic mihi sensus abest.
Jure deas igitur veneror mala nostra levantes,
Sollicitæ comites ex Helicone fugæ ; 50
Et partim pelago, partim vestigia terra,
Vel rate dignatas, vel pede nostra sequi.
Sint precor hæ saltem faciles mihi : namque deorum
Cætera cum magno Cæsare turba facit ;
Meque tot adversis cumulant, quot littus arenas,
Quotque fretum pisces, ovaque piscis habet.
Vere prius flores, æstu numerabis aristas, 57
Poma per autumnum, frigoribusque nives ;
Quam mala, quæ toto patior jactatus in orbe,
Dum miser Euxini littora sæva peto. 60
Nec tamen, ut veni, levior fortuna malorum est.
Huc quoque sunt nostras fata secuta vias.
Hic quoque cognosco natalis stamina nostri,
Stamina de nigro vellere facta mihi.
Utque nec insidias, capitisque pericula narrem,
Vera quidem, vera sed graviora fide ;
Vivere quam miserum est inter Bessosque Getasque
Illi, qui populi semper in ore fuit !
Quam miserum, porta vitam muroque tueri,
Vixque sui tutum viribus esse loci ! 70
Aspera militiæ juvenis certamina fugi,
Nec nisi lusura movimus arma manu.
Nunc senior gladioque latus, scutoque sinistram
Canitiem galeæ subjicioque meam.
Nam dedit e specula custos ubi signa tumultus
Induimur trepida protinus arma manu. 76
Hostis, habens arcus imbutaque tela veneno,
Sævus anhelanti mœnia lustrat equo.
Utque rapax pecudem, quæ se non texit ovili,
Per sata, per sylvas fertque trahitque lupus ;
Sic, si quem nondum portarum sæpe receptum
Barbarus in campis reperit hostis, agit.
Aut sequitur captus, conjectaque vincula collo
Accipit ; aut telo virus habente cadit.
Hic ego sollicitæ jaceo novus incola sedis. 85
Heu nimium fati tempora longa mei !
Et tamen ad numeros antiquaque sacra reverti
Sustinet in tantis hospita Musa malis.
Sed neque, cui recitem, quisquam est, mea carmina, nec qui
Auribus accipiat verba Latina suis. 90
Ipse mihi (quidenim faciam ?) scriboque legoque,
Tutaque judicio littera nostra suo est.

Sæpe tamen dixi, Cui nunc hæc cura laborat?
An mea Sauromatæ scripta Getæque legent?
Sæpe etiam lacrymæ me sunt scribente profusæ,
Humidaque est fletu littera facta meo. 96
Corque vetusta meum, tanquam nova, vulnera sentit;
Inque sinum mæstæ labitur imber aquæ.
Cum vice mutata quid sim fuerimque recordor,
Et tulerit quo me casus, et unde, subit; 100
Sæpe manus demens, studiis irata malignis,
Misit in arsuros carmina nostra focos.
Atque ita de multis, quoniam non multa supersunt,
Cum venia facito, quisquis es, ista legas.
Tu quoque non melius, quam sunt mea tempora, carmen 105
Interdicta mihi, consule, Roma, boni.

Elegia II.

Jam fera Cæsaribus Germania, totus ut orbis,
Victa potes flexo procubuisse genu:
Altaque velentur fortasse Palatia sertis:
Thuraque in igne sonent, inficiantque diem:
Candidaque adducta collum percussa securi 5
Victima purpureo sanguine tingat humum:
Donaque amicorum templis promissa deorum
Reddere victores Cæsar uterque parent,
Et qui Cæsareo juvenes sub nomine crescunt,
Perpetuo terras ut domus ista regat: 10
Cumque bonis nuribus pro sospite Livia nato
Munera det meritis, sæpe datura, deis;
Et pariter matres, et quæ sine crimine castos
Perpetua servant virginitate focos.
Plebs pia, cumque pia lætentur plebe senatus,
Parvaque cujus eram pars ego nuper, eques. 16
Nos procul expulsos communia gaudia fallunt:
Famaque tam longe non nisi parva venit.
Ergo omnis poterit populus spectare triumphos,
Cumque ducum titulis oppida capta leget: 20
Vinclaque captiva reges cervice gerentes
Ante coronatos ire videbit equos:
Et cernet vultus aliis pro tempore versos,
Terribiles aliis, immemoresque sui.
Quorum pars causas et res, et nomina quæret;
Pars referet, quamvis noverit ipsa parum: 26
Is, qui Sidonio fulget sublimis in ostro,
Dux fuerat belli: proximus ille duci.
Hic, qui nunc in humo lumen miserabile figit,
Non isto vultu, cum tulit arma, fuit. 30
Ille ferox, oculis et adhuc hostilibus ardens,
Hortator pugnæ consiliumque fuit.
Perfidus hic nostros inclusit fraude locorum,
Squalida promissis qui tegit ora comis.
Illo, qui sequitur, dicunt mactata ministro 35
Sæpe recusanti corpora capta deo.
Hic lacus, hi montes, hæc tot castella, tot amnes,
Plena feræ cædis, plena cruoris erant.
Drusus in his quondam meruit cognomina terris,
Quæ bona progenies digna parente fuit. 40
Cornibus hic fractis viridi male tectus ab ulva,
Decolor ipse suo sanguine, Rhenus erit.
Crinibus en etiam fertur Germania passis,
Et ducis invicti sub pede mæsta sedet;
Collaque Romanæ præbens animosa securi 45
Vincula fert illa, qua tulit arma, manu.
Hos super in curru, Cæsar, victore veheris
Purpureus populi rite per ora tui:
Quaque ibis, manibus circumplaudere tuorum,
Undique jactato flore tegente vias. 50
Tempora Phœbea lauro cingetur, Ioque,
Miles, Io, magna voce, Triumphe, canet.
Ipse sono plausuque simul fremituque canentum
Quadrijugos cernes sæpe resistere equos.
Inde petes arcem, delubra faventia votis, 55
Et dabitur merito laurea vota Jovi.
Hæc ego submotus, qua possum, mente videbo:
Erepti nobis jus habet illa loci.
Illa per immensas spatiatur libera terras:
In cœlum celeri pervenit illa via. 60
Illa meos oculos mediam deducit in Urbem,
Immunes tanti nec sinit esse boni.
Invenietque viam, qua currus spectet eburnos.
Sic certe in patria per breve tempus ero.
Vera tamen populus capiet spectacula felix, 65
Lætaque erit præsens cum duce turba suo.
At mihi fingenti tantum, longeque remoto,
Auribus hic fructus percipiendus erit.
Atque procul Latio diversum missus in orbem
Qui narret cupido, vix erit, ista mihi. 70
Is quoque jam serum referet veteremque triumphum.
Quo tamen audiero tempore, lætus ero.
Illa dies veniet, mea qua lugubria ponam;
Caussaque privata publica major erit.

Elegia III.

Magna minorque feræ, quarum regis altera Graias,
Altera Sidonias, utraque sicca, rates:
Omnia cum summo positæ videatis in axe,
Et maris occiduas non subeatis aquas;
Ætheriamque suis cingens amplexibus arcem 5
Vester ab intacta circulus exstet humo;
Adspicite illa, precor, quæ non bene mœnia quondam
Dicitur Iliades transiluisse Remus:
Inque meam nitidos dominam convertite vultus:
Sitque memor nostri necne, referte mihi. 10
Heu mihi! cur, nimium quæ sunt manifesta, requiro?
Cur labat ambiguo spes mihi mixta metu?
Crede quod est, quod vis; ac desine tuta vereri.
Deque fide certa sit tibi certa fides.
Quodque polo fixæ nequeunt tibi dicere flammæ,
Non mentitura tu tibi voce refer; 16
Esse tui memorem, de qua tibi maxima cura est;
Quodque potest, secum nomen habere tuum.
Vultibus illa tuis, tanquam præsentis, inhæret,
Teque remota procul, si modo vivit, amat. 20
Ecquid, ut incubuit justo mens ægra dolori,
Lenis ab admonito pectore somnus abit?
Tunc subeunt curæ, dum te lectusque locusque
Tangit, et oblitam non sinit esse mei.
Et veniunt æstus, et nox immensa videtur, 25
Fessaque jactati corporis ossa dolent.
Non equidem dubito, quin hæc et cætera fiant,
Detque tuus casti signa doloris amor:
Nec cruciere minus, quam cum Thebana cruentum
Hectora Thessalico vidit ab axe rapi. 30
Quid tamen ipse precer, dubito: nec dicere possum,
Affectum quem te mentis habere velim.
Tristis es? indignor, quod sum tibi causa doloris.
Non es? ut amisso conjuge digna fores.
Tu vero tua damna dole, mitissima conjux, 35
Tempus et a nostris exige triste malis:
Neque meos casus. Est quædam flere voluptas
Expletur lacrymis egeriturque dolor.

Atque utinam lugenda tibi non vita, sed esset
Mors mea; morte fores sola relicta mea! 40
Spiritus hic per te patrias exisset in auras!
Sparsissent lacrymæ pectora nostra piæ!
Supremoque die notum spectantia cœlum
Texissent digiti lumina nostra tui!
Et cinis in tumulo positus jacuisset avito! 45
Tactaque nascenti corpus haberet humus!
Denique et, ut vixi, sine crimine mortuus essem!
Nunc mea supplicio vita pudenda suo est.
Me miserum, si tu, cum diceris exsulis uxor,
Avertis vultus, et subit ora rubor! 50
Me miserum, si turpe putas mihi nupta videri!
Me miserum, si te jam pudet esse meam!
Tempus ubi est illud, quo te jactare solebas
Conjuge, nec nomen dissimulare viri?
Tempus ubi est, quo te, nisi si fugis illa referre,
Et dici memini, juvit et esse meam? 56
Utque probæ dignum est, omni tibi dote placebam:
Addebat veris multa faventis amor.
Nec quem præferres, ita res tibi magna videbar,
Quemve tuum malles esse, vir alter erat. 60
Nunc quoque ne pudeat, quod sis mihi nupta: tuusque
Non dolor hinc debet, debet abesse pudor.
Cum cecidit Capaneus subito temerarius ictu,
Num legis Evadnen erubuisse viro?
Nec, quia rex mundi compescuit ignibus ignes,
Ipse tuis, Phaethon, inficiandus eras. 66
Nec Semele Cadmo facta est aliena parenti,
Quod precibus periit ambitiosa suis.
Nec tibi, quod sævis ego sum Jovis ignibus ictus,
Purpureus molli fiat in ore rubor; 70
Sed magis in nostri curam consurge tuendi,
Exemplumque mihi conjugis esto bonæ:
Materiamque tuis tristem virtutibus imple
Ardua per præceps gloria vadat iter.
Hectora quis nosset, si felix Troja fuisset? 75
Publica virtuti per mala facta via est.
Ars tua, Tiphy, jacet, si non sit in æquore fluctus:
Si valeant homines, ars tua, Phœbe, jacet.
Quæ latet, inque bonis cessat non cognita rebus,
Apparet virtus arguiturque malis. 80
Dat tibi nostra locum tituli fortuna, caputque
Conspicuum pietas qua tua tollat, habet.
Utere temporibus, quorum nunc munere freta es.
En patet in laudes area lata tuas.

ELEGIA IV.

O qui, nominibus cum sis generosus avitis,
Exsuperas morum nobilitate genus:
Cujus inest animo patrii candoris imago,
Non careat nervis candor ut iste suis:
Cujus in ingenio patriæ facundia linguæ est, 5
Qua prior in Latio non fuit ulla foro:
Quod minime volui, positis pro nomine signis
Dictus es: ignoscas laudibus ista tuis.
Nil ego peccavi: tua te bona cognita produnt.
Si, quod es, appares; culpa soluta mea est. 10
Nec tamen officium nostro tibi carmine factum
Principe tam justo posse nocere puta.
Ipse pater patriæ (quid enim civilius illo?)
Sustinet in nostro carmine sæpe legi.
Nec prohibere potest, quia res est publica Cæsar;
Et de communi pars quoque nostra bono est. 16
Jupiter ingeniis præbet sua numina vatum,
Seque celebrari quolibet ore sinit.
Causa tua exemplo superorum tuta duorum est;
Quorum hic conspicitur, creditur ille deus. 20
Ut non debuerim, tamen hoc ego crimen amabo
Non fuit arbitrii littera nostra tui.
Nec nova, quod tecum loquor, est injuria nostra,
Incolumis cum quo sæpe locutus eram.
Quo vereare minus, ne sim tibi crimen amicus;
Invidiam, si qua est, auctor habere potest. 26
Nam tuus est primis cultus mihi semper ab annis
(Hoc noli certe dissimulare) pater:
Ingeniumque meum (potes hoc meminisse) probabat,
Plus etiam, quam me judice dignus eram. 30
Deque meis illo referebat versibus ore,
In quo pars altæ nobilitatis erat.
Non igitur tibi nunc, quod me domus ista recepit,
Sed prius auctori sunt data verba tuo.
Nec data sunt, mihi crede, tamen; sed in omnibus actis, 35
Ultima si demas, vita tuenda mea est.
Hanc quoque, qua perii, culpam scelus esse negabis,
Si tanti series sit tibi nota mali.
Aut timor, aut error nobis, prius abfuit error.
Ah sine me fati non meminisse mei! 40
Neve retractando nondum coeuntia rumpam
Vulnera; vix illis proderit ipsa quies.
Ergo ut jure damus pœnas; sic abfuit omne
Peccato facinus consiliumque meo.
Idque deus sentit: pro quo nec lumen ademtum est, 45
Nec mihi detractas possidet alter opes.
Forsitan hanc ipsam, vivat modo, finiet olim,
Tempore cum fuerit lenior ira, fugam.
Nunc precor hinc alio jubeat discedere; si non
Nostra verecundo vota pudore carent. 50
Mitius exsilium, paulloque propinquius opto,
Quique sit a sævo longius hoste, locum.
Quantaque in Augusto clementia, si quis ab illo
Hoc peteret pro me, forsitan ille daret
Frigida me cohibent Euxini littora Ponti. 55
Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.
Nam neque jactantur moderatis æquora ventis,
Nec placidos portus hospita navis adit.
Sunt circa gentes, quæ prædam sanguine quærant:
Nec minus infida terra timetur aqua. 60
Illi, quos audis hominum gaudere cruore,
Pæne sub ejusdem sideris axe jacent.
Nec procul a nobis locus est, ubi Taurica dira
Cæde pharetratæ pascitur ara deæ.
Hæc prius, ut memorant, non invidiosa nefandis,
Nec cupienda bonis, regna Thoantis erant.
Hic pro supposita virgo Pelopeia cerva
Sacra deæ coluit qualiacunque suæ.
Quo postquam, dubium pius an sceleratus, Orestes
Exactus furiis venerat ipse suis, 70
Et comes exemplum veri Phoceus amoris;
Qui duo corporibus, mentibus unus erant;
Protinus evincti Triviæ ducuntur ad aram,
Quæ stabat geminas ante cruenta fores.
Nec tamen hunc sua mors, nec mors sua terruit illum: 75
Alter ob alterius funera mæstus erat.
Et jam constiterat stricto mucrone sacerdos;
Cinxerat et Graias barbara vitta comas:
Cum vice sermonis fratrem cognovit, et illi
Pro nece complexus Iphigenia dedit. 80
Læta deæ signum, crudelia sacra perosæ,
Transtulit ex illis in meliora locis.
Hæc igitur regio, magni pars ultima mundi,
Quam fugere homines dique, propinqua mihi est.

[Atque meam terram prope sunt funebria sacra,
Si modo Nasoni barbara terra sua est.] 86
O utinam venti, quibus est ablatus Orestes,
Placato referant et mea vela deo!

ELEGIA V

O mihi dilectos inter sors prima sodales,
Unica fortunis ara reperta meis;
Cujus ab alloquiis anima hæc moribunda revixit,
Ut vigil infusa Pallade flamma solet:
Qui veritus non es portus aperire fideles, 5
Fulmine percussæ confugiumque rati:
Cujus eram censu non me sensurus egentem,
Si Cæsar patrias eripuisset opes:
Temporis oblitum dum me rapit impetus hujus,
Excidit heu nomen quam mihi pæne tuum! 10
Te tamen agnoscis, tactusque cupidine laudis,
Ille ego sum, cuperes dicere posse palam.
Certe ego, si sineres, titulum tibi reddere vellem,
Et raram famæ conciliare fidem.
Ne noceam grato vereor tibi carmine, neve 15
Intempestivus nominis obstet honos.
Quod licet et tutum est, intra tua pectora gaude,
Meque tui memorem, teque fuisse mei.
Utque facis, remis ad opem luctare ferendam,
Dum veniat placido mollior aura deo. 20
Et tutare caput nulli servabile; si non,
Qui mersit Stygia, sublevet illud, aqua.
Teque, quod est rarum, præsta constanter ad omne
Indeclinatæ munus amicitiæ.
Sic tua processus habeat fortuna perennes: 25
Sic ope non egeas ipse, juvesque tuos.
Sic æquet tua nupta virum bonitate perenni;
Incidat et vestro rara querela toro.
Diligat et semper socius te sanguinis illo,
Quo pius affectu Castora frater amat. 30
Sic juvenis, similisque tibi sit natus, et illum
Moribus agnoscat quilibet esse tuum.
Sic socerum faciat tæda te nata jugali,
Nec tardum juveni det tibi nomen avi.

ELEGIA VI.

Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri,
Præbet et incurvo colla premenda jugo.
Tempore paret equus lentis animosus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.
Tempore Pœnorum compescitur ira leonum, 5
Nec feritas animo, quæ fuit ante, manet.
Quæque sui monitis obtemperat Inda magistri
Bellua, servitium tempore victa subit.
Tempus, ut extentis tumeat, facit, uva racemis,
Vixque merum capiant grana, quod intus habent. 10
Tempus et in canas semen producit aristas,
Et, ne sint tristi poma sapore, facit.
Hoc tenuat dentem terram findentis aratri:
Hoc rigidas silices, hoc adamanta terit.
Hoc etiam sævas paullatim mitigat iras: 15
Hoc minuit luctus, mæstaque corda levat.
Cuncta potest igitur tacito pede lapsa vetustas,
Præterquam curas attenuare meas.
Ut patria careo, bis frugibus area trita est,
Dissiluit nudo pressa bis uva pede. 20
Nec quæsita tamen spatio patientia longo est,
Mensque mali sensum nostra recentis habet.
Scilicet et veteres fugiunt juga curva juvenci:
Et domitus freno sæpe repugnat equus
Tristior est etiam præsens ærumna priore: 25
Ut sit enim sibi par, crevit, et aucta mora est.
Nec tam nota mihi, quam sunt, mala nostra fuerunt:
Sed magis hoc, quo sunt cognitiora, gravant.
Est quoque non minimum, vires afferre recentes,
Nec præconsumtum temporis esse malis. 30
Fortior in fulva novus est luctator arena,
Quam cui sunt tarda brachia fessa mora.
Integer est melior nitidis gladiator in armis,
Quam cui tela suo sanguine tincta rubent.
Fert bene præcipites navis modo facta procellas:
Quamlibet exiguo solvitur imbre vetus. 36
Nos quoque, quæ ferimus, tulimus patientius ante;
Et mala sunt longo multiplicata die.
Credite, deficio, nostroque a corpore quantum
Auguror, accedent tempora parva malis. 40
Nam neque sunt vires, neque qui color ante solebat;
Vixque habeo tenuem, quæ tegat ossa, cutem
Corpore sed mens est ægro magis ægra, malique
In circumspectu stat sine fine sui.
Urbis abest facies, absunt, mea cura, sodales: 45
Et, qua nulla mihi carior, uxor abest.
Vulgus adest Scythicum, braccataque turba Getarum.
Sic male, quæ video, non videoque, nocent.
Una tamen spes est, quæ me soletur in istis,
Hæc fore morte mea non diuturna mala. 50

ELEGIA VII.

Bis me sol adiit gelidæ post frigora brumæ,
Bisque suum tacto Pisce peregit iter.
Tempore tam longo cur non tua dextera versus
Quamlibet in paucos officiosa fuit?
Cur tua cessavit pietas, scribentibus illis, 5
Exiguus nobis cum quibus usus erat?
Cur, quoties alicui chartæ sua vincula demsi,
Illam speravi nomen habere tuum?
Di faciant, ut sæpe tua sit epistola dextra
Scripta, sed e multis reddita nulla mihi! 10
Quod precor, esse liquet. Credam prius ora Medusæ
Gorgonis anguineis cincta fuisse comis:
Esse canes utero sub virginis: esse Chimæram,
A truce quæ flammis separet angue leam:
Quadrupedesque hominum cum pectore pectora junctos: 15
Tergeminumque virum, tergeminumque canem:
Sphingaque, et Harpyias, serpentipedesque gigantas:
Centimanumque Gygen, semibovemque virum.
Hæc ego cuncta prius, quam te, carissime, credam
Mutatum curam deposuisse mei. 20
Innumeri montes inter me teque, viæque,
Fluminaque, et campi, nec freta pauca, jacent.
Mille potest causis, a te quæ littera sæpe
Missa sit, in nostras nulla venire manus.
Mille tamen causas scribendo vince frequenter;
Excusem ne te semper, amice, mihi. 26

ELEGIA VIII.

Jam mea cycneas imitantur tempora plumas,
Inficit et nigras alba senecta comas:
Jam subeunt anni fragiles, et inertior ætas:
Jamque parum firmo me mihi ferre grave est

Nunc erat, ut posito deberem fine laborum 5
Vivere, me nullo sollicitante metu:
Quæque meæ semper placuerunt otia menti,
Carpere, et in studiis molliter esse meis:
Et parvam celebrare domum, veteresque Penates,
Et quæ nunc domino rura paterna carent: 10
Inque sinu dominæ, carisque nepotibus, inque
Securus patria consenuisse mea
Hæc mea sic quondam peragi speraverat ætas:
Hos eg sic annos ponere dignus eram.
Non ita dis visum: qui me terraque marique 15
Actum Sarmaticis exposuere locis.
In cava ducuntur quassæ navalia puppes,
Ne temere in mediis dissoluantur aquis.
Ne cadat, et multas palmas inhonestet adeptas,
Languidus in pratis gramina carpit equus. 20
Miles, ut emeritis non est satis utilis annis,
Ponit ad antiquos, quæ tulit arma, Lares.
Sic igitur, tarda vires minuente senecta,
Me quoque donari jam rude, tempus erat:
Tempus erat nec me peregrinum ducere cœlum,
Nec siccam Getico fonte levare sitim; 26
Sed modo, quos habui, vacuum secedere in hortos:
Nunc hominum visu rursus et Urbe frui.
Sic animo quondam non divinante futura
Optabam placide vivere posse senex. 30
Fata repugnarunt: quæ, cum mihi tempora prima
Mollia præbuerint, posteriora gravant.
Jamque, decem lustris omni sine labe peractis,
Parte premor vitæ deteriore meæ.
Nec procul a metis, quas pæne tenere videbar,
Curriculo gravis est facta ruina meo. 36
Ergo illum demens in me sævire coegi,
Mitius immensus quo nihil orbis habet:
Ipsaque delictis victa est clementia nostris:
Nec tamen errori vita negata meo. 40
Vita procul patria peragenda sub axe Boreo,
Qua maris Euxini terra sinistra jacet.
Hoc mihi si Delphi, Dodonaque diceret ipsa,
Esse viderentur vanus uterque locus.
Nil adeo validum est, adamas licet alliget illud,
Ut maneat rapido firmius igne Jovis. 46
Nil ita sublime est, supraque pericula tendit,
Non sit ut inferius suppositumque deo.
Nam quanquam vitio pars est contracta malorum,
Plus tamen exitii numinis ira dedit. 50
At vos admoniti nostris quoque casibus este,
Æquantem superos emeruisse virum

ELEGIA IX.

Si licet, et pateris, nomen facinusque tacebo,
Et tua Lethæis acta dabuntur aquis;
Nostraque vincetur lacrymis clementia seris:
Fac modo te pateat pœnituisse tui.
Fac modo te damnes, cupiasque eradere vitæ 5
Tempora, si possis, Tisiphonea tuæ.
Sin minus, et flagrant odio tua pectora nostro;
Induet infelix arma coacta dolor.
Sim licet extremum, sicut sum, missus in orbem,
Nostra suas istuc porriget ira manus. 10
Omnia, si nescis, Cæsar mihi jura reliquit:
Et sola est patria pœna carere mea.
Et patriam, modo sit sospes, speramus ab illo.
Sæpe Jovis telo quercus adusta viret.
Denique vindictæ si sit mihi nulla facultas, 15
Pierides vires et sua tela dabunt.
Ut Scythicis habitem longe submotus in oris,
Siccaque sint oculis proxima signa meis
Nostra per immensas ibunt præconia gentes,
Quodque querar, notum, qua patet orbis, erit.
Ibit ad occasum, quicquid dicemus, ab ortu, 21
Testis et Hesperiæ vocis Eous erit
Trans ego tellurem, trans latas audiar undas:
Et gemitus vox est magna futura mei.
Nec tua te sontem tantummodo sæcula norint:
Perpetuæ crimen posteritatis eris. 26
Jam feror in pugnas, et nondum cornua sumsi.
Nec mihi sumendi causa sit ulla velim.
Circus adhuc cessat: spargit tamen acer arenam
Taurus, et infesto jam pede pulsat humum. 30
Hoc quoque, quam volui, plus est. Cane, Musa, receptus;
Dum licet huic nomen dissimulare suum.

ELEGIA X.

Ille ego, qui fuerim, tenerorum lusor amorum,
Quem legis, ut noris, accipe, posteritas.
Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis,
Millia qui novies distat ab Urbe decem.
Editus hic ego sum: nec non (ut tempora noris)
Cum cecidit fato consul uterque pari. 6
Si quid id est, usque a proavis vetus ordinis hæres,
Non modo fortunæ munere factus eques.
Nec stirps prima fui; genito jam fratre creatus,
Qui tribus ante quater mensibus ortus erat. 10
Lucifer amborum natalibus affuit idem:
Una celebrata est per duo liba dies.
Hæc est armiferæ festis de quinque Minervæ,
Quæ fieri pugna prima cruenta solet.
Protinus excolimur teneri, curaque parentis 15
Imus ad insignes Urbis ab arte viros.
Frater ad eloquium viridi tendebat ab ævo,
Fortia verbosi natus ad arma fori.
At mihi jam puero cœlestia sacra placebant,
Inque suum furtim Musa trahebat opus. 20
Sæpe pater dixit: Studium quid inutile tentas?
Mæonides nullas ipse reliquit opes.
Motus eram dictis: totoque Helicone relicto,
Scribere conabar verba soluta modis.
Sponte sua numeros carmen veniebat ad aptos;
Et, quod tentabam dicere, versus erat. 26
Interea, tacito passu labentibus annis,
Liberior fratri sumta mihique toga est,
Induiturque humeros cum lato purpura clavo:
Et studium nobis, quod fuit ante, manet. 30
Jamque decem vitæ frater geminaverat annos,
Cum perit, et cœpi parte carere mei.
Cepimus et teneræ primos ætatis honores,
Eque viris quondam pars tribus una fui.
Curia restabat; clavi mensura coacta est: 35
Majus erat nostris viribus illud onus.
Nec patiens corpus, nec mens fuit apta labori,
Sollicitæque fugax ambitionis eram;
Et petere Aoniæ suadebant tuta sorores
Otia, judicio semper amata meo. 40
Temporis illius colui fovique poetas;
Quotque aderant vates, rebar adesse deos.
Sæpe suas volucres legit mihi grandior ævo,
Quæque necet serpens, quæ juvet herba, Macer.
Sæpe suos solitus recitare Propertius ignes, 45
Jure sodalitio qui mihi junctus erat.
Ponticus heroo, Bassus quoque clarus iambo,
Dulcia convictus membra fuere mei.
Et tenuit nostras numerosus Horatius aures,
Dum ferit Ausonia carmina culta lyra. 50
Virgilium vidi tantum: nec amara Tibullo
Tempus amicitiæ fata dedere meæ

Successor fuit hic tibi, Galle; Propertius illi
Quartus ab his serie temporis ipse fui.
Utque ego majores, sic me coluere minores: 55
Notaque non tarde facta Thalia mea est.
Carmina cum primum populo juvenilia legi,
Barba resecta mihi bisve semelve fuit.
Noverat ingenium totam cantata per Urbem
Nomine non vero dicta Corinna mihi. 60
Multa quidem scripsi: sed quæ vitiosa putavi,
Emendaturis ignibus ipse dedi.
Tum quoque, cum fugerem, quædam placitura cremavi.
Iratus studio carminibusque meis.
Molle, Cupidineis nec inexpugnabile telis 65
Cor mihi, quodque levis causæ moveret, erat.
Cum tamen hoc essem, minimoque accenderer igni;
Nomine sub nostro fabula nulla fuit.
Pæne mihi puero nec digna, nec utilis uxor
Est data: quæ tempus perbreve nupta fuit. 70
Illi successit, quamvis sine crimine, conjux,
Non tamen in nostro firma futura toro.
Ultima, quæ mecum seros permansit in annos,
Sustinuit conjux exsulis esse viri.
Filia me mea bis prima fecunda juventa, 75
Sed non ex uno conjuge, fecit avum,
Et jam complerat genitor sua fata, novemque
Addiderat lustris altera lustra novem.
Non aliter flevi, quam me fleturus ademtum
Ille fuit. Matri proxima justa tuli. 80
Felices ambo, tempestiveque sepultos,
Ante diem pœnæ quod periere meæ;
Me quoque felicem, quod non viventibus illis
Sum miser, et de me quod doluere nihil!
Si tamen exstinctis aliquid, nisi nomina, restat, 85
Et gracilis structos effugit umbra rogos;
Fama, parentales, si vos mea contigit, umbræ,
Et sunt in Stygio crimina nostra foro:
Scite, precor, causam (nec vos mihi fallere fas est)
Errorem jussæ, non scelus, esse fugæ. 90
Manibus id satis est. Ad vos, studiosa, revertor
Pectora, qui vitæ quæritis acta meæ.
Jam mihi canities, pulsis melioribus annis,
Venerat, antiquas miscueratque comas:
Postque meos ortus Pisæa vinctus oliva 95
Abstulerat decies præmia victor equus:
Cum maris Euxini positos ad læva Tomitas
Quærere me læsi principis ira jubet.
Causa meæ, cunctis nimium quoque nota, ruinæ
Indicio non est testificanda meo. 100
Quid referam comitumque nefas, famulosque nocentes?
Ipsa multa tuli non leviora fuga
Indignata malis mens est succumbere, seque
Præstitit invictam viribus usa suis:
Oblitusque togæ, ductæque per otia vitæ, 105
Insolita cepi temporis arma manu.
Totque tuli terra casus pelagoque, quot inter
Occultum stellæ conspicuumque polum.
Tacta mihi tandem longis erroribus acto
Juncta pharetratis Sarmatis ora Getis. 110
Hic ego, finitimis quamvis circumsoner armis,
Tristia, quo possum, carmine fata levo.
Quod, quamvis nemo est, cujus referatur ad aures,
Sic tamen absumo decipioque diem.
Ergo, quod vivo, durisque laboribus obsto, 115
Nec me sollicitæ tædia lucis habent,
Gratia, Musa, tibi: nam tu solatia præbes
Tu curæ requies, tu medicina mali:
Tu dux, tu comes es: tu nos abducis ab Istro,
In medioque mihi das Helicone locum. 120
Tu mihi (quod rarum) vivo sublime dedisti
Nomen, ab exsequiis quod dare fama solet.
Nec, qui detrectat præsentia, livor iniquo
Ullum de nostris dente momordit opus.
Nam tulerint magnos cum sæcula nostra poetas,
Non fuit ingenio fama maligna meo. 126
Cumque ego præponam multos mihi, non minor illis
Dicor: et in toto plurimus orbe legor.
Si quid habent igitur vatum præsagia veri,
Protinus ut moriar, non ero, terra, tuus. 130
Sive favore tuli, sive hanc ego carmine famam,
Jure tibi grates, candide lector, ago.

LIBER QUINTUS.

ELEGIA I.

Hunc quoque de Getico, nostri studiose, libellum
Littore, præmissis quatuor adde meis.
Hic quoque talis erit, qualis fortuna poetæ
Invenies toto carmine dulce nihil.
Flebilis ut noster status est, ita flebile carmen, 5
Materiæ scripto conveniente suæ.
Integer et lætus læta et juvenilia lusi:
Illa tamen nunc me composuisse piget.
Ut cecidi, perago subiti præconia casus,
Sumque argumenti conditor ipse mei. 10
Utque jacens ripa deflere Caystrius ales
Dicitur ore suam deficiente necem:
Sic ego, Sarmaticas longe projectus in oras,
Efficio tacitum ne mihi funus eat.
Delicias si quis lascivaque carmina quærit, 15
Præmoneo, nunquam scripta quod ista legat.
Aptior huic Gallus, blandique Propertius oris,
Aptior ingenium come Tibullus erit.
Atque utinam numero ne nos essemus in isto!
Heu mihi, cur unquam Musa jocata mea est? 20
Sed dedimus pœnas: Scythicique in finibus Istri
Ille pharetrati lusor Amoris abest.
Quod superest, animos ad publica carmina flexi,
Et memores jussi nominis esse sui.
Si tamen e vobis aliquis, tam multa, requiret, 25
Unde dolenda canam; multa dolenda tuli.
Non hæc ingenio, non hæc componimus arte.
Materia est propriis ingeniosa malis.
Et quota fortunæ pars est in carmine nostræ?
Felix, qui patitur quæ numerare valet! 30
Quot frutices sylvæ, quot flavas Tibris arenas,
Mollia quot Martis gramina campus habet;
Tot mala pertulimus: quorum medicina quiesque
Nulla, nisi in studio Pieridumque mora est.

Quis tibi, Naso, modus lacrymosi carminis? inquis. 35
Idem, fortunæ qui modus hujus erit.
Quod querar, illa mihi pleno de fonte ministrat:
Nec mea sunt, fati verba sed ista mei.
At mihi si cara patriam cum conjuge reddas,
Sint vultus hilares, simque quod ante fui. 40
Lenior invicti si sit mihi Cæsaris ira.
Carmina lætitiæ jam tibi plena dabo.
Nec tamen, ut lusit, rursus mea littera ludet:
Sit semel illa meo luxuriata malo.
Quod probet ipse, canam: pœnæ modo parte levata 45
Barbariem, rigidos effugiamque Getas.
Interea nostri quid agant, nisi triste, libelli?
Tibia funeribus convenit ista meis.
At poteras, inquis, melius mala ferre silendo,
Et tacitus casus dissimulare tuos. 50
Exigis, ut nulli gemitus tormenta sequantur;
Acceptoque gravi vulnere flere vetas.
Ipse Perilleo Phalaris permisit in ære
Edere mugitus, et bovis ore queri.
Cum Priami lacrymis offensus non sit Achilles,
Tu fletus inhibes, durior hoste, meos. 56
Cum faceret Nioben orbam Latoia proles,
Non tamen et siccas jussit habere genas.
Est aliquid, fatale malum per verba levare:
Hoc querulam Prognen Halcyonenque facit. 60
Hoc erat, in gelido quare Pœantius antro
Voce fatigaret Lemnia saxa sua.
Strangulat inclusus dolor, atque exæstuat intus,
Cogitur et vires multiplicare suas.
Da veniam potius; vel totos tolle libellos; 65
Si, mihi quod prodest, hoc tibi, lector, obest.
Sed neque obesse potest; ulli nec scripta fuerunt
Nostra, nisi auctori perniciosa suo.
At mala sunt: fateor. Quis te mala sumere cogit?
Aut quis deceptum ponere sumta vetat? 70
Ipse nec emendo: sed ut hic deducta legantur
Non sunt illa suo barbariora loco
Nec me Roma suis debet conferre poetis.
Inter Sauromatas ingeniosus ero.
Denique nulla mihi captatur gloria, quæque 75
Ingenio stimulos subdere fama solet.
Nolumus assiduis animum tabescere curis;
Quæ tamen irrumpunt, quoque vetantur, eunt.
Cur scribam, docui: cur mittam, quæritis, istos?
Vobiscum cupiam quolibet esse modo. 80

ELEGIA II.

Ecquid, ut e Ponto nova venit epistola, palles,
Et tibi sollicita solvitur illa manu?
Pone metum; valeo: corpusque, quod ante laborum
Impatiens nobis invalidumque fuit,
Sufficit, atque ipso vexatum induruit usu. 5
An magis infirmo non vacat esse mihi?
Mens tamen ægra jacet, nec tempore robora sumsit:
Affectusque animi, qui fuit ante, manet
Quæque mora spatioque suo coitura putavi
Vulnera, non aliter, quam modo facta, dolent.
Scilicet exiguis prodest annosa vetustas, 11
Grandibus accedunt tempore damna malis.
Pæne decem totis aluit Pœantius annis
Pestiferum tumido vulnus ab angue datum
Telephus æterna consumtus tabe perisset, 15
Si non, quæ nocuit, dextra tulisset opem.
Et mea, si facinus nullum commisimus, opto
Vulnera qui fecit, facta levare velit;
Contentusque mei jam tandem parte laboris,
Exiguum pleno de mare demat aquæ. 20
Detrahat ut multum, multum restabit acerbi:
Parsque meæ pœnæ totius instar erit.
Littora quot conchas, quot amœna rosaria flores,
Quotve soporiferum grana papaver habet;
Sylva feras quot alit, quot piscibus unda natatur,
Quot tenerum pennis aera pulsat avis; 26
Tot premor adversis: quæ si comprendere coner,
Icariæ numerum dicere coner aquæ.
Utque viæ casus, ut amara pericula ponti,
Ut taceam strictas in mea fata manus; 30
Barbara me tellus, orbisque novissima magni
Sustinet, et sævo cinctus ab hoste locus.
Hinc ego trajicerer, (neque enim mea culpa cruenta est,)
Esset, quæ debet, si tibi cura mei.
Ille deus, bene quo Romana potentia nixa est,
Sæpe suo victor lenis in hoste fuit. 36
Quid dubitas? quid tuta times? accede, rogaque
Cæsare nil ingens mitius orbis habet.
Me miserum! quid agam, si proxima quæque relinquunt?
Subtrahis effracto tu quoque colla jugo? 40
Quo ferar? unde petam lapsis solatia rebus?
Anchora jam nostram non tenet ulla ratem.
Viderit: ipse sacram, quamvis invisus, ad aram
Confugiam: nullas submovet ara manus.
Alloquor en absens præsentia numina supplex;
Si fas est homini cum Jove posse loqui. 46
Arbiter imperii, quo certum est sospite cunctos
Ausoniæ curam gentis habere deos:
O decus, o patriæ per te florentis imago;
O vir non ipso, quem regis, orbe minor; 50
Sic habites terras, sic te desideret æther,
Sic ad pacta tibi sidera tardus eas;
Parce precor, minimamque tuo de fulmine partem
Deme: satis pœnæ, quod superabit, erit.
Ira quidem moderata tua est, vitamque dedisti:
Nec mihi jus civis, nec mihi nomen abest: 56
Nec mea concessa est aliis fortuna: nec exsul
Edicti verbis nominor ipse tui.
Omniaque hæc timui, quia me meruisse videbam,
Sed tua peccato lenior ira meo est. 60
Arva relegatum jussisti visere Ponti,
Et Scythicum profuga findere puppe fretum.
Jussus ad Euxini deformia littora veni
Æquoris: hæc gelido terra sub axe jacet.
Nec me tam cruciat nunquam sine frigore cœlum,
Glebaque canenti semper obusta gelu; 66
Nesciaque est vocis quod barbara lingua Latinæ;
Graiaque quod Getico victa loquela sono;
Quam quod finitimo cinctus premor undique Marte,
Vixque brevis tutum murus ab hoste facit. 70
Pax tamen interdum, pacis fiducia nunquam est.
Sic nunc hic patitur, nunc timet arma locus
Hinc ego dum muter, vel me Zanclæa Charybdis
Devoret, aque suis ad Styga mittat aquis;
Vel rapidæ flammis urar patienter in Ætnæ; 75
Vel freta Leucadii mittar in alta dei.
Quod petitur, pœna est: neque enim miser esse recuso;
Sed precor, ut possim tutius esse miser

ELEGIA III.

Illa dies hæc est, qua te celebrare poetæ,
Si modo non fallunt tempora, Bacche, solent;
Festaque odoratis innectunt tempora sertis,
Et dicunt laudes ad tua vina tuas.
Inter quos, memini, dum me mea fata sinebant, 5
Non invisa tibi pars ego sæpe fui;
Quem nunc suppositum stellis Cynosuridos Ursæ
Juncta tenet crudis Sarmatis ora Getis.
Quique prius mollem vacuamque laboribus egi
In studiis vitam, Pieridumque choro: 10
Nunc procul a patria Geticis circumsonor armis,
Multa prius pelago, multaque passus humo.
Sive mihi casus, sive hoc dedit ira deorum,
Nubila nascenti seu mihi Parca fuit;
Tu tamen e sacris hederæ cultoribus unum 15
Numine debueras sustinuisse tuo.
An, dominæ fati quicquid cecinere sorores,
Omne sub arbitrio desinit esse dei?
Ipse quoque ætherias meritis invectus es arces;
Qua non exiguo facta labore via est. 20
Nec patria est habitata tibi; sed ad usque nivosum
Strymona venisti, Marticolamque Geten:
Persidaque, et lato spatiantem flumine Gangen,
Et quascunque bibit decolor Indus aquas.
Scilicet hanc legem nentes fatalia Parcæ 25
Stamina bis genito bis cecinere tibi.
Me quoque, si fas est exemplis ire deorum,
Ferrea sors vitæ difficilisque premit.
Illo nec levius cecidi, quem magna locutum
Repulit a Thebis Jupiter igne suo. 30
Ut tamen audisti percussum fulmine vatem,
Admonitu matris condoluisse potes.
Et potes, adspiciens circum tua sacra poetas,
Nescio quis nostri, dicere, cultor abest.
Fer, bone Liber, opem: sic altam degravet ulmum
Vitis, et incluso plena sit uva mero. 36
Sic tibi cum Bacchis Satyrorum gnava juventus
Adsit, et attonito non taceare sono.
Ossa bipenniferi sic sint male pressa Lycurgi,
Impia nec pœna Pentheos umbra vacet. 40
Sic micet æternum, vicinaque sidera vincat
Conjugis in cœlo Cressa corona tuæ.
Huc ades, et casus releves, pulcherrime, nostros,
Unum de numero me memor esse tuo.
Sunt dis inter se commercia; flectere tenta 45
Cæsareum numen numine, Bacche, tuo.
Vos quoque, consortes studii, pia turba, poetæ,
Hæc eadem sumto quisque rogate mero.
Atque aliquis vestrûm, Nasonis nomine dicto,
Deponat lacrymis pocula mixta suis; 50
Admonitusque mei, cum circumspexerit omnes,
Dicat, Ubi est nostri pars modo Naso chori?
Idque ita, si vestrum merui candore favorem,
Nullaque judicio littera læsa meo est;
Si, veterum digne veneror cum scripta virorum,
Proxima non illis esse minora reor. 56
Sic igitur dextro faciatis Apolline carmen:
Quod licet, inter vos nomen habete meum.

ELEGIA IV.

Littore ab Euxino Nasonis epistola veni,
Lassaque facta mari, lassaque facta via
Qui mihi flens dixit, Tu, cui licet, adspice Romam:
Heu quanto melior sors tua sorte mea!
Flens quoque me scripsit: nec, qua signabar, ad os est 5
Ante, sed ad madidas gemma relata genas.
Tristitiæ causam si quis cognoscere quærit;
Ostendi solem postulat ille sibi;
Nec frondem in sylvis, nec aperto mollia prato
Gramina, nec pleno flumine cernit aquas. 10
Quid Priamus doleat, mirabitur, Hectore rapto,
Quidve Philoctetes ictus ab angue gemat.
Di facerent utinam, talis status esset in illo,
Ut non tristitiæ causa dolenda foret.
Fert tamen, ut debet, casus patienter amaros, 15
More nec indomiti frena recusat equi.
Nec fore perpetuam sperat sibi numinis iram,
Conscius in culpa non scelus esse sua.
Sæpe refert, sit quanta dei clementia; cujus
Se quoque in exemplis annumerare solet. 20
Nam quod opes teneat patrias, quod nomina civis,
Denique quod vivat, munus habere dei.
Te tamen, o si quid credis mihi carior, ille,
Omnibus, in toto pectore semper habet.
Teque Menœtiaden, te qui comitavit Oresten, 25
Te vocat Ægiden, Euryalumque suum.
Nec patriam magis ille suam desiderat, et qu
Plurima cum patria sentit abesse sua;
Quam vultus, oculosque tuos, o dulcior illo
Melle, quod in ceris Attica ponit apis! 30
Sæpe etiam mærens tempus reminiscitur illud,
Quod non præventum morte fuisse dolet.
Cumque alii fugerent subitæ contagia cladis,
Nec vellent ictæ limen adire domus;
Te sibi cum paucis meminit mansisse fidelem: 35
Si paucos aliquis tresve duosve vocat.
Quamvis attonitus, sensit tamen omnia, nec te
Se minus adversis indoluisse suis.
Verba solet, vultumque tuum, gemitusque referre,
Et te flente suos immaduisse sinus; 40
Quam sibi præstiteris, qua consolatus amicum
Sis ope; solandus cum simul ipse fores. [que.
Pro quibus affirmat fore se memoremque pium-
Sive diem videat, sive tegatur humo.
Per caput ipse suum solitus jurare, tuumque, 45
Quod scio non illi vilius esse suo.
Plena tot ac tantis referetur gratia factis,
Nec sinet ille tuos littus arare boves.
Fac modo constanter profugum tueare: quod ille,
Qui bene te novit, non rogat; ipsa rogo. 50

ELEGIA V.

Annuus adsuetum dominæ natalis honorem
Exigit: ite manus ad pia sacra meæ.
Sic quondam festum Laertius egerit heros
Forsan in extremo conjugis orbe diem.
Lingua favens adsit, longorum oblita malorum.
Quæ, puto, dedidicit jam bona verba loqui. 6
Quæque semel toto vestis mihi sumitur anno,
Sumatur fatis discolor alba meis.
Araque gramineo viridis de cespite fiat,
Et velet tepidos nexa corona focos 10
Da mihi thura, puer, pingues facientia flammas,
Quodque pio fusum stridat in igne merum.
Optime natalis, quamvis procul absumus, opto
Candidus huc venias, dissimilisque meo.
Sique quod instabat dominæ miserabile vulnus,
Sit perfuncta meis tempus in omne malis. 16
Quæque gravi nuper plus quam quassata procella est,
Quod superest, tutum per mare navis eat.
Illa domo, nataque sua, patriaque fruatur:
Erepta hæc uni sit satis esse mihi. 20
Quatenus et non est in caro conjuge felix,
Pars vitæ tristi cætera nube vacet.

Vivat, ametque virum, quoniam sic cogitur, absens:
Consumatque annos, sed diuturna, suos.
Adjicerem et nostros; sed ne contagia fati 25
Corrumpant timeo, quos agit ipsa, mei.
Nil homini certum est: fieri quis posse putaret
Ut facerem in mediis hæc ego sacra Getis?
Adspice ut aura tamen fumos e thure coortos
In partes Italas et loca dextra ferat. 30
Sensus inest igitur nebulis, quas exigit ignis;
Consilium fugiunt cætera pæne meum.
Consilio, commune sacrum cum fiat in ara
Fratribus, alterna qui periere manu,
Ipsa sibi discors, tanquam mandetur ab illis, 35
Scinditur in partes atra favilla duas.
Hoc, memini, quondam fieri non posse loquebar,
Et me Battiades judice falsus erat.
Omnia nunc credo; cum tu non stultus ab Arcto
Terga vapor dederis, Ausoniamque petas. 40
Hæc igitur lux est, quæ si non orta fuisset,
Nulla fuit misero festa videnda mihi.
Edidit hæc mores illis heroisin æquos,
Quis erat Eetion Icariusque pater.
Nata pudicitia est, mores, probitasque, fidesque:
At non sunt ista gaudia nata die; 46
Sed labor, et curæ, fortunaque moribus impar,
Justaque de viduo pæne querela toro.
Scilicet adversis probitas exercita rebus
Tristi materiam tempore laudis habet. 50
Si nihil infesti durus vidisset Ulixes,
Penelope felix, sed sine laude, foret.
Victor Echionias si vir penetrasset in arces,
Forsitan Evadnen vix sua nosset humus.
Cum Pelia tot sint gentiæ, cur nobilis una est? 55
Nupta fuit misero nempe quod una viro.
Effice ut Iliacas tangat prior alter arenas,
Laodamia, nihil, cur referatur, erit.
Et tua, quod mallem, pietas ignota maneret,
Implessent venti si mea vela sui. 60
Di tamen, et Cæsar dis accessure, sed olim,
Æquarint Pylios cum tua fata dies;
Non mihi, qui pœnam fateor meruisse, sed illi
Parcite, quæ nullo digna dolore dolet.

Elegia VI.

Tu quoque, nostrarum quondam fiducia rerum,
Qui mihi confugium, qui mihi portus eras;
Tu quoque suscepti causam dimittis amici,
Officiique pium tam cito ponis onus?
Sarcina sum, fateor; quam si tu tempore duro 5
Depositurus eras, non subeunda fuit.
Fluctibus in mediis navem, Palinure, relinquis;
Ne fuge; neve tua sit minor arte fides.
Numquid Achilleos inter fera prœlia fidi
Deseruit levitas Automedontis equos? 10
Quem semel excepit, numquid Podalirius ægro
Promissam medicæ non tulit artis opem?
Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.
Quæ patuit, dextræ firma sit ara meæ.
Nil, nisi me solum, primo tutatus es; at nunc 15
Me pariter serva, judiciumque tuum.
Si modo non aliqua est in me nova culpa; tuamque
Mutarunt subito crimina nostra fidem.
Spiritus hic, Scythica quem non bene ducimus aura,
Quod cupio, membris exeat ante meis; 20
Quam tua delicto stringantur pectora nostro,
Et videar merito vilior esse tibi
Non adeo toti fatis urgemur iniquis,
Ut mea sit longis mens quoque mota malis
Finge tamen motam; quoties Agamemnone natum
Dixisse in Pyladen verba poterva putas? 26
Nec procul a vero est, quod vel pulsarit amicum:
Mansit in officiis non minus ille suis.
Hoc est cum miseris solum commune beatis,
Ambobus tribui quod solet obsequium. 30
Ceditur et cæcis, et quos prætexta verendos,
Virgaque cum verbis imperiosa facit.
Si mihi non parcis, fortunæ parcere debes.
Non habet in nobis ullius ira locum
Elige nostrorum minimum minimumque laborum; 35
Isto, quo reris, grandius illud erit.
Quam multa madidæ celebrantur arundine fossæ,
Florida quam multas Hybla tuetur apes;
Quam multæ gracili terrena sub horrea ferre
Limite formicæ grana reperta solent; 40
Tam me circumstant densorum turba malorum
Crede mihi, vero est nostra querela minor.
His qui contentus non est, in littus arenas,
In segetem spicas, in mare fundat aquas.
Intempestivos igitur compesce timores, 45
Vela nec in medio desere nostra mari.

Elegia VII.

Quam legis, ex illa tibi venit epistola terra,
Latus ubi æquoreis additur Ister aquis.
Si tibi contingit cum dulci vita salute;
Candida fortunæ pars manet una meæ
Scilicet, ut semper, quid agam, carissime, quæris:
Quamvis hoc vel me scire tacente potes. 6
Sum miser: hæc brevis est nostrorum summa malorum:
Quisquis et offenso Cæsare vivet, erit.
Turba Tomitanæ quæ sit regionis, et inter
Quos habitem mores, discere cura tibi est? 10
Mixta sit hæc quamvis inter Graiosque Getasque,
A male pacatis plus trahit ora Getis.
Sarmaticæ major Geticæque frequentia gentis
Per medias in equis itque reditque vias.
In quibus est nemo, qui non coryton, et arcum, 15
Telaque vipereo lurida felle gerat.
Vox fera, trux vultus, verissima Martis imago:
Non coma, non ulla barba resecta manu.
Dextera non segnis fixo dare vulnera cultro,
Quem vinctum lateri barbarus omnis habet 20
Vivit in his, eheu, tenerorum oblitus amorum,
Hos videt, hos vates audit, amice, tuus!
Atque utinam vivat, sed non moriatur in illis!
Absit ab invisis et tamen umbra locis!
Carmina quod pleno saltari nostra theatro, 25
Versibus et plaudi scribis, amice, meis,
Nil equidem feci (tu scis hoc ipse) theatris.
Musa nec in plausus ambitiosa mea est.
Nec tamen ingratum est, quodcunque oblivia nostri
Impedit, et profugi nomen in ora refert. 30
Quamvis interdum, quæ me læsisse recordor,
Carmina devoveo, Pieridasque meas:
Cum bene devovi, nequeo tamen esse sine illis;
Vulneribusque meis tela cruenta sequor.
Quæque modo Euboicis lacerata est fluctibus, audet 35
Graia Capharean currere puppis aquam.
Nec tamen, ut lauder, vigilo, curamque futuri
Nominis, utilius quod latuisset, ago.

Detineo studiis animum, falloque dolores,
Experior curis et dare verba meis. 40
Quid potius faciam desertis solus in oris?
Quamve malis aliam quærere coner opem?
Sive locum specto; locus est inamabilis, et quo
Esse nihil toto tristius orbe potest: 44
Sive homines; vix sunt homines hoc nomine digni:
Quamque lupi, sævæ plus feritatis habent.
Non metuunt leges, sed cedit viribus æquum,
Victaque pugnaci jura sub ense jacent.
Pellibus et laxis arcent male frigora braccis,
Oraque sunt longis horrida tecta comis. 50
In paucis remanent Graiæ vestigia linguæ;
Hæc quoque jam Getico barbara facta sono.
Unus in hoc populo nemo est, qui forte Latine
Quælibet e medio reddere verba queat.
Ille ego Romanus vates (ignoscite Musæ) 55
Sarmatico cogor plurima more loqui.
En pudet, et fateor; jam desuetudine longa
Vix subeunt ipsi verba Latina mihi.
Nec dubito, quin sint et in hoc non pauca libello
Barbara: non hominis culpa, sed ista loci. 60
Ne tamen Ausoniæ perdam commercia linguæ,
Et fiat patrio vox mea muta sono;
Ipse loquor mecum, desuetaque verba retracto;
Et studii repeto signa sinistra mei. 64
Sic animum tempusque traho: meque ipse reduco
A contemplatu, submoveoque, mali.
Carminibus quæro miserarum oblivia rerum:
Præmia si studio consequor ista, sat est.

ELEGIA VIII.

Non adeo cecidi, quamvis abjectus, ut infra
Te quoque sim, inferius quo nihil esse potest.
Quæ tibi res animos in me facit, improbe? curve
Casibus insultas, quos potes ipse pati?
Nec mala te reddunt mitem placidumve jacenti 5
Nostra, quibus possint illacrymare feræ?
Nec metuis dubio Fortunæ stantis in orbe
Numen, et exosæ verba superba deæ?
Exiget ah dignas ultrix Rhamnusia pœnas!
Imposito calcas quid mea fata pede? 10
Vidi ego naufragiumque, viros et in æquore mergi:
Et, Nunquam, dixi, justior unda fuit.
Vilia qui quondam miseris alimenta negarat,
Nunc mendicato pascitur ipse cibo.
Passibus ambiguis Fortuna volubilis errat, 15
Et manet in nullo certa tenaxque loco;
Sed modo læta manet, vultus modo sumit acerbos;
Et tantum constans in levitate sua est.
Nos quoque floruimus, sed flos erat ille caducus;
Flammaque de stipula nostra brevisque fuit. 20
Neve tamen tota capias fera gaudia mente;
Non est placandi spes mihi nulla dei.
Vel quia peccavi citra scelus; utque pudore
Non caret, invidia sic mea culpa caret:
Vel quia nil ingens ad finem solis ab ortu, 25
Illo, cui paret, mitius orbis habet.
Scilicet ut non est per vim superabilis ulli
Molle cor ad timidas sic habet ille preces.
Exemploque deûm, quibus accessurus et ipse est,
[Cum pœnæ venia plura roganda petam.] 30
Si numeres anno soles et nubila toto,
Invenies nitidum sæpius isse diem.
Ergo, ne nostra nimium lætere ruina,
Restitui quondam me quoque posse puta.
Posse puta fieri, lenito principe, vultus 35
Ut videas media tristis in Urbe meos;
Utque ego te videam causa graviore fugatum
Hæc sunt a primis proxima vota mihi.

ELEGIA IX.

O tua si sineres in nostris nomina poni
Carminibus; positus quam mihi sæpe fores!
Te solum meriti canerem memor, inque libellis
Crevisset sine te pagina nulla meis.
Quid tibi deberem, tota sciretur in Urbe; 5
Exsul in amissa si tamen Urbe legor.
Te præsens mitem, te nosset serior ætas;
Scripta vetustatem si modo nostra ferent.
Nec tibi cessaret doctus bene dicere lector:
Hic tibi servato vate maneret honor. 10
Cæsaris est primum munus, quod ducimus auras:
Gratia post magnos est tibi habenda deos.
Ille dedit vitam; tu, quam dedit ille, tueris:
Et facis accepto munere posse frui.
Cumque perhorruerit casus pars maxima nostros, 15
Pars etiam credi pertimuisse velit;
Naufragiumque meum tumulo spectarit ab alto,
Nec dederit nanti per freta sæva manum;
Seminecem Stygia revocasti solus ab unda.
Hoc quoque, quod memores possumus esse, tuum est. 20
Di tibi se tribuant cum Cæsare semper amicos:
Non potuit votum plenius esse meum.
Hæc meus argutis, si tu paterere, libellis
Poneret in multa luce videnda labor.
Se quoque nunc, quamvis est jussa quiescere, quin te 25
Nominet invitum, vix mea Musa tenet.
Utque canem pavidæ nactum vestigia cervæ
Luctantem frustra copula dura tenet;
Utque fores nondum reserati carceris acer
Nunc pede, nunc ipsa fronte lacessit equus; 30
Sic mea, lege data vincta atque inclusa, Thalia
Per titulum vetiti nominis ire cupit.
Ne tamen officio memoris lædaris amici,
Parebo jussis (parce timere) tuis.
At non parerem, nisi si meminisse putares. 35
Hoc quod non prohibet vox tua, gratus ero.
Dumque (quod o breve sit) lumen solare vi debo,
Serviet officio spiritus iste tuo

ELEGIA X

Ut sumus in Ponto, ter frigore constitit Ister,
Facta est Euxini dura ter unda maris.
At mihi jam videor patria procul esse tot annis,
Dardana quot Graio Troja sub hoste fuit.
Stare putes, adeo procedunt tempora tarde, 5
Et peragit lentis passibus annus iter.
Nec mihi solstitium quicquam de noctibus aufert,
Efficit angustos nec mihi bruma dies.
Scilicet in nobis rerum natura novata est,
Cumque meis curis omnia longa facit. 10
Num peragunt solitos communia tempora motus,
Suntque magis vitæ tempora dura meæ?
Quem tenet Euxini mendax cognomine littus,
Et Scythici vere terra sinistra freti.
Innumeræ circa gentes fera bella minantur; 15
Quæ sibi non rapto vivere turpe putant.
Nil extra tutum est: tumulus defenditur ægre
Mœnibus exiguis, ingenioque loci.
Cum minime credas, ut aves, densissimus hostis
Advolat, et prædam vix bene visus agit. 20

Sæpe intra muros clausis venientia portis
Per medias legimus noxia tela vias.
Est igitur rarus, qui rus colere audeat: isque
Hac arat infelix, hac tenet arma manu.
Sub galea pastor junctis pice cantat avenis 25
Proque lupo pavidæ bella verentur oves.
Vix ope castelli defendimur: et tamen intus
Mixta facit Graiis barbara turba metum.
Quippe simul nobis habitat discrimine nullo
Barbarus, et tecti plus quoque parte tenet. 30
Quos ut non timeas, possis odisse videndo
Pellibus et longa tempora tecta coma.
Hos quoque, qui geniti Graia creduntur ab urbe,
Pro patrio cultu Persica bracca tegit.
Exercent illi sociæ commercia linguæ. 35
Per gestum res est significanda mihi.
Barbarus hic ego sum, quia non intelligor ulli:
Et rident stolidi verba Latina Getæ.
Meque palam de me tuto mala sæpe loquuntur:
Forsitan objiciunt exsiliumque mihi. 40
Utque fit, in me aliquid, siquid dicentibus illis
Abnuerim quoties annuerimque, putant.
Adde, quod injustum rigido jus dicitur ense,
Dantur et in medio vulnera sæpe foro
O duram Lachesin, quæ tam grave sidus habenti
Fila dedit vitæ non breviora meæ! 46
Quod patriæ vultu, vestroque caremus, amici,
Quodque hic in Scythicis finibus esse queror;
Utraque pœna gravis: merui tamen Urbe carere;
Non merui tali forsitan esse loco. 50
Quid loquor ah demens? ipsam quoque perdere vitam
Cæsaris offenso numine dignus eram.

ELEGIA XI.

Quod te nescio quis per jurgia dixerit esse
Exsulis uxorem, littera questa tua est.
Indolui; non tam mea quod fortuna male audit,
Qui jam consuevi fortiter esse miser;
Quam quia, cui minime vellem, sim causa pudoris, 5
Teque rear nostris erubuisse malis.
Perfer, et obdura: multo graviora tulisti,
Cum me surripuit principis ira tibi.
Fallitur iste tamen, quo judice nominor exsul.
Mollior est culpam pœna secuta meam. 10
Maxima pœna mihi est, ipsum offendisse: priusque
Venisset mallem funeris hora mihi.
Quassa tamen nostra est, non fracta nec obruta puppis,
Utque caret portu, sic tamen exstat aquis
Nec vitam, nec opes, nec jus mihi civis ademit; 15
Quæ merui vitio perdere cuncta meo.
Sed quia peccato facinus non affuit illi,
Nil nisi me patriis jussit abesse focis. [est,
Utque aliis, numerum quorum comprendere non
Cæsareum numen, sic mihi, mite fuit. 20
Ipse relegati, non exsulis, utitur in me
Nomine: tuta suo judice causa mea est.
Jure igitur laudes, Cæsar, pro parte virili
Carmina nostra tuas qualiacunque canunt.
Jure deos, ut adhuc cœli tibi limina claudant, 25
Teque velint sine se, comprecor, esse deum.
Optat idem populus. Sed ut in mare flumina vastum,
Sic solet exiguæ currere rivus aquæ.
At tu fortunam, cujus vocor exsul ab ore,
Nomine mendaci parce gravare meam. 30

ELEGIA XII.

Scribis, ut oblectem studio lacrymabile tempus,
Ne pereant turpi pectora nostra situ.
Difficile est quod, amice, mones; quia carmina lætum
Sunt opus, et pacem mentis habere volunt.
Nostra per adversas agitur fortuna procellas, 5
Sorte nec ulla mea tristior esse potest.
Exigis, ut Priamus natorum funere ludat,
Et Niobe festos ducat ut orba choros.
Luctibus, an studio videor debere teneri,
Solus in extremos jussus abire Getas? 10
Des licet hic valido pectus mihi robore fultum.
Fama refert Anyti quale fuisse reo;
Fracta cadet tantæ sapientia mole ruinæ.
Plus valet humanis viribus ira dei.
Ille senex, dictus sapiens ab Apolline, nullum 15
Scribere in hoc casu sustinuisset opus.
Ut patriæ veniant, veniant oblivia vestri;
Omnis ut admissi sensus abesse queat;
At timor officio fungi vetat ipse quieto.
Cinctus ab innumero me tenet hoste locus. 20
Adde, quod ingenium longa rubigine læsum
Torpet, et est multo, quam fuit ante, minus.
Fertilis, assiduo si non renovetur aratro,
Nil, nisi cum spinis gramen, habebit ager.
Tempore qui longo steterit, male curret, et inter
Carceribus missos ultimus ibit equos. 26
Vertitur in teneram cariem, rimisque dehiscit,
Si qua diu solitis cymba vacavit aquis.
Me quoque despero, fuerim cum parvus et ante,
Illi, qui fueram, posse redire parem. 30
Contudit ingenium patientia longa laborum,
Et pars antiqui magna vigoris abest.
Sæpe tamen nobis, ut nunc quoque, sumta tabella est,
Inque suos volui cogere verba pedes: 34
Carmina scripta mihi sunt nulla, aut qualia cernis;
Digna sui domini tempore, digna loco.
Denique non parvas animo dat gloria vires,
Et fecunda facit pectora laudis amor.
Nominis et famæ quondam fulgore trahebar,
Dum tulit antennas aura secunda meas. 40
Non adeo est bene nunc, ut sit mihi gloria curæ:
Si liceat, nulli cognitus esse velim.
An, quia cesserunt primo bene carmina, suades
Scribere, successus ut sequar ipse meos?
Pace, novem, vestra liceat dixisse, sorores, 45
Vos estis nostræ maxima caussa fugæ.
Utque dedit justas tauri fabricator aeni,
Sic ego do pœnas artibus ipse meis.
Nil mihi debuerat cum versibus amplius esse,
Sed fugerem merito naufragus omne fretum. 50
At, puto, si demens studium fatale retentem,
Hic mihi præbebit carminis arma locus.
Non liber hic ullus, non qui mihi commodet aurem,
Verbaque significent quid mea norit, adest.
Omnia barbariæ loca sunt, vocisque ferinæ, 55
Omnia sunt Getici plena timore soni.
Ipse mihi videor jam dedidicisse Latine;
Jam didici Getice Sarmaticeque loqui.
Nec tamen, ut verum fatear tibi, nostra teneri
A componendo carmine Musa potest. 60
Scribimus, et scriptos absumimus igne libellos.
Exitus est studii parva favilla mei.
Nec possum, et cupio non ullos ducere versus.
Ponitur idcirco noster in igne labor.
Nec nisi pars casu flammis erepta, dolove, 65
Ad vos ingenii pervenit ulla mei.

Sicutinam, quæ nil metuentem tale magistrum
Perdidit, in cineres Ars mea versa foret.

ELEGIA XIII.

Hanc tuus e Getico mittit tibi Naso salutem;
Mittere rem si quis, qua caret ipse, potest.
Æger enim traxi contagia corpore mentis,
Libera tormento pars mihi ne qua vacet.
Perque dies multos lateris cruciatibus uror, 5
Sed quod non modico frigore læsit hiems.
Si tamen ipse vales, aliqua nos parte valemus:
Quippe mea est humeris fulta ruina tuis.
Qui mihi cum dederis ingentia pignora, cumque
Per numeros omnes hoc tueare caput; 10
Quod tua me raro solatur epistola, peccas:
Remque piam præstas, et mihi verba negas.
Hoc precor emenda; quod si correxeris unum,
Nullus in egregio corpore nævus erit.
Pluribus accusem; fieri nisi possit, ut ad me 15
Littera non veniat, missa sit illa tamen.
Di faciant, ut sit temeraria nostra querela,
Teque putem falso non meminisse mei.
Quod precor, esse liquet. Neque enim mutabile robur
Credere me fas est pectoris esse tui. 20
Cana prius gelido desint absinthia Ponto,
Et careat dulci Trinacris Hybla thymo;
Immemorem quam te quisquam convincat amici.
Non ita sunt fati stamina nigra mei.
Tu tamen, ut falsæ possis quoque pellere culpæ
Crimina, quod non es, ne videare, cave: 26
Utque solebamus consumere longa loquendo
Tempora, sermonem deficiente die;
Sic ferat ac referat tacitas nunc littera voces,
Et peragant linguæ charta manusque vices. 30
Quod fore ne nimium videar diffidere, sitque
Versibus hic paucis admonuisse satis;
Accipe, quo semper finitur epistola verbo;
Aque meis distent ut tua fata, Vale.

ELEGIA XIV.

Quanta tibi dederint nostri monumenta libelli,
O mihi me conjux carior, ipsa vides.
Detrahat auctori multum fortuna licebit;
Tu tamen ingenio clara ferere meo.
Dumque legar, mecum pariter tua fama legetur:
Nec potes in mæstos omnis abire rogos. 6
Cumque viri casu possis miseranda videri,
Invenies aliquas, quæ, quod es, esse velint:
Quæ te, nostrorum cum sis in parte malorum,
Felicem dicant, invideantque tibi. 10
Non ego divitias dando tibi plura dedissem.
Nil feret ad manes divitis umbra suos.
Perpetui fructum donavi nominis: idque
Quo dare nil potui munere majus, habes.
Adde, quod, ut rerum sola es tutela mearum, 15
Ad te non parvi venit honoris onus;
Quod nunquam vox est de te mea muta, tuique
Judiciis debes esse superba viri.
Quæ ne quis possit temeraria dicere, persta,
Et pariter serva meque piamque fidem. 20
Nam tua, dum stetimus, turpi sine crimine mansit,
Et laudem probitas irreprehensa tulit.
Par eadem nostra nunc est sibi facta ruina.
Conspicuum virtus hic tua ponat opus.
Esse bonam facile est, ubi, quod vetet esse, remotum est, 25
Et nihil officio nupta, quod obstet, habet.
Cum deus intonuit, non se subducere nimbo,
Id demum pietas, id socialis amor.
Rara quidem virtus, quam non Fortuna gubernet;
Quæ maneat stabili, cum fugit illa, pede: 30
Si qua tamen pretii sibi merces ipsa petiti,
Inque parum lætis ardua rebus adest;
Ut tempus numeres, per sæcula nulla tacetur,
Et loca mirantur, qua patet orbis iter.
Adspicis, ut longo maneat laudabilis ævo 35
Nomen inexstinctum Penelopea fides?
Cernis, ut Admeti cantetur, ut Hectoris uxor,
Ausaque in accensos Iphias ire rogos?
Ut vivat fama conjux Phylaceia, cujus
Iliacam celeri vir pede pressit humum? 40
Nil opus est leto pro me, sed amore fideque.
Non ex difficili fama petenda tibi est.
Nec te credideris, quia non facis, ista moneri.
Vela damus, quamvis remige puppis eat.
Qui monet, ut facias, quod jam facis; ille monendo 45
Laudat, et hortatu comprobat acta suo

P. OVIDII NASONIS EPISTOLARUM EX PONTO

LIBER PRIMUS.

EPISTOLA I.

BRUTO

Naso Tomitanæ jam non novus incola terræ
Hoc tibi de Getico littore mittit opus
Si vacat, hospitio peregrinos, Brute, libellos
Excipe; dumque aliquo, quolibet abde loco.
Publica non audent inter monumenta venire, 5
Ne suus hoc illis clauserit auctor iter.
Ah quoties dixi, Certe nil turpe docetis,
Ite: patet castis versibus ille locus.
Non tamen accedunt; sed ut adspicis ipse, latere
Sub lare privato tutius esse putant. 10
Quæris, ubi hos possis nullo componere læso?
Qua steterant Artes, pars vacat illa tibi.
Quid veniant, novitate roges fortasse sub ipsa.
Accipe, quodcunque est, dummodo non sit amor.
Invenies, quamvis non est miserabilis index, 15
Non minus hoc illo triste, quod ante dedi.
Rebus idem, titulo differt: et epistola cui sit
Non occultato nomine missa, docet.

Nec vos hoc vultis, sed nec prohibere potestis:
Musaque ad invitos officiosa venit. 20
Quicquid id est, adjunge meis. Nihil impedit ortos
Exsule, servatis legibus, Urbe frui.
Quod metuas non est. Antoni scripta leguntur:
Doctus et in promtu scrinia Brutus habet.
Nec me nominibus furiosus confero tantis. 25
Sæva deos contra non tamen arma tuli.
Denique Cæsareo, quod non desiderat ipse,
Non caret e nostris ullus honore liber.
Si dubitas de me; laudes admitte deorum:
Et carmen demto nomine sume meum. 30
Adjuvat in bello pacatæ ramus olivæ;
Proderit auctorem pacis habere nihil?
Cum foret Æneæ cervix subjecta parenti,
Dicitur ipsa viro flamma dedisse viam.
Fert liber Æneaden; et non iter omne patebit? 35
At patriæ pater hic; ipsius ille fuit.
Ecquis ita est audax, ut limine cogat abire
Jactantem Pharia tinnula sistra manu?
Ante deûm Matrem cornu tibicen adunco
Cum canit, exiguæ quis stipis æra neget? 40
Scimus ab imperio fieri nil tale Dianæ;
Unde tamen vivat vaticinator habet.
Ipsa movent animos superorum numina nostros;
Turpe nec est tali credulitate capi.
En ego pro sistro, Phrygiique foramine buxi, 45
Gentis Iuleæ nomina sancta fero.
Vaticinor moneoque; locum date sacra ferenti:
Non mihi, sed magno poscitur ille deo.
Nec, quia vel merui, vel sensi principis iram,
A nobis ipsum nolle putate coli. 50
Vidi ego linigeræ numen violasse fatentem
Isidis Isiacos ante sedere focos.
Alter, ob huic similem privatus lumine culpam,
Clamabat media se meruisse via.
Talia cœlestes fieri præconia gaudent, 55
Ut, sua quid valeant numina, teste probent.
Sæpe levant pœnas, ereptaque lumina reddunt,
Cum bene peccati pœnituisse vident.
Pœniter o, si quid miserorum creditur ulli,
Pœnitet, et facto torqueor ipse meo! 60
Cumque sit exsilium, magis est mihi culpa dolori:
Estque pati pœnas, quam meruisse, minus.
Ut mihi di faveant, quibus est manifestior ipse;
Pœna potest demi, culpa perennis erit.
Mors faciet certe, ne sim, cum venerit, exsul; 65
Ne non peccarim, mors quoque non faciet.
Nil igitur mirum, si mens mihi tabida facta
De nive manantis more liquescit aquæ.
Estur ut occulta vitiata teredine navis:
Æquorei scopulos ut cavat unda salis: 70
Roditur ut scabra positum rubigine ferrum:
Conditus ut tineæ carpitur ore liber:
Sic mea perpetuos curarum pectora morsus,
Fine quibus nullo conficiantur, habent.
Nec prius hi mentem stimuli, quam vita, relinquent: 75
Quique dolet citius, quam dolor ipse, cadet.
Hoc mihi si superi, quorum sumus omnia, credent,
Forsitan exigua dignus habebor ope,
Inque locum Scythico vacuum mutabor ab arcu.
Plus isto, duri, si precer, oris ero. 80

EPISTOLA II

MAXIMO.

Maxime, qui tanti mensuram nominis imples
Et geminas animi nobilitate genus;
Qui nasci ut posses, quamvis cecidere trecenti,
Non omnes Fabios abstulit una dies,
Forsitan hæc a quo mittatur epistola quæras; 5
Quique loquar tecum, certior esse velis.
Heu mihi quid faciam? vereor ne nomine lecto
Durus, et aversa cætera mente legas.
Viderit hæc si quis; tibi me scripsisse fateri
Audebo, et propriis ingemuisse malis. 10
Viderit; audebo tibi me scripsisse fateri,
[Atque modum culpæ notificare meæ.]
Qui cum me pœna dignum graviore fuisse
Confitear; possum vix graviora pati.
Hostibus in mediis interque pericula versor, 15
Tanquam cum patria pax sit ademta mihi.
Qui, mortis sævo geminent ut vulnere causas,
Omnia vipereo spicula felle linunt.
His eques instructus perterrita mœnia lustrat,
More lupi clausas circueuntis oves. 20
At semel intentus nervo levis arcus equino
Vincula semper habens irresoluta manet.
Tecta rigent fixis veluti vallata sagittis,
Portaque vix firma submovet arma sera.
Adde loci faciem, nec fronde, nec arbore læti; 25
Et quod iners hiemi continuatur hiems.
Hic me pugnantem cum frigore, cumque sagittis,
Cumque meo fato, quarta fatigat hiems.
Fine carent lacrymæ, nisi cum stupor obstitit illis,
Et similis morti pectora torpor habet. 30
Felicem Nioben, quamvis tot funera vidit,
Quæ posuit sensum, saxea facta, mali!
Vos quoque felices, quarum clamantia fratrem
Cortice velavit populus ora novo.
Ille ego sum, lignum qui non admittar in ullum: 35
Ille ego sum, frustra qui lapis esse velim.
Ipsa Medusa oculis veniat licet obvia nostris,
Amittat vires ipsa Medusa suas.
Vivimus, ut sensu nunquam careamus amaro:
Et gravior longa fit mea pœna mora. 40
Sic inconsumtum Tityi semperque renascens
Non perit, ut possit sæpe perire, jecur.
At, puto, cum requies medicinaque publica curæ
Somnus adest, solitis nox venit orba malis.
Somnia me terrent veros imitantia casus, 45
Et vigilant sensus in mea damna mei.
Aut ego Sarmaticas videor vitare sagittas,
Aut dare captivas ad fera vincla manus.
Aut ubi decipior melioris imagine somni,
Adspicio patriæ tecta relicta meæ. 50
Et modo vobiscum, quos sum veneratus, amici,
Et modo cum cara conjuge, multa loquor.
Sic, ubi percepta est brevis et non vera voluptas,
Pejor ab admonitu fit status iste boni.
Sive dies igitur caput hoc miserabile cernit, 55
Sive pruinosi Noctis aguntur equi;
Sic mea perpetuis liquefiunt pectora curis,
Ignibus admotis ut nova cera solet.
Sæpe precor mortem, mortem quoque deprecor idem;
Ne mea Sarmaticum contegat ossa solum. 60
Cum subit, Augusti quæ sit clementia, credo
Mollia naufragiis littora posse dari.
Cum video, quam sint mea fata tenacia, frangor,
Spesque levis magno victa timore cadit.
Nec tamen ulterius quicquam sperove precorve, 65
Quam male mutato posse carere loco.
Aut hoc, aut nihil est, pro me tentare modeste
Gratia quod salvo vestra pudore queat

Suscipe, Romanæ facundia, Maxime, linguæ,
Difficilis causæ mite patrocinium. 70
Est mala; confiteor: sed te bona fiet agente.
Lenia pro misera fac modo verba fuga.
Nescit enim Cæsar, quamvis deus omnia norit,
Ultimus hic qua sit conditione locus.
Magna tenent illud rerum molimina numen. 75
Hæc est cœlesti pectore cura minor.
Nec vacat, in qua sint positi regione Tomitæ,
Quærere, finitimo vix loca nota Getæ:
Aut quid Sauromataæ faciant, quid Iazyges acres,
Cultaque Oresteæ Taurica terra deæ: 80
Quæque aliæ gentes, ubi frigore constitit Ister,
Dura meant celeri terga per amnis equo.
Maxima pars hominum nec te, pulcherrima, curant,
Roma, nec Ausonii militis arma timent.
Dant animos arcus illis, plenæque pharetræ, 85
Quamque libet longis cursibus aptus equus;
Quodque sitim didicere diu tolerare famemque;
Quodque sequens nullas hostis habebit aquas.
Ira dei mitis non me misisset in istam,
Si satis hæc illi nota fuisset, humum. 90
Nec me, nec quenquam Romanum gaudet ab hoste,
Meque minus, vitam cui dedit ipse, premi.
Noluit, ut poterat, minimo me perdere nutu.
Nil opus est ullis in mea fata Getis.
Sed neque, cur morerer, quicquam mihi comperit actum; 95
Nec minus infestus, quam fuit, esse potest.
Tum quoque nil fecit, nisi quod facere ipse coegi.
Pæne etiam merito parcior ira meo.
Di faciant igitur, quorum mitissimus ipse est,
Alma nihil majus Cæsare terra ferat; 100
Utque diu sub eo sit publica sarcina rerum,
Perque manus hujus tradita gentis eat.
At tu tam placido, quam nos quoque sensimus illum,
Judice pro lacrymis ora resolve meis.
Non petito ut bene sit, sed uti male tutius; utque 105
Exsilium sævo distet ab hoste meum;
Quamque dedere mihi præsentia numina vitam;
Non adimat stricto squalidus ense Getes.
Denique, si moriar, subeant pacatius arvum
Ossa, nec a Scythica nostra premantur humo; 110
Nec male compositos, ut scilicet exsule dignum,
Bistonii cineres ungula pulset equi;
Et ne, si superest aliquid post funera sensus,
Terreat hic manes Sarmatis umbra meos.
Cæsaris hæc animum poterant audita movere, 115
Maxime; movissent si tamen ante tuum.
Vox, precor, Augustas pro me tua molliat aures,
Auxilio trepidis quæ solet esse reis:
Assuetaque tibi doctæ dulcedine linguæ
Æquandi superis pectora flecte viri. 120
Non tibi Theromedon, crudusve rogabitur Atreus,
Quique suis homines pabula fecit equis:
Sed piger ad pœnas princeps, ad præmia velox;
Quique dolet, quoties cogitur esse ferox.
Qui vincit semper, victis ut parcere possit; 125
Clausit et æterna civica bella sera.
Multa metu pœnæ, pœna qui pauca coercet;
Et jacit invita fulmina rara manu.
Ergo tam placidas orator missus ad aures,
Ut propior patriæ sit fuga nostra, roga. 130
Ille ego sum, qui te colui; quem festa solebat
Inter convivas mensa videre tuos.
Ille ego, qui dixi vestros Hymenæon ad ignes,
Et cecini fausto carmina digna toro.
Cujus te solitum memini laudare libellos, 135
Exceptis domino qui nocuere suo.
Cui tua nonnunquam miranti scripta legebas.
Ille ego, de vestra cui data nupta domo.
Hanc probat, et primo dilectam semper ab ævo
Est inter comites Marcia censa suas; 140
Inque suis habuit matertera Cæsaris ante:
Quarum judicio siqua probata, proba est.
Ipsa sua melior fama, laudantibus istis,
Claudia divina non eguisset ope.
Nos quoque præteritos sine labe peregimus annos. 145
Proxima pars vitæ transilienda meæ.
Sed de me ut sileam, conjux mea sarcina vestra est.
Non potes hanc salva dissimulare fide.
Confugit hæc ad vos. vestras amplectitur aras:
Jure venit cultos ad sibi quisque deos. 150
Flensque rogat, precibus lenito Cæsare vestris,
Busta sui fiant ut propiora viri.

EPISTOLA III.

RUFINO.

Hanc tibi Naso tuus mittit, Rufine, salutem;
Qui miser est, ulli si suus esse potest.
Reddita confusæ nuper solatia menti
Auxilium nostris spemque tulere malis.
Utque Machaoniis Pœantius artibus heros 5
Lenito medicam vulnere sensit opem:
Sic ego mente jacens, et acerbo saucius ictu,
Admonitu cœpi fortior esse tuo.
Et jam deficiens sic ad tua verba revixi,
Ut solet infuso vena redire mero. 10
Non tamen exhibuit tantas facundia vires,
Ut mea sint dictis pectora sana tuis.
Ut multum nostræ demas de gurgite curæ,
Non minus exhausto, quod superabit, erit.
Tempore ducetur longo fortasse cicatrix; 15
Horrent admotas vulnera cruda manus.
Non est in medico semper, relevetur ut æger.
Interdum docta plus valet arte malum.
Cernis, ut e molli sanguis pulmone remissus
Ad Stygias certo limite ducat aquas. 20
Afferat ipse licet sacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis ope.
Tollere nodosam nescit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis.
Cura quoque interdum nulla medicabilis arte; 25
Aut, ut sit, longa est extenuanda mora.
Cum bene firmarunt animum præcepta jacentem,
Sumtaque sunt nobis pectoris arma tui;
Rursus amor patriæ, ratione valentior omni,
Quod tua texuerunt scripta, retexit opus. 30
Sive pium vis hoc, sive hoc muliebre vocari;
Confiteor misero molle cor esse mihi.
Non dubia est Ithaci prudentia; sed tamen optat
Fumum de patriis posse videre focis.
Nescio qua natale solum dulcedine captos 35
Ducit, et immemores non sinit esse sui.
Quid melius Roma? Scythico quid frigore pejus?
Huc tamen ex illa barbarus urbe fugit.
Cum bene sit clausæ cavea Pandione natæ,
Nititur in sylvas illa redire suas. 40
Assuetos tauri saltus, assueta leones,
(Nec feritas illos impedit,) antra petunt

Tu tamen exsilii morsus e pectore nostro
Fomentis speras cedere posse tuis.
Effice, vos ipsi ne tam mihi sitis amandi, 45
Talibus ut levius sit caruisse malum.
At, puto, qua fueram genitus, tellure carenti,
In tamen humano contigit esse loco.
Orbis in extremi jaceo desertus arenis,
Fert ubi perpetuas obruta terra nives. 50
Non ager hic pomum, non dulces educat uvas:
Non salices ripa, robora monte virent.
Neve fretum terra laudes magis; æquora semper
Ventorum rabie, solibus orba, tument.
Quocunque adspicias, campi cultore carentes, 55
Vastaque, quæ nemo vindicet, arva jacent.
Hostis adest dextra lævaque a parte timendus,
Vicinoque metu terret utrumque latus.
Altera Bistonias pars est sensura sarissas,
Altera Sarmatica spicula missa manu. 60
I nunc, et veterum nobis exempla virorum,
Qui forti casum mente tulere, refer.
Et grave magnanimi robur mirare Rutili,
Non usi reditus conditione dati.
Smyrna virum tenuit, non Pontus et hostica tellus; 65
Pæne minus nullo Smyrna petenda loco.
Non doluit patria Cynicus procul esse Sinopeus:
Legit enim sedes, Attica terra, tuas.
Arma Neoclides qui Persica contudit armis,
Argolica primam sensit in urbe fugam. 70
Pulsus Aristides patria Lacedæmona fugit:
Inter quas dubium, quæ prior esset, erat.
Cæde puer facta Patroclus Opunta relinquit,
Thessalicamque adiit hospes Achillis humum.
Exsul ab Hæmonia Pirenida cessit ad undam, 75
Quo duce trabs Colchas sacra cucurrit aquas.
Liquit Agenorides Sidonia mœnia Cadmus,
Poneret ut muros in meliore loco.
Venit ad Adrastum Tydeus Calydone fugatus:
Et Teucrum Veneri grata recepit humus. 80
Quid referam veteres Romanæ gentis, apud quos
Exsulibus tellus ultima Tibur erat?
Persequar ut cunctos; nulli datus omnibus ævis
Tam procul a patria est, horridiorve locus.
[Quo magis ignoscat sapientia vestra dolenti, 85
Qui facit et dictis non ita multa tuis.]
Nec tamen inficior, si possint nostra coire
Vulnera, præceptis posse coire tuis.
Sed vereor, ne me frustra servare labores,
Neu juver admota perditus æger ope. 90
Nec loquor hæc, quia sit major prudentia nobis,
Sed sim, quam medico, notior ipse mihi.
Ut tamen hoc ita sit, munus tua grande voluntas
Ad me pervenit, consuliturque boni.

EPISTOLA IV

UXORI.

Jam mihi deterior canis adspergitur ætas,
Jamque meos vultus ruga senilis arat:
Jam vigor, et quasso languent in corpore vires:
Nec, juveni lusus qui placuere, placent.
Nec, si me subito videas, agnoscere possis; 5
Ætatis facta est tanta ruina meæ.
Confiteor facere hæc annos; sed et altera causa est,
Anxietas animi, continuusque labor.
Nam mea per longos si quis mala digerat annos,
Crede mihi, Pylio Nestore major ero 10
Cernis ut in duris (et quid bove firmius?) arvis
Fortia taurorum corpora frangat opus.
Quæ nunquam vacuo solita est cessare novali,
Fructibus assiduis lassa senescit humus.
Occidet, ad Circi si quis certamina semper, 15
Non intermissis cursibus, ibit equus.
Firma sit illa licet, solvetur in æquore navis,
Quæ nunquam liquidis sicca carebit aquis.
Me quoque debilitat series immensa malorum,
Ante meum tempus cogit et esse senem. 20
Otia corpus alunt; animus quoque pascitur illis.
Immodicus contra carpit utrumque labor.
Adspice, in has partes quod venerit Æsone natus,
Quam laudem a sera posteritate ferat.
At labor illius nostro leviorque minorque, 25
Si modo non verum nomina magna premunt.
Ille est in Pontum, Pelia mittente, profectus,
Qui vix Thessaliæ fine timendus erat.
Cæsaris ira mihi nocuit, quem solis ab ortu
Solis ad occasus utraque terra tremit. 30
Junctior Hæmonia est Ponto, quam Roma, sinistro;
Et brevius, quam nos, ille peregit iter.
Ille habuit comites primos telluris Achivæ;
At nostram cuncti destituere fugam.
Nos fragili vastum ligno sulcavimus æquor; 35
Quæ tulit Æsoniden, firma carina fuit.
Nec Tiphys mihi rector erat, nec Agenore natus
Quas sequerer, docuit, quas fugeremque vias.
Illum tutata est cum Pallade regia Juno;
Defendere meum numina nulla caput. 40
Illum furtivæ juvere Cupidinis artes;
Quas a me vellem non didicisset Amor.
Ille domum rediit; nos his moriemur in arvis,
Perstiterit læsi si gravis ira dei.
Durius est igitur nostrum, fidissima conjux, 45
Illo, quod subiit Æsone natus, onus.
Te quoque, quam juvenem discedens Urbe reliqui,
Credibile est nostris insenuisse malis
O ego di faciant talem te cernere possim,
Caraque mutatis oscula ferre genis; 50
Amplectique meis corpus non pingue lacertis,
Et, Gracile hoc fecit, dicere, cura mei;
Et narrare meos flenti flens ipse labores,
Sperato nunquam colloquioque frui;
Thuraque Cæsaribus, cum conjuge Cæsare digna,
Dis veris, memori debita ferre manu! 56
Memnonis hanc utinam, lenito principe, mater
Quamprimum roseo provocet ore diem!

EPISTOLA V

MAXIMO.

Ille tuos quondam non ultimus inter amicos,
Ut sua verba legas, Maxime, Naso rogat.
In quibus ingenium desiste requirere nostrum,
Nescius exsilii ne videare mei.
Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus: 5
Ut capiant vitium, ni moveantur, aquæ.
Et mihi, si quis erat, ducendi carminis usus
Deficit, estque minor factus inerte situ.
Hæc quoque, quæ legitis, si quid mihi, Maxime credis,
Scribimus invita vixque coacta manu. 10
Non libet in tales animum contendere curas,
Nec venit ad duros Musa vocata Getas.
Ut tamen ipse vides, luctor deducere versum
Sed non fit fato mollior ille meo.

Cum relego, scripsisse pudet; quia plurima cerno
Me quoque, qui feci, judice digna lini. 16
Nec tamen emendo: labor hic, quam scribere, major;
Mensque pati durum sustinet ægra nihil.
Scilicet incipiam lima mordacius uti,
Et sub judicium singula verba vocem? 20
Torquet enim fortuna parum, nisi Nilus in Hebrum
Confluat, et frondes Alpibus addat Athos?
Parcendum est animo miserabile vulnus habenti.
Subducant oneri colla perusta boves.
At, puto, fructus adest, justissima causa laborum,
Et sata cum multo fœnore reddit ager. 26
Tempus ad hoc nobis, repetas licet omnia, nullum
Profuit (atque utinam non nocuisset!) opus.
Cur igitur scribam miraris? miror et ipse;
Et mecum quæro sæpe, quid inde feram. 30
An populus vere sanos negat esse poetas,
Sumque fides hujus maxima vocis ego?
Qui, sterili toties cum sim deceptus ab arvo,
Damnosa persto condere semen humo.
Scilicet est cupidus studiorum quisque suorum,
Tempus et adsueta ponere in arte juvat. 36
Saucius ejurat pugnam gladiator, et idem
Immemor antiqui vulneris arma capit.
Nil sibi cum pelagi dicit fore naufragus undis,
Et ducit remos, qua modo navit aqua. 40
Sic ego constanter studium non utile carpo,
Et repeto, nollem quas coluisse, deas.
Quid potius faciam? non sum, qui segnia ducam
Otia. Mors nobis tempus habetur iners.
Nec juvat in lucem nimio marcescere vino; 45
Nec tenet incertas alea blanda manus.
Cum dedimus somno, quas corpus postulat, horas,
Quo ponam vigilans tempora longa modo?
Moris an oblitus patrii contendere discam
Sarmaticos arcus, et trahar arte loci? 50
Hoc quoque me studium prohibent assumere vires,
Mensque magis gracili corpore nostra valet.
Cum bene quæsieris, quid agam; magis utile nil est
Artibus his, quæ nil utilitatis habent.
Consequor ex illis casus oblivia nostri. 55
Hanc satis est messem si mea reddit humus.
Gloria vos acuat; vos, ut recitata probentur
Carmina, Pieriis invigilate choris.
Quod venit ex facili, satis est componere nobis;
Et nimis intenti causa laboris abest. 60
Cur ego sollicita poliam mea carmina cura?
An verear, ne non approbet illa Getes?
Forsitan audacter faciam, sed glorior, Istrum
Ingenio nullum majus habere meo.
Hoc, ubi vivendum, satis est si consequor arvo,
Inter inhumanos esse poeta Getas. 66
Quo mihi diversum fama contendere in orbem?
Quem fortuna dedit, Roma sit ille locus.
Hoc mea contenta est infelix Musa theatro.
Sic merui; magni sic voluere dei. 70
Nec reor hinc illuc nostris iter esse libellis,
Quo Boreas penna deficiente venit.
Dividimur cœlo; quæque est procul urbe Quirini,
Adspicit hirsutos cominus Ursa Getas.
Per tantum terræ, tot aquas vix credere possim
Indicium studii transiluisse mei. 76
Finge legi, quodque est mirabile, finge placere;
Auctorem certe res juvet ista nihil.
Quo tibi, si calida positus laudere Syene,
Aut ubi Taprobanen Indica cingit aqua? 80
Altius ire libet? si te distantia longe
Pleiadum laudent signa, quid inde feras?
Sed neque pervenio scriptis mediocribus istuc,
Famaque cum domino fugit ab Urbe suo.
Vosque, quibus perii, tunc cum mea fama sepulta est, 85
Nunc quoque de nostra morte tacere reor

EPISTOLA VI

GRÆCINO.

Ecquid ut audisti (nam te diversa tenebat
Terra) meos casus, cor tibi triste fuit?
Dissimules, metuasque licet, Græcine, fateri,
Si bene te novi, triste fuisse liquet.
Non cadit in mores feritas inamabilis istos; 5
Nec minus a studiis dissidet illa tuis.
Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est,
Pectora mollescunt, asperitasque fugit.
Nec quisquam meliore fide complectitur illas,
Qua sinit officium, militiæque labor. 10
Certe ego, cum primum potui sentire quid essem,
(Nam fuit attonito mens mihi nulla diu,)
Hoc quoque fortunæ sensi, quod amicus abesses,
Qui mihi præsidium grande futurus eras.
Tecum tunc aberant ægræ solatia mentis, 15
Magnaque pars animæ consiliique mei.
At nunc, quod superest, fer opem, precor, eminus unam,
Alloquioque juva pectora nostra tuo.
Quæ, non mendaci si quicquam credis amico,
Stulta magis dici, quam scelerata, decet. 20
Nec leve, nec tutum, peccati quæ sit origo,
Scribere: tractari vulnera nostra timent.
Qualicunque modo mihi sint ea facta, rogare
Desine. Non agites, si qua coire velis.
Quicquid id est, ut non facinus, sic culpa vocandum est. 25
Omnis an in magnos culpa deos scelus est?
Spes igitur menti pœnæ, Græcine, levandæ
Non est ex toto nulla relicta meæ.
Hæc dea, cum fugerent sceleratas numina terras,
In dis invisa sola remansit humo. 30
Hæc facit, ut vivat vinctus quoque compede fossor,
Liberaque a ferro crura futura putet.
Hæc facit, ut, videat cum terras undique nullas,
Naufragus in mediis brachia jactet aquis.
Sæpe aliquem sollers medicorum cura reliquit;
Nec spes huic vena deficiente cadit. 36
Carcere dicuntur clausi sperare salutem:
Atque aliquis pendens in cruce vota facit.
Hæc dea quam multos laqueo sua colla ligantes
Non est proposita passa perire nece! 40
Me quoque conantem gladio finire dolorem
Arcuit, injecta continuitque manu.
Quidque facis? lacrymis opus est, non sanguine, dixit;
Sæpe per has flecti principis ira solet.
Quamvis est igitur meritis indebita nostris, 45
Magna tamen spes est in bonitate dei.
Qui ne difficilis mihi sit, Græcine, precare:
Confer et in votum tu quoque verba meum.
Inque Tomitana jaceam tumulatus arena,
Si te non nobis ista vovere liquet. 50
Nam prius incipiant turres vitare columbæ,
Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas,
Quam male se præstet veteri Græcinus amico.
Non ita sunt fatis omnia versa meis

EPISTOLA VII.

MESSALLINO.

Littera pro verbis tibi, Messalline, salutem,
Quam legis, a sævis attulit usque Getis.
Indicat auctorem locus? an, nisi nomine lecto,
Hæc me Nasonem scribere verba latet?
Ecquis in extremo positus jacet orbe tuorum, 5
Me tamen excepto, qui precor esse tuus?
Di procul a cunctis, qui te venerantur amantque,
Hujus notitiam gentis abesse velint.
Nos satis est inter glaciem Scythicasque sagittas
Vivere; si vita est mortis habenda genus. 10
Nos premat aut bello tellus, aut frigore cœlum:
Truxque Getes armis, grandine pulset hiems:
Nos habeat regio, nec pomo feta, nec uvis;
Et cujus nullum cesset ab hoste latus.
Cætera sit sospes cultorum turba tuorum; 15
In quibus, ut populo, pars ego parva fui.
Me miserum, si tu verbis offenderis istis,
Nosque negas ulla parte fuisse tuos!
Idque sit ut verum, mentito ignoscere debes.
Nil demit laudi gloria nostra tuæ. 20
Quis se Cæsaribus notus non fingit amicum?
Da veniam fasso; tu mihi Cæsar eris.
Nec tamen irrumpo, quo non licet ire: satisque est,
Atria si nobis non patuisse negas.
Utque tibi fuerit mecum nihil amplius; uno 25
Nempe salutaris, quam prius, ore minus.
Nec tuus est genitor nos inficiatus amicos,
Hortator studii, causaque, faxque mei.
Cui nos et lacrymas, supremum in funere munus,
Et dedimus medio scripta canenda foro. 30
Adde quod est frater tanto tibi junctus amore,
Quantus in Atridis Tyndaridisque fuit.
Is me nec comitem nec dedignatus amicum est;
Si tamen hæc illi non nocitura putas.
Si minus, hac quoque me mendacem parte fatebor.
Clausa mihi potius tota sit ista domus. 36
Sed neque claudenda est; et nulla potentia vires
Præstandi, ne quid peccet amicus, habet.
Et tamen ut cuperem, culpam quoque posse negari;
Sic facinus nemo nescit abesse mihi. 40
Quod nisi delicti pars excusabilis esset;
Parva relegari pœna futura fuit.
Ipse sed hoc vidit, qui pervidet omnia, Cæsar,
Stultitiam dici crimina posse mea.
Quaque ego permisi, quaque est res passa, pepercit; 45
Usus et est modice fulminis igne sui.
Nec vitam, nec opes, nec ademit posse reverti,
Si sua per vestras victa sit ira preces.
At graviter cecidi. Quid enim mirabile, si quis
A Jove percussus non leve vulnus habet? 50
Ipse suas ut jam vires inhiberet Achilles,
Missa graves ictus Pelias hasta tulit.
Judicium nobis igitur cum vindicis adsit,
Non est, cur tua me janua nosse neget.
Culta quidem, fateor, citra quam debuit illa; 55
Sed fuit in fatis hoc quoque, credo, meis.
Nec tamen officium sensit magis altera nostrum.
Hic, illic, vestro sub lare semper eram.
Quæque tua est pietas, ut te non excolat ipsum,
Jus aliquod tecum fratris amicus habet. 60
Quid, quod, ut emeritis referenda est gratia semper,
Sic est fortunæ promeruisse tuæ?
Quod si permittis nobis suadere, quid optes;
Ut des, quam reddas, plura, precare deos.
Idque facis, quantumque licet meminisse, solebas
Officii causam pluribus esse dati. 66
Quo libet in numero me, Messalline, repone:
Sim modo pars vestræ non aliena domus.
Et mala Nasonem, quoniam meruisse videtur,
Si non ferre doles, at meruisse dole 70

EPISTOLA VIII.

SEVERO.

A tibi dilecto missam Nasone salutem
Accipe, pars animæ magna, Severe, meæ.
Neve roga, quid agam: si persequar omnia, flebis,
Summa satis nostri si tibi nota mali.
Vivimus assiduis expertes pacis in armis, 5
Dura pharetrato bella movente Geta.
Deque tot expulsis sum miles in exsule solus:
Tuta, nec invideo, cætera turba jacet.
Quoque magis nostros venia dignere libellos,
Hæc in procinctu carmina facta leges. 10
Stat vetus urbs, ripæ vicina binominis Istri,
Mœnibus et positu vix adeunda loci.
Caspius Ægypsos, de se si credimus ipsis,
Condidit, et proprio nomine dixit opus.
Hanc ferus, Odrysiis inopino Marte peremtis,
Cepit, et in regem sustulit arma Getes. 16
Ille memor magni generis, virtute quod auget,
Protinus innumero milite cinctus adest.
Nec prius abscessit, merita quam cæde nocentum
Se nimis ulciscens exstitit ipse nocens. 20
At tibi, rex ævo, detur, fortissime nostro,
Semper honorata sceptra tenere manu.
Teque, quod et præstat, (quid enim tibi plenius optem?)
Martia cum magno Cæsare Roma probet.
Sed memor unde abii, queror, o jucunde sodalis,
Accedant nostris sæva quod arma malis. 26
Ut careo vobis, Stygias detrusus in oras,
Quatuor autumnos, Pleias orta facit.
Nec tu crediderís urbanæ commoda vitæ
Quærere Nasonem; quærit et illa tamen. 30
Nam modo vos animo, dulces, reminiscor, amici:
Nunc mihi cum cara conjuge nata subit:
Eque domo rursus pulchræ loca vertor ad Urbis,
Cunctaque mens oculis pervidet illa suis.
Nunc fora, nunc ædes, nunc marmore tecta theatra,
Nunc subit æquata porticus omnis humo. 36
Gramina nunc Campi pulchros spectantis in hortos,
Stagnaque et Euripi, Virgineusque liquor.
At, puto, sic Urbis misero est erepta voluptas,
Quolibet ut saltem rure frui liceat. 40
Non meus amissos animus desiderat agros,
Ruraque Peligno conspicienda solo:
Nec quos piniferis positos in collibus hortos
Spectat Flaminiæ Clodia juncta viæ:
Quos ego nescio cui colui; quibus ipse solebam
Ad sata fontanas (nec pudet) addere aquas. 46
Sunt ibi, si vivunt, nostra quoque consita quondam,
Sed non et nostra poma legenda manu.
Pro quibus amissis utinam contingere possit
Hic saltem profugo gleba colenda mihi! 50
Ipse ego pendentes, liceat modo, rupe capellas,
Ipse velim baculo pascere nixus oves.
Ipse ego, ne solitis insistant pectora curis,
Ducam ruricolas sub juga panda boves:
Et discam Getici quæ norint verba juvenci: 55
Assuetas illis adjiciamque minas

Ipse manu capulum pressi moderatus aratri
Experiar mota spargere semen humo.
Nec dubitem longis purgare ligonibus arva,
Et dare jam, sitiens quas bibat hortus, aquas. 60
Unde sed hoc nobis, minimum quos inter et hostem
Discrimen murus clausaque porta facit?
At tibi nascenti, quod toto pectore lætor,
Nerunt fatales fortia fila deæ.
Te modo Campus habet, densa modo porticus umbra: 65
Nunc, in quo ponis tempora rara, forum.
Umbria nunc revocat: nec non Albana petentem
Appia ferventi ducit in arva rota.
Forsitan hic optes, ut justam supprimat iram
Cæsar, et hospitium sit tua villa meum. 70
Ah nimium est quod, amice, petis! moderatius opta,
Et voti, quæso, contrahe vela tui.
Terra velim propior, nullique obnoxia bello
Detur; erit nostris pars bona demta malis.

EPISTOLA IX.

MAXIMO.

Quæ mihi de rapto tua venit epistola Celso,
Protinus est lacrymis humida facta meis.
Quodque nefas dictu, fieri nec posse putavi,
Invitis oculis littera lecta tua est.
Nec quicquam ad nostras pervenit acerbius aures
Ut sumus in Ponto; perveniatque precor. 6
Ante meos oculos tanquam præsentis imago
Hæret, et exstinctum vivere fingit amor.
Sæpe refert animus lusus gravitate carentes;
Seria cum liquida sæpe peracta fide. 10
Nulla tamen subeunt mihi tempora densius illis,
Quæ vellem vitæ summa fuisse meæ;
Cum domus ingenti subito mea lapsa ruina
Concidit, in domini procubuitque caput.
Affuit ille mihi, cum pars me magna reliquit, 15
Maxime, Fortunæ nec fuit ipse comes.
Illum ego non aliter flentem mea funera vidi,
Ponendus quam si frater in igne foret.
Hæsit in amplexu, consolatusque jacentem est,
Cumque meis lacrymis miscuit usque suas. 20
O quoties vitæ custos invisus amaræ
Continuit promtas in mea fata manus!
O quoties dixit, Placabilis ira deorum est;
Vive, nec ignosci tu tibi posse nega.
Vox tamen illa fuit celeberrima, Respice quantum
Debeat auxilii Maximus esse tibi, 26
Maximus incumbet, quaque est pietate, rogabit,
Ne sit ad extremum Cæsaris ira tenax:
Cumque sui fratris vires adhibebit, et omnem,
Quo levius doleas, experietur opem. 30
Hæc mihi verba malæ minuerunt tædia vitæ.
Quæ tu, ne fuerint, Maxime, vana, cave.
Huc quoque venturum mihi se jurare solebat,
Non nisi te longæ jus sibi dante viæ.
Nam tua non alio coluit penetralia ritu, 35
Terrarum dominos quam colis ipse deos.
Crede mihi; multos habeas cum dignus amicos,
Non fuit e multis quolibet ille minor;
Si modo nec census, nec clarum nomen avorum,
Sed probitas magnos ingeniumque facit. 40
Jure igitur lacrymas Celso libamus ademto,
Cum fugerem, vivo quas dedit ille mihi.
Carmina jure damus, raros testantia mores;
Ut tua venturi nomina, Celse, legant.
Hoc est, quod possum Geticis tibi mittere ab arvis:
Hoc solum est istic, quod liquet esse meum. 46
Funera nec potui comitare, nec ungere corpus:
Aque tuis toto dividor orbe rogis.
Qui potuit, quem tu pro numine vivus habebas,
Præstitit officium Maximus omne tibi. 50
Ille tibi exsequias, et magni funus honoris
Fecit; et in gelidos versit amoma sinus.
Diluit et lacrymis mærens unguenta profusis;
Ossaque vicina condita texit humo.
Qui quoniam exstinctis, quæ debet, præstat amicis,
Et nos exstinctis adnumerare potest. 56

EPISTOLA X.

FLACCO.

Naso suo profugus mittit tibi, Flacce, salutem;
Mittere rem si quis, qua caret ipse, potest.
Longus enim curis vitiatum corpus amaris
Non patitur vires languor habere suas.
Nec dolor ullus adest, nec febribus uror anhelis,
Et peragit soliti vena tenoris iter. 6
Os hebes est, positæque movent fastidia mensæ,
Et queror, invisi cum venit hora cibi.
Quod mare, quod tellus, appone, quod educat aer;
Nil ibi, quod nobis esuriatur, erit. 10
Nectar et ambrosiam, latices epulasque deorum,
Det mihi formosa nava Juventa manu,
Non tamen exacuet torpens sapor ille palatum:
Stabit et in stomacho pondus inerte diu.
Hæc ego non ausim, cum sint verissima, cuivis
Scribere, delicias ne mala nostra vocent. 16
Scilicet is status est, ea rerum forma mearum,
Deliciis etiam possit ut esse locus.
Delicias illi precor has contingere, si quis,
Ne mihi sit levior Cæsaris ira, timet. 20
Is quoque, qui gracili cibus est in corpore, somnus
Non alit officio corpus inane suo:
Sed vigilo, vigilantque mei sine fine dolores;
Quorum materiam dat locus ipse mihi.
Vix igitur possis visos agnoscere vultus; 25
Quoque ierit, quæras, qui fui ante, color.
Parvus in exiles succus mihi pervenit artus,
Membraque sunt cera pallidiora nova.
Non hæc immodico contraxi damna Lyæo:
Scis mihi quam solæ pæne bibantur aquæ. 30
Non epulis oneror: quarum si tangar amore,
Est tamen in Geticis copia nulla locis.
Nec vires adimit Veneris damnosa voluptas:
Non solet in mæstos illa venire toros.
Unda locusque nocent; et causa valentior istis,
Anxietas animi, quæ mihi semper adest. 36
Hanc nisi tu pariter simili cum fratre levares,
Vix mens tristitiæ mæsta tulisset onus.
Vos estis fragili tellus non dura phaselo;
Quamque negant multi, vos mihi fertis opem.
Ferte precor semper, quia semper egebimus illa,
Cæsaris offensum dum mihi numen erit. 42
Qui meritam nobis minuat, non finiat iram,
Suppliciter vestros quisque rogate deos.

LIBER SECUNDUS

EPISTOLA I.

GERMANICO CÆSARI.

Huc quoque Cæsarei pervenit fama triumphi,
Languida quo fessi vix venit aura Noti.
Nil fore dulce mihi Scythica regione putavi.
Jam minus hic odio est, quam fuit ante, locus.
Tandem aliquid pulsa curarum nube serenum 5
Vidi, fortunæ verba dedique meæ.
Nolit ut ulla mihi contingere gaudia Cæsar,
Velle potest cuivis hæc tamen una dari.
Di quoque, ut a cunctis hilari pietate colantur,
Tristitiam poni per sua festa jubent. 10
Denique, quod certus furor est audere fateri,
Hac ego lætitia, si vetet ipse, fruar.
Jupiter utilibus quoties juvat imbribus agros,
Mista tenax segeti crescere lappa solet.
Nos quoque frugiferum sentimus inutilis herba
Numen, et invita sæpe juvamur ope. 16
Gaudia Cæsareæ mentis pro parte virili
Sunt mea : privati nil habet illa domus.
Gratia, Fama, tibi : per quam spectata triumphi
Incluso mediis est mihi pompa Getis. 20
Indice te didici, nuper visenda coisse
Innumeras gentes ad ducis ora sui ;
Quæque capit vastis immensum mœnibus orbem,
Hospitiis Romam vix habuisse locum.
Tu mihi narrasti, cum multis lucibus ante 25
Fuderit assiduas nubilus Auster aquas,
Lumine cœlesti solem fulsisse serenum,
Cum populi vultu conveniente die.
Atque ita vectorem, cum magno vocis honore,
Bellica laudatis dona dedisse viris ; 30
Claraque sumturum pictas insignia vestes,
Thura prius sanctis imposuisse focis :
Justitiamque sui caste placasse parentis,
Illo quæ templum pectore semper habet.
Quaque ierit, felix adjectum plausibus omen, 35
Saxaque jactatis erubuisse rosis.
Protinus argento veros imitantia muros
Barbara cum victis oppida lata viris ;
Fluminaque, et montes, et in altis pascua sylvis ;
Armaque cum telis in strue mista suis. 40
Deque triumphato, quod sol incenderit, auro
Aurea Romani tecta fuisse fori.
Totque tulisse duces captivis addita collis
Vincula, pæne hostes quot satis esse fuit.
Maxima pars horum vitam veniamque tulerunt :
In quibus et belli summa caputque Bato. 46
Cur ego posse negem minui mihi numinis iram,
Cum videam mites hostibus esse deos ?
Pertulit huc idem nobis, Germanice, rumor,
Oppida sub titulo nominis isse tui : 50
Atque ea te contra, nec muri mole, nec armis,
Nec satis ingenio tuta fuisse loci.
Di tibi dent annos ! a te nam cætera sumes,
Sint modo virtuti tempora longa tuæ.
Quod precor eveniet. Sunt quiddam oracula vatum. 55
Nam deus optanti prospera signa dedit.
Te quoque victorem Tarpeias scandere in arces
Læta coronatis Roma videbit equis.
Maturosque pater nati spectabit honores,
Gaudia percipiens, quæ dedit ipse suis. 60
Jam nunc hæc a me, juvenum bellique togaque
Maxime, dicta tibi vaticinante nota.
Hunc quoque carminibus referam fortasse triumphum ;
Sufficiet nostris si modo vita malis :
Imbuero Scythicas si non prius ipse sagittas : 65
Abstuleritque ferox hoc caput ense Getes.
Quod si, me salvo, dabitur tibi laurea templis ;
Omina bis dices vera fuisse mea.

EPISTOLA II.

MESSALLINO.

Ille domus vestræ primis venerator ab annis
Pulsus ad Euxini Naso sinistra freti,
Mittit ab indomitis hanc, Messalline, salutem,
Quam solitus præsens est tibi ferre, Getis.
Heu mihi, si lecto vultus tibi nomine non est 5
Qui fuit, et dubitas cætera perlegere !
Perlege, nec mecum pariter mea verba relega :
Urbe licet vestra versibus esse meis.
Non ego concepi, si Pelion Ossa tulisset,
Clara mea tangi sidera posse manu. 10
Nec nos, Enceladi dementia castra secuti,
In rerum dominos movimus arma deos.
Nec, quod Tydidæ temeraria dextera fecit,
Numina sunt telis ulla petita meis.
Est mea culpa gravis, sed quæ me perdere solum
Ausa sit, et nullum majus adorta nefas. 16
Nil nisi non sapiens possum timidusque vocari :
Hæc duo sunt animi nomina vera mei.
Esse quidem fateor, meritam post Cæsaris iram,
Difficilem precibus te quoque jure meis. 20
Quæque tua est pietas in totum nomen Iuli,
Te lædi, cum quis læditur inde, putas.
Sed licet arma feras, et vulnera sæva mineris,
Non tamen efficies, ut timeare mihi.
Puppis Achæmeniden Graium Trojana recepit :
Profuit et Myso Pelias hasta duci. 26
Confugit interdum templi violator ad aram,
Nec petere offensi numinis horret opem.
Dixerit hoc aliquis tutum non esse ; fatemur.
Sed non per placidas it mea puppis aquas. 30
Tuta petant alii Fortuna miserrima tuta est ;
Nam timor eventus deterioris abest.
[Qui rapitur fatis, quid præter fata requirat ?
Sæpe creat molles aspera spina rosas.]
Qui rapitur spumante salo, sua brachia cauti 35
Porrigit, et spinas duraque saxa capit.
Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales
Audet ad humanos fessa venire sinus.
Nec se vicino dubitat committere tecto,
Quæ fugit infestos territa cerva canes. 40
Da precor accessum lacrymis, mitissime, nostris ;
Nec timidis rigidam vocibus obde forem :
Verbaque nostra favens Romana ad numina perfer,
Non tibi Tarpeio culta Tonante minus.
Mandatique mei legatus suscipe causam : 45
Nulla meo quamvis nomine causa bona est.

Jam prope depositus, certe jam frigidus æger,
Servatus per te, si modo server, ero.
Nunc tua pro lapsis nitatur gratia rebus,
Principis æterni quam tibi præstat amor. 50
Nunc tibi et eloquii nitor ille domesticus adsit,
Quo poteras trepidis utilis esse reis.
Vivit enim in vobis facundi lingua parentis;
Et res hæredem reperit illa suum.
Hanc ego non, ut me defendere tentet, adoro. 55
Non est confessi causa tuenda rei.
Num tamen excuses erroris imagine factum,
An nihil expediat tale movere, vide.
Vulneris id genus est, quod cum sanabile non sit,
Non contrectari tutius esse putem. 60
Lingua, sile: non est ultra narrabile quicquam.
Posse velim cineres obruere ipse meos.
Sic igitur, quasi me nullus deceperit error,
Verba face, ut vita, quam dedit ipse, fruar.
Cumque serenus erit, vultusque remiserit illos, 65
Qui secum terras imperiumque movent;
Exiguam ne me prædam sinat esse Getarum,
Detque solum miseræ mite, precare, fugæ.
Tempus adest aptum precibus: valet ipse, videtque
Quas fecit vires, Roma, valere tuas 70
Incolumis conjux sua pulvinaria servat:
Promovet Ausonium filius imperium.
Præterit ipse suos animo Germanicus annos,
Nec vigor est Drusi nobilitate minor.
Adde nurus, neptesque pias, natosque nepotum,
Cæteraque Augustæ membra valere domus. 76
Adde triumphatos modo Pæonas, adde quieti
Subdita montanæ brachia Dalmatiæ.
Nec dedignata est abjectis Illyris armis
Cæsareum famulo vertice ferre pedem. 80
Ipse super currum placido spectabilis ore
Tempora Phœbea virgine nexa tulit.
Quem pia vobiscum proles comitavit euntem,
Digna parente suo, nominibusque datis;
Fratribus adsimilis, quos proxima templa tenentes
Divus ab excelsa Julius æde videt. 86
His Messallinus, quibus omnia cedere debent,
Primum lætitiæ non negat esse locum
Quicquid ab his superest, venit in certamen amoris:
Hac hominum nulli parte secundus eris. 90
Hunc colis, ante diem per quem decreta merenti
Venit honoratis laurea digna comis.
Felices, quibus hos licuit spectare triumphos,
Et ducis ore deos æquiparante frui.
At mihi Sauromatæ pro Cæsaris ore videndi, 95
Terraque pacis inops, undaque vincta gelu.
Si tamen hæc audis, et vox mea pervenit istuc;
Sit tua mutando gratia blanda loco.
Hoc pater ille tuus, primo mihi cultus ab ævo,
Si quid habet sensus umbra diserta, petit. 100
Hoc petit et frater: quamvis fortasse veretur,
Servandi noceat ne tibi cura mei.
Tota domus petit hoc: nec tu potes ipse negare,
Et nos in turbæ parte fuisse tuæ.
Ingenii certe, quo nos male sensimus usos, 105
Artibus exceptis, sæpe probator eras.
Nec mea, si tantum peccata novissima demas,
Esse potest domui vita pudenda tuæ.
Sic igitur vestræ vigeant penetralia gentis,
Curaque sit superis Cæsaribusque tui; 110
Mite, sed iratum merito mihi numen, adora,
Eximat ut Scythica me feritate loci.
Difficile est, fateor; sed tendit in ardua virtus:
Et talis meriti gratia major erit.
Nec tamen Ætnæus vasto Polyphemus in antro
Accipiet voces Antiphatesve tuas; 116
Sed placidus facilisque parens, veniæque paratus;
Et qui fulmineo sæpe sine igne tonat.
Qui cum triste aliquid statuit, fit tristis et ipse:
Cuique fere pœnam sumere pœna sua est. 120
Victa tamen vitio est hujus clementia nostro:
Venit et ad vires ira coacta suas.
Qui quoniam patria toto sumus orbe remoti,
Nec licet ante ipsos procubuisse deos;
Quos colis, ad superos hæc fer mandata sacerdos,
Adde sed et proprias in mea verba preces. 126
Sic tamen hæc tenta, si non nocitura putabis.
Ignoscas: timeo naufragus omne fretum.

EPISTOLA III.

MAXIMO.

Maxime, qui claris nomen virtutibus æquas,
Nec sinis ingenium nobilitate premi;
Culte mihi (quid enim status hic a funere differt?)
Supremum vitæ tempus adusque meæ:
Rem facis, afflictum non aversatus amicum, 5
Qua non est ævo rarior ulla tuo.
Turpe quidem dictu, sed, si modo vera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat.
Cura quid expediat prius est, quam quid sit honestum:
Et cum Fortuna statque caditque fides. 10
Nec facile invenias multis e millibus unum
Virtutem pretium qui putet esse sui.
Ipse decor, recte facti si præmia desint,
Non movet, et gratis pœnitet esse probum.
Nil, nisi quod prodest, carum est. I, detrahe menti
Spem fructus avidæ, nemo petendus erit. 16
At reditus jam quisque suos amat, et sibi quid sit
Utile, sollicitis supputat articulis.
Illud Amicitiæ quondam venerabile numen
Prostat, et in quæstu pro meretrice sedet. 20
Quo magis admiror, non, ut torrentibus undis,
Communis vitii te quoque labe trahi.
Diligitur nemo, nisi cui Fortuna secunda est.
Quæ simul intonuit, proxima quæque fugat.
En ego, non paucis quondam munitus amicis, 25
Dum flavit velis aura secunda meis;
Ut fera nimboso tumuerunt æquora vento,
In mediis lacera puppe relinquor aquis.
Cumque alii nolint etiam me nosse videri,
Vix duo projecto tresve tulistis opem. 30
Quorum tu princeps: nec enim comes esse, sed auctor,
Nec petere exemplum, sed dare dignus eras.
Te, nihil exacto, nisi nos peccasse fatentem
Sponte sua probitas officiumque juvant.
Judice te mercede carret, per seque petenda est 35
Externis virtus incomitata bonis.
Turpe putas abigi, quia sit miserandus, amicum,
Quodque sit infelix, desinere esse tuum.
Mitius est lasso digitum supponere mento,
Mergere quam liquidis ora natantis aquis. 40
Cerne, quid Æacides post mortem præstet amico:
Instar et hanc vitam mortis habere puta.
Pirithoum Theseus Stygias comitavit ad undas:
A Stygiis quantum sors mea distat aquis!
Adfuit insano juvenis Phoceus Orestæ: 45
Et mea non minimum culpa furoris habet.
Tu quoque magnorum laudes admitte virorum,
Utque facis, lapso, quam potes, affer opem.

Si bene te novi ; si, quod prius esse solebas,
Nunc quoque es, atque animi non cecidere tui ;
Quo Fortuna magis sævit, magis ipse resistis, 51
Utque decet, ne te vicerit illa, caves.
Et bene uti pugnes, bene pugnans efficit hostis.
Sic eadem prodest causa, nocetque mihi.
Scilicet indignum, juvenis rarissime, ducis, 55
Te fieri comitem stantis in orbe deæ.
Firmus es ; et quoniam non sunt ea, qualia velles,
Vela regis quassæ qualiacunque ratis.
Quæque ita concussa est, ut jam casura putetur,
Restat adhuc humeris fulta ruina tuis. 60
Ira quidem primo fuerat tua justa, nec ipso
Lenior, offensus qui mihi jure fuit.
Quique dolor pectus tetigisset Cæsaris alti,
Illum jurabas protinus esse tuum.
Ut tamen audita est nostræ tibi cladis origo, 65
Diceris erratis ingemuisse meis.
Tum tua me primum solari littera cœpit,
Et læsum flecti spem dare posse deum.
Movit amicitiæ tum te constantia longæ,
Ante tuos ortus quæ mihi cœpta fuit : 70
Et quod eras aliis factus, mihi natus amicus :
Quodque tibi in cunis oscula prima dedi.
Quod, cum vestra domus teneris mihi semper ab annis
Culta sit, esse vetus nunc tibi cogor onus.
Me tuus ille pater, Latiæ facundia linguæ, 75
Quæ non inferior nobilitate fuit,
Primus ut auderem committere carmina famæ
Impulit : ingenii dux fuit ille mei.
Nec, quo sit primum nobis a tempore cultus,
Contendo fratrem posse referre tuum. 80
Te tamen ante omnes ita sum complexus, ut unus
Quolibet in casu gratia nostra fores.
Ultima me tecum vidit, mæstisque cadentes
Excepit lacrymas Italis ora genis.
Cum tibi quærenti, num verus nuntius esset, 85
Attulerat culpæ quem mala fama meæ ;
Inter confessum dubie dubieque negantem
Hærebam, pavidas dante timore notas :
Exemploque nivis, quam solvit aquaticus Auster,
Gutta per attonitas ibat oborta genas. 90
Hæc igitur referens ; et quod mea crimina primi
Erroris venia posse latere vides ;
Respicis antiquum lapsis in rebus amicum,
Fomentisque juvas vulnera nostra tuis.
Pro quibus optandi si nobis copia fiat, 95
Tam bene promerito commoda mille precer.
Sed si sola mihi dentur tua vota ; precabor,
Ut tibi sit salvo Cæsare salva parens.
Hæc ego, cum faceres altaria pinguia thure,
Te solitum memini prima rogare deos. 100

EPISTOLA IV

ATTICO.

Accipe colloquium gelido Nasonis ab Istro,
Attice, judicio non dubitande meo.
Ecquid adhuc remanes memor infelicis amici ?
Deserit an partes languida cura suas ?
Non ita di tristes mihi sunt, ut credere possim, 5
Fasque putem jam te non meminisse mei.
Ante meos oculos tua stat, tua semper imago est,
Et videor vultus mente videre tuos.
Seria multa mihi tecum collata recordor :
Nec data jucundis tempora pauca jocis. 10
Sæpe citæ longis visæ sermonibus horæ :
Sæpe fuit brevior, quam mea verba, dies.
Sæpe tuas factum venit modo carmen ad aures,
Et nova judicio subdita Musa tuo est.
Quod tu laudaras, populo placuisse putabam : 15
Hoc pretium curæ dulce recentis erat.
Utque meus lima rasus liber esset amici,
Non semel admonitu facta litura tuo est.
Nos fora viderunt pariter, nos porticus omnis,
Nos via, nos junctis curva theatra locis. 20
Denique tantus amor nobis, carissime, semper,
Quantus in Æacide Actorideque fuit.
Non ego, securæ biberes si pocula Lethes,
Excidere hæc credam pectore posse tuo.
Longa dies citius brumali sidere, noxque 25
Tardior hiberna solstitialis erit :
Nec Babylon æstum, nec frigora Pontus habebit,
Calthaque Pæstanas vincet odore rosas :
Quam tibi nostrarum veniant oblivia rerum.
Non ita pars fati candida nulla mei. 30
Ne tamen hæc dici possit fiducia mendax,
Stultaque credulitas nostra fuisse, cave :
Constantique fide veterem tutare sodalem
Qua licet, et quantum non onerosus ero.

EPISTOLA V.

SALANO.

Condita disparibus numeris ego Naso Salano
Præposita misi verba salute meo.
Qua rata sit cupio, rebusque ut comprobet omen,
Te precor a salvo possit, amice, legi.
Candor, in hoc ævo res intermortua pæne, 5
Exigit, ut faciam talia vota, tuus.
Nam fuerim quamvis modico tibi cognitus usu,
Diceris exsiliis ingemuisse meis.
Missaque ab extremo legeres cum carmina Ponto,
Illa tuus juvit qualiacunque favor. 10
Optastique brevem salvi mihi Cæsaris iram ;
Quod tamen optari, si sciat, ipse sinat.
Moribus ista tuis tam mitia vota dedisti :
Nec minus idcircò sunt ea grata mihi.
Quoque magis moveare malis, doctissime, nostris,
Credibile est fieri conditione loci. 16
Vix hac invenias totum, mihi crede, per orbem,
Quæ minus Augusta pace fruatur, humum.
Tu tamen hic structos inter fera prælia versus
Et legis, et lectos ore favente probas. 20
Ingenioque meo, vena quod paupere manat,
Plaudis, et e rivo flumina magna facis.
Grata quidem sunt hæc animo suffragia nostro ;
Vix sibi cum miseros posse placere putes.
Dum tamen in rebus tentamus carmina parvis,
Materiæ gracili sufficit ingenium. 26
Nuper ut huc magni pervenit fama triumphi ;
Ausus sum tantæ sumere molis opus.
Obruit audentem rerum gravitasque nitorque :
Nec potui cœpti pondera ferre mei. 30
Illic, quam laudes, erit officiosa voluntas.
Cætera materia debilitata jacent.
Quod si forte liber vestras pervenit ad aures,
Tutelam, mando, sentiat ille tuam
Hoc tibi facturo, vel si non ipse rogarem, 35
Accedat cumulus gratia nostra levis.
Non ego laudandus, sed sunt tua pectora lacte
Et non calcata candidiora nive.
Mirarisque alios, cum sis mirabilis ipse ;
Nec lateant artes, eloquiumque tuum. 40
Te juvenum princeps, cui dat Germania nomen,
Participem studii Cæsar habere solet.
Tu comes antiquus, tu primis junctus ab annis,
Ingenio mores æquiparante, places.

Te dicente prius fit protinus impetus illi : 45
Teque habet, elicias qui sua verba tuis.
Cum tu desisti, mortaliaque ora quierunt,
Clausaque non longa conticuere mora ;
Surgit Iuleo juvenis cognomine dignus,
Qualis ab Eois Lucifer exit aquis. 50
Dumque silens adstat, status est vultusque diserti,
Spemque decens doctæ vocis amictus habet.
Mox, ubi pulsa mora est, atque os cœleste solutum,
Hoc superos jures more solere loqui.
Atque, Hæc est, dicas, facundia principe digna :
Eloquio tantum nobilitatis inest. 56
Huic tu cum placeas, et vertice sidera tangas,
Scripta tamen profugi vatis habenda putas.
Scilicet ingeniis aliqua est concordia junctis,
Et servat studii fœdera quisque sui. 60
Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem dubiæ navita puppis amat.
Tu quoque Pieridum studio, studiose, teneris,
Ingenioque faves, ingeniose, meo.
Distat opus nostrum ; sed fontibus exit ab isdem:
Artis et ingenuæ cultor uterque sumus. 66
Thyrsus enim vobis, gestata est laurea nobis ;
Sed tamen ambobus debet inesse calor.
Utque meis numeris tua dat facundia nervos ;
Sic venit a nobis in tua verba nitor. 70
Jure igitur studio confinia carmina vestro,
Et commilitii sacra tuenda putas.
Pro quibus ut maneat, de quo censeris, amicus,
Comprecor, ad vitæ tempora summa tuæ ;
Succedatque tuis orbis moderator habenis. 75
Quod mecum populi vota precantur idem

EPISTOLA VI.

GRÆCINO.

Carmine Græcinum, qui præsens voce solebat,
Tristis ab Euxinis Naso salutat aquis.
Exsulis hæc vox est: præbet mihi littera linguam:
Et, si non liceat scribere, mutus ero.
Corripis, ut debes, stulti peccata sodalis, 5
Et mala me meritis ferre minora doces.
Vera facis, sed sera, meæ convicia culpæ.
Aspera confesso verba remitte reo.
Cum poteram recto transire Ceraunia velo,
Ut fera vitarem saxa, monendus eram. 10
Nunc mihi naufragio quid prodest discere facto,
Quam mea debuerit currere cymba viam ?
Brachia da lasso potius prendenda natanti,
Nec pigeat mento supposuisse manum.
Idque facis, faciasque precor. Sic mater et uxor,
Sic tibi sint fratres, totaque salva domus. 16
Quodque soles animo, quod semper voce precari,
Omnia Cæsaribus sic tua facta probes.
Turpe erit in miseris veteri tibi rebus amico
Auxilium nulla parte tulisse tuum. 20
Turpe referre pedem, nec passu stare tenaci :
Turpe laborantem deseruisse ratem.
Turpe sequi casum, et fortunæ cedere, amicum
Et, nisi sit felix, esse negare suum.
Non ita vixerunt Strophio atque Agamemnone nati : 25
Non hæc Ægidæ Pirithoique fides ;
Quos prior est mirata, sequens mirabitur ætas :
In quorum plausus tota theatra sonant.
Tu quoque, per durum servato tempus amico,
Dignus es in tantis nomen habere viris. 30
Dignus es : et, quoniam laudem pietate mereris,
Non erit officii gratia surda tui.
Crede mihi, nostrum si non mortale futurum
Carmen, in ore frequens posteritatis eris.
Fac modo permaneas lapso, Græcine, fidelis ; 35
Duret et in longas impetus iste moras.
Quæ tu cum præstes, remo tamen utor in aura.
Nil nocet admisso subdere calcar equo.

EPISTOLA VII.

ATTICO.

Esse salutatum vult te mea littera primum
A male pacatis, Attice, missa Getis.
Proxima subsequitur, quid agas, audire voluptas;
Et si, quicquid agas, sit tibi cura mei.
Nec dubito quin sit : sed me timor ipse malorum
Sæpe supervacuos cogit habere metus. 6
Da veniam, quæso, nimioque ignosce timori.
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.
Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus unca cibis æra subesse putat. 10
Sæpe canem longe visum fugit agna, lupumque
Credit ; et ipsa suam nescia vitat opem.
Membra reformidant mollem quoque saucia tactum :
Vanaque sollicitis incutit umbra metum.
Sic ego Fortunæ telis confixus iniquis, 15
Pectore concipio nil nisi triste meo.
Jam mihi fata liquet, cœptos servantia cursus,
Per sibi consuetas semper itura vias.
Observare deos, ne quid mihi cedat amice,
Verbaque Fortunæ vix puto posse dari. 20
Est illi curæ me perdere, quæque solebat
Esse levis, constans et bene certa nocet
Crede mihi, si sum veri tibi cognitus oris,
Nec fraus in nostris casibus esse potest;
Cinyphiæ segetis citius numerabis aristas, 25
Altaque quam multis floreat Hybla thymis :
Et quot aves motis nitantur in aera pennis,
Quotque natent pisces æquore, certus eris :
Quam tibi nostrorum statuatur summa laborum,
Quos ego sum terra, quos ego passus aqua. 30
Nulla Getis toto gens est truculentior orbe :
Sed tamen hi nostris ingemuere malis.
Quæ tibi si memori coner perscribere versu,
Ilias est fatis longa futura meis.
Non igitur vereor, quod te rear essere rendum,
Cujus amor nobis pignora mille dedit ; 36
Sed quia res timida est omnis miser; et quia longo
Tempore lætitiæ janua clausa meæ est.
Jam dolor in morem venit meus : utque caducis
Percussu crebro saxa cavantur aquis ; 40
Sic ego continuo Fortunæ vulneror ictu,
Vixque habet in nobis jam nova plaga locum.
Nec magis assiduo vomer tenuatur ab usu,
Nec magis est curvis Appia trita rotis ;
Pectora quam mea sunt serie cæcata laborum,
Et nihil inveni, quod mihi ferret opem. 46
Artibus ingenuis quæsita est gloria multis :
Infelix perii dotibus ipse meis.
Vita prior vitio caret, et sine labe peracta:
Auxilii misero nil tulit illa mihi. 50
Culpa gravis precibus donatur sæpe suorum :
Omnis pro nobis gratia muta fuit.
Adjuvat in duris alios præsentia rebus.
Obruit hoc absens vasta procella caput.
Quæ non horruerint tacitamque Cæsaris iram?
Addita sunt pœnis aspera verba meis. 56

Fit fuga temporibus levior : projectus in æquor
Arcturum subii, Pleiadumque minas.
Sæpe solent hiemem placidam sentire carinæ :
Non Ithacæ puppi sævior unda fuit. 60
Recta fides comitum poterat mala nostra levare :
Ditata est spoliis perfida turba meis.
Mitius exsilium faciunt loca : tristior ista
Terra sub ambobus non jacet ulla polis.
Est aliquid, patriis vicinum finibus esse : 65
Ultima me tellus, ultimus orbis habet.
Præstat et exsulibus pacem tua laurea, Cæsar :
Pontica finitimo terra sub hoste jacet.
Tempus in agrorum cultu consumere dulce est :
Non patitur verti barbarus hostis humum. 70
Temperie cœli corpusque animusque juvantur :
Frigore perpetuo Sarmatis ora riget.
Est in aqua dulci non invidiosa voluptas :
Æquoreo bibitur cum sale mista palus.
Omnia deficiunt : animus tamen omnia vincit. 75
Ille etiam vires corpus habere facit.
Sustineas ut onus, nitendum vertice pleno est ;
At flecti nervos si patiare, cadet.
Spes quoque posse mora mitescere principis iram,
Vivere ne nolim deficiamque, cavet. 80
Nec vos parva datis pauci solatia nobis,
Quorum spectata est per mala nostra fides.
Cœpta tene, quæso ; nec in æquore desere navem :
Meque simul serva, judiciumque tuum.

EPISTOLA VIII.

MAXIMO COTTÆ.

Redditus est nobis Cæsar cum Cæsare nuper,
Quos mihi misisti, Maxime Cotta, deos.
Utque tuum munus numerum, quem debet, haberet,
Est ibi Cæsaribus Livia juncta suis.
Argentum felix, omnique beatius auro, 5
Quod, fuerat pretium cum rude, numen habet.
Non mihi divitias dando majora dedisses,
Cœlitibus missis nostra sub ora tribus.
Est aliquid, spectare deos, et adesse putare,
Et quasi cum vero numine posse loqui. 10
Præmia quanta, dei ! nec me tenet ultima tellus :
Utque prius media sospes in Urbe moror.
Cæsareos video vultus, velut ante videbam :
Vix hujus voti spes fuit ulla mihi.
Utque salutabam, numen cœleste saluto. 15
Quod reduci tribuas, nil, puto, majus habes.
Quid nostris oculis nisi sola Palatia desunt ?
Qui locus, ablato Cæsare, vilis erit.
Hunc ego cum spectem, videor mihi cernere Romam.
Nam patriæ faciem sustinet ille suæ. 20
Fallor ? an irati mihi sunt in imagine vultus,
Torvaque nescio quid forma minantis habet ?
Parce, vir immenso major virtutibus orbe,
Justaque vindictæ supprime lora tuæ.
Parce, precor, sæcli decus indelebile nostri, 25
Terrarum dominum quem sua cura facit.
Per patriæ nomen, quæ te tibi carior ipso est ;
Per nunquam surdos in tua vota deos ;
Perque tori sociam, quæ par tibi sola reperta est,
Et cui majestas non onerosa tua est ; 30
Perque tibi similem virtutis imagine natum,
Moribus agnosci qui tuus esse potest ;
Perque tuos, vel avo, vel dignos patre nepotes,
Qui veniunt magno per tua vota gradu ;
Parte leva minima, nostras et contrahe pœnas ; 35
Daque, procul Scythico qui sit ab hoste, locum.
Et tua, si fas est, a Cæsare proxime Cæsar,
Numina sint precibus non inimica meis.
Sic fera quamprimum pavido Germania vultu
Ante triumphantes serva feratur equos. 40
Sic pater in Pylios, Cumæos mater in annos
Vivant ; et possis filius esse diu.
Tu quoque, conveniens ingenti nupta marito,
Accipe non dura supplicis aure preces.
Sic tibi vir sospes, sic sint cum prole nepotes, 45
Cumque bonis nuribus quas peperere nurus.
Sic, quem dira tibi rapuit Germania, Drusus
Pars fuerit partus sola caduca tui.
Sic tibi fraterni mature funeris ultor
Purpureus niveis filius instet equis. 50
Annuite o timidis, mitissima numina, votis.
Præsentes aliquid prosit habere deos.
Cæsaris adventu tota gladiator arena
Exit ; et auxilium non leve vultus habet.
Nos quoque, vestra, juvet, quod, qua licet, ora videmus, 55
Intrata est superis quod domus una tribus.
Felices illi, qui non simulacra, sed ipsos,
Quique deûm coram corpora vera vident.
Quod quoniam nobis invidit inutile fatum ;
Quos dedit ars votis, effigiemque colo. 60
Sic homines novere deos, quos arduus æther
Occulit : et colitur pro Jove forma Jovis.
Denique, quæ mecum est, et erit sine fine, cavete,
Ne sit in inviso vestra figura loco.
Nam caput e nostra citius cervice recedet, 65
Et patiar fossis lumen abire genis ;
Quam caream raptis, o publica numina, vobis.
Vos eritis nostræ portus et ara fugæ.
Vos ego complectar, Geticis si cingar ab armis :
Vosque meas aquilas, vos mea signa sequar. 70
Aut ego me fallo, nimiaque cupidine ludor ;
Aut spes exsilii commodioris adest.
Nam minus et minus est facies in imagine tristis ;
Visaque sunt dictis annuere ora meis.
Vera precor fiant timidæ præsagia mentis 75
Justaque quamvis est, sit minor ira dei.

EPISTOLA IX.

COTYI REGI.

Regia progenies, cui nobilitatis origo
Nomen in Eumolpi pervenit usque, Coty :
Fama loquax vestras si jam pervenit ad aures,
Me tibi finitimi parte jacere soli ;
Supplicis exaudi, juvenum mitissime, vocem : 5
Quamque potes profugo, nam potes, affer opem.
Me Fortuna tibi (de qua ne conquerar, hoc est)
Tradidit, hoc uno non inimica mihi.
Excipe naufragium non duro littore nostrum,
Ne fuerit terra tutior unda tua. 10
Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis :
Convenit et tanto, quantus es ipse, viro.
Fortunam decet hoc istam : quæ maxima cum sit,
Esse potest animo vix tamen æqua tuo.
Conspicitur nunquam meliore potentia causa, 15
Quam quoties vanas non sinit esse preces.
Hoc nitor ille tui generis desiderat ; hoc est
A superis ortæ nobilitatis opus.
Hoc tibi et Eumolpus, generis clarissimus auctor,
Et prior Eumolpo suadet Erichthonius. 20
Hoc tecum commune deo ; quod uterque rogati
Supplicibus vestris ferre soletis opem.

Nam quid erit, quare solito diguemur honore
Numina, si demas velle juvare deos?
Jupiter oranti surdas si præbeat aures, 25
Victima pro templo cur cadat icta Jovis?
Si pacem nullam pontus mihi præstet eunti,
Irrita Neptuno cur ego thura feram?
Vana laborantis si fallat vota coloni,
Accipiat gravidæ cur suis exta Ceres? 30
Nec dabit intonso jugulum caper hostia Baccho,
Musta sub adducto si pede nulla fluant.
Cæsar ut imperii moderetur frena precamur,
Tam bene quo patriæ consulit ille suæ.
Utilitas igitur magnos hominesque deosque 35
Efficit, auxiliis quoque favente suis.
Tu quoque fac prosis intra tua castra jacenti,
O Coty, progenies digna parente tuo.
Conveniens homini est hominem servare voluptas,
Et melius nulla quæritur arte favor. 40
Quis non Antiphaten Læstrygona devovet? aut quis
Munifici mores improbat Alcinoi?
Non tibi Cassandreus pater est, gentisve Pherææ,
Quive repertorem torruit arte sua;
Sed quam Marte ferox, et vinci nescius armis, 45
Tam nunquam, facta pace, cruoris amans.
Adde, quod ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros,
Nec regum quisquam magis est instructus ab illis,
Mitibus aut studiis tempora plura dedit. 50
Carmina testantur; quæ, si tua nomina demas,
Threicium juvenem composuisse negem.
Neve sub hoc tractu vates foret unicus Orpheus
Bistonis ingenio terra superba tuo est. 54
Utque tibi est animus, cum res ita postulat, arma
Sumere, et hostili tingere cæde manum;
Atque ut es excusso jaculum torquere lacerto,
Collaque velocis flectere doctus equi;
Tempora sic data sunt studiis ubi justa paternis,
Utque suis humeris forte quievit opus; 60
Ne tua marcescant per inertes otia somnos,
Lucida Pieria tendis in astra via.
Hæc quoque res aliquid tecum mihi fœderis affert:
Ejusdem sacri cultor uterque sumus.
Ad vatem vates orantia brachia tendo, 65
Terra sit exsiliis ut tua fida meis.
Non ego cæde nocens in Pontica littora veni,
Mistave sunt nostra dira venena manu:
Nec mea subjecta convicta est gemma tabella
Mendacem linis imposuisse notam. 70
Nec quicquam, quod lege veter committere, feci.
Et tamen his gravior noxa fatenda mihi est.
Neve roges quid sit; stultam conscripsimus Artem.
Innocuas nobis hæc vetat esse manus.
Ecquid præterea peccarim, quærere noli; 75
Ut pateat sola culpa sub Arte mea.
Quicquid id est, habui moderatam vindicis iram:
Qui nisi natalem nil mihi demsit humum.
Hac quoniam careo; tua nunc vicinia præstet,
Inviso possim tutus ut esse loco. 80

EPISTOLA X.

MACRO.

Ecquid ab impressæ cognoscis imagine gemmæ
Hæc tibi Nasonem scribere verba, Macer?
Auctorisque sui si non est annulus index,
Cognitane est nostra littera facta manu?
An tibi notitiam mora temporis eripit horum; 5
Nec repetunt oculi signa vetusta tui?
Sis licet oblitus pariter gemmæque manusque,
Exciderit tantum ne tibi cura mei.
Quam tu vel longi debes convictibus ævi,
Vel mea quod conjux non aliena tibi; 10
Vel studiis, quibus es, quam nos, sapientius usus;
Utque decet, nulla factus es Arte nocens.
Tu canis æterno quicquid restabat Homero,
Ne careant summa Troica bella manu. 14
Naso parum prudens, Artem dum tradit amandi,
Doctrinæ pretium triste magister habet.
Sunt tamen inter se communia sacra poetis,
Diversum quamvis quisque sequamur iter.
Quorum te memorem, quanquam procul absumus, esse
Suspicor, et casus velle levare meos. 20
Te duce magnificas Asiæ perspeximus urbes:
Trinacris est oculis te duce nota meis.
Vidimus Ætnæa cœlum splendescere flamma,
Suppositus monti quam vomit ore gigas;
Hennæosque lacus, et olentis stagna Palici, 25
Quaque suis Cyanen miscet Anapus aquis.
Nec procul hinc Nymphen, quæ, dum fugit Elidis amnem,
Tecta sub æquorea nunc quoque currit aqua.
Hic mihi labentis pars anni magna peracta est.
Eheu quam dispar est locus ille Getis! 30
Et quota pars hæc sunt rerum, quas vidimus ambo,
Te mihi jucundas efficiente vias!
Seu rate cæruleas picta sulcavimus undas,
Esseda nos agili sive tulere rota.
Sæpe brevis nobis vicibus via visa loquendi, 35
Pluraque, si numeres, verba fuere gradu.
Sæpe dies sermone minor fuit, inque loquendum
Tarda per æstivos defuit hora dies.
Est aliquid, casus pariter timuisse marinos,
Junctaque ad æquoreos vota tulisse deos: 40
Et modo res egisse simul; modo rursus ab illis,
Quorum non pudeat, posse referre jocos.
Hæc tibi si subeant, absim licet, omnibus horis
Ante tuos oculos, ut modo visus, ero.
Ipse quidem extremi cum sim sub cardine mundi,
Qui semper liquidis altior exstat aquis; 46
Te tamen intueor, quo solo pectore possum
Et tecum gelido sæpe sub axe loquor.
Hic es, et ignoras: et ades celeberrimus absens:
Inque Getas media visus ab Urbe venis, 50
Redde vicem; et, quoniam regio felicior ista est,
Illic me memori pectore semper habe.

EPISTOLA XI.

RUFO.

Hoc tibi, Rufe, brevi properatum tempore mittit
Naso, parum faustæ conditor Artis, opus:
Ut, quanquam longe toto sumus orbe remoti,
Scire tamen possis nos meminisse tui.
Nominis ante mei venient oblivia nobis,
Pectore quam pietas sit tua pulsa meo.
Et prius hanc animam vacuas reddemus in auras,
Quam fiat meriti gratia vana tui

Grande voco lacrymas meritum, quibus ora rigabas,
Cum mea concreto sicca dolore forent. 10
Grande voco meritum mæstæ solatia mentis,
Cum pariter nobis illa tibique dares.
Sponte quidem, per seque mea est laudabilis uxor;
Admonitu melior fit tamen illa tuo.
Namque quod Hermiones Castor fuit, Hector Iuli,
Hoc ego te lætor conjugis esse meæ. 16
Quæ, ne dissimilis tibi sit probitate, laborat,
Seque tui vita sanguinis esse probat.
Ergo, quod fuerat stimulis factura sine ullis,
Plenius auctorem te quoque nacta facit. 20
Acer, et ad palmæ per se cursurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.
Adde, quod absentis cura mandata fideli
Perficis, et nullum ferre gravaris onus.
O referant grates, quoniam non possumus ipsi, 25
Di tibi: qui referent, si pia facta vident.
Sufficiatque diu corpus quoque moribus istis,
Maxima Fundani gloria, Rufe, soli.

LIBER TERTIUS.

EPISTOLA I.

UXORI.

Æquor, Iasonio pulsatum remige primum,
Quæque nec hoste fero, nec nive, terra, cares,
Ecquod erit tempus, quo vos ego Naso relinquam,
In minus hostilem jussus abire locum?
An mihi Barbaria vivendum semper in ista, 5
Inque Tomitana condar oportet humo?
Pace tua, si pax ulla est tibi, Pontica tellus.
Finitimus rapido quam terit hostis equo;
Pace tua dixisse velim; tu pessima duro
Pars es in exsilio, tu mala nostra gravas: 10
Tu neque Ver sentis cinctum florente corona:
Tu neque messorum corpora nuda vides:
Nec tibi pampineas Autumnus porrigit uvas:
Cuncta sed immodicum tempora frigus habent.
Tu glacie freta vincta tenes: et in æquore piscis
Inclusus tecta sæpe natavit aqua. 16
Nec tibi sunt fontes, laticis nisi pæne marini:
Qui potus dubium sistat, alatne, sitim.
Rara, neque hæc felix, in apertis eminet arvis
Arbor; et in terra est altera forma maris. 20
Non avis obloquitur, sylvis nisi si qua remotis
Æquoreas rauco gutture potat aquas.
Tristia per vacuos horrent absinthia campos,
Conveniensque suo messis amara loco.
Adde metus, et quod murus pulsatur ab hoste, 25
Tinctaque mortifera tabe sagitta madet:
Quod procul hæc regio est, et ab omni devia cursu:
Nec pede quo quisquam, nec rate, tutus eat.
Non igitur mirum, finem quærentibus horum
Altera si nobis usque rogatur humus. 30
Te magis est mirum non hoc evincere, conjux;
Inque meis lacrymas posse tenere malis.
Quid facias, quæris? quæras hoc scilicet ipsum;
Invenies, vere si reperire voles. 34
Velle parum est: cupias, ut re potiaris, oportet;
Et faciat somnos hæc tibi cura breves.
Velle reor multos. Quis enim mihi tam sit iniquus,
Optet ut exsilium pace carere meum?
Pectore te toto, cunctisque incumbere nervis,
Et niti pro me nocte dieque decet. 40
Utque juvent alii, tu debes vincere amicos,
Uxor, et ad partes prima venire tuas.
Magna tibi imposita est nostris persona libellis.
Conjugis exemplum diceris esse bonæ.
Hanc cave degeneres: ut sint præconia nostra 45
Vera, vide; famæ quo tuearis opus.
Ut nihil ipse querar; tacito me fama queretur,
Quæ debet, fuerit ni tibi cura mei.
Exposuit mea me populo fortuna videndum,
Et plus notitiæ, quam fuit ante, dedit. 50
Notior est factus Capaneus a fulminis ictu;
Notus humo mersis Amphiaraus equis.
Si minus errasset, notus minus esset Ulixes:
Magna Philoctetæ vulnere fama suo est.
Si locus est aliquis tanta inter nomina parvis, 55
Nos quoque conspicuos nostra ruina facit.
Nec te nesciri patitur mea pagina; qua non
Inferius Coa Battide nomen habes.
Quicquid ages igitur, magna spectabere scena,
Et pia non parvis testibus uxor eris. 60
Crede mihi; quoties laudaris carmine nostro,
Qui legit has laudes, an mereare, rogat.
Utque favere reor plures virtutibus istis,
Sic tua non paucæ carpere facta volent.
Quare, tu præsta, ne Livor dicere possit, 65
Hæc est pro miseri lenta salute viri
Cumque ego deficiam, nec possim ducere currum;
Fac tu sustineas debile sola jugum.
Ad medicum specto, venis fugientibus, æger:
Ultima pars animæ dum mihi restat, ades. 70
Quodque ego præstarem, si te magis ipse valerem,
Id mihi, cum valeas fortius, ipsa refer.
Exigit hoc socialis amor, fœdusque maritum;
Moribus hoc, conjux, exigis ipsa tuis.
Hoc domui debes, de qua censeris, ut illam 75
Non magis officiis, quam probitate, colas.
Cuncta licet facias; nisi sis laudabilis uxor,
Non poterit credi Marcia culta tibi.
Nec sumus indigni; nec, si vis vera fateri,
Debetur meritis gratia nulla meis. 80
Redditur illa quidem grandi cum fœnore nobis,
Nec te, si cupiat lædere, Livor habet.
Sed tamen hoc factis adjunge prioribus unum,
Pro nostris ut sis ambitiosa malis.
Ut minus infesta jaceam regione, labora; 85
Clauda nec officii pars erit ulla tui.
Magna peto, sed non tamen invidiosa roganti;
Utque ea non teneas, tuta repulsa tua est.
Nec mihi succense, toties si carmine nostro
Quod facis, ut facias, teque imitere, rogo. 90

Fortibus assuevit tubicen prodesse; suoque
Dux bene pugnantes incitat ore viros.
Nota tua est probitas, testataque tempus in omne:
Sit virtus etiam non probitate minor. 94
Non tibi Amazonia est pro me sumenda securis,
Aut excisa levi pelta gerenda manu.
Numen adorandum est; non ut mihi fiat amicum,
Sed sit ut iratum, quam fuit ante, minus.
Gratia si nulla est, lacrymæ tibi gratia fient.
Hac potes, aut nulla, parte movere deos. 100
Quæ tibi ne desint, bene per mala nostra cavetur;
Meque viro flendi copia dives adest.
Utque meæ res sunt, omni, puto, tempore flebis.
Has fortuna tibi nostra ministrat opes.
Si mea mors redimenda tua, quod abominor, esset, 105
Admeti conjux, quam sequereris, erat.
Æmula Penelopes fieres, si fraude pudica
Instantes velles fallere nupta procos.
Si comes exstincti manes sequerere mariti,
Esset dux facti Laodamia tui. 110
Iphias ante oculos tibi erat ponenda, volenti
Corpus in accensos mittere forte rogos.
Morte nihil opus est, nil Icariotide tela.
Cæsaris at conjux ore precanda tuo.
Quæ præstat virtute sua, ne prisca vetustas 115
Laude pudicitiæ sæcula nostra premat.
Quæ Veneris formam, mores Junonis habendo,
Sola est cœlesti digna reperta toro.
Quid trepidas, et adire times? non impia Procne,
Filiave Ætetæ voce movenda tua est; 120
Nec nurus Ægypti, nec sæva Agamemnonis uxor;
Scyllave, quæ Siculas inguine terret aquas;
Telegonive parens vertendis nata figuris;
Nexave nodosas angue Medusa comas:
Fœmina sed princeps, in qua Fortuna videre 125
Se probat, et cæcæ crimina falsa tulit;
Qua nihil in terris, ad finem solis ab ortu,
Clarius, excepto Cæsare, mundus habet.
Eligito tempus, captatum sæpe, rogandi,
Hæreat adversa ne tua navis aqua. 130
Non semper sacras reddunt oracula sortes;
Ipsaque non omni tempore fana patent.
Cum status Urbis erit, qualem nunc auguror esse,
Et nullus populi contrahet ora dolor:
Cum domus Augusti, Capitoli more colenda, 135
Læta, quod est et sit, plenaque pacis erit;
Tum tibi di faciant adeundi copia fiat,
Profectura aliquid tum tua verba puta.
Si quid aget majus, differ tua cœpta; caveque
Spem festinando præcipitare meam. 140
Nec rursus jubeo, dum sit vacuissima, quæras.
Corporis ad cultum vix vacat illa sui.
Curia cum patribus fuerit stipata verendis,
Per rerum turbam tu quoque oportet eas.
Cum tibi contigerit vultum Junonis adire, 145
Fac sis personæ, quam tueare, memor.
Nec factum defende meum: mala causa silenda est.
Nil nisi sollicitæ sint tua verba preces.
Tum lacrymis demenda mora est: submissaque terræ
Ad non mortales brachia tende pedes. 150
Tum pete nil aliud, sævo nisi ab hoste recedam:
Hostem fortunam sit satis esse mihi.
Plura quidem subeunt; sed jam turbata timore
Hæc quoque vix poteris ore tremente loqui.
Suspicor hoc damno tibi non fore; sentiat illa
Te majestatem pertimuisse suam 156
Nec, tua si fletu scindentur verba, nocebit.
Interdum lacrymæ pondera vocis habent.
Lux etiam cœptis facito bona talibus adsit, 159
Horaque conveniens, auspiciumque favens.
Sed prius imposito sanctis altaribus igni,
Thura fer ad magnos vinaque pura deos.
E quibus ante omnes Augustum numen adora,
Progeniemque piam, participemque tori.
Sint utinam mites solito sibi more, tuasque 165
Non duris lacrymas vultibus adspiciant.

EPISTOLA II.

COTTÆ.

Quam legis a nobis missam tibi, Cotta, salutem,
Missa sit ut vere, perveniatque, precor.
Namque meis sospes multum cruciatibus aufers;
Utque sit e nobis pars bona salva, facis.
Cumque labent alii, jactataque vela relinquant, 5
Tu laceræ remanes ancora sola rati.
Grata tua est igitur pietas: ignoscimus illis,
Qui cum fortuna terga dedere fugæ.
Cum feriant unum, non unum fulmina terrent.
Junctaque percusso turba pavere solet. 10
Cumque dedit paries venturæ signa ruinæ,
Sollicito vacuus fit locus ille metu.
Quis non e timidis ægri contagia vitat,
Vicinum metuens ne trahat inde malum?
Me quoque amicorum nimio terrore metuque, 15
Non odio, quidam destituere mei.
Non illis pietas, non officiosa voluntas
Defuit; adversos extimuere deos.
Utque magis cauti possunt timidique videri,
Sic appellari non meruere mali. 20
At meus excusat caros ita candor amicos,
Utque habeant de me crimina nulla, favet.
Sint hac contenti venia, signentque licebit,
Purgari factum me quoque teste suum.
Pars estis pauci potior, qui rebus in arctis 25
Ferre mihi nullam turpe putastis opem.
Tunc igitur meriti morietur gratia vestri,
Cum cinis absumto corpore factus ero.
Fallar, et illa meæ superabit tempora vitæ,
Si tamen a memori posteritate legar. 30
Corpora debentur mæstis exsanguia bustis;
Effugiunt structos nomen honorque rogos.
Occidit et Theseus, et qui comitavit Oresten;
Sed tamen in laudes vivit uterque suas.
Vos etiam seri laudabunt sæpe nepotes, 35
Claraque erit scriptis gloria vestra meis.
Hic quoque Sauromatæ jam vos novere Getæque:
Et tales animos barbara turba probat.
Cumque ego de vestra nuper probitate referrem,
(Nam didici Getice Sarmaticeque loqui) 40
Forte senex quidam, cœtu cum staret in illo,
Reddidit ad nostros talia verba sonos:
Nos quoque amicitiæ nomen bene novimus, hospes,
Quos procul a vobis frigidus Ister habet.
Est locus in Scythia, Tauros dixere priores, 45
Qui Getica longe non ita distat humo.
Hac ego sum terra (patriæ nec pœnitet) ortus.
Consortem Phœbi gens colit illa deam.

Templa manent hodie vastis innixa columnis;
Perque quater denos itur in illa gradus. 50
Fama refert illic signum cœleste fuisse.
Quoque minus dubites, stat basis orba dea;
Araque, quæ fuerat natura candida saxi,
Decolor affuso tincta cruore rubet.
Fœmina sacra facit, tædæ non nota jugali, 55
Quæ superat Scythicas nobilitate nurus.
Sacrifici genus est (sic instituere priores)
Advena virgineo cæsus ut ense cadat.
Regna Thoas habuit, Mæotide clarus in ora:
Nec fuit Euxinis notior alter aquis. 60
Sceptra tenente illo liquidas fecisse per auras
Nescio quam dicunt Iphigenian iter;
Quam levibus ventis sub nube per aera vectam
Creditur his Phœbe deposuisse locis.
Præfuerat templo multos ea rite per annos, 65
Invita peragens tristia sacra manu.
Cum duo velifera juvenes venere carina,
Presseruntque suo littora nostra pede.
Par fuit his ætas, et amor: quorum alter Orestes,
Alter erat Pylades. Nomina fama tenet. 70
Protinus immitem Triviæ ducuntur ad aram,
Evincti geminas ad sua terga manus.
Spargit aqua captos lustrali Graia sacerdos,
Ambiat ut fulvas infula longa comas. 74
Dumque parat sacrum, dum velat tempora vittis;
Dum tardæ causas invenit usque moræ;
Non ego crudelis, juvenes ignoscite, dixit;
Sacra suo facio barbariora loco.
Ritus is est gentis. Quâ vos tamen urbe venitis?
Quove parum fausta puppe petistis iter? 80
Dixit; et, audito patriæ pia nomine virgo,
Consortes urbis comperit esse suæ.
Alter at e vobis, inquit, cadat hostia sacri;
Ad patrias sedes nuntius alter eat.
Ire jubet Pylades carum periturus Oresten. 85
Hic negat; inque vicem pugnat uterque mori.
Exstitit hoc unum, quo non convenerit illis.
Cætera par concors et sine lite fuit.
Dum peragunt pulchri juvenes certamen amoris,
Ad fratrem scriptas exarat illa notas. 90
Ad fratrem mandata dabat, cuique illa dabantur
(Humanos casus adspice) frater erat.
Nec mora; de templo rapiunt simulacra Dianæ:
Clamque per immensas puppe feruntur aquas.
Mirus amor juvenum, quamvis abiere tot anni, 95
In Scythica magnum nunc quoque nomen habet.
Fabula narrata est postquam vulgaris ab illo,
Laudarunt omnes facta piamque fidem.
Scilicet hac etiam, qua nulla ferocior, ora
Nomen amicitiæ barbara corda movet. 100
Quid facere Ausonia geniti debetis in Urbe,
Cum tangant diros talia facta Getas?
Adde, quod est animus semper tibi mitis, et altæ
Indicium mores nobilitatis habet; 104
Quos Volesus patrii cognoscat nominis auctor,
Quos Numa maternus non neget esse suos;
Adjectique probent genitiva ad nomina Cottæ,
Si tu non esses, interitura domus.
Digne vir hac serie, lapso succurrere amico
Conveniens istis moribus esse puta. 110

EPISTOLA III.

FABIO MAXIMO.

Si vacat exiguum profugo dare tempus amico
O sidus Fabiæ Maxime gentis, ades;
Dum tibi, quæ vidi, referam; seu corporis umbra,
Seu veri species, seu fuit ille sopor.
Nox erat: et bifores intrabat luna fenestras, 5
Mense fere medio quanta nitere solet.
Publica me requies curarum somnus habebat,
Fusaque erant toto languida membra toro;
Cum subito pennis agitatus inhorruit aer,
Et gemuit parvo mota fenestra sono. 10
Territus in cubitum relevo mea membra sinistrum:
Pulsus et e trepido pectore somnus abit.
Stabat Amor vultu, non quo prius esse solebat,
Fulcra tenens læva tristis acerna manu. 14
Nec torquem collo, nec habens crinale capillis,
Nec bene dispositas comtus, ut ante, comas.
Horrida pendebant molles super ora capilli,
Et visa est oculis horrida penna meis;
Qualis in aeriæ tergo solet esse columbæ,
Tractantum multæ quam tetigere manus. 20
Hunc simul agnovi, (neque enim mihi notioralter,)
Talibus affata est libera lingua sonis:
O puer, exsilii decepto causa magistro,
Quem fuit utilius non docuisse mihi; 24
Huc quoque venisti, pax est ubi tempore nullo,
Et coit adstrictis barbarus Ister aquis?
Quæ tibi causa viæ? nisi uti mala nostra videres;
Quæ sunt, si nescis, invidiosa tibi.
Tu mihi dictasti juvenilia carmina primus:
Apposui senis, te duce, quinque pedes. 30
Nec me Mæonio consurgere carmine, nec me
Dicere magnorum passus es acta ducum.
Forsitan exiguas, aliquas tamen, arcus et ignis
Ingenii vires comminuere mei.
Namque ego dum canto tua regna, tuæque parentis, 35
In nullum mea mens grande vacavit opus.
Nec satis id fuerat; stultus quoque carmina feci,
Artibus ut posses non rudis esse meis.
Pro quibus exsilium misero mihi reddita merces:
Id quoque in extremis, et sine pace, locis. 40
At non Chionides Eumolpus in Orphea talis,
In Phryga nec Satyrum talis Olympus erat.
Præmia nec Chiron ab Achilli talia cepit:
Pythagoræque ferunt non nocuisse Numam. 44
Nomina neu referam longum collecta per ævum,
Discipulo perii solus ab ipse meo.
Dum damus arma tibi, dum te, lascive, docemus,
Hæc te discipulo dona magister habet.
Scis tamen, ut liquido juratus dicere possis,
Non me legitimos sollicitasse toros. 50
Scripsimus hæc istis, quarum nec vitta pudicos
Contingit crines, nec stola longa pedes.
Dic, precor, ecquando didicisti fallere nuptas,
Et facere incertum per mea jussa genus?
An sit ab his omnis rigide submota libellis, 55
Quam lex furtivos arcet habere viros?
Quid tamen hoc prodest, vetiti si lege severa
Credor adulterii composuisse notas?
At tu (sic habeas ferientes cuncta sagittas;
Sic nunquam rapido lampades igne vacent; 60
Sic regat imperium, terrasque coerceat omnes
Cæsar, ab Ænea qui tibi fratre nepos)
Effice, sit nobis non implacabilis ira;
Meque loco plecti commodiore velit.
Hæc ego visus eram puero dixisse volucri; 65
Hos visus nobis ille dedisse sonos.
Per mea tela faces, et per mea tela sagittas,
Per matrem juro, Cæsareumque caput;

Nil nisi concessum nos te didicisse magistro,
Artibus et nullum crimen inesse tuis. 70
Utque hoc, sic utinam defendere cætera posses!
Scis aliud, quod te læserit, esse magis.
Quicquid id est, (neque enim debet dolor ille referri,)
Non potes a culpa dicere abesse tua. 74
Tu licet erroris sub imagine crimen obumbres;
Non gravior merito vindicis ira fuit:
Ut tamen adspicerem, consolarerque jacentem,
Lapsa per immensas est mihi penna vias.
Hæc loca tum primum vidi, cum matre rogante
Phasias est telis fixa puella meis. 80
Quæ nunc cur iterum post sæcula longa revisam,
Tu facis, o castris miles amice meis.
Pone metus igitur; mitescet Cæsaris ira:
Et veniet votis mollior hora tuis.
Neve moram timeas, tempus, quod quærimus, instat: 85
Cunctaque lætitiæ plena triumphus habet
Dum domus, et nati, dum mater Livia gaudet;
Dum gaudes patriæ magne ducisque pater;
Dum tibi gratatur populus, totamque per Urbem
Omnis odoratis ignibus ara calet; 90
Dum faciles aditus præbet venerabile templum;
Sperandum nostras posse valere preces.
Dixit; et aut ille est tenues dilapsus in auras,
Cœperunt sensus aut vigilare mei.
Si dubitem, quin his faveas, o Maxime, dictis, 95
Memnonio cygnos esse colore putem.
Sed neque mutatur nigra pice lacteus humor,
Nec, quod erat candens, fit terebinthus, ebur.
Conveniens animo genus est tibi: nobile namque
Pectus, et Herculeæ simplicitatis habes. 100
Livor, iners vitium, mores non exit in altos,
Utque latens ima vipera serpit humo.
Mens tua sublimis supra genus eminet ipsum:
Grandius ingenio nec tibi nomen inest.
Ergo alii noceant miseris, optentque timeri, 105
Tinctaque mordaci spicula felle gerant.
At tua supplicibus domus est adsueta juvandis:
In quorum numero me precor esse velis.

EPISTOLA IV.

RUFINO.

Hæc tibi non vanam portantia verba salutem
Naso Tomitana mittit ab urbe tuus;
Utque suo faveas mandat, Rufine, Triumpho:
In vestras venit si tamen ille manus.
Est opus exiguum, vastisque paratibus impar; 5
Quale tamen cunque est, ut tueare, rogo.
Firma valent per se, nullumque Machaona quærunt:
Ad medicam dubius confugit æger opem.
Non opus est magnis placido lectore poetis;
Quamlibet invitum difficilemque tenent. 10
Nos, quibus ingenium longi minuere labores,
Aut etiam nullum forsitan ante fuit,
Viribus infirmi, vestro candore valemus.
Quem mihi si demas, omnia rapta putem.
Cunctaque cum mea sint propenso nixa favore,
Præcipuum veniæ jus habet ille liber. 16
Spectatum vates alii scripsere triumphum.
Est aliquid memori visa notare manu.
Nosea vix avidam vulgo captata per aurem
Scripsimus: atque oculi fama fuere mei. 20
Scilicet affectus similes, aut impetus idem,
Rebus ab auditis conspicuisque venit?
Nec nitor argenti, quem vos vidistis, et auri,
Quod mihi detuerit, purpuraque illa, queror.
Sed loca, sed gentes formatæ mille figuris 25
Nutrissent carmen, prœliaque ipsa, meum.
Et regum vultus, certissima pignora mentis,
Juvissent aliqua forsitan illud opus.
Plausibus ex ipsis populi, lætoque favore,
Ingenium quodvis incaluisse potest. 30
Tamque ego sumsissem tali clamore vigorem,
Quam rudis audita miles ad arma tuba.
Pectora sint nobis nivibus glacieque licebit,
Atque hoc, quem patior, frigidiora loco;
Illa ducis facies, in curru stantis eburno, 35
Excuteret frigus sensibus omne meis.
His ego defectus, dubiisque auctoribus usus,
Ad vestri venio jure favoris opem.
Nec mihi nota ducum, nec sunt mihi nota locorum
Nomina: materiam vix habuere manus. 40
Pars quota de tantis rebus, quam fama referre,
Aut aliquis nobis scribere posset, erat?
Quo magis, o lector, debes ignoscere, si quid
Erratum est illic præteritumve mihi.
Adde quod, assiduam domini meditata querelam, 45
Ad lætum carmen vix mea versa lyra est,
Vix bona post tanto quærenti verba subibant.
Et guadere aliquid res mihi visa nova est.
Utque reformidant insuetum lumina solem,
Sic ad lætitiam mens mea segnis erat. 50
Est quoque cunctarum novitas carissima rerum;
Gratiaque officio, quod mora tardat, abest.
Cætera certatim de magno scripta triumpho
Jam pridem populi suspicor ore legi.
Illa bibit sitiens lector, mea pocula plenus: 55
Illa recens pota est, nostra tepescit aqua.
Non ego cessavi, nec fecit inertia serum:
Ultima me vasti sustinet ora freti.
Dum venit huc rumor, properataque carmina fiunt,
Factaque eunt ad vos, annus abisse potest. 60
Nec minimum refert, intacta rosaria primus,
An sera carpas pæne relicta manu.
Quid mirum, lectis exhausto floribus horto,
Si duce non facta est digna corona suo?
Deprecor, hæc vatum contra sua carmina ne quis
Dicta putet, Pro se Musa locuta mea est. 66
Sunt mihi vobiscum communia sacra, poetæ;
In vestro miseris si licet esse choro.
Magnaque pars animæ mecum vixistis, amici:
Hac ego vos absens nunc quoque parte colo. 70
Sint igitur vestro mea commendanda favori
Carmina, non possum pro quibus ipse loqui,
Scripta placent a morte fere: quia lædere vivos
Livor, et injusto carpere dente solet.
Si genus est mortis male vivere; terra moratur:
Et desunt fatis sola sepulcra meis. 76
Denique, opus nostræ culpetur ut undique curæ
Officium nemo, qui reprehendat, erit
Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas:
Hac ego contentos auguror esse deos. 80
Hæc facit, ut veniat pauper quoque gratus ad aras,
Et placeat cæso non minus agna bove.
Res quoque tanta fuit, quantæ subsistere summo
Æneidos vati grande fuisset onus.
Ferre etiam molles elegi tam vasta triumphi 85
Pondera disparibus non potuere rotis.
Quo pede nunc utar, dubia est sententia nobis,
Alter enim de te, Rhene, triumphus adest.
Irrita verorum non sunt præsagia vatum.
Danda Jovi laurus, dum prior illa viret. 90

Nec mea verba legis, qui sum submotus ad Istrum,
Non bene pacatis flumina pota Getis:
Ista dei vox est; deus est in pectore nostro.
Hæc duce prædico vaticinorque deo.
Quid cessas currum, pompamque parare triumphis, 95
Livia? jam nullas dant tibi bella moras.
Perfida damnatas Germania projicit hastas.
Jam pondus dices omen habere meum.
Crede, brevique fides aderit; geminabit honorem
Filius, et junctis, ut prius, ibit equis. 100
Prome, quod injicias humeris victoribus, ostrum.
Ipsa potest solitum nosse corona caput.
Scuta sed et galeæ gemmis radientur et auro,
Stentque super vinctos trunca tropæa viros.
Oppida turritis cingantur eburnea muris; 105
Fictaque res vero more putetur agi.
Squalidus immissos fracta sub arundine crines
Rhenus, et infectas sanguine portet aquas.
Barbara jam capti poscunt insignia reges,
Textaque fortuna divitiora sua. 110
Et quæ præterea virtus invicta tuorum
Sæpe parata tibi, sæpe paranda facit.
Di, quorum monitu sumus eventura locuti,
Verba, precor, celeri nostra probate fide.

EPISTOLA V.

MAXIMO COTTÆ.

Quam legis, unde tibi mittatur epistola, quæris?
Hinc, ubi cæruleis jungitur Ister aquis.
Ut regio dicta est, succurrere debet et auctor,
Læsus ab ingenio Naso poeta suo.
Qui tibi, quam mallet præsens afferre salutem, 5
Mittit ab hirsutis, Maxime Cotta, Getis.
Legimus, o juvenis patrii non degener oris,
Dicta tibi pleno verba diserta foro.
Quæ, quanquam lingua mihi sunt properante per horas
Lecta satis multas, pauca fuisse queror. 10
Plura sed hæc feci relegendo sæpe; nec unquam
Non mihi, quam primo, grata fuere magis.
Cumque nihil toties lecta e dulcedine perdant,
Viribus illa suis, non novitate, placent.
Felices, quibus hæc ipso cognoscere in actu, 15
Et tam facundo contigit ore frui!
Nam quanquam sapor est allata dulcis in unda,
Gratius ex ipso fonte bibuntur aquæ.
Et magis adducto pomum decerpere ramo,
Quam de cælata sumere lance juvat. 20
At nisi peccassem, nisi me mea Musa fugasset,
Quod legi, tua vox exhibuisset opus.
Utque fui solitus, sedissem forsitan unus
De centum judex in tua verba viris.
Major et implesset præcordia nostra voluptas, 25
Cum traherer dictis annueremque tuis.
Quem quoniam fatum, vobis patriaque relictis,
Inter inhumanos maluit esse Getas;
Quod licet, ut videar tecum magis esse, legenda
Sæpe, precor, studii pignora mitte tui: 30
Exemploque meo, nisi dedignaris id ipsum,
Utere; quod nobis rectius ipse dares.
Namque ego, qui perii jam pridem, Maxime, vobis,
Ingenio nitor non periisse meo.
Redde vicem: nec rara tui monumenta laboris 35
Accipiant nostræ, grata futura, manus.
Dic tamen, o juvenis studiorum plene meorum,
Ecquid ab his ipsis admoneare mei?
Ecquid, ubi aut recitas factum modo carmen amicis,
Aut, quod sæpe soles, exigis ut recitent, 40
Interdum queritur tua mens, oblita quid absit?
Nescio quid certe sentit abesse sui.
Utque loqui de me multum præsente solebas,
Nunc quoque Nasonis nomen in ore tuo est?
Ipse quidem Getico peream violatus ab arcu, 45
(Et sit perjuri quam prope pœna vides)
Te nisi momentis video pæne omnibus absens.
Gratia dis, menti quolibet ire licet.
Hac ubi perveni nulli cernendus in Urbem,
Sæpe loquor tecum, sæpe loquente fruor, 50
Tum, mihi difficile est, quam sit bene, dicere, quamque
Candida judiciis hora sit illa meis.
Tum me, si qua fides, cœlesti sede receptum
Cum fortunatis suspicor esse deis.
Rursus, ut huc redii, cœlum superosque relinquo. 55
A Styge nec longe Pontica distat humus.
Unde ego si fato nitor prohibente reverti;
Spem sine profectu, Maxime, tolle mihi.

EPISTOLA VI.

AMICORUM CUIDAM.

Naso suo, nomen posuit cui pæne, sodali
Mittit ab Euxinis hoc breve carmen aquis.
At si cauta parum scripsisset dextra, quis esset,
Forsitan officio parta querela foret.
Cur tamen, hoc aliis tutum credentibus, unus, 5
Appellent ne te carmina nostra, rogas?
Quanta sit in media clementia Cæsaris ira,
Ex me, si nescis, certior esse potes.
Huic ego, quam patior, nil possem demere pœnæ,
Si judex meriti cogerer esse mei. 10
Non vetat ille sui quenquam meminisse sodalis;
Nec prohibet tibi me scribere, teque mihi.
Nec scelus admittas, si consoleris amicum,
Mollibus et verbis aspera fata leves.
Cur, dum tuta times, facis ut reverentia talis 15
Fiat in Augustos invidiosa deos?
Fulminis afflatos interdum vivere telis
Vidimus, et refici, non prohibente Jove.
Nec, quia Neptunus navem lacerarat Ulixis,
Leucothee nanti ferre negavit opem. 20
Crede mihi, miseris cœlestia numina parcunt:
Nec semper læsos, et sine fine, premunt.
Principe nec nostro deus est moderatior ullus.
Justitia vires temperat ille suas.
Nuper eam Cæsar facto de marmore templo, 25
Jampridem posuit mentis in æde suæ.
Jupiter in multos temeraria fulmina torquet,
Qui pœnam culpa non meruere pari.
Obruerit sævis cum tot deus æquoris undis,
Ex illis mergi pars quota digna fuit? 30
Cum pereant acie fortissima quæque, vel ipso
Judice, delectus Martis iniquus erit.
At, si forte velis in nos inquirere, nemo est,
Qui se, quod patitur, commeruisse neget
Adde, quod exstinctos vel aqua, vel Marte, vel igni 35
Nulla potest iterum restituisse dies.
Restituit multos, aut pœne partæ levavit
Cæsar; et in multis me velit esse precor.
An tu, cum tali populus sub principe simus,
Alloquio profugi credis inesse metum? 40
Forsitan hæc domino Busiride jure timeres,
Aut solito clausos urere in ære viros.

Desine mitem animum vano infamare timore.
Sæva quid in placidis saxa vereris aquis?
Ipse ego, quod primo scripsi sine nomine vobis, 45
Vix excusari posse mihi videor.
Sed pavor attonito rationis ademerat usum,
Cesserat omne novis consiliumque malis.
Fortunamque meam metuens, non vindicis iram,
Terrebar titulo nominis ipse mei. 50
Hactenus admonitus memori concede poetæ,
Ponat ut in chartis nomina cara suis.
Turpe erit ambobus, longo mihi proximus usu
Si nulla libri parte legare mei.
Ne tamen iste metus somnos tibi rumpere possit; 55
Non ultra, quam vis, officiosus ero.
Teque tegam, qui sis; nisi cum permiseris ipse.
Cogetur nemo munus habere meum,
Tu modo, quem poteras vel aperte tutus amare,
Si res est anceps ista, latenter ama. 60

EPISTOLA VII

AMICIS.

Verba mihi desunt eadem tam sæpe roganti,
Jamque pudet vanas fine carere preces.
Tædia consimili fieri de carmine vobis,
Quidque petam, cunctos edidicisse reor.
Nostraque quid portet jam noscis epistola, quamvis 5
Charta sit a vinclis non labefacta suis.
Ergo mutetur scripti sententia nostri,
Ne toties contra, quam rapit amnis, eam.
Quod bene de vobis speravi, ignoscite, amici:
Talia peccandi jam mihi finis erit. 10
Nec gravis uxori dicar: quæ scilicet in me
Quam proba, tam timida est, experiensque parum.
Hæc quoque, Naso, feres: etenim pejora tulisti.
Jam tibi sentiri sarcina nulla potest.
Ductus ab armento taurus detrectat aratrum, 15
Subtrahit et duro colla novella jugo.
Nos, quibus adsuevit fatum crudeliter uti,
Ad mala jam pridem non sumus ulla rudes.
Venimus in Geticos fines; moriamur in illis:
Parcaque ad extremum, qua mea cœpit, eat. 20
Spem juvet amplecti; quæ non juvat irrita semper;
Et fieri cupias si qua, futura putes.
Proximus huic gradus est, bene desperare salutem,
Seque semel vera scire perisse fide.
Curando fieri quædam majora videmus 25
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.
Mitius ille perit, subita qui mergitur unda,
Quam sua qui tumidis brachia lassat aquis.
Cur ego concepi Scythicis me posse carere
Finibus, et terra prosperiore frui? 30
Cur aliquid de me speravi lenius unquam?
An fortuna mihi sic mea nota fuit?
Torqueor en gravius; repetitaque forma locorum
Exsilium renovat triste, recensque facit.
Est tamen utilius, studium cessasse meorum, 35
Quam, quas admorint, non valuisse preces.
Magna quidem res est, quam non audetis, amici;
Sed si quis peteret, qui dare vellet, erat.
Dummodo non vobis hoc Cæsaris ira negarit;
Fortiter Euxinis immoriemur aquis. 40

EPISTOLA VIII.

MAXIMO

Quæ tibi, quærebam, memorem testantia curam
Dona Tomitanus mittere posset ager
Dignus es argento, fulvo quoque dignior auro:
Sed te, cum donas, ista juvare solent.
Nec tamen hæc loca sunt ullo pretiosa metallo. 5
Hostis ab agricola vix sinit illa fodi.
Purpura sæpe tuos fulgens prætexit amictu:
Sed non Sarmatica tingitur illa manu.
Vellera dura ferunt pecudes, et Palladis uti
Arte Tomitanæ non didicere nurus. 10
Fœmina pro lana Cerealia munera frangit,
Suppositoque gravem vertice portat aquam.
Non hic pampineis amicitur vitibus ulmus:
Nulla premunt ramos pondere poma suo.
Tristia deformes pariunt absinthia campi, 15
Terraque defructu quam sit amara docet.
Nil igitur tota Ponti regione sinistri,
Quod mea sedulitas mittere posset, erat.
Clausa tamen misi Scythica tibi tela pharetra:
Hoste precor fiant illa cruenta tuo. 20
Hos habet hæc calamos, hos hæc habet ora libellos.
Hæc viget in nostris, Maxime, Musa locis.
Quæ quanquam misisse pudet, quia parva videntur,
Tu tamen hæc, quæso, consule missa boni.

EPISTOLA IX.

BRUTO.

Quod sit in his eadem sententia, Brute, libellis,
Carmina nescio quem carpere nostra refers:
Nil nisi me terra fruar ut propiore rogare,
Et, quam sim denso cinctus ab hoste, queri.
O quam de multis vitium reprehenditur unum! 5
Hoc peccat solum si mea Musa, bene est.
Ipse ego librorum video delicta meorum;
Cum sua plus justo carmina quisque probet.
Auctor opus laudat. Sic forsitan Agrius olim
Thersiten facie dixerit esse bona. 10
Judicium tamen hic nostrum non decipit error;
Nec, quicquid genui, protinus illud amo.
Cur igitur, si me videam delinquere, peccem,
Et patiar scripto crimen inesse, rogas.
Non eadem ratio est, sentire et demere morbos.
Sensus inest cunctis; tollitur arte malum. 16
Sæpe aliquod cupiens verbum mutare, relinquo
Judicium vires destituuntque meum.
Sæpe piget (quid enim dubitem tibi vera fateri?)
Corrigere, et longi ferre laboris onus. 20
Scribentem juvat ipse favor, minuitque laborem;
Cumque suo crescens pectore fervet opus.
Corrigere at res est tanto magis ardua, quanto
Magnus Aristarcho major Homerus erat.
Sic animum lento cararum frigore lædit, 25
Ut cupidi cursor frena retentat equi.
Atque ita di mites minuant mihi Cæsaris iram,
Ossaque pacata nostra tegantur humo;
Ut mihi conanti nonnunquam intendere curas,
Fortunæ species obstat acerba meæ. 30
Vixque mihi videor, faciam quod carmina, sanus,
Inque feris curem corrigere illa Getis.
Nil tamen e scriptis magis excusabile nostris,
Quam sensus cunctis pæne quod unus inest.
Læta fere lætus cecini; cano tristia tristis 35
Conveniens operi tempus utrumque suo est.

Quid, nisi de vitio scribam regionis amaræ,
Utque solo moriar commodiore, precer?
Cum toties eadem dicam, vix audior ulli:
Verbaque profectu dissimulata carent. 40
Et tamen hæc eadem cum sint, non scribimus isdem:
Unaque per plures vox mea tentat opem.
An, ne bis sensum lector reperiret eundem,
Unus amicorum, Brute, rogandus erat?
Non fuit hoc tanti; confesso ignoscite, docti. 45
Vilior est operis fama salute mea.
Denique materiæ, quam quis sibi finxerit ipse,
Arbitrio variat multa poeta suo.
Musa mea est index nimium quoque vera malorum;
Atque incorruptæ pondera testis habet. 50
Nec liber ut fieret, sed uti sua cuique daretur
Littera, propositum curaque nostra fuit.
Postmodo collectas, utcunque sine ordine, junxi.
Hoc opus electum ne mihi forte putes.
Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis 55
Causa, sed utilitas officiumque fuit.

LIBER QUARTUS.

EPISTOLA I.

SEXTO POMPEIO.

Accipe, Pompei, deductum carmen ab illo,
Debitor est vitæ qui tibi, Sexte, suæ.
Qui si non prohibes a me tua nomina poni,
Accedet meritis hæc quoque summa tuis.
Sive trahis vultus; equidem peccasse fatebor. 5
Delicti tamen est causa probanda mei.
Non potuit mea mens, quin esset grata, teneri.
Sit precor officio non gravis ira pio.
O quoties ego sum libris mihi visus in istis
Impius, in nullo quod legerere loco! 10
O quoties, alii vellem cum scribere, nomen
Retulit in ceras inscia dextra tuum!
Ipse mihi placuit mendis in talibus error;
Et vix invita facta litura manu est.
Viderit ad summum, dixi. Licet ipse queratur;
Hanc pudet offensam non meruisse prius. 16
Da mihi, si quid ea est, hebetantem pectora Lethen;
Oblitus potero non tamen esse tui,
Idque sinas oro; nec fastidita repellas
Verba, nec officio crimen inesse putes. 20
Et levis hæc meritis referatur gratia tantis.
Sin minus; invito te quoque gratus ero.
Nunquam pigra fuit nostris tua gratia rebus:
Nec mihi munificas arca negavit opes.
Nunc quoque nil subitis clementia territa fatis 25
Auxilium vitæ fertque feretque meæ.
Unde, roges forsan, fiducia tanta futuri
Sit mihi: quod fecit quisque tuetur opus.
Ut Venus artificis labor est et gloria Coi,
Æquoreo madidas quæ premit imbre comas;
Arcis ut Actææ vel eburna vel ænea custos 31
Bellica Phidiaca stat dea facta manu;
Vindicat ut Calamis laudem, quos fecit, equorum;
Ut similis veræ vacca Myronis opus;
Sic ego pars rerum non ultima, Sexte, tuarum;
Tutelæque feror munus opusque tuæ. 36

EPISTOLA II.

SEVERO.

Quod legis, o vates magnorum maxime regum,
Venit ab intonsis usque, Severe, Getis.
Cujus adhuc nomen nostros tacuisse libellos,
Si modo permittis dicere vera, pudet.
Orba tamen numeris cessavit epistola nunquam
Ire per alternas officiosa vices. 6
Carmina sola tibi memorem testantia curam
Non data sunt. Quid enim, quæ facis ipse, darem?
Quis mel Aristæo, quis Baccho vina Falerno,
Triptolemo fruges, poma det Alcinoo? 10
Fertile pectus habes, interque Helicona colentes
Uberius nulli provenit ista seges.
Mittere carmen ad hunc, frondes erat addere sylvis.
Hæc mihi cunctandi causa, Severe, fuit.
Nec tamen ingenium nobis respondet ut ante:
Sed siccum sterili vomere littus aro. 16
Scilicet ut limus venas excæcat in undis,
Læsaque suppresso fonte resistit aqua;
Pectora sic mea sunt limo vitiata malorum,
Et carmen vena pauperiore fluit. 20
Si quis in hac ipsum terra posuisset Homerum,
Esset, crede mihi, factus et ille Getes.
Da veniam fasso; studiis quoque frena remisi:
Ducitur et digitis littera rara meis.
Impetus ille sacer, qui vatum pectora nutrit, 25
Qui prius in nobis esse solebat, abest.
Vix venit ad partes, vix sumtæ Musa tabellæ
Imponit pigras pæne coacta manus.
Parvaque, ne dicam scribendi nulla voluptas
Est mihi; nec numeris nectere verba juvat. 30
Sive quod hinc fructus adeo non cepimus ullos,
Principium nostri res sit ut ista mali;
Sive quod in tenebris numerosos ponere gressus,
Quodque legas nulli scribere carmen, idem est.
Excitat auditor studium: laudataque virtus 35
Crescit, et immensum gloria calcar habet.
Hic mea cui recitem, nisi flavis scripta Corallis,
Quasque alias gentes barbarus Ister habet?
Sed quid solus agam? quaque infelicia perdam
Otia materia, surripiamque diem? 40
Nam quia nec vinum, nec me tenet alea fallax,
Per quæ clam tacitum tempus abire solet;
Nec me, quod cuperem, si per fera bella liceret,
Oblectat cultu terra novata suo:
Quid, nisi Pierides, solatia frigida, restat, 45
Non bene de nobis quæ meruere deæ?
At tu, cui bibitur felicius Aonius fons,
Utiliter studium quod tibi cedit, ama;
Sacraque Musarum merito cole: quodque legamus,
Huc aliquod curæ mitte recentis opus. 50

EPISTOLA III.

AMICO INSTABILI

Conquerar, an taceam? ponam sine nomine crimen?
An notum, qui sis, omnibus esse velim?
Nomine non utar, ne commendere querela,
Quæraturque tibi carmine fama meo.
Dum mea puppis erat valida fundata carina, 5
Qui mecum velles currere, primus eras.
Nunc, quia contraxit vultum Fortuna, recedis,
Auxilio postquam scis opus esse tuo.
Dissimulas etiam, nec me vis nosse videri:
Quisque sit, audito nomine, Naso, rogas. 10
Ille ego sum, quanquam non vis audire, vetusta
Pæne puer puero junctus amicitia.
Ille ego, qui primus tua seria nosse solebam,
Qui tibi jucundis primus adesse jocis.
Ille ego convictor, densoque domesticus usu;
Ille ego judiciis unica Musa tuis. 16
Idem ego sum, qui nunc, an vivam, perfide, nescis;
Cura tibi de quo quærere nulla fuit.
Sive fui nunquam carus, simulasse fateris;
Seu non fingebas, invenierie levis. 20
Aut age dic aliquam, quæ te mutaverit, iram:
Nam nisi justa tua est, justa querela mea est.
Quæ te consimilem res nunc vetat esse priori?
An crimen, cœpi quod miser esse, vocas?
Si mihi rebus opem nullam factisque ferebas;
Venisset verbis charta notata tribus. 26
Vix equidem credo, sed et insultare jacenti
Te mihi, nec verbis parcere, fama refert.
Quid facis, ah demens? cur, si Fortuna recedat,
Naufragio lacrymas eripis ipse tuo? 30
Hæc dea non stabili, quam sit levis, orbe fatetur,
Quem summum dubio sub pede semper habet.
Quolibet est folio, quavis incertior aura.
Par illi levitas, improbe, sola tua est.
Omnia sunt hominum tenui pendentia filo: 35
Et subito casu, quæ valuere, ruunt.
Divitis audita est cui non opulentia Crœsi?
Nempe tamen vitam captus ab hoste tulit.
Ille Syracosia modo formidatus in urbe,
Vix humili duram repulit arte famem. 40
Quid fuerat Magno majus? tamen ille rogavit
Submissa fugiens voce clientis opem.
Cuique viro totus terrarum paruit orbis,
Indigus effectus omnibus ipse magis.
Ille Jugurthino clarus Cimbroque triumpho, 45
Quo victrix toties consule Roma fuit,
In cœno latuit Marius, cannaque palustri,
Pertulit et tanto multa pudenda viro.
Ludit in humanis divina potentia rebus,
Et certam præsens vix habet hora fidem. 50
Littus ad Euxinum, si quis mihi diceret, ibis,
Et metues arcu ne feriare Getæ;
I, bibe, dixissem, purgantes pectora succos,
Quicquid et in tota nascitur Anticyra.
Sum tamen hæc passus: nec si mortalia possem,
Et summi poteram tela cavere dei. 56
Tu quoque fac timeas; et, quæ tibi læta videntur,
Dum loqueris, fieri tristia posse puta.

EPISTOLA IV.

SEXTO POMPEIO.

Nulla dies adeo est australibus humida nimbis,
Non intermissis ut fluat imber aquis.
Nec sterilis locus ullus ita est, ut non sit in illo
Mista fere duris utilis herba rubis.
Nil adeo fortuna gravis miserabile fecit, 5
Ut minuant nulla gaudia parte malum.
Ecce domo, patriaque carens, oculisque meorum,
Naufragus in Getici littoris actus aquas;
Qua tamen, inveni, vultum diffundere causa
Possem, fortunæ nec meminisse meæ. 10
Nam mihi cum fulva tristis spatiarer arena,
Visa est a tergo penna dedisse sonum.
Respicio; nec corpus erat, quod cernere possem
Verba tamen sunt hæc aure recepta mea:
En ego lætarum venio tibi nuntia rerum 15
Fama, per immensas aere lapsa vias
Consule Pompeio, quo non tibi carior alter,
Candidus et felix proximus annus erit.
Dixit; et, ut læto Pontum rumore replevit,
Ad gentes alias hinc dea vertit iter. 20
At mihi, dilapsis inter nova gaudia curis,
Excidit asperitas hujus iniqua loci.
Ergo ubi, Jane biceps, longum reseraveris annum,
Pulsus et a sacro mense December erit;
Purpura Pompeium summi velabit honoris; 25
Nec titulis quicquam debeat ille suis
Cernere jam videor rumpi penetralia turba,
Et populum lædi deficiente loco.
Templaque Tarpeiæ primum tibi sedis adiri;
Et fieri faciles in tua vota deos. 30
Colla boves niveos certæ præbere securi,
Quos aluit campis herba Falisca suis.
Cumque deos omnes, tum quos impensius æquos
Esse tibi cupias, cum Jove Cæsar erit.
Curia te excipiet, patresque e more vocati 35
Intendent aures ad tua verba suas.
Hos ubi facundo tua vox hilaraverit ore,
Utque solet, tulerit prospera verba dies;
Egeris et meritas superis cum Cæsare grates;
Qui causam, facias cur ita sæpe, dabit: 40
Inde domum repetes toto comitante senatu,
Officium populi vix capiente domo.
Me miserum, turba quod non ego cernar in illa
Nec poterunt istis lumina nostra frui!
Quamlibet absentem, qua possum, mente videbo:
Adspiciet vultus consulis illa sui. 46
Di faciant, aliquo subeat tibi tempore nostrum
Nomen; et, Heu, dicas, quid miser ille facit?
Hæc tua pertulerit si quis mihi verba, fatebor
Protinus exsilium mollius esse meum. 50

EPISTOLA V.

EIDEM JAM CONSULI.

Ite, leves elegi, doctas ad consulis aures,
Verbaque honorato ferte legenda viro.
Longa via est, nec vos pedibus proceditis æquis:
Tectaque brumali sub nive terra latet.
Cum gelidam Thracen, et opertum nubibus Hæmon, 5
Et maris Ionii transieritis aquas;
Luce minus decima dominam venietis in Urbem,
Ut festinatum non faciatis iter.
Protinus inde domus vobis Pompeia petatur.
Non est Augusto junctior ulla Foro. 10
Si quis, ut in populo, qui sitis, et unde, requiret;
Nomina decepta quælibet aure ferat.
Ut sit enim tutum, sicut reor esse, fateri;
Verba minus certe ficta timoris habent.
Copia nec vobis ullo prohibente videndi 15
Consulis, ut limen contigeritis, erit.

Aut reget ille suos dicendo jura Quirites,
Conspicuum signis cum premet altus ebur;
Aut populi reditus positam componet ad hastam,
Et minui magnæ non sinet urbis opes. 20
Aut, ut erunt patres in Julia templa vocati,
De tanto dignis consule rebus aget.
Aut feret Augusto solitam natoque salutem,
Deque parum noto consulet officio.
Tempus ab his vacuum Cæsar Germanicus omne
Auferet. A magnis hunc colit ille deis. 26
Cum tamen a turba rerum requieverit harum,
Ad vos mansuetas porriget ille manus:
Quidque parens ego vester agam, fortasse requiret.
Talia vos illi reddere verba velim: 30
Vivit adhuc, vitamque tibi debere fatetur,
Quam prius a miti Cæsare munus habet.
Te sibi, cum fugeret, memori solet ore referre,
Barbariæ tutas exhibuisse vias.
Sanguine Bistonium quod non tepefecerit ensem,
Effectum cura pectoris esse tui. 36
Addita præterea vitæ quoque multa tuendæ
Munera, ne proprias attenuaret opes.
Pro quibus ut meritis referatur gratia, jurat
Se fore mancipium tempus in omne tuum. 40
Nam prius umbrosa carituros arbore montes,
Et freta velivolas non habitura rates,
Fluminaque in fontes cursu reditura supino;
Gratia quam meriti possit abire tui.
Hæc ubi dixeritis, servet sua dona, rogate. 45
Sic fuerit vestræ causa peracta viæ.

EPISTOLA VI.

BRUTO.

Quam legis, ex illis tibi venit epistola, Brute,
Nasonem nolles in quibus esse, locis.
Sed, tu quod nolles, voluit miserabile fatum.
Heu mihi, plus illud, quam tua vota, valet!
In Scythia nobis quinquennis Olympias acta est:
Jam tempus lustri transit in alterius. 6
Perstat enim Fortuna tenax, votisque malignum
Opponit nostris insidiosa pedem.
Certus eras pro me, Fabiæ lux Maxime gentis,
Numen ad Augustum supplice voce loqui. 10
Occidis ante preces; causamque ego, Maxime, mortis
(Nec fueram tanti) me reor esse tuæ.
Jam timeo nostram cuiquam mandare salutem:
Ipsum morte tua concidit auxilium.
Cœperat Augustus deceptæ ignoscere culpæ; 15
Spem nostram, terras deseruitque simul.
Quale tamen potui de cœlite, Brute, recenti
Vestra procul positus carmen in ora dedi.
Quæ prosit pietas utinam mihi; sitque malorum
Jam modus, et sacræ mitior ira domus! 20
Te quoque idem liquido possum jurare precari,
O mihi non dubia concidit Brute nota.
Nam cum præstiteris verum mihi semper amorem,
Hic tamen adverso tempore crevit amor.
Quique tuas pariter lacrymas nostrasque videret,
Passuros pœnam crederet esse duos. 26
Lenem te miseris genuit natura, nec ulli
Mitius ingenium, quam tibi, Brute, dedit.
Ut qui, quid valeas, ignoret, Marte forensi,
Posse tuo peragi vix putet ore reos. 30
Scilicet ejusdem est, quamvis pugnare videtur
Supplicibus facilem, sontibus esse trucem.
Cum tibi suscepta est legis vindicta severæ,
Verba velut tinctum singula virus habent.
Hostibus eveniat, quam sis violentus in armis, 35
Sentire, et linguæ tela subire tuæ.
Quæ tibi tam tenui cura limantur, ut omnes
Istius ingenium corporis esse negent
At si quem lædi fortuna cernis iniqua,
Mollior est animo fœmina nulla tuo. 40
Hoc ego præcipue sensi, cum magna meorum
Notitiam pars est inficiata mei.
Immemor illorum, vestri non immemor unquam,
Qui mala solliciti nostra levastis, ero.
Et prius, heu nobis nimium conterminus, Ister
In caput Euxino de mare vertet iter; 46
Utque Thyesteæ redeant si tempora mensæ,
Solis ad Eoas currus agetur aquas;
Quam quisquam vestrum, qui me doluistis ademtum,
Arguat ingratum non meminisse sui. 50

EPISTOLA VII.

VESTALI.

Missus es Euxinas quoniam, Vestalis, ad undas,
Ut positis reddas jura sub axe locis:
Adspicis en præsens quali jaceamus in arvo;
Nec me testis eris falsa solere queri.
Accedet voci per te non irrita nostræ, 5
Alpinis juvenis regibus orte, fides.
Ipse vides certe glacie concrescere Pontum:
Ipse vides rigido stantia vina gelu.
Ipse vides, onerata ferox ut ducat Iazyx
Per medias Istri plaustra bubulcus aquas. 10
Adspicis et mitti sub adunco toxica ferro,
Et telum causas mortis habere duas.
Atque utinam pars hæc tantum spectata fuisset,
Non etiam proprio cognita Marte tibi!
Tenditis ad primum per densa pericula pilum:
Contigit ex merito qui tibi nuper honos. 16
Sit licet hic titulus plenis tibi fructibus ingens,
Ipsa tamen virtus ordine major erat.
Non negat hoc Ister, cujus tua dextera quondam
Puniceam Getico sanguine fecit aquam. 20
Non negat Ægypsos, quæ te subeunte recepta
Sensit in ingenio nil opis esse loci.
Nam, dubium positu melius defensa manuve,
Urbs erat in summo nubibus æqua jugo.
Sithonio regi ferus interceperat illam 25
Hostis, et ereptas victor habebat opes:
Donec fluminea devecta Vitellius unda
Intulit, exposito milite, signa Getis.
At tibi, progenies alti fortissima Dauni,
Venit in adversos impetus ire viros. 30
Nec mora: conspicuus longe fulgentibus armis,
Fortia ne possint facta latere, caves:
Ingentique gradu contra ferrumque locumque,
Saxaque brumali grandine plura, subis.
Nec te missa super jaculorum turba moratur, 35
Nec quæ vipereo tela cruore madent.
Spicula cum pictis hærent in casside pennis,
Parsque fere scuti vulnere nulla vacat.
Nec corpus cunctos feliciter effugit ictus;
Sed minor est acri laudis amore dolor. 40
Talis apud Trojam Danais pro navibus Ajax
Dicitur Hectoreas sustinuisse faces.
Ut proprius ventum est, admotaque dextera dextræ,
Resque fero potuit cominus ense geri;
Dicere difficile est, quid Mars tuus egerit illic, 45
Quotque neci dederis, quosque, quibusque modis.

Ense tuo tactos calcabas victor acervos,
Impositoque Getes sub pede multus erat.
Pugnat ad exemplum primi minor ordine pili:
Multaque fert miles vulnera, multa facit. 50
Sed tantum virtus alios tua præterit omnes,
Ante citos quantum Pegasus ibat equos.
Vincitur Ægypsos: testataque tempus in omne
Sunt tua, Vestalis, carmine facta meo.

EPISTOLA VIII.

SUILLIO.

Littera sera quidem, studiis exculte Suilli,
Huc tua pervenit, sed mihi grata tamen:
Qua, pia si possit superos lenire rogando
Gratia, laturum te mihi dicis opem.
Ut jam nil præstes, animi sum factus amici 5
Debitor; et meritum velle juvare voco.
Impetus iste tuus longum modo duret in ævum,
Neve malis pietas sit tua lassa meis.
Jus aliquod faciunt affinia vincula nobis,
Quæ semper maneant illabefacta precor. 10
Nam tibi quæ conjux, eadem mihi filia pæne est:
Et quæ te generum, me vocat illa virum.
Heu mihi, si lectis vultum tu versibus istis
Ducis, et affinem te pudet esse meum!
At nihil hic dignum poteris reperire pudore, 15
Præter fortunam, quæ mihi cæca fuit.
Seu genus excutias; equites ab origine prima
Usque per innumeros inveniemur avos:
Sive velis, qui sint, mores inquirere nostros;
Errorem misero detrahe, labe carent. 20
Tu modo si quid agi sperabis posse precando,
Quos colis, exora supplice voce deos.
Di tibi sunt Cæsar juvenis: tua numina placa.
Hac certe nulla est notior ara tibi.
Non sinit illa sui vanas antistitis unquam 25
Esse preces. Nostris hinc pete rebus opem.
Quamlibet exigua si nos ea juverit aura,
Obruta de mediis cymba resurget aquis.
Tunc ego thura feram rapidis sollennia flammis,
Et, valeant quantum numina, testis ero. 30
Nec tibi de Pario statuam, Germanice, templum
Marmore. Carpsit opes illa ruina meas.
Templa domus vobis faciant urbesque beatæ:
Naso suis opibus, carmine, gratus erit.
Parva quidem fateor pro magnis munera reddi, 35
Cum pro concessa verba salute damus.
Sed qui, quam potuit, dat maxima, gratus abunde est,
Et finem pietas contigit illa suum.
Nec, quæ de parva dis pauper libat acerra,
Thura minus, grandi quam data lance, valent. 40
Agnaque tam lactens, quam gramine pasta Falisco
Victima, Tarpeios inficit icta focos.
Nec tamen officio vatum per carmina facto
Principibus res est gratior ulla viris.
Carmina vestrarum peragunt præconia laudum, 45
Neve sit actorum fama caduca cavent.
Carmine fit vivax virtus, expersque sepulcri
Notitiam seræ posteritatis habet.
Tabida consumit ferrum lapidemque vetustas,
Nullaque res majus tempore robur habet. 50
Scripta ferunt annos: scriptis Agamemnona nosti,
Et quisquis contra, vel simul arma tulit.
Quis Thebas septemque duces sine carmine nosset,
Et quicquid post hæc, quicquid et ante fuit? 55
Di quoque carminibus, si fas est dicere, fiunt:
Tantaque majestas ore canentis eget.
Sic Chaos ex illa naturæ mole prioris
Digestum partes scimus habere suas:
Sic affectantes cœlestia regna Gigantas
Ad Styga nimbifero vindicis igne datos. 60
Sic victor laudem superatis Liber ab Indis,
Alcides capta traxit ab Œchalia.
Et modo, Cæsar, avum, quem virtus addidit astris,
Sacrarunt aliqua carmina parte tuum.
Si quid adhuc igitur vivi, Germanice, nostro 65
Restat in ingenio, serviet omne tibi.
Non potes officium vatis contemnere vates:
Judicio pretium res habet ista tuo.
Quod nisi te numen tantum ad majora vocasset,
Gloria Pieridum summa futurus eras. 70
Sed dare materiam nobis, quam carmina, mavis:
Nec tamen ex toto deserere illa potes.
Nam modo bella geris, numeris modo verba coerces:
Quodque aliis opus est, hoc tibi ludus erit.
Utque nec ad citharam, nec ad arcum segnis Apollo est, 75
Sed venit ad sacras nervus uterque manus;
Sic tibi nec docti, nec desunt principis artes:
Mista sed est animo cum Jove Musa tuo.
Quæ quoniam nec nos unda submovit ab illa,
Ungula Gorgonei quam cava fecit equi; 80
Prosit, opemque ferat communia sacra tueri,
Atque isdem studiis imposuisse manum:
Littora pellitis nimium subjecta Corallis
Ut tandem, sævos effugiamque Getas:
Clausaque si misero patria est, ut ponar in ullo, 85
Qui minus Ausonia distet ab urbe, loco;
Unde tuas possim laudes celebrare recentes,
Magnaque quam minima facta referre mora.
Tangat ut hoc votum cœlestia, care Suilli,
Numina, pro socero pæne precare tuo 90

EPISTOLA IX.

GRÆCINO.

Unde licet, non unde juvat, Græcine, salutem
Mittit ab Euxinis hanc tibi Naso vadis.
Missaque di faciant Auroram occurrat ad illam,
Bis senos fasces quæ tibi prima dabit:
Ut, quoniam sine me tanges Capitolia consul, 5
Et fiam turbæ pars ego nulla tuæ,
In domini subeat partes, et præstet amici
Officium jusso littera nostra die.
Atque ego si fatis genitus melioribus essem,
Et mea sincero curreret axe rota; 10
Quo nunc nostra manus per scriptum fungitur, esset
Lingua salutandi munere functa tui.
Gratatusque darem cum dulcibus oscula verbis:
Nec minus ille meus, quam tuus, esset honor.
Illa, confiteor, sic essem luce superbus, 15
Ut caperet fastus vix domus ulla meos.
Dumque latus sancti cingit tibi turba senatus,
Consulis ante pedes ire viderer eques.
Et quanquam cuperem semper tibi proximus esse,
Gauderem lateri non habuisse locum. 20
Nec querulus, turba quamvis eliderer, essem:
Sed foret a populo tum mihi dulce premi.
Prospicerem gaudens, quantus foret agminis ordo,
Densaque quam longum turba teneret iter.
Quoque magis noris, quam me vulgaria tangant,
Spectarem, qualis purpura te tegeret. 26

Signa quoque in sella nossem formata curuli
Et totum Numidæ sculptile dentis opus.
At cum Tarpeias esses deductus in arces,
Dum caderet jussu victima sacra tuo; 30
Me quoque secreto grates sibi magnus agentem
Audisset, media qui sedet æde, deus.
Thuraque mente magis plena, quam lance, dedissem
Ter quater, imperii lætus honore tui.
Hic ego præsentes inter numerarer amicos, 35
Mitia jus Urbis si modo fata darent.
Quæque mihi sola capitur nunc mente voluptas,
Tunc oculis etiam percipienda foret.
Non ita cœlitibus visum est, et forsitan æquis:
Nam quid me pœnæ causa negata juvet? 40
Mente tamen, quæ sola loco non exsulat, utar:
Prætextam, fasces adspiciamque tuos.
Hæc modo te populo reddentem jura videbit
Et se secretis finget adesse locis.
Nunc longi reditus hastæ supponere lustri 45
Cernet, et exacta cuncta locare fide.
Nunc facere in medio facundum verba senatu,
Publica quærentem quid petat utilitas.
Nunc pro Cæsaribus, superis decernere grates,
Albave opimorum colla ferire boum. 50
Atque utinam, cum jam fueris potiora precatus,
Ut mihi placetur numinis ira, roges!
Surgat ad hunc vocem plena pius ignis ab ara,
Detque bonum voto lucidus omen apex.
Interea, qua parte licet, ne cuncta queramur, 55
Hic quoque te festum consule tempus agam.
Altera lætitiæ, nec cedens causa priori,
Successor tanti frater honoris erit.
Nam tibi finitum summo, Græcine, Decembri
Imperium, Jani suscipit ille die. 60
Quæque est in vobis pietas, alterna feretis
Gaudia, tu fratris fascibus, ille tuis.
Sic tu bis fueris consul, bis consul et ille,
Inque domo bimus conspicietur honor.
Qui quanquam est ingens, et nullum Martia summo 65
Altius imperium consule Roma videt;
Multiplicat tamen hunc gravitas auctoris honorem,
Et majestatem res data dantis habet.
Judiciis igitur liceat Flaccoque tibique
Talibus Augusti tempus in omne frui. 70
Ut tamen a rerum cura propiore vacabit,
Vota precor votis addite vestra meis.
Et, si quem dabit aura sinum, laxate rudentes,
Exeat e Stygiis ut mea navis aquis.
Præfuit his, Græcine, locis modo Flaccus, et illo
Ripa ferox Istri sub duce tuta fuit. 76
Hic tenuit Mysas gentes in pace fideli:
Hic arcu fisos terruit ense Getas.
Hic captam Trosmin celeri virtute recepit,
Infecitque fero sanguine Danubium. 80
Quære loci faciem, Scythicique incommoda cœli;
Et quam vicino terrear hoste, roga.
Sintne litæ tenues serpentis felle sagittæ:
Fiat an humanum victima dira caput.
Mentiar, an coeat duratus frigore pontus, 85
Et teneat glacies jugera multa freti.
Hæc ubi narrarit, quæ sit mea fama, require;
Quoque modo peragam tempora dura, roga.
Nec sumus hic odio, nec scilicet esse meremur:
Nec cum fortuna mens quoque versa mea est. 90
Illa quies animo, quam tu laudare solebas,
Ille vetus solito perstat in ore pudor.
Sic ego sum longe, sic hic, ubi barbarus hostis,
Ut fera plus valeant legibus arma, facit;
Rem queat ut nullam tot jam, Græcine, per annos 95
Fœmina de nobis virve puerve queri.
Hoc facit, ut misero faveant adsintque Tomitæ
Hæc quoniam tellus testificanda mihi est.
Illi me, quia velle vident, discedere malunt;
Respectu cupiunt hic tamen esse sui. 100
Nec mihi credideris: exstant decreta, quibus nos
Laudat, et immunes publica cera facit.
Conveniens miseris hæc quanquam gloria non est,
Proxima dant nobis oppida munus idem.
Nec pietas ignota mea est: videt hospita tellus
In nostra sacrum Cæsaris esse domo. 106
Stant pariter natusque pius, conjuxque sacerdos,
Numina jam facto non leviora deo.
Neu desit pars ulla domus; stat uterque nepotum:
Hic aviæ lateri proximus, ille patris. 110
His ego do toties cum thure precantia verba,
Eoo quoties surgit ab orbe dies.
Tota, licet quæras, hoc me non fingere dicet,
Officii testis Pontica terra mei.
Pontica me tellus, quantis hac possumus ora, 115
Natalem ludis scit celebrare dei.
Nec minus hospitibus pietas est cognita talis,
Misit in has si quos longa Propontis aquas.
Isquoque, quo lævus fuerat sub præside Pontus,
Audierit frater forsitan ista tuus. 120
Fortuna est impar animo, talique libenter
Exiguas carpo munere pauper opes.
Nec vestris damus hæc oculis, procul Urbe remoti:
Contenti tacita sed pietate sumus.
Et tamen hæc tangent aliquando Cæsaris aures.
Nil illum, toto quod fit in orbe, latet. 126
Tu certe scis hoc, Superis adscite, videsque,
Cæsar, ut est oculis subdita terra tuis.
Tu nostras audis inter convexa locatus
Sidera, sollicito quas damus ore, preces. 130
Perveniant istuc et carmina forsitan illa,
Quæ de te misi cœlite facta novo.
Auguror his igitur flecti tua numina; nec tu
Immerito nomen mite parentis habes.

EPISTOLA X.

ALBINOVANO.

Hic mihi Cimmerio bis tertia ducitur æstas
Littore, pellitos inter agenda Getas.
Ecquos tu silices, ecquod, carissime, ferrum
Duritiæ confers, Albinovane, meæ? 4
Gutta cavat lapidem; consumitur annulus usu;
Et teritur pressa vomer aduncus humo.
Tempus edax igitur, præter nos, omnia perdet?
Cessat duritia mors quoque victa mea.
Exemplum est animi nimium patientis Ulixes,
Jactatus dubio per duo lustra mari. 10
Tempora solliciti sed non tamen omnia fati
Pertulit; et placidæ sæpe fuere moræ.
An grave sex annis pulchram fovisse Calypso
Æquoreæque fuit concubuisse deæ?
Excipit Hippotades, qui dat pro munere ventos,
Curvet ut impulsos utilis aura sinus. 16
Nec bene cantantes labor est audisse puellas;
Nec degustanti lotos amara fuit.
Hos ego, qui patriæ faciant oblivia, succos
Parte meæ vitæ, si modo dentur, emam 20
Nec tu contuleris urbem Læstrygonis unquam
Gentibus, obliqua quas obit Ister aqua.

Nec vincet sævum Cyclops feritate Phyacen,
Qui quota terroris pars solet esse mei.
Scylla feri trunco quod latrat ab inguine monstris;
Heniochæ nautis plus nocuere rates. 26
Nec potes infestis conferre Charybdin Achæis;
Ter licet epotum, ter vomat illa fretum.
Qui quanquam dextra regione licentius errant;
Securum latus hoc non tamen esse sinunt. 30
Hic agri infrondes, hic spicula tincta venenis:
Hic freta vel pediti pervia reddit hiems;
Ut, qua remus iter pulsis modo fecerat undis,
Siccus contemta nave viator eat.
Qui veniunt istinc, vix vos ea credere dicunt. 35
Quam miser est, qui fert asperiora fide!
Crede tamen: nec te causas nescire sinemus,
Horrida Sarmaticum cur mare duret hiems.
Proxima sunt nobis plaustri præbentia formam,
Et quæ præcipuum sidera frigus habent. 40
Hinc oritur Boreas, oræque domesticus huic est,
Et sumit vires a propiore loco.
At Notus, adverso tepidum qui spirat ab axe,
Est procul, et rarus languidiorque venit.
Adde quod hic clauso miscentur flumina Ponto,
Vimque fretum multo perdit ab amne suam. 46
Huc Lycus, huc Sagaris, Peniusque, Hypanisque, Cratesque
Influit et crebro vortice tortus Halys;
Partheniusque rapax, et volvens saxa Cynapes
Labitur; et nullo tardior amne Tyras. 50
Et tu, fœmineæ Thermodon cognite turmæ;
Et quondam Graiis Phasi petite viris.
Cumque Borysthenio liquidissimus amne Dyraspes,
Et tacite peragens lene Melanthus iter.
Quique duas terras, Asiam Cadmique sororem 55
Separat, et cursus inter utramque facit.
Innumerique alii, quos inter maximus omnes
Cedere Danubius se tibi, Nile, negat.
Copia tot laticum, quas auget, adulterat undas,
Nec patitur vires æquor habere suas. 60
Quin etiam stagno similis, pigræque paludi,
Cæruleus vix est, diluiturque color.
Innatat unda freto dulcis, leviorque marina est;
Quæ proprium mixto de sale pondus habet.
Si roget hæc aliquis, cur sint narrata Pedoni, 65
Quidve loqui certis juverit ista modis;
Detinui, dicam, tempus, curasque fefelli.
Hunc fructum præsens attulit hora mihi.
Abfuimus solito, dum scribimus ista, dolori,
In mediis nec nos sensimus esse Getis. 70
At tu, non dubito, cum carmine Thesea laudes,
Materiæ titulos quin tueare tuæ; [fecto
Quemque refers, imitere virum. Vetat ille pro-
Tranquilli comitem temporis esse fidem.
Qui quanquam est factis ingens, et conditus a te
Vir tanto, quanto debuit ore cani; 76
Est tamen ex illo nobis imitabile quiddam,
Inque fide Theseus quilibet esse potest.
Non tibi sunt hostes ferro clavaque domandi,
Per quos vix ulli pervius Isthmos erat; 80
Sed præstandus amor, res non operosa volenti.
Quis labor est puram non temerasse fidem?
Hæc tibi, qui perstas indeclinatus amico,
Non est quod lingua dicta querente putes.

EPISTOLA XI.

GALLIONI.

Gallio, crimen erit vix excusabile nobis,
Carmine te nomen non habuisse meo.
Tu quoque enim, memini, cœlesti cuspide facta
Fovisti lacrymis vulnera nostra tuis.
Atque utinam, rapti jactura læsus amici, 5
Sensisses ultra, quod quererere, nihil!
Non ita dis placuit, qui te spoliare pudica
Conjuge crudeles non habuere nefas.
Nuntia nam luctus mihi nuper epistola venit,
Lectaque cum lacrymis sunt tua damna meis.
Sed neque prudentem solari stultior ausim, 11
Verbaque doctorum nota referre tibi;
Finitumque tuum, si non ratione, dolorem
Ipsa jam pridem suspicor esse mora.
Dum tua pervenit, dum littera nostra recurrens 15
Tot maria ac terras permeat, annus abit.
Temporis officium solatia dicere certi est,
Dum dolor in cursu est, dum petit æger opem.
At cum longa dies sedavit vulnera mentis,
Intempestive qui fovet illa, novat. 20
Adde quod (atque utinam verum tibi venerit omen!)
Conjugio felix jam potes esse novo.

EPISTOLA XII.

TUTICANO.

Quo minus in nostris ponaris, amice, libellis,
Nominis efficitur conditione tui.
Ast ego non alium prius hoc dignarer honore:
Est aliquis nostrum si modo carmen honos.
Lex pedis officio naturaque nominis obstant, 5
Quaque meos adeas, est via nulla, modos.
Nam pudet in geminos ita nomen findere versus,
Desinat ut prior hoc, incipiatque minor:
Et pudeat, si te, qua syllaba parte moratur,
Arctius appellem, Tuticanumque vocem. 10
Nec potes in versum Tuticani more venire,
Fiat ut e longa syllaba prima brevis;
Aut producatur, quæ nunc correptius exit,
Et sit porrecta longa secunda mora.
His ego si vitiis ausim corrumpere nomen, 15
Ridear, et merito pectus habere neger.
Hæc mihi causa fuit dilati muneris hujus,
Quod meus adjecto fœnore reddet ager:
Teque canam quacunque nota: tibi carmina mittam,
Pæne mihi puero cognite pæne puer; 20
Perque tot annorum seriem, quot habemus uterque,
Non mihi, quam fratri frater, amate minus.
Tu bonus hortator, tu duxque comesque fuisti,
Cum regerem tenera frena novella manu.
Sæpe ego correxi sub te censore libellos; 25
Sæpe tibi admonitu facta litura meo est:
Dignam Mæoniis Phæacida condere chartis
Cum te Pierides perdocuere tuæ.
Hic tenor, hæc viridi concordia cœpta juventa
Venit ad albentes illabefacta comas. 30
Quæ nisi te moveant, duro tibi pectora ferro
Esse, vel invicto clausa adamante putem.
Sed prius huic desint et bellum et frigora terræ,
Invisus nobis quæ duo Pontus habet;
Et tepidus Boreas, et sit præfrigidus Auster, 35
Et possit fatum mollius esse meum;
Quam tua sint lapso præcordia dura sodali.
Hic cumulus nostris absit, abestque, malis.
Tu modo per superos, quorum certissimus ille est,
Quo tuus assidue principe crevit honor; 40
Effice, constanti profugum pietate tuendo,
Ne sperata meam deserat aura ratem.
Quid mandem, quæris? peream, nisi dicere vix est;
Si modo, qui periit, ille perire potest.

Nec, quid agam, invenio, nec quid nolimve velimve: 45
Nec satis utilitas est mea nota mihi.
Crede mihi; miseros prudentia prima relinquit:
Et sensus cum re consiliumque fugit.
Ipse, precor, quæras, qua sim tibi parte juvandus,
Quoque viam facias ad mea vota vado. 50

EPISTOLA XIII.

CARO.

O mihi non dubios inter memorande sodales,
Quique, quod es, vere, Care, vocaris; ave.
Unde saluteris, color hic tibi protinus index,
Et structura mei carminis esse potest.
Non quia mirifica est, sed quod nec publica certe:
Qualis enim cunque est, non latet esse meam. 6
Ipse quoque, ut chartæ titulum de fronte revellas,
Quod sit opus, videor dicere posse, tuum.
Quamlibet in multis positus noscere libellis,
Perque observatas inveniere notas. 10
Prodent auctorem vires quas Hercule dignas
Novimus, atque illi, quem canis, esse pares.
Et mea Musa potest, proprio deprensa colore,
Insignis vitiis forsitan esse suis.
Tam mala Thersiten prohibebat forma latere, 15
Quam pulchra Nireus conspiciendus erat.
Nec te mirari, si sint vitiosa, decebit
Carmina, quæ faciam pæne poeta Getes.
Ah pudet! et Getico scripsi sermone libellum:
Structaque sunt nostris barbara verba modis. 20
Et placui (gratare mihi) cœpique poetæ
Inter inhumanos nomen habere Getas.
Materiam quæris? laudes de Cæsare dixi.
Adjuta est novitas numine nostra dei.
Nam patris Augusti docui mortale fuisse 25
Corpus; in ætherias numen abisse domos:
Esse parem virtute patri, qui frena coactus
Sæpe recusati ceperit imperii.
Esse pudicarum te Vestam, Livia, matrum,
Ambiguum nato dignior, anne viro. 30
Esse duos juvenes, firma adjumenta parentis,
Qui dederint animi pignora certa sui.
Hæc ubi non patria perlegi scripta Camœna,
Venit et ad digitos ultima charta meos;
Et caput et plenas omnes movere pharetras, 35
Et longum Getico murmur in ore fuit.
Atque aliis, Scribas hæc cum de Cæsare, dixit,
Cæsaris imperio restituendus eras.
Ille quidem dixit, sed me jam, Care, nivali
Sexta relegatum bruma sub axe videt. 40
Carmina nil prosunt; nocuerunt carmina quondam:
Primaque tam miseræ causa fuere fugæ.
At tu per studii communia fœdera sacri,
Per non vile tibi nomen amicitiæ;
Sic capto Latiis Germanicus hoste catenis 45
Materiam vestris afferat ingeniis;
Sic valeant pueri, votum commune deorum:
Quos laus formandos est tibi magna datos;
Quanta potes præbe nostræ momenta saluti:
Quæ nisi mutato nulla futura loco est. 50

EPISTOLA XIV.

TUTICANO.

Hæc tibi mittuntur, quem sum modo carmine questus,
Non aptum numeris nomen habere meis.
In quibus, excepto quod adhuc utcunque valemus,
Nil, te præterea quod juvet, invenies.
Ipsa quoque est invisa salus: suntque ultima vota,
Quolibet ex istis scilicet ire locis. 6
Nulla mihi cura est, terra quam muter ut ista:
Hac quia, quam video, gratior omnis erit.
In medias Syrtes, mediam mea vela Charybdin
Mittite, præsenti dum careamus humo. 10
Styx quoque, si quid ea est, bene commutabitur Istro;
Si quid et inferius, quam Styga, mundus habet.
Gramina cultus ager, frigus minus odit hirundo,
Proxima Marticolis quam loca Naso Getis.
Talia succensent propter mihi verba Tomitæ, 15
Iraque carminibus publica mota meis.
Ergo ego cessabo nunquam per carmina lædi,
Plectar et incauto semper ab ingenio?
Ergo ego, ne scribam, digitos incidere cunctor;
Telaque adhuc demens, quæ nocuere, sequor?
Ad veteres scopulos iterum devertor, ad illas, 21
In quibus offendit naufraga puppis, aquas.
Sed nihil admisi: nulla est mea culpa, Tomitæ;
Quos ego, cum loca sim vestra perosus, amo.
Quilibet excutiat nostri monumenta laboris; 25
Littera de vobis est mea questa nihil.
Frigus, et incursus omni de parte timendos,
Et quod pulsetur murus ab hoste, queror.
In loca, non homines, verissima crimina dixi.
Culpatis vestrum vos quoque sæpe solum. 30
Esset perpetuo sua quam vitabilis Ascra,
Ausa est agricolæ Musa docere senis.
At fuerat terra genitus, qui scripsit, in illa
Intumuit vati nec tamen Ascra suo.
Quis patriam sollerte magis dilexit Ulixe? 35
Hoc tamen asperitas indice nota loci est.
Non loca, sed mores scriptis vexavit amaris
Scepsius Ausonios, actaque Roma rea est.
Falsa tamen passa est æqua convicia mente,
Obfuit auctori nec fera lingua suo. 40
At malus interpres populi mihi concitat iram,
Inque novum crimen carmina nostra vocat.
Tam felix utinam, quam pectore candidus, essem!
Exstat adhuc nemo saucius ore meo.
Adde, quod Illyrica si jam pice nigrior essem, 45
Non mordenda mihi turba fidelis erat.
Molliter a vobis mea sors excepta, Tomitæ,
Tam mites Graios indicat esse viros.
Gens mea Peligni, regioque domestica Sulmo,
Non potuit nostris lenior esse malis. 50
Quem vix incolumi cuiquam salvoque daretis,
Is datus a vobis est mihi nuper honor.
Solus adhuc ego sum vestris immunis in oris;
Exceptis, si qui munera legis habent.
Tempora sacrata mea sunt velata corona, 55
Publicus invito quam favor imposuit.
Quam grata est igitur Latonæ Delia tellus,
Erranti tutum quæ dedit una locum;
Tam mihi cara Tomis: patria quæ sede fugatis
Tempus ad hoc nobis hospita fida manet. 60
Di modo fecissent, placidæ spem posset habere
Pacis, et a gelido longius axe foret.

EPISTOLA XV.

SEXTO POMPEIO.

Si quis adhuc usquam nostri non immemor exstat,
Quidve relegatus Naso, requirit, agam;
Cæsaribus vitam, Sexto debere salutem
Me sciat. A superis hic mihi primus erit.
Tempora nam miseræ complectar ut omnia vitæ,
A meritis ejus pars mihi nulla vacat. 6
Quæ numero tot sunt, quot in horto fertilis arvi
Punica sub lento cortice grana rubent;

Africa quot segetes, quot Tmolia terra racemos,
Quot Sicyon baccas, quot parit Hybla favos.
Confiteor: testere licet: signate Quirites. 11
Nil opus est legum viribus; ipse loquor.
Inter opes et me, rem parvam, pone paternas.
Pars ego sim census quantulacunque tui.
Quam tua Trinacria est, regnataque terra Philippo,
Quam domus Augusto continuata Foro; 16
Quam tua, rus oculis domini, Campania, gratum,
Quæque relicta tibi, Sexte, vel emta tenes;
Tam tuus en ego sum; cujus te munere tristi
Non potes in Ponto dicere habere nihil. 20
Atque utinam possis, et detur amicius arvum;
Remque tuam ponas in meliore loco!
Quod quoniam in dis est, tenta lenire precando
Numina, perpetua quæ pietate colis.
Erroris nam tu, vix est discernere, nostri 25
Sis argumentum majus, an auxilium.
Nec dubitans oro: sed flumine sæpe secundo
Augetur remis cursus euntis aquæ.
Et pudet, et metuo, semperque eademque precari;
Ne subeant animo tædia justa tuo. 30
Verum quid faciam? res immoderata cupido est.
Da veniam vitio, mitis amice, meo.
Scribere sæpe aliud cupiens delabor eodem:
Ipsa locum per se littera nostra rogat.
Seu tamen effectus habitura est gratia; seu me 35
Dura jubet gelido Parca sub axe mori;
Semper inoblita repetam tua munera mente:
Et mea me tellus audiet esse tuum.
Audiet et cœlo posita est quæcunque sub illo:
Transit nostra feros si modo Musa Getas. 40
Teque meæ causam servatoremque salutis,
Meque tuum libra norit et ære minus.

EPISTOLA XVI.

AD INVIDUM.

Invide, quid laceras Nasonis carmina rapti?
Non solet ingeniis summa nocere dies.
Famaque post cineres major venit: et mihi nomen
Tunc quoque, cum vivis annumerarer, erat.
Cum foret et Marsus, magnique Rabirius oris, 5
Iliacusque Macer, sidereusque Pedo;
Et, qui Junonem læsisset in Hercule, Carus,
Junonis si non jam gener ille foret.
Quique dedit Latio carmen regale Severus;
Et cum subtili Priscus uterque Numa. 10
Quique vel imparibus numeris, Montane, vel æquis
Sufficis, et gemino carmine nomen habes.
Et qui Penelopæ rescribere jussit Ulixen,
Errantem sævo per duo lustra mari:
Quique suam Trœzena, imperfectumque dierum
Deseruit celeri morte Sabinus opus. 16
Ingeniique sui dictus cognomine Largus,
Gallica qui Phrygium duxit in arva senem.
Quique canit domitam Camerinus ab Hercule Trojam;
Quique sua nomen Phyllide Tuscus habet. 20
Velivolique maris vates, cui credere possis
Carmina cæruleos composuisse deos.
Quique acies Libycas Romanaque prœlia dixit;
Et Marius, scripti dexter in omne genus:
Trinacriusque suæ Perseidos auctor, et auctor 25
Tantalidæ reducis Tyndaridosque Lupus.
Et qui Mæoniam Phæacida vertit, et una
Pindaricæ fidicen tu quoque, Rufe, lyræ.
Musaque Turrani Tragicis innixa cothurnis;
Et tua cum socco Musa, Melisse, levis. 30
Cum Varus Gracchusque darent fera dicta tyrannis;
Callimachi Proculus molle teneret iter.
Tityrus antiquas et erat qui pasceret herbas,
Aptaque venanti Gratius arma daret.
Naidas a Satyris caneret Fontanus amatas, 35
Clauderet imparibus verba Capella modis.
Cumque forent alii, quorum mihi cuncta referre
Nomin alonga mora est, carmina vulgus habet;
Essent et juvenes, quorum quod inedita cura est,
Appellandorum nil mihi juris adest; 40
Te tamen in turba non ausim, Cotta, silere,
Pieridum lumen, præsidiumque fori:
Maternos Cottas cui Messalasque paternos
Maxima nobilitas ingeminata dedit.
Dicere si fas est, claro mea nomine Musa, 45
Atque inter tantos quæ legeretur, erat.
Ergo submotum patria proscindere, Livor,
Desine, neu cineres sparge, cuente, meos.
Omnia perdidimus: tantummodo vita relicta est,
Præbeat ut sensum materiamque malis. 50
Quid juvat exstinctos ferrum dimittere in artus?
Non habet in nobis jam nova plaga locum.

P. OVIDII NASONIS IBIS.

TEMPUS ad hoc, lustris jam bis mihi quinque peractis,
Omne fuit Musæ carmen inerme meæ:
Nullaque, quæ possit, scriptis tot millibus, exstat
Littera Nasonis, sanguinolenta legi.
Nec quenquam nostri, nisi nos, læsere libelli: 5
Artificis periit cum caput Arte sua.
Unus et hoc ipsum est injuria magna, perennem
Candoris titulum non sinit esse mei.
Quisquis is est, namnomen adhuc utcunque tacebo,
Cogit inassuetas sumere tela manus. 10
Ille relegatum gelidos Aquilonis ad ortus
Non sinit exsilio delituisse suo:
Vulneraque immitis requiem quærentia vexat
Jactat et in toto nomina nostra foro:
Perpetuoque mihi sociatam fœdere lecti 15
Non patitur miseri funera flere viri.
Cumque ego quassa meæ complectar membra carinæ,
Nauftragii tabulas pugnat habere mei.
Et qui debuerat subitas exstinguere flammas,
Is prædam medio raptor ab igne tulit. 20
Nititur ut profugæ desint alimenta senectæ;
Heu quanto nostris dignior ipse malis!
Di melius! quorum longe mihi maximus ille est,
Qui nostras inopes noluit esse vias.
Huic igitur meritas grates, utcunque licebit, 25
Pro tam mansueto pectore semper agam.
Audiet hæc Pontus, faciat quoque forsitan idem,
Terra sit ut propior testificanda mihi.

At tibi, calcasti qui me, violente, jacentem,
Quamlibet et misero debitus hostis ero. 30
Desinet esse prius contrarius ignibus humor;
Junctaque cum luna lumina solis erunt;
Parsque eadem cœli Zephyros emittet et Euros,
Et tepidus gelido flabit ab axe Notus;
Et nova fraterno veniet concordia fumo, 35
Quem vetus accensa separat ira pyra;
Et ver autumno, brumæ miscebitur æstas;
Atque eadem regio vesper et ortus erunt:
Quam mihi sit tecum, positis, quæ sumsimus, armis,
Gratia, commissis, improbe, rupta tuis; 40
Quam dolor hic unquam spatio evanescere possit,
Leniat aut odium tempus et hora meum.
Pax erit hæc nobis, donec mihi vita manebit,
Cum pecore infirmo quæ solet esse lupis.
Prima quidem cœpto committam prœlia versu:
Non soleant quamvis hoc pede bella geri. 46
Utque petit primo plenum flaventis arenæ
Nondum calfacti velitis hasta solum:
Sic ego te ferro nondum jaculabor acuto,
Protinus invisum nec petet hasta caput. 50
Et neque nomen in hoc, nec dicam facta libello:
Teque brevi, qui sis, dissimulare sinam.
Posimodo, si perges, in te mihi liber tambus
Tincta Lycambeo sanguine tela dabit.
Nunc, quo Battiades inimicum devovet Ibin, 55
Hoc ego devoveo teque tuosque modo.
Utque ille, historiis involvam carmina cæcis:
Non soleam quamvis hoc genus ipse sequi.
Illius ambages imitatus in Ibide, dicar
Oblitus moris judiciique mei. 60
Et quoniam, qui sis, nondum quærentibus edo;
Ibidis interea tu quoque nomen habe.
Utque mei versus aliquantum noctis habebunt;
Sic vitæ series tota sit atra tuæ.
Hæc tibi natali faxo Janique Calendis 65
Non mentituro quilibet ore legat.
Di maris et terræ, quique his meliora tenetis
Inter diversos cum Jove regna polos;
Huc precor, huc vestras omnes advertite mentes,
Et sinite optatis pondus inesse meis. 70
Ipsaque tu Tellus, ipsum cum fluctibus Æquor,
Ipse meas, Æther, accipe, summe, preces;
Sideraque, et radiis circumdata Solis imago;
Lunaque, quæ nunquam, quo prius, orbe micas;
Noxque tenebrarum specie reverenda tuarum; 75
Quæque ratum triplici pollice netis opus;
Quique per infernas horrendo murmure valles
Imperjuratæ laberis amnis aquæ;
Quasque ferunt torto vittatis angue capillis
Carceris obscuras ante sedere fores; 80
Vos quoque, plebs superûm, Fauni, Satyrique, Laresque,
Fluminaque, et Nymphæ, Semideûmque genus;
Denique ab antiquo divi veteresque novique,
In nostrum cuncti tempus adeste, Chao.
Carmina dum capiti malefido dira canuntur, 85
Et peragunt partes ira dolorque suas;
Annuite optatis omnes ex ordine nostris,
Et pars sit voti nulla caduca mei.
Quæque precor, fiant: ut non mea dicta, sed illa
Pasiphaes generi verba fuisse putet. 90
Quasque ego transiero pœnas, patiatur et istas.
Plenius ingenio sit miser ille meo.
Neve minus valeant fictum exsecrantia nomen
Vota, minus magnos commoveantve deos:
Illum ego devoveo, quem mens intelligit, Ibin;
Qui se scit factis has meruisse preces. 96
Nulla mora est in me: peragam rata vota sacerdos.
Quisquis ades sacris, ore favete, meis.
Quisquis ades sacris, lugubria dicite verba:
Et fletu madidis Ibin adite genis: 100
Ominibusque malis, pedibusque occurrite lævis:
Et nigræ vestes corpora vestra tegant.
Tu quoque quid dubitas ferales sumere vittas?
Jam stat, ut ipse vides, funeris ara tui.
Pompa parata tibi est: votis mora tristibus absit. 105
Da jugulum cultris, hostia dira, meis.
Terra tibi fruges, amnis tibi deneget undas:
Deneget afflatus ventus et aura suos.
Nec tibi sol clarus, nec sit tibi lucida Phœbe:
Destituant oculos sidera cuncta tuos. 110
Nec se Vulcanus, nec se tibi præbeat aer:
Nec tibi det tellus, nec tibi pontus iter.
Exsul, inops erres, alienaque limina lustres,
Exiguumque petas ore tremente cibum.
Nec corpus querulo, nec mens vacet ægra dolore:
Noxque die gravior sit tibi, nocte dies.
Sisque miser semper, nec sis miserabilis ulli. 117
Gaudeat adversis fœmina virque tuis.
Accedat lacrymis odium, dignusque putere,
Qui, mala cum tuleris plurima, plura feras.
Sitque, quod est rarum, solito defecta favore 121
Ærumnæ facies invidiosa tuæ.
Causaque non desit, desit tibi copia mortis.
Optatam fugiat vita coacta necem.
Luctatusque diu cruciatos spiritus artus 125
Deserat, et longa torqueat ante mora.
Evenient. Dedit ipse mihi modo signa futuri
Phœbus, et a læva mæsta volavit avis.
Certe ego, quæ voveo, superos motura putabo:
Speque tuæ mortis, perfide, semper alar. 130
Finiet illa dies, quæ te mihi subtrahet olim:
Finiet illa dies, quæ mihi tarda venit.
Et prius hanc animam, nimium tibi sæpe petitam,
Auferet illa dies, quæ mihi sera venit;
Quam dolor hic unquam spatio evanescere possit, 135
Leniat aut odium tempus et hora meum.
Pugnabunt jaculis dum Thraces, Iazyges arcu,
Dum tepidus Ganges, frigidus Ister erit;
Robora dum montes, dum pabula mollia campi,
Dum Tiberis flavas Tuscus habebit aquas; 140
Bella geram tecum: nec mors mihi finiet iras;
Sæva sed in manes manibus arma dabit.
Tum quoque, cum fuero vacuas dilapsus in auras,
Exanimis manes oderit umbra tuos.
Tum quoque factorum veniam memor umbra tuorum: 145
Insequar et vultus ossea larva tuos.
Sive ego, quod nolim, longis consumtus ab annis,
Sive manu facta morte solutus ero;
Sive per immensas jactabor naufragus undas,
Nostraque longinquus viscera piscis edet; 150
Sive peregrinæ carpent mea membra volucres;
Sive meo tingent sanguine rostra lupi;
Sive aliquis dignatus erit supponere terræ,
Aut dare plebeio corpus inane rogo;
Quicquid ero, Stygiis erumpere nitar ab oris, 155
Et tendam gelidas ultor in ora manus.
Me vigilans cernes: tacitis ego noctis in umbris
Excutiam somnos, visus adesse, tuos.

Denique quicquid ages, ante os oculosque volabo,
Et querar, et nulla sede quietus eris. 160
Verbera torta dabunt sonitum; nexæque colubris
Conscia fumabunt semper ad ora faces.
His vivus furiis agitabere; mortuus isdem:
Et brevior pœna vita futura tua est.
Nec tibi contingent funus lacrymæque tuorum.
Indeploratum projiciere caput; 166
Carnificisque manu, populo plaudente, traheris;
Infixusque tuis ossibus uncus erit.
Ipsæ te fugient, quæ carpunt omnia, flammæ:
Respuet invisum justa cadaver humus. 170
Unguibus et rostro tardus trahet ilia vultur,
Et scindent avidæ perfida corda canes.
Deque tuo fiet, licet hac sis laude superbus,
Insatiabilibus corpore rixa lupis.
In loca ab Elysiis diversa fugabere campis, 175
Quasque tenet sedes noxia turba, coles.
Sisyphus est illic saxum volvensque petensque;
Quique agitur rapidæ vinctus ab orbe rotæ;
Quæque gerunt humeris perituras Belides undas,
Exsulis Ægypti, turba cruenta, nurus. 180
Poma pater Pelopis præsentia quærit, et idem
Semper eget, liquidis semper abundat aquis;
Jugeribusque novem qui summus distat ab imo,
Visceraque assiduæ debita præbet avi.
Hic tibi de Furiis scindet latus una flagello, 185
Ut sceleris numeros confiteare tui:
Altera Tartareis sectos dabit anguibus artus:
Tertia fumantes incoquet igne genas.
Noxia mille modis lacerabitur umbra; tuasque
Æacus in pœnas ingeniosus erit. 190
In te transcribet veterum tormenta reorum;
Manibus antiquis causa quietis eris.
Sisyphe, cui tradas revolubile pondus, habebis:
Versabunt celeres nunc nova membra rotæ.
Hic erit, et ramos frustra qui captet et undas: 195
Hic inconsumto viscere pascet avem.
Nec mortis pœnas mors altera finiet hujus:
Horaque erit tantis ultima nulla malis.
Inde ego pauca canam; frondes ut si quis ab Ide,
Aut summam Libyco de mare carpat aquam.
Nam neque, quot flores Sicula nascantur in Hybla, 201
Quotve ferat, dicam, terra Cilissa crocos;
Nec cum tristis hiems Aquilonis inhorruit alis,
Quam multa fiat grandine canus Athos;
Nec mala voce mea possint tua cuncta referri,
Ora licet tribuas multiplicata mihi. 206
Tot tibi, væ misero, venient talesque ruinæ,
Ut cogi in lacrymas me quoque posse putem
Illæ me lacrymæ facient sine fine beatum:
Dulcior hic risu tunc mihi fletus erit. 210
Natus es infelix; ita di voluere; nec ulla
Commoda nascenti stella levisque fuit.
Non Venus affulsit, non illa Jupiter hora:
Lunaque non apto solve fuere loco.
Nec satis utiliter positos tibi præbuit ignes, 215
Quem peperit magno lucida Maia Jovi.
Te fera, nec quicquam placidum spondentia, Martis
Sidera presserunt, falciferique senis.
Lux quoque natalis, ne quid, nisi triste, videres,
Turpis, et inductis nubibus atra fuit. 220
Hæc est, in fastis cui dat gravis Allia nomen,
Quæque dies Ibin, publica damna, tulit.
Qui simul impuræ matris prolapsus ab alvo
Cinyphiam fœdo corpore pressit humum;
Sedit in adverso nocturnus culmine bubo, 225
Funereoque graves edidit ore sonos.
Protinus Eumenides lavere palustribus ulvis,
Qua cava de Stygiis fluxerat unda vadis,
Pectoraque unxerunt Erebeæ felle colubræ;
Terque cruentatas increpuere manus; 230
Gutturaque imbuerunt infantia lacte canino.
Hic primus pueri venit in ora cibus.
Perbibit inde suæ rabiem nutricis alumnus,
Latrat et in toto verba canina foro.
Membraque vinxerunt tinctis ferrugine pannis,
A male deserto quos rapuere rogo. 236
Et, ne non fultum nuda tellure jaceret,
Molle super silices imposuere caput.
Jamque recessuræ viridi de stipite factas
Admorunt oculis usque sub ora faces. 240
Flebat, ut est infans fumis contactus amaris;
De tribus est cum sic una locuta soror:
Tempus in immensum lacrymas tibi vovimus istas,
Quæ semper causa sufficiente cadant.
Dixerat. At Clotho jussit promissa valere: 245
Nevit et infausta stamina pulla manu.
Et ne longa suæ præsagia diceret horæ;
Fata canet vates qui tua, dixit, erit.
Ille ego sum vates: ex me tua vulnera disces;
Di modo dent vires in mea verba suas: 250
Carminibusque meis accedant pondera rerum,
Quæ rata per luctus experiare tuos.
Neve sine exemplis ævi cruciere prioris;
Sint tua Trojanis non leviora malis.
Quantaque clavigeri Pœantius Herculis hæres,
Tanta venenato vulnera crure geras. 256
Nec levius doleas, quam qui bibit ubera cervæ,
Armatusque tulit vulnus, inermis opem.
Quique ab equo præceps in Aleia decidit arva;
Exitio facies cui sua pæne fuit. 260
Id, quod Amyntorides, videas, trepidumque ministro
Prætentes baculo, luminis orbus, iter.
Nec plus adspicias, quam quem sua filia rexit;
Expertus scelus est cujus uterque parens.
Qualis erat, postquam est judex de lite jocosa
Sumtus, Apollinea clarus in arte senex. 266
Qualis et ille fuit, quo præcipiente columba
Est data Palladiæ prævia duxque rati.
Quique oculis caruit, per quos male viderat aurum;
Inferias nato quos dedit orba parens. 270
Pastor ut Ætnæus, cui casus ante futuros
Telemus Eurymides vaticinatus erat.
Ut duo Phinidæ, quibus idem lumen ademit,
Qui dedit: ut Thamyræ, Demodocique caput.
Sic aliquis tua membra secet, Saturnus ut illas
Subsecuit partes, unde creatus erat. 276
Nec tibi sit melior tumidis Neptunus in undis,
Quam cui sunt subitæ frater et uxor aves:
Sollertique viro, laceræ quem fracta tenentem
Membra ratis Semeles est miserata soror. 280
Vel tua, ne pœnæ genus hoc cognoverit unus,
Viscera diversis scissa ferantur equis.
Vel quæ, qui redimi Romano turpe putavit,
A duce Puniceo pertulit, ipse feras.
Nec tibi subsidio sit præsens numen; ut illi, 285
Cui nihil Hercei profuit ara Jovis.
Utque dedit saltus de summo Thessalus Ossa,
Tu quoque saxoso præcipitere jugo.
Aut velut Euryali, qui sceptrum cepit ab illo,
Sint artus avidis anguibus esca tui. 290
Vel tua maturet, sicut Minoia fata,
Per caput infusæ fervidus humor aquæ;
Utque parum miti, sed non impune, Prometheus,
Aerias volucres sanguine fixus alas.

Ac, velut Atracides, magno ter ab Hercule quintus, 295
Cæsus in immensum projiciare fretum.
Aut, ut Amyntiaden, turpi dilectus amore
Oderit, et sævo vulneret ense puer.
Nec tibi fida magis misceri pocula possint,
Quam qui cornigero de Jove natus erat. 300
More vel intereas capti suspensus Achæi,
Qui miser aurifera teste pependit aqua.
Aut ut Achillidæ cognato nomine clarum
Opprimat hostili tegula jacta manu.
Nec tua, quam Pyrrhi, felicius ossa quiescant,
Sparsa per Ambracias quæ jacuere vias. 306
Nataque ut Æacidæ, jaculis moriaris adactis:
Non licet hoc Cereri dissimulare nefas.
Utque nepos dicti nostro modo carmine regis,
Cantharidum succos dante parente bibas. 310
Aut pia te cæso dicatur adultera, sicut,
Qua cecidit Leucon vindice, dicta pia est.
Inque pyram tecum carissima pignora mittas,
Quam finem vitæ Sardanapalus habet.
Utque Jovis Libyci templum violare parantis,
Acta Noto vultus condat arena tuos. 316
Utque necatorum Darei fraude secundi,
Sic tua subsidens devoret ora cinis.
Aut, ut olivifera quondam Sicyone fugato,
Sit frigus mortis causa famesque tuæ. 320
Aut, ut Atarnites, insutus pelle juvenci
Turpiter ad dominum præda ferare tuum.
Inque tuo thalamo ritu jugulere Pheræi,
Qui datus est leto conjugis ense suæ.
Quosque putas fidos, ut Larissæus Alevas, 325
Vulnere non fidos experiare tuo.
Utque Milon, sub quo cruciata est Pisa tyranno,
Vivus in occultas præcipiteris aquas.
Quæque in Adimantum, Phliasia regna tenentem,
Ab Jove venerunt, te quoque tela petant. 330
Aut ut Amastriacis quondam Lenæus ab oris
Nudus Achillea destituaris humo.
Utque vel Eurydamas ter circum busta Thrasylli
Est Larissæis raptus ab hoste rotis.
Vel qui, quæ fuerat tutatus mænia sæpe, 335
Corpore lustravit non diuturna suo:
Utque novum passa genus Hippomeneide pœnæ,
Tractus in Actæa fertur adulter humo:
Sic, ubi vita tuos invisa reliquerit artus,
Ultores rapiant turpe cadaver equi. 340
Viscera sic aliquis scopulus tua figat, ut olim
Fixa sub Euboico Graia fuere sinu.
Utque ferox periit et fulmine et æquore raptor;
Sic te mersuras adjuvet ignis aquas.
Mens quoque sic Furiis vecors agitetur, ut illi 345
Unum cui toto corpore vulnus erat:
Utque Dryantidæ Rhodopeia regna tenenti,
In gemino dispar cui pede cultus erat:
Ut fuit Œtæo quondam, generoque draconum,
Tisamenique patri, Callirhoesque viro. 350
Nec tibi contingat matrona pudicior illa,
Qua potuit Tydeus erubuisse nuru:
Quæque sui Venerem junxit cum fratre mariti,
Locris in ancillæ dissimulata necem.
Di quoque tam faciant possis gaudere fideli 355
Conjuge, quam Talai, Tyndareique, gener:
Quæque parare suis letum patruelibus ausæ
Belides assidua colla premuntur aqua.
Byblidos et Canaces, sicut facit, ardeat igne,
Nec, nisi per crimen, sit tibi nota soror. 360
Filia si fuerit; sit quod Pelopea Thyestæ,
Myrrha suo patri, Nyctimeneque suo.
Filia neve magis capiti sit fida parentis,
Quam tibi vel, Pterela, vel tibi, Nise, fuit:
Infamemque locum sceleris quæ nomine fecit, 365
Pressit et inductis membra paterna rotis.
Ut juvenes, pereas, quorum fastigia vultus
Olim Pisææ sustinuere foris.
Ut qui perfusam miserorum sæpe procorum
Ipse suo melius sanguine tinxit humum. 370
Proditor ut sævi periit auriga tyranni,
Qui nova Myrtoæ nomina fecit aquæ.
Ut qui velocem frustra petiere puellam,
Dum capta est pomis tardior illa tribus.
Ut qui tecta, novi formam celantia monstri, 375
Intrarunt cæcæ non redeunda domus.
Ut quorum Æacides misit violentus in altos
Corpora cum senis altera sena rogos.
Ut quos, obscuri lusos ambagibus oris,
Legimus infandæ Sphinga dedisse neci. 380
Ut qui Bistoniæ templo cecidere Minervæ,
Propter quod facies nunc quoque tecta deæ est.
Ut qui Threicii quondam præsepia regis
Fecerunt dapibus sanguinolenta suis.
Therodamanteos ut qui sensere leones; 385
Quique Thoanteæ Taurica sacra deæ.
Ut quos Scylla vorax, Scyllæque adversa Charybdis,
Dulichiæ pavidos eripuere rati:
Ut quos dimisit vastam Polyphemus in alvum:
Ut Læstrygonias qui subiere domos. 390
Ut quos dux Pœnus mersit putealibus undis,
Et jacto canas pulvere fecit aquas.
Sex bis ut Icaridos famulæ periere, procique,
Inque caput domini qui dabat arma procis.
Ut jacet Aonio luctator ab hospite fusus, 395
Qui (mirum) victor, cum cecidisset, erat.
Ut quos Antæi fortes pressere lacerti;
Quosque feræ morti Lemnia turba dedit.
Ut qui post longum sacri monstrator iniqui
Elicuit pluvias victima cæsus aquas. 400
Frater ut Antæi, quo sanguine debuit, aras
Tinxit; et exemplis occidit ipse suis.
Ut qui terribiles pro gramen habentibus herbis
Impius humano viscere pavit equos.
Ut duo diversis sub eodem vindice cæsi 405
Temporibus Nessus, Dexamenique gener.
Ut pronepos, Saturne, tuus, quem reddere vitam
Urbe Coronides vidit ab ipse sua.
Ut Sinis, et Sciron, et cum Polypemone natus,
Quique homo parte sui, parte juvencus erat. 410
Quique trabes pressas ab humo mittebat in auras,
Æquoris adspiciens hujus et hujus aquas.
Quæque Ceres vidit læto pereuntia vultu
Corpora Thesea Cercyonea manu.
Hæc tibi, quem meritis precibus mea devovet ira,
Eveniant, aut his non leviora malis. 416
Qualis Achæmenides Sicula desertus in Ætna,
Troica cum vidit vela venire, fuit.
Qualis erat necnon fortuna binominis Iri,
Quique tenent pontem, quæ tibi pejor erit. 420
Filius et Cereris frustra tibi semper ametur,
Destituatque tuas usque petitus opes.
Utque per alternos unda labente recursus
Subtrahitur presso mollis arena pedi;
Sic tua nescio quo semper fortuna liquescat, 425
Lapsaque per medias effluat usque manus.
Utque pater solitæ varias mutare figuras
Plenus inexstincta deficiare fame.
Nec dapis humanæ subeant fastidia; quaque
Parte potes, Tydeus temporis hujus eris. 430

Atque aliquid facias, a vespere rursus ad ortus
Cur exsternati Solis agantur equi.
Fœda Lycaoniæ repetes convivia mensæ,
Tentabisque cibi fallere fraude Jovem.
Teque aliquis posito tentet vim numinis opto :
Tantalides tu sis, Tereidesque puer. 436
Et tua sic latos spargantur membra per agros,
Tanquam quæ patrias detinuere vias.
Ære Perilleo veros imitere juvencos,
Ad formam tauri conveniente sono. 440
Utque ferox Phalaris, lingua prius ense resecta,
More bovis, Paphio clausus in ære, gemas.
Dumque redire voles ævi melioris in annos,
Ut vetus Admeti decipiare socer.
Atque eques in medii mergare voragine cœni, 445
Dummodo sint fati nomina nulla tui.
Atque utinam pereas, veluti de dentibus orti
Sidonia jactis Graia per arva manu.
Et quæ Penthides fecit, fraterque Medusæ,
Eveniant capiti vota sinistra tuo. 450
Et quibus exiguo volucris devota libello est,
Corpora projecta quæ sua purgat aqua.
Vulnera totque feras, quot dicitur ille tulisse,
Cujus ab inferiis culter abesse solet.
Attonitusque seces, ut quos Cybeleia mater 455
Incitat, ad Phrygios, vilia membra, modos.
Deque viro fias nec fœmina nec vir, ut Attys,
Et quatias molli tympana rauca manu.
Inque pecus subito Magnæ vertare Parentis,
Victor ut est celeri victaque versa pede. 460
Solaque Limone pœnam ne senserit illam,
Et tua dente fero viscera carpat equus.
Aut, ut Cassandreus, domino non mitior illo,
Saucius ingesta contumuleris humo.
Aut ut Abantiades, aut ut Cygneius heros, 465
Clausus in æquoreas præcipiteris aquas.
Victima vel Phœbo sacras macteris ad aras,
Quam tulit a sævo Theudotus hoste necem.
Aut te devoveat certis Abdera diebus,
Saxaque devotum grandine plura petant. 470
Aut Jovis infesti telo feriare trisulco,
Ut satus Hipponoo, Dosithoesque pater :
Ut soror Autonoes, ut cui matertera Maia est :
Ut temere optatos qui male rexit equos :
Ut ferus Æolides, ut sanguine cretus eodem, 475
Quo genita est, liquidis quæ caret Arctos aquis :
Ut Macedo rapidis icta est cum conjuge flammis :
Sic, precor, ætherii vindicis igne cadas.
Prædaque sis illis, quibus et Latonia Delos
Ante diem rapto non adeunda Thaso : 480
Quique verecundæ speculantem labra Dianæ,
Quique Crotopiaden diripuere Linon.
Neve venenato levius feriaris ab angue,
Quam senis Œagri Calliopesque nurus :
Quam puer Hypsipyles : quam qui cava primus acuta 485
Cuspide suspecti robora fixit equi.
Neve gradus adeas Elpenore cautius altos :
Vimque feras vini, quo tulit ille modo.
Tamque cadas domitus, quam quisquis ad arma vocantem
Juvit inhumanum Thiodamanta Dryops. 490
Quam ferus ipse suo periit mactatus in antro
Proditus inclusæ Cacus ab ore bovis.
Quam qui dona tulit Lernæo tincta veneno,
Euboicasque suo sanguine tinxit aquas.
Vel de præcipiti venias in Tartara saxo, 495
Ut qui Socraticum de nece legit opus.
Ut qui Theseæ fallacia vela carinæ
Vidit : ut Iliaca missus ab arce puer.
Ut teneri nutrix, eadem matertera, Bacchi.
Ut cui causa necis serra reperta fuit. 500
Lydia se scopulis ut virgo misit ab altis,
Dixerat invito quæ mala verbo deo.
Feta tibi occurrat patrio popularis in arvo,
Sitque Phayllææ causa leæna necis.
Quique Lycurgiden letavit, et arbore natum, 505
Idmonaque audacem, te quoque rumpat aper.
Isque vel exanimis faciat tibi vulnus, ut illi,
Ora super fixi quem cecidere suis.
Sive idem simili pinus quem morte peremit :
Phryx et venator sis Berecyntiades. 510
Si tua contigerit Minoas puppis arenas,
Te Corcyræum Cressia turba putet.
Lapsuramque domum subeas, ut sanguis Alevæ,
Stella Leoprepidæ cum fuit æqua viro.
Utque vel Evenus torrenti flumine mersus 515
Nomina des rapidæ, vel Tiberinus, aquæ.
Astacidæque modo decisa cadavere trunco,
Digna feris, homini sit caput esca tuum.
Quodque ferunt Brotean fecisse cupidine mortis,
Des tua succensæ membra cremanda pyræ. 520
Inclususque necem cavea patiaris, ut ille
Non profecturæ conditor historiæ.
Utque repertori nocuit pugnacis iambi,
Sic sit in exitium lingua proterva tuum.
Utque parum stabili qui carmine læsit Athenas,
Invisus pereas deficiente cibo. 526
Utve lyræ vates fertur periisse severæ,
Causa sit exitii dextera læsa tui.
Utque Agamemnonio vulnus dedit anguis Orestæ,
Tu quoque de morsu virus habente cadas. 530
Sit tibi conjugii nox prima novissima vitæ :
Eupolis hoc periit et nova nupta modo.
Utque cothurnatum cecidisse Lycophrona narrant,
Hæreat in fibris fixa sagitta tuis.
Aut lacer in sylvis manibus spargare tuorum :
Sparsus ut est Thebis angue creatus avo. 536
Perque feros montes tauro rapiente traharis,
Ut tracta est conjux imperiosa Lyci.
Quodque suæ passa est pellex invita sorori,
Excidat ante pedes lingua resecta tuos. 540
Conditor ut tardæ, Blæsus cognomine, Cyrrhæ,
Orbis in innumeris inveniare locis.
Inque tuis opifex, vati quod fecit Achæo,
Noxia luminibus spicula condat apis.
Fixus et in duris carparis viscera saxis, 545
Ut cui Pyrrha sui filia fratris erat.
Ut puer Harpagides referas exempla Thyestæ,
Inque tui cæsus viscera patris eas.
Trunca geras sævo mutilatis partibus ense,
Qualia Mimnermi membra fuisse ferunt. 550
Utve Syracosio præstricta fauce poetæ,
Sic animæ laqueo sit via clausa tuæ.
Nudave derepta pateant tua viscera pelle,
Ut Phrygium cujus nomina flumen habet.
Saxificæ videas infelix ora Medusæ, 555
Cephenum multos quæ dedit una neci.
Potniadum morsus subeas, ut Glaucus, equarum :
Inque maris salias, Glaucus ut alter, aquas.
Utque duobus idem dictis modo nomen habenti,
Præfocent animæ Gnosia mella viam. 560
Sollicitoque bibas, Anyti doctissimus olim
Imperturbato quod bibit ore reus.
Nec tibi, si quid amas, felicius Hæmone cedat :
Utque sua Macareus, sic potiare tua.
Vel videas, quod jam, cum flammæ cuncta tenerent, 565
Hectoreus patria vidit ab arce puer.

Sanguine probra luas, ut avo genitore creatus,
Per facinus soror est cui sua facta parens.
Ossibus inque tuis teli genus hæreat illud,
Traditur Icarii quo cecidisse gener. 570
Utque loquax in equo est elisus guttur acerno,
Sic tibi claudatur pollice vocis iter.
Aut ut Anaxarchus pila minuaris in alta,
Jactaque pro solitis frugibus ossa sonent.
Utque patrem Psamathes, condat te Phœbus in ima 575
Tartara; quod natæ fecerat ille suæ.
Inque tuos ea pestis est, quam dextra Corœbi
Vicit, opem miseris Argolicisque tulit.
Utque nepos Æthræ, Veneris periturus ob iram,
Exsul ab attonitis excutiaris equis. 580
Propter opes magnas ut perdidit hospes alumnum,
Perdat ob exiguas te tuus hospes opes.
Utque ferunt fratres sex cum Damasichthone cæsos,
Intereat tecum sic genus omne tuum.
Addidit ut fidicen miseris sua funera natis, 585
Sic tibi sint vitæ tædia justa tuæ.
Utve soror Pelopis, saxo dureris oborto,
Et læsus lingua Battus ab ipse sua.
Aera si misso vacuum jaculabere disco,
Quo puer Œbalides, ictus ab orbe cadas. 590
Si qua per alternos pulsabitur unda lacertos,
Omnis Abydena sit tibi pejor aqua.
Comicus ut mediis periit, dum nabat, in undis,
Et tua sic Stygius strangulet ora liquor.
Aut ubi ventosum superaris naufragus æquor,
Contacta pereas, ut Palinurus, humo. 596
Utque cothurnatum vatem tutela Dianæ,
Dilanient vigilum te quoque turba canum.
Aut ut Trinacrius, salias super ora gigantis,
Plurima qua flammas Sicanis Ætna vomit. 600
Diripiantque tuos insanis unguibus artus
Strymoniæ matres, Orpheos esse ratæ.
Natus ut Althææ flammis absentibus arsit,
Sic tuus ardescat stipitis igne rogus.
Ut nova Phasiaca comprensa est nupta corona, 605
Utque pater nuptæ, cumque parente domus;
Ut cruor Herculeos abiit diffusus in artus;
Corpora pestiferum sic tua virus edat
Qua sua Penthiden proles est ulta Lycurgum,
Hæc maneat teli te quoque plaga novi. 610
Utque Milon, robur diducere fissile tentes,
Nec possis captas inde referre manus.
Muneribusque tuis lædaris, ut Icarus, in quem
Intulit armatas ebria turba manus.
Quodque dolore necis patriæ pia filia fecit, 615
Vincula per laquei fac tibi guttur eat.
Obstructoque famem patiaris limine tecti,
Ut legem pœnæ cui dedit ipsa parens.
Illius exemplo violes simulacra Dianæ,
Aulidis a portu qui leve vertit iter. 620
Naupliadæve modo ficto pro crimine pœnas
Morte luas, nec te non meruisse juvet.
Æthalion vita spoliavit ut Isidis hospes,
Quem memor a sacris nunc quoque pellit Io?
Utque Melanthea tenebris a cæde latentem 625
Prodidit officio luminis orba parens;
Sic tua conjectis fodiantur pectora telis;
Sic, precor, auxiliis impediare tuis.
Qualis equos pacto, quos fortis agebat Achilles,
Acta Phrygi timido, nox tibi talis eat. 630
Nec tu, quam Rhesus, somno meliore fruaris,
Quam comites Rheso tum necis, ante viæ:
Ut quos cum Rutulo morti Rhamnete dederunt
Impiger Hyrtacides, Hyrtacidæque comes.
Cliniadæque modo circumdatus ignibus atris 635
Membra feras Stygiæ semicremata rati.
Utque Remo muros auso transire recentes,
Noxia sint capiti rustica tela tuo.
Denique Sarmaticas inter Geticasque sagittas
His precor ut vivas, et moriare, locis. 640
Hæc tibi tantisper subito sint missa libello:
Immemores ne nos esse querare tui
Pauca quidem, fateor, sed di dent plura rogatis,
Multiplicentque suo vota favore mea.
Postmodo plura leges, et nomen habentia verum, 645
Et pede quo debent acria bella geri.

Q. HORATII FLACCI ODARUM

LIBER PRIMUS.

Q. Horatius Flaccus, Venusinus, natus est U. C. 689, patre libertino, vectigalium, sive ut aliis placet, auctionum coactore; quem et probum ipsum virum, et probitatis sibi auctorem magistrumque filius commemorat. Bello Philippensi Bruti partes secutus est, sub eoque tribunus militum meruit; victis dein partibus, venia tantum a victoribus impetrata, bonis omnibus triumvirali proscriptione ereptis, Romam commigravit, ibique scribæ quæstorii aliquantisper munus exercuit. Quod autem cæteris hujus sæculi ingeniis, idem Horatio contigisse videtur, ut paupertatis primum stimulis ad scribendum impulsus, ingenii vires coactus expromeret; mox gliscente fama ad populi æstimationem, clarissimorumque hominum, Mecænatis imprimis et Augusti, favorem evectus est. Cæterum de moribus, indole, amicitiis ejus, de omnibus denique quæ vitam hominis vere continent, consulendus in primis ipse vir candidissimus. Obiit autem v. Kal. Dec. U. C. 746.

ODE I.—*Ad Mecænatem.*

Mecænas atavis edite regibus,
O et præsidium, et dulce decus meum:
Sunt, quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse juvat; metaque fervidis
Evitata rotis, palmaque nobilis, 5
Terrarum dominos evehit ad deos:
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus;
Illum, si proprio condidit horreo
Quicquid de Libycis verritur areis: 10
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros, Attalicis conditionibus
Nunquam dimoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.
Luctantem Icariis fluctibus Africum 15
Mercator metuens, otium et oppidi
Laudat rura sui: mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.
Est, qui nec veteris pocula Massici,
Nec partem solido demere de die 20
Spernit, nunc viridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquæ lene caput sacræ.
Multos castra juvant, et lituo tubæ
Permixtus sonitus, bellaque matribus
Detestata. Manet sub Jove frigido 25
Venator, teneræ conjugis immemor;
Seu visa est catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.
[Me] doctarum hederæ præmia frontium
Dis miscent superis: me gelidum nemus, 30
Nympharumque leves cum Satyris chori
Secernunt populo; si neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.
Quod si me lyricis vatibus inseris, 35
Sublimi feriam sidera vertice.

ODE II.—*Ad Augustum Cæsarem.*

Jam satis terris nivis atque diræ
Grandinis misit Pater, et, rubente
Dextera sacras jaculatus arces,
Terruit urbem:
Terruit gentes, grave ne rediret 5
Sæculum Pyrrhæ, nova monstra questæ;
Omne cum Proteus pecus egit altos
Visere montes;
Piscium et summa genus hæsit ulmo,
Nota quæ sedes fuerat columbis; 10
Et superjecto pavidæ natarunt
Æquore damæ.
Vidimus flavum Tiberim, retortis
Littore Etrusco violenter undis,
Ire dejectum monimenta regis, 15
Templaque Vestæ;
Iliæ dum se nimium querenti
Jactat ultorem; vagus et sinistra
Labitur ripa (Jove non probante) uxorius amnis. 20
Audiet cives acuisse ferrum,
Quo graves Persæ melius perirent;
Audiet pugnas, vitio parentum
Rara, juventus.
Quem vocet divûm populus ruentis 25
Imperi rebus? prece qua fatigent
Virgines sanctæ minus audientem
Carmina Vestam?
Cui dabit partes scelus expiandi
Jupiter? tandem venias, precamur, 30
Nube candentes humeros amictus,
Augur Apollo:
Sive tu mavis, Erycina ridens,
Quam Jocus circumvolat, et Cupido,
Sive neglectum genus et nepotes 35
Respicis, auctor,
Heu nimis longo satiate ludo;
Quem juvat clamor, galeæque leves,
Acer et [Mauri] peditis cruentum
Vultus in hostem: 40
Sive mutata juvenem figura,
Ales, in terris imitaris, almæ
Filius Maiæ, patiens vocari
Cæsaris ultor;
Serus in cœlum redeas, diuque 45
Lætus intersis populo Quirini:
Neve te, nostris vitiis iniquum,
Ocyor aura
Tollat. Hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici pater atque princeps 50
Neu sinas Medos equitare inultos,
Te duce, Cæsar.

ODE III.—*Ad Navem qua vehebatur Virgilius Athenas proficiscens.*

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ, lucida sidera,
Ventorumque regat pater,
Obstrictis aliis, præter Iapyga:

Navis, quæ tibi creditum 5
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et serves animæ dimidium meæ.
Illi robur et æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci 10
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti;
Quo non arbiter Adriæ 15
Major, tollere seu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum,
Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare [turbidum,] et
Infames scopulos Acroceraunia? 20
Nequicquam deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impiæ
Non tangenda rates transiliunt vada.
Audax omnia perpeti 25
Gens humana ruit per vetitum nefas.
Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit:
Post ignem ætheria domo
Subductum, macies et nova febrium 30
Terris incubuit cohors;
Semotique prius tarda necessitas
Leti corripuit gradum.
Expertus vacuum Dædalus aera
Pennis non homini datis. 35
Perrupit Acheronta Herculeus labor
Nil mortalibus arduum est:
Cœlum ipsum petimus stultitia; neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Jovem ponere fulmina 40

ODE IV.—*Ad L. Sextium, consularem.*

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni,
Trahuntque siccas machinæ carinas;
Ac neque jam stabulis gaudet pecus, aut arator igni;
Nec prata canis albicant pruinis.
Jam Cytherea choros ducit Venus, imminente luna; 5
Junctæque Nymphis Gratiæ decentes
Alterno terram quatiunt pede; dum graves Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas.
Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore, terræ quem ferunt solutæ. 10
Nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
Seu poscat agna, sive malit hædo.
Pallida Mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres. O beate Sexti,
Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam. 15
Jam te premet nox, fabulæque Manes,
Et domus exilis Plutonia; quo simul mearis,
Nec regna vini sortiere talis;
Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet juventus
Nunc omnis, et mox virgines tepebunt. 20

ODE V.—*Ad Pyrrham.*

Quis multa gracilis te puer in rosa
Perfusus liquidis urget odoribus
Grato, Pyrrha, sub antro?
Cui flavam religas comam
Simplex munditiis? Heu quoties fidem 5
Mutatosque deos flebit, et aspera
Nigris æquora ventis
Emirabitur insolens,
Qui nunc te fruitur credulus aurea;
Qui semper vacuam, semper amabilem 10
Sperat, nescius auræ
Fallacis! Miseri, quibus
Intentata nites. Me tabula sacer
Votiva paries indicat uvida
Suspendisse potenti 15
Vestimenta maris deo.

ODE VI.—*Ad Agrippam.*

Scriberis Vario fortis, et hostium
Victor, Mæonii carminis aliti,
Quam rem cunque ferox navibus aut equis
Miles, te duce, gesserit.
Nos, Agrippa, neque hæc dicere, nec gravem 5
Pelidæ stomachum cedere nescii,
Nec cursus duplicis per mare Ulixei,
Nec sævam Pelopis domum,
Conamur, tenues grandia; dum pudor,
Imbellisque lyræ Musa potens vetat 10
Laudes egregii Cæsaris et tuas
Culpa deterere ingeni.
Quis Martem tunica tectum adamantina
Digne scripserit? aut pulvere Troico
Nigrum Merionen? aut ope Palladis 15
Tydiden superis parem?
Nos convivia, nos prœlia virginum,
Sectis in juvenes unguibus acrium,
Cantamus vacui, sive quid urimur,
Non præter solitum leves. 20

ODE VII.—*Ad Munatium Plancum, consularem.*

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Epheson, bimarisve Corinthi
Mœnia, vel Baccho Thebas vel Apolline Delphos
Insignes, aut Thessala Tempe:
Sunt quibus unum opus est, intactæ Palladis urbem 5
Carmine perpetuo celebrare, et
Undique decerptam fronti præponere olivam:
Plurimus, in Junonis honorem,
Aptum dicet equis Argos, ditesque Mycenas.
Me nec tam patiens Lacedæmon, 10
Nec tam Larissæ percussit campus opimæ,
Quam domus Albuneæ resonantis,
Et præceps Anio, ac Tiburni lucus, et uda
Mobilibus pomaria rivis.

Albus ut obscuro deterget nubila cœlo 15
Sæpe Notus, neque parturit imbres
Perpetuos; sic tu sapiens finire memento
Tristitiam vitæque labores
Molli, Plance, mero; seu te fulgentia signis
Castra tenent, seu densa tenebit 20
Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patremque
Cum fugeret, tamen uda Lyæo
Tempora populea fertur vinxisse corona,
Sic tristes affatus amicos:
Quo nos cunque feret melior fortuna parente, 25
Ibimus, o socii comitesque!
Nil desperandum Teucro duce, et auspice Teucro;
Certus enim promisit Apollo
Ambiguam tellure nova Salamina futuram.
O fortes, pejoraque passi 30

Mecum sæpe viri, nunc vino pellite curas:
Cras ingens iterabimus æquor.

ODE VIII.—*Ad Lydiam.*

Lydia, dic, per omnes
Te deos oro, Sybarin cur properas amando
Perdere? cur apricum
Oderit Campum, patiens pulveris atque solis?
Cur neque militaris 5
Inter æquales equitat, Gallica nec lupatis
Temperat ora frenis?
Cur timet flavum Tiberim tangere? cur olivum
Sanguine viperino
Cautius vitat? neque jam livida gestat armis
Brachia, sæpe disco, 11
Sæpe trans finem jaculo nobilis expedito?
Quid latet, ut marinæ
Filium dicunt Thetidis sub lacrymosa Trojæ
Funera, ne virilis 15
Cultus in cædem et Lycias proriperet catervas?

ODE IX.—*Ad Thaliarchum.*

Vides, ut alta stet nive candidum
Soracte, nec jam sustineant onus
Sylvæ laborantes, geluque
Flumina constiterint acuto?
Dissolve frigus, ligna super foco 5
Large reponens; atque benignius
Deprome quadrimum Sabina,
O Thaliarche, merum diota.
Permitte divis cætera; qui simul
Stravere ventos æquore fervido 10
Deprœliantes; nec cupressi,
Nec veteres agitantur orni.
Quid sit futurum cras, fuge quærere; et
Quem sors dierum cunque dabit, lucro
Appone; nec dulces amores 15
Sperne puer, neque tu choreas,
Donec virenti canities abest
Morosa. Nunc et Campus, et areæ,
Lenesque sub noctem susurri
Composita repetantur hora: 20
Nunc et latentis proditor intimo
Gratus puellæ risus ab angulo,
Pignusque dereptum lacertis,
Aut digito male pertinaci.

ODE X.—*Ad Mercurium.*

Mercuri, facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus, et decoræ
More palæstræ;
Te canam, magni Jovis et deorum 5
Nuntium, curvæque lyræ parentem,
Callidum, quicquid placuit, jocoso
Condere furto.
Te, boves olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci 10
Voce dum terret, viduus pharetra
Risit Apollo.
Quin et Atridas, duce te, superbos,
Ilio dives Priamus relicto,
Thessalosque ignes et iniqua Trojæ 15
Castra fefellit.
Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coerces
Aurea turbam, superis deorum
Gratus et imis 20

ODE XI.—*Ad Leuconoen.*

Tu ne quæsieris, (scire nefas) quem mihi, quem tibi
Finem di dederint, Leuconoe; nec Babylonios
Tentaris numeros. Ut melius, quicquid erit, pati!
Seu plures hiemes, seu tribuit Jupiter ultimam,
Quæ nunc oppositis debilitat pumicibus mare 5
Tyrrhenum. Sapias, vina liques, et spatio brevi
Spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida
Ætas; carpe diem, quam minimum credula postero.

ODE XII.—*Ad Augustum.*

Quem virum aut heroa lyra vel acri
Tibia sumis celebrare, Clio?
Quem deum? cujus recinet jocosa
Nomen imago,
Aut in umbrosis Heliconis oris, 5
Aut super Pindo, gelidove in Hæmo?
Unde vocalem temere insecutæ
Orphea sylvæ,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus, celeresque ventos; 10
Blandum et auritas fidibus canoris
Ducere quercus.
Quid prius dicam solitis Parentis
Laudibus? qui res hominum ac deorum,
Qui mare et terras, variisque mundum 15
Temperat horis:
Unde nil majus generatur ipso,
Nec viget quicquam simile, aut secundum
Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores. 20
Prœliis audax, neque te silebo,
Liber; et sævis inimica virgo
Belluis; nec te, metuende certa
Phœbe sagitta.
Dicam et Alciden, puerosque Ledæ, 25
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem: quorum simul alba nautis
Stella refulsit,
Defluit saxis agitatus humor;
Concidunt venti, fugiuntque nubes, 30
Et minax (quod sic voluere) ponto
Unda recumbit.
Romulum, post hos, prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an superbos
Tarquini fasces, dubito, an Catonis 35
Nobile letum.
Regulum, et Scauros, animæque magnæ
Prodigum, Pœno superante, Paulum,
Gratus insigni referam Camœna,
Fabriciumque. 40
Hunc, et incomtis Curium capillis,
Utilem bello tulit, et Camillum,
Sæva paupertas, et avitus apto
Cum lare fundus.
Crescit, occulto velut arbor ævo, 45
Fama Marcelli: micat inter omnes
Julium sidus, velut inter ignes
Luna minores.
Gentis humanæ pater atque custos,
Orte Saturno, tibi cura magni 50
Cæsaris fatis data: tu, secundo
Cæsare, regnes.
Ille, seu Parthos Latio imminentes

Egerit justo domitos triumpho,
Sive subjectos Orientis oræ 55
Seras et Indos,
Te minor latum reget æquus orbem;
Tu gravi curru quaties Olympum;
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis. 60

ODE XIII.—*Ad Lydiam.*

Cum tu, Lydia, Telephi
Cervicem roseam, cerea Telephi
Laudas brachia, væ, meum
Fervens difficili bile tumet jecur.
Tunc nec mens mihi, nec color 5
Certa sede manet; humor et in genas
Furtim labitur, arguens
Quam lentis penitus macerer ignibus.
Uror, seu tibi candidos
Turparunt humeros immodicæ mero 10
Rixæ; sive puer furens
Impressit memorem dente labris notam
Non, si me satis audias,
Speres perpetuum, dulcia barbare
Lædentem oscula, quæ Venus 15
Quinta parte sui nectaris imbuit.
Felices ter et amplius,
Quos irrupta tenet copula, nec, malis
Divulsus querimoniis,
Suprema citius solvet amor die. 20

ODE XIV.—*In Sextum Pompeium Civile Bellum renovantem.*

O navis, referent in mare te novi
Fluctus? o quid agis? fortiter occupa
Portum. Nonne vides, ut
Nudum remigio latus,
Et malus celeri saucius Africo, 5
Antennæque gemant? ac sine funibus
Vix durare carinæ
Possint imperiosius
Æquor? non tibi sunt integra lintea,
Non di, quos iterum pressa voces malo: 10
Quamvis, Pontica pinus,
Sylvæ filia nobilis,
Jactes et genus et nomen inutile.
Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit: tu, nisi ventis 15
Debes ludibrium, cave.
Nuper sollicitum quæ mihi tædium,
Nunc desiderium curaque non levis,
Interfusa nitentes
Vites æquora Cycladas 20

ODE XV.—*In M. Antonium et Cleopatram.*

Pastor cum traheret per freta navibus
Idæis Helenam perfidus hospitam,
Ingrato celeres obruit otio
Ventos, ut caneret fera
Nereus fata. Mala ducis avi domum, 5
Quam multo repetet Græcia milite,
Conjurata tuas rumpere nuptias,
Et regnum Priami vetus.
Eheu, quantus equis, quantus adest viris
Sudor! quanta moves funera Dardanæ 10
Genti! jam galeam Pallas et ægida,
Currusque et rabiem, parat.
Nequicquam, Veneris præsidio ferox,
Pectes cæsariem, grataque fœminis
Imbelli cithara carmina divides; 15
Nequicquam thalamo graves
Hastas, et calami spicula Gnossii
Vitabis, strepitumque, et celerem sequi
Ajacem. Tamen, heu, serus adulteros
Crines pulvere collines. 20
Non Laetiaden, exitium tuæ
Gentis, non Pylium Nestora respicis?
Urgent impavidi te Salaminius
Teucer, te Sthenelus sciens
Pugnæ, sive opus est imperitare equis, 25
Non auriga piger. Merionen quoque
Nosces. Ecce furit te reperire atrox
Tydides, melior patre;
Quem tu, cervus uti vallis in altera
Visum parte lupum graminis immemor, 30
Sublimi fugies mollis anhelitu,
Non hoc pollicitus tuæ.
Iracunda diem proferet Ilio,
Matronisque Phrygum, classis Achillei:
Post certas hiemes uret Achaicus 35
Ignis Iliacas domos.

ODE XVI.—*Palinodia ad Tyndaridem.*

O matre pulchra filia pulchrior,
Quem criminosis cunque voles modum
Pones iambis: sive flamma,
Sive mari libet Adriano.
Non Dindymene, non adytis quatit 5
Mentem sacerdotum incola Pythius,
Non Liber æque, non acuta
[Sic] geminant Corybantes æra,
Tristes ut iræ: quas neque Noricus
Deterret ensis, nec mare naufragum, 10
Nec sævus ignis, nec tremendo
Jupiter ipse ruens tumultu.
Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Desectam, et insani leonis 15
Vim stomacho apposuisse nostro.
Iræ Thyesten exitio gravi
Stravere, et altis urbibus ultimæ
Stetere causæ, cur perirent
Funditus, imprimeretque muris 20
Hostile aratrum exercitus insolens.
Compesce mentem; me quoque pectoris
Tentavit in dulci juventa
Fervor, et in celeres iambos
Misit furentem: nunc ego mitibus 25
Mutare quæro tristia; dum mihi
Fias recantatis amica
Opprobriis, animumque reddas.

ODE XVII.—*Ad Tyndaridem.*

Velox amœnum sæpe Lucretilem
Mutat Lycæo Faunus, et igneam
Defendit æstatem capellis
Usque meis pluviosque ventos.
Impune tutum per nemus arbutos 5
Quærunt latentes et thyma deviæ
Olentis uxores mariti:
Nec virides metuunt colubras,
Nec martiales hæduleæ lupos;
Utcunque dulci, Tyndari, fistula 10
Valles, et Usticæ cubantis
Lævia personuere saxa.
Di me tuentur; dis pietas mea
Et musa cordi est. Hic tibi copia
Manabit ad plenum benigno 15
Ruris honorum opulenta cornu

Hic in reducta valle caniculæ
Vitabis ætus, et fide Teia
Dices laborantes in uno
Penelopen vitreamque Circen. 20
Hic innocentis pocula Lesbii
Duces sub umbra; nec Semeleius
Cum Marte confundet Thyoneus
Prœlia; nec metues protervum
Suspecta Cyrum, ne male dispari 25
Incontinentes injiciat manus,
Et scindat hærentem coronam
Crinibus, immeritamque vestem.

ODE XVIII.—*Ad Varum.*

Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem
Circa mite solum Tiburis, et mœnia Catili.
Siccis omnia nam dura deus proposuit; neque
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.
Quis, post vina, gravem militiam aut pauperiem
crepat? 5
Quis non te potius, Bacche pater, teque, decens
Venus?
At, ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata; monet Sithoniis non levis Evius;
Cum fas atque nefas exiguo fine libidinum 10
Discernunt avidi. Non ego te, candide Bassareu,
Invitum quatiam; nec variis obsita frondibus
Sub divum rapiam: sæva tene cum Berecyntio
Cornu tympana, quæ subsequitur cæcus Amor sui,
Et tollens vacuum plus nimio Gloria verticem,
Arcanique Fides prodiga, perlucidior vitro. 16

ODE XIX.—*Ad Glyceram.*

Mater sæva Cupidinum,
Thebanæque jubet me Semeles puer,
Et lasciva licentia,
Finitis animum reddere amoribus.
Urit me Glyceræ nitor 5
Splendentis Pario marmore purius
Urit grata protervitas,
Et vultus nimium lubricus adspici.
In me tota ruens, Venus
Cyprum deseruit; nec patitur Scythas, 10
Et versis animosum equis
Parthum dicere, nec quæ nihil attinent.
Hic vivum mihi cespitem, hic
Verbenas, pueri, ponite, thuraque,
Bimi cum patera meri: 15
Mactata veniet lenior hostia.

ODE XX.—*Ad Mecænatem.*

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Græca quod ego ipse testa
Conditum levi, datus in theatro
Cum tibi plausus,
Care Mecænas eques; ut paterni 5
Fluminis ripæ, simul et jocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.
Cæcubum, et prelo domitam Caleno
Tu bibes uvam: mea nec Falernæ 10
Temperant vites, neque Formiani
Pocula colles.

ODE XXI.

Dianam, teneræ, dicite, virgines;
ntonsum, pueri, dicite Cynthium,
Latonamque supremo
Dilectam penitus Jovi
Vos lætam fluviis et nemorum coma, 5
Quæcunque aut gelido prominet Algido,
Nigris aut Erymanthi
Sylvis, aut viridis Cragi:
Vos Tempe totidem tollite laudibus,
Natalemque, mares, Delon Apollinis, 10
Insignemque pharetra
Fraternaque humerum lyra.
Hic bellum lacrymosum, hic miseram famem
Pestemque, a populo et principe Cæsare, in
Persas atque Britannos 15
Vestra motus aget prece.

ODE XXII.—*Ad Aristium Fuscum.*

Integer vitæ scelerisque purus
Non eget [Mauri] jaculis neque arcu,
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra;
Sive per Syrtes iter æstuosas, 5
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.
Namque me sylva lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen, et ultra 10
Terminum curis vagor [expeditis,]
Fugit inermem:
Quale portentum neque militaris
Daunias latis alit esculetis,
Nec Jubæ tellus generat, leonum 15
Arida nutrix.
Pone me, pigris ubi nulla campis
Arbor æstiva recreatur aura,
Quod latus mundi nebulæ malusque
Jupiter urget; 20
Pone sub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata;
Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

ODE XXIII.—*Ad Chloen.*

Vitas hinnuleo me similis, Chloe,
Quærenti pavidam montibus aviis
Matrem, non sine vano
Aurarum et sylvæ metu.
Nam, seu mobilibus [veris inhorruit 5
Adventus] foliis, seu virides rubum
Dimovere lacertæ,
Et corde et genibus tremit.
Atqui non ego te, tigris ut aspera
Gætulusve leo, frangere persequor: 10
Tandem desine matrem
Tempestiva sequi viro.

ODE XXIV.—*Ad Virgilium.*

Quis desiderio sit pudor aut modus
Tam cari capitis? Præcipe lugubres
Cantus, Melpomene, cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit.
Ergo Quintilium perpetuus sopor 5
Urget! cui Pudor, et Justitiæ soror
Incorrupta Fides, nudaque Veritas
Quando ullum inveniet parem?
Multis ille bonis flebilis occidit;
Nulli flebilior quam tibi, Virgili. 10
Tu frustra pius, heu, non ita creditum
Poscis Quintilium deos.
Quod si Threicio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem;

Non vanæ redeat sanguis imaginis, 15
Quam virga semel horrida,
Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.
Durum, sed levius fit patientia:
Quicquid corrigere est nefas. 20

ODE XXV.—*Ad Lydiam.*

Parcius junctas quatiunt fenestras
Ictibus crebris juvenes protervi,
Nec tibi somnos adimunt; amatque
Janua limen,
Quæ prius multum facilis movebat 5
Cardines: audis minus et minus jam,
"Me tuo longas pereunte noctes,
Lydia, dormis?"
Invicem mœchos anus arrogantes
Flebis in solo levis angiportu, 10
Threcio bacchante magis sub inter-
lunia vento;
Cum tibi flagrans amor, et libido
Quæ solet matres furiare equorum,
Sæviet circa jecur ulcerosum; 15
Non sine questu,
Læta quod pubes hedera virenti
Gaudeat pulla magis atque myrto;
Aridas frondes Hiemis sodali
Dedicet Euro. 20

ODE XXVI.—*Ad Ælium Lamiam.*

Musis amicus, tristitiam et metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis, quîs sub Arcto
Rex gelidæ metuatur oræ,
Quid Tiridaten terreat, unice 5
Securus. O quæ fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiæ coronam,
Pimplea dulcis: nil sine te mei
Prosunt honores: hunc fidibus novis, 10
Hunc Lesbio sacrare plectro
Teque tuasque decet sorores.

ODE XXVII.—*Ad Sodales.*

Natis in usum lætitiæ scyphis
Pugnare, Thracum est: tollite barbarum
Morem, verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.
Vino et lucernis Medus acinaces 5
Immane quantum discrepat. Impium
Lenite clamorem, sodales,
Et cubito remanete presso.
Vultis severi me quoque sumere
Partem Falerni? dicat Opuntiæ 10
Frater Megillæ, quo beatus
Vulnere, qua pereat sagitta.
Cessat voluntas? non alia bibam
Mercede. Quæ te cunque domat Venus,
Non erubescendis adurit 15
Ignibus; ingenuoque semper
Amore peccas: quicquid habes, age,
Depone tutis auribus.—Ha! miser,
Quanta laborabas Charybdi,
Digne puer meliore flamma! 20
Quæ saga, quis te solvere Thessalis
Magus venenis, quis poterit deus?
Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimæra.

ODE XXVIII.

Nauta.

Te maris et terræ numeroque carentis arenæ
Mensorem cohibent, Archyta,
Pulveris exigui prope litis parva Matinum
Munera: nec quicquam tibi prodest
Aerias tentasse domos, animoque rotundum 5
Percurrisse polum, morituro.

Archytas.

Occidit et Pelopis genitor, conviva deorum;
Tithonusque remotus in auras,
Et Jovis arcanis Minos admissus: habentque
Tartara Panthoiden, iterum Orco 10
Demissum; quamvis, clypeo Trojana refixo
Tempora testatus, nihil, ultra
Nervos atque cutem, morti concesserat atræ;
Judice te, non sordidus auctor
Naturæ verique. Sed omnes una manet nox, 15
Et calcanda semel via leti.
Dant alios Furiæ torvo spectacula Marti:
Exitio est avidum mare nautis.
Mixta senum ac juvenum densentur funera: nullum
Sæva caput Proserpina fugit. 20
Me quoque, devexi rapidus comes Orionis,
Illyricis Notus obruit undis.
At tu, nauta, vagæ ne parce malignus arenæ
Ossibus et capiti inhumato
Particulam dare: sic, quodcunque minabitur
Eurus 25
Fluctibus Hesperiis, Venusinæ
Plectantur sylvæ, te sospite; multaque merces,
Unde potest, tibi defluat æquo
Ab Jove, Neptunoque sacri custode Tarenti.
Negligis, immeritis nociturum 30
Postmodo te natis, fraudem committere? Fors et
Debita jura vicesque superbæ
Te maneant ipsum: precibus non linquar inultis;
Teque piacula nulla resolvent.
Quanquam festinas, (non est mora longa) licebit, 35
Injecto ter pulvere, curras.

ODE XXIX.—*Ad Iccium.*

Icci, beatis nunc Arabum invides
Gazis; et acrem militiam paras
Non ante devictis Sabææ
Regibus; horribilique Medo
Nectis catenas. Quæ tibi virginum, 5
Sponso necato, barbara serviet?
Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum statuetur unctis,
Doctus sagittas tendere Sericas
Arcu paterno? Quis neget, arduis 10
Pronos relabi posse rivos
Montibus, et Tiberim reverti;
Cum tu coemtos undique nobiles
Libros Panæti, Socraticam et domum,
Mutare loricis Iberis, 15
Pollicitus meliora, tendis?

ODE XXX.—*Ad Venerem.*

O Venus, regina Cnidi Paphique,
Sperne dilectam Cypron, et vocantis
Thure te multo Glyceræ decoram
Transfer in ædem.
Fervidus tecum puer, et solutis 5
Gratiæ zonis, properentque Nymphæ,

Et parum comis sine te Juventas,
Mercuriusque.

ODE XXXI.—*Ad Apollinem.*

Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates? quid orat, de patera novum
Fundens liquorem? Non opimas
Sardiniæ segetes feracis;
Non æstuosæ grata Calabriæ 5
Armenta; non aurum, aut ebur Indicum;
Non rura, quæ Liris quieta
Mordet aqua, taciturnus amnis.
Premant Calena falce, quibus dedit
Fortuna, vitem; dives et aureis 10
Mercator exsiccet culullis
Vina Syra reparata merce,
Dis carus ipsis; quippe ter et quater
Anno revisens æquor Atlanticum
Impune. Me pascant olivæ, 15
Me cichorea levesque malvæ.
Frui paratis et valido mihi,
Latoe, dones, et (precor) integra
Cum mente; nec turpem senectam
Degere, nec cithara carentem. 20

ODE XXXII.—*Ad Lyram*

Poscimur. Si quid vacui sub umbra
Lusimus tecum, quod et hunc in annum
Vivat et plures; age, dic Latinum,
Barbite, carmen,
Lesbio primum modulate civi; 5
Qui, ferox bello, tamen inter arma,
Sive jactatam religarat udo
Littore navim,
Liberum et Musas, Veneremque, et illi
Semper hærentem puerum canebat, 10
Et Lycum nigris oculis nigroque
Crine decorum.
O decus Phœbi, et dapibus supremi
Grata testudo Jovis, o laborum
Dulce lenimen, mihi cunque salve 15
Rite vocanti.

ODE XXXIII.—*Ad Albium Tibullum*

Albi, ne doleas plus nimio, memor
Immitis Glyceræ; neu miserabiles
Decantes elegos, cur tibi junior
Læsa præniteat fide.
Insignem tenui fronte Lycorida 5
Cyri torret amor; Cyrus in asperam
Declinat Pholoen: sed prius Appulis
Jungentur capreæ lupis,
Quam turpi Pholoe peccet adultero.
Sic visum Veneri; cui placet impares 10
Formas atque animos sub juga aenea
Sævo mittere cum joco.
Ipsum me melior cum peteret Venus,
Grata detinuit compede Myrtale
Libertina, fretis acrior Adriæ 15
Curvantis Calabros sinus.

ODE XXXIV.

Parcus deorum cultor et infrequens,
Insanientis dum sapientiæ
Consultus erro, nunc retrorsum
Vela dare, atque iterare cursus
Cogor relictos: namque Diespiter, 5
Igni corusco nubila dividens
Plerumque, per purum tonantes
Egit equos volucremque currum;
Quo bruta tellus, et vaga flumina,
Quo Styx, et invisi horrida Tænari 10
Sedes, Atlanteusque finis
Concutitur. Valet ima summis
Mutare, et insignem attenuat deus,
Obscura promens: hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto 15
Sustulit; hic posuisse gaudet.

ODE XXXV.—*Ad Fortunam.*

O diva, gratum quæ regis Antium,
Præsens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos.
Te pauper ambit sollicita prece 5
Ruris colonus; te, dominam æquoris,
Quicunque Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina.
Te Dacus asper, te profugi Scythæ,
Urbesque, gentesque, et Latium ferox, 10
Regumque matres barbarorum, et
Purpurei metuunt tyranni,
Injurioso ne pede proruas
Stantem columnam, neu populus frequens
Ad arma cessantes, ad arma 15
Concitet, imperiumque frangat.
Te semper anteit serva Necessitas,
Clavos trabales et cuneos manu
Gestans aena; nec severus
Uncus abest, liquidumque plumbum. 20
Te Spes, et albo rara Fides colit
Velata panno; nec comitem abnegat,
Utcunque mutata potentes
Veste domos inimica linquis.
At vulgus infidum, et meretrix retro 25
Perjura cedit: diffugiunt, cadis
Cum fæce siccatis, amici,
Ferre jugum pariter dolosi.
Serves iturum Cæsarem in ultimos
Orbis Britannos, et juvenum recens 30
Examen Eois timendum
Partibus, Oceanoque rubro.
Eheu, cicatricum et sceleris pudet,
Fratrumque. Quid nos dura refugimus
Ætas? quid intactum nefasti 35
Liquimus? unde manum juventus
Metu deorum continuit? quibus
Pepercit aris? O utinam nova
Incude diffingas retusum in
Massagetas Arabasque ferrum. 40

ODE XXXVI.

Et thure et fidibus juvat
Placare, et vituli sanguine debito,
Custodes Numidæ deos;
Qui nunc, Hesperia sospes ab ultima,
Caris multa sodalibus, 5
Nulli plura tamen dividit oscula,
Quam dulci Lamiæ, memor
Actæ non alio rege puertiæ,
Mutatæque simul togæ.
Cressa ne careat pulchra dies nota; 10
Neu promtæ modus amphoræ,
Neu morem in Salium sit requies pedum
Neu multi Damalis meri
Bassum Threicia vincat amystide;
Neu desint epulis rosæ, 15
Neu vivax apium, neu breve lilium.

Omnes in Damalin putres
Deponent oculos ; nec Damalis novo
Divelletur adultero,
Lascivis hederis ambitiosior. 20

ODE XXXVII.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus ; nunc Saliaribus
Ornare pulvinar deorum
Tempus erat dapibus, sodales.
Antehac nefas depromere Cæcubum 5
Cellis avitis, dum Capitolio
Regina dementes ruinas,
Funus et imperio parabat,
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum, quidlibet impotens 10
Sperare, fortunaque dulci
Ebria. Sed minuit furorem
Vix una sospes navis ab ignibus ;
Mentemque lymphatam Mareotico
Redegit in veros timores 15
Cæsar, ab Italia volantem
Remis adurgens (accipiter velut
Molles columbas, aut leporem citus
Venator in campis nivalis
Hæmoniæ), daret ut catenis 20
Fatale monstrum, quæ, generosius
Perire quærens, nec muliebriter
Expavit ensem, nec latentes
Classe cita [reparavit] oras :
Ausa et jacentem visere regiam 25
Vultu sereno, fortis et asperas
Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum ;
Deliberata morte ferocior ;
Sævis Liburnis scilicet invidens, 30
Privata deduci superbo
Non humilis mulier triumpho.

ODE XXXVIII.—*Ad Ministrum.*

Persicos odi, puer, apparatus;
Displicent nexæ philyra coronæ.
Mitte sectari, rosa quo locorum
Sera moretur.
Simplici myrto nihil allabores 5
Sedulus, curo : neque te ministrum
Dedecet myrtus, neque me sub arcta
Vite bibentem

LIBER SECUNDUS.

ODE I.—*Ad C. Asinium Pollionem*

Motum ex Metello consule civicum,
Bellique causas, et vitia, et modos,
Ludumque Fortunæ, gravesque
Principum amicitias, et arma
Nondum expiatis uncta cruoribus 5
Periculosæ plenum opus aleæ,
Tractas ; et incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.
Paulum severæ Musa Tragœdiæ
Desit theatris ; mox, ubi publicas 10
Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,
Insigne mæstis præsidium reis,
Et consulenti, Pollio, curiæ ;
Cui laurus æternos honores 15
Dalmatico peperit triumpho.
Jam nunc minaci murmure cornuum
Perstringis aures ; jam litui strepunt ;
Jam fulgor armorum fugaces
Terret equos equitumque vultus. 20
Audire magnos jam videor duces
Non indecoro pulvere sordidos ;
Et cuncta terrarum subacta,
Præter atrocem animum Catonis
Juno, et deorum quisquis amicior 25
Afris inulta cesserat impotens
Tellure, victorum nepotes
Rettulit inferias Jugurthæ
Quis non, Latino sanguine pinguior,
Campus sepulcris impia prœlia 30
Testatur, auditumque Medis
Hesperiæ sonitum ruinæ ?
Qui gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli ? quod mare Dauniæ
Non decoloravere cædes ? 35
Quæ caret ora cruore nostro ?
Sed ne, relictis, Musa procax, jocis,
Ceæ retractes munera næniæ ;
Mecum, Dionæo sub antro,
Quære modos leviore plectro 40

ODE II.—*Ad C. Sallustium Crispum.*

Nullus argento color est avaris
Abdito terris, inimice lamnæ
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.
Vivet extento Proculeius ævo, 5
Notus in fratres animi paterni :
Illum aget penna metuente solvi
Fama superstes.
Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis 10
Gadibus jungas, et uterque Pœnus
Serviat uni.
Crescit indulgens sibi dirus hydrops
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, et aquosus albo 15
Corpore languor.
Redditum Cyri solio Phraaten,
Dissidens plebi, numero beatorum eximit Virtus, populumque falsis
Dedocet uti 20
Vocibus; regnum et diadema tutum
Deferens uni, propriamque laurum,
Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

ODE III.—*Ad Q. Dellium.*

Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitia, moriture, Delli,

Seu mæstus omni tempore vixeris, 5
Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum bearis
Interiore nota Falerni;
Qua pinus ingens albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant 10
Ramis, et obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo.
Huc vina et unguenta et nimium breves
Flores amœnæ ferre jube rosæ,
Dum res et ætas et sororum 15
Fila trium patiuntur atra.
Cedes coemtis saltibus, et domo,
Villaque, flavus quam Tiberis lavit.
Cedes; et exstructis in altum
Divitiis potietur hæres. 20
Divesne, prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper, et infima
De gente sub divo moreris,
Victima nil miserantis Orci.
Omnes eodem cogimur: omnium 25
Versatur urna serius ocyus
Sors exitura, et nos in æter-
num exsilium impositura cymbæ.

ODE IV.—*Ad Xanthiam Phoceum.*

Ne sit ancillæ tibi amor pudori,
Xanthia Phoceu: prius insolentem
Serva Briseis niveo colore
Movit Achillem
Movit Ajacem Telamone natum 5
Forma captivæ dominum Tecmessæ
Arsit Atrides medio in triumpho
Virgine rapta,
Barbaræ postquam cecidere turmæ
Thessalo victore, et ademtus Hector 10
Tradidit fessis leviora tolli
Pergama Graiis.
Nescias an te generum beati
Phyllidis flavæ decorent parentes:
Regium certe genus et penates 15
Mæret iniquos.
Crede, non illam tibi de scelesta
Plebe dilectam; neque sic fidelem,
Sic lucro aversam, potuisse nasci
Matre pudenda. 20
Brachia et vultum teretesque suras
Integer laudo; fuge suspicari,
Cujus octavum trepidavit ætas
Claudere lustrum.

ODE V.

Nondum subacta ferre jugum valet
Cervice, nondum munia comparis
Æquare, nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.
Circa virentes est animus tuæ 5
Campos juvencæ, nunc fluviis gravem
Solantis æstum, nunc in udo
Ludere cum vitulis salicto
Prægestientis. Tolle cupidinem
Immitis uvæ; jam tibi lividos 10
Distinguet Autumnus racemos
Purpureo varius colore.
Jam te sequetur; (currit enim ferox
Ætas; et illi, quos tibi demserit,
Apponet annos) jam proterva 15
Fronte petet Lalage maritum:
Dilecta quantum non Pholoe fugax,
Non Chloris: albo sic humero nitens,
Ut pura nocturno renidet
Luna mari, Cnidiusve Gyges; 20
Quem si puellarum insereres choro,
Mire sagaces falleret hospites
Discrimen obscurum, solutis
Crinibus, ambiguoque vultu.

ODE VI.—*Ad Septimium.*

Septimi, Gades aditure mecum, et
Cantabrum indoctum juga ferre nostra, et
Barbaras Syrtes, ubi Maura semper
Æstuat unda;
Tibur, Argeo positum colono, 5
Sit meæ sedes utinam senectæ;
Sit modus lasso maris et viarum
Militiæque:
Unde si Parcæ prohibent iniquæ,
Dulce pellitis ovibus Galesi 10
Flumen et regnata petam Laconi
Rura Phalanto.
Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet, ubi non Hymetto
Mella decedunt, viridique certat 15
Bacca Venafro:
Ver ubi longum tepidasque præbet
Jupiter brumas, et amicus Aulon
Fertili Baccho minimum Falernis
Invidet uvis. 20
Ille te mecum locus et beatæ
Postulant arces; ibi tu calentem
Debita sparges lacryma favillam
Vatis amici.

ODE VII.—*Ad Pompeium Varum*

O sæpe mecum tempus in ultimum
Deducte, Bruto militiæ duce,
Quis te redonavit Quiritem
Dis patriis, Italoque cœlo,
Pompei, meorum prime sodalium? 5
Cum quo morantem sæpe diem mero
Fregi, coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.
Tecum Philippos et celerem fugam
Sensi, relicta non bene parmula; 10
Cum fracta virtus, et minaces
Turpe solum tetigere mento.
Sed me per hostes Mercurius celer
Denso paventem sustulit aere:
Te rursus in bellum resorbens 15
Unda fretis tulit æstuosis.
Ergo obligatam redde Jovi dapem,
Longaque fessum militia latus
Depone sub lauru mea; nec
Parce cadis tibi destinatis. 20
Oblivioso lævia Massico
Ciboria exple; funde capacibus
Unguenta de conchis. Quis udo
Deproperare apio coronas
Curatve myrto? quem Venus arbitrum 25
Dicet bibendi? Non ego sanius
Bacchabor Edonis: recepto
Dulce mihi furere est amico.

ODE VIII.—*In Barinen.*

Ulla si juris tibi pejerati
Pœna, Barine, nocuisset unquam;
Dente si nigro fieres, vel uno
Turpior ungui,
Crederem: sed tu, simul obligasti 5
Perfidum votis caput, enitescis

Pulchrior multo, juvenumque prodis
Publica cura.
Expedit matris cineres opertos
Fallere, et toto taciturna noctis 10
Signa cum cœlo, gelidaque divos
Morte carentes.
Ridet hoc (inquam) Venus ipsa; rident
Simplices Nymphæ, ferus et Cupido,
Semper ardentes acuens sagittas 15
Cote cruenta.
Adde, quod pubes tibi crescit omnis;
Servitus crescit nova; nec priores
Impiæ tectum dominæ relinquunt,
Sæpe minati. 20
Te suis matres metuunt juvencis,
Te senes parci, miseræque nuper
Virgines nuptæ, tua ne retardet
Aura maritos.

ODE IX.—*Ad Valgium.*

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros; aut mare Caspium
Vexant inæquales procellæ
Usque; nec Armeniis in oris,
Amice Valgi, stat glacies iners 5
Menses per omnes; aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Et foliis viduantur orni.
Tu semper urges flebilibus modis
Mysten ademtum; nec tibi Vespero 10
Surgente decedunt amores,
Nec rapidum fugiente solem.
At non ter ævo functus amabilem
Ploravit omnes Antilochum senex
Annos; nec impubem parentes 15
Troilon, aut Phrygiæ sorores,
Flevere semper. Desine mollium
Tandem querelarum; et potius nova
Cantemus Augusti tropæa
Cæsaris, et rigidum Niphaten, 20
Medumque flumen, gentibus additum
Victis, minores volvere vortices,
Intraque præscriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

ODE X.—*Ad Licinium.*

Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urgendo; neque, dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Littus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem 5
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.
Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus; et celsæ graviore casu 10
Decidunt turres; feriuntque summos
Fulgura montes.
Sperat infestis, metuit secundis,
Alteram sortem bene præparatum
Pectus. Informes hiemes reducit 15
Jupiter, idem
Submovet. Non, si male nunc, et olim
Sic erit. Quondam cithara tacentem
Suscitat Musam, neque semper arcum
Tendit Apollo. 20
Rebus angustis animosus atque
Fortis appare; sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela

ODE XI.—*Ad Q. Hirpinum*

Quid bellicosus Cantaber, et Scythes,
Hirpine Quinti, cogitet, Adria
Divisus objecto, remittas
Quærere; nec trepides in usum
Poscentis ævi pauca. Fugit retro 5
Levis Juventas et Decor, arida
Pellente lascivos amores
Canitie, facilemque somnum.
Non semper idem floribus est honor
Vernis, neque uno luna rubens nitet 10
Vultu: quid æternis minorem
Consiliis animum fatigas?
Cur non sub alta vel platano vel hac
Pinu jacentes sic temere, et rosa
Canos odorati capillos, 15
Dum licet, Assyriaque nardo
Potamus uncti? dissipat Evius
Curas edaces. Quis puer ocius
Restinguet ardentis Falerni
Pocula prætereunte lympha? 20
Quis devium scortum eliciet domo
Lyden? Eburna, dic age, cum lyra
Maturet, in comtum Lacænæ
More comam religata nodum.

ODE XII.—*Ad Mecænatem.*

Nolis longa feræ bella Numantiæ,
Nec durum Hannibalem, nec Siculum mare
Pœno purpureum sanguine, mollibus
Aptari citharæ modis;
Nec sævos Lapithas, et nimium mero 5
Hylæum, domitosque Herculea manu
Telluris juvenes, unde periculum
Fulgens contremuit domus
Saturni veteris. Tuque pedestribus
Dices historiis prœlia Cæsaris, 10
Mecænas, melius, ductaque per vias
Regum colla minantium.
Me dulces dominæ Musa Licymniæ
Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgentes oculos, et bene mutuis 15
Fidum pectus amoribus;
Quam nec ferre pedem dedecuit choris,
Nec certare joco, nec dare brachia
Ludentem nitidis virginibus, sacro
Dianæ celebris die. 20
Num tu, quæ tenuit dives Achæmenes,
Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes,
Permutare velis crine Licymniæ,
Plenas aut Arabum domos?
Dum flagrantia detorquet ad oscula 25
Cervicem, aut facili sævitia negat,
Quæ poscente magis gaudeat eripi;
Interdum rapere occupet.

ODE XIII.—*In Arborem, cujus casu in agro Sabino oppressus est*

Ille et nefasto te posuit die,
Quicunque primum, et sacrilega manu
Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem, opprobriumque pagi.
Illum et parentis crediderim sui 5
Fregisse cervicem, et penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis. Ille venena Colcha,
Et quicquid usquam concipitur nefas,
Tractavit, agro qui statuit meo 10
Te triste lignum, te caducum

In domini caput immerentis.
Quid quisque vitet, nunquam homini satis
Cautum est, in horas : navita Bosporum
Pœnus perhorrescit, neque ultra 15
Cæca timet aliunde fata :
Miles sagittas et celerem fugam
Parthi ; catenas Parthus et Italum
Robur ; sed improvisa leti
Vis rapuit rapietque gentes. 20
Quam pæne furvæ regna Proserpinæ,
Et judicantem vidimus Æacum,
Sedesque discretas piorum, et
Æoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus, 25
Et te sonantem plenius aureo,
Alcæe, plectro dura navis,
Dura fugæ mala, dura belli.
Utrumque sacro digna silentio
Mirantur umbræ dicere : sed magis 30
Pugnas et exactos tyrannos
Densum humeris bibit aure vulgus.
Quid mirum ? ubi, illis carminibus stupens,
Demittit atras bellua centiceps
Aures, et intorti capillis 35
Eumenidum recreantur angues.
Quin et Prometheus et Pelopis parens
Dulci laborum decipitur sono :
Nec curat Orion leones
Aut timidos agitare lyncas. 40

ODE XIV.—*Ad Postumum.*

Eheu fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni ; nec pietas moram
Rugis et instanti senectæ
Afferet, indomitæque morti.
Non, si trecenis, quotquot eunt dies, 5
Amice, places illacrymabilem
Plutona tauris ; qui ter amplum
Geryonen Tityonque tristi
Compescit unda, scilicet omnibus,
Quicunque terræ munere vescimur, 10
Enaviganda, sive reges,
Sive inopes erimus coloni.
Frustra cruento Marte carebimus,
Fractisque rauci fluctibus Adriæ ;
Frustra per autumnos nocentem 15
Corporibus metuemus Austrum :
Visendus ater flumine languido
Cocytos errans, et Danai genus
Infame, damnatusque longi
Sisyphus Ælides laboris. 20
Linquenda tellus, et domus, et placens
Uxor ; neque harum, quas colis, arborum
Te, præter invisas cupressos,
Ulla brevem dominum sequetur
Absumet hæres Cæcuba dignior 25
Servata centum clavibus ; et mero
Tinget pavimentum superbo,
Pontificum potiore cœnis.

ODE XV.

Jam pauca aratro jugera regiæ
Moles relinquent ; undique latius
Extenta visentur Lucrino
Stagna lacu ; platanusque cœlebs
Evincet ulmos : tum violaria, et 5
Myrtus, et omnis copia narium,
Spargent olivetis odorem,
Fertilibus domino priori :
Tum spissa ramis laurea fervidos
Excludet ictus. Non ita Romuli 10
Præscriptum et intonsi Catonis
Auspiciis, veterumque norma.
Privatus illis census erat brevis,
Commune magnum : nulla decempedis
Metata privatis opacam 15
Porticus excipiebat Arcton ;
Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant, oppida publico
Sumtu jubentes et deorum
Templa novo decorare saxo. 20

ODE XVI.—*Ad Grosphum.*

Otium divos rogat in patenti
Prensus Ægæo, simul atra nubes
Condidit lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis ;
Otium bello furiosa Thrace, 5
Otium Medi pharetra decori,
Grosphe, non gemmis neque purpura venale nec auro.
Non enim gazæ neque consularis
Submovet lictor miseros tumultus 10
Mentis, et curas laqueata circum
Tecta volantes.
Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum ;
Nec leves somnos timor aut cupido 15
Sordidus aufert.
Quid brevi fortes jaculamur ævo
Multa ? quid terras alio calentes
Sole mutamus ? patriæ quis exsul
Se quoque fugit ? 20
Scandit æratas vitiosa naves
Cura ; nec turmas equitum relinquit,
Ocior cervis, et agente nimbos
Ocior Euro.
Lætus in præsens animus, quod ultra est, 25
Oderit curare, et amara lento
Temperet risu. Nihil est ab omni
Parte beatum.
Abstulit clarum cita mors Achillem,
Longa Tithonum minuit senectus ; 30
Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora.
Te greges centum Siculæque circum
Mugiunt vaccæ ; tibi tollit hinnitum apta quadrigis equa ; te bis Afro 35
Murice tinctæ
Vestiunt lanæ : mihi parva rura, et
Spiritum Graiæ tenuem Camœnæ
Parca non mendax dedit, et malignum
Spernere vulgus. 40

ODE XVII.—*Ad Mecænatem.*

Cur me querelis exanimas tuis ?
Nec dis amicum est, nec mihi, te prius
Obire, Mecænas, mearum
Grande decus columenque rerum.
Ah te meæ si partem animæ rapit 5
Maturior vis, quid moror altera,
Nec carus æque, nec superstes
Integer ? Ille dies utramque
Ducet ruinam : non ego perfidum
Dixi sacramentum : ibimus, ibimus, 10
Utcunque præcedes, supremum
Carpere iter comites parati.
Me nec Chimæræ spiritus igneæ,

Nec, si resurgat centimanus Gyges,
Divellet unquam: sic potenti 15
Justitiæ placitumque Parcis.
Seu Libra, seu me Scorpios adspicit
Formidolosus, pars violentior
Natalis horæ, seu tyrannus
Hesperiæ Capricornus undæ, 20
Utrumque nostrum incredibili modo
Consentit astrum; te Jovis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucrisque Fati
Tardavit alas, cum populus frequens 25
Lætum theatris ter crepuit sonum:
Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum
Dextra levasset, Mercurialium
Custos virorum. Reddere victimas 30
Ædemque votivam memento:
Nos humilem feriemus agnam

ODE XVIII.

Non ebur neque aureum
Mea renidet in domo lacunar;
Non trabes Hymettiæ
Premunt columnas ultima recisas
Africa; neque Attali,
Ignotus hæres, regiam occupavi; 5
Nec Laconicas mihi
Trahunt honestæ purpuras clientæ.
At fides et ingeni
Benigna vena est; pauperemque dives 10
Me petit: nihil supra
Deos lacesso; nec potentem amicum
Largiora flagito,
Satis beatus unicis Sabinis
Truditur dies die, 15
Novæque pergunt interire lunæ.
Tu secanda marmora
Locas sub ipsum funus; et, sepulcri
Immemor, struis domos;
Marisque Baiis obstrepentis urges 20
Submovere littora,
Parum locuples continente ripa.
Quid, quod usque proximos
Revellis agri terminos, et ultra
Limites clientium 25
Salis avarus? pellitur, paternos
In sinu ferens deos,
Et uxor, et vir, sordidosque natos.
Nulla certior tamen,
Rapacis Orci fine destinata, 30
Aula divitem manet
Herum. Quid ultra tendis? Æqua tellus
Pauperi recluditur,
Regumque pueris; nec satelles Orci
Callidum Promethea 35
Revexit auro captus: hic superbum
Tantalum, atque Tantali
Genus, coercet: hic levare functum
Pauperem laboribus,
Vocatus atque non vocatus, audit 40

ODE XIX.—*In Bacchum.*

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem, (credite, posteri)
Nymphasque discentes, et aures
Capripedum Satyrorum acutas.
Evœ! recenti mens trepidat metu, 5
Plenoque Bacchi pectore, turbidum
Lætatur. Evœ! parce, Liber,
Parce, gravi metuende thyrso!
Fas pervicaces est mihi Thyiadas,
Vinique fontem, lactis et uberes 10
Cantare rivos, atque truncis
Lapsa cavis iterare mella:
Fas et beatæ conjugis additum
Stellis honorem, tectaque Penthei
Disjecta non levi ruina, 15
Thracis et exitium Lycurgi.
Tu flectis amnes, tu mare barbarum
Tu separatis uvidus in jugis
Nodo coerces viperino
Bistonidum sine fraude crines: 20
Tu, cum parentis regna per arduum
Cohors Gigantum scanderet impia,
Rhœtum retorsisti leonis
Unguibus horribilique mala;
Quanquam, choreis aptior et jocis: 25
Ludoque dictus, non sat idoneus
Pugnæ ferebaris; sed idem
Pacis eras mediusque belli.
Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter atterens 30
Caudam; et recedentis trilingui
Ore pedes tetigitque crura.

ODE XX.—*Ad Mecænatem*

Non usitata nec tenui ferar
Penna biformis per liquidum æthera
Vates; neque in terris morabor
Longius; invidiaque major
Urbes relinquam. Non ego, pauperum 5
Sanguis parentum, non ego, quem vocas,
Dilecte Mecænas, obibo;
Nec Stygia cohibebor unda.
Jam jam residunt cruribus asperæ
Pelles; et album mutor in alitem 10
Superna; nascunturque læves
Per digitos humerosque plumæ:
Jam Dædaleo ocior Icaro
Visam gementis littora Bospori,
Syrtesque Gætulas, canorus 15
Ales, Hyperboreosque campos
Me Colchus, et qui dissimulat metum
Marsæ cohortis Dacus, et ultimi
Noscent Geloni; me peritus
Discet Iber, Rhodanique potor 20
Absint inani funere næniæ,
Luctusque turpes et querimoniæ.
Compesce clamorem, ac sepulcri
Mitte supervacuos honores

LIBER TERTIUS.

ODE I.

Odi profanum vulgus, et arceo
Favete linguis; carmina non prius
Audita, Musarum sacerdos,
Virginibus puerisque canto.
Regum timendorum in proprios greges, 5
Reges in ipsos imperium est Jovis,
Clari Giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.
Est ut viro vir latius ordinet
Arbusta sulcis; hic generosior 10
Descendat in Campum petitor;
Moribus hic meliorque fama
Contendat; illi turba clientium
Sit major: æqua lege Necessitas
Sortitur insignes et imos; 15
Omne capax movet urna nomen
Destrictus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt saporem;
Non avium citharæque cantus 20
Somnum reducent: somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit, umbrosamque ripam,
Non Zephyris agitata Tempe
Desiderantem quod satis est, neque 25
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec sævus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hædi;
Non verberatæ grandine vineæ,
Fundusque mendax; arbore nunc aquas 30
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas.
Contracta pisces æquora sentiunt,
Jactis in altum molibus; huc frequens
Cæmenta demittit redemtor 35
Cum famulis, dominusque terræ
Fastidiosus: sed Timor-et Minæ
Scandunt eodem quo dominus; neque
Decedit ærata triremi, et
Post equitem sedet atra Cura. 40
Quod si dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus, nec Falerna
Vitis, Achæmeniumque costum,
Cur invidendis postibus et novo 45
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

ODE II.

Angustam amice pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat; et Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta.
Vitamque sub divo, et trepidis agat 5
In rebus: illum ex mœnibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens, et adulta virgo,
Suspiret: Eheu, ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum 10
Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira cædes.
Dulce et decorum est pro patria mori
Mors et fugacem persequitur virum,
Nec parcit imbellis juventæ 15
Poplitibus timidove tergo
Virtus, repulsæ nescia sordidæ,
Intaminatis fulget honoribus:
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ. 20
Virtus, recludens immeritis mori
Cœlum, negata tentat iter via;
Cœtusque vulgares et udam
Spernit humum fugiente penna.
Est et fideli tuta silentio 25
Merces: vetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub isdem
Sit trabibus, fragilemve mecum
Solvat phaselon. Sæpe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum: 30
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede Pœna claudo.

ODE III.

Justum et tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida, neque Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Jovis manus:
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.
Hac arte Pollux, et vagus Hercules,
Enisus, arces attigit igneas; 10
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.
Hac te merentem, Bacche pater, tuæ
Vexere tigres, indocili jugum
Collo trahentes; hac Quirinus 15
Martis equis Acheronta fugit,
Gratum elocuta consiliantibus
Junone divis: Ilion, Ilion
Fatalis incestusque judex,
Et mulier peregrina vertit 20
In pulverem, ex quo destituit deos
Mercede pacta Laomedon, mihi
Castæque damnatum Minervæ,
Cum populo et duce fraudulento.
Jam nec Lacænæ splendet adulteræ 25
Famosus hospes, nec Priami domus
Perjura pugnaces Achivos
Hectoreis opibus refringit
Nostrisque ductum seditionibus
Bellum resedit; protinus et graves 30
Iras, et invisum nepotem,
Troica quem peperit sacerdos,
Marti redonabo. Illum ego lucidas
Inire sedes, ducere nectaris
Succos, et adscribi quietis 35
Ordinibus patiar deorum.
Dum longus inter sæviat Ilion
Romamque pontus, qualibet exsules
In parte regnanto beati:
Dum Priami Paridisque busto 40
Insultet armentûm, et catulos feræ
Celent inultæ, stet Capitolium
Fulgens; triumphatisque possit
Roma ferox dare jura Medis.

Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras, qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Qua tumidus rigat arva Nilus;
Auram irrepertum, et sic melius situm,
Cum terra celat, spernere fortior,
Quam cogere humanos in usus,
Omne sacrum rapiente dextra.
Quicunque mundo terminus obstitit,
Hunc tangat armis, visere gestiens
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulæ pluviique rores.
Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne, nimium pii,
Rebusque fidentes, avitæ
Tecta velint reparare Trojæ.
Trojæ renascens alite lugubri
Fortuna tristi clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Conjuge me Jovis et sorore.
Ter si resurgat murus aeneus
Auctore Phœbo, ter pereat meis
Excisus Argivis; ter uxor
Capta virum puerosque ploret.
Non hæc jocosæ conveniunt lyræ:
Quo, Musa, tendis? desine pervicax
Referre sermones deorum, et
Magna modis tenuare parvis.

ODE IV.

Descende cœlo, et dic age tibia
Regina longum Calliope melos,
Seu voce nunc mavis acuta,
Seu fidibus citharave Phœbi.
Auditis? an me ludit amabilis
Insania? audire et videor pios
Errare per lucos, amœnæ
Quos et aquæ subeunt et auræ
Me fabulosæ Vulture in Appulo,
Nutricis extra limen Apuliæ,
Ludo fatigatumque somno
Fronde nova puerum palumbes
Texere; mirum quod foret omnibus,
Quicunque celsæ nidum Acherontiæ,
Saltusque Bantinos, et arvum
Pingue tenent humilis Ferenti,
Ut tuto ab atris corpore viperis
Dormirem et ursis; ut premerer sacra
Lauroque collataqua myrto,
Non sine dis animosus infans.
Vester, Camœnæ, vester in arduos
Tollor Sabinos; seu mihi frigidum
Præneste, seu Tibur supinum,
Seu liquidæ placuere Baiæ.
Vestris amicum fontibus et choris,
Non me Philippis versa acies retro,
Devota non exstinxit arbor,
Nec Sicula Palinurus unda.
Utcunque mecum vos eritis, libens
Insanientem navita Bosporum
Tentabo, et arentes arenas
Littoris Assyrii viator:
Visam Britannos hospitibus feros,
Et lætum equino sanguino Concanum:
Visam pharetratos Gelonos,
Et Scythicum inviolatus amnem.
Vos Cæsarem altum, militia simul
Fessas cohortes abdidit oppidis,
Finire quærentem labores,
Pierio recreatis antro.
Vos lene consilium et datis, et dato
Gaudetis, almæ. Scimus ut impios
Titanas immanemque turmam
Fulmine sustulerit caduco,
Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, et urbes, regnaque tristia;
Divosque mortalesque turbas
Imperio regit unus æquo.
Magnum illa terrorem intulerat Jovi
Fidens juventus horrida brachiis,
Fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.
Sed quid Typhoeus, et validus Mimas
Aut quid minaci Porphyrion statu,
Quid Rhœtus, evulsisque truncis
Enceladus jaculator audax,
Contra sonantem Palladis ægida
Possent ruentes? Hinc avidus stetit
Vulcanus; hinc matrona Juno; et
Nunquam humeris positurus arcum,
Qui rore puro Castaliæ lavit
Crines solutos, qui Lyciæ tenet
Dumeta natalemque sylvam,
Delius et Patareus Apollo.
Vis consili expers mole ruit sua:
Vim temperatam di quoque provehunt
In majus; idem odere vires
Omnes nefas animo moventes.
Testis mearum centimanus Gyges
Sententiarum, notus et integræ
Tentator Orion Dianæ,
Virginea domitus sagitta.
Injecta monstris Terra dolet suis,
Mæretque partus fulmine luridum
Missos ad Orcum; nec peredit
Impositam celer ignis Ætnam:
Incontinentis nec Tityi jecur
Relinquit ales, nequitiæ additus
Custos: amatorem trecentæ
Pirithoum cohibent catenæ.

ODE V.

Cœlo tonantem credidimus Jovem
Regnare: præsens divus habebitur
Augustus, adjectis Britannis
Imperio, gravibusque Persis.
Milesne Crassi, conjuge barbara,
Turpis maritus vixit? et hostium
(Pro curia, inversique mores)
Consenuit socerorum in arvis,
Sub rege Medo, Marsus et Appulus,
Anciliorum et nominis et togæ
Oblitus, æternæque Vestæ,
Incolumi Jove et urbe Roma?
Hoc caverat mens provida Reguli,
Dissentientis conditionibus
Fœdis, et exemplo trahenti
Perniciem veniens in ævum;
Si non periret immiserabilis
Captiva pubes. Signa ego Punicis
Affixa delubris, et arma
Militibus sine cæde, dixit,
Derepta vidi; vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero,
Portasque non clausas, et arva
Marte coli populata nostro.
Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit? flagitio additis
Damnum. Neque amissos colores
Lana refert medicata fuco:

Nec vera virtus, cum semel excidit,
Curat reponi deterioribus. 30
Si pugnat extricata densis
Cerva plagis, erit ille fortis,
Qui perfidis se credidit hostibus;
Et Marte Pœnos proteret altero,
Qui lora restrictis lacertis 35
Sensit iners, timuitque mortem.
Hic, unde vitam sumeret, inscius,
Pacem duello miscuit. O pudor!
O magna Carthago, probrosis
Altior Italiæ ruinis! 40
Fertur pudicæ conjugis osculum,
Parvosque natos, ut capitis minor,
Ab se removisse, et virilem
Torvus humi posuisse vultum;
Donec labantesconsilio patres 45
Firmaret auctor nunquam alias dato,
Interque mærentes amicos
Egregius properaret exsul.
Atqui sciebat, quæ sibi barbarus
Tortor pararet: non aliter tamen 50
Dimovit obstantes propinquos,
Et populum reditus morantem,
Quam si clientum longa negotia
Dijudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros, 55
Aut Lacedæmonium Tarentum

ODE VI.—*Ad Romanos.*

Delicta majorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris,
Ædesque labentes deorum, et
Fœda nigro simulacra fumo.
Dis te minorem quod geris, imperas: 5
Hinc omne principium, huc refer exitum.
Di multa neglecti dederunt
Hesperiæ mala luctuosæ.
Jam bis Monæses et Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus 10
Nostros, et adjecisse prædam
Torquibus exiguis renidet.
Pæne, occupatam seditionibus,
Delevit urbem Dacus et Æthiops;
Hic classe formidatus, ille 15
Missilibus melior sagittis.
Fecunda culpæ sæcula nuptias
Primum inquinavere, et genus, et demos:
Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit. 20
Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo; et fingitur artubus
Jam nunc, et incestos amores
De tenero meditatur ungui;
Mox juniores quærit adulteros 25
Inter mariti vina; neque eligit,
Cui donet impermissa raptim
Gaudia, luminibus remotis:
Sed, jussa coram, non sine conscio
Surgit marito; seu vocat institor, 30
Seu navis Hispanæ magister,
Dedecorum pretiosus emtor.
Non his juventus orta parentibus
Infecit æquor sanguine Punico,
Pyrrhumque et ingentem cecidit 35
Antiochum, Hannibalemque dirum;
Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Versare glebas, et severæ
Matris ad arbitrium recisos 40
Portare fustes; sol ubi montium
Mutaret umbras, et juga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens abeunte curru.
Damnosa quid non imminuit dies? 45
Ætas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

ODE VII.—*Ad Asterien.*

Quid fles, Asterie, quem tibi candidi
Primo restituent vere Favonii,
Thyna merce beatum,
Constantis juvenem fide
Gygen? Ille, Notis actus ad Oricum 5
Post insana Capræ sidera, frigidas
Noctes non sine multis
Insomnis lacrymis agit.
Atqui sollicitæ nuntius hospitæ,
Suspirare Chloen, et miseram tuis 10
Dicens ignibus uri,
Tentat mille vafer modis:
Ut Prœtum mulier perfida credulum
Falsis impulerit criminibus, nimis
Casto Bellerophonti 15
Maturare necem, refert.
Narrat pæne datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens;
Et peccare docentes
Fallax historias monet, 20
Frustra: nam, scopulis surdior Icari,
Voces audit adhuc integer. At, tibi
Ne vicinus Enipeus
Plus justo placeat, cave;
Quamvis non alius flectere equum sciens 25
Æque conspicitur gramine Martio,
Nec quisquam citus æque
Tusco denatat alveo.
Prima nocte domum claude; neque in vias
Sub cantu querulæ despice tibiæ; 30
Et, te sæpe vocanti
Duram, difficilis mane.

ODE VIII.—*Ad Mecænatem.*

Martiis cœlebs quid agam Calendis,
Quid velint flores et acerra thuris
Plena, miraris, positusque carbo in
Cæspite vivo,
Docte sermones utriusque linguæ. 5
Voveram dulces epulas et album
Libero caprum, prope funeratus
Arboris ictu.
Hic dies, anno redeunte festus,
Corticem adstrictum pice dimovebit 10
Amphoræ fumum bibere institutæ
Consule Tullo.
Sume, Mecænas, cyathos amici
Sospitis centum; et vigiles lucernas
Perfer in lucem: procul omnis esto 15
Clamor et ira.
Mitte civiles super Urbe curas:
Occidit Daci Cotisonis agmen:
Medus infestus sibi luctuosis
Dissidet armis: 20
Servit Hispanæ vetus hostis oræ
Cantaber, sera domitus catena:
Jam Scythæ laxo meditantur arcu
Cedere campis.

Negligens, ne qua populus laboret, 25
Parce privatus nimium cavere; et
Dona præsentis cape lætus horæ, ac
Linque severa.

ODE IX.—*Ad Lydiam.*

Hor. Donec gratus eram tibi,
Nec quisquam potior brachia candidæ
Cervici juvenis dabat;
Persarum vigui rege beatior.
Lyd Donec non alia magis 5
Arsisti, neque erat Lydia post Chloen;
Multi Lydia nominis
Romana vigui clarior Ilia.
Hor Me nunc Thressa Chloe regit,
Dulces docta modos, et citharæ sciens;
Pro qua non metuam mori, 11
Si parcent animæ fata superstiti.
Lyd Me torret face mutua
Thurini Calais filius Ornyti;
Pro quo bis patiar mori, 15
Si parcent puero fata superstiti.
Hor. Quid, si prisca redit Venus,
Diductosque jugo cogit aeneo?
Si flava excutitur Chloe,
Rejectæque patet janua Lydiæ? 20
Lyd Quanquam sidere pulchrior
Ille est, tu levior cortice, et improbo
Iracundior Adria;
Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

ODE X.—*In Lycen.*

Extremum Tanain si biberes, Lyce,
Sævo nupta viro; me tamen, asperas
Porrectum ante fores, objicere incolis
Plorares Aquilonibus.
Audis, quo strepitu janua, quo nemus 5
Inter pulchra satum tecta remugiat
Ventis, et positas ut glaciet nives
Puro numine Jupiter?
Ingratam Veneri pone superbiam,
Ne currente rota funis eat retro. 10
Non te Penelopen difficilem procis
Tyrrhenus genuit parens.
O quamvis neque te munera, nec preces
Nec tinctus viola pallor amantium,
Nec vir Pieria pellice saucius 15
Curvat; supplicibus tuis
Parcas, nec rigida mollior æsculo,
Nec Mauris animum mitior anguibus
Non hoc semper erit liminis aut aquæ
Cœlestis patiens latus. 20

ODE XI.—*Ad Mercurium*

Mercuri, (nam te docilis magistro
Movit Amphion lapides canendo)
Tuque, Testudo, resonare septem
Callida nervis,
(Nec loquax olim neque grata, nunc et 5
Divitum mensis et amica templis)
Dic modos, Lyde quibus obstinatas
Applicet aures:
Quæ, velut latis equa trima campis,
Ludit exsultim, metuitque tangi, 10
Nuptiarum expers, at adhuc protervo
Cruda marito.
Tu potes tigres comitesque sylvas
Ducere, et rivos celeres morari
Cessit immanis tibi blandienti 15
Janitor aulæ
Cerberus; quamvis furiale centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus teter saniesque manet
Ore trilingui. 20
Quin et Ixion Tityosque vultu
Risit invito: stetit urna paulum
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.
Audiat Lyde scelus atque notas 25
Virginum pœnas, et inane lymphæ
Dolium fundo pereuntis imo,
Seraque fata,
Quæ manent culpas etiam sub Orco
Impiæ (nam quid potuere majus?) 30
Impiæ sponsos potuere duro
Perdere ferro.
Una de multis, face nuptiali
Digna, perjurum fuit in parentem
Splendide mendax, et in omne virgo 35
Nobilis ævum;
Surge, quæ dixit juveni marito,
Surge, ne longus tibi somnus, unde
Non times, detur; socerum et scelestas
Falle sorores; 40
Quæ, velut nactæ vitulos leænæ,
Singulos, eheu, lacerant: ego, illis
Mollior, nec te feriam, neque intra
Claustra tenebo.
Me pater sævis oneret catenis, 45
Quod viro clemens misero peperci:
Me vel extremos Numidarum in agros
Classe releget.
I, pedes quo te rapiunt et auræ,
Dum favet nox et Venus: i secundo 50
Omine; et nostri memorem sepulcro
Scalpe querelam.

ODE XIII.—*Ad Neobulen.*

Miserarum est neque Amori dare ludum, neque dulci
Mala vino lavere; aut exanimari, metuentes
Patruæ verbera linguæ. Tibi qualum Cythereæ
Puer ales, tibi telas, operosæque Minervæ
Studium aufert, Neobule, Liparæi nitor Hebri, 5
Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis,
Eques ipso melior Bellerophonte, neque pugno
Neque segni pede victus; catus idem per apertum
Fugientes agitato grege cervos jaculari, et
Celer alto latitantem fruticeto excipere aprum 10

ODE XIII.—*Ad Fontem Bandusium*

O Fons Bandusiæ, splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus,
Cras donaberis hædo,
Cui frons turgida cornibus
Primis et Venerem et prœlia destinat, 5
Frustra: nam gelidos inficiet tibi
Rubro sanguine rivos
Lascivi soboles gregis.
Te flagrantis atrox hora Caniculæ
Nescit tangere: tu frigus amabile 10
Fessis vomere tauris
Præbes, et pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cavis impositam ilicem
Saxis, unde loquaces 15
Lymphæ desiliunt tuæ

ODE XIV.

Herculis ritu, modo dictus, o plebs,
Morte venalem petiisse laurum,
Cæsar Hispana repetit penates
Victor ab ora.
Unico gaudens mulier marito 5
Prodeat, justis operata divis;
Et soror clari ducis, et decoræ
Supplice vitta
Virginum matres, juvenumque nuper
Sospitum. Vos, o pueri, et puellæ 10
Jam virum expertæ, male ominatis
Parcite verbis.
Hic dies vere mihi festus atras
Eximet curas: ego nec tumultum,
Nec mori per vim metuam, tenente 15
Cæsare terras.
I, pete unguentum, puer, et coronas
Et cadum Marsi memorem duelli,
Spartacum si qua potuit vagantem
Fallere testa. 20
Dic et argutæ, properet, Neæræ,
Myrrheum nodo cohibere crinem.
Si per invisum mora janitorem
Fiet, abito.
Lenit albescens animos capillus 25
Litium et rixæ cupidos protervæ:
Non ego hoc ferrem, calidus juventa,
Consule Planco.

ODE XV.—*In Chlorim.*

Uxor pauperis Ibyci,
Tandem nequitiæ fige modum tuæ,
Famosisque laboribus:
Maturo propior desine funeri
Inter ludere virgines, 5
Et stellis nebulam spargere candidis
Non, si quid Pholoen, satis
Et te, Chlori, decet: filia rectius
Expugnat juvenum domos,
Pulso Thyias uti concita tympano. 10
Illam cogit amor Nothi
Lascivæ similem ludere capreæ:
Te lanæ prope nobilem
Tonsæ Luceriam, non citharæ, decent,
Nec flos purpureus rosæ, 15
Nec poti vetulam fæce tenus cadi.

ODE XVI.—*Ad Mecænatem.*

Inclusam Danaen turris aenea,
Robustæque fores, et vigilum canum
Tristes excubiæ, munierant satis
Nocturnis ab adulteris,
Si non Acrisium, virginis abditæ 5
Custodem pavidum, Jupiter et Venus
Risissent: fore enim tutum iter et patens
Converso in pretium deo.
Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius 10
Ictu fulmineo. Concidit auguris
Argivi domus, ob lucrum
Demersa exitio: diffidit urbium
Portas vir Macedo, et subruit æmulos
Reges muneribus: munera navium 15
Sævos illaqueant duces.
Crescentem sequitur cura pecuniam,
Majorumque fames: jure perhorrui
Late conspicuum tollere verticem,
Mecænas, equitum decus 20
Quanto quisque sibi plura negaverit,
A dis plura feret. Nil cupientium
Nudus castra peto; et transfuga divitum
Partes linquere gestio;
Contemtæ dominus splendidior rei, 25
Quam si, quicquid arat impiger Appulus,
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.
Puræ rivus aquæ, sylvaque jugerum
Paucorum, et segetis certa fides meæ, 30
Fulgentem imperio fertilis Africæ
Fallit sorte beatior.
Quanquam nec Calabræ mella ferunt apes,
Nec Læstrygonia Bacchus in amphora
Languescit mihi, nec pinguia Gallicis 35
Crescunt vellera pascuis;
Importuna tamen pauperies abest;
Nec, si plura velim, tu dare deneges.
Contracto melius parva cupidine
Vectigalia porrigam, 40
Quam si Mygdoniis regnum Alyattei
Campis continuem. Multa petentibus
Desunt multa. Bene est, cui deus obtulit
Parca, quod satis est, manu.

ODE XVII.—*Ad Ælium Lamiam.*

Æli, vetusto nobilis ab Lamo,
(Quando et priores hinc Lamias ferunt
Denominatos; et nepotum
Per memores genus omne fastos
Auctore ab illo ducit originem, 5
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, et innantem Maricæ
Littoribus tenuisse Lirim,
Late tyrannus) cras foliis nemus
Multis et alga littus inutili 10
Demissa tempestas ab Euro
Sternet, aquæ nisi fallit augur
Annosa cornix. Dum potis, aridum
Compone lignum: cras genium mero
Curabis et porco bimestri, 15
Cum famulis operum solutis.

ODE XVIII.—*Ad Faunum.*

Faune, Nympharum fugientum amator,
Per meos fines et aprica rura
Lenis incedas, abeasque parvis
Æquus alumnis;
Si tener pleno cadit hædus anno, 5
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina crateræ, vetus ara multo
Fumat odore:
Ludit herboso pecus omne campo,
Cum tibi Nonæ redeunt Decembres 10
Festus in pratis vacat otioso
Cum bove pagus
Inter audaces lupus errat agnos:
Spargit agrestes tibi sylva frondes.
Gaudet invisam pepulisse fossor 15
Ter pede terram.

ODE XIX.—*Ad Telephum*

Quantum distet ab Inacho
Codrus, pro patria non timidus mori,
Narras, et genus Æaci,
Et pugnata sacro bella sub Ilio
Quo Chium pretio cadum 5
Mercemur, quis aquam temperet ignibus
Quo præbente domum, et quota,
Pelignis caream frigoribus, taces

Da Lunæ propere novæ,
Da Noctis mediæ, da, puer, auguris 10
Murænæ; tribus aut novem
Miscentur cyathis pocula commodis.
Qui Musas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates: tres prohibet supra 15
Rixarum metuens tangere Gratia,
Nudis juncta sororibus.
Insanire juvat: cur Berecyntiæ
Cessant flamina tibiæ?
Cur pendet tacita fistula cum lyra? 20
Parcentes ego dexteras
Odi: sparge rosas; audiat invidus
Dementem strepitum Lycus,
Et vicina seni non habilis Lyco.
Spissa te nitidum coma, 25
Puro te similem, Telephe, Vespero,
Tempestiva petit Rhode:
Me lentus Glyceræ torret amor meæ.

ODE XX.—*Ad Pyrrhum.*

Non vides quanto moveas periclo,
Pyrrhe, Gætulæ catulos leænæ?
Dura post paulo fugies inaudax
Prœlia raptor;
Cum per obstantes juvenum catervas 5
Ibit, insignem repetens Nearchum:
(Grande certamen, tibi præda cedat
Major, an illi.)
Interim, dum tu celeres sagittas
Promis, hæc dentes acuit timendos; 10
Arbiter pugnæ posuisse nudo
Sub pede palmam
Fertur, et leni recreare vento
Sparsum odoratis humerum capillis,
Qualis aut Nireus fuit, aut aquosa 15
Raptus ab Ida.

ODE XXI.—*Ad Amphoram.*

O nata mecum consule Manlio,
Seu tu querelas, sive geris jocos,
Seu rixam et insanos amores,
Seu facilem, pia testa somnum;
Quocunque lectum nomine Massicum 5
Servas, moveri digna bono die,
Descende, Corvino jubente
Promere languidiora vina.
Non ille, quanquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus: 10
Narratur et prisci Catonis
Sæpe mero caluisse virtus.
Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro: tu sapientium
Curas et arcanum jocoso 15
Consilium retegis Lyæo:
Tu spem reducis mentibus anxiis,
Viresque; et addis cornua pauperi,
Post te neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma. 20
Te Liber, et, si læta aderit, Venus,
Segnesque nodum solvere Gratiæ,
Vivæque producent lucernæ,
Dum rediens fugat astra Phœbus.

ODE XXII.—*In Dianam.*

Montium custos nemorumque Virgo,
Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis, adimisque leto,
Diva triformis;
Imminens villæ tua pinus esto, 5
Quam per exactos ego lætus annos
Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem.

ODE XXIII.—*Ad Phidylen.*

Cœlo supinas si tuleris manus
Nascente luna, rustica Phidyle;
Si thure placaris et horna
Fruge Lares, avidaque porca;
Nec pestilentem sentiet Africum 5
Fecunda vitis, nec sterilem seges
Rubiginem, aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno.
Nam, quæ nivali pascitur Algido
Devota quercus inter et ilices, 10
Aut crescit Albanis in herbis
Victima, pontificum secures
Cervice tinget. Te nihil attinet
Tentare multa cæde bidentium
Parvos coronantem marino 15
Rore deos fragilique myrto.
Immunis aram si tetigit manus,
Non sumtuosa blandior hostia
Mollivit aversos Penates
Farre pio et saliente mica. 20

ODE XXIV.

Intactis opulentior
Thesauris Arabum et divitis Indiæ,
Cæmentis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum,
Si figit adamantinos 5
Summis verticibus dira Necessitas
Clavos, non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.
Campestres melius Scythæ
(Quorum plaustra vagas rite trahunt domos) 10
Vivunt, et rigidi Getæ,
Immetata quibus jugera liberas
Fruges et Cererem ferunt,
Nec cultura placet longior annua;
Defunctumque laboribus 15
Æquali recreat sorte vicarius.
Illic matre carentibus
Privignis mulier temperat innocens:
Nec dotata regit virum
Conjux, nec nitido fidit adultero. 20
Dos est magna parentium
Virtus, et metuens alterius viri
Certo fœdere castitas,
Et peccare nefas, aut pretium emori.
O quisquis volet impias 25
Cædes et rabiem tollere civicam;
Si quæret PATER URBIUM
Subscribi statuis, indomitam audeat
Refrenare licentiam,
Clarus postgenitis; quatenus (heu nefas) 30
Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus, invidi.
Quid tristes querimoniæ,
Si non supplicio culpa reciditur?
Quid leges, sine moribus 35
Vanæ, proficiunt, si neque fervidis
Pars inclusa caloribus
Mundi, nec Boreæ finitimum latus,
Duratæque solo nives,
Mercatorem abigunt? horrida callidi 40
Vincunt æquora navitæ?
Magnum pauperies opprobrium jubet

Quidvis et facere et pati ;
Virtutisque viam deserit arduæ.
Vel nos in Capitolium, 45
Quo clamor vocat et turba faventium,
Vel nos in mare proximum
Gemmas, et lapides, aurum et inutile,
Summi materiem mali,
Mittamus, scelerum si bene pœnitet. 50
Eradenda cupidinis
Pravi sunt elementa ; et teneræ nimis
Mentes asperioribus
Formandæ studiis. Nescit equo rudis
Hærere ingenuus puer, 55
Venarique timet ; ludere doctior,
Seu Græco jubeas trocho,
Seu malis, vetita legibus alea
Cum perjura patris fides
Consortem socium fallat et hospitem, 60
Indignoque pecuniam
Hæredi properet. Scilicet improbæ
Crescunt divitiæ ; tamen
Curtæ nescio quid semper abest rei.

ODE XXV.—*Ad Bacchum.*

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum ? quæ nemora aut quos agor in specus,
Velox mente nova ? quibus
Antris egregii Cæsaris audiar
Æternum meditans decus 5
Stellis inserere et concilio Jovis ?
Dicam insigne, recens, adhuc
Indictum ore alio. Non secus in jugis
Exsomnis stupet Evias,
Hebrum prospiciens, et nive candidam 10
Thracen, ac pede barbaro
Lustratam Rhodopen. Ut mihi devio
Ripas et vacuum nemus
Mirari libet! O Naiadum potens,
Baccharumque valentium 15
Proceras manibus vertere fraxinos :
Nil parvum aut humili modo,
Nil mortale loquar. Dulce periculum est
O Lenæe, sequi deum
Cingentem viridi tempora pampino. 20

ODE XXVI.—*Ad Venerem.*

Vixi puellis nuper idoneus,
Et militavi non sine gloria ;
Nunc arma defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit,
Lævum marinæ qui Veneris latus 5
Custodit. Hic, hic ponite lucida
Funalia, et vectes et arcus
Oppositis foribus minaces.
O quæ beatam, diva tenes Cyprum, et
Memphin carentem Sithonia nive, 10
Regina, sublimi flagello
Tange Chloen semel arrogantem.

ODE XXVII.—*Ad Galateam.*

Impios parræ recinentis omen
Ducat, et prægnans canis, aut ab agro
Rava decurrens lupa Lanuvino,
Fetaque vulpes ;
Rumpat et serpens iter institutum, 5
Si per obliquum, similis sagittæ,
Terruit mannos : ego, cui timebo,
Providus auspex,
Antequam stantes repetat paludes
Imbrium divina avis imminentum, 10
Oscinem corvum prece suscitabo
Solis ab ortu.
Sis licet felix, ubicunque mavis,
Et memor nostri, Galatea, vivas ;
Teque nec lævus vetet ire picus, 15
Nec vaga cornix.
Sed vides, quanto trepidet tumultu
Pronus Orion : ego, quid sit ater
Adriæ, novi, sinus, et quid albus
Peccet Iapyx. 20
Hostium uxores puerique cæcos
Sentiant motus orientis Austri, et
Æquoris nigri fremitum, et trementes
Verbere ripas.
Sic et Europe niveum doloso 25
Credidit tauro latus, et scatentem
Belluis pontum mediasque fraudes
Palluit audax.
Nuper in pratis studiosa florum, et
Debitæ Nymphis opifex coronæ, 30
Nocte sublustri nihil astra præter
Vidit et undas :
Quæ simul centum tetigit potentem
Oppidis Creten, Pater, O relictum
Filiæ nomen, pietasque, dixit, 35
Victa furore !
Unde, quo veni ? levis una mors est
Virginum culpæ. Vigilansne ploro
Turpe commissum ? an vitiis carentem
Ludit imago 40
Vana, quæ porta fugiens eburna
Somnium ducit ? meliusne fluctus
Ire per longos fuit, an recentes
Carpere flores ?
Si quis infamem mihi nunc juvencum 45
Dedat iratæ ; lacerare ferro et
Frangere enitar modo multum amati
Cornua monstri.
Impudens liqui patrios penates ;
Impudens Orcum moror. O deorum 50
Si quis hæc audis, utinam inter errem
Nuda leones !
Antequam turpis macies decentes
Occupet malas, teneræque succus
Defluat prædæ, speciosa quæro 55
Pascere tigres.
Vilis Europe, pater urget absens,
Quid mori cessas ? potes hac ab orno
Pendulum zona bene te secuta e-
lidere collum. 60
Sive te rupes et acuta leto
Saxa delectant ; age, te procellæ
Crede veloci ; nisi herile mavis
Carpere pensum,
Regius sanguis, dominæque tradi 65
Barbaræ pellex. Aderat querenti
Perfidum ridens Venus, et remisso
Filius arcu.
Mox, ubi lusit satis, Abstineto,
Dixit, irarum calidæque rixæ, 70
Cum tibi invisus laceranda reddet
Cornua taurus.
Uxor invicti Jovis esse nescis :
Mitte singultus ; bene ferre magnam
Disce fortunam : tua sectus orbis 75
Nomina ducet.

ODE XXVIII.—*Ad Lyden.*

Festo quid potius die
Neptuni faciam ? Prome reconditum,

Lyde, strenua Cæcubum,
Munitæque adhibe vim sapientiæ
Inclinare meridiem 5
Sentis; ac, veluti stet volucris dies,
Parcis deripere horreo
Cessantem Bibuli consulis amphoram.
Nos cantabimus invicem
Neptunum, et virides Nereidum comas: 10
Tu curva recines lyra
Latonam, et celeris spicula Cynthiæ
Summo carmine, quæ cnidon
Fulgentesque tenet Cycladas, et Paphon
Junctis visit oloribus: 15
Dicetur merita Nox quoque nænia.

ODE XXIX.—*Ad Mecænatem.*

Tyrrhena regum progenies, tibi
Non ante verso lene merum cado,
Cum flore, Mecænas, rosarum, et
Pressa tuis balanus capillis
Jamdudum apud me est. Eripe te moræ, 5
Ne semper udum Tibur et Æsulæ
Declive contempleris arvum, et
Telegoni juga parricidæ.
Fastidiosam desere copiam, et
Molem propinquam nubibus arduis: 10
Omitte mirari beatæ
Fumum et opes strepitumque Romæ
Plerumque gratæ divitibus vices;
Mundæque parvo sub lare pauperum
Cœnæ, sine aulæis et ostro, 15
Sollicitam explicuere frontem.
Jam clarus occultum Andromedæ pater
Ostendit ignem; jam Procyon furit,
Et stella vesani Leonis,
Sole dies referente siccos. 20
Jam pastor umbras, cum grege languido,
Rivumque fessus quærit, et horridi
Dumeta Sylvani; caretque
Ripa vagis taciturna ventis.
Tu, civitatem quis deceat status, 25
Curas, et, Urbi sollicitus times,
Quid Seres et regnata Cyro
Bactra parent, Tanaisque discors
Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit deus; 30
Ridetque, si mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adest, memento
Componere æquus: cætera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alveo
Cum pace delabentis Etrus- 35
cum in mare; nunc lapides adesos,
Stirpesque raptas, et pecus, et domos,
Volventis una, non sine montium
Clamore vicinæque sylvæ,
Cum fera diluvies quietos 40
Irritat amnes. Ille potens sui
Lætusque deget, cui licet in diem
Dixisse, Vixi: cras vel atra
Nube polum Pater occupato,
Vel sole puro: non tamen irritum, 45
Quodcunque retro est, efficiet; neque
Diffinget infectumque reddet,
Quod fugiens semel hora vexit.
Fortuna sævo læta negotio, et
Ludum insolentem ludere pertinax, 50
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.
Laudo manentem: si celeres quatit
Pennas, resigno quæ dedit, et mea
Virtute me involvo, probamque 55
Pauperiem sine dote quæro.
Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere, et votis pacisci,
Ne Cypriæ Tyriæque merces 60
Addant avaro divitias mari:
Tunc me, biremis præsidio scaphæ
Tutum, per Ægæos tumultus
Aura feret, geminusque Pollux

ODE XXX

Exegi monimentum ære perennius,
Regalique situ pyramidum altius;
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, et fuga temporum. 5
Non omnis moriar; multaque pars mei
Vitabit Libitinam. Usque ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine pontifex.
Dicar, qua violens obstrepit Aufidus, 10
Et qua pauper aquæ Daunus agrestium
Regnavit populorum, ex humili potens,
Princeps Æolium carmen ad Italos
Deduxisse modos. Sume superbiam
Quæsitam meritis, et mihi Delphica 15
Lauro cinge volens, Melpomene, comam

LIBER QUARTUS.

ODE I.—*Ad Venerem.*

Intermissa Venus diu
Rursus bella moves. Parce precor, precor.
Non sum qualis eram bonæ
Sub regno Cinaræ. Desine, dulci m
Mater sæva Cupidinum, 5
Circa lustra decem flectere mollibus
Jam durum imperiis. Abi,
Quo blandæ juvenum te revocant preces.
Tempestivius in [domum]
Pauli, purpureis ales oloribus, 10
Comissabere Maximi,
Si torrere jecur quæris idoneum.
Namque et nobilis et decens,
Et pro sollicitis non tacitus reis,
Et centum puer artium, 15
Late signa feret militiæ tuæ:
Et, quandoque potentior
Largis muneribus riserit æmuli,
Albanos prope te lacus
Ponet marmoream, sub trabe Cypria. 20

Illic plurima naribus
Duces thura, lyræque et Berecyntiæ
Delectabere tibiæ
Mixtis carminibus, non sine fistula.
Illic bis pueri die 25
Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes, pede candido
In morem Salium ter quatient humum
Me nec fœmina, nec puer
Jam, nec spes animi credula mutui, 30
Nec certare juvat mero,
Nec vincire novis tempora floribus.
Sed cur, heu, Ligurine, cur
Manat rara meas lacryma per genas?
Cur facunda parum deco- 35
ro inter verba cadit lingua silentio?
Nocturnis ego somniis
Jam captum teneo; jam volucrem sequor
Te per gramina Martii
Campi; te per aquas, dure, volubiles 40

ODE II.—*Ad Antonium Iulum.*

Pindarum quisquis studet æmulari, I-
ule, ceratis ope Dædalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens velut amnis, imbres 5
Quem super notas aluere ripas,
Fervet, immensusque ruit profundo
Pindarus ore,
Laurea donandus Apollinari,
Seu per audaces nova dithyrambos 10
Verba devolvit, numerisque fertur
Lege solutis;
Seu deos, regesve canit, deorum
Sanguinem, per quos cecidere justa
Morte Centauri, cecidit tremendæ 15
Flamma Chimæræ;
Sive, quos Elea domum reducit
Palma cœlestes, pugilemve equumve
Dicit, et centum potiore signis
Munere donat; 20
Flebili sponsæ juvenemve raptum
Plorat: et vires animumque mores-
que aureos educit in astra, nigro-
que invidet Orco.
Multa Dircæum levat aura cycnum, 25
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus: ego, apis Matinæ
More modoque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus uvidique 30
Tiburis ripas operosa parvus
Carmina fingo.
Concines majore poeta plectro
Cæsarem, quandoque trahet feroces
Per Sacrum clivum, merita decorus 35
Fronde, Sicambros;
Quo nihil majus meliusve terris
Fata donavere bonique divi,
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priscum. 40
Concines lætosque dies, et urbis
Publicum ludum, super impetrato
Fortis Augusti reditu, forumque
Litibus orbum.
Tum meæ (si quid loquar audiendum) 45
Vocis accedet bona pars; et, o sol
Pulcher, o laudande, canam, recepto
Cæsare felix.
Tuque dum procedis, Io Triumphe,
Non semel dicemus, Io Triumphe, 50
Civitas omnis; dabimusque divis
Thura benignis.
Te decem tauri totidemque vaccæ,
Me tener solvet vitulus, relicta
Matre, qui largis juvenescit herbis 55
In mea vota,
Fronte curvatos imitatus ignes
Tertium lunæ referentis ortum,
Qua notam duxit, niveus videri,
Cætera fulvus. 60

ODE III.—*Ad Melpomenen.*

Quem tu, Melpomene, semel
Nascentem placido lumine videris,
Illum non labor Isthmius
Clarabit pugilem, non equus impiger
Curru ducet Achaico 5
Victorem; neque res bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
Quod regum tumidas contuderit minas,
Ostendet Capitolio:
Sed quæ Tibur aquæ fertile præfluunt, 10
Et spissæ nemorum comæ,
Fingent Æolio carmine nobilem
Romæ principis urbium
Dignatur soboles inter amabiles
Vatum ponere me choros; 15
Et jam dente minus mordeor invido
O, testudinis aureæ
Dulcem quæ strepitum, Pieri, temperas!
O mutis quoque piscibus
Donatura cycni, si libeat, sonum! 20
Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ:
Quod spiro et placeo, (si placeo) tuum est

ODE IV.

Qualem ministrum fulminis alitem
(Cui rex deorum regnum in aves vagas
Permisit, expertus fidelem
Jupiter in Ganymede flavo)
Olim juventas et patrius vigor 5
Nido laborum propulit inscium,
Vernique, jam nimbis remotis,
Insolitos docuere nisus
Venti paventem; mox in ovilia
Demisit hostem vividus impetus; 10
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis atque pugnæ
Qualemve lætis caprea pascuis
Intenta, fulvæ matris ab ubere
Jam lacte depulsum leonem, 15
Dente novo peritura, vidit:
Videre Rhæti bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici; quibus
Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonia securi 20
Dextras obarmet, quærere distuli
(Nec scire fas est omnia:) sed, diu
Lateque victrices, catervæ
Consiliis juvenis revictæ
Sensere, quid mens rite, quid indoles 25
Nutrita faustis sub penetralibus
Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones.
Fortes creantur fortibus et bonis:
Est in juvencis, est in equis, patrum 30

Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam:
Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant:
Utcunque defecere mores, 35
Indecorant bene nata culpæ.
Quid debeas, o Roma, Neronibus,
Testis Metaurum flumen et Asdrubal
Devictus, et pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris, 40
Qui primus alma risit adorea,
Dirus per urbes Afer ut Italas,
Ceu flamma per tædas, vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.
Post hoc, secundis usque laboribus 45
Romana pubes crevit; et impio
Vastata Pœnorum tumultu
Fana deos habuere rectos:
Dixitque tandem perfidus Hannibal:
Cervi, luporum præda rapacium, 50
Sectamur ultro, quos opimus
Fallere et effugere est triumphus.
Gens, quæ, cremato fortis ab Ilio,
Jactata Tuscis æquoribus sacra,
Natosque maturosque patres 55
Pertulit Ausonias ad urbes,
Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes animumque ferro. 60
Non Hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem;
Monstrumve submisere Colchi
Majus, Echioniæve Thebæ.
Merses profundo, pulchrior evenit: 65
Luctere, multa proruet integrum
Cum laude victorem, geretque
Prælia conjugibus loquenda.
Carthagini jam non ego nuntios
Mittam superbos: occidit, occidit 70
Spes omnis, et fortuna nostri
Nominis, Asdrubale interemto.
Nil Claudiæ non perficient manus,
Quas et benigno numine Jupiter
Defendit, et curæ sagaces 75
Expediunt per acuta belli.

ODE V.—*Ad Augustum.*

Divis orte bonis, optime Romulæ
Custos gentis, abes jam nimium diu:
Maturum reditum pollicitus patrum
Sancto concilio, redi.
Lucem redde tuæ, dux bone, patriæ; 5
Instar veris enim vultus ubi tuus
Affulsit, populo gratior it dies,
Et soles melius nitent.
Ut mater juvenem, quem Notus invido
Flatu, Carpathii trans maris æquora 10
Cunctantem spatio longius annuo,
Dulci distinet a domo,
Votis omnibusque et precibus vocat,
Curvo nec faciem littore dimovet;
Sic desideriis icta fidelibus 15
Quærit patria Cæsarem.
Tutus bos etenim rura perambulat;
Nutrit rura Ceres, almaque Faustitas;
Pacatum volitant per mare navitæ;
Culpari metuit Fides; 20
Nullis polluitur casta domus stupris;
Mos et lex maculosum edomuit nefas,
Laudantur simili prole puerperæ;
Culpam Pœna premit comes.
Quis Parthum paveat? quis gelidum Scythen?
Quis, Germania quos horrida parturit 26
Fetus, incolumi Cæsare? quis feræ
Bellum curet Iberiæ?
Condit quisque diem collibus in suis,
Et vitem viduas ducit ad arbores; 30
Hinc ad vina redit lætus, et alteris
Te mensis adhibet deum:
Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris; et Laribus tuum
Miscet numen, uti Græcia Castoris 35
Et magni memor Herculis.
Longas o utinam, dux bone, ferias
Præstes Hesperiæ, dicimus integro
Sicci mane die, dicimus uvidi,
Cum sol Oceano subest. 40

ODE VI.—*Ad Apollinem.*

Dive, quem proles Niobea magnæ
Vindicem linguæ, Tityosque raptor
Sensit, et Trojæ prope victor altæ
Phthius Achilles,
Cæteris major, tibi miles impar; 5
Filius quanquam Thetidos marinæ
Dardanas turres quateret tremenda
Cuspide pugnax.
Ille, mordaci velut icta ferro
Pinus, aut impulsa cupressus Euro 10
Procidit late, posuitque collum in
Pulvere Teucro.
Ille non, inclusus equo Minervæ
Sacra mentito, male feriatos
Troas et lætam Priami choreis 15
Falleret aulam;
Sed palam captis gravis (heu nefas, heu)
Nescios fari pueros Achivis
Ureret flammis, etiam [latentem]
Matris in alvo: 20
Ni, tuis victus Venerisque gratæ
Vocibus, divûm pater annuisset
Rebus Æneæ potiore ductos
Alite muros.
Doctor argutæ fidicen Thaliæ 25
Phœbe, qui Xantho lavis amne crines,
Dauniæ defende decus Camœnæ,
Lævis Agyieu.
Spiritum Phœbus mihi, Phœbus artem
Carminis nomenque dedit poetæ. 30
Virginum primæ, puerique claris
Patribus orti,
Deliæ tutela deæ, fugaces
Lyncas et cervos cohibentis arcu,
Lesbium servate pedem, meique 35
Pollicis ictum;
Rite Latonæ puerum canentes,
Rite crescentem face Noctilucam,
Prosperam frugum, celeremque pronos
Volvere menses. 40
Nupta jam dices, Ego dis amicum,
Sæculo festas referente luces,
Reddidi carmen, docilis modorum
Vatis Horati.

ODE VII.—*Ad Torquatum.*

Diffugere nives; redeunt jam gramina campis,
Arboribusque comæ:
Mutat terra vices, et decrescentia ripas
Flumina prætereunt: 4

Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet
Ducere nuda choros. 6
Immortalia ne speres, monet annus, et almum
Quæ rapit hora diem.
Frigora mitescunt Zephyris: ver proterit æstas,
Interitura, simul 10
Pomifer autumnus fruges effuderit; et mox
Bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant cœlestia lunæ:
Nos, ubi decidimus
Quo pius Æneas, quo dives Tullus et Ancus, 15
Pulvis et umbra sumus.
Quis scit, an adjiciant hodiernæ crastina summæ
Tempora di superi?
Cuncta manus avidas fugient hæredis, amico
Quæ dederis animo. 20
Cum semel occideris, et de te splendida Minos
Fecerit arbitria;
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituet pietas:
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum 25
Liberat Hippolytum;
Nec Lethæa valet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

ODE VIII.—*Ad C. Marcium Censorinum.*

Donarem pateras grataque commodus,
Censorine, meis æra sodalibus;
Donarem tripodas, præmia fortium
Graiorum; neque tu pessima munerum
Ferres, divite me scilicet artium 5
Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas;
Hic saxo, liquidis ille coloribus,
Sollers nunc hominem ponere, nunc deum.
Sed non hæc mihi vis; nec tibi talium
Res est aut animus deliciarum egens. 10
Gaudes carminibus: carmina possumus
Donare, et pretium dicere muneri.
Non incisa notis marmora publicis,
Per quæ spiritus et vita redit bonis
Post mortem ducibus; non celeres fugæ, 15
Rejectæque retrorsum Hannibalis minæ;
Non incendia Carthaginis impiæ,
Ejus, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quam Calabræ Pierides: neque, 20
Si chartæ sileant quod bene feceris,
Mercedem tuleris. Quid foret Iliæ
Mavortisque puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida Romuli?
Ereptum Stygiis fluctibus Æacum 25
Virtus et favor et lingua potentium
Vatum divitibus consecrat insulis.
Dignum laude virum Musa vetat mori
Cœlo Musa beat. Sic Jovis interest
Optatis epulis impiger Hercules. 30
Clarum Tyndaridæ sidus ab infimis
Quassas eripiunt æquoribus rates:
Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

ODE IX.—*Ad Lollium.*

Ne forte credas interitura, quæ
Longe sonantem natus ad Aufidum,
Non ante vulgatas per artes
Verba loquor socianda chordis:
Non, si priores Mæonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricæ latent,
Ceæque et Alcæi minaces,
Stesichorique graves Camœnæ:
Nec, si quid olim lusit Anacreon,
Delevit ætas: spirat adhuc amor, 10
Vivuntque commissi calores
Æoliæ fidibus puellæ.
Non sola comtos arsit adulteri
Crines, et aurum vestibus illitum
Mirata, regalesque cultus, 15
Et comites, Helene Lacæna;
Primusve Teucer tela Cydonio
Direxit arcu: non semel Ilios
Vexata: non pugnavit ingens
Idomeneus Sthenelusve solus 20
Dicenda Musis prœlia: non ferox
Hector, vel acer Deiphobus, gravis
Excepit ictus pro pudicis
Conjugibus puerisque primus:
Vixere fortes ante Agamemnona 25
Multi; sed omnes illacrymabiles
Urgentur ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro.
Paulum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus. Non ego te meis 30
Chartis inornatum silebo,
Totve tuos patiar labores
Impune, Lolli, carpere lividas
Obliviones. Est animus tibi
Rerumque prudens, et secundis 35
Temporibus dubiisque rectus;
Vindex avaræ fraudis, et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniæ;
Consulque non unius anni,
Sed quoties bonus atque fidus 40
Judex honestum prætulit utili, et
Rejecit alto dona nocentium
Vultu, et per obstantes catervas
Explicuit sua victor arma.
Non possidentem multa vocaveris 45
Recte beatum; rectius occupat
Nomen beati, qui deorum
Muneribus sapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati
Pejusque leto flagitium timet; 50
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.

ODE X.—*Ad Ligurinum.*

O crudelis adhuc, et Veneris muneribus potens,
Insperata tuæ cum veniet pluma superbiæ,
Et, quæ nunc humeris involitant, deciderint comæ,
Nunc et qui color est puniceæ flore prior rosæ, 4
Mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam;
Dices, Heu! (quoties te in speculo videris alterum)
Quæ mens est hodie, cur eadem non puero fuit?
Vel cur his animis incolumes non redeunt genæ?

ODE XI.—*Ad Phyllidem.*

Est mihi nonum superantis annum
Plenus Albani cadus: est in horto,
Phylli, nectendis apium coronis:
Est hederæ vis
Multa, qua crines religata fulges: 5
Ridet argento domus: ara castis
Vincta verbenis avet immolato
Spargier agno:
Cuncta festinat manus: huc et illuc
Cursitant mixtæ pueris puellæ: 0
Sordidum flammæ trepidant rotantes
Vertice fumum.
Ut tamen noris quibus advoceris
Gaudiis; Idus tibi sunt agendæ.

Qui dies mensem Veneris marinæ 15
Findit Aprilem;
Jure sollennis mihi, sanctiorque
Pæne natali proprio; quod ex hac
Luce Mecænas meus affluentes
Ordinat annos. 20
Telephum, quem tu petis, occupavit
(Non tuæ sortis juvenem) puella
Dives et lasciva, tenetque grata
Compede vinctum.
Terret ambustus Phaethon avaras 25
Spes; et exemplum grave præbet ales
Pegasus, terrenum equitem gravatus
Bellerophonten;
Semper ut te digna sequare, et, ultra
Quam licet sperare nefas putando, 30
Disparem vites. Age jam, meorum
Finis amorum,
(Non enim posthac alia calebo
Fœmina) condisce modos, amanda
Voce quos reddas: minuentur atræ 35
Carmine curæ.

ODE XII.—*Ad Virgilium.*

Jam veris comites, quæ mare temperant,
Impellunt animæ lintea Thraciæ:
Jam nec prata rigent, nec fluvii strepunt
Hiberna nive turgidi.
Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens, 5
Infelix avis, et Cecropiæ domus
Æternum opprobrium, quod male barbaras
Regum est ulta libidines.
Dicunt in tenero gramine pinguium
Custodes ovium carmina fistula, 10
Delectantque deum, cui pecus et nigri
Colles Arcadiæ placent.
Adduxere sitim tempora, Virgili:
Sed pressum Calibus ducere Liberum
Si gestis, juvenum nobilium cliens, 15
Nardo vina merebere.
Nardi parvus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpiciis accubat horreis,
Spes donare novas largus, amaraque
Curarum eluere efficax; 20
Ad quæ si properas gaudia, cum tua
Velox merce veni: non ego te meis
Immunem meditor tingere poculis,
Plena dives ut in domo.
Verum pone moras, et studium lucri; 25
Nigrorumque memor, dum licet, ignium,
Misce stultitiam consiliis brevem:
Dulce est desipere in loco.

ODE XIII.—*In Lycen*

Audivere, Lyce, di mea vota, di
Audivere, Lyce: fis anus, et tamen
Vis formosa videri,
Ludisque et bibis impudens,
Et cantu tremulo pota Cupidinem 5
Lentum sollicitas. Ille virentis et
Doctæ psallere Chiæ
Pulchris excubat in genis.
Importunus enim transvolat aridas
Quercus, et refugit te, quia luridi 10
Dentes te, quia rugæ
Turpant, et capitis nives;
Nec Coæ referunt jam tibi purpuræ,
Nec clari lapides tempora, quæ semel
Notis condita fastis 15
Inclusit volucris dies.
Quo fugit Venus? heu! quove color, decens
Quo motus? quid habes illius, illius,
Quæ spirabat amores,
Quæ me surpuerat mihi, 20
Felix post Cinaram, notaque et artium
Gratarum facies? sed Cinaræ breves
Annos fata dederunt,
Servatura diu parem
Cornicis vetulæ temporibus Lycen; 25
Possent ut juvenes visere fervidi,
Multo non sine risu,
Dilapsam in cineres facem.

ODE XIV.—*Ad Augustum.*

Quæ cura patrum, quæve Quiritium,
Plenis honorum muneribus tuas,
Auguste, virtutes in ævum
Per titulos memoresque fastos
Æternet? O, qua sol habitabiles 5
Illustrat oras, maxime principum:
Quem legis expertes Latinæ
Vindelici didicere nuper
Quid Marte posses: milite nam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus, 10
Brencosque veloces, et arces
Alpibus impositas tremendis
Dejecit acer plus vice simplici.
Major Neronum mox grave prœlium
Commisit, immanesque Rhætos 15
Auspiciis pepulit secundis;
Spectandus in certamine Martio,
Devota morti pectora liberæ
Quantis fatigaret ruinis;
Indomitas prope qualis undas 20
Exercet Auster, Pleiadum choro
Scindente nubes, impiger hostium
Vexare turmas, et frementem
Mittere equum medios per ignes.
Sic tauriformis volvitur Aufidus, 25
Qui regna Dauni præfluit Appuli,
Cum sævit, horrendamque cultis
Diluviem meditatur agris;
Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu, 30
Primosque et extremos metendo,
Stravit humum, sine clade victor;
Te copias, te consilium et tuos
Præbente divos; nam tibi, quo die
Portus Alexandrea supplex 35
Et vacuam patefecit aulam,
Fortuna, lustro prospera tertio,
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemque et optatum peractis
Imperiis decus arrogavit. 40
Te Cantaber non ante domabilis,
Medusque, et Indus, te profugus Scythes
Miratur, o tutela præsens
Italiæ dominæque Romæ.
Te fontium qui celat origines 45
Nilusque, et Ister, te rapidus Tigris,
Te belluosus qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis,
Te non paventis funera Galliæ
Duræque tellus audit Iberiæ: 50
Te cæde gaudentes Sicambri
Compositis venerantur armis.

ODE XV.—*Augusti laudes.*

Phœbus volentem prœlia me loqui,
Victas et urbes, increpuit lyra,

Ne parva Tyrrhenum per æquor
Vela darem. Tua, Cæsar, ætas
Fruges et agris retulit uberes, 5
Et signa nostro restituit Jovi,
Derepta Parthorum superbis
Postibus, et vacuum duellis
Janum Quirini clausit, et ordinem
Rectum evaganti frena licentiæ 10
Injecit, emovitque culpas,
Et veteres revocavit artes;
Per quas Latinum nomen et Italæ
Crevere vires, famaque et imperi
Porrecta majestas ad ortum 15
Solis ab Hesperio cubili.
Custode rerum Cæsare, non furor
Civilis aut vis eximet otium;
Non ira, quæ procudit enses,
Et miseras inimicat urbes. 20
Non, qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Julia, non Getæ,
Non Seres, infidive Persæ,
Non Tanain prope flumen orti.
Nosque et profestis lucibus et sacris, 25
Inter jocosi munera Liberi,
Cum prole matronisque nostris,
Rite deos prius apprecati,
Virtute functos, more patrum, duces,
Lydis remixto carmine tibiis, 30
Trojamque et Anchisen et almæ
Progeniem Veneris canemus.

Q. HORATII FLACCI

EPODON LIBER.

ODE I.—*Ad Mecænatem*

Ibis Liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula,
Paratus omne Cæsaris periculum
Subire, Mecænas, tuo
Quid nos, quibus te vita si superstite 5
Jucunda; si contra, gravis?
Utrumne jussi persequemur otium,
Non dulce, ni tecum simul?
An hunc laborem mente laturi, decet
Qua ferre non molles viros? 10
Feremus; et te vel per Alpium juga,
Inhospitalem et Caucasum,
Vel Occidentis usque ad ultimum sinum,
Forti sequemur pectore.
Roges, tuum labore quid juvem meo, 15
Imbellis ac firmus parum?
Comes minore sum futurus in metu,
Qui major absentes habet:
Ut assidens implumibus pullis avis
Serpentium allapsus timet 20
Magis relictis; non, ut adsit, auxili
Latura plus præsentibus.
Libenter hoc et omne militabitur
Bellum in tuæ spem gratiæ;
Non ut juvencis illigata pluribus 25
Aratra nitantur meis,
Pecusve Calabris ante sidus fervidum
Lucana mutet pascua;
Nec ut superni villa candens Tusculi
Circæa tangat mœnia. 30
Satis superque me benignitas tua
Ditavit: haud paravero,
Quod aut, avarus ut Chremes, terra premam,
Discinctus aut perdam ut nepos.

ODE II.

Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bubus exercet suis,
Solutus omni fœnore;
Neque excitatur classico miles truci, 5
Neque horret iratum mare;
Forumque vitat, et superba civium
Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos, 10
Inutilesque falce ramos amputans,
Feliciores inserit;
Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges;
Aut pressa puris mella condit amphoris; 15
Aut tondet infirmas oves;
Vel, cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus arvis extulit,
Ut gaudet insitiva decerpens pira,
Certantem et uvam purpuræ, 20
Qua muneretur te, Priape, et te, pater
Sylvane, tutor finium!
Libet jacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquæ; 25
Queruntur in sylvis aves;
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves.
At, cum tonantis annus hibernus Jovis
Imbres nivesque comparat, 30
Aut trudit acres hinc et hinc multa cane
Apros in obstantes plagas;
Aut amite lævi rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos;
Pavidumque leporem, et advenam laqueo gruem,
Jucunda captat præmia. 36
Quis non malarum, quas amor curas habet,
Hæc inter obliviscitur?
Quod si pudica mulier in partem juvet
Domum atque dulces liberos, 40
(Sabina qualis, aut perusta solibus
Pernicis uxor Appuli)
Sacrum et vetustis exstruat lignis focum
Lassi sub adventum viri;
Claudensque textis cratibus lætum pecus, 45
Distenta siccet ubera;

Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemtas apparet;
Non me Lucrina juverint conchylia,
Magisve rhombus, aut scari, 50
Si quos Eois intonata fluctibus
Hiems ad hoc vertat mare:
Non Afra avis descendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus
Jucundior, quam lecta de pinguissimis 55
Oliva ramis arborum,
Aut herba lapathi prata amantis, et gravi
Malvæ salubres corpori,
Vel agna festis cæsa Terminalious,
Vel hædus ereptus lupo. 60
Has inter epulas, ut juvat pastas oves
Videre properantes domum!
Videre fessos vomerem inversum boves
Collo trahentes languido!
Positosque vernas, ditis examen domus, 65
Circum renidentes Lares!
Hæc ubi locutus fœnerator Alfius,
Jamjam futurus rusticus,
Omnem redegit Idibus pecuniam;
Quærit Calendis ponere. 70

ODE III.—*Ad Mecænatem.*

Parentis olim si quis impia manu
Senile guttur fregerit,
Edit cicutis allium nocentius.
O dura messorum ilia!
Quid hoc veneni sævit in præcordiis? 5
Num viperinus his cruor
Incoctus herbis me fefellit? an malas
Canidia tractavit dapes?
Ut Argonautas præter omnes candidum
Medea mirata est ducem, 10
Ignota tauris illigaturum juga
Perunxit hoc Iasonem:
Hoc delibutis ulta donis pellicem,
Serpente fugit alite.
Nec tantus unquam siderum insedit vapor 15
Siticulosæ Apuliæ;
Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarsit æstuosius.
At, si quid unquam tale concupiveris,
Jocose Mecænas, precor, 20
Manum puella savio opponat tuo,
Extrema et in sponda cubet.

ODE IV.—*In Menam.*

Lupis et agnis quanta sortito obtigit,
Tecum mihi discordia est,
Ibericis peruste funibus latus,
Et crura dura compede.
Licet superbus ambules pecunia, 5
Fortuna non mutat genus.
Videsne, Sacram metiente te viam
Cum bis ter ulnarum toga,
Ut ora vertat huc et huc euntium
Liberrima indignatio? 10
Sectus flagellis hic triumviralibus
Præconis ad fastidium,
Arat Falerni mille fundi jugera,
Et Appiam mannis terit!
Sedilibusque magnus in primis eques, 15
Ot one contemto, sedet!
Quid attinet tot ora navium gravi
Rostrata duci pondere
Contra latrones atque servilem manum,
Hoc, hoc tribuno militum? 20

ODE V.—*In Canidiam veneficam.*

At, o deorum quicquid in cœlo regit
Terras et humanum genus!
Quid iste fert tumultus? et quid omnium
Vultus in unum me truces?
Per liberos te, (si vocata partubus 5
Lucina veris affuit)
Per hoc inane purpuræ decus, precor, 7
Per improbaturum hæc Jovem,
Quid ut noverca me intueris, aut uti
Petita ferro bellua? 10
Ut hæc tremente questus ore constitit
Insignibus raptis puer,
Impube corpus, quale posset impia
Mollire Thracum pectora;
Canidia, brevibus implicata viperis 15
Crines et incomtum caput,
Jubet sepulcris caprificos erutas,
Jubet cupressus funebres,
Et uncta turpis ova ranæ sanguine,
Plumamque nocturnæ strigis, 20
Herbasque quas Iolcos atque Iberia
Mittit venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta jejunæ canis,
Flammis aduri Colchicis
At expedita Sagana, per totam domum 25
Spargens Avernales aquas,
Horret capillis, ut marinus, asperis,
Echinus, aut currens aper.
Abacta nulla Veia conscientia,
Ligonibus duris humum 30
Exhauriebat, ingemens laboribus;
Quo posset infossus puer
Longo die bis terque mutatæ dapis
Inemori spectaculo;
Cum promineret ore, quantum exstant aqua 35
Suspensa mento corpora:
Exusta uti medulla, et aridum jecur
Amoris esset poculum;
Interminato cum semel fixæ cibo
Intabuissent pupulæ. 40
Non defuisse masculæ libidinis
Ariminensem Foliam,
Et otiosa credidit Neapolis,
Et omne vicinum oppidum;
Quæ sidera excantata voce Thessala, 45
Lunamque cœlo deripit.
Hic irresectum sæva dente livido
Canidia rodens pollicem,
Quid dixit? aut quid tacuit? O rebus meis
Non infideles arbitræ, 50
Nox, et Diana quæ silentium regis,
Arcana cum fiunt sacra,
Nunc, nunc adeste: nunc in hostiles domos
Iram atque numen vertite:
Formidolosæ dum latent sylvis feræ, 55
Dulci sopore languidæ,
Senem (quod omnes rideant) adulterum
Latrent Suburranæ canes,
Nardo perunctum, quale non perfectius
Meæ laborarint manus. 60
Quid accidit? cur dira barbaræ minus
Venena Medeæ valent,
Quibus superbam fugit ulta pellicem,
Magni Creontis filiam,
Cum palla, tabo munus imbutum, novam 65
Incendio nuptam abstulit?
Atqui nec herba nec latens in asperis
Radix fefellit ne locis.

Indormit unctis omnium cubilibus
Oblivione pellicum. 70
Ah! ah! solutus ambulat veneficæ
Scientioris carmine.
Non usitatis, Vare, potionibus,
(O multa fleturum caput!)
Ad me recurres; nec vocata mens tua 75
Marsis redibit vocibus:
Majus parabo, majus infundam tibi
Fastidienti poculum.
Priusque cœlum sidet inferius mari,
Tellure porrecta super, 80
Quam non amore sic meo flagres, uti
Bitumen atris ignibus.
Sub hæc puer, jam non, ut ante, mollibus
Lenire verbis impias;
Sed, dubius unde rumperet silentium, 85
Misit Thyesteas preces:
Venena magnum fas nefasque, non valent
Convertere humanam vicem.
Diris agam vos; dira detestatio
Nulla expiatur victima. 90
Quin, ubi perire jussus exspiravero,
Nocturnus occurram Furor,
Petamque vultus umbra curvis unguibus,
(Quæ vis deorum est Manium)
Et inquietis assidens præcordiis, 95
Pavore somnos auferam.
Vos turba vicatim hinc et hinc saxis petens
Contundet obscænas anus;
Post insepulta membra different lupi,
Et Esquilinæ alites. 100
Neque hoc parentes (heu mihi superstites)
Effugerit spectaculum.

ODE VI.—*In Cassium Severum.*

Quid immerentes hospites vexas, canis,
Ignavus adversum lupos?
Quin huc inanes, si potes, vertis minas,
Et me remorsurum petis?
Nam, qualis aut Molossus, aut fulvus Lacon, 5
Amica vis pastoribus,
Agam per altas aure sublata nives,
Quæcunque præcedet fera.
Tu, cum timenda voce complesti nemus,
Projectum odoraris cibum. 10
Cave, cave: namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua;
Qualis Lycambæ spretus infido gener,
Aut acer hostis Bupalo.
An, si quis atro dente me petiverit, 15
Inultus ut flebo puer?

ODE VII.—*Ad Populum Romanum.*

Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?
Parumne campis atque Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis?
Non ut superbas invidæ Carthaginis 5
Romanus arces ureret;
Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacra catenatus via;
Sed ut, secundum vota Parthorum, sua
Urbs hæc periret dextera. 10
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus,
Nunquam nisi in dispar feris.
Furorne cæcus, an rapit vis acrior,
An culpa? responsum date.
Tacent; et ora pallor albus inficit; 15
Mentesque perculsæ stupent.
Sic est; acerba fata Romanos agunt,
Scelusque fraternæ necis;
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor. 20

ODE VIII.—*In Anum libidinosam.*

Rogare longo putidam te sæculo,
Vires quid enervet meas!
Cum sit tibi dens ater, et rugis vetus
Frontem senectus exaret;
Hietque turpis inter aridas nates 5
Podex, velut crudæ bovis.
Sed incitat me pectus, et mammæ putres,
Equina quales ubera;
Venterque mollis, et femur tumentibus
Exile suris additum. 10
Esto beata; funus atque imagines
Ducant triumphales tuum;
Nec sit marita, quæ rotundioribus
Onusta baccis ambulet.
Quid, quod libelli Stoici inter Sericos 15
Jacere pulvillos amant?
Illiterati num minus nervi rigent?
Minusve languet fascinum?
Quod ut superbo provoces ab inguine,
Ore allaborandum est tibi. 20

ODE IX.—*Ad Mecænatem.*

Quando repostum Cæcubum ad festas dapes,
Victore lætus Cæsare,
Tecum sub alta (sic Jovi gratum) domo,
Beate Mecænas, bibam,
Sonante mixtum tibiis carmen lyra, 5
Hac Dorium, illis Barbarum?
Ut nuper, actus cum freto Neptunius
Dux fugit ustis navibus,
Minatus Urbi vincla, quæ detraxerat
Servis amicus perfidis. 10
Romanus, eheu, (posteri negabitis)
Emancipatus fœminæ,
Fert vallum et arma miles, et spadonibus
Servire rugosis potest:
Interque signa turpe militaria 15
Sol adspicit conopium.
Ad hoc frementes, verterunt bis mille equos
Galli, canentes Cæsarem;
Hostiliumque navium portu latent
Puppes sinistrorsum citæ. 20
Io Triumphe, tu moraris aureos
Currus, et intactas boves;
Io Triumphe, nec Jugurthino parem
Bello reportasti ducem,
Neque Africanum, cui super Carthaginem 25
Virtus sepulcrum condidit.
Terra marique victus, hostis Punico
Lugubre mutavit sagum:
Aut ille centum nobilem Cretam urbibus,
Ventis iturus non suis, 30
Exercitatas aut petit Syrtes Noto;
Aut fertur incerto mari.
Capaciores affer huc, puer, scyphos,
Et Chia vina, aut Lesbia;
Vel, quod fluentem nauseam coerceat, 35
Metire nobis Cæcubum.
Curam metumque Cæsaris rerum juvat
Dulci Lyæo solvere.

ODE X.—*Ad Mævium poetam.*

Mala soluta navis exit alite,
Ferens olentem Mævium.

Ut horridis utrumque verberes latus,
Auster, memento fluctibus;
Niger rudentes Eurus, inverso mari, 5
Fractosque remos differat;
Insurgat Aquilo, quantus altis montibus
Frangit trementes ilices;
Nec sidus atra nocte amicum appareat,
Qua tristis Orion cadit; 10
Quietiore nec feratur æquore,
Quam Graia victorum manus,
Cum Pallas usto vertit iram ab Ilio
In impiam Ajacis ratem.
O quantus instat navitis sudor tuis, 15
Tibique pallor luteus,
Et illa non virilis ejulatio,
Preces et aversum ad Jovem;
Ionius udo cum remugiens sinus
Noto carinam ruperit! 20
Opima quod si præda curvo litore
Porrecta mergos juveris;
Libidinosus immolabitur caper,
Et agna, Tempestatibus.

ODE XI.—*Ad Pectium*

Pecti, nihil me, sicut antea, juvat
Scribere versiculos amore perculsum gravi;
Amore, qui me, præter omnes, expetit
Mollibus in pueris aut in puellis urere.
Hic tertius December, ex quo destiti 5
Inachia furere, sylvis honorem decutit.
Heu! me, per Urbem, nam pudet tanti mali,
Fabula quanta fui! conviviorum et pœnitet,
In quîs amantem et languor et silentium
Arguit, et latere petitus imo spiritus. 10
Contrane lucrum nil valere candidum
Pauperis ingenium? querebar applorans tibi;
Simul calentis inverecundus deus
Fervidiore mero arcana promorat loco.
Quod si meis inæstuat præcordiis 15
Libera bilis, ut hæc ingrata ventis dividat
Fomenta, vulnus nil malum levantia;
Desinet imparibus certare submotus pudor.
Ubi hæc severus, te palam, laudaveram,
Jussus abire domum, ferebar incerto pede 20
Ad non amicos (heu) mihi postes, et (heu)
Limina dura, quibus lumbos et infregi latus.
Nunc gloriantis quamlibet mulierculam
Vincere mollitia amor Lycisci me tenet;
Unde expedire non amicorum queant 25
Libera consilia, nec contumeliæ graves;
Sed alius ardor aut puellæ candidæ,
Aut teretis pueri, longam renodantis comam.

ODE XII.—*In Anum libidinosam.*

Quid tibi vis, mulier nigris dignissima barris?
Munera cur mihi, quidve tabellas
Mittis, nec firmo juveni, neque naris ooesæ?
Namque sagacius unus odoror,
Polypus, an gravis hirsutis cubet hircus in alis, 5
Quam canis acer, ubi lateat sus.
Quis sudor victis, et quam malus undique membris
Crescit odor! cum pene soluto
Indomitam properat rabiem sedare; nec illi
Jam manet humida creta, colorque 10
Stercore fucatus crocodili; jamque subando
Tenta cubilia, tectaque rumpit;
Vel mea cum sævis agitat fastidia verbis:
Inachia langues minus, ac me:
Inachiam ter nocte potes, mihi semper ad unum
Mollis opus: pereat male, quæ te 16
Lesbia, quærenti taurum, monstravit inertem
Cum mihi Cous adesset Amyntas,
Cujus in indomito constantior inguine nervus.
Quam nova collibus arbor inhæret. 20
Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ
Cui properabantur? Tibi: nempe
Ne foret æquales inter conviva, magis quem
Diligeret mulier sua, quam te.
O ego infelix, quam tu fugis, ut pavet acres 25
Agna lupos, capreæque leones!

ODE XIII.—*Ad Amicos.*

Horrida tempestas cœlum contraxit, et imbres
Nivesque deducunt Jovem; nunc mare, nunc
syluæ,
Threicio Aquilone sonant: rapiamus, amici,
Occasionem de die; dumque virent genua,
Et decet, obducta solvatur fronte senectus. 5
Tu vina Torquato move consule pressa meo.
Cætera mitte loqui: deus hæc fortasse benigna
Reducet in sedem vice. Nunc et Achæmenio
Perfundi nardo juvat, et fide Cyllenea
Levare diris pectora sollicitudinibus; 10
Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno.
Invicte mortalis, dea nate puer Thetide,
Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina, lubricus et Simois:
Unde tibi reditum certo subtemine Parcæ 15
Rupere; nec mater domum cærula te revehet.
Illic omne malum vino cantuque levato,
Deformis ægrimoniæ dulcibus alloquiis.

ODE XIV.—*Ad Mecænatem.*

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
Oblivionem sensibus,
Pocula Letheos ut si ducentia somnos
Arente fauce traxerim,
Candide Mecænas, occidis sæpe rogando: 5
Deus, deus nam me vetat
Inceptos, olim promissum carmen, iambos
Ad umbilicum adducere.
Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Teium; 10
Qui persæpe cava testudine flevit amorem,
Non elaboratum ad pedem.
Ureris ipse miser; quod si non pulchrior ignis
Accendit obsessam Ilion,
Gaude sorte tua; me libertina, neque uno 15
Contenta, Phryne macerat.

ODE XV.—*Ad Neæram amicam.*

Nox erat, et cœlo fulgebat luna sereno
Inter minora sidera,
Cum tu, magnorum numen læsura deorum,
In verba jurabas mea,
Arctius atque hedera procera adstringitur ilex, 5
Lentis adhærens brachiis;
Dum pecori lupus, et nautis infestus Orion
Turbaret hibernum mare,
Intonsosque agitaret Apollinis aura capillos,
Fore hunc amorem mutuum. 10
O dolitura mea multum virtute, Neæra!
Nam, si quid in Flacco viri est,
Non feret assiduas potiori te dare noctes,
Et quæret iratus parem;
Nec semel offensæ cedet constantia formæ, 15
Si certus intrarit dolor.
At tu, quicunque es felicior, atque meo nunc
Superbus incedis malo,

Sis pecore et multa dives tellure licebit,
Tibique Pactolus fluat, 20
Nec te Pythagoræ fallant arcana renati,
Formaque vincas Nirea;
Eheu! translatos alio mærebis amores:
Ast ego vicissim risero.

ODE XVI.—*Ad Populum Romanum.*

Altera jam teritur bellis civilibus ætas,
Suis et ipsa Roma viribus ruit.
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
Minacis aut Etrusca Porsenæ manus,
Æmula nec virtus Capuæ, nec Spartacus acer, 5
Novisque rebus infidelis Allobrox;
Nec fera cærulea domuit Germania pube,
Parentibusque abominatus Hannibal;
Impia perdemus devoti sanguinis ætas;
Ferisque rursus occupabitur solum. 10
Barbarus heu cineres insistet victor, et Urbem
Eques sonante verberabit ungula;
Quæque carent ventis et solibus ossa Quirini,
(Nefas videre) dissipabit insolens.
Forte, quid expediat, communiter, aut melior pars, 15
Malis carere quæritis laboribus.
Nulla sit hac potior sententia, (Phocæorum
Velut profugit exsecrata civitas
Agros atque lares patrios, habitandaque fana
Apris reliquit et rapacibus lupis) 20
Ire, pedes quocunque ferent, quocunque per undas
Notus vocabit, aut protervus Africus.
Sic placet? an melius quis habet suadere? secunda
Ratem occupare quid moramur alite?
Sed juremus in hæc: Simul imis saxa renarint
Vadis levata, ne redire sit nefas; 26
Neu conversa domum pigeat dare lintea, quando
Padus Matina laverit cacumina,
In mare seu celsus procurrerit Apenninus,
Novaque monstra junxerit libidine 30
Mirus amor: juvet ut tigres subsidere cervis,
Adulteretur et columba miluo;
Credula nec ravos timeant armenta leones;
Ametque salsa lævis hircus æquora
Hæc, et quæ poterunt reditus abscindere dulces,
Eamus omnis exsecrata civitas, 36
Aut pars indocili melior grege; mollis et exspes
Inominata perprimat cubilia.
Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,
Etrusca præter et volate littora. 40
Nos manet Oceanus circumvagus: arva, beata
Petamus arva, divites et insulas;
Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis,
Et imputata floret usque vinea,
Germinat et nunquam fallentis termes olivæ, 45
Suamque pulla ficus ornat arborem;
Mella cava manant ex ilice; montibus altis
Levis crepante lympha desilit pede.
Illic injussæ veniunt ad mulctra capellæ,
Refertque tenta grex amicus ubera; 50
Nec vespertinus circumgemit ursus ovile,
Nec intumescit alta viperis humus:
Pluraque felices mirabimur; ut neque largis
Aquosus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec siccis urantur seminaglebis; 55
Utrumque rege temperante cœlitum.
Non huc Argoo contendit remige pinus,
Neque impudica Colchis intulit pedem;
Non huc Sidonii torserunt cornua nautæ,
Laboriosa nec cohors Ulixei. 60
[Nulla nocent pecori contagia; nullius astri
Gregem æstuosa torret impotentia.]
Jupiter illa piæ secrevit littora genti,
Ut inquinavit ære tempus aureum:
Ære, dehinc ferro duravit sæcula; quorum 65
Piis secunda, vate me, datur fuga.

ODE XVII.—*Ad Canidiam.*

Horatius.

Jam jam efficaci do manus scientiæ
Supplex, et oro regna per Proserpinæ,
Per et Dianæ non movenda numina,
Per atque libros carminum valentium
Defixa cœlo devocare sidera, 5
Canidia, parce vocibus tandem sacris,
Citumque retro solve, solve turbinem.
Movit nepotem Telephus Nereium,
In quem superbus ordinarat agmina
Mysorum, et in quem tela acuta torserat. 10
Unxere matres Iliæ addictum feris
Alitibus atque canibus homicidam Hectorem,
Postquam relictis mœnibus rex procidit
Heu! pervicacis ad pedes Achillei.
Setosa duris exuere pellibus 15
Laboriosi remiges Ulixei,
Volente Circa, membra; tunc mens, et sonus
Relapsus, atque notus in vultus honor.
Dedi satis superque pœnarum tibi,
Amata nautis multum et institoribus. 20
Fugit juventas, et verecundus color
Reliquit ossa pelle amicta lurida;
Tuis capillus albus est odoribus;
Nullum a labore me reclinat otium;
Urget diem nox, et dies noctem; neque est 25
Levare tenta spiritu præcordia.
Ergo negatum vincor ut credam miser,
Sabella pectus increpare carmina,
Caputque Marsa dissilire nænia.
Quid amplius vis? O mare et terra! ardeo, 30
Quantum neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore, nec Sicana fervida
Urens in Ætna flamma. Tu, donec cinis
Injuriosis aridus ventis ferar,
Cales venenis officina Colchicis. 35
Quæ finis? aut quod me manet stipendium?
Effare: jussas cum fide pœnas luam,
Paratus expiare, seu poposceris
Centum juvencos, sive mendaci lyra
Voles sonari: tu pudica, tu proba, 40
Perambulabis astra sidus aureum.
Infamis Helenæ Castor offensus vice,
Fraterque magni Castoris, victi prece,
Ademta vati reddidere lumina.
Et tu (potes nam) solve me dementia, 45
O nec paternis obsoleta sordibus,
Nec in sepulcris pauperum prudens anus
Novendiales dissipare pulveres!
Tibi hospitale pectus, et puræ manus;
Tuusque venter Pactumeius; et tuo 50
Cruore rubros obstetrix pannos lavit,
Utcunque fortis exsilis puerpera.

Canidia.

Quid obseratis auribus fundis preces?
Non saxa nudis surdiora navitis
Neptunus alto tundit hibernus salo. 55
Inultus ut tu riseris Cotyttia
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis?

Et, Esquilini pontifex venefici,
Impune ut Urbem nomine impleris meo?
Quid proderat ditasse Pelignas anus, 60
Velociusve miscuisse toxicum?
Sed tardiora fata te votis manent.
Ingrata misero vita ducenda est, in hoc,
Novis ut usque suppetas doloribus.
Optat quietem Pelopis infidus pater, 65
Egens benignæ Tantalus semper dapis;
Optat Prometheus obligatus aliti;
Optat supremo collocare Sisyphus
In monte saxum; sed vetant leges Jovis
Voles modo altis desilire turribus, 70
Modo ense pectus Norico recludere;
Frustraque vincla gutturi nectes tuo,
Fastidiosa tristis ægrimonia.
Vectabor humeris tunc ego inimicis eques,
Meæque terra cedet insolentiæ. 75
An, quæ movere cereas imagines,
Ut ipse nosti curiosus, et polo
Deripere Lunam vocibus possim meis,
Possim crematos excitare mortuos,
Desiderique temperare poculum; 80
Plorem artis in te nil habentis exitum?

Q. HORATII FLACCI CARMEN SÆCULARE,

PRO INCOLUMITATE IMPERII.

Chorus Puerorum et Puellarum.

Phœbe, sylvarumque potens Diana,
Lucidum cœli decus, o colendi
Semper et culti, date quæ precamur
Tempore sacro:
Quo Sibyllini monuere versus 5
Virgines lectas puerosque castos
Dis, quibus septem placuere colles,
Dicere carmen.

Chorus Puerorum.

Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis et colas, aliusque et idem 10
Nasceris, possis nihil urbe Roma
Visere majus.

Chorus Puellarum.

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres:
Sive tu Lucina probas vocari, 15
Seu Genitalis.
Diva, producas sobolem, Patrumque
Prosperes decreta super jugandis
Fœminis, prolisque novæ feraci
Lege marita; 20

Uterque Chorus.

Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos,
Ter die claro, totiesque grata
Nocte frequentes.
Vosque veraces cecinisse, Parcæ, 25
Quod semel dictum est, stabilisque rerum
Terminus servet; bona jam peractis
Jungite fata.
Fertilis frugum pecorisque tellus
Spicea donet Cererem corona: 30
Nutriant fetus et aquæ salubres,
Et Jovis auræ.

Chorus Puerorum.

Condito mitis placidusque telo
Supplices audi pueros, Apollo;

Chorus Puellarum.

Siderum regina bicornis, audi, 35
Luna, puellas.

Uterque Chorus

Roma si vestrum est opus, Iliæque
Littus Etruscum tenuere turmæ,
Jussa pars mutare lares et urbem
Sospite cursu; 40
Cui per ardentem sine fraude Trojam
Castus Æneas, patriæ superstes,
Liberum munivit iter, daturus
Plura relictis;
Di, probos mores docili juventæ, 45
Di, senectuti placidæ quietem,
Romulæ genti date remque prolem-
que, et decus omne.
Quique vos bubus veneratur albis,
Clarus Anchisæ Venerisque sanguis, 50
Imperet, bellante prior, jacentem
Lenis in hostem.
Jam mari terraque manus potentes
Medus Albanasque timet secures:
Jam Scythæ responsa petunt, superbi 55
Nuper, et Indi.
Jam Fides, et Pax, et Honos, Pudorque
Priscus, et neglecta redire Virtus
Audet; apparetque beata pleno
Copia cornu. 60

Chorus Puerorum.

Augur et fulgente decorus arcu
Phœbus, acceptusque novem Camœnis,
Qui salutari levat arte fessos
Corporis artus,
Si Palatinas videt æquus arces; 65
Remque Romanam, Latiumque felix,
Alterum in lustrum, meliusque semper
Proroget ævum.

Chorus Puellarum.

Quæque Aventinum tenet Algidumque,
Quindecim Diana preces virorum 70
Curet, et votis puerorum amicas
Applicet aures.

Uterque Chorus.

Hæc Jovem sentire, deosque cunctos,
Spem bonam certamque domum reporto,
Doctus et Phœbi chorus et Dianæ 75
Dicere laudes.

Q. HORATII FLACCII SATIRARUM

LIBER PRIMUS.

SATIRA I.— *In Avaros.*

Qui fit, Mecænas, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors objecerit, illa
Contentus vivat; laudet diversa sequentes?
O fortunati mercatores! gravis annis
Miles ait, multo jam fractus membra labore. 5
Contra mercator, navim jactantibus Austris,
Militia est potior: quid enim? concurritur: horæ
Momento cita mors venit, aut victoria læta.
Agricolam laudat juris legumque peritus,
Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat. 10
Ille, datis vadibus, qui rure extractus in urbem est,
Solos felices viventes clamat in urbe.
Cætera de genere hoc (adeo sunt multa) loquacem
Delassare valent Fabium: ne te morer, audi,
Quo rem deducam. Si quis deus, En ego, dicat, 15
Jam faciam, quod vultis: eris tu, qui modo miles,
Mercator: tu, consultus modo, rusticus: hinc vos,
Vos hinc mutatis discedite partibus. Eia,
Quid statis? Nolint. Atqui licet esse beatis.
Quid causæ est, merito quin illis Jupiter ambas
Iratus buccas inflet? neque se fore posthac 21
Tam facilem dicat, votis ut præbeat aurem?
Præterea, ne sic, ut qui jocularia, ridens
Percurram; (quanquam ridentem dicere verum
Quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima) 26
Sed tamen amoto quæramus seria ludo.
Ille, gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, miles, nautæque per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem 30
Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,
Aiunt, cum sibi sint congesta cibaria: sicut
Parvula (nam exemplo est) magni formica laboris
Ore trahit, quodcunque potest, atque addit
acervo, 34
Quem struit, haud ignara ac non incauta futuri:
Quæ, simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit, et illis utitur ante
Quæsitis sapiens; cum te neque fervidus æstus
Dimoveat lucro, neque hiems, ignis, mare, ferrum;
Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter. 40
Quid juvat immensum te argenti pondus et auri
Furtim defossa timidum deponere terra?
¶ Quod si comminuas, vilem redigatur ad assem.
¶ At, ni id fit, quid habet pulchri constructus
acervus?
Millia frumenti tua triverit area centum; 45
Non tuus hoc capiet venter plus quam meus: ut, si
Reticulum panis, venales inter, onusto
Forte vehas humero, nihilo plus accipias, quam
Qui nil portarit. Vel dic, quid referat, intra
Naturæ fines viventi, jugera centum an 50
Mille aret! ¶ At suave est ex magno tollere
acervo.
¶ Dum ex parvo nobis tantundem haurire relinquas,
Cur tua plus laudes cumeris granaria nostris?
Ut, tibi si sit opus liquidi non amplius urna,
Vel cyatho, et dicas, Magno de flumine mallem, 55
Quam ex hoc fonticulo tantundem sumere. Eo
fit,
Plenior ut si quos delectet copia justo,
Cum ripa simul avulsos ferat Aufidus acer:
At, qui tantuli eget quanto est opus, is neque limo
Turbatam haurit aquam, neque vitam amittit in
undis. 60
At bona pars hominum, decepta cupidine falso,
Nil satis est, inquit; quia tanti, quantum habeas,
sis.
Quid facias illi? jubeas miserum esse, libenter
Quatenus id facit; ut quidam memoratur Athenis
Sordidus ac dives, populi contemnere voces 65
Sic solitus: Populus me sibilat; at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.
Tantalus a labris sitiens fugientia captat
Flumina. Quid rides? mutato nomine, de te
Fabula narratur. Congestis undique saccis 70
Indormis inhians, et tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.
Nescis quo valeat nummus? quem præbeat usum?
Panis ematur, olus, vini sextarius: adde,
Queis humana sibi doleat natura negatis. 75
An vigilare metu exanimem, noctesque diesque
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes; hoc juvat? horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.
¶ At, si condoluit tentatum frigore corpus, 80
Aut alius casus lecto te affixit; habes, qui
Assideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suscitet, ac reddat natis carisque propinquis.
¶ Non uxor salvum te vult, non filius; omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atque puellæ. 85
Miraris, cum tu argento post omnia ponas,
Si nemo præstet, quem non merearis amorem?
An, si cognatos, nullo natura labore
Quos tibi dat, retinere velis servareque amicos;
Infelix operam perdas; ut si quis asellum 90
In Campo doceat parentem currere frenis?
Denique sit finis quærendi; quoque habeas plus,
Pauperiem metuas minus; et finire laborem
Incipias, parto quod avebas; ne facias, quod
Ummidius quidam, (non longa est fabula) dives,
Ut metiretur nummos; ita sordidus, ut se 96
Non unquam servo melius vestiret; ad usque
Supremum tempus, ne se penuria victus
Opprimeret, metuebat. At hunc liberta securi
Divisit medium, fortissima Tyndaridarum. 100
¶ Quid mi igitur suades? ut vivam Nævius? aut
sic
Ut Nomentanus? ¶ Pergis pugnantia secum
Frontibus adversis componere? Non ego, avarum
Cum veto te fieri, vappam jubeo ac nebulonem.
Est inter Tanaim quiddam socerumque Viselli.
Est modus in rebus; sunt certi denique fines, 106
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.
Illuc, unde abii, redeo; nemon', ut avarus,
Se probet? at potius laudet diversa sequentes?
Quodque aliena capella gerat distentius uber, 110
Tabescat? neque se majori pauperiorum
Turbæ comparet? hunc atque hunc superare laboret?

Sic festinanti semper locupletior obstat:
Ut, cum carceribus missos rapit ungula currus,
Instat equis auriga suos vincentibus, illum 115
Præteritum temnens extremos inter cuntem.
Inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum
Dicat, et exacto contentus tempore vitæ
Cedat uti conviva satur, reperire queamus.
Jam satis est: ne me Crispini scrinia lippi 120
Compilasse putes, verbum non amplius addam.

SATIRA II.—*In Mœchos.*

Ambubaiarum collegia, pharmacopolæ,
Mendici, mimæ, balatrones, hoc genus omne
Mæstum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli;
Quippe benignus erat. Contra hic, ne prodigus esse
Dicatur metuens, inopi dare nolit amico, 5
Frigus quo duramque famem depellere possit.
Hunc si perconteris, avi cur atque parentis
Præclaram ingrata stringat malus ingluvie rem,
Omnia conductis coemens opsonia nummis;
Sordidus atque animi quod parvi nolit haberi, 10
Respondet. Laudatur ab his, culpatur ab illis.
Fufidius vappæ famam timet ac nebulonis,
Dives agris, dives positis in fœnore nummis.
Quinas hic capiti mercedes exsecat; atque
Quanto perditior quisque est, tanto acrius urget:
Nomina sectatur, modo sumta veste virili, 16
Sub patribus duris, tironum. Maxime, quis non,
Jupiter! exclamat, simul atque audivit? ¶ At in se
Pro quæstu sumtum facit hic. ¶ Vix credere possis,
Quam sibi non sit amicus: ita ut pater ille, Terenti
Fabula quem miserum nato vixisse fugato 21
Inducit, non se pejus cruciaverit, atque hic.
Si quis nunc quærat, Quo res hæc pertinet? Illuc:
Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.
Malthinus tunicis demissis ambulat; est, qui 25
Inguen ad obscænum subductis usque facetus:
Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum:
Nil medium est. Sunt, qui nolint tetigisse, nisi illas,
Quarum subsuta talos tegat instita veste: 29
Contra alius nullam, nisi olente in fornice stantem.
Quidam notus homo cum exiret fornice; Macte
Virtute esto, inquit sententia dia Catonis:
Nam, simul ac venas inflavit tetra libido,
Huc juvenes æquum est descendere, non alienas
Permolere uxores. Nolim laudarier, inquit, 35
Sic me, mirator cunni Cupiennius albi.
Audire est operæ pretium, procedere recte
Qui mœchis non vultis, ut omni parte laborent;
Utque illis multo corrupta dolore voluptas,
Atque hæc rara cadat, dura inter sæpe pericla. 40
Hic se præcipitem tecto dedit; ille flagellis
Ad mortem cæsus; fugiens hic decidit acrem
Prædonum in turbam; dedit hic pro corpore nummos;
Hunc perminxerunt calones: quin etiam illud
Accidit, ut cuidam testes caudamque salacem 45
Demeteret ferrum. Jure, omnes. Galba negabat.
Tutior at quanto merx est in classe secunda!
Libertinarum dico, Sallustius in quas
Non minus insanit, quam qui mœchatur: at hic, si,
Qua res, qua ratio suaderet, quaque modeste 50
Munifico esse licet, vellet bonus atque benignus
Esse; daret quantum satis esset, nec sibi damno
Dedecorique foret: verum hoc se amplectitur uno:
Hoc amat, hoc laudat: Matronam nullam ego tango;
Ut quondam Marsæus, amator Originis, ille, 55
Qui patrium mimæ donat fundumque laremque,
Nil fuerit mi, inquit, cum uxoribus unquam alienis.
Verum est cum mimis, est cum meretricibus; unde
Fama malum gravius, quam res, trahit. An tibi abunde
Personam satis est, non illud, quicquid ubique 60
Officit, evitare? Bonam deperdere famam,
Rem patris oblimare, malum est ubicunque. Quid inter-
est, in matrona, ancilla, peccesve togata?
Villius in Fausta Sullæ gener, hoc miser uno
Nomine deceptus, pœnas dedit usque superque 65
Quam satis est; pugnis cæsus, ferroque petitus;
Exclusus fore, cum Longarenus foret intus.
Huic si, mutonis verbis mala tanta videntis, [a te
Diceret hæc animus; Quid vis tibi? numquid ego
Magno prognatum deposco consule cunnum, 70
Velatumque stola, mea cum conferbuit ira?
Quid responderet? Magno patre nata puella est.
At quanto meliora monet, pugnantiaque istis,
Dives opis natura suæ, si tu modo recte
Dispensare velis, ac non fugienda petendis 75
Immiscere! Tuo vitio, rerumne, labores,
Nil referre putas? Quare, ne pœniteat te,
Desine matronas sectarier, unde laboris
Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus.
Nec magis huic, inter niveos viridesque lapillos
Sit licet, hoc, Cerinthe, tuo tenerum est femur, aut crus 81
Rectius; atque etiam melius persæpe togatæ.
Adde huc, quod mercem sine fucis gestat; aperte,
Quod venale habet, ostendit; nec, si quid honesti est,
Jactat habetque palam, quærit quo turpia celet. 85
Regibus hic mos est, ubi equos mercantur; opertos
Inspiciunt; ne, si facies (ut sæpe) decora
Molli fulta pede est, emtorem inducat hiantem;
Quod pulchræ clunes, breve quod caput, ardua cervix.
Hoc illi recte: ne corporis optima Lynceis 90
Contemplere oculis, Hypsæa cæcior illa
Quæ mala sunt, spectes. ¶ O crus! O brachia! ¶ Verum
Depygis, nasuta, brevi latere, ac pede longo est.
Matronæ, præter faciem, nil cernere possis,
Cætera, ni Catia est, demissa veste tegentis. 95
Si interdicta petes, vallo circumdata, (nam te
Hoc facit insanum) multæ tibi tum officient res;
Custodes, lectica, ciniflones, parasitæ;
Ad talos stola demissa, et circumdata palla;
Plurima, quæ invideant pure apparere tibi rem.
Altera, nil obstat: Cois tibi pæne videre est, 101
Ut nudam; ne crure malo, ne sit pede turpi;
Metiri possis oculo latus. An tibi mavis
Insidias fieri, pretiumque avellier, ante
Quam mercem ostendi? ¶ *Leporem venator ut alta*
In nive sectetur, positum sic tangere nolit, 106
Cantat; et apponit, *Meus est amor huic similis: nam*
Transvolat in medio posita, et fugientia captat.
¶ Hiscine versiculis speras tibi posse dolores,
Atque æstus curasque graves, e pectore pelli? 110
Nonne cupidinibus statuit natura modum, quem,
Quid latura, sibi quid sit dolitura negatum,
Quærere plus prodest, et inane abscindere soldo?
Num, tibi cum fauces urit sitis, aurea quæris
Pocula? num esuriens fastidis omnia præter 115
Pavonem rhombumque? tument tibi cum inguina, num, si
Ancilla aut verna est præsto puer, impetus in quem
Continuo fiat, malis tentigine rumpi?
Non ego; namque parabilem amo Venerem, facilemque.

Illam, *Post paulo; Sed pluris; Si exierit vir;* 120
Gallis: hanc, Philodemus ait, sibi, quæ neque magno
Stet pretio, neque cunctetur, cum est jussa, venire:
Candida rectaque sit; munda hactenus, ut neque longa
Nec magis alba velit, quam det natura, videri.
Hæc, ubi supposuit dextro corpus mihi lævum, 125
Ilia et Egeria est: do nomen quodlibet illi.
Nec vereor, ne, dum futuo, vir rure recurrat,
Janua frangatur, latret canis, undique magno
Pulsa domus strepitu resonet, vepallida lecto
Desiliat mulier, miseram se conscia clamet; 130
Cruribus hæc metuat, doti deprensa, egomet mi.
Discincta tunica fugiendum est, ac pede nudo,
Ne nummi pereant, aut pyga, aut denique fama.
Deprendi miserum est: Fabio vel judice vincam.

SATIRA III.—*In Obtrectatores, et Supercilium Stoicum.*

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Ut nunquam inducant animum cantare rogati;
Injussi nunquam desistant. Sardus habebat
Ille Tigellius hoc. Cæsar, qui cogere posset,
Si peteret per amicitiam patris atque suam, non
Quicquam proficeret: si collibuisset, ab ovo 6
Usque ad mala citaret, Io Bacche! modo summa
Voce, modo hac, resonat quæ chordis quattuor ima.
Nil æquale homini fuit illi: sæpe, velut qui
Currebat fugiens hostem; persæpe, velut qui 10
Junonis sacra ferret: habebat sæpe ducentos,
Sæpe decem servos: modo reges atque tetrarchas,
Omnia magna, loquens; modo, Sit mihi mensa tripes, et
Concha salis puri, et toga quæ defendere frigus,
Quamvis crassa, queat. Decies centena dedisses
Huic parco paucis contento, quinque diebus 16
Nil erat in loculis: noctes vigilabat ad ipsum
Mane, diem totum stertebat: nil fuit unquam
Sic impar sibi. Nunc aliquis dicat mihi. Quid tu?
Nullane habes vitia? Immo alia, et fortasse minora.
Mænius absentem Novium cum carperet; Heus tu,
Quidam ait, ignoras te? an ut ignotum dare nobis
Verba putas? Egomet mi ignosco, Mænius inquit.
Stultus et improbus hic amor est, dignusque notari.
Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum, 26
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius? At tibi contra
Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi.
Iracundior est paulo? minus aptus acutis
Naribus horum hominum? rideri possit, eo quod
Rusticius tonso toga defluit, et male laxus 31
In pede calceus hæret? At est bonus, ut melior vir
Non alius quisquam: at tibi amicus: at ingenium ingens
Inculto latet hoc sub corpore. Denique te ipsum
Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim 35
Natura, aut etiam consuetudo mala; namque
Neglectis urenda filix innascitur agris.
Illuc prævertamur; amatorem quod amicæ
Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiam ipsa hæc
Delectant; veluti Balbinum polypus Hagnæ. 40
Vellem in amicitia sic erraremus, et isti
Errori nomen virtus posuisset honestum.
At, pater ut nati, sic nos debemus, amici
Si quod sit vitium, non fastidire: strabonem
Appellat Pætum pater; et Pullum, male parvus
Si cui filius est, ut abortivus fuit olim 46
Sisyphus: hunc Varum, distortis cruribus; illum
Balbutit Scaurum, pravis fultum male talis.
Parcius hic vivit? frugi dicatur. Ineptus
Et jactantior hic paulo est? concinnus amicis 50
Postulat ut videatur. At est truculentior, atque
Plus æquo liber? simplex fortisque habeatur.
Caldior est? acres inter numeretur. Opinor,
Hæc res et jungit, junctos et servat amicos.
At nos virtutes ipsas invertimus, atque 55
Sincerum cupimus vas incrustare. Probus quis
Nobiscum vivit? multum est demissus homo: illi
Tardo, cognomen pingui damus. Hic fugit omnes
Insidias, nullique malo latus obdit apertum?
(Cum genus hoc inter vitæ versetur, ubi acris 60
Invidia, atque vigent ubi crimina) pro bene sano
Ac non incauto, fictum astutumque vocamus.
Simplicior quis et est, (qualem me sæpe libenter
Obtulerim tibi, Mecænas) ut forte legentem 64
Aut tacitum impellat quovis sermone? molestus:
Communi sensu plane caret, inquimus. Eheu
Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!
Nam vitiis nemo sine nascitur: optimus ille est,
Qui minimis urgetur. Amicus dulcis, ut æquum est,
Cum mea compenset vitiis bona, pluribus hisce 70
(Si modo plura mihi bona sunt) inclinet: amari
Si volet hac lege, in trutina ponetur eadem.
Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum,
Postulat, ignoscet verrucis illius. Æquum est,
Peccatis veniam poscentem reddere rursus. 75
Denique, quatenus excidi penitus vitium iræ,
Cætera item nequeunt stultis hærentia; cur non
Ponderibus modulisque suis ratio utitur? ac, res
Ut quæque est, ita suppliciis delicta coercet?
Si quis eum servum, patinam qui tollere jussus
Semesos pisces tepidumque ligurrierit jus, 81
In cruce suffigat, Labeone insanior inter
Sanos dicatur. Quanto hoc furiosius atque
Majus peccatum est! Paulum deliquit amicus;
(Quod nisi concedas, habeare insuavis, acerbus)
Odisti et fugis, ut Rusonem debitor æris; 86
Qui, nisi, cum tristes misero venere Calendæ,
Mercedem aut nummos undeunde extricat, amaras
Porrecto jugulo historias, captivus ut, audit.
Comminxit lectum potus, mensave catillum 90
Evandri manibus tritum dejecit; ob hanc rem,
Aut positum ante mea quia pullum in parte catini
Sustulit esuriens, minus hoc jucundus amicus
Sit mihi? Quid faciam, si furtum fecerit? aut si
Prodiderit commissa fide, sponsumve negarit? 95
Queis paria esse fere placuit peccata, laborant,
Cum ventum ad verum est: sensus moresque repugnant,
Atque ipsa utilitas, justi prope mater et æqui.
Cum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum et turpe pecus; glandem atque cubilia propter, 100
Unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quæ post fabricaverat usus;
Donec verba, quibus voces sensusque notarent,
Nominaque invenere: dehinc absistere bello,
Oppida cœperunt munire, et ponere leges. 105
Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.
Nam fuit ante Helenam cunnus teterrima belli
Causa: sed ignotis perierunt mortibus illi,
Quos Venerem incertam rapientes more ferarum
Viribus editior cædebat, ut in grege taurus. 110
Jura inventa metu injusti fateare necesse est,
Tempora si fastosque velis evolvere mundi.
Nec natura potest justo secernere iniquum,
Dividit ut bona diversis, fugienda petendis.

Nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet idemque, 115
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus divûm sacra legerit. Adsit
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas;
Ne scutica dignum horribili sectere flagello:
Nam, ut ferula cædas meritum majora subire 120
Verbera, non vereor; cum dicas esse pares res
Furta latrociniis, et magnis parva mineris
Falce recisurum simili te, si tibi regnum
Permittant homines. Si dives, qui sapiens est,
Et sutor bonus, et solus formosus, et est rex; 125
Cur optas, quod habes? ¶ Non nosti, quid pater, inquit,
Chrysippus dicat: sapiens crepidas sibi nunquam
Nec soleas fecit; sutor tamen est sapiens. ¶ Quo?
¶ Ut, quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
Optimus est modulator; ut Alfenus vafer, omni
Abjecto instrumento artis, clausaque taberna,
Sutor erat; sapiens operis sic optimus omnis 132
Est opifex solus; sic rex. ¶ Vellunt tibi barbam
Lascivi pueri: quos tu nisi fuste coerces,
Urgeris turba circum te stante, miserque 135
Rumperis, et latras, magnorum maxime regum.
Ne longum faciam; dum tu quadrante lavatum
Rex ibis, neque te quisquam stipator, ineptum
Præter Crispinum, sectabitur; et mihi dulces
Ignoscent, si quid peccaro stultus, amici; 140
Inque vicem illorum patiar delicta libenter,
Privatusque magis vivam te rege beatus.

SATIRA IV.—*In Obtrectatores suos.*

Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesque poetæ,
Atque alii, quorum comœdia prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi, quod malus, aut fur,
Quod mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant. 5
Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus,
Mutatis tantum pedibus numerisque; facetus,
Emunctæ naris, durus componere versus.
(Nam fuit hoc vitiosus; in hora sæpe ducentos,
Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno: 10
Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles)
Garrulus, atque piger scribendi ferre laborem;
Scribendi recte: nam, ut multum, nil moror. Ecce,
Crispinus minimo me provocat. ¶ Accipe, si vis,
Accipiam tabulas; detur nobis locus, hora, 15
Custodes; videamus, uter plus scribere possit.
¶ Di bene fecerunt, inopis me quodque pusilli
Finxerunt animi, raro et perpauca loquentis:
At tu conclusas hircinis follibus auras,
Usque laborantes dum ferrum molliat ignis, 20
Ut mavis, imitare. Beatus Fannius, ultro
Delatis capsis et imagine; cum mea nemo
Scripta legat, vulgo recitare timentis, ob hanc rem,
Quod sunt, quos genus hoc minime juvat, utpote plures
Culpari dignos. Quemvis media elige turba; 25
Aut ob avaritiam, aut misera ambitione laborat.
Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum;
Hunc capit argenti splendor; stupet Albius ære;
Hic mutat merces surgente a sole, ad eum quo
Vespertina tepet regio; quin per mala præceps
Fertur, uti pulvis collectus turbine, ne quid 31
Summa deperdat, metuens, aut ampliet ut rem.
Omnes hi metuunt versus, odere poetas.
¶ Fœnum habet in cornu; longe fuge: dummodo risum
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico: 35
Et, quodcunque semel chartis illeverit, omnes
Gestiet a furno redeuntes scire lacuque, [tra:
Et pueros et anus. ¶ Agedum, pauca accipe con-
Primum, ego me illorum, dederim quibus esse poetas,
Excerpam numero: neque enim concludere versum
Dixeris esse satis; neque, si quis scribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc esse poetam 42
Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os
Magna sonaturum, des nominis hujus honorem.
Idcirco quidam, comœdia necne poema 45
Esset, quæsivere; quod acer spiritus ac vis
Nec verbis nec rebus inest; nisi quod pede certo
Differt sermoni, sermo merus. ¶ At pater ardens
Sævit, quod meretrice nepos insanus amica
Filius, uxorem grandi cum dote recuset, 50
Ebrius et (magnum quod dedecus) ambulet ante
Noctem cum facibus. ¶ Numquid Pomponius istis
Audiret leviora, pater si viveret? Ergo
Non satis est puris versum perscribere verbis;
Quem si dissolvas, quivis stomachetur eodem 55
Quo personatus pacto pater. His, ego quæ nunc,
Olim quæ scripsit Lucilius, eripias si
Tempora certa modosque, et, quod prius ordine verbum est,
Posterius facias, præponens ultima primis;
Non, ut si solvas, "Postquam discordia tetra 60
"Belli ferratos postes, portasque refregit,"
Invenias etiam disjecti membra poetæ.
Hactenus hæc: alias, justum sit necne poema:
Nunc illud tantum quæram, meritone tibi sit
Suspectum genus hoc scribendi. Sulcius acer 65
Ambulat et Caprius, rauci male, cumque libellis,
Magnus uterque timor latronibus: at, bene si quis
Et vivat puris manibus, contemnat utrumque.
Ut sis tu similis Cœli Birrique latronum
Non ego sim Capri, neque Sulci; cur metuas me?
Nulla taberna meos habeat neque pila libellos, 7
Queis manus insudet vulgi Hermogenisque Tigelli
Nec recitem quicquam, nisi amicis, idque coactus;
Non ubivis, coramve quibuslibet. ¶ In medio qui
Scripta foro recitent, sunt multi, quique lavantes:
Suave locus voci resonat conclusus. ¶ Inanes 76
Hoc juvat, haud illud quærentes, num sine sensu,
Tempore num faciant alieno. ¶ Lædere gaudes,
Inquis; et hoc studio pravus facis. ¶ Unde petitum
Hoc in me jacis? est auctor quis denique eorum,
Vixi cum quibus? Absentem qui rodit amicum; 81
Qui non defendit alio culpante; solutos
Qui captat risus hominum, famamque dicacis;
Fingere qui non visa potest; commissa tacere
Qui nequit; hic niger est; hunc tu, Romane, caveto. 85
Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos;
E quibus unus avet quavis adspergere cunctos,
Præter eum qui præbet aquam: post, hunc quoque potus,
Condita cum verax aperit præcordia Liber.
Hic tibi comis, et urbanus, liberque videtur, 90
Infesto nigris: ego si risi, quod ineptus
Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum,
Lividus et mordax videor tibi? Mentio si qua
De Capitolini furtis injecta Petilli
Te coram fuerit; defendas, ut tuus est mos: 95
¶ Me Capitolinus convictore usus amicoque a puero est, causaque mea permulta rogatus
Fecit; et incolumis lætor quod vivit in Urbe:
Sed tamen admiror, quo pacto judicium illud
Fugerit. ¶ Hic nigræ succus loliginis, hæc est 100
Ærugo mera; quod vitium procul abfore chartis,

Atque animo prius, ut si quid promittere de me
Possum aliud vere, promitto. Liberius si
Dixero quid, si forte jocosius; hoc mihi juris 104
Cum venia dabis: insuevit pater optimus hoc me;
Ut fugerem, exemplis, vitiorum quæque, notando.
Cum me hortaretur, parce, frugaliter, atque
Viverem uti contentus eo, quod mi ipse parasset;
Nonne vides, Albi ut male vivat filius? utque
Barrus inops? magnum documentum, ne patriam rem 110
Perdere quis velit. A turpi meretricis amore
Cum deterreret, Sectani dissimilis sis.
Ne sequerer mœchas, concessa cum Venere uti
Possem; Deprensi non bella est fama Treboni,
Aiebat: sapiens, vitatu quidque petitu 115
Sit melius, causas reddet tibi: mi satis est, si
Traditum ab antiquis morem servare, tuamque,
Dum custodis eges, vitam famamque tueri
Incolumem possum: simul ac duraverit ætas
Membra animumque tuum, nabis sine cortice. Sic me 120
Formabat puerum dictis: et, sive jubebat
Ut facerem quid, Habes auctorem, quo facias hoc;
Unum ex judicibus selectis objiciebat:
Sive vetabat, An hoc inhonestum et inutile factu
Necne sit, addubites, flagret rumore malo cum 125
Hic atque ille? Avidos vicinum funus ut ægros
Exanimat, mortisque metu sibi parcere cogit;
Sic teneros animos aliena opprobria sæpe
Absterrent vitiis. Ex hoc ego sanus ab illis,
Perniciem quæcunque ferunt; mediocribus, et queis 130
Ignoscas, vitiis teneor; fortassis et istinc
Largiter abstulerit longa ætas, liber amicus,
Consilium proprium: neque enim, cum lectulus aut me
Porticus excepit, desum mihi: Rectius hoc est;
Hoc faciens, vivam melius; sic dulcis amicis 135
Occurram; hoc quidam non belle; num quid ego illi
Imprudens olim faciam simile? Hæc ego mecum
Compressis agito labris: ubi quid datur oti,
Illudo chartis: hoc est mediocribus illis
Ex vitiis unum; cui si concedere nolis, 140
Multa poetarum veniat manus, auxilio quæ
Sit mihi, (nam multo plures sumus) ac veluti te
Judæi cogemus in hanc concedere turbam.

SATIRA V.—*Iter Brundusinum.*

Egressum magna me excepit Aricia Roma
Hospitio modico; rhetor comes Heliodorus,
Græcorum linguæ doctissimus: inde Forum Appi,
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.
Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos 5
Præcinctis unum: minus est gravis Appia tardis.
Hic ego, propter aquam, quod erat teterrima, ventri
Indico bellum, cœnantes haud animo æquo
Exspectans comites. Jam nox inducere terris
Umbras, et cœlo diffundere signa parabat: 10
Tum pueri nautis, pueris convicia nautæ
Ingerere. ¶ Huc appelle. ¶ Trecentos inseris; ohe! [ligatur,
Jam satis est. ¶ Dum æs exigitur, dum mula
Tota abit hora: mali culices, ranæque palustres
Avertunt somnos; absentem ut cantat amicam 15
Multa prolutus vappa nauta, atque viator
Certatim: tandem fessus dormire viator
Incipit; ac missæ pastum retinacula mulæ
Nauta piger saxo religat, stertitque supinus.
Jamque dies aderat, cum nil procedere lintrem 20
Sentimus: donec cerebrosus prosilit unus,
Ac mulæ nautæque caput lumbosque saligno
Fuste dolat: quarta vix demum exponimur hora
Ora manusque tua lavimus, Feronia, lympha.
Millia tum pransi tria repimus, atque subimus 25
Impositum saxis late candentibus Anxur.
Huc venturus erat Mecænas, optimus atque
Cocceius: missi magnis de rebus uterque
Legati, aversos soliti componere amicos.
Hic oculis ego nigra meis collyria lippus 30
Illinere. Interea Mecænas advenit, atque
Cocceius, Capitoque simul Fonteius, ad unguem
Factus homo, Antoni, non ut magis alter, amicus.
Fundos, Aufidio Lusco prætore, libenter
Linquimus, insani ridentes præmia scribæ, 35
Prætextam, et latum clavum, prunæque vatillum.
In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus,
Muræna præbente domum, Capitone culinam.
Postera lux oritur multo gratissima: namque
Plotius et Varius Sinuessæ Virgiliusque 40
Occurrunt; animæ, quales neque candidiores
Terra tulit, neque quis me sit devinctior alter.
O qui complexus, et gaudia quanta fuerunt!
Nil ego contulerim jucundo sanus amico.
Proxima Campano ponti quæ villula, tectum 45
Præbuit; et parochi, quæ debent ligna salemque.
Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt.
Lusum it Mecænas, dormitum ego Virgiliusque:
Namque pila lippis inimicum et ludere crudis.
Hinc nos Cocceii recipit plenissima villa, 50
Quæ super est Caudi cauponas. Nunc mihi paucis
Sarmenti scurræ pugnam Messique Cicirri,
Musa, velim memores; et quo patre natus uterque
Contulerit lites. Messi clarum genus, Osci;
Sarmenti domina exstat. Ab his majoribus orti 55
Ad pugnam venere: prior Sarmentus, Equi te
Esse feri similem dico. Ridemus; et ipse
Messius, Accipio; caput et movet. O, tua cornu
Ni foret exsecto frons, inquit, quid faceres, cum
Sic mutilus minitaris? At illi fœda cicatrix 60
Setosam lævi frontem turpaverat oris.
Campanum in morbum, in faciem, permulta jocatus,
Pastorem saltaret uti Cyclopa, rogabat;
Nil illi larva aut tragicis opus esse cothurnis.
Multa Cicirrus ad hæc: Donasset jamne catenam 65
Ex voto Laribus? quærebat: scriba quod esset,
Nilo deterius dominæ jus esse. Rogabat
Denique, cur unquam fugisset, cui satis una
Farris libra foret, gracili sic, tamque pusillo
Prorsus jucunde cœnam produximus illam. 70
Tendimus hinc recta Beneventum; ubi sedulus hospes
Pæne, macros, arsit, turdos dum versat in igne:
Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Vulcano, summum properabat lambere tectum.
Convivas avidos cœnam servosque timentes 75
Tum rapere, atque omnes restinguere velle videres.
Incipit ex illo montes Appulia notos
Ostentare mihi, quos torret Atabulus; et quos
Nunquam erepsemus, nisi nos vicina Trivici
Villa recepisset, lacrymoso non sine fumo, 80
Udos cum foliis ramos urente camino.
Hic ego mendacem stultissimus usque puellam
Ad mediam noctem exspecto: somnus tamen aufert
Intentum Veneri; tum immundo somnia visu

Nocturnam vestem maculant, ventremque supinum. 85
Quatuor hinc rapimur viginti et millia rhedis,
Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est,
Signis perfacile est: venit vilissima rerum
Hic aqua; sed panis longe pulcherrimus, ultra
Callidus ut soleat humeris portare viator; 90
Nam Canusi lapidosus: aquæ non ditior urna:
Qui locus a forti Diomede est conditus olim.
Flentibus hic Varius discedit mæstus amicis.
Inde Rubos fessi pervenimus, utpote longum
Carpentes iter, et factum corruptius imbri. 95
Postera tempestas melior; via pejor adusque
Bari mœnia piscosi. Dein Gnatia lymphis
Iratis exstructa dedit risusque jocosque;
Dum flamma sine, thura liquescere limine sacro
Persuadere cupit. Credat Judæus Apella, 100
Non ego: namque deos didici securum agere ævum;
Nec, si quid miri faciat natura, deos id
Tristes ex alto cœli demittere tecto.
Brundusium longæ finis chartæque viæque.

SATIRA VI.—*In Derisores Natalium suorum.*

Non, quia, Mecænas, Lydorum quicquid Etruscos
Incoluit fines, nemo generosior est te;
Nec, quod avus tibi maternus fuit atque paternus,
Olim qui magnis legionibus imperitarent;
Ut plerique solent, naso suspendis adunco 5
Ignotos, ut me libertino patre natum;
Cum referre negas, quali sit quisque parente
Natus, dum ingenuus. Persuades hoc tibi vere,
Ante potestatem Tulli atque ignobile regnum,
Multos sæpe viros nullis majoribus ortos 10
Et vixisse probos, amplis et honoribus auctos;
Contra, Lævinum, Valeri genus, (unde Superbus
Tarquinius regno pulsus fuit) unius assis
Non unquam pretio pluris licuisse, notante
Judice, quo nosti, populo; qui stultus honores 15
Sæpe dat indignis, et famæ servit ineptus;
Qui stupet in titulis et imaginibus. Quid oportet
Nos facere, a vulgo longe longeque remotos?
Namque esto, populus Lævino mallet honorem
Quam Decio mandare novo: censorque moveret
Appius, ingenuo si non essem patre natus, 21
Vel merito, quoniam in propria non pelle quiessem.
¶ Sed fulgente trahit constrictos Gloria curru
Non minus ignotos generosis. ¶ Quo tibi, Tulli,
Sumere depositum clavum, fierique tribuno? 25
Invidia accrevit, privato quæ minor esset.
Nam, ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus, et latum demisit pectore clavum;
Audit continuo, Quis homo hic? et, Quo patre natus?
Ut, si qui ægrotet quo morbo Barrus, haberi 30
Ut cupiat formosus; est quacunque, puellis
Injiciat curam quærendi singula, quali
Sit facie, sura, quali pede, dente, capillo:
Sic qui promittit, cives, Urbem sibi curæ, 34
Imperium fore, et Italiam, et delubra deorum;
Quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus,
Omnes mortales curare et quærere cogit.
¶ Tune Syri, Damæ, aut Dionysi filius, audes
Dejicere e saxo cives, aut tradere Cadmo?
At Novius collega gradu post me sedet uno; 40
Namque est ille, pater quod erat meus. ¶ Hoc tibi Paulus
Et Messala videris? At hic, si plaustra ducenta
Concurrantque foro tria funera, magna sonabit,
Cornua quod vincatque tubas: saltem tenet hoc nos.
¶ Nunc ad me redeo, libertino patre natum; 45
Quem rodunt omnes libertino patre natum;
Nunc, quia, Mecænas, tibi sum convictor; at olim,
Quod mihi pareret legio Romana tribuno.
Dissimile hoc illi est; quia non, ut forsit honorem
Jure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum;
Præsertim cautum dignos assumere, prava 51
Ambitione procul Felicem dicere non hoc
Me possum, casu quod te sortitus amicum:
Nulla etenim mihi te fors obtulit: optimus olim
Virgilius, post hunc Varius, dixere quid essem. 55
Ut veni coram; singultim pauca locutus,
(Infans namque pudor prohibebat plura profari)
Non ego me claro natum patre, non ego circum
Me Satureiano vectari rura caballo,
Sed, quod eram, narro: respondes, ut tuus est mos
Pauca: abeo; et revocas nono post mense, jubesque 61
Esse in amicorum numero. Magnum hoc ego duco
Quod placui tibi, qui turpi secernis honestum,
Non patre præclaro, sed vita et pectore puro.
Atqui, si vitiis mediocribus ac mea paucis 65
Mendosa est natura, alioqui recta; (velut si
Egregio inspersos reprendas corpore nævos)
Si neque avaritiam, neque sordes, aut mala lustra,
Objiciet vere quisquam mihi; purus et insons
(Ut me collaudem) si et vivo carus amicis; 70
Causa fuit pater his; qui, macro pauper agello,
Noluit in Flavi ludum me mittere, magni
Quo pueri magnis e centurionibus orti,
Lævo suspensi loculos tabulamque lacerto,
Ibant, octonis referentes Idibus æra: 75
Sed puerum est ausus Romam portare, docendum
Artes, quas doceat quivis eques atque senator
Semet prognatos. Vestem servosque sequentes
In magno ut populo si quis vidisset, avita
Ex re præberi sumtus mihi crederet illos. 80
Ipse mihi, custos incorruptissimus, omnes
Circum doctores aderat. Quid multa? pudicum
(Qui primus virtutis honos) servavit ab omni
Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi:
Nec timuit, sibi ne vitio quis verteret, olim 85
Si præco parvas, aut (ut fuit ipse) coactor,
Mercedes sequerer: neque ego essem questus. At hoc nunc
Laus illi debetur, et a me gratia major.
Nil me pœniteat sanum patris hujus: eoque
Non, ut magna dolo factum negat esse suo pars, 90
Quod non ingenuos habeat clarosque parentes,
Sic me defendam. Longe mea discrepat istis
Et vox et ratio: nam, si natura juberet
A certis annis ævum remeare peractum,
Atque alios legere ad fastum quoscunque parentes, 95
Optaret sibi quisque; meis contentus, honestos
Fascibus et sellis nolim mihi sumere; demens
Judicio vulgi, sanus fortasse tuo, quod
Nollem onus (haud unquam solitus) portare molestum.
Nam mihi continuo major quærenda foret res, 100
Atque salutandi plures; ducendus et unus
Et comes alter, uti ne solus rusve peregreve exirem; plures calones atque caballi
Pascendi; ducenda petorrita. Nunc mihi curto
Ire licet mulo, vel, si libet, usque Tarentum, 105
Mantica cui lumbos onere ulceret, atque eques armos.

Objiciet nemo sordes mihi, quas tibi, Tulli,
Cum Tiburte via prætorem quinque sequuntur
Te pueri, lasanum portantes œnophorumque. 109
Hoc ego commodius quam tu, præclare senator
Millibus atque aliis, vivo; quacunque libido est,
Incedo solus; percontor, quanti olus ac far;
Fallacem circum, vespertinumque pererro
Sæpe forum; assisto divinis; inde domum me
Ad porri et ciceris refero laganique catinum: 115
Cœna ministratur pueris tribus; et lapis albus
Pocula cum cyatho duo sustinet; adstat echino
Vilis cum patera guttus, Campana supellex.
Deinde eo dormitum, non sollicitus, mihi quod cras
Surgendum sit mane; obeundus Marsya, qui se
Vultum ferre negat Noviorum posse minoris. 121
Ad quartam jaceo; post hanc vagor; aut ego, lecto
Aut scripto, quod me tacitum juvet, ungor olivo,
Non quo fraudatis immundus Nacca lucernis.
Ast, ubi me fessum sol acrior ire lavatum 125
Admonuit, fugio Campum lusumque trigonem.
Pransus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domesticus otior. Hæc est
Vita solutorum misera ambitione gravique:
His me consolor victurum suavius, ac si 130
Quæstor avus, pater atque meus, patruusque fuisset.

SATIRA VII.

Proscripti Regis Rupili pus atque venenum
Ibrida quo pecto sit Persius ultus, opinor
Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse.
Persius hic permagna negotia dives habebat
Clazomenis, etiam lites cum Rege molestas; 5
Durus homo, atque odio qui posset vincere Regem;
Confidens, tumidusque; adeo sermonis amari,
Sisennas, Barros ut equis præcurreret albis.
Ad Regem redeo: postquam nihil inter utrumque
Convenit; (hoc etenim sunt omnes jure molesti, 10
Quo fortes, quibus adversum bellum incidit. Inter
Hectora Priamiden, animosum atque inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors;
Non aliam ob causam, nisi quod virtus in utroque
Summa fuit. Duo si discordia vexet inertes; 15
Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi
Cum Lycio Glauco; discedet pigrior, ultro
Muneribus missis) Bruto prætore tenente
Ditem Asiam, Rupili et Persi par pugnat, uti non
Compositum melius cum Bitho Bacchius: injus 20
Acres procurrunt, magnum spectaculum uterque.
Persius exponit causam: ridetur ab omni
Conventu; laudat Brutum, laudatque cohortem;
Solem Asiæ Brutum appellat; stellasque salubres
Appellat comites, excepto Rege; canem illum, 25
Invisum agricolis sidus, venisse; ruebat
Flumen ut hibernum, fertur quo rara securis.
Tum Prænestinus salso multoque fluenti
Expressa arbusto regerit convicia, durus
Vindemiator, et invictus; cui sæpe viator 30
Cessisset, magna compellans voce cucullum.
At Græcus, postquam est Italo perfusus aceto,
Persius exclamat, Per magnos, Brute, deos te
Oro, qui reges consueris tollere, cur non
Hunc Regem jugulas? operum hoc, mihi crede, tuorum est. 35

SATIRA VIII.—*In Superstitiosos et Veneficas.*

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum;
Cum faber, incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse deum. Deus inde ego, furum aviumque
Maxima formido; nam fures dextra coercet,
Obscœnoque ruber porrectus ab inguine palus; 5
Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatque novis considere in hortis.
Huc prius angustis ejecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca.
Hoc miseræ plebi stabat commune sepulcrum, 10
Pantolabo scurræ, Nomentanoque nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat; hæredes monimentum ne sequeretur.
Nunc licet Esquiliis habitare salubribus, atque
Aggere in aprico spatiari, quo modo tristes 15
Albis informem spectabant ossibus agrum:
Cum mihi non tantum furesque feræque, suetæ
Hunc vexare locum, curæ sunt atque labori,
Quantum, carminibus quæ versant atque venenis
Humanos animos: has nullo perdere possum 20
Nec prohibere modo, simul ac vaga luna decorum
Protulit os, quin ossa legant herbasque nocentes.
Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam, pedibus nudis, passoque capillo,
Cum Sagana majore ululantem: pallor utrasque
Fecerat horrendas adspectu. Scalpere terram 26
Unguibus, et pullam divellere mordicus agnam
Cœperunt; cruor in fossam confusus, ut inde
Manes elicerent, animas responsa daturas.
Lanea et effigies erat, altera cerea; major 30
Lanea, quæ pœnis compesceret inferiorem.
Cerea suppliciter stabat, servilibus, utque
Jam peritura, modis. Hecaten vocat altera, sævam
Altera Tisiphonen: serpentes atque videres
Infernas errare canes; lunamque rubentem, 35
Ne foret his testis, post magna latere sepulcra.
Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis
Corvorum; atque in me veniat mictum atque cacatum
Julius, et fragilis Pediatia, furque Voranus.
Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes 40
Umbræ cum Sagana resonarint triste et acutum;
Utque lupi barbam, variæ cum dente colubræ,
Abdiderint furtim terris; et imagine cerea
Largior arserit ignis; et ut non testis inultus
Horruerim voces Furiarum et facta duarum. 45
Nam, displosa sonat quantum vesica, pepedi
Diffissa nate ficus: at illæ currere in urbem:
Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum
Excidere, atque herbas, atque incantata lacertis
Vincula, cum magno risuque jocoque videres. 50

SATIRA IX.—*In impudentes et ineptos Parasistastros.*

Ibam forte via Sacra, sicut meus est mos,
Nescio quid meditans nugarum, et totus in illis:
Accurrit quidam notus mihi nomine tantum,
Arreptaque manu, ¶ Quid agis, dulcissime rerum?
¶ Suaviter, ut nunc est, inquam; et cupio omnia quæ vis. [ille,
Cum assectaretur, ¶ Numquid vis? occupo. At
¶ Noris nos, inquit; docti sumus. Hic ego, ¶ Pluris [rens.
Hoc, inquam, mihi eris: misere discedere quære-
Ire modo ocius, interdum consistere, in aurem
Dicere nescio quid puero; cum sudor ad imos 10
Manaret talos, O te, Bolane, cerebri
Felicem! aiebam tacitus, cum quidlibet ille
Garriret, vicos, urbem laudaret. Ut illi
Nil respondebam, ¶ Misere cupis, inquit, abire;

Jamdudum video: sed nil agis: usque tenebo: 15
Persequar. Hinc quo nunc iter est tibi? ¶ Nil opus est te [tum;
Circumagi; quendam volo visere, non tibi no-
Trans Tiberim longe cubat is, prope Cæsaris hortos. [sequar te.
¶ Nil habeo quod agam, et non sum piger: usque
Demitto auriculas, ut iniquæ mentis asellus, 20
Cum gravius dorso subiit onus. Incipit ille:
¶ Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
Non Varium facies: nam quis me scribere plures
Aut citius possit versus? quis membra movere
Mollius? invideat quod et Hermogenes, ego canto.
Interpellandi locus hic erat: ¶ Est tibi mater? 26
Cognati, quis te salvo est opus? ¶ Haud mihi quisquam:
Omnes composui. ¶ Felices! nunc ego resto:
Confice; namque instat fatum mihi triste, Sabella
Quod puero cecinit divina mota anus urna; 30
"Hunc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis;
Nec laterum dolor, aut tussis, nec tarda podagra;
Garrulus hunc quando consumet cunque: loquaces,
Si sapiat, vitet, simul atque adoleverit ætas."
Ventum erat ad Vestæ, quarta jam parte diei 35
Præterita: et casu tunc respondere vadato
Debebat; quod ni fecisset, perdere litem.
¶ Si me amas, inquit, paulum hic ades. ¶ Interem, si
Aut valeo stare, aut novi civilia jura;
Et propero, quo scis. ¶ Dubius sum quid faciam, inquit; 40
Tene relinquam, an rem. ¶ Me, sodes. ¶ Non faciam, ille; [est
Et præcedere cœpit. Ego (ut contendere durum
Cum victore) sequor. ¶ Mecænas quomodo tecum? [bene sanæ:
Hinc repetit. ¶ Paucorum hominum, et mentis
Nemo dexterius fortuna est usus. ¶ Haberes 45
Magnum adjutorem, posset qui ferre secundas,
Hunc hominem velles si tradere: dispeream ni
Submosses omnes. ¶ Non isto vivimus illic,
Quo tu rere, modo: domus hac nec purior ulla est,
Nec magis his aliena malis: nil mi officit unquam,
Ditior hic, aut est quia doctior; est locus uni- 51
cuique suus. ¶ Magnum narras, vix credibile. ¶ Atqui
Sic habet. ¶ Accendis, quare cupiam magis illi
Proximus esse. ¶ Velis tantummodo, (quæ tua virtus)
Expugnabis; et est qui vinci possit; e que 55
Difficiles aditus primos habet. ¶ Haud mihi deero:
Muneribus servos corrumpam; non, hodie si
Exclusus fuero, desistam; tempora quæram;
Occurram in triviis; deducam. Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus. ¶ Hæc dum agit, ecce 60
Fuscus Aristius occurrit, mihi carus, et illum
Qui pulchre nosset: consistimus: Unde venis? et,
Quo tendis? rogat, et respondet. Vellere cœpi,
Et prensare manu lentissima brachia, nutans,
Distorquens oculos, ut me eriperet. Male salsus
Ridens dissimulare: meum jecur urere bilis. 66
¶ Certe nescio quid secreto velle loqui te
Aiebas mecum. ¶ Memini bene; sed meliori
Tempore dicam: hodie tricesima sabbata: vin' tu
Curtis Judæis oppedere? ¶ Nulla mihi, inquam, 70
Relligio est. ¶ At mi: sum paulo infirmior, unus
Multorum; ignosces: alias loquar. ¶ Hunccine solem
Tam nigrum surrexe mihi! Fugit improbus, ac me
Sub cultro linquit. Casu venit obvius illi
Adversarius: et, Quo tu, turpissime? magna 75
Exclamat voce, et, Licei antestari? Ego vero
Oppono auriculam: rapit in jus; clamor utrinque:
Undique concursus. Sic me servavit Apollo.

SATIRA X.—*In ineptos Lucilii Fautores*

Nempe incomposito dixi pede currere versus
Lucili: quis tam Lucili fautor inepte est,
Ut non hoc fateatur? At idem, quod sale multo
Urbem defricuit, charta laudatur eadem.
Nec tamen, hoc tribuens, dederim quoque cætera: nam sic 5
Et Laberi mimos, ut pulchra poemata, mirer.
Ergo non satis est risu diducere rictum
Auditoris: (et est quædam tamen hic quoque virtus:)
Est brevitate opus, ut currat sententia, neu se
Impediat verbis lassas onerantibus aures: 10
Et sermone opus est modo tristi, sæpe jocoso;
Defendente vicem modo rhetoris atque poetæ,
Interdum urbani, parcentis viribus, atque
Extenuantis eas consulto. Ridiculum acri
Fortius et melius magnas plerumque secat res. 15
Illi, scripta quibus comœdia prisca viris est,
Hoc stabant, hoc sunt imitandi; quos neque pulcher
Harmogenes unquam legit, neque simius iste,
Nil præter Calvum et doctus cantare Catullum.
¶ At magnum fecit, quod verbis Græca Latinis
Miscuit. ¶ O seri studiorum! quine putetis 21
Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contigit? ¶ At sermo lingua concinnus utraque
Suavior, ut Chio nota si commixta Falerni est.
¶ Cum versus facias; te ipsum percontor, an, et cum 25
Dura tibi peragenda rei sit causa Petilli,
Scilicet oblitus patriæque patrisque Latini,
Cum Pedius causas exsudet Publicola, atque
Corvinus, patriis intermiscere petita
Verba foris malis, Canusini more bilinguis? 30
Atque ego cum Græcos facerem, natus mare citra,
Versiculos; vetuit me tali voce Quirinus,
Post mediam noctem visus, cum somnia vera:
In sylvam non ligna feras insanius, ac si
Magnas Græcorum malis implere catervas. 35
Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona, dumque
Diffingit Rheni luteum caput; hæc ego ludo,
Quæ nec in Æde sonent certantia judice Tarpa,
Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.
Arguta meretrice potes, Davoque Chremeta 40
Eludente senem, comis garrire libellos
Unus vivorum, Fundani: Pollio regum
Facta canit, pede ter percusso: forte epos acer,
Ut nemo, Varius ducit: mollo atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ. 45
Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino,
Atque quibusdam aliis melius quod scribere possem,
Inventore minor: neque ego illi detrahere ausim
Hærentem capiti multa cum laude coronam.

At dixi fluere hunc lutulentum, sæpe ferentem 50
Plura quidem tollenda relinquendis. Age, quæso,
Tu nihil in magno doctus reprendis Homero?
Nil comis tragici mutat Lucilius Acci?
Non ridet versus Enni gravitate minores,
Cum de se loquitur, non ut majore reprensis? 55
Quid vetat et nosmet, Lucili scripta legentes,
Quærere num illius, num rerum dura negarit
Versiculos natura magis factos et euntes
Mollius, ac si quis pedibus quid claudere senis,
Hoc tantum, contentus, amet scripsisse ducentos 60
Ante cibum versus, totidem cœnatus? Etrusci
Quale fuit Cassi rapido ferventius amni
Ingenium, capsis quem fama est esse librisque
Ambustum propriis. Fuerit Lucilius, inquam,
Comis et urbanus; fuerit limatior idem, 65
Quam rudis et Græcis intacti carminis auctor,
Quamque poetarum seniorum turba; sed ille,
Si foret hoc nostrum fato dilatus in ævum,
Detereret sibi multa; recideret omne quod ultra
Perfectum traheretur; et in versu faciendo 70
Sæpe caput scaberet, vivos et roderet ungues.
Sæpe stylum vertas, iterum quæ digna legi sint
Scripturus; neque te ut miretur turba labores,
Contentus paucis lectoribus. An tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis? 75
Non ego; nam satis est equitem mihi plaudere; ut audax,
Contemtis aliis, explosa Arbuscula dixit.
Men' moveat cimex Pantilius? aut cruciet, quod
Vellicet absentem Demetrius? aut conviva Tigelli? 80
Fannius Hermogenis lædat conviva Tigelli?
Plotius, et Varius, Mecænas, Virgiliusque,
Valgius, et probet hæc Octavius optimus, atque
Fuscus; et hæc utinam Viscorum laudet uterque;
Ambitione relegata, te dicere possum,
Pollio, te, Messala, tuo cum fratre; simulque 85
Vos, Bibule et Servi; simul his te, candide Furni;
Complures alios, doctos ego quos et amicos
Prudens prætereo, quibus hæc, sint qualiacunque,
Arridere velim; doliturus, si placeant spe
Deterius nostra. Demetri, teque, Tigelli, 90
Discipularum inter jubeo plorare cathedras.
I puer, atque meo citus hæc subscribe libello.

LIBER SECUNDUS.

SATIRA I.

Sunt quibus in satira videor nimis acer, et ultra
Legem tendere opus; sine nervis altera, quicquid
Composui, pars esse putat, similesque meorum
Mille die versus deduci posse. Trebati, [inquis,
Quid faciam, præscribe. ¶ Quiescas. ¶ Ne faciam,
Omnino versus? ¶ Aio. ¶ Peream male, si non 6
Optimum erat: verum nequeo dormire. ¶ Ter uncti
Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto,
Irriguumque mero sub noctem corpus habento.
Aut, si tantus amor scribendi te rapit, aude 10
Cæsaris invicti res dicere, multa laborum
Præmia laturus. ¶ Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis
Agmina, nec fracta pereuntes cuspide Gallos,
Aut labentis equo describat vulnera Parthi. 15
¶ Attamen et justum poteras et scribere fortem,
Scipiadam ut sapiens Lucilius. ¶ Haud mihi deero,
Cum res ipsa feret: nisi dextro tempore, Flacci
Verba per attentam non ibunt Cæsaris aurem;
Cui male si palpere, recalcitrat undique tutus. 20
¶ Quanto rectius hoc, quam tristi lædere versu
Pantolabum scurram, Nomentanumque nepotem!
Cum sibi quisque timet, quanquam est intactus, et odit.
¶ Quid faciam? Saltat Milonius, ut semel icto
Accessit fervor capiti, numerusque lucernis. 25
Castor gaudet equis; ovo prognatus eodem
Pugnis: quot capitum vivunt, totidem studiorum
Millia: me pedibus delectat claudere verba,
Lucili ritu, nostrum melioris utroque.
Ille velut fidis arcana sodalibus olim 30
Credebat libris; neque si male gesserat, usquam
Decurrens alio, neque si bene; quo fit, ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita senis. Sequor hunc, Lucanus an Appulus, anceps: 34
Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus,
Missus ad hoc, pulsis (vetus est ut fama) Sabellis,
Quo ne per vacuum Romano incurreret hostis;
Sive quod Appula gens, seu quod Lucania bellum
Incuteret violenta. Sed hic stylus haud petet ultro
Quenquam animantem; et me veluti custodiet ensis 40
Vagina tectus; quem cur destringere coner,
Tutus ab infestis latronibus? O pater et rex
Jupiter, ut pereat positum rubigine telum,
Nec quisquam noceat cupido mihi pacis! at ille,
Qui me commorit, (Melius non tangere, clamo)
Flebit, et insignis tota cantabitur urbe. 46
Cervius iratus leges minitatur et urnam:
Canidia Albuci, quibus est inimica, venenum:
Grande malum Turius, si quid se judice certes.
Ut, quo quisque valet, suspectos terreat, utque 50
Imperet hoc natura potens, sic collige mecum:
Dente lupus, cornu taurus petit: unde, nisi intus,
Monstratum? Scævæ vivacem crede nepoti
Matrem.. ¶ Nil faciet sceleris pia dextera. ¶ Mirum!
Ut neque calce lupus quenquam, neque dente petit bos. 55
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.
Ne longum faciam; seu me tranquilla senectus
Exspectat, seu Mors atris circumvolat alis;
Dives, inops, Romæ, seu fors ita jusserit, exsul;
Quisquis erit vitæ, scribam, color. ¶ O puer, ut sis 60
Vitalis, metuo; et majorum ne quis amicus
Frigore te feriat. ¶ Quid? cum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
Cederet, introrsum turpis; num Lælius, et qui 65
Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen,
Ingenio offensi? aut læso doluere Metello,
Famosisque Lupo cooperto versibus, Atqui
Primores populi arripuit, populumque tributim;
Scilicet uni æquus virtuti atque ejus amicis. 70

Quin, ubi se a vulgo et scena in secreta remorant
Virtus Scipiadæ et mitis sapientia Læli:
Nugari cum illo, et discincti ludere, donec
Decoqueretur olus, soliti. Quicquid sum ego, quamvis
Infra Lucili censum ingeniumque, tamen me 75
Cum magnis vixisse invita fatebitur usque
Invidia, et, fragili quærens illidere dentem,
Offendet solido: nisi quid tu, docte Trebati,
Dissentis. ¶ Equidem nihil hinc defringere possum.
Sed tamen, ut monitus caveas, ne forte negoti 80
Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum;
Si mala condiderit in quem quis carmina, jus est
Judiciumque. ¶ Esto, si quis mala; sed bona si quis
Judice condiderit laudatus Cæsare? si quis
Opprobriis dignum latraverit, integer ipse? 85
¶ Solventur risu tabulæ; tu missus abibis.

SATIRA II.

Quæ virtus et quanta, boni, sit vivere parvo,
(Nec meus hic sermo est, sed quæ præcepit Ofellus
Rusticus, abnormis sapiens, crassaque Minerva)
Discite, non inter lances mensasque nitentes,
Cum stupet insanis acies fulgoribus, et cum 5
Acclinis falsis animus meliora recusat; [hoc?
Verum hic impransi mecum disquirite. ¶ Cur
¶ Dicam, si potero. Male verum examinat omnis
Corruptus judex. Leporem sectatus, equove
Lassus ab indomito, vel (si Romana fatigat 10
Militia assuetum græcari) seu pila velox,
Molliter austerum studio fallente laborem,
Seu te discus agit, (pete cedentem aera disco)
Cum labor extuderit fastidia, siccus, inanis, 14
Sperne cibum vilem; nisi Hymettia mella Falerno
Ne biberis diluta. Foris est promus, et atrum
Defendens pisces hiemat mare; cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet. Unde putas, aut
Qui partum? Non in caro nidore voluptas 19
Summa, sed in te ipso est. Tu pulmentaria quære
Sudando: pinguem vitiis, albumque, neque ostrea,
Nec scarus, aut poterit peregrina juvare lagois.
Vix tamen eripiam, posito pavone, velis quin
Hoc potius, quam gallina, tergere palatum,
Corruptus vanis rerum; quia veneat auro 25
Rara avis, et picta pandat spectacula cauda:
Tanquam ad rem attineat quicquam. Num vesceris ista, [idem?
Quam laudas, pluma? cocto num adest honor
Carne tamen quamvis distat nihil hac magis illa,
Imparibus formis deceptum te patet: esto: 30
Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus, an alto
Captus hiet, pontesne inter jactatus, an amnis
Ostia sub Tusci? Laudas, insane, trilibrem
Mullum, in singula quem minuas pulmenta necesse est,
Ducit te species. video: quo pertinet ergo 35
Proceros odisse lupos? quia scilicet illis
Majorem natura modum dedit, his breve pondus.
[Jejunus rare stomachus vulgaria temnit.]
Porrectum magno magnum spectare catino
Vellem, ait Harpyiis gula digna rapacibus. At vos, 40
Præsentes Austri, coquite horem opsonia! quamvis [quando
Putet aper rhombusque recens, mala copia
Ægrum sollicitat stomachum; cum rapula plenus
Atque acidas mavult inulas. Necdum omnis abacta
Pauperies epulis regum: nam vilibus ovis, 45
Nigrisque est oleis hodie locus. Haud ita pridem
Galloni præconis erat acipensere mensa [bant?
Infamis: quid? tum rhombos minus æquora ale-
Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido,
Donec vos auctor docuit prætorius. Ergo 50
Si quis nunc mergos suaves edixerit assos,
Parebit, pravi docilis, Romana juventus.
Sordidus a tenui victu distabit, Ofello
Judice: nam frustra vitium vitaveris illud,
Si te alio pravum detorseris. Avidienus, 55
Cui Canis ex vero ductum cognomen adhæret,
Quinquennes oleas est, et sylvestria corna;
Ac, nisi mutatum, parcit defundere vinum; et
Cujus oderem olei nequeas perferre (licebit
Ille repotia, natales, aliosve dierum 60
Festos albatus celebret) cornu ipse bilibri
Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.
Quali igitur victu sapiens utetur? et horum
Utrum imitabitur? Hac urget lupus, hac canis, aiunt.
Mundus erit, qui non offendat sordidus, atque 65
In neutram partem cultus miser: hic neque servis,
Albuci senis exemplo, dum munia didit, [tam
Sævus erit; neque, sic ut simplex Nævius, unc-
Convivis præbebit aquam: vitium hoc quoque magnum. 69
Accipe nunc, victus tenuis quæ quantaque secum
Afferat. In primis valeas bene; nam variæ res
Ut noceant homini, credas, memor illius escæ,
Quæ simplex olim tibi sederit: at, simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis;
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum 75
Lenta feret pituita. Vides, ut pallidus omnis
Cœna desurgat dubia? Quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque prægravat una,
Atque affligit humo divinæ particulam auræ.
Alter, ubi dicto citius curata sopori 80
Membra dedit, vegetus præscripta ad munia surgit. [dam;
Hic tamen ad melius poterit transcurrere quon
Sive diem festum rediens adduxerit annus,
Seu recreare volet tenuatum corpus; ubique
Accedent anni, et tractari mollius ætas 85
Imbecilla volet. Tibi quidnam accedet ad istam,
Quam puer et validus præsumis, mollitiem; seu
Dura valetudo inciderit, seu tarda senectus?
Rancidum aprum antiqui laudabant, non quia nasus [hospes
Illis nullus erat, sed (credo) hac mente, quod
Tardius adveniens vitiatum commodius, quam 91
Integrum edax dominus consumeret. Hos utinam inter
Heroas natum tellus me prima tulisset!
Das aliquid famæ, quæ carmine gratior aurem
Occupat humanam? grandes rhombi patinæque
Grande ferunt una cum damno dedecus: adde 96
Iratum patruum, vicinos, te tibi iniquum,
Et frustra mortis cupidum, cum deerit egenti
As, laquei pretium. Jure, inquit, Trausius istis
Jurgatur verbis: ego vectigalia magna, 100
Divitiasque habeo tribus amplas regibus. Ergo
Quod superat, non est, melius quo insumere possis?
Cur eget indignus quisquam, te divite? quare
Templa ruunt antiqua deum? cur, improbe, caræ
Non aliquid patriæ tanto emetiris acervo? 105

Uni nimirum tibi recte semper erunt res?
O magnus posthac inimicis risus! Uterne
Ad casus dubios fidet sibi certius? hic, qui
Pluribus assuerit mentem corpusque superbum;
An qui, contentus parvo metuensque futuri, 110
In pace, ut sapiens, aptarit idonea bello?
Quo magis his credas; puer hunc ego parvus Ofellum
Integris opibus novi non latius usum,
Quam nunc accisis. Videas metato in agello,
Cum pecore et natis, fortem mercede colonum, 115
¶ Non ego, narrantem, temere edi luce profesta
Quicquam præter olus, fumosæ cum pede pernæ:
Ac mihi, seu longum post tempus venerat hospes,
Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
Vicinus, bene erat, non piscibus urbe petitis, 120
Sed pullo atque hædo: tum pensilis uva secundas
Et nux ornabat mensas, cum duplice ficu:
Post hoc ludus erat culpa potare magistra;
Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto,
Explicuit vino contractæ seria frontis. 125
Sæviat, atque novos moveat Fortuna tumultus;
Quantum hinc imminuet? quanto aut ego parcius, aut vos,
O pueri, nituistis, ut huc novus incola venit?
Nam propriæ telluris herum natura neque illum,
Nec me, nec quenquam, statuit. Nos expulit ille;
Illum aut nequities, aut vafri inscitia juris, 131
Postremo expellet certe vivacior hæres.
Nunc ager Umbreni sub nomine, nuper Ofelli
Dictus, erat nulli proprius; sed cedit in usum
Nunc mihi, nunc alii: quocirca vivite fortes, 135
Fortiaque adversis opponite pectora rebus.

SATIRA III

Sic raro scribis, ut toto non quater anno
Membranam poscas, scriptorum quæque retexens,
Iratus tibi, quod vini somnique benignus
Nil dignum sermone canas. Quid fiet? at ipsis
Saturnalibus huc fugisti: sobrius ergo 5
Dic aliquid dignum promissis: incipe. Nil est:
Culpantur frustra calami, immeritusque laborat
Iratis natus paries dis atque poetis.
Atqui vultus erat multa et præclara minantis,
Si vacuum tepido cepisset villula tecto. 10
Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro?
Eupolin, Archilochum, comites educere tantos?
Invidiam placare paras, virtute relicta?
Contemnere miser: vitanda est improba Siren
Desidia: aut, quicquid vita meliore parasti, 15
Ponendum æquo animo. ¶ Di te, Damasippe, deæque,
Verum ob consilium, donent tonsore. Sed unde
Tam bene me nosti? ¶ Postquam omnes res mea Janum
Ad medium fracta est, aliena negotia curo,
Excussus propriis: olim nam quærere amabam,
Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus ære, 21
Quid scalptum infabre, quid fusum durius esset:
Callidus huic signo ponebam millia centum:
Hortos egregiasque domos mercarier unus
Cum lucro noram; unde frequentia Mercuriale 25
Imposuere mihi cognomen compita. ¶ Novi:
Et morbi miror purgatum te illius. ¶ Atqui
Emovit veterem mire novus; ut solet, in cor
Trajecto lateris miseri capitisque dolore: [urget.
Ut lethargicus hic, cum fit pugil, et medicum
¶ Dum ne quid simile huic, esto ut libet. ¶ O bone, ne te 31
Frustrere; insanis et tu, stultique prope omnes,
Si quid Stertinius veri crepat; unde ego mira
Descripsi docilis præcepta hæc, tempore quo me
Solatus jussit sapientem pascere barbam, 35
Atque a Fabricio non tristem ponte reverti.
Nam, male re gesta, cum vellem mittere operto
Me capite in flumen, dexter stetit, et, ¶ Cave faxis
Te quicquam indignum: pudor, inquit, te malus angit,
Insanos qui inter vereare insanus haberi. 40
Primum nam inquiram, quid sit furere; hoc si erit in te
Solo, nil verbi, pereas quin fortiter, addam.
Quem mala stultitia, et quemcunque inscitia veri
Cæcum agit, insanum Chrysippi porticus et grex
Autumat. Hæc populos, hæc magnos formula reges, 45
Excepto sapiente, tenet. Nunc accipe, quare
Desipiant omnes æque ac tu, qui tibi nomen
Insano posuere. Velut sylvis, ubi passim
Palantes error certo de tramite pellit,
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit; unus utrique 50
Error, sed variis illudit partibus: hoc te
Crede modo insanum; nihilo ut sapientior ille,
Qui te deridet, caudam trahat. Est genus unum
Stultitiæ nihilum metuenda timentis; ut ignes,
Ut rupes fluviosque, in campo obstare queratur:
Alterum et huic varum et nihilo sapientius, ignes 56
Per medios fluviosque ruentis: clamet amica
Mater, honesta soror, cum cognatis, pater, uxor;
Hic fossa est ingens! hic rupes maxima! serva!
Non magis audierit, quam Fufius ebrius olim, 60
Cum Ilionam edormit; Catienis mille ducentis,
Mater, te appello, clamantibus. Huic ego vulgum
Errori similem cunctum insanire docebo.
Insanit veteres statuas Damasippus emendo:
Integer est mentis Damasippi creditor? esto; 65
Accipe, quod nunquam reddas mihi, si tibi dicam,
Tune insanus eris, si acceperis? an magis excors,
Rejecta præda, quam præsens Mercurius fert?
Scribe decem a Nerio: non est satis; adde Cicutæ
Nodosi tabulas centum, mille adde catenas: 70
Effugiet tamen hæc sceleratus vincula Proteus.
Cum rapies in jus malis ridentem alienis,
Fiet aper, modo avis, modo saxum, et, cum volet, arbor.
Si male rem gerere insani est; contra, bene, sani,
Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perilli
Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis. 76
Audire, atque togam jubeo componere, quisquis
Ambitione mala aut argenti pallet amore,
Quisquis luxuria tristive superstitione,
Aut alio mentis morbo calet; huc propius me, 80
Dum doceo insanire omnes, vos ordine adite.
Danda est hellebori multo pars maxima avaris:
Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.
Hæredes Staberi summam incidere sepulcro;
Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum 85
Damnati populo paria, atque epulum, arbitrio Arri; [prave,
Frumenti quantum metit Africa. ¶ Sive ego
Seu recte, hoc volui; ne sis patruus mihi. ¶ Credo [ergo
Hoc Staberi prudentem animum vidisse. ¶ Quid
Sensit, cum summam patrimoni insculpere saxo 90
Hæredes voluit? ¶ Quoad vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium, et cavit nihil acrius; ut, si
Forte minus locuples uno quadrante perisset,
Ipse videretur sibi nequior: omnis enim res,

Virtus, fama, decus, divina humanaque, pulchris
Divitiis parent; quas qui contraxerit, ille 96
Clarus erit, fortis, justus. ¶ Sapiensne? ¶ Etiam: et rex,
Et quicquid volet. Hoc, veluti virtute paratum,
Speravit magnæ laudi fore. Quid simile isti
Græcus Aristippus, qui servos projicere aurum
In media jussit Libya, quia tardius irent 101
Propter onus segnes? uter est insanior horum?
¶ Nil agit exemplum, litem quod lite resolvit.
¶ Si quis emat citharas, emtas comportet in unum,
Nec studio citharæ nec Musæ deditus ulli; 105
Si scalpra et formas, non sutor; nautica vela,
Aversus mercaturis; delirus et amens
Undique dicatur merito. Qui discrepat istis,
Qui nummos aurumque recondit, nescius uti 109
Compositis, metuensque velut contingere sacrum?
Si quis ad ingentem frumenti semper acervum
Porrectus vigilet cum longo fuste; neque illinc
Audeat esuriens dominus contingere granum,
Ac potius foliis parcus vescatur amaris:
Si, positis intus Chii veterisque Falerni 115
Mille cadis—nihil est, tercentum millibus, acre
Potet acetum: age, si et stramentis incubet unde-octoginta annos natus, cui stragula vestis,
Blattarum ac tinearum epulæ, putrescat in arca;
Nimirum insanus paucis videatur, eo quod 120
Maxima pars hominum morbo jactatur eodem.
Filius aut etiam hæc libertus ut ebibat hæres,
Dis inimice senex, custodis? ne tibi desit?
Quantulum enim summæ curtabit quisque dierum,
Ungere si caules oleo meliore, caputque 125
Cœperis impexa fœdum porrigine? Quare,
Si quidvis satis est, perjuras, surripis, aufers
Undique? tun' sanus? Populum si cædere saxis
Incipias, servosve tuo quos ære pararis,
Insanum te omnes pueri clamentque puellæ: 130
Cum laqueo uxorem interimis, matremque veneno,
Incolumi capite es? ¶ Quid enim? ¶ Neque tu hoc facis Argis,
Nec ferro ut demens genitricem occidis Orestes.
An tu reris eum occisa insanisse parente?
Ac non ante malis dementem actum Furiis, quam
In matris jugulo ferrum tepefecit acutum? 136
Quin, ex quo est habitus male tutæ mentis Orestes,
Nil sane fecit quod tu reprendere possis:
Non Pyladen ferro violare aususve sororem
Electram; tantum maledicit utrique, vocando 140
Hanc, Furiam; hunc, aliud, jussit quod splendida bilis.
Pauper Opimius argenti positi intus et auri,
Qui Veientanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestis,
Quondam lethargo grandi est oppressus, ut hæres
Jam circum loculos et claves lætus ovansque 146
Curreret. Hunc medicus multum celer atque fidelis
Excitat hoc pacto; mensam poni jubet, atque
Effundi saccos nummorum, accedere plures
Ad numerandum; hominem sic erigit: addit et illud, 150
Ni tua custodis, avidus jam hæc auferet hæres.
¶ Men' vivo? ¶ Ut vivas igitur, vigila: hoc age. ¶ Quid vis?
¶ Deficient inopem venæ te, ni cibus atque
Ingens accedat stomacho fultura ruenti.
Tu cessas? agedum; sume hoc ptisanarium oryzæ. 155
¶ Quanti emtæ? ¶ Parvo. ¶ Quanti ergo? ¶ Octussibus. ¶ Eheu!
Quid refert, morbo, an furtis, pereamve rapinis?
¶ Quisnam igitur sanus? ¶ Qui non stultus. ¶ Quid avarus? [avarus;
¶ Stultus et insanus. ¶ Quid? si quis non sit
Continuo sanus? ¶ Minime. ¶ Cur, Stoice? ¶ Dicam. 160
Non est cardiacus (Craterum dixisse putato)
Hic æger. Recte est igitur, surgetque? negabit;
Quod latus aut renes morbo tententur acuto.
Non est perjurus, neque sordidus; immolet æquis
Hic porcum Laribus: verum ambitiosus et audax; 165
Naviget Anticyram: quid enim differt, barathrone
Dones quicquid habes, an nunquam utare paratis?
Servius Oppidius Canusi duo prædia, dives
Antiquo censu, natis divisse duobus
Fertur, et hæc moriens pueris dixisse vocatis 170
Ad lectum: Postquam te talos, Aule, nucesque
Ferre sinu laxo, donare et ludere vidi;
Te, Tiberi, numerare, cavis abscondere tristem;
Extimui, ne vos ageret vesania discors;
Tu Nomentanum, tu ne sequerere Cicutam. 175
Quare, per divos oratus uterque Penates,
Tu cave ne minuas; tu, ne majus facias id
Quod satis esse putat pater, et natura coercet.
Præterea, ne vos titillet gloria, jure-jurando obstringam ambo: uter ædilis fueritve
Vestrum prætor, is intestabilis et sacer esto. 181
In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis,
Latus ut in Circo spatiere, aut æneus ut stes,
Nudus agris, nudus nummis, insane, paternis?
Scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu,
Astuta ingenuum vulpes imitata leonem? 186
¶ Ne quis humasse velit Ajacem, Atrida, vetas cur? [æquam
¶ Rex sum. ¶ Nil ultra quæro plebeius. ¶ Et Rem imperito; at si cui videor non justus, inulto
Dicere, quod sentis, permitto. ¶ Maxime regum,
Di tibi dent capta classem reducere Troja! 191
Ergo consulere, et mox respondere licebit?
¶ Consule. ¶ Cur Ajax heros ab Achille secundus
Putescit, toties servatis clarus Achivis?
Gaudeat ut populus Priami Priamusque inhumato,
Per quem tot juvenes patrio caruere sepulcro? 196
¶ Mille ovium insanus morti dedit, inclytum Ulixem
Et Menelaum una mecum se occidere clamans.
¶ Tu cum pro vitula statuis dulcem Aulide natam
Ante aras, spargisque mola caput, improbe, salsa,
Rectum animi servas? ¶ Quorsum? ¶ Insanus quid enim Ajax 201
Fecit, cum stravit ferro pecus? abstinuit vim
Uxore et nato: mala multa precatus Atridis,
Non ille aut Teucrum, aut ipsum violavit Ulixem. 204
¶ Verum ego, ut hærentes adverso littore naves
Eriperem, prudens placavi sanguine divos.
¶ Nempe tuo, furiose. ¶ Meo; sed non furiosus.
¶ Qui species alias veri, scelerisque tumultu
Permixtas capiet, commotus habebitur; atque,
Stultitiane erret, nihilum distabit, an ira. 210
Ajax cum immeritos occidit, desipit, agnos?
Cum prudens scelus ob titulos admittis inanes,
Stas animo? et purum est, vitio tibi cum tumidum est cor?
Si quis lectica nitidam gestare amet agnam,

Huic vestem, ut natæ, paret ancillas, paret aurum;
Rufam et Rufillam appellet, fortique marito 216
Destinet uxorem; interdicto huic omne adimat jus
Prætor, et ad sanos abeat tutela propinquos.
Quid? si quis natam pro muta devovet agna,
Integer est animi? ne dixeris. Ergo, ubi prava 220
Stultitia, hic est summa insania: qui sceleratus,
Et furiosus erit: quem cepit vitrea fama,
Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.
Nunc, age, luxuriam et Nomentanum arripe mecum;
Vincet enim stultos ratio insanire nepotes. 225
Hic, simul accepit patrimoni mille talenta,
Edicit, piscator uti, pomarius, auceps,
Unguentarius, ac Tusci turba impia vici,
Cum scurris fartor, cum Velabro omne Macellum,
Mane domum veniant. Quid tum? Venere frequentes: 230
Verba facit leno, Quicquid mihi, quicquid et horum [vel cras.
Cuique domi est, id crede tuum: et vel nunc pete,
Accipe, quid contra juvenis responderit æquus:
Tu nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum
Cœnem ego; tu pisces hiberno ex æquore vellis;
Segnis ego, indignus qui tantum possideam: aufer: 236
Sume tibi decies; tibi tantumdem; tibi triplex,
Unde uxor media currit de nocte citata.
Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet ut decies solidum exsorberet, aceto 240
Diluit insignem baccam; qui sanior, ac si
Illud idem in rapidum flumen jaceretve cloacam?
Quinti progenies Arri, par nobile fratrum,
Nequitia et nugis pravorum et amore gemellum,
Luscinias soliti impenso prandere coemtas; 245
Quorsum abeant? sanin'? cretâ, an carbone notandi?
Ædificare casas, plostello adjungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa,
Si quem delectet barbatum, amentia verset.
Si puerilius his, ratio esse evincet, amare; 250
Nec quicquam differre, utrumne in pulvere, trimus
Quale prius, ludas opus, an meretricis amore
Sollicitus plores; quæro, faciasne, quod olim
Mutatus Polemon? ponas insignia morbi,
Fasciolas, cubital, focalia, potus ut ille 255
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
Postquam est impransi correptus voce magistri?
Porrigis irato puero cum poma, recusat:
Sume, Catelle; negat: si non des, optat. Amator
Exclusus qui distat, agit ubi secum, eat, an non,
Quo rediturus erat non arcessitus, et hæret 261
Invisis foribus? Ne nunc, cum me vocat ultro,
Accedam? an potius mediter finire dolores?
Exclusit, revocat: redeam? non, si obsecret. Ecce
Servus, non paulo sapientior; O here, quæ res 265
Nec modum habet neque consilium, ratione modoque [bellum,
Tractari non vult. In amore hæc sunt mala;
Pax rursum; hæc si quis, tempestatis prope ritu
Mobilia, et cæca fluitantia sorte, laboret
Reddere certa sibi, nihilo plus explicet, ac si 270
Insanire paret certa ratione modoque.
Quid? cum, Picenis excerpens semina pomis,
Gaudes, si cameram percusti forte, penes te es?
Quid? cum balba feris annoso verba palato,
Ædificante casas qui sanior? Adde cruorem 275
Stultitiæ, atque ignem gladio scrutare: modo, inquam,
Hellade percussa, Marius cum præcipitât se,
Cerritus fuit? an commotæ crimine mentis
Absolves hominem, et sceleris damnabis eundem
Ex more imponens cognata vocabula rebus? 280
Libertinus erat, qui circum compita siccus
Lautis mane senex manibus currebat; et, Unum
(Quiddam magnum addens) unum me surpite morti,
Dis etenim facile est, orabat: sanus utrisque
Auribus atque oculis; mentem, nisi litigiosus, 285
Exciperet dominus, cum venderet. Hoc quoque vulgus
Chrysippus ponit fecunda in gente Meneni.
Jupiter, ingentes qui das adimisque dolores,
Mater ait pueri menses jam quinque cubantis,
Frigida si puerum quartana reliquerit, illo 290
Mane die, quo tu indicis jejunia, nudus
In Tiberi stabit. Casus medicusve levarit
Ægrum ex præcipiti, mater delira necabit
In gelida fixum ripa, febrimque reducet:
Quone malo mentem concussa? timore deorum.
Hæc mihi Stertinius, sapientum octavus, amico
Arma dedit, posthac ne compellarer inultus. 297
Dixerit insanum qui me, totidem audiet; atque
Respicere ignoto discet pendentia tergo.
¶ Stoice, post damnum sic vendas omnia pluris:
Qua me stultitia (quoniam non est genus unum) 301
Insanire putas? ego nam videor mihi sanus.
¶ Quid? caput abscissum demens cum portat Agave
Nati infelicis, sibi tum furiosa videtur?
¶ Stultum me fateor, (liceat concedere veris) 305
Atque etiam insanum; tantum hoc edissere, quo me
Ægrotare putes animi vitio? ¶ Accipe: primum
Ædificas; hoc est, longos imitaris, ab imo
Ad summum totus moduli bipedalis; et idem
Corpore majorem rides Turbonis in armis 310
Spiritum et incessum; qui ridiculus minus illo?
An, quodcunque facit Mecænas, te quoque verum est,
Tanto dissimilem, et tanto certare minorem?
Absentis ranæ pullis vituli pede pressis,
Unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens 315
Bellua cognatos eliserit. Illa rogare,
Quantane? num tantum, sufflans se, magna fuisset? [atque
¶ Major dimidio. ¶ Num tanto? Cum magis
Se magis inflaret; Non, si te ruperis, inquit, 319
Par eris. Hæc a te non multum abludit imago.
Adde poemata nunc; hoc est, oleum adde camino;
Quæ si quis sanus fecit, sanus facis et tu.
Non dico horrendam rabiem. ¶ Jam desine. ¶ Cultum
Majorem censu. ¶ Teneas, Damasippe, tuis te.
¶ Mille puellarum, puerorum mille furores. 325
¶ O major, tandem parcas, insane, minori.

SATIRA IV.

Unde, et quo Catius? ¶ Non est mihi tempus aventi
Ponere signa novis præceptis, qualia vincunt
Pythagoran, Anytique reum, doctumque Platona.
¶ Peccatum fateor, cum te sic tempore lævo
Interpellarim: sed des veniam bonus, oro. 5
Quod si interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox;
Sive est naturæ hoc, sive artis; mirus utroque.
¶ Quin id erat curæ, quo pacto cuncta tenerem;
Utpote res tenues, tenui sermone peractas.

¶ Ede hominis nomen; simul et, Romanus an hospes. 10
¶ Ipsa memor præcepta canam; celabitur auctor.
Longa quibus facies ovis erit, illa memento,
Ut succi melioris, et ut magis alma rotundis,
Ponere: namque marem cohibent callosa vitellum.
Caule suburbano, qui siccis crevit in agris 15
Dulcior; irriguo nihil est elutius horto.
Si vespertinus subito te oppresserit hospes,
Ne gallina malum responset dura palato,
Doctus eris vivam mixto mersare Falerno;
Hoc teneram faciet. Pratensibus optima fungis 20
Natura est: aliis male creditur. Ille salubres
Æstates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem quæ legerit arbore solem.
Aufidius forti miscebat mella Falerno,
Mendose; quoniam vacuis committere venis 25
Nil nisi lene decet: leni præcordia mulso
Prolueris melius. Si dura morabitur alvus,
Mytilus et viles pellent obstantia conchæ,
Et lapathi brevis herba, sed albo non sine Coo.
Lubrica nascentes implent conchylia lunæ. 30
Sed non omne mare est generosæ fertile testæ.
Murice Baiano melior Lucrina peloris:
Ostrea Circeiis, Miseno oriuntur echini;
Pectinibus patulis jactat se molle Tarentum.
Nec sibi cœnarum quivis temere arroget artem,
Non prius exacta tenui ratione saporum. 36
Nec satis est cara pisces averrere mensa,
Ignarum quibus est jus aptius, et quibus assis
Languidus in cubitum jam se conviva reponet
Umber, et iligna nutritus glande, rotundas 40
Curvet aper lances carnem vitantis inertem:
Nam Laurens malus est, ulvis et arundine pinguis.
Vinea submittit capreas non semper edules.
Fecundæ leporis sapiens sectabitur armos.
Piscibus atque avibus quæ natura et foret ætas,
Ante meum nulli patuit quæsita palatum. 46
Sunt quorum ingenium nova tantum crustula promit.
Nequaquam satis in re una consumere curam;
Ut si quis solum hoc, mala ne sint vina, laboret,
Quali perfundat pisces securus olivo. 50
Massica si cœlo supponas vina sereno,
Nocturna, si quid crassi est, tenuabitur aura,
Et decedet odor nervis inimicus; at illa
Integrum perdunt lino vitiata saporem.
Surrentina vafer qui miscet fæce Falerna 55
Vina, columbino limum bene colligit ovo;
Quatenus ima petit volvens aliena vitellus.
Tostis marcentem squillis recreabis et Afra
Potorem cochlea; nam lactuca innatat acri
Post vinum stomacho: perna magis ac magis hillis
Flagitat in morsus refici; quin omnia malit 61
Quæcunque immundis fervent illata popinis.
Est operæ pretium duplicis pernoscere juris
Naturam: simplex e dulci constat olivo,
Quod pingui miscere mero muriaque decebit, 65
Non alia quam qua Byzantia putuit orca.
Hoc ubi confusum sectis inserbuit herbis,
Corycioque croco sparsum stetit; insuper addes
Pressa Venafranæ quod bacca remisit olivæ.
Picenis cedunt pomis Tiburtia succo; 70
Nam facie præstant. Venucula convenit ollis;
Rectius Albanam fumo duraveris uvam.
Hanc ego cum malis ego fæcem primus et halec,
Primus et invenior piper album, cum sale nigro
Incretum, puris circumposuisse catillis. 75
Immane est vitium, dare millia terna macello,
Angustoque vagos pisces urgere catino.
Magna movet stomacho fastidia, seu puer unctis
Tractavit calicem manibus, dum furta ligurrit;
Sive gravis veteri crateræ limus adhæsit. 80
Vilibus in scopis, in mappis, in scobe, quantus
Consistit sumtus? neglectis, flagitium ingens.
Ten' lapides varios lutulenta radere palma,
Et Tyrias dare circum illota toralia vestes;
Oblitum, quanto curam sumtumque minorem 85
Hæc habeant, tanto reprendi justius illis,
Quæ nisi divitibus nequeant contingere mensis?
¶ Docte Cati, per amicitiam divosque rogatus,
Ducere me auditum, perges quocunque, memento.
Nam, quamvis referas memori mihi pectore cuncta,
Non tamen interpres tantundem juveris: adde 91
Vultum habitumque hominis; quem tu vidisse beatus,
Non magni pendis, quia contigit: at mihi cura
Non mediocris inest, fontes ut adire remotos,
Atque haurire queam vitæ præcepta beatæ. 95

SATIRA V.—*In Captatores et Hæredipetas.*

Hoc quoque, Tiresia, præter narrata, petenti
Responde, quibus amissas reparare queam res
Artibus atque modis. Quid rides? ¶ Jamne doloso
Non satis est Ithacam revehi, patriosque penates 4
Adspicere? ¶ O nulli quicquam mentite, vides ut
Nudus inopsque domum redeam, te vate; neque illic
Aut apotheca procis intacta est, aut pecus: atqui
Et genus et virtus, nisi cum re, vilior alga est.
¶ Quando pauperiem, missis ambagibus, horres;
Accipe, qua ratione queas ditescere. Turdus, 10
Sive aliud privum, dabitur tibi; devolet illuc
Res ubi magna nitet, domino sene; dulcia poma,
Et quoscunque feret cultus tibi fundus honores,
Ante Larem gustet venerabilor Lare dives;
Qui quamvis perjurus erit, sine gente, cruentus 15
Sanguine fraterno, fugitivus; ne tamen illi
Tu comes exterior, si postulet, ire recuses.
¶ Utne tegam spurco Damæ latus? haud ita Trojæ
Me gessi, certans semper melioribus. ¶ Ergo
Pauper eris. ¶ Fortem hoc animum tolerare jubebo: 20
Et quondam majora tuli. Tu protinus, unde
Divitias ærisque ruam, dic, augur, acervos.
¶ Dixi equidem, et dico. Captes astutus ubique
Testamenta senum: neu, si vafer unus et alter
Insidiatorem præroso fugerit hamo, 25
Aut spem deponas, aut artem illusus omittas.
Magna minorve foro si res certabitur olim,
Vivet uter locuples sine natis, improbus ultro
Qui meliorem audax vocet in jus, illius esto
Defensor: fama civem causaque priorem 30
Sperne, domi si natus erit fecundave conjux.
Quinte, puta, aut Publi, (gaudent prænomine molles
Auriculæ) tibi me virtus tua fecit amicum:
Jus anceps novi, causas defendere possum:
Eripiet quivis oculos citius mihi, quam te 35
Contemtum quassa nuce pauperet: hæc mea cura est, [atque
Ne quid tu perdas, neu sis jocus. Ire domum
Pelliculam curare jube; fi cognitor ipse.
Persta, atque obdura, seu rubra Canicula findet
Infantes statuas, seu pingui tentus omaso 40
Furius hibernas cana nive conspuet Alpes. [gens
Nonne vides (aliquis cubito stantem prope tan-
Inquiet) ut patiens, ut amicis aptus, ut acer?

Plures annabunt thynni, et cetaria crescent.
Si cui præterea validus male filius in re 45
Præclara sublatus aletur; ne manifestum
Cœlibis obsequium nudet te, leniter in spem
Arrepe officiosus, ut et scribare secundus
Hæres, et, si quis casus puerum egerit Orco,
In vacuum venias: perraro hæc alea fallit. 50
Qui testamentum tradet tibi cunque legendum,
Abnuere, et tabulas a te removere memento;
Sic tamen, ut limis rapias, quid prima secundo
Cera velit versu; solus, multisne cohæres,
Veloci percurre oculo. Plerumque recoctus 55
Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem,
Captatorque dabit risus Nasica Corano. [nendo?
¶ Num furis? an prudens ludis me, obscura ca-
¶ O Laertiade, quicquid dicam, aut erit, aut non:
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo. 60
¶ Quid tamen ista velit sibi fabula, si licet, ede.
¶ Tempore quo juvenis Parthis horrendus, ab alto
Demissum genus Ænea, tellure marique
Magnus erit, forti nubet procera Corano
Filia Nasicæ, metuentis reddere soldum. 65
Tum gener hoc faciet; tabulas socero dabit, atque
Ut legat orabit: multum Nasica negatas
Accipiet tandem, et tacitus leget; invenietque
Nil sibi legatum, præter plorare, suisque.
Illud ad hæc jubeo; mulier si forte dolosa 70
Libertusve senem delirum temperet, illis
Accedas socius: laudes, lauderis ut absens:
Adjuvat hoc quoque; sed vincit longe prius ipsum
Expugnare caput. Scribet mala carmina vecors?
Laudato: scortator erit? cave te roget: ultro 75
Penelopen facilis potiori trade. ¶ Putasne,
Perduci poterit tam frugi tamque pudica,
Quam nequiere proci recto depellere cursu?
¶ Venit enim magnum donandi parca juventus,
Nec tantum Veneris quantum studiosa culinæ: 80
Sic tibi Penelope frugi est, quæ, si semel uno
De sene gustarit tecum partita lucellum,
Ut canis, a corio nunquam absterrebitur uncto.
Me sene, quod dicam, factum, est; anus improba Thebis
Ex testamento sic est elata; cadaver 85
Unctum oleo largo nudis humeris tulit hæres;
Scilicet elabi si posset mortua, (credo)
Quod nimium institerat viventi. Cautus adito:
Neu desis operæ, neve immoderatus abundes.
Difficilem et morosum offendet garrulus: ultra 90
Non etiam sileas. Davus sis comicus, atque
Stes capite obstipo, multum similis metuenti.
Obsequio grassare: mone, si increbruit aura,
Cautus uti velet carum caput: extrahe turba,
Oppositis humeris: aurem substringe loquaci. 95
Importunus amat laudari? donec Ohe! jam
Ad cœlum manibus sublatis, dixerit, urge; et
Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.
Cum te servitio longo curaque levarit;
Et certum vigilans, Quartæ esto partis Ulixes,
Audieris, hæres: Ergo nunc Dama sodalis 101
Nusquam est? unde mihi tam fortem, tamque fidelem? [Est
Sparge subinde: et, si paulum potes, illacrymare.
Gaudia prodentem vultum celare. Sepulcrum,
Permissum arbitrio, sine sordibus exstrue: funus
Egregie factum laudet vicinia. Si quis 106
Forte cohæredum senior male tussiet, huic tu
Dic, ex parte tua, seu fundi sive domus sit
Emtor, gaudentem nummo te addicere. Sed me
Imperiosa trahit Proserpina: vive valeque. 110

SATIRA VI.—*Horatii Votum.*

Hoc erat in votis; modus agri non ita magnus,
Hortus ubi, et tecto vicinus jugis aquæ fons,
Et paulum sylvæ super his foret Auctius atque
Di melius fecere: bene est: nil amplius oro,
Maia nate, nisi ut propria hæc mihi munera faxis.
Si neque majorem feci ratione mala rem, 6
Nec sum facturus vitio culpave minorem;
Si veneror stultus nihil horum; O si angulus ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum?
O si urnam argenti fors quæ mihi monstret! ut illi, 10
Thesauro invento qui mercenarius agrum
Illum ipsum mercatus aravit, dives amico
Hercule; si, quod adest, gratum juvat; hac prece te oro,
Pingue pecus domino facias, et cætera, præter 14
Ingenium; utque soles, custos mihi maximus adsis. [movi,
Ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe re-
(Quid prius illustrem satiris musaque pedestri?)
Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus Auster,
Auctumnusque gravis, Libitinæ quæstus acerbæ.
Matutine pater, seu Jane libentius audis, 20
Unde homines operum primos vitæque labores
Instituunt, (sic dis placitum) tu carminis esto
Principium: Romæ sponsorem me rapis. ¶ Eja,
Ne prior officio quisquam respondeat, urge:
Sive Aquilo radit terras, seu bruma nivalem 25
Interiore diem gyro trahit, ire necesse est.
¶ Postmodo, quod mi obsit, clare certumque locuto,
Luctandum in turba; facienda injuria tardis.
¶ Quid vis, insane? et quas res agis improbus? urget
Iratis precibus; tu pulses omne quod obstat, 30
Ad Mecænatem memori si mente recurras.
¶ Hoc juvat, et melli est; non mentiar. At simul atras
Ventum est Esquilias, aliena negotia centum
Per caput et circa saliunt latus Ante secundam
Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras. 35
De re communi scribæ magna atque nova te
Orabant hodie meminisses, Quinte, reverti.
Imprimat his cura Mecænas signa tabellis.
Dixeris, Experiar: Si vis, potes, addit, et instat.
Septimus octavo propior jam fugerit annus, 40
Ex quo Mecænas me cœpit habere suorum
In numero, duntaxat ad hoc, quem tollere rheda
Vellet, iter faciens, et cui concredere nugas
Hoc genus; Hora quota est? Threx est Gallina Syro par?
Matutina parum cautos jam frigora mordent; 45
Et quæ rimosa bene deponuntur in aure.
Per totum hoc tempus subjectior in diem et horam
Invidiæ. Noster ludes spectaverat una;
Luserat in Campo; Fortunæ filius; omnes.
Frigidus a Rostris manat per compita rumor: 50
Quicunque obvius est, me consulit; ¶ O bone, (nam te
Scire, deos quoniam propius contingis, oportet)
Num quid de Dacis audisti? ¶ Nil equidem. ¶ Ut tu
Semper eris derisor! ¶ At omnes di exagitent me,
Si quicquam. ¶ Quid? militibus promissa Triquetra 55
Prædia Cæsar, an est Itala, tellure daturus?
Jurantem me scire nihil mirantur, ut unum
Scilicet egregii mortalem altique silenti.
Perditur hæc inter misero lux, non sine votis:

O rus, quando ego te adspiciam? quandoque licebit,
Nunc veterum libris, nunc somno et insertibus horis,
Ducere sollicitæ jucunda oblivia vitæ?
O quando faba Pythagoræ cognata, simulque
Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo?
O noctes cœnæque deum! quibus ipse, meique, 65
Ante larem proprium vescor, vernasque procaces
Pasco libatis dapibus. Prout cuique libido est,
Siccat inæquales calices conviva, solutus
Legibus insanis: seu quis capit acria fortis
Pocula, seu modicis uvescit lætius. Ergo 70
Sermo oritur, non de villis domibusve alienis,
Nec, male necne Lepos saltet; sed quod magis ad nos
Pertinet, et nescire malum est, agitamus: utrumne
Divitiis homines, an sint virtute beati?
Quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos? 75
Et quæ sit natura boni? summumque quid ejus?
Cervius hæc inter vicinus garrit aniles
Ex re fabellas. Si quis nam laudat Arelli
Sollicitas ignarus opes, sic incipit: ¶ Olim
Rusticus urbanum murem mus paupere fertur 80
Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum;
Asper, et attentus quæsitis, ut tamen arctum
Solveret hospitiis animum. Quid multa? neque ille
Sepositi ciceris, nec longæ invidit avenæ:
Aridum et ore ferens acinum semesaque lardi 85
Frusta dedit, cupiens varia fastidia cœna
Vincere tangentis male singula dente superbo;
Cum pater ipse domus palea porrectus in horna
Esset ador loliumque, dapis meliora relinquens.
Tandem urbanus ad hunc, Quid te juvat, inquit, amice, 90
Prærupti nemoris patientem vivere dorso?
Vis tu homines urbemque feris præponere sylvis?
Carpe viam (mihi crede) comes, terrestria quando
Mortales animas vivunt sortita, neque ulla est
Aut magno aut parvo leti fuga: quo, bone, circa,
Dum licet, in rebus jucundis vive beatus; 96
Vive memor quam sis ævi brevis. Hæc ubi dicta
Agrestem pepulere, domo levis exsilit: inde
Ambo propositum peragunt iter, urbis aventes
Mœnia nocturni subrepere. Jamque tenebat 100
Nox medium cœli spatium, cum ponit uterque
In locuplete domo vestigia; rubro ubi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos,
Multaque de magna superessent fercula cœna,
Quæ procul exstructis inerant hesterna canistris.
Ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit 106
Agrestem, veluti succinctus cursitat hospes,
Continuatque dapes; necnon vernaliter ipsis
Fungitur officiis, prælambens omne quod affert.
Ille cubans gaudet mutata sorte, bonisque 110
Rebus agit lætum convivam; cum subito ingens
Valvarum strepitus lectis excussit utrumque.
Currere per totum pavidi conclave; magisque
Exanimes trepidare, simul domus alta Molossis
Personuit canibus. Tum rusticus, Haud mihi vita
Est opus hac, ait; et valeas: me sylva cavusque
Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo. 117

SATIRA VII.

Jamdudum ausculto; et cupiens tibi dicere servus
Pauca, reformido. ¶ Davusne? ¶ Ita, Davus, amicum
Mancipium domino, et frugi, quod sit satis; hoc est,
Ut vitale putes. ¶ Age, libertate Decembri
(Quando ita majores voluerunt) utere; narra. 5
¶ Pars hominum vitiis gaudet constanter, et urget
Propositum; pars multa natat, modo recta capessens,
Interdum pravis obnoxia. Sæpe notatus
Cum tribus annellis, modo læva Priscus inani,
Vixit inæqualis, clavum ut mutaret in horas; 10
Ædibus ex magnis subito se conderet, unde
Mundior exiret vix libertinus honeste:
Jam mœchus Romæ, jam mallet doctor Athenis
Vivere, Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.
Scurra Volanerius, postquam illi justa cheragra
Contudit articulos, qui pro se tolleret atque 16
Mitteret in phimum talos, mercede diurna
Conductum pavit; quanto constantior idem
In vitiis, tanto levius miser ac prior illo,
Qui jam contento, jam laxo fune laborat. 20
¶ Non dices hodie, quorsum hæc tam putida tendant,
¶ Laudas Furcifer? ¶ Ad te, inquam. ¶ Quo pacto, pessime?
Fortunam et mores antiquæ plebis; et idem,
Si quis ad illa deus subito te agat, usque recuses;
Aut quia non sentis, quod clamas, rectius esse, 25
Aut quia non firmus rectum defendis, et hæres,
Nequicquam cœno cupiens evellere plantam.
Romæ rus optas; absentem rusticus urbem
Tollis ad astra levis. Si nusquam es forte vocatus
Ad cœnam, laudas securum olus: ac, velut usquam 30
Vinctus eas, ita te felicem dicis, amasque,
Quod nusquam tibi sit potandum. Jusserit ad se
Mecænas serum sub lumina prima venire
Convivam; Nemon' oleum fert ocyus? ecquis
Audit? cum magno blateras clamore, furisque. 35
Milvius et scurræ, tibi non referenda precati,
Discedunt. Etenim fateor me, dixerit ille,
Duci ventre levem; nasum nidore supinor;
Imbecillus, iners, si quid vis, adde, popino.
Tu, cum sis quod ego, et fortassis nequior, ultro
Insectere, velut melior? verbisque decoris 41
Obvolvas vitium? Quid, si me stultior ipso
Quingentis emto drachmis deprenderis? Aufer
Me vultu terrere; manum stomachumque teneto,
Dum, quæ Crispini docuit me janitor, edo. 45
Te conjux aliena capit, meretricula Davum:
Peccat uter nostrum cruce dignius? Acris ubi me
Natura incendit, sub clara nuda lucerna
Quæcunque excepit turgentis verbera caudæ,
Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum, 50
Dimittit neque famosum, neque sollicitum, ne
Ditior aut formæ melioris meiat eodem.
Tu cum, projectis insignibus, annulo equestri,
Romanoque habitu, prodis ex judice Dama
Turpis, odoratum caput obscurante lacerna, 55
Non es quod simulas? Metuens induceris, atque
Altercante libidinibus tremis ossa pavore.
Quid refert, uri virgis, ferroque necari,
Auctoratus eas; an turpi clausus in arca,
Quo te demisit peccati conscia herilis 60
Contractum, genibus tangas caput? Estne marito
Matronæ peccantis in ambo justa potestas?
In corruptorem vel justior: illa tamen se
Non habitu mutatve loco, peccatve superne,
Cum te formidet mulier, neque credat amanti. 65
Ibis sub furcam prudens, dominoque furenti
Committes rem omnem, et vitam, et cum corpore famam.
Evasti? credo metues, doctusque cavebis.
Quæres quando iterum paveas, iterumque perire
Possis. O toties servus! quæ bellua ruptis, 70
Cum semel effugit, reddit se prava catenis?

Non sum mœchus, ais: neque ego (hercule) fur, ubi vasa
Prætereo sapiens argentea: tolle periclum,
Jam vaga prosiliet frenis natura remotis. 74
Tune mihi dominus, rerum imperiis hominumque
Tot tantisque minor? quem ter vindicta quaterque
Imposita haud unquam misera formidine privet?
Adde super, dictis quod non levius valeat; nam
Sive vicarius est, qui servo paret, (uti mos
Vester ait,) seu conservus; tibi quid sum ego? nempe 80
Tu, mihi qui imperitas, aliis servis miser, atque
Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.
Quisnam igitur liber? Sapiens, sibi qui imperiosus; [terrent;
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula
Responsare cupidinibus, contemnere honores 85
Fortis; et in se ipso totus, teres atque rotundus,
Externi ne quid valeat per læve morari;
In quem manca ruit semper Fortuna. Potesne
Ex his, ut proprium, quid noscere? Quinque talenta
Poscit te mulier; vexat, foribusque repulsum 90
Perfundit gelida: rursus vocat: eripe turpi
Colla jugo: Liber, liber sum, dic age. Non quis;
Urget enim dominus mentem non lenis, et acres
Subjectat lasso stimulos, versatque negantem.
Vel cum Pausiaca torpes, insane, tabella, 95
Qui peccas minus atque ego, cum Fulvi Rutubæque,
Aut Placideiani contento poplite miror
Prœlia rubrica picta aut carbone, velut si
Re vera pugnent, feriant, vitentque moventes
Arma viri? Nequam et cessator Davus; at ipse
Subtilis veterum judex et callidus audis. 101
Nil ego, si ducor libo fumante; tibi ingens
Virtus atque animus cœnis responsat opimis?
Obsequium ventris mihi perniciosius est; cur?
Tergo plector enim; qui tu impunitior illa, 105
Quæ parvo sumi nequeunt, opsonia captas?
Nempe inamarescunt epulæ sine fine petitæ,
Illusique pedes vitiosum ferre recusant
Corpus. An hic peccat, sub noctem qui puer uvam
Furtiva mutat strigili; qui prædia vendit, 110
Nil servile, gulæ parens, habet? Adde, quod idem
Non horam tecum esse potes; non otia recte
Ponere; teque ipsum vitas, fugitivus ut erro,
Jam vino quærens, jam somno fallere curam;
Frustra: nam comes atra premit, sequiturque fugacem. 115
¶ Unde mihi lapidem? ¶ Quorsum est opus? ¶ Unde sagittas? [hinc te
¶ Aut insanit homo, aut versus facit. ¶ Ocius
Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.

SATIRA VIII.

Ut Nasidieni juvit te cœna beati?
Nam mihi, quærenti convivam, dictus here illic
De medio potare die. ¶ Sic, ut mihi nunquam
In vita fuerit melius. ¶ Da, si grave non est,
Quæ prima iratum ventrem placaverit esca. 5
¶ In primis Lucanus aper: leni fuit Austro
Captus, ut aiebat cœnæ pater; acria circum
Rapula, lactucæ, radices, qualia lassum
Pervellunt stomachum, siser, halec, fæcula Coa.
His ubi sublatis puer alte cinctus acernam 10
Gausape purpureo mensam pertersit, et alter
Sublegit quodcunque jaceret inutile, quodque
Posset cœnantes offendere; ut Attica virgo
Cum sacris Cereris, procedit fuscus Hydaspes
Cæcuba vina ferens; Alcon, Chium maris expers
Hic herus; Albanum, Mecænas, sive Falernum, 16
Te magis appositis delectat; habemus utrumque
¶ Divitias miseras! Sed queis cœnantibus una,
Fundani, pulchre fuerit tibi, nosse laboro.
¶ Summus ego, et prope me Viscus Thurinus, et infra 20
(Si memini) Varius; cum Servilio Balatrone
Vibidius, quos Mecænas adduxerat umbras.
Nomentanus erat super ipsum, Porcius infra,
Ridiculus totas simul obsorbere placentas.
Nomentanus ad hoc, qui, si quid forte lateret, 25
Indice monstraret digito: nam cætera turba,
Nos, inquam, cœnamus aves, conchylia, pisces,
Longe dissimilem noto celantia succum;
Ut vel continuo patuit, cum passeris atque
Ingustata mihi porrexerat ilia rhombi. 30
Post hoc me docuit, melimela rubere minorem
Ad lunam delecta: quid hoc intersit, ab ipso
Audieris melius. Tum Vibidius Balatroni:
Nos, nisi damnose bibimus, moriemur inulti:
Et calices poscit majores. Vertere pallor 35
Tum parochi faciem, nil sic metuentis ut acres
Potores; vel quod maledicunt liberius, vel
Fervida quod subtile exsurdant vina palatum.
Invertunt Allifanis vinaria tota
Vibidius Balatroque, secutis omnibus: imi 40
Convivæ lecti nihilum nocuere lagenis.
Affertur squillas inter muræna natantes [inquit,
In patina porrecta. Sub hoc herus, Hæc gravida,
Capta est, deterior post partum carne futura.
His mixtum jus est; oleo, quod prima Venafri 45
Pressit cella; garo de succis piscis Iberi;
Vino quinquenni, verum citra mare nato,
Dum coquitur (cocto Chium sic convenit, ut non
Hoc magis ullum aliud) pipere albo, non sine aceto,
Quod Methymnæam vitio mutaverit uvam. 50
Erucas virides, inulas ego primus amaras
Monstravi incoquere; illutos Curtillus echinos,
Ut melius, muria, quam testa marina remittit.
Interea suspensa graves aulæa ruinas
In patinam fecere, trahentia pulveris atri 55
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.
Nos majus veriti, postquam nihil esse pericli
Sensimus, erigimur. Rufus posito capite, ut si
Filius immaturus obisset, flere. Quis esset
Finis, ni sapiens sic Nomentanus amicum 60
Tolleret: Heu, Fortuna, quis est crudelior in nos
Te deus? ut semper gaudes illudere rebus
Humanis! Varius mappa compescere risum
Vix poterat. Balatro, suspendens omnia naso,
Hæc est conditio vivendi, aiebat; eoque 65
Responsura tuo nunquam est par fama labori.
Tene, ut ego accipiar laute, torquerier omni
Sollicitudine districtum, ne panis adustus,
Ne male conditum jus apponatur, ut omnes
Præcincti recte pueri comtique ministrent? 70
Adde hos præterea casus; aulæa ruant si,
Ut modo; si patinam pede lapsus frangat agaso
Sed convivatoris, uti ducis, ingenium res
Adversæ nudare solunt, celare secundæ.
Nasidienus ad hæc: Tibi di, quæcunque preceris, 75
Commoda dent; ita vir bonus es, convivaque comis.
Et soleas poscit. Tum in lecto quoque videres
Stridere secreta divisos aure susurros.

¶ Nullos his mallem ludos spectasse : sed illa 79
Redde, age, quæ deinceps risisti. ¶ Vibidius dum
Quærit de pueris, num sit quoque fracta lagena,
Quod sibi poscenti non dentur pocula ; dumque
Ridetur fictis rerum, Balatrone secundo ;
Nasidiene, redis mutatæ frontis, ut arte
Emendaturus fortunam. Deinde secuti 85
Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis, sparsi sale multo, non sine farre;
Pinguibus et ficis pastum jecur anseris albi ;
Et leporum avulsos, ut multo suavius, armos,
Quam si cum lumbis quis edit : tum pectore adusto 90
Vidimus et merulas poni, et sine clune palumbes;
Suaves res, si non causas narraret earum et
Naturas dominus ; quem nos sic fugimus ulti,
Ut nihil omnino gustaremus, velut illis
Canidia afflasset pejor serpentibus Afris. 95

Q. HORATII FLACCI EPISTOLARUM

LIBER PRIMUS.

EPISTOLA I.—*Ad Mecænatem.*

Prima dicte mihi, summa dicende Camœna,
Spectatum satis, et donatum jam rude, quæris,
Mecænas, iterum antiquo me includere ludo,
Non eadem est ætas, non mens. Veianius, armis
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro, 5
Ne populum extrema toties exoret arena.
Est mihi purgatam crebro qui personet aurem ;
Solve senescentem mature sanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, et ilia ducat.
Nunc itaque et versus et cætera ludicra pono : 10
Quid verum atque decens curo et rogo, et omnis in hoc sum :
Condo et compono, quæ mox depromere possim.
Ac ne forte roges, quo me duco, quo lare tuter ;
Nullius addictus jurare in verba magistri,
Quo me cunque rapit tempestas, deferor hospes.
Nunc agilis fio, et mersor civilibus undis,
Virtutis veræ custos rigidusque satelles :
Nunc in Aristippi furtim præcepta relabor,
Et mihi res, non me rebus, subjungere conor.
Ut nox longa, quibus mentitur amica, diesque 20
Lenta videtur opus debentibus ; ut piger annus
Pupillis, quos dura premit custodia matrum ;
Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora, quæ spem
Consiliumque morantur agendi gnaviter id quod
Æque pauperibus prodest, locupletibus æque ;
Æque neglectum pueris senibusque nocebit. 26
Restat, ut his ego me ipse regam solerque elementis :
Non possis oculo quantum contendere Lynceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi ;
Nec, quia desperes invicti membra Glyconis, 30
Nodosa corpus nolis prohibere cheragra.
Est quadam prodire tenus, si non datur ultra.
Fervet avaritia miseroque cupidine pectus ?
Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, et magnam morbi deponere partem. 35
Laudis amore tumes ? sunt certa piacula, quæ te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.
Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator ;
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit.
Si modo culturæ patientem commodet aurem. 40
Virtus est vitium fugere, et sapientia prima
Stultitia caruisse. Vides, quæ maxima credis
Esse mala, exiguum censum, turpemque repulsam,
Quanto devites animi capitisque labore.
Impiger extremos curris mercator ad Indos, 45
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes ;
Ne cures ea quæ stulte miraris et optas,
Discere et audire et meliori credere non vis ?
Quis, circum pagos et circum compita pugnax,
Magna coronari contemnat Olympia, cui spes, 50
Cui sit conditio dulcis sine pulvere palmæ ?
Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.
O cives, cives, quærenda pecunia primum est,
Virtus post nummos : hæc Janus summus ab imo
Prodocet ; hæc recinunt juvenes dictata senesque,
Lævo suspensi loculos tabulamque lacerto. 56
Est animus tibi, sunt mores, est lingua fidesque :
Sed quadringentis sex septem millia desint ;
Plebs eris. At pueri ludentes, Rex eris, aiunt,
Si recte facies. Hic murus aeneus esto, 60
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum est
Nænia, quæ regnum recte facientibus offert,
Et maribus Curiis et decantata Camillis ?
Isne tibi melius suadet, qui, rem facias ; rem 65
Si possis, recte ; si non, quocunque modo rem ;
Ut propius spectes lacrymosa poemata Pupi :
An qui, fortunæ te responsare superbæ
Liberum et erectum, præsens hortatur et aptat ?
Quod si me populus Romanus forte roget, cur 70
Non, ut porticibus, sic judiciis fruar isdem ;
Nec sequar aut fugiam, quæ diligit ipse vel odit ;
Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Respondit, referam : Quia me vestigia terrent
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum. 75
Bellua multorum es capitum : nam quid sequar ? aut quem ?
Pars hominum gestit conducere publica : sunt qui
Crustis et pomis viduas venentur avaras,
Excipiantque senes, quos in vivaria mittant :
Multis occulto crescit res fœnore. Verum 80
Esto, aliis alios rebus studiisque teneri ;
Iidem eadem possunt horam durare probantes ?
Nullus in orbe sinus Baiis prælucet amœnis,
Si dixit dives, lacus et mare sentit amorem
Festinantis heri ; cui si vitiosa libido 85
Fecerit auspicium, cras ferramenta Teanum
Tolletis, fabri. Lectus genialis in aula est ?
Nil ait esse prius, melius nil cœlibe vita ;
Si non est, jurat bene solis esse maritis.
Quo teneam vultus mutantem Protea nodo ? 90
Quid pauper ? ride : mutat cœnacula, lectos,
Balnea, tonsores ; conducto navigio æque
Nauseat ac locuples, quem ducit priva triremis.
Si curtatus inæquali tonsore capillos
Occurri, rides : si forte subucula pexæ 95

Trita subest tunicæ, vel si toga dissidet impar,
Rides: quid, mea cum pugnat sententia secum;
Quod petiit, spernit; repetit, quod nuper omisit;
Æstuat, et vitæ disconvenit ordine toto;
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis? 100
Insanire putas sollennia me, neque rides,
Nec medici credis, nec curatoris egere
A prætore dati; rerum tutela mearum
Cum sis, et prave sectum stomacheris ob unguem
De te pendentis, te respicientis amici. 105
Ad summam, sapiens uno minor est Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum;
Præcipue sanus, nisi cum pituita molesta est.

EPISTOLA II.—*Ad Lollium.*

Trojani belli scriptorem, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romæ, Præneste relegi;
Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit.
Cur ita crediderim, nisi quid te detinet, audi. 5
Fabula, qua Paridis propter narratur amorem
Græcia Barbariæ lento collisa duello,
Stultorum regum et populorum continet æstus.
Antenor censet belli præcidere causam:
Quid Paris? ut salvus regnet, vivatque beatus, 10
Cogi posse negat. Nestor componere lites
Inter Peliden festinat et inter Atriden: [que.
Hunc amor, ira quidem communiter urit utrum-
Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi.
Seditione, dolis, scelere, atque libidine, et ira, 15
Iliacos intra muros peccatur, et extra.
Rursus, quid virtus et quid sapientia possit,
Utile proposuit dobis exemplar Ulixem;
Qui domitor Trojæ, multorum providus urbes
Et mores hominum inspexit; latumque per æquor, 20
Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
Pertulit, adversis rerum immersabilis undis.
Sirenum voces et Circæ pocula nosti;
Quæ si cum sociis stultus cupidusque bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis et excors; 25
Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.
Nos numerus sumus, et fruges consumere nati,
Sponsi Penelopæ, nebulones, Alcinoique
In cute curanda plus æquo operata juventus;
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, et 30
Ad strepitum citharæ cessatum ducere curam.
Ut jugulent hominem, surgunt de nocte latrones;
Ut te ipsum serves, non expergisceris? atqui
Si noles sanus, curres hydropicus: et, ni
Posces ante diem librum cum lumine, si non 35
Intendes animum studiis et rebus honestis,
Invidia vel amore vigil torquebere. Nam cur,
Quæ lædunt oculum, festinas demere; si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti, qui cœpit, habet: sapere aude;
Incipe. Qui recte vivendi prorogat horam, 41
Rusticus exspectat dum defluat amnis; at ille
Labitur, et labetur in omne volubilis ævum.
Quæritur argentum, puerisque beata creandis
Uxor, et incultæ pacantur vomere sylvæ. 45
Quod satis est, cui contingit, nihil amplius optet.
Non domus et fundus, non æris acervus et auri,
Ægroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas. Valeat possessor, oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat uti. 50
Qui cupit aut metuit, juvat illum sic domus et res,
Ut lippum pictæ tabulæ, fomenta podagram,
Auriculas citharæ collecta sorde dolentes.
Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit.
Sperne voluptates: nocet emta dolore voluptas.
Semper avarus eget: certum voto pete finem. 56
Invidus alterius macrescit rebus opimis:
Invidia Siculi non invenere tyranni
Majus tormentum. Qui non moderabitur iræ,
Infectum volet esse, dolor quod suaserit et mens,
Dum pœnas odio per vim festinat inulto. 61
Ira furor brevis est: animum rege; qui, nisi paret,
Imperat: hunc frenis, hunc tu compesce catena.
Fingit equum tenera docilem cervice magister
Ire viam qua monstret eques. Venaticus, ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula, 66
Militat in sylvis catulus. Nunc adbibe puro
Pectore verba puer; nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu. Quod si cessas, aut strenuus anteis; 70
Nec tardum opperior, nec præcedentibus insto.

EPISTOLA III.—*Ad Julium Florum.*

Juli Flore, quibus terrarum militet oris
Claudius Augusti privignus, scire laboro.
Thracane vos, Hebrusque nivali compede vinctus,
An freta vicinas inter currentia turres,
An pingues Asiæ campi collesque morantur? 5
Quid studiosa cohors operum struit? Hæc quoque curo;
Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit?
Bella quis et paces longum diffundit in ævum?
Quid Titius, Romana brevi venturus in ora,
Pindarici fontis qui non expalluit haustus, 10
Fastidire lacus et rivos ausus apertos?
Ut valet? ut meminit nostri? fidibusne Latinis
Thebanos aptare modos studet, auspice Musa?
An tragica desævit et ampullatur in arte?
Quid mihi Celsus agit? monitus multumque monendus, 15
Privatas ut quærat opes, et tangere vitet
Scripta, Palatinus quæcunque recepit Apollo;
Ne, si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus. Ipse quid audes? 20
Quæ circumvolitas agilis thyma? non tibi parvum
Ingenium, non incultum est, nec turpiter hirtum.
Seu linguam causis acuis, seu civica jura
Respondere paras, seu condis amabile carmen;
Prima feres hederæ victricis præmia: quod si 25
Frigida curarum fomenta relinquere posses,
Quo te cœlestis sapientia duceret, ires. [ampli,
Hoc opus, hoc studium parvi properemus et
Si patriæ volumus, si nobis vivere cari.
Debes hoc etiam rescribere, si tibi curæ, 30
Quantæ conveniat, Munatius; an male sarta
Gratia nequicquam coit, et rescinditur? At, vos
Seu calidus sanguis, seu rerum inscitia vexat
Indomita cervice feros, ubicunque locorum
Vivitis, indigni fraternum rumpere fœdus, 35
Pascitur in vestrum reditum votiva juvenca.

EPISTOLA IV.—*Ad Albium Tibullum.*

Albi, nostrorum sermonum candide judex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat?
An tacitum sylvas inter reptare salubres, [est?
Curantem quicquid dignum sapiente bonoque
Non tu corpus eras sine pectore. Di tibi formam,

Di tibi divitias dederunt, artemque fruendi.
Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
Qui sapere et fari possit quæ sentiat, et cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde, 10
Et mundus victus, non deficiente crumena?
Inter spem curamque, timores inter et iras.
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum:
Grata superveniet, quæ non sperabitur hora.
Me pinguem et nitidum bene curata cute vises,
Cum ridere voles, Epicuri de grege porcum. 16

EPISTOLA V.—*Ad Torquatum.*

Si potes Archiacis conviva recumbere lectis,
Nec modica cœnare times olus omne patella;
Supremo te sole domi, Torquate, manebo.
Vina bibes iterum Tauro diffusa, palustres
Inter Minturnas Sinuessanumque Petrinum. 5
Sin melius quid habes, arcesse, vel imperium fer.
Jamdudum splendet focus, et tibi munda supellex.
Mitte leves spes, et certamina divitiarum,
Et Moschi causam: cras nato Cæsare festus
Dat veniam somnumque dies; impune licebit 10
Æstivam sermone benigno tendere noctem.
Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?
Parcus ob hæredis curam nimiumque severus
Assidet insano. Potare et spargere flores
Incipiam, patiarque vel inconsultus haberi. 15
Quid non ebrietas designat? operta recludit;
Spes jubet esse ratas; in prœlia trudit inertem;
Sollicitis animis onus eximit; addocet artes:
Fecundi calices quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum? 20
Hæc ego procurare et idoneus imperor, et non
Invitus; ne turpe toral, ne sordida mappa
Corruget nares; ne non et cantharus et lanx
Ostendat tibi te; ne fidos inter amicos
Sit, qui dicta foras eliminet; ut coeat par 25
Jungaturque pari. Butram tibi, Septiciumque,
Et nisi cœna prior potiorque puella Sabinum
Detinet, adsumam. Locus est et pluribus umbris:
Sed nimis arcta premunt olidæ convivia capræ.
Tu, quotus esse velis, rescribe; et rebus omissis,
Atria servantem postico falle clientem. 31

EPISTOLA VI.—*Ad Numicium.*

Nil admirari prope res est una, Numici,
Solaque, quæ possit facere et servare beatum.
Hunc solem, et stellas, et decedentia certis
Tempora momentis, sunt qui formidine nulla
Imbuti spectent. Quid censes munera terræ? 5
Quid maris extremos Arabas ditantis et Indos?
Ludicra quid, plausus et amici dona Quiritis?
Quo spectanda modo, quo sensu credis et ore?
Qui timet his adversa, fere miratur eodem 9
Quo cupiens pacto: pavor est utrobique molestus;
Improvisa simul species exterret utrumque:
Gaudeat, an doleat; cupiat, metuatne; quid ad rem,
Si, quicquid vidit melius pejusve sua spe,
Defixis oculis, animoque et corpore torpet?
Insani sapiens nomen ferat, æquus iniqui, 15
Ultra quam satis est virtutem si petat ipsam.
I nunc, argentum et marmor vetus, æraque et artes
Suspice; cum gemmis Tyrios mirare colores;
Gaude, quod spectant oculi te mille loquentem;
Gnavus mane forum, et vespertinus pete tectum;
Ne plus frumenti dotalibus emetat agris 21
Mutus, et (indignum, quod sit pejoribus ortus)
Hic tibi sit potius, quam tu mirabilis illi.
Quicquid sub terra est, in apricum proferet ætas;
Defodiet condetque nitentia. Cum bene notum 25
Porticus Agrippæ et via te conspexerit Appi,
Ire tamen restat, Numa quo devenit et Ancus.
Si latus aut renes morbo tentantur acuto,
Quære fugam morbi. Vis recte vivere? quis non?
Si virtus hoc una potest dare, fortis omissis 30
Hoc age deliciis. Virtutem verba putes, ut
Lucum ligna? cave ne portus occupet alter:
Ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas.
Mille talenta rotundentur, totidem altera, porro et
Tertia succedant, et quæ pars quadret acervum. 35
Scilicet uxorem cum dote, fidemque, et amicos,
Et genus, et formam, regina pecunia donat:
Ac bene nummatum decorat Suadela Venusque.
Mancipiis locuples, eget æris Cappadocum rex:
Ne fueris hic tu. Chlamydes Lucullus, (ut aiunt)
Si posset centum scenæ præbere, rogatus, 41
Qui possum tot? ait: tamen et quæram, et quot habebo
Mittam: post paulo scribit, sibi millia quinque
Esse domi chlamydum; partem, vel tolleret omnes.
Exilis domus est, ubi non et multa supersunt, 45
Et dominum fallunt, et prosunt furibus. Ergo
Si res sola potest facere et servare beatum,
Hoc primus repetas opus, hoc postremus omittas.
Si fortunatum species et gratia præstat,
Mercemur servum, qui dictet nomina, lævum 50
Qui fodicet latus, et cogat trans pondera dextram
Porrigere: Hic multum in Fabia valet, ille Velina;
Cui libet, is fasces dabit; eripietque curule,
Cui volet, importunus ebur. Frater, Pater, adde;
Ut cuique est ætas, ita quemque facetus adopta. 55
Si, bene qui cœnat, bene vivit; lucet, eamus
Quo ducit gula: piscemur, venemur; ut olim
Gargilius, qui mane plagas, venabula, servos,
Differtum transire forum populumque jubebat,
Unus ut e multis populo spectante referret 60
Emtum mulus aprum. Crudi tumidique lavemur,
Quid deceat, quid non, obliti, Cærite cera
Digni, remigium vitiosum Ithacenis Ulixi,
Cui potior patria fuit interdicta voluptas.
Si, Mimnermus uti censet, sine amore jocisque 65
Nil est jucundum; vivas in amore jocisque.
Vive, vale: si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

EPISTOLA VII.—*Ad Mecænatem.*

Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum,
Sextilem totum mendax desideror. Atqui
Si me vivere vis, recteque videre valentem;
Quam mihi das ægro, dabis ægrotare timenti,
Mecænas, veniam; dum ficus prima calorque 5
Designatorem decorat lictoribus atris;
Dum pueris omnis pater et matercula pallet;
Officiosaque sedulitas, et opella forensis
Adducit febres, et testamenta resignat.
Quod si bruma nives Albanis illinet agris, 10
Ad mare descendet vates tuus, et sibi parcet,
Contractusque leget; te, dulcis amice, reviset
Cum Zephyris, si concedes, et hirundine prima.
Non, quo more piris vesci Calaber jubet hospes,
Tu me fecisti locupletem. ¶ Vescere sodes. 15
¶ Jam satis est. ¶ At tu quantumvis tolle. ¶ Benigne.
¶ Non invisa feres pueris munuscula parvis.
¶ Tam teneor dono, quam si dimittar onustus.
¶ Ut libet: hæc porcis hodie comedenda relinquis.

¶ Prodigus et stultus donat quæ spernit et odit. 20
Hæc seges ingratos tulit, et feret omnibus annis.
Vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus;
Nec tamen ignorat quid distent æra lupinis.
Dignum præstabo me etiam pro laude merentis
Quod si me noles usquam discedere, reddes 25
Forte latus, nigros angusta fronte capillos;
Reddes dulce loqui; reddes ridere decorum, et
Inter vina fugam Cinaræ mærere protervæ.
Forte per angustam tenuis nitedula rimam 29
Repserat in cumeram frumenti; pastaque rursus
Ire foras pleno tendebat corpore frustra:
Cui mustela procul, Si vis, aît, effugere istinc,
Macra cavum repetes arctum, quem macra subisti.
Hac ego si compellor imagine, cuncta resigno:
Nec somnum plebis laudo satur altilium, nec 35
Otia divitiis Arabum liberrima muto.
Sæpe verecundum laudasti; Rexque Paterque
Audisti coram; nec verbo parcius absens:
Inspice, si possum donata reponere lætus. 39
Haud male Telemachus, proles patientis Ulixi:
Non est aptus equis Ithace locus, ut neque planis
Porrectus spatiis, neque multæ prodigus herbæ:
Atride, magis apta tibi tua dona relinquam.
Parvum parva decent. mihi jam non regia Roma,
Sed vacuum Tibur placet, aut imbelle Tarentum.
Strenuus et fortis, causisque Philippus agendis 46
Clarus, ab officiis octavam circiter horam
Dum redit, atque foro nimium distare Carinas
Jam grandis natu queritur; conspexit (ut aiunt)
Adrasum quemdam vacua tonsoris in umbra 50
Cultello proprios purgantem leniter ungues.
Demetri, (puer hic non læve jussa Philippi
Accipiebat) abi, quære, et refer, unde domo; quis;
Cujus fortunæ; quo sit patre, quove patrono.
It, redit, et narrat, Vulteium nomine Menam, 55
Præconem, tenui censu, sine crimine notum,
Et properare loco et cessare, et quærere, et uti,
Gaudentem parvisque sodalibus, et lare certo,
Et ludis, et, post decisa negotia, Campo.
Scitari libet ex ipso quæcunque refers: dic 60
Ad cœnam veniat. Non sane credere Mena:
Mirari secum tacitus. Quid multa? Benigne,
Respondet. ¶ Neget ille mihi? ¶ Negat improbus, et te
Negligit aut horret. ¶ Vulteium mane Philippus
Vilia vendentem tunicato scruta popello 65
Occupat, et salvere jubet prior. Ille Philippo
Excusare laborem et mercenaria vincla, [non
Quod non mane domum venisset; denique quod
Providisset eum. ¶ Sic ignovisse putato
Me tibi, si cœnas hodie mecum. ¶ Ut libet. ¶ Ergo 70
Post nonam venies: nunc i, rem strenuus auge.
¶ Ut ventum ad cœnam est; dicenda tacenda locutus,
Tandem dormitum dimittitur. Hic, ubi sæpe
Occultum visus decurrere piscis ad hamum,
Mane cliens et jam certus conviva, jubetur 75
Rura suburbana indictis comes ire Latinis.
Impositus mannis, arvum cœlumque Sabinum
Non cessat laudare. Videt ridetque Philippus:
Et sibi dum requiem, dum risus undique quærit,
Dum septem donat sestertia, mutua septem 80
Promittit, persuadet uti mercetur agellum.
Mercatur. Ne te longis ambagibus ultra
Quam satis est morer, ex nitido fit rusticus, atque
Sulcos et vineta crepat mera, præparat ulmos,
Immoritur studiis, et amore senescit habendi. 85
Verum ubi oves furto, morbo periere capellæ,
Spem mentita seges, bos est enectus arando;
Offensus damnis, media de nocte caballum
Arripit, iratusque Philippi tendit ad ædes.
Quem simul adspexit scabrum intonsumque Philippus, 90
Durus, ait, Vultei, nimis attentusque videris
Esse mihi. ¶ Pol, me miserum, patrone, vocares,
Si velles, inquit, verum mihi ponere nomen.
Quod te per Genium dextramque deosque Penates
Obsecro et obtestor, vitæ me redde priori. 95
¶ Qui semel adspexit quantum dimissa petitis
Præstent, matura redeat, repetatque relicta. [est.
Metiri se quemque suo modulo ac pede, verum

EPISTOLA VIII.—*Ad Celsum Albinovanum.*

Celso gaudere et bene rem gerere Albinovano,
Musa, rogata refer, comiti scribæque Neronis.
Si quæret quid agam; dic, multa et pulchra minantem,
Vivere nec recte, nec suaviter; haud quia grando
Contuderit vites, oleamve momorderit æstus, 5
Nec quia longinquis armentum ægrotet in agris;
Sed quia, mente minus validus quam corpore toto,
Nil audire velim, nil discere, quod levet ægrum;
Fidis offendar medicis, irascar amicis,
Cur me funesto properent arcere veterno; 10
Quæ nocuere, sequar; fugiam, quæ profore credam;
Romæ Tibur amem ventosus, Tibure Romam.
Post hæc, ut valeat, quo pacto rem gerat et se;
Ut placeat Juveni, percontare, utque cohorti.
Si dicet, Recte; primum gaudere; subinde 15
Præceptum auriculis hoc instillare memento;
Ut tu fortunam, sic nos te, Celse, feremus.

EPISTOLA IX.—*Ad Claudium Neronem.*

Septimius, Claudi, nimirum intelligit unus
Quanti me facias: nam cum rogat, et prece cogit,
Scilicet ut tibi se laudare et tradere coner,
Dignum mente domoque legentis honesta Neronis;
Munere cum fungi propioris censet amici; 5
Quid possim videt, ac novit me valdius ipso.
Multa quidem dixi, cur excusatus abirem:
Sed timui, mea ne finxisse minora putarer,
Dissimulator opis propriæ, mihi commodus uni.
Sic ego, majoris fugiens opprobria culpæ, 10
Frontis ad urbanæ descendi præmia. Quod si
Depositum laudas ob amici jussa pudorem,
Scribe tui gregis hunc, et fortem crede bonumque.

EPISTOLA X.—*Ad Fuscum Aristium.*

Urbis amatorem Fuscum salvere jubemus
Ruris amatores, hac in re scilicet una
Multum dissimiles, at cætera pæne gemelli,
Fraternis animis; quicquid negat alter, et alter;
Annuimus pariter vetuli notique columbi. 5
Tu nidum servas; ego laudo ruris amœni
Rivos, et musco circumlita saxa, nemusque.
Quid quæris? vivo et regno, simul ista reliqui,
Quæ vos ad cœlum effertis rumore secundo:
Utque sacerdotis fugitivus, liba recuso; 10
Pane egeo, jam mellitis potiore placentis.
Vivere naturæ si convenienter oportet,
Ponendæque domo quærenda est area primum,
Novistine locum potiorem rure beato?
Est ubi plus tepeant hiemes? ubi gratior aura 15
Leniat et rabiem Canis, et momenta Leonis,
Cum semel accepit solem furibundus acutum?

Est ubi divellat somnos minus invida cura?
Deterius Libycis olet aut nitet herba lapillis?
Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum, 20
Quam quæ per pronum trepidat cum murmure rivum?
Nempe inter varias nutritur sylva columnas,
Laudaturque domus longos quæ prospicit agros.
Naturam expelles furca, tamen usque recurret,
Et mala perrumpet furtim fastidia victrix. 25
Non, qui Sidonio contendere callidus ostro
Nescit Aquinatem potantia vellera fucum,
Certius accipiet damnum, propiusve medullis,
Quam qui non poterit vero distinguere falsum.
Quem res plus nimo delectavere secundæ, 30
Mutatæ quatient: si quid mirabere, pones
Invitus: fuge magna: licet sub paupere tecto
Reges et regum vita præcurrere amicos.
Cervus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo 35
Imploravit opes hominis, frenumque recepit:
Sed postquam victor violens discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frenum depulit ore.
Sic qui, pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus, atque
Serviet æternum, quia parvo nesciet uti. 41
Cui non conveniet sua res, ut calceus olim,
Si pede major erit, subvertet; si minor, uret.
Lætus sorte tua vives sapienter, Aristi;
Nec me dimittes incastigatum, ubi plura 45
Cogere quam satis est, ac non cessare videbor.
Imperat aut servit collecta pecunia cuique,
Tortum digna sequi potius, quam ducere, funem.
Hæc tibi dictabam post fanum putre Vacunæ,
Excepto quod non simul esses, cætera lætus. 50

EPISTOLA XI.—*Ad Bullatium.*

Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos?
Quid concinna Samos? quid Crœsi regia Sardis?
Smyrna quid, et Colophon? majora minorave fama? [dent?
Cunctane præ Campo et Tiberino flumine sor-
An venit in votum Attalicis ex urbibus una? 5
An Lebedum laudas, odio maris atque viarum?
Scis Lebedus quid sit; Gabiis desertior atque
Fidenis vicus; tamen illic vivere vellem:
Oblitusque meorum, obliviscendus et illis,
Neptunum procul e terra spectare furentem. 10
Sed neque qui Capua Romam petit, imbre lutoque
Adspersus, volet in caupona vivere; nec qui
Frigus collegit, furnos et balnea laudat,
Ut fortunatam plene præstantia vitam;
Nec, si te validus jactaverit Auster in alto, 15
Idcirco navem trans Ægæum mare vendas.
Incolumi Rhodos et Mitylene pulchra facit, quod
Pænula solstitio, campestre nivalibus auris,
Per brumam Tiberis, Sextili mense caminus. 19
Dum licet, ac vultum servat Fortuna benignum,
Romæ laudetur Samos, et Chios, et Rhodos absens.
Tu, quamcunque deus tibi fortunaverit horam,
Grata sume manu; neu dulcia differ in annum;
Ut, quocunque loco fueris, vixisse libenter
Te dicas: nam si ratio et prudentia curas, 25
Non locus effusi late maris arbiter, aufert;
Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.
Strenua nos exercet inertia: navibus atque [est,
Quadrigis petimus bene vivere. Quod petis, hic
Est Ulubris, animus si te non deficit æquus. 30

EPISTOLA XII.—*Ad Icciam*

Fructibus Agrippæ Siculis, quos colligis, Icci,
Si recte frueris, non est ut copia major
Ab Jove donari possit tibi: tolle querelas;
Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.
Si ventri bene, si lateri est pedibusque tuis, nil 5
Divitiæ poterunt regales addere majus.
Si forte in medio positorum abstemius, herbis
Vivis et urtica, sic vives protenus, ut te
Confestim liquidus fortunæ rivus inauret;
Vel quia naturam mutare pecunia nescit; 10
Vel quia cuncta putas una virtute minora.
Miramur, si Democriti pecus edit agellos [lox;
Cultaque, dum peregre est animus sine corpore ve-
Cum tu inter scabiem tantam, et contagia lucri,
Nil parvum sapias, et adhuc sublimia cures: 15
Quæ mare compescant causæ; quid temperet annum;
Stellæ sponte sua, jussæne vagentur et errent;
Quid premat obscurum lunæ, quid proferat orbem;
Quid velit et possit rerum concordia discors;
Empedocles, an Stertinium deliret acumen? 20
Verum seu pisces, seu porrum et cepe trucidas,
Utere Pompeio Grospho; et, si quid petet, ultro
Defer: nil Grosphus nisi verum orabit et æquum.
Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid deest.
Ne tamen ignorès, quo sit Romana loco res; 25
Cantaber Agrippæ, Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit: jus imperiumque Phraates
Cæsaris accepit genibus minor: aurea fruges
Italiæ pleno defudit Copia cornu.

EPISTOLA XIII.—*Ad Vinium Asellam.*

Ut proficiscentem docui te sæpe diuque,
Augusto reddes signata volumina, Vini,
Si validus, si lætus erit, si denique poscet;
Ne studio nostri pecces, odiumque libellis
Sedulus importes, opera vehemente minister. 5
Si te forte meæ gravis uret sarcina chartæ,
Abjicito potius, quam, quo perferre juberis,
Clitellas ferus impingas, Asinæque paternum
Cognomen vertas in risum, et fabula fias.
Viribus uteris per clivos, flumina, lamas: 10
Victor propositi simul ac perveneris illuc,
Sic positum servabis onus, ne forte sub ala
Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum;
Ut vinosa glomos furtivæ Pyrrhia lanæ;
Ut cum pileolo soleas conviva tribulis. 15
Ne vulgo narres te sudavisse ferendo
Carmina, quæ possint oculos auresque morari
Cæsaris: oratus multa prece, nitere porro. [gas.
Vade, vale, cave ne titubes, mandataque fran-

EPISTOLA XIV.—*Ad Villicum suum.*

Villice sylvarum et mihi me reddentis agelli,
Quem tu fastidis, habitatum quinque focis, et
Quinque bonos solitum Variam dimittere patres;
Certemus, spinas animone ego fortius, an tu
Evellas agro; et melior sit Horatius, an res. 5
Me quamvis Lamiæ pietas et cura moratur,
Fratrem mærentis, rapto de fratre dolentis
Insolabiliter; tamen istuc mens animusque
Fert, et amat spatiis obstantia rumpere claustra.
Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum: 10
Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.
Stultus uterque locum immeritum causatur inique;
In culpa est animus, qui se non effugit unquam

Tu mediastinus tacita prece rura petebas;
Nunc urbem et ludos et balnea villicus optas. 15
Me constare mihi scis, et discedere tristem,
Quandocunque trahunt invisa negotia Romam.
Non eadem miramur; eo disconvenit inter [qua
Meque et te: nam, quæ deserta et inhospita tes-
Credis, amœna vocat, mecum qui sentit; et odit, 20
Quæ tu pulchra putas. Fornix tibi et uncta po-
Incutiunt urbis desiderium, video; et quod [pina
Angulus iste feret piper et thus ocius uva;
Nec vicina subest vinum præbere taberna
Quæ possit tibi; nec meretrix tibicine, cujus 25
Ad strepitum salias terræ gravis: et tamen urges
Jampridem non tacta ligonibus arva, bovemque
Disjunctum curas, et strictis frondibus exples:
Addit opus pigro rivus, si decidit imber,
Multa mole docendus aprico parcere prato. 30
Nunc, age, quid nostrum concentum dividat, audi.
Quem tenues decuere togæ nitidique capilli,
Quem scis immunem Cinaræ placuisse rapaci,
Quem bibulum liquidi media de luce Falerni, [ba;
Cœna brevis juvat, et prope rivum somnus in her-
Nec lusisse pudet, sed non incidere ludum. 36
Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat; non odio obscuro morsuque venenat:
Rident vicini glebas et saxa moventem.
Cum servis urbana diaria rodere mavis; 40
Horum tu in numerum voto ruis: invidet usum
Lignorum et pecoris tibi calo argutus et horti.
Optat ephippia bos piger; optat arare caballus.
Quam scit uterque, libens, censebo, exerceat artem.

EPISTOLA XV.—*Ad Numonium Valam.*

Quæ sit hiems Veliæ, quod cœlum, Vala, Sa-
lerni, [Baias
Quorum hominum regio, et qualis via; (nam mihi
Musa supervacuas Antonius, et tamen illis
Me facit invisum, gelida cum perluor unda
Per medium frigus. Sane Murteta relinqui, 5
Dictaque cessantem nervis elidere morbum
Sulfura contemni, vicus gemit, invidus ægris,
Qui caput et stomachum supponere fontibus au-
Clusinis, Gabiosque petunt et frigida rura. [dent
Mutandus locus est, et diversoria nota [mas
Præteragendus equus: Quo tendis? non mihi Cu-
Est iter aut Baias, læva stomachosus habena 12
Dicet eques: sed equi frenato est auris in ore)
Major utrum populum frumenti copia pascat;
Collectosne bibant imbres, puteosne perennes 15
Jugis aquæ; (nam vina nihil moror illius oræ:
Rure meo possum quidvis perferre patique;
Ad mare cum veni, generosum et lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum spe divite manet 19
In venas animumque meum, quod verba ministret,
Quod me Lucanæ juvenem commendet amicæ)
Tractus uter plures lepores, uter educet apros;
Utra magis pisces et echinos æquora celent;
Pinguis ut inde domum possim Phæaxque reverti;
Scribere te nobis, tibi nos accredere, par est. 25
Mænius, ut, rebus maternis atque paternis
Fortiter absumtis, urbanus cœpit haberi,
Scurra vagus, non qui certum præsepe teneret,
Impransus non qui civem dignosceret hoste;
Quælibet in quemvis opprobria fingere sævus; 30
Pernicies et tempestas barathrumque macelli,
Quicquid quæsierat, ventri donabat avaro.
Hic, ubi nequitiæ fautoribus et timidis nil
Aut paulum abstulerat, patinas cœnabat omasi,
Vilis et agninæ, tribus ursis quod satis esset; 35
Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
Diceret urendos corrector Bestius. Idem
Quicquid erat nactus prædæ majoris, ubi omne
Verterat in fumum et cinerem, Non hercule miror,
Aiebat, si qui comedunt bona; cum sit obeso 40
Nil melius turdo, nil vulva pulchrius ampla.
Nimirum hic ego sum; nam tuta et parvula laudo,
Cum res deficiunt, satis inter vilia fortis:
Verum ubi quid melius contingit et unctius, idem
Vos sapere et solos aio bene vivere, quorum 45
Conspicitur nitidis fundata pecunia villis.

EPISTOLA XVI.—*Ad Quintium.*

Ne perconteris, fundus meus, optime Quinti,
Arvo pascat herum, an baccis opulentet olivæ,
Pomisne, an pratis, an amicta vitibus ulmo;
Scribetur tibi forma loquaciter, et situs agri.
Continui montes, nisi dissocientur opaca 5
Valle; sed ut veniens dextrum latus adspiciat Sol,
Lævum decedens curru fugiente vaporet.
Temperium laudes. Quid, si rubicunda benigne
Corna vepres et pruna ferunt? si quercus et ilex
Multa fruge pecus, multa dominum juvat umbra?
Dicas adductum proprius frondere Tarentum. 11
Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec
Frigidior Thracam nec purior ambiat Hebrus
Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.
Hæ latebræ dulces, et jam (si credis) amœnæ, 15
Incolumem tibi me præstant Septembribus horis.
Tu recte vivis, si curas esse quod audis:
Jactamus jampridem omnis te Roma beatum:
Sed vereor, ne cui de te plus quam tibi credas,
Neve putes alium sapiente bonoque beatum; 20
Neu, si te populus sanum recteque valentem
Dictitet, occultam febrem sub tempus edendi
Dissimules, donec manibus tremor incidat unctis.
Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.
Si quis bella tibi terra pugnata marique 25
Dicat, et his verbis vacuas permulceat aures;
"Tene magis salvum populus velit, an populum tu,
"Servet in ambiguo, qui consulit et tibi et urbi,
"Jupiter;" Augusti laudes agnoscere possis.
Cum pateris sapiens emendatusque vocari, 30
Respondesne tuo, dic sodes, nomine? ¶ Nempe
Vir bonus et prudens dici delector ego, ac tu.
¶ Qui dedit hoc hodie, cras, si volet, auferet; ut si
Detulerit fasces indigno, detrahet idem. 34
Pone, meum est, inquit: pono, tristisque recedo.
Idem si clamet furem, neget esse pudicum,
Contendat laqueo collum pressisse paternum,
Mordear opprobriis falsis mutemque colores?
Falsus honor juvat, et mendax infamia terret
Quem, nisi mendosum et medicandum? Vir bo-
nus est quis? 40
Qui consulta patrum, qui leges juraque servat;
Quo multæ magnæque secantur judice lites;
Quo res sponsore, et quo causæ teste tenentur
Sed videt hunc omnis domus et vicinia tota
Introrsus turpem, speciosum pelle decora. 45
Nec furtum feci, nec fugi, si mihi dicat
Servus; Habes pretium, loris non ureris, aio.
¶ Non hominem occidi. ¶ Non pasces in cruce
corvos. [bellus:
¶ Sum bonus, et frugi. ¶ Renuit negitatque Sa-
Cautus enim metuit foveam lupus, accipiterque 50
Suspectos laqueos, et opertum miluus hamum.
Oderunt peccare boni virtutis amore;
Tu nihil admittes in te formidine pœnæ:
Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis:
Nam de mille fabæ modiis cum surripis unum, 55
Damnum est, non facinus, mihi pacto lenius isto

Vir bonus, omne forum quem spectat et omne tribunal,
Quandocunque deos vel porco vel bove placat,
Jane pater, clare, clare cum dixit, Apollo, 59
Labra movet metuens audiri: Pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da justo sanctoque videri;
Noctem peccatis, et fraudibus objice nubem.
Qui melior servo, qui liberior sit avarus,
In triviis fixum cum se demittit ob assem, 64
Non video: nam qui cupiet, metuet quoque; porro
Qui metuens vivet, liber mihi non erit unquam.
Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
Semper in augenda festinat et obruitur re.
Vendere cum possis captivum, occidere noli:
Serviet utiliter: sine pascat durus aretque; 70
Naviget, ac mediis hiemet mecator in undis;
Annonæ prosit; portet frumenta penusque.
Vir bonus et sapiens audebit dicere; Pentheu,
Rector Thebarum, quid me perferre patique
Indignum coges? ¶ Adimam bona. ¶ Nempe pecus, rem, 75
Lectos, argentum: tollas licet. ¶ In manicis et
Compedibus sævo te sub custode tenebo.
¶ Ipse deus, simul atque volam, me solvet. ¶ Opinor,
Hoc sentit: Moriar; mors ultima linea rerum est.

EPISTOLA XVII.—*Ad Scævam.*

Quamvis, Scæva, satis per te tibi consulis, et scis
Quo tandem pacto deceat majoribus uti; [si
Disce, docendus adhuc quæ censet amiculus; ut
Cæcus iter monstrare velit: tamen adspice, si quid
Et nos, quod cures proprium fecisse, loquamur. 5
Si te grata quies et primam somnus in horam
Delectat; si te pulvis strepitusque rotarum,
Si lædit caupona; Ferentinum ire jubebo.
Nam neque divitibus contingunt gaudia solis;
Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit. 10
Si prodesse tuis, pauloque benignius ipsum
Te tractare voles, accedes siccus ad unctum.
¶ Si pranderet olus patienter, regibus uti
Nollet Aristippus. ¶ Si sciret regibus uti,
Fastidiret olus, qui me notat. ¶ Utrius horum 15
Verba probes et facta, doce; vel junior audi,
Cur sit Aristippi potior sententia: namque
Mordacem Cynicum sic eludebat, ut aiunt:
¶ Scurror ego ipse mihi, populo tu: rectius hoc et
Splendidius multo est. Equus ut me portet, alat
Officium facio: tu poscis vilia rerum, [rex,
Dante minor, quamvis fers te nullius egentem. 22
¶ Omnis Aristippum decuit color et status et res,
Tentantem majora, fere præsentibus æquum;
Contra, quem duplici panno patientia velat, 25
Mirabor, vitæ via si conversa decebit.
Alter purpureum non exspectabit amictum;
Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet,
Personamque feret non inconcinnus utramque:
Alter Mileti textam cane pejus et angui 30
Vitabit chlamydem; morietur frigore, si non
Rettuleris pannum: refer, et sine vivat ineptus.
Res gerere, et captos ostendere civibus hostes,
Attingit solium Jovis, et cœlestia tentat.
Principibus placuisse viris, non ultima laus est. 35
Non cuivis homini contingit adire Corinthum.
Sedit, qui timuit ne non succederet: esto:
Quid? qui pervenit, fecitne viriliter? Atqui
Hic est, aut nusquam, quod quærimus: hic onus
Ut parvis animis et parvo corpore majus; [horret,
Hic subit et perfert. Aut virtus nomen inane est,
Aut decus et pretium recte petit experiens vir. 42
Coram rege sua de paupertate tacentes
Plus poscente ferent. Distat, sumasne pudenter,
An rapias. Atqui rerum caput hoc erat, hic fons.
"Indotata mihi soror est, paupercula mater, 46
Et fundus nec vendibilis nec pascere firmus,"
Qui dicit, clamat, "Victum date." Succinit alter,
"Et mihi dividuo findetur munere quadra."
Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet 50
Plus dapis, et rixæ multo minus invidiæque. [num,
Brundisium comes aut Surrentum ductus amœ-
Qui queritur salebras et acerbum frigus et imbres,
Aut cistam effractam aut subducta viatica plorat;
Nota refert meretricis acumina, sæpe catellam, 55
Sæpe periscelidem raptam sibi flentis; uti mox
Nulla fides damnis verisque doloribus adsit.
Nec semel irrisus triviis attollere curat
Fracto crure planum; licet illi plurima manet
Lacryma; per sanctum juratus dicat Osirin, 60
Credite, non ludo; crudeles, tollite claudum:
Quære peregrinum, vicinia rauca reclamat.

EPISTOLA XVIII.—*Ad Lollium.*

Si bene te novi, metues, liberrime Lolli,
Scurrantis speciem præbere, professus amicum.
Ut matrona meretrici dispar erit atque
Discolor, infido scurræ distabit amicus.
Est huic diversum vitio vitium prope majus, 5
Asperitas agrestis et inconcinna gravisque,
Quæ se commendat tonsa cute, dentibus atris;
Dum vult libertas dici mera, veraque virtus.
Virtus est medium vitiorum, et utrinque reductum.
Alter in obsequium plus æquo pronus, et imi 10
Derisor lecti, sic nutum divitis horret,
Sic iterat voces, et verba cadentia tollit,
Ut puerum sævo credas dictata magistro
Reddere, vel partes mimum tractare secundas:
Alter rixatur de lana sæpe caprina, 15
Propugnat nugis armatus; scilicet, ut non
Sit mihi prima fides, et vere quod placet ut non
Acriter elatrem, pretium ætas altera sordet. [plus;
Ambigitur quid enim? Castor sciat an Dolichos
Brundisium Minuci melius via ducat, an Appi. 20
Quem damnosa Venus, quem præceps alea nudat,
Gloria quem supra vires et vestit et ungit,
Quem tenet argenti sitis importuna famesque,
Quem paupertatis pudor et fuga, dives amicus,
Sæpe decem vitiis instructior, odit et horret: 25
Aut, si non odit, regit: ac, veluti pia mater,
Plus quam se sapere, et virtutibus esse priorem
Vult: et ait prope vera; Meæ (contendere noli)
Stultitiam patiuntur opes; tibi parvula res est:
Arcta decet sanum comitem toga; desine mecum
Certare. Eutrapelus, cuicunque nocere volebat,
Vestimenta dabat pretiosa: beatus enim jam 32
Cum pulchris tunicis sumet nova consilia et spes:
Dormiet in lucem; scorto postponet honestum
Officium; nummos alienos pascet; ad imum 35
Threx erit, aut olitoris aget mercede caballum.
Arcanum neque tu scrutaberis illius unquam;
Commissumque teges, et vino tortus et ira.
Nec tua laudabis studia, aut aliena reprendes;
Nec, cum venari volet ille, poemata panges. 40
Gratia sic fratrum geminorum, Amphionis atque
Zethi, dissiluit, donec suspecta severo
Conticuit lyra: fraternis cessisse putatur
Moribus Amphion: tu cede potentis amici
Lenibus imperiis; quotiesque educet in agros 45
Ætolis onerata plagis jumenta canesque,
Surge, et inhumanæ senium depone Camœnæ,

Cœnes ut pariter pulmenta laboribus emta;
Romanis sollenne viris opus; utile famæ,
Vitæque et membris; præsertim cum valeas, et 50
Vel cursu superare canem vel viribus aprum
Possis: adde, virilia quod speciosius arma
Non est qui tractet; scis quo clamore coronæ
Prœlia sustineas campestria: denique sævam
Militiam puer et Cantabrica bella tulisti 55
Sub duce, qui templis Parthorum signa refigit
Nunc, et, si quid abest, Italis adjudicat armis.
Ac ne te retrahas et inexcusabilis abstes,
Quamvis nil extra numerum fecisse modumque
Curas, interdum nugaris rure paterno: 60
Partitur lintres exercitus; Actia pugna
Te duce per pueros hostili more refertur;
Adversarius est frater; lacus, Adria; donec
Alterutrum velox victoria fronde coronet.
Consentire suis studiis qui crediderit te, 65
Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.
Protinus ut moneam, (si quid monitoris eges tu)
Quid, de quoque viro, et cui dicas, sæpe videto.
Percontatorem fugito: nam garrulus idem est;
Nec retinent patulæ commissa fideliter aures; 70
Et semel emissum volat irrevocabile verbum.
Non ancilla tuum jecur ulceret ulla, puerve,
Intra marmoreum venerandi limen amici:
Ne dominus pueri pulchri caræve puellæ
Munere te parvo beet, aut incommodus angat. 75
Qualem commendes, etiam atque etiam adspice;
Incutiant aliena tibi peccata pudorem. [ne mox
Fallimur, et quondam non dignum tradimus: ergo
Quem sua culpa premet, deceptus omitte tueri;
Ut penitus notum, si tentent crimina, serves, 80
Tuterisque tuo fidentem præsidio: qui
Dente Theonino cum circumroditur, ecquid
Ad te post paullo ventura pericula sentis?
Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet;
Et neglecta solent incendia sumere vires. 85
Dulcis inexpertis cultura potentis amici;
Expertus metuit. Tu, dum tua navis in alto est,
Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.
Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi,
Sedatum celeres, agilem gnavumque remissi; 90
Potores bibuli media de nocte Falerni
Oderunt porrecta negantem pocula; quamvis
Nocturnos jures te formidare vapores.
Deme supercilio nubem: plerumque modestus
Occupat obscuri speciem, taciturnus acerbi. 95
Inter cuncta leges et percontabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter ævum;
Ne te semper inops agitet vexetque cupido,
Ne pavor, et rerum mediocriter utilium spes:
Virtutem doctrina paret, naturane donet? 100
Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum?
Quid pure tranquillet, honos, an dulce lucellum,
An secretum iter et fallentis semita vitæ?
Me quoties reficit gelidus Digentia rivus,
Quem Mandela bibit, rugosus frigore pagus; 105
Quid sentire putas? quid credis, amice, precari?
Sit mihi, quod nunc est; etiam minus; et mihi vivam
Quod superest ævi, si quid superesse volunt di:
Sit bona librorum et provisæ frugis in annum
Copia; neu fluitem dubiæ spe pendulus horæ. 110
Sed satis est orare Jovem, quæ donat et aufert:
Det vitam, det opes: æquum mi animum ipse parabo.

EPISTOLA XIX.—*Ad Mecænatem.*

Prisco si credis, Mecænas docte, Cratino,
Nulla placere diu nec vivere carmina possunt,
Quæ scribuntur aquæ potoribus: ut male sanos
Adscripsit Liber Satyris Faunisque poetas,
Vina fere dulces oluerunt mane Camœnæ. 5
Laudibus arguitur vini vinosus Homerus:
Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda. "Forum putealque Libonis
Mandabo siccis; adimam cantare severis:"
Hoc simul edixit, non cessavere poetæ 10
Nocturno certare mero, putere diurno.
Quid? si quis vultu torvo ferus, et pede nudo,
Exiguæque togæ simulet textore Catonem,
Virtutemne repræsentet moresque Catonis?
Rupit Iarbitam Timagenis æmula lingua, 15
Dum studet urbanus, tenditque disertus haberi.
Decipit exemplar vitiis imitabile: quod si
Pallerem casu, biberent exsangue cuminum.
O imitatores, servum pecus, ut mihi sæpe
Bilem, sæpe jocum vestri movere tumultus! 20
Libera per vacuum posui vestigia princeps;
Non aliena meo pressi pede. qui sibi fidit
Dux regit examen. Parios ego primus iambos
Ostendi Latio, numeros animosque secutus
Archilochi, non res et agentia verba Lycamben. 25
Ac, ne me foliis ideo brevioribus ornes,
Quod timui mutare modos et carminis artem;
Temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho,
Temperat Alcæus; sed rebus et ordine dispar,
Nec socerum quærit quem versibus oblinat atris,
Nec sponsæ laqueum famoso carmine nectit. 31
Hunc ego, non alio dictum prius ore, Latinus
Vulgavi fidicen. juvat immemorata ferentem
Ingenuis oculisque legi manibusque teneri.
Scire velis, mea cur ingratus opuscula lector 35
Laudet ametque domi, premat extra limen iniquus?
Non ego ventosæ plebis suffragia venor
Impensis cœnarum et tritæ munere vestis;
Non ego, nobilium scriptorum auditor et ultor
Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor: 40
Hinc illæ lacrymæ. Spissis indigna theatris
Scripta pudet recitare, et nugis addere pondus,
Si dixi; Rides, ait, et Jovis auribus ista
Servas: fidis enim manare poetica mella
Te solum, tibi pulcher. Ad hæc ego naribus uti
Formido: et, luctantis acuto ne secer ungui, 46
Displicet iste locus, clamo, et diludia posco.
Ludus enim genuit trepidum certamen et iram,
Ira truces inimicitias et funebre bellum.

EPISTOLA XX.—*Ad Librum suum.*

Vertumnum Janumque, liber, spectare videris;
Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus.
Odisti claves. et grata sigilla pudico:
Paucis ostendi gemis, et communia laudas,
Non ita nutritus. Fuge quo descendere gestis: 5
Non erit emisso reditus tibi. Quid miser egi?
Quid volui? dices, ubi quid te læserit; et scis
In breve te cogi, plenus cum languet amator.
Quod si non odio peccantis desipit augur,
Carus eris Romæ, donec te deserat ætas. 10
Contrectatus ubi manibus sordescere vulgi
Cœperis, aut tineas pasces taciturnus inertes.
Aut fugies Uticam, aut vinctus mitteris Ilerdam.
Ridebit monitor non exauditus; ut ille
Qui male parentem in rupes protrusit asellum 15
Iratus: quis enim invitum servare laboret?

Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docen-
Occupet extremis in vicis balba senectus. [tem
Cum tibi sol tepidus plures admoverit aures,
Me libertino natum patre, et in tenui re, 20
Majores pennas nido extendisse loqueris;
Ut, quantum generi demas, virtutibus addas:
Me primis Urbis belli placuisse domique,
Corporis exigui, præcanum, solibus aptum,
Irasci celerem, tamen ut placabilis essem. 25
Forte meum si quis te percontabitur ævum,
Me quater undenos sciat implevisse Decembres
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

LIBER SECUNDUS.

EPISTOLA I.—*Ad Augustum.*

Cum tot sustineas et tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes; in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Cæsar.
Romulus, et Liber pater, et cum Castore Pollux, 5
Post ingentia facta deorum in templa recepti,
Dum terras hominumque colunt genus, aspera bella
Componunt, agros adsignant, oppida condunt;
Ploravere suis non respondere favorem
Speratum meritis. Diram qui contudit Hydram,
Notaque fatali portenta labore subegit, 11
Comperit invidiam supremo fine domari.
Urit enim fulgore suo, qui prægravat artes
Infra se positas: exstinctus amabitur idem.
Præsenti tibi maturos largimur honores, 15
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras,
Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.
Sed tuus hic populus, sapiens et justus in uno,
Te nostris ducibus, te Graiis anteferendo,
Cætera nequaquam simili ratione modoque 20
Æstimat; et, nisi quæ terris semota suisque
Temporibus defuncta videt, fastidit et odit;
Sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantes,
Quas bis quinque viri sanxerunt, fœdera regum
Vel Gabiis vel cum rigidis æquata Sabinis, 25
Pontificum libros, annosa volumina vatum,
Dictitet Albano Musas in monte locutas.
Si, quia Græcorum sunt antiquissima quæque
Scripta vel optima, Romani pensantur eadem
Scriptores trutina, non est quod multa loquamur:
Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri. 31
Venimus ad summum fortunæ: pingimus, atque
Psallimus, et luctamur Achivis doctius unctis.
Si meliora dies, ut vina, poemata reddit, [nus:
Scire velim, pretium chartis quotus arroget an-
Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter 36
Perfectos veteresque referri debet, an inter
Viles atque novos? excludat jurgia finis. [nos.
¶ Est vetus atque probus, centum qui perficit an-
¶ Quid? qui deperiit minor uno mense vel anno,
Inter quos referendus erit; veteresne poetas, 41
An quos et præsens et postera respuat ætas?
¶ Iste quidem veteres inter ponetur honeste,
Qui vel mense brevi vel toto est junior anno.
¶ Utor permisso, caudæque pilos ut equinæ 45
Paulatim vello, et demo unum, demo etiam
Dum cadat elusus ratione ruentis acervi, [unum;
Qui redit ad fastos, et virtutem æstimat annis,
Miraturque nihil nisi quod Libitina sacravit.
Ennius, et sapiens et fortis, et alter Homerus, 50
Ut critici dicunt, leviter curare videtur
Quo promissa cadant, et somnia Pythagorea.
Nævius in manibus non est, et mentibus hæret
Pæne recens? adeo sanctum est vetus omne poe-
Ambigitur quoties uter utro sit prior; aufert [ma.
Pacuvius docti famam senis, Accius alti: 56
Dicitur Afrani toga convenisse Menandro;
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi;
Vincere Cæcilius gravitate, Terentius arte.
Hos ediscit, et hos arcto stipata theatro 60
Spectat Roma potens; habet hos numeratque poetas
Ad nostrum tempus, Livi scriptoris ab ævo.
Interdum vulgus rectum videt; est ubi peccat.
Si veteres ita miratur laudatque poetas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet; errat: 65
Si quædam nimis antique, si pleraque dure
Dicere cedit eos, ignave multa fatetur;
Et sapit, et mecum facit, et Jove judicat æquo.
Non equidem insector, delendave carmina Livi
Esse reor, memini quæ plagosum mihi parvo 70
Orbilium dictare; sed emendata videri,
Pulchraque, et exactis minimum distantia, miror:
Inter quæ verbum emicuit si forte decorum, et
Si versus paulo concinnior unus et alter,
Injuste totum ducit venditque poema. 75
Indignor quicquam reprehendi, non quia crasse
Compositum illepideve putetur, sed quia nuper;
Nec veniam antiquis, sed honorem et præmia posci.
Recte necne crocum floresque perambulet Attæ
Fabula si dubitem, clament periisse pudorem 80
Cuncti pæne patres; ea cum reprehendere coner
Quæ gravis Æsopus, quæ doctus Roscius egit;
Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt;
Vel quia turpe putant parere minoribus, et quæ
Imberbi didicere, senes perdenda fateri. 85
Jam Saliare Numæ carmen qui laudat, et illud
Quod mecum ignorat, solus vult scire videri
Ingeniis non ille favet plauditque sepultis,
Nostra sed impugnat, nos nostraque lividus odit.
Quod si tam Graiis novitas invisa fuisset 90
Quam nobis, quid nunc esset vetus? aut quid haberet
Quod legeret tereretque viritim publicus usus?
Ut primum positis nugari Græcia bellis
Cœpit, et in vitium fortuna labier æqua,
Nunc athletarum studiis, nunc arsit equorum; 95
Marmoris aut eboris fabros aut æris amavit;
Suspendit picta vultum mentemque tabella;
Nunc tibicinibus, nunc est gavisa tragœdis:
Sub nutrice puella velut si luderet infans, 99
Quod cupide petiit, mature plena reliquit. [das?
Quid placet aut odio est, quod non mutabile cre-
Hoc paces habuere bonæ, ventique secundi.
Romæ dulce diu fuit et sollenne reclusa

Mane domo vigilare, clienti promere jura,
Cautos nominibus rectis expendere nummos, 105
Majores audire, minori dicere per quæ
Crescere res posset, minui damnosa libido.
Mutavit mentem populus levis, et calet uno
Scribendi studio: puerique patresque severi 109
Fronde comas vincti cœnant, et carmina dictant.
Ipse ego, qui nullos me affirmo scribere versus,
Invenior Parthis mendacior; et prius orto
Sole vigil, calamum et chartas et scrinia posco.
Navim agere ignarus navis timet; abrotonum ægro [corum est,
Non audet, nisi qui didicit, dare; quod medi-
Promittunt medici; tractant fabrilia fabri: 116
Scribimus indocti doctique poemata passim.
Hic error tamen et levis hæc insania quantas
Virtutes habeat, sic collige: vatis avarus
Non temere est animus; versus amat; hoc studet unum; 120
Detrimenta, fugas servorum, incendia ridet;
Non fraudem socio, puerove incogitat ullam
Pupillo; vivit siliquis et pane secundo;
Militiæ quanquam piger et malus, utilis urbi,
Si das hoc, parvis quoque rebus magna juvari. 125
Os tenerum pueri balbumque poeta figurat;
Torquet ab obscænis jam nunc sermonibus aurem;
Mox etiam pectus præceptis format amicis,
Asperitatis et invidiæ corrector et iræ;
Recte facta refert; orientia tempora notis 130
Instruit exemplis; inopem solatur et ægrum.
Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret unde preces, vatem ni Musa dedisset?
Poscit opem chorus, et præsentia numina sentit;
Cœlestes implorat aquas docta prece blandus;
Avertit morbos; metuenda pericula pellit; 136
Impetrat et pacem, et locupletem frugibus annum:
Carmine di superi placantur, carmine Manes.
Agricolæ prisci, fortes, parvoque beati,
Condita post frumenta, levantes tempore festo 140
Corpus et ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, pueris, et conjuge fida,
Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant,
Floribus et vino Genium memorem brevis ævi.
Fescennina per hunc inventa licentia morem 145
Versibus alternis opprobria rustica fudit;
Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter, donec jam sævus apertam
In rabiem verti cœpit jocus, et per honestas
Ire domos impune minax. Doluere cruento 150
Dente lacessiti: fuit intactis quoque cura
Conditione super communi: quin etiam lex
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quenquam
Describi: vertere modum, formidine fustis
Ad bene dicendum delectandumque redacti. 155
Græcia capta ferum victorem cepit, et artes
Intulit agresti Latio. Sic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius, et grave virus
Munditiæ pepulere: sed in longum tamen ævum
Manserunt, hodieque manent, vestigia ruris. 160
Serus enim Græcis admovit acumina chartis;
Et post Punica bella quietus, quærere cœpit
Quid Sophocles et Thespis et Æschylus utile ferrent.
Tentavit quoque rem si digne vertere posset;
Et placuit sibi, natura sublimis et acer: 165
Nam spirat tragicum satis, et feliciter audet;
Sed turpem putat inscite metuitque lituram.
Creditur, ex medio quia res arcessit, habere
Sudoris minimum; sed habet comœdia tanto
Plus oneris, quanto veniæ minus. Adspice, Plautus 170
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi;
Ut patris attenti; lenonis ut insidiosi;
Quantus sit Dossennus edacibus in parasitis;
Quam non adstricto percurrat pulpita socco.
Gestit enim nummum in loculos demittere; post hoc 175
Securus, cadat an recto stet fabula talo.
Quem tulit ad scenam ventoso Gloria curru,
Exanimat lentus spectator, sedulus instat. [rum
Sic leve, sic parvum est, animum quod laudis ava-
Subruit ac reficit. Valeat res ludicra, si me 180
Palma negata macrum, donata reducit opimum.
Sæpe etiam audacem fugat hoc terretque poetam,
Quod numero plures, virtute et honore minores,
Indocti stolidique, et depugnare parati, 184
Si discordet eques, media inter carmina poscunt
Aut ursum aut pugiles: his nam plebecula gaudet.
Verum equiti quoque jam migravit ab aure voluptas
Omnis ad incertos oculos et gaudia vana.
Quatuor aut plures aulæa premuntur in horas,
Dum fugiunt equitum turmæ, peditumque catervæ; 190
Mox trahitur manibus regum fortuna retortis,
Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves;
Captivum portatur ebur, captiva Corinthus.
Si foret in terris, rideret Democritus; seu
Diversum confusa genus panthera camelo, 195
Sive elephas albus vulgi converteret ora:
Spectaret populum ludis attentius ipsis,
Ut sibi præbentem mimo spectacula plura:
Scriptores autem narrare putaret asello
Fabellam surdo. Nam quæ pervincere voces 200
Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra?
Garganum mugire putes nemus, aut mare Tuscum:
Tanto cum strepitu ludi spectantur, et artes
Divitiæque peregrinæ; quibus oblitus actor
Cum stetit in scena, concurrit dextera lævæ. 205
Dixit adhuc aliquid? ¶ Nil sane. ¶ Quid placet ergo?
¶ Lana Tarentino violas imitata veneno.
Ac ne forte putes me, quæ facere ipse recusem
Cum recte tractent alii, laudare maligne;
Ille per extentum funem mihi posse videtur 210
Ire poeta, meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falsis terroribus implet, [nis.
Ut magus; et modo me Thebis, modo ponit Athe-
Verum age et his, qui se lectori credere malunt,
Quam spectatoris fastidia ferre superbi, 215
Curam redde brevem; si munus Apolline dignum
Vis complere libris, et vatibus addere calcar,
Ut studio majore petant Helicona virentem.
Multa quidem nobis facimus mala sæpe poetæ,
(Ut vineta egomet cædam mea) cum tibi librum
Sollicito damus, aut fesso; cum lædimur, unum
Si quis amicorum est ausus reprendere versum; 222
Cum loca jam recitata revolvimus irrevocati;
Cum lamentamur non apparere labores
Nostros, et tenui deducta poemata filo; 225
Cum speramus eo rem venturam, ut, simul atque
Carmina rescieris nos fingere, commodus ultro
Arcessas, et egere vetes, et scribere cogas.
Sed tamen est operæ pretium cognoscere, quales
Ædituos habeat belli spectata domique 230
Virtus, indigno non committenda poetæ.
Gratus Alexandro regi Magno fuit ille
Chœrilus, incultis qui versibus et male natis

Retulit acceptos, regale nomisma, Philippos.
Sed veluti tractata notam labemque remittunt
Atramenta, fere scriptores carmine fœdo 236
Splendida facta linunt. Idem rex ille, poema
Qui tam ridiculum tam care prodigus emit,
Edicto vetuit ne quis se, præter Apellen,
Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra 240
Fortis Alexandri vultum simulantia. Quod si
Judicium subtile videndis artibus illud
Ad libros et ad hæc Musarum dona vocares,
Bœotûm in crasso jurares aere natum.
At neque dedecorant tua de se judicia, atque 245
Munera, quæ multa dantis cum laude tulerunt
Dilecti tibi Virgilius Variusque poetæ:
Nec magis expressi vultus per aenea signa,
Quam per vatis opus mores animique virorum
Clarorum apparent. Nec sermones ego mallem
Repentes per humum, quam res componere gestas, 251
Terrarumque situs et flumina dicere, et arces
Montibus impositas, et barbara regna, tuisque
Auspiciis totum confecta duella per orbem, 254
Claustraque custodem pacis cohibentia Janum,
Et formidatam Parthis te principe Romam;
Si, quantum cuperem, possem quoque. Sed neque parvum
Carmen majestas recipit tua; nec meus audet
Rem tentare pudor, quam vires ferre recusent.
Sedulitas autem, stulte quem diligit, urget; 260
Præcipue cum se numeris commendat et arte.
Discit enim citius meminitque libentius illud
Quod quis deridet, quam quod probat et veneratur. [ficto
Nil moror officium quod me gravat: ac neque
In pejus vultu proponi cereus usquam, 265
Nec prave factis decorari versibus opto;
Ne rubeam pingui donatus munere, et una
Cum scriptore meo capsa porrectus aperta,
Deferar in vicum vendentem thus et odores,
Et piper, et quicquid chartis amicitur ineptis. 270

EPISTOLA II.—*Ad Julium Florum.*

Flore, bono claroque fidelis amice Neroni,
Si quis forte velit puerum tibi vendere natum
Tibure vel Gabiis, et tecum sic agat: Hic et
Candidus, et talos a vertice pulcher ad imos,
Fiet eritque tuus nummorum millibus octo; 5
Verna ministeriis ad nutus aptus heriles;
Litterulis Græcis imbutus, idoneus arti
Cuilibet; argilla quidvis imitaberis uda;
Quin etiam canet indoctum, sed dulce bibenti:
Multa fidem promissa levant, ubi plenius æquo
Laudat venales, qui vult extrudere, merces: 11
Res urget me nulla; meo sum pauper in ære:
Nemo hoc mangonum faceret tibi: non temere a me
Quivis ferret idem: semel hic cessavit, et, ut fit,
In scalis latuit metuens pendentis habenæ. 15
Des nummos, excepta nihil te si fuga lædit.
Ille ferat pretium, pœnæ securus, opinor.
¶ Prudens emisti vitiosum; dicta tibi est lex:
Insequeris tamen hunc, et lite moraris iniqua.
¶ Dixi me pigrum proficiscenti tibi, dixi 20
Talibus officiis prope mancum; ne mea sævus
Jurgares ad te quod epistola nulla veniret.
Quid tum profeci, mecum facientia jura [quod
Si tamen attentas? Quereris super hoc etiam,
Exspectata tibi non mittam carmina mendax. 25
Luculli miles collecta viatica multis
Ærumnis, lassus dum noctu stertit, ad assem
Perdiderat: post hoc vehemens lupus, et sibi et hosti
Iratus pariter, jejunis dentibus acer,
Præsidium regale loco dejecit, ut aiunt, 30
Summe munito, et multarum divite rerum.
Clarus ob id factum, donis ornatur honestis;
Accipit et bis dena super sestertia nummûm.
Forte sub hoc tempus castellum evertere prætor
Nescio quod cupiens, hortari cœpit eundem 35
Verbis, quæ timido quoque possent addere mentem.
I, bone, quo virtus tua te vocat; i pede fausto,
Grandia laturus meritorum præmia: quid stas?
Post hæc ille catus, quantumvis rusticus, Ibit,
Ibit eo quo vis, qui zonam perdidit, inquit. 40
Romæ nutriri mihi contigit, atque doceri
Iratus Graiis quantum nocuisset Achilles.
Adjecere bonæ paulo plus artis Athenæ;
Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum,
Atque inter sylvas Academi quærere verum. 45
Dura sed emovere loco me tempora grato;
Civilisque rudem belli tulit æstus in arma,
Cæsaris Augusti non responsura lacertis.
Unde simul primum me dimisere Philippi
Decisis humilem pennis, inopemque paterni 50
Et laris et fundi, paupertas impulit audax
Ut versus facerem: sed, quod non desit, habentem
Quæ poterunt unquam satis expurgare cicutæ,
Ni melius dormire putem quam scribere versus?
Singula de nobis anni prædantur euntes; 55
Eripuere jocos, Venerem, convivia, ludum;
Tendunt extorquere poemata. Quid faciam vis?
Denique non omnes eadem mirantur amantque:
Carmine tu gaudes; hic delectatur iambis;
Ille Bioneis sermonibus, et sale nigro. 60
Tres mihi convivæ prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato. [alter;
Quid dem? quid non dem? renuis tu, quod jubet
Quod petis, id sane est invisum acidumque duobus.
Præter cætera, me Romæne poemata censes 65
Scribere posse, inter tot curas totque labores?
Hic sponsum vocat, hic auditum scripta, relictis
Omnibus officiis: cubat hic in colle Quirini,
Hic extremo in Aventino; visendus uterque;
Intervalla vides humane commoda. ¶ Verum 70
Puræ sunt plateæ, nihil ut meditantibus obstet.
¶ Festinat calidus mulis gerulisque redemtor;
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum;
Tristia robustis luctantur funera plaustris;
Hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus. 75
I nunc, et versus tecum meditare canoros. [bes,
Scriptorum chorus omnis amat nemus, et fugit urRite cliens Bacchi, somno gaudentis et umbra:
Tu me inter strepitus nocturnos atque diurnos
Vis canere, et contracta sequi vestigia vatum? 80
Ingenium, sibi quod vacuas desumsit Athenas,
Et studiis annos septem dedit, insenuitque
Libris et curis, statua taciturnius exit [rum
Plerumque, et risu populum quatit: hic ego, reFluctibus in mediis, et tempestatibus urbis, 85
Verba lyræ motura sonum connectere digner?
Frater erat Romæ consulti rhetor, ut alter
Alterius sermone meros audiret honores;
Gracchus ut hic illi foret, huic ut Mucius ille.
Qui minus argutos vexat furor iste poetas? 90
Carmina compono, hic elegos; mirabile visu,
Cælatumque novem Musis opus. Adspice primum,

Quanto cum fastu, quanto molimine circum-
spectemus vacuam Romanis vatibus ædem. 94
Mox etiam, si forte vacas, sequere, et procul audi
Quid ferat, et quare sibi nectat uterque coronam.
Cædimur, et totidem plagis consumimus hostem,
Lento Samnites ad lumina prima duello.
Discedo Alcæus puncto illius: ille meo quis?
Quis, nisi Callimachus? Si plus apposcere visus,
Fit Mimnermus, et optivo cognomine crescit. 101
Multa fero, ut placem genus irritabile vatum,
Cum scribo, et supplex populi suffragia capto:
Idem, finitis studiis, et mente recepta,
Obturem patulas impune legentibus aures. 105
Ridentur mala qui componunt carmina: verum
Gaudent scribentes, et se venerantur, et ultro,
Si taceas, laudant quicquid scripsere, beati.
At qui legitimum cupiet fecisse poema,
Cum tabulis animum censoris sumet honesti; 110
Audebit, quæcunque parum splendoris habebunt,
Et sine pondere erunt, et honore indigna ferentur,
Verba movere loco, quamvis invita recedant,
Et versentur adhuc intra penetralia Vestæ.
Obscurata diu populo bonus eruet, atque 115
Proferet in lucem speciosa vocabula rerum,
Quæ priscis memorata Catonibus atque Cethégis
Nunc situs informis premit et deserta vetustas:
Adsciscet nova, quæ genitor produxerit usus.
Vehemens et liquidus, puroque simillimus amni,
Fundet opes, Latiumque beabit divite lingua: 121
Luxuriantia compescet: nimis aspera sano
Lævabit cultu; virtute carentia tollet:
Ludentis speciem dabit; et torquebitur, ut qui
Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur.
¶ Prætulerim scriptor delirus inersque videri, 126
Dum mea delectent mala me, vel denique fallant,
Quam sapere, et ringi. Fuit haud ignobilis Argis,
Qui se credebat miros audire tragœdos,
In vacuo lætus sessor plausorque theatro; 130
Cætera qui vitæ servaret munia recto
More; bonus sane vicinus, amabilis hospes,
Comis in uxorem, posset qui ignoscere servis,
Et signo læso non insanire lagenæ;
Posset qui rupem et puteum vitare patentem. 135
Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus
Expulit helleboro morbum bilemque meraco,
Et redit ad sese; Pol me occidistis, amici,
Non servastis, ait; cui sic extorta voluptas,
Et demtus per vim mentis gratissimus error. 140
¶ Nimirum sapere est abjectis utile nugis,
Et tempestivum pueris concedere ludum;
Ac non verba sequi fidibus modulanda Latinis,
Sed veræ numerosque modosque ediscere vitæ.
Quocirca mecum loquor hæc, tacitusque recordor;
Si tibi nulla sitim finiret copia lymphæ, 146
Narrares medicis. Quod, quanto plura parasti,
Tanto plura cupis, nullne faterier audes?
Si vulnus tibi monstrata radice vel herba
Non fieret levius; fugeres radice vel herba 150
Proficiente nihil curarier? Audieras, cui
Rem di donarint, illi decedere pravam
Stultitiam; et cum sis nihilo sapientior, ex quo
Plenior es; tamen uteris monitoribus isdem?
At si divitiæ prudentem reddere possent, 155
Si cupidum timidumque minus te; nempe ruberes,
Viveret in terris te si quis avarior uno. [est,
Si proprium est, quod quis libra mercatus et ære
Quædam, si credis consultis, mancipat usus:
Qui te pascit ager, tuus est; et villicus Orbi, 160
Cum segetes occat tibi mox frumenta daturas,
Te dominum sentit. Das nummos, accipis uvam,
Pullos, ova, cadum temeti: nempe modo isto
Paullatim mercaris agrum, fortasse trecentis, 164
Aut etiam supra, nummorum millibus emtum.
Quid refert, vivas numerato nuper an olim?
Emtor Aricini quondam Veientis et arvi
Emtum cœnat olus, quamvis aliter putat; emtis
Sub noctem gelidam lignis calefactat aenum;
Sed vocat usque suum, qua populus assita certis
Limitibus vicina refugit jurgia; tanquam 171
Sit proprium quicquam, puncto quod mobilis horæ [prema,
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc sorte su-
Permutet dominos, et cedat in altera jura.
Sic quia perpetuus nulli datur usus, et hæres 175
Hæredem alterius, velut unda supervenit undam;
Quid vici prosunt, aut horrea? quidve Calabris
Saltibus adjecti Lucani, si metit Orcus
Grandia cum parvis, non exorabilis auro? [las,
Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabel-
Argentum, vestes Gætulo murice tinctas, 181
Sunt qui non habeant; est qui non curat habere.
Cur alter fratrum cessare, et ludere, et ungi
Præferat Herodis palmetis pinguibus; alter,
Dives et importunus, ad umbram lucis ab ortu
Sylvestrem flammis et ferro mitiget agrum; 186
Scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
Naturæ deus humanæ, mortalis in unumquodque caput, vultu mutabilis, albus et ater.
Utar, et ex modico quantum res poscet acervo 190
Tollam; nec metuam quid de me judicet hæres,
Quod non plura datis invenerit. Et tamen idem
Scire volam, quantum simplex hilarisque nepoti
Discrepet, et quantum discordet parcus avaro.
Distat enim, spargas tua prodigus, an neque sumtum 195
Invitus facias, neque plura parare labores;
Ac potius, puer ut festis quinquatribus olim,
Exiguo gratoque fruaris tempore raptim. [utrum
Pauperies immunda domu procul absit; ego,
Nave ferar magna an parva, ferar unus et idem.
Non agimur tumidis velis Aquilone secundo; 201
Non tamen adversis ætatem ducimus Austris;
Viribus, ingenio, specie, virtute, loco, re,
Extremi primorum, extremis usque priores.
Non es avarus: abi. Quid? cætera jam simul isto
Cum vitio fugere? caret tibi pectus inani 206
Ambitione? caret mortis formidine et ira?
Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures, portentaque Thessala rides?
Natales grate numeras? ignoscis amicis? 210
Lenior et melior fis accedente senecta?
Quid te exemta juvat spinis de pluribus una?
Vivere si recte nescis, decede peritis.
Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti:
Tempus abire tibi est; ne potum largius æquo
Rideat et pulset lasciva decentius ætas. 216

Q. HORATII FLACCI DE ARTE POETICA

LIBER.

Ad Pisones.

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere si velit, et varias inducere plumas,
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne,
Spectatum admissi risum teneatis amici? 5
Credite, Pisones, isti tabulæ fore libtum
Persimilem, cujus, velut ægri somnia, vanæ
Fingentur species; ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ. ¶ Pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas. 10
¶ Scimus, et hanc veniam petimusque damusque vicissim;
Sed non ut placidis coeant immitia; non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.
Inceptis gravibus plerumque et magna professis,
Purpureus, late qui splendeat, unus et alter 15
Adsuitur pannus; cum lucus et ara Dianæ,
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus: [sum
Sed nunc non erat his locus: et fortasse cupres-
Scis simulare: quid hoc, si fractis enatat exspes 20
Navibus, ære dato qui pingitur? amphora cœpit
Institui; currente rota cur urceus exit?
Denique sit, quod vis, simplex duntaxat et unum.
Maxima pars vatum, pater et juvenes patre digni,
Decipimur specie recti; brevis esse laboro, 25
Obscurus fio: sectantem lævia nervi
Deficiunt animique: professus grandia turget:
Serpit humi tutus nimium timidusque procellæ.
Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum sylvis appingit, fluctibus aprum. 30
In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte.
Æmilium circa ludum faber imus et ungues
Exprimet, et molles imitabitur ære capillos,
Infelix operis summa, quia ponere totum
Nesciet. Hunc ego me, si quod componere curem,
Non magis esse velim, quam pravo vivere naso, 36
Spectandum nigris oculis nigroque capillo.
Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus; et versate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo. 41
Ordinis hæc virtus erit et Venus, aut ego fallor,
Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici
Pleraque differat, et præsens in tempus omittat.
In verbis etiam tenuis cautusque serendis, 45
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.
Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit junctura novum. Si forte necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis 50
Continget; dabiturque licentia sumta pudenter.
Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si
Græco fonte cadant, parce detorta: quid autem
Cæcilio Plautoque dabit Romanus, ademtum
Virgilio Varioque? ego cur, acquirere pauca 55
Si possum, invideor, cum lingua Catonis et Enni
Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
Nomina protulerit? Licuit, semperque licebit
Signatum præsente nota producere nomen
Ut sylvæ foliis pronos mutantur in annos; 60
Prima cadunt; ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modo nata vigentque.
Debemur morti nos nostraque; sive receptus
Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet,
Regis opus; sterilisque diu palus, aptaque remis,
Vicinas urbes alit, et grave sentit aratrum; 66
Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius; mortalia facta peribunt.
Nedum sermonum stet honos, et gratia vivax. 69
Multa renascentur quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi.
Res gestæ regumque ducumque, et tristia bella,
Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.
Versibus impariter junctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos: 76
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant, et adhuc sub judice lis est.
Archilochum proprio rabies armavit iambo:
Hunc socci cepere pedem, grandesque cothurni,
Alternis aptum sermonibus, et populares 81
Vincentem strepitus, et natum rebus agendis.
Musa dedit fidibus divos, puerosque deorum,
Et pugilem victorem, et equum certamine pri-
Et juvenum curas, et libera vina referre. [mum,
Descriptas servare vices operumque colores, 86
Cur ego, si nequeo ignoroque, poeta salutor?
Cur nescire, pudens prave, quam discere malo?
Versibus exponi tragicis res comica non vult:
Indignatur item privatis, ac prope socco 90
Dignis carminibus narrari cœna Thyestæ.
Singula quæque locum teneant sortita decenter.
Interdum tamen et vocem comœdia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore;
Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri. 95
Telephus et Peleus, cum pauper et exsul, uterque
Projicit ampullas, et sesquipedalia verba,
Si curat cor spectantis tetigisse querela.
Non satis est pulchra esse poemata; dulcia sunto,
Et quocunque volent animum auditoris agunto.
Ut ridentibus arrident, ita flentibus adflent 101
Humani vultus: si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi; tunc tua me infortunia lædent.
Telephe, vel Peleu, male si mandata loqueris,
Aut dormitabo, aut ridebo. Tristia mæstum 105
Vultum verba decent; iratum, plena minarum;
Ludentem, lasciva; severum, seria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum; juvat, aut impellit ad iram,
Aut ad humum mærore gravi deducit, et angit;
Post effert animi motus interprete lingua. 111
Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollent equites peditesque cachinnum.
Intererit multum, Davusne loquatur, an heros;
Maturusne senex, an adhuc florente juventa 115
Fervidus; et matrona potens, an sedula nutrix;
Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli;
Colchus, an Assyrius; Thebis nutritus, an Argis.
Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge.
Scriptor [honoratum] si forte reponis Achillem; 120

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis:
Sit Medea ferox invictaque, flebilis Ino
Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.
Si quid inexpertum scenæ committis, et audes 125
Personam formare novam, servetur ad imum
Qualis ab incepto processerit, et sibi constet.
Difficile est proprie communia dicere: tuque
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam si proferres ignota indictaque primus. 130
Publica materies privati juris erit, si
Nec circa vilem patulumque moraberis orbem;
Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres; nec desilies imitator in arctum,
Unde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex.
Nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim: 136
"Fortunam Priami cantabo et nobile bellum."
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturiunt montes; nascetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte! 140
"Dic mihi, Musa, virum, captæ post tempora Trojæ
Qui mores hominum multorum vidit et urbes."
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,
Antiphaten, Scyllamque, et cum Cyclope Charybdin; 145
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.
Semper ad eventum festinat, et in medias res,
Non secus ac notas, auditorem rapit; et quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit; 150
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.
Tu, quid ego, et populus mecum desideret, audi:
Si plausoris eges aulæa manentis, et usque
Sessuri donec cantor, "Vos plaudite," dicat, 155
Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis dandus et annis.
Reddere qui voces jam scit puer, et pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, et iram
Colligit ac ponit temere, et mutatur in horas. 160
Imberbus juvenis, tandem custode remoto, [pi;
Gaudet equis canibusque et aprici gramine Cam-
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusque, et amata relinquere pernix.
Conversis studiis, ætas animusque virilis 166
Quærit opes et amicitias, inservit honori,
Commisisse cavet quod mox mutare laboret.
Multa senem circumveniunt incommoda; vel quod
Quærit, et inventis miser abstinet, ac timet uti; 170
Vel quod res omnes timide gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor castigatorque minorum.
Multa ferunt anni venientes commoda secum, 175
Multa recedentes adimunt: ne forte seniles
Mandentur juveni partes, pueroque viriles,
Semper in adjunctis ævoque morabimur aptis.
Aut agitur res in scenis, aut acta refertur:
Segnius irritant animos demissa per aurem, 180
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus, et quæ
Ipse sibi tradit spectator. Non tamen intus
Digna geri promes in scenam; multaque tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præsens:
Nec pueros coram populo Medea trucidet, 185
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
Aut in avem Procne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi.
Neve minor, neu sit quinto productior actu
Fabula, quæ posci vult, et spectata reponi: 190
Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit: nec quarta loqui persona laboret.
Actoris partes chorus officiumque virile
Defendat; neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat et hæreat apte. 195
Ille bonis faveatque, et consilietur amicis;
Et regat iratos, et amet peccare timentes:
Ille dapes laudet mensæ brevis; ille salubrem
Justitiam, legesque, et apertis otia portis:
Ille tegat commissa, deosque precetur et oret, 200
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.
Tibia non, ut nunc, orichalco vincta, tubæque
Æmula, sed tenuis simplexque, foramine pauco,
Adspirare et adesse choris erat utilis, atque
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu; 205
Quo sane populus numerabilis, utpote parvus,
Et frugi, castusque verecundusque coibat.
Postquam cœpit agros extendere victor, et ur-
Latior amplecti murus, vinoque diurno [bem
Placari Genius festis impune diebus, 210
Accessit numerisque modisque licentia major
Indoctus quid enim saperet, liberque laborum,
Rusticus urbano confusus, turpis honesto?
Sic priscæ motumque et luxuriem addidit arti
Tibicen, traxitque vagus per pulpita vestem: 215
Sic etiam fidibus voces crevere severis,
Et tulit eloquium insolitum facundia præceps;
Utiliumque sagax rerum, et divina futuri,
Sortilegis non discrepit sententia Delphis.
Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum, 220
Mox etiam agrestes Satyros nudavit; et asper
Incolumi gravitate jocum tentavit, eo quod
Illecebris erat et grata novitate morandus
Spectator, functusque sacris, et potus, et exlex.
Verum ita risores, ita commendare dicaces 225
Conveniet Satyros, ita vertere seria ludo; [ros,
Ne, quicunque deus, quicunque adhibebitur he-
Regali conspectus in auro nuper et ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas;
Aut, dum vitat humum, nubes et inania captet.
Effutire leves indigna Tragœdia versus, 231
Ut festis matrona moveri jussa diebus,
Intererit Satyris paulum pudibunda protervis.
Non ego inornata et dominantia nomina solum
Verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo;
Nec sic enitar tragico differre colori, 236
Ut nihil intersit Davusne loquatur, et audax
Pythias emuncto lucrata Simone talentum,
An custos famulusque dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis 240
Speret idem; sudet multum, frustraque laboret
Ausus idem: tantum series juncturaque pollet;
Tantum de medio sumtis accedit honoris.
Sylvis deducti caveant, me judice, Fauni,
Ne, velut innati triviis ac pæne forenses, 245
Aut nimium teneris juvenentur versibus unquam,
Aut immunda crepent ignominiosaque dicta:
Offenduntur enim quibus est equus, et pater, et res;
Nec, si quid fricti ciceris probat et nucis emtor,
Æquis accipiunt animis, donantve corona. 250
Syllaba longa brevi subjecta vocatur Iambus,
Pes citus; unde etiam trimetris accrescere jussit
Nomen Iambeis, cum senos redderet ictus,
Primus ad extremum similis sibi: non ita pridem,
Tardior ut paulo graviorque veniret ad aures, 255
Spondeos stabiles in jura paterna recepit

Commodus et patiens: non ut de sede secunda
Cederet aut quarta socialiter: hic et in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus, et Enni
In scenam missos magno cum pondere versus 260
Aut operæ celeris nimium curaque carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.
Non quivis videt immodulata poemata judex;
Et data Romanis venia est indigna poetis.
Idcircone vager, scribamque licenter? Ut omnes
Visuros peccata putem mea, tutus et intra 266
Spem veniæ cautus? vitavi denique culpam,
Non laudem merui. Vos exemplaria Græca
Nocturna versate manu, versate diurna.
At vestri proavi Plautinos et numeros veris 270
Laudavere sales; nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati; si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.
Ignotum tragicæ genus invenisse Camœnæ 275
Dicitur, et plaustris vexisse poemata Thespis,
Quæ canerent agerentque peruncti fæcibus ora.
Post hunc personæ pallæque repertor honestæ
Æschylus et modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.
Successit vetus his comœdia, non sine multa
Laude; sed in vitium libertas excidit, et vim
Dignam lege regi: lex est accepta, chorusque
Turpiter obticuit, sublato jure nocendi.
Nil intentatum nostri liquere poetæ: 285
Nec minimum meruere decus, vestigia Græca
Ausi deserere, et celebrare domestica facta;
Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret clarisve potentius armis, 289
Quam lingua, Latium, si non offenderet unumquemque poetarum limæ labor et mora. Vos, o Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies et multa litura coercuit, atque
Præsectum decies non castigavit ad unguem.
Ingenium misera quia fortunatius arte 295
Credit, et excludit sanos Helicone poetas
Democritus, bona pars non ungues ponere curat,
Non barbam; secreta petit loca; balnea vitat.
Nanciscetur enim pretium nomenque poetæ,
Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam
Tonsori Licino commiserit. O ego lævus, 301
Qui purgor bilem sub verni temporis horam!
Non alius faceret meliora poemata; verum
Nil tanti est; ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi:
Munus et officium, nil scribens ipse, docebo; 306
Unde parentur opes; quid alat formetque poetam;
Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error.
Scribendi recte: sapere est et principium et fons:
Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ:
Verbaque provisam rem non invita sequentur. 311
Qui didicit patriæ quid debeat, et quid amicis,
Quo sit amore parens, quo frater amandus, et hospes,
Quod sit conscripti, quod judicis officium, quæ
Partes in bellum missi ducis; ille profecto 315
Reddere personæ scit convenientia cuique.
Respicere exemplar vitæ morumque jubebo
Doctum imitatorem, et veras hinc ducere voces.
Interdum speciosa locis morataque recte
Fabula, nullius Veneris, sine pondere et arte, 320
Valdius oblectat populum meliusque moratur,
Quam versus inopes rerum, nugæque canoræ.
Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui præter laudem nullius avaris.
Romani pueri longis rationibus assem 325
Discunt in partes centum diducere. ¶ Dicat
Filius Albini, si de quincunce remota est [¶ Eu!
Uncia, quid superat. ¶ Poteras dixisse, Triens.
Rem poteris servare tuam. Redit uncia, quid fit?
¶ Semis. ¶ An, hæc animos ærugo et cura peculi
Cum semel imbuerit, speramus carmina fingi 331
Posse linenda cedro, et lævi servanda cupresso?
Aut prodesse volunt aut delectare poetæ,
Aut simul et jucunda et idonea dicere vitæ.
Quicquid præcipies, esto brevis; ut cito dicta 335
Percipiant animi dociles, teneantque fideles:
Omne supervacuum pleno de pectore manat.
Ficta voluptatis causa sint proxima veris:
Nec, quodcunque volet, poscat sibi fabula credi;
Neu pransæ Lamiæ vivum puerum extrahat alvo.
Centuriæ seniorum agitant expertia frugis; 341
Celsi prætereunt austera poemata Rhamnes:
Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo.
Hic meret æra liber Sosiis; hic et mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat ævum. 346
Sunt delicta tamen quibus ignovisse velimus.
Nam neque chorda sonum reddit quem vult manus et mens,
Poscentique gravem persæpe remittit acutum; 349
Nec semper feriet quodcunque minabitur arcus.
Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura. Quid ergo est?
Ut scriptor si peccat idem librarius usque,
Quamvis est monitus, venia caret; et citharœdus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem; 356
Sic mihi, qui multum cessat, fit Chœrilus ille,
Quem bis terque bonum cum risu miror; et idem
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.
Verum operi longo fas est obrepere somnum. 360
Ut pictura, poesis: erit quæ, si propius stes,
Te capiat magis, et quædam, si longius abstes:
Hæc amat obscurum; volet hæc sub luce videri,
Judicis argutum quæ non formidat acumen:
Hæc placuit semel; hæc decies repetita placebit.
O major juvenum, quamvis et voce paterna 366
Fingeris ad rectum, et per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle memor; certis medium et tolerabile rebus
Recte concedi: consultus juris et actor
Causarum mediocris abest virtute diserti 370
Messalæ, nec scit quantum Cascellius Aulus;
Sed tamen in pretio est: mediocribus esse poetis
Non homines, non di, non concessere columnæ.
Ut gratas inter mensas symphonia discors,
Et crassum unguentum, et Sardo cum melle papaver, 375
Offendunt, poterat duci quia cœna sine istis;
Sic animis natum inventumque poema juvandis,
Si paulum a summo decessit, vergit ad imum.
Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilæ discive trochive quiescit, 380
Ne spissæ risum tollant impune coronæ: [ni,
Qui nescit, versus tamen audet fingere! ¶ Quid
Liber et ingenuus, præsertim census equestrem
Summam nummorum, vitioque remotus ab omni?
¶ Tu nihil invita dices faciesve Minerva; 385
Id tibi judicium est, ea mens: si quid tamen olim
Scripseris, in Metii descendat judicis aures,
Et patris, et nostras, nonumque prematur in annum,
Membranis intus positis. Delere licebit,
Quod non edideris; nescit vox missa reverti. 390
Sylvestres homines sacer interpresque deorum

Cædibus et victu fœdo deterruit Orpheus;
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosque leones:
Dictus et Amphion, Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere sono testudinis, et prece blanda 395
Ducere quo vellet. Fuit hæc sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno:
Sic honor et nomen divinis vatibus atque 400
Carminibus venit. Post hos insignis Homerus,
Tyrtæusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit; dictæ per carmina sortes,
Et vitæ monstrata via est, et gratia regum
Pieriis tentata modis, ludusque repertus, 405
Et longorum operum finis: ne forte pudori
Sit tibi Musa lyræ sollers, et cantor Apollo.
Natura fieret laudabile carmen an arte,
Quæsitum est: ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid possit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, et conjurat amice. 411
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit,
Abstinuit Venere et vino. Qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitque magistrum. 415
Nec satis est dixisse, Ego mira poemata pango:
Occupet extremum scabies; mihi turpe relinqui est,
Et, quod non didici, sane nescire fateri.
Ut præco, ad merces turbam qui cogit emendas,
Assentatores jubet ad lucrum ire poeta 420
Dives agris, dives positis in fœnore nummis.
Si vero est, unctum qui recte ponere possit,
Et spondere levi pro paupere, et eripere atris
Litibus implicitum, mirabor si sciet internoscere mendacem verumque beatus amicum. 425
Tu seu donaris, seu quid donare voles cui,
Nolito ad versus tibi factos ducere plenum
Lætitiæ; clamabit enim, Pulchre! bene! recte!
Pallescet super his; etiam stillabit amicis
Ex oculis rorem; saliet, tundet pede terram. 430
Ut qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo; sic
Derisor vero plus laudatore movetur.
Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant
An sit amicitia dignus: si carmina condes, 436
Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.
Quintilio si quid recitares, Corrige, sodes,
Hoc, aiebat, et hoc: melius te posse negares.
Bis terque expertum frustra; delere jubebat, 440
Et male tornatos incudi reddere versus.
Si defendere delictum quam vertere malles,
Nullum ultra verbum aut operam insumebat inanem,
Quin sine rivali teque et tua solus amares.
Vir bonus et prudens versus reprehendet inertes;
Culpabit duros; incomtis allinet atrum 446
Transverso calamo signum; ambitiosa recidet
Ornamenta; parum claris lucem dare coget;
Arguet ambigue dictum; mutanda notabit;
Fiet Aristarchus; non dicet, Cur ego amicum 450
Offendam in nugis? Hæ nugæ seria ducent
In mala derisum semel exceptumque sinistre.
Ut mala quem scabies aut morbus regius urget,
Aut fanaticus error et iracunda Diana,
Vesanum tetigisse timent fugiuntque poetam, 455
Qui sapiunt; agitant pueri, incautique sequuntur.
Hic, dum sublimis versus ructatur, et errat,
Si veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum foveamve, licet, Succurrite, longum
Clamet, Io cives! non sit qui tollere curet: 460
Si curet quis opem ferre, et demittere funem,
Qui scis an prudens huc se dejecerit, atque
Servari nolit? dicam; Siculique poetæ
Narrabo interitum: Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam 465
Insiluit. Sit jus liceatque perire poetis:
Invitum qui servat, idem facit occidenti.
Nec semel hoc fecit; nec, si retractus erit, jam
Fiet homo, et ponet famosæ mortis amorem.
Nec satis apparet cur versus factitet; utrum 470
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
Moverit incestus; certe furit, ac velut ursus
Objectos caveæ valuit si frangere clathros,
Indoctum doctumque fugat recitator acerbus.
Quem vero arripuit, tenet, occiditque legendo, 475
Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

PHÆDRI AUGUSTI LIBERTI FABULARUM ÆSOPIARUM

LIBER PRIMUS.

Phædrus Pieria Macedoniæ regione oriundus, Augusti libertus, sub Tiberio primum fabulas edidisse videtur. Sejano certe, sive quod vitia ejus carminibus perstrinxisse visus esset, sive aliam quandam ob causam, in odium incurrit, ab eoque fictis criminibus damnatus est. De reliqua ejus vita nihil compertum.

PROLOGUS.

Æsopus auctor quam materiam reperit,
Hanc ego polivi versibus senariis.
Duplex libelli dos est: quod risum movet,
Et quod prudenti vitam consilio monet.
Calumniari si quis autem voluerit, 5
Quod arbores loquantur, non tantum feræ;
Fictis jocari nos meminerit fabulis.

FABULA I.—*Lupus et Agnus.*

Ad rivum eundem Lupus et Agnus venerant
Siti compulsi: superior stabat Lupus,
Longeque inferior Agnus. Tunc fauce improba
Latro incitatus jurgii causam intulit.
Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi 5
Istam bibenti? Laniger contra timens:
Qui possum quæso facere, quod quereris, Lupe?
A te decurrit ad meos haustus liquor.
Repulsus ille veritatis viribus,
Ante hos sex menses male, ait, dixisti mihi. 10
Respondit Agnus: Equidem natus non eram.
Pater hercule tuus, inquit, maledixit mihi.
Atque ita correptum lacerat injusta nece.
Hæc propter illos scripta est homines fabula,
Qui fictis causis innocentes opprimunt. 15

FABULA II.—*Ranæ Regem Petentes.*

Athenæ cum florerent æquis legibus,
Procax libertas civitatem miscuit,
Frenumque solvit pristinum licentia.
Hinc conspiratis factionum partibus,
Arcem tyrannus occupat Pisistratus. 5
Cum tristem servitutem flerent Attici,
Non quia crudelis ille, sed quoniam grave
Omne insuëtis onus, et cœpissent queri;
Æsopus talem tum fabellam retulit.
Ranæ, vagantes liberis paludibus, 10
Clamore magno regem petiere a Jove,
Qui dissolutos mores vi compesceret.
Pater deorum risit, atque illis dedit
Parvum tigillum, missum quod subito vadi
Motu sonoque terruit pavidum genus. 15
Hoc mersum limo cum lateret diutius,
Forte una tacite profert e stagno caput,
Et, explorato rege, cunctas evocat.
Illæ timore posito certatim adnatant,
Lignumque supra turba petulans insilit: 20
Quod cum inquinassent omni contumelia,
Alium rogantes regem misere ad Jovem,
Inutilis quoniam esset, qui fuerat datus.
Tum misit illis hydrum, qui dente aspero
Corripere cœpit singulas: frustra necem 25
Fugitant inertes: vocem præcludit metus.
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Jovem,
Afflictis ut succurrat. Tunc contra deus:
Quia noluistis vestrum ferre, inquit, bonum,
Malum perferte. Vos quoque, o cives, ait, 30
Hoc sustinete, majus ne veniat, malum.

FABULA III.—*Graculus Superbus et Pavo.*

Ne gloriari libeat alienis bonis,
Suoque potius habitu vitam degere,
Æsopus nobis hoc exemplum prodidit.
Tumens inani Graculus superbia,
Pennas, Pavoni quæ deciderant, sustulit, 5
Seque exornavit: deinde contemnens suos
Formoso se Pavonum immiscuit gregi.
Illi impudenti pennas eripiunt avi,
Fugantque rostris. Male mulcatus Graculus
Redire mærens cœpit ad proprium genus: 10
A quo repulsus tristem sustinuit notam.
Tum quidam ex illis, quos prius despexerat:
Contentus nostris si fuisses sedibus,
Et, quod natura dederat, voluisses pati,
Nec illam expertus esses contumeliam, 15
Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.

FABULA IV.—*Canis per Fluvium Carnem Ferens.*

Amittit merito proprium, qui alienum appetit.
Canis per flumen, carnem dum ferret, natans,
Lympharum in speculo vidit simulacrum suum:
Aliamque prædam ab alio ferri putans,
Eripere voluit: verum decepta aviditas, 5
Et, quem tenebat ore, dimisit cibum,
Nec, quem petebat, potuit adeo attingere

FABULA V.—*Vacca et Capella, Ovis et Leo.*

Nunquam est fidelis cum potente societas:
Testatur hæc fabella propositum meum.

Vacca et Capella, et patiens Ovis injuriæ,
Socii fuere cum Leone in saltibus.
Hi cum cepissent cervum vasti corporis, 5
Sic est locutus, partibus factis, Leo :
Ego primam tollo, [nominor quia] Leo ;
Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi;
Tum, quia plus valeo, me sequetur tertia;
Malo afficietur, si quis quartam tetigerit. 10
Sic totam prædam sola improbitas abstulit.

FABULA VI.—*Ranæ ad Solem.*

Vicini furis celebres vidit nuptias
Æsopus, et continuo narrare incipit :
Uxorem quondam Sol cum vellet ducere,
Clamorem Ranæ sustulere ad sidera.
Convicio permotus quærit Jupiter 5
Causam querelæ. Quædam tum stagni incola :
Nunc, inquit, omnes unus exurit lacus,
Cogitque miseras arida sede emori;
Quidnam futurum est, si crearit liberos ?

FABULA VII.—*Vulpis ad Personam Tragicam.*

Personam tragicam forte vulpis viderat :
O quanta species, inquit, cerebrum non habet!
Hoc illis dictum est, quibus honorem et gloriam
Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

FABULA VIII.—*Lupus et Gruis.*

Qui pretium meriti ab improbis desiderat,
Bis peccat: primum, quoniam indignos adjuvat;
Impune abire deinde quia jam non potest.
Os devoratum fauce cum hæreret Lupi,
Magno dolore victus, cœpit singulos 5
Illicere pretio, ut illud extraherent malum.
Tandem persuasa est jurejurando Gruis,
Gulæque credens colli longitudinem,
Periculosam fecit medicinam Lupo.
Pro quo cum pactum flagitaret præmium, 10
Ingrata es, inquit, ore quæ nostro caput
Incolume abstuleris, et mercedem postules

FABULA IX.—*Passer et Lepus.*

Sibi non cavere, et aliis consilium dare,
Stultum esse, paucis ostendamus versibus.
Oppressum ab Aquila, fletus edentem graves
Leporem objurgabat Passer: ubi pernicitas 4
Nota, inquit, illa est? quid ita cessarunt pedes?
Dum loquitur, ipsum Accipiter necopinum rapit,
Questuque vano clamitantem interficit.
Lepus semianimus mortis in solatio :
Qui modo securus nostra irridebas mala,
Simili querela fata deploras tua. 10

FABULA X.—*Lupus et Vulpis Judice Simio.*

Quicunque turpi fraude semel innotuit,
Etiamsi verum dicit, amittit fidem.
Hoc attestatur brevis Æsopi fabula.
Lupus arguebat vulpem furti crimine :
Negabat illa, se esse culpæ proximam : 5
Tunc judex inter illos sedit Simius.
Uterque causam cum perorassent suam,
Dixisse fertur Simius sententiam :
Tu non videris perdidisse, quod petis ;
Te credo surripuisse, quod pulcre negas. 10

FABULA XI.—*Asinus et Leo Venantes*

Virtutis expers, verbis jactans gloriam,
Ignotos fallit, notis est derisui.
Venari Asello comite cum vellet Leo,
Contexit illum frutice, et admonuit simul,
Ut insuëta voce terreret feras, 5
Fugientes ipse exciperet. Hic Auritulus
Clamorem subito totis tollit viribus,
Novoque turbat bestias miraculo.
Quæ dum paventes exitus notos petunt,
Leonis affliguntur horrendo impetu. 10
Qui postquam cæde fessus est, Asinum evocat,
Jubetque vocem premere. Tunc ille insolens :
Qualis videtur opera tibi vocis meæ ?
Insignis, inquit, sic, ut nisi nossem tuum
Animum genusque, simili fugissem metu. 15

FABULA XII.—*Cervus ad Fontem.*

Laudatis utiliora, quæ contemseris,
Sæpe inveniri, hæc exserit narratio.
Ad fontem Cervus, cum bibisset, restitit,
Et in liquore vidit effigiem suam.
Ibi dum ramosa mirans laudat cornua, 5
Crurumque nimiam tenuitatem vituperat,
Venantum subito vocibus conterritus,
Per campum fugere cœpit, et cursu levi
Canes elusit. Sylva tum excepit ferum,
In qua retentis impeditus cornibus, 10
Lacerari cœpit morsibus sævis canum.
Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur :
O me infelicem! qui nunc demum intelligo
Utilia mihi quam fuerint, quæ despexeram,
Et, quæ laudaram, quantum luctus habuerint. 15

FABULA XIII.—*Vulpis et Corvus.*

Qui se laudari gaudent verbis subdolis,
Sera dant pœnas turpes pœnitentia.
Cum de fenestra Corvus raptum caseum
Comesse vellet, celsa residens arbore ;
Hunc vidit Vulpis, deinde sic cœpit loqui : 5
O qui tuarum, Corve, pennarum est nitor!
Quantum decoris corpore et vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille stultus, dum vult vocem ostendere,
Emisit ore caseum; quem celeriter 10
Dolosa Vulpis avidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit Corvi deceptus stupor

* * *

[Hac re probatur, ingenium quantum valet,
Virtute et semper prævalet sapientia.] 15

FABULA XIV.—*Ex Sutore Medicus.*

Malus cum Sutor, inopia deperditus,
Medicinam ignoto facere cœpisset loco,
Et venditaret falso antidotum nomine ;
Verbosis acquisivit sibi famam strophis.
Hic cum jaceret morbo confectus gravi 5
Rex urbis, ejus experiendi gratia
Scyphum poposcit: fusa dein simulans aqua
Antidoto miscere illius se toxicum,
Combibere jussit ipsum posito præmio.
Timore mortis ille tum confessus est, 10
Non artis ulla medicæ se prudentia,
Verum stupore vulgi factum nobilem.
Rex advocata concione hæc edidit :
Quantæ putatis esse vos dementiæ,
Qui capita vestra non dubitatis credere, 15
Cui calceandos nemo commisit pedes ?
Hoc pertinere vere ad illos dixerim,
Quorum stultitia quæstus impudentiæ est

FABULA XV.—*Asinus ad Senem Pastorem.*

In principatu commutando civium
Nil præter domini nomen mutant pauperes.
Id esse verum parva hæc fabella indicat.
Asellum in prato timidus pascebat Senex.
Is hostium clamore subito territus, 5
Suadebat Asino fugere, ne possent capi.
At ille lentus: Quæso, num binas mihi
Clitellas impositurum victorem putas?
Senex negavit. Ergo quid refert mea
Cui serviam, clitellas dum portem meas? 10

FABULA XVI.—*Cervus et Ovis.*

Fraudator hominem cum vocat sponsum improbum,
Non rem expedire, sed malum dare expetit.
Ovem rogabat Cervus modium tritici,
Lupo sponsore: at illa præmetuens dolum:
Rapere atque abire semper adsuevit Lupus; 5
Tu de conspectu fugere veloci impetu:
Ubi vos requiram, cum dies advenerit?

FABULA XVII.—*Ovis, Canis, et Lupus.*

Solent mendaces luere pœnas maleficî.
Calumniator ab Ove cum peteret Canis,
Quem commendasse panem se contenderet;
Lupus, citatus testis, non unum modo
Debere dixit, verum affirmavit decem. 5
Ovis, damnata falso testimonio,
Quod non debebat, solvit: post paucos dies
Ridens jacentem in fovea prospexit Lupum·
Hæc, inquit, merces fraudis a superis datur.

FABULA XVIII.—*Mulier Parturiens.*

Nemo libenter recolit, qui læsit, locum.
Instante partu, mulier, actis mensibus,
Humi jacebat, flebiles gemitus ciens.
Vir est hortatus, corpus lecto reciperet,
Onus naturæ melius quo deponeret. 5
Minime, inquit, illo posse confido loco
Malum finiri, quo conceptum est initio.

FABULA XIX.—*Canis Parturiens.*

Habent insidias hominis blanditiæ mali:
Quas ut vitemus, versus subjecti monent.
Canis parturiens cum rogasset alteram,
Ut fetum in ejus tugurio deponeret,
Facile impetravit: dein reposcenti locum 5
Preces admovit, tempus exorans breve,
Dum firmiores catulos posset ducere.
Hoc quoque consumto, flagitare validius
Cubile cœpit. Si mihi ei turbæ meæ
Par, inquit, esse potueris, cedam loco. 10

FABULA XX.—*Canes Famelici.*

Stultum consilium non modo effectu caret,
Sed ad perniciem quoque mortales devocat.
Corium depressum in fluvio viderunt Canes
Id ut comesse extractum possent facilius,
Aquam cœpere ebibere: sed rupti prius 5
Periere, quam, quod petierant, contingerent.

FABULA XXI.—*Leo Senex, Aper, Taurus, et Asinus.*

Quicunque amisit dignitatem pristinam,
Ignavis etiam jocus est in casu gravi.
Defectus annis, et desertus viribus
Leo cum jaceret, spiritum extremum trahens,
Aper fulmineis ad eum venit dentibus 5
Et vindicavit ictu veterem injuriam:
Infestis Taurus mox confodit cornibus
Hostile corpus. Asinus ut vidit ferum
Impune lædi, calcibus frontem extudit.
At ille exspirans: Fortes indigne tuli 10
Mihi insultare: te, naturæ dedecus,
Quod ferre certe cogor, bis videor mori.

FABULA XXII.—*Mustela et Homo.*

Mustela ab Homine prensa cum instantem necem
Effugere vellet: Parce quæso, inquit, mihi,
Quæ tibi molestis muribus purgo domum.
Respondit ille: Faceres si causa mea,
Gratum esset, et dedissem veniam supplici: 5
Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis
Quas sunt rosuri, simul et ipsos devores,
Noli imputare vanum beneficium mihi.
Atque ita locutus improbam leto dedit.
Hoc in se dictum debent illi agnoscere, 10
Quorum privata servit utilitas sibi,
Et meritum inane jactant imprudentibus.

FABULA XXIII.—*Canis Fidelis.*

Repente liberalis stultis gratus est;
Verum peritis irritos tendit dolos.
Nocturnus cum fur panem misisset Cani,
Objecto tentans an cibo possit capi:
Heus, inquit, linguam vis meam præcludere, 5
Ne latrem pro re domini? multum falleris.
Namque ista subita me jubet benignitas
Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

FABULA XXIV.—*Rana Rupta et Bos.*

Inops, potentem dum vult imitari, perit.
In prato quondam Rana conspexit Bovem,
Et, tacta invidia tantæ magnitudinis,
Rugosam inflavit pellem: tum natos suos
Interrogavit, an Bove esset latior. 5
Illi negarunt. Rursus intendit cutem
Majore nisu; et simili quæsivit modo,
Quis major esset. Illi dixerunt, Bovem.
Novissime indignata, dum vult validius
Inflare sese, rupto jacuit corpore. 10

FABULA XXV.—*Canis et Corcodilus*

Consilia qui dant prava cautis hominibus,
Et perdunt operam, et deridentur turpiter.
Canes currentes bibere in Nilo flumine,
A Corcodilis ne rapiantur, traditum est.
Igitur cum currens bibere cœpisset Canis, 5
Sic Corcodilus: Quam libet lambe otio,
Noli vereri. At ille: Facerem mehercule,
Nisi esse scirem carnis te cupidum meæ.

FABULA XXVI.—*Vulpis et Ciconia.*

Nulli nocendum; si quis vero læserit,
Multandum simili jure, fabella admonet.
Ad cœnam Vulpis dicitur Ciconiam
Prior invitasse, et illi in patina liquidam
Posuisse sorbitionem, quam nullo modo 5
Gustare esuriens potuerit Ciconia.
Quæ Vulpem cum revocasset, intrito cibo
Plenam lagenam posuit: huic rostrum inserens
Satiatur ipsa, et torquet convivam fame.
Quæ cum lagenæ collum frustra lamberet, 10
Peregrinam sic locutam volucrem accepimus
Sua quisque exempla debet æquo animo pati

FABULA XXVII.—*Canis, et Thesaurus, et Vulturius*

Hæc res avaris esse conveniens potest,
Et qui humiles nati, dici locupletes student.
Humana effodiens ossa thesaurum Canis
Invenit, et violarat quia Manes deos,
Injecta est illi divitiarum cupiditas, 5
Pœnas ut sanctæ religioni penderet.
Itaque aurum dum custodit, oblitus cibi,
Fame est consumtus; quem stans Vulturius super
Fertur locutus: O Canis, merito jaces,
Qui concupisti subito regales opes, 10
Trivio conceptus, educatus stercore

FABULA XXVIII.—*Vulpis et Aquila.*

Quamvis sublimes debent humiles metuere,
Vindicta docili quia patet solertiæ.
Vulpinos catulos Aquila quondam sustulit,
Nidoque posuit pullis, escam ut carperent.
Hanc persecuta mater orare incipit, 5
Ne tantum miseræ luctum importaret sibi.
Contemsit illa, tuta quippe ipso loco.
Ab ara Vulpis rapuit ardentem facem,
Totamque flammis arborem circumdedit,
Hosti dolorem damno miscens sanguinis. 10
Aquila ut periclo mortis eriperet suos,
Incolumes natos supplex Vulpi tradidit.

FABULA XXIX.—*Asinus Irridens Aprum.*

Plerumque stulti risum dum captant levem,
Gravi destringunt alios contumelia,
Et sibi nocivum concitant periculum.
Asellus Apro cum fuisset obvius,
Salve, inquit, frater. Ille indignans repudiat 5
Officium, et quærit, cur sic mentiri velit?
Asinus demisso pene: Similem si negas
Tibi me esse, certe simile est hoc rostro tuo.
Aper cum vellet facere generosum impetum,
Repressit iram; et, Facilis vindicta est mihi;
Sed inquinari nolo ignavo sanguine. 11

FABULA XXX.—*Ranæ Metuentes Taurorum Prœlia.*

Humiles laborant, ubi potentes dissident.
Rana in palude pugnam Taurorum intuens,
Heu, quanta nobis instat pernicies! ait.
Interrogata ab alia, cur hoc diceret,
De principatu cum decertarent gregis, 5
Longeque ab illis degerent vitam boves:
Est statio separata, ac diversum genus;
Sed pulsus regno nemoris qui profugerit,
Paludis in secreta veniet latibula,
Et proculcatas obteret duro pede: 10
Caput ita ad nostrum furor illorum pertinet.

FABULA XXXI.—*Miluus et Columba.*

Qui se committit homini tutandum improbo,
Auxilia dum requirit, exitium invenit.
Columbæ sæpe cum fugissent Miluum,
Et celeritate pennæ vitassent necem,
Consilium raptor vertit ad fallaciam, 5
Et genus inerme tali decepit dolo:
Quare sollicitum potius ævum ducitis.
Quam regem me creatis icto fœdere,
Qui vos ab omni tutas præstem injuria?
Illæ credentes tradunt sese Miluo: 10
Qui, regnum adeptus, cœpit vesci singulas,
Et exercere imperium sævis unguibus.
Tunc de relicüis una: Merito plectimur.

LIBER SECUNDUS.

AUCTOR.

Exemplis continetur Æsopi genus,
Nec aliud quicquam per fabellas quæritur,
Quam corrigatur error ut mortalium,
Acuatque sese diligens industria.
Quicunque fuerit ergo narrantis jocus, 5
Dum capiat aurem, et servet propositum suum,
Recommendatur, non auctoris nomine.
Equidem omni cura morem servabo senis;
Sed si libuerit aliquid interponere,
Dictorum sensus ut delectet varietas, 10
Bonas in partes, lector, accipias velim,
Ita, si rependet illam brevitas gratiam:
Cujus verbosa ne sit commendatio,
Attende, cur negare cupidis debeas;
Modestis etiam offerre, quod non petierint. 15

FABULA I.—*Juvencus, Leo et Prædator.*

Super juvencum stabat dejectum Leo.
Prædator intervenit, partem postulans:
Darem, inquit, nisi soleres per te sumere:
Et improbum rejecit. Forte innoxius
Viator est deductus in eundem locum, 5
Feroque viso retulit retro pedem.
Cui placidus ille: Non est, quod timeas, ait
Et, quæ debetur pars tuæ modestiæ,
Audacter tolle. Tunc diviso tergore
Sylvas petivit, homini ut accessum daret. 10
Exemplum egregium prorsus et laudabile,
Verum est aviditas dives, et pauper pudor.

FABULA II.—*Anus Diligens Virum Mediæ Ætatis, item Puella.*

A fœminis utcunque spoliari viros,
Ament, amentur, nempe exemplis discimus
Ætatis mediæ quendam mulier non rudis
Tenebat, annos celans elegantia:
Animosque ejusdem pulchra juvenis ceperat. 5
Ambæ, videri dum volunt illi pares,
Capillos homini legere cœpere invicem.
Cum se putaret fingi cura mulierum,
Calvus repente factus est: nam funditus
Canos puella, nigros anus evellerat.

FABULA III.—*Homo et Canis.*

Laceratus quidam morsu vehementis canis
Tinctum cruore panem misit malefico,
Audierat esse quod remedium vulneris.
Tunc sic Æsopus: Noli coram pluribus
Hoc facere canibus, ne nos vivos devorent
Cum scierint esse tale culpæ præmium.
Successus improborum plures allicit.

FABULA IV.—*Aquila, Feles, Aper.*

Aquila in sublimi quercu nidum fecerat :
Feles cavernam nacta in media pepererat :
Sus nemoris cultrix fetum ad imam posuerat.
Tum fortuitum feles contubernium
Fraude et scelesta sic evertit malitia : 5
Ad nidum scandit volucris : Pernicies, ait,
Tibi paratur, forsan et miseræ mihi.
Nam fodere terram quod vides quotidie
Aprum insidiosum, quercum vult evertere,
Ut nostram in plano facile progeniem opprimat.
Terrore offuso et perturbatis sensibus, 11
Derepit ad cubile setosæ suis ;
Magno, inquit, in periclo sunt nati tui.
Nam simul exieris pastum cum tenero grege,
Aquila est parata rapere porcellos tibi. 15
Hunc quoque timore postquam complevit locum,
Dolosa tuto condidit sese cavo :
Inde evagata noctu suspenso pede,
Ubi esca se replevit et prolem suam,
Pavorem simulans prospicit toto die. 20
Ruinam metuens aquila ramis desidet :
Aper rapinam vitans non prodit foras.
Quid multa ? inedia sunt consumti cum suis,
Felique et catulis largam præbuerunt dapem.
Quantum homo bilinguis sæpe concinnet mali,
Documentum habere stulta credulitas potest. 26

FABULA V.—*Cæsar ad Atriensem.*

Est ardelionum quædam Romæ natio,
Trepide concursans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi molesta et aliis odiosissima :
Hanc emendare, si tamen possum, volo 5
Vera fabella : pretium est operæ attendere.
Cæsar Tiberius cum petens Neapolim
In Misenensem villam venisset suam,
Quæ monte summo posita Luculli manu
Prospectat Siculum et despicit Tuscum mare ; 10
Ex alticinctis unus Atriensibus,
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat destricta, cirris dependentibus,
Perambulante læta Domino viridia
Alveolo cœpit ligneo conspergere 15
Humum æstuantem, come officium jactitans :
Sed deridetur. Inde notis flexibus
Præcurrit alium in xystum, sedans pulverem.
Agnoscit hominem Cæsar, remque intelligit.
Id ut putavit esse nescio quid boni : 20
Heus ! inquit Dominus. Ille enimvero adsilit,
Donationis alacer certæ gaudio.
Tum sic jocata est tanti majestas ducis :
Non multum egisti, et opera nequicquam perît ;
Multo majoris alapæ mecum veneunt. 25

FABULA VI.—*Aquila, Cornix et Testudo.*

Contra potentes nemo est munitus satis ;
Si vero accessit consiliator maleficus,
Vis et nequitia quicquid oppugnant, ruit
Aquila in sublime sustulit Testudinem :
Quæ cum abdidisset cornea corpus domo, 5
Nec ullo pacto lædi posset condita ;
Venit per auras Cornix, et propter volans .
Opimam sane prædam rapuisti unguibus,
Sed, nisi monstraro quid sit faciendum tibi,
Gravi nequicquam te lassabit pondere. 10
Promissa parte, suadet ut scopulum super
Altis ab astris duram illidat corticem,
Qua comminuta facile vescatur cibo.
Inducta verbis Aquila monitis paruit,
Simul et magistræ large divisit dapem. 15
Sic tuta quæ naturæ fuerat munere,
Impar duabus occidit tristi nece.

FABULA VII.—*Muli et Latrones*

Muli gravati sarcinis ibant duo :
Unus ferebat fiscos cum pecunia,
Alter tumentes multo saccos hordeo.
Ille, onere dives, celsa cervice eminet,
Clarumque collo jactat tintinnabulum ; 5
Comes quieto sequitur et placido gradu
Subito latrones ex insidiis advolant,
Interque cædem ferro mulum trusitant,
Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum
Spoliatus igitur casus cum fleret suos, 10
Equidem, inquit alter, me contemtum gaudeo
Nam nihil amisi, nec sum læsus vulnere.
Hoc argumento tuta est hominum tenuitas
Magnæ periclo sunt opes obnoxiæ.

FABULA VIII.—*Cervus et Boves.*

Cervus, nemorosis excitatus latibulis,
Ut venatorum fugeret instantem necem,
Cæco timore proximam villam petît,
Et opportuno se bubuli condidit.
Hic Bos latenti : Quidnam voluisti tibi, 5
Infelix, ultro qui ad necem cucurreris,
Hominumque tecto spiritum commiseris ?
At ille supplex : Vos modo, inquit, parcite,
Occasione rursus erumpam data.
Spatium diei noctis excipiunt vices. 10
Frondem bubulcus affert, nec ideo videt
Eunt subinde et redeunt omnes rustici,
Nemo animadvertit : transit etiam villicus,
Nec ille quicquam sentit. Tum gaudens ferus
Bubus quietis agere cœpit gratias, 15
Hospitium adverso quod præstiterint tempore.
Respondit unus : salvum te cupimus quidem,
Sed ille, qui oculos centum habet, si venerit,
Magno in periclo vita vertetur tua.
Hæc inter ipse dominus a cœna redit : 20
Et quia corruptos viderat nuper boves,
Accedit ad præsepe : cur frondis parum est ?
Stramenta desunt ? Tollere hæc aranea
Quantum est laboris ? Dum scrutatur singula,
Cervi quoque alta conspicatur cornua. 25
Quem convocata jubet occidi familia,
Prædamque tollit. Hæc significat fabula,
Dominum videre plurimum in rebus suis.

EPILOGUS.

Æsopi ingenio statuam posuere Attici,
Servumque collocarunt æterna in basi,
Patere honoris scirent ut cunctis viam
Nec generi tribui, sed virtuti gloriam.
Quoniam occuparat alter, ne primus forem, 5
Ne solus esset, studui, quod superfuit.
Nec hæc invidia, verum est æmulatio.
Quod si labori faverit Latium meo,
Plures habebit, quos opponat Græciæ.
Si livor obtrectare curam voluerit, 10
Non tamen eripiet laudis conscientiam.
Si nostrum studium ad aures pervenit tuas,
Et arte fictas animus sentit fabulas,
Omnem querelam submovet felicitas.
Sin autem doctus illis occurrit labor, 15
Sinistra quos in lucem natura extulit,
Nec quicquam possunt, nisi meliores carpere
Fatale [exitium] corde durato feram,
Donec fortunam criminis pudeat sui

LIBER TERTIUS.

PROLOGUS AD EUTYCHUM.

Phædri libellos legere si desideras,
Vaces oportet, Eutyche, a negotiis,
Ut liber animus sentiat vim carminis.
Verum, inquis, tanti non est ingenium tuum,
Momentum ut horæ pereat officiis meis. 5
Non ergo causa est, manibus id tangi tuis,
Quod occupatis auribus non convenit.
Fortasse dices: Aliquæ venient feriæ,
Quæ me soluto pectore ad studium vocent.
Legesne, quæso, potius viles nænias, 10
Impendas curam quam rei domesticæ,
Reddas amicis tempora, uxori vaces,
Animum relaxes, otium des corpori,
Ut adsuëtam fortius præstes vicem?
Mutandum tibi propositum est et vitæ genus, 15
Intrare si Musarum limen cogitas.
Ego, quem Pierio mater enixa est jugo,
In quo tonanti sancta Mnemosyne Jovi
Fecunda novies artium peperit chorum;
Quamvis in ipsa natus sim pæne schola, 20
Curamque habendi penitus corde eraserim,
Et laude multa vitam in hanc incubuerim,
Fastidiose tamen in cœtum recipior.
Quid credis illi accidere, qui magnas opes
Exaggerare quærit omni vigilia, 25
Docto labori dulce præponens lucrum?
Sed jam, quodcunque fuerit, (ut dixit Sinon,
Ad regem cum Dardaniæ perductus foret)
Librum exarabo tertium Æsopi stylo,
Honori et meritis dedicans illum tuis. 30
Quem si leges, lætabor; sin autem minus,
Habebunt certe, quo se oblectent, posteri.
Nunc fabularum cur sit inventum genus,
Brevi docebo. Servitus obnoxia,
Quia, quæ volebat, non audebat dicere, 35
Affectus proprios in fabellas transtulit,
Calumniamque fictis elusit jocis.
Ego illius pro semita feci viam,
Et cogitavi plura, quam reliquerat,
In calamitatem deligens quædam meam 40
Quodsi accusator alius Sejano foret,
Si testis alius, judex alius denique,
Dignum faterer esse me tantis malis,
Nec his dolorem delenirem remediis.
Suspicione si quis errabit sua, 45
Et rapiet ad se, quod erit commune omnium;
Stulte nudabit animi conscientiam.
Huic excusatum me velim nihilominus:
Neque enim notare singulos mens est mihi, 49
Verum ipsam vitam et mores hominum ostendere.
Rem me professum dicet fors aliquis gravem.
Si Phryx Æsopus potuit, si Anacharsis Scytha
Æternam famam condere ingenio suo;
Ego, litteratæ qui sum propior Græciæ,
Cur somno inerti deseram patriæ decus? 55
Threissa cum gens numeret auctores suos,
Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo,
Qui saxa cantu movit, et domuit feras,
Hebrique tenuit impetus dulci mora
Ergo hinc abesto, Livor, ne frustra gemas, 60
Quoniam sollennis mihi debetur gloria.
Induxi te ad legendum: sincerum mihi
Candore noto reddas judicium peto.

FABULA I.—*Anus ad Amphoram.*

Anus jacere vidit epotam amphoram,
Adhuc Falerna fæce e testa nobili
Odorem quæ jucundum late spargeret.
Hunc postquam totis avida traxit naribus:
O suavis anima! quale in te dicam bonum 5
Antehac fuisse, tales cum sint reliquiæ?
Hoc quo pertineat, dicet, qui me noverit.

FABULA II.—*Panthera et Pastores*

Solet a despectis par referri gratia.
Panthera imprudens olim in foveam decidit,
Videre agrestes: alii fustes congerunt,
Alii onerant saxis: quidam contra miseriti,
Perituræ quippe, quamvis nemo læderet, 5
Misere panem, ut sustineret spiritum.
Nox insecuta est: abeunt securi domum,
Quasi inventuri mortuam postridie.
At illa, vires ut refecit languidas,
Veloci saltu fovea sese liberat, 10
Et in cubile concito properat gradu.
Paucis diebus interpositis, provolat,
Pecus trucidat, ipsos pastores necat,
Et cuncta vastans sævit irato impetu.
Tum sibi timentes, qui feræ pepercerant, 15
Damnum haud recusant, tantum pro vita rogant.
At illa: Memini, qui me saxo petierit,
Quis panem dederit: vos timere absistite:
Illis revertor hostis, qui me læserunt.

FABULA III.—*Æsopus et Rusticus.*

Usu peritus hariolo velocior
Vulgo esse fertur; causa sed non dicitur:
Notescet quæ nunc primum fabella mea.
Habenti cuidam pecora pepererunt oves
Agnos humano capite. Monstro exterritus 5
Ad consulendos currit mærens hariolos.
Hic pertinere ad domini respondet caput,
Et avertendum victima periculum.
Ille autem affirmat, conjugem esse adulteram,
Et insitivos significari liberos: 10
Sed expiari posse majori hostia.
Quid multa? variis dissident sententiis,
Hominisque curam cura majore aggravant
Æsopus ibi stans, naris emunctæ senex,
Natura nunquam verba cui potuit dare; 15
Si procurare vis ostentum, Rustice,
Uxores, inquit, da tuis pastoribus.

FABULA IV.—*Simii Caput*

Pendere ad lanium quidam vidit simium
Inter relicuas merces atque opsonia:
Quæsivit, quidnam saperet? Tum Lanius jocans:
Quale, inquit, caput est, talis præstatur sapor.
Ridicule magis hoc dictum quam vere æstimo
Quando et formosos sæpe inveni pessimos, 6
Et turpi facie multos cognovi optimos

FABULA V.—*Æsopus et Petulans.*

Successus ad perniciem multos devocat.
Æsopo quidam petulans lapidem impegerat.
Tanto, inquit, melior. Assem deinde illi dedit,
Sic prosecutus: Plus non habeo mehercule,
Sed unde accipere possis, monstrabo tibi. 5
Venit ecce dives et potens; huic similiter
Impinge lapidem, et dignum accipies præmium.
Persuasus ille fecit, quod monitus fuit;
Sed spes fefellit impudentem audaciam:
Comprensus namque pœnas persoluit cruce. 10

FABULA VI.—*Musca et Mula.*

Musca in temone sedit, et mulam increpans,
Quam tarda es? inquit: non vis citius progredi?
Vide, ne dolone collum compungam tibi.
Respondit illa: Verbis non moveor tuis;
Sed istum timeo, sella qui prima sedens 5
Jugum flagello temperat lento meum,
Et ora frenis continet spumantibus.
Quapropter aufer frivolam insolentiam: [scio.
Namque ubi tricandum, et ubi currendum sit,
Hac derideri fabula merito potest, 10
Qui sine virtute vanas exercet minas.

FABULA VII.—*Canis et Lupus.*

Quam dulcis sit libertas, breviter proloquar.
Cani perpasto macie confectus Lupus
Forte occucurrit: dein salutans, invicem
Ut restiterunt: Unde sic, quæso, nites?
Aut quo cibo fecisti tantum corporis? 5
Ego, qui sum longe fortior, pereo fame.
Canis simpliciter· Eadem est conditio tibi,
Præstare domino si par officium potes.
Quod? inquit ille. Custos ut sis liminis,
A furibus tuearis, et noctu, domum. 10
Ego vero sum paratus: nunc patior nives
Imbresque, in sylvis asperam vitam trahens.
Quanto est facilius mihi sub tecto vivere,
Et otiosum largo satiari cibo?
Veni ergo mecum. Dum procedunt, adspicit 15
Lupus a catena collum detritum cani.
Unde hoc, amice? Nihil est. Dic quæso tamen.
Quia videor acer, alligant me interdiu,
Luce ut quiescam, et vigilem nox cum venerit:
Crepusculo solutus, qua visum est, vagor. 20
Affertur ultro panis; de mensa sua
Dat ossa dominus; frusta jactat familia,
Et quod fastidit quisque pulmentarium.
Sic sine labore venter impletur meus.
Age, si quo abire est animus, est licentia? 25
Non plane est, inquit. Fruere quæ laudas, Canis.
Regnare nolo, liber ut non sim mihi.

FABULA VIII.—*Frater et Soror.*

Præcepto monitus, sæpe te considera.
Habebat quidam filiam turpissimam,
Idemque insignem pulchra facie filium.
Hi speculum, in cathedra matris ut positum fuit,
Pueriliter ludentes, forte inspexerant. 5
Hic se formosum jactat; illa irascitur,
Nec gloriantis sustinet fratris jocos,
Accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam.
Ergo ad patrem decurrit, læsura invicem,
Magnaque invidia criminatur filium, 10
Vir natus quod rem fœminarum tetigerit.
Amplexus ille utrumque, et carpens oscula,
Dulcemque in ambos caritatem partiens,
Quotidie, inquit, speculo vos uti volo:
Tu formam ne corrumpas nequitiæ malis; 15
Tu faciem ut istam moribus vincas bonis.

FABULA IX.—*Socrates ad Amicos.*

Vulgare amici nomen, sed rara est fides.
Cum parvas ædes sibi fundasset Socrates,
(Cujus non fugio mortem, si famam adsequar,
Et cedo invidiæ, dummodo absolvar cinis)
E populo sic nescio quis, ut fieri solet: 5
Quæso, tam angustam talis vir ponis domum?
Utinam, inquit, veris hanc amicis impleam!

FABULA X.—*Poeta de Credere et non Credere.*

Periculosum est credere, et non credere.
Utriusque exemplum breviter exponam rei.
Hippolytus obiit, quia novercæ creditum est:
Cassandræ quia non creditum, ruit Ilium.
Ergo exploranda est veritas multum, prius 5
Quam stulta prave judicet sententia.
Sed fabulosa ne vetustate elevem,
Narrabo tibi, memoria quod factum est mea
Maritus quidam cum diligeret conjugem,
Togamque puram jam pararet filio, 10
Seductus in secretum a liberto est suo,
Sperante hæredem suffici se proximum.
Qui cum de puero multa mentitus foret,
Et plura de flagitiis castæ mulieris,
Adjecit, id quod sentiebat maxime 15
Doliturum amanti, ventitare adulterum,
Stuproque turpi pollui famam domus.
Incensus ille falso uxoris crimine,
Simulavit iter ad villam, clamque in oppido
Subsedit: deinde noctu subito januam 20
Intravit, recta cubiculum uxoris petens,
In quo dormire mater natum jusserat,
Ætatem adultam servans diligentius.
Dum quærunt lumen, dum concursant familia,
Iræ furentis impetum non sustinens, 25
Ad lectum vadit, tentat in tenebris caput.
Ut sentit tonsum, gladio pectus transigit,
Nihil respiciens, dum dolorem vindicet.
Lucerna allata, simul adspexit filium,
Sanctamque uxorem dormientem cubiculo, 30
Sopita primo quæ nil somno senserat,
Repræsentavit in se pœnam facinoris,
Et ferro incubuit, quod credulitas strinxerat
Accusatores postularunt mulierem,
Romamque pertraxerunt ad centumviros. 35
Maligna insontem deprimit suspicio,
Quod bona possideat: stant patroni fortiter
Causam tuentes innocentis fœminæ.
A divo Augusto tunc petiere judices,
Ut adjuvaret jurisjurandi fidem, 40
Quod ipsos error implicuisset criminis.
Qui postquam tenebras dispulit calumniæ,
Certumque fontem veritatis reperit,
Luat, inquit, pœnas causa libertus mali.
Namque orbam nato simul et privatam viro 45
Miserandam potius, quam damnandam existimo
Quod si delata perscrutatus crimina
Paterfamilias esset, si mendacium
Subtiliter limasset, a radicibus
Non evertisset scelere funesto domum. 50
Nil spernat auris, nec tamen credat statim:
Quandoquidem et illi peccant, quos minime putes,
Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.
Hoc admonere simplices etiam potest,
Opinione alterius ne quid ponderent. 55
Ambitio namque dissidens mortalium
Aut gratiæ subscribit, aut odio suo

Erit ille notus, quem per te cognoveris.
Hæc exsecutus sum propterea pluribus, 59
Brevitate nimia quoniam quosdam offendimus.

FABULA XI.—*Eunuchus ad Improbum.*

Eunuchus litigabat cum quodam improbo,
Qui, super obscæna dicta et petulans jurgium,
Damnum insectatus est amissi corporis.
En, ait, hoc unum est, cur laborem validius,
Integritatis testes quia desunt mihi. 5
Sed quid fortunæ, stulte, delictum arguis?
Id demum est homini turpe, quod meruit pati

FABULA XII.—*Pullus ad Margaritam.*

In sterquilino pullus gallinaceus
Dum quærit escam, margaritam reperit.
Jaces indigno quanta res, inquit, loco?
Hoc si quis pretii cupidus vidisset tui,
Olim redisses ad splendorem pristinum. 5
Ego, qui te inveni, potior cui multo est cibus,
Nec tibi prodesse, nec mihi quicquam potes.
Hoc illis narro, qui me non intelligunt.

FABULA XIII.—*Apes et Fuci, Vespa Judice.*

Apes in alta quercu fecerant favos.
Hos fuci inertes esse dicebant suos.
Lis ad forum deducta est, Vespa judice.
Quæ genus utrumque nosset cum pulcherrime,
Legem duabus hanc proposuit partibus: 5
Non inconveniens corpus, et par est color,
In dubium plane res ut merito venerit.
Sed ne religio peccet imprudens mea,
Alvos accipite, et ceris opus infundite,
Ut ex sapore mellis, et forma favi, 10
De quis nunc agitur, auctor horum appareat.
Fuci recusant: Apibus conditio placet.
Tunc illa talem protulit sententiam:
Apertum est, quis non possit, aut quis fecerit.
Quapropter Apibus fructum restituo suum. 15
Hanc præterissem fabulam silentio,
Si pactam Fuci non recusassent fidem.

FABULA XIV.—*Æsopus Ludens.*

Puerorum in turba quidam ludentem Atticus
Æsopum nucibus cum vidisset, restitit,
Et quasi delirum risit. Quod sensit simul
Derisor potius, quam deridendus senex;
Arcum retensum posuit in media via: 5
Heus, inquit, sapiens, expedi, quid fecerim.
Concurrit populus. Ille se torquet diu,
Nec quæstionis positæ causam intelligit:
Novissime succumbit. Tum victor Sophus:
Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris:
At si laxaris, cum voles, erit utilis. 11
Sic ludus animo debet aliquando dari,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

FABULA XV.—*Canis ad Agnum.*

Inter capellas Agno balanti Canis,
Stulte, inquit, erras, non est hic mater tua:
Ovesque segregatas ostendit procul.
Non illam quæro, quæ, cum libitum est, concipit,
Dein portat onus ignotum certis mensibus, 5
Novissime prolapsam effundit sarcinam;
Verum illam, quæ me nutrit admoto ubere,
Fraudatque natos lacte, ne desit mihi. [est.
Tamen illa est potior, quæ te peperit. Non ita
Unde illa scivit, niger an albus nascerer? 10
Age porro, scisset: cum crearer masculus,
Beneficium magnum sane natali dedit,
Ut exspectarem lanium in horas singulas
Cujus potestas nulla in gignendo fuit,
Cur hac sit potior, quæ jacentis miserita est, 15
Dulcemque sponte præstat benevolentiam?
Facit parentes bonitas, non necessitas.
His demonstrare voluit auctor versibus,
Obsistere homines legibus, meritis capi.

FABULA XVI.—*Cicada et Noctua.*

Humanitati qui se non accommodat,
Plerumque pœnas oppetit superbiæ.
Cicada acerbum noctuæ convicium
Faciebat, solitæ victum in tenebris quærere,
Cavoque ramo capere somnum interdiu. 5
Rogata est ut taceret. Multo validius
Clamare cœpit. Rursus admota prece,
Accensa magis est. Noctua, ut vidit sibi
Nullum esse auxilium, et verba contemni sua,
Hac est aggressa garrulam fallacia: 10
Dormire quia me non sinunt cantus tui,
Sonare cithara quos putes Apollinis,
Potare est animus nectar, quod Pallas mihi
Nuper donavit: si non fastidis, veni;
Una bibamus. Illa, quæ ardebat siti, 15
Simul cognovit vocem laudari suam,
Cupide advolavit. Noctua egressa e cavo
Crepitantem consectata est, et leto dedit.
Sic, viva quod negarat, tribuit mortua.

FABULA XVII.—*Arbores in Deorum Tutela.*

Olim, quas vellent esse in tutela sua,
Divi legerunt arbores. Quercus Jovi,
Et myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea,
Pinus Cybebæ, populus celsa Herculi.
Minerva admirans, quare steriles sumerent, 5
Interrogavit. Causam dixit Jupiter:
Honorem fructu ne videamur vendere.
At mehercules narrabit, quod quis voluerit,
Oliva nobis propter fructum est gratior.
Tunc sic deorum genitor atque hominum sator:
O nata, merito sapiens dicere omnibus: 11
Nisi utile est, quod facimus, stulta est gloria.
Nihil agere, quod non prosit, fabella admonet.

FABULA XVIII.—*Pavo ad Junonem.*

Pavo ad Junonem venit, indigne ferens
Cantus luscinii quod sibi non tribuerit:
Illum esse cunctis auribus admirabilem,
Se derideri, simul ac vocem miserit.
Tunc consolandi gratia dixit dea: 5
Sed forma vincis, vincis magnitudine;
Nitor smaragdi collo præfulget tuo,
Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.
Quo mi, inquit, mutam speciem, si vincor sono?
Fatorum arbitrio partes sunt vobis datæ: 10
Tibi forma, vires aquilæ, luscinio melos,
Augurium corvo, læva cornici omina,
Omnes quæ propriis sunt contentæ dotibus.
Noli affectare, quod tibi non est datum,
Delusa ne spes ad querelam recidat. 15

FABULA XIX.—*Æsopus ad Garrulum.*

Æsopus domino solus cum esset familia,
Parare cœnam jussus est maturius.
Ignem ergo quærens aliquot lustravit domos,
Tandemque invenit ubi lucernam accenderet.
Tum circueunti fuerat quod iter longius, 5
Effecit brevius: namque recta per forum
Cœpit redire. Et quidam e turba garrulus:
Æsope, medio sole quid cum lumine?

Hominem, inquit, quæro, et abiit festinans domum.
Hoc si molestus ille ad animum retulit, 10
Sensit profecto, se hominem non visum seni,
Intempestive qui occupato alluserit.

EPILOGUS.

Supersunt mihi quæ scribam, sed parco sciens:
Primum, esse ne tibi videar molestior,
Distringit quem multarum rerum varietas;
Dein, si quis eadem forte conari velit,
Habere ut possit aliquid operis residui. 5
Quamvis materiæ tanta abundet copia,
Labori faber ut desit, non fabro labor.
Brevitati nostræ præmium ut reddas, peto,
Quod es pollicitus: exhibe vocis fidem.
Nam vita morti propior est quotidie: 10
Et hoc minus perveniet ad me muneris,
Quo plus consumet temporis dilatio.
Si cito rem perages, usus fiet longior:
Fruar diutius, si celerius cepero.
Languentis ævi dum sunt aliquæ reliquiæ, 15
Auxilio locus est: olim senio debilem
Frustra adjuvare bonitas nitetur tua;
Cum jam desierit esse beneficio utilis,
Et mors vicina flagitabit debitum.
Stultum admovere tibi preces existimo, 20
Proclivis ultro cum sit misericordia.
Sæpe impetravit veniam confessus reus:
Quanto innocenti justius debet dari?
Tuæ sunt partes, fuerunt aliorum prius;
Dein simili gyro venient aliorum vices. 25
Decerne quod religio, quod patitur fides,
Et gratulari me fac judicio tuo.
Excedit animus quem proposuit terminum;
Sed difficulter continetur spiritus,
Integritatis qui sinceræ conscius 30
A noxiorum premitur insolentiis.
Qui sint, requires: apparebunt tempore.
Ego, quondam legi quam puer sententiam,
Palam mutire plebeio piaculum est,
Dum sanitas constabit, pulchre meminero. 35

LIBER QUARTUS.

PROLOGUS AD PARTICULONEM.

Cum destinassem terminum operi statuere,
In hoc, ut esset aliis materiæ satis,
Consilium tacitus corde damnavi [meum.]
Nam si quis talis etiam erit tituli [appetens,]
Quo pacto divinabit, quidnam omiserim, 5
Ut illud ipsum cupiat famæ tradere;
Sua cuique cum sit animi cogitatio,
Colorque proprius? Ergo non levitas mihi
Sed certa ratio causam scribendi dedit.
Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis, 10
(Quas Æsopeas, non Æsopi, nomino:
Paucas ostendit ille, ego plures dissero,
Usus vetusto genere, sed rebus novis)
Quartum libellum nunc vacive perleges.
Hunc obtrectare si volet malignitas, 15
Imitari dum non possit, obtrectet licet.
Mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui,
Vestras in chartas verba transfertis mea,
Dignumque longa judicatis memoria.
Illitteratum plausum nec desidero. 20

FABULA I.—*Asinus et Galli.*

FABULA II. adjecta.—*De Mustela et Muribus.*

Qui natus est infelix, non vitam modo
Tristem decurrit, verum post obitum quoque
Persequitur illum dura fati miseria.
Galli Cybebes circum in quæstus ducere
Asinum solebant bajulantem sarcinas. 5
Is cum labore et plagis esset mortuus,
Detracta pelle sibi fecerunt tympana.
Rogati mox a quodam, delicio suo
Quidnam fecissent; hoc locuti sunt modo:
Putabat, se post mortem securum fore, 10
Ecce aliæ plagæ congeruntur mortuo.
Joculare tibi videtur: et sane leve,
Dum nihil habemus majus, calamo ludimus;
Sed diligenter intuere has nænias,
Quantam sub illis utilitatem reperies? 15
Non semper ea sunt, quæ videntur: decipit
Frons prima multos, rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo.
Hoc ne locutus sine mercede existimer,
Fabellam adjiciam de mustela et muribus. 20
Mustela, cum annis et senecta debilis
Mures veloces non valeret assequi,
Involuit se farina, et obscuro loco
Abjecit negligenter. Mus, escam putans,
Adsiluit, et compressus occubuit neci: 25
Alter similiter periit, deinde et tertius.
Aliquot secutis, venit et retorridus,
Qui sæpe laqueos et muscipula effugerat:
Proculque insidias cernens hostis callidi,
Sic valeas, inquit, ut farina es, quæ jaces. 30

FABULA III.—*Vulpis et Uva.*

Fame coacta vulpis alta in vinea
Uvam appetebat, summis saliens viribus.
Quam tangere ut non potuit, discedens ait:
Nondum matura est, nolo acerbam sumere.
Qui, facere quæ non possunt, verbis elevant, 5
Adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

FABULA IV.—*Equus et Aper.*

Equus sedare solitus quo fuerat sitim,
Dum sese Aper volutat, turbavit vadum.
Hinc orta lis est. Sonipes, iratus fero,
Auxilium petiit hominis; quem dorso levans,
Rediit ad hostem. Jactis hunc telis eques 5
Postquam interfecit, sic locutus traditur:
Lætor tulisse auxilium me precibus tuis;
Nam prædam cepi, et didici quam sis utilis
Atque ita coegit frenos invitum pati.
Tum mæstus ille: Parvæ vindictam rei 10
Dum quæro demens, servitutem reperi.
Hæc iracundos admonebit fabula,
Impune potius lædi, quam dedi alteri.

FABULA V.—*Poeta.*

Plus esse in uno sæpe, quam in turba boni,
Narratione posteris tradam brevi.
Quidam decedens tres reliquit filias;
Unam formosam, et oculis venantem viros;
At alteram lanificam et frugi, rusticam; 5
Devotam vino tertiam, et turpissimam.
Harum autem matrem fecit hæredem Senex,
Sub conditione, totam ut fortunam tribus
Æqualiter distribuat, sed tali modo:
Ne data possideant, aut fruantur; tum, simul 10
Habere res desierint, quas acceperint,
Centena matri conferant sestertia.
Athenas rumor implet. Mater sedula
Juris peritos consulit: nemo expedit
Quo pacto non possideant, quod fuerit datum, 15
Fructumve capiant: deinde, quæ tulerint nihil,
Quanam ratione conferant pecuniam.
Postquam consumta est temporis longi mora,
Nec testamenti potuit sensus colligi,
Fidem advocavit jure neglecto parens. 20
Seponit mœchæ vestem, mundum muliebrem,
Lavationem argenteam, eunuchos, glabros:
Lanificæ agellos, pecora, villam, operarios,
Boves, jumenta, et instrumentum rusticum:
Potrici plenam antiquis apothecam cadis, 25
Domum politam, et delicatos hortulos.
Sic destinata dare cum vellet singulis,
Et approbaret populus, qui illas noverat,
Æsopus media subito in turba constitit:
O si maneret condito sensus patri, 30
Quam graviter ferret, quod voluntatem suam
Interpretari non potuissent Attici!
Rogatus deinde, solvit errorem omnium.
Domum et ornamenta, cum venustis hortulis,
Et vina vetera date lanificæ rusticæ: 35
Vestem, uniones, pedisequos, et cetera
Illi assignate, vitam quæ luxu trahit:
Agros avitos, pecora cum pastoribus
Donate mœchæ. Nulla poterit perpeti,
Ut moribus quid teneat alienum suis. 40
Deformis cultum vendet, ut vinum paret;
Agros abjiciet mœcha, ut ornatum paret;
At illa gaudens pecore, et lanæ dedita,
Quacunque summa tradet luxuriæ domum.
Sic nulla possidebit, quod fuerit datum, 45
Et dictam matri conferent pecuniam,
Ex pretio rerum, quas vendiderint singulæ.
Ita quod multorum fugit imprudentiam,
Unius hominis reperit solertia.

FABULA VI.—*Pugna Murium et Mustelarum.*

Cum victi Mures Mustelarum exercitu
(Historia quorum in tabernis pingitur)
Fugerent, et artos circum trepidarent cavos;
Ægre recepti, tamen evaserunt necem.
Duces eorum, qui capitibus cornua 5
Suis ligarant, ut conspicuum in prœlio
Haberent signum, quod sequerentur, milites,
Hæsere in portis, suntque capti ab hostibus;
Quos immolatos victor avidis dentibus
Capacis alvi mersit Tarta eo specu. 10
Quemcunque populum tristis eventus premit,
Periclitatur magnitudo principum,
Minuta plebes facili præsidio latet.

FABULA VII.—*Poeta.*

Tu, qui, nasute, scripta destringis mea,
Et hoc jocorum legere fastidis genus,
Parva libellum sustine patientia,
Severitatem frontis dum placo tuæ,
Et in cothurnis prodit Æsopus novis. 5
Utinam nec unquam Pelii nemoris jugo
Pinus bipenni concidisset Thessala;
Nec ad professæ mortis audacem viam
Fabricasset Argus opere Palladio ratem,
Inhospitalis prima quæ Ponti sinus 10
Patefecit, in perniciem Graiûm et Barbarûm.
Namque et superbi luget Æetæ domus,
Et regna Peliæ scelere Medeæ jacent:
Quæ, sævum ingenium variis involvens modis,
Illic per artus fratris explicuit fugam; 15
Hic cæde patris Peliadum infecit manus.
Quid tibi videtur? Hoc quoque insulsum est, ais,
Falsoque dictum; longe quia vetustior
Ægea Minos classe perdomuit freta,
Justoque vindicavit exemplo impetum. 20
Quid ergo possum facere tibi, lector Cato,
Si nec fabellæ te juvant, nec fabulæ?
Noli molestus esse omnino litteris,
Majorem exhibeant ne tibi molestiam.
Hoc illis dictum est, qui stultitia nauseant, 25
Et, ut putentur sapere, cœlum vituperant.

FABULA VIII.—*Vipera et Lima.*

Mordaciorem qui improbo dente appetit
Hoc argumento se describi sentiat.
In officinam fabri venit Vipera:
Hæc cum tentaret, si qua res esset cibi,
Limam momordit. Illa contra contumax, 5
Quid me, inquit, stulta, dente captas lædere,
Omne adsuëvi ferrum quæ corrodere?

FABULA IX.—*Vulpes et Hircus.*

Homo in periclum simul ac venit callidus,
Reperire effugium alterius quærit malo.
Cum decidisset Vulpis in puteum inscia,
Et altiore clauderetur margine;
Devenit Hircus sitiens in eundem locum; 5
Simul rogavit, esset an dulcis liquor
Et copiosus? Illa fraudem moliens:
Descende, amice, tanta bonitas est aquæ,
Voluptas ut satiari non possit mea.
Immisit se Barbatus. Tum Vulpecula 10
Evasit puteo, nixa celsis cornibus,
Hircumque clauso liquit hærentem vado.

FABULA X.—*De Vitiis Hominum.*

Peras imposuit Jupiter nobis duas:
Propriis repletam vitiis post tergum dedit,
Alienis ante pectus suspendit gravem.
Hac re videre nostra mala non possumus;
Alii simul delinquunt, censores sumus. 5

FABULA XI.—*Fur Aram Compilans.*

Lucernam fur accendit ex ara Jovis,
Ipsumque compilavit ad lumen suum.
Onustus sacrilegio cum discederet,
Repente vocem sancta misit Religio:
Malorum quamvis ista fuerint munera, 5
Mihique invisa, ut non offendar surripi;
Tamen, sceleste, spiritu culpam lues,
Olim cum adscriptus venerit pœnæ dies.
Sed ne ignis noster facinori præluceat,
Per quem verendos excolit pietas deos, 10
Veto esse tale luminis commercium.
Ita hodie nec lucernam de flamma deûm,
Nec de lucerna fas est accendi sacrum.
Quot res contineat hoc argumentum utiles,

Non explicabit alius, quam qui reperit. 15
Significat primo sæpe, quos ipse alueris,
Tibi inveniri maxime contrarios:
Secundo ostendit, scelera non ira deûm,
Fatorum dicto sed puniri tempore:
Novissime interdicit, ne cum malefico 20
Usum bonus consociet ullius rei.

FABULA XII.—*Hercules et Plutus.*

MALAS ESSE DIVITIAS.

Opes invisæ merito sunt forti viro,
Quia dives arca veram laudem intercipit.
Cœlo receptus propter virtutem Hercules,
Cum gratulantes persalutasset deos;
Veniente Pluto, qui Fortunæ est filius, 5
Avertit oculos. Causam quæsivit pater.
Odi, inquit, illum, quia malis amicus est,
Simulque objecto cuncta corrumpit lucro

FABULA XIII.—*Leo Regnans.*

Utilius homini nihil est quam recte loqui;
Probanda cunctis est quidem sententia,
Sed ad perniciem solet agi sinceritas.
Cum se ferarum regem fecisset Leo,
Et æquitatis vellet famam consequi, 5
A pristina deflexit consuetudine,
Atque inter illas, tenui contentus cibo,
Sancta incorrupta jura reddebat fide.
Postquam labare cœpit pœnitentia
* * *

Desunt reliqua.

FABULA XIV.—*Prometheus*

* * *

Afflictione veretri linguam mulieris,
Affinitatem traxit inde obscænitas.
Rogavit alter, tribadas et molles mares
Quæ ratio procreasset? Exposuit senex.
Idem Prometheus auctor vulgi fictilis, 5
Qui simul offendit ad fortunam, frangitur,
Naturæ partes, veste quas celat pudor,
Cum separatim toto finxisset die,
Aptare mox ut posset corporibus suis,
Ad cœnam est invitatus subito a Libero: 10
Ubi irrigatus multo venas nectare,
Sero domum est reversus titubanti pede.
Tum semisomno corde et errore ebrio,
Applicuit virginale generi masculo,
Et masculina membra applicuit fœminis. 15
Ita nunc libido pravo fruitur gaudio.

FABULA XV.—*Capellæ et Hirci.*

Barbam capellæ cum impetrassent ab Jove,
Hirci mærentes indignari cœperunt,
Quod dignitatem fœminæ æquassent suam
Sinite, inquit, illas gloria vana frui,
Et usurpare vestri ornatum muneris, 5
Pares dum non sint vestræ fortitudinis.
Hoc argumentum monet, ut sustineas tibi
Habitu esse similes, qui sunt virtute impares

FABULA XVI.—*Gubernator et Nautæ*

Cum de fortunis quidam quereretur suis,
Æsopus finxit consolandi gratia:
Vexata sævis navis tempestatibus,
Inter vectorum lacrymas et mortis metum,
Faciem ad serenam subito ut mutatur dies, 5
Ferri secundis tuta cœpit flatibus,
Nimiaque nautas hilaritate
Factus periclo tum Gubernator sophus:
Parce gaudere oportet, et sensim queri,
Totam quia vitam miscet dolor et gaudium. 10

FABULA XVII.—*Canum Legati ad Jovem.*

Canes Legatos olim misere ad Jovem,
Melioris vitæ tempus oratum suæ,
Ut sese eriperent hominum contumeliis,
Furfuribus sibi conspersum quod panem darent,
Fimoque turpi maximam explerent famem. 5
Profecti sunt legati non celeri pede,
Dum naribus scrutantur escam in stercore.
Citati non respondent. Vix tandem invenit
Eos Mercurius, et turbatos attrahit.
Tum vero vultum magni ut viderunt Jovis, 10
Totam timentes concacarunt regiam.
Propulsi vero fustibus, vadunt foras:
Vetat dimitti magnus illos Jupiter.
Mirati sibi legatos non revertier,
Turpe æstimantes aliquid commissum a suis, 15
Post aliquod tempus alios adscribi jubent.
Rumor legatos superiores prodidit.
Timentes rursus aliquid ne simile accidat,
Odore canibus anum, sed multo, replent,
Mandata dant, legati mittuntur, statim 20
Abeunt. Rogantes aditum continuo impetrant.
Consedit genitor tum deorum maximus,
Quassatque fulmen: tremere cœpere omnia.
Canes confusi, subitus quod fuerat fragor,
Repente odorem, mixtum cum merdis, cacant. 25
Reclamant omnes vindicandam injuriam.
Sic est locutus ante pœnam Jupiter:
Legatos non est regis non dimittere,
Nec est difficile pœnas culpæ imponere.
Non veto dimitti, verum cruciari fame, 30
Ne ventrem continere non possint suum.
Et hoc feretis pro judicio præmium.
Illi autem, qui miserunt vos tam futiles,
Nunquam carebunt hominis contumelia.
Ita nunc legatos exspectant et posteri. 35
Novum venire qui videt, culum olfacit.

FABULA XVIII.—*Homo et Colubra*

Qui fert malis auxilium, post tempus dolet.
Gelu rigentem quidam colubram sustulit
Sinuque fovit, contra se ipse misericors.
Namque ut refecta est, necuit hominem protinus.
Hanc alia cum rogaret causam facinoris, 5
Respondit: Ne quis discat prodesse improbis.

FABULA XIX.—*Vulpis et Draco.*

Vulpis cubile fodiens dum terram eruit,
Agitque plures altius cuniculos,
Pervenit ad Draconis speluncam intimam,
Custodiebat qui thesauros abditos.
Hunc simul adspexit: Oro, ut imprudentiæ 5
Des primum veniam; deinde, si pulcre vides
Quam non conveniens aurum sit vitæ meæ,
Respondeas clementer. Quem fructum capis
Hoc ex labore, quodve tantum est præmium,
Ut careas somno, et ævum in tenebris exigas? 10
Nullum, inquit ille, verum hoc a summo mihi
Jove attributum est. Ergo nec sumis tibi,
Nec ulli donas quicquam? Sic fatis placet.
Nolo irascaris, libere si dixero:
Dis est iratis natus, qui est similis tibi. 15
Abiturus illuc, quo priores abierunt,
Quid mente cæca miserum torques spiritum?
Tibi dico, avare, gaudium hæredis tui,
Qui thure superos, ipsum te fraudas cibo;

Qui tristis audis musicum citharæ sonum; 20
Quem tibiarum macerat jucunditas;
Opsoniorum pretia cui gemitum exprimunt;
Qui, dum quadrantes aggeras patrimonio,
Cœlum fatigas sordido perjurio;
Qui circumcidis omnem impensam funeri, 25
Libitina ne quid de tuo faciat lucri.

FABULA XX.—*Phædrus.*

Quid judicare cogitet Livor modo,
Licet dissimulet, pulcre tamen intelligo.
Quicquid putabit esse dignum memoriæ,
Æsopi dicet; si quid minus arriserit,
A me contendet fictum quovis pignore. 5
Quem volo refelli jam nunc responso meo:
Sive hoc ineptum, sine laudandum est opus,
Invenit ille, nostra perfecit manus.
Sed exsequamur cœptum propositi ordinem.

FABULA XXI.—*Naufragium Simonidis.*

Homo doctus in se semper divitias habet.
Simonides, qui scripsit egregium melos,
Quo paupertatem sustineret facilius,
Circuire cœpit urbes Asiæ nobiles,
Mercede accepta laudem victorum canens. 5
Hoc genere quæstus postquam locuples factus est,
Redire in patriam voluit cursu pelagio,
(Erat autem natus, ut aiunt, in Cea insula.)
Adscendit navem, quam tempestas horrida
Simul et vetustas medio dissoluit mari. 10
Hi zonas, illi res pretiosas colligunt,
Subsidium vitæ. Quidam curiosior,
Simonide, tu ex opibus nil sumis tuis? [tant,
Mecum, inquit, mea sunt cuncta. Tunc pauci ena-
Quia plures onere degravati perierant. 15
Prædones adsunt, rapiunt quod quisque extulit,
Nudos relinquunt. Forte Clazomenæ prope
Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.
Hic litterarum quidam studio deditus,
Simonidis qui sæpe versus legerat, 20
Eratque absentis admirator maximus,
Sermone ab ipso cognitum cupidissime
Ad se recepit; veste, nummis, familia
Hominem exornavit. Ceteri tabulam suam
Portant, rogantes victum. Quos casu obvios 25
Simonides ut vidit: Dixi, inquit, mea
Mecum esse cuncta; vos quod rapuistis, perît.

FABULA XXII.—*Mons Parturiens.*

Mons parturibat, gemitus immanes ciens;
Eratque in terris maxima exspectatio.
At ille murem peperit. Hoc scriptum est tibi,
Qui, magna cum minaris, extricas nihil.

FABULA XXIII.—*Formica et Musca.*

Formica et Musca contendebant acriter,
Quæ pluris esset. Musca sic cœpit prior:
Conferre nostris tu potes te laudibus?
Ubi immolatur, exta prægusto deûm,
Moror inter aras, templa perlustro omnia. 5
In capite regis sedeo, cum visum est mihi,
Et matronarum casta delibo oscula,
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.
Quid horum simile tibi contingit, rustica?
Est gloriosus sane convictus deûm, 10
Sed illi qui invitatur, non qui invisus est.
Aras frequentas: nempe abigeris, quo venis.
Reges commemoras, et matronarum oscula:
Super etiam jactas, tegere quod debet pudor.
Nihil laboras: ideo, cum opus est, nil habes. 15
Ego granum in hiemem cum studiose congero,
Te circa murum pasci video stercore.
Æstate me lacessis; cum bruma est, siles
Mori contractam cum te cogunt frigora,
Me copiosa recipit incolumem domus. 20
Satis profecto retudi superbiam.
Fabella talis hominum discernit notas
Eorum, qui se falsis ornant laudibus,
Et quorum virtus exhibet solidum decus.

FABULA XXIV.—*Simonides a Diis Servatus.*

Quantum valerent inter homines litteræ
Dixi superius: quantus nunc illis honos
A superis sit tributus, tradam memoriæ.
Simonides idem ille, de quo retuli,
Victori laudem cuidam pyctæ ut scriberet, 5
Certo conduxit pretio: secretum petit.
Exigua cum frenaret materia impetum.
Usus poetæ, ut moris est, licentia,
Apte interposuit gemina Ledæ sidera,
Auctoritatem similis referens gloriæ. 10
Opus approbavit; sed mercedis tertiam
Accepit partem. Cum relicuum posceret,
Illi, inquit, reddent, quorum sunt laudes duæ.
Verum, ut ne irate te dimissum sentias,
Ad cœnam mihi promitte, cognatos volo 15
Hodie invitare, quorum es in numero mihi.
Fraudatus quamvis et dolens injuria,
Ne male dimissus gratiam corrumperet,
Promisit. Rediit hora dicta, recubuit.
Splendebat hilare poculis convivium; 20
Magno apparatu læta resonabat domus:
Duo cum repente juvenes, sparsi pulvere,
Sudore multo diffluentes, corpore
Humanam supra formam, cuidam servulo
Mandant, ut ad se provocet Simonidem; 25
Illius interesse, ne faciat moram.
Homo perturbatus excitat Simonidem.
Unum promorat vix pedem triclinio,
Ruina camaræ subito oppressit cæteros;
Nec ulli juvenes sunt reperti ad januam. 30
Ut est vulgatus ordo narratæ rei,
Omnes scierunt, numinum præsentiam
Vati dedisse vitam mercedis loco.

EPILOGUS.

Adhuc supersunt multa quæ possim loqui,
Et copiosa abundat rerum varietas;
Sed temperatæ suaves sunt argutiæ;
Immodicæ offendunt. Quare, vir sanctissime,
Particulo, chartis nomen victurum meis, 5
Latinis dum manebit pretium litteris,
Si non ingenium, certe brevitatem approba,
Quæ commendari tanto debet justius,
Quanto poetæ sunt molesti validius.

LIBER QUINTUS.

PROLOGUS.

Æsopi nomen sicubi interposuero,
Cui reddidi jam pridem, quicquid debui,
Auctoritatis esse scito gratia:
Ut quidam artifices nostro faciunt sæculo,
Qui pretium operibus majus inveniunt, novo 5
Si marmori adscripserunt Praxitelen suo,
Trito Myronem argento. Fabulæ exaudiant
Adeo fugatæ. Plus vetustis nam favet
Invidia mordax, quam bonis præsentibus.
Sed jam ad fabellam talis exempli feror. 10

FABULA I.—*Demetrius et Menander.*

Demetrius, qui dictus est Phalereus,
Athenas occupavit imperio improbo.
Ut mos est vulgi, passim et certatim ruunt,
Feliciter! succlamant. Ipsi principes
Illam osculantur, qua sunt oppressi, manum, 5
Tacite gementes tristem fortunæ vicem.
Quin etiam resides et sequentes otium,
Ne defuisse noceat, repunt ultimi:
In quis Menander, nobilis comœdiis,
Quas, ipsum ignorans, legerat Demetrius, 10
Et admiratus fuerat ingenium viri,
Unguento delibutus, vestitu affluens,
Veniebat gressu delicato et languido.
Hunc ubi tyrannus vidit extremo agmine:
Quisnam cinædus ille in conspectu meo 15
Audet venire? Responderunt proximi:
Hic est Menander scriptor. Mutatus statim
* * *

FABULA II.—*Viatores et Latro.*

Duo cum incidissent in Latronem milites,
Unus profugit, alter autem restitit,
Et vindicavit sese forti dextera.
Latrone occiso, timidus accurrit comes,
Stringitque gladium, dein rejecta pænula, 5
Cedo, inquit, illum, jam curabo sentiat,
Quos attentarit. Tunc qui depugnaverat:
Vellem istis verbis saltem adjuvisses modo,
Constantior fuissem, vera existimans
Nunc conde ferrum, et linguam pariter futilem,
Ut possis alios ignorantes fallere. 11
Ego, qui sum expertus quantis fugias viribus,
Scio, quam virtuti non sit credendum tuæ.
Illi assignari debet hæc narratio,
Qui re secunda fortis est, dubia fugax. 15

FABULA III.—*Calvus et Musca.*

Calvi momordit Musca nudatum caput: [vem.
Quam opprimere captans alapam sibi duxit gra-
Tunc illa irridens: Punctum volucris parvulæ
Voluisti morte ulcisci; quid facies tibi,
Injuriæ qui addideris contumeliam? 5
Respondit: Mecum facile redeo in gratiam,
Quia non fuisse mentem lædendi scio.
Sed te, contemti generis animal improbum,
Quæ delectaris bibere humanum sanguinem,
Optem necare vel majore incommodo. 10
Hoc argumentum veniam ei dari docet,
Qui casu peccat. Nam qui consilio est nocens,
Illum esse quavis dignum pœna judico.

FABULA IV.—*Homo et Asinus.*

Quidam immolasset verrem cum sancto Herculi,
Cui pro salute votum debebat sua,
Asello jussit reliquias poni hordei.
Quas aspernatus ille sic locutus est:
Tuum libenter prorsus appeterem cibum, 5
Nisi, qui nutritus illo est, jugulatus foret.
Hujus respectu fabulæ deterritus,
Periculosum semper reputavi lucrum.
Sed dicis, Qui rapuere divitias, habent
Numeremus agedum, qui deprensi perierint: 10
Majorem turbam punitorum reperies.
Paucis temeritas est bono, multis malo.

FABULA V.—*Scurra et Rusticus.*

Pravo favore labi mortales solent,
Et, pro judicio dum stant erroris sui,
Ad pœnitendum rebus manifestis agi
Facturus ludos dives quidam et nobilis
Proposito cunctos invitavit præmio, 5
Quam quisque posset ut novitatem ostenderet.
Venere artifices laudis ad certamina:
Quos inter scurra, notus urbano sale,
Habere dixit se genus spectaculi,
Quod in theatro nunquam prolatum foret. 10
Dispersus rumor civitatem concitat:
Paullo ante vacua turbam deficiunt loca.
In scena vero postquam solus constitit,
Sine apparatu, nullis adjutoribus,
Silentium ipsa fecit exspectatio. 15
Ille in sinum repente demisit caput,
Et sic porcelli vocem est imitatus sua,
Verum ut subesse pallio contenderent,
Et excuti juberent. Quo facto simul
Nihil est repertum, multis onerant laudibus, 20
Hominemque plausu prosequuntur maximo.
Hoc vidit fieri Rusticus. Non mehercule
Me vincet, inquit: et statim professus est,
Idem facturum melius se postridie.
Fit turba major. Jam favor mentes tenet, 25
Et derisuri, non spectaturi sedent.
Uterque prodit. Scurra degrunnit prior,
Movetque plausus, et clamores suscitat.
Tunc simulans sese vestimentis Rusticus
Porcellum obtegere, (quod faciebat scilicet, 30
Sed, in priore quia nil compererant, latens)
Pervellit aurem vero, quem celaverat,
Et cum dolore vocem naturæ exprimit.
Acclamat populus, Scurram multo similius
Imitatum, et cogit Rusticum trudi foras. 35
At ille profert ipsum porcellum e sinu,
Turpemque aperto pignore errorem probans
En! hic declarat, quales sitis judices.

FABULA VI.—*Duo Calvi.*

Invenit Calvus forte in trivio pectinem:
Accessit alter, æque defectus pilis:
Eia, inquit, in commune, quodcunque est lucri
Ostendit ille prædam, et adjecit simul:

Superûm voluntas favit; sed fato invido 5
Carbonem, ut aiunt, pro thesauro invenimus.
Quem spes delusit, huic querela convenit.

FABULA VII.—*Princeps Tibicen.*

Ubi vanus animus, aura captus frivola,
Arripuit insolentem sibi fiduciam,
Facile ad derisum stulta levitas ducitur.
Princeps tibicen notior paulo fuit,
Operam Bathyllo solitus in scena dare. 5
Is forte ludis (non satis memini quibus)
Dum pegma rapitur, concidit casu gravi
Nec opinans, et sinistram fregit tibiam,
Duas cum dextras maluisset perdere.
Inter manus sublatus, et multum gemens
Domum refertur. Aliquot menses transeunt,
Ad sanitatem dum venit curatio,
Ut spectatorum mos est, et lepidum genus,
Desiderari cœpit, cujus flatibus
Solebat excitari saltantis vigor. 15
Erat facturus ludos quidam nobilis,
Et incipiebat ingredi Princeps. Eum
Adducit pretio, precibus, ut tantummodo
Ipso ludorum ostenderet sese die.
Qui simul advenit, rumor de tibicine 20
Fremit in theatro: quidam affirmant mortuum,
Quidam in conspectum proditurum sine mora.
Aulæo misso, devolutis tonitrubus,
Di sunt locuti more translatitio.
Tunc chorus, ignotum et modo reducto canticum
Imposuit, cujus hæc fuit sententia: 26
Lætare, incolumis Roma salvo Principe.
In plausus consurrectum est. Jactat basia
Tibicen; gratulari fautores putat.
Equester ordo stultum errorem intelligit, 30
Magnoque risu canticum repeti jubet.
Iteratur illud. Homo meus se in pulpito
Torum prosternit: plaudit illudens eques;
Rogare populus hunc coronam existimat.
Ut vero cuneis notuit res omnibus, 35
Princeps, ligato crure nivea fascia,
Niveisque tunicis, niveis etiam calceis,
Superbiens honore divinæ domus,
Ab universis capite est protrusus foras.

FABULA VIII.—*Occasio Depicta.*

Cursu volucri, pendens in novacula,
Calvus, comosa fronte, nudo corpore,
Quem si occuparis, teneas; elapsum semel
Non ipse possit Jupiter reprehendere,
Occasionem rerum significat brevem. 5
Effectus impediret ne segnis mora,
Finxere antiqui talem effigiem Temporis.

FABULA IX.—*Taurus et Vitulus.*

Angusto in aditu Taurus luctans cornibus,
Cum vix intrare posset ad præsepia,
Monstrabat Vitulus, quo se pacto plecteret.
Tace, inquit, ante hoc novi, quam tu natus es.
Qui doctiorem emendat, sibi dici putet. 5

FABULA X.—*Venator et Canis.*

Adversus omnes fortis veloces feras
Canis cum domino semper fecisset satis,
Languere cœpit annis ingravantibus.
Aliquando objectus hispidi pugnæ suis,
Arripuit aurem: sed cariosis dentibus 5
Prædam dimisit. Hic tum venator dolens
Canem objurgabat. Cui latrans contra senex:
Non te destituit animus, sed vires meæ.
Quod fuimus laudas, si jam damnas, quod sumus
Hoc cur, Philete, scripserim, pulcre vides. 10

APPENDIX FABULARUM ÆSOPIARUM XXXIV.

FABULA I.—*Miluus Ægrotans.*

Multos cum menses ægrotasset Miluus,
Nec jam videret esse vitæ spem suæ:
Matrem rogabat sancta circumiret loca,
Et pro salute vota faceret maxima.
Faciam, inquit, fili; sed, opem ne non impetrem,
Vehementer vereor; sed qui delubra omnia 6
Vastando, cuncta polluisti altaria,
Sacrificiis nullis parcens, nunc quid vis rogem?

FABULA II.—*Lepores Vitæ Pertæsi.*

Qui sustinere non potest suum malum,
Alios inspiciat, et discat tolerantiam.
Aliquando in sylvis strepitu magno conciti
Lepores clamant, se propter assiduos metus
Finire velle vitam. Sic quendam ad lacum 5
Venerunt, miseri quo se præcipites darent.
Adventu quorum postquam ranæ territæ
Virides in algas misere fugientes ruunt:
Heu, inquit unus, sunt et alii, quos timor
Vexat malorum. Ferte vitam ut cæteri. 10

FABULA III.—*Vulpis et Jupiter.*

Naturam turpem nulla fortuna obtegit.
Humanam in speciem cum vertisset Jupiter
Vulpem, regali pellex ut sedit throno,
Scarabeum vidit prorepentem ex angulo,
Notamque ad prædam celeri prosiluit gradu. 5
Superi risere, magnus erubuit pater,
Repudiatam turpemque pellicem expulit;
His prosecutus: Vive, quo digna es, modo,
Quæ nostris uti meritis digne non potes.

FABULA IV.—*Leo et Mus.*

Ne quis minores lædat, fabula hæc monet.
Leone in sylva dormiente, rustici
[Luxuriantes] mures, unus ex iis
Super cubantem casu quodam transiit;
Expergefactus miserum leo celeri impetu 5
Arripuit; ille veniam sibi dari rogat,
Crimen fatetur, peccatum imprudentiæ.
Hoc rex ulcisci gloriosum non putans,
Ignovit et dimisit. Post paucos dies
Leo, dum vagatur noctu, in foveam decidit. 10
Captum ut se agnovit laqueis, voce maxima
Rugire cœpit; cujus immanem ad sonum
Mus subito accurrens, Non est quod timeas, ait,
Beneficio magno gratiam reddam parem.
Mox omnes artus, artuum et ligamina 15
Lustrare cœpit, cognitosque dentibus
Nervos rodendo laxat ingenia artuum.
Sic captum mus leonem sylvis reddidit.

FABULA V.—*Homo et Arbores.*

Pereunt, suis auxilium qui dant hostibus.
Facta bipenni quidam ab arboribus petit,
Manubrium ut darent e ligno, quod foret
Firmum: jusserunt omnes oleastrum dari.
Accepit munus, aptans et manubrium 5
Cœpit securi magna excidere robora.
Dumque eligebat, quæ vellet, sic Fraxino
Dixisse fertur Quercus: Merito cædimur.

FABULA VI.—*Mus et Rana.*

Mus, quo transire posset flumen facilius,
Auxilium ranæ petit. Hæc muris alligat
Lino priorem crus ad posterius pedem.
Amnem natantes vix medium devenerant,
Cum rana subito fundum fluminis petens 5
Se mergit, muri ut vitam eriperet perfide.
Qui dum, ne mergeretur, tendit validius;
Prædam conspexit Miluus propter volans,
Muremque fluctuantem rapuit unguibus,
Simulque ranam colligatam sustulit. 10
Sic sæpe intereunt aliis meditantes necem.

FABULA VII.—*Galli Duo et Accipiter.*

Gallus cum Gallo sæpe pugnam conserens,
Accipitrem victus judicem litis petit.
Hic, ambo si venirent, mente concipit
Spem devorandi, qui exhiberet se prior.
Mox cum venisse, causam ut orarent suam, 5
Vidit, prehendit illum, qui primus forum
Deduxit ad suam litem. Ille clamitans,
Ne plectar ego, sed ille, quis fugam petit.
Cui ales, hodie ne te credas unguibus
Posse eripi meis; quos alteri dolos 10
Tendebas, æquum te nunc est ipsum pati.
Qui sæpe tractat aliorum secum necem,
Ignorat, triste quid sibi fatum paret.

FABULA VIII.—*Cochlea et Simius.*

Amore tacta speculi inventi Cochlea
Fulgentis orbem scandens, cœpit lingere,
Nil illi melius contulisse se putans,
Quam si splendorem commacularet sordibus.
Ut inquinatum vidit speculum simius, 5
Qui se calcari talibus permiserit,
Meretur, inquit, tale dedecus pati.
Hæc illis est fabella scripta fœminis,
Ineptis quæ se jungunt et stultis viris.

FABULA IX.—*Mus Urbanus et Rusticus.*

Hospitio quondam mus urbanus rustici
Exceptus, vili glande cœnat in cavo.
Induxit precibus post, ut urbem rusticus
Cellamque intraret plenam rebus optimis.
In qua dum variis perfruuntur reliquiis, 5
Impulso venit ostio cellarius.
Quo mures strepitu diffugiunt perterriti,
Et notis facile urbanus se condit cavis;
At miser ignota trepidans rusticus domo
Timensque mortem, per parietes cursitat. 10
Ut, quæ volebat, sustulit cellarius,
Clausitque limen, iterum urbanus rusticum
Hortatur; ille perturbatis sensibus,
Vix, inquit, possum capere præ metu cibum.
Putasne veniet ille? Quid tantum times? 15
Urbanus inquit; age fruamur ferculis,
Quæ frustra rure quæras. Contra rusticus:
Tu, qui timere nescis, fruere his omnibus;
At me securum pascat glans et liberum.
In paupertate tutum præstat vivere. 20
Quam divitiarum carpi solitudine.

FABULA X.—*Asinus Domino Blandiens*

Blandiri domino Asellus ut vidit suo
Canem, et de mensa saturari quotidie,
Et frustra largiter jactari a familia;
Sic est locutus: Si canem immundissimum
In tantum dominus et familia diligit, 5
Quid me futurum, si par illi fecero
Officium, multo qui sum melior hoc cane,
Rebusque pluribus utilis et laudabilis:
Alor qui sanctæ fontibus puris aquæ,
Ciboque numquam soleo pasci sordido? 10
Sum sane catulo dignior vita frui
Beatiore, honorem et summum consequi.
Asellus hæc dum secum, stabulum conspicit
Intrare dominum: quare accurrens ocius
Rudensque prosilit, et humeris ambos pedes 15
Imponit, osque lingua cœpit lingere,
Vestemque fœdis scindens ungulis, gravi
Herum fatigat stulte blandus pondere.
Clamore domini concitatur familia,
Fustesque et saxa passim arripiens obvia 20
Rudentem mulcat; et mox membris debilem
Fractisque coxis domini lapsum a corpore,
Semianimum tandem dejicit ad præsepia.
Fabella, ineptus ne se invitis ingerat,
Melioris aut affectet officium, docet. 25

FABULA XI.—*Grus, Cornix, et Dominus.*

Fœdus juratæ Grus et Cornix junxerant,
Cornicem Grus ab avibus ut defenderet;
Cornix futura, ut Grus caveret, diceret.
Hinc cum frequenter ad cujusdam rustici
Agrum volarent, atque evellerent sata 5
Radicitus; agri dominus vidit, et dolens,
Saxum da, clamat, quo feriam gruem, puer.
Cornix ut audit, illico monet Gruem,
Sibi quæ cavit. Alia dein die audiens
Cornix petentem saxum, rursus commonet 10
Gruem, ut vitaret sedulo periculum.
Avem divinam suspicatus rusticus
Audire jussa, puero, Si, inquit, dixero,
Offam da, tu mihi clam lapidem porrige.
Grus venit, ille puerum jubet offam dare; 15
At ille lapidem, quo ferit gruem, dedit,
Et crura fregit. Vulneratus grus ait,
Divina cornix, ubi nunc auspicia tua?
Cur non monere socium, ut juraveras,
Properasti, tale ne mihi veniret malum? 20
Respondit illa, Non meretur ars mea
Culpari, sed dolosa sunt bilinguium
Consilia, qui aliud dicunt atque aliud agunt.
Promissis ducunt qui imperitos subdolis,
Mox fictis causis haud desistunt ludere. 25

FABULA XII.—*Aves et Hirundo.*

Aves in unum cum devenissent locum,
Viderunt hominem seminantem linum agro.
Quod ut pro nihilo habere hirundo intelligit,
Sic convocatas allocuta traditur.
Hinc nobis instat omnibus periculum, 5
Si semen ad maturitatem venerit.
Aves risere. Germinavit ut seges,
Hirundo rursus, Instat pernicies, ait;
Adeste, germen eruamus noxium,
Ne, si mox crescat, inde fiant retia, 10
Et nos possimus artibus humanis capi.
Ridere pergunt verba aves hirundinis

Consilium et spernunt stulte prudentissimum.
At illa cauta ad hominem se mox contulit,
Ut tuta tignis nidum suspendat suum. 15
Sed quæ salubre monitum aves despexerant,
De lino factis captæ pereunt retibus.

FABULA XIII.—*Perdix et Vulpis.*

Resedit alta quondam Perdix arbore,
Advenit Vulpis. Deinde sic cœpit loqui.
O quanta vultus species est, Perdix, tui!
Coralla rostrum, crura vincunt purpuræ
Fulgorem. At si dormires, quanto pulchrior 5
Esses! Ut stulta clausit oculos, illico
Rapit credentem Vulpis. Illa fletibus
Hæc mixta gravibus verba supplex edidit.
Per o tuarum, Vulpis, artium decus,
Ut ante, quæso, nomen proferas meum, 10
Sic devorabis. Vulpis, ubi voluit loqui,
Aperuit os: at Perdix evasit necem.
Decepta Vulpis, Quid opus erat loqui mihi?
Respondet Perdix, Et dormire quid mihi
Erat necesse, somnus cui non venerat? 15
Hoc illis, qui loquuntur ubi nil est opus,
Et qui, vigilare cum necesse, dormiunt.

FABULA XIV.—*Asellus, Bos, et Volucres.*

Asellus et Bos uno sociati jugo
Plaustrum trahebant: Bos, dum tendit validius,
Confregit cornu. Asellus nil levaminis
Sentire jurat se a consorte debili.
Laborem intendens, cornu rumpit alterum, 5
Terræque tandem Bos procumbit mortuus.
Asinum bubulcus carne mox onerat Bovis,
Qui plagas inter mille ruptus concidit,
Et exspiravit, media collapsus via.
Ad prædam Volucres convolantes inquiunt: 10
Si te precanti mitem exhibuisses Bovi,
Non immaturo pasceres nos funere.

FABULA XV.—*Leo et Pastor.*

Errans in sylva spinam calcavit Leo,
Mox ad Pastorem cauda venit blandiens;
Ne perturberis, imploro supplex opem,
Non prædam quæro. Ponit in gremio pedem
Homo sublatum, et eximens spinam gravi 5
Levat dolore. Redit hinc in sylvas Leo.
Falso post tempus accusatus crimine
Pastor damnatur, atque ludis proximis
Jejunis projici jubetur bestiis.
Emissæ dum discursitant passim feræ, 10
Agnovit hominem qui medicinam fecerat
Leo, et sublatum rursus in gremio pedem
Pastori ponit. Rex ut cognovit, statim
Sylvis Leonem, et Pastorem reddit suis.

FABULA XVI.—*Culex et Taurus.*

Culex cum Taurum provocasset viribus,
Cuncti venerunt populi, ut pugnam cernerent.
Culex tum: Satis est, quod venisti cominus:
Nam parvus mihi, judicio sum magnus tuo.
Hinc se per auras penna sustulit levi, 5
Lusitque turbam, et tauri destituit minas.
Quod si fuisset validæ cervicis memor,
Et taurus hostem contemsisset sordidum,
Fuisset vana inertis gloriatio.
Amittit famam, qui se indignis comparat. 10

FABULA XVII.—*Equus et Asinus.*

Asello sonipes phaleris occurrit tumens,
Et lassus multo tardius quod pondere
Viam dedisset transeunti; Vix, ait,
Me teneo, quin te sævis calcibus exteram.
Tacuit Asellus, gemitu testatus deos: 5
Equus, currendo ruptus parvo in tempore,
Ad villam mittitur. Hunc onustum stercore
Ut vidit Asinus, tali derisit joco.
Quo, gloriose, phaleras has quondam tibi,
Modo ad despectam qui redisti miseriam? 10
Felix ne spernat, dubiæ sortis immemor,
Humilem, cum quid futurus ipse, nesciat.

FABULA XVIII.—*Volucres, Quadrupedes, et Vespertilio.*

Bellum gerebant volucres cum quadrupedibus,
Et vincebantur versa victores vice.
At vespertilio, dubios eventus timens,
Ad illos semper, quos superasse viderat,
Se conferebat. In pacem cum pristinam 5
Redissent, fraus utrique generi apparuit.
Damnatus ergo tam pudendo crimine,
Lucem refugiens, atris posthac condidit
Se tenebris, sola noctibus semper volans.
Qui se duabus venditabit partibus, 10
Utrisque ingratus vitam deget turpiter.

FABULA XIX.—*Luscinia, Accipiter, et Auceps.*

Accipiter in Luscinii nido dum sedet,
Aurito insidians, illic pullos invenit;
Mater periclo mota prolis advolat,
Supplexque, pullis ut parcat suis, rogat.
Accipiter, Quod vis, inquit, faciam, si bona 5
Cantabis voce carmen modulatum mihi.
At illa, quamvis exciderat animus, tamen
Metu parebat, et coacta cantitat
Luctuque plena. Prædam qui captaverat
Accipiter, inquit, Non tu cantasti bene, 10
Et unam ex pullis apprehendit unguibus,
Cœpitque devorare. Ex diverso venit
Auceps, et calamo clam crescente perfidam
Visco contingit, atque in terram detrahit.
Quicunque fraudes alii tendit subdolas, 15
Timere debet, ne ipse capiatur dolo.

FABULA XX.—*Lupus, Vulpis, et Pastor*

Lupus per tempus maximam congesserat
Prædam in cubile, haberet ut cibaria,
Queis plures posset menses otio frui.
Vulpes ut novit, ad cubile abit Lupi,
Et voce tremula, An recte, frater, omnia? 5
Quod te non vidi sylvis venantem tuis,
Tristem per omnes exegi vitam dies.
Lupus, livorem postquam agnovit æmulæ,
Non tu sollicita huc causa venisti mea,
Sed partem ut captes. Fraude quid petas scio.
Irata Vulpis ad ovium pastorem abit, 11
Agesne, pastor, inquit, gratias mihi,
Inimicum si tradidero hodie gregis tui,
Ut nunquam sis sollicitus? Pastor, Serviam
Tibi, inquit, tribuam et quicquid volueris lubens.
Cubile monstrat illa pastori Lupi; 16
Qui clausum protinus peremit lancea,
Et gaudens de alieno saturavit æmulam.
Ut vero vulpis in venantes incidit
Deprensa, canibus et laniata, sic ait, 20
Dedi vix alteri malum, et jam punior.
Timere debet, quisquis alii sustinet
Nocere, pejus ipsi ne eveniat malum.

FABULA XXI.—*Oves et Lupi.*

Oves Lupique cum certassent prœlio,
Illæ vicerunt, tutæ præsidio Canum.
Lupi legatos mittunt, et justam petunt
Hac lege pacem, ut dederent Oves Canes,
Et obsides Luporum catulos reciperent. 5
Oves, æternam sic sperantes gratiam
Iniri, faciunt quod poposcerunt lupi.
Post paullo cum cœpissent ululare catuli,
Lupi, necari causantes natos suos
Pacemque ruptam ab Ovibus, undique impetu 10
Invadunt facto nudas defensoribus;
Fidem quæ stultæ quod habuerant hostibus,
Consilium sera damnat pœnitentia.
Præsidium, quo quis olim tutus vixerat,
Si prodat aliis, frustra post desiderat. 15

FABULA XXII.—*Simius et Vulpis.*

Rogabat Vulpem Simius, caudæ suæ
De magnitudine aliquid ut sibi daret,
Nates velare quo posset turpissimas.
Quid enim, inquit, cauda tantæ longitudinis
Prodest? quo tantum pondus per terram trahis?
Cui Vulpis, Esset quamvis illa longior, 6
Majorque multo, mallem per terram et lutum
Spinasque trahere, quam partem tibi dare,
Meo ne tegmine videaris pulchrior.
Avare, te fabella hæc, et locuples, monet, 10
Cui, quamvis superest, nil tamen das pauperi.

FABULA XXIII.—*Lupus, Pastor, et Venator.*

Cum Venatorem fugeret instantem Lupus,
Et a Pastore visus, qua parte fugeret,
Et quo se conderet loco, plenus metu,
Omnes per oro te, Bubulce, spes tuas,
Ne prodas innocentem, cui nihil mali 5
Fecisse me per magnos adjuro deos.
Noli timere, Pastor inquit, alteram
Monstrabo partem. Mox Venator advolat,
Non huc venire, Pastor, vidisti lupum,
Qua parte fugit? cui Pastor, Venit quidem, 10
Sed læva fugit, voce dixit maxima;
At oculis clam designat partem dexteram.
Non intellexit ille, et festinans abit.
Lupo tunc Pastor, Quas habebis gratias,
Quod te celarim? Maximas linguæ tuæ, 15
Lupus ago, dixit, at oculis fallacibus
Æternæ cæcitatem noctis imprecor.
Qui verbis blandus, fraudem celat pectore,
Hoc argumento se describi intelligat.

FABULA XXIV.—*Homines Duo, Fallax, Verax, et Simii.*

Agentes Mendax et simul Verax iter,
In Simiorum forte terram venerant;
E turba ut vidit unus, qui se fecerat
Regem, teneri jussit illos, sciret ut
De se quid homines dicerent: simul jubet 5
Omnes adstare Simios longo ordine
Dextra lævaque; sed sibi poni thronum,
Ut hominum reges quondam facere viderat.
Mox jussos homines in medium adduci rogat.
Qualisnam vobis esse videor, hospites? 10
Respondit mendax, Rex videris maximus.
Quid hi, quos apparere nunc vides mihi?
Hi comites, hi legati, et militum duces.
Mendacio laudatus cum turba sua
Adulatori munus imperat dari. 15
Hic secum Verax, tanta si mendacio
Sit merces, quanto non ego, dixit, munere
Donabor, verum si pro more dixero?
Hinc ad Veracem Simius. Et qualis tibi
Videor, et illi, quos stare ante me vides? 20
Respondit ille, Verus es tu Simius,
Et Simii omnes illi, qui similes tui.
Iratus illum dentibus Rex imperat
Lacerari et unguibus, quod vera dixerat.
Blandum laudatur a malis mendacium; 25
Bonis honesta fert exitium veritas.

FABULA XXV.—*Homo et Leo.*

Homo certabat cum Leone, fortior
Quis esset, litisque hujus testimonium
Dum quærunt, ad sepulcrum tandem venerunt,
Elisis in quo ab homine pictum faucibus
Leonem ostendit, argumentum virium. 5
Leo respondit, humana hoc pictum manu.
Videres hominem dejectum, si pingere
Leones scirent. Sed ego testimonium
Dabo virtutis certius. Ad spectaculum
Induxit hominem, monstrans ubi bona fide 10
Enectos a leonibus homines, ait,
Non est colorum testimoniis opus,
Hic exhibetur vera virtus actibus.
Colore frustra mendaces uti docet
Fabella, certa cum datur probatio. 15

FABULA XXVI.—*Ciconia, Anser, et Accipiter.*

Venisset notum ad stagnum cum Ciconia,
Mergentem invenit se frequenter Anserem
Sub undis: quærit cur hoc faceret. Ille ait,
Hæc nobis consuëtudo est, et in luto
Reperimus escam, et Accipitris simul impetum 5
Venientis ad nos tuti sic evadimus.
Sum multo Accipitre fortior, Ciconia
Inquit, amicitiam si vis mecum jungere,
Illi insultare victor poteris. Credulus
Et protinus auxilium petens Anser, simul 10
In agrum prodit; ilico supervenit
Accipiter, et comprensum sævis unguibus
Fugiente devorat Anserem Ciconia.
Cui Anser: Qui patrono se tam debili
Credit, pejore finiri debet nece. 15

FABULA XXVII.—*Ovis et Cornix.*

In tergo Cornix otiosa considens
Ovis, tundebat illud rostro: cum diu
Fecisset, inquit patiens Ovis injuriæ,
Hanc si fecisses contumeliam Cani,
Ejus latratum haud ferres. At Cornix Ovi, 5
Collo tam forti nunquam sedeo, nam scio
Quos debeam lacessere, annis callida;
Acribus amica, at importuna inermibus.
Sic me creatum di voluerunt vivere.
His, qui lacessunt innocentes infimi, 10
Vexare fortes metuunt, scripta est fabula.

FABULA XXVIII.—*Formica et Cicada.*

Hiemis Formica grana tempore e cavo
Trahens siccabat, quæ prudens collegerat
Æstate. Esuriens hanc, ut aliquid sibi daret,
Rogat Cicada. Cui Formica, Æstate quid
Agebas? inquit. Illa, Non erat otium, 5
Ut de futuro cogitarem tempore:
Errabam cantans per sæpes et pascua.
Ridens Formica, et grana referens, sic ait:
Æstate quæ cantasti, age, salta frigore.
Piger laboret certo semper tempore, 10
Ne, cum nil habeat, poscens accipiat nihil.

FABULA XXIX.—*Equus et Asinus.*

Equum rogabat Asinus paullulum hordei.
Libenter, ait; et, si superesset, largiter
Pro dignitate nostra tribuerem tibi:
Simul sed nostra vespere ad præsepia
Venero, mox plenum farre sacculum dabo. 5
Asellus inquit, Nunc qui rem parvam negas,
Quid in majore te facturum existimem?
Qui, magna cum promittunt, parva denegant,
In dando se tenaciores indicant.

FABULA XXX.—*Leo Senex et Vulpis.*

Defectus annis, languorem finxit Leo.
Ægrotum ad regem visitandum bestiæ
Plures venerunt; devorat quas protinus.
Sed cauta Vulpis ante speluncam procul
Stabat salutans regem. Quam rogat Leo, 5
Cur non intraret; Video quod vestigia
Intrantium multa, at nulla exeuntium.
Prodesse cautis pericula aliorum solent.

FABULA XXXI.—*Pulex et Camelus.*

Pulex Cameli dorso forte considens,
Gravatus multis qui incedebat sarcinis,
Sibi placebat, longe visus altior.
Iter cum longum facerent, vespera simul
Ad stabulum venerunt, Pulex leviter statim 5
Ad terram saliens, Ecce, dixit, ocius
Descendo, attritum ne gravem diutius.
At ille, Gratum est, inquit, sed nec pondere,
Te imposito, me gravari sentire potui,
Nec, te dejecto, habere quid levaminis. 10
Qui se sublimi, nullo cum sit ordine,
Jactat, notatus in despectum devenit.

FABULA XXXII.—*Hœdus et Lupus.*

Capella, fetum ut custodiret, exiens
Pastum, imprudentem monuit Hœdum, ne ostium
Aperiret, multas quod sciret stabula feras
Circuire pecorum. Ut abiit, advenit Lupus.
Adsimulans vocem matris, et jubet fores 5
Sibi reserari; ut Hœdus audivit, Lupo
Per rimam spectans, inquit, Audio sonum
Matris, sed fallax atque inimicus es mihi,
Sub voce matris nostrum quæris sanguinem
Potare, et nostra carne satiari. Vale. 10
Laus magna natis, obsequi parentibus.

FABULA XXXIII.—*Pauper et Serpens.*

Serpens in ædibus cujusdam Pauperis
Venire semper ad mensam consueverat,
Et inde micis pascebatur largiter.
Dives post paullo factus, irasci incipit
Serpenti, et vulnerat secure; tempore 5
Ad pristinam interposito egestatem redit.
Pro sorte varia serpentis postquam videt
Fortunam mutari suam, blande petit,
Ignoscat ut peccanti; cui serpens ait,
Te pœnitebit sceleris, usque dum mea 10
Cicatrix clausa fuerit; at tamen optima
Fide me posthac noli amicum credere.
Redire tamen hac lege in gratiam volo,
Securis nunquam perfidæ si meminerim.
Suspectus esse debet, qui læsit semel, 15
Et caute semper integranda gratia.

FABULA XXXIV.—*Aquila et Miluus.*

In ramo tristis sederat cum Miluo
Aquila. Quid vultu te tam mæsto, Miluus,
Conspicio? Quæro, dixit illa, conjugem
Parem, nec invenire possum. Me accipe,
Te multo qui sum fortior. Quid? an potes 5
Ex rapto victum quærere? Unguibus meis
Struthiocamelum rapui prensum sæpius.
Inducta verbis Aquila conjugem capit.
Parvo post nuptias transacto tempore
Aquila, Abi, et prædam promissam mihi rape. 10
Volans in altum, soricem immundissimum
Et longo Miluus affert putridum situ.
Hæcne est polliciti, Aquila dixit, fides tui?
Cui Miluus: Ego, ut pervenirem nuptias
Ad regias, nihil non posse me fidem 15
Dedissem, quamvis me nequire noverim.
Qui se majores cupidi quærunt conjuges,
Dolent decepti se post junctos vilibus.

M. ANNÆI LUCANI PHARSALIA.

LIBER PRIMUS.

A. D. 38—65.

M. Annæus Lucanus M. Annæi Lucani equitis Hispani filius, L. Annæi Senecæ philosophi fratris filius, Corduba Hispaniæ natus, Romam missus est, ut bonis artibus erudiretur. Ibi cum et poetica et oratoria laude mirum in modum inclaruisset, ingenii præstantia patruique simul opibus ad Neronis Cæsaris gratiam evectus est, honoribusque etiam ultra ætatem donatus. Uxorem duxit Pollam Argentariam, genere virtutibusque insignem; quæ eum in Pharsalia, cujus primos libros hoc temporis magna suorum exspectatione edidit, emendanda adjuvisse creditur. Cæterum ubi Nero, ob ereptam sibi in Quinquennali certamine poeticæ victoriam, foro recitationibusque nostrum interdixisset; juveniliter vindictæ amore flagrans, idemque saluti suæ metuens, Pisonianæ conjurationi se addixit. Qua haud ita post patefacta, multa viro forti indigna admisisse fertur mortis effugium quærens; quod ubi impetrare nequivit, venas sibi præcidi jussit, dumque versus proprios de simili cujusdam morte in memoriam referret, inter ipsam recitationem est mortuus.

Bella per Emathios plus quam civilia campos,
Jusque datum sceleri canimus, populumque potentem
In sua victrici conversum viscera dextra;
Cognatasque acies; et rupto fœdere regni
Certatum totis concussi viribus orbis 5
In commune nefas; infestisque obvia signis
Signa, pares aquilas, et pila minantia pilis.
Quis furor, o cives? quæ tanta licentia ferri,
Gentibus invisis Latium præbere cruorem?
Cumque superba foret Babylon spolianda tropæis
Ausoniis, umbraque erraret Crassus inulta; 11
Bella geri placuit nullos habitura triumphos?
Heu quantum potuit terræ pelagique parari
Hoc, quem civiles hauserunt, sanguine, dextræ!
Unde venit Titan, et nox ubi sidera condit, 15
Quaque dies medius flagrantibus æstuat horis,
Et qua bruma rigens, ac nescia vere remitti,
Adstringit Scythico glacialem frigore pontum:
Sub juga jam Seres, jam barbarus isset Araxes,
Et gens si qua jacet nascenti conscia Nilo. 20
Tunc, si tantus amor belli tibi, Roma, nefandi,
Totum sub Latias leges cum miseris orbem.
In te verte manus: nondum tibi defuit hostis.
At nunc semirutis pendent quod mœnia tectis
Urbibus Italiæ, lapsisque ingentia muris 25
Saxa jacent, nulloque domus custode tenentur,
Rarus et antiquis habitator in urbibus errat:
Horrida quod dumis, multosque inarata per annos
Hesperia est, desuntque manus poscentibus arvis,
Non tu, Pyrrhe ferox, nec tantis cladibus auctor
Pœnus erit: nulli penitus discindere ferro 31
Contigit: alta sedent civilis vulnera dextræ.
Quod si non aliam venturo fata Neroni
Invenere viam, magnoque æterna parantur
Regna deis, cœlumque suo servire Tonanti 35
Non nisi sævorum potuit post bella gigantum:
Jam nihil, o superi, querimur; scelera ipsa nefasque
Hac mercede placent: diros Pharsalia campos
Impleat, et Pœni saturentur sanguine manes:
Ultima funesta concurrant prœlia Munda. 40
His, Cæsar, Perusina fames, Mutinæque labores
Accedant fatis, et quas premit aspera classes
Leucas, et ardenti servilia bella sub Ætna:
Multum Roma tamen debet civilibus armis,
Quod tibi res acta est. Te, cum statione peracta
Astra petes serus, prælati regia cœli 46
Excipiet gaudente polo: seu sceptra tenere,
Seu te flammigeros Phœbi conscendere currus,
Telluremque, nihil mutato sole timentem,
Igne vago lustrare juvat; tibi numine ab omni 50
Cedetur, jurisque tui natura relinquet,
Quis deus esse velis, ubi regnum ponere mundi.
Sed neque in Arctoo sedem tibi legeris orbe,
Nec polus adversi calidus qua vergitur Austri,
Unde tuam videas obliquo sidere Romam. 55
Ætheris immensi partem si presseris unam,
Sentiet axis onus; librati pondera cœli
Orbe tene medio: pars ætheris illa sereni
Tota vacet, nullæque obstent a Cæsare nubes. 59
Tunc genus humanum positis sibi consulat armis,
Inque vicem gens omnis amet: pax missa per orbem
Ferrea belligeri compescat limina Jani.
Sed mihi jam numen: nec, si te pectore vates
Accipiam, Cirrhæa velim secreta moventem
Sollicitare deum, Bacchumque avertere Nysa. 65
Tu satis ad dandas Romana in carmina vires.
Fert animus causas tantarum expromere rerum:
Immensumque aperitur opus, quid in arma furentem
Impulerit populum, quid pacem excusserit orbi.
Invida fatorum series, summisque negatum 70
Stare diu, nimioque graves sub pondere lapsus,
Nec se Roma ferens. Sic, cum compage soluta
Sæcula tot mundi suprema coegerit hora,
Antiquum repetens iterum chaos; omnia mixtis
Sidera sideribus concurrent, ignea pontum 75
Astra petent: tellus extendere littora nolet,
Excutietque fretum: fratri contraria Phœbe
Ibit, et obliquum bigas agitare per orbem
Indignata diem poscet sibi: totaque discors
Machina divulsi turbabit fœdera mundi. 80
In se magna ruunt: lætis hunc numina rebus
Crescendi posuere modum: nec gentibus ultra
Commodat in populum terræ pelagique potentem
Invidiam Fortuna suam. Tu causa malorum
Facta tribus dominis communis Roma, nec unquam 85
In turbam missi [feralia] fœdera regni.

O male concordes, nimiaque cupidine cæci,
Quid miscere juvat vires, orbemque tenere
In medio? dum terra fretum, terramque levabit
Aer, et longi volvent Titana labores, 90
Noxque diem cœlo totidem per signa sequetur;
Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit: nec gentibus ullis
Credite: nec longe fatorum exempla petantur.
Fraterno primi maduerunt sanguine muri. 95
Nec pretium tanti tellus pontusque furoris
Tunc erat: exiguum dominos commisit asylum.
Temporis angusti mansit concordia discors,
Paxque fuit non sponte ducum: nam sola futuri
Crassus erat belli medius mora. Qualiter undas 100
Qui secat, et geminum gracilis mare separat Isthmos,
Nec patitur conferre fretum: si terra recedat,
Ionium Ægæo frangat mare: sic ubi sæva
Arma ducum dirimens miserando funere Crassus
Assyrias Latio maculavit sanguine Carras, 105
Parthica Romanos solverunt damna furores.
Plus illa vobis acie, quam creditis, actum est,
Arsacidæ: bellum victis civile dedistis.
Dividitur ferro regnum: populique potentis,
Quæ mare, quæ terras, quæ totum possidet orbem, 110
Non cepit fortuna duos. Nam pignora juncti
Sanguinis, et diro ferales omine tædas
Abstulit ad Manes Parcarum Julia sæva
Intercepta manu. Quod si tibi fata dedissent
Majores in luce moras, tu sola furentem 115
Inde virum poteras, atque hinc retinere parentem;
Armatasque manus excusso jungere ferro,
Ut generos soceris mediæ junxere Sabinæ
Morte tua discussa fides, bellumque movere
Permissum est ducibus: stimulos dedit æmula virtus. 120
Tu nova ne veteres obscurent acta triumphos,
Et victis cedat piratica laurea Gallis,
Magne, times: te jam series ususque laborum
Erigit, impatiensque loci fortuna secundi.
Nec quenquam jam ferre potest, Cæsarve priorem 125
Pompeiusve parem. Quis justius induit arma,
Scire nefas: magno se judice quisque tuetur:
Victrix causa deis placuit, sed victa Catoni.
Nec coiere pares: alter vergentibus annis
In senium, longoque togæ tranquillior usu 130
Dedidicit jam pace ducem: famæque petitor
Multa dare in vulgus: totus popularibus auris
Impelli, plausuque sui gaudere theatri:
Nec reparare novas vires, multumque priori
Credere fortunæ. Stat magni nominis umbra. 135
Qualis frugifero quercus sublimis in agro
Exuvias veteres populi, sacrataque gestans
Dona ducum: nec jam validis radicibus hærens,
Pondere fixa suo est: nudosque per aera ramos
Effundens, trunco, non frondibus efficit umbram:
At quamvis primo nutet casura sub Euro, 141
Tot circum sylvæ firmo se robore tollant,
Sola tamen colitur. Sed non in Cæsare tantum
Nomen erat, nec fama ducis: sed nescia virtus
Stare loco: solusque pudor non vincere bello 145
Acer, et indomitus: quo spes, quoque ira vocasset, [ferro:
Ferre manum, et nunquam temerando parcere
Successus urgere suos: instare favori
Numinis: impellens quicquid sibi summa petenti
Obstaret: gaudensque viam fecisse ruina. 150
Qualiter expressum ventis per nubila fulmen
Ætheris impulsi sonitu, mundique fragore
Emicuit, rupitque diem, populosque paventes
Terruit, obliqua præstringens lumina flamma:
In sua templa furit: nullaque exire vetante 155
Materia, magnamque cadens, magnamque revertens
Dat stragem late, sparsosque recolligit ignes.
Hæ ducibus causæ suberant: sed publica belli
Semina, quæ populos semper mersere potentes.
Namque ut opes nimias mundo fortuna subacto
Intulit, et rebus mores cessere secundis, 161
Prædaque et hostiles luxum suasere rapinæ:
Non auro, tectisve modus: mensasque priores
Adspernata fames: cultus gestare decoros
Vix nuribus rapuere mares: fecunda virorum
Paupertas fugitur; totoque accersitur orbe, 166
Quo gens quæque perit Tunc longos jungere fines
Agrorum, et quondam duro sulcata Camilli
Vomere, et antiquos Curiorum passa ligones
Longa sub ignotis extendere rura colonis. 170
Non erat is populus, quem pax tranquilla juvaret,
Quem sua libertas immotis pasceret armis.
Inde iræ faciles, et, quod suasisset egestas,
Vile nefas: magnumque decus, ferroque petendum,
Plus patria potuisse sua: mensuraque juris 175
Vis erat: hinc leges, et plebiscita coacta,
Et cum consulibus turbantes jura tribuni:
Hinc rapti pretio fasces, sectorque favoris
Ipse sui populus; letalisque ambitus urbi,
Annua venali referens certamina Campo: 180
Hinc usura vorax, avidumque in tempore fœnus,
Et concussa fides, et multis utile bellum.
Jam gelidas Cæsar cursu superaverat Alpes,
Ingentesque animo motus, bellumque futurum
Ceperat. Ut ventum est parvi Rubiconis ad undas, 185
Ingens visa duci patriæ trepidantis imago,
Clara per obscuram vultu mœstissima noctem,
Turrigero canos effundens vertice crines,
Cæsarie lacera, nudisque adstare lacertis,
Et gemitu permixta loqui: Quo tenditis ultra?
Quo fertis mea signa, viri? si jure venitis, 191
Si cives, hucusque licet. Tunc perculit horror
Membra ducis, riguere comæ, gressumque coercens
Languor in extrema tenuit vestigia ripa.
Mox ait: O magnæ qui mœnia prospicis urbis 195
Tarpeia de rupe tonans, Phrygiique Penates
Gentis Iuleæ, et rapti secreta Quirini,
Et residens celsa Latialis Jupiter Alba,
Vestalesque foci, summique o numinis instar
Roma, fave cœptis: non te furialibus armis 200
Persequor: en adsum victor terraque marique
Cæsar, ubique tuus, (liceat modo) nunc quoque miles.
Ille erit, ille nocens, qui me tibi fecerit hostem.
Inde moras solvit belli, tumidumque per amnem
Signa movet propere. Sic cum squalentibus arvis 205
Æstiferæ Libyes viso leo cominus hoste
Subsedit dubius, totam dum colligit iram,
Mox ubi se sævæ stimulavit verbere caudæ,
Erexitque jubam, et vasto grave murmur hiatu
Infremuit: tum torta levis si lancea Mauri 210
Hæreat, aut latum subeant venabula pectus,
Per ferrum tanti securus vulneris exit.

Fonte cadit modico, parvisque impellitur undis
Puniceus Rubicon, cum fervida canduit æstas:
Perque imas serpit valles, et Gallica certus 215
Limes ab Ausoniis disterminat arva colonis.
Tunc vires præbebat hyems, atque auxerat undas
Tertia jam gravido pluvialis Cynthia cornu,
Et madidis Euri resolutæ flatibus Alpes.
Primus in obliquum sonipes opponitur amnem,
Excepturus aquas, molli tum cetera rumpit 221
Turba vado fracti faciles jam fluminis undas.
Cæsar ut adversam superato gurgite ripam
Attigit, Hesperiæ vetitis et constitit arvis,
Hic, ait, hic, pacem, temerataque jura relinquo;
Te, Fortuna, sequor: procul hinc jam fœdera sunto. 226
Credidimus fatis: utendum est judice bello.
Sic fatus, noctis tenebris rapit agmina ductor
Impiger, et torto Balearis verbere fundæ
Ocior, et missa Parthi post terga sagitta: 230
Vicinumque minax invadit Ariminum, ut ignes
Solis Lucifero fugiebant astra relicto.
Jamque dies primos belli visura tumultus
Exoritur: seu sponte deûm, seu turbidus Auster
Impulerat, mœstam tenuerunt nubila lucem. 235
Constitit ut capto jussus deponere miles
Signa foro, stridor lituûm, clangorque tubarum
Non pia concinuit cum rauco classica cornu.
Rupta quies populi, stratisque excita juventus
Diripiunt sacris affixa penatibus arma, 240
Quæ pax longa dabat: nuda jam crate fluentes
Invadunt clypeos, curvataque cuspide pila,
Et scabros nigræ morsu rubiginis enses.
Ut notæ fulsere aquilæ, Romanaque signa,
Et celsus medio conspectus in agmine Cæsar, 245
Diriguere metu, gelidos pavor alligat artus,
Et tacito mutos volvunt sub pectore questus.
O male vicinis hæc mœnia condita Gallis!
O tristi damnata loco! pax alta per omnes,
Et tranquilla quies populos: nos præda furentum, 250
Primaque castra sumus. Melius, Fortuna, dedisses
Orbe sub Eoo sedem, gelidaque sub Arcto,
Errantesque domos, Latii quam claustra tueri.
Nos primi Senonum motus, Cimbrumque ruentem 254
Vidimus, et Martem Libyes, cursumque furoris
Teutonici: quoties Romam fortuna lacessit,
Hac iter est bellis. Gemitu sic quisque latenti,
Non ausus timuisse palam: vox nulla dolori
Credita: sed quantum, volucres cum bruma coercet,
Rura silent, mediusque jacet sine murmure pontus, 260
Tanta quies. Noctis gelidas lux solverat umbras:
Ecce faces belli, dubiæque in prœlia menti
Urgentes addunt stimulos, cunctasque pudoris
Rumpunt fata moras: justos Fortuna laborat
Esse ducis motus, et causas invenit armis. 265
Expulit ancipiti discordes urbe Tribunos
Victo jure minax jactatis curia Gracchis.
Hos jam mota ducis, vicinaque signa petentes
Audax venali comitatur Curio lingua:
Vox quondam populi, libertatemque tueri 270
Ausus, et armatos plebi miscere potentes.
Utque ducem varias volventem pectore curas
Conspexit: Dum voce tuæ potuere juvari,
Cæsar, ait, partes, quamvis nolente senatu,
Traximus imperium, tunc cum mihi rostra tenere 275
Jus erat, et dubios in te transferre Quirites.
Sed postquam leges bello siluere coactæ,
Pellimur e patriis laribus, patimurque volentes
Exilium: tua nos faciat victoria cives.
Dum trepidant nullo firmatæ robore partes, 280
Tolle moras: semper nocuit differre paratis.
Par labor atque metus pretio majore petuntur.
Bellantem geminis tenuit te Gallia lustris,
Pars quota terrarum! Facili si prœlia pauca
Gesseris eventu, tibi Roma subegerit orbem. 285
Nunc neque te longi remeantem pompa triumphi
Excipit, aut sacras poscunt Capitolia laurus:
Livor edax tibi cuncta negat: gentesque subactas
Vix impune feres: socerum depellere regno 289
Decretum est genero. Partiri non potes orbem:
Solus habere potes. Sic postquam fatus, et ipsi
In bellum prono tantum tamen addidit iræ,
Accenditque ducem, quantum clamore juvatur
Eleus sonipes, quamvis jam carcere clauso
Immineat foribus, pronusque repagula laxet. 295
Convocat armatos extemplo ad signa maniplos:
Utque satis trepidum turba coeunte tumultum
Composuit vultu, dextraque silentia jussit:
Bellorum o socii, qui mille pericula Martis 299
Mecum, ait, experti, decimo jam vincitis anno.
Hoc cruor Arctois meruit diffusus in arvis,
Vulneraque, et mortes, hiemesque sub Alpibus actæ?
Non secus ingenti bellorum Roma tumultu
Concutitur, quam si Pœnus transcenderet Alpes
Annibal. Implentur valido tirone cohortes: 305
In classem cadit omne nemus: terraque marique
Jussus Cæsar agi. Quid, si mihi signa jacerent
Marte sub adverso, ruerentque in terga feroces
Gallorum populi? nunc, cum Fortuna secundis
Mecum rebus agat, superique ad summa vocantes, 310
Tentamur. Veniat longa dux pace solutus
Milite cum subito, partesque in bella togatæ,
Marcellusque loquax, et nomina vana Catones.
Scilicet extremi Pompeium, emtique clientes
Continuo per tot satiabunt tempora regno? 315
Ille reget currus nondum patientibus annis?
Ille semel raptos nunquam dimittet honores?
Quid jam rura querar totum suppressa per orbem,
Ac jussam servire famem? quis castra timenti
Nescit mixta foro? gladii cum triste minantes 320
Judicium insolita trepidum cinxere corona,
Atque auso medias perrumpere milite leges
Pompeiana reum clauserunt signa Milonem?
Nunc quoque ne lassum teneat privata senectus,
Bella ne anda parat, suetus civilibus armis, 325
Et docilis Syllam scelerum vicisse magistrum.
Utque feræ tigres nunquam posuere furorem,
Quas nemore Hyrcano, matrum dum lustra sequuntur,
Altus cæsorum pavit cruor armentorum;
Sic et Syllanum solito tibi lambere ferrum 330
Durat, Magne, sitis: nullus semel ore receptus
Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces.
Quem tamen inveniet tam longa potentia finem?
Quis scelerum modus est? ex hoc jam te, improbe, regno
Ille tuus saltem doceat discedere Sylla. 335
Post Cilicasne vagos, et lassi Pontica regis
Prœlia, barbarico vix consummata veneno,
Ultima Pompeio dabitur provincia Cæsar;
Quod non, victrices aquilas deponere jussus,
Paruerim? mihi si merces erepta laborum est, 340

His saltem longi, non me duce, præmia belli
Reddantur: miles sub quolibet iste triumphet.
Conferet exsanguis quo se post bella senectus?
Quæ sedes erit emeritis? quæ rura dabuntur,
Quæ noster veteranus aret? quæ mœnia fessis?
An melius fient piratæ, Magne, coloni? 346
Tollite jampridem victricia, tollite signa:
Viribus utendum est, quas fecimus. Arma tenenti
Omnia dat, qui justa negat: nec numina desunt.
Nam neque præda meis, neque regnum quæritur armis: 350
Detrahimus dominos urbi servire paratæ.
Dixerat: at dubium non claro murmure vulgus
Secum incerta fremit: pietas, patriique penates
Quanquam cæde feras mentes, animosque tumentes
Frangunt; sed diro ferri revocantur amore, 355
Ductorisque metu. Summi tum munera pili
Lælius, emeritique gerens insignia doni,
Servati civis referentem præmia quercum;
Si licet, exclamat, Romani maxime rector
Nominis, et fas est veras expromere voces; 360
Quod tam lenta tuas tenuit patientia vires,
Conquerimur. Deeratne tibi fiducia nostri?
Dum movet hic calidus spirantia corpora sanguis,
Et dum pila valent fortes torquere lacerti,
Degeneram patiere togam, regnumque senatus?
Usque adeo miserum est civili vincere bello? 366
Duc age per Scythiæ populos, per inhospita Syrtis
Littora, per calidas Libyæ sitientis arenas.
Hæc manus, ut victum post terga relinqueret orbem,
Oceani tumidas remo compescuit undas, 370
Fregit et Arctoo spumantem vortice Rhenum.
Jussa sequi tam posse mihi, quam velle necesse est.
Nec civis meus est, in quem tua classica, Cæsar,
Audiero. Per signa decem felicia castris,
Perque tuos juro quocunque ex hoste triumphos;
Pectore si fratris gladium, juguloque parentis 376
Condere me jubeas, plenæque in viscera partu
Conjugis, invita peragam tamen omnia dextra.
Si spoliare deos, ignemque immittere templis,
Numina miscebit castrensis flamma Monetæ: 380
Castra super Tusci si ponere Tibridis undas,
Hesperios audax veniam metator in agros.
Tu quoscunque voles in planum effundere muros,
His aries actus disperget saxa lacertis:
Illa licet, penitus tolli quam jusseris urbem, 385
Roma sit. His cunctæ simul adsensere cohortes,
Elatasque alte, quæcunque ad bella vocaret,
Promisere manus. It tantus ad æthera clamor,
Quantus, piniferi Boreas cum Thracius Ossæ
Rupibus incubuit, curvato robore pressæ 390
Fit sonus, aut rursus redeuntis in æthera sylvæ
Cæsar ut acceptum tam prono milite bellum,
Fataque ferre videt, ne quo languore moretur
Fortunam, sparsas per Gallica rura cohortes
Evocat, et Romam motis petit undique signis. 395
Deseruere cavo tentoria fixa Lemano, [pem
Castraque quæ Vogesi curvam super ardua re-
Pugnaces pictis cohibebant Lingonas armis
Hi vada liquerunt Isaræ, qui gurgite ductus
Per tam multa suo, famæ majoris in amnem 400
Lapsus, ad æquoreas nomen non pertulit undas.
Solvuntur flavi longa statione Rutheni:
Mitis Atax Latias gaudet non ferre carinas,
Fons et Hesperiæ promoto limite Varus:
Quaque sub Herculeo sacratus nomine portus 405
Urget rupe cava pelagus: non Corus in illum
Jus habet, aut Zephyrus: solus sua littora turbat
Circius, et tuta prohibet statione Monœci.
Quaque jacet littus dubium, quod terra, fretumque 409
Vindicat alternis vicibus, cum funditur ingens
Oceanus, vel cum refugis se fluctibus aufert.
Ventus ab extremo pelagus sic axe volutet,
Destituatque ferens: an sidere mota secundo
Tethyos unda vagæ lunaribus æstuet horis:
Flammiger an Titan, ut alentes hauriat undas, 415
Erigat Oceanum, fluctusque ad sidera tollat,
Quærite, quos agitat mundi labor: at mihi semper [meatus,
Tu, quæcunque moves tam crebros causa
Ut superi voluere, late. Tunc rura Nemossi
Qui tenet, et ripas Aturi, qua littore curvo 420
Molliter admissum claudit Tarbellicus æquor,
Signa movet: gaudetque amoto Santonus hoste,
Et Biturix, longisque leves Suessones in armis:
Optimus excusso Leucus Rhemusque lacerto,
Optima gens flexis in gyrum Sequana frænis: 425
Et docilis rector rostrati Belga covini:
Arvernique ausi Latio se fingere fratres,
Sanguine ab Iliaco populi: nimiumque rebellis
Nervius, et cæsi pollutus sanguine Cottæ:
Et qui te laxis imitantur, Sarmata, braccis 430
Vangiones: Batavique truces, quos ære recurvo
Stridentes acuere tubæ: qua Cinga pererrat
Gurgite: qua Rhodanus raptum velocibus undis
In mare fert Ararim qua montibus ardua summis 434
Gens habitat cana pendentes rupe Gebennas·
Pictones immunes subigunt sua rura: nec ultra
Instabiles Turonas circumsita castra coercent.
In nebulis, Meduana, tuis marcere perosus
Andus jam placida Ligeris recreatur ab unda.
Inclyta Cæsareis Genabos dissolvitur alis. 440
Tu quoque lætatus converti prœlia Trevir:
Et nunc tonse Ligur, quondam per colla decora
Crinibus effusis toti prælate Comatæ:
Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Hesus, 445
Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.
Vos quoque qui fortes animas belloque peremtas
Laudibus in longum vates dimittitis ævum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi.
Et vos barbaricos ritus, moremque sinistrum 450
Sacrorum Druidæ positis repetistis ab armis.
Solis nosse deos et cœli numina vobis,
Aut solis nescire datum. Nemora alta remotis
Incolitis lucis. Vobis auctoribus umbræ
Non tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi 455
Pallida regna petunt: regit idem spiritus artus
Orbe alio: longæ (canitis si cognita) vitæ
Mors media est. Certe populi, quos despicit
Felices errore suo, quos ille timorum [Arctos,
Maximus, haud urget leti metus. Inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis, et ignavum rediturae parcere vitæ.
Et vos crinigeros bellis arcere Caycos
Oppositi, petitis Romam, Rhenique feroces
Deseritis ripas, et apertum gentibus orbem. 465
Cæsar, ut immensæ collecto robore vires
Audendi majora fidem fecere, per omnem
Spargitur Italiam, vicinaque mœnia complet.
Vana quoque ad veros accessit Fama timores,
Irrupitque animos populi, clademque futuram
Intulit, et velox properantis nuntia belli 471
Innumeras solvit falsa in præconia linguas.

Est qui, tauriferis ubi se Mevania campis
Explicat, audaces ruere in certamina turmas
Afferat, et qua Nar Tiberino illabitur amni 475
Barbaricas sævi discurrere Cæsaris alas:
Ipsum omnes aquilas, collataque signa ferentem,
Agmine non uno, densisque incedere castris.
Nec, qualem meminere, vident: majorque, ferusque
Mentibus occurrit, victoque immanior hoste. 480
Hunc inter Rhenum populos Alpesque jacentes,
Finibus Arctois, patriaque a sede revulsos
Pone sequi, jussamque feris a gentibus Urbem
Romano spectante rapi. Sic quisque pavendo
Dat vires famæ: nulloque auctore malorum, 485
Quæ finxere, timent. Nec solum vulgus inani
Percussum terrore pavet: sed curia, et ipsi
Sedibus exiliere patres, invisaque belli
Consulibus fugiens mandat decreta senatus.
Tum quæ tuta petant, et quæ metuenda relinquant, 490
Incerti, quo quemque fugæ tulit impetus, urgent
Præcipitem populum, serteque hærentia longa
Agmina prorumpunt. Credas aut tecta nefandas
Corripuisse faces, aut jam quatiente ruina
Nutantes pendere domos. Sic turba per urbem
Præcipiti lymphata gradu, velut unica rebus 496
Spes foret afflictis patrios excedere muros.
Inconsulta ruit. Qualis cum turbidus Auster
Repulit a Libycis immensum Syrtibus æquor,
Fractaque veliferi sonuerunt pondera mali, 500
Desilit in fluctus deserta puppe magister
Navitaque, et nondum sparsa compage carinæ
Naufragium sibi quisque facit: sic urbe relicta
In bellum fugitur. Nullum jam languidus ævo
Evaluit revocare parens, conjuxve maritum 505
Fletibus, aut patrii, dubiæ dum vota salutis
Conciperent, tenuere Lares: nec limine quisquam
Hæsit, et extremo tunc forsitan urbis amatæ
Plenus abit visu: ruit irrevocabile vulgus.
O faciles dare summa deos, eademque tueri 510
Difficiles! urbem populis victisque frequentem
Gentibus, et generis, coeat si turba, capacem
Humani, facilem venturo Cæsare prædam
Ignavæ liquere manus. Cum pressus ab hoste
Clauditur externis miles Romanus in oris, 515
Effugit exiguo nocturna pericula vallo,
Et subitus rapti munimine cespitis agger
Præbet securos intra tentoria somnos.
Tu tantum audito bellorum murmure, Roma,
Desereris; nox una tuis non credita muris. 520
Danda tamen venia est tantorum, danda, pavorum:
Pompeio fugiente timent. Tum ne qua futuri
Spes saltem trepidas mentes levet, addita fati
Pejoris manifesta fides, superique minaces
Prodigiis terras implerunt, æthera, pontum. 525
Ignota obscuræ viderunt sidera noctes,
Ardentemque polum flammis, cœloque volantes
Obliquas per inane faces, crinemque timendi
Sideris, et terris mutantem regna cometen.
Fulgura fallaci micuerunt crebra sereno: 530
Et varias ignis denso dedit aere formas.
Nunc jaculum longo, nunc sparso lumine lampas
Emicuit cœlo: tacitum sine nubibus ullis
Fulmen, et Arctois rapiens de partibus ignem,
Percussit Latiale caput: stellæque minores 535
Per vacuum solitæ noctis decurrere tempus
In medium venere diem: cornuque coacto
Jam Phœbe toto fratrem cum redderet orbe,
Terrarum subito percussa expalluit umbra.
Ipse caput medio Titan cum ferret Olympo, 540
Condidit ardentes atra caligine currus,
Involvitque orbem tenebris, gentesque coegit
Desperare diem: qualem fugiente per ortus
Sole Thyesteæ noctem duxere Mycenæ.
Ora ferox Siculæ laxavit Mulciber Ætnæ; 545
Nec tulit in cœlum flammas, sed vertice prono
Ignis in Hesperium cecidit latus. Atra Charybdis
Sanguineum fundo torsit mare. Flebile sævi
Latravere canes. Vestali raptus ab ara
Ignis, et ostendens confectas flamma Latinas 550
Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit,
Thebanos imitata rogos. Tum cardine tellus
Subsedit, veteremque jugis nutantibus Alpes
Discussere nivem. Tethys majoribus undis
Hesperiam Calpen, summumque implevit Atlanta. 555
Indigetes flevisse deos, Urbisque laborem
Testatos sudore Lares, delapsaque templis
Dona suis, dirasque diem fœdasse volucres
Accipimus, sylvisque feras sub nocte relictis
Audaces media posuisse cubilia Roma. 560
Tum pecudum facies humana ad murmura linguæ,
Monstrosique hominum partus, numeroque modoque
Membrorum, matremque suus conterruit infans.
Diraque per populum Cumanæ carmina vatis
Vulgantur. Tum, quos sectis Bellona lacertis 565
Sæva movet, cecinere deos: crinemque rotantes
Sanguinei populis ulularunt tristia Galli.
Compositis plenæ gemuerunt ossibus urnæ.
Tum fragor armorum, magnæque per avia voces
Auditæ nemorum, et venientes cominus umbræ. 570
Quique colunt junctos extremis mœnibus agros,
Diffugiunt: ingens Urbem cingebat Erinnys,
Excutiens pronam flagranti vertice pinum,
Stridentesque comas: Thebanam qualis Agaven
Impulit, aut sævi contorsit tela Lycurgi 575
Eumenis: aut qualem jussu Junonis iniquæ
Horruit Alcides, viso jam Dite, Megæram.
Insonuere tubæ, et quanto clamore cohortes
Miscentur, tantum nox atra silentibus auris
Edidit: et medio visi consurgere Campo 580
Tristia Syllani cecinere oracula manes:
Tollentemque caput gelidas Anienis ad undas
Agricolæ fracto Marium fugere sepulcro.
Hæc propter placuit Tuscos de more vetusto
Acciri vates; quorum qui maximus ævo 585
Aruns incoluit desertæ mœnia Lunæ,
Fulminis edoctus motus, venasque calentes
Fibrarum, et monitus volitantis in aere pennæ;
Monstra jubet primum, quæ nullo semine discors
Protulerat natura, rapi, sterilique nefandos 590
Ex utero fetus infaustis urere flammis.
Mox jubet et totam pavidis a civibus Urbem
Ambiri, et festo purgantes mœnia lustro
Longa per extremos pomœria cingere fines
Pontifices, sacri quibus est permissa potestas. 595
Turba minor ritu sequitur succincta Gabino,
Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos,
Trojanam soli cui fas vidisse Minervam.
Tum qui fata deûm, secretaque carmina servant,
Et lotam parvo revocant Almone Cybeben: 600
Et doctus volucres augur servare sinistras:
Septemvirque epulis festis, Titiique sodales:
Et Salius læto portans ancilia collo:
Et tollens apicem generoso vertice Flamen. 604
Dumque illi effusam longis anfractibus urbem
Circumeunt, Aruns dispersos fulminis ignes
Colligit, et terræ mœsto cum murmure condit.

Datque locis nomen: sacris tunc admovet aris
Electa cervice marem. Jam fundere Bacchum
Cœperat, obliquoque molas inducere cultro: 610
Impatiensque diu non grati victima sacri,
Cornua succincti premerent cum torva ministri,
Deposito victum præbebat poplite collum.
Nec cruor emicuit solitus, sed vulnere largo
Diffusum rutilo nigrum pro sanguine virus. 615
Palluit attonitus sacris feralibus Aruns:
Atque iram superûm raptis quæsivit in extis.
Terruit ipse color vatem. nam pallida tetris
Viscera tincta notis, gelidoque infecta cruore
Plurimus adsperso variabat sanguine livor. 620
Cernit tabe jecur madidum: venasque minaces
Hostili de parte videt. Pulmonis anheli
Fibra latet, parvusque secat vitalia limes.
Cor jacet: et saniem per hiantes viscera rimas
Emittunt: produntque suas omenta latebras. 625
Quodque (nefas) nullis impune apparuit extis,
Ecce videt capiti fibrarum increscere molem
Alterius capitis: pars ægra et marcida pendet,
Pars micat, et celeri venas movet improba pulsu.
His ubi concepit magnorum fata malorum, 630
Exclamat: Vix fas, superi, quæcunque monetis
Prodere me populis: neque enim tibi, summe, litavi,
Jupiter, hoc sacrum: cæsique in viscera tauri
Inferni venere dei. Non fanda timemus: 634
Sed venient majora metu. Di visa secundent,
Et fibris sit nulla fides; sed conditor artis
Finxerit ista Tages. Flexu sic omina Tuscus
Involvens, multaque tegens ambage canebat.
At Figulus, cui cura deos secretaque cœli
Nosse fuit, quem non stellarum Ægyptia Memphis 640
Æquaret visu, numerisque moventibus astra,
Aut hic errat, ait, nulla cum lege per ævum
Mundus, et incerto discurrunt sidera motu:
Aut, si fata movent, orbi, generique paratur
Humano matura lues. Terræne dehiscent, 645
Subsidentque urbes? an tollet fervidus aer
Temperiem? segetes tellus infida negabit?
Omnis an infusis miscebitur unda venenis?
Quod cladis genus, o Superi, qua peste paratis
Sævitiam? extremi multorum tempus in unum
Convenere dies. Summo si frigida cœlo 651
Stella nocens nigros Saturni accenderet ignes:
Deucalioneos fudisset Aquarius imbres,
Totaque diffuso latuisset in æquore tellus.
Si sævum radiis Nemeæum, Phœbe, leonem 655
Nunc premeres, toto fluerent incendia mundo,
Succensusque suis flagrasset curribus æther.
Hi cessant ignes. Tu qui flagrante minacem
Scorpion incendis cauda, chelasque peruris,
Quid tantum, Gradive, paras? nam mitis in alto
Jupiter occasu premitur, Venerisque salubre 661
Sidus hebet, motuque celer Cyllenius hæret,
Et cœlum Mars solus habet. Cur signa meatus
Deseruere suos, mundoque obscura feruntur:
Ensiferi nimium fulget latus Orionis? 665
Imminet armorum rabies: ferrique potestas
Confundet jus omne manu: scelerique nefando
Nomen erit virtus: multosque exibit in annos
Hic furor. Et superos quid prodest poscere finem?
Cum domino pax ista venit. Duc, Roma, malorum 670
Continuam seriem, clademque in tempora multa
Extrahe, civili tantum jam libera bello.
Terruerant satis hæc pavidam præsagia plebem:
Sed majora premunt. Nam qualis vertice Pindi
Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo, 675
Talis et attonitam rapitur matrona per urbem,
Vocibus his prodens urgentem pectora Phœbum.
Quo feror, o Pæan? qua me super æthera raptam
Constituis terra? video Pangæa nivosis
Cana jugis, latosque Hæmi sub rupe Philippos.
Quis furor hic, o Phœbe, doce: quæ tela, manusque 681
Romanæ miscent acies, bellumque sine hoste est.
Quo diversa feror? primos me ducis in ortus,
Qua mare Lagei mutatur gurgite Nili.
Hunc ego, fluminea deformis truncus arena 685
Qui jacet, agnosco: dubiam super æquora Syrtim,
Arentemque feror Libyen, quo tristis Erinnys
Transtulit Emathias acies. Nunc desuper Alpis
Nubiferæ colles, atque aeriam Pyrenen
Abripimur. Patriæ sedes remeamus in urbis: 690
Impiaque in medio peraguntur bella senatu.
Consurgunt partes iterum, totumque per orbem
Rursus eo. Nova da mihi cernere littora ponti,
Telluremque novam: vidi jam, Phœbe, Philippos.
Hæc ait: et lasso jacuit defecta furore. 695

LIBER SECUNDUS.

Jamque iræ patuere deûm, manifestaque belli
Signa dedit mundus: legesque et fœdera rerum
Præscia monstrifero vertit Natura tumultu,
Indixitque nefas. Cur hanc tibi, rector Olympi,
Sollicitis visum mortalibus addere curam, 5
Noscant venturas ut dira per omina clades?
Sive parens rerum, cum primum informia regna
Materiamque rudem flamma cedente recepit,
Fixit in æternum causas, qua cuncta coercet 9
Se quoque lege tenens, et secula jussa ferentem
Fatorum immoto divisit limite mundum:
Sive nihil positum est, sed fors incerta vagatur,
Fertque refertque vices, et habent mortalia casum.
Sit subitum quodcunque paras: sit cæca futuri
Mens hominum fati: liceat sperare timenti. 15
Ergo ubi concipiunt quantis sit cladibus Urbi,
Constatura fides superûm, ferale per urbem
Justitium: latuit plebeio tectus amictu
Omnis honos: nullos comitata est purpura fasces.
Tum questus tenuere suos, magnusque per omnes 20
Erravit sine voce dolor. Sic funere primo
Attonitæ tacuere domus, cum corpora nondum
Conclamata jacent, nec mater crine soluto
Exigit ad sævos famulorum brachia planctus:
Sed cum membra premit fugiente rigentia vita, 25
Vultusque exanimes, oculosque in morte jacentes,

Necdum est ille dolor, sed jam metus; incubat amens,
Miraturque malum. Cultus matrona priores
Deposuit, mœstæque tenent delubra catervæ.
Hæ lacrymis sparsere deos, hæ pectora duro 30
Afflixere solo, lacerasque in limine sacro
Attonitæ fudere comas: votisque vocari
Assuetas crebris feriunt ululatibus aures.
Nec cunctæ summi templo jacuere Tonantis:
Divisere deos: et nullis defuit aris 35
Invidiam factura parens: quarum una madentes
Scissa genas, planctu liventes atra lacertos,
Nunc, ait, o miseræ contundite pectora matres,
Nunc laniate comas, neve hunc differte dolorem,
Et summis servate malis: nunc flere potestas, 40
Dum pendet fortuna ducum: cum vicerit alter,
Gaudendum est. His se stimulis dolor ipse lacessit.
Nec non bella viri diversaque castra petentes,
Effundunt justas in numina sæva querelas.
O miseræ sortis, quod non in Punica nati 45
Tempora Cannarum fuimus, Trebiæque, juventus.
Non pacem petimus, superi: date gentibus iras:
Nunc urbes excite feras: conjuret in arma
Mundus: Achæmeniis decurrant Medica Susis
Agmina: Massagetas Scythicus non alliget Ister:
Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos 51
Albis, et indomitum Rheni caput: omnibus hostes
Reddite nos populis: civile avertite bellum:
Hinc Dacus premat, inde Getes: occurrat Iberis
Alter: ad Eoas hic vertat signa pharetras. [men
Nulla vacet tibi, Roma, manus. Vel perdere no-
Si placet Hesperium, superi, collapsus in ignes
Plurimus ad terram per fulmina decidat æther.
Sæve parens, utrasque simul partesque ducesque,
Dum nondum meruere, feri. Tantone novorum 60
Proventu scelerum quærunt, uter imperet Urbi?
Vix tanti fuerat civilia bella moveri,
Ut neuter. Tales pietas peritura querelas
Egerit: at miseros angit sua cura parentes,
Oderuntque gravis vivacia fata senectæ, 65
Servatosque iterum bellis civilibus annos.
Atque aliquis magno quærens exempla timori,
Non alios, inquit, motus tunc fata parabant,
Cum post Teutonicos victor Libycosque triumphos
Exul limosa Marius caput abdidit ulva. 70
Stagna avidi texere soli, laxæque paludes
Depositum, Fortuna, tuum: mox vincula ferri
Exedere senem, longusque in carcere pallor.
Consul, et eversa felix moriturus in urbe
Pœnas ante dabat scelerum. Mors ipsa refugit
Sæpe virum, frustraque hosti est concessa potestas
Sanguinis invisi, primo qui cædis in ictu
Diriguit, ferrumque manu torpente remisit;
Viderat immensam tenebroso in carcere lucem,
Terribilesque deos scelerum, Mariumque futurum: 80
Audieratque pavens: Non hæc contingere fas est
Colla tibi: debet multas hic legibus ævi
Ante suam mortes: vanum depone furorem.
Si libet ulcisci deletæ funera gentis,
Hunc, Cimbri, servate senem. Non ille favore85
Numinis, ingenti superûm protectus ab ira:
Vir ferus, et Romam cupienti perdere fato
Sufficiens. Idem pelago delatus iniquo
Hostilem in terram, vacuisque mapalibus actus,
Nuda triumphati jacuit per regna Jugurthæ, 90
Et Pœnos pressit cineres. Solatia fati
Carthago, Mariusque tulit: pariterque jacentes
Ignovere deis. Libycas ibi colligit iras.
Ut primum fortuna redit, servilia solvit
Agmina: conflato sævas ergastula ferro 95
Exseruere manus. Nulli gestanda dabantur
Signa ducis, nisi qui scelerum jam fecerat usum,
Attuleratque in castra nefas. Pro fata! quis ille,
Quis fuit ille dies, Marius quo mœnia victor
Corripuit? quantoque gradu mors sæva cucurrit? 100
Nobilitas cum plebe perit, lateque vagatur
Ensis, et a nullo revocatum est pectore ferrum.
Stat cruor in templis, multaque rubentia cæde
Lubrica saxa madent. Nulli sua profuit ætas.
Non senis extremum piguit vergentibus annis105
Præcipitasse diem, nec primo in limine vitæ
Infantis miseri nascentia rumpere fata.
Crimine quo parvi cædem potuere mereri?
Sed satis est jam posse mori. Trahit ipse furoris
Impetus: et visum est lenti quæsisse nocentem.
In numerum pars magna perit: rapuitque cruentus 111
Victor ab ignota vultus cervice recisos,
Dum vacua pudet ire manu. Spes una salutis
Oscula pollutæ fixisse trementia dextræ.
Mille licet gladii mortis nova signa sequantur, 115
Degener o populus, vix secula longa decorum
Sic meruisse viris, nedum breve dedecus ævi,
Et vitam, dum Sylla redit. Cui funera vulgi
Flere vacet? vix te sparsum per viscera, Bæbi,
Innumeras inter carpentis membra coronæ 120
Discessisse manus: aut te, præsage malorum
Antoni, cujus laceris pendentia canis
Ora ferens miles festæ rorantia mensæ
Imposuit. Truncos laceravit Fimbria Crassos.
Sæva Tribunitio maduerunt robora tabo. 125
Te quoque neglectum violatæ, Scævola, dextræ
Ante ipsum penetrale deæ, semperque calentes
Mactavere focos: parvum sed fessa senectus
Sanguinis effudit jugulo, flammisque pepercit
Septimus hæc sequitur repetitis fascibus annus:
Ille fuit vitæ Mario modus, omnia passo, 131
Quæ pejor fortuna potest, atque omnibus uso,
Quæ melior: mensoque, homini quid fata pararent.
Jam quot apud Sacri cecidere cadavera portum
Aut Collina tulit stratas quot porta catervas, 135
Tunc cum pæne caput mundi, rerumque potestas
Mutavit tralata locum, Romanaque Samnis
Ultra Caudinas speravit vulnera Furcas?
Sylla quoque immensis accessit cladibus ultor.
Ille quod exiguum restabat sanguinis Urbi 140
Hausit; dumque nimis jam putrida membra recidit,
Excessit medicina modum, nimiumque secuta est,
Qua morbi duxere, manus. Periere nocentes;
Sed cum jam soli possent superesse nocentes.
Tunc data libertas odiis, resolutaque legum 145
Frenis ira ruit, non uni cuncta dabantur,
Sed fecit sibi quisque nefas. Semel omnia victor
Jusserat. Infandum domini per viscera ferrum
Exegit famulus: nati maduere paterno 149
Sanguine. Certatum est, cui cervix cæsa parentis
Cederet: in fratrum ceciderunt præmia fratres.
Busta repleta fuga, permixtaque viva sepultis
Corpora: nec populum latebræ cepere ferarum.
Hic laqueo fauces elisaque guttura fregit:
Hic se præcipiti jaculatus pondere dura 155
Dissiluit percussus humo: mortesque cruento

Victori rapuere suas: hic robora busti
Exstruit ipse sui, necdum omni sanguine fuso
Desilit in flammas, et, dum licet, occupat ignes.
Colla ducum pilo trepidam gestata per urbem,
Et medio congesta foro: cognoscitur illic 161
Quicquid ubique latet scelerum. Non Thracia tantum
Vidit Bistonii stabulis pendere tyranni,
Postibus Antæi Libye: nec Græcia mœrens
Tot laceros artus Pisæa flevit in aula. 165
Cum jam tabe fluunt, confusaque tempore multo
Amisere notas, miserorum dextra parentum
Colligit, et pavido subducit cognita furto.
Meque ipsum memini cæsi deformia fratris
Ora rogo cupidum, vetitisque imponere flammis,
Omnia Syllanæ lustrasse cadavera pacis: 171
Perque omnes truncos, cum qua cervice recisum
Conveniat, quæsisse, caput. Quid sanguine manes
Placatos Catuli referam? cui victima tristes
Inferias Marius, forsan nolentibus umbris, 175
Pendit, inexpleto non fanda piacula busto:
Cum laceros artus, æquataque vulnera membris
Vidimus, et toto quamvis in corpore cæso
Nil animæ letale datum, moremque nefandæ
Dirum sævitiæ, pereuntis parcere morti. 180
Avulsæ cecidere manus, exsectaque lingua
Palpitat, et muto vacuum ferit æra motu.
Hic aures, alius spiramina naris aduncæ
Amputat: ille cavis evolvit sedibus orbes,
Ultimaque effodit spectatis lumina membris. 185
Vix erit ulla fides, tam sævi criminis unum
Tot pœnas cepisse caput. Sic mole ruinæ
Fracta sub ingenti miscentur pondere membra:
Nec magis informes veniunt ad littora trunci,
Qui medio periere freto. Quid perdere fructum
Juvit, et, ut vilem, Marii confundere vultum? 191
Ut scelus hoc Syllæ, cædesque ostensa placeret,
Agnoscendus erat. Vidit Fortuna colonos
Prænestina suos cunctos simul ense recisos,
Unius populum pereuntem tempore mortis. 195
Tunc flos Hesperiæ, Latii jam sola juventus,
Concidit, et miseræ maculavit ovilia Romæ.
Tot simul infesto juvenes occumbere leto,
Sæpe fames, pelagique furor, subitæque ruinæ,
Aut cœli, terræque lues, aut bellica clades, 200
Nunquam pœna fuit. Densi vix agmina vulgi
Inter, et exsangues immissa morte catervas
Victores movere manus. Vix cæde peracta
Procumbunt, dubiaque labant cervice: sed illos
Magna premit strages: peraguntque cadavera partem 205
Cædis: viva graves elidunt corpora trunci.
Intrepidus tanti sedit securus ab alto
Spectator sceleris: miseri tot millia vulgi
Non piguit jussisse mori. Congesta recepit
Omnia Tyrrhenus Syllana cadavera gurges. 210
In fluvium primi cecidere, in corpora summi.
Præcipites hæsere rates, et strage cruenta
Interruptus aquis fluxit prior amnis in æquor,
Ad molem stetit unda sequens: nam sanguinis alti
Vis sibi fecit iter, campumque effusa per omnem,
Præcipitique ruens Tiberina ad flumina rivo
Hærentes adjuvit aquas: nec jam alveus amnem,
Nec retinent ripæ, redeuntque cadavera campo.
Tandem Tyrrhenas vix eluctatus in undas
Sanguine cæruleum torrenti dividit æquor. 220
Hisne Salus rerum, Felix his Sylla vocari,
His meruit tumulum medio sibi tollere Campo?
Hæc rursus patienda manent: hoc ordine belli
Ibitur: hic stabit civilibus exitus armis.
Quanquam agitant graviora metus, multoque coitur 225
Humani generis majore in prœlia damno.
Exulibus Mariis bellorum maxima merces
Roma recepta fuit: nec plus victoria Syllæ
Præstitit, invisas penitus quam tollere partes.
Hos alio, Fortuna, vocas: olimque potentes 230
Concurrunt. Neuter civilia bella moveret,
Contentus, quo Sylla fuit. Sic mœsta senectus
Præteritique memor flebat, metuensque futuri.
At non magnanimi percussit pectora Bruti
Terror, et in tanta pavidi formidine motus 235
Pars populi lugentis erat: sed nocte sopora,
Parrhasis obliquos Helice cum verteret axes,
Atria cognati pulsat non ampla Catonis.
Invenit insomni volventem publica cura [tem,
Fata virum, casusque Urbis, cunctisque timen-
Securumque sui; farique his vocibus orsus:
Omnibus expulsæ terris, olimque fugatæ
Virtutis jam sola fides, quam turbine nullo
Excutiet Fortuna tibi; tu mente labantem
Dirige me, dubium certo tu robore firma. 245
Namque alii Magnum, vel Cæsaris arma sequantur,
Dux Bruto Cato solus erit. Pacemne tueris,
Inconcussa tenens dubio vestigia mundo?
An placuit, ducibus scelerum, populique furentis
Cladibus immixtum civile absolvere bellum? 250
Quemque suæ rapiunt scelerata in prœlia causæ:
Hos polluta domus, legesque in pace timendæ;
Hos ferro fugienda fames, mundique ruinæ
Permiscenda fides. Nullum furor egit in arma.
Castra petunt magna victi mercede: tibi uni 255
Per se bella placent? quid tot durasse per annos
Profuit immunem corrupti moribus ævi?
Hoc solum longæ pretium virtutis habebis?
Accipient alios, facient te bella nocentem.
Ne tantum, o superi, liceat feralibus armis, 260
Has etiam movisse manus: nec pila lacertis
Missa tuis cæca telorum in nube ferantur:
Nec tanta incassum virtus eat. Ingeret omnis
Se belli fortuna tibi. Quis nolet ab isto
Ense mori, quamvis alieno vulnere labens, 265
Et scelus esse tuum? melius tranquilla sine armis
Otia solus ages, sicut cœlestia semper
Inconcussa suo volvuntur sidera lapsu.
Fulminibus propior terræ succenditur aer,
Imaque telluris ventos, tractusque coruscos 270
Flammarum accipiunt: nubes excedit Olympus
Lege deûm. Minimas rerum discordia turbat:
Pacem summa tenent. Quam lætæ Cæsaris aures
Accipient tantum venisse in prœlia civem!
Nam prælata suis nunquam diversa dolebit 275
Castra ducis Magni. Nimium placet ipse, Catoni
Si bellum civile placet. Pars magna senatus,
Et duce privato gesturus prœlia consul [nem
Sollicitant, proceresque alii: quibus adde Cato-
Sub juga Pompeii; toto jam liber in orbe 280
Solus Cæsar erit. Quod si pro legibus arma
Ferre juvat patriis, libertatemque tueri: [stem,
Nunc neque Pompeii Brutum, neque Cæsaris ho-
Post bellum victoris habe. Sic fatur. At illi
Arcano sacras reddit Cato pectore voces: 285
Summum, Brute, nefas civilia bella fatemur:
Sed quo fata trahunt, virtus secura sequetur.
Crimen erit superis et me fecisse nocentem.
Sidera quis, mundumque velit spectare cadentem
Expers ipse metus? quis, cum ruat arduus æther, 290

Terra labet, mixto coeuntis pondere mundi,
Complosas tenuisse manus? gentesne furorem
Hesperium ignotæ, Romanaque signa sequentur,
Deductique fretis alio sub sidere reges; 294
Otia solus agam? procul hunc arcete furorem,
O superi, motura Dacas ut clade Getasque
Securo me Roma cadat. Ceu morte parentem
Natorum orbatum, longum producere funus
Ad tumulum jubet ipse dolor: juvat ignibus atris
Inseruisse manus, constructoque aggere busti 300
Ipsum atras tenuisse faces: non ante revellar,
Exanimem quam te complectar, Roma, tuumque
Nomen, Libertas, et inanem prosequar umbram.
Sic eat: immites Romana piacula divi
Plena ferant: nullo fraudemus sanguine bellum.
O utinam cœlique deis, Erebique liberet 306
Hoc caput in cunctas damnatum exponere pœnas!
Devotum hostiles Decium pressere catervæ:
Me geminæ figant acies, me barbara telis
Rheni turba petat: cunctis ego pervius hastis 310
Excipiam medius totius vulnera belli.
Hic redimat sanguis populos · hac cæde luatur,
Quicquid Romani meruerunt pendere mores.
Ad juga cur faciles populi, cur sæva volentes
Regna pati pereunt? me solum invadite ferro,
Me frustra leges et inania jura tuentem: 316
Hic dabit, hic pacem jugulus, finemque laborum
Gentibus Hesperiis: post me regnare volenti
Non opus est bello. Quin publica signa, ducemque
Pompeium sequimur? nec, si fortuna favebit, 320
Hunc quoque totius sibi jus promittere mundi
Non bene compertum est: ideo me milite vincat,
Ne sibi se vicisse putet. Sic fatur: et acres
Irarum movit stimulos, juvenisque calorem
Excitat in nimios belli civilis amores. 325
Interea, Phœbo gelidas pellente tenebras,
Pulsatæ sonuere fores; quas sancta relicto
Hortensi mœrens irrupit Marcia busto.
Quondam virgo toris melioris juncta mariti:
Mox ubi connubii pretium, mercesque soluta est
Tertia jam soboles, alios fœcunda penates 331
Impletura datur, geminas e sanguine matris
Permistura domos. Sed postquam condidit urna
Supremos cineres, miserando concita vultu,
Effusas laniata comas, concussaque pectus 335
Verberibus crebris, cineresque ingesta sepulcri,
Non aliter placitura viro, sic mœsta profatur:
Dum sanguis inerat, dum vis materna, peregi
Jussa, Cato, et geminos excepi feta maritos.
Visceribus lassis, partuque exhausta, revertor
Jam nulli tradenda viro. Da fœdera prisci 341
Illibata tori: da tantum nomen inane
Connubii: liceat tumulo scripsisse, Catonis
Marcia: nec dubium longo quæratur in ævo,
Mutarim primas expulsa, an tradita, tædas. 345
Non me lætorum sociam, rebusque secundis
Accipis: in curas venio, partemque laborum.
Da mihi castra sequi: curtuta in pace relinquar,
Et sit civili propior Cornelia bello?
Hæ flexere virum voces, et tempora quanquam
Sunt aliena toris, jam fato in bella vocante:
Fœdera sola tamen, vanaque carentia pompa
Jura placent, sacrisque deos admittere testes.
Festa coronato non pendent limine serta, 354
Infulaque in geminos discurrit candida postes,
Legitimæque faces, gradibusque acclivis eburnis
Stat torus, et picto vestes discriminat auro:
Turritaque premens frontem matrona corona,
Tralata vetuit contingere limina planta.
Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem 360
Lutea demissos velarunt flammea vultus:
Balteus haud fluxos gemmis adstrinxit amictus,
Colla monile decens; humerisque hærentia primis
Suppara nudatos cingunt angusta lacertos.
Sicut erat, mœsti servans lugubria cultus, 365
Quoque modo natos, hoc est amplexa maritum.
Obsita funerea celatur purpura lana.
Non soliti lusere sales, nec more Sabino
Excepit tristis convicia festa maritus.
Pignora nulla domus, nulli coiere propinqui. 370
Junguntur taciti, contentique auspice Bruto.
Ille nec horrificam sancto dimovit ab ore
Cæsariem, duroque admisit gaudia vultu:
(Ut primum tolli feralia viderat arma,
Intonsos rigidam in frontem descendere canos
Passus erat, mœstamque genis increscere barbam. 376
Uni quippe vacat studiisque odiisque carenti,
Humanum lugere genus) nec fœdera prisci
Sunt tentata tori: justo quoque robur amori
Restitit. Hi mores, hæc duri immota Catonis
Secta fuit, servare modum, finemque tenere, 381
Naturamque sequi, patriæque impendere vitam;
Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.
Huic epulæ, vicisse famem: magnique penates,
Submovisse hyemem tecto: pretiosaque vestis, 385
Hirtam membra super Romani more Quiritis
Induxisse togam: Venerisque huic maximus usus,
Progenies: Urbi pater est, Urbique maritus
Justitiæ cultor, rigidi servator honesti:
In commune bonus: nullosque Catonis in actus
Subrepsit, partemque tulit sibi nata voluptas, 391
Interea trepido discedens agmine Magnus
Mœnia Dardanii tenuit Campana coloni.
Hæc placuit belli sedes, hinc summa moventis
Hostis in occursum sparsas extendere partes, 395
Umbrosis mediam qua collibus Apenninus
Erigit Italiam, nullo qua vertice tellus
Altius intumuit, propiusque accessit Olympo.
Mons inter geminas medius se porrigit undas
Inferni superique maris: collesque coercent 400
Hinc Tyrrhena vado frangentes æquora Pisæ,
Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.
Fontibus hic vastis immensos concipit amnes,
Fluminaque in gemini spargit divortia ponti.
In lævum cecidere latus veloxque Metaurus, 405
Crustumiumque rapax, et junctus Isapis Isauro,
Semnaque, et Adriacas qui verberat Aufidus undas:
Quoque magis nullum tellus se solvit in amnem
Eridanus, fractasque evolvit in æquora sylvas,
Hesperiamque exhaurit aquis. Hunc fabula primum 410
Populea fluvium ripas umbrasse corona:
Cumque diem pronum transverso limite ducens
Succendit Phaethon flagrantibus æthera loris,
Gurgitibus raptis penitus tellure perusta,
Hunc habuisse pares Phœbeis ignibus undas. 415
Non minor hic Nilo, si non per plana jacentis
Ægypti Libycas Nilus stagnaret arenas: [bem
Non minor hic Istro, nisi quod, dum permeat or-
Ister, casuros in quælibet æquora fontes
Accipit, et Scythicas exit non solus in undas. 420
Dexteriora petens montis declivia Tibrim
Unda facit, Rutubamque cavum. Delabitur inde
Vulturnusque celer, nocturnæque editor auræ
Sarnus, et umbrosæ Liris per regna Maricæ

Vestinis impulsus aquis, radensque Salemi 425
Culta Siler, nullasque vado qui Macra moratus
Alnos vicinæ procurrit in æquora Lunæ.
Longior educto qua surgit in aera dorso,
Gallica rura videt, devexasque excipit Alpes.
Tunc Umbris Marsisque ferax, domitusque Sabello 430
Vomere, piniferis amplexus rupibus omnes
Indigenas Latii populos, non deserit ante
Hesperiam, quam cum Scyllæis clauditur undis,
Extenditque suas in templa Lacinia rupes,
Longior Italia, donec confinia pontus 435
Solveret incumbens, terrasque repelleret æquor.
At postquam gemino tellus elisa profundo est,
Extremi colles Siculo cessere Peloro.
Cæsar, in arma furens, nullas, nisi sanguine fuso,
Gaudet habere vias, quod non terat hoste vacantes 440
Hesperiæ fines, vacuosque irrumpat in agros,
Atque ipsum non perdat iter, consertaque bellis
Bella gerat. Non tam portas intrare patentes
Quam fregisse juvat: nec tam patiente colono
Arva premi, quam si ferro populetur et igni. 445
Concessa pudet ire via, civemque videri.
Tunc urbes Latii dubiæ, varioque favore
Ancipites, quanquam primo terrore ruentis
Cessuræ belli, denso tamen aggere firmant
Mœnia, et abrupto circumdant undique vallo: 450
Saxorumque orbes, et quæ super eminus hostem
Tela petant, altis murorum turribus aptant.
Pronior in Magnum populus, pugnatque minaci
Cum terrore fides: ut cum mare possidet Auster
Flatibus horrisonis, hunc æquora tota sequuntur:
Si rursus tellus pulsu laxata tridentis 456
Æolii tumidis immittat fluctibus Eurum,
Quamvis icta novo, ventum tenuere priorem
Æquora, nubiferoque polus cum cesserit Euro,
Vindicat unda Notum. Facilis sed vertere mentes 460
Terror erat, dubiamque fidem fortuna ferebat.
Gens Hetrusca fuga trepidi nutata Libonis,
Jusque sui pulso jam perdidit Umbria Thermo,
Nec gerit auspiciis civilia bella paternis
Cæsaris audito conversus nomine Sylla. 465
Varus, ut admotæ pulsarunt Auximon alæ,
Per diversa ruens neglecto mœnia tergo,
Qua sylvæ, qua saxa, fugit. Depellitur arce
Lentulus Esculei. Victor cedentibus instat,
Divertitque acies: solusque ex agmine tanto 470
Dux fugit, et nullas ducentia signa cohortes.
Tu quoque nudatam commissæ deseris arcem
Scipio Luceriæ: quanquam fortissima pubes
His sedeat castris, jampridem Cæsaris armis 474
Parthorum subducta metu: quæ Gallica damna
Supplevit Magnus, dumque ipse ad bella vocaret,
Donavit socero Romani sanguinis usum.
At te Corfini validis circumdata muris
Tecta tenent, pugnax Domiti: tua classica servat
Oppositus quondam polluto tiro Miloni. 480
Ut procul immensam campo consurgere nubem,
Ardentesque acies percussis sole corusco
Conspexit telis, Socii decurrite, dixit,
Fluminis ad ripas, undæque immergite pontem:
Et tu montanis totus nunc fontibus exi 485
Atque omnes trahe gurges aquas, ut spumeus alnos
Discussa compage feras. Hoc limite bellum
Hæreat, hac hostis lentus terat otia ripa.
Præcipitem cohibete ducem: victoria nobis 489
Hic primum stans Cæsar erit. Nec plura locutus
Devolvit rapidum nequicquam mœnibus agmen.
Nam prior e campis, ut conspicit amne soluto
Rumpi Cæsar iter, calida prolatus ab ira,
Non satis est muris latebras quæsisse pavori?
Obstruitis campos, fluviis arcere paratis, 495
Ignavi? non si tumido me gurgite Ganges
Submoveat, stabit jam flumine Cæsar in ullo,
Post Rubiconis aquas. Equitum properate catervæ:
Ite simul pedites: ruiturum adscendite pontem.
Hæc ubi dicta, levis totas accepit habenas 500
In campum sonipes: crebroque simillima nimbo
Trans ripam validi torserunt tela lacerti.
Ingreditur pulsa fluvium statione vacantem
Cæsar, et ad tutas hostis compellitur arces.
Et jam moturas ingentia pondera turres 505
Erigit, et mediis subrepsit vinea muris.
Ecce, nefas belli, reseratis agmina portis
Captivum traxere ducem, civisque superbi
Constitit ante pedes. Vultu tamen alta minaci
Nobilitas recta ferrum cervice poposcit. 510
Scit Cæsar pœnamque peti, veniamque timeri.
Vive, licet nolis, et nostro munere, dixit,
Cerne diem. Victis jam spes bona partibus esto,
Exemplumque mei: vel, si libet, arma retenta;
Et nihil hac venia, si viceris ipse, paciscor. 515
Fatur: et adstrictis laxari vincula palmis
Imperat. Heu quanto melius vel cæde peracta
Parcere Romano potuit fortuna pudori!
Pœnarum extremum civi, quod castra secutus
Sit patriæ, Magnumque ducem, totumque senatum, 520
Ignosci. Premit ille graves interritus iras:
Et secum: Romamne petes, pacisque recessus
Degener? in medios belli non ire furores
Jamdudum moriture paras? rue certus, et omnes
Lucis rumpe moras, et Cæsaris effuge munus. 525
Nescius interea capti ducis arma parabat
Magnus, ut admixto firmaret robore partes.
Jamque secuturo jussurus classica Phœbo,
Tentandasque ratus moturi militis iras,
Alloquitur tacitas veneranda voce cohortes: 530
O scelerum ultores, melioraque signa secuti,
O vere Romana manus, quibus arma senatus
Non privata dedit, votis deposcite pugnam.
Ardent Hesperii sævis populatibus agri:
Gallica per gelidas rabies effunditur Alpes: 535
Jam tetigit sanguis pollutos Cæsaris enses.
Di melius, belli tulimus quod damna priores:
Cœperit inde nefas. Jam jam me præside Roma
Supplicium, pœnamque petat. Neque enim ista vocari
Prœlia justa decet, patriæ sed vindicis iram. 540
Nec magis hoc bellum est, quam cum Catilina paravit
Arsuras in tecta faces, sociusque furoris
Lentulus, exsertique manus vesana Cethegi.
O rabies miseranda ducis! cum fata Camillis
Te, Cæsar, magnisque velint miscere Metellis, 545
Ad Cinnas Mariosque venis. Sternere profecto,
Ut Catulo jacuit Lepidus, nostrasque secures
Passus Sicanio tegitur qui Carbo sepulcro,
Quique feros movit Sertorius exul Iberos.
Quanquam, si qua fides, his te quoque jungere, Cæsar, 550
Invideo, nostrasque manus quod Roma furenti
Opposuit. Parthorum utinam post prœlia sospes
Et Scythicis Crassus victor remeasset ab oris.
Ut simili causa caderes, qua Spartacus, hostis.
Te quoque si superi titulis accedere nostris 555

Jusserunt, valet in torquendo dextera pilo:
Fervidus hæc iterum circa præcordia sanguis
Incaluit: disces non esse ad bella fugaces,
Qui pacem potuere pati. Licet ille solutum
Defectumque vocet, ne vos mea terreat ætas. 560
Dux sit in his castris senior, dum miles in illis.
Quo potuit civem populus perducere liber,
Adscendi, supraque nihil nisi regna reliqui.
Non privata cupit, Romana quisquis in urbe
Pompeium transire parat. Hinc consul uterque,
Hinc acies statura ducum. Cæsarne senatus 566
Victor erit? non tam cæco trahis omnia cursu,
Teque nihil, Fortuna, pudet. Multisne rebellis
Gallia jam lustris, ætasque impensa labori
Dant animos? Rheni gelidis quod fugit ab undis,
Oceanumque vocans incerti stagna profundi 571
Territa quæsitis ostendit terga Britannis?
An vanæ tumuere minæ, quod fama furoris
Expulit armatam patriis e sedibus urbem? [tur:
Heu demens, non te fugiunt, me cuncta sequun-
Qui cum signa tuli toto fulgentia ponto, 576
Ante bis exactum quam Cynthia conderet orbem,
Omne fretum metuens pelagi pirata reliquit,
Angustaque domum terrarum in sede poposcit.
Idem per Scythici profugum divortia Ponti 580
Indomitum regem, Romanaque fata morantem,
Ad mortem, Sylla felicior, ire cœgi.
Pars mundi mihi nulla vacat: sed tota tenetur
Terra meis, quocunque jacet sub sole, tropæis.
Hinc me victorem gelidas ad Phasidos undas 585
Arctos habet: calida medius mihi cognitus axis
Ægypto, atque umbras nusquam flectente Syene.
Occasus mea jura timet, Tethynque fugacem
Qui ferit Hesperius post omnia flumina Bætis.
Me domitus cognovit Arabs, me Marte feroces 590
Heniochi, notique erepto vellere Colchi.
Cappadoces mea signa timent, et dedita sacris
Incerti Judæa dei, mollisque Sophene.
Armenios, Cilicasque feros, Taurosque subegi.
Quod socero bellum, præter civile, reliqui? 595
Verba ducis nullo partes clamore sequuntur,
Nec matura petunt promissæ classica pugnæ.
Sensit et ipse metum Magnus; placuitque referri
Signa, nec in tantæ discrimina mittere pugnæ
Jam victum fama non visi Cæsaris agmen. 600
Pulsus ut armentis primo certamine taurus
Sylvarum secreta petit, vacuosque per agros
Exul in adversis explorat cornua truncis;
Nec redit in pastus, nisi cum cervice recepta
Excussi placuere tori: mox reddita victor 605
Quos libet in saltus comitantibus agmina tauris
Invito pastore trahit: sic viribus impar [rura
Tradidit Hesperiam, profugusque per Appula
Brundisii tutas concedit Magnus in arces.
Urbs est Dictæis olim possessa colonis, 610
Quos Creta profugos vexere per æquora puppes
Cecropiæ, victum mentitis Thesea velis.
Hanc latus angustum jam se cogentis in arctum
Hesperiæ, tenuem producit in æquora linguam,
Adriacas flexis claudit quæ cornibus undas. 615
Nec tamen hoc arctis immissum faucibus æquor
Portus erat, si non violentos insula Coros
Exciperet saxis, lassasque refunderet undas.
Hinc illinc montes scopulosæ rupis aperto
Opposuit natura mari, flatusque removit, 620
Ut tremulo starent contentæ fune carinæ.
Hinc late patet omne fretum, seu vela ferantur
In portus, Corcyra, tuos, seu læva petatur
Illyris Ionias vergens Epidamnus in undas.
Huc fuga nautarum, cum totas Adria vires 625
Movit, et in nubes abiere Ceraunia, cumque
Spumoso Calaber perfunditur æquore Sason.
Ergo ubi nulla fides rebus post terga relictis,
Nec licet ad duros Martem convertere Iberos,
Cum mediæ jaceant immensis tractibus Alpes:
Tunc sobole e tanta natum, cui firmior ætas, 631
Affatur: Mundi jubeo tentare recessus.
Euphratem, Nilumque move, quo nominis usque
Nostri fama venit, quas est vulgata per urbes
Post me Roma ducem: sparsos per rura colonos
Redde mari Cilicas: Pharios hinc concute reges,
Tigranemque meum. Nec Pharnacis arma relin-
quas
Admoneo, nec tu populos utraque vagantes
Armenia, Pontique feras per littora gentes,
Rhipæasque manus, et quas tenet æquore denso
Pigra palus Scythici patiens Mæotica plaustri. 641
Et quid plura moror? totos mea, nate, per ortus
Bella seres, totoque urbes agitabis in orbe
Perdomitas: omnes redeant in castra triumphi.
At vos, qui Latios signatis nomine fastos, 645
Primus in Epirum Boreas agat: inde per arva
Graiorum Macedûmque novas acquirite vires:
Dum paci dat tempus hyems. Sic fatur: et omnes
Jussa gerunt, solvuntque cavas a littore puppes.
At nunquam patiens pacis, longæque quietis
Armorum, ne quid fatis mutare liceret, 651
Adsequitur, generique premit vestigia Cæsar.
Sufficerent aliis primo tot mœnia cursu
Rapta, tot oppressæ dejectis hostibus arces:
Ipsa caput mundi, bellorum maxima merces, 655
Roma capi facilis. Sed Cæsar in omnia præceps,
Nil actum credens, dum quid superesset agendum,
Instat atrox: et adhuc, quamvis possederit omnem
Italiam, extremo sedeat quod littore Magnus,
Communem tamen esse dolet: nec rursus aperto
Vult hostes errare freto, sed molibus undas 661
Obstruit, et latum dejectis rupibus æquor.
Cedit in immensum cassus labor: omnia pontus
Haurit saxa vorax, montesque immiscet arenis:
Ut maris Ægæi medias si celsus in undas 665
Depellatur Eryx, nullæ tamen æquore rupes
Emineant, vel si convulso vertice Gaurus
Decidat in fundum penitus stagnantis Averni.
Ergo ubi nulla vado tenuit sua pondera moles,
Tunc placuit cæsis innectere vincula sylvis, 670
Roboraque immensis late religare catenis. [xem
Tales fama canit tumidum super æquora Xer-
Construxisse vias, multum cum pontibus ausus
Europamque Asiæ, Sestonque admovit Abydo,
Incessitque fretum rapidi super Hellesponti, 675
Non Eurum Zephyrumque timens: cum vela
ratesque
In medium deferret Athon. Sic ora profundi
Arctantur casu nemorum: tunc aggere multo
Surgit opus, longæque tremunt super æquora
turres.
Pompeius tellure nova compressa profundi 680
Ora videns, curis animum mordacibus angit,
Ut reseret pelagus, spargatque per æquora bellum
Sæpe Noto plenæ, tensisque rudentibus actæ
Ipsa maris per claustra rates fastigia molis
Discussere salo, spatiumque dedere carinis: 685
Tortaque per tenebras validis ballista lacertis,
Multifidas jaculata faces. Ut tempora tandem
Furtivæ placuere fugæ; ne littora clamor
Nauticus exagitet, neu buccina dividat horas,
Neu tuba præmonitos perducat ad æquora nautas
Præcepit sociis. Jam cœperat ultima Virgo 691
Phœbum laturas ortu præcedere Chelas,

Cum taciti solvere rates. Non ancora voces
Movit, dum spissis avellitur uncus arenis :
Dum juga curvantur mali, dumque ardua pinus
Erigitur, pavidi classis siluere magistri : 696
Strictaque pandentes deducunt carbasa nautæ,
Nec quatiunt validos, ne sibilet aura, rudentes.
Dux etiam votis hoc te, Fortuna, precatur,
Quam retinere vetas, liceat sibi perdere saltem
Italiam. Vix fata sinunt. Nam murmure vasto701
Impulsum rostris sonuit mare, fluctuat unda,
Totque carinarum permixtis æquora sulcis.
Ergo hostes portis, quas omnes solverat urbis
Cum fato conversa fides, murisque recepti, 705
Præcipiti cursu flexi per cornua portus
Ora petunt, pelagusque dolent contingere classes.
Heu pudor, exigua est fugiens victoria Magnus.
Angustus puppes mittebat in æquora limes
Arctior Euboica, qua Chalcida verberat, unda.710
Hic hæsere rates geminæ, classique paratas
Excepere manus : tractoque in littora bello,
Hic primum rubuit civili sanguine Nereus.
Cætera classis abit summis spoliata carinis :
Ut Pagasæa ratis peteret cum Phasidos undas,
Cyaneas tellus emisit in æquora cautes, 716
Rapta puppe minor subducta est montibus Argo,
Vanaque percussit pontum Symplegas inanem,
Et statura redit. Jam Phœbum urgere monebat
Non idem Eoi color ætheris, albaque nondum 720
Lux rubet, et flammas propioribus eripit astris,
Et jam Pleias hebet, fessi jam plaustra Bootæ
In faciem puri redeunt languentia cœli,
Majoresque latent stellæ, calidumque refugit 724
Lucifer ipse diem. Pelagus jam, Magne, tenebas,
Non ea fata ferens, quæ cum super æquora toto
Prædonem sequerere mari. Lassata triumphis
Descivit fortuna tuis : cum conjuge pulsus
Et natis, totosque trahens in bella penates,
Vadis adhuc ingens populis comitantibus exsul.
Quæritur indignæ sedes longinqua ruinæ. 731
Non quia te superi patrio privare sepulcro
Maluerint : Phariæ busto damnantur arenæ :
Parcitur Hesperiæ, procul hoc ut in orbe remoto
Abscondat Fortuna nefas, Romanaque tellus735
Immaculata sui servetur sanguine Magni.

LIBER TERTIUS.

Propulit ut classem velis cedentibus Auster
Incumbens, mediumque rates tenuere profundum,
Omnis in Ionios spectabat navita fluctus :
Solus ab Hesperia non flexit lumina terra [quam
Magnus, dum patrios portus, dum littora nun-
Ad visus reditura suos, tectumque cacumen 6
Nubibus, et dubios cernit vanescere montes.
Inde soporifero cesserunt languida somno
Membra ducis : diri tum plena horroris imago
Visa caput mœstum per hiantes Julia terras 10
Tollere, et accenso furialis stare sepulcro.
Sedibus Elysiis, campoque expulsa piorum
Ad Stygias, inquit, tenebras, manesque nocentes
Post bellum civile trahor. Vidi ipsa tenentes
Eumenidas, quaterent quas vestris lampadas
armis. 15
Præparat innumeras puppes Acherontis adusti
Portitor : in multas laxantur Tartara pœnas.
Vix operi cunctæ dextra properante sorores
Sufficiunt : lassant rumpentes stamina Parcas.
Conjuge me lætos duxisti, Magne, triumphos : 20
Fortuna est mutata toris : semperque potentes
Detrahere in cladem fato damnata maritos
Innupsit tepido pellex Cornelia busto.
Hæreat illa tuis per bella, per æquora signis,
Dum non securos liceat mihi rumpere somnos,25
Et nullum vestro vacuum sit tempus amori,
Sed teneat Cæsarque dies, et Julia noctes.
Me non Lethææ, conjux, oblivia ripæ
Immemorem fecere tui, regesque silentum
Permisere sequi. Veniam te bella gerente [bras,
In medias acies. Nunquam tibi, Magne, per um-
Perque meos manes generum non esse licebit.
Abscindis frustra ferro tua pignora. Bellum
Te faciet civile meum. Sic fata, refugit
Umbra per amplexus trepidi dilapsa mariti. 35
Ille, dei quamvis cladem manesque minentur,
Major in arma ruit, certa cum mente malorum
Et, Quid, ait, vani terremur imagine visus ?
Aut nihil est sensus animis a morte relictum,
Aut mors ipsa nihil. Titan jam pronus in undas
Ibat, et igniferi tantum demerserat orbis, 41
Quantum deesse solet lunæ, seu plena futura est,
Seu jam plena fuit : tunc obtulit hospita tellus
Puppibus accessus faciles : legere rudentes,
Et posito remis petierunt littora malo. 45
Cæsar, ut emissas venti rapuere carinas,
Absconditque fretum classes, et littore solus
Dux stetit Hesperio, non illum gloria pulsi
Lætificat Magni : queritur, quod tuta per æquor
Terga ferant hostes. Neque enim jam sufficit ulla
Præcipiti fortuna viro : nec vincere tanti, 51
Ut bellum differret, erat. Tunc pectore curas
Expulit armorum, pacique intentus agebat,
Quoque modo vanos populi conciret amores,
Gnarus et irarum causas, et summa favoris 55
Annona momenta trahi. Namque adserit urbes
Sola fames, emiturque metus, cum segne potentes
Vulgus alunt. Nescit plebes jejuna timere.
Curio Sicanias transcendere jussus in urbes,
Qua mare tellurem subitis aut obruit undis, 60
Aut scidit, et medias fecit sibi littora terras.
Vis illic ingens pelagi, semperque laborant
Æquora, ne rupti repetant confinia montes :
Bellaque Sardoas etiam sparguntur in oras.
Utraque frugiferis est insula nobilis arvis, 65
Nec plus Hesperiam longinquis messibus ullæ,
Nec Romana magis complerunt horrea terræ.
Ubere vix glebæ superat, cessantibus Austris,
Cum, medium nubes Borea cogente sub axem,
Effusis magnum Libye tulit imbribus annum. 70
Hæc ubi sunt provisa duci, tunc agmina victor
Non armata trahens, sed pacis habentia vultum,
Tecta petit patriæ. Pro si remeasset in urbem
Gallorum tantum populis, Arctoque subacta,
Quam seriem rerum longa præmittere pompa, 75
Quas potuit belli facies ! ut vincula Rheno
Oceanoque daret ! celsos ut Gallia currus
Nobilis, et flavis sequeretur mixta Britannis ?
Perdidit o qualem vincendo plura triumphum.

Non illum lætis vadentem cœtibus urbes, 80
Sed tacitæ videre metu. Non constitit usquam
Obvia turba duci : gaudet tamen esse timori
Tam magno populis, et se non mallet amari.
Jamque et præcipites superaverat Anxuris arces,
Et qua Pontinas via dividit uda paludes, 85
Qua sublime nemus, Scythicæ qua regna Dianæ,
Quaque iter est Latiis ad summam fascibus Albam.
Excelsa de rupe procul jam conspicit Urbem,
Arctoi toto non visam tempore belli :
Miratusque suæ sic fatur mœnia Romæ : 90
Tene, deûm sedes, non ullo Marte coacti
Deseruere viri ? pro qua pugnabitur urbe ?
Di melius, quod non Latias Eous in oras
Nunc furor incubuit, nec juncto Sarmata velox
Pannonio, Dacisque Getes admixtus : habenti 95
Tam pavidum tibi, Roma, ducem Fortuna pepercit,
Quod bellum civile fuit. Sic fatur, et Urbem
Attonitam terrore subit. Namque ignibus atris
Creditur, ut captæ, rapturus mœnia Romæ,
Sparsurusque deos. Fuit hæc mensura timoris :
Velle putant, quodcunque potest. Non omina festa, 101
Non fictas læto voces simulare tumultu,
Vix odisse vacat. Phœbea palatia complet
Turba patrum, nullo cogendi jure senatus
E latebris educta suis : non consule sacræ 105
Fulserunt sedes : non proxima lege potestas
Prætor adest : vacuæque loco cessere curules.
Omnia Cæsar erat : privatæ curia vocis
Testis adest. Sedere patres censere parati, 109
Si regnum, si templa sibi, jugulumque senatus,
Exiliumque petat. Melius, quod plura jubere
Erubuit, quam Roma pati. Tamen exit in iram
Viribus an possent obsistere jura per unum
Libertas experta virum. Pugnaxque Metellus,
Ut videt ingenti Saturnia templa revelli 115
Mole, rapit gressus, et Cæsaris agmina rumpens
Ante fores nondum reseratæ constitit ædis.
Usque adeo solus ferrum, mortemque timere
Auri nescit amor. Pereunt discrimine nullo
Amissæ leges : sed pars vilissima rerum 120
Certamen movistis, opes ; prohibensque rapina
Victorem clara testatur voce tribunus :
Non nisi per nostrum vobis percussa patebunt
Templa latus, nullasque feres nisi sanguine sacro
Sparsas, raptor, opes. Certe violata potestas 125
Invenit ista deos, Crassumque in bella secutæ
Sæva tribunitiæ noverunt prœlia diræ.
Detege jam ferrum. Neque enim tibi turba verenda est
Spectatrix scelerum : deserta stamus in Urbe.
Non feret e nostro sceleratus præmia miles : 130
Sunt quos prosternas populi, quæ mœnia dones.
Pacis ad exhaustæ spolium non cogit egestas :
Bellum, Cæsar, habes. His magnam victor in iram
Vocibus accensus, Vanam spem mortis honestæ
Concipis : haud, inquit, jugulo se polluet isto 135
Nostra, Metelle, manus. Dignum te Cæsaris ira
Nullus honor faciet. Te vindice tuta relicta est
Libertas ? non usque adeo permiscuit imis
Longus summa dies, ut non, si voce Metelli
Serventur leges, malint a Cæsare tolli. 140
Dixerat : et nondum foribus cedente tribuno
Acrior ira subit : sævos circumspicit enses,
Oblitus simulare togam. Tum Cotta Metellum
Compulit audaci nimium desistere cœpto.
Libertas, inquit, populi, quem regna coercent
Libertate perit ; cujus servaveris umbram, 146
Si, quicquid jubeare, velis. Tot rebus iniquis
Paruimus victi : venia est hæc sola pudoris
Degenerisque metus, nil jam potuisse negari.
Ocius avertant diri mala semina belli. 150
Damna movent populos, si quos sua jura tuentur : [tas.
Non sibi, sed domino gravis est, quæ servit, eges-
Protinus abducto patuerunt templa Metello.
Tunc rupes Tarpeia sonat, magnoque reclusas
Testatur stridore fores : tunc conditus imo 155
Eruitur templo multis intactus ab annis
Romani census populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perses, quem victi præda Philippi :
Quod tibi, Roma, fuga Pyrrhus trepidante reliquit,
Quo te Fabricius regi non vendidit auro, 160
Quicquid parcorum mores servastis avorum,
Quod dites Asiæ populi misere tributum,
Victorique dedit Minoia Creta Metello,
Quod Cato longinqua vexit super æquora Cypro.
Tunc Orientis opes, captorumque ultima regum
Quæ Pompeianis prælata est gaza triumphis 166
Egeritur : tristi spoliantur templa rapina ;
Pauperiorque fuit tunc primum Cæsare Roma.
Interea totum Magni fortuna per orbem
Secum casuras in prœlia moverat urbes. 170
Proxima vicino vires dat Græcia bello.
Phocaicas Amphissa manus, scopulosaque Cirrha,
Parnassusque jugo misit desertus utroque.
Bœoti coiere duces, quos impiger ambit
Fatidica Cephisos aqua, Cadmeaque Dirce, 175
Pisææque manus, populisque per æquora mittens
Sicaniis Alpheus aquas. Tunc Mænala liquit
Arcas, et Herculeam miles Trachinius Œten.
Thesproti, Dryopesque ruunt, quercusque silentes
Chaonio veteres liquerunt vertice Sellæ. 180
Exhausit totas quamvis delectus Athenas,
Exiguæ Phœbea tenent navalia puppes,
Tresque petunt veram credi Salamina carinæ
Jam dilecta Jovi centenis venit in arma
Creta vetus populis, Gnossosque agitare pharetras
Docta, nec Eois pejor Gortyna sagittis. 186
Tunc qui Dardaniam tenet Oricon, et vagus altis
Dispersus sylvis Athamas, et nomine prisco
Encheliæ versi testantes funera Cadmi.
Colchis, et Adriacas spumans Absyrtos in undas,
Et Penei qui rura colunt, quorumque labore 191
Thessalus Hæmoniam vomer proscindit Iolcon.
Inde lacessitum primo mare, cum rudis Argo
Miscuit ignotas temerato littore gentes,
Primaque cum ventis, pelagique furentibus undis
Composuit mortale genus, fatisque per illam 196
Accessit mors una ratem. Tunc linquitur Hæmus
Thracius, et populum Pholoe mentita biformem.
Deseritur Strymon tepido committere Nilo
Bistonias consuetus aves, et barbara Cone 200
Sarmaticas ubi perdit aquas, sparsamque profundo
Multifidi Peucen unum caput alluit Istri :
Mysiaque, et gelido tellus profusa Caico
Idalis, et nimium glebis exilis Arisbe : [Pallas,
Quique colunt Pitanen, et quæ tua munera,
Lugent damnatæ Phœbo victore Celenæ : 206
Qua celer erectis descendens Marsya ripis
Errantem Mæandron adit, mixtusque refertur ;
Passaque ab auriferis tellus exire metallis

Pactolon: qua culta secat non vilior Hermus: 210
Iliacæ quoque signa manus, perituraque castra
Ominibus petiere suis: nec fabula Trojæ
Continuit, Phrygiique ferens se Cæsar Iuli.
Accedunt Syriæ populi, desertus Orontes,
Et felix, sic fama, Ninos: ventosa Damascus, 215
Gazaque, et arbusto palmarum dives Idume,
Et Tyros instabilis, pretiosaque murice Sidon.
Has ad bella rates non flexo limite ponti,
Certior haud ullis duxit Cynosura carinis.
Phœnices primi, famæ si creditur, ausi 230
Mansuram rudibus vocem signare figuris.
Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat: et saxis tantum volucresque feræque,
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.
Deseritur Taurique nemus, Perseaque Tarsos, 225
Coryciumque patens exesis rupibus antrum,
Mallos, et externæ resonant navalibus Ægæ.
Itque Cilix justa jam non pirata carina.
Movit et Eoos bellorum fama recessus,
Qua colitur Ganges, toto qui solus in orbe 230
Ostia nascenti contraria solvere Phœbo
Audet, et adversum fluctus impellit in Eurum:
Hic ubi Pellæus post Tethyos æquora ductor
Constitit, et magno vinci se fassus ab orbe est.
Quaque ferens rapidum diviso gurgite fontem 235
Vastis Indus aquis mixtum non sentit Hydaspen:
Quique bibunt tenera dulces ab arundine succos,
Et qui tingentes croceo medicamine crinem
Fluxa coloratis adstringunt carbasa gemmis:
Quique suas struxere pyras, vivique calentes 240
Conscendere rogos. Pro quanta est gloria genti
Injecisse manum fatis, vitaque repletos,
Quod superest donasse deis! Venere feroces
Cappadoces, duri populus nunc cultor Amani,
Armeniusque tenens volventem saxa Niphatem:
Æthera tangentes sylvas liquere Coastræ. 246
Ignoscum vobis, Arabes, venistis in orbem,
Umbras mirati nemorum non ire sinistras.
Tunc furor extremos movit Romanus Olostras,
Carmanosque duces, quorum devexus in Austrum
Æther, non totam mergi tamen aspicit Arcton, 251
Lucet et exigua velox ibi nocte Bootes. [ulla
Æthiopumque solum, quod non premeretur ab
Signiferi regione poli, nisi poplite lapso
Ultima curvati procederet ungula Tauri. 255
Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, quos non diversis fontibus edit
Persis, et incertum, tellus si misceat amnes,
Quod potius sit nomen aquis. Sed sparsus in agros
Fertilis Euphrates Phariæ vice fungitur undæ:
At Tigrim subito tellus absorbet hiatu, 261
Occultosque tegit cursus, rursusque renatum
Fonte novo flumen pelagi non abnegat undis.
Inter Cæsareas acies diversaque signa
Pugnaces dubium Parthi tenuere favorem, 265
Contenti fecisse duos: tinxere sagittas
Errantes Scythiæ populi, quos gurgite Bactros
Includit gelido, vastisque Hyrcania sylvis.
Hinc Lacedæmonii moto gens aspera freno
Heniochi, sævisque affinis Sarmata Moschis, 270
Colchorum qua rura secat ditissima Phasis·
Qua Crœso fatalis Halys, qua vertice lapsus
Rhipæo Tanais diversi nomina mundi
Imposuit ripis, Asiæque et terminus idem
Europæ, mediæ dirimens confinia terræ, 275
Nunc hunc, nunc illum, qua flectitur, ampliat orbem.
Quaque fretum torrens Mæotidos egerit undas
Pontus, et Herculeis aufertur gloria metis,
Oceanumque negat solas admittere Gades.
Hinc et Sithoniæ gentes, auroque ligatas 280
Substringens, Arimaspe, comas: hinc fortis Arius,
Longaque Sarmatici solvens jejunia belli
Massagetes quo fugit equo, volucresque Geloni.
Non, cum Memnoniis deducens agmina regnis
Cyrus, et effusis numerato milite telis 285
Descendit Perses, fraternique ultor amoris
Æquora cum tantis percussit classibus, unum
Tot reges habuere ducem. Coiere nec unquam
Tam variæ cultu gentes, tam dissona vulgi
Ora. Tot immensæ comites mixtura ruinæ 290
Excivit populos, et dignas funere Magni
Exsequias Fortuna dedit. Non corniger Ammon
Mittere Marmaricas cessavit in arma catervas:
Quicquid ab occiduis Libye patet arida Mauris,
Usque Parætonias Eoa ad littora Syrtes. 295
Acciperet felix ne non semel omnia Cæsar,
Vincendum pariter Pharsalia præstitit orbem.
Ille ubi deseruit trepidantis mœnia Romæ,
Agmine nubiferam rapto superevolat Alpem:
Cumque alii famæ populi terrore paverent, 300
Phocais in dubiis ausa est servare juventus
Non Graia levitate fidem, signataque jura,
Et causas, non fata, sequi. Tamen ante furorem
Indomitum, duramque viri deflectere mentem
Pacifico sermone parant, hostemque propinquum
Orant Cecropiæ prælata fronde Minervæ. 306
Semper in externis populo communia vestro
Massiliam bellis testatur fata tulisse,
Comprensa est Latiis quæcunque annalibus ætas.
Et nunc, ignoto si quos petis orbe triumphos, 310
Accipe devotas externa in prœlia dextras
At si funestas acies, si dira paratis
Prœlia discordes, lacrymas civilibus armis
Secretumque damus. Tractentur vulnera nulla
Sacra manu. Si cœlicolis furor arma dedisset, 315
Aut si terrigenæ tentarent astra gigantes,
Non tamen auderet pietas humana vel armis
Vel votis prodesse Jovi: sortisque deorum
Ignarum mortale genus, per fulmina tantum
Sciret adhuc cœlo solum regnare Tonantem. 320
Adde quod innumeræ concurrunt undique gentes,
Nec sic horret iners scelerum contagia mundus,
Ut gladiis egeant civilia bella coactis.
Sit mens ista quidem cunctis, ut vestra recusent
Fata, nec hæc alius committat prœlia miles. 325
Cui non conspecto languebit dextra parente?
Telaque diversi prohibebunt spargere fratres.
Finis adest rerum, si non committitis illis
Arma, quibus fas est. Nobis hæc summa precandi,
Terribiles aquilas infestaque signa relinquas 330
Urbe procul, nostrisque velis te credere muris,
Excludique sinas admisso Cæsare bellum.
Sit locus exceptus sceleri, Magnoque tibique
Tutus, ut, invictæ fatum si consulat Urbi,
Fœdera si placeant, sit quo veniatis inermes. 335
Vel, cum tanta vocent discrimina Martis Iberi,
Quid rapidum deflectis iter? non pondera rerum,
Nec momenta sumus: nunquam felicibus armis
Usa manus patriæ primis a sedibus exsul,
Et, post tralatas exustæ Phocidos arces, 340
Mœnibus exiguis alieno in littore tuti,
Illustrat quos sola fides. Si claudere muros
Obsidione paras, et vi perfringere portas,
Excepisse faces tectis et tela parati,
Undarum raptos aversis fontibus haustus 345
Quærere, et effossam sitientes lambere terram:
Et desit si larga Ceres, tunc horrida cerni,
Fœdaque contingi maculato carpere morsu.

Nec pavet hic populus pro libertate subire,
Obsessum Pœno gessit quod Marte Saguntum. 350
Pectoribus rapti matrum, frustraque trahentes
Ubera sicca fame medios mittentur in ignes,
Uxor et a caro poscet sibi fata marito.
Vulnera miscebunt fratres, bellumque coacti
Hoc potius civile gerent. Sic Graia juventus
Finierat: cum turbato jam prodita vultu 356
Ira ducis, tandem testata est voce dolorem.
Vana movet Graios nostri fiducia cursus.
Quamvis Hesperium mundi properemus ad axem,
Massiliam delere vacat. Gaudete, cohortes: 360
Obvia præbentur fatorum munere bella.
Ventus ut amittit vires, nisi robora densæ
Occurrant sylvæ, spatio diffusus inani:
Utque perit magnus nullis obstantibus ignis,
Sic hostes mihi deesse nocet: damnumque putamus 365
Armorum, nisi, qui vinci potuere, rebellent.
Sed si solus eam dimissis degener armis, [tum,
Tunc mihi tecta patent. Jam non excludere tan-
Inclusisse volunt. At enim contagia belli 369
Dira fugant. Dabitis pœnas pro pace petita:
Et nihil esse meo discetis tutius ævo, [urbem
Quam duce me bellum. Sic postquam fatus, ad
Haud trepidam convertit iter: tum mœnia clausa
Conspicit, et densa juvenum vallata corona.
Haud procul a muris tumulus surgentis in altum
Telluris, parvum diffuso vertice campum 376
Explicat: hæc patiens longo munimine cingi
Visa duci rupes, tutisque aptissima castris.
Proxima pars urbis celsam consurgit in arcem
Par tumulo, mediisque sedent convallibus arva:
Tunc res immenso placuit statura labore, 381
Aggere diversos vasto committere colles:
Sed prius ut totam, qua terra cingitur, urbem
Clauderet, a summis perduxit ad æquora castris
Longum Cæsar opus, fontesque et pabula campi
Amplexus fossa, densas tollentia pinnas 386
Cespitibus, crudaque exstruxit brachia terra.
Jam satis hoc Graiæ memorandum contigit urbi
Æternumque decus, quod non impulsa, nec ipso
Strata metu, tenuit flagrantis in omnia belli 390
Præcipitom cursum, raptisque a Cæsare cunctis,
Vincitur una mora. Quantum est quod fata tenentur
Quodque virum toti properans imponere mundo
Hos perdit Fortuna dies! Tunc omnia late 394
Procumbunt nemora, et spoliantur robore sylvæ:
Ut, cum terra levis mediam virgultaque molem
Suspendant, structa laterum compage ligatam
Arctet humum, pressus ne cedat turribus agger.
Lucus erat longo nunquam violatus ab ævo,
Obscurum cingens connexis aera ramis, 400
Et gelidas alte submotis solibus umbras.
Hunc non ruricolæ Panes, nemorumque potentes
Sylvani, Nymphæque tenent: sed barbara ritu
Sacra deum, structæ sacris feralibus aræ,
Omnis et humanis lustrata cruoribus arbos. 405
Si qua fidem meruit superos mirata vetustas,
Illis et volucres metuunt insistere ramis,
Et lustris recubare feræ: nec ventus in illas
Incubuit sylvas, excussaque nubibus atris 409
Fulgura: non ullis frondem [præbentibus] auris,
Arboribus suus horror inest. Tum plurima nigris
Fontibus unda cadit, simulacraque mœsta deorum
Arte carent, cæsisque exstant informia truncis.
Ipse situs, putrique facit jam robore pallor
Attonitos: non vulgatis sacrata figuris 415
Numina sic metuunt: tantum terroribus addit,
Quos timeant, non nosse deos. Jam fama ferebat
Sæpe cavas motu terræ mugire cavernas,
Et procumbentes iterum consurgere taxos,
Et non ardentis fulgere incendia sylvæ, 420
Roboraque amplexos circumfluxisse dracones.
Non illum cultu populi propiore frequentant,
Sed cessere deis. Medio cum Phœbus in axe est,
Aut cœlum nox atra tenet, pavet ipse sacerdos
Accessus, dominumque timet deprendere luci.
Hanc jubet immisso sylvam procumbere ferro
Nam vicina operi, belloque intacta priori,
Inter nudatos stabat densissima montes.
Sed fortes tremuere manus, motique verenda
Majestate luci, si robora sacra ferirent, 430
In sua credebant redituras membra secures
Implicitas magno Cæsar terrore cohortes
Ut vidit, primus raptam librare bipennem
Ausus, et aeriam ferro proscindere quercum,
Effatur merso violata in robora ferro: 435
Jam ne quis vestrûm dubitet subvertere sylvam,
Credite me fecisse nefas. Tunc paruit omnis
Imperiis, non sublato secura pavore
Turba, sed expensa superorum et Cæsaris ira.
Procumbunt orni: nodosa impellitur ilex: 440
Sylvaque Dodones, et fluctibus aptior alnus,
Et non plebeios luctus testata cupressus,
Tunc primum posuere comas, et fronde carentes
Admisere diem: propulsaque robore denso
Sustinuit se sylva cadens. Gemuere videntes 445
Gallorum populi: muris sed clausa juventus
Exsultat. Quis enim læsos impune putaret
Esse deos? Servat multos Fortuna nocentes:
Et tantum miseris irasci numina possunt.
Utque satis cæsum nemoris, quæsita per agros 450
Plaustra ferunt: curvoque soli cessantis aratro
Agricolæ raptis annum flevere juvencis.
Dux tamen impatiens hæsuri ad mœnia Martis
Versus ad Hispanas acies, extremaque mundi,
Jussit bella geri. Stellatis axibus agger 455
Erigitur, geminasque æquantes mœnia turres
Accipit: hæ nullo fixerunt robore terram,
Sed per iter longum causa repsere latenti.
Cum tantum nutaret onus, telluris inanes
Concussisse sinus quærentem erumpere ventum
Credidit, et muros mirata est stare juventus. 461
Illinc tela cadunt excelsas urbis in arces.
Sed major Graio Romana in corpora ferro
Vis inerat. Neque enim solis excussa lacertis
Lancea, sed tenso ballistæ turbine rapta, 465
Haud unum contenta latus transire quiescit:
Sed pandens perque arma viam, perque ossa, relicta
Morte fugit: superest telo post vulnera cursus.
At saxum quoties ingenti ponderis ictu
Excutitur, qualis rupes, quam vertice montis 470
Abscidit impulsu ventorum adjuta vetustas,
Frangit cuncta ruens: nec tantum corpora pressa
Exanimat: totos cum sanguine dissipat artus.
Ut tamen hostiles densa testudine muros
Tecta subit virtus, armisque innexa priores 475
Arma ferunt, galeamque extensus protegit umbo,
Quæ prius ex longo nocuerunt missa recussu,
Jam post terga cadunt: nec Graiis flectere jactum,
Aut facilis labor est longinqua ad tela parati
Tormenti mutare modum: sed pondere solo 480
Contenti nudis evolvunt saxa lacertis.
Dum fuit armorum series, ut grandine tecta
Innocua percussa sonant, sic omnia tela
Respuit: at postquam virtus incensa virorum

Perpetuam rupit defesso milite cratem, 485
Singula continuis cesserunt ictibus arma.
Tunc adoperta levi procedit vinea terra,
Sub cujus pluteis et tecta fronte latentes
Moliri nunc ima parant, et vertere ferro
Mœnia ; nunc aries suspenso fortior ictu 490
Incussus densi compagem solvere muri
Tentat, et impositis unum subducere saxis.
Sed super et flammis, et magnæ fragmine molis,
Et sudibus crebris, et adusti roboris ictu
Percussæ cedunt crates, frustraque labore 495
Exhausto fessus repetit tentoria miles.
Summa fuit Graiis, starent ut mœnia, voti.
Ultro acies inferre parant : armisque coruscas
Nocturni texere faces, audaxque juventus
Erupit : non hasta viris, non letifer arcus, 500
Telum flamma fuit, rapiensque incendia ventus
Per Romana tulit celeri munimina cursu.
Nec, quamvis viridi luctetur robore, lentas
Ignis agit vires ; tæda sed raptus ab omni
Consequitur nigri spatiosa volumina fumi : 505
Nec solum sylvas, sed saxa ingentia solvit,
Et crudæ putri fluxerunt pulvere cautes.
Procubuit, majorque jacens apparuit agger.
Spes victis telluris abit, placuitque profundo
Fortunam tentare mari. Non robore picto 510
Ornatas decuit fulgens tutela carinas,
Sed rudis, et qualis procumbit montibus arbor,
Conseritur stabilis navalibus area bellis.
Et jam turrigeram Bruti comitata carinam 514
Venerat in fluctus Rhodani cum gurgite classis,
Stœchados arva tenens. Nec non et Graia juventus
Omne suum fatis voluit committere robur :
Grandævosque senes mixtis armavit ephebis.
Accepit non sola viros, quæ stabat in undis
Classis ; et emeritas repetunt navalibus alnos.520
Ut matutinos spargens super æquora Phœbus
Fregit aquis radios, et liber nubibus æther,
Et posito Borea, pacemque tenentibus Austris
Servatum bello jacuit mare, movit ab omni 524
Quisque suam statione ratem, paribusque lacertis
Cæsaris hinc pubes, hinc Graio remige classis
Tollitur : impulsæ tonsis tremuere carinæ,
Crebraque sublimes convellunt verbera puppes.
Cornua Romanæ classis, validæque triremes,
Quasque quater surgens exstructi remigis ordo530
Commovet, et plures quæ mergunt æquore pinus,
Multiplices cinxere rates. Hoc robur aperto
Oppositum pelago. Lunata fronte recedunt
Ordine contentæ gemino crevisse Liburnæ.
Celsior at cunctis Bruti prætoria puppis 535
Verberibus senis agitur, molemque profundo
Invehit, et summis longe petit æquora remis.
Ut tantum medii fuerat maris, utraque classis
Quod semel excussis posset transcurrere tonsis,
Innumeræ vasto miscentur in æthere voces : 540
Remorumque sonus premitur clamore : nec ullæ
Audiri potuere tubæ. Tum cærula verrunt,
Atque in transtra cadunt, et remis pectora pulsant.
Ut primum rostris crepuerunt obvia rostra,
In puppim rediere rates, emissaque tela 545
Aera texerunt, vacuumque cadentia pontum.
Et jam diductis extendunt cornua proris,
Diversæque rates laxata classe receptæ.
Ut, quoties æstus Zephyris Eurisque repugnat,
Huc abeunt fluctus, illuc mare : sic ubi puppes
Sulcato varios duxerunt gurgite tractus, 551
Quod tulit illa ratis remis, hæc repulit æquor.
Sed Graiis habiles pugnamque lacessere pinus
Et tentare fugam, nec longo frangere gyro
Cursum, nec tarde flectenti cedere clavo 553
At Romana ratis stabilem præbere carinam
Certior, et terræ similem bellantibus usum.
Tunc in signifera residenti puppe magistro
Brutus ait : Paterisne acies errare profundo ?
Artibus et certas pelagi ? jam consere bellum :560
Phocaicis medias rostris oppone carinas.
Paruit, obliquas et præbuit hostibus alnos.
Tunc quæcunque ratis tentavit robora Bruti,
Ictu victa suo, percussæ capta cohæsit. 564
Ast alias manicæque ligant, teretesque catenæ,
Seque tenent remis : tecto stetit æquore bellum
Jam non excussis torquentur tela lacertis,
Nec longinqua cadunt jaculato vulnera ferro :
Miscenturque manus. Navali plurima bello
Ensis agit. Stat quisque suæ de robore puppis
Pronus in adversos ictus : multique peremti 57
In ratibus cecidere suis. Cruor altus in undis
Spumat, et obducto concrescunt sanguine fluctus.
Et quas immissi traxerunt vincula ferri,
Has prohibent jungi conserta cadavera puppes.
Semianimes alii vastum subiere profundum, 576
Hauseruntque suo permixtum sanguine pontum.
Hi luctantem animam lenta cum morte trahentes.
Fractarum subita ratium periere ruina
Irrita tela suas peragunt in gurgite cædes : 580
Et quodcunque cadit frustrato pondere ferrum,
Exceptum mediis invenit vulnus in undis.
Phocaicis Romana ratis vallata carinis,
Robore diducto dextrum, lævumque tuetur 584
Æquo Marte latus : cujus dum pugnat ab alta
Puppe Tagus, Graiumque audax aplustre retentat,
Terga simul pariter missis et pectora telis
Transigitur. Medio concurrit pectore ferrum,
Et stetit incertus flueret quo vulnere sanguis,589
Donec utrasque simul largus cruor expulit hastas,
Divisitque animam, sparsitque in vulnera letum
Dirigit huc puppim miseri quoque dextra Telonis,
Qua nullam melius, pelago turbante, carinæ
Audivere manum : nec lux est notior ulli
Crastina, seu Phœbum videat, seu cornua lunæ,
Semper venturis componere carbasa ventis. 596
Hic Latiæ rostro compagem ruperat alni :
Pila sed in medium venere trementia pectus,
Avertitque ratem morientis dextra magistri.
Dum cupit in sociam Gyareus erumpere puppim,
Excipit immissum suspensa per ilia ferrum, 601
Affixusque rati, telo retinente, pependit.
Stant gemini fratres, fecundæ gloria matris,
Quos eadem variis genuerunt viscera fatis : 604
(Discrevit mors sæva viros : unumque relictum
Agnorunt miseri, sublato errore, parentes,
Æternis causam lacrymis : tenet ille dolorem
Semper, et amissum fratrem lugentibus offert.)
Quorum alter mixtis obliquo pectine remis
Ausus Romanæ Graia de puppe carinæ 610
Injectare manum : sed eam gravis insuper ictus
Amputat : illa tamen nixu, quo prenderat, hæsit,
Diriguitque tenens strictis immortua nervis.
Crevit in adversis virtus : plus nobilis iræ 614
Truncus habet : fortique instaurat prœlia læva,
Rapturusque suam procurrit in æquora dextram.
Hæc quoque cum toto manus est abscissa lacerto
Jam clypeo telisque carens, non conditur ima
Puppe : sed expositus, fraternaque pectore nudo
Arma tegens, crebra confixus cuspide perstat :
Telaque multorum leto casura suorum 621
Emerita jam morte tenet. Tum vulnere multo
Effugientem animam lassos collegit in artus :
Membraque contendit toto, quicunque manebat

Sanguine, et hostilem, defectis robore membris,
Insiluit, solo nociturus pondere, puppim. 626
Strage virum cumulata ratis, multoque cruore
Plena, per obliquum crebros latus accipit ictus.
At postquam ruptis pelagus compagibus hausit,
Ad summos repleta foros, desedit in undas, 630
Vicinum involvens contorto vortice pontum.
Æquora discedunt mersa diducta carina,
Inque locum puppis cecidit mare. Multaque ponto
Præbuit illa dies varii miracula fati.
Ferrea dum puppi rapidos manus inserit uncos,
Affixit Lycidam. Mersus foret ille profundo, 636
Sed prohibent socii, suspensaque crura retentant.
Scinditur avulsus: nec, sicut vulnere, sanguis
Emicuit lentus: ruptis cadit undique venis,
Discursusque animæ diversa in membra meantis
Interceptus aquis. Nullius vita peremti 641
Est tanta dimissa via. Pars ultima trunci
Tradidit in letum vacuos vitalibus artus:
At tumidus qua pulmo jacet, qua viscera fervent,
Hæserunt ibi fata diu, luctataque multum 645
Hac cum parte viri vix omnia membra tulerunt.
Dum nimium pugnax unius turba carinæ
Incumbit prono lateri, vacuamque relinquit,
Qua caret hoste, ratem: congesto pondere puppis
Versa, cava texit pelagus nautasque carina: 650
Brachia nec licuit vasto jactare profundo,
Sed clauso periere mari. Tunc unica diri
Conspecta est leti facies, cum forte natantem
Diversæ rostris juvenem fixere carinæ.
Discessit medium tam vastos pectus ad ictus:
Nec prohibere valent obtritis ossibus artus, 656
Qua minus æra sonent: eliso ventre per ora
Ejectat saniem permixtus viscere sanguis. [dunt,
Postquam inhibent remis puppes, ac rostra rece-
Disjectum in pelagus perfosso pectore corpus
Vulneribus transmisit aquas. Pars maxima turbæ
Naufraga, jactatis morti obluctata lacertis,
Puppis ad auxilium sociæ concurrit: at illi
Robora cum vetitis prensarent altius ulnis,
Nutaretque ratis populo peritura recepto, 665
Impia turba super medios ferit ense lacertos:
Brachia linquentes Graia pendentia puppe,
A manibus cecidere suis: non amplius undæ
Sustinuere graves in summo gurgite truncos.
Jamque omni fusis nudato milite telis, 670
Invenit arma furor: remum contorsit in hostem
Alter: at hi tortum validis aplustre lacertis
Avulsasque rotant excusso remige sedes.
In pugnam fregere rates. Sidentia pessum
Corpora cæsa tenent, spoliantque cadavera ferro.
Multi inopes teli jaculum letale revulsum 676
Visceribus traxere suis, et vulnera læva
Oppressere manu, validos dum præbeat ictus
Sanguis, et hostilem cum torserit, exeat, hastam.
Nulla tamen plures hoc edidit æquore clades,
Quam pelago diversa lues. Nam pinguibus ignis
Affixus tædis, et tecto sulfure vivax
Spargitur: at faciles præbere alimenta carinæ
Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cera.
Nec flammas superant undæ: sparsisque per æquor 685
Jam ratibus fragmenta ferus sibi vindicat ignis.
Hic recipit fluctus, exstinguat ut æquore flammas:
Hi, ne mergantur, tabulis ardentibus hærent.
Mille modos inter leti, mors una timori est 689
Qua cœpere mori. Nec cessat naufraga virtus.
Tela legunt dejecta mari, ratibusque ministrant:
Incertasque manus ictu languente per undas
Exercent. Nunc, rara datur si copia ferri,
Utuntur pelago. Sævus complectitur hostem
Hostis, et implicitis gaudent subsidere membris,
Mergentesque mori. Pugna fuit unus in illa 696
Eximius Phoceus animam servare sub undis,
Scrutarique fretum si quid mersisset arenis,
Et nimis affixos unci convellere morsus,
Adductum quoties non senserat ancora funem.
Hic ubi compressum penitus deduxerat hostem,
Victor et incolumis summas remeabat in undas:
Sed se per vacuos credit dum surgere fluctus,
Puppibus occurrit, tandemque sub æquore mansit
Hi super hostiles jecerunt brachia remos, 705
Et ratium tenuere fugam. Non perdere letum
Maxima cura fuit. Multus sua vulnera puppi
Affixit moriens, et rostris abstulit ictus.
Stantem sublimi Tyrrhenum culmine proræ
Lygdamus excussa Balearis tortor habenæ 710
Glande petens, solido fregit cava tempora plumbo.
Sedibus expulsi, postquam cruor omnia rupit
Vincula, procumbunt oculi: stat lumine rapto
Attonitus, mortisque illas putat esse tenebras.
At postquam membris sensit constare vigorem,
Vos, ait, o socii, sicut tormenta soletis, 716
Me quoque mittendis rectum componite telis.
Egere quod superest animæ, Tyrrhene, per omnes
Bellorum casus. Ingentem militis usum
Hoc habet ex magna defunctum parte cadaver:
Viventis feriere loco. Sic fatus, in hostem 721
Cæca tela manu, sed non tamen irrita, mittit.
Excipit hæc juvenis generosi sanguinis Argus,
Qua jam non medius descendit in ilia venter,
Adjuvitque suo procumbens pondere ferrum.
Stabat diversa victæ jam parte carinæ 726
Infelix Argi genitor, (non ille juventæ
Tempore Phocaicis ulli cessurus in armis:
Victum ævo robur cecidit, fessusque senecta
Exemplum, non miles erat) qui funere viso 730
Sæpe cadens longæ senior per transtra carinæ
Pervenit ad puppim, spirantesque invenit artus.
Non lacrymæ cecidere genis, non pectora tundit,
Distentis toto riguit sed corpore palmis. 734
Nox subit, atque oculos vastæ obduxere tenebræ,
Et miserum cernens agnoscere desinit Argum.
Ille caput labens, et jam languentia colla
Viso patre levat; vox fauces nulla solutas
Prosequitur: tacito tantum petit oscula vultu,
Invitatque patris claudenda ad lumina dextram.
Ut torpore senex caruit, viresque cruentus 741
Cœpit habere dolor: Non perdam tempora, dixit,
A sævis permissa deis, jugulumque senilem
Confodiam. Veniam misero concede parenti,
Arge, quod amplexus, extrema quod oscula fugi.
Nondum destituit calidus tua vulnera sanguis, 746
Semianimisque jaces, et adhuc potes esse superstes.
Sic fatus, quamvis capulum per viscera missi
Polluerat gladii, tamen alta sub æquora tendit
Præcipiti saltu. Letum præcedere nati 750
Festinantem animam morti non credidit uni.
Inclinant jam fata ducum: nec jam amplius an-
Belli casus erat: Graiæ pars maxima classis [ceps
Mergitur: ast aliæ mutato remige puppes
Victores vexere suos: navalia paucæ 755
Præcipiti tenuere fuga. Quis in urbe parentum
Fletus erat! quantus matrum per littora planctus.
Conjux sæpe sui, confusis vultibus unda,
Credidit ora viri, Romanum amplexa cadaver:
Accensisque rogis miseri de corpore trunco 760
Certavere patres. At Brutus in æquore victor
Primus Cæsareis pelagi decus addidit armis.

LIBER QUARTUS.

At procul extremis terrarum Cæsar in oris
Martem sævus agit non multa cæde nocentem,
Maxima sed fati ducibus momenta daturum
Jure pari rector castris Afranius illis
Ac Petreius erat: concordia duxit in æquas 5
Imperium commune vices, tutelaque valli
Pervigil alterno paret custodia signo.
His præter Latias acies erat impiger Astur,
Vectonesque leves, profugique a gente vetusta
Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis. 10
Colle tumet modico, lenique excrevit in altum
Pingue solum tumulo: super hunc fundata vetusta
Surgit Ilerda manu: placidis prælabitur undis
Hesperios inter Sicoris non ultimus amnes,
Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu, 15
Hibernas passurus aquas. At proxima rupes
Signa tenet Magni: nec Cæsar colle minore
Castra levat: medius dirimit tentoria gurges.
Explicat hinc tellus campos effusa patentes,
Vix oculo prendente modum, camposque coercet
Cinga rapax, vetitus fluctus et littora cursu 21
Oceani pepulisse suo: nam gurgite mixto,
Qui præstat terris, aufert tibi nomen Iberus.
Prima dies belli cessavit Marte cruento, 24
Spectandasque ducum vires, numerosaque signa
Exposuit: piguit sceleris: pudor arma furentum
Continuit: patriæque et ruptis legibus unum
Donavere diem. Prono cum Cæsar Olympo
In noctem subita circumdedit agmina fossa,
Dum primæ præstant acies, hostemque fefellit,
Et prope consertis obduxit castra maniplis. 31
Luce nova collem subito conscendere cursu,
Qui medius tutam castris dirimebat Ilerdam,
Imperat: huc hostem pariter terrorque, pudorque
Impulit; et rapto tumulum prior agmine cepit.
His virtus, ferrumque locum promittit: at illis
Ipse locus. Miles rupes oneratus in altas
Nititur: adversoque acies in monte supina
Hæret, et in tergum casura umbone sequentis
Erigitur. Nulli telum vibrare vacabat, 40
Dum labat, et fixo firmat vestigia pilo, [licto
Dum scopulos, stirpesque tenent, atque hoste re-
Cædunt ense viam. Vidit lapsura ruina
Agmina dux, equitemque jubet succedere bello,
Munitumque latus lævo præducere gyro. 45
Sic pedes ex facili, nulloque urgente receptus,
Irritus, et victor subducto Marte pependit.
Hactenus armorum discrimina. Cætera bello
Fata dedit variis incertus motibus aer.
Pigro bruma gelu, siccisque Aquilonibus hærens,
Æthere constricto pluvias in nube tenebat. 51
Urebant montana nives, camposque jacentes
Non duraturæ conspecto sole pruinæ:
Atque omnis propior mergenti sidera cœlo
Aruerat tellus hiberno dura sereno. 55
Sed postquam vernus calidum Titana recepit
Sidera respiciens delapsæ portitor Helles,
Atque iterum æquatis ad justæ pondera Libræ
Temporibus vicere dies: tunc, sole relicto,
Cynthia quo primum cornu dubitanda refulsit, 60
Exclusit Boream, flammasque accepit ab Euro.
Ille suo nubes quascunque invenit in axe,
Torsit in occiduum Nabatæis flatibus orbem.
Et quas sentit Arabs, et quas Gangetica tellus
Exhalat nebulas, quicquid concrescere primus
Sol patitur, quicquid cœli fuscator Eoi 66
Impulerat Corus, quicquid defenderat Indos:
Incendere diem nubes oriente remotæ,
Nec medio potuere graves incumbere mundo,
Sed nimbos rapuere fuga. Vacat imbribus Arctos
Et Notus; in solam Calpen fluit humidus aer. 71
His ubi jam Zephyri fines, et summus Olympi
Cardo tenet Tethyn, vetitæ transcurrere densos
Involvere globos, congestumque aeris atri 74
Vix recipit spatium, quod separat æthere terram.
Jamque polo pressæ largos densantur in imbres,
Spissatæque fluunt: nec servant fulmina flammas,
Quamvis crebra micent: exstinguit fulgura nimbus.
Hinc imperfecto complectitur aera gyro
Arcus, vix ulla variatus luce colorem, 80
Oceanumque bibit, raptosque ad nubila fluctus
Pertulit, et cœlo defusum reddidit æquor.
Jamque Pyrenææ, quas nunquam solvere Titan
Evaluit, fluxere nives, fractoque madescunt
Saxa gelu. Tum, quæ solitis e fontibus exit, 85
Non habet unda vias: tam largas alveus omnis
A ripis accepit aquas. Jam naufraga campo
Cæsaris arma natant, impulsaque gurgite multo
Castra labant: alto restagnant flumina vallo.
Non pecorum raptus faciles: non pabula mersi
Ulla ferunt sulci: tectarum errore viarum 91
Fallitur occultos sparsus populator in agros.
Jamque comes semper magnorum prima malorum
Sæva fames aderat: nulloque obsessus ab hoste
Miles eget, toto censu non prodigus emit 95
Exiguam Cererem. Pro lucri pallida tabes!
Non deest prolato jejunus venditor auro.
Jam tumuli collesque latent: jam flumina cuncta
Condidit una palus, vastaque voragine mersit.
Absorpsit penitus rupes, ac tecta ferarum 100
Detulit, atque ipsas hausit: subitisque frementes
Vorticibus contorsit equos, et repulit æstus
Fortior Oceani: nec Phœbum surgere sentit
Nox subtexta polo: rerum discrimina miscet
Deformis cœli facies, junctæque tenebræ. 105
Sic mundi pars ima jacet, quam zona nivalis
Perpetuæque premunt hyemes: non sidera cœlo
Ulla videt, sterili non quicquam frigore gignit,
Sed glacie medios signorum temperat ignes.
Sic, o summe parens mundi, sic sorte secunda
Æquorei rector facias, Neptune, tridentis: 111
Et tu perpetuis impendas aera nimbis;
Tu remeare vetes quoscunque emiseris æstus.
Non habeant amnes declivem ad littora cursum,
Sed pelagi referantur aquis: concussaque tellus
Laxet iter fluviis: hos campos Rhenus inundet,
Hos Rhodanus: vastos obliquent flumina fontes.
Rhipæas huc solve nives, huc stagna lacusque,
Et pigras, ubicunque jacent, effunde paludes:
Et miseras bellis civilibus eripe terras. 120
Sed parvo Fortuna viri contenta pavore,
Plena redit, solitoque magis favere secundi,
Et veniam meruere dei. Jam clarior aer,
Et par Phœbus aquis, densas in vellera nubes

Sparserat, et noctes ventura luce rubebant: 125
Servatoque loco rerum discessit ab astris
Humor, et ima petit, quicquid pendebat aquarum.
Tollere sylva comas, stagnis emergere colles
Incipiunt, visoque die durescere valles. 129
Utque habuit ripas Sicoris, camposque reliquit,
Primum cana salix madefacto vimine parvam
Texitur in puppim, cæsoque inducta juvenco
Vectoris patiens tumidum superenatat amnem.
Sic Venetus stagnante Pado, fusoque Britannus
Navigat Oceano: sic, cum tenet omnia Nilus,
Conseritur bibula Memphitis cymba papyro. 136
His ratibus trajecta manus festinat utrinque
Succisum curvare nemus: fluviique ferocis
Incrementa timens, non primis robora ripis
Imposuit: medios pontem distendit in agros. 140
Ac ne quid Sicoris repetitis audeat undis,
Spargitur in sulcos, et scisso gurgite rivis
Dat pœnas majoris aquæ. Postquam omnia fatis
Cæsaris ire videt, celsam Petreius Ilerdam
Deserit: et noti diffisus viribus orbis, 145
Indomitos quærit populos, et semper in arma
Martis amore feros, et tendit in ultima mundi.
Nudatos Cæsar colles, desertaque castra
Conspiciens, capere arma jubet: nec quærere pontem,
Nec vada, sed duris fluvium superare lacertis. 150
Paretur: rapuitque ruens in prœlia miles,
Quod fugiens timuisset, iter. Mox uda receptis
Membra fovent armis, gelidosque a gurgite cursu
Restituunt artus, donec decresceret umbra 154
In medium surgente die. Jamque agmina summa
Carpit eques, dubiique fugæ pugnæque tenentur.
Attollunt campo geminæ juga saxea rupes
Valle cavæ media: tellus hinc ardua celsos
Continuat colles: tutæ quos inter opacò
Anfractu latuere viæ: quibus hoste potito 160
Faucibus, emitti terrarum in devia Martem,
Inque feras gentes Cæsar videt. Ite sine ullo
Ordine, ait, raptumque fuga convertite bellum,
Et faciem pugnæ, vultusque inferte minaces:
Nec liceat pavidis ignava occumbere morte: 165
Excipiant recto fugientes pectore ferrum.
Dixit: et ad montes tendentem prævenit hostem.
Illic exiguo paulum distantia vallo
Castra locant. Postquam spatio languentia nullo
Mutua conspicuos habuerunt lumina vultus, 170
Et fratres, natosque suos videre, patresque;
Deprensum est civile nefas. Tenuere parumper
Ora metu: tantum nutu, motoque salutant
Ense suos. Mox ut stimulis majoribus ardens
Rupit amor leges, audet transcendere vallum 175
Miles, in amplexus effusas tendere palmas.
Hospitis ille ciet nomen: vocat ille propinquum:
Admonet hunc studiis consors puerilibus ætas:
Nec Romanus erat, qui non agnoverat hostem.
Arma rigant lacrymis, singultibus oscula rumpunt. 180
Et quamvis nullo maculatus sanguine miles,
Quæ potuit fecisse, timet. Quid pectora pulsas?
Quid, vesane, gemis? fletus quid fundis inanes?
Nec te sponte tua sceleri parere fateris?
Usque adeone times, quem tu facis ipse timendum?
Classica det bello; sævos tu neglige cantus: 186
Signa ferat; cessa: jam jam civilis Erinnys
Concidet, et Cæsar generum privatus amabit.
Nunc ades, æterno complectens omnia nexu,
O rerum, mixtique salus Concordia mundi, 190
Et sacer orbis amor: magnum nunc secula nostra
Venturi discrimen habent. Periere latebræ
Tot scelerum: populo venia est erepta nocenti.
Agnovere suos. Pro numine fata sinistro
Exigua requie tantas augentia clades! 195
Pax erat, et miles castris permixtus utrisque
Errabat: duro concordes cespite mensas
Instituunt, et permixto libamina Baccho.
Graminei luxere foci: junctoque cubili
Extrahit insomnes bellorum fabula noctes: 200
Quo primum steterint campo, qua lancea dextra
Exierit. Dum, quæ gesserunt fortia, jactant,
Et dum multa negant, quod solum fata petebant,
Est miseris renovata fides, atque omne futurum
Crevit amore nefas. Nam postquam fœdera pacis
Cognita Petreio, seque, et sua tradita venum 206
Castra videt, famulas scelerata ad prœlia dextras
Excitat, atque hostes turba stipatus inermes
Præcipitat castris, junctosque amplexibus ense
Separat, et multo disturbat sanguine pacem. 210
Addidit ira ferox moturas prœlia voces:
Immemor o patriæ, signorum oblite tuorum,
Non potes hoc causæ, miles, præstare senatus,
Assertor victo redeas ut Cæsare: certe, 214
Ut vincare potes. Dum ferrum, incertaque fata,
Quique fluat multo non deerit vulnere sanguis,
Ibitis ad dominum? damnataque signa feretis?
Utque habeat famulos nullo discrimine Cæsar
Exorandus erit? ducibus quoque vita petenda est?
Nunquam nostra salus pretium mercesque nefandæ 220
Proditionis erit: non hoc civilia bella,
Ut vivamus, agunt. Trahimur sub nomine pacis.
Non chalybem gentes penitus fugiente metallo
Eruerent, nulli vallarent oppida muri,
Non sonipes in bella ferox, non iret in æquor 225
Turrigeras classis pelago sparsura carinas,
Si bene libertas unquam pro pace daretur.
Hostes nempe meos sceleri jurata nefando
Sacramenta tenent: at vobis vilior hoc est
Vestra fides, quod pro causa pugnabitis æqua.
Sed veniam sperare licet. Pro dira pudoris 231
Funera! nunc toto fatorum ignarus in orbe,
Magne, paras acies, mundique extrema tenentes
Sollicitas reges, cum forsan fœdere nostro 234
Jam tibi sit promissa salus. Sic fatur, et omnes
Concussit mentes, scelerumque reduxit amorem.
Sic ubi desuetæ sylvis in carcere clauso
Mansuevere feræ, et vultus posuere minaces,
Atque hominem didicere pati: si torrida parvus
Venit in ora cruor, redeunt rabiesque furorque,
Admonitæque tument gustato sanguine fauces:
Fervet, et a trepido vix abstinet ira magistro.
Itur in omne nefas: et quæ Fortuna deorum
Invidia cæca bellorum in nocte tulisset,
Fecit nostra Fides: inter mensasque torosque, 245
Quæ modo complexu foverunt pectora, cædunt.
Et quamvis primo ferrum strinxere gementes
Ut dextræ justi gladius dissuasor adhæsit,
Dum feriunt, odere suos, animosque labantes
Confirmant ictu. Fervent jam castra tumultu, 250
Et scelerum turba: rapiuntur colla parentum.
Ac velut occultum pereat scelus, omnia monstra
In faciem posuere ducum: juvat esse nocentes
Tu, Cæsar, quamvis spoliatus milite multo,
Agnoscis superos: neque enim tibi major in arvis
Emathiis fortuna fuit, nec Phocidos undis 256
Massiliæ, Phario nec tantum est æquore gestum.
Hoc siquidem solo civilis crimine belli
Dux causæ melioris eris. Polluta nefanda 259
Agmina cæde duces junctis committere castris
Non audent, altæque ad mœnia rursus Ilerdæ

Intendere fugam. Campos eques obvius omnes
Abstulit, et siccis inclusit collibus hostem.
Tunc inopes undæ prærupta cingere fossa
Cæsar avet, nec castra pati contingere ripas, 265
Aut circum largos curvari brachia fontes.
Ut leti videre viam, conversus in iram
Præcipitem timor est. Miles non utile clausis
Auxilium mactavit equos: tandemque coactus
Spe posita damnare fugam, casurus in hostes 270
Fertur. Ut effuso Cæsar decurrere passu
Vidit, et ad certam devotos tendere mortem:
Tela tene jam, miles, ait, ferrumque ruenti
Subtrahe: non ullo constet mihi sanguine bellum:
Vincitur haud gratis, jugulo qui provocat hostem.
En sibi vilis adest invisa luce juventus, 276
Jam damno peritura meo: non sentiet ictus;
Incumbet gladiis, gaudebit sanguine fuso.
Deserat hic fervor mentes, cadat impetus amens,
Perdant velle mori. Sic deflagrare minaces 280
Incassum, et vetito passus languescere bello,
Substituit merso dum nox sua lumina Phœbo.
Inde ubi nulla data est miscendæ copia mortis,
Paulatim cadit ira ferox, mentesque tepescunt.
Saucia majores animos ut pectora gestant, 285
Dum dolor est, ictusque recens, et mobile nervis
Conamen calidus præbet cruor, ossaque nondum
Adduxere cutem: si conscius ensis adacti
Stat victor, tenuitque manus, tum frigidus artus
Alligat, atque animum subducto robore torpor,
Postquam sicca rigens adstrinxit vulnera sanguis.
Jamque inopes undæ: primum tellure refossa
Occultos latices, abstrusaque flumina quærunt:
Nec solum rastris, durisque ligonibus arva,
Sed gladiis fodere suis: puteusque cavati 295
Montis ad irrigui premitur fastigia campi.
Non se tam penitus, tam longe luce relicta
Merserit Assyrii scrutator pallidus auri.
Non tamen aut tectis sonuerunt cursibus amnes,
Aut micuere novi percusso pumice fontes: 300
Antra nec exiguo stillant sudantia rore,
Aut impulsa levi turbatur glarea vena.
Tunc exhausta super multo sudore juventus
Extrahitur, duris silicum lassata metallis.
Quoque minus possent siccos tolerare vapores,
Quæsitæ fecistis aquæ. Nec languida fessi 306
Corpora sustentant epulis, mensasque perosi
Auxilium fecere famem. Si mollius arvum
Prodidit humorem, pingues manus utraque glebas
Exprimit ora super. Nigro si turbida limo 310
Colluvies immota jacet, cadit omnis in haustus
Certatim obscænos miles, moriensque recepit,
Quas nollet victurus, aquas: rituque ferarum
Distentas siccant pecudes, et lacte negato
Sordidus exhausto sorbetur ab ubere sanguis. 315
Tunc herbas, frondesque terunt, et rore madentes
Distringunt ramos: et si quos palmite crudo,
Arboris aut tenera succos pressere medulla.
O fortunati, fugiens quos barbarus hostis
Fontibus immixto stravit per rura veneno. 320
Hos licet in fluvios saniem, tabemque ferarum,
Pallida Dictæis, Cæsar, nascentia saxis
Infundas aconita palam, Romana juventus
Non decepta bibet. Torrentur viscera flamma,
Oraque sicca rigent squamosis aspera linguis. 325
Jam marcent venæ, nulloque humore rigatus
Aeris alternos angustat pulmo meatus,
Rescissoque nocent suspiria dura palato.
Pandunt ora siti, nocturnumque aera captant.
Exspectant imbres, quorum modo cuncta natabant 330
Impulsu, et siccis vultus in nubibus hærent.
Quoque magis miseros undæ jejunia solvant,
Non super arentem Meroen, Cancrique sub axe,
Qua nudi Garamantes arant, sedere: sed inter
Stagnantem Sicorim, et rapidum deprensus Iberum 335
Spectat vicinos sitiens exercitus amnes.
Jam domiti cessere duces, pacisque petendæ
Auctor damnatis supplex Afranius armis,
Semianimes in castra trahens hostilia turmas,
Victoris stetit ante pedes. Servata precanti 340
Majestas, non fracta malis, interque priorem
Fortunam casusque novos, gerit omnia victi,
Sed ducis, et veniam securo pectore poscit.
Si me degeneri stravissent fata sub hoste,
Non deerat fortis rapiendo dextera leto: 345
At nunc sola mihi est orandæ causa salutis,
Dignum donanda, Cæsar, te credere vita.
Non partis studiis agimur, nec sumsimus arma
Consiliis inimica tuis. Nos denique bellum
Invenit civile duces: causæque priori, 350
Dum potuit, servata fides: nil fata moramur.
Tradimus Hesperias gentes, aperimus Eoas,
Securumque orbis patimur post terga relicti
Nec cruor effusus campis tibi bella peregit,
Nec ferrum, lassæque manus. Hoc hostibus unum, 355
Quod vincas, ignosce tuis. Nec magna petuntur.
Otia des fessis, vitam patiaris inermem
Degere, quam tribuis: campis prostrata jacere
Agmina nostra putes: nec enim felicibus armis
Misceri damnata decet, partemque triumphi 360
Captos ferre tui: turba hæc sua fata peregit.
Hoc petimus, victos ne tecum vincere cogas.
Dixerat: at facilis Cæsar vultuque serenus
Flectitur, atque usum belli pœnamque remittit.
Ut primum justæ placuerunt fœdera pacis, 365
Incustoditos decurrit miles ad amnes;
Incumbit ripis, permissaque flumina turbat.
Continuus multis subitarum tractus aquarum
Aera non passus vacuis discurrere venis, 369
Arctavit clausitque animam: nec fervida pestis
Cedit adhuc; sed morbus egens jam gurgite plenis
Visceribus sibi poscit aquas. Mox robora nervis,
Et vires rediere viris. O prodiga rerum
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu,
Et quæsitorum terra pelagoque ciborum 375
Ambitiosa fames, et lautæ gloria mensæ,
Discite, quam parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat. Non erigit ægros
Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus: 379
Non auro murrhaque bibunt: sed gurgite puro
Vita redit. Satis est populis fluviusque Ceresque
Heu miseri, qui bella gerunt. Tunc arma relinquens
Victori miles, spoliato pectore tutus
Innocuusque suas curarum liber in urbes
Spargitur. O quantum donata pace potitos 385
Excussis unquam ferrum vibrasse lacertis
Pœnituit, tolerasse sitim, frustraque rogasse
Prospera bella deos. Nempe usis Marte secundo
Tot dubiæ restant acies, tot in orbe labores:
Ut nunquam fortuna labet successibus anceps, 390
Vincendum toties: terras fundendus in omnes
Est cruor, et Cæsar per tot sua fata sequendus.
Felix, qui potuit mundi nutante ruina,
Quo jaceat jam scire loco. Non prœlia fessos
Ulla vocant, certos non rumpunt classica somnos.
Jam conjux, natique rudes, et sordida tecta, 396
Et non deductos recipit sua terra colonos.

Hoc quoque securis oneris fortuna remisit,
Sollicitus menti quod abest favor : ille salutis
Est auctor, dux ille fuit. Sic prœlia soli 400
Felices nullo spectant civilia voto.
Non eadem belli totum fortuna per orbem
Constitit : in partes aliquid sed Cæsaris ausa est,
Qua maris Adriaci longas ferit unda Salonas,
Et tepidum in molles Zephyros excurrit Iader. 405
Illic bellaci confisus gente Curetum,
Quos alit Adriaco tellus circumflua ponto,
Clauditur extrema residens Antonius ora,
Cautus ab incursu belli, si sola recedat, 409
Expugnat quæ tuta, fames. Non pabula tellus
Pascendis submittit equis, non proserit ullam
Flava Ceres segetem : spoliabat gramine campum
Miles, et attonso miseris jam dentibus arvo
Castrorum siccas de cespite vulserat herbas.
Ut primum adversæ socios in littore terræ 415
Et Basilum videre ducem, nova furta per æquor
Exquisita fugæ : neque enim de more carinas
Extendunt, puppesque levant, sed firma gerendis
Molibus insolito contexunt robora ductu.
Namque ratem vacuæ sustentant undique cuppæ,
Quarum porrectis series constricta catenis 421
Ordinibus geminis obliquas excipit alnos.
Nec gerit expositum telis in fronte patenti
Remigium : sed, quod trabibus circumdedit æquor,
Hoc ferit, et taciti præbet miracula cursus, 425
Quod nec vela ferat, nec apertas verberet undas.
Tunc freta servantur, dum se declivibus undis
Æstus agat, refluoque mari nudentur arenæ.
Jamque relabenti crescebant littora ponto ;
Missa ratis prono defertur lapsa profundo, 430
Et geminæ comites. Cunctas super ardua turris
Eminet, et tremulis tabulata minantia pinnis.
Noluit Illyricæ custos Octavius undæ
Confestim tentare ratem, celeresque carinas
Continuit, cursu crescat dum præda secundo : 435
Et temere ingressos repetendum invitat ad æquor
Pace maris. Sic dum pavidos formidine cervos
Claudat odoratæ metuentes aera pennæ,
Aut dum dispositis attollat retia varis
Venator, tenet ora levis clamosa Molossi ; 440
Spartanos, Cretasque ligat : nec creditur ulli
Sylva cani, nisi qui presso vestigia rostro
Colligit, et præda nescit latrare reperta,
Contentus tremulo monstrasse cubilia loro. 444
Nec mora : complentur moles, avideque petitis
Insula deseritur ratibus, quo tempore primas
Impulit ad noctem jam lux extrema tenebras.
At Pompeianus fraudes innectere ponto
Antiqua parat arte Cilix, passusque vacare
Summa freti, medio suspendit vincula ponto, 450
Et laxas fluitare sinit, religatque catenas
Rupis ab Illyricæ scopulis. Nec prima, nec illa
Quæ sequitur, tardata ratis : sed tertia moles
Hæsit, et ad cautes adducto fune secuta est. 454
Impendent cava saxa mari, ruituraque semper
Stat (mirum) moles, et sylvis æquor inumbrat.
Huc fractas Aquilone rates, submersaque pontus
Corpora sæpe tulit, cæcisque abscondit in antris :
Restituit rupes tectum mare, cumque cavernæ
Evomuere fretum, contorti vorticis undæ 460
Tauromenitanam vincunt fervore Charybdim.
Hic Opiterginis moles onerata colonis
Constitit : hanc omni puppes statione solutæ
Circueunt : alii rupes ac littora complent.
Vulteius tacitas sensit suo gurgite fraudes, 465
(Dux erat ille ratis) frustra qui vincula ferro
Rumpere conatus, poscit spe prœlia nulla,
Incertus qua terga daret, qua pectora bello.
Hoc tamen in casu, quantum deprensa valebat,
Effecit virtus : inter tot millia captæ 470
Circumfusa rati, et plenam vix inde cohortem,
Pugna fuit, non longa quidem : nam condidit atra
Nox lucem dubiam, pacemque habuere tenebræ.
Tunc sic attonitam, venturaque fata paventem
Rexit magnanima Vulteius voce cohortem : 475
Libera non ultra parva quam nocte juventus,
Consulite extremis angusto in tempore rebus.
Vita brevis nulli superest, qui tempus in illa
Quærendæ sibi mortis habet : nec gloria leti
Inferior, juvenes, admoto occurrere fato. 480
Omnibus incerto venturæ tempore vitæ
Par animi laus est, et quos speraveris annos
Perdere, et extremæ momentum abrumpere lucis,
Accersas dum fata manu. Non cogitur ullus
Velle mori. Fuga nulla patet : stant undique nostris 485
Intenti cives jugulis. Decernite letum, [est.
Et metus hinc absit : cupias quodcunque necesse
Non tamen in cæca bellorum nube cadendum est,
Ut cum permixtis acies sua tela tenebris 489
Involvunt. Conserta jacent cum corpora campo,
In medium mors omnis abit, perit obruta virtus.
Nos in conspicua sociis hostique carina
Constituere dei. Præbebunt æquora testes,
Præbebunt terræ, summis dabit insula saxis.
Spectabunt geminæ diverso e littore partes. 495
Nescio quod nostris magnum et memorabile fatis
Exemplum, Fortuna, paras. Quæcunque per ævum
Exhibuit monimenta fides, servataque ferro
Militiæ pietas, transibit nostra juventus. 499
Namque suis pro te gladiis incumbere, Cæsar,
Esse parum scimus : sed non majora supersunt
Obsessis, tanti quæ pignora demus amoris.
Abscindit nostræ multum sors invida laudi,
Quod non cum senibus capti natisque tenemur.
Indomitos sciat esse viros, timeatque furentes 505
Et morti faciles animos, et gaudeat hostis
Non plures hæsisse rates. Tentare parabunt
Fœderibus, turpique volent corrumpere vita.
O utinam, quo plus habeat mors unica famæ,
Promittant veniam, jubeant sperare salutem : 510
Ne nos, cum calido fodiemus viscera ferro,
Desperasse putent. Magna virtute merendum est,
Cæsar ut, amissis inter tot millia paucis, [sum,
Hoc damnum clademque vocet. Dent fata reces-
Emittantque licet, vitare instantia nolim. 515
Projeci vitam, comites, totusque futuræ
Mortis agor stimulis : furor est. Agnoscere solis
Permissum est, quos jam tangit vicinia fati,
Victurosque dei celant, ut vivere durent,
Felix esse mori. Sic cunctas sustulit ardor 520
Nobilium mentes juvenum : cum sidera cœli,
Ante ducis voces, oculis humentibus omnes
Aspicerent, flexoque Ursæ temone paverent·
Idem, cum fortes animos præcepta subissent,
Optavere diem. Nec segnis mergere ponto 525
Tunc erat astra polus : nam sol Ledæa tenebat
Sidera, vicino cum lux altissima Cancro est :
Nox tuis Thessalicas urgebat parva sagittas.
Detegit orta dies stantes in rupibus Istros,
Pugnacesque mari Graia cum classe Liburnos.
Tentavere prius suspenso vincere bello 531
Fœderibus, fieret captis si dulcior ipsa
Mortis vita mora. Stabat devota juventus
Damnata jam luce ferox, securaque pugnæ
Promisso sibi fine manu : nullique tumultus 535

Excussere viris mentes ad summa paratas:
Innumerasque simul pauci terraque marique
Sustinuere manus: tanta est fiducia mortis.
Utque satis bello visum est fluxisse cruoris,
Versus ab hoste furor: primus dux ipse carinæ
Vulteius jugulo poscens jam fata retecto, 541
Ecquis, ait, jùvenum est, cujus sit dextra cruore
Digna meo, certaque fide per vulnera nostra
Testetur se velle mori? nec plura locuto
Viscera non unus jamdudum transigit ensis. 545
Collaudat cunctos: sed eum, cui vulnera prima
Debebat, grato moriens interficit ictu.
Concurrunt alii, totumque in partibus unis
Bellorum fecere nefas. Sic semine Cadmi
Emicuit Dircæa cohors, ceciditque suorum 550
Vulneribus, dirum Thebanis fratribus omen:
Phasidos et campis insomni dente creati
Terrigenæ, missa magicis e cantibus ira,
Cognato tantos implerunt sanguine sulcos: 554
Ipsaque, inexpertis quod primum fecerat herbis,
Expavit Medea nefas. Sic mutua pacti [rorum
Fata cadunt juvenes: minimumque in morte vi-
Mors virtutis habet: pariter sternuntque caduntque
Vulnere letali: nec quenquam dextra fefellit,
Cum feriat moriente manu. Nec vulnus adactis
Debetur gladiis: percussum est pectore ferrum,
Et jugulis pressere manum. Cum sorte cruenta
Fratribus incurrant fratres, natusque parenti:
Haud trepidante tamen toto cum pondere dextra
Exegere enses. Pietas ferientibus una, 565
Non repetisse, fuit. Jam latis viscera lapsa
Semianimes traxere foris, multumque cruoris
Infudere mari. Despectam cernere lucem,
Victoresque suos vultu spectare superbo,
Et mortem sentire juvat. Jam strage cruenta 570
Conspicitur cumulata ratis: bustisque remittunt
Corpora victores, ducibus mirantibus, ulli
Esse ducem tanti. Nullam majore locuta est
Ore ratem totum discurrens fama per orbem.
Non tamen ignavæ post hæc exempla virorum
Percipient gentes, quam sit non ardua virtus 576
Servitium fugisse manu sed regna timentur
Ob ferrum, et sævis libertas uritur armis:
Ignoratque datos, ne quisquam serviat, enses.
Mors, utinam pavidos vitæ subducere nolles, 580
Sed virtus te sola daret! Non segnior illo
Marte fuit, qui tunc Libycis exarsit in arvis.
Namque rates audax Lilybæo littore solvit
Curio: nec forti velis aquilone recepto,
Inter semirutas magnæ Carthaginis arces 585
Et Clupeam tenuit stationis littora notæ:
Primaque castra locat cano procul æquore, qua se
Bagrada lentus agit siccæ sulcator arenæ.
Inde petit tumulos, exesasque undique rupes,
Antæi quæ regna vocat non vana vetustas. 590
Nominis antiqui cupientem noscere causas,
Cognita per multos docuit rudis incola patres.
Nondum post genitos Tellus effeta gigantes,
Terribilem Libycis partum concepit in antris.
Nec tam justa fuit terrarum gloria Typhon, 595
Aut Tityos, Briareusque ferox: cœloque pe
percit
Quod non Phlegræis Antæum sustulit arvis.
Hoc quoque tam vastas cumulavit munere vires
Terra sui fetus, quod, cum tetigere parentem,
Jam defecta vigent renovato robore membra. 600
Hæc illi spelunca domus: latuisse sub alta
Rupe ferunt, epulas raptos habuisse leones.
Ad somnos non terga feræ præbere cubile
Assuerunt, non sylva torum: viresque resumit
In nuda tellure jacens. Periere coloni 605
Arvorum Libyes: pereunt, quos appulit æquor.
Auxilioque diu virtus non usa cadendi,
Terræ spernit opes: invictus robore cunctis,
Quamvis staret, erat. Tandem vulgata cruenti
Fama mali terras monstris æquorque levantem
Magnanimum Alciden Libycas excivit in oras.
Ille Cleonæi projecit terga leonis,
Antæus Libyci. Perfudit membra liquore
Hospes, Olympiacæ servato more palæstræ.
Ille parum fidens pedibus contingere matrem, 615
Auxilium membris calidas infudit arenas
Conseruere manus, et multo brachia nexu.
Colla diu gravibus frustra tentata lacertis:
Immotumque caput fixa cum fronte tenetur.
Miranturque habuisse parem. Nec viribus uti
Alcides primo voluit certamine totis, 621
Exhausitque virum: quod creber anhelitus illi
Prodidit, et gelidus fesso de corpore sudor.
Tunc cervix lassata quati: tunc pectore pectus
Urgeri: tunc obliqua percussa labare 625
Crura manu. Jam terga viri cedentia victor
Alligat, et medium compressis ilibus arctat,
Inguinaque insertis pedibus distendit, et omnem
Explicuit per membra virum. Rapit arida tellus
Sudorem: calido complentur sanguine venæ:
Intumuere tori, totosque induruit artus, 631
Herculeosque novo laxavit corpore nodos.
Constitit Alcides stupefactus robore tanto
Nec sic Inachiis, quamvis rudis esset, in undis
Defectam timuit reparatis anguibus hydram.
Conflixere pares, telluris viribus ille, 636
Ille suis. Nunquam sævæ sperare novercæ
Plus licuit. Videt exhaustos sudoribus artus,
Cervicemque viri, siccam cum ferret Olympum.
Utque iterum fessis injecit brachia membris, 640
Non exspectatis Antæus viribus hostis,
Sponte cadit, majorque accepto robore surgit
Quisquis inest terris, in fessos spiritus artus
Egeritur: tellusque viro luctante laborat.
Ut tandem auxilium tactæ prodesse parentis 645
Alcides sensit: standum est tibi, dixit, et ultra
Non credere solo, sternique vetabere terra:
Hærebis pressis intra mea pectora membris·
Huc, Antæe, cades. Sic fatus, sustulit alte
Nitentem in terras juvenem. Morientis in artus
Non potuit nati Tellus submittere vires. 651
Alcides medium tenuit. Jam pectora pigro
Stricta gelu, terrisque diu non credidit hostem
Hinc ævi veteris custos, famosa vetustas
Miratrixque sui, signavit nomine terras. 655
Sed majora dedit cognomina collibus istis,
Pœnum qui Latiis revocavit ab arcibus hostem
Scipio. Nam sedes Libyca tellure potito
Hæc fuit. En veteris cernis vestigia valli.
Romana hos primum tenuit victoria campos. 660
Curio lætatus, tanquam fortuna locorum
Bella gerat, servetque ducum sibi fata priorum,
Felici non fausta loco tentoria ponens,
Indulsit castris, et collibus abstulit omen,
Sollicitatque feros non æquis viribus hostes. 665
Omnis Romanis quæ cesserat Africa signis,
Tunc Vari sub jure fuit: qui robore quanquam
Confisus Latio, regis tamen undique vires
Excivit Libycas gentes, extremaque mundi
Signa suum comitata Jubam. Non fusior ulli 670
Terra fuit domino: qua sunt longissima regna,
Cardine ab occiduo vicinus Gadibus Atlas
Terminat: a medio confinis Syrtibus Ammon.

At qua lata jacet, vasti plaga fervida regni
Distinet Oceanum, zonæque exusta calentis 675
Sufficiunt spatio, populi tot castra sequuntur,
Autololes, Numidæque vagi, semperque paratus
Inculto Gætulus equo : tum concolor Indo
Maurus, inops Nasamon, misti Garamante perusto
Marmaridæ volucres, æquaturusque sagittas 680
Medorum, tremulum cum torsit missile, Mazax :
Et gens quæ nudo residens Massylia dorso
Ora levi flectit frenorum nescia virga :
Et solitus vacuis errare mapalibus Afer
Venator, ferrique simul fiducia non est, 685
Vestibus iratos laxis operire leones.
Nec solum studiis civilibus arma parabat,
Privatæ sed bella dabat Juba concitus iræ.
Hunc quoque, quo superos humanaque polluit anno,
Lege tribunitia solio depellere avorum 690
Curio tentarat, Libyamque auferre tyranno,
Dum regnum te, Roma, facit. Memor ille doloris
Hoc bellum sceptri fructum putat esse retenti.
Hac igitur regis trepidat jam Curio fama,
Et quod Cæsareis nunquam devota juventus 695
Illa nimis castris, nec Rheni miles in undis
Exploratus erat, Corfini captus in arce,
Infidusque novis ducibus, dubiusque priori,
Fas utrumque putat. Sed postquam languida segni
Cernit cuncta metu, nocturnaque munia valli 700
Desolata fuga, trepida sic mente profatur :
Audendo magnus tegitur timor : arma capessam
Ipse prior : campum miles descendat in æquum,
Dum meus est : variam semper dant otia mentem.
Eripe consilium pugna : cum dira voluntas 705
Ense subit prenso, galeæ texere pudorem,
Quis conferre duces meminit ? quis pendere causas ?
Qua stetit, inde favet : veluti fatalis arenæ
Muneribus non ira vetus concurrere cogit
Productos : odere pares. Sic fatus, apertis 710
Instruxit campis acies : quem blanda futuris
Deceptura malis belli fortuna recepit.
Nam pepulit Varum campo, nudataque fœda
Terga fuga, donec vetuerunt castra, cecidit.
Tristia sed postquam superati prœlia Vari 715
Sunt audita Jubæ . lætus quod gloria belli
Sit rebus servata suis, rapit agmina furtim,
Obscuratque suam per jussa silentia famam ;
Hoc solum metuens incautus ab hoste timeri.
Mittitur, exigua qui prœlia prima lacessat 720
Eliciatque manu, Numidis a rege secundus,
Ut sibi commissi simulator Sabbura belli .
Ipse cava regni vires in valle retentat :
Aspidas ut Pharias cauda sollertior hostis
Ludit, et iratas incerta provocat umbra : 725
Obliquansque caput vanas serpentis in auras,
Effusæ tuto comprendit guttura morsu
Letiferam citra saniem : tunc irrita pestis
Exprimitur, faucesque fluunt pereunte veneno.
Fraudibus eventum dederat fortuna : feroxque
Non exploratis occulti viribus hostis, 731
Curio nocturnum castris erumpere cogit,
Ignotisque equitem late decurrere campis.
Ipse sub Auroræ primos excedere motus 734
Signa jubet castris, multum frustraque rogatus,
Ut Libycas metuat fraudes, infectaque semper
Punica bella dolis. Leti fortuna propinqui
Tradiderat fatis juvenem : bellumque trahebat
Auctorem civile suum. Super ardua ducit
Saxa, super cautes abrupto limite signa. 740
Cum procul e summis conspecti collibus hostes.
Fraude sua cessere parum, dum colle relicto
Effusam patulis aciem committeret arvis.
Ille fugam credens, simulatæ nescius artis,
Ut victor, medios aciem projecit in agros. 745
Tunc primum patuere doli, Numidæque fugaces
Undique completis clauserunt montibus agmen.
Obstupuit dux ipse simul, perituraque turba.
Non timidi petiere fugam, non prœlia fortes :
Quippe ubi non sonipes motus clangore tubarum
Saxa quatit pulsu, rigidos vexantia frenos 751
Ora terens, spargitque jubas, et surrigit aures,
Incertoque pedum pugnat non stare tumultu.
Fessa jacet cervix : fumant sudoribus armi :
Oraque projecta squalent arentia lingua : 755
Pectora rauca gemunt, quæ creber anhelitus urget:
Et defecta gravis longe trahit ilia pulsus :
Siccaque sanguineis durescit spuma lupatis.
Jamque gradum neque verberibus stimulisque coacti,
Nec quamvis crebris jussi calcaribus, addunt.
Vulneribus coguntur equi, nec profuit ulli 761
Cornipedis rupisse moras : neque enim impetus illis
Incursusque fuit ; tantum profertur ad hostes
Et spatium jaculis oblato vulnere donat.
At vagus Afer equos ut primum emisit in agmen,
Tunc campi tremuere sono : terraque soluta, 766
Quantus Bistonio torquetur turbine pulvis,
Aera nube sua texit, traxitque tenebras.
Ut vero in pedites fatum miserabile belli
Incubuit ; nullo dubii discrimine Martis 770
Ancipites steterunt casus, sed tempora pugnæ
Mors tenuit. Neque enim licuit procurrere contra
Et miscere manus. Sic undique septa juventus
Cominus obliquis, et rectis eminus hastis
Obruitur : non vulneribus, nec sanguine, solum
Telorum nimbo peritura, et pondere ferri. 776
Ergo acies tantæ parvum spissantur in orbem :
Ac, si quis metuens medium correpsit in agmen,
Vix impune suos inter convertitur enses :
Densaturque globus, quantum pede prima relato
Constrinxit gyros acies. Non arma movendi 781
Jam locus est pressis : stipataque membra teruntur.
Frangitur armatum colliso pectore pectus.
Non tam læta tulit victor spectacula Maurus,
Quam fortuna dabat : fluvios non ille cruoris, 785
Membrorumque videt lapsum, et ferientia terram
Corpora : compressum turba stetit omne cadaver.
Excitet invisas diræ Carthaginis umbras
Inferiis fortuna novis : ferat ista cruentus
Annibal, et Pœni tam dira piacula manes. 790
Romanam, superi, Libyca tellure ruinam
Pompeio prodesse nefas, votisque senatus.
Africa nos potius vincat sibi. Curio fusas
Ut vidit campis acies, et cernere tantas
Permisit clades compressus sanguine pulvis, 795
Non tulit afflictis animam producere rebus,
Aut sperare fugam : ceciditque in strage suorum
Impiger ad letum, et fortis virtute coacta. [que,
Quid nunc rostra tibi prosunt turbata, forum-
Unde tribunitia plebeius signifer arce 800
Arma dabas populis ? quid prodita jura senatus,
Et gener atque socer bello concurrere jussi ?
Ante jaces, quam dira duces Pharsalia confert,
Spectandumque tibi bellum civile negatum est.
Has Urbi miseræ vestro de sanguine pœnas 805
Ferre datis : luitis jugulo sic arma, potentes.
Felix Roma quidem, civesque habitura beatos,
Si libertatis superis tam cura placeret,

Quam vindicta placet. Libycas en nobile corpus
Pascit aves nullo contectus Curio busto. 810
At tibi nos (quando non proderit ista silere,
A quibus omne ævi senium sua fama repellit,)
Digna damus, juvenis, meritæ præconia vitæ.
Haud alium tanta civem tulit indole Roma,
Aut cui plus leges deberent recta sequenti. 815
Perdita tunc Urbi nocuerunt sæcula, postquam
Ambitus, et luxus, et opum metuenda facultas
Transverso mentem dubiam torrente tulerunt:
Momentumque fuit mutatus Curio rerum,
Gallorum captus spoliis, et Cæsaris auro. 820
Jus licet in jugulos nostros sibi fecerit ense
Sylla potens, Mariusque ferox, et Cinna cruentus
Cæsareæque domus series; cui tanta potestas
Concessa est? emere omnes, hic vendidit Urbem

LIBER QUINTUS.

Sic alterna duces bellorum vulnera passos
In Macedûm terras, miscens adversa secundis,
Servavit fortuna pares. Jam sparserat Hæmo
Bruma nives, gelidoque cadens Atlantis Olympo:
Instabatque dies, qui dat nova nomina fastis, 5
Quique colit primus ducentem tempora Janum.
Dum tamen emeriti remanet pars ultima juris,
Consul uterque vagos belli per munia patres
Elicit Epirum. Peregrina ac sordida sedes
Romanos cepit proceres: secretaque rerum 10
Hospes in externis audivit curia tectis.
Nam quis castra vocet tot strictas jure secures,
Tot fasces? docuit populos venerabilis ordo
Non Magni partes, sed Magnum in partibus esse.
Ut primum mœstum tenuere silentia cœtum, 15
Lentulus excelsa sublimis sede profatur:
Indole si dignum Latia, si sanguine prisco
Robur inest animis; non qua tellure coacti,
Quamque procul tectis captæ sedeamus ab urbis
Cernite; sed vestræ faciem cognoscite turbæ: 20
Cunctaque jussuri primum hoc decernite, patres,
Quod regnis populisque liquet, nos esse senatum.
Nam, vel Hyperboreæ plaustrum glaciale sub Ursæ,
Vel plaga qua torrens, claususque vaporibus axis
Nec patitur noctes, nec iniquos crescere soles, 25
Si fortuna ferat, rerum nos summa sequetur,
Imperiumque comes. Tarpeia sede perusta
Gallorum facibus, Veiosque habitante Camillo,
Illic Roma fuit. Non unquam perdidit ordo
Mutato sua jura solo. Mœrentia tecta 30
Cæsar habet, vacuasque domos, legesque silentes,
Clausaque justitio tristi fora: curia solos
Illa videt Patres, plena quos urbe fugavit.
Ordine de tanto quisquis non exsulat, hic est.
Ignaros scelerum, longaque in pace quietos 35
Bellorum primus sparsit furor: omnia rursus
Membra loco redeunt. En totis viribus orbis
Hesperiam pensant superi: jacet hostis in undis
Obrutus Illyricis: Libyæ squalentibus arvis
Curio Cæsarei cecidit pars magna senatus. 40
Tollite signa, duces: fatorum impellite cursum:
Spem vestram præstate deis: fortunaque tantos
Det vobis animos, quantos fugientibus hostem
Causa dabat. Nostrum exhausto jus clauditur anno:
Vos, quorum finem non est sensura potestas, 45
Consulite in medium, patres, Magnumque jubete
Esse ducem. Læto nomen clamore senatus
Excipit, et Magno fatum patriæque suumque
Imposuit. Tunc in reges populosque merentes
Sparsus honos, pelagique potens Phœbeia donis
Exornata Rhodos, gelidique inculta juventus 51
Taygeti: fama veteres laudantur Athenæ:
Massiliæque suæ donatur libera Phocis. [arma
Tunc Sadalen, fortemque Cotyn, fidumque per
Deiotarum, et gelidæ dominum Rhasipolin oræ
Collaudant: Libyamque jubent auctore senatu
Sceptrifero parere Jubæ. Pro tristia fata!
Et tibi, non fidæ gentis dignissime regno,
Fortunæ, Ptolemæe, pudor, crimenque deorum,
Cingere Pellæo pressos diademate crines 60
Permissum: sævum in populos, puer, accipis ensem:
Atque utinam in populos! donata est regia Lagi;
Accessit Magni jugulus: regnumque sorori
Ereptum est, soceroque nefas. Jam turba soluto
Arma petit cœtu: quæ cum populique ducesque
Casibus incertis, et cæca sorte pararent, 66
Solus in ancipites metuit descendere Martis
Appius eventus: finemque expromere rerum
Sollicitat superos, multosque obducta per annos
Delphica fatidici reserat penetralia Phœbi. 70
Hesperio tantum, quantum semotus Eoo
Cardine, Parnassus gemino petit æthera colle,
Mons Phœbo Bromioque sacer: cui numine misto
Delphica Thebanæ referunt trieterica Bacchæ.
Hoc solum fluctu terras mergente cacumen 75
Eminuit, pontoque fuit discrimen et astris.
Tu quoque vix summam seductus ab æquore rupem
Extuleras, unoque jugo, Parnasse, latebas.
Ultor ibi expulsæ premerent cum viscera partus
Matris, adhuc rudibus Pæan Pythona sagittis 80
Explicuit, cum regna Themis tripodasque teneret.
Ut vidit Pæan vastos telluris hiatus
Divinam spirare fidem, ventosque loquaces
Exhalare solum, sacris se condidit antris,
Incubuitque adyto, vates ibi factus, Apollo. 85
Quis latet hic superûm? quod numen ab æthere pressum
Dignatur cæcas inclusum habitare cavernas?
Quis terram cœli patitur deus, omnia cursus
Æterni secreta tenens, mundique futuri
Conscius, ac populis sese proferre paratus, 90
Contactusque ferens hominis, magnusque, potensque,
Sive canit fatum, seu quod jubet ipse canendo
Fit fatum? Forsan terris inserta regendis,
Aere libratum vacuo quæ sustinet orbem,
Totius pars magna Jovis Cirrhæa per antra 95
Exit, et ætherio trahitur connexa Tonanti
Hoc ubi virgineo conceptum est pectore numen
Humanam feriens animam sonat, oraque vatis
Solvit, ceu Siculus flammis urgentibus Ætnam
Undat apex; Campana fremens ceu saxa vaporat

Conditus Inarimes æterna mole Typhoeus. [tum
Hoc tamen expositum cunctis, nullique nega-
Numen, ab humani solum se labe furoris
Vindicat: haud illic tacito mala vota susurro
Concipiunt. Nam fixa canens, mutandaque nulli,
Mortales optare vetat: justisque benignus 106
Sæpe dedit sedem totas mutantibus urbes,
Ut Tyriis: dedit ille minas impellere belli,
Ut Salaminiacum meminit mare. Sustulit iras
Telluris sterilis, monstrato fine: resolvit 110
Aera tabificum. Non ullo sæcula dono
Nostra carent majore deûm, quam Delphica sedes
Quod siluit, postquam reges timuere futura,
Et superos vetuere loqui. Nec voce negata
Cirrhææ mœrent vates, templique fruuntur 115
Justitio. Nam si qua deus sub pectora venit,
Numinis aut pœna est mors immatura recepti,
Aut pretium: quippe stimulo fluctuque furoris
Compages humana labat, pulsusque deorum
Concutiunt fragiles animas. Sic tempore longo
Immotos tripodas, vastæque silentia rupis 121
Appius Hesperii scrutator ad ultima fati
Sollicitat. Jussus sedes laxare verendas
Antistes, pavidamque deis immittere vatem,
Castalios circum latices, nemorumque recessus
Phemonoen errore vagam, curisque vacantem 126
Corripuit, cogitque fores irrumpere templi.
Limine terrifico metuens consistere Phœbas,
Absterrere ducem noscendi ardore futuri
Cassa fraude parat. Quid spes (ait) improba veri
Te, Romane, trahit? muto Parnassus hiatu 131
Conticuit, pressitque deum: seu spiritus istas
Destituit fauces, mundique in devia versum
Duxit iter: seu barbarica cum lampade Pytho
Arsit, in immensas cineres abiere cavernas, 135
Et Phœbi tenuere viam: seu sponte deorum
Cirrha silet, fatique sat est arcana futuri
Carmine longævæ vobis commissa Sibyllæ:
Seu Pæan solitus templis arcere nocentes,
Ora quibus solvat nostro non invenit ævo. 140
Virginei patuere doli, fecitque negatis
Numinibus metus ipse fidem. Tunc torta priores
Stringit vitta comas, crinesque in terga solutos
Candida Phocaica complectitur infula lauro.
Hærentem, dubiamque premens in templa sacerdos
Impulit. Illa pavens adyti penetrale remoti 146
Fatidicum, prima templorum in parte resistit:
Atque deum simulans, sub pectore ficta quieto
Verba refert, nullo confusæ murmure vocis
Instinctam sacro mentem testata furore, 150
Haud æque læsura ducem, cui falsa canebat,
Quam tripodas Phœbique fidem. Non rupta trementi
Verba sono, nec vox antri complere capacis
Sufficiens spatium, nulloque horrore comarum
Excussæ laurus, immotaque culmina templi, 155
Securumque nemus, veritam se credere Phœbo
Prodiderant. Sentit tripodas cessare, furensque
Appius: Et nobis meritas dabis, impia, pœnas,
Et superis, quos fingis, ait, nisi mergeris antris,
Deque orbis trepidi tanto consulta tumultu 160
Desinis ipsa loqui. Tandem conterrita virgo
Confugit ad tripodas, vastisque abducta cavernis
Hæsit, et insueto concepit pectore numen,
Quod non exhaustæ per tot jam sæcula rupis
Spiritus ingessit vati: tandemque potitus 165
Pectore Cirrhæo, non unquam plenior artus
Phœbados irrupit Pæan: mentemque priorem
Expulit, atque hominem toto sibi cedere jussit
Pectore. Bacchatur demens aliena per antrum
Colla ferens, vittasque dei, Phœbeaque serta 170
Erectis discussa comis, per inania templi
Ancipiti cervice rotat, spargitque vaganti
Obstantes tripodas, magnoque exæstuat igne,
Iratum te, Phœbe, ferens: nec verbere solo
Uteris, et stimulis; flammas in viscera mergis.
Accipit et frenos: nec tantum prodere vati, 176
Quantum scire, licet. Venit ætas omnis in unam
Congeriem, miserumque premunt tot sæcula pectus.
Tanta patet rerum series, atque omne futurum
Nititur in lucem, vocemque petentia fata 180
Luctantur: non prima dies, non ultima mundi,
Non modus Oceani, numerus non deerat arenæ.
Talis in Euboico vates Cumana recessu,
Indignata suum multis servire furorem
Gentibus, ex tanta fatorum strage superba 185
Excerpsit Romana manu. Sic plena laborat
Phemonoe Phœbo, dum te, consultor operti
Castalia tellure dei, vix invenit, Appi,
Inter fata diu quærens tam magna latentem.
Spumea tunc primum rabies vesana per ora 190
Effluit, et gemitus, et anhelo clara meatu
Murmura: tunc mœstus vastis ululatus in antris,
Extremæque sonant, domita jam virgine, voces.
Effugis ingentes, tanti discriminis expers,
Bellorum, Romane, minas: solusque quietem 195
Euboici vasta lateris convalle tenebis.
Cætera suppressit, faucesque obstruxit Apollo.
Custodes tripodes fatorum, arcanaque mundi,
Tuque potens veri, Pæan, nullumque futuri
A superis celate diem, suprema ruentis 200
Imperii, cæsosque duces, et funera regum,
Et tot in Hesperio collapsas sanguine gentes
Cur aperire times? an nondum numina tantum
Decrevere nefas? et adhuc dubitantibus astris
Pompeii damnare caput tot fata tenentur? 205
Vindicis an gladii facinus, pœnasque furorum,
Regnaque ad ultores iterum redeuntia Brutos,
Ut peragat fortuna, taces? tunc pectore vatis
Impactæ cessere fores, exclusaque templis 209
Prosiluit: perstat rabies, nec cuncta locuta est.
Quem non emisit, superest deus. Ille feroces
Torquet adhuc oculos, totoque vagantia cœlo
Lumina: nunc vultu pavido, nunc torva minaci,
Stat nunquam facies: rubor igneus inficit ora,
Liventesque genas: nec, qui solet esse timenti,
Terribilis sed pallor inest: nec fessa quiescunt
Corda; sed ut tumidus Boreæ post flamina pontus
Rauca gemit; sic multa levant suspiria vatem.
Dumque a luce sacra, qua vidit fata, refertur
Ad vulgare jubar, mediæ venere tenebræ. 220
Immisit Stygiam Pæan in viscera Lethen,
Quæ raperet secreta deûm. Tum pectore verum
Fugit, et ad Phœbi tripodas rediere futura:
Vixque refecta cadit. Nec te vicinia leti
Territat ambiguis frustratum sortibus, Appi: 225
Jure sed incerto mundi, subsidere regnum
Chalcidos Euboicæ, vana spe rapte, parabas.
Heu demens, nullum belli sentire fragorem,
Tot mundi caruisse malis, præstare deorum
Excepta quis Morte potest! secreta tenebis 230
Littoris Euboici memorando condite busto,
Qua maris angustat fauces saxosa Carystos,
Et tumidis infesta colit qua numina Rhamnus,
Arctatus rapido fervet qua gurgite pontus,
Euripusque trahit, cursum mutantibus undis, 235
Chalcidicas puppes ad iniquam classibus Aulim.
Interea domitis Cæsar remeabat Iberis,
Victrices aquilas alium laturus in orbem:

Cum prope fatorum tantos per prospera cursus
Avertere dei. Nullo nam Marte subactus, 240
Intra castrorum timuit tentoria ductor
Perdere successus scelerum: cum pæne fideles
Per tot bella manus satiatæ sanguine tandem
Destituere ducem: seu mœsto classica paulum
Intermissa sono, claususque et frigidus ensis
Expulerat belli furias: seu præmia miles 246
Dum majora petit, damnat causamque ducemque,
Et scelere imbutos etiam nunc venditat enses.
Haud magis expertus discrimine Cæsar in ullo est,
Quam non e stabili, tremulo sed culmine cuncta
Despiceret, staretque super titubantia fultus. 251
Tot raptis truncus manibus, gladioque relictus
Pæne suo, qui tot gentes in bella trahebat,
Scit non esse ducis strictos, sed militis enses.
Non pavidum jam murmur erat, nec pectore tecto
Ira latens: nam quæ dubias constringere mentes
Causa solet, dum quisque pavet, quibus ipse timori est,
Seque putat solum regnorum injusta gravari,
Haud retinet. Quippe ipsa metus exsolverat audax
Turba suos. Quicquid multis peccatur, inultum est. 260
Effudere minas: Liceat discedere, Cæsar,
A rabie scelerum. Quæris terraque marique
His ferrum jugulis, animasque effundere viles
Quolibet hoste paras: partem tibi Gallia nostri
Eripuit: partem duris Hispania bellis: 265
Pars jacet Hesperia: totoque exercitus orbe
Te vincente perit. Terris fudisse cruorem
Quid juvat Arctois, Rhodano Rhenoque subactis?
Tot mihi pro bellis bellum civile dedisti.
Cepimus expulso patriæ cum tecta senatu, 270
Quos hominum, vel quos licuit spoliare deorum?
Imus in omne nefas, manibus ferroque nocentes,
Paupertate pii. Finis quis quæritur armis?
Quid satis est, si Roma parum? jam respice canos,
Invalidasque manus, et inanes cerne lacertos. 275
Usus abit vitæ: bellis consumsimus ævum.
Ad mortem dimitte senes. En improba vota:
Non duro liceat morientia cespite membra
Ponere, non anima galeam fugiente ferire,
Atque oculos morti clausuram quærere dextram,
Conjugis illabi lacrymis, unique paratum 281
Scire rogum. Liceat morbis finire senectam.
Sit præter gladios aliquod sub Cæsare fatum.
Quid, velut ignaros ad quæ portenta paremur,
Spe trahis? usque adeo soli civilibus armis 285
Nescimus cujus sceleris sit maxima merces?
Nil actum est bellis, si nondum comperit istas
Omnia posse manus. Nec fas, nec vincula juris
Hoc audere vetant. Rheni mihi Cæsar in undis
Dux erat, hic socius. Facinus quos inquinat, æquat. 290
Adde, quod ingrato meritorum judice virtus
Nostra perit. Quicquid gerimus, fortuna vocatur.
Nos fatum sciat esse suum. Licet omne deorum
Obsequium speres, irato milite, Cæsar,
Pax erit. Hæc fatus, totis discurrere castris 295
Cœperat, infestoque ducem deposcere vultu.
Sic eat, o superi, quando pietasque fidesque
Destituunt, moresque malos sperare relictum est;
Finem civili faciat discordia bello.
Quem non ille ducem potuit terrere tumultus!
Fata sed in præceps solitus demittere Cæsar, 301
Fortunamque suam per summa pericula gaudens
Exercere, venit: nec, dum desæviat ira,
Esxpectat; medios properat tentare furores.
Non illis urbes, spoliandaque templa negasset, 305
Tarpeiamque Jovis sedem, matresque senatus,
Passurasque infanda nurus. Vult omnia Cæsar
A se sæva peti, vult præmia Martis amari:
Militis indomiti tantum mens sana timetur.
Non pudet heu, Cæsar, soli tibi bella placere 310
Jam manibus damnata tuis? hos ante pigebit
Sanguinis? his ferri grave jus erit? ipse per omne
Fasque nefasque rues? lassare, et disce sine armis
Posse pati: liceat scelerum tibi ponere finem.
Sæve, quid insequeris? quid jam nolentibus instas? 315
Bellum te civile fugit. Stetit aggere fultus
Cespitis, intrepidus vultu, meruitque timeri
Non metuens: atque hæc ira dictante profatur:
Qui modo in absentem vultu, dextraque furebas,
Miles, habes nudum, promtumque ad vulnera pectus. 320
Hic, fuge, si belli finis placet, ense relicto.
Detegit imbelles animos nil fortiter ausa
Seditio, tantumque fugam meditata juventus,
Ac ducis invicti rebus lassata secundis.
Vadite, meque meis ad bella relinquite fatis: 325
Invenient hæc arma manus, vobisque repulsis
Tot reddet fortuna viros, quot tela vacabunt.
Anne fugam Magni tanta cum classe sequuntur
Hesperiæ gentes; nobis victoria turbam
Non dabit, impulsi tantum quæ præmia belli 330
Auferat, et vestri rapta mercede laboris
Lauriferos nullo comitetur vulnere currus?
Vos defecta senes, exhaustaque sanguine turba
Cernetis nostros jam plebs Romana triumphos.
Cæsaris an cursus vestræ sentire putatis 335
Damnum posse fugæ? veluti si cuncta minentur
Flumina, quos miscent pelago, subducere fontes,
Non magis ablatis unquam decresceret æquor,
Quam nunc crescit, aquis: an vos momenta putatis
Ulla dedisse mihi? nunquam sic cura deorum 340
Se premit, ut vestræ morti, vestræque saluti
Fata vacent. Procerum motus hæc cuncta sequuntur.
Humanum paucis vivit genus. Orbis Iberi
Horror et Arctoi, nostro sub nomine miles,
Pompeio certe fugeres duce. Fortis in armis 345
Cæsareis Labienus erat: nunc transfuga vilis
Cum duce prælato terras atque æquora lustrat.
Nec melior mihi vestra fides, si bella nec hoste,
Nec duce me geritis: quisquis mea signa relinquit,
Nec Pompeianis tradit sua partibus arma, 350
Hic nunquam vultesse meus. Sunt ista profecto
Curæ castra deis, qui me committere tantis
Non nisi mutato voluerunt milite bellis.
Heu quantum fortuna humeris jam pondere fessis
Amolitur onus! sperantes omnia dextras 355
Exarmare datur, quibus hic non sufficit orbis.
Jam certe mihi bella geram: discedite castris:
Tradite nostra viris ignavi signa Quirites.
At paucos, quibus hæc rabies auctoribus arsit,
Non Cæsar, sed pœna tenet. Procumbite terræ,
Infidumque caput, feriendaque tendite colla. 361
Et tu, quo solo stabunt jam robore castra,
Tiro rudis, specta pœnas, et disce ferire,
Disce mori. Tremuit sæva sub voce minantis
Vulgus iners: unumque caput, tam magna juventus 365
Privatum factura timet: velut ensibus ipsis
Imperet, invito moturus milite ferrum.
Ipse pavet, ne tela sibi dextræque negentur
Ad scelus hoc, Cæsar: vicit patientia sævi 369
Spem ducis, et jugulos, non tantum præstitit enses

Nil magis adsuetas sceleri, quam perdere, mentes,
Atque perire, tenet. Tam diro fœderis ictu
Parta quies, pœnaque redit placata juventus.
Brundusium decimis jubet hanc attingere castris,
Et cunctas revocare rates, quas avius Hydrus, 375
Antiquusque Taras, secretaque littora Leucæ,
Quas recipit Salapina palus, et subdita Sipus
Montibus: Ausoniam qua torquens frugifer oram,
Dalmatico Boreæ, Calabroque obnoxius Austro
Appulus Adriacas exit Garganus in undas. 380
Ipse petit trepidam tutus sine milite Romam,
Jam doctam servire togæ: populoque precanti
Scilicet indulgens, summum dictator honorem
Contigit, et lætos fecit se consule fastos. 384
Namque omnes voces, per quas jam tempore tanto
Mentimur dominis, hæc primum reperit ætas,
Qua sibi ne ferri jus ullum Cæsar abesset,
Ausonias voluit gladiis miscere secures.
Addidit et fasces aquilis, et nomen inane
Imperii rapiens, signavit tempora digna 390
Mœsta nota. Nam quo melius Pharsalicus annus
Consule notus erit? Fingit sollennia campus,
Et non admissæ dirimit suffragia plebis,
Decantatque tribus, et vana versat in urna.
Nec cœlum servare licet: tonat augure surdo,
Et lætæ jurantur aves bubone sinistro. 396
Inde perit primum quondam veneranda potestas
Juris inops: careat tantum ne nomine tempus,
Menstruus in fastos distinguit secula consul.
Nec non Iliacæ numen quod præsidet Albæ 400
Haud meritum Latio sollennia sacra subacto
Vidit flammifera confectas nocte Latinas.
Inde rapit cursus, et, quæ piger Appulus arva
Deseruit rastris, et inerti tradidit herbæ,
Ocior et cœli flammis, et tigride feta 405
Transcurrit: curvique tenens Mincia tecta
Brundusii, clausas ventis brumalibus undas
Invenit, et pavidas hiberno sidere classes.
Turpe duci visum est rapiendi tempora belli
In segnes exisse moras, portuque teneri, 410
Dum pateat tutum vel non felicibus æquor.
Expertes animos pelagi sic robore complet:
Fortius hiberni flatus, cœlumque fretumque
Cum cepere, tenent, quam quos incumbere certos
Perfida nubiferi vetat inconstantia veris. 415
Nec maris anfractus, lustrandaque littora nobis,
Sed recti fluctus, soloque Aquilone secandi.
Hic utinam summi curvet carchesia mali,
Incumbatque furens, et Graia ad mœnia perflet,
Ne Pompeiani Phæacum e littore toto 420
Languida jactatis comprendant carbasa remis:
Rumpite, quæ retinent felices vincula proras,
Jamdudum nubes, et sævas perdimus undas.
Sidera prima poli, Phœbo labente sub undas,
Exierant, et luna suas jam fecerat umbras: 425
Cum pariter solvere rates, totosque rudentes
Laxavere sinus: et flexo navita cornu
Obliquat lævo pede carbasa, summaque pandens
Suppara velorum perituras colligit auras.
Ut primum levior propellere lintea ventus 430
Incipit, exiguumque tument, mox reddita malo
In mediam cecidere ratem: terraque relicta
Non valet ipsa sequi puppes, quæ vexerat aura.
Æquora lenta jacent alto torpore ligata.
Pigrius immotis hæsere paludibus undæ. 435
Sic stat iners Scythicas adstringens Bosporus undas,
Cum glacie retinente fretum non impulit Ister,
Immensumque gelu tegitur mare: comprimit unda,
Deprendit quascunque rates: nec pervia velis
Æquora frangit eques, fluctuque latente sonantem
Orbita migrantis scindit Mæotida Bessi. 441
Sæva quies pelagi, mœstoque ignava profundo
Stagna jacentis aquæ, veluti deserta rigente
Æquora natura cessant: Pontusque vetustas
Oblitus servare vices non commeat æstu, 445
Non horrore tremit, non solis imagine vibrat.
Casibus innumeris fixæ patuere carinæ.
Illinc infestæ classes, et inertia tonsis
Æquora moturæ; gravis hinc languore profundi
Obsessis ventura fames. Nova vota timori 450
Sunt inventa novo, fluctus nimiasque precari
Ventorum vires, dum se torpentibus unda
Excutiat stagnis, et sit mare. Nubila nusquam,
Undarumque minæ: cœlo languente fretoque
Naufragii spes omnis abit. Sed nocte fugata 455
Læsum nube diem jubar extulit, imaque sensim
Concussit pelagi, movitque Ceraunia nautis.
Inde rapi cœpere rates, atque æquora classem
Curva sequi, quæ jam vento fluctuque secundo
Lapsa Palæstinas uncis confixit arenas. 460
Prima duces vidit junctis consistere castris
Tellus, quam volucer Genusus, quam mollior Apsus
Circueunt ripis. Apso gestare carinas
Causa palus, leni quam fallens egerit unda.
At Genusum nunc sole nives, nunc imbre solutæ
Præcipitant: neuter longo se gurgite lassat, 466
Sed minimum terræ vicino littore novit.
Hoc Fortuna loco tantæ duo nomina famæ
Composuit: miserique fuit spes irrita mundi,
Posse duces, parva campi statione diremtos, 470
Admotum damnare nefas. Nam cernere vultus,
Et voces audire datur: multosque per annos
Dilectus tibi, Magne, socer, post pignora tanta,
Sanguinis infausti sobolem, mortemque nepotis,
Te nisi Niliaca propius non vidit arena. 475
Cæsaris attonitam miscenda ad prœlia mentem
Ferre moras scelerum partes jussere relictæ.
Ductor erat cunctis audax Antonius armis,
Jam tum civili meditatus Leucada bello.
Illum sæpe minis Cæsar, præcibusque morantem
Evocat: O mundi tantorum causa malorum,
Quid superos, et fata tenes? sunt cætera cursu
Acta meo, summam rapti per prospera belli
Te poscit Fortuna manum. Num rupta vadosis
Syrtibus incerto Libye nos dividit æstu? 485
Numquid inexperto tua credimus arma profundo
Inque novos traheris casus? ignave, venire
Te Cæsar, non ire, jubet. Prior ipse per hostes
Percussi medias alieni juris arenas.
Tu mea castra times? pereuntia tempora fati 490
Conqueror: in ventos impendo vota fretumque.
Ne retine dubium cupientes ire per æquor:
Si bene nota mihi est, ad Cæsaris arma juventus
Naufragio venisse volet. Jam voce doloris
Utendum est: non ex æquo divisimus orbem.
Epirum Cæsarque tenet, totusque senatus: 496
Ausoniam tu solus habes. His terque quaterque
Vocibus excitum postquam cessare videbat,
Dum se deesse deis, at non sibi numina credit:
Sponte per incautas audet tentare tenebras, 500
Quod jussi timuere, fretum: temeraria prono
Expertus cessisse deo: fluctusque verendos
Classibus, exigua sperat superare carina.
Solverat armorum fessas nox languida curas:
Parta quies miseris, in quorum pectora somno 505
Dat vires fortuna minor: jam castra silebant:
Tertia jam vigiles commoverat hora secundos.

Cæsar sollicito per vasta silentia gressu
Vix famulis audenda parat: cunctisque relictis
Sola placet Fortuna comes. Tentoria postquam
Egressus, vigilum somno cedentia membra 511
Transiluit, questus tacite quod fallere posset;
Littora curva legit, primisque invenit in undis
Rupibus exesis hærentem fune carinam.
Rectorem dominumque ratis secura tenebat 515
Haud procul inde domus, non ullo robore fulta,
Sed sterili junco cannaque intexta palustri,
Et latus inversa nudum munita phaselo.
Hæc Cæsar bis terque manu quassantia tectum
Limina commovit. Molli consurgit Amyclas,
Quem dabat alga, toro. Quisnam mea naufragus, inquit, 521
Tecta petit? aut quem nostræ fortuna coegit
Auxilium sperare casæ? Sic fatus, ab alto
Aggere, jam tepidæ sublato fune favillæ,
Scintillam tenuem commotos pavit in ignes, 525
Securus belli: prædam civilibus armis
Scit non esse casas. O vitæ tuta facultas
Pauperis, angustique lares! o munera nondum
Intellecta deûm! quibus hoc contingere templis
Aut potuit muris, nullo trepidare tumultu 530
Cæsarea pulsante manu? tum poste recluso
Dux ait: Exspecta votis majora modestis,
Spesque tuas laxa, juvenis, si jussa secutus
Me vehis Hesperiam, non ultra cuncta carinæ
Debebis, manibusque inopem duxisse senectam.
Ne cessa præbere deo tua fata, volenti 536
Angustos opibus subitis implere penates.
Sic fatur; quanquam plebeio tectus amictu,
Indocilis privata loqui. Tam pauper Amyclas:
Multa quidem prohibent nocturno credere ponto;
Nam sol non rutilas deduxit in æquora nubes,
Concordesque tulit radios: Noton altera Phœbi,
Altera pars Borean diducta luce vocabat.
Orbe quoque exhaustus medio, languensque recessit,
Spectantes oculos infirmo lumine passus. 545
Lunaque non gracili surrexit lucida cornu,
Aut orbis medii puros exesa recessus:
Nec duxit recto tenuata cacumina cornu,
Ventorumque nota rubuit: tum lurida pallens
Ora tulit vultu sub nubem tristis ituro. 550
Sed mihi nec motus nemorum, nec littoris ictus,
Nec placet incertus, qui provocat æquora, delphin: [volare
Aut siccum quod mergus amat: quodque ausa
Ardea sublimis, pennæ confisa natanti: [brem,
Quodque caput spargens undis, velut occupet im-
Instabili gressu metitur littora cornix. 556
Sed si magnarum poscunt discrimina rerum,
Haud dubitem præbere manus: vel littoratangam
Jussa, vel hoc potius pelagus flatusque negabunt.
Hæc fatur, solvensque ratem dat carbasa ventis:
Ad quorum motus non solum lapsa per altum 561
Aera dispersos traxere cadentia sulcos
Sidera; sed summis etiam quæ fixa tenentur
Astra polis, sunt visa quati. Niger inficit horror
Terga maris: longo per multa volumina tractu
Æstuat unda minax: flatusque incerta futuri 566
Turbida testantur conceptos æquora ventos.
Tunc rector trepidæ fatur ratis: Adspice sævum
Quanta paret pelagus: Zephyrosne intendat an Euros [tus.
Incertum est: puppim dubius ferit undique pon-
Nubibus et cœlo Notus est: si murmura ponti
Consulimus, Cori verrent mare. Gurgite tanto
Nec ratis Hesperias tanget, nec naufragus oras.
Desperare viam, et vetitos convertere cursus
Sola salus. Liceat vexata littora puppe 575
Prendere, ne longe nimium sit proxima tellus.
Fisus cuncta sibi cessura pericula Cæsar,
Sperne minas, inquit, pelagi, ventoque furenti
Trade sinum. Italiam si cœlo auctore recusas,
Me pete. Sola tibi causa hæc est justa timoris,
Vectorem non nosse tuum; quem numina nunquam 581
Destituunt; de quo male tunc Fortuna meretur,
Cum post vota venit: medias perrumpe procellas
Tutela secure mea. Cœli iste fretique, [sam
Non puppis nostræ labor est: hanc Cæsare pres-
A fluctu defendet onus. Nec longa furori 586
Ventorum sævo dabitur mora: proderit undis
Ista ratis. Nec flecte manum: fuge proxima velis
Littora: tum Calabro portu te crede potitum,
Cum jam non poterit puppi, nostræque saluti
Altera terra dari. Quid tanta strage paretur 591
Ignoras? quærit pelagi cœlique tumultu
Quid præstet Fortuna mihi. Non plura locuto
Avulsit laceros percussa puppe rudentes
Turbo rapax, fragilemque super volitantia malum
Vela tulit: sonuit victis compagibus alnus. 596
Inde ruunt toto concita pericula mundo.
Primus ab Oceano caput exseris Atlanteo,
Core, movens æstus: jam te tollente furebat
Pontus, et in scopulos totas erexerat undas. 600
Occurrit gelidus Boreas, pelagusque retundit:
Et dubium pendet, vento cui concidat, æquor.
Sed Scythici vicit rabies Aquilonis, et undas
Torsit, et abstrusas penitus vada fecit arenas. 604
Nec præfert pontum Boreas ad saxa, suumque
In fluctus Cori frangit mare: motaque possunt
Æquora subductis etiam concurrere ventis.
Non Euri cessasse minas, non imbribus atrum
Æolii jacuisse Notum sub carcere saxi
Crediderim: cunctos solita de parte ruentes 610
Defendisse suas violento turbine terras,
Sic pelagus mansisse loco. Nam parva procellis
Æquora rapta ferunt: Ægæas transit in undas
Tyrrhenum: sonat Ionio vagus Adria ponto.
Ah quoties frustra pulsatos æquore montes 615
Obruit illa dies! quam celsa cacumina pessum
Tellus victa dedit! non illo littore surgunt
Tam validi fluctus, alioque ex orbe voluti
A magno venere mari, mundumque coercens
Monstriferos agit unda sinus. Sic rector Olympi
Cuspide fraterna lassatum in sæcula fulmen 621
Adjuvit, regnoque accessit terra secundo,
Cum mare convolvit gentes, cum littora Tethys
Noluit ulla pati, cœlo contenta teneri. [astra,
Tunc quoque tanta maris moles crevisset in
Ni superum rector pressisset nubibus undas. 626
Non cœli nox illa fuit: latet obsitus aer
Infernæ pallore domus, nimbisque gravatus
Deprimitur, fluctusque in nubibus accipit imbrem.
Lux etiam metuenda perit, nec fulgura currunt
Clara, sed obscurum nimbosus dissilit aer. 631
Tunc superûm convexa tremunt, atque arduus axis
Insonuit, motaque poli compage laborant.
Extimuit Natura chaos: rupisse videntur
Concordes elementa moras, rursusque redire 635
Nox Manes mistura deis. Spes una salutis,
Quod tanta mundi nondum periere ruina.
Quantum Leucadio placidus de vertice pontus
Despicitur, tantum nautæ videre trementes
Fluctibus e summis præceps mare: cumque tumentes 640

Rursus hiant undæ, vix eminet æquore malus.
Nubila tanguntur velis, et terra carina.
Nam pelagus, qua parte sedet, non celat arenam
Exhaustum in cumulos, omnisque in fluctibus unda est. 644
Artis opem vicere metus: nescitque magister,
Quam frangat, cui cedat aquæ. Discordia ponti
Succurrit miseris, fluctusque evertere puppim
Non valet in fluctus: victum latus unda repellens
Erigit, atque omni surgit ratis ardua vento.
Non humilem Sasona vadis, non littora curvæ
Thessaliæ saxosa pavent, oræque malignos 651
Ambraciæ portus: scopulosa Ceraunia nautæ
Summa timent. Credit jam digna pericula Cæsar
Fatis esse suis. Tantusne evertere, dixit,
Me superis labor est, parva quem puppe sedentem 655
Tam magno petiere mari? si gloria leti
Est pelago donata mei, bellisque negamur, [tem
Intrepidus, quamcunque datis mihi numina, mor-
Accipiam. Licet ingentes abruperit actus
Festinata dies fatis: sat magna peregi. 660
Arctoas domui gentes: inimica subegi [dum.
Arma metu: vidit Magnum mihi Roma secun-
Jussa plebe tuli fasces per bella negatos:
Nulla meis aberit titulis Romana potestas. 664
Nesciat hoc quisquam, nisi tu, quæ sola meorum
Conscia votorum es, me, quamvis plenus honorum,
Et dictator eam Stygias, et consul ad umbras,
Privatum, Fortuna, mori. Mihi funere nullo
Est opus, o superi: lacerum retinete cadaver
Fluctibus in mediis: desint mihi busta rogusque,
Dum metuar semper, terraque exspecter ab omni.
Hæc fatum decimus, dictu mirabile, fluctus
Invalida cum puppe levat: nec rursus ab alto
Aggere dejecit pelagi, sed pertulit unda,
Scruposisque angusta vacant ubi littora saxis, 675
Imposuit terræ. Pariter tot regna, tot urbes,
Fortunamque suam tacta tellure recepit. [qua.
Sed non tam remeans Cæsar jam luce propin-
Quam tacita sua castra fuga comitesque fefellit.
Circumfusa duci flevit, gemituque suorum, 680
Et non ingratis incessit turba querelis.
Quo te, dure, tulit virtus temeraria, Cæsar?
Aut quæ nos viles animas in fata relinquens,
Invitis spargenda dabas tua membra procellis?
Cum tot in hac anima populorum vita salusque
Pendeat, et tantus caput hoc sibi fecerit orbis,
Sævitia est voluisse mori. Nullusne tuorum
Emeruit comitum, fatis non posse superstes
Esse tuis? cum te raperet mare, corpora segnis
Nostra sopor tenuit. Pudet heu! tibi causa petendæ [quam
Hæc fuit Hesperiæ? visum est committere quen-
Tam sævo crudele mari? sors ultima rerum
In dubios casus, et prona pericula mortis
Præcipitare solet. Mundi jam summa tenentem
Permisisse mari! tantum quid numina lassas?
Sufficit ad fatum belli favor iste laborque 696
Fortunæ, quod te nostris impegit arenis?
Hinc usus placuere deûm, non rector ut orbis,
Nec dominus rerum, sed felix naufragus esses?
Talia jactantes, discussa nocte, serenus 700
Oppressit cum sole dies, fessumque tumentes
Composuit pelagus ventis patientibus undas.
Nec non Hesperii lassatum fluctibus æquor
Ut videre duces, purumque insurgere cœlo
Fracturum pelagus Boream, solvere carinas, 705
Quas ventus, doctæque pari moderamine dextræ
Permixtas habuere diu: latumque per æquor
Ut terrestre, coit, consertis puppibus, agmen.
Sed nox sæva modum venti, velique tenorem
Eripuit nautis, excussitque ordine puppes. 710
Strymona sic gelidum, bruma pellente, relinquunt
Poturæ te, Nile, grues, primoque volatu
Effingunt varias, casu monstrante, figuras:
Mox ubi percussit tensas Notus altior alas,
Confusos temere immistæ glomerantur in orbes,
Et turbata perit dispersis littera pennis. 716
Cum primum redeunte die volentior aer
Puppibus incubuit, Phœbeo concitus ortu,
Præte reunt frustra tentati littora Lissi,
Nymphæumque tenent, nudas Aquilonibus undas.
Succedens Boreæ jam portum fecerat Auster. 721
Undique collatis in robur Cæsaris armis,
Summa videns duri Magnus discrimine Martis
Jam castris instare suis, seponere tutum
Conjugii decrevit onus, Lesboque remotam 725
Te procul a sævi strepitu, Cornelia, belli [æquas
Occulere. Heu quantum mentes dominatur in
Justa Venus! dubium trepidumque ad prœlia, Magne,
Te quoque fecit amor: quod nolles stare sub ictu
Fortunæ, quo mundus erat Romanaque fata, 730
Conjux sola fuit. Mentem jam verba paratam
Destituunt, blandæque juvat ventura trahentem
Indulgere moræ, et tempus subducere fatis.
Nocte sub extrema, pulso torpore quietis,
Dum fovet amplexu gravidum Cornelia curis 735
Pectus, et aversi petit oscula grata mariti;
Humentes mirata genas, percussaque cæco
Vulnere, non audet flentem deprendere Magnum.
Ille gemens, Non nunc, vita mihi dulcior, inquit,
Cum tædet vitæ, læto sed tempore, conjux, 740
Venit mœsta dies, et quam nimiumque parumque
Distulimus: jam totus adest in prœlia Cæsar.
Cedendum est bellis: quorum tibi tuta latebra
Lesbos erit. Desiste preces tentare: negavi
Jam mihi: non longos a me patiere recessus.
Præcipites aderunt casus: properante ruina, 746
Summa cadunt. Satis est audisse pericula Magni
Meque tuus decepit amor, civilia bella
Si spectare potes. Nam me, jam Marte parato,
Securos cepisse pudet cum conjuge somnos, 750
Eque tuo, miserum quatient cum classica mundum,
Surrexisse sinu. Vereor civilibus armis
Pompeium nullo tristem committere damno.
Tutior interea populis, et tutior omni
Rege late, positamque procul fortuna mariti 755
Non tota te mole premat. Si numina nostras
Impulerint acies, maneat pars optima Magni;
Sitque mihi, si fata premant victorque cruentus,
Quo fugisse velim. Vix tantum infirma dolorem
Cepit, et attonito cesserunt pectore sensus. 760
Tandem ut vox mœstas potuit proferre querelas:
Nil mihi de fatis thalami superisque relictum est,
Magne, queri: nostros non rumpit funus amores,
Nec diri fax summa rogi: sed sorte frequenti
Plebeiaque nimis careo dimissa marito. 765
Hostis ad adventum rumpamus fœdera tædæ:
Placemus socerum. Sic est tibi cognita, Magne,
Nostra fides? credisne aliquid mihi tutius esse,
Quam tibi? nonne olim casu pendemus ab uno?
Fulminibus me, sæve, jubes tantæque ruinæ 770
Absentem præstare caput? secura videtur
Sors tibi, cum facias etiam nunc vota, perisse,
Ut nolim servire malis: sed morte parata,
Te sequar ad manes. Feriat dum mœsta remotas

Fama procul terras, vivam tibi nempe superstes.
Adde, quod assuescis fatis, tantumque dolorem
Crudelis me ferre doces. Ignosce fatenti :
Posse pati timeo. Quod si sunt vota, deisque
Audior, eventus rerum sciet ultima conjux.
Sollicitam rupes jam te victore tenebunt, 780
Et puppim, quæ fata feret tam læta, timebo.
Nec solvent audita metus mihi prospera belli,
Cum vacuis projecta locis a Cæsare possim
Vel fugiente capi. Notescent littora clari
Nominis exilio, positaque ibi conjuge Magni, 785
Quis Mitylenæas poterit nescire latebras ?
Hoc precor extremum, si nil tibi victa relinquent
Tutius arma fuga, cum te commiseris undis,
Quolibet infaustam potius deflecte carinam :
Littoribus quærere meis. Sic fata, relictis 790
Exsiluit stratis amens, tormentaque nulla
Vult differre mora. Non mœsti pectora Magni
Sustinet amplexu dulci, non colla tenere :
Extremusque perit tam longi fructus amoris :
Præcipitantque suos luctus, neuterque recedens
Sustinuit dixisse, Vale : vitamque per omnem 796
Nulla fuit tam mœsta dies. Nam cætera damna
Durata jam mente malis firmaque tulerunt.
Labitur infelix, manibusque excepta suorum
Fertur ad æquoreas, ac se prosternit, arenas, 800
Littoraque ipsa tenet, tandemque illata carinæ est.
Non sic infelix patriam portusque reliquit
Hesperios, sævi premerent cum Cæsaris arma.
Fida comes Magni, vadis duce sola relicto,
Pompeiumque fugis. Quæ nox tibi proxima venit, 805
Insomnis. Viduo tum primum frigida lecto,
Atque insueta quies uni, nudumque marito
Non hærente latus. Somno quam sæpe gravata
Deceptis vacuum manibus complexa cubile est,
Atque oblita fugæ quæsivit nocte maritum ! 810
Nam, quamvis flamma tacitas urente medullas,
Non juvat in toto corpus jactare cubili :
Servatur pars illa tori. Caruisse timebat
Pompeio : sed non superi tam læta parabant.
Instabat, miseræ Magnum quæ redderet, hora. 815

LIBER SEXTUS.

Postquam castra duces, pugnæ jam mente propinqui,
Imposuere jugis, admotaque cominus arma,
Parque suum videre dei ; capere omnia Cæsar
Mœnia Graiorum spernit, Martemque secundum
Jam nisi de genero fatis debere recusat. 5
Funestam mundo votis petit omnibus horam,
In casum quæ cuncta ferat. Placet alea fati
Alterutrum mersura caput. Ter collibus omnes
Explicuit turmas, et signa minantia pugnam,
Testatus nunquam Latiæ se deesse ruinæ. 10
Ut videt ad nullos exciri posse tumultus
In pugnam generum, sed clauso fidere vallo,
Signa movet, tectusque via dumosa per arva
Dyrrhachii præceps rapiendas tendit ad arces.
Hoc iter æquoreo præcepit limite Magnus, 15
Quemque vocat collem Taulantius incola Petram,
Insedit castris, Ephyreaque mœnia servat,
Defendens tutam vel solis turribus urbem. [tur,
Non opus hanc veterum, nec moles structa tue-
Humanusque labor, facilis, licet ardua tollat, 20
Cedere vel bellis, vel cuncta moventibus annis :
Sed munimen habet nullo quassabile ferro
Naturam, sedemque loci. Nam clausa profundo
Undique præcipiti, scopulisque vomentibus æquor,
Exiguo debet, quod non est insula, colli. 25
Terribiles ratibus sustentant mœnia cautes,
Ioniumque furens, rapido cum tollitur Austro,
Templa domosque quatit, spumatque in culmina pontus.
Hinc avidam belli rapuit spes improba mentem
Cæsaris, ut vastis diffusum collibus hostem 30
Cingeret ignarum, ducto procul aggere valli.
Metitur terras oculis : nec cespite tantum
Contentus fragili subitos attollere muros,
Ingentes cautes, avulsaque saxa metallis, [fert,
Graiorumque domos, direptaque mœnia trans-
Exstruitur, quod non aries impellere sævus, 36
Quod non ulla queat violenti machina belli.
Franguntur montes, planumque per ardua Cæsar
Ducit opus : pandit fossas, turritaque summis
Disponit castella jugis, magnoque recessu 40
Amplexus fines, saltus, nemorosaque tesqua,
Et sylvas, vastasque feras indagine claudit.
Non desunt campi, non desunt pabula Magno,
Castraque Cæsareo circumdatus aggere mutat.
Flumina tot cursus illic exorta fatigant, 45
Illic mersa suos : operumque ut summa revisat,
Defessus Cæsar mediis intermanet agris.
Nunc vetus Iliacos attollat fabula muros,
Adscribatque deis : fragili circumdata testa
Mœnia mirentur refugi Babylonia Parthi. 50
En quantum Tigris, quantum celer ambit Orontes,
Assyriis quantum populis telluris Eoæ
Sufficit in regnum, subitum bellique tumultu
Raptum clausit opus. Tanti periere labores !
Tot potuere manus adjungere Seston Abydo, 55
Ingestoque solo Phryxeum elidere pontum,
Aut Pelopis latis Ephyren abrumpere regnis,
Et ratibus longæ flexus donare Maleæ,
Aut aliquem mundi, quamvis Natura negasset,
In melius mutare locum. Coit area belli : 60
Hic alitur sanguis terras fluxurus in omnes,
Hic et Thessalicæ clades, Libycæque tenentur.
Æstuat angusta rabies civilis arena.
Prima quidem surgens operum structura fefellit
Pompeium : veluti mediæ qui tutus in arvis 65
Sicaniæ rapidum nescit latrare Pelorum : [ven,
Aut vaga cum Tethys, Rutupinaque littora fer-
Unda Caledonios fallit turbata Britannos.
Ut primum vasto septas videt aggere terras ;
Ipse quoque a tuta deducens agmina Petra 70
Diversis spargit tumulis, ut Cæsaris arma
Laxet, et effuso claudentem milite tendat :
Ac tantum septi vallo sibi vindicat agri,
Parva Mycenææ quantum sacrata Dianæ
Distat ab excelsa nemoralis Aricia Roma : 75
Quoque modo Romæ prælapsus mœnia Tibris
In mare descendit, si nusquam torqueat amnem

Classica nulla sonant, injussaque tela vagantur:
Et fit sæpe nefas, jaculum tentante lacerto.
Major cura duces miscendis abstrahit armis. 80
Pompeium exhaustæ præbenda ad pabula terræ,
Quæ currens obtrivit eques, gradibusque citatis
Ungula frondentem discussit cornea campum.
Belliger attonsis sonipes defessus in arvis,
Advectos cum plena ferant præsepia culmos, 85
Ore novas poscens moribundus labitur herbas,
Et tremulo medios abrumpit poplite gyros.
Corpora tum solvit tabes, et digerit artus.
Traxit iners cœlum fluidæ contagia pestis
Obscuram in nubem. Tali spiramine Nesis 90
Emittit Stygium nebulosis aera saxis,
Antraque letiferi rabiem Typhonis anhelant.
Inde labant populi, cœloque paratior unda
Omne pati virus duravit viscera cœno.
Jam riget atra cutis, distentaque lumina rumpit:
Igneaque in vultus, et sacro fervida morbo 96
Pestis abit, fessumque caput se ferre recusat.
Jam magis atque magis præceps agit omnia fatum:
Nec medii dirimunt morbi vitamque necemque,
Sed languor cum morte venit: turbaque cadentum
Aucta lues, dum mixta jacent incondita vivis 101
Corpora: nam miseros ultra tentoria cives
Spargere, funus erat. Tamen hos minuere labores
A tergo pelagus, pulsusque Aquilonibus aer,
Littoraque, et plenæ peregrina messe carinæ. 105
At liber terræ spatiosis collibus hostis
Aere non pigro, nec inertibus angitur undis:
Sed patitur sævam, veluti circumdatus arcta
Obsidione, famem. Nondum surgentibus altam
In segetem culmis, cernit miserabile vulgus 110
In pecudum cecidisse cibos, et carpere dumos,
Et morsu spoliare nemus, letumque minantes
Vellere ab ignotis dubias radicibus herbas:
Quæ mollire queant flamma, quæ frangere morsu,
Quæque per abrasas utero demittere fauces, 115
Plurimaque humanis antehac incognita mensis
Diripiens miles, saturum tamen obsidet hostem.
Ut primum libuit ruptis evadere claustris
Pompeio, cunctasque sibi permittere terras;
Non obscura petit latebrosæ tempora noctis, 120
Et raptum furto, soceri cessantibus armis,
Dedignatur iter: latis exire ruinis
Quærit, et impulso turres confringere vallo,
Perque omnes gladios, et qua via cæde paranda est.
Opportuna tamen valli pars visa propinqui, 125
Quam Minuti castella vocant, et confraga densis
Arboribus dumeta tegunt. Huc pulvere nullo
Proditus agmen agit, subitusque ad mœnia venit.
Tot simul e campis Latiæ fulsere volucres,
Tot cecinere tubæ. Ne quid victoria ferro 130
Deberet, pavor attonitos confecerat hostes.
Quod solum valuit virtus, jacuere peremti,
Debuerant quo stare loco: qui vulnera ferrent
Jam deerant, nimbusque ferens tot tela peribat.
Tum piceos volvunt immissæ lampadis ignes: 135
Tum quassæ nutant turres, lapsumque minantur.
Roboris impacti crebros gemit agger ad ictus.
Jam Pompeianæ celsi super ardua valli
Exierant aquilæ: jam mundi jura petebant.
Quem non mille simul turmis, nec Cæsare toto 140
Auferret Fortuna locum, victoribus unus
Eripuit, vetuitque capi: seque arma tenente,
Ac nondum strato, Magnum vicisse negavit.
Scæva viro nomen: castrorum in plebe merebat
Ante feras Rhodani gentes: ibi sanguine multo
Promotus Latiam longo gerit ordine vitem. 146
Pronus ad omne nefas, et qui nesciret, in armis
Quam magnum virtus crimen civilibus esset.
Hic ubi quærentes socios jam Marte relicto
Tuta fugæ cernit, Quo vos pavor, inquit, abegit
Impius, et cunctis ignotus Cæsaris armis? 151
O famuli turpes, servum pecus, absque cruore
Terga datis morti? cumulo vos deesse virorum
Non pudet, et bustis interque cadavera quæri?
Non ira saltem, juvenes, pietate remota, 155
Stabitis? e cunctis, per quos erumperet hostis,
Nos sumus electi. Non parvo sanguine Magni
Ista dies ierit. Peterem felicior umbras
Cæsaris in vultu. Testem hunc fortuna negavit;
Pompeio laudante cadam. Confringite tela 160
Pectoris incursu, jugulisque retundite ferrum.
Jam longinqua petit pulvis, sonitusque ruinæ,
Securasque fragor concussit Cæsaris aures.
Vincimus, o socii; veniet, qui vindicet arces,
Dum morimur. Movit tantum vox illa furorem,
Quantum non primo succendunt classica cantu:
Mirantesque virum, atque avidi spectare, sequun-
Scituri juvenes, numero deprensa locoque, [tur
An plus quam mortem virtus daret. Ille ruenti
Aggere consistit, primumque cadavera plenis 170
Turribus evolvit, subeuntesque obruit hostes
Corporibus: totæque viro dant tela ruinæ,
Roboraque, et moles; hosti seque ipse minatur.
Nunc sude, nunc duro contraria pectora conto
Detrudit muris, et valli summa tenentes 175
Amputat ense manus: caput obterit ossaque saxo,
Ac male defensum fragili compage cerebrum
Dissipat: alterius flamma crinesque genasque
Succendit; strident oculis ardentibus ignes.
Ut primum cumulo crescente cadavera murum
Admovere solo; non segnior extulit illum 181
Saltus, et in medias jecit super arma catervas,
Quam per summa rapit celerem venabula pardum.
Tunc densos inter cuneos compressus, et omni
Vallatus bello vincit, quem respicit, hostem. 185
Jamque hebes, et crasso non asper sanguine mucro
Percussum Scævæ frangit, non vulnerat, hostem.
Perdidit ensis opus, frangit sine vulnere membra.
Illum tota premit moles, illum omnia tela.
Nulla fuit non certa manus, non lancea felix: 190
Parque novum Fortuna videt concurrere, bellum
Atque virum. Fortis crebris sonat ictibus umbo,
Et galeæ fragmenta cavæ compressa perurunt
Tempora: nec quicquam nudis vitalibus obstat
Jam, præter stantes in summis ossibus hastas. 195
Quid nunc, vesani, jaculis levibusque sagittis
Perditis hæsuros nunquam vitalibus ictus?
Hunc aut tortilibus vibrata phalarica nervis
Obruat, aut vasti muralia pondera saxi:
Hunc aries ferro, ballistaque limine portæ 200
Submoveat: stat non fragilis pro Cæsare murus,
Pompeiumque tenet. Jam pectora non tegit armis
Ac veritus credi clypeo, lævaque vacasse,
Aut culpa vixisse sua, tot vulnera belli
Solus obit, densamque ferens in pectore sylvam,
Jam gradibus fessis, in quem cadat eligit hostem
Par pelagi monstris. Libycæ sic bellua terræ
Gætulus densis elephas oppressus ab armis,
Omne repercussum squalenti missile tergo
Frangit, et hærentes mota cute discutit hastas. 210
Viscera tuta latent penitus, citraque cruorem
Confixæ stant tela feræ: tot facta sagittis,
Tot jaculis, unam non explent vulnera mortem.
Dictæa procul ecce manu Gortynis arundo
Tenditur in Scævam, quæ voto certior omni 215
In caput atque oculi lævum descendit in orbem.
Ille moras ferri, nervorum et vincula rumpit,

Affixam vellens oculo pendente sagittam
Intrepidus, telumque suo cum lumine calcat.
Pannonis haud aliter post ictum sævior ursa, 220
Cum jaculum parva Libys amentavit habena,
Se rotat in vulnus, telumque irata receptum
Impetit, et secum fugientem circuit hastam.
Perdiderat vultum rabies: stetit imbre cruento
Informis facies: lætus fragor æthera pulsat 225
Victorum: majora viris de sanguine parvo
Gaudia non faceret conspectum in Cæsare vulnus.
Ille tegens alta suppressum mente dolorem,
Mitis, et a vultu penitus virtute remota,
Parcite, ait, cives: procul hinc avertite ferrum:
Collatura meæ nil sunt jam vulnera morti: 231
Non eget ingestis, sed vulsis pectore telis.
Tollite, et in Magni viventem ponite castris:
Hoc vestro præstate duci: sit Scæva relicti
Cæsaris exemplum potius, quam mortis honestæ.
Credidit infelix simulatis vocibus Aulus: 236
Nec vidit recto gladium mucrone tenentem
Membraque captivi pariter laturus et arma,
Fulmineum mediis excepit faucibus ensem.
Incaluit virtus: atque uno cæde refectus, 240
Solvat, ait, pœnas, Scævam quicunque subactum
Speravit: pacem gladio si quærit ab isto
Magnus, adorato submittat Cæsare signa.
An similem vestri, segnemque ad fata putastis?
Pompeii vobis minor est, causæque senatus, 245
Quam mihi mortis amor. Simul hæc effatus, et
Cæsareas pulvis testatur adesse cohortes. [altus
Dedecus hic belli Magno crimenque remisit,
Ne solum totæ fugerent te, Scæva, catervæ:
Subducto qui Marte ruis: nam sanguine fuso 250
Vires pugna dabat. Labentem turba suorum
Excipit, atque humeris defectum imponere gaudet:
Ac velut inclusum perfosso in pectore numen,
Et vivam magnæ speciem Virtutis adorant:
Telaque confixis certant evellere membris, 255
Exornantque deos, ac nudum pectore Martem
Armis, Scæva, tuis. Felix hoc nomine famæ,
Si tibi durus Iber, aut si tibi terga dedisset
Cantaber exiguis, aut longis Teutonus armis.
Non tu bellorum spoliis ornare Tonantis 260
Templa potes, non tu lætis ululare triumphis.
Infelix, quanta dominum virtute parasti!
Nec magis hac Magnus castrorum parte repulsus,
Intra claustra piger dilato Marte quievit,
Quam mare lassatur, cum se tollentibus Euris 265
Frangentem fluctus scopulum ferit, aut latus alti
Montis adest, seramque sibi parat unda ruinam.
Hinc vicina petens placido castella profundo
Incursu gemini Martis rapit: armaque late
Spargit, et effuso laxat tentoria campo: 270
Mutandæque juvat permissa licentia terræ.
Sic pleno Padus ore tumens super aggere tutas
Excurrit ripas, et totos concutit agros.
Succubuit si qua tellus, cumulumque furentem
Undarum non passa ruit; tum flumine toto 275
Transit, et ignotos aperit sibi gurgite campos.
Illos terra fugit dominos; his rura colonis
Accedunt donante Pado. Vix prœlia Cæsar
Senserat, elatus specula quæ prodidit ignis.
Invenit impulsos presso jam pulvere muros. 280
Frigidaque ut veteris deprendit signa ruinæ;
Accendit pax ipsa loci, movitque furorem
Pompeiana quies, et victo Cæsare somnus.
Ire vel in clades properat, dum gaudia turbet.
Torquato ruit inde minax: qui Cæsaris arma 285
Segnius haud vidit, quam malo nauta tremente
Omnia Circææ subducit vela procellæ:
Agminaque interius muro breviore recepit,
Densius ut parva disponeret arma corona.
Transierat primi Cæsar munimina valli, 290
Cum super e totis emisit collibus agmen,
Effuditque acies obseptum Magnus in hostem.
Non sic Ætnæis habitans in vallibus horret
Enceladum spirante Noto, cum tota cavernas
Egerit, et torrens in campos defluit Ætna; 295
Cæsaris ut miles glomerato pulvere victus
Ante aciem, cæci trepidus sub nube timoris
Hostibus occurrit fugiens, inque ipsa pavendo
Fata ruit. Totus mitti civilibus armis
Usque vel in pacem potuit cruor: ipse furentes
Dux tenuit gladios. Felix ac libera legum, 301
Roma, fores, jurisque tui, vicisset in illo
Si tibi Sylla loco. Dolet heu, semperque dolebit,
Quod scelerum, Cæsar, prodest tibi summa tuo-
Cum genero pugnasse pio. Pro tristia fata! [rum,
Non Uticæ Libye clades, Hispania Mundæ 306
Flesset, et infando pollutus sanguine Nilus
Nobilius Phario gestasset rege cadaver:
Nec Juba Marmaricas nudus pressisset arenas,
Pœnorumque umbras placasset sanguine fuso 310
Scipio: nec sancto caruisset vita Catone.
Ultimus esse dies potuit tibi, Roma, malorum:
Exire e mediis potuit Pharsalia fatis.
Deserit adverso possessam numine sedem
Cæsar, et Emathias lacero petit agmine terras.
Arma secuturum soceri, quacunque fugasset, 316
Tentavere sui comites divertere Magnum,
Hortati, patrias sedes, atque hoste carentem
Ausoniam peteret. Nunquam me Cæsaris, inquit,
Exemplo reddam patriæ, nunquamque videbit 320
Me, nisi dimisso redeuntem milite Roma.
Hesperiam potui, motu surgente, tenere,
Si vellem patriis aciem committere templis,
Ac medio pugnare foro. Dum bella relegem, 324
Extremum Scythici transcendam frigoris orbem,
Ardentesque plagas. Victor tibi, Roma, quietem
Eripiam, qui, ne premerent te prœlia, fugi?
Ah potius, ne quid bello patiaris in isto,
Te Cæsar putet esse suam. Sic fatus, in ortus
Phœbeos convertit iter, terræque secutus 330
Devia, qua vastos aperit Candavia saltus,
Contigit Emathiam, bello quam fata parabant.
Thessaliam, qua parte diem brumalibus horis
Attollit Titan, rupes Ossæa coercet.
Cum per summa poli Phœbum trahit altior æstas,
Pelion opponit radiis nascentibus umbras. 336
At medios ignes cœli, rabidique Leonis
Solstitiale caput nemorosus submovet Othrys.
Excipit adversos Zephyros, et Iapyga Pindus,
Et maturato præcidit vespere lucem. 340
Nec metuens imi Borean habitator Olympi
Lucentem totis ignorat noctibus Arcton.
Hos inter montes media qui valle premuntur,
Perpetuis quondam latuere paludibus agri:
Flumina dum campi retinent, nec pervia Tempe
Dant aditus pelago, stagnumque implentibus undis
Crescere cursus erat. Postquam discessit Olympo
Herculea gravis Ossa manu, subitæque ruinam
Sensit aquæ Nereus; melius mansura sub undis
Emathis æquorei regnum Pharsalos Achillis 350
Eminet, et prima Rhœteia littora pinu
Quæ tetigit Phylace, Pteleosque, et Dorion ira
Flebile Pieridum: Trachin, pretioque nefandæ
Lampados Herculeis fortis Melibœa pharetris:
Atque olim Larissa potens: ubi nobile quondam
Nunc super Argos arant: veteres ubi fabula Thebas
Monstrat Echionias: ubi quondam Pentheos exsul

Colla caputque ferens supremo tradidit igni,
Questa quod hoc solum nato rapuisset Agave.
Ergo abrupta palus multos discessit in amnes. 360
Purus in occasus, parvi sed gurgitis, Æas
Ionio fluit inde mari: nec fortior undis
Labitur avectæ pater Isidis, et tuus, Œneu,
Pæne gener crassis oblimat Echinadas undis:
Et Meleagream maculatus sanguine Nessi 365
Evenos Calydona secat. Ferit amne citato
Maliacas Sperchios aquas: et flumine puro
Irrigat Amphrysos famulantis pascua Phœbi.
Quique nec humentes nebulas, nec rore madentem
Aera, nec tenues ventos suspirat Anauros. 570
Et quisquis pelago per se non cognitus amnis
Peneo donavit aquas. It gurgite rapto [peus.
Apidanos, nunquamque celer, nisi mistus, Eni-
Accipit Asopos cursus, Phœnixque, Melasque.
Solus in alterius nomen cum venerit undæ, 575
Defendit Titaresus aquas, lapsusque superne
Gurgite Penei pro siccis utitur arvis.
Hunc fama est Stygiis manare paludibus amnem,
Et capitis memorem fluvii contagia vilis
Nolle pati, superûmque sibi servare timorem. 380
Ut primum emissis patuerunt amnibus arva,
Pinguis Bœbicio discessit vomere sulcus:
Mox Lelegum dextra pressum descendit aratrum.
Æolidæ, Dolopesque solum fregere coloni,
Et Magnetes equis, Minyæ gens cognita remis. 385
Illic semiferos Ixionidas Centauros
Feta Pelethroniis nubes effudit in antris:
Aspera te Pholoes frangentem, Monyche, saxa,
Teque sub Œtæo torquentem vertice vulsas,
Rhœce ferox, quas vix Boreas inverteret, ornos:
Hospes et Alcidæ magni, Phole: teque per amnem
Improbe Lernæas vector passure sagittas:
Teque, senex Chiron, gelido qui sidere fulgens
Impetis Hæmonio majorem Scorpion arcu.
Hac tellure feri micuerunt semina Martis. 395
Primus ab æquorea percussis cuspide saxis
Thessalicus sonipes bellis feralibus omen
Exsiluit; primus chalybem, frenosque momordit,
Spumavitque novis Lapithæ domitoris habenis.
Prima fretum scindens Pagasæo littore pinus 400
Terrenum ignotas hominem projecit in undas.
Primus Thessalicæ rector telluris Itonus
In formam calidæ percussit pondera massæ,
Fudit et argentum flammis, aurumque moneta
Fregit, et immensis coxit fornacibus æra. 405
Illic, quod populos scelerata impegit in arma,
Divitias numerare datum est. Hinc maxima serpens
Descendit Python, Cirrhæaque fluxit in antra:
Unde et Thessalicæ veniunt ad Pythia laurus.
Impius hinc prolem superis immisit Aloeus, 410
Inseruit celsis prope se cum Pelion astris,
Sideribusque vias incumbens abstulit Ossa.
Hac ubi damnata fatis tellure locarunt
Castra duces; cunctos belli præsaga futuri
Mens agitat, summique gravem discriminis horam
Adventare palam est. Propius jam fata moveri
Degeneres trepidant animi, pejoraque versant.
Ad dubios pauci præsumto robore casus [inerti
Spemque metumque ferunt. Turbæ sed mistus
Sextus erat, Magno proles indigna parente, 420
Qui mox Scyllæis exsul grassatus in undis
Polluit æquoreos Siculus pirata triumphos.
Qui stimulante metu fati prænoscere cursus,
Impatiensque moræ, venturisque omnibus æger,
Non tripodas Deli, non Pythia consulit antra, 425
Nec quæsisse libet, primis quid frugibus altrix
Ore Jovis Dodona sonet, quis noscere fibra
Fata queat, quis prodat aves, quis fulgura cœli
Servet, et Assyria scrutetur sidera cura,
Aut si quid tacitum, sed fas, erat. Ille supernis
Detestanda deis sævorum arcana Magorum
Moverat, et tristes sacris feralibus aras,
Umbrarum Ditisque fidem: miseroque liqueba
Scire parum superos. Vanum sævumque furor
Adjuvat ipse locus, vicinaque mœnia castris 435
Hæmonidum, ficti quas nulla licentia monstri
Transierat, quarum, quicquid non creditur, ars est.
Thessala quin etiam tellus herbasque nocentes
Rupibus ingenuit, sensuraque saxa canentes
Arcanum ferale Magos. Ibi plurima surgunt 440
Vim factura deis. Et terris hospita Colchis
Legit in Hæmoniis, quas non advexerat, herbas.
Impia tot populis, tot surdas gentibus aures
Cœlicolûm, diræ convertunt carmina gentis.
Una per æthereos exit vox illa recessus, 445
Verbaque ad invitum perfert cogentia numen,
Quod non cura poli, cœlique volubilis unquam
Avocat. Infandum tetigit cum sidera murmur,
Tunc Babylon Persea licet, secretaque Memphis
Omne vetustorum solvat penetrale Magorum; 450
Abducit superos alienis Thessalis aris.
Carmine Thessalidum dura in præcordia fluxit
Non fatis adductus amor: flammisque severi
Illicitis arsere senes. Nec noxia tantum
Pocula perficiunt, aut cum turgentia succo 455
Frontis amaturæ subducunt pignora fetæ.
Mens hausti nulla sanie polluta veneni
Excantata perit. Quos non concordia misti
Alligat ulla tori, blandæque potentia formæ,
Traxerunt torti magica vertigine fili. 460
Cessavere vices rerum, dilataque longa
Hæsit nocte dies: legi non paruit æther.
Torpuit et præceps audito carmine mundus,
Axibus et rapidis impulsos Jupiter urgens
Miratur non ire polos. Nunc omnia complent 465
Imbribus, et calido producunt nubila Phœbo,
Et tonat ignaro cœlum Jove. Vocibus isdem
Humentes late nebulas, nimbosque solutis
Excussere comis. Ventis cessantibus æquor
Intumuit: rursus vetitum sentire procellas 470
Conticuit turbante Noto: puppimque ferentes
In ventum tumuere sinus. De rupe pependit
Abscissa fixus torrens: amnisque cucurrit
Non qua pronus erat. Nilum non extulit æstas:
Mæander direxit aquas: Rhodanumque morantem 475
Præcipitavit Arar. Submisso vertice montes
Explicuere jugum: nubes suspexit Olympus.
Solibus et nullis Scythicæ, cum bruma rigeret,
Dimaduere nives. Impulsam sidere Tethyn
Reppulit Hæmonidum, defenso littore, carmen.
Terra quoque immoti concussit ponderis axem,
Et medium vergens nisu titubavit in orbem.
Tantæ molis onus percussum voce recessit,
Prospectumque dedit circumlabentis Olympi.
Omne potens animal leti, genitumque nocere, 485
Et pavet Hæmonias, et mortibus instruit artes.
Has avidæ tigres, et nobilis ira leonum
Ore fovent blando: gelidos his explicat orbes,
Inque pruinoso coluber distenditur arvo.
Viperei coeunt abrupto corpore nodi, 4
Humanoque cadit serpens afflata veneno. [quen
Quis labor hic superis cantus herbasque
Spernendique timor? cujus commercia pacti
Obstrictos habuere deos? parere necesse est.
An juvat? ignota tantum pietate merentur? 495

An tacitis valuere minis? hoc juris in omnes
Est illis superos? an habent hæc carmina certum
Imperiosa deum, qui mundum cogere, quicquid
Cogitur ipse, potest? illis et sidera primum
Præcipiti deducta polo: Phœbeque serena 500
Non aliter, diris verborum obsessa venenis,
Palluit, et nigris terrenisque ignibus arsit,
Quam si fraterna prohiberet imagine tellus,
Insereretque suas flammis cœlestibus umbras.
Et patitur tantos cantu depressa labores, 505
Donec suppositas propior despumet in herbas.
Hos scelerum ritus, hæc diræ carmina gentis
Effera damnarat nimiæ pietatis Erichtho,
Inque novos ritus pollutam duxerat artem.
Illi namque nefas urbis submittere tecto 510
Aut laribus ferale caput: desertaque busta
Incolit, et tumulos expulsis obtinet umbris,
Grata deis Erebi. Cœtus audire silentum,
Nosse domos Stygias, arcanaque Ditis operti,
Non superi, non vita vetat. Tenet ora profanæ 515
Fœda situ macies, cœloque ignota sereno.
Terribilis Stygio facies pallore gravatur,
Impexis onerata comis. Si nimbus, et atræ
Sidera subducunt nubes, tunc Thessala nudis
Egreditur bustis, nocturnaque fulgura captat. 520
Semina fœcundæ segetis calcata perussit,
Et non letiferas spirando perdidit auras.
Nec superos orat, nec cantu supplice numen
Auxiliare vocat, nec fibras illa litantes
Novit: funereas aris imponere flammas 525
Gaudet, et accenso rapuit quæ thura sepulcro.
Omne nefas superi prima jam voce precantis
Concedunt, carmenque timent audire secundum:
Viventes animas, et adhuc sua membra regentes
Infodit busto: fatis debentibus annos 530
Mors invita subit: perversa funera pompa
Retulit a tumulis: fugere cadavera letum.
Fumantes juvenum cineres, ardentiaque ossa
E mediis rapit illa rogis, ipsamque, parentes
Quam tenuere, facem: nigroque volantia fumo
Feralis fragmenta tori, vestesque fluentes 536
Colligit in cineres, et olentes membra favillas.
Ast ubi servantur saxis, quibus intimus humor
Ducitur, et tracta durescunt tabe medullæ
Corpora; tunc omnes avide desævit in artus, 540
Immersitque manus oculis, gaudetque gelatos
Effodisse orbes: et siccæ pallida rodit
Excrementa manus: laqueum nodosque nocentes
Ore suo rupit: pendentia corpora carpsit,
Abrasitque cruces: percussaque viscera nimbis
Vulsit, et incoctas admisso sole medullas. 546
Insertum manibus chalybem, nigramque per artus
Stillantis tabi saniem, virusque coactum
Sustulit, et nervo morsus retinente pependit.
Et quacunque jacet nudum tellure cadaver, 550
Ante feras volucresque sedet: nec carpere membra
Vult ferro manibusque suis, morsusque luporum
Exspectat, siccis raptura e faucibus artus.
Nec cessant a cæde manus, si sanguine vivo
Est opus, erumpat jugulo qui primus aperto. 555
Nec refugit cædes, vivum si sacra cruorem,
Extaque funereæ poscunt trepidantia mensæ.
Vulnere sic ventris, non qua natura vocabat,
Extrahitur partus, calidis ponendus in aris.
Et quoties sævis opus est ac fortibus umbris, 560
Ipsa facit manes: hominum mors omnis in usu est.
Illa genæ florem primævo corpore vulsit,
Illa comam læva morienti abscidit ephebo.
Sæpe etiam caris cognato in funere dira 564
Thessalis incubuit membris: atque oscula fingens,
Truncavitque caput, compressaque dentibus ora
Laxavit: siccoque hærentem gutture linguam
Præmordens, gelidis infudit murmura labris,
Arcanumque nefas Stygias mandavit ad umbras.
Hanc ut fama loci Pompeio prodidit; alta 570
Nocte poli, Titan medium quo tempore ducit
Sub nostra tellure diem, deserta per arva
Carpit iter. Fidi scelerum suetique ministri,
Effractos circum tumulos ac busta vagati, 574
Conspexere procul prærupta in caute sedentem,
Qua juga devexus Pharsalica porrigit Hæmus.
Illa Magis, magicisque deis incognita verba
Tentabat, carmenque novos fingebat in usus. [bem,
Namque timens, ne Mars alium vagus iret in or-
Emathis et tellus tam multa cæde careret; 580
Pollutos cantu, dirisque venefica succis
Conspersos, vetuit transmittere bella Philippos,
Tot mortes habitura suas, usuraque mundi
Sanguine: cæsorum truncare cadavera regum
Sperat, et Hesperiæ cineres avertere gentis, 585
Ossaque nobilium, tantosque acquirere manes.
Hic ardor, solusque labor, quid corpore Magni
Projecto rapiat, quos Cæsaris involet artus.
Quam prior affatur Pompeii ignava propago:
O decus Hæmonidum, populis quæ pandere fata,
Quæque suo ventura potes devertere cursu, 591
Te precor, ut certum liceat mihi noscere finem,
Quem belli fortuna paret. Non ultima turbæ
Pars ego Romanæ, Magni clarissima proles;
Vel dominus rerum, vel tanti funeris hæres. 595
Mens dubiis percussa pavet, rursusque parata est
Certos ferre metus. Hoc casibus eripe juris;
Ne subiti cæcique ruant: vel numina torque,
Vel tu parce deis, et Manibus exprime verum.
Elysias resera sedes, ipsamque vocatam, 600
Quos petat e nobis, Mortem tibi coge fateri.
Non humilis labor est: dignum, quod quærere
Vel tibi, quo tanti præponderet alea fati. [cures,
Impia lætatur vulgatæ nomine famæ
Thessalis, et contra: Si fata minora moveres, 605
Pronum erat, o juvenis, quos velles, inquit, in ac-
Invitus præbere deos. Concreditur arti, [tus
Unam cum radiis presserunt sidera mortem,
Inseruisse moras: et, quamvis fecerit omnis 609
Stella senem, medios herbis abrumpimus annos.
At simul a prima descendit origine mundi
Causarum series, atque omnia fata laborant,
Si quicquam mutare velis, unoque sub ictu [mur,
Stat genus humanum: tunc, Thessala turba fate-
Plus Fortuna potest. Sed si prænoscere casus
Contentus, faciles aditus, multique patebunt
Ad verum: tellus nobis, ætherque, chaosque, [tur.
Æquoraque, et campi, Rhodopeaque saxa loquen-
Sed pronum, cum tanta novæ sit copia mortis,
Emathiis unum campis attollere corpus, 620
Ut modo defuncti tepidique cadaveris ora
Plena voce sonent; ne membris sole perustis
Auribus incertum feralis strideat umbra.
Dixerat: et noctis geminatis arte tenebris,
Mœstum tecta caput squalenti nube, pererrat 625
Corpora cæsorum, tumulis projecta negatis.
Continuo fugere lupi, fugere revulsis
Unguibus impastæ volucres, dum Thessala vatem
Eligit, et gelidas leto scrutata medullas
Pulmonis rigidi stantes sine vulnere fibras 630
Invenit, et vocem defuncto in corpore quærit.
Fata peremtorum pendent jam multa virorum,
Quem superis revocasse velit. Si tollere totas
Tentasset campis acies, et reddere bello;
Cessissent leges Erebi, monstroque potenti 635

Extractus Stygio populus pugnasset Averno.
Electum tàndem trajecto gutture corpus
Ducit, et inserto laqueis feralibus unco,
Per scopulos miserum trahitur, per saxa cadaver
Victurum: montisque cavi, quem tristis Erichtho
Damnarat sacris, alta sub rupe locatur. 641
Haud procul a Ditis cæcis depressa cavernis
In præceps subsedit humus, quam pallida pronis
Urget sylva comis, et nullo vertice cœlum
Suspiciens, Phœbo non pervia taxus opacat. 645
Marcentes intus tenebræ, pallensque sub antris
Longa nocte situs, nunquam, nisi carmine factum,
Lumen habet. Non Tænareis sic faucibus aer
Sedit iners, mœstum mundi confine latentis
Ac nostri, quo non metuunt emittere manes 650
Tartarei reges. Nam quamvis Thessala vates
Vim faciat fatis, dubium est, quod traxerit illuc,
Aspiciat Stygias, an quod descenderit, umbras.
Discolor et vario furialis cultus amictu
Induitur, vultusque operitur crine soluto, 655
Et coma vipereis substringitur horrida sertis.
Ut pavidos juvenis comites, ipsumque trementem
Conspicit, exanimi defixum lumina vultu;
Ponite, ait, trepida conceptos mente timores:
Jam nova, jam vera reddetur vita figura, 660
Ut quamvis pavidi possint audire loquentem.
Si vero Stygiosque lacus, ripamque sonantem
Ignibus ostendam, si me præsente videri
Eumenides possint, villosaque colla colubris
Cerberus excutiens, et vincti terga Gigantes; 665
Quis timor, ignavi, metuentes cernere manes?
Pectora tunc primum ferventi sanguine supplet
Vulneribus laxata novis, taboque medullas
Abluit, et virus large lunare ministrat.
Huc quicquid fetu genuit Natura sinistro 670
Miscetur. Non spuma canum, quibus unda timori
Viscera non lyncis, non diræ nodus hyænæ [est,
Defuit, et cervi pasti serpente medullæ:
Non puppim retinens, Euro tendente rudentes,
In mediis echeneis aquis, oculique draconum, 675
Quæque sonant feta tepefacta sub alite saxa:
Non Arabum volucer serpens, innataque rubris
Æquoribus custos pretiosæ vipera conchæ,
Aut viventis adhuc Libyci membrana cerastæ,
Aut cinis Eoa positi Phœnicis in ara. 680
Quo postquam viles, et habentes nomina pestes
Contulit; infando saturatas carmine frondes,
Et quibus os dirum nascentibus inspuit, herbas
Addidit, et quicquid mundo dedit ipsa veneni.
Tunc vox Lethæos cunctis pollentior herbis 685
Excantare deos, confundit murmura primum
Dissona, et humanæ multum discordia linguæ.
Latratus habet illa canum, gemitusque luporum:
Quod trepidus bubo, quod strix nocturna queruntur, 689
Quod strident ululantque feræ, quod sibilat anguis,
Exprimit, et planctus illisæ cautibus undæ,
Sylvarumque sonum, fractæque tonitrua nubis.
Tot rerum vox una fuit. Mox cætera cantu
Explicat Hæmonio, penetratque in Tartara lingua.
Eumenides, Stygiumque nefas, Pœnæque nocentum, 695
Et Chaos innumeros avidum confundere mundos,
Et Rector terræ, quem longa in sæcula torquet
Mors dilata deûm, Styx, et quos nulla meretur
Thessalis Elysios, cœlum matremque perosa
Persephone, nostræque Hecates pars ultima, per quam 700
Manibus et mihi sunt tacitæ commercia linguæ.
Janitor et sedis laxæ, qui viscera sævo
Spargis nostra cani: repetitaque fila sorores
Fracturæ: tuque o flagrantis portitor undæ,
Jam lassate senex ad me redeuntibus umbris: 705
Exaudite preces, si vos satis ore nefando
Pollutoque voco, si nunquam hæc carmina fibris
Humanis jejuna cano, si pectora plena
Sæpe dedi, et lavi calido prosecta cerebro; 709
Si, quisquis vestris caput extaque lancibus infans
Imposuit, victurus erat, parete precanti.
Non in Tartareo latitantem poscimus antro,
Adsuetamque diu tenebris, modo luce fugata
Descendentem animam: primo pallentis hiatu
Hæret adhuc Orci. Licet has exaudiat herbas 715
Ad manes ventura semel. Ducis omina nato
Pompeiana canat noti modo militis umbra,
Si bene de vobis civilia bella merentur.
Hæc ubi fata, caput spumantiaque ora levavit:
Adspicit adstantem projecti corporis umbram,
Exanimes artus invisaque claustra timentem
Carceris antiqui. Pavet ire in pectus apertum,
Visceraque, et ruptas letali vulnere fibras.
Ah miser, extremum cui mortis munus iniquæ
Eripitur, non posse mori. Miratur Erichtho 725
Has fatis licuisse moras, irataque Morti
Verberat immotum vivo serpente cadaver:
Perque cavas terræ, quas egit carmine, rimas
Manibus illatrat, regnique silentia rumpit.
Tisiphone, vocisque meæ secura Megæra, 730
Non agitis sævis Erebi per inane flagellis
Infelicem animam? jam vos ego nomine vero
Eliciam, Stygiasque canes in luce superna
Destituam: per busta sequar, per funera custos,
Expellam tumulis, abigam vos omnibus urnis. 735
Teque deis, ad quos alio procedere vultu
Ficta soles, Hecate pallenti tabida forma,
Ostendam, faciemque Erebi mutare vetabo.
Eloquar immenso terræ sub pondere, quæ te
Contineant, Ennæa, dapes, quo fœdere mœstum
Regum noctis ames, quæ te contagia passam
Noluerit revocare Ceres. Tibi, pessime mundi
Arbiter, immittam ruptis Titana cavernis,
Et subito feriere die. Paretis? an ille
Compellandus erit, quo nunquam terra vocato 745
Non concussa tremit: qui Gorgona cernit apertam,
Verberibusque suis trepidam castigat Erinnyn
Indespecta tenet vobis qui Tartara: cujus
Vos estis superi: Stygias qui pejerat undas?
Protinus adstrictus caluit cruor, atraque fovit
Vulnera, et in venas extremaque membra cucurrit.
Percussæ gelido trepidant sub pectore fibræ:
Et nova desuetis subrepens vita medullis,
Miscetur morti. Tunc omnis palpitat artus:
Tenduntur nervi: nec se tellure cadaver 755
Paullatim per membra levat, terraque repulsum est
Erectumque simul. Distento lumina rictu
Nudantur. Nondum facies viventis in illo,
Jam morientis erat. Remanet pallorque rigorque;
Et stupet illatus mundo. Sed murmure nullo 760
Ora adstricta sonant: vox illi linguaque tantum
Responsura datur. Dic, inquit Thessala, magna,
Quod jubeo, mercede mihi: nam vera locutum
Immunem toto mundi præstabimus ævo
Artibus Hæmoniis: tali tua membra sepulcro,
Talibus exuram Stygio cum carmine sylvis,
Ut nullos cantata magos exaudiat umbra.
Sit tanti vixisse iterum: nec verba, nec herbæ
Audebunt longæ somnum tibi solvere Lethes,
A me morte data. Tripodas vatesque deorum 770
Sors obscura tenet. Certus discedit, ab umbris
Quisquis vera petit, duræque oracula Mortis

Fortis adit. Ne parce, precor. Da nomina rebus,
Da loca, da vocem, qua mecum fata loquantur.
Addidit et carmen, quo, quicquid consulit, umbram 775
Scire dedit. Mœstum fletu manante cadaver,
Tristia non equidem Parcarum stamina, dixit,
Respexi, tacitæ revocatus ab aggere ripæ:
Quod tamen e cunctis mihi noscere contigit umbris,
Effera Romanos agitat discordia manes, 780
Impiaque infernam ruperunt arma quietem.
Elysios alii sedes, ac Tartara mœsta
Diversi liquere duces: quid fata pararent
Hic fecere palam. Tristis felicibus umbris 784
Vultus erat. Vidi Decios natumque patremque,
Lustrales bellis animas, flentemque Camillum,
Et Curios; Syllam de te, Fortuna, querentem.
Deplorat Libycis perituram Scipio terris
Infaustam sobolem. Major Carthaginis hostis
Non servituri mœret Cato fata nepotis. 790
Solum te, consul depulsis prime tyrannis
Brute, pias inter gaudentem vidimus umbras.
Abruptis Catilina minax fractisque catenis
Exsultat, Mariique truces, nudique Cethegi. 794
Vidi ego lætantes popularia nomina Drusos
Legibus immodicos, ausosque ingentia Gracchos,
Æternis chalybum nodis et carcere Ditis
Constrictæ plausere manus: camposque piorum
Poscit turba nocens. Regni possessor inertis
Pallentes aperit sedes, abruptaque saxa 800
Asperat, et durum vinclis adamanta, paratque
Pœnam victori. Refer hæc solatia tecum,
O juvenis, placido manes, patremque domumque.
Exspectare sinu, regnique in parte serena
Pompeio servare locum. Nec gloria parvæ 805
Sollicitet vitæ: veniet quæ misceat omnes
Hora duces. Properate mori, magnoque superbi
Quamvis e parvis animo descendite bustis,
Et Romanorum manes calcate deorum. 809
Quem tumulum Nili, quem Tybridis abluat unda,
Quæritur, et ducibus tantum de funere pugna est.
Tu fatum ne quære tuum cognoscere Parcæ;
Me reticente dabunt: tibi certior omnia vates
Ipse canet Siculis genitor Pompeius in arvis:
Ille quoque incertus, quo te vocet, unde repellat,
Quas jubeat vitare plagas, quæ sidera mundi.
Europam, miseri, Libyamque, Asiamque timete.
Distribuit tumulos vestris Fortuna triumphis.
O miseranda domus, toto nihil orbe videbis
Tutius Emathia. Sic postquam fata peregit, 820
Stat vultu mœstus tacito, mortemque reposcit
Carminibus magicis opus est herbisque, cadaver
Ut cadat, et nequeunt animam sibi reddere fata
Consumto jam jure semel. Tum robore multo
Exstruit illa rogum: venit defunctus ad ignes:
Accensa juvenem positum strue linquit Erichtho
Tandem passa mori, Sextoque ad castra parentis
It comes: et cœlo lucis ducente colorem,
Dum ferrent tutos intra tentoria gressus, 829
Jussa tenere diem densas nox præstitit umbras

LIBER SEPTIMUS.

Segnior Oceano, quam lex æterna vocabat,
Luctificus Titan nunquam magis æthera contra
Egit equos, currumque polo rapiente retorsit:
Defectusque pati voluit, raptæque labores
Lucis: et attraxit nubes, non pabula flammis, 5
Sed ne Thessalico purus luceret in orbe.
At nox felicis Magno pars ultima vitæ
Sollicitos vana decepit imagine somnos.
Nam Pompeiani visus sibi sede theatri
Innumeram effigiem Romanæ cernere plebis, 10
Attollique suum lætis ad sidera nomen
Vocibus, et plausu cuneos certare sonantes.
Qualis erat populi facies, clamorque faventis,
Olim cum juvenis, primique ætate triumphi
Post domitas gentes, quas torrens ambit Iberus,
Et quæcunque fugax Sertorius impulit arma, 16
Vespere pacato, pura venerabilis æque
Quam currus ornante toga, plaudente senatu,
Sedit adhuc Romanus eques. Seu fine bonorum
Anxia venturis ad tempora læta refugit, 20
Sive per ambages solitas contraria visis
Vaticinata quies, magni tulit omina planctus;
Seu vetito patrias ultra tibi cernere sedes,
Sic Romam Fortuna dedit. Ne rumpite somnos,
Castrorum vigiles, nullas tuba verberet aures. 25
Crastina dira quies, et imagine mœsta diurna
Undique funestas acies feret, undique bellum.
Unde pares somnos populi, noctemque beatam?
O felix, si te vel sic tua Roma videret.
Donassent utinam superi patriæque tibique 30
Unum, Magne, diem, quo fati certus uterque
Extremum tanti fructum caperetis amoris.
Tu velut Ausonia vadis moriturus in urbe:
Illa, rati semper de te sibi conscia vôti,
Hoc scelus haud unquam fatis hærere putavit, 35
Sic se dilecti tumulum quoque perdere Magni.
Te misto flesset luctu juvenisque senexque,
Injussusque puer: lacerasset crine soluto
Pectora fœmineum, ceu Bruti funere, vulgus.
Nunc quoque tela licet paveant victoris iniqui,
Nuntiet ipse licet Cæsar tua funera, flebunt: 41
Sed dum thura ferent, dum laurea serta Tonanti.
O miseri, quorum gemitus edere dolorem,
Qui te non pleno pariter planxere theatro. 44
Vicerat astra jubar, cum misto murmure turba
Castrorum fremuit, fatisque trahentibus orbem,
Signa petit pugnæ. Miseri pars maxima vulgi
Non totum visura diem, tentoria circum
Ipsa ducis queritur, magnoque accensa tumultu
Mortis vicinæ properantes admovet horas. 50
Dira subit rabies: sua quisque ac publica fata
Præcipitare cupit: signis pavidusque vocatur,
Ac nimium patiens soceri Pompeius, et orbis
Indulgens regno, qui tot simul undique gentes
Juris habere sui vellet, pacemque timeret. 55
Nec non et reges populique queruntur Eri
Bella trahi, patriaque procul tellure teneri
Hoc placet, o superi, cum vobis vertere cuncta
Propositum, nostris erroribus addere crimen?
Cladibus irruimus, nocituraque poscimus arma:
In Pompeianis votum est Pharsalia castris. 61
Cunctorum voces Romani maximus auctor

Tullius eloquii, cujus sub jure togaque
Pacificas sævus tremuit Catilina secures,
Pertulit, iratus bellis, cum rostra forumque 65
Optaret passus tam longa silentia miles.
Addidit invalidæ robur facundia causæ.
Hoc pro tot meritis solum te, Magne, precatur,
Uti se Fortuna velis, proceresque tuorum
Castrorum, regesque tui cum supplice mundo 70
Affusi, vinci socerum patiare rogamus.
Humani generis tam longo tempore bellum
Cæsar erit? merito, Pompeiam vincere lente,
Gentibus, indignum est, a transcurrente subactis.
Quo tibi fervor abit? aut quo fiducia fati? 75
De superis, ingrate, times? causamque senatus
Credere dis dubitas? ipsæ sua signa revellent,
Prosilientque acies. Pudeat vidisse coactum.
Si duce te jusso, si nobis bella geruntur,
Sit juris quocunque velint concurrere campo. 80
Quid mundi gladios a sanguine Cæsaris arces?
Vibrant tela manus: vix signa morantia quisquam
Exspectat: propera, ne te tua classica linquant.
Scire senatus avet, miles te, Magne, sequatur,
An comes. Ingemuit rector, sensitque deorum
Esse dolos, et fata suæ contraria menti. 86
Si placet hoc, inquit, cunctis, si milite Magno,
Non duce tempus eget, nil ultra fata morabor.
Involvat populos una Fortuna ruina, [parti.
Sitque hominum magnæ lux ista novissima
Testor, Roma, tamen Magnum, quo cuncta perirent, 91
Accepisse diem. Potuit tibi vulnere nullo
Stare labor belli: potuit sine cæde subactum
Captivumque ducem violatæ tradere paci.
Quis furor, o cæci, scelerum? civilia bella 95
Gesturi metuunt, ne non cum sanguine vincant.
Abstulimus terras, exclusimus æquore toto,
Ad præmaturas segetum jejuna rapinas
Agmina compulimus, votumque effecimus hosti,
Ut mallet sterni gladiis, mortesque suorum 100
Permiscere meis. Belli pars magna peracta est
His, quibus effectum est, ne pugnam tiro paveret;
Si modo virtutis stimulis, iræque calore
Signa petunt. Multos in summa pericula misit
Venturi timor ipse mali. Fortissimus ille est, 105
Qui promtus metuenda pati, si cominus instent,
Et differre potest. Placet hæc tam prospera rerum
Tradere Fortunæ? gladio permittere mundi
Discrimen? pugnare ducem, quam vincere, malunt.
Res mihi Romanas dederas, Fortuna, regendas;
Accipe majores, et cæco in Marte tuere. 111
Pompeii nec crimen erit, nec gloria bellum.
Vincis apud superos votis me, Cæsar, iniquis:
Pugnatur. Quantum scelerum, quantumque malorum
In populos lux ista feret! quot regna jacebunt!
Sanguine Romano quam turbidus ibit Enipeus!
Prima velim caput hoc funesti lancea belli,
Si sine momento rerum, partisque ruina
Casurum est, feriat: neque enim victoria Magno
Lætior. Aut populis invisum, hac clade peracta,
Aut hodie Pompeius erit miserabile nomen. 121
Omne malum victi, quod sors feret ultima rerum,
Omne nefas victoris erit. Sic fatur, et arma
Permittit populis, frenosque furentibus ira
Laxat: ut evictus violento navita Coro 125
Dat regimen ventis, ignavumque arte relicta
Puppis onus trahitur. Trepido confusa tumultu
Castra fremunt, animique truces sua pectora pulsant
Ictibus incertis. Multorum pallor in ore
Mortis venturæ est, faciesque simillima fato. 130
Advenisse diem, qui fatum rebus in ævum
Conderet humanis, et quæri Roma quid esset,
Illo Marte palam est. Sua quisque pericula nescit,
Attonitus majore metu. Quis littora ponto
Obruta, quis summis cernens in montibus æquor,
Ætheraque in terras dejecto sole cadentem, 136
Tot rerum finem, timeat sibi? non vacat ullos
Pro se ferre metus: Urbi, Magnoque timetur.
Nec gladiis habuere fidem, nisi cotibus asper
Exarsit mucro. Tunc omnis lancea saxo 140
Erigitur: tendunt nervis melioribus arcus:
Cura fuit lectis pharetras implere sagittis.
Auget eques stimulos, frenorumque aptat habenas.
Si liceat superis hominum conferre labores,
Non aliter, Phlegra rabidos tollente Gigantes,
Martius incaluit Siculis incudibus ensis, 146
Et rubuit flammis iterum Neptunia cuspis,
Spiculaque extenso Pæan Pythone recoxit,
Pallas Gorgoneos diffudit in ægida crines,
Pallenæa Jovi mutavit fulmina Cyclops. 150
Non tamen abstinuit venturos prodere casus
Per varias Fortuna notas. Nam Thessala rura
Cum peterent, totus venientibus obstitit æther,
Inque oculis hominum fregerunt fulmina nubes:
Adversasque faces, immensoque igne columnas,
Et trabibus mistis avidos typhonas aquarum 156
Detulit, atque oculos ingesto fulgure clausit.
Excussit cristas galeis, capulosque solutis
Perfudit gladiis, ereptaque pila liquavit;
Æthereoque nocens fumavit sulfure ferrum. 160
Nec non innumero cooperta examine signa,
Vixque revulsa solo, majori pondere pressum
Signiferi mersere caput, rorantia fletu,
Usque ad Thessaliam Romana, et publica signa.
Admotus superis discussa fugit ab ara 165
Taurus, et Emathios præceps se jecit in agros;
Nullaque funestis inventa est victima sacris.
At tu quos scelerum superos, quas rite vocasti
Eumenidas, Cæsar? Stygii quæ numina regni,
Infernumque nefas, et mersos nocte furores, 170
Impia tam sæve gesturus bella litasti?
Jam (dubium monstrisne deûm, nimione pavori
Crediderint) multis concurrere visus Olympo
Pindus, et abruptis mergi convallibus Hæmus,
Edere nocturnas belli Pharsalia voces, 175
Ire per Ossæam rapidus Bœbeida sanguis:
Inque vicem vultus tenebris mirantur opertos,
Et pallere diem, galeisque incumbere noctem,
Defunctosque patres, et cunctas sanguinis umbras
Ante oculos volitare suos. Sed mentibus unum
Hoc solamen erat, quod voti turba nefandi 181
Conscia, quæ patrum jugulos, quæ pectora fratrum
Sperabat, gaudet monstris, mentisque tumultu,
Atque omen scelerum subitos putat esse furores.
Quid mirum, populos, quos lux extrema manebat, 185
Lymphato trepidasse metu? præsaga malorum
Si data mens homini est, Tyriis qui Gadibus hospes
Adjacet, Armeniumque bibit Romanus Araxem,
Sub quocunque die, quocunque est sidere mundi,
Mœret, et ignorat causas, animumque dolentem
Corripit: Emathiis quid perdat, nescit, in arvis.
Euganeo, si vera fides memorantibus, augur
Colle sedens, Aponus terris ubi fumifer exit,
Atque Antenorei dispergitur unda Timavi,
Venit summa dies, geritur res maxima, dixit: 195

Impia concurrunt Pompeii et Cæsaris arma.
Seu tonitrus ac tela Jovis præsaga notavit;
Aera seu totum discordi obsistere cœlo, [stum,
Perspexitque polos; seu numen, in æthere mœ-
Solis in obscuro pugnam pallere notavit: 200
Dissimilem certe cunctis, quos explicat, egit
Thessalicum Natura diem: si cuncta perito [set,
Augure mens hominum cœli nova signa notas-
Spectari e toto potuit Pharsalia mundo. 204
O summos hominum, quorum Fortuna per orbem
Signa dedit, quorum fatis cœlum omne vacavit.
Hæc et apud seras gentes populosque nepotum
(Sive sua tantum venient in sæcula fama,
Sive aliquid magnis nostri quoque cura laboris
Nominibus prodesse potest) cum bella legentur,
Spesque metusque simul, perituraque vota mo-
vebunt: 211
Attonitique omnes veluti venientia fata, [vebunt.
Non transmissa, legent, et adhuc tibi, Magne, fa-
Miles ut adverso Phœbi radiatus ab ictu
Descendens totos perfudit lumine colles, 215
Non temere immissus campis; stetit ordine certo
Infelix acies. Cornus tibi cura sinistri,
Lentule, cum prima, quæ tum fuit optima bello,
Et quarta legione datur: tibi numine pugnax
Adverso, Domiti, dextri frons tradita Martis. 220
At medii robur belli fortissima densant
Agmina, quæ Cilicum terris deducta tenebat
Scipio, miles in hoc, Libyco dux primus in orbe.
At juxta fluvios, et stagna undantis Enipei, 224
Cappadocum montana cohors, et largus habenis
Ponticus ibat eques. Sicci sed plurima campi
Tetrarchæ, regesque tenent, magnique tyranni,
Atque omnis Latio quæ servit purpura ferro.
Illuc et Libye Numidas, et Creta Cydonas
Misit: Ituræis cursus fuit inde sagittis: 230
Inde, truces Galli, solitum prodistis in hostem:
Illic pugnaces commovit Iberia cætras.
Eripe victori gentes, et sanguine mundi
Fuso, Magne, semel, totos consume triumphos.
Illo forte die Cæsar, statione relicta, 235
Ad segetum raptus moturus signa, repente
Conspicit in planos hostem descendere campos,
Oblatumque videt votis sibi mille petitum
Tempus, in extremos quo mitteret omnia casus.
Æger quippe moræ, flagransque cupidine regni,
Cœperat exiguo tractu civilia bella 241
Ut lentum damnare nefas. Discrimina postquam
Adventare ducum, supremaque prœlia vidit,
Casuram et fati sensit nutare ruinam, [lum
Illa quoque in ferrum rabies promtissima paul-
Languit, et casus audax spondere secundos 246
Mens stetit in dubio, quam nec sua fata timere,
Nec Magni sperare sinunt. Formidine mersa
Prosilit hortando melior fiducia vulgo.
O domitor mundi, rerum fortuna mearum, 250
Miles, adest toties optatæ copia pugnæ.
Nil opus est votis: jam fatum accersite ferro.
In manibus vestris, quantus sit Cæsar, habetis.
Hæc est illa dies, mihi quam Rubiconis ad undas
Promissam memini, cujus spe movimus arma, 255
In quam distulimus vetitos remeare triumphos.
Hæc eadem est hodie, quæ pignora, quæque
penates
Reddat, et emerito faciat vos Marte colonos.
Hæc, fato quæ teste probet, quis justius arma
Sumserit, hæc acies victum factura nocentem est.
Si pro me patriam ferro flammisque petistis, 261
Nunc pugnate truces, gladiosque exsolvite culpa.
Nulla manus belli, mutato judice, pura est.
Non mihi res agitur, sed vos ut libera sitis
Turba precor, gentes ut jus habeatis in omnes.
Ipse ego privatæ cupidus me reddere vitæ, 266
Plebeiaque toga modicum componere civem:
Omnia dum vobis liceant, nihil esse recuso.
Invidia regnate mea. Nec sanguine multo
Spem mundi petitis: Graiis delecta juventus 270
Gymnasiis aderit, studioque ignava palæstræ
Et vix arma ferens, et mistæ dissona turbæ
Barbaries, non illa tubas, non agmine moto
Clamorem latura suum. Civilia paucæ 274
Bella manus facient: pugnæ pars magna levabit
His orbem populis, Romanumque obteret hostem.
Ite per ignavas gentes, famosaque regna,
Et primo ferri motu prosternite mundum:
Sitque palam, quas tot duxit Pompeius in Urbem
Curribus, unius gentes non esse triumphi. 280
Armeniosne movet, Romana potentia cujus
Sit ducis? aut emtum minimo vult sanguine
quisquam
Barbarus Hesperiis Magnum præponere rebus?
Romanos odere omnes, dominosque gravantur,
Quos novere, magis. Sed me Fortuna meorum
Commisit manibus, quorum me Gallia testem
Tot fecit bellis. Cujus non militis ensem [sit,
Agnoscam? cœlumque tremens cum lancea tran-
Dicere non fallar, quo sit vibrata lacerto. 289
Quod si signa ducem nunquam fallentia vestrum
Conspicio, faciesque truces, oculosque minaces;
Vicistis. Videor fluvios spectare cruoris,
Calcatosque simul reges, sparsumque senatus
Corpus, et immensa populos in cæde natantes.
Sed mea fata moror, qui vos in tela ruentes 295
Vocibus his teneo. Veniam date bella trahenti;
Spe trepido: haud unquam vidi tam magna da-
turos,
Tam prope me superos: camporum limite parvo
Absumus a votis. Ego sum, cui Marte peracto,
Quæ populi regesque tenent, donare licebit. 300
Quone poli motu, quo cœli sidere verso,
Thessalicæ tantum, superi, permittitis oræ?
Aut merces hodie bellorum, aut pœna paratur.
Cæsareas spectate cruces, spectate catenas,
Et caput hoc positum rostris, effusaque membra,
Septorumque nefas, et clausi prœlia campi. 306
Cum duce Syllano gerimus civilia bella.
Vestri cura movet. Nam me secura manebit
Sors quæsita manu: fodientem viscera cernet
Me mea, qui nondum victo respexerit hoste. 310
Di, quorum curas abduxit ab æthere tellus,
Romanusque labor, vincat, quicunque necesse
Non putat in victos sævum distringere ferrum,
Quique suos cives, quod signa adversa tulerunt,
Non credit fecisse nefas. Pompeius in arcto 315
Agmina vestra loco, vetita virtute moveri,
Cum tenuit, quanto satiavit sanguine ferrum!
Vos tamen hoc oro, juvenes, ne cædere quisquam
Hostis terga velit: civis, qui fugerit, esto.
Sed dum tela micant, non vos pietatis imago 320
Ulla, nec adversa conspecti fronte parentis
Commoveant: vultus gladio turbate verendos.
Sive quis infesto cognata in pectora ferro
Ibit, seu nullum violabit vulnere pignus, 324
Ignoti jugulum tanquam scelus imputet hostis.
Sternite jam vallum, fossasque implete ruina,
Exeat ut plenis acies non sparsa maniplis.
Parcite ne castris: vallo tendetis in illo,
Unde acies peritura venit. Vix cuncta locuto
Cæsare, quemque suum munus trahit, armaque
raptim 330

Sumta viris: celeres capiunt præsagia belli,
Calcatisque ruunt castris: stant ordine nullo,
Arte ducis nulla: permittunt omnia fatis.
Si totidem Magni soceros, totidemque petentes
Urbis regna suæ funesto in Marte locasses, 335
Non tam præcipiti ruerent in prœlia cursu.
Vidit ut hostiles in rectum exire catervas
Pompeius, nullasque moras permittere bello,
Sed superis placuisse diem, stat corde gelato
Attonitus: tantoque duci sic arma timere 340
Omen erat. Premit inde metus, totumque per agmen
Sublimi provectus equo, Quem flagitat, inquit,
Vestra diem virtus, finis civilibus armis
Quem quæsistis, adest. Totas effundite vires;
Extremum ferri superest opus, unaque gentes 345
Hora trahit. Quisquis patriam carosque penates,
Qui sobolem ac thalamos, desertaque pignora quærit,
Ense petat: medio posuit deus omnia campo.
Causa jubet melior superos sperare secundos.
Ipsi tela regent per viscera Cæsaris, ipsi 350
Romanas sancire volent hoc sanguine leges.
Si socero dare regna meo mundumque pararent,
Præcipitare meam fatis potuere senectam.
Non iratorum populis Urbique deorum est,
Pompeium servare ducem. Quæ vincere possent
Omnia contulimus. Subiere pericula clari 356
Sponte viri, sacraque antiquus imagine miles.
Si Curios his fata darent, reducesque Camillos
Temporibus, Deciosque caput fatale voventes,
Hinc starent. Primo gentes oriente coactæ, 360
Innumeræque urbes, quantas in prœlia nunquam
Excivere manus. Toto simul utimur orbe.
Quicquid, signiferi comprensum limite cœli,
Sub Noton et Borean hominum sumus, arma movemus.
Nonne superfusis collectum cornibus hostem 365
In medium dabimus? paucas victoria dextras
Exigit: at plures tantum clamore catervæ
Bella gerent. Cæsar nostris non sufficit armis.
Credite, pendentes e summis mœnibus urbis,
Crinibus effusis hortari in prœlia matres. 370
Credite grandævum vetitumque ætate senatum
Arma sequi, sacros pedibus prosternere canos:
Atque ipsam domini metuentem occurrere Romam.
Credite, qui nunc est, populum populumque futurum
Permistas afferre preces. Hæc libera nasci, 375
Hæc vult turba mori. Si quis post pignora tanta
Pompeio locus est, cum prole et conjuge supplex,
Imperii salva si majestate liceret,
Volverer ante pedes. Magnus, nisi vincitis, exsul,
Ludibrium soceri, vester pudor; ultima fata 380
Deprecor, ac turpes extremi cardinis annos,
Ne discam servire senex. Tam mœsta locuti
Voce ducis flagrant animi, Romanaque virtus
Erigitur, placuitque mori, si vera timeret.
Ergo utrinque pari concurrunt agmina motu 385
Irarum: metus hos regni, spes excitat illos.
Hæ facient dextræ, quicquid non expleat ætas
Ulla, nec humanum reparet genus omnibus annis,
Ut vacet a ferro. Gentes Mars iste futuras
Obruet, et populos ævi venientis in orbem 390
Erepto natale feret. Tunc omne Latinum
Fabula nomen erit: Gabios, Veiosque, Coramque
Pulvere vix tectæ poterunt monstrare ruinæ,
Albanosque lares, Laurentinosque penates
Rus vacuum, quod non habitet nisi nocte coacta
Invitus, questusque Numam jussisse, senator.
Non ætas hæc carpsit edax, monimentaque rerum
Putria destituit; crimen civile videmus,
Tot vacuas urbes. Generis quo turba redacta est
Humani? toto populi qui nascimur orbe, 400
Nec muros implere viris, nec possumus agros.
Urbs nos una capit: vincto fossore coluntur
Hesperiæ segetes: stat tectis putris avitis
In nullos ruitura domus: nulloque frequentem
Cive suo Romam, sed mundi fæce repletam, 405
Cladis eo dedimus, ne tanto in tempore bellum
Jam posset civile geri: Pharsalia tanti
Causa mali. Cedant feralia nomina Cannæ,
Et damnata diu Romanis Allia fastis.
Tempora signavit leviorum Roma malorum; 410
Hunc voluit nescire diem. Pro tristia fata!
Aera pestiferum tractu, morbosque fluentes,
Insanamque famem, permissasque ignibus urbes,
Mœniaque in præceps laturos plena tremores,
Hi possent explere viri: quos undique traxit 415
In miseram Fortuna necem, dum munera longi
Explicat eripiens ævi, populosque ducesque
Constituit campis: per quos tibi, Roma, ruenti
Ostendat, quam magna cadas, quo latius orbem
Possedit, citius per prospera fata cucurrit. 420
Omne tibi bellum gentes dedit omnibus annis:
Te geminum Titan procedere vidit in axem.
Haud multum terræ spatium restabat Eoæ,
Ut tibi nox, tibi tota dies, tibi curreret æther,
Omniaque errantes stellæ Romana viderent. 425
Sed retro tua fata tulit par omnibus annis
Emathiæ funesta dies. Hac luce cruenta
Effectum, ut Latios non horreat India fasces,
Nec vetitos errare Dahas in mœnia ducat,
Sarmaticumque premat succinctus consul aratrum: 430
Quod semper sævas debet tibi Parthia pœnas,
Quod fugiens civile nefas, redituraque nunquam
Libertas, ultra Tigrim Rhenumque recessit,
Ac, toties nobis jugulo quæsita, negatur,
Germanum Scythicumque bonum, nec respicit ultra 435
Ausoniam: vellem, populis incognita nostris:
Vulturis ut primum lævo fundata volatu
Romulus infami complevit mœnia luco,
Usque ad Thessalicas servisses, Roma, ruinas.
De Brutis, Fortuna, queror. Quid tempora legum
Egimus, aut annos a consule nomen habentes?
Felices Arabes, Medique, Eoaque tellus,
Quam sub perpetuis tenuerunt fata tyrannis. [est,
Ex populis, qui regna ferunt, sors ultima nostra
Quos servire pudet. Sunt nobis nulla profecto
Numina: cum cæco rapiantur sæcula casu, 446
Mentimur regnare Jovem. Spectabit ab alto
Æthere Thessalicas, teneat cum fulmina, cædes?
Scilicet ipse petet Pholoen, petet ignibus Œten,
Immeritæque nemus Rhodopes, pinusque minantes? 450
Cassius hoc potius feriet caput? astra Thyestæ
Abstulit, et subitis damnavit noctibus Argos;
Tot similes fratrum gladios patrumque gerenti
Thessaliæ dabit ille diem? mortalia nulli
Sunt curata deo. Cladis tamen hujus habemus 455
Vindictam, quantum terris dare numina fas est.
Bella pares superis facient civilia divos:
Fulminibus Manes radiisque ornabit et astris,
Inque deûm templis jurabit Roma per umbras.
Ut rapido cursu fati suprema morantem 460
Consumsere locum; parva tellure diremti, [runt,
Inde manum spectant, vultusque agnoscere quæ-
Quo sua pila cadant, aut qua sibi fata minentur,

Facturi quæ monstra forent. Videre parentes
Frontibus adversis, fraternaque cominus arma,
Nec libuit mutare locum: tamen omnia torpor
Pectora constrinxit, gelidusque in viscera san-
Perculsa pietate coit, totæque cohortes [guis
Pila parata diu tensis tenuere lacertis. 469
Di tibi non mortem, quæ cunctis pœna paratur,
Sed sensum post fata tuæ dent, Crastine, morti,
Cujus torta manu commisit lancea bellum,
Primaque Thessaliam Romano sanguine tinxit.
O præceps rabies! cum Cæsar tela teneret,
Inventa est prior ulla manus? Tunc stridulus aer
Elisus lituis, conceptaque classica cornu: 476
Tunc ausæ dare signa tubæ: tunc æthera tendit,
Extremique fragor convexa irrumpit Olympi,
Unde procul nubes, quo nulla tonitrua durant.
Excepit resonis clamorem vallibus Hæmus, 480
Peliacisque dedit rursus geminare cavernis:
Pindus agit gemitus, Pangæaque saxa resultant,
Œtææque gemunt rupes: vocesque furoris
Expavere sui tota tellure relatas.
Spargitur innumerum diversis missile votis. 485
Vulnera pars optat, pars terræ figere tela,
Ac puras servare manus. Rapit omnia casus;
Atque incerta facit, quos vult, Fortuna nocentes
Sed quota pars cladis jaculis ferroque volanti
Exacta est? odiis solus civilibus ensis 490
Sufficit, et dextras Romana in viscera ducit.
Pompeii densis acies stipata catervis
Junxerat in seriem nexis umbonibus arma,
Vixque habitura locum dextras ac tela movendi
Constiterat, gladiosque suos compressa tenebat.
Præcipiti cursu vesanum Cæsaris agmen 496
In densos agitur cuneos, perque arma, per hostem
Quærit iter, qua torta graves lorica catenas
Opponit, tutoque latet sub tegmine pectus.
Hac quoque perventum est ad viscera: totque
per arma 500
Extremum est, quod quisque ferit. Civilia bella
Una acies patitur, gerit altera: frigidus inde
Stat gladius; calet omne nocens a Cæsare ferrum.
Nec Fortuna diu rerum tot pondera vergens,
Abstulit ingentes fato torrente ruinas. 505
Ut primum toto diduxit cornua campo
Pompeianus eques, bellique per ultima fudit;
Sparsa per extremos levis armatura maniplos
Insequitur, sævasque manus immittit in hostem.
Illic quæque suo miscet gens prœlia telo: 510
Romanus cunctis petitur cruor: inde sagittæ,
Inde faces et saxa volant, spatioque solutæ
Aeris, et calido liquefactæ pondere glandes.
Tunc et Ituræi, Medique Arabesque, soluto
Arcu turba minax, nusquam rexere sagittas; 515
Sed petitur solus, qui campis imminet aer:
Inde cadunt mortes: sceleris sed crimine nullo
Externum maculant chalybem; stetit omne co-
Circa pila nefas: ferro subtexitur æther, [actum
Noxque super campos telis conserta pependit. 520
Tum Cæsar metuens, ne frons sibi prima labaret
Incursu, tenet obliquas post signa cohortes:
Inque latus belli, qua se vagus hostis agebat,
Immittit subitum, non motis cornibus, agmen.
Immemores pugnæ, nulloque pudore timendi 525
Præcipites fecere palam, civilia bella
Non bene barbaricis unquam commissa catervis.
Ut primum sonipes transfixus pectora ferro
In caput effusi calcavit membra regentis;
Omnis eques cessit campis, glomerataque pubes
In sua conversis præceps ruit agmina frenis. 531
Perdidit inde modum cædes ac nulla secuta est
Pugna; sed hinc jugulis, hinc ferro bella geruntur.
Nec valet hæc acies tantum prosternere, quantum
Inde perire potest. Utinam, Pharsalia, campis 535
Sufficiat cruor iste tuis, quem barbara fundunt
Pectora, non alio mutentur sanguine fontes.
Hic numerus totos tibi vestiat ossibus agros:
Aut si Romano compleri sanguine mavis,
Istis parce precor: vivant Galatæque, Syrique, 540
Cappadoces, Gallique, extremique orbis Iberi,
Armenii, Cilices: nam post civilia bella
Hic populus Romanus erit. Semel ortus in omnes
It timor, et fatis datus est pro Cæsare cursus.
Ventum erat ad robur Magni mediasque catervas, 545
Quod totos errore vago perfuderat agros:
Constitit hic bellum, fortunaque Cæsaris hæsit.
Non illic regum auxiliis collecta juventus
Bella gerit, ferrumque manus movere togatæ:
Ille locus fratres habuit, locus ille parentes. 550
Hic furor, hic rabies, hic sunt tua crimina, Cæsar.
Hanc fuge, mens, partem belli, tenebrisque relinque,
Nullaque tantorum discat me vate malorum,
Quam multum bellis liceat civilibus, ætas.
Ah potius pereant lacrymæ, pereantque querelæ.
Quicquid in hac acie gessisti, Roma, tacebo. 556
Hic Cæsar, rabies populi, stimulusque furoris,
Ne qua parte sui pereat scelus, agmina circum
It vagus, atque ignes animis flagrantibus addit
Inspicit et gladios, qui toti sanguine manent, 560
Qui niteant primo tantum mucrone cruenti,
Quæ presso tremat ense manus, quis languida tela,
Quis contenta ferat, quis præstet bella jubenti,
Quem pugnare juvet, quis vultum cive peremt
Mutet: obit latis projecta cadavera campis. 565
Vulnera multorum totum fusura cruorem
Opposita premit ipse manu. Quacunque vagatur,
Sanguineum veluti quatiens Bellona flagellum,
Bistonas aut Mavors agitans, si verbere sævo
Palladia stimulet turbatos ægide currus. 570
Nox ingens scelerum, et cædes oriuntur, et in-
Immensæ vocis gemitus, et pondere lapsi [star
Pectoris arma sonant, confractique ensibus enses.
Ipse manu subicit gladios, ac tela ministrat,
Adversosque jubet ferro confundere vultus. 575
Promovet ipse acies: impellit terga suorum:
Verbere conversæ cessantes excitat hastæ.
In plebem vetat ire manus, monstratque senatum,
Scit cruor imperii qui sit, quæ viscera legum,
Unde petat Romam, libertas ultima mundi 580
Quo steterit ferienda loco. Permista secundo
Ordine nobilitas, venerandaque corpora ferro
Urgentur: cædunt Lepidos, cæduntque Metellos,
Corvinosque simul, Torquataque nomina legum,
Sæpe duces, summosque hominum te, Magne,
remoto. 585
Illic plebeia contectus casside vultus,
Ignotusque hosti, quod ferrum, Brute, tenebas?
O decus imperii, spes o suprema senatus,
Extremum tanti generis per sæcula nomen,
Ne rue per medios nimium temerarius hostes, 590
Nec tibi fatales admoveris ante Philippos,
Thessalia periture tua. Nil proficis istic
Cæsaris intentus jugulo; nondum attigit arcem
Juris, et humanum culmen, quo cuncta reguntur,
Egressus, meruit fatis tam nobile letum: 595
Vivat, et, ut Bruti procumbat victima, regnet.
Hic patriæ perit omne decus: jacet aggere mag-
Patricium campis commista plebe cadaver. [no
Mors tamen eminuit clarorum in strage virorum

Pugnacis Domiti; quem clades fata per omnes 600
Ducebant. Nusquam Magni fortuna sine illo
Succubuit: victus toties a Cæsare, salva
Libertate perit: tunc mille in vulnera lætus
Labitur, ac venia gaudet caruisse secunda.
Viderat in crasso versantem sanguine membra 605
Cæsar, et increpitans: Jam Magni deseris arma,
Successor Domiti: sine te jam bella geruntur.
Dixerat: ast illi suffecit pectora pulsans
Spiritus in vocem, morientiaque ora resolvit:
Non te funesta scelerum mercede potitum, 610
Sed dubium fati, Cæsar, generoque minorem
Aspiciens, Stygias Magno duce liber ad umbras
Et securus eo: te sævo Marte subactum,
Pompeioque graves pœnas nobisque daturum,
Cum moriar, sperare licet. Non plura locutum 615
Vita fugit, densæque oculos pressere tenebræ.
Impendisse pudet lacrymas in funere mundi
Mortibus innumeris, ac singula fata sequentem
Quærere, letiferum per cujus viscera vulnus
Exierit: quis fusa solo vitalia calcet: 620
Ore quis adverso, demisso faucibus ense,
Expulerit moriens animam: quis corruat ictu,
Quis steterit, dum membra cadant: qui pectora telis
Transmittant, aut quos campis affixerit hasta:
Quis cruor emissus perruperit aera venis, 625
Inque hostis cadat arma sui: quis pectora fratris
Cædat, et, ut notum possit spoliare cadaver,
Abscisum longe mittat caput: ora parentis
Quis laceret, nimiaque probet spectantibus ira,
Quem jugulat, non esse patrem. Mors nulla querela 630
Digna sua est, nullosque hominum lugere vacamus
Non istas habuit pugnæ Pharsalia partes,
Quas aliæ clades: illic per fata virorum,
Per populos hic Roma perit: quod militis illic,
Mors hic gentis erat: sanguis ibi fluxit Achæus,
Ponticus, Assyrius; cunctos hærere cruores 636
Romanus, campisque vetat consistere torrens:
Majus ab hac acie, quam quod sua sæcula ferrent,
Vulnus habent populi: plus est quam vita salusque,
Quod perit: in totum mundi prosternimur ævum. 640
Vincitur his gladiis omnis, quæ serviet, ætas.
Proxima quid soboles, aut quid meruere nepotes
In regnum nasci? pavide num gessimus arma?
Teximus aut jugulos? alieni pœna timoris
In nostra cervice sedet. Post prœlia natis 645
Si dominum, Fortuna, dabas, et bella dedisses.
Jam Magnus transisse deos Romanaque fata
Senserat infelix: tota vix clade coactus
Fortunam damnare suam, stetit aggere campi
Eminus, unde omnes sparsas per Thessala rura
Aspiceret clades, quæ bello obstante latebant. 651
Tot telis sua fata peti, tot corpora fusa,
Ac se tam multo pereuntem sanguine vidit.
Nec, sicut mos est miseris, trahere omnia secum
Mersa juvat, gentesque suæ miscere ruinæ: 655
Ut Latiæ post se vivat pars maxima turbæ,
Sustinuit dignos etiam nunc credere votis
Cœlicolas, voluitque sui solatia casus:
Parcite, ait, superi, cunctas prosternere gentes:
Stante potest mundo, Romaque superstite, Magnus 660
Esse miser. Si plura juvant mea vulnera, conjux
Est mihi, sunt nati; dedimus tot pignora fatis.
Civiline parum est bello, si meque meosque
Obruat? exiguæ clades sumus orbe remoto?
Omnia quid laceras? quid perdere cuncta laboras? 665
Jam nihil est, Fortuna, meum. Sic fatur: et arma
Signaque, et afflictas omni jam parte catervas
Circuit, et revocat matura in fata ruentes.
Seque negat tanti. Nec deerat robur in enses
Ire duci, juguloque pati vel pectore letum; 670
Sed timuit, strato miles ne corpore Magni
Non fugeret, supraque ducem procumberet orbis:
Cæsaris aut oculis voluit subducere mortem.
Nequicquam. Infelix, socero spectare volenti
Præstandum est ubicunque caput. Sed tu quoque, conjux, 675
Causa fugæ, vultusque tui: fatisque probatum
Te præsente mori. Tunc Magnum concitus ausfert
A bello sonipes, non tergo tela paventem,
Ingentesque animos extrema in fata ferentem.
Non gemitus, non fletus erat, salvaque verendus
Majestate dolor, qualem te, Magne, decebat 681
Romanis præstare malis. Non impare vultu
Aspicis Emathiam: nec te videre superbum
Prospera bellorum, nec fractum adversa videbunt.
Quamque fuit læto per tres infida triumphos, 685
Tam misero Fortuna minor. Jam pondere fati
Deposito securus abis: nunc tempora læta
Respexisse vacat: spes nunquam implenda recessit:
Quid fueris nunc scire licet. Fuge prœlia dira,
Ac testare deos, nullum qui perstet in armis, 690
Jam tibi, Magne, mori: ceu flebilis Africa damnis,
Et ceu Munda nocens, Pharioque a gurgite clades,
Sic et Thessalicæ post te pars maxima pugnæ.
Non jam Pompeii nomen populare per orbem,
Nec studium belli; sed par, quod semper habemus, 695
Libertas et Cæsar erunt: teque inde fugato
Ostendet moriens, sibi se pugnasse, senatus.
Nonne juvat pulsum bellis cessisse, nec istud
Prospectare nefas, spumantes cæde catervas?
Respice turbatos incursu sanguinis amnes, 700
Et soceri miserere tui. Quo pectore Romam
Intrabit factus campis felicior istis?
Quicquid in ignotis solus regionibus exsul,
Quicquid sub Phario positus patiere tyranno,
Crede deis, longo fatorum crede favori, 705
Vincere pejus erat. Prohibe lamenta sonare,
Flere veta populos: lacrymas luctusque remitte.
Tam mala Pompeii, quam prospera mundus adoret.
Adspice securus vultu non supplice reges:
Adspice possessas urbes donataque regna, 710
Ægyptum Libyamque, et terras elige morti.
Vidit prima tuæ testis Larissa ruinæ
Nobile, nec victum fatis caput: omnibus illa
Civibus effudit totas per mœnia vires
Obvia ceu læto: præmittunt munera flentes: 715
Pandunt templa, domos: socios se cladibus optant.
Scilicet immenso superest ex nomine multum,
Teque minor solo, cunctas impellere gentes
Rursus in arma potes, rursusque in fata redire.
Sed, Quid opus victo populis aut urbibus, inquit?
Victori præstate fidem. Tu, Cæsar, in alto 721
Cædis adhuc cumulo patriæ per viscera vadis:
At tibi jam populos donat gener. Avehit inde
Pompeium sonipes: gemitus lacrymæque sequuntur,
Plurimaque in sævos populi convicia divos 725
Nunc tibi vera fides quæsiti, Magne, favoris

Contigit, ac fructus. Felix se nescit amari.
Cæsar ut Hesperio vidit satis arva natare
Sanguine, parcendum ferro manibusque suorum
Jam ratus, ut viles animas, perituraque frustra 730
Agmina permisit vitæ. Sed castra fugatos
Ne revocent, pellatque quies nocturna pavorem,
Protinus hostili statuit succedere vallo,
Dum fortuna calet, dum conficit omnia terror,
Non veritus, grave ne fessis ac Marte subactis 735
Hoc foret imperium. Non magno hortamine miles
In prædam ducendus erat. Victoria nobis
Plena, viri, dixit: superest pro sanguine merces,
Quam monstrare meum est: nec enim donare vocabo, [tallis
Quod sibi quisque dabit. Cunctis en plena me-
Castra patent: raptum Hesperiis e gentibus aurum
Hic jacet, Eoasque premunt tentoria gazas.
Tot regum fortuna simul, Magnique coacta
Exspectat dominos: propera præcedere, miles,
Quos sequeris: quascunque tuas Pharsalia fecit,
A victis rapiantur opes. Nec plura locutus 746
Impulit amentes, aurique cupidine cæcos
Ire super gladios, supraque cadavera patrum,
Et cæsos calcare duces. Quæ fossa, quis agger
Sustineat pretium belli scelerumque petentes? 750
Scire volunt, quanta fuerint mercede nocentes.
Invenere quidem spoliato plurima mundo
Bellorum in sumtus congestæ pondera massæ
Sed non implerunt cupientes omnia mentes.
Quicquid fodit Iber, quicquid Tagus expulit auri,
Quodque legit dives summis Arimaspus arenis, 756
Ut rapiant, parvo scelus hoc vênisse putabunt.
Cum sibi Tarpeias victor desponderit arces:
Cum spe Romanæ promiserit omnia prædæ:
Decipitur, quod castra rapit. Capit impia plebes
Cespite patricio somnos: cassumque cubile 761
Regibus infandus miles premit: inque parentum,
Inque toris fratrum posuerunt membra nocentes:
Quos agitat vesana quies somnique furentes:
Thessalicam miseri versant in pectore pugnam. 765
Invigilat cunctis sævum scelus, armaque tota
Mente agitant, capuloque manus absente moventur.
Ingemuisse putes campos, terramque nocentem
Inspirasse animas, infectumque aera totum
Manibus, et superam Stygia formidine noctem.
Exigit a meritis tristes victoria pœnas, 771
Sibilaque et flammas infert sopor: umbra peremti
Civis adest: sua quemque premit terroris imago.
Ille senum vultus, juvenum videt ille figuras:
Hunc agitant totis fraterna cadavera somnis: 775
Pectore in hoc pater est: omnes in Cæsare manes.
Haud alios nondum Scythica purgatus in ara
Eumenidum vidit vultus Pelopeus Orestes:
Nec magis attonitos animi sensere tumultus,
Cum fureret Pentheus, aut cum desisset Agave. 780
Hunc omnes gladii, quos aut Pharsalia vidit,
Aut ultrix visura dies, stringente senatu,
Illa nocte premunt: hunc infera monstra flagellant.
Et quantum pœnæ misero mens conscia donat,
Quod Styga, quod manes infestaque Tartara somnis 785
Pompeio vivente videt! Tamen omnia passo,
Postquam clara dies Pharsalica damna retexit,
Nulla loci facies revocat feralibus arvis
Hærentes oculos. Cernit propulsa cruore
Flumina, et excelsos cumulis æquantia colles 790
Corpora, sidentes in tabem spectat acervos,
Et Magni numerat populos: epulisque paratur
Ille locus, vultus ex quo faciesque jacentum
Agnoscat. Juvat Emathiam non cernere terram,
Et lustrare oculis campos sub clade latentes. 795
Fortunam superosque suos in sanguine cernit.
Ac ne læta furens scelerum spectacula perdat,
Invidet igne rogi miseris, cœloque nocenti
Ingerit Emathiam. Non illum Pœnus humator
Consulis, et Libyca succensæ lampade Cannæ 800
Compellunt, hominum ritus ut servet in hostes;
Sed meminit nondum satiata cædibus ira,
Cives esse suos. Petimus non singula busta,
Discretosque rogos; unum da gentibus ignem:
Non interpositis urantur corpora flammis. 805
Aut generi si pœna juvat, nemus exstrue Pindi:
Erige congestas Œtæo robore sylvas: [mam.
Thessalicam videat Pompeius ab æquore flam-
Nil agis hac ira: tabesne cadavera solvat
An rogus, haud refert: placido Natura receptat
Cuncta sinu, finemque sui sibi corpora debent. 811
Hos, Cæsar, populos si nunc non usserit ignis,
Uret cum terris, uret cum gurgite ponti.
Communis mundo superest rogus, ossibus astra
Misturus. Quocunque tuam Fortuna vocabit, 815
Hæ quoque eunt animæ. Non altius ibis in auras,
Non meliore loco Stygia sub nocte jacebis.
Libera Fortunæ mors est: capit omnia tellus
Quæ genuit: cœlo tegitur, qui non habet urnam.
Tu, cui dant pœnas inhumato funere gentes, 820
Quid fugis hanc clademl? quid olentes deseris agros? [cœlo.
Has trahe, Cæsar, aquas: hoc, si potes, utere
Sed tibi tabentes populi Pharsalica rura
Eripiunt, camposque tenent victore fugato.
Non solum Hæmonii funesta ad pabula belli 825
Bistonii venere lupi, tabemque cruentæ
Cædis odorati Pholoen liquere leones.
Tunc ursi latebras, obscæni tecta domosque
Deseruere canes, et quicquid nare sagaci
Aera non sanum, motumque cadavere sentit. 830
Jamque diu volucres, civilia castra secutæ,
Conveniunt. Vos, quæ Nilo mutare soletis
Threicias hyemes, ad mollem serius Austrum
Istis aves. Nunquam se tanto vulture cœlum
Induit, aut plures presserunt aera pennæ. 835
Omne nemus misit volucres, omnisque cruenta
Alite sanguineis stillavit roribus arbor.
Sæpe super vultus victoris et impia signa
Aut cruor, aut alto defluxit ab æthere tabes,
Membraque dejecit jam lassis unguibus ales. 840
Sic quoque non omnis populus pervenit ad ossa,
Inque feras discerptus abit: non intima curant
Viscera, nec totas avide sorbere medullas;
Degustant artus. Latiæ pars maxima turbæ
Fastidita jacet, quam sol, nimbique, diesque 845
Longior Emathiis resolutam miscuit arvis.
Thessalica infelix, quo tanto crimine, tellus,
Læsisti superos, ut te tot mortibus unam,
Tot scelerum fatis premerent? quod sufficit ævum,
Immemor ut donet belli tibi damna vetustas? 850
Quæ seges infecta surget non decolor herba?
Quo non Romanos violabis vomere manes?
Ante novæ venient acies, scelerique secundo
Præstabis nondum siccos hoc sanguine campos.
Omnia majorum vertamus busta licebit, 855
Et stantes tumulos, et qui radice vetusta
Effudere suas victis compagibus urnas;
Plus cinerum Hæmoniæ sulcis telluris aratur,
Pluraque ruricolis feriuntur dentibus ossa.
Nullus ab Emathio religasset littore funem 860
Navita, nec terram quisquam movisset arator
Romani bustum populi: fugerentque coloni

Umbrarum campos, gregibus dumeta carerent:
Nullusque auderet pecori permittere pastor,
Vellere surgentem de nostris ossibus herbam: 865
Ac, velut impatiens hominum, vel solis iniqui
Limite, vel glacie nuda atque ignota jaceres,
Si non prima nefas belli, sed sola tulisses.
O superi, liceat terras odisse nocentes.
Quid totum premitis, quid totum absolvitis orbem? 870
Hesperiæ clades, et flebilis unda Pachyni,
Et Mutina, et Leucas puros fecere Philippos.

LIBER OCTAVUS.

Jam super Herculeas fauces nemorosaque Tempe,
Hæmoniæ deserta petens dispendia sylvæ,
Cornipedem exhaustum cursu, stimulisque negantem
Magnus agens, incerta fugæ vestigia turbat,
Implicitasque errore vias. Pavet ille fragorem 5
Motorum ventis nemorum, comitumque suorum.
Qui post terga venit, trepidum laterique timentem
Exanimat. Quamvis summo de culmine lapsus,
Nondum vile sui pretium scit sanguinis esse,
Seque, memor fati, tantæ mercedis habere 10
Credit adhuc jugulum, quantum pro Cæsaris ipse
Avulsa cervice daret. Deserta sequentem
Non patitur tutis fatum celare latebris
Clara viri facies. Multi Pharsalica castra
Cum peterent, nondum fama prodente ruinas, 15
Occursu stupuere ducis, vertigine rerum
Attoniti: cladisque suæ vix ipse fidelis [lorum
Auctor erat. Gravis est Magno, quicunque ma-
Testis adest. Cunctis ignotus gentibus esse
Mallet, et obscuro tutus transire per orbem 20
Nomine: sed longi pœnas Fortuna favoris
Exigit a misero, quæ tanto pondere famæ
Res premit adversas, fatisque prioribus urget.
Nunc festinatos nimium sibi sentit honores,
Actaque lauriferæ damnat Syllana juventæ. 25
Nunc et Corycias classes, et Pontica signa
Dejectum meminisse piget. Sic longius ævum
Destruit ingentes animos, et vita superstes
Imperio. Nisi summa dies cum fine bonorum
Affuit, et celeri prævertit tristia leto, 30
Dedecori est fortuna prior. Quisquamne secundis
Tradere se fatis audet, nisi morte parata?
Littora contigerat, per quæ Peneius amnis,
Emathia jam clade rubens, exibat in æquor.
Inde ratis trepidum ventis et fluctibus impar, 35
Flumineis vix tuta vadis, evexit in altum:
Cujus adhuc remis quatitur Corcyra, sinusque
Leucadii, Cilicum dominus terræque Liburnæ,
Exiguam vector pavidus correpsit in alnum.
Conscia curarum secreta in littora Lesbi 40
Flectere vela jubet, qua tum tellure latebas,
Mœstior, in mediis quam si, Cornelia, campis
Emathiæ stares. Tristes præsagia curas
Exagitant: trepida quatitur formidine somnus.
Thessaliam nox omnis habet: tenebrisque remotis 45
Rupis in abruptæ scopulos extremaque currens
Littora, prospiciens fluctus, nutantia longe
Semper prima vides venientes vela carinæ,
Quærere nec quicquam de fato conjugis audes.
En ratis, ad vestros quæ tendit carbasa portus, 50
Quid ferat ignoras: sed nunc tibi summa pavoris
Nuntius armorum tristis, rumorque sinister,
Victus adest conjux. Quid perdis tempora luctus? [pinqua
Cum possis jam flere, times. Tunc puppe pro-
Prosiluit, crimenque deûm crudele notavit, 55
Deformem pallore ducem, vultusque prementem
Canitie, atque atro squalentes pulvere vestes.
Obvia nox miseræ cœlum lucemque tenebris
Abstulit, atque animam clausit dolor: omnia nervis
Membra relicta labant. riguerunt corda, diuque
Spe mortis decepta jacet. Jam fune ligato 61
Littoribus lustrat vacuas Pompeius arenas.
Quem postquam propius famulæ videre fideles,
Non ultra gemitus tacitos incessere fata
Permisere sibi, frustraque attollere terra 65
Semianimem conantur heram: quam pectore Magnus
Ambit, et adstrictos refovet complexibus artus.
Cœperat in summum revocato sanguine corpus
Pompeii sentire manus, mœstamque mariti
Posse pati faciem: prohibet succumbere fatis 70
Magnus, et immodicos castigat voce dolores.
Nobile cur robur Fortunæ vulnere primo,
Fœmina tantorum titulis insignis avorum,
Frangis? habes aditum mansura in sæcula famæ.
Laudis in hoc sexu, non legum jura, nec arma, 75
Unica materia est conjux miser. Erige mentem,
Et tua cum fatis pietas decertet, et ipsum,
Quod sum victus, ama: nunc sum tibi gloria major,
A me quod fasces, et quod pia turba senatus.
Tantaque discessit regum manus: incipe Magnum
Sola sequi. Deformis adhuc vivente marito 81
Summus, et augeri vetitus dolor: ultima debet
Esse fides, lugere virum. Tu nulla tulisti
Bello damna meo. Vivit post prœlia Magnus,
Sed fortuna perit: quod defles, illud amasti. 85
Vocibus his correpta viri, vix ægra levavit
Membra solo, tales gemitu rumpente querelas:
O utinam in thalamos invisi Cæsaris issem
Infelix conjux, et nulli læta marito!
Bis nocui mundo: me pronuba duxit Erinnys, 90
Crassorumque umbræ, devotaque manibus illis
Assyrios in castra tuli civilia casus,
Præcipitesque dedi populos, cunctosque fugavi
A causa meliore deos. O maxime conjux,
O thalamis indigne meis, hoc juris habebat 95
In tantum Fortuna caput! cur impia nupsi,
Si miserum factura fui? nunc accipe pœnas,
Sed quas sponte luam. Quo sit tibi mollius æquor,
Certa fides regum, totusque paratior orbis,
Sparge mari comitem. Mallem felicibus armis

Dependisse caput: nunc clades denique lustra,
Magne, tuas. Ubicunque jaces, civilibus armis
Nostros ulta toros, ades huc, atque exige pœnas,
Julia crudelis; placataque pellice cæsa,
Magno parce tuo. Sic fata, iterumque refusa 105
Conjugis in gremium, cunctorum lumina solvit
In lacrymas. Duri flectuntur pectora Magni,
Siccaque Thessaliæ confundit lumina Lesbos.
Tunc Mitylenæum pleno jam littore vulgus
Affatur Magnum: Si maxima gloria nobis 110
Semper erit tanti pignus servasse mariti,
Tu quoque devotos sacro tibi fœdere muros,
Oramus, sociosque lares dignare vel una [sant
Nocte tua: fac, Magne, locum, quem cuncta revi-
Sæcula, quem veniens hospes Romanus adoret.
Nulla tibi subeunda magis sunt mœnia victo.
Omnia victoris possunt sperare favorem; [ponto;
Hæc jam crimen habent. Quid, quod jacet insula
Cæsar eget ratibus? procerum pars magna coibit
Certa loci. Noto reparandum est littore fatum.
Accipe templorum cultus, aurumque deorum
Accipe: si terris, si puppibus ista juventus
Aptior est, tota, quantum valet, utere Lesbo.
Accipe: ne Cæsar rapiat, tu victus habeto.
Hoc solum crimen meritæ bene detrahe terræ,
Ne nostram videare fidem felixque secutus, 126
Et damnasse miser. Tali pietate virorum
Lætus, in adversis et mundi nomine gaudens
Esse fidem, Nullum toto mihi, dixit, in orbe
Gratius esse solum, non parvo pignore vobis 130
Ostendi. Tenuit nostros hac obside Lesbos
Affectus: hic sacra domus, carique penates,
Hic mihi Roma fuit. Non ulla in littora puppim
Ante dedi fugiens, sævi cum Cæsaris iram 134
Jam scirem meritam, servata conjuge, Lesbon,
Non veritus tantam veniæ committere vobis
Materiam. Sed jam satis est fecisse nocentes:
Fata mihi totum mea sunt agitanda per orbem.
Heu nimium felix æterno nomine Lesbos! 139
Sive doces populos regesque admittere Magnum,
Seu præstas mihi sola fidem. Nam quærere certum est
Fas quibus in terris, ubi sit scelus. Accipe, numen
Si quod adhuc mecum es, votorum extrema meorum:
Da similes Lesbo populos, qui Marte subactum
Non intrare suos, infesto Cæsare, portus, 145
Non exire vetent. Dixit, mœstamque carinæ
Imposuit comitem. Cunctos mutare putares
Tellurem patriæque solum; sic littore toto
Plangitur, infestæ tenduntur in æthera dextræ:
Pompeiumque minus, cujus fortuna dolorem 150
Moverat, ast illam, quam toto tempore belli
Ut civem videre suam, discedere cernens
Ingemuit populus: quam vix, si castra mariti
Victoris peteret, siccis dimittere matres
Jam poterant oculis; tanto devinxit amore 155
Hos pudor, hos probitas, castique modestia vultus,
Quod submissa nimis, nulli gravis hospita turbæ,
Stantis adhuc fati vixit quasi conjuge victo.
Jam pelago medios Titan demissus ad ignes,
Nec quibus abscondit, nec si quibus exserit orbem,
Totus erat: vigiles Pompeii in pectore curæ 161
Nunc socias adeunt Romani fœderis urbes,
Et varias regum mentes, nunc invia mundi
Arva super nimios soles Austrumque jacentis.
Sæpe labor mœstus curarum, odiumque futuri 165
Projecit fessos incerti pectoris æstus;
Rectoremque ratis de cunctis consulit astris,
Unde notet terras, quæ sit mensura secandi
Æquoris in cœlo, Syriam quo sidere servet, 169
Aut quotus in plaustro Libyam bene dirigat ignis.
Doctus ad hæc fatur taciti servator Olympi:
Signifero quæcunque fluunt labentia cœlo,
Nunquam stante polo, miseros fallentia nautas
Sidera non sequimur; sed qui non mergitur undis
Axis inocciduus, gemina clarissimus Arcto, 175
Ille regit puppes. Hic cum mihi semper in altum
Surget, et instabit summis minor Ursa ceruchis;
Bosporon, et Scythiæ curvantem littora pontum
Spectamus. Quicquid descendet ab arbore summa
Arctophylax, propiorque mari Cynosura feretur,
In Syriæ portus tendet ratis. Inde Canopos 181
Excipit Australi cœlo contenta vagari,
Stella timens Borean: illa quoque perge sinistra
Trans Pharon; in medio tanget ratis æquore Syrtim. 184
Sed quo vela dari, quo nunc pede carbasa tendi
Nostra jubes? Dubio contra cui pectore Magnus,
Hoc solum toto, respondit, in æquore serva,
Ut sit ab Emathiis semper tua longius oris
Puppis, et Hesperiam pelago cœloque relinquas;
Cætera da ventis. Comitem, pignusque recepi 190
Depositum: tunc certus eram, quæ littora vellem;
Nunc portum Fortuna dabit. Sic fatur: at ille
Justo vela modo pendentia cornibus æquis
Torsit, et in lævum puppim dedit, utque secaret,
Quas Asiæ cautes, et quas Chios asperat, undas,
Hos dedit in proram, tenet hos in puppe rudentes
Æquora senserunt motus, aliterque secante
Jam pelagus rostro, nec idem spectante carina,
Mutavere sonum. Non sic moderator equorum,
Dexteriore rota lævum cum circuit orbem, 200
Cogit inoffensæ currus accedere metæ.
Ostendit terras Titan, et sidera texit.
Sparsus ab Emathia fugit quicunque procella,
Adsequitur Magnum: primusque a littore Lesbi
Occurrit natus, procerum mox turba fidelis. 205
Nam neque dejecto fatis, acieque fugato
Abstulerat Magno reges Fortuna ministros:
Terrarum dominos, et sceptra Eoa tenentes
Exsul habet comites. Jubet ire in devia mundi
Deiotarum, qui sparsa ducis vestigia legit. 210
Quando, ait, Emathiis amissus cladibus orbis
Qua Romanus erat, superest, fidissime regum,
Eoam tentare fidem, populosque bibentes
Euphraten, et adhuc securum a Cæsare Tigrim:
Nec pigeat Magno quærentem fata, remotas 215
Medorum penetrare domos Scythicosque recessus,
Et totum mutare diem, vocesque superbo
Arsacidæ perferre meas: Si fœdera nobis
Prisca manent, mihi per Latium jurata Tonantem,
Per vestros adstricta magos, implete pharetras,
Armeniosque arcus Geticis intendite nervis: 221
Si vos, o Parthi, peterem cum Caspia claustra,
Et sequerer duros æterni martis Alanos,
Passus Achæmeniis late decurrere campis,
In tutam trepidos nunquam Babylona coegi: 225
Arva super Cyri, Chaldæique ultima regni,
Qua rapidus Ganges, et qua Nysæus Hydaspes
Accedunt pelago, Phœbi surgentis ab igne
Jam propior quam Persis eram: tamen omnia vincens
Sustinui nostris vos tantum deesse triumphis, 230
Solusque e numero regum telluris Eoæ
Ex æquo me Parthus adit. Nec munere Magni
Stant semel Arsacidæ. Quis enim post vulnera
Assyriæ justas Latii compescuit iras? [cladi
Tot meritis obstricta meis, nunc Parthia ruptis 235

Excedat claustris vetitam per sæcula ripam,
Zeugmaque Pellæum. Pompeio vincite, Parthi :
Vinci Roma volet. Regem parere jubenti
Ardua non piguit, positisque insignibus aulæ
Egreditur famuli raptos indutus amictus. 240
In dubiis tutum est inopem simulare tyranno.
Quanto igitur mundi dominis securius ævum
Verus pauper agit! Dimisso in littore rege,
Ipse per Icariæ scopulos, Ephesumque relinquens
Et placidi Colophona maris, spumantia parvæ 245
Radit saxa Sami : spirat de littore Coo [quit
Aura fluens : Cnidon inde fugit, claramque relin-
Sole Rhodon, magnosque sinus Telmessidos undæ
Compensat medio pelagi. Pamphylia puppi
Occurrit tellus : nec se committere muris 250
Ausus adhuc ullis, te primum, parva Phaselis,
Magnus adit. Nam te metui vetat incola rarus,
Exhaustæque domus populis, majorque carinæ
Quam tua turba fuit. Tendens hinc carbasa rursus
Jam Taurum, Tauroque videt Dipsanta caden-
tem. [dis,
Crederet hoc Magnus, pacem cum præstitit un-
Et sibi consultum ? Cilicum per littora tutus
Parva puppe fugit : sequitur pars magna senatus
Ad profugum collecta ducem : parvisque Synedris,
Quo portu mittitque rates recipitque Selinus, 260
In procerum cœtu tandem mœsta ora resolvit
Vocibus his Magnus : Comites bellique fugæque,
Atque instar patriæ, quamvis in littore nudo,
In Cilicum terra, nullis circumdatus armis
Consultem, rebusque novis exordia quæram, 265
Ingentes præstate animos : non omnis in arvis
Emathiis cecidi, nec sic mea fata premuntur,
Ut nequeam relevare caput, cladesque receptas
Excutere. An Libycæ Marium potuere ruinæ
Erigere in fasces, plenis et reddere fastis ; 270
Me pulsum leviore manu Fortuna tenebit ?
Mille meæ Graio volvuntur in æquore puppes,
Mille duces : parsit potius Pharsalia nostras,
Quam subvertit opes. Sed me vel sola tueri
Fama potest rerum, toto quas gessimus orbe,
Et nomen, quod mundus amat. Vos pendite regna
Viribus atque fide, Libyen, Parthosque, Pharon-
Quænam Romanis deceat succurrere rebus. [que,
Ast ego curarum, proceres, arcana mearum
Expromam, mentisque meæ quo pondera vergant.
Ætas Niliaci nobis suspecta tyranni est : 581
Ardua quippe fides robustos exigit annos.
Hinc anceps dubii terret solertia Mauri :
Namque, memor generis, Carthaginis impia proles
Imminet Hesperiæ, multusque in pectore vano
est 285
Annibal, obliquo maculat qui sanguine regnum,
Et Numidas contingit avos : jam supplice Varo
Intumuit, viditque loco Romana secundo. [bem.
Quare agite, Eoum, comites, properemus in or-
Dividit Euphrates ingenti gurgite mundum, 290
Caspiaque immensos seducunt claustra recessus,
Et polus Assyrias alter noctesque diesque
Vertit, et abruptum est nostro mare discolor unda,
Oceanusque suus : regnandi sola voluptas.
Celsior in campis sonipes, et fortior arcus ; 295
Nec puer aut senior letales tendere nervos
Segnis, et a nulla mors est incerta sagitta.
Primi Pellæas arcu fregere sarissas,
Bactraque Medorum sedem, murisque superbam
Assyrias Babylona domos. Nec pila timentur 300
Nostra nimis Parthis, audentque in bella venire,
Experti Scythicas, Crasso pereunte, pharetras.
Spicula nec solo spargunt fidentia ferro ;
Stridula sed multo saturantur tela veneno,
Vulnera parva nocent, fatumque in sanguine sum-
mo est, 305
O utinam non tanta mihi fiducia sævis
Esset in Arsacidis ! fatis nimis æmula nostris
Fata movent Medos, multumque in gente deorum
Effundam populos alia tellure revulsos, [est.
Excitosque suis immittam sedibus ortus. 310
Quod si nos Eoa fides et barbara fallunt
Fœdera ; vulgati supra commercia mundi
Naufragium Fortuna ferat. Non regna precabor,
Quæ feci ; sed magna feram solatia mortis
Orbe jacens alio, nil hæc in membra cruente, 315
Nil socerum fecisse pie. Sed cuncta revolvens
Vitæ fata meæ, semper venerabilis illa
Orbis parte fui : quantus Mæotida supra!
Quantus apud Tanaim toto conspectus in ortu!
Quas magis in terras nostrum felicibus actis 320
Nomen abît, aut unde redît majore triumpho ?
Roma, fave cœptis : quid enim tibi lætius unquam
Præstiterint superi, quam, si civilia Partho
Milite bella geras, tantam consumere gentem,
Et nostris miscere malis ? cum Cæsaris arma 325
Concurrent Medis, aut me Fortuna necesse est
Vindicet, aut Crassum. Sic fatus, murmure sentit
Consilium damnasse viros : quos Lentulus omnes
Virtutis stimulis, et nobilitate dolendi 329
Præcessit, dignasque tulit modo consule voces ?
Siccine Thessalicæ mentem fregere ruinæ ?
Una dies mundi damnavit fata ? secundum
Emathiam lis tanta datur ? jacet omne cruenti
Vulneris auxilium ? solos tibi, Magne, reliquit
Parthorum Fortuna pedes ? quid transfuga mundi
Terrarum totos tractus, cœlumque perosus, 336
Adversosque polos, alienaque sidera quæris,
Chaldæos culture focos et barbara sacra,
Parthorum famulus ? quid causa obtenditur armis
Libertatis amor ? miserum quid decipis orbem, 340
Si servire potes ? te, quem Romana regentem
Horruit auditum, quem captos ducere reges
Vidit ab Hyrcanis, Indoque a littore, sylvis,
Dejectum fatis, humilem, fractumque videbit, 344
Extolletque animos Latium vesanus in orbem,
Se simul et Romam Pompeio supplice mensus ?
Nil animis fatisque tuis effabere dignum :
Exiget ignorans Latiæ commercia linguæ,
Ut lacrymis se, Magne, roges. Patimurne pudoris
Hoc vulnus, clades ut Parthia vindicet ante 350
Hesperias, quam Roma suas ? civilibus armis
Elegit te nempe ducem. Quid vulnera nostra
In Scythicos spargis populos, cladesque latentes ?
Quid Parthos transire doces ? solatia tanti
Perdit Roma mali, nullos admittere reges, 355
Sed civi servire suo. Juvat ire per orbem
Ducentem sævas Romana in mœnia gentes, [tem ?
Signaque ab Euphrate cum Crassis capta sequen-
Qui solus regum, fato celante favorem,
Defuit Emathiæ, nunc tantas ille lacesset 360
Auditi victoris opes, aut jungere fata
Tecum, Magne, volet ? non hæc fiducia genti est.
Omnis in Arctois populus quicunque pruinis
Nascitur, indomitus bellis, et martis amator.
Quicquid ad Eoos tractus mundique teporem 365
Labitur, emollit gentes clementia cœli.
Illic et laxas vestes, et fluxa virorum
Velamenta vides. Parthus per Medica rura,
Sarmaticos inter campos, effusaque plano
Tigridis arva solo, nulli superabilis hosti est, 370
Libertate fugæ : sed non, ubi terra tumebit,
Aspera conscendet montis juga ; nec per opacas

Bella geret tenebras incerto debilis arcu,
Nec franget nando violenti verticis amnem.
Nec tota in pugna perfusus sanguine membra 375
Exiget æstivum calido sub pulvere solem.
Non aries illis, non ulla est machina belli:
Haud fossas implere valent: Parthoque sequente
Murus erit, quodcunque potest obstare sagittæ.
Pugna levis, bellumque fugax, turmæque vagantes, 380
Et melior cessisse loco, quam pellere, miles.
Illita tela dolis, nec Martem cominus unquam
Ausa pati virtus, sed longe tendere nervos,
Et, quo ferre velint, permittere vulnera ventis.
Ensis habet vires, et gens quæcunque virorum est,
Bella gerit gladiis. Nam Medos prœlia prima
Exarmant, vacuæque jubent remeare pharetræ.
Nulla manus illis, fiducia tota veneni est.
Credis, Magne, viros, quos in discrimina belli
Cum ferro venisse parum est? tentare pudendum
Auxilium tanti est, toto divisus ut orbe 391
A terra moriare tua? tibi barbara tellus
Incumbat? te parva tegant ac vilia busta,
Invidiosa tamen, Crasso quærente sepulcrum?
Sed tua sors levior, quoniam mors ultima pœna est, 395
Nec metuenda viris. At non Cornelia letum
Infando sub rege timet. Num barbara nobis
Est ignota Venus, quæ ritu cæca ferarum
Polluit innumeris leges et fœdera tædæ
Conjugibus, thalamique patent secreta nefandi 400
Inter mille nurus? epulis vesana meroque
Regia, non ullis exceptos legibus horret
Concubitus: tot fœmineis complexibus unum
Non lassat nox tota marem. Jacuere sorores
In regum thalamis, sacrataque pignora matres. 405
Damnat apud gentes sceleris non sponte peracti
Œdipodionias infelix fabula Thebas;
Parthorum dominus quoties sic sanguine misto
Nascitur Arsacides? cui fas implere parentem,
Quid rear esse nefas? Proles tam clara Metelli
Stabit barbarico conjux millesima lecto.
Quanquam non ulli plus regia, Magne, vacabit
Sævitia stimulata Venus, titulisque virorum.
Nam quo plura juvent Parthum portenta, fuisse
Hanc sciet et Crassi: ceu pridem debita fatis 415
Assyriis, trahitur cladis captiva vetustæ.
Hæreat Eoæ vulnus miserabile sortis;
Non solum auxilium funesto a rege petisse,
Sed gessisse prius bellum civile pudebit.
Nam quod apud populos crimen socerique tuumque 420
Majus erit, quam quod, vobis miscentibus arma,
Crassorum vindicta perit? incurrere cuncti
Debuerant in Bactra duces, et ne qua vacarent
Arma, vel Arctoum Dacis Rhenique catervis
Imperii nudare latus, dum perfida Susa 425
In tumulos prolapsa ducum. Babylonque jaceret.
Assyriæ paci finem, Fortuna, precamur:
Et, si Thessalia bellum civile peractum est,
Ad Parthos, qui vicit, eat. Gens unica mundi est,
De qua Cæsareis possim gaudere triumphis. 430
Non tibi, cum primum gelidum transibis Araxem,
Umbra senis mœsti, Scythicis confixa sagittis,
Ingeret has voces? Tu, quem post funera nostra
Ultorem cinerum nudæ speravimus umbræ, 434
Ad fœdus pacemque venis? Tum plurima cladis
Occurrent monimenta tibi: quæ mœnia trunci
Lustrarunt cervice duces, ubi nomina tanta
Obruit Euphrates, et nostra cadavera Tigris
Detulit in terras, ac reddidit. Ire per ista
Si potes, in media socerum quoque, Magne, sedentem 440
Thessalia placare potes. Quin respicis orbem
Romanum? si regna times projecta sub Austro
Infidumque Jubam, petimus Pharon arvaque Lagi.
Syrtibus hinc Libycis tuta est Ægyptus: at inde
Gurgite septeno rapidus mare submovet amnis:
Terra suis contenta bonis, non indiga mercis 446
Aut Jovis, in solo tanta est fiducia Nilo.
Sceptra puer Ptolemæus habet tibi debita, Magne,
Tutelæ commissa tuæ. Quis nominis umbram
Horreat? innocua est ætas; ne jura fidemque, 450
Respectumque deûm veteris speraveris aulæ.
Nil pudet adsuetos sceptris: mitissima sors est
Regnorum sub rege novo. Non plura locutus
Impulit huc animos. Quantum spes ultima rerum
Libertatis habet! victa est sententia Magni. 455
Tunc Cilicum liquere solum, Cyproque citatas
Immisere rates, nullas cui prætulit aras
Undæ diva memor Paphiæ, si numina nasci
Credimus, aut quenquam fas est cœpisse deorum.
Hæc ubi deseruit Pompeius littora, totos 460
Emensus Cypri scopulos, quibus exit in Austrum,
Inde maris vasti transfuso vertitur æstu:
Nec tenuit gratum nocturno lumine montem,
Infimaque Ægypti pugnaci littora velo
Vix tetigit, qua dividui pars maxima Nili 465
In vada decurrit Pelusia septimus amnis.
Tempus erat, quo Libra pares examinat horas,
Non uno plus æqua die, noctique rependit
Lux minor hibernæ verni solatia damni.
Comperit ut regem Casio se monte tenere, [guent.
Flectit iter: nec Phœbus adhuc, nec carbasa lan-
Jam rapido speculator eques per littora cursu
Hospitis adventu pavidam compleverat aulam.
Consilii vix tempus erat: tamen omnia monstra
Pellææ coiere domus; quos inter Achoreus 475
Jam placidus senio, fractisque modestior annis,
(Hunc genuit custos Nili crescentis in arva
Memphis vana sacris; illo cultore deorum
Lustra suæ Phœbes non unus vixerat Apis:)
Consilii vox prima fuit, meritumque fidemque, 480
Sacraque defuncti jactavit pignora patris.
Sed melior suadere malis, et nosse tyrannos,
Ausus Pompeium leto damnare Pothinus:
Jus et fas multos faciunt, Ptolemæe, nocentes:
Dat pœnas laudata fides, cum sustinet, inquit, 485
Quos Fortuna premit. Fatis accede deisque,
Et cole felices, miseros fuge. Sidera terra
Ut distant, et flamma mari, sic utile recto.
Sceptrorum vis tota perit, si pendere justa
Incipit: evertitque arces respectus honesti. 490
Libertas scelerum est, quæ regna invisa tuetur,
Sublatusque modus gladiis. Facere omnia sæve
Non impune licet, nisi dum facis. Exeat aula,
Qui volet esse pius. Virtus et summa potestas
Non coeunt: semper metuet, quem sæva pudebunt. 495
Non impune tuos Magnus contemserit annos;
Qui te nec victos arcere a littore nostro
Posse putat. Neu te sceptris privaverit hospes,
Pignora sunt propiora tibi: Nilonque Pharonque,
Si regnare piget, damnatæ redde sorori. 500
Ægyptum certe Latiis tueamur ab armis.
Quicquid non fuerit Magni, dum bella geruntur,
Nec victoris erit. Toto jam pulsus ab orbe,
Postquam nulla manet rerum fiducia, quærit 504
Cum qua gente cadat: rapitur civilibus umbris
Nec soceri tantum arma fugit: fugit ora senatus

Cujus Thessalicas saturat pars magna volucres :
Et metuit gentes, quas uno in sanguine mistas
Deseruit : regesque timet, quorum omnia mersit :
Thessaliæque reus, nulla tellure receptus, 510
Sollicitat nostrum, quem nondum perdidit, orbem.
Justior in Magnum nobis, Ptolemæe, querelæ
Causa data est. Quid sepositam, semperque quietam [tra
Crimine bellorum maculas Pharon, arvaque nos-
Victori suspecta facis ? cur sola cadenti 515
Hæc placuit tellus, in quam Pharsalica fata
Conferres, pœnasque tuas ? jam crimen habemus
Purgandum gladio, quod nobis sceptra senatus
Te suadente dedit, votis tua fovimus arma.
Hoc ferrum, quod fata jubent proferre, paravi 520
Non tibi, sed victo. Feriam tua viscera, Magne :
Malueram soceri : rapimur, quo cuncta feruntur.
Tene mihi dubitas an sit violare necesse,
Cum liceat ? quæ te nostri fiducia regni
Huc agit, infelix ? populum non cernis inermem,
Arvaque vix refugo fodientem mollia Nilo ? 526
Metiri sua regna decet, viresque fateri.
Tu, Ptolemæe, potes Magni fulcire ruinam,
Sub qua Roma jacet ? bustum cineresque movere
Thessalicos audes, bellumque in regna vocare ? 530
Ante aciem Emathiam nullis accessimus armis :
Pompeii nunc castra placent, quæ deserit orbis ?
Nunc victoris opes, et cognita fata lacessis ?
Adversis non deesse decet, sed læta secutos.
Nulla fides unquam miseros elegit amicos. 535
Adsensere omnes sceleri Lætatur honore
Rex puer insueto, quod jam sibi tanta jubere
Permittunt famuli. Sceleri delectus Achillas.
Perfida qua tellus Casiis excurrit arenis,
Et vada testantur junctas Ægyptia Syrtes, 540
Exiguam sociis monstri gladiisque carinam
Instruit. O superi, Nilusne, et barbara Memphis,
Et Pelusiaci tam mollis turba Canopi
Hos animos ? sic fata premunt civilia mundum ?
Sic Romana jacent ? ullusne in cladibus istis 545
Est locus Ægypto, Phariusque admittitur ensis ?
Hanc certe servate fidem, civilia bella ;
Cognatas præstate manus, externaque monstra
Pellite, si meruit tam claro nomine Magnus
Cæsaris esse nefas. Tanti, Ptolemæe, ruinam 550
Nominis haud metuis, cœloque tonante profanas
Inseruisse manus, impure ac semivir, audes ?
Non domitor mundi, nec ter Capitolia curru
Invectus, regumque potens, vindexque senatus,
Victorisque gener ; Phario satis esse tyranno 555
Quod poterat, Romanus erat. Quid viscera nostra
Scrutaris gladio ? nescis, puer improbe, nescis,
Quo tua sit fortuna loco : jam jure sine ullo
Nili sceptra tenes : cecidit civilibus armis,
Qui tibi regna dedit. Jam vento vela negarat 560
Magnus, et auxilio remorum infanda petebat
Littora : quem contra non longa vecta biremi
Appulerat scelerata manus ; Magnoque patere
Fingens regna Phari, celsæ de puppe carinæ
In parvam jubet ire ratem, littusque malignum
Incusat, bimaremque vadis frangentibus æstum,
Qui vetet externas terris advertere classes.
Quod nisi fatorum leges, intentaque jussu
Ordinis æterni miseræ vicinia mortis
Damnatum leto traherent ad littora Magnum ; 570
Non ulli comitum sceleris præsagia deerant.
Quippe fides si pura foret, si regia Magno
Sceptrorum auctori vera pietate pateret ;
Venturum tota Pharium cum classe tyrannum.
Sed cedit fatis, classemque relinquere jussus 575
Obsequitur, letumque juvat præferre timori.
Ibat in hostilem præceps Cornelia puppim,
Hoc magis impatiens egresso deesse marito,
Quod metuit clades. Remane, temeraria conjux,
Et tu, nate, precor, longeque e littore casus 580
Exspectate meos : et in hac cervice tyranni
Explorate fidem. Dixit : sed surda vetanti
Tendebat geminas amens Cornelia palmas :
Quo sine me crudelis abis ? iterumne relinquor
Thessalicis submota malis ? nunquam omine
læto 585
Distrahimur miseri. Poteras non flectere puppim,
Cum fugeres alio, latebrisque relinquere Lesbi,
Omnibus a terris si nos arcere parabas. [frustra
An tantum in fluctus placeo comes ? Hæc ubi
Effudit, prima pendet tamen anxia puppe : 590
Attonitoque metu nec quoquam avertere visus,
Nec Magnum spectare potest. Stetit anxia classis
Ad ducis eventum, metuens non arma nefasque,
Sed ne submissis precibus Pompeius adoret
Sceptra sua donata manu. Transire parantem 595
Romanus Pharia miles de puppe salutat
Septimius : qui (pro superûm pudor) arma satelles
Regia gestabat posito deformia pilo,
Immanis, violentus, atrox, nullaque ferarum
Mitior in cædes. Quis non, Fortuna, putasset 600
Parcere te populis, quod bello hæc dextra vacasset,
Thessaliaque procul tam noxia tela fugasses ?
Disponis gladios, ne quo non fiat in orbe
(Heu) facinus civile tibi. Victoribus ipsis
Dedecus, et nunquam superûm caritura pudore
Fabula ; Romanus regi sic paruit ensis, 606
Pellæusque puer gladio tibi colla recidit,
Magne, tuo. Qua posteritas in sæcula mittet
Septimium fama ? scelus hoc quo nomine dicent,
Qui Bruti dixere nefas ? Jam venerat horæ 610
Terminus extremæ, Phariamque ablatus in alnum
Perdiderat jam jura sui. Tum stringere ferrum
Regia monstra parant. Ut vidit cominus enses,
Involvit vultus : atque indignatus apertum
Fortunæ præbere caput, tunc lumina pressit, 615
Continuitque animam, ne quas effundere voces
Posset, et æternam fletu corrumpere famam.
At postquam mucrone latus funestus Achillas
Perfodit, nullo gemitu consensit ad ictum, 619
Respexitque nefas : servatque immobile corpus,
Seque probat moriens, atque hæc in pectore vol-
Sæcula Romanos nunquam tacitura labores [vit :
Attendunt, ævumque sequens speculatur ab omni
Orbe ratem, Phariamque fidem. Nunc consule
famæ.
Fata tibi longæ fluxerunt prospera vitæ. 625
Ignorant populi, si non in morte probaris,
An scieris adversa pati. Ne cede pudori,
Auctoremque dole fati. Quacunque feriris,
Crede manum soceri. Spargant, lacerentque licebit,
Sum tamen, o superi, felix, nullique potestas 630
Hoc auferre deo. Mutantur prospera vita ;
Non sum morte miser. Videt hanc Cornelia cædem
Pompeiusque meus. Tanto patientius, oro,
Claude, dolor, gemitus : natus conjuxque peremtum
Si mirantur, amant. Talis custodia Magno 635
Mentis erat : jus hoc animi morientis habebat.
At non tam patiens Cornelia cernere sævum
Quam perferre nefas, miserandis æthera complet
Vocibus : O conjux, ego te scelerata peremi :
Letiferæ tibi causa moræ fuit avia Lesbos, 640
Et prior in Nili pervenit littora Cæsar.

Nam cui jus alii sceleris? sed quisquis in istud
A superis immisse caput, vel Cæsaris iræ,
Vel tibi prospiciens, nescis, crudelis, ubi ipsa
Viscera sint Magni: properas, atque ingeris ictus,
Qua votum est victo. Pœnas non morte minores
Pendat, et ante meum videat caput. Haud ego culpa
Libera bellorum, quæ matrum sola per undas
Et per castra comes, nullis absterrita fatis,
Victum, quod reges etiam timuere, recepi. 650
Hoc merui, conjux, in tuta puppe relinqui?
Perfide, parcebas? te fata extrema petente,
Vita digna fui? moriar, nec munere regis.
Aut mihi præcipitem, nautæ, permittite saltum:
Aut laqueum collo tortosque aptate rudentes: 655
Aut aliquis Magno dignus comes exigat ensem.
Pompeio præstare potest, quod Cæsaris armis
Imputet. O sævi, properantem in fata tenetis?
Vivis adhuc, conjux, et jam Cornelia non est
Juris, Magne, sui. Prohibent accersere mortem:
Servor victori. Sic fata, interque suorum 661
Lapsa manus rapitur, trepida fugiente carina.
At Magni cum terga sonent et pectora ferro,
Permansisse decus sacræ venerabile formæ,
Iratamque deis faciem, nihil ultima mortis 665
Ex habitu vultuque viri mutasse, fatentur
Qui lacerum videre caput. Nam sævus in ipso
Septimius sceleris majus scelus invenit actu:
Ac retegit sacros, scisso velamine, vultus
Semianimis Magni, spirantiaque occupat ora, 670
Collaque in obliquo ponit languentia transtro.
Tunc nervos venasque secat, nodosaque frangit
Ossa diu: nondum artis erat caput ense rotare.
At postquam trunco cervix abscisa recessit,
Vindicat hoc Pharius dextra gestare satelles. 675
Degener, atque operæ miles Romane secundæ,
Pompeii diro sacrum caput ense recidis,
Ut non ipse feras? o summi fata pudoris!
Impius ut Magnum nosset puer, illa verenda 679
Regibus, hirta coma, et generosa fronte decora
Cæsaries compressa manu est; Pharioque veruto,
Dum vivunt vultus, atque os in murmura pulsant
Singultus animæ, dum lumina nuda rigescunt,
Suffixum caput est, quo nunquam bella jubente
Pax fuit: hoc leges, campumque, et rostra movebat. 685
Hac facie, Fortuna, tibi, Romana, placebas.
Nec satis infando fuit hoc vidisse tyranno:
Vult sceleri superesse fidem. Tunc arte nefanda
Submota est capiti tabes, raptoque cerebro
Adsiccata cutis, putrisque effluxit ab alto 690
Humor, et infuso facies solidata veneno est.
Ultima Lageæ stirpis perituraque proles,
Degener, incestæ sceptris cessure sororis,
Cum tibi sacrato Macedon servetur in antro,
Et regum cineres exstructo monte quiescant, 695
Cum Ptolemæorum manes, seriemque pudendam
Pyramides claudant, indignaque Mausolea:
Littora Pompeium feriunt, truncusque vadosis
Huc illuc jactatur aquis. Adeone molesta
Totum cura fuit socero servare cadaver? 700
Hac Fortuna fide Magni tam prospera fata
Pertulit: hac illum summo de culmine rerum
Morte petit: cladesque omnes exegit in uno
Sæva die, quibus immunes tot præstitit annos:
Pompeiusque fuit, qui nunquam mista videret
Læta malis: felix nullo turbante deorum, 706
Et nullo parcente miser. Semel impulit illum
Dilata Fortuna manu. Pulsatur arenis,
Carpitur in scopulis, hausto per vulnera fluctu
Ludibrium pelagi: nullaque manente figura, 710
Una nota est Magno capitis jactura revulsi.
Ante tamen Pharias victor quam tangat arenas,
Pompeio raptim tumulum Fortuna paravit,
Ne jaceat nullo, vel ne meliore sepulcro.
E latebris pavidus decurrit ad æquora Cordus.
Quæstor ab Idalio Cinyrææ littore Cypri 716
Infaustus Magni fuerat comes. Ille per umbras
Ausus ferre gradum, victum pietate timorem
Compulit, ut mediis quæsitum corpus in undis
Duceret ad terram, traheretque ad littora Magnum. 720
Lucis mœsta parum per densas Cynthia nubes
Præbebat; cano sed discolor æquore truncus
Conspicitur. Tenet ille ducem complexibus arctis
Eripiente mari: non victus pondere tanto
Exspectat fluctus, pelagoque juvante cadaver 725
Impellit. Postquam sicco jam littore sedit,
Incubuit Magno, lacrymasque effudit in omne
Vulnus, et ad superos obscuraque sidera fatur:
Non pretiosa petit cumulato thure sepulcra
Pompeius, Fortuna, tuus: non pinguis ad astra
Ut ferat e membris Eoos fumus odores, 731
Ut Romana suum gestent pia colla parentem,
Præferat ut veteres feralis pompa triumphos,
Ut resonent cantu tristi fora, totus ut ignem
Projectis mœrens exercitus ambiat armis. 735
Da vilem Magno plebeii funeris arcam,
Quæ lacerum corpus siccos effundat in ignes.
Robora non desint misero, nec sordidus ustor.
Sit satis, o superi, quod non Cornelia fuso
Crine jacet, subicique facem complexa maritum
Imperat, extremo sed abest a munere busti 741
Infelix conjux, nec adhuc a littore longe est.
Sic fatus, parvos juvenis procul adspicit ignes,
Corpus, vile suis, nullo custode cremantes. 744
Inde rapit flammas, semustaque robora membris
Subducens, Quæcunque es, ait, neglecta, nec ulli
Cara tuo, sed Pompeio felicior umbra, [tum,
Quod jam compositum violat manus hospita bus-
Da veniam: si quid sensus post fata relictum est,
Cedis et ipsa rogo, paterisque hæc damna sepulcri, 750
Teque pudet, sparsis Pompeii manibus, uri.
Sic fatur: plenusque sinus ardente favilla
Pervolat ad truncum, qui fluctu pæne relatus
Littore pendebat. Summas dimovit arenas.
Et collecta procul laceræ fragmenta carinæ 755
Exigua trepidus posuit scrobe. Nobile corpus
Robora nulla premunt, nulla strue membra recumbunt:
Admotus Magnum, non subditus accipit ignis.
Ille sedens juxta flammas, O maxime, dixit,
Ductor, et Hesperii majestas nominis una, 760
Si tibi jactatu pelagi, si funere nullo [tem
Tristior iste rogus; manes animamque poten-
Officiis averte meis: injuria fati
Hoc fas esse jubet; ne ponti bellua quicquam,
Ne fera, ne volucres, ne sævi Cæsaris ira 765
Audeat: exiguam, quantum potes, accipe flammam,
Romana succense manu. Fortuna recursus
Si det in Hesperiam, non hac in sede quiescent
Tam sacri cineres: sed te Cornelia, Magne,
Accipiet, nostraque manu transfundet in urnam.
Interea parvo signemus littora saxo, 771
Ut nota sit busti, si quis placare peremtum
Forte volet, plenos et reddere mortis honores:
Inveniat trunci cineres, et norit arenas,

Ad quas, Magne, tuum referat caput. Hæc ubi fatus,
Excitat invalidas admoto fomite flammas.
Carpitur, et lentum Magnus distillat in ignem,
Tabe fovens bustum. Sed jam percusserat astra
Auroræ præmissa dies: ille, ordine rupto
Funeris, attonitus latebras in littore quærit. 780
Quam metuis, demens, isto pro crimine pœnam,
Quo te fama loquax omnes accepit in annos?
Condita laudabit Magni socer impius ossa.
I modo securus veniæ, fassusque sepulcrum
Posce caput. Cogit pietas imponere finem 785
Officio. Semusta rapit, resolutaque nondum
Ossa satis nervis, et inustis plena medullis
Æquorea restinguit aqua, congestaque in unum
Parva clausit humo. Tum ne levis aura retectos
Auferret cineres, saxo compressit arenam: 790
Nautaque ne bustum religato fune moveret,
Inscripsit sacrum semusto stipite nomen:
HIC SITUS EST MAGNUS. Placet hoc, Fortuna, sepulcrum
Dicere Pompeii, quo condi maluit illum,
Quam terra caruisse socer? temeraria dextra, 795
Cur obicis Magno tumulum, manesque vagantes
Includis? situs est, qua terra extrema refuso
Pendet in Oceano. Romanum nomen, et omne
Imperium Magno est tumuli modus. Obrue saxa
Crimine plena deûm. Si tota est Herculis Œte,
Et juga tota vacant Bromio Nyseia; quare 801
Unus in Ægypto Magno lapis? omnia Lagi
Rura tenere potest, si nullo cespite nomen
Hæserit. Erremus populi, cinerumque tuorum,
Magne, metu nullas Nili calcemus arenas. 805
Quod si tam sacro dignaris nomine saxum;
Adde actus tantos, monimentaque maxima rerum:
Adde truces Lepidi motus, Alpinaque bella,
Armaque Sertori revocato consule victa,
Et currus, quos egit eques: commercia tuta 810
Gentibus, et pavidos Cilicas maris. Adde subactam
Barbariem, gentesque vagas, et quicquid in Euro
Regnorum Boreaque jacet. Dic semper ab armis
Civilem repetisse togam: ter curribus actis
Contentum patriæ multos donasse triumphos. 815
Quis capit hæc tumulus? surgit miserabile bustum
Non ullis plenum titulis, non ordine tanto
Fastorum: solitumque legi super alta deorum
Culmina, et exstructos spoliis hostilibus arcus,
Haud procul est ima Pompeii nomen arena, 820
Depressum tumulo, quod non legat advena rectus,
Quod nisi monstratum Romanus transeat hospes.
Noxia civili tellus Ægyptia fato,
Haud equidem immerito Cumanæ carmine vatis
Cautum, ne Nili Pelusia tangeret ora 825
Hesperius miles, ripasque æstate tumentes.
Quid tibi, sæva, precer pro tanto crimine, tellus?
Vertat aquas Nilus, quo nascitur orbe retentus,
Et steriles egeant hibernis imbribus agri,
Totaque in Æthiopum putres solvaris arenas. 830
Nos in templa tuam Romana accepimus Isin,
Semideosque canes, et sistra jubentia luctus,
Et quem tu plangens hominem testaris Osirim:
Tu nostros, Ægypte, tenes in pulvere manes.
Tu quoque, cum sævo dederis jam templa tyranno, 835
Nondum Pompeii cineres, o Roma, petisti:
Exsul adhuc jacet umbra ducis. Si sæcula prima
Victoris timuere minas; nunc excipe saltem
Ossa tui Magni, si nondum subruta fluctu
Invisa tellure sedent. Quis busta timebit? 840
Quis sacris dignam movisse verebitur urnam?
Imperet hoc nobis utinam scelus, et velit uti
Nostro Roma sinu: satis o nimiumque beatus,
Si mihi contingat manes transferre revulsos
Ausoniam, si tale ducis violare sepulcrum. 845
Forsitan aut sulco sterili cum poscere finem
A superis, aut Roma volet feralibus Austris,
Ignibus aut nimiis, aut terræ tecta moventi;
Consilio jussuque deûm transibis in urbem,
Magne, tuam, summusque feret tua busta sacerdos. 850
Nam quis ad exustam Cancro torrente Syenen
Ibit, et imbrifera siccas sub Pleiade Thebas
Spectator Nili: quis rubri stagna profundi,
Aut Arabum portus mercis mutator Eoæ,
Magne, petet, quem non tumuli venerabile saxum,
Et cinis in summis forsan turbatus arenis
Avertet, manesque tuos placare libebit,
Et Casio præferre Jovi? Nil ista nocebunt
Famæ busta tuæ. Templis auroque sepultus
Vilior umbra fores: nunc est pro numine summo
Hoc tumulo Fortuna jacens. Augustius aris 861
Victoris Libyco pulsatur ab æquore saxum.
Tarpeiis qui sæpe deis sua thura negarunt,
Inclusum fusco venerantur cespite fulmen.
Proderit hoc olim, quod non mansura sepulcri
Ardua marmoreo surrexit pondere moles. 866
Pulveris exigui sparget non longa vetustas
Congeriem, bustumque cadet, mortisque peribunt
Argumenta tuæ. Veniet felicior ætas, 869
Qua sit nulla fides saxum monstrantibus istud:
Atque erit Ægyptus populis fortasse nepotum
Tam mendax Magni tumulo, quam Creta Tonantis.

LIBER NONUS.

At non in Pharia manes jacuere favilla,
Nec cinis exiguus tantam compescuit umbram:
Prosiluit busto, semustaque membra relinquens,
Degeneremque rogum, sequitur convexa Tonantis.
Qua niger astriferis connectitur axibus aer, 5
Quodque patet terras inter lunæque meatus,
Semidei manes habitant, quos ignea virtus,
Innocuos vitæ, patientes ætheris imi
Fecit, et æternos animam collegit in orbes
Non illuc auro positi, nec thure sepulti 10
Perveniunt. Illic postquam se lumine vero
Implevit. Stellasque vagas miratus, et astra
Fixa polis, vidit quanta sub nocte jaceret
Nostra dies, risitque sui ludibria trunci.
Hinc super Emathiæ campos, et signa cruenti 15

Cæsaris, ac sparsas volitavit in æquore classes;
Et scelerum vindex in sancto pectore Bruti
Sedit, et invicti posuit se mente Catonis.
Ille, ubi pendebat casus, dubiumque manebat,
Quem mundi dominum facerent civilia bella, 20
Oderat et Magnum, quamvis comes isset in arma,
Auspiciis raptus patriæ, ductuque senatus.
At post Thessalicas clades jam pectore toto
Pompeianus erat. Patriam tutore carentem
Excepit, populi trepidantia membra refovit, 25
Ignavis manibus projectos reddidit enses:
Nec regnum cupiens gessit civilia bella,
Nec servire timens. Nil causa fecit in armis
Ipse sua · totæ post Magni funera partes
Libertatis erant: quas ne per littora fusas 30
Colligeret rapido victoria Cæsaris actu,
Corcyræ secreta petît, ac mille carinis
Abstulit Emathiæ secum fragmenta ruinæ.
Quis ratibus tantis fugientia crederet ire 34
Agmina? quis pelagus victas arctasse carinas?
Dorida tunc Malean, et apertam Tænaron umbris,
Inde Cythera petit: Boreaque urgente carinas
Creta fugit: Dictæa legit cedentibus undis
Littora. Tunc ausum classi præcludere portus
Impulit, ac sævas meritum Phycunta rapinas 40
Sparsit: et hinc placidis alto delabitur auris
In littus, Palinure, tuum: (neque enim æquore tantum
Ausonio monimenta tenes; portusque quietos
Testatur Libye Phrygio placuisse magistro.)
Cum procul ex alto tendentes vela carinæ 45
Ancipites tenuere animos, sociosne malorum
An veherent hostes; præceps facit omne timendum
Victor, et in nulla non creditur esse carina.
Ast illæ puppes luctus planctusque ferebant,
Et mala vel duri lacrymas motura Catonis. 50
Nam postquam frustra precibus Cornelia nautas
Privignique fugam tenuit, ne forte repulsus
Littoribus Phariis remearet in æquora truncus,
Ostenditque rogum non justi flamma sepulcri:
Ergo indigna fui, dixit, Fortuna, marito 55
Accendisse rogum, gelidos effusa per artus
Incubuisse viro, laceros exurere crines,
Membraque dispersi pelago componere Magni?
Vulneribus cunctis largos infundere fletus?
Ossibus et tepida vestes implere favilla? 60
Quicquid ab exstincto licuisset tollere busto,
In templis sparsura deûm. Sine funeris ullo
Ardet honore rogus: manus hoc Ægyptia forsan
Obtulit officium grave manibus. O bene nudi
Crassorum cineres! Pompeio contigit ignis 65
Invidia majore deûm. Similisne malorum
Sors mihi semper erit? nunquam dare busta licebit
Conjugibus? nunquam plenas plangemus ad urnas?
Quid porro tumulis opus est, aut ulla requiris
Instrumenta, dolor? non toto pectore portas, 70
Impia, Pompeium? non imis hæret imago
Visceribus? quærat cineres victura superstes.
Nunc tamen hic, longe qui fulget luce maligna,
Ignis adhuc aliquid, Phario de littore surgens,
Ostendit mihi, Magne, tui: jam flamma resedit,
Pompeiumque ferens vanescit solis ad ortus 76
Fumus, et invisi tendunt mihi carbasa venti.
Non mihi nunc tellus Pompeio si qua triumphos
Victa dedit, non alta terens Capitolia currus
Gratior: elapsus felix de pectore Magnus: 80
Hunc volumus, quem Nilus habet, terræque nocenti
Non hærere queror: crimen commendat arenas.
Linquere, si qua fides, Pelusia littora nolo.
Tu pete bellorum casus, et signa per orbem,
Sexte, paterna move. Namque hæc mandata reliquit 85
Pompeius vobis, in nostra condita cura:
Me cum fatalis leto damnaverit hora,
Excipite, o nati, bellum civile, nec unquam.
Dum terris aliquis nostra de stirpe manebit,
Cæsaribus regnare vacet. Vel sceptra, vel urbes
Libertate sua validas impellite fama 91
Nominis: has vobis partes, hæc arma relinquo.
Inveniet classes quisquis Pompeius in undas
Venerit: et noster nullis non gentibus hæres
Bella dabit: tantum indomitos, memoresque paterni 95
Juris habete animos. Uni parere decebit,
Si faciet partes pro libertate, Catoni.
Exsolvi tibi, Magne, fidem, mandata peregi.
Insidiæ valuere tuæ, deceptaque vixi,
Ne mihi commissas auferrem perfida voces. 100
Jam nunc te per inane chaos, per Tartara, conjux,
Si sunt ulla, sequar: quam longo tradita leto,
Incertum est: pœnas animæ vivacis ab ipsa
Ante feram. Potuit cernens tua vulnera, Magne,
Non fugere in mortem: planctu contusa peribit;
Effluet in lacrymas: nunquam veniemus ad enses,
Aut laqueos, aut præcipites per inania jactus.
Turpe mori post te solo non posse dolore.
Sic ubi fata, caput ferali obducit amictu,
Decrevitque pati tenebras, puppisque cavernis
Delituit: sævumque arcte complexa dolorem 111
Perfruitur lacrymis, et amat pro conjuge luctum
Illam non fluctus, stridensque rudentibus Eurus
Movit, et exsurgens ad summa pericula clamor:
Votaque sollicitis faciens contraria nautis, 115
Composita in mortem jacuit, favitque procellis.
Prima ratem Cypros spumantibus accipit undis;
Inde tenens pelagus, sed jam moderatior, Eurus
In Libycas egit sedes, et castra Catonis.
Tristis, ut in multo mens est præsaga timore,
Aspexit patrios comites a littore Magnus, 121
Et fratrem: medias præceps tunc fertur in undas.
Dic, ubi sit, germane, parens: stat summa caputque
Orbis? an occidimus, Romanaque Magnus ad umbras
Abstulit? Hæc fatur: quem contra talia frater.
O felix, quem sors alias dispersit in oras, 126
Quique nefas audis: oculos, germane, nocentes
Spectato genitore fero. Non Cæsaris armis
Occubuit, dignoque perît auctore ruinæ.
Rege sub impuro, Nilotica rura tenente, 130
Hospitii fretus superis, et munere tanto
In proavos, cecidit donati victima regni.
Vidi ego magnanimi lacerantes pectora patris:
Nec credens Pharium tantum potuisse tyrannum,
Littore Niliaco socerum jam stare putavi. 135
Sed me nec sanguis, nec tantum vulnera nostri
Affecere senis, quantum gestata per urbes
Ora ducis, quæ transfixo sublimia pilo
Vidimus: hæc fama est oculis victoris iniqui
Servari, scelerisque fidem quæsisse tyrannum. 140
Nam corpus Phariæne canes avidæque volucres
Distulerint, an furtivus, quem vidimus, ignis
Solverit, ignoro. Quæcunque injuria fati
Abstulit hos artus, superis hæc crimina dono:
Servata de parte queror. Cum talia Magnus 145
Audisset, non in gemitus lacrymasque dolorem
Effudit, justaque furens pietate profatur
Præcipitate rates e sicco littore, nautæ;

Classis in adversos erumpat remige ventos.
Ite, duces, mecum: nunquam civilibus armis 150
Tanta fuit merces, inhumatos condere manes,
Sanguine semiviri Magnum satiare tyranni.
Non ego Pellæas arces, adytisque retectum
Corpus Alexandri pigra Mareotide mergam?
Non mihi Pyramidum tumulis evulsus Amasis,
Atque alii reges Nilo torrente natabunt? 156
Omnia dent pœnas nudo tibi, Magne, sepulcra:
Evolvam busto jam numen gentibus Isin,
Et tectum lino spargam per vulgus Osirin,
Et sacer in Magni cineres mactabitur Apis, 160
Suppositisque deis uram caput. Has mihi pœnas
Terra dabit: linquam vacuos cultoribus agros;
Nec, Nilus cui crescat, erit: solusque tenebis
Ægyptum, genitor, populis superisque fugatis.
Dixerat, et classem sævas rapiebat in undas. 165
Sed Cato laudatam juvenis compescuit iram.
Interea totis, audito funere Magni,
Littoribus sonuit percussus planctibus æther:
Exemploque carens, et nulli cognitus ævo
Luctus erat, mortem populos deflere potentis. 170
Sed magis, ut visa est lacrymis exhausta, solutas
In vultus effusa comas, Cornelia puppe
Egrediens, rursus geminato verbere plangunt.
Ut primum in sociæ pervenit littora terræ,
Collegit vestes, miserique insignia Magni, 175
Armaque, et impressas auro, quas gesserat olim,
Exuvias, pictasque togas, velamina summo
Ter conspecta Jovi, funestoque intulit igni.
Ille fuit miseræ Magni cinis. Accipit omnis
Exemplum pietas, et toto littore busta 180
Surgunt Thessalicis reddentia manibus ignem.
Sic, ubi depastis submittere gramina campis,
Et renovare parans hibernas Apulus herbas,
Igne fovet terras, simul et Garganus, et arva
Vulturis, et calidi lucent buceta Matini. 185
Non tamen ad Magni pervenit gratius umbram,
Omne quod in superos audet convicia vulgus,
Pompeiumque deis obicit, quam pauca Catonis
Verba, sed a pleno venientia pectore veri.
Civis obît, inquit, multo majoribus impar 190
Nosse modum juris, sed in hoc tamen utilis ævo,
Cui non ulla fuit justi reverentia: salva
Libertate potens, et solus plebe parata
Privatus servire sibi, rectorque senatus,
Sed regnantis, erat. Nil belli jure poposcit: 195
Quæque dari voluit, voluit sibi posse negari.
Immodicas possedit opes; sed plura retentis
Intulit: invasit ferrum, sed ponere norat.
Prætulit arma togæ; sed pacem armatus amavit.
Juvit sumta ducem, juvit dimissa potestas. 200
Casta domus, luxuque carens, corruptaque nunquam
Fortuna domini. Clarum et venerabile nomen
Gentibus, et multum nostræ quod proderat urbi.
Olim vera fides Sylla Marioque receptis
Libertatis obît: Pompeio rebus ademto, 205
Nunc et ficta perit. Non jam regnare pudebit:
Nec color imperii, nec frons erit ulla senatus.
O felix, cui summa dies fuit obvia victo,
Et cui quærendos Pharium scelus obtulit enses:
Forsitan in soceri potuisses vivere regno. 210
Scire mori sors prima viris, sed proxima cogi.
Et mihi, si fatis aliena in jura venimus,
Da talem, Fortuna, Jubam: non deprecor hosti
Servari, dum me servet cervice recisa.
Vocibus his major, quam si Romana sonarent
Rostra ducis laudes, generosam venit ad umbram
Mortis honos. Fremit interea discordia vulgi:
Castrorum bellique piget post funera Magni.
Cum Tarcondimotus linquendi signa Catonis
Sustulit; hunc rapta fugientem classe secutus 220
Littus in extremum, tali Cato voce notavit:
O nunquam pacate Cilix! iterumne rapinas
Vadis in æquoreas? Magnum Fortuna removit:
Jam pelago pirata redis. Tunc respicit omnes
In cœtu motuque viros: quorum unus aperta 225
Mente fugæ, tali compellat voce regentem:
Nos, Cato, (da veniam) Pompeii duxit in arma,
Non belli civilis, amor, partesque favore
Fecimus. Ille jacet, quem paci prætulit orbis,
Causaque nostra perit: patrios permitte penates,
Desertamque domum, dulcesque revisere natos.
Nam quis erit finis, si nec Pharsalia, pugnæ,
Nec Pompeius erit? perierunt tempora vitæ,
Mors eat in tutum: justas sibi nostra senectus
Prospiciat flammas. Bellum civile sepulcra 235
Vix ducibus præstare potest. Non barbara victos
Regna manent: non Armenium mihi sæva minatur
Aut Scythicum Fortuna jugum: sub jura togati
Civis eo. Quisquis Magno vivente secundus,
Hic mihi primus erit: sacris præstabitur umbris
Summus honor: dominum, quem clades cogit, habebo,
Nullum, Magne, ducem. Te solum in bella secutus,
Post te fata sequar: neque enim sperare secunda
Fas mihi, nec liceat. Fortuna cuncta tenentur
Cæsaris: Emathium sparsit victoria ferrum. 245
Clausa fides miseris, et toto solus in orbe est,
Qui velit ac possit victis præstare salutem.
Pompeio scelus est bellum civile peremto,
Quo fuerat vivente fides. Si publica jura,
Si semper patriam sequeris, Cato, signa petamus,
Romanus quæ consul habet. Sic ille profatus 251
Insiluit puppi, juvenum comitante tumultu.
Actum Romanis fuerat de rebus, et omnis
Indiga servitii fervebat littore plebes:
Erupere ducis sacro de pectore voces: 255
Ergo pari voto gessisti bella, juventus,
Tu quoque pro dominis, et Pompeiana fuisti,
Non Romana manus? quod non in regna laboras,
Quod tibi, non ducibus vivis morerisque, quod orbem
Acquiris nulli, quod jam tibi vincere tutum est,
Bella fugis, quærisque jugum cervice vacante,
Et nescis sine rege pati. Nunc causa pericli
Digna viris. Vestro potuit Pompeius abuti
Sanguine: nunc patriæ jugulos ensesque negatis,
Cum prope libertas. Unum Fortuna reliquit 265
Jam tribus e dominis. Pudeat: plus regia Nili
Contulit in leges, et Parthi militis arcus.
Ite, o degeneres, Ptolemæi munus et arma
Spernite. Quis vestras ulla putet esse nocentes
Cæde manus? credet faciles sibi terga dedisse,
Credet ab Emathiis primos fugisse Philippis. 271
Vadite securi: meruistis judice vitam
Cæsare, non armis, non obsidione subacti.
O famuli turpes, domini post fata prioris
Itis ad hæredem. Cur non majora mereri, 275
Quam vitam veniamque libet? rapiatur in undas
Infelix Magni conjux, prolesque Metelli:
Ducite Pompeios: Ptolemæi vincite munus.
Nostra quoque inviso quisquis feret ora tyranno,
Non parva mercede dabit. Sciat ista juventus
Cervicis pretio bene se mea signa secutam. 281
Quin agite, et magna meritum cum cæde parate:
Ignavum scelus est tantum fuga. Dixit, et omnes
Haud aliter medio revocavit ab æquore puppes,

Quam, simul effetas linquunt examina ceras, 285
Atque oblita favi non miscent nexibus alas,
Sed sibi quæque volat, nec jam degustat amarum
Desidiosa thymum; tum, si sonus increpat æris,
Attonitæ posuere fugam, studiumque laboris
Florigeri repetunt, et sparsi mellis amorem: 290
Gaudet in Hyblæo securus gramine pastor
Divitias servasse casæ: sic voce Catonis
Inculcata viris justi patientia Martis.
Jamque actu belli non doctas ferre quietem
Constituit mentes, serieque agitare laborum. 295
Primum littoreis miles lassatur arenis.
Proximus in muros et mœnia Cyrenarum
Est labor: exclusus nulla se vindicat ira:
Pœnaque de victis sola est vicisse Catoni.
Inde peti placuit Libyci contermina Mauris 300
Regna Jubæ; sed iter mediis Natura negabat
Syrtibus: has audax sperat sibi cedere virtus.
Syrtes vel primam mundo Natura figuram
Cum daret, in dubio pelagi terræque reliquit:
(Nam neque subsedit penitus, quo stagna profundi
Acciperet, nec se defendit ab æquore tellus; 306
Ambigua sed lege loci jacet invia sedes:
Æquora fracta vadis, abruptaque terra profundo,
Et post multa sonant projecti littora fluctus.
Sic male deseruit, nullosque exegit in usus 310
Hanc partem Natura sui:) vel plenior alto
Olim Syrtis erat pelago, penitusque natabat;
Sed rapidus Titan ponto sua lumina pascens
Æquora subduxit zonæ vicina perustæ:
Et nunc pontus adhuc Phœbo siccante repugnat.
Mox ubi damnosum radios admoverit ævum,
Tellus Syrtis erit: nam jam brevis unda superne
Innatat, et late periturum deficit æquor. 318
Ut primum remis actum mare propulit omne
Classis onus, densis fremuit niger imbribus Auster,
In sua regna furens: tentatum classibus æquor
Turbine defendit, longeque a Syrtibus undas
Egit, et illato confregit littore pontum.
Tum quarum recto deprendit carbasa malo
Eripuit nautis, frustraque rudentibus ausis 325
Vela negare Noto, spatium vicere carinæ,
Atque ultra proram tumuit sinus. Omnia si quis
Providus antennæ suffixit lintea summæ,
Vincitur, et nudis avertitur armamentis.
Sors melior classi, quæ fluctibus incidit altis,
Et certo jactata mari. Quæcunque levatæ 331
Arboribus cæsis flatum effudere prementem,
Abstulit has ventis liber contraria volvens
Æstus, et obnixum victor detrusit in Austrum.
Has vada destituunt, atque interrupta profundo
Terra ferit puppes: dubioque obnoxia fato 336
Pars sedet una ratis, pars altera pendet in undis.
Tunc magis impactum brevibus mare, terraque sævit
Obvia consurgens: quamvis elisus ab Austro,
Sæpe tamen cumulos fluctus non vincit arenæ.
Eminet in tergo pelagi procul omnibus arvis, 341
Inviolatus aqua, sicci jam pulveris agger:
Stant miseri nautæ, terræque hærente carina
Littora nulla vident. Sic partem intercipit æquor; [est,
Pars ratium major regimen clavumque secuta
Tuta fuga, nautasque loci sortita peritos 346
Torpentem Tritonos adît illæsa paludem.
Hanc, ut fama, deus, quem toto littore pontus
Audit ventosa perflantem murmura concha,
Hanc et Pallas amat: patrio quæ vertice nata
Terrarum primam Libyen (nam proxima cœlo est,
Ut probat ipse calor) tetigit, stagnique quieta
Vultus vidit aqua, posuitque in margine plantas,
Et se dilecta Tritonida dixit ab unda.
Quam juxta Lethes tacitus prælabitur amnis, 355
Infernis, ut fama, trahens oblivia venis:
Atque insopiti quondam tutela draconis,
Hesperidum pauper spoliatis frondibus hortus.
Invidus, annoso famam qui derogat ævo,
Qui vates ad vera vocat. Fuit aurea sylva, 360
Divitiisque graves et fulvo germine rami,
Virgineusque chorus, nitidi custodia luci,
Et nunquam somno damnatus lumina serpens,
Robora complexus rutilo curvata metallo.
Abstulit arboribus pretium, nemorique laborem
Alcides: passusque inopes sine pondere ramos,
Retulit Argolico fulgentia poma tyranno.
His igitur depulsa locis, ejectaque classis
Syrtibus, haud ultra Garamantidas attigit undas;
Sed duce Pompeio Libyes melioris in oris 370
Mansit. At impatiens virtus hærere Catonis
Audet in ignotas agmen committere gentes,
Armorum fidens, et terra cingere Syrtim.
Hæc eadem suadebat hiems, quæ clauserat æquor.
Et spes imber erat, nimios metuentibus ignes: 375
Ut neque sole viam, nec duro frigore sævam,
Inde polo Libyes, hinc bruma temperet annus:
Atque ingressurus steriles sic fatur arenas.
O quibus una salus placuit, mea castra secutis
Indomita cervice mori, componite mentes 380
Ad magnum virtutis opus, summosque labores.
Vadimus in campos steriles, exustaque mundi,
Qua nimius Titan, et raræ in fontibus undæ,
Siccaque letiferis squalent serpentibus arva.
Durum iter ad leges, patriæque ruentis amorem.
Per mediam Libyen veniant, atque invia tentent,
Si quibus in nullo positum est evadere voto,
Si quibus ire sat est. Neque enim mihi fallere quenquam 388
Est animus, tectoque metu perducere vulgus.
Hi mihi sint comites, quos ipsa pericula ducent,
Qui me teste pati vel quæ tristissima, pulcrum
Romanumque putant. At qui sponsore salutis
Miles eget, capiturque animæ dulcedine, vadat
Ad dominum meliore via. Dum primus arenas
Ingrediar, primusque gradus in pulvere ponam,
Me calor æthereus feriat, mihi plena veneno 396
Occurrat serpens; fatoque pericula vestra
Prætentate meo: sitiat, quicunque bibentem
Viderit: aut umbras nemorum quicunque petentem,
Æstuet: aut equitem peditum præcedere turmas,
Deficiat; si quo fuerit discrimine notum 401
Dux, an miles eam. Serpens, sitis, ardor, arenæ,
Dulcia virtuti: gaudet patientia duris.
Lætius est, quoties magno sibi constat, honestum.
Sola potest Libye turbam præstare malorum, 405
Ut deceat fugisse viros. Sic ille calentes
Incendit virtute animos, et amore laborum,
Irreducemque viam deserto limite carpit.
Et sacrum parvo nomen clausura sepulcro,
Invasit Libye securi fata Catonis. 410
Tertia pars rerum Libye, si credere famæ
Cuncta velis: at si ventos cœlumque sequaris,
Pars erit Europæ. Nec enim plus littora Nili,
Quam Scythicus Tanais primis a Gadibus absunt:
Unde Europa fugit Libyen, et littora flexu 415
Oceano fecere locum: sed major in unam
Orbis abît Asiam. Nam cum communiter istæ
Effundant Zephyrum, Boreæ latus illa sinistrum
Contingens, dextrumque Noti, discedit in ortus,
Eurum sola tenens. Libycæ quod fertile terræ est

Vergit in occasus: sed et hæc non fontibus ullis
Solvitur: Arctoos raris Aquilonibus imbres
Accipit, et nostris reficit sua rura serenis.
In nullas vitiatur opes; non ære, nec auro
Excoquitur, nullo glebarum crimine, pura, 425
Et penitus terra est. Tantum Maurusia genti
Robora divitiæ, quarum non noverat usum,
Sed citri contenta comis vivebat et umbra.
In nemus ignotum nostræ venere secures,
Extremoque epulas mensasque petivimus orbe.
At quæcunque vagam Syrtim complectitur ora,
Sub nimio projecta die, vicina perusti
Ætheris, exurit messes, et pulvere Bacchum
Enecat, et nulla putris radice tenetur.
Temperies vitalis abest, et nulla sub illa 435
Cura Jovis terra est: Natura deside torpet
Orbis, et immotis annum non sentit arenis.
Hoc tam segne solum raras tamen exserit herbas,
Quos Nasamon gens dura legit, qui proxima ponto
Nudus rura tenet, quem mundi barbara damnis
Syrtis alit. Nam littoreis populator arenis 441
Imminet, et nulla portus tangente carina
Novit opes. Sic cum toto commercia mundo
Naufragiis Nasamones habent. Hac ire Catonem
Dura jubet virtus. Illic secura juventus 445
Ventorum, nullasque timens tellure procellas,
Æquoreos est passa metus. Nam littore sicco
Quam pelago Syrtis violentius excipit Austrum,
Et terræ magis ille nocet; non montibus ortum
Adversis frangit Libye, scopulisque repulsum 450
Dissipat, et liquidas e turbine solvit in auras
Nec ruit in sylvas, annosaque robora torquens
Lassatur: patet omne solum, liberque meatu
Æoliam rabiem totis exercet arenis:
Et non imbriferam cum torto pulvere nubem 455
In flexum violentus agit: pars plurima terræ
Tollitur, et nunquam resoluto vertice pendet.
Regna videt pauper Nasamon errantia vento,
Discussasque domos: volitantque a culmine raptæ
Detecto Garamante casæ. Non altius ignis 460
Rapta vehit: quantumque licet consurgere fumo,
Et violare diem, tantum tenet aera pulvis.
Tum quoque Romanum solito violentior agmen
Aggreditur, nullusque potest consistere miles,
Instabilis raptis etiam, quas calcat, arenis. 465
Concuteret terras, orbemque a sede moveret,
Si solida Libye compage, et pondere duro
Clauderet exesis Austrum scopulosa cavernis:
Sed quia mobilibus facilis turbatur arenis,
Nusquam luctando stabilis manet: imaque tellus
Stat, quia summa fugit. Galeas et scuta virorum
Pilaque contorsit violento spiritus actu,
Intentusque tulit magni per inania cœli.
Illud in externa forsan longeque remota
Prodigium tellure fuit: delapsaque cœlo 475
Arma timent gentes, hominumque erepta lacertis
A superis demissa putant. Sic illa profecto
Sacrifico cecidere Numæ, quæ lecta juventus
Patricia cervice movet: spoliaverat Auster
Aut Boreas populos, ancilia nostra ferentes. 480
Sic orbem torquente Noto Romana juventus
Procubuit, metuensque rapi constrinxit amictus,
Inseruitque manus terræ: nec pondere solo,
Sed nixu jacuit, vix sic immobilis Austro,
Qui super ingentes cumulos involvit arenæ, 485
Atque operit tellure viros. Vix tollere miles
Membra valet, multo congestu pulveris hærens.
Alligat et stantes affusæ magnus arenæ
Agger, et immoti terra surgente tenentur.
Saxa tulit penitus discussis proruta muris, 490
Effuditque procul miranda sorte malorum:
Qui nullas videre domos, videre ruinas.
Jamque iter omne latet: nec sunt discrimina terræ
Ulla, nisi ætheriæ, medio velut æquore, flammæ.
Sideribus novere vias: nec sidera tota 495
Ostendit Libycæ finitor circulus oræ,
Multaque devexo terrarum margine celat.
Utque calor solvit, quem torserat aera ventus,
Incensusque dies, manant sudoribus artus,
Arent ora siti: conspecta est parva maligna 500
Unda procul vena: quam vix e pulvere miles
Corripiens, patulum galeæ confudit in orbem,
Porrexitque duci. Squalebant pulvere fauces
Cunctorum: minimumque tenens dux ipse liquoris
Invidiosus erat. Mene, inquit, degener unum 505
Miles in hac turba vacuum virtute putasti?
Usque adeo mollis, primisque caloribus impar
Sum visus? quanto pœna tu dignior ista,
Qui populo sitiente bibas! sic concitus ira
Excussit galeam, suffecitque omnibus unda. 510
Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus unum
Inculti Garamantes habent: stat corniger illic
Jupiter, ut memorant, sed non aut fulmina vibrans,
Aut similis nostro, sed tortis cornibus Ammon.
Non illic Libycæ posuerunt ditia gentes 515
Templa: nec Eois splendent donaria gemmis.
Quamvis Æthiopum populis, Arabumque beatis
Gentibus, atque Indis unus sit Jupiter Ammon,
Pauper adhuc deus est, nullis violata per ævum
Divitiis delubra tenens; morumque priorum 520
Numen Romano templum defendit ab auro.
Esse locis superos testatur sylva per omnem
Sola virens Libyen. Nam quicquid pulvere sicco
Separat ardentem tepida Berenicida Lepti,
Ignorat frondes: solus nemus extulit Ammon 525
Sylvarum fons causa loco, qui putria terræ
Alligat, et domitas unda connectit arenas.
Sic quoque nil obstat Phœbo, cum cardine summo
Stat librata dies: truncum vix protegit arbor:
Tam brevis in medium radiis compellitur umbra.
Deprensum est hunc esse locum, qua circulus alti
Solstitii medium signorum percutit orbem.
Non obliqua meant, nec Tauro Scorpios exit
Rectior, aut Aries donat sua tempora Libræ,
Aut Astræa jubet lentos descendere Pisces. 535
Par Geminis Chiron, et idem quod Carcinos ardens
Humidus Ægoceros: nec plus Leo tollitur Urna.
At tibi, quæcunque es Libyco gens igne diremta,
In Noton umbra cadit, quæ nobis exit in Arcton.
Te segnis Cynosura subit: tu sicca profundo 540
Mergi plaustra putas, nullumque in vertice semper
Sidus habes immune maris: procul axis uterque
Et fuga signorum medio rapit omnia cœlo. [est,
Stabant ante fores populi, quos miserat Eos,
Cornigerique Jovis monitu nova fata petebant:
Sed Latio cessere duci: comitesque Catonem
Orant, exploret Libycum memorata per orbem
Numina, de fama tam longi judicet ævi.
Maximus hortator scrutandi voce deorum
Eventus Labienus erat. Sors obtulit, inquit, 550
Et fortuna viæ tam magni numinis ora,
Consiliumque dei: tanto duce possumus uti
Per Syrtes, bellique datos cognoscere casus.
Nam cui crediderim superos arcana daturos,
Dicturosque magis, quam sancto, vera, Catoni?
Certe vita tibi semper directa supernas 556
Ad leges, sequerisque deum. Datur ecce loquendi
Cum Jove libertas: inquire in fata nefandi
Cæsaris, et patriæ venturos excute mores:

Jure suo populis uti legumque licebit, 560
An bellum civile perît. Tua pectora sacra
Voce reple: duræ saltem virtutis amator
Quære quid est virtus, et posce exemplar honesti.
Ille deo plenus, tacita quem mente gerebat,
Effudit dignas adytis e pectore voces. 565
Quid quæri, Labiene, jubes? an liber in armis
Occubuisse velim potius, quam regna videre?
An sit vita nihil, sed longam differat ætas?
An noceat vis nulla bono? Fortunaque perdat
Opposita virtute minas? laudandaque velle 570
Sit satis, et nunquam successu crescat honestum?
Scimus, et hæc nobis non altius inseret Ammon.
Hæremus cuncti superis, temploque tacente
Nil facimus non sponte dei: nec vocibus ullis
Numen eget: dixitque semel nascentibus auctor,
Quicquid scire licet: steriles nec legit arenas, 576
Ut caneret paucis, mersitque hoc pulvere verum:
Estne dei sedes nisi terra, et pontus, et aer, [tra?
Et cœlum, et virtus? superos quid quærimus ul-
Jupiter est quodcunque vides, quocunque moveris.
Sortilegis egeant dubii, semperque futuris 581
Casibus ancipites: me non oracula certum, [est.
Sed mors certa facit: pavido fortique cadendum
Hoc satis est dixisse Jovem. Sic ille profatur:
Servataque fide templi discedit ab aris, 585
Non exploratum populis Ammona relinquens.
Ipse manu sua pila gerens, præcedit anheli
Militis ora pedes: monstrat tolerare labores,
Non jubet: et nulla vehitur cervice supinus,
Carpentove sedens. Somni parcissimus ipse est,
Ultimus haustor aquæ. Cum tandem fonte reperto 591
Indiga cogatur latices potare juventus,
Stat, dum lixa bibat. Si veris magna paratur
Fama bonis, et si successu nuda remoto
Inspicitur virtus, quicquid laudamus in ullo 595
Majorum, fortuna fuit. Quis Marte secundo,
Quis tantum meruit populorum sanguine nomen?
Hunc ego per Syrtes, Libyæque extrema triumphum
Ducere maluerim, quam ter Capitolia curru 599
Scandere Pompeii, quam frangere colla Jugurthæ.
Ecce parens verus patriæ, dignissimus aris,
Roma, tuis; per quem nunquam jurare pudebit,
Et quem, si steteris unquam cervice soluta,
Nunc olim factura deum es. Jam spissior ignis,
Et plaga, qua nullam superi mortalibus umbram
A medio fecere die, calcatur, et unda 606
Rarior: inventus mediis fons unus arenis,
Largus aquæ; sed quem serpentum turba tenebat,
Vix capiente loco. Stabant in margine siccæ
Aspides: in mediis sitiebant Dipsades undis. 610
Ductor, ut adspexit perituros fonte relicto,
Alloquitur: Vana specie conterrite leti,
Ne dubita, miles, tutos haurire liquores:
Noxia serpentum est admisto sanguine pestis:
Morsu virus habent, et fatum dente minantur: 615
Pocula morte carent. Dixit, dubiumque venenum
Hausit: et in tota Libyæ fons unus arena
Ille fuit, de quo primus sibi posceret undam.
Cur Libycus tantis exundet pestibus aer,
Fertilis in mortes, aut quid secreta nocenti 520
Miscuerit natura solo, non cura laborque
Noster scire valet: nisi quod vulgata per orbem
Fabula pro vera decepit sæcula causa.
Finibus extremis Libyes, ubi fervida tellus
Accipit Oceanum demisso sole calentem, 625
Squalebant late Phorcynidos arva Medusæ,
Non nemorum protecta coma, non mollia sulco,
Sed dominæ vultu conspectis aspera saxis.
Hoc primum natura nocens in corpore sævas
Eduxit pestes: illis e faucibus angues 630
Stridula fuderunt vibratis sibila linguis,
Fœmineæ qui more comæ per terga soluti
Ipsa flagellabant gaudentis colla Medusæ,
Surgunt aversa subrectæ fronte colubræ,
Vipereumque fluit depexo crine venenum. 635
Hoc habet infelix, cunctis impune, Medusa,
Quod spectare licet. Nam rictus oraque monstri
Quis timuit? quem, qui recto se lumine vidit,
Passa Medusa mori est? rapuit dubitantia fata,
Prævenitque metus: anima periere retenta 640
Membra, nec emissæ riguere sub ossibus umbræ.
Eumenidum crines solos movere furores:
Cerberus Orpheo lenivit sibila cantu:
Amphitryoniades vidit, cum vinceret, Hydram:
Hoc monstrum timuit genitor, numenque secundum 645
Phorcus aquis. Cetoque parens, ipsæque sorores
Gorgones: hoc potuit cœlo pelagoque minari
Torporem insolitum, mundoque obducere terram.
E cœlo volucres subito cum pondere lapsæ:
In scopulis hæsere feræ: vicina colentes 650
Æthiopum totæ riguerunt marmore gentes.
Nullum animal visus patiens, ipsique retrorsum
Effusi faciem vitabant Gorgonis angues.
Illa sub Hesperiis stantem Titana columnis
In cautes Atlanta dedit: cœloque timente 655
Olim Phlegræo stantes serpente gigantas,
Erexit montes, bellumque immane deorum
Pallados e medio confecit pectore Gorgon.
Quo postquam partu Danaes et divite nimbo
Ortum Parrhasiæ vexerunt Persea pennæ 660
Arcados auctoris citharæ, liquidæque palæstræ.
Et subitus præpes Cyllenida sustulit harpen,
Harpen alterius monstri jam cæde rubentem,
A Jove dilectæ fuso custode juvencæ:
Auxilium volucri Pallas tulit innuba fratri, 665
Pacta caput monstri: terræque in fine Libyssæ
Persea Phœbeos converti jussit ad ortus,
Gorgonos averso sulcantem regna volatu:
Et clypeum lævæ fulvo dedit ære nitentem,
In quo saxificam jussit spectare Medusam, 670
Quam sopor, æternam tracturus morte quietem,
Obruit, haud totam. Vigilat pars magna comarum,
Defenduntque caput protenti crinibus hydri:
Pars jacet in medios vultus, oculique tenebras.
Ipsa regit trepidum Pallas, dextraque tremente
Perseos aversi Cyllenida dirigit harpen, 676
Lata colubriferi rumpens confinia colli.
Quos habuit vultus lunati vulnere ferri
Cæsa caput Gorgon! quanto spirasse veneno 679
Ora rear! quantumque oculos effundere mortis!
Nec Pallas spectare potest: vultusque gelassent
Perseos adversi, si non Tritonia densos
Sparsisset crines, texissetque ora colubris.
Aliger in cœlum rapta sic Gorgone fugit.
Ille quidem pensabat iter, propiusque secabat 685
Æthera, si medias Europæ scinderet urbes;
Pallas frugiferas jussit non lædere terras,
Et parci populis. Quis enim non præpete tanto
Æthera respiceret? Zephyro convertitur ales,
Itque super Libyen, quæ nullo consita cultu 690
Sideribus Phœboque vacat: premit orbita solis
Exuritque solum: nec terra celsior ulla
Nox cadet in cœlum, lunæque meatibus obstat,
Si flexus oblita vagi per recta cucurrit
Signa, nec in Borean aut in Noton effugit umbram. 695

Illa tamen sterilis tellus, fecundaque nulli
Arva bono virus stillantis tabe Medusæ
Concipiunt, dirosque fero de sanguine rores,
Quos calor adjuvit, putrique incoxit arenæ.
Hic, quæ prima caput movit de pulvere tabes,
Aspida somniferam tumida cervice levavit. 701
Plenior huic sanguis, et crassi gutta veneni
Decidit: in nulla plus est serpente coactum.
Ipsa caloris egens gelidum non transit in orbem
Sponte sua, Niloque tenus metitur arenas. 705
Sed quis erit nobis lucri pudor? inde petuntur
Huc Libycæ mortes, et fecimus aspida mercem.
At non stare suum miseris passura cruorem
Squamiferos ingens Hæmorrhois explicat orbes:
Natus et ambiguæ coleret qui Syrtidos arva 710
Chersydros, tractique via fumante Chelydri:
Et semper recto lapsurus limite Cenchris:
Pluribus ille notis variatam pingitur alvum,
Quam parvis tinctus maculis Thebanus Ophites.
Concolor exustis, atque indiscretus arenis 715
Ammodytes: spinaque vagi torquente Cerastæ:
Et Scytale sparsis etiam nunc sola pruinis
Exuvias positura suas: et torrida Dipsas: [na:
Et gravis in geminum surgens caput Amphisbæ-
Et Natrix violator aquæ, Jaculique volucres, 720
Et contentus iter cauda sulcare Pareas:
Oraque distendens avidus spumantia Prester:
Ossaque dissolvens cum corpore tabificus Seps.
Sibilaque effundens cunctas terrentia pestes,
Ante venena nocens, late sibi submovet omne 725
Vulgus, et in vacua regnat Basiliscus arena.
Vos quoque, qui cunctis innoxia numina terris
Serpitis, aurato nitidi fulgore Dracones,
Pestiferos ardens facit Africa: ducitis altum
Aera cum pennis, armentaque tota secuti 730
Rumpitis ingentes amplexi verbere tauros:
Nec tutus spatio est elephas: datis omnia leto:
Nec vobis opus est ad noxia fata veneno.
Has inter pestes duro Cato milite siccum
Emetitur iter, tot tristia fata suorum, 735
Insolitasque videns parvo cum vulnere mortes.
Signiferum, juvenem Tyrrheni sanguinis, Aulum,
Torta caput retro Dipsas calcata momordit.
Vix dolor aut sensus dentis fuit: ipsaque leti
Frons caret invidia, nec quicquam plaga minatur.
Ecce subit virus tacitum, carpitque medullas
Ignis edax, calidaque incendit viscera tabe.
Ebibit humorem circum vitalia fusum
Pestis, et in sicco linguam torrere palato
Cœpit. Defessos iret qui sudor in artus 745
Non fuit, atque oculos lacrymarum vena refugit.
Non decus imperii, non mœsti jura Catonis
Ardentem tenuere virum, quin spargere signa
Auderet, totisque furens exquireret agris,
Quas poscebat aquas sitiens in corde venenum. 750
Ille vel in Tanain missus, Rhodanumque Padumque
Arderet, Nilumque bibens per rura vagantem
Accessit morti Libye, fatique minorem
Famam Dipsas habet terris adjuta perustis.
Scrutatur venas penitus squalentis arenæ: 755
Nunc redit ad Syrtes, et fluctus accipit ore:
Æquoreusque placet, sed non et sufficit, humor.
Nec sentit fatique genus, mortemque veneni;
Sed putat esse sitim: ferroque aperire tumentes
Sustinuit venas, atque os implere cruore. 760
Jussit signa rapi propere Cato: discere nulli
Permissum est hoc posse sitim. Sed tristior illa
Mors erat ante oculos: miserique in crure Sabelli
Seps stetit exiguus, quem fixo dente tenacem
Avulsitque manu, piloque affixit arenis. 765
Parva modo serpens; sed qua non ulla cruentæ
Tantum mortis habet. Nam plagæ proxima cir-
Fugit rupta cutis, pallentiaque ossa retexit. [cum
Jamque sinu laxo nudum est sine corpore vulnus.
Membra natant sanie: suræ fluxere: sine ullo 770
Tegmine poples erat: femorum quoque musculus
Liquitur, et nigra distillant inguina tabe. [omnis
Dissiluit stringens uterum membrana, fluuntque
Viscera: nec, quantum toto de corpore debet,
Effluit in terras; sævum sed membra venenum
Decoquit: in minimum mors contrahit omnia
virus. 776
Vincula nervorum, et laterum textura, cavumque
Pectus, et abstrusum fibris vitalibus omne,
Quicquid homo est, aperit pestis. Natura profana
Morte patet. Manant humeri fortesque lacerti:
Colla caputque fluunt. Calido non ocius Austro
Nix resoluta cadet, nec solem cera sequetur.
Parva loquor, corpus sanie stillasse perustum:
Hoc et flamma potest. Sed quis rogus abstulit
ossa? 784
Hæc quoque discedunt, putresque secuta medullas
Nulla manere sinunt rapidi vestigia fati.
Cinyphias inter pestes tibi palma nocendi est:
Eripiunt omnes animam, tu sola cadaver.
Ecce subit facies leto diversa fluenti.
Nasidium Marsi cultorem torridus agri 790
Percussit Prester. Illi rubor igneus ora
Succendit, tenditque cutem, pereunte figura,
Miscens cuncta tumor toto jam corpore major:
Humanumque egressa modum super omnia mem-
Efflatur sanies, late pollente veneno. [bra
Ipse latet penitus congesto corpore mersus: 796
Nec lorica tenet distenti corporis auctum.
Spumeus accenso non sic exundat aeno
Undarum cumulus: nec tantos carbasa Coro
Curvavere sinus. Tumidos jam non capit artus
Informis globus, et confuso pondere truncus.
Intactum volucrum rostris, epulasque daturum
Haud impune feris, non ausi tradere busto,
Nondum stante modo, crescens fugere cadaver.
Sed majora parant Libycæ spectacula pestes.
Impressit dentes Hæmorrhois aspera Tullo, 806
Magnanimo juveni, miratorique Catonis.
Utque solet pariter totis se effundere signis
Corycii pressura croci; sic omnia membra
Emisere simul rutilum pro sanguine virus. 810
Sanguis erant lacrymæ: quæcunque foramina
novit [dant
Humor, ab his largus manat cruor: ora redun-
Et patulæ nares: sudor rubet: omnia plenis
Membra fluunt venis: totum est pro vulnere
corpus.
At tibi, Læve miser, fixus præcordia pressit 815
Niliaca serpente cruor: nulloque dolore
Testatus morsus, subita caligine mortem
Accipis, et Stygias somno descendis ad umbras.
Non tam veloci corrumpunt pocula leto,
Stipite quæ diro virgas mentita Sabinas 820
Toxica fatilegi carpunt matura Sabæi.
Ecce procul sævus sterilis se robore trunci
Torsit, et immisit (Jaculum vocat Africa) serpens,
Perque caput Pauli transactaque tempora fugit.
Nil ibi virus agit: rapuit cum vulnere fatum. 825
Deprensum est, quæ funda rotat, quam lenta volarent,
Quam segnis Scythicæ strideret arundinis aer.
Quid prodest miseri Basiliscus cuspide Murri
Transactus? velox currit per tela venenum,

Invaditque manum ; quam protinus ille retecto
Ense ferit, totoque simul demittit ab armo : 831
Exemplarque sui spectans miserabile leti
Stat tutus pereunte manu. Quis fata putaret
Scorpion, aut vires maturæ mortis habere ?
Ille minax nodis, et recto verbere sævus, 835
Teste tulit cœlo victi decus Orionis.
Quis calcare tuas metuat, Salpuga, latebras ?
Et tibi dant Stygiæ jus in sua fila sorores.
Sic nec clara dies, nec nox dabat atra quietem.
Suspecta est miseris in qua tellure jacebant. 840
Nam neque congestæ struxere cubilia frondes,
Nec culmis crevere tori ; sed corpora fatis
Expositi volvuntur humo, calidoque vapore
Alliciunt gelidas nocturno frigore pestes :
Innocuosque diu rictus torpente veneno 845
Inter membra fovent : nec, quæ mensura viarum,
Quisve modus norunt, cœlo duce : sæpe querentes,
Reddite dii, clamant, miseris, quæ fugimus arma :
Reddite Thessaliam. Patimur cur segnia fata
In gladios jurata manus ? pro Cæsare pugnant 850
Dipsades, et peragunt civilia bella Cerastæ.
Ire libet qua zona rubens, atque axis inustus
Solis equis : juvat ætheriis adscribere causis
Quod peream, cœloque mori. Nil, Africa, de te,
Nec de te, Natura, queror : tot monstra ferentem
Gentibus ablatum dederas serpentibus orbem : 856
Impatiensque solum Cereris cultore negato
Damnasti, atque homines voluisti deesse venenis.
In loca serpentum nos venimus : accipe pœnas
Tu, quisquis superûm commercia nostra perosus,
Hinc torrente plaga, dubiis hinc Syrtibus orbem
Abrumpens, medio posuisti limite mortes.
Per secreta tui bellum civile recessus
Vadit ; et arcani miles tibi conscius orbis 864
Claustra petit mundi. Forsan majora supersunt
Ingressis. Coeunt ignes stridentibus undis,
Et premitur natura poli. Sed longius ista
Nulla jacet tellus, quam fama cognita nobis
Tristia regna Jubæ. Quæremus forsitan istas
Serpentum terras : habet hoc solatia cœlum, 870
Vivit adhuc aliquid. Patriæ non arva requiro
Europamque alios soles Asiamque videntem.
Qua te parte poli, qua te tellure reliqui,
Africa ? Cyrenis etiam nunc bruma rigebat.
Exiguane via legem convertimus anni ? 875
Imus in adversos axes : evolvimur orbe :
Terga damus ferienda Noto. Nunc forsitan ipsa
Sub pedibus jam Roma meis. Solatia fati [est
Hæc petimus : veniant hostes, Cæsarque sequatur
Qua fugimus. Sic dura suos patientia questus
Exonerat : cogit tantos tolerare labores 881
Summa ducis virtus, qui nuda fusus arena
Excubat, atque omni Fortunam provocat hora.
Omnibus unus adest fatis : quocunque vocatur,
Advolat, atque ingens meritum, majusque salute
Contulit, in letum vires : puduitque gementem 886
Illo teste mori. Quod jus habuisset in ipsum
Ulla lues ? casus alieno in pectore vincit,
Spectatorque docet magnos nil posse dolores.
Vix miseris serum tanto lassata periclo 890
Auxilium Fortuna dedit. Gens unica terras
Incolit, a sævo serpentum innoxia morsu,
Marmaridæ Psylli : par lingua potentibus herbis :
Ipse cruor tutus, nullumque admittere virus,
Vel cantu cessante, potest. Natura locorum 895
Jussit, ut immunes misti serpentibus essent.
Profuit in mediis sedem posuisse venenis.
Pax illis cum morte data est. Fiducia tanta est
Sanguinis ; in terram parvus cum decidit infans,
Ne qua sit externæ Veneris mistura timentes, 900
Letifica dubios explorant aspide partus.
Utque Jovis volucer, calido cum protulit ovo
Implumes natos, solis convertit in ortus :
Qui potuere pati radios, et lumine recto
Sustinuere diem, cœli servantur in usus ; 905
Qui Phœbo cessere, jacent : sic pignora gentis
Psyllus habet, si quis tactos non horruit angues,
Si quis donatis lusit serpentibus infans.
Nec solum gens illa sua contenta salute, 909
Excubat hospitibus, contraque nocentia monstra
Psyllus adest populis. Qui tunc Romana secutus
Signa, simul jussit statui tentoria ductor,
Primum quas valli spatium comprendit arenas
Expurgat cantu, verbisque fugantibus angues.
Ultima castrorum medicatus circuit ignis. 915
Hic ebulum stridet, peregrinaque galbana sudant,
Et tamarix non læta comis, Eoaque costos,
Et panacea potens, et Thessala centaurea : [sos,
Peucedanumque sonat flammis, Erycinaque thap-
Et larices, fumoque gravem serpentibus urunt 920
Abrotonum, et longe nascentis cornua cervi.
Sic nox tuta viris. At si quis peste diurna
Fata trahit, tunc sunt magicæ miracula gentis,
Psyllorumque ingens et rapti pugna veneni.
Nam primum tacta designat membra saliva, 925
Quæ cohibet virus, retinetque in vulnere pestem.
Plurima tum volvit spumanti carmina lingua
Murmure continuo, nec dat suspiria cursus
Vulneris, aut minimum patiuntur fata tacere.
Sæpe quidem pestis nigris inserta medullis 930
Excantata fugit : sed si quod tardius audit
Virus, et elicitum jussumque exire repugnat ;
Tunc superincumbens pallentia vulnera lambit,
Ore venena trahens, et siccat dentibus artus,
Extractamque tenens gelido de corpore mortem
Exspuit : et cujus morsus superaverit anguis, 936
Jam promptum Psyllis vel gustu nosse veneni.
Hoc igitur levior tandem Romana juventus
Auxilio, late squalentibus errat in arvis.
Bis positis Phœbe flammis, bis luce recepta 940
Vidit arenivagum surgens fugiensque Catonem.
Jamque illis magis atque magis durescere pulvis
Cœpit, et in terram Libye spissata redire :
Jamque procul nemorum raræ se tollere frondes :
Surgere congesto non culta mapalia culmo. 945
Quanta dedit miseris melioris gaudia terræ,
Cum primum sævos contra videre leones !
Proxima Leptis erat, cujus statione quieta
Exegere hyemem nimbis flammisque carentem.
Cæsar ut Emathia satiatus clade recessit, 950
Cætera curarum projecit pondera, soli
Intentus genero : cujus vestigia frustra
Terris sparsa legens, fama duce tendit in undas,
Threiciasque legit fauces, et amore notatum
Æquor, et Heroas lacrymoso littore turres, 955
Qua pelago nomen Nepheleias abstulit Helle.
Non Asiam brevioris aquæ disterminat usquam
Fluctus ab Europa, quamvis Byzantion arcto
Pontus et ostriferam dirimat Chalcedona cursu,
Euxinumque ferens parvo ruat ore Propontis. 960
Sigæasque petit famæ mirator arenas,
Et Simoentis aquas, et Graio nobile busto
Rhœtion, et multum debentes vatibus umbras.
Circuit exustæ nomen memorabile Trojæ,
Magnaque Phœbei quærit vestigia muri. 965
Jam sylvæ steriles, et putres robore trunci
Assaraci pressere domos, et templa deorum
Jam lassa radice tenent, ac tota teguntur

Pergama dumetis : etiam periere ruinæ.
Adspicit Hesiones scopulos, sylvisque latentes 970
Anchisæ thalamos : quo judex sederit antro :
Unde puer raptus cœlo : quo vertice Nais
Luserit Œnone : nullum est sine nomine saxum.
Inscius in sicco serpentem pulvere rivum
Transierat, qui Xanthus erat : securus in alto 975
Gramine ponebat gressus ; Phryx incola manes
Hectoreos calcare vetat. Discussa jacebant
Saxa, nec ullius faciem servantia sacri ;
Herceas, monstrator ait, non respicis aras ?
O sacer et magnus vatum labor, omnia fato 980
Eripis, et populis donas mortalibus ævum.
Invidia sacræ, Cæsar, ne tangere famæ :
Nam, si quid Latiis fas est promittere Musis,
Quantum Smyrnæi durabunt vatis honores,
Venturi me teque legent : Pharsalia nostra 985
Vivet, et a nullo tenebris damnabitur ævo.
Ut ducis implevit visus veneranda vetustas,
Erexit subitas congestu cespitis aras,
Votaque thuricremos non irrita fudit in ignes :
Di cinerum, Phrygias colitis quicunque ruinas,
Æneæque mei, quos nunc Lavinia sedes 991
Servat et Alba, Lares, et quorum lucet in aris
Ignis adhuc Phrygius, nullique adspecta virorum
Pallas, in abstruso pignus memorabile templo,
Gentis Iuleæ vestris clarissimus aris 995
Dat pia thura nepos, et vos in sede priori
Rite vocat : date felices in cætera cursus :
Restituam populos. Grata vice mœnia reddent
Ausonidæ Phrygibus, Romanaque Pergama surgent.
Sic fatus, repetit classes, et tota secundis 1000
Vela dedit Coris, avidusque urgente procella
Iliacas pensare moras, Asiamque potentem
Prævehitur, pelagoque Rhodon spumante relinquit.
Septima nox, Zephyro nunquam laxante rudentes,
Ostendit Phariis Ægyptia littora flammis. 1005
Sed prius orta dies nocturnam lampada texit,
Quam tutas intraret aquas. Ibi plena tumultu
Littora, et incerto turbatas murmure voces
Accipit : ac dubiis veritus se credere regnis
Abstinuit tellure rates. Sed dira satelles 1010
Regis dona ferens, medium provectus in æquor,
Colla gerit Magni, Phario velamine tecta :
Ac prius infanda commendat crimina voce.
Terrarum domitor, Romanæ maxime gentis ;
Et, quod adhuc nescis, genero secure peremto ;
Rex tibi Pellæus terræ pelagique labores 1016
Donat, et, Emathiis quod solum defuit armis,
Exhibet : absenti bellum civile peractum est.
Thessalicas Magnus quærens reparare ruinas,
Ense jacet nostro : tanto te pignore, Cæsar, 1020
Emimus : hoc tecum percussum est sanguine fœdus.
Accipe regna Phari nullo quæsita cruore :
Accipe Niliaci jus gurgitis : accipe quicquid
Pro Magni cervice dares ; dignumque clientem
Castris crede tuis, cui tantum fata licere 1025
In generum voluere tuum. Nec vile putaris
Hoc meritum, facili nobis quod cæde peractum
Hospes avitus erat : depulso sceptra parenti
Reddiderat. Quid plura feram ? tu nomina tanto
Invenies operi, vel famam consule mundi. 1030
Si scelus est, plus te nobis debere fateris,
Quod scelus hoc non ipse facis. Sic fatus, operetum
Detexit tenuitque caput. Jam languida morte
Effigies habitum noti mutaverat oris.
Non primo Cæsar damnavit munera visu, 1035
Avertitque oculos : vultus, dum crederet, hæsit.
Utque fidem vidit sceleris, tutumque putavit
Jam bonus esse socer ; lacrymas non sponte cadentes
Effudit, gemitusque expressit pectore læto, 1039
Non aliter manifesta putans abscondere mentis
Gaudia, quam lacrymis : meritumque immane tyranni
Destruit, et generi mavult lugere revulsum,
Quam debere caput. Qui duro membra senatus
Calcarat vultu, qui sicco lumine campos
Viderat Emathios, uni tibi, Magne, negare 1045
Non audet gemitus. O sors durissima fati !
Hunccine tu, Cæsar, scelerato Marte petisti,
Qui tibi flendus erat ? non misti fœdera tangunt
Te generis ? nec nata jubet mœrere neposque ?
Credis apud populos, Pompeii nomen amantes,
Hoc castris prodesse tuis ? fortasse tyranni 1051
Tangeris invidia, captique in viscera Magni
Hoc alii licuisse doles, quererisque perisse
Vindictam belli, raptumque e jure superbi
Victoris generum. Quisquis te flere coegit 1055
Impetus, a vera longe pietate recessit.
Scilicet hoc animo terras atque æquora lustras,
Necubi suppressus pereat gener. O bene rapta
Arbitrio mors ista tuo ! quam magna remisit
Crimina Romano tristis fortuna pudori, 1060
Quod te non passa est misereri, perfide, Magni
Viventis ! nec non his fallere vocibus audes,
Acquirisque fidem simulati fronte doloris.
Aufer ab adspectu nostro funesta, satelles,
Regis dona tui : pejus de Cæsare vestrum, 1065
Quam de Pompeio, meruit scelus. Unica belli
Præmia civilis, victis donare salutem,
Perdidimus. Quod si Phario germana tyranno
Non invisa foret, potuissem reddere regi, 1069
Quod meruit, fratrique tuum pro munere tali
Misissem, Cleopatra, caput. Secreta quid arma
Movit, et inseruit nostro sua tela labori ?
Ergo in Thessalicis Pellæo fecimus arvis
Jus gladio ? vestris quæsita licentia regnis ?
Non tuleram Magnum mecum Romana regentem ; 1075
Te, Ptolemæe, feram ? frustra civilibus armis
Miscuimus gentes, si qua est hoc orbe potestas
Altera, quam Cæsar : si tellus ulla duorum est.
Vertissem Latias a vestro littore proras :
Famæ cura vetat, ne non damnasse cruentam, 1080
Sed videar timuisse Pharon. Nec fallere vosmet
Credite victorem : nobis quoque tale paratum
Littoris hospitium : ne sic mea colla gerantur,
Thessaliæ fortuna facit. Majore profecto, 1084
Quam metui poterat, discrimine gessimus arma :
Exsilium, generique minas, Romamque timebam :
Pœna fugæ Ptolemæus erat. Sed parcimus annis,
Donamusque nefas. Sciat hac pro cæde tyrannus
Nil venia plus posse dari. Vos condite busto
Tanti colla ducis : sed non, ut crimina tantum 1090
Vestra tegat tellus. Justo date thura sepulcro,
Et placate caput, cineresque in littore fusos
Colligite, atque unam sparsis date manibus urnam.
Sentiat adventum soceri, vocesque querentis
Audiat umbra pias. Dum nobis omnia præfert,
Dum vitam Phario mavult debere clienti, 1096
Læta dies rapta est populis : concordia mundo
Nostra perit : caruere deis mea vota secundis,
Ut te complexus, positis felicibus armis,
Affectus abs te veteres, vitamque rogarem, 1100
Magne, tuam ; dignaque satis mercede laborum
Contentus, par esse tibi. Tunc pace fideli
Fecissem, ut victus posses ignoscere divis,

Fecisses, ut Roma mihi. Nec talia fatus
Invenit fletus comitem, nec turba querenti 1105
Credidit: abscondunt gemitus, et pectora læta
Fronte tegunt, hilaresque nefas spectare cruentum,
(O bona libertas!) cum Cæsar lugeat, audent.

LIBER DECIMUS.

Ut primum terras, Pompeii colla secutus
Attigit, et diras calcavit Cæsar arenas:
Pugnavit fortuna ducis, fatumque nocentis
Ægypti, regnum Lagi Romana sub arma
Iret, an eriperet mundo Memphiticus ensis 5
Victoris victique caput. Tua profuit umbra,
Magne, tui socerum rapuere a sanguine manes,
Ne populus post te Nilum Romanus haberet.
Inde Parætoniam fertur securus in urbem
Pignore tam sævi sceleris, sua signa secutus.
Sed fremitu vulgi fasces et jura querentis 11
Inferri Romana suis, discordia sensit [isse
Pectora, et ancipites animos, Magnumque per-
Non sibi. Tum vultu semper celante timorem,
Intrepidus superûm sedes, et templa vetusti 15
Numinis, antiquas Macetûm testantia vires,
Circuit: et nulla captus dulcedine rerum,
Non auro, cultuque deûm, non mœnibus urbis,
Effossum tumulis cupide descendit in antrum.
Illic Pellæi proles vesana Philippi, 20
Felix prædo, jacet, terrarum vindice fato
Raptus: sacratis totum spargenda per orbem
Membra viri posuere adytis: Fortuna pepercit
Manibus, et regni duravit ad ultima fatum.
Nam sibi libertas unquam si redderet orbem, 25
Ludibrio servatus erat, non utile mundo
Editus exemplum, terras tot posse sub uno
Esse viro. Macetûm fines, latebrasque suorum
Deseruit, victasque patri despexit Athenas:
Perque Asiæ populos, fatis urgentibus actus, 30
Humana cum strage ruit, gladiumque per omnes
Exegit gentes: ignotos miscuit amnes,
Persarum Euphraten, Indorum sanguine Gangen:
Terrarum fatale malum, fulmenque quod omnes
Percuteret pariter populos, et sidus iniquum 35
Gentibus. Oceano classes inferre parabat
Exteriore mari. Non illi flamma, nec undæ,
Nec sterilis Libye, nec Syrticus obstitit Ammon.
Isset in occasus, mundi devexa secutus,
Ambissetque polos. Nilumque a fonte bibisset:
Occurrit suprema dies, naturaque solum 41
Hunc potuit finem vesano ponere regi:
Qui secum invidia, qua totum ceperat orbem,
Abstulit imperium; nulloque hærede relicto
Totius fati, lacerandas præbuit urbes. 45
Sed cecidit Babylone sua, Parthoque verendus.
Pro pudor! Eoi propius timuere sarissas,
Quam nunc pila timent, populi. Licet usque sub [mus
Arcton
Regnemus, Zephyrique domos, terrasque prema-
Flagrantis post terga Noti; cedemus in ortus 50
Arsacidûm domino. Non felix Parthia Crassis
Exiguæ secura fuit provincia Pellæ
Jam Pelusiaco veniens a gurgite Nili
Rex puer, imbellis populi sedaverat iras,
Obside quo pacis Pellæa tutus in aula 55
Cæsar erat: cum se parva Cleopatra biremi,
Corrupto custode Phari laxare catenas,
Intulit Emathiis ignaro Cæsare tectis;
Dedecus Ægypti, Latio feralis Erinnys,
Romano non casta malo. Quantum impulit Argos
Iliacasque domos facie Spartana nocenti, 61
Hesperios auxit tantum Cleopatra furores.
Terruit illa suo, si fas, Capitolia sistro,
Et Romana petit imbelli signa Canopo,
Cæsare captivo Pharios ductura triumphos: 65
Leucadioque fuit dubius sub gurgite casus,
An mundum ne nostra quidem matrona teneret.
Hoc animi nox illa dedit, quæ prima cubili
Miscuit incestam ducibus Ptolemaida nostris.
Quis tibi vesani veniam non donet amoris, 70
Antoni? durum cum Cæsaris hauserit ignis
Pectus, et in media rabie medioque furore,
Et Pompeianis habitata manibus aula,
Sanguine Thessalicæ cladis perfusus adulter
Admisit Venerem curis, et miscuit armis 75
Illicitosque toros, et non ex conjuge partus?
Pro pudor! oblitus Magni tibi, Julia, fratres
Obscæna de matre dedit: partesque fugatas
Passus in extremis Libyes coalescere regnis,
Tempora Niliaco turpis dependit amori, [vult.
Dum donare Pharon, dum non sibi vincere ma-
Qua formæ confisa suæ, Cleopatra sine ullis
Tristis adit lacrymis, simulatum comta dolorem,
Quem decuit, veluti laceros dispersa capillos,
Et sic orsa loqui: Si qua est, o maxime Cæsar,
Nobilitas, Pharii proles clarissima Lagi, 86
Exsul in æternum sceptris depulsa paternis,
Si tua restituat veteri me dextera fato,
Complector regina pedes. Tu gentibus æquum
Sidus ades nostris. Non urbes prima tenebo 90
Fœmina Niliacas: nullo discrimine sexus
Reginam scit ferre Pharos. Lege summa peremti
Verba patris, qui jura mihi communia regni,
Et thalami cum fratre dedit. Puer ipse sororem,
Sit modo liber, amet: sed habet sub jure Pothini
Affectus ensesque suos. Nil ipsa paterni 96
Juris habere peto: culpa tantoque pudore
Solve domum: remove funesta satellitis arma,
Et regem regnare jube. Quantosne tumores
Mente gerit famulus, Magni cervice revulsa! 100
Jam tibi (sed procul hoc avertant fata) minatur.
Sat fuit indignum, Cæsar, mundoque tibique,
Pompeium facinus meritumque fuisse Pothini.
Nequicquam duras tentasset Cæsaris aures:
Vultus adest precibus, faciesque incesta perorat.
Exigit infandam corrupto judice noctem. 106
Pax ubi parta duci, donisque ingentibus emta est;
Excepere epulæ tantarum gaudia rerum:
Explicuitque suos magno Cleopatra tumultu
Nondum translatos Romana in sæcula luxus. 110
Ipse locus templi, quod vix corruptior ætas
Exstruat, instar erat: laqueataque tecta ferebant
Divitias, crassumque trabes absconderat aurum.
Nec summis crustata domus, sectisque nitebat
Marmoribus: stabatque sibi non segnis achates,
Purpureusque lapis, totaque effusus in aula 116
Calcabatur onyx: ebenus Mareotica vastos

Non operit postes, sed stat pro robore vili,
Auxilium, non forma domus: ebur atria vestit,
Et suffecta manu foribus testudinis Indæ 120
Terga sedent, crebro maculas distincta smaragdo.
Fulget gemma toris, et iaspide fulva supellex:
Strata micant, Tyrio quorum pars maxima succo
Cocta diu, virus non uno duxit aheno;
Pars auro plumata nitet; pars ignea cocco, 125
Ut mos est Phariis miscendi licia telis. [ster.
Tum famulæ numerus turbæ, populusque mini-
Discolor hos sanguis, alios distinxerat ætas:
Hæc Libycos, pars tam flavos gerit altera crines,
Ut nullis Cæsar Rheni se dicat in arvis 130
Tam rutilas vidisse comas. Pars sanguinis usti
Torta caput, refugosque gerens a fronte capillos.
Nec non infelix ferro mollita juventus,
Atque exacta virum. Stat contra fortior ætas,
Vix ulla fuscante tamen lanugine malas. 135
Discubuere toris reges, majorque potestas
Cæsar: et immodice formam fucata nocentem,
Nec sceptris contenta suis, nec fratre marito,
Plena maris rubri spoliis, colloque comisque
Divitias Cleopatra gerit, cultuque laborat. 140
Candida Sidonio perlucent pectora filo,
Quod Nilotis acus percussum pectine Serum
Solvit, et extenso laxavit stamina velo.
Dentibus hic niveis sectos Atlantide sylva
Imposuere orbes, quales ad Cæsaris ora 145
Nec capto venere Juba. Pro cæcus, et amens
Ambitione furor, civilia bella gerenti
Divitias aperire suas, incendere mentem
Hospitis armati! Non sit licet ille nefando
Marte paratus opes mundi quæsisse ruina; 150
Pone duces priscos, et nomina pauperis ævi
Fabricios, Curiosque graves: hic ille recumbat
Sordidus Etruscis abductus consul aratris,
Optabit patriæ talem duxisse triumphum.
Infudere epulas auro, quod terra, quod aer, 155
Quod pelagus Nilusque dedit, quod luxus inani
Ambitione furens toto quæsivit in orbe,
Non mandante fame. Multas volucresque ferasque
Ægypti posuere deos: manibusque ministrat
Niliacas crystallus aquas: gemmæque capaces
Excepere merum, sed non Mareotidos uvæ, 161
Nobile sed paucis senium cui contulit annis,
Indomitum Meroe cogens spumare Falernum.
Accipiunt sertas nardo florente coronas,
Et nunquam fugiente rosa: multumque madenti
Infudere comæ, quod nondum evanuit aura 166
Cinnamon, externa nec perdidit aera terra:
Advectumque recens vicinæ messis amomum.
Discit opes Cæsar spoliati perdere mundi,
Et gessisse pudet genero cum paupere bellum, 170
Et causas Martis Phariis cum gentibus optat.
Postquam epulis Bacchoque modum lassata voluptas
Imposuit, longis Cæsar producere noctem
Inchoat alloquiis; summaque in sede jacentem
Linigerum placidis compellat Achorea dictis:
O sacris devote senex, quodque arguit ætas, 176
Non neglecte deis, Phariæ primordia gentis,
Terrarumque situs, vulgique edissere mores,
Et ritus formasque deum: quodcunque vetustis
Insculptum est adytis profer, noscique volentes
Prode deos. Si Cecropium sua sacra Platonem
Majores docuere tui; quis dignior unquam
Hoc fuit auditu, mundique capacior hospes?
Fama quidem generi Pharias me duxit ad urbes,
Sed tamen et vestri: media inter prœlia semper
Stellarum cœlique plagis, superisque vacavi 186
Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.
Sed cum tanta meo vivat sub pectore virtus,
Tantus amor veri, nihil est quod noscere malim,
Quam fluvii causas per sæcula tanta latentes, 190
Ignotumque caput: spes sit mihi certa videndi
Niliacos fontes; bellum civile relinquam.
Finierat, contraque sacer sic orsus Achoreus:
Fas mihi magnorum, Cæsar, secreta parentum
Prodere, ad hoc ævi populis ignota profanis. 195
Sit pietas aliis, miracula tanta silere:
Ast ego cœlicolis gratum reor, ire per omnes
Hoc opus, et sacras populis notescere leges.
Sideribus, quæ sola fugam moderantur Olympi,
Occurruntque polo, diversa potentia prima 200
Mundi lege data est. Sol tempora dividit anni,
Mutat nocte diem, radiisque potentibus astra
Ire vetat, cursusque vagos statione moratur.
Luna suis vicibus Tethyn terrenaque miscet.
Frigida Saturno glacies, et zona nivalis 205
Cessit. Habet ventos incertaque fulmina Mavors.
Sub Jove temperies et nunquam turbidus aer.
At fecunda Venus cunctarum semina rerum
Possidet. Immensæ Cyllenius arbiter undæ est.
Hunc ubi pars cœli tenuit, qua mista Leonis 210
Sidera sunt Cancro, rapidos qua Sirius ignes
Exserit, et varii mutator circulus anni
Ægoceron, Cancrumque tenet, cui subdita Nili
Ora latent: quæ cum dominus percussit aquarum
Igne superjecto, tunc Nilus fonte soluto 215
Exit, ut Oceanus lunaribus incrementis
Jussus adest: auctusque suos non ante coarctat,
Quam nox æstivas a sole receperit horas.
Vana fides veterum, Nilo, quo crescat in arva,
Æthiopum prodesse nives. Non Arctos in illis
Montibus aut Boreas. Testis tibi sole perusti
Ipse color populi, calidique vaporibus Austri.
Adde, quod omne caput fluvii, quodcunque solutа
Præcipitat glacies, ingresso vere tumescit
Prima tabe nivis: Nilus neque suscitat undas
Ante Canis radios, nec ripis alligat amnem 226
Ante parem nocti Libra sub judice Phœbum
Inde etiam leges aliarum nescit aquarum:
Nec tumet hibernus, cum longe sole remoto
Officiis caret unda suis: dare jussus iniquo 230
Temperiem cœlo, mediis æstatibus exit.
Sub torrente plaga, ne terras dissipet ignis,
Nilus adest mundo, contraque incensa Leonis
Ora tumet: Cancroque suam torrente Syenen,
Imploratus adest: nec campos liberat undis, 235
Donec in autumnum declinet Phœbus, et umbras
Extendat Meroe. Quis causas reddere possit?
Sic jussit Natura parens decurrere Nilum:
Sic opus est mundo. Zephyros quoque vana vetustas [tus,
His adscripsit aquis, quorum stata tempora fla-
Continuique dies, et in aere longa potestas: 241
Vel quod ab occiduo depellunt nubila cœlo
Trans Noton, et fluvio cogunt incumbere nimbos:
Vel quod aquas toties rumpentis littora Nili
Assiduo feriunt, coguntque resistere flatu. 245
Ille mora cursus, adversique objice ponti
Æstuat in campos. Sunt qui spiramina terris
Esse putent, magnosque cavæ compagis hiatus.
Commeat hac penitus tacitis discursibus unda,
Frigore ab Arctoo medium revocata sub axem,
Cum Phœbus pressit Meroen, tellusque perusta
Illuc duxit aquas; trahitur Gangesque Padusque
Per tacitum mundi: tunc omnia flumina Nilus
Uno fonte vomens non uno gurgite perfert.

Rumor, ab Oceano, qui terras alligat omnes, 255
Exundante procul violentum erumpere Nilum,
Æquoreosque sales longo mitescere tractu.
Nec non Oceano pasci Phœbumque polumque
Credimus: hunc, calidi tetigit cum brachia Cancri, [aer,
Sol rapit, atque undæ plus, quam quod digerat
Tollitur. Hoc noctes referunt, Niloque refundunt.
Ast ego, si tantam jus est mihi solvere litem,
Quasdam, Cæsar, aquas post mundi sera peracti
Sæcula concussis terrarum erumpere venis,
Non id agente deo; quasdam compage sub ipsa
Cum toto cœpisse, reor, quas ille creator 266
Atque opifex rerum certo sub jure coercet.
Quæ tibi noscendi Nilum, Romane, cupido est,
Et Phariis, Persisque fuit, Macetûmque tyrannis:
Nullaque non ætas voluit conferre futuris 270
Notitiam: sed vincit adhuc natura latendi.
Summus Alexander regum, quos Memphis adorat,
Invidit Nilo, misitque per ultima terræ
Æthiopum lectos: illos rubicunda perusti
Zona poli tenuit: Nilum videre calentem. 275
Venit ad occasum mundique extrema Sesostris,
Et Pharios currus regum cervicibus egit:
Ante tamen vestros amnes Rhodanumque, Padumque,
Quam Nilum de fonte bibit. Vesanus in ortus
Cambyses longi populos pervenit ad ævi, 280
Defectusque epulis, et pastus cæde suorum,
Ignoto te, Nile, redît. Non fabula mendax
Ausa loqui de fonte tuo est; ubicunque videris,
Quæreris: et nulli contingit gloria genti,
Ut Nilo sit læta suo. Tua flumina prodam, 285
Qua deus undarum celator, Nile, tuarum
Te mihi nosse dedit. Medio consurgis ab axe,
Ausus in ardentem ripas attollere Cancrum:
In Borean is rectus aquis mediumque Booten:
Cursus in occasum flexu torquetur et ortus, 290
Nunc Arabum populis, Libycis nunc æquus arenis:
Teque vident primi, quærunt tamen hi quoque, Seres,
Æthiopumque feris alieno gurgite campos:
Et te terrarum nescit cui debeat orbis.
Arcanum Natura caput non prodidit ulli, 295
Nec licuit populis parvum te, Nile, videre,
Amovitque sinus, et gentes maluit ortus
Mirari, quam nosse, tuos. Consurgere in ipsis
Jus tibi solstitiis, aliena crescere bruma,
Atque hiemes afferre tuas: solique vagari 300
Concessum per utrosque polos. Hic quæritur ortus,
Illic finis aquæ. Late tibi gurgite rupto
Ambitur nigris Meroe fecunda colonis,
Læta comis ebeni: quæ, quamvis arbore multa
Frondeat, æstatem nulla sibi mitigat umbra: 305
Linea tam rectum mundi ferit illa Leonem.
Inde plagas Phœbi, damnum non passus aquarum,
Præveheris, sterilesque diu metiris arenas,
Nunc omnes unum vires collectus in amnem,
Nunc vagus, et spargens facilem tibi cedere ripam.
Rursus multifidas revocat piger alveus undas, 311
Qua dirimunt Arabum populis Ægyptia rura
Regni claustra Philæ. Mox te deserta secantem,
[Qua dirimunt nostrum rubro commercia pontum,]
Mollis lapsus agit. Quis te, tam lene fluentem,
Moturum tantas violenti gurgitis iras, 316
Nile, putet? sed cum lapsus abrupta viarum
Excepere tuos, et præcipites cataractæ,
Ac nusquam vetitis ullas obsistere cautes
Indignaris aquis, spuma tunc astra lacessis: 320
Cuncta fremunt undis, ac multo murmure montis
Spumeus invictis canescit fluctibus amnis.
Hinc, Abaton quam nostra vocat veneranda vetustas,
Terra potens, primos sentit percussa tumultus,
Et scopuli, placuit fluvii quos dicere venas, 325
Quod manifesta novi primum dant signa tumoris.
Hinc montes Natura vagis circumdedit undis,
Qui Libyæ te, Nile, negant: quos inter in alta
It convalle tacens jam moribus unda receptis.
Prima tibi campos permittit apertaque Memphis
Rura, modumque vetat crescendi ponere ripas.
Sic velut in tuta securi pace trahebant
Noctis iter mediæ: sed non vesana Pothini
Mens, imbuta semel tam sacra cæde, vacabat
A scelerum motu. Magno nihil ille peremto 335
Jam putat esse nefas: habitant sub pectore manes,
Ultricesque deæ dant in nova monstra furorem.
Dignatur viles isto quoque sanguine dextras,
Quo Fortuna parat victos perfundere Patres;
Pœnaque civilis belli, et vindicta senatus 340
Pæne data est famulo. Procul hoc avertite, fata,
Crimen, ut hæc Bruto cervix absente secetur.
In scelus it Pharium Romani pœna tyranni,
Exemplumque perit. Struit audax irrita fatis,
Nec parat occultæ cædem committere fraudi:
Invictumque ducem detecto Marte lacessit. 346
Tantum animi delicta dabant, ut colla ferire
Cæsaris, et socerum jungi tibi, Magne, juberet:
Atque hæc dicta monet famulos perferre fideles
Ad Pompeianæ socium sibi cædis Achillam, 350
Quem puer imbellis cunctis præfecerat armis,
Et dederat ferrum, nullo sibi jure retento,
In cunctos, in seque simul. Tu mollibus, inquit,
Nunc incumbe toris, et pingues exige somnos.
Invasit Cleopatra domum. Nec prodita tantum est,
Sed donata Pharos. Cessas accurrere solus 356
Ad dominæ thalamos? nubet soror impia fratri:
Nam Latio jam nupta duci est: interque maritos
Discurrens Ægypton habet, Romamque meretur.
Expugnare senem potuit Cleopatra venenis; 360
Crede miser puero: quem nox si junxerit una,
Et, semel amplexus incesto pectore passus,
Hauserit obscænum titulo pietatis amorem,
Meque, tuumque caput, per singula forsitan illi
Oscula donabit. Crucibus flammisque luemus,
Si fuerit formosa soror. Nil undique restat 366
Auxilii: rex hinc conjux, hinc Cæsar adulter:
Et sumus, ut fatear, tam sæva judice sontes.
Quem non e nobis credet Cleopatra nocentem,
A quo casta fuit? per te, quod fecimus una, 370
Perdidimusque nefas, perque ictum sanguine Magni
Fœdus, ades: subito bellum molire tumultu:
Irrue: nocturnas rumpamus funere tædas,
Crudelemque toris dominam mactemus in ipsis,
Cum quocunque viro. Nec nos deterreat ausis
Hesperii fortuna ducis. Quæ sustulit illum, 376
Imposuitque orbi, communis gloria nobis:
Nos quoque sublimes Magnus facit. Adspice littus
Spem nostri sceleris: pollutos consule fluctus,
Quid liceat nobis: tumulumque e pulvere parvo
Adspice Pompeii, non omnia membra tegentem
Quem metuis, par hujus erat. Non sanguine clari:
Quid refert? nec opes populorum ac regna movemus.
Ad scelus ingentis fati sumus. Attrahit illos
In nostras Fortuna manus. En altera venit 285

Victima nobilior. Placemus cæde secunda
Hesperias gentes. Jugulus mihi Cæsaris haustus
Hoc præstare potest, Pompeii cæde nocentes
Ut populus Romanus amet. Quid nomina tanta
Horremus, viresque ducis, quibus ille relictis 390
Miles erit? nox hæc peraget civilia bella,
Inferiasque dabit populis, et mittet ad umbras,
Quod debetur adhuc mundo, caput. Ite feroces
Cæsaris in jugulum: præstet Lagea juventus
Hoc regi, Romana sibi. Tu parce morari: 395
Plenum epulis, madidumque mero, Venerique paratum
Invenies: aude: superos tot vota Catonum
Brutorumque tibi tribuent. Non lentus Achillas
Suadenti parere nefas. Haud clara movendis,
Ut mos, signa dedit castris, nec prodidit arma 400
Ullius clangore tubæ: temere omnia sævi
Instrumenta rapit belli. Pars maxima turbæ
Plebis erat Latiæ: sed tanta oblivio mentes
Cepit, in externos corrupto milite mores,
Ut duce sub famulo, jussuque satellitis irent, 405
Quos erat indignum Phario parere tyranno.
Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur,
Venalesque manus: ibi fas, ubi maxima merces:
Ære merent parvo, jugulumque in Cæsaris ire
Non sibi dant. Pro fas! ubi non civilia bella
Invenit imperii fatum miserabile nostri? 411
Thessaliæ subducta acies in littore Nili
More furit patrio. Quid plus te, Magne, recepto
Ausa foret Lagea domus? dat scilicet omnis
Dextera, quod debet superis: nullique vacare 415
Fas est Romano. Latium sic scindere corpus
Dis placitum: non in generi socerique favorem
Discedunt populi. Civilia bella satelles
Movit, et in partem Romanam venit Achillas.
Et nisi fata manus a sanguine Cæsaris arcent, 420
Hæ vincunt partes. Aderat maturus uterque:
Et districta epulis ad cunctas aula patebat
Insidias: poteratque cruor per regia fundi
Pocula Cæsareus, mensæque incumbere cervix.
Sed metuunt belli trepidos in nocte tumultus, 425
Ne cædes confusa manu, permissaque fatis
Te, Ptolemæe, trahat. Tanta est fiducia ferri.
Non rapuere nefas: summi contemta facultas
Est operis: visum famulis reparabile damnum,
Illam mactandi dimittere Cæsaris horam; 430
Servatur pœnas in aperta luce daturus.
Donata est nox una duci, vixitque Pothini
Munere Phœbeos Cæsar dilatus in ortus.
Lucifer a Casia prospexit rupe, diemque 434
Misit in Ægyptum primo quoque sole calentem:
Cum procul a muris acies non sparsa maniplis,
Nec vaga, conspicitur, sed justos qualis ad hostes
Recta fronte venit. Passuri cominus arma
Laturique ruunt. At Cæsar mœnibus urbis
Diffisus, foribus clausæ se protegit aulæ, 440
Degeneres passus latebras. Nec tota vacabat
Regia compresso: minima collegerat arma
Parte domus: tangunt animos iræque metusque:
Et timet incursus, indignaturque timere.
Sic fremit in parvis fera nobilis abdita claustris,
Et frangit rabidos præmorso carcere dentes. 446
Nec secus in Siculis fureret tua flamma cavernis,
Obstrueret summam si quis tibi, Mulciber, Ætnam.
Audax Thessalici nuper qui rupe sub Hæmi
Hesperiæ cunctos proceres, aciemque senatus, 450
Pompeiumque ducem, causa sperare vetante,
Non timuit, fatumque sibi promisit iniquum,
Expavit servile nefas; intraque penates
Obruitur telis, quem non violasset Alanus,
Non Scytha, non fixo qui ludit in hospite Maurus.
Hic, cui Romani spatium non sufficit orbis, 456
Parvaque regna putat Tyriis cum Gadibus Indos,
Ceu puer imbellis, ceu captis fœmina muris,
Quærit tuta domus: spem vitæ in limine clauso
Ponit, et incerto lustrat vagus atria cursu: 460
Non sine rege tamen; quem ducit in omnia secum,
Sumturus pœnas et grata piacula morti;
Missurusque tuum, si non sint tela, nec ignes,
In famulos, Ptolemæe, caput. Sic barbara Colchis
Creditur ultorem metuens regnique fugæque, 465
Ense suo, fratrisque simul cervice parata,
Exspectasse patrem. Cognunt tamen ultima rerum
Spem pacis tentare ducem: missusque satelles
Regius, ut sævos absentis voce tyranni 469
Corriperet famulos, quo bellum auctore moverent.
Sed neque jus mundi valuit, neque fœdera sancta
Gentibus: orator regis, pacisque sequester,
[Æstimat] in numero scelerum ponenda tuorum.
Tot monstris, Ægypte, nocens. Non Thessala tellus,
Vastaque regna Jubæ, non Pontus, et impia signa
Pharnacis, et gelido circumfluus orbis Ibero 476
Tantum ausus scelerum, non Syrtis barbara, quantum
Deliciæ fecere tuæ. Premit undique bellum,
Inque domum jam tela cadunt, quassantque penates.
Non aries uno moturus limina pulsu, [belli,
Fracturusque domum, non ulla est machina
Nec flammis mandatur opus; sed cæca juventus
Consilii, vastos ambit divisa penates,
Et nusquam totis incursat viribus agmen.
Fata vetant, murique vicem Fortuna tuetur. 485
Nec non et ratibus tentatur regia, qua se
Protulit in medios audaci margine fluctus
Luxuriosa domus. Sed adest defensor ubique
Cæsar, et hos aditus gladiis, hos ignibus arcet:
Obsessusque gerit (tanta est constantia menti)
Expugnantis opus. Piceo jubet unguine tinctas
Lampadas immitti junctis in bella carinis.
Nec piger ignis erat per stuppea vincula, perque
Manantes cera tabulas: et tempore eodem 494
Transtraque nautarum, summique arsere ceruchi.
Jam prope semustæ merguntur in æquore classes,
Jamque hostes et tela natant. Nec puppibus ignis
Incubuit solis; sed, quæ vicina fuere
Tecta mari, longis rapuere vaporibus ignem:
Et cladem fovere Noti, percussaque flamma 500
Turbine, non alio motu per tecta cucurrit,
Quam solet ætherio lampas decurrere sulco,
Materiaque carens, atque ardens aere solo.
Illa lues clausa paulum revocavit ab aula
Urbis in auxilium populos. Nec tempora cladis
Perdidit in somnos, sed cæca nocte carinis 506
Insiluit Cæsar, semper feliciter usus
Præcipiti cursu bellorum, et tempore rapto.
Tunc claustrum pelagi cepit Pharon. Insula quondam
In medio stetit illa mari, sub tempore vatis 510
Proteos: at nunc est Pellæis proxima muris.
Illa duci geminos bellorum præstitit usus:
Abstulit excursus et fauces æquoris hosti;
Cæsaris auxiliis aditus et libera ponti
Ostia permisit. Nec pœnas inde Pothini 515
Distulit ulterius: sed non qua debuit ira,
Non cruce, non flammis, rabido non dente ferarum:

Heu facinus, cervix gladio male cæsa pependit:
Magni morte perit. Nec non, subrepta paratis
A famulo Ganymede dolis pervenit ad hostes 520
Cæsaris Arsinoe: quæ castra carentia rege
Ut proles Lagea tenet, famulumque tyranni
Terribilem justo transegit Achillea ferro.
Altera, Magne, tuis jam victima mittitur umbris.
Nec satis hoc Fortuna putat. Procul absit, ut ista 525
Vindictæ sit summa tuæ. Non ipse tyrannus
Sufficit in pœnas, non omnis regia Lagi.
Dum patrii veniant in viscera Cæsaris enses,
Magnus inultus erit. Sed non auctore furoris
Sublato cecidit rabies: nam rursus in arma 530
Auspiciis Ganymedis eunt, ac multa secundo
Prœlia Marte gerunt. Potuit discrimine summo
Cæsaris una dies in famam et sæcula mitti.
Molis in exiguæ spatio stipantibus armis,
Dum parat in vacuas Martem transferre carinas
Dux Latius, tota subiti formidine belli 536
Cingitur: hinc densæ prætexunt littora classes,
Hinc tergo insultant pedites: via nulla salutis:
Non fuga, non virtus, vix spes quoque mortis honestæ.
Non acie fusa, nec magnæ stragis acervo 540
Vincendus tunc Cæsar erat, sed sanguine nullo.
Captus sorte loci pendet, dubiusne timeret,
Optaretne mori; respexit in agmine denso
Scævam, perpetuæ meritum jam nomina famæ
Ad campos, Epidamne, tuos, ubi solus apertis
Obsedit muris calcantem mœnia Magnum. 546

A. PERSII FLACCI SATIRÆ.

U. C. 787—815.

AULUS PERSIUS FLACCUS equestri genere, Volaterris Etruriæ oriundus, ab Annæo Cornuto Stoico liberis artibus est institutus; cui quantum debuerit, ipse pulcherrimo eodemque suavissimo carmine Sat. V. 19—51. testatus est. De vita ejus nihil fere cognitum est, quippe qui neque rempublicam attigerit, neque litterarum concertationibus se miscuerit, philosophiæ se doctorumque amicitiis totum tradiderit. Familiares habuit a prima adolescentia Cæsium Bassum et Annæum Lucanum poetas: Pæto Thraseæ gravissimo et constantissimo viro etiam affinitate conjunctus est. Tricesimum annum agens in ipso ingenii morumque flore morbo abreptus est. Carmina ejus summam auctoris manum desiderantia post mortem edita sunt.

PROLOGUS

Nec fonte labra prolui caballino,
Neque in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, ut repente sic poeta prodirem.
Heliconidasque pallidamque Pirenen
Illis remitto, quorum imagines lambunt 5
Hederæ sequaces: ipse semipaganus
Ad sacra vatum carmen affero nostrum.
Quis expedivit psittaco suum χαῖρε,
Picasque docuit verba nostra conari?
Magister artis ingenique largitor 10
Venter, negatas artifex sequi voces.
Quod si dolosi spes refulserit nummi,
Corvos poetas et poetrias picas
Cantare credas Pegaseium nectar.

SATIRA I.

O curas hominum! o quantum est in rebus inane!
Quis leget hæc? Min' tu istud ais? Nemo hercule. Nemo?
Vel duo, vel nemo. Turpe et miserabile. Quare?
Ne mihi Pulydamas et Troiades Labeonem
Prætulerint? nugæ. Non, si quid turbida Roma
Elevet, accedas, examenve improbum in illa 6
Castiges trutina, nec te quæsiveris extra.
Nam Romæ quis non? ah si fas dicere! sed fas
Tunc, cum ad canitiem et nostrum istud vivere triste
Adspexi, et nucibus facimus quæcunque relictis,
Cum sapimus patruos; tunc, tunc. Ignoscite. Nolo. 11
Quid faciam? sed sum petulanti splene cachinno.
Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.
Scilicet hæc populo, pexusque togaque recenti,
Et natalitia tandem cum sardonyche, albus 16
Sede leges celsa, liquido cum plasmate guttur
Mobile collueris, patranti fractus ocello.
Hic neque more probo videas neque voce serena
Ingentes trepidare Titos, cum carmina lumbum
Intrant, et tremulo scalpuntur ubi intima versu.
Tun', vetule, auriculis alienis colligis escas?
Auriculis, quibus et dicas cute perditus, ohe?
Quo didicisse, nisi hoc fermentum, et quæ semel intus
Innata est, rupto jecore exierit caprificus? 25
En pallor seniumque! o mores! usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
At pulchrum est digito monstrari, et dicier, hic
Ten' cirratorum centum dictata fuisse [est!
Pro nihilo pendas? Ecce inter pocula quærunt 30
Romulidæ saturi, quid dia poemata narrent.
Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna est,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus,
Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid,
Eliquat et tenero supplantat verba palato. 35
Adsensere viri. Nunc non cinis ille poetæ
Felix? non levior cippus nunc imprimit ossa?
Laudant convivæ. Nunc non e manibus illis,
Nunc non e tumulo fortunataque favilla
Nascentur violæ? Rides, ait, et nimis uncis 40
Naribus indulges. An erit, qui velle recuset
Os populi meruisse? et cedro digna locutus,
Linquere nec scombros metuentia carmina nec thus?
Quisquis es, o modo quem ex adverso dicere feci,
Non ego, cum scribo, si forte quid aptius exit, 45
Quando hæc rara avis est, si quid tamen aptius exit, [est:
Laudari metuam: neque enim mihi cornea fibra
Sed recti finemque extremumque esse recuso
EUGE tuum et BELLE. Nam BELLE hoc excute totum:
Quid non intus habet? non hic est Ilias Acci 50
Ebria veratro? non si qua elegidia crudi
Dictarunt proceres? non quicquid denique lectis
Scribitur in citreis? Calidum scis ponere sumen:
Scis comitem horridulum trita donare lacerna:
Et, Verum, inquis, amo; verum mihi dicite de me.
Qui pote? vis dicam? nugaris, cum tibi, calve,
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet
O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinsit, 58
Nec manus auriculas imitata est mobilis altas,
Nec linguæ, quantum sitiat canis Appula, tantum!
Vos o patricius sanguis, quos vivere fas est
Occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ. [molli
Quis populi sermo est? quis enim? nisi carmina
Nunc demum numero fluere, ut per læve severos
Effundat junctura ungues. Scit tendere versum
Non secus, ac si oculo rubricam dirigat uno. 66
Sive opus in mores, in luxum, in prandia regum
Dicere, res grandes nostro dat Musa poetæ.
Ecce modo heroas sensus afferre videmus
Nugari solitos Græce, nec ponere lucum 70

Artifices, nec rus saturum laudare, ubi corbes,
Et focus, et porci, et fumosa Palilia fœno:
Unde Remus, sulcoque terens dentalia Quinti,
Quum trepida ante boves dictatorem induit uxor,
Et tua aratra domum lictor tulit. Euge poeta.75
Est nunc, Briseis quem venosus liber Acci,
Sunt, quos Pacuviusque et verrucosa moretur
Antiopa, *ærumnis cor luctificabile fulta.*
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Cum videas, quærisne, unde hæc sartago loquendi 80
Venerit in linguas? unde istud dedecus, in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia lævis?
Nilne pudet, capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire, DECENTER?
Fur es, ait Pedio. Pedius quid? crimina rasis
Librat in antithetis. Doctas posuisse figuras 86
Laudatur. Bellum hoc. Hoc bellum? an Romule ceves? [assem
Men' moveat? quippe et, cantet si naufragus,
Protulerim? cantas, quum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes? Verum, nec nocte paratum 90
Plorabit, qui me volet incurvasse querela.
Sed numeris decor est et junctura addita crudis.
Claudere sic versum didicit, *Berecynthius Attin.*
Et, *qui cæruleum dirimebat Nerea delphin.*
Sic, *costam longo subduximus Apennino.* 95
Arma virûm, nonne hoc spumosum et cortice pingui?
Ut ramale vetus prægrandi subere coctum.
Quidnam igitur tenerum, et laxa cervice legendum?
Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis:
Et raptum vitulo caput ablatura superbo 100
Bassaris, et lyncem Mænas flexura corymbis
Evion ingeminat: reparabilis adsonat Echo.
Hæc fierent, si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis? summa delumbe saliva 104
Hoc natat in labris, et in udo est *Mænas* et *Attin.*
Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues.
"Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? vide sis, ne majorum tibi forte
Limina frigescant: sonat hic de nare canina
Littera." Per me equidem sint omnia protinus alba, 110
Nil moror. Euge, omnes, omnes bene miræ eritis res. [oletum.
Hoc juvat? Hic, inquis, veto quisquam faxit
Pinge duos angues: pueri, sacer est locus: extra
Meiite. Discedo. Secuit Lucilius Urbem,
Te Lupe, te Muci, et genuinum fregit in illis. 115
Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, et admissus circum præcordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso.
Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe?
"Nusquam." 119
Hic tamen infodiam. Vidi, vide ipse, libelle,
Auriculas asini Mida rex habet. Hoc ego opertum,
Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo
Iliade. Audaci quicunque afflate Cratino,
Iratum Eupolidem prægrandi cum sene palles,
Adspice et hæc, si forte aliquid decoctius audis.
Inde vaporata lector mihi ferveat aure: 126
Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit
Sordidus, et lusco qui poscit dicere, lusce,
Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Areti ædilis iniquas: [metas
Nec qui abaco numeros et secto in pulvere
Scit risisse vafer, multum gaudere paratus, 132
Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.
His mane edictum, post prandia Callirhoen do.

SATIRA II.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.
Funde merum Genio. Non tu prece poscis emaci,
Quæ nisi seductis nequeas committere divis.
At bona pars procerum tacita libavit acerra. 5
Haud cuivis promptum est, murmurque humilesque susurros
Tollere de templis, et aperto vivere voto.
Mens bona, fama, fides, hæc clare, et ut audiat hospes:
Illa sibi introrsum et sub lingua immurmurat: O si
Ebullit patruus, præclarum funus! et, O si 10
Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro
Hercule! pupillumve utinam, quem proximus hæres
Impello, expungam! namque est scabiosus, et acri
Bile tumet. Nerio jam tertia ducitur uxor! 14
Hæc sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque, et noctem flumine purgas.
Heus age, responde: (minimum est, quod scire laboro:)
De Jove quid sentis? estne ut præponere cures
Hunc—"cuinam?" cuinam? vis Staio? an scilicet hæres?
Quis potior judex, puerisve quis aptior orbis? 20
Hoc igitur, quo tu Jovis aurem impellere tentas,
Dic agedum Staio: pro Jupiter! o bone, clamet,
Jupiter! at sese non clamet Jupiter ipse?
Ignovisse putas, quia, cum tonat, ocius ilex 24
Sulfure discutitur sacro, quam tuque domusque?
An quia non fibris ovium Ergennaque jubente
Triste jaces lucis evitandumque bidental,
Idcirco stolidam præbet tibi vellere barbam
Jupiter? aut quidnam est, qua tu mercede deorum
Emeris auriculas? pulmone et lactibus unctis? 30
Ecce avia, aut metuens divum matertera, cunis
Exemit puerum, frontemque atque uda labella
Infami digito et lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita. [voto
Tunc manibus quatit, et spem macram supplice
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes. 36
Hunc optem generum rex et regina! puellæ
Hunc rapiant! quicquid calcaverit hic, rosa fiat!
Ast ego nutrici non mando vota: negato
Jupiter hæc illi, quamvis te albata rogarit. 40
Poscis opem nervis corpusque fidele senectæ.
Esto, age: sed grandes patinæ tucetaque crassa
Annuere his superos vetuere, Jovemque morantur. [que
Rem struere exoptas cæso bove, Mercurium-
Arcessis fibra: Da fortunare penates, 45
Da pecus, et gregibus fetum. Quo, pessime, pacto,
Tot tibi cum in flammis junicum omenta liquescant?
Et tamen hic extis et opimo vincere ferto
Intendit: jam crescit ager, jam crescit ovile,
Jam dabitur, jam jam: donec deceptus et exspes
Nequicquam fundo suspirat nummus in imo. 51
Si tibi crateras argenti incusaque pingui
Auro dona feram, sudes, et pectore lævo
Excutiat guttas lætari prætrepidum cor.
Hinc illud subiit, auro sacras quod ovato 55
Perducis facies. Nam fratres inter aenos,
Somnia pituita qui purgatissima mittunt,
Præcipui sunto, sitque illis aurea barba.

Aurum vasa Numæ Saturniaque impulit aera,
Vestalesque urnas et Tuscum fictile mutat. 60
O curvæ in terras animæ, et cœlestium inanes!
Quid juvat hoc, templis nostros immittere mores,
Et bona dis ex hac scelerata ducere pulpa?
Hæc sibi conrupto casiam dissolvit olivo,
Et Calabrum coxit vitiato murice vellus: 65
Hæc baccam conchæ rasisse, et stringere venas
Ferventis massæ crudo de pulvere jussit.
Peccat et hæc, peccat: vitio tamen utitur. Atvos
Dicite pontifices, in sacro quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatæ a virgine puppæ. [lance
Quin damus id superis, de magna quod dare
Non possit magni Messalæ lippa propago, [sus
Compositum jus fasque animo, sanctosque reces-
Mentis, et incoctum generoso pectus honesto. 74
Hæc cedo ut admoveam templis, et farre litabo.

SATIRA III.

Nempe hoc assidue? jam clarum mane fenestras
Intrat, et angustas extendit lumine rimas. [num
Stertimus, indomitum quod despumare Faler-
Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.
En quid agis? siccas insana canicula messes 5
Jam dudum coquit, et patula pecus omne sub ulmo est: [adsit
Unus ait comitum. "Verumne? itane? ocius
Huc aliquis! nemon'?" Turgescit vitrea bilis,
Finditur: Arcadiæ pecuaria rudere credas. 9
Jam liber et bicolor positis membrana capillis,
Inque manus chartæ nodosaque venit arundo.
Tunc queritur, crassus calamo quod pendeat humor;
Nigra quod infusa vanescat sepia lympha;
Dilutas queritur geminet quod fistula guttas. 14
O miser inque dies ultra miser! huccine rerum
Venimus? at cur non potius, teneroque palumbo
Et similis regum pueris, pappare minutum
Poscis, et iratus mammæ lallare recusas? [istas
"An tali studeam calamo?" Cui verba? quid
Succinis ambages? tibi luditur: effluis amens. 20
Contemnere. Sonat vitium percussa, maligne
Respondet viridi non cocta fidelia limo. [et acri
Udum et molle lutum es, nunc nunc properandus,
Fingendus sine fine rota. Sed rure paterno
Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum,
(Quid metuas?) cultrixque foci secura patella.
Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis?
Censoremne tuum vel quod trabeate salutas?
Ad populum phaleras. Ego te intus et in cute novi.
Non pudet ad morem discincti vivere Nattæ?
Sed stupet hic vitio, et fibris increvit opimum
Pingue: caret culpa: nescit, quid perdat: et alto
Demersus, summa non rursus bullit in unda.
Magne pater divûm, sævos punire tyrannos 35
Haud alia ratione velis, cum dira libido
Moverit ingenium, ferventi tincta veneno,
Virtutem videant, intabescantque relicta.
Anne magis Siculi gemuerunt æra juvenci,
Aut magis auratis pendens laquearibus ensis 40
Purpureas subter cervices terruit, *imus*,
Imus præcipites, quam si sibi dicat, et intus
Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor?
Sæpe oculos, memini, tangebam parvus olivo,
Grandia si nollem morituri verba Catonis 45
Dicere, non sano multum laudanda magistro,
Quæ pater adductis sudans audiret amicis.
Jure: etenim id summum, quid dexter senio fer-
Scire erat in voto: damnosa canicula quantum [ret,
Raderet: angustæ coilo non fallier orcæ: 50
Neu quis callidior buxum torquere flagello.
Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores,
Quæque docet sapiens braccatis illita Medis
Porticus, insomnis quibus et detonsa juventus
Invigilat, siliquis et grandi pasta polenta. 55
Et tibi quæ Samios diduxit littera ramos,
Surgentem dextro monstravit limite callem
Stertis adhuc, laxumque caput compage soluta
Oscitat hesternum, dissutis undique malis?
Est aliquid quo tendis, et in quod dirigis arcum?
An passim sequeris corvos testaque lutoque, 61
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis?
Helleborum frustra, cum jam cutis ægra tumebit,
Poscentes videas. Venienti occurrite morbo.
Et quid opus Cratero magnos promittere montes?
Discite io miseri, et causas cognoscite rerum;
Quid sumus, et quidnam victuri gignimur: ordo
Quis datus, aut metæ quam mollis flexus, et unde:
Quis modus argento: quid fas optare: quid asper
Utile nummus habet: patriæ carisque propinquis
Quantum elargiri deceat: quem te deus esse 71
Jussit, et humana qua parte locatus es in re.
Disce; nec invideas, quod multa fidelia putet
In loculete penu, defensis pinguibus Umbris,
Et piper, et pernæ, Marsi monimenta clientis, 75
Mænaque quod prima nondum defecerit orca.
Hic aliquis de gente hircosa centurionum
Dicat, Quod satis est, sapio mihi: non ego curo
Esse, quod Arcesilas ærumnosique Solones,
Obstipo capite, et figentes lumine terram, 80
Murmura cum secum et rabiosa silentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Ægroti veteris meditantes somnia, gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.
Hoc est, quod palles? cur quis non prandeat, hoc est? 85
His populus ridet: multumque torosa juventus
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.
Inspice: nescio quid trepidat mihi pectus, et ægris
Faucibus exsuperat gravis halitus: inspice sodes,
Qui dicit medico, jussus requiescere, postquam
Tertia compositas vidit nox currere venas, 91
De majore domo modice sitiente lagena
Lenia loturo sibi Surrentina rogavit. [istud,
Heus bone, tu palles. "Nihil est." Videas tamen
Quicquid id est: surgit tacite tibi lutea pellis.
"At tu deterius palles: ne sis mihi tutor: 96
Jam pridem hunc sepeli: tu restas." Perge, tacebo.
Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur,
Gutture sulfureas lente exhalante mephites.
Sed tremor inter vina subit, calidumque triental
Exeutit e manibus: dentes crepuere retecti: 101
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
Hinc tuba, candelæ: tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit: at illum 105
Hesterni capite induto subiere Quirites.
"Tange miser venas, et pone in pectore dextram:
Nil calet hic: summosque pedes attinge manusque:
Non frigent." Visa est si forte pecunia, sive
Candida vicini subrisit molle puella, 110
Cor tibi rite salit? Positum est algente camino
Durum olus, et populi cribro decussa farina
Tentemus fauces. Tenero latet ulcus in ore

Putre, quod haud deceat plebeia radere beta.
Alges, cum excussit membris tremor albus aris-
Nunc face supposita fervescit sanguis, et ira [tas:
Scintillant oculi: dicisque facisque, quod ipse
Non sani esse hominis non sanus juret Orestes.

SATIRA IV.

Rem populi tractas? (barbatum hæc crede magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutæ:)
Quo fretus? dic hoc, magni pupille Pericli.
Scilicet ingenium et rerum prudentia velox
Ante pilos venit: dicenda tacendaque calles. 5
Ergo ubi commota fervet plebecula bile.
Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Majestate manus. Quid deinde loquere? Quirites,
Hoc, puta, non justum est: illud male: rectius
Scis etenim justum gemina suspendere lance [illud.
Ancipitis libræ: rectum discernis, ubi inter 11
Curva subit, vel cum fallit pede regula varo:
Et potis es nigrum vitio præfigere Theta.
Quin tu igitur summa nequicquam pelle decorus,
Ante diem blando caudam jactare popello 15
Desinis, Anticyras melior sorbere meracas.
Quæ tibi summa boni est? uncta vixisse patella
Semper, et assiduo curata cuticula sole. [nunc;
Exspecta: haud aliud respondeat hæc anus. 1
Dinomaches ego sum, subfla: *sum candidus*. Esto:
Dum ne deterius sapiat pannucea Baucis, 21
Quum bene discincto cantaverit ocima vernæ.
Ut nemo in sese tentat descendere, nemo!
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.
Quæsieris, Nostin' Vectidi prædia? "cujus?"
Dives arat Curibus quantum non milvus oberret.
"Hunc ais? hunc dis iratis genioque sinistro?
Qui quandoque jugum pertusa ad compita figit,
Seriolæ veterem metuens deradere limum, [dens
Ingemit, *Hoc bene sit!* tunicatum cum sale mor-
Cæpe: et farrata pueris plaudentibus olla, 31
Pannosam fæcem morientis sorbet aceti."
At si unctus cesses, et figas in cute solem,
Est prope te ignotus, cubito qui tangat, et acre
Despuat in mores: penemque arcanaque lumbi 35
Runcantem, populo marcentes pandere vulvas.
Tu cum maxillis balanatum gausape pectas,
Inguinibus quare detonsus gurgulio exstat?
Quinque palæstritæ licet hæc plantaria vellant,
Elixasque nates labefactent forcipe adunca, 40
Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.
Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis.
Vivitur hoc pacto: sic novimus. Ilia subter
Cæcum vulnus habes: sed lato balteus auro
Prætegit. Ut mavis, da verba, et decipe nervos,
Si potes. "Egregium cum me vicinia dicat,
Non credam?" Viso si palles, improbe, nummo;
Si facis, in penem quicquid tibi venit amarum;
Si puteal multa cautus vibice flagellas:
Nequicquam populo bibulas donaveris aures. 50
Respue, quod non es: tollat sua munera cerdo.
Tecum habita, et noris, quam sit tibi curta supellex.

SATIRA V.—*Ad Magistrum suum Annæum Cornutum.*

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora, et linguas optare in carmina centum,
Fabula seu mœsto ponatur hianda tragœdo,
Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.
Quorsum hæc? aut quantas robusti carminis
Ingeris, ut par sit centeno gutture niti? [offas
Grande locuturi nebulas Helicone legunto, 7
Si quibus aut Procnes, aut si quibus olla Thyestæ
Fervebit, sæpe insulso cœnanda Glyconi.
Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino
Folle premis ventos; nec clauso murmure raucus
Nescio quid tecum grave cornicaris inepte;
Nec scloppo tumidas intendis rumpere buccas.
Verba togæ sequeris, junctura callidus acri,
Ore teres modico, pallentes radere mores 15
Doctus, et ingenuo culpam defigere ludo. [cenis
Hinc trahe, quæ dicas, mensamque relinque My-
Cum capite et pedibus, plebeiaque prandia noris.
Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis
Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo. 20
Secreti loquimur. Tibi nunc, hortante Camœna,
Excutienda damus præcordia: quantaque nostræ
Pars tua sit, Cornute, animæ, tibi, dulcis amice,
Ostendisse juvat. Pulsa, dignoscere cautus,
Quid solidum crepet, et pictæ tectoria linguæ. 25
His ego centenas ausim deposcere voces,
Ut, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,
Voce traham pura, totumque hoc verba resignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibra. [cessit,
Cum primum pavido custos mihi purpura
Bullaque succinctis Laribus donata pependit; 31
Cum blandi comites, totaque impune Suburra
Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo;
Cumque iter ambiguum est, et vitæ nescius error
Diducit trepidas ramosa in compita mentes: 35
Me tibi supposui. Teneros tu suscipis annos
Socratico, Cornute, sinu. Tunc fallere solers
Apposita intortos ostendit regula mores,
Et premitur ratione animus vincique laborat,
Artificemque tuo ducit sub pollice vultum. 40
Tecum etenim longos memini consumere soles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes.
Unum opus et requiem pariter disponimus ambo,
Atque verecunda laxamus seria mensa.
Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo
Consentire dies, et ab uno sidere duci. 46
Nostra vel æquali suspendit tempora Libra
Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora
Dividit in Geminos concordia fata duorum,
Saturnumque gravem nostro Jove frangimus una;
Nescio quod certe est, quod me tibi temperat, astrum. 51
Mille hominum species, et rerum discolor usus.
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper et pallentis grana cumini: 55
Hic satur irriguo mavult turgescere somno:
Hic campo indulget: hunc alea decoquit: ille
In Venerem est putris. Sed cum lapidosa che-
Fregerit articulos, veteris ramalia fagi; [ragra
Tunc crassos transisse dies, lucemque palustrem,
Et sibi jam seri vitam ingemuere relictam. 61
At te nocturnis juvat impallescere chartis.
Cultor enim juvenum purgatas inseris aures
Fruge Cleanthea. Petite hinc juvenesque senesque
Finem animo certum, miserisque viatica canis. 6
"Cras hoc fiet." Idem cras fiet. "Quid, quasi magnum?
Nempe diem donas." Sed cum lux altera venit,
Jam cras hesternum consumsimus. Ecce aliud cras
Egerit hos annos, et semper paullum erit ultra.
Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno
Vertentem sese, frustra sectabere canthum, 71
Cum rota posterior curras et in axe secundo.
Libertate opus est, non hac, quam ut quisque
Publius emeruit, scabiosum tesserula far [Velina
Possidet. Heu steriles veri, quibus una Quiritem

Vertigo facit! hic Dama est non tressis agaso, 76
Vappa et lippus, et in tenui farragine mendax:
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama. Papæ! Marco spondente recusas
Credere tu nummos? Marco sub judice palles? 80
Marcus dixit: ita est. Adsigna, Marce, tabellas.
Hæc mera libertas: hoc nobis pilea donant.
"An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet ut voluit? licet ut volo vivere: non sim
Liberior Bruto?" Mendose colligis, inquit 85
Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto.
Hoc reliquum accipio: *licet* illud et *ut volo* tolle.
"Vindicta postquam meus a prætore recessi,
Cur mihi non liceat, jussit quodcunque voluntas,
Excepto, si quid Masuri rubrica vetavit?" 90
Disce: sed ira cadat naso rugosaque sanna,
Dum veteres avias tibi de pulmone revello.
Non prætoris erat, stultis dare tenuia rerum
Officia, atque usum rapidæ permittere vitæ.
Sambucam citius caloni aptaveris alto. 95
Stat contra ratio, et secretam gannit in aurem:
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum naturaque continet hoc fas,
Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.
Diluis helleborum, certo compescere puncto 100
Nescius examen? vetat hoc natura medendi.
Navem si poscat sibi peronatus arator
Luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse
Frontem de rebus. Tibi recto vivere talo
Ars dedit? et veri speciem dignoscere calles, 105
Ne qua subærato mendosum tinniat auro?
Quæque sequenda forent, et quæ vitanda vicissim,
Illa prius creta, mox hæc carbone notasti?
Es modicus voti? presso lare? dulcis amicis?
Jam nunc adstringas, jam nunc granaria laxes? 110
Inque luto fixum possis transcendere nummum,
Nec glutto sorbere salivam Mercurialem?
Hæc mea sunt, teneo, cum vere dixeris, esto
Liberque ac sapiens, prætoribus ac Jove dextro.
Sin tu, cum fueris nostræ paullo ante farinæ, 115
Pelliculam veterem retines, et fronte politus
Astutam vapido servas sub pectore vulpem;
Quæ dederam supra, repeto, funemque reduco.
Nil tibi concessit ratio: digitum exsere, peccas.
Et quid tam parvum est? sed nullo thure litabis,
Hæreat in stultis brevis ut semuncia recti. 121
Hæc miscere nefas: nec, cum sis cætera fossor,
Tres tantum ad numeros satyri moveare Bathylli.
"Liber ego." Unde datum hoc sumis, tot subdite rebus?
An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?
I puer, et strigiles Crispini ad balnea defer: 126
Si increpuit, cessas nugator? servitium acre
Te nihil impellit: nec quicquam extrinsecus intrat,
Quod nervos agitet. Sed si intus et in jecore ægro
Nascantur domini; qui tu impunitior exis, 130
Atque hic, quem ad strigiles scutica et metus egit herilis?
Mane piger stertis: Surge, inquit Avaritia: eja
Surge. Negas. Instat, Surge, inquit. "Non queo." Surge.
"Et quid agam?" Rogitas? saperdas advehe Ponto,
Castoreum, stuppas, ebenum, thus, lubrica Coa.
Tolle recens primus piper e sitiente camelo. 136
Verte aliquid, jura. "Sed Jupiter audiet." Eheu
Baro, regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages, si vivere cum Jove tendis.
Jam pueris pellem succinctus et œnophorum aptas: 140
Ocius ad navem. Nihil obstat, quin trabe vasta
Ægæum rapias, nisi sollers luxuria ante
Seductum moneat: Quo deinde insane ruis? quo?
Quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis
Intumuit, quam non exstinxerit urna cicutæ? 145
Tun' mare transilias? tibi torta cannabe fulto,
Cœna sit in transtro? Veientanumque rubellum
Exhalet vapida læsum pice fissilis obba? [deste
Quid petis? ut nummi, quos hic quincunce mo-
Nutrieras, pergant avidos sudare deunces? 150
Indulge genio, carpamus dulcia: nostrum est,
Quod vivis: cinis et manes et fabula fies.
Vive memor leti. Fugit hora: hoc, quod loquor, inde est. [hamo:
En quid agis? duplici in diversum scinderis
Hunccine, an hunc sequeris? subeas alternus oportet 155
Ancipiti obsequio dominos; alternus oberres.
Nec tu, cum obstiteris semel, instantique negaris
Parere imperio, Rupi jam vincula, dicas. [illi,
Nam et luctata canis nodum abripit: attamen
Cum fugit, a collo trahitur pars longa catenæ.
Dave, cito, hoc credas jubeo, finire dolores
Præteritos meditor. (Crudum Chærestratus unguem 162
Abrodens ait hæc.) An siccis dedecus obstem
Cognatis? an rem patriam rumore sinistro [udas
Limen ad obscænum frangam, dum Chrysidis
Ebrius ante fores exstincta cum face canto? 166
"Euge, puer, sapias: dis depellentibus agnam
Percute." Sed censen' plorabit, Dave, relicta?
"Nugaris: solea, puer, objurgabere rubra.
Ne trepidare velis, atque arctos rodere casses. 170
Nunc ferus et violens: at, si vocet, haud mora, dicas, [et ultro
Quidnam igitur faciam? ne nunc, cum accersor,
Supplicat, accedam? Si totus et integer illinc
Exieras, ne nunc." Hic, hic, quem quærimus, hic est:
Non in festuca, lictor quam jactat ineptus. 175
Jus habet ille sui palpo, quem ducit hiantem
Cretata ambitio? vigila, et cicer ingere large
Rixanti populo, nostra ut Floralia possint
Aprici meminisse senes. Quid pulchrius?—At
Herodis venere dies, unctaque fenestra [cum
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino;
Labra moves tacitus, recutitaque sabbata palles.
Tunc nigri lemures, ovoque pericula rupto: 185
Hinc grandes Galli, et cum sistro lusca sacerdos,
Incussere deos inflantes corpora, si non
Prædictum ter mane caput gustaveris alli.
Dixeris hæc inter varicosos centuriones;
Continuo crassum ridet Vulfenius ingens, 190
Et centum Græcos curto centusse licetur.

SATIRA VI.—*Ad Cæsium Bassum.*

Admovit jam bruma foco te, Basse, Sabino?
Jamne lyra et tetrico vivunt tibi pectine chordæ?
Mire opifex numeris veterum primordia rerum,
Atque marem strepitum fidis intendisse Latinæ:
Mox juvenes agitare jocos et pollice honesto 5
Egregius lusisse senes. Mihi nunc Ligus ora
Intepet, hibernatque meum mare, qua latus ingens
Dant scopuli, et multa littus se valle receptat.
Lunai portum est operæ cognoscere, cives.
Cor jubet hoc Enni, postquam destertuit esse 10
Mænides Quintus pavone ex Pythagoreo.
Hic ego securus vulgi, et quid præparet Auster
Infelix pecori, securus et, angulus ille

Vicini nostro quia pinguior. Etsi adeo omnes
Ditescant orti pejoribus, usque recusem 15
Curvus ob id minui senio, aut cœnare sine uncto,
Et signum in vapida naso tetigisse lagena.
Discrepet his alius. Geminos, horoscope, varo
Producis genio. Solis natalibus est qui
Tingat olus siccum muria vafer in calice empta,
Ipse sacrum irrorans patinæ piper. Hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer. Utar ego, utar,
Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
Nec tenuem sollers turdarum nosse salivam.
Messe tenus propria vive, et granaria (fas est) 25
Emole. Quid metuas? occa, et seges altera in herba est.
Ast vocat officium: trabe rupta Bruttia saxa
Prendit amicus inops, remque omnem surdaque vota
Condidit Ionio: jacet ipse in littore, et una
Ingentes de puppe dei, jamque obvia mergis 30
Costa ratis laceræ. Nunc et de cespite vivo
Frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret
Cærulea in tabula. "Sed cœnam funeris hæres
Negliget iratus, quod rem curtaveris: urnæ
Ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum,
Seu ceraso peccent casiæ, nescire paratus. 36
Tune bona incolumis minuas?" Et Bestius urget
Doctores Graios: "Ita fit, postquam sapere urbi
Cum pipere et palmis venit vestrum hoc maris expers:
Fœnisecæ crasso vitiarunt unguine pultes." 40
Hæc cinere ulterior metuas? at tu, meus hæres
Quisquis eris, paullum a turba seductior audi.
O bone, num ignoras? missa est a Cæsare laurus
Insignem ob cladem Germanæ pubis, et aris
Frigidus excutitur cinis: ac jam postibus arma,
Jam chlamydes regum, jam lutea gausapa captis,
Essedaque, ingentesque locat Cæsonia Rhenos.
Dis igitur genioque ducis centum paria, ob res
Egregie gestas, induco. Quis vetat? aude. 49
Væ, nisi connives! oleum artocreasque popello
Largior. An prohibes? dic clare. Non adeo inquis.
Exossatus ager juxta est. Age, si mihi nulla
Jam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet patrui, sterilis matertera vixit, 54
Deque avia nihilum superest; adcedo Bovillas
Clivumque ad Virbi: præsto est mihi Manius heres. [quartus
"Progenies terræ!" Quære ex me, quis mihi
Sit pater: haud promte, dicam tamen. Adde etiam unum, 58
Unum etiam: terræ est jam filius. Et mihi ritu
Manius hic generis prope major avunculus exit.
Qui prior es, cur me in decursu lampada poscis?
Sum tibi Mercurius: venio deus huc ego, ut ille
Pingitur. An renuis? vin' tu gaudere relictis?
"Deest aliquid summæ." Minui mihi: sed tibi totum est, [mihi quondam
Quicquid id est. Ubi sit, fuge quærere, quod
Legarat Tadius. Nec dicta repone paterna: 66
Fœneris accedat merces: hinc exime sumptus.
"Quid reliquum est?" Reliquum? nunc nunc impensius unge,
Unge puer caules. Mihi festa luce coquatur
Urtica, et fissa fumosum sinciput aure, 70
Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,
Cum morosa vago singultiet inguine vena,
Patriciæ immeiat vulvæ? mihi trama figuræ
Sit reliqua; ast illi tremat omento popa venter?
Vende animam lucro: mercare, atque excute sollers 75
Omne latus mundi, ne sit præstantior alter
Cappadocas rigida pingues plausisse catasta.
Rem duplica. Feci: jam triplex, jam mihi quarto,
Jam decies redit in rugam. Depunge, ubi sistam.
Inventus, Chrysippe, tui finitor acerui. 80

D. JUNII JUVENALIS SATIRARUM

LIBER PRIMUS.

U. C. 795—875.

D. Junius Juvenalis, libertini locupletis sive filius sive alumnus, Aquino Volscorum oppido natus, mediam usque ætatem declamationi operam dedit, animi potius studio quam aut famæ aut rei inserviens. Satira in Paridem Domitiani histrionem scripta primum innotuit, haud tamen impune: quippe qui præfectura cohortis honoris specie ornatus in ultima Ægypti relegatus fuerit. Nerva principe reversus esse dicitur, sub Trajanoque satiras edidisse. Sed neque de hoc, neque omnino de reliqua ejus vitæ actione certi quicquam statuere possumus.

SATIRA I.

Semper ego auditor tantum? nunquamne repo-
Vexatus toties rauci Theseide Codri? [nam,
Impune ergo mihi recitaverit ille togatas,
Hic elegos? impune diem consumserit ingens
Telephus, aut summi plena jam margine libri 5
Scriptus et in tergo, necdum finitus Orestes?
Nota magis nulli domus est sua, quam mihi
Martis, et Æoliis vicinum rupibus antrum [lucus
Vulcani. Quid agant venti, quas torqueat umbras
Æacus, unde alius furtivæ devehat aurum 10
Pelliculæ, quantas jaculetur Monychus ornos,
Frontonis platani, convulsaque marmora clamant
Semper, et assiduo ruptæ lectore columnæ.
Exspectes eadem a summo minimoque poeta.
Et nos ergo manum ferulæ subduximus, et nos 15
Consilium dedimus Sullæ, privatus ut altum
Dormiret. Stulta est clementia, cum tot ubique
Vatibus occurras, perituræ parcere chartæ.
Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,
Per quem magnus equos Auruncæ flexit alumnus,
Si vacat, et placidi rationem admittitis, edam. 21
Cum tener uxorem ducat spado, Mævia Tuscum
Figat aprum, et nuda teneat venabula mamma;
Patricios omnes opibus cum provocet unus,
Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat;
Cum pars Niliacæ plebis, cum verna Canopi 26
Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas,
Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat majoris pondera gemmæ:
Difficile est, satiram non scribere. Nam quis
iniquæ 30
Tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat se,
Causidici nova cum veniat lectica Mathonis
Plena ipso? post hunc magni delator amici,
Et cito rapturus de nobilitate comesa, [palpat
Quod superest; quem Massa timet, quem munere
Carus, et a trepido Thymele submissa Latino? 36
Cum te submoveant, qui testamenta merentur
Noctibus, in cœlum quos evehit optima summi
Nunc via processus, vetulæ vesica beatæ?
Unciolam Proculeius habet, sed Gillo deuncem,
Partes quisque suas ad mensuram inguinis hæres.
Accipiat sane mercedem sanguinis, et sic
Palleat, ut nudis pressit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram. 44
Quid referam, quanta siccum jecur ardeat ira,
Cum populum gregibus comitum premit hic
spoliator
Pupilli prostantis? et hic damnatus inani
Judicio (quid enim salvis infamia nummis?)
Exsul ab octava Marius bibit, et fruitur dis
Iratis; at tu victrix provincia ploras? 50
Hæc ego non credam Venusina digna lucerna?
Hæc ego non agitem? Sed quid magis Heracleas
Aut Diomedeas, aut mugitum Labyrinthi,
Et mare percussum puero, fabrumque volantem?
Cum leno accipiat mœchi bona, si capiendi 55
Jus nullum uxori, doctus spectare lacunar,
Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso;
Cum fas esse putet curam sperare cohortis,
Qui bona donavit præsepibus, et caret omni
Majorum censu, dum pervolat axe citato 60
Flaminiam; (puer Automedon nam lora tenebat,
Ipse lacernatæ cum se jactaret amicæ)
Nonne libet medio ceras implere capaces
Quadrivio? cum jam sexta cervice feratur
Hinc atque inde patens, ac nuda pæne cathedra,
Et multum referens de Mecænate supino 66
Signator, falso qui se lautum atque beatum
Exiguis tabulis et gemma fecerat uda?
Occurrit matrona potens, quæ, molle Calenum
Porrectura, viro miscet sitiente rubetam, 70
Instituitque rudes melior Locusta propinquas
Per famam et populum nigros efferre maritos.
Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum,
Si vis esse aliquis: probitas laudatur et alget.
Criminibus debent hortos, prætoria, mensas, 75
Argentum vetus, et stantem extra pocula caprum.
Quem patitur dormire nurus corruptor avaræ,
Quem sponsæ turpes, et prætextatus adulter?
Si natura negat, facit indignatio versum,
Qualemcunque potest, quales ego vel Cluvienus.
Ex quo Deucalion, nimbis tollentibus æquor,
Navigio montem ascendit, sortesque poposcit,
Paullatimque anima caluerunt mollia saxa,
Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas, [luptas,
Quicquid agunt homines, votum, timor, ira, vo-
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli. 86
Et quando uberior vitiorum copia? quando
Major avaritiæ patuit sinus? alea quando [itur
Hos animos? Neque enim loculis comitantibus
Ad casum tabulæ, posita sed luditur arca. 90

Prœlia quanta illic dispensatore videbis
Armigero! Simplexne furor, sestertia centum
Perdere, et horrenti tunicam non reddere servo?
Quis totidem erexit villas? quis fercula septem
Secreto cœnavit avus? Nunc sportula primo 95
Limine parva sedet, turbæ rapienda togatæ.
Ille tamen faciem prius inspicit, et trepidat, ne
Suppositus venias, ac falso nomine poscas.
Agnitus accipies. Jubet a præcone vocari
Ipsos Trojugenas: nam vexant limen et ipsi 100
Nobiscum. Da prætori, da deinde tribuno!
Sed libertinus prior est. Prior, inquit, ego adsum.
Cur timeam dubitemve locum defendere, quamvis
Natus ad Euphraten, molles quod in aure fenestræ
Arguerint, licet ipse negem? Sed quinque tabernæ 105
Quadringenta parant. Quid confert purpura major
Optandum, si Laurenti custodit in agro
Conductas Corvinus oves? Ego possideo plus
Pallante et Licinis. Exspectent ergo tribuni;
Vincant divitiæ: sacro nec cedat honori, 110
Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis;
Quandoquidem inter nos sanctissima Divitiarum
Majestas: etsi funesta Pecunia templo
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras,
Ut colitur Pax atque Fides, Victoria, Virtus, 115
Quæque salutato crepitat Concordia nido.
Sed cum summus honor finito computet anno,
Sportula quid referat, quantum rationibus addat;
Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc est,
Et panis fumusque domi? Densissima centum 120
Quadrantes lectica petit, sequiturque maritum
Languida vel prægnans et circumducitur uxor.
Hic petit absenti, nota jam callidus arte,
Ostendens vacuam et clausam pro conjuge sellam.
Galla mea est, inquit. Citius dimitte. Moraris?
Profer, Galla, caput. Noli vexare, quiescit. 126
Ipse dies pulcro distinguitur ordine rerum:
Sportula, deinde forum jurisque peritus Apollo,
Atque triumphales, inter quas ausus habere
Nescio quis titulos Ægyptius atque Alabarches,
Cujus ad effigiem non tantum meiere fas est. 131
Vestibulis abeunt veteres lassique clientes,
Votaque deponunt, quanquam longissima cœnæ
Spes homini. Caules miseris atque ignis emendus.
Optima sylvarum interea pelagique vorabit 135
Rex horum, vacuisque toris tantum ipse jacebit.
Nam de tot pulcris et latis orbibus et tam
Antiquis una comedunt patrimonia mensa.
Nullus jam parasitus erit! Sed quis ferat istas
Luxuriæ sordes? Quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum? 141
Pœna tamen præsens, cum tu deponis amictus
Turgidus, et crudum pavonem in balnea portas.
Hinc subitæ mortes atque intestata senectus.
It nova nec tristis per cunctas fabula cœnas: 145
Ducitur iratis plaudendum funus amicis.
Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat
Posteritas: eadem cupient facientque minores.
Omne in præcipiti vitium stetit. Utere velis;
Totos pande sinus. Dicas hic forsitan, unde 150
Ingenium par materiæ? unde illa priorum
Scribendi, quodcunque animo flagrante liberet,
Simplicitas, cujus non audeo dicere nomen?
Quid refert dictis ignoscat Mucius, an non?
Pone Tigellinum: tæda lucebis in illa, 155
Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant,
Et latum media sulcum diducis arena.
Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur
Pensilibus plumis, atque illinc despiciat nos?
Cum veniet contra, digito compesce labellum.
Accusator erit, qui verbum dixerit, hic est. 161
Securus licet Æneam Rutulumque ferocem
Committas: nulli gravis est percussus Achilles
Aut multum quæsitus Hylas urnamque secutus.
Ense velut stricto quoties Lucilius ardens 165
Infremuit, rubet auditor, cui frigida mens est
Criminibus: tacita sudant præcordia culpa.
Inde iræ et lacrymæ. Tecum prius ergo voluta
Hæc animo ante tubas. Galeatum sero duelli
Pœnitet. Experiar, quid concedatur in illos, 170
Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.

SATIRA II.

Ultra Sauromatas fugere hinc libet et glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt.
Indocti primum; quanquam plena omnia gypso
Chrysippi invenias. Nam perfectissimus horum est, 5
Si quis Aristotelem similem vel Pittacon emit,
Et jubet archetypos pluteum servare Cleanthas.
Fronti nulla fides. Quis enim non vicus abundat
Tristibus obscœnis? Castigas turpia, cum sis
Inter Socraticos notissima fossa cinædos. 10
Hispida membra quidem et duræ per brachia setæ
Promittunt atrocem animum; sed podice lævi
Cæduntur tumidæ, medico ridente, mariscæ.
Rarus sermo illis, et magna lubido tacendi,
Atque supercilio bevior coma. Verius ergo 15
Et magis ingenue Peribomius. Hunc ego fatis
Imputo, qui vultu morbum incessuque fatetur.
Horum simplicitas miserabilis; his furor ipse
Dat veniam: sed pejores, qui talia verbis
Herculis invadunt, et de virtute locuti 20
Clunem agitant. Ego te ceventem, Sexte, verebor?
Infamis Varillus ait. Quo deterior te?
Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.
Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
Quis cœlum terris non misceat et mare cœlo, 25
Si fur displiceat Verri, homicida Miloni?
Clodius accuset mœchos, Catilina Cethegum?
In tabulam Sullæ si dicant discipuli tres?
Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
Concubitu, qui tunc leges revocabat amaras 30
Omnibus, atque ipsis Veneri Martique timendas,
Cum tot abortivis fecundam Julia vulvam
Solveret, et patruo similes effunderet offas.
Nonne igitur jure ac merito vitia ultima fictos
Contemnunt Scauros, et castigata remordent? 35
Non tulit ex illis torvum Lauronia quendam
Clamantem toties: Ubi nunc lex Julia? dormis?
Ad quem subridens: Felicia tempora, quæ te
Moribus opponunt! Habeat jam Roma pudorem!
Tertius e cœlo cecidit Cato. Sed tamen unde 40
Hæc emis, hirsuto spirant opobalsama collo
Quæ tibi? Ne pudeat dominum monstrare taber-
Quod si vexantur leges ac jura, citari [næ.
Ante omnes debet Scantinia. Respice primum
Et scrutare viros: faciunt hi plura; sed illos 45
Defendit numerus junctæque umbone phalanges.
Magna inter molles concordia. Non erit ullum
Exemplum in nostro tam detestabile sexu.
Tædia non lambit Cluviam, nec Flora Catullam:
Hispo subit juvenes, et morbo pallet utroque. 50
Numquid nos agimus causas? civilia jura
Novimus? aut ullo strepitu fora vestra movemus?
Luctantur paucæ: comedunt coliphia paucæ.
Vos lanam trahitis, calathisque peracta refertis

Vellera: vos tenui prægnantem stamine fusum 55
Penelope melius, levius torquetis Arachne,
Horrida quale facit residens in codice pellex.
Notum est, cur solo tabulas impleverit Hister
Liberto, dederit vivus cur multa puellæ.
Dives erit, magno quæ dormit tertia lecto. 60
Tu nube atque tace: donant arcana cylindros.
De nobis post hæc tristis sententia fertur:
Dat veniam corvis, vexat censura columbas.
Fugerunt trepidi vera ac manifesta canentem
Stoicidæ. Quid enim falsi Lauronia? Sed quid 65
Non facient alii, quum tu multicia sumas,
Cretice, et hanc vestem populo mirante perores
In Proculas et Pollitas? Est mœcha Labulla:
Damnetur, si vis, etiam Carfinia. Talem
Non sumet damnata togam. Sed Julius ardet; 70
Æstuo. Nudus agas! Minus est insania turpis.
En habitum, quo te leges ac jura ferentem
Vulneribus crudis populus modo victor et illud
Montanum positis audiret vulgus aratris.
Quid non proclames, in corpore judicis ista 75
Si videas? Quæro, an deceant multicia testem?
Acer et indomitus libertatisque magister,
Cretice, perluces. Dedit hanc contagio labem
Et dabit in plures; sicut grex totus in agris
Unius scabie cadit et porrigine porci, 80
Uvaque conspecta livorem ducit ab uva.
Fœdius hoc aliquid quandoque audebis amictu.
Nemo repente venit turpissimus. Accipient te
Paulatim, qui longa domi redimicula sumunt
Frontibus, et toto posuere monilia collo, 85
Atque Bonam teneræ placant abdomine porcæ
Et magno cratere deam. Sed more sinistro
Exagitata procul non intrat fœmina limen.
Solis ara deæ maribus patet. Ite profanæ,
Clamatur: nullo gemit hic tibicina cornu. 90
Talia secreta coluerunt Orgia tæda
Cecropiam soliti Baptæ lassare Cotytto.
Ille supercilium madida fuligine tactum
Obliqua producit acu, pingitque trementes
Attollens oculos: vitreo bibit ille Priapo, 95
Reticulumque comis auratum ingentibus implet,
Cærulea indutus scutulata aut galbana rasa,
Et per Junonem domini jurante ministro.
Ille tenet speculum, pathici gestamen Othonis,
Actoris Aurunci spolium, quo se ille videbat 100
Armatum, cum jam tolli vexilla juberet.
Res memoranda novis annalibus atque recenti
Historia, speculum civilis sarcina belli.
Nimirum summi ducis est, occidere Galbam
Et curare cutem; summi constantia civis, 105
Bebriaci campo spolium affectare Palati,
Et pressum in faciem digitis extendere panem:
Quod nec in Assyrio pharetrata Semiramis orbe,
Mæsta nec Actiaca fecit Cleopatra carina.
Hic nullus verbis pudor aut reverentia mensæ. 110
Hic turpis Cybeles et fracta voce loquendi
Libertas, et crine senex fanaticus albo
Sacrorum antistes, rarum ac memorabile magni
Gutturis exemplum conducendusque magister.
Quid tamen exspectant, Phrygio quos tempus erat jam 115
More supervacuam cultris abrumpere carnem?
Quadringenta dedit Gracchus sestertia dotem
Cornicini, sive hic recto cantaverat ære.
Signatæ tabulæ: dictum Feliciter! ingens
Cœna sedet: gremio jacuit nova nupta mariti. 120
O proceres, censore opus est, an haruspice nobis?
Scilicet horreres majoraque monstra putares,
Si mulier vitulum, vel si bos ederet agnum?
Segmenta et longos habitus et flammea sumit,
Arcano qui sacra ferens nutantia loro 125
Sudavit clypeis ancilibus. O pater Urbis,
Unde nefas tantum Latiis pastoribus? unde
Hæc tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes?
Traditur ecce viro clarus genere atque opibus vir.
Nec galeam quassas, nec terram cuspide pulsas, 130
Nec quereris patri? Vade ergo et cede severi
Jugeribus Campi, quem negligis! Officium cras
Primo sole mihi peragendum in valle Quirini.
Quæ causa officii! Quid quæris? Nubit amicus,
Nec multos adhibet. Liceat modo vivere; fient,
Fient ista palam, cupient et in acta referri. 136
Interea tormentum ingens nubentibus hæret,
Quod nequeunt parere et partu retinere maritos.
Sed melius, quod nil animis in corpora juris
Natura indulget. Steriles morientur, et illis 140
Turgida non prodest condita pyxide Lyde,
Nec prodest agili palmas præbere Luperco.
Vicit et hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi
Lustravitque fuga mediam gladiator arenam
Et Capitolinis generosior, et Marcellis, 145
Et Catulis, Paullique minoribus, et Fabiis, et
Omnibus ad podium spectantibus. His licet ipsum
Admoveas, cujus tunc munere retia misit.
Esse aliquid Manes, et subterranea regna,
Et contum, et Stygio ranas in gurgite nigras, 150
Atque una transire vadum tot millia cymba,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur.
Sed tu vera puta: Curius quid sentit et ambo
Scipiadæ, quid Fabricius Manesque Camilli, 154
Quid Cremeræ legio et Cannis consumta juventus,
Tot bellorum animæ, quoties hinc talis ad illos
Umbra venit? Cuperent lustrari, si qua darentur
Sulfura cum tædis, et si foret humida laurus.
Illuc heu miseri traducimur: arma quidem ultra
Littora Juvenæ promovimus, et modo captas 160
Orcadas, ac minima contentos nocte Britannos:
Sed quæ nunc populi fiunt victoris in urbe,
Non faciunt illi, quos vicimus. Et tamen unus
Armenius Zalates cunctis narratur ephebis
Mollior ardenti sese indulsisse tribuno. 165
Adspice, quid faciant commercia: venerat obses.
Hic fiunt homines. Nam si mora longior Urbem
Indulsit pueris, non unquam deerit amator:
Mittentur braccæ, cultelli, frena, flagellum.
Sic prætextatos referunt Artaxata mores. 170

SATIRA III.

Quamvis digressu veteris confusus amici,
Laudo tamen, vacuis quod sedem figere Cumis
Destinet, atque unum civem donare Sibyllæ.
Janua Baiarum est, et gratum littus amœni
Secessus. Ego vel Prochytam præpono Suburræ.
Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, ut [non
Deterius credas horrere incendia, lapsus
Tectorum assiduos, ac mille pericula sævæ
Urbis, et Augusto recitantes mense poetas?
Sed dum tota domus rheda componitur una, 10
Substitit ad veteres arcus madidamque Capenam.
Hic, ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ,
Nunc sacri fontis nemus et delubra locantur
Judæis, quorum cophinus fœnumque supellex,
(Omnis enim populo mercedem pendere jussa est
Arbor, et ejectis mendicat sylva Camœnis) 16
In vallem Egeriæ descendimus, et speluncas
Dissimiles veris. Quanto præstantius esset
Numen aquæ, viridi si margine clauderet undas
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum? 20

c tunc Umbricius, Quando artibus, inquit, honestis
Nullus in Urbe locus, nulla emolumenta laborum,
Res hodie minor est here quam fuit, atque eadem
Deteret exiguis aliquid; proponimus illuc [cras
Ire, fatigatas ubi Dædalus exuit alas, 25
Dum nova canities, dum prima et recta senectus,
Dum superest Lachesi, quod torqueat, et pedibus
Porto meis, nullo dextram subeunte bacillo. [me
Cedamus patria: vivant Artorius istic [tunt,
Et Catulus: maneant, qui nigrum in candida ver-
Quis facile est ædem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver,
Et præbere caput domina venale sub hasta.
Quondam hi cornicines, et municipalis arenæ
Perpetui comites, notæque per oppida buccæ, 35
Munera nunc edunt, et verso pollice vulgi
Quemlibet occidunt popularitер: inde reversi
Conducunt foricas; et cur non omnia? cum sint,
Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit Fortuna jocari. 40
Quid Romæ faciam? Mentiri nescio: librum,
Si malus est, nequeo laudare et poscere: motus
Astrorum ignoro: funus promittere patris
Nec volo, nec possum: ranarum viscera nunquam
Inspexi: ferre ad nuptam, quæ mittit adulter, 45
Quæ mandat, norunt alii: me nemo ministro
Fur erit: atque ideo nulli comes exeo, tanquam
Mancus, et exstinctæ corpus non utile dextræ.
Quis nunc diligitur, nisi conscius, et cui fervens
Æstuat occultis animus semperque tacendis? 50
Nil tibi se debere putat, nil conferet unquam,
Participem qui te secreti fecit honesti.
Carus erit Verri, qui Verrem tempore, quo vult,
Accusare potest. Tanti tibi non sit opaci
Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur aurum, 55
Ut somno careas, ponendaque præmia sumas
Tristis, et a magno semper timearis amico.
Quæ nunc divitibus gens acceptissima nostris,
Et quos præcipue fugiam, properabo fateri, 59
Nec pudor obstabit. Non possum ferre, Quirites,
Græcam urbem: quamvis quota portio fæcis Achææ?
Jam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam, et mores, et cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana secum
Vexit, et ad Circum jussas prostare puellas. 65
Ite, quibus grata est picta lupa barbara mitra.
Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine,
Et ceromatico fert niceteria collo.
Hic alta Sicyone, ast hic Amydone relicta,
Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis,
Esquilias dictumque petunt a vimine collem, 71
Viscera magnarum domuum dominique futuri.
Ingenium velox, audacia perdita, sermo
Promtus, et Isæo torrentior. Ede, quid illum
Esse putes? quemvis hominem, secum attulit ad nos: 75
Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,
Augur, schœnobates, medicus, magus: omnia novit.
Græculus esuriens in cœlum, jusseris, ibit.
Ad summam, non Maurus erat neque Sarmata nec Thrax,
Qui sumsit pennas, mediis sed natus Athenis. 80
Horum ego non fugiam conchylia? Me prior ille
Signabit? fultusque toro meliore recumbet
Advectus Romam, quo pruna et cottana vento?
Usque adeo nihil est, quod nostra infantia cœlum
Hausit Aventinum, bacca nutrita Sabina? 85
Quid, quod adulandi gens prudentissima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum invalidi collum cervicibus æquat
Herculis, Antæum procul a tellure tenentis?
Miratur vocem angustam, qua deterius nec 90
Ille sonat, quo mordetur gallina marito.
Hæc eadem licet et nobis laudare: sed illis
Creditur. An melior, cum Thaida sustinet, aut
Uxorem comœdus agit, vel Dorida nullo [cum
Cultam palliolo? Mulier nempe ipsa videtur, 95
Non persona loqui: vacua et plana omnia dicas
Infra ventriculum, et tenui distantia rima.
Nec tamen Antiochus, nec erit mirabilis illic
Aut Stratocles, aut cum molli Demetrius Hæmo.
Natio comœda est. Rides? meliore cachinno 100
Concutitur: flet, si lacrumas conspexit amici,
Nec dolet: igniculum brumæ si tempore poscas,
Accipit endromidem: si dixeris, Æstuo, sudat.
Non sumus ergo pares: melior, qui semper et omni
Nocte dieque potest alienum sumere vultum, 105
A facie jactare manus, laudare paratus,
Si bene ructavit, si rectum minxit amicus,
Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.
Præterea sanctum nihil est et ab inguine tutum;
Non matrona laris, non filia virgo, neque ipse 110
Sponsus lævis adhuc, non filius ante pudicus.
Horum si nihil est, aviam resupinat amici.
Scire volunt secreta domus, atque inde timeri.
Et quoniam cœpit Græcorum mentio, transi
Gymnasia, atque audi facinus majoris abollæ. 115
Stoicus occidit Baream, delator amicum
Discipulumque senex, ripa nutritus in illa,
Ad quam Gorgonei delapsa est penna caballi.
Non est Romano cuiquam locus hic, ubi regnat
Protogenes aliquis vel Diphilus aut Erimarchus,
Qui gentis vitio nunquam partitur amicum, 121
Solus habet. Nam cum facilem stillavit in aurem
Exiguum de naturæ patriæque veneno,
Limine submoveor: perierunt tempora longi
Servitii. Nusquam minor est jactura clientis. 125
Quod porro officium, ne nobis blandiar, aut quod
Pauperis hic meritum, si curet nocte togatus
Currere, cum prætor lictorem impellat, et ire
Præcipitem jubeat, dudum vigilantibus orbis,
Ne prior Albinam et Modiam collega salutet? 130
Divitis hic servi claudit latus ingenuorum
Filius: alter enim, quantum in legione tribuni
Accipiunt, donat Calvinæ vel Catienæ,
Ut semel atque iterum super illam palpitet: at tu,
Cum tibi vestiti facies scorti placet, hæres, 135
Et dubitas alta Chionen deducere sella.
Da testem Romæ tam sanctum, quam fuit hospes
Numinis Idæi: procedat vel Numa, vel qui
Servavit trepidam flagranti ex æde Minervam;
Protinus ad censum, de moribus ultima fiet 140
Quæstio. Quot pascit servos? quot possidet agri
Jugera? quam multa magnaque paropside cœnat?
Quantum quisque sua nummorum servat in arca,
Tantum habet et fidei. Jures licet et Samothracum
Et nostrorum aras; contemnere fulmina pauper
Creditur atque deos, dis ignoscentibus ipsis. 146
Quid, quod materiam præbet causasque jocorum
Omnibus hic idem, si fœda et scissa lacerna,
Si toga sordidula est, et rupta calceus alter
Pelle patet; vel si consuto vulnere crassum 150
Atque recens linum ostendit non una cicatrix?
Nil habet infelix paupertas durius in se, [quit,
Quam quod ridiculos homines facit. Exeat, in-

Si pudor est, et de pulvino surgat equestri,
Cujus res legi non sufficit, et sedeant hic 155
Lenonum pueri quocunque in fornice nati,
Hic plaudat nitidi præconis filius inter
Pinnirapi cultos juvenes juvenesque lanistæ
Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni 159
Quis gener hic placuit censu minor, atque puellæ
Sarcinulis impar? quis pauper scribitur hæres?
Quando in consilio est ædilibus? Agmine facto
Debuerant olim tenues migrasse Quirites.
Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi; sed Romæ durior illis 165
Conatus: magno hospitium miserabile, magno
Servorum ventres, et frugi cœnula magno.
Fictilibus cœnare pudet, quod turpe negavit
Translatus subito ad Marsos mensamque Sabellam,
Contentusque illic veneto duroque culullo. 170
Pars magna Italiæ est, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit, nisi mortuus. Ipsa dierum
Festorum herboso colitur si quando theatro
Majestas, tandemque redit ad pulpita notum
Exodium, cum personæ pallentis hiatum 175
In gremio matris formidat rusticus infans;
Æquales habitus illic, similesque videbis
Orchestram et populum: clari velamen honoris
Sufficiunt tunicæ summis ædilibus albæ. 179
Hic ultra vires habitus nitor: hic aliquid plus,
Quam satis est, interdum aliena sumitur arca.
Commune id vitium est. Hic vivimus ambitiosa
Paupertate omnes. Quid te moror? Omnia Romæ
Cum pretio. Quid das, ut Cossum aliquando salutes?
Ut te respiciat clauso Veiento labello? 185
Ille metit barbam, crinem hic deponit amati.
Plena domus libis venalibus. Accipe et istud
Fermentum tibi habe: præstare tributa clientes
Cogimur et, cultis augere peculia servis.
Quis timet aut timuit gelida Præneste ruinam,
Aut positis nemorosa inter juga Volsiniis, aut
Simplicibus Gabiis, aut proni Tiburis arce?
Nos urbem colimus tenui tibicine fultam
Magna parte sui. Nam sic labentibus obstat
Villicus, et, veteris rimæ cum texit hiatum, 195
Securos pendente jubet dormire ruina.
Vivendum est illic, ubi nulla incendia, nulli
Nocte metus. Jam poscit aquam, jam frivola transfert
Ucalegon; tabulata tibi jam tertia fumant:
Tu nescis. Nam si gradibus trepidatur ab imis,
Ultimus ardebit, quem tegula sola tuetur 201
A pluvia, molles ubi reddunt ova columbæ.
Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex,
Ornamentum abaci, nec non et parvulus infra
Cantharus, et recubans sub eodem marmore Chiron; 205
Jamque vetus Græcos servabat cista libellos,
Et divina opici rodebant carmina mures.
Nil habuit Codrus: quis enim negat? et tamen illud
Perdidit infelix totum nihil: ultimus autem
Ærumnæ cumulus, quod nudum et frusta rogantem 210
Nemo cibo, nemo hospitio tectoque juvabit.
Si magna Asturii cecidit domus; horrida mater,
Pullati proceres, differt vadimonia prætor.
Tunc gemimus casus Urbis, tunc odimus ignem.
Ardet adhuc, et jam occurrit, qui marmora donet,
Conferat impensas. Hic nuda et candida signa,
Hic aliquid præclarum Euphranoris et Polycleti,
Hæc Asianorum vetera ornamenta deorum.
Hic libros dabit et forulos mediamque Minervam,
Hic modium argenti. Meliora ac plura reponit 220
Persicus, orborum lautissimus, et merito jam
Suspectus, tanquam ipse suas incenderit ædes.
Si potes avelli Circensibus, optima Soræ,
Aut Fabrateriæ domus, aut Frusinone paratur,
Quanti nunc tenebras unum conducis in annum. 225
Hortulus, hic puteusque brevis, nec reste movendus,
In tenues plantas facili diffunditur haustu.
Vive bidentis amans, et culti villicus horti,
Unde epulum possis centum dare Pythagoreis.
Est aliquid, quocunque loco, quocunque recessu,
Unius sese dominum fecisse lacertæ. 231
Plurimus hic æger moritur vigilando; sed illum
Languorem peperit cibus imperfectus, et hærens
Ardenti stomacho. Nam quæ meritoria somnum
Admittant? Magnis opibus dormitur in Urbe: 235
Inde caput morbi. Rhedarum transitus arcto
Vicorum in flexu, et stantis convicia mandræ
Eripient somnum Druso vitulisque marinis.
Si vocat officium, turba cedente vehetur
Dives, et ingenti curret super ora Liburno, 240
Atque obiter leget, aut scribet, vel dormiet intus.
Namque facit somnum clausa lectica fenestra.
Ante tamen veniet: nobis properantibus obstat
Unda prior: magno populus premit agmine lumbos, 244
Qui sequitur. Ferit hic cubito, ferit assere duro
Alter; at hic tignum capiti incutit, ille metretam.
Pinguia crura luto: planta mox undique magna
Calcor, et in digito clavus mihi militis hæret.
Nonne vides, quanto celebretur sportula fumo?
Centum convivæ: sequitur sua quemque culina.
Corbulo vix ferret tot vasa ingentia, tot res 251
Impositas capiti, quas recto vertice portat
Servulus infelix, et cursu ventilat ignem.
Scinduntur tunicæ sartæ: modo longa coruscat
Sarraco veniente abies, atque altera pinum 255
Plaustra vehunt, nutant altæ populoque minantur.
Nam si procubuit, qui saxa Ligustica portat
Axis, et eversum fudit super agmina montem,
Quid superest de corporibus? quis membra, quis ossa
Invenit? Obtritum vulgi perit omne cadaver 260
More animæ. Domus interea secura patellas
Jam lavat, et bucca foculum excitat, et sonat unctis
Striglibus, et pleno componit lintea gutto.
Hæc inter pueros varie properantur: at ille
Jam sedet in ripa, tetrumque novicius horret 26
Porthmea, nec sperat cœnosi gurgitis alnum
Infelix, nec habet, quem porrigat, ore trientem.
Respice nunc alia ac diversa pericula noctis:
Quod spatium tectis sublimibus, unde cerebrum
Testa ferit, quoties rimosa et curta fenestris 270
Vasa cadant; quanto percussum pondere signent
Et lædant silicem. Possis ignavus haberi
Et subiti casus improvidus, ad cœnam si
Intestatus eas. Adeo tot fata, quot illa
Nocte patent vigiles, te prætereunte, fenestræ. 275
Ergo optes votumque feras miserabile tecum,
Ut sint contentæ patulas defundere pelves.
Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit,
Dat pœnas, noctem patitur lugentis amicum
Pelidæ, cubat in faciem, mox deinde supinus. 280
Ergo non aliter poterit dormire? Quibusdam
Somnum rixa facit: sed quamvis improbus annis
Atque mero fervens, cavet hunc, quem coccina læna
Vitari jubet, et comitum longissimus ordo,
Multum præterea flammarum et aenea lampas. 285

Me, quem luna solet deducere, vel breve lumen
Candelæ, cujus dispenso et tempero filum,
Contemnit. Miseræ cognosce proœmia rixæ,
Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.
Stat contra starique jubet; parere necesse est. 290
Nam quid agas, cum te furiosus cogat et idem
Fortior? Unde venis? exclamat: cujus aceto,
Cujus conche tumes? quis tecum sectile porrum
Sutor et elixi vervecis labra comedit? 294
Nil mihi respondes? Aut dic, aut accipe calcem.
Ede, ubi consistas, in qua te quæro proseucha?
Dicere si tentes aliquid tacitusve recedas,
Tantundem est; feriunt pariter: vadimonia deinde
Irati faciunt. Libertas pauperis hæc est:
Pulsatus rogat, et pugnis concisus adorat, 300
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti. [te
Nec tamen hæc tantum metuas: nam qui spoliet
Non deerit, clausis domibus postquam omnis
Fixa catenatæ siluit compago tabernæ. [ubique
Interdum et ferro subitus grassator agit rem, 305
Armato quoties tutæ custode tenentur
Et Pomtina palus et Gallinaria pinus.
Sic inde huc omnes, tanquam ad vivaria, currunt.
Qua fornace graves, qua non incude catenæ?
Maximus in vinclis ferri modus, ut timeas, ne 310
Vomer deficiat, ne marræ et sarcula desint.
Felices proavorum atavos, felicia dicas
Sæcula, quæ quondam sub regibus atque tribunis
Viderunt uno contentam carcere Romam. 314
His alias poteram et plures subnectere causas:
Sed jumenta vocant, et sol inclinat: eundum est.
Nam mihi commota jam dudum mulio virga
Annuit. Ergo vale, nostri memor: et, quoties te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino,
Me quoque ad Helvinam Cererem vestramque
Dianam 320
Convelle a Cumis. Satirarum ego, ni pudet illas,
Adjutor gelidos veniam caligatus in agros.

SATIRA IV.

Ecce iterum Crispinus, et est mihi sæpe vocandus
Ad partes, monstrum nulla virtute redemtum
A vitiis, æger solaque libidine fortis:
Delicias viduæ tantum aspernatur adulter.
Quid refert igitur, quantis jumenta fatiget 5
Porticibus? quanta nemorum vectetur in umbra?
Jugera quot vicina foro, quas emerit ædes?
Nemo malus felix; minime corruptor et idem
Incestus, cum quo nuper vittata jacebat
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos. 10
Sed nunc de factis levioribus; et tamen alter
Si fecisset idem, caderet sub judice morum.
Nam quod turpe bonis, Titio Seioque, decebat
Crispinum. Quid agas, cum dira et fœdior omni
Crimine persona est? Mullum sex millibus emit,
Æquantem sane paribus sestertia libris, 16
Ut perhibent, qui de magnis majora loquuntur.
Consilium laudo artificis, si munere tanto
Præcipuam in tabulis ceram senis abstulit orbi.
Est ratio ulterior, magnæ si misit amicæ, 20
Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.
Nil tale exspectes: emit sibi. Multa videmus,
Quæ miser et frugi non fecit Apicius. Hoc tu
Succinctus patria quondam, Crispine, papyro?
Hoc pretio squamæ? Potuit fortasse minoris 25
Piscator, quam piscis, emi. Provincia tanti
Vendit agros; sed majores Appulia vendit.
Quales tunc epulas ipsum glutisse putemus
Endoperatorem, cum tot sestertia, partem
Exiguam et modicæ sumtam de margine cœnæ, 30
Purpureus magni ructarit scurra Palati,
Jam princeps equitum, magna qui voce solebat
Vendere municipes fricta de merce siluros?
Incipe, Calliope, licet et considere: non est
Cantandum, res vera agitur. Narrate, puellæ 35
Pierides: prosit mihi, vos dixisse puellas. [bem
Cum jam semianimum laceraret Flavius or-
Ultimus, et calvo serviret Roma Neroni;
Incidit Adriaci spatium admirabile rhombi
Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet An-
con, [illis,
Implevitque sinus: neque enim minor hæserat
Quos operit glacies Mæotica, ruptaque tandem
Solibus effundit torpentis ad ostia Ponti
Desidia tardos et longo frigore pingues.
Destinat hoc monstrum cymbæ linique magister 45
Pontifici summo. Quis enim proponere talem
Aut emere auderet, cum plena et littora multo
Delatore forent? Dispersi protenus algæ
Inquisitores agerent cum remige nudo,
Non dubitaturi fugitivum dicere piscem 50
Depastumque diu vivaria Cæsaris, inde
Elapsum, veterem ad dominum debere reverti.
Si quid Palfurio, si credimus Armillato, [toto,
Quicquid conspicuum pulcrumque est æquore
Res fisci est, ubicunque natat. Donabitur ergo, 55
Ne pereat. Jam letifero cedente pruinis
Auctumno, jam quartanam sperantibus ægris,
Stridebat deformis hyems, prædamque recentem
Servabat: tamen hic properat, velut urgeat Auster
Utque lacus suberant, ubi, quanquam diruta,
servat 60
Ignem Trojanum et Vestam colit Alba minorem,
Obstitit intranti miratrix turba parumper.
Ut cessit, facili patuerunt cardine valvæ.
Exclusi spectant admissa opsonia patres.
Itur ad Atridem. Tum Picens, Accipe, dixit, 65
Privatis majora focis: genialis agatur
Iste dies, propera stomachum laxare saginis,
Et tua servatum consume in sæcula rhombum.
Ipse capi voluit. Quid apertius? et tamen illi
Surgebant cristæ. Nihil est, quod credere de se 70
Non possit, cum laudatur, dis æqua potestas.
Sed deerat pisci patinæ mensura. Vocantur
Ergo in consilium proceres, quos oderat ille;
In quorum facie miseræ magnæque sedebat
Pallor amicitiæ. Primus, clamante Liburno. 75
"Currite, jam sedit," rapta properabat abolla
Pegasus, attonitæ positus modo villicus Urbi.
Anne aliud tunc præfecti? quorum optimus, atque
Interpres legum sanctissimus, omnia, quanquam
Temporibus diris, tractanda putabat inermi 80
Justitia. Venit et Crispi jucunda senectus,
Cujus erant mores, qualis facundia, mite
Ingenium. Maria ac terras populosque regenti
Quis comes utilior, si clade et peste sub illa
Sævitia damnare et honestum afferre liceret 85
Consilium? Sed quid violentius aure tyranni,
Cum quo de pluviis aut æstibus aut nimboso
Vere locuturi fatum pendebat amici?
Ille igitur nunquam direxit brachia contra
Torrentem, nec civis erat, qui libera posset 90
Verba animi proferre, et vitam impendere vero.
Sic multas hiemes atque octogesima vidit
Solstitia, his armis illa quoque tutus in aula.
Proximus ejusdem properabat Acilius ævi,
Cum juvene, indigno quem mors tam sæva ma-
neret, 95
Et Domini gladiis tam festinata: sed olim
Prodigio par est in nobilitate senectus

Unde fit, ut malim fraterculus esse gigantis.
Profuit ergo nihil misero, quod cominus ursos
Figebat Numidas, Albana nudus arena 100
Venator. Quis enim jam non intelligat artes
Patricias? quis priscum illud miretur acumen,
Brute, tuum? Facile est barbato imponere regi.
Nec melior vultu, quamvis ignobilis, ibat
Rubrius, offensæ veteris reus atque tacendæ, 105
Et tamen improbior satiram scribente cinædo.
Montani quoque venter adest abdomine tardus,
Et matutino sudans Crispinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera; sævior illo
Pompeius tenui jugulos aperire susurro, 110
Et, qui vulturibus servabat viscera Dacis,
Fuscus, marmorea meditatus prœlia villa,
Et cum mortifero prudens Veiento Catullo,
Qui nunquam visæ flagrabat amore puellæ,
Grande et conspicuum nostro quoque tempore monstrum: 115
Cæcus adulator dirusque a ponte satelles,
Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes,
Blandaque devexæ jactaret basia rhedæ.
Nemo magis rhombum stupuit: nam plurima dixit
In lævam conversus; at illi dextra jacebat 120
Bellua. Sic pugnas Cilicis laudabat et ictus,
Et pegma, et pueros inde ad velaria raptos.
Non cedit Veiento, sed, ut fanaticus, œstro
Percussus, Bellona, tuo divinat, et, Ingens
Omen habes, inquit, magni clarique triumphi: 125
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Arviragus: peregrina est bellua: cernis
Erectas in terga sudes? Hoc defuit unum
Fabricio, patriam ut rhombi memoraret et annos.
Quidnam igitur censes? conciditur? Absit ab illo
Dedecus hoc, Montanus ait. Testa alta paretur,
Quæ tenui muro spatiosum colligat orbem.
Debetur magnus patinæ subitusque Prometheus.
Argillam atque rotam citius properate; sed ex hoc
Tempore jam, Cæsar, figuli tua castra sequantur.
Vicit digna viro sententia. Noverat ille 136
Luxuriam imperii veterem, noctesque Neronis
Jam medias, aliamque famem, cum pulmo Falerno
Arderet. Nulli major fuit usus edendi
Tempestate mea. Circeiis nata forent, an 140
Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo
Ostrea, callebat primo deprendere morsu;
Et semel adspecti littus dicebat echini.
Surgitur, et misso proceres exire jubentur
Concilio, quos Albanam dux magnus in arcem
Traxerat attonitos et festinare coactos, 146
Tanquam de Cattis aliquid torvisque Sygambris
Dicturus, tanquam et diversis partibus orbis
Anxia præcipiti venisset epistola penna.
Atque utinam his potius nugis tota ille dedisset
Tempora sævitiæ, claras quibus abstulit Urbi 151
Illustresque animas impune et vindice nullo!
Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus
Cœperat. Hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.

SATIRA V.

Si te propositi nondum pudet, atque eadem est mens,
Ut bona summa putes, aliena vivere quadra;
Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas
Cæsaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset:
Quamvis jurato metuam tibi credere testi. 5
Ventre nihil novi frugalius. Hoc tamen ipsum
Defecisse puta, quod inani sufficit alvo;
Nulla crepido vacat? nusquam pons, et tegetis pars
Dimidia brevior? Tantine injuria cœnæ?
Tam jejuna fames, cum pol sit honestius, illic
Et tremere, et sordes farris mordere canini? 11
Primo fige loco, quod tu discumbere jussus
Mercedem solidam veterum capis officiorum.
Fructus amicitiæ magnæ cibus. Imputat hunc rex
Et, quamvis rarum, tamen imputat. Ergo duos post
Si libuit menses neglectum adhibere clientem, 16
Tertia ne vacuo cessaret culcita lecto,
Una simus, ait. Votorum summa! Quid ultra
Quæris? Habet Trebius, propter quod rumpere somnum
Debeat et ligulas dimittere, sollicitus, ne 20
Tota salutatrix jam turba peregerit orbem,
Sideribus dubiis, aut illo tempore, quo se
Frigida circumagunt pigri sarraca Bootæ.
Qualis cœna tamen? Vinum, quod succida nolit
Lana pati: de conviva Corybanta videbis. 25
Jurgia proludunt; sed mox et pocula torques
Saucius, et rubra deterges vulnera mappa,
Inter vos quoties libertorumque cohortem
Pugna Saguntina fervet commissa lagena.
Ipse capillato diffusum consule potat, 30
Calcatamque tenet bellis socialibus uvam,
Cardiaco nunquam cyathum missurus amico.
Cras bibet Albanis aliquid de montibus aut de
Setinis, cujus patriam titulumque senectus
Delevit multa veteris fuligine testæ; 35
Quale coronati Thrasea Helvidiusque bibebant
Brutorum et Cassi natalibus. Ipse capaces
Heliadum crustas, et inæquales beryllo
Virro tenet phialas: tibi non committitur aurum.
Vel, si quando datur, custos affixus ibidem, 40
Qui numeret gemmas, unguesque observet acutos.
Da veniam: præclara illic laudatur jaspis.
Nam Virro, ut multi, gemmas ad pocula transfert
A digitis, quas in vaginæ fronte solebat
Ponere zelotypo juvenis prælatus Iarbæ. 45
Tu Beneventani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quatuor, ac jam
Quassatum, et rupto poscentem sulfura vitro.
Si stomachus domini fervet vinoque ciboque,
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis. 50
Non eadem vobis poni modo vina querebar:
Vos aliam potatis aquam. Tibi pocula cursor
Gætulus dabit, aut nigri manus ossea Mauri,
Et cui per mediam nolis occurrere noctem,
Clivosæ veheris dum per monimenta Latinæ. 55
Flos Asiæ ante ipsum, pretio majore paratus,
Quam fuit et Tulli census pugnacis, et Anci,
Et, ne te teneam, Romanorum omnia regum
Frivola. Quod cum ita sit, tu Gætulum Ganymedem 59
Respice, cum sities. Nescit tot millibus emtus
Pauperibus miscere puer: sed forma, sed ætas
Digna supercilio. Quando ad te pervenit ille?
Quando vocatus adest calidæ gelidæque minister
Quippe indignatur veteri parere clienti, [bas.
Quodque aliquid poscas, et quod se stante recum
Maxima quæque domus servis est plena superbis
Ecce alius quanto porrexit murmure panem
Vix fractum, solidæ jam mucida frusta farinæ,
Quæ genuinum agitent, non admittentia morsum.
Sed tener et niveus mollique siligine factus 70
Servatur domino. Dextram cohibere memento.
Salva sit artocopi reverentia. Finge tamen te
Improbulum, superest illic, qui ponere cogat.
Vis tu consuetis audax conviva canistris
Impleri, panisque tui novisse colorem? 75
Scilicet hoc fuerat, propter quod, sæpe relicta

Conjuge, per montem adversum gelidasque cucurri
Esquilias, fremeret sæva cum grandine vernus
Jupiter, et multo stillaret pænula nimbo! 79
Adspice, quam longo distendat pectore lancem,
Quæ fertur domino, squilla, et quibus undique
Asparagis, qua despiciat convivia cauda, [septa
Cum venit excelsi manibus sublata ministri.
Sed tibi dimidio constrictus cammarus ovo
Ponitur, exigua feralis cœna patella. 85
Ipse Venafrano piscem perfundit: at hic, qui
Pallidus affertur misero tibi caulis, olebit
Laternam. Illud enim vestris datur alveolis, quod
Canna Micipsarum prora subvexit acuta;
Propter quod Romæ cum Bocchare nemo lavatur,
Quod tutos etiam facit a serpentibus atris. 91
Mullus erit domino, quem misit Corsica, vel quem
Tauromenitanæ rupes, quando omne peractum est
Et jam defecit nostrum mare, dum gula sævit,
Retibus assiduis penitus scrutante macello 95
Proxima, nec patimur Tyrrhenum crescere piscem.
Instruit ergo focum provincia: sumitur illinc
Quod captator emat Lænas, Aurelia vendat.
Virroni muræna datur, quæ maxima venit
Gurgite de Siculo: nam, dum se continet Auster,
Dum sedet et siccat madidas in carcere pennas,
Contemnunt mediam temeraria lina Charybdim.
Vos anguilla manet longæ cognata colubræ,
Aut glacie adspersus maculis Tiberinus, et ipse
Vernula riparum, pinguis torrente cloaca, 105
Et solitus mediæ cryptam penetrare Suburræ.
Ipsi pauca velim, facilem si præbeat aurem.
Nemo petit, modicis quæ mittebantur amicis
A Seneca, quæ Piso bonus, quæ Cotta solebat
Largiri; namque et titulis et fascibus olim 110
Major habebatur donandi gloria: solum
Poscimus, ut cœnes civiliter. Hoc face, et esto,
Esto, ut nunc multi, dives tibi, pauper amicis.
Anseris ante ipsum magni jecur, anseribus par
Altilis, et flavi dignus ferro Meleagri 115
Fumat aper: post hunc tradentur tubera, si ver
Tunc erit, et facient optata tonitrua cœnas
Majores. Tibi habe frumentum, Alledius inquit,
O Libye; disjunge boves, dum tubera mittas.
Structorem interea, ne qua indignatio desit, 120
Saltantem spectes et chironomonta volanti
Cultello, donec peragat dictata magistri
Omnia: nec minimo sane discrimine refert,
Quo gestu lepores et quo gallina secetur.
Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus,
Et ponere toras, si quid tentaveris unquam 126
Hiscere, tanquam habeas tria nomina. Quando propinat
Virro tibi, sumitque tuis contacta labellis
Pocula? quis vestrum temerarius usque adeo, quis
Perditus, ut dicat regi, Bibe? Plurima sunt, quæ
Non audent homines pertusa dicere læna. 131
Quadringenta tibi si quis deus, aut similis dis
Et melior fatis, donaret; homuncio, quantus
Ex nihilo fieres, quantus Virronis amicus! 134
Da Trebio! Pone ad Trebium! Vis, frater, ab ipsis
Ilibus? O nummi, vobis hunc præstat honorem:
Vos estis fratres. Dominus tamen et domini rex
Si vis tu fieri, nullus tibi parvulus aula
Luserit Æneas, nec filia dulcior illo. 139
Jucundum et carum sterilis facit uxor amicum.
Sed tua nunc Mycale pariat licet, et pueros tres
In gremium patris fundat simul: ipse loquaci
Gaudebit nido; viridem thoraca jubebit
Afferri, minimasque, nuces assemque rogatum,
Ad mensam quoties parasitus venerit infans. 145
Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus domino; sed qualem Claudius edit
Ante illum uxoris, post quem nil amplius edit.
Virro sibi et reliquis Virronibus illa jubebit
Poma dari, quorum solo pascaris odore; 150
Qualia perpetuus Phæacum auctumnus habebat,
Credere quæ possis surrepta sororibus Afris.
Tu scabie frueris mali, quod in aggere rodit,
Qui tegitur parma et galea, metuensque flagelli
Discit ab hirsuta jaculum torquere capella. 155
Forsitan impensæ Virronem parcere credas.
Hoc agit, ut doleas: nam quæ comœdia, mimus
Quis melior plorante gula? Ergo omnia fiunt,
Si nescis, ut per lacrymas effundere bilem
Cogaris, pressoque diu stridere molari. 160
Tu tibi liber homo et regis conviva videris:
Captum te nidore suæ putat ille culinæ: [illum
Nec male conjectat Quis enim tam nudus, ut
Bis ferat, Etruscum puero si contigit aurum,
Vel nodus tantum et signum de paupere loro? 165
Spes bene cœnandi vos decipit. Ecce dabit jam
Semesum leporem atque aliquid de clunibus apri.
Ad nos jam veniet minor altilis. Inde parato
Intactoque omnes et stricto pane tacetis.
Ille sapit, qui te sic utitur. Omnia ferre 170
Si potes, et debes. Pulsandum vertice raso
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati, his epulis et tali dignus amico.

LIBER SECUNDUS.

SATIRA VI.

Credo pudicitiam Saturno rege moratam
In terris visamque diu, cum frigida parvas
Præberet spelunca domos, ignemque laremque,
Et pecus, et dominos communi clauderet umbra;
Sylvestrem montana torum cum sterneret uxor 5
Frondibus, et culmo, vicinarumque ferarum
Pellibus, haud similis tibi, Cynthia, nec tibi, cujus
Turbavit nitidos exstinctus passer ocellos,
Sed potanda ferens infantibus ubera magnis,
Et sæpe horridior glandem ructante marito. 10
Quippe aliter tunc orbe novo cœloque recenti
Vivebant homines, qui rupto robore nati
Compositive luto nullos habuere parentes.
Multa pudicitiæ veteris vestigia forsan [dum
Aut aliqua exstiterint et sub Jove, sed Jove non-
Barbato, nondum Græcis jurare paratis 16
Per caput alterius, cum furem nemo timeret
Caulibus aut pomis, et aperto viveret horto.
Paulatim deinde ad superos Astræa recessit
Hac comite, atque duæ pariter fugere sorores. 20
Antiquum et vetus est, alienum, Postume, lectum
Concutere, atque sacri genium contemnere fulcri
Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas;

Viderunt primos argentea sæcula mœchos.
Conventum tamen et pactum et sponsalia nostra
Tempestate paras, jamque a tonsore magistro 26
Pecteris. et digito pignus fortasse dedisti.
Certe sanus eras. Uxorem, Postume, ducis ?
Dic, qua Tisiphone, quibus exagitare colubris?
Ferre potes dominam salvis tot restibus ullam ?
Cum pateant altæ caligantesque fenestræ ? 31
Cum tibi vicinum se præbeat Æmilius pons ?
Aut si de multis nullus placet exitus, illud
Nonne putas melius, quod tecum pusio dormit ?
Pusio, qui noctu non litigat, exigit a te 35
Nulla jacens illic munuscula, nec queritur, quod
Et lateri parcas, nec, quantum jussit, anheles.
Sed placet Ursidio lex Julia : tollere dulcem
Cogitat hæredem, cariturus turture magno,
Mullorumque jubis, et captatore macello. 40
Quid fieri non posse putes, si jungitur ulla
Ursidio ? si mœchorum notissimus olim
Stulta maritali jam porrigit ora capistro,
Quem toties texit perituri cista Latini ?
Quid ? quod et antiquis uxor de moribus illi 45
Quæritur. O medici, mediam pertundite venam !
Delicias hominis ! Tarpeium limen adora
Pronus, et auratam Junoni cæde juvencam,
Si tibi contigerit capitis matrona pudici
Paucæ adeo Cereris vittas contingere dignæ, 50
Quarum non timeat pater oscula. Necte coronam
Postibus, et densos per limina tende corymbos.
Unus Iberinæ vir sufficit? Ocius illud
Extorquebis, ut hæc oculo contenta sit uno.
Magna tamen fama est cujusdam rure paterno
Viventis. Vivat Gabiis, ut vixit in agro, 56
Vivat Fidenis! Et agello cedo paterno.
Quis tamen affirmat, nil actum in montibus aut in
Speluncis ? Adeo senuerunt Jupiter et Mars ?
Porticibusne tibi monstratur fœmina voto 60
Digna tuo? Cuneis an habent spectacula totis,
Quod securus ames, quodque inde excerpere possis?
Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo,
Tuccia vesicæ non imperat: Appula gannit, 64
Sicut in amplexu. Subitum et miserabile, Longum
Attendit Thymele; Thymele tunc rustica discit.
Ast aliæ, quoties aulæa recondita cessant,
Et vacuo clausoque sonant fora sola theatro,
Atque a plebeiis longe Megalesia, tristes
Personam thyrsumque tenent et subligar Acci. 70
Urbicus exodio risum movet Atellanæ
Gestibus Autonoes : hunc diligit Ælia pauper.
Solvitur his magno comœdi fibula. Sunt, quæ
Chrysogonum cantare velent. Hispulla tragœdo
Gaudet. An exspectas, ut Quintilianus ametur ?
Accipis uxorem, de qua citharœdus Echion 76
Aut Glaphyrus fiat pater Ambrosiusque choraules.
Longa per angustos figamus pulpita vicos:
Ornentur postes et grandi janua lauro,
Ut testudineo tibi, Lentule, conopeo 80
Nobilis Euryalum mirmillonem exprimat infans.
Nupta senatori comitata est Hippia Ludium
Ad Pharon et Nilum famosaque mœnia Lagi,
Prodigia et mores Urbis damnante Canopo.
Immemor illa domus et conjugis atque sororis 85
Nil patriæ indulsit, plorantesque improba natos,
Utque magis stupeas, ludos Paridemque reliquit.
Sed quanquam in magnis opibus, plumaque pa-
Et segmentatis dormisset parvula cunis, [terna,
Contemsit pelagus; famam contemserat olim, 90
Cujus apud molles minima est jactura cathedras.
Tyrrhenos igitur fluctus lateque sonantem
Pertulit Ionium constanti pectore, quamvis
Mutandum toties esset mare. Justa pericli 94
Si ratio est et honesta; timent, pavidoque gelantur
Pectore, nec tremulis possunt insistere plantis :
Fortem animum præstant rebus, quas turpiter audent.
Si jubeat conjux, durum est conscendere navim:
Tunc sentina gravis, tunc summus vertitur aer.
Quæ mœchum sequitur, stomacho valet. Illa maritum 100
Convomit: hæc inter nautas et prandet, et errat
Per puppim, et duros gaudet tractare rudentes.
Qua tamen exarsit forma, qua capta juventa est
Hippia ? quid vidit, propter quod ludia dici
Sustinuit ? nam Sergiolus jam radere guttur 105
Cœperat, et secto requiem sperare lacerto.
Præterea multa in facie deformia, sicut
Attritus galea, mediisque in naribus ingens
Gibbus, et acre malum semper stillantis ocelli
Sed gladiator erat: facit hoc illos Hyacinthos;
Hoc pueris patriæque, hoc prætulit illa sorori
Atque viro. Ferrum est, quod amant. Hic Sergius idem
Accepta rude cœpisset Veiento videri. [ras ?
Quid privata domus, quid fecerit Hippia, cu-
Respice rivales divorum : Claudius audi 115
Quæ tulerit. Dormire virum quum senserat uxor,
Ausa Palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos,
Linquebat comite ancilla non amplius una,
Sed nigrum flavo crinem abscondente galero. 120
Intravit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam atque suam. Tunc nuda papillis
Constitit auratis, titulum mentita Lyciscæ,
Ostenditque tuum, generose Britannice, ventrem.
Excepit blanda intrantes, atque æra poposcit, 125
Et resupina jacens multorum absorbuit ictus.
Mox, lenone suas jam dimittente puellas,
Tristis abît, et, quod potuit, tamen ultima cellam
Clausit, adhuc ardens rigidæ tentigine vulvæ,
Et lassata viris necdum satiata recessit, 130
Obscurisque genis turpis fumoque lucernæ
Fœda lupanaris tulit ad pulvinar odorem.
Hippomanes, carmenque loquar, coctumque venenum
Privignoque datum? Faciunt graviora coactæ
Imperio sexus, minimumque libidine peccant. 135
Optima sed quare Cesennia teste marito ?
Bis quingenta dedit tanti vocat ille pudicam :
Nec Veneris pharetris macer est aut lampade fer-
Inde faces ardent; veniunt a dote sagittæ. [vet:
Libertas emitur: coram licet innuat atque 140
Rescribat, vidua est, locuples quæ nupsit avaro.
Cur desiderio Bibulæ Sertorius ardet?
Si verum excutias, facies, non uxor amatur.
Tres rugæ subeant, et se cutis arida laxet,
Fiant obscuri dentes, oculique minores; 145
Collige sarcinulas, dicet libertus, et exi :
Jam gravis es nobis, et sæpe emungeris, exi
Ocius et propera ; sicco venit altera naso.
Interea calet, et regnat, poscitque maritum 149
Pastores, et ovem Canusinam, ulmosque Falernas
Quantulum in hoc ? pueros omnes, ergastula tota
Quodque domi non est, et habet vicinus, ematur.
Mense quidem brumæ, quo jam mercator Iason
Clausus, et armatis obstat casa candida nautis,
Grandia tolluntur crystallina, maxima rursus 155
Murrhina, deinde adamas notissimus et Berenices
In digito factus pretiosior: hunc dedit olim
Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa sorori,

Observant ubi festa mero pede sabbata reges,
Et vetus indulget senibus clementia porcis. 160
Nullane de tantis gregibus tibi digna videtur?
Sit formosa, decens, dives, fecunda, vetustos
Porticibus disponat avos, intactior omni
Crinibus effusis bellum dirimente Sabina: 164
(Rara avis in terris nigroque simillima cycno)
Quis feret uxorem, cui constant omnia? Malo,
Malo Venusinam, quam te, Cornelia mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium, et numeras in dote triumphos.
Tolle tuum, precor, Hannibalem, victumque Syphacem 170
In castris, et cum tota Carthagine migra.
Parce, precor, Pæan, et tu, dea, pone sagittas,
Nil pueri faciunt, ipsam configite matrem,
Amphion clamat: sed Pæan contrahit arcum.
Extulit ergo greges natorum ipsumque parentem,
Dum sibi nobilior Latonæ gente videtur, 176
Atque eadem scrofa Niobe fecundior alba. [per
Quæ tanti gravitas, quæ forma, ut se tibi sem-
Imputet? Hujus enim rari summique voluptas
Nulla boni, quoties animo corrupta superbo 180
Plus aloes, quam mellis habet. Quis deditus autem [effert,
Usque adeo est, ut non illam, quam laudibus
Horreat, inque die septenis oderit horis? [ritis.
Quædam parva quidem, sed non toleranda ma-
Nam quid rancidius, quam quod se non putat ulla
Formosam, nisi quæ de Tusca Græcula facta est,
De Sulmonensi mera Cecropis? Omnia Græce,
Cum sit turpe magis nostris nescire Latine.
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta. Quid ultra?
Concumbunt Græce. Dones tamen ista puellis;
Tune etiam, quam sextus et octogesimus annus
Pulsat, adhuc Græce? Non est hic sermo pudicus
In vetula. Quoties lascivum intervenit illud
ΖΩΗ ΚΑΙ ΨΥΧΗ? Modo sub lodice relictis 195
Uteris in turba. Quod enim non excitet inguen
Vox blanda et nequam? digitos habet. Ut tamen omnes
Subsidant pennæ, dicas hæc mollius Hæmo
Quanquam et Carpophoro; facies tua computat annos.
Si tibi legitimis pactam junctamque tabellis
Non es amaturus, ducendi nulla videtur 201
Causa; nec est, quare cœnam et mustacea perdas,
Labente officio, crudis donanda; nec illud,
Quod prima pro nocte datur, cum lance beata
Dacicus, et scripto radiat Germanicus auro. 205
Si tibi simplicitas uxoria, deditus uni
Est animus; submitte caput cervice parata
Ferre jugum: nullam invenies, quæ parcat amanti.
Ardeat ipsa licet, tormentis gaudet amantis
Et spoliis. Igitur longe minus utilis illi 210
Uxor, quisquis erit bonus optandusque maritus.
Nil unquam invita donabis conjuge: vendes
Hac obstante nihil: nihil, hæc si nolet, emetur.
Hæc dabit affectus: ille excludetur amicus
Jam senior, cujus barbam tua janua vidit. 215
Testandi cum sit lenonibus atque lanistis
Libertas, et juris idem contingat arenæ;
Non unus tibi rivalis dictabitur hæres.
Pone crucem servo. Meruit quo crimine servus
Supplicium? quis testis adest? quis detulit? Audi,
Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est. [esto:
O demens, ita servus homo est? nil fecerit,
Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.
Imperat ergo viro; sed mox hæc regna relinquit,
Permutatque domos, et flammea conterit: inde
Avolat, et spreti repetit vestigia lecti. 226
Ornatas paulo ante fores, pendentia linquit
Vela domus, et adhuc virides in limine ramos.
Sic crescit numerus; sic fiunt octo mariti
Quinque per auctumnos: titulo res digna sepulcri.
Desperanda tibi salva concordia socru. 231
Illa docet spoliis nudi gaudere mariti:
Illa docet, missis a corruptore tabellis,
Nil rude nec simplex rescribere: decipit illa
Custodes, aut ære domat: tunc corpore sano 235
Advocat Archigenen, onerosaque pallia jactat.
Abditus interea latet et secretus adulter,
Impatiensque moræ pavet, et præputia ducit.
Scilicet exspectas, ut tradat mater honestos
Atque alios mores, quam quos habet? utile porro,
Filiolam turpi vetulæ producere turpem. 241
Nulla fere causa est, in qua non fœmina litem
Moverit. Accusat Manilia, si rea non est.
Componunt ipsæ per se formantque libellos,
Principium atque locos Celso dictare paratæ. 245
Endromidas Tyrias et fœmineum ceroma
Quis nescit? vel quis non vidit vulnera pali?
Quem cavat assiduis sudibus, scutoque lacessit,
Atque omnes implet numeros, dignissima prorsus
Florali matrona tuba; nisi si quid in illo 250
Pectore plus agitat, veræque paratur arenæ.
Quem præstare potest mulier galeata pudorem,
Quæ fugit a sexu? vires amat. Hæc tamen ipsa
Vir nollet fieri. Nam quantula nostra voluptas?
Quale decus rerum, si conjugis auctio fiat, 255
Balteus, et manicæ, et cristæ, crurisque sinistri
Dimidium tegimen; vel, si diversa movebit
Prœlia, tu felix, ocreas vendente puella.
Hæ sunt, quæ tenui sudant in cyclade, quarum
Delicias et panniculus bombycinus urit. 260
Adspice, quo fremitu monstratos perferat ictus,
Et quanto galeæ curvetur pondere, quanta
Poplitibus sedeat, quam denso fascia libro,
Et ride, scaphium positis cum sumitur armis.
Dicite vos neptes Lepidi, cæcive Metelli, 265
Gurgitis aut Fabii, quæ ludia sumserit unquam
Hos habitus? quando ad palum gemat uxor Asyli?
Semper habet lites alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet: minimum dormitur in illo.
Tunc gravis illa viro, tunc orba tigride pejor. 270
Cum simulat gemitus occulti conscia facti,
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat,
Uberibus semper lacrymis, semperque paratis
In statione sua, atque exspectantibus illam,
Quo jubeat manare modo; tu credis amorem, 275
Tu tibi tunc curruca places, fletumque labellis
Exsorbes, quæ scripta et quot lecture tabellas,
Si tibi zelotypæ retegantur scrinia mœchæ!
Sed jacet in servi complexibus aut equitis. Dic,
Dic aliquem, sodes, hic, Quintiliane, colorem:
Hæremus. Dic ipsa. Olim convenerat, inquit,
Ut faceres tu, quod velles, nec non ego possem
Indulgere mihi: clames licet, et mare cœlo
Confundas, homo sum. Nihil est audacius illis
Deprensis: iram atque animos a crimine sumunt.
Unde hæc monstra tamen, vel quo de fonte, requiris?
Præstabat castas humilis fortuna Latinas
Quondam, nec vitiis contingi parva sinebant
Tecta labor, somnique breves, et vellere Tusco
Vexatæ duræque manus, ac proximus Urbi 290
Hannibal, et stantes Collina turre mariti.

Nunc patimur longæ pacis mala. Sævior armis
Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.
Nullum crimen abest, facinusque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit. Hinc fluxit ad istos
Et Sybaris colles, hinc et Rhodos, et Miletos, 296
Atque coronatum et petulans madidumque Taren-
Prima peregrinos obscæna Pecunia mores [tum.
Intulit, et turpi fregerunt sæcula luxu
Divitiæ molles. Quid enim Venus ebria curat?
Inguinis et capitis quæ sint discrimina, nescit,
Grandia quæ mediis jam noctibus ostrea mordet,
Cum perfusa mero spumant unguenta Falerno,
Cum bibitur concha, cum jam vertigine tectum
Ambulat, et geminis exsurgit mensa lucernis. 305
I nunc et dubita, qua sorbeat aera sanna
Maura, Pudicitiæ veterem cum præterit aram,
Tullia quid dicat notæ collactea Mauræ.
Noctibus hic ponunt lecticas, micturiunt hic,
Effigiemque deæ longis siphonibus implent, 310
Inque vices equitant, ac luna teste moventur.
Inde domos abeunt: tu calcas luce reversa
Conjugis urinam magnos visurus amicos.
Nota Bonæ secreta deæ, cum tibia lumbos
Incitat, et cornu pariter vinoque feruntur 315
Attonitæ, crinemque rotant, ululantque Priapi
Mænades. O quantus tunc illis mentibus ardor
Concubitus! quæ vox saltante libidine! quantus
Ille meri veteris per crura madentia torrens!
Lenonum ancillas posita Saufella corona 320
Provocat, et tollit pendentis præmia coxæ.
Ipsa Medullinæ fluctum crissantis adorat:
Palmam inter dominas virtus natalibus æquat.
Nil ibi per ludum simulabitur: omnia fient
Ad verum, quibus incendi jam frigidus ævo 325
Laomedontiades, et Nestoris hernia possit. [plex,
Tunc prurigo moræ impatiens, tunc fœmina sim-
Et toto pariter repetitus clamor ab antro:
Jam fas est; admitte viros. Jam dormit adulter;
Illa jubet sumto juvenem properare cucullo. 330
Si nihil est, servis incurritur. Abstuleris spem
Servorum, veniet conductus aquarius. Hic si
Quæritur, et desunt homines; mora nulla per ipsam,
Quo minus imposito clunem submittat asello.
Atque utinam ritus veteres, et publica saltem 335
His intacta malis agerentur sacra: sed omnes
Noverunt Mauri atque Indi, quæ psaltria penem
Majorem, quam sunt duo Cæsaris Anticatones,
Illuc, testiculi sibi conscius unde fugit mus,
Intulerit, ubi velari pictura jubetur, 340
Quæcunque alterius sexus imitati figuram est.
Et quis tunc hominum contemtor numinis? aut quis
Simpuvium ridere Numæ, nigrumque catinum,
Et Vaticano fragiles de monte patellas
Ausus erat? Sed nunc ad quas non Clodius aras?
Audio, quid veteres olim moneatis amici: 346
Pone seram; cohibe. Sed quis custodiet ipsos
Custodes? Cauta est, et ab illis incipit uxor.
Jamque eadem summis pariter minimisque libido:
Nec melior, silicem pedibus quæ conterit atrum,
Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum.
Ut spectet ludos, conducit Ogulnia vestem,
Conducit comites, sellam, cervical, amicas,
Nutricem, et flavam, cui det mandata, puellam.
Hæc tamen argenti superest quodcunque paterni
Lævibus athletis, ac vasa novissima donat. 356
Multis res angusta domi: sed nulla pudorem
Paupertatis habet, nec se metitur ad illum,
Quem dedit hæc posuitque, modum. Tamen utile quid sit
Prospiciunt aliquando viri, frigusque famemque
Formica tandem quidam expavere magistra. 361
Prodiga non sentit pereuntem fœmina censum
Ac, velut exhausta recidivus pullulet arca
Nummus, et e pleno semper tollatur acervo,
Non unquam reputat, quanti sibi gaudia constent.
Sunt, quas eunuchi imbelles, ac mollia semper
Oscula delectent, et desperatio barbæ,
Et quod abortivo non est opus. Illa voluptas
Summa tamen, quod jam calida matura juventa
Inguina traduntur medicis, jam pectine nigro. 370
Ergo spectatos ac jussos crescere primum
Testiculos, postquam cœperunt esse bilibres,
Tonsoris damno tantum rapit Heliodorus.
Conspicuus longe cunctisque notabilis intrat
Balnea, nec dubie custodem vitis et horti 375
Provocat, a domina factus spado. Dormiat ille
Cum domina: sed tu jam durum, Postume, jam-que
Tondendum eunucho Bromium committere noli.
Si gaudet cantu; nullius fibula durat 379
Vocem vendentis prætoribus: organa semper
In manibus: densi radiant testudine tota
Sardonyches: crispo numerantur pectine chordæ.
Quo tener Hedymeles operas dedit: hunc tenet, hoc se
Solatur, gratoque indulget basia plectro.
Quædam de numero Lamiarum ac nominis alti
Cum farre et vino Janum Vestamque rogabat,
An Capitolinam deberet Pollio quercum 387
Sperare et fidibus promittere. Quid faceret plus
Ægrotante viro? medicis quid tristibus erga
Filiolum? Stetit ante aram, nec turpe putavit
Pro cithara velare caput; dictataque verba 391
Pertulit, ut mos est, et aperta palluit agna.
Dic mihi nunc, quæso, dic, antiquissime divûm,
Respondes his, Jane pater? Magna otia cœli:
Non est, ut video, non est, quod agatur apud vos.
Hæc de comœdis te consulit; illa tragœdum 396
Commendare volet: varicosus fiet haruspex.
Sed cantet potius, quam totam pervolet urbem
Audax, et cœtus possit quam ferre virorum,
Cumque paludatis ducibus præsente marito 400
Ipsa loqui recta facie, strictisque mamillis.
Hæc eadem novit, quid toto fiat in orbe;
Quid Seres, quid Thraces agant: secreta novercæ
Et pueri: quis amet, quis diripiatur adulter.
Dicet, quis viduam prægnantem fecerit, et quo
Mense, quibus verbis concumbat quæque, modis
Instantem regi Armenio Parthoque cometen [quot.
Prima videt; famam rumoresque illa recentes
Excipit ad portas: quosdam facit. Isse Niphatem 409
In populos, magnoque illic cuncta arva teneri
Diluvio, nutare urbes, subsidere terras, [rat.
Quocunque in trivio, cuicunque est obvia, nar-
Nec tamen id vitium magis intolerabile, quam
Vicinos humiles rapere, et concidere loris [quod
Exorata solet. Nam si latratibus alti
Rumpuntur somni; fustes huc ocius, inquit, 416
Afferte, atque illis dominum jubet ante feriri,
Deinde canem. Gravis occursu, teterrima vultu
Balnea nocte subit; conchas et castra moveri
Nocte jubet; magno gaudet sudare tumultu, 420
Cum lassata gravi ceciderunt brachia massa,
Callidus et cristæ digitos impressit aliptes,
Ac summum dominæ femur exclamare coegit.
Convivæ miseri interea somnoque fameque [tum
Urguentur. Tandem illa venit rubicundula, to-
Œnophorum sitiens, plena quod tenditur urna

Admotum pedibus, de quo sextarius alter 427
Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexim.
Dum redit et loto terram ferit intestino,
Marmoribus rivi properant, aut lata Falernum
Pelvis olet; nam sic, tanquam alta in dolia longus
Deciderit serpens, bibit et vomit. Ergo maritus
Nauseat, atque oculis bilem substringit opertis.
Illa tamen gravior, quæ, cum discumbere cœpit, 434
Laudat Virgilium, perituræ ignoscit Elissæ,
Committit vates et comparat; inde Maronem,
Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.
Cedunt grammatici, vincuntur rhetores, omnis
Turba tacet; nec causidicus, nec præco loquatur,
Altera nec mulier: verborum tanta cadit vis. 440
Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas
Pulsari. Jam nemo tubas, nemo æra fatiget:
Una laboranti poterit succurrere lunæ.
Imponit finem sapiens et rebus honestis.
Nam quæ docta nimis cupit et facunda videri,
Crure tenus medio tunicas succingere debet, 446
Cædere Sylvano porcum, quadrante lavari.
Non habeat matrona, tibi quæ juncta recumbit,
Dicendi genus, aut curtum sermone rotato
Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes:
Sed quædam ex libris et non intelligat. Odi 451
Hanc ego, quæ repetit volvitque Palæmonis ar-
Servata semper lege et ratione loquendi, [tem,
Ignotosque mihi tenet antiquaria versus,
Nec curanda viris opicæ castigat amicæ 455
Verba. Solœcismum liceat fecisse marito.
Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circumdedit, et cum
Auribus extentis magnos commisit elenchos.
Intolerabilius nihil est, quam fœmina dives. 460
Interea fœda aspectu ridendaque multo
Pane tumet facies, aut pinguia Poppæana
Spirat, et hinc miseri viscantur labra mariti.
Ad mœchum veniet lota cute. Quando videri
Vult formosa domi? mœchis foliata parantur. 465
His emitur, quicquid graciles huc mittitis Indi.
Tandem aperit vultum, et tectoria prima reponit:
Incipit agnosci, atque illo lacte fovetur,
Propter quod secum comites educit asellas,
Exsul Hyperboreum si dimittatur ad axem. 470
Sed quæ mutatis inducitur, atque fovetur
Tot medicaminibus, coctæque siliginis offas
Accipit et madidæ, facies dicetur, an ulcus?
Est pretium curæ penitus cognoscere, toto
Quid faciant agitentque die. Si nocte maritus
Aversus jacuit; periit libraria, ponunt 476
Cosmetæ tunicas, tarde venisse Liburnus
Dicitur, et pœnas alieni pendere somni
Cogitur: hic frangit ferulas, rubet ille flagellis,
Hic scutica: sunt, quæ tortoribus annua præstent.
Verberat, atque obiter faciem linit; audit amicas,
Aut latum pictæ vestis considerat aurum,
Et cædit; longi relegit transversa diurni,
Et cædit, donec lassis cædentibus Exi
Intonet horrendum, jam cognitione peracta. 485
Præfectura domus Sicula non mitior aula.
Nam si constituit, solitoque decentius optat
Ornari, et properat, jamque exspectatur in hortis,
Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ;
Disponit crinem laceratis ipsa capillis 490
Nuda humero Psecas infelix, nudisque mamillis
Altior hic quare cincinnus? Taurea punit
Continuo flexi crimen facinusque capilli. [læ,
Quid Psecas admisit? quænam est hic culpa puel-
Si tibi displicuit nasus tuus? Altera lævum 549
Extendit, pectitque comas, et volvit in orbem.
Est in consilio matrona, admotaque lanis
Emerita quæ cessat acu: sententia prima
Hujus erit; post hanc ætate atque arte minores
Censebunt, tanquam famæ discrimen agatur, 500
Aut animæ: tanta est quærendi cura decoris.
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput. Andromachen a fronte videbis:
Post minor est: credas aliam. Cedo, si breve parvi
Sortita est lateris spatium, breviorque videtur 505
Virgine Pygmæa, nullis adjuta cothurnis,
Et levis erecta consurgit ad oscula planta?
Nulla viri cura interea, nec mentio fiet
Damnorum: vivit tanquam vicina marito.
Hoc solo propior, quod amicos conjugis odit 510
Et servos, gravis est rationibus. Ecce furentis
Bellonæ, matrisque deûm chorus intrat, et ingens
Semivir, obscæno facies reverenda minori,
Mollia qui rupta secuit genitalia testa [dunt
Jam pridem, cui rauca cohors, cui tympana ce-
Plebeia, et Phrygia vestitur bucca tiara. 516
Grande sonat, metuique jubet Septembris et Austri
Adventum, nisi se centum lustraverit ovis,
Et xerampelinas veteres donaverit ipsi,
Ut, quicquid subiti et magni discriminis instat,
In tunicas eat, et totum semel expiet annum. 521
Hibernum fracta glacie descendet in amnem,
Ter matutino Tiberi mergetur, et ipsis
Vorticibus timidum caput abluet: inde superbi
Totum regis agrum nuda ac tremebunda cruentis
Erepet genibus. Si candida jusserit Io, 526
Ibit ad Ægypti finem, calidaque petitas
A Meroe portabit aquas, ut spargat in ædem
Isidis, antiquo quæ proxima surgit ovili.
Credit enim ipsius dominæ se voce moneri. 530
En animam et mentem, cum qua di nocte loquantur! [norem
Ergo hic præcipuum summumque meretur ho-
Qui grege linigero circumdatus et grege calvo
Plangentis populi currit derisor Anubis.
Ille petit veniam, quoties non abstinet uxor 535
Concubitu sacris observandisque diebus;
Magnaque debetur violato pœna cadurco.
Et movisse caput visa est argentea serpens:
Illius lacrymæ meditataque murmura præstant,
Ut veniam culpæ non abnuat, ansere magno 540
Scilicet et tenui popano corruptus, Osiris. [licto
Cum dedit ille locum; cophino fœnoque re-
Arcanam Judæa tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum, et magna sacerdos
Arboris, ac summi fida internuntia cœli. 545
Implet et illa manum, sed parcius: ære minuto
Qualiacunque voles Judæi somnia vendunt.
Spondet amatorem tenerum, vel divitis orbi
Testamentum ingens, calidæ pulmone columbæ
Tractato, Armenius vel Commagenus haruspex;
Pectora pullorum rimatur, et exta catelli, 551
Interdum et pueri: faciet, quod deferat ipse.
Chaldæis sed major erit fiducia: quicquid
Dixerit astrologus, credent a fonte relatum
Hammonis; quoniam Delphis oracula cessant,
Et genus humanum damnat caligo futuri. 556
Præcipuus tamen est horum, qui sæpius exsul,
Cujus amicitia, conducendaque tabella
Magnus civis obît, et formidatus Othoni.
Inde fides arti, sonuit si dextera ferro 560
Lævaque, si longo castrorum in carcere mansit.

Nemo mathematicus genium indemnatus habebit;
Sed qui pæne perit, cui vix in Cyclada mitti
Contigit, et parva tandem caruisse Seripho.
Consulit ictericæ lento de funere matris, 565
Ante tamen de te, Tanaquil tua; quando sororem
Efferat, et patruos; an sit victurus adulter [sunt?
Post ipsam? quid enim majus dare numina pos-
Hæc tamen ignorat, quid sidus triste minetur
Saturni, quo læta Venus se proferat astro, 570
Qui mensis damnis, quæ dentur tempora lucro.
Illius occursus etiam vitare memento,
In cujus manibus, ceu pinguia succina, tritas
Cernis ephemeridas; quæ nullum consulit, et jam
Consulitur: quæ, castra viro patriamve petente,
Non ibit pariter numeris revocata Thrasylli. 576
Ad primum lapidem vectari cum placet, hora
Sumitur ex libro: si prurit frictus ocelli
Angulus, inspecta genesi collyria poscit.
Ægra licet jaceat, capiendo nulla videtur 580
Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosiris.
Si mediocris erit; spatium lustrabit utrinque
Metarum, et sortes ducet, frontemque manumque
Præbebit vati crebrum poppysma roganti.
Divitibus responsa dabunt Phryx augur, et Indus
Conductus, dabit astrorum mundique peritus, 586
Atque aliquis senior, qui publica fulgura condit.
Plebeium in circo positum est et in aggere fatum.
Quæ nullis longum ostendit cervicibus aurum,
Consulit ante phalas, delphinorumque columnas,
An saga vendenti nubat caupone relicto. 591
Hæ tamen et partus subeunt discrimen, et omnes
Nutricis tolerant fortuna urguente labores:
Sed jacet aurato vix ulla puerpera lecto.
Tantum artes hujus, tantum medicamina possunt,
Quæ steriles facit, atque homines in ventre necandos
Conducit. Gaude, infelix, atque ipse bibendum
Porrige, quicquid erit: nam si distendere vellet
Et vexare uterum pueris salientibus, esses
Æthiopis fortasse pater; mox decolor hæres 600
Impleret tabulas, nunquam tibi mane videndus.
Transeo suppositos, et gaudia, votaque sæpe
Ad spurcos decepta lacus, atque inde petitos
Pontifices, Salios, Scaurorum nomina falso
Corpore laturos. Stat Fortuna improba noctu,
Arridens nudis infantibus. Hos fovet omnes 606
Involvitque sinu: domibus tunc porrigit altis,
Secretumque sibi mimum parat. Hos amat, his se
Ingerit, utque suos ridens producit alumnos.
Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit
Philtra, quibus valeat mentem vexare mariti,
Et solea pulsare nates. Quod desipis, inde est;
Inde animi caligo, et magna oblivio rerum, [non
Quas modo gessisti. Tamen hoc tolerabile, si
Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis, 615
Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit. Quæ non faciet, quod principis uxor?
Ardebant cuncta, et fracta compage ruebant,
Non aliter, quam si fecisset Juno maritum
Insanum. Minus ergo nocens erit Agrippinæ 620
Boletus: siquidem unius præcordia pressit
Ille senis, tremulumque caput descendere jussit
In cœlum, et longam manantia labra salivam.
Hæc poscit ferrum atque ignes, hæc potio torquet: [tres.
Hæc lacerat mistos equitum cum sanguine pa-
Tanti partus equæ! quanti una venefica constat?
Oderunt natos de pellice; nemo repugnet,
Nemo vetet: jam jam privignum occidere fas est.
Vos ego, pupilli, moneo, quibus amplior est res,
Custodite animas, et nulli credite mensæ. 630
Livida materno fervent adipata veneno.
Mordeat ante aliquis, quicquid porrexerit illa,
Quæ peperit: timidus prægustet pocula pappas.
Fingimus hæc, altum Satira sumente cothurnum
Scilicet, et finem egressi legemque priorum 635
Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu,
Montibus ignotum Rutulis cœloque Latino.
Nos utinam vani! sed clamat Pontia, Feci,
Confiteor, puerisque meis aconita paravi,
Quæ deprensa patent: facinus tamen ipsa peregi
Tune duos una sævissima vipera cœna? 641
Tune duos? Septem, si septem forte fuissent.
Credamus tragicis, quicquid de Colchide torva
Dicitur, et Procne: nil contra conor. Et illæ
Grandia monstra suis audebant temporibus; sed
Non propter nummos. Minor admiratio summis
Debetur monstris, quoties facit ira nocentem
Hunc sexum, et rabie jecur incendente feruntur
Præcipites; ut saxa jugis abrupta, quibus mons
Subtrahitur, clivoque latus pendente recedit. 650
Illam ego non tulerim, quæ computat, et scelus ingens
Sana facit. Spectant subeuntem fata mariti
Alcestim, et, similis si permutatio detur,
Morte viri cupiant animam servare catellæ.
Occurrent multæ tibi Belides atque Eriphylæ 655
Mane: Clytæmnestram nullus non vicus habebit.
Hoc tantum refert, quod Tyndaris illa bipennem
Insulsam et fatuam dextra lævaque tenebat.
At nunc res agitur tenui pulmone rubetæ;
Sed tamen et ferro, si prægustabit Atrides 660
Pontica ter victi cautus medicamina regis.

LIBER TERTIUS.

SATIRA VII.

Et spes et ratio studiorum in Cæsare tantum:
Solus enim tristes hac tempestate Camœnas
Respexit, cum jam celebres notique poetæ
Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos
Tentarent, nec fœdum alii, nec turpe putarent 5
Præcones fieri, cum, desertis Aganippes
Vallibus, esuriens migraret in atria Clio
Nam si Pieria quadrans tibi nullus in umbra
Ostendatur, ames nomen victumque Machæræ,
Et vendas potius, commissa quod auctio vendit
Stantibus, œnophorum, tripodes, armaria, cistas,
Alcyonem Pacci, Thebas et Terea Fausti.

Hoc satius, quam si dicas sub judice, Vidi,
Quod non vidisti; faciant equites Asiani
Quanquam, et Cappadoces faciant, equitesque
Altera quos nudo traducit Gallia talo. [Bithyni,
Nemo tamen studiis indignum ferre laborem
Cogetur posthac, nectit quicunque canoris
Eloquium vocale modis, laurumque momordit.
Hoc agite, o juvenes: circumspicit, et stimulat
Materiamque sibi Ducis indulgentia quærit. [vos,
Si qua aliunde putas rerum exspectanda tuarum
Præsidia, atque ideo croceæ membrana tabellæ
Impletur; lignorum aliquid posce ocius, et, quæ
Componis, dona Veneris, Thelesine, marito, 25
Aut claude, et positos tinea pertunde libellos.
Frange miser calamos, vigilataque prœlia dele,
Qui facis in parva sublimia carmina cella,
Ut dignus venias hederis et imagine macra.
Spes nulla ulterior: didicit jam dives avarus 30
Tantum admirari, tantum laudare disertos,
Ut pueri Junonis avem. Sed defluit ætas
Et pelagi patiens, et cassidis, atque ligonis.
Tædia tunc subeunt animos, tunc seque, suamque
Terpsichoren odit facunda et nuda senectus. 35
Accipe nunc artes, ne quid tibi conferat iste,
Quem colis, et Musarum et Apollinis æde relicta.
Ipse facit versus, atque uni cedit Homero
Propter mille annos; aut, si dulcedine famæ
Succensus recites, maculosas commodat ædes. 40
Hæc longe ferrata domus servire jubetur,
In qua sollicitas imitatur janua portas.
Scit dare libertos extrema in parte sedentes
Ordinis, et magnas comitum disponere voces.
Nemo dabit regum, quanti subsellia constent, 45
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo, [dris.
Quæque reportandis posita est orchestra cathe-
Nos tamen hoc agimus, tenuique in pulvere sul-
Ducimus, et littus sterili versamus aratro. [cos
Nam si discedas, laqueo tenet ambitiosi 50
Consuetudo mali; tenet insanabile multos
Scribendi cacoethes, et ægro in corde senescit.
Sed vatem egregium, cui non sit publica vena,
Qui nihil expositum soleat deducere, nec qui
Communi feriat carmen triviale moneta, 55
Hunc, qualem nequeo monstrare et sentio tantum,
Anxietate carens animus facit, omnis acerbi
Impatiens, cupidus sylvarum, aptusque bibendis
Fontibus Aonidum. Neque enim cantare sub antro
Pierio, thyrsumve potest contingere sana 60
Paupertas, atque æris inops, quo nocte dieque
Corpus eget: satur est, cum dicit Horatius,
Evœ!
Quis locus ingenio, nisi cum se carmine solo
Vexant, et dominis Cirrhæ, Nysæque feruntur
Pectora nostra, duas non admittentia curas? 65
Magnæ mentis opus, nec de lodice paranda
Attonitæ, currus et equos faciesque deorum
Adspicere, et qualis Rutulum confundat Erinnys.
Nam si Virgilio puer et tolerabile deesset
Hospitium, caderent omnes a crinibus hydri: 70
Surda nihil gemeret grave buccina. Poscimus, ut
sit
Non minor antiquo Rubrenus Lappa cothurno,
Cujus et alveolos et lænam pignerat Atreus.
Non habet infelix Numitor, quod mittat amico;
Quintillæ quod donet, habet: nec defuit illi, 75
Unde emeret multa pascendum carne leonem
Jam domitum: constat leviori bellua sumtu
Nimirum, et capiunt plus intestina poetæ.
Contentus fama jaceat Lucanus in hortis
Marmoreis: at Serrano tennuique Saleio 80
Gloria quantalibet quid erit, si gloria tantum est?
Curritur ad vocem jucundam et carmen amicæ
Thebaidos, lætam fecit cum Statius urbem,
Promisitque diem. Tanta dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi 85
Auditur; sed, cum fregit subsellia versu,
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.
Ille et militiæ multis largitur honorem,
Semestri vatum digitos circumligat auro.
Quod non dant proceres, dabit histrio. Tu Camerinos 90
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas?
Præfectos Pelopea facit, Philomela tribunos.
Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt,
Quis tibi Mecænas? quis nunc erit aut Proculeius, [alter?
Aut Fabius? quis Cotta iterum? quis Lentulus
Tunc par ingenio pretium: tunc utile multis 96
Pallere, et vinum toto nescire Decembri.
Vester porro labor fecundior, historiarum
Scriptores: petit hic plus temporis, atque olei plus;
Namque oblita modi millesima pagina surgit 100
Omnibus, et multa crescit damnosa papyro.
Sic ingens rerum numerus jubet, atque operis lex.
Quæ tamen inde seges? terræ quis fructus apertæ?
Quis dabit historico, quantum daret acta legenti?
Sed genus ignavum, quod lecto gaudet et umbra.
Dic igitur, quid causidicis civilia præstent
Officia, et magno comites in fasce libelli?
Ipsi magna sonant; sed tunc, cum creditor audit,
Præcipue, vel si tetigit latus acrior illo,
Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen.
Tunc immensa cavi spirant mendacia folles, 111
Conspuiturque sinus. Veram deprendere messem
Si libet; hinc centum patrimonia causidicorum,
Parte alia solum russati pone Lacernæ.
Consedere duces: surgis tu pallidus Ajax 115
Dicturus dubia pro libertate, bubulco
Judice. Rumpe miser tensum jecur, ut tibi lasso
Figantur virides, scalarum gloria, palmæ.
Quod vocis pretium? siccus petasunculus, et vas
Pelamydum, aut veteres, Afrorum epimenia, bulbi, 120
Aut vinum Tiberi devectum quinque lagenæ.
Si quater egisti, si contigit aureus unus,
Inde cadunt partes ex fœdere pragmaticorum
Æmilio dabitur, quantum licet, et melius nos
Egimus: hujus enim stat currus aeneus, alti 125
Quadrijuges in vestibulis, atque ipse feroci
Bellatore sedens curvatum hastile minatur
Eminus, et statua meditatur prœlia lusca.
Sic Pedo conturbat, Matho deficit: exitus hic est
Tongilli, magno cum rhinocerote lavari 130
Qui solet, et vexat lutulenta balnea turba,
Perque forum juvenes longo premit assere Medos,
Emturus pueros, argentum, murrhina, villas.
Spondet enim Tyrio stlataria purpura filo.
Et tamen est illis hoc utile: purpura vendit 135
Causidicum, vendunt amethystina: convenit illis
Et strepitu, et facie majoris vivere census.
Sed finem impensæ non servat prodiga Roma.
Fidimus eloquio? Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos, nisi fulserit annulus ingens.
Respicit hæc primum, qui litigat, an tibi servi
Octo, decem comites, an post te sella, togati
Ante pedes. Ideo conducta Paulus, agebat
Sardonyche, atque ideo pluris, quam Cossus, agebat,
Quam Basilus. Rara in tenui facundia panno. 145

Quando licet Basilo flentem producere matrem?
Quis bene dicentem Basilum ferat? Accipiat te
Gallia, vel potius nutricula causidicorum
Africa, si placuit mercedem ponere linguæ.
Declamare doces? O ferrea pectora Vecti, 150
Cum perimit sævos classis numerosa tyrannos!
Nam quæcunque sedens modo legerat, hæc eadem stans
Proferet, atque eadem cantabit versibus Isdem.
Occidit miseros crambe repetita magistros.
Quis color, et quod sit causæ genus, atque ubi summa 155
Quæstio, quæ veniant diversa parte sagittæ,
Nosse velint omnes, mercedem solvere nemo.
Mercedem appellas? quid enim scio? Culpa docentis
Scilicet arguitur, quod læva in parte mamillæ
Nil salit Arcadico juveni, cujus mihi sexta 160
Quaque die miserum dirus caput Hannibal implet;
Quicquid id est, de quo deliberat, an petat Urbem
A Cannis, an post nimbos et fulmina cautus
Circumagat madidas a tempestate cohortes. [do,
Quantum vis stipulare, et protinus accipe, quod
Ut toties illum pater audiat. Hæc alii sex 166
Vel plures uno conclamant ore sophistæ,
Et veras agitant lites, raptore relicto;
Fusa venena silent, malus ingratusque maritus,
Et quæ jam veteres sanant mortaria cæcos. 170
Ergo sibi dabit ipse rudem, si nostra movebunt
Consilia, et vitæ diversum iter ingredietur,
Ad pugnam qui rhetorica descendit ab umbra,
Summula ne pereat, qua vilis tessera venit
Frumenti: quippe hæc merces lautissima. Tenta,
Chrysogonus quanti doceat, vel Pollio quanti 176
Lautorum pueros, artem scindens Theodori.
Balnea sexcentis, et pluris porticus, in qua
Gesteiur dominus, quoties pluit. Anne serenum
Exspectet, spargatque luto jumenta recenti? 180
Hic potius: namque hic mundæ nitet ungula mu-
Parte alia longis Numidarum fulta columnis [læ.
Surgat, et algentem rapiat cœnatio solem.
Quanticunque domus, veniet, qui fercula docte
Componat; veniet, qui pulmentaria condat. 185
Hos inter sumtus sestertia Quintiliano,
Ut multum, duo sufficient. Res nulla minoris
Constabit patri, quam filius. Unde igitur tot
Quintilianus habet saltus? Exempla novorum
Fatorum transi: felix et pulcer, et acer: 190
Felix, et sapiens, et nobilis, et generosus
Appositam nigræ lunam subtexit alutæ:
Felix, orator quoque maximus, et jaculator;
Et, si perfrixit, cantat bene. Distat enim, quæ
Sidera te excipiant modo primos incipientem 195
Edere vagitus, et adhuc a matre rubentem.
Si Fortuna volet, fies de rhetore consul:
Si volet hæc eadem, fies de consule rhetor.
Ventidius quid enim? quid Tullius? anne aliud,
Sidus, et occulti miranda potentia fati? [quam
Servis regna dabunt, captivis fata triumphos. 201
Felix ille tamen corvo quoque rarior albo.
Pœnituit multos vanæ sterilisque cathedræ,
Sicut Thrasymachi probat exitus, atque Secundi
Carrinatis: et hunc inopem vidistis, Athenæ, 205
Nil præter gelidas ausæ conferre cicutas. [ram,
Di majorum umbris tenuem et sine pondere ter-
Spirantesque crocos, et in urna perpetuum ver,
Qui præceptorem sancti voluere parentis
Esse loco. Metuens virgæ jam grandis Achilles
Cantabat patriis in montibus: et cui non tunc
Eliceret risum citharœdi cauda magistri? 212
Sed Rufum atque alios cædit sua quæque juventus
Rufum, qui toties Ciceronem Allobroga dixit.
Quis gremio Enceladi doctique Palæmonis affert, [hoc,
Quantum grammaticus meruit labor? et tamen ex
Quodcunque est, (minus est autem, quam rhetoris æra) 217
Discipuli custos præmordet Acœnonoetus,
Et, qui dispensat, frangit sibi. Cede, Palæmon,
Et patere inde aliquid decrescere, non aliter, quam
Institor hibernæ tegetis niveique cadurci;
Dummodo non pereat, mediæ quod noctis ab hora
Sedisti, qua nemo faber, qua nemo sederet,
Qui docet obliquo lanam deducere ferro;
Dummodo non pereat totidem olfecisse lucernas,
Quot stabant pueri, cum totus decolor esset 226
Flaccus, et hæreret nigro fuligo Maroni.
Rara tamen merces, quæ cognitione tribuni
Non egeat. Sed vos sævas imponite leges,
Ut præceptori verborum regula constet, 230
Ut legat historias, auctores noverit omnes, [tus,
Tanquam ungues digitosque suos; ut forte roga-
Dum petit aut thermas aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchisæ, nomen patriamque novercæ
Anchemoli; dicat, quot Acestes vixerit annos, 235
Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.
Exigite, ut mores teneros ceu pollice ducat,
Ut si quis cera vultum facit: exigite, ut sit
Et pater ipsius cœtus, ne turpia ludant,
Ne faciant vicibus. Non est leve, tot puerorum
Observare manus, oculosque in fine trementes.
Hæc, inquit, cures, et, cum se verterit annus,
Accipe, victori populus quod postulat, aurum

SATIRA VIII.

Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Majorum, et stantes in curribus Æmilianos,
Et Curios jam dimidios, humerosque minorem
Corvinum, et Galbam auriculis nasoque carentem?
Quis fructus generis tabula jactare capaci 6
[Corvinum, posthac multa contingere virga]
Fumosos equitum cum dictatore magistros,
Si coram Lepidis male vivitur? Effigies quo
Tot bellatorum, si luditur alea pernox 10
Ante Numantinos? si dormire incipis ortu
Luciferi, quo signa duces et castra movebant?
Cur Allobrogicis, et magna gaudeat ara
Natus in Herculeo Fabius lare, si cupidus, si
Vanus, et Euganea quantumvis mollior agna; 15
Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum
Squalentes traducit avos, emtorque veneni
Frangenda miseram funestat imagine gentem?
Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas sola est atque unica virtus. 20
Paulus, vel Cossus, vel Drusus moribus esto:
Hos ante effigies majorum pone tuorum:
Præcedant ipsas illi te consule virgas.
Prima mihi debes animi bona. Sanctus haberi,
Justitiæque tenax factis dictisque mereris? 25
Agnosco procerem. Salve, Gætulice, seu tu
Silanus, quocunque alio de sanguine, rarus
Civis et egregius patriæ contingis ovanti.
Exclamare libet, populus quod clamat, Osiri
Invento. Quis enim generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere, et præclaro nomine tantum
Insignis? Nanum cujusdam Atlanta vocamus,
Æthiopem cycnum, pravam extortamque puellam
Europen: canibus pigris scabieque vetusta

Lævibus, et siccæ lambentibus ora lucernæ, 35
Nomen erit pardus, tigris, leo, si quid adhuc est,
Quod fremat in terris violentius. Ergo cavebis
Et metues, ne tu sis Creticus, aut Camerinus.
His ego quem monui? tecum est mihi sermo, Rubelli [quam
Blande. Tumes alto Drusorum stemmate, tan-
Feceris ipse aliquid, propter quod nobilis esses,
Ut te conciperet, quæ sanguine fulget Iuli,
Non quæ ventoso conducta sub aggere texit.
Vos humiles, inquis, vulgi pars ultima nostri,
Quorum nemo queat patriam monstrare parentis;
Ast ego Cecropides. Vivas, et originis hujus 46
Gaudia longa feras; tamen ima plebe Quiritem
Facundum invenies: solet hic defendere causas
Nobilis indocti. Veniet de plebe togata,
Qui juris nodos et legum ænigmata solvat. 50
Hic petit Euphraten juvenis, domitique Batavi
Custodes aquilas, armis industrius; at tu
Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Hermæ.
Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
Illi marmoreum caput est, tua vivit imago. 55
Dic mihi, Teucrorum proles, animalia muta
Quis generosa putet, nisi fortia? nempe volucrem
Sic laudamus equum, facili cui plurima palma
Fervet, et exsultat rauco victoria Circo.
Nobilis hic, quocunque venit de gramine, cujus 60
Clara fuga ante alios, et primus in æquore pulvis:
Sed venale pecus Choritæ, posteritas et
Hirpini, si rara jugo Victoria sedit.
Nil ibi majorum respectus, gratia nulla
Umbrarum: dominos pretiis mutare jubentur 65
Exiguis, tritoque trahunt epirhedia collo
Segnipedes, dignique molam versare Nepotis.
Ergo ut miremur te, non tua, primum aliquid da,
Quod possim titulis incidere præter honores, 69
Quos illis damus, et dedimus, quibus omnia debes.
Hæc satis ad juvenem, quem nobis fama superbum
Tradit, et inflatum, plenumque Nerone propinquo.
Rarus enim ferme sensus communis in illa
Fortuna. Sed te censeri laude tuorum,
Pontice, noluerim, sic ut nihil ipse futuræ 75
Laudis agas. Miserum est aliorum incumbere famæ,
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.
Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.
Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer. Ambiguæ si quando citabere testis 80
Incertæque rei; Phalaris licet imperet, ut sis
Falsus, et admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere causas.
Dignus morte perît, cœnet licet ostrea centum 85
Gaurana, et Cosmi toto mergatur aeno.
Exspectata diu tandem provincia cum te
Rectorem accipiet, pone iræ frena modumque,
Pone et avaritiæ; miserere inopum sociorum.
Ossa vides regum vacuis exsucta medullis. 90
Respice, quid moneant leges, quid curia mandet,
Præmia quanta bonos maneant, quam fulmine justo
Et Capito et Numitor ruerint, damnante senatu,
Piratæ Cilicum. Sed quid damnatio confert,
Cum Pansa eripiat, quicquid tibi Natta reliquit?
Præconem, Chærippe, tuis circumspice pannis,
Jamque tace. Furor est, post omnia perdere naulum.
Non idem gemitus olim, neque vulnus erat par
Damnorum, sociis florentibus et modo victis
Plena domus tunc omnis, et ingens stabat acervus
Nummorum, Spartana chlamys, conchylia Coa,
Et cum Parrhasii tabulis signisque Myronis 102
Phidiacum vivebat ebur, nec non Polycleti
Multus ubique labor: raræ sine Mentore mensæ.
Inde Dolabella est, atque hinc Antonius, inde 105
Sacrilegus Verres. Referebant navibus altis
Occulta spolia, et plures de pace triumphos.
Nunc sociis juga pauca boum, grex parvus equa-
Et pater armenti capto eripiatur agello; [rum
Ipsi deinde Lares, si quod spectabile signum, 110
Si quis in ædicula deus unicus. Hæc etenim sunt
Pro summis: nam sunt hæc maxima. Despicias tu
Forsitan imbelles Rhodios, unctamque Coriuthon:
Despicias merito. Quid resinata juventus,
Cruraque totius facient tibi lævia gentis? 115
Horrida vitanda est Hispania, Gallicus axis,
Illyricumque latus: parce et messoribus illis,
Qui saturant urbem Circo scenæque vacantem.
Quanta autem inde feres tam diræ præmia culpæ,
Cum tenues nuper Marius discinxerit Afros?
Curandum in primis, ne magna injuria fiat 121
Fortibus et miseris. Tollas licet omne, quod usquam est
Auri atque argenti; scutum, gladiumque relinques,
Et jacula, et galeam: spoliatis arma supersunt.
Quod modo proposui, non est sententia: verum
Credite me vobis folium recitare Sibyllæ. 126
Si tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal
Vendit Acersecomes, si nullum in conjuge crimen,
Nec per conventus et cuncta per oppida curvis
Unguibus ire parat nummos raptura Celæno; 130
Tunc licet a Pico numeres genus, altaque si te
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam
Inter majores, ipsumque Promethea ponas:
De quocunque voles proavum tibi sumito libro.
Quod si præcipitem rapit ambitus atque libido, 135
Si frangis virgas sociorum in sanguine, si te
Delectant hebetes lasso lictore secures;
Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas, claramque facem præferre pudendis.
Omne animi vitium tanto conspectius in se 140
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.
Quo mihi te solitum falsas signare tabellas
In templis, quæ fecit avus, statuamque parentis
Ante triumphalem? quo, si nocturnus adulter
Tempora Santonico velas adoperta cucullo? 145
Præter majorum cineres atque ossa volucri
Carpento rapitur pinguis Damasippus, et ipse,
Ipse rotam adstringit multo sufflamine consul:
Nocte quidem; sed luna videt, sed sidera testes
Intendunt oculos. Finitum tempus honoris 150
Cum fuerit, clara Damasippus luce flagellum
Sumet, et occursum nunquam trepidabit amici
Jam senis, ac virga prior annuet, atque maniplos
Solvet, et infundet jumentis hordea lassis.
Interea, dum lanatas, torvumque juvencum 155
More Numæ cædit Jovis ante altaria, jurat
Solam Eponam, et facies olida ad præsepia pictas.
Sed cum pervigiles placet instaurare popinas,
Obvius assiduo Syrophœnix udus amomo
Currit, Idumææ Syrophœnix incola portæ, 160
Hospitis adspectu dominum regemque salutat,
Et cum venali Cyane succincta lagena.
Defensor culpæ dicet mihi: Fecimus et nos
Hæc juvenes. Esto. Desisti nempe, nec ultra
Fovisti errorem. Breve sit, quod turpiter audes. 165
Quædam cum prima resecentur crimina barba.
Indulge veniam pueris. Damasippus ad illos
Thermarum calices inscriptaque lintea vadit,

Maturus bello, Armeniæ Syriæque tuendis
Amnibus, et Rheno, atque Istro. Præstare Neronem 170
Securum valet hæc ætas Mitte Ostia, Cæsar,
Mitte; sed in magna legatum quære popina.
Invenies aliquo cum percussore jacentem,
Permistum nautis, et furibus, ac fugitivis,
Inter carnifices, et fabros sandapilarum, 175
Et resupinati cessantia tympana Galli.
Æqua ibi libertas, communia pocula, lectus
Non alius cuiquam, nec mensa remotior ulli.
Quid facias talem sortitus, Pontice, servum?
Nempe in Lucanos, aut Tusca ergastula mittas. 180
At vos, Trojugenæ, vobis ignoscitis, et, quæ
Turpia cerdoni, Volesos Brutumque decebunt.
Quid, si nunquam adeo fœdis adeoque pudendis
Utimur exemplis, ut non pejora supersint?
Consumtis opibus vocem, Damasippe, locasti 185
Sipario, clamosum ageres ut Phasma Catulli.
Laureolum velox etiam bene Lentulus egit,
Judice me dignus vera cruce. Nec tamen ipsi
Ignoscas populo; populi frons durior hujus,
Qui sedet, et spectat triscurria patriciorum, 190
Planipedes audit Fabios, ridere potest qui
Mamercorum alapas. Quanti sua funera vendant,
Quid refert? vendunt nullo cogente Nerone,
[Nec dubitant celsi prætoris vendere ludis.]
Finge tamen gladios inde, atque hinc pulpita pone: 195
Quid satius? Mortem sic quisquam exhorruit, ut sit
Zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi?
Res haud mira tamen, citharœdo principe, mimus
Nobilis. Hæc ultra, quid erit nisi ludus? Et illud
Dedecus Urbis habes: nec mirmillonis in armis,
Nec clypeo Gracchum pugnantem aut falce supina, 201
(Damnat enim tales habitus; sed damnat et odit)
Nec galea frontem abscondit: movet ecce tridentem,
Postquam librata pendentia retia dextra
Nequicquam effudit, nudum ad spectacula vultum
Erigit, et tota fugit agnoscendus arena. 206
Credamus tunicæ, de faucibus aurea cum se
Porrigat, et longo jactetur spira galero.
Ergo ignominiam graviorem pertulit omni
Vulnere, cum Graccho jussus pugnare, secutor.
Libera si dentur populo suffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?
Cujus supplicio non debuit una parari
Simia, nec serpens unus, nec culeus unus. 214
Par Agamemnonidæ crimen; sed causa facit rem
Dissimilem. Quippe ille deis auctoribus ultor
Patris erat cæsi media inter pocula; sed nec
Electræ jugulo se polluit, aut Spartani
Sanguine conjugii, nullis aconita propinquis
Miscuit, in scena nunquam cantavit Orestes, 220
Troica non scripsit. Quid enim Verginius armis
Debuit ulcisci magis, aut cum Vindice Galba?
Quid Nero tam sæva crudaque tyrannide fecit?
Hæc opera, atque hæ sunt generosi principis artes,
Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita saltu 225
Prostitui, Graiæque apium meruisse coronæ.
Majorum effigies habeant insignia vocis:
Ante pedes Domiti longum tu pone Thyestæ
Syrma, vel Antigones seu personam Menalippes,
Et de marmoreo citharam suspende colosso. 230
Quid, Catilina, tuis natalibus atque Cethegi
Inveniet quisquam sublimius? Arma tamen vos
Nocturna, et flammas domibus, templisque parastis
Ut Braccatorum pueri, Senonumque minores,
Ausi, quod liceat tunica punire molesta. 235
Sed vigilat consul, vexillaque vestra coercet.
Hic novus Arpinas, ignobilis, et modo Romæ
Municipalis eques, galeatum ponit ubique
Præsidium attonitis, et in omni gente laborat.
Tantum igitur muros intra toga contulit illi 240
Nominis et tituli, quantum non Leucade, quantum
Thessaliæ campis Octavius abstulit udo
Cædibus assiduis gladio. Sed Roma parentem,
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.
Arpinas alius Volscorum in monte solebat 245
Poscere mercedes alieno lassus aratro,
Nodosam post hæc frangebat vertice vitem,
Si lentus pigra muniret castra dolabra.
Hic tamen et Cimbros, et summa pericula rerum
Excipit, et solus trepidantem protegit Urbem. 250
Atque ideo, postquam ad Cimbros stragemque volabant,
Qui nunquam attigerant majora cadavera, corvi,
Nobilis ornatur lauro collega secunda.
Plebeiæ Deciorum animæ, plebeia fuerunt
Nomina: pro totis legionibus hi tamen, et pro 255
Omnibus auxiliis, atque omni pube Latina
Sufficiunt dis infernis Terræque parenti:
Pluris enim Decii, quam quæ servantur ab illis.
Ancilla natus trabeam et diadema Quirini
Et fasces meruit, regum ultimus ille bonorum. 260
Prodita laxabant portarum claustra tyrannis
Exsulibus juvenes ipsius consulis, et quos
Magnum aliquid dubia pro libertate deceret,
Quod miraretur cum Coclite Mucius, et quæ
Imperii fines Tiberinum virgo natavit. 265
Occulta ad patres produxit crimina servus
Matronis lugendus; at illos verbera justis
Afficiunt pœnis, et legum prima securis.
Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
Æacidæ similis, Vulcaniaque arma capessas, 270
Quam te Thersitæ similem producat Achilles.
Et tamen, ut longe repetas, longeque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.
Majorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud, quod dicere nolo. 275

SATIRA IX.

Scire velim, quare toties mihi, Nævole, tristis
Occurras fronte obducta, ceu Marsya victus.
Quid tibi cum vultu, qualem deprensus habebat
Ravola, dum Rhodopes uda terit inguina barba?
Nos colaphum incutimus lambenti crustula servo.
Non erat hac facie miserabilior Crepereius 6
Pollio, qui triplicem usuram præstare paratus
Circuit, et fatuos non invenit. Unde repente
Tot rugæ? certe modico contentus agebas
Vernam equitem, conviva joco mordente facetus,
Et salibus vehemens intra pomœria natis. 11
Omnia nunc contra: vultus gravis, horrida siccæ
Sylva comæ, nullus tota nitor in cute, qualem
Bruttia præstabat calidi tibi fascia visci;
Sed fruticante pilo neglecta, et squalida crura. 15
Quid macies ægri veteris, quem tempore longo
Torret quarta dies, olimque domestica febris?
Deprendas animi tormenta latentis in ægro
Corpore, deprendas et gaudia: sumit utrumque
Inde habitum facies. Igitur flexisse videris 20
Propositum, et vitæ contrarius ire priori.
Nuper enim, ut repeto, fanum Isidis et Ganymeden,
Pacis, et advectæ secreta palatia Matris, [plo?)
Et Cererem (nam quo non prostat fœmina tem-
Notior Aufidio mœchus celebrare solebas, 25
Quodque taces, ipsos etiam inclinare maritos.

Utile et hoc multis vitæ genus : at mihi nullum
Inde operæ pretium. Pingues aliquando lacernas,
Munimenta togæ, duri crassique coloris,
Et male percussas textoris pectine Galli 30
Accipimus, tenue argentum, venæque secundæ.
Fata regunt homines : fatum est et partibus illis,
Quas sinus abscondit. Nam, si tibi sidera cessant,
Nil faciet longi mensura incognita nervi,
Quamvis te nudum spumanti Virro labello 35
Viderit, et blandæ assidue densæque tabellæ
Sollicitent : Αὐτὸς γὰρ ἰφέλκεται ἄνδρα κίναιδος.
Quod tamen ulterius monstrum, quam mollis avarus ?
Hæc tribui, deinde illa dedi, mox plura tulisti.
Computat, ac cevet. Ponatur calculus, adsint 40
Cum tabula pueri : numera sestertia quinque
Omnibus in rebus ; numerentur deinde labores.
An facile et pronum est agere intra viscera penem
Legitimum, atque illic hesternæ occurrere cœnæ ?
Servus erit minus ille miser, qui foderit agrum, 45
Quam dominum. Sed tu sane tenerum et puerum te,
Et pulcrum, et dignum cyatho, cœloque putabas.
Vos humili asseclæ, vos indulgebitis unquam
Cultori, jam nec morbo donare parati ?
En, cui tu viridem umbellam, cui succina mittas 50
Grandia, natalis quoties redit, aut madidum ver
Incipit, et strata positus, longaque cathedra
Munera fœmineis tractat secreta Calendis.
Dic, passer, cui tot montes, tot prædia servas
Appula, tot milvos intra tua pascua lassos ? 55
Te Trifolinus ager fœcundis vitibus implet,
Suspectumque jugum Cumis, et Gaurus inanis.
Nam quis plura linit victuro dolia musto ?
Quantum erat exhausti lumbos donare clientis
Jugeribus paucis ? meliusne hic rusticus infans, 60
Cum matre, et casulis, et collusore catello,
Cymbala pulsantis legatum fiet amici ?
Improbus es, cum poscis, ais : sed pensio clamat,
Posce ; sed appellat puer unicus, ut Polyphemi
Lata acies, per quam sollers evasit Ulixes. 65
Alter emendus erit ; namque hic non sufficit : ambo
Pascendi. Quid agam bruma spirante ? quid, oro,
Quid dicam scapulis puerorum Aquilone Decembri
Et pedibus ? durate, atque exspectate cicadas ?
Verum, ut dissimules, ut mittas cetera, quanto 70
Metiris pretio, quod, ni tibi deditus essem
Devotusque cliens, uxor tua virgo maneret ?
Scis certe, quibus ista modis, quam sæpe rogaris,
Et quæ pollicitus. Fugientem sæpe puellam
Amplexu rapui : tabulas quoque ruperat, et jam 75
Signabat. Tota vix hoc ego nocte redemi,
Te plorante foris. Testis mihi lectulus, et tu,
Ad quem pervenit lecti sonus, et dominæ vox.
Instabile, ac dirimi cœptum, et jam pæne solutum
Conjugium in multis domibus servavit adulter ! 80
Quo te circumagas ? quæ prima aut ultima ponas ?
Nullum ergo meritum est, ingrate ac perfide, nul-
Quod tibi filiolus, quod filia nascitur ex me ? [lum,
Tollis enim, et libris actorum spargere gaudes
Argumenta viri. Foribus suspende coronas, 85
Jam pater es : dedimus, quod famæ opponere possis :
Jura parentis habes, propter me scriberis hæres,
Legatum omne capis nec non et dulce caducum.
Commoda præterea jungentur multa caducis,
Si numerum, si tres implevero. Justa doloris, 90
Nævole, causa tui. Contra tamen ille quid affert ?
Negligit, atque alium bipedem sibi jærit asellum.
Hæc soli commissa tibi celare memento,
Et tacitus nostras intra te fige querelas.
Nam res mortifera est inimicus pumice lævis. 95
Qui modo secretum commiserat, ardet, et odit,
Tanquam prodiderim, quicquid scio. Sumere ferrum,
Fuste aperire caput, candelam apponere valvis
Non dubitat. Nec contemnas, aut despicias, quod
His opibus nunquam cara est annona veneni. 100
Ergo occulta teges, ut curia Martis Athenis.
O Corydon, Corydon, secretum divitis ullum
Esse putas ? Servi ut taceant, jumenta loquuntur,
Et canis, et postes, et marmora. Claude fenestras,
Vela tegant rimas, junge ostia, tollito lumen 105
E medio, taceant omnes, prope nemo recumbat :
Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,
Proximus ante diem caupo sciet ; audiet et, quæ
Finxerunt pariter librarius, archimagiri,
Carptores. Quod enim dubitant componere crimen 110
In dominos, quoties rumoribus ulciscuntur
Baltea ? Nec deerit, qui te per compita quærat
Nolentem, et miseram vinosus inebriet aurem.
Illos ergo roges, quicquid paulo ante petebas
A nobis. Taceant illi : sed prodere malunt 115
Arcanum, quam subrepti potare Falerni,
Pro populo faciens quantum Laufella bibebat.
Vivendum recte est, cum propter plurima, tum his
Præcipue causis, ut linguas mancipiorum
Contemnas : nam lingua mali pars pessima servi.
Deterior tamen hic, qui liber non erit illis, 121
Quorum animas et farre suo custodit, et ære.
Idcirco ut possim linguam contemnere servi,
Utile consilium modo, sed commune, dedisti :
Nunc mihi quid suades post damnum temporis, et spes 125
Deceptas ? Festinat enim decurrere velox
Flosculus angustæ miseræque brevissima vitæ
Portio : dum bibimus, dum serta, unguenta, puel-
Poscimus, obrepit non intellecta senectus. [las
Ne trepida : nunquam pathicus tibi deerit amicus, 130
Stantibus et salvis his collibus ; undique ad illos
Convenient et carpentis, et navibus omnes,
Qui digito scalpunt uno caput. Altera major
Spes superest : tu tantum erucis imprime dentem
Hæc exempla para felicibus : at mea Clotho 135
Et Lachesis gaudent, si pascitur inguine venter.
O parvi nostrique Lares, quos thure minuto,
Aut farre, et tenui soleo exorare corona, [nectus
Quando ego figam aliquid, quo sit mihi tuta se-
A tegete et baculo ? viginti millia fœnus 140
Pigneribus positis, argenti vascula puri,
Sed quæ Fabricius censor notet, et duo fortes
De grege Mœsorum, qui me cervice locata
Securum jubeant clamoso insistere Circo.
Sit mihi præterea curvus cælator, et alter, 145
Qui multas facies pingat cito. Sufficiunt hæc,
Quando ego pauper ero. Votum miserabile, nec spes
His saltem : nam, cum pro me Fortuna rogatur,
Affigit ceras illa de nave petitas,
Quæ Siculos cantus effugit remige surdo. 150

LIBER QUARTUS.

SATIRA X.

Omnibus in terris, quæ sunt a Gadibus usque
Auroram et Gangen, pauci dignoscere possunt
Vera bona atque illis multum diversa, remota
Erroris nebula. Quid enim ratione timemus
Aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, ut te 5
Conatus non pœniteat votique peracti?
Evertere domos totas optantibus ipsis
Di faciles. Nocitura toga, nocitura petuntur
Militia. Torrens dicendi copia multis,
Et sua mortifera est facundia. Viribus ille 10
Confisus periit admirandisque lacertis.
Sed plures nimia congesta pecunia cura [sus,
Strangulat, et cuncta exsuperans patrimonia cen-
Quanto delphinis balæna Britannica major.
Temporibus diris igitur jussuque Neronis 15
Longinum, et magnos Senecæ prædivitis hortos
Clausit, et egregias Lateranorum obsidet ædes
Tota cohors. Rarus venit in cœnacula miles.
Pauca licet portes argenti vascula puri, 19
Nocte iter ingressus gladium contumque timebis,
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbram:
Cantabit vacuus coram latrone viator.
Prima fere vota et cunctis notissima templis
Divitiæ; crescant ut opes, ut maxima toto
Nostra sit arca foro. Sed nulla aconita bibuntur
Fictilibus. Tunc illa time, cum pocula sumes
Gemmata, et lato Setinum ardebit in auro.
Jamne igitur laudas, quod de sapientibus alter
Ridebat, quoties de limine moverat unum
Protuleratque pedem; flebat contrarius auctor?
Sed facilis cuivis rigidi censura cachinni: 31
Mirandum est, unde ille oculis suffecerit humor.
Perpetuo risu pulmonem agitare solebat
Democritus, quanquam non essent urbibus illis
Prætexta et trabeæ, fasces, lectica, tribunal. 35
Quid, si vidisset prætorem curribus altis
Exstantem, et medio sublimem in pulvere Circi,
In tunica Jovis, et pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla? 40
Quippe tenet sudans hanc publicus, et, sibi consul
Ne placeat, curru servus portatur eodem.
Da nunc et volucrem, sceptro quæ surgit eburno,
Illinc cornicines, hinc præcedentia longi
Agminis officia, et niveos ad frena Quirites, 45
Defossa in loculis quos sportula fecit amicos.
Tunc quoque materiam risus invenit ad omnes
Occursus hominum, cujus prudentia monstrat,
Summos posse viros et magna exempla daturos
Vervecum in patria crassoque sub aere nasci. 50
Ridebat curas, nec non et gaudia vulgi,
Interdum et lacrymas, cum Fortunæ ipse minaci
Mandaret laqueum, mediumque ostenderet unguem.
Ergo supervacua hæc aut perniciosa petuntur,
Propter quæ fas est genua incerare deorum. 55
Quosdam præcipitat subjecta potentia magnæ
Invidiæ; mergit longa atque insignis honorum
Pagina; descendunt statuæ restemque sequuntur.
Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
Cædit, et immeritis franguntur crura caballis. 60
Jam stridunt ignes, jam follibus atque caminis
Ardet adoratum populo caput, et crepat ingens
Sejanus: deinde ex facie toto orbe secunda
Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellæ.
Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum 65
Cretatumque bovem: Sejanus ducitur unco
Spectandus: gaudent omnes. Quæ labra? quis illi
Vultus erat? nunquam, si quid mihi credis, amavi
Hunc hominem. Sed quo cecidit sub crimine? quisnam
Delator? quibus indiciis? quo teste probavit? 70
Nil horum: verbosa et grandis epistola venit
A Capreis. Bene habet; nil plus interrogo. Sed quid [odit
Turba Remi? Sequitur Fortunam, ut semper, et
Damnatos. Idem populus, si Nursia Tusco
Favisset, si oppressa foret secura senectus 75
Principis, hac ipsa Sejanum diceret hora
Augustum. Jampridem, ex quo suffragia nulli
Vendimus, effudit curas. Nam qui dabat olim
Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se
Continet, atque duas tantum res anxius optat, 80
Panem et Circenses. Perituros audio multos.
Nil dubium; magna est fornacula: pallidulus mi
Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram.
Quam timeo, victus ne pœnas exigat Ajax,
Ut male defensus! Curramus præcipites, et, 85
Dum jacet in ripa, calcemus Cæsaris hostem.
Sed videant servi, ne quis neget, et pavidum in jus
Cervice obstricta dominum trahat. Hi sermones
Tunc de Sejano, secreta hæc murmura vulgi.
Visne salutari, sicut Sejanus? habere 90
Tantundem, atque illi summas donare curules?
Illum exercitibus præponere? tutor haberi
Principis angusta Caprearum in rupe sedentis
Cum grege Chaldæo? Vis certe pila, cohortes,
Egregios equites, et castra domestica. Quidni 95
Hæc cupias? et, qui nolunt occidere quenquam,
Posse volunt. Sed quæ præclara et prospera tanti
Ut rebus lætis par sit mensura malorum?
Hujus, qui trahitur, prætextam sumere mavis,
An Fidenarum Gabiorumque esse potestas, 100
Et de mensura jus dicere, vasa minora
Frangere pannosus vacuis ædilis Ulubris?
Ergo quid optandum foret, ignorasse fateris
Sejanum: nam qui nimios optabat honores,
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat 105
Excelsæ turris tabulata, unde altior esset
Casus, et impulsæ præceps immane ruinæ.
Quid Crassos, quid Pompeios evertit? et illum,
Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nulla non arte petitus, 110
Magnaque numinibus vota exaudita malignis.
Ad generum Cereris sine cæde et vulnere pauci
Descendunt reges, et sicca morte tyranni.
Eloquium ac famam Demosthenis aut Ciceronis
Incipit optare, et totis Quinquatribus optat, 115
Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam,
Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ.
Eloquio sed uterque perit orator: utrumque
Largus et exundans leto dedit ingenii fons.
Ingenio manus est et cervix cæsa; nec unquam

Sanguine causidici maduerunt rostra pusilli. 121
O fortunatam natam me consule Romam!
Antoni gladios potuit contemnere, si sic
Omnia dixisset. Ridenda poemata malo,
Quam te conspicuæ, divina Philippica, famæ, 125
Volveris a prima quæ proxima. Sævus et illum
Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ
Torrentem, et pleni moderantem frena theatri.
Dis ille adversis genitus fatoque sinistro,
Quem pater ardentis massæ fuligine lippus 130
A carbone, et forcipibus, gladiosque parante
Incude, et luteo Vulcano, ad rhetora misit.
Bellorum exuviæ, truncis affixa tropæis
Lorica, et fracta de casside buccula pendens,
Et curtum temone jugum, victæque triremis 135
Aplustre, et summo tristis captivus in arcu,
Humanis majora bonis creduntur: ad hæc se
Romanus Graiusque ac barbarus endoperator
Erexit; causas discriminis atque laboris
Inde habuit. Tanto major famæ sitis est, quam
Virtutis. Quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Præmia si tollas? Patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum, et laudis, titulique cupido
Hæsuri saxis cinerum custodibus; ad quæ
Discutienda valent sterilis mala robora ficus: 145
Quandoquidem data sunt ipsis quoque fata sepulcris.
Expende Hannibalem: quot libras in duce summo
Invenies? hic est, quem non capit Africa Mauro
Percussa Oceano, Niloque admota tepenti, [tos.
Rursus ad Æthiopum populos, aliosque elephan-
Additur imperiis Hispania: Pyrenæum 151
Transilit. Opposuit natura Alpemque nivemque:
Diducit scopulos, et montem rumpit aceto.
Jam tenet Italiam: tamen ultra pergere tendit.
Actum, inquit, nihil est, nisi Pœno milite portas
Frangimus, et media vexillum pono Subura. 156
O qualis facies et quali digna tabella,
Cum Gætula ducem portaret belua luscum!
Exitus ergo quis est? o gloria! vincitur idem
Nempe, et in exsilium præceps fugit, atque ibi magnus 160
Mirandusque cliens sedet ad prætoria regis,
Donec Bithyno libeat vigilare tyranno.
Finem animæ, quæ res humanas miscuit olim,
Non gladii, non saxa dabunt, nec tela, sed ille
Cannarum vindex, ac tanti sanguinis ultor, 165
Annulus. I, demens, et sævas curre per Alpes,
Ut pueris placeas, et declamatio fias!
Unus Pellæo juveni non sufficit orbis:
Æstuat infelix angusto limite mundi,
Ut Gyaræ clausus scopulis parvaque Seripho. 170
Cum tamen a figulis munitam intraverit urbem,
Sarcophago contentus erit. Mors sola fatetur,
Quantula sint hominum corpuscula. Creditur olim
Velificatus Athos, et quicquid Græcia mendax
Audet in historia: constratum classibus isdem
Suppositumque rotis solidum mare: credimus
Defecisse amnes, epotaque flumina Medo [altos
Prandente, et madidis cantat quæ Sostratus alis.
Ille tamen qualis rediit Salamine relicta,
In Corum atque Eurum solitus sævire flagellis 180
Barbarus, Æolio nunquam hoc in carcere passos,
Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum?
Mitius id sane, quod non et stigmate dignum
Credidit. Huic quisquam vellet servire deorum?
Sed qualis rediit? nempe una nave, cruentis 185
Fluctibus, ac tarda per densa cadavera prora.
Has toties optata exegit gloria pœnas.
Da spatium vitæ, multos da, Jupiter, annos:
Hoc recto vultu, solum hoc et pallidus optas.
Sed quam continuis et quantis longa senectus 190
Plena malis? Deformem et tetrum ante omnia vultum,
Dissimilemque sui, deformem pro cute pellem,
Pendentesque genas, et tales adspice rugas,
Quales, umbriferos ubi pandit Tabraca saltus,
In vetula scalpit jam mater simia bucca. 195
Plurima sunt juvenum discrimina: pulcrior ille
Hoc, atque ille alio; multum hic robustior illo
Una senum facies, cum voce trementia membra,
Et jam læve caput, madidique infantia nasi.
Frangendus misero gingiva panis inermi. 200
Usque adeo gravis uxori, natisque, sibique,
Ut captatori moveat fastidia Cosso.
Non eadem vini atque cibi, torpente palato,
Gaudia: nam coitus jam longa oblivio; vel si
Coneris, jacet exiguus cum ramice nervus, 205
Et, quamvis tota palpetur nocte, jacebit.
Anne aliquid sperare potest hæc inguinis ægri
Canities? quid, quod merito suspecta libido est,
Quæ Venerem affectat sine viribus. Adspice partis [luptas,
Nunc damnum alterius: nam quæ cantante vo-
Sit licet eximius citharœdus, sitve Seleucus,
Et quibus aurata mos est fulgere lacerna?
Quid refert, magni sedeat qua parte theatri,
Qui vix cornicines exaudiat, atque tubarum
Concentus? clamore opus est, ut sentiat auris, 215
Quem dicat venisse puer, quot nuntiet horas.
Præterea minimus gelido jam corpore sanguis
Febre calet sola; circumsilit agmine facto [ras,
Morborum omne genus: quorum si nomina quæ-
Promtius expediam, quot amaverit Hippia mœchos, 220
Quot Themison ægros auctumno occiderit uno.
Quot Basilus socios, quot circumscripserit Hirrus
Pupillos, quot longa viros exsorbeat uno
Maura die, quot discipulos inclinet Hamillus;
Percurram citius, quot villas possideat nunc. 225
Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat.
Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis, ambos
Perdidit ille oculos, et luscis invidet: hujus
Pallida labra cibum accipiunt digitis alienis.
Ipse ad conspectum cœnæ diducere rictum 230
Suetus, hiat tantum, ceu pullus hirundinis, ad
Ore volat pleno mater jejuna. Sed omni [quem
Membrorum damno major dementia, quæ nec
Nomina servorum, nec vultum agnoscit amici,
Cum quo præterita cœnavit nocte; nec illos, 235
Quos genuit, quos eduxit. Nam codice sævo
Hæredes vetat esse suos; bona tota feruntur
Ad Phialen: tantum artificis valet halitus oris,
Quod steterat multis in carcere fornicis annis.
Ut vigeant sensus animi, ducenda tamen sunt 240
Funera natorum, rogus adspiciendus amatæ
Conjugis, et fratris, plenæque sororibus urnæ.
Hæc data pœna diu viventibus, ut, renovata
Semper clade domus, multis in luctibus, inque
Perpetuo mœrore, et nigra veste senescant. 245
Rex Pylius, magno si quicquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit a cornice secundæ.
Felix nimirum, qui tot per sæcula mortem
Distulit, atque suos jam dextra computat annos,
Quique novum toties mustum bibit. Oro, parumper 250
Attendas, quantum de legibus ipse queratur
Fatorum, et nimio de stamine, cum videt acris
Antilochi barbam ardentem, cum quærit ab omni,
Quisquis adest socius, cur hæc in tempora duret,

Quod facinus dignum tam longo admiserit ævo?
Hæc eadem Peleus, raptum cum luget Achillem,
Atque alius, cui fas Ithacum lugere natantem.
Incolumi Troja Priamus venisset ad umbras
Assaraci magnis solennibus, Hectore funus
Portante, ac reliquis fratrum cervicibus, inter 260
Iliadum lacrymas, ut primos edere planctus
Cassandra inciperet, scissaque Polyxena palla,
Si foret exstinctus diverso tempore, quo non
Cœperat audaces Paris ædificare carinas.
Longa dies igitur quid contulit? omnia vidit 265
Eversa, et flammis Asiam ferroque cadentem.
Tunc miles tremulus posita tulit arma tiara,
Et ruit ante aram summi Jovis, ut vetulus bos,
Qui domini cultris tenue et miserabile collum
Præbet, ab ingrato jam fastidius aratro. 270
Exitus ille utcunque hominis: sed torva canino
Latravit rictu, quæ post hunc vixerat, uxor.
Festino ad nostros, et regem transeo Ponti
Et Crœsum, quem vox justi facunda Solonis
Respicere ad longæ jussit spatia ultima vitæ. 275
Exsilium, et carcer, Minturnarumque paludes,
Et mendicatus victa Carthagine panis,
Hinc causas habuere. Quid illo cive tulisset
Natura in terris, quid Roma beatius unquam,
Si circumducto captivorum agmine, et omni 280
Bellorum pompa, animam exhalasset opimam,
Cum de Teutonico vellet descendere curru?
Provida Pompeio dederat Campania febres
Optandas: sed multæ urbes et publica vota
Vicerunt. Igitur fortuna ipsius et Urbis 285
Servatum victo caput abstulit. Hoc cruciatu
Lentulus, hac pœna caruit, ceciditque Cethegus
Integer, et jacuit Catilina cadavere toto.
Formam optat modico pueris, majore puellis
Murmure, cum Veneris fanum videt anxia mater,
Usque ad delicias votorum. Cur tamen, inquit,
Corripias? Pulchra gaudet Latona Diana.
Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem
Ipsa habuit: cuperet Rutilæ Virginia gibbum
Accipere, atque suam Rutilæ dare. Filius autem
Corporis egregii miseros trepidosque parentes
Semper habet. Rara est adeo concordia formæ
Atque pudicitiæ. Sanctos licet horrida mores
Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinos;
Præterea castum ingenium, vultumque modesto
Sanguine ferventem tribuat natura benigna
Larga manu; (quid enim puero conferre potest plus
Custode et cura natura potentior omni?)
Non licet esse viris: nam prodiga corruptoris
Improbitas ipsos audet tentare parentes. 305
Tanta in muneribus fiducia! Nullus ephebum
Deformem sæva castravit in arce tyrannus;
Nec prætextatum rapuit Nero loripedem, vel
Strumosum, atque utero pariter, gibboque tumentem.
I nunc, et juvenis specie lætare tui? quem 310
Majora exspectant discrimina? fiet adulter
Publicus, et pœnas metuet, quascunque mariti
Exigere irati; nec erit felicior astro [autem
Martis, ut in laqueos nunquam incidat. Exigit
Interdum ille dolor plus, quam lex ulla dolori 315
Concessit. Necat hic ferro, secat ille cruentis
Verberibus, quosdam mœchos et mugilis intrat.
Sed tuus Endymion dilectæ fiet adulter
Matronæ: mox cum dederit Servilia nummos,
Fiet et illius, quam non amat: exuet omnem 320
Corporis ornatum. Quid enim ulla negaverit udis
Inguinibus, sive est hæc Oppia sive Catulla?
Deterior totos habet illic fœmina mores.
Sed casto quid forma nocet? quid profuit immo
Hippolyto grave propositum? quid Bellerophonti?
Erubuit nempe hæc, ceu fastidita, repulsa. [et se
Nec Sthenebœa minus, quam Cressa, excanduit,
Concussere ambæ. Mulier sævissima tunc est,
Cum stimulos odio pudor admovet. Elige, quidnam 329
Suadendum esse putes, cui nubere Cæsaris uxor
Destinat? Optimus hic et formosissimus idem
Gentis patriciæ rapitur miser exstinguendus
Messalinæ oculis: dudum sedet illa parato
Flammeolo, Tyriusque palam genialis in hortis
Sternitur, et ritu decies centena dabuntur 335
Antiquo; veniet cum signatoribus auspex.
Hæc tu secreta, et paucis commissa putabas?
Non, nisi legitime, vult nubere. Quid placeat, dic:
Ni parere velis, pereundum erit ante lucernas:
Si scelus admittas, dabitur mora parvula, dum res
Nota Urbi et populo contingat Principis aures.
Dedecus ille domus sciet ultimus: interea tu
Obsequere imperio; sit tanti vita dierum
Paucorum. Quicquid melius, leviusque putaris,
Præbenda est gladio pulcra hæc et candida cervix.
Nil ergo optabunt homines? Si consilium vis,
Permittes ipsis expendere numinibus, quid 347
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.
Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt di.
Carior est illis homo, quam sibi. Nos animorum
Impulsu, et cæca magnaque cupidine ducti, 351
Conjugium petimus, partumque uxoris: at illis
Notum, qui pueri, qualisque futura sit uxor.
Ut tamen et poscas aliquid, voveasque sacellis
Exta, et candiduli divina tomacula porci; 355
Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano:
Fortem posce animum, mortis terrore carentem,
Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoscunque labores,
Nesciat irasci, cupiat nihil, et potiores 360
Herculis ærumnas credat sævosque labores
Et Venere, et cœnis, et pluma Sardanapali.
Monstro, quod ipse tibi possis dare: semita certe
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ. 364
Nullum numen habes, si sit prudentia: nos te,
Nos facimus, Fortuna, deam cœloque locamus

SATIRA XI.

Atticus eximie si cœnat, lautus habetur;
Si Rutilus, demens. Quid enim majore cachinno
Excipitur vulgi, quam pauper Apicius? Omnis
Convictus, thermæ, stationes, omne theatrum
De Rutilo. Nam dum valida ac juvenilia membra
Sufficiunt galeæ, dumque ardent sanguine, fertur,
Non cogente quidem, sed nec prohibente tribuno,
Scripturus leges, et regia verba lanistæ.
Multos porro vides, quos sæpe elusus ad ipsum
Creditor introitum solet exspectare macelli, 10
Et quibus in solo vivendi causa palato est.
Egregius cœnat meliusque miserrimus horum
Et cito casurus jam perlucente ruina.
Interea gustus elementa per omnia quærunt,
Nunquam animo pretiis obstantibus. Interius si
Attendas, magis illa juvant, quæ pluris emuntur.
Ergo haud difficile est, perituram arcessere summam
Lancibus oppositis, vel matris imagine fracta,
Et quadringentis nummis condire gulosum
Fictile: sic veniunt ad miscellanea ludi. 20
Refert ergo, quis hæc eadem paret: in Rutilo nam
Luxuria est; in Ventidio laudabile nomen
Sumit, et a censu famam trahit. Illum ego jure

Despiciam, qui scit, quanto sublimior Atlas
Omnibus in Libya sit montibus; hic tamen idem
Ignoret, quantum ferrata distet ab arca 26
Sacculus. E cœlo descendit Γνῶθι σεαυτὸν,
Figendum et memori tractandum pectore, sive
Conjugium quæras, vel sacri in parte senatus
Esse velis: nec enim loricam poscit Achillis 30
Thersites, in qua se transducebat Ulixes.
Ancipitem seu tu magno discrimine causam
Protegere affectas, te consule, dic tibi, qui sis,
Orator vehemens, an Curtius et Matho buccæ.
Noscenda est mensura sui spectandaque rebus 35
In summis minimisque, etiam cum piscis emetur,
Ne mullum cupias, cum sit tibi gobio tantum
In loculis. Quis enim te, deficiente crumena
Et crescente gula, manet exitus, ære paterno
Ac rebus mersis in ventrem, fænoris atque 40
Argenti gravis, et pecorum, agrorumque capacem?
Talibus a dominis post cuncta novissimus exit
Annulus, et digito mendicat Pollio nudo.
Non præmaturi cineres, nec funus acerbum
Luxuriæ; sed morte magis metuenda senectus. 45
Hi plerumque gradus: conducta pecunia Romæ
Et coram dominis consumitur: inde ubi paulum
Nescio quid superest, et pallet fœnoris auctor,
Qui vertere solum, Baias et ad ostrea currunt.
Cedere namque foro jam non est deterius, quam 50
Esquilias a ferventi migrare Suburra.
Ille dolor solus patriam fugientibus, illa
Mœstitia est, caruisse anno Circensibus uno.
Sanguinis in facie non hæret gutta: morantur
Pauci ridiculum fugientem ex Urbe pudorem. 55
Experiere hodie, numquid pulcherrima dictu,
Persice, non præstem vita vel moribus, et re;
Sed laudem siliquas occultus ganeo; pultes
Coram aliis dictem puero, sed in aure placentas.
Nam cum sis conviva mihi promissus, habebis
Evandrum, venies Tirynthius, aut minor illo 61
Hospes, et ipse tamen contingens sanguine cœlum;
Alter aquis, alter flammis ad sidera missus.
Fercula nunc audi nullis ornata macellis.
De Tiburtino veniet pinguissimus agro 65
Hædulus, et toto grege mollior, inscius herbæ,
Necdum ausus virgas humilis mordere salicti,
Qui plus lactis habet, quam sanguinis; et montani
Asparagi, posito quos legit villica fuso.
Grandia præterea, tortoque calentia fœno 70
Ova adsunt ipsis cum matribus, et servatæ
Parte anni, quales fuerant in vitibus, uvæ:
Signinum Syriumque pyrum, de corbibus isdem
Æmula Picenis, et odoris mala recentis,
Nec metuenda tibi, siccatum frigore postquam 75
Auctumnum, et crudi posuere pericula succi.
Hæc olim nostri jam luxuriosa senatus
Cœna fuit. Curius, parvo quæ legerat horto,
Ipse focis brevibus ponebat oluscula, quæ nunc
Squalidus in magna fastidit compede fossor, 80
Qui meminit, calidæ sapiat quid vulva popinæ.
Sicci terga suis, rara pendentia crate,
Moris erat quondam festis servare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente nova, si quam dabat hostia, carne. 85
Cognatorum aliquis, titulo ter consulis, atque
Castrorum imperiis, et dictatoris honore
Functus, ad has epulas solito maturius ibat,
Erectum domito referens a monte ligonem.
Cum tremerent autem Fabios, durumque Cato-
Et Scauros, et Fabricios, postremo severos [nem,
Censoris mores etiam collega timeret;
Nemo inter curas et seria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,
Clarum Trojugenis factura ac nobile fulcrum: 95
Sed nudo latere, et parvis frons ærea lectis
Vile coronati caput ostendebat aselli,
Ad quod lascivi ludebant ruris alumni.
Tales ergo cibi, qualis domus atque supellex.
Tunc rudis, et Graias mirari nescius artes, 100
Urbibus eversis, prædarum in parte reperta
Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Ut phaleris gauderet equus, cælataque cassis
Romuleæ simulacra feræ mansuescere jussæ
Imperii fato, geminos sub rupe Quirinos, 105
Ac nudam effigiem clypeo venientis, et hasta,
Pendentisque dei, perituro ostenderet hosti.
Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.
Ponebant igitur Tusco farrata catino.
Omnia tunc, quibus invideas, si lividulus sis. 110
Templorum quoque majestas præsentior, et vox
Nocte fere media, mediamque audita per Urbem,
Littore ab Oceani Gallis venientibus, et dis
Officium vatis peragentibus, his monuit nos.
Hanc rebus Latiis curam præstare solebat 115
Fictilis, et nullo violatus Jupiter auro.
Illa domi natas, nostraque ex arbore mensas
Tempora viderunt; hos lignum stabat in usus,
Annosam si forte nucem dejecerat Eurus.
At nunc divitibus cœnandi nulla voluptas, 120
Nil rhombus, nil dama sapit; putere videntur
Unguenta, atque rosæ, latos nisi sustinet orbes
Grande ebur, et magno sublimis pardus hiatu,
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,
Et Mauri celeres, et Mauro obscurior ludus, 125
Et quos deposuit Nabatæo bellua saltu,
Jam nimios capitique graves. Hinc surgit orexis,
Hinc stomacho bilis: nam pes argenteus illis,
Annulus in digito quod ferreus. Ergo superbum
Convivam caveo, qui me sibi comparat, et res
Despicit exiguas. Adeo nulla uncia nobis 131
Est eboris, nec tessellæ, nec calculus ex hac
Materia: quin ipsa manubria cultellorum
Ossea. Non tamen his ulla unquam opsonia fiunt
Rancidula, aut ideo pejor gallina secatur. 135
Sed nec structor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula, discipulus Trypheri doctoris, apud quem
Sumine cum magno lepus, atque aper, et pygargus,
Et Scythicæ volucres, et phœnicopterus ingens,
Et Gætulus oryx, hebeti lautissima ferro 140
Cæditur, et tota sonat ulmea cœna Suburra.
Nec frustum capreæ subducere, nec latus Afræ
Novit avis noster tirunculus, ac rudis omni
Tempore, et exiguæ furtis imbutus ofellæ.
Plebeios calices, et paucis assibus emtos 145
Porriget incultus puer, atque a frigore tutus:
Non Phryx, aut Lycius, non a mangone petitus
Quisquam erit et magno. Cum posces, posce Latine.
Idem habitus cunctis, tonsi, rectique capilli
Atque hodie tantum propter convivia pexi. 150
Pastoris duri est hic filius, ille bubulci.
Suspirat longo non visam tempore matrem,
Et casulam, et notos tristis desiderat hædos,
Ingenui vultus puer, ingenuique pudoris,
Quales esse decet, quos ardens purpura vestit:
Nec pugillares defert in balnea raucus 156
Testiculos, nec vellendas jam præbuit alas,
Crassa nec opposito pavidus tegit inguina gutto.
Hic tibi vina dabit, diffusa in montibus illis,
A quibus ipse venit, quorum sub vertice lusit
Namque una atque eadem vini patria, atque ministri. 161

Forsitan exspectes, ut Gaditana canoro
Incipiat prurire choro, plausuque probatæ
Ad terram tremulo descendant clune puellæ,
Irritamentum Veneris languentis, et acres 165
Divitis urticæ. Major tamen ista voluptas
Alterius sexus: magis ille extenditur, et mox
Auribus atque oculis concepta urina movetur.
Non capit has nugas humilis domus. Audiat ille
Testarum crepitus cum verbis, nudum olido stans
Fornice mancipium quibus abstinet; ille fruatur
Vocibus obscænis, omnique libidinis arte,
Qui Lacedæmonium pytismate lubricat orbem:
Namque ibi fortunæ veniam damus. Alea turpis,
Turpe et adulterium mediocribus. Hæc eadem illi
Omnia cum faciant, hilares nitidique vocantur.
Nostra dabunt alios hodie convivia ludos:
Conditor Iliados cantabitur, atque Maronis
Altisoni dubiam facientia carmina palmam.
Quid refert, tales versus qua voce legantur? 180
Sed nunc dilatis averte negotia curis,
Et gratam requiem dona tibi, quando licebit
Per totam cessare diem: non fœnoris ulla
Mentio, nec, prima si luce egressa, reverti
Nocte solet, tacito bilem tibi contrahat uxor, 185
Humida suspectis referens multicia rugis, [tem.
Vexatasque comas, et vultum, auremque calen-
Protinus ante meum, quicquid dolet, exue limen:
Pone domum, et servos, et quicquid frangitur illis,
Aut perit: ingratos ante omnia pone sodales. 190
Interea Megalesiacæ spectacula mappæ
Idæum solenne colunt, similisque triumpho
Præda caballorum prætor sedet, ac, mihi pace
Immensæ nimiæque licet si dicere plebis,
Totam hodie Romam circus capit, et fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni. 196
Nam, si deficeret, mæstam attonitamque videres
Hanc urbem, veluti Cannarum in pulvere victis
Consulibus. Spectent juvenes, quos clamor, et audax
Sponsio, quos cultæ decet adsedisse puellæ; 200
Spectent hoc nuptæ juxta recubante marito,
Quod pudeat narrasse aliquem præsentibus ipsis.
Nostra bibat vernum contracta cuticula solem,
Effugiatque togam. Jam nunc in balnea, salva
Fronte, licet vadas, quanquam solida hora supersit [diebus
Ad sextam. Facere hoc non possis quinque
Continuis, quia sunt talis quoque tædia vitæ
Magna. Voluptates commendat rarior usus.

SATIRA XII.

Natali, Corvine, die mihi dulcior hæc lux,
Qua festus promissa deis animalia cespes
Exspectat. Niveam Reginæ ducimus agnam:
Par vellus dabitur pugnanti Gorgone Maura.
Sed procul extensum petulans quatit hostia funem,
Tarpeio servata Jovi, frontemque coruscat: 6
Quippe ferox vitulus, templis maturus et aræ,
Spargendusque mero, quem jam pudet ubera
Ducere, qui vexat nascenti robora cornu. [matris
Si res ampla domi, similisque affectibus esset, 10
Pinguior Hispulla traheretur taurus, et ipsa
Mole piger, nec finitima nutritus in herba,
Læta sed ostendens Clitumni pascua sanguis
Iret, et a grandi cervix ferienda ministro,
Ob reditum trepidantis adhuc, horrendaque passi
Nuper, et incolumem sese mirantis amici. 16
Nam præter pelagi casus, et fulguris ictum
Evasi, densæ cœlum abscondere tenebræ
Nube una, subitusque antennas impulit ignis;
Cum se quisque illo percussum crederet, et mox
Attonitus nullum conferri posse putaret 21
Naufragium velis ardentibus. Omnia fiunt
Talia, tam graviter, si quando poetica surgit
Tempestas. Genus ecce aliud discriminis: audi
Et miserere iterum, quanquam sint cætera sortis
Ejusdem: pars dira quidem, sed cognita multis,
Et quam votiva testantur fana tabella
Plurima. Pictores quis nescit ab Iside pasci?
Accidit et nostro similis fortuna Catullo.
Cum plenus fluctu medius foret alveus, et jam,
Alternum puppis latus evertentibus undis 31
Arboris incertæ, nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem; decidere jactu
Cœpit cum ventis, imitatus castora, qui se
Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno 35
Testiculi: adeo medicatum intelligit inguen.
Fundite, quæ mea sunt, dicebat, cuncta, Catullus,
Præcipitare volens etiam pulcherrima, vestem
Purpuream, teneris quoque Mecænatibus aptam,
Atque alias, quarum generosi graminis ipsum 40
Infecit natura pecus, sed et egregius fons
Viribus occultis, et Bæticus adjuvat aer.
Ille nec argentum dubitabat mittere, lances
Parthenio factas, urnæ cratera capacem,
Et dignum sitiente Pholo, vel conjuge Fusci. 45
Adde et bascaudas, et mille escaria, multum
Cælati, biberat quo callidus emtor Olynthi.
Sed quis nunc alius, qua mundi parte, quis audet
Argento præferre caput, rebusque salutem?
[Non propter vitam faciunt patrimonia quidam, 50
Sed vitio cæci propter patrimonia vivunt.]
Jactatur rerum utilium pars maxima: sed nec
Damna levant. Tunc, adversis urguentibus, illuc
Recidit, ut malum ferro submitteret, ac se
Explicat angustum. Discriminis ultima, quando
Præsidia afferimus navem factura minorem. 56
I nunc, et ventis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis a morte remotus
Quatuor, aut septem, si sit latissima tæda!
Mox cum reticulis, et pane, et ventre lagenæ 60
Adspice sumendas in tempestate secures. [quam
Sed postquam jacuit planum mare, tempora post-
Prospera vectoris, fatumque valentius Euro,
Et pelago, postquam Parcæ meliora benigna
Pensa manu ducunt hilares, et staminis albi 65
Lanificæ, modica nec multum fortior aura
Ventus adest; inopi miserabilis arte cucurrit
Vestibus extentis, et, quod superaverat unum,
Velo prora suo. Jam deficientibus Austris,
Spes vitæ cum sole redit: tum gratus Iulo, 70
Atque novercali sedes prælata Lavino,
Conspicitur sublimis apex, cui candida nomen
Scrofa dedit, lætis Phrygibus mirabile sumen
Et nunquam visis triginta clara mamillis.
Tandem intrat positas inclusa per æquora moles,
Tyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia rursum, [quunt
Quæ pelago occurrunt medio, longeque relin-
Italiam. Non sic igitur mirabere portus,
Quos natura dedit. Sed trunca puppe magister
Interiora petit Baianæ pervia cymbæ 80
Tuti stagna sinus. Gaudent ibi vertice raso
Garrula securi narrare pericula nautæ.
Ite igitur, pueri, linguis animisque faventes,
Sertaque delubris, et farra imponite cultris,
Ac molles ornate focos, glebamque virentem: 85
Jam sequar, et sacro, quod præstat, rite peracto,
Inde domum repetam, graciles ubi parva coronas

Accipiunt fragili simulacra nitentia cera.
Hic nostrum placabo Jovem, Laribusque paternis
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.
Cuncta nitent: longos erexit janua ramos, 91
Et matutinis operatur festa lucernis. [lus,
Nec suspecta tibi sint hæc, Corvine. Catul-
Pro cujus reditu tot pono altaria, parvos
Tres habet hæredes. Libet exspectare, quis ægram 95
Et claudentem oculos gallinam impendat amico
Tam sterili. Verum hæc nimia est impensa: coturnix [rem
Nulla unquam pro patre cadet. Sentire calo-
Si cœpit loculeples Gallita, et Paccius, orbi,
Legitime fixis vestitur tota tabellis 100
Porticus: exsistunt, qui promittant hecatomben,
Quatenus hic non sunt nec venales elephanti,
Nec Latio, aut usquam nostro sub sidere talis
Bellua concipitur; sed furva gente petita,
Arboribus Rutulis et Turni pascitur agro, 105
Cæsaris armentum, nulli servire paratum
Privato: siquidem Tyrio parere solebant
Hannibali, et nostris ducibus, regique Molosso,
Horum majores, ac dorso ferre cohortes,
Partem aliquam belli, et euntem in prœlia turrim.
Nulla igitur mora per Novium, mora nulla per Histrum
Pacuvium, quin illud ebur ducatur ad aras,
Et cadat ante lares Gallitæ, victima sola
Tantis digna deis, et captatoribus horum.
Alter enim, si concedas mactare, vovebit 115
De grege servorum magna aut pulcherrima quæ-
Corpora; vel pueris, et frontibus ancillarum [que
Imponet vittas: et, si qua est nubilis illi
Iphigenia domi, dabit hanc altaribus, etsi
Non sperat tragicæ furtiva piacula cervæ. 120
Laudo meum civem, nec comparo testamento
Mille rates: nam si Libitinam evaserit æger,
Delebit tabulas, inclusus carcere nassæ,
Post meritum sane mirandum, atque omnia soli
Forsan Pacuvio breviter dabit. Ille superbus
Incedet victis rivalibus. Ergo vides, quam 126
Grande operæ pretium faciat jugulata Mycenis.
Vivat Pacuvius, quæso, vel Nestora totum:
Possideat, quantum rapuit Nero: montibus aurum [ullo.
Exæquet; nec amet quenquam, nec ametur ab

LIBER QUINTUS.

SATIRA XIII.

Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi
Displicet auctori. Prima est hæc ultio, quod se
Judice nemo nocens absolvitur, improba quam-
Gratia fallaci prætoris vicerit urna. [vis
Quid sentire putas omnes, Calvine, recenti 5
De scelere, et fidei violatæ crimine? Sed nec
Tam tenuis census tibi contigit, ut mediocris
Jacturæ te mergat onus; nec rara videmus,
Quæ pateris. Casus multis hic cognitus, ac jam
Tritus, et e medio Fortunæ ductus acervo. 10
Ponamus nimios gemitus: flagrantior æquo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere major.
Tu quamvis levium minimam exiguamque malorum
Particulam vix ferre potes, spumantibus ardens
Visceribus, sacrum tibi quodnon reddat amicus
Depositum. Stupet hæc, qui jam post terga re-
Sexaginta annos, Fonteio consule natus? [liquit
An nihil in melius tot rerum proficis usu?
Magna quidem, sacris quæ dat præcepta libellis
Victrix Fortunæ Sapientia. Ducimus autem 20
Hos quoque felices, qui ferre incommoda vitæ,
Nec jactare jugum, vita didicere magistra.
Quæ tam festa dies, ut cesset prodere furem,
Perfidiam, fraudes, atque omni ex crimine lucrum
Quæsitum, et partos gladio vel pyxide nummos?
Rari quippe boni: numero vix sunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.
Nona ætas agitur, pejoraque sæcula ferri
Temporibus, quorum sceleri non invenit ipsa
Nomen, et a nullo posuit Natura metallo. 30
Nos hominum divûmque fidem clamore ciemus,
Quanto Fæsidium laudat vocalis agentem
Sportula. Dic, senior bulla dignissime, nescis,
Quas habeat Veneres aliena pecunia? nescis,
Quem tua simplicitas risum vulgo moveat, cum
Exigis a quoquam, ne pejeret, et putet ullis 36
Esse aliquod numen templis, aræque rubenti?
Quondam hoc indigenæ vivebant more, prius
Sumeret agrestem posito diademate falcem [quam
Saturnus fugiens; tunc cum virguncula Juno,
Et privatus adhuc Idæis Jupiter antris. 41
Nulla super nubes convivia cœlicolarum,
Nec puer Iliacus, formosa nec Herculis uxor
Ad cyathos, et jam siccato nectare tergens
Brachia Vulcanus Liparæa nigra taberna. 45
Prandebat sibi quisque deus, nec turba deorum
Talis, ut est hodie, contentaque sidera paucis
Numinibus miserum urguebant Atlanta minori
Pondere. Nondum aliquis sortitus triste profundi
Imperium, aut Sicula torvus cum conjuge Pluton.
Nec rota, nec Furiæ, nec saxum, aut vulturis atri
Pœna; sed infernis hilares sine regibus umbræ.
Improbitas illo fuit admirabilis ævo.
Credebant hoc grande nefas, et morte piandum,
Si juvenis vetulo non adsurrexerat, et si 55
Barbato cuicunque puer, licet ipse videret
Plura domi fraga, et majores glandis acervos.
Tam venerabile erat, præcedere quatuor annis,
Primaque par adeo sacræ lanugo senectæ!
Nunc, si depositum non infitietur amicus, 60
Si reddat veterem cum tota ærugine follem,
Prodigiosa fides, et Tuscis digna libellis,
Quæque coronata lustrari debeat agna.
Egregium sanctumque virum si cerno, bimembri
Hoc monstrum puero, aut miranti sub aratro 65
Piscibus inventis, et fetæ comparo mulæ,
Sollicitus, tanquam lapides effuderit imber,
Examenve apium longa consederit uva
Culmine delubri, tanquam in mare fluxerit amnis
Gurgitibus miris et lactis vortice torrens. 70
Intercepta decem quereris sestertia fraude

Sacrilega? Quid si bis centum perdidit alter
Hoc arcana modo? majorem tertius illa
Summam, quam patulæ vix ceperat angulus arcæ?
Tam facile et pronum est, superos contemnere testes, 75
Si mortalis idem nemo sciat! Adspice, quanta
Voce neget! quæ sit ficti constantia vultus!
Per Solis radios, Tarpeiaque fulmina jurat,
Et Martis frameam, et Cirrhæi spicula vatis,
Per calames venatricis pharetramque Puellæ, 80
Perque tuum, pater Ægæi Neptune, tridentem;
Addit et Herculeos arcus, hastamque Minervæ,
Quicquid habent telorum armamentaria cœli.
Si vero et pater est; Comedam, inquit, flebile nati
Sinciput elixi, Pharioque madentis aceto.
Sunt, in fortunæ qui casibus omnia ponant, 86
Et nullo credant mundum rectore moveri,
Natura volvente vices et lucis et anni;
Atque ideo intrepidi quæcunque altaria tangunt.
Est alius, metuens ne crimen pœna sequatur: 90
Hic putat esse deos, et pejerat, atque ita secum:
Decernat, quodcunque volet, de corpore nostro
Isis, et irato feriat mea lumina sistro,
Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego, numos.
Et phthisis, et vomicæ putres, et dimidium crus
Sunt tanti? Pauper locupletem optare podagram
Ne dubitet Ladas, si non eget Anticyra, nec
Archigene. Quid enim velocis gloria plantæ
Præstat, et esuriens Pisææ ramus olivæ?
Ut sit magna, tamen certe lenta ira deorum est.
Si curant igitur cunctos punire nocentes, 101
Quando ad me venient? sed et exorabile numen
Fortasse experiar: solet his ignoscere. Multi
Committunt eadem diverso crimina fato:
Ille crucem sceleris pretium tulit, hic diadema.
Sic animum diræ trepidum formidine culpæ 106
Confirmant. Tunc te sacra ad delubra vocantem
Præcedit, trahere immo ultro, ac vexare paratus.
Nam cum magna malæ superest audacia causæ,
Creditur a multis fiducia. Mimum agit ille, 110
Urbani qualem fugitivus scurra Catulli:
Tu miser exclamas, ut Stentora vincere possis,
Vel potius quantum Gradivus Homericus: Audis,
Jupiter, hæc, nec labra moves, cum mittere vocem
Debueras vel marmoreus, vel aeneus? aut cur
In carbone tuo charta pia thura soluta 116
Ponimus, et sectum vituli jecur, albaque porci
Omenta? Ut video, nullum discrimen habendum est
Effigies inter vestras, statuamque Vagelli.
Accipe, quæ contra valeat solatia ferre, 120
Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata legit
A Cynicis tunica distantia, non Epicurum
Suspicit exigui lætum plantaribus horti.
Curentur dubii medicis majoribus ægri;
Tu venam vel discipulo committe Philippi. 125
Si nullum in terris tam detestabile factum
Ostendis, taceo; nec pugnis cædere pectus
Te veto, nec plana faciem contundere palma:
Quandoquidem accepto claudenda est janua damno,
Et majore domus gemitu, majore tumultu
Planguntur nummi, quam funera. Nemo dolorem
Fingit in hoc casu, vestem deducere summam
Contentus, vexare oculos humore coacto.
Ploratur lacrymis amissa pecunia veris.
Sed si cuncta vides simili fora plena querela, 135
Si, decies lectis diversa parte tabellis,
Vana supervacui dicunt chirographa ligni,
Arguit ipsorum quos littera, gemmaque princeps
Sardonychus, loculis quæ custoditur eburnis:
Ten', o delicias! extra communia censes 140
Ponendum? Qui tu gallinæ filius albæ,
Nos viles pulli, nati infelicibus ovis?
Rem pateris modicam, et mediocri bile ferendam,
Si flectas oculos majora ad crimina. Confer
Conductum latronem, incendia sulfure cœpta
Atque dolo, primos cum janua colligit ignes;
Confer et hos, veteris qui tollunt grandia templi
Pocula adorandæ robiginis, et populorum 148
Dona, vel antiquo positas a rege coronas.
Hæc ibi si non sunt, minor exstat sacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis, et faciem ipsam
Neptuni; qui bracteolam de Castore ducat.
An dubitet, solitus totum conflare Tonantem?
Confer et artifices, mercatoremque veneni,
Et deducendum corio bovis in mare, cum quo 155
Clauditur adversis innoxia simia fatis.
Hæc quota pars scelerum, quæ custos Gallicus Urbis
Usque a Lucifero, donec lux occidat, audit?
Humani generis mores tibi nosse volenti
Sufficit una domus. Paucos consume dies, et 160
Dicere te miserum, postquam illinc veneris, aude.
Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? aut quis
In Meroe crasso majorem infante mamillam?
Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam
Cæsariem, et madido torquentem cornua cirro? 165
Nempe quod hæc illis natura est omnibus una.
Ad subitas Thracum volucres, nubemque sonoram
Pygmæus parvis currit bellator in armis:
Mox impar hosti, raptusque per aera curvis
Unguibus a sæva fertur grue. Si videas hoc 170
Gentibus in nostris, risu quatiare: sed illic ridet
Quanquam eadem assidue spectentur prœlia,
Nemo, ubi tota cohors pede non est altior uno.
Nullane perjuri capitis, fraudisque nefandæ
Pœna erit? Abreptum crede hunc graviore catena
Protinus, et nostro (quid plus velit ira?) necari
Arbitrio: manet illa tamen jactura, nec unquam
Depositum tibi sospes erit. Sed corpore trunco
Invidiosa dabit minimus solatia sanguis:
At vindicta bonum vita jucundius ipsa. 180
Nempe hoc indocti, quorum præcordia nullis
Interdum, aut levibus videas flagrantia causis,
Quantulacunque adeo est occasio, sufficit iræ.
Chrysippus non dicet idem, nec mite Thaletis
Ingenium dulcique senex vicinus Hymetto, 185
Qui partem acceptæ sæva inter vincla cicutæ
Accusatori nollet dare. Plurima felix
Paulatim vitia, atque errores exuit omnes,
Prima docet rectum Sapientia: quippe minuti
Semper et infirmi est animi exiguique voluptas 190
Ultio. Continuo sic collige, quod vindicta
Nemo magis gaudet, quam fœmina. Cur tamen hos tu
Evasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, et surdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum? 195
Pœna autem vehemens, ac multo sævior illis,
Quas et Cædicius gravis invenit, et Rhadamanthus,
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.
Spartano cuidam respondit Pythia vates,
Haud impunitum quondam fore, quod dubitaret
Depositum retinere, et fraudem jure tueri 201
Jurando. Quærebat enim, quæ numinis esset
Mens, et an hoc illi facinus suaderet Apollo?
Reddidit ergo metu, non moribus; et tamen omnem
Vocem adyti dignam templo, veramque probavit,
Exstinctus tota pariter cum prole domoque, 206
Et, quamvis longa deductis gente, propinquis.
Has patitur pœnas peccandi sola voluntas.
Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,

Facti crimen habet. Cedo, si conata peregit? 210
Perpetua anxietas nec mensæ tempore cessat,
Faucibus ut morbo siccis, interque molares
Difficili crescente cibo: Setina misellus
Exspuit; Albani veteris pretiosa senectus
Displicet. Ostendas melius, densissima ruga 215
Cogitur in frontem, velut acri ducta Falerno.
Nocte brevem si forte indulsit cura soporem,
Et toto versata toro jam membra quiescunt;
Continuo templum, et violati numinis aras,
Et, quod præcipuis mentem sudoribus urguet,
Te videt in somnis: tua sacra et major imago
Humana turbat pavidum cogitque fateri. 222
Hi sunt, qui trepidant et ad omnia fulgura pallent,
Cum tonat, exanimes primo quoque murmure cœli;
Non quasi fortuitus, nec ventorum rabie, sed
Iratus cadat in terras, et judicet ignis. 226
Illa nihil nocuit, cura graviore timetur
Proxima tempestas, velut hoc dilata sereno.
Præterea, lateris vigili cum febre dolorem
Si cœpere pati, missum ad sua corpora morbum
Infesto credunt a numine: saxa deorum 231
Hæc, et tela putant. Pecudem spondere sacello
Balantem, et Laribus cristam promittere galli
Non audent: quid enim sperare nocentibus ægris
Concessum? vel quæ non dignior hostia vita?
Mobilis et varia est ferme natura malorum. 236
Cum scelus admittunt, superest constantia. Quid fas
Atque nefas, tandem incipiunt sentire peractis
Criminibus. Tamen ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa et mutari nescia. Nam quis 240
Peccandi finem posuit sibi? quando recepit
Ejectum semel attrita de fronte ruborem? [uno
Quisnam hominum est, quem tu contentum videris
Flagitio? Dabit in laqueum vestigia noster
Perfidus, et nigri patietur carceris uncum, 245
Aut maris Ægæi rupem, scopulosque frequentes
Exsulibus magnis. Pœna gaudebis amara
Nominis invisi, tandemque fatebere lætus, [rum.
Nec surdum, nec Tiresiam quenquam esse deo-

SATIRA XIV.

Plurima sunt, Fuscine, et fama digna sinistra,
Et nitidis maculam hæsuram figentia rebus,
Quæ monstrant ipsi pueris traduntque parentes.
Si damnosa senem juvat alea, ludit et hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo. 5
Nec melius de se cuiquam sperare propinquo
Concedet juvenis, qui radere tubera terræ,
Boletum condire, et eodem jure natantes
Mergere ficedulas didicit, nebulone parente
Et cana monstrante gula. Cum septimus annus
Transierit puero, nondum omni dente renato, 11
Barbatos licet admoveas mille inde magistros,
Hinc totidem, cupiet lauto cœnare paratu
Semper, et a magna non degenerare culina.
Mitem animum, et mores modicis erroribus æquos
Præcipit, atque animas servorum et corpora nostra
Materia constare putat paribusque elementis, 17
An sævire docet Rutilus, qui gaudet acerbo
Plagarum strepitu, et nullam Sirena flagellis
Comparat, Antiphates trepidi laris ac Polyphemus,
Tum felix, quoties aliquis tortore vocato 21
Uritur ardenti propter duo lintea ferro?
Quid suadet juveni lætus stridore catenæ,
Quem mire afficiunt inscripta ergastula, carcer
Rusticus? Exspectas, ut non sit adultera Largæ
Filia, quæ nunquam maternos dicere mœchos 26
Tam cito, nec tanto poterit contexere cursu,
Ut non ter decies respiret? Conscia matri
Virgo fuit: ceras nunc hac dictante pusillas
Implet, et ad mœchos dat eisdem ferre cinædis.
Sic natura jubet: velocius et citius nos 31
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cum subeunt animos auctoribus. Unus et alter
Forsitan hæc spernant juvenes, quibus arte be-
Et meliore luto finxit præcordia Titan: [nigna
Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt, 36
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ.
Abstineas igitur damnandis: hujus enim vel
Una potens ratio est, ne crimina nostra sequantur
Ex nobis geniti; quoniam dociles imitandis 40
Turpibus ac pravis omnes sumus; et Catilinam
Quocunque in populo videas, quocunque sub axe:
Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus usquam.
Nil dictu fœdum visuque hæc limina tangat, [læ
Intra quæ puer est. Procul hinc, procul ite puel-
Lenonum, et cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reverentia. Si quid
Turpe paras, ne tu pueri contemseris annos:
Sed peccaturo obstet tibi filius infans.
Nam si quid dignum censoris fecerit ira 50
Quandoque, et similem tibi se non corpore tantum
Nec vultu dederit, morum quoque filius, et qui
Omnia deterius tua per vestigia peccet,
Corripies nimirum, et castigabis acerbo
Clamore, ac post hæc tabulas mutare parabis. 55
Unde tibi frontem libertatemque parentis,
Cum facias pejora senex, vacuumque cerebro
Jam pridem caput hoc ventosa cucurbita quærat? Hospite venturo, cessabit nemo tuorum.
Verre pavimentum, nitidas ostende columnas, 60
Arida cum tota descendat aranea tela,
Hic læve argentum, vasa aspera tergeat alter;
Vox domini furit instantis, virgamque tenentis.
Ergo miser trepidas, ne stercore fœda canino
Atria displiceant oculis venientis amici, 65
Ne perfusa luto sit porticus; et tamen uno
Semodio scobis hæc emundat servulus unus:
Illud non agitas, ut sanctam filius omni
Adspiciat sine labe domum, vitioque carentem?
Gratum est, quod patriæ civem populoque dedisti
Si facis, ut patriæ sit idoneus, utilis agris, 71
Utilis et bellorum, et pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit, quibus artibus, et quibus hunc tu
Moribus instituas. Serpente ciconia pullos
Nutrit, et inventa per devia rura lacerta: 75
Illi eadem sumtis quærunt animalia pinnis.
Vultur, jumento, et canibus, crucibusque relictis,
Ad fetus properat, partemque cadaveris affert.
Hic est ergo cibus magni quoque vulturis, et se
Pascentis, propria cum jam facit arbore nidos.
Sed leporem aut capream famulæ Jovis et gene-
In saltu venantur aves: hinc præda cubili [rosæ
Ponitur: inde autem, cum se matura levarit
Progenies, stimulante fame, festinat ad illam,
Quam primum rupto prædam gustaverat ovo. 85
Ædificator erat Cetronius, et modo curvo
Littore Caietæ, summa nunc Tiburis arce,
Nunc Prænestinis in montibus, alta parabat
Culmina villarum, Græcis longeque petitis
Marmoribus, vincens Fortunæ atque Herculis ædem, 90
Ut spado vincebat Capitolia nostra Posides.
Dum sic ergo habitat Cetronius, imminuit rem,
Fregit opes; nec parva tamen mensura relictæ

Portis erat: totam hanc turbavit filius amens,
Dum meliore novas attollit marmore villas. 95
Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,
Nil præter nubes et cœli numen adorant;
Nec distare putant humana carne suillam,
Qua pater abstinuit; mox et præputia ponunt:
Romanas autem soliti contemnere leges, 100
Judaicum ediscunt, et servant, ac metuunt jus,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moses;
Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti;
Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.
Sed pater in causa, cui septima quæque fuit lux
Ignava, et partem vitæ non attigit ullam. 106
Sponte tamen juvenes imitantur cetera: solam
Inviti quoque avaritiam exercere jubentur.
Fallit enim vitium specie virtutis et umbra,
Cum sit triste habitu, vultuque et veste severum.
Nec dubie, tanquam frugi, laudatur avarus, 111
Tanquam parcus homo, et rerum tutela suarum
Certa magis, quam si fortunas servet easdem
Hesperidum serpens, aut Ponticus. Adde quod hunc, de
Quo loquor, egregium populus putat acquirendi
Artificem: quippe his crescunt patrimonia fabris.
Sed crescunt quocunque modo, majoraque fiunt
Incude assidua, semperque ardente camino.
Et pater ergo animi felices credit avaros,
Qui miratur opes, qui nulla exempla beati 120
Pauperis esse putat: juvenes hortatur, ut illam
Ire viam pergant, et eidem incumbere sectæ.
Sunt quædam vitiorum elementa: his protinus
Imbuit, et cogit minimas ediscere sordes. [illos
Mox acquirendi docet insatiabile votum. 125
Servorum ventres modio castigat iniquo,
Ipse quoque esuriens: neque enim omnia sustinet unquam
Mucida cærulei panis consumere frusta,
Hesternum solitus medio servare minutal
Septembri; nec non deferre in tempora cœnæ
Alterius conchem æstivam cum parte lacerti 131
Signatam, vel dimidio putrique siluro,
Filaque sectivi numerata includere porri.
Invitatus ad hæc aliquis de ponte negabit.
Sed quo divitias hæc per tormenta coactas, 135
Cum furor haud dubius, cum sit manifesta phre-
Ut locuples moriaris, egentis vivere fato? [nesis,
Interea, pleno cum turget sacculus ore. [vit;
Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia cre-
Et minus hanc optat, qui non habet. Ergo para-
Altera villa tibi, cum rus non sufficit unum, [tur
Et proferre libet fines; majorque videtur 142
Et melior vicina seges: mercaris et hanc, et
Arbusta, et densa montem qui canet oliva.
Quorum si pretio dominus non vincitur ullo, 145
Nocte boves macri, lassoque famelica collo
Jumenta ad virides hujus mittentur aristas;
Nec prius inde domum, quam tota novalia sævos
In ventres abeant, ut credas falcibus actum.
Dicere vix possis, quam multi talia plorent, 1 0
Et quot venales injuria fecerit agros.
Sed qui sermones? quam fœdæ buccina famæ?
Quid nocet hoc? inquit. Tunicam mihi malo
Quam si me toto laudet vicinia pago, [lupini,
Exigui ruris paucissima farra secantem. 155
Scilicet et morbis, et debilitate carebis,
Et luctum et curam effugies, et tempora vitæ
Longa tibi post hæc fato meliore dabuntur,
Si tantum culti solus possederis agri,
Quantum sub Tatio populus Romanus arabat.
Mox etiam fractis ætate, ac Punica passis 161
Prœlia, vel Pyrrhum immanem, gladiosque Molos-
Tandem pro multis vix jugera bina dabantur [sos,
Vulneribus. Merces ea sanguinis atque laboris
Nullis visa unquam meritis minor, aut ingratæ
Curta fides patriæ. Saturabat glebula talis 166
Patrem ipsum, turbamque casæ, qua feta jacebat
Uxor, et infantes ludebant quatuor, unus
Vernula, tres domini: sed magnis fratribus horum
A scrobe, vel sulco redeuntibus, altera cœna 170
Amplior, et grandes fumabant pultibus ollæ.
Nunc modus hic agri nostro non sufficit horto.
Inde fere scelerum causæ: nec plura venena
Miscuit, aut ferro grassatur sæpius ullum
Humanæ mentis vitium, quam sæva cupido 175
Indomiti census. Nam dives qui fieri vult,
Et cito vult fieri. Sed quæ reverentia legum,
Quis metus, aut pudor est unquam properantis
Vivite contenti casulis et collibus istis, [avari?
O pueri, Marsus dicebat et Hernicus olim, 180
Vestinusque senex; panem quæramus aratro,
Qui satis est mensis: laudant hoc numina ruris,
Quorum ope et auxilio, gratæ post munus aristæ,
Contingunt homini veteris fastidia quercus.
Nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi; qui submovet Euros
Pellibus inversis. Peregrina ignotaque nobis
Ad scelus atque nefas, quæcunque est, purpura ducit. 188
Hæc illi veteres præcepta minoribus: at nunc
Post finem auctumni media de nocte supinum
Clamosus juvenem pater excitat: Accipe ceras,
Scribe, puer, vigila, causas age, perlege rubras
Majorum leges, aut vitem posce libello.
Sed caput intactum buxo, naresque pilosas
Annotet, et grandes miretur Lælius alas. 195
Dirue Maurorum attegias, castella Brigantum,
Ut locupletem aquilam tibi sexagesimus annus
Afferat; aut, longos castrorum ferre labores
Si piget, et trepidum solvunt tibi cornua ventrem
Cum lituis audita, pares, quod vendere possis 200
Pluris dimidio, nec te fastidia mercis
Ullius subeant ablegandæ Tiberim ultra:
Neu credas ponendum aliquid discriminis inter
Unguenta, et corium. Lucri bonus est odor ex re
Qualibet. Illa tuo sententia semper in ore 205
Versetur, dis atque ipso Jove digna, poetæ:
Unde habeas, quærit nemo; sed oportet habere.
Hoc monstrant vetulæ pueris repentibus assæ:
Hoc discunt omnes ante alpha et beta puellæ.
Talibus instantem monitis quemcunque parentem
Si possem affari: Dic, o vanissime, quis te 211
Festinare jubet? meliorem præsto magistro
Discipulum. Securus abi: vinceris, ut Ajax
Præteriit Telamonem, ut Pelea vicit Achilles.
Parcendum teneris: nondum implevere medullas
Maturæ mala nequitiæ. Cum pectere barbam
Cœperit, et longi mucronem admittere cultri,
Falsus erit testis, vendet perjuria summa
Exigua, et Cereris tangens aramque pedemque.
Elatam jam crede nurum, si limina vestra 220
Mortifera cum dote subit. Quibus illa premetur
Per somnum digitis! nam quæ terraque marique
Acquirenda putas, brevior via conferet illi.
Nullus enim magni sceleris labor. Hæc ego nunquam
Mandavi, dices olim, nec talia suasi. 225
Mentis causa malæ tamen est et origo penes te.
Nam quisquis magni census præcepit amorem,
Et lævo monitu pueros producit avaros,
[Et qui per fraudes patrimonia conduplicare]

Dat libertatem, et totas effundit habenas 230
Curriculo: quem si revoces, subsistere nescit,
Et te contemto rapitur, metisque relictis.
Nemo satis credit tantum delinquere, quantum
Permittas: adeo indulgent sibi latius ipsi.
Cum dicis juveni, stultum, qui donet amico, 235
Qui paupertatem levet attollatque propinqui;
Et spoliare doces, et circumscribere, et omni
Crimine divitias acquirere, quarum amor in te,
Quantus erat patriæ Deciorum in pectore, quantum
Dilexit Thebas, si Græcia vera, Menœceus: 240
In quorum sulcis legiones dentibus anguis
Cum clypeis nascuntur, et horrida bella capessunt
Continuo, tanquam et tubicen surrexerit una.
Ergo ignem, cujus scintillas ipse dedisti,
Flagrantem late, et rapientem cuncta videbis. 245
Nec tibi parcetur misero, trepidumque magistrum
In cavea magno fremitu leo tollet alumnus.
Nota mathematicis genesis tua: sed grave tardas
Exspectare colus. Morieris stamine nondum
Abrupto. Jam nunc obstas, et vota moraris: 250
Jam torquet juvenem longa et cervina senectus.
Ocius Archigenen quære, atque eme, quod Mithridates
Composuit, si vis aliam decerpere ficum, [est,
Atque alias tractare rosas. Medicamen habendum
Sorbere ante cibum quod debeat et pater et rex.
Monstro voluptatem egregiam, cui nulla theatra,
Nulla æquare queus prætoris pulpita lauti,
Si spectes, quanto capitis discrimine constent
Incrementa domus, ærata multus in arca
Fiscus, et ad vigilem ponendi Castora nummi,
Ex quo Mars Ultor galeam quoque perdidit, et res
Non potuit servare suas. Ergo omnia Floræ
Et Cereris licet, et Cybeles aulæa relinquas:
Tanto majores humana negotia ludi.
An magis oblectant animum jactata petauro 265
Corpora, quique solet rectum descendere funem,
Quam tu, Corycia semper qui puppe moraris
Atque habitas, Coro semper tollendus et Austro,
Perditus, ac vilis sacci mercator olentis;
Qui gaudes pingue antiquæ de littore Cretæ 270
Passum, et municipes Jovis advexisse lagenas?
Hic tamen ancipiti figens vestigia planta
Victum illa mercede parat, brumamque famemque
Illa reste cavet; tu propter mille talenta
Et centum villas temerarius. Adspice portus 275
Et plenum magnis trabibus mare; plus hominum est jam
In pelago: veniet classis, quocunque vocarit
Spes lucri, nec Carpathium Gætulaque tantum
Æquora transiliet, sed, longe Calpe relicta,
Audiet Herculeo stridentem gurgite solem. 280
Grande operæ pretium est, ut tenso folle reverti
Inde domum possis tumidaque superbus aluta,
Oceani monstra, et juvenes vidisse marinos.
Non unus mentes agitat furor. Ille sororis 284
In manibus vultu Eumenidum terretur et igni:
Hic bove percusso mugire Agamemnona credit
Aut Ithacum. Parcat tunicis licet atque lacernis,
Curatoris eget, qui navem mercibus implet
Ad summum latus, et tabula distinguitur uda;
Cum sit causa mali tanti et discriminis hujus 290
Concisum argentum in titulos faciesque minutas.
Occurrunt nubes et fulgura. Solvite funem,
Frumenti dominus clamat piperisque coemti;
Nil color hic cœli, nil fascia nigra minatur;
Æstivum tonat. Infelix hac forsitan ipsa 295
Nocte cadet fractis trabibus, fluctuque premetur
Obrutus, et zonam læva morsuque tenebit.
Sed cujus votis modo non suffecerat aurum,
Quod Tagus et rutila volvit Pactolus arena,
Frigida sufficient velantes inguina panni, 300
Exiguusque cibus, mersa rate naufragus assem
Dum rogat, et picta se tempestate tuetur.
Tantis parta malis cura majore metuque
Servantur. Misera est magni custodia census.
Dispositis prædives hamis vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro 306
Electro, signisque suis, Phrygiaque columna,
Atque ebore et lata testudine. Dolia nudi
Non ardent Cynici: si fregeris, altera fiet
Cras domus, aut eadem plumbo commissa manebit. 310
Sensit Alexander, testa cum vidit in illa
Magnum habitatorem, quanto felicior hic, qui
Nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem,
Passurus gestis æquanda pericula rebus. 314
Nullum numen habes, si sit prudentia: nos te,
Nos facimus, Fortuna, deam. Mensura tamen quæ
Sufficiat census, si quis me consulat, edam:
In quantum sitis atque fames et frigora poscunt,
Quantum, Epicure, tibi parvis suffecit in hortis,
Quantum Socratici ceperunt ante penates. 320
Nunquam aliud Natura, aliud Sapientia dicit.
Acribus exemplis videor te claudere. Misce
Ergo aliquid nostris de moribus: effice summam,
Bis septem ordinibus quam lex dignatur Othonis.
Hæc quoque si rugam trahit extenditque labellum;
Sume duos equites, fac tertia quadringenta. 326
Si nondum implevi gremium, si panditur ultra:
Nec Crœsi fortuna unquam, nec Persica regna
Sufficient animo, nec divitiæ Narcissi,
Indulsit Cæsar cui Claudius omnia, cujus 330
Paruit imperiis, uxorem occidere jussus.

SATIRA XV.

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc: illa pavet saturam serpentibus ibin.
Effigies sacri nitet aurea cercopitheci,
Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ,
Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis.
Illic cæruleos, hic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.
Porrum et cæpe nefas violare et frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina! Lanatis animalibus abstinet omnis 11
Mensa. Nefas illic fetum jugulare capellæ:
Carnibus humanis vesci licet. Attonito cum
Tale super cœnam facinus narraret Ulixes
Alcinoo, bilem aut risum fortasse quibusdam 15
Moverat, ut mendax aretalogus. In mare nemo
Hunc abicit, sæva dignum veraque Charybdi,
Fingentem immanes Læstrygonas atque Cyclo-
Nam citius Scyllam, vel concurrentia saxa [pas?
Cyaneas, plenos et tempestatibus utres 20
Crediderim, aut tenui percussum verbere Circes
Et cum remigibus grunnisse Elpenora porcis.
Tam vacui capitis populum Phæaca putavit?
Sic aliquis merito nondum ebrius, et minimum qui
De Corcyræa temetum duxerat urna: 25
Solus enim hoc Ithacus nullo sub teste canebat.
Nos miranda quidem, sed nuper consule Junio
Gesta super calidæ referemus mœnia Copti;
Nos vulgi scelera, et cunctis graviora cothurnis.
Nam scelus a Pyrrha, quanquam omnis syrmata volvas, 30

Nullus apud tragicos populus facit. Accipe, nostro
Dira quod exemplum feritas produxerit ævo.
Inter finitimos vetus atque antiqua simultas,
Immortale odium, et nunquam sanabile vulnus
Ardet adhuc Coptos et Tentyra. Summus utrim- [que
Inde furor vulgo, quod numina vicinorum
Odit uterque locus, cum solos credat habendos
Esse deos, quos ipse colit. Sed tempore festo
Alterius populi rapienda occasio cunctis
Visa inimicorum primoribus ac ducibus, ne 40
Lætum hilaremque diem, ne magnæ gaudia cœnæ
Sentirent, positis ad templa et compita mensis,
Pervigilique toro, quem nocte ac luce jacentem
Septimus interdum sol invenit. Horrida sane
Ægyptus: sed luxuria, quantum ipse notavi, 45
Barbara famoso non cedit turba Canopo.
Adde, quod et facilis victoria de madidis, et
Blæsis, atque mero titubantibus. Inde virorum
Saltatus nigro tibicine, qualiacunque 49
Unguenta, et flores, multæque in fronte coronæ:
Hinc jejunum odium. Sed jurgia prima sonare
Incipiunt animis ardentibus: hæc tuba rixæ.
Dein clamore pari concurritur, et vice teli
Sævit nuda manus: paucæ sine vulnere malæ:
Vix cuiquam, aut nulli toto certamine nasus 55
Integer. Adspiceres jam cuncta per agmina vultus
Dimidios, alias facies, et hiantia ruptis
Ossa genis, plenos oculorum sanguine pugnos.
Ludere se credunt ipsi tamen, et pueriles
Exercere acies, quod nulla cadavera calcent. 60
Et sane quo tot rixantis millia turbæ,
Si vivunt omnes? Ergo acrior impetus, et jam
Saxa inclinatis per humum quæsita lacertis
Incipiunt torquere, domestica seditioni [Ajax,
Tela; nec hunc lapidem, quales et Turnus, et
Vel quo Tydides percussit pondere coxam 66
Æneæ; sed quem valeant emittere dextræ
Illis dissimiles, et nostro tempore natæ.
Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero.
Terra malos homines nunc educat atque pusillos.
Ergo deus, quicunque adspexit, ridet et odit. 71
A deverticulo repetatur fabula. Postquam
Subsidiis aucti, pars altera promere ferrum
Audet, et infestis pugnam instaurare sagittis;
Terga fugæ celeri præstantibus omnibus, instant,
Qui vicina colunt umbrosæ Tentyra palmæ.
Labitur hinc quidam, nimia formidine cursum
Præcipitans, capiturque ast illum in plurima sectum
Frusta et particulas, ut multis mortuus unus
Sufficeret, totum corrosis ossibus edit 80
Victrix turba: nec ardenti decoxit aeno, [tavit
Aut verubus; longum usque adeo tardumque pu-
Exspectare focos, contenta cadavere crudo.
Hic gaudere libet, quod non violaverit ignem,
Quem summa cœli raptum de parte Prometheus
Donavit terris. Elemento gratulor, et te 86
Exsultare reor. Sed qui mordere cadaver
Sustinuit, nil unquam hac carne libentius edit.
Nam scelere in tanto ne quæras, et dubites, an
Prima voluptatem gula senserit. Ultimus autem
Qui stetit, absumto jam toto corpore, ductis 91
Per terram digitis, aliquid de sanguine gustat.
Vascones, hæc fama est, alimentis talibus olim
Produxere animas: sed res diversa, sed illic
Fortunæ invidia est, bellorumque ultima, casus
Extremi, longæ dira obsidionis egestas. 96
Hujus enim, quod nunc agitur, miserabile debet
Exemplum esse cibi: sicut modo dicta mihi gens
Post omnes herbas, post cuncta animalia, quic- [quid
Cogebat vacui ventris furor, hostibus ipsis
Pallorem ac maciem et tenues miserantibus artus,
Membra aliena fame lacerabant, esse parati
Et sua. Quisnam hominum veniam dare, quisve deorum
Viribus abnuerit dira atque immania passis,
Et quibus illorum poterant ignoscere manes, 105
Quorum corporibus vescebantur? Melius nos
Zenonis præcepta monent: nec enim omnia, quædam
Pro vita facienda putat. Sed Cantaber unde
Stoicus, antiqui præsertim ætate Metelli? [nas.
Nunc totus Graias nostrasque habet orbis Athe-
Gallia causidicos docuit facunda Britannos:
De conducendo loquitur jam rhetore Thule. [par
Nobilis ille tamen populus, quem diximus; et
Virtute atque fide, sed major clade Saguntus
Tale quid excusat. Mæotide sævior ara 115
Ægyptus. Quippe illa nefandi Taurica sacri
Inventrix homines (ut jam, quæ carmina tradunt,
Digna fide credas) tantum immolat, ulterius nil
Aut gravius cultro timet hostia. Qui modo casus
Impulit hos? quæ tanta fames infestaque vallo
Arma coegerunt tam detestabile monstrum
Audere? Anne aliam, terra Memphitide sicca,
Invidiam facerent nolenti surgere Nilo?
Qua nec terribiles Cimbri, nec Britones unquam,
Sauromatæve truces, aut immanes Agathyrsi, 125
Hac sævit rabie imbelle et inutile vulgus,
Parvula fictilibus solitum dare vela phaselis,
Et brevibus pictæ remis incumbere testæ.
Nec pœnam sceleri invenies, nec digna parabis
Supplicia his populis, in quorum mente pares sunt 130
Et similes ira atque fames. Mollissima corda
Humano generi dare se Natura fatetur, [sus.
Quæ lacrymas dedit: hæc nostri pars optima sen-
Plorare ergo jubet casum lugentis amici,
Squaloremque rei, pupillum ad jura vocantem
Circumscriptorem, cujus manantia fletu 136
Ora puellares faciunt incerta capilli.
Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ
Virginis occurrit, vel terra clauditur infans,
Et minor igne rogi. Quis enim bonus et face dignus 140
Arcana, qualem Cereris vult esse sacerdos,
Ulla aliena sibi credat mala? Separat hoc nos
A grege mutorum, atque ideo venerabile soli
Sortiti ingenium, divinorumque capaces,
Atque exercendis capiendisque artibus apti, 145
Sensum a cœlesti demissum traximus arce,
Cujus egent prona et terram spectantia. Mundi
Principio indulsit communis conditor illis [nos
Tantum animas, nobis animum quoque, mutuus ut
Affectus petere auxilium et præstare juberet, 150
Dispersos trahere in populum, migrare vetusto
De nemore, et proavis habitatas linquere sylvas,
Ædificare domos, laribus conjungere nostris
Tectum aliud, tutos vicino limine somnos
Ut collata daret fiducia; protegere armis 155
Lapsum, aut ingenti nutantem vulnere civem,
Communi dare signa tuba, defendier isdem
Turribus, atque una portarum clave teneri.
Sed jam serpentum major concordia. Parcit
Cognatis maculis similis fera. Quando leoni 160
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam
Exspiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam: sævis inter se convenit ursis.

Ast homini ferrum letale incude nefanda 165
Produxisse parum est; cum rastra et sarcula tan-
Adsueti coquere, et marris ac vomere lassi [tum
Nescierint primi gladios extundere fabri.
Adspicimus populos, quorum non sufficit iræ
Occidisse aliquem; sed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus esse cibi. Quid diceret ergo,
Vel quo non fugeret, si nunc hæc monstra vide-
Pythagoras, cunctis animalibus abstinuit qui [ret
Tanquam homine, et ventri indulsit non omne legumen?

SATIRA XVI.

Quis numerare queat felicis præmia, Galle,
Militiæ? Nam si subeuntur prospera castra,
Me pavidum excipiat tironem porta secundo
Sidere. Plus etenim fati valet hora benigni,
Quam si nos Veneris commendet epistola Marti,
Et Samia genitrix quæ delectatur arena. [rum
Commoda tractemus primum communia: quo-
Haud minimum illud erit, ne te pulsare togatus
Audeat; immo, etsi pulsetur, dissimulet, nec
Audeat excussos prætori ostendere dentes, 10
Et nigram in facie tumidis livoribus offam,
Atque oculum medico nil promittente relictum.
Bardaicus judex datur hæc punire volenti
Calceus, et grandes magna ad subsellia suræ,
Legibus antiquis castrorum et more Camilli 15
Servato, miles ne vallum litiget extra,
Et procul a signis. Justissima centurionum
Cognitio est igitur de milite: nec mihi deerit
Ultio, si justæ defertur causa querelæ.
Tota cohors tamen est inimica, omnesque manipli
Consensu magno efficiunt, curabilis ut sit 21
Vindicta, et gravior, quam injuria. Dignum erit
Declamatoris mulino corde Vagelli, [ergo
Cum duo crura habeas, offendere tot caligas, tot
Millia clavorum. Quis tam procul absit ab Urbe?
Præterea quis tam Pylades, molem aggeris ultra
Ut veniat? Lacrymæ siccentur protinus, et se
Excusaturos non sollicitemus amicos.
Da testem, judex cum dixerit; audeat ille,
Nescio quis, pugnos qui vidit, dicere, Vidi? 30
Et credam dignum barba, dignumque capillis
Majorum. Citius falsum producere testem
Contra paganum possis, quam vera loquentem
Contra fortunam armati, contraque pudorem.
Præmia nunc alia atque alia emolumenta no
temus 35
Sacramentorum. Convallem ruris aviti
Improbus, aut campum mihi si vicinus ademit,
Et sacrum effodit medio de limite saxum,
Quod mea cum vetulo coluit puls annua libo;
Debitor aut sumtos pergit non reddere nummos,
Vana supervacui dicens chirographa ligni: 41
Exspectandus erit, qui lites inchoet, annus,
Totius populi: sed tunc quoque mille ferenda
Tædia, mille moræ; toties subsellia tantum
Sternuntur; jam facundo ponente lacernas 45
Cædicio, et Fusco jam micturiente, parati
Digredimur, lentaque fori pugnamus arena.
Ast illis, quos arma tegunt et balteus ambit,
Quod placitum est ipsis, præstatur tempus agendi
Nec res atteritur longo sufflamine litis. 50
Solis præterea testandi militibus jus
Vivo patre datur: nam, quæ sunt parta labore
Militiæ, placuit non esse in corpore census,
Omne tenet cujus regimen pater. Ergo Coranum
Signorum comitem, castrorumque æra meren
tem,
Quamvis jam tremulus, captat pater. Hunc labor
æquus
Provehit, et pulchro reddit sua dona labori
Ipsius certe ducis hoc referre videtur,
Ut, qui fortis erit, sit felicissimus idem,
Ut læti phaleris omnes, et torquibus omnes 60

M. VALERII MARTIALIS EPIGRAMMATA.

A. D. 43—105.

M. Valerius Martialis Hispanus, Bilbili Celtiberiæ natus obscuris parentibus, Tito et Domitiano principibus, quibus ipse maxima in gratia fuit, Romæ claruit. D. Junium Juvenalem, C. Plinium Secundum, Fabium Quintilianum, præstantissima quæque illius temporis ingenia, in amicis habuit. Ingravescente ætate in patriam concessit, ibique haud ita post fato succubuit.

MARTIALIS ET ALIORUM, UT VIDETUR, DE SPECTACULIS LIBELLUS.

Epigramma I.—*In Amphitheatrum Cæsaris.*

Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis,
Assyrius jactet nec Babylona labor;
Nec Triviæ templo molles laudentur Iones,
Dissimuletque deum cornibus ara frequens;
Aere nec vacuo pendentis Mausolea 5
Laudibus immodicis Cares in astra ferant.
Omnis Cæsareo cedat labor amphitheatro:
Unum præ cunctis fama loquatur opus.

Epigramma II.—*In opera publica Cæsaris.*

Hic, ubi sidereus propior videt astra colossus,
Et crescunt media pegmata celsa via;
Invidiosa feri radiabant atria regis,
Unaque jam tota stabat in urbe domus.
Hic, ubi conspicui venerabilis amphitheatri 5
Erigitur moles, stagna Neronis erant.
Hic, ubi miramur velocia munera thermas,
Abstulerat miseris tecta superbus ager.
Claudia diffusas ubi porticus explicat umbras,
Ultima pars aulæ deficientis erat. 10
Reddita Roma sibi est; et sunt te præside, Cæsar,
Deliciæ populi, quæ fuerant domini.

Epigramma III.—*De gentium confluxu et congratulatione.*

Quæ tam seposita est, quæ gens tam barbara, [Cæsar,
Ex qua spectator non sit in urbe tua?
Venit ab Orpheo cultor Rhodopeius Hæmo,
Venit et epoto Sarmata pastus equo;
Et qui prima bibit deprensi flumina Nili, 5
Et quem supremæ Tethyos unda ferit.
Festinavit Arabs, festinavere Sabæi,
Et Cilices nimbis hic maduere suis.
Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Æthiopes. 10
Vox diversa sonat; populorum est vox tamen una,
Cum verus patriæ diceris esse pater.

Epigramma IV.—*Ad Cæsarem, quod expulerit delatores.*

Turba gravis paci, placidæque inimica quieti,
Quæ semper miseras sollicitabat opes,
Tradita Gætulis; nec cepit arena nocentes:
Et delator habet, quod dabat, exsilium.
* * * * * * *
Exsulat Ausonia profugus delator ab urbe:
Impensis vitam principis annumeres.

Epigramma V.—*De Pasiphaes spectaculo.*

Junctam Pasiphaen Dictæo credite tauro.
Vidimus; accepit fabula prisca fidem.
Nec se miretur, Cæsar, longæva vetustas:
Quicquid fama canit, donat arena tibi.

Epigramma VI.—*Fœminæ in Amphitheatro cum leone certamen.*

Belliger invictis quod Mars tibi sævit in armis,
Non satis est, Cæsar; sævit et ipsa Venus.
Prostratum vasta Nemees in valle leonem,
Nobile, et Herculeum fama canebat opus.
Prisca fides taceat: nam post tua munera, Cæsar,
Hæc jam fœminea vidimus acta manu. 6

Epigramma VII.—*Pœna Laureoli.*

Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus
Assiduam nimio pectore pavit avem:
Nuda Caledonio sic pectora præbuit urso
Non falsa pendens in cruce Laureolus.
Vivebant laceri membris stillantibus artus, 5
Inque omni nusquam corpore corpus erat.
Denique supplicium dederat necis ille paternæ,
Vel domini jugulum foderat ense nocens;
Templa vel arcano demens spoliaverat auro;
Subdiderat sævas vel tibi, Roma, faces. 10
Vicerat antiquæ sceleratus crimina famæ,
In quo, quæ fuerat fabula, pœna fuit.

Epigramma VIII.—*De Dædalo.*

Dædale, Lucano cum sic lacereris ab urso,
Quam cuperes pennas nunc habuisse tuas!

Epigramma IX.—*De Rhinocerote.*

Præstitit exhibitus tota tibi, Cæsar, arena,
Quæ non promisit, prœlia rhinoceros.
O quam terribiles exarsit pronus in iras!
Quantus erat cornu, cui pila taurus erat!

Epigramma X.—*De leone qui gubernatorem offendit.*

Læserat ingrato leo perfidus ore magistrum,
Ausus tam notas contemerare manus:
Sed dignas tanto persolvit crimine pœnas;
Et, qui non tulerat verbera, tela tulit.
Quos decet esse hominum tali sub principe mores,
Qui jubet ingenium mitius esse feris? 6

Epigramma XI.—*De urso.*

Præceps sanguinea dum se rotat ursus arena,
Implicitam visco perdidit ille fugam.
Splendida jam tecto cessent venabula ferro,
Nec volet excussa lancea torta manu.
Deprendat vacuo venator in aere prædam 5
Si captare feras aucupis arte placet.

Epigramma XII.—*De sue, quæ ex vulnere peperit.*

Inter Cæsareæ discrimina sæva Dianæ
Fixisset gravidam cum levis hasta suem;
Exsiliit partus miseræ de vulnere matris
O Lucina ferox, hoc peperisse fuit?

Pluribus illa mori voluisset saucia telis, 5
Omnibus ut natis triste pateret iter.
Quis negat esse satum materno funere Bacchum?
Sic genitum numen credite; nata fera est.

Epigramma XIII.—*De eadem.*

Icta gravi telo, confossaque vulnere mater
Sus pariter vitam perdidit, atque dedit.
O quam certa fuit librato dextera ferro!
Hanc ego Lucinæ credo fuisse manum.
Experta est numen moriens utriusque Dianæ; 5
Quaque soluta parens, quaque perempta fera est.

Epigramma XIV.—*De eadem.*

Sus fera jam gravior, maturi pignora ventris
Emisit fetum, vulnere facta parens.
Nec jacuit partus, sed matre cadente cucurrit.
O quantum est subitis casibus ingenium!

Epigramma XV.—*De Carpophoro venatore.*

Summa tuæ, Meleagre, fuit quæ gloria famæ,
Quantula Carpophori portio fusus aper!
Ille et præcipiti venabula condidit urso,
Primus in Arctoi qui fuit arce poli:
Stravit et ignota spectandum mole leonem, 5
Herculeas potuit qui decuisse manus:
Et volucrem longo porrexit vulnere pardum.
Præmia cum laudis ferret, adhuc poterat.

Epigramma XVI.—*De Hercule insidente tauro ad cœlum rapto.*

Raptus abit media quod ad æthera taurus arena,
Non fuit hoc artis, sed pietatis opus.
Vexerat Europen fraterna per æquora taurus;
At nunc Alciden taurus in astra tulit.
Cæsaris atque Jovis confer nunc schema: juvenci
Par onus ut tulerint, altius iste tulit. 6

Epigramma XVII.—*De supplice elephante.*

Quod pius et supplex elephas te, Cæsar, adorat,
Hic modo qui tauro tam metuendus erat;
Non facit hoc jussus, nulloque docente magistro:
Crede mihi, numen sentit et ille tuum.

Epigramma XVIII.—*De tigride et leone.*

Lambere securi dextram consueta magistri
Tigris, ab Hyrcano gloria rara jugo,
Sæva ferum rabido laceravit dente leonem:
Res nova, non ullis cognita temporibus.
Ausa est tale nihil, sylvis dum vixit in altis; 5
Postquam inter nos est, plus feritatis habet.

Epigramma XIX.—*De tauro et elephante.*

Qui modo per totam, flammis stimulatus, arenam
Sustulerat raptas taurus in astra pilas;
Occubuit tandem cornuto [ardore] petitus,
Dum facilem tolli sic elephanta putat.

Epigramma XX.—*De pari gladiatorum.*

Dum peteret pars hæc Myrinum, pars illa Triumphum,
Promisit pariter Cæsar utraque manu.
Non potuit melius litem finire jocosam.
O dulce invicti principis ingenium!

Epigramma XXI.—*De Orpheo.*

Quicquid in Orpheo Rhodope spectasse theatro
Dicitur, exhibuit, Cæsar, arena tibi.
Repserunt scopuli, mirandaque sylva cucurrit,
Quale fuisse nemus creditur Hesperidum.
Affuit immixtum pecudi genus omne ferarum,
Et supra vatem multa pependit avis. 6
Ipse sed ingrato jacuit laceratus ab urso.
Hæc tamen ut res est facta, ita ficta alia est.

Epigramma XXII.—*De rhinocerote.*

Sollicitant pavidi dum rhinocerota magistri,
Seque diu magnæ colligit ira feræ;
Desperabantur promissi prælia Martis:
Sed tamen is rediit cognitus ante furor.
Namque gravem gemino cornu sic extulit ursum, 5
Jactat ut impositas taurus in astra pilas.

Epigramma XXIII.—*De Carpophoro.*

Dorica quam certo venabula dirigit ictu
Fortis adhuc teneri dextera Carpophori!
Ille tulit geminos facili cervice juvencos;
Illi cessit atrox bubalus atque bison.
Hunc leo cum fugeret, præceps in tela cucurrit: 5
I nunc, et lentas corripe, turba, moras.

Epigramma XXIV.—*De Naumachia.*

Si quis ades longis serus spectator ab oris,
Cui lux prima sacri muneris ista fuit;
Ne te decipiat ratibus navalis Enyo,
Et par unda fretis; hic modo terra fuit.
Non credis? spectes, dum laxent æquora Martem;
Parva mora est, dices: hic modo pontus erat.

Epigramma XXV.—*De Leandro.*

Quod nocturna tibi, Leandre, pepercerit unda,
Desine mirari: Cæsaris unda fuit.

* * * * * * *

Cum peteret dulces audax Leandrus amores,
Et fessus tumidis jam premeretur aquis;
Sic miser instantes affatus dicitur undas: 5
Parcite, dum propero; mergite, dum redeo.

Epigramma XXVI.—*De natatoribus.*

Lusit Nereidum docilis chorus æquore toto,
Et vario faciles ordine pinxit aquas:
Fuscina dente minax, nexu fuit ancora curvo:
Credidimus remum, credidimusque ratem;
Et gratum nautis sidus fulgere Laconum, 5
Lataque perspicuo vela tumere sinu.
Quis tantas liquidis artes invenit in undis?
Aut docuit lusus hos Thetis, aut didicit.

Epigramma XXVII.—*Blanditur Cæsari.*

Sæcula Carpophorum, Cæsar, si prisca tulissent,
Jam nullum monstris orbe fuisset opus.
Non Marathon taurum, Nemee frondosa leonem,
Arcas Mænalium non timuisset aprum.
Hoc armante manus hydræ mors una fuisset, 5
Huic percussa foret tota Chimæra semel.
Ignipedes posset sine Colchide vincere tauros,
Solvere et Hesionen solus, et Andromeden.
Herculeæ laudis numeretur gloria; plus est,
Bis denas pariter perdomuisse feras. 10

Epigramma XXVIII.—*De Naumachia.*

Augusti laudes fuerant, committere classes,
Et freta navali sollicitare tuba;
Cæsaris hæc nostri pars est quota? vidit in undis
Et Thetis ignotas, et Galatea feras.
Vidit in æquoreo ferventes pulvere currus, 5
Et domini Triton ipse putavit equos.
Dumque parat sævis ratibus fera prælia Nereus,
Abnuit in liquidis ire pedester aquis.
Quicquid et in circo spectatur et amphitheatro,
Cæsaris hoc dives præstitit unda tibi. 10
Fucinus, et pigri taceantur stagna Neronis:
Hanc norint unam sæcula Naumachiam.

Epigramma XXIX.—*De Prisco et Vero gladiatoribus.*

Cum traheret Priscus, traheret certamina Verus,
Esset et æqualis Mars utriusque diu;
Missio sæpe viris magno clamore petita est:
Sed Cæsar legi paruit ipse suæ.
Lex erat ad digitum posita concurrere palma: 5
Quod licuit, lances, donaque sæpe dedit.
Inventus tamen est finis discriminis æqui;
Pugnavere pares, succubuere pares.
Misit utrique rudes, et palmas Cæsar utrique:
Hoc pretium virtus ingeniosa tulit. 10
Contigit hoc nullo nisi te sub principe, Cæsar:
Cum duo pugnarent, victor uterque fuit.

Epigramma XXX.—*Ad Cæsarem.*

Da veniam subitis: non displicuisse meretur,
Festinat, Cæsar, qui placuisse tibi.

Epigramma XXXI.—*Alterum.*

Cedere majori, virtutis fama secunda est:
Illa gravis palma est, quam minor hostis habet.

Epigramma XXXII.—*De dama et canibus.*

Concita veloces fugeret cum dama Molossos,
Et varia obliquas necteret arte moras;
Cæsaris ante pedes supplex, similisque roganti
Constitit; et prædam non tetigere canes.

Aliud, apud antiquum Juvenalis Scholiasten.

Flavia gens, quantum tibi tertius abstulit hæres!
Pæne fuit tanti, non habuisse duos.

LIBER PRIMUS.

EPISTOLA AD LECTOREM.

Spero me secutum in libellis meis tale temperamentum, ut de illis queri non possit, quisquis de se bene senserit, cum salva infimarum quoque personarum reverentia ludant; quæ adeo antiquis auctoribus defuit, ut nominibus non tantum veris abusi sint, sed etiam magnis. At mihi fama vilius constet, et probetur in me novissimum ingenium. Absit a jocorum nostrorum simplicitate malignus interpres, nec epigrammata mea scribat. Improbe facit, qui in alieno libro ingeniosus est. Lascivam verborum veritatem, id est, epigrammaton linguam, excusarem, si meum esset exemplum: sic scribit Catullus, sic Marsus, sic Pedo, sic Gætulicus, sic quicunque perlegitur. Si quis tamen tam ambitiose tristis est, ut apud illum nulla pagina Latine loqui fas sit, potest epistola, vel potius titulo contentus esse. Epigrammata illis scribuntur, qui solent spectare Florales. Non intret Cato theatrum nostrum; aut si intraverit, spectet. Videor mihi meo jure facturus, si epistolam versibus clausero.

Epigramma I.—*Ad Catonem.*

Nosses jocosæ dulce cum sacrum Floræ,
Festosque lusus, et licentiam vulgi;
Cur in theatrum, Cato severe, venisti?
An ideo tantum veneras, ut exires?

Epigramma II.—*Ad lectorem.*

Hic est quem legis, ille quem requiris,
Toto notus in orbe Martialis
Argutis epigrammaton libellis:
Cui, lector studiose, quod dedisti
Viventi decus, atque sentienti, 5
Rari post cineres habent poetæ.

Epigramma III.—*Ad lectorem, ubi libri venales.*

Qui tecum cupis esse meos ubicunque libellos,
Et comites longæ quæris habere viæ;
Hos eme, quos arctat brevibus membrana tabellis:
Scrinia da magnis, me manus una capit.
Ne tamen ignores ubi sim venalis, et erres 5
Urbe vagus tota, me duce certus eris.
Libertum docti Lucensis quære Secundum,
Limina post Pacis, Palladiumque forum.

Epigramma IV.—*Ad librum suum.*

Argiletanas mavis habitare tabernas,
Cum tibi, parve liber, scrinia nostra vacent.
Nescis heu, nescis dominæ fastidia Romæ:
Crede mihi, nimium Martia turba sapit.
Majores nusquam ronchi: juvenesque, senesque,
Et pueri nasum rhinocerotis habent. 6
Audieris cum grande sophos, dum basia captas,
Ibis ab excusso missus in astra sago.
Sed tu, ne toties domini patiare lituras,
Neve notet lusus tristis arundo tuos, 10
Ætherias, lascive, cupis volitare per auras:
I, fuge; sed poteras tutior esse domi.

Epigramma V.—*Ad Cæsarem.*

Contigeris nostros, Cæsar, si forte libellos,
Terrarum dominum pone supercilium.
Consuevere jocos vestri quoque ferre triumphi;
Materiam dictis nec pudet esse ducem.
Qua Thymelen spectas, derisoremque Latinum, 5
Illa fronte precor carmina nostra legas.
Innocuos censura potest permittere lusus:
Lasciva est nobis pagina, vita proba est.

Epigramma VI.—*Ad Marcum.*

Do tibi naumachiam, tu das epigrammata nobis.
Vis puto cum libro, Marce, natare tuo.

Epigramma VII.—*De leone Cæsaris.*

Ætherias aquila puerum portante per auras,
Illæsum timidis unguibus hæsit onus:
Nunc sua Cæsareos exorat præda leones,
Tutus et ingenti ludit in ore lepus.
Quæ majora putas miracula? summus utrisque 5
Auctor adest: hæc sunt Cæsaris, illa Jovis.

Epigramma VIII.—*Ad Maximum, de columba Stellæ.*

Stellæ delicium mei columba,
Verona licet audiente dicam,
Vicit, Maxime, passerem Catulli.
Tanto Stella meus tuo Catullo,
Quanto passere major est columba. 5

Epigramma IX.—*Deciani dogma laudat.*

Quod magni Thraseæ, consummatique Catonis
Dogmata sic sequeris, salvus ut esse velis;
Pectore nec nudo strictos incurris in enses;
Quod fecisse velim te, Deciane, facis.
Nolo virum, facili redimit qui sanguine famam: 5
Hunc volo, laudari qui sine morte potest.

Epigramma X.—*In Cottam*

Bellus homo et magnus vis idem, Cotta, videri;
Sed qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est.

Epigramma XI.—*De Gemello et Maronilla.*

Petit Gemellus nuptias Maronillæ,
Et cupit, et instat, et precatur, et donat.
Adeone pulchra est? immo fœdius nil est.
Quid ergo in illa petitur et placet? tussit.

Epigramma XII.—*Ad Sextilianum potorem.*

Cum data sint equiti bis quina numismata, quare
Bis decies solus, Sextiliane, bibis?
Jam defecisset portantes calda ministros,
Si non potares, Sextiliane, merum.

Epigramma XIII.—*De Regulo.*

Itur ad Herculei gelidas qua Tiburis arces,
Canaque sulfureis Albula fumat aquis;
Rura, nemusque sacrum, dilectaque jugera Musis
Signat vicina quartus ab urbe lapis:
Hic rudis æstivas præstabat porticus umbras, 5
Heu quam pæne novum porticus ausa nefas!
Nam subito collapsa ruit, cum mole sub illa
Gestatus bijugis Regulus esset equis.
Nimirum timuit nostras Fortuna querelas,
Quæ par tam magnæ non erat invidiæ. 10
Nunc et damna juvant: sunt ipsa pericula tanti:
Stantia non poterant tecta probare deos.

Epigramma XIV.—*De Arria et Pæto.*

Casta suo gladium cum traderet Arria Pæto,
Quem de visceribus traxerat ipsa suis:
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit;
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

Epigramma XV.—*Ad Cæsarem.*

Delicias, Cæsar, lususque jocosque leonum
Vidimus: hoc etiam præstat arena tibi;
Cum prensus blando toties a dente rediret,
Et per aperta vagus curreret ora lepus.
Unde potest avidus captæ leo parcere prædæ? 5
Sed tamen esse tuus dicitur; ergo potest.

Epigramma XVI.—*Ad Julium.*

O mihi post nullos Juli memorande sodales,
Si quid longa fides, castaque jura valent:
Bis jam pæne tibi consul trigesimus instat,
Et numerat paucos vix tua vita dies.
Non bene distuleris, videas quæ posse negari; 5
Et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum.
Exspectant curæque catenatique labores,
Gaudia non remanent, sed fugitiva volant.
Hæc utraque manu complexuque assere toto:
Sæpe fluunt imo sic quoque lapsa sinu. 10
Non est, crede mihi, sapientis dicere, Vivam.
Sera nimis vita est crastina, vive hodie.

Epigramma XVII.—*Ad Avitum.*

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura
Quæ legis hic: aliter non fit, Avite, liber.

Epigramma XVIII.—*Ad Titum.*

Cogit me Titus actitare causas,
Et dicit mihi sæpe, Magna res est.
Res magna est, Tite, quam facit colonus.

Epigramma XIX.—*Ad Tuccam.*

Quid te, Tucca, juvat vetulo miscere Falerno
In Vaticanis condita musta cadis?
Quid tantum fecere boni tibi pessima vina?
Aut quid fecerunt optima vina mali?
De nobis facile est: scelus est jugulare Falernum,
Et dare Campano toxica sæva mero. 6
Convivæ meruere tui fortasse perire:
Amphora non meruit tam pretiosa mori

Epigramma XX.—*Ad Æliam.*

Si memini, fuerant tibi quatuor, Ælia, dentes
Exspuit una duos tussis, et una duos.
Jam secura potes totis tussire diebus;
Nil istic, quod agat, tertia tussis habet.

Epigramma XXI.—*Ad Cæcilianum.*

Dic mihi quis furor est? turba spectante vocata,
Solus boletos, Cæciliane, voras.
Quid dignum tanto tibi ventre, gulaque precabor?
Boletum, qualem Claudius edit, edas.

Epigramma XXII.—*De Porsena et Mucio Scævola.*

Cum peteret regem decepta satellite dextra,
Ingessit sacris se peritura focis.
Sed tam sæva pius miracula non tulit hostis,
Et raptum flammis jussit abire virum.
Urere quam potuit contempto Mucius igne. 5
Hanc spectare manum Porsena non potuit.
Major deceptæ fama est et gloria dextræ.
Si non errasset, fecerat illa minus.

Epigramma XXIII.—*De leone et lepore.*

Quid nunc sæva fugis placidi, lepus, ora leonis?
Frangere tam parvas non didicere feras.
Servantur magnis isti cervicibus ungues,
Nec gaudet tenui sanguine tanta sitis.
Præda canum lepus est, vastos non implet hiatus:
Non timeat Dacus Cæsaris arma puer. 6

Epigramma XXIV.—*Ad Cottam.*

Invitas nullum, nisi cum quo, Cotta, lavaris,
Et dant convivam balnea sola tibi.
Mirabar, quare nunquam me, Cotta, vocasses:
Jam scio me nudum displicuisse tibi.

Epigramma XXV.—*Ad Decianum.*

Adspicis incomptis illum, Deciane, capillis?
Cujus et ipse times triste supercilium;
Qui loquitur Curios, assertoresque Camillos.
Noliso fronti credere, nupsit heri.

Epigramma XXVI.—*Ad Faustinum.*

Ede tuos tandem populo, Faustine, libellos,
Et cultum docto pectore profer opus;
Quod nec Cecropiæ damnent Pandionis arces,
Nec sileant nostri, prætereantque senes.
Ante fores stantem dubitasne admittere famam? 5
Teque piget curæ præmia ferre tuæ?
Post te victuræ, per te quoque vivere chartæ
Incipiant. Cineri gloria sera venit.

Epigramma XXVII.—*Ad Sextilianum.*

Sextiliane, bibis quantum subsellia quinque
Solus, aqua toties ebrius esse potes.
Nec consessorum vicina numismata tantum,
Æra sed a cuneis ulteriora petis.
Non hæc Pelignis agitur vindemia prælis, 5
Una nec in Tuscis nascitur ista jugis;
Testa sed antiqui felix siccatur Opimi,
Egerit et nigros Massica cella cados.
A caupone tibi fæx Laletana petatur,
Si plus quam decies, Sextiliane, bibis. 10

Epigramma XXVIII.—*Ad Procillum.*

Hesterna tibi nocte dixeramus,
Quincunces, puto, post decem peractos,
Cœnares hodie, Procille, mecum.
Tu factam tibi rem statim putasti,
Et non sobria verba subnotasti, 5
Exemplo nimium periculoso.
Μισῶ μνήμονα συμπότην, Procille.

Epigramma XXIX.—*De Acerra*

Hesterno fœtere mero qui credit Acerram,
Fallitur: in lucem semper Acerra bibit.

Epigramma XXX.—*Ad Fidentinum*

Fama refert nostros te, Fidentine, libellos
Non aliter populo, quam recitare tuos.
Si mea vis dici; gratis tibi carmina mittam.
Si dici tua vis; hæc eme, ne mea sint.

Epigramma XXXI.—*De Diaulo medico.*

Chirurgus fuerat, nunc est vespillo Diaulus:
Cœpit, quo poterat, clinicus esse modo.

Epigramma XXXII.—*De Encolpo.*

Hos tibi, Phœbe, vovet totos a vertice crines
Encolpus, domini centurionis amor:
Grata Pudens meriti tulerit cum præmia pili,
Quam primum longas, Phœbe, recide comas;
Dum nulla teneri sordent lanugine vultus, 5
Dumque decent fusæ lactea colla jubæ:
Utque tuis longum, dominusque, puerque fruatur
Muneribus, tonsum fac cito, sero virum.

Epigramma XXXIII.—*Ad Sabidium.*

Non amo te, Sabidi, nec possum dicere quare.
Hoc tantum possum dicere; non amo te.

Epigramma XXXIV.—*De Gellia.*

Amissum non flet, cum sola est Gellia, patrem.
Si quis adest, jussæ prosiliunt lacrymæ.
Non dolet hic, quisquis laudari, Gellia, quærit.
Ille dolet vere, qui sine teste dolet.

Epigramma XXXV.—*Ad Lesbiam.*

Incustoditis et apertis, Lesbia, semper
Liminibus peccas, nec tua furta tegis:
Et plus spectator, quam te delectat adulter:
Nec sunt grata tibi gaudia, si qua latent.
At meretrix abigit testem veloque seraque: 5
Raraque Summœni fornice rima patet.
A Chione saltem, vel ab Helide disce pudorem;
Abscondunt spurcas hæc monumenta lupas.
Numquid dura tibi nimium censura videtur?
Deprendi veto te, Lesbia, non futui. 10

Epigramma XXXVI.—*Ad Cornelium.*

Versus scribere me parum severos,
Nec quos prælegat in schola magister
Corneli, quereris: sed hi libelli,
Tanquam conjugibus suis mariti,
Non possunt sine mentula placere. 5
Quid si me jubeas Thalassionem
Verbis dicere non Thalassionis?
Quis Floralia vestit, et stolatum
Permittit meretricibus pudorem?
Lex hæc carminibus data est jocosis, 10
Ne possint, nisi pruriant, juvare.
Quare deposita severitate,
Parcas lusibus et jocis rogamus:
Nec castrare velis meos libellos.
Gallo turpius est nihil Priapo. 15

Epigramma XXXVII.—*Ad Lucanum et Tullum.*

Si, Lucane, tibi, vel si tibi, Tulle, darentur,
Qualia Ledæi fata Lacones habent;
Nobilis hæc esset pietatis rixa duobus,
Quod pro fratre mori vellet uterque prior:
Diceret infernas et qui prior isset ad umbras; 5
Vive tuo frater tempore, vive meo.

Epigramma XXXVIII.—*Ad Bassam*

Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro
Bassa, bibis vitro. Carius ergo cacas.

Epigramma XXXIX.—*Ad Fidentinum.*

Quem recitas, meus est, o Fidentine, libellus
Sed male cum recitas, incipit esse tuus.

Epigramma XL.—*Ad Decianum.*

Si quis erit, raros inter numerandus amicos,
Quales prisca fides, famaque novit anus:
Si quis Cecropiæ madidus Latiæque Minervæ
Artibus, et vera simplicitate bonus:
Si quis erit recti custos, mirator honesti, 5
Et nihil arcano qui roget ore deos:
Si quis erit magnæ subnixus robore mentis,
Dispeream, si non hic Decianus erit.

Epigramma XLI.—*Ad lividum.*

Qui ducis vultus, et non legis ista libenter,
Omnibus invideas, livide, nemo tibi.

Epigramma XLII.—*In Cæcilium.*

Urbanus tibi, Cæcili, videris.
Non es, crede mihi: quid ergo? verna es.
Hoc quod Transtiberinus ambulator,
Qui pallentia sulfurata fractis
Permutat vitreis: quod otiosæ 5
Vendit qui madidum cicer coronæ.
Quod custos dominusque viperarum:
Quod viles pueri salariorum:
Quod fumantia qui tomacla raucus
Circumfert tepidis coquus popinis; 10
Quod non optimus Urbicus poeta:
Quod de Gadibus improbus magister;
Quod bucca est vetuli loquax cinædi.
Quare desine jam tibi videri,
Quod soli tibi, Cæcili, videris: 15
Qui Galbam salibus tuis, et ipsum
Possis vincere Sextium Caballum.
Non cuicunque datum est habere nasum
Ludit qui stolida procacitate,
Non est Sextius ille, sed caballus. 20

Epigramma XLIII.—*De Porcia uxore Bruti*

Conjugis audisset fatum cum Porcia Bruti,
Et subtracta sibi quæreret arma dolor:
Nondum scitis, ait, mortem non posse negari?
Credideram satis hoc vos docuisse patrem.
Dixit, et ardentes avido bibit ore favillas. 5
I nunc, et ferrum, turba molesta, nega.

Epigramma XLIV.—*In Mancinum*

Bis tibi triceni fuimus, Mancine, vocati,
Et positum est nobis nil here præter aprum.
Non quæ de tardis servantur vitibus uvæ,
Dulcibus aut certant quæ melimela favis,
Non pyra quæ lenta pendent religata genista, 5
Aut imitata breves punica mala rosas:
Rustica lactantes nec misit fiscina metas,
Nec de Picenis venit oliva cadis.

Nudus aper; sed et hic minimus, qualisque necari
A non armato pumilione potest. 10
Et nihil inde datum est; tantum spectavimus
Ponere aprum nobis sic et arena solet. [omnes.
Ponatur tibi nullus aper post talia facta:
Sed tu ponaris, cui Charidemus, apro.

Epigramma XLV.—*Ad Stellam*

Lascivos leporum cursus, lususque leonum,
Quod major nobis charta minorque gerit,
Et bis idem facimus: nimium si, Stella, videtur
Hoc tibi; bis leporem tu quoque pone mihi.

Epigramma XLVI.—*De libro suo.*

Edita ne brevibus pereat mihi charta libellis,
Dicatur potius τὸν δ' ἀπαμειβόμενος.

Epigramma XLVII.—*Ad Hedylum.*

Cum dicis, Propero, fac si facis, Hedyle, languet
Protinus, et cessat debilitata Venus.
Exspectare jube: velocius ibo retentus,
Hedyle: si properas, dic mihi ne properem.

Epigramma XLVIII.—*De Diaulo medico.*

Nuper erat medicus, nunc est vespillo Diaulus.
Quod vespillo facit, fecerat et medicus.

Epigramma XLIX.—*De leone et lepore.*

Rictibus his tauros non eripuere magistri,
Per quos præda fugax itque reditque lepus,
Quodque magis mirum, velocior exit ab hoste,
Nec nihil a tanta mobilitate refert.
Tutior in sola non est cum currit arena, 5
Nec caveæ tanta conditur ille fide:
Si vitare canum morsus, lepus improbe, quæris,
Ad quæ confugias, ora leonis habes.

Epigramma L.—*Ad Licinianum, de Hispaniæ locis.*

Vir Celtiberis non tacende gentibus,
Nostræque laus Hispaniæ;
Videbis altam, Liciniane, Bilbilim
Equis et armis nobilem,
Sterilemque Calvum nivibus, et fractis sacrum 5
Vadaveronem montibus:
Et delicati dulce Botrodi nemus,
Pomona quod felix amat.
Tepidi natabis lene Congedi vadum,
Mollesque nympharum lacus; 10
Quibus remissum corpus adstringas brevi
Salone, qui ferrum gelat.
Præstabit illic ipsa figendas prope
Vobisca prandenti feras.
Æstus serenos aureo franges Tago, 15
Obscurus umbris arborum.
Avidam rigens Dircenna placabit sitim,
Et Nemea, quæ vincit nives.
At cum December canus, et bruma impotens
Aquilone rauco mugiet; 20
Aprica repetes Tarraconis littora,
Tuamque Laletaniam:
Ibi illigatas mollibus damas plagis
Mactabis, et vernos apros,
Leporemque forti callidum rumpes equo 25
Cervos relinques villico.
Vicina in ipsum sylva descendet focum
Infante cinctum sordido.
Vocabitur venator, et veniet tibi
Conviva clamatus prope. 30
Lunata nusquam pellis, et nusquam toga,
Olidæque vestes murice:
Procul horridus Liburnus, et querulus cliens,
Imperia viduarum procul.
Non rumpet altum pallidus somnum reus, 35
Sed mane totum dormies.
Mercetur alius grande et insanum sophos:
Miserere tu felicium;
Veroque fruere non superbus gaudio,
Dum Sura laudatur tuus. 40
Non impudenter vita, quod reliquum est, petit,
Cum fama, quod satis est, habet.

Epigramma LI.—*Jocus ex Homero in Coquum.*

Si tibi Mistyllus cocus, Æmiliane, vocatur,
Dicetur quare non Taratalla mihi?

Epigramma LII.—*Ad Leporem.*

Non facit ad sævos cervix, nisi prima, leones;
Quid fugis hos dentes, ambitiose lepus?
Scilicet a magnis ad te descendere tauris,
Et quæ non cernunt, frangere colla velint
Desperanda tibi est ingentis gloria fati: 5
Non potes hoc tenuis præda sub hoste mori.

Epigramma LIII.—*Quinctianum facit assertorem.*

Commendo tibi, Quinctiane, nostros,
Nostros dicere si tamen libellos
Possim, quos recitat tuus poeta:
Si de servitio gravi queruntur,
Assertor venias, satisque præstes; 5
Et, cum se dominum vocabit ille,
Dicas esse meos, manuque missos.
Hoc si terque quaterque clamitaris,
Impones plagiario pudorem

Epigramma LIV.—*Ad Fidentinum.*

Una est in nostris tua, Fidentine, libellis
Pagina, sed certa domini signata figura;
Quæ tua traducit manifesto carmina furto.
Sic interpositus villo contaminat uncto
Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus: 5
Sic Aretinæ violant crystallina testæ:
Sic niger, in ripis errat cum forte Caystri,
Inter Ledæos ridetur corvus olores:
Sic, ubi multisona fervet sacer Atthide lucus,
Improba Cecropias offendit pica querelas. 10
Indice non opus est nostris, nec vindice libris
Stat contra, dicitque tibi tua pagina, fur es.

Epigramma LV.—*Ad Fuscum.*

Si quid, Fusce, vacas adhuc amari;
(Nam sunt hinc tibi, sunt et hinc amici:)
Unum, si superest, locum rogamus:
Nec me, quod tibi sum novus, recuses:
Omnes hoc veteres tui fuerunt. 5
Tu tantum inspice, qui novus paratur,
An possit fieri vetus sodalis.

Epigramma LVI.—*Ad Frontonem.*

Vota tui breviter si vis cognoscere Marci,
Clarum militiæ, Fronte, togæque decus:
Hoc petit, esse sui nec magni ruris arator,
Sordidaque in parvis otia rebus amat.
Quisquam picta colit Spartani frigora saxi, 5
Et matutinum portat ineptus ave;
Cui licet exuviis nemoris rurisque beato
Ante focum plenas explicuisse plagas?
Et piscem tremula salientem ducere seta,
Flavaque de rubro promere mella cado? 10
Pinguis inæquales onerat cui villica mensas,
Et sua non emptus præparat ova cinis?

Non amet hanc vitam, quisquis me non amet, opto;
Vivat et urbanis albus in officiis.

Epigramma LVII.—*Ad Cauponem*

Continuis vexata madet vindemia nimbis.
Non potes, ut cupias, vendere, caupo, merum.

Epigramma LVIII.—*Ad Flaccum.*

Qualem, Flacce, velim quæris, nolimve puellam?
Nolo nimis facilem, difficilemque nimis.
Illud, quod medium est, atque inter utrumque, probamus.
Nec volo, quod cruciat; nec volo, quod satiat.

Epigramma LIX.—*De pueri pretio.*

Millia pro puero centum me mango poposcit:
Risi ego: sed Phœbus protinus illa dedit.
Hoc dolet, et queritur de me mea mentula mecum,
Laudaturque meam Phœbus in invidiam.
Sed sestertiolum donavit mentula Phœbo 5
Bis decies; hoc da tu mihi, pluris emam.

Epigramma LX.—*Ad Flaccum de sportula*

Dat Baiana mihi quadrantes sportula centum.
Inter delicias quid facit ista fames?
Redde Lupi nobis, tenebrosaque balnea Grylli:
Tam male cum cœnem, cur bene, Flacce, lavor?

Epigramma LXI.—*De lepore et leone.*

Intres ampla licet torvi, lepus, ora leonis,
Esse tamen vacuo se leo dente putat. [mos,
Quod ruet in tergum, vel quos procumbet in ar-
Alta juvencorum vulnera figet ubi?
Quid frustra nemorum dominum regemque fatigas?
Non nisi delecta pascitur ille fera. 6

Epigramma LXII.—*Ad Licinianum, scriptores unde.*

Verona docti syllabas amat vatis:
Marone felix Mantua est:
Censetur Apona Livio suo tellus,
Stellaque, nec Flacco minus:
Apollodoro plaudit imbrifer Nilus 5
Nasone Peligni sonant.
Duosque Senecas, unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.
Gaudent jocosæ Canio suo Gades:
Emerita Deciano meo. 10
Te, Liciniane, gloriabitur nostra,
Nec me tacebit, Bilbilis.

Epigramma LXIII.—*De Lævina.*

Casta, nec antiquis cedens Lævina Sabinis,
Et quamvis tetrico tristior ipsa viro;
Dum modo Lucrino, modo se permittit Averno;
Et dum Baianis sæpe fovetur aquis,
Incidit in flammas: juvenemque secuta relicto 5
Conjuge, Penelope venit, abit Helene.

Epigramma LXIV.—*Ad Celerem.*

Ut recitem tibi nostra rogas epigrammata. Nolo.
Non audire, Celer, sed recitare cupis.

Epigramma LXV.—*Ad Fabullam ambitiosam.*

Bella es; novimus: et puella; verum est:
Et dives; quis enim potest negare?
Sed dum te nimium, Fabulla, laudas;
Nec dives, neque bella, nec puella es.

Epigramma LXVI.—*Ad Cæcilianum, de genere et declinatione ficus.*

Cum dixi *ficus*, rides quasi barbara verba,
Et dici *ficos*, Cæciliane, jubes.
Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci:
Dicemus ficos, Cæciliane, tuos.

Epigramma LXVII.—*Ad furem, de libro suo.*

Erras, meorum fur avare librorum,
Fieri poetam posse qui putas tanti,
Scriptura quanti constet, et tomus vilis.
Non sex paratur aut decem sophos nummis.
Secreta quære carmina, et rudes curas, 5
Quas novit unus, scrinioque signatas
Custodit ipse virginis pater chartæ,
Quæ trita duro non inhorruit mento.
Mutare dominum non potest liber notus.
Sed pumicata fronte si quis est nondum, 10
Nec umbilicis cultus atque membrana;
Mercare tales; habeo; nec sciet quisquam.
Aliena quisquis recitat, et petit famam,
Non emere librum, sed silentium debet.

Epigramma LXVIII.—*Ad Chœrilum.*

Liber homo es nimium, dicis mihi, Chœrile semper:
In te qui dicit, Chœrile, liber homo est.

Epigramma LXIX.—*De Rufo.*

Quicquid agit Rufus, nihil est nisi Nævia Rufo
Si gaudet, si flet, si tacet, hanc loquitur.
Cœnat, propinat, poscit, negat, innuit; una est
Nævia; si non sit Nævia, mutus erit.
Scriberet hesterna patri cum luce salutem; 5
Nævia lux, inquit, Nævia, lumen, ave.
Hæc legit, et ridet demisso Nævia vultu.
Nævia non una est: quid, vir inepte, furis?

Epigramma LXX.—*Ad Maximum*

Cœpit, Maxime, Pana quæ solebat,
Nunc ostendere Canium Terentos.

Epigramma LXXI.—*Ad Librum.*

Vade salutatum; pro me, liber, ire juberis
Ad Proculi nitidos, officiose, lares.
Quæris iter? dicam: vicinum Castora canæ
Transibis Vestæ, virgineamque domum.
Inde sacro veneranda petes Pallatia clivo, 5
Plurima qua summi fulget imago ducis.
Nec te detineat miri radiata Colossi,
Quæ Rhodium moles vincere gaudet opus.
Flecte vias hac, qua madidi sunt tecta Lyæi,
Et Cybeles picto stat Corybante tholus. 10
Protinus a læva clari sub fronte penates,
Atriaque excelsæ sunt adeunda domus.
Hanc pete, ne metuas fastus, limenque superbum:
Nulla magis toto janua poste patet; [rores.
Nec propior quam Phœbus amat, doctæque so-
Sic dicet; quare non tamen ipse venit? 16
Sic licet excuses; quia qualiacunque leguntur
Ista, salutator scribere non potuit.

Epigramma LXXII.—*Ad Somnum.*

Nævia sex cyathis, septem Justina bibatur;
Quinque Lycas; Lyde quatuor; Ida tribus
Omnis ab infuso numeretur amica Falerno;
Et quia nulla venit, tu mihi, Somne, veni.

Epigramma LXXIII.—*Ad Fidentinum.*

Nostris versibus esse te poetam,
Fidentine, putas, cupisque credi?

Sic dentata sibi videtur Ægle,
Emptis ossibus, Indicoque cornu.
Sic, quæ nigrior est cadente moro, 5
Cerussata sibi placet Lycoris.
Hac et tu ratione, qua poeta es,
Calvus cum fueris, eris comatus.

Epigramma LXXIV.—*Ad Cæcilianum.*

Nullus in urbe fuit tota, qui tangere vellet
Uxorem gratis, Cæciliane, tuam,
Dum licuit: sed nunc, positis custodibus, ingens
Turba fututorum est. Ingeniosus homo es.

Epigramma LXXV.—*Ad Paullam.*

Mœchus erat. Poteras tamen hoc tu, Paulla, negare:
Ecce, vir est. Numquid, Paulla, negare potes?

Epigramma LXXVI.—*De Lino.*

Dimidium donare Lino, quam credere totum,
Qui mavult; mavult perdere dimidium.

Epigramma LXXVII.—*Ad Flaccum.*

O mihi curarum pretium non vile mearum,
Flacce, Antenorei spes et alumne laris;
Pierios differ cantusque chorosque sororum:
Æs dabit ex istis nulla puella tibi. [nervæ:
Quid petis a Phœbo? nummos habet arca Mi-
Hæc sapit, hæc omnes fœnerat una deos. 6
Quid possent hederæ Bacchi dare? Palladis arbor
Inclinat varias pondere nigra comas.
Præter aquas Helicon, et serta, lyrasque dearum
Nil habet, et magnum sed perinane sophos. 10
Quid tibi cum Cirrha? quid cum Permesside lympha?
Romanum propius, divitiusque forum est.
Illic æra sonant: at circum pulpita nostra
Et steriles cathedras basia sola crepant.

Epigramma LXXVIII.—*De Charino.*

Pulchre valet Charinus, et tamen pallet.
Parce bibit Charinus, et tamen pallet.
Bene concoquit Charinus, et tamen pallet.
Sole utitur Charinus, et tamen pallet.
Tingit cutem Charinus, et tamen pallet. 5
Cunnum Charinus lingit, et tamen pallet.

Epigramma LXXIX.—*De Festo.*

Indignas premeret pestis cum tabida fauces,
Inque suos vultus serperet atra lues;
Siccis ipse genis flentes hortatus amicos
Decrevit Stygios Festus adire lacus.
Nec tamen obscuro pia polluit ora veneno, 5
Aut torsit lenta tristia fata fame:
Sanctam Romana vitam sed morte peregit,
Dimisitque animam nobiliore via.
Hanc mortem fatis magni præferre Catonis
Fama potest: hujus Cæsar amicus erat. 10

Epigramma LXXX.—*Ad Attalum.*

Semper agis causas, et res agis, Attale, semper:
Est, non est quod agas, Attale, semper agis.
Si res et causæ desunt, agis, Attale, mulas.
Attale, ne quod agas desit, agas animam.

Epigramma LXXXI.—*Ad Canum.*

Sportula, Cane, tibi suprema nocte petita est.
Occidit puto te, Cane, quod una fuit.

Epigramma LXXXII.—*Ad Sosibianum.*

E servo scis te genitum, blandeque fateris,
Cum dicis dominum, Sosibiane, patrem.

Epigramma LXXXIII.—*De Regulo.*

Hæc, quæ pulvere dissipata multo
Longas porticus explicat ruinas,
En quanto jacet absoluta casu!
Tectis nam modo Regulus sub illis
Gestatus fuerat, recesseratque; 5
Victa est pondere cum suo repente;
Et postquam domino nihil timebat,
Securo ruit incruenta damno.
Tantæ, Regule, post metum querelæ,
Quis curam neget esse te deorum, 10
Propter quem fuit innocens ruina?

Epigramma LXXXIV.—*De Manneia.*

Os et labra tibi lingit, Manneia, catellus:
Non miror, merdas si libet esse cani.

Epigramma LXXXV.—*De Quirinali.*

Uxorem habendam non putat Quirinalis,
Cum vult habere filios: et invenit
Quo possit istud more; futuit ancillas,
Domumque, et agros implet equitibus vernis.
Paterfamilias verus est Quirinalis. 5

Epigramma LXXXVI.—*De Mario.*

Venderet excultos colles cum præco facetus,
Atque suburbani jugera pulchra soli;
Errat, ait, si quis Mario putat esse necesse
Vendere: nil debet: fœnerat imo magis.
Quæ ratio est igitur? servos ubi perdidit omnes,
Et pecus, et fructus, non amat inde locum. 6
Quis faceret pretium, nisi qui sua perdere vellet
Omnia? sic Mario noxius hæret ager.

Epigramma LXXXVII.—*De Novio micropsycho.*

Vicinus meus est, manuque tangi
De nostris Novius potest fenestris.
Quis non invideat mihi, putetque
Horis omnibus esse me beatum,
Juncto cui liceat frui sodale? 5
Tam longe est mihi, quam Terentianus,
Qui nunc Niliacam regit Syenen.
Non convivere, nec videre saltem,
Non audire licet: nec urbe tota
Quisquam est tam prope, tam proculque nobis.
Migrandum est mihi longius, vel illi. 11
Vicinus Novio, vel inquilinus
Sit, si quis Novium videre non vult.

Epigramma LXXXVIII.—*Ad Fescenniam.*

Ne gravis hesterno fragres, Fescennia, vino,
Pastillos Cosmi luxuriosa voras.
Ista linunt dentes jentacula: sed nihil obstat,
Extremo ructus cum venit a barathro.
Quid quod olet gravius mistum diapasmate virus,
Atque duplex animæ longius exit odor? 6
Notas ergo nimis fraudes, deprensaque furta
Jam tollas, et sis ebria simpliciter.

Epigramma LXXXIX.—*Ad Alcimum.*

Alcime, quem raptum domino crescentibus annis
Labicana levi cespite velat humus:
Accipe non Phario nutantia pondera saxo,
Quæ cineri vanus dat ruitura labor;
Sed fragiles buxos, et opacas palmitis umbras, 5
Quæque virent lacrymis roscida prata meis.
Accipe, care puer, nostri monumenta laboris:
Hic tibi perpetuo tempore vivet honor,
Cum mihi supremos Lachesis perneverit annos:
Non aliter cineres mando jacere meos. 10

Epigramma XC.—*Ad Cinnam.*

Garris in aurem semper omnibus, Cinna;
Garris et illud, teste quod licet turba.
Rides in aurem, quereris, arguis, ploras:
Cantas in aurem, judicas, taces, clamas.
Adeone penitus sedit hic tibi morbus, 5
Ut sæpe in aurem, Cinna, Cæsarem laudes?

Epigramma XCI.—*Ad Bassam tribadem.*

Quod nunquam maribus junctam te, Bassa, videbam,
Quodque tibi mœchum fabula nulla dabat,
Omne sed officium circa te semper obibat
Turba tui sexus, non adeunte viro:
Esse videbaris, fateor, Lucretia nobis: 5
At tu (pro facinus) Bassa, fututor eras.
Inter se geminos audes committere cunnos,
Mentiturque virum prodigiosa Venus. [strum;
Commenta es dignum Thebano ænigmate mon-
Hic, ubi vir non est, ut sit adulterium. 10

Epigramma XCII.—*Ad Lælium.*

Cum tua non edas, carpis mea carmina, Læli.
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

Epigramma XCIII.—*Ad Mamurianum.*

Sæpe mihi queritur non siccis Cestus ocellis,
Tangi se digito, Mamuriane, tuo.
Non opus est digito: totum tibi Ceston habeto,
Si deest nil aliud, Mamuriane, tibi.
Sed si nec focus est, nudi nec sponda grabati, 5
Nec curtus Chiones, Antiopesve calix;
Cerea si pendet lumbis et trita lacerna,
Dimidiasque nates Gallica palla tegit;
Pasceris et nigræ solo nidore culinæ,
Et bibis immundam cum cane pronus aquam:
Non culum (neque enim est culus, qui non cacat olim,) 11
Sed fodiam digito, qui superest, oculum.
Nec me zelotypum, nec dixeris esse malignum.
Denique pœdica, Mamuriane, satur.

Epigramma XCIV.—*De Aquino.*

Fabricio junctus fido requiescit Aquinus,
Qui prior Elysias gaudet adisse domos.
Ara duplex primi testatur munera pili:
Plus tamen est, titulo quod breviore legis.
Functus uterque sacro laudatæ fœdere vitæ, 5
Famaque quod raro novit, amicus erat.

Epigramma XCV.—*Ad Æglen fellatricem.*

Cantasti male, dum fututa es, Ægle.
Jam cantas bene; basianda non es.

Epigramma XCVI.—*Ad Helium.*

Quod clamas semper, quod agentibus obstrepis,
Non facis hoc gratis: accipis, ut taceas. [Heli,

Epigramma XCVII.—*Ad Scazontem, de fellatore.*

Si non molestum est, teque non piget, Scazon,
Nostro, rogamus, pauca verba Materno
Dicas in aurem, sic, ut audiat solus.
Amator ille tristium lacernarum,
Et bæticatus, atque leucophæatus, 5
Qui coccinatos non putat viros esse,
Amethystinasque mulierum vocat vestes;
Nativa laudat; habeat et licet semper
Fuscos colores, galbanos habet mores;
Rogabit, unde suspicer virum mollem 10
Una lavamur: adspicit nihil sursum.
Sed spectat oculis devorantibus draucos
Nec otiosis mentulas videt labris.
Quæris quis hic sit? excidit mihi nomen.

Epigramma XCVIII.—*Ad Nævolum causidicum.*

Cum clamant omnes, loqueris tu, Nævole, tan-
Et te patronum, causidicumque putas. [tum,
Hac ratione potest nemo non esse disertus.
Ecce, tacent omnes: Nævole, dic aliquid.

Epigramma XCIX.—*Ad Flaccum.*

Litigat, et podagra Diodorus, Flacce, laborat,
Sed nil patrono porrigit: hæc chiragra est.

Epigramma C.—*Ad Calenum avarum.*

Non plenum modo vicies habebas,
Sed tam prodigus, atque liberalis,
Et tam lautus eras, Calene, ut omnes
Optarent tibi centies amici.
Audit vota deus precesque nostras; 5
Atque intra, puto, septimas Calendas
Mortes hoc tibi quatuor dederunt
At tu sic quasi non foret relictum,
Sed raptum tibi centies, abisti
In tantam miser esuritionem, 10
Ut convivia sumtuosiora,
Toto quæ semel apparas in anno,
Nigræ sordibus explices monetæ;
Et septem veteres tui sodales
Constemus tibi plumbea selibra. 15
Quid dignum meritis precemur istis?
Optamus tibi millies, Calene:
Hoc si contigerit, fame peribis.

Epigramma CI.—*De Afra vetula.*

Mammas, atque tatas habet Afra; sed ipsa tatarum
Dici et mammarum maxima mamma potest

Epigramma CII.—*De Demetrio.*

Illa manus quondam studiorum fida meorum
Et felix domino, notaque Cæsaribus
Destituit primos viridis Demetrius annos:
Quarta tribus lustris addita messis erat.
Ne tamen ad Stygias famulus descenderet umbras
Ureret implicitum cum scelerata lues, 6
Cavimus; et domini jus omne remisimus ægro
Munere dignus erat convaluisse meo.
Sensit deficiens sua præmia, meque patronum
Dixit, ad infernas liber iturus aquas. 10

Epigramma CIII.—*Ad Lycorim.*

Qui pinxit Venerem tuam, Lycori,
Blanditus, puto; pictor est Minervæ

Epigramma CIV.—*Ad Scævolam.*

Si dederint superi decies mihi millia centum,
(Dicebas nondum, Scævola, justus eques,)
Qualiter o vivam, quam large, quamque beate!
Riserunt faciles, et tribuere, dei.
Sordidior multo post hoc toga; penula pejor: 5
Calceus est sarta terque quaterque cute:
Deque decem plures semper servantur olivæ;
Explicat et cœnas unica mensa duas:
Et Veientani bibitur fæx crassa rubelli;
Asse cicer tepidum constat, et asse Venus. 10
In jus, o fallax atque inficiator, eamus:
Aut vive, aut decies, Scævola, redde deis.

Epigramma CV.—*De spectaculo.*

Picto quod juga delicata collo
Pardus sustinet, improbæque tigres

Indulgent patientiam flagello ;
Mordent aurea quod lupata cervi,
Quod frænis Libyci domantur ursi, 5
Et quantum Calydon tulisse fertur,
Paret purpureis aper capistris ;
Turpes esseda quod trahunt bisontes,
Et molles dare jussa quod choreas
Nigro bellua nil negat magistro ; 10
Quis spectacula non putet deorum ?
Hæc transit tamen ut minora, quisquis
Venatus humiles videt leonum,
Quos velox leporum timor fatigat.
Dimittunt, repetunt, amantque captos, 15
Et securior est in ore præda ;
Laxos cui dare, perviosque rictus
Gaudent, et timidos tenere dentes ;
Mollem frangere dum pudet rapinam,
Stratis cum modo venerim juvencis. 20
Hæc clementia non paratur arte,
Sed norunt cui serviant leones.

Epigramma CVI.—*Ad Ovidium.*

In Nomentanis, Ovidi, quod nascitur agris,
Accepit quoties tempora longa merum,
Exuit annosa mores nomenque senecta :
Et, quicquid voluit, testa vocatur anus.

Epigramma CVII.—*Ad Rufum.*

Interponis aquam subinde, Rufe,
Et, si cogeris a sodale, raram
Diluti bibis unciam Falerni.
Numquid pollicita est tibi beatam
Noctem Nævia, sobriasque mavis 5
Certæ nequitias fututionis ?
Suspiras, retices, gemis : negavit.
Crebros ergo bibas licet trientes,
Et durum jugules mero pudorem.
Quid parcis tibi, Rufe ? dormiendum est. 10

Epigramma CVIII.—*Ad Lucium Julium*

Sæpe mihi dicis, Luci clarissime Juli,
Scribe aliquid magnum : desidiosus homo es
Otia da nobis : sed qualia fecerat olim
Mecænas Flacco, Virgilioque suo :
Condere victuras tentem per sæcula curas, 5
Et nomen flammis eripuisse meum.
In steriles campos nolunt juga ferre juvenci
Pingue solum lassat, sed juvat ipse labor.

Epigramma CIX.—*Ad Gallum.*

Est tibi, sitque precor multos, crescatque per annos
Pulchra quidem, verum Transtiberina domus.
At mea Vipsanas spectant cœnacula laurus ;
Factus in hac ego sum jam regione senex.
Migrandum est, ut mane domi te, Galle, salutem :
Es tanti, vel si longius illa foret. 6
Sed tibi non multum est, unum si præsto togatum;
Multum est, hunc unum si mihi, Galle, nego.
Ipse salutabo decima vel serius hora :
Mane tibi pro me dicat avere liber. 10

Epigramma CX.—*De Catella Publii.*

Issa est passere nequior Catulli :
Issa est purior osculo columbæ :
Issa est blandior omnibus puellis :
Issa est carior Indicis lapillis :
Issa est deliciæ catella Publi. 5
Hanc tu, si queritur, loqui putabis.
Sentit tristitiamque gaudiumque.
Collo nixa cubat, capitque somnos,
Ut suspiria nulla sentiantur
Et desiderio coacta ventris, 10
Gutta pallia non fefellit ulla ;
Sed blando pede suscitat, toroque
Deponi rogat, et monet levari.
Castæ tantus inest pudor catellæ,
Ignorat Venerem : nec invenimus 15
Dignum tam tenera virum puella.
Hanc ne lux rapiat suprema totam,
Picta Publius exprimit tabella :
In qua tam similem videbis Issam,
Ut sit tam similis sibi nec ipsa. 20
Issam denique pone cum tabella :
Aut utramque putabis esse veram,
Aut utramque putabis esse pictam.

Epigramma CXI.—*Ad Velocem.*

Scribere me quereris, Velox, epigrammata longa.
Ipse nihil scribis : tu breviora facis.

Epigramma CXII.—*Ad Regulum.*

Cum tibi sit sophiæ par fama, et cura deorum,
Ingenio pietas nec minor ipsa tuo ;
Ignorat meritis dare munera, qui tibi librum,
Et qui miratur, Regule, thura dari.

Epigramma CXIII.—*In Priscum.*

Cum te non nossem, dominum regemque vocabam :
Cum bene te novi, jam mihi Priscus eris.

Epigramma CXIV.—*Ad Lectorem.*

Quæcunque lusi juvenis et puer quondam,
Apinasque nostras, quas nec ipse jam novi ;
Male collocare si bonas voles horas,
Et invidebis otio tuo, lector,
A Valeriano Pollio petes Quincto, 5
Per quem perire non licet meis nugis.

Epigramma CXV.—*Ad Faustinum.*

Hos tibi vicinos, Faustine, Telesphorus hortos
Fœnius, et breve rus, udaque prata tenet.
Condidit hic natæ cineres, nomenque sacravit,
Quod legis, Antullæ, dignior ipse legi.
Et Stygias æquum fuerat patrem isse sub umbras:
Sed quia non licuit, vivit, ut ossa colat. 6

Epigramma CXVI.—*In Procillum.*

Quædam me cupit, invide Procille,
Loto candidior puella cygno,
Argento, nive, lilio, ligustro.
Jam suspendia sæva cogitabis :
Sed quandam volo nocte nigriorem, 5
Formica, pice, graculo, cicada.
Si novi bene te, Procille, vives.

Epigramma CXVII.—*De Antulla.*

Hoc nemus æterno cinerum sacravit honore
Fœnius, et culti jugera pauca soli.
Hoc tegitur cito rapta suis Antulla sepulchro :
Hoc erit Antullæ mistus uterque parens.
Si cupit hunc aliquis, moneo, ne speret agellum :
Perpetuo dominis serviet iste suis. 6

Epigramma CXVIII.—*In Lupercum.*

Occurris quoties, Luperce, nobis ;
Vis mittam puerum, subinde dicis,
Cui tradas epigrammaton libellum,
Lectum quem tibi protinus remittam ?
Non est, quod puerum, Luperce, vexes : 5
Longum est, si velit ad Pyrum venire,

Et scalis habito tribus, sed altis.
Quod quæris, propius petas licebit:
Argi nempe soles subire letum
Contra Cæsaris est forum taberna, 10
Scriptis postibus hinc et inde totis,
Omnes ut cito perlegas poetas.
Illinc me pete; ne roges Atrectum.
Hoc nomen dominus gerit tabernæ.

De primo dabit alterove nido 15
Rasum pumice, purpuraque cultum
Denariis tibi quinque Martialem.
Tanti non es, ais? sapis, Luperce.

Epigramma CXIX.—*Ad Cæcilianum.*

Cui legisse satis non est epigrammata centum,
Nil illi satis est, Cæciliane, mali.

LIBER SECUNDUS.

MARTIALIS DECIANO SUO S.

Quid nobis, inquis, cum epistola? parumne tibi præstamus si legimus epigrammata? quid hic porro dicturus es, quod non possis versibus dicere? Video quare tragœdi epistolam accipiant, quibus pro se loqui non licet; epigrammata curione non egent, et contenta sunt sua, id est, mala lingua. In quacunque pagina visum est, epistolam faciunt. Noli ergo, si tibi videtur, rem facere ridiculam, et togam saltanti inducere personæ. Denique videas, an te delectet contra retiarium ferula. Ego inter illos sedeo qui protinus reclamant. Puto mehercule, Deciane, verum dicis. Quid, si scias, cum qua, et quam longa epistola negotium fueras habiturus? Itaque quod exigis fiat. Debebunt tibi, si qui in hunc librum inciderint, quod ad primam paginam non lassi pervenient.

Epigramma I.—*Ad librum suum.*

Tercentena quidem poteras epigrammata ferre:
Sed quis te ferret, perlegeretque, liber?
At nunc succincti quæ sint bona disce libelli:
Hoc primum est, brevior quod mihi charta perit.
Deinde, quod hæc una peragit librarius hora, 5
Nec tantum nugis serviet iste meis.
Tertia res hæc est, quod si cui forte legeris,
Sis licet usque malus, non odiosus eris.
Te conviva leget misto quincunce; sed ante
Incipiat positus quam tepuisse calix. 10
Esse tibi tanta cautus brevitate videris?
Hei mihi, quam multis sic quoque longus eris!

Epigramma II.—*Ad Cæsarem Domitianum.*

Creta dedit magnum, majus dedit Africa nomen,
Scipio quod victor, quodque Metellus habet;
Nobilius domito tribuit Germania Rheno,
Et puer hoc dignus nomine, Cæsar, eras.
Frater Idumæos meruit cum patre triumphos: 5
Quæ datur ex Dacis laurea, tota tua est.

Epigramma III.—*Ad Sextum.*

Sexte, nihil debes; nil debes, Sexte, fatemur
Debet enim, si quis solvere, Sexte, potest.

Epigramma IV.—*In Ammianum.*

O quam blandus es, Ammiane, matri!
Quam blanda est tibi mater, Ammiane!
Fratrem te vocat, et soror vocatur.
Cur vos nomina nequiora tangunt?
Quare non juvat hoc, quod estis, esse? 5
Lusum creditis hoc, jocumque? non est.
Matrem, quæ cupit esse se sororem,
Nec matrem juvat esse, nec sororem.

Epigramma V.—*Ad Decianum.*

Ne valeam, si non totis, Deciane, diebus,
Et tecum totis noctibus esse velim.
Sed duo sunt, quæ nos distinguunt, millia passum;
Quatuor hæc fiunt, cum rediturus eam.
Sæpe domi non es: cum sis quoque, sæpe negaris:
Vel tantum causis, vel tibi sæpe vacas. 6
Te tamen ut videam, duo millia non piget ire:
Ut te non videam, quatuor ire piget

Epigramma VI.—*Ad Severum.*

I nunc, edere me jube libellos.
Lectis vix tibi paginis duabus,
Spectas ἐσχατοκώλιον, Severe,
Et longas trahis oscitationes.
Hæc sunt, quæ relegente me solebas 5
Rapta exscribere, sed Vitellianis.
Hæc sunt, singula quæ sinu ferebas
Per convivia cuncta, per theatra.
Hæc sunt, aut meliora si qua nescis.
Quid prodest mihi tam macer libellus, 10
Nullo crassior ut sit umbilico,
Si totus tibi triduo legatur?
Nunquam deliciæ supiniores.
Lassus tam cito deficis viator,
Et cum currere debeas Bovillas, 15
Interjungere quæris ad Camœnas.
I nunc, edere me jube libellos.

Epigramma VII.—*In Attalum.*

Declamas belle; causas agis, Attale, belle
Historias bellas, carmina bella facis.
Componis belle mimos; egigrammata belle;
Bellus grammaticus; bellus es astrologus.
Et belle cantas, et saltas, Attale, belle. 5
Bellus es arte lyræ, bellus es arte pilæ.
Nil bene cum facias, facis attamen omnia belle.
Vis dicam quid sis? magnus es ardelio.

Epigramma VIII.—*Ad Lectorem.*

Si qua videbuntur chartis tibi, lector, in istis,
Sive obscura nimis, sive Latina parum;
Non meus est error; nocuit librarius illis,
Dum properat versus annumerare tibi.
Quod si non illum, sed me peccasse putabis; 5
Tunc cego te credam cordis habere nihil.[mus;
Ista tamen mala sunt. Quasi nos manifesta nege-
Hæc mala sunt: sed tu non meliora facis

Epigramma IX.—*De Nævia.*

Scripsi, rescripsit nil Nævia, non dabit ergo.
Sed puto, quod scripsi, legerat: ergo dabit.

Epigramma X.—*In Postumum.*

Basia dimidio quod das mihi, Postume, labro,
Laudo: licet demas hinc quoque dimidium.
Vis dare majus adhuc, et inenarrabile munus?
Hoc tibi habe totum, Postume, dimidium.

Epigramma XI.—*Ad Rufum de Selio.*

Quod fronte Selium nubila vides, Rufe,
Quod ambulator porticum terit serus;
Lugubre quiddam quod tacet piger vultus;
Quod pæne terram tangit indecens nasus;
Quod dextra pectus pulsat, et comam vellit, 5
Non ille amici fata luget, aut fratris:
Uterque natus vivit, et precor vivat:
Salva est et uxor, sarcinæque, servique:
Nihil colonus, villicusque decoxit.
Mæroris igitur causa quæ? domi cœnat. 10

Epigramma XII.—*In Postumum.*

Esse quid hoc dicam, quod olent tua basia myrrham,
Quodque tibi est nunquam non alienus odor?
Hoc mihi suspectum est, quod oles bene, Postume, semper:
Postume, non bene olet, qui bene semper olet.

Epigramma XIII.—*Ad Sextum.*

Et judex petit, et petit patronus.
Solvas censeo, Sexte, creditori.

Epigramma XIV.—*De Selio.*

Nil intentatum Selius, nil linquit inausum,
Cœnandum quoties jam videt esse domi.
Currit ad Europen, et te, Paulline, tuosque
Laudat Achilleos, sed sine fine, pedes.
Si nihil Europe fecit, tum Septa petuntur, 5
Si quid Phillyrides præstet, et Æsonides.
Hic quoque deceptus Memphitica templa frequentat,
Assidet et cathedris, mæsta juvenca, tuis.
Inde petit centum pendentia tecta columnis;
Illinc Pompeii dona, nemusque duplex. 10
Nec Fortunati spernit, nec balnea Fausti,
Nec Grylli tenebras, Æoliamque Lupi.
Nam thermis iterumque iterumque iterumque lavatur.
Omnia cum fecit, sed renuente deo;
Lotus ad Europes tepidæ buxeta recurrit, 15
Si quis ibi serum carpat amicus iter.
Per te, perque tuam, vector lascive, puellam,
Ad cœnam Selium tu, rogo, Taure, voca.

Epigramma XV.—*In Hermum.*

Quod nulli calicem tuum propinas,
Humane facis, Herme, non superbe.

Epigramma XVI.—*In Zoilum.*

Zoilus ægrotat: faciunt hanc stragula febrem:
Si fuerit sanus, coccina quid facient?
Quid torus a Nilo? quid Sidone tinctus olenti?
Ostendit stultas quid nisi morbus opes? [nes.
Quid tibi cum medicis? dimitte Machaonas om-
Vis fieri sanus? stragula sume mea. 6

Epigramma XVII.—*Ad Ammianum.*

Tonstrix Suburræ faucibus sedet primis,
Cruenta pendent qua flagella tortorum
Argique letum multus obsidet sutor.
Sed ista tonstrix, Ammiane, non tondet.
Non tondet? inquis: ergo quid facit? radit. 5

Epigramma XVIII.—*In Maximum.*

Capto tuam, pudet heu, sed capto, Maxime, cœnam:
Tu captas aliam. Jam sumus ergo pares.
Mane salutatum venio: tu diceris isse
Ante salutatum. Jam sumus ergo pares. [gis:
Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo re-
Tu comes alterius. Jam sumus ergo pares. 6
Esse sat est servum: jam nolo vicarius esse.
Qui rex est, regem, Maxime, non habeat.

Epigramma XIX.—*Ad Zoilum.*

Felicem fieri credis me, Zoile, cœna:
Felicem cœna, Zoile? deinde tua?
Debet Aricino conviva recumbere clivo,
Quem tua felicem, Zoile, cœna facit.

Epigramma XX.—*De Paullo.*

Carmina Paullus emit: recitat sua carmina Paullus.
Nam quod emas, possis dicere jure tuum.

Epigramma XXI.—*In Postumum.*

Basia das aliis, aliis das, Postume, dextram.
Dicis, Utrum mavis? elige. Malo manum.

Epigramma XXII.—*De eodem.*

Quid mihi vobiscum est, o Phœbe novemque
Ecce nocet vati Musa jocosa suo. [sorores?
Dimidio nobis dare Postumus ante solebat
Basia; nunc labro cœpit utroque dare.

Epigramma XXIII.—*De eodem.*

Non dicam, licet usque me rogetis,
Quis sit Postumus in meo libello,
Non dicam: quid enim mihi necesse est
Has offendere basiationes,
Quæ se tam bene vindicare possunt? 5

Epigramma XXIV.—*In Candidum.*

Si det iniqua tibi tristem fortuna reatum,
Squalidus hærebo, pallidiorque reo.
Si jubeat patria damnatum excedere terra,
Per freta, per scopulos exsulis ibo comes.
Dat tibi divitias. Ecquid sunt ista duorum? 5
Das partem? multum est; Candide, das aliquid.
Mecum eris ergo miser. Quod si deus ore sereno
Annuerit, felix, Candide, solus eris.

Epigramma XXV.—*Ad Gallam.*

Das nunquam, semper promittis, Galla, roganti.
Si semper fallis, jam rogo, Galla, nega.

Epigramma XXVI.—*Ad Bithynicum.*

Qood querulum spirat, quod acerbum Nævia tussit,
Inque suos mittit sputa subinde sinus;
Jam te rem factam, Bithynice, credis habere?
Erras: blanditur Nævia, non moritur.

Epigramma XXVII.—*De Selio.*

Laudantem Selium, cœnæ cum retia tendit,
Accipe, sive legas, sive patronus agas.
Effecte! graviter! cito! nequiter! euge! beate.
Hoc volui! facta est jam tibi cœna. Tace

Epigramma XXVIII.—*In Sextillum.*

Rideto multum, qui te, Sextille, cinædum
Dixerit, et digitum porrigito medium.
Sed nec pædico es, nec tu, Sextille, fututor:
Calda Vetustillæ nec tibi bucca placet.
Ex istis nihil es fateor, Sextille: quid ergo es? 5
Nescio: sed tu scis res superesse duas.

Epigramma XXIX.—*Ad Rufum.*

Rufe, vides illum subsellia prima terentem,
Cujus et hinc lucet sardonychata manus,
Quæque Tyron toties epotavere lacernæ,
Et toga non tactas vincere jussa nives;
Cujus olet toto pinguis coma Marceliano, 5
Et splendent vulso brachia trita pilo.
Non hesterna sedet lunata lingula planta,
Coccina non læsum cingit aluta pedem;
Et numerosa linunt stellantem splenia frontem.
Ignoras quis sit? splenia tolle, leges. 10

Epigramma XXX.—*In Caium*

Mutua viginti sestertia forte rogabam,
Quæ vel donanti non grave munus erat:
Quippe rogabatur felixque vetusque sodalis,
Et cujus laxas arca flagellat opes.
Is mihi, Dives eris, si causas egeris, inquit. 5
Quod peto da, Cai, non peto consilium.

Epigramma XXXI.—*Ad Marianum.*

Sæpe ego Chrestillam futui. Det quam bene,
Supra quod fieri nil. Mariane, potest. [quæris?

Epigramma XXXII.—*In Ponticum.*

Lis mihi cum Balbo est; tu Balbum offendere non vis, [homo est.
Pontice: cum Licino est; hic quoque magnus
Vexat sæpe meum Patrobas confinis agellum;
Contra libertum Cæsaris ire times.
Abnegat et retinet nostrum Lauronia servum; 5
Respondes, Orba est, dives, anus, vidua.
Non bene, crede mihi, servo servitur amico:
Sit liber, dominus qui volet esse meus.

Epigramma XXXIII.—*In Philænim.*

Cur non basio te, Philæni? calva es.
Cur non basio te, Philæni? rufa es.
Cur non basio te, Philæni? lusca es
Te qui basiat, hic, Philæni, fellat.

Epigramma XXXIV.—*In Gallam.*

Cum placeat Phileros, tota tibi dote redemtus,
Tres pateris natos, Galla, perire fame.
Præstatur cano tanto indulgentia cunno,
Quem nec casta potest jam decuisse Venus.
Perpetuam di te faciant Philerotis amicam, 5
O mater, quia nec Pontia deterior.

Epigramma XXXV.—*Ad Phœbum.*

Cum sint crura tibi, simulent quæ cornua lunæ,
In rhytio poteras, Phœbe, lavare pedes.

Epigramma XXXVI.—*Ad Pannicum.*

Pectere te nolim, sed nec turbare capillos.
Splendida sit nolo, sordida nolo cutis.
Nec tibi mitrarum, nec sit tibi barba reorum.
Nolo virum nimium, Pannice, nolo parum.
Sunt tibi crura pilis, et sunt tibi pectora setis 5
Horrida: sed mens est, Pannice, vulsa tibi.

Epigramma XXXVII.—*In Cæcilianum.*

Quicquid ponitur hinc et inde, verris,
Mammas suminis, imbricemque porci,
Communemque duobus attagenam,
Mullum dimidium, lupumque totum,
Murænæque latus, femurque pulli, 5
Stillantemque alica sua palumbum.
Hæc cum condita sunt madente mappa,
Traduntur puero domum ferenda:
Nos accumbimus otiosa turba.
Ullus si pudor est, repone cœnam: 10
Cras te, Cæciliane, non vocavi.

Epigramma XXXVIII.—*In Linum.*

Quid mihi reddat ager, quæris, Line, Nomentanus?
Hoc mihi reddit ager; te, Line, non video.

Epigramma XXXIX.—*De muneribus mœchæ*

Coccina famosæ donas et ianthina mœchæ.
Vis dare, quæ meruit, munera? mitte togam

Epigramma XL.—*In Tongilium.*

Uri Tongilius male dicitur hemitritæo.
Novi hominis mores: esurit, atque sitit.
Subdola tenduntur crassis nunc retia turdis,
Hamus et in mullum mittitur atque lupum.
Cæcuba saccentur, quæque annus coxit Opimi:
Condantur parco fusca Falerna vitro.
Omnes Tongilium medici jussere lavari:
O stulti, febrem creditis esse? gula est.

Epigramma XLI.—*In Maximinam.*

Ride, si sapis, o puella ride,
Pelignus, puto, dixerat poeta:
Sed non dixerat omnibus puellis.
Verum ut dixerit omnibus puellis,
Non dixit tibi; tu puella non es: 5
Et tres sunt tibi, Maximina, dentes;
Sed plane piceique, buxeique.
Quare si speculo mihique credis,
Debes non aliter timere risum,
Quam ventum Spanius, manumque Priscus; 10
Quam cretata timet Fabulla nimbum,
Cerussata timet Sabella solem.
Vultus induito magis severos,
Quam conjux Priami, nurusque major.
Mimos ridiculi Philistionis, 15
Et convivia nequiora vita,
Et quicquid lepida procacitate
Laxat perspicuo labella risu.
Te mæstæ decet assidere matri,
Lugentique virum, piumque fratrem, 20
Et tantum tragicis vacare Musis.
At tu, judicium secuta nostrum,
Plora, si sapis, o puella, plora

Epigramma XLII.—*In Zoilum.*

Zoile, quid solium subluto podice perdis?
Spurcius ut fiat, Zoile, merge caput.

Epigramma XLIII.—*In Candidum*

Candide, κοινὰ φίλων, hæc sunt tua, Candide, πάντα,
Quæ tu magniloquus nocte dieque sonas.
Te Lacedæmonio velat toga lota Galeso,
Vel quam seposito de grege Parma dedit:
At me quæ passa est furiosi cornua tauri, 5
Noluerit dici quam pila prima suam.
Misit Agenoreas Cadmi tibi terra lacernas:
Non vendes nummis coccina nostra tribus

Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes :
Fulcitur testa fagina mensa mihi. 10
Immodici tibi flava tegunt chrysendeta mulli :
Concolor in nostra, cammare, lance rubes.
Grex tuus Iliaco poterat certare cinædo :
At mihi succurrit pro Ganymede manus.
Ex opibus tantis veteri fidoque sodali 15
Das nihil, et dicis, Candide, κοινὰ φίλων ?

EPIGRAMMA XLIV.—*In Sextum.*

Emi seu puerum, togamve pexam,
Seu tres, ut puto, quatuorve libras :
Sextus protinus ille fœnerator,
Quem nostis veterem meum sodalem,
Ne quid forte petam, timet, cavetque, 5
Et secum, sed ut audiam, susurrat :
Septem millia debeo Secundo ;
Phœbo quatuor ; undecim Phileto ;
Et quadrans mihi nullus est in arca.
O grande ingenium mei sodalis ! 10
Durum est, Sexte, negare, cum rogaris :
Quanto durius, antequam rogeris !

EPIGRAMMA XLV.—*Ad Glyptum*

Quæ tibi non stabat, præcisa est mentula, Glypte
Demens, cum ferro quid tibi ? Gallus eras

EPIGRAMMA XLVI.—*In Nævolum.*

Florida per varios ut pingitur Hybla colores,
Cum breve Sicaniæ ver populantur apes,
Sic tua suppositis pellucent præla lacernis :
Sic micat innumeris arcula synthesibus.
Atque unam vestire tribum tua candida possunt,
Appula non uno quæ grege terra tulit. 6
Tu spectas hiemem succincti lentus amici,
(Pro scelus) et lateris frigora trita mei.
Quantum erat, infelix, pannis fraudare duobus
(Quid renuis ?) non te, Nævole, sed tineas ? 10

EPIGRAMMA XLVII.—*In Gallum*

Subdola famosæ, moneo, fuge retia mœchæ,
Lævior o conchis, Galle, Cytheriacis.
Confides natibus ? non est pædico maritus
Quæ faciat duo sunt : irrumat, aut futuit

EPIGRAMMA XLVIII.—*Ad Rufum*

Cauponem, laniumque, balneumque,
Tonsorem, tabulamque, calculosque,
Et paucos, sed ut eligam, libellos :
Unum non nimium rudem sodalem,
Et caram puero meo puellam, 5
Et grandem puerum, diuque lævem :
Hæc præsta mihi, Rufe, vel Bitonti,
Et thermas tibi habe Neronianas.

EPIGRAMMA XLIX.—*De Thelesina*

Uxorem nolo Thelesinam ducere. Quare ?
Mœcha est. Sed pueris dat Thelesina. Volo

EPIGRAMMA L.—*In Lesbiam.*

Quod fellas, et aquam potas, nil, Lesbia, peccas.
Qua tibi parte opus est, Lesbia, sumis aquam.

EPIGRAMMA LI.—*In Hyllum.*

Unus sæpe tibi tota denarius arca
Cum sit, et hic culo tritior, Hylle, tuo,
Non tamen hunc pistor, non auferet hunc tibi caupo ;
Sed si quis nimio pene superbus erit.
Infelix venter spectat convivia culi, 5
Et semper miser hic esurit, ille vorat.

EPIGRAMMA LII.—*De Dasio*

Novit loturas Dasius numerare : poposcit
Mammosam Spatalen pro tribus, illa dedit.

EPIGRAMMA LIII.—*In Maximum.*

Vis fieri liber ? mentiris, Maxime, non vis :
Sed fieri si vis, hac ratione potes.
Liber eris, cœnare foris si, Maxime, nolis :
Veientana tuam si domat uva sitim :
Si ridere potes miseri chrysendeta Cinnæ : 5
Contentus nostra si potes esse toga :
Si plebeia Venus gemino tibi jungitur asse
Si tua non rectus tecta subire potes.
Hæc tibi si vis est, si mentis tanta potestas,
Liberior Partho vivere rege potes. 10

EPIGRAMMA LIV.—*In Linum.*

Quid de te, Line, suspicetur uxor,
Et qua parte velit pudiciorem,
Certis indiciis satis probavit,
Custodem tibi quæ dedit spadonem.
Nil nasutius hac, maligniusque est. 5

EPIGRAMMA LV.—*Ad Sextum.*

Vis te, Sexte, coli : volebam amare.
Parendum est tibi ; quod jubes, coleris
Sed si te colo, Sexte, non amabo.

EPIGRAMMA LVI.—*Ad Gallum, de ejus uxore*

Gentibus in Libycis uxor tua, Galle, notatur
Immodicæ fœdo crimine avaritiæ.
Sed mera narrantur mendacia : non solet illa
Accipere omnino. Quid solet ergo ? dare.

EPIGRAMMA LVII.—*In fictum divitem.*

Hic, quem videtis gressibus vagis lentum,
Amethystinatus media qui secat septa ;
Quem non lacernis Publius meus vincit,
Non ipse Codrus alpha pænulatorum ;
Quem grex togatus sequitur, et capillatus, 5
Recensque sella linteisque lorisque :
Oppigneravit Claudii modo ad mensam
Vix octo nummis annulum, unde cœnaret.

EPIGRAMMA LVIII.—*In Zoilum.*

Pexatus pulchre rides mea, Zoile, trita.
Sunt hæc trita quidem, Zoile ; sed mea sunt.

EPIGRAMMA LIX.—*De cœnatione micæ.*

Mica vocor. Quid sim, cernis : cœnatio parva
Ex me Cæsareum prospicis, ecce, tholum.
Frange toros : pete vina : rosas cape : tingere nardo.
Ipse jubet mortis te meminisse deus.

EPIGRAMMA LX.—*In Hyllum*

Uxorem armati futuis, puer Hylle, tribuni,
Supplicium tantum dum puerile times.
Væ tibi, dum ludis ; castrabere. Jam mihi dices
Non licet hoc. Quid ? tu quod facis, Hylle, licet ?

EPIGRAMMA LXI.—*In maledicum.*

Cum tibi vernarent dubia lanugine malæ,
Lambebat medios improba lingua viros.
Postquam triste caput fastidia vespillonum,
Et miseri meruit tædia carnificis ;

Uteris ore aliter, nimiaque ærugine captus 5
Allatras nomen, quod tibi cunque datum est
Hæreat inguinibus potius tam noxia lingua:
Nam cum fellaret, purior illa fuit.

Epigramma LXII.—*In Labienum.*

Quod pectus, quod crura tibi, quod brachia vellis,
Quod cincta est brevibus mentula tonsa pilis:
Hoc præstas, Labiene, tuæ (quis nescit?) amicæ.
Cui præstas culum, quem, Labiene, pilas?

Epigramma LXIII.—*In Milichum.*

Sola tibi fuerant sestertia, Miliche, centum,
Quæ tulit e sacra Leda redempta via.
Miliche, luxuria est, si tanti dives amares.
Non amo, jam dices. Hæc mage luxuria est.

Epigramma LXIV.—*In Taurum.*

Dum modo causidicum, dum te modo rhetora fingis,
Et non decernis, Taure, quid esse velis:
Peleos, et Priami transît, et Nestoris ætas,
Et fuerat serum jam tibi desinere.
Incipe: tres uno perierunt rhetores anno, 5
Si quid habes animi, si quid in arte vales.
Si schola damnatur; fora litibus omnia fervent:
Ipse potest fieri Marsya causidicus.
Eja age, rumpe moras; quo te sperabimus usque?
Dum, quid sis, dubitas, jam potes esse nihil. 10

Epigramma LXV.—*In Saleianum.*

Cur tristiorem cernimus Saleianum?
An causa levis est? Extuli, inquis, uxorem.
O grande fati crimen! o gravem casum!
Illa, illa dives mortua est Secundilla,
Centena decies quæ tibi dedit dotis? 5
Nollem accidisset hoc tibi, Saleiane.

Epigramma LXVI.—*In Lalagen.*

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus, incerta non bene fixus acu.
Hoc facinus Lalage speculo, quo viderat, ulta est,
Et cecidit sectis icta Plecusa comis.
Desine jam, Lalage, tristes ornare capillos, 5
Tangat et insanum nulla puella caput.
Hoc salamandra notet, vel sæva novacula nudet,
Ut digna speculo fiat imago tuo.

Epigramma LXVII.—*In Postumum.*

Occurris quocunque loco mihi, Postume, clamas
Protinus, et prima est hæc tua vox, Quid agis?
Hoc, si me decies una conveneris hora,
Dicis. Habes puto tu, Postume, nil quod agas.

Epigramma LXVIII.—*Ad Olum.*

Quod te nomine jam tuo saluto,
Quem regem et dominum prius vocabam;
Ne me dixeris esse contumacem:
Totis pilea sarcinis redemi.
Reges et dominos habere debet, 5
Qui se non habet, atque concupiscit,
Quod reges dominique concupiscunt.
Servum si potes, Ole, non habere;
Et regem potes, Ole, non habere.

Epigramma LXIX.—*In Classicum.*

Invitum cœnare foris te, Classice, dicis:
Si non mentiris, Classice, dispeream.
Ipse quoque ad cœnam gaudebat Apicius ire;
Cum cœnaret, erat tristior ille, domi.
Si tamen invitus vadis, cur, Classice, vadis? 5
Cogor, ais: verum est; cogitur et Selius.
En rogat ad cœnam Melior te, Classice, rectam.
Grandia verba ubi sunt? si vires, ecce, nega.

Epigramma LXX.—*In Cotilum.*

Non vis in solio prius lavari
Quenquam, Cotile. Causa quæ, nisi hæc, est?
Undis ne fovearis irrumatis.
Te primus licet abluas, necesse est
Ante hic mentula, quam caput, lavetur. 5

Epigramma LXXI.—*Ad Cæcilianum.*

Candidius nihil est te, Cæciliane, notavi.
Si quando ex nostris disticha pauca legis,
Protinus aut Marsi recitas, aut scripta Catulli.
Hæc mihi das, tanquam deteriora legas.
Ut collata magis placeant mea? cædimus illud.
Malo tamen recites, Cæciliane, tua. 6

Epigramma LXXII.—*In Postumum.*

Hesterna factum narratur, Postume, cœna,
Quod nollem: quis enim talia facta probet?
Os tibi percisum, quanto non ipse Latinus
Vilia Panniculi percutit ora sono: [jus
Quodque magis mirum est, auctorem criminis hu-
Cæcilium tota rumor in urbe sonat. 6
Esse negas factum: vis hoc me credere? credo.
Quid quod habet testes, Postume, Cæcilius?

Epigramma LXXIII.—*In Lyrim.*

Quid faciat vis scire Lyris. Quid? sobria fellat.
Gaudeo: quid facies ebria facta, Lyris?

Epigramma LXXIV.—*In Saufeium.*

Cinctum togatis post et ante Saufeium,
Quanta reduci Regulus solet turba,
Ad alta tonsum templa cum reum misit,
Materne, cernis? invidere nolito.
Comitatus iste sit, precor, tuus nunquam. 5
Hos illi amicos et greges togatorum
Fusciculenus præstat, et Faventinus.

Epigramma LXXV.—*De leone.*

Verbera securi solitus leo ferre magistri,
Insertamque pati blandus in ora manum,
Dedidicit pacem, subito feritate reversa,
Quanta nec in Libycis debuit esse jugis.
Nam duo de tenera puerilia corpora turba, 5
Sanguineam rastris quæ renovabat humum,
Sævus et infelix furiali dente peremit.
Martia non vidit majus arena nefas.
Exclamare libet; Crudelis, perfide, prædo,
A nostra pueris parcere disce lupa. 10

Epigramma LXXVI.—*De Mario.*

Argenti libras Marius tibi quinque reliquit.
Cui nihil ipse dabas, is tibi verba dedit.

Epigramma LXXVII.—*In Cosconium.*

Cosconi, qui longa putas epigrammata nostra,
Utilis ungendis axibus esse potes.
Hac tu credideris longum ratione colossum
Et puerum Bruti dixeris esse brevem.
Disce, quod ignoras; Marsi doctique Pedonis 5
Sæpe duplex unum pagina tractat opus.
Non sunt longa, quibus nihil est quod demere possis;
Sed tu, Cosconi, disticha longa facis

Epigramma LXXVIII.—*Ad Cæcilianum.*

Æstivo serves ubi piscem tempore, quæris?
In thermis serva, Cæciliane, tuis.

Epigramma LXXIX.—*In Nasicam.*

Invitas tunc me, cum scis, Nasica, vocasse.
Excusatum habeas me rogo: cœno domi.

Epigramma LXXX.—*De Fannio.*

Hostem cum fugeret, se Fannius ipse peremit.
Hic, rogo, non furor est, ne moriare, mori?

Epigramma LXXXI.—*In Zoilum.*

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit:
Dum tamen hæc tua sit, Zoile, sandapila est.

Epigramma LXXXII.—*Ad Ponticum.*

Abscissa servum quid fingis, Pontice, lingua?
Nescis tu populum, quod tacet ille, loqui?

Epigramma LXXXIII.—*In sævum maritum*

Fœdasti miserum, marite, mœchum.
Et se, qui fuerant prius, requirunt
Trunci naribus auribusque vultus.
Credis te satis esse vindicatum?
Erras. Iste potest et irrumare. 5

Epigramma LXXXIV.—*In Sertorium.*

Mollis erat, facilisque viris Pæantius heros:
Vulnera sic Paridis dicitur ulta Venus.
Cur lingat cunnum Siculus Sertorius, hoc est:
Ex hoc occisus, Rufe, videtur Eryx.

Epigramma LXXXV.—*Ad Amicum.*

Vimine clausa levi niveæ custodia coctæ,
Hoc tibi Saturni tempore munus erit.
Dona quod æstatis misi tibi mense Decembri,
Si quereris; rasam tu mihi mitte togam

Epigramma LXXXVI.—*Ad Classicum.*

Quod nec carmine glorior supino,
Nec retro lego Sotaden cinædum,
Nusquam Græcula quod recantat Echo,
Nec dictat mihi luculentus Attis
Mollem debilitate Galliambon; 5
Non sum, Classice, tam malus poeta.
Quid si per graciles vias petauri
Invitum jubeas subire Ladam?
Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum. 10
Scribat carmina circulis Palæmon:
Me raris juvat auribus placere.

Epigramma LXXXVII.—*In Sextum*

Dicis amore tui bellas ardere puellas,
Qui faciem sub aqua, Sexte, natantis habes.

Epigramma LXXXVIII.—*In Mamercum.*

Nil recitas, et vis, Mamerce, poeta videri.
Quicquid vis esto, dummodo nil recites.

Epigramma LXXXIX.—*In Gaurum.*

Quod nimio gaudes noctem producere vino,
Ignosco: vitium, Gaure, Catonis habes.
Carmina quod scribis Musis et Apolline nullo,
Laudari debes: hoc Ciceronis habes.
Quod vomis, Antoni: quod luxuriaris, Apici.
Quod fellas, vitium dic mihi cujus habes.

Epigramma XC.—*Ad Quinctilianum.*

Quinctiliane, vagæ moderator summe juventæ,
Gloria Romanæ, Quinctiliane, togæ;
Vivere quod propero pauper, nec inutilis annis,
Da veniam: properat vivere nemo satis.
Differat hoc, patrios optat qui vincere census, 5
Atriaque immodicis arctat imaginibus.
Me focus, et nigros non indignantia fumos
Tecta juvant, et fons vivus, et herba rudis.
Sit mihi verna satur: sit non doctissima conjux
Sit nox cum somno: sit sine lite dies. 10

Epigramma XCI.—*Ad Cæsarem Domitianum*

Rerum certa salus, terrarum gloria, Cæsar,
Sospite quo magnos credimus esse deos:
Si festinatis toties tibi lecta libellis
Detinuere oculos carmina nostra tuos;
Quod fortuna vetat fieri, permitte videri, 5
Natorum genitor credar ut esse trium.
Hæc, si displicui, fuerint solatia nobis:
Hæc fuerint nobis præmia, si placui.

Epigramma XCII.—*Ad Uxorem.*

Natorum mihi jus trium roganti
Musarum pretium dedit mearum,
Solus qui poterat. Valebis, uxor.
Non debet domini perire munus.

Epigramma XCIII.—*Ad Regulum.*

Primus ubi est, inquis, cum sit liber iste secundus?
Quid faciam, si plus ille pudoris habet?
Tu tamen hunc fieri si mavis, Regule, primum;
Unum de titulo tollere iota potes.

LIBER TERTIUS.

Epigramma I.—*Ad lectorem, de libro Gallicano.*

Hoc tibi, quicquid id est, longinquis mittit ab oris
Gallia, Romanæ nomine dicta togæ.
Hunc legis, et laudas librum fortasse priorem:
Illa, vel hæc mea sunt, quæ meliora putas.
Plus sane placeat, domina qui natus in urbe est; 5
Debet enim Gallum vincere verna liber.

Epigramma II.—*Ad librum suum.*

Cujus vis fieri, libelle, munus?
Festina tibi vindicem parare,

Ne nigram cito raptus in culinam
Cordyllas madida tegas papyro,
Vel thuris piperisque sis cucullus. 5
Faustini fugis in sinum? sapisti.
Cedro nunc licet ambules perunctus
Et frontis gemino decens honore
Pictis luxurieris umbilicis;
Et te purpura delicata velet, 10
Et cocco rubeat superbus index.
Illo vindice nec Probum timeto

Epigramma III.—*In mulierem deformem*

Formosam faciem nigro velamine celas:
Sed non formoso corpore lædis aquas.
Ipsam crede deam verbis tibi dicere nostris,
Detege vel faciem, vel tunicata lava.

Epigramma IV.—*Ad librum suum.*

Romam vade, liber: si, veneris unde, requiret,
Æmiliæ dices de regione viæ.
Si, quibus in terris, qua simus in urbe, rogabit
Corneli referas me licet esse foro.
Cur absim, quæret: breviter tu, multa, fatere, 5
Non poterat vanæ tædia ferre togæ.
Quando venit? dicet: tu respondeto; Poeta
Exierat; veniet, cum citharœdus erit.

Epigramma V.—*Ad eundem.*

Vis commendari sine me cursurus in urbem,
Parve liber, multis? an satis unus erit?
Unus erit, mihi crede, satis, cui non eris hospes,
Julius, assiduum nomen in ore meo.
Protinus hunc primæ quæres in limine Tectæ, 5
Quos tenuit Daphnis, nunc tenet ille, lares.
Est illi conjux, quæ te manibusque sinuque
Excipiet, vel si pulverulentus eas.
Hos tu seu pariter, sive hanc illumve priorem
Videris; hoc dices: Marcus avere jubet. 10
Hoc satis est. Alios commendat epistola: peccat,
Qui commendandum se putat esse suis.

Epigramma VI.—*Ad Marcellinum.*

Lux tibi post Idus numeratur tertia Maias,
Marcelline, tuis bis celebranda sacris.
Imputat ætherios ortus hæc prima parenti;
Libat florentes hæc tibi prima genas.
Magna licet dederit jucundæ munera vitæ 5
Plus nunquam patri præstitit illa dies.

Epigramma VII.—*De sportula*

Centum miselli jam valete quadrantes,
Anteambulonis congiarium lassi,
Quos dividebat balneator elixus.
Quid cogitatis, o fames amicorum?
Reges superbi sportulæ recesserunt. 5
Nihil stropharum est: jam salarium dandum est.

Epigramma VIII.—*In Quinctum.*

Thaida Quinctus amat. Quam Thaida? Thaida luscam.
Unum oculum Thais non habet, ille duos.

Epigramma IX.—*In Cinnam.*

Versiculos in me narratur scribere Cinna.
Non scribit, cujus carmina nemo legit.

Epigramma X.—*In Philomusum.*

Constituit, Philomuse, pater tibi millia bina
Menstrua, perque omnes præstitit illa dies;
Luxuriam premeret cum crastina semper egestas,
Et vitiis essent danda diurna tuis.
Idem te moriens hæredem ex asse reliquit: 5
Exhæredavit te, Philomuse, pater.

Epigramma XI.—*Ad Quinctum*

Si tua nec Thais, nec lusca est, Quincte, puella,
Cur in te factum distichon esse putas?
Sed simile est aliquid: pro Laide Thaida dixi.
Dic mihi, quid simile est Thais et Hermione?
Tu tamen es Quinctus: mutemus nomen amantis;
Si non vult Quinctus Thaida, Sextus amet. 6

Epigramma XII.—*In Fabullum.*

Unguentum, fateor, bonum dedisti
Convivis here: sed nihil scidisti.
Res salsa est bene olere, et esurire.
Qui non cœnat, et unguitur, Fabulle,
Hic vere mihi mortuus videtur. 5

Epigramma XIII.—*In Nævium.*

Dum non vis leporem, dum non vis carpere mullum,
Et plus quam patri, Nævia, parcis apro;
Accusas, rumpisque coquum, tanquam omnia cruda
Attulerit. Nunquam sic ego crudus ero

Epigramma XIV.—*De Tuccio.*

Romam petebat esuritor Tuccius,
Profectus ex Hispania.
Occurrit illi sportularum fabula:
A ponte rediit Milvio.

Epigramma XV.—*De Codro.*

Plus credit nemo, quam tota Codrus in urbe.
Cum sit tam pauper, quomodo? cæcus amat.

Epigramma XVI.—*In cerdonem.*

Das gladiatores, sutorum regule, cerdo,
Quodque tibi tribuit subula, sica rapit.
Ebrius es: nec enim faceres id sobrius unquam,
Ut velles corio ludere, cerdo, tuo
Lusisti, satis est: sed te, mihi crede, memento 5
Nunc in pellicula, cerdo, tenere tua.

Epigramma XVII.—*In Sabidium.*

Circumlata diu mensis scriblita secundis,
Urebat nimio sæva calore manus.
Sed magis ardebat Sabidi gula: protinus ergo
Sufflavit buccis terque quaterque suis.
Illa quidem tepuit, digitosque admittere visa est:
Sed nemo potuit tangere: merda fuit. 6

Epigramma XVIII.—*In Maximum.*

Perfrixisse tuas questa est præfatio fauces.
Cum te excusaris, Maxime, quid recitas?

Epigramma XIX.—*De vipera in ore ursæ*

Proxima centenis ostenditur ursa columnis,
Exornant fictæ qua Platanona feræ.
Hujus dum patulos alludens tentat hiatus
Pulcher Hylas, teneram mersit in ora manum
Vipera sed cæco scelerata latebat in ore, 5
Vivebatque anima deteriore fera.
Non sensit puer esse dolos, nisi dente recepto,
Dum perit. O facinus, falsa quod ursa fuit!

Epigramma XX.—*De Canio.*

Dic, Musa, quid agat Canius meus Rufus?
Utrumne chartis tradit ille victuris

Legenda temporum acta Claudianorum?
An quæ Neroni falsus adstruit scriptor?
An æmulatur improbi jocos Phædri? 5
Lascivus elegis, an severus herois?
An in cothurnis horridus Sophocleis?
An otiosus in schola poetarum
Lepore tinctos Attico sales narrat?
Hinc si recessit, porticum terit templi; 10
An spatia carpit lentus Argonautarum?
An delicatæ sole rursus Europæ
Inter tepentes post meridiem buxos
Sedet, ambulatve liber acribus curis?
Titine thermis, an lavatur Agrippæ, 15
An impudici balneo Tigillini?
An rure Tulli fruitur, atque Lucani?
An Pollionis dulce currit ad Quartum?
An æstuantes jam profectus ad Baias
Piger Lucrino nauculatur in stagno? 20
Vis scire, quid agat Canius tuus? ridet.

Epigramma XXI.—*In crudelem dominum.*

Proscriptum famulus servavit fronte notatus.
Non fuit hæc domini vita, sed invidia.

Epigramma XXII.—*De Apicio.*

Dederas, Apici, bis tricenties ventri:
Sed adhuc supererat centies tibi laxum.
Hoc tu gravatus, ut famem et sitim ferre,
Summa venenum potione duxisti.
Nil est, Apici, te gulosius factum. 5

Epigramma XXIII.—*In invitatorem*

Omnia cum retro pueris opsonia tradas:
Cur non mensa tibi ponitur a pedibus?

Epigramma XXIV.—*De haruspice hernioso.*

Vite nocens rosa stabat moriturus ad aras
Hircus, Bacche, tuis victima grata sacris.
Quem Tuscus mactare deo cum vellet haruspex,
Dixerat agresti forte rudique viro,
Ut cito testiculos percuta falce secaret, 5
Teter ut immundæ carnis abiret odor.
Ipse super virides aras luctantia pronus
Dum resecat cultro colla, premitque manu;
Ingens iratis apparuit hernia sacris.
Occupat hanc ferro rusticus, atque secat: 10
Hoc ratus antiquos sacrorum poscere ritus,
Talibus et fibris numina prisca coli.
Sic modo qui Tuscus fueras, nunc Gallus haruspex,
Dum jugulas hircum, factus es ipse caper.

Epigramma XXV.—*Ad Faustinum.*

Si temperari balneum cupis fervens,
Faustine, quod vix Julianus intraret:
Roga, lavetur, rhetorem Sabinæum.
Neronianas hic refrigeret thermas.

Epigramma XXVI.—*In Candidum.*

Prædia solus habes, et solus, Candide, nummos:
Aurea solus habes, myrrhina solus habes:
Massica solus habes, et Opimi Cæcuba solus:
Et cor solus habes, solus et ingenium:
Omnia solus habes: hoc me puta velle negare: 5
Uxorem sed habes, Candide, cum populo.

Epigramma XXVII.—*In Gallum.*

Nunquam me revocas, venias cum sæpe vocatus:
Ignosco, nullum si modo, Galle, vocas.
Invitas alios: vitium est utriusque. Quod? inquis.
Et mihi cor non est, nec tibi, Galle, pudor.

Epigramma XXVIII.—*In Nestorem.*

Auriculam Mario graviter miraris olere:
Tu facis hoc: garris, Nestor, in auriculam

Epigramma XXIX.—*In Zoilum.*

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne, tibi Zoilus, annulos priores.

Epigramma XXX.—*Ad Gargilianum.*

Sportula nulla datur; gratis conviva recumbis:
Dic mihi, quid Romæ, Gargiliane, facis?
Unde tibi togula est, et fuscæ pensio cellæ?
Unde datur quadrans? unde vir es Chiones?
Cum ratione licet dicas te vivere summa: 5
Quod vivis, nulla cum ratione facis.

Epigramma XXXI.—*Ad Rufinum.*

Sunt tibi, confiteor, diffusi jugera campi,
Urbanique tenent prædia multa Lares:
Et servit dominæ numerosus debitor arcæ,
Sustentatque tuas aurea mensa dapes.
Fastidire tamen noli, Rufine, minores. 5
Plus habuit Didymus: plus Philomelus habet.

Epigramma XXXII.—*In Matriniam.*

Num possim vetulam, quæris, Matrinia? possum
Et vetulam: sed tu mortua, non vetula es.
Possum Hecubam, possum Nioben, Matrinia sed si
Nondum erit illa canis, nondum erit illa lapis

Epigramma XXXIII.—*Qualem puellam velit*

Ingenuam malo: sed si tamen illa negetur,
Libertina mihi proxima conditio est:
Extremo est ancilla loco: sed vincet utramque,
Si facie nobis hæc erit ingenua.

Epigramma XXXIV.—*Ad Chionem*

Digna tuo cur sis, indignaque nomine, dicam
Frigida es, et nigra es: non es, et es Chione

Epigramma XXXV.—*De piscibus sculptis*

Artis Phidiacæ toreuma clarum,
Pisces adspicis: adde aquam, natabunt.

Epigramma XXXVI.—*In Fabianum*

Quod novus et nuper factus tibi præstat amicus,
Hoc præstare jubes me, Fabiane, tibi;
Horridus ut primo semper te mane salutem,
Per mediumque trahat me tua sella lutum:
Lassus ut in thermas decima, vel serius, hora 5
Te sequar Agrippæ, cum laver ipse Titi.
Hoc per triginta merui, Fabiane, Decembres,
Ut sim tiro tuæ semper amicitiæ?
Hoc merui, Fabiane, toga tritaque, meaque,
Ut nondum credas me meruisse rudem? 10

Epigramma XXXVII.—*In irascentes amicos.*

Irasci tantum felices nostis amici.
Non belle facitis: sed juvat hoc facere

Epigramma XXXVIII.—*Ad Sextum*

Quæ te causa trahit, vel quæ fiducia Romam,
Sexte? quid aut speras, aut petis inde? refer.
Causas, inquis, agam Cicerone disertius ipso,
Atque erit in triplici par mihi nemo foro
Egit Atestinus causas, et Caius: utrumque 5
Noras: sed neutri pensio tota fuit
Si mihi hinc veniet, pangentur carmina nobis:

Audieris, dices esse Maronis opus.
Insanis: omnes gelidis quicunque lacernis
Sunt ibi, Nasones Virgiliosque vides. 10
Atria magna colam. Vix tres aut quatuor ista
Res aluit: pallet cætera turba fame. [Romæ.
Quid faciam? suade: nam certum est vivere
Si bonus es, casu vivere, Sexte, potes.

Epigramma XXXIX.—*De Lycori.*

Iliaco similem puerum, Faustine, ministro
Lusca Lycoris amat. Quam bene lusca videt!

Epigramma XL.—*In Thelesinum.*

Mutua quod nobis ter quinquagena dedisti
Ex opibus tantis, quas gravis arca premit;
Esse tibi magnus, Thelesine, videris amicus.
Tu magnus, quod das? immo ego, quod recipis.

Epigramma XLI.—*In lacertam cælatam.*

Inserta phialæ Mentoris manu ducta
Lacerta vivit, et timetur argentum.

Epigramma XLII.—*In Pollam.*

Lomento rugas uteri quod condere tentas,
Polla, tibi ventrem, non mihi labra linis.
Simpliciter pateat vitium fortasse pusillum:
Quod tegitur, majus creditur esse malum

Epigramma XLIII.—*In Lentinum.*

Mentiris juvenem tinctis, Lentine, capillis·
Tam subito corvus, qui modo cygnus eras.
Non omnes falles: scit te Proserpina canum:
Personam capiti detrahet illa tuo.

Epigramma XLIV.—*Ad Ligurinum.*

Occurrit tibi nemo quod libenter;
Quod, quacunque venis, fuga est, et ingens
Circa te, Ligurine, solitudo;
Quid sit, scire cupis? nimis poeta es
Hoc valde vitium periculosum est. 5
Non tigris catulis citata raptis,
Non dipsas medio perusta sole,
Nec sic scorpius improbus timetur.
Nam tantos, rogo, quis ferat labores?
Et stanti legis, et legis sedenti: 10
Currenti legis, et legis cacanti.
In thermas fugio; sonas ad aurem:
Piscinam peto; non licet natare.
Ad cœnam propero; tenes euntem.
Ad cœnam venio; fugas sedentem. 15
Lassus dormio; suscitas jacentem.
Vis, quantum facias mali, videre?
Vir justus, probus, innocens timeris.

Epigramma XLV.—*De eodem.*

Fugerit an mensas Phœbus cœnamque Thyestæ,
Ignoro: fugimus nos, Ligurine, tuam. [perbis:
Illa quidem lauta est, dapibusque instructa su-
Sed nihil omnino, te recitante, placet.
Nolo mihi ponas rhombum, mullumve bilibrem,
Nec volo boletos, ostrea nolo: tace. 6

Epigramma XLVI.—*Ad Candidum.*

Exigis a nobis operam sine fine togatam.
Non eo, libertum sed tibi mitto meum.
Non est, inquis, idem: multo plus esse probabo.
Vix ego lecticam subsequor: ille feret.
In turbam incideris; cunctos umbone repellet: 5
Invalidum est nobis, ingenuumque latus.
Quidlibet in causis narraveris, ipse tacebo:
At tibi tergeminum mugiet ille sophos.
Lis erit; ingenti faciet convicia voce:
Esse pudor vetuit fortia verba mihi. 10
Ergo nihil nobis, inquis, præstabit amicus?
Quicquid libertus, Candide, non poterit.

Epigramma XLVII.—*De Basso.*

Capena grandi porta qua pluit gutta,
Phrygiamque Matris Almo qua lavat ferrum,
Horatiorum qua viret sacer campus,
Et qua pusilli fervet Herculis fanum,
Faustine, plena Bassus ibat in rheda, 5
Omnes beati copias trahens ruris.
Illic videres frutice nobili caules,
Et utrumque porrum, sessilesque lactucas,
Pigroque ventri non inutiles betas:
Illic coronam pinguibus gravem turdis, 10
Leporemque læsum Gallici canis dente,
Nondumque victa lacteum faba porcum
Nec feriatus ibat ante carrucam,
Sed tuta fœno cursor ova portabat.
Urbem petebat Bassus? imo rus ibat. 15

Epigramma XLVIII.—*De Ollo.*

Pauperis exstruxit cellam, sed vendidit Ollus
Prædia: nunc cellam pauperis Ollus habet

Epigramma XLIX.—*In invitatorem.*

Veientana mihi misces, tu Massica potas:
Olfacere hæc malo pocula, quam bibere.

Epigramma L.—*In Ligurinum.*

Hæc tibi, non alia est ad cœnam causa vocandi,
Versiculos recites ut, Ligurine, tuos.
Deposui soleas; affertur protinus ingens
Inter lactucas oxygarumque liber.
Alter perlegitur, dum fercula prima morantur: 5
Tertius est, nec adhuc mensa secunda venit.
Et quartum recitas, et quintum denique librum.
Putidus est, toties si mihi ponis aprum.
Quod si non scombris scelerata poemata donas,
Cœnabis solus jam, Ligurine, domi. 10

Epigramma LI.—*Ad Gallam.*

Cum faciem laudo, cum miror crura manusque,
Dicere, Galla, soles: Nuda placebo magis:
Et semper vitas communia balnea nobis.
Numquid, Galla, times, ne tibi non placeam?

Epigramma LII.—*Ad Tongilianum.*

Empta domus fuerat tibi, Tongiliane, ducenis:
Abstulit hanc nimium casus in urbe frequens.
Collatum est decies. Rogo, non potes ipse videri
Incendisse tuam, Tongiliane, domum?

Epigramma LIII.—*Ad Chloen.*

Et vultu poteram tuo carere,
Et collo, manibusque, cruribusque;
Et mammis, natibusque, clunibusque:
Et, ne singula persequi laborem
Tota te poteram, Chloe, carere. 5

Epigramma LIV.—*Ad Gallam.*

Cum dare non possim, quod poscis, Galla, rogan-
Multo simplicius, Galla, negare potes. [tem,

Epigramma LV.—*In Gelliam.*

Quod, quacunque venis, Cosmum migrare puta-
Et fluere excusso cinnama fusa vitro: [mus,

Nolo peregrinis placeas tibi, Gellia, nugis.
Scis, puto, posse meum sic bene olere canem.

Epigramma LVI.—*De Cisterna Ravennate.*

Sit cisterna mihi, quam vinea, malo, Ravennæ:
Cum possim multo vendere pluris aquam.

Epigramma LVII.—*De Copone.*

Callidus imposuit nuper mihi copo Ravennæ;
Cum peterem mixtum, vendidit ille merum.

Epigramma LVIII.—*De villa Faustini. Ad Bassum.*

Baiana nostri villa, Basse, Faustini,
Non otiosis ordinata myrtetis,
Viduaque platano, tonsilique buxeto
Ingrata lati spatia detinet campi:
Sed rure vero barbaroque lætatur. 5
Hic farta premitur angulo Ceres omni,
Et multa fragrat testa senibus autumnis.
Hic post Novembres, imminente jam bruma,
Seras putator horridus refert uvas.
Truces in alta valle mugiunt tauri, 10
Vitulusque inermi fronte prurit in pugnam.
Vagatur omnis turba sordidæ cortis,
Argutus anser, gemmeique pavones,
Nomenque debet quæ rubentibus pennis,
Et picta perdix, Numidicæque guttatæ, 15
Et impiorum phasiana Colchorum.
Rhodias superbi fœminas premunt galli;
Sonantque turres plausibus columbarum.
Gemit hinc palumbus, inde cereus turtur.
Avidi sequuntur villicæ sinum porci; 20
Matremque plenam mollis agnus exspectat.
Cingunt serenum lactei focum vernæ,
Et larga festos lucet ad Lares sylva.
Non segnis albo pallet otio copo:
Nec perdit oleum lubricus palæstrita: 25
Sed tendit avidis rete subdolum turdis,
Tremulave captum linea trahit piscem,
Aut impeditam cassibus refert damam.
Exercet hilares facilis hortus urbanos,
Et pædagogo non jubente lascivi 30
Parere gaudent villico capillati;
Et delicatus opere fruitur eunuchus.
Nec venit inanis rusticus salutator:
Fert ille ceris cana cum suis mella,
Metamque lactis: Sassinate de sylva 35
Somniculosos ille porrigit glires;
Hic vagientem matris hispidæ fœtum;
Alius coactos non amare capones.
Et dona matrum vimineo ferunt texto
Grandes proborum virgines colonorum. 40
Facto vocatur lætus opere vicinus,
Nec avara servat crastinas dapes mensa,
Vescuntur omnes, ebrioque non novit
Satur minister invidere convivæ.
At tu sub urbe possides famem mundam, 45
Et turre ab alta prospicis meras laurus,
Furem Priapo non timente securus:
Et vinitor m farre pascis urbano,
Pictamque portas otiosus ad villam
Olus, ova, pullos, poma, caseum, mustum. 50
Rus hoc vocari debet, an domus longe?

Epigramma LIX.—*De sutore et fullone.*

Sutor cerdo dedit tibi, culta Bononia, munus:
Fullo dedit Mutinæ: nunc ubi caupo dabit?

Epigramma LX.—*In Ponticum.*

Cum vocor ad cœnam, non jam venalis, ut ante,
Cur mihi non eadem, quæ tibi, cœna datur?
Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino;
Sugitur inciso mytilus ore mihi.
Sunt tibi boleti; fungos ego sumo suillos. 5
Res tibi cum rhombo est; at mihi cum sparulo.
Cereus immodicis turtur te clunibus implet;
Ponitur in cavea mortua pica mihi.
Cur sine te cœno, cum tecum, Pontice, cœnem?
Sportula quod non est, prosit: edamus idem.

Epigramma LXI.—*In Cinnam.*

Esse nihil dicis, quicquid petis, improbe Cinna:
Si nil, Cinna, petis; nil tibi, Cinna, nego.

Epigramma LXII.—*In Quintum.*

Centenis quod emis pueros, et sæpe ducenis:
Quod sub rege Numa condita vina bibis:
Quod constat decies tibi non spatiosa supellex:
Libra quod argenti millia quinque rapit:
Aurea quod fundi pretio carruca paratur: 5
Quod pluris mula est, quam domus empta tibi.
Hæc animo credis magno te, Quinte, parare?
Falleris. Hæc animus, Quinte, pusillus emit.

Epigramma LXIII.—*In Cotilum.*

Cotile, bellus homo es: dicunt hoc, Cotile, multi
Audio: sed quid sit, dic mihi, bellus homo?
Bellus homo est, flexos qui digerit ordine crines:
Balsama qui semper, cinnama semper olet:
Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat: 5
Qui movet in varios brachia vulsa modos:
Inter fœmineas tota qui luce cathedras
Desidet, atque aliqua semper in aure sonat.
Qui legit hinc illinc missas, scribitque tabellas.
Pallia vicini qui refugit cubiti: 10
Qui scit, quam quis amet, qui per convivia currit:
Hirpini veteres qui bene novit avos.
Quid narras? hoc est, hoc est homo, Cotile, bellus?
Res prætricosa est, Cotile, bellus homo.

Epigramma LXIV.—*Ad Cassianum.*

Sirenas hilarem navigantium pœnam,
Blandasque mortes, gaudiumque crudele,
Quas nemo quondam deserebat auditas,
Fallax Ulysses dicitur reliquisse.
Non miror: illud, Cassiane, mirarer, 5
Si fabulantem Canium reliquisset.

Epigramma LXV.—*Ad Diadumenum.*

Quod spirat tenera malum mordente puella:
Quod de Corycio quæ venit aura croco:
Vinea quod primis floret cum cana racemis:
Gramina quod redolent, quæ modo carpsit ovis:
Quod myrtus, quod messor Arabs, quod succina
Pallidus Eoo thure quod ignis olet: [tuita:
Gleba quod, æstivo leviter cum spargitur imbre:
Quod madidis nardo sparsa corona comis:
Hoc tua, sæve puer Diadumene, basia fragrant.
Quid, si tota dares illa sine invidia? 10

Epigramma LXVI.—*In M. Antonium.*

Par scelus admisit Phariis Antonius armis
Abscidit vultus ensis uterque sacros.
Illud, laurigeros ageres cum læta triumphos;
Hoc tibi, Roma, caput, cum loquereris, erat.
Antoni tamen est pejor, quam causa Pothini: 5
Hic facinus domino præstitit; ille sibi.

Epigramma LXVII.—*De pigris nautis*

Cessatis, pueri, nihilque nostis.
Vatreno Eridanoque pigriores,

Quorum per vada tarda navigantes
Lentos tingitis ad celeusma remos.
Jam prono Phaethonte sudat Æthon, 5
Exarsitque dies, et hora lassos
Interjungit equos meridiana:
At vos tam placidas vagi per undas
Tuta luditis otium carina.
Non nautas puto vos, sed Argonautas. 10

Epigramma LXVIII.—*Ad matronam pudicam.*

Huc est usque tibi scriptus, matrona, libellus.
Cui sint scripta rogas interiora? mihi. [cede.
Gymnasium, thermæ, stadium est hac parte; re-
Exuimur: nudos parce videre viros.
Hic jam deposito post vina rosasque pudore, 5
Quid dicat, nescit saucia Terpsichore.
Schemate nec dubio, sed aperte nominat illam,
Quam recipit sexto mense superba Venus:
Custodem medio statuit quam villicus horto;
Opposita spectat quam proba virgo manu. 10
Si bene te novi; longum jam lassa libellum
Ponebas: totum nunc studiosa leges.

Epigramma LXIX.—*Ad Cosconium.*

Omnia quod scribis castis epigrammata verbis,
Inque tuis nulla est mentula carminibus;
Admiror: laudo: nihil est te sanctius uno:
At mea luxuria pagina nulla vacat.
Hæc igitur juvenes nequam, facilesque puellæ, 5
Hæc senior, sed quem torquet amica, legat.
At tua, Cosconi, venerandaque sanctaque verba
A pueris debent virginibusque legi

Epigramma LXX.—*Ad Scævinum.*

Mœchus es Aufidiæ, qui vir, Scævine, fuisti
Rivalis fuerat qui tuus, ille vir est.
Cur aliena placet tibi, cui sua non placet uxor?
Numquid securus non potes arrigere?

Epigramma LXXI.—*In Nævolum.*

Mentula cum doleat puero, tibi, Nævole, culus:
Non sum divinus, sed scio quid facias.

Epigramma LXXII.—*Ad Laufeiam.*

Vis futui, nec vis mecum, Laufeia, lavari.
Nescio quod magnum suspicor esse nefas.
Aut tibi pannosæ pendent a pectore mammæ:
Aut sulcos uteri prodere nuda times:
Aut infinito lacerum patet inguen hiatu: 5
Aut aliquid cunni prominet ore tui.
Sed nihil est horum: credo, pulcherrima nuda es.
Si verum est, vitium pejus habes: fatua es.

Epigramma LXXIII.—*In Phœbum.*

Dormis cum pueris mutoniatis,
Et non stat tibi, Phœbe, quod stat illis.
Quid vis me, rogo, Phœbe, suspicari?
Mollem credere te virum volebam:
Sed rumor negat esse te cinædum. 5

Epigramma LXXIV.—*In Gargilianum.*

Psilothro faciem lævas, et dropace calvam.
Numquid tonsorem, Gargiliane, times?
Quid facient ungues? nam certe non potes illos
Resina, Veneto nec resecare luto.
Desine, si pudor est, miseram traducere calvam;
Hoc fieri cunno, Gargiliane, solet. 6

Epigramma LXXV.—*In Lupercum.*

Stare, Luperce, tibi, jam pridem mentula desit:
Luctaris demens tu tamen arrigere.
Sed nihil erucæ faciunt, bulbique salaces,
Improba nec prosunt jam satureia tibi.
Cœpisti puras opibus corrumpere buccas: 5
Sic quoque non vivit sollicitata Venus.
Mirari satis hoc quisquam, vel credere possit,
Quæ non stat, magno stare, Luperce, tibi?

Epigramma LXXVI.—*In Bassum.*

Arrigis ad vetulas, fastidis, Basse, puellas:
Nec formosa tibi, sed moritura placet:
Hic, rogo, non furor est, non est hæc mentula demens?
Cum possis Hecubam, non potes Andromachen.

Epigramma LXXVII.—*In Bæticum.*

Nec mullus, nec te delectat, Bætice, turdus:
Nec lepus est unquam, nec tibi gratus aper:
Nec te liba juvant, nec sectæ quadra placentæ:
Nec Libye mittit, nec tibi Phasis aves.
Capparin, et putri cepas halece natantes, 5
Et pulpam dubio de petasone voras:
Teque juvant gerres, et pelle melandrya cana:
Resinata bibis vina, Falerna fugis.
Nescio, quod stomachi vitium secretius esse
Suspicer. Ut quid enim, Bætice, saprofagis?

Epigramma LXXVIII.—*Ad Paullinum.*

Minxisti currente semel, Paulline, carina:
Meiere vis iterum? jam Palinurus eris.

Epigramma LXXIX.—*Ad Sertorium.*

Rem peragit nullam Sertorius, inchoat omnes.
Hunc ego, cum futuit, non puto perficere.

Epigramma LXXX.—*Ad Apicium.*

De nullo quereris, nulli maledicis, Apici:
Rumor ait, linguæ te tamen esse malæ.

Epigramma LXXXI.—*In Bæticum.*

Quid cum fœmineo tibi, Bætice Galle, barathro?
Hæc debet medios lambere lingua viros.
Abscissa est quare Samia tibi mentula testa,
Si tibi tam gratus, Bætice, cunnus erat? [lus,
Castrandum caput est: nam sis licet inguine Gal-
Sacra tamen Cybeles decipis: ore vir es. 6

Epigramma LXXXII.—*In Zoilum.*

Conviva quisquis Zoili potest esse,
Summœnianas cœnet inter uxores,
Curtaque Ledæ sobrius bibat testa:
Hoc esse levius puriusque contendo.
Jacet occupato galbanatus in lecto, 5
Cubitisque trudit hinc et inde convivas
Effultus ostro, sericisque pulvinis.
Stat exoletus, suggeritque ructanti
Pinnas rubentes, cuspidesque lentisci;
Et æstuanti tenue ventilat frigus 10
Supina prasino concubina flabello;
Fugatque muscas myrtea puer virga.
Percurrit agili corpus arte tractatrix,
Manumque doctam spargit omnibus membris:
Digiti crepantis signa novit eunuchus, 15
Et delicatæ suscitator urinæ
Domini bibentis ebrium regit penem.
At ipse retro flexus ad pedum turbam,
Inter catellas anserum exta lambentes
Partitur apri glandulas palæstritis, 20
Et concubino turturum nates donat:
Ligurumque nobis saxa cum ministrentur,
Vel cocta fumis musta Massilitanis,

Opimianum morionibus nectar
Crystallinisque myrrhinisque propinat: 25
Et Cosmianis ipse fusus ampullis,
Non erubescit murice aureo nobis
Dividere mœchæ pauperis capillare.
Septunce multo deinde perditus stertit:
Nos accubamus, et, silentium ronchis 30
Præstare jussi, nutibus propinamus.
Hos Malchionis patimur improbi fastus;
Nec vindicare, Rufe, possumus; fellat.

Epigramma LXXXIII.—*In Coclitem.*

Ut faciam breviora mones epigrammata, Cocles.
Fac mihi, quod Chione: non potui brevius.

Epigramma LXXXIV.—*In Tongilionem.*

Quid narrat tua mœcha? non puellam
Dixi, Tongilion: quid ergo? linguam.

Epigramma LXXXV.—*Ad maritum.*

Quis tibi persuasit nares abscindere mœcho?
Non hac peccatum est parte, marite, tibi.
Stulte, quid egisti? nihil hic tua perdidit uxor,
Cum sit salva sui mentula Deiphobi.

Epigramma LXXXVI.—*Ad castam matronam.*

Ne legeres partem lascivi, casta, libelli,
Prædixi, et monui: tu tamen, ecce, legis.
Sed si Panniculum, si spectas, casta, Latinum;
Non sunt hæc mimis improbiora: lege.

Epigramma LXXXVII.—*In Chionem.*

Narrat te rumor, Chione, nunquam esse fututam,
Atque nihil cunno purius esse tuo.
Tecta tamen non hac, qua debes, parte lavaris:
Si pudor est, transfer subligar in faciem.

Epigramma LXXXVIII.—*In fratres fellatores.*

Sunt gemini fratres, diversa sed inguina lingunt.
Dicite, dissimiles sint magis, an similes?

Epigramma LXXXIX.—*Ad Phœbum.*

Utere lactucis, et mollibus utere malvis:
Nam faciem durum, Phœbe, cacantis habes.

Epigramma XC.—*De Galla.*

Vult, non vult dare Galla mihi: nec dicere possum,
Quod vult, et non vult, quid sibi Galla velit.

Epigramma XCI.—*De Misitio.*

Cum peteret patriæ Misitius arva Ravennæ,
Semiviro Cybeles cum grege junxit iter.
Huic comes hærebat domini fugitivus Achillas,
Insignis forma nequitiaque puer.
Hoc steriles sensere viri: qua parte cubaret, 5
Quærunt; sed tacitos sensit et ille dolos.
Mentitur, credunt: somni post vina petuntur:
Continuo ferrum noxia turba rapit;
Exciduntque senem, spondæ qui parte jacebat;
Namque puer pluteo vindice tutus erat. 10
Suppositam fama est quondam pro virgine cervam;
At nunc pro cervo mentula supposita est.

Epigramma XCII.—*Ad Gallum.*

Ut patiar mœchum, rogat uxor, Galle, sed unum.
Huic ego, non oculos eruo, Galle, duos?

Epigramma XCIII.—*In Vetustillam.*

Cum tibi trecenti consules, Vetustilla,
Et tres capilli, quatuorque sint dentes,
Pectus cicadæ, crusculumque formicæ;
Rugosiorem cum geras stola frontem,
Et aranearum cassibus pares mammas; 5
Cum comparata rictibus tuis ora
Niliacus habeat corcodilus angusta,
Meliusque ranæ garriant Ravennates,
Et Adrianus dulcius culex cantet,
Videasque quantum noctuæ vident mane, 10
Et illud oleas, quod viri capellarum,
Et anatis habeas orropygium macræ,
Senemque Cynicum vincat osseus cunnus;
Cum te lucerna balneator exstincta
Admittat inter bustuarias mœchas; 15
Cum bruma mensem sit tibi per Augustum,
Regelare nec te pestilentia possit:
Gaudes ducentas nupturire post mortes,
Virumque demens cineribus tuis quæris
Prurire. Quid, sarrire si velit saxum? 20
Quis conjugem te, quis vocabit uxorem,
Philomelus aviam quam vocaverat nuper?
Quod si cadaver exigis tuum scalpi;
Sternatur a Coricle clinico lectus,
Thalassionem qui tuum decet solus, 25
Ustorque tædas præferat novæ nuptæ:
Intrare in istum sola fax potest cunnum.

Epigramma XCIV.—*In Rufum.*

Esse negas coctum leporem, poscisque flagella
Mavis, Rufe, coquum scindere, quam leporem

Epigramma XCV.—*In Nævolum.*

Nunquam dicis ave, sed reddis, Nævole, semper,
Quod prior et corvus dicere sæpe solet.
Cur hoc exspectas a me? rogo, Nævole, dicas:
Nam, puto, nec melior, Nævole, nec prior es.
Præmia laudato tribuit mihi Cæsar uterque, 5
Natorumque dedit jura paterna trium.
Ore legor multo, notumque per oppida nomen
Non exspectato dat mihi fama rogo.
Est et in hoc aliquid: vidit me Roma tribunum,
Et sedeo qua te suscitat Oceanus. 10
Quot mihi Cæsareo facti sunt munere cives,
Nec famulos totidem suspicor esse tibi.
Sed pædicaris: sed pulchre, Nævole, ceves:
Jam jam sic prior es, Nævole: vincis. Ave.

Epigramma XCVI.—*In Gargilium.*

Lingis, non futuis meam puellam:
Et garris quasi mœchus et fututor.
Si te prendero, Gargili, tacebis.

Epigramma XCVII.—*Ad Rufum.*

Ne legat hunc Chione, mando tibi, Rufe, libellum:
Carmine læsa meo est; lædere et illa potest.

Epigramma XCVIII.—*In Sabellum.*

Sit culus tibi quam macer, requiris?
Pædicare potes, Sabelle, culo.

Epigramma XCIX.—*Ad cerdonem.*

Irasci nostro non debes, cerdo, libello:
Ars tua, non vita est carmine læsa meo.
Innocuos permitte sales. Cur ludere nobis
Non liceat, licuit si jugulare tibi?

Epigramma C.—*Ad Rufum.*

Cursorem sexta tibi, Rufe, remisimus hora,
Carmina quem madidum nostra tulisse reor.
Imbribus immodicis cœlum nam forte ruebat.
Non aliter mitti debuit iste liber.

LIBER QUARTUS.

Epigramma I.—*De natali Domitiani.*

Cæsaris alma dies, et luce sacratior illa,
Conscia Dictæum qua tulit Ida Jovem,
Longa precor, Pylioque veni numerosior ævo,
Semper et hoc vultu, vel meliore nite.
Hic colat Albano Tritonida multus in auro, 5
Perque manus tantas plurima quercus eat.
Hic colat ingenti redeuntia sæcula lustro,
Et quæ Romuleus sacra Terentus habet.
Magna quidem, superi, petimus, sed debita terris.
Pro tanto quæ sunt improba vota deo? 10

Epigramma II.—*De Horatio.*

Spectabat modo solus inter omnes
Nigris munus Horatius lacernis,
Cum plebs, et minor ordo, maximusque
Sancto cum duce candidus sederet.
Toto nix cecidit repente cœlo: 5
Albis spectat Horatius lacernis.

Epigramma III.—*De Nivibus.*

Adspice quam densum tacitarum vellus aquarum
Defluat in vultus Cæsaris, inque sinus.
Indulget tamen ille Jovi, nec vertice moto
Concretas pigro frigore ridet aquas,
Sidus Hyperborei solitus lassare Bootæ, 5
Et madidis Helicen dissimulare comis.
Qui siccis lascivit aquis, et ab æthere ludit,
Suspicor has pueri Cæsaris esse nives.

Epigramma IV.—*In Bassam*

Quod siccæ redolet palus lacunæ,
Crudarum nebulæ quod Albularum,
Piscinæ vetus aura quod marinæ,
Quod pressa piger hircus in capella,
Lassi bardaicus quod evocati, 5
Quod bis murice vellus inquinatum,
Quod jejunia sabbatariorum,
Mæstorum quod anhelitus reorum,
Quod spurcæ moriens lucerna Ledæ,
Quod ceromata fæce de Sabina, 10
Quod vulpis fuga, viperæ cubile,
Mallem, quam quod oles, olere, Bassa.

Epigramma V.—*Ad Fabianum.*

Vir bonus et pauper, linguaque et pectore verus,
Quid tibi vis, urbem qui, Fabiane, petis?
Qui nec leno potes, nec comissator haberi,
Nec pavidos tristi voce citare reos:
Nec potes uxorem cari corrumpere amici: 5
Nec potes algentes arrigere ad vetulas:
Vendere nec vanos circa Pallatia fumos:
Plaudere nec Cano, plaudere nec Glaphyro.
Unde miser vives? homo fidus, certus amicus.
Hoc nihil est. Nunquam sic Philomelus eris.

Epigramma VI.—*In Malisianum.*

Credi virgine castior pudica,
Et frontis teneræ cupis videri,
Cum sis improbior, Malisiane,
Quam qui compositos metro Tibulli
In Stellæ recitat domo libellos. 5

Epigramma VII.—*Ad Hyllum.*

Cur here quod dederas, hodie, puer Hylle, negas?
Durus tam subito, qui modo mitis eras? [ti?
Sed jam causaris barbamque, annosque, pilosque:
O nox quam longa es, quæ facis una senem!
Quid nos derides? here qui puer, Hylle, fuisti, 5
Dic nobis, hodie qua ratione vir es?

Epigramma VIII.—*Ad Euphemum*

Prima salutantes atque altera continet hora.
Exercet raucos tertia causidicos.
In quintam varios extendit Roma labores:
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palæstris: 5
Imperat exstructos frangere nona toros.
Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum;
Temperat ambrosias cum tua cura dapes;
Et bonus ætherio laxatur nectare Cæsar,
Ingentique tenet pocula parca manu. 10
Tunc admitte jocos: gressu timet ire licenti
Ad matutinum nostra Thalia Jovem.

Epigramma IX.—*In Fabullam.*

Sotæ filia clinici, Fabulla,
Deserto sequeris Clytum marito,
Et donas, et amas, ἔχεις ἀσώτως.

Epigramma X.—*Ad Faustinum.*

Dum novus est, neque adhuc rasa mihi fronte li-
Pagina dum tangi non bene sicca timet: [bellus,
I puer, et caro perfer leve munus amico,
Qui meruit nugas primus habere meas.
Curre, sed instructus; comitetur Punica librum 5
Spongia: muneribus convenit illa meis.
Non possunt nostros multæ, Faustine, lituræ
Emendare jocos: una litura potest.

Epigramma XI.—*In Ant. Saturninum.*

Dum nimium vano tumefactus nomine gaudes,
Et Saturninum te, miser, esse pudet:
Impia Parrhasia movisti bella sub ursa,
Qualia qui Phariæ conjugis arma tulit.
Excideratne adeo fatum tibi nominis hujus, 5
Obruit Actiaci quod gravis ira freti?
An tibi promisit Rhenus, quod non dedit illi
Nilus, et Arctois plus licuisset aquis?
Ille etiam nostris Antonius occidit armis,
Qui tibi collatus, perfide, Cæsar erat. 10

Epigramma XII.—*In Thaidem.*

Nulli, Thai, negas: sed si te non pudet istud,
Hoc saltem pudeat, Thai, negare nihil.

Epigramma XIII.—*Ad Rufum, de nuptiis Pudentis et Claudiæ Peregrinæ.*

Claudia, Rufe, meo nubit Peregrina Pudenti:
Macte esto tædis, o Hymenæe, tuis.
Tam bene rara suo miscentur cinnama nardo,
Massica Theseis tam bene vina favis.
Nec melius teneris junguntur vitibus ulmi, 5
Nec plus lotos aquas, littora myrtus amat.
Candida perpetuo reside, Concordia, lecto,
Tamque pari semper sit Venus æqua jugo.

Diligat illa senem quondam. sed et ipsa marito,
Tunc quoque cum fuerit, non videatur anus. 10

Epigramma XIV.—*Ad Silium.*

Sili, Castalidum decus sororum,
Qui perjuria barbari furoris
Ingenti premis ore, perfidosque
Astus Hannibalis, levesque Pœnos
Magnis cedere cogis Africanis: 5
Paullum seposita severitate,
Dum blanda vagus alea December
Incertis sonat hinc et hinc fritillis,
Et ludit popa nequiore talo,
Nostris otia commoda Camœnis. 10
Nec torva lege fronte, sed remissa
Lascivis madidos jocis libellos.
Sic forsan tener ausus est Catullus
Magno mittere passerem Maroni.

Epigramma XV.—*Ad Cæcilianum.*

Mille tibi nummos hesterna luce roganti
In sex aut septem, Cæciliane, dies,
Non habeo, dixi: sed tu causatus amici
Adventum, lancem paucaque vasa rogas.
Stultus es? an stultum me credis, amice? negavi
Mille tibi nummos: millia quinque dabo? 6

Epigramma XVI.—*In Gallum.*

Privignum non esse tuæ te, Galle, novercæ
Rumor erat, conjux dum fuit illa patris.
Non tamen hoc poterat vivo genitore probari.
Jam nusquam pater est, Galle; noverca domi est.
Magnus ab infernis revocetur Tullius umbris, 5
Et te defendat Regulus ipse licet;
Non potes absolvi: nam quæ non desinit esse
Post patrem, nunquam, Galle, noverca fuit.

Epigramma XVII.—*Ad Paullum.*

Facere in Lyciscam, Paulle, me jubes versus,
Quibus illa lectis rubeat, et sit irata.
O Paulle, malus es: irrumare vis solus.

Epigramma XVIII.—*De puero stillicidio jugulato.*

Qua vicina pluit Vipsanis porta columnis,
Et madet assiduo lubricus imbre lapis,
In jugulum pueri, qui roscida tecta subibat,
Decidit hiberno prægravis unda gelu:
Cumque peregisset miseri crudelia fata, 5
Tabuit in calido vulnere mucro tener.
Quid non sæva sibi voluit Fortuna licere?
Aut ubi mors non est, si jugulatis aquæ?

Epigramma XIX.—*De endromide.*

Hanc tibi Sequanicæ pinguem textricis alumnam,
Quæ Lacedæmonium barbara nomen habet,
Sordida, sed gelido non adspernanda Decembri
Dona, peregrinam mittimus endromida:
Seu lentum ceroma teris, tepidumve trigona, 5
Sive harpasta manu pulverulenta rapis;
Plumea seu laxi partiris pondera follis;
Sive levem cursu vincere quæris Atham:
Ne madidos intret penetrabile frigus in artus,
Neve gravis subita te premat Iris aqua. 10
Ridebis ventos hoc munere tectus et imbres:
Nec sic in Tyria sindone tutus eris.

Epigramma XX.—*De Cærellia et Gellia.*

Dicit se vetulam, cum sit Cærellia pupa:
Pupam se dicit Gellia, cum sit anus.
Ferre nec hanc possis, possis, Colline, nec illam:
Altera ridicula est, altera putidula. 16

Epigramma XXI.—*De Selio.*

Nullos esse deos, inane cœlum
Affirmat Selius, probatque, quod se
Factum, dum negat hoc, videt beatum.

Epigramma XXII.—*De Cleopatra.*

Primos passa toros, et adhuc placanda marito,
Merserat in nitidos se Cleopatra lacus,
Dum fugit amplexus: sed prodidit unda latentem
Lucebat, totis cum tegeretur aquis.
Condita sic puro numerantur lilia vitro. 5
Sic prohibet tenuis gemma latere rosas.
Insilui, mersusque vadis luctantia carpsi
Basia: perspicuæ plus vetuistis aquæ.

Epigramma XXIII.—*Ad Thaliam, de Brutiano.*

Dum tu lenta nimis, diuque quæris,
Quis primus tibi, quisve sit secundus;
Graium quisve epigramma comparabit:
Palmam Callimachus, Thalia, de se
Facundo dedit ipse Brutiano. 5
Qui si Cecropio satur lepore,
Romanæ sale luserit Minervæ;
Illi me facias, precor, secundum.

Epigramma XXIV.—*De Lycori, ad Fabianum.*

Omnes, quas habuit, Fabiane, Lycoris amicas
Extulit; uxori fiat amica meæ.

Epigramma XXV.—*De littoribus Altini et Aquileia.*

Æmula Baianis Altini littora villis,
Et Phaethontei conscia sylva rogi;
Quæque Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
Nupsit ad Euganeos sola puella lacus:
Et tu Ledæo felix Aquileia Timavo, 5
Hic ubi septenas Cyllarus hausit aquas;
Vos eritis nostræ portus requiesque senectæ,
Si juris fuerint otia nostra sui.

Epigramma XXVI.—*Ad Postumum.*

Quod te mane domi toto non vidimus anno,
Vis dicam, quantum, Postume, perdiderim?
Tricenos, puto, bis; vicenos ter, puto, nummos
Ignosces; togulam, Postume, pluris emo.

Epigramma XXVII.—*Ad Cæsarem Augustum Domitianum.*

Sæpe meos laudare soles, Auguste, libellos:
Invidus ecce negat: non minus ergo soles.
Quid, quod honorato non sola voce dedisti,
Non alius poterat quæ dare dona mihi?
Ecce iterum nigros corrodit lividus ungues. 5
Da, Cæsar, tanto tu magis, ut doleat.

Epigramma XXVIII.—*Ad Chloen.*

Donasti tenero Chloe Luperco
Hispanas, Tyriasque, coccinasque,
Et lotam tepido togam Galeso,
Indos sardonychas, Scythas smaragdos,
Et centum dominos novæ monetæ, 5
Et quicquid petit usque et usque donas.
Væ glabraria, væ tibi misella:
Nudam te statuet tuus Lupercus.

Epigramma XXIX.—*Ad Pudentem.*

Obstat, care Pudens, nostris sua turba libellis:
Lectoremque frequens lassat et implet opus.
Rara juvant: primis sic major gratia pomis:
Hibernæ pretium sic meruere rosæ

Sic spoliatricem commendat fastus amicam, 5
Janua nec juvenem semper aperta tenet.
Sæpius in libro memoratur Persius uno,
Quam levis in tota Marsus Amazonide.
Tu quoque de nostris releges quemcunque libellis,
Esse puta solum: sic tibi pluris erit. 10

Epigramma XXX.—*Ad piscatorem.*

Baiano procul a lacu monemus,
Piscator, fuge, ne nocens recedas.
Sacris piscibus hæ natantur undæ,
Qui norunt Dominum, manumque lambunt
Illam, qua nihil est in orbe majus. 5
Quid, quod nomen habent, et ad magistri
Vocem quisque sui venit citatus.
Hoc quondam Libys impius profundo,
Dum prædam calamo tremente ducit,
Raptis luminibus repente cæcus 10
Captum non potuit videre piscem:
Et nunc sacrilegos perosus hamos,
Baianos sedet ad lacus rogator.
At tu, dum potes, innocens recede,
Jactis simplicibus cibis in undas, 15
Et pisces venerare dedicatos.

Epigramma XXXI.—*Ad Hippodamum.*

Quod cupis in nostris dicique legique libellis,
Et nonnullus honos creditur esse tibi:
Ne valeam, si non res est gratissima nobis,
Et volo te chartis inseruisse meis:
Sed tu nomen habes averso fonte sororum 5
Impositum, mater quod tibi dura dedit:
Quod nec Melpomene, quod nec Polyhymnia pos-
Nec pia cum Phœbo dicere Calliope. [sit,
Ergo aliquod gratum Musis tibi nomen adopta:
Non semper belle dicitur Hippodamus. 10

Epigramma XXXII.—*De ape electro inclusa.*

Et latet et lucet Phaethontide condita gutta,
Ut videatur apis nectare clausa suo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum:
Credibile est ipsam sic voluisse mori.

Epigramma XXXIII.—*Ad Sosibianum.*

Plena laboratis habeas cum scrinia libris,
Emittis quare, Sosibiane, nihil?
Edent hæredes, inquis, mea carmina. Quando?
Tempus erat jam te, Sosibiane, legi.

Epigramma XXXIV.—*Ad Attalum.*

Sordida cum tibi sit, verum tamen, Attale, dixit,
Quisquis te niveam dixit habere togam.

Epigramma XXXV.—*De pugna damarum.*

Frontibus adversis molles concurrere damas
Vidimus, et fati sorte jacere pari.
Spectavere canes prædam: stupuitque superbus
Venator, cultro nil superesse suo.
Unde leves animi tanto caluere furore? 5
Sic pugnant tauri, sic cecidere viri.

Epigramma XXXVI.—*Ad Olum.*

Cana est barba tibi: nigra est coma: tingere barbam
Non potes, hæc causa est: sed potes, Ole, co- [mam.

Epigramma XXXVII.—*Ad Afrum.*

Centum Coranus, et ducenta Mancinus,
Trecenta debet Titius, hoc bis Albinus,
Decies Sabinus, alterumque Serranus
Ex insulis fundisque tricies soldum,
Ex pecore redeunt ter ducena Parmensi: 5
Totis diebus, Afer, hoc mihi narras:
Et teneo melius ista, quam meum nomen.
Numeres oportet aliquid, ut pati possim:
Quotidianam refice nauseam nummis.
Audire gratis, Afer, ista non possum. 10

Epigramma XXXVIII.—*Ad Gallam.*

Galla, nega: satiatur amor, nisi gaudia torquent.
Sed noli nimium, Galla, negare diu.

Epigramma XXXIX.—*Ad Charinum.*

Argenti genus omne comparasti,
Et solus veteres Myronis artes,
Solus Praxitelis manus, Scopæque,
Solus Phidiaci toreuma cœli,
Solus Mentoreos habes labores: 5
Nec desunt tibi vera Gratiana,
Nec quæ Callaico linuntur auro,
Nec mensis anaglypta de paternis.
Argentum tamen inter omne, miror
Quare non habeas, Charine, purum. 10

Epigramma XL.—*Ad Postumum.*

Atria Pisonum stabant cum stemmate toto,
Et docti Senecæ ter numeranda domus;
Prætulimus tantis solum te, Postume, regnis:
Pauper eras, et eques, sed mihi consul eras.
Tecum ter denas numeravi, Postume, brumas:
Communis nobis lectus et unus erat. 6
Jam donare potes, jam perdere, plenus honorum,
Largus opum: exspecto, Postume, quid facias.
Nil facis: et serum est alium mihi quærere regem.
Hoc, Fortuna, placet? Postumus imposuit. 10

Epigramma XLI.—*In male recitantem.*

Quid recitaturus circumdas vellera collo?
Conveniunt nostris auribus illa magis.

Epigramma XLII.—*Ad Flaccum.*

Si quis forte mihi posset præstare roganti,
Audi, quem puerum, Flacce, rogare velim.
Niliacis primum puer is nascatur in oris:
Nequitias tellus scit dare nulla magis.
Sit nive candidior: namque in Mareotide fusca 5
Pulchrior est, quanto rarior iste color.
Lumina sideribus certent, mollesque flagellent
Colla comæ: tortas non amo, Flacce, comas.
Frons brevis, atque modus breviter sit naribus
Pæstanis rubeant æmula labra rosis. [uncis:
Sæpeque nolentem cogat, nolitque volentem: 11
Liberior domino sæpe sit ille suo.
Et timeat pueros, excludat sæpe puellas.
Vir reliquis, uni sit puer ille mihi. [rum est:
Jam scio, nec fallis: nam me quoque judice ve-
Talis erat, dices, noster Amazonicus. 16

Epigramma XLIII.—*In Coracinum.*

Non dixi, Coracine, te cinædum:
Non sum tam temerarius, nec audax,
Nec mendacia qui loquar libenter.
Si dixi, Coracine, te cinædum,
Iratam mihi Pontiæ lagenam, 5
Iratum calicem mihi Metili.
Juro per Syrios tibi tumores,
Juro per Berecynthios furores.
Quod dixi tamen, hoc leve et pusillum est:
Quod notum est, quod et ipse non negabis: 10
Dixi te, Coracine, cunnilingum.

Epigramma XLIV.—*De Vesuvio monte.*

Hic est pampineis viridis modo Vesbius umbris:
Presserat hic madidos nobilis uva lacus.
Hæc juga, quam Nysæ colles, plus Bacchus amavit:
Hoc nuper Satyri monte dedere choros.
Hæc Veneris sedes, Lacedæmone gratior illi: 5
Hic locus Herculeo nomine clarus erat.
Cuncta jacent flammis et tristi mersa favilla:
Nec superi vellent hoc licuisse sibi.

Epigramma XLV.—*Votum Parthenii ad Phœbum pro Burro.*

Hæc tibi pro nato plena dat lætus acerra,
Phœbe, Palatinus munera Parthenius;
Ut qui prima novo signat quinquennia lustro,
Impleat innumeras Burrus Olympiadas.
Fac rata vota patris: sic te tua diligat arbor, 5
Gaudeat et certa virginitate soror:
Perpetuo sic flore mices: sic denique non sint
Tam longæ Bromio, quam tibi, Phœbe, comæ.

Epigramma XLVI.—*De Sabello.*

Saturnalia divitem Sabellum
Fecerunt. Merito tumet Sabellus:
Nec quenquam putat esse, prædicatque
Inter causidicos beatiorem.
Hos fastus animosque dat Sabello 5
Farris semodius, fabæque fressæ,
Et thuris piperisque tres selibræ,
Et Lucanica ventre cum Falisco,
Et nigri Syra defruti lagena,
Et ficus Libyca gelata testa, 10
Cum bulbis, cochleisque, caseoque.
Piceno quoque venit a cliente
Parcæ cistula non capax olivæ,
Et crasso figuli polita cælo
Septenaria synthesis Sagunti, 15
Hispanæ luteum rotæ toreuma,
Et lato variata mappa clavo.
Saturnalia fractuosiora
Annis non habuit decem Sabellus.

Epigramma XLVII.—*De Phaethonte.*

Encaustus Phaethon tabula depictus in hac est.
Quid tibi vis, dipyron qui Phaethonta facis?

Epigramma XLVIII.—*In Papilum.*

Percidi gaudes: percisus, Papile, ploras.
Cur, quæ vis fieri, Papile, facta doles?
Pœnitet obscænæ pruriginis? an magis illud
Fles, quod percidi, Papile, desieris?

Epigramma XLIX.—*Ad Flaccum.*

Nescis, crede mihi, quid sint epigrammata, Flacce,
Qui tantum lusus illa jocosque putas.
Ille magis ludit, qui scribit prandia sævi
Tereos, aut cœnam, crude Thyesta, tuam;
Aut puero liquidas aptantem Dædalon alas, 5
Pascentem Siculas aut Polyphemon oves.
A nostris procul est omnis vesica libellis:
Musa nec insano syrmate nostra tumet.
Illa tamen laudant omnes, mirantur, adorant,
Confiteor: laudant illa, sed ista legunt. 10

Epigramma L.—*In Thaidem.*

Quid me, Thai, senem subinde dicis?
Nemo est, Thai, senex ad irrumandum.

Epigramma LI.—*Ad Cæcilianum.*

Cum tibi non essent sex millia, Cæciliane,
Ingenti late vectus es hexaphoro.
Postquam bis decies tribuit dea cæca, sinumque
Ruperunt nummi, factus es, ecce, pedes.
Quid tibi pro meritis, et tantis laudibus optem?
Di reddant sellam, Cæciliane, tibi. 6

Epigramma LII.—*In Hedylum.*

Gestari junctis nisi desinis, Hedyle, capris;
Qui modo ficus eras, jam caprificus eris.

Epigramma LIII.—*Ad Cosmum.*

Hunc, quem sæpe vides inter penetralia nostræ
Pallados, et templi limina, Cosme, novi,
Cum baculo peraque senem: cui cana, putrisque
Stat coma, et in pectus sordida barba cadit:
Cerea quem nudi tegit uxor abolla grabati, 5
Cui dat latratos obvia turba cibos:
Esse putas Cynicum, deceptus imagine falsa.
Non est hic Cynicus, Cosme: quid ergo? canis.

Epigramma LIV.—*Ad Collinum.*

O cui Tarpeias licuit contingere quercus,
Et meritas prima cingere fronde comas:
Si sapis, utaris totis, Colline, diebus,
Extremumque tibi semper adesse putes.
Lanificas nulli tres exorare puellas 5
Contigit: observant, quem statuere, diem
Divitior Crispo, Thrasea constantior ipso,
Lautior et nitido sis Meliore licet;
Nil adicit penso Lachesis, fusosque sororum
Explicat, et semper de tribus una secat. 10

Epigramma LV.—*Ad Lucium.*

Luci, gloria temporum tuorum,
Qui Graium veterem, Tagumque nostrum
Arpis cedere non sinis disertis;
Argivas generatus inter urbes
Thebas carmine cantet, aut Mycenas, 5
Aut claram Rhodon, aut libidinosæ
Ledæas Lacedæmonis palæstras.
Nos, Celtis genitos et ex Iberis,
Nostræ nomina duriora terræ
Grato non pudeat referre versu: 10
Sævo Bilbilin optimam metallo,
Quæ vincit Chalybasque, Noricosque,
Et ferro Plateam suo sonantem,
Quam fluctu tenui, sed inquieto,
Armorum Salo temperator ambit: 15
Tutelamque, chorosque Rixamarum,
Et convivia festa Carduarum,
Et textis Peteron rosis rubentem,
Atque antiqua patrum theatra Rigas,
Et certos jaculo levi Silaos, 20
Turgentisque lacus, Petusiæque,
Et parvæ vada pura Vetonissæ,
Et sanctum Baradonis ilicetum,
Per quod vel piger ambulat viator;
Et quæ fortibus excolit juvencis 25
Curvæ Manlius arva Matinessæ.
Hæc tam rustica, delicate lector,
Rides nomina? rideas licebit.
Hæc tam rustica malo, quam Bitontos.

Epigramma LVI.—*In Gargilianum.*

Munera quod senibus viduisque ingentia mittis,
Vis te munificum, Gargiliane, vocem?
Sordidius nihil est, nihil est te spurcius uno,
Qui potes insidias dona vocare tuas.

Sic avidis fallax indulget piscibus hamus: 5
Callida sic stultas decipit esca feras.
Quid sit largiri, quid sit donare, docebo,
Si nescis: dona, Gargiliane, mihi.

Epigramma LVII.—*Ad Faustinum.*

Dum nos blanda tenet lascivi stagna Lucrini,
Et quæ pumiceis fontibus antra calent:
Tu colis Argivi regnum, Faustine, coloni,
Quo te bis decimus ducit ab urbe lapis.
Horrida sed fervent Nemeæi pectora monstri: 5
Nec satis est, Baias igne calere suo.
Ergo sacri fontes et littora grata valete,
Nympharum pariter Nereidumque domus.
Herculeos colles gelida vos vincite bruma,
Nunc Tiburtinis cedite frigoribus. 10

Epigramma LVIII.—*In Gallam.*

In tenebris luges amissum, Galla, maritum.
Nam plorare pudet te, puto, Galla, virum.

Epigramma LIX.—*De vipera electro inclusa.*

Flentibus Heliadum ramis dum vipera repit,
Fluxit in obstantem succina gemma feram:
Quæ dum miratur pingui se rore teneri,
Concreto riguit vincta repente gelu.
Ne tibi regali placeas, Cleopatra, sepulcro, 5
Vipera si tumulo nobiliore jacet.

Epigramma LX.—*De Curiatio.*

Ardea, solstitio, Castranaque rura petantur,
Quique Cleonæo sidere fervet ager;
Cum Tiburtinas damnet Curiatius auras,
Inter laudatas ad Styga missus aquas.
Nullo fata loco possis excludere: cum mors 5
Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

Epigramma LXI.—*In Mancinum.*

Donasse amicum tibi ducenta, Mancine,
Nuper superbo lætus ore jactasti.
Quartus dies est, in schola poetarum
Dum fabulamur, millibus decem dixti
Emptas lacernas munus esse Pompillæ: 5
Sardonycha verum, lineisque ter cinctum,
Duasque similes fluctibus maris gemmas
Dedisse Bassam Cæliamque jurasti.
Here, de theatro, Pollione cantante,
Cum subito abires, dum fugis, loquebaris; 10
Hæreditatis tibi trecenta veniese:
Et mane centum, et post meridiem centum.
Quid tibi sodales fecimus mali tantum?
Miserere jam crudelis, et sile tandem.
Aut, si tacere lingua non potest ista, 15
Aliquando narra, quod velimus audire.

Epigramma LXII.—*De Lycori.*

Tibur in Herculeum migravit nigra Lycoris,
Omnia dum fieri candida credit ibi.

Epigramma LXIII.—*De Cærellia.*

Dum petita Baulis mater Cærellia Baias,
Occidit insani crimine mersa freti.
Gloria quanta perît vobis! hæc monstra Neroni
Nec quondam jussæ præstiteratis aquæ.

Epigramma LXIV.—*De hortis Julii Martialis.*

Juli jugera pauca Martialis,
Hortis Hesperidum beatiora,
Longo Janiculi jugo recumbunt:
Lati collibus imminent recessus
Et planus modico tumore vertex 5
Cœlo perfruitur sereniore,
Et curvas nebula tegente valles
Solus luce nitet peculiari:
Puris leniter admoventur astris
Celsæ culmina delicata villæ. 10
Hinc septem dominos videre montes,
Et totam licet æstimare Romam,
Albanos quoque, Tusculosque colles,
Et quodcunque jacet sub urbe frigus
Fidenas veteres, brevesque Rubras, 15
Et quod virgineo cruore gaudet,
Annæ pomiferum nemus Perennæ.
Illic Flaminiæ Salariæque
Gestator patet, essedo tacente,
Ne blando rota sit molesta somno, 20
Quem nec rumpere nauticum celeusma,
Nec clamor valet helciariorum;
Cum sit tam prope Milvius, sacrumque
Lapsæ per Tiberim volent carinæ.
Hoc rus (seu potius domus vocanda est) 25
Commendat dominus; tuam putabis:
Tam non invida, tamque liberalis,
Tam comi patet hospitalitate.
Credas Alcinoi pios penates,
Aut facti modo divitis Molorchi. 30
Vos nunc, omnia parva qui putatis,
Centeno gelidum ligone Tibur
Vel Præneste domate, pendulamque
Uni dedite Setiam colono:
Dum, me judice, præferantur istis 35
Juli jugera pauca Martialis.

Epigramma LXV.—*De Philæni.*

Oculo Philænis semper altero plorat.
Quo fiat istud quæritis modo? lusca est.

Epigramma LXVI.—*Ad Linum*

Egisti vitam semper, Line, municipalem:
Qua nihil omnino vilius esse potest.
Idibus, et raris togula est excussa Kalendis:
Duxit et æstates synthesis una decem. [tum:
Saltus aprum, campus leporem tibi misit inemp-
Sylva graves turdos exagitata dedit. 6
Raptus flumineo venit de gurgite piscis:
Vina rubens fudit non peregrina cadus.
Nec tener Argolica missus de gente minister,
Sed stetit inculti rustica turba foci. 10
Villica vel duri compressa est nupta coloni,
Incaluit quoties saucia vena mero.
Nec nocuit tectis ignis, nec Sirius agris:
Nec mersa est pelago, nec fluit ulla ratis.
Supposita est blando nunquam tibi tessera talo:
Alea sed parcæ sola fuere nuces. 16
Dic ubi sit decies, mater quod avara reliquit?
Nusquam est. Fecisti rem, Line, difficilem.

Epigramma LXVII.—*In Prætorem.*

Prætorem pauper centum sestertia Gaurus
Orabat cana notus amicitia:
Dicebatque suis hæc tantum deesse trecentis,
Ut posset domino plaudere justus eques.
Prætor ait: Scis me Scorpo, Thalloque daturum;
Atque utinam centum milia sola darem. 6
Ah pudet ingratæ, pudet ah male divitis arcæ.
Quod non vis equiti, vis dare, prætor, equo?

Epigramma LXVIII.—*Ad Sextum.*

Invitas centum quadrantibus, et bene cœnas.
Ut cœnem invitor, Sexte, an ut invideam?

Epigramma LXIX.—*Ad Papilum.*

Tu Setina quidem semper, vel Massica ponis,
Papile: sed rumor tam bona vina negat.
Diceris hac factus cœlebs quater esse lagena.
Nec puto, nec credo, Papile, nec sitio.

Epigramma LXX.—*De Ammiano ad Maronillum.*

Nihil Ammiano præter aridam restem
Moriens reliquit ultimis pater ceris.
Fieri putaret posse quis, Maronille,
Ut Ammianus mortuum patrem nollet?

Epigramma LXXI.—*Ad Sempronium Rufum.*

Quæro diu totam, Semproni Rufe, per urbem,
Si qua puella neget; nulla puella negat.
Tanquam fas non sit, tanquam sit turpe negare,
Tanquam non liceat; nulla puella negat.
Casta igitur nulla est? castæ sunt mille. Quid ergo
Casta facit? non dat; non tamen illa negat. 6

Epigramma LXXII.—*Ad Quintum.*

Exigis, ut donem nostros tibi, Quinte, libellos.
Non habeo, sed habet bibliopola Tryphon.
Æs dabo pro nugis, et emam tua carmina sanus?
Non, inquis, faciam tam fatue: nec ego.

Epigramma LXXIII.—*De Vestino.*

Cum gravis extremas Vestinus duceret horas,
Et jam per Stygias esset iturus aquas,
Ultima volventes orabat pensa sorores,
Ut traherent parva stamina pulla mora.
Jam sibi defunctus, caris dum vivit amicis; 5
Moverunt tetricas tam pia vota deas.
Tum largas partitus opes, a luce recessit:
Seque mori post hoc credidit ille senem.

Epigramma LXXIV.—*De Damis.*

Adspicis, imbelles tentent quam fortia damæ
Prœlia? tam timidis quanta sit ira feris?
In mortem parvis concurrere frontibus audent.
Vis, Cæsar, damis parcere? mitte canes.

Epigramma LXXV.—*De Nigrina.*

O felix animo, felix, Nigrina, marito,
Atque inter Latias gloria prima nurus!
Te patrios miscere juvat cum conjuge census,
Gaudentem socio participique viro.
Arserit Evadne flammis injecta mariti, 5
Nec minor Alcestem fama sub astra ferat.
Tu melius: certo meruisti pignore vitæ,
Ut tibi non esset morte probandus amor.

Epigramma LXXVI.—*In avarum amicum.*

Millia misisti mihi sex, bis sena petenti:
Ut bis sena feram, bis duodena petam.

Epigramma LXXVII.—*In Zoilum invidum.*

Nunquam divitias deos rogavi,
Contentus modicis, meoque lætus.
Paupertas, veniam dabis, recede.
Causa est quæ subiti novique voti?
Pendentem volo Zoilum videre. 5

Epigramma LXXVIII.—*In Varum.*

Ad cœnam nuper Varus me forte vocavit;
Ornatus dives, parvula cœna fuit.
Auro, non dapibus oneratur mensa: ministri
Apponunt oculis plurima, pauca gulæ.
Tunc ego: Non oculos, sed ventrem pascere veni.
Aut appone dapes, Vare, vel aufer opes. 6

Epigramma LXXIX.—*In Afrum.*

Condita cum tibi sit jam sexagesima messis
Et facies multo splendeat alba pilo;
Discurris tota vagus urbe, nec ulla cathedra est,
Cui non mane feras irrequietus, ave.
Et sine te nulli fas est prodire tribuno, 5
Nec caret officio consul uterque tuo;
Et sacro decies repetis Pallatia clivo,
Sigeriosque meros, Partheniosque sonas.
Hæc faciant sane juvenes: deformius, Afer,
Omnino nihil est ardelione sene. 10

Epigramma LXXX.—*Ad Mathonem.*

Hospes eras nostri semper, Matho, Tiburtini.
Hoc emis: imposui; rus tibi vendo tuum.

Epigramma LXXXI.—*In Mathonem.*

Declamas in febre, Mathon: hanc esse phrenesim
Si nescis, non es sanus, amice Mathon.
Declamas æger, declamas hemitritæus.
Si sudare aliter non potes, est ratio.
Magna tamen res est: errans cum viscera febris
Exurit, res est magna tacere, Mathon. 6

Epigramma LXXXII.—*De Fabulla.*

Epigramma nostrum cum Fabulla legisset,
Negare nullam quo queror puellarum:
Semel rogata bisque terque neglexit
Preces amantis. Jam, Fabulla, promitte:
Negare jussi, pernegare non jussi. 5

Epigramma LXXXIII.—*Ad Rufum.*

Hos quoque commenda Venuleio, Rufe, libellos,
Imputet et nobis otia parva, roga: [rum,
Immemor et paullum curarum, operumque suo-
Non tetrica nugas exigat aure meas. [tem:
Sed nec post primum legat hæc, summumve trien-
Sed sua cum medius prœlia Bacchus amat. 6
Si nimis est legisse duos; tibi charta plicetur
Altera: divisum sic breve fiet opus.

Epigramma LXXXIV.—*In Nævolum.*

Securo nihil est te, Nævole, pejus: eodem
Sollicito nihil est, Nævole, te melius.
Securus, nullum resalutas, despicis omnes;
Nec quisquam liber, nec tibi gratus homo est.
Sollicitus, donas: dominum regemque salutas: 5
Invitas. Esto, Nævole, sollicitus.

Epigramma LXXXV.—*In Thaidem.*

Non est in populo, nec urbe tota,
A se Thaida qui probet fututam;
Cum multi cupiant, rogentque multi.
Tam casta est, rogo, Thais? immo fellat.

Epigramma LXXXVI.—*In Ponticum.*

Nos bibimus vitro, tu murrha, Pontice. Quare?
Prodat perspicuus ne duo vina calix.

Epigramma LXXXVII.—*Ad librum de Apollinari.*

Si vis auribus Atticis probari,
Exhortor, moneoque te, libelle,
Ut docto placeas Apollinari.
Nil exactius, eruditiusque est;
Sed nec candidius, benigniusque 5

Si te pectore, si tenebit ore,
Nec ronchos metues maligniorum,
Nec scombris tunicas dabis molestas.
Si damnaverit, ad salariorum
Curras scrinia protinus licebit, 10
Inversa pueris arande charta.

Epigramma LXXXVIII.—*De Bassa.*

Infantem secum semper tua Bassa, Fabulle,
Collocat, et lusus deliciasque vocat.
Et quod mireris magis, infantaria non est.
Ergo quid in causa est? pedere Bassa solet.

Epigramma LXXXIX.—*In dissimulatorem.*

Nulla remisisti parvo pro munere dona;
Et jam Saturni quinque fuere dies.
Ergo nec argenti sex scriptula Septitiani
Missa, nec a querulo mappa cliente fuit?
Antipolitani nec quæ de sanguine thynni 5
Testa rubet, nec quæ coctona parva gerit;
Nec rugosarum vimen breve Picenarum:
Dicere te posses ut meminisse mei.
Decipies alios verbis vultuque benigno:
Nam mihi jam notus dissimulator eris. 10

Epigramma XC.—*De rusticatione*

Rure morans quid agam, respondeo pauca, rogatus:
Luce deos oro, famulos, post arva reviso,
Partibus atque meis justos indico labores.
Inde lego, Phœbumque cio, Musamque lacesso.
Hinc oleo corpusque frico, mollique palæstra 5
Stringo libens, animo gaudens, ac fœnore liber.
Prandeo, poto, cano, ludo, lavo, cœno, quiesco,
Dum parvus lychnus modicum consumat olivi.
Hæc dat nocturnis nox lucubrata Camœnis.

Epigramma XCI.—*Ad librum.*

Ohe jam satis est, ohe libelle:
Jam pervenimus usque ad umbilicos:
Tu procedere adhuc, et ire quæris,
Nec summa potes in scheda teneri:
Sic tanquam tibi res peracta non sit, 5
Quæ prima quoque pagina peracta est.
Jam lector queriturque, deficitque,
Jam librarius hoc et ipse dicit:
Ohe jam satis est, ohe libelle.

LIBER QUINTUS.

Epigramma I.—*Ad Cæsarem.*

Hoc tibi, Palladiæ seu collibus uteris Albæ,
Cæsar, et hinc Triviam prospicis, inde Thetin;
Seu tua veridicæ discunt responsa sorores,
Plana suburbani qua cubat unda freti;
Seu placet Æneæ nutrix, seu filia Solis, 5
Sive salutiferis candidus Anxur aquis:
Mittimus, o rerum felix tutela salusque,
Sospite quo gratum credimus esse Jovem.
Tu tantum accipias: ego te legisse putabo,
Et tumidus Galla credulitate fruar. 10

Epigramma II.—*Ad lectores.*

Matronæ, puerique, virginesque,
Vobis pagina nostra dedicatur.
Tu, quem nequitiæ procaciores
Delectant nimium, salesque nudi,
Lascivos lege quatuor libellos; 5
Quintus cum Domino liber jocetur;
Quem Germanicus ore non rubenti
Coram Cecropia legat puella.

Epigramma III.—*Ad Domitianum.*

Accola jam nostræ Degis, Germanice, ripæ,
A famulis Istri qui tibi venit aquis,
Lætus et attonitus, viso modo præside mundi,
Affatus comites dicitur esse suos: [est
Sors mea quam fratris melior! cui tam prope fas
Cernere, tam longe quem colit ille deum. 6

Epigramma IV.—*Ad Paullum de Myrtale.*

Fœtere multo Myrtale solet vino:
Sed fallat ut nos, folia devorat lauri,
Merumque cauta fronde, non aqua, miscet
Hanc tu rubentem prominentibus venis
Quoties venire, Paulle, videris contra, 5
Dicas licebit: Myrtale bibit laurum.

Epigramma V.—*Ad Sextum.*

Sexte, Palatinæ cultor facunde Minervæ,
Ingenio frueris qui propiore dei;
Nam tibi nascentes Domini cognoscere curas,
Et secreta ducis pectora nosse licet;
Sit locus et nostris aliqua tibi parte libellis, 5
Qua Pedo, qua Marsus, quaque Catullus erit.
Ad Capitolini cœlestia carmina belli,
Grande cothurnati pone Maronis opus.

Epigramma VI.—*Ad Musas: vel, librum commendat Parthenio.*

Si non est grave, nec nimis molestum,
Musæ, Parthenium rogate vestrum:
Sic te serior et beata quondam
Salvo Cæsare finiat senectus,
Et sis invidia favente felix; 5
Sic Burrus cito sentiat parentem;
Admittas timidam brevemque chartam
Intra limina sanctioris aulæ.
Nosti tempora tu Jovis sereni,
Cum fulget placidus, suoque vultu, 10
Quo nil supplicibus solet negare.
Non est, quod metuas preces iniquas:
Nunquam grandia nec molesta poscit,
Quæ cedro decorata purpuraque
Nigris pagina crevit umbilicis. 15
Nec porrexeris ista, sed teneto,
Sic tanquam nihil efferas agasque.
Si novi dominum novem sororum,
Ultro purpureum petet libellum.

Epigramma VII.—*Ad Vulcanum.*

Qualiter Assyrios renovant incendia nidos,
Una decem quoties sæcula vixit avis;

Taliter exuta est veterem nova Roma senectam,
Et sumpsit vultus præsidis ipsa sui.
Jam precor oblitus nostræ, Vulcane, querelæ 5
Parce: sumus Martis turba, sed et Veneris.
Parce, pater: sic Lemniacis lasciva catenis
Ignoscat conjux, et patienter amet.

Epigramma VIII.—*De Phaside.*

Edictum Domini, deique nostri,
Quo subsellia certiora fiunt,
Et puros eques ordines recepit,
Dum laudat modo Phasis in theatro,
Phasis purpureis rubens lacernis, 5
Et jactat tumido superbus ore:
Tandem commodius licet sedere,
Nunc est reddita dignitas equestris;
Turba non premimur, nec inquinamur:
Hæc, et talia dum refert supinus, 10
Illas purpureas et arrogantes
Jussit surgere Lectius lacernas.

Epigramma IX.—*In Symmachum.*

Languebam: sed tu comitatus protinus ad me
Venisti centum, Symmache, discipulis.
Centum me tetigere manus Aquilone gelatæ.
Non habui febrem, Symmache, nunc habeo.

Epigramma X.—*Ad Regulum, de fama poetarum.*

Esse quid hoc dicam, vivis quod fama negatur,
Et sua quod rarus tempora lector amat?
Hi sunt invidiæ nimirum, Regule, mores,
Præferat antiquos semper ut illa novis.
Sic veterem ingrati Pompeii quærimus umbram;
Sic laudant Catuli vilia templa senes. 6
Ennius est lectus salvo tibi, Roma, Marone:
Et sua riserunt sæcula Mæonidem.
Rara coronato plausere theatra Menandro:
Norat Nasonem sola Corinna suum. 10
Vos tamen, o nostri, ne festinate, libelli:
Si post fata venit gloria, non propero.

Epigramma XI.—*De Stella.*

Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas uno
Versat in articulo Stella, Severe, meus.
Multas in digitis, plures in carmine gemmas
Invenies: inde est hæc, puto, culta manus.

Epigramma XII.—*De eodem.*

Quod nutantia fronte perticata
Gestat pondera Masthlion superbus,
Aut grandis Linus omnibus lacertis
Septem quod pueros levat, vel octo,
Res non difficilis mihi videtur: 5
Uno cum digito, vel hoc, vel illo,
Portet Stella meus decem puellas.

Epigramma XIII.—*In Callistratum.*

Sum, fateor, semperque fui, Callistrate, pauper,
Sed non obscurus, nec male notus eques:
Sed toto legor orbe frequens; et dicitur, Hic est:
Quodque cinis paucis, hoc mihi vita dedit.
At tua centenis incumbunt tecta columnis, 5
Et libertinas arca flagellat opes:
Magnaque Niliacæ servit tibi gleba Syenes;
Tondet et innumeros Gallica Parma greges.
Hoc ego, tuque sumus: sed quod sum, non potes esse:
Tu quod es, e populo quilibet esse potest. 10

Epigramma XIV.—*De Nanneio.*

Sedere primo solitus in gradu semper,
Tunc cum liceret occupare, Nanneius;
Bis excitatus terque transtulit castra,
Et inter ipsas pæne tertius sellas
Post Caiumque Luciumque consedit. 5
Illinc cucullo prospicit caput tectus,
Oculoque ludos spectat indecens uno.
Et hinc miser dejectus in viam transit,
Subsellioque semifultus extremo,
Et male receptus altero genu, jactat 10
Equiti sedere, Lectioque se stare.

Epigramma XV.—*Ad Cæsarem Domitianum.*

Quintus nostrorum liber est, Auguste, jocorum,
Et queritur læsus carmine nemo meo:
Gaudet honorato sed multus nomine lector,
Cui victura meo munere fama datur. [multos?
Quid tamen hæc prosunt, quamvis venerantia
Non prosint: sane me tamen ista juvant. 6

Epigramma XVI.—*Ad lectorem.*

Seria cum possim, quod delectantia malim
Scribere, tu causa es, lector amice, mihi,
Qui legis, et tota cantas mea carmina Roma.
Sed nescis, quanti stet mihi talis amor.
Nam si falciferi defendere templa Tonantis, 5
Sollicitisque velim vendere verba reis;
Plurimus Hispanas mittet mihi nauta metretas,
Et fiet vario sordidus ære sinus.
At nunc conviva est, comissatorque libellus,
Et tantum gratis pagina nostra placet. 10
Sed non hac veteres contenti laude fuerunt,
Cum minimum vati munus Alexis erat.
Belle, inquis, dixti: satis est: laudabimur usque.
Dissimulas? facies me, puto, causidicum.

Epigramma XVII.—*In Gelliam.*

Dum proavos, atavosque refers, et nomina magna:
Dum tibi noster eques sordida conditio est:
Dum te posse negas nisi lato, Gellia, clavo
Nubere: nupsisti, Gellia, cistifero.

Epigramma XVIII.—*Ad Quintianum.*

Quod tibi Decembri mense, quo volant mappæ
Gracilesque ligulæ, cereique, chartæque
Et acuta senibus testa cum damascenis,
Præter libellos vernulas nihil misi:
Fortasse avarus videar, aut inhumanus. 5
Odi dolosas munerum et malas artes.
Imitantur hamos dona: namque quis nescit,
Avidum vorata decipi scarum musca?
Quoties amico diviti nihil donat,
O Quintiane, liberalis est pauper. 10

Epigramma XIX.—*Ad Cæsarem Domitianum.*

Si qua fides veri, præferri, maxime Cæsar,
Temporibus possunt sæcula nulla tuis.
Quando magis dignos licuit spectare triumphos?
Quando Palatini plus meruere dei?
Pulchrior et major quo sub duce Martia Roma? 5
Sub quo libertas principe tanta fuit?
Est tamen hoc vitium, sed non leve, sit licet unum,
Quod colit ingratas pauper amicitias.
Quis largitur opes veteri fidoque sodali,
Aut quem prosequitur non alienus eques? 10
Saturnalitiæ ligulam misisse selibræ,
Flammatæve togæ scriptula tota decem,

Luxuria est, tumidique vocant hæc munera reges.
Qui crepet aureolos, forsitan unus erit.
Quatenus hi non sunt, esto tu, Cæsar, amicus. 15
Nulla ducis virtus dulcior esse potest
Jam dudum tacito rides, Germanice, naso,
Utile quod nobis do tibi consilium.

Epigramma XX.—*Ad Julium Martialem.*

Si tecum mihi, care Martialis,
Securis liceat frui diebus;
Si disponere tempus otiosum,
Et veræ pariter vacare vitæ:
Nec nos atria, nec domos potentum, 5
Nec lites tetricas, forumque triste
Nossemus, nec imagines superbas:
Sed gestatio, fabulæ, libelli,
Campus, porticus, umbra, Virgo, thermæ;
Hæc essent loca semper, hi labores. 10
Nunc vivit sibi neuter, heu, bonosque
Soles effugere atque abire sentit;
Qui nobis pereunt, et imputantur.
Quisquam vivere cum sciat, moratur?

Epigramma XXI.—*De Apollodoto.*

Quintum pro Decimo, pro Crasso, Regule, Ma-
Ante salutabat rhetor Apollodotus. [crum
Nunc utrumque suo resalutat nomine: quantum
Cura laborque potest! scripsit, et edidicit.

Epigramma XXII.—*In Paullum*

Mane domi nisi te volui, meruique videre,
Sint mihi, Paulle, tuæ longius Esquiliæ.
Sed Tiburtinæ sum proximus accola pilæ,
Qua videt antiquum rustica Flora Jovem.
Alta Suburrani vincenda est semita clivi, 5
Et nunquam sicco sordida saxa gradu:
Vixque datur longas mulorum rumpere mandras,
Quæque trahi multo marmora fune vides.
Illud adhuc gravius, quod te post mille labores,
Paulle, negat lasso janitor esse domi. 10
Exitus hic operis vani, togulæque madentis:
Vix tanti Paullum mane videre fuit.
Semper inhumanos habet officiosus amicos:
Rex, nisi dormieris, non potes esse meus.

Epigramma XXIII.—*Ad Bassum.*

Herbarum fueras indutus, Basse, colores,
Jura theatralis dum siluere loci.
Quæ postquam placidi censoris cura renasci
Jussit, et Oceanum certior audit eques;
Non nisi vel cocco madida, vel murice tincta
Veste nites, et te sic dare verba putas. 6
Quadringentorum nullæ sunt, Basse, lacernæ:
Aut meus ante omnes Codrus haberet equum.

Epigramma XXIV.—*De Hermete.*

Hermes Martia sæculi voluptas;
Hermes omnibus eruditus armis;
Hermes et gladiator, et magister;
Hermes turba sui tremorque ludi;
Hermes quem timet Helius, sed unum 5
Hermes cui cadit Advolans, sed uni;
Hermes vincere, nec ferire doctus;
Hermes supposititius sibi ipsi,
Hermes divitiæ locariorum;
Hermes cura laborque ludiarum, 10
Hermes belligera superbus hasta;
Hermes æquoreo minax tridente;
Hermes casside languida timendus,
Hermes gloria Martis universi;
Hermes omnia solus, et ter unus. 15

Epigramma XXV.—*De Chærestrato.*

Quadringenta tibi non sunt, Chærestrate, surge,
Lectius ecce venit: sta, fuge, curre, late.
Ecquis, io, revocat, discedentemque reducit?
Ecquis, io, largas pandit amicus opes?
Quem chartis famæque damus, populisque lo-
quendum? 5
Quis Stygios non vult totus adire lacus?
Hoc, rogo, non melius, quam rubro pulpita nimbo
Spargere, et effuso permaduisse croco?
Quam non sensuro dare quadringenta caballo,
Aureus ut Scorpi nasus ubique micet? 10
O frustra locuples, o dissimulator amici,
Hæc legis et laudas? quæ tibi fama perit?

Epigramma XXVI.—*Ad Codrum.*

Quod alpha dixi, Codre, pænulatorum
Te nuper, aliqua cum jocarer in charta;
Si forte bilem movit hic tibi versus,
Dicas licebit beta me togatorum.

Epigramma XXVII.—*In fictum equitem.*

Ingenium, studiumque tibi, moresque, genusque
Sunt equitis, fateor: cætera plebis habes.
Bis septena tibi non sunt subsellia tanti,
Ut sedeas viso pallidus Oceano.

Epigramma XXVIII.—*Ad Aulum, de Mamerco.*

Ut bene loquatur, sentiatque Mamercus,
Efficere nullis, Aule, moribus possis:
Pietate fratres Curtios licet vincas,
Quiete Nervas, comitate Rusones,
Probitate Macros, æquitate Mauricos, 5
Oratione Regulos, jocis Paullos:
Rubiginosis cuncta dentibus rodit.
Hominem malignum forsan esse tu credas
Ego esse miserum credo, cui placet nemo.

Epigramma XXIX.—*Ad Gelliam.*

Si quando leporem mittis mihi, Gellia, dicis,
Formosus septem, Marce, diebus eris.
Si non derides, si verum, lux mea, narras,
Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.

Epigramma XXX.—*Ad Varronem.*

Varro, Sophocleo non inficiande cothurno,
Nec minus in Calabra suspiciende lyra;
Differ opus: nec te facundi scena Catulli
Detineat, cultis aut elegia comis.
Sed lege fumoso non aspernanda Decembri 5
Carmina, mittuntur quæ tibi mense suo.
Commodius nisi forte tibi potiusque videtur,
Saturnalitias perdere, Varro, nuces.

Epigramma XXXI.—*De ludo puerorum cum juvencis.*

Adspice, quam placidis insultet turba juvencis,
Et sua quam facilis pondera taurus amet.
Cornibus hic pendet summis: vagus ille per armos
Currit, et in toto ventilat arma bove.
At feritas immota riget. Non esset arena 5
Tutior, et poterant fallere plana magis.
Nec trepidant gestus: sed de discrimine palmæ
Securus puer est, sollicitumque pecus.

Epigramma XXXII.—*Ad Faustinum, de Crispo.*

Quadrantem Crispus tabulis, Faustine, supremis
Non dedit uxori: cui dedit ergo? sibi.

Epigramma XXXIII.—*In Causidicum.*

Carpere causidicus fertur mea carmina : qui sit,
Nescio : si sciero, væ tibi, causidice.

Epigramma XXXIV.—*Epitaphium Erotii ad Frontonem et Flaccillam parentes.*

Hanc tibi, Fronto pater, genitrix Flaccilla puellam,
Oscula commendo, deliciasque meas :
Paulula ne nigras horrescat Erotion umbras,
Oraque Tartarei prodigiosa canis.
Impletura fuit sextæ modo frigora brumæ 5
Vixisset totidem ni minus illa dies.
Inter tam veteres ludat lasciva patronos,
Et nomen blæso garriat ore meum.
Mollia nec rigidus cespes tegat ossa, nec illi,
Terra, gravis fueris : non fuit illa tibi. 10

Epigramma XXXV.—*De Euclide.*

Dum sibi redire de Patrensibus fundis
Ducena clamat coccinatus Euclides,
Corinthioque plura de suburbano ;
Longumque pulchra stemma repetit a Leda,
Et suscitanti Lectio reluctatur : 5
Equiti superbo, nobili, locupleti,
Cecidit repente magna de sinu clavis.
Nunquam, Fabulle, nequior fuit clavis.

Epigramma XXXVI.—*Ad Faustinum.*

Laudatus nostro quidam, Faustine, libello,
Dissimulat, quasi nil debeat : imposuit.

Epigramma XXXVII.—*De Erotio puella.*

Puella senibus dulcior mihi cycnis,
Agna Galesi mollior Phalantini :
Concha Lucrini delicatior stagni ;
Cui nec lapillos præferas Erythræos,
Nec modo politum pecudis Indicæ dentem, 5
Nivesque primas, liliumque non tactum :
Quæ crine vicit Bætici gregis vellus,
Rhenique nodos, aureamque nitelam :
Fragravit ore, quod rosarium Pæsti,
Quod Atticarum prima mella cerarum, 10
Quod succinorum rapta de manu gleba ;
Cui comparatus indecens erat pavo,
Inamabilis sciurus, et frequens Phœnix :
Adhuc recenti tepet Erotion busto,
Quam pessimorum lex avara fatorum 15
Sexta peregit hieme, nec tamen tota,
Nostros amores, gaudiumque, lususque.
Et esse tristem me meus vetat Pætus :
Pectusque pulsans, pariter et comam vellens,
Deflere non te vernulæ pudet mortem ? 20
Ego conjugem, inquit, extuli, et tamen vivo,
Notam, superbam, nobilem, locupletem.
Quid esse nostro fortius potest Pæto ?
Ducenties accepit, et tamen vivit.

Epigramma XXXVIII.—*In Calliodorum.*

Calliodorus habet censum (quis nescit?) eques-
Sexte ; sed et fratrem Calliodorus habet. [trem,
Quadringenta secat, qui dicit σῦκα μέριζε ;
Uno credis equo posse sedere duos ?
Quid cum fratre tibi, quid cum Polluce molesto ?
Non esset Pollux si tibi, Castor eras. 6
Unus cum sitis, duo, Calliodore, sedetis.
Surge : solœcismum, Calliodore, facis.
Aut imitare genus Ledæ ; aut cum fratre sedere
Non potes. Alternis, Calliodore, sede. 10

Epigramma XXXIX.—*In Carinum.*

Supremas tibi tricies in anno
Signanti tabulas, Carine, misi
Hyblæis madidas thymis placentas.
Defeci : miserere jam, Carine.
Signa rarius, aut semel fac illud, 5
Mentitur tua quod subinde tussis.
Excussi loculosque sacculumque.
Crœso divitior licet fuissem,
Iro pauperior forem, Carine,
Si conchen toties meam comesses. 10

Epigramma XL.—*Ad Artemidorum.*

Pinxisti Venerem ; colis, Artemidore, Minervam.
Et miraris, opus displicuisse tuum ?

Epigramma XLI.—*In Didymum.*

Spadone cum sis eviratior fluxo,
Et concubino mollior Celænæo,
Quem sectus ululat matris entheæ Gallus,
Theatra loqueris, et gradus, et edicta,
Trabeasque, et Idus, fibulasque, censusque : 5
Et pumicata pauperes manu monstras.
Sedere in equitum liceat an tibi scamnis
Videbo, Didyme : non licet maritorum.

Epigramma XLII.—*Amicis quod datur, non perire.*

Callidus effracta nummos fur auferet arca :
Prosternet patrios impia flamma lares :
Debitor usuram pariter, sortemque negabit :
Non reddet sterilis semina jacta seges :
Dispensatorem fallax spoliabit amica : 5
Mercibus exstructas obruet unda rates.
Extra fortunam est, quicquid donatur amicis :
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Epigramma XLIII.—*De Thaide et Lecania.*

Thais habet nigros, niveos Lecania, dentes.
Quæ ratio est ? emptos hæc habet, illa suos.

Epigramma XLIV.—*In Dentonem.*

Quid factum est, rogo, quid repente factum,
Ad cœnam mihi, Dento, quod vocanti
(Quis credat ?) quater ausus es negare ?
Sed nec respicis, et fugis sequentem ;
Quem thermis modo quærere, et theatris, 5
Et conclavibus omnibus solebas.
Sic est : captus es unctiore cœna,
Et major rapuit canem culina
Jam te : sed cito cognitum et relictum
Cum fastidierit popina dives, 10
Antiquæ venies ad ossa cœnæ.

Epigramma XLV.—*In Bassam.*

Dicis formosam, dicis te, Bassa, puellam.
Istud, quæ non est, dicere Bassa solet.

Epigramma XLVI.—*Ad Diadumenum.*

Basia dum nolo, nisi quæ luctantia carpsi,
Et placet ira mihi plus tua, quam facies :
Ut te sæpe rogem, cædo, Diadumene, sæpe ;
Consequor hoc, ut me nec timeas, nec ames.

Epigramma XLVII.—*De Philone.*

Nunquam se cœnasse domi Philo jurat : et hoc
Non cœnat, quoties nemo vocavit eum. [est :

Epigramma XLVIII.—*De Encolpo.*

Quid non cogit amor? secuit nolente capillos
Encolpus domino, nec prohibente tamen.
Permisit, flevitque Pudens. Sic cessit habenis
Audaci questus de Phaethonte pater.
Talis raptus Hylas, talis deprensus Achilles 5
Deposuit gaudens, matre dolente, comas.
Sed tu nec propera, brevibus nec crede capillis;
Tardaque pro tanto munere, barba, veni.

Epigramma XLIX.—*Ad Labienum.*

Vidissem modo forte cum sedentem
Solum te, Labiene: tres putavi.
Calvæ me numerus tuæ fefellit.
Sunt illinc tibi, sunt et hinc capilli,
Quales nec puerum decere possint. 5
Nudum est in medio caput, nec ullus
In longa pilus area notatur.
Hic error tibi profuit Decembri,
Tunc cum prandia misit imperator;
Cum panariolis tribus redisti. 10
Talem Geryonem fuisse credo.
Vites, censeo, porticum Philippi:
Si te viderit Hercules, peristi.

Epigramma L.—*In Charopinum.*

Cœno domi quoties, nisi te, Charopine, vocavi,
Protinus ingentes sunt inimicitiæ:
Meque petis stricto medium transfigere ferro,
Si nostrum sine te scis caluisse focum.
Nec semel ergo mihi furtum fecisse licebit? 5
Improbius nihil est hac, Charopine, gula.
Desine jam nostram, precor, observare culinam,
Atque aliquando meus det tibi verba coquus.

Epigramma LI.—*Ad Rufum.*

Hic, qui libellis prægravem gerit lævam,
Notariorum quem premit chorus levis,
Qui codicillis hinc et inde prolatis,
Epistolisque commodat gravem vultum
Similis Catoni, Tullioque, Brutoque; 5
Exprimere, Rufe, fidiculæ licet cogant,
Ave Latinum, χαῖρε non potest Græcum.
Si fingere istud me putas, salutemus.

Epigramma LII.—*In Postumum.*

Quæ mihi præstiteris, memini, semperque tenebo.
Cur igitur taceo? Postume, tu loqueris.
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat: Dixerat ipse mihi.
Non belle quædam faciunt duo; sufficit unus 5
Huic operi: si vis, ut loquar, ipse tace.
Crede mihi, quamvis ingentia, Postume, dona
Auctoris pereunt garrulitate sui.

Epigramma LIII.—*Ad Bassum.*

Colchida quid scribis, quid scribis, amice, Thyesten?
Quo tibi vel Nioben, Basse, vel Andromachen?
Materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis
Deucalion; vel, si non placet hic, Phaethon.

Epigramma LIV.—*De rhetore Apollodoto*

Extemporalis factus est meus rhetor:
Calpurnium non scripsit, et salutavit.

Epigramma LV.—*De aquila portante Jovem.*

Dic mihi quem portes, volucrum regina? Tonan-
Nulla manu quare fulmina gestat? Amat. [tem.
Quo calet igne deus? Pueri. Cur mitis aperto
Respicis ore Jovem? De Ganymede loquor.

Epigramma LVI.—*Ad Lupum.*

Cui tradas, Lupe, filium magistro,
Quæris sollicitus diu, rogasque.
Omnes grammaticosque rhetorasque
Devites, moneo; nihil sit illi
Cum libris Ciceronis, aut Maronis. 5
Famæ Tutilium suæ relinquat.
Si versus facit, abdices poetam.
Artes discere vult pecuniosas?
Fac discat citharœdus, aut choraules.
Si duri puer ingeni videtur, 10
Præconem facias, vel architectum.

Epigramma LVII.—*Ad Cinnam.*

Cum voco te dominum, noli tibi, Cinna, placere:
Sæpe etiam servum sic resaluto meum.

Epigramma LVIII.—*Ad Postumum.*

Cras te victurum, cras dicis, Postume, semper.
Dic mihi, cras istud, Postume, quando venit?
Quam longe cras istud? ubi est? aut unde petendum?
Numquid apud Parthos Armeniosque latet?
Jam cras istud habet Priami vel Nestoris annos.
Cras istud quanti, dic mihi, possit emi? 6
Cras vives: hodie jam vivere, Postume, serum
Ille sapit, quisquis, Postume, vixit heri. [est.

Epigramma LIX.—*Ad Stellam.*

Quod non argentum, quod non tibi misimus aurum,
Hoc facimus causa, Stella diserte, tua.
Quisquis magna dedit, voluit sibi magna remitti:
Fictilibus nostris exoneratus eris.

Epigramma LX.—*Ad detractorem.*

Allatres licet usque nos et usque,
Et gannitibus improbis lacessas;
Certum est hanc tibi pernegare famam,
Olim quam petis in meis libellis,
Qualiscunque legaris ut per orbem. 5
Nam te cur aliquis sciat fuisse?
Ignotus pereas, miser, necesse est.
Non deerunt tamen hac in urbe forsan
Unus, vel duo, tresve, quatuorve,
Pellem rodere qui velint caninam. 10
Nos hac a scabie tenemus ungues.

Epigramma LXI.—*In Marianum.*

Crispulus iste quis est, uxori semper adhæret
Qui, Mariane, tuæ? crispulus iste quis est?
Nescio quid dominæ teneram qui garrit in aurem,
Et sellam cubito dexteriore premit?
Per cujus digitos currit levis annulus omnes: 5
Crura gerit nullo qui violata pilo?
Nil mihi respondes? Uxoris res agit, inquis,
Iste meæ. Sane certus et asper homo est:
Procuratorem vultu qui præferat ipso;
Acrior hoc Chius non erat Aufidius. 10
O quam dignus eras alapis, Mariane, Latini!
Te successurum credo ego Panniculo.
Res uxoris agit? res nullas Crispulus iste:
Res non uxoris, res agit iste tuas.

Epigramma LXII.—*Ad hospites.*

Jure tuo nostris maneas licet, hospes, in hortis
Si potes in nudo ponere membra solo:
Aut si portatur tecum tibi magna supellex:
Nam mea jam digitum sustulit hospitibus

Nulla tegit fractos nec inanis culcita lectos: 5
Putris et abrupta fascia reste jacet.
Sit tamen hospitium nobis commune duobus:
Emi hortos; plus est: instrue tu; minus est.

Epigramma LXIII.—*Ad Ponticum.*

Quid sentis, inquis, de nostris, Marce, libellis?
Sic me sollicitus, Pontice, sæpe rogas.
Admiror; stupeo; nihil est perfectius illis:
Ipse tuo cedit Regulus ingenio.
Hoc sentis? inquis; faciat tibi sic bene Cæsar,
Sic Capitolinus Jupiter: immo tibi. 6

Epigramma LXIV.—*Ad suos ministros.*

Sextantes, Calliste, duos infunde Falerni:
Tu super æstivas, Alcime, solve nives.
Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo,
Lassenturque rosis tempora sutilibus.
Jam vicina jubent nos vivere Mausolea: 5
Cum doceant, ipsos posse perire deos.

Epigramma LXV.—*Ad Cæsarem.*

Astra polumque dedit, quamvis obstante noverca,
Alcidæ, Nemeæ terror, et Arcas aper,
Et castigatum Libycæ ceroma palæstræ,
Et gravis in Siculo pulvere fusus Eryx:
Sylvarumque tremor, tacita qui fraude solebat 5
Ducere nec rectas Cacus in antra boves.
Ista tuæ, Cæsar, quota pars spectatur arenæ?
Dat majora novus prælia mane dies.
Quot graviora cadunt Nemeæo pondera monstro?
Quot tua Mænalios collocat hasta sues? 10
Reddatur si pugna triplex pastoris Iberi,
Est tibi, qui possit vincere Geryonem.
Sæpe licet Graiæ numeretur bellua Lernæ,
Improba Niliacis quod facit Hydra feris?
Pro meritis cœlum tantis, Auguste, dederunt 15
Alcidæ cito di; sed tibi sero dabunt.

Epigramma LXVI.—*In Pontilianum.*

Sæpe salutatus, nunquam prior ipse salutas:
Sic erit æternum, Pontiliane, vale.

Epigramma LXVII.—*De hirundine.*

Hibernos peterent solito cum more recessus
Atthides, in nidis una remansit avis.
Deprendere nefas ad tempora verna reversæ,
Et profugam volucres diripuere suæ.
Sero dedit pœnas. Discerpi noxia mater 5
Debuerat: sed tunc, cum laceravit Itym.

Epigramma LXVIII.—*Ad Lesbiam.*

Arctoa de gente comam tibi, Lesbia, misi:
Ut scires, quanto sit tua flava magis.

Epigramma LXIX.—*In M. Antonium.*

Antoni, Phario nil objecture Pothino,
Et levius tabula, quam Cicerone, nocens:
Quid gladium demens Romana stringis in ora?
Hoc admisisset nec Catilina nefas.
Impius infando miles corrumpitur auro: 5
Et tantis opibus vox tacet una tibi.
Quid prosunt sacræ pretiosa silentia linguæ?
Incipient omnes pro Cicerone loqui.

Epigramma LXX.—*De Syrisco ad Maximum.*

Infusum sibi nuper a patrono
Plenum, Maxime, centies Syriscus
In sellariolis vagus popinis
Circa balnea quatuor peregit.
O quanta est gula, centies comesse! 5
Quanto major adhuc, nec accubare!

Epigramma LXXI.—*Ad Faustinum.*

Humida qua gelidas submittit Trebula valles,
Et viridis Cancri mensibus alget ager;
Rura Cleonæo nunquam temerata leone,
Et domus Æolio semper amica Noto,
Te, Faustine, vocant: longas his exige messes 5
Collibus; hibernum jam tibi Tibur erit.

Epigramma LXXII.—*Ad Rufum, de origine Bacchi.*

Qui potuit Bacchi matrem dixisse Tonantem,
Ille potest Semelen dicere, Rufe, patrem.

Epigramma LXXIII.—*Ad Theodorum.*

Non donem tibi cur meos libellos
Oranti toties, et exigenti,
Miraris, Theodore? magna causa est:
Dones tu mihi ne tuos libellos.

Epigramma LXXIV.—*De Pompeio et filiis.*

Pompeios juvenes Asia atque Europa, sed ipsum
Terra tegit Libyes; si tamen ulla tegit.
Quid mirum, toto si spargitur orbe? jacere
Uno non poterat tanta ruina loco.

Epigramma LXXV.—*Ad Quintum.*

Quæ legis causa nupsit tibi Lælia, Quinte,
Uxorem potes hanc dicere legitimam?

Epigramma LXXVI.—*Ad Cinnam.*

Profecit poto Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæva nocere sibi.
Tu quoque cavisti cœnando tam male semper,
Ne posses unquam, Cinna, perire fame.

Epigramma LXXVII.—*Ad Marullum.*

Narratur belle quidam dixisse, Marulle,
Qui te ferre oleum dixit in auricula.

Epigramma LXXVIII.—*Ad Turanium.*

Si tristi domicœnio laboras,
Turani, potes esurire mecum.
Non deerunt tibi, si soles προσπίνειν,
Viles Cappadocæ, gravesque porri.
Divisis cybium latebit ovis: 5
Ponetur digitis tenendus unctis
Nigra cauliculus virens patella,
Algentem modo qui reliquit hortum:
Et pultem niveam premens botellus,
Et pallens faba cum rubente lardo. 10
Mensæ munera si voles secundæ,
Marcentes tibi porrigentur uvæ,
Et nomen pyra quæ ferunt Syrorum:
Et quas docta Neapolis creavit
Lento castaneæ vapore tostæ: 15
Vinum tu facies bonum bibendo.
Post hæc omnia forte si movebit
Bacchus, quam solet, esuritionem,
Succurrent tibi nobiles olivæ,
Piceni modo quas tulere rami, 20
Et fervens cicer, et tepens lupinus.
Parva est cœnula, (quis potest negare?)
Sed finges nihil, audiesve fictum,
Et vultu placidus tuo recumbes,
Nec crassum dominus leget volumen: 25
Nec de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt sine fine prurientes
Lascivos docili tremore lumbos.

Sed, quod non grave 't, nec inficetum,
Parvi tibia condyli sonabit. 30
Hæc est cœnula. Claudiam sequeris:
Quam nobis cupis esse te priorem.

EPIGRAMMA LXXIX.—*In Zoilum.*

Undecies una surrexti, Zoile, cœna;
Et mutata tibi est synthesis undecies:
Sudor inhæreret madida ne veste retentus,
Et laxam tenuis læderet aura cutem.
Quare ego non sudo, qui tecum, Zoile, cœno? 5
Frigus enim magnum synthesis una facit.

EPIGRAMMA LXXX.—*Ad Severum.*

Non totam mihi, si vacabis, horam,
Dones, et licet imputes, Severe,
Dum nostras legis exigisque nugas.
Durum est perdere ferias: rogamus,
Jacturam patiaris hanc, ferasque. 5
Quod si legeris ipse cum diserto
(Sed numquid sumus improbi?) Secundo,
Plus multo tibi debiturus hic est,
Quam debet domino suo libellus.
Nam securus erit, nec inquieta 10
Lassi marmora Sisyphi videbit;
Quem censoria cum meo Severo
Docti lima momorderit Secundi

EPIGRAMMA LXXXI.—*Ad Æmilianum.*

Semper eris pauper, si pauper es, Æmiliane.
Dantur opes nulli nunc, nisi divitibus.

EPIGRAMMA LXXXII.—*In Gaurum.*

Quid promittebas mihi millia, Gaure, ducenta
Si dare non poteras millia, Gaure, decem?
An potes, et non vis? rogo, non est turpius istud?
I, tibi disperdas, Gaure: pusillus homo es.

EPIGRAMMA LXXXIII.—*Ad Dindymum.*

Insequeris, fugio; fugis, insequor; hæc mihi mens est:
Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo.

EPIGRAMMA LXXXIV.—*Ad Gallam.*

Jam tristis nucibus puer relictis
Clamoso revocatur a magistro:
Et blando male proditus fritillo,
Arcana modo raptus e popina,
Ædilem rogat udus aleator. 5
Saturnalia transiere tota:
Nec munuscula parva, nec minora
Misisti mihi, Galla, quæ solebas.
Sane sic abeat meus December.
Scis certe puto vestra jam venire 10
Saturnalia, Martias Kalendas.
Tunc reddam tibi, Galla, quod dedisti.

LIBER SEXTUS

EPIGRAMMA I.—*Ad Julium Martialem.*

Sextus mittitur hic tibi libellus,
In primis mihi care Martialis:
Quem si terseris aure diligenti,
Audebit minus anxius tremensque
Magnas Cæsaris in manus venire. 5

EPIGRAMMA II.—*Adulatorium.*

Lusus erat sacræ connubia fallere tædæ:
Lusus et immeritos exsecuisse mares.
Utraque tu prohibes, Cæsar, populisque futuris
Succurris, nasci quos sine fraude jubes.
Nec spado jam, nec mœchus erit, te præside, quisquam: 5
At prius (o mores) et spado mœchus erat.

EPIGRAMMA III.—*De filio Domitiani.*

Nascere Dardanio promissum nomen Julo,
Vera deûm soboles: nascere, magne puer.
Cui pater æternas post sæcula tradat habenas,
Quique regas orbem cum seniore senex.
Ipsa tibi niveo trahet aurea pollice fila, 5
Et totam Phryxi Julia nebit ovem.

EPIGRAMMA IV.—*Adulatorium.*

Censor maxime, principumque princeps,
Cum tot jam tibi debeat triumphos,
Tot nascentia templa, tot renata,
Tot spectacula, tot deos, tot urbes:
Plus debet tibi Roma, quod pudica est. 5

EPIGRAMMA V.—*Ad Cæcilianum.*

Rustica mercatus multis sum prædia nummis:
Mutua des centum, Cæciliane, rogo.
Nil mihi respondes? tacitum te dicere credo.
Non reddes: ideo, Cæciliane, rogo.

EPIGRAMMA VI.—*Ad Lupercum.*

Comœdi tres sunt: sed amat tua Paulla, Luperce.
Quatuor; et κωφὸν Paulla πρόσωπον amat.

EPIGRAMMA VII.—*De Thelesina.*

Julia lex populis ex quo, Faustine, renata es,
Atque intrare domos jussa Pudicitia est;
Aut minus, aut certe non plus tricesima lux est,
Et nubit decimo jam Thelesina viro.
Quæ nubit toties, non nubit: adultera lege est. 5
Offendor mœcha simpliciore minus.

EPIGRAMMA VIII.—*Ad Severum.*

Prætores duo, quatuor tribuni,
Septem causidici, decem poetæ,
Cujusdam modo nuptias petebant
A quodam sene. Non moratus ille
Præconi dedit Eulogo puellam. 5
Dic numquid fatue, Severe, fecit?

EPIGRAMMA IX.—*Ad Lævinum.*

In Pompeiano dormis, Lævine, theatro:
Et quereris, si te suscitat Oceanus?

EPIGRAMMA X.—*Petit latenter a Lo[illegible] pecuniam.*

Pauca Jovem nuper cum millia forte rogarem:
Ille dabit, dixit, qui mihi templa dedit.
Templa quidem dedit ille Jovi: sed millia nobis
Nulla dedit: pudeat pauca rogasse Jovem.

At quam non tetricus, quam nulla nubilus ira, 5
Quam placido nostras legerat ore preces!
Talis supplicibus tribuit diademata Dacis:
Et Capitolinas itque reditque vias.
Dic precor, o nostri dic conscia virgo Tonantis:
Sic negat hoc vultu, quo solet ergo dare? 10
Sic ego: sic breviter posita mihi Gorgone Pallas:
Quæ nondum data sunt, stulte, negata putas?

Epigramma XI.—*In Marcum.*

Quod non sit Pylades hoc tempore, non sit Orestes,
Miraris? Pylades, Marce, bibebat idem.
Nec melior panis turdusve dabatur Oresti:
Sed par atque eadem cœna duobus erat.
Tu Lucrina voras: me pascit aquosa Peloris: 5
Non minus ingenua est et mihi, Marce, gula.
Te Cadmea Tyros, me pinguis Gallia vestit:
Vis te purpureum, Marce, sagatus amem?
Ut præstem Pyladen, aliquis mihi præstet Oresten.
Hoc non fit verbis, Marce: ut ameris, ama. 10

Epigramma XII.—*De Fabulla.*

Jurat capillos esse, quos emit, suos
Fabulla: numquid, Paulle, pejerat? nego.

Epigramma XIII.—*De statua Juliæ.*

Quis te Phidiaco formatum, Julia, cœlo,
Vel quis Palladiæ non putet artis opus?
Candida non tacita respondet imagine Lygdos,
Et placido fulget vivus in ore liquor.
Ludit Acidalio, sed non manus aspera, nodo, 5
Quem rapuit collo, parve Cupido, tuo.
Ut Martis revocetur amor summique Tonantis,
A te Juno petat ceston et ipsa Venus.

Epigramma XIV.—*In Laberium.*

Versus scribere posse te disertos
Affirmas, Laberi: quid ergo non vis?
Versus scribere qui potest disertos,
Non scribat, Laberi; virum putabo.

Epigramma XV.—*De formica succino inclusa.*

Dum Phaethontea formica vagatur in umbra,
Implicuit tenuem succina gutta feram:
Sic modo quæ fuerat vita contempta manente,
Funeribus facta est nunc pretiosa suis.

Epigramma XVI.—*Ad Priapum.*

Tu qui pene viros terres, et falce cinædos,
Jugera sepositi pauca tuere loci.
Sic tua non intrent vetuli pomaria fures;
Sed puer, aut longis pulchra puella comis.

Epigramma XVII.—*In Cinnamum.*

Cinnam, Cinname, te jubes vocari.
Non est hic, rogo, Cinna, barbarismus?
Tu si Furius ante dictus esses,
Fur ista ratione dicereris.

Epigramma XVIII.—*Epitaphium Salonini, ad Priscum.*

Sancta Salonini terris requiescit Iberis,
Qua melior Stygias non videt umbra domos.
Sed lugere nefas; nam qui te, Prisce, reliquit,
Vivit, qua voluit vivere parte magis.

Epigramma XIX.—*In Postumum causidicum.*

Non de vi, neque cæde, nec veneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis.
Vicini queror has abesse furto.
Hoc judex sibi postulat probari:
Tu Cannas, Mithridaticumque bellum, 5
Et perjuria Punici furoris,
Et Syllas, Mariosque, Muciosque
Magna voce sonas, manuque tota.
Jam dic, Postume, de tribus capellis.

Epigramma XX.—*In Phœbum.*

Mutua te centum sestertia, Phœbe, rogavi:
Cum mihi dixisses, exigis ergo nihil?
Inquiris, dubitas, cunctaris, meque diebus
Teque decem crucias: jam rogo, Phœbe, nega

Epigramma XXI.—*De Stella et Ianthide.*

Perpetuam Stellæ dum jungit Ianthida vati
Læta Venus, dixit, Plus dare non potui.
Hæc coram domina: sed nequius illud in aurem,
Tu ne quid pecces, exitiose, vide.
Sæpe ego lascivum Martem furibunda cecidi, 5
Legitimos isset cum vagus ante toros.
Sed postquam meus est, nulla me pellice læsit:
Tam frugi Juno vellet habere Jovem.
Dixit, et arcano percussit pectora loro.
Plaga juvat: sed tu jam, dea, cæde duos. 10

Epigramma XXII.—*In Proculinam.*

Quod nubis, Proculina, concubino,
Et mœchum modo, nunc facis maritum,
Ne lex Julia te notare possit:
Non nubis, Proculina, sed fateris.

Epigramma XXIII.—*In Lesbiam*

Stare jubes nostrum semper tibi, Lesbia, penem,
Crede mihi, non est mentula, quod digitus.
Tu licet et manibus, blandis et vocibus instes,
Contra te facies imperiosa tua est.

Epigramma XXIV.—*De Charisiano.*

Nil lascivius est Charisiano;
Saturnalibus ambulat togatus.

Epigramma XXV.—*Ad Marcellinum*

Marcelline, boni soboles sincera parentis,
Horrida Parrhasio quem tegit Ursa jugo;
Ille vetus pro te patriusque quod optat amicus,
Accipe, et hæc memori pectore vota tene:
Cauta sit ut virtus, nec te temerarius ardor 5
In medios enses, sævaque tela ferat.
Bella velint, Martemque ferum rationis egentes
Tu potes et patriæ miles, et esse decus.

Epigramma XXVI.—*De Sotade.*

Periclitatur capite Sotades noster.
Reum putatis esse Sotadem? non est.
Arrigere desit posse Sotades: lingit.

Epigramma XXVII.—*Ad Nepotem.*

Bis vicine Nepos, (nam tu quoque proxima Floræ
Incolis, et veteres tu quoque Ficelias)
Est tibi, quæ patrii signatur imagine vultus,
Testis maternæ nata pudicitiæ.
Tu tamen annoso nimium ne parce Falerno: 5
Et potius plenos ære relinque cados.
Sit pia, sit locuples, sed potet filia mustum;
Amphora cum domina nunc nova fiat anus.
Cæcuba non solos vindemia nutriat orbos:
Possunt et patres vivere, crede mihi. 10

Epigramma XXVIII.—*Epitaphium Glauciæ*

Libertus Melioris ille notus,
Tota qui cecidit dolente Roma,

Cari deliciæ breves patroni,
Hoc sub marmore Glaucias humatus
Juncto Flaminiæ jacet sepulchro. 5
Castus moribus, innocens pudore,
Velox ingenio, decore felix.
Bis senis modo messibus peractis
Vix unum puer applicabat annum.
Qui fles talia, nil fleas, viator. 10

Epigramma XXIX.—*De eodem.*

Non de plebe domus, nec avaræ verna catastæ,
Sed domini sancto dignus amore puer,
Munera cum posset nondum sentire patroni,
Glaucia libertus jam Melioris erat.
Moribus hoc formæque datum: quis blandior illo?
Aut quis Apollineo pulchrior ore fuit? 6
Immodicis brevis est ætas, et rara senectus.
Quicquid ames, cupias non placuisse nimis.

Epigramma XXX.—*In Pætum*

Sex sestertia si statim dedisses,
Cum dixti mihi, Sume, tolle, dono:
Deberem tibi, Pæte, pro ducentis.
At nunc cum dederis diu moratus,
Post septem, puto, vel novem Kalendas, 5
Vis dicam tibi veriora veris?
Sex sestertia, Pæte, perdidisti.

Epigramma XXXI.—*In Charidemum.*

Uxorem, Charideme, tuam scis ipse, sinisque
A medico futui. Vis sine febre mori.

Epigramma XXXII.—*De morte Othonis.*

Cum dubitaret adhuc belli civilis Enyo,
Forsitan et posset vincere mollis Otho:
Damnavit multo staturum sanguine Martem,
Et fodit certa pectora nuda manu.
Sit Cato, dum vivit, sane vel Cæsare major: 5
Dum moritur, numquid major Othone fuit?

Epigramma XXXIII.—*In Sabellum.*

Nil miserabilius, Matho, pædicone Sabello
Vidisti, quo nil lætius ante fuit.
Furta, fugæ, mortes servorum, incendia, luctus
Affligunt hominem. Tam miser, et futuit.

Epigramma XXXIV.—*Ad Diadumenum.*

Basia da nobis, Diadumene, pressa. Quot, inquis?
Oceani fluctus me numerare jubes:
Et maris Ægæi sparsas per littora conchas,
Et quæ Cecropio monte vagantur apes:
Quæque sonant pleno vocesque manusque theatro,
Cum populus subiti Cæsaris ora videt. 6
Nolo quot arguto dedit exorata Catullo
Lesbia: pauca cupit, qui numerare potest.

Epigramma XXXV.—*Ad Cæciliianum.*

Septem clepsydras magna tibi voce petenti
Arbiter invitus, Cæciliane, dedit.
At tu multa diu dicis: vitreisque tepentem
Ampullis potas semisupinus aquam.
Ut tandem saties vocemque sitimque, rogamus 5
Jam de clepsydra, Cæciliane, bibas.

Epigramma XXXVI.—*Ad Papilum.*

Mentula tam magna est, tantus tibi, Papile, na
Ut possis, quoties arrigis, olfacere. [sus,

Epigramma XXXVII.—*In Carinum.*

Secti podicis usque ad umbilicum
Nullas relliquias habet Carinus.
Et prurit tamen usque ad umbilicum.
O quanta scabie miser laborat!
Culum non habet, est tamen cinædus. 5

Epigramma XXXVIII.—*De filio Reguli.*

Adspicis ut parvus, nec adhuc trieteride plena
Regulus auditum laudet et ipse patrem?
Maternosque sinus viso genitore relinquat,
Et patrias laudes sentiat esse suas?
Jam clamor, centumque viri, densumque coronæ
Vulgus, et infanti Julia tecta placent. 6
Acris equi soboles magno sic pulvere gaudet,
Sic vitulus molli prœlia fronte cupit.
Di servate, precor, matri sua vota, patrique:
Audiat ut natum Regulus, illa duos. 10

Epigramma XXXIX.—*In Cinnam.*

Pater ex Marulla, Cinna, factus es septem,
Non liberorum: namque nec tuus quisquam,
Nec est amici, filiusve vicini:
Sed in grabatis tegetibusque concepti
Materna produnt capitibus suis furta. 5
Hic, qui retorto crine Maurus incedit,
Sobolem fatetur esse se coqui Santræ.
At ille sima nare, turgidis labris,
Ipsa est imago Pannici palæstritæ.
Pistoris esse tertium, quis ignorat, 10
Quicunque lippum novit et videt Damam?
Quartus cinæda fronte, candido vultu,
Ex concubino natus est tibi Lygdo:
Percide, si vis, filium, nefas non est.
Hunc vero acuto capite, et auribus longis, 15
Quæ sic moventur ut solent asellorum,
Quis morionis filium neget Cyrrhæ?
Duæ sorores, illa nigra, et hæc rufa,
Croti choraulæ, villicique sunt Carpi.
Jamque hybridarum grex tibi foret plenus, 20
Si spado Coresus, Dindymusque non esset.

Epigramma XL.—*Ad Lycorim.*

Fœmina præferri potuit tibi nulla, Lycori:
Præferri Glyceræ fœmina nulla potest. [est.
Hæc erit hoc, quod tu: tu non potes esse, quod hæc
Tempora quid faciunt! hanc volo, te volui.

Epigramma XLI.—*In raucum poetam.*

Qui recitat lana fauces et colla revinctus,
Hic se posse loqui, posse tacere negat.

Epigramma XLII.—*De Etrusci thermis, ad Oppianum.*

Etrusci nisi thermulis lavaris,
Illotus morieris, Oppiane.
Nullæ sic tibi blandientur undæ:
Nec fontes Aponi rudes puellis,
Non mollis Sinuessa, fervidique
Fluctus Passeris, aut superbus Anxur,
Non Phœbi vada, principesque Baiæ.
Nusquam tam nitidum micat serenum:
Lux ipsa est ibi longior, diesque
Nullo tardius a loco recedit. 10
Illic Taygeti virent metalla,
Et certant vario decore saxa,
Quæ Phryx et Libys altius cecidit:
Siccos pinguis Onyx anhelat æstus,
Et flamma tenui calent Ophitæ. 15
Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore
Cruda Virgine Martiave mergi;

Quæ tam candida, tam serena lucet,
Ut nullas ibi suspiceris undas, 20
Et credas vacuam nitere Lygdon.
Non attendis, et aure me supina
Jam dudum quasi negligenter audis.
Illotus morieris, Oppiane.

Epigramma XLIII.—*Ad Castricum*

Dum tibi felices indulgent, Castrice, Baiæ,
Canaque sulfureis Nympha natatur aquis:
Me Nomentani confirmant otia ruris,
Et casa jugeribus non onerosa suis.
Hic mihi Baiani soles, mollisque Lucrinus, 5
Hic vestræ mihi sunt, Castrice, divitiæ.
Quondam laudatas quocunque libebat ad undas
Currere, nec longas pertimuisse vias.
Nunc urbi vicina juvant, facilesque recessus,
Et satis est, pigro si licet esse mihi. 10

Epigramma XLIV.—*In Calliodorum.*

Festive credis te, Calliodore, jocari,
Te solum multo permaduisse sale.
Omnibus arrides, dicteria dicis in omnes;
Sic te convivam posse placere putas.
At si ego non belle, sed vere dixero quiddam: 5
Nemo propinabit, Calliodore, tibi.

Epigramma XLV.—*In nuptias Lygdi et Lectoriæ.*

Lusistis, satis est; lascivi nubite cunni:
Permissa est vobis non nisi casta Venus.
Hæc est casta Venus? nubit Lectoria Lygdo:
Turpior uxor erit, quam modo mœcha fuit.

Epigramma XLVI.—*Ad Catianum.*

Vapulat assiduo Veneti quadriga flagello,
Nec currit: magnam rem, Catiane, facit.

Epigramma XLVII.—*Ad Ianthida Nympham.*

Nympha, mei Stellæ quæ fonte domestica puro
Laberis, et domini gemmea tecta subis:
Sive Numæ conjux Triviæ te misit ab antro,
Sive Camœnarum de grege nona venis:
Exsolvit votis hac se tibi virgine porca 5
Marcus, furtivam quod bibit æger aquam.
Tu contenta meo jam crimine, gaudia fontis
Da secura tui: sit mihi sana sitis.

Epigramma XLVIII.—*In Pomponium.*

Quod tam grande sophos clamat tibi turba toga-
Non tu, Pomponi, cœna diserta tua est. [ta,

Epigramma XLIX.—*De se Priapus.*

Non sum de fragili dolatus ulmo,
Nec quæ stat rigida supina vena,
De ligno mihi quolibet columna est,
Sed viva generata de cupresso:
Quæ nec sæcula centies peracta, 5
Nec longæ cariem timet senectæ.
Hanc tut quisquis es, o malus, timeto:
Nam si vel minimos manu rapaci
Hoc de palmite læseris racemos,
Nascetur, licet hoc velis negare, 10
Inserta tibi ficus a cupresso.

Epigramma L.—*De Thelesino.*

Cum coleret puros pauper Thelesinus amicos,
Errabat gelida sordidus in togula.
Obscænos postquam cœpit curare cinædos,
Argentum, mensas, prædia solus emit.
Vis fieri dives, Bithynice? conscius esto. 5
Nil tibi, vel minimum basia pura dabunt.

Epigramma LI.—*Ad Lupercum.*

Quod convivaris sine me tam sæpe, Luperce,
Inveni, noceam qua ratione tibi.
Irascar, licet usque voces, mittasque, rogesque.
Quid facies? inquis. Quid faciam? veniam.

Epigramma LII.—*Epitaphium Pantagathi tonsoris.*

Hoc jacet in tumulo raptus puerilibus annis
Pantagathus, domini cura dolorque sui,
Vix tangente vagos ferro resecare capillos
Doctus, et hirsutas excoluisse genas.
Sis licet, ut debes, Tellus, placata, levisque; 5
Artificis levior non potes esse manu.

Epigramma LIII.—*De Andragora.*

Lotus nobiscum est, hilaris cœnavit, et idem
Inventus mane est mortuus Andragoras.
Tam subitæ mortis causam, Faustine, requiris?
In somnis medicum viderat Hermocratem.

Epigramma LIV.—*De Sextiliano.*

Tantos, et tantas si dicere Sextilianum,
Aule, vetes; junget vix tria verba miser.
Quid sibi vult? inquis. Dicam, quid suspicer
Tantos, et tantas Sextilianus amat. [esse:

Epigramma LV.—*In Coracinum.*

Quod semper casiaque, cinnamoque,
Et nido niger alitis superbæ
Fragras plumbea Nicerotiana,
Rides nos, Coracine, nil olentes:
Malo, quam bene olere, nil olere. 5

Epigramma LVI.—*In Charidemum.*

Quod tibi crura rigent setis, et pectora villis,
Verba putas famæ te, Charideme, dare.
Exstirpa, mihi crede, pilos de corpore toto,
Teque pilare tuas testificare nates.
Quæ ratio est? inquis. Scis multos dicere multa.
Fac pædicari te, Charideme, putent. 6

Epigramma LVII.—*In Phœbum.*

Mentiris fictos unguento, Phœbe, capillos,
Et tegitur pictis sordida calva comis.
Tonsorem capiti non est adhibere necessum:
Radere te melius spongia, Phœbe, potest.

Epigramma LVIII.—*Ad Aulum Pudentem.*

Cernere Parrhasios dum te juvat, Aule, Triones
Cominus, et Scythici sidera pigra poli;
O quam pæne tibi Stygias ego raptus ad undas
Elysiæ vidi nubila fusca plagæ!
Quamvis lassa, tuos quærebant lumina vultus, 5
Atque erat in gelido plurimus ore Pudens.
Si mihi lanificæ ducunt non pulla sorores
Stamina, nec surdos vox habet ista deos;
Sospite me sospes Latias reveheris ad urbes,
Et referes pili præmia clarus eques. 10

Epigramma LIX.—*In Baccaram.*

Et dolet, et queritur, sibi non contingere frigus
Propter sexcentas Baccara gausapinas:
Optat et obscuras luces, ventosque, nivesque:
Odit et hibernos, si tepuere, dies.
Quid fecere mali nostræ tibi, sæve, lacernæ, 5
Tollere de scapulis quas levis aura potest?

Quanto simplicius, quanto est humanius istud:
Mense vel Augusto sumere gausapinas.

Epigramma LX.—*De Pompillo, ad Faustinum.*

Rem factam Pompillus habet, Faustine: legetur,
Et nomen toto sparget in orbe suum.
Sic leve flavorum valeat genus Usipiorum,
Quisquis et Ausonium non amat imperium.
Ingeniosa tamen Pompilli scripta feruntur; 5
Sed famæ non est hoc, mihi crede, satis.
Quam multi tineas pascunt blattasque diserti;
Et redimunt soli carmina docta coqui!
Nescio quid plus est, quod donet sæcula chartis:
Victurus Genium debet habere liber. 10

Epigramma LXI.—*In Invidum.*

Laudat, amat, cantat nostros mea Roma libellos:
Meque sinus omnes, me manus omnis habet.
Ecce rubet quidam, pallet, stupet, oscitat, odit.
Hoc volo: nunc nobis carmina nostra placent.

Epigramma LXII.—*Ad Oppianum.*

Amisit pater unicum Silanus:
Cessas mittere munera, Oppiane?
Heu crudele nefas, malæque Parcæ!
Cujus vulturis hoc erit cadaver?

Epigramma LXIII.—*Ad Marianum.*

Scis te captari: scis hunc, qui captat, avarum:
Et scis qui captat, quid, Mariane, velit:
Tu tamen hunc tabulis hæredem, stulte, supremis
Scribis, et esse tuo vis, furiose, loco.
Munera magna tamen misit, sed misit in hamo:
Et piscatorem piscis amare potest? 6
Hiccine deflebit vero tua fata dolore?
Si cupis, ut ploret: des, Mariane, nihil.

Epigramma LXIV.—*In detractorem.*

Cum sis nec rigida Fabiorum gente creatus,
Nec qualem Curio, dum prandia portat aranti,
Hirsuta peperit rubicunda sub ilice conjux;
Sed patris ad speculum tonsi, matrisque togatæ
Filius, et sponsam possit te sponsa vocare; 5
Emendare meos, quos novit fama, libellos,
Et tibi permittis felices carpere nugas· [tam
Has, inquam, nugas, quibus aurem advertere to-
Non adspernantur proceres urbisque forique:
Quas et perpetui dignantur scrinia Sili, 10
Et repetit toties facundo Regulus ore;
Quique videt propius magni certamina Circi
Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ:
Ipse etiam tanto dominus sub pondere rerum
Non dedignatur bis terque revolvere Cæsar. 15
Sed tibi plus mentis, tibi cor limante Minerva
Acrius, et tenues finxerunt pectus Athenæ.
Ne valeam, si non multo sapit altius istud,
Quod cum panticibus laxis, et cum pede grandi,
Et rubro pulmone vetus, nasisque timendum, 20
Omnia crudelis lanius per compita portat.
Audes præterea, quos nullus noverit, in me
Scribere versiculos, miseras et perdere chartas.
At si quid nostræ tibi bilis inusserit ardor,
Vivet, et hærebit, totoque legetur in orbe; 25
Stigmata nec vafra delebit Cinnamus arte.
Sed miserere tui, rabido nec perditus ore
Fumantem nasum vivi tentaveris ursi.
Sit placidus licet, et lambat digitosque manusque;
Si dolor, et bilis, si justa coegerit ira, 30
Ursus erit. Vacua dentes in pelle fatiges,
Et tacitam quæras, quam possis rodere, carnem.

Epigramma LXV.—*Ad Tuccam.*

Hexametris epigramma facis, scio dicere Tuccam.
Tucca, solet fieri; denique, Tucca, licet.
Sed tamen hoc longum est. Solet hoc quoque, Tucca, licetque:
Si breviora probas, disticha sola legas.
Conveniat nobis: ut fas epigrammata longa 5
Sit transire tibi, scribere, Tucca, mihi.

Epigramma LXVI.—*De præcone puellam vendente.*

Famæ non nimium bonæ puellam,
Quales in media sedent Suburra,
Vendebat modo præco Gellianus.
Parvo cum pretio diu liceret,
Dum puram cupit approbare cunctis, 5
Attraxit prope se manu negantem,
Et bis terque quaterque basiavit.
Quid profecerit osculo, requiris?
Sexcentos modo qui dabat, negavit.

Epigramma LXVII.—*Ad Pannicum de Gellia uxore.*

Cur tantum eunuchos habeat tua Gellia, quæris,
Pannice? vult futui Gellia, non parere.

Epigramma LXVIII.—*De morte Eutychi pueri.*

Flete nefas vestrum, sed toto flete Lucrino,
Naides, et luctus sentiat ipsa Thetis.
Inter Baianas raptus puer occidit undas
Eutychus, ille tuum, Castrice, dulce latus.
Hic tibi curarum socius, blandumque levamen, 5
Hic amor, hic nostri vatis Alexis erat.
Numquid te vitreis nudum lasciva sub undis
Vivit, et Alcidæ Nympha remisit Hylam?
An dea fœmineum jam negligit Hermaphroditum,
Amplexu teneri sollicitata viri? 10
Quicquid id est, subitæ quæcunque est causa ra-
Sit, precor, et tellus mitis, et unda tibi. [pinæ;

Epigramma LXIX.—*De Bassa.*

Non miror, quod potata quam tua Bassa, Catulle:
Miror, quod Bassi filia potat aquam.

Epigramma LXX.—*Ad Martianum*

Sexagesima, Martiane, messis
Acta est, et, puto, jam secunda Cottæ;
Nec se tædia lectuli calentis
Expertum meminit die vel uno.
Ostendit digitum, sed impudicum, 5
Alconti, Dasioque, Symmachoque.
At nostri bene computentur anni,
Et, quantum tetricæ tulere febres,
Aut languor gravis, aut mali dolores,
A vita meliore separentur: 10
Infantes sumus, et senes videmur.
Ætatem Priamique Nestorisque
Longam qui putat esse, Martiane,
Multum decipiturque falliturque.
Non est vivere, sed valere, vita. 15

Epigramma LXXI.—*De Telethusa.*

Edere lascivos ad Bætica crusmata gestus,
Et Gaditanis ludere docta modis; [ritum
Tendere quæ tremulum Pelian, Hecubæque ma-
Posset ad Hectoreos sollicitare rogos;
Urit et excruciat dominum Telethusa priorem: 5
Vendidit ancillam; nunc redimit dominam

Epigramma LXXII.—*De Cilice fure.*

Fur notæ nimium rapacitatis
Complicare Cilix volebat hortum:
Ingenti sed erat, Fabulle, in horto
Præter marmoreum nihil Priapum
Dum non vult vacua manu redire, 5
Ipsum surripuit Cilix Priapum.

Epigramma LXXIII.—*De Priapo Hilari*

Non rudis indocta fecit me falce colonus·
Dispensatoris nobile cernis opus.
Nam Cæretani cultor ditissimus agri
Hos Hilarus colles et juga læta tenet.
Adspice, quam certo videar non ligneus ore, 5
Nec devota focis inguinis arma geram:
Sed mihi perpetua nunquam moritura cupresso
Phidiaca rigeat mentula digna manu.
Vicini, moneo, sanctum celebrate Priapum,
Et bis septenis parcite jugeribus. 10

Epigramma LXXIV.—*Ad Esculanum.*

Medio recumbit imus ille qui lecto,
Calvam trifilem semitactus unguento,
Foditque tonsis ora laxa lentiscis;
Mentitur, Esculane: non habet dentes

Epigramma LXXV.—*In Pontiam.*

Cum mittis turdumve mihi, quadramve placentæ,
Sive femur leporis, sive quid his simile;
Buccellas misisse tuas te, Pontia, dicis.
Has ego nec mittam, Pontia, sed nec edam.

Epigramma LXXVI.—*Epitaphium Fusci.*

Ille sacri lateris custos, Martisque togati,
Credita cui summi castra fuere ducis,
Hic situs est Fuscus. Licet hoc, Fortuna, fateri,
Non timet hostiles jam lapis iste minas.
Grande jugum domita Dacus cervice recepit, 5
Et famulum victrix possidet umbra nemus.

Epigramma LXXVII.—*In Afrum.*

Cum sis tam pauper, quam nec miserabilis Irus;
Tam juvenis, quam nec Parthenopæus erat;
Tam fortis, quam nec, cum vinceret, Artemidorus;
Quid te Cappadocum sex onus esse juvat?
Rideris, multoque magis traduceris, Afer, 5
Quam nudus medio si spatiere foro.
Non aliter monstratur Atlas cum compare ginno,
Quæque vehit similem bellua nigra Libyn.
Invidiosa tibi quam sit lectica, requiris?
Non debes ferri mortuus hexaphoro. 10

Epigramma LXXVIII.—*Ad Aulum, de Phryge lusco.*

Potor nobilis, Aule, lumine uno
Luscus Phryx erat, alteroque lippus:
Huic Heras medicus, Bibas caveto:
Vinum si biberis, nihil videbis.
Ridens Phryx, oculo, Valebis, inquit. 5
Misceri sibi protinus deunces,
Sed crebros jubet. Exitum requiris?
Vinum Phryx, oculus bibit venenum.

Epigramma LXXIX.—*Ad Lupum.*

Tristis es, et felix; sciat hoc Fortuna caveto
Ingratum dicet te, Lupe, si scierit.

Epigramma LXXX.—*Ad Cæsarem de rosis hibernis.*

Ut nova dona tibi, Cæsar, Nilotica tellus
Miserat hibernas ambitiosa rosas:
Navita derisit Pharios Memphiticus hortos,
Urbis ut intravit limina prima tuæ.
Tantus veris honos, et odoræ gratia Floræ, 5
Tantaque Pæstani gloria ruris erat. [rebat,
Sic quacunque vagus gressumque oculosque fe-
Tonsilibus sertis omne rubebat iter.
At tu Romanæ jussus jam cedere brumæ,
Mitte tuas messes; accipe, Nile, rosas. 10

Epigramma LXXXI.—*In Charidemum.*

Iratus tanquam populo, Charideme, lavaris:
Inguina sic toto subluis in solio.
Nec caput hic vellem sic te, Charideme, lavare;
Et caput, ecce, lavas: inguina malo laves.

Epigramma LXXXII.—*Ad Rufum.*

Quidam me modo, Rufe, diligenter
Inspectum, velut emptor aut lanista,
Cum vultu digitoque subnotasset,
Tune es, tune, ait, ille Martialis,
Cujus nequitias jocosque novit, 5
Aurem qui modo non habet Batavam?
Subrisi modice: levique nutu
Me, quem dixerat esse, non negavi.
Cur ergo, inquit, habes malas lacernas?
Respondi: Quia sum malus poeta. 10
Hoc ne sæpius accidat poetæ,
Mittas, Rufe, mihi bonas lacernas.

Epigramma LXXXIII.—*Ad Cæsarem Domitianum.*

Quantum sollicito fortuna parentis Etrusco,
Tantum, summe ducum, debet uterque tibi.
Nam tu missa tua revocasti fulmina dextra
Hos cuperem mores ignibus esse Jovis.
Si tua sit summo, Cæsar, natura Tonanti, 5
Utetur toto fulmine rara manus.
Muneris hoc utrumque tui testatur Etruscus,
Esse quod et comiti contigit, et reduci.

Epigramma LXXXIV.—*De Philippo*

Octaphoro sanus portatur, Avite, Philippus:
Hunc tu si sanum credis, Avite, furis.

Epigramma LXXXV.—*In mortem Rufi Camonii.*

Editus est sextus sine te mihi, Rufe Camoni,
Nec te lectorem sperat, amice, liber.
Impia Cappadocum tellus, et numine lævo
Visa tibi, cineres reddit, et ossa patri.
Funde tuo lacrymas, orbata Bononia, Rufo:
Et resonet tota planctus in Æmilia.
Heu qualis pietas, heu quam brevis occidit ætas·
Viderat Alphei præmia quinque modo.
Pectore tu memori nostros evolvere lusus,
Tu solitus nostros, Rufe, tenere jocos. 10
Accipe cum fletu mæsti breve carmen amici,
Atque hæc absentis thura fuisse puta.

Epigramma LXXXVI.—*In bibentes aquam calidam.*

Setinum, dominæque nives, densique trientes,
Quando ego vos, medico non prohibente, bibam?
Stultus, et ingratus, nec tanto munere dignus,
Qui mavult hæres divitis esse Midæ

Possideat Libycas messes, Hermumque, Tagum-
Et potet calidam, qui mihi livet, aquam. [que,

Epigramma LXXXVII.—*Ad Cæsarem.*

Di tibi dent, et tu, Cæsar, quæcunque mereris:
Di mihi dent, et tu, quæ volo, si merui.

Epigramma LXXXVIII.—*Ad Cæcilianum.*

Mane salutavi vero te nomine casu:
Nec dixi dominum, Cæciliane, meum.
Quanti libertas constet mihi tanta, requiris?
Centum quadrantes abstulit illa mihi.

Epigramma LXXXIX.—*De Panareto potore.*

Cum peteret seram media jam nocte matellam
Arguto madidus pollice Panaretus:
Spoletina data est, sed quam siccaverat ipse:
Nec fuerat soli tanta lagena satis.
Ille fide summa testæ sua vina remensus, 5
Reddidit œnophori pondera plena sui.
Miraris, quantum biberat, cepisse lagenam?
Desine mirari, Rufe: merum biberat.

Epigramma XC.—*De Gellia.*

Mœchum Gellia non habet, nisi unum.
Turpe est hoc magis; uxor est duorum.

Epigramma XCI.—*In Zoilum.*

Sancta ducis summi prohibet censura, vetatque
Mœchari. Gaude, Zoile, non futues.

Epigramma XCII.—*In Ammianum.*

Cælatus tibi cum sit, Ammiane,
Serpens in patera Myronis arte;
Vaticana bibis: bibis venenum.

Epigramma XCIII.—*De Thaide.*

Tam male Thais olet, quam non fullonis avari
Testa vetus, media sed modo fracta via;
Non ab amore recens hircus, non ora leonis,
Non detracta cani Transtiberina cutis;
Pullus abortivo nec cum putrescit in ovo, 5
Amphora corrupto nec vitiata garo.
Virus ut hoc alio fallax permutet odore,
Deposita quoties balnea veste petit:
Psilothro viret, aut acida latet oblita creta,
Aut tegitur pingui terque quaterque faba. 10
Cum bene se tutam per fraudes mille putavit,
Omnia cum fecit, Thaida Thais olet.

Epigramma XCIV.—*De Calpetiano.*

Ponuntur semper chrysendeta Calpetiano,
Sive foris, seu cum cœnat in urbe domi.
Sic etiam in stabulo semper, sic cœnat in agro.
Non habet ergo aliud? non habet immo suum

LIBER SEPTIMUS.

Epigramma I.—*Ad Domitianum, de lorica.*

Accipe belligeræ crudum thoraca Minervæ,
Ipsa Medusææ quem timet ira comæ.
Dum vacat hæc, Cæsar, poterit lorica vocari:
Pectore cum sacro sederit, Ægis erit.

Epigramma II.—*Ad ipsam loricam.*

Invia Sarmaticis domini lorica sagittis,
Et Martis Getico tergore fida magis:
Quam vel ad Ætolæ securam cuspidis ictus
Texuit innumeri lubricus unguis apri:
Felix sorte tua! sacrum cui tangere pectus 5
Fas erit, et nostri mente calere dei.
I comes, et magnos illæsa merere triumphos,
Palmatæque ducem, sed cito, redde togæ.

Epigramma III.—*Ad Pontilianum.*

Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?
Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.

Epigramma IV.—*De Oppiano.*

Esset, Castrice, cum mali coloris,
Versus scribere cœpit Oppianus.

Epigramma V.—*Ad Cæsarem Domitianum.*

Si desiderium, Cæsar, populique patrumque
Respicis, et Latiæ gaudia vera togæ;
Redde deum votis poscentibus; invidet hosti
Roma suo, veniat laurea multa licet.
Terrarum dominum propius videt ille, tuoque 5
Terretur vultu barbarus, et fruitur.

Epigramma VI.—*De fama reditus Domitiani.*

Ecquid Hyperboreis ad nos conversus ab oris
Ausonias Cæsar jam parat ire vias?
Certus abest auctor, sed vox hoc nuntiat omnis:
Credo tibi; verum dicere, Fama, soles.
Publica victrices testantur gaudia chartæ: 5
Martia laurigera cuspide pila virent.
Rursus, io, magnos clamat tibi Roma triumphos,
Invictusque tua, Cæsar, in urbe sonas.
Sed jam, lætitiæ quo sit fiducia major,
Sarmaticæ laurus nuntius ipse veni. 10

Epigramma VII.—*Ad Cæsarem Domitianum.*

Hiberna quamvis Arctos, et rudis Peuce,
Et ungularum pulsibus calens Ister,
Fractusque cornu jam ter improbo Rhenus,
Teneat domantem regna perfidæ gentis
Te, summe mundi rector, et parens orbis, 5
Abesse nostris non tamen potes votis
Illic et oculis et animis sumus, Cæsar:
Adeoque mentes omnium tenes unus,
Ut ipsa magni turba nesciat Circi
Utrumne currat Passerinus, an Tigris. 10

Epigramma VIII.—*De reditu Domitiani*

Nunc hilares, si quando, mihi, nunc ludite, Musæ:
Victor ab Odrysio redditur orbe deus.
Certa facis populi tu primus vota, December
Jam licet ingenti dicere voce, Venit.
Felix sorte tua! poteras non cedere Jano, 5
Gaudia si nobis, quæ dabit ille, dares

Festa coronatus ludet convicia miles,
Inter laurigeros cum comes ibit equos.
Fas audire jocos, levioraque carmina, Cæsar,
Et tibi sit: lusus ipse triumphus amat. 10

Epigramma IX.—*De Cascellio.*

Cum sexaginta numeret Cascellius annos,
Ingeniosus homo est: quando disertus erit?

Epigramma X.—*In Olum.*

Pædicatur Eros, fellat Linus: Ole, quid ad te,
De cute quid faciant ille, vel ille, sua?
Centenis futuit Matho millibus: Ole, quid ad te?
Non tu propterea, sed Matho pauper erit.
In lucem cœnat Sertorius: Ole, quid ad te? 5
Cum liceat tota stertere nocte tibi.
Septingenta Tito debet Lupus: Ole, quid ad te?
Assem ne dederis, crediderisve Lupo.
Illud dissimulas, ad te quod pertinet, Ole,
Quodque magis curæ convenit esse tuæ. 10
Pro togula debes: hoc ad te pertinet, Ole.
Quadrantem nemo jam tibi credet: et hoc.
Uxor mœcha tibi est: hoc ad te pertinet, Ole.
Poscit jam dotem filia grandis: et hoc.
Dicere quindecies poteram quod pertinet ad te:
Sed quid agas, ad me pertinet, Ole, nihil. 16

Epigramma XI.—*Ad Aulum Pudentem.*

Cogis me calamo manuque nostra
Emendare meos, Pudens, libellos.
O quam me nimium probas, amasque,
Qui vis archetypas habere nugas?

Epigramma XII.—*Ad Faustinum.*

Sic me fronte legat Dominus, Faustine, serena,
Excipiatque meos, qua solet aure, jocos;
Ut mea nec, juste quos odit, pagina lædit,
Et mihi de nullo fama rubore placet.
Quid prodest, cupiant cum quidam nostra videri,
Si qua Lycambeo sanguine tela madent? 6
Vipereumque vomant nostro sub nomine virus,
Qui Phœbi radios ferre diemque negant?
Ludimus innocui: scis hoc bene: juro potentis
Per genium Famæ, Castalidumque gregem: 10
Perque tuas aures, magni mihi numinis instar,
Lector, inhumana liber ab invidia.

Epigramma XIII.—*De Lycoride.*

Dum Tiburtinis albescere solibus audit
Antiqui dentis fusca Lycoris ebur,
Venit in Herculeos colles. Quid Tiburis alti
Aura valet? parvo tempore nigra redit.

Epigramma XIV.—*Ad Aulum, de luctu suæ puellæ.*

Accidit infandum nostræ scelus, Aule, puellæ,
Amisit lusus deliciasque suas:
Non quales teneri ploravit amica Catulli
Lesbia, nequitiis passeris orba sui;
Vel Stellæ cantata meo quas flevit Ianthis, 5
Cujus in Elysio nigra columba volat.
Lux mea non capitur nugis, nec amoribus istis,
Nec dominæ pectus talia damna movent.
Bis denos puerum numerantem perdidit annos,
Mentula cui nondum sesquipedalis erat. 10

Epigramma XV.—*Ad Arginum puerum Ianthidos.*

Quis puer hic nitidis absistit Ianthidos undis,
Et fugit ad dominam Naida? numquid Hylas?
O bene, quod sylva colitur Tirynthius ista,
Et quod amatrices tam prope servat aquas!
Securus licet hos fontes, Argine, ministres: 5
Nil facient Nymphæ: ne velit ipse, cave.

Epigramma XVI.—*Ad Regulum.*

Æra domi non sunt; superest hoc, Regule, solum,
Et tua vendamus munera: numquid emis?

Epigramma XVII.—*Ad bibliothecam Julii Martialis.*

Ruris bibliotheca delicati,
Vicinam videt unde lector urbem;
Inter carmina sanctiora si quis
Lascivæ fuerit locus Thaliæ,
Hos nido licet inseras vel imo, 5
Septem quos tibi mittimus libellos,
Auctoris calamo sui notatos:
Hæc illis pretium facit litura.
At tu, munere dedicata parvo,
Quæ cantaberis orbe nota toto, 10
Pignus pectoris hoc mei tuere,
Juli bibliotheca Martialis.

Epigramma XVIII.—*In Gallam.*

Cum tibi sit facies, de qua nec fœmina possit
Dicere; cum corpus nulla litura notet.
Cur te tam rarus cupiat, repetatque ututor,
Miraris? vitium est non leve, Galla, tibi.
Accessi quoties ad opus, mixtisque movemur 5
Inguinibus: cunnus non tacet, ipsa taces.
Di facerent, ut tu loquereris, et ipse taceret·
Offendor cunni garrulitate tui.
Pedere te mallem: namque hoc nec inutile dicit
Symmachus, et risum res movet ista simul. 10
Quis ridere potest fatui poppysmata cunni?
Cum sonat hic, cui non mentula mensque cadit?
Dic aliquid saltem, clamosoque obstrepe cunno
Et si adeo muta es, disce vel inde loqui.

Epigramma XIX.—*De fragmento Argus.*

Fragmentum quod vile putas, et inutile lignum,
Hæc fuit ignoti prima carina maris:
Quam nec Cyaneæ quondam potuere ruinæ
Frangere, nec Scythici tristior ira freti.
Sæcula vicerunt: sed, quamvis cesserit annis, 5
Sanctior est salva parva tabella rate.

Epigramma XX.—*In Sanctram.*

Nihil est miserius, nec gulosius Sanctra.
Rectam vocatus cum cucurrit ad cœnam,
Quam tot diebus noctibusque captavit;
Ter poscit apri glandulas, quater lumbum,
Et utramque coxam leporis, et duos armos: 5
Nec erubescit pejerare de turdo,
Et ostreorum rapere lividos cirros.
Buccis placentæ sordidam linit mappam.
Illic et uvæ collocantur ollares,
Et Punicorum pauca grana malorum, 10
Et excavatæ pellis indecens vulvæ,
Et lippa ficus, debilisque boletus.
Sed mappa cum jam mille rumpitur furtis,
Rosos tepenti spondylos sinu condit,
Et devorato capite turturem truncum. 15
Colligere longa turpe nec putat dextra
Analecta, quicquid et canes reliquerunt.
Nec esculenta sufficit gulæ præda,
Misto lagenam replet ad pedes vino.
Hæc per ducentas cum domum tulit scalas, 20
Seque obserata clusit anxius cella,
Gulosus ille postero die vendit.

EPIGRAMMA. XI.—*De natali Lucani.*

Hæc est illa dies, quæ magni conscia partus
Lucanum populis, et tibi, Polla, dedit.
Heu Nero crudelis, nullaque invisior umbra!
Debuit hoc saltem non licuisse tibi.

EPIGRAMMA XXII.—*De eodem.*

Vatis Apollinei magno memorabilis ortu
Lux redit: Aonidum turba favete sacris.
Hæc meruit, cum te terris, Lucane, dedisset,
Mixtus Castaliæ Bætis ut esset aquæ.

EPIGRAMMA XXIII.—*De eodem, ad Phœbum.*

Phœbe, veni; sed quantus eras cum bella tonanti
Ipse dares Latiæ plectra secunda lyræ.
Quid tanta pro luce precer? tu, Polla, maritum
Sæpe colas, et se sentiat ipse coli.

EPIGRAMMA XXIV.—*In maledicum*

Cum Juvenale meo quæ me committere tentas,
Quid non audebis, perfida lingua, loqui?
Te fingente nefas Pyladen odisset Orestes:
Thesea Pirithoi destituisset amor.
Tu Siculos fratres, et majus nomen Atridas, 5
Et Ledæ poteras dissociare genus.
Hoc tibi pro meritis, et talibus imprecor ausis,
Ut facias illud, quod, puto, lingua, facis.

EPIGRAMMA XXV.—*In malum poetam.*

Dulcia cum tantum scribas epigrammata semper,
Et cerussata candidiora cute;
Nullaque mica salis, nec amari fellis in illis
Gutta sit; o demens, vis tamen illa legi!
Nec cibus ipse juvat morsu fraudatus aceti: 5
Nec grata est facies, cui gelasinus abest.
Infanti melimela dato, fatuasque mariscas:
Nam mihi, quæ novit pungere, Chia sapit.

EPIGRAMMA XXVI.—*Scazonta mittit ad Apollinarem.*

Apollinarem conveni meum, Scazon,
Et si vacabit, (ne molestus accedas,)
Hoc qualecunque, cujus aliqua pars ipse est,
Dabis: hoc facetæ carmen imbuant aures.
Si te receptum fronte videris tota, 5
Noto rogabis ut favore sustentet.
Quanto mearum, scis, amore nugarum
Flagret: nec ipse plus amare te possum.
Contra malignos esse si cupis tutus,
Apollinarem conveni meum, Scazon. 10

EPIGRAMMA XXVII.—*De Apro sibi a Dextro misso.*

Tuscæ glandis aper populator, et ilice multa
Jam piger, Ætolæ fama secunda feræ,
Quem meus intravit splendenti cuspide Dexter,
Præda jacet nostris invidiosa focis.
Pinguescant madido tetri nidore Penates, 5
Flagret et exciso festa culina jugo.
Sed coquus ingentem piperis consumet acervum,
Addet et arcano mixta Falerna garo.
Ad dominum redeas; noster te non capit ignis,
Conturbator aper: vilius esurio. 10

EPIGRAMMA XXVIII.—*Ad Fuscum*

Sic Tiburtinæ crescat tibi sylva Dianæ,
Et properet cæsum sæpe redire nemus:
Nec Tartessiacis Pallas tua, Fusce, trapetis
Cedat, et immodici dent bona musta lacus:
Sic fora mirentur, sic te Pallatia laudent, 5
Excolat et geminas plurima palma fores:
Otia dum medius præstat tibi parva December,
Excipe, sed certa, quos legis, aure jocos.
Scire libet verum: res est hæc ardua: sed tu,
Quod tibi vis dici, dicere, Fusce, potes. 10

EPIGRAMMA XXIX.—*Ad Testilum puerum.*

Testile, Victoris tormentum dulce Voconi,
Quo nemo est toto notior orbe puer;
Sic etiam positis formosus amere capillis,
Et placeat vati nulla puella tuo;
Paullisper domini doctos sepone libellos, 5
Carmina Victori dum lego pauca tuo.
Et Mecænati Maro cum cantaret Alexim,
Nota tamen Marsi fusca Melænis erat.

EPIGRAMMA XXX.—*In Cœliam.*

Das Parthis, das Germanis, das, Cœlia, Dacis:
Nec Cilicum spernis, Cappadocumque toros:
Et tibi de Pharia Memphiticus urbe ututor
Navigat, a rubris et niger Indus aquis:
Nec recutitorum fugis inguina Judæorum, 5
Nec te Sarmatico transit Alanus equo.
Qua ratione facis, cum sis Romana puella,
Quod Romana tibi mentula nulla placet?

EPIGRAMMA XXXI.—*Ad Regulum.*

Raucæ cortis aves, et ova matrum,
Et flavas medio vapore Chias,
Et fetum querulæ rudem capellæ,
Nec jam frigoribus pares olivas,
Et canum gelidis olus pruinis, 5
De nostro tibi rure missa credis?
O quam, Regule, diligenter erras!
Nil nostri, nisi me, ferunt agelli.
Quicquid villicus Umber, aut colonus,
Aut rus marmore tertio notatum, 10
Aut Tusci tibi, Tusculive mittunt,
Id tota mihi nascitur Suburra.

EPIGRAMMA XXXII.—*Ad Atticum.*

Attice, facundæ renovas qui nomina gentis,
Nec sinis ingentem conticuisse domum:
Te pia Cecropiæ comitatur turba Minervæ,
Te secreta quies, te sophos omnis amat.
At juvenes alios fracta colit aure magister, 5
Et rapit immeritas sordidus unctor opes.
Non pila, non follis, non te paganica thermis
Præparat, aut nudi stipitis ictus hebes:
Vara nec injecto ceromate brachia tendis:
Non harpasta vagus pulverulenta rapis: 10
Sed curris niveas tantum prope Virginis undas,
Aut ubi Sidonio taurus amore calet.
Per varias artes, omnis quibus area fervet,
Ludere, cum liceat currere, pigritia est.

EPIGRAMMA XXXIII.—*In Cinnam.*

Sordidior cœno cum sit toga, calceus autem
Candidior prima sit tibi, Cinna, nive;
Dejecto quid, inepte, pedes perfundis amictu?
Collige, Cinna, togam; calceus ecce perit.

EPIGRAMMA XXXIV.—*Ad Severum, de Charino.*

Quo possit fieri modo, Severe,
Ut vir pessimus omnium Charinus
Unam rem bene fecerit, requiris?
Dicam, sed cito. Quid Nerone pejus?

Quid thermis melius Neronianis? 5
Non deest protinus ecce de malignis,
Qui sic rancidulo loquatur ore:
Quid? tu tot domini deique nostri
Præfers muneribus Neronianas?
Thermas præfero balneis cinædi. 10

Epigramma XXXV.—*Ad Lecaniam.*

Inguina succinctus nigra tibi servus aluta
Stat, quoties calidis tota foveris aquis.
Sed meus, ut de me taceam, Lecania, servus,
Judæum nulla sub cute pondus habet.
Et nudi tecum juvenesque senesque lavantur, 5
An sola est servi mentula vera tui?
Ecquid fœmineos sequeris, matrona, recessus?
Secretusque tua, cunne, lavaris, aqua?

Epigramma XXXVI.—*Ad Stellam*

Cum pluvias madidumque Jovem perferre ne-
Et rudis hibernis villa nataret aquis; [garet,
Plurima, quæ posset subitos effundere nimbos,
Muneribus venit tegula missa tuis.
Horridus ecce sonat Boreæ stridore December:
Stella, tegis villam, non tegis agricolam. 6

Epigramma XXXVII.—*Ad Castricum, de theta.*

Nosti mortiferum quæstoris, Castrice, signum?
Est operæ pretium discere theta novum.
Exprimeret quoties rorantem frigore nasum,
Lethalem juguli jusserat esse notam.
Turpis ab inviso pendebat stiria naso, 5
Cum flaret madida fauce December atrox.
Collegæ tenuere manus. Quid plura requiris?
Emungi misero, Castrice, non licuit.

Epigramma XXXVIII.—*Ad Polyphemum.*

Tantus es, et talis nostri, Polypheme, Severi,
Ut te mirari possit et ipse Cyclops. [rum
Sed nec Scylla minor: quod si fera monstra duo-
Junxeris, alterius fiet uterque timor.

Epigramma XXXIX.—*De Cœlio*

Discursus varios, vagumque mane,
Et fastus, et ave potentiorum,
Cum perferre patique jam negaret,
Cœpit fingere Cœlius podagram.
Quam dum vult nimis approbare veram, 5
Et sanas linit obligatque plantas,
Inceditque gradu laborioso;
(Quantum cura potest, et ars doloris!)
Desît fingere Cœlius podagram.

Epigramma XL.—*Epitaphium patris Etrusci.*

Hic jacet ille senex, Augusta notus in aula,
Pectore non humili passus utrumque deum;
Natorum pietas sanctis quem conjugis umbris
Miscuit: Elysium possidet ambo nemus.
Occidit illa prior viridi fraudata juventa: 5
Hic prope ter senas vixit Olympiadas.
Sed festinatis raptum tibi credidit annis,
Adspexit lacrymas quisquis, Etrusce, tuas.

Epigramma XLI.—*Ad Sempronium Tuccam.*

Cosmicus esse tibi, Semproni Tucca, videris:
Cosmica, Semproni, tam mala quam bona sunt.

Epigramma XLII.—*Ad Castricum.*

Muneribus cupiat si quis contendere tecum,
Audeat hic etiam, Castrice, carminibus.
Nos tenues in utroque sumus, vincique parati:
Inde sopor nobis, et placet alta quies.
Tam mala cur igitur dederim tibi carmina, quæris?
Alcinoo nullum poma dedisse putas? 6

Epigramma XLIII.—*In Cinnam.*

Primum est, ut præstes, si quid te, Cinna, rogabo:
Illud deinde sequens, ut cito, Cinna, neges.
Diligo præstantem; non odi, Cinna, negantem:
Sed tu nec præstas, nec cito, Cinna, negas.

Epigramma XLIV.—*De imagine Maximi Cæsonii, ad Q. Ovidium.*

Maximus ille tuus, Ovidi, Cæsonius hic est,
Cujus adhuc vultum vivida cera tenet.
Hunc Nero damnavit: sed tu damnare Neronem
Ausus es, et profugi, non tua, fata sequi.
Æquora per Scyllæ magnus comes exsulis isti, 5
Qui modo nolueras consulis ire comes.
Si victura meis mandantur nomina chartis,
Et fas est cineri me superesse meo,
Audiet hoc præsens, venturaque turba; fuisse
Illi te, Senecæ quod fuit ille suo. 10

Epigramma XLV.—*De eadem.*

Facundi Senecæ potens amicus,
Caro proximus, aut prior Sereno,
Hic est Maximus ille, quem frequenti
Felix littera pagina salutat.
Hunc tu per Siculas secutus undas, 5
O nullis Ovidi tacende linguis,
Sprevisti domini furentis iras.
Miretur Pyladem suum vetustas,
Hæsit qui comes exsuli parentis.
Quis discrimina comparet duorum? 10
Hæsisti comes exsuli Neronis.

Epigramma XLVI.—*Ad Priscum.*

Commendare tuum dum vis mihi carmine munus,
Mæonioque cupis doctius ore loqui;
Excrucias multis pariter me teque diebus:
Et tua de nostro, Prisce, Thalia placet.
Divitibus poteris Musas, elegosque sonantes 5
Mittere: pauperibus munera pexa dato.

Epigramma XLVII.—*Ad Licinium Suram.*

Doctorum Licini celeberrime Sura virorum,
Cujus prisca graves lingua reduxit avos;
Redderis, heu quanto fatorum munere! nobis,
Gustata Lethes pæne remissus aqua!
Perdiderant jam vota metum, securaque flebant
Tristia cum lacrymis; jamque peractus eras. 6
Non tulit invidiam taciti regnator Averni,
Et raptas fatis reddidit ipse colos.
Scis igitur, quantas hominum mors falsa querelas
Moverit; et frueris posteritate tua. 10
Vive velut rapto, fugitivaque gaudia carpe:
Perdiderit nullum vita reversa diem.

Epigramma XLVIII.—*De Annio.*

Cum mensas habeat fere ducentas,
Pro mensis habet Annius ministros:
Transcurrunt gabatæ, volantque lances.
Has vobis epulas habete, lauti.
Nos offendimur ambulante cœna. 5

Epigramma XLIX.—*Ad Severum.*

Parva suburbani munuscula mittimus horti;
Faucibus ova tuis: poma, Severe, gulæ.

Epigramma L.—*Ad fontem Ianthidos.*

Fons dominæ, regina loci quo gaudet Ianthis,
Gloria conspicuæ deliciumque domus :
Cum tua tot niveis ornetur ripa ministris,
Et Ganymedeo luceat unda choro :
Quid facit Alcides sylva sacratus in ista ? 5
Tam vicina tibi cur tenet antra deus ?
Numquid Nympharum notos observat amores,
Tam multi pariter ne rapiantur Hylæ ?

Epigramma LI.—*Ad Urbicum.*

Mercari nostras si te piget, Urbice, nugas,
Et lasciva tamen carmina nosse libet ;
Pompeium quæras (et nosti forsitan) Auctum ;
Ultoris prima Martis in æde sedet.
Jure madens, varioque togæ limatus in usu, 5
Non lector meus hic, Urbice, sed liber est.
Sic tenet absentis nostros, cantatque libellos,
Ut pereat chartis littera nulla meis.
Denique, si vellet, poterat scripsisse videri ;
Sed famæ mavult ille favere meæ. 10
Hunc licet a decima (nec enim satis ante vacabit)
Sollicites : capiet cœnula parva duos.
Ille leget, bibe tu : nolis licet, ille sonabit :
Et cum, Jam satis est, dixeris ; ille leget.

Epigramma LII.—*Ad Auctum.*

Gratum est, quod Celeri nostros legis, Aucte, libellos ;
Si tamen et Celerem quod legis, Aucte, juvat.
Ille meas gentes, et Celtas rexit Iberos,
Nec fuit in nostro certior orbe fides.
Major me tanto reverentia turbat ; et aures 5
Non auditoris, judicis esse puto.

Epigramma LIII.—*In Umbrum.*

Omnia misisti mihi Saturnalibus, Umber,
Munera, contulerant quæ tibi quinque dies ;
Bis senos triplices, et dentiscalpia septem :
His comes accessit spongia, mappa, calix ;
Semodiusque fabæ cum vimine Picenarum, 5
Et Laletanæ nigra lagena sapæ :
Parvaque cum canis venerunt coctona prunis,
Et Libycæ fici pondere testa gravis.
Vix puto triginta nummorum tota fuisse
Munera, quæ grandes octo tulere Syri. 10
Quanto commodius nullo mihi ferre labore
Argenti potuit pondera quinque puer ?

Epigramma LIV.—*In Nasidienum.*

Semper mane mihi de me mera somnia narras,
Quæ moveant animum sollicitentque meum.
Jam prior ad fæcem, sed et hæc, vindemia venit,
Exorat noctes dum mihi saga tuas.
Consumpsi salsasque molas, et thuris acervos : 5
Decrevere greges, dum cadit agna frequens.
Non porcus, non cortis aves, non ova supersunt.
Aut vigila, aut dormi, Nasidiene, tibi.

Epigramma LV.—*In Chrestum.*

Nulli munera, Chreste, si remittis,
Nec nobis dederis, remiserisque ;
Credam te satis esse liberalem.
Sed si reddis Apicio, Lupoque,
Et Gallo, Titioque, Gellioque ; 5
Lingas non mihi, (nam proba et pusilla est,)
Sed quæ de Solymis venit perustis
Damnatam modo mentulam tributi.

Epigramma LVI.—*Ad Rabirium.*

Astra polumque tua cepisti mente, Rabiri,
Parrhasiam mira qui struis arte domum.
Phidiaco si digna Jovi dare templa parabit,
Has petat a nostro Pisa Tonante manus.

Epigramma LVII.—*De Achilla.*

Castora de Polluce Gabinia fecit Achillam :
Πὺξ ἀγαθὸς fuerat, nunc erit Ἐππόδαμος.

Epigramma LVIII.—*Ad Gallam.*

Jam sex, aut septem nupsisti, Galla, cinædis,
Dum coma te nimium, pexaque barba juvat.
Deinde experta latus, madidoque simillima loro
Inguina, nec lassa stare coacta manu,
Deseris imbelles thalamos, mollemque maritum :
Rursus et in similes decidis usque toros. 6
Quære aliquem Curios semper Fabiosque loquentem,
Hirsutum, et dura rusticitate trucem.
Invenies ; sed habet tristis quoque turba cinædos :
Difficile est vero nubere, Galla, viro. 10

Epigramma LIX.—*De Cæciliano.*

Non cœnat sine apro noster, Tite, Cæcilianus
Bellum convivam Cæcilianus habet.

Epigramma LX.—*Ad Jovem Capitolinum.*

Tarpeiæ venerande rector aulæ,
Quem salvo duce credimus Tonantem,
Cum votis sibi quisque te fatiget,
Et poscat dare, quæ dei potestis :
Nil pro me mihi, Jupiter, petenti 5
Ne succensueris, velut superbo.
Te pro Cæsare debeo rogare :
Pro me debeo Cæsarem rogare.

Epigramma LXI.—*Ad Cæsarem Germanicum.*

Abstulerat totam temerarius institor urbem,
Inque suo nullum limine limen erat.
Jussisti tenues, Germanice, crescere vicos ;
Et, modo quæ fuerat semita, facta via est.
Nulla catenatis pila est præcincta lagenis : 5
Nec prætor medio cogitur ire luto :
Stringitur in densa nec cæca novacula turba :
Occupat aut totas nigra popina vias.
Tonsor, caupo, coquus, lanius sua limina servant.
Nunc Roma est, nuper magna taberna fuit. 10

Epigramma LXII.—*In Amillum.*

Reclusis foribus grandes percidis, Amille,
Et te deprendi, cum facis ista, cupis ;
Ne quid liberti narrent, servique paterni,
Et niger obliqua garrulitate cliens.
Non pædicari se qui testatur, Amille, 5
Illud sæpe facit, quod sine teste facit.

Epigramma LXIII.—*De Silio* [*Italico.*]

Perpetui nunquam moritura volumina Sili
Qui legis, et Latia carmina digna toga ;
Pierios tantum vati placuisse recessus
Credis, et Aoniæ Bacchica serta comæ ?
Sacra cothurnati non attigit ante Maronis, 5
Implevit magni quam Ciceronis opus.
Hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorum ;
Hunc loquitur grato plurimus ore cliens.
Postquam bis senis ingentem fascibus annum
Rexerat, asserto qui sacer orbe fuit : 10
Emeritos Musis et Phœbo tradidit annos ;
Proque suo celebrat nunc Helicona foro.

Epigramma LXIV.—*In Cinnamum.*

Qui tonsor fueras tota notissimus urbe,
Et post hæc dominæ munere factus eques:
Sicanias urbes Ætnæaque regna petisti,
Cinname, cum fugeres tristia jura fori.
Qua nunc arte graves tolerabis inutilis annos? 5
Quid facit infelix et fugitiva quies?
Non rhetor, non grammaticus, ludive magister,
Non Cynicus, non tu Stoicus esse potes;
Vendere nec vocem Siculis plausumque theatris:
Quod superest, iterum, Cinname, tonsor eris. 10

Epigramma LXV.—*In Gargilianum.*

Lis te bis decimæ numerantem frigora brumæ
Conterit una tribus, Gargiliane, foris.
Ah miser, et demens! viginti litigat annis
Quisquam, cui vinci, Gargiliane, licet?

Epigramma LXVI.—*De Labieno.*

Hæredem Fabius Labienum ex asse reliquit:
Plus meruisse tamen se Labienus ait.

Epigramma LXVII.—*In Philænim.*

Pædicat pueros tribas Philænis,
Et tentigine sævior mariti
Undenas vorat in die puellas.
Harpasto quoque subligata ludit,
Et flavescit haphe, gravesque draucis 5
Halteras facili rotat lacerto,
Et putri lutulenta de palæstra
Uncti verbere vapulat magistri:
Nec cœnat prius, aut recumbit ante,
Quam septem vomuit meros deunces: 10
Ad quos fas sibi tunc putat redire,
Cum coliphia sexdecim comedit.
Post hæc omnia, cum libidinatur,
Non fellat: putat hoc parum virile:
Sed plane medias vorat puellas. 5
Di mentem tibi dent tuam, Philæni,
Cunnum lingere quæ putas virile.

Epigramma LXVIII.—*Ad Instantium Rufum.*

Commendare meas, Instanti Rufe, Camœnas
Parce precor socero: seria forsan amat.
Quod si lascivos admittit et ille libellos,
Hæc ego vel Curio Fabricioque legam.

Epigramma LXIX.—*De Theophila ad Canium.*

Hæc est illa tibi promissa Theophila, Cani,
Cujus Cecropia pectora dote madent.
Hanc sibi jure petat magni senis altus in hortis,
Nec minus esse suam Stoica turba velit.
Vivet, opus quodcunque per has emiseris aures;
Tam non fœmineum, nec populare sapit. 6
Non tua Pantænis nimium se præferat illi,
Quamvis Pierio sit bene nota choro.
Carmina fingentem Sappho laudavit amatrix:
Castior hæc, et non doctior illa fuit. 10

Epigramma LXX.—*In Philænim.*

Ipsarum tribadum tribas, Philæni,
Recte, quam futuis, vocas amicam.

Epigramma LXXI.—*De familia ficosa.*

Ficosa est uxor, ficosus et ipse maritus:
Filia ficosa est, et gener, atque nepos.
Nec dispensator, nec villicus ulcere turpi,
Nec rigidus fossor, sed nec arator eget.
Cum sint ficosi pariter juvenesque senesque, 5
Res mira est; ficos non habet unus ager.

Epigramma LXXII.—*Ad Paullum.*

Gratus sic tibi, Paulle, sit December:
Nec vani triplices, brevesque mappæ
Nec thuris veniant leves selibræ;
Sed lances ferat, aut scyphos avorum,
Aut grandis reus, aut potens amicus: 5
Seu quod te potius juvat capitque.
Sic vincas Noviumque Publiumque
Mandris et vitreo latrone clausos;
Sic palmam tibi de trigone nudo
Unctæ det favor arbiter coronæ, 10
Nec laudet Polybi magis sinistras.
Si quisquam mea dixerit malignus
Atro carmina quæ madent veneno;
Ut vocem mihi commodes patronam,
Et, quantum poteris, sed usque, clames: 15
Non scripsit meus ista Martialis.

Epigramma LXXIII.—*Ad Maximum.*

Esquiliis domus est, domus est tibi colle Dianæ
Et tua patricius culmina vicus habet:
Hinc viduæ Cybeles, illinc sacraria Vestæ;
Inde novum, veterem prospicis inde Jovem.
Dic ubi conveniam: dic qua te parte requiram?
Quisquis ubique habitat, Maxime, nusquam
habitat. 6

Epigramma LXXIV.—*Pro Caro et Norbana votum.*

Cyllenes cœlique decus, facunde minister,
Aurea cui torto virga dracone viret:
Sic tibi lascivi non desit copia furti,
Sive cupis Paphien, seu Ganymede cales:
Maternæque sacris ornentur frondibus Idus, 5
Et senior parca mole prematur avus:
Hunc semper Norbana diem cum conjuge Caro
Læta colat, primis quo coiere toris.
Hic pius antistes sophiæ sua dona ministrat:
Hic te thure vocat, fidus et ipse Jovi. 10

Epigramma LXXV.—*In anum deformem.*

Vis futui gratis, cum sis deformis, anusque.
Res perridicula est: vis dare, nec dare vis.

Epigramma LXXVI.—*Ad Philomusum.*

Quod te diripiunt potentiores
Per convivia, porticus, theatra,
Et tecum, quoties ita incidisti,
Gestari juvat, et juvat lavari;
Nolito nimium tibi placere. 5
Delectas, Philomuse, non amaris.

Epigramma LXXVII.—*In Tuccam.*

Exigis ut nostros donem tibi, Tucca, libellos.
Non faciam: nam vis vendere, non legere.

Epigramma LXXVIII.—*In Papilum.*

Cum Saxetani ponatur cauda lacerti,
Et, bene si cœnas, conchis inuncta tibi est;
Sumen, aprum, leporem, boletos, ostrea, mullos
Mittis. Habes nec cor, Papile, nec genium.

Epigramma LXXIX.—*Ad Severum.*

Potavi modo consulare vinum.
Quæris, quam vetus atque liberale.
Ipso consule conditum: sed ipse,
Qui ponebat, erat, Severe, consul.

Epigramma LXXX.—*Ad Faustinum, ut libellos suos Marcellino mittat.*

Quatenus Odrysios jam pax Romana Triones
Temperat, et tetricæ conticuere tubæ,
Hunc Marcellino poteris, Faustine, libellum
Mittere: jam chartis, jam vacat ille jocis.
Sed si parva tui munuscula quæris amici 5
Commendare, ferat carmina nostra puer:
Non qualis Geticæ satiatus lacte juvencæ
Sarmatica rigido ludit in amne rota;
Sed Mitylenæi roseus mangonis ephebus,
Vel non cæsus adhuc matre jubente Lacon. 10
At tibi captivo famulus mittetur ab Istro,
Qui Tiburtinas pascere possit oves.

Epigramma LXXXI.—*Ad Lausum.*

Triginta toto mala sunt epigrammata libro.
Si totidem bona sunt, Lause, liber bonus est.

Epigramma LXXXII.—*De Menophilo.*

Menophili penem tam grandis fibula vestit,
Ut sit comœdis omnibus una satis.
Hunc ego credideram (nam sæpe lavamur in unum)
Sollicitum voci parcere, Flacce, suæ:
Dum ludit media populo spectante palæstra, 5
Delapsa est misero fibula; verpus erat.

Epigramma LXXXIII.—*De Eutrapelo.*

Eutrapelus tonsor dum circuit ora Luperci,
Expingitque genas, altera barba subit.

Epigramma LXXXIV.—*Ad librum.*

Dum mea Cæcilio formatur imago Secundo,
Spirat et arguta picta tabella manu,
I, liber, ad Geticam Peucen, Istrumque tacentem.
Hæc loca perdomitis gentibus ille tenet.
Parva dabis caro, sed dulcia dona sodali: 5
Certior in nostro carmine vultus erit.
Casibus hic nullis, nullis delebilis annis
Vivet, Apelleum cum morietur opus.

Epigramma LXXXV.—*Ad Sabellum*

Quod non insulse scribis tetrasticha quædam,
Disticha quod belle pauca, Sabelle, facis:
Laudo, nec admiror: facile est epigrammata belle
Scribere; sed librum scribere difficile est.

Epigramma LXXXVI.—*In Sextum*

Ad natalitias dapes vocabar,
Essem cum tibi, Sexte, non amicus.
Quid factum est, rogo, quid repente factum est?
Post tot pignora nostra, post tot annos,
Quod sum præteritus vetus sodalis? 5
Sed causam scio. Nulla venit a me
Hispani tibi libra pustulati,
Nec levis toga, nec rudes lacernæ:
Non est sportula, quæ negociatur.
Poscis munera, Sexte, non amicos. 10
Jam dices mihi, Vapulet vocator.

Epigramma LXXXVII.—*De Se.*

Si meus aurita gaudet glaucopide Flaccus;
Si fruitur tristi Canius Æthiope;
Publius exiguæ si flagrat amore catellæ;
Si Cronius similem cercopithecon amat;
Delectat Marium si perniciosus ichneumon; 5
Pica salutatrix si tibi, Lause, placet;
Si gelidum collo nectit Glacilla draconem;
Lusciniæ tumulum si Thelesina dedit;
Blanda Cupidinei cur non amet ora Labycæ,
Qui videt hæc dominis monstra placere suis?

Epigramma LXXXVIII.—*De suis libris.*

Fertur habere meos, si vera est fama, libellos
Inter delicias pulchra Vienna suas.
Me legit omnis ibi senior, juvenisque, puerque,
Et coram tetrico casta puella viro.
Hoc ego maluerim, quam si mea carmina cantent,
Qui Nilum ex ipso protinus ore bibunt; 6
Quam meus Hispano si me Tagus impleat auro,
Pascat et Hybla meas, pascat Hymettos apes.
Non nihil ergo sumus, nec blandæ munere linguæ
Decipimur: credam jam, puto, Lause, tibi. 10

Epigramma LXXXIX.—*Apollinari mittit coronam roseam.*

I, felix rosa, mollibusque sertis
Nostri cinge comas Apollinaris;
Quas tu nectere candidas, sed olim,
Sic te semper amet Venus, memento.

Epigramma XC.—*Ad Creticum.*

Jactat inæqualem Matho me fecisse libellum:
Si verum est, laudat carmina nostra Matho.
Æquales scribit libros Calvinus et Umber.
Æqualis liber est, Cretice, qui malus est.

Epigramma XCI.—*Ad Juvenalem.*

De nostro, facunde, tibi, Juvenalis, agello
Saturnalitias mittimus ecce nuces.
Cætera lascivis donavit poma puellis
Mentula custodis luxuriosa dei.

Epigramma XCII.—*In Baccaram.*

Si quid opus fuerit, scis me non esse rogandum,
Bis nobis dicis, Baccara, terque die.
Appellat rigida tristis me voce Secundus:
Audis, sed nescis, Baccara, quid sit opus.
Pensio te coram petitur clareque palamque: 5
Audis, sed nescis, Baccara, quid sit opus.
Esse queror gelidasque mihi tritasque lacernas:
Audis, sed nescis, Baccara, quid sit opus.
Hoc opus est, subito fias ut sidere mutus;
Dicere ne possis, Baccara, quid sit opus. 10

Epigramma XCIII.—*Ad Narniam.*

Narnia, sulfureo quam gurgite candidus amnis
Circuit, ancipiti vix adeunda jugo,
Quid tam sæpe meum nobis abducere Quintum
Te juvat, et lenta detinuisse mora?
Quid Nomentani causam mihi perdis agelli, 5
Propter vicinum qui pretiosus erat?
Sed jam parce mihi, nec abutere, Narnia, Quinto:
Perpetuo liceat sic tibi ponte frui.

Epigramma XCIV.—*De Papilo.*

Unguentum fuerat, quod onyx modo parva gerebat:
Olfecit postquam Papilus, ecce garum est.

Epigramma XCV.—*In Linum.*

Bruma est, et riget horridus December,
Audes tu tamen osculo nivali
Omnes obvius hinc et hinc tenere,
Et totam, Line, basiare Romam.
Quid possis graviusque sæviusque 5
Percussus facere, atque verberatus?
Hoc me frigore basiet nec uxor,
Blandis filia nec rudis labellis.

Sed tu dulcior, elegantiorque,
Cujus livida naribus caninis, 10
Dependet glacies, rigetque barba,
Qualem forficibus metit supinis
Tonsor Cinyphio Cilix marito.
Centum occurrere malo cunnilingis.
Et Gallum timeo minus recentem. 15
Quare si tibi sensus est, pudorque,
Hibernas, Line, basiationes
In mensem rogo differas Aprilem.

Epigramma XCVI.—*Epitaphium Urbici pueri.*

Conditus hic ego sum Bassi dolor, Urbicus infans,
Cui genus et nomen maxima Roma dedit.
Sex mihi de prima deerant trieteride menses,
Ruperunt tetricæ cum mala pensa deæ.
Quid species, quid lingua mihi, quid profuit ætas?
Da lacrymas tumulo, qui legis ista, meo. 6
Sic ad Lethæas, nisi Nestore serior, undas
Non eat, optabis quem superesse tibi.

Epigramma XCVII.—*Ad librum de Cæsio Sabino.*

Nosti si bene Cæsium, libelle,
Montanæ decus Umbriæ Sabinum,
Auli municipem mei Pudentis;
Illi tu dabis hæc, vel occupato.
Instent mille licet premantque curæ, 5
Nostris carminibus tamen vacabit.
Nam me diligit ille, proximumque
Turni nobilibus leget libellis.
O quantum tibi nominis paratur!
O quæ gloria! quam frequens amator! 10
Te convivia, te forum sonabit,
Ædes, compita, porticus, tabernæ.
Uni mitteris, omnibus legeris.

Epigramma XCVIII.—*Ad Castorem.*

Omnia, Castor, emis: sic fiet, ut omnia vendas.

Epigramma XCIX.—*Ad Crispinum*

Sic placidum videas semper, Crispine, Tonantem;
Nec te Roma minus, quam tua Memphis amet:
Carmina Parrhasia si nostra legentur in aula,
(Namque solent sacra Cæsaris aure frui,)
Dicere de nobis, ut lector candidus, aude: 5
Temporibus præstat non nihil iste tuis;
Nec Marso nimium minor est, doctoque Catullo.
Hoc satis est: ipsi cætera mando deo.

Epigramma C.—*Ad Ponticum.*

Pontice, per reges discurris, et omnia lustras;
Magna quidem sequeris, Pontice; magnus homo es.
Pontice, si qua facis, sine teste facis, sine turba
Non adhibes multos, Pontice; cautus homo es.
Pontice, te celebrem forma natura creavit: 5
Dignus eras Helena, Pontice; pulcher homo es.
Pontice, voce tua posses adamanta movere:
Vox tua dulce sonat, Pontice; dulcis homo es
Pontice, sic alios, sic te quoque decipit error:
Vis dicam verum, Pontice? nullus homo es

Epigramma CI.—*De vetula.*

Tacta places, audita places, si non videare,
Tota places: neutro, si videare, places.

Epigramma CII.—*De Milone.*

Milo domi non est: peregre Milone profecto
Arva vacant: uxor non minus inde parit.
Cur sit ager sterilis, cur uxor lactitet, edam
Quo fodiatur ager non habet, uxor habet.

LIBER OCTAVUS.

IMPERATORI DOMITIANO CÆSARI AUGUSTO, GERMANICO, DACICO, VALERIUS MARTIALIS SALUTEM.

Omnes quidem libelli mei, Domine, quibus tu famam, id est, vitam dedisti, tibi supplicant: et puto propter hoc legentur. Hic tamen, qui operis nostri octavus inscribitur, occasione pietatis frequentius fruitur. Minus itaque ingenio laborandum fuit, in cujus locum materia successerat. Quam quidem subinde aliqua jocorum mixtura variare tentavimus: ne cœlesti verecundiæ tuæ laudes suas, quæ facilius te fatigare possunt, quam nos satiare, omnis versus ingereret. Quamvis autem epigrammata severissimis quoque, et supremæ fortunæ viris ita scripta sint, ut mimicam verborum licentiam affectasse videantur: ego tamen illis non permisi tam lascive loqui, quam solent. Cum pars libri et major et melior ad majestatem sacri nominis tui allegata sit, meminerit non nisi religionis purificatione lustratus accedere ad templa debere. Quod ut custoditurum me lecturi sciant, in ipso libelli hujus limine profiteri brevissimo placuit epigrammate.

Epigramma I.—*Ad librum suum.*

Laurigeros domini, liber, intrature penates,
Disce verecundo sanctius ore loqui.
Nuda recede Venus: non est tuus iste libellus.
Tu mihi, tu Pallas Cæsariana, veni.

Epigramma II.—*Ad Janum.*

Fastorum genitor parensque Janus
Victorem modo cum videret Istri,
Tot vultus sibi non satis putavit,
Optavitque oculos habere plures:
Et lingua pariter locutus omni, 5
Terrarum domino deoque rerum
Promisit Pyliam quater senectam.
Addas, Jane pater, tuam rogamus.

Epigramma III.—*Ad Musam.*

Quinque satis fuerant; nam sex septemve libelli
Est nimium: quid adhuc ludere, Musa, juvat?

Sit pudor, et finis. Jam plus nihil addere nobis
Fama potest: teritur noster ubique liber.
Et cum rupta situ Messallæ saxa jacebunt, 5
Altaque cum Licini marmora pulvis erunt:
Me tamen ora legent, et secum plurimus hospes
Ad patrias sedes carmina nostra feret.
Finieram: cum sic respondit nona sororum,
Cui coma, et unguento sordida vestis erat: 10
Tune potes dulces, ingrate, relinquere nugas?
Dic mihi, quid melius desidiosus ages? [nos?
An juvat ad tragicos soccum transferre cothur-
Aspera vel paribus bella tonare modis?
Prælegat ut tumidus rauca te voce magister, 15
Oderit et grandis virgo bonusque puer?
Scribant ista graves nimium, nimiumque severi,
Quos media miseros nocte lucerna videt.
At tu Romano lepidos sale tinge libellos:
Agnoscat mores vita legatque suos. 20
Angusta cantare licet videaris avena,
Dum tua multorum vincat avena tubas.

Epigramma IV.—*Ad Cæsarem Domitianum, vel, ut alii, Germanicum.*

Quantus io Latias mundi conventus ad aras
Suscipit, et solvit pro duce vota suo! [tum;
Non sunt hæc hominum, Germanice, gaudia tan-
Sed faciunt ipsi nunc, puto, sacra dei.

Epigramma V.—*Ad Macrum.*

Dum donas, Macer, annulos puellis,
Desisti, Macer, annulos habere.

Epigramma VI.—*In Euctum.*

Archetypis vetuli nihil est odiosius Eucti:
Ficta Saguntino cymbia malo luto;
Argenti furiosa sui cum stemmata narrat
Garrulus, et verbis mucida vina facit.
Laomedonteæ fuerant hæc pocula mensæ; 5
Ferret ut hæc, muros struxit Apollo lyra.
Hoc cratere ferox commisit prælia Rhæcus
Cum Lapithis; pugna debile cernis opus.
Hi duo longævo censentur Nestore fundi:
Pollice de Pylio trita columba nitet. 10
Hic scyphus est, in quo misceri jussit amicis
Largius Æacides vividiusque merum.
Hac propinavit Bitiæ pulcherrima Dido
In patera, Phrygio cum data cœna viro est
Miratus fueris cum prisca toreumata multum, 15
In Priami cyathis Astyanacta bibes.

Epigramma VII.—*In Cinnam.*

Hoc agere est causas, hoc dicere, Cinna, diserte,
Horis, Cinna, decem dicere verba novem?
Sed modo clepsydras ingenti voce petisti
Quatuor: o quantum, Cinna, tacere potes!

Epigramma VIII.—*Ad Janum de reditu Cæsaris.*

Principium des, Jane, licet velocibus annis,
Et revoces vultu sæcula longa tuo:
Te primum pia thura rogent, te vota salutent:
Purpura te felix, te colat omnis honos:
Tu tamen hoc mavis, Latiæ quod contigit urbi, 5
Mense tuo reducem, Jane, videre deum.

Epigramma IX.—*Ad Quintum de Hyla.*

Solvere dodrantem nuper tibi, Quinte, volebat
Lippus Hylas: luscus vult dare dimidium.
Accipe quamprimum: brevis est occasio lucri.
Si fuerit cæcus, nil tibi solvet Hylas.

Epigramma X.—*De Basso.*

Emit lacernas millibus decem Bassus
Tyrias coloris optimi. Lucrifecit.
Adeo bene emit? inquis. Immo non solvit

Epigramma XI.—*Ad Cæsarem Domitianum*

Pervenisse tuam jam te scit Rhenus in urbem:
Nam populi voces audit et ille tui.
Sarmaticas etiam gentes, Istrumque, Getasque
Lætitiæ clamor terruit ipse novæ.
Dum te longa sacro venerantur gaudia Circo, 5
Nemo quater missos currere sensit equos.
Nullum Roma ducem, nec te sic, Cæsar, amavit:
Te quoque jam non plus, ut velit ipsa, potest.

Epigramma XII.—*Ad Priscum.*

Uxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? uxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona suo sit, Prisce, marito:
Non aliter fuerint fœmina virque pares.

Epigramma XIII.—*Ad Gargilianum.*

Morio dictus erat: viginti millibus emi.
Redde mihi nummos, Gargiliane: sapit.

Epigramma XIV.—*In crudelem amicum*

Pallida ne Cilicum timeant pomaria brumam,
Mordeat et tenerum fortior aura nemus:
Hibernis objecta Notis specularia puros
Admittunt soles, et sine fæce diem.
At mihi cella datur, non tota clausa fenestra, 5
In qua nec Boreas ipse manere velit.
Sic habitare jubes veterem crudelis amicum?
Arboris ergo tuæ tutior hospes ero.

Epigramma XV.—*Ad Domitianum.*

Dum nova Pannonici numeratur gloria belli.
Omnis et ad reducem dum litat ara Jovem;
Dat populus, dat gratus eques, dat thura senatus,
Et ditant Latias tertia dona tribus;
Hos quoque secretos memorabit Roma triumphos,
Nec minor ista tuæ laurea pacis erit; 6
Quod tibi de sancta credis pietate tuorum.
Principis est virtus maxima, nosse suos.

Epigramma XVI.—*In Ciperum.*

Pistor qui fueras diu, Cipere,
Nunc causas agis, et ducena quæris:
Sed consumis, et usque mutuaris.
A pistore, Cipere, non recedis;
Et panem facis, et facis farinam. 5

Epigramma XVII.—*Ad Sextum.*

Egi, Sexte, tuam, pactus duo millia, causam.
Misisti nummos quot mihi? mille. Quid est?
Narrasti nihil, inquis, et a te perdita causa est.
Tanto plus debes, Sexte, quod erubui.

Epigramma XVIII.—*Ad Cirinium.*

Si tua, Cirini, promas epigrammata vulgo,
Vel mecum possis, vel prior ipse legi:
Sed tibi tantus inest veteris respectus amici,
Carior ut mea sit, quam tua fama tibi.
Sic Maro nec Calabri tentavit carmina Flacci, 5
Pindaricos nosset cum superare modos:
Et Vario cessit Romani laude cothurni,
Cum posset tragico fortius ore loqui.
Aurum, et opes, et rura frequens donabit amicus:
Qui velit ingenio cedere, rarus erit. 10

Epigramma XIX.—*De Cinna.*

Pauper videri Cinna vult; et est pauper.

Epigramma XX.—*Ad Varum.*

Cum facias versus nulla non luce ducenos,
Vare, nihil recitas: non sapis, atque sapis.

Epigramma XXI.—*Ad Luciferum, vel in adventum Cæsaris.*

Phosphore, redde diem. Quid gaudia nostra moraris?
Cæsare venturo, Phosphore, redde diem.
Roma rogat. Placidi numquid te pigra Bootæ
Plaustra vehunt, lento quod nimis igne venis?
Ledæo poteras abducere Cyllaron astro: 5
Ipse suo cedit nunc tibi Castor equo. [Æthon
Quid cupidum Titana tenes? jam Xanthus et
Frena volunt: vigilat Memnonis alma parens.
Tarda tamen nitidæ non cedunt sidera luci,
Et cupit Ausonium Luna videre ducem. 10
Jam, Cæsar, vel nocte veni: stent astra licebit,
Non deerit populo te veniente dies.

Epigramma XXII.—*In Gallicum.*

Invitas ad aprum; ponis mihi, Gallice, porcum.
Hybrida sum, si das, Gallice, verba mihi.

Epigramma XXIII.—*Ad Rusticum.*

Esse tibi videor sævus, nimiumque gulosus,
Qui propter cœnam, Rustice, cædo coquum?
Si levis ista tibi flagrorum causa videtur,
Ex qua vis causa vapulet ergo coquus?

Epigramma XXIV.—*Ad Cæsarem Domitianum.*

Si quid forte petam timido gracilique libello,
Improba non fuerit si mea charta, dato.
Et si non dederis, Cæsar, permitte rogari:
Offendunt nunquam thura precesque Jovem.
Qui fingit sacros auro vel marmore vultus, 5
Non facit ille deos: qui rogat, ille facit.

Epigramma XXV.—*In Oppianum.*

Vidisti semel, Oppiane, tantum
Ægrum me male: sæpe te videbo.

Epigramma XXVI.—*Ad Cæsarem Domitianum.*

Non tot in Eois timuit Gangeticus arvis
Raptor, in Hyrcano qui fugit albus equo,
Quot tua Roma novas vidit, Germanice, tigres;
Delicias potuit nec numerare suas.
Vincit Erythræos tua, Cæsar, arena triumphos, 5
Et victoris opes divitiasque dei.
Nam cum captivos ageret sub curribus Indos,
Contentus gemina tigride Bacchus erat.

Epigramma XXVII.—*Ad Gaurum.*

Munera qui tibi dat locupleti, Gaure, senique,
Si sapis et sentis, hic tibi ait, Morere.

Epigramma XXVIII.—*De Partheniana toga.*

Dic, toga, facundi gratum mihi munus amici,
Esse velis cujus fama decusque gregis?
Appula Ledæi tibi floruit herba Phalanti,
Qua saturat Calabris culta Galesus aquis?
An Tartessiacus stabuli nutritor Iberi 5
Bætis in Hesperia te quoque lavit ove?
An tua multifidum numeravit lana Timavum,
Quem prius astrifero Cyllarus ore bibit?
Te nec Amyclæo decuit livere veneno,
Nec Miletus erat vellere digna tuo. 10
Lilia tu vincis, nec adhuc delapsa ligustra,
Et Tiburtino monte quod albet ebur.
Spartanus tibi cedet olor, Paphiæque columbæ;
Cedet Erythræis eruta gemma vadis.
Sed licet hæc primis nivibus sint æmula dona,
Non sunt Parthenio candidiora suo. 16
Non ego prætulerim Babylonica picta superbe
Texta, Semiramia quæ variantur acu.
Non Athamanteo potius me mirer in auro,
Æolium dones si mihi, Phryxe, pecus. 20
O quantos risus pariter spectata movebit
Trita Palatina nostra lacerna toga!

Epigramma XXIX.—*De distichis.*

Disticha qui scribit, puto, vult brevitate placere.
Quid prodest brevitas, dic mihi, si liber est?

Epigramma XXX.—*De spectaculo Scævolæ.*

Qui nunc Cæsareæ lusus spectatur arenæ,
Temporibus Bruti gloria summa fuit.
Adspicis, ut teneat flammas, pœnaque fruatur
Fortis, et attonito regnet in igne manus?
Ipse sui spectator adest, et nobile dextræ 5
Funus amat: totis pascitur illa sacris.
Quod nisi rapta foret nolenti pœna, parabat
Sævior in lassos ire sinistra focos.
Scire piget post tale decus, quid fecerit ante: 9
Quam vidi, satis est hanc mihi nosse manum.

Epigramma XXXI.—*In Dentonem.*

Nescio quid de te non belle, Dento, fateris,
Conjuge qui ducta jura paterna petis.
Sed jam supplicibus Dominum lassare libellis
Desine, et in patriam serus ab urbe redi.
Nam dum tu longe deserta uxore diuque 5
Tres quæris natos, quatuor invenies.

Epigramma XXXII.—*De columba Aretullæ.*

Aera per tacitum delapsa sedentis in ipsos
Fluxit Aretullæ blanda columba sinus.
Luserat hoc casus, nisi inobservata maneret,
Permissaque diu nollet abire fuga.
Si meliora piæ fas est sperare sorori, 5
Et dominum mundi flectere vota valent;
Hæc a Sardois tibi forsitan exsulis oris,
Fratre reversuro, nuncia venit avis.

Epigramma XXXIII.—*Ad Paullum, de phiala.*

De prætoritia folium mihi, Paulle, corona
Mittis, et hoc phialæ nomen habere jubes.
Hac fuerat nuper nebula tibi pegma perunctum,
Pallida quam rubri diluit unda croci.
An magis astuti derasa est ungue ministri 5
Bractea de fulcro, quod reor esse, tuo?
Illa potest culicem longe sentire volantem,
Et minimi penna papilionis agi.
Exiguæ volitat suspensa vapore lucernæ,
Et leviter fuso rumpitur icta mero. 10
Hoc linitur sputo Jani caryota Calendis,
Quam fert cum parvo sordidus asse cliens.
Lenta minus gracili crescunt colocasia filo:
Plena magis nimio lilia sole cadunt:
Nec vaga tam tenui discursat aranea tela: 15
Tam leve nec bombyx pendulus urget opus.
Crassior in facie vetulæ stat creta Fabullæ:
Crassior offensæ bulla tumescit aquæ.
Fortior et tortos servat vesica capillos,
Et mutat Latias spuma Batava comas. 20

Hac cute Ledæo vestitur pullus in ovo:
Talia lunata splenia fronte sedent.
Quid tibi cum phiala, ligulam cum mittere posses:
Mittere cum posses vel cochleare mihi?
Magna nimis loquimur, cochleam cum mittere posses: 25
Denique cum posses mittere, Paulle, nihil.

Epigramma XXXIV.—*In jactatorem.*

Archetypum Myos argentum te dicis habere.
Quod sine te factum est, hoc magis archetypum est.

Epigramma XXXV.—*In pessimos conjuges*

Cum sitis similes, paresque vita,
Uxor pessima, pessimus maritus;
Miror, non bene convenire vobis.

Epigramma XXXVI.—*Ad Cæsarem Domitianum.*

Regia pyramidum, Cæsar, miracula ride:
Jam taceat Eoum barbara Memphis opus.
Pars quota Parrhasiæ labor est Mareoticus aulæ?
Clarius in toto nil videt orbe dies.
Septenos pariter credas assurgere montes: 5
Thessalicum brevior Pelion Ossa tulit.
Æthera sic intrat, nitidis ut conditus astris
Inferiore tonet nube serenus apex:
Et prius arcano satietur lumine Phœbi,
Nascentis Circe quam videt ora patris. 10
Hæc, Auguste, tamen, quæ vertice sidera pulsat,
Par domus est cœlo: sed minor est domino.

Epigramma XXXVII.—*Ad Polycarmum.*

Quod Caietano reddis, Polycarme, tabellas,
Millia te centum num tribuisse putas?
Debuit hæc, inquis. Tibi habe, Polycarme, tabellas,
Et Caietano millia crede duo.

Epigramma XXXVIII.—*Ad Meliorem.*

Qui præstat pietate pertinaci
Sensuro bona liberalitatis,
Captet forsitan, aut vicem reposcat:
At si quis dare nomine relicto
Post Manes tumulumque perseverat, 5
Quærit quid, nisi parcius dolere?
Refert sis bonus, an velis videri.
Præstas hoc, Melior, sciente fama:
Qui sollennibus anxius sepulti
Nomen non sinis interire Blæsi; 10
Et de munifica profusus arca
Ad natalitium diem colendum
Scribarum memori piæque turbæ
Quod donas, facis ipse Blæsianum.
Hoc longum tibi, vita dum manebit, 15
Hoc et post cineres erit tributum.

Epigramma XXXIX.—*Ad Domitianum.*

Qui Pallatinæ caperet convivia mensæ,
Ambrosiasque dapes, non erat ante locus.
Hic haurire decet sacrum, Germanice, nectar,
Et Ganymedea pocula mixta manu.
Esse velis, oro, serus conviva Tonantis. 5
At tu, si properas, Jupiter, ipse veni.

Epigramma XL.—*Ad Priapum*

Non horti, neque palmitis beati,
Sed rari nemoris, Priape, custos,
Ex quo natus es, et potes renasci
Furaces, moneo, manus repellas,
Et sylvam domini focis reserves. 5
Si defecerit hæc, et ipse lignum es.

Epigramma XLI.—*Ad Faustinum*

Tristis Athenagoras non misit munera nobis,
Quæ medio brumæ mittere mense solet.
An sit Athenagoras tristis, Faustine, videbo:
Me certe tristem fecit Athenagoras.

Epigramma XLII.—*Ad Mathonem*

Si te sportula major ad beatos
Non corruperit, ut solet; licebit
De nostro, Matho, centies laveris.

Epigramma XLIII.—*In Fabium et Chrestillam.*

Effert uxores Fabius, Chrestilla maritos;
Funereamque toris quassat uterque facem.
Victores committe, Venus: quos iste manebit
Exitus, una duos ut Libitina ferat.

Epigramma XLIV.—*Ad Titullum.*

Titulle, moneo, vive semper; hoc serum est:
Sub pædagogo cœperis licet, serum est.
At tu, miser Titulle, nec senex vivis:
Sed omne limen conteris salutator,
Et mane sudas urbis osculis udus, 5
Foroque triplici sparsus ante equos omnes,
Ædemque Martis, et Colosson Augusti
Curris per omnes tertiasque, quintasque.
Rape, congere, aufer, posside: relinquendum est.
Superba densis arca palleat nummis, 10
Centum explicentur paginæ Calendarum:
Jurabit hæres, te nihil reliquisse,
Supraque pluteum te jacente, vel saxum,
Fartus papyro dum tibi torus crescit,
Flentes superbus basiabit eunuchos; 15
Tuoque tristis filius, velis nolis,
Cum concubino nocte dormiet prima.

Epigramma XLV.—*Ad Flaccum de reditu P. Terentii.*

Priscus ab Ætnæis mihi, Flacce, Terentius oris
Redditur: hanc lucem lactea gemma notet.
Defluat, et lento splendescat turbida lino
Amphora centeno consule facta minor.
Continget nox quando meis tam candida mensis?
Tam justo dabitur quando calere mero? 6
Cum te, Flacce, mihi reddet Cythereia Cypros,
Luxuriæ fiet tam bona causa meæ.

Epigramma XLVI.—*Ad Cestum puerum.*

Quanta tua est probitas, quanta est infantia formæ
Ceste puer, puero castior Hippolyto!
Te secum Diana velit, Dorisque natare:
Te Cybele totum mallet habere Phryga
Tu Ganymedeo poteras succedere lecto, 5
Sed durus domino basia sola dares.
Felix, quæ tenerum vexabit sponsa maritum,
Et quæ te faciet prima puella virum!

Epigramma XLVII.—*In varie se tondentem.*

Pars maxillarum tonsa est tibi, pars tibi rasa est,
Pars vulsa est: unum quis putet esse caput?

Epigramma XLVIII.—*De abolla Crispini.*

Nescit cui dederit Tyriam Crispinus abollam,
Dum mutat cultus, induiturque togam.
Quisquis habes, humeris sua munera redde, precamur
Non hoc Crispinus te, sed abolla, rogat.

Non quicunque capit saturatas murice vestes: 5
Nec nisi deliciis convenit iste color.
Si te præda juvat, fœdique insania lucri,
Qua possis melius fallere, sume togam.

Epigramma XLIX.—*De Aspro.*

Formosam plane, sed cæcus diligit Asper.
Plus ergo, ut res est, quam videt Asper, amat.

Epigramma L.—*Ad Cæsarem Domitianum.*

Quanta Gigantei memoratur mensa triumphi,
Quantaque nox superis omnibus illa fuit,
Qua bonus accubuit genitor cum plebe deorum,
Et licuit Faunis poscere vina Jovem;
Tanta tuas, Cæsar celebrant convivia laurus: 5
Exhilarant ipsos gaudia nostra deos. [que,
Vescitur omnis eques tecum, populusque, patres-
Et capit ambrosias cum duce Roma dapes.
Grandia pollicitus, quanto majora dedisti!
Promissa est nobis sportula, recta data est. 10

Epigramma LI.—*De phiala Instantii Rufi.*

Quis labor in phiala? docti Myos, anne Myronis?
Mentoris hæc manus est, an, Polyclete, tua?
Livescit nulla caligine fusca, nec odit
Exploratores nubila massa focos.
Vera minus flavo radiant electra metallo, 5
Et niveum felix pustula vincit ebur.
Materiæ non cedit opus: sic alligat orbem,
Plurima cum tota lampade Luna nitet.
Stat caper Æolio Thebani vellere Phryxi
Cultus: ab hoc mallet vecta fuisse soror 10
Hunc nec Cinyphius tonsor violaverit, et tu
Ipse tua pasci vite, Lyæe, velis.
Terga premit pecoris geminis Amor aureus alis:
Palladius tenero lotos ab ore sonat.
Sic Methymnæo gavisus Arione delphin 15
Languida non tacitum per freta vexit onus.
Imbuat egregium digno mihi nectare munus
Non grege de domini, sed tua, Ceste, manus.
Ceste decus mensæ, misce Setina: videtur
Ipse puer nobis, ipse sitire caper. 20
Det numerum cyathis Instanti littera Rufi.
Auctor enim tanti muneris ille mihi.
Si Telethusa venit, promissaque gaudia porta',
Servabor dominæ, Rufe, triente tuo. 24
Si dubia est, septunce trahar: si fallit amantem,
Ut jugulem curas, nomen utrumque bibam

Epigramma LII.—*Ad Cædicianum.*

Tonsorem puerum, sed arte talem,
Qualis nec Thalamus fuit Neronis,
Drusorum cui contigere barbæ,
Æquandas semel in genas rogatus,
Rufo, Cædiciane, commodavi. 5
Dum jussus repetit pilos eosdem,
Censura speculi manum regente,
Expingitque cutem, facitque longam
Detonsis epaphæresim capillis;
Barbatus mihi tonsor est reversus. 10

Epigramma LIII.—*In Catullam*

Formosissima quæ fuere, vel sunt,
Sed vilissima quæ fuere, vel sunt,
O quam te fieri, Catulla, vellem
Formosam minus, aut magis pudicam!

Epigramma LIV.—*Ad Cæsarem Domitianum.*

Magna licet toties tribuas, majora daturus
Dona, ducum victor, victor et ipse tui,
Diligeris populo non propter præmia, Cæsar,
Propter te populus præmia, Cæsar, amat.

Epigramma LV.—*Ad eundem, de leone.*

Auditur quantum Massyla per avia murmur,
Innumero quoties sylva leone furit,
Pallidus attonitos ad Pœna mapalia pastor
Cum revocat tauros, et sine mente pecus;
Tantus in Ausonia fremuit modo terror arena 5
Quis non esse gregem crederet? unus erat:
Sed cujus tremerent ipsi quoque jura leones,
Cui diadema daret marmore picta Nomas.
O quantum per colla decus, quem sparsit honorem,
Aurea lunatæ cum stetit umbra jubæ! 10
Grandia quam decuit latum venabula pectus,
Quantaque de magna gaudia morte tulit!
Unde tuis, Libye, tam felix gloria sylvis?
A Cybeles numquid venerat ille jugis?
An magis Herculeo, Germanice, misit ab astro
Hanc tibi vel frater, vel pater ipse feram? 16

Epigramma LVI.—*Ad Flaccum.*

Temporibus nostris ætas cum cedat avorum,
Creverit et major cum duce Roma suo;
Ingenium sacri miraris abesse Maronis,
Nec quenquam tanta bella sonare tuba.
Sint Mecænates, non deerunt, Flacce, Marones,
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt. 6
Jugera perdiderat miseræ vicina Cremonæ,
Flebat et abductas Tityrus æger oves.
Risit Tuscus eques, paupertatemque malignam
Repulit, et celeri jussit abire fuga. 10
Accipe divitias, et vatum maximus esto.
Tu licet et nostrum, dixit, Alexin ames.
Adstabat domini mensis pulcherrimus ille,
Marmorea fundens nigra Falerna manu;
Et libata dabat roseis carchesia labris, 15
Quæ poterant ipsum sollicitare Jovem.
Excidit attonito pinguis Galatea poetæ,
Thestylis et rubras messibus usta genas:
Protinus Italiam concepit et arma virumque,
Qui modo vix culicem fleverat ore rudi. 20
Quid Varos, Marsosque loquar, ditataque vatum
Nomina, magnus erit quos numerare labor?
Ergo ero Virgilius, si munera Mecænatis
Des mihi? Virgilius non ero, Marsus ero.

Epigramma LVII.—*De Picente.*

Tres habuit dentes, pariter quos exspuit omnes
Ad tumulum Picens dum sedet ipse suum;
Collegitque sinu fragmenta novissima laxi
Oris, et aggesta contumulavit humo.
Ossa licet quondam defuncti non legat hæres; 5
Hoc sibi jam Picens præstitit officium.

Epigramma LVIII.—*In Artemidorum.*

Cum tibi tam crassæ sint, Artemidore, lacernæ,
Possim te Sagarim jure vocare meum.

Epigramma LIX.—*In luscum furem.*

Adspicis hunc uno contentum lumine, cujus
Lippa sub attrita fronte lacuna patet?
Ne contemne caput; nihil est furacius illo:
Non fuit Autolyci tam piperata manus.
Hunc tu convivam cautus servare memento: 5
Tunc furit, atque oculo luscus utroque videt.
Pocula solliciti perdunt ligulasque ministri,
Et latet in tepido plurima mappa sinu.
Lapsa nec a cubito subducere pallia nescit,
Et tectus læ.'s sæpe duabus abit. 10

Nec dormitantem vernam fraudare lucerna
Erubuit fallax, ardeat illa licet.
Si nihil invasit, puerum tunc arte dolosa
Circuit, et soleas surripit ipse suas.

Epigramma LX.—*In Claudiam.*

Summa Palatini poteras æquare Colossi,
Si fieres brevior, Claudia, sesquipedem.

Epigramma LXI.—*Ad Severum, de Carino.*

Livet Carinus, rumpitur, furit, plorat,
Et quærit altos, unde pendeat, ramos;
Non jam quod orbe cantor et legor toto,
Nec umbilicis quod decorus et cedro
Spargor per omnes, Roma quas tenet, gentes: 5
Sed quod sub urbe rus habemus æstivum,
Vehimurque mulis non, ut ante, conductis.
Quid imprecabor, o Severe, liventi?
Hoc opto; mulas habeat, et suburbanum.

Epigramma LXII.—*De Picente.*

Scribit in aversa Picens epigrammata charta;
Et dolet, averso quod facit illa deo.

Epigramma LXIII.—*De Aulo.*

Thestylon Aulus amat, sed nec minus ardet Alexin:
Forsitan et nostrum sic Hyacinthon amat.
I nunc et dubita, vates an diligat ipsos,
Delicias vatum cum meus Aulus amet.

Epigramma LXIV.—*In Clytum.*

Ut poscas, Clyte, munus, exigasque,
Uno nasceris octies in anno;
Et solas, puto, tresve quatuorve
Non natalitias habes Calendas.
Sit vultus tibi lævior licebit 5
Tritis littoris aridi lapillis;
Sit moro coma nigrior caduco;
Vincas mollitie tremente plumas,
Aut massam modo lactis alligati;
Et talis tumor excitet papillas, 10
Quales cruda viro puella servat:
Tu nobis, Clyte, jam senex videris.
Tam multos quis enim fuisse credat
Natales Priamive, Nestorisve?
Sit tandem pudor, et modus rapinis. 15
Quod si ludis adhuc, semelque nasci
Uno jam tibi non sat est in anno;
Natum te, Clyte, nec semel putabo.

Epigramma LXV.—*Ad Domitianum*

Hic ubi Fortunæ Reducis fulgentia late
Templa nitent, felix area nuper erat:
Hic stetit Arctoi formosus pulvere belli
Purpureum fundens Cæsar ab ore jubar.
Hic lauro redimita comas, et candida cultu 5
Roma salutavit voce manuque ducem.
Grande loci meritum testantur et altera dona:
Stat sacer edomitis gentibus arcus ovans. [tem:
Hic gemini currus numerant elephanta frequen-
Sufficit immensis aureus ipse jugis. 10
Hæc est digna tuis, Germanice, porta triumphis:
Hos aditus urbem Martis habere decet.

Epigramma LXVI.—*De consulatu Silii*

Augusto pia thura, victimasque
Pro nostro date Silio, Camœnæ.
Bis senos jubet en redire fasces
Nato consule nobilique virga
Vatis Castaliam domum sonare 5
Rerum prima salus et una Cæsar,
Gaudenti superest adhuc quod optet
Felix purpura, tertiusque consul.
Pompeio dederit licet senatus,
Et Cæsar genero sacros honores, 10
Quorum pacificus ter ampliavit
Janus nomina; Silius frequentes
Mavult sic numerare consulatus.

Epigramma LXVII.—*In Cæcilianum.*

Horas quinque puer nondum tibi nunciat, et tu
Jam conviva mihi, Cæciliane, venis:
Cum modo distulerint raucæ vadimonia quartæ,
Et Floralitias lasset arena feras.
Curre age, et illotos revoca, Calliste, ministros:
Sternantur lecti: Cæciliane, sede. 6
Caldam poscis aquam; sed nondum frigida venit:
Alget adhuc nudo clausa culina foco.
Mane veni potius: nam cur te quinta moretur?
Ut jentes, sero, Cæciliane, venis. 10

Epigramma LXVIII.—*Ad Entellum.*

Qui Corcyræi vidit pomaria regis,
Rus, Entelle, tuæ præferat ille domus.
Invida purpureos urat ne bruma racemos,
Et gelidum Bacchi munera frigus edat;
Condita perspicua vivit vindemia gemma, 5
Et tegitur felix, nec tamen uva latet.
Fœmineum lucet sic per bombycina corpus:
Calculus in nitida sic numeratur aqua.
Quid non ingenio voluit natura licere?
Auctumnum sterilis ferre jubetur hiems. 10

Epigramma LXIX.—*In Vacerram.*

Miraris veteres, Vacerra, solos,
Nec laudas nisi mortuos poetas.
Ignoscas petimus, Vacerra: tanti
Non est, ut placeam tibi, perire.

Epigramma LXX.—*De Nerva.*

Quanta quies placidi, tanta est facundia, Nervæ;
Sed cohibet vires ingeniumque pudor.
Cum siccare sacram largo Permessida posset
Ore, verecundam maluit esse sitim;
Pieriam tenui frontem redimire corona 5
Contentus, famæ nec dare vela suæ. [lum
Sed tamen hunc nostri scit temporis esse Tibul-
Carmina qui docti nota Neronis habet.

Epigramma LXXI.—*In Postumianum*

Quatuor argenti libras mihi tempore brumæ
Misisti ante annos, Postumiane, decem.
Speranti plures (nam stare, aut crescere debent
Munera) venerunt plusve minusve duæ.
Tertius et quartus multo inferiora tulerunt. 5
Libra fuit quinto Septitiana: quid est?
Bessalem ad scutulam sexto pervenimus anno
Post hunc in cotyla rasa selibra data est.
Octavus ligulam misit sextante minorem:
Nonus acu levius vix cochleare tulit. 10
Quod mittat nobis, decimus jam non habet annus
Quatuor ad libras, Postumiane, redi.

Epigramma LXXII.—*Ad librum suum*

Nondum murice cultus, asperoque
Morsu pumicis aridi politus,
Artanum properas sequi, libelle;
Quem pulcherrima jam redire Narbo
Docti Narbo Paterna Votieni 5

Ad leges jubet annuosque fasces:
Votis quod paribus tibi petendum est,
Continget locus ille, et hic amicus.
Quam vellem fieri meus libellus!

Epigramma LXXIII.—*Ad Instantium.*

Instanti, quo nec sincerior alter habetur
Pectore, nec nivea simplicitate prior;
Si dare vis nostræ vires animosque Thaliæ,
Et victura petis carmina; da quod amem.
Cynthia te vatem fecit, lascive Properti: 5
Ingenium Galli pulchra Lycoris erat.
Fama est arguti Nemesis formosa Tibulli:
Lesbia dictavit, docte Catulle, tibi.
Non me Peligni, nec spernet Mantua vatem,
Si qua Corinna mihi, si quis Alexis erit. 10

Epigramma LXXIV.—*In malum medicum.*

Hoplomachus nunc es, fueras ophthalmicus ante:
Fecisti medicus, quod facis hoplomachus.

Epigramma LXXV.—*De Gallo Lingono.*

Dum repetit sera conductos nocte penates
Lingonus a Tecta Flaminiaque recens,
Expulit offenso vitiatum pollice talum,
Et jacuit toto corpore fusus humi.
Quid faceret Gallus? qua se ratione moveret? 5
Ingenti domino servulus unus erat, [nam:
Tam macer, ut minimam posset vix ferre lucer-
Succurrit misero casus, opemque tulit.
Quatuor inscripti portabant vile cadaver,
Accipit infelix qualia mille rogus. 10
Hos comes invalidus submissa voce precatur,
Ut quocunque velint, corpus inane ferant.
Permutatur onus, stipataque tollitur alte
Grandis in angusta sarcina sandapila.
Hic mihi de multis unus, Lucane, videtur: 15
Cui merito dici, Mortue Galle, potest.

Epigramma LXXVI.—*In Gallicum.*

Dic verum mihi, Marce, dic amabo;
Nil est, quod magis audiam libenter:
Sic et cum recitas tuos libellos,
Et causam quoties agis clientis,
Oras, Gallice, me rogasque semper. 5
Durum est me tibi, quod petis, negare.
Vero verius ergo quid sit, audi:
Verum, Gallice, non libenter audis.

Epigramma LXXVII.—*Ad Liberum amicum*

Liber, amicorum dulcissima cura tuorum,
Liber, in æterna vivere digne rosa;
Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo
Splendeat, et cingant florea serta caput.
Candida nigrescant vetulo crystalla Falerno, 5
Et caleat blando mollis amore torus.
Qui sic vel medio finitus vixit in ævo,
Longior huic facta est, quam data vita fuit.

Epigramma LXXVIII.—*De ludis Stellæ.*

Quos cuperet Phlegræa suos victoria ludos,
Indica quos cuperet pompa, Lyæe, tuos,
Fecit Hyperborei celebrator Stella triumphi:
O pudor! o pietas! et putat esse parum.
Non illi satis est turbato sordidus auro 5
Hermus, et Hesperio qui sonat orbe Tagus.
Omnis habet sua dona dies, nec linea dives
Cessat; et in populum multa rapina cadit.
Nunc veniunt subitis lasciva numismata nimbis:
Nunc dat spectatas tessera larga feras. 10
Nunc implere sinus securos gaudet, et absens
Sortitur dominos, ne laceretur, avis.
Quid numerem currus, terdenaque præmia palmæ,
Quæ dare non semper consul uterque solet?
Omnia sed, Cæsar, tanto superantur honore, 15
Quod spectatorem te tua laurus habet.

Epigramma LXXIX.—*In Fabullam.*

Omnes aut vetulas habes amicas,
Aut turpes, vetulisque fœdiores:
Has ducis comites, trahisque tecum
Per convivia, porticus, theatra.
Sic formosa, Fabulla, sic puella es. 5

Epigramma LXXX.—*Ad Domitianum*

Sanctorum nobis miracula reddis avorum,
Nec pateris, Cæsar, sæcula cana mori;
Cum veteres Latiæ ritus renovantur arenæ,
Et pugnat virtus simpliciore manu.
Sic priscis servatur honos te præside templis, 5
Et casa tam culto sub Jove numen habet.
Sic nova dum condis, revocas, Auguste, priora:
Debentur quæ sunt, quæque fuere, tibi.

Epigramma LXXXI.—*De Gellia*

Non per mystica sacra Dindymenes,
Nec per Niliacæ bovem juvencæ,
Nullos denique per deos deasque
Jurat Gellia: sed per uniones.
Hos amplectitur, hos deosculatur: 5
Hos fratres vocat, hos vocat sorores:
Hos natis amat acrius duobus.
His si quo careat misella casu,
Victuram negat esse se nec horam
Eheu quam bene nunc, Papiriane, 10
Annæi faceret manus Sereni?

Epigramma LXXXII.—*Ad Domitianum.*

Dante tibi turba querulos, Auguste, libellos,
Nos quoque, qui domino carmina parva damus
Posse deum rebus pariter Musisque vacare
Scimus; et hæc etiam serta placere tibi.
Fer vates, Auguste, tuos: nos gloria dulcis, 5
Nos tua cura prior, deliciæque sumus.
Non quercus te sola decet, nec laurea Phœbi:
Fiat et ex hedera civica nostra tibi.

LIBER NONUS.

MARTIALIS TURANIO SUO S.

Ave, mi Turani, frater carissime. Epigramma, quod extra ordinem paginarum est, ad Stertinium clarissimum virum scripsimus, qui imaginem meam ponere in bibliotheca sua voluit. De quo scribendum tibi putavi, ne ignorares Avitus iste quis vocaretur. Vale, et para hospitium.

Epigramma I.—*Ad Avitum.*

Note, licet nolis, sublimi pectore vates,
Cui referet serus præmia digna cinis,
Hoc tibi sub nostra breve carmen imagine vivat,
Quam non obscuris jungis, Avite, viris.
Ille ego sum nulli nugarum laude secundus, 5
Quem non miraris, sed, puto, lector, amas.
Majores majora sonent: mihi parva locuto
Sufficit in vestras sæpe redire manus.

Epigramma II.—*De templo Flaviæ gentis.*

Dum Janus hiemes, Domitianus autumnos,
Augustus annis commodabit æstates:
Dum grande famuli nomen adseret Rheni
Germanicarum magna lux Calendarum:
Tarpeia summi saxa dum patris stabunt: 5
Dum voce supplex, dumque thure placabit
Matrona divæ dulce Juliæ numen:
Manebit altum Flaviæ decus gentis,
Cum sole, et astris, cumque luce Romana.
Invicta quicquid condidit manus, cœlum est. 10

Epigramma III.—*In Lupum.*

Pauper amicitiæ cum sis, Lupe, non es amicæ,
Et queritur de te mentula sola nihil.
Illa siligineis pinguescit adultera cunnis;
Convivam pascit nigra farina tuum.
Incensura nives dominæ Setina liquantur; 5
Nos bibimus Corsi pulla venena cadi.
Empta tibi nox est fundis non tota paternis;
Haud sua desertus rura sodalis arat.
Splendet Erythræis pellucida mœcha lapillis;
Ducitur addictus, te futuente, cliens. 10
Octo Syris suffulta datur lectica puellæ;
Nudum sandapilæ pondus amicus erit.
I nunc, et miseros, Cybele, præcide cinædos:
Hæc erat, hæc cultris mentula digna tuis.

Epigramma IV.—*Ad Domitianum.*

Quantum jam superis, Cæsar, cœloque dedisti,
Si repetas, et si creditor esse velis;
Grandis in ætherio licet auctio fiat Olympo,
Coganturque dei vendere quicquid habent,
Conturbabit Atlas, et non erit uncia tota, 5
Decidat tecum qua pater ipse deûm.
Pro Capitolinis quid enim tibi solvere templis,
Quid pro Tarpeiæ frondis honore potest?
Quid pro culminibus geminis matrona Tonantis?
Pallada prætereo: res agit illa tuas. 10
Quid loquar Alciden, Phœbumque, piosque Laconas?
Addita quid Latio Flavia templa polo?
Exspectes, et sustineas, Auguste, necesse est:
Nam tibi quod solvat non habet arca Jovis.

Epigramma V.—*In Æschylum.*

Aureolis futui cum possit Galla duobus,
Et plus quam futui, si totidem addideris:
Aureolos a te cur accipit, Æschyle, denos?
Non fellat tanti Galla: quid ergo? tacet.

Epigramma VI.—*In Paullam.*

Nubere vis Prisco: non miror, Paulla: sapisti
Ducere te non vult Priscus: et ille sapit.

Epigramma VII.—*Ad Domitianum.*

Tibi, summe Rheni domitor, et parens orbis,
Pudice princeps, gratias agunt urbes;
Populos habebunt: parere jam scelus non est.
Non puer avari sectus arte mangonis
Virilitatis damna mæret ereptæ: 5
Nec quam superbus computet stipem leno,
Dat prostituto misera mater infanti.
Qui nec cubili fuerat ante te quondam
Pudor, esse per te cœpit et lupanari.

Epigramma VIII.—*In Afrum.*

Dicere de Libycis reduci tibi gentibus, Afer,
Continuis volui quinque diebus Ave.
Non vacat, aut dormit, dictum bis terque reverso.
Jam satis est: non vis, Afer, avere: Vale.

Epigramma IX.—*Ad Domitianum.*

Tanquam parva foret sexus injuria nostri
Fœdandos populo prostituisse mares;
Jam cunæ lenonis erant, ut ab ubere raptus
Sordida vagitu posceret æra puer.
Immatura dabant infandas corpora pœnas. 5
Non tulit Ausonius talia monstra pater:
Idem qui teneris nuper succurrit ephebis,
Ne faceret steriles sæva libido viros.
Dilexere prius pueri, juvenesque, senesque:
At nunc infantes te quoque, Cæsar, amant. 10

Epigramma X.—*Ad Bithynicum.*

Nil tibi legavit Fabius, Bithynice, cui tu
Annua, si memini, millia sena dabas.
Plus nulli dedit ille: queri, Bithynice, noli:
Annua legavit millia sena tibi.

Epigramma XI.—*In Cantharum*

Cœnes, Canthare, cum foris libenter,
Clamas, et maledicis, et minaris.
Deponas animos truces, monemus:
Liber non potes, et gulosus esse.

Epigramma XII.—*De Earino Domitiani.*

Nomen cum violis rosisque natum,
Quo pars optima nuncupatur anni;
Hyblam quod sapit, Atticosque flores,
Quod nidos olet alitis superbæ:
Nomen nectare dulcius beato, 5
Quo mallet Cybeles puer vocari,

Et qui pocula temperat Tonanti
Quod si Parrhasia sones in aula,
Respondent Veneres, Cupidinesque:
Nomen nobile, molle, delicatum 10
Versu dicere non rudi volebam:
Sed tu syllaba contumax repugnas.
Dicunt Earinon tamen poetæ,
Sed Græci, quibus est nihil negatum,
Et quis Ἄρες Ἄρες licet sonare; 15
Nobis non licet esse tam disertis,
Qui Musas colimus severiores.

Epigramma XIII.—*De eodem.*

Si daret autumnus mihi nomen, ὀπώρινος essem:
Horrida si brumæ sidera, χειμέρινος:
Dictus ab æstivo θέρινος tibi mense vocarer:
Tempora cui nomen verna dedere, quis est?

Epigramma XIV.—*De eodem.*

Nomen habes, teneri quod tempora nuncupat anni,
Cum breve Cecropiæ ver populantur apes:
Nomen, Acidalia meruit quod arundine pingi,
Quod Cytherea sua scribere gaudet acu:
Nomen, Erythræis quod littera facta lapillis, 5
Gemma quod Heliadum pollice trita notet:
Quod penna scribente grues ad sidera tollant:
Quod decet in sola Cæsaris esse domo.

Epigramma XV.—*In amicum cœnipetam.*

Hunc, quem cœna tibi, quem mensa paravit ami-
Esse putas fidæ pectus amicitiæ? [cum,
Aprum amat, et mullos, et sumen, et ostrea, non
Tam bene si cœnem, noster amicus erit. [te.

Epigramma XVI.—*De Chloe.*

Inscripsit tumulo septem celebrata virorum
Se fecisse Chloe: quid pote simplicius?

Epigramma XVII.—*De coma Earini.*

Consilium formæ speculum, dulcesque capillos
Pergameo posuit dona sacrata deo,
Ille puer tota domino gratissimus aula,
Nomine qui signat tempora verna suo.
Felix, quæ tali censetur munere tellus! 5
Nec Ganymedeas mallet habere comas.

Epigramma XVIII.—*De eadem ad Æsculapium.*

Latonæ venerande nepos, qui mitibus herbis
Parcarum exoras pensa, brevesque colos;
Hos tibi laudatos domino sua vota capillos
Ilie tuus Latia misit ab urbe puer.
Addidit et nitidum sacratis crinibus orbem, 5
Quo felix facies judice culta fuit.
Tu juvenile decus serva, ne pulchrior ille
In longa fuerit quam breviore coma.

Epigramma XIX.—*Ad Cæsarem Domitianum.*

Est mihi, sitque precor longum te præside, Cæsar,
Rus minimum, parvi sunt et in urbe lares.
Sed de valle brevi, quas det sitientibus hortis,
Curva laboratas antlia tollit aquas.
Sicca domus queritur nullo se rore foveri, 5
Cum mihi vicino Martia fonte sonet.
Quam dederis nostris, Auguste, penatibus undam,
Castalis hæc nobis, aut Jovis imber erit.

Epigramma XX.—*In Sabellum.*

Laudas balnea versibus trecentis
Cœnantis bene Pontici, Sabelle.
Vis cœnare, Sabelle, non lavari.

Epigramma XXI.—*Ad Domitianum.*

Hæc, quæ tota patet, tegiturque et marmore et
Infantis Domini conscia terra fuit. [auro,
Felix, quæ tantis sonuit vagitibus, et quæ
Vidit reptantes, sustinuitque manus!
Hic steterat veneranda domus, quæ præstitit orbi,
Quod Rhodos, astrifero quod pia Creta polo. 6
Curetes texere Jovem crepitantibus armis,
Semiviri poterant qualia ferre Phryges.
At te protexit superûm pater, et tibi, Cæsar,
Pro jaculo et parma, fulmen et ægis erat. 10

Epigramma XXII.—*Ad Auctum.*

Artemidorus habet puerum; sed vendidit agrum.
Agrum pro puero Calliodorus habet.
Dic, uter ex istis melius rem gesserit, Aucte?
Artemidorus amat, Calliodorus arat.

Epigramma XXIII.—*Ad Pastorem.*

Credis ob hoc me, Pastor, opes fortasse rogare,
Propter quod vulgus crassaque turba rogat:
Ut Setina meos consumat gleba ligones,
Et sonet innumera compede Tuscus ager:
Ut Mauri Libycis centum stent dentibus orbes,
Et crepet in nostris aurea lamna toris: 6
Nec labris nisi magna meis crystalla terantur,
Et faciant nigras nostra Falerna nives:
Ut Canusinatus nostro Syrus assere sudet,
Et mea sit culto sella cliente frequens: 10
Æstuet ut nostro madidus conviva ministro,
Quem permutatum nec Ganymede velim:
Ut lutulenta linat Tyrias mihi mula lacernas,
Et Massyla meum virga gubernet equum.
Est nihil ex istis: superos ac sidera testor. 15
Ergo quid? ut donem, Pastor, et ædificem.

Epigramma XXIV.—*Ad Carum.*

O cui virgineo flavescere contigit auro,
Dic ubi Palladium sit tibi, Care, decus?
Adspicis en domini fulgentes marmore vultus;
Venit ad has ultro nostra corona comas.
Albanæ livere potest pia quercus olivæ, 5
Cinxerit invictum quod prior illa caput.

Epigramma XXV.—*Ad eundem.*

Quis Pallatinos imitatus imagine vultus
Phidiacum Latio marmore vicit ebur?
Hæc mundi facies; hæc sunt Jovis ora sereni:
Sic tonat ille deus, cum sine nube tonat.
Non solam tribuit Pallas tibi, Care, coronam: 5
Effigiem domini, quam colis, illa dedit.

Epigramma XXVI.—*In Afrum.*

Dantem vina tuum quoties adspeximus Hyllum,
Lumine nos, Afer, turbidiore notas. [nistrum?
Quod, rogo, quod scelus est, mollem spectare mi-
Adspicimus solem, sidera, templa, deos.
Avertam vultus, tanquam mihi pocula Gorgon
Porrigat, atque oculos oraque nostra tegam? 6
Trux erat Alcides: sed Hylam spectare licebat.
Ludere Mercurio cum Ganymede licet.
Si non vis teneros spectet conviva ministros,
Phineas invites, Afer, et Œdipodas. 10

Epigramma XXVII.—*De Nerva.*

Audet facundo qui carmina mittere Nervæ,
Pallida donabit glaucia, Cosme, tibi:
Pæstano violas et cana ligustra colono,
Hyblæis apibus Corsica mella dabit.

Sed tamen et parvæ nonnulla est gratia Musæ: 5
Appetitur posito vilis oliva lupo.
Nec tibi sit mirum, modici quod conscia vatis
Judicium metuat nostra Thalia tuum.
Ipse tuas etiam veritus Nero dicitur aures,
Lascivum juvenis cum tibi lusit opus. 10

Epigramma XXVIII.—*In Chrestum.*

Cum depilatos, Chreste, coleos portes,
Et vulturino mentulam parem collo,
Et prostitutis lævius caput culis,
Nec vivat ullus in tuo pilus crure,
Purgentque crebræ cana labra volsellæ; 5
Curios, Camillos, Quintios, Numas, Ancos,
Et quicquid usquam legimus pilosorum
Loqueris, sonasque grandibus minax verbis;
Et cum theatris sæculoque rixaris.
Occurrit aliquis inter ista si draucus, 10
Jam pædagogo liberatus, et cujus
Refibulavit turgidum faber penem:
Nutu vocatum ducis, et pudet fari,
Catoniana, Chreste, quod facis lingua.

Epigramma XXIX.—*Epitaphium Latini.*

Dulce decus scenæ, ludorum fama, Latinus
Ille ego sum, plausus deliciæque tuæ:
Qui spectatorem potui fecisse Catonem,
Solvere qui Curios Fabriciosque graves.
Sed nihil a vestro sumpsit mea vita theatro, 5
Et sola tantum scenicus arte feror:
Nec poteram gratus domino sine moribus esse:
Interius mentes inspicit ille deus.
Vos me laurigeri parasitum dicite Phœbi,
Roma sui famulum dum sciat esse Jovis. 10

Epigramma XXX.—*Epitaphium Philænis.*

Sæcula Nestoreæ permensa, Philæni, senectæ,
Rapta es ad infernas tam cito Ditis aquas?
Euboicæ nondum numerabas longa Sibyllæ
Tempora: major erat mensibus illa tribus.
Heu quæ lingua silet! non illam mille catastæ 5
Vincebant, nec quæ turba Serapin amat:
Nec matutini cirrata caterva magistri,
Nec quæ Strymonio de grege ripa sonat.
Quæ nunc Thessalico Lunam deducere rhombo,
Quæ sciet hos illos vendere lena toros? 10
Sit tibi terra levis, mollique tegaris arena,
Ne tua non possint eruere ossa canes.

Epigramma XXXI.—*In pietatem Nigrinæ.*

Cappadocum sævis Antistius occidit oris
Rusticus: o tristi crimine terra nocens!
Retulit ossa sinu cari Nigrina mariti,
Et questa est longas non satis esse vias:
Cumque daret sanctam tumulis, quibus invidet, [urnam,
Visa sibi est rapto bis viduata viro.

Epigramma XXXII.—*De Velii voto.*

Dum comes Arctois hæreret Cæsaris armis
Velius, hanc Marti pro duce vovit avem.
Luna quater binos non tota peregerat orbes;
Debita poscebat jam sibi vota deus.
Ipse suas anser properavit lætus ad aras, 5
Et cecidit sanctis hostia parva focis.
Octo vides patulo pendere numismata rostro
Alitis? hæc extis condita nuper erant.
Quæ litat argento pro te, non sanguine, Cæsar,
Victima, jam ferro non opus esse docet. 10

Epigramma XXXIII.—*Qualem velit amicam*

Hanc volo, quæ facilis, quæ palliolata vagatur.
Hanc volo, quæ puero jam dedit ante meo;
Hanc volo, quam redimit totam denarius alter:
Hanc volo, quæ pariter sufficit una tribus.
Poscentem nummos, et grandia verba sonantem,
Possideat crassi mentula Burdigali. 6

Epigramma XXXIV.—*Ad Flaccum.*

Audieris in quo, Flacce, balneo plausum,
Maronis illic esse mentulam scito.

Epigramma XXXV.—*De templo gentis Flaviæ.*

Jupiter Idæi risit mendacia busti,
Dum videt Augusti Flavia templa poli:
Atque inter mensas largo jam nectare fusus,
Pocula cum Marti traderet ipse suo;
Respiciens Phœbum pariter Phœbique sororem,
Cum quibus Alcides, et pius Arcas erat: 6
Gnossia vos, inquit, nobis monumenta dedistis:
Cernite, quam plus sit Cæsaris esse patrem

Epigramma XXXVI.—*In Philomusum.*

Artibus his semper cœnam, Philomuse, mereris;
Plurima dum fingis, sed quasi vera refers.
Seis, quid in Arsacia Pacorus deliberet aula;
Rhenanam numeras, Sarmaticamque manum
Verba ducis Daci chartis mandata resignas; 5
Victricem laurum, quam venit, ante vides.
Scis, quoties Phario madeat Jove fusca Syene:
Scis, quota de Libyco littore puppis eat:
Cujus Iuleæ capiti nascantur olivæ;
Destinet ætherius cui sua serta pater. 10
Tolle tuas artes, hodie cœnabis apud me,
Hac lege, ut narres nil, Philomuse, novi.

Epigramma XXXVII.—*Colloquium Ganymedis et Jovis super Earino et aliis Domitiani pueris.*

Viderat Ausonium posito modo crine ministrum
Phryx puer, alterius gaudia nota Jovis:
Quod tuus, ecce, suo Cæsar permisit ephebo,
Tu permitte tuo, maxime rector, ait.
Jam mihi prima latet longis lanugo capillis: 5
Jam tua me ridet Juno, vocatque virum.
Cui pater æthereus, Puer o dulcissime, dixit,
Non ego, quod poscis, res negat ipsa tibi.
Cæsar habet noster similes tibi mille ministros,
Tantaque sidereos vix capit aula mares. 10
At tibi si dederit vultus coma tonsa viriles,
Quis mihi, qui nectar misceat, alter erit?

Epigramma XXXVIII.—*In Gallam*

Cum sis ipsa domi, mediaque ornere Suburra,
Fiant absentes et tibi, Galla, comæ;
Nec dentes aliter, quam Serica, nocte reponas,
Et jaceas centum condita pyxidibus;
Nec tecum facies tua dormiat; innuis illo, 5
Quod tibi prolatum est mane, supercilio.
Et te nulla movet cani reverentia cunni,
Quem potes inter avos jam numerare tuos.
Promittis sexcenta tamen: sed mentula surda est;
Et, sit lusca licet, te tamen illa videt. 10

Epigramma XXXIX.—*Ad Agathinum.*

Summa licet velox, Agathine, pericula ludas;
Non tamen efficies, ut tibi parma cadat.
Nolentem sequitur, tenuesque reversa per auras
Vel pede, vel tergo, clune, vel ungue sedet.

Lubrica Corycio quamvis sint pulpita nimbo, 5
Et rapiant celeres vela negata Noti;
Securos pueri neglecta perambulat artus,
Et nocet artifici ventus et unda nihil.
Ut peccare velis, cum feceris omnia, falli
Non potes: arte opus est, ut tibi parma cadat.

Epigramma XL.—*De natali Cæsoniæ.*

Prima Palatino lux est hæc orta Tonanti,
Optasset Cybele qua peperisse Jovem.
Hac et sancta mei genita est Cæsonia Rufi
Plus debet matri nulla puella suæ.
Lætatur gemina votorum sorte maritus, 5
Contigit hunc illi quod bis amare diem.

Epigramma XLI.—*De Diodoro et voto Philænis uxoris.*

Tarpeias Diodorus ad coronas
Romam cum peteret Pharo relicta,
Vovit pro reditu viri Philænis,
Illam lingeret ut puella simplex,
Quam castæ quoque diligunt Sabinæ: 5
Dispersa rate tristibus procellis
Mersus fluctibus, obrutusque ponto,
Ad votum Diodorus enatavit.
O tardus nimis et piger maritus!
Hoc a littore si puella votum 10
Fecisset mea, protinus redissem.

Epigramma XLII.—*In Ponticum.*

Pontice, quod nunquam futuis, sed pellice læva
Uteris, et Veneri servit amica manus, [ingens,
Hoc nihil esse putas? scelus est, mihi crede, sed
Quantum vix animo concipis ipse tuo.
Nempe semel futuit, generaret Horatius ut tres;
Mars semel, ut geminos Ilia casta daret. 6
Omnia perdiderat, si masturbatus uterque
Mandasset manibus gaudia fœda suis.
Ipsam crede tibi naturam dicere rerum:
Istud quod digitis, Pontice, perdis, homo est.

Epigramma XLIII.—*Ad Apollinem pro Stella suo.*

Campis dives, Apollo, sic marinis,
Sic semper senibus fruare cycnis;
Doctæ sic tibi serviant sorores;
Nec Delphis tua mentiatur ulli;
Sic Pallatia te colant, amentque: 5
Bis senos cito te rogante fasces
Det Stellæ bonus annuatque Cæsar
Felix tunc ego, debitorque voti
Casurum tibi rusticas ad aras
Ducam cornibus aureis juvencum. 10
Nata est hostia, Phœbe, quid moraris?

Epigramma XLIV.—*De statua Herculis.*

Hic, qui dura sedens porrecto saxa leone
Mitigat exiguo magnus in ære deus,
Quæque tulit, spectat resupino sidera vultu,
Cujus læva calet robore, dextra mero;
Non est fama recens, nec nostri gloria cœli: 5
Nobile Lysippi munus opusque vides.
Hoc habuit numen Pellæi mensa tyranni,
Qui cito perdomito victor in orbe jacet.
Hunc puer ad Libycas juraverat Hannibal aras:
Jusserat hic Syllam ponere regna trucem. 10
Offensus variæ tumidis terroribus aulæ,
Privatos gaudet nunc habitare lares.
Utque fuit quondam placidi conviva Molorchi
Sic voluit docti Vindicis esse deus.

Epigramma XLV.—*De eadem statua.*

Alciden modo Vindicis rogabam,
Esset cujus opus laborque felix.
Risit, (nam solet hoc,) levique nutu,
Græce numquid, ait, poeta, nescis?
Inscripta est basis, indicatque nomen. 5
Λυσίππου lego, Phidiæ putavi.

Epigramma XLVI.—*Ad Marcellinum.*

Miles Hyperboreos modo, Marcelline, Triones,
Et Getici tuleris sidera pigra poli:
Ecce Prometheæ rupes, et fabula montis,
Quam prope sunt oculis nunc adeunda tuis.
Videris immensis cum conclamata querelis 5
Saxa senis, dices: Durior ille fuit.
Et licet hoc addas: Potuit qui talia ferre,
Humanum merito finxerat ille genus.

Epigramma XLVII.—*In Gellium.*

Gellius ædificat semper: modo limina ponit,
Nunc foribus claves aptat, emitque seras:
Nunc has, nunc illas mutat, reficitque fenestras.
Dum tamen ædificet, quidlibet ille facit.
Oranti nummos ut dicere possit amico 5
Unum illud verbum Gellius, ædifico.

Epigramma XLVIII.—*In Pannicum.*

Democritos, Zenonas, inexplicitosque Platonas,
Quicquid et hirsutis squalet imaginibus,
Sic quasi Pythagoræ loqueris successor et hæres:
Præpendet mento nec tibi barba minor.
Sed, quod et hircosis serum est, et turpe pilosis,
In molli rigidum clune libenter habes. 6
Tu, qui sectarum causas et pondera nosti,
Dic mihi, percidi, Pannice, dogma facit?

Epigramma XLIX.—*In Gallicum.*

Hæredem cum me partis tibi, Gallice, quartæ
Per tua jurares sacra, caputque tuum;
Credidimus, (quis enim damnet sua vota libenter?)
Et spem muneribus fovimus usque datis:
Inter quæ rari Laurentem ponderis aprum 5
Misimus; Ætola de Calydone putes.
At tu continuo populumque patresque vocasti:
Ructat adhuc aprum callida Roma meum.
Ipse ego (quis credat?) conviva nec ultimus hæsi.
Sed nec costa data est, caudave missa mihi. 10
De quadrante tuo quid sperem, Gallice? nulla
De nostro nobis uncia venit apro.

Epigramma L.—*De toga a Parthenio sibi donata.*

Hæc est illa meis multum cantata libellis,
Quam meus edidicit lector amatque togam.
Partheniana fuit, quondam memorabile vatis
Munus: in hac ibam conspiciendus eques;
Dum nova, dum nitida fulgebat splendida lana, 5
Dumque erat auctoris nomine digna sui:
Nunc anus, et tremulo vix accipienda tribuli,
Quam possis niveam dicere jure tuo.
Quid non longa dies, quid non consumitis anni?
Hæc toga jam non est Partheniana: mea est.

Epigramma LI.—*In Gaurum.*

Ingenium mihi, Gaure, probas sic esse pusillum,
Carmina quod faciam, quæ brevitate placent.
Confiteor: sed tu bis denis grandia libris
Qui scribis Priami prælia, magnus homo es.
Nos facimus Bruti puerum, nos Lagona vivum:
Tu magnus luteum, Gaure, giganta facis. 6

Epigramma LII.—*De Lucano et Tullo.*

Quod semper superos invito fratre rogasti,
Hoc, Lucane, tibi contigit, ante mori.
Invidet ille tibi: Stygias nam Tullus ad undas
Optabat, quamvis sit minor, ire prior.
Tu colis Elysios, nemorisque habitator amœni 5
Esse tuo primum nunc sine fratre cupis.
Et si jam nitidis alternus venit ab astris,
Pro Polluce mones Castora, ne redeat.

Epigramma LIII.—*Ad Quintum Ovidium*

Si credis mihi, Quinte, (quod mereris,)
Natales, Ovidi, tuos Apriles,
Ut nostras amo Martias Calendas.
Felix utraque lux, diesque nobis
Signandi melioribus lapillis: 5
Hic vitam tribuit, sed hic amicum.
Plus dant, Quinte, mihi tuæ Calendæ.

Epigramma LIV.—*Ad eundem.*

Natali tibi, Quinte, tuo dare parva volebam
Munera. Tu prohibes: imperiosus homo es.
Parendum est monitis. Fiat quod uterque jubemus; [dato.
Et quod utrumque juvat, tu mihi, Quinte,

Epigramma LV.—*Ad cognatum.*

Si mihi Picena turdus palleret oliva,
Tenderet aut nostras sylva Sabina plagas;
Aut crescente levis traheretur arundine præda,
Pinguis et implicitas virga teneret aves;
Cara daret sollenne tibi cognatio munus, 5
Nec frater nobis, nec prior esset avus.
Nunc sturnos inopes, fringillarumque querelas
Audit, et arguto passere vernat ager.
Inde salutatus picæ respondet arator:
Hinc prope summa rapax milvus in astra volat.
Mittimus ergo tibi parvæ munuscula cortis, 11
Qualia si recipis, sæpe propinquus eris.

Epigramma LVI.—*Ad Flaccum.*

Luce propinquorum, qua plurima mittitur ales,
Dum Stellæ turdos, dum tibi, Flacce, paro,
Succurrit nobis ingens onerosaque turba;
In qua se primum quisque meumque putat.
Demeruisse duos votum est: offendere plures 5
Vix tutum: multis mittere dona, grave est.
Qua possum sola veniam ratione merebor:
Nec Stellæ turdos, nec tibi, Flacce, dabo.

Epigramma LVII.—*De Spendophoro.*

Spendophorus Libycas Domini petit armiger ur- [bes:
Quæ puero dones tela, Cupido, para:
Illa quibus juvenes figis, mollesque puellas:
Sit tamen in tenera lævis et hasta manu.
Loricam clypeumque tibi galeamque remitto: 5
Tutus ut invadat prælia, nudus eat.
Non jaculo, non ense fuit, læsusve sagitta,
Casside dum liber Parthenopæus erat.
Quisquis ab hoc fuerit fixus, morietur amore.
O felix, si quem tam bona fata manent! 10
Dum puer es, redeas, dum vultus lubricus; et te
Non Libye faciat, sed tua Roma, virum.

Epigramma LVIII.—*In Hedylum.*

Nil est tritius Hedyli lacernis;
Non ansæ veterum Corinthiorum,
Nec crus compede lubricum decenni,
Non ruptæ recutita colla mulæ,
Nec quæ Flaminiam secant salebræ, 5
Nec qui littoribus nitent lapilli,
Nec Tusca ligo vinea politus,
Nec pallens toga mortui tribulis,
Nec pigri rota quassa mulionis,
Nec rasum cavea latus bisontis, 10
Nec dens jam senior ferocis apri:
Res una est tamen, ipse non negabit,
Culus tritior Hedyli lacernis.

Epigramma LIX.—*Ad Nympham Sabini.*

Nympha sacri regina lacus, cui grata Sabinus
Et mansura pio munere templa dedit;
Sic montana tuos semper colat Umbria fontes,
Nec tua Baianas Sarsina malit aquas;
Excipe sollicitos placide, mea dona, libellos: 5
Tu fueris Musis Pegasis unda meis.
Nympharum templis quisquis sua carmina donat,
Quid fieri libris debeat, ipse monet.

Epigramma LX.—*In Mamurram.*

In septis Mamurra diu multumque vagatus,
Hic ubi Roma suas aurea vexat opes,
Inspexit molles pueros, oculisque comedit:
Non hos, quos primæ prostituere casæ;
Sed quos arcanæ servant tabulata catastæ, 5
Et quos non populus, nec mea turba videt.
Inde satur, mensas, et opertos exuit orbes,
Expositumque alte pingue poposcit ebur:
Et testudineum mensus quater hexaclinon,
Ingemuit citro non satis esse suo. 10
Consuluit nares, an olerent æra Corinthon:
Culpavit statuas et, Polyclete, tuas.
Et turbata brevi questus crystallina vitro,
Myrrhina signavit seposuitque decem.
Expendit veteres calathos, et si qua fuerunt 15
Pocula Mentorea nobilitata manu:
Et virides picto gemmas numeravit in auro,
Quicquid et a nivea grandius aure sonat.
Sardonychas veros mensa quæsivit in omni,
Et pretium magnis fecit iaspidibus. 20
Undecima lassus cum jam discederet hora,
Asse duos calices emit, et ipse tulit.

Epigramma LXI.—*Sabino mittit coronam roseam.*

Seu tu Pæstanis genita es, seu Tiburis arvis,
Seu rubuit tellus Tuscula flore tuo,
Seu Prænestino te villica legit in horto,
Seu modo Campani gloria ruris eras;
Pulchrior ut nostro videare corona Sabino, 5
De Nomentano te putet esse meo.

Epigramma LXII.—*De platano Cæsaris.*

In Tartessiacis domus est notissima terris,
Qua dives placidum Corduba Bætin amat,
Vellera nativo pallent ubi flava metallo,
Et linit Hesperium bractea viva pecus:
Ædibus in mediis totos amplexa penates 5
Stat platanus densis Cæsariana comis:
Hospitis invicti posuit quam dextera felix,
Cœpit et ex illa crescere virga manu.
Auctorem dominumque nemus sentire videtur:
Sic viret, et ramis sidera celsa petit. 10
Sæpe sub hac madidi luserunt arbore Fauni,
Terruit et tacitam fistula sera domum:
Dumque fugit solos nocturnum Pana per agros,
Sæpe sub hac latuit rustica fronde Dryas.
Atque oluere lares comissatore Lyæo, 15
Crevit et effuso lætior umbra mero:

Hesternisque rubens dejecta est herba coronis,
Atque suas potuit dicere nemo rosas.
O dilecta deis, o magni Cæsaris arbor,
Ne metuas ferrum, sacrilegosque focos. 20
Perpetuos sperare licet tibi frondis honores :
Non Pompeianæ te posuere manus.

Epigramma LXIII.—*De Philæni.*

Tinctis murice vestibus quod omni
Et nocte utitur, et die Philænis,
Non est ambitiosa, nec superba :
Delectatur odore, non colore.

Epigramma LXIV.—*In Phœbum.*

Ad cœnam invitant omnes te, Phœbe, cinædi :
Mentula quem pascit, non puto purus homo est.

Epigramma LXV.—*De statua Cæsaris Domitiani.*

Herculis in magni vultus descendere Cæsar
Dignatus, Latiæ dat nova templa viæ,
Qua Triviæ nemorosa petit dum regna viator,
Octavum domina marmor ab urbe legit.
Ante colebatur votis et sanguine largo : 5
Majorem Alciden nunc minor ipse colit.
Hunc magnas rogat alter opes, rogat alter honores:
Illi securus vota minora facit.

Epigramma LXVI.—*Ad Herculem, de eadem statua.*

Alcide, Latio nunc agnoscende Tonanti,
Postquam pulchra dei Cæsaris ora geris,
Si tibi tunc isti vultus habitusque fuissent,
Cesserunt manibus cum fera monstra tuis ;
Argolico famulum non te servire tyranno 5
Vidissent gentes, sævaque regna pati :
Sed tu jussisses Eurysthea ; nec tibi fallax
Portasset Nessi perfida dona Lichas.
Œtæi sine lege rogi securus adisses
Astra patris summi, quæ tibi pœna dedit : 10
Lydia nec dominæ traxisses pensa superbæ :
Nec Styga vidisses, Tartareumque canem.
Nunc tibi Juno favet, nunc te tua diligit Hebe :
Nunc te si videat Nympha, remittet Hylan.

Epigramma LXVII.—*Ad Fabullum.*

Uxor cum tibi sit formosa, pudica, puella,
Quo tibi natorum jura, Fabulle, trium?
Quod petis a nostro supplex dominoque deoque,
Tu dabis ipse tibi, si potes arrigere.

Epigramma LXVIII.—*In Æschylum.*

Lascivam tota possedi nocte puellam,
Cujus nequitias vincere nulla potest.
Fessus mille modis, illud puerile poposci :
Ante preces totas, primaque verba dedit.
Improbius quiddam ridensque rubensque rogavi :
Pollicita est nulla luxuriosa mora. 6
Sed mihi pura fuit ; tibi non erit, Æschyle : si vis,
Accipe et hoc munus conditione mala.

Epigramma LXIX.—*In Magistrum ludi.*

Quid tibi nobiscum est, ludi scelerate magister,
Invisum pueris virginibusque caput ?
Nondum cristati rupere silentia galli :
Murmure jam sævo verberibusque tonas.
Tam grave percussis incudibus æra resultant, 5
Causidicum medio cum faber aptat equo.
Mitior in magno clamor fuit amphitheatro,
Vincenti parmæ cum sua turba favet.
Vicini somnum non tota nocte rogamus :
Nam vigilare leve est, pervigilare grave. 10
Discipulos dimitte tuos : vis, garrule, quantum
Accipis ut clames, accipere ut taceas ?

Epigramma LXX.—*In Polycarmum.*

Cum futuis, Polycarme, soles in fine cacare.
Cum pædicaris, quid, Polycarme, facis ?

Epigramma LXXI.—*In Cæcilianum.*

Dixerat, O mores ! O tempora ! Tullius olim,
Sacrilegum strueret cum Catilina nefas :
Cum gener atque socer diris concurreret armis,
Mæstaque civili cæde maderet humus
Cur nunc, O mores ! cur nunc, O tempora ! dicis ?
Quod tibi non placet, Cæciliane, quid est ? 6
Nulla ducum feritas, nulla est insania ferri :
Pace frui certa, lætitiaque licet.
Non nostri faciunt, tua quod tibi tempora sordent,
Sed faciunt mores, Cæciliane, tui. 10

Epigramma LXXII.—*De leone et ariete.*

Massyli leo fama jugi, pecorisque maritus
Lanigeri, mirum qua coiere fide.
Ipse licet videas, cavea stabulantur in una,
Et pariter socias carpit uterque dapes.
Nec fetu nemorum gaudent, nec mitibus herbis :
Concordem satiat sed rudis agna famem. 8
Quid meruit terror Nemees, quid proditor Helles,
Ut niteant celsi lucida signa poli ?
Sidera si possent pecudesque feræque mereri,
Hic aries astris, hic leo dignus erat. 10

Epigramma LXXIII.—*Ad Liberum.*

Liber, Amyclæa frontem vittate corona,
Qui quatis Ausonia verbera Graia manu ,
Clausa mihi texto cum prandia vimine mittas,
Cur comitata dapes nulla lagena venit ?
Atqui digna tuo si nomine munera ferres,
Scis, puto, debuerint quæ mihi dona dari.

Epigramma LXXIV.—*In sutorem.*

Dentibus antiquas solitus producere pelles,
Et mordere luto putre vetusque solum,
Prænestina tenes decepti regna patroni,
In quibus indignor si tibi cella fuit :
Rumpis et ardenti madidus crystalla Falerno, 5
Et pruris domini cum Ganymede tui.
At me litterulas stulti docuere parentes :
Quid cum grammaticis rhetoribusque mihi ?
Frange leves calamos, et scinde, Thalia, libellos
Si dare sutori calceus ista potest. 10

Epigramma LXXV.—*De effigie Camoni.*

Effigiem tantum pueri pictura Camoni
Servat, et infantis prima figura manet
Florentes nulla signavit imagine vultus,
Dum timet ora pius muta videre pater.

Epigramma LXXVI.—*De balneo Tuccæ.*

Non silice duro, structilive cæmento,
Nec latere cocto, quo Semiramis longam
Babylona cinxit, Tucca balneum fecit :
Sed strage nemorum, pineaque compage,
Ut navigare Tucca balneo possit. 5
Idem beatas lautus exstruit thermas
De marmore omni, quod Carystos invenit,
Quod Phrygia Synnas, Afra quod Nomas mittit,
Et quod virenti fonte lavit Eurotas.
Sed ligna desunt : subice balneum thermis. 1

Epigramma LXXVII.—*De effigie Camoni.*

Hæc sunt illa mei, quæ cernitis, ora Camoni :
Hæc pueri facies primaque forma fuit.
Creverat hic vultus bis denis fortior annis ;
Gaudebatque suas pingere barba genas :
Et libata semel summos modo purpura cultros 5
Sparserat : invidit de tribus una soror ;
Et festinatis incidit stamina pensis ;
Absentemque patri retulit urna rogum.
Sed ne sola tamen puerum pictura loquatur,
Hæc erit in chartis major imago meis. 10

Epigramma LXXVIII.—*De convivio Prisci.*

Quod optimum sit disputat convivium
Facunda Prisci pagina :
Et multa dulci, multa sublimi refert,
Sed cuncta docto pectore.
Quod optimum sit quæritis convivium ? 5
In quod choraules non venit.

Epigramma LXXIX.—*Ad Picentinum.*

Funera post septem nupsit tibi Galla virorum,
Picentine : sequi vult puto Galla viros.

Epigramma LXXX.—*Ad Domitianum.*

Oderat ante ducum famulos turbamque priorem,
Et Palatinum Roma supercilium :
At nunc tantus amor cunctis, Auguste, tuorum,
Ut sit cuique suæ cura secunda domus.
Tam placidæ mentes, tanta est reverentia vestri,
Tam pacata quies, tantus in ore pudor. 6
Nemo suos (hæc est aulæ natura potentis)
Sed domini mores Cæsarianus habet.

Epigramma LXXXI.—*De Gellio.*

Duxerat esuriens locupletem pauper anumque
Uxorem. pascit Gellius, et futuit.

Epigramma LXXXII.—*Ad Auctum.*

Lector et auditor nostros probat, Aucte, libellos :
Sed quidam exactos esse poeta negat.
Non nimium curo : nam cœnæ fercula nostræ
Malim convivis, quam placuisse coquis.

Epigramma LXXXIII.—*In Munnam.*

Dixerat astrologus periturum te cito, Munna :
Nec, puto, mentitus dixerat ille tibi :
Nam tu dum metuis, ne quid post fata relinquas,
Hausisti patrias luxuriosus opes ;
Bisque tuum decies non toto tabuit anno : 5
Dic mihi, non hoc est, Munna, perire cito ?

Epigramma LXXXIV.—*Ad Cæsarem Domitianum.*

Inter tanta tuæ miracula, Cæsar, arenæ,
Quæ vincit veterum munera clara ducum,
Multum oculi, sed plus aures debere fatentur
Se tibi, quod spectant, qui recitare solent.

Epigramma LXXXV.—*Ad Norbanum.*

Cum tua sacrilegos contra, Norbane, furores
Staret pro domino Cæsare sancta fides,
Hæc ego Pieria ludebam tutus in umbra,
Ille tuæ cultor notus amicitiæ.
Me tibi Vindelicis raptum narrabat in oris, 5
Nescia nec nostri nominis Arctos erat.
O quoties veterem non inficiatus amicum
Dixisti, Meus est iste poeta, meus !
Omne tibi nostrum, quod bis trieteride juncta,
Ante dabat l ctor, nunc dabit auctor opus. 10

Epigramma LXXXVI.—*De Paullo*

Languidior noster si quando est Paullus, Atili,
Non se, convivas abstinet ille suos.
Tu languore quidem subito, fictoque laboras,
Sed mea porrexit sportula, Paulle, pedes.

Epigramma LXXXVII.—*In obitum Severi Silii*

Festinata sui gemeret cum fata Severi
Silius, Ausonio non semel ore potens ;
Cum grege Pierio mæstus Phœboque querebar :
Ipse meum flevi, dixit Apollo, Linon.
Respexitque suam, quæ stabat proxima fratri, 5
Calliopen, et ait : Tu quoque vulnus habes.
Adspice Tarpeium, Pallatinumque Tonantem :
Ausa nefas Lachesis læsit utrumque Jovem.
Numina cum videas duris obnoxia fatis,
Invidia possis exonerare deos. 10

Epigramma LXXXVIII.—*Ad Lupercum.*

Septem post calices Opimiani
Denso cum jaceam triente blæsus,
Affers nescio quas mihi tabellas,
Et dicis, Modo liberum esse jussi
Nastam ; (servulus est mihi paternus ;) 5
Signa. Cras melius, Luperce, fiet.
Nunc signat meus annulus lagenam.

Epigramma LXXXIX.—*Ad Rufum.*

Dum me captares, mittebas munera nobis :
Postquam cepisti, das mihi, Rufe, nihil.
Ut captum teneas, capto quoque munera mitte
De cavea fugiat ne male pastus aper.

Epigramma XC.—*Ad Stellam.*

Lege nimis dura convivam scribere versus
Cogis, Stella : licet scribere nempe malos.

Epigramma XCI.—*Ad Flaccum.*

Sic in gramine floreo reclinis,
Qua gemmantibus hinc et inde rivis
Curva calculus excitatur unda,
Exclusis procul omnibus molestis,
Perfundas glaciem triente nigro, 5
Frontem sutilibus ruber coronis :
Sic uni tibi sit puer cinædus,
Et castissima pruriat puella :
Infamem nimio calore Cypron
Observes moneo precorque, Flacce, 10
Messes area cum teret crepantes,
Et fulvi juba sæviet leonis.
At tu, diva Paphi, remitte, nostris
Illæsum juvenem remitte votis.
Sic Martis tibi serviant Calendæ, 15
Et cum thure, meroque, victimaque
Libetur tibi candidas ad aras
Secta plurima quadra de placenta.

Epigramma XCII.—*Adulatur Domitiano.*

Ad cœnam si me diversa vocaret in astra
Hinc invitator Cæsaris, inde Jovis ;
Astra licet propius, Pallatia longius essent,
Responsa ad superos hæc referenda darem :
Quærite, qui malit fieri conviva Tonantis ; 5
Me meus in terris Jupiter, ecce, tenet.

Epigramma XCIII.—*Ad Condylum.*

Quæ mala sint domini, quæ servi commoda, nescis,
Condyle, qui servum te gemis esse diu

Dat tibi securos vilis tegeticula somnos:
Pervigil in pluma Caius, ecce, jacet.
Caius a prima tremebundus luce salutat 5
Tot dominos: at tu, Condyle, nec dominum.
Quod debes, Cai, redde, inquit Phœbus, et illinc
Cinnamus: hoc dicit, Condyle, nemo tibi.
Tortorem metuis? podagra cheragraque secatur
Caius; et mallet verbera mille pati. 10
Quod nec mane vomis, nec cunnum, Condyle, lingis,
Non mavis, quam ter Caius esse tuus?

Epigramma XCIV.—*Ad Calocissum.*

Addere quid cessas, puer, immortale Falernum?
Quadrantem duplica de seniore cado.
Nunc mihi dic, quis erit, cui te, Calocisse, deorum
Sex jubeo cyathos fundere? Cæsar erit.
Sutilis aptetur decies rosa crinibus, ut sit 5
Qui posuit sacræ nobile gentis opus.
Nunc bis quina mihi da basia, fiat ut illud
Nomen, ab Odrysio quod deus orbe tulit.

Epigramma XCV.—*De Hippocrate.*

Santonica medicata dedit mihi pocula virga:
Os hominis! mulsum me rogat Hippocrates.
Tam stupidus nunquam nec tu puto, Glauce, fuisti,
χάλκεα donanti χρύσεα qui dederas.
Dulce aliquis munus pro munere poscit amaro?
Accipiat; sed si potat in helleboro. 6

Epigramma XCVI.—*De Athenagora.*

Alphicus ante fuit, cœpit nunc Olficus esse,
Uxorem postquam duxit Athenagoras.
Nomen Athenagoræ credis, Callistrate, verum?
Si scio, dispeream, quis sit Athenagoras.
Sed puto me verum, Callistrate, dicere nomen: 5
Non ego, sed vester peccat Athenagoras.

Epigramma XCVII.—*De Herode.*

Clinicus Herodes trullam subduxerat ægro:
Deprensus dixit, Stulte, quid ergo bibis?

Epigramma XCVIII.—*Ad Julium.*

Rumpitur invidia quidam, carissime Juli,
Quod me Roma legit, rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod turba semper in omni
Monstramur digito, rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, tribuit quod Cæsar uterque 5
Jus mihi natorum, rumpitur invidia. [est,
Rumpitur invidia, quod rus mihi dulce sub urbe
Parvaque in urbe domus, rumpitur invidia.
Rumpitur invidia, quod sum jucundus amicis,
Quod conviva frequens, rumpitur invidia. 10
Rumpitur invidia, quod amamur, quodque probamur:
Rumpatur, quisquis rumpitur invidia.

Epigramma XCIX.—*Ad Q. Ovidium.*

Vindemiarum non ubique proventus
Cessavit, Ovidi: pluvia profuit grandis.
Centum Coranus amphoras aquæ fecit.

Epigramma C.—*Ad Atticum de M. Antonio.*

Marcus amat nostras Antonius, Attice, Musas,
Charta salutatrix si modo vera refert:
Marcus Palladiæ non inficianda Tolosæ
Gloria, quem genuit pacis alumna quies.
Tu qui longa potes dispendia ferre viarum 5
I, liber, absentis pignus amicitiæ.
Vilis eras, fateor, si te nunc mitteret emtor.
Grande tui pretium muneris auctor erit.
Multum crede mihi, refert, a fonte bibatur
Quæ fluit, an pigro quæ stupet unda lacu. 10

Epigramma CI.—*In Bassum.*

Denarîs tribus invitas, et mane togatum
Observare jubes atria, Basse, tua:
Deinde hærere tuo lateri, præcedere sellam
Ad viduas tecum plus minus ire decem.
Trita quidem nobis togula est, vilisque, putrisque.
Denarîs tamen hanc non emo, Basse, tribus. 6

Epigramma CII.—*Adulatur Domitiano.*

Appia, quam simili venerandus in Hercule Cæsar
Consecrat, Ausoniæ maxima fama viæ;
Si cupis Alcidæ cognoscere facta prioris,
Disce: Libyn domuit: aurea poma tulit:
Peltatam Scythico discinxit Amazona nodo: 5
Addidit Arcadio terga leonis apro.
Æripedem sylvis cervam, Stymphalidas astris
Abstulit: a Stygia cum cane venit aqua.
Fecundam vetuit reparari mortibus Hydram:
Hesperias Tusco lavit in amne boves. 10
Hæc minor Alcides: major quæ gesserit, audi,
Sextus ab Albana quem colit arce lapis.
Asseruit possessa malis Pallatia regnis:
Prima suo gessit pro Jove bella puer.
Solus Iuleas cum jam retineret habenas, 15
Tradidit, inque suo tertius orbe fuit.
Cornua Sarmatici ter perfida contudit Istri:
Sudantem Getica ter nive lavit equum.
Sæpe recusatos parcus duxisse triumphos
Victor Hyperboreo nomen ab orbe tulit. 20
Templa deo, mores populis dedit, otia ferro,
Astra suis, cœlo sidera, serta Jovi.
Herculeum tantis numen non sufficit actis:
Tarpeio deus hic commodet ora patri.

Epigramma CIII.—*Ad Phœbum.*

Quadringentorum reddis mihi, Phœbe, tabellas:
Centum da potius mutua, Phœbe, mihi.
Quære alium, cui te tam vano munere jactes:
Quod tibi non possum solvere, Phœbe, meum est.

Epigramma CIV.—*De geminis fratribus.*

Quæ nova tam similes genuit tibi Leda ministros?
Quæ capta est alio nuda Lacæna cycno?
Dat faciem Pollux Hiero, dat Castor Asillo:
Atque in utroque nitet Tyndaris ore soror.
Ista Therapnæis si forma fuisset Amyclis, 5
Cum vicere duas dona minora deas;
Mansisses, Helene, Phrygiamque redisset in Idam
Dardanius gemino cum Ganymede Paris.

LIBER DECIMUS.

Epigramma I.—*Liber ad lectorem.*

Si nimius videor, seraque coronide longus
Esse liber: legito pauca, libellus ero.
Terque quaterque mihi finitur carmine parvo
Pagina: fac tibi me quam cupis esse brevem.

Epigramma II.—*Ad eundem.*

Festinata prior decimi mihi cura libelli
Elapsum manibus nunc revocavit opus.
Nota leges quædam, sed lima rasa recenti:
Pars nova major erit: lector, utrique fave:
Lector, opes nostræ, quem cum mihi Roma dedisset, 5
Nil sibi quod demus majus habemus, ait.
Pigra per hunc fugies ingratæ flumina Lethes,
Et meliore tui parte superstes eris.
Marmora Messalæ findit caprificus, et audax
Dimidios Crispi mulio ridet equos. 10
At chartis nec furta nocent, et sæcula prosunt;
Solaque non norunt hæc monimenta mori.

Epigramma III.—*Ad Priscum.*

Vernaculorum dicta, sordidum dentem,
Et fœda linguæ probra circulatricis,
Quæ sulfurato nolit emta ramento
Vatiniorum proxeneta fractorum,
Poeta quidam clancularius spargit, 5
Et vult videri nostra. Credis hoc, Prisce
Voce ut loquatur psittacus coturnicis,
Et concupiscat esse Canus ascaules?
Procul a libellis nigra sit meis fama,
Quos rumor alba gemmeus vehit penna. 10
Cur ego laborem notus esse tam prave,
Constare gratis cum silentium possit?

Epigramma IV.—*Ad Mamurram.*

Qui legis Œdipodem, caligantemque Thyesten,
Colchidas, et Scyllas, quid nisi monstra legis?
Quid tibi raptus Hylas, quid Parthenopæus, et Atys,
Quid tibi dormitor proderit Endymion?
Exutusve puer pennis labentibus? aut qui 5
Odit amatrices Hermaphroditus aquas?
Quid te vana juvant miseræ ludibria chartæ?
Hoc lege, quod possit dicere vita, Meum est.
Non hic Centauros, non Gorgonas, Harpyiasque
Invenies: hominem pagina nostra sapit. 10
Sed non vis, Mamurra, tuos cognoscere mores,
Nec te scire: legas αἴτια Callimachi.

Epigramma V.—*In maledicum poetam.*

Quisquis stolæve purpuræve contemtor,
Quos colere debet, læsit impio versu;
Erret per urbem pontis exsul et clivi,
Interque raucos ultimus rogatores
Oret caninas panis improbi buccas. 5
Illi December longus, et madens bruma,
Claususque fornix triste frigus extendat:
Vocet beatos clamitetque felices,
Orciniana qui feruntur in sponda:
Et, cum supremæ fila venerint horæ, 10
Diesque tardus, sentiat canum litem,
Abigatque moto noxias aves panno:
Nec finiantur morte simplices pœnæ:
Sed modo severi sectus Æaci loris,
Nunc inquieti monte Sisyphi pressus, 15
Nunc inter undas garruli senis siccus,
Delasset omnes fabulas poetarum:
Et, cum fateri Furia jusserit verum,
Prodente clamet conscientia, Scripsi.

Epigramma VI.—*De adventu Cæsaris Trajani*

Felices, quibus urna dedit spectare coruscum
Solibus Arctois sideribusque ducem! [omnis
Quando erit ille dies, quo campus, et arbor, et
Lucebit Latia culta fenestra nuru?
Quando moræ dulces, longusque a Cæsare pulvis,
Totaque Flaminia Roma videnda via? 6
Quando eques, et picti tunica Nilotide Mauri
Ibitis? et populi vox erit una, Venit?

Epigramma VII.—*Ad Rhenum, de eodem.*

Nympharum pater amniumque, Rhene,
Quicunque Odrysias bibunt pruinas,
Sic semper liquidis fruaris undis,
Nec te barbara contumeliosi
Calcatum rota conterat bubulci; 5
Sic et cornibus aureus receptis,
Et Romanus eas utraque ripa:
Trajanum populis suis, et urbi,
Tibris te dominus rogat, remittas.

Epigramma VIII.—*De Paulla*

Nubere Paulla cupit nobis; ego ducere Paullam
Nolo: anus est: vellem, si magis esset anus.

Epigramma IX.—*De se.*

Undenis pedibusque, syllabisque,
Et multo sale, nec tamen protervo,
Notus gentibus ille Martialis,
Et notus populis; quid invidetis?
Non sum Andræmone notior Caballo 5

Epigramma X.—*In Paullum*

Cum tu, laurigeris annum qui fascibus intras,
Mane salutator limina mille teras; [quis,
Hic ego quid faciam? quid nobis, Paulle, relin-
Qui de plebe Numæ, densaque turba sumus?
Qui me respiciet, dominum, regemque vocabo? 5
Hoc tu (sed quanto blandius!) ipse facis.
Lecticam, sellamve sequar? nec ferre recusas.
Per medium pugnas et prior ire lutum.
Sæpius adsurgam recitanti carmina? tu stas,
Et pariter geminas tendis in ora manus. 10
Quid faciet pauper, cui non licet esse clienti?
Dimisit nostras purpura vestra togas.

Epigramma XI.—*In Calliodorum.*

Nil aliud loqueris, quam Thesea, Pirithoumque,
Teque putas Pyladi, Calliodore, parem.
Dispeream, si tu Pyladi præstare matellam
Dignus es, aut porcos pascere Pirithoi.

Donavi tamen, inquis, amico millia quinque, 5
Et lotam (ut multum) terque quaterque togam.
Quid, quod nil unquam Pyladi donavit Orestes?
Qui donat, quamvis plurima, plura negat.

Epigramma XII.—*Ad Domitium.*

Æmiliæ gentes, et Apollineas Vercellas,
Et Phaethontei qui petis arva Padi;
Ne vivam, nisi te, Domiti, permitto libenter,
Grata licet sine te sit mihi nulla dies.
Sed desiderium tanti est, ut messe vel una 5
Urbano releves colla perusta jugo.
I precor, et totos avida cute combibe soles.
Quam formosus eris, dum peregrinus eris!
Et venies albis non cognoscendus amicis,
Livebitque tuis pallida turba genis! 10
Sed, via quem dederat, rapiet cito Roma colorem,
Niliaco redeas tu licet ore niger.

Epigramma XIII.—*Ad Tuccam.*

Cum cathedralitios portet tibi rheda ministros,
Et Libys in longo pulvere sudet eques;
Strataque non unas cingant triclinia Baias,
Et Thetis unguento palleat aucta tuo;
Candida Setini rumpant crystalla trientes, 5
Dormiat in pluma nec meliore Venus:
Ad nocturna jaces fastosæ limina mœchæ,
Et madet (heu) lacrymis janua surda tuis,
Urere nec miserum cessant suspiria pectus.
Vis dicam, male sit cur tibi, Tucca? bene est.

Epigramma XIV.—*Ad Crispum.*

Cedere de nostris nulli te dicis amicis.
Sed, sit ut hoc verum, quid, rogo, Crispe, facis?
Mutua cum peterem sestertia quinque, negasti:
Non caperet nummos cum gravis arca tuos.
Quando fabæ nobis modium farrisve dedisti, 5
Cum tua Niliacus rura colonus aret? [brumæ?
Quando brevis gelidæ missa est toga tempore
Argenti venit quando selibra mihi?
Nil aliud video, quo te credamus amicum,
Quam quod me coram pedere, Crispe, soles. 10

Epigramma XV.—*De Apro.*

Dotatæ uxori cor arundine fixit acuta:
Sed dum ludit Aper, ludere novit Aper.

Epigramma XVI.—*In Caium.*

Si donare vocas promittere, nec dare, Cai:
Vincam te donis, muneribusque meis.
Accipe Callaicis quicquid fodit Astur in arvis,
Aurea quicquid habet divitis unda Tagi;
Quicquid Erythræa niger invenit Indus in alga, 5
Quicquid et in nidis unica servat avis;
Quicquid Agenoreo Tyros improba cogit aeno:
Quicquid habent omnes, accipe, quomodo das.

Epigramma XVII.—*De Macro ad Musam.*

Saturnalitio Macrum fraudare tributo
Frustra, Musa, cupis: non licet, ipse petit:
Solennesque jocos, nec tristia carmina poscit;
Et queritur nugas obticuisse meas.
Mensorum longis sed nunc vacat ille libellis. 5
Appia, quid facies, si leget ista Macer?

Epigramma XVIII.—*De Mario.*

Nec vocat ad cœnam Marius, nec munera mittit,
Nec spondet, nec vult credere: sed nec habet.
Turba tamen non deest, sterilem quæ curet ami-
Eheu quam fatuæ sunt tibi, Roma, togæ! [cum.

Epigramma XIX.—*Mittit librum suum ad Plinium (Cæcilium Secundum.)*

Nec doctum satis, et parum severum,
Sed non rusticulum nimis libellum,
Facundo mea Plinio Thalia
I perfer: brevis est labor paratæ
Album vincere tramitem Suburæ. 5
Illic Orphea protinus videbis
Udi vertice lubricum theatri,
Mirantesque feras, avemque regis,
Raptum quæ Phryga pertulit Tonanti.
Illic parva tui domus Pedonis 10
Cælata est aquilæ minore penna.
Sed ne tempore non tuo disertam
Pulses ebria januam, videto.
Totos dat tetricæ dies Minervæ,
Dum centum studet auribus virorum, 15
Hoc quod sæcula posterique possint
Arpinis quoque comparare chartis.
Seras tutior ibis ad lacernas.
Hæc hora est tua, cum furit Lyæus,
Cum regnat rosa, cum madent capilli: 20
Tunc me vel rigidi legant Catones.

Epigramma XX.—*Ad Manum.*

Ducit ad auriferas quod me Salo Celtiber oras,
Pendula quod patriæ visere tecta libet;
Tu mihi simplicibus, Mani, dilectus ab annis,
Et prætextata cultus amicitia,
Tu facis; in terris quo non est alter Iberis 5
Dulcior, et vero dignus amore magis.
Tecum ego vel sicci Gætula mapalia Pœni,
Et poteram Scythicas hospes amare casas.
Sic tibi mens eadem, si nostri mutua cura est,
In quocunque loco Roma duobus erit. 10

Epigramma XXI.—*Ad Sextum.*

Scribere te, quæ vix intelligat ipse Modestus,
Et vix Claranus, quid, rogo, Sexte, juvat?
Non lectore tuis opus est, sed Apolline, libris:
Judice te major Cinna Marone fuit.
Sic tua laudentur: sane mea carmina, Sexte, 5
Grammaticis placeant, et sine grammaticis

Epigramma XXII.—*In Philænim.*

Cur spleniato sæpe prodeam mento,
Albave pictus sana labra cerussa,
Philæni, quæris? basiare te nolo.

Epigramma XXIII.—*De M. Antonio*

Jam numerat placido felix Antonius ævo
Quindecies actas Primus Olympiadas:
Præteritosque dies, et tutos respicit annos:
Nec metuit Lethes jam propioris aquas.
Nulla recordanti lux est ingrata, gravisque: 5
Nulla subit cujus non meminisse velit.
Ampliat ætatis spatium sibi vir bonus: hoc est
Vivere bis, vita posse priore frui.

Epigramma XXIV.—*Ad Calendas Martias*

Natales mihi Martiæ Calendæ,
Lux formosior omnibus Calendis,
Qua mittunt mihi munus et puellæ;
Quinquagesima liba, septimamque
Vestris addimus hanc focis acerram. 5
His vos (si tamen expedit roganti)
Annos addite bis precor novenos,
Ut nondum nimia piger senecta
Sed vitæ tribus areis peractis

Lucos Elysiæ petam puellæ 10
Post hunc Nestora, nec diem rogabo.

Epigramma XXV.—*De Mucio.*

In matutina nuper spectatus arena
Mucius, imposuit qui sua membra focis,
Si patiens fortisque tibi durusque videtur,
Abderitanæ pectora plebis habes.
Nam cum dicatur tunica præsente molesta, 5
Ure manum: plus est dicere, Non facio.

Epigramma XXVI.—*De morte Vari.*

Vare, Parætonias Latia modo vite per urbes
Nobilis, et centum dux memorande viris;
At nunc Ausonio frustra promisse Quirino,
Hospita Lagei littoris umbra jaces.
Spargere non licuit frigentia fletibus ora, 5
Pinguia nec mæstis addere thura rogis.
Sed datur æterno victurum carmine nomen.
Numquid et hoc, fallax Nile, negare potes?

Epigramma XXVII.—*Ad Diodorum.*

Natali, Diodore, tuo conviva senatus
Accubat, et rarus non adhibetur eques;
Et tua tricenos largitur sportula nummos:
Nemo tamen natum te, Diodore, putat.

Epigramma XXVIII.—*Ad Janum.*

Annorum nitidique sator pulcherrime mundi,
Publica quem primum vota precesque vocant,
Pervius exiguos habitabas ante penates,
Plurima qua medium Roma terebat iter.
Nunc tua Cæsareis cinguntur limina donis; 5
Et fora tot numeras, Jane, quot ora geris.
At tu, sancte pater, tanto pro munere gratus,
Ferrea perpetua claustra tuere sera.

Epigramma XXIX.—*Ad Sextilianum.*

Quam mihi mittebas Saturni tempore lancem,
Misisti dominæ, Sextiliane, tuæ:
Et quam donabas dictis a Marte Calendis,
De nostra prasina est synthesis emta toga
Jam constare tibi gratis cœpere puellæ: 5
Muneribus futuis, Sextiliane, meis.

Epigramma XXX.—*De Apollinaris littore Formiano.*

O temperatæ dulce Formiæ littus,
Vos, cum severi fugit oppidum Martis,
Et inquietas fessus exuit curas,
Apollinaris omnibus locis præfert.
Non ille sanctæ dulce Tibur uxoris, 5
Nec Tusculanos, Algidosve secessus,
Præneste nec sic, Antiumve miratur.
Non blanda Circe, Dardanisve Caieta
Desiderantur, nec Marica, nec Liris,
Nec in Lucrina lota Salmacis vena. 10
Hic summa leni stringitur Thetis vento,
Nec languet æquor: viva sed quies Ponti
Pictam phaselon adjuvante fert aura;
Sicut puellæ non amantis æstatem
Mota salubre purpura venit frigus. 15
Nec seta longo quærit in mari prædam
Sed a cubili lectuloque jactatam
Spectatus alte lineam trahit piscis.
Si quando Nereus sentit Æoli regnum,
Ridet procellas tuta de suo mensa. 20
Piscina rhombum pascit, et lupos vernas,
Natat ad magistrum delicata muræna
Nomenculator mugilem citat notum,
Et adesse jussi prodeunt senes mulli.
Frui sed istis quando Roma permittit? 25
Quot Formianos imputat dies annus
Negotiosis rebus urbis hærenti?
O janitores villicique felices!
Dominis parantur ista; serviunt vobis.

Epigramma XXXI.—*In Calliodorum.*

Addixti servum nummis here mille trecentis,
Ut bene cœnares, Calliodore, semel:
Nec bene cœnasti. Mullus tibi quatuor emptus
Librarum cœnæ pompa caputque fuit.
Exclamare libet, Non est hic, improbe, non est 5
Piscis: homo est: hominem, Calliodore, voras.

Epigramma XXXII.—*De imagine Marci Antonii, ad Cæditianum.*

Hæc mihi quæ colitur violis pictura rosisque,
Quos referat vultus, Cæditiane, rogas?
Talis erat Marcus mediis Antonius annis
Primus: in hoc juvenem se videt ore senex.
Ars utinam mores, animumque effingere posset!
Pulchrior in terris nulla tabella foret. 6

Epigramma XXXIII.—*Ad Munatium Gallum*

Simplicior priscis, Munati Galle, Sabinis,
Cecropium superas qui bonitate senem;
Sic tibi consoceri claros retinere penates
Perpetua natæ det face casta Venus:
Ut tu, si viridi tinctos ærugine versus 5
Forte malus livor dixerit esse meos,
Ut facis, a nobis abigas: nec scribere quenquam
Talia contendas carmina, qui legitur.
Hunc servare modum nostri novere libelli,
Parcere personis, dicere de vitiis. 10

Epigramma XXXIV.—*Ad Cæsarem Trajanum*

Di tibi dent quicquid, princeps Trajane, mereris,
Et rata perpetuo, quæ tribuere, velint:
Qui sua restituis spoliato jura patrono;
Libertis exsul non erit ille suis.
Dignus es, ut possis totum servare clientem: 5
Ut liceat tantum; vera probare potes.

Epigramma XXXV.—*De Sulpicia*

Omnes Sulpiciam legant puellæ,
Uni quæ cupiunt viro placere.
Omnes Sulpiciam legant mariti,
Uni qui cupiunt placere nuptæ.
Non hæc Colchidos adserit furorem, 5
Diri prandia nec refert Thyestæ;
Scyllam, Byblida nec fuisse credit:
Sed castos docet et pios amores,
Lusus, delicias, facetiasque.
Cujus carmina qui bene æstimarit, 10
Nullam dixerit esse nequiorem,
Nullam dixerit esse sanctiorem.
Tales Egeriæ jocos fuisse
Udo crediderim Numæ sub antro
Hac condiscipula, vel hac magistra 15
Esses doctior et pudica, Sappho.
Sed tecum pariter simulque visam
Durus Sulpiciam Phaon amaret.
Frustra: namque ea nec Tonantis uxor
Nec Bacchi, nec Apollinis puella 20
Erepto sibi viveret Caleno.

Epigramma XXXVI.—*In Munnam*

Improba Massiliæ quicquid fumaria cogunt
Accipit ætatem quisquis ab igne cadus,

A te, Munna, venit: miseris tu mittis amicis
Per freta, per longas toxica sæva vias:
Nec facili pretio, sed quo contenta Falerni 5
Testa sit, aut cellis Setia cara suis.
Non venias quare tam longo tempore Romam,
Hæc puto causa tibi est, ne tua vina bibas.

EPIGRAMMA XXXVII.—*Ad Maternum.*

Juris, et æquarum cultor sanctissime legum,
Veridico Latium qui regis ore forum,
Municipi, Materne, tuo, veterique sodali,
Callaicum mandas si quid ad Oceanum;
An Laurentino turpes in litore ranas, 5
Et satius tenues ducere credis acos,
Ad sua captivum quam saxa remittere mullum,
Visus erit libris qui minor esse tribus?
Et fatuam summa cœnare pelorida mensa,
Quosque tegit lævi cortice concha brevis? 10
Ostrea Baianis quam non liventia testis,
Quæ pueri domino non prohibente vorent?
Hic olidam clamosus ages in retia vulpem,
Mordebitque tuos sordida præda canes.
Illic piscoso modo vix educta profundo 15
Impedient lepores humida lina meos.
Dum loquor, ecce redit sporta piscator inani.
Venator capta mele superbus adest.
Omnis ab urbano venit ad mare cœna macello:
Callaicum mandas si quid ad Oceanum. 20

EPIGRAMMA XXXVIII.—*Ad Calenum.*

O molles tibi quindecim, Calene,
Quos cum Sulpicia tua jugales
Indulsit deus et peregit annos!
O nox omnis et hora, quæ notata est
Caris litoris Indici lapillis! 5
O quæ prælia, quas utrinque pugnas
Felix lectulus, et lucerna vidit
Nimbis ebria Nicerotianis!
Vixisti tribus, o Calene, lustris;
Ætas hæc tibi tota computatur, 10
Et solos numeras dies mariti.
Ex illis tibi si diu rogatam
Lucem redderet Atropos vel unam,
Malles, quam Pyliam quater senectam.

EPIGRAMMA XXXIX.—*In Lesbiam.*

Consule te Bruto quid juras, Lesbia, natam?
Mentiris: nata es, Lesbia, rege Numa.
Sic quoque mentiris: namque, ut tua sæcula
Ficta Prometheo diceris esse luto. [narrant,

EPIGRAMMA XL.—*Ad Lupum de Polla*

Semper cum mihi diceretur esse
Secreto mea Polla cum cinædo:
Irrupi, Lupe: non erat cinædus.

EPIGRAMMA XLI.—*In Proculeiam*

Mense novo Jani veterem, Proculeia, maritum
Deseris, atque jubes res sibi habere suas.
Quid, rogo, quid factum est? subiti quæ causa doloris?
Nil mihi respondes? dicam ego: Prætor erat.
Constatura fuit Megalensis purpura centum 5
Millibus, ut nimium munera parca dares:
Et populare sacrum bis millia dena tulisset.
Discidium non est hoc, Proculeia: lucrum est.

EPIGRAMMA XLII.—*Ad Dindymum.*

Tam dubia est lanugo tibi, tam mollis, ut illam
Halitus, et soles, et levis aura terat.
Celantur simili ventura Cydonia lana,
Pollice virgineo quæ spoliata nitent.
Fortius impressi quoties tibi basia quinque, 5
Barbatus labris, Dindyme, fio tuis.

EPIGRAMMA XLIII.—*Ad Philerotem.*

Septima jam, Phileros, tibi conditur uxor in agro.
Plus nulli, Phileros, quam tibi reddit ager.

EPIGRAMMA XLIV.—*Ad Q. Ovidium.*

Quinte Caledonios Ovidi visure Britannos,
Et viridem Tethyn, Oceanumque patrem:
Ergo Numæ colles, et Nomentana relinquis
Otia? nec retinet rusque focusque senem?
Gaudia tu differs: at non et stamina differt 5
Atropos, atque omnis scribitur hora tibi.
Præstiteris caro (quis non hoc laudet?) amico,
Ut potior vita sit tibi sancta fides.
Sed reddare tuis tandem mansure Sabinis,
Teque tuas numeres inter amicitias. 10

EPIGRAMMA XLV.—*In delicatum lectorem.*

Si quid lene mei dicunt et dulce libelli,
Si quid honorificum pagina blanda sonat:
Hoc tu pingue putas, et costam rodere mavis,
Ilia Laurentis cum tibi demus apri.
Vaticana bibas, si delectaris aceto: 5
Non facit ad stomachum nostra lagena tuum.

EPIGRAMMA XLVI.—*In Mathonem.*

Omnia vis belle, Matho, dicere: dic aliquando
Et bene: dic neutrum: dic aliquando male.

EPIGRAMMA XLVII.—*Ad Julium Martialem.*

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Jucundissime Martialis, hæc sunt:
Res non parta labore, sed relicta;
Non ingratus ager; focus perennis;
Lis nunquam; toga rara; mens quieta; 5
Vires ingenuæ; salubre corpus;
Prudens simplicitas; pares amici;
Convictus facilis; sine arte mensa;
Nox non ebria, sed soluta curis;
Non tristis torus, et tamen pudicus; 10
Somnus, qui faciat breves tenebras;
Quod sis, esse velis, nihilque malis:
Summum nec metuas diem, nec optes.

EPIGRAMMA XLVIII.—*Parat poeta convivium.*

Nunciat octavam Phariæ sua turba juvencæ,
Et pilata redit, jamque subitque cohors.
Temperat hæc thermas, nimios prior hora vapores
Halat, et immodico sexta Nerone calet.
Stella, Nepos, Cani, Cerealis, Flacce, venitis? 5
Septem sigma capit, sex sumus, adde Lupum.
Exoneraturas ventrem mihi villica malvas
Attulit, et varias, quas habet hortus, opes:
In quibus est lactuca sedens, et sectile porrum:
Nec deest ructatrix mentha, nec herba salax.
Secta coronabunt rutatos ova lacertos, 11
Et madidum thynni de sale sumen erit.
Gustus in his. Una ponetur cœnula mensa,
Hœdus inhumani raptus ab ore lupi:
Et, quæ non egeant ferro structoris, ofellæ 15
Et faba fabrorum, prototomique rudes. [ste
Pullus ad hæc, cœnisque tribus jam perna super.
Addetur: saturis mitia poma dabo.
De Nomentana vinum sine fæce lagena
Quæ bis Frontino consule plena fuit 20

Accedent sine felle joci, nec mane timenda
Libertas, et nil quod tacuisse velis.
De Prasino conviva meus, Venetoque loquatur:
Nec facient quenquam pocula nostra reum.

Epigramma XLIX.—*In Cottam.*

Cum potes amethystinos trientes,
Et nigro madeas Opimiano:
Propinas modo conditum Sabinum,
Et dicis mihi, Cotta, Vis in auro?
Quisquam plumbea vina vult in auro? 5

Epigramma L.—*De Scorpo.*

Frangat Idumæas tristis Victoria palmas:
Plange, Favor, sæva pectora nuda manu.
Mutet Honor cultus, et iniquis munera flammis.
Mitte coronatas, Gloria mæsta, comas.
Heu facinus! prima fraudatus, Scorpe, juventa 5
Occidis, et nigros tam cito jungis equos.
Curribus illa tuis semper properata, brevisque,
Cur fuit et vitæ tam prope meta tuæ?

Epigramma LI.—*Ad Faustinum.*

Sidera jam Tyrius Phryxei respicit agni
Taurus, et alternum Castora fugit hiems.
Ridet ager, vestitur humus, vestitur et arbos:
Ismarium pellex Attica plorat Ityn. [nam
Quos, Faustine, dies, qualem tibi Roma Raven-
Abstulit? o soles, o tunicata quies! 6
O nemus, o fontes, solidumque madentis arenæ
Littus, et æquoreis splendidus Anxur aquis:
Et non unius spectator lectulus undæ,
Qui videt hinc puppes fluminis, inde maris! 10
Sed neque Marcelli, Pompeianumque, nec illic
Sunt triplices thermæ, nec fora juncta quater:
Nec Capitolini summum penetrale Tonantis,
Quæque nitent cœlo proxima templa suo.
Dicere te lassum quoties ego credo Quirino: 15
Quæ tua sunt, tibi habe: quæ mea, redde mihi.

Epigramma LII.—*De spadone.*

Thelyn viderat in toga spadonem,
Damnatam Numa dixit esse mœcham.

Epigramma LIII.—*Epitaphium Scorpi.*

Ille ego sum Scorpus, clamosi gloria Circi,
Plausus, Roma, tui, deliciæque breves:
Invida quem Lachesis raptum trieteride nona
Dum numerat palmas, credidit esse senem.

Epigramma LIV.—*In Olum.*

Mensas, Ole, bonas ponis: sed ponis opertas.
Ridiculum est: possum sic ego habere bonas.

Epigramma LV.—*In Marullam.*

Arrectum quoties Marulla penem
Pensavit digitis, diuque mensa est,
Libras, scriptula, sextulasque dicit.
Idem post opus, et suas palæstras,
Loro cum similis jacet remisso, 5
Quanto sit levior Marulla dicit.
Non ergo est manus ista, sed statera.

Epigramma LVI.—*In Gallum.*

Totis, Galle, jubes tibi me servire diebus,
Et per Aventinum ter quater ire tuum.
Eximit, aut reficit dentem Cascellius ægrum.
Infestos oculis uris, Hygine, pilos.
Non secat, et tollit stillantem Fannius uvam 5
Tristia servorum stigmata delet Eros.
Enterocelarum fertur Podalirius Hermes.
Qui sanet ruptos, dic mihi, Galle, quis est?

Epigramma LVII.—*Ad Sextum.*

Argenti libram mittebas: facta selibra est,
Sed piperis: tanti non emo, Sexte, piper.

Epigramma LVIII.—*Ad Frontinum.*

Anxuris æquorei placidos, Frontine, recessus,
Et propius Baias, littoreamque domum,
Et quod inhumanæ Cancro fervente cicadæ
Non novere nemus, flumineosque lacus,
Dum colui, doctas tecum celebrare vacabat 5
Pieridas: nunc nos maxima Roma terit.
Hic mihi quando dies meus est? jactamur in alto
Urbis, et in sterili vita labore perit;
Dura suburbani dum jugera pascimus agri,
Vicinosque tibi, sancte Quirine, Lares. 10
Sed non solus amat, qui nocte dieque frequentat
Limina; nec vatem talia damna decent.
Per veneranda mihi Musarum sacra, per omnes
Juro deos, et non officiosus amo.

Epigramma LIX.—*In delicatum lectorem.*

Consumta est uno si lemmate pagina, transis,
Et breviora tibi, non meliora, placent.
Dives, et ex omni posita est instructa macello
Cœna tibi, sed te mattea sola juvat.
Non opus est nobis nimium lectore guloso. 5
Hunc volo, qui fiat non sine pane satur.

Epigramma LX.—*De Munna.*

Jura trium petiit a Cæsare discipulorum,
Assuetus semper Munna docere duos.

Epigramma LXI.—*Epitaphium Erotii.*

Hic festinata requiescit Erotion umbra,
Crimine quam fati sexta peremit hiems.
Quisquis eris nostri post me regnator agelli,
Manibus exiguis annua justa dato.
Sic lare perpetuo, sic turba sospite, solus 5
Flebilis in terra sit lapis iste tua.

Epigramma LXII.—*Ad magistrum ludi.*

Ludi magister, parce simplici turbæ:
Sic te frequentes audiant capillati,
Et delicatæ diligat chorus mensæ:
Nec calculator, nec notarius velox
Majore quisquam circulo coronetur. 5
Albæ Leone flammeo calent luces,
Tostamque fervens Julius coquit messem.
Cirrata loris horridis Scythæ pellis,
Qua vapulavit Marsyas Celænæus,
Ferulæque tristes, sceptra pædagogorum, 10
Cessent, et Idus dormiant in Octobres:
Æstate pueri si valent, satis discunt.

Epigramma LXIII.—*Epitaphium nobilis matronæ.*

Marmora parva quidem, sed non cessura, viator,
Mausoli saxis Pyramidumque legis.
Bis mea Romano spectata est vita Terento,
Et nihil extremos perdidit ante rogos.
Quinque dedit pueros, totidem mihi Juno puellas
Clauserunt omnes lumina nostra manus. 6
Contigit et thalami mihi gloria rara, fuitque
Una pudicitiæ mentula nota meæ.

Epigramma LXIV.—*Ad Pollam.*

Contigeris, regina, meos si, Polla, libellos,
Non tetrica nostros excipe fronte jocos.

Ille tuus vates, Heliconis gloria nostri.
Pieria caneret cum fera bella tuba,
Non tamen erubuit lascivo dicere versu, 5
Si nec pædicor, Cotta, quid hic facio?

Epigramma LXV.—*In Carmenionem.*

Cum te municipem Corinthiorum
Jactes, Carmenion, negante nullo;
Cur frater tibi dicor, ex Iberis
Et Celtis genitus, Tagique civis?
An vultu similes videmur esse? 5
Tu flexa nitidus coma vagaris:
Hispanis ego contumax capillis.
Lævis dropace tu quotidiano:
Hirsutis ego cruribus, genisque.
Os blæsum tibi, debilisque lingua est: 10
Nobis filia fortius loquetur.
Tam dispar aquilæ columba non est,
Nec dorcas rigido fugax leoni.
Quare desine me vocare fratrem,
Ne te, Carmenion, vocem sororem. 15

Epigramma LXVI.—*De Theopompo.*

Quis, rogo, tam durus, quis tam fuit ille superbus,
Qui jussit fieri te, Theopompe, coquum?
Hanc aliquis faciem nigra violare culina
Sustinet? has uncto polluit igne comas?
Quis potius cyathos, aut quis crystalla tenebit? 5
Qua sapient melius mixta Falerna manu?
Si tam sidereos manet exitus iste ministros,
Jupiter utatur jam Ganymede coquo.

Epigramma LXVII.—*Epitaphium vetulæ.*

Pyrrhæ filia, Nestoris noverca,
Quam vidit Niobe puella canam,
Laertes aviam senex vocavit,
Nutricem Priamus, socrum Thyestes;
Jam cornicibus omnibus superstes, 5
Hoc tandem sita prurit in sepulchro
Calvo Plotia cum Melanthione.

Epigramma LXVIII.—*In Læliam.*

Cum tibi non Ephesos, nec sit Rhodos, aut Mity-
Sed domus in vico, Lælia, patricio; [lene,
Deque coloratis nunquam lita mater Etruscis,
Durus Aricina de regione pater;
Ζωὴ καὶ ψυχὴ lascivum congeris usque, 5
Pro pudor! Hersiliæ civis et Egeriæ.
Lectulus has voces, nec lectulus audiat omnis;
Sed quem lascivo stravit amica viro.
Scire cupis quo casta modo matrona loquaris.
Numquid cum crissas, blandior esse potes? 10
Tu licet ediscas totam, referasque Corinthon,
Non tamen omnino, Lælia, Thais eris.

Epigramma LXIX.—*De Polla.*

Custodes das, Polla, viro; non accipis ipsa.
Hoc est uxorem ducere, Polla, virum.

Epigramma LXX.—*Ad Potitum.*

Quod mihi vix unus toto liber exeat anno,
Desidiæ tibi sum, docte Potite, reus.
Justius at quanto mirere, quod exeat unus,
Labantur toti cum mihi sæpe dies.
Nunc resalutantes video nocturnus amicos, 5
Gratulor et multis; nemo, Potite, mihi.
Nunc ad luciferam signat mea gemma Dianam:
Nunc me prima sibi, nunc sibi quinta rapit.
Nunc consul, prætorve tenet, reducesque chorcæ:
Auditur toto sæpe poeta die. 10
Sed nec causidico possis impune negare,
Nec si te rhetor, grammaticusve rogent:
Balnea post decimam lasso, centumque petuntur
Quadrantes. Fiet quando, Potite, liber?

Epigramma LXXI.—*De Rabirio.*

Quisquis læta tuis et sera parentibus optas
Fata, brevem titulum marmoris hujus ama.
Condidit hac caras tellure Rabirius umbras:
Nulli sorte jacent candidiore senes.
Bis sex lustra tori nox mitis et ultima clausit: 5
Arserunt uno funera bina rogo.
Hos tamen ut primis raptos sibi quærit in annis,
Improbius nihil his fletibus esse potest.

Epigramma LXXII.—*Adulatorium de Cæsare Trajano.*

Frustra, blanditiæ, venitis ad me
Attritis miserabiles labellis.
Dicturus dominum, deumque non sum:
Jam non est locus hac in urbe vobis.
Ad Parthos procul ite pileatos, 5
Et turpes, humilesque, supplicesque
Pictorum sola basiate regum.
Non est hic dominus, sed imperator,
Sed justissimus omnium senator:
Per quem de Stygia domo reducta est 10
Siccis rustica Veritas capillis.
Hoc sub principe, si sapis, caveto
Verbis, Roma, prioribus loquaris.

Epigramma LXXIII.—*Ad Marcum.*

Littera facundi gratum mihi pignus amici
Pertulit, Ausoniæ dona severa togæ:
Qua non Fabricius, sed vellet Apicius uti
Vellet Mecænas Cæsarianus eques.
Vilior hæc nobis alio mittente fuisset: 5
Non quacunque manu victima cæsa litat.
A te missa venit: possem nisi munus amare,
Marce, tuum, poteram nomen amare meum.
Munere sed plus est, et nomine gratius ipso,
Officium docti, judiciumque viri. 10

Epigramma LXXIV.—*Ad Romam.*

Jam parce lasso, Roma, gratulatori,
Lasso clienti: quamdiu salutator
Anteambulones et togatulos inter
Centum merebor plumbeos die toto?
Cum Scorpus una quindecim graves hora 5
Ferventis auri victor auferat saccos:
Non ego meorum præmium libellorum,
(Quid enim merentur?) Apulos velim campos.
Non Hybla, non me spicifer capit Nilus;
Nec quæ paludes delicata Pomptinas 10
Ex arce clivi spectat uva Setini.
Quid concupiscam quæris ergo? dormire.

Epigramma LXXV.—*De Galla.*

Millia viginti quondam me Galla poposcit;
Et, fateor, magni non erat illa nimis.
Annus abît: Bis quina dabis sestertia, dixit.
Poscere plus visa est, quam prius, illa mihi
Jam duo poscenti post sextum millia mensem, 5
Mille dabam nummos: noluit accipere.
Transierant binæ forsan, ternæve Calendæ,
Aureolos ultro quatuor ipsa petit.
Non dedimus: centum jussit me mittere nummos:
Sed visa est nobis hæc quoque summa gravis.
Sportula nos junxit quadrantibus arida centum:
Hanc voluit: puero diximus esse datam. 12

Inferius numquid potuit descendere? fecit.
Dat gratis, ultro dat mihi Galla: nego.

Epigramma LXXVI.—*De Mævio.*

Hoc, Fortuna, tibi videtur æquum?
Civis non Syriæve, Parthiæve,
Nec de Cappadocis eques catastis,
Sed de plebe Remi, Numæque verna,
Jucundus, probus, innocens, amicus, 5
Lingua doctus utraque, cujus unum est,
Sed magnum vitium, quod est poeta,
Pullo Mævius alget in cucullo:
Cocco mulio fulget Incitatus.

Epigramma LXXVII.—*De Caro medico.*

Nequius a Caro nihil unquam, Maxime, factum est,
Quam quod febre perît: fecit et illa nefas.
Sæva nocens febris saltem quartana fuisses!
Servari medico debuit illa suo.

Epigramma LXXVIII.—*Ad Macrum.*

Ibis littoreas, Macer, Salonas:
Ibit rara fides, amorque recti,
Et secum comitem trahet pudorem.
Semper pauperior redit potestas.
Felix auriferæ colone terræ, 5
Rectorem vacuo sinu remittes,
Optabisque moras, et exeuntem
Udo Dalmata gaudio sequeris.
Nos Celtas, Macer, et truces Iberos
Cum desiderio tui petemus. 10
Sed quæcunque tamen feretur illic
Piscosi calamo Tagi notata,
Macrum pagina nostra nominabit.
Sic inter veteres legar poetas;
Nec multos mihi præferas priores, 15
Uno sed tibi sim minor Catullo.

Epigramma LXXIX.—*De Torquato et Otacilio.*

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum:
Ad quartum breve rus emit Otacilius.
Torquatus nitidas vario de marmore thermas
Exstruxit: cucumam fecit Otacilius.
Disposuit daphnona suo Torquatus in agro: 5
Castaneas centum sevit Otacilius.
Consule Torquato vici fuit ille magister;
Nec minor in tanto visus honore sibi.
Grandis ut exiguam bos ranam ruperat olim,
Sic puto Torquatus rumpet Otacilium. 10

Epigramma LXXX.—*De Erote.*

Plorat Eros, quoties maculosæ pocula myrrhæ
Inspicit, aut pueros, nobiliusve citrum:
Et gemitus imo ducit de pectore, quod non
Tota miser coemat septa, feratque domum.
Quam multi faciunt, quod Eros, sed lumine sicco!
Pars major lacrymas ridet, et intus habet. 6

Epigramma LXXXI.—*De Phyllide.*

Cum duo venissent ad Phyllida mane fututum,
Et nudam cuperet sumere uterque prior:
Promisit pariter se Phyllis utrique daturam,
Et dedit: ille pedem sustulit, hic tunicam.

Epigramma LXXXII.—*Ad Gallum.*

Si quid nostra tuis adicit vexatio rebus,
Mane, vel a media nocte togatus ero:
Stridentesque feram flatus Aquilonis iniqui,
Et patiar nimbos, excipiamque nives.
Sed si non fias quadrante beatior uno 5
Per gemitus nostros, ingenuasque cruces:
Parce precor lasso, vanosque remitte labores,
Qui tibi non prosunt, et mihi, Galle, nocent.

Epigramma LXXXIII.—*Ad Marinum.*

Raros colligis hinc et hinc capillos,
Et latum nitidæ, Marine, calvæ
Campum temporibus tegis comatis:
Sed moti redeunt jubente vento,
Reddunturque sibi, caputque nudum 5
Cirris grandibus hinc et inde cingunt.
Inter Spendophorum, Telesphorumque,
Cydæ stare putabis Hermeroten.
Vis tu simplicius senem fateri?
Ut tandem videaris unus esse, 10
Tonsor jam reliquos metat capillos.
Calvo turpius est nihil comato.

Epigramma LXXXIV.—*De Afro, ad Cæditianum.*

Miraris, quare dormitum non eat Afer?
Accumbat cum qua, Cæditiane, vides

Epigramma LXXXV.—*De Ladonte nauta.*

Jam senior Ladon Tiberinæ nauta carinæ
Proxima dilectis rura paravit aquis.
Quæ cum sæpe vagus premeret torrentibus undis
Tibris, et hiberno rumperet arva lacu:
Emeritam puppim, ripa quæ stabat in alta, 5
Implevit saxis, opposuitque vadis.
Sic nimias avertit aquas: quis credere posset?
Auxilium domino mersa carina tulit.

Epigramma LXXXVI.—*De Lauro.*

Nemo nova caluit sic inflammatus amica,
Flagravit quanto Laurus amore pilæ.
Sed qui primus erat lusor, dum floruit ætas,
Nunc postquam desît ludere, prima pila est.

Epigramma LXXXVII.—*De natali Restituti.*

Octobres age sentiat Calendas
Facundi pia Roma Restituti.
Linguis omnibus et favete votis.
Natalem colimus, tacete lites.
Absit cereus aridi clientis, 5
Et vani triplices, brevesque mappæ
Exspectent gelidi jocos Decembris.
Certent muneribus beatiores.
Agrippæ tumidus negotiator
Cadmi municipes ferat lacernas. 10
Pugnorum reus, ebriæque noctis
Cœnatoria mittat advocato.
Infamata virum puella vicit?
Veros sardonychas, sed ipsa, tradat.
Mirator veterum senex avorum 15
Donet Phidiaci toreuma cæli.
Venator leporem, colonus hædum,
Piscator ferat æquorum rapinas.
Si mittit sua quisque, quid poetam
Missurum tibi, Restitute, credis? 20

Epigramma LXXXVIII.—*Ad Cottam.*

Omnes persequeris prætorum, Cotta, locellos,
Accipis et ceras: officiosus homo es.

Epigramma LXXXIX.—*De statua Junonis*

Juno labor, Polyclete, tuus, et gloria felix,
Phidiacæ cuperent quam meruisse manus,

Ore nitet tanto, quanto superasset in Ida
Judice convictas non dubitante deas.
Junonem, Polyclete, suam nisi frater amaret, 5
Junonem poterat frater amare tuam.

Epigramma XC.—*In Ligellam.*

Quid vellis vetulum, Ligella, cunnum?
Quid busti cineres tui lacessis?
Tales munditiæ decent puellas.
Nam tu jam nec anus potes videri.
Istud, crede mihi, Ligella, belle 5
Non mater facit Hectoris, sed uxor.
Erras, si tibi cunnus hic videtur,
Ad quem mentula pertinere desit.
Quare si pudor est, Ligella, noli
Barbam vellere mortuo leoni. 10

Epigramma XCI.—*De Almone.*

Omnes eunuchos habet Almo, nec arrigit ipse,
Et queritur, pariat quod sua Polla nihil.

Epigramma XCII.—*Ad Marium.*

Mari, quietæ cultor et comes vitæ,
Quo cive prisca gloriatur Atina:
Has tibi gemellas barbari decus luci
Commendo pinus, ilicesque Faunorum,
Et semidocta villici manu structas 5
Tonantis aras, horridique Sylvani,
Quas tinxit agni sæpe sanguis, aut hædi,
Dominamque sancti virginem deam templi,
Et quem sororis hospitem vides castæ
Martem mearum principem Calendarum, 10
Et delicatæ laureum nemus Floræ,
In quod Priapo persequente confugit.
Hoc omne agelli mite parvuli numen
Seu tu cruore, sive thure placabis;
Ubicunque noster Martialis est, dices, 15
Hac, ecce, mecum dextera litat vobis
Absens sacerdos; vos putate præsentem,
Et date duobus, quicquid alter optarit.

Epigramma XCIII.—*Ad Clementem.*

Si prior Euganeas, Clemens, Helicaonis oras,
Pictaque pampineis videris arva jugis,
Perfer Atestinæ nondum vulgata Sabinæ
Carmina, purpurea sed modo suta toga.
Ut rosa delectat, metitur quæ pollice primo, 5
Sic nova, nec mento sordida charta juvat.

Epigramma XCIV.—*Munusculum pomorum.*

Non mea Massylus servat pomaria serpens,
Regius Alcinoi nec mihi servit ager:
Sed Nomentana securus germinat hortus
Arbore, nec furem plumbea mala timent.
Hæc igitur, media quæ sunt modo nata Suburra,
Mittimus autumni cerea poma mei. 6

Epigramma XCV.—*Ad Gallam.*

Infantem tibi vir, tibi, Galla, remisit adulter
Hi, puto, non dubie se futuisse negant.

Epigramma XCVI.—*Ad Avitum.*

Sæpe loquar nimium gentes quod, Avite, remotas,
Miraris, Latia factus in urbe senex, [nem,
Auriferumque Tagum sitiam, patriumque Salo-
Et repetam saturæ sordida rura casæ.
Illa placet tellus, in qua res parva beatum 5
Me facit, et tenues luxuriantur opes.
Pascitur hic, ibi pascit ager: tepet igne maligno
Hic focus, ingenti lumine lucet ibi.
Hic pretiosa fames, conturbatrixque macelli,
Mensa, ibi divitiis ruris operta sui. 10
Quatuor hic æstate togæ, pluresve teruntur,
Autumnis ibi me quatuor una tegit.
I, cole nunc reges: quicquid non præstat amicus,
Cum præstare tibi possit, Avite, locus.

Epigramma XCVII.—*De Numa.*

Dum levis arsura struitur Libitina papyro,
Dum myrrham et casiam flebilis uxor emit;
Jam scrobe, jam lecto, jam pollinctore parato
Hæredem scripsit me Numa: convaluit.

Epigramma XCVIII.—*In Publium.*

Addat cum mihi Cæcubum minister
Idæo resolutior cinædo,
Quo nec filia cultior, nec uxor,
Nec mater tua, nec soror recumbit;
Vis spectem potius tuas lacernas, 5
Aut citrum vetus, Indicosque dentes?
Suspectus tibi ne tamen recumbam,
Præsta de grege, sordidaque villa
Tonsos, horridulos, rudes, pusillos
Hircosi mihi filios subulci. 10
Perdet te pudor hic: habere, Publi,
Mores non potes hos, et hos ministros.

Epigramma XCIX.—*De figura Socratis.*

Si Romana forent hæc Socratis ora, fuissent
Julius in satiris qualia Rufus habet.

Epigramma C.—*In plagiarium.*

Quid, stulte, nostris versibus tuos misces?
Cum litigante quid tibi, miser, libro?
Quid congregare cum leonibus vulpes,
Aquilisque similes facere noctuas quæris?
Habeas licebit alterum pedem Ladæ, 5
Inepte, frustra crure ligneo curres.

Epigramma CI.—*De Capitolino.*

Elysio redeat si forte remissus ab agro
Ille suo felix Cæsare Galba vetus;
Qui Capitolinum pariter, Galbamque jocantes
Audierit, dicet, Rustice Galba, tace.

Epigramma CII.—*De Philæno.*

Qua factus ratione sit requiris,
Qui nunquam futuit, pater Philænus?
Gaditanus, Avite, dicat istud,
Qui scribit nihil, et tamen poeta est.

Epigramma CIII.—*Ad municipes suos Bilbilitanos.*

Municipes, Augusta mihi quos Bilbilis acri
Monte creat, rapidus quem Salo cingit aquis;
Ecquid læta juvat vestri vos gloria vatis?
Nam decus, et nomen, famaque vestra sumus
Nec sua plus debet tenui Verona Catullo, 5
Meque velit dici non minus illa suum.
Quatuor accessit tricesima messibus æstas,
Ut sine me Cereri rustica liba datis.
Mœnia dum colimus dominæ pulcherrima Romæ
Mutavere meas Itala regna comas. 10
Excipitis reducem placida si mente, venimus·
Aspera si geritis corda, redire licet.

Epigramma CIV.—*Ad librum.*

I nostro comes, i, libelle, Flacco
Longum per mare, sed faventis undæ;

Et cursu facili, tuisque ventis
Hispanæ pete Tarraconis arces.
Illinc te rota tollet, et citatus 5
Altam Bilbilin, et tuum Salonem
Quinto forsitan essedo videbis.
Quid mandem tibi, quæris? ut sodales
Paucos, sed veteres, et ante brumas
Triginta mihi quatuorque visos 10
Ipsa protinus a via salutes:
Et nostrum admoneas subinde Flaccum,
Jucundos mihi, nec laboriosos
Secessus pretio paret salubri,
Qui pigrum faciant tuum parentem. 15
Hæc sunt: jam tumidus vocat magister,
Castigatque moras; et aura portum
Laxavit melior: vale, libelle:
Navem, scis puto, non moratur unus.

LIBER UNDECIMUS.

Epigramma I.

Quo tu, quo, liber otiose, tendis,
Cultus sindone non quotidiana?
Numquid Parthenium videre? certe
Vadas, et redeas inevolutus.
Libros non legit ille, sed libellos: 5
Nec Musis vacat aut, suis vacaret.
Ecquid te satis æstimas beatum,
Contingunt tibi si manus minores?
Vicini pete porticum Quirini:
Turbam non habet otiosiorem 10
Pompeius, vel Agenoris puella,
Vel primæ dominus levis carinæ.
Sunt illic duo tresve, qui revolvant
Nostrarum tineas ineptiarum:
Sed cum sponsio, fabulæque lassæ 15
De Scorpo fuerint et Incitato.

Epigramma II.—*Ad lectores.*

Triste supercilium, durique severa Catonis
Frons, et aratoris [filia] Fabricii,
Et personati fastus, et regula morum,
Quicquid et in tenebris non sumus, ite foras.
Clamant ecce mei, Io Saturnalia, versus: 5
Et licet, et sub te præside, Nerva, libet.
Lectores tetrici salebrosum ediscite Santram:
Nil mihi vobiscum est: iste liber meus est.

Epigramma III.—*De suis libellis.*

Non urbana mea tantum Pimpleide gaudent
Otia, nec vacuis auribus ista damus:
Sed meus in Geticis ad Martia signa pruinis
A rigido teritur centurione liber.
Dicitur et nostros cantare Britannia versus. 5
Quid prodest? nescit sacculus ista meus.
At quam victuras poteramus pangere chartas,
Quantaque Pieria prælia flare tuba;
Cum pia reddiderint Augustum numina terris,
Et Mecænatem si mihi Roma daret! 10

Epigramma IV.—*Precatur deos pro Nerva Trajano.*

Sacra, Laresque Phrygum, quos Trojæ maluit hæres,
Quam rapere arsuras Laomedontis opes:
Scriptus et æterno nunc primum Jupiter auro,
Et soror, et summi filia tota patris:
Et qui purpureis jam tertia nomina fastis 5
Jane, refers Nervæ; vos precor ore pio:
Hunc omnes servate ducem, servate senatum:
Moribus hic vivat principis, ille suis.

Epigramma V.—*In laudem Nervæ Trajani.*

Tanta tibi est recti reverentia, Cæsar, et æqui,
Quanta Numæ fuerat: sed Numa pauper erat.
Ardua res hæc est, opibus non tradere mores,
Et cum tot Crœsos viceris, esse Numam.
Si redeant veteres, ingentia nomina, patres, 5
Elysium liceat si vacuare nemus:
Te colet invictus pro libertate Camillus;
Aurum Fabricius, te tribuente, volet.
Te duce gaudebit Brutus; tibi Sylla cruentus
Imperium tradet, cum positurus erit. 10
Et te privato cum Cæsare Magnus amabit;
Donabit totas et tibi Crassus opes.
Ipse quoque infernis revocatus Ditis ab umbris
Si Cato reddatur, Cæsarianus erit.

Epigramma VI.—*De Saturnalibus.*

Unctis falciferi senis diebus,
Regnator quibus imperat fritillus,
Versu ludere non laborioso
Permittis, puto, pileata Roma.
Risisti: licet ergo, nec vetamur. 5
Pallentes procul hinc abite curæ:
Quicquid venerit obvium, loquamur,
Morosa sine cogitatione.
Misce dimidios, puer, trientes,
Quales Pythagoras dabat Neroni: 10
Misce, Dindyme, sed frequentiores
Possum nil ego sobrius: bibenti
Succurrent mihi quindecim poetæ.
Da nunc basia, sed Catulliana:
Quæ si tot fuerint, quot ille dixit, 15
Donabo tibi passerem Catulli.

Epigramma VII.—*Ad Paullam.*

Jam certe stupido non dices, Paulla, marito,
Ad mœchum quoties longius ire voles,
Cæsar in Albanum jussit me mane venire,
Cæsar Circeios: jam stropha talis abit.
Penelopæ licet esse tibi sub principe Nerva: 5
Sed prohibet scabies, ingeniumque vetus.
Infelix, quid ages? ægram simulabis amicam?
Hærebit dominæ vir comes ipse suæ:
Ibit et ad fratrem tecum, matremque, patremque.
Quas igitur fraudes ingeniosa paras? 10
Dicet et hystericam se forsitan altera mœcha
In Sinuessano velle sedere lacu.
Quanto tu melius! quoties placet ire fututum,
Quæ verum mavis dicere, Paulla, viro

Epigramma VIII.—*De basiis sui pueri.*

Lassa quod hesterni spirant opobalsama drauci,
Ultima quod curvo quæ cadit aura croco,
Poma quod hiberna maturescentia capsa,
Arbore quod verna luxuriosus ager,
De Pallatinis dominæ quod serica prælis, 5
Succina virginea quod regelata manu,
Amphora quod nigri, sed longe, fracta Falerni,
Quod qui Sicanias detinet hortus apes,
Quod Cosmi redolent alabastra, focique deorum,
Quod modo divitibus lapsa corona comis: 10
Singula quid dicam? non sunt satis; omnia misce:
Hoc fragrant pueri basia mane mei.
Scire cupis nomen? nil præter basia dicam:
Jurasti: nimium scire, Sabine, cupis.

Epigramma IX.—*De statua Memoris.*

Clarus fronde Jovis, Romani fama cothurni,
Spirat Apellea redditus arte Memor.

Epigramma X.—*De Turno.*

Contulit ad satiras ingentia pectora Turnus
Cur non ad Memoris carmina? frater erat.

Epigramma XI.—*Ad puerum suum.*

Tolle, puer, calices, tepidique toreumata Nili,
Et mihi secura pocula trade manu,
Trita patrum labris, et tonso pura ministro;
Antiquus mensis restituatur honor.
Te potare decet gemma, qui Mentora frangis 5
In scaphium mœchæ, Sardanapale, tuæ

Epigramma XII.—*In Zoilum.*

Jus tibi natorum vel septem, Zoile, detur:
Dum matrem nemo det tibi, nemo patrem.

Epigramma XIII.—*Epitaphium Paridis pantomimi.*

Quisquis Flaminiam teris, viator,
Noli nobile præterire marmor.
Urbis deliciæ, salesque Nili,
Ars et gratia, lusus et voluptas,
Romani decus et dolor theatri, 5
Atque omnes Veneres, Cupidinesque,
Hoc sunt condita, quo Paris, sepulcro.

Epigramma XIV.—*De colono.*

Hæredes, nolite brevem sepelire colonum:
Nam terra est illi quantulacunque gravis.

Epigramma XV.—*De libro suo.*

Sunt chartæ mihi, quas Catonis uxor,
Et quas horribiles legant Sabinæ.
Hic totus volo rideat libellus,
Et sit nequior omnibus libellis:
Qui vino madeat, nec erubescat 5
Pingui sordidus esse Cosmiano.
Ludat cum pueris, amet puellas:
Nec per circuitus loquatur illam,
Ex qua nascimur, omnium parentem,
Quam sanctus Numa mentulam vocabat. 10
Versus hos tamen esse tu memento
Saturnalitios, Apollinaris.
Mores non habet hic meos libellus.

Epigramma XVI.—*Ad lectores.*

Qui gravis es nimium, potes hinc jam, lector, abire
Quo libet: urbanæ scripsimus ista togæ.
Nam mea Lampsacio lascivit pagina versu,
Et Tartessiaca concrepat æra manu.
O quoties rigida pulsabis pallia vena, 5
Sis gravior Curio Fabricioque licet.
Tu quoque nequitias nostri lususque libelli
Uda puella leges, sis Patavina licet.
Erubuit, posuitque meum Lucretia librum;
Sed coram Bruto: Brute, recede, leget. 10

Epigramma XVII.—*Ad Sabinum.*

Non omnis nostri nocturna est pagina libri:
Invenies et quod mane, Sabine, legas.

Epigramma XVIII.—*Ad Lupum.*

Donasti, Lupe, rus sub urbe nobis:
Sed rus est mihi majus in fenestra.
Rus hoc dicere, rus potes vocare?
In quo ruta facit nemus Dianæ,
Argutæ tegit ala quod cicadæ, 5
Quod formica die comedit uno,
Clausæ cui folium rosæ corona est:
In quo non magis invenitur herba,
Quam costi folium, piperve crudum:
In quo nec cucumis jacere rectus, 10
Nec serpens habitare tota possit.
Erucam male poscit hortus unam;
Consumto moritur culex salicto;
Et talpa est mihi fossor, atque arator.
Non boletus hiare, non mariscæ 15
Ridere, aut violæ patere possunt.
Fines mus populatur, et colono
Tanquam sus Calydonius timetur,
Et sublata volantis ungue Procnes
In nido seges est hirundinino; 20
Et cum stet sine falce, mentulaque,
Non est dimidio locus Priapo.
Vix implet cochleam peracta messis,
Et mustum nuce condimus picata.
Errasti, Lupe, littera sed una: 25
Nam quo tempore prædium dedisti,
Mallem tu mihi prandium dedisses.

Epigramma XIX.—*In Gallam.*

Quæris cur nolim te ducere, Galla? diserta es.
Sæpe solœcismum mentula nostra facit.

Epigramma XX.—*Ad lectorem gravem.*

Cæsaris Augusti lascivos, livide, versus
Sex lege, qui tristis verba Latina legis.
Quod futuit Glaphyren Antonias, hanc mihi pœnam
Fulvia constituit, se quoque uti futuam.
Fulviam ego ut futuam? quid si me Manius oret
Pædicem; faciam? non, puto, si sapiam. 6
Aut futue, aut pugnemus, ait. Quid, quod mihi
Carior est ipsa mentula? signa canant. [*vita.*
Absolvis lepidos nimirum, Auguste, libellos,
Qui scis Romana simplicitate loqui. 10

Epigramma XXI.—*In Lydiam.*

Lydia tam laxa est, equitis quam culus aeni;
Quam celer arguto qui sonat ære trochus;
Quam rota transmisso toties intacta petauro,
Quam vetus a crassa calceus udus aqua;
Quam quæ rara vagos exspectant retia turdos, 5
Quam Pompeiano vela negata Noto;
Quam quæ de phthisico lapsa est armilla cinædo
Culcita Leuconico quam viduata suo;
Quam veteres braccæ Britonis pauperis, et quam
Turpe Ravennatis guttur onocrotali. 10
Hanc in piscina dicor futuisse marina.
Nescio: piscinam me futuisse puto

Epigramma XXII.—*In pædiconem masturbantem.*

Mollia quod nivei duro teris ore Galesi
Basia, quod nudo cum Ganymede jaces;
Quis negat hoc nimium? sed sit satis: inguina
Parce fututrici sollicitare manu. [saltem
Lævibus in pueris plus hæc, quam mentula, pec-
Et faciunt digiti, præcipitantque virum. [cat:
Inde tragus, celeresque pili, mirandaque matri
Barba, nec in clara balnea luce placent.
Diviait natura mares; pars una puellis,
Una viris genita est: utere parte tua. 10

Epigramma XXIII.—*In Silam.*

Nubere Sila mihi nulla non lege parata est:
Sed Silam nulla ducere lege volo.
Cum tamen instaret, Decies mihi dotis in auro
Sponsa dabis, dixi: quid minus esse potest?
Nec futuam quamvis prima te nocte maritus: 5
Communis tecum nec mihi lectus erit: [cam:
Complectarque meam, nec tu prohibebis, ami-
Ancillam mittes et mihi jussa tuam.
Te spectante dabit nobis lasciva minister
Basia, sive meus, sive erit ille tuus. 10
Ad cœnam venies: sed sic divisa recumbes,
Ut non tangantur pallia nostra tuis.
Oscula rara dabis nobis, sed non dabis ultro:
Nec quasi nupta dabis, sed quasi mater anus.
Si potes ista pati, si nil perferre recusas: 15
Invenies qui te ducere, Sila, velit.

Epigramma XXIV.—*Ad Labullum.*

Dum te prosequor, et domum reduco,
Aurem dum tibi præsto garrienti,
Et quicquid loqueris facisque laudo
Quot versus poterant, Labulle, nasci?
Hoc damnum tibi non videtur esse, 5
Si quod Roma legit, requirit hospes,
Non deridet eques, tenet senator,
Laudat causidicus, poeta carpit,
Propter te perit? hoc, Labulle, verum est?
Hoc quisquam ferat, ut tibi tuorum 10
Sit major numerus togatulorum,
Librorum mihi sit minor meorum?
Triginta prope jam diebus una est
Nobis pagina vix peracta: sic fit,
Cum cœnare domi poeta non vult. 15

Epigramma XXV.—*In Linum.*

Illa salax nimium, nec paucis nota puellis,
Stare Lino desît mentula: lingua cave.

Epigramma XXVI.—*Ad Telesphorum puerum.*

O mihi grata quies, o blanda, Telesphore, cura,
Qualis in amplexu non fuit ante meo;
Basia da nobis vetulo, puer, uda Falerno,
Pocula da labris facta minora tuis.
Addideris super hæc Veneris si gaudia vera, 5
Esse negem melius cum Ganymede Jovi.

Epigramma XXVII.—*Ad Flaccum.*

Ferreus es, si stare potest tibi mentula, Flacce,
Cum te sex cyathos orat amica gari;
Vel duo frusta rogat cybii, tenuemve lacertum,
Nec dignam toto se botryone putat:
Cui portat gaudens ancilla paropside rubra 5
Alecem, sed quam protinus illa voret:
Aut cum perfricuit frontem, posuitque pudorem,
Succida palliolo vellera quinque petit.
At mea me libram foliati poscat amica,
Aut virides gemmas, sardonychasve pares: 10
Nec nisi prima velit de Tusco Serica vico,
Aut centum aureolos, sic velut æra, roget.
Nunc tu velle putas hæc me dare dona puellæ?
Nolo: sed, his ut sit digna puella, volo.

Epigramma XXVIII.—*De nephritico, sed phrenetico.*

Invasit medicum sica nephriticus, Aucte,
Et præcidit Hylan: hic, puto, sanus erat.

Epigramma XXIX.—*Ad Phyllidem.*

Languida cum vetula tractare virilia dextra
Cœpisti, jugulor pollice, Phylli, tuo.
Nam cum me murem, cum me tua lumina dicis,
Horis me refici vix puto posse decem.
Blanditias nescis: Dabo, dic, tibi millia centum
Et dabo Setini jugera culta soli: [sas.
Accipe vina, domum, pueros, chrysendeta, men-
Nil opus est digitis: sic mihi, Phylli, frica.

Epigramma XXX.—*In Zoilum.*

Os male causidicis et dicis olere poetis:
Sed fellatori, Zoile, pejus olet.

Epigramma XXXI.—*In Cæcilianum.*

Atreus Cæcilius cucurbitarum
Sic illas, quasi filios Thyestæ,
In partes lacerat secatque mille.
Gustu protinus has edes in ipso,
Has prima referet, alterave cœna, 5
Has cœna tibi tertia reponet.
Hinc seras epidipnidas parabit;
Hinc pistor fatuas facit placentas;
Hinc et multiplices struit tabellas,
Et notas caryotidas theatris: 10
Hinc exit varium coquo minutal,
Ut lentem positam fabamque credas:
Boletos imitatur, et botellos,
Et caudam cybii, brevesque mænas:
Hinc cellarius experitur artes, 15
Ut condat vario vafer sapore
In rutæ folium Capellianæ.
Sic implet gabatas, paropsidasque,
Et leves scutulas, cavasque lances.
Hoc lautum putat, hoc putat venustum, 20
Unum ponere ferculis tot assem.

Epigramma XXXII.—*In Nestorem.*

Nec toga, nec focus est, nec tritus cimice lectus,
Nec tibi de bibula sarta palude teges:
Nec puer, aut senior, nulla est ancilla, nec infans,
Nec sera, nec clavis, nec canis, atque calix.
Tu tamen affectas, Nestor, dici atque videri 5
Pauper, et in populo quæris habere locum.
Mentiris, vanoque tibi blandiris honore.
Non est paupertas, Nestor, habere nihil.

Epigramma XXXIII.—*De Prasino.*

Sæpius ad palmam Prasinus post fata Neronis
Pervenit, et victor præmia plura refert.
I nunc, Livor edax, dic te cessisse Neroni:
Vicit nimirum non Nero, sed Prasinus.

Epigramma XXXIV.—*De Apro.*

Ædes emit Aper, sed quas nec noctua vellet
Esse suas; adeo nigra vetusque casa est.
Vicinos illi nitidus Maro possidet hortos.
Cœnabit belle, non habitabit Aper.

Epigramma XXXV.—*Ad Fabullum.*

Ignotos mihi cum voces trecentos,
Quare non veniam vocatus a te
Miraris, quererisque, litigasque.
Solus cœno, Fabulle, non libenter.

Epigramma XXXVI.—*De Caio Proculo.*

Caius hanc lucem gemma mihi Julius alba
Signat, io votis redditus, ecce, meis.
Desperasse juvat, veluti jam rupta, sororum
Fila: minus gaudent, qui timuere nihil.
Hypne quid exspectas piger? immortale Falernum
Funde; senem poscunt talia vota cadum. 6
Quincunces, et sex cyathos, bessemque bibamus,
Caius ut fiat Julius, et Proculus.

Epigramma XXXVII.—*In Zoilum.*

Zoile, quid tota gemmam præcingere libra
Te juvat, et miserum perdere sardonycha?
Annulus iste tuis fuerat modo cruribus aptus:
Non eadem digitis pondera conveniunt.

Epigramma XXXVIII.—*De mulione surdo.*

Mulio viginti venit modo millibus, Aule.
Miraris pretium tam grave? surdus erat.

Epigramma XXXIX.—*In Charidemum.*

Cunarum fueras motor, Charideme, mearum,
Et pueri custos, assiduusque comes.
Jam mihi nigrescunt tonsa sudaria barba,
Et queritur labris puncta puella meis.
Sed tibi non crevi: te noster villicus horret 5
Te dispensator, te domus ipsa pavet.
Ludere nec nobis, nec tu permittis amare:
Nil mihi vis, et vis cuncta licere tibi.
Corripis, observas, quereris, suspiria ducis;
Et vix a ferulis abstinet ira manum. 10
Si Tyrios sumsi cultus, unxive capillos,
Exclamas, Nunquam fecerat ista pater.
Et numeras nostros adstricta fronte trientes,
Tanquam de cella sit cadus ille tua.
Desine: non possum libertum ferre Catonem. 15
Esse virum jam me dicet amica tibi.

Epigramma XL.—*De Luperco.*

Formosam Glyceren amat Lupercus,
Et solus tenet, imperatque solus:
Quam toto sibi mense non fututam
Cum tristis quereretur, et roganti
Causam reddere vellet Æliano: 5
Respondit, Glyceræ dolere dentes.

Epigramma XLI.—*De Amynta.*

Indulget pecori nimium dum pastor Amyntas,
Et gaudet fama, luxuriaque gregis.
Cedentes oneri ramos, sylvamque fluentem
Vicit, concussas ipse secutus opes.
Triste nemus diræ vetuit superesse rapinæ, 5
Damnavitque rogis noxia ligna pater.
Pingues, Lygde, sues habeat vicinus lolas:
Te satis est nobis annumerare pecus.

Epigramma XLII.—*In Cæcilianum.*

Vivida cum poscas epigrammata, mortua ponis
Lemmata: qui fieri, Cæciliane, potest?
Mella jubes Hyblæa tibi, vel Hymettia nasci:
Et thyma Cecropiæ Corsica ponis api?

Epigramma XLIII.—*In uxorem.*

Deprensum in puero tetricis me vocibus, uxor,
Corripis, et culum te quoque habere refers.
Dixit idem quoties lascivo Juno Tonanti?
Ille tamen gracili cum Ganymede jacet.
Incurvabat Hylam posito Tirynthius arcu: 5
Tu Megaram credis non habuisse nates?
Torquebat Phœbum Daphne fugitiva: sed illas
Œbalius flammas jussit abire puer.
Briseis multum quamvis aversa jaceret,
Æacidæ propior lævis amicus erat. 10
Parce tuis igitur dare mascula nomina rebus;
Teque puta cunnos, uxor, habere duos.

Epigramma XLIV.—*Ad senem orbum.*

Orbus es, et locuples, et Bruto consule natus:
Esse tibi veras credis amicitias? [bas.
Sunt veræ: sed quas juvenis, quas pauper habe-
Qui novus est, mortem diligit ille tuam.

Epigramma XLV.—*In Cantharum.*

Intrasti quoties inscriptæ limina cellæ,
Seu puer arrisit, sive puella tibi:
Contentus non es foribus, veloque, seraque,
Secretumque jubes grandius esse tibi.
Oblinitur, minimæ si qua est suspectio rimæ, 5
Punctaque lasciva quæ terebrantur acu.
Nemo est tam teneri, tam sollicitique pudoris,
Qui vel pædicat, Canthare, vel futuit.

Epigramma XLVI.—*In Mævium.*

Jam, nisi per somnum, non arrigis, et tibi, Mævi,
Incipit in medios meiere verpa pedes:
Trudetur et digitis pannucea mentula lassis,
Nec levat exstinctum sollicitata caput.
Quid miseros frustra cunnos, culosque lacessis?
Summa petas: illic mentula vivit anus. 6

Epigramma XLVII.—*In Blattaram.*

Omnia fœmineis quare dilecta catervis
Balnea devitat Blattara? ne futuat.
Cur nec Pompeia lentus spatiatur in umbra,
Nec petit Inachidos limina? ne futuat.
Cur Lacedæmonio luteum ceromate corpus 5
Perfundit gelida Virgine? ne futuat.
Cum sic fœminei generis contagia vitet,
Cur lingit cunnum Blattara? ne futuat.

Epigramma XLVIII.—*In Silium Italicum.*

Silius hæc magni celebrat monumenta Maronis
Jugera facundi qui Ciceronis habet.
Hæredem dominumque sui tumulive larisve;
Non alium mallet, nec Maro, nec Cicero.

Epigramma XLIX.—*De Silio.*

Jam prope desertos cineres, et sancta Maronis
Nomina qui coleret, pauper et unus erat.
Silius optatæ succurrere censuit umbræ,
Silius et vatem, non minor ipse, colit.

Epigramma L.—*In Phyllida.*

Nulla est hora tibi qua non me, Phylli, furentem
Despolies: tanta calliditate rapis.
Nunc plorat speculo fallax ancilla relicto:
Gemma vel a digito, vel cadit aure lapis.
Nunc furtiva lucri fieri bombycina possunt: 5
Profertur Cosmi nunc mihi siccus onyx.
Amphora nunc petitur nigri cariosa Falerni,
Expiet ut somnos garrula saga tuos. [brem,
Nunc ut emam grandemve lupum, mullumve bili-
Indixit cœnam dives amica tibi. 10
Sit pudor, et tandem veri respectus et æqui.
Nil tibi, Phylli nego: nil mihi, Phylli, nega

Epigramma LI.—*De Titio.*

Tanta est quæ Titio columna pendet,
Quantam Lampsaciæ colunt puellæ.
Hic nullo comitante, nec molesto,
Thermis grandibus, et suis lavatur:
Anguste Titius tamen lavatur. 5

Epigramma LII.—*Ad Julium Cerealem.*

Cœnabis belle, Juli Cerealis, apud me:
Conditio est melior si tibi nulla, veni.
Octavam poteris servare: lavabimur una:
Scis, quam sint Stephani balnea juncta mihi.
Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo 5
Utilis, et porris fila resecta suis.
Mox vetus, et tenui major cordylla lacerto;
Sed quam cum rutæ frondibus ova tegant.
Altera non deerunt tenui versata favilla;
Et Velabrensi massa recocta foco: 10
Et quæ Picenum senserunt frigus olivæ:
Hæc satis in gustu: cætera nosse cupis?
Mentiar, ut venias; pisces, conchylia, sumen,
Et cortis saturas, atque paludis aves:
Quæ nec Stella solet rara nisi ponere cœna. 15
Plus ego polliceor: nil recitabo tibi.
Ipse tuos nobis relegas licet usque Gigantas,
Rura vel æterno proxima Virgilio.

Epigramma LIII.—*De Claudia Rufina.*

Claudia cæruleis cum sit Rufina Britannis
Edita, quam Latiæ pectora gentis habet!
Quale decus formæ! Romanam credere matres
Italides possunt, Atthides esse suam.
Di bene, quod sancto peperit fecunda marito, 5
Quod sperat generos, quodque puella nurus.
Sic placeat superis, ut conjuge gaudeat uno,
Et semper natis gaudeat illa tribus.

Epigramma LIV.—*In Zoilum.*

Unguenta, et casias, et olentem funera myrrham,
Thuraque de medio semicremata rogo,
Et quæ de Stygio rapuisti cinnama lecto,
Improbe, de turpi, Zoile, redde sinu.
A pedibus didicere manus peccare protervæ. 5
Non miror furem, qui fugitivus erat.

Epigramma LV.—*De Lupo ad Urbicum.*

Hortatur fieri quod te Lupus, Urbice, patrem,
Ne credas: nihil est quod minus ille velit.
Ars est captandi, quod nolis velle videri:
Ne facias optat, quod rogat ut facias.
Dicat prægnantem tua se Cosconia tantum: 5
Pallidior fiet jam pariente Lupus.
At tu, consilio videaris ut usus amici,
Sic morere, ut factum te putet esse patrem.

Epigramma LVI.—*In Chæremonem.*

Quod nimium laudas, Chæremon Stoice, mortem,
Vis animum mirer suspiciamque tuum.
Hanc tibi virtutem fracta facit urceus ansa,
Et tristis nullo qui tepet igne focus,
Et teges, et cimex, et nudi sponda grabati, 5
Et brevis, atque eadem nocte dieque toga.
O quam magnus homo es, qui fæce rubentis aceti,
Et stipula, et nigro pane carere potes!
Leuconicis agedum tumeat tibi culcita lanis,
Constringatque tuos purpura pexa toros: 10
Dormiat et tecum, qui, cum modo Cæcuba miscet,
Convivas roseo torserat ore, puer:
O quam tu cupies ter vivere Nestoris annos,
Et nihil ex ulla perdere luce voles!
Rebus in angustis facile est contemnere vitam; 15
Fortiter ille facit, qui miser esse potest

Epigramma LVII.—*Ad Severum*

Miraris, docto quod carmina mitto Severo,
Ad cœnam quod te, docte Severe, vocem.
Jupiter ambrosia satur est, et nectare vivit:
Nos tamen exta Jovi cruda merumque damus.
Omnia cum tibi sint dona concessa deorum: 5
Si quod habes, non vis; ergo quid accipies?

Epigramma LVIII.—*In Telesphorum.*

Cum me velle vides, tentumque, Telesphore, sen-
Magna rogas: puta me velle negare nihil. [tis,
Et nisi juratus dixi, Dabo, subtrahis illas,
Permittunt in me quæ tibi multa, nates.
Quid si me tonsor, cum stricta novacula supra est,
Tunc libertatem, divitiasque roget? 6
Promittam: nec enim rogat illo tempore tonsor
Latro rogat: res est imperiosa timor.
Sed fuerit curva cum tuta novacula theca,
Frangam tonsori crura manusque simul. 10
At tibi nil faciam: sed lota mentula læva
Λειχάζειν cupidæ dicet avaritiæ.

Epigramma LIX.—*De Charino.*

Senos Charinus omnibus digitis gerit,
Nec nocte ponit, annulos,
Nec cum lavatur: causa quæ sit, quæritis?
Dactyliothecam non habet.

Epigramma LX.—*De Chione et Phlogide.*

Sit Phlogis, an Chione Veneri magis apta, requiris?
Pulchrior est Chione; sed Phlogis ulcus habet.
Ulcus habet, Priami quod tendere possit alutam,
Quodque senem Pylium non sinat esse senem.
Ulcus habet, quod habere suam vult quisque puel-
lam, 5
Quod sanare Criton, non quod Hygea potest.
At Chione non sentit opus, nec vocibus ullis
Adjuvat: absentem, marmoreamve putes.
Exorare, dei, si vos tam magna liceret,
Et bona velletis tam pretiosa dare; 10
Hoc quod habet Chione corpus, faceretis haberet
Ut Phlogis; et Chione, quod Phlogis ulcus
habet.

Epigramma LXI.—*De Manneio.*

Lingua maritus, mœchus ore Manneius,
Summœnianis inquinatior buccis:
Quem cum fenestra vidit a Suburrana
Obscæna nudum lena, fornicem clausit,
Mediumque mavult basiare, quam summum: 5
Modo qui per omnes viscerum tubos ibat,
Et voce certa, consciaque dicebat,
Puer, an puella matris esset in ventre;
(Gaudete cunni; vestra namque res acta est)
Arrigere linguam non potest fututricem. 10
Nam, dum tumenti mersus hæret in vulva,
Et vagientes intus audit infantes,
Partem gulosam solvit indecens morbus:
Nec purus esse nunc potest, nec impurus.

Epigramma LXII.—*De Lesbia.*

Lesbia se jurat gratis nunquam esse fututam.
Verum est: cum futui vult, numerare solet.

Epigramma LXIII.—*In Philomusum.*

Spectas nos, Philomuse, cum lavamur;
Et quare mihi tam mutoniati

Sint læves pueri, subinde quæris.
Dicam simpliciter tibi roganti:
Pædicant, Philomuse, curiosos. 5

Epigramma LXIV.—*In Faustum.*

Nescio tam multis quid scribas, Fauste, puellis:
Hoc scio, quod scribit nulla puella tibi.

Epigramma LXV.—*In Justinum.*

Sexcenti cœnant a te, Justine, vocati
Lucis ad officium, quæ tibi prima fuit:
Inter quos, memini, non ultimus esse solebam;
Nec locus hic nobis invidiosus erat.
Postera sed festæ reddes sollennia mensæ: 5
Sexcentis hodie, cras mihi natus eris.

Epigramma LXVI.—*In Vacerram.*

Et delator es, et calumniator:
Et fraudator es, et negotiator:
Et fellator es, et lanista: minor
Quare non habeas, Vacerra, nummos.

Epigramma LXVII.—*In Maronem.*

Nil mihi das vivus: dicis post fata daturum.
Si non es stultus, scis, Maro, quid cupiam.

Epigramma LXVIII.—*Ad Mathonem.*

Parva rogas magnos: sed non dant hæc quoque magni.
Ut pudeat levius te, Matho, magna roga.

Epigramma LXIX.—*Epitaphium canis Lydiæ.*

Amphitheatrales inter nutrita magistros
Venatrix, sylvis aspera, blanda domi,
Lydia dicebar, domino fidissima Dextro,
Qui non Erigones mallet habere canem:
Nec qui, Dictæa Cephalum de gente secutus, 5
Luciferæ pariter venit ad astra deæ.
Non me longa dies, nec inutilis abstulit ætas,
Qualia Dulichio fata fuere cani.
Fulmineo spumantis apri sum dente peremta,
Quantus erat, Calydon, aut Erymanthe, tuus.
Nec queror, infernas quamvis cito rapta sub umbras:
Non potui fato nobiliore mori.

Epigramma LXX.—*In Tuccam.*

Vendere, Tucca, potes centenis millibus emtos?
Plorantes dominos vendere, Tucca, potes?
Nec te blanditiæ, nec verba, rudesque querelæ,
Nec te dente tuo saucia colla movent?
Ah facinus! tunica patet inguen utrinque levata
Inspiciturque tua mentula facta manu. 6
Si te delectat numerata pecunia, vende
Argentum, mensas, myrrhina, rura, domum.
Vende senes servos, agros et vende paternos:
Ne pueros vendas, omnia vende miser. 10
Luxuria est emere hos, (quis enim dubitatve, negatve?)
Sed multo major vendere luxuria est.

Epigramma LXXI.—*De Leda.*

Hystericam vetulo se dixerat esse marito,
Et queritur futui Leda necesse sibi:
Sed flens atque gemens tanti negat esse salutem,
Seque refert potius proposuisse mori.
Vir rogat, ut vivat, virides nec deserat annos; 5
Et fieri, quod jam non facit ipse, sinit.
Protinus accedunt medici, medicæque recedunt,
Tollunturque pedes: O medicina gravis!

Epigramma LXXII.—*De Nata.*

Drauci Nata sui vocat pipinnam,
Collatus cui Gallus est Priapus.

Epigramma LXXIII.—*In Lygdum.*

Venturum juras semper mihi, Lygde, roganti,
Constituisque horam, constituisque locum.
Cum frustra jacui longa prurigine tentus,
Succurrit pro te sæpe sinistra mihi.
Quid precer, o fallax, meritis et moribus istis?
Umbellam luscæ, Lygde, feras dominæ. 6

Epigramma LXXIV.—*De Baccara.*

Curandum penem commisit Baccara Græcus
Rivali medico: Baccara Gallus erit.

Epigramma LXXV.—*In Cœliam.*

Theca tectus aenea lavatur
Tecum, Cœlia, servus: ut quid, oro,
Non sit cum citharœdus, aut choraules!
Non vis, ut puto, mentulam videre.
Quare cum populo lavaris ergo? 5
Omnes an tibi nos sumus spadones?
Ergo, ne videaris invidere,
Servo, Cœlia, fibulam remitte.

Epigramma LXXVI.—*Ad Pætum.*

Solvere, Pæte, decem tibi me sestertia cogis:
Perdiderit quoniam Bucco ducenta tibi.
Ne noceant, oro, mihi non mea crimina: tu, qui
Bis centena potes perdere, perde decem.

Epigramma LXXVII.—*In Vacerram.*

In omnibus Vacerra quod conclavibus
Consumit horas, et die tota sedet:
Cœnaturit Vacerra, non cacaturit.

Epigramma LXXVIII.—*Ad Victorem sponsum.*

Utere fœmineis complexibus, utere, Victor,
Ignotumque sibi mentula discat opus.
Flammea texuntur sponsæ, jam virgo paratur,
Tondebit pueros jam nova nupta tuos.
Pædicare semel cupido dabit illa marito, 5
Dum metuit teli vulnera prima novi.
Sæpius hoc fieri nutrix, materque vetabunt,
Et dicent, Uxor, non puer, ista tibi est.
Heu quantos æstus, quantos patiere labores,
Si fuerit cunnus res peregrina tibi! 10
Ergo Suburranæ tironem trade magistræ.
Illa virum faciet: non bene virgo docet.

Epigramma LXXIX.—*Ad Pætum.*

Ad primum decima lapidem quod venimus hora,
Arguimur lentæ crimine pigritiæ.
Non est ista viæ, non est mea, sed tua culpa,
Misisti mulas qui mihi, Pæte, tuas.

Epigramma LXXX.—*De Baiis.*

Littus beatæ Veneris aureum Baias,
Baias superbæ blanda dona Naturæ,
Ut mille laudem, Flacce, versibus Baias,
Laudabo digne non satis tamen Baias.
Sed Martialem malo, Flacce, quam Baias. 5
Optare utrumque pariter, improbum votum est.
Quod si deorum munere hoc tibi detur:
Quid gaudiorum est Martialis et Baiæ!

Epigramma LXXXI.—*De spadone et sene.*

Cum senem communem vexat spado Dindymus
Et jacet in medio sicca puella toro: [Æglen,

Viribus hic operi non est, hic utilis annis.
Ergo sine effectu prurit uterque labor.
Supplex ille rogat pro se, miserisque duobus, 5
Hunc juvenem facias, hunc, Cytherea, virum.

Epigramma LXXXII.—*De Philostrato.*

A Sinuessanis conviva Philostratus undis
Conductum repetens nocte jubente larem,
Pæne imitatus obît sævis Elpenora fatis,
Præceps per longos dum ruit usque gradus.
Non esset, Nymphæ, tam magna pericula passus,
Si potius vestras ille bibisset aquas. 6

Epigramma LXXXIII.—*Ad Sosibianum.*

Nemo habitat gratis, nisi dives et orbus, apud te.
Nemo domum pluris, Sosibiane, locat.

Epigramma LXXXIV.—*De Antiocho tonsore.*

Qui nondum Stygias descendere quærit ad undas,
Tonsorem fugiat, si sapit, Antiochum.
Alba minus sævis lacerantur brachia cultris,
Cum furit ad Phrygios enthea turba modos.
Mitior implicitas Alcon secat enterocelas, 5
Fractaque fabrili dedolat ossa manu.
Tondeat hic inopes Cynicos, et Stoica menta,
Collaque pulverea nudet equina juba.
Hic miserum Scythica sub rupe Promethea radat:
Carnificem nudo pectore poscet avem. 10
Ad matrem fugiet Pentheus, ad Mænadas Orpheus,
Antiochi tantum barbara tela sonent.
Hæc quæcunque meo numeratis stigmata mento,
In vetuli pyctæ qualia fronte sedent,
Non iracundis fecit gravis unguibus uxor: 15
Antiochi ferrum est, et scelerata manus.
Unus de cunctis animalibus hircus habet cor;
Barbatus vivit, ne ferat Antiochum.

Epigramma LXXXV.—*In Zoilum.*

Sidere percussa est subito tibi, Zoile, lingua,
Dum lingis: certe, Zoile, nunc futues.

Epigramma LXXXVI.—*In Parthenopæum.*

Leniat ut fauces medicus, quas aspera vexat
Assidue tussis, Parthenopæe, tibi:
Mella dari, nucleosque jubet, dulcesque placentas,
Et quicquid pueros non sinit esse truces.
At tu non cessas totis tussire diebus. 5
Non est hæc tussis, Parthenopæe: gula est.

Epigramma LXXXVII.—*Ad Charidemum.*

Dives eras quondam: sed tunc pædico fuisti,
Et tibi nulla diu fœmina nota fuit.
Nunc sectaris anus. O quantum cogit egestas!
Illa fututorem te, Charideme, facit.

Epigramma LXXXVIII.—*De Charisiano*

Multis jam, Lupe, posse se diebus
Pædicare negat Charisianus.
Causam cum modo quærerent sodales,
Ventrem dixit habere se solutum.

Epigramma LXXXIX.—*Ad Pollam.*

Intactas quare mittis mihi, Polla, coronas?
A te vexatas malo tenere rosas.

Epigramma XC.—*In Chrestillum.*

Carmina nulla probas, molli quæ limite currunt,
Sed quæ per salebras altaque saxa cadunt.
Et tibi Mæonio res carmine major habetur,
Luceilei columella heic situ' Metrophan' est.
Attonitusque legis, *terrai frugiferai,* 5
Accius et quicquid Pacuviusque vomunt.
Vis imiter veteres, Chrestille, tuosque poetas?
Dispeream, si scis, mentula quid sapiat.

Epigramma XCI.—*Epitaphium Canaces.*

Æolidon Canace jacet hoc tumulata sepulchro,
Ultima cui parvæ septima venit hyems.
Ah scelus, ah facinus! properas quid flere, viator?
Non licet hic vitæ de brevitate queri.
Tristius est leto leti genus: horrida vultus 5
Abstulit, et tenero sedit in ore lues:
Ipsaque crudeles ederunt oscula morbi,
Nec data sunt nigris tota labella rogis.
Si tam præcipiti fuerant ventura volatu,
Debuerant alia fata venire via. 10
Sed mors vocis iter properavit claudere blandæ,
Ne posset duras flectere lingua deas.

Epigramma XCII.—*In Zoilum.*

Mentitur, qui te vitiosum, Zoile, dixit.
Non vitiosus homo es, Zoile, sed vitium.

Epigramma XCIII.—*De Theodoro.*

Pierios vatis Theodori flamma penates
Abstulit: hoc Musis, hoc tibi, Phœbe, placet?
O scelus, o magnum facinus, crimenque deorum,
Non arsit pariter quod domus, et dominus?

Epigramma XCIV.—*In verpum æmulum.*

Quod nimium lives, nostris et ubique libellis
Detrahis, ignosco: verpe poeta, sapis. [pas,
Hoc quoque non curo, quod, cum mea carmina car-
Compilas: et sic verpe poeta, sapis.
Illud me cruciat, Solymis quod natus in ipsis 5
Pædicas puerum, verpe poeta, meum.
Ecce negas, jurasque mihi per templa Tonantis.
Non credo: jura, verpe, per Anchialum.

Epigramma XCV.—*Ad Flaccum.*

Incideris quoties in basia fellatorum,
In solio puto te mergere, Flacce, caput.

Epigramma XCVI.—*Ad Germanum.*

Martia, non Rhenus, salit hic, Germane: quid ob-
Et puerum prohibes divitis imbre lacus? [stas,
Barbare, non debet, submoto cive, ministri
Captivam victrix unda levare sitim.

Epigramma XCVII.—*In Thelesillam.*

Una nocte quater possum: sed quatuor annis
Si possum, peream, te, Thelesilla, semel.

Epigramma XCVIII.—*Ad Bassum.*

Effugere non est, Basse, basiatores:
Instant, morantur, persequuntur, occurrunt
Et hinc, et illinc, usquequaque, quacunque.
Non ulcus acre, pustulæve lucentes,
Nec triste mentum, sordidique lichenes, 5
Nec labra pingui delibuta ceroto,
Nec congelati gutta proderit nasi.
Et æstuantem basiant, et algentem,
Et nuptiale basium reservantem.
Non te cucullis adseret caput tectum, 10
Lectica nec te tuta pelle veloque,
Nec vindicabit sella sæpius clausa.
Rimas per omnes basiator intrabit.
Non consulatus ipse, non tribunatus,
Senique fasces, nec superba clamosi 15
Lictoris abiget virga basiatorem:

Sedeas in alto tu licet tribunali,
Et e curuli jura gentibus reddas;
Ascendet illa basiator, atque illa:
Febricitantem basiabit et flentem: 20
Dabit oscitanti basium, natantique:
Dabit et cacanti. Remedium mali solum est,
Facias amicum, hasiare quem nolis.

Epigramma XCIX.—*In Lesbiam.*

De cathedra quoties surgis, jam sæpe notavi,
Pædicant miseram, Lesbia, te tunicæ.
Quas cum conata es dextra, conata sinistra
Vellere, cum lacrymis eximis et gemitu.
Sic constringuntur gemina Symplegade culi, 5
Et Minyas intrant, Cyaneasque nates.
Emendare cupis vitium deforme? docebo,
Lesbia: nec surgas censeo, nec sedeas.

Epigramma C.—*Ad Flaccum.*

Habere amicam nolo, Flacce, subtilem,
Cujus lacertos annuli mei cingant,
Quæ clune nudo radat, et genu pungat:
Cui serra lumbis, cuspis eminet culo.
Sed idem amicam nolo mille librarum. 5
Carnarius sum, pinguiarius non sum.

Epigramma CI.—*Ad Flaccum.*

Thaida tam tenuem potuisti, Flacce, videre?
Tu, puto, quod non est, Flacce, videre potes.

Epigramma CII.—*In Lydiam.*

Non est mentitus, qui te mihi dixit habere
Formosam carnem, Lydia, non faciem.
Est ita, si taceas, et si tam muta recumbas,
Quam silet in cera vultus, et in tabula.
Sed quoties loqueris, carnem quoque Lydia perdis;
Et sua plus nulli, quam tibi, lingua nocet. 6
Audiat ædilis ne te, videatque, caveto;
Portentum est, quoties cœpit imago loqui.

Epigramma CIII.—*Ad Sophonium.*

Tanta tibi est animi probitas orisque, Sophoni,
Ut mirer fieri te potuisse patrem.

Epigramma CIV.—*In Uxorem.*

Uxor, vade foras, aut moribus utere nostris
Non ego sum Curius, nec Numa, nec Tatius.
Me jucunda juvant tractæ per pocula noctes;
Tu properas pota surgere tristis aqua.
Tu tenebris gaudes: me ludere teste lucerna, 5
Et juvat admissa rumpere luce latus.
Fascia te, tunicæque, obscuraque pallia celant.
At mihi nulla satis nuda puella patet.
Basia me capiunt blandas imitata columbas:
Tu mihi das, aviæ qualia mane soles. 10
Nec motu dignaris opus, nec voce juvare,
Nec digitis: tanquam thura merumque pares.
Masturbabantur Phrygii post ostia servi,
Hectoreo quoties sederat uxor equo.
Et quamvis Ithaco stertente, pudica solebat 15
Illic Penelope semper habere manum.
Pædicare negas: dabat hoc Cornelia Graccho,
Julia Pompeio, Porcia, Brute, tibi.
Dulcia Dardanio nondum miscente ministro
Pocula, Juno fuit pro Ganymede Jovi. 20
Si te delectat gravitas, Lucretia toto
Sis licet usque die: Laida nocte volo.

Epigramma CV.—*Ad Garricum.*

Mittebas libram: quadrantem, Garrice, mittis.
Saltem semissem, Garrice, solve mihi.

Epigramma CVI.—*Ad Albium Maximum.*

Albi Maxime, si vacabit hora,
Hoc tantum lege: namque et occupatus,
Et non es nimium laboriosus.
Transis hos quoque quatuor? sapisti.

Epigramma CVII.—*Ad Septicianum.*

Explicitum nobis usque ad sua cornua librum,
Et quasi perlectum, Septiciane, refers.
Omnia legisti. Credo, scio, gaudeo, verum est.
Perlegi libros sic ego quinque tuos.

Epigramma CVIII.—*Ad lectorem.*

Quamvis tam longo possis satur esse libello,
Lector, adhuc a me disticha pauca petis.
Sed Lupus usuram, puerique diaria poscunt.
Lector, solve: taces, dissimulasque? vale.

LIBER DUODECIMUS.

M. VAL. MARTIALIS PRISCO SUO S.

Scio me patrocinium debere contumacissimæ triennii desidiæ: quæ absolvenda non esset inter illas quoque occupationes urbicas, quibus facilius consequimur, ut molesti potius quam officiosi esse videamur: nedum in hac provinciali solitudine, ubi nisi etiam intemperanter studemus, et sine solatio, et sine excusatione secessimus. Accipe ergo rationem, in qua hoc maximum et primum est, quod civitatis aures, quibus adsueveram, quæro, et videor mihi in alieno foro litigare. Si quid est enim in libellis meis, quod placeat, dictavit auditor. Illam judiciorum subtilitatem, illud materiarum ingenium, bibliothecas, theatra, conventus, in quibus studere se voluptatibus non sentiunt: ad summam omnium ea, quæ delicati reliquimus, quasi destituti desideramus. Accedit his municipalium rubigo dentium, et judicii loco livor, et unus aut alter mali, in pusillo loco multi, adversus quos difficile est habere quotidie bonum stomachum. Ne mireris igitur abjecta ab indignante, quæ a gestiente fieri solebant. Ne quid tamen et advenienti tibi ab urbe, et exigenti negarem, (cui non refero gratiam, si tantum ea præsto, quæ possim,) imperavi mihi, quod induigere consueveram, et studui paucissimis diebus, ut familiarissimas mihi aures tuas excipe-

rem adventoria sua. Tu velim ista, quæ tantum apud te non periclitantur, diligenter æstimare et excutere non graveris; et, quod tibi difficillimum est, de nugis nostris judices nitore seposito, ne Romam, si ita decreveris, non Hispaniensem librum mittamus, sed Hispanum.

Epigramma I.—*Ad eundem.*

Retia dum cessant, latratoresque Molossi,
Et non invento sylva quiescit apro:
Otia, Prisce, brevi poteris donare libello.
Hora nec æstiva est, nec tibi tota perit.

Epigramma II.—*Ad sua carmina.*

Quæ modo littoreos ibatis carmina Pyrgos,
Ite Sacra, jam non pulverulenta via est.

Epigramma III.—*Ad librum suum.*

Ad populos mitti qui nuper ab urbe solebas,
Ibis io Romam nunc peregrine liber,
Auriferi de gente Tagi, tetricique Salonis,
Dat patrios Manes quæ mihi terra potens.
Non tamen hospes eris, nec jam potes advena dici,
Cujus habet fratres tot domus alta Remi. 6
Jure tuo veneranda novi pete limina tecti,
Reddita Pierio sunt ubi templa choro.
Vel si malueris, prima gradiere Suburra:
Atria sunt illic consulis alta mei. 10
Laurigeros habitat facundus Stella Penates,
Clarus Hyanteæ Stella sititor aquæ.
Fons ibi Castalius vitreo torrente superbit,
Unde novem dominas sæpe bibisse ferunt.
Ille dabit populo, patribusque, equitique legendum,
Nec nimium siccis perleget ipse genis.
Quid titulum poscis? versus duo tresve legantur,
Clamabunt omnes te, liber, esse meum. 18

Epigramma IV.—*Ad Priscum.*

Quod Flacco, Varioque fuit, summoque Maroni
Mecænas atavis regibus ortus eques,
Gentibus et populis hoc te mihi, Prisce Terenti,
Fama fuisse loquax, chartaque dicet anus.
Tu facis ingenium; tu, si quid posse videmur: 5
Tu das ingenuæ jus mihi pigritiæ.

Epigramma V.—*Ad Cæsarem.*

Longior undecimi nobis, decimique libelli
Arctatus labor est, et breve rasit opus.
Plura legant vacui, quibus otia tuta dedisti:
Hæc lege tu, Cæsar: forsan et illa leges.

Epigramma VI.—*In commendationem Nervæ.*

Contigit Ausoniæ procerum mitissimus aulæ
Nerva: licet toto nunc Helicone frui.
Recta Fides, hilaris Clementia, cauta Potestas
Jam redeunt: longi terga dedere Metus.
Hoc populi gentesque tuæ, pia Roma, precantur:
Dux tibi sit semper talis, et iste diu.
Macte animi, quem rarus habet, morumque tuorum,
Quos Numa, quos hilaris posset habere Cato.
Largiri, præstare, breves extendere census,
Et dare quæ faciles vix tribuere dei, 10
Nunc licet, et fas est: sed tu sub principe duro,
Temporibusque malis, ausus es esse bonus.

Epigramma VII.—*De Ligea.*

Toto vertice quot gerit capillos,
Annos si tot habet Ligea, trima est.

Epigramma VIII.—*In commendationem Trajani.*

Terrarum dea gentiumque Roma,
Cui par est nihil, et nihil secundum,
Trajani modo læta cum futuros
Tot per sæcula computaret annos,
Et fortem, juvenemque, Martiumque 5
In tanto duce militem videret;
Dixit præside gloriosa tali:
Parthorum proceres, ducesque Serum,
Thraces, Sauromatæ, Getæ, Britanni,
Possum ostendere Cæsarem; venite. 10

Epigramma IX.—*Ad Cæsarem.*

Palma regit nostros, mitissime Cæsar, Iberos,
Et placido fruitur pax peregrina jugo.
Ergo agimus læti tanto pro munere grates:
Misisti mores in loca nostra tuos.

Epigramma X.—*De Africano.*

Habet Africanus millies, tamen captat.
Fortuna multis dat nimis, satis nulli.

Epigramma XI.—*Mittit librum ad Parthenium.*

Parthenio dic, Musa, tuo nostroque salutem.
Nam quis ab Aonio largius amne bibit?
Cujus Pimpleo lyra clarior exit ab antro?
Quem plus Pierio de grege Phœbus amat?
Et si forte (sed hoc vix est sperare) vacabit, 5
Tradat ut ipse duci carmina nostra, roga;
Quatuor et tantum timidumque brevemque libellum
Commendet verbis: Hunc tua Roma legit.

Epigramma XII.—*In Postumum.*

Omnia promittis, cum tota nocte bibisti:
Mane nihil præstas. Postume, mane bibe.

Epigramma XIII.—*Ad Auctum.*

Genus, Aucte, lucri divites habent iram.
Odisse, quam donare, vilius constat.

Epigramma XIV.—*Ad Priscum.*

Parcius utaris, moneo, rapiente veredo,
Prisce, nec in lepores tam violentus eas.
Sæpe satisfecit prædæ venator, et acri
Decidit excussus, nec rediturus, equo.
Insidias et campus habet: nec fossa, nec agger, 5
Nec sint saxa licet, fallere plana solent.
Non deerunt qui tanta tibi spectacula præstent,
Invidia fati sed leviore cadant.
Si te delectant animosa pericula, Tuscis
(Tutior est virtus) insidiemur apris. 10
Quid te frena juvant temeraria? sæpius illis
Prisce, datum est equitem rumpere, quam leporem.

Epigramma XV.—*Adulatorium.*

Quicquid Parrhasia nitebat aula,
Donatum est oculis, deisque nostris.
Miratur Scythicas virentis auri
Flammas Jupiter, et stupet superbi
Regis delicias, gravesque luxus. 5
Hæc sunt pocula, quæ decent Tonantem:
Hæc sunt, quæ Phrygium decent ministrum.
Omnes cum Jove nunc sumus beati:
At nuper (pudet ah, pudet fateri)
Omnes cum Jove pauperes eramus. 10

Epigramma XVI.—*In Labienum.*

Addixti, Labiene, tres agellos:
Emisti, Labiene, tres cinædos:
Pædicas, Labiene, tres agellos

Epigramma XVII.—*In Lentinum.*

Quare tam multis a te, Lentine, diebus
Non abeat febris, quæris, et usque gemis.
Gestatur tecum pariter, pariterque lavatur:
Cœnat boletos, ostrea, sumen, aprum.
Ebria Setino fit sæpe, et sæpe Falerno: 5
Nec nisi per niveam Cæcuba potat aquam.
Circumfusa rosis, et nigra recumbit amomo;
Dormit et in pluma, purpureoque toro.
Cum sit ei pulcre, cum tam bene vivat apud te,
Ad Damam potius vis tua febris eat? 10

Epigramma XVIII.—*Ad Juvenalem.*

Dum tu forsitan inquietus erras
Clamosa, Juvenalis, in Suburra,
Aut collem dominæ teris Dianæ;
Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, vagumque 5
Major Cœlius et minor fatigant;
Me multos repetita post Decembres
Accepit mea, rusticumque fecit,
Auro Bilbilis et superba ferro.
Hic pigri colimus labore dulci 10
Boterdum, Plateamque: Celtiberis
Hæc sunt nomina crassiora terris.
Ingenti fruor, improboque somno,
Quem nec tertia sæpe rumpit hora.
Et totum mihi nunc repono, quicquid 15
Ter denos vigilaveram per annos.
Ignota est toga: sed datur petenti
Rupta proxima vestis e cathedra.
Surgentem focus excipit superba
Vicini strue cultus iliceti, 20
Multa villica quem coronat olla.
Venator sequitur; sed ille, quem tu
Secreta cupias habere sylva.
Dispensat pueris, rogatque longos
Lævis ponere villicus capillos. 25
Sic me vivere, sic juvat perire.

Epigramma XIX.—*De Æmilio.*

In thermis sumit lactucas, ova, lacertum
Et cœnare foris se negat Æmilius.

Epigramma XX.—*Ad Fabullum*

Quare non habeat, Fabulle, quæris
Uxorem Themison? habet sororem.

Epigramma XXI.—*Ad Marcellam.*

Municipem rigidi quis te, Marcella, Salonis,
Et genitam nostris quis putet esse locis?
Tam rarum, tam dulce sapis: Pallatia dicent,
Audierint si te vel semel, esse suam:
Nulla nec in media certabit nata Suburra, 5
Nec Capitolini collis alumna tibi.
Nec cito ridebit peregrini gloria partus,
Romanam deceat quam magis esse nurum.
Tu desiderium dominæ mihi mitius urbis
Esse jubes: Romam tu mihi sola facis. 10

Epigramma XXII.—*De Philænide.*

Quam sit lusca Philænis indecenter,
Vis dicam breviter tibi, Fabulle?
Esset cæca decentior Philænis.

Epigramma XXIII.—*In Læliam.*

Dentibus atque comis, nec te pudet, uteris emptis:
Quid facies oculo, Lælia? non emitur.

Epigramma XXIV.—*Ad Juvencum, de covino curru.*

O jucunda, covine, solitudo,
Carruca magis, essedoque gratum
Facundi mihi munus Æliani:
Hic mecum licet, hic, Juvence, quicquid
In buccam tibi venerit, loquaris. 5
Non rector Libyci niger caballi,
Succinctus neque cursor antecedit.
Nusquam est mulio: mannuli tacebunt.
O si conscius esset hic Avitus!
Aurem non ego tertiam timerem. 10
Totus quam bene sic dies abiret!

Epigramma XXV.—*In Thelesinum.*

Cum rogo te nummos sine pignore, Non habeo inquis.
Idem, si pro me spondet agellus, habes.
Quod mihi non credis veteri, Thelesine, sodali,
Credis colliculis arboribusque meis.
Ecce reum Carus te detulit: adsit agellus. 5
Exsilii comitem quæris? agellus eat.

Epigramma XXVI.—*In avarum amicum.*

Sexaginta teras cum limina mane senator,
Esse tibi videor desidiosus eques,
Quod non a prima discurram luce per urbem,
Et referam lassus basia mille domum.
Sed tu purpureis ut des nova nomina fastis, 5
Aut Numidûm gentes, Cappadocumve petas:
At mihi, quem cogis medios abrumpere somnos,
Et matutinum ferre patique lutum,
Quid petitur? rupta cum pes vagus exit aluta,
Et subitus crassæ decidit imber aquæ; 10
Nec venit ablatis clamatus verna lacernis;
Accedit gelidam servus ad auriculam,
Et, Rogat ut cœnes secum Lætorius, inquit.
Viginti nummis non ego malo famem?
Quod sit cœna mihi, tibi sit provincia merces;
Et faciamus idem, nec mereamur idem. 16

Epigramma XXVII.—*In Seniam.*

A latronibus esse te ututam
Dicis, Senia: sed negant latrones.

Epigramma XXVIII.—*In Cinnam.*

Poto ego sextantes: tu potas, Cinna, deunces:
Et quereris quod non, Cinna, bibamus idem.

Epigramma XXIX.—*De Hermogene fure.*

Hermogenes tantus mapparum, Pontice, fur est,
Quantus nummorum vix, puto, Massa fuit.
Tu licet observes dextram, teneasque sinistram,
Inveniet, mappam qua ratione trahat.
Cervinus gelidum sorbet sic halitus anguem: 5
Casuras alte sic rapit Iris aquas.
Nuper cum Myrino peteretur missio læso,
Subduxit mappas quatuor Hermogenes.
Cretatam prætor cum vellet mittere mappam,
Prætori mappam surpuit Hermogenes. 10
Attulerat mappam nemo, dum furta timentur:
Mantele e mensa surpuit Hermogenes.
Hoc quoque si deerit, medios discingere lectos,
Mensarumque pedes non timet Hermogenes.
Quamvis non modico caleant spectacula sole, 15
Vela reducuntur, cum venit Hermogenes.
Festinant trepidi substringere carbasa nautæ,
Ad portum quoties paruit Hermogenes

Linigeri fugiunt calvi, sistrataque turba,
Inter adorantes cum stetit Hermogenes. 20
Ad cœnam Hermogenes mappam non attulit un-
A cœna semper rettulit Hermogenes. [quam:

Epigramma XXX.—*In Aprum.*

Siccus, sobrius est Aper: quid ad me?
Servum sic ego laudo, non amicum.

Epigramma XXXI.—*De hortis Marcellæ uxoris.*

Hoc nemus, hi fontes, hæc textilis umbra supini
Palmitis, hoc riguæ ductile flumen aquæ;
Prataque, nec bifero cessura rosaria Pæsto;
Quodque viret Jani mense, nec alget olus;
Quæque natat clausis anguilla domestica lymphis,
Quæque gerit similes candida turris aves; 6
Munera sunt dominæ post septima lustra reverso;
Has Marcella domos, parvaque regna dedit.
Si mihi Nausicae patrios concederet hortos,
Alcinoo possem dicere, Malo meos. 10

Epigramma XXXII.—*In Vacerram.*

O Juliarum dedecus Calendarum,
Vidi, Vacerra, sarcinas tuas; vidi:
Quas non retentas pensione pro bima
Portabat uxor rufa crinibus septem,
Et cum sorore cana mater ingenti. 5
Furias putavi nocte Ditis emersas.
Has tu priores frigore et fame siccus,
Et non recenti pallidus magis buxo,
Irus tuorum temporum, sequebaris.
Migrare clivum crederes Aricinum. 10
Ibat tripes grabatus, et bipes mensa,
Et cum lucerna, corneoque cratere
Matella curto rupta latere meiebat.
Focum ferentis suberat amphoræ cervix:
Fuisse gerres, aut inutiles mænas 15
Odor impudicus urcei fatebatur,
Qualem marinæ misit aura piscinæ.
Nec quadra deerat casei Tholosatis,
Quadrima nigri nec corona pulei,
Calvæque restes allioque, cepisque, 20
Nec plena turpi matris olla resina,
Summœnianæ qua pilantur uxores.
Quid quæris ædes, villicosque derides,
Habitare gratis, o Vacerra, cum possis?
Hæc sarcinarum pompa convenit ponti. 25

Epigramma XXXIII.—*De Labieno.*

Ut pueros emeret Labienus, vendidit hortos:
Nil nisi ficetum nunc Labienus habet.

Epigramma XXXIV.—*Ad Julium Martialem.*

Triginta mihi quatuorque messes
Tecum, si memini, fuere, Juli:
Quarum dulcia mixta sunt amaris;
Sed jucunda tamen fuere plura.
Et si calculus omnis huc et illuc 5
Diversus bicolorque digeratur,
Vincet candida turba nigriorem.
Si vitare velis acerba quædam,
Et tristes animi cavere morsus,
Nulli te facias nimis sodalem. 10
Gaudebis minus et minus dolebis.

Epigramma XXXV.—*Ad Callistratum.*

Tanquam simpliciter mecum, Callistrate, vivas,
Dicere percisum te mihi sæpe soles,
Non es tam simplex, quam vis, Callistrate, credi
Nam quisquis narrat talia, plura tacet.

Epigramma XXXVI.—*In Labullum.*

Libras quatuor, aut duas amico,
Algentemque togam, brevemque lænam,
Interdum aureolos manu crepantes,
Possint ducere qui duas Calendas,
Quod nemo, nisi tu, Labulle, donas, 5
Non es, crede mihi, bonus: quid ergo?
Ut verum loquar, optimus malorum.
Pisones, Senecasque, Memmiosque,
Et Crispos mihi redde, sed priores:
Fies protinus ultimus bonorum. 10
Vis cursu pedibusque gloriari?
Tigrim vince, levemque Passerinum.
Nulla est gloria præterire asellos.

Epigramma XXXVII.—*In nasutum.*

Nasutus nimium cupis videri.
Nasutum volo, nolo polyposum.

Epigramma XXXVIII.—*Ad Candidum.*

Hunc qui fœmineis noctesque diesque cathedris
Incedit tota notus in urbe nimis,
Crine nitens, niger unguento, perlucidus ostro,
Ore tener, latus pectore, crure glaber,
Uxori qui sæpe tuæ comes improbus hæret: 5
Non est quod timeas, Candide: non futuit.

Epigramma XXXIX.—*In Sabellum.*

Odi te, quia bellus es, Sabelle.
Res est putida bellus, et Sabellus:
Bellum denique malo, quam Sabellum.
Tabescas utinam, Sabelle, belle!

Epigramma XL.—*In Pontilianum*

Mentiris? credo: recitas mala carmina? laudo:
Cantas? canto: bibis, Pontiliane? bibo.
Pedis? dissimulo: gemma vis ludere? vincor.
Res una est, sine me quam facis, et taceo.
Nil tamen omnino præstas mihi: Mortuus, inquis,
Accipiam bene te: nil volo: sed morere. 6

Epigramma XLI.—*In Tuccam.*

Non est, Tucca, satis, quod es gulosus:
Et dici cupis, et cupis videri.

Epigramma XLII.—*De Callistrato et Afro.*

Barbatus rigido nupsit Callistratus Afro,
Hac qua lege viro nubere virgo solet.
Præluxere faces; velarunt flammea vultus:
Nec tua defuerunt verba, Thalasse, tibi.
Dos etiam dicta est: nondum tibi, Roma, videtur
Hoc satis? exspectas numquid ut et pariat? 6

Epigramma XLIII.—*In Sabellum.*

Facundos, mihi de libidinosis
Legisti nimium, Sabelle, versus:
Quales nec Didymi sciunt puellæ,
Nec molles Elephantidos libelli.
Sunt illic Veneris novæ figuræ, 5
Quales perditus audeat fututor,
Præstent, et taceant quid exoleti;
Quo symplegmate quinque copulentur;
Qua plures teneantur a catena;
Exstinctam liceat quid ad lucernam. 10
Tanti non erat esse te disertum.

Epigramma XLIV.—*Ad M. Unicum.*

Unice, cognato junctum mihi sanguine nomen,
Quique geris studiis corda propinqua meis:

Carmina cum facias soli cedentia fratri,
Pectore non minor es, sed pietate prior.
Lesbia cum tenero te posset amare Catullo, 5
Te post Nasonem blanda Corinna sequi.
Nec deerant Zephyri, si te dare vela juvaret:
Sed tu littus amas: hoc quoque fratris habes.

EPIGRAMMA XLV.—*Ad Phœbum.*

Hædina tibi pelle contegenti
Nudæ tempora verticemque calvæ,
Festive tibi, Phœbe, dixit ille,
Qui dixit caput esse calceatum.

EPIGRAMMA XLVI.—*Ad Classicum.*

Vendunt carmina Gallus et Lupercus.
Sanos, Classice, nunc nega poetas.

EPIGRAMMA XLVII.—*In habentem varios mores.*

Difficilis, facilis, jucundus, acerbus es idem:
Nec tecum possum vivere, nec sine te.

EPIGRAMMA XLVIII.—*In lautum invitatorem.*

Boletos et aprum si tanquam vilia ponis,
Et non esse putas hæc mea vota: volo.
Si fortunatum fieri me credis, et hæres
Vis scribi, propter quinque Lucrina: vale.
Lauta tamen cœna est: fateor lautissima: sed cras 5
Nil erit, immo hodie, protinus immo nihil;
Quod sciat infelix damnatæ spongia virgæ,
Vel quicunque canis, junctaque testa viæ:
Mullorum, leporumque, et suminis exitus hic est,
Sulfureusque color, carnificeque pedes. 10
Non Albana mihi sit comissatio tanti,
Nec Capitolinæ, pontificumque dapes.
Imputet ipse deus nectar mihi, fiet acetum,
Et Vaticani perfida vappa cadi.
Convivas alios cœnarum quære magister, 15
Quos capiant mensæ regna superba tuæ.
Me meus ad subitas invitet amicus ofellas:
Hæc mihi, quam possum reddere, cœna placet.

EPIGRAMMA XLIX.—*Ad Linum pædagogum.*

Crinitæ Line pædagoge turbæ,
Rerum quem dominum vocat suarum,
Et credit cui Postumilla dives
Gemmas, aurea, vina, concubinos:
Sic te, perpetua fide probatum, 5
Nulli non tua præferat patrona:
Succurras misero precor furori,
Et serves aliquando negligenter
Illos qui male cor meum perurunt:
Quos et noctibus et diebus opto 10
In nostro cupidus sinu videre,
Formosos, niveos, pares, gemellos,
Grandes, non pueros, sed uniones.

EPIGRAMMA L.—*In habentem amœnas ædes.*

Daphnonas, platanonas, et aerias cyparissos,
Et non unius balnea solus habes;
Et tibi centenis stat porticus alta columnis,
Calcatusque tuo sub pede lucet onyx; [dit,
Pulvereumque fugax hippodromon ungula plau-
Et pereuntis aquæ fluctus ubique sonat. 6
Atria longa patent: sed nec cœnantibus usquam,
Nec somno locus est: quam bene non habitas

EPIGRAMMA LI.—*De Fabullino.*

Tam sæpe nostrum decipi Fabullinum
Miraris, Aule? semper homo bonus tiro est.

EPIGRAMMA LII.—*Ad Sempronium.*

Tempora Pieria solitus redimire corona,
Nec minus attonitis vox celebrata reis,
Hic situs est, hic ille tuus, Sempronia, Rufus:
Cujus et ipse tui flagrat amore cinis.
Dulcis in Elysio narraris fabula campo, 5
Et stupet ad raptus Tyndaris ipsa tuos.
Tu melior, quæ deserto raptore redisti:
Illa virum voluit nec repetita sequi.
Ridet, et Iliacos audit Menelaus amores:
Absolvit Phrygium vestra rapina Parim. 10
Accipient olim cum te loca læta piorum,
Non erit in Stygia notior umbra domo.
Non aliena videt, sed amat Proserpina raptas
Iste tibi dominam conciliabit amor.

EPIGRAMMA LIII.—*In avarum.*

Nummi cum tibi sint, opesque tantæ,
Quantas civis habet, paterve, rarus:
Largiris nihil, incubasque gazæ,
Ut magnus draco, quem canunt poetæ
Custodem Scythici fuisse luci. 5
Sed causa, ut memoras, et ipse jactas,
Diræ filius est rapacitatis.
Ecquid tu fatuos rudesque quæris,
Illudas quibus, auferasque mentem?
Huic semper vitio pater fuisti. 10

EPIGRAMMA LIV.—*In Zoilum.*

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus,
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

EPIGRAMMA LV.—*Ad puellam.*

Gratis qui dare vos jubet, puellæ,
Insulsissimus, improbissimusque est.
Gratis ne date, basiate gratis.
Hoc Ægle negat, hoc avara vendit.
Sed vendat bene, basiare quantum est? 5
Hoc vendit quoque nec levi rapina:
Aut libram petit illa Cosmiani,
Aut binos quater a nova moneta:
Ne sint basia muta, nec maligna,
Ne clausis aditum neget labellis. 10
Humane facit hoc tamen: sed unum est
Gratis quæ dare basium recusat,
Gratis lingere nec recusat Ægle.

EPIGRAMMA LVI.—*In Polycarmum.*

Ægrotas uno decies, aut sæpius, anno;
Nec tibi, sed nobis hoc, Polycarme, nocet,
Nam quoties surgis, soteria poscis amicos.
Sit pudor: ægrota jam, Polycarme, semel,

EPIGRAMMA LVII.—*Ad Sparsum.*

Cur sæpe sicci parva rura Nomenti,
Laremque villæ sordidum petam, quæris?
Nec cogitandi, Sparse, nec quiescendi
In urbe locus est pauperi: negant vitam
Ludimagistri mane, nocte pistores, 5
Ærariorum marculi die toto.
Hinc otiosus sordidam quatit mensam
Neroniana nummularius massa:
Illinc paludis malleator Hispanæ
Tritum nitenti fuste verberat saxum. 10
Nec turba cessat entheata Bellonæ,
Nec fasciato naufragus loquax trunco,
A matre doctus nec rogare Judæus,
Nec sulfuratæ lippus institor mercis.
Numerare pigri damna qui potest somni, 15
Dicet quot æra verberent manus urbis.

Cum secta Colcho Luna vapulat rhombo.
Tu, Sparse, nescis ista, nec potes scire,
Petilianis delicatus in regnis,
Cui plana summos despicit domus montes, 20
Et rus in urbe est, vinitorque Romanus;
Nec in Falerno colle major autumnus,
Intraque limen latus essedo cursus,
Et in profundo somnus, et quies nullis
Offensa linguis; nec dies, nisi admissus. 25
Nos transeuntis risus excitat turbæ,
Et ad cubile est Roma: tædio fessis
Dormire quoties libuit, imus ad villam.

Epigramma LVIII.—*Ad Alandam.*

Ancillariolum tua te vocat uxor, et ipsa
Lecticariola est: estis, Alauda, pares.

Epigramma LIX.—*De importunis basiatoribus.*

Tantum dat tibi Roma basiorum
Post annos modo quindecim reverso,
Quantum Lesbia non dedit Catullo.
Te vicinia tota, te pilosus
Hircoso premit osculo colonus. 5
Hinc instat tibi textor, inde fullo,
Hinc sutor modo pelle basiata,
Hinc menti dominus pediculosi,
Hinc defioculusque, et inde lippus,
Fellatorque, recensque cunnilingus. 10
Jam tanti tibi non fuit redire.

Epigramma LX.—*Ad suum natalem.*

Martis alumne dies, roseam quo lampada primum,
Magnaque siderei vidimus ora dei;
Si te rure coli, viridesque pigebit ad aras,
Qui fueras Latia cultus in urbe mihi;
Da veniam, servire meis quod nolo Calendis, 5
Et qua sum genitus, vivere luce volo
Natali pallere suo, ne calda Sabello
Desit, et ut liquidum potet Alauda merum;
Turbida sollicito transmittere Cæcuba sacco;
Atque inter mensas ire, redire suas; 10
Excipere hos, illos, et tota surgere cœna,
Marmora calcantem frigidiora gelu:
Quæ ratio est, hæc sponte tua perferre patique,
Quæ te si jubeat rex dominusve, neges?

Epigramma LXI.—*De Ligurra.*

Versus, et breve vividumque carmen,
In te ne faciam times, Ligurra;
Et dignus cupis hoc metu videri:
Sed frustra metuis, cupisque frustra.
In tauros Libyci fremunt leones; 5
Non sunt papilionibus molesti.
Quæras, censeo, si legi laboras,
Nigri fornicis ebrium poetam;
Qui carbone rudi, putrique creta
Scribit carmina, quæ legunt cacantes. 10
Frons hæc stigmate non meo notanda est.

Epigramma LXII.—*Ad Saturnum pro Prisco Terentio.*

Antiqui rex magne poli, mundique prioris,
Sub quo pigra quies, nec labor ullus erat,
Nec regale nimis fulmen, nec fulmine digna,
Scissa nec ad Manes, sed sita dives humus:
Lætus ad hæc facilisque veni sollennia Prisci 5
Gaudia; cum sacris te decet esse tuis.
Te reducem patriæ sexta, pater optime, bruma
Pacifici Latia reddis ab urbe Numæ.
Cernis ut Ausonio similis tibi pompa macello
Pendeat, et quantus luxurietur honos? 10
Quam non parca manus, largæque nomismata mensæ,
Quæ, Saturne, tibi pernumerentur opes?
Utque sit his pretium meritis, et gratia major,
Et pater, et frugi sic tua sacra colit.
At tu, sancte, tuo sic semper amere Decembri. 15
Hos illi jubeas sæpe redire dies.

Epigramma LXIII.—*Ad Cordubam.*

Uncto Corduba lætior Venafro,
Histra nec minus absoluta testa,
Albi quæ superas oves Galesi,
Nullo murice, nec cruore mendax,
Sed tinctis gregibus colore vivo: 5
Dic vestro, rogo, sit pudor poetæ,
Ne gratis recitet meos libellos:
Ferrem, si faceret bonus poeta,
Cui possem dare mutuos honores:
Corrumpit sine talione cœlebs. 10
Cæcus perdere non potest, quod aufert.
Nil est deterius latrone nudo:
Nil securius est malo poeta.

Epigramma LXIV.—*De Cinna.*

Vincentem roseos facieque comaque ministros
Cinna coquum fecit. Cinna gulosus homo est.

Epigramma LXV.—*De Phyllide.*

Formosa Phyllis nocte cum mihi tota
Se præstitisset omnibus modis largam,
Et cogitarem mane quod darem munus,
Utrumne Cosmi, Nicerotis an libram,
An Bæticarum pondus acre lanarum, 5
An de moneta Cæsaris decem flavos:
Amplexa collum, basioque tam longo
Blandita, quam sunt nuptiæ columbarum,
Rogare cœpit Phyllis amphoram vini.

Epigramma LXVI.—*Ad Amœnum.*

Bis quinquagenis domus est tibi millibus emta,
Vendere quam summa vel breviore cupis.
Arte sed emtorem vafra corrumpis, Amœne,
Et casa divitiis ambitiosa latet.
Gemmantes prima fulgent testudine lecti, 5
Et Maurusiaci pondera rara citri. [tat:
Argentum atque aurum non simplex Delphica por-
Stant pueri, dominos quos precer esse meos.
Deinde ducenta sonas, et ais, non esse minoris.
Instructam vili vendis, Amœne, domum. 10

Epigramma LXVII.—*In natalem Maronis.*

Maiæ Mercurium creastis Idus.
Augustis redit Idibus Diana.
Octobres Maro consecravit Idus.
Idus sæpe colas et has, et illas,
Qui magni celebras Maronis Idus. 5

Epigramma LXVIII.—*Ad clientes.*

Matutine cliens, urbis mihi causa relictæ,
Atria, si sapias, ambitiosa colas.
Non sum ego causidicus, nec amaris litibus aptus
Sed piger, et senior, Pieridumque comes.
Otia me, somnusque juvant, quæ magna negavit
Roma mihi: redeo, si vigilatur et hic. 6

Epigramma LXIX.—*Ad Paullum.*

Sic tanquam tabulas, scyphosque, Paulle,
Omnes archetypos habes amicos.

Epigramma LXX.—*De Apro.*

Lintea ferret Apro vatius cum vernula nuper,
Et supra togulam lusca sederet anus:

Atque olei stillam daret enterocelicus unctor:
Udorum tetricus censor et asper erat.
Frangendos calices, effundendumque Falernum 5
Clamabat, biberet qui modo lotus eques.
A sene sed postquam patruo venere trecenta,
Sobrius a thermis nescit abire domum.
O quantum diatreta valent, et quinque comati!
Tunc, cum pauper erat, non sitiebat Aper. 10

Epigramma LXXI.—*Ad Lygdum.*

Nil non, Lygde, mihi negas roganti:
At quondam mihi, Lygde, nil negabas.

Epigramma LXXII.—*Ad Pannicum.*

Jugera mercatus prope busta latentis agelli,
Et male compactæ culmina fulta casæ,
Deseris urbanas, tua prædia, Pannice, lites,
Parvaque, sed tritæ præmia certa togæ. [bas
Frumentum, milium, ptisanamque, fabamque sole-
Vendere pragmaticus: nunc emis agricola. 6

Epigramma LXXIII.—*Ad Catullum.*

Haredem tibi me, Catulle, dicis.
Non credam, nisi legero, Catulle.

Epigramma LXXIV.—*Ad Flaccum.*

Cum tibi Niliacus portet crystalla cataplus,
Accipe de circo pocula Flaminio.
Hi magis audaces, an sunt qui talia mittunt
Munera? sed geminus vilibus usus inest.
Nullum sollicitant hæc, Flacce, toreumata furem,
Et nimium calidis non vitiantur aquis. 6
Quid, quod securo potat conviva ministro,
Et casum tremulæ non timuere manus?
Hoc quoque non nihil est, quod propinabis in istis,
Frangendus fuerit si tibi, Flacce, calix. 10

Epigramma LXXV.—*De pueris.*

Festinat Polytimus ad puellas:
Invitus puerum fatetur Hymnus:
Pastas glande nates habet Secundus:
Mollis Dindymus est, sed esse non vult:
Amphion potuit puella nasci. 5
Horum delicias, superbiamque,
Et fastus querulos, amice, malo,
Quam dotis mihi quinquies ducena.

Epigramma LXXVI.—*De Agricola.*

Amphora vigessis, modius datur ære quaterno.
Ebrius et crudus nil habet agricola.

Epigramma LXXVII.—*De Æthonte.*

Multis dum precibus Jovem salutat,
Stans summos resupinus usque in ungues,
Æthon in Capitolio, pepedit.
Riserunt comites: sed ipse divûm
Offensus genitor trinoctiali 5
Affecit domicœnio clientem.
Post hoc flagitium misellus Æthon,
Cum vult in Capitolium venire,
Sellas ante petit Patroclianas,
Et pedit deciesque, viciesque. 10
Sed quamvis sibi caverit crepando,
Compressis natibus Jovem salutat.

Epigramma LXXVIII.—*De eodem.*

Ante Jovis statuam crepuit satur histrio: pœnam
Jupiter indixit, vivere de proprio.

Epigramma LXXIX.—*Ad Bithynicum.*

Nil in te scripsi, Bithynice credere non vis,
Et jurare jubes: malo satisfacere.

Epigramma LXXX.—*Ad Atticillam.*

Donavi tibi multa, quæ rogasti:
Donavi tibi plura, quam rogasti:
Non cessas tamen usque me rogare.
Quisquis nil negat, Atticilla, fellat.

Epigramma LXXXI.—*De Callistrato.*

Ne laudet dignos, laudat Callistratus omnes.
Cui malus est nemo, quis bonus esse potest?

Epigramma LXXXII.—*De Umbro.*

Brumæ diebus, feriisque Saturni,
Mittebat Umber aliculam mihi pauper;
Nunc misit alicam: factus est enim dives.

Epigramma LXXXIII.—*De Menogene.*

Effugere in thermis et circa balnea non est
Menogenen, omni tu licet arte velis.
Captabit tepidum dextra lævaque trigonem,
Imputet exceptas ut tibi sæpe pilas.
Colliget, et referet lapsum de pulvere follem, 5
Etsi jam lotus, jam soleatus erit.
Lintea si sumes, nive candidiora loquetur,
Sint licet infantis sordidiora sinu.
Exiguos secto comentem dente capillos,
Dicet Achilleas disposuisse comas. 10
Fumosæ feret ille tropin de fæce lagenæ,
Frontis et humorem colliget usque tuæ.
Omnia laudabit, mirabitur omnia, donec
Perpessus dicas tædia mille, veni.

Epigramma LXXXIV.—*De Fabiano.*

Derisor Fabianus herniarum,
Omnes quem modo colei timebant
Dicentem tumidas in hydrocelas,
Quantum nec duo dicerent Catulli;
In thermis subito Neronianis 5
Vidit se miser, et tacere cœpit.

Epigramma LXXXV.—*Ad Polytimum.*

Nolueram, Polytime, tuos violare capillos:
Sed juvat hoc precibus me tribuisse tuis.
Talis eras, modo tonse Pelops, positisque nitebas
Crinibus, ut totum sponsa videret ebur.

Epigramma LXXXVI.—*In Fabullum.*

Pædiconibus os olere dicis.
Hoc si, sicut ais, Fabulle, verum est,
Quid tu credis olere cunnilingis?

Epigramma LXXXVII.—*In non arrigentem*

Triginta tibi sunt pueri, totidemque puellæ:
Una est, nec surgit mentula. Quid facies?

Epigramma LXXXVIII.—*De Cotta.*

Bis Cotta soleas perdisse se questus,
Dum negligentem ducit ad pedes vernam,
Qui solus inopi præstat, et facit turbam:
Excogitavit homo sagax, et astutus,
Ne facere posset tale sæpius damnum; 5
Excalceatus ire cœpit ad cœnam.

Epigramma LXXXIX.—*De Tongiliano.*

Tongilianus habet nasum: scio, non nego: sed
Nil præter nasum Tongilianus habet. [jam

Epigramma XC.—*Ad Charinum.*

Quod lana caput alligas, Charine,
Non aures tibi, sed dolent capilli.

Epigramma XCI.—*De Marone.*

Pro sene, sed clare, votum Maro fecit amico,
Cui gravis et fervens hemitritæus erat,
Si Stygias æger non iret missus ad undas,
Ut caderet magno victima grata Jovi.
Cœperunt certam medici spondere salutem. 5
Ne votum solvat, nunc Maro vota facit.

Epigramma XCII.—*In Magullam.*

Communis tibi cum viro, Magulla,
Cum sit lectulus, et sit exoletus,
Quare, dic mihi, non sit et minister?
Suspiras: ratio est, times lagenam.

Epigramma XCIII.—*Ad Priscum.*

Sæpe rogare soles qualis sim, Prisce, futurus,
Si fiam locuples, simque repente potens.
Quenquam posse putas mores narrare futuros?
Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?

Epigramma XCIV.—*De Fabulla.*

Qua mœchum ratione basiaret
Coram conjuge repperit Fabulla.
Parvum basiat usque morionem:
Hunc multis rapit osculis madentem
Mœchus protinus, et suis repletum 5
Ridenti dominæ statim remittit.
Quanto morio major est marito?

Epigramma XCV.—*In Tuccam.*

Scribebamus epos: cœpisti scribere: cessi,
Æmula ne starent carmina nostra tuis.
Transtulit ad Tragicos se nostra Thalia cothurnos:
Aptasti longum tu quoque syrma tibi.
Fila lyræ movi Calabris exculta Camœnis: 5
Plectra rapis nobis ambitione nova.
Audemus satiras: Lucilius esse laboras.
Ludo leves elegos: tu quoque ludis idem.
Quid minus esse potest? epigrammata fingere
Hinc etiam petitur jam mea fama tibi. [cœpi:
Elige, quid nolis; quis enim pudor, omnia velle?
Et si quid non vis, Tucca, relinque mihi. 12

Epigramma XCVI.—*Ad Rufum.*

Musæi pathicissimos libellos,
Qui certant Sybariticis libellis,
Et tinctas sale pruriente chartas
Instanti lege Rufe: sed puella
Sit tecum tua, ne Thalassionem 5
Indicas manibus libidinosis,
Et fias sine fœmina maritus.

Epigramma XCVII.—*In Zelotypam.*

Cum tibi nota tui sit vita fidesque mariti,
Nec premat ulla tuos, sollicitetve toros:
Quid quasi pellicibus torqueris inepta ministris
In quibus et brevis est, et fugitiva Venus?
Plus tibi quam domino pueros præstare probabo:
Hi faciunt, ut sis fœmina sola viro. 6
Hi dant, quod non vis uxor dare. Do tamen, inquis,
Ne vagus a thalamis conjugis erret amor.
Non eadem res est: Chiam volo, nolo mariscam.
Ne dubites quæ sit Chia, marisca tua est. 10
Scire suos fines matrona et fœmina debet:
Cede suam pueris; utere parte tua.

Epigramma XCVIII.—*In Bassum.*

Uxor cum tibi sit puella, qualem
Votis vix petat improbis maritus,
Dives, nobilis, erudita, casta:
Rumpis, Basse, latus, sed in comatis,
Uxoris tibi dote quos parasti. 5
Et sic ad dominam reversa languet
Multis mentula millibus redempta:
Sed nec vocibus excitata blandis,
Molli pollice nec rogata surgit.
Sit tandem pudor, aut eamus in jus. 10
Non est hæc tua, Basse: vendidisti.

Epigramma XCIX.—*Ad Bætim.*

Bætis olivifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis;
Quem Bromius, quem Pallas amat; cui rector aquarum
Albula navigerum per freta pandit iter;
Ominibus lætis vestras Instantius oras 5
Intret; et hic populis, ut prior, annus eat.
Non ignorat, onus quod sit, succedere Macro
Qui sua metitur pondera, ferre potest.

[Epigramma C.—*In effrontem.*]

Os atavi, patris nasum, duo lumina patris,
Et matris gestus dicis habere tuæ.
Cum referas priscos, nullamque in corpore partem
Mentiris, frontem, dic mihi; cujus habes?

[Epigramma CI.—*Ad Mattum.*]

Qui negat esse domi se, tunc cum limina pulsas,
Quid dicat, nescis? dormio, Matte, tibi.

[Epigramma CII.—*Ad Milonem.*]

Thura, piper, vestes, argentum, pallia, gemmas,
Vendere, Milo, soles, cum quibus emtor abit.
Conjugis utilior merx est, quæ, vendita sæpe,
Vendentem nunquam deserit, aut minuit.

LIBER DECIMUS TERTIUS.

Epigramma I.—*Ad lectorem.*

Ne toga cordyllis, ne pænula desit olivis.
Aut inopem metuat sordida blatta famem,
Perdite Niliacas, Musæ, mea damna papyros:
Postulat, ecce, novos ebria bruma sales.
Non mea magnanimo depugnat tessera talo, 5
Senio nec nostrum cum cane quassât ebur.
Hæc mihi charta nuces, hæc est mihi charta fritillus:
Alea nec damnum, nec facit ista lucrum.

Epigramma II.—*In detractorem.*

Nasutus sis usque licet, sis denique nasus,
Quantum noluerit ferre rogatus Atlas,
Et possis ipsum tu deridere Latinum,
Non potes in nugas dicere plura meas,

Ipse ego quam dixi. Quid dentem dente juvabit
Rodere? carne opus est, si satur esse velis. 6
Ne perdas operam: qui se mirantur, in illos
Virus habe: nos hæc novimus esse nihil.
Nec tamen hoc nimium nihil est, si candidus
Nec matutina si mihi fronte venis. [aure,

Epigramma III.—*Ad lectorem.*

Omnis in hoc gracili Xeniorum turba libello
Constabit nummis quatuor emta tibi.
Quatuor est nimium: poterit constare duobus,
Et faciet lucrum bibliopola Tryphon. 4
Hæc licet hospitibus pro munere disticha mittas,
Si tibi tam rarus, quam mihi, nummus erit.
Addita per titulos sua nomina rebus habebis:
Prætereas, si quid non facit ad stomachum.

Epigramma IV.—*Thus.*

Serus ut ætheriæ Germanicus imperet aulæ,
Utque diu terris, da pia thura Jovi.

Epigramma V.—*Piper.*

Cerea quæ patulo lucet ficedula lumbo,
Cum tibi forte datur, si sapis, adde piper.

Epigramma VI.—*Alica.*

Nos alicam, mulsum poterit tibi mittere dives.
Si tibi noluerit mittere dives, eme.

Epigramma VII.—*Conchis faba.*

Si spumet rubra conchis tibi pallida testa,
Lautorum cœnis sæpe negare potes.

Epigramma VIII.—*Far.*

Imbue plebeias Clusinis pultibus ollas,
Ut satur in vacuis dulcia musta bibas.

Epigramma IX.—*Lens.*

Accipe Niliacam, Pelusia munera, lentem:
Vilior est alica, carior illa faba.

Epigramma X.—*Simila ex tritico.*

Nec poteris similæ dotes numerare, nec usus,
Pistori toties cum sit et apta coquo.

Epigramma XI.—*Hordeum.*

Mulio, quod non des tacituris, accipe, mulis.
Hæc ego cauponi, non tibi, dona dedi.

Epigramma XII.—*Frumentum triticeum.*

Tercentum Libyci modios de messe coloni
Sume, suburbanus ne moriatur ager.

Epigramma XIII.—*Betæ.*

Ut sapiant fatuæ, fabrorum prandia, betæ,
O quam sæpe petet vina piperque coquus!

Epigramma XIV.—*Lactuca.*

Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum,
Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?

Epigramma XV.—*Ligna acapna.*

Si vicina tibi Nomento rura coluntur,
Ad villam moneo, rustice, ligna feras.

Epigramma XVI.—*Rapa.*

Hæc tibi brumali gaudentia frigore rapa
Quæ damus, in cœlo Romulus esse solet.

Epigramma XVII.—*Cauliculi.*

Ne tibi pallentes moveant fastidia caules,
Nitrata viridis brassica fiat aqua.

Epigramma XVIII.—*Porri secti.*

Fila Tarentini graviter redolentia porri
Edisti quoties, oscula clausa dato.

Epigramma XIX.—*Porri capitati.*

Mittit præcipuos nemoralis Aricia porros:
In niveo virides stipite cerne comas.

Epigramma XX.—*Napi.*

Nos Amiternus ager felicibus educat hortis:
Nursinas poteris parcius esse pilas.

Epigramma XXI.—*Asparagi.*

Mollis in æquorea quæ crevit spina Ravenna,
Non erit incultis gratior asparagis.

Epigramma XXII.—*Uva duracina.*

Non habilis cyathis, et inutilis uva Lyæo:
Sed non potanti me, tibi nectar ero.

Epigramma XXIII.—*Chia ficus.*

Chia seni similis Baccho, quem Setia misit,
Ipsa merum secum portat, et ipsa salem.

Epigramma XXIV.—*Cydonia.*

Si tibi Cecropio saturata Cydonia melle
Ponentur, dicas hæc melimela licet.

Epigramma XXV.—*Nuces pineæ.*

Poma sumus Cybeles: procul hinc discede, viator
Ne cadat in miserum nostra ruina caput.

Epigramma XXVI.—*Sorba.*

Sorba sumus, molles nimium durantia ventres:
Aptius hæc puero, quam tibi, poma dabis.

Epigramma XXVII.—*Spathalion caryotarum.*

Aurea porrigitur Jani caryota Calendis:
Sed tamen hoc munus pauperis esse solet.

Epigramma XXVIII.—*Coctona.*

Hæc tibi quæ torta venerunt condita meta.
Si majora forent coctona, ficus erant.

Epigramma XXIX.—*Pruna Damascena.*

Pruna peregrinæ carie rugosa senectæ
Sume: solent duri solvere ventris onus.

Epigramma XXX.—*Caseus Lunensis.*

Caseus Etruscæ signatus imagine Lunæ
Præstabit pueris prandia mille tuis.

Epigramma XXXI.—*Caseus Vestinus.*

Si sine carne voles jentacula sumere frugi,
Hæc tibi Vestino de grege massa venit.

Epigramma XXXII.—*Caseus Velabrensis.*

Non quemcunque focum, nec fumum caseus om-
Sed Velabrensem qui bibit, ille sapit. [nem

Epigramma XXXIII.—*Casei Trebulani.*

Trebula nos genuit; commendat gratia duplex,
Sive levi flamma, sive domamur aqua.

Epigramma XXXIV.—*Bulbi.*

Cum sit anus conjux, et sint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbi quam satureia potest.

Epigramma XXXV.—*Lucanica.*

Filia Picenæ venio Lucanica porcæ:
Pultibus hinc niveis grata corona datur.

Epigramma XXXVI.—*Olivæ.*

Hæc, quæ Picenis venit subducta trapetis,
Inchoat, atque eadem finit oliva dapes.

Epigramma XXXVII.—*Mala citrea.*

Aut Corcyræi sunt hæc de frondibus horti,
Aut hæc Massyli poma draconis erant.

Epigramma XXXVIII.—*Colostrum.*

Surripuit pastor quæ nondum stantibus hædis,
De primo matrum lacte colostra damus.

Epigramma XXXIX.—*Hædi.*

Lascivum pecus, et viridi non utile Baccho,
Det pœnas: nocuit jam tener ille deo.

Epigramma XL.—*Ova.*

Candida si croceos circumfluit unda vitellos,
Hesperius scombri temperet ova liquor.

Epigramma XLI.—*Porcellus lactens.*

Lacte mero pastum pigræ mihi matris alumnum
Ponat, et Ætolo de sue dives edat.

Epigramma XLII.—*Apyrina et tuberes.*

Non tibi de Libycis tuberes, et apyrina ramis,
De Nomentanis sed damus arboribus.

Epigramma XLIII.—*Idem.*

Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis,
Et vernæ tuberes: quid tibi cum Libycis?

Epigramma XLIV.—*Sumen.*

Esse putes nondum sumen: sic ubere largo
Effluit, et vivo lacte papilla tumet.

Epigramma XLV.—*Pulli gallinacei.*

Si Libycæ nobis volucres, et Phasides essent,
Acciperes: at nunc accipe cortis aves.

Epigramma XLVI.—*Nucipersica.*

Vilia maternis fueramus præcoqua ramis;
Nunc in adoptivis Persica cara sumus.

Epigramma XLVII.—*Panes Picentini.*

Picentina Ceres niveo sic nectare crescit,
Ut levis accepta spongia turget aqua.

Epigramma XLVIII.—*Boleti.*

Argentum atque aurum facile est, lænamque to-
Mittere: boletos mittere difficile est. [gamque

Epigramma XLIX.—*Ficedula.*

Cum me ficus alat, cum pascar dulcibus uvis,
Cur potius nomen non dedit uva mihi?

Epigramma L.—*Tubera.*

Rumpimus altricem tenero quæ vertice terram
Tubera, boletis poma secunda sumus.

Epigramma LI.—*Turdorum corona.*

Texta rosis fortasse tibi, vel divite nardo,
At mihi de turdis facta corona placet.

Epigramma LII.—*Anas.*

Tota quidem ponatur anas: sed pectore tantum,
Et cervice sapit: cætera redde coquo

Epigramma LIII.—*Turtur*

Dum pinguis mihi turtur erit, lactuca valebis,
Et cochleas tibi habe: perdere nolo famem.

Epigramma LIV.—*Perna.*

Cæretana mihi fiet, vel missa licebit
De Menapis: lauti de petasone vorent.

Epigramma LV.—*Petaso.*

Musteus est: propera, caros nec differ amicos:
Nam mihi cum vetulo sit petasone nihil.

Epigramma LVI.—*Vulva.*

Te fortasse magis capiet de virgine porca:
Me materna gravi de sue vulva capit.

Epigramma LVII.—*Colocasia.*

Niliacum ridebis olus, lanasque sequaces,
Improba cum morsu fila manuque trahes.

Epigramma LVIII.—*Jecur anseris.*

Adspice, quam tumeat magno jecur ansere majus.
Miratus dices, Hoc, rogo, crevit ubi?

Epigramma LIX.—*Glires.*

Tota mihi dormitur hyems, et pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Epigramma LX.—*Cuniculus.*

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris:
Monstravit tacitas hostibus ille vias.

Epigramma LXI.—*Attagenæ.*

Inter sapores fertur alitum primus
Ionicarum gustus attagenarum.

Epigramma LXII.—*Gallina altilis.*

Pascitur et dulci facilis gallina farina,
Pascitur et tenebris: ingeniosa gula est.

Epigramma LXIII.—*Capo.*

Ne nimis exhausto macresceret inguine gallus,
Amisit testes: nunc mihi Gallus erit.

Epigramma LXIV.—*Idem.*

Succumbit sterili frustra gallina marito:
Hanc matris Cybeles esse decebat avem.

Epigramma LXV.—*Perdix.*

Ponitur Ausoniis avis hæc rarissima mensis.
Hanc in lautorum mandere sæpe soles.

Epigramma LXVI.—*Columbini.*

Ne violes teneras perjuro dente columbas,
Tradita si Cnidiæ sunt tibi sacra deæ.

Epigramma LXVII.—*Palumbus torquatus.*

Inguina torquati tardant hebetantque palumbi:
Non edat hanc volucrem, qui cupit esse salax

Epigramma LXVIII.—*Galbula.*

Galbula decipitur calamis et retibus ales,
Turget adhuc viridi cum rudis uva mero.

Epigramma LXIX.—*Catta.*

Pannonicas nobis nunquam dedit Umbria cattas:
Mavult hæc Domino mittere dona Pudens.

EPIGRAMMA LXX.—*Pavo.*

Miraris, quoties gemmantes explicat alas:
Et potes hunc sævo tradere, dure, coquo?

EPIGRAMMA LXXI.—*Phœnicopterus*

Dat mihi penna rubens nomen: sed lingua gulosis
Nostra sapit: quid si garrula lingua foret?

EPIGRAMMA LXXII.—*Phasianus.*

Argiva primum sum transportata carina:
Ante mihi notum nil, nisi Phasis, erat.

EPIGRAMMA LXXIII.—*Numidicæ.*

Ansere Romano quamvis satur Hannibal esset,
Ipse suas nunquam barbarus edit aves.

EPIGRAMMA LXXIV.—*Anser.*

Hæc servavit avis Tarpeii templa Tonantis.
Miraris? nondum fecerat illa deus.

EPIGRAMMA LXXV.—*Grues.*

Turbabis versus, nec littera tota volabit,
Unam perdideris si Palamedis avem.

EPIGRAMMA LXXVI.—*Rusticula.*

Rustica sim, an perdix, quid refert, si sapor idem
Carior est perdix: sic sapit illa magis. [est?

EPIGRAMMA LXXVII.—*Cycnus.*

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cycnus funeris ipse sui.

EPIGRAMMA LXXVIII.—*Porphyriones.*

Nomen habet magni volucris tam parva gigantis:
Et nomen Prasini Porphyrionis habet.

EPIGRAMMA LXXIX.—*Mullus.*

Spirat in advecto, sed jam piger, æquore mullus:
Languescit? vivum da mare, fortis erit.

EPIGRAMMA LXXX.—*Muræna.*

Quæ natat in Siculo grandis muræna profundo
Non valet exustam mergere sole cutem.

EPIGRAMMA LXXXI.—*Rhombus*

Quamvis lata gerat patella rhombum,
Rhombus latior est tamen patella.

EPIGRAMMA LXXXII.—*Ostrea.*

Ebria Baiano veni modo concha Lucrino:
Nobile nunc sitio luxuriosa garum.

EPIGRAMMA LXXXIII.—*Squillæ.*

Cæruleus nos Liris amat, quem sylva Maricæ
Protegit: hinc squillæ maxima turba sumus.

EPIGRAMMA LXXXIV.—*Scarus.*

Hic scarus, æquoreis qui venit obesus ab undis,
Visceribus bonus est: cætera vile sapit.

EPIGRAMMA LXXXV.—*Coracinus*

Princeps Niliaci raperis, coracine, macelli
Pellææ prior est gloria nulla gulæ.

EPIGRAMMA LXXXVI.—*Echinus*

Iste licet digitos testudine pungat acuta,
Cortice deposito mollis echinus erit.

EPIGRAMMA LXXXVII.—*Murices*

Sanguine de nostro tinctas, ingrate, lacernas
Induis, et (non est hoc satis) esca sumus.

EPIGRAMMA LXXXVIII.—*Gobius*

In Venetis sint lauta licet convivia terris
Principium cœnæ gobius esse solet.

EPIGRAMMA LXXXIX.—*Lupus*

Laneus Euganei lupus excipit ora Timavi,
Æquoreo dulces cum sale pastus aquas.

EPIGRAMMA XC.—*Aurata.*

Non omnis laudem pretiumque aurata meretur
Sed cui solus erit concha Lucrina cibus.

EPIGRAMMA XCI.—*Acipensis.*

Ad Pallatinas acipensem mittite mensas.
Ambrosias ornent munera rara dapes

EPIGRAMMA XCII.—*Lepus.*

Inter aves turdus, si quis me judice certet,
Inter quadrupedes mattea prima lepus.

EPIGRAMMA XCIII.—*Aper.*

Qui Diomedeis metuendus setiger agris
Ætola cecidit cuspide, talis erat.

EPIGRAMMA XCIV.—*Damæ.*

Dente timentur apri; defendunt cornua cervos:
Imbelles damæ quid, nisi præda, sumus?

EPIGRAMMA XCV.—*Oryx.*

Matutinarum non ultima præda ferarum
Sævus oryx, constat quot mihi morte canum!

EPIGRAMMA XCVI.—*Cervus.*

Hic erat ille tuo domitus, Cyparisse, capistro:
An magis iste tuus, Sylvia, cervus erat?

EPIGRAMMA XCVII.—*Lalisio.*

Cum tener est onager, solaque lalisio matre
Pascitur: hoc infans, sed breve, nomen habet

EPIGRAMMA XCVIII.—*Dorcas.*

Delicium parvo donabis dorcada nato:
Jactatis solet hanc mittere turba togis.

EPIGRAMMA XCIX.—*Caprea.*

Pendentem summa capream de rupe videbis:
Casuram speres, despicit illa canes.

EPIGRAMMA C.—*Onager.*

Pulcher adest onager: mitti venatio debet
Dentis Erythræi: jam removete sinus.

EPIGRAMMA CI.—*Oleum Venafranum.*

Hoc tibi Campani sudavit bacca Venafri
Unguentum: quoties sumis, et istud ol-

EPIGRAMMA CII.—*Garum sociorum.*

Exspirantis adhuc scombri de sanguine primo
Accipe fastosum, munera cara, garum.

EPIGRAMMA CIII.—*Muria.*

Antipolitani, fateor, sum filia thynni:
Essem si scombri, non tibi missa forem.

EPIGRAMMA CIV.—*Mel Atticum.*

Hoc tibi Thesei populatrix misit Hymetti
Pallados a sylvis nobile nectar apis.

EPIGRAMMA CV.—*Favi Siculi*

Cum dederis Siculos mediis de collibus Hyblæ,
Cecropios dicas tu licet esse favos.

EPIGRAMMA CVI.—*Passum.*

Gnossia Minoæ genuit vindemia Cretæ
Hoc tibi, quod mulsum pauperis esse solet.

EPIGRAMMA CVII.—*Picatum vinum.*

Hæc de vitifera venisse picata Vienna
Ne dubites: misit Romulus ipse mihi.

EPIGRAMMA CVIII.—*Mulsum.*

Attica nectareum turbatis mella Falernum:
Misceri decet hoc a Ganymede merum.

EPIGRAMMA CIX.—*Albanum.*

Hoc de Cæsareis mitis vindemia cellis
Misit, Iuleo quæ sibi monte placet.

EPIGRAMMA CX.—*Surrentinum.*

Surrentina bibis? nec myrrhina picta, nec aurum
Sume: dabunt calices hæc tibi vina suos.

EPIGRAMMA CXI.—*Falernum.*

De Sinuessanis venerunt Massica prælis:
Condita quo quæris consule? nullus erat.

EPIGRAMMA CXII.—*Setinum.*

Pendula Pomptinos quæ spectat Setia campos,
Exigua vetulos misit ab urbe cados.

EPIGRAMMA CXIII.—*Fundanum.*

Hæc Fundana tulit felix autumnus Opimi:
Expressit mustum consul, et ipse bibit.

EPIGRAMMA CXIV.—*Trifolinum.*

Non sum de primo, fateor, Trifolina Lyæo,
Inter vina tamen septima vitis ero.

EPIGRAMMA CXV.—*Cæcubum.*

Cæcuba Fundanis generosa coquuntur Amyclis:
Vitis et in media nata palude viret.

EPIGRAMMA CXVI.—*Signinum.*

Potabis liquidum Signina morantia ventrem:
Ne nimium sistant, sit tibi parca sitis.

EPIGRAMMA CXVII.—*Mamertinum.*

Amphora Nestorea tibi Mamertina senecta
Si detur, quod vis nomen habere potest.

EPIGRAMMA CXVIII.—*Tarraconense.*

Tarraco, Campano tantum cessura Lyæo,
Hæc genuit Tuscis æmula vina cadis.

EPIGRAMMA CXIX.—*Nomentanum.*

Nomentana meum tibi dat vindemia Bacchum:
Si te Quintus amat, commodiora bibes.

EPIGRAMMA CXX.—*Spoletinum.*

De Spoletinis quæ sunt cariosa lagenis
Malueris, quam si musta Falerna bibas.

EPIGRAMMA CXXI.—*Pelignum.*

Marsica Peligni mittunt turbata coloni:
Non tu, libertus sed bibat illa tuus.

EPIGRAMMA CXXII.—*Acetum.*

Amphora Niliaci non sit tibi vilis aceti:
Esset cum vinum, vilior illa fuit.

EPIGRAMMA CXXIII.—*Massilianum.*

Cum tua centenos expugnet sportula cives,
Fumea Massiliæ ponere vina potes.

EPIGRAMMA CXXIV.—*Cæretanum.*

Cæretana Nepos ponat, Setina putabis,
Non ponit turbæ, cum tribus illa bibit.

EPIGRAMMA CXXV.—*Tarentinum*

Nobilis et lanis, et felix vitibus Aulon,
Det pretiosa tibi vellera, vina mihi.

EPIGRAMMA CXXVI.—*Unguentum.*

Unguentum hæredi nunquam, nec vina, relinquas.
Ille habeat nummos: hæc tibi tota dato.

EPIGRAMMA CXXVII.—*Corona rosea.*

Dat festinatas, Cæsar, tibi bruma coronas:
Quondam veris erat, nunc tua facta rosa est.

LIBER DECIMUS QUARTUS.

EPIGRAMMA I.

Synthesibus dum gaudet eques, dominusque senatus,
Dumque decent nostrum pilea sumta Jovem:
Nec timet ædilem moto spectare fritillo,
Cum videat gelidos tam prope verna lacus:
Divitis alternas, et pauperis accipe sortes: 5
Prœmia convivæ det sua quisque suo.
Sunt apinæ, tricæque, et si quid vilius istis.
Quis nescit? vel quis tam manifesta negat?
Sed quid agam potius madidis, Saturne, diebus,
Quos tibi pro cœlo filius ipse dedit?
Vis scribam Thebas, Trojamque, malasque Mycenas?
Lude, inquis, nucibus: perdere nolo nuces. 12
Quo vis cunque loco potes hunc finire libellum
Versibus explicitum est omne duobus opus

EPIGRAMMA II.—*Ad eundem.*

Lemmata si quæris cur sint adscripta, docebo:
Ut, si malueris, lemmata sola legas.

EPIGRAMMA III.—*Pugillares citrei.*

Secta nisi in tenues essemus ligna tabellas,
Essemus Libyci nobile dentis onus.

EPIGRAMMA IV.—*Quincuplices.*

Cæde juvencorum Domini calet area felix,
Quincuplici cera cum datur auctus honor.

EPIGRAMMA V.—*Pugillares eborei.*

Languida ne tristes obscurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum littera pingat ebur.

EPIGRAMMA VI.—*Triplices.*

Tunc triplices nostros non vilia dona putabis,
Cum se venturam scribet amica tibi.

EPIGRAMMA VII.—*Pugillares membranei.*

Esse puta ceras, licet hæc membrana vocetur:
Delebis, quoties scripta novare voles.

EPIGRAMMA VIII.—*Vitelliani.*

Nondum legerit hos licet puella,
Novit quid cupiant Vitelliani.

EPIGRAMMA IX.—*Idem.*

Quod minimos cernis, mitti nos credis amicæ:
Falleris, et nummos ista tabella rogat.

EPIGRAMMA X.—*Chartæ majores.*

Non est, munera quod putes pusilla,
Cum donat vacuas poeta chartas.

EPIGRAMMA XI.—*Chartæ epistolares.*

Seu leviter noto, seu caro missa sodali,
Omnes ista solet charta vocare suos.

EPIGRAMMA XII.—*Loculi eborei.*

Hos nisi de flava loculos implere moneta
Non decet: argentum vilia ligna ferant.

EPIGRAMMA XIII.—*Loculi lignei.*

Si quid adhuc superest in nostri fæce locelli,
Munus erit: nihil est, ipse locellus erit.

EPIGRAMMA XIV.—*Tali eborei.*

Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

EPIGRAMMA XV.—*Tessera.*

Non sim talorum numero par tessera, dum sit
Major, quam talis, alea sæpe mihi.

EPIGRAMMA XVI.—*Turricula.*

Quæ scit compositos manus improba mittere talos,
Si per me misit, nil nisi vota facit.

EPIGRAMMA XVII.—*Tabula lusoria.*

Hic mihi bis seno numeratur tessera puncto:
Calculus hic gemino discolor hoste perit.

EPIGRAMMA XVIII.—*Nuces.*

Alea parva nuces, et non damnosa videntur:
Sæpe tamen pueris abstulit illa nates.

EPIGRAMMA XIX.—*Theca calamaria.*

Sortitus thecam, calamis armare memento:
Cætera nos dedimus, tu leviora para.

EPIGRAMMA XX.—*Calculi.*

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles, et hostis erit.

EPIGRAMMA XXI.—*Graphiarium.*

Hæc tibi erunt armata suo graphiaria ferro.
Si puero dones, non leve munus erit.

EPIGRAMMA XXII.—*Dentiscalpium.*

Lentiscum melius: sed si tibi frondea cuspis
Defuerit, dentes penna levare potest.

EPIGRAMMA XXIII.—*Auriscalpium.*

Si tibi morosa prurigine verminat auris,
Arma damus tantis apta libidinibus.

EPIGRAMMA XXIV.—*Acus aurea.*

Tenuia ne madidi violent bombycina crines:
Figat acus tortas, sustineatque comas.

EPIGRAMMA XXV.—*Pecten ad calvam.*

Quid faciet, nullos hic inventura capillos,
Multifido buxus quæ tibi dente datur?

EPIGRAMMA XXVI.—*Sapo.*

Caustica Teutonicos accendit spuma capillos
Captivis poteris cultior esse comis.

EPIGRAMMA XXVII.—*Mattiacæ pilæ.*

Si mutare paras longævos cana capillos:
Accipe Mattiacas (quo tibi calva?) pilas.

EPIGRAMMA XXVIII.—*Umbella.*

Accipe quæ nimios vincant umbracula soles.
Sit licet et ventus, te tua vela tegent.

EPIGRAMMA XXIX.—*Causia.*

In Pompeiano tectus spectabo theatro:
Nam ventus populo vela negare solet.

EPIGRAMMA XXX.—*Venabula.*

Excipient apros, exspectabuntque leones:
Intrabunt ursos, sit modo firma manus.

EPIGRAMMA XXXI.—*Culter venatorius.*

Si dejecta gemes longo venabula rostro,
Hic brevis in grandem cominus ibit aprum.

EPIGRAMMA XXXII.—*Parazonium.*

Militiæ decus hoc, grati gestamen honoris,
Arma tribunicium cingere digna latus.

EPIGRAMMA XXXIII.—*Pugio.*

Pugio, quem curvis signat brevis orbita venis,
Stridentem gelidis hunc Salo tinxit aquis.

EPIGRAMMA XXXIV.—*Falx ex ense.*

Pax me certa ducis placidos curvavit in usus:
Agricolæ nunc sum, militis ante fui.

EPIGRAMMA XXXV.—*Securicula.*

Cum fieret tristis solvendis auctio nummis,
Hæc quadringentis millibus emta fuit.

EPIGRAMMA XXXVI.—*Ferramenta tonsoria.*

Tondendis hæc arma tibi sunt apta capillis:
Unguibus hæc longis utilis; illa genis.

EPIGRAMMA XXXVII.—*Scrinium.*

Constrictos nisi das mihi libellos,
Admittam tineas, trucesque blattas.

Epigramma XXXVIII.—*Fasces calamorum.*

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus:
Texantur reliqua tecta palude tibi.

Epigramma XXXIX.—*Lucerna cubicularia.*

Dulcis conscia lectuli lucerna,
Quicquid vis facias licet, tacebo.

Epigramma XL.—*Candela.*

Ancillam tibi sors dedit lucernæ,
Tutas quæ vigil exigit tenebras.

Epigramma XLI.—*Lucerna polymyxos.*

Illustrem cum tota meis convivia flammis,
Totque geram myxas, una lucerna vocor.

Epigramma XLII.—*Cereus.*

Hic tibi nocturnos præstabit cereus ignes:
Subducta est puero namque lucerna tuo.

Epigramma XLIII.—*Candelabrum Corinthium.*

Nomina candelæ nobis antiqua dederunt.
Non norat parcos uncta lucerna patres.

Epigramma XLIV.—*Candelabrum ligneum.*

Esse vides lignum: serves nisi lumina, fiet
De candelabro magna lucerna tibi.

Epigramma XLV.—*Pila paganica.*

Hæc quæ difficilis turget paganica pluma,
Folle minus laxa est, et minus arcta pila.

Epigramma XLVI.—*Pila trigonalis.*

Si me mobilibus scis expulsare sinistris,
Sum tua: si nescis, rustice, redde pilam.

Epigramma XLVII.—*Follis.*

Ite procul, juvenes: mitis mihi convenit ætas:
Folle decet pueros ludere, folle senes.

Epigramma XLVIII.—*Harpasta.*

Hæc rapit Antæi velox in pulvere draucus,
Grandia qui vano colla labore facit.

Epigramma XLIX.—*Halteres.*

Quid pereunt stulto fortes haltere lacerti?
Exercet melius vinea fossa viros.

Epigramma L.—*Galericulum.*

Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos,
Hac poteris madidas condere pelle comas.

Epigramma LI.—*Strigiles.*

Pergamus has misit: curvo destringere ferro,
Non tam sæpe teret lintea fullo tibi.

Epigramma LII.—*Guttus corneus.*

Gestavit modo fronte me juvencus.
Verum rhinocerota me putabis.

Epigramma LIII.—*Rhinoceros.*

Nuper in Ausonia Domini spectatus arena
Hic erit ille tibi, cui pila taurus erat.

Epigramma LIV.—*Crepitacillum.*

Si quis plorator collo tibi vernula pendet,
Hæc quatiat tenera garrula sistra manu.

Epigramma LV.—*Flagellum.*

Proficies nihil hoc, cædas licet usque, flagello.
Si tibi purpureo de grege currit equus.

Epigramma LVI.—*Dentifricium.*

Quid mecum est tibi? me puella sumat.
Emtos non soleo polire dentes.

Epigramma LVII.—*Myrobalanum.*

Quod nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus
Hoc ex unguento constat et ex balano.

Epigramma LVIII.—*Aphronitrum.*

Rusticus es? nescis quid Græco nomine dicar,
Spuma vocor nitri. Græcus es? ἀφρόνιτρον.

Epigramma LIX.—*Opobalsama.*

Balsama me capiunt, hæc sunt unguenta virorum,
Delicias Cosmi vos redolete nurus.

Epigramma LX.—*Lomentum.*

Gratum munus erit, scisso nec inutile ventri,
Si clara Stephani balnea luce petes.

Epigramma LXI.—*Laterna cornea.*

Dux laterna viæ clausis feror aurea flammis,
Et tuta est gremio parva lucerna meo.

Epigramma LXII.—*Laterna ex vesica.*

Cornea si non sum, numquid sum fuscior? aut me
Vesicam, contra qui venit, esse putat?

Epigramma LXIII.—*Fistula.*

Quid me compactam ceris et arundine rides?
Quæ primum structa est fistula, talis erat

Epigramma LXIV.—*Tibiæ.*

Ebria nos madidis rumpit tibicina buccis:
Sæpe duas pariter, sæpe monaulon habet.

Epigramma LXV.—*Soleæ lanatæ.*

Defuerit si forte puer, soleasque libebit
Sumere, pro puero pes erit ipse sibi.

Epigramma LXVI.—*Mammillare*

Taurino poteras pectus constringere tergo:
Nam pellis mammas non capit ista tuas.

Epigramma LXVII.—*Muscaria pavonina.*

Lambere quæ turpes prohibet tua prandia mus-
Alitis eximiæ cauda superba fuit. [cas.

Epigramma LXVIII.—*Copta Rhodia.*

Peccantis famuli pugno ne percute dentes:
Clara Rhodos coptam quam tibi misit, edat.

Epigramma LXIX.—*Priapus siligineus.*

Si vis esse satur, nostrum potes esse Priapum:
Ipsa licet rodas inguina, purus eris.

Epigramma LXX.—*Porcus.*

Iste tibi faciet bona Saturnalia porcus,
Inter spumantes ilice pastus apros.

Epigramma LXXI.—*Muscarium bubulum.*

Sordida si flavo fuerit tibi pulvere vestis,
Colligat hunc tenui verbere cauda levis.

Epigramma LXXII.—*Botulus.*

Qui venit botulus medio tibi tempore brumæ,
Saturni septem venerat ante dies.

Epigramma LXXIII.—*Psittacus.*

Psittacus a vobis aliorum nomina discam:
Hoc didici per me dicere: Cæsar, ave.

Epigramma LXXIV.—*Corvus.*

Corve salutator, quare fellator haberis?
In caput intravit mentula nulla tuum.

Epigramma LXXV.—*Luscinia.*

Flet Philomela nefas incesti Tereos: et quæ
Muta puella fuit, garrula fertur avis.

Epigramma LXXVI.—*Pica.*

Pica loquax certa dominum te voce saluto:
Si me non videas, esse negabis avem.

Epigramma LXXVII.—*Cavea eborea.*

Si tibi talis erit, qualem dilecta Catullo
Lesbia plorabat, hic habitare potest.

Epigramma LXXVIII.—*Narthecium.*

Artis ebur medicæ narthecia cernis? habebis
Munera, quæ cuperet Paccius esse sua.

Epigramma LXXIX.—*Flagra.*

Ludite lascivi, sed tantum ludite, servi:
Hæc signata mihi quinque diebus erunt.

Epigramma LXXX.—*Ferulæ.*

Invisæ nimium pueris, gratæque magistris,
Clara Prometheo munere ligna sumus.

Epigramma LXXXI.—*Pera.*

Ne mendica ferat barbati prandia nudi,
Dormiat et tetrico cum cane, pera rogat.

Epigramma LXXXII.—*Scopæ.*

In pretio scopas testatur palma fuisse:
Otia sed scopis nunc analecta dabit.

Epigramma LXXXIII.—*Scalptorium.*

Defendet manus hæc scapulas mordente molesto
Pulice, vel si quid pulice sordidius.

Epigramma LXXXIV.—*Manuale.*

Ne toga barbatos faciat vel pænula libros,
Hæc abies chartis tempora longa dabit.

Epigramma LXXXV.—*Lectus pavoninus.*

Nomina dat spondæ pictis pulcherrima pennis
Nunc Junonis avis: sed prius Argus erat.

Epigramma LXXXVI.—*Ephippium.*

Stragula succincti, venator, sume veredi:
Nam solet a nudo surgere ficus equo.

Epigramma LXXXVII.—*Stibadia.*

Accipe lunata scriptum testudine sigma:
Octo capit: veniat, quisquis amicus erit.

Epigramma LXXXVIII.—*Gustatorium.*

Fœmineam nobis cherson si credis inesse,
Deciperis: pelagi mascula præda sumus.

Epigramma LXXXIX.—*Mensa citrea.*

Accipe felices, Atlantica munera, sylvas:
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

Epigramma XC.—*Mensa acerna.*

Non sum crispa quidem, nec sylvæ filia Mauræ:
Sed norunt lautas et mea ligna dapes.

Epigramma XCI.—*Dentes eborei.*

Grandia taurorum portant qui corpora, quæris
An Libycas possint sustinuisse trabes?

Epigramma XCII.—*Quincupedal.*

Puncta notis ilex, et acuta cuspide clausa,
Sæpe redemtoris prodere furta solet.

Epigramma XCIII.—*Pocula archetypa.*

Non est ista recens, nec nostri gloria cœli:
Primus in his Mentor, dum facit illa, bibit.

Epigramma XCIV.—*Calices.*

Non sumus audacis plebeia toreumata vitri:
Nostra nec ardenti gemma feritur aqua.

Epigramma XCV.—*Phiala aurea cælata.*

Quamvis Callaico rubeam generosa metallo,
Glorior arte magis: nam Myos iste labor.

Epigramma XCVI.—*Calices Vatinii.*

Vilia sutoris calicem monumenta Vatini
Accipe: sed nasus longior ille fuit.

Epigramma XCVII.—*Lances chrysendetæ.*

Grandia ne viola parvo chrysendeta mullo:
Ut minimum, libras debet habere duas.

Epigramma XCVIII.—*Vasa Aretina.*

Aretina nimis ne spernas vasa, monemus:
Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus.

Epigramma XCIX.—*Bascauda.*

Barbara de pictis veni bascauda Britannis:
Sed me jam mavult dicere Roma suam.

Epigramma C.—*Panaca.*

Si non ignota est docti tibi terra Catulli,
Potasti testa Rhætica vina mea.

Epigramma CI.—*Boletaria.*

Cum mihi boleti dederint tam nobile nomen,
Prototomis (pudet heu) servio cauliculis.

Epigramma CII.—*Calices Surrentini.*

Accipe non vili calices de pulvere natos,
Sed Surrentinæ læve toreuma rotæ.

Epigramma CIII.—*Colum nivarium.*

Setinos, moneo, nostra nive frange trientes:
Pauperiore mero tingere lina potes.

Epigramma CIV.—*Saccus nivarius.*

Attenuare nives norunt et lintea nostra:
Frigidior colo non salit unda tuo.

Epigramma CV.—*Urceoli ministratorii.*

Frigida non desit, non deerit calda petenti:
Sed tu morosa ludere parce siti.

Epigramma CVI.—*Urceus fictilis.*

Hic tibi donatur panda ruber urceus ansa:
Stoicus hoc gelidam Fronto petebat aquam

Epigramma CVII.—*Calathi.*

Nos Satyri, nos Bacchus amat, nos ebria tigris,
Perfusos domini lambere docta pedes.

Epigramma CVIII.—*Calices Saguntini.*

Quæ non sollicitus teneat servetque minister,
Sume Saguntino pocula ficta luto.

Epigramma CIX.—*Calices gemmati.*

Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum,
Adspice. quot digitos exuit iste calix!

Epigramma CX.—*Ampulla potoria.*

Hac licet in gemma, quæ servat nomina Cosmi,
Luxuriose, bibas, si foliata sitis.

Epigramma CXI.—*Crystallina.*

Frangere dum metuis, frangis crystallina: peccant
Securæ nimium sollicitæque manus.

Epigramma CXII.—*Nimbus vitreus.*

Ab Jove qui veniet, miscenda ad pocula largas
Fundet nimbus aquas: hic tibi vina dabit.

Epigramma CXIII.—*Murrhina.*

Si calidum potas, ardenti murrha Falerno
Convenit, et melior fit sapor inde mero.

Epigramma CXIV.—*Patella Cumana.*

Hanc tibi Cumano rubicundam pulvere testam,
Municipem misit casta Sibylla suam.

Epigramma CXV.—*Calices vitrei.*

Adspicis ingenium Nili: quibus addere plura
Dum cupit, ah quoties perdidit auctor opus!

Epigramma CXVI.—*Lagena nivaria.*

Spoletina bibis, vel Marsis condita cellis:
Quo tibi decoctæ nobile frigus aquæ?

Epigramma CXVII.—*Nives.*

Non potare nivem. sed aquam potare rigentem
De nive, commenta est ingeniosa sitis.

Epigramma CXVIII.—*Idem.*

Massiliæ fumos miscere nivalibus undis
Parce, puer, constet ne tibi pluris aqua.

Epigramma CXIX.—*Matella fictilis.*

Dum poscor crepitu digitorum, et verna moratur,
O quoties pellex culcita facta mea est!

Epigramma CXX.—*Ligula argentea.*

Quamvis me ligulam dicant equitesque patres-
Dicor ab indoctis lingula grammaticis. [que,

Epigramma CXXI.—*Cochlearia.*

Sum cochleis habilis, sed nec minus utilis ovis:
Numquid scis potius cur cochleare vocer?

Epigramma CXXII.—*Annuli.*

Ante frequens, sed nunc rarus nos donat amicus:
Felix, cui comes est non alienus eques!

Epigramma CXXIII.—*Dactyliotheca.*

Sæpe gravis digitis elabitur annulus unctis:
Tuta mea fiet sed tua gemma fide.

Epigramma CXXIV.—*Toga.*

Romanos rerum dominos, gentemque togatam
Ille facit, magno qui dedit astra patri.

Epigramma CXXV.—*Idem.*

Si matutinos facile est tibi rumpere somnos,
Attrita veniet sportula sæpe toga.

Epigramma CXXVI.—*Endromis.*

Pauperis est munus, sed non est pauperis usus:
Hanc tibi pro læna mittimus endromida.

Epigramma CXXVII.—*Canusinæ fuscæ.*

Hæc tibi turbato Canusina simillima mulso
Munus erit: gaude; non cito fiet anus.

Epigramma CXXVIII.—*Bardocucullus.*

Gallia Santonico vestit te bardocucullo:
Cercopithecorum pænula nuper erat.

Epigramma CXXIX.—*Canusinæ rufæ.*

Roma magis fuscis vestitur, Gallia rufis:
Et placet hic pueris militibusque color.

Epigramma CXXX.—*Pænula scortea*

Ingrediare viam cœlo licet usque sereno,
Ad subitas nunquam scortea desit aquas.

Epigramma CXXXI.—*Lacernæ coccineæ.*

Si Veneto, Prasinove faves, quid coccina sumis?
Ne fias ista transfuga sorte, vide.

Epigramma CXXXII.—*Pileus.*

Si possem, totas cuperem misisse lacernas.
Nunc tantum capiti munera mitto tuo

Epigramma CXXXIII.—*Lacernæ Bæticæ.*

Non est lana mihi mendax, nec mutor aeno:
Si placeant Tyriæ, me mea tinxit ovis.

Epigramma CXXXIV.—*Fascia pectoralis.*

Fascia, crescentes dominæ compesce papillas,
Ut sit quod capiat nostra, tegatque manus.

Epigramma CXXXV.—*Cœnatoria.*

Nec fora sunt nobis, nec sunt vadimonia nota:
Hoc opus est, pictis accubuisse toris.

Epigramma CXXXVI.—*Læna.*

Tempore brumali non multum lævia prosunt:
Calfaciunt vilii pallia vestra mei.

Epigramma CXXXVII.—*Lacernæ albæ.*

Amphitheatrales nos commendamur ad usus,
Cum tegit algentes alba lacerna togas.

Epigramma CXXXVIII.—*Gausapa villosa, i.e. mantele.*

Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum:
Orbibus in nostris circulus esse potest.

Epigramma CXXXIX.—*Cuculli Liburnici*

Jungere nescisti nobis, o stulte, lacernas:
Indueras albas, exue callainas.

Epigramma CXL.—*Udones Cilicii.*

Non hos lana dedit, sed olentis barba mariti
Cinyphio poterit planta latere sinu.

Epigramma CXLI.—*Synthesis.*

Dum toga per quinas gaudet requiescere luces
Hos poteris cultus sumere jure tuo.

Epigramma CXLII.—*Focale.*

Si recitaturus dedero tibi forte libellum,
Hoc focale tuas adserat auriculas.

Epigramma CXLIII.—*Tunicæ Patavinæ.*

Vellera cum sumant Patavinæ multa trilices,
Et pingues tunicas serra secare potest.

Epigramma CXLIV.—*Spongia.*

Hæc tibi sorte datur tergendis spongia mensis
Utilis, expresso cum levis imbre tumet.

Epigramma CXLV.—*Pænula gausapina.*

Is mihi candor inest, villorum gratia tanta est,
Ut me vel media sumere messe velis.

Epigramma CXLVI.—*Cervical.*

Tinge caput nardi folio, cervical olebit:
Perdidit unguentum cum coma, pluma tenet.

Epigramma CXLVII.—*Cubicularia gausapina.*

Stragula purpureis lucent villosa tapetis:
Quid prodest, si te congelat uxor anus?

Epigramma CXLVIII.—*Lodices.*

Nudo stragula ne toro paterent,
Junctæ nos tibi venimus sorores.

Epigramma CXLIX.—*Amictorium.*

Mammosas metuo: teneræ me trade puellæ,
Ut possint niveo pectore lina frui.

Epigramma CL.—*Cubicularia polymita.*

Hæc tibi Memphitis tellus dat munera: victa est
Pectine Niliaco jam Babylonis acus.

Epigramma CLI.—*Zona.*

Longa satis nunc sum; dulci sed pondere venter
Si tumeat, fiam tunc tibi zona brevis.

Epigramma CLII.—*Gausape quadratum.*

Lodices mittet docti tibi terra Catulli:
Nos Helicaonia de regione sumus.

Epigramma CLIII.—*Semicinctium.*

Det tunicam dives: ego te præcingere possum.
Essem si locuples, munus utrumque darem.

Epigramma CLIV.—*Lanæ amethystinæ.*

Ebria Sidoniæ cum sim de sanguine conchæ,
Non video, quare sobria lana vocer.

Epigramma CLV.—*Lanæ albæ.*

Velleribus primis Appulia, Parma secundis
Nobilis: Altinum tertia laudat ovis.

Epigramma CLVI.—*Lanæ Tyriæ.*

Nos Lacedæmoniæ pastor donavit amicæ:
Deterior Ledæ purpura matris erat.

Epigramma CLVII.—*Lanæ Pollentinæ.*

Non tantum pullo lugentes vellere lanas,
Sed solet et calices hæc dare terra suos.

Epigramma CLVIII.—*Idem.*

Lana quidem tristis, sed tonsis apta ministris,
Quales non primo de grege mensa vocat.

Epigramma CLIX.—*Tomentum Leuconicum.*

Oppressæ nimium vicina est fascia plumæ?
Vellera Leuconicis accipe rasa sagis.

Epigramma CLX.—*Tomentum Circense.*

Tomentum concisa palus Circense vocatur:
Hæc pro Leuconico stramina pauper emit.

Epigramma CLXI.—*Pluma.*

Lassus Amyclæa poteris requiescere pluma,
Interior cycni quam tibi lana dedit.

Epigramma CLXII.—*Fœnum.*

Fraudata tumeat fragilis tibi culcita mula
Non venit ad duros pallida cura toros.

Epigramma CLXIII.—*Tintinnabulum.*

Redde pilam: sonat æs thermarum: ludere per-
Virgine vis sola lotus abire domum. [gis?

Epigramma CLXIV.—*Discus.*

Splendida cum volitent Spartani pondera disci,
Este procul, pueri: sit semel ille nocens.

Epigramma CLXV.—*Cithara.*

Reddidit Eurydicen vati: sed perdidit ipse,
Dum sibi non credit, nec patienter amat.

Epigramma CLXVI.—*Idem.*

De Pompeiano sæpe est ejecta theatro,
Quæ duxit sylvas, detinuitque feras.

Epigramma CLXVII.—*Plectra.*

Fervida ne trito tibi pollice pustula surgat,
Exornent docilem garrula plectra lyram.

Epigramma CLXVIII.—*Trochus.*

Inducenda rota est: das nobis utile munus.
Iste trochus pueris, at mihi canthus erit.

Epigramma CLXIX.—*Idem.*

Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur?
Cedat ut argutis obvia turba trochis.

Epigramma CLXX.—*Signum victoriæ.*

Hæc illi sine sorte datur, cui nomina Rhenus
Vera dedit: decies adde Falerna, puer.

Epigramma CLXXI.—Βρούτου παιδίον.

Gloria tam parvi non est obscura sigilli:
Istius pueri Brutus amator erat.

Epigramma CLXXII.—*Sauroctonos Corinthius*

Ad te reptanti, puer insidiose, lacertæ
Parce: cupit digitis illa perire tuis.

Epigramma CLXXIII.—*Hyacinthus in tabula pictus.*

Flectit ab inviso morientia lumina disco
Œbalius, Phœbi culpa dolorque, puer.

Epigramma CLXXIV.—*Hermaphroditus marmoreus.*

Masculus intravit fontes: emersit utrumque.
Pars est una patris: cætera matris habet.

Epigramma CLXXV.—*Danae picta.*

Cur a te pretium Danae, regnator Olympi,
Accepit, gratis si tibi Leda dedit?

Epigramma CLXXVI.—*Persona Germanica.*

Sum figuli lusus, rufi persona Batavi.
Quæ tu derides, hæc timet ora puer.

Epigramma CLXXVII.—*Hercules Corinthius.*

Elidit geminos infans, nec respicit, angues.
Jam poterat teneras hydra timere manus.

Epigramma CLXXVIII.—*Hercules fictilis.*

Sum fragilis: sed tu, moneo, ne sperne sigillum
Non pudet Alciden nomen habere meum.

Epigramma CLXXIX.—*Minerva argentea.*

Dic mihi, virgo ferox, cum sit tibi cassis et hasta,
Quare non habeas ægida ? Cæsar habet.

Epigramma CLXXX.—*Europa picta.*

Mutari melius tauro, pater optime divûm,
Tunc poteras, Io cum tibi vacca fuit.

Epigramma CLXXXI.—*Leander marmoreus.*

Clamabat tumidis audax Leander in undis :
Mergite me, fluctus, cum rediturus ero.

Epigramma CLXXXII.—*Sigillum gibberi fictile.*

Ebrius hæc fecit terris, puto, monstra Prometheus,
Saturnalitio lusit et ipse luto.

Epigramma CLXXXIII.—*Homeri Batrachomyomachia.*

Perlege Mæonio cantatas carmine ranas,
Et frontem nugis solvere disce meis.

Epigramma CLXXXIV.—*Homerus in membranis.*

Ilias, et Priami regnis inimicus Ulixes,
Multiplici pariter condita pelle latent.

Epigramma CLXXXV.—*Virgilii Culex.*

Accipe facundi Culicem, studiose, Maronis :
Ne nugis positis arma virumque canas.

Epigramma CLXXXVI.—*Virgilius in membrana.*

Quam brevis immensum cepit membrana Maronem !
Ipsius vultus prima tabella gerit.

Epigramma CLXXXVII.—*Menandri Thais.*

Hæc primum juvenum lascivos lusit amores :
Nec Glycere, vere Thais amica fuit.

Epigramma CLXXXVIII.—*Cicero in membranis.*

Si comes ista tibi fuerit membrana, putato
Carpere te longas cum Cicerone vias.

Epigramma CLXXXIX.—*Propertius.*

Cynthia, facundi carmen juvenile Properti,
Accepit famam, nec minus ipsa dedit.

Epigramma CXC.—*Livius in membranis.*

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea non totum bibliotheca capit.

Epigramma CXCI.—*Sallustius.*

Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Primus Romana Crispus in historia.

Epigramma CXCII.—*Ovidii Metamorphoses in membranis.*

Hæc tibi, multiplici quæ structa est massa tabella,
Carmina Nasonis quinque decemque gerit.

Epigramma CXCIII.—*Tibullus.*

Ussit amatorem Nemesis lasciva Tibullum,
In tota juvit quem nihil esse domo.

Epigramma CXCIV.—*Lucanus.*

Sunt quidam, qui me dicunt non esse poetam,
Sed, qui me vendit, bibliopola putat.

Epigramma CXCV.—*Catullus.*

Tantum magna suo debet Verona Catullo,
Quantum parva suo Mantua Virgilio.

Epigramma CXCVI.—*Calvi de aquæ frigidæ usu.*

Hæc tibi, quæ fontes et aquarum nomina dicit,
Ipsa suas melius charta natabit aquas.

Epigramma CXCVII.—*Mulæ pumilæ.*

His tibi de mulis non est metuenda ruina :
Altius in terra pæne sedere soles.

Epigramma CXCVIII.—*Catella Gallicana.*

Delicias parvæ si vis audire catellæ,
Narranti brevis est pagina tota mihi.

Epigramma CXCIX.—*Asturco.*

Hic brevis, ad numerum rapidos qui colligit ungues,
Venit ab auriferis gentibus Astur equus.

Epigramma CC.—*Canis vertagus.*

Non sibi, sed domino venatur vertagus acer,
Illæsum leporem qui tibi dente feret.

Epigramma CCI.—*Palæstrita.*

Non amo, qui vincit, sed qui succumbere novit,
Et didicit melius τὴν ἀνακλινοπάλην.

Epigramma CCII.—*Simius.*

Callidus emissas eludere simius hastas,
Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.

Epigramma CCIII.—*Puella Gaditana.*

Tam tremulum crissat, tam blandum prurit, ut ipsum
Masturbatorem fecerit Hippolytum.

Epigramma CCIV.—*Cymbala.*

Æra Celænæos lugentia Matris amores
Esuriens Gallus vendere sæpe solet.

Epigramma CCV.—*Puer cinædus.*

Sit nobis ætate puer, non pumice, lævis,
Propter quem placeat nulla puella mihi.

Epigramma CCVI.—*Cestos.*

Collo necte, puer, meros amores,
Ceston de Veneris sinu calentem.

Epigramma CCVII.—*Idem.*

Sume Cytheriaco medicatum nectare ceston.
Ussit amatorem balteus iste Jovem.

Epigramma CCVIII.—*Notarius.*

Currant verba licet, manus est velocior illis :
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Epigramma CCIX.—*Concha.*

Lævis ab æquorea cortex Mareotica concha
Fiat : inoffensa curret arundo via.

Epigramma CCX.—*Morio.*

Non mendax stupor est, nec fingitur arte dolosa
Quisquis plus justo non sapit, ille sapit.

Epigramma CCXI.—*Caput arietinum.*

Mollia Phryxei secuisti colla mariti.
Hoc meruit, tunicam qui tibi, sæve, dedit ?

Epigramma CCXII.—*Pumilio.*

Si solum spectes hominis caput, Hectora credas.
Si stantem videas, Astyanacta putes.

Epigramma CCXIII.—*Parma.*

Hæc, quæ sæpe solet vinci, quæ vincere raro,
Parma tibi, scutum pumilionis erit

EPIGRAMMA CCXIV.—*Pueri comœdi.*

Non erit in turba quisquam Μισούμενος ista:
Sed poterit quivis esse Διὸς Ἐξαπατῶν

EPIGRAMMA CCXV.—*Fibula.*

Dic mihi simpliciter, comœdis et citharœdis
Fibula quid præstat? carius ut futuant.

EPIGRAMMA CCXVI.—*Accipiter.*

Prædo fuit volucrum, famulus nunc aucupis: idem
Decipit, et captas non sibi mæret aves.

EPIGRAMMA CCXVII.—*Opsonator.*

Dic quotus, et quanti cupias cœnare; nec unum
Addideris verbum: cœna parata tibi est.

EPIGRAMMA CCXVIII.—*Calami aucupatorii.*

Non tantum calamis, sed cantu fallitur ales,
Callida dum tacita crescit arundo manu

EPIGRAMMA CCXIX.—*Cor bubulum.*

Pauper causidicus nullos referentia nummos
Carmina cum scribas; accipe cor, quod habes

EPIGRAMMA CCXX.—*Coquus.*

Non satis est ars sola coquo: servire palatum
Nolo: coquus domini debet habere gulam.

EPIGRAMMA CCXXI.—*Craticula cum veru.*

Parva tibi curva craticula sudet ofella:
Spumeus in longa cuspide fumet aper.

EPIGRAMMA CCXXII.—*Pistor dulciarius.*

Mille tibi dulces operum manus ista figuras
Exstruit: huic uni parca laborat apis.

EPIGRAMMA CCXXIII.—*Jentacula.*

Surgite; jam vendit pueris jentacula pistor,
Cristatæque sonant undique lucis aves.

EPIGRAMMATA QUÆDAM MARTIALI AFFICTA.

EPIGRAMMA I.—*Ad Scævolam.*

Scævola, tu cœnas apud omnes, nullus apud te:
Alterius siccas pocula, nemo tua.
Aut tu redde vices, aut desine velle vocari:
Dedecus est semper sumere, nilque dare.

EPIGRAMMA II.—*Ad Auctum.*

Exigis a nobis, quem nulli solvis, amorem:
Quam nulli præstas, exigis, Aucte, fidem.
Exigis a nobis, quem non merearis, honorem:
Mirum est, quod non das, id tibi velle dari

EPIGRAMMA III.—*Ad Regulum.*

Prædicat Hermagoras, non omnibus esse placen-
Elige de multis, Regule, cui placeas. [dum.

EPIGRAMMA IV.—*Ad Aulicum.*

Multa mihi donas; vereor ne multa requiras
Nolo mihi dones, Aulice, si repetas.

EPIGRAMMA V.—*In Turgidum.*

In noctem prandes, in noctem, Turgide, cœnas,
Multimodoque mades nocte dieque mero.
Cumque cuti studeas, uxorem ducere non vis:
Cum nolis, dicis, Vita pudica placet.
Turgide, mentiris: non est hæc vita pudica. 5
Vis dicam quæ sit vita pudica? modus.

EPIGRAMMA VI.—*In Laidem.*

Formosissima Lai fœminarum,
Dum noctis pretium tibi requiro,
Magnum continuo petis talentum:
Tanti non emo, Lai, pœnitere.

SULPICIÆ SATIRA.

A. D. 90.

De Sulpicia, Caleni viri nobilis uxore, castique amoris poetria, vide Martialem Lib. X. Epig. XXXV. XXXVIII.

De statu reipublicæ temporibus Domitiani, cum edicto philosophos urbe exegisset.

Musa, quibus numeris heroas et arma frequentas,
Fabellam permitte mihi detexere paucis.
Nam tibi secessi, tecum penetrale retractans
Consilium. Quare nec carmine curro phalæco,
Nec trimetro [iambo,] nec qui pede fractus eodem
Fortiter irasci didicit duce Clazomeneo. 6
Cætera quin etiam, quot denique mollia lusi,
Primaque Romanas docui contendere Graiis,
Et salibus variare novis, constanter omitto:
Teque, quibus princeps et facundissima calles, 10
Aggredior: precibus descende clientis, et audi.
Dic mihi, Calliope, quidnam pater ille deorum
Cogitat? an terras et patria sæcula mutat,
Quasque dedit quondam, mærentibus eripit artes?
Nosque jubet tacitos, et jam rationis egenos, 15
Non aliter, primo quam cum surreximus ævo,
Glandibus et puræ rursus procumbere lymphæ?
An reliquas terras conservat amicus et urbes,
Sed genus Ausonium, Remulique exturbat alumnos? [ingens
Quid reputemus enim? Duo sunt, quibus extulit
Roma caput, virtus belli, et sapientia pacis. 21
Sed virtus agitata domi, et socialibus armis,
In freta Sicaniæ, et Carthaginis exiit arces,
Cæteraque imperia, et totum simul abstulit orbem.
Deinde, velut stadio victor qui solus Achæo 25
Languet, et immota secum virtute fatiscit:
Sic itidem Romana manus, contendere postquam
Destitit, et pacem longis frenavit habenis,
Ipsa domi leges et Graia inventa retractans,
Omnia bellorum terra quæsita marique 30
Præmia, consilio et molli ratione regebat.
Stabat in his: neque enim poterat constare sine ipsis:
Aut frustra uxori mendaxque Diespiter olim,
Imperium sine fine dedi, dixisse probatur.
Nunc igitur, qui res Romanas temperat impar,
Non trabe, sed tergo prolapsus, et ingluvie albus,
Et studia, et sapiens hominum nomenque genusque 37
Omnia abire foras, atque Urbe excedere jussit.
Quid facimus? Graios, hominumque reliquimus urbes,
Ut Romana foret magis his instructa magistris:
Nunc, Capitolino veluti turbante Camillo 41
Ensibus et trutina Galli fugere relicta,
Sic nostri [palare] senes [dicuntur,] et ipsi
Ut ferale suos onus exstirpare libellos.
Ergo Numantinus Libycusque erravit in isto 45
Scipio, qui Rhodio crevit formante magistro,
Cætera et illa manus bello fecunda secundo:
Quos inter prisci sententia dia Catonis
Scire adeo magni fecisset, utrumne secundis
An magis adversis staret Romana propago. 50
Scilicet adversis: nam cum defendier armis
Suadet amor patriæ, et captiva penatibus uxor,
Convenit, ut vespis, quorum domus arxque move- [tur,
Turba rigens strictis per lutea corpora telis.
Ast ubi pax secura redît, oblita laborum 55
Plebs, patresque simul somno moriuntur obeso.
Romulidarum igitur longa et gravis exitium pax.
Hoc fabella modo pausam facit. Optima, posthac, [tas
Musa, velim moneas, sine qua mihi nulla volup-
Vivere, uti Lydus quondam dum Smyrna periret,
Nosne itidem migrare velis: vel denique quidvis:
Te, dea, quæso illud tantum; Romana Caleno
Mœnia, jucundos pariter ne obverte Sabinos. 63
Hæc ego: tum paucis dea me dignatur, et infit.
Pone metus æquos, cultrix mea; summa tyranno
Ecce instant odia, et nostro periturus in ore est.
Nam laureta Numæ, fontesque habitamus eosdem,
Et comite Egeria ridemus inania cœpta.
Vive, vale: manet hunc pulchrum sua fama dolorem.
Musarum spondet chorus, et Romanus Apollo.

P. PAPINII STATII SYLVARUM LIBRI QUINQUE.

LIBER PRIMUS.

A. D. 61—96.

P. Papinius Statius Neapoli natus est honesta domo, patre grammatico, doctrina litterisque insigni; qui filium suum in quinquennali Neapolitanorum certamine poetica corona ornatum, quam et ipse antea gestaverat, spectavisse narratur. Ab hoc institutus, Romam juvenis adhuc carminum suorum fama complevit. Domitiano quidem principi plus etiam, quam integro licuerat, placuit. Uxorem duxit Claudiam amantissimam, fideique eximiam; omninoque, ut ad caritates colendas propensus, ita et domi et amicitiis beatus fuisse videtur. Cæterum post Thebaidem duodecennali labore absolutam, Achilleidem molientem in ipsis operis initiis immatura mors prævertit.

STATIUS STELLÆ SUO SALUTEM.

Diu multumque dubitavi, Stella juvenis optime, et in studiis nostris eminentissime qua parte voluisti, an hos libellos, qui mihi subito calore et quadam festinandi voluptate fluxerunt, cum singuli de sinu meo prodiissent, congregatos ipse dimitterem. Quid enim * * * * quoque auctoritate editionis onerari, quod adhuc pro Thebaide mea (quamvis me reliquerit) timeo? Sed et Culicem legimus, et Batrachomyomachiam agnoscimus: nec quisquam est illustrium poetarum, qui non aliquid operibus seriis stylo remissiore præluserit. Quid, quod hæc serum erat continere, cum illa vos certe, quorum honori data sunt, haberetis? Sed apud cæteros necesse est multum illis pereat ex venia, cum amiserint, quam solam habuerunt, gratiam celeritatis. Nullum enim ex illis biduo longius tractum: quædam et singulis diebus effusa. Quamvis metuo ne verum istuc versus quoque ipsi de se probent. Primus libellus sacrosanctum habet testem: sumendum enim erat a Jove principium. Cæterum hos versus, quos in equum maximum feci, indulgentissimo imperatori postero die, quam dedicatum erat opus, tradere jussus sum. Potuisti illud, dicet aliquis, et ante vidisse. Respondebis illi tu, Stella carissime, qui Epithalamion tuum, quod mihi injunxeras, scis biduo scriptum. Audacter mehercule, sed tamen CCLXXVII hexametros habet. At fortasse tu pro collega mentieris? Manlius certe Vopiscus vir eruditissimus, et qui præcipue vindicat a situ litteras jam pæne fugientes, solet ultro quoque nomine eo gloriari, villam Tiburtinam suam descriptam a nobis uno die. Sequitur libellus Rutilio Gallico Valenti dedicatus: de quo nihil dico, ne videar defuncti testis occasione mentiri. Nam Claudii Etrusci testimonium exstat, qui Balneolum a me suum intra moram cœnæ recepit. In fine sunt Calendæ Decembres, quibus utique credetur: noctem enim illam felicissimam habent, et voluptatibus publicis inexpertam.

Equus maximus Domitiani.

Quæ superimposito moles geminata colosso
Stat Latium complexa forum? cœlone peractum
Fluxit opus? Siculis an conformata caminis
Effigies lassum Steropem Brontemque reliquit?
An te Palladiæ talem, Germanice, nobis 5
Effinxere manus, qualem modo frena tenentem
Rhenus, et attoniti vidit domus ardua Daci?
Nunc age, fama prior notum per sæcula nomen
Dardanii miretur equi, cui vertice sacro
Dindymon, et cæsis decrevit frondibus Ide: 10
Hunc neque discissis cepissent Pergama muris,
Nec grege permixto pueri innuptæque puellæ,
Ipse nec Æneas, nec magnus duceret Hector.
Adde, quod ille nocens, sævosque amplexus Achivos;
Hunc mitis commendat eques: juvat ora tueri 15
Mixta notis belli, placidamque gerentia pacem.
Nec veris majora putes; par forma decorque,
Par honor: exhaustis Martem non altius armis
Bistonius portat sonipes, magnoque superbit
Pondere; nec tanto raptus prope flumina cursu
Fumat, et ingenti propellit Strymona flatu. 21
Par operi sedes. Hinc obvia limina pandit,
Qui fessus bellis, adscitæ munere prolis,
Primus iter nostris ostendit in æthera divis.
Discitur e vultu quantum tu mitior armis; 25
Qui nec in externos facilis sævire furores.
Das Cattis Dacisque fidem: te signa ferente
Et minor in leges iret gener, et Cato castas.
At laterum passus hinc Julia tecta tuentur,
Illinc belligeri sublimis regia Pauli. 30
Terga pater, blandoque videt Concordia vultu.
Ipse autem puro celsum caput aere septus
Templa superfulges, et prospectare videris,
An nova contemtis surgant Paliatia flammis
Pulchrius: an tacita vigilet face Troicus ignis, 35
Atque exploratas jam laudet Vesta ministras.
Dextra vetat pugnas: lævam Tritonia virgo
Non gravat, et sectæ prætendit colla Medusæ,

Ceu stimulis accendat equum: nec dulcior usquam
Lecta deæ sedes; nec si patris ipsa teneret 40
Pectora, quæ mundi valeant evolvere curas.
Et, cui se totis Temese dedit hausta metallis,
It tergo demissa chlamys. Latus ense quieto
Securum; magnus quanto mucrone minatur
Noctibus hibernis, et sidera terret Orion. 45
At sonipes, habitus animosque imitatus heriles,
Acrius attollit vultus, cursumque minatur:
Cui rigidis stant colla jubis, vivusque per armos
Impetus, et tantis calcaribus ilia late
Suffectura patent: vacuæ pro cespite terræ 50
Ærea captivi crinem terit ungula Rheni.
Hunc et Adrasteus visum extimuisset Arion,
Et pavet adspiciens Ledæus ab æde propinqua
Cyllarus: hic domini nunquam mutabit habenas
Perpetuus frenis, atque uni serviet astro. 55
Vix sola sufficiunt, insessaque pondere tanto
Subter anhelat humus: nec ferro aut ære labo-
Sed Genio; teneat quamvis æterna crepido, [rant,
Quæ superingesti portaret culmina montis,
Cœliferique attrita genu durasset Atlantis. 60
Nec longæ traxere moræ: juvat ipsa labores
Forma dei præsens, operique intenta juventus
Miratur plus posse manus: strepit ardua pulsu
Machina continuo: septem per culmina [montes]
It fragor, et magnæ vincit vaga murmura Romæ.
Ipse loci custos, cujus sacrata vorago 66
Famosique lacus nomen memorabile servant,
Innumeros æris sonitus, et verbere crebro
Ut sensit mugire forum, movet horrida sancto
Ora situ, meritaque caput venerabile quercu. 70
Ac primum ingentes habitus, lucemque coruscam
Expavit majoris equi, terque ardua mersit
Colla lacu trepidus: lætus mox præside viso,
Salve, magnorum proles genitorque deorum,
Auditum longe numen mihi. Nunc mea felix, 75
Nunc veneranda palus, cum te prope nosse, tuum-
Immortale jubar vicina sede tueri [que
Concessum. Semel auctor ego inventorque salutis
Romuleæ; tu bella Jovis, tu prœlia Rheni,
Tu civile nefas, tu tardum in fœdera montem 80
Longo Marte domas. Quod si te nostra tulissent
Sæcula, tentasses, me non audente, profundos
Ire lacus: sed Roma tuas tenuisset habenas.
Cedat equus, Latiæ qui contra templa Diones
Cæsarei stat sede fori; quem traderis ausus
Pellæo, Lysippe, duci, mox Cæsaris ora 86
Aurata cervice tulit: vix lumine fesso
Explores, quam longus in hunc despectus ab illo.
Quis rudis usque adeo, qui non, ut viderit ambos,
Tantum dicat equos, quantum distare regentes? 90
Non hoc imbriferas hiemes opus, aut Jovis ignem
Tergeminum, Æolii non agmina carceris horret,
Annorumve moras: stabit dum terra, polusque,
Dum Romana dies. Huc et sub nocte silenti,
Cum superis terrena placent, tua turba relicto 95
Labetur cœlo, miscebitque oscula juxta:
Ibit in amplexus natus, fraterque, paterque,
Et soror: una locum cervix dabit omnibus astris.
Utere perpetuum populi magnique senatus
Munere: Apelleæ cuperent te scribere ceræ, 100
Optassetque novo similem te ponere templo
Atticus Elei senior Jovis; et tua mitis
Ora Taras, tua sidereas imitantia flammas
Lumina contemto mallet Rhodos aspera Phœbo.
Certus ames terras, et quæ tibi templa dicamus
Ipse colas; nec te cœli juvet aula: tuosque 106
Huic lætus dono videas dare thura nepotes.

II. *Epithalamion Stellæ et Violantillæ.*

Unde sacro Latii sonuerunt carmine montes?
Cui, Pæan, nova plectra moves, humeroque comanti
Facundum suspendis ebur? procul ecce canoro
Demigrant Helicone deæ, quatiuntque novena
Lampade sollennem thalamis coeuntibus ignem,
Et de Pieriis vocalem fontibus undam. 6
Quas inter vultu petulans Elegia propinquat,
Celsior adsueto, divasque hortatur, et ambit
Alternum factura pedem: decimamque videri
Se cupit, et medias fallit permixta sorores. 10
Ipsa manu nuptam genitrix Æneia ducit
Lumina demissam, et dulci probitate rubentem.
Ipsa toros et sacra parat; cinctuque Latino
Dissimulata deam, crinem, vultumque, genasque
Temperat, atque nova gestit minor ire marita. 15
Nosco diem causasque sacri: te concinit iste,
(Pande fores) te, Stella, chorus: tibi Phœbus, et Evan,
Et de Mænalia volucer Tegeaticus umbra
Serta ferunt: nec blandus Amor, nec Gratia cessat
Amplexum niveos optatæ conjugis artus 20
Floribus innumeris et olenti spargere nimbo.
Tu modo fronte rosas, violis modo lilia mixta
Excipis, et dominæ niveis a vultibus obstas.
Ergo dies aderat Parcarum conditus albo
Vellere, quo Stellæ Violantillæque professus 25
Clamaretur Hymen: cedant curæque metusque:
Cessent mendaces obliqui criminis astus:
Fama, tace: subiit leges, et frena momordit
Ille solutus amor: consumta est fabula vulgi,
Et narrata diu viderunt oscula cives. 30
Tu tamen attonitus, quamvis data copia tantæ
Sortis, adhuc optas, permissaque numine dextro
Vota paves. Pone o dulcis suspiria vates,
Pone, tua est: licet expositum per limen aperto
Ire, redire gradu: jam nusquam janitor, aut lex,
Aut pudor: amplexu tandem satiare petitæ 36
Conjugis, et duras pariter reminiscere noctes.
Digna quidem merces, et si tibi Juno labores
Herculeos, Stygiis et si concurrere monstris
Fata darent, si Cyaneos raperere per æstus. 40
Hanc propter tanti Pisæa lege trementem
Currere, et Œnomai fremitus audire sequentis.
Nec si Dardania pastor temerarius Ida
Sedisses, hæc dona forent: nec si alma per auras
Te potius prensa veheret Tithonia biga. 45
Sed quæ causa toros inopinaque gaudia vati
Attulit, hic mecum, dum fervent agmine postes
Atriaque, et multa pulsantur limina virga,
Hic, Erato jucunda, doce: vacat apta movere
Colloquia, et docti norunt audire penates. 50
Forte, serenati qua stat plaga lactea cœli,
Alma Venus thalamo, pulsa modo nocte, jacebat
Amplexu duro Getici resoluta mariti.
Fulcra torosque deæ tenerum premit agmen Amorum:
Signa petunt, quas ferre faces, quæ pectora figi 55
Imperet; an terris sævire, an malit in undis,
An miscere deos, an adhuc vexare Tonantem.
Ipsi animus nondum, nec cordi fixa voluntas:
Fusa jacet stratis, ubi quondam conscia culpæ
Lemnia repserunt deprenso vincula lecto. 60
Hic puer e turba volucrum, cui plurimus ignis
Ore, manuque levi nunquam frustrata sagitta,
Agmine de medio tenera sic dulce profatus
Voce: pharetrati pressere silentia fratres.
Scis ut, mater, ait, nulla mihi dextera segnis 65

Militia: quemcunque hominum divûmque dedisti,
Uritur: at tandam lacrymis, et supplice dextra,
Et votis precibusque viri concede moveri,
O genitrix; duro nec enim ex adamante creati,
Sed tua turba sumus: clarus de gente Latina 70
Est juvenis, quem patriciis majoribus ortum
Nobilitas gavisa tulit, præsagaque formæ
Protinus e nostro posuit cognomina cœlo.
Hunc egomet tota (quoniam tibi dulce) pharetra
Improbus, et densa trepidantem cuspide fixi. 75
Quamvis Ausoniis multum gener ille petitus
Matribus, edomui victum, dominæque potentis
Ferre jugum, et longos jussi sperare per annos.
Ast illam summa leviter (sic namque jubebas)
Lampade parcentes, et inerti strinximus arcu. 80
Ex illo quantos juvenis premat anxius ignes
Testis ego, attonitus quantum me nocte dieque
Urgentem ferat: haud ulli vehementior unquam
Incubui, genitrix, iterataque vulnera fixi.
Vidi ego et immiti cupidum decurrere campo 85
Hippomenem, nec sic meta pallebat in ima.
Vidi et Abydeni juvenis certantia remis
Brachia, laudavique manus, et sæpe natanti
Præluxi; minor ille calor, quo sæva tepebant
Æquora. Tu veteres, juvenis, transgressus amores.
Ipse ego te tantos stupui durasse per æstus, 91
Firmavique animos, blandisque madentia plumis
Lumina detersi. Quoties mihi questus Apollo,
Sic vatem mærere suum! Jam, mater, amatos
Indulge thalamos. Noster comes ille piusque 95
Signifer, armiferos poterat memorare labores,
Claraque facta virûm, et torrentes sanguine campos:
Sed tibi plectra dedit, mitisque incedere vates
Maluit, et nostra laurum subtexere myrto.
Hic juvenum lapsus, suaque haud extrema revolvit
Vulnera: pro quanta est Paphii reverentia, mater,
Numinis! hic nostræ deflevit fata columbæ.
Dixerat: et tenera matris cervice pependit
Blandus. et admotis tepefecit pectora pennis.
Illa refert, vultu non adspernata rogari: 105
Grande quidem, rarumque viris, quos ipsa probavi,
Pierius votum juvenis capit: hanc ego, formæ
Egregium mirata decus, cui gloria patrum
Et generis certabat honos, tellure cadentem
Excepi, fovique sinu; nec colla genasque 110
Comere, nec pingui crinem deducere amomo
Cessavit mea, nate, manus: mihi dulcis imago
Prosiluit: celsæ procul adspice frontis honores,
Suggestumque comæ: Latias, metire, quid ultra
Emineat matres; quantum Latonia Nymphas 115
Virgo premit, quantumque egomet Nereidas exsto.
Hæc et cæruleis mecum consurgere digna
Fluctibus, et nostra pariter considere concha.
Et si flammiferas potuisset scandere sedes,
Hasque intrare domos, ipsi erraretis, Amores. 120
Huic quamvis census dederim largita beatos,
Vincit opes animo: queritur jam Seras avaros
Augustum spoliare nemus, Clymeneaque deesse
Germina, nec virides satis illacrymare sorores:
Vellera Sidonio jam pauca rubescere tabo, 125
Raraque longævis nivibus crystalla gelari.
Huic Hermum, fulvoque Tagum decurrere limo,
(Nec satis ad cultus,) huic Inda monilia Glaucum,
Proteaque, atque omnem Nereida quærere jussi.
Hanc si Thessalicos vidisses, Phœbe, per agros,
Secura erraret Daphne: si littore Naxi 131
Theseum juxta foret hæc conspecta cubile,
Gnossida desertam profugus liquisset et Evan.
Quod nisi me longis placasset Juno querelis,
Huic falsus pennas et cornua sumeret æthræ 135
Rector, in hanc alio cecidisset Jupiter auro.
Sed dabitur juveni, cui tu, mea summa potestas
Nate, cupis: thalami quamvis iuga ferre secundi
Sæpe neget mærens, ipsam jam cedere sensi,
Inque vicem tepuisse viro. Sic fata, levavit 140
Sidereos artus, thalamique egressa superbum
Limen, Amyclæos ad frena citavit olores.
Jungit Amor, lætamque vehens per nubila matrem
Gemmato temone sedet. Jam Tibris, et arces
Iliacæ: pandit nitidos Venus alma penates, 145
Claraque gaudentes plauserunt limina cycni.
Digna deæ sedes, nitidis nec sordet ab astris.
Hic Libycus, Phrygiusque silex, hic dura Laconum
Saxa virent: hic flexus onyx, et concolor alto
Vena mari, rupesque nitent, quîs purpura cedit
Œbalis, et Tyrii moderator livet aeni. 151
Pendent innumeris fastigia nixa columnis:
Robora Dalmatico lucent satiata metallo
Excludunt radios sylvis decussa vetustis
Frigora: perspicui vivunt in marmore fontes.
Nec servat Natura vices: hic Sirius alget, 156
Bruma tepet, versumque domus sibi temperat annum.
Exsultat visu tectisque potentis alumnæ
Non secus alma Venus, quam si Paphon æquore ab alto,
Idaliasve domos, Erycinave templa subiret. 160
Tunc ipsam solo reclinem affata cubili:
Quonam hic usque sopor, vacuique modestia lecti,
O mihi Laurentes inter dilecta puellas?
Quis morum, fideique modus? nunquamne virili
Submittere jugo? veniet jam tristior ætas: 165
Exerce formam, et fugientibus utere donis.
Non ideo tibi tale decus, vultusque superbos,
Meque dedi, viduos ut transmittare per annos,
Ceu non cara mihi: satis o, nimiumque, priores
Despexisse procos: at enim hic tibi sanguine toto
Deditus, unam omnes inter miratur amatque, 171
Nec formæ, nec stirpis egens; nam docta per urbem
Carmina qui juvenes, quæ non didicere puellæ?
Hunc et bissenos (sic indulgentia pergat
Præsidis Ausonii) cernes attollere fasces 175
Ante diem: certe jam nunc Cybeleia novit
Limina, et Euboicæ carmen legit ille Sibyllæ.
Jamque parens Latius (cujus prænoscere mentem
Fas mihi) purpureos habitus, juvenique curule
Indulgebit ebur: Dacas (quæ gloria major?) 180
Exuvias, laurosque dabit celebrare recentes.
Ergo age, junge toros, atque otia deme juventæ.
Quas ego non gentes, quæ non face corda jugavi?
Alituum, pecudumque mihi, durique ferarum
Non renuere greges: ipsum in connubia terræ
Æthera, cum pluviis rarescunt nubila, solvo:
Sic rerum series, mundique revertitur ætas.
Unde novum Trojæ decus, ardentumque deorum
Raptorem, Phrygio si non ego juncta marito?
Lydius unde meos iterasset Tibris Iulos; 190
Quis septemgeminæ posuisset mœnia Romæ
Imperii Latiale caput, nisi Dardana furto
Cepisset Martem, nec me prohibente, sacerdos?
His mulcet dictis, tacitumque inspirat amorem
Connubii: redeunt animo jam vota, precesque,
Et lacrymæ, vigilesque viri prope limina questus
Asteris et vati totam cantata per urbem; 197
Asteris ante dapes, nocte Asteris, Asteris ortu,
Quantum non clamatis Hylas; jamque asper cœpit

Flectere corda libens, et jam sibi dura videri. 200
Macte toris, Latios inter placidissime vates,
Qui durum permensus iter, cœptosque labores,
Prendisti portus. Tumidæ sic transfuga Pisæ
Amnis, in externos longe flammatus amores,
Flumina demerso trahit intemerata canali, 205
Donec Sicanios tandem prolatus anhelo
Ore bibat fontes: miratur dulcia Nais
Oscula, nec credit pelago venisse maritum.
Quis tibi tunc alacri, cœlestum munere clare
Stella, dies? quanto salierunt pectora voto, 210
Dulcia cum dominæ dexter connubia vultus
Annuit! ire polo, nitidosque errare per axes
Visus. Amyclæis minus exsultavit arenis
Pastor, ad Idæas Helena veniente carinas:
Thessala nec talem viderunt Pelea Tempe, 215
Cum Thetin Hæmoniis Chiron accedere terris
Erecto prospexit equo. Quam longa morantur
Sidera! quam segnis votis Aurora mariti!
At procul ut Stellæ thalamos sensere parari
Latous vatum pater, et Semeleius Evan; 220
Hic movet Ortygia, movet hic rapida agmina Nysa:
Huic Lycii montes, gelidæque umbracula Thym-
Et, Parnasse, sonas; illi Pangæa resultant, [bræ,
Ismaraque, et quondam genialis littora Naxi.
Tunc caras iniere fores, comitique canoro 225
Hic chelyn, hic flavam maculoso nebrida tergo,
Hic thyrsos, hic plectra, ferunt: hic enthea lauro
Tempora, Minoa crinem premit ille corona.
Vixdum emissa dies, et jam socialia præsto
Omina; jam festa fervet domus utraque pompa:
Fronde virent postes, effulgent compita flammis,
Et pars immensæ gaudet celeberrima Romæ.
Omnis honos, cuncti veniunt ad limina fasces:
Omnis plebeio teritur prætexta tumultu: 234
Hic eques, hic juvenum cœtu stola mixta laborat.
Felices utrosque vocant: sed in agmine plures
Invidere viro. Jamdudum poste reclinis
Quærit Hymen thalamis intactum dicere carmen,
Quo vatem mulcere queat: dat Juno verenda
Vincula, et insigni geminat Concordia tæda. 240
Hic fuit ille dies: noctem canat ipse maritus,
Quantum nosse licet. Sic victa sopore doloso
Martia fluminea posuit latus Ilia ripa:
Non talis niveos strinxit Lavinia vultus,
Cum Turno spectante rubet: non Claudia talis
Respexit populos mota jam virgo carina. 246
Nunc opus, Aonidum comites, tripodumque mi-
Diversis certare modis: eat enthea vittis [nistri,
Atque hederis redimita cohors, ut pollet ovanti
Quisque lyra: sed præcipue qui nobile gressu
Extremo fraudatis epos, date carmina festis 251
Digna toris: hunc ipse Coo plaudente Philetas,
Callimachusque senex, Umbroque Propertius an-
Ambissent laudare diem, nec tristis in ipsis [tro,
Naso Tomis, divesque foco lucente Tibullus. 255
Me certe non unus amor, simplexque canendi
Causa trahit: tecum similes junctæque Camœnæ,
Stella, mihi, multumque pares bacchamur ad aras,
Et sociam doctis haurimus ab amnibus undam.
At te nascentem gremio mea prima recepit 260
Parthenope, dulcisque solo tu gloria nostro
Reptasti: nitidum consurgat ad æthera tellus
Eubois, et pulchra tumeat Sebetos alumna:
Nec tibi sulfureis Lucrinæ Naides antris,
Nec Pompeiani placeant magis otia Sarni. 265
Eia age, præclaros Latio properate nepotes,
Qui leges, qui castra regant, qui carmina ludant.
Acceleret partu decimum bona Cynthia mensem.
Sed parcat Lucina precor: tuque ipse parenti
Parce, puer, ne mollem uterum, ne stantia lædas
Pectora: cumque tuos tacito Natura recessu 271
Formarit vultus, multum de patre decoris,
Plus de matre feras. At tu, pulcherrima forma
Italidum, tandem merito possessa marito,
Vincla diu quæsita fove: sic damna decoris 275
Nulla tibi, longæ virides sic flore juventæ
Perdurent vultus, tardeque hæc forma senescat.

III *Villa Tiburtina Manlii Vopisci*

Cernere facundi Tibur glaciale Vopisci
Si quis, et inserto geminos Aniene penates,
Aut potuit sociæ commercia noscere ripæ,
Certantesque sibi dominum defendere villas;
Illum nec calido latravit Sirius astro, 5
Nec gravis adspexit Nemees frondentis alumnus:
Talis hiems tectis, frangunt sic improba solem
Frigora, Pisæoque domus non æstuat anno.
Visa manu tenera tectum scripsisse Voluptas;
Tunc Venus Idaliis unxit fastigia succis, 10
Permulsitque comis, blandumque reliquit hono-
Sedibus, et volucres vetuit discedere natos. [rem
O longum memoranda dies! quæ mente reporto
Gaudia! quam lassos per tot miracula visus!
Ingenium quam mite solo! quæ forma beatis 15
Arte manus concessa locis! non largius usquam
Indulsit Natura sibi: nemora alta citatis
Incubuere vadis; fallax responsat imago [bras.
Frondibus, et longas eadem fugit unda per um-
Ipse Anien (miranda fides) infraque superque 20
Saxeus, hic tumidam rabiem, spumosaque ponit
Murmura, ceu placidi veritus turbare Vopisci
Pieriosque dies, et habentes carmina somnos.
Littus utrumque domi: nec te mitissimus amnis
Dividit; alternas servant prætoria ripas 25
Non externa sibi, fluviumve obstare queruntur.
Sestiacos nunc fama sinus, pelagusque natatum
Jactet, et audaci junctos delphinas ephebo:
Hic æterna quies, nullis hic jura procellis,
Nusquam fervor aquis: datur hic transmittere visus, 30
Et voces, et pæne manus: sic Chalcida fluctus
Expellunt reflui: sic dissociata profundo
Bruttia Sicanium circumspicit ora Pelorum.
Quid primum, mediumve canam? quo fine quies-
cam?
Auratasne trabes, an Mauros undique postes, 35
An picturata lucentia marmora vena
Mirer, an emissas per cuncta cubilia lymphas?
Huc oculis, huc mente trahor. Venerabile dicam
Lucorum senium? te, quæ vada fluminis infra
Cernis; an in sylvas quæ respicis, aula, jacentes?
Qua tibi tota quies, offensaque turbine nullo 41
Nox silet, aut teneros invitant murmura somnos.
An quæ graminea suscepta crepidine fumant
Balnea, et impositum ripis algentibus ignem?
Quique vaporiferis junctus fornacibus amnis 45
Ridet anhelantes vicino flumine Nymphas?
Vidi artes, veterumque manus, variisque metalla
Viva modis: labor est auri memorare figuras,
Aut ebur, aut dignas digitis contingere gemmas:
Quicquid et argento primum vel in ære Myronis
Lusit, et enormes manus est experta colossos. 51
Dum vagor aspectu, visusque per omnia duco,
Calcabam necopinus opes: nam splendor ab alto
Defluus, et nitidum referentes aera testæ
Monstravere solum, varias ubi picta per artes 55
Gaudet humus, superatque novis asarota figuris.
Expavere gradus. Quid nunc ingentia mirer

Atria? quid paribus distantia tecta trichoris?
Quid te, quæ mediis servata penatibus, arbor,
Tecta per et postes liquidas emergis in auras, 60
Quo non sub domino sævas passura bipennes?
Et nunc ignaræ forsan vel lubrica Nais,
Vel non abruptos tibi debet Hamadryas annos.
Quid referam alternas gemino super aggere Nymphas,
Albentesque lacus, altosque in gurgite fontes? 65
Toque per obliquum penitus quæ laberis amnem,
Marcia, et audaci transcurris flumina plumbo?
Non solum Ioniis sub fluctibus Elidis amnem
Dulcis ad Ætnæos deducit semita portus.
Illis ipse antris Anienus fonte relicto, 70
Nocte sub arcana glaucos exutus amictus,
Huc illuc fragili prosternit pectora musco:
Aut ingens in stagna cadit, vitreasque natatu
Plaudit aquas: illa recubat Tiburnus in umbra,
Illic sulfureos cupit Albula mergere crines. 75
Hæc domus Egeriæ nemoralem abjungere Phœ-
Et Dryadum viduare choris algentia possit [ben,
Taygeta, et sylvis arcessere Pana Lycæis.
Quod ni templa darent alias Tirynthia sortes,
Et Prænestinæ poterant migrare sorores. 80
Quid bifera Alcinoi laudem pomaria? vosque,
Qui nunquam vacui prodistis in æthera rami?
Cedant Telegoni, cedant Laurentia Turni
Jugera, Lucrinæque domus, littusque cruenti
Antiphatæ: cedant vitreæ juga perfida Circes 85
Dulichiis ululata lupis, arcesque superbi
Anxuris, et sedes, Phrygio quas mitis alumno
Debet anus: cedant, quæ te jam solibus arctis
Antia nimbosa revocabunt littora bruma.
Scilicet hic hilari miscentur pondere mores: 90
Hic premitur fecunda quies, virtusque serena
Fronte gravis, sanusque decor, luxuque carentes
Deliciæ, quas ipse suis digressus Athenis
Mallet deserto senior Gargettius horto.
Hæc per et Ægæas hiemes, Hyadumque nivosum
Sidus, et Oleniis dignum petiisse sub astris, 96
Si Maleæ credenda ratis, Siculosque per æstus
Sit via: cur oculis sordet vicina voluptas?
Hic tua Tiburtes Faunos chelys, et juvat ipsum
Alciden, dictumque lyra majore Catillum: 100
Seu tibi Pindaricis animus contendere plectris,
Sive chelyn tollas heroa ad robora, sive
Liventem satiram nigra rubigine turbes,
Seu tua non alta splendescat epistola cura.
Digne Midæ Crœsique bonis, et Perside gaza,
Macte bonis animi! cujus stagnantia rura 106
Debuit et flavis Hermus transcurrere ripis,
Et limo splendente Tagus: sic docta frequentes
Otia; sic omni detectus pectora nube
Finem Nestoreæ precor egrediare senectæ. 110

IV. *Soteria pro Rutilio Gallico.*

Estis io superi, nec inexorabile Clotho
Volvit opus: videt alma pios Astræa, Jovique
Conciliata redit; dubitataque sidera cernit
Gallicus. Es cœlo, dis es, Germanice, cordi,
Quis neget? erubuit tanto spoliare ministro 5
Imperium Fortuna tuum. Stat proxima cervix
Ponderis immensi, damnosaque fila senectæ
Exuit, atque alios melior revirescit in annos.
Ergo alacres, quæ signa colunt urbana, cohortes,
Inque sinum quæ sæpe tuum fora turbida questu
Confugiunt, leges, urbesque ubicunque togatæ,
Quæ tua longinquis implorant jura querelis,
Certent lætitia: nosterque ex ordine collis
Confremat, et sileant pejoris murmura famæ.
Quippe manet, longur que ævo redeunte manebit,
Quem penes intrepidæ mitis custodia Romæ. 16
Nec tantum induerint fastis nova sæcula crimen,
Aut instaurati peccaverit ara Terenti. [illo
Ast ego nec Phœbum (quanquam mihi surda sine
Plectra) nec Aonias decima cum Pallade divas,
Aut mitem Tegeæ, Dircesve hortabor alumnum:
Ipse veni, viresque novas animumque ministra,
Qui caneris: dextro nec enim sine numine tantus
Ausoniæ decora ampla togæ, centumque dedisti
Judicium mentemque viris: licet enthea vatis
Excludat Pimplea sitim, nec conscia detur 26
Pirene, largos potior mihi gurges in haustus,
Qui rapitur de fonte tuo: seu plana solutis
Qua struis orsa modis, seu qua tibi dulcis in artem
Frangitur, et nostras curat facundia leges. 30
Quare age, si Cereri sua dona, merumque Lyæo
Reddimus, et dives prædæ, tamen accipit omni
Exuvias Diana tholo, captivaque tela
Bellipotens; nec tu, quando tibi, Gallice, majus
Eloquium, fandique opibus sublimis abundas, 35
Sperne coli tenuiore lyra: vaga cingitur astris
Luna, et in Oceanum rivi cecidere minores.
Quæ tibi sollicitus persolvit præmia morum
Urbis amor! quæ tum patrumque equitumque no-
Lumina, et ignaræ plebis lugere potentes! [tavi
Non labente Numa timuit sic curia felix, 41
Pompeio nec celsus eques, nec fœmina Bruto.
Hoc illud, tristes invitum audire catenas,
Parcere verberibus, nec qua jubet alta potestas
Ire, sed armatas multum sibi demere vires, 45
Dignarique manus humiles et verba precantum;
Reddere jura foro, nec proturbare curules,
Et ferrum mulcere toga: sic itur in alta
Pectora, sic mixto reverentia cedit amori.
Ipsa etiam cunctos gravis inclementia fati 50
Terruit, et subiti præceps juvenile pericli,
Nil cunctante malo: non illud culpa senectæ,
(Quippe ea bissenis vixdum orsa excedere lustris,)
Sed labor intendens, animique in membra vigen-
Imperium, vigilesque suo pro Cæsare curæ, [tis
Dulce opus: hinc fessos penitus subrepsit in ar-
Insidiosa quies, et pigræ oblivia vitæ. [tus
Tunc deus, Alpini qui juxta culmina dorsi
Signat Apollineos sancto cognomine lucos,
Respicit, heu tanti pridem securus alumni: 60
Prægressusque moras, Huc mecum, Epidauria proles,
Huc, altis gaudens; datur aggredienda facultas
Ingentem recreare virum; teneamus adorti
Tendentes jam fila colos: nec fulminis atri
Sit metus; has ultro laudarit Jupiter artes. 65
Nam neque plebeiam, aut dextro sine numine cretam [subimus,
Servo animam: atque adeo breviter, dum tecta
Expediam: genus ipse suis, præmissaque retro
Nobilitas: nec origo latet, sed luce sequente
Vincitur, et magno gaudet cessisse nepoti. 70
Prima togæ virtus: illa quoque clarus, et ingens
Eloquio: mox innumeris exercita castris
Occiduas, primasque domos, et sole sub omni
Permeruit jurata manus: nec in otia pacis
Permissum laxare animos, ferrumque recingi. 75
Hunc Galatea rigens ausa est incessere bello:
Hunc quoque perque novem timuit Pamphylia messes,
Pannoniusque ferox, arcuque horrenda fugaci
Armenia, et patiens Latii jam pontis Araxes.
Quid geminos fasces, magnæque iterata revolvam
Jura Asiæ? velit illa quidem ter habere quaterque

Hunc sibi; sed revocant fasti, majorque curulis,
Nec permissa semel. Libyci quid mira tributi
Obsequia, et missum media de pace triumphum
Laudem, et opes quantas nec qui mandaverat ausus 85
Exspectare fuit? gaudet Trasimenus, et Alpes,
Cannensesque animæ: primusque insigne tributum
Ipse palam lacera poscebat Regulus umbra.
Non vacat Arctoas acies, Rhenumque rebellem,
Captivæque preces Veledæ, et (quæ maxima nuper
Gloria) depositam Dacis pereuntibus arcem 91
Pandere, cum tanti lectu rectoris habenas,
Gallice, fortuna non adversante subisti.
Hunc igitur (si digna loquor) rapiemus iniquo,
Nate, Jovi. Rogat hoc Latiæ pater inclytus urbis:
Et meruit: neque enim frustra mihi nuper hoCarmina patricio pueri sonuistis in ostro. [nora
Si qua salutifero gemini Chironis in antro
Herba, tholo quodcunque tibi Trojana recondit
Pergamus, aut medicis felix Epidaurus arenis 100
Educat; Idæa profert quam Creta sub umbra
Dictamni florentis opem, quoque anguis abundat
Spumatu: jungam ipse manus, atque omne benignum
Virus, odoriferis Arabum quod doctus in arvis,
Aut Amphrysiaco pastor de gramine carpsi. 105
Dixerat: inveniunt positos jam segniter artus,
Pugnantemque animam: ritu se cingit uterque
Pæonio, monstrantque simul, parentque volentes;
Donec letiferas vario medicamine pestes
Et suspecta mali ruperunt nubila somni. 110
Adjuvat ipse deos, morboque valentius omni
Occupat auxilium: citius non arte refectus
Telephus Hæmonia, nec quæ metuentis Atridæ
Sæva Machaonio coierunt vulnera succo.
Quis mihi, tot questus inter populique patrumque,
Sit curæ votique locus? tamen ardua testor 116
Sidera, teque, pater vatum Thymbræe, quis omni
Luce mihi, quis nocte timor; dum postibus hærens
Assiduus, nunc aure vigil, nunc lumine cuncta
Aucupor: immensæ veluti connexa carinæ 120
Cymba minor, cum sævit hiems, pro parte furentes
Parva receptat aquas, et eodem volvitur Austro.
Nectite nunc lætæ candentia fila sorores,
Nectite: nemo modum transmissi computet ævi:
Hic vitæ natalis erit. Tu Troica dignus 125
Sæcula, et Euboici transcendere pulveris annos,
Nestoreosque situs. Qua nunc tibi pauper acerra
Digna litem? nec si vacuet Mevania valles,
Aut præstent niveos Clitumna novalia tauros,
Sufficiam: sed sæpe deis hos inter honores 130
Cespes, et exiguo placuerunt farra salino.

V. *Balneum Claudii Etrusci.*

Non Helicona gravi pulsat chelys enthea plectro,
Nec lassata voco toties mihi numina Musas.
Et te, Phœbe, choris, et te dimittimus, Evan:
Tu quoque muta feræ, volucer Tegeæe, sonoræ
Terga premas: alios poscunt mea carmina cœtus.
Naidas undarum dominas, regemque corusci 6
Ignis, adhuc fessum Siculaque incude rubentem,
Elicuisse satis: paulum arma nocentia, Thebæ,
Ponite: dilecto volo lascivire sodali.
Junge, puer, cyathos, sed ne numerare labora, 10
Cunctantemque intende chelyn: discede laborque,
Curaque, dum nitidis canimus gemmantia saxis
Balnea; dumque procax, myrtis hederisque soluta
Fronte, verecundo Clio mea ludit Etrusco.
Ite, deæ virides, liquidosque advertite vultus, 15
Et vitreum teneris crinem redimite corymbis,
Veste nihil tectæ: quales emergitis altis
Fontibus, et visu Satyros torquetis amantes.
Non vos, quæ culpa decus infamastis aquarum,
Sollicitare juvat: procul hinc et fonte doloso
Salmacis, et viduæ Cebrenidos arida luctu 21
Flumina, et Herculei prædatrix cedat alumni.
Vos mihi, quæ Latium septenaque culmina, Nym-
Incolitis, Tibrimque novis attollitis undis, [phæ,
Quas præceps Anien, atque exceptura natatus 25
Virgo juvat, Marsasque nives et frigora ducens
Marcia, præcelsis quarum vaga molibus unda
Cessit, et innumero pendens transmittitur arcu,
Vestrum opus aggredimur; vestra est, quam carmine molli [tris
Pando, domus: non unquam aliis habitastis in an-
Ditius: ipsa manus tenuit Cytherea mariti, 31
Monstravitque artes: neu vilis flamma caminos
Ureret, ipsa faces volucrum succendit Amorum.
Non huc admissæ Thasos, aut undosa Carystos;
Mæret onyx longe, queriturque exclusus ophites:
Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis 36
Purpura, sola cavo Phrygiæ quam Synnados antro
Ipse cruentavit maculis lucentibus Attys:
Quasque Tyrus niveas secat, et Sidonia rupes.
Vix locus Eurotæ, viridis cum regula longo 40
Synnada distinctu variat: non limina cessant,
Effulgent cameræ, vario fastigia vitro
In species animosque nitent: stupet ipse beatas
Circumplexus opes, et parcius imperat ignis.
Multus ubique dies, radiis ubi culmina totis 45
Perforat, atque alio sol improbus uritur æstu.
Nil ibi plebeium: nusquam Temesæa notabis
Æra, sed argento felix propellitur unda,
Argentoque cadit, labrisque nitentibus instat
Delicias mirata suas, et abire recusat. 50
Extra autem niveo qui margine cærulus amnis
Vivit, et in summum fundo patet omnis ab imo,
Cui non ire lacu, p grosque exsolvere amictus
Suadeat? hoc mallet nasci Cytherea profundo;
Hic te perspicuum melius, Narcisse, videres; 55
Hic velox Hecate velit et deprensa lavari.
Quid nunc strata solo referam tabulata, crepantes
Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat
Ædibus, et tenuem volvunt hypocausta vaporem?
Nec si Baianis veniat novus hospes ab oris, 60
Talia despiciat, (fas sit componere magnis
Parva,) Neronea nec qui modo lotus in unda,
Hic iterum sudare neget. Macte, oro, nitenti
Ingenio curaque puer: tecum ista senescant,
Et tua jam melius discat fortuna renasci. 65

VI. *Calendæ Decembres.*

Et Phœbus pater, et severa Pallas,
Et Musæ procul ite feriatæ:
Jani vos revocabimus Calendis.
Saturnus mihi compede exsoluta,
Et multo gravidus mero December, 5
Et ridens Jocus, et Sales protervi
Adsint, dum refero diem beatam
Læti Cæsaris, ebriamque noctem.
Vix Aurora novos movebat ortus,
Jam bellaria adorea pluebant. 10
Hunc rorem veniens profudit Eurus.
Quicquid nobile Ponticis nucetis,
Fecundis cadit aut jugis Idumes,
Quod ramis pia germinat Damascus,
Et quod percoquit Ebusia cannis, 15

Largis gratuitum cadit rapinis.
Molles caseoli, lucunculique,
Et massis Amerina non perustis,
Et mustaceus, et latente palma
Prægrandes caryotides cadebant. 20
Non tantis Hyas inserena nimbis
Terras obruit, aut soluta Pleias,
Qualis per cuneos hiems Latinos
Plebem grandine concutit sedentem.
Ducat nubila Jupiter per orbem, 25
Et lætis pluvias minetur agris,
Dum nostri Jovis hi ferantur imbres.
Ecce autem caveas subit per omnes,
Insignis specie, decora cultu
Plebes altera, non minor sedente. 30
Hi panaria, candidasque mappas
Subvectant, epulasque lautiores:
Illi Massica vina largiuntur:
Idæos totidem putes ministros.
Orbem, qua melior severiorque est, 35
Et gentes alis insimul togatas;
Et cum tot populos beata pascas,
Hunc, Annona, diem superba nescis.
I nunc, sæcula compara, Vetustas,
Antiqui Jovis, aureumque tempus: 40
Non sic libera vina tunc fluebant,
Nec tantum seges occupabat annum.
Una vescitur omnis ordo mensa,
Parvi, fœmina, plebs, eques, senatus.
Libertas reverentiam remisit. 45
Et tu quin etiam (quis huc vocare,
Quis promittere possit hoc deorum?)
Nobiscum socias dapes inisti.
Jam se, quisquis is est, inops, beatus,
Convivam ducis esse gloriatur. 50
Hos inter fremitus, novosque luxus,
Spectandi levis effugit voluptas.
Stat sexus rudis, insciusque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles.
Credas ad Tanain, ferumve Phasin, 55
Thermodontiacas calere turmas.
Hic audax subit ordo pumilonum,
Quos Natura brevi statu peractos
Nodosum semel in globum ligavit.
Edunt vulnera, conseruntque dextras, 60
Et mortem sibi (qua manu!) minantur.
Ridet Mars pater, et cruenta Virtus.
Casuræque vagis grues rapinis
Mirantur pumilos ferociores.
Jam noctis propioribus sub umbri 65
Dives sparsio quos agit tumultus!
Huc intrant faciles emi puellæ:
Hic agnoscitur omne, quod theatris
Aut forma placet, aut probatur arte.
Hoc plaudunt grege Lydiæ tumentes, 70
Illic cymbala, tinnulæque Gades:
Illic agmina confremunt Syrorum,
Hic plebs scenica, quique comminutis
Permutant vitreis gregale sulfur.
Inter quæ subito cadunt volatu 75
Immensæ volucrum per astra nubes,
Quas Nilus sacer, horridusque Phasis,
Quas udo Numidæ legunt sub Austro.
Desunt qui rapiant; sinusque pleni
Gaudent, dum nova lucra comparantur. 80
Tollunt innumeras ad astra voces,
Saturnalia principis sonantes,
Et dulci Dominum favore clamant:
Hoc solum vetuit licere Cæsar.
Vixdum cærula nox subibat orbem, 85
Descendit media nitens arena
Densas flammeus orbis inter umbras,
Vincens Gnossiacæ facem coronæ.
Collucet polus ignibus, nihilque
Obscuræ patitur licere nocti. 90
Fugit pigra Quies, inersque Somnus,
Hæc cernens, alias abît in urbes.
Quis spectacula, quis jocos licentes,
Quis con ivia, quis dapes inemtas,
Largi flumina quis canat Lyæi? 95
Jam jam deficio, tuoque Baccho
In serum trahor ebrius soporem.
Quos ibit procul hic dies per annos!
Quam nullo sacer exsolescet ævo!
Dum montes Latii, paterque Tibris, 100
Dum stabit tua Roma, dumque terris
Quod reddis Capitolium, manebit.

LIBER SECUNDUS.

STATIUS MELIORI SUO S.

Et familiaritas nostra, qua gaudeo, Melior vir optime, nec minus in judicio litterarum, quam in omni vitæ colore tersissime, et ipsa opusculorum quæ tibi trado conditio sic posita est, ut totus hic alter liber meus etiam sine epistola exspectetur. Primum enim habet Glauciam nostrum, cujus gratissimam infantiam, et qualem plerumque infelices sortiuntur, apud te complexus admirabar. Jam vero tibi hujus amissi recens vulnus, ut scis, Epicedio prosecutus sum, adeo festinanter, ut excusandam habuerim affectibus tuis celeritatem: nec nunc eam apud te jacto, qui nosti: sed et cæteris indico, ne quis asperiore lima carmen examinet et a confuso scriptum, et dolenti datum, cum pæne supervacua sint tarda solatia. Pollii mei villa Surrentina quæ sequitur, debuit a me vel in honorem eloquentiæ ejus diligentius dici: sed amicus ignovit. In arborem certe tuam, Melior, et psittacum, scis a me leves libellos quasi epigrammatis loco scriptos. Eandem exigebat styli facilitatem leo mansuetus, quem in amphitheatro prostratum frigidum erat sacratissimo imperatori ni statim traderem. Ad Ursum quoque nostrum juvenem candidissimum, et sine jactura desidiæ doctissimum, scriptam de puero amisso consolationem, super ea, quæ ipsi debeo, huic libro libenter inserui, quia honorem ejus tibi laturus est acceptum

Excludit volumen Genethliacon Lucani, quod diem forte consecraremus, imputari sibi voluit. Polla Argentaria carissima uxorum, cum hunc Ego non potui majorem tanti auctoris habere reverentiam, quam quod laudes ejus dicturus hexametros meos timui. Hæc qualiacunque sunt, Melior carissime, si tibi non displicuerint, a te publicum accipiant; sin minus, ad me revertantur.

I. *Glaucias Atedii Melioris delicatus.*

Quod tibi prærepti, Melior, solamen alumni
Improbus ante rogos, et adhuc vivente favilla
Ordiar? abruptis etiamnum flebile venis
Vulnus hiat, magnæque patet via lubrica plagæ.
Cum jam egomet cantus et verba medentia sævus
Confero, tu planctus lamentaque fortia mavis, 6
Odistique chelyn, surdaque averteris aure.
Intempesta cano: citius me tigris abactis
Fetibus, orbatique velint audire leones.
Nec si tergeminum Sicula de virgine carmen 10
Affluat, aut sylvis chelys intellecta ferisque,
Mulceat insanos gemitus: stat pectore demens
Luctus, et admoto latrant præcordia tactu.
Nemo vetat: satiare malis, ægrumque dolorem
Libertate doma. Jam flendi expleta voluptas?
Jamne preces fessus non indignaris amicas? 16
Jamne canam? lacrymis en et mea carmina in ipso
Ore natant, tristesque cadunt in verba lituræ.
Ipse etenim tecum nigræ sollennia pompæ,
Spectatumque urbi scelus, et puerile feretrum 20
Produxi, et sævos damnati thuris acervos,
Plorantemque animam supra sua funera vidi:
Teque patrum gemitus superantem, et brachia matrum, [tem
Complexumque rogos, ignemque haurire paran-
Vix tenui similis comes, offendique tenendo. 25
Et nunc (heu) vittis et frontis honore soluto,
Infaustus vates, vexo mea pectora tecum:
Plango lyra: en diri comitem sociumque doloris
(Si merui, luctusque tui consortia sensi)
Jam lenis patiare precor: me fulmine in ipso 30
Audivere patres: ego juxta busta profusis
Matribus, atque piis cecini solatia natis,
Et mihi, cum proprios gemerem defectus ad ignes
(Quem, Natura!) patrem: nec te lugere severus
Arceo; sed confer gemitus, pariterque fleamus.35
Jamdudum dignos aditus, laudumque tuarum,
O merito dilecte puer, primordia quærens
Distrahor: hinc anni stantes in limine vitæ,
Hinc me forma rapit, rapit inde modestia præcox,
Et pudor, et tenero probitas maturior ævo. 40
O ubi purpureo suffusus sanguine candor,
Sidereique orbes, radiataque lumina cœlo,
Et castigatæ collecta modestia frontis,
Ingenuique super crines, mollisque decoræ
Margo comæ? blandis ubinam ora arguta querelis, 45
Osculaque impliciti vernos redolentia flores,
Et mixtæ risu lacrymæ, penitusque loquentis
Hyblæis vox tincta favis; cui sibila serpens
Poneret, et sævæ vellent servire novercæ?
Nil veris affingo bonis: ubi lactea colla, [vix?
Brachiaque, et nunquam domini sine pondere cer-
O ubi venturæ spes non longinqua juventæ,
Atque genis optatus honos, juratataque multum
Barba tibi? cuncta in cineres gravis intulit hora,
Hostilisque dies: nobis meminisse relictum. 55
Quis tua colloquiis hilaris mulcebit amatis
Pectora? quis curas mentisque arcana remittet?
Accensum quis bile fera, famulisque tumentem
Leniet, ardentique in se deflectet ab ira?
Inceptas quis ab ore dapes, libataque vina 60
Auferet, et dulci turbabit cuncta rapina?
Quis matutinos abrumpet murmure somnos
Impositus stratis? abitusque morabitur arctis
Nexibus, atque ipso revocabit ad oscula poste?
Obvius intranti rursus quis in ora manusque 65
Prosiliet, brevibusque humeros circumdabit ulnis?
Muta domus pariter, desolatique penates,
Et situs in thalamis, et mæsta silentia mensis.
Quid mirum, tanto si te pius altor honorat
Funere? tu domino requies, portusque senectæ;
Tu modo deliciæ, dulces modo pectore curæ. 71
Non te barbaricæ versabat turbo catastæ,
Nec mixtus Phariis venalis mercibus infans,
Compositosque sales meditataque verba locutus,
Quæsisti lascivus herum, tardeque parasti: 75
Hinc domus, hinc ortus; dominique penatibusolim
Carus uterque parens, atque in tua gaudia liber,
Ne quererere genus: raptum te protinus alvo
Sustulit exsultans, ac prima lucida voce
Astra salutantem dominus sibi mente dicavit, 80
Amplexusque sinu tulit, et genuisse putavit.
Fas mihi sanctorum venia dixisse parentum,
Tuque oro, Natura, sinas, cui prima per orbem
Jura animis sociare datum: non omnia sanguis
Proximus, aut serie generis demissa propago, 85
Alligat: interius nova sæpe adscitaque serpunt
Pignora connexis: natos genuisse necesse est,
At legisse juvat. Tenero sic blandus Achilli
Semifer Hæmonium vincebat Pelea Chiron.
Nec senior Peleus natum comitatus in arma 90
Troica, sed caro Phœnix hærebat alumno.
Optabat longe reditus Pallantis ovantes
Evander; fidus pugnas spectabat Acœtes.
Cumque procul nitidis genitor cessaret ab astris,
Fluctivagus volucrem comebat Persea Dictys. 95
Quid referam altricum victas pietate parentes?
Quid te post cineres, deceptaque funera matris,
Tutius Inoo reptantem pectore, Bacche?
Jam secura parens Tuscis regnabat in undis
Ilia; portantem lassabat Romulus Accam. 100
Vidi ego transertos aliena in robora ramos
Altius ire suis. Et te jam fecerat illi [corve:
Mens animusque patrem; necdum moresve, de-
Tu tamen et motas etiam tum in murmura voces,
Vagitumque rudem, fletusque infantis amabas.
Ille, velut primos exspiraturus ad Austros 106
Mollibus in pratis alte flos improbus exstat;
Sic tener ante diem vultu gressuque superbo
Vicerat æquales, multumque reliquerat annos.
Sive catenatis nudatus membra palæstris 110
Staret, Amyclæa conceptum matre putares;
Œbaliden illo præceps mutaret Apollo,
Alcides pensaret Hylan: seu Graius amictu
Attica facundi decurreret orsa Menandri,
Laudaret gavisa sonum, crinemque decorum 115
Pressisset rosea lasciva Thalia corona:
Mæonium sive ille senem, Trojæque labores
Diceret, aut casus tarde remeantis Ulixi,
Ipse pater sensus, ipsi stupuere magistri.
Scilicet infausta Lachesis cunabula dextra 120
Attigit, et gremio puerum complexa fovebat
Invidia: illa genas et adultum comere crinem,

Et monstrare artes, et verba refringere, quæ nunc
Plangimus. Herculeos annis æquare labores
Cœperat adsurgens, et adhuc infantia juxta; 125
Jam tamen et validi gressus, mensuraque major
Cultibus, et visæ puero decrescere vestes.
Cum tibi quas vestes, quæ non gestamina mitis
Festinabat herus? brevibus constringere lænis
Pectora, et angusta telas arctare lacerna 130
Enormes non ille sinens, sed semper ad annos
Texta legens, modo puniceo velabat amictu,
Nunc herbas imitante sinu, nunc dulce rubenti
Murice, nunc vivis digitos incendere gemmis
Gaudebat: non turba comes, non munera census,
Sola verecundo deerat prætexta decori. 136
Hæc fortuna domus: subitas inimica levavit
Parca manus. Quo diva feros gravis exseris ungues?
Non te forma movet, non te lacrymabilis ætas?
Hunc nec sæva viro potuisset carpere Procne,
Nec fera crudeles Colchis durasset in iras, 141
Editus Æolia nec si foret iste Creusa:
Torvus ab hoc Athamas insanos flecteret arcus:
Hunc, quanquam Hectoreos cineres Trojamque perosus,
Turribus e Phrygiis flesset missurus Ulixes. 145
Septima lux, et jam frigentia lumina torpent;
Jam complexa manu crinem tenet infera Juno.
Ille tamen, Parcis fragiles urgentibus annos,
Te vultu moriente videt, linguaque cadente 149
Murmurat: in te omnis vacui jam pectoris efflat
Relliquias: solum meminit, solumque vocantem
Exaudit, tibique ora movet, tibi verba relinquit,
Et prohibet gemitus, consolaturque dolentem.
Gratum est, Fata, tamen, quod non mors lenta jacentis
Exedit puerile decus, manesque subivit 155
Integer, et nullo temeratus corpora damno,
Qualis erat. Quid ego exsequias, et prodiga flammis
Dona loquar, mæstoque ardentia funera luxu;
Quod tibi purpureo tristis rogus aggere crevit:
Quod Cilicum flores, quod munera graminis Indi,
Quodque Arabes, Phariique, Palæstinique liquores
Arsuram lavere comam? cupit omnia ferre
Prodigus, et totos Melior succendere census,
Desertas exosus opes: sed non capit ignis 164
Invidus, atque arctæ desunt in munera flammæ.
Horror habet sensus: qualem te funere summo,
Atque rogum juxta, Melior placidissime quondam,
Extimui! tune ille hilaris, comisque videri?
Unde animi, sævæque manus, et barbarus horror?
Tu modo fusus humi lucem aversaris iniquam;
Nunc torvus pariter vestes et pectora rumpis; 171
Dilectosque premis visus, et frigida lambis
Oscula: erant illic genitor, materque jacentis
Mæsta; sed attoniti te spectavere parentes.
Quid mirum? plebs cuncta nefas, et prævia flerunt
Agmina, Flaminio quæ limite Milvius agger
Transvehit, immeritus flammis dum tristibus infans
Traditur, et gemitum formaque ævoque meretur.
Talis in Isthmiacos prolatus ab æquore portus
Naufragus imposita jacuit sub matre Palæmon:
Sic et in anguiferæ ludentem gramine Lernæ 181
Præcisum squamis avidus bibit anguis Ophelten.
Pone metus, letique minas desiste vereri:
Illum nec terno latrabit Cerberus ore,
Nulla soror flammis, nulla adsurgentibus hydris
Terrebit: quin ipse avidæ trux navita cymbæ 186
Interius steriles ripas et adusta subibit
Littora, ne puero dura adscendisse facultas.
Quid mihi gaudenti proles Cyllenia virga [tum?
Nuntiat? estne aliquid tam sævo in tempore læ-
Noverat effigiem generosique ardua Blæsi 191
Ora puer, dum sæpe domi nova serta ligantem
Te videt, et similes tergentem pectore curas.
Hunc ubi Lethæi lustrantem gurgitis oras
Ausonios inter proceres seriemque Quirini 195
Agnovit, timide primum vestigia jungit
Accessu tacito, summosque lacessit amictus:
Inde magis sequitur; neque enim magis ille tra hentem
Spernit, et ignota credit de stirpe nepotum.
Mox ubi delicias, et rari pignus amici 200
Sensit, et amissi puerum solatia Blæsi;
Tollit humo, magnaque ligat cervice, diuque
Ipse manu gaudens vehit, et, quæ munera mollis
Elysii, steriles ramos, mutasque volucres
Porgit, et obtuso pallentes germine flores. 205
Nec prohibet meminisse tui; sed pectora blandus
Miscet, et alternum puero partitur amorem.
Hic finis rapto: quin tu jam vulnera sedas,
Et tollis mersum luctu caput? omnia functa 209
Aut moritura vides: obeunt noctesque, diesque,
Astraque, nec solidis prodest sua machina terris.
Nam populos, mortale genus, plebisque caducæ
Quis fleat interitus? hos bella, hos æquora poscunt:
His amor exitio, furor his et sæva cupido.
Ut sileam morbos; hos ora rigentia brumæ, 215
Illos implacido letalis Sirius igni,
Hos manet imbrifero pallens auctumnus hiatu.
Quicquid habet ortus, finem timet: ibimus omnes,
Ibimus: immensis urnam quatit Æacus umbris.
Ast hic quem gemimus, felix hominesque, deos-
Et dubios casus, et cæcæ lubrica vitæ [que,
Effugit, immunis fati: non ille rogavit, 222
Non timuit, renuitve mori. Nos anxia plebes,
Nos miseri, quibus unde dies suprema, quis ævi
Exitus, incertum, quibus instet fulmen ab astris,
Quæ nubes fatale sonent. Nil flecteris istis? 226
Sed flectere libens. Ades huc emissus ab atro
Limite, cui soli cuncta impetrare facultas,
Glaucia, (nam insontes animas nec portitor arcet,
Nec diræ comes ille feræ;) tu pectora mulce, 230
Tu prohibe manare genas; noctesque beatas
Dulcibus alloquiis, et vivis vultibus imple:
Et periisse nega: desolatamque sororem,
Qua potes, et miseros perge insinuare parentes.

II. *Villa Surrentina Pollii Felicis.*

Est inter notos Sirenum nomine muros
Saxaque Tyrrhenæ templis onerata Minervæ,
Celsa Dicarchei speculatrix villa profundi,
Qua Bromio dilectus ager, collesque per altos
Uritur, et prælis non invidet uva Falernis. 5
Huc me post patrii lætum quinquennia lustri,
Cum stadio jam pigra quies, canusque sederet
Pulvis, ad Ambracias conversa gymnade frondes
Trans gentile fretum placidi facundia Polli
Detulit, et nitidæ juvenilis gratia Pollæ, 10
Flectere jam cupidum gressus, qua limite noto
Appia longarum teritur regina viarum.
Sed juvere moræ. Placido lunata recessu
Hinc atque hinc curvas perrumpunt æquora rupes.
Dat Natura locum: montique intervenit udum 15
Littus, et in terras scopulis pendentibus exit.
Gratia prima loci, gemina testudine fumant
Balnea, et e terris occurrit dulcis amaro

Nympha mari : levis hic Phorci chorus, udaque crines
Cymodoce, viridisque cupit Galatea lavari. 20
Ante domum tumidæ moderator cærulus undæ
Excubat, innocui custos laris : hujus amico
Spumant templa salo : felicia rura tuetur
Alcides : gaudet gemino sub numine portus :
Hic servat terras, hic sævis fluctibus obstat. 25
Mira quies pelagi : ponunt hic lassa furorem
Æquora, et insani spirant clementius Austri :
Hic præceps minus audet hiems, nulloque tumultu [res.
Stagna modesta jacent, dominique imitantia mo-
Inde per obliquas erepit porticus arces, 30
Urbis opus, longoque domat saxa aspera dorso.
Qua prius obscuro permixti pulvere soles,
Et feritas inamœna viæ, nunc ire voluptas :
Qualis, si subeas Ephyres Baccheidos altum
Culmen, ab Inoo fert semita tecta Lechæo. 35
Non, mihi si cunctos Helicon indulgeat amnes,
Et superet Pimplea sitim, largeque volantis
Ungula se det equi, reseretque arcana pudicos
Phemonoe fontes, vel quos meus auspice Phœbo
Altius immersa turbavit Pollius urna, 40
Innumeras valeam species cultusque locorum
Pieriis æquare modis. Vix ordine longo
Suffecere oculi ; vix, dum per singula ducor,
Suffecere gradus. Quæ rerum turba ! locine
Ingenium, an domini mirer prius ? hæc domus ortus 45
Prospicit, et Phœbi tenerum jubar ; illa cadentem
Detinet, exactamque negat dimittere lucem,
Cum jam fessa dies, et in æquora montis opaci
Umbra cadit, vitreoque natant prætoria ponto.
Hæc pelagi clamore fremunt, hæc tecta sonoros
Ignorant fluctus, terræque silentia malunt. 51
His favit Natura locis : hic victa colenti
Cessit, et ignotos docilis mansuevit in usus.
Mons erat hic, ubi plana vides : hæc lustra fuerunt, [cernis,
Quæ nunc tecta subis : ubi nunc nemora ardua
Hic nec terra fuit : domuit possessor, et illum
Formantem rupes expugnantemque secuta
Gaudet humus : nunc cerne jugum discentia saxa,
Intrantesque domos, jussumque recedere montem.
Jam Methymnæi vatis manus, et chelys una 60
Thebais, et Getici cedat tibi gloria plectri.
Et tu saxa moves, et te nemora alta sequuntur.
Quid referam veteres ceræque ærisque figuras ;
Si quid Apellei gaudent animasse colores ;
Si quid adhuc vacua tamen admirabile Pisa 65
Phidiacæ rasere manus : quod ab arte Myronis,
Aut Polycleteo jussum est quod vivere cælo,
Æraque ab Isthmiacis auro potiora favillis ;
Ora ducum, et vatum, sapientumque ora priorum,
Quos tibi cura sequi, quos toto pectore sentis 70
Expers curarum, atque animum virtute quieta
Compositus, semperque tuus. Quid mille revolvam
Culmina, visendique vices ? sua cuique voluptas,
Atque omni proprium thalamo mare, transque jacentem
Nerea diversis servit sua terra fenestris. 75
Hæc videt Inarimen, illi Prochyta aspera paret :
Armiger hac magni patet Hectoris : inde malig-
Aera respirat pelago circumflua Nesis : [num
Inde vagis omen felix Euplœa carinis,
Quæque ferit curvos exserta Megalia fluctus. 80
Angitur et domino contra recubante, proculque
Surrentina tuus spectat prætoria Limon.
Ante tamen cunctas procul eminet una diætas,
Quæ tibi Parthenopen directo limite ponti
Ingerit. Hic Graiis penitus desecta metallis 85
Saxa : quod Eoæ respergit vena Syenes :
Synnade quod mæsta Phrygiæ fodere secures
Per Cybeles lugentis agros : ubi marmore picto
Candida purpureo distinguitur area gyro.
Hic et Amyclæi cæsum de monte Lycurgi 90
Quod viret, et molles imitatur rupibus herbas.
Hic Nomadum lucent flaventia saxa, Thasosque,
Et Chios, et gaudens fluctus spectare Carystos.
Omnia Chalcidicas turres obversa salutant.
Macte animo, quod Graia probas, quod Graia frequentas 95
Arva : nec invideant quæ te genuere Dicarchi
Mœnia : nos docto melius potiemur alumno.
Quid nunc ruris opes, pontoque novalia dicam
Injecta, et madidas Baccheo nectare rupes ?
Sæpe per auctumnum, jam pubescente Lyæo, 100
Conscendit scopulos, noctisque occulta sub umbra
Palmite maturo rorantia lumina tersit
Nereis, et dulces rapuit de collibus uvas.
Sæpe et vicino sparsa est vindemia fluctu,
Et Satyri cecinere vadis, nudamque per undas 105
Dorida montani cupierunt prendere Panes.
Sis felix, tellus, dominis ambobus in annos
Mygdonii Pyliique senis ; nec nobile mutes
Servitium ; nec te cultu Tirynthia vincat
Aula, Dicarchæique sinus ; nec sæpius istis 110
Blanda Therapnæi placeant vineta Galesi.
Hic seu sidereas exercet Pollius artes,
Seu volvit monitus, quos dat Gargettius auctor,
Seu nostram quatit ille chelyn, seu dissona nectit
Carmina, sive minax ultorem stringit iambon ; 115
Hinc levis e scopulis meliora ad carmina Siren
Advolat, hinc motis audit Tritonia cristis.
Tunc rabidi ponunt flatus : maria ipsa vetantur
Obstrepere : emergunt pelago, doctamque trahuntur
Ad chelyn, et blandi scopulis delphines aderrant.
Vive, Midæ gazis et Lydo ditior auro, 121
Troica et Euphratæa super diademata felix :
Quem non ambigui fasces, non mobile vulgus,
Non leges, non castra tenent : qui pectore magno
Spemque metumque domas, vitio sublimior omni,
Exemtus fatis, indignantemque refellis 126
Fortunam : dubio quem non in turbine rerum
Deprendet suprema dies, sed abire paratum,
Ac plenum vita. Nos, vilis turba, caducis
Deservire bonis, semperque optare parati, 130
Spargimur in casus : celsa tu mentis ab arce
Despicis errantes, humanaque gaudia rides.
Tempus erat, cum te geminæ suffragia terræ
Diriperent, celsusque duas veherere per urbes,
Inde Dicarcheis multum venerande colonis, 135
Hinc adscite meis ; pariterque his largus, et illis
Ac juvenile calens, plectrique errore superbus.
At nunc discussa rerum caligine, verum
Adspicis : illo alii rursus jactentur in alto ;
At tua securos portus, blandamque quietem 140
Intravit non quassa ratis : sic perge ; nec unquam
Emeritam in nostras puppim dimitte procellas.
Tuque, nurus inter longe pulcherrima, cujus
Non frontem vertere minæ, sed candida semper
Gaudia, et in vultu curarum ignara voluptas : 145
Non tibi sepositas infelix strangulat arca
Divitias, avidive animum dispendia torquent
Fœnoris : expositi census, et docta fruendi
Temperies : non ulla deo meliore cohærent
Pectora, nun alias decuit Concordia mentes. 150

Vivite securi, quorum de pectore mixtæ
In longum coiere faces, sanctusque pudicæ
Servat amicitiæ leges amor: ite per annos
Sæculaque, et priscæ titulos præcedite famæ.

III. *Arbor Atedii Melioris.*

Stat, quæ perspicuas nitidi Melioris opacat
Arbor aquas, complexa lacus: ea robore ab imo
Curvata, enodis redit inde, cacumine recto
Ardua, ceu mediis iterum nascatur ab undis,
Atque habitet vitreum tacitis radicibus amnem. 5
Quid Phœbum tam parva rogem? vos dicite causas,
Naides, et faciles (satis est) date carmina Fauni.
Nympharum teneræ fugiebant Pana catervæ:
Ille quidem it, cunctas tanquam velit, it tamen unam
In Pholoen: sylvis ea fluminibusque sequentis
Nunc hirtos gressus, nunc improba cornua vitat.
Jamque et belligerum Jani nemus, atraque Caci
Rura, Quirinalesque fuga suspensa per agros
Cœlica tesqua subit: ibi demum victa labore,
Fessa metu, qua nunc placidi Melioris aperti 15
Stant sine fraude lares, fluidos collegit amictus
Arctius, et niveæ posuit se margine ripæ.
Insequitur velox pecorum deus, et sua credens
Connubia, ardenti jamjam suspiria librat
Pectore, jam prædæ levis imminet: ecce citatos
Advertit Diana gradus, dum per juga septem 21
Errat, Aventinæque legit vestigia cervæ.
Pœnituit vidisse deam; conversaque fidas
Ad comites, Nunquamne avidis arcebo rapinis
Hoc petulans fœdumque pecus? semperne pudici
Decrescet mihi turba chori? Sic deinde locuta 26
Depromit pharetra telum breve, quod neque flexis
Cornibus, aut solito torquet stridore; sed una
Emisit contenta manu, lævumque soporem
Naidos aversa fertur tetigisse sagitta. 30
Illa deam pariter surgens hostemque protervum
Vidit, et in fontem, niveos ne panderet artus,
Sicut erat, cum veste ruit; stagnisque sub altis,
Pana sequi credens, ima latus implicat alga.
Quid faceret subito deceptus prædo? nec altis 35
Credere corpus aquis hirtæ sibi conscius audet
Pellis, et a tenero nandi rudis: omnia questus,
Immitem Brimo, stagna invida, et invida tela;
Primævam visu platanum, cui longa propago,
Innumeræque manus, et iturus in æthera vertex,
Deposuit juxta, vivamque aggessit arenam, 41
Optatisque aspergit aquis, et talia mandat:
Vive diu nostri pignus memorabile voti
Arbor, et hæc duræ latebrosa cubilia nymphæ
Tu saltem declinis ama, et preme frondibus undam.
Illa quidem meruit; sed ne, precor, igne superno
Æstuet, aut dura feriatur grandine; tantum
Spargere tu laticem, et foliis umbrare memento.
Tunc ego teque diu recolam, dominamque besedis, et illæsa tutabor utramque senecta. [nignæ
Et Jovis, et Phœbi frondes, et discolor umbra 51
Populus, et nostræ stupeant tua germina pinus.
Sic ait: illa dei veteres imitata calores
Uberibus stagnis obliquo pendula trunco
Incubat, atque umbris tutatur amantibus undas.
Sperat et amplexus; sed aquarum spiritus arcet,
Nec patitur tactus: tandem eluctata sub auras
Libratur fundo, rursusque enode cacumen
Ingeniosa levat, veluti descendat in imos
Stirpe lacus alia: jam nec Phœbeia Nais 60
Odit, et exclusos invitat gurgite ramos.
Hæc tibi, parva quidem, genitali luce paramus
Dona, sed ingenti forsan victura sub ævo,
Tu, cujus placido posuere in pectore sedem
Blandus Honos, hilarisque, tamen cum pondere, Virtus: 65
Cui nec pigra quies, nec iniqua potentia, nec spes
Improba, sed medius per honesta et dulcia limes:
Incorrupte fidem, nullosque experte tumultus,
Et secrete palam: qui digeris ordine vitam
Idem auri facilis contemtor, et optimus idem
Comere divitias, opibusque immittere lucem. 71
Hac longum florens animi morumque juventa,
Iliacos æquare senes, et vincere persta,
Quos pater Elysio, genitrix quos detulit annos
Hoc illi duras exoravere sorores: 75
Hoc, quæ te sub teste situm fugitura tacentem
Ardua magnanimi revirescit gloria Blæsi.

IV. *Psittacus Atedii Melioris.*

Psittace, dux volucrum, domini facunda voluptas.
Humanæ solers imitator, Psittace, linguæ,
Quis tua tam subito præclusit murmura fato?
Hesternas, miserande, dapes moriturus inisti
Nobiscum, et gratæ carpentem munera mensæ 5
Errantemque toris mediæ plus tempore noctis
Vidimus: affatus etiam meditataque verba
Reddideras: at nunc æterna silentia Lethes
Ille canorus obis. Cedat Phaethontia vulgi
Fabula, nec soli celebrant sua funera cycni. 10
At tibi quanta domus rutila testudine fulgens,
Connexusque ebori virgarum argenteus ordo,
Argutumque tuo stridentia limina cornu,
Et querulæ jam sponte fores! vacat ille beatus
Carcer, et angusti nusquam convicia tecti. 15
Huc doctæ stipentur aves, quîs nobile fandi
Jus Natura dedit: plangat Phœbeius ales,
Auditasque memor penitus demittere voces
Sturnus, et Aonio victæ certamine picæ;
Quæque refert jungens iterata vocabula perdix,
Et quæ Bistonio queritur soror orba cubili: 21
Ferte simul gemitus, cognataque ducite flammis
Funera, et hoc cunctæ miserandum addiscite car- [men:
Occidit aeriæ celeberrima gloria gentis
Psittacus, ille plagæ viridis regnator Eoæ, 25
Quem non gemmata volucris Junonia cauda
Vinceret adspectu, gelidi non Phasidis ales,
Nec quas humenti Numidæ rapuere sub Austro:
Ille salutator regum, nomenque locutus
Cæsareum, et queruli quondam vice functus amici,
Nunc conviva levis, monstrataque reddere verba
Tam facilis: quo tu, Melior dilecte, recluso
Nunquam solus eras. At non inglorius umbris
Mittitur: Assyrio cineres adolentur amomo,
Et tenues Arabum respirant germina plumæ, 35
Sicaniosque crocos: senio nec fessus inerti
Scandit odoratos Phœnix felicior ignes.

V. *Leo mansuetus imperatoris.*

Quid tibi constrata mansuescere profuit ira?
Quid scelus, humanasque animo dediscere cædes,
Imperiumque pati, et domino parere minori?
Quid, quod abire domo, rursusque in claustra reverti
Suetus, et a capta jam sponte recedere præda, 5
Insertasque manus laxo dimittere morsu?
Occidis, altarum vastator sæve ferarum,
Non grege Massylo curvaque indagine clausus,
Non formidato supra venabula saltu
Incitus, aut cæco foveæ deceptus hiatu; 10
Sed victus fugiente fera. Stat cardine aperto
Infelix cavea, et clausis circum undique portis

Hoc licuisse nefas pavidi gemuere leones.
Tunc cunctis cecidere jubæ, puduitque relatum
Adspicere, et totas duxere in lumina frontes. 15
At te non primo fusum novus obruit ictu
Ille pudor; mansere animi, virtusque cadenti
A media jam morte redît: nec protinus omnes
Terga dedere minæ: sicut sibi conscius alti
Vulneris adversum moriens it miles in hostem,
Attollitque manum, et ferro labente minatur: 21
Sic piger ille gradu, solitoque exutus honore,
Firmat hians oculos, animamque hostemque re-
Magna tamen subiti tecum solatia lethi, [quirit.
Victe, feres, quod te mæsti populusque pa-
tresque, 25
Ceu notus caderes tristi gladiator arena,
Ingemuere mori; magni quod Cæsaris ora,
Inter tot Scythicas, Libycasque, et littore Rheni,
Et Pharia de gente feras, quas perdere vile est,
Unius amissi tetigit jactura leonis. 30

VI. *Consolatio ad Flavium Ursum de amissione pueri delicati.*

Sæve nimis, lacrymis quisquis discrimina ponis,
Lugendique modos. Miserum est primæva
parenti
Pignora, surgentesque (nefas) accendere natos:
Durum et deserti, prærepta conjuge, partem
Conclamare tori: mæsta et lamenta sororum, 5
Et fratrum gemitus: arcte tamen, et procul
intrat
Altius in sensus, majoraque vulnera vincit
Plaga minor. Famulum, (quoniam rerum omnia
cæca
Sic miscet Fortuna manu, nec pectora novit,)
Sed famulum gemis, Urse, pium: sed amore
fideque [juncto
Has meritum lacrymas; cui major stemmate
Nobilitas ex mente fuit. Ne comprime fletus,
Ne pudeat: rumpat frenos dolor iste, deisque
Si tam dura placent, hominem gemis (hei mihi!
subdo
Ipse faces) hominem, Urse, tuum, cui dulce volenti
Servitium, cui triste nihil; qui sponte, sibique
Imperiosus erat. Quisnam hæc in funera missos
Castiget luctus? gemit inter bella peremtum
Parthus equum, fidosque canes flevere Molossi,
Et volucres habuere rogum, cervusque Maronis.
Quid si nec famulus? vidi ipse, animosque notavi
Te tantum capientis herum: sed major in ore
Spiritus, et tenero manifesti in sanguine mores.
Optarent multum Graiæ, cuperentque Latinæ
Sic peperisse nurus. Non talem Cressa superbum
Callida sollicito revocavit Thesea filo: 26
Nec Paris Œbalios talis visurus amores
Rusticus invisas dejecit in æquora pinus.
Non fallo, aut cantus adsueta licentia ducit:
Vidi, et adhuc video, qualem nec bella caventem
Littore virgineo Thetis occultavit Achillem: 31
Nec circum sævi fugientem mœnia Phœbi
Troilon Hæmoniæ deprendit lancea dextræ.
Qualis eras, procul (heu) cunctis puerisque
virisque
Pulchrior, et tantum domino minor! illius unus
Ante decor, quantum præcedit clara minores 36
Luna faces, quantumque alios premit Hesperus
ignes.
Non tibi fœmineum vultu decus, oraque supra
Mollis honos; (quales dubiæ discrimina formæ
De sexu transire jubent;) parvoque virilis 40
Gratia, nec petulans acies, blandique severo
Igne oculi; qualis belli jam casside missa
Parthenopæus erat; simplexque horrore decoro
Crinis, et obsessæ nondum, primoque micantes
Flore genæ. Talem Ledæo gurgite pubem 45
Educat Eurotas; teneri sic integer ævi
Elin adit, primosque Jovi puer approbat annos.
Nam pudor ingenuæ mentis, tranquillaque mo-
rum
Temperies, teneroque animus maturior ævo,
Carmina quæ donasse queant? Sæpe ille vo-
lentem 50
Castigabat herum, studioque altisque juvabat
Consiliis; tecum tristisque hilarisque, nec unquam
Ille suus, vultumque tuo sumebat ab ore:
Dignus et Hæmonium Pyladen præcedere fama,
Cecropiamque fidem: sed laudum terminus esto,
Quem fortuna sinit: non mente fidelior ægra 56
Speravit tardi reditus Eumæus Ulixi.
Quis deus, aut quisnam tam tristia vulnera casus
Eligit? unde manus fatis tam certa nocendi?
O quam divitiis censuque exutus opimo 60
Fortior, Urse, fores! si vel fumante ruina
Ructassent dites Vesuvina incendia Locros,
Seu Pollentinos mersissent flumina saltus,
Seu Lucanus ager, seu Tibridis impetus, altas
In dextram torsisset aquas, paterere serena 65
Fronte deos; sive alma fidem messesque negasset
Cretaque Cyreneque, et qua tibi cunque beato
Larga redit Fortuna sinu. Sed gnara dolorum
Invidia infelix animi vitalia vidit,
Lædendique vias. Vitæ modo limine adultæ 70
Nectere tentabat juvenum pulcherrimus ille
Cum tribus Eleis unam trieterida lustris.
Attendit torvo tristis Rhamnusia vultu:
Ac primum implevitque toros, oculisque nitorem
Addidit, et solito sublimius ora levavit, 75
Heu misero letale favens, seseque videndo
Torsit, et invitam mortem complexa, jacenti
Injecit nexus, carpsitque immitis adunca
Ora verenda manu. Quinta vix Phosphoros hora
Rorantem sternebat equum, jam littora duri 80
Sæva, Philete, senis, durumque Acheronta vide-
bas,
Quo domini clamate sono? non secius atros
Nigrasset planctu genitrix tibi sæva lacertos,
Nec pater: et certe, qui vidit funera, frater
Erubuit vinci. Sed nec servilis ademto 85
Ignis: odoriferos exhausit flamma Sabæos,
Et Cilicum messes, Phariæque exemta volucri
Cinnama, et Assyrio manantes gramine succos,
Et domini fletus. Hos tantum hausere favillæ,
Hos bibit usque rogus. Nec quod tibi Setia canos
Restinxit cineres, gremio nec lubricus ossa 91
Quod vallavit onyx, miseris acceptius umbris
Quam gemitus; sed et ipse juvat. Quid terga
dolori,
Urse, damus? quid damna foves, et pectore iniquo
Vulnus amas? ubi nota reis facundia raptis? 95
Quid caram crucias tam sævis luctibus umbram?
Eximius licet ille animi, meritusque doleri,
Solvisti: subit ille pios, carpitque quietem
Elysiam, carosque illic fortasse parentes
Invenit: aut illi per amœna silentia Lethes 100
Forsan Avernales alludunt undique mixtæ
Naides, obliquoque notat Proserpina vultu.
Pone, precor, questus: alium tibi fata Phileton,
Forsan et ipse dabit; moresque habitusque de-
coros
Monstrabit gaudens, similemque docebit amo-
rem. 105

VII. *Genethliacon Lucani.*

Lucani proprium diem frequentet,
Quisquis collibus Isthmiæ Diones
Docto pectora concitatus œstro,
Pendentis bibit ungulæ liquorem.
Ipsi, quos penes est honor canendi, 5
Vocalis citharæ repertor Arcas,
Et tu Bassaridum rotator Evan,
Et Pæan, et Hyantiæ sorores,
Lætæ purpureas novate vittas,
Crinem comite, candidamque vestem 10
Perfundant hederæ recentiores.
Docti largius evagentur amnes,
Et plus Aoniæ virete sylvæ:
Et si qua patulam diem recepit,
Sertis mollibus expleatur umbra. 15
Centum Thespiacis odora lucis
Stent altaria, victimæque centum,
Quas Dirce lavat, aut alit Cithæron.
Lucanum canimus; favete linguis:
Vestra est ista dies; favete, Musæ, 20
Dum, qui vos geminas tulit per artes
Et vinctæ pede vocis, et solutæ,
Romani colitur chori sacerdos.
Felix heu nimis, et beata tellus,
Quæ pronos Hyperionis meatus 25
Summis Oceani vides in undis,
Stridoremque rotæ cadentis audis:
Quæ Tritonide fertiles Athenas
Unctis, Bætica, provocas trapetis.
Lucanum potes imputare terris. 30
Hoc plus quam Senecam dedisse mundo,
Aut dulcem generasse Gallionem.
Attollat refluos in astra fontes
Graio nobilior Melete Bætis.
Bætin, Mantua, provocare noli. 35
Natum protinus, atque humum per ipsam
Primo murmure dulce vagientem
Blando Calliope sinu recepit.
Tum primum posito remissa luctu
Longos Orpheos exuit dolores: 40
Et dixit: Puer o dicate Musis,
Longævos cito transiture vates,
Non tu flumina, nec greges ferarum,
Nec plectro Geticas movebis ornos:
Sed septem juga, Martiumque Tibrim, 45
Et doctos equites, et eloquente
Cantu purpureum trahes senatum.
Nocturnas alii Phrygum ruinas,
Et tarde reducis vias Ulixi,
Et puppim temerariam Minervæ, 50
Trita vatibus orbita, sequantur:
Tu carus Latio, memorque gentis
Carmen fortior exseres togatum.
Ac primum teneris adhuc in annis
Ludes Hectora, Thessalosque currus, 55
Et supplex Priami potentis aurum.
Tu sedes reserabis inferorum,
[Ingratus Nero dulcibus theatris,]
Et noster tibi præferetur Orpheus.
Dices culminibus Remi vagantes 60
Infandos domini nocentis ignes.
Tu castæ titulum decusque Pollæ
Jucunda dabis allocutione.
Mox cœpta generosior juventa
Albos ossibus Italis Philippos 65
Et Pharsalica bella detonabis;
Quod fulmen ducis inter arma divi;
Libertate gravem pia Catonem,
Et gratum popularitate Magnum.
Tu Pelusiaci scelus Canopi 70
Deflebis pius; et Pharo cruenta
Pompeio dabis altius sepulcrum.
Hæc primo juvenis canes sub ævo,
Ante annos Culicis Maroniani.
Cedet Musa rudis ferocis Enni, 75
Et docti furor arduus Lucreti,
Et qui per freta duxit Argonautas,
Et qui corpora prima transfigurat:
Quin majus loquor: ipsa te Latinis
Æneis venerabitur canentem. 80
Nec solum dabo carminis nitorem,
Sed tædis genialibus dicabo
Doctam, atque ingenio suo decoram.
Forma, simplicitate, comitate,
Censu, sanguine, gratia, decore, 85
Qualem blanda Venus daretque Juno:
Et vestros Hymenæon ante postes
Faustis cantibus ipsa personabo.
O sævæ nimium gravesque Parcæ!
O nunquam data fata longa summis? 90
Cur plus, ardua, casibus patetis?
Cur læva vice magna non senescunt?
Sic natum Nasamonii Tonantis
Post ortus obitusque fulminatos
Angusto Babylon premit sepulcro. 95
Sic fixum Paridis manu trementi
Peliden Thetis horruit cadentem.
Sic ripis ego murmurantis Hebri
Non mutum caput Orpheos sequebar.
Sic et tu (rabidi nefas tyranni) 100
Jussus præcipitem subire Lethen,
Dum pugnas canis, arduaque voce
Das solatia grandibus sepulcris,
(O dirum scelus! o scelus!) tacebis.
Sic fata est, leviterque decidentes 105
Abrasit lacrymas nitente plectro.
At tu, seu rapidum poli per axem
Famæ curribus arduis levatus,
Qua surgunt animæ potentiores,
Terras despicis, et sepulcra rides: 110
Seu paucis merito nemus reclusum
Felix Elysiis tenes in oris,
Quo Pharsalica turba congregatur,
Et te nobile carmen insonantem
Pompeii comitantur et Catones: 115
Seu magna sacer et superbus umbra
Nescis Tartaron, et procul nocentum
Audis verbera, pallidumque visa
Matris lampade respicis Neronem;
Adsis lucidus, et vocante Polla 120
Unum, quæso, diem deos silentum
Exores: solet hoc patere limen
Ad nuptas redeuntibus maritis.
Hæc te non thiasis procax dolosis
Falsi numinis induit figuras; 125
Ipsum sed colit, et frequentat ipsum
Imis altius insitum medullis:
Ac solatia vana subministrat
Vultus, qui simili notatus auro
Stratis prænitet, excubatque somno 130
Securæ. Procul hinc abite mortes:
Hæc vitæ genitalis est origo:
Cedat luctus atrox, genisque manent
Jam dulces lacrymæ; dolorque festus,
Quicquid fleverat ante, nunc adoret. 135

LIBER TERTIUS.

STATIUS POLLIO SUO S.

Tibi certe, Polli dulcissime, et hac, cui tam fideliter inhæres, quiete dignissime, non habeo probandam diu libellorum istorum temeritatem, cum scias multos ex illis in sinu tuo subito natos, et hanc audaciam styli nostri frequenter expaveas, quoties in illius facundiæ tuæ penetrale seductus altius litteras intro, et in omnes a te studiorum sinus ducor. Securus itaque tertius hic Sylvarum nostrarum liber ad te mittitur. Habuerat quidem et secundus testem: sed hic habet auctorem. Nam primum limen ejus Hercules Surrentinus aperit, quem in littore tuo consecratum, statim ut videram, his versibus adoravi. Sequitur libellus, quo splendidissimum et mihi jucundissimum juvenem, Metium Celerem, a sacratissimo imperatore missum ad legionem Syriacam, quia sequi non poteram, sic prosecutus sum. Merebatur et Claudii Etrusci mei pietas aliquod ex studiis nostris solatium, cum lugeret veris (quod rarissimum est) lacrymis senem patrem. Earinus præterea Germanici nostri libertus scit quamdiu desiderium ejus moratus sim, cum petiisset ut capillos suos, quos cum gemmata pyxide et speculo ad Pergamenum Asclepium mittebat, versibus dedicarem. Summa est ecloga, qua mecum secedere Neapolim Claudiam meam exhortor. Hic, si verum dicimus, sermo est, et quidem securus, ut cum uxore, et qui persuadere malit quam placere. Huic præcipue libello favebis, cum scias habere destinationem quietis meæ, et tibi maxime intendere: meque non tam in patriam, quam ad te secedere.

I. *Hercules Surrentinus Pollii Felicis.*

Intermissa tibi renovat, Tirynthie, sacra
Pollius, et causas designat desidis anni,
Quod coleris majore tholo, nec littora pauper
Nuda tenes, tectumque vagis habitabile nautis,
Sed nitidos postes, Graiisque effulta metallis 5
Culmina; ceu tædis iterum lustratus honesti
Ignis, ab Œtæa conscenderis æthera flamma.
Vix oculis animoque fides: tune ille reclusi
Liminis, et parvæ custos inglorius aræ?
Unde hæc aula recens, fulgorque inopinus agresti
Alcidæ? sunt fata deûm, sunt fata locorum. 11
O velox pietas! steriles hic nuper arenas,
Aspersum pelago montis latus, hirtaque dumis
Saxa, nec ulla pati faciles vestigia terras,
Cernere erat. Quænam subito fortuna rigentes 15
Divisit scopulos? Tyrione hæc mœnia plectro,
An Getica venere lyra? stupet ipse labores
Annus, et angusto bisseni limite menses
Longævum mirantur opus. Deus affuit, arces
Erexitque suas, atque obluctantia saxa 20
Submovit nitens, et magno pectore montem
Repulit: immitem credas jussisse novercam.
Ergo age, seu patrios liber jam legibus Argos
Incolis, et mersum tumulis Eurysthea calcas:
Sive tui solium Jovis, et virtute parata 25
Astra tenes, haustumque tibi succincta beati
Nectaris, excluso melior Phryge, porrigit Hebe;
Huc ades, et genium templis nascentibus infer.
Non te Lerna nocens, nec pauperis arva Molorchi,
Nec formidatus Nemees ager, antrave poscunt
Thracia, nec Pharii polluta altaria regis; [rum
Sed felix simplexque domus, fraudumque mala-
Nescia, et hospitibus superis dignissima sedes.
Pone truces arcus, agmenque immite pharetræ,
Et regum multo perfusum sanguine robur, 35
Instratumque humeris dimitte ingentibus hostem.
Hic tibi Sidonio celsum pulvinar acantho
Texitur et signis crescit torus asper eburnis.
Pacatus mitisque veni nec turbidus ira,
Nec famulare timens; sed quem te Mænalis Auge
Confectum thiasis, et multo fratre madentem 41
Detinuit: qualemque vagæ post crimina noctis
Thestius obstupuit toties socer: hic tibi festa
Gymnas, et insontes juvenum sine cædibus iræ
Annua veloci peragunt certamina lustro. 45
Hic templis inscriptus, avo gaudente, sacerdos
Parvus adhuc, similisque tui, cum prima novercæ
Monstra manu premeres, atque exanimata doleres.
Sed quænam subiti veneranda exordia templi,
Dic age, Calliope: socius tibi grande sonabit 50
Alcides, tensoque modos imitabitur arcu.
Tempus erat, cœli cum torrentissimus axis
Incumbit terris, ictusque Hyperione multo
Acer anhelantes incendit Sirius agros.
Jamque dies aderat, profugis cum regibus aptum
Fumat Aricinum Triviæ nemus, et face multa 56
Conscius Hippolyti splendet lacus: ipsa coronat
Emeritos Diana canes, et spicula tergit,
Et tutas sinit ire feras; omnisque pudicis
Itala terra focis Hecateas excolit idus. 60
Ast ego, Dardaniæ quamvis sub collibus Albæ
Rus proprium, magnique ducis mihi munere cur-
Unda domi, curas mulcere, æstusque levare [rens
Sufficerent, notas Sirenum nomine rupes
Facundique larem Polli non hospes habebam;
Assidue moresque viri, pacemque, novosque 66
Pieridum flores, intactaque carmina discens.
Forte diem Triviæ dum littore ducimus udo,
Angustasque fores adsuetaque tecta gravati
Frondibus et patula defendimus arbore soles; 70
Delituit cœlum, et subitis lux candida cessit
Nubibus, et tenuis graviore Favonius Austro
Immaduit: qualem Libyæ Saturnia nimbum
Attulit, Iliaco dum dives Elissa marito
Donatur, testesque ululant per devia Nymphæ.
Diffugimus, festasque dapes, redimitaque vina
Abripiunt famuli: nec, quo convivia migrent,
(Quamvis innumeræ gaudentia rura superne
Insedere domus, et multo culmine dives
Mons nitet) instantes sed proxima quærere nimbi

Suadebant, læsique fides reditura sereni. 81
Stabat dicta sacris tenuis casa nomine templi,
Et magnum Alciden humili lare parva premebat,
Fluctivagos nautas, scrutatoresque profundi
Vix operire capax. Huc omnis turba coimus; 85
Huc epulæ, ditesque tori, cœtusque ministrûm
Stipantur, nitidæque cohors gratissima Pollæ.
Non cepere fores, angustaque defuit ædes.
Erubuit risitque deus, dilectaque Polli [nis:
Corda subit, blandisque animum complectitur ul-
Tune, inquit, largitor opum, qui mente profusa
Tecta Dicarcheæ pariter [juvenemque] replesti
Parthenopen? nostro qui tot fastigia monti,
Tot virides lucos, tot saxa imitantia vultus
Æraque, tot scripto viventes lumine ceras 95
Fixisti? quid enim ista domus, quid terra, prius-
Te gauderet, erat? longo tu tramite nudos [quam
Texisti scopulos, fueratque ubi semita tantum,
Nunc ibi distinctis stat porticus alta columnis,
Ne sorderet iter: curvi tu littoris ora 100
Clausisti calidas gemina testudine Nymphas.
Vix opera enumerem: mihi pauper et indigus
Pollius: et tales hilaris tamen intro penates, [uni
Et littus, quod pandis, amo: sed proxima sedem
Despicit, et tacite ridet mea numina Juno. 105
Da templum, dignasque tuis conatibus aras,
Quas puppes velis nolint transire secundis:
Quo pater ætherius, mensisque accita deorum
Turba, et ab excelso veniat soror hospita tecto.
Nec te, quod solidus contra riget umbo maligni
Montis, et immenso non unquam excisus ab ævo,
Terreat; ipse adero, et conamina tanta juvabo,
Asperaque invitæ perfringam viscera terræ.
Incipe, et Herculeis fidens hortatibus aude.
Non Amphioniæ steterint velocius arces, 115
Pergameusve labor. Dixit, mentemque reliquit.
Nec mora, conscripta formantur imagine templa:
Innumeræ coiere manus: his cædere sylvas,
Et lævare trabes, illis immergere curæ
Fundamenta solo: coquitur pars uvida terræ
Protectura hyemes, atque exclusura pruinas; 121
Indomitusque silex curva fornace liquescit.
Præcipuus sed enim labor est exscindere dextra
Oppositas rupes, et saxa negantia ferro.
Hic pater ipse loci positis Tirynthius armis 125
Insudat, validaque solum deforme bipenni,
Cum grave nocturna cœlum subtexitur umbra,
Ipse fodit: dites Capreæ, viridesque resultant
Taurubulæ, et terris ingens redit æquoris echo.
Non tam grande sonat motis incudibus Ætne, 130
Cum Brontes Steropesque ferit: nec major ab antris
Lemniacis fragor est, ubi flammeus ægida cælat
Mulciber, et castis exornat Pallada donis.
Decrescunt scopuli, et rosea sub luce reversi
Artifices mirantur opus. Vix annus anhelat 135
Alter, et ingenti dives Tirynthius arce
Despectat fluctus, et junctæ tecta novercæ
Provocat, ac dignis invitat Pallada templis.
Jam placidæ dant signa tubæ, jam fortibus ardens
Fumat arena sacris: hos nec Pisæus honores 140
Jupiter, aut Cirrhæ pater adspernetur opacæ.
Nil his triste locis: cedat lacrymabilis Isthmos,
Cedat atrox Nemee: litat hic felicior infans.
Ipsæ pumiceis virides Nereides antris
Exsiliunt ultro, et scopulis uventibus hærent, 145
Nec pudet occulte nudas spectare palæstras.
Spectat et Icario nemorosus palmite Gaurus,
ylvaque quæ cinctam pelago Nesida coronat,
Et placidus Limon, omenque Euplœa carinis,
Et Lucrina Venus; Phrygioque e vertice Graias
Adsciscis, Misene, tubas; ridetque benigna 151
Parthenope gentile sacrum, nudosque virorum
Certatus, et parva suæ simulacra coronæ.
Quin age, et ipse libens proprii certaminis actus
Invicta dignare manu: seu nubila disco 155
Findere, seu volucres Zephyros prævertere telo,
Seu tibi dulce manu liquidas nodare palæstras,
Indulge sacris: et si tibi poma supersunt
Hesperidum, gremio venerabilis ingere Pollæ:
Nam capit, et tantum non degenerabit honorem.
Quod si dulce decus viridesque resumeret annos,
(Da veniam, Alcide,) fors huic et pensa tulisses.
Hæc ego nascentes lætum bacchatus ad aras
Libamenta tuli: nunc ipsum in limine cerno
Solventem voces, et talia dicta ferentem: 165
Macte animis opibusque, meos imitate labores,
Qui rigidas rupes, infecundæque pudenda
Naturæ deserta domas, et vertis in usum
Lustra habitata feris, fœdeque latentia profers
Numina. Quæ tibi nunc meritorum præmia solvam? 170
Quas referam grates? Parcarum fila tenebo,
Extendamque colos: duram scio vincere Mortem:
Avertam luctus, et tristia damna vetabo,
Teque nihil læsum viridi renovabo senecta:
Concedamque diu juvenes spectare nepotes, 175
Donec et hic sponsæ maturus, et illa marito;
Rursus et ex illis soboles nova, grexque protervus
Nunc humeris irreptet avi, nunc agmine blando
Certatim placidæ concurrat ad oscula Pollæ.
Nam templis nunquam statuetur terminus ævi, 180
Dum me flammigeri portabit machina cœli.
Nec mihi plus Nemee, priscumve habitabitur Argos,
Nec Tiburna domus, solisve cubilia Gades.
Sic ait, et tangens surgentem altaribus ignem,
Populeaque movens albentia tempora sylva, 185
Et Styga et ætherii juravit fulmina patris.

II. *Propempticon Metio Celeri.*

Di, quibus audaces amor est servare carinas,
Sævaque ventosi mulcere pericula ponti, [votis
Sternite molle fretum, placidumque advertite
Concilium, et lenis non obstrepat unda precanti.
Grande tuo rarumque damus, Neptune, profundo
Depositum: juvenis dubiæ committitur alno 6
Metius, atque animæ partem super æquora nostræ
Majorem transferre parat: proferte benigna
Sidera, et antennæ gemino considite cornu,
Œbalii fratres: vobis pontusque polusque 10
Luceat: Iliacæ longe nimbosa sororis
Astra fugate, precor, totoque excludite cœlo.
Vos quoque, cæruleum, divæ Nereides, agmen,
Quis honor et regni cessit fortuna secundi,
Dicere quæ magni fas sit mihi sidera ponti, 15
Surgite de vitreis spumosæ Doridos antris,
Baianosque sinus et feta tepentibus undis
Littora tranquillo certatim ambite natatu,
Quærentes ubi celsa ratis, quam scandere gaudet
Nobilis Ausoniæ Celer armipotentis alumnus. 20
Nec quærenda diu: modo nam trans æquora terris
Prima Dicarcheis Pharium gravis intulit annum:
Prima salutavit Capreas, et margine dextro
Sparsit Tyrrhenæ Marcotica vina Minervæ.
Hujus utrumque latus molli præcingite gyro; 25
Partitæque vices, vos stuppea tendite mali
Vincula, vos summis annectite suppara velis,
Vos Zephyris aperite sinus: pars transtra reponat,
Pars demittat aquis curvæ moderamina puppis.

Sint, quibus exploret rupes gravis arte molybdis,
Quæque secuturam religent post terga phaselon,
Uncaque submersæ penitus retinacula vellant. 32
Temperet hæc æstus, pelagusque inclinet ad ortus.
Officio careat glaucarum nulla sororum. [Triton
Huic multo Proteus, geminoque huic corpore
Prænatet, et subitis qui perdidit inguina monstris
Glaucus, adhuc quoties patriis allabitur oris
Littoream blanda feriens Anthedona cauda.
Tu tamen ante omnes diva cum matre Palæmon
Annue, si vestras amor est mihi pandere Thebas,
Nec cano degeneri Phœbeum Amphiona plectro.
Et pater, Æolio frangit qui carcere ventos,
Cui varii flatus, omnisque per æquora ponti
Spiritus, atque hiemes, nimbosaque nubila parent,
Arctius objecto Borean, Eurumque, Notumque 45
Monte premat: soli Zephyro sit copia cœli,
Solus agat puppes, summasque supernatet undas
Assiduas pelago, donec tua, turbine nullo,
Læta Parætoniis adsignet carbasa ripis.
Audimur: vocat ipse ratem, nautasque morantes
Increpat: inde meum timido jam frigore pectus
Labitur, et nequeo, quamvis movet ominis horror,
Claudere suspensos oculorum in margine fletus.
Jamque ratem terris divisit fune soluto
Navita, et angustum dejecit in æquora pontem: 55
Sævus et e puppi longo clamore magister
Dissipat amplexus, atque oscula fida revellit,
Nec longum cara licet in cervice morari.
Attamen in terras e plebe novissimus omni
Ibo, nec egrediar nisi jam cedente carina. 60
Quis rude, et abscissum miseris animantibus æquor
Fecit iter, solidæque pios telluris alumnos
Expulit in fluctus, pelagoque immisit hiantes?
Audax ingenii; nec enim temeraria virtus
Illa magis, summæ gelidum quæ Pelion Ossæ 65
Junxit, anhelantemque jugis bis pressit Olympum.
Usque adeone parum lentas transire paludes,
Stagnaque et angustos submittere pontibus amnes?
Imus in abruptum, gentilesque undique terras
Fugimus, exigua clausi trabe et aere nudo. 70
Inde furor ventis, indignatæque procellæ,
Et cœli fremitus, et fulmina plura Tonanti.
Ante rates pigro torpebant æquora somno,
Nec spumare Thetis, nec spargere nubila fluctus
Audebant: visis tumuerunt puppibus undæ, 75
Inque hominem surrexit hiems: tunc nubila Pleias,
Oleniumque pecus: solito tunc pejor Orion.
Justa queror: fugit ecce vagas ratis acta per undas,
Paullatim minor, et longe servantia vincit
Lumina, tot gracili ligno complexa timores, 80
Teque super reliquos, te nostri pignus amoris
Portatura, Celer. Quos nunc ego pectore somnos,
Quosve queam perferre dies? quis cuncta paventi
Nuntius, an facili te prætermiserit unda
Lucani rabida ora maris: num torva Charybdis
Fluctuet, aut Siculi populatrix virgo profundi:
Quos tibi currenti præceps ferat Adria mores:
Quæ pax Carpathio: quali te subvehat aura
Doris Agenorei furtis blandita juvenci?
Sed merui questus: quid enim, te castra petente,
Non vel ad ignotos ibam comes impiger Indos,
Cimmeriumque Chaos? starem prope bellica regis
Signa mei, seu tela manu, seu frena teneres,
Armatis seu jura dares; operumque tuorum
Etsi non socius, certe mirator adessem. 95
Si quondam magno Phœnix reverendus Achilli
Littus ad Iliacum, Thymbræaque Pergama venit
Imbellis, tumidoque nihil juratus Atridæ,
Cur nobis ignavus amor? sed pectore fido
Nusquam abero, longisque sequar tua carbasa votis. 100
Isi, Phoroneis quondam stabulata sub antris,
Nunc regina Phari, numenque Orientis anheli,
Excipe multisono puppim Mareotida sistro:
Ac juvenem egregium, Latius cui ductor Eoa
Signa, Palæstinasque dedit frenare cohortes, 105
Ipsa manu placida per limina festa, sacrosque
Duc portus, urbesque tuas: te præside noscat
Unde paludosi fecunda licentia Nili:
Cur vada desidant, et ripa coerceat undas
Cecropio signata luto: cur invida Memphis, 110
Curve Therapnæi lasciviat ora Canopi:
Cur servet Pharias Lethæus janitor aras:
Vilia cur magnos æquent animalia divos:
Quæ sibi præsternat vivax altaria Phœnix:
Quos dignetur agros, aut quo se gurgite Nili 115
Mergat adoratus trepidis pastoribus Apis.
Duc et ad Emathios manes, ubi belliger urbis
Conditor Hyblæo perfusus nectare durat:
Anguiferamque domum, blando qua mersa veneno
Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas: 120
Usque et in Assyrias sedes, mandataque castra
Prosequere, et Marti juvenem, dea, trade Latino.
Nec novus hospes erit: puer his sudavit in arvis
Notus adhuc tantum majoris munere clavi:
Jam tamen et turmas facili prævertere gyro 125
Fortis, et Eoas jaculo damnare sagittas.
Ergo erit illa dies, qua te majora daturus
Cæsar ab emerito jubeat discedere bello?
At nos hoc iterum stantes in littore, vastos
Cernemus fluctus, aliasque rogabimus auras. 130
O tum quantus ego! aut quanta votiva movebo
Plectra lyra! cum me magna cervice ligatum
Attolles humeris, atque in mea pectora primum
Incumbes e puppe novus, servataque reddes
Colloquia, inque vicem medios narrabimus annos:
Tu rapidum Euphraten, et regia Bactra, sacrasque
Antiquæ Babylonis opes, et Zeugma Latinæ
Pacis iter: qua dulce nemus florentis Idumes:
Quo pretiosa Tyros rubeat, quo purpura fuco
Sidoniis iterata cadis: quo germine primum 140
Candida felices sudent opobalsama virgæ:
Ast ego, devictis dederim quæ justa Pelasgis,
Quæque laboratas claudat mihi pagina Thebas.

III. *Lacrymæ Claudii Etrusci.*

Summa deûm Pietas, cujus gratissima cœlo
Rara profanatas inspectant numina terras,
Huc vittata comam, niveoque insignis amictu,
Qualis adhuc præsens, nullaque expulsa nocentum
Fraude, rudes populos atque aurea regna colebas,
Mitibus exsequiis ades, et lugentis Etrusci 6
Cerne pios fletus, laudataque lumina terge.
Nam quis inexpleto rumpentem pectora questu,
Complexumque rogos, incumbentemque favillis
Adspiciens, non aut primævæ funera plangi 10
Conjugis, aut nati modo pubescentia credat
Ora rapi flammis? pater est, qui fletur: adeste
Dique hominesque sacris: procul hinc, procul ite nocentes;
Si cui corde nefas tacitum, fessique senectus
Longa patris; si quis pulsatæ conscius umbram 15
Matris, et inferna rigidum timet Æacon urna.
Insontes castosque voco. Tenet ecce seniles
Leniter applicitus vultus, sanctamque parentis
Canitiem spargit lacrymis, animæque suprem
Frigus amat: celeres genitoris filius annos, 20
(Mira fides,) nigrasque putat properasse sorores.
Exsultent placidi Lethæa ad flumina manes:

Elysiæ gaudete domus: date serta per aras,
Festaque pallentes hilarent altaria lucos.
Felix, heu nimium felix, ploratagque nato 25
Umbra venit: longe Furiarum sibila, longe
Tergeminus custos: penitus via longa patescat
Manibus egregiis: eat, horrendumque silentis
Accedat domini solium, gratesque supremas
Perferat, et totidem juveni roget anxius annos. 30
Macte pio gemitu: dabimus solatia dignis
Luctibus, Aoniasque tuo sacrabimus ultro
Inferias, Etrusce, seni: tu largus Eoa [perbis
Germina, tu messes Cilicumque Arabumque su-
Merge rogis: ferat ignis opes hæredis, et alto 35
Aggere missuri nitido pia nubila cœlo
Stipentur cineres: nos non arsura feremus
Munera, venturosque tuus durabit in annos
Me monstrante dolor: neque enim mihi flere parentem
Ignotum, et similes gemui projectus ad ignes. 40
Ille mihi tua damna dies compescere cantu [tus.
Suadet; et ipse tuli, quos nunc tibi confero, ques-
Non tibi clara quidem, senior placidissime, gentis
Linea, nec proavis demissum stemma: sed ingens
Supplevit fortuna genus, culpamque parentum 45
Occuluit: neque enim dominos de plebe tulisti,
Sed quibus occasus pariter famulantur et ortus.
Nec pudor iste tibi. Quid enim terrisque poloque
Parendi sine lege manet? vice cuncta reguntur,
Alternisque regunt: propriis sub regibus omnis
Terra: premit felix regum diademata Roma: 51
Hanc ducibus frenare datum: mox crescit in illos
Imperium superis: sed habent et numina legem:
Servit et astrorum velox chorus, et vaga servit
Luna, nec injussi toties redit orbita solis. 55
Et (modo si fas est æquare jacentia summis)
Pertulit et sævi Tirynthius horrida regis
Pacta, nec erubuit famulantis fistula Phœbi.
Sed neque barbaricis Latio transmissus ab oris:
Smyrna tibi gentile solum, potusque verendo 60
Fonte Meles, Hermique vadum, quo Lydius intrat
Bacchus, et aurato reficit sua cornua limo.
Læta dehinc series, variisque ex ordine curis
Auctus honos; semperque gradus prope numina, semper
Cæsareum coluisse latus, sacrisque deorum 65
Arcanis hærere datum. Tibereia primum
Aula tibi, vixdum ora nova mutante juventa,
Panditur: hic, annis multa super indole victis,
Libertas oblata venit: nec proximus hæres,
Immitis quanquam et furiis agitatus, abegit. 70
Hunc et in Arctoas tenuis comes usque pruinas
Terribilem affatu passus visuque tyrannum
Immanemque suis, ut qui metuenda ferarum
Corda domant, mersasque jubent jam sanguine tacto
Reddere ab ore manus, et nulla vivere præda. 75
Præcipuos sed enim merito subvexit in actus
Nondum stelligerum senior demissus in axem
Claudius, et longo transmisit habere nepoti.
Quis superûm metuens, pariter tot templa, tot aras
Promeruisse datur? summi Jovis aliger Arcas 80
Nuntius: imbrifera potitur Thaumantide Juno:
Stat celer obsequio jussa ad Neptunia Triton:
Tu toties mutata ducum juga rite tulisti
Integer, inque omni felix tua cymba profundo.
Jamque piam lux alta domum, præcelsaque toto
Intravit Fortuna gradu: jam creditur uni 86
Sanctarum digestus opum, partæque per omnes
Divitiæ populos, magnique impendia mundi:
Quicquid ab auriferis ejectat Iberia fossis,
Dalmatico quod monte nitet, quod messibus Afris
Vertitur, æstiferi quicquid terit area Nili, 91
Quodque legit mersus pelagi scrutator Eoi,
Et Lacedæmonii pecuaria culta Galesi,
Perspicuæque nives, Massylaque robora, et Indi
Dentis honos: uni parent commissa ministro. 95
Quæ Boreas, quæque Eurus atrox, quæ nubilus Auster
Invehit: hibernos citius numeravis imbres,
Sylvarumque comas. Vigil iste animique sagacis
Exitus evolvit, quantum Romana sub omni [alti
Pila die, quantumque tribus: quid templa, quid
Undarum cursus, quid propugnacula poscant
Æquoris, aut longe series porrecta viarum:
Quod Domini celsis niteat laquearibus aurum:
Quæ divûm in vultus igni formanda liquescat
Massa; quid Ausoniæ scriptum crepet igne monetæ. 105
Hinc tibi rara quies, animoque exclusa voluptas,
Exiguæque dapes, et nunquam læta profundo
Cura mero: sed jura tamen genialia cordi,
Et mentem vincire toris, et jungere festa
Connubia, et fidos domino genuisse clientes. 110
Quis sublime decus formamque insignis Etruscæ
Nesciat? haud unquam proprio mihi cognita visu:
Sed decus eximium formæ par reddit imago
Vultibus, et similis natorum gratia monstrat.
Nec vulgare genus: fasces summamque curulem
Frater, et Ausonios enses, mandataque fidus
Signa tulit, cum prima truces amentia Dacos
Impulit, et magno gens est damnata triumpho.
Sic quicquid patrio cessatum a sanguine, mater
Reddidit, obscurumque latus clarescere vidit 120
Connubio gavisa domus: nec pignora longe:
Quippe bis ad partus venit Lucina, manuque
Ipsa levi gravidos tetigit fecunda labores.
Felix ah, si longa dies, si cernere vultus
Natorum, viridesque genas tibi justa dedissent 125
Stamina! sed media cecidere abrupta juventa
Gaudia, florentesque manu scidit Atropos annos:
Qualia pallentes declinant lilia culmos,
Pubentesve rosæ primos moriuntur ad Austros,
Aut ubi verna novis exspirat purpura pratis. 130
Illa sagittiferi circumvolitastis Amores
Funera, maternoque rogos unxistis amomo:
Nec modus aut pennis, laceris aut crinibus ignem
Spargere, collatæque pyram struxere pharetræ
Quas tunc inferias, aut quæ lamenta dedisses. 135
Maternis, Etrusce, rogis, qui funera patris
Haud matura putas, atque hos pius ingemis annos?
Illum et, qui nutu superas nunc temperat arces,
Progeniem claram terris partitus et astris,
Lætus Idumæi donavit honore triumphi: 140
Dignatusque loco victricis et ordine pompæ
Non vetuit, tenuesque nihil minuere parentes.
Atque idem, in cuneos populum cum duxit eques-
Mutavitque genus, lævæque ignobile ferrum [tres,
Exuit, et celse natorum æquavit honori. 145
Dextra bis octonis fluxerunt sæcula lustris,
Atque ævi sine nube tenor. Quam dives in usus
Natorum, totoque volens excedere censu,
Testis adhuc largi nitor inde adsuetus Etrusci.
Cui tua non humiles dedit indulgentia mores. 150
Hunc siquidem amplexu semper revocante tenebas
Blandus, et imperio nunquam pater: hujus honori
Pronior ipse etiam gaudebat cedere frater.
Quas tibi devoti juvenes pro patre renato, [dant?
Summe ducum, grates, aut quæ pia vota repen-
Tu (seu tarda situ, robusque exhausta senectus
Erravit; seu blanda diu Fortuna regressum

Maluit) attonitum et venturi fulminis ictus
Horrentem, tonitru tantum, lenique procella
Contentus monuisse senem : cumque horrida supra
Æquora curarum socius procul Itala rura
Linqueret, hic molles Campani littoris oras
Et Diomedeas concedere jussus in arces,
Atque hospes, non exsul, erat : nec plura moratus
Romuleum reseras iterum, Germanice, limen, 165
Mærentemque foves, inclinatosque penates
Erigis : haud mirum, ductor placidissime ; quando
Hæc est, quæ victis parcentia fœdera Cattis,
Quæque suum Dacis donat clementia montem :
Quæ modo Marcomanos post horrida bella, vagosque 170
Sauromatas Latio non est dignata triumpho.
Jamque in fine dies, et inexorabile pensum
Deficit. Hic mæsti pietas me poscit Etrusci
Qualia nec Siculæ moderantur carmina rupes,
Nec fati jam certus olor, sævique marita 175
Tereos. Heu quantis lassantem brachia vidi
Planctibus, et prono fusum super oscula vultu !
Vix famuli comitesque tenent, vix arduus ignis
Submovet. Haud aliter gemuit perjuria Theseus
Littore, quo falsis deceperat Ægea velis. 180
Tunc immane gemens, fœdatusque ora, tepentes
Affatur cineres : Cur nos, fidissime, linquis
Fortuna redeunte, pater ? modo numina magni
Præsidis, atque breves superûm pacavimus iras,
Nec frueris ; tantique orbatus muneris usu 185
Ad Manes, ingrate, fugis : nec flectere Parcas,
Aut placare malæ datur aspera numina Lethes.
Felix, cui magna patrem cervice vehenti
Sacra Mycenææ patuit reverentia flammæ !
Quique tener sævis genitorem Scipio Pœnis 190
Abstulit, et Lydi pietas temeraria Lausi.
Ergo et Thessalici conjux pensare mariti
Funus, et immitem potuit Styga vincere supplex
Thracius ? ah quanto melius pro patre liceret !
Non totus rapiere tamen, nec funera mittam 195
Longius : hic manes, hic intra tecta tenebo :
Tu custos dominusque laris ; tibi cuncta tuorum
Parebunt : ego rite minor, semperque secundus
Assidue libabo dapes et pocula sacris
Manibus, effigiesque colam : te lucida saxa, 200
Te similem doctæ referet mihi linea ceræ :
Nunc ebur, et fulvum vultus imitabitur aurum.
Inde viam morum, longæque examina vitæ,
Affatusque pios, monituraque somnia poscam.
Talia dicentem genitor dulcedine læta 205
Audit, et immites lente descendit ad umbras,
Verbaque dilectæ fert narraturus Etruscæ.
Salve supremum, senior, mitissime patrum,
Supremumque vale ; qui nunquam, sospite nato,
Triste Chaos, mæstique situs patiere sepulcri.
Semper odoratis spirabunt floribus aræ, 211
Semper et Assyrios felix bibet urna liquores,
Et lacrymas, qui major honos : hic sacra litabit
Manibus, eque tua tumulum tellure levabit.
Nostra quoque, exemplo meritus, tibi carmina sanxit, 215
Hoc etiam gaudens cinerem donasse sepulcro.

IV. *Coma Flavii Earini.*

Ite, comæ, facilemque precor transcurrite pontum :
Ite coronato recubantes molliter auro :
Ite, dabit cursus mitis Cytherea secundos,
Placabitque Notos : fors et de puppe timenda
Transferet, inque sua ducet super æquora concha.
Accipe laudatos, juvenis Phœbeie, crines, 6
Quos tibi Cæsareus donat puer : accipe lætus,
Intonsoque ostende patri : sine dulce nitentes
Comparet, atque diu fratris putet esse Lyæi.
Forsan et ipse comæ nunquam labentis honorem
Proferet, atque alio clausum tibi ponet in auro.
Pergame, pinifera multum felicior Ida !
Illa licet sacræ placeat sibi laude rapinæ ;
Nempe dedit superis illum, quem turbida semper
Juno videt, refugitque manum, nectarque recusat.
At tu grata deis, pulchroque insignis alumno, 16
Misisti Latio placida quem fronte ministrum
Jupiter Ausonius pariter, Romanaque Juno
Adspiciunt, et uterque probant Nec tanta potenti
Terrarum domino divûm sine mente voluptas.
Dicitur, Idalios Erycis de vertice lucos 21
Dum petit, et molles agitat Venus aurea cycnos,
Pergameas intrasse domos, ubi maximus ægris
Auxiliator adest, et festinantia sistens
Fata salutifero mitis deus incubat angui. 25
Hic puerum egregiæ præclarum sidere formæ
Ipsius ante dei ludentem conspicit aras.
Ac primum subita paullum decepta figura
Natorum de plebe putat : sed non erat illi
Arcus, et ex humeris nullæ fulgentibus umbræ. 30
Miratur puerile decus ; vultumque comasque
Adspiciens, Tune Ausonias, ait, ibis ad arces
Neglectus Veneri ? tu sordida tecta, jugumque
Servitii vulgare feres ? procul absit : ego isti
Quem meruit, formæ dominum dabo : vade age mecum, 35
Vade, puer : ducam volucri per sidera curru,
Donum immane duci . nec te plebeia manebunt
Jura ; Palatino famulus deberis amori.
Nil ego, nil, fateor, toto tam dulce sub orbe
Aut vidi, aut genui : cedat tibi Latmius ultro 40
Sangariusque puer, quemque irrita fontis imago
Et sterilis consumsit amor : te cærula Nais
Mallet, et apprensa traxisset fortius urna.
Tu, puer, ante omnes ; solus formosior ille,
Cui daberis. Sic orsa, leves secum ipsa per auras
Tollit, olorinaque jubet considere biga. 46
Nec mora : jam Latii montes, veterisque penates
Evandri, quos mole nova pater inclytus urbis
Excolit, et summis æquat Germanicus astris.
Tunc propior jam cura deæ, quæ forma capillis
Optima, quæ vestis roseos accendere vultus 51
Apta ; quod in digitis, collo quod dignius aurum.
Norat cœlestes oculos ducis, ipsaque tædas
Junxerat, et plena dederat connubia dextra.
Sic ornat crines, Tyrios sic fundit amictus ; 55
Dat radios, ignemque suum : cessere priores
Deliciæ, famulûmque greges : hic pocula magno
Prima duci, murrhasque graves, crystallaque portat
Candidiore manu : crescit nova gratia Baccho.
Care puer, superis qui prælibare verendum 60
Nectar, et ingentem toties contingere dextram
Electus, quam nosse Getæ, quam tangere Persæ,
Armeniique, Indique petunt : o sidere dextro
Edite, multa tibi divûm indulgentia favit !
Olim etiam, ne prima genas lanugo nitentes 65
Carperet, et pulchræ fuscaret gaudia formæ,
Ipse deus patriæ celsam trans æquora liquit
Pergamon : haud ulli puerum mollire potestas
Credita ; sed tacita juvenis Phœbeius arte
Leniter, et nullo concussum vulnere corpus 70
De sexu transire jubet : tamen anxia curis
Mordetur, puerique timet Cytherea dolores.
Nondum pulchra ducis clementia cœperat ortu
Intactos servare mares : nunc frangere sexum,
Atque hominem mutare nefas ; gavisaque solos 75

Quos genuit, Natura videt; nec lege sinistra
Ferre timent famulæ natorum pondera matres.
Tu quoque, nunc juvenis, genitus si tardius esses,
Umbratusque genas, et adultos fortior artus,
Non unum gaudens Phœbea ad limina munus
Misisses: patrias nunc vertex solus ad aras 81
Naviget: hunc multo Paphie saturabat amomo,
Hunc nova tergemina pectebat Gratia dextra.
Huic et purpurei cedat coma saucia Nisi,
Et quam Spercheo tumidus servabat Achilles. 85
Ipsi, cum primum niveam præcerpere frontem
Decretum est, humerosque manu nudare nitentes,
Accurrunt teneri Paphia cum matre volucres,
Expediuntque comas, et serica pectore ponunt
Pallia: tunc junctis crinem incidere sagittis, 90
Atque auro gemmisque locant: rapit ipsa cadentes
Mater, et arcanos iterat Cytherea liquores.
Tunc puer e turba manibus qui forte supinis
Nobile gemmato speculum portaverat orbe,
Hoc quoque demus, ait; patriis nec gratius ullum
Munus erit templis, ipsoque potentius auro. 96
Tu modo fige aciem, et vultus hos usque relinque.
Sic ait, et speculum seclusit imagine rapta.
At puer egregias tendens ad sidera palmas,
His mihi pro donis, hominum mitissime custos,
Si merui, longa dominum renovare juventa, 101
Atque orbi servare velis: hoc sidera mecum,
Hoc undæ terræque rogant: eat, oro, per annos
Iliacos Pyliosque simul; propriosque penates
Gaudeat, et secum Tarpeia senescere templa. 105
Sic ait, et motas miratur Pergamos aras.

V *Ad Claudiam uxorem.*

Quid mihi mæsta die, sociis quid noctibus, uxor,
Anxia, pervigili ducis suspiria cura?
Non metuo, ne læsa fides, aut pectore in isto
Alter amor: nullis in te datur ire sagittis,
(Audiat infesto licet hæc Rhamnusia vultu,) 5
Non datur: et si egomet patrio de littore raptus
Quatuor emeritis per bella, per æquora lustris
Errarem, tu mille procos intacta fugares;
Non intersectas commenta retexere telas,
Sed sine fraude palam, thalamisque orbata negasses. [tus?
Dic tamen, unde alia mihi fronte, et nubila vul-
Anne quod Euboicos fessus remeare penates
Auguror, et patria senium componere terra?
Cur hoc triste tibi? certe lascivia cordi
Nulla, nec aut rapidi mulcent te prœlia Circi, 15
Aut intrat sensus clamosi turba theatri;
Sed probitas, et opaca quies, et sordida nunquam
Gaudia. Quas autem comitem te rapto per undas?
Quanquam, et si gelidas irem mansurus ad Arctos,
Vel super Hesperiæ vada caligantia Thules, 20
Aut septemgemini caput haud penetrabile Nili,
Hortarere vias. Etenim tua, (nempe benigna
Quam mihi sorte Venus junctam florentibus annis
Servet et in senium) tua, quæ me vulnere primo
Intactum thalamis, et adhuc juvenile vagantem
Fixisti, tua frena libens docilisque recepi; 26
Et semel insertas non mutaturus habenas
Usque premo. Ter me nitidis Albana ferentem
Dona comis, sanctoque indutum Cæsaris auro
Visceribus complexa tuis, sertisque dedisti 30
Oscula anhela meis. Tu, cum Capitolia nostræ
Inficiata lyræ, sævum ingratumque dolebas
Mecum victa Jovem: tu procurrentia primis
Carmina nostra sonis, motasque in murmura voces
Aure rapis vigili: longi tu sola laboris 35
Conscia, cumque tuis crevit mea Thebais annis.
Qualem te nuper Stygias prope raptus ad undas,
Cum jam Lethæos audirem cominus amnes,
Adspexi, tenuique oculos jam morte cadentes!
Scilicet exhausti Lachesis mihi tempora fati 40
Te tantum miserata dedit, superique potentes
Invidiam timuere tuam. Post ista, propinquum
Nunc iter, optatosque sinus comes ire moraris?
Heu ubi nota fides, totque explorata per usus,
Qua veteres Latias, Graiasque heroidas æquas?
Isset ad Iliacas (quid enim deterret amantes?) 46
Penelope gavisa domos, si passus Ulixes.
Questa est Ægiale, questa est Melibœa relinqui,
Et cujus sævi ferierunt Mænala planctus.
Nec minor his tu nosse fidem, totamque maritis
Te dare. Sic certe cineres, umbramque priorem
Quæris adhuc: sic exsequias amplexa canori
Conjugis, ingentes iteras de pectore planctus,
Jam mea. Nec pietas alia est tibi curaque natæ.
Sic ut mater amas, sic nunquam corde recedit 55
Nata tuo, fixamque animi penetralibus imis
Nocte dieque tenes: non sic Trachinia nidos
Alcyone veros, non sic Philomela penates [fert.
Circuit amplectens, animamque in pignora trans-
Et nunc illa tenet viduum quod sola cubile, 60
Otia tam pulchræ terit infecunda juventæ:
Sed venient plenis, venient connubia tædis.
Sic certe formæque bonis animique meretur:
Sive chelyn complexa ferit, seu voce paterna
Discendum Musis sonat, et mea carmina flectit,
Candida seu molli diducit brachia motu; 66
Ingenium probitas, artemque modestia vincit.
Nonne leves pueros, non te, Cytherea, pudebat
Hoc cessare decus? Nec tantum Roma jugales
Conciliare toros, festasque accendere tædas 70
Fertilis; et nostra generi tellure dabuntur.
Non adeo Vesuvinus apex, et flammea diri
Montis hiems trepidas exhausit civibus urbes:
Stant, populisque vigent: hic auspice condita Phœbo
Tecta, Dicarchei portus, et littora mundi 75
Hospita: et hic magnæ tractus imitantia Romæ
Quæ Capys advectis implevit mœnia Teucris.
Nostra quoque haud propriis tenuis, nec rara colonis
Parthenope, cui mite solum trans æquora vectæ
Ipse Dionæa monstravit Apollo columba. 80
Has ego te sedes (nam nec mihi barbara Thrace,
Nec Libye natale solum) transferre laboro:
Quas et mollis hiems, et frigida temperat æstas:
Quas imbelle fretum torpentibus alluit undis:
Pax secura locis, et desidis otia vitæ, 85
Et nunquam turbata quies, somnique peracti.
Nulla foro rabies, aut strictæ jurgia leges
Norunt: jura viris solum, et sine fascibus, æquum.
Quid nunc magnificas species cultusque locorum,
Templaque, et innumeris spatia interstincta columnis; 90
Et geminam molem nudi tectique theatri,
Et Capitolinis Quinquennia proxima lustris;
Quid laudem risus, libertatemque Menandri,
Quam Romanus honos et Graia licentia miscent?
Nec desunt variæ circum oblectamina vitæ: 95
Sive vaporiferas, blandissima littora, Baias,
Enthea fatidicæ seu visere tecta Sibyllæ
Dulce sit, Iliacoque jugum memorabile remo:
Seu tibi Bacchei vineta madentia Gauri, 99
Telebofumque domos, trepidis ubi dulcia nautis
Lumina noctivagæ tollit Pharos æmula lunæ.

Caraque non molli juga Surrentina Lyæo,
Quæ meus ante alios habitator Pollius auget:
Ænariæque lacus medicos, Statinasque renatas
Mille tibi nostræ referam telluris amores: 105
Sed satis hoc, conjux, satis hoc dixisse, creavit
Me tibi, me socium longos adstrinxit in annos.
Nonne hæc amborum genitrix altrixque videri
Digna? sed ingratus qui plura annecto, tuisque
Moribus indubito: venies, carissima conjux, 110
Præveniesque etiam: sine me tibi ductor aquarum
Tibris, et armiferi sordebunt tecta Quirini.

LIBER QUARTUS.

AD MARCELLUM.

Inveni librum, Marcelle carissime, quem pietati tuæ dedicarem. Reor equidem aliter, quam invocato numine maximi imperatoris, nullum opusculum meum cœpisse. Sed hic liber tres.... habet. Sequitur quarta, quæ ad honorem tuum pertinet. Primo autem septimumdecimum Germanici nostri consulatum adoravi. Secundo gratias egi sacratissimis ejus epulis honoratus. Tertio viam Domitianam miratus sum, quæ gravissimam arenarum moram exemit: cujus beneficio tu quoque maturius epistolam meam accipies, quam tibi in hoc libro a Neapoli scribo. Proximum est lyricum carmen ad Septimium Severum, juvenem (uti scis) inter ornatissimos secundi ordinis, tuum quidem etiam condiscipulum; sed mihi contra hoc quoque jus, arctissime carum. Nam Vindicis nostri Herculem Epitrapezion, secundum honorem, quem de me, et de ipsis studiis meretur, imputare etiam tibi possum. Maximum Junium et dignitatis et eloquentiæ nomine a nobis diligi, satis eram testatus epistola, quam ad illum de editione Thebaidos meæ publicavi: sed nunc quoque eum reverti maturius e Dalmatia rogo. Juncta est Ecloga ad municipem meum Julium Menecratem, splendidum juvenem, et Pollii mei generum; cui gratulor, quod Neapolim nostram numero liberorum honestaverit. Plotio Grypho, majoris gradus juveni, dignius opusculum reddam: sed interim hendecasyllabos, quos Saturnalibus una risimus, huic volumini inserui. Quare ergo plura in quarto Sylvarum, quam in prioribus? Ne se putent aliquid egisse, qui reprehenderunt (ut audio) quod hoc styli genus edidissem. Primum, supervacuum est dissuadere rem factam. Deinde, multa ex illis jam Domino Cæsari dederam; at quanto hoc plus est, quam edere? Exercere autem jocos non licet? Si secreto, inquit. Sed et sphæromachias spectamus, et pilaris lusio admittitur. Novissime, quisquis ex meis invidus aliquid legit, statim se profitetur adversum: itaque consilio ejus accedam? In summa, nempe ego sum, qui traducor: taceat, et gaudeat. Hunc tamen librum tu, Marcelle, defendes. Et, si videtur, hactenus: sin minus, reprehendemur.

I. *XVII. consulatus Imp. Aug. Germanici Domitiani.*

Læta bis octonis accedit purpura fastis
Cæsaris, insignemque aperit Germanicus annum,
Atque oritur cum sole novo, cum grandibus astris
Clarius ipse nitens, et primo major Eoo.
Exsultent leges Latiæ: gaudete, curules; 5
Et septemgemino jactantior æthera pulset
Roma jugo: plusque ante alias Evandrius arces
Collis ovet: subiere novi Pallatia fasces,
Et requiem bis sextus honos, precibusque receptis
Curia Cæsareum gaudet vicisse pudorem. 10
Ipse etiam immensi reparator maximus ævi
Attollit vultus, et utroque a limine grates
Janus agit: quem tu, vicina Pace ligatum,
Omnia jussisti componere bella, novique
In leges jurare fori: levat ecce supinas 15
Hinc atque inde manus, geminaque hæc voce profatur:
Salve, magne parens mundi, qui sæcula mecum
Instaurare paras: talem te cernere semper
Mense meo tua Roma cupit: sic tempora nasci,
Sic annos intrare decet: da gaudia fastis 20
Continua; hos humeros multo sinus ambiat ostro,
Et properata tuæ manibus prætexta Minervæ.
Adspicis ut templis alius nitor, altior aris
Ignis, et ipsa meæ tepeant tibi sidera brumæ.
Fascibus ecce tuis gaudent turmæque, tribusque,
Purpureique patres; lucemque a consule ducit 26
Omnis honos. Quid tale, precor, prior annus habebat?
Dic age, Roma potens, et mecum longa Vetustas
Dinumera fastos; nec parva exempla recense,
Sed quæ sola meus dignetur vincere Cæsar. 30
Ter Latios deciesque tulit labentibus annis
Augustus fasces; sed cœpit sero mereri:
Tu juvenis prægressus avos. En quanta recusas,
Quanta vetas! flectere tamen, precibusque senatus
Permittes hanc sæpe diem: manet insuper ordo
Longior, et totidem felix tibi Roma curules 36
Terque quaterque dabit: mecum altera sæcula
Et tibi longævi revocabitur ara Terenti. [condes,
Mille tropæa feres: tantum permitte triumphos.
Restat Bactra novis, restat Babyiona tributis 40
Frenari: nondum in gremio Jovis Indica laurus;
Nondum Arabes Seresque rogant; nondum omnis honorem [menses.
Annus habet, cupiuntque decem tua nomina
Sic Janus, clausoque libens se poste recepit.
Tunc omen plausere fores, lætoque dederunt 45
Signa polo; longamque tibi, dux magne, juventam
Annuit, atque suos promisit Jupiter annos

II. *Eucharisticon ad Imp. Aug. Germanicum Domitianum.*

Regia Sidoniæ convivia laudat Elissæ,
Qui magnum Ænean Laurentibus intulit arvis:
Alcinoique dapes mansuro carmine monstrat
Æquore qui lento reducem consumsit Ulixen:
Ast ego, cui sacræ Cæsar nova gaudia cœnæ 5
Nunc primum, dominaque dedit considere mensa,
Qua celebrem mea vota lyra? quas solvere grates
Sufficiam? non si pariter mihi vertice læto
Nectat adoratas et Smyrna et Mantua lauros, 9
Digna loquar: mediis videor discumbere in astris
Cum Jove, et Iliaca porrectum sumere dextra
Immortale merum: steriles transmisimus annos;
Hæc ævi mihi prima dies, hic limina vitæ.
Tene ego, regnator terrarum, orbisque subacti
Magne parens, te, spes hominum, te, cura deorum,
Cerno jacens? datur hæc juxta, datur ora tueri
Vina inter mensasque, et non adsurgere fas est?
Tectum augustum, ingens, non centum insigne columnis,
Sed quantæ superos cœlumque, Atlante remisso,
Sustentare queant: stupet hoc vicina Tonantis 20
Regia, teque pari lætantur sede locatum
Numina, ne magnum properes exscendere cœlum:
Tanta patet moles, effusæque impetus aulæ
Liberior campis, multumque amplexus aperti
Ætheris, et tantum domino minor: ille penates
Implet, et ingenti Genio juvat. Æmulus illic 26
Mons Libys Iliacusque nitent, et multa Syene,
Et Chios, et glauca certantia Doride saxa,
Lunaque portandis tantum suffecta columnis.
Longa super species: fessis vix culmina prendas
Visibus, auratique putes laquearia cœli. 31
Hic cum Romuleos proceres, trabeataque Cæsar
Agmina mille simul jussit discumbere mensis,
Ipsa sinus accincta Ceres, Bacchusque laborant
Sufficere: ætherii felix sic orbita fluxit 35
Triptolemi: sic vitifero sub palmite nudos
Umbravit colles et sobria rura Lyæus.
Sed mihi non epulas, Indisve innixa columnis
Robora Maurorum, famulasve ex ordine turmas;
Ipsum, ipsum cupido tantum spectare vacavit 40
Tranquillum vultus, et majestate serena
Mulcentem radios, submittentemque modeste
Fortunæ vexilla suæ: tamen ore nitebat [tis
Dissimulatus honos: talem quoque barbarus hos-
Posset, et ignotæ conspectum agnoscere gentes.
Non aliter gelida Rhodopes in valle recumbit 46
Dimissis Gradivus equis: sic lubrica ponit
Membra Therapnæa resolutus gymnade Pollux:
Sic jacet ad Gangen, Indis ululantibus, Evan:
Sic gravis Alcides post horrida jussa novercæ 50
Gaudebat strato latus acclinare leoni. [tus:
Parva loquor, necdum æquo tuos, Germanice, vul-
Talis ubi Oceani finem, mensasque revisit
Æthiopum, sacro diffusus nectare vultus
Dux superûm, secreta jubet dare carmina Musas,
Et Pallenæos Phœbum laudare triumphos. 56
Di tibi (namque animas sæpe exaudire minores
Dicuntur) patriæ bis terque exire senectæ
Annuerint fines: rata numina miseris astris,
Templaque des, habilesque domos: sæpe annua pandas 60
Limina, sæpe novo Janum lictore salutes,
Sæpe coronatis iteres Quinquennia lustris.
Qua mihi felices epulas, mensæque dedisti
Sacra tuæ, talis longo post tempore venit
Lux mihi, Trojanæ qualis sub collibus Albæ 65
Cum modo Germanas acies, modo Daca sonantem
Prœlia, Palladio tua me manus induit auro.

III. *Via Domitiana.*

Quis duri silicis gravisque ferri
Immanis sonus æquori propinquum
Saxosæ latus Appiæ replevit?
Certe non Libycæ sonant catervæ,
Nec, dux advena, pejerate bello, 5
Campanos quatis inquietus agros:
Nec frangit vada, montibusque cæsis
Inducit Nero sordidas paludes.
Sed qui limina bellicosa Jani
Justis legibus, et foro coronat. 10
Qui castæ Cereri diu negata
Reddit jugera, sobriasque terras:
Qui fortem vetat interire sexum,
Et censor prohibet mares adultos
Pulchræ supplicium timere formæ: 15
Qui reddit Capitolio Tonantem,
Et Pacem propria domo reponit;
Qui genti patriæ futura semper
Sancit limina, Flaviumque cœlum;
Hic, cœno bibulo viam gravante, 20
Et campis iter amne detinente,
Longos eximit ambitus, novoque
Injectu solidat graves arenas;
Gaudens Euboicæ domum Sibyllæ,
Gauranosque sinus, et æstuantes 25
Septem montibus admovere Baias.
Hic quondam piger axe vectus uno
Nutabat cruce pendula viator;
Sorbebatque rotas maligna tellus;
Et plebs in mediis Latina campis 30
Horrebat mala navigationis:
Nec cursus agiles, et impeditum
Tardabant iter orbitæ jacentes,
Dum pondus nimium querens sub alta
Repit languida quadrupes statera. 35
At nunc, quæ solidum diem terebat,
Horarum via facta vix duarum.
Non tensæ volucrum per astra pennæ,
Nec velocius ibitis, carinæ.
Hic primus labor inchoare sulcos, 40
Et rescindere limites, et alto
Egestu penitus cavare terras:
Mox, haustas aliter replere fossas,
Et summo gremium parare dorso,
Ne nutent sola, ne maligna sedes, 45
Et pressis dubium cubile saxis.
Tunc umbonibus hinc et hinc coactis,
Et crebris iter alligare gomphis.
O quantæ pariter manus laborant!
Hi cædunt nemus, exuuntque montes, 50
Hi ferro scopulos trabesque lævant;
Illi saxa ligant, opusque texunt
Cocto pulvere sordidoque topho:
Hi siccant bibulas manu lacunas,
Et longe fluvios agunt minores. 55
Hæ possent et Athon cavare dextræ,
Et mæstum pelagus gementis Helles
Intercludere ponte non natanti.
His parvus, Lecheo nihil vetante,
Inous freta miscuisset Isthmos 60
Fervent littora, mobilesque sylvæ;
It longus medias fragor per urbes:
Atque echo simul hinc et inde fractam
Gauro Massicus uvifer remittit.
Miratur sonitum quieta Cyme, 65
Et Literna palus, pigerque Savo.

At flavum caput, humidumque late
Crinem mollibus impeditus ulvis
Vulturnus levat ora, maximoque
Pontis Cæsarei reclinis arcu 70
Pandis talia faucibus redundat:
Camporum bone conditor meorum,
Qui me vallibus aviis refusum
Et ripas habitare nescientem
Recti legibus alvei ligasti: 75
Et nunc ille ego turbidus minaxque,
Vix passus dubias prius carinas,
Jam pontem fero, perviusque calcor;
Qui terras rapere, et rotare sylvas
Assueram (pudet), amnis esse cœpi: 80
Et grates ago, servitusque tanti est,
Quod sub te duce, te jubente, cessi,
Quod tu maximus arbiter, meæque
Victor perpetuus legere ripæ.
Et nunc limite me colis beato, 85
Nec sordere sinis, malumque late
Deterges sterilis soli pudorem;
Nec me pulvereum, gravemque cœno
Tyrrheni sinus obruet profundi,
(Qualis Cinyphius tacente ripa 90
Pœnos Bagrada serpit inter agros,)
Sed talis ferar, ut nitente cursu
Tranquillum mare proximumque possim
Puro gurgite provocare Lirim.
Hæc amnis: pariterque se levabat 95
Ingenti plaga marmorata dorso:
Hujus janua, prosperumque limen
Arcus, belligeri Ducis tropæis
Et totis Ligurum nitens metallis,
Quantus nubila qui coronat imbri. 00
Illic flectitur exitus viarum;
Illic Appia se dolet relinqui.
Tunc velocior acriorque cursus,
Tunc ipsos juvat impetus jugales:
Ceu fessis ubi remigum lacertis 105
Prima carbasa ventilantur aura.
Ergo omnes, age, quæ sub axe primo
Romani colitis fidem parentis,
Prono limite commeate gentes.
Eoæ citius venite laurus; 110
Nil obstat cupidis, nihil moratur.
[Qui primo Tiberim reliquit ortu,
Primo vespere navigat Lucrinum.]
Sed quam fine viæ recentis imo,
Qua monstrat veteres Apollo Cumas, 115
Albam crinibus infulisque cerno?
Visu fallimur? an sacris ab antris
Profert Chalcidicas Sibylla laurus?
Cedamus; chely, jam repone cantus;
Vates sanctior incipit: tacendum est. 120
En! et colla rotat, novisque late
Bacchatur spatiis, viamque replet.
Tunc sic virgineo profatur ore:
Dicebam, veniet (manete campi
Atque amnis) veniet, favente cœlo, 125
Qui fœdum nemus et putres arenas
Celsis pontibus et via levabit.
En hic est deus; hunc jubet beatis
Pro se Jupiter imperare terris:
Quo non dignior has subît habenas, 130
Ex quo me duce præscios Averni
Æneas, avide futura quærens,
Lucos et penetravit et reliquit.
Hic paci bonus, hic timendus armis,
Natura melior potentiorque. 135
Hic si flammiferos teneret axes,
Largis, India, nubibus maderes,
Undaret Libye, teperet Hæmus.
Salve, dux hominum, parens deorum,
Prævisum mihi cognitumque numen. 140
Nec jam putribus evoluta chartis
Sollenni prece quindecim virorum
Perlustra mea dicta; sed canentem
Ipsam cominus ut mereris audi:
Vidi quam seriem morantis ævi 145
Pronectant tibi candidæ sorores:
Magnus te manet ordo sæculorum:
Natis longior abnepotibusque,
Annos perpetua geres juventa,
Quot fertur placidos obisse Nestor, 150
Quot Tithonia computat senectus,
Et quantos ego Delium poposci.
Juravit tibi jam nivalis Arctos;
Nunc magnos Oriens dabit triumphos.
Ibis qua vagus Hercules et Evan, 155
Ultra sidera, flammeumque solem,
Et Nili caput, et nives Atlantis:
Et laudum cumulo beatus omni
Scandes belliger, abnuesque currus:
Donec Troicus ignis, et renatæ 160
Tarpeius pater intonabit aulæ;
Hæc donec via, te regente terras,
Annosa magis Appia senescat.

IV. *Ad Victorium Marcellum Epistola.*

Curre per Euboicos non segnis, epistola, campos.
Hac ingressa vias, qua nobilis Appia crescit
In latus, et molles solidus premit agger arenas.
Atque ubi Romuleas velox penetraveris arces,
Continuo dextras flavi pete Tibridis oras, 5
Lydia qua penitus stagnum navale coercet
Ripa, suburbanisque vadum prætexitur hortis
Illic egregium formaque animisque videbis
Marcellum, et celso præsignem vertice nosces.
Cui primum solito vulgi de more salutem, 10
Mox inclusa modis hæc reddere verba memento:
Jam terras volucremque polum fuga veris aquosi
Laxat, et Icariis cœlum latratibus urit:
Ardua jam densæ rarescunt mœnia Romæ. 14
Hos Prænestе sacrum, nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens, aut Tuscula protegit umbra:
Tiburis hi lucos, Anienaque frigora captant.
Te quoque clamosæ quænam plaga mitior urbi
Subtrahit? æstivos quo decipis aere soles? 19
Quid tuus ante omnes, tua cura potissima, Gallus,
Nec non noster amor, dubium morumne proban-
Ingeniine bonis: Latiis æstivat in oris? [dus
Anne metalliferæ repetit jam mœnia Lunæ,
Tyrrhenasque domos? quod si tibi proximus
hæret,
Non ego nunc vestro procul a sermone recedo:
Certum est: inde sonus geminas mihi circuit
aures. 26
Sed tu, dum nimio possessa Hyperione flagrat
Torva Cleonæi juba sideris, exue curis
Pectus, et assiduo temet furare labori.
Et sontes operit pharetras, arcumque retendit 30
Parthus; et Eleos auriga laboribus actis
Alpheo permulcet equos: et nostra fatiscit
Laxaturque chelys: vires instigat alitque
Tempestiva quies: major post otia virtus.
Talis cantata Briseide venit Achilles 35
Acrior, et positis erupit in Hectora plectris.
Te quoque flammabit, Marcelle, petita parumper
Desidia, et solitos novus exsultabis in actus.
Certe jam Latiæ non miscent jurgia leges,

Et pacem piger annus habet, messesque reversæ
Dimisere forum : nec jam tibi turba reorum 41
Vestibulo, querulique rogant exire clientes.
Cessat centeni moderatrix judicis hasta,
Qua tibi sublimi jam nunc celeberrima fama
Eminet, et juvenes facundia præterit annos. 45
Felix curarum ! cui non Heliconia cordi
Serta, nec imbelles Parnassi e vertice laurus :
Sed viget ingenium, et magnos accinctus in usus
Fert animus quascunque vices : nos otia miti
Solamur cantu, ventosaque gaudia famæ 50
Quærimus. En egomet somnum, et geniale secutus
Littus, ubi Ausonio se condidit hospita portu
Parthenope, tenues ignavo pollice chordas
Pulso, Maroneique sedens in margine templi
Sumo animum, et magni tumulis adcanto magistri:
At tu, si longi cursum dabit Atropos ævi, 56
(Detque precor,) Latiique ducis si numina pergent, [nante,
Quem tibi posthabito studium est coluisse To-
Quique tuos alio subtexit munere fasces,
Et spatia antiquæ mandat renovare Latinæ ; 60
Forsitan Ausonias ibis frenare cohortes,
Aut Rheni populos, aut nigræ littora Thules,
Aut Istrum servare latus, metuendaque portæ
Limina Caspiacæ : nec enim tibi sola potentis
Eloquii virtus ; sunt membra accommoda bellis,
Quique gravem tarde subeant thoraca lacerti. 66
Seu campo pedes ire paras, est agmina supra
Nutaturus apex : seu frena sonantia flectes,
Serviet asper equus. Nos facta aliena canendo
Vergimur in senium : propriis tu pulcher in armis 70
Ipse canenda geres, patriæque exempla parabis.
Magna pater, dignosque etiamnum belliger actus
Poscit avus, præstatque domi novisse triumphos.
Surge agedum, juvenemque puer deprende parentem,
Stemmate materno felix, virtute paterna. 75
Jam te blanda sinu Tyrio sibi curia felix
Educat, et cunctas gaudet spondere curules.
Hæc ego Chalcidicis ad te, Marcelle, sonabam
Littoribus, fractas ubi Vesbius egerit iras,
Æmula Trinacriis volvens incendia flammis. 80
Mira fides ! credetne virûm ventura propago,
Cum segetes iterum, cum jam hæc deserta virebunt,
Infra urbes populosque premi, proavitaque toto
Rura abiisse mari ? necdum letale minari
Cessat apex : procul ista tuo sint fata Teate, 85
Nec Marrucinos agat hæc insania montes.
Nunc, si forte meis quæ sint exordia Musis
Scire petis, jam Sidonios emensa labores
Thebais optato collegit carbasa portu :
Parnassique jugis, sylvaque Heliconide festis 90
Thura dedit flammis, et virginis exta juvencæ,
Votiferaque meas suspendit ab arbore vittas.
Nunc vacuos crines alio subit infula nexu :
Troja quidem, magnusque mihi tentatur Achilles ;
Sed vocat arcitenens alio pater, armaque monstrat 95
Ausonii majora ducis : trahit impetus illo
Jam pridem, retrahitque timor : stabuntne sub illa
Mole humeri ? an magno vincetur pondere cervix?
Dic, Marcelle, feram ; fluctus an sueta minores
Nosse ratis, nondum Ioniis credenda periclis ? 100
Jamque vale, et penitus noti tibi vatis amorem
Corde exire veta : nec enim retinentius almæ
Pectus amicitiæ : cedit tibi gloria fidi
Theseos, et lacerum qui circa mœnia Trojæ
Priamiden cæso solatia traxit amico. 105

V. *Lyricum ad Septimium Severum.*

Parvi beatus ruris honoribus,
Qua prisca Teucros Alba colit Lares,
Fortem atque facundum Severum
Non solitis fidibus saluto.
Jam trux ad Arctos Parrhasias hiems 5
Concessit altis obruta solibus :
Jam pontus ac tellus renident,
Jam Zephyris Aquilo refractus.
Nunc cuncta vernans frondibus annuis
Crinitur arbos ; nunc volucrum novi 10
Questus, inexpertumque carmen,
Quod tacita statuere bruma.
Nos parca tellus, pervigil et focus,
Culmenque multo lumine sordidum
Solantur, exemtusque testa 15
Qua modo ferbuerat Lyæus.
Non mille balant lanigeri greges,
Nec vacca dulci mugit adultero :
Unique, si quando, canenti
Mutus ager domino reclamat. 20
Sed terra primis post patriam mihi
Dilecta curis : hic mea carmina
Regina bellorum virago
Cæsareo decoravit auro :
Cum tu sodalis dulce periculum 25
Connisus omni pectore tolleres,
Ut Castor ad cunctos tremebat
Bebryciæ strepitus arenæ.
Tene in remotis Syrtibus avia
Leptis creavit ? jam feret Indicas 30
Messes, odoratisque rara
Cinnama præripiet Sabæis.
Quis non in omni vertice Romuli
Reptasse dulcem Septimium putet ?
Quis fonte Juturnæ relictis 35
Uberibus neget esse pastum ?
Ne, mira virtus : protinus Ausonum
Portus dolosæ nescius Africæ
Intras, adoptatusque Tuscis
Gurgitibus puer innatasti. 40
Hic parvus, inter pignora curiæ,
Contentus arcto lumine purpuræ
Crescis ; sed immensos labores
Indole patricia secutus.
Non sermo Pœnus, non habitus tibi, 45
Externa non mens : Italus, Italus.
Sunt Urbe Romanisque turmis
Qui Libyam decorant alumni ?
Est et frementi vox habilis foro,
Venale sed non eloquium tibi ; 50
Ensisque vagina quiescit,
Stringere ni jubeant amici.
Sed rura cordi sæpius et quies,
Nunc in paternis sedibus et solo
Veiente, nunc frondosa supra 55
Hernica, nunc Curibus vetustis.
Hic plura pones vocibus et modis
Passu solutis : sed memor interim
Nostri, verecundo latentem
Barbiton ingemina sub antro. 60

VI. *Hercules Epitrapezios Nonii Vindicis.*

Forte remittentem curas, Phœboque levatum
Pectora, cum patulis tererem vagus otia septis
Jam moriente die, rapuit me cœna benigni
Vindicis : hæc imos animi perlapsa recessus
Inconsumta manet : neque enim ludibria ventri

Hausimus, aut epulas diverso e sole petitas, 6
Vinaque perpetuis ævo certantia fastis.
Ah miseri, quos nosse juvat, quid Phasidis ales
Distet ab hiberna Rhodopes grue: quis magis anser
Exta ferat: cur Tuscus aper generosior Umbro:
Lubrica qua recubent conchylia mollius alga. 11
Nobis verus amor, medioque Helicone petitus
Sermo, hilaresque joci brumalem absumere noctem
Suaserunt, mollemque oculis expellere somnum;
Donec ab Elysiis prospexit sedibus alter 15
Castor, et hesternas risit Tithonia mensas.
O bona nox, junctaque utinam Tirynthia luna!
Nox et Erythrææ Thetidis signanda lapillis,
Et memoranda diu, geniumque habitura perennem.
Mille ibi tunc species ærisque eborisque vetusti,
Atque locuturas mentito corpore ceras 21
Edidici: quis namque oculis certaverit usquam
Vindicis, artificum veteres agnoscere ductus,
Et non inscriptis auctorem reddere signis?
Hic tibi, quæ docto multum vigilata Myroni 25
Æra, laboriferi vivant quæ marmora cælo
Praxitelis, quod ebur Pisæo pollice rasum,
Quod Polycleteis jussum spirare caminis,
Linea quæ veterem longe fateatur Apellem,
Monstrabit: namque hæc, quoties chelyn exuit, illi
Desidia est; hic Aoniis amor avocat antris. 31
Hæc inter festæ Genius tutelaque mensæ
Amphitryoniades multo mea cepit amore
Pectora, nec longo satiavit lumina visu:
Tantus honos operi, finesque inclusa per arctos
Majestas: deus ille, deus; seseque videndum 36
Indulsit, Lysippe, tibi, parvusque videri,
Sentirique ingens: et cum mirabilis intra
Stet mensura pedem, tamen exclamare libebit,
Si visus per membra feras, Hoc pectore pressus
Vastator Nemees; hæc exitiale ferebant 41
Robur, et Argoos frangebant brachia remos.
Hoc spatio tam magna brevi mendacia formæ!
Quis modus in dextra, quanta experientia docti
Artificis, curtæ pariter gestamina mensæ 45
Fingere, et ingentes animo versare colossos?
Tale nec Idæis quicquam Telchines in antris,
Nec solidus Brontes, nec qui polit arma deorum
Lemnius, exigua potuisset ludere massa.
Nec torva effigies, epulisque aliena remissis; 50
Sed qualem parci domus admirata Molorchi,
Aut Aleæ lucis vidit Tegeæa sacerdos:
Qualis ab Œtæis emissus in astra favillis
Nectar adhuc torva lætus Junone bibebat.
Sic mitis vultus, veluti de pectore gaudens 55
Hortetur mensas. Tenet hæc marcentia fratris
Pocula, at hæc clavæ meminit manus: aspera sestinet occultum Nemeæo tegmine saxum. [des
Digna operi fortuna sacro: Pellæus habebat
Regnator lætis numen venerabile mensis, 60
Et comitem occasus secum portabat et ortus:
Prensabatque libens modo qua diademata dextra
Abstulerat dederatque, et magnas verterat urbes.
Semper ab hoc animos in crastina bella petebat:
Huic acies victor semper narrabat opimas, 65
Sive catenatos Bromio detraxerat Indos,
Seu clausam magna Babylona refregerat hasta,
Seu Pelopis terras, libertatemque Pelasgam
Obruerat bello: magnoque ex agmine laudum
Fertur Thebanos tantum excusasse triumphos. 70
Ille etiam, magnos fatis rumpentibus actus,
Cum traheret letale merum, jam mortis opaca
Nube gravis, vultus alios in numine caro
Æraque supremis timuit sudantia mensis.
Mox Nasamoniaco decus admirabile regi 75
Possessum, fortique deo libavit honores
Semper atrox dextra, perjuroque ense superbus
Hannibal. Italicæ perfusum sanguine gentis,
Diraque Romuleis portantem incendia tectis
Oderat, et cum epulas, et cum Lenæa dicaret 80
Dona, deus castris mærens comes isse nefandis.
Præcipue cum sacrilega face miscuit arces
Ipsius, immeritæque domos ac templa Sagunti
Polluit, et populis furias immisit honestas.
Nec post Sidonii letum ducis ære potita 85
Egregio plebeia domus: convivia Syliæ
Comebat, semper claros intrare penates
Adsuetum, et felix dominorum stemmate signum.
Nunc quoque (si mores humanaque pectora curæ
Nosse deis) non aula quidem, Tirynthie, nec te 90
Regius ambit honos: sed casta ignaraque culpæ
Mens domini, cui prisca fides, cœptæque perenne
Fœdus amicitiæ: scit adhuc florente sub ævo
Par magnis Vestinus avis, quem nocte dieque
Spirat, et in caræ vivit complexibus umbræ. 95
Hic igitur tibi læta quies, fortissime divûm
Alcide: nec bella vides pugnasque feroces,
Sed chelyn, et vittas, et amantes tempora laurus.
Hic tibi sollenni memorabit carmine, quantus
Iliacas Geticasque domos, quantusque nivalem
Stymphalon, [quantusque] jugis Erymanthon aquosis
Terrueris: quem te pecoris possessor Iberi,
Quem tulerit sævæ Mareoticus arbiter aræ.
Hic penetrata tibi spoliataque limina Mortis
Concinet, et flentes Libyæ Scythiæque puellas.
Nec te regnator Macetûm, nec barbarus unquam
Hannibal, aut sævi posset vox horrida Syllæ
His celebrare modis: certe tu muneris auctor
Non aliis malles oculis, Lysippe, probari.

VII. *Lyricum ad Maximum Junium.*

Jam diu lato spatiata campo
Fortis heroos Erato labores
Differ, atque ingens opus in minores
Contrahe gyros.
Tuque regnator lyricæ cohortis 5
Da novi paullum mihi jura plectri,
Si tuas cantu Latio sacravi,
Pindare, Thebas.
Maximo carmen tenuare tento:
Nunc ab intonsa capienda myrto 10
Serta; nunc major sitis, et bibendus
Castior amnis.
Quando te dulci Latio remittent
Dalmatæ montes; ubi Dite viso
Pallidus fossor redit, erutoque 15
Concolor auro?
Ecce me natum propiore terra
Non tamen portu retinent amœno
Desides Baiæ, liticenve notus
Hectoris armis. 20
Torpor est nostris sine te Camœnis;
Tardius sueto venit ipse Thymbræ
Rector, et primis meos ecce metis
Hæret Achilles.
Quippe te fido monitore nostra 25
Thebais multa cruciata lima
Tentat audaci fide Mantuanæ
Gaudia famæ.
Sed damus lento veniam, quod alma
Prole fundasti vacuos penates. 30

O diem lætum! venit ecce nobis
Maximus alter.
Orbitas omni fugienda nisu,
Quam premit votis inimicus hæres,
Optimo poscens (pudet heu) propinquum 35
Funus amico.
Orbitas nullo tumulata fletu:
Stat domo capta cupidus superstes
Imminens leti spoliis, et ipsum
Computat ignem. 40
Duret in longum generosus infans,
Perque non multis iter expeditum
Crescat in mores patrios, avumque
Provocet actis.
Tu tuos parvo memorabis enses, 45
Quos ad Eoum tuleris Orontem
Signa frenatæ moderatus alæ
Castore dextro:
Ille ut, invicti rapidum secutus
Cæsaris fulmen, refugis amaram 50
Sarmatis legem dederit, sub uno
Vivere cœlo.
Sed tuas artes puer ante discat,
Omne quîs mundi senium remensus
Orsa Sallusti brevis, et Timavi 55
Reddis alumnum.

VIII. *Ad Julium Menecratem ob prolem.*

Pande fores superûm, vittataque templa Sabæis
Nubibus, et pecudum fibris spirantibus imple.
Parthenope: clari genus ecce Menecratis auget
Tertia jam soboles: procerum tibi nobile vulgus
Crescit, et insani solatur damna Vesevi. 5
Nec solum festas secreta Neapolis aras
Ambiat: et socii portus, dilectaque mitis
Terra Dicarcheæ, nec non plaga cara madenti
Surrentina deo sertis altaria cingat;
Materni qua littus avi, quem turba nepotum 10
Circuit, et similes contendit reddere vultus.
Gaudeat et Libyca præsignis avunculus hasta,
Quæque sibi genitos putat, attollitque benigno
Polla sinu: macte, o juvenis, qui tanta merenti
Lumina das patriæ: dulci fremit ecce tumultu 15
Tot dominis clamata domus: procul atra recedat
Invidia, atque alio liventia pectora flectat.
His senium, longæque decus virtutis, et alba
Atropos, et patrias lauros promisit Apollo.
Ergo quod Ausoniæ pater augustissimus urbis 20
Jus tibi tergeminæ dederat lætabile prolis,
Omen erat: venit toties Lucina, piumque
Intravit repetita larem: sic fertilis, oro,
Stet domus, et donis nunquam viduata sacratis.
Macte, quod et proles tibi sæpius aucta virili 25
Robore: se juveni mediam dat virgo parenti:
[Aptior his virtus, citius dabit illa nepotes.]
Qualis maternis Helene jam digna palæstris
Inter Amyclæos reptabat candida fratres:
Vel qualis cœli facies, ubi nocte serena 30
Admovere jubar mediæ duo sidera lunæ.
Sed queror haud faciles, juvenum rarissime, questus,
Irascorque etiam, quantum irascuntur amantes.
Tantane me decuit vulgari gaudia fama
Noscere? cumque tibi vagiret tertius infans, 35
Protinus ingenti non venit nuntia cursu
Littera, quæ festos cumulare altaribus ignes,
Et redimire chelyn, postesque ornare juberet,
Albanoque cadum sordentem promere fumo,
Et cantu signare diem? sed tardus inersque 40
Nunc demum mea vota cano? tua culpa, tuusque
Hic pudor: ulterius sed enim producere questus
Non licet: en hilaris circumstat turba tuorum,
Defensatque patrem: quem non hoc agmine vincas?
Di patrii, quos auguriis super æquora magnis 45
Littus ad Ausonium devexit Abantia classis;
Tu, ductor populi longe emigrantis, Apollo,
Cujus adhuc volucrem læva cervice sedentem
Respiciens blande felix Eumelis adorat:
Tuque, Actæa Ceres, cursu cui semper anhelo 50
Votivam taciti quassamus lampada mystæ.
Et vos, Tyndaridæ, quos non horrenda Lycurgi
Taygeta, umbrosæve magis coluere Therapnæ,
Hos cum plebe sua patrii servate Penates. 54
Sint, qui fessam ævo crebrisque laboribus urbem
Voce opibusque juvent, viridique in nomine servent.
His placidos genitor mores, largumque nitorem
Monstret avus, pulchræ studium virtutis uterque.
Quippe et opes et origo sinunt, hanc lampade prima
Patricias intrare fores; hos pube sub ipsa 60
(Si modo prona bonis invicti Cæsaris adsint
Numina) Romulei limen pulsare senatus.

IX. *Risus Saturnalitius ad Plotium Gryphum.*

Est sane jocus iste, quod libellum
Misisti mihi, Gryphe, pro libello.
Urbanum tamen hoc potest videri,
Si post hoc aliquid mihi remittas.
Nam si ludere, Gryphe, perseveras, 5
Non ludis. Licet ecce computemus:
Noster purpureus, novusque charta,
Et binis decoratus umbilicis,
Præter me, mihi constitit decussi.
Tu rosum tineis situque putrem, 10
Quales aut Libycis madent olivis,
Aut thus Niliacum piperve servant,
Aut Byzantiacos olent lacertos;
Nec saltem tua dicta continentem,
Quæ trino juvenis foro tonabas, 15
Aut centum prope judices, priusquam
Te Germanicus arbitrum sequenti
Annonæ dedit, omniumque late
Præfecit stationibus viarum;
Sed Bruti senis oscitationes 20
De capsa miseri libellionis,
Emtum plus minus asse Caiano,
Donas. Usque adeone defuerunt
Cæsis pilea suta de lacernis,
Vel mantilia, luridæve mappæ, 25
Chartæ, Thebaicæve, caricæve?
Nusquam turbine conditus rubenti
Prunorum globus atque coctonorum?
Non ellychnia sicca, non replictæ
Bulborum tunicæ, nec ova tantum? 30
Non læves alicæ, nec asperum far?
Nusquam Cinyphiis vagata campis
Curvarum domus uda cochlearum?
Non lardum breve, debilisve perna,
Non Lucanica, non graves Falisci, 35
Non sal, oxygarumve, caseusve,
Aut panes viridantis aphronitri,
Vel passum psythiis suis recoctum,
Dulci defruta vel lutosa cœno?
Quantum vel dare cereos olentes, 40
Cultellum, tenuesve codicillos?
Ollares, rogo, non licebat uvas,
Cumano patinas vel orbe tortas,
Aut unam dare synthesin (quid horres?

Alborum calicum atque caccaborum? 45
Sed certa velut æquus in statera,
Nil mutas, sed idem mihi rependis.
Quid si, cum bene mane semicrudus
Illatam tibi dixero salutem,
Et tu me vicibus domi salutes? 50
Aut cum me dape juveris opima,
Exspectes similes et ipse cœnas!
Irascor tibi, Gryphe: sed valebis:
Tantum ne mihi, quo soles lepore,
Et nunc hendecasyllabos remittas 55

LIBER QUINTUS.

AD ABASCANTIUM.

Omnibus affectibus prosequenda sunt bona exempla, cum publice prosint. Pietas, quam Priscillæ tuæ præstas, et morum tuorum pars est, et nulli non conciliare te, præcipue marito, potest. Uxorem enim vivam amare voluptas est, defunctam religio. Ego tamen huic operi non ut unus e turba, nec tantum quasi officiosus adsilui: amavit enim uxorem meam Priscilla, et amando fecit mihi illam probatiorem: post hoc ingratus sum, si lacrymas tuas transeo. Præterea, latus omne divinæ domus semper demereri pro mea mediocritate connitor: nam qui bona fide deos colit, amat et sacerdotes. Sed quamvis propiorem nexum amicitiæ tuæ jampridem cuperem, mallem tamen nondum intervenisse materiam ..... *Reliqua desunt.*

I. *Abascantii in Priscillam pietas.*

Si manus aut similes docilis mihi fingere ceras,
Aut ebur impressis aurumve animare figuris;
Hinc, Priscilla, tuo solatia grata marito
Conciperem: namque egregia pietate meretur,
Ut vel Apelleo vultus signata colore, 5
Phidiaca vel nata manu reddare dolenti:
Sic auferre rogis umbram conatur, et ingens
Certamen cum morte gerit, curasque fatigat
Artificum, inque omni te quærit amare metallo.
Sed mortalis honos, agilis quem dextra laborat.
Nos tibi, laudati juvenis rarissima conjux, 11
Longa, nec obscurum finem latura, perenni
Tentamus dare justa lyra: modo dexter Apollo,
Quique venit juncto mihi semper Apolline Cæsar,
Annuat: haud alio melius condere sepulcro.
Sera quidem tanto struitur medicina dolori, 16
Altera cum volucrem Phœbi rota torqueat annum:
Sed cum plaga recens, et adhuc in vulnere primo
Ægra domus questu, miseram qui accessus ad au-
Conjugis orbati? tunc flere, et scindere vestes, [rem
Et famulos lassare greges, et vincere planctus,
Fataque et injustos rabidis pulsare querelis
Cœlicolas, solamen erat: licet ipse levandos
Ad gemitus sylvis comitatus et amnibus Orpheus
Afforet, atque omnis pariter matertera vatem, 25
Omnis Apollineus tegeret Bacchique sacerdos;
Nil cantus, nil fila deis pallentis Averni
Eumenidumque audita comis, mulcere valerent:
Tantus in attonito regnabat pectore luctus.
Nunc etiam ad planctus refugit jam plana cicatrix,
Dum canimus, gravibusque oculis uxorius instat
Imber: habentne pios etiamnum hæc lumina fle-
Mira fides! citius genitrix Sipylea feretur [tus!
Exhausisse genas; citius Tithonida mæsti
Deficient rores, aut exsiccata fatiscet 35
Mater Achilleis hiemes affrangere bustis.
Macte animi: notat ista deus, qui flectit habenas
Orbis, et humanos propior Jove digerit actus,
Mærentemque videt, lectique arcana ministri
Hinc etiam documenta capit, quod diligis umbram,
Et colis exsequias: hic est castissimus ardor; 41
Hic amor a Domino meritus censore probari
Nec mirum, si vos collato pectore mixtos
Junxit inabrupta Concordia longa catena.
Illa quidem nuptuque prior, tædasque marito
Passa alio; sed te ceu virginitate jugatum 46
Visceribus totis, animoque amplexa fovebat.
Qualiter æquævo sociatam palmite vitem
Ulmus amat, miscetque nemus, ditemque precatur
Autumnum, et caris gaudet redimita racemis. 50
Laudentur proavis, seu pulchræ munere formæ,
Quæ morum caruere bonis, falsoque potentes
Laudis egent veræ: tibi, quanquam et origo niteret
Et felix species, multumque optanda maritis,
Ex te major honos, unum novisse cubile, 55
Unum secretis agitare sub ossibus ignem.
Illum nec Phrygius vitiasset raptor amorem,
Dulichiive proci, nec qui fraternus adulter
Casta Mycenæo connubia polluit auro.
Si Babylonis opes, Lydæ si pondera gazæ, 60
Indorumque dares Serumque Arabumque poten-
Divitias, maluet cum paupertate pudica [tes
Intemerata mori, vitamque impendere famæ. [ror,
Nec frons triste rigens, nimiusque in moribus hor-
Sed simplex hilarisque fides, et mixta pudori 65
Gratia: quod si anceps metus ad majora vocasset,
Illa vel armiferas pro conjuge læta catervas,
Fulmineosque ignes, mediique pericula ponti
Exciperet: melius, quod non adversa probarunt,
Quæ tibi cura tori, quantus pro conjuge pallor.
Sed meliore via dextros tua vota marito 71
Promeruere deos; dum nocte dieque fatigas
Numina, dum cunctis supplex advolveris aris,
Et mitem Genium domini præsentis adoras.
Audita es, venitque gradu fortuna benigno. 75
Vidit quippe pii juvenis navamque quietem,
Intactamque fidem, succinctaque pectora curis,
Et vigiles sensus, et digna evolvere tantas
Sobria corda vices; vidit, qui cuncta suorum
Novit, et inspectis ambit latus omne ministris. 80
Nec mirum: videt ille ortus obitusque; quid Arctos,
Quid Boreas hibernus agat; ferrique togæque
Consilia; atque ipsam mentem probat: ille subactis

Molem immensam humeris, et vix tractabile pondus
Imposuit, (nec enim numerosior altera sacra 85
Cura domo,) magnum late dimittere in orbem
Romulei mandata Ducis, viresque modosque
Imperii tractare manu: quæ laurus ab Arcto,
Quid vagus Euphrates, quid ripa binominis Istri,
Quid Rheni vexilla ferant: quantum ultimus orbis
Cesserit, et refluo circumsona gurgite Thule. 91
Omnia nam lætas pila attollentia frondes,
Nullaque famosa signatur lancea penna.
Præterea, fidos dominus si dividat enses,
Pandere quis centum valeat frenare maniplis 95
Intermixtus equos: quis præcepisse cohorti:
Quem deceat clari præstantior ordo tribuni:
Quisnam frenigeræ signum dare dignior alæ.
Mille etiam prænosse vices: an merserit agros
Nilus, an imbrifero Libye sudaverit Austro. 100
Cunctaque si numerem, non plura interprete virga
Nuntiat e celsis ales Tegeaticus astris;
Quæque cadit liquidas Junonia virgo per auras,
Et picturato pluvium ligat aera gyro;
Quæque tuas laurus volucri, Germanice, cursu
Fama vehit prægressa diem, tardumque sub astris
Arcada, et in medio linquit Thaumantida cœlo.
Qualem te superi, Priscilla, hominesque benigno
Adspexere die, cum primum ingentibus actis
Admotus conjux! vicisti gaudia certe 110
Ipsius, effuso dum pectore prona sacratos
Ante pedes avide domini tam magna merentis
Volveris: Aonio non sic in vertice gaudet
Quam pater arcani præfecit hiatibus antri
Delius, aut primi cui jus venerabile thyrsi 115
Bacchus, et attonitæ tribuit vexilla catervæ.
Nec tamen hic mutata quies, probitasve secundis
Intumuit: tenor idem animo, moresque modesti
Fortuna crescente manent. Fovet anxia curas
Conjugis, hortaturque simul, flectitque labores.
Ipsa dapes modicas, et sobria pocula tradit, 121
Exemplumque ad herile movet: velut Appula
Agricolæ parci, vel sole infecta Sabino. [conjux
Quæ videt emeriti, jam prospectantibus astris,
Tempus adesse viri, propere mensasque torosque
Instruit, exspectatque sonum redeuntis aratri.
Parva loquor: tecum gelidas comes illa per Arctos, [Rheni
Sarmaticasque hyemes, Istrumque, et pallida
Frigora, tecum omnes animo durata per æstus,
Et, si castra darent, vellet gestare pharetras, 130
Vellet Amazonia latus intercludere pelta;
Dum te pulverea bellorum in nube videret
Cæsarei prope fulmen equi, divinaque tela
Librantem, et magnæ sparsum sudoribus hastæ.
Hactenus alma chelys: tempus nunc ponere frondes, 135
Phœbe, tuas, mæstaque comam damnare cupresso.
Quisnam impacata consanguinitate ligavit
Fortunam Invidiamque deus? quis jussit iniquas
Æternum bellare deas? nullamne notavit
Illa domum, torvo quam non hæc lumine figat 140
Protinus, et sæva perturbet gaudia dextra?
Florebant hilares inconcussique penates; [que,
Nil mæstum: quid enim, quamvis infida levis-
Cæsare tam dextro posset Fortuna timeri?
Invenere viam liventia Fata, piumque 145
Intravit vis sæva larem. Sic plena maligno
Afflantur vineta Noto: sic alta senescit
Imbre seges nimio: rapidæ sic obvia puppi
Invidet, et velis obnubilat aura secundis.
Carpitur eximium fato Priscilla decorem: 150
Qualiter alta comam sylvarum gloria pinus
Seu Jovis igne malo, seu jam radice soluta,
Deficit, et nulli spoliata remurmurat auræ. [sunt
Quid probitas, aut casta fides, quid numina pro-
Culta deûm? furvæ miseram circum undique leti
Vallavere plagæ: tenuantur dura sororum 156
Licia, et exacti superest pars ultima fili.
Nil famuli cœtus, nil ars operosa medentum
Auxiliata malis. Comites tamen undique ficto
Spem simulant vultu: flentem notat illa maritum.
Ille modo infernæ nequicquam flumina Lethes
Incorrupta rogat: nunc anxius omnibus aris 162
Illacrymat, signatque fores, et pectore terget
Limina: nunc magni vocat exorabile numen
Cæsaris. Heu durus fati tenor! estne quod illi
Non liceat? quantæ poterant mortalibus annis
Accessisse moræ, si tu, pater alme, teneres
Arbitrium! cæco gemeret Mors clausa barathro,
Longius et vacuæ posuissent stamina Parcæ. 169
Jamque cadunt vultus, oculisque novissimus error,
Obtusæque aures, nisi cum vox sola mariti
Noscitur: illum unum media de morte reversa
Mens videt: illum ægris circumdat fortiter ulnis
Immotas obversa genas; nec sole supremo
Lumina, sed dulci mavult satiare marito. 175
Tunc sic unanimum moriens solatur amantem:
Pars animæ victura meæ, cui linquere possem
O utinam, quos dura mihi rapit Atropos, annos,
Parce precor lacrymis, sævo nec concute planctu
Pectora, nec crucia fugientem conjugis umbram.
Linquo equidem thalamos, salvo tamen ordine,
Quod prior: exegi longa potiora senecta [mæsti
Tempora: vidi omni te pridem in flore nitentem,
Vidi altæ propius propiusque accedere dextræ.
Non in te fatis, non jam cœlestibus ullis 185
Arbitrium: mecum ista fero: tu limite cœpto
Tende libens, sacrumque latus, Geniumque potentem
Irrequietus ama: nunc, quod cupis ipse juberi,
Da Capitolinis æternum sedibus aurum,
Quo niteant sacri centeno pondere vultus 190
Cæsaris, et propriæ signent cultricis amorem
Sic ego nec Furias, nec deteriora videbo
Tartara, et Elysias felix admittar in oras.
Hæc dicit labens, sociosque amplectitur artus,
Hærentemque animam non tristis in ora mariti
Transtulit, et cara pressit sua lumina dextra. 196
At juvenis magno flammatus pectora luctu,
Nunc implet sævo viduos clamore penates:
Nunc ferrum laxare cupit: nunc ardua tendit
In loca: vix retinent comites: nunc ore ligato 200
Incubat amissæ, mersumque in corde dolorem
Sævus agit: qualis conspecto conjugis igne
Odrysius vates positis ad Strymona plectris
Obstupuit, tristemque rogum sine carmine flevit.
Ille etiam certæ rupisset tempora vitæ, 205
Ne tu Tartareum Chaos incomitata subires:
Sed prohibet mens fida Duci, jurataque sacris
Imperiis, et major amor. Quis carmine digno
Exsequias, et dona malæ feralia pompæ
Perlegat? omne illic stipatum examine longo 210
Ver Arabum Cilicumque fluit, floresque Sabæi,
Indorumque arsura seges, præreptaque templis
Thura, Palæstinique simul Phariique liquores,
Coryciæque comæ, Cinyreaque germina: et altis
Ipsa toris Serum, Tyrioque umbrata recumbit 215
Tegmine: sed toto spectatur in agmine conjux
Solus; in hunc magnæ flectuntur lumina Romæ,
Ceu juvenes natos suprema ad busta ferentem:
Is dolor in vultu; tantum crinesque genæque

Sordis habent. Illam tranquillo fine solutam 220
Felicemque vocant: lacrymas fudere marito.
Est locus ante urbem, qua primum nascitur ingens
Appia; quaque Italo gemitus Almone Cybelle
Ponit, et Idæos jam non reminiscitur amnes.
Hic te Sidonio velatam molliter ostro 225
Eximius conjux (nec enim fumantia busta
Clamoremque rogi potuit perferre) beato
Composuit, Priscilla, toro: nil longior ætas
Carpere, nil ævi poterunt vitiare labores
Siccatam membris; tantas venerabile marmor
Spirat opes: mox in varias mutata novaris 231
Effigies: hoc ære Ceres, hoc lucida Gnossis,
Illo Maia tholo, Venus hoc non improba saxo.
Accipiunt vultus haud indignata decoros
Numina. Circumstant famuli, consuetaque turba
Obsequiis: tum rite tori mensæque parantur 236
Assiduæ: domus ista, domus: quis triste sepul-
Dixerit? hac merito visa pietate mariti, [crum
Protinus exclames, Est hic, agnosco, minister
Illius, æternæ modo qui sacraria genti 240
Condidit, inque alio posuit sua sidera cœlo.
Sic ubi magna novum Phario de littore puppis
Solvit iter, jamque innumeros utrinque rudentes
Lataque veliferi porrexit brachia mali,
Invasitque vias; in eodem angusta phaselus 245
Æquore, et immensi partem sibi vindicat Austri.
Quid nunc immodicos, juvenum lectissime, fletus
Corde foves, longumque vetas exire dolorem?
Nempe times, ne Cerbereos Priscilla tremiscat
Latratus? tacet ille piis: ne tardior adsit 250
Navita, proturbetque vadis? vehit ille merentes
Protinus, et manes placidus locat hospite cymba.
Præterea, si quando pio laudata marito
Umbra venit, jubet ire faces Proserpina lætas,
Egressasque sacris veteres Heroidas antris 255
Lumine purpureo tristes laxare tenebras,
Sertaque et Elysios animæ præsternere flores.
Sic manes Priscilla subît; ubi supplice dextra
Pro te fata rogat, reges tibi tristis Averni
Placat, ut expletis humani finibus ævi 260
Pacantem terras Dominum, juvenemque relinquas
Ipse senex: certæ jurant in vota Sorores.

II. *Protrepticon ad Crispinum.*

Rura meus Tyrrhena petit, saltusque Tagetis
Crispinus: nec longa mora est, aut avia tellus;
Sed mea secreto velluntur pectora morsu,
Udaque turgentes impellunt lumina guttæ,
Ceu super Ægeas hiemes abeuntis amici 5
Vela sequar, spectemque ratem jam fessus ab altis
Rupibus, atque oculos longo querar aere vinci.
Quid si militiæ jam te, puer inclyte, primæ
Clara rudimenta, et castrorum dulce vocaret
Auspicium? quanto manarent gaudia fletu, 10
Quosve darem amplexus! et nunc optanda propinquant
Tristia? Et octonos bis jam tibi circuit orbes
Vita; sed angustis animus robustior annis,
Succumbitque oneri, et mentem sua non capit ætas.
Nec mirum: non te series inhonora parentum 15
Obscurum proavis, et priscæ lucis egentem,
Plebeia de stirpe tulit: non sanguine cretus
Turmali, trabeaque Remi; nec paupere clavo
Augustam sedem et Latii penetrale senatus
Advena pulsasti; sed præcedente tuorum 20
Agmine. Romulei qualis per munera Circi
Cum pulcher visu et titulis generosus avitis
Exspectatur equus, cujus de stemmate longo
Felix emeritos habet admissura parentes:
Illum omnes acuunt plausus, illum ipse volantem
Pulvis et incurvæ gaudent agnoscere metæ: 26
Sic te, clare puer, genitum sibi curia sensit,
Primaque patricia clausit vestigia luna.
Mox Tyrios ex more sinus, tunicamque potentem
Agnovere humeri. Sed enim tibi magna parabat
Ad titulos exempla pater: quippe ille juventam
Protinus ingrediens pharetratum invasit Araxem
Belliger, indocilemque fero servire Neroni
Armeniam: rigidi summam Mavortis agebat
Corbulo; sed comitem belli sociumque laborum
Ille quoque egregiis multum miratus in armis 36
Bolanum, atque illi curarum asperrima suetus
Credere, partirique metus: quod tempus amicum
Fraudibus, exserto quænam bona tempora bello,
Quæ suspecta fides, aut quæ fuga vera ferocis 40
Armenii, Bolanus iter prænosse timendum:
Bolanus tutis juga quærere commoda castris,
Metari Bolanus agros, aperire malignas [rendi
Tot veprum nemorumque moras; tantamque ve-
Mentem implere ducis, jussisque ingentibus unus
Sufficere: ipsa virum norat jam barbara tellus:
Ille secundus apex bellorum, et proxima cassis.
Sic Phryges attoniti, quanquam Nemeæa viderent
Arma, Cleonæusque acies impelleret arcus
Pugnante Alcide, tamen et Telamona timebant.
Disce, puer: nec enim externo monitore petendus
Virtutis tibi pulcher amor: cognata ministret
Laus animos: aliis Decii reducesque Camilli
Monstrentur; tu disce patrem; quantusque nigrantem
Fluctibus occiduis fessoque Hyperione Thulen
Intrarit mandata gerens; quantusque potentes
Mille urbes Asiæ sortito rexerit anno,
Imperium mulcente toga: bibe talia pronis 58
Auribus, hæc certent tibi conciliare propinqui:
Hæc iterent comites præcepta, senesque paterni.
Jamque adeo moliris iter, nec deside passu
Ire paras: nondum validæ tibi signa juventæ
Irrepsere genis, et adhuc decor integer ævi.
Nec genitor juxta; fatis namque haustus iniquis
Occidit, heu, geminam prolem sine præside linquens: 65
Nec saltem teneris ostrum puerile lacertis
Exuit, albentique humeros induxit amictu.
Quem non corrumpit pubes effrena, novæque
Libertas properata togæ? ceu nescia falcis
Sylva comas tollit, fructumque exspirat in umbras.
At tibi Pieriæ tenero sub pectore curæ, 71
Et pudor, et docti legem sibi dicere mores;
Tunc hilaris probitas, et frons tranquilla, nitorque
Luxuriæ confine timens, pietasque per omnes
Dispensata modos; æquævo cedere fratri, 75
Mirarique patrem, miseræque ignoscere matri.
Admonuit fortuna domus: tibine illa nefanda
Pocula, letalesque manu componere succos
Evaluit, qui voce potes prævertere morsus
Serpentum, atque omnes vultu placare novercas?
Infestare libet manes, meritoque precatu 81
Pacem auferre rogis: sed te, puer optime, cerno
Flectentem justis, et talia dicta parantem:
Parce, precor, cineri: fatum illud, et ira nocentum
Parcarum, crimenque dei, mortalia quisquis 85
Pectora sero videt, nec primo in limine sistit
Conatus scelerum, atque animos infanda parantes.
Excidat illa dies ævo, nec postera credant
Sæcula: nos certe taceamus, et obruta multa
Nocte tegi propriæ patiamur crimina gentis. 90
Exegit pœnas, hominum cui cura suorum
Quo Pietas auctore redit, terrasque revisit

Quem timet omne nefas: satis hæc, lacrymandaque nobis
Ultio: quin sævas utinam exorare liceret
Eumenidas, timidæque avertere Cerberon umbræ,
Immemoremque tuis citius dare manibus amnem.
Macte animo, juvenis: sic crescunt crimina ma-
Nec tantum pietas, sed protinus ardua virtus [tris.
Affectata tibi: nuper cum forte sodalis
Immeritæ falso palleret crimine famæ, 100
Erigeretque forum, succinctaque judice multo
Surgeret, et castum vibraret Julia fulmen;
Tu, quanquam non ante forum legesque severas
Passus, sed tacita studiorum occultus in umbra,
Defensare metus, adversaque tela subisti 105
Pellere, inermis adhuc et tiro, paventis amici.
Haud unquam tales adspexit Romulus annos,
Dardaniique senes, medii bellare togata
Strage fori: stupuere patres tentamina tanta
Conatusque tuos; pro te reus ipse timebat. 110
Par vigor est membris; promtæque ad fortia vires
Sufficiunt animo, atque ingentia jussa sequuntur.
Ipse ego te nuper Tiberino in littore vidi,
Qua Tyrrhena vadis Laurentibus æstuat unda,
Pendentem in cursus, vexantemque ilia nuda 115
Calce ferocis equi, vultu dextraque minacem;
Si qua fides dictis, stupui, Martemque putavi.
Gætulo sic pulcher equo, Trojanaque quassans
Tela, novercales ibat venator in agros
Ascanius, miseramque patri flagrabat Elissam. 120
Troilus haud aliter gyro leviore minantes
Eludebat equos: aut quem de turribus altis
Arcadas Ogygio versantem in pulvere turmas
Spectabant Tyriæ non torvo lumine matres.
Ergo age, nam magni Ducis indulgentia pulsat,
Certaque dat votis hilaris vestigia frater, 126
Surge animo, et fortes castrorum concipe curas.
Monstrabunt acies Mavors Actæaque virgo;
Flectere Castor equos, humeris quatere arma Quirinus,
Qui tibi tam tenero permisit plaudere collo 130
Nubigenas clypeos, intactaque cædibus arma.
Quasnam igitur terras, quem Cæsaris ibis in or-
Arctoosne amnes, et Rheni fracta natabis [bem?
Flumina? an æstiferis Libyæ sudabis in arvis?
An juga Pannoniæ, mutatoresque domorum 135
Sauromatas quaties? an te septenus habebit
Ister, et undoso circumflua conjuge Peuce?
An Solymum cinerem, palmetaque capta subibis
Non sibi felices sylvas ponentis Idumes?
Quod si te magno tellus frenata parenti 140
Accipiat, quantum ferus exsultabit Araxes!
Quanta Caledonios attollet gloria campos!
Cum tibi longævus referet trucis incola terræ,
Hic suetus dare thura parens; hoc cespite turmas
Affari: vigiles speculas, castellaque longe 145
Adspicis? ille dedit, cinxitque hæc mœnia fossa:
Belligeris hæc dona deis, hæc tela dicavit: [mis,
Cernis adhuc titulos: hunc ipse, vocantibus ar-
Induit, hunc regi rapuit thoraca Britanno.
Qualiter in Teucros victricia bella paranti 150
Ignotum Pyrrho Phœnix narrabat Achillem.
Felix, qui viridi fidens cœptaque juventa
Durabis quascunque vices, vallumque subibis
Forsan et ense latus (si numina principis adsint)
Cinctus, et unanimi comes indefessus amici; 155
Quo Pylades ex more pius, quo Dardana gessit
Bella Menœtiades: quippe hæc concordia vobis,
Hic amor est, duretque precor: nos fortior ætas
Jam fugit; hinc votis animum precibusque ju-
Hei mihi, sed cœtus solitos si forte ciebo, [vabo.
Et mea Romulei venient ad carmina patres, 161
Tu deeris, Crispine, mihi, cuneosque per omnes
Te meus absentem circumspectabit Achilles.
Sed venies melior, (vatum non irrita currunt
Omina,) quique aquilas tibi nunc et castra re-
cludit, 165
Idem omnes perferre gradus, cingique superbis
Fascibus, et patrias dabit insedisse curules.
Sed quis ab excelsis Trojanæ collibus Albæ,
Unde suæ juxta prospectat mœnia Romæ
Proximus ille deus, fama velocior intrat 170
Nuntius, atque tuos implet, Crispine, penates?
Dicebam certe, Vatum non irrita currunt
Auguria: en ingens reserat tibi limen honorum
Cæsar, et Ausonii committit munia ferri.
Vade, puer, tantisque enixus suffice donis. 175
Felix, qui magno jam nunc sub præside juras,
Cuique sacer primum tradit Germanicus ensem!
Non minus hoc, fortis quam si tibi panderet ipse
Bellipotens aquilas, torvaque induceret ora
Cassidе: vade alacer, majoraque disce mereri.

III. *Epicedion in patrem.*

Ipse malas vires, et lamentabile carmen
Elysio de fonte mihi, pulsumque sinistræ
Da, genitor perdocte, lyræ: neque enim antra moveri
Delia, nec solitam fas est impellere Cirrham
Te sine. Corycia quicquid modo Phœbus in umbra, 5
Quicquid ab Ismariis monstrabat collibus Evan,
Dedidici: fugere meos Parnassia crines
Vellera, funestamque hederis irrepere taxum
Extimui, trepidamque (nefas) arescere laurum;
Ille ego, magnanimûm qui facta attollere regum
Ibam altum spirans, Martemque æquare canendo.
Quis sterili mea corda situ, quis Apolline verso
Frigida damnatæ præduxit nubila menti?
Stant circum attonitæ vatem, et nil dulce sonantes
Nec digitis nec voce deæ: dux ipsa silenti 15
Fulta caput cithara, qualis post Orphea raptum
Adstitit, Hebre, tibi, cernens jam surda ferarum
Agmina, et immotos sublato carmine lucos.
At tu, seu membris emissus in ardua tendis
Fulgentesque plagas, rerumque elementa recenses,
Quis deus, unde ignes, quæ ducat semita solem,
Quæ minuat Phœben, quæque integrare latentem
Causa queat, doctique modos extendis Arati:
Seu tu Lethæi secreto in gramine campi 24
Concilia heroum juxta manesque beatos [bra
Mæonium Ascræumque senem non segnior um-
Accolis, alternumque sonas, et carmina misces;
Da vocem magno, pater, ingeniumque dolori.
Nam me ter relegens cœlo, terque ora retexens
Luna videt residem, nullaque Heliconide tristes
Solantem curas, tuus ut mihi vultibus ignis 31
Irrubuit, cineremque oculis humentibus hausi.
Vilis honos studiis: vix hæc in munera solvo
Primum animum, tacitisque situm depellere curis
Nunc etiam labente manu, nec lumine sicco 35
Ordior, acclinis tumulo, quo molle quiescis
Jugera nostra tenens; ubi post Æneia fata
Solatus, Latiis ingessit montibus Albam
Ascanius, Phrygio dum pingues sanguine campos
Odit, et infaustæ regnum dotale novercæ. 40
His ego te (nam Sicanii non mitius halat
Aura croci, dites nec sicubi rara Sabæi
Cinnama, odoratas nec Arabs decerpsit aristas)
Insertum cum laude locis, te carmine plango
Pierio · sume et gemitus, et munera nati, 45

Et lacrymas, cari quas nunquam habuere parentes.
Atque utinam fortuna mihi dare manibus aras,
Par templis opus, aeriamque educere molem,
Cyclopum scopulos ultra atque audacia saxa
Pyramidum, et magno tumulum prætexere luco!
Illic et Siculi superassem dona sepulcri, 51
Et Nemees lucum, et Pelopis sollennia trunci.
Illic Œbalio non finderet aera disco
Graiorum vis ulla virûm: non arva rigaret [po;
Sudor equûm, aut putri sonitum daret ungula cam-
Sed Phœbi simplex chorus: hic frondentia va-
Præmia laudato, genitor, tibi rite dicarem. [tum
Ipse madens lacrymis, umbrarum animæque sacerdos
Præciperem reditum, cui te nec Cerberus omni
Ore, nec Orpheæ quirent avertere leges: 60
Meque habitus moresque tuos et facta canentem
Fors et magniloquo non posthabuisset Homero,
Tenderet et torvo pietas æquare Maroni.
Cur magis incessat superos et aena sororum
Stamina, quæ tepido genitrix super aggere nati
Orba sedet? vel quæ primævi conjugis ignem 66
Adspicit, obstantesque manus turbamque tenentem
Vincit, in ardentem (liceat) moritura maritum?
Major certe illis superos et Tartara pulsem
Invidia: externis etiam miserabile visu 70
Funus eat. Sed nec modo se Natura dolenti,
Nec Pietas injusta dedit: mihi limine primo
Fatorum, et viridi, genitor, ceu raptus ab ævo
Tartara dura subis: nec enim Marathonia virgo
Parcius exstinctum sævorum crimine agrestum 75
Fleverit Icarium, Phrygia quam turre cadentem
Astyanacta parens: laqueo quin illa supremos
Inclusit gemitus; at te, post funera magni
Hectoris, Hæmonio pudor est servisse marito.
Non ego, quas fati certus sibi voce canora 80
Inferias præmittit olor, nec rupe quod atra
Tyrrhenæ volucres nautis prædulce minantur,
In patrios adhibebo rogos: non murmure trunco
Quod gemit, et diræ queritur Philomela sorori;
Nota nimis vati: quis non in funera cunctos 85
Heliadum ramos, lacrymosaque germina duxit,
Et Phrygium silicem, atque ausum contraria Phœbo
Carmina, nec fœda gavisam Pallada buxo?
Te Pietas oblita virûm, revocataque cœlo
Justitia, et gemina plangat Facundia lingua, 90
Et Pallas, doctique cohors Heliconia Phœbi;
Quîs honor Aonios seno pede ducere cantus,
Et quibus Arcadia carmen testudine mensis
Cura lyræ, nomenque fuit; quosque orbe sub
Ardua septena numerat Sapientia fama; [omni
Qui furias, regumque dolos, aversaque cœlo 96
Sidera terrifico super intonuere cothurno;
Et quîs lasciva vires tenuare Thalia
Dulce, vel heroos gressu truncare tenores: [tor,
Omnia namque animo complexus, et omnibus auc-
Qua fandi vis lata patet; sive orsa libebat 101
Aoniis vincire modis, seu voce soluta
Spargere, et effreno nimbos æquare profatu.
Exere semiustos Vesuvino pulvere vultus,
Parthenope, crinemque afflatu montis adustum
Pone super tumulos et magni funus alumni, 106
Quo non Munychiæ quicquam præstantius arces,
Doctave Cyrene, Sparteve animosa creavit.
Si tu stirpe vetus, famæque obscura jaceres,
Nil gentile tumens, illo te cive probares 110
Graiam, atque Euboico majorum sanguine duci.
Ille tuis toties præstrinxit tempora sertis,
Cum stata laudato caneret Quinquennia versu,
Ora supergressus Pylii senis, oraque regis
Dulichii, specieque comam subnexus utraque.
Non tibi deformes obscuri sanguinis ortus, 116
Nec sine luce genus, quanquam fortuna parentum
Arctior expensis; etenim te divite ritu
Ponere purpureos infantia adegit amictus
Stirpis honore datos, et nobile pectoris aurum.
Protinus exorto dextrum risere sorores 121
Aonides, pueroque chelyn submisit, et ora
Imbuit amne sacro, jam tum tibi blandus, Apollo.
Nec simplex patriæ decus, et natalis origo
Pendet ab ambiguo geminæ certamine terræ. 125
Te de gente suum Latiis adscita colonis
Graia refert Selle, Phrygius qua puppe magister
Excidit, et mediis miser evigilavit in undis;
Parthenopeque suum longo probat ordine vitæ.
* * * * * * * *
Mæoniden, aliæque aliis natalibus urbes 130
Diripiunt, cunctæque probant: non omnibus ille
Verus: alit victos immanis gloria falsi.
Atque ibi dum profers annos, vitamque salutas,
Protinus ad patrii raperis certamina lustri
Vix implenda viris, laudum festinus, et audax
Ingenii: stupuit primæva ad carmina plebes 136
Euboea, et natis te monstravere parentes.
Inde frequens pugnæ, nulloque ingloria sacro
Vox tua: non toties victorem Castora gyro,
Nec fratrem cæstu virides plausere Therapnæ.
Sit pronum vicisse domi: quid Achæa mereri
Præmia, nunc ramis Phœbi, nunc germine Lernæ,
Nunc Athamantea protectum tempora pinu?
Cum toties lassata tamen nusquam avia frondes
Abstulit, aut alium tetigit Victoria crinem. 145
Hinc tibi vota patrum credi, generosaque pubes
Te monitore regi, moresque et facta priorum
Discere: quis casus Trojæ; quam tardus Ulixes;
Quantus equos pugnasque virûm decurrere versu
Mæonides; quantumque pios ditarit agrestes
Ascræus Siculusque senex; qua lege recurrat
Pindaricæ vox flexa lyræ, volucrumque precator
Ibycus, et tetricis Alcman cantatus Amyclis,
Stesichorusque ferox, actusque egressa viriles
Non formidata temeraria Leucade Sappho; 155
Quosque alios dignata chelys: tu pandere doctus
Carmina Battiadæ, latebrasque Lycophronis atri,
Sophronaque implicitum, tenuisque arcana Corinnæ.
Sed quid parva loquor? tu par adsuetus Homero
Ferre jugum, senosque pedes æquare solutis 160
Versibus, et nunquam passu breviore relinqui.
Quid mirum, patria si te petiere relicta,
Quos Lucanus ager, rigidi quos jugera Dauni,
Quos Veneri plorata domus, dilectaque tellus
Alcidæ, vel quos e vertice Surrentino 165
Mittit Tyrrheni speculatrix virgo profundi?
Quos propiore sinu lituo remoque notatus
Collis, et Ausonii pridem laris hospita Cyme:
Quosque Dicarchei portus, Baianaque mittunt
Littora, qua mediis alte permixtus anhelat 170
Ignis aquis, et operta animos incendia servant.
Sic ad Avernales scopulos et opaca Sibyllæ
Antra, rogaturæ veniebant undique gentes:
Illa minas divûm, Parcarumque acta canebat,
Quamvis decepto vates non irrita Phœbo. 175
Mox et Romuleam stirpem, proceresque futuros
Instruis, inque patrum vestigia ducere perstas.
Sub te Dardanius facis explorator opertæ,
Qui Diomedei celat penetralia furti, [bare
Crevit, et inde sacrum didicit puer: arma pro

Monstrasti Saliis, præsagumque æthera certis
Auguribus; cui Chalcidicum fas volvere carmen,
Lanea cui Phrygii coma flaminis: et tua multum
Verbera succincti formidavere Luperci.
Et nunc ex illo forsan grege, gentibus alter 185
Jura dat Eois, alter compescit Iberos,
Alter Achæmenium secludit Zeugmate Persen:
Hi dites Asiæ populos, hi Pontica frenant,
Hi fora pacificis emendant fascibus, illi
Castra pia statione tenent: tu laudis origo. 190
Non tibi certasset juvenilia fingere corda
Nestor, et indomiti Phœnix moderator alumni,
Quique tubas acres, lituosque audire volentem
Æaciden alio frangebat carmine Chiron.
Talia dum celebras, subitam civilis Erinnys 195
Tarpeio de monte facem, Phlegræaque movit
Prœlia: sacrilegis lucent Capitolia tædis,
Et Senonum furias Latiæ sumsere cohortes.
Vix requies flammæ, nec dum rogus ille deorum
Siderat, excisis cum tu solatia templis 200
Impiger, et multum facibus velocior ipsis,
Concipis ore pio, captivaque fulmina defles.
Mirantur Latii proceres, ultorque deorum
Cæsar, et e medio divûm pater annuit igni.
Jamque et flere pio Vesuvina incendia cantu 205
Mens erat, et gemitum pâtriis impendere damnis,
Cum pater exemtum terris ad sidera montem
Sustulit, et late miseras dejecit in urbes.
Me quoque vocales lucos lustrataque Tempe
Pulsantem, cum stirpe tua descendere dixi, 210
Admisere deæ: nec enim mihi sidera tanti,
Æquoraque, et terras, quam vos, debere parenti.
Tu decus hoc quodcunque lyræ, primusque dedisti
Non vulgare loqui, et famam sperare sepulcro.
Qualis eras, Latios quoties ego carmine patres
Mulcerem, felixque tui spectator adesses 216
Muneris! heu quali confusus gaudia fletu,
Vota piosque metus inter, lætumque pudorem!
Quam tuus ille dies! quam non mihi gloria major!
Talis Olympiaca juvenem cum spectat arena 220
Qui genuit, plus ipse ferit, plus corde sub alto
Cæditur: attendunt cunei; spectatur athletes
Ille magis, crebro dum lumina pulveris haustu
Obruit, et prensa vovet exspirare corona.
Hei mihi, quod tantum patrias ego verticefrondes,
Solaque Chalcidicæ Cerealia dona coronæ
Te sub teste tuli! qualem te Dardanus Albæ
Vix cepisset ager, si per me serta tulisses
Cæsarea donata manu! quod subdere robur
Illa dies, quantum potuit demsisse senectæ! 230
Heu quod me mixta quercus non pressit oliva,
Et fugit speratus honos, cum lustra parentis
Invida Tarpeii canerem! Te nostra magistro
Thebais urgebat priscorum exordia vatum:
Tu cantus stimulare meos: tu pandere facta 235
Heroum, bellique modos, positusque locorum
Monstrabas: labat incerto mihi limite cursus
Te sine, et orbatæ caligant vela carinæ.
Nec solum larga memet pietate fovebas:
Talis et in thalamos: una tibi cognita tæda 240
Connubia, unus amor: certe sejungere matrem
Jam gelidis nequeo bustis; te sentit, habetque,
Te videt, et tumulos ortuque obituque salutat,
Ut Pharios aliæ ficta pietate dolores
Mygdoniosque colunt, et non sua funera plorant.
Quid referam expositos servato pondere mores;
Quæ pietas; quam vile lucrum; quæ cura pudoris;
Quantus amor recti; rursusque, ubi dulce remitti,
Gratia quæ dictis; animo quam nulla senectus?
His tibi pro meritis famam laudesque benignas
Vindex cura deum, nulloque e vulnere tristes,
Concessit: raperis, genitor, non indigus ævi,
Non nimius, trinisque decem quinquennia lustris
Juncta ferens: sed me pietas numerare dolorque
Non sinit: o Pylias ævi transcendere metas, 255
Et Teucros æquare senes, o digne videre
Me similem! sed nec leti tibi janua tristis:
Quippe leves causæ, nec segnis tabe senili
Exitus instanti præmisit membra sepulcro;
Sed te torpor iners, et mors imitata quietem 260
Explicuit, falsoque tulit sub Tartara somno.
Quos ego tunc gemitus! comitum manus anxia vidit,
Vidit et exemplum genitrix, gavisaque vovit
Quæ lamenta tuli: veniam concedite, manes;
Fas dixisse, pater: non tu mihi plura dedisses.
Felix ille patrem vacuis circumdedit ulnis, 266
Vellet et, Elysia quamvis in sede locatum,
Abripere, et Danaas iterum portare per umbras,
Tentantem, et vivos molitum in Tartara gressus
Retulit infernæ vates longæva Dianæ. 270
Si chelyn Odrysiam pigro transmisit Averno
Causa minor; si Thessalicas Admeton in oras,
Si conjux retro Phylaceida retulit umbram,
Cur nihil exoret, genitor, chelys aut tua manes,
Aut mea? fas mihi sit patrios contingere vultus,
Fas junxisse manus, et lex quæcunque sequatur.
At vos, umbrarum reges, Ennæaque Juno, 277
Si laudanda precor, tædas auferte comasque
Eumenidum: nullo sonet asper janitor ore: [tra
Centaurosque, Hydræque greges, Scyllæaque mons-
Aversæ celent valles; umbramque senilem 281
Invitet ripis discussa plebe supremis
Vector, et in media componat molliter alga.
Ite, pii manes, Graiûmque examina vatum,
Illustremque animam Lethæis spargite sertis,
Et monstrate nemus, quo nulla irrupit Erinnys,
In quo falsa dies, cœloque simillimus aer.
Inde tamen venias melior, qua porta malignum
Cornea vincit ebur, somnique in imagine monstra
Quæ solitus. Sic sacra Numæ, ritusque colendos
Mitis Aricino dictabat Nympha sub antro: 291
Scipio sic plenos Latio Jove ducere somnos
Creditur Ausoniis, et non sine Apolline Sylla.

IV. *Ad Somnum.*

Crimine quo merui juvenis, placidissime divûm,
Quove errore miser, donis ut solus egerem,
Somne, tuis? tacet omne pecus, volucresque, feræque,
Et simulant fessos curvata cacumina somnos:
Nec trucibus fluviis idem sonus; occidit horror
Æquoris, et terris maria acclinata quiescunt.
Septima jam rediens Phœbe mihi respicit ægras
Stare genas, totidem Œtææ, Paphiæque revisunt
Lampades, et toties nostros Tithonia questus
Præterit, et gelido tangit miserata flagello. 10
Unde ego sufficiam? non si mihi lumina mille
Quæ sacer alterna tantum statione tenebat
Argus, et haud unquam vigilabat corpore toto
At nunc fors aliquis longa sub nocte, puellæ
Brachia nexa tenens, ultro te, Somne, repellit. 15
Inde veni: nec te totas infundere pennas
Luminibus compello meis; hoc turba precetur
Lætior: extremo me tange cacumine virgæ,
(Sufficit,) aut leviter suspenso poplite transi.

V. *Epicedion in puerum suum.*

Me miserum! (neque enim verbis sollennibus ullis
Incipiam nunc Castaliæ vocalibus undis

Invisus, Phœboque gravis) quæ vestra, sorores,
Orgia, Pieriæ, quas incestavimus aras?
Dicite: post pœnam liceat commissa fateri. 5
Numquid inaccesso posui vestigia luco?
Num vetito de fonte bibi? quæ culpa, quis error,
Quem luimus tantis mæroribus? ecce lacertis
Viscera nostra tenens animamque avellitur infans.
Non de stirpe quidem, nec qui mea nomina ferret
Oraque; non fueram genitor: sed cernite fletus,
Liventesque genas, et credite planctibus orbi:
Orbus ego. Huc patres, et apertæ pectora matres
Conveniant, crinesque rogis et munera ferte.
Si qua sub uberibus plenis ad funera natos 15
Ipsa gradu labente tulit, madidumque cecidit
Pectus, et ardentes restinxit lacte favillas;
Quisquis adhuc teneræ signatum flore juventæ
Immersit cineri juvenem, primaque jacentis
Serpere crudeles vidit lanugine flammas, 20
Adsit, et alterno mecum clamore fatiscat:
Vincetur lacrymis, et te, Natura, pudebit:
Tanta mihi feritas, tanta est insania luctus.
Hoc quoque cum ..... ter dena luce peracta
Acclinis tumulo, luctus in carmina verto, 25
Discordesque modos et singultantia verba
Molior: orsa ..... est, atque ira tacendi
Impatiens: sed nec solitæ mihi vertice laurus,
Nec fronti vittatus honos: en taxea marcet
Sylva comis, hilaresque hederas plorata cupressus
Excludit ramis: ignavo pollice chordas 31
Pulso; sed incertam digitis errantibus amens
Tundo chelyn: juvat heu, juvat illaudabile carmen
Fundere, et incomtu miserum nudare dolorem.
Sic merui; sic me cantuque habituque nefastum
Adspiciant superi: pudeat Thebasque novumque
Æaciden: nil jam placitum manabit ab ore.
Ille ego qui toties blandus matrumque patrum-
Vulnera, qui vivos potui mulcere dolores; [que
Ille ego lugentum mitis solator, acerbis 40
Auditus tumulis, et descendentibus umbris,
Deficio, medicasque manus, fomentaque quæro
Vulneribus, sed summa, meis. Nunc tempus, amici,
Quorum ego manantes oculos et saucia tersi
Pectora, reddere opem, sævasque exsolvere grates.
Nimirum tunc vestra domans ego vulnera, mæstos
Increpui: nunc damna dolens alterna, reposco
Infelix lacrymas, et tristia carmina quæro.
Verum erat: absumtæ vires, et copia fandi
Nulla mihi, dignumque nihil mens fulmine tanto
Reperit: inferior vox omnis, et omnia sordent
Verba: ignosce, puer: tu me caligine mersum
Obruis ah dira: viso sic vulnere caræ
Conjugis, invenit caneret quod Thracius Orpheus
Dulce sibi: sic busta Lini complexus Apollo 55
Non tacuit. Nimius fortasse, avidusque doloris
Dicar, et in lacrymis justum excessisse pudorem.
Quisnam autem gemitus lamentaque nostra reprendit?
O nimium felix, nimium crudelis, et expers
Imperii, Fortuna, tui, qui dicere legem 60
Fletibus, aut fines audet censere dolendi!
Incitat (heu) planctus: potius fugientia ripas
Flumina devincas, rapidis aut ignibus obstes,
Quam miseros lugere vetes. Tamen ille severus,
Quisquis is est, nostræ cognoscat vulnera causæ,
Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
Delicias, doctumque sui convicia Nili
Infantem, lingua nimium, salibusque protervum,
Dilexi: meus ille, meus: tellure cadentem
Excepi, et vinctum genitali carmine fovi, 70
Pulsantemque novas tremulis ululatibus auras
Inserui vitæ: quid plus tribuere parentes?
Quin alios ortus, libertatemque sub ipsis
Uberibus tibi, parve, dedi: tu munera nostra
Ridebas, ignarus adhuc: properaverat ille, 75
Sed merito properabat, amor; ne perderet ullum
Libertas tam parva diem. Nonne horridus ipsos
Invidia superos, injustaque Tartara pulsem?
Nonne gemam te, care puer? quo sospite natos
Non cupii; primo gremium qui protinus ortu 80
Applicui; fixique meum cui verba sonosque
Monstravi, questusque et murmura cæca resolvens
Reptantemque solo demissus ad oscula dextra
Erexi; blandoque sinu jam jamque natantes
Excepisse genas, dulcesque accersere somnos.
Cui nomen vox prima meum, ludusque tenello
Risus, et e nostro veniebant gaudia vultu.
* * * * * * * *

Desunt cætera.

THEBAIDOS

LIBER PRIMUS.

Fraternas acies, alternaque regna profanis
Decertata odiis, sontesque evolvere Thebas,
Pierius menti calor incidit. Unde jubetis
Ire, deæ? gentisne canam primordia diræ,
Sidonios raptus, et inexorabile pactum [mum?
Legis Agenoreæ, scrutantemque æquora Cad-
Longa retro series, trepidum si Martis operti
Agricolam infandis condentem prœlia sulcis
Expediam, penitusque sequar quo carmine muris
Jusserit Amphion Tyrios accedere montes; 10
Unde graves iræ cognata in mœnia Baccho,
Quod sævæ Junonis opus, cui sumserit arcum
Infelix Athamas, cur non expaverit ingens
Ionium socio casura Palæmone mater
Atque adeo jam nunc gemitus et prospera Cadmi
Præteriisse sinam: limes mihi carminis esto
Œdipodæ confusa domus: quando Itala nondum
Signa, nec Arctoos ausim sperare triumphos,
Bisque jugo Rhenum, bis adactum legibus Istrum,
Et conjurato dejectos vertice Dacos: 20
Aut defensa prius vix pubescentibus annis
Bella Jovis. Tuque, o Latiæ decus addite famæ,
Quem nova maturi subeuntem exorsa parentis
Æternum sibi Roma cupit; licet arctior omnes

Limes agat stellas, et te plaga lucida cœli 25
Pleiadum, Boreæque, et hiulci fulminis expers
Sollicitet; licet ignipedum frenator equorum
Ipse tuis alte radiantem crinibus arcum
Imprimat, aut magni cedat tibi Jupiter æqua
Parte poli; maneas hominum contentus habenis,
Undarum terræque potens, et sidera dones. 31
Tempus erit, cum Pierio tua fortior œstro
Facta canam: nunc tendo chelyn: satis arma referre
Aonia, et geminis sceptrum exitiale tyrannis,
Nec furiis post fata modum, flammasque rebelles
Seditione rogi, tumulisque carentia regum 36
Funera, et egestas alternis mortibus urbes:
Cærula cum rubuit Lernæo sanguine Dirce,
Et Thetis arentes adsuetum stringere ripas
Horruit ingenti venientem Ismenon acervo. 40
Quem prius heroum, Clio, dabis? immodicum iræ
Tydea? laurigeri subitos an vatis hiatus,
Urget et hostilem propellens cædibus amnem
Turbidus Hippomedon, plorandaque bella protervi
Arcados, atque alio Capaneus horrore canendus.
Impia jam merita scrutatus lumina dextra 46
Merserat æterna damnatum nocte pudorem
Œdipodes, longaque animam sub morte tenebat.
Illum indulgentem tenebris, imæque recessu
Sedis inaspectos cœlo radiisque penates 50
Servantem, tamen assiduis circumvolat alis
Sæva dies animi, scelerumque in pectore diræ.
Tunc vacuos orbes, crudum ac miserabile vitæ
Supplicium, ostentat cœlo, manibusque cruentis
Pulsat inane solum, sævaque ita voce precatur:
Di, sontes animas angustaque Tartara pœnis 56
Qui regitis, tuque umbrifero Styx livida fundo,
Quam video, multumque mihi consueta vocari
Annue, Tisiphone, perversaque vota secunda:
Si bene quid merui, si me de matre cadentem 60
Fovisti gremio, et trajectum vulnere plantas
Firmasti: si stagna petî Cirrhæa bicorni
Interfusa jugo, possem cum degere falso
Contentus Polybo, trifidæque in Phocidos arcto
Longævum implicui regem, secuique trementis
Ora senis, dum quæro patrem: si Sphingos ini-
Callidus ambages te præmonstrante resolvi: [quæ
Si dulces furias, et lamentabile matris
Connubium gavisus inî, noctemque nefandam
Sæpe tuli, natosque tibi (scis ipsa) paravi: 70
Mox avidus pœnæ digitis cædentibus ultro
Incubui, miseraque oculos in matre reliqui;
Exaudi, si digna precor, quæque ipsa furenti
Subjiceres: orbum visu regnisque parentem
Non regere, aut dictis mærentem flectere adorti
Quos genui, quocunque toro: quin ecce superbi
(Pro dolor) et nostro jamdudum funere reges
Insultant tenebris, gemitusque odere paternos.
Hisne etiam funestus ego? et videt ista deorum
Ignavus genitor? tu saltem debita vindex 80
Huc ades, et totos in pœnam ordire nepotes.
Indue quod madidum tabo diadema cruentis
Unguibus arripui, votisque instincta paternis
I media in fratres; generis consortia ferro
Dissiliant: da, Tartarei regina barathri, 85
Quod cupiam vidisse nefas: nec tarda sequetur
Mens juvenum; modo digna veni, mea pignora
Talia jactanti crudelis diva severos [nosces.
Advertit vultus: inamœnum forte sedebat
Cocyton juxta, resolutaque vertice crines 90
Lambere sulfureas permiserat anguibus undas.
Ilicet igne Jovis, lapsisque citatior astris
Tristibus exsiluit ripis: discedit inane [bras
Vulgus, et occursus dominæ pavet: illa per um-
Et caligantes animarum examine campos 95
Tænariæ limen petit irremeabile portæ.
Sensit adesse dies: piceo nox obvia nimbo
Lucentes turbavit equos: procul arduus Atlas
Horruit, et dubia cœlum cervice remisit.
Arripit extemplo Maleæ de valle resurgens 100
Notum iter ad Thebas: neque enim velocior ullas
Itque reditque vias, cognatave Tartara mavult.
Centum illi stantes umbrabant ora cerastæ,
Turba minor diri capitis: sedet intus abactis
Ferrea lux oculis: qualis per nubila Phœbes 105
Atracia rubet arte labor: suffusa veneno
Tenditur, ac sanie gliscit cutis: igneus atro
Ore vapor, quo longa sitis, morbique, famesque,
Et populis mors una venit: riget horrida tergo
Palla, et cærulei redeunt in pectora nodi. 110
Atropos hos, atque ipsa novat Proserpina cultus.
Tum geminas quatit illa manus: hæc igne rogali
Fulgurat, hæc vivo manus aera verberat hydro.
Ut stetit, abrupta qua plurimus arce Cithæron
Occurrit cœlo, fera sibila crine virenti 115
Congeminat, signum terris, unde omnis Achæi
Ora maris late, Pelopeaque regna resultant.
Audiit et medius cœli Parnassus, et asper
Eurotas, dubiamque jugo fragor impulit Œten
In latus, et geminis vix fluctibus obstitit Isthmos.
Ipsa suum genitrix curvo delphine vagantem
Arripuit frenis, gremioque Palæmona pressit.
Atque ea Cadmeo præceps ubi limine primum
Constitit, adsuetaque infecit nube penates;
Protinus attoniti fratrum sub pectore motus, 125
Gentilisque animos subiit furor, ægraque lætis
Invidia, atque parens odii metus: inde regendi
Sævus amor, ruptæque vices, jurisque secundi
Ambitus impatiens, et summo dulcius unum
Stare loco, sociisque comes discordia regnis. 130
Sic ubi delectos per torva armenta juvencos
Agricola imposito sociare affectat aratro,
Illi indignantes, quîs nondum vomere multo
Ardua nodosos cervix descendit in armos,
In diversa trahunt, atque æquis vincula laxant
Viribus, et vario confundunt limite sulcos. 136
Haud secus indomitos præceps discordia fratres
Asperat: alterni placuit sub legibus anni
Exsilio mutare ducem: sic jure maligno
Fortunam transire jubent, ut sceptra tenentem
Fœdere præcipiti semper novus angeret hæres.
Hæc inter fratres pietas erat, hæc mora pugnæ
Sola, nec in regem perduratura secundum.
Et nondum crasso laquearia fulva metallo,
Montibus aut alte Graiis effulta nitebant 145
Atria, congestos satis explicitura clientes:
Non impacatis regum advigilantia somnis
Pila, nec alterna ferri statione gementes
Excubiæ, nec cura mero committere gemmas,
Atque aurum violare cibis; sed nuda potestas
Armavit fratres: pugna est de paupere regno.
Dumque uter angustæ squalentia jugera Dirces
Verteret, aut Tyrii solio non altus ovaret
Exsulis, ambigitur, periit jus, fasque, bonumque,
Et vitæ, mortisque pudor. Quo tenditis iras, 155
Ah miseri? quid si peteretur crimine tanto
Limes uterque poli, quem sol emissus Eoo
Cardine, quem porta vergens prospectat Ibera;
Quasque procul terras obliquo sidere tangit
Avius, aut Borea gelidas, madidive tepentes 160
Igne Noti? quid si Tyriæ Phrygiæque sub unum
Convectentur opes? loca dira, arcesque nefandæ

Suffecere odio, furiisque immanibus emtum est
Œdipodæ sedisse loco. Jam sorte carebat
Dilatus Polynicis honos. Quis tum tibi, sæve,
Quis fuit ille dies? vacua cum solus in aula
Respiceres jus omne tuum, cunctosque minores,
Et nusquam par stare caput? Jam murmura serpunt 168
Plebis Echioniæ, tacitumque a principe vulgus
Dissidet, et (qui mos populis) venturus amatur.
Atque aliquis, cui mens humili læsisse veneno
Summa, nec impositos unquam cervice volenti
Ferre duces: Hancne Ogygiis, ait, aspera rebus
Fata tulere vicem, toties mutare timendos,
Alternoque jugo dubitantia subdere colla! 175
Partiti versant populorum fata, manuque
Fortunam fecere levem. Semperne vicissim
Exsulibus servire dabor? tibi, summe deorum,
Terrarumque sator, sociis hanc addere mentem
Sedit? an inde vetus Thebis extenditur omen,
Ex quo Sidonii nequicquam blanda juvenci 181
Pondera Carpathio jussus sale quærere Cadmus
Exsul Hyanteos invenit regna per agros,
Fraternasque acies fetæ telluris hiatu
Augurium seros dimisit adusque nepotes? 185
Cernis, ut erectum torva sub fronte minetur
Sævior adsurgens demto consorte potestas?
Quas gerit ore minas! quanto premit omnia fastu!
Hicne unquam privatus erit? tamen ille precanti
Mitis, et affatu bonus, et patientior æqui. 190
Quid mirum? non solus erat. Nos vilis in omnes
Promta manus casus, domino cuicunque parati.
Qualiter hinc gelidus Boreas, hinc nubifer Eurus
Vela trahunt: nutat mediæ fortuna carinæ.
Heu dubio suspensa metu, tolerandaque nullis
Aspera sors populis! hic imperat: ille minatur.
At Jovis imperiis rapidi super atria cœli 197
Lectus concilio divûm convenerat ordo
Interiore polo: spatiis hinc omnia juxta
Primæque occiduæque domus, effusa sub omni
Terra atque unda die: mediis sese arduus infert
Ipse deis, placido quatiens tamen omnia vultu,
Stellantique locat solio: nec protinus ausi
Cœlicolæ, veniam donec pater ipse sedendi
Tranquilla jubet esse manu: mox turba vagorum
Semideûm, et summis cognati nubibus amnes,
Et compressa metu servantes murmura venti,
Aurea tecta replent: mixta convexa deorum
Majestate tremunt: radiant majore sereno
Culmina, et arcano florentes lumine postes. 210
Postquam jussa quies, siluitque exterritus orbis,
Incipit ex alto: grave et immutabile sanctis
Pondus adest verbis, et vocem fata sequuntur.
Terrarum delicta, nec exsuperabile diris [tum
Ingenium mortale queror. Quonam usque nocen-
Exigar in pœnas? tædet sævire corusco 216
Fulmine: jam pridem Cyclopum operosa fatis-
Brachia, et Æoliis desunt incudibus ignes. [cunt
Atque ideo tuleram falso rectore solutos
Solis equos, cœlumque rotis errantibus uri, 220
Et Phaethontea mundum squalere favilla.
Nil actum est: neque tu valida quod cuspide late
Ire per illicitum pelago, germane, dedisti. [tor
Nunc geminas punire domos, quîs sanguinis auc-
Ipse ego, descendo: Perseos alter in Argos 225
Scinditur, Aonias fluit hic ab origine Thebas.
Mens cunctis imposita manet: quis funera Cadmi
Nesciat, et toties excitam a sedibus imis
Eumenidum bellasse aciem; mala gaudia matrum,
Erroresque feros nemorum, et reticenda deorum
Crimina? vix lucis spatio, vix noctis abactæ
Enumerare queam mores, gentemque profanam.
Scandere quin etiam thalamos hic impius hæres
Patris, et immeritæ gremium incestare parentis
Appetiit, proprios monstro revolutus in ortus.
Ille tamen superis æterna piacula solvit, 236
Projecitque diem, nec jam amplius æthere nostro
Vescitur: at nati (facinus sine more) cadentes
Calcavere oculos: jam jam rata vota tulisti
Dire senex: meruere tuæ, meruere, tenebræ 240
Ultorem sperare Jovem: nova sontibus arma
Injiciam regnis, totumque a stirpe revellam
Exitiale genus: belli mihi semina sunto
Adrastus socer, et superis adjuncta sinistris
Connubia: hanc etiam pœnis incessere gentem
Decretum: neque enim arcano de pectore fallax
Tantalus, et sævæ periit injuria mensæ.
Sic pater omnipotens: ast illi saucia dictis
Flammato versans inopinum corde dolorem
Talia Juno refert: Mene, o justissime divûm, 250
Me bello certare jubes? scis semper ut arces
Cyclopum, magnique Phoroneos inclyta fama
Sceptra viris opibusque juvem; licet improbus
Custodem Phariæ somno letoque juvencæ [illic
Exstinguas, septis et turribus aureus intres. 255
Mentitis ignosco toris: illam odimus urbem,
Quam vultu confessus adis, ubi conscia magni
Signa tori tonitrus agis, et mea fulmina torques.
Facta luant Thebæ: cur hostes eligis Argos?
Quin age, si tanta est thalami discordia sancti,
Et Samon, et veteres armis exscinde Mycenas:
Verte solo Sparten: cur usquam sanguine festo
Conjugis ara tuæ, cumulo cur thuris Eoi
Læta calet? melius votis Mareotica fumat
Coptos, et ærisoni lugentia flumina Nili. 265
Quod si prisca luunt auctorum crimina gentes,
Subvenitque tuis sera hæc sententia curis,
Percensere ævi senium; quo tempore tandem
Terrarum furias abolere, et sæcula retro
Emendare sat est? jamdudum ab sedibus illis
Incipe, fluctivaga qua præterlabitur unda 271
Sicanios longe relegens Alpheus amores.
Arcades hic tua (nec pudor est) delubra nefastis
Imposuere locis: illic Mavortius axis
Œnomai, Geticoque pecus stabulare sub Hæmo
Dignius: abruptis etiamnum inhumata procorum
Relliquiis trunca ora rigent: tamen hic tibi
templi [manes
Gratus honos: placet Ida nocens, mentitaque
Creta tuos: me Tantaleis consistere tectis
Quæ tandem invidia est? belli deflecte tumultus,
Et generis miseresce tui: sunt impia late 281
Regna tibi, melius generos passura nocentes.
Finierat miscens precibus convicia Juno,
At non ille gravis, dictis, quanquam aspera, motus
Reddidit hæc: Equidem haud rebar te mente secunda 285
Laturam, quodcunque tuos, licet æquus, in Argos
Consulerem: neque me, detur si copia, fallit [nen
Multa super Thebis Bacchum, ausuramque Dio-
Dicere: sed nostri reverentia ponderis obstat.
Horrendos etenim latices, Stygia æquora fratris
Obtestor, mansurum et non revocabile verum,
Nil fore quo dictis flectar. Quare impiger ales
Portantes præcede Notos, Cyllenia proles,
Aera per liquidum, regnisque illapsus opacis
Dic patruo, superas senior se tollat ad auras 295
Laius, exstinctum nati quem vulnere nondum
Ulterior Lethes accepit ripa profundi
Lege Erebi: ferat hæc diro mea jussa nepoti:
Germanum exsilio fretum, Argolicisque tumentem

Hospitiis, quod sponte cupit, procul impius aula
Arceat, alternum regni inficiatus honorem: 301
Hinc causæ irarum. Certo reliqua ordine ducam.
Paret Atlantiades dictis genitoris, et inde
Summa pedum propere plantaribus illigat alis,
Obnubitque comas, et temperat astra galero. 305
Tum dextræ virgam inseruit, qua pellere dulces
Aut suadere iterum somnos, qua nigra subire
Tartara, et exsangues animare assueverat umbras.
Desiluit, tenuique exceptus inhorruit aura.
Nec mora, sublimes raptim per inane volatus
Carpit, et ingenti designat nubila gyro. 311
Interea patriis olim vagus exsul ab oris
Œdipodionides furto deserta pererrat
Aoniæ: jam jamque animis male debita regna
Concipit, et longum signis cunctantibus annum
Stare gemit: tenet una dies noctesque recursans
Cura virum, si quando humilem decedere regno
Germanum, et semet Thebis opibusque potitum
Cerneret: hac ævum cupiat pro luce pacisci.
Nunc queritur ceu tarda fugæ dispendia: sed mox
Attollit flatus ducis, et sedisse superbum 321
Dejecto se fratre putat: spes anxia mentem
Extrahit, et longo consumit gaudia voto.
Tunc sedet Inachias urbes, Danaeiaque arva,
Et caligantes abrupto sole Mycenas, 325
Ferre iter impavidum: seu prævia ducit Erinnys,
Seu fors illa viæ, sive hac immota vocabat
Atropos. Ogygiis ululata furoribus antra
Deserit, et pingues Baccheo sanguine colles.
Inde plagam, qua molle sedens in plana Cithæron
Porrigitur, lassumque inclinat ad æquora montem,
Præterit: hinc arcte scopuloso in limite pendens
Infames Scyrone petras, Scyllæaque rura
Purpureo regnata seni, mitemque Corinthon
Linquit, et in mediis audit duo littora campis.
Jamque per emeriti surgens confinia Phœbi
Titanis, late mundo subvecta silenti 337
Rorifera gelidum tenuaverat aera biga. [avaris
Jam pecudes volucresque tacent: jam Somnus
Inserpit curis, pronusque per aera nutat, 340
Grata laboratæ referens oblivia vitæ.
Sed nec puniceo rediturum nubila cœlo
Promisere jubar, nec rarescentibus umbris
Longa repercusso nituere crepuscula Phœbo.
Densior a terris, et nulli pervia flammæ 345
Subtexit nox atra polos. Jam claustra rigentis
Æoliæ percussa sonant, venturaque rauco
Ore minatur hiems: venti transversa frementes
Confligunt, axemque emoto cardine vellunt,
Dum cœlum sibi quisque rapit: sed plurimus
Auster [quet,
Inglomerat noctem, et tenebrosa volumina tor-
Defunditque imbres; sicco quos asper hiatu
Persolidat Boreas: nec non abrupta tremiscunt
Fulgura, et attritus subita face rumpitur æther.
Jam Nemee, jam Tænariis contermina lucis 355
Arcadiæ capita alta madent: ruit agmine facto
Inachus, et gelidas surgens Erasinus ad Arctos.
Pulverulenta prius, calcandaque flumina nullæ
Aggeribus tenuere moræ: stagnoque refusa est
Funditus, et veteri spumavit Lerna veneno. 360
Frangitur omne nemus: rapiunt antiqua procellæ
Brachia sylvarum, nullisque adspecta per ævum
Solibus umbrosi patuere æstiva Lycæi.
Ille tamen modo saxa jugis fugientia ruptis
Miratur, modo nubigenas e montibus amnes 365
Aure pavens, passimque insano turbine raptas
Pastorum pecorumque domos: non segnius amens,
Incertusque viæ, per nigra silentia vastum
Haurit iter: pulsat metus undique, et undique
Ac velut hiberno deprensus navita ponto, [frater.
Cui neque temo piger, neque amico sidere mon-
strat 371
Luna vias, medio cœli pelagique tumultu
Stat rationis inops, jam jamque aut saxa malignis
Exspectat submersa vadis, aut vertice acuto
Spumantes scopulos erectæ incurrere proræ: 375
Talis opaca legens nemorum Cadmeius heros
Accelerat, vasto metuenda umbone ferarum
Excutiens stabula, et prono virgulta refringit
Pectore: dat stimulos animo vis mæsta timoris.
Donec ab Inachiis victa caligine tectis 380
Emicuit lucem devexa in mœnia fundens
Larissæus apex: illo spe concitus omni
Evolat: hinc celsæ Junonia templa Prosymnæ
Lævus habet, hinc Herculeo signata vapore
Lernæi stagna atra vadi: tandemque reclusis
Infertur portis: actutum regia cernit 386
Vestibula: hic artus imbri ventoque rigentes
Projicit, ignotæque acclinis postibus aulæ
Invitat tenues ad dura cubilia somnos.
Rex ibi tranquillæ medio de limite vitæ 390
In senium vergens populos Adrastus habebat,
Dives avis, et utroque Jovem de sanguine ducens.
Hic sexus melioris inops, sed prole virebat
Fœminea, gemino natarum pignore fultus:
Cui Phœbus generos (monstrum exitiabile dictu,
Mox adaperta fides) ævo ducente canebat 396
Setigerumque suem et fulvum adventare leonem.
Hæc volvens, non ipse pater, non, docte futuri
Amphiarae, vides; etenim vetat auctor Apollo.
Tantum in corde sedens ægrescit cura parentis.
Ecce autem antiquam fato Calydona relinquens
Olenius Tydeus (fraterni sanguinis illum
Conscius horror agit) eadem sub nocte sopora
Lustra terit, similesque Notos dequestus et imbres,
Infusam tergo glaciem, et liquentia nimbis 405
Ora, comasque gerens, subit uno tegmine, cujus
Fusus humo gelida partem prior hospes habebat.
Hic vero ambobus rabiem fortuna cruentam
Attulit: haud passi sociis defendere noctem
Culminibus, paulum alternis in verba minasque
Cunctantur: mox ut jactis sermonibus iræ 411
Intumuere satis, tum vero erectus uterque
Exsertare humeros, nudamque lacessere pugnam.
Celsior ille gradu procera in membra, simulque
Integer annorum, sed non et viribus infra 415
Tydea fert animus; totosque infusa per artus
Major in exiguo regnabat corpore virtus.
Jam crebros ictus ora et cava tempora circum
Obnixi ingeminant, telorum aut grandinis instar
Rhipææ, flexoque genu vacua ilia tundunt. 420
Non aliter quam Pisæo sua lustra Tonanti
Cum redeunt, crudisque virum sudoribus ardet
Pulvis, at hinc teneros caveæ dissensus ephebos
Concitat, exclusæque exspectant præmia matres:
Sic alacres odio, nullaque cupidine laudis 425
Accensi incurrunt, scrutatur et intima vultus
Unca manus, penitusque oculis cedentibus instat.
Forsan et accinctos lateri (sic ira ferebat)
Nudassent enses, meliusque hostilibus armis
Lugendus fratri, juvenis Thebane, jaceres; 430
Ni rex insolitum clamorem, et pectore ab alto
Stridentes gemitus, noctis miratus in umbris,
Movisset gressus, magnis cui sobria curis
Pendebat somno jam deteriore senectus.
Isque ubi progrediens numerosa luce per alta 435
Atria, dimotis adverso limine claustris

Terribilem dictu faciem, lacera ora, putresque
Sanguineo videt imbre genas: Quæ causa furoris,
Externi juvenes? (neque enim meus audeat istas
Civis in usque manus) quisnam implacabilis ardor
Exturbare odiis tranquilla silentia noctis? 441
Usque adeone angusta dies, et triste parumper
Pacem animo, somnumque pati? sed prodite tandem
Unde orti? quo fertis iter? quæ jurgia? nam vos
Haud humiles tanta ira docet, generisque superbi
Magna per effusum clarescunt signa cruorem.
Vix ea, cum mixto clamore obliqua tuentes
Incipiunt una: Rex o mitissime Achivûm,
Quid verbis opus? ipse undantes sanguine vultus
Adspicis. Hæc passim turbatis vocis amaræ 450
Confudere sonis: inde orsus in ordine Tydeus
Continuat, mæsti cupiens solatia casus:
Monstriferæ Calydonis opes, Acheloiaque arva
Deserui: vestris hic me ecce in finibus ingens
Nox operit: tecto cœlum prohibere quis iste
Arcuit? an quoniam prior hæc ad limina forte
Molitur gressus? pariter stabulare bimembres
Centauros, unaque ferunt Cyclopas in Ætna
Compositos: sunt et rabidis jura insita monstris,
Fasque suum: nobis sociare cubilia terræ? 460
Sed quid ego? aut hodie spoliis gavisus abibis,
Quisquis es, his; aut me, si non effetus oborto
Sanguis hebet luctu, magni de stirpe creatum
Œneos, et Marti non degenerare paterno
Accipies. Nec nos animi, nec stirpis egemus,
Ille refert contra: sed mens sibi conscia facti 466
Cunctatur proferre patrem. Tunc mitis Adrastus,
Immo agite, et positis, quas nox inopinaque suasit
Aut virtus, aut ira, minis, succedite tecto.
Jam pariter coeant animorum in pignora dextræ.
Non hæc incassum, divisque absentibus acta:
Forsan et has venturus amor præmiserit iras,
Ut meminisse juvet. Nec vana voce locutus
Fata senex: siquidem hanc perhibent post vulnera junctis
Esse fidem, quanta partitum extrema pretervo
Thesea Pirithoo, vel inanem mentis Orestem 476
Opposito rabidam Pylade vitasse Megæram.
Tunc quoque mulcentem dictis corda aspera regem
Jam faciles (ventis ut decertata residunt
Æquora, laxatisque diu tamen aura superstes 480
Immoritur velis) passi subiere penates.
Hic primum lustrare oculis cultusque virorum
Telaque magna vacat: tergo videt hujus inanem
Impexis utrinque jubis horrere leonem,
Illius in speciem, quem per Theumesia Tempe
Amphitryoniades fractum juvenilibus armis 486
Ante Cleonæi vestitur prœlia monstri.
Terribiles contra setis ac dente recurvo
Tydea per latos humeros ambire laborant
Exuviæ, Calydonis honos. Stupet omine tanto
Defixus senior, divina oracula Phœbi 491
Agnoscens, monitusque datos vocalibus antris.
Obtutu gelida ora premit, lætusque per artus
Horror iit: sensit manifesto numine ductos
Affore, quos nexis ambagibus augur Apollo 495
Portendi generos, vultu fallente ferarum,
Ediderat. Tunc sic tendens ad sidera palmas:
Nox, quæ terrarum cœlique amplexa labores
Ignea multivago transmittis sidera lapsu,
Indulgens reparare animum, dum proximus ægris
Infundat Titan agiles animantibus ortus, 501
Tu mihi perplexis quæsitam erroribus ultro
Advehis alma fidem, veterisque exordia fati
Detegis: adsistas operi, tuaque omina firmes.
Semper honoratam dimensis orbibus anni 505
Te domus ista colet: nigri tibi, diva, litabunt
Electa cervice greges, lustraliaque exta
Lacte novo perfusus edet Vulcanius ignis.
Salve, prisca fides tripodum, obscurique recessus.
Deprendi, Fortuna, deos. Sic fatus, et ambos
Innectens manibus tecta ulterioris ad aulæ
Progreditur. Canis etiamnum altaribus ignes
Sopitum cinerem et tepidi libamina sacri
Servabant. Adolere focos, epulasque recentes
Instaurare jubet: dictis parere ministri 515
Certatim accelerant: vario strepit icta tumultu
Regia: pars ostro tenues, auroque sonantes
Emunire toros, altosque inferre tapetas;
Pars teretes lævare manu ac disponere mensas.
Ast alii tenebras et opacam vincere noctem 520
Aggressi, tendunt auratis vincula lychnis.
His labor inserto torrere exsanguia ferro [tris
Viscera cæsarum pecudum: his cumulare canis-
Perdomitam saxo Cererem: lætatur Adrastus
Obsequio fervere domum: jamque ipse superbis
Fulgebat stratis, solioque effultus eburno. 526
Parte alia juvenes siccati vulnera lymphis
Discumbunt: simul ora notis fœdata tuentur,
Inque vicem ignoscunt. Tunc rex longævus Acesten
(Natarum hæc altrix, eadem et fidissima custos
Lecta sacrum justæ Veneri occultare pudorem)
Imperat acciri, tacitaque immurmurat aure.
Nec mora præceptis; cum protinus utraque virgo
Arcano egressæ thalamo (mirabile visu)
Pallados armisonæ, pharetratæque ora Dianæ
Æqua ferunt, terrore minus: nova deinde pudori
Visa virûm facies: pariter pallorque ruborque
Purpureas hausere genas, oculique verentes
Ad sanctum rediere patrem. Postquam ordine mensæ
Victa fames, signis perfectam auroque nitentem
Iasides pateram famulos ex more poposcit, 541
Qua Danaus libare deis seniorque Phoroneus
Adsueti: tenet hæc operum cælata figuras:
Aureus anguicomam præsecto Gorgona collo
Ales habet: jam jamque vagas (ita visus) in auras
Exsilit: illa graves oculos, languentiaque ora 546
Pæne movet, vivoque etiam pallescit in auro.
Hinc Phrygius fulvis venator tollitur alis:
Gargara desidunt surgenti, et Troja recedit.
Stant mæsti comites, frustraque sonantia laxant
Ora canes, umbramque petunt, et nubila latrant.
Hanc undante mero fundens, vocat ordine cunctos
Cœlicolas: Phœbum ante alios, Phœbum omnis ad aras
Laude ciet comitum famulûmque evincta pudica
Fronde manus: cui festa dies, largoque refecti
Thure vaporatis lucent altaribus ignes. 556
Forsitan, o juvenes, quæ sint ea sacra, quibusque
Præcipuum causis Phœbi obtestemur honorem,
Rex ait, exquirunt animi: non inscia suasit
Religio: magnis exercita cladibus olim 560
Plebs Argiva litant: animos advertite, pandam.
Postquam cærulei sinuosa volumina monstri,
Terrigenam Pythona, deus septem orbibus atris
Amplexum Delphos, squamisque annosa terentem
Robora, Castaliis dum fontibus ore trisulco 565
Fusus hiat, nigro sitiens alimenta veneno,
Perculit, absumtis numerosa in vulnera telis,
Cirrhæique dedit centum per jugera campi
Vix tandem explicitum, nova deinde piacula cædi
Perquirens, nostri tecta haud opulenta Crotopi

Attigit. Huic primis et pubem ineuntibus annis
Mira decore pio servabat nata penates
Intemerata toris: felix, si Delia nunquam
Furta, nec occultum Phœbo sociasset amorem.
Namque ut passa deum Nemeæi ad fluminis undam, 575
Bis quinos plena cum fronte resumeret orbes
Cynthia, sidereum Latonæ feta nepotem
Edidit: ac pœnæ metuens (neque enim ille coactis
Donasset thalamis veniam pater) avia rura
Eligit, ac natum septa inter ovilia furtim 580
Montivago pecoris custodi mandat alendum.
Non tibi digna, puer, generis cunabula tanti
Gramineos dedit herba toros, et vimine querno
Texta domus: clausa arbutei sub cortice libri
Membra tepent, suadetque leves cava fistula somnos, 585
Et pecori commune solum: sed fata nec illum
Concessere larem; viridi nam cespite terræ
Projectum temere, et patulo cœlum ore trahentem
Dira canum rabies morsu depasta cruento
Disjicit. Hic vero attonitas ut nuntius aures 590
Matris adit, pulsi ex animo genitorque, pudorque,
Et metus: ipsa ultro sævis plangoribus amens
Tecta replet, vacuumque ferens velamine pectus
Occurrit confessa patri: nec motus, et atro
Imperat (infandum) cupientem occumbere leto.
Sero memor thalami mæstæ solatia morti, 596
Phœbe, paras: monstrum infandis Acheronte sub imo [ora
Conceptum Eumenidum thalamis: cui virginis
Pectoraque, æternum stridens a vertice surgit
Et ferrugineam frontem discriminat anguis. 600
Hæc tam dira lues nocturno squalida passu
Illabi thalamis, animasque a stirpe recentes
Abripere altricum gremiis, morsuque cruento
Devesci, et multum patrio pinguescere luctu. 604
Haud tulit armorum præstans animique Corœbus,
Seque ultro lectis juvenum, qui robore primi
Famam posthabita faciles extendere vita,
Obtulit: illa novos ibat populata penates
Portarum in bivio: lateri duo corpora parvûm
Dependent, et adunca manus vitalibus hæret,
Ferratique ungues tenero sub corde tepescunt. 611
Obvius huic latus omne virûm stipante corona
It juvenis, ferrumque rigens sub pectore diro
Condidit, atque imas animæ mucrone corusco
Scrutatus latebras, tandem sua monstra profundo
Reddit habere Jovi: juvat ire, et visere juxta
Liventes in morte oculos, uterique nefandam
Proluviem, et crasso squalentia pectora tabo,
Qua nostræ cecidere animæ: stupet Inacha pubes,
Magnaque post lacrymas etiamnum gaudia pal-
Hi trabibus duris, solatia vana dolori, [lent.
Proterere exanimes artus, asprosque molares
Deculcare genis: nequit iram explere potestas.
Illam et nocturno circum stridore volantes
Impastæ fugistis aves, rabidamque canum vim,
Oraque sicca ferunt trepidorum inhiasse luporum.
Sævior in miseros fatis ultricis ademtæ
Delius insurgit, summaque biverticis umbra
Parnassi residens, arcu crudelis iniquo [pum
Pestifera arma jacit, camposque et celsa Cyclo-
Tecta superjecto nebularum incendit amictu. 631
Labuntur dulces animæ: Mors fila sororum
Ense metit, captamque tenens fert manibus urbem.
Quærenti quæ causa duci, quis ab æthere lævus
Ignis, et in totum regnaret Sirius annum; 635
Idem auctor Pæan rursus jubet ire cruento
Inferias monstro juvenes, qui cæde potiti.
Fortunate animi, longumque in sæcula digne
Promeriture diem! non tu pia degener arma
Occulis, aut certæ trepidas occurrere morti. 640
Cominus ora ferens Cirrhæi in limine templi
Constitit, et sacras ita vocibus asperat iras:
Non missus, Thymbræe, tuos supplexve penates
Advenio: mea me pietas, et conscia virtus
Has egere vias: ego sum, qui cæde subegi, 645
Phœbe, tuum mortale nefas, quem nubibus atris
Et squalente die, nigra quem tabe sinistri
Quæris, inique, poli. Quod si monstra effera magnis
Cara adeo superis, jacturaque vilior orbi
Mors hominum, et sævo tanta inclementia cœlo est; [lum
Quid meruere Argi? me, me, divûm optime, so-
Objecisse caput fatis præstabit: an illud
Lene magis cordi, quod desolata domorum
Tecta vides, ignique datis cultoribus omnis
Lucet ager? sed quid fando tua tela manusque 655
Demoror? exspectant matres, supremaque fundunt
Vota mihi: satis est: merui, ne parcere velles.
Proinde move pharetras, arcusque intende sonoros,
Insignemque animam leto demitte: sed illum,
Pallidus Inachiis qui desuper imminet Argis, 660
Dum morior, depelle globum. Fors æqua merentes
Respicit: ardentem tenuit reverentia cædis
Latoiden, tristemque viro submissus honorem
Largitur vitæ: nostro mala nubila cœlo
Diffugiunt: at tu stupefacti a limine Phœbi 665
Exoratus abis. Inde hæc stata sacra quotannis
Sollennes recolunt epulæ, Phœbeaque placat
Templa novatus honos. Has forte invisitis aras
Vos, quæ progenies? quanquam Calydonius
Et Parthaoniæ (dudum si certus ad aures [Œneus
Clamor iit) tibi jura domus; tu pande, quis Argos
Advenias, quando hæc variis sermonibus hora est.
Dejecit mæstos extemplo Ismenius heros
In terram vultus, taciteque ad Tydea lævum
Obliquare oculos: tum longa silentia movit: 675
Non super hos divûm tibi sum quærendus honores,
Unde genus, quæ terra mihi: quis defluat ordo
Sanguinis antiqui, piget inter sacra fateri.
Sed si præcipitant miserum cognoscere curæ,
Cadmus origo patrum, tellus Mavortia Thebe, 680
Et genitrix Iocasta mihi. Tum motus Adrastus
Hospitiis, (agnovit enim,) Quid nota recondis?
Scimus, ait: nec sic aversum fama Mycenis
Volvit iter: regnum, et furias, oculosque pudentes
Novit, et Arctois si quis de solibus horret, 685
Quique bibit Gangen, aut nigrum occasibus in-
Oceanum, et si quos incerto littore Syrtes [trat
Destituunt: ne perge queri, casusque priorum
Annumerare tibi: nostro quoque sanguine mul-
Erravit pietas; nec culpa nepotibus obstat. [tum
Tu modo dissimilis rebus mereare secundis 691
Excusare tuos. Sed jam temone supino
Languet Hyperboreæ glacialis portitor Ursæ.
Fundite vina focis, servatoremque parentum
Latoiden votis iterumque iterumque canamus. 695
Phœbe parens, seu te Lyciæ Pataræa nivosis
Exercent dumeta jugis, seu rore pudico
Castaliæ flavos amor est tibi mergere crines:
Seu Trojam Thymbræus habes, ubi fama volentem
Ingratis Phrygios humeris subiisse molares: 700
Seu juvat Ægæum feriens Latonius umbra
Cynthus, et assiduam pelago non quærere Delon

Tela tibi, longeque feros lentandus in hostes
Arcus; et ætherii dono cessere parentes
Æternum florere genas: tu doctus iniquas 705
Parcarum prænosse manus, fatumque quod ultra
Et summo placitura Jovi; quis letifer annus, [est,
Bella quibus populis, mutet quæ sceptra cometes.
Tu Phryga submittis citharæ: tu matris honori
Terrigenam Tityon Stygiis extendis arenis. 710
Te viridis Python, Thebanaque mater ovantem
Horruit in pharetris: ultrix tibi torva Megæra
Jejunum Phlegyan subter cava saxa jacentem
Æterno premit accubitu, dapibusque profanis
Instimulat; sed mixta famem fastidia vincunt.
Adsis o memor hospitii, Junoniaque arva 716
Dexter ames: seu te roseum Titana vocari
Gentis Achæmeniæ ritu, seu præstat Osirin
Frugiferum, seu Persei sub rupibus antri
Indignata sequi torquentem cornua Mitram. 720

LIBER SECUNDUS.

Interea gelidis Maia satus aliger umbris
Jussa gerens magni remeat Jovis: undique pigræ
Ire vetant nubes, et turbidus implicat aer:
Nec Zephyri rapuere gradum, sed fœda silentis
Aura poli. Styx inde novem circumflua campis, 5
Hinc objecta vias torrentum incendia claudunt.
Pone senex trepida succedit Laius umbra
Vulnere tardus adhuc: capulo nam largius illi
Transabiit costas cognatis ictibus ensis
Impius, et primas Furiarum pertulit iras. 10
It tamen, et medica firmat vestigia virga.
Tum steriles luci, possessaque manibus arva,
Et ferrugineum nemus adstupet, ipsaque tellus
Miratur patuisse retro, nec livida tabes
Invidiæ, functis quanquam et jam lumine cassis, 15
Defuit: unus ibi ante alios, cui læva voluntas
Semper, et ad superos hinc est gravis exitus, ævi
Insultare malis, rebusque ægrescere lætis:
Vade, ait, o felix, quoscunque vocaris in usus
Seu Jovis imperio, seu major adegit Erinnys 20
Ire diem contra, seu te furiata sacerdos
Thessalis arcano jubet emigrare sepulcro,
Heu dulces visure polos, solemque relictum,
Et virides terras, et puros fontibus amnes;
Tristior has iterum tamen intrature tenebras. 25
Illos ut cæco recubans in limine sensit
Cerberus, atque omnes capitum subrexit hiatus,
Sævus et intranti populo; jam nigra tumebat
Colla minax, jam sparsa solo turbaverat ossa:
Ni deus horrentem Lethæo vimine mulcens 30
Ferrea tergemino domuisset lumina somno.
Est locus, Inachiæ dixerunt Tænara gentes,
Qua formidatum Maleæ spumantis in auras
It caput, et nullos admittit culmine visus.
Stat sublimis apex, ventosque imbresque serenus
Despicit, et tantum fessis insiditur astris. 36
Illic exhausti posuere cubilia venti, [montis
Fulminibusque iter est: medium cava nubila
Insumsere latus: summos nec præpetis alæ
Plausus adit colles, nec rauca tonitrua pulsant. 40
Ast ubi prona dies, longos super æquora fines
Exigit, atque ingens medio natat umbra profundo.
Interiore sinu frangentia littora curvat
Tænaros, expositos non audax scandere fluctus.
Illic Ægæo Neptunus gurgite fessos 45
In portum deducit equos: prior haurit arenas
Ungula, postremi solvuntur in æquora pisces.
Hoc, ut fama, loco pallentes devius umbras
Trames agit, nigrique Jovis vacua atria ditat
Mortibus: Arcadii perhibent si vera coloni, 50
Stridor ibi, et gemitus pœnarum, atroque tumultu
Fervet ager: sæpe Eumenidum vocesque manusque
In medium sonuere diem, letique triformis
Janitor agricolas campis auditus abegit.
Hac et tunc fusca volucer deus obsitus umbra 55
Exsilit ad superos, infernaque nubila vultu
Discutit, et vivis afflatibus ora serenat.
Inde per Arcturum, mediæque silentia lunæ
Arva super populosque meat: Sopor obvius illi
Noctis agebat equos, trepidusque adsurgit honori
Numinis, et recto decedit limite cœli. 61
Inferior volat umbra deo, præreptaque noscit
Sidera, principiumque sui: jamque ardua Cirrhæ,
Pollutamque suo despectat Phocida busto. [nati
Ventum erat ad Thebas: gemuit prope limina
Laius, et notos cunctatur inire penates. 66
Ut vero excelsis suamet juga nixa columnis
Vidit, et infectos etiamnum sanguine currus,
Pæne retro turbatus abit: nec summa Tonantis
Jussa, nec Arcadiæ retinent spiramina virgæ. 70
Et tunc forte dies noto signata Tonantis
Fulmine, prærupti cum te, tener Evie, partus
Transmisere patri. Tyriis ea causa colonis
Insomnem ludo certatim educere noctem
Suaserat: effusi passim per tecta, per agros, 75
Serta inter, vacuosque mero crateras anhelum
Proflabant sub luce deum: tum plurima buxus,
Æraque taurinos sonitu vincentia pulsus.
Ipse etiam gaudens nemorosa per avia sanas
Impulerat matres Baccho meliore Cithæron. 80
Qualia per Rhodopen rapido convivia cœtu
Bistones, aut mediæ ponunt convallibus Ossæ.
Illis semianimum pecus, excussæque leonum
Ore dapes, et lacte novo domuisse cruorem
Luxus: at Ogygii si quando afflavit Iacchi 85
Sævus odor, tunc saxa manu, tunc pocula pulchrum
Spargere, et immerito sociorum sanguine fuso
Instaurare diem, festasque reponere mensas.
Nox ea, cum tacita volucer Cyllenius aura
Regis Echionii stratis allapsus, ubi ingens 90
Fuderat Assyriis exstructa tapetibus alto
Membra toro. Pro gnara nihil mortalia fati
Corda sui! capit ille dapes, habet ille soporem
Tunc senior quæ jussus agit: neu falsa videri
Noctis imago queat, longævi vatis opacos 95
Tiresiæ vultus, vocemque, et vellera nota
Induitur: mansere comæ, propexaque mento
Canities, pallorque suus: sed falsa cucurrit
Infula per crines, glaucæque innexus olivæ 99
Vittarum provenit honos: dein tangere ramo
Pectora, et has visus fatorum expromere voces.
Non somni tibi tempus iners, qui nocte sub alta
Germani secure jaces: ingentia dudum
Acta vocant, rerumque graves, ignave, paratus

Tu, veluti magnum si jam tollentibus Austris
Ionium nigra jaceat sub nube magister, 106
Immemor armorum versantisque æquora clavi,
Cunctaris: jamque ille novis (scit fama) superbus
Connubiis, viresque parat quîs regna capessat,
Quîs neget, inque sua senium sibi destinat aula.
Dant animos socer augurio fatalis Adrastus, 111
Dotalesque Argi; nec non in fœdera vitæ
Pollutus placuit fraterno sanguine Tydeus.
Hinc tumor, et longus fratri promitteris exsul.
Ipse deûm genitor tibi me miseratus ab alto 115
Mittit: habe Thebas, cæcumque cupidine regni,
Ausurumque eadem germanum expelle; nec ultra
Fraternos inhiantem obitus sine fidere cœptis
Fraudibus, aut Cadmo dominas inferre Mycenas.
Dixit, et abscedens (etenim jam pallida turbant
Sidera lucis equi) ramos ac vellera fronti 121
Deripuit, confessus avum, dirique nepotis
Incubuit stratis: jugulum mox cæde patentem
Nudat, et undanti perfundit vulnere somnum.
Illi rupta quies: attollit membra, toroque 125
Erigitur plenus monstris, vanumque cruorem
Excutiens: simul horret avum, fratremque requirit.
Qualis ubi audito venantum murmure tigris
Horruit in maculas, somnosque excussit inertes;
Bella cupit, laxatque genas, et temperat ungues;
Mox ruit in turmas, natisque alimenta cruentis 131
Spirantem fert ore virum: sic excitus ira
Ductor in absentem consumit prœlia fratrem.
Et jam Mygdoniis elata cubilibus alto
Impulerat cœlo gelidas Aurora tenebras, 135
Rorantes excussa comas, multumque sequenti
Sole rubens: illi roseus per nubila seras
Advertit flammas, alienumque æthera tardo
Lucifer exit equo, donec pater igneus orbem
Impleat, atque ipsi radios vetet esse sorori. 140
Cum senior Talaionides, nec longa morati
Dircæusque gradum pariterque Acheloius heros
Corripuere toris: illos post verbera fessos
Exceptamque hiemem cornu perfuderat omni
Somnus: at Inachio tenuis sub pectore regi 145
Tracta quies, dum mente deos, inceptaque versat
Hospitia, et quæ sint generis adscita repertis
Fata movet. Postquam mediis in sedibus aulæ
Congressi, inque vicem dextras junxere, locumque,
Quo serere arcanas aptum atque evolvere curas,
Insidunt; prior his dubios compellat Adrastus:
Egregii juvenum, quos non sine numine regnis
Invexit nox dextra meis, quibus ipse per imbres
Fulminibus mixtos, intempestumque Tonantem
Has meus usque domos vestigia fecit Apollo; 155
Non equidem obscurum vobis, plebique Pelasgæ
Esse reor, quantis connubia nostra procorum
Turba petant studiis: geminæ mihi namque, nepotum
Læta fides, æquo pubescunt sidere natæ.
Quantus honos, quantusque pudor (ne credite patri)
Et super hesternas licuit cognoscere mensas.
Has tumidi solio et late dominantibus armis
Optavere viri, (longum enumerare Pharæos
Œbaliosque duces,) et Achæa per oppida matres
Spem generis: nec plura tuus despexerat Œneus
Fœdera, Pisæisque socer metuendus habenis. 166
Sed mihi nec Sparta genitos, nec ab Elide missos
Jungere fas generos: vobis hic sanguis, et aulæ
Cura meæ, longo promittitur ordine fati
Di bene, quod tales stirpemque animosque venitis,
Ut responsa juvent. Hic duræ tempore noctis 171
Partus honos: hæc illa venit post vulnera merces
Audierant, fixosque oculos per mutua paulum
Ora tenent, visique inter sese ordine fandi
Cedere: sed cunctis Tydeus audentior actis 175
Incipit: O quam te parcum in præconia famæ
Mens agitat matura tuæ, quantumque ferentem
Fortunam virtute domas! cui cedat Adrastus
Imperiis? quis te solio Sicyonis avitæ
Excitum infrenos componere legibus Argos 180
Nesciat? atque utinam his manibus permittere gentes,
Jupiter æque, velis, quas Doricus alligat undis
Isthmos, et alterno quas margine submovet infra:
Non fugeret diras lux intercisa Mycenas,
Sæva nec Eleæ gemerent certamina valles, 185
Eumenidesque aliis aliæ sub regibus, et quæ
Tu potior, Thebane, queri: nos vero volentes,
Expositique animis. Sic interfatus, et alter
Subjicit: Anne aliquis soceros accedere tales
Abnuat? exsulibus quanquam patriaque fugatis
Nondum læta Venus, tamen omnis corde resedit
Tristitia, affixique animo cessere dolores.
Nec minus hæc læti trahimus solatia, quam si
Præcipiti convulsa Noto prospectet amicam
Puppis humum: juvat ingressos felicia regni 195
Omina, quod superest fati vitæque laborum
Fortuna transire tua. Nec plura morati
Consurgunt: dictis impensius aggerat omne
Promissum Inachius pater, auxilioque futurum
Et patriis spondet reduces inducere regnis. 200
Ergo alacres Argi, fuso rumore per urbem
Advenisse duci generos, primisque hymenæis
Egregiam Argian, nec formæ laude secundam
Deiphilen, tumida jam virginitate jugari, 204
Gaudia mente parant: socias it Fama per urbes,
Finitimisque agitatur agris, procul usque Lycæos
Partheniosque super saltus, Ephyreaque rura.
Nec minus Ogygias eadem dea turbida Thebas
Insilit, et totis perfundit mœnia pennis, 209
Labdaciumque ducem præmissæ consona nocti
Territat, hospitia, et thalamos, et fœdera regni,
Permixtumque genus, (quæ tanta licentia monstro,
Quis furor est?) jam bella canit. Diffuderat Argos
Exspectata dies. Læto regalia cœtu 214
Atria complentur: species est cernere avorum
Cominus, et vivis certantia vultibus æra:
Tantum ausæ perferre manus. Pater ipse bicornis
In lævum prona nixus sedet Inachus urna.
Hunc tegit Iasiusque senex, placidusque Phoroneus,
Et bellator Abas, indignatusque Tonantem 220
Acrisius, nudoque ferens caput ense Corœbus,
Torvaque jam Danai facinus meditantis imago:
Exin mille duces; foribus cum immissa superbis
Unda fremit vulgi: procerum manus omnis, et alto
Quîs propior de rege gradus, stant ordine primi:
Interior sacris calet, et sonat aula tumultu 226
Fœmineo: casta matres cinxere corona
Argolides: pars virginibus circum undique fusæ
Fœdera conciliant nova, solanturque timorem
Ibant insignes vultuque habituque verendo, 230
Candida purpureum fusæ super ora ruborem,
Dejectæque genas: tacite subit ille supremus
Virginitatis amor, primæque modestia culpæ
Confundit vultus: tunc ora rigantur honestis
Imbribus, et teneros lacrymæ juvere parentes.
Non secus ac supero pariter si cardine lapsæ
Pallas et asperior Phœbi soror, utraque telis
Utraque torva genis, flavoque in vertice nodo,
Illa suas Cyntho comites agat, hæc Aracyntho

Tunc, si fas oculis, non unquam longa tuendo 240
Expedias, cui major honos, cui gratior, aut plus
De Jove; mutatosque velint transumere cultus,
Et Pallas deceat pharetras, et Delia cristas.
Certant lætitia, superosque in vota fatigant
Inachidæ, quæ cuique domus, sacrique facultas.
Hi fibris animaque litant, hi cespite nudo: 246
Nec minus auditi, si mens accepta meretur
Thure deos; fractisque obtendunt limina sylvis.
Ecce metu subito (Lachesis sic dira jubebat)
Impulsæ mentes, excussaque gaudia patris, 250
Et turbata dies. Innuptam lumine adibant
Pallada: Munychiis cui non Argiva per urbes
Posthabita est Larissa jugis: hic more parentum
Iasides, thalamis ubi casta adolesceret ætas,
Virgineas libare comas, primosque solebant 255
Excusare toros. Celsam subeuntibus arcem
In gradibus summi delapsum culmine templi
Arcados Evippi spolium cadit æreus orbis,
Præmissasque faces, festum nubentibus ignem,
Obruit, eque adytis simul exaudita remotis 260
Nondum ausos firmare gradum tuba terruit ingens.
In regem conversi omnes formidine prima,
Mox audisse negant: cunctos tamen omina rerum
Dira movent, variisque metum sermonibus augent.
Nec mirum: nam tu infaustos donante marito
Ornatus, Argia, geris, dirumque monile 266
Harmonies: longa est series, sed nota malorum
Prosequar, unde novis tam sæva potentia donis.
Lemnius hæc, ut prisca fides, Mavortia longum
Furta dolens, capto postquam nihil obstat amori
Pœna, nec ultrices castigavere catenæ, 271
Harmonies dotale decus sub luce jugali [rant
Struxerat: hoc, docti quanquam majora, labo-
Cyclopes, notique operum Telchines amica
Certatim juvere manu; sed plurimus ipsi 275
Sudor: ibi arcano florentes igne smaragdos
Cingit, et infaustas percussum adamanta figuras,
Gorgoneosque orbes, Siculaque incude relictos
Fulminis extremi cineres, viridumque draconum
Lucentes a fronte jubas: hic flebile germen 280
Hesperidum, et dirum Phryxei velleris aurum.
Tum varias pestes, raptumque interplicat atro
Tisiphones de crine ducem, et quæ pessima ceston
Vis probat: hæc circum spumis lunaribus ungit
Callidus, atque hilari perfundit cuncta veneno.
Non hoc Pasithee blandarum prima sororum, 286
Non Decor, Idaliusque puer, sed Luctus, et Iræ,
Et Dolor, et tota pressit Discordia dextra.
Prima fides operi, Cadmum comitata jacentem
Harmonie, versis in sibila dira querelis, 290
Illyricos longo sulcavit pectore campos.
Improba mox Semele vix dona nocentia collo
Induit, et fallax intravit limina Juno.
Teque etiam, infelix, perhibent, Iocasta, decorum
Possedisse nefas: vultus hac laude colebas, 295
Heu quibus, heu, placitura toris! post longior
Tum donis Argia nitet, vilesque sororis [ordo.
Ornatus sacro præculta supervenit auro.
Viderat hoc conjux perituri vatis, et aras
Ante omnes epulasque trucem secreta coquebat
Invidiam, sævis detur si quando potiri 301
Cultibus, heu nihil auguriis adjuta propinquis:
Quos optat gemitus! quantas cupit impia clades!
Digna quidem: sed quid miseri decepta mariti
Arma, quid insontes nati meruere furores? 305
Postquam regales epulas et gaudia vulgi
Bisseni clausere dies, ismenius heros
Respicere ad Thebas, jamque et sua quærere regna:
Quippe animum subit illa dies, qua sorte benigna
Fratris Echionia steterat privatus in aula, 310
Respiciens descisse deos, trepidoque tumultu
Dilapsos comites, nudum latus omne, fugamque
Fortunæ: namque una soror producere tristes
Exsulis ausa vias; etiam hanc in limine primo
Liquerat, et magna lacrymas incluserat ira. 315
Tunc quos excedens hilares, quîs cultus iniqui
Præcipuus ducis, et profugo quos ipse notarat
Ingemuisse sibi, per noctem ac luce sub omni
Digerit. Exedere animum dolor, iraque demens,
Et, qua non gravior mortalibus addita cura, 320
Spes, ubi longa venit. Talem sub pectore nubem
Consilio volvens, Dircen Cadmique negatas
Apparat ire domos: veluti dux taurus, amata
Valle carens, pulsum solito quem gramine victor
Jussit ab erepta longe mugire juvenca; 325
Cum profugo placuere tori, cervixque recepto
Sanguine magna redit, fractæque in pectora vires,
Bella cupit, saltusque et capta armenta reposcit,
Jam pede, jam cornu melior; pavet ipse reversum
Victor, et attoniti vix agnovere magistri. 330
Non alias tacita juvenis Theumesius iras
Mente acuit; sed fida vias, arcanaque conjux
Senserat: utque toris primo complexa jacebat
Auroræ pallore virum, Quos, callide, motus,
Quamve fugam moliris? ait: nil transit amantes:
Sentio; pervigiles acuunt suspiria questus, 336
Nunquam in pace sopor: quoties hæc ora natare
Fletibus, et magnas latrantia pectora curas
Admota deprendo manu! nil fœdere rupto,
Connubiisve super moveor, viduaque juventa;
(Etsi crudus amor, necdum post flammea toti
Intepuere tori:) tua me, properabo fateri,
Angit amata salus: tune incomitatus, inermis
Regna petes? poterisque tuis decedere Thebis,
Si neget? atque illum solers deprendere semper
Fama duces, tumidum narrat, raptoque superbum, 346
Difficilemque tibi: necdum consumserat annum.
Me quoque nunc vates, nunc exta minantia divos,
Aut avium lapsus, aut turbida noctis imago
Territat: ah memini, nunquam mihi falsa per umbras 350
Juno venit. Quo tendis iter? ni conscius ardor
Ducit, et ad Thebas melior socer. Hic breve tandem
Risit Echionius juvenis, tenerumque dolorem
Conjugis amplexu solatur, et oscula mæstis
Tempestiva genis posuit, lacrymasque repressit:
Solve metus animo: dabitur, mihi crede, meren-
Consiliis tranquilla dies: te fortior annis [tum
Nondum cura decet: sciat hæc Saturnius olim
Fata parens, oculosque polo dimittere si quos
Justitia, et rectum terris defendere curat. 360
Fors aderit lux illa tibi, qua mœnia cernes
Conjugis, et geminas ibis regina per urbes
Sic ait, et caro raptim se limine profert.
Tydea jam socium cœptis, jam pectore fido
Æquantem curas, (tantus post jurgia mentes [tum.
Vinxit amor,) socerumque affatur tristis Adras-
Fit mora consilio: cum, multa moventibus, una
Jam potior cunctis sedit sententia, fratris
Prætentare fidem, tutosque in regna precando
Explorare aditus. Audax ea munera Tydeus 370
Sponte subit. Nec non et te, fortissime gentis
Ætolûm, multum lacrymis conata morari
Deiphile; sed jussa patris, tutique regressus

Legato, justæque preces vicere sororis.
Jamque emensus iter sylvis ac littore durum, 375
Qua Lernæa palus, ambustaque sontibus alte
Intepet Hydra vadis, et qua vix carmine raro
Longa sonat Nemee nondum pastoribus ausis;
Qua latus Eoos Ephyres quod vergit ad Euros,
Sisyphiique sedent portus, irataque terræ 380
Curva Palæmonio secluditur unda Lechæo.
Hinc prætervectus Nisum, et te, mitis Eleusin,
Lævus habet: jamque arva gradu Theumesia, et arces
Intrat Agenoreas. Ibi durum Eteoclea cernit
Sublimem solio, septumque horrentibus armis.
Jura ferus populo trans legem ac tempora regni
Jam fratris de parte dabat. Sedet omne paratus
In facinus, queriturque fidem tam sero reposci.
Constitit in mediis: ramus manifestat olivæ
Legatum, causasque viæ nomenque rogatus 390
Edidit; utque rudis fandi, pronusque calori
Semper erat, justis miscens tamen aspera, cœpit:
Si tibi plana fides, et dicti cura maneret
Fœderis, ad fratrem completo justius anno
Legatos hinc ire fuit, teque ordine certo 395
Fortunam exuere, et lætum descendere regno;
Ut vagus ille diu, passusque haud digna per urbes
Ignotas, pactæ tandem succederet aulæ.
Sed quia dulcis amor regni, blandumque potestas,
Posceris: astriferum velox jam circulus orbem
Torsit, et amissæ redierunt montibus umbræ,
Ex quo frater inops ignota per oppida tristes
Exsul agit casus: et te jam tempus aperto
Sub Jove ferre dies, terrenaque frigora membris
Ducere, et externos submissum ambire penates.
Pone modum lætis: satis auro dives, et ostro 406
Conspicuus, tenuem germani pauperis annum
Risisti: moneo regnorum gaudia temet
Dedoceas, patiensque fugæ mereare reverti.
Dixerat: ast illi tacito sub pectore dudum 410
Ignea corda fremunt: jacto velut aspera saxo
Cominus erigitur serpens, cui subter inanes
Longa sitis latebras, totosque agitata per artus,
Convocat in fauces et squamea colla venenum.
Cognita si dubiis fratris mihi jurgia signis 415
Ante forent, nec clara odiorum arcana paterent,
Sufficeret vel sola fides, qua torvus, et illum
Mente gerens, ceu septa novus jam mœnia laxet
Fossor, et hostiles inimicent classica turmas,
Præfuris. In medios si cominus orsa tulisses 420
Bistonas, aut refugo pallentes sole Gelonos,
Parcior alloquio, et medii reverentior æqui
Inciperes. Neque te furibundæ crimine mentis
Arguerim; mandata refers. Nunc, omnia quando
Plena minis, nec sceptra fide, nec pace sequestra
Poscitis, et capulo propior manus; hæc mea regi
Argolico, nondum æqua tuis, vice dicta reporta:
Quæ sors justa mihi, quæ non indebitus annis
Sceptra dicavit honos, teneo, longumque tenebo.
Te penes Inachiæ dotalis regia dono 430
Conjugis, et Danaæ (quid enim majoribus actis
Invideam?) cumulentur opes: felicibus Argos
Auspiciis Lernamque regas; nos horrida Dirces
Pascua, et Euboicis arctatas fluctibus oras,
Non indignati miserum dixisse parentem 435
Œdipoden: tibi larga (Pelops et Tantalus auctor)
Nobilitas, propiorque fluat de sanguine juncto
Jupiter. Anne feret luxu consueta paterno
Hunc regina larem? nostræ cui jure sorores
Anxia pensa trahant; longo quam sordida luctu
Mater, et ex imis auditus forte tenebris 441
Offendat socer ille senex. Jam pectora vulgi
Adsuevere jugo: pudet heu plebisque patrum-
Ne toties incerta ferant, mutentque gementes [que,
Imperia, et dubio pigeat parere tyranno. 445
Non parcit populis regnum breve. Respice, quantus
Horror, et attoniti nostro in discrimine cives.
Hosne ego, quîs certa est sub te duce pœna, relinquam?
Iratus, germane, venis. Fac velle, nec ipsi
(Si modo notus amor, meritique est gratia) patres
Reddere regna sinent. Non ultra passus, et orsa
Injecit mediis sermonibus obvia: Reddes,
Ingeminat, reddes: non si te ferreus agger
Ambiat, aut triplices alio tibi carmine muros
Amphion auditus agat; nil tela, nec ignes 455
Obstiterint, quin ausa luas, nostrisque sub armis
Captivo moribundus humum diademate pulses.
Tu merito: ast horum miseret, quos sanguine viles,
Conjugibus natisque infanda ad prœlia raptos
Projicis excidio, bone rex. O quanta Cithæron
Funera, sanguineisque vadis, Ismene, rotabis! 461
Hæc pietas, hæc magna fides? Nec crimina gentis
Mira equidem duco; sic primus sanguinis auctor,
Incestique patrum thalami; sed fallit origo:
Œdipodæ tu solus eris: hæc præmia morum 465
Ac sceleris, violente, feres. Non poscimus annum.
Sed moror. Hæc audax etiamnum in limine retro
Vociferans, jam tunc impulsa per agmina præceps
Evolat. Œneæ vindex sic ille Dianæ
Erectus setis, et aduncæ fulmine malæ, 470
Cum premeret Pelopea phalanx, saxa obvia vol-
Fractaque perfossis arbusta Acheloia ripis, [vens
Jam Telamona solo, jam stratum Ixiona linquens,
Te, Meleagre, subît: ibi demum cuspide lata
Hæsit, et obnixo ferrum laxavit in armo. 475
Talis adhuc trepidum liquit Calydonius heros
Concilium, infrendens, ipsi ceu regna negentur:
Festinatque vias, ramumque precantis olivæ
Abjicit: attonitæ tectorum ex culmine summo
Prospectant matres, sævoque infanda precantur
Œnidæ, tacitoque simul sub pectore regi. 481
Nec piger ingenio scelerum fraudisque nefandæ
Rector eget: juvenum fidos, lectissima bello
Corpora, nunc pretio, nunc ille hortantibus ardens
Sollicitat dictis, nocturnaque prœlia sævus 485
Instruit, et sanctum populis per sæcula nomen
Legatum insidiis, tacitoque invadere ferro
(Quid regnis non vile?) cupit: quas quæreret artes
Si fratrem, Fortuna, dares? O cæca nocentum
Consilia! o semper timidum scelus! exit in unum
Plebs ferro jurata caput, ceu castra subire 491
Apparet, aut celsum crebris arietatibus urbis
Inclinare latus: densi sic agmine facto
Quinquaginta altis funduntur in ordine portis.
Macte animi, tantis dignus qui crederis armis. 495
Fert via per dumos propior, qua calle latenti
Præcelerant, densæque legunt compendia sylvæ.
Lecta dolis sedes: gemini procul urbe malignis
Faucibus urgentur colles, quos umbra superni
Montis, et incurvis claudunt juga frondea sylvis.
Insidias natura loco, cæcamque latendi 501
Struxit opem: medias arcte secat aspera rupes
Semita, quam subter campi, devexaque latis
Arva jacent spatiis: contra importuna crepido,
Œdipodioniæ domus alitis: hic fera quondam 50.
Pallentes erecta genas, suffusaque tabo
Lumina, concretis infando sanguine plumis
Relliquias amplexa virûm, semesaque nudis
Pectoribus stetit ossa premens, visuque trementi

Collustrat campos, si quis concurrere dictis 510
Hospes inexplicitis, aut cominus ire viator
Audeat, et duræ commercia jungere linguæ.
Nec mora, quin acuens exsertos protinus ungues,
Liventesque manus, fractosque in vulnere dentes,
Terribili applausu circum hospita surgeret ora.
Et latuere doli, donec de rupe cruenta, 516
Heu simili deprensa viro, cessantibus alis,
Tristis inexpletam scopulis affligeret alvum.
Monstrat sylva nefas: horrent vicina juvenci
Gramina; damnatis avidum pecus abstinet herbis.
Non Dryadum placet umbra choris, non commoda sacris 521
Faunorum, diræque etiam fugere volucres
Prodigiale nemus. Tacitis huc gressibus acti
Deveniunt peritura cohors, hostemque superbum
Adnixi jaculis, et humi posita arma tenentes 525
Exspectant, densaque nemus statione coronant.
Cœperat humenti Phœbum subtexere palla
Nox, et cæruleam terris infuderat umbram.
Ille propinquabat sylvis, et ab aggere celso 529
Scuta virûm galeasque videt rutilare comantes,
Qua laxant rami nemus, adversaque sub umbra
Flammeus æratis lunæ tremor errat in armis.
Obstupuit visis: ibat tamen, horrida tantum
Spicula, et inclusum capulo tenus admovet ensem.
Ac prior, Unde, viri? quidve occultatis in armis?
Non humili terrore rogat: nec reddita contra
Vox, fidamque negant suspecta silentia pacem.
Ecce autem vasto Chthonii contorta lacerto,
Quo duce freta cohors, fuscas intervolat auras
Hasta; sed audenti deus et fortuna recessit. 540
Per tamen Olenii tegimen suis, atraque setis
Terga, super læves humeros vicina cruori
Effugit, et viduo jugulum ferit irrita ligno.
Tunc horrere comæ, sanguisque in corde gelari.
Huc ferus atque illuc animum, pallentiaque ira
Ora ferens, nec tanta putat sibi bella parari. 546
Ferte gradum contra, campoque erumpite aperto:
Quis timor audendi? quæ tanta ignavia? solus,
Solus in arma voco. Neque in his mora; quos ubi plures,
Quam ratus, innumeris videt excursare latebris,
Hos prodire jugis, illos e vallibus imis 551
Crescere, nec paucos campo, totumque sub armis
Collucere iter, (ut clausas indagine profert
In medium vox prima feras;) quæ sola medendi
Turbata ratione via est, petit ardua diræ 555
Sphingos, et abscisis infringens cautibus uncas
Exsuperat juga dira manus, scopuloque potitus,
Unde procul tergo metus, et via prona nocendi,
Saxum ingens, quod vix plena cervice gementes
Vertere humo, murisque valent inferre juvenci,
Rupibus avellit: dein toto sanguine nixus 561
Sustinet, immanem quærens librare ruinam;
Qualis in adversos Lapithas erexit inanem
Magnanimus cratera Pholus: stupet obvia leto
Turba super stantem, atque emissi turbine montis
Obruitur; simul ora virûm, simul arma, manusque,
Fractaque commixto sederunt pectora ferro.
Quatuor hic adeo dejecti mole sub una
Congemuere. Fuga tremefactum protinus agmen
Excutitur cœptis: neque enim temnenda jacebant 570
Funera, fulmineus Dorylas, quem regibus ardens
Æquabat virtus, Martisque e semine Theron
Terrigenas confisus avos, nec vertere cuiquam
Frena secundus Halys, sed tunc pedes occubat arvis;
Pentheumque trahens nondum te Phædimus æquo,
Bacche, genus. Quorum ut subitis exterrita fatis
Agmina turbatam vidit laxare catervam;
Quæ duo sola manu gestans acclinia monti
Fixerat, intorquet jacula, et fugientibus addit.
Mox in plana libens, nudo ne pectore tela 580
Inciderent, saltu præceps defertur, et orbem,
Quem procul oppresso vidit Therone volutum,
Corripuit, tergoque et vertice tegmine noto
Septus, et hostili propugnans pectora parma,
Constitit: inde iterum densi glomerantur in unum 585
Ogygidæ, firmantque gradum: trahit ocius ensem
Bistonium Tydeus, Mavortia munera magni
Œneos, et partes pariter divisus in omnes
Hos obit, atque illos, ferroque micantia tela
Decutit: impeditant numero, seque ipsa vicissim
Arma premunt: nec vis conatibus ulla, sed ipsæ
In socios errare manus, et corpora turba
Involvi prolapsa sua: manet ille cruentis
Angustus telis, et inexpugnabilis obstat.
Non aliter Getica, si fas est credere, Phlegra 595
Armatum immensus Briareus stetit æthera contra,
Hinc Phœbi pharetras, hinc torvæ Palladis angues,
Inde Pelethroniam præfixa cuspide pinum
Martis, at hinc lasso mutata Pyracmone temnens
Fulmina, cum toto nequicquam obsessus Olympo
Tot queritur cessare manus: non segnius ardet
Huc illuc clypeum objectans, seque ipse recedens
Circuit; interdum trepidis occurrit, et instat
Spicula divellens, clypeo quæ plurima toto
Fixa tremunt, armantque virum; sæpe aspera passus 605
Vulnera, sed nullum vitæ in secreta receptum,
Nec mortem sperare valet: rotat ipse furentem
Deilochum, comitemque illi jubet ire sub umbras
Phegea, sublata minitantem bella securi,
Dircæumque Gyan, et Echionium Lycophontem.
Jam trepidi sese quærunt, numerantque; nec idem
Cædis amor, tantamque dolent rarescere turbam.
Ecce Chromis Tyrii demissus origine Cadmi,
(Hunc utero quondam Dryope Phœnissa gravato
Rapta repente choris, onerisque oblita ferebat;
Dumque trahit prensis taurum tibi cornibus, Evan,
Procidit impulsus nimiis conatibus infans:)
Tunc audax jaculis, et capti pelle leonis,
Pinea nodosa quassabat robora clava,
Increpitans: Unusne, viri, tot cædibus unus 620
Ibit ovans Argos? vix credet fama reverso.
Heu socii, nullæne manus, nulla arma valebunt?
Hæc regi promissa, Cydon, hæc, Lampe, dabamus?
Dum clamat, subit ore cavo Theumesia cornus,
Nec prohibent fauces; atque illi voce repleta 625
Intercepta natat prorupto in sanguine lingua.
Stabat adhuc, donec transmissa morte per artus
Labitur, immorsaque cadens obmutuit hasta.
Vos quoque, Thespiadæ, cur inficiatus honora
Arcuerim fama? fratris moribunda levabat 630
Membra solo Periphas, (nil indole clarius illa,
Nec pietate fuit,) læva marcentia colla
Sustentans, dextraque latus: singultibus arctum
Exhaurit thoraca dolor, nec vincla coercent
Undantem fletu galeam: cum multa gementi 635
Pone gravis curvas perfringit lancea costas.
Exit et in fratrem, cognataque pectora telo
Conserit: ille oculos etiamnum in luce natantes
Sistit, et adspecta germani morte resolvit.
At cui vita recens, et adhuc in vulnere vires, 640
Hos tibi complexus, hæc dent, ait, oscula nati.
Procubuere pares fatis, (miserabile votum
Mortis,) et alterna clauserunt lumina dextra.

Protinus idem ultro jaculo parmaque Menœten
Proterrebat agens, trepidis vestigia retro 645
Passibus urgentem, donec defecit iniqua [bas
Lapsus humo, pariterque manus distractus in am-
Orat, et a jugulo nitentem sustinet hastam:
Parce, per has stellis interlabentibus umbras,
Per superos, noctemque tuam: sine tristia Thebas 650
Nuntius acta feram, vulgique per ora paventis
Contemto te rege canam: sic irrita nobis
Tela cadant, nullique tuum penetrabile ferro
Pectus, et optanti victor reveharis amico.
Dixerat: ille nihil vultum mutatus, Inanes 655
Perdis, ait, lacrymas, et tu, ni fallor, iniquo
Pollicitus mea colla duci: nunc arma, diemque
Projice: quid sequeris timidæ compendia vitæ?
Bella manent. Simul hæc, et crassum sanguine telum
Jam redit: ille super dictis infensus amaris 660
Prosequitur victos: Non hæc trieterica vobis
Nox patrio de more venit: non orgia Cadmi
Cernitis, aut avidas Bacchum scelerare parentes.
Nebridas et fragiles thyrsos portare putastis
Imbellem ad sonitum, maribusque incognita veris
Fœda Celænæa committere prœlia buxo? 666
Hic aliæ cædes, alius furor: ite sub umbras,
O timidi, paucique! Hæc intonat: attamen illi
Membra negant, lassusque ferit præcordia sanguis.
Jam sublata manus cassos defertur in ictus, 670
Tardatique gradus: clypeum nec sustinet umbo
Mutatum spoliis: gelidus cadit imber anhelo
Pectore: tum crines ardentiaque ora cruentis
Roribus, et tetra morientum adspergine manant.
Ut leo, qui campis longe custode fugato 675
Massylas depastus oves, ubi sanguine multo
Luxuriata fames, cervixque et tabe gravatæ
Consedere jubæ, mediis in cædibus adstat
Æger, hians, victusque cibis; nec jam amplius iræ
Crudescunt: tantum vacuis ferit aera malis, 680
Molliaque ejecta delambit vellera lingua.
Ille etiam Thebas spoliis et sanguine plenus
Isset, et attonitis sese populoque ducique
Ostentasset ovans, ni tu, Tritonia virgo,
Flagrantem, multaque operis caligine plenum 685
Consilio dignata virum: Sate gente superbi
Œneos, absentes cui dudum vincere Thebas
Annuimus, jam pone modum, nimiumque secundis
Parce deis: huic una fides optanda labori:
Fortuna satis usus abi. Restabat acerbis 690
Funeribus, socioque gregi non sponte superstes
Hæmonides (ille hæc præviderat, omina doctus
Aeris, et nulla deceptus ab alite) Mæon,
Nec veritus prohibere ducem: sed fata monentem
Privavere fide: vita miserandus inerti 695
Damnatur: trepido Tydeus immitia mandat:
Quisquis es Aonidûm, quem crastina munere nostro
Manibus exemtum mediis Aurora videbit,
Hæc jubeo perferre duci: cinge aggere portas:
Tela nova: fragiles ævo circumspice muros: 700
Præcipue stipare viros, densasque memento
Multiplicare acies: fumantem hunc adspice late
Ense meo campum: tales in bella venimus.
Hæc ait: et meritæ pulchrum tibi, Pallas, honorem
Sanguinea de strage parat, prædamque jacentem
Comportat gaudens, ingentiaque acta recenset.
Quercus erat teneræ jam longum oblita juventæ
Aggere camporum medio, quam plurimus ambit
Frondibus incurvis et crudo robore cortex:
Huic læves galeas, perfossaque vulnere crebro 710
Inserit arma ferens, huic truncos ictibus enses
Subligat, et fractas membris spirantibus hastas.
Corpora tunc atque arma simul cumulata superstans
Incipit: oranti nox et juga longa resultant:
Diva ferox, magni decus ingeniumque parentis,
Bellipotens, cui torva genis horrore decoro 716
Cassis, et adsperso crudescit sanguine Gorgon,
Nec magis ardentes Mavors, hastataque pugnæ
Impulerit Bellona tubas, huic annue sacro:
Seu Pandionio nostras invisere cædes 720
Monte venis, sive Aonia devertis Itone
Læta choris, seu tu Libyco Tritone repexas
Lota comas, qua te bijugo temone frementem
Intemeratarum volucer rapit axis equarum:
Nunc tibi fracta virûm spolia, informesque dicamus 725
Exuvias: at si patriis Parthaonis arvis
Inferar, et reduci pateat mihi Martia Pleuron,
Aurea tunc mediis urbis tibi templa dicabo
Collibus, Ionias qua despectare procellas
Dulce sit, et flavo tollens ubi vertice pontum 730
Turbidus objectas Achelous Echinadas exit.
Hic ego majorum pugnas, vultusque tremendos
Magnanimûm effingam regum, figamque superbis
Arma tholis, quæque ipse meo quæsita revexi
Sanguine, quæque dabis captis, Tritonia, Thebis. 735
Centum ibi virgineis votæ Calydonides aris
Actæas tibi rite faces, et ab arbore casta
Nectent purpureas niveo discrimine vittas:
Pervigilemque focis ignem longæva sacerdos
Nutriet, arcanum nunquam inspectura pudorem
Tu bellis, tu pace feres de more frequentes 741
Primitias operum, non indignante Diana.
Dixerat, et dulces iter instaurabat ad Argos.

LIBER TERTIUS.

At non Aoniæ moderator perfidus aulæ
Nocte sub ancipiti, quamvis humentibus astris
Longus ad Auroram superet labor, otia somni
Accipit: invigilant animo, scelerisque parati
Supplicium exercent curæ: tunc plurima versat 5
Pessimus in dubiis augur timor: Hei mihi! clamat. [armis
Inde moræ? (nam prona ratus, facilemque tot
Tydea, nec numero virtutem animumque rependit)
Num regio diversa viæ? num missus ab Argis
Subsidio globus? an sceleris data fama per urbes
Finitimas? paucosne, pater Gradive, manuve 11
Legimus indecores? at enim fortissimus illic
Et Chromis, et Dorylas, et nostris turribus æqui
Thespiadæ, totos raperent mihi funditus Argos.

Nec tamen ille meis, reor, impenetrabilis armis,
Ære gerens solidove satos adamante lacertos,
Venerat: heu segnes! quorum labor hæret in uno,
Si conserta manus. Vario sic turbidus æstu
Angitur, ac sese culpat super omnia, qui non
Orantem in mediis legatum cœtibus ense 20
Perculerit, fœdasque palam satiaverit iras.
Jam pudet incepti, jam pœnitet: ac velut ille
Fluctibus Ioniis Calabræ datus arbiter alno,
Nec rudis undarum, portus sed linquere amicos
Purior Olenii frustra gradus impulit astri; 25
Cum fragor hiberni subitus Jovis, omnia mundi
Claustra tonant, multusque polos inclinat Orion;
Ipse quidem mallet terras, pugnatque reverti,
Fert ingens a puppe Notus: tunc arte relicta
Ingemit, et cæcas sequitur jam nescius undas. 30
Talis Agenoreus ductor cœloque morantem
Luciferum, et seros mærentibus increpat ortus.
Ecce sub occiduas versæ jam noctis habenas,
Astrorumque obitus, ubi primum maxima Tethys
Impulit Eoo cunctantem Hyperiona ponto, 35
Ima flagellatis, signum lugubre malorum,
Ponderibus trepidavit humus, motusque Cithæron
Antiquas dedit ire nives: tunc visa levari
Culmina, septenæque jugo concurrere portæ.
Et prope sunt causæ: gelido remeabat Eoo 40
Iratus fatis et tristis morte negata
Hæmonides: necdum ora patent, dubiusque notari
Signa dabat magnæ longe manifesta ruinæ
Planctuque, et gemitu; lacrymas nam protinus omnes
Fuderat. Haud aliter saltu devertitur orbus 45
Pastor ab agrestum nocturna strage luporum,
Cujus herile pecus sylvis inopinus abegit
Imber, et hibernæ ventosa cacumina lunæ:
Luce patent cædes: domino perferre recentes
Ipse timet casus, haustaque informis arena 50
Questibus implet agros, stabulique silentia magni
Odit, et amissos longo ciet ordine tauros.
Illum congestæ portarum ad limina matres
Ut solum videre (nefas), nulla agmina circum
Magnanimosque duces, nihil ausæ quærere, tollunt
Clamorem, bello qualis supremus apertis 56
Urbibus, aut pelago jam descendente carina.
Ut primum invisi cupido data copia regis:
Hanc tibi de tanto donat ferus agmine Tydeus
Infelicem animam, sive hæc sententia divûm, 60
Seu fortuna fuit, seu, quod pudet ire fateri,
Vis invicta viri: vix credo et nuntius, omnes
Procubuere, omnes: noctis vaga lumina testor,
Et sociûm manes, et te, mala, protinus, ales, [astu
Qua redeo, non hanc lacrymis meruisse, nec
Crudelem veniam, atque inhonoræ munera lucis.
Sed mihi jussa deûm, placitoque ignara moveri
Atropos, atque olim non hæc data janua leti
Eripuere necem. Jamque ut mihi prodiga vitæ
Pectora, et extremam nihil horrescentia mortem
Adspicias; bellum infandum, ominibusque nega-
Movisti, funeste, aciem, dum pellere leges, [tam
Et consanguineo gliscis regnare superbus
Exsule: te series orbarum excisa domorum
Planctibus assiduis, te diro horrore volantes 75
Quinquaginta animæ circum noctesque diesque
Adsilient: neque enim ipse moror. Jam movera-
rat iras
Rex ferus, et tristes ignescunt sanguine vultus.
Inde ultro Phlegyas, et non cunctator iniqui
Labdacus (hos regni ferrum penes) ire, manuque
Proturbare parant: sed jam nudaverat ensem 81
Magnanimus vates, et nunc trucis ora tyranni,
Nunc ferrum adspectans, Nunquam tibi sanguinis hujus
Jus erit, aut magno feries imperdita Tydeo
Pectora: vado equidem exsultans, ereptaque fata
Insequor, et comites feror exspectatus ad umbras.
Te superis, fratrique...Et jam media orsa loquentis
Abstulerat plenum capulo latus: ille dolori
Pugnat, et ingentem nixu duplicatus in ictum
Corruit, extremisque animæ singultibus errans 90
Alternus nunc ore venit, nunc vulnere sanguis.
Excussæ procerum mentes, turbataque mussant
Concilia. Ast illum conjux fidique parentes
Servantem vultus, et torvum morte peracta,
Non longum reducem lætati, in tecta ferebant. 95
Sed ducis infandi rabidæ non hactenus iræ
Stare queunt: vetat igne rapi, pacemque sepulcri
Impius ignaris nequicquam manibus arcet.
Tu tamen egregius fati mentisque, nec unquam
Indignum passure situm, qui cominus ausus 100
Vadere contemtum regis, quaque ampla veniret
Libertas sancire viam: quo carmine dignam,
Quo satis ore tuis famam virtutibus addam,
Augur amate deis? non te cœlestia frustra
Edocuit, lauruque sua dignatus Apollo est: 105
Et nemorum Dodona parens, Cirrhæaque virgo
Audebit tacito populos suspendere Phœbo.
Nunc quoque Tartareo multum divisus Averno
Elysias, i, carpe plagas: ubi manibus axis
Invius Ogygiis, nec sontis iniqua tyranni 110
Jussa valent. Durant habitus, et membra cruentis
Inviolata feris, nudoque sub axe jacentem
Et nemus, et tristis volucrum reverentia servat.
At nuptæ exanimes, puerique, ægrique parentes
Mœnibus effusi per plana, per invia passim [runt,
Quisque suas avidi ad lacrymas, miserabile, cur-
Certamen: quos densa gradu comitantur euntes
Millia solandi studio; pars visere flagrant
Unius acta viri, et tantos in nocte labores.
Fervet iter gemitu, et plangoribus arva reclamant.
Ut vero infames scopulos sylvamque nefandam
Perventum, ceu nulla prius lamenta, nec atri
Manassent imbres, sic ore miserrimus uno
Exoritur fragor, adspectuque accensa cruento
Turba furit: stat sanguineo discissus amictu 125
Luctus atrox, cæsoque invitat pectore matres.
Scrutantur galeas frigentum, inventaque monstrant
Corpora, prociduæ super externosque, suosque.
Hæ pressant in tabe comas, hæ lumina signant,
Vulneraque alta replent lacrymis: pars spicula dextra [tant
Nequicquam parcente trahunt; pars molliter ap-
Brachia trunca loco, et cervicibus ora reponunt.
At vaga per dumos, vacuique in pulvere campi,
Magna parens juvenum, gemini tunc funeris, Ide,
Squalentem sublata comam, liventiaque ora 135
Ungue premens, nec jam infelix miserandaque, verum [passim
Terror inest lacrymis, per et arma et corpora
Canitiem impexam dira tellure volutans
Quærit inops natos, omnique in corpore plangit
Thessalis haud aliter bello gavisa recenti, 140
Cui gentile nefas hominem revocare canendo,
Multifida attollens antiqua lumina cedro, [tum
Nocte subit campos, versatque in sanguine func-
Vulgus, et explorat manes, cui plurima busto
Imperet ad superos: animarum mæsta queruntur
Concilia, et nigri pater indignatur Averni. 146
Illi in secessu pariter sub rupe jacebant

Felices, quos una dies, manus abstulit una,
Pervia vulneribus media trabe pectora nexi.
Ut vidit, lacrymisque oculi patuere profusis: 150
Hosne ego complexus genitrix, hæc oscula, nati,
Vestra tuor? sic vos extremo in fine ligavit
Ingenium crudele necis? quæ vulnera tractem,
Quæ prius ora premam? vosne illa potentia matris,
Vos uteri fortuna mei, qua tangere divos 155
Rebar, et Ogygias titulis anteire parentes?
At quanto melius, dextraque in sorte jugatæ,
Quis steriles thalami, nulloque ululata dolore
Respexit Lucina domum! mihi quippe malorum
Causa labor. Sed nec bellorum in luce patenti
Conspicui factis, æternaque gentibus ausi, 161
Quæsistis miseræ vulnus memorabile matri;
Sed mortem obscuram, miserandaque funera passi.
Heu quantus furto cruor, et sine laude jacetis!
Quin ego non dextras miseris complexibus ausim
Dividere, et tanti consortia rumpere leti: 166
Ite diu fratres, indiscretique supremis
Ignibus, et caros urna confundite manes.
Nec minus interea digesta strage suorum
Hinc Chthonium conjux, hinc mater Penthea clamat 170
Astyoche, puerique rudes tua, Phædime, proles
Amissum didicere patrem, Marpissaque pactum
Phyllea; sanguineumque lavant Acamanta sorores.
Tunc ferro retegunt sylvas, collisque propinqui
Annosum truncant apicem, qui conscius actis 175
Noctis, et inspexit gemitus. Ibi grandior ævo
Ante rogos, dum quisque suo nequit igne revelli,
Concilium infaustum dictis mulcebat Alethes:
Sæpe quidem infelix, varioque exercita ludo
Fatorum gens nostra fuit, Sidonius ex quo 180
Hospes in Aonios jecit sata ferrea sulcos,
Unde novi fetus, et formidata colonis
Arva suis: sed nec veteris cum regia Cadmi
Fulmineum in cinerem monitis Junonis iniquæ
Consedit, neque funerea cum laude potitus 185
Infelix Athamas trepido de monte veniret, [chum,
Semianimem heu læto referens clamore Lear-
Hic gemitus Thebis: nec tempore clarius illo
Phœnissæ sonuere domus, cum lassa furorem
Vicit, et ad comitum lacrymas expavit Agave. 190
Una dies similis fato, specieque malorum
Æqua fuit, qua magniloquos luit impia flatus
Tantalis, innumeris cum circumfusa ruinis
Corpora tot raperet terra, tot quæreret ignes.
Talis erat vulgi status, et sic urbe relicta 195
Primævique senes, et longo examine matres
Invidiam planxere deis, miseroque tumultu
Bina per ingentes stipabant funera portas. [ætas,
Meque ipsum memini, necdum apta doloribus
Flesse tamen, gemituque meos æquasse parentes.
Illa tamen superi. Nec quod tibi, Delia, castos
Prolapsum ad fontes, specula temerante profana,
Heu dominum insani non agnovere Molossi,
Deflerim magis, aut verso quod sanguine fluxit
In subitos regina lacus: sic dira sororum 205
Pensa dabant, visumque Jovi. Nunc regis iniqui
Ob noxam immeritos, patriæ tot culmina, cives
Exuimus; nec adhuc calcati fœderis Argos
Fama subît, et jam bellorum extrema dolemus.
Quantus equis, quantusque viris in pulvere crasso
Sudor! io quanti crudele rubebitis amnes! 211
Viderit hæc bello viridis manus: ast ego doner
Dum licet igne meo, terraque insternar avita
Hæc senior: multumque nefas Eteoclis acerbat,
Crudelem infandumque vocans, pœnasque datu-
Unde ea libertas? juxta illi finis, et ætas [rum
Tota retro, seræque velit decus addere morti.
Hæc sator astrorum jamdudum e vertice mundi
Prospectans, primoque imbutas sanguine gentes,
Gradivum acciri propere jubet. Ille furentes 220
Bistonas, et Geticas populatus cædibus urbes,
Turbidus ætherias currus urgebat ad arces,
Fulmine cristatum galeæ jubar, armaque in auro
Tristia, terrificis monstrorum animata figuris,
Incutiens: tonat axe polus, clypeique cruenta
Lux rubet, et solem longe ferit æmulus orbis. 226
Hunc ubi Sarmaticos etiamnum efflare labores
Jupiter, et tota perfusum pectora belli
Tempestate videt: Talis mihi, nate, per Argos,
Talis abi; sic ense madens, ac nubilus ira. 230
Exturbent resides frenos, et cuncta perosi
Te cupiant, tibi præcipites animasque manusque
Devoveant; rape cunctantes, et fœdera turba
Quæ dedimus: tibi fas ipsos incendere bello
Cœlicolas, pacemque meam: jam semina pugnæ
Ipse dedi: remeat portans immania Tydeus 236
Ausa ducis, scelus, et turpis primordia belli,
[Insidias, fraudesque, suis quas ultus in armis.]
Adde fidem. Vos, o superi, meus ordine sanguis,
Ne pugnate odiis, neu me tentare precando 240
Certetis: sic fata mihi, nigræque sororum
Juravere colus: manet hæc ab origine mundi
Fixa dies bello, populique in prœlia nati.
Quod ni me veterum pœnas sancire malorum
Gentibus, et diros sinitis punire nepotes, 245
Arcem hanc æternam, mentis sacraria nostræ,
Testor, et Elysios etiam mihi numina fontes,
Ipse manu Thebas, correptaque mœnia fundo
Excutiam, versasque solo super Inacha tecta
Effundam turres, ac stagna in cærula vertam 250
Imbre superjecto: licet ipsa in turbine rerum
Juno suos colles templumque amplexa laboret.
Dixit: et attoniti jussis (mortalia credas [bant.
Pectora) sic cuncti vocemque animosque tene-
Non secus ac longa ventorum pace solutum 255
Æquor, et imbelli recubant ubi littora somno,
Sylvarumque comas, et abacto flamine nubes
Mulcet iners æstas: tunc stagna, lacusque sonori
Detumuere: tacent exhausti solibus amnes.
Gaudet ovans jussis, et adhuc temone calenti
Fervidus, in lævum torquet Gradivus habenas.
Jamque iter extremum, cœlique abrupta tenebat,
Cum Venus ante ipsos nulla formidine gressum
Figit equos: cessere retro, jam jamque rigentes
Suppliciter posuere jubas: tunc pectora summo
Acclinata jugo, vultumque obliqua madentem,
Incipit: interea dominæ vestigia juxta
Spumantem proni mandunt adamanta jugales:
Bella etiam in Thebas, socer o pulcherrime, bella
Ipse paras, ferroque tuos abolere nepotes? 270
Nec genus Harmonies, nec te connubia cœlo
Festa, nec hæ quicquam lacrymæ, furibunde, morantur? [lictus,
Criminis hæc merces? hoc fama pudorque re-
Hoc mihi Lemniacæ de te meruere catenæ?
Perge libens: at non eadem Vulcania nobis 275
Obsequia, et læsi servit tamen ira mariti.
Illum ego perpetuis mihi desudare caminis
Si jubeam, vigilesque operi transmittere noctes,
Gaudeat, ornatusque novos, ipsique laboret
Arma tibi: tu... sed scopulos et aena precando
Flectere corda paro: solum hoc tamen anxia, solum

Obtestor, quid me Tyrio sociare marito
Progeniem caram, infaustisque dabas Hymenæis;
Dum fore præclaros armis, et vivida rebus
Pectora vipereo Tyrios de sanguine jactas, 285
Demissumque Jovis serie genus? ah mea quanto
Sithonia mallem nupsisset virgo sub Arcto
Trans Boream, Thracasque tuos. Indigna parumne
Pertulimus, divæ Veneris quod filia longum
Reptat, et Illyricas ejectat virus in herbas? 290
Nunc gentem immeritam. . .Lacrymas non pertulit
Bellipotens: hastam læva transumit, et alto, [ultra
Haud mora, desiluit curru, clypeoque receptam
Lædit in amplexu, dictisque ita mulcet amicis:
O mihi bellorum requies, et sacra voluptas, 295
Unaque pax animo, soli cui tanta potestas
Divorumque hominumque meis occurrere telis
Impune, et media quamvis in cæde frementes
Hos adsistere equos, hunc ensem avellere dextra:
Nec mihi Sidonii genitalia fœdera Cadmi, 300
Nec tua cara fides (ne falsa incessere gaude)
Exciderant: prius in patrui deus infera mergar
Stagna, et pallentes agar exarmatus ad umbras.
Sed nunc fatorum monitus, mentemque supremi
Jussus obire patris, (neque enim Vulcania tali
Imperio manus apta legi,) quo pectore contra
Ire Jovem, dictasque parem contemnere leges?
Cui modo (pro vires) terras, cœlumque, fretum-
Attremere oranti, tantosque ex ordine vidi [que
Delituisse deos. Sed ne mihi corde supremos
Concipe, cara, metus: quando hæc mutare potestas 311
Nulla datur, cum jam Tyriis sub mœnibus ambæ
Bellabunt gentes, adero, et socia arma juvabo.
Tunc me sanguineo late defervere campo
Res super Argolicas haud sic dejecta videbis:
Hoc mihi jus, nec fata vetant. Sic orsus, aperto
Flagrantes immisit equos: non ocius alti
In terras cadit ira Jovis, si quando nivalem
Othryn, et Arctoæ gelidum caput institit Ossæ,
Armavitque in nube manum: volat ignea moles
Sæva dei mandata ferens, cœlumque trisulca 321
Territat omne coma, jamdudum aut ditibus agris
Signa dare, aut ponto miseros involvere nautas.
Jamque remensus iter fesso Danaeia Tydeus
Arva gradu, viridisque legit devexa Prosymnæ,
Terribilis visu: stant fulvi pulvere crines: 326
Squalidus ex humeris cadit alta in vulnera sudor,
Insomnesque oculos rubor excitat, oraque retro
Sorbet anhela sitis; mens altum spirat honorem
Conscia factorum. Sic nota in pascua taurus 330
Bellator redit, adverso cui colla suoque
Sanguine, proscissisque natant palearibus armi:
Tunc quoque lassa tumet virtus, multumque superbit
Pectore despecto: vacua jacet hostis arena
Turpe gemens, crudosque vetat sentire dolores.
Talis erat. Medias etiam non destitit urbes, 336
Quicquid et Asopon veteresque interjacet Argos,
Inflammare odiis, multumque et ubique retexens
Legatum sese Graia de gente petendis
Isse super regnis profugi Polynicis, at inde 340
Vim, noctem, scelus, arma, dolos, ea fœdera pas-
Regis Echionii; fratri sua jura negari. [sum
Prona fides populis: deus omnia credere suadet
Armipotens, geminatque acceptos fama pavores.
Utque introgressus portas (et forte verendos 345
Concilio pater ipse duces cogebat Adrastus)
Improvisus adest, jam illinc a postibus aulæ
Vociferans: Arma, arma, viri, tuque optime Lernæ
Ductor, magnanimûm si quis tibi sanguis avorum,
Arma para. Nusquam pietas, non gentibus æquum 350
Fas, aut cura Jovis: melius legatus adissem
Sauromatas avidos, servatoremque cruentum
Bebrycii nemoris. Nec jussa incuso, pigetve
Officii; juvat isse, juvat, Thebasque nocentes
Explorasse manu. Bello me, credite, bello, 355
Ceu turrim validam, aut arctam compagibus ur-
Delecti insidiis instructique omnibus armis [bem,
Nocte doloque viri nudum ignarumque locorum
Nequicquam clausere; jacent in sanguine mixti
Ante urbem vacuam. Nunc o, nunc tempus in hostes, 360
Dum trepidi exsanguesque metu, dum funera portant; [fessus
Dum capulo nondum manus excidit. Ipse ego,
Quinquaginta illis heroum immanibus umbris,
Vulneraque ista ferens, putri insiccata cruore,
Protinus ire peto. Trepidi de sedibus adstant
Inachidæ: cunctisque prior Cadmeius heros
Accurrit vultum dejectus, et, En ego divis
Invisus, vitæque nocens, hæc vulnera cerno
Integer? hosne mihi reditus, germane, parabas?
In me hæc tela dabas? pro vitæ fœda cupido!
Infelix, facinus fratri tam grande negavi. 371
Et nunc vestra quidem maneant in pace serena
Mœnia, nec vobis tanti sim causa tumultus,
Hospes adhuc: scio, nec me adeo res dextra levavit,
Quam durum natis, thalamo quam triste revelli,
Quam patria: non me ullius domus anxia culpet,
Respectentque truces obliquo lumine matres.
Ibo libens certusque mori; licet optima conjux
Auditusque iterum revocet socer: hunc ego Thebis, [Tydeu,
Hunc, germane, tibi jugulum, et tibi, maxime
Debeo. Sic variis prætentat pectora dictis, 381
Obliquatque preces: commotæ questibus iræ,
Et mixtus lacrymis caluit dolor: omnibus ultro
Non juvenum modo, sed gelidis et inertibus ævo
Pectoribus mens una subit, viduare penates,
Finitimas adhibere manus, jamque ire: sed altus
Consiliis pater, imperiique haud flectere molem
Inscius; Ista quidem superis, curæque medenda
Linquite, quæso, meæ: nec te germanus inulto
Sceptra geret, neque vos avidi promittere bellum.
At nunc egregium tantoque in sanguine ovantem
Excipite Œniden, animosque et pectora laxet
Sera quies: nobis dolor haud rationis egebit.
Turbati extemplo comites, et pallida conjux,
Tydea circum omnes fessum bellique viæque
Stipantur. Lætus mediis in sedibus aulæ 396
Constitit, ingentique exceptus terga columna,
Vulnera dum lymphis Epidaurius eluit Idmon,
Nunc velox ferro, nunc ille potentibus herbis
Mitior, ipse alta seductus mente renarrat 400
Principia irarum, quæque orsus uterque vicissim,
Quis locus insidiis, tacito quæ tempora bello,
Qui contra quantique duces, ubi maximus illi
Sudor, et indicio servatum Mæona tristi,
Exponit; cui fida manus, proceresque, socerque
Adstupet oranti, Tyriusque incenditur exsul. 406
Solverat Hesperii devexo margine ponti
Flagrantes sol pronus equos, rutilamque lavabat
Oceani sub fonte comam; cui turba profundi
Nereos, et rapidis accurrunt passibus Horæ; 410
Frenaque, et auratæ textum sublime coronæ
Deripiunt: laxant roseis humentia loris
Pectora: pars meritos vertunt ad molle jugales
Gramen, et erecto currum temone supinant.

Nox subiit, curasque hominum, motusque ferarum
Composuit, nigroque polos involvit amictu. 416
Illa quidem cunctis, sed non tibi mitis, Adraste,
Labdacioque duci: nam Tydea largus habebat
Perfusum magna virtutis imagine somnus.
Et jam noctivagas inter deus armiger umbras
Desuper Arcadiæ fines, Nemeæaque rura, 421
Tænariumque cacumen, Apollineasque Therapnas
Armorum tonitru ferit, et trepidantia corda
Implet amore sui. Comunt Furor Iraque cristas,
Frena ministrat equis Pavor armiger: at vigil omni 425
Fama sono varios rerum succincta tumultus
Ante volat currum, flatuque impulsa gementum
Alipedum, trepidas denso cum murmure plumas
Excutit: urget enim stimulis auriga cruentis
Facta, infecta loqui, curruque infestus ab alto
Terga comasque deæ Scythica pater increpat hasta.
Qualis ubi Æolio dimissos carcere ventos
Dux præ se Neptunus agit, magnoque volantes
Injicit Ægæo: tristis comitatus eunti 430
Circum lora fremunt nimbique hiemesque profundæ,
Nubilaque, et vulso terrarum sordida fundo
Tempestas: dubiæ motis radicibus obstant
Cyclades: ipsa tua Mycono Gyaroque revelli,
Dele, times, magnique fidem testaris alumni.
Septima jam nitidum terris Aurora deisque 440
Purpureo vehit ore diem, Perseius heros
Cum primum arcana senior sese extulit aula,
Multa super bello generisque tumentibus amens
Incertusque animi, daret armis jura, ferosque
Gentibus incuteret stimulos, an frena teneret 445
Irarum, et motos capulis adstringeret enses.
Hinc pacis tranquilla movent, atque inde pudori
Fœda quies, flectique nova dulcedine pugnæ
Difficiles populi. Dubio sententia tandem
Sera placet, vatum mentes, ac provida veri 450
Sacra movere deûm. Solers tibi cura futuri,
Amphiarae, datur, juxtaque Amythaone cretus,
Jam senior, sed mente virens Phœboque, Melampus
Adsociat passus: dubium cui dexter Apollo, 455
Oraque Cirrhæa satiarit largius unda.
Principio fibris pecudumque in sanguine divos
Explorant: jam tum pavidis maculosa bidentum
Corda negant, diraque nefas minitantia vena.
Ire tamen, vacuoque sedet petere omina cœlo.
Mons erat audaci seductus in æthera dorso, 460
(Nomine Lernæi memorant Aphesanta coloni,)
Gentibus Argolicis olim sacer: inde ferebant
Nubila suspenso celerem temerasse volatu
Persea, cum raptos pueri perterrita mater
Prospexit de rupe gradus, ac pæne secuta est.
Huc gemini vates sanctam canentis olivæ 466
Fronde comam, et niveis ornati tempora vittis
Evadunt pariter, madidos ubi lucidus agros
Ortus, et algentes laxavit sole pruinas.
Ac prior Œclides solita prece numen amicat:
Jupiter omnipotens, nam te pernicibus alis 471
Addere consilium, volucresque implere futuri,
Ominaque et causas cœlo deferre latentes
Accipimus: non Cirrha deum promiserit antro
Certius, aut frondes lucis quas fama Molossis 475
Chaonias sonuisse tibi: licet aridus Hammon
Invideat, Lyciæque parent contendere sortes,
Niliacumque pecus, patrioque æqualis honori
Branchus, et undosæ qui rusticus accola Pisæ
Pana Lycaonia nocturnum exaudit in umbra; 480
Ditior ille animi, cui tu, Dictæe, secundas
Impuleris manifestus aves: mirum unde, sed olim
Hic honor alitibus: superæ seu conditor aulæ
Sic dedit, effusum Chaos in nova semina texens;
Seu quia mutatæ, nostraque ab origine versis 485
Corporibus subiere Notos; seu purior axis,
Amotumque nefas, et rarum insistere terris
Vera docent: tibi summa, sator terræque deûmque,
Scire licet: nos Argolicæ primordia pugnæ,
Venturumque sinas cœlo prænosse laborem. 490
Si datur, et duris sedet hæc sententia Parcis
Solvere Echionias Lernæa cuspide portas,
Signa feras, lævusque tones: tunc omnis in astris
Consonet arcana volucris bona murmura lingua.
Si prohibes, hic necte moras, dextrisque profundum 495
Alitibus prætexe diem. Sic fatus, et alto
Membra locat scopulo: tunc plura, ignotaque jungit
Numina, et immensi fruitur caligine mundi.
Postquam rite diu partiti sidera, cunctas
Perlegere animis, oculisque sequacibus auras;
Tunc Amythaonius longo post tempore vates: 501
Nonne sub excelso spirantis limite cœli,
Amphiarae, vides, cursus ut nulla serenos
Ales agat, liquidoque polum complexa meatu
Pendeat, aut fugiens placabile plauserit omen?
Non comes obscurus tripodum, non fulminis ardens
Vector adest, flavæque sonans avis unca Minervæ:
Non venit auguriis melior: quin vultur, et altis
Desuper accipitres exsultavere rapinis.
Monstra volant, diræ strident in nube volucres,
Nocturnæque gemunt striges, et feralia bubo 511
Damna canens. Quæ prima deûm portenta sequemur?
Hisne dari, Thymbræe, polum? simul ora recurvo
Ungue secant rabidæ, planctumque imitantibus alis
Exagitant Zephyros, et plumea pectora cædunt.
Ille sub hæc: Equidem varii, pater, omina Phœbi
Sæpe tuli, jam tunc prima cum pube virentem
Semideos inter pinus me Thessala reges
Duceret; hic casus terræque marisque canentem
Obstupuere duces, nec me ventura locuto 520
Sæpius in dubiis auditus Iasone Mopsus.
Sed similes non ante metus, aut astra notavi
Prodigiosa magis; quanquam majora parantur.
Huc adverte animum: clara regione profundi
Ætheris innumeri statuerunt agmina cygni; 525
Sive hos Strymonia Boreas ejecit ab Arcto,
Seu fecunda refert placidi clementia Nili.
Fixerunt cursus: hac rere in imagine Thebas.
Nam sese immoti gyro, atque in pace silentes,
Ceu muris valloque, tenent: sed fortior ecce 530
Adventat per inane cohors: septem ordine fulvo
Armigeros summi Jovis exsultante caterva
Intuor: Inachii sunt hi tibi (concipe) reges.
Invasere globum nivei gregis, uncaque pandunt
Cædibus ora novis, et strictis unguibus instant.
Cernis inexperto rorantes sanguine ventos, 536
Et plumis stillare diem? quam sæva repente
Victores agitat leto Jovis ira sinistri!
Hic excelsa petens subita face solis inarsit,
Submisitque animos: illum vestigia adortum
Majorum volucrum teneræ deponitis alæ: 541
Hic hosti implicitus pariter ruit: hunc fuga retro
Volvit agens sociæ linquentem fata catervæ:
Hic nimbo glomeratus obit: hic præpete viva
Pascitur immoriens: spargit cava nubila sanguis.
Quid furtim lacrymas? illum, venerande Melampu,
Qui cadit, agnosco. Trepidos sic mole futuri,
Cunctaque jam rerum certa sub imagine passos,
Terror habet vates: piget irrupisse volantum

Concilia, et cœlo mentem insertasse vetanti; 550
Auditique odere deos. Unde iste per orbem
Primus venturi miseris animantibus æger
Crevit amor? divûmne feras hoc munus, an ipsi
Gens avida, et parto non unquam stare quieti?
Eruimus quæ prima dies, ubi terminus ævi, 555
Quid bonus ille deûm genitor, quid ferrea Clotho
Cogitet: hinc fibræ, et volucrum per nubila sermo,
Astrorumque vices, numerataque semita lunæ
Thessalicumque nefas. At non prior aureus ille
Sanguis avûm, scopulisque satæ vel robore gentes [que
Mentibus hoc ausæ: sylvas amor unus humum-
Edomuisse manu: quid crastina volveret ætas
Scire nefas homini. Nos pravum ac debile vulgus
Scrutati penitus superos: hinc pallor et iræ,
Hinc scelus, insidiæque, et nulla modestia voti.
Ergo manu vittas, damnataque vertice serta 566
Deripit, abjectaque inhonorus fronde sacerdos
Inviso de monte redit. Jam bella tubæque
Cominus, absentesque fremunt sub pectore Thebæ.
Ille nec adspectum vulgi, nec fida tyranni 570
Colloquia, aut cœtus procerum perferre, sed atra
Sede tegi, et superûm clausus negat acta fateri.
Te pudor et curæ retinent per rura, Melampu.
Bisseno premit ora die, populumque ducesque
Extrahit incertis. Et jam suprema Tonantis 575
Jussa fremunt, agrosque viris, annosaque vastant
Oppida: bellipotens præ se deus agmina passim
Mille rapit: liquere domos, dilectaque læti
Connubia, et primo plorantes limine natos;
Tantus in attonitos cecidit deus: arma paternis
Postibus, et fixos superûm ad penetralia currus
Vellere amor: tunc fissa putri rubigine tela,
Horrentesque situ gladios in sæva recurvant
Vulnera, et attrito cogunt juvenescere saxo.
Hi teretes galeas, magnorumque ærea suta 585
Thoracum, et tunicas chalybum squalore cre-
Pectoribus tentare; alii Gortynia lentant [pantes
Cornua: jam falces avidis et aratra caminis,
Rastraque, et incurvi sævum rubuere ligones.
Cædere nec validas sanctis e stirpibus hastas, 590
Nec pudor emerito clypeum vestisse juvenco.
Irrupere Argos, mæstique ad limina regis
Bella animis, bella ore fremunt; it clamor ad auras:
Quantus Tyrrheni gemitus salis, aut ubi tentat
Enceladus mutare latus: procul igneus antris 595
Mons tonat: exundant apices, fluctusque Pelorus
Contrahit, et sperat tellus abrupta reverti.
Atque hic ingenti Capaneus Mavortis amore
Excitus, et longam pridem indignantia pacem
Corda tumens, (huic ampla quidem de sanguine prisco 600
Nobilitas; sed enim ipse manu prægressus avorum
Facta, diu tuto superûm contemtor, et æqui
Impatiens, largusque animæ, modo suaserit ira:)
Unus ut e sylvis Pholoes habitator opacæ,
Inter et Ætnæos æquus consurgere fratres, 605
Ante fores, ubi turba ducum, vulgique frementis,
Amphiarae, tuas, Quæ tanta ignavia, clamat,
Inachicæ? vosque, o socio de sanguine Achivi,
Unius (heu pudeat) plebeia ad limina civis
Tot ferro accinctæ gentes, animisque paratæ, 610
Pendemus? non si ipse cavo sub vertice Cirrhæ,
Quisquis is est timidis famæque ita visus, Apollo
Mugiat, insano penitus seclusus in antro,
Exspectare queam, dum pallida virgo tremendas
Nuntiet ambages. Virtus mihi numen, et ensis,
Quem teneo. Jamque huc timida cum fraude sacerdos 616
Exeat, aut hodie, volucrum quæ tanta potestas,
Experiar. Lætum fremit, adsensuque furentem
Implet Achæa manus: tandem prorumpere adac
Œclides, alto curarum agitante tumultu: [tus
Non equidem effreno juvenis clamore profani,
Dictorumve metu, licet hic insana minetur,
Elicior tenebris: alio mihi debita fato
Summa dies, vetitumque dari mortalibus armis.
Sed me vester amor, nimiusque arcana profari 625
Phœbus agit: vobis ventura, atque omne quod ultra est,
Pandere mæstus eo: nam te, vesane, moneri
Ante nefas, unique silet tibi noster Apollo.
Quo, miseri, fatis superisque obstantibus, arma
Quo rapitis? quæ vos Furiarum verbera cæcos 630
Exagitant? adeone animarum tædet, et Argos
Exosi? nil dulce domi? nulla omina curæ?
Quid me Persei secreta ad culmina montis
Ire gradu trepido, superosque irrumpere cœtus
Egistis? potui pariter nescire, quis armis 635
Casus, et atra dies, quæ fati exordia cunctis,
Quæ mihi. Consulti testor penetralia mundi,
Et volucrum affatus, et te, Thymbræe, vocanti
Non alias tam sæve mihi, quæ signa futuri
Pertulerim. Vidi ingentis portenta ruinæ: 640
Vidi hominum divûmque nefas, hilaremque Megæram,
Et Lachesim putri vacuantem sæcula penso.
Projicite arma manu. Deus ecce furentibus obstat;
Ecce deus: miseri, quid pulchrum sanguine victo,
Aoniam et diri saturare novalia Cadmi? 645
Sed quid vana cano? quid fixos arceo casus?
Ibimus. Hic presso gemuit simul ore sacerdos.
Illum iterum Capaneus: Tuus o furor, augur, et
Ista tibi, ut serves vacuos inglorius Argos, [uni
Et tua non unquam Tyrrhenus tempora circum
Clangor eat: quid vota virûm meliora moraris?
Scilicet ut vanis avibus, natoque, domoque,
Et thalamis potiare jacens, sileamus inulti
Tydeos egregii perfossum pectus, et arma
Fœderis abrupti? quod si bella effera Graios 655
Ferre vetas, i Sidonias legatus ad urbes.
Hæc pacem tibi serta dabunt. Tua prorsus inani
Verba polo causas abstrusaque semina rerum
Eliciunt? miseret superûm, si carmina curæ,
Humanæque preces: quid inertia pectora terres
Primus in orbe deos fecit timor: et tibi tuto 661
Nunc eat iste furor: sed prima ad classica cum jam
Hostilem Ismenon galeis Dircenque bibemus,
Ne mihi tunc, moneo, lituos atque arma volenti
Obvius ire pares, ventisque aut alite visa 665
Bellorum proferre diem: procul hæc tibi mollis
Infula, terrificique aberit dementia Phœbi.
Illic augur ego, et mecum quicunque parati
Insanire manu. Rursus fragor intonat ingens
Hortantum, et vasto subter volat astra tumultu.
Ut rapidus torrens, animos cui verna ministrant
Flumina, et exuti concreto frigore colles,
Cum vagus in campos frustra prohibentibus exit
Objicibus, resonant permixto turbine tecta,
Arva, armenta, viri, donec stetit improbus alto
Colle minor, magnoque invenit in aggere ripa
Hæc alterna ducum nox interfusa diremit.
At gemitus Argia viri non amplius æquo
Corde ferens, sociumque animo miserata dolorem,
Sicut erat pridem laceris turbata capillis, 680
Et fletu signata genas, ad celsa verendi
Ibat tecta patris, parvumque sub ubere caro

Thessandrum portabat avo, jam nocte suprema
Ante novos ortus, ubi sola superstite plaustro
Arctos ad Oceanum fugientibus invidet astris. 685
Utque fores iniit, magnoque affusa parenti est:
Cur tua cum lacrymis mæsto sine conjuge supplex
Limina nocte petam, cessem licet ipsa profari,
Scis, genitor: sed jura deûm genitalia testor,
Teque, pater, non ille jubet, sed pervigil angor.
Ex quo primus Hymen, movitque infausta sinistram
Juno facem, semper lacrymis gemituque propinquo
Exturbata quies: non si mihi tigridis horror,
Æquoreæque super rigeant præcordia cautes,
Ferre queam: tu solus opem, tu summa medendi
Jura tenes: da bella, pater, generique jacentis
Adspice res humiles, atque hanc, pater, adspice prolem
Exsulis; huic olim generis pudor: o ubi prima
Hospitia, et junctæ testato numine dextræ?
Hic certe est, quem fata dabant, quem dixit Apollo. 700
Non egomet tacitos Veneris furata calores
Culpatamve facem, tua jussa verenda, tuosque
Dilexi monitus: nunc qua feritate dolentis
Despiciam questus? nescis, pater optime nescis
Quantus amor causæ misero nupsisse marito. 705
Et nunc mæsta quidem grave et illætabile munus,
Ut timeam doleamque, rogo: sed cum oscula rumpet
Mæsta dies, cum rauca dabunt abeuntibus armis
Signa tubæ, sævoque genas fulgebitis auro,
Hei mihi, care parens, iterum fortasse rogabo.
Illius humenti carpens pater oscula vultu, [las:
Non equidem has unquam culparim, nata, quere-
Pone metus: laudanda rogas, nec digna negari.
Sed mihi multa dei, (nec tu sperare, quod urges,
Desine,) multa metus, regnique volubile pondus
Subjiciunt animo: veniet, qui debitus istis, 716
Nata, modus; nec te incassum flevisse quereris.
Tu solare virum: neu sint dispendia justæ
Dura moræ: magnos cunctamur, nata, paratus.
Proficitur bello. Dicentem talia nascens 720
Lux movet, ingentesque jubent adsurgere curæ.

LIBER QUARTUS.

Tertius horrentem Zephyris laxaverat annum
Phœbus, et angustum cogebat limite verno
Longius ire diem, cum fracta impulsaque fatis
Consilia, et tandem miseris data copia belli.
Prima manu rutilam de vertice Larissæo 5
Ostendit Bellona facem, dextraque trabalem
Hastam intorsit agens, liquido quæ stridula cœlo
Fugit, et adversæ celso stetit aggere Dirces.
Mox et castra subit, ferroque auroque coruscis
Mixta viris turmale fremit: dat euntibus enses:
Plaudit equos: vocat ad portas: hortamina fortes
Præveniunt, timidisque etiam brevis addita virtus.
Dicta dies aderat: cadit ingens rite Tonanti
Gradivoque pecus; nullisque secundus in extis
Pallet, et armatis simulat sperare sacerdos. 15
Jamque suos circum pueri, innuptæque, patresque
Funduntur mixti, summisque a postibus obstant.
Nec modus est lacrymis: rorant clypeique jubæque
Triste salutantum, et cunctis dependet ab armis
Suspiranda domus: galeis juvat oscula clausis 20
Inserere, amplexuque truces deducere conos.
Illi, quîs ferrum modo, quîs mors ipsa placebat,
Dant gemitus, fractæque labant singultibus iræ.
Sic ubi forte viris longum super æquor ituris,
Cum jam ad vela Noti, et scisso redit ancora fundo, 25
Hæret amica manus; certant innectere collo
Brachia, manantesque oculos: hinc oscula turbant,
Hinc magni caligo maris: tandemque relicti
Stant in rupe tamen: fugientia carbasa visu [tos;
Dulce sequi, patriosque dolent crebrescere ven-
Stant tamen, et nota puppim de rupe salutant.
Nunc mihi, fama prior, mundique arcana vetustas,
Cui meminisse ducum, vitasque extendere curæ,
Pande viros: tuque, o nemoris regina sonori
Calliope, quas ille manus, quæ moverit arma 35
Gradivus, quantas populis solaverit urbes,
Sublata molire lyra: nec enim altior ulli
Mens hausto de fonte venit. Rex tristis, et æger
Pondere curarum, propiorque abeuntibus annis,
Inter adhortantes vix sponte incedit Adrastus, 40
Contentus ferro cingi latus: arma manipli
Pone ferunt: volucres portis auriga sub ipsis
Comit equos, et jam inde jugo luctatur Arion.
Huic armat Larissa viros, huic celsa Prosymne,
Aptior armentis Midee, pecorosaque Phyllos, 45
Quæque pavet longa spumantem valle Charadron
Neris, et ingenti turritæ mole Cleonæ,
Et Lacedæmonium Thyree lectura cruorem.
Junguntur memores transmissi ab origine regis,
Qui Drepani scopulos, et oliviferæ Sicyonis 50
Culta serunt, quos pigra vado Langia tacenti
Lambit, et anfractu riparum incurvus Elissos.
Sævus honos fluvio: Stygias lustrare severis
Eumenidas perhibetur aquis: huc mergere suetæ
Ora, et anhelantes poto Phlegethonte cerastas, 55
Seu Thracum vertere domos, seu tecta Mycenis
Impia, Cadmeumve larem: fugit ipse natantes
Amnis, et innumeris livescunt stagna venenis.
It comes Inoas Ephyre solata querelas,
Cenchreæque manus, vatum qua conscius amnis
Gorgoneo percussus equo, quaque objacet alto 61
Isthmos, et a terris maria inclinata repellit.
Hæc manus Adrastum numero ter mille secuti
Exsultant: pars gæsa manu, pars robora flammis
Indurata diu, (non unus namque maniplis 65
Mos, neque sanguis inest,) teretes pars vertere fun-
Adsueti, vacuoque diem præcingere gyro. [das
Ipse annis sceptrisque subit venerabilis æque
Ut possessa diu taurus meat arduus inter
Pascua, jam laxa cervice et manibus armis, 70

Dux tamen haud illum bello attentare juvencis
Sunt animi; nam trunca vident de vulnere multo
Cornua, et ingentes plagarum in pectore nodos.
Proxima longævo profert Dircæus Adrasto
Signa gener, cui bella favent, cui commodat iras
Cuncta cohors: huic et patria de sede volentes
Advenere viri; seu quos movet exsul, et hæsit
Tristibus aucta fides, seu quîs mutare potentes
Præcipuum; multi, melior quos causa querenti
Conciiiat: dederat nec non socer ipse regendas 80
Ægion, Arenenque, et quas Theseia Trœzen
Addit opes, ne rara movens inglorius iret
Agmina, neu raptos patriæ sentiret honores.
Idem habitus, eadem arma viro, quæ debitus hospes
Hiberna sub nocte tulit. Theumesius implet 85
Terga leo: gemino lucent hastilia ferro:
Aspera vulnifico subter latus ense riget Sphinx.
Jam regnum, matrisque sinus, fidasque sorores
Spe votisque tenet: tamen et de turre suprema
Attonitam, totoque exstantem corpore longe 90
Respicit Argian; hæc mentem oculosque reducit
Conjugis, et dulces avertit pectore Thebas.
Ecce inter medios patriæ ciet agmina gentis
Fulmineus Tydeus, jam lætus, et integer artus,
Ut primum strepuere tubæ: ceu lubricus alta 95
Anguis humo verni blanda ad spiramina solis
Erigitur liber senio, et squalentibus annis
Exutus, lætisque minax interviret herbis:
Ah miser, agrestum si quis per gramen hianti
Obvius, et primo siccaverit ora veneno. 100
Huic quoque præstantes Ætolis urbibus affert
Belli fama viros: sensit scopulosa Pylene,
Fletaque cognatis avibus Meleagria Pleuron,
Et præceps Calydon, et quæ Jove provocat Iden
Olenos, Ioniis et fluctibus hospita portu 105
Chalcis, et Herculea turpatus gymnade vultus
Amnis: adhuc imis vix truncam attollere frontem
Ausus aquis, glaucoque caput submersus in antro
Mæret: anhelantes ægrescunt pulvere ripæ.
Omnibus æratæ propugnant pectora crates, 110
Pilaque sæva manu: patrius stat casside Mavors.
Undique magnanimum pubes delecta coronant
Œniden, hilarem bello, notisque decorum
Vulneribus: non ille minis Polynicis et ira
Inferior, dubiumque adeo cui bella gerantur.
Major at inde novis it Doricus ordo sub armis,
Qui ripas, Lyrcie, tuas, tua littora multo
Vomere suspendunt, fluviorum ductor Achivûm
Inache: (Persea neque enim violentior exit
Amnis humo, cum Taurum, aut Pliadas hausit aquosas 120
Spumeus, et genero tumuit Jove:) quos celer ambit
Asterion, Dryopumque trahens Erasinus aristas:
Et qui rura domant Epidauria: dexter Iaccho
Collis, at Ennææ Cereri negat: avia Dyme
Mittit opes, densasque Pylos Neleia turmas, 125
Nondum nota Pylos, juvenisque ætate secunda
Nestor, et ire tamen peritura in castra negavit.
Hos agitat, pulchræque docet virtutis amorem
Arduus Hippomedon: capiti tremit ærea cassis,
Ter nivea scandente juba: latus omne sub armis 130
Ferrea suta terunt: humeros ac pectora late
Flammeus orbis habet, perfectaque vivit in auro
Nox Danai: sontes Furiarum lampade nigra
Quinquaginta ardent thalami: pater ipse cruentis
In foribus laudatque nefas, atque inspicit enses.
Illum Palladia sonipes Nemeæus ab arce 136
Devehit arma pavens, umbraque immane volanti
Imolet agros, longoque attollit pulvere campum
Non aliter sylvas humeris et utroque refringens
Pectore, montano duplex Hylæus ab antro 140
Præcipitat: pavet Ossa vias, pecudesque feræque
Procubuere metu: non ipsis fratribus horror
Abfuit; ingenti donec Peneia saltu
Stagna subit, magnumque objectus detinet amnem.
Quis numerum ferri, gentesque, et robora dicto
Æquarit mortale sonans? suus excit in arma 146
Antiquam Tiryntha deus: non fortibus illa
Infecunda viris, famave immanis alumni
Degenerat; sed lapsa situ fortuna, neque addunt
Robur opes: rarus vacuis habitator in arvis 150
Monstrat Cyclopum ductas sudoribus arces.
Dat tamen hæc juvenum tercentum pectora, vulgus
Innumerum bello, quibus haud amenta, nec enses
Triste micant; flavent capiti tergoque leonum
Exuviæ, gentilis honos, et pineus armat 155
Stipes: inexhaustis arctantur tela pharetris.
Herculeum Pæana canunt, vastataque monstris
Omnia: frondosa longum deus audit ab Œta.
Dat Nemee comites, et quas in prœlia vires
Sacra Cleonæi cogunt vineta Molorchi. 160
Gloria nota casæ, foribus simulata salignis
Hospitis arma dei, parvoque ostenditur arvo,
Robur ubi, et laxos qua reclinaverit arcus
Ilice, qua cubiti sedeant vestigia terra.
At pedes, et toto despectans vertice bellum, 165
Quatuor indomitis Capaneus erepta juvencis
Terga, superque rigens injectu molis aenæ
Versat onus: squalet triplici ramosa corona
Hydra recens obitu: pars anguibus aspera vivis
Argento cælata micat; pars arte reperta 170
Conditur, et fulvo moriens ignescit in auro.
Circum amnis torpens, et ferro cærula Lerne.
At laterum tractus spatiosaque pectora servat
Nexilis innumero chalybum subtemine thorax,
(Horrendum) non matris opus, galeæque corusca
Prominet arce gigas: atque uni missilis illi 176
Cuspide præfixa stat frondibus orba cupressus.
Huic parere dati, quos fertilis Amphigenia,
Planaque Messene, montanaque nutrit Ithome,
Quos Thrion, et summis ingestum montibus Æpy,
Quos Helos, et Pteleon, Getico quos flebile vati
Dorion: hic fretus doctas anteire canendo
Aonidas, mutos Thamyris damnatus in annos
Ore simul citharaque (quis obvia numina temnat?)
Conticuit præceps, qui non certamina Phœbi
Nosset, et illustres Satyro pendente Celænas. 186
Jamque et fatidici mens expugnata fatiscit
Auguris: ille quidem casus, et dira videbat
Signa, sed ipsa manu cunctanti injecerat arma
Atropos, obrueratque deum: nec conjugis absunt
Insidiæ, vetitoque domus jam fulgurat auro. 191
Hoc aurum vati fata exitiale monebant
Argolico; scit et ipse nefas, sed perfida conjux
Dona viro mutare velit, spoliisque potentis
Imminet Argiæ, raptoque excellere cultu. 195
Illa libens (nam regum animos, et pondera belli
Hac nutare videt, pariter ni providus heros
Militet) ipsa sacros gremio Polynicis amati
Deposuit nexus haud mæsta, atque insuper addit.
Non hæc apta mihi nitidis ornatibus, inquit, 200
Tempora, nec miseræ placeant insignia formæ
Te sine: sat dubium cœtu solante timorem
Fallere, et incultos aris adverrere crines.
Scilicet (heu superi) cum tu claudare minaci
Casside, ferratusque sones, ego divitis aurum 205
Harmoniæ dotale geram? dabit aptior ista

Fors deus, Argolicasque habitu præstabo maritas,
Cum regis conjux, cum te mihi sospite templa
Votivis implenda choris: nunc induat illa,
Quæ petit, et bellante potest gaudere marito. 210
Sic Eriphylæos aurum fatale penates
Irrupit, scelerumque ingentia semina movit,
Et grave Tisiphone risit gavisa futuris.
Tænareis hic celsus equis, quam dispare cœtu
Cyllarus ignaro generarat Castore prolem, 215
Quassat humum. Vatem cultu Parnassia monstrant
Vellera: frondenti crinitur cassis oliva,
Albaque puniceas interplicat infula cristas.
Arma simul, prensasque jugo moderatur habenas.
Hinc atque inde moræ jaculis, et ferrea curru 220
Sylva tremit: procul ipse gravi metuendus in hasta
Eminet, et clypeo victum Pythona coruscat.
Hujus Apollineæ currum comitantur Amyclæ,
Quos Pylos, et dubiis Malee vitata carinis,
Plaudentique habiles Caryæ resonare Dianæ, 225
Quos Pharis, volucrumque parens Cythereia
Taygetique phalanx, et oliviferi Eurotæ [Messe,
Dura manus. Deus ipse viros in pulvere crudo
Arcas alit, nudæque modos virtutis, et iras
Ingenerat: vigor inde animis, et mortis honoræ
Dulce sacrum: gaudent natorum fata parentes,
Hortanturque mori: deflet jamque omnis ephe-
Turba, coronato contenta est funere mater. [bum
Frena tenent, duplexque inserto missile nodo,
Exserti ingentes humeros: chlamys horrida pen-
Et cono Ledæus apex. Non hi tibi solum, [det,
Amphiarae, merent; auget resupina maniplos
Elis: depressæ populus subit incola Pisæ, 238
Qui te, flave, natant, terris, Alphee, Sicanis
Advena, tam longo non unquam infecte profundo.
Curribus innumeris late patria arva lacessunt,
Et bellis armenta domant: ea gloria genti
Infando de more, et fractis durat ab usque
Axibus Œnomai: strident spumantia morsu
Vincula, et effossas niveus rigat imber arenas. 245
Tu quoque Parrhasias ignara matre catervas
Ah rudis annorum, (tantum nova gloria suadet,)
Parthenopæe, rapis: tum saltus forte remotos
Torva parens (neque enim hæc juveni foret ire potestas)
Pacabat cornu, gelidique aversa Lycæi. 250
Pulchrior haud ulli triste ad discrimen ituro
Vultus, et egregiæ tanta indulgentia formæ:
Nec desunt animi, veniat modo fortior ætas.
Quas non ille deas nemorum, fluviisque dicata
Numina, quas magno non impulit igne Napæas?
Ipsam, Mænalia puerum cum vidit in umbra, 256
Dianam, tenero signantem gramina passu,
Ignovisse ferunt comiti, Dictæaque tela
Ipsam, et Amyclæas humeris aptasse pharetras.
Prosilit audaci Martis percussus amore, 260
Arma, tubas audire calens, et pulvere belli
Flaventem sordere comam, captoque referri
Hostis equo: tædet nemorum, titulumque nocentem
Sanguinis humani pudor est nescire sagittas.
Igneus ante omnes auro micat, igneus ostro, 265
Undantemque sinum nodis irrugat Iberis,
Imbelli parma pictus Calydonia matris
Prœlia: trux læva sonat arcus, et aspera plumis
Terga Cydonæa corytos arundine pulsat,
Electro pallens, et iaspide clarus Eoa. 270
Cornipedem trepidos suetum prævertere cervos
Velatum geminæ detectu lyncis, et arma
Mirantem gravioris heri sublimis agebat,
Dulce rubens, viridique genas spectabilis ævo.
Arcades huic veteres, astris lunaque priores, 275
Agmina fida datis: nemorum vos stirpe rigenti
Fama satos, cum prima pedum vestigia tellus
Admirata tulit: nondum arva, domusque, nec urbes,
Connubiisque modus: quercus laurique ferebant
Cruda puerperia, ac populos umbrosa creavit 280
Fraxinus, et feta viridis puer excidit orno.
Hi lucis stupuisse vices, noctisque feruntur
Nubila, et occiduum longe Titana secuti
Desperasse diem. Rarescunt alta colonis [bello
Mænala: Parthenium fugitur nemus: agmina
Rhipeque, et Stratie, ventosaque donat Enispe
Non Tegee, non ipsa deo vacat alite felix
Cyllene, templumque Aleæ nemorale Minervæ,
Et rapidus Cliton, et qui tibi, Pythie, Ladon
Pæne socer, candensque jugis Lampia nivosis,
Et Pheneos nigro Styga mittere credita Diti. 291
Venit et Idæis ululatibus æmulus Azan,
Parrhasiique duces, et quæ risistis, Amores,
Grata pharetrato Nonacria rura Tonanti,
Dives et Orchomenos pecorum, et Cynosura ferarum. 295
Æpytios idem ardor agros, Psephidaque celsam
Vastat, et Herculeo vulgatos robore montes,
Monstriferumque Erymanthon, et ærisonum Stymphalon.
Arcades hi; gens una viris, sed dissona cultu
Scinditur: hi Paphias myrtos a stirpe recurvant,
Et pastorali meditantur prœlia trunco. 301
His arcus, his tela sudes: hic casside crines
Integit, Arcadii morem tenet ille galeri,
Ille Lycaoniæ rictu caput asperat ursæ.
Hos belli cœtus, jurataque pectora Marti 305
Milite vicinæ nullo juvere Mycenæ.
Funereæ tum namque dapes, mediique recursus
Solis, et hic alii miscebant prœlia fratres.
Jamque Atalantæas implerat nuntius aures
Ire ducem bello, totamque impellere natum 310
Arcadiam: tremuere gradus, elapsaque juxta
Tela: fugit sylvas pernicior alite vento
Saxa per et plenis obstantia flumina ripis,
Qualis erat, correpta sinus, et vertice flavum
Crinem sparsa Noto; raptis velut aspera natis
Prædatoris equi sequitur vestigia tigris. 316
Ut stetit, adversisque impegit pectora frenis,
(Ille ad humum pallens,) Unde hæc furibunda cupido, [tus?
Nate, tibi? teneroque unde improba pectore vir-
Tu bellis aptare viros, tu pondera ferre 320
Martis, et ensiferas inter potes ire catervas?
Quanquam utinam vires! nuper te pallida vidi,
Dum premis obnixo venabula cominus apro,
Poplite succiduo resupinum, ac pæne ruentem:
Et ni curvato torsissem spicula cornu, 325
Nunc ubi bella tibi? Nil te mea tela juvabunt,
Nec teretes arcus, maculis nec discolor atris
Hic, cui fidis, equus. Magnis conatibus instas,
Vix Dryadum thalamis, Erymanthiadumque furori
Nympharum mature puer. Sunt omina vera. 330
Mirabar cur templa mihi tremuisse Dianæ
Nuper, et inferior vultu dea visa, sacrisque
Exuviæ cecidere tholis: hinc segnior arcus,
Difficilesque manus, et nullo in vulnere certæ.
Exspecta, dum major honos, dum firmius ævum,
Dum roseis venit umbra genis, vultusque recedunt
Ore mei: tunc bella tibi, ferrumque, quod ardes,
Ipsa dabo, et nullo matris revocabere fletu.
Nunc refer arma domum. Vos autem hunc ire sinetis,

Arcades? o saxis nimirum, et robore nati 340
Plura cupit; fusi circum natusque, ducesque
Solantur, minuuntque metus: et jam horrida clangunt
Signa tubæ: nequit illa pio dimittere natum
Complexu, multumque duci commendat Adrasto.
At parte ex alia Cadmi Mavortia plebes, 345
Mæsta ducis furiis, nec belli territa fama,
(Quando his vulgatum descendere viribus Argos,)
Tardius illa quidem, regis, causæque pudore,
Verum bella movet: nulli distringere ferrum
Impetus, aut humeros clypeo clausisse paterno
Dulce, nec alipedum juga comere, qualia belli
Gaudia; dejecti trepidas sine mente, sine ira,
Promisere manus: hic ægra in sorte parentem
Unanimum, hic dulces primævæ conjugis annos
Ingemit, et gremio miseros accrescere natos. 355
Bellator nulli caluit deus. Ipsa vetusto
Mœnia lassa situ, magnæque Amphionis arces
Jam fessum senio nudant latus, et fide sacra
Æquatos cœlo surdum atque ignobile muros
Firmat opus. Tamen et Bœotis urbibus ultrix
Adspirat ferri rabies: nec reg's iniqui 361
Subsidio, quantum socia pro gente moventur.
Ille, velut pecoris lupus expugnator opimi,
Pectora tabenti sanie gravis, hirtaque setis
Ora cruentata deformis hiantia lana, 365
Decedit stabulis, huc illuc turbida versans
Lumina, si duri comperta clade sequantur
Pastores, magnique fugit non inscius ausi.
Accumulat crebros turbatrix fama pavores.
Hic jam dispersos errare Asopide ripa 370
Lernæos equites; hic te, bacchate Cithæron,
Ille rapi Theumeson ait, noctisque per umbras
Nuntiat excubiis vigiles arsisse Platæas.
Nam Tyrios sudasse Lares, et sanguine Dircen
Irriguam, fetusque novos, iterumque locutam 375
Sphinga petris, cui non et scire licentia passim,
Et vidisse fuit? Novus his super anxia turbat
Corda me us: sparsis subito correpta canistris
Sylvestris regina chori decurrit in æquum
Vertice ab Ogygio, trifidamque huc tristis et illuc
Lumine sanguineo pinum dejectat, et ardens 381
Erectam attonitis implet clamoribus urbem:
Omnipotens Nisæe pater, cui gentis avitæ
Pridem lapsus amor, tu nunc horrente sub Arcto
Bellica ferrato rapidus quatis Ismara thyrso, 385
Pampineumque jubes nemus irreptare Lycurgo;
Aut tumidum Gangen, aut claustra novissima ru-
Tethyos, Eoasque domos flagrante triumpho [bræ
Perfuris, aut Hermi de fontibus aureus exis.
At tua progenies, positis gentilibus armis [que,
Quæ tibi festa litat, bellum, lacrymasque, metum-
Cognatumque nefas, injusti munera regni,
Pendimus: æternis potius me, Bacche, pruinis
Trans et Amazoniis ululatum Caucason armis
Siste ferens, quam monstra ducum stirpemque profanam 395
Eloquar: en urges: alium tibi, Bacche, furorem
Juravi: similes video concurrere tauros;
Idem ambobus honos, unusque ab origine sanguis:
Ardua collatis obnixi cornua miscent
Frontibus, alternaque truces moriuntur in ira. 400
Tu pejor, tu cede nocens, qui solus avita
Gramina, communemque petis defendere montem.
Ah miseri morum! bellatis sanguine tanto,
Et saltus dux alter habet. Sic fata, gelatis
Vultibus, et Baccho jam demigrante quievit. 405
At trepidus monstro, et variis terroribus impar
Longævi rex vatis opem, tenebrasque sagaces
Tiresiæ (qui mos incerta paventibus) æger
Consulit. Ille deos non larga cæde juvencûm,
Non alacri penna, aut verum spirantibus extis,
Nec tripode implicito, numerisque sequentibus
Thurea nec supra volitante altaria fumo, [astra,
Tam penitus, duræ quam mortis limite manes
Elicitos, patuisse refert; Lethæaque sacra,
Et mersum Ismeni subter confinia ponto 415
Miscentis parat ante ducem, circumque bidentum
Visceribus laceris, et odori sulfuris aura,
Graminibusque novis, et longo murmure purgat.
Sylva capax ævi, validaque incurva senecta,
Æternum intonsæ frondis, stat pervia nullis 420
Solibus: haud illam brumæ minuere, Notusve
Jus habet, aut Getica Boreas impactus ab Ursa.
Subter opaca quies, vacuusque silentia servat
Horror, et exclusæ pallet mala lucis imago.
Nec caret umbra deo; nemori Latonia cultrix 425
Additur. hanc piceæ, cedrique, et robore in omni
Effictam sanctis occultat sylva tenebris.
Hujus inaspectæ luco stridere sagittæ,
Nocturnique canum gemitus, ubi limina patrui
Effugit, inque novæ melior redit ora Dianæ. 430
Ast ubi fessa jugis, dulcesque altissima somnos
Lux movet, hic late jaculis circum undique fixis
Effusam pharetra cervicem excepta quiescit.
Extra immane patent, tellus Mavortia, campi,
Fetus ager Cadmo, durus qui vomere primo 435
Post consanguineas acies, sulcosque nocentes,
Ausus humum versare, et putria sanguine pr.ta
Eruit: ingentes infelix terra tumultus
Lucis adhuc medio, solaque in nocte per umbras
Exspirat, nigri cum vana in prœlia surgunt 440
Terrigenæ: fugit incepto tremebundus ab arvo
Agricola, insanique domum rediere juvenci.
Hic senior vates (Stygiis accommoda quippe
Terra sacris, multoque placent sola pinguia tabo
Velleris obscuri pecudes, armentaque sisti 445
Atra monet. Quæcunque gregum pulcherrima cervix,
Ducitur: ingemuit Dirce, mæstusque Citheron,
Et nova clamosæ stupuere silentia valles.
Tum fera cæruleis intexit cornua sertis
Ipse manu tractans, notæque in limine sylvæ 450
Principio largos novies tellure cavata
Inclinat Bacchi latices, et munera verni
Lactis, et Actæos imbres, suadum que cruorem
Manibus: aggeritur, quantum bibit arida tellus.
Trunca dehinc nemora advolvunt, mæstusque sacerdos 455
Tres Hecatæ, totidemque satis Acheronte nefasto
Virginibus jubet esse focos: tibi, rector Averni,
Quanquam infossus humo, superat tamen agger in auras
Pineus: hunc juxta cumulo minor ara profundæ
Erigitur Cereri: frondes, atque omne cupressus
Intexit plorata latus: jamque ardua ferro 461
Signati capita et frugum libamine puro
In vulnus cecidere greges: tunc innuba Manto
Exceptum pateris prælibat sanguinem, et omnes
Ter circumacta pyras, sancti de more parentis,
Semineces fibras et adhuc spirantia reddit 466
Viscera; nec rapidas cunctatur frondibus atris
Subjectare faces: atque ipse sonantia flammis
Virgulta et tristes crepuisse ut sensit acervos
Tiresias, (illi nam plurimus ardor anhelat 470
Ante genas, impletque cavos vapor igneus orbes,)
Exclamat: tremere rogi, et vox impulit ignem:
Tartareæ sedes, et formidabile regnum
Mortis inexpletæ, tuque, o sævissime fratrum.

Cui servire dati manes, æternaque sontum 475
Supplicia, atque imi famulatur regia mundi,
Solvite pulsanti loca muta, et inane severæ
Persephones, vulgusque cava sub nocte repostum
Elicite, et plena redeat Styga portitor alno.
Ferte simul gressus: nec simplex manibus esto
In lucem remeare modus; tu separe cœtu 481
Elysios, Persei, pios, virgaque potenti
Nubilus Arcas agat: contra per crimina functis,
Qui plures Erebo, pluresque e sanguine Cadmi,
Angue ter excusso, et flagranti prævia taxo, 485
Tisiphone, dux pande diem, nec lucis egentes
Cerberus occursu capitum retorqueat umbras.
Dixerat; et pariter senior Phœbeaque virgo
Erexere animos: illi formidine nulla, [gens
(Quippe in corde deus,) solum tremor obruit in-
Œdipodioniden, vatisque horrenda canentis 491
Nunc humeros, nunc ille manus, et vellera pressat
Anxius, inceptisque velit desistere sacris.
Qualis Gætulæ stabulantem ad confraga sylvæ
Venator longo motum clamore leonem 495
Exspectat, firmans animum, et sudantia nisu
Tela premens: gelat ora pavor, gressusque tremiscunt [mentis
Quis veniat, quantusque; sed horrida signa fre-
Accipit, et cæca metitur murmura cura.
Atque hic Tiresias nondum adventantibus umbris,
Testor, ait, divæ, quibus hunc saturavimus ignem, 501
Lævaque convulsæ dedimus carchesia terræ,
Jam nequeo tolerare moram: cassusne sacerdos
Au ior? an rabido jubeat si Thessala cantu
Ibitis? et Scythicis quoties armata venenis 505
Colchis aget, trepido pallebunt Tartara motu?
Nostri cura minor, si non attollere bustis
Corpora. nec plenas antiquis ossibus urnas
Egerere, et mixtos cœlique Erebique sub unum
Funestare deos libet, aut exsanguia ferro 510
Ora sequi, aut ægras functorum carpere fibras?
Ne tenues annos, nubemque hanc frontis opacæ
Spernite, ne, moneo; et nobis sævire facultas.
Scimus enim et quicquid dici noscique timetis,
Et turbare Hecaten, ni te, Thymbræe, vererer: 515
Et triplicis mundi summum, quem scire nefastum est:
Illum sed taceo; prohibet tranquilla senectus.
Jamque ego vos... Avide subicit Phœbeia Manto:
Audiris, genitor, vulgusque exsangue propinquat.
Panditur Elysium Chaos, et telluris opertæ 520
Dissilit umbra capax, sylvæque et nigra patescunt
Flumina, liventes Achero · ejectat arenas.
Fumidus atra vadis Phlegethon incendia volvit,
Et Styx discretis interflua manibus obstat.
Ipsum pallentem solio, circumque ministras 525
Funestorum operum Eumenidas, Stygiæque severos
Junonis thalamos et mæsta cubilia cerno.
In speculis Mors atra sedet, dominisque silentes
Annumerat populos: major supereminet ordo.
Arbiter hos dura versat Gortynius urna, 530
Vera minis poscens, adigitque expromere vitas
Usque retro, et tandem pœnarum lucra fateri.
Quid tibi monstra Erebi, Scyllas, et inane furentes
Centauros, solidoque intorta adamante gigantum
Vincula, et angustam centeni Ægæonis umbram?
Immo, ait, o nostræ regimen viresque senectæ,
Ne vulgato mihi: quis enim remeabile saxum,
Fa'lentesque lacus, Tityonque alimenta volucrum,
Et caligantem longis Ixiona gyris
Nesciat? ipse etiam, melior cum sanguis, opertas
Inspexi sedes, Hecate ducente, priusquam 54
Obruit ora deus, totamque in pectora lucem
Detulit. Argolicas magis huc appelle precando
Thebanasque animas; alias avertere gressus
Lacte quater sparsas, mæstoque excedere luco,
Nata, jube: tum qui vultus habitusque, quis ardor 546
Sanguinis affusi, gens utra superbior adsit, [tem.
Dic agedum, nostramque move per singula noc-
Jussa facit, carmenque serit, quo dissipet umbras,
Quo regat et sparsas: qualis, si crimina demas,
Colchis, et Ææo simulatrix littore Circe. 551
Tunc his sacrificum dictis affata parentem:
Primus sanguineo submittit inertia Cadmus
Ora lacu, juxtaque virum Cythereia proles.
Effluit amborum geminus de vertice serpens. 555
Terrigenæ comites illos, gens Martia, cingunt:
His ævi mensura dies: manus omnis in armis,
Omnis et in capulo: prohibent, obstantque, ruuntque
Spirantum rabie: nec tristi incumbere sulco
Cura, sed alternum cuperent haurire cruorem. 560
Proxima natarum manus est, fletique nepotes
Hic orbam Autonoen, et anhelam cernimus Ino
Respectantem arcus, et ad ubera dulce prementem
Pignus, et oppositis Semelen a ventre lacertis.
Penthea jam fractis genitrix Cadmeia thyrsis, 565
Jam dimissa deo, pectusque adaperta cruentum,
Insequitur planctu: fugit ille per avia Lethes
Et Stygios super usque lacus, ubi mitior illum
Flet pater, et lacerum componit corpus Echion.
Tristem nosco Lycum, dextramque in terga reflexum 570
Æoliden, humero jactantem funus onusto.
Necdum ille aut habitus, aut versæ crimina formæ
Mutat Aristæo genitus: frons aspera cornu,
Tela manu, reicitque canes in vulnus hiantes.
Ecce autem magna subit invidiosa caterva 575
Tantalis, et tumido percenset funera luctu,
Nil dejecta malis: juvat effugisse deorum
Numina, et insanæ plus jam permittere linguæ.
Talia dum patri canit intemerata sacerdos,
Illius elatis tremefacta adsurgere vittis 580
Canities, tenuique impelli sanguine vultus.
Nec jam firmanti baculo, nec virgine fida
Nititur; erectusque solo, Desiste canendo,
Nata, ait: externæ satis est mihi lucis: inertes
Discedunt nebulæ, et vultum niger exuit aer 585
Umbrisne, an supero me missus Apolline complet
Spiritus? en video quæcunque audita: sed ecce
Mærent Argolici dejecto lumine manes. [neus,
Torvus Abas, Prœtusque nocens, mitisque Phoro-
Truncatusque Pelops, et sævo pulvere sordens
Œnomaus, largis humectant imbribus ora. 591
Auguror hinc Thebis belli meliora. Quid autem
Hi grege condenso (quantum arma et vulnera monstrant,
Pugnaces animæ) nobis in sanguine multo
Oraque, pectoraque, et falso clamore levatas 595
Intendunt sine pace manus? rex, fallor, an hi sunt
Quinquaginta illi? cernis Chthoniumque Chrominque,
Phegeaque, et nostra præsignem Mæona lauro.
Ne sævite, duces: nihil hic mortalibus ausum
Credite consiliis; hos ferrea neverat annos 600
Atropos: existis casus: bella horrida nobis,
Atque iterum Tydeus. Dixit, vittaque ligatis
Frondibus instantes abigit, monstratque cruorem.
Stabat inops comitum Cocyti in littore mæsto
Laius, immiti quem jam deus ales Averno 605

Reddiderat, dirumque tuens obliqua nepotem,
(Noscit enim vultu,) non ille aut sanguinis haustus,
Cætera ceu plebes, aliumve accedit ad imbrem,
Immortale odium spirans: sed prolicit ultro
Aonius vates: Tyriæ dux inclyte Thebes, 610
Cujus ab interitu non ulla Amphionis arces
Vidit amica dies; o jam satis ulte cruentum
Exitium, et multum placata minoribus umbra,
Quos, miserande, fugis? jacet ille in funere longo,
Quem premis, et junctæ sentit confinia mortis,
Obsitus exhaustos pædore et sanguine vultus,
Ejectusque die: sors leto durior omni,
Crede mihi: quænam immeritum vitare nepotem
Causa tibi? confer vultum, et satiare litanti
Sanguine, venturasque vices et funera belli 620
Pande vel infensus, vel res miserate tuorum.
Tunc ego te optata vetitam transmittere Lethen
Puppe dabo, placidumque pia tellure reponam,
Et Stygiis mandabo deis. Mulcetur honoris
Muneribus, tingitque genas; dehinc talia reddit:
Cur tibi versanti manes, æquæve sacerdos, 626
Lectus ego augurio, tantisque potissimus umbris
Qui ventura loquar? satis est meminisse priorum.
Nostrane præclari (pudeat) consulta nepotes
Poscitis? illum, illum sacris adhibete nefastis,
Qui læto fodit ense patrem, qui semet in ortus
Vertit, et indignæ regerit sua pignora matri.
Et nunc ille deos, furiarumque atra fatigat 633
Concilia, et nostros rogat hæc in prœlia manes.
Quod si adeo placui deflenda in tempora vates,
Dicam equidem, quo me Lachesis, quo torva Megæra
Usque sinunt Bellum, innumero venit undique [bellum
Agmine, Lernæosque trahit fatalis alumnos
Gradivus stimulis: hos terræ monstra, deûmque
Tela manent, pulchrique obitus, et ab igne supremo 640
Sontes lege moræ: certa est victoria Thebis,
(Ne trepida,) nec regna ferox germanus habebit.
Sed furiæ, geminumque nefas, miserosque per enses
(Hei mihi) crudelis vincet pater. Hæc ubi fatus,
Labitur, et flexa dubios ambage reliquit. 645
Interea gelidam Nemeen, et conscia laudis
Herculeæ dumeta vaga legione tenebant
Inachidæ: jam Sidonias avertere prædas, [iras
Sternere, ferre domos ardent, instantque: quis
Flexerit, unde moræ, medius quis euntibus error,
Phœbe, doce: nos rara manent exordia famæ. 651
Marcidus edomito bellum referebat ab Hæmo
Liber; ibi armiferos geminæ jam sidere brumæ
Orgia ferre Getas, canumque virescere dorso
Othryn, et Icaria Rhodopen adsueverat umbra: 655
Et jam pampineos materna ad mœnia currus
Promovet: effrenæ dextra lævaque sequuntur
Lynces, et uda mero lambunt retinacula tigres.
Post exsultantes spolia armentalia portant
Seminecesque lupos, scissasque Mimallones ursas.
Nec comitatus iners: sunt illic Ira, Furorque, 661
Et Metus, et Virtus, et nunquam sobrius Ardor,
Succiduique gradus, et castra simillima regi.
Isque ubi pulverea Nemeen effervere nube
Conspicit, et solem radiis ignescere ferri, 665
Necdum compositas belli in certamina Thebas;
Concussus visis, quanquam ore et pectore marcet,
Æraque, tympanaque, et biforem reticere tumultum
Imperat, attonitas qui circum plurimus aures:
Atque ita: Me manus ista, meamque exscindere gentem 670
Apparat, et longe recalet furor; hoc mihi sævum
Argos, et indomitæ bellum ciet ira novercæ.
Usque adeone parum cineri data mater iniquo,
Natalesque rogi, quæque ipse micantia sensi
Fulgura? relliquias etiam, ambustæque sepulcrum
Pellicis, et residem ferro petit improba Theben.
Nectam fraude moras: illum, illum tendite campum, 677
Tendite, io, comites. Hyrcanæ ad signa jugales
Intumuere jubas: dicto prius adstitit arvis.
Tempus erat, medii cum solem in culmina mundi
Tollit anhela dies, ubi tardus hiantibus arvis
Stat vapor, atque omnes admittunt æthera luci.
Undarum vocat ille deas, mediusque silentum
Incipit: Agrestes fluviorum numina Nymphæ,
Et nostri pars magna gregis, perferte laborem
Quem damus. Argolicos paulum mihi fontibus amnes, 686
Stagnaque, et errantes obducite pulvere rivos.
Præcipuus Nemees, qua nostra in mœnia bellis
Nunc iter, ex alto fugiat liquor: adjuvat ipse
Phœbus ad hoc summo (cesset ni vestra voluntas)
Limite; vim cœptis indulgent astra, meæque 691
Æstifer Erigones spumat canis: ite volentes,
Ite in operta soli: post vos ego gurgite pleno
Eliciam, et quæ dona meis amplissima sacris
Vester habebit honos: nocturnaque furta licentum [pinas.
Cornipedum, et cupidas Faunorum arcebo ra-
Dixerat: ast illis tenuior percurrere visus
Ora situs, viridisque comis exhorruit humor:
Protinus Inachios haurit sitis ignea campos.
Diffugere undæ: squalent fontesque lacusque,
Et cava ferventi durescunt flumina limo. 70
Ægra solo macies, tenerique in origine culmi
Inclinata seges: deceptum margine ripæ
Stat pecus, atque amnes quærunt armenta natatos.
Sic ubi se magnis refluus suppressit in antris 705
Nilus, et Eoæ liquentia pabula brumæ
Ore premit, fumant desertæ gurgite valles,
Et patris undosi sonitus exspectat hiulca
Ægyptos, donec Phariis alimenta rogatus
Donet agris, magnumque inducat messibus annum.
Aret Lerna nocens, aret Lyrcius, et ingens 711
Inachus, adverrensque natantia saxa Charadrus,
Et nunquam in ripis audax Erasinus, et æquus
Fluctibus Asterion: ille alta per avia notus
Audiri, et longe pastorum rumpere somnos. 715
Una tamen tacitas (sed jussu numinis) undas,
Hæc quoque secreta, nutrit Langia, sub umbra.
Nondum illi raptus dederat lacrymabile nomen
Archemorus, nec fama deæ: tamen avia servat
Et nemus, et fluvium: manet ingens gloria Nympham, 720
Cum tristem Hypsipylen ducibus sudatus Achæis
Ludus, et atra sacrum recolit trieteris Ophelten.
Ergo nec ardentes clypeos vectare, nec arctos
Thoracum nexus (tantum sitis horrida torquet)
Sufficiunt. Non ora modo, angustisque perusti
Faucibus, interior sed vis quatit: aspera pulsu
Corda: gelant venæ, et siccis cruor æger adhæret
Visceribus. Tunc sole putris, tunc pulvere tellus
Exhalat calidam nubem. Non spumeus imber
Manat equum: siccis illidunt ora lupatis, 730
Ora catenatas procul exsertantia linguas;
Nec legem dominosve pati, sed perfurit arvis
Flammatum pecus. Huc illuc impellit Adrastus
Exploratores, si stagna Licymnia restent.
Si quis Amymones superet liquor: omnia cæcis
Ignibus hausta sedent; nec spes humentis Olympi:

Ceu flavam Libyen desertaque pulveris Afri
Collustrent, nullaque umbratam nube Syenen.
Tandem inter sylvas (sic Evius ipse parabat)
Errantes subitam pulchro in mærore tuentur 740
Hypsipylen: illi quamvis et ab ubere Opheltes
Non suus, Inachii proles infausta Lycurgi,
Dependet, neglecta comam, nec dives amictu;
Regales tamen ore notæ, nec mersus acerbis [tus:
Exstat honos. Tunc hæc adeo stupefactus Adras-
Diva potens nemorum, (nam te vultusque pudor-
Mortali de stirpe negant,) quæ læta sub isto [que
Igne poli non quæris aquas, succurre propinquis
Gentibus: arcitenens seu te Latonia casto
De grege transmisit thalamis, seu lapsus ab astris
Non humilis fecundat amor, (neque enim ipse deorum 751
Arbiter Argolidum thalamis novus,) adspice mæsta
Agmina: nos ferro meritas exscindere Thebas
Mens tulit; imbelli sed nunc sitis anxia fato
Submittitque animos, et inertia robora carpit. 755
Da fessis in rebus opem, seu turbidus amnis,
Seu tibi fœda palus: nihil hac in sorte pudendum,
Nil humile est: tu nunc ventis, pluvioque rogaris
Pro Jove; tu refugas vires, et pectora bello
Exanimata reple: sic hoc tibi sidere dextro 760
Crescat onus: tantum reduces det flectere gressus
Jupiter, o quanta belli donabere præda!
Dircæos tibi, diva, greges, numerumque rependam
Plebis, et hic magna lucus signabitur ara.
Dixit, et orantis media inter anhelitus ardens 765
Verba rapit, cursuque animæ labat arida lingua.
Idem omnes pallorque viros, flatusque soluti
Oris habet. Reddit demisso Lemnia vultu:
Diva quidem vobis, etsi cœlestis origo est,
Unde ego? mortales utinam haud transgressa fuissem 770
Luctibus! altricem mandati cernitis orbam
Pignoris; at nostris an quis sinus, uberaque ulla,
Scit deus: et nobis regnum tamen, et pater ingens. [undis?
Sed quid ego hæc? fessosque optatis demoror
Mecum age nunc, si forte vado Langia perennes
Servat aquas: solet et rapidi sub limite Cancri 776
Semper, et Icarii quamvis juba fulguret astri,
Ire tamen. Simul hærentem, ne tarda Pelasgis
Dux foret, ah miserum vicino cespite alumnum
(Sic Parcæ voluere) locat, ponitque negantem 780
Floribus aggestis, et amico murmure dulces
Solatur lacrymas: qualis Berecynthia mater,
Dum circa parvum jubet exsultare Tonantem
Curetas trepidos: illi certantia plaudunt
Orgia, sed magnis resonat vagitibus Ide. 785
At puer in gremio vernæ telluris, et alto
Gramine, nunc faciles sternit procursibus herbas
In vultum nitens; caram modo lactis egeno
Nutricem clangore ciens, iterumque renidens,
Et teneris meditans verba illuctantia labris, 790
Miratur nemorum strepitus, aut obvia carpit,
Aut patulo trahit ore diem; nemorisque malorum
Inscius, et vitæ multum securus inerrat.
Sic tener Odrysia Mavors nive, sic puer ales
Vertice Mænalio, talis per littora reptans 795
Improbus Ortygiæ latus inclinabat Apollo.
Illi per dumos et opaca virentibus umbris
Devia pars cingunt, pars arcta plebe sequuntur,
Præcelerantque ducem: medium subit illa per agmen [quo
Non humili festina modo: jamque amne propin-
Rauca sonat vallis, saxosumque impulit aures 801
Murmur. Ibi exsultans conclamat ab agmine primo,
Sicut erat, levibus tollens vexilla maniplis [rit
Argus, Aquæ: longusque virum super ora cucu-
Clamor, Aquæ. Sic Ambracii per littora ponti 805
Nauticus in remis juvenum monstrante magistro
Fit sonus, inque vicem contra percussa reclamat
Terra, salutatus cum Leucada pandit Apollo.
Incubuere vadis passim discrimine nullo
Turba simul, primique: nequit secernere mixtos
Æqua sitis: frenata suis in curribus intrant 811
Armenta, et pleni dominis armisque feruntur
Quadrupedes. Hos turbo rapax, hos lubrica fal lunt
Saxa: nec implicitos fluvio reverentia reges
Proterere, aut mersisse vado clamantis amici 815
Ora. Fremunt undæ, longusque a fontibus amnis
Diripitur: modo lene virens, et gurgite puro
Perspicuus, nunc sordet aquis egestus ab imo
Alveus: inde toros riparum, et proruta turbant
Gramina: jam crassus cœnoque et pulvere torrens,
Quanquam expleta sitis, bibitur tamen. Agmina bello 821
Decertare putes, justumve in gurgite Martem
Præfurere, aut captam tolli victoribus urbem.
Atque aliquis regum medio circumfluus amni:
Sylvarum Nemee longe regina virentum, 825
Lecta Jovi sedes, quam nunc, non Herculis actis
Dura magis, rabidi cum colla minantia monstri
Angeret, et tumidos animam angustaret in artus:
Hac sævisse tenus populorum in cœpta tuorum
Sufficiat: tuque, o cunctis insuete domari 830
Solibus, æternæ largitor corniger undæ,
Lætus eas, quacunque domo gelida ora resolvis
Immortale tumens: neque enim tibi cana repostas
Bruma nives, raptasve alio de fonte refundit
Arcus aquas, gravidive indulgent nubila Cori;
Sed tuus, et nulli ruis expugnabilis astro. 836
Te nec Apollineus Ladon, nec Xanthus uterque,
Sperchiusque minax, Centaureusque Lycormas
Præstiterint: tu pace mihi, tu nube sub ipsa
Armorum, festasque super celebrabere mensas.
Ab Jove primus honos: bellis modo lætus ovantes 841
Accipias, fessisque libens iterum hospita pandas
Flumina, defensasque velis agnoscere turmas.

LIBER QUINTUS.

Pulsa sitis fluvio, populataque gurgitis alveum
Agmina linquebant ripas, amnemque minorem.
Acrior et campum sonipes rapit, et pedes arva
Implet ovans: rediere viris animique, minæque
Votaque, sanguineis mixtum ceu fontibus ignem
Hausissent belli, magnasque in prœlia mentes. 6

Dispositi in turmas rursus, legemque severi
Ordinis, ut cuique ante locus ductorque, monentur
Instaurare vias. Tellus jam pulvere primo
Crescit, et armorum transmittunt fulgura sylvæ.
Qualia trans pontum Phariis defensa serenis 11
Rauca Parætonio decedunt agmina Nilo,
Cum fera ponit hiems: illæ clangore fugaci
Umbra fretis arvisque volant: sonat avius æther:
Jam Boream imbresque pati, jam nare solutis 15
Amnibus, et nudo juvat æstivare sub Hæmo.
Hic rursus simili procerum vallante corona
Dux Talaionides, antiqua ut forte sub orno
Stabat, et admoti nixus Polynicis in hastam;
At tamen, o quæcunque es, ait, cui gloria tanta 20
Venimus innumeræ fatum debere cohortes,
Quem non ipse deûm sator adspernetur honorem,
Dic age (quando tuis alacres adsistimus undis)
Quæ domus, aut tellus, animam quibus hauseris astris? [longe,
Dic quis et ille pater? neque enim tibi numina
Transierit fortuna licet; majorque per ora 26
Sanguis, et afflicto spirat reverentia vultu.
Ingemit, et paulum fletu cunctata modesto
Lemnias orsa refert: Immania vulnera, rector,
Integrare jubes, Furias, et Lemnon, et arctis 30
Arma inserta toris, debellatosque pudendo
Ense mares: redit ecce nefas, et frigida cordi
Eumenis: o miseræ, quibus hic furor additus! o nox!
O pater! illa ego sum, (pudeat ne forte benignæ
Hospitis,) illa, duces, raptum quæ sola parentem
Occului: quid longa malis exordia necto? 36
Et vos arma vocant, magnique in corde paratus.
Hoc memorasse sat est; claro generata Thoante,
Servitium Hypsipyle vestri fero capta Lycurgi.
Advertere animos, majorque, et honora videri, 40
Parque operi tanto: cunctis tunc noscere casus
Ortus amor: pater ante alios hortatur Adrastus:
Immo age, dum primi longe damus agmina vulgi,
Nec facilis Nemee latas evolvere vires,
Quippe obtenta comis, et ineluctabilis umbra,
Pande nefas, laudesque tuas, gemitusque tuorum,
Unde hos advenias regno dejecta labores.
Dulce loqui miseris, veteresque reducere questus.
Incipit: Ægæo premitur circumflua Nereo
Lemnos, ubi ignifera fessus respirat ab Ætna 50
Mulciber: ingenti tellurem proximus umbra
Vestit Athos, nemorumque obscurat imagine pontum.
Thraces arant contra: Thracum fatalia nobis
Littora, et inde nefas. Florebat dives alumnis
Terra, nec illa Samo fama, Delove sonanti 55
Pejor, et innumeris quas spumifer adsilit Ægon.
Dis visum turbare domos: nec pectora culpa
Nostra vacant: nullos Veneri sacravimus ignes:
Nulla deæ sedes: movet et cœlestia quondam
Corda dolor, lentoque irrepunt agmine pœnæ. 60
Illa Paphon veterem centumque altaria linquens,
Nec vultu nec crine prior, solvisse jugalem
Ceston, et Idalias procul ablegasse volucres
Fertur: erant certe media quæ noctis in umbra
Divam, alios ignes majoraque tela gerentem, 65
Tartareas inter thalamis volitasse sorores
Vulgarent; utque implicitis arcana domorum
Anguibus, et sæva formidine cuncta replevit
Limina, nec fidi populum miserata mariti.
Protinus a Lemno teneri fugistis Amores: 70
Motus Hymen, versæque faces, et frigida justi
Cura tori: nullæ redeunt in gaudia noctes,
Nullus in amplexu sopor est: odia aspera ubique,
Et Furor, et medio recubat Discordia lecto.
Cura viris tumidos adversa Thracas in ora 75
Eruere, et sævam bellando frangere gentem.
Cumque domus contra, stantesque in littore nati,
Dulcius Edonas hiemes, Arctonque frementem
Excipere, aut tandem tacita post prœlia nocte
Fractorum subitas torrentum audire ruinas. 80
Illæ autem tristes (nam me tunc libera curis
Virginitas, annique tegunt) sub nocte dieque
Assiduis ægræ lacrymis solantia miscent
Colloquia, aut sævam spectant trans æquora Thracen.
Sol operum medius summo librabat Olympo 85
Lucentes, ceu staret, equos: quater axe sereno
Intonuit, quater antra dei fumantis anhelos
Exseruere apices: ventisque absentibus Ægon
Motus, et ingenti percussit littora ponto.
Cum subito horrendas ævi matura Polyxo 90
Tollitur in furias, thalamisque insueta relictis
Evolat; insano veluti Theumesia Thyias
Rapta deo, cum sacra vocant, Idæaque suadet
Buxus, et a summis auditus montibus Evan:
Sic erecta genas, aciemque effusa, trementi 95
Sanguine, desertam rabidis clamoribus urbem
Exagitat, clausasque domos et limina pulsans,
Concilium vocat: infelix comitatus eunti
Hærebant nati: atque illæ non segnius omnes
Erumpunt tectis, summasque ad Pallados arces
Impetus; huc propere stipamur, et ordine nullo
Congestæ: stricto mox ense silentia jussit
Hortatrix scelerum, et medio sic ausa profari est:
Rem summam instinctu superûm, meritique doloris, 105
O viduæ (firmate animos et pellite sexum)
Lemniades, sancire paro. Si tædet inanes
Æternum servare domos, turpemque juventæ
Flore situm, et longis steriles in luctibus annos;
Inveni, promitto viam (nec numina desunt)
Qua renovanda Venus: modo par insumite robur
Luctibus: atque adeo primum hoc mihi noscere detur: 111
Tertia canet hiems; cui connubialia vincla,
Aut thalami secretus honos? quod conjuge pectus
Intepuit? cujus vidit Lucina labores?
Dicite, vel justos cujus pulsantia menses 115
Vota tument? qua pace feras volucresque jugari
Mos datus Heu segnes! potuitne ultricia Graiis
Virginibus dare tela pater, lætusque dolorum
Sanguine securos juvenum perfundere somnos?
At nos vulgus iners: quod si propioribus actis
Est opus, ecce animos doceat Rhodopeia conjux
Ulta manu thalamos, pariterque epulata marito.
Nec vos immunis scelerum, securave cogo.
Plena mihi domus, atque ingens (en cernite) sudor.
Quatuor hos una, decus et solatia patris, 125
In gremio (licet amplexu lacrymisque morentur)
Transadigam ferro, saniemque et vulnera fratrum
Miscebo, patremque super spirantibus addam.
Ecqua tot in cædes animum promittit? Agebat
Pluribus: adverso nituerunt vela profundo. 130
Lemnia classis erat: rapuit gavisa Polyxo [tro
Fortunam, atque iterat: Super sue vocantibus ul-
Desumus? ecce rates: deus hos, deus ultor in iras
Ap ortat, cœptisque favet; nec imago quietis
Vana meæ: nudo stabat Venus ense, videri 135
Clara mihi, somnosque super. Quid perditis ævum?
Inquit: age aversis thalamos purgate maritis.
Ipsa faces alias, melioraque fœdera jungam.
Dixit; et hoc ferrum stratis, hoc (credite) ferrum

Imposuit. Quin, o miseræ, dum tempus agi rem,
Consulite : en validis spumant eversa lacertis
Æquora : Bistonides veniunt fortasse maritæ. 142
Hinc stimuli ingentes, magnusque advolvitur astris
Clamor: Amazonio Scythiam fervere tumultu,
Lunatumque putes agmen descendere, ubi arma
Indulget pater, et sævi movet ostia belli. 146
Nec varius fremor, aut studia in contraria rapti
Dissensus, ut plebe solet : furor omnibus idem,
Idem animus solare domos, juvenumque senumque
Præcipitare colos, plenisque affringere parvos
Uberibus, ferroque omnes exire per annos. 151
Tunc viridis late lucus, juga celsa Minervæ
Propter, opacat humum, niger ipse, sed insuper ingens
Mons premit, et gemina pereunt caligine soles:
Hic sanxere fidem : tu Martia testis Enyo, 155
Atque inferna Ceres, Stygiæque Acheronte recluso
Ante preces venere deæ : sed fallit ubique
Mixta Venus; Venus arma tenet: Venus admovet iras.
Nec de more cruor : natum Charopeia conjux
Obtulit : accingunt sese, et mirantia ferro 160
Pectora, congestisque avidæ simul undique dextris
Perfringunt, ac dulce nefas in sanguine vivo
Conjurant, matremque recens circumvolat umbra.
Talia cementi mihi quantus in ossibus horror?
Quisve per ora color? qualis cum cerva cruentis
Circumventa lupis, nullum cui pectore molli
Robur, et in volucri tenuis fiducia cursu,
Præcipitat suspensa fugam ; jam jamque teneri
Credit, et elusos audit concurrere morsus.
Illi aderant : primis jamque offendere carinæ
Littoribus : certant saltu contingere terram 171
Præcipites : miseri, quos non aut horrida virtus
Marte sub Odrysio, aut medii inclementia ponti
Hauserit! alta etiam superûm delubra vaporant,
Promissasque trahunt pecudes : niger omnibus
Ignis, et in nullis spirat deus integer extis. [aris
Tardius humenti noctem dejecit Olympo
Jupiter, et versum miti (reor) æthera cura
Sustinuit, dum fata vetant : nec longius unquam
Cessavere novæ perfecto sole tenebræ. 180
Sera tamen mundo venerunt astra ; sed illis [cent
Et Paros, et nemorosa Thasos, crebræque relu-
Cyclades : una gravi penitus latet obruta cœlo
Lemnos, in hanc tristes nebulæ, et plaga cæca superne
Texitur, una vagis Lemnos non agnita nautis.
Jam domibus fusi nemorum per opaca sacrorum 186
Ditibus indulgent epulis, vacuantque profundo
Aurum immane mero ; dum quæ per Strymona pugnæ,
Quis Rhodope, gelidove labor sudatus in Hæmo
Enumerare vacat : nec non, manus impia, nuptæ
Serta inter, festasque dapes, quo maxima cultu
Quæque jacent : dederat mites Cytherea suprema
Nocte viros, longoque brevem post tempore pacem
Nequicquam, et miseros perituro afflaverat igni.
Conticuere chori : dapibus ludoque licenti 195
Fit modus, et primæ decrescunt murmura noctis,
Cum consanguinei mixtus caligine leti, [bem
Rore madens Stygio, moriturum amplectitur ur-
Somnus, et implacido fundit gravia otia cornu,
Secernitque viros : vigilant nuptæque, nurusque
In scelus, atque hilares acuunt fera tela sorores.
Invasere nefas : cuncto sua regnat Erinnys
Pectore : non aliter Scythicos armenta per agros
Hyrcanæ clausere leæ, quas exigit ortu
Prima fames, avidique implorant ubera nati. 205
Quos tibi (nam dubito) scelerum de mille figuris
Expediam casus? Helymum temeraria Gorge
Evinctum ramis, altaque in mole tapetum
Efflantem somno crescentia vina, superstans
Vulnera disjecta rimatur veste : sed illum 210
Infelix sopor admota sub morte refugit.
Turbidus, incertumque oculis vigilantibus hostem
Occupat amplexu : nec segnius illa tenentis
Pone adigit costas, donec sua pectora ferro
Tangeret : is demum sceleri modus : ora supinat
Blandus adhuc, oculisque tremens et murmure Gorgen 216
Quærit, et indigno non solvit brachia collo.
Non ego nunc vulgi, quanquam crudelia, pandam
Funera ; sed propria luctus de stirpe recordor ;
Quod te, flave Cydon, quod te per colla refusis
Intactum, Crenæe, comis, (quibus ubera mecum
Obliquumque a patre genus,)fortemque, timebam
Quem desponsa, Gyan, vidi lapsare cruentæ [que
Vulnere Mirmyonis; quodque inter serta choros-
Barbara ludentem fodiebat Epopea mater. 225
Flet super æquævum soror exarmata Lycaste
Cydimon, heu similes perituro in corpore vultus
Adspiciens, floremque genæ, et quas finxerat auro
Ipsa comas : tum sæva parens jam conjuge fuso
Adstitit, impellitque minis, atque inserit ensem.
Ut fera, quæ placido rabiem desueta magistro
Tardius arma movet, stimulisque et verbere cre-
In mores negat ire suos : sic illa jacenti [bro
Incidit, undantemque sinu collapsa cruorem 234
Excipit, et laceros premit in nova vulnera crines.
Ut vero Alcimeden etiamnum in murmure truncos
Ferre patris vultus, et egentem sanguinis ensem
Conspexi, riguere comæ, atque in viscera sævus
Horror iit : meus ille Thoas, mea dira videri
Dextra mihi : extemplo thalamis turbata paternis
Inferor : ille quidem dudum (quis magna tuenti
Somnus?) agit versans secum (etsi lata recessit
Urbe domus) quinam strepitus, quæ murmura noctis, [pando,
Cur fremebunda quies? Trepido scelus ordine
Quis dolor, unde animi : vis nulla arcere furentes : [que moranti,
Hac sequere, o miserande ; premunt, aderunt-
Et mecum fortasse cades. His motus, et artus
Erexit stratis : ferimur per devia vastæ
Urbis, ubi ingentem nocturnæ cædis acervum
Passim, ut quosque sacris crudelis vespera lucis
Straverat, occulta speculamur nube latentes. 251
Hic impressa toris ora, exstantesque reclusis
Pectoribus capulos, magnarum et fragmina trunca
Hastarum, et ferro laceras per corpora vestes,
Crateras pronos, epulasque in cæde natant s 255
Cernere erat, jugulisque modo torrentis apertis
Sanguine commixto redeuntem in pocula Bacchum.
Hic juvenum manus, et nullis violabilis armis
Turba senes, positique patrum super ora gemen-
Semineces pueri trepidas in limine vitæ [tum
Singultant animas. Gelida non sævius Ossa
Luxuriant Lapitharum epulæ, si quando profundo
Nubigenæ caluere mero : vix primus ab ira
Pallor, et impulsis surgunt ad prœlia mensis.
Tunc primum sese trepidis sub nocte Thyoneus
Detexit, nato portans extrema Thoanti 266
Subsidia, et multa subitus cum luce refulsit.

Agnovi: non ille quidem turgentia sertis
Tempora, nec flava crinem distinxerat uva:
Nubilus, indignumque oculis liquentibus imbrem
Alloquitur: Dum fata dabant tibi, nate, potentem
Lemnon, et externis etiam servare timendam
Gentibus, haud unquam justo mea cura labori
Destitit: absciderunt tristes crudelia Parcæ
Stamina, nec dictis, supplex quæ plurima fudi
Ante Jovem frustra, lacrymisve avertere luctus
Contigit: infandum natæ concessit honorem.
Accelerate fugam: tuque, o mea digna propago,
Hac rege, virgo, patrem, gemini qua brachia muri
Littus eunt: illa, qua rara silentia, porta 280
Stat funesta Venus, ferroque accincta furentes
Adjuvat: (unde manus? unde hæc Mavortia divæ
Pectora?) tu lato patrem committe profundo.
Succedam curis. Ita fatus in aera rursus
Solvitur, et nostrum, visus arcentibus umbris,
Mitis iter longæ claravit limite flammæ. [sum
Qua data signa sequor: dein curvo robore clau-
Dis pelagi, ventisque, et Cycladas Ægæoni
Amplexo, commendo patrem: nec fletibus unquam
Sit modus alternis, ni jam dimittat Eoo 290
Lucifer astra polo: tum demum littore rauco
Multa metu reputans, et vix confisa Lyæo
Dividor, ipsa gradu nitens, sed et anxia retro
Pectora; nec requies, quin et surgentia cœlo
Flamina, et e cunctis prospectem collibus undas.
Exoritur pudibunda dies, cœlumque retexens
Aversum Lemno jubar, et declinia Titan
Opposita juga nube refert. Patuere furores
Nocturni, lucisque novæ formidine cunctis,
Quanquam inter similes, habitus rubor: impia terræ 300
Infodiunt scelera, aut festinis ignibus urunt. [ces
Jam manus Eumenidum, captasque refugerat ar-
Exsaturata Venus: licuit sentire quid ausæ,
Et turbare comas, et lumina tingere fletu
Insula dives agris, opibusque, armisque, virisque,
Nota situ, et Getico nuper ditata triumpho, 306
Non maris incursu, non hoste, nec æthere lævo,
Perdidit una omnes orbata excisaque mundo
Indigenas: non arva viri, non æquora vertunt:
Conticuere domus: cruor altus, et oblita crasso
Cuncta rubent tabo: magnæque in mœnibus urbis
Nos tantum: et sævi spirant per culmina manes.
Ipsa quoque arcanis tecti penetralibus alto [tris
Molior igne pyram: sceptrum super armaque pa-
Injicio, et notas regum gestamina vestes: 315
Ac prope mæsta rogum confusis ignibus adsto
Ense cruentato, fraudemque et inania busta
Plango metu, si forte premant, cassumque parenti
Omen, et hac dubios leti precor ire timores.
His mihi pro meritis ut falsi criminis astu 320
Parta fides, regno et solio considere patris
Supplicium datur: anne illis obsessa negarem?
Accessi, sæpe ante deos testata, fidemque,
Immeritasque manus: subeo (pro dira potestas)
Exsangue imperium, et mæstam sine culmine Lemnon. [sus,
Jam magis atque magis vigiles dolor angere sen-
Et gemitus clari, et paulatim invisa Polyxo:
Jam meminisse nefas: jam ponere manibus aras
Concessum, et multum cineres jurare sepultos.
Sic ubi ductorem trepidæ stabulique maritum,
Quem penes et saltus, et adultæ gloria gentis, 331
Massylo frangi stupuere sub hoste juvencæ,
Ut truncum sine honore pecus, regemque peremtum
Ipse ager, ipsi amnes, et muta armenta querun-
Ecce autem ærata dispellens æquora prora [tur.
Pelias intacti late subit hospita ponti [net
Pinus; agunt Minyæ: geminus fragor ardua ca
Per latera: abruptam credas radicibus ire
Ortygiam, aut fractum pelago decurrere montem.
Ast ubi suspensis siluerunt æquora tonsis, 340
Mitior et senibus cygnis, et pectine Phœbi
Vox media de puppe venit: maria ipsa carinæ
Accedunt: (post nosse datum est) Œagrius illic
Acclinis malo mediis intersonat Orpheus
Remigiis, tantosque jubet nescire labores. 345
Illis in Scythicum Borean iter, oraque Ponti
Cyaneis arctata vadis. Nos Thracia visu
Bella ratæ, vario tecta incursare tumultu, [crum
Densarum pecudum aut fugientum more volu-
Heu ubi nunc furiæ? portus, amplexaque littus
Mœnia, qua longe pelago despectus aperto, [que,
Scandimus, et celsas turres; huc saxa, sudes-
Armaque mæsta virum, atque infectos cædibus en-
Subvectant trepidæ: quin et squalentia texta [ses
Thoracum, et vultu galeas intrare soluto 355
Non pudet: audaces rubuit mirata catervas
Pallas, et adverso risit Gradivus in Hæmo.
Tunc primum ex animis præceps amentia cessit:
Nec ratis illa salo, sed divûm sera per æquor
Justitia, et pœnæ scelerum adventare videntur.
Jamque aberant terra, quantum Gortynia currunt
Spicula; cæruleo gravidam cum Jupiter imbri
Ipsa super nubem ratis armamenta Pelasgæ 363
Sistit agens: inde horror aquis, et raptus ab omni
Sole dies miscet tenebras, quîs protinus unda
Concolor: obnixi lacerant cava nubila venti,
Diripiuntque fretum: nigris redit humida tellus
Vorticibus, totumque Notis portantibus æquor
Pendet, et æquato jam jam prope sidera dorso
Frangitur: incertæ jam nec prior impetus alno,
Sed labat, exstantem rostris modo gurgite in imo,
Nunc cœlo Tritona ferens: nec robora prosunt
Semideûm heroum: puppimque insana flagellat
Arbor, et instabili procumbens pondere curvas
Raptat aquas, remique cadunt in pectus inanes.
Nos quoque per rupes, murorumque aggere ab omni, [Austri,
Dum labor ille viris, fretaque indignantur et
Desuper invalidis fluitantia tela lacertis [tra
(Quid non ausa manus?) Telamona et Pelea con-
Spargimus, et nostro petitur Tirynthius arcu. 380
Illi quippe simul bello pelagoque laborant:
Pars clypeis munire ratem, pars æquora fundo
Egerere; ast alii pugnant, sed inertia motu
Corpora, suspensæque carent conamine vires.
Instamus jactu telorum, et ferrea nimbis 385
Certat hiems: vastæque sudes, fractique molares,
Spiculaque, et multa crinitum missile flamma,
Nunc pelago, nunc puppe cadunt: dat operta fragorem
Pinus, et abjunctis regemunt tabulata cavernis.
Talis Hyperborea virides nive verbet agros 390
Jupiter: obruitur campis genus omne ferarum,
Deprensæque cadunt volucres, et messis amaro
Strata gelu: fragor inde jugis, inde amnibus iræ.
Ut vero elisit nubes Jove tortus ab alto
Ignis, et ingentes patuere in lumine nautæ, 395
Diriguere animi, manibusque horrore remissis
Arma aliena cadunt: redeunt in pectora sexus.
Cernimus Æacidas, murisque immane minantem
Ancæum, et longa pellentem cuspide rupes
Iphiton: attonito manifestus in agmine supra est
Amphitryoniades, puppimque alternus utrinque

Ingravat, et medias ardet descendere in undas.
At levis, et miseræ nondum mihi notus Iason
Transtra per et remos, impressaque terga virorum,
Nunc magnum Œniden, nunc ille hortatibus Idan, 405
Et Talaum, et cana rorantem adspergine ponti
Tyndariden iterans, gelidique in nube parentis
Vela laborantem Calain subnectere malo,
Voce manuque rogat: quatiunt impulsibus illi
Nunc freta, nunc muros: sed nec spumantia cedunt 410
Æquora, et incussæ redeunt a turribus hastæ.
Ipse graves fluctus, clavumque audire negantem
Lassat agens Tiphys, palletque, et plurima mutat
Imperia, ac lævas dextrasque obtorquet in undas
Proram, navifragis avidam concurrere saxis: 415
Donec ab extremæ cuneo ratis Æsone natus
Palladios oleæ, Mopsi gestamina, ramos
Extulit, et sociûm turba prohibente poposcit
Fœdera: præcipites vocem involvere procellæ.
Tunc modus armorum, pariterque exhausta quierunt 420
Flamina, confusoque dies respexit Olympo.
Quinquaginta illi trabibus de more revinctis
Eminus abrupto quatiunt nova littora saltu,
Magnorum decora alta patrum, jam fronte sereni,
Noscendique habitu, postquam timor iraque cessit
Vultibus: arcana sic fama erumpere porta
Cœlicolas, si quando domos littusque rubentum
Æthiopum, et mensas amor est intrare minores:
Dant fluvii montesque locum: tum terra superbit
Gressibus, et paulum respirat cœlifer Atlas. 430
Hic et ab adserto nuper Marathone superbum
Thesea, et Ismarios Aquilonia pignora fratres,
Utraque quis rutila stridebant tempora penna,
Cernimus: hic Phœbo non indignante priorem
Admetum, et duræ similem nihil Orphea Thracæ:
Tunc prolem Calydone satam, generumque proNereos: ambiguo visus errore lacessunt
Œbalidæ gemini: chlamys huic, chlamys ardet et illi:
Ambo hastile gerunt: humeros exsertus uterque,
Nudus uterque genas, simili coma fulgurat astro.
Audet iter, magnique sequens vestigia mutat 441
Herculis, et tarda quamvis se mole ferentem
Vix cursu tener æquat Hylas, Lernæaque tollens
Arma sub ingenti gaudet sudare pharetra.
Ergo iterum Venus, et tacitis corda aspera flammis 445
Lemniadum pertentat amor. Tunc regia Juno
Arma, habitusque virum, pulchræque insignia gentis
Mentibus insinuat, certatimque ordine cunctæ
Hospitibus patuere fores: tunc primus in aris
Ignis, et infandis venere oblivia curis: 450
Tunc epulæ, felixque sopor, noctesque quietæ:
Nec superûm sine mente, reor, placuere fatentes.
Forsitan et nostræ fatum excusabile culpæ
Noscere cura, duces. Cinerem furiasque meorum
Testor, ut externas non sponte aut crimine tædas
Attigerim, (scit cura deûm,) etsi blandus Iason
Virginibus dare vincla novis: sua jura cruentum
Phasin habent: alios, Colchi, generatis amores.
Jamque exuta gelu tepuerunt sidera longis
Solibus, et velox in terga revolvitur annus. 460
Jam nova progenies, partusque in vota soluti,
Et non speratis Lemnos clamatur alumnis.
Nec non ipsa tamen, thalami monumenta coacti,
Enitor geminos, duroque sub hospite mater
Nomen avi renovo: nec quæ fortuna relictis 465
Nosse datum: jam plena quater quinquennia pergunt,
Si modo fata sinunt, aluitque rogata Lycaste.
Detumuere animi maris, et clementior Auster
Vela vocat: ratis ipsa moram portusque quietos
Odit, et adsueti tendit retinacula saxi. 470
Inde fugam Minyæ, sociosque appellat Iason
Efferus, o utinam jam tum mea littora rectis
Prætervectus aquis, cui non sua pignora cordi,
Non promissa fides: certe stat fama remotis
Gentibus, æquorei redierunt vellera Phryxi. 475
Ut stata lux pelago, venturumque æthera sensit
Tiphys, et occidui rubuere cubilia Phœbi;
Heu iterum gemitus, iterumque novissima nox est.
Vix reserata dies, et jam rate celsus Iason
Ire jubet, primoque ferit dux verbere pontum.
Illos e scopulis, et summo vertice montis, 481
Spumea porrecti dirimentes terga profundi
Prosequimur visu, donec lassavit euntes
Lux oculos, longumque polo contexere visa est
Æquor, et extremi pressit freta margine cœli. 485
Fama subit portus, vectum trans alta Thoanta
Fraterna regnare Chio; mihi crimina nulla,
Et vacuos arsisse rogos: fremit impia plebes
Sontibus accensæ stimulis, facinusque reposcunt.
Quin etiam occultæ vulgo increbrescere voces:
Solane fida suis? nos autem in funera lætæ?
Non deus hæc, fatumque, quod imperat urbe nefanda.
Talibus exanimis dictis (et triste propinquat
Supplicium, nec regna juvant) vaga littora furtim
Incomitata sequor, funestaque mœnia linquo, 495
Qua fuga nota patris; sed non iterum obvius Evan:
Nam me prædonum manus huc appulsa tacentem
Arripit, et vestras famulam transmittit in oras.
Talia Lernæis iterat dum regibus exsul
Lemnias, et longa solatur damna querela, 500
Immemor absentis (sic dii suasistis) alumni;
Ille graves oculos languentiaque ora comanti
Mergit humo, fessusque diu puerilibus actis
Labitur in somnos: prensa manus hæret in herba.
Interea campis, nemoris sacer horror Achæi, 505
Terrigena erigitur serpens, tractuque soluto
Immanem sese vehit, ac post terga relinquit.
Livida fax oculis: tumidi stat in ore veneni
Spuma virens: ter lingua vibrat, terna agmina adunci
Dentis, et auratæ crudelis gloria fronti 510
Prominet. Inachio sanctum dixere Tonanti
Agricolæ, cui cura loci, et sylvestribus aris
Pauper honos: nunc ille dei circumdare templa
Orbe vago labens, miseræ nunc robora sylvæ
Atterit, et vastas tenuat complexibus ornos. 515
Sæpe super fluvios geminæ jacet aggere ripæ
Continuus, squamisque incisus adæstuat amnis.
Sed nunc, Ogygii jussis quando omnis anhelat
Terra dei, trepidæque latent in pulvere Nymphæ,
Sævior anfractu laterum sinuosa retorquens 520
Terga solo, siccique nocens furit igne veneni.
Stagna per, arentesque lacus, fontesque repressos
Volvitur, et vacuis fluviorum in vallibus errat.
Incertusque sui liquidum nunc aera lambit
Ore supinato, nunc arva gementia radens 525
Pronus adhæret humo, si quid viridantia sudent
Gramina: percussæ calidis afflatibus herbæ,
Qua tulit ora, cadunt, moriturque ad sibila campus.
Quantus ab Arctois discriminat æthera plaustris
Anguis ad usque Notos, alienumque exit in orbem:
Quantus et ille sacri spiris intorta movebat 531
Cornua Parnassi, donec tibi, Delie, fixus

Vexit arundineam centeno vulnere sylvam.
Quis tibi, parve, deus tam magni pondera fati
Sorte dedit? tune hoc vix prima ad limina vitæ
Hoste jaces? an ut inde sacer per sæcula Graiis
Gentibus, et tanto dignus morerere sepulcro?
Occidis extremæ destrictus verbere caudæ
Ignaro serpente puer: fugit ilicet artus 539
Somnus, et in solam patuerunt lumina mortem.
Cum tamen attonito moriens vagitus in auras
Excidit, et ruptis immutuit ore querelis,
Qualia non totas peragunt insomnia voces;
Audiit Hypsipyle, facilemque negantia cursum
Exanimis genua ægra rapit, jam certa malorum
Mentis ab augurio, sparsoque per omnia visu
Lustrat humum quærens, et nota vocabula parvo
Nequicquam ingeminans: nusquam ille, et prata recentes
Amisere notas: viridi piger accubat hostis
Collectus gyro, spatiosaque jugera complet, 550
Sic etiam obliqua cervicem expostus in alvo.
Horruit infelix visu, longoque profundum
Incendit clamore nemus: nec territus ille,
Sed jacet. Argolicas ululatas flebilis aures
Impulit: extemplo monitu ducis advolat ardens
Arcas eques, causamque refert. Tum squamea demum 556
Torvus ad armorum radios fremitumque virorum
Colla movet. Rapit ingenti conamine saxum,
Quo discretus ager, vacuasque impellit in auras
Arduus Hippomedon, quo turbine bellica quondam 560
Librati saliunt portarum in claustra molares.
Cassa duci virtus: nam mollia colla refusus
In tergum serpens venientem exhauserat ictum.
Dat sonitum tellus, nemorumque per aera densi
Dissultant nexus. At non mea vulnera, clamat,
Et trabe fraxinea Capaneus subit obvius, unquam 566
Effugies; seu tu pavidi ferus incola luci,
Sive deis, utinamque deis concessa voluptas:
Non, si consertum super hæc mihi membra giganta
Subveheres. Volat hasta tremens, et hiantia monstri 570
Ora subit, linguæque secat fera vincla trisulcæ,
Perque jubas stantes, capitisque insigne corusci
Emicat, et nigri sanie perfusa cerebri
Figitur alta solo: longus vix tota peregit
Membra dolor: rapido celer ille volumine telum
Circuit, avulsumque ferens in opaca refugit 576
Templa dei: hic magno tellurem pondere men-
Implorantem animam dominis adsibilat aris. [sus
Illum et cognatæ stagna indignantia Lernæ,
Floribus et vernis adsuetæ spargere Nymphæ,
Et Nemees reptatus ager, lucosque per omnes
Sylvicolæ fracta gemuistis arundine Fauni.
Ipse etiam summa jam tela poposcerat æthra
Jupiter, et dudum nimbique hiemesque coibant;
Ni minor ira deo, gravioraque tela mereri 585
Servatus Capaneus: moti tamen aura cucurrit
Fulminis, et summas libavit vertice cristas.
Jamque pererratis infelix Lemnia campis,
Liber ut angue locus, modico super aggere longe
Pallida sanguineis infectas roribus herbas 590
Prospicit: huc magno cursum rapit effera luctu,
Agnoscitque nefas: terræque illisa nocenti
Fulminis in morem, non verba in funere primo,
Non lacrymas habet: ingeminat misera oscula tantum
Incumbens, animæque fugam per membra tepen- [tem
Quærit hians. Non ora loco, non pectora restant:
Rapta cutis: tenuia ossa patent, nexusque madentes [pus.
Sanguinis imbre novi, totumque in vulnere cor-
Ac velut aligeræ sedem fetusque parentis
Cum piger umbrosa populatus in ilice serpens,
Illa redit, querulæque domus mirata quietem
Stat super impendens, advectosque horrida mæsto
Excutit ore cibos, cum solus in arbore cara
Sanguis, et errantes per capta cubilia plumæ.
Ut laceros artus gremio miseranda recepit, 605
Intexitque comis, tandem laxata dolore
Vox invenit iter, gemitusque in verba soluti:
O mihi desertæ natorum dulcis imago
Archemore, o rerum et patriæ solamen ademtæ,
Servitiique decus, qui te, mea gaudia, sontes 610
Exstinxere dei, modo quem digressa reliqui
Lascivum, et prono vexantem gramina cursu?
Heu ubi siderei vultus? ubi verba ligatis
Imperfecta sonis? risusque et murmura soli
Intellecta mihi? quoties tibi Lemnon et Argo
Sueta loqui, et longa somnum suadere querela!
Sic equidem luctus solabar, et ubera parvo
Jam materna dabam, cui nunc venit irritus ori
Lactis, et infelix in vulnera liquitur imber.
Nosco deos: o dura mei præsagia somni, 620
Nocturnique metus, et nunquam impune per umbras
Attonitæ mihi visa Venus! Quos arguo divos?
Ipse ego te (quid enim timeam moritura fateri?)
Exposui fatis. Quæ mentem insania traxit?
Tantane me tantæ tenuere oblivia curæ, 625
Dum patrios casus, famæque exorsa retracto
Ambitiosa meæ? pietas hæc magna, fidesque?
Exsolvi tibi, Lemne, nefas. Ubi letifer anguis,
Ferte, duces, meriti si qua est mihi gratia duri,
Si quis honos dictis: aut vos exstinguite ferro,
Ne tristes dominos, orbamque inimica revisam
Eurydicen: quanquam haud illi mea cura dolendo
Cesserit. Hocne ferens onus illætabile matris
Transfundam gremio? quæ me prius ima sub umbras [vultum
Mergat humus? Simul hæc, terraque et sanguine
Sordida magnorum circa vestigia regum 636
Vertitur, et tacite mærentibus imputat undas.
Et jam sacrifici subitus per tecta Lycurgi
Nuntius implerat lacrymis ipsumque domum-
Ipsum adventantem Persei vertice sancto [que,
Montis, ubi adverso dederat prosecta Tonanti,
Et caput iratis rediens quassabat ab extis.
Hic sese Argolicis immunem servat ab armis
Haud animi vacuus, sed templa aræque tenebant
Necdum etiam responsa deûm, monitusque vetusti 645
Exciderant, voxque ex adytis accepta profundis,
Prima, Lycurge, dabis Dircæo funera bello.
Id cavet, et mæstus vicini pulvere Martis
Angitur ad lituos, periturisque invidet armis.
Ecce fides superûm! laceras comitata Thoantis
Advenit exsequias: contra subit obvia mater,
Fœmineos cœtus plangentiaque agmina ducens.
At non magnanimo pietas ignava Lycurgo:
Fortior ille malis, lacrymasque insana resorbet
Ira patris: longo rapit arva morantia passu 655
Vociferans: Illa autem ubinam, cui parva cruoris
Lætave damna mei? vivitne? impellite raptam,
Ferte citi, comites: faxo omnis fabula Lemni,
Et pater, et tumidæ generis mendacia sacri
Exciderint. Ibat, letumque inferre parabat 660
Ense furens rapto: venienti Œneius heros
Impiger objecta proturbat pectora parma:

Ac simul infrendens: Siste hunc, vesane, furorem,
Quisquis es. et pariter Capaneus, acerque reducto
Affuit Hippomedon, rectoque Erymanthius ense,
Ac juvenem multo perstringunt lumine: at inde
Agrestum pro rege manus: quos inter Adrastus
Mitior, et sociæ veritus commercia vittæ
Amphiaraus ait: Ne, quæso: absistite ferro,
(Unus avûm sanguis,) neve indulgete furori: 670
Tuque prior. Sed non sedato pectore Tydeus
Subjicit Anne ducem servatricemque cohortis
Inachiæ ingratis coram tot millibus audes
Mactare in tumulos? (quanti pro funeris ultor!)
Cui regnum, genitorque Thoas, et lucidus Evan
Stirpis avus: tumidone parum, quod, gentibus actis [cem
Undique in arma tuis, inter rapida agmina pa-
Solus habes? habeasque, et te victoria Graiûm
Inveniat tumulis etiamnum hæc fata gementem.
Dixerat: et tandem cunctante modestior ira 680
Ille refert: Equidem non vos ad mœnia Thebes
Rebar, et hostiles huc advenisse catervas.
Pergite in excidium socii, si tanta voluptas,
Sanguinis, imbuite arma domi, atque hæc irrita dudum [pius ignis,
Templa Jovis (quid enim haud licitum?) ferat im-
Si vilem, tanti premerent cum pectora luctus, 686
In famulam jus esse ratus dominoque, ducique.
Sed videt hoc, videt ille deûm regnator, et ausis
Sera quidem, manet ira tamen. Sic fatus, et arces
Respicit; atque illic alio certamine belli [alas
Tecta fremunt: volucres equitum præverterat
Fama recens, geminos alis amplexa tumultus.
Illi ad fata rapi, atque illi jam occumbere leto,
Sic meritam, Hypsipylen iterant: creduntque, nec iræ [stant.
Fit mora: jamque faces et tela penatibus in-
Vertere regna fremunt, raptumque auferre Lycurgum [ædes
Cum Jove, cumque aris: resonant ululatibus
Fœmineis, versusque dolor dat terga timori.
Alipedum curru sed enim sublimis Adrastus
Secum ante ora virûm fremebunda Thoantida portans 700
It medius turmis, et, Parcite, parcite, clamat:
Nil actum sæve: meritus nec tale Lycurgus
Excidium, gratique inventrix fluminis ecce.
Sic ubi diversis maria evertere procellis [ster,
Hinc Boreas Eurusque, illinc niger imbribus Au-
Pulsa dies, regnantque hiemes, venit æquoris alti
Rex sublimis equis, geminusque ad spumea Triton
Frena natans late pelago dat signa cadenti:
Et jam plana Thetis, montesque et littora cres- [cunt.
Quis superûm tanto solatus funera voto
Pensavit lacrymas, inopinaque gaudia mæstæ
Rettulit Hypsipylæ? Tu gentis conditor, Evan,
Qui geminos juvenes Lemni de littore vectos
Intuleras Nemeæ, mirandaque fata parabas.
Causa viæ genitrix, nec inhospita tecta Lycurgi
Præbuerant aditus, et protinus ille tyranno 716
Nuntius exstinctæ miserando vulnere prolis.
Ergo adsunt comites (pro fors, et cæca futuri
Mens hominum) regique favent. Sed Lemnos ad aures [que
Ut primum, dictusque Thoas; per tela manus-
Irruerunt, matremque avidis complexibus ambo
Diripiunt flentes, alternaque pectora mutant.
Illa velut rupes immoto saxea visu
Hæret, et expertis non audet credere divis.
Ut vero et vultus, et signa Argoa relictis 725
Ensibus, atque humeris amborum intextus Iason;
Cesserunt luctus, turbataque munere tanto
Corruit, atque alio maduerunt lumina fletu.
Addita signa polo, lætoque ululante tumultu
Tergaque et æra dei motas crepuere per auras
Tunc pius Œclides, ut prima silentia vulgi 731
Mollior ira dedit, placidasque accessus ad aures:
Audite, o ductor Nemeæ, lectique potentes
Inachidæ, quæ certus agi manifestat Apollo.
Iste quidem Argolicis haud olim indebitus armis
Luctus adest: recto descendunt limite Parcæ:
Et sitis interitu fluviorum, et letifer anguis,
Et puer, heu nostri signatus nomine fati [ma
Archemorus; cuncta hæc superûm demissa supre-
Mente fluunt: differte animos, festinaque tela
Ponite: mansuris donandus honoribus infans:
Et meruit: det pulchra suis libamina virtus
Manibus; atque utinam plures innectere pergas,
Phœbe, moras, semperque novis bellare vetemur
Casibus, et semper Thebe funesta recedat. 745
At vos, magnorum transgressi fata parentum,
Felices, longum quibus hinc per sæcula nomen,
Dum Lernæa palus, et dum pater Inachus ibit,
Dum Nemee tremulas campis jaculabitur umbras;
Ne fletu violate sacrum, ne plangite divos: 750
Nam deus iste, deus; Pyliæ nec fata senectæ
Maluerit, Phrygiis aut degere longius annis.
Finierat, cœloque cavam nox induit umbram.

LIBER SEXTUS.

Nuntia multivago Danaas perlabitur urbes
Fama gradu, sanci e novo sollennia busto
Inachidas, ludumque super, quo Martia bellis
Præsudare paret, seseque accendere virtus.
Graium ex more decus. Primus Pisæa per arva
Hunc pius Alcides Pelopi certavit honorem, 6
Pulvereumque fera crinem detersit oliva.
Proxima vipereo celebravit libera nexu
Phocis Apollineæ bellum puerile pharetræ.
Mox circum tristes servata Palæmonis aras 10
Nigra superstitio, quoties animosa resumit
Leucothoe gemitus, et amica ad littora festa
Tempestate venit: planctu conclamat uterque
Isthmos: Echioniæ responsant flebile Thebæ.
Et nunc eximii regum, quibus Argos alumnis 15
Connexum cœlo, quorumque ingentia tellus
Aonis et Tyriæ suspirant nomina matres,
Concurrunt, nudasque movent in prœlia vires.
Ceu primum ausuræ trans alta ignota biremes,
Seu Tyrrhenam hiemem, seu stagna Ægæa laces- sunt, 20
Tranquillo prius arma lacu clavumque, leves- que
Explorant remos, atque ipsa pericula discunt

At cum experta cohors, tum pontum irrumpere fretæ
Longius, ereptasque oculis non quærere terras.
Clara laboriferos cœlo Tithonia currus 25
Extulerat, vigilesque deæ pallentis habenas
Et nox, et cornu fugiebat Somnus inani.
Jam plangore viæ, gemitu jam regia mugit
Flebilis: acceptos longe nemora avia frangunt
Multiplicantque sonos. Sedet ipse exutus honoro
Vittarum nexu genitor, squalentiaque ora 31
Sparsus, et incultam ferali pulvere barbam.
Asperior contra, planctusque egressa viriles
Exemplo famulas premit, hortaturque volentes
Orba parens, lacerasque super procumbere nati
Relliquias ardet, totiesque avulsa refertur. 36
Arcet et ipse pater. Mox ut mærentia dignis
Vultibus Inachii penetrarunt limina reges,
Ceu nova tunc clades, et primo saucius infans
Vulnere, letalisve irrumperet atria serpens, 40
Sic alium ex alio, quanquam lassata, fragorem
Pectora congeminant, integratoque resultant
Accensæ clamore fores: sensere Pelasgi
Invidiam, et lacrymis excusant crimen obortis.
Ipse, datum quoties, intercisoque tumultu 45
Conticuit stupefacta domus, solatur Adrastus
Alloquiis genitorem ultro, nunc fata recensens,
Resque hominum duras, et inexorabile pensum;
Nunc aliam prolem, mansuraque numine dextro
Pignora: nondum orsis modus, et lamenta redibant. 50
Ille quoque affatus non mollius audit amicos,
Quam trucis Ionii rabies clamantia ponto [bos.
Vota virûm, aut tenues curant vaga fulmina nim-
Tristibus interea ramis teneraque cupresso
Damnatus flammæ torus, et puerile feretrum
Texitur. Ima virent agresti stramina cultu. 56
Proxima gramineis operosior area sertis,
Et picturatus morituris floribus agger.
Tertius adsurgens Arabum strue tollitur ordo
Eoas complexus opes, incanaque glebis 60
Thura, et ab antiquo durantia cinnama Belo.
Summa crepant auro, Tyrioque attollitur ostro
Molle supercilium: teretes hoc undique gemmæ
Irradiant: medio Linus intertextus acantho,
Letiferique canes: opus admirabile semper 65
Oderat, atque oculos flectebat ab omine mater.
Arma etiam, et veterum exuvias circumdat avorum
Gloria mixta malis, afflictæque ambitus aulæ,
Ceu grande exsequiis onus, atque immensa ferantur [tes
Membra toro: sed cassa tamen sterilisque dolen-
Fama juvat, parvique augescunt munere manes.
Inde ingens lacrymis honor, et miseranda voluptas,
Muneraque in cineres annis graviora feruntur.
Namque illi et pharetras, brevioraque tela dica-
Festinus voti pater, insontesque sagittas. [rat
Jam tunc et nota stabulis de gente probatos
In nomen pascebat equos, cinctusque sonantes,
Armaque majores exspectatura lacertos.
Spes avidæ! quas non in nomen credula vestes
Urgebat studio, cultusque insignia regni 80
Purpureos, sceptrumque minus? cuncta ignibus atris [ferri,
Damnat atrox, suaque ipse parens gestamina
Si damnis rabidum queat exsaturare dolorem.
Parte alia gnari monitis exercitus instat
Auguris, aeriam truncis nemorumque ruina 85
Montis onus cumulare pyram, quæ crimina cæsi
Anguis, et infausti cremet atra piacula belli.
His labor accisam Nemeen, umbrosaque Tempe
Præcipitare solo, lucosque ostendere Phœbo.
Sternitur extemplo veteres incædua ferro 90
Sylva comas, largæ qua non opulentior umbræ
Argolicos inter saltusque educta Lycæos
Extulerat super astra caput: stat sacra senectæ
Numine, nec solos hominum transgressa veterno
Fertur avos, Nymphas etiam mutasse superstes,
Faunorumque greges. Aderat miserabile luco
Excidium: fugere feræ, nidosque tepentes
Absiliunt (metus urget) aves. Cadit ardua fagus,
Chaoniumque nemus, brumæque illæsa cupressus: 99
Procumbunt piceæ, flammis alimenta supremis,
Ornique, iliceæque trabes, metuendaque succo
Taxus, et infandos belli potura cruores
Fraxinus, atque situ non expugnabile robur.
Hinc audax abies, et odoro vulnere pinus
Scinditur: acclinant intonsa cacumina terræ 105
Alnus amica fretis, nec inhospita vitibus ulmus.
Dat gemitum tellus: non sic eversa feruntur
Ismara, cum fracto Boreas caput extulit antro:
Non grassante Noto citius nocturna peregit
Flamma nemus. Linquunt flentes dilecta locorum
Otia cana Pales, Sylvanusque arbiter umbræ, 111
Semideûmque pecus: migrantibus adgemit illis
Sylva, nec amplexæ dimittunt robora Nymphæ.
Ut cum possessas avidis victoribus arces
Dux raptare dedit, vix signa audita, nec urbem
Invenias: ducunt, sternuntque, abiguntque, feruntque 116
Immodici: minor ille fragor, quo bella geruntur.
Jamque pari cumulo geminas, hanc tristibus umbris,
Ast illam superis, æquus labor auxerat aras;
Cum signum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia, cui teneros suetum producere manes 121
Lege Phrygum mæsta. Pelopem monstrasse ferebant
Exsequiale sacrum, carmenque minoribus umbris
Utile, quo geminis Niobe consumta pharetris
Squalida bissenas Sipylon deduxerat urnas. 125
Portant inferias, arsuraque fercula primi
Graiorum, titulisque pios testantur honores
Gentis quisque suæ. Longo post tempore surgit
Colla super juvenum (numero dux legerat omni)
Ipse fero clamore torus: cinxere Lycurgum 130
Lernæi proceres, genitricem mollior ambit
Turba, nec Hypsipyle raro subit agmine; vallant
Inachidæ memores: sustentant livida nati
Brachia, et inventæ concedunt plangere matri.
Illic infaustos ut primum egressa penates 135
Eurydice, nudo vocem de pectore rumpit,
Planctuque et longis præfata ululatibus infit:
Non hoc Argolidum cœtu circumdata matrum
Speravi te, nate, sequi, nec talia demens
Fingebam votis annorum elementa tuorum, 140
Nil sævum reputans: etenim his in finibus ævi
Unde ego bella tibi Thebasque ignara timerem?
Cui superûm nostro committere sanguine pugnas
Dulce? quis hoc armis vovit scelus? at tua nondum, [fans.
Cadme, domus, nullus Tyrio grege plangitur in-
Primitias egomet lacrymarum et cædis acerbæ
Ante tubas ferrumque tuli, dum deside cura
Credo sinus fidos altricis, et ubera mando. [tem,
Quidni ego? narrabat servatum fraude paren-
Insontesque manus En quam ferale putemus
Abjurasse sacrum, et Lemni gentilibus unam

Immunem furiis: hæc illa, et creditis ausæ?
Hæc pietate potens? solis abjecit in arvis
Non regem, dominumve; alienos impia partus:
Hoc tantum, sylvæque infamis tramite liquit, 155
Quem non anguis atrox (quid enim hac opus, hei mihi, leti
Mole fuit?) tantum cœli violentior aura,
Impulsæque Noto frondes, cassusque valeret
Exanimare timor. Nec vos incessere luctu [bat
Orba habeo: fixum matri, immotumque mane-
Hac altrice nefas: at quin et blandus ad illam,
Nate, magis, solam nosse, atque audire vocantem,
Ignarusque mei: nulla ex te gaudia matri.
Illa tuos questus, lacrymososque impia risus
Audiit, et vocis decerpsit murmura primæ. 165
Illa tibi genitrix semper, dum vita manebat;
Nunc ego. Sed miseræ mihi nec punire potestas
Sic meritam. Quid dona, duces, quid inania fertis
Justa rogis? illam (nil poscunt amplius umbræ)
Illam (oro) cineri simul, excisæque parenti 170
Reddite, quæso, duces; per ego hæc primordia belli,
Cui peperi: sic æqua gemant mihi funera matres
Ogygiæ. Sternit crines, iteratque precando,
Reddite: nec vero crudelem, avidamque vocate
Sanguinis; occumbam pariter, dum vulnere justo
Exsaturata oculos: unum impellamur in ignem.
Talia vociferans alia de parte gementem [servat)
Hypsipylen (neque enim illa comas nec pectora
Agnovit longe, et socium indignata dolorem,
Hoc saltem, o proceres, tuque o cui pignore nostro [mis
Partus honos, prohibete nefas: auferte supre-
Invisam exsequiis: quid se funesta parenti
Miscet, et in nostris spectatur et ipsa ruinis?
Cui luget complexa suos? Sic fata repente
Concidit, abruptisque obmutuit ore querelis. 185
Non secus ac primo fraudatum lacte juvencum,
Cui trepidæ vires, et solus ab ubere sanguis,
Seu fera, seu duras avexit pastor ad aras; [tu,
Nunc vallem spoliata parens, nunc flumina ques-
Nunc armenta movet, vacuosque interrogat agros:
Tunc piget ire domum, mæstoque novissima cam-
Exit, et oppositas impasta avertitur herbas. [po
At genitor sceptrique decus cultusque Tonantis
Injicit ipse rogis, tergoque et pectore fusam
Cæsariem ferro minuit, sectisque jacentis 195
Obnubit tenuia ora comis, ac talia fletu
Verba pio miscens: Alio tibi, perfide, pacto,
Jupiter, hunc crinem voti reus ante dicaram,
Si pariter virides nati libare dedisses [dos,
Ad tua templa genas: sed non ratus ore sacer-
Damnatæque preces: ferat hæc, quæ dignior umbra est.
Jam face subjecta primis in frondibus ignis
Exclamat: labor insanos arcere parentes.
Stant jussi Danai, atque obtentis eminus armis
Prospectu visus interclusere nefasto. 205
Ditantur flammæ: non unquam opulentior illic
Ante cinis; crepitant gemmæ, atque immane liquescit
Argentum, et pictis exsudat vestibus aurum;
Nec non Assyriis pinguescunt robora succis,
Pallentique croco strident ardentia mella, 210
Spumantesque mero pateræ verguntur, et atri
Sanguinis et rapti gratissima cymbia lactis.
Tunc septem numero turmas (centenus ubique
Urget eques) versis ducunt insignibus ipsi
Grajugenæ reges, lustrantque ex more sinistro
Orbe rogum, et stantes inclinant pulvere flammas.
Ter curvos urgere sinus, illisaque telis
Tela sonant: quater horrendum pepulere frago [tum.
rem
Arma, quater mollem famularum brachia planc-
Semianimes alter pecudes spirantiaque ignis 220
Accipit armenta · hic luctus abolere, novique
Funeris auspicium vates (quanquam omina sentit
Vera) jubet: dextri gyro et vibrantibus hastis
Hac redeunt, raptumque suis libamen ab armis
Quisque jacit, seu frena libet, seu cingula flammis [bram.
Mergere, seu jaculum, summæ seu cassidis um-
Multa gemunt contra raucis concentibus agri,
Et lituis aures circum pulsantur acutis.
Terretur clamore nemus; sic Martia vellunt
Signa tubæ: nondum ira calet, nec sanguine fer-
Irrubuit: primo bellorum comitur illo [rum
Vultus, honoris opus: stat adhuc incertus in alta
Nube, quibus sese Mavors indulgeat armis.
Finis erat, lapsusque putres jam Mulciber ibat
In cineres: instant flammis, multoque soporant
Imbre rogum, posito donec cum sole labores 236
Exhausti: seris vix cessit cura tenebris.
Roscida jam novies cœlo dimiserat astra
Lucifer, et totidem lunæ prævenerat ignes
Mutato nocturnus equo, nec conscia fallit 240
Sidera, et alterno deprenditur unus in ortu:
Mirum opus accelerasse manus, stat saxea moles,
Templum ingens, cineri, rerumque effectus in illo
Ordo docet casus: fessis hic flumina monstrat
Hypsipyle Danais, hic reptat flebilis infans, 245
Hic jacet: extremum tumuli circum asperat orbem
Squameus, exspectes morientis ab ore cruenta
Sibila, marmorea sic volvitur anguis in hasta.
Jamque avidum pugnas visendi vulgus inermes
Fama vocat. Cunctis arvis ac mœnibus adsunt
Exciti: illi etiam, quîs belli incognitus horror,
Quos effeta domi, quos prima reliquerat ætas,
Conveniunt. Non aut Ephyreo in littore tanta
Unquam, aut Œnomai fremuerunt agmina circo.
Collibus incurvis, viridique obsessa corona [cum
Vallis in amplexu nemorum sedet: hispida cir-
Stant juga, et objectus geminis umbonibus agger
Campum exire vetat, longo quem tramite planum
Gramineæ frondes, sinuataque cespite vivo
Mollia non subitis augent fastigia clivis. 260
Illic conferti, jam sole rubentibus arvis,
Bellatrix sedere cohors: ibi corpore mixto
Metiri numerum, vultusque, habitusque suorum
Dulce viris, tantique juvat fiducia belli.
Centum ibi nigrantes, armenti robora, tauros 265
Lenta mole trahunt: idem numerusque colorque
Matribus, et nondum lunatis fronte juvencis.
Exin magnanimûm series antiqua parentum
Invehitur, miris in vultum animata figuris.
Primus anhelantem duro Tirynthius angens 270
Pectoris attritu sua frangit in ossa leonem. [que
Haud illum impavidi, quamvis et in ære, suum-
Inachidæ videre decus. Pater ordine juncto
Lævus, arundineæ recubans super aggere ripæ,
Cernitur, emissæque indulgens Inachus urnæ.
Io post tergum, jam prona, dolorque parentis,
Spectat inocciduis stellatum visibus Argum. 277
Ast illam melior Phariis erexerat arvis
Jupiter, atque hospes jam tunc Aurora colebat.
Tantalus inde parens, non qui fallentibus undis
Imminet, aut refugæ sterilem rapit aera sylvæ,
Sed pius, et magni vehitur conviva Tonantis.
Parte alia victor curru Neptunia tendit

Lora Pelops, pressatque rotas auriga natantes
Myrtilus, et volucri jam jamque relinquitur axe :
Et gravis Acrisius, speciesque horrenda Corœbi,
Et Danae culpata sinus, et in amne reperto
Tris is Amymone : parvoque Alcmena superbit
Hercule, tergemina crinem circumdata luna.
Jungunt discordes inimica in fœdera dextras 290
Belidæ fratres : sed vultu mitior adstat
Ægyptus ; Danai manifestum agnoscere ficto
Ore nefas, pacisque malæ, noctisque futuræ.
Mille dehinc species : tandem satiata voluptas,
Præstantesque viros vocat ad sua præmia virtus.
Primus sudor equis. Dic, inclyte Phœbe, regentum 296
Nomina, dic ipsos: neque enim generosior unquam
Alipedum collata acies : ceu præpete cursu
Confligant densæ volucres, aut littore in uno
Æolus insanis statuat certamina ventis. 300
Ducitur ante omnes rutilæ manifestus Arion
Igne jubæ : Neptunus equo, si certa priorum
Fama, pater : primus teneris læsisse lupatis
Ora, et littoreo domitasse in pulvere fertur,
Verberibus parcens : etenim insatiatus eundi 305
Ardor, et hiberno par inconstantia ponto.
Sæpe per Ionium Libycumque natantibus ire
Interjunctus equis, omnesque adsuetus in oras
Cæruleum deferre patrem : stupuere relicta
Nubila : certantes Eurique Notique sequuntur.
Nec minor in terris bella Eurysthea gerentem
Amphitryoniaden alto per gramina sulco 312
Duxerat, illi etiam ferus, indocilisque teneri.
Mox divûm dono regis dignatus Adrasti
Imperia, et multum mediis mansueverat annis.
Tunc rector genero Polynici indulget agendum,
Multa monens, ubi fervor equo, qua suetus ab
Mulceri, ne sæva manus, ne liber habenis [arte
Impetus. Urge alios, inquit, stimulisque minisque ;
Ille ibit, minus ipse voles. Sic ignea lora 320
Cum daret, et rapido Sol natum imponeret axi,
Gaudentem lacrymans astra insidiosa docebat,
Nolentesque teri zonas, mediamque polorum
Temperiem ; pius ille quidem, et formidine cauta,
Sed juvenem duræ prohibebant discere Parcæ.
Œbalios sublimis agit spes proxima palmæ 326
Amphiaraus equos : tua furto lapsa propago,
Cyllare, dum Scythici diversus ad ostia ponti
Castor Amyclæas remo permutat habenas.
Ipse habitu niveus : nivei dant colla jugales :
Concolor est albis et cassis, et infula, cristis. 331
Quin et Thessalicis felix Admetus ab oris
Vix steriles compescit equas : Centaurica dicunt
Semina : credo, adeo sexum indignantur, et omnis
In vires adducta Venus : noctemque, diemque
Adsimulant, maculis internigrantibus albæ ; 336
Tantus uterque color : credi nec degener illo
De grege Castaliæ, stupuit qui sibila cannæ
Lætus, et audito contemsit Apolline pasci.
Ecce et Iasonidæ juvenes, nova gloria matris 340
Hypsipyles, subiere jugo, quo vectus uterque.
Nomen avo gentile Thoas, atque omine dictus
Euneos Argoo : geminis eadem omnia, vultus,
Currus, equi, vestes, par et concordia voti ;
Vincere, vel solo cupiunt a fratre relinqui. 345
It Chromis, Hippodamusque, alter satus Hercule magno,
Alter ab Œnomao : dubites, uter effera presset
Frena magis : Getici pecus hic Diomedis, at ille
Pisæi juga patris habet : crudelibus ambo
Exuviis, diroque imbuti sanguine currus 350
Metarum instar erat hinc nudo robore quercus,
Olim omnes exuta comas, hinc saxeus umbo,
Arbiter agricolis : finem jacet inter utrumque,
Quale quater jaculo spatium, ter arundine vincas.
Interea cantu Musarum nobile mulcens 355
Concilium, citharæque manus insertus Apollo
Parnassi summo spectabat ab æthere terras :
Orsa deûm (nam sæpe Jovem, Phlegramque, suique
Anguis opus, fratrumque pius cantarat honores)
Tunc aperit, quis fulmen agat, quis sidera ducat
Spiritus, unde animi fluviis, quæ pabula ventis
Quo fonte immensum vivat mare, quæ via soles
Præcipitet, noctem quæ porrigat, imane tellus,
An media, et rursus mundo succincta latenti.
Finis erat : differt avidas audire sorores ; 365
Dumque chelyn lauro, textumque illustre coronæ
Subligat, et picto discingit pectora limbo,
Haud procul Herculeam Nemeen clamore reduc-
Adspicit, atque illic ingens certaminis instar [tus
Quadrijugi : noscit cunctos, et forte propinquo
Constiterant Admetus et Amphiaraus in arvo.
Tunc secum, Quisnam iste duos, fidissima Phœbo
Nomina, commisit deus in discrimina reges ?
Ambo pii, carique ambo : nequeam ipse priorem
Dicere. Peliacis hic cum famularer in arvis 375
(Sic Jovis imperia et nigræ voluere sorores)
Thura dabat famulo, nec me sentire minorem
Ausus ; at hic tripodum comes, et pius artis alumnus
Æthereæ : potior meritis tamen ille, sed hujus
Extrema jam fila colo : datur ordo senectæ 380
Admeto, serumque mori ; tibi nulla supersunt
Gaudia : jam Thebæ juxta, et tenebrosa vorago.
Scis miser, et nostræ pridem cecinere volucres.
Dixit, et os fletu pæne inviolabile tinctus
Extemplo Nemeen radiante per æthera saltu 385
Ocior et patrio venit igne suisque sagittis.
Ipse olim in terris, cœlo vestigia durant,
Claraque per Zephyros etiamnum semita lucet.
Et jam sortitus Prothoos versarat aena [ordo.
Casside : jamque locus cuique est, et liminis
Terrarum decora ampla viri, decora ampla jugales,
Divûm utrumque genus, stant uno margine clausi : [lens.
Spesque, audaxque una metus, et fiducia pal-
Nil fixum cordi : pugnant exire, paventque :
Concurrit summos animosum frigus in artus. 395
Qui dominis, idem ardor equis : face lumina surgunt, [rum
Ora sonant morsu, spumisque et sanguine fer-
Uritur, impulsi nequeunt obsistere postes
Claustraque, compressæ transfumat anhelitus iræ,
Stare adeo miserum est : pereunt vestigia mille
Ante fugam, absentemque ferit gravis ungula campum. 401
Circumstant fidi, nexusque et torta jubarum
Expediunt, firmantque animos, et plurima monstrant.
Insonuit contra Tyrrhenum murmur, et omnes
Exsiluere loco. Quæ tantum carbasa ponto, 405
Quæ bello sic tela volant, quæ nubila cœlo ?
Amnibus hibernis minor est, minor impetus igni. [bres :
Tardius astra cadunt : glomerantur tardius im-
Tardius e summo decurrunt flumina monte.
Emissos videre, atque agnovere Pelasgi ; 410
Et jam rapti oculis, jam cæco pulvere mixti
Una in nube latent, vultusque umbrante tumultu
Vix inter sese clamore et nomine noscunt.

Evolvere globum, et spatio quo quisque valebat
Diducti : delet sulcos iterata priores 415
Orbita : nunc avidi prono juga pectore tangunt,
Nunc pugnante genu pressis duplicantur habenis.
Colla toris crinita tument, stantesque repectit
Aura jubas : bibit albentes humus arida nimbos.
Fit sonus immanisque pedum, tenuisque rotarum.
Nulla manus requies, densis insibilat aer
Verberibus : gelida non crebrior exsilit Arcto
Grando, nec Oleniis manant tot cornibus imbres.
Senserat adductis alium præsagus Arion 424
Stare ducem loris, dirumque expaverat insons
Œdipodioniden : jam illinc a limine discors,
Iratusque oneri insolito truculentior ardet.
Inachidæ credunt accensum laudibus: ille
Aurigam fugit ; aurigæ furiale minatur
Efferus, et campo dominum circumspicit omni.
Ante tamen cunctos sequitur, longeque secundus
Amphiaraus agit : quem Thessalus æquat eundo
Admetus : juxta gemini, nunc Euneos ante,
Et nunc ante Thoas ; cedunt, vincuntque, nec un-
Ambitiosa pios collidit gloria fratres.
Postremum discrimen erant Chromis asper, et asper
Hippodamus ; non arte rudes, sed mole tenentur
Cornipedum : prior Hippodamus fert ora sequentum,
Fert gemitus, multaque humeros incenditur aura,
Speravit flexæ circum compendia metæ 440
Interius ductis Phœbeius augur habenis
Anticipasse viam : nec non et Thessalus heros
Spe propiore calet, dum non cohibente magistro
Spargitur in gyros, dexterque exerrat Arion.
Jam prior Œclides, et jam non tertius ibat 445
Admetus, laxo cum tandem ex orbe reductus
Æquoreus sonipes premit, evaditque parumper
Gavisos : subit astra fragor, cœlumque tremis-
Omniaque excusso patuere sedilia vulgo.
Sed nec lora regit, nec verbera pallidus addit 450
Labdacides : lassa veluti ratione magister
In fluctus, in saxa ruit, nec jam amplius astra
Respicit, et victam projecit casibus artem.
Rursus præcipites in recta ac devia campi
Obliquant, tenduntque vias, iterum axibus axes
Inflicti, radiisque rotæ : pax nulla, fidesque. 456
Bella geri ferro levius : bella horrida credas ;
Is furor in laude est : trepidant, mortemque minantur,
Multaque transversis præstringitur ungula campis.
Nec jam sufficiunt stimuli, non verbera : voce
Nominibusque cient Pholoen Admetus, et Irin
Funalemque Thoen, rapidum Danaeius augur
Ascheton increpitans, meritumque vocabula Cycnum.
Audit et Herculeum Strymon Chromin : Euneon
Igneus Æchion : tardum Calydona lacessit 465
Hippodamus, variumque Thoas rogat ire Podarcem.
Solus Echionides errante silentia curru
Mæsta tenet, trepidaque timet se voce fateri.
Vixdum cœptus equis labor, et jam pulvere quarto
Campum ineunt, jamque et tepidis sudoribus ar-
Effeti, et crassum rapit ejectatque vaporem
Cornipedum flammata sitis : nec jam integer illis
Impetus, et longi suspendunt ilia flatus. 473
Hic anceps fortuna diu decernere primum
Ausa venit : ruit, Hæmonium dum fervidus in-
Admetum superare, Thoas : nec prætulit ullam
Frater opem : velit ille quidem, sed Martius ante
Obstitit Hippodamus, mediasque immisit habenas.
Mox Chromis Hippodamum metæ interioris ad orbem
Viribus Herculeis et toto robore patris
Axe tenet prenso : luctantur abire jugales
Nequicquam, frenosque et colla rigentia tendunt.
Ut Siculas si quando rates tenet æstus, et ingens
Auster agit, medio stant vela tumentia ponto.
Tunc ipsum fracto curru deturbat, et isset 485
Ante Chromis ; sed Thraces equi ut videre jacentem
Hippodamum, redit illa fames, jam jamque trementem
Partiti furiis ; ni frena, ipsosque frementes,
Oblitus palmæ, retro Tirynthius heros
Torsisset, victusque et collaudatus abisset. 490
At tibi promissos jamdudum Phœbus honores,
Amphiarae, cupit. Tandem ratus apta favori
Tempora, pulverei venit in spatia horrida circi.
Cum jam in fine viæ, et summum victoria nutat,
Anguicomam monstri effigiem, sævissima visu
Ora, movet : sive ille Erebo, seu finxit in actu 496
Temporis, innumera certe formidine cultum
Tollit in astra nefas : non illud janitor atræ
Impavidus Lethes, non ipsæ horrore sine alto
Eumenides vidisse queant : turbasset euntes
Solis equos, Martisque jugum : nam flavus Arion
Ut vidit, saliere jubæ, atque erectus in armos
Stat, sociumque jugi, comitesque utrinque laboris.
Secum alte suspendit equos : ruit ilicet exsul
Aonius, nexusque diu per terga volutus 505
Exuit : abripitur longe moderamine liber
Currus : at hunc putri præter tellure jacentem
Tænarii currus, et Thessalus axis, et heros
Lemnius, obliqua quantum vitare dabatur
Transabiere fuga. Tandem caligine mersum 510
Erigit accursu comitum caput, ægraque tollit
Membra solo, et socero redit haud speratus Adrasto.
Qui mortis, Thebane, locus! nisi dura negasset
Tisiphone, quantum poteras dimittere bellum!
Te Thebæ, fraterque palam, te plangeret Argos,
Te Nemee : tibi Lerna comas, Larissaque supplex
Poneret ; Archemori major colerere sepulcro.
Tunc vero Œclides, quanquam jam certa sequenti
Præmia, cum vacuus domino præiret Arion,
Ardet adhuc, cupiens vel inanem vincere currum.
Dat vires, refovetque deus : volat ocior Euro,
Ceu modo carceribus dimissus in arva solutis,
Verberibusque jubas, et terga lacessit habenis.
Ascheton increpitansque levem, Cycnumque nivalem,
Nunc saltem, dum nemo prior : rapit igneus orbes
Axis, et effossæ longe sparguntur arenæ. 526
Dat gemitum tellus, et jam tunc sæva minatur.
Forsitan et victo prior isset Arione Cycnus,
Sed vetat æquoreus vinci pater : hinc vice justa
Gloria mansit equo, cessit victoria vati. 530
Huic pretium palmæ gemini cratera ferebant
Herculeum juvenes : illum Tirynthius olim
Ferre manu sola, spumantemque ore supino
Vertere, seu monstri victor, seu Marte, solebat.
Centauros habet arte truces, aurumque figuris
Terribile : hic mixta Lapitharum cæde rotantur
Saxa, faces, aliique iterum crateres ; ubique
Ingentes morientum iræ : tenet ipse furentem
Hylæum, et torta molitur robora barba.
At tibi Mæonio fertur circumflua limbo 540
Pro meritis, Admete, chlamys, repetitaque multo
Murice : Phryxei natat hic contemtor ephebus
Æquoris, et picta translucet cærulus unda.
In latus ire manus, mutaturusque videtur
Brachia, nec siccum speres in stamine crinem.
Contra autem frustra sedet anxia turre suprema

Sestias in speculis : moritur prope conscius ignis.
Has Adrastus opes dono victoribus ire
Imperat : at generum famula solatur Achæa.
Sollicitat tunc ampla viros ad præmia cursu 550
Præceleres : agile studium, et tenuissima virtus,
Pacis opus, cum sacra vocant ; nec inutile bellis
Subsidium, si dextra neget. Prior omnibus Idas,
Nuper Olympiacis umbratus tempora ramis,
Prosilit : excipiunt plausu Pisæa juventus 555
Eleæque manus : sequitur Sicyonius Alcon,
Et bis in Isthmiaca victor clamatus arena
Phædimus, alipedumque fugam prægressus equorum
Ante Dymas, sed tunc ævo tardante secutus
Multi et, quos varii tacet ignorantia vulgi, 560
Hinc atque hinc subiere : sed Arcada Parthenopæum
Appellant, densique cient vaga murmura circi.
Nota parens cursu : quis Mænaliæ Atalantes
Nesciat egregium decus, et vestigia cunctis
Indeprensa procis ? onerat celeberrima natum 565
Mater : et ipse procul fama jam notus inermes
Narratur cervas pedes inter aperta Lycæi
Tollere, et emissum cursu deprendere telum.
Tandem exspectatus volucri super agmina saltu
Emicat, et torto chlamydem diffibulat auro. 570
Effulsere artus, membrorumque omnis aperta est
Lætitia, insignesque humeri, nec pectora nudis
Deteriora genis, latuitque in corpore vultus.
Ipse tamen formæ laudem adspernatur, et arcet
Mirantes. Tunc Palladios non inscius haustus 575
Incubuit, pinguique cutem fuscatur olivo.
Hoc Idas, hoc more Dymas, aliique nitescunt.
Sic ubi tranquillo perlucent sidera ponto,
Vibraturque fretis cœli stellantis imago,
Omnia clara nitent : sed clarior omnia supra 580
Hesperos exercet radios, quantusque per altum
Æthera, cæruleis tantus monstratur in undis.
Proximus et forma, nec multum segnior Idas
Cursibus, atque ævo juxta prior : attamen illi
Jam tenuem pingues florem induxere palæstræ,
Deserpitque genis, nec se lanugo fatetur 586
Intonsæ sub nube comæ. Tunc rite citatos
Explorant acuuntque gradus, variasque per artes
Instimulant docto languentia membra tumultu.
Poplite nunc flexo sidunt, nunc lubrica forti 590
Pectora collidunt plausu : nunc ignea tollunt
Crura, brevemque fugam necopino fine reponunt.
Jam ruit, atque æquum submisit regula limen ;
Corripuere leves spatium, campoque refulsit
Nuda cohors : volucres isdem modo tardius arvis
Isse videntur equi : credas e plebe Cydonum 596
Parthorumque fuga totidem exsiluisse sagittas.
Non aliter celeres Hyrcana per avia cervi
Cum procul impasti fremitum accepere leonis,
Sive putant, rapit attonitos fuga cæca, metusque
Congregat, et longum dant cornua mixta fragorem.
Effugit hic oculos rapida puer ocior aura
Mænalius : quem deinde gradu premit horridus Idas,
Inspiratque humero, flatuque et pectoris umbra
Terga premit : post ambiguo discrimine tendunt
Phædimus atque Dymas ; illis celer imminet Alcon. 606
Flavus ab intonso pendebat vertice crinis
Arcados : hoc primis Triviæ pascebat ab annis
Munus, et Ogygio victor cum Marte redisset,
Nequicquam patriis audax promiserat aris. 610
Tunc liber nexu, lateque in terga solutus
Occursu Zephyri retro fugit, et simul ipsum
Impedit, infestoque volans obtenditur Idæ.
Inde dolum juvenis, fraudique accommoda sensit
Tempora : jam finem juxta, dum limina victor
Parthenopæus init, correpto crine reductum 616
Occupat, et longæ primus ferit ostia portæ.
Arcades arma fremunt, armis defendere regem,
Ni raptum decus et meriti reddantur honores,
Contendunt, totoque parant decedere circo. 620
Sunt et quîs Idæ placeat dolus : ipse regesta
Parthenopæus humo vultumque oculosque madentes
Obruit : accessit lacrymarum gratia formæ.
Pectora nunc mærens, nunc ora indigna cruento
Ungue secat, meritamque comam : furit undique clamor 625
Dissonus, ambiguumque senis cunctatur Adrasti
Consilium : tandem ipse refert : Compescite litem,
O pueri : virtus iterum tentanda ; sed ite
Limite non uno : latus hoc conceditur Idæ,
Tu diversa tene : fraus cursibus omnis abesto. 630
Audierant, dictoque manent : mox numina sup[plex
Affatu tacito juvenis Tegeæus adorat :
Diva potens nemorum, (tibi enim hic, tibi crinis honori
Debitus, eque tuo venit hæc injuria voto,)
Si bene quid genitrix, si quid venatibus ipse 635
Promerui, ne, quæso, sinas hoc omine Thebas
Ire, nec Arcadiæ tantum meruisse pudorem.
Auditum manifesta fides : vix campus euntem
Sentit, et exilis plantis intervenit aer,
Raraque non fracto vestigia pulvere pendent. 640
Irrupit clamore fores, clamore recurrit
Ante ducem, prensaque levat suspiria palma.
Finiti cursus, operumque insignia præsto.
Arcas equum dono, clypeum gerit improbus Idas,
Cætera plebs Lyciis gaudet contenta pharetris.
Tunc vocat, emisso si quis decernere disco 646
Impiger, et vires velit ostentare superbas.
It jussus Pterelas, et aenæ lubrica massæ
Pondera vix toto curvatus corpore juxta
Dejicit : inspectant taciti, expenduntque laborem
Inachidæ. Mox turba ruunt : duo gentis Achææ,
Tres Ephyreiadæ, Pisa satus unus, Acarnan
Septimus : et plures agitabat gloria, ni se
Arduus Hippomedon cavea stimulante tulisset
In medios, lateque ferens sub pectore dextro 655
Orbem alium : Hunc potius, juvenes, qui mœnia saxis
Frangere, qui Tyrias dejectum vaditis arces,
Hunc rapite : ast illud cui non jaculabile dextræ
Pondus ? et abreptum nullo conamine jecit
In latus. Absistunt procul, attonitique fatentur 660
Cedere : vix unus Phlegyas, acerque Menestheus
(Hos etiam pudor et magni tenuere parentes)
Promisere manum : concessit cætera pubes
Sponte, et adorato rediit ingloria disco.
Qualis Bistoniis clypeus Mavortis in arvis 665
Luce mala Pangæa ferit, solemque refulgens
Territat, incussaque dei grave mugit ab hasta.
Pisæus Phlegyas opus inchoat, et simul omnes
Abstulit in se oculos exhausto corpore virtus
Promissa : ac primum terra discumque manumque 670
Asperat ; excusso mox circum pulvere versat
Quod latus in digitos, mediæ quod certius ulnæ
Conveniat, non artis egens : hic semper amori
Ludus erat, patriæ non tantum ubi laudis obiret
Sacra, sed alternis Alpheon utrinque solebat 675
Metiri ripis, et, qua latissima distant,
Non unquam merso transmittere flumina disco

Ergo operum fidens, non protinus horrida campi
Jugera, sed cœlum dextra metitur, humique
Pressus utroque genu, collecto sanguine discum
Ipse super sese rotat, atque in nubila condit. 681
Ille citus sublime petit, similisque cadenti
Crescit in adversum, tandemque exhaustus ab alto
Tardior in terram redit, atque immergitur arvis.
Sic cadit, attonitis quoties avellitur astris, 685
Solis opaca soror: procul auxiliantia gentes
Æra crepant, frustraque timent: at Thessala
Ridet anhelantes audito carmine bigas. [victrix
Collaudant Danai: sed non tibi molle tuenti,
Hippomedon, majorque manus speratur in æquo.
Atque illi extemplo, cui spes infringere dulce 691
Immodicas, Fortuna venit: quid numina contra
Tendere fas homini? Spatium jam immane parabat, [bat:
Jam cervix conversa, et jam latus omne redi-
Excidit ante pedes elapsum pondus, et ictus 695
Destituit, frustraque manum dimisit inanem.
Ingemuere omnes, rarisque ea visa voluptas.
Inde ad conatus timida subit arte Menestheus
Cautior, et multum te, Maia nate, rogato
Molis prægravidæ castigat pulvere lapsus. 700
Illa manu magna, et multum felicior exit,
Nec partem exiguam circi transvecta quievit.
Fit sonus, et fixa signatur terra sagitta.
Tertius Hippomedon valida ad certamina tardos
Molitur gressus: namque illum corde sub alto
Et casus Phlegyæ monet, et fortuna Menesthei.
Erigit adsuetum dextræ gestamen, et alte
Sustentans, rigidumque latus fortesque lacertos
Consulit, ac vasto contorquet turbine, et ipse
Prosequitur: fugit horrendo per inania saltu, 710
Jamque procul meminit dextræ, servatque tenorem
Discus: nec dubia junctave Menesthea victum
Transabiit meta: longe super æmula signa
Consedit, viridesque humeros et opaca theatri
Culmina ceu latæ tremefecit mole ruinæ. 715
Quale vaporifera saxum Polyphemus ab Ætna
Lucis egente manu, tamen in vestigia puppis
Auditæ, juxtaque inimicum exegit Ulixem.
Sic et Aloidæ, cum jam celaret Olympum
Desuper Ossa rigens, ipsum glaciale ferebant 720
Pelion, et trepido sperabant jungere cœlo.
Tunc genitus Talao victori tigrin inanem
Ire jubet, fulvo quæ circumfusa nitebat
Margine, et extremos auro mansueverat ungues.
Gnossiacos arcus habet, et vaga tela Menestheus.
At tibi, ait, Phlegya, casu frustrate sinistro, 726
Hunc, quondam nostri decus auxiliumque Pelasgi,
Ferre damus (neque enim Hippomedon inviderit) ensem.
Nunc opus est animis infestos tollere cæstus
Cominus: hæc bellis et ferro proxima virtus. 730
Constitit immanis cerni, immanisque teneri
Argolicus Capaneus: ac dum nigrantia plumbo
Tegmina cruda boum, non mollior ipse, lacertis
Induitur, Date tot juvenum de millibus unum
Huc, ait; atque utinam potius de stirpe veniret
Æmulus Aonia, quem fas dimittere leto: 736
Nec mea civili crudescat sanguine virtus.
Obstupuere animi, fecitque silentia terror.
Tandem insperatus nuda de plebe Laconum
Prosilit Alcidamas: mirantur Dorica regum 740
Agmina; sed socii fretum Polluce magistro
Norant, et sacras inter crevisse palæstras.
Ipse deus posuitque manus, et brachia finxit
Materiam, (suadebat amor:) tunc sæpe locavit
Cominus, et simili stantem miratus in ira 745
Sustulit exsultans, nudumque ad pectora pressit
Illum indignatur Capaneus, ridetque vocantem,
Ut miserans, poscitque alium: tandemque coactus
Restitit, et stimulis jam languida colla tumescunt.
Fulmineas alte suspensi corpora plantis 750
Erexere manus: tuto procul ora recessu
Armorum in speculis, aditusque ad vulnera clausi.
Hic, quantus Stygiis Tityos consurgat ab arvis,
Si torvæ patiantur aves, tanta undique pandit
Membrorum spatia, et tantis ferus ossibus exsiat
Hic paulo ante puer, sed enim maturius ævo 756
Robur, et ingentes spondet tener impetus annos,
Quem vinci haud quisquam, sævo nec sanguine
Malit, et erecto timeat spectacula voto. [tingi
Ut sese permensi oculis, et uterque priorem 760
Speravere locum, non protinus ira, nec ictus;
Alternus paulum timor, et permixta furori
Consilia: inclinant tantum contraria jactu
Brachia, et explorant cæstus, hebetantque terendo.
Doctior hic differt animum, metuensque futuri
Cunctatus vires dispensat: at ille nocendi 766
Prodigus, incautusque sui, ruit omnis, et ambas
Consumit sine lege manus, atque irrita frendet
Insurgens, seque ipse premit: sed providus astu
Et patria vigil arte Lacon, hos rejicit ictus, 770
Hos cavet: interdum nutu, capitisque citati
Integer obsequio, manibus nunc obvia tela
Discutiens, instat gressu, vultuque recedit:
Sæpe etiam injustis collatum viribus hostem
(Is vigor ingenio, tanta experientia dextræ est)
Ultro audax animis intratque et obumbrat, et alte
Adsilit; ut præceps cumulo salit unda minantes
In scopulos, et fracta redit, sic ille furentem
Circuit expugnans: levat ecce, diuque minatur
In latus, inque oculos: illum rigida arma caventem 780
Avocat, et manibus necopinum interserit ictum
Callidus, ac mediam designat vulnere frontem.
Jam cruor, et tepido signantur tempora rivo.
Nescit adhuc Capaneus, subitumque per agmina murmur
Miratur: verum ut fessam super ora reduxit 785
Forte manum, et summo maculas in vellere vidit,
Non leo, non jaculo tantum indignata recepto
Tigris: agit toto cedentem fervidus arvo, [nat,
Præcipitatque retro juvenem, atque in terga supi-
Dentibus horrendum stridens, geminatque rotatas
Multiplicatque manus: rapiunt conamina venti,
Pars cadit in cæstus: motu Spartanus acuto
Mille cavet lapsas circum cava tempora mortes,
Auxilioque pedum; sed, non tamen immemor artis,
Adversus fugit, et fugiens tamen ictibus obstat.
Et jam utrumque labor, suspiriaque ægra fatigant. 796
Tardius ille premit: nec jam hic absistere velox
Defectique ambo genibus, pariterque quierunt.
Sic ubi longa vagos lassarunt æquora nautas,
Et signo de puppe dato posuere parumper 800
Brachia; vix requies, jam vox ciet altera remos.
Ecce iterum immodice venientem eludit, et exit
Sponte ruens, mersusque humeris: effunditur ille
In caput: adsurgentem alio puer improbus ictu
Perculit, eventuque impalluit ipse secundo. 805
Clamorem Inachidæ, quantum non littora, tollunt,
Non nemora: illum ab humo conantem ut vidit Adrastus,
Tollentemque manus, et non toleranda parantem.
Ite, oro, socii, furit; ite, opponite dextras.

Festinate, furit, palmamque et præmia ferte : 810
Non prius, effracto quam misceat ora cerebro,
Absistet, video : moriturum auferte Lacona.
Nec mora, prorumpit Tydeus, nec jussa recusat
Hippomedon : tunc vix ambo conatibus ambas
Restringunt cohibentque manus, ac plurima suadent. 815
Vincis, abi : pulchrum est vitam donare minori.
Noster et hic, bellique comes. Nil frangitur heros,
Ramumque oblatumque manu thoraca repellit
Vociferans : Liceat! non has ego pulvere crasso
Atque cruore genas, meruit quibus iste favorem
Semivir, infodiam ? mittamque informe sepulcro
Corpus, et Œbalio donem lugere magistro ?
Dixit : at hunc socii tumidum, et vicisse negantem
Avertunt : contra laudant insignis alumnum
Taygeti, longeque minas risere Lacones. 825
Jamdudum variæ laudes, et conscia virtus
Tydea magnanimum stimulis ingentibus angunt.
Ille quidem et disco bonus, et contendere cursu,
Nec cæstu bellare minor : sed corde labores
Ante alios erat uncta pale : sic otia Martis 830
Degere, et armiferas laxare adsueverat iras
Ingentes contra ille viros, Acheloia circum
Littora, felicesque deo monstrante palæstras.
Ergo ubi luctandi juvenes animosa citavit
Gloria, terrificos humeris Ætolus amictus 83
Exuitur, patriumque suem : levat ardua contra
Membra Cleonææ stirpis jactator Agylleus,
Herculea nec mole minor ; sic grandibus alte
Insurgens humeris, hominem super improbus exit.
Sed non ille rigor, patriumque in corpore robur :
Luxuriant artus, effusaque sanguine laxo 841
Membra natant : inde hæc audax fiducia tantum
Œnidæ superare parem : quanquam ipse videri
Exiguus, gravia ossa tamen, nodisque lacerti
Difficiles : nunquam hunc animum Natura minori
Corpore, nec tantas ausa est includere vires. 846
Postquam oleo gavisa cutis, petit æquor uterque
Procursu medium, atque hausta vestitur arena.
Tum madidos artus alterno pulvere siccant,
Collaque demersere humeris, et brachia late 850
Vara tenent. Jam tunc astu deducit in æquum
Callidus, et celsum procurvat Agyllea Tydeus
Submissus tergo, et genibus vicinus arenæ.
Ille autem, Alpini veluti regina cupressus
Verticis urgentes cervicem inclinat in Austros,
Vix sese radice tenens, terræque propinquat, 856
Jamdudum ætherias eadem reditura sub auras :
Non secus ingentes artus præcelsus Agylleus
Sponte premit, parvumque gemens duplicatur in hostem : [latusque,
Et jam alterna manus frontemque, humerosque,
Collaque, pectoraque, et vitantia crura lacessit.
Interdumque diu pendent per mutua fulti
Brachia, nunc sævi digitorum vincula frangunt.
Non sic ductores gemini gregis horrida tauri 864
Bella movent : medio conjux stat candida prato
Victorem exspectans : rumpunt obnixa furentes
Pectora : subdit amor stimulos, et vulnera sanat.
Fulminei sic dente sues, sic hispida turpes
Prœlia villosis ineunt complexibus ursi.
Vis eadem Œnidæ, nec sole aut pulvere fessa
Membra labant : riget arcta cutis, durisque laborum 871
Castigata toris : contra non integer ille
Flatibus alternis ægroque effetus hiatu
Exuit ingestas fluvio sudoris arenas,
Ac furtim rapta sustentat pectora terra. 875
Instat agens Tydeus, fictumque in colla minatus
Crura subit : cœptis non evaluere potiri
Frustratæ brevitate manus : venit arduus ille
Desuper, oppressumque ingentis mole ruinæ
Condidit : haud aliter collis scrutator Iberi 880
Cum subiit, longeque diem vitamque reliquit,
Si tremuit suspensus ager, subitumque fragorem
Rupta dedit tellus, latet intus monte soluto
Obrutus, ac penitus fractum obductumque cadaver 884
Indignantem animam propriis non reddidit astris.
Acrior hoc Tydeus, animisque et pectore supra est.
Nec mora, cum vinclis onerique elapsus iniquo
Circuit errantem, et tergo necopinus inhæret :
Mox latus, et firmo celer implicat ilia nexu ;
Poplitibus genua inde premens, evadere nodos 890
Nequicquam et lateri dextram insertare parantem
Improbus, horrendum visu ac mirabile pondus,
Sustulit. Herculeis pressum sic fama lacertis
Terrigenam sudasse Libyn, cum fraude reperta
Raptus in excelsum, nec jam spes ulla cadendi,
Nec licet extrema matrem contingere planta. 896
Fit sonus, et lætos attollunt agmina plausus.
Tunc alte librans inopinum sponte remisit,
Obliquumque dedit, procumbentemque secutus
Colla simul dextra, pedibus simul inguina vinxit.
Deficit obsessus, soloque pudore repugnat. 901
Tandem pectus humi, pronamque extensus in alvum
Sternitur, ac longo mæstus post tempore surgit,
Turpia signata linquens vestigia terra.
Palmam autem dextra, lævaque nitentia dono 905
Arma ferens Tydeus, Quid si non sanguinis hujus
Partem haud exiguam (scitis) Dircæus haberet
Campus ? ubi hæ nuper Thebarum fœdera plagæ ?
Hæc simul ostentans, quæsitaque præmia laudum
Dat sociis : sequitur neglectus Agyllea thorax.
Sunt et qui nudo subeant concurrere ferro. 911
Jamque aderant instructi armis Epidaurius Agreus,
Et nondum fatis Dircæus agentibus exsul.
Dux vetat Iasides : Manet ingens copia leti,
O juvenes : servate animos, avidumque furorem
Sanguinis adversi : tuque o, quem propter avita
Jugera, dilectas cui desolavimus urbes,
Ne, precor, ante aciem, jus tantum casibus esse,
Fraternisque sinas (abigant hoc numina) votis.
Sic ait, atque ambos aurata casside ditat. 920
Tunc genero, ne laudis egens, jubet ardua necti
Tempora, Thebarumque ingenti voce citari
Victorem : diræ renuebant omina Parcæ.
Ipsum etiam proprio certamina festa labore
Dignari, et tumulo supremum hunc addere honorem, 925
Hortantur proceres : ac, ne victoria desit
Una ducum numero, fundat vel Lyctia cornu
Tela rogant, tenui vel nubila transeat hasta.
Obsequitur gaudens, viridique ex aggere in æquum
Stipatus summis juvenum descendit : at illi 930
Pone leves portat pharetras et cornua jussus
Armiger : ingentem jactu transmittere circum
Eminus, et dictæ dare vulnera destinat orno.
Quis fluere occultis rerum neget omina causis ?
Fata patent homini ; piget inservare, peritque 935
Venturi promissa fides : sic omina casum
Fecimus, et vires auxit Fortuna nocendi.
Campum emensa brevi fatalis ab arbore tacta,
(Horrendum visu,) per quas modo fugerat auras,
Venit arundo retro, versumque a fine tenorem
Pertulit, et notæ juxta ruit ora pharetræ. 941
Multa duces errore serunt : hi nubila, et altos

Occurrisse Notos; adverso roboris ictu
Tela repulsa alii: penitus latet exitus ingens,
Monstratumque nefas: uni remeabile bellum, 945
Et tristes domino spondebat arundo recursus.

LIBER SEPTIMUS.

Atque ea cunctantes Tyrii primordia belli
Jupiter haud æquo respexit corde Pelasgos,
Concussitque caput, motu quo celsa laborant
Sidera, proclamatque adici cervicibus Atlas.
Tunc ita velocem Tegees affatur alumnum:
I, medium rapido Borean illabere saltu
Bistonias super usque domus, axemque nivosi
Sideris, Oceano vetitum qua Parrhasis ignem
Nubibus hibernis et nostro pascitur imbri.
Atque ibi seu posita respirat cuspide Mavors, 10
(Quanquam invisa quies,) seu, quod reor, arma tubasque
Insatiatus habet, caræque in sanguine gentis
Luxuriat; propere monitus iramque parentis
Ede, nihil parcens: nempe olim accendere jussus
Inachias acies, atque omne quod Isthmius umbo
Distinet, et raucæ circumtonat ira Maleæ. 16
Illi vix muros limenque egressa juventus
Sacra colunt: credas bello rediisse, tot instant
Plausibus, offensique sedent ad justa sepulcri.
Hicne tuus, Gradive, furor? sonat orbe recusso
Discus, et Œbalii coeunt in prælia cœstus. 21
At si ipsi rabies, ferri si tanta cupido
Qua tumet; immeritas cineri dabit impius urbes,
Ferrum ignemque ferens, implorantesque Tonantem [bem.
Sternet humi populos, miserumque exhauriet or-
Nunc lenis belli, nostraque remittitur ira. 26
Quod nisi præcipitat pugnas, dictoque jubentis
Ocius impingit Tyriis Danaa agmina muris,
(Nil equidem crudele minor,) sit mite bonumque
Numen, et effreni laxentur in otia mores. 30
Reddat equos ensemque mihi, nec sanguinis ultra
Jus erit: adspiciam terras, pacemque jubebo
Omnibus; Ogygio sat erit Tritonia bello.
Dixerat, et Thracum Cyllenius arva subibat:
Atque illum Arctoæ labentem cardine portæ 35
Tempestas æterna plagæ, prætentaque cœlo
Agmina nimborum, primique Aquilonis hiatus
In diversa ferunt: crepat aurea grandine multa
Palla, nec Arcadii bene protegit umbra galeri.
Hic steriles delubra notat Mavortia sylvas, 40
Horrescitque tuens: ubi mille furoribus illi
Cingitur adverso domus immansueta sub Hæmo.
Ferrea compago laterum, ferro arcta teruntur
Limina, ferratis incumbunt tecta columnis.
Læditur adversum Phœbi jubar, ipsaque sedem
Lux timet, et dirus contristat sidera fulgor. 46
Digna loco statio: primis salit Impetus amens
E foribus, cæcumque Nefas, Iræque rubentes,
Exsanguesque Metus, occultisque ensibus adstant
Insidiæ, geminumque tenens Discordia ferrum. 50
Innumeris strepit aula minis: tristissima Virtus
Stat medio, lætusque Furor, vultuque cruento
Mors armata sedet. Bellorum solus in aris
Sanguis, et incensis qui raptus ab urbibus ignis.
Terrarum exuviæ circum, et fastigia templi 55
Captæ insignibant gentes, cælataque ferro
Fragmina portarum, bellatricesque carinæ,
Et vacui currus, protritaque curribus ora:
Pæne etiam gemitus: adeo vis omnis, et omne
Vulnus: ubique ipsum, sed non usquam ore remisso 60
Cernere erat: talem divina Mulciber arte
Ediderat: nondum radiis monstratus adulter
Fœda catenato luerat connubia lecto.
Quærere templorum regem vix cœperat ales
Mænalius, tremit ecce solum, et mugire refractis
Corniger Hebrus aquis: tunc quod pecus utile bellis 66
Vallem infestabat, trepidas spumare per herbas,
Signa adventantis, clausæque adamante perenni
Dissiluere fores: Hyrcano in sanguine pulcher
Ipse subit curru, diraque adspergine latos 70
Mutat agros: spolia a tergo, flentesque catervæ.
Dant sylvæ, nixque alta locum: regit atra jugales
Sanguinea Bellona manu, longaque fatigat
Cuspide: diriguit visu Cyllenia proles,
Submisitque genas: ipsi reverentia patri, 75
Si prope sit, dematque minas, nec talia mandet.
Quod Jovis imperium? magno quid ab æthere portas? [sub axem
Occupat armipotens: neque enim hunc, germane,
Sponte venis, hiemesque meas, cui roscida juxta
Mænala, et æstivi clementior aura Lycæi. 80
Ille refert consulta patris: nec longa moratus,
Sicut anhelabant juncto sudore volantes
Mars impellit equos, residesque in prœlia Graios,
Ipse etiam indignans. Vidit pater altus, et ira
Jam levior tardo flectebat pondere vultum. 85
Ut si quando ruit, debellatasque reliquit
Eurus aquas, pax ipsa tumet, pontumque jacentem
Exanimis jam volvit hiems: nondum arma carinis
Omnia, nec toto respirant pectore nautæ.
Finierat pugnas honor exsequialis inermes, 90
Necdum aberant cœtus, cunctisque silentibus heros
Vina solo fundens cinerem placabat Adrastus
Archemori: Da, parve, tuum trieteride multa
Instaurare diem, nec saucius Arcadas aras
Malit adire Pelops, Eleaque pulset eburna 95
Templa manu, nec Castaliis altaribus anguis,
Nec sua pinigero magis annatet umbra Lechæo.
Nos te lugenti, puer, inficiamur Averno,
Mæstaque perpetuis sollennia jungimus astris,
Nunc festina cohors: at si Bœotia ferro 100
Vertere tecta dabis, magnis tunc dignior aris,
Tunc deus; Inachias nec tantum culta per urbes
Numina, captivis etiam jurabere Thebis.
Dux ea pro cunctis: eadem sibi quisque vovebat.
Jam pronis Gradivus equis Ephyrea premebat
Littora, qua summas caput Acrocorinthus in auras
Tollit, et alterna geminum mare protegit umbra.

Inde unum dira comitum de plebe Pavorem
Quadrupedes anteire jubet: non alter anhelos
Insinuare metus, animumque avertere veris 110
Aptior: innumeræ monstro vocesque manusque,
Et facies quæcunque libet: bonus omnia credi
Auctor, et horrificis lymphare incursibus urbes.
Si geminos soles, ruituraque suadeat astra,
Aut nutare solum, aut veteres descendere sylvas,
Ah miseri vidisse putent. Tunc acre novabat 116
Ingenium: falso Nemeæum pulvere campum
Erigit: attoniti tenebrosam a vertice nubem
Respexere duces: falso clamore tumultum
Auget, et arma virûm, pulsusque imitatur equorum, 120
Terribilemque vagas ululatum spargit in auras.
Exsiluere animi, dubiumque in murmure vulgus
Pendet: Ubi iste fragor? ni fallimur aure: sed unde
Pulvereo stant astra globo? num Ismenius ultro
Miles? ita est; veniunt: tanta autem audacia Thebis? 125
An dubitent? agedum inferias et busta colamus.
Hæc Pavor attonitis: variosque per agmina vultus
Induitur, nunc Pisæis e millibus unus, [quos
Nunc Pylius, nunc ore Lacon, hostesque propin-
Adjurat, turmasque metu consternat inani. 130
Nil falsum trepidis. Ut vero amentibus ipse
Incidit, et sacræ circum fastigia vallis
Turbine prævectus rapido ter sustulit hastam,
Ter concussit equos, clypeum ter pectore plausit,
Arma, arma insani, sua quisque, ignotaque nullo
More rapit: mutant galeas, alienaque cogunt
Ad juga cornipedes: ferus omni in pectore sævit
Mortis amor, cædisque: nihil flagrantibus obstat.
Præcipitant, redimuntque moras: sic littora vento
Incipiente fremunt, fugitur cum portus ubique,
Vela fluunt, laxi jactantur ubique rudentes: 141
Jamque natant remi, natat omnis in æquore summo
Anchora, jam dulcis medii de gurgite ponti
Respicitur tellus, comitesque a puppe relicti.
Viderat Inachias rapidum glomerare cohortes
Bacchus iter: gemuit Tyriam conversus ad urbem,
Altricemque domum, et patrios reminiscitur ignes.
Purpureum tristi turbatus pectora vultum:
Non crines, non serta loco, dextramque reliquit
Thyrsus, et intactæ ceciderunt cornibus uvæ. 150
Ergo ut erat lacrymis lapsoque inhonorus amictu
Ante Jovem (et tunc forte polum secretus habebat)
Constitit, haud unquam facie conspectus in illa,
(Nec causæ latuere patrem,) supplexque profatur:
Exscindisne tuas, divûm sator optime, Thebas?
Sæva adeo conjux? nec te telluris amatæ, 156
Deceptique laris miseret, cinerumque meorum?
Esto, olim invitum jaculatus nubibus ignem,
Credimus: en iterum atra refers incendia terris,
Nec Styge jurata, nec pellicis arte rogatus. 160
Quis modus? an nobis pater iratusque bonusque
Fulmen habes? sed non Danaeia limina talis,
Parrhasiumque nemus, Ledæasque ibis Amyclas.
Scilicet e cunctis ego neglectissima natis
Progenies? ego nempe tamen qui dulce ferenti
Pondus eram; cui tu dignatus limina vitæ, 166
Præreptumque iter, et maternos reddere menses.
Adde, quod imbellis, rarisque exercita castris
Turba meas acies, mea tantum prœlia norunt,
Nectere fronde comas, et ad inspirata rotari 170
Buxa: timent thyrsos nuptarum, et prœlia matrum.
Unde tubas, Martemque pati? quin fervidus ecce
Quanta parat! quid si ille tuos Curetas in arma
Ducat, et innocuis jubeat decernere peltis?
Quin etiam invisos (sic hostis defuit) Argos 175
Eligis: o ipsis, genitor, graviora periclis
Jussa! novercales ruimus ditare Mycenas.
Cedo equidem: quo sacra tamen, ritusque peremtæ
Gentis, et in tumulos si quid male feta reliquit
Mater, abire jubes? Thracen, sylvasque Lycurgi, 180
Anne triumphatos fugiam captivus ad Indos?
Da sedem profugo: potuit Latonia frater
Saxa (nec invideo) defigere Delon, et imis
Commendare fretis: sacra submovit ab arce
Hostiles Tritonis aquas: vidi ipse potentem 185
Gentibus Eois Epaphum dare jura, nec ullas
Cyllene secreta tubas, Minoave curat
Ida: quid heu tantum nostris offenderis aris!
Hic tibi (quando minor jam nostra potentia) noctes
Herculeæ, placitusque vagæ Nycteidos ardor, 190
Hic Tyrium genus, et nostro felicior igne
Taurus: Agenoreos saltem tutare nepotes.
Invidiam risit pater, et jam poplite flexum
Sternentemque manus tranquillus ad oscula tollit,
Inque vicem placida orsa refert: Non conjugis ista 195
Consiliis, ut rere, puer, nec sæva roganti
Sic expostus ego; immoto deducimur orbe
Fatorum: veteres seræque in prœlia causæ.
Nam cui tanta quies irarum, aut sanguinis usus
Parcior humani? videt axis, et ista per ævum 200
Mecum æterna domus, quoties jam torta reponam
Fulmina, quam rarus terris hic imperet ignis.
Quin etiam invitus magna ulciscendaque passis
Aut Lapithas Marti, aut veterem Calydona Dianæ
Expugnare dedi: meaque est jactura, pigetque
Tot mutare animas, tot reddere corpora vitæ. 206
Labdacios vero, Pelopisque a stirpe nepotes
Tardum abolere mihi: scis ipse, ut crimina mittam
Dorica, quam promtæ superos incessere Thebæ.
Te quoque...sed, quoniam vetus excidit ira, silebo. [theus,
Non tamen aut patrio respersus sanguine Pen-
Aut matrem scelerasse toris, aut crimine fratres
Progenuisse reus, lacero tua lustra replevit
Funere: ubi fletus? ubi tunc ars tanta precandi?
Ast ego non proprio diros impendo dolori 215
Œdipodionidas: rogat hoc tellusque, polusque,
Et pietas, et læsa fides, naturaque, et ipsi
Eumenidum mores. Sed tu super urbe moveri
Parce tua: non hoc statui sub tempore rebus
Occasum Aoniis; veniet suspectior ætas, 220
Ultoresque alii: nunc regia Juno queretur.
His ille auditis mentemque habitumque recepit.
Ut cum sole malo, tristique rosaria pallent
Usta Noto, si clara dies, Zephyrique refecit
Aura polum, redit omnis honos, emissaque lucent
Germina, et informes ornat sua gloria virgas. 226
Nuntius attonitas jamdudum Eteoclis ad aures
Explorata ferens, longo docet agmine Graios
Ire duces, nec jam Aoniis procul abfore campis:
Quacunque ingressi tremere, ac miserescere cunctos 230
Thebarum: qui stirpe refert, qui nomine, et armis.
Ille metum condens audire exposcit, et odit
Narrantem: hinc dictis socios stimulare, suasque
Metiri decernit opes: exciverat omnem [quæ
Aoniam, Eubœamque, et Phocidos arva propin-
Mars; ita dulce Jovi: longo fugit ordine velox
Tessera: propellunt acies, seseque sub armis

Ostentant: subeunt campo, qui proximus urbi
Damnatus bellis patet, exspectatque furores.
Nondum hostis circa: trepido tamen agmine matres 240
Conscendunt muros; inde arma nitentia natis
Et formidandos monstrant sub casside patres.
Turre procul sola nondum concessa videri
Antigone populis, teneras defenditur atra
Veste genas, juxtaque comes, quo Laius ibat 245
Armigero, nunc virgo senem regina veretur.
Quæ sic orsa prior: Spesne obstatura Pelasgis
Hæc vexilla, pater? Pelopis descendere totas
Audimus gentes: dic o, precor, extera regum
Agmina; nam video, quæ noster signa Menœceus, 250
Quæ noster gerat arma Creon, quam celsus aena
Sphinge per ingentes Homoloidas exeat Hæmon.
Sic rudis Antigone: senior cui talia Phorbas:
Mille sagittiferos gelidæ de colle Tanagræ [tem
Promovet ecce Dryas, hic, cui nivea arma triden-
Atque auro rude fulmen habent, Orionis alti 256
Non falsus virtute nepos: procul, oro, paternum
Omen, et innuptæ vetus excidat ira Dianæ.
Jungunt se castris, regisque in nomen adoptant
Ocaleæ, Medeonque, et confertissima lucis 260
Nysa, Dionæisque avibus circumsona Thisbe.
Proximus Eurymedon, cui pastoralia Fauni
Arma patris, pinusque jubas imitatur equinas,
Terribilis sylvis: reor et Mavorte cruento
Talis erit: dites pecorum comitantur Erythræ,
Qui Scolon, densamque jugis Eteonon iniquis,
Qui breve littus Hyles, Atalantæumque superbi
Schœnon habent, notique colunt vestigia campi.
Fraxineas vibrant Macetûm de more sarissas,
Sævaque difficiles excludere vulnera peltas. 270
Ecce autem clamore ruunt Neptunia plebes
Onchesti, quos pinigeris Mycalessos in agris,
Palladiusque Melas, Hecatæaque gurgite nutrit
Gargaphie: quorumque novis Haliartos aristis
Invidet, et nimia sata læta supervenit herba. 275
Tela rudes trunci, galeæ vacua ora leonum,
Arborei dant scuta sinus. Hos regis egenos
Amphion en noster agit, (cognoscere pronum,
Virgo,) lyra galeam tauroque insignis avito.
Macte animo, juvenis: medios parat ire per enses,
Nudaque pro caris opponere pectora muris. 281
Vos etiam nostris, Heliconia turba, venitis
Addere rebus opem: tuque, o Permesse, canoris
Et felix Olmie vadis, armatis alumnos
Bellorum resides: patriis concentibus audis 285
Exsultare gregem: quales, cum pallida cedit
Bruma, renidentem deducunt Strymona cycni.
Ite alacres: nunquam vestri morientur honores,
Bellaque perpetuo memorabunt carmine Musæ.
Dixerat, et paulum virgo interfata docenti: 290
Illi autem quanam junguntur origine fratres?
Sic certe paria arma viris, sic exit in auras
Cassidis æquus apex: utinam hæc concordia nostris!
Cui senior ridens: Non prima errore videndi
Falleris, Antigone; multi hos (nam decipit ætas)
Dixerunt fratres: pater est, natusque; sed ævi
Confudere modos: puerum Lapithaona Nymphe
Dercetis, expertem thalami, crudumque maritis
Ignibus, ante diem cupido violavit amore,
Improba connubii: nec longum, et pulcher Alathreus 300
Editus, ac primæ genitorem in flore juventæ
Consequitur, traxitque notas, et miscuit annos.
Et nunc sic fratres mentito nomine gaudent
Plus pater; una olim juvat eventura senectus.
Tercentum genitor, totidemque in prœlia natus
Exercent equites: hi deseruisse feruntur 306
Exilem Glisanta, Coroneamque, feracem
Messe Coroneam, Baccho Glisanta colentes.
Sed potius celsos umbrantem hunc adspice late
Hypsea quadrijugos, clypei septemplice tauro
Læva, ter insuto servantem ingentia ferro 311
Pectora; nam tergo nunquam metus: hasta vetustum
Sylvarum decus, emissæ cui pervia semper [voti.
Armaque, pectoraque, et nunquam manus irrita
Asopos genuisse datur, dignusque videri 315
Tunc pater, abruptis cum torrentissimus exit
Pontibus, aut natæ tumidus cum virginis ultor
Flumina concussit, generum indignata Tonantem.
Namque ferunt raptam patriis Æginan ab undis
Amplexu latuisse Jovis: furit amnis, et astris
Infensus bellare parat: (nondum ista licebant
Nec superis:) stetit audaces effusus in iras, [bat;
Conseruitque manus, nec quem imploraret habe-
Donec vix tonitru submotus et igne trisulco
Cessit: adhuc ripis animosus gurges anhelis 325
Fulmineum cinerem, magnæque insignia pœnæ
Gaudet, et Ætnæos in cœlum efflare vapores.
Talem Cadmeo mirabimur Hypsea campo,
Si modo placavit felix Ægina Tonantem.
Ducit Ithonæos, et Alalcomenæa Minervæ 330
Agmina, quos Mide, quos humida suggerit Arne,
Aulida qui, Græamque serunt, viridesque Platæas,
Et sulco Peteona domant, refluumque meatu
Euripum, qua noster abit, teque ultima tractu
Anthedon, ubi gramineo de littore Glaucus 335
Poscentes irrupit aquas, jam crine genisque
Cærulus, et mixtos expavit ab inguine pristes.
Glandibus et torta Zephyros incidere funda
Cura: Cydoneas anteibunt gæsa sagittas.
Tu quoque præclarum forma, Cephise, dedisses
Narcissum, sed Thespiacis jam pallet in agris 341
Trux puer: orbata florem pater alluit unda.
Quis tibi Phœbeas acies, veteremque revolvat
Phocida? qui Panopen, qui Daulida, qui Cyparisson,
Et valles, Lebadea, tuas, et Hyampolin acri 345
Subnixam scopulo, vel qui Parnasson utrumque,
Aut Cirrham tauris, Anemoreamque supinant,
Coryciumque nemus, propellentemque Lilæam
Cephisi glaciale caput, quo suetus anhelam
Ferre sitim Python, amnemque avertere ponto.
Omnibus immixtas cono super adspice lauros,
Armaque vel Tityon, vel Delon habentia, vel quas
Hic deus innumera laxavit cæde pharetras.
Iphitus acer agit, genitor cui nuper ademtus
Naubolus Hippasides, tuus, o mitissime Lai, 355
Hospes, adhuc currus securaque lora tenebat,
Cum tua subter equos jacuit convulsa cruentis
Ictibus, o utinam nostro cum sanguine, cervix!
Dicentis maduere genæ, vultumque per omnem
Pallor iit, vocisque repens singultus apertum 360
Intercepit iter. Refovet frigentis amicum
Pectus alumna senis: redit, atque exile profatur:
O mihi sollicitum decus ac suprema voluptas,
Antigone, seras tibi demoror improbus umbras,
Fors eadem scelera et cædes visurus avitas; 365
Donec te thalamis habilem, integramque resig-
Hoc satis, et fessum vita dimittite Parcæ. [nem:
Sed dum labor iners, quanti (nunc ecce reviso)
Transabiere duces! Clonium, atque in terga comantes
Non ego Abantiadas, non te, saxosa Caryste, 370

Non humiles Ægas, altumque Capharea dixi.
Et jam acies obtusa negat, cunctique resistunt:
Et tuus armatis jubet ecce silentia frater. [pit:
Vix ea turre senex, cum ductor ab aggere cœ-
Magnanimi reges, quibus haud parere recusem
Ductor, et ipse meas miles defendere Thebas,
Non ego vos stimulare parem, (nam liber in arma
Impetus, et meritas ultro jurastis in iras,) 378
Nec laudare satis, dignasque rependere grates
Sufficiam: referent superi, vestræque subacto
Hoste manus: urbem socia de gente subistis
Tutari, quam non aliis populator ab oris
Belliger, externave satus tellure, sed hostis 383
Indigena adsultat, cui castra adversa regenti
Hic pater, hic genitrix, hic junctæ stirpæ sorores,
Hic erat et frater. Cerne en, ubicunque nefandus
Excidium moliris avis: venere volentes
Aoniæ populi, nec sum tibi, sæve, relictus.
Quid velit ista cohors, et te sentire decebat. 389
Reddere regna vetant. Sic fatus, et omnia rite
Disponit, qui bella gerant, qui mœnia servent,
Quas in fronte manus, medio quas robore sistat.
Perspicuas sic luce fores, et virgea pastor [mos
Claustra levat, dum terra recens: jubet ordine pri-
Ire duces, media stipantur plebe maritæ: 395
Ipse levat gravidas, et humum tactura parentum
Ubera, succiduasque apportat matribus agnas.
Interea Danai noctemque diemque sub armis,
Noctem iterum rursusque diem (sic ira ferebat)
Ingeminant: contemta quies: vix aut sopor illis,
Aut epulæ fecere moram: properatur in hostem
More fugæ: nec monstra tenent, quæ plurima
Prodigiale canens certi fors prævia fati. [nectit
Quippe ferunt diros monitos volucresque, feræ-
Sideraque, aversique suis decursibus amnes: [que,
Infestumque tonat pater, et mala fulgura lucent:
Terrificæque adytis voces, clausæque deorum
Sponte fores: nunc sanguineus, nunc saxeus im-
ber,
Et subiti manes, flentumque occursus avorum.
Tunc et Apollineæ tacuere oracula Cirrhæ, 410
Et non adsuetis pernox ululavit Eleusin
Mensibus, et templis Sparte præsaga reclusis
Vidit Amyclæos (facinus) concurrere fratres.
Arcades insanas latrare Lycaonis umbras
Nocte ferunt tacita: sævo decurrere campo 415
Œnomaum sua Pisa refert. Acheloon utroque
Deformem cornu vagus infamabat Acarnan.
Perseos effigiem mæstam, exorantque Mycenæ
Confusum Junonis ebur: mugire potentem
Inachon agricolæ, gemini maris incola narrat
Thebanum toto planxisse Palæmona ponto. 421
Hæc audit Pelopea phalanx: sed bellicus ardor
Consiliis obstat divûm, prohibetque timeri.
Jam ripas, Asope, tuas, Bœotaque ventum
Flumina: non ausæ transmittere protinus alæ 425
Hostilem fluvium: forte et trepidantibus ingens
Descendebat agris, animos sive imbrifer arcus,
Seu montana dedit nubes, seu fluminis illa
Mens fuit, objectusque vado pater arma vetabat.
Tunc ferus Hippomedon magno cum fragmine ripæ
Cunctantem dejecit equum, ducibusque relictis
Gurgite de medio frenis suspensus et armis,
Ite, viri, clamat: sic vos in mœnia primus
Ducere, sic clausas voveo perfringere Thebas.
Præcipitant cuncti fluvio, puduitque secutos. 435
Ac velut ignotum si quando armenta per amnem
Pastor agit, stat triste pecus, procul altera tellus
Omnibus, et late medius timor: ast ubi ductor
Taurus init, fecitque vadum, tunc mollior unda,
Tunc faciles saltus, visæque accedere ripæ. 440
Haud procul inde jugum, tutisque accommoda
castris
Arva notant, unde urbem etiam turresque videre
Sidonias: placuit sedes, fidique receptus,
Colle per excelsum patulo, quem subter aperto
Arva sinu, nullique aliis a montibus obstant 445
Despectus: nec longa labor munimina durus
Addidit; ipsa loco mirum Natura favebat.
In vallum elatæ rupes, devexaque fossis
Æqua, et fortuito ductæ quater aggere pinnæ:
Cætera dant ipsi, donec sol montibus omnis 450
Erepsit, rebusque dedit sopor otia fessis.
Quis queat attonitas dictis ostendere Thebas?
Urbem in conspectu belli suprema parantem
Territat insomnem nox atra, diemque minatur.
Discurrunt muris: nil septum horrore sub illo,
Nil fidum satis, invalidæque Amphionis arces.
Rumor ubique alius, pluresque annuntiat hostes
Majoresque timor: spectant tentoria contra
Inachia, externosque suis in montibus ignes.
Hi precibus, questuque deos; hi Martia tela 460
Belligerosque hortantur equos; hi pectora fletu
Cara premunt, miserique rogos et crastina man-
Funera. Si tenuis demisit lumina somnus, [dant
Bella gerunt: modo lucra moræ, modo tædia vitæ
Attonitis: lucemque timent, lucemque precan-
tur. [utrisque
It geminum excutiens anguem, et bacchatur
Tisiphone castris: fratrem huic, fratrem ingerit
illi,
Aut utrique patrem. Procul ille penatibus imis
Excitus implorat furias, oculosque reposcit.
Jam gelidam Phœben et caligantia primus
Hauserat astra dies, cum jam tumet igne futuro
Oceanus, lateque novo Titane reclusum 472
Æquor anhelantum radiis subsidit equorum.
Ecce truces oculos sordentibus obsita canis,
Exsanguesque Iocasta genas, et brachia planctu
Nigra ferens, ramumque oleæ cum velleris atri
Nexibus, Eumenidum velut antiquissima, portis
Egreditur, magna cum majestate malorum. 478
Hinc atque hinc natæ, melior jam sexus, aniles
Præcipitantem artus, et plusquam posset euntem
Sustentant. Venit ante hostes, et pectore nudo
Claustra adversa ferit, tremulisque ululatibus orat
Admitti: Reserare viam rogat impia belli
Mater: in his aliquod jus exsecrabile castris 484
Huic utero est. Trepidi visam expavere manipli,
Auditamque magis. Remeat jam missus Adrasto
Nuntius: excipiunt jussi, mediosque per enses
Dant iter. Illa duces ut primum adspexit Achivos,
Clamorem horrendum luctu furiata resolvit:
Argolici proceres, hei quis monstraverit hostem,
Quem peperi? quanam inveniam (mihi dicite) na-
Sub galea? Venit attonitæ Cadmeius heros [tum
Obvius, et raptam lacrymis gaudentibus implet,
Solaturque tenens, atque inter singula, matrem,
Matrem iterat, nunc ipsam urgens, nunc cara
sororum 495
Pectora: cum mixta fletus anus asperat ira: [gis,
Quid molles lacrymas, venerandaque nomina fin-
Rex Argive, mihi? quid colla amplexibus ambis,
Invisamque teris ferrato pectore matrem?
Tune ille exsilio vagus, et miserabilis hospes?
Quem non permoveas? longe tua jussa cohortes
Exspectant, multoque latus præfulgurat ense. 502
Ah miseræ matres! hunc te noctesque diesque
Deflebam. Si verba tamen, monitusque tuorum
Dignaris, dum castra silent, suspensaque bellum

Horrescit pietas, genitrix jubeoque, rogoque,
I mecum, patriosque deos, arsuraque saltem
Tecta vide, fratremque, (quid aufers lumina?) fratrem
Alloquere, et regnum jam me sub judice posce.
Aut dabit, aut ferrum causa meliore resumes. 510
Anne times, ne forte doli, et te conscia mater
Decipiam? non sic miseros fas omne penates
Effugiet: vix Œdipode ducente timeres.
Nupsi equidem, peperique nefas: sed diligo tales,
Ah dolor, et vestros etiamnum excuso furores.
Quod si adeo perstas, ultro tibi, sæve, triumphum
Detulimus: religa captas in terga sorores,
Injice vincla mihi: gravis huc utcunque feretur
Et pater. Ad vestrum gemitus nunc verto pudorem, 519
Inachidæ: liquistis enim parvosque senesque,
Et lacrymas has quisque domi: sua credite ma-
Viscera: si vobis hic parvo in tempore carus, [tri
(Sitque precor,) quid me, oro, decet, quidve ista, Pelasgi,
Ubera? ab Hyrcanis hoc Odrysiisque tulissem
Regibus, et si qui nostros vicere furores. 525
Annuite, aut natum complexa superstite bello
Hic moriar. Tumidas frangebant dicta cohortes:
Nutantesque virûm galeas, et sparsa videres
Fletibus arma piis: quales ubi tela virosque
Pectoris impulsu rapidi stravere leones, 530
Protinus ira minor, gaudentque in corpore capto
Securam differre famem: sic flexa Pelasgûm
Corda labant, ferrique avidus mansueverat ardor
Ipse etiam ante omnes nunc matris ad oscula ver-
Nunc rudis Ismenes, nunc flebiliora precantis [sus,
Antigones; variaque animum turbante procella
Exciderat regnum: cupit ire, et mitis Adrastus
Non vetat: hic justæ Tydeus memor occupat iræ:
Me potius, socii, qui fidum Eteoclea nuper 539
Expertus, (nec frater eram,) me opponite regi,
Cujus adhuc pacem egregiam et bona fœdera gesto [tra
Pectore in hoc: ubi tunc fidei pacisque seques-
Mater eras, pulchris cum me nox vestra morata est [tum?
Hospitiis? nempe hæc trahis ad commercia na-
Duc illum in campum, vestro qui sanguine pinguis [ris?
Spirat adhuc, pinguisque meo: tu porro seque-
Heu nimium mitis, nimiumque oblite tuorum.
Scilicet infestæ cum te circum undique dextræ
Nudabunt enses, hæc flebit, et arma quiescent?
Tene ille, heu demens, semel intra mœnia clausum 550
Possessumque odiis Argiva in castra remittet?
Ante hæc excusso frondescet lancea ferro,
Inachus ante retro, nosterque Achelous abibunt.
Sed mite alloquium, et sævis pax quæritur armis:
Hæc quoque castra patent: necdum meruere timeri. 555
An suspectus ego? abscedo, et mea vulnera dono.
Intret, et hic genitrix eadem, mediæque sorores.
Finge autem pactis evictum excedere regnis;
Nempe iterum reddes? Rursus mutata trahun-
Agmina consiliis: subito ceu turbine cœli [tur
Obvius adversum Boreæ Notus abstulit æquor.
Arma iterum, furiæque placent: fera tempus Erinnys
Arripit, et primæ molitur semina pugnæ
Errabant geminæ Dircæa ad flumina tigres,
Mite jugum, belli quondam vastator Eoi 565
Currus, Erythræis quas nuper victor ab oris
Liber in Aonios meritas dimiserat agros.
Illas turba dei, seniorque ex more sacerdos
Sanguinis oblitas, atque Indum gramen olentes,
Palmite maturo variisque ornare corymbis 570
Curat, et alterno maculas interligat ostro. [bant
Jamque ipsi colles, ipsa has (quis credat?) ama-
Armenta, atque ausæ circum mugire juvencæ.
Quippe nihil grassata fames, manus obvia pascit,
Exspectantque cibos, fusoque horrenda supinant
Ora mero, vaga rure quies: si quando benigno
Urbem iniere gradu, domus omnis, et omnia sacris 577
Templa calent, ipsumque fides intrasse Lyæum.
Has ubi vipereo tactas ter utramque flagello
Eumenis in furias, animumque redire priorem
Impulit, erumpunt non agnoscentibus Argis:
Ceu duo diverso pariter si fulmina cœlo [nem:
Rupta cadant, longumque trahant per nubila cri-
Non aliter cursu rapidæ, atque immane frementes
Transiliunt campos, aurigamque impete vasto,
Amphiarae, tuum (nec defuit omen, heriles 586
Forte is primus equos stagna ad vicina trahebat)
Corripiunt: mox Tænarium, qui proximus, Idam
Ætolumque Acamanta premunt: fuga torva per agros
Cornipedum, visa donec flammatus Aconteus 590
Strage virûm, cui sueta feras prosternere virtus,
(Arcas erat,) densis jam fida ad mœnia versas
Insequitur telis, multumque hastile resumens
Ter quater adducto per terga, per ilia telo
Transigit: illæ autem longo cum limite fusi 595
Sanguinis, ad portas utrinque exstantia ducunt
Spicula semianimes, gemituque imitante querelas
Saucia dilectis acclinant pectora muris. [dis
Templa putes, urbemque rapi, facibusque nefan-
Sidonios ardere lares: sic clamor apertis 600
Exoritur muris: mallent cunabula magni [ruisse
Herculis, aut Semeles thalamum, aut penetrale
Harmonies: cultor Bacchæus Acontea Phegeus
Jam vacuum telis, geminoque in sanguine ovantem
Cominus ense petit: subeunt Tegeæa juventus
Auxilio tardi: jam supra sacra ferarum 606
Corpora mærenti juvenis jacet ultio Baccho.
Rumpitur et Graiûm subito per castra tumultu
Concilium: fugit externos Iocasta per hostes,
Jam non ausa preces: natas, ipsamque repellunt, [deus
Qui modo tam mites, et præceps tempore Ty-
Utitur: Ite age, nunc pacem sperate fidemque:
Non saltem differre nefas, potuitve morari
Dum genitrix dimissa redit? Sic fatus, aperto
Ense vocat socios: sævus jam clamor, et iræ
Hinc atque inde calent: nullo venit ordine bellum: 616
Confusique duces vulgo, et neglecta regentum
Imperia: una equites mixti, peditumque catervæ,
Et rapidi currus: premit indigesta ruentes
Copia, nec sese vacat ostentare, nec hostem 620
Noscere; sic subitis Thebana Argivaque pubes
Conflixere globis: retro vexilla, tubæque
Post tergum, et litui bellum invenere secum.
Tantus ab exiguo crudescit sanguine Mavors.
Ventus uti primas struit inter nubila vires 625
Lenis adhuc, frondesque et aperta cacumina gestat:
Mox rapuit nemus, et montes patefecit opacos.
Nunc age, Pieriæ (non vos longinqua, sorores
Consulimus,) vestras acies, vestramque referte
Aoniam, (vidistis enim,) dum Marte propinquo

Horrent Tyrrhenos Heliconia plectra tumultus.
Sidonium Pterelan sonipes malefidus in armis
Rumpentem frenos diversa per agmina raptat
Jam liber; sic fessa manus: venit hasta per armos
Tydeos, et lævum juvenis transverberat inguen,
Labentemque affigit equo: fugit ille peremto
Consertus domino; nec jam arma, aut frena tenentem [que
Portat adhuc: ceu nondum anima defectus utra-
Cum sua Centaurus moriens in terga recumbit.
Certat opus ferri: sternuntque alterna furentes
Hippomedon Sybarin Pylium, Periphanta Menœceus, 641
Parthenopæus Ityn: Sybaris jacet ense cruento,
Cuspide trux Periphas, Itys insidiante sagitta.
Cæneos Inachii ferro Mavortius Hæmon
Colla rapit: cui dividuum trans corpus hiantes
Truncum oculi quærunt, animus caput: arma jacentis 646
Jam rapiebat Abas: cornu deprensus Achivo
Dimisit moriens clypeum hostilemque, suumque.
Quis tibi Bacchæos, Eunæe, relinquere cultus,
Quis lucos, vetitus quibus emansisse sacerdos,
Suasit, et adsuetum Bromio mutare furorem?
Quem terrere queas? clypei penetrabile textum
Pallentes hederæ, Nysæaque serta coronant.
Candida pampineo subnectitur instita pilo:
Crine latent humeri: crescunt lanugine malæ:
Et rubet imbellis Tyrio subtemine thorax: 656
Brachiaque in manicis, et pictæ vincula plantæ,
Carbaseique sinus, et fibula rasilis auro
Tænariam fulva mordebat iaspide pallam;
Quam super a tergo velox corytus, et arcus, 660
Pendentesque sonant aurata lynce pharetræ.
It lymphante deo media inter millia longum
Vociferans: Prohibete manus; hæc omine dextro
Mœnia Cirrhæa monstravit Apollo juvenca:
Parcite, in hæc ultro scopuli venere volentes.665
Gens sacrata sumus: gener huic est Jupiter urbi,
Gradivusque socer: Bacchum haud mentimur alumnum,
Et magnum Alciden. Jactanti talia frustra
Turbidus aeria Capaneus occurrit in hasta.
Qualis ubi primam leo mane cubilibus atris 670
Erexit rabiem, et sævo speculatur ab antro
Aut cervam, aut nondum bellantem fronte juvencum; [sant
It fremitu gaudens, licet arma, gregesque laces-
Venantum: prædam videt, et sua vulnera nescit.
Sic tunc congressu Capaneus gavisus iniquo 675
Librabat magna venturam mole cupressum.
Ante tamen, Quid fœmineis ululatibus, inquit,
Terrificas, moriture, viros? utinam ipse veniret,
Cui furis! hæc Tyriis cane matribus: et simul hastam 679
Expulit: illa volans, ceu vis non ulla moretur
Obvia, vix sonuit clypeo, et jam terga reliquit.
Arma fluunt, longisque crepat singultibus aurum,
Eruptusque sinus vicit cruor: occidis audax,
Occidis, Aonii puer altera cura Lyæi.
Marcida te fractis planxerunt Ismara thyrsis, 685
Te Tmolos, te Nysa ferax, Theseaque Naxos,
Et Thebana metu juratus in orgia Ganges.
Nec segnem Argolicæ sensere Eteoclea turmæ,
Parcior aut cives Polynicis inhorruit ensis.
Eminet ante alios jam formidantibus arva 690
Amphiaraus equis, ac multo pulvere vertit
Campum indignantem: famulo decus addit inane
Mæstus, et extremos obitus illustrat Apollo.
Ille etiam clypeum galeamque incendit honoro
Sidere: nec tarde fratri, Gradive, dedisti, 695
Ne qua manus vatem, ne quid mortalia bello
Lædere tela queant; sanctum, et venerabile Diti
Funus erat: talis medios infertur in hostes
Certus et ipse necis: vires fiducia leti
Suggerit; inde viro majoraque membra, diesque
Lætior, et nunquam tanta experientia cœli, 701
Si vacet: avertit morti contermina virtus.
Ardet inexpleto sævi Mavortis amore,
Et fruitur dextra, atque animo flagrante superbit.
Hic hominum casus lenire, et demere fatis 705
Jura frequens, quantum subito diversus ab illo,
Qui tripodas, laurosque sequi, qui doctus in omni
Nube salutato volucrem cognoscere Phœbo!
Innumeram ferro plebem, ceu letifer annus
Aut jubar adversi grave sideris, immolat umbris
Ipse suis: jaculo Phlegyan, jaculoque superbum 711
Phylea, falcato Chromin et Cremetaona curru,
Cominus hunc stantem metit, hunc a poplite sectum, [que,
Cuspide demissa Chromin, Iphinoumque, Sagen-
Intonsumque Gyan, sacrumque Lycorea Phœbo
Invitus: jam fraxineum dimiserat hastæ 716
Robur, et excussis apparuit infula cristis.
Alcathoum saxo, cui circum stagna Carysti
Et domus, et conjux, et amantes littora nati:
Vixerat ille diu pauper scrutator aquarum; 720
Decepit tellus: moriens hiemesque Notosque
Laudat, et experti meliora pericula ponti.
Adspicit has longe jamdudum Asopius Hypseus
Palantum strages, ardetque avertere pugnam:
Quanquam haud ipse minus curru Tirynthia fundit 725
Robora, sed viso præsens minor augure sanguis.
Illum armis, animisque cupit: prohibebat iniquo
Agmine consertum cunei latus: inde superbus
Exseruit patriis electum missile ripis:
Ac prius: Aonidum dives largitor aquarum, 730
Clare Giganteis etiamnum, Asope, favillis,
Da numen dextræ: rogat hoc natusque, tuique
Quercus alumna vadi: fas et me spernere Phœbum,
Si tibi collatus divûm sator: omnia mergam
Fontibus arma tuis, tristesque sine augure vittas.
Audierat genitor: vetat indulgere volentem 736
Phœbus, et aurigam jaculum detorquet in Her-
Ille ruit. Deus ipse vagis succedit habenis, [sen
Lernæum falso simulans Haliacmona vultu.
Tunc vero ardenti non ulla obsistere tentant 740
Signa: ruunt solo terrore, et vulnera citra
Mors trepidis ignava venit: dubiumque tuenti
Presserit infestos onus, impuleritne jugales.
Sic ubi nubiferi montis latus aut nova ventis
Solvit hiems, aut victa situ non pertulit ætas;
Desilit horrendus campo timor, arva, virosque
Limite non uno, longævaque robora secum 747
Præcipitans; tandemque exhaustus turbine fesso,
Aut vallem cavat, aut medios intercipit amnes.
Non secus ingentique viro magnoque gravatus
Temo deo, nunc hoc, nunc illo in sanguine fervet.
Ipse sedens telis, pariterque ministrat habenis
Delius: ipse docet jactus, adversaque flectit
Spicula, fortunamque hastis venientibus aufert.
Sternuntur terræ Menalas pedes, Antiphus alto
Nil defensus equo, genitusque Heliconide Nym-
Æthion, cæsoque infamis fratre Polites, [pha
Conatusque toris vittatam attingere Manto [tas.
Lampus: in hunc sacras Phœbus dedit ipse sagit-
Et jam cornipedes trepida ac moribunda reflantes

Corpora, rimantur terras, omnisque per artus 761
Sulcus, et incisis altum rubet orbita membris.
Hos jam ignorantes terit impius axis, at illi
Vulnere semineces (nec devitare facultas)
Venturum super ora vident: jam lubrica tabo
Frena, nec insisti madidus dat temo, rotæque
Sanguine difficiles, et tardior ungula fossis 767
Visceribus: tunc ipse furens in morte relicta
Spicula, et e mediis exstantes ossibus hastas
Avellit: stridunt animæ, currumque sequuntur.
Tandem se famulo summum confessus Apollo,
Utere luce tua, longamque, ait, indue famam,
Dum tibi me junctum mors irrevocata veretur.
Vincimur: immites scis nulla revolvere Parcas
Stamina: vade diu populis promissa voluptas 775
Elysiis, certe non perpessure Creontis
Imperia, aut vetito nudus jaciture sepulcro.
Ille refert contra, et paulum respirat ab armis:
Olim te, Cirrhæe pater, peritura sedentem
Ad juga (quis tantus miseris honor?) axe trementi
Sensimus: instantes quonam usque morabere manes? 781
Audio jam rapidæ cursum Stygis, atraque Ditis
Flumina, tergeminosque mali custodis hiatus.
Accipe commissum capiti decus, accipe laurus,
Quas Erebo deferre nefas. Nunc voce suprema,
Si qua recessuro debetur gratia vati, 786
Deceptum tibi, Phœbe, darem, pœnasque nefandæ
Conjugis, et pulchrum nati commendo furorem.
Desiluit mærens, lacrymasque avertit Apollo.
Tunc vero ingemuit currusque, orbique jugales.
Non aliter cæco nocturni turbine Cori 791
Scit peritura ratis, cum jam damnata sororis
Igne Therapnæi fugerunt carbasa fratres.
Jamque recessuræ paulatim horrescere terræ,
Summaque terga quati, graviorque effervere pulvis 795
Cœperat: inferno mugit jam murmure campus.
Bella putant trepidi, bellique hunc esse fragorem
Hortanturque gradus: alius tremor arma, virosque,
Mirantesque inclinat equos: jam frondea nutant
Culmina, jam muri, ripisque Ismenos apertis 800
Effugit: exciderant iræ: nutantia figunt
Tela solo, dubiasque vagi nituntur in hastas
Cominus, inque vicem viso pallore recedunt.
Sic ubi navales miscet super æquora pugnas
Contemto Bellona mari, si forte benigna 805
Tempestas, sibi quisque cavent, ensesque recondit
Mors alia, et socii pacem fecere timores.
Talis erat campo belli fluitantis imago.
Sive laborantes concepto flamine terræ
Ventorum rabiem, et clausum ejecere furorem;
Exedit seu putre solum, carpsitque terendo 811
Unda latens; sive hac volventis machina cœli
Incubuit; sive omne fretum Neptunia movit
Cuspis, et extremas gravius mare torsit in oras,
Seu vati datus ille fragor, seu terra minata est 815
Fratribus; ecce alte præceps humus ore profundo
Illum ingens haurit specus, et transire parantes
Dissilit, inque vicem timuerunt sidera et umbræ.
Mergit equos: non arma manu, non frena remisit:
Sicut erat, rectos defert in Tartara currus, 820
Respexitque cadens cœlum, campumque coire
Ingemuit: donec levior distantia rursus
Miscuit arva tremor, lucemque exclusit Averno.

LIBER OCTAVUS.

Ut subitus vates pallentibus incidit umbris,
Letiferasque domos, orbisque arcana sepulti
Rupit, et armato turbavit funere manes;
Horror habet cunctos, Stygiis mirantur in oris
Tela et equos, corpusque novum: neque enim ignibus atris 5
Conditus, aut mæsta niger adventabat ab urna;
Sed belli sudore calens, clypeumque cruentis
Roribus, et scissi respersus pulvere campi.
Necdum illum aut trunca lustraverat obvia taxo
Eumenis, aut furvo Proserpina poste notarat 10
Cœtibus adsumtum functis: quin cominus ipsa
Fatorum deprensa colus: visoque paventes
Augure, tunc demum rumpebant stamina Parcæ.
Illum et securi circumspexere fragorem
Elysii, et si quos procul inferiore barathro 15
Altera nox, aliisque gravat plaga cæca tenebris.
Tunc regemunt pigrique lacus, ustæque paludes,
Umbriferæque fremit sulcator pallidus undæ,
Dissiluisse novo penitus telluris hiatu
Tartara, et admissos non per sua flumina manes.
Forte sedens media regni infelicis in arce 21
Dux Erebi, populos poscebat crimina vitæ,
Nil hominum miserans, iratusque omnibus umbris.
Stant Furiæ circum, variæque ex ordine Mortes,
Sævaque multisonas exercet Pœna catenas. 25
Fata ferunt animas, et eodem pollice damnant.
Vincit opus. Juxta Minos cum fratre verendo
Jura bonus meliora monet, regemque cruentum
Temperat: adsistunt lacrymis atque igne tumentes
Cocytos Phlegethonque, et Styx perjuria divûm
Arguit. Ille autem supera compage soluta, 31
Nec solitus sentire metus, expavit oborta
Sidera, jucundaque offensus luce profatur:
Quæ superûm labes inimicum impegit Averno
Æthera? quis rumpit tenebras, vitæque silentes
Admovet? unde minas? uter hæc mihi prœlia fratrum? 36
Congredior: pereant agedum discrimina rerum.
Nam cui dulce magis? magno me tertia victum
Dejecit fortuna polo, mundumque nocentem
Servo: nec iste meus, dirisque en pervius astris
Inspicitur. Tumidusne meas regnator Olympi 41
Explorat vires? habeo jam quassa Gigantum
Vincula, et ætherium cupidos exire sub axem
Titanas, miserumque patrem. Quid me otia mæsta
Sævus, et implacidam prohibet perferre quietem, 45
Amissumque odisse diem? pandam omnia regna
Si placet, et Stygio prætexam Hyperiona cœlo:

Arcada nec superis (quid enim mihi nuntius ambas [tenebo
tque reditque domos?) emittam, et utrumque
Tyndariden. Cur autem avidis Ixiona frango 50
Vorticibus? cur non exspectant Tantalon undæ?
Anne profanatum toties Chaos hospite vivo
Perpetiar? me Pirithoi temerarius ardor
Tentat, et audaci Theseus juratus amico:
Me ferus Alcides, tunc cum custode remoto 55
Ferrea Cerbereæ tacuerunt limina portæ.
Odrysiis etiam pudet heu patuisse querelis
Tartara: vidi egomet blanda inter carmina turpes [rum.
Eumenidum lacrymas, iterataque pensa soro-
Me quoque...sed duræ melior violentia legis. 60
Ast ego vix unum, nec celsa ad sidera furto
Ausus iter, Siculo rapui connubia campo:
Nec licuisse ferunt; injustæque ab Jove leges
Protinus, et sectum genitrix mihi computat annum.
Sed quid ego hæc? i, Tartareas ulciscere sedes,
Tisiphone, et, si quando novis asperrima monstris,
Triste, insuetum, ingens, quod nondum viderit æther,
Ede nefas, quod mirer ego, invideantque sorores.
Atque adeo fratres, (nostrisque hæc omina sunto
Prima odiis,) fratres alterna in vulnera læto 70
Marte ruant: sit, qui rabidarum more ferarum
Mandat atrox hostile caput, quique igne supremo
Arceat exanimes, et manibus æthera nudis [tem.
Commaculet: juvet ista ferum spectare Tonan-
Præterea, ne sola furor mea regna lacessat, 75
Quære deis qui bella ferat, qui fulminis ignes
Infestumque Jovem clypeo fumante repellat.
Faxo haud sit cunctis levior metus atra movere
Tartara, frondenti quam jungere Pelion Ossæ.
Dixerat: atque illi jamdudum regia tristis 80
Attremit oranti, suaque, et quæ desuper urget,
Nutabat tellus: non fortius æthera vultu
Torquet, et astriferos inclinat Jupiter axes.
At tibi quos, inquit, manes, qui limite præceps
Non licito per inane ruis? Subit ille minantem
Jam tenuis visu, jam vanescentibus armis, 86
Jam pedes: exstincto tamen interceptus in ore
Augurii perdurat honos, obscuraque fronti
Vitta manet, ramumque tenet morientis olivæ.
Si licet, et sanctis hic ora resolvere fas est 90
Manibus, o cunctis finitor maxime rerum.
At mihi, qui quondam causas elementaque noram,
Et sator, oro, minas stimulataque corda remulce,
Neve ira dignare hominem, et tua jura timentem.
Nam nec ad Herculeos (unde hæc mihi pectora?) raptus, 95
Nec Venerem illicitam (crede his insignibus) ausi
Intramus Lethen: fugiat nec tristis in antrum
Cerberus, aut nostros timeat Proserpina currus.
Augur Apollineis modo dilectissimus aris,
Testor inane Chaos, (quid enim hic jurandus Apollo?) 100
Crimine non ullo subeo nova fata: nec alma
Sic merui de luce rapi: scit judicis urna
Dictæi, verumque potest deprendere Minos.
Conjugis insidiis et iniquo venditus auro
Argolicas acies, unde hæc tibi turba recentum
Umbrarum, et nostræ veniunt quoque funera dextræ, 106
Non ignarus ini: subito me turbine mundi
(Horret adhuc animus) mediis e millibus hausit
Nox tua. Quæ mihi mens, dum per cava viscera terræ
Vado diu pendens, et in aere volvor operto? 110
Hei mihi! nil ex me sociis patriæque relictum,
Vel captum Thebis: non jam Lernæa videbo
Tecta, nec attonito saltem cinis ibo parenti.
Non tumulo, non igne miser, lacrymisque meo-
Productus, toto pariter tibi funere veni, [rum
Nil istis ausurus equis: nec deprecor umbram
Accipere, et tripodum jam non meminisse meorum.
Nam tibi præsagi quisnam super auguris usus,
Cum Parcæ tua jussa trahant? sed pectora flectas
Et melior sis, quæso, deis: si quando nefanda 120
Huc aderit conjux, illi funesta reserva
Supplicia; illa tua, rector bone, dignior ira.
Accipit ille preces, indignaturque moveri.
Ut leo, Massyli cum lux stetit obvia ferri,
Tunc iras, tunc arma citat; si decidat hostis,
Ire super satis est, vitamque relinquere victo.
Interea vittis lauruque insignis opima
Currus, et egregiis modo formidatus in armis,
Luce palam fusus nulli, nullique fugatus
Quæritur: absistunt turmæ, suspectaque tellus
Omnibus: infidi miles vestigia campi 131
Circuit, atque avidæ tristis locus ille ruinæ
Cessat, et inferni vitatur honore sepulcri.
Nuntius hortanti diversa in parte maniplos
Adrasto, vix ipse ratus vidisse, Palæmon 135
Advolat, et trepidans (steterat nam forte cadenti
Proximus) inspectoque miser pallebat hiatu.
Verte gradum, fuge, rector, ait; si Dorica saltem
Terra loco, patriæque manent, ubi liquimus, arces. [ferrum
Non armis, non sanguine opus: quid inutile
Stringimus in Thebas? currus humus impia sorbet,
Armaque, bellantesque viros: fugere ecce videtur
Hic etiam, quo stamus, ager: vidi ipse profundæ
Noctis iter, ruptaque soli compage ruentem 144
Illum heu, præsagis quo nullus amicior astris,
Œcliden, frustraque manus cum voce tetendi.
Mira loquor, sulcos etiamnum rector equorum,
Fumantemque locum, et spumis madida arva reliqui. [nos,
Nec commune malum est: tellus agnoscit alum-
Stat Thebana acies. Stupet hæc, et credere Adrastus 150
Cunctatur; sed Mopsus idem, trepidusque ferebat
Actor idem: nam fama novis terroribus audax
Non unum cecidisse refert: sponte agmina retro
Non exspectato revocantum more tubarum
Præcipitant: sed torpet iter, falluntque ruentes
Genua viros, ipsique (putes sensisse) repugnant
Cornipedes, nulloque truces hortamine parent,
Nec celerare gradum, nec tollere lumina terra.
Fortius incursant Tyrii: sed Vesper opacus
Lunares jam ducit equos: data fœdere parvo 160
Mæsta viris requies, et nox auctura timores.
Tunc ibi quæ facies, postquam permissa gemendi
Copia? qui fletus galeis cecidere solutis?
Nil solitum fessos juvat: abjecere madentes,
Sicut erant, clypeos: nec quisquam spicula tersit, 165
Nec laudavit equum, nitidæ nec cassidis altam
Comsit adornavitque jubam: vix magna levare
Vulnera, et efflantes libet internectere plagas;
Tantus ubique dolor: mensas alimentaque bello
Debita nec pugnæ suasit timor: omnia laudes,
Amphiaraæ, tuas, fecundaque pectora veri 171

Commemorant lacrymis, et per tentoria sermo
Unus, Abisse deos, delapsaque numina castris.
Heu ubi laurigeri currus, sollenniaque arma,
Et galeæ vittatus apex? hoc antra, lacusque 175
Castalii, tripodumque fides? sic gratus Apollo?
Quis mihi sidereos lapsus, mentemque sinistri
Fulguris, aut cæsis saliat quod numen in extis,
Quando iter, unde moræ, quæ sævis utilis armis,
Quæ pacem magis hora velit, quis jam omne futurum [tur?
Proferet? aut quocum volucres mea fata loquen-
Hos quoque bellorum casus nobisque, tibique
Præscieras, et (quanta sacro sub pectore virtus)
Venisti tamen, et miseris comes additus armis.
Et cum te tellus, fatalisque hora vocaret, 185
Tu Tyrias acies adversaque signa vacasti
Sternere: tunc etiam media de morte timendum
Hostibus, infestaque abeuntem vidimus hasta.
Et nunc te quis casus habet? poterisne reverti
Sedibus a Stygiis, altaque erumpere terra? 190
Anne sedes hilaris juxta tua numina Parcas,
Et vice concordi discis ventura, docesque?
An tibi felices lucos miseratus Averni
Rector, et Elysias dedit inservare volucres?
Quicquid es, æternus Phœbo dolor, et nova clades
Semper eris, mutisque diu plorabere Delphis. 196
Hic Tenedon, Cirrhamque dies, partuque ligatam
Delon, et intonsi claudet penetralia Branchi.
Nec Clarias hac luce fores, Didymæave quisquam
Limina, nec Lyciam supplex consultor adibit.
Quin et cornigeri vatis nemus, atque Molossi 201
Quercus anhela Jovis, Trojanaque Thymbra tace-
Ipsi amnes, ipsæque volent arescere laurus. [bit.
Ipse nihil certum sagis clangoribus æther
Præcinet, et nulla ferientur ab alite nubes. 205
Jamque erit ille dies, quo te quoque conscia fati
Templa colant, reddatque tuus responsa sacerdos.
Talia fatidico peragunt sollennia regi,
Ceu flammas ac dona rogo, tristesque rependant
Exsequias, mollique animam tellure reponant.
Fracta dehinc cunctis, aversaque pectora bello.
Sic fortes Minyas subito cum funere Tiphys
Destituit, non arma sequi, non ferre videtur
Remus aquas, ipsique minus jam ducere venti.
Jam fessis gemitu paulatim corda levabat 215
Exhaustus sermone dolor, noxque addita curas
Obruit, et facilis lacrymis irrepere somnus.
At non Sidoniam diversa in parte per urbem
Nox eadem: vario producunt sidera ludo
Ante domos, intraque; ipsæque ad mœnia marcent 220
Excubiæ: gemina æra sonant, Idæaque terga,
Et moderata sonum vario spiramine buxus.
Tunc dulces superos, atque omne ex ordine alumnum
Numen, ubique sacri resonant Pæanes, ubique
Serta, coronatumque merum: nunc funera rident
Auguris ignari, contraque in pectore certant 226
Tiresiam laudare suum; nunc facta revolvunt
Majorum, veteresque canunt ab origine Thebas.
Hi mare Sidonium, manibusque attrita Tonantis
Cornua, et ingenti sulcatum Nerea tauro: 230
Hi Cadmum, lassamque bovem, fetosque cruenti
Martis agros: alii Tyriam reptantia saxa
Ad chelyn, et duras animantem Amphiona cautes:
Hi gravidam Semelen, illi Cythereia laudant
Connubia, et multa deductam lampade fratrum
Harmonien: nullisque deest sua fabula mensis.
Ceu modo gemmiferum thyrso populatus Hydas-
Eoasque domos, nigri vexilla triumphi [pen
Liber, et ignotos populis ostenderet Indos.
Tum primum ad cœtus, sociæque ad fœdera mensæ, 240
Semper inaspectum, diraque in sede latentem,
Œdipoden exisse ferunt, vultuque sereno
Canitiem nigram squalore, et sordida fusis
Ora comis laxasse manu, sociûmque benignos
Affatus, et abacta prius solatia passum: 245
Quin hausisse dapes, insiccatumque cruorem
Dejecisse genis: cunctos auditque, refertque,
Qui Ditem, et Furias tantum, et si quando regentem
Antigonen, mæstis solitus pulsare querelis.
Causa latet: non hunc Tyrii fors prospera belli,
Tantum bella juvant: natum hortaturque, probatque, 251
Nec vicisse velit; sed primos cominus enses
Et scelerum tacito rimatur semina voto.
Inde epulæ dulces, ignotaque gaudia vultu.
Qualis post longæ Phineus jejunia pœnæ, 255
Nil stridere domi volucres ut sensit abactas,
(Necdum tota fides,) hilaris mensasque, torosque,
Nec turbata feris tractavit pocula pennis.
Cætera Graiorum curis armisque jacebat
Fessa cohors: alto castrorum ex aggere Adrastus
Lætificos tenui captabat corde tumultus, 261
Quanquam æger senio; sed agit miseranda potestas
Invigilare malis: illum æreus undique clamor,
Thebanique urunt sonitus, et amara lacessit
Tibia, tum nimio voces marcore superbæ, 265
Incertæque faces, et jam male pervigil ignis.
Sic ubi per fluctus imo ratis obruta somno
Conticuit, tantique maris secura juventus
Mandavere animas, solus stat puppe magister
Pervigil, inscriptaque deus qui navigat alno. 270
Tempus erat, junctos cum jam soror ignea Phœbi
Sentit equos, penitusque cavam sub luce parata
Oceani mugire domum, seseque vagantem
Colligit, et moto leviter fugat astra flagello.
Concilium rex triste vocat: quæruntque gementes,
Quis tripodas successor agat, quo prodita laurus
Transeat, atque orbum vittæ decus. Haud mora, cuncti
Insignem fama, sanctoque Melampode cretum
Thiodamanta volunt; quicum ipse arcana deorum
Partiri, et visas uni sociare solebat 280
Amphiaraus aves, tantæque haud invidus artis
Gaudebat dici similem, juxtaque secundum.
Illum ingens confundit honos, inopinaque turbat
Gloria, et oblatas frondes submissus adorat, 284
Seque oneri negat esse parem, cogique meretur.
Sicut Achæmenius solium gentesque paternas
Excepit si forte puer, cui vivere patrem
Tutius, incerta formidine gaudia librat,
An fidi proceres, ne pugnet vulgus habenis;
Cui latus Euphratæ, cui Caspia limina mandet.
Sumere tunc arcus, ipsumque onerare veretur
Patris equum, visusque sibi nec sceptra capaci
Sustentare manu, nec adhuc implere tiaram.
Atque is ubi intorto signavit vellere crinem,
Convenitque deis, hilari per castra tumultu 295
Vadit ovans: ac, prima sui documenta, sacerdos
Tellurem placare parat: nec futile mæstis
Id visum Danais: geminas ergo ilicet aras
Arboribus vivis, et adulto cespite texi
Imperat, innumerosque deæ, sua munera, flores,
Et cumulos frugum, et quicquid novat integer annus 301
Addit, et intacto spargens altaria lacte

Incipit: O hominum divûmque æterna creatrix,
Quæ fluvios, sylvasque, animasque, et semina mundi 304
Cuncta, Prometheasque manus, Pyrrhæaque saxa
Gignis, et impastis quæ prima alimenta dedisti,
Mutastique vices, quæ pontum ambisque, vehisque,
Te penes et pecudum gens mitis, et ira ferarum,
Et volucrum requies, firmum atque immobile mundi
Robur inoccidui: te velox machina cœli 310
Aere pendentem vacuo, te currus uterque
Circuit, o rerum media, indivisaque magnis
Fratribus. Ergo simul tot gentibus alma, tot altis
Urbibus, ac populis, subterque ac desuper una
Sufficis, astriferumque domos Atlanta supernas
Ferre laborantem, nullo vehis ipsa labore, 316
Nos tantum portare negas? nos, diva, gravaris?
Quod, precor, ignari luimus scelus? an quia plebes
Externa Inachiis huc adventamus ab oris?
Omne homini natale solum: nec te, optima, sævo
Tanquam humiles populos deceat distinguere fine,
Undique ubique tuos: maneas communis, et arma
Hinc atque inde feras: liceat, precor, ordine belli
Pugnaces efflare animas, et reddere cœlo.
Ne rape tam subitis spirantia corpora bustis, 325
Ne propera: veniemus enim, quo limite, cuncti,
Qua licet ire via: tantum exorata Pelasgis
Siste levem campum, celeres neu præcipe Parcas. [enses
At tu, care deis, quem non manus ulla, nec
Sidonii, sed magna sinu Natura soluto, 330
Ceu te Cirrhæo meritum tumularet hiatu,
Sic amplexa coît, hilaris des, oro, precatus
Nosse tuos, cœloque et vera monentibus aris
Concilies, et quæ populis proferre parabas,
Me doceas: tibi sacra feram præsaga, tuique 335
Numinis interpres, te Phœbo absente vocabo.
Ille mihi Delo Cirrhaque potentior omni,
Quo ruis, ille adytis melior locus. Hæc ubi dicta,
Nigrantes terra pecudes, obscuraque mergit
Armenta, ac vivis cumulos undantis arenæ 340
Aggerat, et vati mortis simulacra rependit.
Talia apud Graios: cum jam Mavortia contra
Cornua, jam sævos fragor æreus excitat enses.
Addit acerba sonum Theumesi e vertice crinem
Incutiens, acuitque tubas, et sibila miscet 345
Tisiphone: stupet insolito clangore Cithæron
Marcidus, et turres carmen non tale secutæ.
Jam trepidas Bellona fores, armataque pulsat
Limina, jam multo laxantur cardine Thebæ.
Turbat eques pedites, currus properantibus obstant, 350
Ceu Danai post terga premant: sic omnibus alæ
Arctantur portis, septemque excursibus hærent.
Ogygiis it sorte Creon, Eteoclea mittunt
Neitæ, celsas Homoloidas occupat Hæmon,
Hypsea Prœtides, celsum fudere Dryanta 355
Electræ, quatit Hypsistas manus Eurymedontis,
Culmina magnanimus stipat Dircæa Menœceus.
Qualis ubi aversi secretus pabula cœli
Nilus, et Eoas magno bibit ore pruinas,
Scindit fontis opes, septemque patentibus arvis
In mare fert hiemes: penitus cessere fugatæ 361
Nereides, dulcique timent occurrere ponto.
Tristis at inde gradum tarde movet Inacha pubes,
Præcipue Eleæ, Lacedæmoniæque cohortes,
Et Pylii: subitum nam Thiodamanta sequuntur
Augure fraudati, necdum accessere regenti. 366
Nec tua te, princeps tripodum, sola agmina quærunt; [alas
Cuncta phalanx sibi deesse putat: minor ille per
Septimus exstat apex: liquido velut æthere, nubes
Invida Parrhasiis unum si detrahat astris, 370
Truncus honor plaustri, nec idem nitet igne reciso
Axis, et incerti numerant sua sidera nautæ.
Sed jam bella vocant: alias nova suggere vires
Calliope, majorque chelyn mihi tendat Apollo.
Fatalem populis ultro poscentibus horam 375
Admovet atra dies: Stygiisque emissa tenebris
Mors fruitur cœlo, bellatoremque volando
Campum operit, nigroque viros invitat hiatu,
Nil vulgare legens; sed quæ dignissima vita
Funera, præcipuos annis animisque cruento 380
Angue notat; jamque in miseros pensum omne sororum
Scinditur, et Furiæ rapuerunt licia Parcis.
Stat medius campis etiamnum cuspide sicca
Bellipotens, jamque hos clypeum, jam vertit ad illos, 384
Arma ciens, aboletque domos, connubia, natos.
Pellitur et patriæ, et qui mente novissimus exit,
Lucis amor: tenet in capulis hastisque paratas
Ira manus, animusque ultra thoracas anhelus
Conatur, galeæque tremunt horrore comarum.
Quid mirum caluisse viros? flammantur in hostem
Cornipedes, niveoque rigant sola putria nimbo,
Corpora ceu mixti dominis, irasque sedentum
Induerint; sic frena terunt, sic prœlia poscunt
Hinnitu, tolluntque armos, equitemque supinant.
Jamque ruunt, primusque virûm concurrere pul- [vis
Incipit, et spatiis utrinque æqualibus acti
Adventant, mediumque vident decrescere campum.
Jam clypeus clypeis, umbone repellitur umbo,
Ense minax ensis, pede pes, et cuspide cuspis.
Sic obnixa acies pariter suspiria firmant, 400
Admotæque nitent aliena in casside cristæ.
Pulcher adhuc belli vultus: stant vertice coni,
Plena armenta viris, nulli sine præside currus,
Arma loco, splendent clypei, pharetræque décoræ,
Cingulaque, et nondum deforme cruoribus au- [rum.
At postquam rabies, et vitæ prodiga virtus
Emisere animos, non tanta cadentibus Hædis
Aeriam Rhodopen solida nive verberat Arctos,
Nec fragor Ausoniæ tantus, cum Jupiter omni
Arce tonat, tanta quatitur nec grandine Syrtis,
Cum Libyæ Boreas Italos niger attulit imbres. 411
Exclusere diem telis: stant ferrea cœlo
Nubila, nec jaculis arctatus sufficit aer.
Hi pereunt missis, illi redeuntibus hastis:
Concurrunt per inane sudes, et mutua perdunt 415
Vulnera, concurrunt hastæ, stridentia fundæ
Saxa pluunt: volucres imitantur fulgura glandes,
Et formidandæ non una morte sagittæ.
Nec locus ad terram telis: in corpora ferrum
Omne cadit: sæpe ignari perimuntque, caduntque;
Casus agit Virtutis opus: nunc turba recedit, 421
Nunc premit, ac vicibus tellurem amittit et aufert.
Ut ventis nimbisque minax cum solvit habenas
Jupiter, affligitque alterno turbine mundum,
Stat cœli diversa acies, nunc fortior Austri, 425
Nunc Aquilonis hiems, donec pugnante procella
Aut nimiis hic vicit aquis, aut ille sereno.
Principium pugnæ turmas Asopius Hypseus
Œbalias (namque hæ magnum et gentile tumentes
Euboicum duris rumpunt umbonibus agmen) 430

Repulit erepto cunei ductore Menalca.
Hic et mente Lacon, crudi torrentis alumnus,
(Nec turpavit avos,) hastam intra pectus euntem,
Ne pudor in tergo, per et ossa et viscera retro
Extrahit, atque hosti dextra labente remittit 435
Sanguineam : dilecta genis morientis oberrant
Taygeta, et pugnæ, laudataque verbera matri.
Phædimon Iasiden arcu Dircæus Amyntas
Destinat : heu celeres Parcæ ! jam palpitat arvis
Phædimus, et certi nondum tacet arcus Amyntæ.
Abstulit ex humero dextram Calydonius Agreus
Phegeos : illa suum terra tenet improba ferrum,
Et movet : extimuit sparsa inter tela jacentem
Progrediens, truncamque tamen percussit Acœtes.
Iphin atrox Athamas, Argum ferus impulit Hypseus, 445
Stravit Abanta Pheres : diversaque vulnera flentes,
Guttur Iphis, latus Argus, Abas in fronte cruorem,
Iphis eques, pedes Argus, Abas auriga jacebant.
Inachidæ gemini geminos ex sanguine Cadmi
Occultos galeis (sæva ignorantia belli) 450
Perculerant ferro : sed dum spolia omnia cæsis
Eripiunt, videre nefas, et mæstus uterque
Respicit ad fratrem, pariterque errasse queruntur.
Cultor Ion Pisæ cultorem Daphnea Cirrhæ
Turbatis prostravit equis : hunc laudat ab alto 455
Jupiter, hunc tardus frustra miseratur Apollo.
Ingentes Fortuna viros illustrat utrinque
Sanguine in adverso : Danaos Cadmeius Hæmon
Sternit agitque furens ; sequitur Tyria agmina Tydeus.
Hunc Pallas præsens, illum Tirynthius implet.
Qualiter hiberni summis duo montibus amnes
Franguntur, geminaque cadunt in plana ruina:
Contendisse putes, uter arva, arbustaque tollat,
Altius aut superet pontes : ecce una receptas
Confudit jam vallis aquas : sibi quisque superbus
Ire cupit, pontoque negant descendere mixti. 466
Ibat fumiferam quatiens Onchestius Idas
Lampada per medios, turbabatque agmina Graiûm,
Igne viam rumpens : magno quem cominus ictu
Tydeos hasta feri discussa casside fixit. 470
Ille ingens in terga jacet : stat fronte superstes
Lancea, collapsæ veniunt in tempora flammæ.
Prosequitur Tydeus : Sævos ne dixeris Argos :
Igne tuo, Thebane, (rogum concedimus,) arde.
Inde, velut primo tigris gavisa cruore 475
Per totum cupit ire pecus ; sic Aona saxo
Ense Pholum, Chromin ense, duos Helicaonas hasta
Transigit, Ægeæ Veneris quos Mæra sacerdos
Ediderat prohibente dea : vos præda cruenti
Tydeos ; it sævas etiamnum mater ad aras. 480
Nec minus Herculeum contra vagus Hæmona ducit
Sanguis : inexpleto rapitur per millia ferro,
Nunc tumidæ Calydonis opes, nunc torva Pylenes
Agmina, nunc mæstæ fundens Pleuronis alumnos;
Donec in Olenium fessa jam cuspide Buten 485
Incidit : hunc turmis obversum, et abire vetantem [que
Aggreditur : puer ille, puer, malasque comam-
Integer, ignaro cui tunc Thebana bipennis
In galeam librata venit : finduntur utrinque
Tempora, dividuique cadunt in brachia crines,
Et non hoc metuens inopino limite vita 491
Exsiluit : tunc flavum Hypanin, flavumque Politen :
(Ille genas Phœbo, crinem hic pascebat Iaccho ;
Sævus uterque deus :) victis Hyperenora jungit,
Conversumque fuga Damasum ; sed lapsa per armos 495
Hasta viri trans pectus abit, parmamque tenenti
Excutit, et summa fugiens in cuspide portat.
Sterneret adversos etiamnum Ismenius heros
Inachidas, (nam tela regit, viresque ministrat
Amphitryoniades,) sævum sed Tydea contra 500
Pallas agit : jamque adverso venere favore
Cominus, et placido prior hæc Tirynthius ore :
Fida soror, quænam hunc belli in caligine nobis
Congressum Fortuna tulit ? num regia Juno
Hoc molita nefas ? citius me fulmina contra 505
(Infandum) ruere, et magno bellare parenti [do
Adspiciat : genus huic..sed mitto agnoscere, quan-
Tu diversa foves : nec si ipsum cominus Hyllum
Tydeos hasta tui, Stygioque ex orbe remissum
Amphitryona petat. Teneo, æternumque tenebo
Quantum hæc, diva, manus, quoties sudaverit ægis
Ista mihi, duris famulus dum casibus omnes
Lustro vagus terras : ipsa heu comes invia mecum
Tartara, ni superos Acheron excluderet, isses.
Tu patrem, cœlumque mihi...quis tanta relatu
Æquet ? habe totas, si mens exscindere, Thebas.
Cedo equidem, veniamque precor. Sic orsus abibat.
Pallada mulcet honos : rediit ardore remisso
Vultus, et erecti sederunt pectoris angues.
Sentit abisse deum ; levius Cadmeius Hæmon
Tela rotat, nulloque manum cognoscit in ictu.
Tunc magis atque magis vires animusque recedunt,
Nec pudor ire retro : cedentem Acheloius heros
Impetit, et librans uni sibi missile telum,
Direxit jactus, summæ qua margine parmæ 525
Ima sedet galea, et juguli vitalia lucent.
Nec frustrata manus, mortemque invenerat hasta;
Sed prohibet, paulumque humeri libare sinistri
Præbuit, et merito parcit Tritonia fratri.
Ille tamen nec stare loco, nec cominus ire 530
Amplius, aut vultus audet perferre cruenti
Tydeos : ægra animo vis, ac fiducia cessit.
Qualis setigeram Lucana cuspide frontem
Strictus aper, penitus cui non infossa cerebro
Vulnera, nec felix dextræ tenor, in latus iras 535
Frangit, et expertæ jam non venit obvius hastæ.
Ecce ducem turmæ certa indignatus in hostem
Spicula felici Prothoum torquere lacerto
Turbidus Œnides, una duo corpora pinu
Cornipedemque equitemque ferit : ruit ilie ruentem 540
In Prothoum, lapsasque manu quærentis habenas
In vultus galeam, clypeumque in pectora calcat,
Saucius extremo donec cum sanguine frenos
Respuit, et juncta domino cervice recumbit.
Sic ulmus vitisque, duplex jactura coloni, 545
Gaurano de monte cadunt : sed mæstior ulmus
Quærit utrumque nemus, nec tam sua brachia labens,
Quam gemit adsuetas, invitaque proterit uvas.
Sumserat in Danaos Heliconius arma Corœbus,
Ante comes Musis, Stygii cui conscia pensi 550
Ipsa diu positis letum prædixerat astris
Uranie ; cupit ille tamen, pugnasque virosque
Forsitan ut caneret : longa jacet ipse canendus
Laude, sed amissum mutæ flevere sorores.
Pactus Agenoream primis Atys ibat ab annis 555
Ismenen (Tyrii juvenis non advena belli, [actis
Quamvis Cirrha domus : soceros nec tristibus
Adversatus erat) sponsam, cui castus amanti
Squalor, et indigni commendat gratia luctus.

Ipse quoque egregius: nec pectora virginis illi
Diversa, inque vicem, sineret Fortuna, placebant.
Bella vetant tædas, juvenique hinc major in hostes
Ira: ruit primis immixtus, et agmina Lernæ
Nunc pedes ense vago, prensis nunc celsus habenis,
Ceu spectetur, agit: triplici velaverat ostro 565
Surgentes etiamnum humeros, et lævia mater
Pectora: tunc auro phaleras, auroque sagittas,
Cingulaque, et manicas (ne conjuge vilior iret)
Presserat, et mixtum cono crispaverat aurum.
Talibus heu fidens vocat ultro in prœlia Graios.
Ac primum faciles grassatus cuspide turmas 571
Arma refert sociis, et in agmina fida peracta
Cæde redit: sic Hyrcana leo Caspius umbra
Nudus adhuc, nulloque jubæ flaventis honore
Terribilis, magnique etiamnum sanguinis insons,
Haud procul a stabulis captat custode remoto 576
Segne pecus, teneraque famem consumit in agna.
Mox ignotum armis, ac solo corpore mensus
Tydea non timuit; fragilique lacessere telo
Sæpius infrendentem aliis, aliosque sequentem
Ausus erat: tandem invalidos Ætolus ad ictus
Forte refert oculos, et formidabile ridens:
Jamdudum video, magnum cupis, improbe, leti
Nomen, ait: simul audacem non ense, nec hasta
Dignatus, leviter digitis imbelle solutis 585
Abjecit jaculum: latebras tamen inguinis alte
Missile, ceu totis intortum viribus, hausit.
Præterit haud dubium fati, et spoliare superbit
Œnides: Neque enim has Marti, aut tibi, bellica Pallas,
Exuvias figemus, ait: procul arceat ipsum 590
Ferre pudor: vix si bellum comitata relictis
Deiphile thalamis, illi illudenda tulissem.
Sic ait, et belli majora ad præmia mente
Ducitur: innumeris veluti leo forte potitus
Cædibus imbelles vitulos, mollesque juvencas
Transmittit: magno furor est in sanguine mergi,
Nec nisi regnantis cervice recumbere tauri.
At non semianimi clamore Menœcea lapsus
Fallit Atys: prævertit equos, curruque citato
Desilit: instabat pubes Tegeæa jacenti, 600
Nec prohibent Tyrii: Pudeat, Cadmea juventus,
Terrigenas mentita patres: quo tenditis, inquit,
Degeneres? meliusne jacet pro sanguine nostro
Hospes Atys? tantum hospes adhuc, et conjugis ultor
Infelix nondum iste suæ: nos pignora tanta 605
Prodimus? Insurgunt justo firmata pudore
Agmina: cuique suæ rediere in pectora curæ.
Interea thalami secreta in parte sorores,
Par aliud morum, miserique innoxia proles
Œdipodæ, varias miscent sermone querelas. 610
Nec mala quæ juxta, sed longa ab origine fati,
Hæc matris tædas, oculos ast illa paternos,
Altera regnantem, profugum gemit altera fratrem,
Bella ambæ: gravis hinc miseri cunctatio voti:
Nutat utroque timor, quemnam hoc certamine victum, 615
Quem vicisse velint: tacite præponderat exsul.
Sic Pandioniæ repetunt ubi fida volucres
Hospitia, atque larem bruma pulsante relictum,
Stantque super nidos, veterisque exordia fati
Enarrant tectis; it truncum ac flebile murmur, 620
Verba putant; voxque illa tamen non dissona verbis.
Atque ibi post lacrymas et longa silentia rursus
Inchoat Ismene: Quisnam hic mortalibus error?
Quæ decepta fides? curam invigilare quieti,
Claraque per somnos animis simulacra reverti?
Ecce ego quæ thalamos, nec si pax alta maneret,
Tractarem sensu, (pudet heu) connubia vidi 627
Nocte, soror: sponsum (unde?) mihi sopor attulit amens
Vix notum visu: semel his in sedibus illum,
Dum mea nescio quo spondentur fœdera pacto,
Respexi non sponte, soror: turbata repente 631
Omina cernebam, subitusque intercidit ignis,
Meque sequebatur rabido clamore reposcens
Mater Atyn. Quænam hæc dubiæ præsagia cladis?
Nec timeo, dum tuta domus, milesque recedat
Doricus, et tumidos liceat componere fratres. 636
Talia nectebant, subito cum pigra tumultu
Expavit domus, et multo sudore receptus
Fertur Atys, servans animam jam sanguine nullo,
Cui manus in plaga, dependet languida cervix
Exterior clypeo, crinesque a fronte supini. 641
Prima videt, caramque tremens Iocasta vocabat
Ismenen: namque hoc solum moribunda precatur
Vox generi, solum hoc gelidis jam nomen inerrat
Faucibus: exclamant famulæ: tollebat in ora
Virgo manus; tenuit sævus pudor: attamen ire
Cogitur, (indulget summum hoc Iocasta jacenti,)
Ostenditque offertque: quater jam morte sub ipsa
Ad nomen visus, dejectaque fortiter ora
Sustulit: illam unam neglecto lumine cœli 650
Adspicit, et vultu non exsatiatur amato.
Tunc quia nec genitrix juxta, positusque beata
Morte pater, sponsæ munus miserabile tradunt,
Declinare genas: ibi demum teste remoto
Fassa pios gemitus, lacrymasque in lumina fudit.
Dumque ea per Thebas, aliis serpentibus ardens
Et face mutata bellum integrabat Enyo,
Arma volunt, primos veluti modo cominus ictus
Sustulerint, omnisque etiamnum luceat ensis.
Eminet Œnides; quamvis et arundine certa 660
Parthenopæus agat, morientumque ora furenti
Hippomedon proculcet equo, Capaneaque pinus
Jam procul Aoniis volet agnoscenda catervis.
Tydeos illa dies: illum fugiuntque, tremuntque,
Clamantem: Quo terga datis? licet ecce peremtos 665
Ulcisci socios, mæstamque rependere noctem.
Ille ego, inexpletis solus qui cædibus hausi
Quinquaginta animas: totidem, totidemque gregati
Ferte manus: nulline patres, nulline jacentum
Unanimi fratres? quæ tanta oblivia luctus? 670
Quam pudet Inachias contentum abiisse Mycenas!
Hine super Thebis? hæc robora regis? ubi autem
Egregius dux ille mihi? Simul ordine lævo
Ipsum exhortantem cuneos, capitisque superbi
Insignem fulgore videt: nec segnius ardens 675
Accurrit, niveo quam flammiger ales olori
Imminet, et magna trepidum circumligat umbra.
Tunc prior: Aoniæ rex o justissime gentis,
Imus in arma palam, tandemque ostendimus enses?
An noctem et solitas placet exspectare tenebras?
Ille nihil contra, sed stridula cornus in hostem
It referens mandata ducis, quam providus heros
Jamjam in fine viæ percussam obliquat, et ipse
Telum ingens avide, et quanto non ante lacerto
Impulit: ibat atrox finem positura duello 685
Lancea: convertere oculos utrinque faventes
Sidonii Graiique dei: crudelis Erinnys
Obstat, et infando differt Eteoclea fratri.
Cuspis in armigerum Phlegyan peccavit, ubi ingens
Pugna virûm: stricto nam sævior irruit ense 690
Ætolus, retroque datum Thebana tegebant

Arma ducem: sic densa lupum jam nocte sub atra
Arcet ab apprenso pastorum turba juvenco:
Improbus erigitur contra, nec cura vetantes
Impetere, illum, illum, semel in quem venerat, urget. 695
Non secus objectas acies, turbamque minorem
Dissimulat, transitque manu: tamen ora Thoantis,
Pectora Deilochi, Clonii latus, ilia torvi
Perforat Hippotadæ: truncis sua membra remittit
Interdum, galeasque rotat per nubila plenas. 700
Et jam corporibus sese spoliisque cadentum
Clauserat: unum acies circum consumitur, unum
Omnia tela vovent: summis hæc ossibus hærent,
Pars frustrata cadunt, partem Tritonia vellit,
Multa rigent clypeo: densis jam consitus hastis
Ferratum quatit umbo nemus, tergoque fatiscit
Atque humeris gentilis aper: nusquam ardua coni
Gloria, quique apicem torvæ Gradivus habebat
Cassidis, haud lætum domino ruit omen: inusta
Temporibus nuda æra sedent, circumque sonori
Vertice percusso volvuntur in arma molares.
Jam cruor in galea, jam saucia proluit ater
Pectora permixtus sudore et sanguine torrens.
Respicit hortantes socios, et Pallada fidam
Longius opposita celantem lumina parma: 715
Ibat enim magnum lacrymis inflectere patrem.
Ecce secat Zephyros ingentem fraxinus iram
Fortunamque ferens: teli non eminet auctor:
Astacides Menalippus erat; nec prodidit ipse,
Et vellet latuisse manum: sed gaudia turmæ 720
Monstrabant trepidum: nam flexus in ilia Tydeus
Submissum latus, et clypei laxaverat orbem.
Clamorem Aonii miscent, gemitumque Pelasgi,
Objectantque manus, indignantemque tuentur.
Ille per oppositos longe rimatus amarum 725
Astaciden, totis animæ se cogit in ictum
Relliquiis, telumque jacit, quod proximus Hopleus
Præbuerat: perit expressus conamine sanguis.
Tunc tristes socii cupidum bellare, (quis ardor!)
Et poscentem hastas, mediaque in morte negantem 730
Exspirare, trahunt, summique in margine campi
Effultum gemina latera inclinantia parma
Ponunt, ac sævi rediturum ad prœlia Martis
Promittunt flentes: sed et ipse recedere cœlum,
Ingentesque animos extremo frigore labi 735
Sensit, et innixus terræ, Miserescite, clamat,
Inachidæ: non ossa precor referantur ut Argos,
Ætolumve larem; nec enim mihi cura supremi
Funeris: odi artus, fragilemque hunc corporis usum
Desertorem animi: caput o, caput, o mihi si quis
Apportet, Menalippe, tuum! nam volveris arvis:
Pido equidem; nec me virtus suprema fefellit.
I, precor, Atrei si quid tibi sanguinis unquam,
Hippomedon: vade, o primis puer inclyte bellis
Arcas, et Argolicæ Capaneu jam maxime turmæ.
Moti omnes: sed primus abit, primusque reper-
Astaciden medio Capaneus e pulvere tollit [tum
Spirantem, lævaque super cervice reportat,
Terga cruentantem concussi vulneris unda.
Qualis ab Arcadio rediit Tirynthius antro, 750
Captivumque suem clamantibus intulit Argis.
Erigitur Tydeus, vultuque occurrit, et amens
Lætitiaque iraque, ut singultantia vidit
Ora, trahique oculos, seseque agnovit in illo;
Imperat abscisum porgi, lævaque receptum 755
Spectat atrox hostile caput, gliscitque tepentis
Lumina torva videns, et adhuc dubitantia figi.
Infelix contentus erat: plus exigit ultrix
Tisiphone: jamque inflexo Tritonia patre
Venerat, et misero decus immortale ferebat, 760
Atque illum effracti perfusum tabe cerebri
Adspicit, et vivo scelerantem sanguine fauces:
Nec comites auferre valent: stetit aspera Gorgo
Crinibus emissis, rectique ante ora cerastæ
Velavere deam: fugit aversata jacentem, 765
Nec prius astra subît, quam mystica lampas, et
Ilissos multa purgavit lumina lympha. [insons

LIBER NONUS.

Asperat Aonios rabies audita cruenti
Tydeos: ipsi etiam minus ingemuere jacentem
Inachidæ, culpantque virum, et rupisse queruntur
Fas odii: quin te, divûm implacidissime, quanquam
Præcipuum tunc cædis opus, Gradive, furebas, 5
Offensum virtute ferunt; nec cominus ipsum
Ora, sed et trepidos retro torsisse jugales.
Ergo profanatum Menalippi funus acerbo
Vulnere non aliis ultum Cadmeia pubes
Insurgunt stimulis, quam si turbata sepulcris 10
Ossa patrum, monstrisque datæ crudelibus urnæ.
Accendit rex ipse super: Quisquamne Pelasgis
Mitis adhuc, hominemque gerit? jam morsibus uncis
(Pro furor! usque adeo tela exsatiavimus?) artus
Dilacerant: nonne Hyrcanis bellare putatis 15
Tigribus, aut sævos Libyæ contra ire leones?
Et nunc ille jacet (pulchra o solatia leti)
Ore tenens hostile caput, dulcique nefandus
Immoritur tabo: nos ferrum mite, facesque;
Illis nuda odia, et feritas jam non eget armis. 20
Sic pergant rabidi, claraque hac luce fruantur,
Dum videas hæc, summe pater. Sed enim hiscere campos
Conquesti, terræque fugam mirantur: an istos
Vel sua portet humus? Magno sic fatus agebat
Procursu fremituque viros: furor omnibus idem
Tydeos invisi spoliis, raptoque potiri 26
Corpore: non aliter subtexunt astra catervæ
Incestarum avium, longe quibus aura nocentem
Aera, desertasque tulit sine funere mortes:
Illo avidæ cum voce ruunt: sonat arduus æther
Plausibus, et cœlo volucres cessere minores. [pum
Fama per Aonium rapido vaga murmure cam-
Spargitur in turmas, solito pernicior index
Cum lugenda refert; donec, cui maxima fando
Damna vehit, trepidas lapsa est Polynicis ad aures. 35
Diriguit juvenis, lacrymæque hæsere paratæ,
Et cunctata fides: nimium nam cognita virtus
Œnidæ credi letum suadetque vetatque.

Sed postquam haud dubio clades auctore reperta est, [fixo
Nox oculos, mentemque rapit: tum sanguine
Membra simul, simul arma ruunt: madet ardua fletu [tem.
Jam galea, atque ocreæ clypeum excepere caden-
It mæstus genua ægra trahens, hastamque sequentem, 43
Vulneribus ceu mille gravis, totosque per artus
Saucius: adsistunt socii, monstrantque gementes.
Tandem ille abjectis, vix quæ portaverat, armis,
Nudus in egregii vacuum jam corpus amici
Procidit, et tali lacrymas cum voce profudit:
Hæne tibi, armorum spes o suprema meorum
Œnide, grates, hæc præmia digna rependi, 50
Nudus ut invisa Cadmi tellure jaceres
Sospite me? nunc exsul ego, æternumque fugatus,
Quando alius misero, ac melior mihi frater ademtus.
Nec jam sortitus veteres, regnique nocentis
Perjurum diadema peto: quo gaudia tanti 55
Emta mihi? aut sceptrum, quod non tua dextera tradet?
Ite, viri, solumque fero me linquite fratri.
Nil opus arma ultra tentare, et perdere mortes:
Ite, precor: quid jam dabitis mihi denique majus?
Tydea consumsi: quanam hunc ego morte piabo?
O socer, o Argi! et primæ bona jurgia noctis,
Alternæque manus, et longi pignus amoris 62
Ira brevis! non me ense tuo tunc, maxime Tydeu,
(Et poteras,) nostri mactatum in limine Adrasti?
Quin etiam Thebas me propter, et impia fratris
Tecta libens, unde haud alius remeasset, adisti;
Ceu tibimet sceptra et proprios laturus honores.
Jam Telamona pium, jam Thesea fama tacebat.
Qualis et ecce jaces! quæ primum vulnera mirer?
Quis tuus hic, quis ab hoste cruor? quæ te agmina, quive 70
Innumeri stravere globi? ni fallor, et ipse
Invidit pater, et tota Mars impulit hasta.
Sic ait, et mærens etiamnum lubrica tabo
Ora viri tergit lacrymis, dextramque reponit.
Tune meos hostes hucusque exosus? et ultra 75
Sospes ego? exuerat vagina turbidus ensem,
Aptabatque neci: comites tenuere, socerque
Castigat, bellique vices ac fata revolvens
Solatur tumidum, longeque a corpore caro
Paulatim, unde dolor, letique animosa voluntas,
Amovet, ac tacite ferrum inter verba reponit. 81
Ducitur, amisso qualis consorte laborum
Deserit inceptum media inter jugera sulcum
Taurus iners, colloque jugum deforme remisso
Parte trahit, partem lacrymans sustentat arator. 85
Ecce autem hortatus Eteoclis et arma secuti,
Lecta manus, juvenes, quos nec Tritonia bello,
Nec prope collata sprevisset cuspide Mavors,
Adventant: contra collecta ut pectora parma
Fixerat, atque hastam longe protenderat, hæret 90
Arduus Hippomedon: ceu fluctibus obvia rupes,
Cui neque de cœlo metus, et fracta æquora cedunt, [tem
Stat cunctis immota minis: timet ipse rigen-
Pontus, et ex alto miseræ novere carinæ. [tam:)
Tunc prior Aonides: (validam simul elicit has-
Non pudet hos manes, hæc infamantia bellum 96
Funera, dis coram, et cœlo inspectante tueri?
Scilicet egregius sudor memorandaque virtus
Hanc tumulare feram! ne non mærentibus Argos
Exsequiis lacrymandus eat, mollique pheretro
Infandam ejectans saniem! dimittite curam: 101
Nullæ illum volucres, nulla impia monstra, nec ipse, [gens
Si demus, pius ignis edat. Nec plura: sed in
Intorquet jaculum, duro quod in ære moratum,
Transmissumque tamen clypei stetit orbe secundo.
Inde Pheres, acerque Lycus: sed cassa Pheretis
Hasta redit, Lycus excelso terrore comantem
Perstrinxit galeam: convulsæ cuspide longe
Diffugere jubæ, patuitque ingloria cassis.
Ipse nec ire retro, nec in obvia concitus arma
Exsilit, inque eadem sese vestigia semper 111
Obversus cunctis profert, recipitque, nec unquam
Longius indulget dextræ, motusque per omnes
Corpus amat; corpus servans, circumque supraque
Vertitur: imbellem non sic amplexa juvencum
Infestante lupo, cum primum feta tuetur 116
Mater, et ancipiti circumfert cornua gyro:
Ipsa nihil metuens, sexusque oblita minoris,
Spumat, et ingentes imitatur fœmina tauros.
Tandem intermissa jaculantum nube potestas 120
Reddere tela fuit: namque et Sicyonius Alcon
Venerat auxilio, Pisæaque præpetis Idæ [hostes
Turba subit, cuneumque replent: his fretus in
Lernæam jacit ipse trabem: volat illa sagittis
Æqua fuga, mediumque nihil cunctata Politen
Transabit, et juncti clypeum cavat improba Mopsi. 126
Phocea tunc Cydona, Tanagræumque Phalantum,
Atque Erycem, hunc retro conversum, et tela petentem,
Dum spes nulla necis, crinito a vertice figit.
Faucibus ille cavis hastam, non ore, receptam 130
Miratur moriens, pariterque et murmure plenus
Sanguis, et expulsi salierunt cuspide dentes.
Ausus erat furto dextram injectare Leonteus
Pone viros atque arma latens, positumque trahebat [crebræ
Prenso crine caput: vidit, quanquam undique
Hippomedon ante ora minæ, sævoque protervam
Abstulit ense manum; simul increpat: Hanc tibi Tydeus,
Tydeus ipse rapit: post et confecta virorum
Fata time, magnosque miser fuge tangere manes.
Ter Cadmea phalanx torvum abduxere cadaver:
Ter retrahunt Danai. Siculi velut anxia puppis
Seditione maris, nequicquam obstante magistro,
Errat, et averso redit in vestigia velo.
Non ibi Sidoniæ valuissent pellere cœpto [rent
Hippomedonta manus: non illum impacta move-
Tormenta oppositum, formidatique superbis 146
Turribus impulsus tentato umbone redissent.
Sed memor Elysii regis, noxasque retexens
Tydeos, in medios astu subit impia campos
Tisiphone: sensere acies, subitusque cucurrit
Sudor equis, sudorque viris: quanquam ore remisso 151
Inachium fingebat Halyn: nusquam impius ignis
Verberaque, et jussi tenuere silentia crines.
Arma gerit, juxtaque feri latus Hippomedontis
Blanda genas, vocemque venit: tamen ille lo-
Extimuit vultus, admiraturque timorem. [quentis
Ille autem lacrymans, Tu nunc, ait, inclyte, frustra
Exanimes socios, inhumataque corpora Graiûm
(Scilicet is nobis metus? aut jam cura sepulcri?)
Protegis: ipse manu Tyria tibi captus Adrastus
Raptatur, teque ante alios, te voce manuque
Invocat: heu qualem lapsare in sanguine vidi,
Exutum canos lacero diademate crines! [ille
Nec procul hinc, adverte oculos: ubi plurimus

Pulvis, ubi ille globus. Paulum stetit anxius heros,
Librabatque metus: premit aspera virgo: Quid hæres? 166
Imus? an hi retinent manes? et vilior ille [dat
Qui superest? Miserum sociis opus, et sua man
Prœlia, et unanimi vadit desertor amici,
Respiciens tamen, et revocent si forte paratus.
Inde legens turbata trucis vestigia divæ, 171
Huc illuc frustra ruit avius: impia donec
Eumenis ex oculis rejecta cærula parma
Fugit, et innumeri galeam rupere cerastæ.
Adspicit infelix discussa nube quietos 175
Inachidas, currumque nihil metuentis Adrasti:
Et Tyrii jam corpus habent; jam gaudia magnæ
Testantur voces, victorque ululatus aderrat
Auribus, occultoque ferit præcordia luctu.
Ducitur hostili (pro dura potentia fati) 180
Tydeus ille solo, modo cui Thebana sequenti
Agmina, sive gradum, seu frena effunderet, ingens
Limes utrinque datus: nusquam arma manusque quiescunt,
Nulla viri feritas: juvat ora rigentia leto,
Et formidatos impune lacessere vultus. 185
Hic amor, hoc una timidi fortesque sequuntur
Nobilitare manus, infectaque sanguine tela
Conjugibus servant, parvisque ostendere natis.
Sic ubi Maura diu populatum rura leonem,
Quem propter clausique greges, vigilantque ma- [gistri,
Pastorum lassæ debellavere cohortes;
Gaudet ager, magno subeunt clamore coloni,
Præcerpuntque jubas, immaniaque ora recludunt,
Damnaque commemorant, seu jam sub culmine [fixus
Excubat, antiquo seu pendet gloria luco.
At ferus Hippomedon, quanquam jam sentit inane
Auxilium, et seram rapto pro corpore pugnam,
It tamen, et cæcum rotat irrevocabilis ensem,
Vix socios hostemque, nihil dum tardet euntem,
Secernens: sed cæde nova jam lubrica tellus, 200
Armaque, seminecesque viri, currusque soluti
Impediunt, lævumque femur, quod cuspide fixum
Regis Echionii, seu dissimulaverat ardens,
Sive ibi nescierat. Mæstum videt Hoplea tandem:
Tydeos hic magni fidus comes, et modo frustra
Armiger: alipedem prona cervice tenebat 206
Fatorum ignarum domini, solumque frementem
Quod vacet, inque acies audentior ille pedestres.
Hunc adspernantem tumido nova pondera tergo
(Unam quippe manum domitis expertus ab annis)
Corripit, affaturque: Quid o nova jussa recusas,
Infelix sonipes? nusquam tibi dulce superbi
Regis onus: non jam Ætolo satiabere campo,
Gaudentemque jubam per stagna Acheloia solves.
Quod superest, caros, i, saltem ulciscere manes,
Aut sequere: extorrem neu tu quoque læseris umbram
Captivus, tumidumque equitem post Tydea portes.
Audisse, accensumque putes: ceu fulmine raptum
Abstulit, et similes minus indignatur habenas.
Semifer aeria talis Centaurus ab Ossa 220
Desilit in valles: ipsum nemora alta tremiscunt,
Campus equum. Trepidi cursu glomerantur anhelo
Labdacidæ: premit ille super, necopinaque ferro
Colla metens, linquit truncos post terga cadentes.
Ventum erat ad fluvium: solito tunc plenior al- [veo,
Signa mali, magna se mole Ismenos agebat.
Illa brevis requies, illo timida agmina lassam
De campis egere fugam: stupet hospita belli
Unda viros, claraque armorum incenditur umbra.
Insiluere vadis: magnoque fragore solutus 230
Agger, et adversæ latuerunt pulvere ripæ.
Ille quoque hostiles saltu majore per undas
Irruit attonitis, (longum dimittere habenas,)
Sicut erat, tantum viridi defixa parumper
Cespite, populeo commendat spicula trunco. 235
Tunc vero exanimes tradunt rapientibus ultro
Arma vadis: alii dimissa casside, quantum
Tendere conatus animæ valuere sub undis,
Turpe latent: multi fluvium transmittere nando
Aggressi; sed vincla tenent, laterique repugnat
Balteus, et madidus deducit pectora thorax. 24
Qualis cæruleis tumido sub gurgite terror
Piscibus, arcani quoties devexa profundi
Scrutantem delphina vident: fugit omnis in imos
Turba lacus, viridesque metu stipantur in algas:
Nec prius emersi, quam summa per æquora flexus
Emicet, et visis malit certare carinis. 247
Talis agit sparsos, mediisque in fluctibus heros
Frena manu pariter, pariter regit arma, pedumque
Remigio sustentat equum; consuetaque campo
Fluctuat, et mersas levis ungula quærit arenas.
Sternit Iona Chromis, Chromin Antiphus, Anti- phon Hypseus,
Hypseus Astaciden, evasurumque relicto
Amne Linum, ni fata vetent, et stamine primo
Ablatum tellure mori: premit agmina Thebes 255
Hippomedon, turbat Danaos Asopius Hypseus:
Amnis utrumque timet: crasso vada mutat uterque
Sanguine, et a fluvio neutri fatale reverti.
Jam laceri pronis volvuntur cursibus artus,
Oraque, et abscisæ redeunt in pectora dextræ.
Spicula jam, clypeosque leves, arcusque remissos
Unda vehit, galeasque vetant descendere cristæ.
Summa vagis late sternuntur flumina telis,
Ima viris: illic luctantur corpora leto,
Efflantesque animas retro premit obvius amnis.
Flumineam rapiente vado puer Agrius ulmum
Prenderat, insignes humeros ferus ense Menœceus
Amputat: ille cadens, nondum conamine ademto,
Truncus in excelsis spectat sua brachia ramis.
Hypseos hasta Sagen ingenti vulnere mersit: 270
Ille manet fundo, rediit pro corpore sanguis.
Desiluit ripis fratrem rapturus Agenor
Heu miser, et tenuit; sed saucius ille levantem
Degravat amplexu: poterat resolutus Agenor
Emersisse vadis, puduit sine fratre reverti. 275
Surgentem dextra Chalybem, vulnusque minan- [tem
Sorbebat rapidus nodato gurgite vortex:
Jam vultu, jam crine latet, jam dextera nusquam
Ultimus abruptas ensis descendit in undas.
Mille modis leti miseros mors una fatigat. 280
Induit a tergo Mycalessia cuspis Agyrten:
Respexit, nusquam auctor erat; sed, concita tractu
Gurgitis, effugiens invenerat hasta cruorem.
Figitur et validos sonipes Ætolus in armos,
Exsiluitque alte vi mortis, et aera pendens 285
Verberat: haud tamen est turbatus flumine duc- tor;
Sed miseratur equum, magnoque e vulnere telum
Exuit ipse gemens, et sponte remisit habenas.
Inde pedes repetit pugnas, gressuque manuque
Certior et segnem Nomium, fortemque Mimanta,
Thisbæumque Lichan, Anthedoniumque Lyce- tum 29
Continuat ferro, geminisque e fratribus unum
Thespiaden: eadem poscenti fata Panemo,
Vive superstes, ait, diræque ad mœnia Thebes
Solus abi, miseros non decepture parentes. 295
Di bene, quod pugnas rapidum dejecit in amnem
Sanguinea Bellona manu: trahit unda timentes

Gurgite gentili, nuda nec flebilis umbra
Stridebit vestros Tydeus inhumatus ad ignes.
Ibitis æquoreis crudelia pabula monstris: 300
Illum terra vehit, suaque in primordia solvit.
Sic premit adversos, et acerbat vulnera dictis.
Ac nunc ense furit, nunc tela natantia raptans
Ingerit: innuptæ comitem Therona Dianæ,
Ruricolamque Gyan, cum fluctivago Ergino, 305
Intonsumque Hersen, contemtoremque profundi
Crethea, nimbosam qui sæpe Caphareos arcem
Euboicasque hiemes parva transfugerat alno.
Quid non fata queant? trajectus pectora ferro
Volvitur in fluctus, heu cujus naufragus undæ!
Te quoque sublimi tranantem flumina curru,
Dum socios, Pharsale, petis, resupinat ademtis
Dorica cuspis equis: illos violentia sævi 313
Gurgitis, infelixque jugi concordia mergit.
Nunc age, quis tumidis magnum expugnaverit undis
Hippomedonta labor, cur ipse excitus in arma
Ismenos, doctæ nosse indulgete sorores: [mæ.
Vestrum opus ire retro, et senium defendere fa-
Gaudebat Fauno nymphaque Ismenide natus
Maternis bellare tener Crenæus in undis: 320
Crenæus, cui prima dies in gurgite fido,
Et natale vadum, et virides cunabula ripæ.
Ergo ratus nihil Elysias ibi posse sorores,
Lætus adulantem nunc hoc nunc margine ab illo
Transit avum: levat unda gradus, seu defluus ille, 325
Sive obliquus eat; nec, cum subit obvius, ullas
Stagna dedere moras, pariterque revertitur amnis
Non Anthedonii tegit hospitis inguina pontus
Blandior, æstivo nec se magis æquore Triton
Exserit, aut caræ festinus ad oscula matris 330
Cum remeat, tardumque ferit delphina Palæmon.
Arma decent humeros, clypeusque insignis, et
Lucidus, Aoniæ cælatur origine gentis. [auro
Sidonis hic blandi per candida terga juvenci
Jam secura maris, teneris jam cornua palmis 335
Non tenet: extremis alludunt æquora plantis.
Ire putes clypeo, fluctusque secare juvencum.
Adjuvat unda fidem: pelago nec discolor amnis.
Tunc audax pariter telis et voce proterva
Hippomedonta petit: Non hæc fecunda veneno
Lerna, nec Herculeis haustæ serpentibus undæ.
Sacrum amnem, sacrum, (miser experiere,) deûm-
que 342
Altrices irrumpis aquas. Nihil ille, sed ibat
Cominus: opposuit cumulo se densior amnis,
Tardavitque manum: vulnus tamen illa retentum
Pertulit, atque animæ tota in penetralia sedit.
Horruit unda nefas: sylvæ flevistis utræque:
Et graviora cavæ sonuerunt murmura ripæ. 348
Ultimus ille sonus moribundo emersit ab ore,
Mater! in hanc miseri ceciderunt flumina vocem.
At genitrix, cœtu glaucarum cincta sororum,
Protinus icta malo, vitrea de valle solutis
Exsiliit furibunda comis, ac verbere crebro
Oraque, pectoraque, et viridem scidit horrida vestem. [menti
Utque erupit aquis, iterumque iterumque tre-
Ingeminat, Crenæe, sono: nusquam ille, sed index 356
Desuper, ah miseræ nimium noscenda parenti,
Parma natat: jacet ipse procul, qua mixta supre-
Ismenon primi mutant confinia ponti. [mum
Fluctivagam sic sæpe domum madidosque penates
Halcyone deserta gemit, cum pignora sævus
Auster et algentes rapuit Thetis invida nidos.
Mergitur orba iterum, penitusque occulta sub un-
Limite non uno, liquidum qua subter eunti [dis
Lucet iter, miseri nequiequam funera nati 365
Vestigat, plangitque tamen: sæpe horridus am-
Obstat, et obducto caligant sanguine visus. [nis
Illa tamen præceps in tela offendit et enses,
Scrutaturque manu galeas, et prona reclinat
Corpora: nec ponto submota intrabat amaram
Dorida: possessum donec jam fluctibus altis
Nereidum miserata cohors ad pectora matris
Impulit: illa manu ceu vivum amplexa reportat,
Insternitque toris riparum, atque humida siccat
Mollibus ora comis, atque hæc ululatibus addit.
Hoc tibi semidei munus tribuere parentes, 376
Nec mortalis avus? sic nostro in gurgite regnas?
Mitior heu misero discors alienaque tellus,
Mitior unda maris, quæ juxta flumina corpus
Retulit, et miseram visa exspectasse parentem.
Hine mei vultus? hæc torvi lumina patris? 381
Hi crines undantis avi? tu nobile quondam
Undarum nemorumque decus, quo sospite major
Diva, et nympharum longe regina ferebar. [tris
Heu ubinam ille frequens modo circa limina ma-
Ambitus, orantesque tibi servire Napææ? 386
Cur nunc te, melius sævo mansura profundo,
Amplexu misero tumulis, Crenæe, reporto,
Non mihi? nec tantæ pudet heu miseretque ruinæ,
Dure parens? quæ te alta et ineluctabilis imo
Condidit amne palus, quo jam nec cruda nepotis
Funera, nec nostri valeant perrumpere planctus?
Ecce furit, jactatque tuo se in gurgite major
Hippomedon: illum ripæque undæque tremiscunt,
Illius impulsu nostrum bibit unda cruorem. 395
Tu piger, et trucibus facilis servire Pelasgis.
Ad cineres saltem supremaque justa tuorum,
Sæve, veni, non hic solum accensure nepotem.
His miscet planctus, multumque indigna cruentat
Pectora: cæruleæ referunt lamenta sorores. 400
Qualiter Isthmiaco nondum Nereida portu
Leucotheen planxisse ferunt, dum pectore anhelo
Frigidus in matrem sævum mare respuit infans
At pater arcano residens Ismenos in antro,
Undeauræ, nubesque bibunt, atque imbrifer arcus
Pascitur, et Tyrios melior venit annus in agros,
Ut lamenta procul (quanquam obstrepit ipse) no-
Accepit natæ gemitus, levat aspera musco [vosque
Colla, gravemque gelu crinem, ceciditque soluta
Pinus adulta manu, dimissaque volvitur urna.
Illum per ripas annoso scrupea limo 41.
Ora exsertantem sylvæ, fluviique minores
Mirantur; tantus tumido de gurgite surgit,
Spumosum attollens apicem, lapsuque sonoro
Pectora cæruleæ rivis manantia barbæ. 415
Obvia cognatos gemitus, casumque nepotis
Nympharum docet una patrem, monstratque cruentum
Auctorem, dextramque premit: stetit arduus alto
Amne, manuque genas, et nexa virentibus ulvis
Cornua concutiens, sic turbidus ore profundo 420
Incipit: Huncne mihi, superûm regnator, hono-
Quod toties hospesque tuis et conscius actis, [rem,
(Nec memorare timor,) falsa nunc improba fronte
Cornua, nunc vetitam currus disjungere Phœben,
Dotalesque rogos, deceptaque fulmina vidi, 425
Præcipuosque alui natorum? an vilis et illis
Gratia? ad hunc certe repsit Tirynthius amnem:
Hac tibi flagrantem Bromium restinximus unda.
Adspice, quas fluvio cædes, quæ funera portem,

Continuus telis, altoque adopertus acervo. 430
Omne vadum belli series tenet: omnis anhelat
Unda nefas, subterque animæ, supraque recentes
Errant, et geminas jungunt caligine ripas.
Ille ego clamatus sacris ululatibus amnis,
Qui molles thyrsos, Baccheaque cornua puro
Fonte lavare feror, stipatus cædibus arctas 436
In freta quæro vias: non Strymonos impia tanto
Stagna cruore natant, non spumifer altius Hebrus
Gradivo bellante rubet: nec te admonet altrix
Unda, tuasque manus, jam pridem oblite paren-
Liber? an Eous melius pacatur Hydaspes? [tum
At tu, qui tumidus spoliis et sanguine gaudes 442
Insontis pueri, non hoc ex amne potentem
Inachon, aut sævas victor revehere Mycenas,
Ni mortalis ego, et tibi ductus ab æthere sanguis.
Sic ait infrendens, et sponte furentibus undis 446
Signa dedit: mittit gelidus montana Cithæron
Auxilia, antiquasque nives, et pabula brumæ
Ire jubet: frater tacitas Asopos eunti
Conciliat vires, et hiulcis flumina venis 450
Suggerit: ipse cavæ scrutatur viscera terræ,
Stagnaque, torpentesque lacus, pigrasque paludes
Excutit, atque avidos tollens ad sidera vultus
Humentes nebulas exhaurit, et aera siccat.
Jamque super ripas utroque exstantior ibat [nem
Aggere, jam medium modo qui superaverat am-
Hippomedon intactus aquis humerosque manus-
Miratur crevisse vadum, seseque minorem. [que,
Hinc atque hinc tumidi fluctus, animosaque sur-
Tempestas, instar pelagi, cum Pleiadas haurit, [git
Aut nigrum trepidis impingit Oriona nautis. 461
Non secus æquoreo jactat Theumesius amnis
Hippomedonta salo, semperque umbone sinistro
Tollitur, et clypeum nigrante supervenit æstu
Spumeus adsultans, fractaque refunditur unda,
Et cumulo majore redit: nec mole liquenti 466
Contentus, carpit putres servantia ripas
Arbusta, annosasque trabes, ejectaque fundo
Saxa rotat: stat pugna impar, amnisque virique,
Indignante deo: nec enim dat terga, nec ullis 470
Frangitur ille minis, venientesque obvius undas
Intrat, et objecta dispellit flumina parma.
Stant terra fugiente gradus, et poplite tenso [rens
Lubrica saxa natant, genibusque obnixus et hæ-
Subruta fallaci servat vestigia limo. 475
Sic etiam increpitans: Unde hæc, Ismene, repente
Ira tibi? quove has traxisti gurgite vires,
Imbelli famulate deo, solumque cruorem
Fœmineis experte choris, cum Bacchica mugit
Buxus, et insanæ maculant trieterida matres? 480
Dixerat: atque illi sese deus obtulit ultro
Turbidus imbre genas, et nube natantis arenæ:
Nec sævit dictis, trunca sed pectora quercu [bant,
Ter quater oppositi, quantum ira deusque vale-
Impulit adsurgens: tandem vestigia flexit, 485
Excussumque manu tegimen, conversaque lente
Terga refert: instant undæ, sequiturque labantem
Amnis ovans: nec non saxis et grandine ferri
Desuper infestant Tyrii, geminoque repellunt
Aggere. Quid faciat bellis obsessus et undis?
Nec fuga jam misero, nec magnæ copia mortis.
Stabat gramineæ producta crepidine ripæ
Undarum ac terræ dubio, sed amicior undis
Fraxinus, ingentique vadum possederat umbra.
Hujus opem (nam qua terras invaderet?) unca
Arripuit dextra: nec pertulit illa trahentem, 496
Sed majore supra, quam stabat, pondere victa
Solvitur, et qua stagna subit radice, quibusque
Arentem mordebat humum, demissa superne
Injecit trepido sese, ripamque, nec ultra 500
Passa virum subitæ vallavit ponte ruinæ.
Huc undæ coeunt, et ineluctabile cœnum
Vorticibusque cavis sedit, crescitque barathrum.
Jamque humeros, jam colla ducis sinuosa vorago
Circuit: hic demum victus suprema fateri 505
Exclamat: Fluvione, (pudet,) Mars inclyte, merges
Hanc animam? segnesque lacus et stagna subibo,
Ceu pecoris custos, subiti torrentis iniquis
Interceptus aquis? adeone occumbere ferro
Non merui? Tandem precibus commota Tonantem
Juno subit: Quonam miseros, sator inclyte divûm,
Inachidas, quonam usque premes? jam Pallas et
Tydea, jam rapto tacuerunt augure Delphi. [odit
En meus Hippomedon, cui gentis origo Mycenæ
Argolicique lares, numenque ante omnia Juno,
(Sic ego fida meis?) pelagi crudelibus ibit 516
Præda feris: certe tumulos, supremaque victis
Busta dabas: ubi Cecropiæ post prœlia flammæ?
Theseos ignis ubi est? Non spernit conjugis æquas
Ille preces: leviterque oculos ad mœnia Cadmi
Retulit, et viso sederunt flumina nutu. 521
Illius exsangues humeri, et perfossa patescunt
Pectora: ceu ventis alte cum elata resedit
Tempestas, surgunt scopuli, quæsitaque nautis
Terra, et ab infestis descendunt æquora saxis.
Quid ripas tenuisse juvat? premit undique nimbo
Telcrum Phœnissa cohors: nec tegmina membris
Ulla, omnisque patet leto: tunc vulnera manant,
Quique sub amne diu stupuit cruor, aere nudo
Solvitur, et tenues venarum laxat hiatus, 530
Incertique labant undarum frigore gressus.
Procumbit, Getico qualis procumbit in Hæmo
Seu Boreæ furiis, putri seu robore, quercus
Cœlo mixta comas, ingentemque aera laxat.
Illam nutantem nemus, et mons ipse tremiscit,
Qua tellure cadat, quas obruat ordine sylvas. 536
Non tamen aut ensem, galeamve audacia cuiquam
Tangere: vix credunt oculis, ingentiaque horrent
Funera, et adstrictis accedunt cominus armis.
Tandem adiit Hypseus, capulumque in morte te-
Extrahit, et torvos laxavit casside vultus: [nenti
Itque per Aonios alte mucrone corusco
Suspensam ostentans galeam, et clamore superbit:
Hic ferus Hippomedon: hic formidabilis ultor
Tydeos infandi, debellatorque cruenti 545
Gurgitis. Agnovit longe, pressitque dolorem
Magnanimus Capaneus, telumque immane lacerto
Hortatur librans: Ades o mihi, dextera, tantum:
Tu præsens bellis et inevitabile numen,
Te voco, te solam superûm contemtor adoro. 550
Sic ait, et voti sese facit ipse potentem.
It tremebunda abies clypeum per et ærea terga
Loricæ, tandemque animam sub pectore magno
Deprendit: ruit haud alio quam celsa fragore
Turris, ubi innumeros penitus quassata per ictus
Labitur, effractamque aperit victoribus urbem.
Cui super adsistens, Non inficiamur honorem 557
Mortis, ait: refer huc oculos, ego vulneris auctor.
Lætus abi, multumque aliis jactantior umbris.
Tunc ensem, galeamque rapit, clypeumque revel-
lit [ta,
Ipsius, exanimemque tenens super Hippomedon-
Accipe, ait, simul hostiles, dux magne, tuasque
Exuvias: veniet cineri decus, et suus ordo
Manibus: interea, justos dum reddimus ignes,
Hoc ultor Capaneus operit tua membra sepulcro.
Sic anceps dura belli vice mutua Graiis 566
Sidoniisque simul nectebat funera Mavors.
Hic ferus Hippomedon, illic non segnior Hypseus

Fletur, et alterni præbent solatia luctus.
Tristibus interea somnum turbata figuris 570
Torva sagittiferi mater Tegeatis ephebi,
Crine dato passim, plantisque ex more solutis,
Ante diem gelidas ibat Ladonis ad undas
Purgatura malum fluvio vivente soporem.
Namque per attonitas curarum pondere noctes
Sæpe et delapsas adytis, quas ipsa dicarat, 576
Exuvias, seque ignotis errare sepulcris
Extorrem nemoris, Dryadumque a plebe fugatam,
Sæpe novos nati bello rediisse triumphos, [bat,
Armaque, et alipedem notum, comitesque vide-
Nusquam ipsum: nunc ex humeris fluxisse pharetras,
Effigiesque suas, simulacraque nota cremari.
Præcipuos sed enim illa metus portendere visa
Nox miseræ, totoque erexit pectore matrem.
Nota per Arcadias felici robore sylvas 585
Quercus erat, Triviæ quam desacraverat ipsa
Electam turba nemorum, numenque colendo
Fecerat: hic arcus et fessa reponere tela,
Armaque curva suum, et vacuorum terga leonum
Figere, et ingentes æquantia cornua sylvas. 590
Vix ramis locus; agrestes adeo omnia cingunt
Exuviæ, et viridem ferri nitor impedit umbram.
Hanc, ut forte jugis longo defessa redibat
Venatu, modo rapta ferox Erymanthidos ursæ
Ora ferens, multo proscissam vulnere cernit 595
Deposuisse comam, et rorantes sanguine ramos
Exspirasse solo: quærenti nympha cruentas
Mænadas, atque hostem dixit sævisse Lyæum.
Dum gemit, et planctu circumdat pectus inani,
Abrupere oculi noctem, mæstoque cubili 600
Exsilit, et falsos quærit per lumina fletus.
Ergo ut in amne nefas merso ter crine piavit,
Verbaque sollicitas matrum solantia curas
Addidit, armatæ ruit ad delubra Dianæ
Rore sub Eoo, notasque ex ordine sylvas 605
Et quercum gavisa videt: tunc limine divæ
Adstitit, et tali nequicquam voce precatur:
Virgo potens nemorum, cujus non mollia signa
Militiamque trucem, sexum indignata, frequento
More nihil Graio: nec te gens aspera ritu 610
Colchis, Amazoniæve magis coluere catervæ:
Si mihi non unquam thiasi, ludusve protervæ
Noctis, et inviso quamvis temerata cubili,
Non tamen aut teretes thyrsos, aut mollia gessi
Pensa, sed in tetricis et post connubia lustris,615
Sic quoque venatrix, animumque innupta remansi:
Nec mihi secretis culpam occultare sub antris
Cura, sed ostendi natum, posuique trementem
Ante tuos confessa pedes: nec degener ille
Sanguinis, inque meos reptavit protinus arcus,
Telaque per lacrymas et prima voce poposcit:
Hunc mihi (quid trepidæ noctes, somnusque minantur?)
Hunc, precor, audaci qui nunc ad prœlia voto
Heu nimium tibi fisus abît, da visere belli
Victorem: vel, si ampla peto, da visere tantum.
Hic sudet, tuaque arma ferat: preme, diva, malorum 626
Signa: quid in nostris, nemoralis Delia, sylvis
Mænades hostiles, Thebanaque numina regnant?
Hei mihi! cur penitus, (simque augur cassa futuri,)
Cur penitus, magnoque interpretor omine quer-
Quod si vera sopor miseræ præsagia mittit, [cum?
Per te maternos, mitis Dictynna, labores,
Fraternumque decus, justis hunc fige sagittis
Infelicem uterum: miseræ sine funera matris
Audiat ille prior. Dixit, fletuque soluto, 635
Adspicit et niveæ saxum maduisse Dianæ.
Illam diva ferox etiamnum in limine sacro
Expositam, et gelidas verrentem crinibus aras
Linquit, et in mediis frondentem Mænalon astris
Exsuperat gressu, saltumque ad mœnia Cadmi
Destinat, interior cœli qua semita lucet 641
Dis tantum, et cunctas juxta videt ardua terras.
Jamque fere medium Parnassi frondea præter
Colla tenebat iter, cum fratrem in nube corusca
Adspicit haud solitum visu: remeabat ab armis
Mæstus Echioniis, demersi funera lugens 646
Auguris: irrubuit cœli plaga sidere mixto,
Occursuque sacro pariter jubar arsit utrumque,
Et coiere arcus, et respondere pharetræ.
Ille prior: Scio Labdacias, germana, cohortes,
Et nimium fortes ausum petis Arcada pugnas. 651
Fida rogat genitrix: utinam indulgere precanti
Fata darent! en ipse mei (pudet) irritus arma
Cultoris, frondesque sacras ad inania vidi
Tartara, et in memet versos descendere vultus:
Nec tenui currus, terræve abrupta coegi, 656
Sævus ego, immeritusque coli. Lugentia cernis
Antra, soror, mutasque domos: hæc sola repen-
Dona pio comiti: nec tu peritura movere [do
Auxilia, et mæstos in vanum perge labores. 660
Finis adest juveni: non hoc mutabile fatum.
Nec te nunc dubiis fraterna oracula fallunt.
At decus extremum misero, confusa vicissim
Virgo refert, duræque licet solatia morti
Quærere: nec fugiet pœnas, quicunque nefandam
Insontis pueri scelerarit sanguine dextram 666
Impius: et nostris fas sit sævire sagittis.
Sic effata movet gressus, libandaque fratri
Parcius ora tulit, Thebasque infesta petivit.
At pugna ereptis major crudescit utrinque 670
Regibus, alternosque ciet vindicta furores.
Hypseos hinc turmæ, desolatumque magistro
Agmen, at hinc gravius fremit Hippomedontis ademti
Orba cohors: præbent obnixi pectora ferro:
Idem ardor rabidis externum haurire cruorem,
Ac fudisse suum: nec se vestigia mutant: 676
Stat cuneo defixa acies, hostique cruento [auras
Dant animas, et terga negant: cum lapsa per
Vertice Dircæi velox Latonia montis
Adstitit: agnoscunt colles, notamque tremiscit
Sylva deam, sævis ubi quondam exserta sagittis
Fecundam lasso Nioben consumserat arcu.
Illum acies inter medias, jam cæde superbum,
Nescius armorum, et primas tunc passus habenas
Venator raptabat equus, quem discolor ambit
Tigris, et auratis adverberat unguibus armos.
Colla sedent, nodis et castigata jubarum
Libertas, nemorisque notæ sub pectore primo
Jactantur niveo lunata monilia dente.
Ipse bis Œbalio saturatam murice pallam, 690
Lucentesque auro tunicas (hoc neverat unum
Mater opus) tenui collectus in ilia vinclo
Cornipedis lævo clypeum demiserat armo,
Ense gravis nimio: tereti juvat aurea morsu
Fibula, pendentes circum latera aspera cinctus,
Vaginæque sonum, tremulumque audire phare-
Murmur, et a cono missas in terga catenas. [træ
Interdum cristas hilaris jactare comantes,
Et pictum gemmis galeæ jubar: ast ubi pugna
Cassis anhela calet, resoluto vertice nudus 700
Exoritur: tunc dulce comæ, radiisque micantes
Dulce nitent visus, et, quas dolet ipse morari,
Nondum mutatæ rosea lanugine malæ.
Nec formæ sibi laude placet, multumque severis

Asperat ora minis: sed frontis servat honorem
Ira decens: dat sponte locum Thebana juventus,
Natorum memores, intentaque tela retorquent:
Sed premit, et sævas miserantibus ingerit hastas.
Illum et Sidoniæ juga per Theumesia nymphæ
Bellantem, atque ipso sudore et pulvere gratum
Laudant, et tacito ducunt suspiria voto. 711
Talia cernenti mitis subit alta Dianæ
Corda dolor, fletuque genas violata, Quod, inquit,
Nunc tibi, quod leti quæram, dea fida, propinqui
Effugium? hæcne ultro properasti ad prœlia, sæve 715
Ac miserande puer? cruda heu festinaque virtus
Suasit, et hortatrix animosi gloria leti.
Scilicet angustum jamdudum urgentibus annis
Mænalium tibi, parve, nemus, perque antra feraVix tutæ sine matre viæ, sylvestria cujus [rum
Nondum tela procax arcumque implere valebas.
Et nunc illa meas ingentem plangit ad aras
Invidiam, surdasque fores et limina lassat.
Tu dulces lituos, ululataque prœlia gaudes,
Felix, et miseræ tantum periture parenti. 725
Ne tamen extremo frustra morientis honori
Affuerit, venit in medios caligine fulva
Septa globos, primumque leves furata sagittas
Audacis tergo pueri, cœlestibus implet
Coryton telis, quorum sine sanguine nullum 730
Effugit: ambrosio tunc spargit membra liquore,
Spargit equum, ne quo temeretur vulnere corpus
Ante necem, cantusque sacros, et conscia miscet
Murmura, secretis quæ Colchidas ipsa sub antris
Nocte docet, monstratque feras quærentibus herbas. 735
Tunc vero exserto circumvolat igneus arcu,
Nec se mente regit, patriæ, matrisque, suique
Immemor, et nimium cœlestibus utitur armis.
Ut leo, cui parvo mater Gætula cruentos
Suggerit ipsa cibos, cum primum crescere sensit
Colla jubis, torvusque novos respexit ad ungues,
Indignatur ali, tandemque effusus apertos
Liber amat campos, et nescit in antra reverti.
Quos, age, Parrhasio sternis, puer improbe, cornu?
Prima Tanagræum turbavit arundo Corœbum
Extremo galeæ, primoque in margine parmæ 746
Angusta transmissa via: stat faucibus unda
Sanguinis, et sacri facies rubet igne veneni.
Sævius Eurytion, cui luminis orbe sinistri
Aspera tergeminis acies se condidit uncis. 750
Ille trahens oculo plenam labente sagittam
Ibat in auctorem: sed divûm fortia quid non
Tela queant? alio geminatum lumine vulnus
Explevit tenebras: sequitur tamen improbus hostem,
Qua meminit, fusum donec prolapsus in Idam
Decidit: hic sævi miser inter funera belli 756
Palpitat, et mortem, sociosque, hostesque preca-
Addit Abantiadas, insignem crinibus Argum, [tur.
Et male dilectum miseræ Cydona sorori.
Illi perfossum telo patefecerat inguen 760
Huic geminum obliqua trajecit arundine tempus.
Exstitit hac ferrum, velox hac penna remansit;
Fluxit utrinque cruor. Nulli tela aspera mortis
Dant veniam: non forma Lamum, non infula Lyg-
Non pubescentes texerunt Æolon anni. [dum,
Figitur ora Lamus, flet saucius inguina Lygdus,
Perfossam telo niveam gemis, Æole, frontem.
Te præceps Eubœa tulit, te candida Thisbe
Miserat, hunc virides non excipietis Amyclæ.
Nunquam cassa manus, nullum sine vulnere fugit
Missile: nec requies dextræ, sonitumque priori
Jungit arundo sequens: unum quis crederet arcum,
Aut unam sævire manum? modo dirigit ictus,
Nunc latere alterno dubius conamina mutat,
Nunc fugit instantes, et solo respicit arcu. 775
Et jam mirantes, indignantesque coibant
Labdacidæ: primusque Jovis de sanguine claro
Amphion, ignarus adhuc, quæ funera campis
Ille daret: Quonam usque moram lucrabere fati,
O multum meritos puer orbature parentes? 780
Quin etiam menti tumor atque audacia gliscit,
Congressus dum nemo tuos pugnamque minorem
Dignatur bellis, iramque relinqueris infra.
I, repete Arcadiam, mixtusque æqualibus illic,
Dum ferus hic vero desævit pulvere Mavors, 785
Prœlia lude domi: quod si te mæsta sepulcri
Fama movet, dabimus: leto moriere virorum.
Jamdudum hunc contra stimulis gravioribus ardet
Trux Atalantiades, necdum ille quieverat, infit:
Sera etiam in Thebas, quarum hic exercitus, arma
Profero: quisnam adeo puer, ut bellare recuset
Talibus? Arcadiæ stirpem et fera semina gentis
Non Thebana vides: non me sub nocte silenti
Thyias Echionio genitrix famulata Lyæo
Edidit: haud unquam deformes vertice mitras
Induimus, turpique manu jactavimus hastam. 796
Protinus adstrictos didici reptare per amnes,
Horrendasque domos magnarum intrare ferarum:
Et quid plura loquar? ferrum mea semper et arcus
Mater habet, vestri feriunt cava tympana patres.
Non tulit Amphion, vultumque et in ora loquentis
Telum immane rotat: sed ferri lumine diro
Turbatus sonipes, sese dominumque retorsit
In latus, atque avidam transmisit devius hastam.
Acrior hoc juvenem stricto mucrone petebat 805
Amphion: cum se medio Latonia campo
Injicit ante oculos: omni stetit obvia vultu.
Hærebat juveni devinctus amore pudico
Mænalius Dorceus, cui bella, suumque timorem
Mater, et audaces pueri mandaverat annos. 810
Hujus tunc vultum dea dissimulata profatur:
Hactenus Ogygias satis infestasse catervas,
Parthenopæe, satis: miseræ jam parce parenti,
Parce deis, quicunque favent. Nec territus ille,
Hunc sine me, (nec plura petam,) fidissime Dorceu,
Sternere humi, qui tela meis gerit æmula telis,
Et similes cultus, et frena sonantia jactat.
Frena regam: cultus Triviæ pendebitis alto
Limine: captivis matrem donabo pharetris.
Audiit, et mixto risit Latonia fletu. 820
Viderat hanc cœli jamdudum in parte remota
Gradivum complexa Venus, dumque anxia Thebas
Commemorat, Cadmumque viro, caræque nepotes
Harmoniæ, pressum tacito sub corde dolorem
Tempestiva movet: Nonne hanc, Gradive, protervam 825
Virginitate vides mediam se ferre virorum
Cœtibus? utque acies audax, et Martia signa
Temperet? en etiam donat, præbetque necandos
Tot nostra de gente viros: huic tradita virtus,
Huic furor? agrestes superest tibi figere damas.
Desiluit justis commotus in arma querelis 831
Bellipotens, cui sola vagum per inane ruenti
Ira comes, reliqui sudant ad bella Furores.
Nec mora, cum mæstam monitu Latoida duro
Increpat adsistens: Non hæc tibi prœlia divûm
Dat pater: armiferum ni protinus improba campum 836
Deseris, huic æquam nosces nec Pallada dextræ.
Quid faciat contra? premit hinc Mavortia cuspis,

Hinc plenæ tibi, parve, colus, Jovis inde severi
Vultus: abit solo post hæc devicta pudore. 840
At pater Ogygias Mavors circumspicit alas,
Horrendumque Dryanta movet, cui sanguinis auc-
Turbidus Orion, comitesque odisse Dianæ. [tor
Inde furit primum: hic turbatos arripit ense
Arcadas, exarmatque ducem: cadit agmine longo
Cyllenes populus, Tegeesque habitator opacæ,
Æpytiique duces fugiunt, Pheneique phalanges.
Ipsum autem et lassa fidit prosternere dextra,
Nec servat vires: etenim huc jam fessus et illuc
Mutabat turmas: urgent præsagia mille 850
Funeris, et nigræ præcedunt nubila mortis.
Jamque miser raros comites, verumque videbat
Dorcea, jam vires paulatim abscedere sentit,
Sentit et exhaustas humero leviore pharetras.
Jam minus atque minus fert arma, puerque vide-
Et sibi: cum torva clypei metuendus obarsit [tur
Luce Dryas: tremor ora repens ac viscera torsit
Arcados: utque feri vectorem fulminis albus
Cum supra respexit olor, cupit hiscere ripam
Strymonos, et trepidas in pectora contrahit alas:
Sic juvenem sævi conspecta mole Dryantis, 861
Jam non ira subit, sed leti nuntius horror.
Arma tamen, frustra superos Triviamque precatus,
Molitur pallens, et surdos expedit arcus. [nam
Jamque instat telis, et utramque obliquus in ul-
Cornua contingit mucrone, et pectora nervo: 866
Cum ducis Aonii magno cita turbine cuspis
Fertur in adversum, nervique obliqua sonori
Vincla secat: pereunt ictus, manibusque remissis
Vana supinato ceciderunt spicula cornu. 870
Tunc miser et frenos turbatus et arma remisit,
Vulneris impatiens, humeri qua tegmina dextri
Intrarat, facilemque cutem subit altera cuspis,
Cornipedisque fugam succiso poplite sistit.
Tunc cadit ipse Dryas (mirum) nec vulneris us-
quam 875
Conscius: olim auctor teli, causæque patebant.
At puer infusus sociis, in devia campi [tem
Tollitur, (heu simplex ætas,) moriensque jacen-
Flebat equum: cecidit laxata casside vultus,
Ægraque per trepidos exspirat gratia visus, 880
Et prensis concussa comis ter colla quaterque
Stare negant, ipsisque nefas lacrymabile Thebis,
Ibat purpureus niveo de pectore sanguis.
Tandem hæc singultu verba incidente profatur:
Labimur: i, miseram, Dorceu, solare parentem.
Illa quidem, si vera ferunt præsagia curæ, 886
Aut somno jam triste nefas, aut omine vidit.
Tu tamen arte pia trepidam suspende, diuque
Decipito: neu tu subitus, neve arma tenenti
Veneris, et tandem cum jam cogere fateri, 890
Dic: Merui, genitrix, pœnas, invita capessens
Arma puer rapui, nec te retinente quievi,
Nec tibi sollicitæ saltem inter bella peperci.
Vive igitur, potiusque animis irascere nostris:
Et jam pone metus: frustra de colle Lycæi 895
Anxia prospectas, si quis per nubila longe
Aut sonus, aut nostro sublatus ab agmine pulvis.
Frigidus in nuda jaceo tellure, nec usquam
Tu prope, quæ vultus efflantiaque ora teneres.
Hunc tamen, orba parens, crinem, (dextraque se-
candum 900
Præbuit,) hunc toto capies pro corpore crinem,
Comere quem frustra me dedignante solebas.
Huic dabis exsequias: atque inter justa memento
Ne quis inexpertis hebetet mea tela lacertis,
Dilectosque canes ullis agat amplius antris. 905
Hæc autem primis arma infelicia castris
Ure, vel ingratæ munus suspende Dianæ.

LIBER DECIMUS.

Obruit Hesperia Phœbum nox humida porta,
Imperiis properata Jovis: nec castra Pelasgûm
Aut Tyrias miseratus opes, sed triste tot extra
Agmina, et immeritas ferro decrescere gentes.
Panditur immenso deformis sanguine campus. 5
Illic arma, et equos, ibant quibus ante superbi,
Funeraque orba rogis, neglectaque membra relin-
quunt.
Tunc inhonora cohors laceris insignibus ægras
Secernunt acies, portæque, ineuntibus arma
Angustæ populis, late cepere reversos. 10
Par utrinque dolor: sed dant solatia Thebis
Quatuor errantes Danaûm sine præside turmæ,
Ceu mare per tumidum viduæ moderantibus alni,
Quas deus, et casus, tempestatesque gubernant.
Inde animus Tyriis, non jam sua castra, sed ultro
Hostilem servare fugam, ne forte Mycenas 16
Contenti rediisse petant: dat tessera signum
Excubiis, positæque vices: dux noctis opertæ
Sorte Meges, ultroque Lycus: jamque ordine
jusso [tes:
Arma, dapes, ignemque ferunt: rex firmat eun-
Victores Danaûm, (nec enim lux crastina longe,
Nec quæ pro timidis intercessere tenebræ
Semper erunt,) augete animos, et digna secundis
Pectora ferte deis: jacet omnis gloria Lernæ,
Præcipuæque manus: subiit ultricia Tydeus 25
Tartara: mors subitam nigri stupet auguris um-
bram:
Ismenos raptis tumet Hippomedontis opimis:
Arcada belligeris pudet annumerare tropæis.
In manibus merces: nusquam capita ardua belli,
Monstratæque ducum septena per agmina cristæ.
Scilicet Adrasti senium, fraterque juventa 31
Pejor, et insanis Capaneus metuendus in armis?
Ite age, et obsessis vigiles circumdate flammas.
Nulli ex hoste metus: prædam adservatis, opes-
que
Jam vestras. Sic ille truces hortatibus implet
Labdacidas: juvat exhaustos iterare labores, 36
Sicut erant: pulvis, sudorque, cruorque per artus
Mixtus adhuc: vertere gradum, vix obvia passi
Colloquia; amplexus etiam, dextrasque suorum
Excussere humeris: tunc frontem, aversaque
terga [gunt
Partiti, laterumque sinus, vallum undique cin-

Ignibus infestis: rabidi sic agmine mixto 42
Sub noctem coiere lupi, quos omnibus agris
Nil non ausa fames longo tenuavit hiatu: [fauces,
Jam stabula ipsa premunt: torquet spes irrita
Balatusque tremens, pinguesque ab ovilibus auræ.
Quod superest, duris affringunt postibus ungues
Pectoraque, et siccos minuunt in limine dentes.
At procul Argolici supplex in margine templi
Cœtus, et ad patrias fusæ Pelopeides aras 50
Sceptriferæ Junonis opem, reditumque suorum
Exposcunt, pictasque fores, et frigida vultu
Saxa terunt, parvosque docent procumbere natos.
Condiderant jam vota diem: nox addita curas
Jungit, et aggestis vigilant altaria flammis. 55
Peplum etiam dono, cujus mirabile textum
Nulla manus sterilis, nec dissociata marito
Versarat, calathis castæ velamina divæ
Haud spernenda ferunt, variis ubi plurima floret
Purpura picta modis, mixtoque incenditur auro.
Ipsa illic magni thalamo desponsa Tonantis
Expers connubii, et timide positura sororem,
Lumine demisso pueri Jovis oscula libat
Simplex, et nondum furtis offensa mariti.
Hoc tunc Argolicæ sanctum velamine matres 65
Induerant ebur, et lacrymis questuque rogabant:
Adspice sacrilegas Cadmeæ pellicis arces,
Siderei regina poli, tumulumque rebellem
Disjice, et in Thebas aliud (potes) excute fulmen.
Quid faciat? scit fata suis contraria Graiis, 70
Aversumque Jovem: sed nec periisse precatus
Tantaque dona velit: tempus tamen obvia magni
Fors dedit auxilii: videt alto ex æthere clausa
Mœnia, et insomni vallum statione teneri.
Horruit irarum stimulis, motaque verendum 75
Turbavit diadema coma: non sævius arsit,
Herculeæ cum matris onus, geminosque Tonantis
Concubitus vacuis indignaretur in astris.
Ergo intempesta somni dulcedine captos
Destinat Aonios leto præbere: suamque 80
Orbibus accingi solitis jubet Irin, et omne
Mandat opus: paret jussis dea clara, polumque
Linquit, et in terras longo suspenditur arcu.
Stat super occiduæ nebulosa cubilia noctis,
Æthiopasque alios, nulli penetrabilis astro 85
Lucus iners, subterque cavis grave rupibus antrum
It vacuum in montem, qua desidis atria Somni
Securumque larem segnis Natura locavit.
Limen opaca Quies, et pigra Oblivia servant,
Et nunquam vigili torpens Ignavia vultu. 90
Otia vestibulo, pressisque Silentia pennis
Muta sedent, abiguntque truces a culmine ventos,
Et ramos errare vetant, et murmura demunt
Alitibus: non hic pelagi, licet omnia clament
Littora, non ullus cœli fragor: ipse profundis 95
Vallibus effugiens speluncæ proximus amnis
Saxa inter scopulosque tacet: nigrantia circa
Armenta, omne solo recubat pecus, et nova marcent
Germina, terrarumque inclinat spiritus herbas.
Mille intus simulacra dei cælaverat ardens 100
Mulciber: hic hæret lateri redimita Voluptas,
Hic comes in requiem vergens Labor: est ubi Baccho,
Est ubi Martigenæ socium pulvinar Amori
Obtinet: interius tectum in penetralibus altis
Et cum Morte jacet: nullique ea tristis imago.
Ipse autem, vacuus curis, humentia subter 106
Antra soporifero stipatus flore, tapetas
Incubat: exhalant vestes, et corpore pigro
Strata calent, supraque torum niger efflat anhelo
Ore vapor: manus hæc fusos a tempore lævo
Sustentat crines, hæc cornu oblita remisit. 111
Adsunt innumero circum vaga Somnia vultu,
Vera simul falsis, permixtaque tristia blandis,
Noctis opaca cohors, trabibusque aut postibus hærent,
Aut tellure jacent. Tenuis, qui circuit aulam, 115
Invalidusque nitor: primosque hortantia somnos
Languida succiduis exspirant lumina flammis.
Huc se cæruleo libravit ab æthere virgo
Discolor: effulgent sylvæ, tenebrosaque Tempe
Arrisere deæ, et zonis lucentibus icta 120
Evigilat domus: ipse autem nec lampade clara,
Nec sonitu, nec voce deæ perculsus, eodem
More jacet; donec radios Thaumantias omnes
Impulit, inque oculos penitus descendit inertes.
Tunc sic orsa loqui nimborum fulva creatrix:
Sidonios te Juno duces, mitissime divûm 126
Somne, jubet, populumque trucis defigere Cadmi,
Qui nunc eventu belli tumefactus, Achæum
Pervigil adservat vallum, et tua jussa recusat.
Da precibus tantis, (rara est hoc posse facultas,)
Placatumque Jovem dextra Junone merere. 131
Dixit, et increpitans languentia pectora dextra,
Ne pereant voces, iterumque iterumque monebat.
Ille deæ jussis dubium mixtumque sopori
Annuit: excedit gravior nigrantibus antris 135
Iris, et obtusum multo jubar excitat imbri.
Ipse quoque et volucrem gressum, et ventosa citavit
Tempora, et obscuri sinuatam frigore cœli
Implevit chlamydem, tacitoque per æthera cursu
Fertur, et Aoniis longe gravis imminet arvis. 140
Illius aura solo volucres, pecudesque, ferasque
Explicat, et penitus quacunque supervolat orbem,
Languida de scopulis sidunt freta: pigrius hærent
Nubila, demittunt extrema cacumina sylvæ,
Pluraque laxato ceciderunt sidera cœlo. 145
Primus adesse deum subita caligine sensit
Campus, et innumeræ voces, fremitusque virorum
Submisere sonum: cum vero humentibus alis
Incubuit, piceaque haud unquam densior umbra
Castra subît, errare oculi, resolutaque colla, 150
Et medio affatu verba imperfecta relinqui.
Mox et fulgentes clypeos, et sæva remittunt
Pila manu, lassique cadunt in pectora vultus.
Et jam cuncta silent: ipsi jam stare recusant
Cornipedes: ipsos subitus cinis abstulit ignes.
At non et trepidis eadem sopor otia Graiis 156
Suadet, et a junctis arcet sua nubila castris
Noctivagi vis blanda dei: stant undique in armis
Fœdam indignantes noctem, vigilesque superbos. [ror
Ecce repens, superis animum lymphantibus, hor-
Thiodamanta subit, formidandoque tumultu 161
Pandere fata jubet: sive hanc Saturnia mentem,
Sive novum comitem bonus instigabat Apollo.
Prosilit in medios, visu audituque tremendus,
Impatiensque dei, fragili quem mente receptum
Non capit: exundant stimuli, nudusque per ora
Stat furor, et trepidas incerto sanguine reddit
Exhauritque genas: acies huc errat et illuc,
Sertaque mixta comis sparsa cervice flagellat.
Sic Phryga terrificis genitrix Idæa cruentum 170
Elicit ex adytis, consumtaque brachia ferro
Scire vetat: quatit ille sacras in pectora pinus,
Sanguineosque rotat crines, et vulnera cursu
Exanimat: pavet omnis ager, respersaque cultris
Arbor, et attoniti currum erexere leones. [dam
Ventum ad concilii penetrale, domumque veren

Signorum, magnis ubi dudum cladibus æger,
Rerum extrema movens, frustra consultat Adrastus.
Stant circum subiti proceres, ut quisque peremto
Proximus, et magnis loca desolata tuentur 180
Regibus, haud læti, seque huc crevisse dolentes.
Non secus amisso medium cum præside puppis
Fregit iter, subit ad vidui moderamina clavi
Aut laterum custos, aut quem penes obvia ponto
Prora fuit: stupet ipsa ratis, tardeque sequuntur
Arma, nec accedit domino tutela minori. 186
Ergo alacer trepidos sic erigit augur Achivos:
Magna deûm mandata, duces, monitusque verendos
Advehimus: non hæ nostro de pectore voces.
Ille canit, cui me famulari, et sumere vittas 190
Vestra fides, ipso non discordante, subegit.
Nox fecunda operum, pulchræque accommoda fraudi
Panditur augurio divûm: vocat obvia virtus,
Et poscit Fortuna manus: stupet obruta somno
Aonidûm legio: tempus nunc funera regum 195
Ulcisci, miserumque diem: rapite arma, morasque
Frangite portarum: sociis hoc subdere flammas,
Hoc tumulare suos: equidem hoc et Marte diurno,
Dum res infractæ, pulsique in terga redimus,
(Per tripodas juro, et rapti nova fata magistri,) 200
Vidi, et me volucres circum plausere secundæ.
Sed nunc certa fides: modo me sub nocte silenti
Ipse, ipse adsurgens iterum tellure soluta,
Qualis erat, (solos infecerat umbra jugales,)
Amphiaraus adît: vanæ nec monstra quietis, 205
Nec somno comperta loquor: Tune, inquit, inertes
Inachidas (redde hæc Parnassia serta, meosque
Redde deos) tantam patiere amittere noctem,
Degener? hæc egomet cœli secreta, vagosque
Edocui lapsus? vade eia, ulciscere ferro 210
Nos saltem. Dixit, meque hæc ad limina visus
Cuspide sublata, totoque impellere curru. [tes
Quare agite, utendum superis: non cominus hos-
Sternendi: bellum jacet, et sævire potestas.
Ecqui aderunt, quos ingenti se attollere fama 215
Non pigeat, dum fata sinunt? iterum ecce benignæ [sent,
Noctis aves: sequor, et comitum licet agmina ces-
Solus eo, solus: venit ille, et quassat habenas.
Talia vociferans noctem exturbabat: euntque
Non secus accensi proceres, quam si omnibus idem 220
Corde deus: flagrant comitari et jungere casus.
Ter denos numero, turmarum robora, jussus
Ipse legit: circa fremit indignata juventus
Cætera, cur maneant castris, ignavaque servent
Otia: pars sublime genus, pars facta suorum, 225
Pars sua; sortem alii clamant, sortem undique poscunt.
Gaudet in adversis, animoque adsurgit Adrastus.
Vertice sic Pholoes volucrum nutritor equorum,
Cui fetura gregem pecoroso vere novavit,
Lætatur, cernens hos montis in ardua niti, 230
Hos innare vadis, certare parentibus illos.
Tunc vacuo sub corde movet, qui molle domandi
Ferre jugum, qui terga boni, quis in arma tubasque
Natus, ad Eleas melior quis surgere palmas.
Talis erat turmæ ductor longævus Achivæ, 235
Nec deerat cœptis: Unde hæc tam sera repente
Numina? qui fractos superi rediistis ad Argos?
Estne hic infelix virtus? gentique superstes
Sanguis, et in miseris animorum semina durant?
Laudo equidem, egregii juvenes, pulchraque meorum 240
Seditione fruor: sed fraudem, et operta paramus
Prœlia; celandi motus. nunquam apta latenti
Turba dolo servate animos: venit ultor in hostes
Ecce dies: tunc arma palam, tunc ibimus omnes.
His tandem virtus juvenum frenata quievit. 245
Non aliter moto quam si pater Æolus antro
Portam iterum saxo premat imperiosus, et omne
Claudat iter, jam jam sperantibus æquora ventis.
Insuper Herculeum sibi jungit Agyllea vates
Actoraque: hic aptus suadere, hic robora jactat
Non cessisse patri: comites tribus ordine deni,
Horrendum Aoniis, et contra stantibus, agmen.
Ipse, novi gradiens furta ad Mavortia belli,
Ponit adoratas Phœbea insignia frondes,
Longævique ducis gremio commendat honorem
Frontis, et oblatam Polynicis munere grato 256
Loricam galeamque subit: ferus Actora magno
Ense gravat Capaneus, ipse haud dignatus in hostem
Ire dolo, superosque sequi: permutat Agylleus
Arma trucis Nomii: quid enim fallentibus umbris
Arcus, et Herculeæ juvissent bella sagittæ? 261
Inde per abruptas castrorum ex aggere pinnas,
Ne gravis exclamet portæ mugitus aenæ,
Præcipitant saltu: nec longum, et protinus ingens
Præda solo, ceu jam exanimes, multoque peracti
Ense, jacent. Ite, o socii, quacunque voluptas
Cædis inexhaustæ, superisque faventibus, oro,
Sufficite, hortatur clara jam voce sacerdos:
Cernitis expositas turpi marcore cohortes.
Pro pudor! Argolicas hinc ausi obsidere portas?
Hi servare viros? Sic fatus, et exuit ensem 271
Fulmineum, rapidaque manu morientia transit
Agmina: quis numeret cædes, aut nomine turbam
Exanimem signare queat? subit ordine nullo
Tergaque, pectoraque, et galeis inclusa relinquit
Murmura, permiscetque vagos in sanguine manes.
Hunc temere explicitum stratis, hunc sero remissis [tem:
Gressibus illapsum clypeo, et male tela tenen-
Cœtibus hos mediis vina inter et arma jacentes:
Acclines clypeis alios, ut quemque ligatum 280
Infelix tellure sopor, supremaque nubes
Obruerat: nec numen abest, armataque Juno
Lunarem quatiens exserta lampada dextra [strat.
Pandit iter, firmatque animos, et corpora mon-
Sentit adesse deam tacitus, sed gaudia celat 285
Thiodamas. Jam tarda manus, jam debile ferrum,
Et caligantes nimiis successibus iræ.
Caspia non aliter magnorum in strage juvencûm
Tigris, ubi immenso rabies placata cruore,
Lassavitque genas, et crasso sordida tabo 290
Confudit maculas, spectat sua facta, doletque
Defecisse famem: victus sic augur inerrat
Cædibus Aoniis: optet nunc brachia centum,
Centenasque in bella manus: jam tædet inanes
Exhaurire minas, hostemque adsurgere malit. 295
Parte alia segnes magno satus Hercule vastat
Sidonios, Actorque alia: sua quemque cruento
Limite turba subit: stagnant nigrantia tabo
Gramina, sanguineis nutant tentoria rivis.
Fumat humus, somnique et mortis anhelitus una
Volvitur: haud quisquam visus, aut ora, jacentum
Erexit; tali miseris deus aliger umbra 302
Incubat, et tantum morientia lumina solvit.
Traxerat insomnis cithara ludoque suprema
Sidera, jam nullos visurus lalmenus ortus,
Sidonium Pæana canens: huic languida cervix

In lævum cogente deo, mediaque jacebant
Colla relicta lyra: ferrum per pectus Agylleus
Exigit, aptatamque cava testudine dextram
Percutit, et digitos inter sua fila trementes. 310
Proturbat mensas dirus liquor: undique manant
Sanguine permixti latices, et Bacchus in altos
Crateras paterasque redit. Ferus occupat Actor
Implicitum fratri Thamyrin: Tagus hauritEchecli
Terga: coronati Danaus caput amputat Hebri.
Nescius heu rapitur fatis, hilarisque sub umbras
Vita fugit, mortisque feræ lucrata dolores. 317
Stratus humo gelida subter juga fida rotasque
Palpetus Aonios gramen gentile metentes
Proflatu terrebat equos: madida ora redundant,
Accensusque mero sopor æstuat: ecce jacentis
Inachius vates jugulum fodit: expulit ingens
Vina cruor, fractumque perît in sanguine murmur.
Fors illi præsaga quies, nigrasque gravatus
Per somnum Thebas, et Thiodamanta videbat.
Quarta soporiferæ superabant tempora nocti, 326
Cum vacuæ nubes, et honor non omnibus astris,
Afflatusque fugit curru majore Bootes.
Jamque ipsum defecit opus, cum providus Actor
Thiodamanta vocat: Satis hæc inopina Pelasgis
Gaudia: vix ullos tanto reor agmine sævam 331
Effugisse necem, ni quos deformis in alto
Sanguine degeneres occultat vita: secundis
Pone modum: sunt et diris sua numina Thebis.
Forsitan et nobis modo quæ favere, recedant. 335
Paruit, et madidas tollens ad sidera palmas:
Phœbe, tibi exuvias monstratæ præmia noctis,
Nondum ablutus aquis, (tibi enim hæc ego sacra litavi,)
Trado ferus miles tripodum, fidusque sacerdos.
Si non dedecui tua jussa, tulique prementem, 340
Sæpe veni: sæpe hanc dignare irrumpere mentem.
Nunc tibi crudus honos, trunca arma, cruorque virorum;
At patrias si quando domos optataque, Pæan,
Templa, Lycee, dabis, tot ditia dona sacratis
Postibus, et totidem voti memor exige tauros.
Dixerat, et lætis socios revocabat ab armis. 346
Venerat hos inter fato Calydonius Hopleus
Mænaliusque Dymas, dilecti regibus ambo,
Regum ambo comites, quorum post funera mæsti
Vitam indignantur: prior Arcada concitat Hopleus: 350
Nullane post manes regis tibi cura peremti,
Care Dyma? teneant quem jam fortasse volucres
Thebanique canes: patriæ quid deinde feretis,
Arcades? en reduces contra venit aspera mater:
Funus ubi? at nostro semper sub pectore Tydeus
Sævit inops tumuli, quamvis patientior artus 356
Ille, nec abruptis adeo lacrymabilis annis.
Ire tamen, sævumque libet nullo ordine passim
Scrutari campum, mediasque irrumpere Thebas.
Excipit orsa Dymas: Per ego hæc vaga sidera juro, 360
Per ducis errantes instar mihi numinis umbras,
Idem ardor misero: comitem circumspicit olim
Mens humilis luctu: sed nunc prior ibo: viamque
Inchoat, et mæsto conversus ad æthera vultu
Sic ait: Arcanæ moderatrix Cynthia noctis, 365
Si te tergeminis perhibent variare figuris
Numen, et in sylvas alio descendere vultu,
Ille comes nuper, nemorumque insignis alumnus,
Ille tuus, Diana, puer (nunc respice saltem)
Quæritur. Incendit pronis dea curribus almum
Sidus, et admoto monstravit funera cornu. 371
Apparent campi, Thebæque, altusque Cithæron.
Sic ubi nocturnum tonitru malus æthera frangit
Jupiter, absiliunt nubes, et fulgure claro
Astra patent, subitusque oculis ostenditur orbis.
Accepit radios, et eadem percitus Hopleus 376
Tydea luce videt: longe dant signa per umbras
Mutua lætantes, et amicum pondus uterque,
Ceu reduces vitæ, sævaque a morte remissos
Subjecta cervice levant: nec verba, nec ausi 380
Flere diu: prope sæva dies, indexque minatur
Ortus: eunt taciti per mæsta silentia magnis
Passibus, exhaustasque dolent pallere tenebras.
Invida fata piis, et fors ingentibus ausis [quant,
Rara comes! jam castra vident, armisque propin-
Et decrescit onus, subiti cum pulveris umbra,
Et sonus a tergo: monitu ducis acer agebat 387
Amphion equites, noctem, vigilataque castra
Explorare datus, primusque per avia campi
Usque procul (necdum totas lux solverat umbras)
Nescio quid visu dubium, incertumque moveri,
Corporaque ire videt: subitus mox fraude reperta
Exclamat: Cohibete gradum quicunque: sed hostes
Esse patet: miseri pergunt anteire, timentque
Non sibi: tunc mortem trepidis minitatur, et hastam 395
Expulit, ac vanos alte levat eminus ictus,
Affectans errare manum: stetit illa Dymantis
Ante oculos, qui forte prior, gressumque repressit.
At non magnanimus curavit perdere jactus
Æpytus, et fixo transverberat Hoplea tergo, 400
Pendentesque etiam perstrinxit Tydeos armos.
Labitur, egregii nondum ducis immemor, Hopleus,
Exspiratque tenens: felix, si corpus ademtum
Nesciat, ac sævas talis descendat ad umbras.
Viderat hoc retro conversus, et agmina sentit 405
Juncta Dymas, dubius precibusne subiret, an armis
Instantes: arma ira dabat; fortuna precari,
Non audere jubet: neutri fiducia cœpto.
Distulit ira preces: ponit miserabile corpus
Ante pedes; tergoque graves quas forte gerebat
Tigridis exuvias in lævum torquet, et obstat 411
Exsertum objectans mucronem, inque omnia tela
Versus, et ad cædem juxta, mortemque paratus.
Ut lea, quam sævo fetam pressere cubili
Venantes Numidæ, natos erecta superstat 415
Mente sub incerta, torvum ac miserabile frendens:
Illa quidem turbare globos, et frangere morsu
Tela queat, sed prolis amor crudelia vincit
Pectora, et a media catulos circumspicit ira.
Et jam læva viro, quamvis sævire vetaret 420
Amphion, erepta manus, puerique trahuntur
Ora supina comis: serus tunc denique supplex
Demisso mucrone rogat: Moderatius, oro,
Ducite; fulminei per vos cunabula Bacchi,
Inoamque fugam, vestrique Palæmonis annos.
Si cui forte domi natorum gaudia, si quis 426
Hic pater, angusti puero date pulveris haustus,
Exiguamque facem: rogat en, rogat ipse jacentis
Vultus: ego infandas potior satiare volucres:
Me præbete feris: ego bella audere coegi. 430
Immo, ait Amphion, regem si tanta cupido
Condere, quæ timidis belli mens, ede, Pelasgis,
Quid fracti exsanguesque parent: cuncta ocius
Et vita, tumuloque ducis donatus abito. [effer,
Horruit, et toto præcordia protinus Arcas [quit,
Implevit capulo: Summumne hoc cladibus, in-
Deerat, ut afflictos turparem ego proditor Argos?
Nil emimus tanti, nec sic velit ipse cremari
Sic ait, et magno proscissum vulnere pectus
Injecit puero, supremaque murmura volvens: 440

Hoc tamen interea charo potiere sepulcro.
Tales optatis regum in complexibus ambo,
Par insigne animis, Ætolus et inclytus Arcas,
Egregias efflant animas, letoque fruuntur. [gant
Vos quoque sacrati, quamvis mea carmina sur-
Inferiore lyra, memores superabitis annos. 446
Forsitan et comites non adspernabitur umbras
Euryalus, Phrygiique admittet gloria Nisi.
At ferus Amphion, regi qui facta reportent,
Edoceantque dolum, captivaque corpora reddant,
Mittit ovans: clausis ipse insultare Pelasgis 451
Tendit, et abscisos sociorum ostendere vultus.
Interea reducem murorum e culmine Graii
Thiodamanta vident: nec jam erumpentia celant
Gaudia, ut exsertos enses, et cæde recenti 455
Arma rubere notant: novus adsilit æthera magnum
Clamor, et e summo pendent cupida agmina vallo
Noscere quisque suos: volucrum sic turba recentum,
Cum reducem longo prospexit in æthere matrem,
Ire cupit contra, summique e margine nidi 460
Exstat hians; jam jamque cadat, ni pectore toto
Obstet aperta parens, et amantibus increpet alis.
Dumque opus arcanum, et taciti compendia Martis
Enumerant, lætisque suos complexibus implent,
Hopleaque exquirunt, tardumque Dymanta que-
Ecce et Dircææ juxta dux concitus alæ [runtur;
Venerat Amphion: non longum cæde recenti
Lætatus, videt innumeris fervere catervis
Tellurem, atque una gentem exspirare ruina.
Qui tremor illicita cœli de lampade tactos, 470
Hic fixit juvenem, pariterque horrore sub uno
Vox, acies, sanguisque perit, gemitusque parantem
Ipse ultro convertit equus: fugit ala retorto
Pulvere: nondum illi Thebarum claustra subibant,
Et jam Argiva cohors nocturno freta triumpho
Prosilit in campos: per et arma, et membra jacentum, 476
Tetraque congerie sola, semianimumque cruorem
Cornipedes, ipsique ruunt: gravis exterit artus
Ungula: sanguineos lavat imber et impedit axes.
Dulce viris hac ire via, ceu tecta superbi 480
Sidonia, atque ipsas calcent in pulvere Thebas.
Hortatur Capaneus: Satis occultata, Pelasgi,
Delituit virtus: nunc, nunc mihi vincere pulchrum
Teste die: mecum clamore et pulvere aperto
Ite palam, juvenes: sunt et mihi provida dextræ
Omina, et horrendi stricto mucrone furores. 486
Sic ait: ardentes alacer succendit Adrastus,
Argolicusque gener: sequitur jam tristior augur.
Jamque premunt muros, et adhuc nova funera narrat
Amphion, miseramque intrabant protinus urbem,
Ni Megareus specula citus exclamasset ab alta:
Claude, vigil: subeunt hostes: claude undique portas.
Est ubi dat vires nimius timor: ocius omnis
Porta coit: solas dum tardius arctat Echion
Ogygias, audax animi Spartana juventus 495
Irrupit, cæsique ruunt in limine primo
Incola Taygeti Panopeus, rigidique natator
Œbalus Eurotæ, tuque, o spectate palæstris
Omnibus, et nuper Nemeæo in pulvere felix,
Alcidama, primis quem cæstibus ipse ligarat 500
Tyndarides: nitidi moriens convexa magistri
Respicis: averso pariter deus occidit astro.
Te nemus Œbalium, te lubrica ripa Lacænæ
Virginis, et falso gurges cantatus olore
Flebit: Amyclæis Triviæ lugebere nymphis: 505
Et quæ te leges, præceptaque fortia belli
Erudiit genitrix, nimium didicisse queretur.
Talis Echionio Mavors in limine sævit.
Tandem humeris obnixus Acron, et pectore toto
Pronus Achæmenides, ferratæ robora portæ 510
Torserunt; quanta pariter cervice gementes
Perfringunt inarata diu Pangæa juvenci.
Par operis jactura lucro: quippe hoste retento
Exclusere suos: cadit intra mœnia Graius
Ormenus, et pronas tendentis Amyntoris ulnas,
Fundentisque preces, penitus cervice recisa 516
Verba solo vultusque cadunt, colloque decorus
Torquis in hostiles cecidit per vulnus arenas.
Solvitur interea vallum, primæque recusant
Stare moræ: jam se peditum junxere catervæ
Mœnibus: at patulas saltu transmittere fossas
Horror equis: hærent trepidi, atque immane paventes
Abruptum mirantur agi: nunc impetus ire
Margine ab extremo, nunc sponte in frena rece-
Hi præfixa solo vellunt munimina; at illi [dunt.
Portarum objectus minuunt, et ferrea sudant 526
Claustra remoliri, trabibusque arctata sonoro
Pellunt saxa loco: pars ad fastigia missas
Exsultant hæsisse faces; pars ima lacessunt,
Scrutanturque cavas cæca testudine turres. 530
At Tyrii, quæ sola salus, caput omne coronant
Murorum, nigrasque sudes, et lucida ferro
Spicula, et arsuras cœli per inania glandes,
Saxaque in adversos ipsis avulsa rotabant
Mœnibus: exundant sævo fastigia nimbo, 535
Armatæque vomunt stridentia tela fenestræ.
Qualiter aut Malean, aut alta Ceraunia supra
Cessantes in nube sedent, nigrisque teguntur
Collibus, et subitæ saliunt in vela procellæ:
Talis Agenoreis Argivûm exercitus armis 540
Obruitur: non ora virûm, non pectora flectit
Imber atrox, rectosque tenent in mœnia vultus
Immemores leti, et tantum sua tela videntes.
Anthea falcato lustrantem mœnia curru
Desuper Ogygiæ pepulit gravis impetus hastæ.
Lora excussa manu, retroque in terga volutus
Semianimos artus ocreis retinentibus hæret:
Mirandum visu belli scelus, arma trahuntur,
Fumantesque rotæ tellurem, et tertius hastæ
Sulcus arat: longo sequitur vaga pulvere cervix, 550
Et resupinarum patet orbita longa comarum.
At tuba luctificis pulsat clangoribus urbem,
Obseptasque fores sonitu perfringit amaro.
Divisere aditus, omnique in limine sævus
Signifer ante omnes sua damna et gaudia portat.
Dira intus facies: vix Mavors ipse videndo 556
Gaudeat: incertis lymphatam horroribus urbem
Scindunt dissensu vario luctusque, furorque,
Et pavor, et cæcis fuga circumfusa tenebris.
Bellum intrasse putes: fervent discursibus arces,
Miscentur clamore viæ: ferrum undique et ignes
Mente vident; sævas mente accepere catenas.
Consumsit ventura timor: jam tecta replerant,
Templaque, et ingratæ vallantur planctibus aræ
Una omnes eademque subit formido per annos.
Poscunt fata senes: ardet, palletque juventus:
Atria fœmineis trepidant ululata querelis. 567
Flent pueri, et flendi nequeunt cognoscere causas
Attoniti, et tantum matrum lamenta timentes.
Illas cogit amor, nec habent extrema pudorem.
Ipsæ tela viris, ipsæ iram animosque ministrant,
Hortanturque, unaque ruunt, nec avita gementes

Limina, nec parvos cessant ostendere natos.
Sic ubi pumiceo pastor rapturus ab antro
Armatas erexit apes, fremit aspera nubes, 575
Inque vicem sese stridore hortantur, et omnes
Hostis in ora volant: mox deficientibus alis
Amplexæ flavamque domum captivaque plangunt
Mella, laboratasque premunt ad pectora ceras.
Nec non ancipitis pugnat sententia vulgi, 580
Discordesque serit motus: hi reddere fratrem;
Nec mussant, sed voce palam, claroque tumultu
Reddere regna jubent: periit reverentia regis
Sollicitis: Veniat, pactumque hic computet annum,
Cadmeosque lares exsul, patriasque salutet 585
Infelix tenebras: cur autem ego sanguine fraudes,
Et perjura luam regalis crimina noxæ?
Inde alii: Sera ista fides; jam vincere mavult.
Tiresian alii lacrymis et supplice cœtu 589
Orant, quodque unum rebus solamen in arctis,
Nosse futura rogant: tenet ille inclusa, premitque
Fata deûm: Quiane ante duci bene credita nostra
Consilia et monitus, cum perfida bella vetarem?
Te tamen, infelix, inquit, perituraque Thebe,
Si taceam, nequeo miser exaudire cadentem, 595
Argolicumque oculis haurire vacantibus ignem.
Vincamur, pietas: pone eia altaria, virgo,
Quæramus superos. Facit illa, acieque sagaci
Sanguineos flammarum apices, geminumque per
Ignem, et clara tamen mediæ fastigia lucis [aras
Orta docet: tunc in speciem serpentis inanem
Ancipiti gyro volvi, frangique ruborem
Demonstrat dubio, patriasque illuminat umbras.
Ille coronatos jamdudum amplectitur ignes,
Fatidicum sorbens vultu flagrante vaporem. 605
Stant tristes horrore comæ, vittasque trementes
Cæsaries insana levat: diducta putares
Lumina, consumtumque genis rediisse nitorem.
Tandem exundanti permisit verba furori·
Audite, o sontes, extrema litamina divûm, 610
Labdacidæ: venit alma salus, sed limite duro.
Martius inferias et sæva efflagitat anguis
Sacra: cadat generis quicunque novissimus exstat
Viperei: datur hoc tantum victoria pacto.
Felix, qui tanta lucem mercede relinquet: 615
Stabat fatidici prope sæva altaria vatis
Mæstus adhuc, patriæ tantum communia lugens
Fata Creon; grandem subiti cum fulminis ictum,
Non secus ac torta trajectus cuspide pectus,
Accipit exanimis, sentitque Menœcea posci. [alto
Monstrat enim, suadetque timor: stupet anxius
Corda metu glaciante pater: Trinacria qualis
Ora repercussum Libyco mare sumit ab æstu.
Mox plenum Phœbo vatem et celerare jubentem
Nunc humilis genua amplectens, nunc ora canentis
Nequicquam reticere rogat: jam fama sacratam
Vocem amplexa volat, clamantque oracula Thebæ.
Nunc age, quis stimulos et pulchræ gaudia mortis
Addiderit juveni, (neque enim hæc absentibus unquam 629
Mens homini transmissa deis.) memor incipe Clio,
Sæcula te quoniam penes et digesta vetustas.
Diva Jovis solio juxta comes, unde per orbem
Rara dari, terrisque solet contingere, Virtus,
Seu pater omnipotens tribuit, sive ipsa capaces
Elegit penetrare viros, cœlestibus ut nunc 635
Desiluit gavisa plagis: dant clara meanti
Astra locum, quosque ipsa polis affixerat ignes.
Jamque premit terras, nec vultus ab æthere longe:
Sed placuit mutare genas fit provida Manto,
Responsis ut plena fides, et fraude priores 640
Exuitur vultus. abiit horrorque vigorque
Ex oculis, paulum decoris permansit, honosque
Mollior, et posito vatum gestamina ferro
Subdita: descendunt vestes, torvisque ligatur
Vitta comis, (nam laurus erat:) tamen aspera produnt 645
Ora deam, nimiique gradus: sic Lydia conjux
Amphitryoniaden exutum horrentia terga
Perdere Sidonios humeris ridebat amictus,
Et turbare colus, et tympana rumpere dextra.
Sed neque te indecorem sacris, dignumque juberi
Talia, Dircæa stantem pro turre, Menœceu, 651
Invenit: immensæ reserato limine portæ
Sternebas Danaos: pariter Mavortius Hæmon.
Sed consanguinei quamvis, atque omnia fratres,
Tu prior: exanimes circum cumulantur acervi:
Omne sedet telum: nulli sine cædibus ictus.
Necdum aderat Virtus; non mens, non dextra quiescit,
Non avida arma vacant, ipsa insanire videtur
Sphinx galeæ custos, visoque animata cruore
Emicat effigies, et sparsa orichalca renident. 660
Cum dea pugnantis capulum, dextramque repressit:
Magnanime o juvenis, quo non agnoverit ullum
Certius armifero Cadmi de semine Mavors, [tus:
Linque humiles pugnas: non hæc tibi debita vir-
Astra vocant, cœloque animam (plus concipe) mittes. 665
Jamdudum hoc hilares genitor bacchatur ad aras,
Hoc ignes fibræque volunt, hoc urget Apollo.
Terrigenam cuncto patriæ pro sanguine poscunt.
Fama canit monitus: gaudet Cadmeia plebes
Certa tui: rape mente deos, rape nobile fatum.
I, precor, accelera, ne proximus occupet Hæmon.
Sic ait, et magna cunctantis pectora dextra 672
Permulsit tacite, seseque in corde reliquit.
Fulminis haud citius radiis afflata cupressus
Combibit infestas et stirpe et vertice flammas,
Quam juvenis multo possessus numine pectus
Erexit sensus, letique invasit amorem. 677
Ut vero aversæ gressumque habitumque notavit,
Et subitam a terris in nubila crescere Manto,
Obstupuit: Sequimur, divûm quæcunque vocasti,
Nec tarde paremus, ait: jamjamque recedens,
Instantem vallo Pylium tamen Agrea fixit.
Armigeri fessum excipiunt: tum vulgus euntem
Auctorem pacis, servatoremque, deûmque
Conclamat gaudens, atque ignibus implet honestis.
Jamque iter ad muros cursu festinus anhelo 686
Obtinet, et miseros gaudet vitasse parentes;
Cum genitor: steteruntque ambo, et vox hæsit utrinque,
Dejectæque genæ: tandem pater ante profatur:
Quis novus inceptis rapuit te casus ab armis? 690
Quæ bello graviora paras? dic, nate, precanti,
Cur tibi torva acies? cur hic truculentus in ore
Pallor? et ad patrios non stant tua lumina vultus?
Audisti responsa, palam est: per ego oro tuosque,
Nate, meosque annos, miseræque per ubera matris, 695
Ne vati, ne crede, puer: superine profanum
Dignentur stimulare senem? cui vultus inanis,
Exstinctique orbes, et pœna simillima diro
Œdipodæ? quid si insidiis et fraude dolosa
Rex agit? extrema est cui nostra in sorte timori
Nobilitas, tuaque ante duces notissima virtus. 701
Illius hæc forsan remur, quæ verba deorum

Ille monet: ne frena animo permitte calenti.
Da spatium, tenuemque moram: male cuncta ministrat
Impetus: hoc, oro, munus concede parenti. 705
Sic tua maturis signentur tempora canis, [rem
Et sis ipse parens, et ad hunc, animose, timo-
Pervenias; ne perge meos orbare penates.
Externi te nempe patres, alienaque tangunt 709
Pignora? si pudor est, primum miserere tuorum:
Hæc pietas, hic verus honos: ibi gloria tantum,
Ventosumque decus, titulique in morte latentes.
Nec timidus te flecto parens: i, prœlia misce
Per Danaas acies, mediosque per obvius enses;
Non teneo: liceat misero tremebunda lavare 715
Vulnera, et undantem lacrymis siccare cruorem,
Teque iterum sævis iterumque remittere bellis.
Hoc malunt Thebæ. Sic colla manusque tenebat
Implicitus: sed nec lacrymæ, nec verba movebant
Dis votum juvenem: quin et monstrantibus illis
Fraude patrem tacita subit, avertitque timorem:
Falleris heu, verosque metus, pater optime, nescis.
Non me ulli monitus, nec vatum exorsa furentum
Sollicitant, manesque movent: sibi callidus ista
Tiresias, natæque canat: non si ipse reclusis 725
Cominus ex adytis in me insaniret Apollo.
Sed gravis unanimi casus me fratris ad urbem
Sponte refert: gemit Inachia mihi saucius Hæ-
Cuspide: vix illum medio de pulvere belli [mon
Inter utrasque acies, jamjamque tenentibus Argis...
Sed moror: i, refove dubium, turbæque ferenti
Dic parcant, leviterque vehant; ego vulnera doctum
Jungere, supremique fugam revocare cruoris
Eetiona petam. Sic imperfecta locutus
Effugit: illi atra mersum caligine pectus 735
Confudit sensus: pietas incerta vagatur,
Discordantque metus: impellunt credere Parcæ.
Turbidus interea ruptis venientia portis
Agmina belligeri Capaneus agit æquore campi.
Cornua nunc equitum, cuneos nunc ille pedes-
tres, 740
Et proculcantes moderantum funera currus.
Idem altas turres saxis, et turbine crebro
Laxat; agit turmas idem, atque in sanguine fumat.
Nunc spargit torquens volucri nova vulnera
plumbo, 744
Nunc jaculum excusso rotat in sublime lacerto:
Nullaque tectorum subit ad fastigia, quæ non
Deferat hasta virum, perfusaque cæde recurrat.
Nec jam aut Œniden, aut Hippomedonta per-
emtos, [dunt:
Aut vatem Pelopea phalanx, aut Arcada cre-
Quin sociûm coiisse animas, et corpore in uno 750
Stare omnes; ita cuncta replet: non ullius ætas,
Non cultus, non forma movet: pugnantibus idem
Supplicibusque furit: non quisquam obsistere
contra,
Non belli tentare vices: procul arma furentis,
Terribilesque jubas, et frontem cassidis horrent.
At pius electa murorum in parte Menœceus, 756
Jam sacer adspectu, solitoque augustior ore,
Ceu subito in terras supera demissus ab arce,
Constitit, exemta manifestus casside nosci,
Despexitque acies hominum, et clamore profundo
Convertit campum, jussitque silentia bello. 761
Armorum superi, tuque o, qui funere tanto
Indulges mihi, Phœbe, mori, date gaudia Thebis,
Quæ pepigi, et toto quæ sanguine prodigus emi.
Ferte retro bellum, captæque impingite Lernæ
Relliquias turpes, confixaque terga foventes 766
Inachus indecores pater aversetur alumnos.
At Tyriis templa, arva, domos, connubia, natos
Reddite morte mea: si vos placida hostia juvi,
Si non attonitis vatis consulta recepi 770
Auribus, et Thebis nondum credentibus hausi,
Hæc Amphioniis pro me persolvite terris,
Ac mihi deceptum, precor, exorate parentem.
Sic ait, insignemque animam mucrone corusco
Dedignantem artus pridem, mæstamque teneri
Arripit, atque uno quæsitam vulnere rumpit. 776
Sanguine tunc spargit turres, et mœnia lustrat,
Seque super medias acies, nondum ense remisso,
Jecit, et in sævos cadere est conatus Achivos.
Ast illum amplexæ Pietas Virtusque, ferebant
Leniter ad terras corpus: jam spiritus olim 781
Ante Jovem, et summis apicem sibi poscit in
astris.
Jamque intra muros nullo sudore receptum
Gaudentes heroa ferunt: abscesserat ultro
Tantalidûm venerata cohors: subit agmine longo
Colla inter juvenum, lætisque favoribus omni
Concinitur vulgo, Cadmum atque Amphiona supra
Conditor: hi sertis, hi veris honore soluto
Accumulant artus, patriaque in sede reponunt
Corpus adoratum; repetunt mox bella peractis
Laudibus: hic victa genitor lacrymabilis ira 791
Congemit, et tandem matri data flere potestas
Lustralemne feris ego te, puer inclyte, Thebis,
Devotumque caput, vilis ceu mater alebam?
Quod molita nefas? cui tantum invisa deorum?
Non ego monstrifero coitu revoluta notavi 796
Pignora, nec nato peperi funesta nepotes.
Quid refert? habet ecce suos Iocasta, ducesque
Regnantesque videt: nos sæva piacula bello
Demus, ut alternis (placet hoc tibi, fulminis auc-
Œdipodionii mutent diademata fratres. [tor)
Quid superos hominesve queror? tu, sæve Me-
nœceu, [matrem.
Tu miseram ante omnes properasti exstinguere
Unde hic mortis amor? quæ sacra insania menti?
Quosve ego conceptus, aut quæ mala pignora fudi
Tam diversa mihi? nimirum Martius anguis, 806
Quæque novis proavûm tellus effloruit armis.
Hinc animi tristes, nimiusque in pectore Mavors,
Et de matre nihil: sponte en ultroque peremtus
Irrumpis mæstas fatis nolentibus umbras. 810
Ast egomet Danaos, Capaneaque tela verebar.
Hæc erat, hæc metuenda manus, ferrumque, quod
amens
Ipsa dedi: viden' ut jugulo consumserit ensem?
Altius haud quisquam Danaûm mucrone subisset.
Diceret infelix etiamnum, et cuncta repleret 815
Questibus; abducunt comites, famulæque pe-
rosam
Solantes, thalamoque tenent: sedet eruta multo
Ungue genas: non illa diem, non verba precan-
Respicit, aut visus flectit tellure relictos, [tum
Jam vocis, jam mentis inops: sic aspera tigris
Fetibus abreptis Scythico deserta sub antro 821
Accubat, et tepidi lambit vestigia saxi:
Nusquam iræ: sedit rabies, feritasque, famesque
Oris: eunt præter secura armenta gregesque:
Adspicit illa jacens: ubi enim, quibus ubera pas-
Aut quos ingenti premat exspectata rapina? [cat,
Hactenus arma, tubæ, ferrumque, et vulnera·
sed nunc
Cominus astriferos Capaneus tollendus in axes.
Non mihi jam solito vatum de more canendum:
Major ab Aoniis sumenda audacia lucis. 830
Mecum omnes audete deæ. Sive ille profunda

Missus nocte furor, Capaneaque signa secutæ
Arma Jovem contra Stygiæ rapuere sorores,
Seu virtus egressa modum, seu gloria præceps,
Seu magnæ data fama neci, seu læta malorum
Principia, et blandæ superûm mortalibus iræ:
Jam sordent terrena viro, tædetque profundæ
Cædis, et exhaustis olim Graiûmque suisque
Missilibus, lassa respexit in æthera dextra.
Ardua mox torvo metitur culmina visu, 840
Innumerosque gradus gemina latus arbore clausos
Aerium sibi portat iter, longeque timendus
Multifidam quercum flagranti lumine vibrat.
Arma rubent una, clypeoque incenditur ignis.
Hac, ait, in Thebas, hac me jubet ardua virtus
Ire, Menœceo qua lubrica sanguine turris. 846
Experiar, quid sacra juvent, an falsus Apollo.
Dixit, et alterno captiva in mœnia gressu
Surgit ovans: quales mediis in nubibus æther
Vidit Aloidas, cum cresceret impia tellus 850
Despectura deos, nec adhuc immane veniret
Pelion, et trepidum jam tangeret Ossa Tonantem.
Tum vero attoniti fatorum in cardine summo,
Ceu suprema lues urbem, facibusque cruentis
Æquatura solo turres Bellona subiret, 855
Omnibus e tectis certatim ingentia saxa,
Roboraque, et gravidas fundæ Balearis habenas,
(Nam jaculis, cœloque vagis spes unde sagittis?)
Verum avidi et tormenta rotant, et molibus urgent.
Ille nec ingestis, nec terga sequentibus unquam
Detrahitur telis, vacuoque sub aere pendens, 861
Plana velut terra certus vestigia figat,
Tendit, et ingenti subit occurrente ruina.
Amnis ut incumbens longævi robora pontis
Assiduis oppugnat aquis: jam saxa fatiscunt, 865
Emotæque trabes: tanto violentior ille
(Sævit enim majore salo) quassatque trahitque
Molem ægram; nexus donec celer alveus omnes
Abscidit, et cursu victor respirat aperto.
Utque petita diu celsus fastigia supra 870
Emicuit, trepidamque adsurgens desuper urbem
Vidit, et ingenti Thebas exterruit umbra,
Increpat attonitos: Hæne illæ Amphionis arces,
(Pro pudor,) hi faciles, carmenque imbelle secuti,
Et mentita diu Thebarum fabula, muri? 875
Ecquidnam egregium prosternere mœnia molli
Structa lyra? simul insultans, gressuque manuque
Molibus obstantes cuneos, tabulataque sævus
Destruit: absiliunt pontes, tectique trementis
Saxea frena labant, disseptoque aggere rursus
Utitur, et truncas rupes in templa domosque
Præcipitat, frangitque suis jam mœnibus urbem.
Jamque Jovem circa studiis diversa fremebant
Argolici Tyriique dei: pater æquus utrisque
Adspicit ingentes ardentum cominus iras, 885
Seque obstare videt: gemit inservante noverca
Liber, et obliquo respectans lumine patrem:
Nunc ubi sæva manus, meaque heu cunabula flammæ,
Fulmen, io ubi fulmen? ait: gemit auctor Apollo,
Quas dedit ipse, domos: Lernam, Thebasque rependit 890
Mæstus, et intento dubitat Tirynthius arcu.
Maternos plangit volucer Danaeius Argos. [riti
Flet Venus Harmoniæ populos: metuensque ma-
Stat procul, et tacita Gradivum respicit ira.
Increpat Aonios audax Tritonia divos. 895
Junonem tacitam furibunda silentia torquent.
Non tamen hæc turbant pacem Jovis: ecce quierant
Jurgia, cum mediis Capaneus auditus in astris,
Nullane pro trepidis, clamabat, numina Thebis
Statis? ubi infandæ segnes telluris alumni 900
Bacchus et Alcides? piget instigare minores:
Tu potius venias, (quis enim concurrere nobis
Dignior?) en cineres Semeleaque busta tenentur.
Nunc age, nunc totis in me connitere flammis,
Jupiter: an pavidas tonitru turbare puellas 905
Fortior, et soceri thalamos exscindere Cadmi
Ingemuit dictis superûm dolor: ipse furentem
Risit, et incussa sanctarum mole comarum, [græ
Quænam spes hominum tumidæ post prœlia Phle-
Tune etiam feriendus? ait: premit undique len
Turba deûm frendens, et tela ultricia poscit, [tum
Nec jam audet fatis turbata obsistere conjux.
Ipsa dato nondum cœlestis regia signo
Sponte tonat: coeunt ipsæ sine flamine nubes,
Accurruntque imbres: Stygias rupisse catenas 915
Iapetum, aut victam supera ad convexa levari
Inarimen, Ætnamve putes: pudet ista timere
Cælicolas: sed cum in media vertigine mundi
Stare virum, insanasque vident deposcere pugnas
Mirantur taciti, et dubio pro fulmine pendent. 920
Cœperat Ogygiæ supra fastigia turris
Arcanum mugire polus, cœlumque tenebris
Auferri: tenet ille tamen, quas non videt, arces
Fulguraque attritis quoties micuere procellis
His, ait, in Thebas, his jam decet ignibus uti,
Hinc renovare facem, lassamque accendere quer
Talia dicentem toto Jove fulmen adactum [cum.
Corripuit: primæ fugere in nubila cristæ,
Et clypei niger umbo cadit: jamque omnia lucent
Membra viri: cedunt acies, et terror utrinque
Quo ruat, ardenti feriat quas corpore turmas. 931
Intra se stridere facem, galeamque, comasque
Quærit, et urentem thoraca repellere dextra
Conatus, ferri cinerem sub pectore tractat.
Stat tamen, extremumque in sidera versus anhe-
Pectoraque invisis obicit fumantia muris, [lat,
Ne caderet: sed membra virum terrena relin-
quunt, 937
Exuiturque animus: paulum si tardius artus
Cessissent, potuit fulmen meruisse secundum.

LIBER UNDECIMUS.

Postquam magnanimus furias virtutis iniquæ
Consumsit Capaneus, exspiravitque receptum
Fulmen, et ad terras longe comitata cadentem
Signavit muros ultricis semita flammæ:
Componit dextra victor concussa plagarum 5
Jupiter, et vultu cœlumque diemque reducit.
Gratantur superi, Phlegræ ceu fessus anhelet
Prœlia, et Encelado fumantem impresserit Ætnam.
Ille jacet laceræ complexus fragmina turris.

Torvus adhuc visu, memorandaque facta relinquens 10
Gentibus, atque ipsi non illaudata Tonanti.
Quantus Apollineæ temerator matris Averno
Tenditur: ipsæ horrent si quando pectore ab alto
Emergunt volucres, immensaque membra jacentis
Spectant, dum miseræ crescunt in pabula fibræ.
Sic gravat injectus terras, hostiliaque urit 16
Arva, et anhelantem cœlesti sulfure campum.
Respirant Thebæ, templisque jacentia surgunt
Agmina: jam finis votis, finisque supremis
Planctibus, et natos ausæ deponere matres. 20
At vaga palantes campo fuga volvit Achivos.
Nec jam hostes curæ, aut ferrum mortale timetur:
Omnibus ante oculos iræ Jovis, omnibus ardent
Arma metu, galeæque tonant, visusque paventes
Ipse sequi, et profugis opponere Jupiter ignes. 25
Instat Agenoreus miles, cœlique tumultu
Utitur: indomitos ut cum Massyla per arva
Armenti reges magno leo fregit hiatu,
Et contentus abît: rauci tunc cominus ursi,
Tunc avidi venere lupi, rabieque remissa 30
Lambunt degeneres alienæ vulnera prædæ.
Hinc premit Eurymedon, cui rusticus horror in armis, [tus:
Rustica tela manu, patriumque agitare tumul-
Pan illi genitor: tener hinc conatibus annos
Egreditur, juvenemque patrem puer æquat Ala-
Felices ambo: sed fortunatior ille, [threus.
Quem genuisse juvat: nec jam dignoscere promtum, [lacerto.
Quæ magis arma sonent, quo plus eat hasta
Arctatur denso fugientum examine vallum.
Quas volvis, Gradive, vices? modo mœnia Cadmi
Scandebant, sua nunc defendunt tecta Pelasgi. 41
Ceu redeunt nubes, ceu circumflantibus Austris
Alternus procumbit ager, ceu gurgite cano
Nunc retegit bibulas, nunc obruit æstus arenas.
Procumbit late pubes Tirynthia, alumni 45
Exuvias imitata dei: trux mæret ab alto
Amphitryoniades Nemeæa in sanguine terga,
Et similes ramos, similesque videre pharetras.
Stabat in Argolicæ ferrato margine turris
Egregius lituo dextri Mavortis Enipeus 50
Hortator; sed tunc miseris dabat utile signum,
Suadebatque fugam, et tutos in castra receptus:
Cum subitum obliquo descendit ab aere vulnus,
Urgentisque sonum læva manus aure retenta est,
Sicut erat: fugit in vacuas jam spiritus auras, 55
Jam gelida ora tacent, carmen tuba sola peregit.
Jamque potens scelerum, geminæque exercita gentis
Sanguine, Tisiphone fraterna claudere quærit
Bella tuba: nec se tanta in certamina retur
Sufficere, inferna comitem ni sede Megæram, 60
Et consanguineos in prœlia suscitet angues.
Ergo procul vacua consedit valle, solumque
Ense fodit Stygio, terræque immurmurat absens
Nomen, et, Elysiis signum indubitabile regnis,
Crinalem attollit longo stridore cerasten: 65
Cæruleæ dux ille comæ: quo protinus omnis
Horruit audito tellus, pontusque, polusque,
Et pater Ætnæos iterum respexit ad ignes.
Accipit illa sonum: stabat tunc forte parenti 69
Proxima, dum cœtu Capaneus laudatur ab omni
Ditis, et insignem Stygiis fovet amnibus umbram.
Protinus abrupta terrarum mole sub astris
Constitit: exsultant manes, quantumque profundæ
Rarescunt tenebræ, tantum de luce recessit. 74
Excipit atra soror, dextræque innexa profatur:
Hac, germana, tenus Stygii metuenda parentis
Imperia, et jussos potui tolerare furores,
Sola super terras, hostilique obvia mundo,
Dum vos Elysium et faciles compescitis umbras
Nec pretium deforme moræ, cassique labores.
Hoc quodcunque madent campi, quod sanguine fumant 81
Stagna, quod innumero Lethæa examine gaudet
Ripa, meæ vires, mea læta insignia: sed quid
Hæc ego? Mars habeat, vulgataque jactet Enyo.
Vidistis (Stygiis certe manifestus in umbris) 85
Sanguine fœdatum rictus, atroque madentem
Ora ducem tabo: miserum insatiabilis edit
Me tradente caput: modo nempe horrendus ab astris
Descendit vos usque fragor: mea sacra premebat
Tempestas: ego mixta viri furialibus armis 90
Bella deûm, et magnas ridebam fulminis iras.
Sed jam (effabor enim) longo sudore fatiscunt
Corda, soror, tardæque manus: hebet infera cœlo
Taxus, et insuetos angues nimia astra soporant.
Tu, cui totus adhuc furor, exsultantque recentes
Cocyti de fonte comæ, da jungere vires. 96
Non solitas acies, nec Martia bella paramus,
Sed fratrum, (licet alma Fides Pietasque repugnent,
Vincentur,) fratrum stringendi cominus enses.
Grande opus: ipsæ odiis, ipsæ discordibus armis
Aptemur: quid lenta venis? agedum elige cujus
Signa feras: ambo faciles, nostrique; sed anceps
Vulgus, et affatus matris, blandamque precatu
Antigonen timeo, paulum ne nostra retardet
Consilia: ipse etiam, qui nos lassare precando
Suetus, et ultrices oculorum exposcere diras, 106
Jam pater est: cœtu fertur jam solus ab omni
Flere sibi: atque adeo moror ipsa irrumpere Thebas,
Adsuetumque larem: tibi pareat impius exsul,
Argolicumque impelle nefas; neu mitis Adrastus
Prævaleat, plebesque, cave, Lernæa moretur. 111
Vade, et in alternas inimica revertere pugnas.
Talia partitæ diversum abiere sorores.
Ut Notus et Boreas gemino de cardine mundi,
Hic nive Rhipæa, Libycis hic pastus arenis, 115
Bella cient: clamant amnes, freta, nubila, sylvæ,
Jamque patent strages: plangunt sua damna coloni,
Et tamen oppressos miserantur in æquore nautas.
Illas ut summo vidit pater altus Olympo
Incestare diem, trepidumque Hyperionis orbem
Suffundi maculis, torvo sic inchoat ore: 121
Vidimus armiferos, quo fas erat usque, furores,
Cœlicolæ, licitasque acies, etsi impia bella
Unus inît, aususque mea procumbere dextra. 124
Nunc par infandum, miserisque incognita terris
Pugna subest: auferte oculos: absentibus ausint
Ista deis, lateantque Jovem: sat funera mensæ
Tantaleæ, et sontes vidisse Lycaonis aras,
Et festina polo ducentes astra Mycenas. 129
Nunc etiam turbanda dies: mala nubila, tellus,
Accipe, secedantque poli: stat parcere mundo,
Cœlitibusque meis: saltem ne virginis almæ
Sidera, Ledæi videant neu talia fratres.
Sic pater omnipotens, visusque nocentibus arvis
Abstulit, et dulci terræ caruere sereno. 135
Jamque per Argolicas Erebo sata virgo cohortes
Vestigat Polynicis iter, portisque sub ipsis
Invenit, incertum leto tot iniqua fugane
Exeat, et dubios turbabant omina sensus.
Viderat, obscura vallum dum nocte pererrat 140

Æger consilii, curisque novissima volvens,
Conjugis Argiæ lacera cum lampade mæstam
Effigiem: (sunt monstra deûm, sic ire parabat,
Has latura viro tædas erat:) ergo roganti, [tum
Quæ via, quisve dolor, cur mæsta insignia? tan-
Fleverat, atque manu timidos averterat ignes.
Scit mentem vidisse nefas: etenim unde Mycenis
Afforet, et vallum conjux inopina subiret?
Sed fati monitus, vicinaque funera sentit,
Ac sentire timet. Cum vero Acherontis operti
Diva ter admoto tetigit thoraca flagello, 151
Ardet inops animi, nec tam considere regno,
Quam scelus, et cædem, et perfossi in sanguine fratris
Exspirare cupit, subitusque affatur Adrastum:
Sera quidem, extremus sociûm gentisque superstes 155
Argolicæ, consulta, pater, jam rebus in arctis
Aggredior: tunc tempus erat, cum sanguis Achivûm
Integer, ire ultro, primamque capessere pugnam;
Non plebis Danaæ florem, regumque verendas
Objectare animas, ut lamentabile tantis 160
Urbibus induerem capiti decus: aspera quando
Præcepit virtus, nunc saltem exsolvere fas sit,
Quæ merui: scis namque, socer, licet alta recondas
Vulnera, et afflictum generi vereare pudorem:
Ille ego sum, qui te pacem et pia jura regentem
Infelix (utinamque aliis datus urbibus hospes) 166
Extorrem patria, regnoque... sed exige tandem
Supplicium: fratrem suprema in bella (quid horres?
Decretum est, fixumque) voco: desiste morari:
Nec poteris: non si atra parens, miseræque sorores [ruenti
In media arma cadant; non si ipse ad bella
Obstet, et exstinctos galeæ pater ingerat orbes,
Deficiam. Anne bibam superest quodcunque cruoris
Inachii? et vestris etiamnum mortibus utar?
Vidi egomet propter ruptos telluris hiatus, 175
Nec subii: vidi exanimum, fecique nocentem
Tydea: me Tegee regem indefessa reposcit,
Orbaque Parrhasiis ululat mihi mater in antris.
Ipse nec Ismeni ripas, dum stagna cruentat 179
Hippomedon, Tyrias potui nec scandere turres,
Dum tonat, et tecum, Capaneu, miscere furores?
Quis tantus pro luce timor? sed digna rependam:
Conveniant ubicunque nurus, matresque Pelasgæ,
Longævique patres, quorum tot gaudia carpsi,
Orbavique domos: fratri concurro: quid ultra est?
Spectent, et votis victorem Eteoclea poscant.
Jamque vale, conjux, dulcesque valete Mycenæ.
At tu, care socer, (nec enim omnis culpa malorum
Me penes, et superi mecum Parcæque nocentes,)
Sis lenis cineri, meque hæc post prœlia raptum
Alitibus, fratrique neges, urnaque reponas: 191
Hoc tantum: et natæ melius connubia jungas.
Ibant in lacrymas: veluti, cum vere reverso
Bistoniæ tepuere nives, submittitur ingens
Hæmus, et angustos Rhodope descendit in amnes.
Cœperat et leni senior mulcere furentem 196
Alloquio: scidit orsa novo terrore cruenta
Eumenis, alipedemque citum, fataliaque arma,
Protinus Inachii vultus expressa Pherecli,
Obtulit, ac fidas exclusit casside voces. 200
Ac super hæc: Abrumpe moras; celeremus: et
Adventare ferunt portis. Sic omnia vicit, [illum
Correptumque injecit equo: volat æquore aperto
Pallidus, instantemque deæ circumspicit umbram.
Sacra Jovi merito Tyrius pro fulmine ductor,
Nequicquam Danaos ratus exarmasse, ferebat.
Nec pater ætherius, divûmve has ullus ad aras,
Sed mala Tisiphone trepidis inserta ministris
Adstat, et inferno prævertit vota Tonanti. 209
Summe deûm, tibi namque meæ primordia Thebæ
(Liveat infandum licet Argos, et aspera Juno)
Debent, Sidonios ex quo per littora raptor
Turbasti thiasos, dignatus virgine nostra
Terga premi, et placidas falsum mugire per undas:
Nec te vana fides iterum Cadmeia adeptum 215
Connubia, et Tyrios nimium irrupisse penates:
Tandem, inquam, soceros, dilectaque mœnia gra-
Respicis, adsertorque tonas: ceu regia cœli [tus
Attentata tui, sic te pro turribus altis
Vidimus urgentem nubes, lætique benignum 220
Fulmen, et auditos proavis agnovimus ignes.
Accipe nunc pecudes, et magni thuris acervos,
Votivumque marem: dignas sed pendere grates
Haud mortale opus est: certent tibi reddere Bacchus
Noster, et Alcides: illis hæc mœnia serva. 225
Dixerat: ast illi niger ignis in ora genasque
Prosiluit, raptumque comis diadema cremavit.
Tunc ferus ante ictum spumis delubra cruentat
Taurus, et obstantum mediis e cœtibus exit
Turbidus, insano feriens altaria cornu. 230
Diffugiunt famuli, et regem solatur haruspex.
Ipse instaurari sacrum male fortis, agique
Imperat, et magnos ficto premit ore timores.
Qualis, ubi implicitum Tirynthius ossibus ignem
Sensit, et Œtæas membris accedere vestes, 235
Vota incepta tamen, libataque thura ferebat
Durus adhuc, patiensque mali: mox grande coactus
Ingemuit, victorque furit per viscera Nessus.
Nuntius exanimi suspensus pectora cursu
Epytus ad regem portæ statione relicta 240
Tendit, et hæc trepido vix intellectus anhelat:
Rumpe pios cultus intempestivaque, rector,
Sacra deûm: frater muris circum omnibus instat,
Portarumque moras frenis adsultat et hastis,
Nomine te crebro, te solum in prœlia poscens. 245
Flent mæsti retro comites, et uterque loquenti
Adgemit, et pulsis exercitus obstrepit armis:
Ille vocat. Nunc tempus erat, sator optime divûm:
Quid meruit Capaneus? Turbatus inhorruit altis
Rex odiis, mediaque tamen gavisus in ira est. 250
Sic ubi regnator post exsulis otia tauri
Mugitum hostilem summa tulit aure juvencus,
Agnovitque minas, magna stat fervidus ira
Ante gregem, spumisque animos ardentibus effert,
Nunc pede torvus humum, nunc cornibus aera findens: 255
Horret ager, trepidæque exspectant prœlia valles.
Non desunt regi comites: Sine mœnia pulset
Irritus: ille autem fractis huc audeat usque
Viribus? hic miseris furor est, instare periclo,
Nec librare metus, et tuta odisse: resiste 260
Hoc fretus solio: nos propulsabimus hostem:
Nos bellare jube. Sic proxima turba: sed ardens
Ecce aderat luctu, dicturusque omnia belli
Libertate Creon: urit fera corda Menœceus:
Nulla patri requies: illum quæritque, tenetque;
Illum sanguineos proflantem pectore rivos 266
Adspicit, et sæva semper de turre cadentem.
Ut dubium, et pugnas cunctantem Eteoclea vidit:
Ibis, ait, neque te ulterius, fratrumque ducumque
Pessime, funeribus patriæ lacrymisque potitum,
Eumenidum bellique reum, patiemur inulti. 271

Sat tua non æquis luimus perjuria divis.
Urbem armis opibusque gravem, et modo civibus arctam,
Ceu cœlo dimissa lues, inimicave tellus,
Hausisti, vacuamque tamen sublimis obumbras.
Deest jam servitio plebes : hos ignis egenos 276
Fert humus ; hos pelago patrius jam detulit amnis.
Hi quærunt artus, illi ardua vulnera curant.
Redde agedum miseris fratres, natosque, patresque, [Hypseus,
Redde arvis domibusque viros : ubi maximus
Finitimusque Dryas ? ubi Phocidos arma sonoræ,
Euboicique duces ? illos tamen æqua duelli
Fors tulit ad manes : at tu (pudet) hostia regni,
Hostia, nate, jaces, ceu mutus et e grege sanguis,
Hei mihi primitiis armorum, et rite nefasto 285
Libatus, jussusque mori : et cunctabitur ultra
Iste ? nec adverso nunc saltem Marte vocatus
Stabit ? an in pugnas alium jubet ire profanus
Tiresias, iterumque meos oracula nectit [mon ?
In gemitus ? quid enim misero super unicus Hæ-
Ille jube subeat, tuque hinc spectator ab alta 291
Turre sede : quid sæva fremis, famulamque cohortem
Respectas ? hi te ire volunt, hi pendere pœnas :
Ipsa etiam genitrix, ipsæque odere sorores. 294
In te ardens frater ferrum mortemque minatur,
Sævaque portarum convellit claustra : nec audes ?
Sic pater infrendens, miseraque exæstuat ira.
Ille sub hæc : Non fallis, ait, nec te inclyta nati
Fata movent : canere illa patrem et jactare decebat.
Sed spes sub lacrymis, spes atque occulta cupido
His latet : insano prætendis funera voto, 301
Meque premis frustra, vacuæ ceu proximus aulæ.
Non ita Sidoniam fortuna reliquerit urbem,
In te ut sceptra cadant, tanto indignissime nato.
Nec mihi difficilis præsens vindicta : sed arma, 305
Arma prius, famuli : coeant in prœlia fratres ;
Vult gemitus lenire Creon. Lucrare furorem :
Victori mihi cuncta lues. Sic jurgia paulum
Distulit, atque ensem, quem jam dabat ira, re-
Ictus ut incerto pastoris vulnere serpens [pressit.
Erigitur gyro, longumque e corpore toto 311
Virus in ora legit : paulum si devius hostis
Torsit iter, cecidere minæ, tumefactaque frustra
Colla sedent, irasque sui bibit ipse veneni.
At genitrix primam funestæ sortis ut amens 315
Expavit famam, (nec tarde credidit,) ibat
Scissa comas, vultuque et pectore nuda cruento,
Non sexus decorisve memor : Pentheia qualis
Mater ad insani scandebat culmina montis,
Promissum sævo caput allatura Lyæo. 320
Non comites, non ferre ipsæ vestigia natæ
Æqua valent ; tantum miseræ dolor ultimus addit
Robur, et exsangues crudescunt luctibus anni.
Jamque decus galeæ, jam spicula sæva ligabat
Ductor, et ad lituos hilarem, trepidumque tubarum 325
Prospiciebat equum ; subito cum apparuit ingens
Mater, et ipse metu famulûmque expalluit omnis
Cœtus, et oblatam retro dedit armiger hastam.
Quis furor ? unde iterum regni integrata resurgit
Eumenis ? ipsi etiam post omnia, cominus ipsi
Stabitis ? usque adeo geminas duxisse cohortes,
Et facinus mandasse parum est ? quo deinde redibit 332
Victor ? in hosne sinus ? o diri conjugis olim
Felices tenebræ ! datis, improba lumina, pœnas.
Hæc spectanda dies ? quo, sæve, minantia flectis
Ora ? quid alternos vultus pallorque ruborque
Mutat, et obnixi frangunt mata murmura dentes ?
Me miseram ! vinces . prius hæc tamen arma necesse est
Experiare domi : stabo ipsa in limine portæ
Auspicium infelix, scelerumque immanis imago.
Hæc tibi canities, hæc sunt calcanda, nefande,
Ubera, perque uterum sonipes hic matris agendus. [lis ?
Parce : quid oppositam capulo parmaque repel-
Non ego te contra Stygiis feralia sanxi
Vota deis, cæco nec Erinnyas ore rogavi. 345
Exaudi miseram : genitrix te, sæve, precatur,
Non pater : adde moram sceleri, et metire quod audes.
Sed pulsat muros germanus, et impia contra
Bella ciet. Non mater enim, non obstat eunti
Ulla soror : te cuncta rogant, hic plangimus omnes. 350
Ast ibi vix unus pugnas dissuadet Adrastus,
Aut fortasse jubet : tu limina avita deosque
Linquis, et a nostris in fratrem amplexibus exis.
At parte ex alia tacitos obstante tumultu
Antigone furata gradus, (nec casta retardat 355
Virginitas,) volat Ogygii fastigia muri
Exsuperare furens : senior comes hæret eunti
Actor, et hic summas non duraturus ad arces.
Utque procul visis paulum dubitavit in armis,
Agnovitque (nefas) jaculis et voce superba 360
Tecta incessentem, magno prius omnia planctu
Implet, et e muris ceu descensura profatur :
Comprime tela manu, paulumque hanc adspice turrim,
Frater, et horrentes refer in mea lumina cristas.
Agnoscisne hostes ? sic annua pacta fidemque
Poscimus ? hi questus ? hæc est bona causa modesti 366
Exsulis ? Argolicos per te, germane, penates,
(Nam Tyriis jam nullus honos,) per si quid in illa
Dulce domo, submitte animos : en utraque gentis
Turba rogant, ambæque acies : rogat illa suorum
Antigone devota malis, suspectaque regi, 371
Et tantum tua, dure, soror : saltem ora trucesque
Solve genas : liceat vultus fortasse supremum
Noscere dilectos, et ad hæc lamenta, videre,
Anne fleas : illum gemitu jam supplice mater 375
Frangit, et extremum dimittere dicitur ensem :
Tu mihi fortis adhuc ? mihi, quæ tua nocte dieque
Exsilia erroresque fleo ? jamjamque tumentem
Placavi tibi, sæve, patrem. Quid crimine solvis
Germanum ? nempe ille fidem et stata fœdera rupit, 380
Ille nocens, sævusque suis : tamen ecce vocatus
Non venit. His paulum furor elanguescere dictis
Cœperat, obstreperet quanquam atque obstaret Erinnys.
Jam submissa manus, lente jam flectit habenas,
Jam tacet : erumpunt gemitus, lacrymasque fatetur 385
Cassis : hebent iræ : pariterque et abire nocentem,
Et venisse pudet : subito cum matre repulsa
Eumenis ejecit fractis Eteoclea portis
Clamantem : Venio, solumque, quod ante vocasti,
Invideo : ne incesse moras, gravis arma tenebat
Mater : io patria, o regum incertissima tellus,
Nunc certe victoris eris. Nec mitior ille,
Tandem, inquit, scis, sæve, fidem ? et descendis in æquum ?
O mihi nunc primum longo post tempore frater,
Congredere : hæ leges, hæc fœdera sola supersunt

Sic hostile tuens fratrem : namque uritur alto 396
Corde, quod innumeri comites, quod regia cassis,
Instratusque ostro sonipes, quod fulva metallo
Parma micet : quanquam haud armis inhonorus et ipse,
Nec palla vulgare nitens : opus ipsa novarat 400
Mæoniis Argia modis, et pollice docto
Stamina purpureæ sociaverat aurea telæ.
Jamque in pulvereum Furiis hortantibus æquor
Prosiliunt : sua quemque comes stimulatque regitque.
Frena tenent ipsæ, phalerasque et lucida comunt
Arma manu, mixtisque jubas serpentibus augent.
Stat consanguineum campo scelus : unius ingens
Bellum uteri, coeuntque pares sub casside vultus.
Signa tacent, siluere tubæ, stupefactaque Martis
Cornua : ter nigris avidus regnator ab oris 410
Intonuit, terque ima soli concussit : et ipsi
Armorum fugere dei : nusquam inclyta Virtus,
Restinxit Bellona faces, longeque paventes
Mars rapuit currus, et Gorgone cruda virago
Abstitit, inque vicem Stygiæ rubuere sorores.415
Prominet excelsis vulgus miserabile tectis : [arce.
Cuncta madent lacrymis, et ab omni plangitur
Hinc questi vixisse senes, hinc pectore nudo
Stant matres, parvosque vetant attendere natos.
Ipse quoque Ogygios monstra ad gentilia manes
Tartareus rector porta jubet ire reclusa. 421
Montibus insidunt patriis, tristique corona
Infecere diem, et vinci sua crimina gaudent.
Illos ut stimulis ire in discrimen apertis 424
Audiit, et sceleri nullum jam obstare pudorem,
Advolat, et medias immittit Adrastus habenas.
Ipse quidem regnis multum et venerabilis ævo,
Sed quid apud tales, quîs nec sua pignora curæ ?
Alternos tamen illa rogat : Spectabimus ergo
Inachidæ Tyriique nefas ? ubi jura, deique ? 430
Bella ubi ? ne perstate animis : te deprecor, hostis,
(Quanquam, hæc ira sinat, nec tu mihi sanguine longe,)
Te, gener, et jubeo : sceptri si tanta cupido est,
Exuo regales habitus : i, Lernan et Argos 434
Solus habe. Non verba magis suadentia frangunt
Accensos, sumtisque semel conatibus obstant,
Quam Scytha curvatis erectus fluctibus unquam
Pontus Cyaneos vetuit concurrere montes.
Ut periisse preces, geminosque ad prœlia fusos
Pulvere cornipedes, explorarique furentum 440
In digitis amenta videt, fugit, omnia linquens
Castra, viros, generum, Thebas, ac fata monentem
Conversumque jugo propellit Ariona : qualis
Demissus curru lævæ post præmia sortis
Umbrarum custos, mundique novissimus hæres
Palluit, amisso veniens in Tartara cœlo. 446
Non tamen indulsit pugnæ, cunctataque primo
Substitit in scelere, et paulum Fortuna morata est.
Bis cassæ periere viæ : bis cominus actos
Avertit bonus error equos, puræque nefandi 450
Sanguinis obliquis ceciderunt ictibus hastæ.
Tendunt frena manu, et sævis calcaribus urgent
Immeritos : movet et geminas miserabile divûm
Prodigium turmas, alternaque murmura volvunt
Mussantes ; iterare aciem, procurrere sæpe 455
Impetus, et totum miseris opponere bellum.
Jamdudum terris cœtuque offensa deorum
Aversa cœli Pietas in parte sedebat,
Non habitu quo nota prius, non ore sereno,
Sed vittis exuta comam, fraternaque bella, 460
Ceu soror infelix pugnantum, aut anxia mater,
Deflebat, sævumque Jovem, Parcasque nocentes
Vociferans, seseque polis et luce relicta
Descensuram Erebo, et Stygios jam malle penates.
Quid me, ait, ut sævis animantum, ac sæpe deorum 465
Obstaturam animis, princeps Natura, creabas ?
Nil jam ego per populos, nusquam reverentia nostri.
O furor, o homines, diræque Prometheos artes !
Quam bene post Pyrrham tellus pontusque vacabant ?
En mortale genus ! Dixit : speculataque tempus,
Auxilium tentemus, ait, licet irrita coner : 471
Desiluitque polo : niveus sub nubibus altis,
Quanquam mæsta, deæ sequitur vestigia limes
Vix steterat campo, subita mansuescere pace
Agmina, sentirique nefas : tunc ora madescunt
Pectoraque, et tacitus subrepsit fratribus horror
Arma etiam simulata gerens, cultusque viriles,
Nunc his, nunc illis, Agite, ite, obsistite, clamat,
Quîs nati fratresque domi, quîs pignora tanta.
His quoque (nonne palam est ultro miserescere divos ?) 480
Tela cadunt ; cunctantur equi : fors ipsa repugnat.
Nonnihil impulerat dubios, ni torva notasset
Tisiphone fraudes, cœlestique ocior igne
Afforet increpitans : Quid belli obverteris ausis,
Numen iners, pacique datum ? cede, improba : noster 485
Hic campus, nosterque dies : nunc sera nocentes
Defendis Thebas : ubi tunc, cum bella cieret
Bacchus, et armatas furiarent orgia matres ?
Aut ubi segnis eras, dum Martius impia serpens
Stagna bibit ? dum Cadmus arat ? dum victa cadit Sphinx ? [nostra
Dum rogat Œdipoden genitor ? dum lampade
In thalamos Iocasta venit ? Sic urget, et ultro
Vitantem adspectus etiam, pudibundaque longe
Ora reducentem, premit adstridentibus hydris
Intentatque faces : dejectam in lumina pallam 495
Diva trahit, magnoque fugit questura Tonanti.
Tunc vero accensæ stimulis majoribus iræ.
Arma placent, versæque volunt spectare cohortes.
Instaurant crudele nefas : rex impius aptat
Tela, et funestæ casum prior occupat hastæ. 500
Illa, viam medium clypei conata per orbem,
Non perfert ictus, atque alto vincitur auro.
Tunc exsul subit, et clare funesta precatur :
Di, quos effosso non irritus ore rogavit
Œdipodes, firmate nefas : non improba posco 505
Vota : piabo manus, et eodem pectora ferro
Rescindam, dum me moriens hic sceptra tenentem [lorem.
Linquat, et hunc secum portet minor umbra do-
Hasta subit velox equitis femur inter, equique
Ilia, letum utrique volens : sed plaga sedentis 510
Laxato vitata genu ; tamen irrita voti
Cuspis in obliquis invenit vulnera costis.
It præceps sonipes strictæ contemtor habenæ,
Arvaque sanguineo scribit rutilantia gyro.
Exsultat, fratris credens hunc esse cruorem. 515
Credit et ipse metu : totis jamque exsul habenis
Indulget, cæcusque avidos illidit in ægrum
Cornipedem cursus : miscentur frena, manusque,
Telaque, et ad terram turbatis gressibus ambo
Præcipitant : ut nocte rates, quas nubilus Auster
Implicuit, frangunt tonsas, mutantque rudentes,
Luctatæque diu tenebris, hiemique, sibique,
Sicut erant, imo pariter sedere profundo.
Hæc pugnæ facies : coeunt sine more, sine arte
Tantum animis iraque, atque ignescentia cernun-

Per galeas odia, et vultus rimantur acerbo 526
Lumine: nil adeo mediæ telluris, et enses
Impliciti, nexæque manus, alternaque sævi
Murmura, ceu lituos, rapiunt, aut signa tubarum.
Fulmineos veluti præceps cum cominus egit 530
Ira sues, strictisque erexit pectora setis,
Igne tremunt oculi, lunataque dentibus uncis
Ora sonant: spectat pugnas de rupe propinqua
Venator pallens, canibusque silentia suadet. 534
Sic avidi incurrunt: necdum letalia miscent
Vulnera, sed cœptus sanguis, facinusque peractum. [adstant
Nec jam opus est Furiis: tantum mirantur, et
Laudantes, hominumque dolent plus posse furores.
Fratris uterque furens cupit affectatque cruorem,
Et nescit manare suum. Tandem irruit exsul, 540
Hortatusque manum, cui fortior ira, nefasque
Justius, alte ensem germani in corpore pressit,
Qua male jam plumis imus tegit inguina thorax.
Ille dolens nondum, sed ferri frigore primo
Territus, in clypeum turbatos colligit artus: 545
Mox intellecto magis ac magis æger anhelat
Vulnere: nec parcit cedenti, atque increpat hosti:
Quo retrahis, germane, gradus? o languida somno,
Et regnis effeta quies! longaque sub umbra
Imperia! exsilio rebusque exercita egenis 550
Membra vides: disce arma pati, nec fidere lætis.
Sic pugnant miseri: restabat lassa nefando
Vita duci, summusque cruor, poterantque paramum [rumper
Stare gradus: sed sponte ruit, fraudemque supre-
In media jam morte parat: clamore Cithæron
Erigitur: fraterque ratus vicisse, levavit 556
Ad cœlum palmas: Bene habet: non irrita vovi:
Cerno graves oculos, atque ora natantia leto.
Huc aliquis propere sceptrum atque insigne comarum,
Dum videt. Hæc dicens gressus admovit, et arma,
Ceu templis decus et patriæ laturus ovanti, 561
Arma etiam spoliare cupit: nondum ille peractis
Manibus, ultrices animam servabat in iras.
Utque superstantem, pronumque in pectore sensit,
Erigit occulte ferrum, vitæque labantis 565
Relliquias tenues odio supplevit, et ensem
Jam lætus fratris non frater corde reliquit.
Ille autem, Vivisne? et adhuc manet ira superstes,
Perfide, nec sedes unquam meriture quietas? 569
I mecum ad manes: illic quoque pacta reposcam,
Si modo Agenorei stat Gnossia judicis urna,
Qua reges punire datur. Nec plura locutus
Concidit, et totis fratrem gravis obruit armis.
Ite truces animæ, funestaque Tartara leto
Polluite, et cunctas Erebi consumite pœnas. 575
Vosque malis hominum, Stygiæ, jam parcite, divæ.
Omnibus in terris scelus hoc, omnique sub ævo
Viderit una dies, monstrumque infame futuris
Excidat, et soli memorent hæc prœlia reges.
At genitor, sceleris comperto fine, profundis 580
Erepsit tenebris, sævoque e limine profert
Mortem imperfectam: veteri stat sordida tabo
Utraque canities, et durus sanguine crinis
Obnubit furiale caput: procul ora, genæque
Intus, et effossæ squalent vestigia lucis. 585
Virgo autem impositæ sustentat pondera lævæ,
Dextra sedet baculo: qualis si puppe relicta
Exosus pigri manes sulcator Averni
Exeat ad superos, solemque et pallida turbet
Astra, nec ipse diu fortis, patiensque superni 590
Aeris: interea longum cessante magistro
Crescat opus, totisque exspectent sæcula ripis
Talis init campum, comitique extrema gementi,
Duc, ait, ad natos, patremque recentibus, oro,
Injice funeribus: cunctatur nescia virgo [tur
Quid paret: impediunt iter, implicitosque moran-
Arma, viri, currus, altaque in strage seniles 597
Deficiunt gressus, et dux miseranda laborat.
Ut quæsita diu monstravit corpora clamor
Virginis, insternit totos frigentibus artus. 600
Nec vox ulla seni: jacet, immugitque cruentis
Vulneribus, nec verba diu tentata sequuntur.
Dum tractat galeas, atque ora latentia quærit,
Tandem muta furens genitor suspiria solvit: 604
Tarda meam, pietas, longo post tempore mentem
Percutis? estne sub hoc hominis clementia corde?
Vincis me miserum, vincis, natura, parentem.
En habeo gemitus, lacrymæque per arida serpunt
Lumina, et in molles sequitur manus impia planctus.
Accipite infandæ justa exsequialia mortis,
Crudeles, nimiumque mei: nec noscere natos,
Alloquiumque aptare licet: dic, virgo, precanti,
Quem teneo? quo nunc vestras ego sævus honore
Prosequar inferias? o si fodienda redirent
Lumina, et in vultus sævire ex more potestas. 615
Heu dolor, heu justo magis exaudita parentis
Vota, malæque preces! quisnam fuit ille deorum,
Qui stetit orantem juxta, præceptaque verba
Dictavit fatis? furor illa, et movit Erinnys,
Et pater, et genitrix, et regna, oculique cadentes,
Nil ego: per Ditem juro, dulcesque tenebras, 621
Immeritamque ducem: subeam sic Tartara digna
Morte, nec irata fugiat me Laius umbra.
Hei mihi, quos nexus fratrum, quæ vulnera tracto!
Solvite, quæso, manus, infestaque vincula tandem
Dividite, et medium nunc saltem admittite patrem.
Talia dequestus, paulatim sumserat iras
Mortis, et occulte telum, ni nata vetaret,
Quærebat; sed cauta manu subtraxerat enses
Antigone: furit inde senex: Ubi noxia tela? 630
Heu furiæ! num totum abiit in corpora ferrum?
Dicentem comes ægra levat, mutumque dolorem
Ipsa premit, sævum gaudens planxisse parentem.
Olim autem inceptæ clamore exterrita pugnæ
Regina extulerat notum penetralibus ensem, 635
Ensem sceptriferi spolium lacrymabile Laii
Multaque cum superis et diro questa cubili,
Et nati furiis, et primi conjugis umbris,
Luctata est dextræ, et prono vix pectore ferrum
Intravit tandem, et venas prorupit aniles 640
Vulnus, et infelix lustratur sanguine lectus.
Illius exili stridentem in pectore plagam
Ismene collapsa super lacrymisque comisque
Siccabat plangens: qualis Marathonide sylva
Flebilis Erigone cæsi prope funera patris 645
Questibus absumtis tristem jam solvere nodum
Cœperat, et fortes ramos moritura legebat.
At jam, læta ducum spes elusisse duorum,
Res Amphionias alio sceptrumque maligna 649
Transtulerat Fortuna manu, Cadmique tenebat
Jura Creon. Miser heu bellorum terminus! illi
Pugnarant fratres; hunc et Mavortia clamant
Semina, et impensus patriæ paulo ante Menœceus
Conciliat populis: scandit fatale tyrannus
Flebilis Aoniæ solium. Pro blanda potestas, 655
Et sceptri malesuadus amor! nunquamne prorum
Hærebunt documenta novis? juvat ecce nefasto
Stare loco, regimenque manu tractare cruentum.
Quid melior fortuna potest? jam flectere patem
Incipit, atque datis abolere Menœcea regnis. 660

Primum adeo sævis imbutus moribus aulæ,
Indicium specimenque sui, jubet igne supremo
Arceri Danaos, nudoque sub axe relinqui
Infelix bellum, et tristes sine sedibus umbras.
Mox reducem Ogygiæ congressus limine portæ
Œdipoden timuit paulum, seseque minorem 666
Confessus tacite, promtamque coercuit iram.
Mox redit in regem, cæcumque audentius hostem
Increpitans, Procul, inquit, abi, victoribus omen
Invisum, et furias averte, ac mœnia lustra 670
Discessu Thebana tuo: spes longa peracta est.
Vade: jacent nati: quæ jam tibi vota supersunt?
Horruit instinctu rabido, steteruntque trementes,
Ceu visu præsente, genæ, seniumque recessit.
Tunc natam baculumque manu dimisit, et iræ
Innixus, tumido vocem de pectore rumpit: 676
Jamne vacat sævire, Creon? modo perfida regna
Fortunæque locum nostræ, miserande, subisti,
Et tibi jam fas est regum calcare ruinas?
Jam tumulis victos, socios jam mœnibus arces?
Macte: potes digne Thebarum sceptra tueri. 681
Hæc tua prima dies: sed cur nova contra his amens
Jura? quid anguste tantos metiris honores?
Exsilium intendis? timida inclementia regum
Ista: feros avidus quin protinus imbuis enses? 685
Crede, licet: veniat cupidus parere satelles,
Intrepidusque secet non evitantia colla.
Incipe: an exspectas, ut pronus supplice dextra
Sternar, et immitis domini vestigia quæram?
Finge autem tentare, sines? Mihine ulla minaris
Supplicia? aut ullos reris superesse timores? 691
Linquere tecta jubes? cœlum terrasque reliqui
Sponte, atque ultricem crudelis in ora retorsi
Non ullo cogente manum: quid tale jubere, 694
Rex inimice, potes? fugio, excedoque nefandis
Sedibus: an refert, quo funera longa, mensque
Transportem tenebras? ne non gens cuncta precanti
Concedat, patriæ quantum miser incubo terræ?
Sed dulces Thebæ: nimirum hic clarior ortus,
Et meliora meos permulcent sidera vultus. 700
Hic genitrix, natique: habeas Thebana regasque
Mœnia, quo Cadmus, quo Laius omine rexit,
Quoque ego: sic thalamos, sic pignora fida capessas.
Nec tibi sit virtus fortunam evadere dextra; 704
Sed lucem deprensus ames. Satis omina sanxi.
Duc age, nata, procul: quid te autem luctibus addo? [qui
Da, rex magne, ducem. Timuit miseranda relin-
Antigone, mutatque preces: Felicia per te [bras,
Regna, verende Creon, sanctasque Menœceos um-
Da veniam afflicto, dictisque ignosce superbis.
Hunc morem fandi longæ fecere querelæ. 711
Nec soli ferus iste tibi: sic fata, deosque
Alloquitur: durus luctu, facilisque nec ipsi
Sæpe mihi: pridem indomito sub pectore fervet
Libertas misera, et sævæ spes anxia mortis. 715
Et nunc ecce tuas irritat callidus iras,
Suppliciumque cupit: sed tu majoribus, oro,
Imperii potiare bonis, altusque jacentes
Prætereas, et magna ducum vereare priorum 719
Funera: et hic quondam solio sublimis, et armis
Septus, opem miseris, jura et poscentibus æquus
Supplicibusque dabat: cui nunc ex agmine tanto
Una comes, necdum exsul erat: felicibus hicne
Obstat? in hunc odiis et regni viribus exis?
Hunc abigis tectis? an ne prope limina clarum
Ingemat, et votis intempestivus oberret? 726
Pone metum: procul usque tua submotus ab aula
Flebit: ego erectum subigam, et servire docebo.
Cœtibus abducam, solaque in sede recondam:
Exsul erit: nam quæ migranti externa patebunt
Mœnia? vis Argos eat, hostilesque Mycenas 731
Squalidus irreptet? victique ad limen Adrasti
Aonias narret clades, tenuemque precetur
Rex Thebanus opem? miseræ quid crimina gentis
Pandere, quid casus juvat ostentare pudendos?
Conde, precor, quodcunque sumus: nec longa precamur 736
Dona, Creon: miserere senis, mæstique parentis.
Hic, precor, hic manes indulge ponere: certe
Thebanos sepelire licet. Sic orat, humique
Volvitur: abducit genitor, sævumque minatur.
Indignans veniam: qualis leo rupe sub alta. 741
Quem viridem quondam sylvæ montesque tremebant,
Jam piger, et longo jacet exarmatus ab ævo,
Magna tamen facies, et non adeunda senectus:
Et si demissas veniat mugitus ad aures, 745
Erigitur, meminitque sui, viresque peractas
Ingemit, et campis alios regnare leones.
Flectitur affatu, sed non tamen omnia rector
Supplicis indulget lacrymis, partemque recidit
Muneris: Haud, inquit, patriis prohibebere longe
Finibus: occursu dum non pia templa, domosque
Commacules, habeant te lustra, tuusque Cithæron:
Atque hæc ecce tuis tellus habitabilis umbris,
Qua bellum, geminæque jacent in sanguine gentes.
Sic ait, et ficto comitum vulgique gementis 755
Adsensu, limen tumidus regale petebat.
Interea pulsi vallum exitiale Pelasgi
Destituunt furto: nulli sua signa, suusque
Ductor: eunt taciti passim, et pro funere pulchro
Dedecorem amplexi vitam reditusque pudendos.
Nox favet, et grata profugos amplectitur umbra.

LIBER DUODECIMUS.

Nondum cuncta polo vigil inclinaverat astra
Ortus, et instantem cornu tenuiore videbat
Luna diem: trepidas subito Tithonia nubes
Discutit, ac reduci magnum parat æthera Phœbo.
Agmina jam raris Dircæa penatibus errant, 5
Noctis questa moras: quamvis tunc otia tandem,
Et primus post bella sopor: tamen ægra quietem
Pax fugat, et sævi meminit victoria belli.
Vix primo proferre gradum, et munimina valli
Solvere, vix totas reserare audacia portas. 10
Stant veteres ante ora metus, campique vacantis
Horror: ut assiduo jactatis æquore tellus
Prima labat, sic attoniti nil cominus ire
Mirantur, fusasque putant adsurgere turmas.

Sic ubi prospicuæ scandentem limina turris 15
Idaliæ volucres fulvum adspexere draconem,
Intus agunt natos, et feta cubilia vallant
Unguibus, imbellesque citant ad prœlia pennas:
Mox ruerit licet ille retro, tamen aera nudum
Candida turba timet, tandemque ingressa volatus
Horret, et a mediis etiamnum respicit astris. 21
Iter in exsanguem populum, bellique jacentis
Relliquias, qua quemque dolor luctusque cruenti
Exegere duces: hi tela, hi corpora, at illi
Cæsorum tantum ora vident, alienaque juxta 25
Pectora: pars currus deflent, viduisque loquuntur,
Hoc solum quia restat, equis: pars oscula figunt
Vulneribus magnis, et de virtute queruntur.
Frigida digeritur strages: patuere recisæ
Cum capulis, hastisque manus, mediisque sagittæ
Luminibus stantes: multis vestigia cædis
Nulla; ruunt planctu pendente et ubique parato.
At circum informes truncos miserabile surgit
Certamen, qui justa ferant, qui funera ducant.
Sæpe etiam hostiles (lusit Fortuna parumper) 35
Decepti flevere viros: nec certa facultas
Noscere, quem miseri vitent, calcentve cruorem.
At quibus est illæsa domus, vacuique dolores,
Aut deserta vagi Danaûm tentoria lustrant,
Immittuntque faces, aut (quæ post bella voluptas)
Quærunt dispersi, jaceat quo pulvere Tydeus, 41
An rapti pateat specus auguris, aut ubi divûm
Hostis, an ætheriæ vivant per membra favillæ.
Jam lacrymis exemta dies, nec serus abegit
Vesper: amant miseri lamenta, malisque fruuntur.
Nec subiere domos, sed circum funera pernox 46
Turba sedet, vicibusque datis alterna gementes
Igne feras planctuque fugant: nec dulcibus astris
Victa, nec assiduo coierunt lumina fletu.
Tertius Auroram pulsabat Lucifer, et jam 50
Montibus orbatis lucorum gloria magnæ
Theumesi venere trabes, et amica Cithæron
Sylva rogis: ardent excisæ viscera gentis
Molibus exstructis: supremo munere gaudent
Ogygii manes: queritur miserabile Graiûm 55
Nuda cohors, vetitumque gemens circumvolat ig-
Accipit et sævi manes Eteoclis iniquos [nem.
Haudquaquam regalis honos: Argivus haberi
Frater jussus adhuc, atque exsule pellitur umbra.
At non plebeio fumare Menœcea busto 60
Rex genitor Thebæque sinunt: nec robora vilem
Struxerunt de more rogum; sed bellicus agger
Curribus, et clypeis, Graiorumque omnibus armis
Sternitur: hostiles super ipse, ut victor, acervos,
Pacifera lauro crinem vittisque decorus, 65
Accubat: haud aliter quam cum poscentibus astris
Lætus in accensa jacuit Tirynthius Œta.
Spirantes super inferias, captiva Pelasgûm
Corpora frenatosque pater, solatia forti,
Bellorum mactabat equos: his arduus ignis 70
Palpitat, et gemitus tandem erupere paterni:
O, nisi magnanimus tantæ te laudis inisset
Ardor, Echionios mecum, venerande, penates,
Atque ultra, recture puer; venientia qui nunc
Gaudia, et ingratum regni mihi munus acerbas:
Tu, superûm convexa licet cœtusque perenni 76
(Credo equidem) virtute colas, mihi flebile semper
Numen eris: ponant aras, excelsaque Thebæ
Templa dicent; uni fas sit lugere parenti.
Et nunc heu quæ digna tibi sollennia, quasve 80
Largiar exsequias? nec si fatale potestas
Argos et impulsas cineri miscere Mycenas,
Meque super, cui vita (nefas) et sanguine nati
Partus honos. Eademne dies, eadem impia bella
Te, puer, et diros misere in Tartara fratres? 85
Et nunc Œdipodi par est fortuna doloris
Ac mihi: quam similes gemimus, bone Jupiter, umbras!
Accipe, nate, tui nova libamenta triumphi,
Accipe et hoc regimen dextræ, frontisque superbæ
Vincula, quæ patri nimium gestanda dedisti. 90
Regem te, regem tristes Eteocleos umbræ
Adspiciant. Simul hæc dicens, crinemque manum-
Destruit, accensaque iterat violentius ira: [que
Sævum agedum immitemque vocent, nunc funera Lernæ 94
Tecum ardere veto: longos utinam addere sensus
Corporibus, cœloque animas Ereboque nocentes
Pellere fas, ipsumque feras, ipsum unca volucrum
Ora sequi, atque artus regum monstrare nefandos
Hei mihi, quod positos humus alma diesque resolvit. [prema
Quare iterum repetens iterumque edico, su-
Ne quis ope, aut flammis ausit juvisse Pelasgos:
Aut nece facta luet, numeroque explebit ademta
Corpora: per superos, magnumque Menœcea juro.
Dixit, et abreptum comites in tecta ferebant.
Flebilis interea vacuis comitatus ab Argis 105
(Fama trahit miseras) orbæ viduæque ruebant
Inachides, ceu capta manus: sua vulnera cuique,
Par habitus cunctis, dejecti in pectora crines,
Accinctique sinus: manant lacera ora cruentis
Unguibus, et molles planctu crevere lacerti. 110
Prima per attonitas nigræ regina catervæ
Tristibus illabens famulis, iterumque resurgens,
Quærit inops Argia vias: non regia cordi,
Non pater: una fides, unum Polynicis amati 114
Nomen in ore sedet: Dircen, infaustaque Cadmi
Mœnia, posthabitis velit incoluisse Mycenis.
Proxima Lernæo Calydonidas agmine mixtas
Tydeos exsequias trahit haud cessura sorori
Deiphile: scelus illa quidem, morsusque profanos
Audierat miseranda viri; sed cuncta jacenti 120
Infelix ignoscit amor: post aspera visu,
Ac deflenda tamen, digno plangore Nealce
Hippomedonta ciens: vatis mox impia conjux
Heu vacuos positura rogos: postrema gementum
Agmina Mænaliæ ducit comes orba Dianæ, 125
Et gravis Evadne: dolet hæc, queriturque labores
Audacis pueri; magni memor illa mariti
It torvum lacrymans, summisque irascitur astris.
Illas et lucis Hecate speculata Lycæis 129
Prosequitur gemitu, duplexque ad littus euntes
Planxit ab Isthmiaco genitrix Thebana sepulcro:
Noctivagumque gregem, quamvis sibi luget, Eleu-
Flevit, et arcanos errantibus extulit ignes. [sin
Ipsa per aversos ducit Saturnia colles,
Occultatque vias, ne plebs congressa suorum 135
Ire vetet, pereatque ingentis gloria cœpti.
Nec non functa ducum refovendi corpora curam
Iris habet; putresque arcanis roribus artus
Ambrosiæque rigat succis, ut longius obstent
Exspectentque rogos, flammas neve ante fatiscant. 140
Squalidus ecce genas, et hianti vulnere pallens
Ornytus (hic socio desertus ab agmine, tardat
Plaga recens) timidus secreta per avia furto
Debile carpit iter, fractæque innititur hastæ.
Isque ubi mota novo stupuit loca sola tumultu,
Fœmineumque gregem, quæ jam super agmina Lernæ 146
Sola videt, non ille viam causasque requirit,

(Quippe patent,) mæsto sed sic prior occupat ore:
Quo, miseræ, quo fertis iter? funusne peremtis
Speratis, cineremque viris? stat pervigil illic 150
Umbrarum custos, inhumataque corpora regi
Annumerat: nusquam lacrymæ, procul usque fugati
Accessus hominum: solis avibusque ferisque
Ire licet: vestrisne Creon dabit æquus honorem
Luctibus? immites citius Busiridos aras, 155
Odrysiique famem stabuli, Siculosque licebit
Exorare deos: rapiet fortasse precantes,
(Si mens nota mihi,) nec conjugialia supra
Funera, sed caris longe mactabit ab umbris. 159
Quin fugitis, dum tuta via est, Lernamque reversæ
Nomina (quod superest) vacuis datis orba sepulcris,
Absentesque animas ad inania busta vocatis?
Aut vos Cecropiam (prope namque et Thesea fama est
Thermodontiaco lætum remeare triumpho)
Imploratis opem? bello cogendus et armis 165
In mores hominemque Creon. Sic fatus: at illis
Horruerant lacrymæ, stupuitque immanis eundi
Impetus, atque uno vultus pallore notati.
Non secus, afflavit molles si quando juvencas
Tigridis Hyrcanæ jejunum murmur, et ipse 170
Auditu turbatur ager, timor omnibus ingens,
Quæ placeat, quos illa fames descendat in armos.
Continuo discors vario sententia motu [onta,
Scinditur: his Thebas, tumidumque ambire Cre-
His placet, Actææ si quid clementia gentis 175
Annuat: extremum curarum, ac turpe reverti.
At non fœmineæ subitum virtutis honorem
Colligit Argie, sexuque immane relicto
Tractat opus: placet egregii spes dura pericli,
Cominus infandi leges accedere regni: 180
Quo Rhodopes non ulla nurus, nec alumna nivosi
Phasidos, innuptis vallata cohortibus, iret.
Tunc movet arte dolum, quo semet ab agmine fido
Segreget, immitesque deos, regemque cruentum
Contemtrix animæ, et magno temeraria luctu
Provocet: hortantur pietas, ignesque pudici. 186
Ipse etiam ante oculos omni manifestus in actu,
Nunc hospes miseræ, primas nunc sponsus ad aras,
Nunc mitis conjux, nunc jam sub casside torva
Mæstus in amplexu, multumque a limine summo
Respiciens: sed nulla animo obversatur imago
Crebrior, Aonii quam quæ de sanguine campi
Nuda venit, poscitque rogos: his anxia mentem
Ægrescit curis, et, qui castissimus ardor, 194
Funus amat. Tunc ad comites conversa Pelasgas:
Vos, ait, Actæas acies Marathoniaque arma
Elicite, adspiretque pio fortuna labori.
Me sinite Ogygias, tantæ quæ sola ruinæ
Causa fui, penetrare domos, et fulmina regni
Prima pati: nec surda feræ pulsabimus urbis 200
Limina; sunt illic soceri mihi, suntque sorores
Conjugis, et Thebas haud ignoranda subibo.
Ne tantum revocate gradus: illo impetus ingens,
Auguriumque animi. Nec plura: unumque Menœten 204
(Olim hic virginei custos monitorque pudoris)
Eligit, et quanquam rudis atque ignara locorum,
Præcipites gressus, qua venerat Ornytus, effert.
Atque ubi visa procul socias liquisse malorum,
Anne, ait, hostiles ego te labente per agros, 209
Heu dolor, exspectem, quænam sententia lenti
Theseos? an bello proceres, an dexter haruspex
Annuat? interea funus decrescit et uncis
Alitibus non hos potius supponimus artus? [bras
Et nunc me duram, si quis tibi sensus, ad um-
Me tardam quereris Stygiis, fidissime, divis. 215
Heu si nudus adhuc, heu si jam forte sepultus,
Nostrum utrumque nefas: adeo vis nulla dolenti,
Mors nusquam, sævusque Creon; hortaris euntem,
Ornyte. Sic dicens magno Megareia præceps
Arva rapit passu: demonstrat proxima quisquis
Obvius, horrescitque habitus, miseransque veretur. 221
Vadit atrox visu, nec corde nec aure pavescens,
Et nimiis confisa malis, propiorque timeri.
Nocte velut Phrygia cum lamentata resultant
Dindyma, pinigeri rapitur Simoentis ad amnem
Dux vesana chori, cujus dea sanguine lecto 226
Ipsa dedit ferrum, et vittata fronte notavit.
Jam pater Hesperio flagrantem gurgite currum
Abdiderat Titan, aliis rediturus ab undis,
Cum tamen illa gravem luctu fallente laborem
Nescit abisse diem: nec caligantibus arvis 231
Terretur, nec frangit iter, per et invia saxa,
Lapsurasque trabes, nemorumque arcana sereno
Nigra die, cæcisque incisa novalia fossis,
Per fluvios secura vadi, somnosque ferarum 235
Præter, et horrendis insessa cubilia monstris.
Tantum animi, luctusque valent: pudet ire Menœten
Tardius, invalidæque gradum miratur alumnæ.
Quas non illa domos pecorumque hominumque molesto
Pulsavit gemitu? quoties amissus eunti 240
Limes, et errantem comitis solatia flammæ
Destituunt, gelidæque facem vicere tenebræ?
Jamque supinantur fessis, lateque fatiscunt
Penthei devexa jugi, cum pectore anhelo 244
Jam prope deficiens, sic inchoat orsa Menœtes:
Haud procul (exacti si spes non blanda laboris)
Ogygias, Argia, domos, et egena sepulcri
Busta jacere reor: grave cominus æstuat aer
Sordidus, et magnæ redeunt per inane volucres
Hæc illa est crudelis humus: nec mœnia longe.
Cernis, ut ingentes murorum porrigat umbras
Campus, et e speculis moriens intermicet ignis?
Mœnia sunt juxta: modo nox magis ipsa tacebat,
Solaque nigrantes laxabant astra tenebras. 254
Horruit Argie, dextramque ad mœnia tendens:
Urbs optata prius, nunc tecta hostilia Thebæ,
Et tamen illæsas si reddis conjugis umbras,
Sic quoque dulce solum: cernis quo prædita cultu,
Qua stipata manu, juxta tua mœnia primum 259
Œdipodis magni venio nurus? improba non sunt
Vota: rogos hospes, planctumque, et funera posco.
Illum, oro, extorrem regni, belloque fugatum,
Illum, quem solio non es dignata paterno,
Redde mihi: tuque, oro, veni, si manibus ulla
Effigies, errantque animæ post membra solutæ:
Tu mihi pande vias, tuaque ipse ad funera deduc,
Si merui. Dixit, tectumque aggressa propinquæ
Pastorale casæ, reficit spiramina fessi
Ignis, et horrendos irrumpit turbida campos.
Qualis ab Ætnæis accensa lampade saxis 270
Orba Ceres magnæ variabat imagine flammæ
Ausonium Siculumque latus, vestigia nigri
Raptoris, vastosque legens in pulvere sulcos.
Illius insanis ululatibus ipse remugit
Enceladus, ruptoque vias illuminat igni. 275
Persephonen amnes, sylvæ, freta, nubila, clamant,
Persephonen tantum Stygii tacet aula mariti.
Admonet attonitam fidus meminisse Creontis
Altor, et occultam submittere lampada furto.

Regina Argolicas modo formidata per urbes, 280
Votum immane procis, spesque augustissima gentis, [quo,
Nocte sub infesta, nullo duce, et hoste propin-
Sola per offensus armorum, et lubrica tabo
Gramina, non tenebras, non circumfusa tremiscens
Concilia umbrarum, atque animas sua membra gementes; 285
Sæpe gradu cæco ferrum, calcataque tela
Dissimulat, solusque labor vitare jacentes,
Dum funus putat omne suum, visuque sagaci
Rimatur positos, et corpora prona supinat
Incumbens, queriturque parum lucentibus astris.
Forte soporiferas cœli secreta per umbras 291
Juno, sinu magni semet furata mariti,
Theseos ad muros, ut Pallada flecteret, ibat,
Supplicibusque piis faciles aperiret Athenas:
Atque ubi per campos errore fatiscere vano 295
Immeritam Argian supero respexit ab axe,
Indoluit visu: et lunaribus obvia bigis
Advertit currum, placidaque ita voce locuta est:
Da mihi poscenti munus breve, Cynthia, si quis
Est Junonis honos: certe Jovis improba jussu
Ternoctem Herculeam .... veteres sed mitto querelas: 301
En locus officio: cultrix placidissima nostri
Inachis Argie cernis qua nocte vagetur,
Nec reperire virum densis queat ægra tenebris?
Et tibi nimbosum languet jubar: exsere, quæso,
Cornua, et adsueto propior premat orbita terras.
Hunc quoque, qui curru madidas tibi pronus habenas
Ducit, in Aonios vigiles demitte Soporem.
Vix ea, cum scissis magnum dea nubibus orbem
Protulit: expavere umbræ, fulgorque recisus
Sideribus: vix ipsa tulit Saturnia flammas. 311
Primum per campos infuso lumine, pallam
Conjugis ipsa suos noscit miseranda labores, [ret
Quanquam texta latent, suffusaque sanguine mæ-
Purpura: dumque deos vocat, et de funere caro
Hoc superesse putat, videt ipsum in pulvere pæne
Calcatum: fugere animus, visusque, sonusque,
Inclusitque dolor lacrymas: tunc corpore toto
Sternitur in vultus, animamque per oscula quærit
Absentem, pressumque comis ac veste cruorem
Servatura legit: mox tandem voce reversa: 321
Hunc ego te, conjux, ad debita regna profectum
Ductorem belli, generumque potentis Adrasti
Adspicio? talisque tuis occurro triumphis?
Huc attolle genas, defectaque lumina: venit 325
Ad Thebas Argia tuas: age, mœnibus induc,
Et patrios ostende lares, et mutua redde
Hospitia. Heu quid ago? projectus cespite nudo
Hoc patriæ telluris habes? quæ jurgia? certe
Imperium non frater habet: nullasne tuorum 330
Movisti lacrymas? ubi mater? ubi inclyta fama
Antigone? mihi nempe jaces, mihi victus es uni.
Dicebam, Quo tendis iter? quid sceptra negata
Poscis? habes Argos: soceri regnabis in aula:
Hic tibi longus honos, hic indivisa potestas. 335
Quid queror? ipsa dedi bellum, mæstumque rogavi [rem.
Ipsa patrem, ut talem nunc te complexa tene-
Sed bene habet, superi: gratum est, Fortuna: peracta est
Spes longinqua viæ: totos invenimus artus.
Hei mihi, sed quanto descendit vulnus hiatu!
Hoc frater? qua parte, precor, jacet ille nefandus
Prædator? vincam volucres, sit adire potestas;
Excludamque feras: an habet funestus et ignes?
Sed nec te flammis inopem tua terra videbit:
Ardebis, lacrymasque feres, quas ferre negatum
Regibus, æternumque tuo famulata sepulcro 346
Durabit deserta fides: testisque dolorum
Natus erit, parvoque torum Polynice fovebo.
Ecce alios gemitus, aliamque ad busta ferebat
Antigone miseranda facem, vix nacta petitos 350
Mœnibus egressus: illam nam tempore in omni
Attendunt vigiles, et rex jubet ipse teneri,
Contractæque vices, et crebrior excubat ignis.
Ergo deis, fratrique moras excusat, et amens,
Ut paulum immisso cessit statio horrida somno,
Erumpit muris: fremitu quo territat agros 356
Virginis ira leæ, rabies cui libera tandem,
Et primus sine matre furor: nec longa morata est,
Quippe trucem campum, et positus quo pulvere frater
Noverat: atque illam contra videt ire Menœtes,
Cui vacat, et caræ gemitus compescit alumnæ.
Cum tamen erectas extremus virginis aures
Accessit sonus, utque atra sub veste, comisque
Squalentem, et crasso fœdatam sanguine vultus
Astrorum radiis, et utraque a lampade vidit: 365
Cujus, ait, manes, aut quem temeraria quæris
Nocte mea? Nihil illa diu, sed in ora mariti
Dejicit, inque suos pariter velamina vultus,
Capta metu subito, paulumque oblita doloris.
Hoc magis increpitans suspecta silentia, perstat
Antigone, comitemque premens ipsamque: sed ambo 371
Deficiunt, fixique silent: tandem ora retexit
Argie, corpusque tamen complexa, profatur:
Si quid in hoc veteri bellorum sanguine mecum
Quæsitura venis, si tu quoque dura Creontis 375
Jussa times, possum, tibi me confisa, fateri.
Si misera es, (certe lacrymas lamentaque cerno,)
Junge, age, junge fidem: proles ego regis Adrasti,
(Hei mihi! num quis adest?) cari Polynicis ad ignes,
Etsi regna vetant... Stupuit Cadmeia virgo, 380
Intremuitque simul, dicentemque occupat ultro:
Mene igitur sociam (pro sors ignara) malorum,
Mene times? mea membra tenes, mea funera plangis.
Cedo; tene: pudet heu, pietas ignava sororis!
Hæc prior. Hic pariter lapsæ, junctoque per ipsum [que,
Amplexu, miscent avidæ lacrymasque, comas-
Partitæque artus redeunt alterna gementes
Ad vultum, et cara vicibus cervice fruuntur.
Dumque modo hæc fratrem memorat, nunc illa maritum,
Mutuaque exorsæ Thebas, Argosque renarrant,
Longius Argie miseros reminiscitur actus: 391
Per tibi furtivi sacrum commune coloris,
Per socios manes, et conscia sidera juro;
Non hic amissos, quanquam vagus exsul, honores,
Non gentile solum, caræ non pectora matris, 395
Te cupiens unam, noctesque diesque locutus
Antigonen: ego cura minor, facilisque relinqui.
Tu tamen excelsa sublimis forsitan arce
Ante nefas Graiis dantem vexilla maniplis
Vidisti, teque ille acie respexit ab ipsa 400
Ense salutatam, et nutantis vertice coni:
Nos procul. Extremas sed quis deus egit in iras
Nil vestræ valuere preces? tibine iste negavit
Oranti? Causas ac tristia reddere facta
Cœperat Antigone; fidus comes admonet ambas
Eia agite inceptum potius: jam sidera pallent
Vicino turbata die: perferte laborem:

Tempus erit lacrymis: accenso flebitis igne.
Haud procul Ismeni monstrabant murmura ripas,
Qui turbatus adhuc et sanguine decolor ibat.
Huc laceros artus socio conamine portant 411
Invalidæ, jungitque comes non fortior ulnas.
Sic Hyperionium tepido Phaethonta sorores
Fumantem lavere Pado: vixdum ille sepulcro
Conditus, et flentes stant circum flumina sylvæ
Ut sanies purgata vado, membrisque reversus
Mortis horos, ignem miseræ post ultima quærunt
Oscula: sed gelidæ circum exanimesque favillæ
Putribus in foveis, atque omnia busta quiescunt.
Stabat adhuc, seu forte, rogus, seu numine divûm,
Cui torrere datum sævos Eteocleos artus, 421
Sive locum monstris iterum Fortuna parabat,
Seu discessuros servaverat Eumenis ignes.
Hic tenuem nigris etiamnum advivere lucem
Roboribus pariter cupidæ videre, simulque 425
Flebile gavisæ: nec adhuc, quæ busta, repertum,
Sed placidus quicunque, rogant, mitisque supremi
Admittat cineris consortem, et misceat umbras.
Ecce iterum fratres: primos ut contigit artus
Ignis edax, tremuere rogi, et novus advena bustis
Pellitur: exundant diviso vertice flammæ, 431
Alternosque apices abrupta luce coruscant.
Pallidus Eumenidum veluti commiserit ignes
Orcus, uterque minax globus, et conatur uterque
Longius: ipsæ etiam commoto pondere paulum
Secessere trabes: conclamat territa virgo: 436
Occidimus, functasque manu stimulavimus iras.
Frater erat: quis enim accessus ferus hospitis umbræ
Pelleret? en clypei fragmen, semustaque nosco
Cingula, frater erat: cernisne ut flamma recedat,
Concurratque tamen? vivunt odia improba, vivunt.
Nil actum bello: miseri, sic dum arma movetis,
Vicit nempe Creon: nusquam jam regna: quis ardor?
Cui furitis? sedate minas: tuque exsul ubique,
Semper inops æqui, jam cede; hoc nupta precatur, 445
Hoc soror: aut sævos mediæ veniemus in ignes.
Vix ea, cum subitus campos tremor altaque tes-
Impulit, adjuvitque rogi discordis hiatus, [qua
Et vigilum turbata quies, quibus ipse malorum
Fingebat simulacra sopor. Ruit ilicet, omnem
Prospectum lustrans armata indagine, miles. 451
Illos instantes senior timet unus: at ipsæ
Ante rogum, sævique palam sprevisse Creontis
Imperia, et furtum claro plangore fatentur
Securæ: quippe omne vident fluxisse cadaver. 455
Ambigitur sæva de morte, animosaque leti
Spes furit: hæc fratris rapuisse, hæc conjugis artus [ignes,
Contendunt, vicibusque probant: ego corpus, ego
Me pietas, me duxit amor: deposcere sæva
Supplicia, et dextras juvat insertare catenis. 460
Nusquam illa alterutris modo quæ reverentia verbis; [que
Iram, odiumque putes: tantus discordat utrin-
Clamor, et ad regem, qui deprendere, trahuntur.
At procul Actæis dextra jam Pallade muris
Juno Phoroneas inducit prævia matres 465
Attonitas: non ipsa minus cœtumque gementem
Conciliat populis, et flentibus addit honorem.
Ipsa manu ramosque oleæ, vittasque precantes
Tradit, et obtenta submittere lumina palla,
Et præferre docet vacuas sine manibus urnas.
Omnis Erechtheis effusa penatibus ætas 471
Tecta viasque replent: unde hoc examen? et una
Tot miseræ? necdum causas novere malorum,
Jamque gemunt. Dea conciliis se miscet utrisque, [gant,
Cuncta docens, qua gente satæ, quæ funera plan-
Quidve petant: variis nec non affatibus ipsæ
Ogygias leges, immansuetumque Creonta
Multum et ubique fremunt. Geticæ non plura queruntur 478
Hospitibus tectis trunco sermone volucres,
Cum duplices thalamos, et iniquum Terea clamant.
Urbe fuit media nulli concessa potentum
Ara deûm; mitis posuit Clementia sedem,
Et miseri fecere sacram: sine supplice nunquam
Illa novo: nulla damnavit vota repulsa.
Auditi quicunque rogant: noctesque diesque 485
Ire datum, et solis numen placare querelis.
Parca superstitio: non thurea flamma, nec altus
Accipitur sanguis: lacrymis altaria sudant,
Mæstarumque super libamina secta comarum
Pendent, et vestes mutata sorte relictæ. 490
Mite nemus circa, cultuque insigne verendo,
Vittatæ laurus, et supplicis arbor olivæ.
Nulla autem effigies, nulli commissa metallo
Forma deæ: mentes habitare et pectora gaudet.
Semper habet trepidos, semper locus horret egenis
Cœtibus: ignotæ tantum felicibus aræ.
Fama est defensos acie, post busta paterni
Numinis, Herculeos sedem fundasse nepotes.
Fama minor factis: ipsos nam credere dignum
Cœlicolas, tellus quibus hospita semper Athenæ,
Ceu leges, hominemque novum, ritusque sacrorum, 501
Seminaque in vacuas hinc descendentia terras,
Sic sacrasse loco commune animantibus ægris
Confugium, unde procul starent iræque minæque,
Regnaque, et a justis Fortuna recederet aris. 505
Jam tunc innumeræ norant altaria gentes.
Huc victi bellis, patriaque e sede fugati,
Regnorumque inopes, scelerumque errore nocentes [sedes
Conveniunt, pacemque rogant: mox hospita
Vicit et Œdipodæ furias, et funus Olynthi 510
Texit, et a misero matrem submovit Oreste.
Hunc vulgo monstrante locum manus anxia Lernæ
Deveniunt: cedit miserorum turba priorum.
Vix ibi sedatis requierunt pectora curis: 514
Ceu patrio super alta grues Aquilone fugatæ
Cum videre Pharon, tunc æthera latius implent,
Tunc hilari clangore sonant; juvat orbe sereno
Contemsisse nives, et frigora solvere Nilo.
Jamque domos patrias, Scythicæ post aspera gentis
Prœlia, laurigero subeuntem Thesea curru 520
Lætifici plausus, missusque ad sidera vulgi
Clamor, et emeritis hilaris tuba nuntiat armis.
Ante ducem spolia, et duri Mavortis imago,
Virginei currus, cumulataque fercula cristis,
Et tristes ducuntur equi, truncæque bipennes. 525
Quis nemora et solidam Mæotica cadere suetæ,
Corytique leves portantur, et ignea gemmis
Cingula, et informes dominarum sanguine peltæ.
Ipsæ autem nondum trepidæ, sexumve fatentur,
Nec vulgare gemunt, adspernanturque precari,
Et tantum innuptæ quærunt delubra Minervæ.
Primus amor niveis victorem cernere vectum
Quadrijugis, nec non populos in semet agebat
Hippolyte, jam blanda genas, patiensque mariti

Fœderis: hanc patriæ ritus fregisse severos 535
Atthides obliquæ secum mirantur operto
Murmure; quod nitidi crines, quod pectora palla
Tota latent, magnis quod barbara semet Athenis
Misceat, atque hosti veniat paritura marito.
Paulum et ab insessis mæstæ Pelopeides aris 540
Promovere gradum, seriemque et dona triumphi
Mirantur, victique animo rediere mariti.
Atque ubi tardavit currus, et ab axe superbo
Explorat causas victor, poscitque benigna
Aure preces, ausa ante alias Capaneia conjux:
Belliger Ægide, subitæ cui maxima laudis 546
Semina de nostris aperit fortuna ruinis,
Non externa genus, diræ nec conscia noxæ
Turba sumus: domus Argos erat, regesque mariti,
Non utinam et fortes: quid enim septena movere
Castra, et Agenoreos opus emendare penates?
Nec querimur cæsos: hæc bellica jura, vicesque
Armorum: sed non Siculis exorta sub antris
Monstra, nec Ossæi bello cecidere bimembres.
Mitto genus, clarosque patres; hominum, inclyte Theseu, [dem
Sanguis erant, homines, eademque in sidera, eos-
Sortitus animarum, alimentaque vestra creati,
Quos vetat igne Creon, Stygiæque a limine portæ,
Ceu sator Eumenidum, aut Lethæi portitor amnis,
Submovet, ac dubio cœlique Erebique sub axe
Detinet. Heu princeps Natura! ubi numina? ubi ille 561
Fulminis injusti jaculator? ubi estis, Athenæ?
Septima jam surgens trepidis Aurora jacentes
Aversatur equis: radios declinat, et horret
Stelligeri jubar omne poli: jamque eminus ipsæ
Pabula dira feræ, campumque odere volucres
Spirantem tabo, et cœlum ventosque gravantem.
Quantum etenim superesse rear? nuda ossa, putremque 568
Urere permittat saniem: properate, verendi
Cecropidæ: vos ista decet vindicta, priusquam
Emathii, Thracesque volent, quæque exstat ubique
Gens arsura rogis, manesque habitura supremos.
Nam quis erit sævire modus? bellavimus: esto;
Sed cecidere odia, et tristes mors obruit iras. 574
Tu quoque, ut egregios fama cognovimus actus,
Non trucibus monstris Sinin infandumque dedisti
Cercyona, et sævum velles Scirona cremari.
Credo et Amazoniis Tanain fumasse sepulcris,
Unde hæc arma refers: sed et hunc dignare triumphum. 579
Da terris unum, cœloque, Ereboque laborem:
Si patrium Marathona metu, si tecta levasti
Cresia, nec fudit vanos anus hospita fletus.
Sic tibi non ullæ socia sine Pallade pugnæ,
Nec sacer invideat paribus Tirynthius actis:
Semper et in curru, semper te mater ovantem 585
Cernat, et invictæ nil tale precentur Athenæ.
Dixerat: excipiunt cunctæ, tenduntque precantes
Cum clamore manus: rubuit Neptunius heros
Permotus lacrymis: justa mox concitus ira
Exclamat: Quænam ista novos induxit Erinnys
Regnorum mores? non hæc ego pectora liqui
Graiorum abscedens, Scythiam pontumque nivalem [tasti
Cum peterem. novus unde furor? victumne pu-
Thesea, dire Creon? adsum: nec sanguine fessum
Crede; sitit meritos etiamnum hæc hasta cruores.
Nulla mora est: verte hunc adeo, fidissime Phegeu, 596
Cornipedem, et Tyrias invectus protinus arces
Aut Danais edice rogos, aut prœlia Thebis.
Sic ait, oblitus bellique viæque laborum,
Hortaturque suos, viresque instaurat anhelas. 600
Ut modo connubiis taurus saltuque recepto
Cum posuit pugnas, alio si forte remugit
Bellatore nemus, quanquam ora et colla cruento
Imbre madent, novus arma parat, campumque lacessens
Dissimulat gemitus, et vulnera pulvere celat.
Ipsa metus Libycos, servatricemque Medusam
Pectoris, incussa movit Tritonia parma.
Protinus erecti toto simul agmine, Thebas
Respexere angues: necdum Atticus ire parabat
Miles, et infelix expavit classica Dirce. 610
Continuo in pugnas haud solum accensa juventus,
Qui modo Caucasei comites rediere triumphi;
Omnis ad arma rudes ager exstimulavit alumnos.
Conveniunt, ultroque ducis vexilla sequuntur,
Qui gelidum Braurona viri, qui rura lacessunt
Munychia, et trepidis stabilem Piræea nautis,
Et nondum Eoo clarum Marathona triumpho.
Mittit in arma manus genialibus hospita divis
Icarii, Celeique domus, viridesque Melænæ,
Dives et Ægaleos nemorum, Parnesque benignus
Vitibus, et pingui melior Lycabessos oliva. 621
Venit atrox Alaeus, et olentis arator Hymetti,
Quæque rudes thyrsos hederis vestitis Acharnæ.
Linquitur Eois longe speculabile proris
Sunion, unde vagi casurum in nomina ponti 625
Cresia decepit falso ratis Ægea velo.
Hos Salamis populos, illos Cerealis Eleusin
Horrida suspensis ad prœlia misit aratris:
Et quos Callirhoe novies errantibus undis
Implicat, et raptæ qui conscius Orithyæ 630
Celavit Geticos ripis Ilissos amores.
Ipse quoque in pugnas vacuatur collis, ubi ingens
Lis superûm, dubiis donec nova surgeret arbor
Rupibus, et longa refugum mare frangeret umbra.
Isset et Arctoas Cadmea ad mœnia ducens 635
Hippolyte turmas: retinet jam certa tumentis
Spes uteri, conjuxque rogat dimittere curas
Martis, et emeritas thalamo sacrare pharetras.
Hos ubi velle acies, et dulci gliscere ferro
Dux videt, utque piis raptim dent oscula natis
Amplexusque breves, curru sic fatur ab alto: 641
Terrarum leges et mundi fœdera mecum
Defensura manus, dignas insumite mentes
Cœptibus: hac omnem divûmque hominumque favorem,
Naturamque ducem, cœtusque silentis Averni
Stare palam est; illic Pœnarum exercita Thebis
Agmina, et anguicomæ ducent vexilla sorores.
Ite alacres, tantæque, precor, confidite causæ.
Dixit, et emissa præceps iter inchoat hasta.
Qualis Hyperboreos ubi nubilus institit axes 650
Jupiter, et prima tremefecit sidera bruma,
Rumpitur Æolia, et longam indignata quietem
Tollit hiems animos, ventosaque sibilat Arctos:
Tunc montes undæque fremunt, tunc prœlia cæsis
Nubibus, et tonitrus insanaque fulmina gaudent.
Icta gemit tellus: virides gravis ungula campos
Mutat, et innumeris peditumque equitumque catervis
Exspirat protritus ager: nec pulvere crasso
Armorum lux victa perit, sed in æthera longum
Frangitur, et mediis ardent in nubibus hastæ. 660
Noctem adeo, placidasque operi junxere tenebras:
Certamenque immane viris, quo concita tendant
Agmina, quis visas proclamet ab aggere Thebas,

Cujus in Ogygio princeps stet lancea muro.
At procul ingenti Neptunius agmina Theseus 665
Angustat clypeo, propriæque exordia laudis
Centum urbes umbone gerit, centenaque Cretæ
Mœnia, seque ipsum monstrosi ambagibus antri
Hispida torquentem luctantis colla juvenci,
Alternasque manus circum et nodosa ligantem
Brachia, et abducto vitantem cornua vultu. 671
Terror habet populos, cum septus imagine torva
Ingreditur pugnas, bis Thesea, bisque cruentas
Cæde videre manus: veteres reminiscitur actus
Ipse, tuens sociumque gregem, metuendaque quondam 675
Limina, et absumto pallentem Gnossida filo.
Sævus at interea ferro post terga revinctas
Antigonen viduamque Creon Adrastida leto
Admovet: ambæ hilares, et mortis amore superbæ,
Ensibus intentant jugulos, regemque cruentum
Destituunt; cum dicta ferens Theseia Phegeus
Adstitit: ille quidem ramis insontis olivæ
Pacificus, sed bella ciet, bellumque minatur
Grande fremens, nimiumque memor mandantis, et ipsum 684
Jam prope, jam medios operire cohortibus agros
Ingeminans: stetit ambiguo Thebanus in æstu
Curarum, nutantque minæ, et prior ira tepescit.
Tunc firmat sese, fictumque ac triste renidens;
Parvane prostratis, inquit, documenta Mycenis
Sanximus? en iterum, qui mœnia nostra lacessant. [tur,
Accipimus: veniant: sed ne post bella queran-
Lex eadem victis. Dixit: sed pulvere crasso
Caligare diem, et Tyrios juga perdere montes
Adspicit: armari populos tamen, armaque ferri
Ipse jubet pallens, mediæque in sedibus aulæ
Eumenidas subitas, flentemque Menœcea cernit
Turbidus, impositosque rogis gaudere Pelasgos.
Quis fuit ille dies, tanto cum sanguine Thebis
Pax inventa perit? patriis modo fixa revellunt
Arma deis, clypeisque obducunt pectora fractis,
Et galeas humiles, et adhuc sordentia tabo 701
Spicula: non pharetris quisquam, non ense decorus,
Non spectandus equo: cessit fiducia valli:
Murorum patet omne latus: munimina portæ
Exposcunt; prior hostis habet: fastigia desunt;
Dejecit Capaneus: exsanguis et ægra juventus
Jam nec conjugibus suprema nec oscula natis
Jungit, et attoniti nil optavere parentes.
Atticus at contra, jubar ut clarescere ruptis
Nubibus, et solem primis adspexit in armis, 710
Desilit in campum, qui subter mœnia nudos
Adservat manes: dirisque vaporibus ægrum
Aera pulverea penitus sub casside ducens
Ingemit, et justas belli flammatur in iras.
Hunc saltem miseris ductor Thebanus honorem
Largitur Danais, quod non super ipsa jacentum
Corpora belligeras acies, Martemque secundum
Miscuit: at lacera ne quid de strage nefandus
Perderet, eligitur sævos potura cruores 719
Terra rudis. Jamque alternas in prœlia gentes
Dissimilis Bellona ciet: non clamor utrinque,
Non utrinque tubæ: stat debilis altera pubes,
Submissos enses nequicquam, amentaque dextris
Laxa tenens: cedunt tellure, armisque reductis
Ostentant veteres etiamnum in sanguine plagas.
Jam nec Cecropiis idem ductoribus ardor, 726
Languescuntque minæ, et virtus secura residit:
Ventorum velut ira minor, nisi sylva furentes
Impedit, insanique tacent sine littore fluctus
Ut vero æquoreus quercum Marathonida Theseus 730
Extulit, erectæ cujus crudelis in hostes
Umbra cadit, campumque trucem lux cuspidis implet;
Ceu pater Edonos Hæmi de vertice Mavors
Impulerit currus, rapido mortemque fugamque
Axe vehens, sic exanimes in terga reducit 735
Pallor Agenoridas: tædet fugientibus uti
Thesea, nec facilem dignatur dextra cruorem.
Cætera plebeio desævit sanguine virtus.
Sic juvat exanimis projectaque præda canesque.
Degeneresque lupos, magnos alit ira leones. 740
Attamen Olenium Thamyrimque, hunc tela pharetra
Promentem, hunc sævi tollentem pondera saxi
Dejicit, et triplici confisos robore gentis
Alcidas fratres, totidem quos eminus hastis
Continuat: ferrum consumsit pectore Phyleus,
Ore momordit Helops, humero transmisit Iapyx.
Jamque et quadrijugo celsum petit Hæmona curru, 747
Horrendumque manu telum rotat: ille paventes
Obliquavit equos: longo perlata tenore
Transiit hasta duos: sitiebat vulnera nec non
Tertia, sed medio cuspis temone retenta est.
Sed solum votis, solum clamore tremendo
Omnibus in turmis optatque vocatque Creonta.
Atque hunc diversa bellorum in fronte maniplos
Hortantem dictis, frustraque extrema minantem
Conspicit: abscedunt comites, et Thesea jussi
Linquebant, fretique deis, atque ipsius armis.
Ille tenet, revocatque suos: utque æqua notavit
Hinc atque hinc odia, extrema se colligit ira,
Jam letale furens, atque audax morte futura: 760
Non cum peltiferis, ait, hæc tibi pugna puellis,
Virgineas nec crede manus: hic cruda virorum
Prœlia: nos magnum qui Tydea, quique furentem
Hippomedonta neci, Capeneaque misimus umbris
Pectora. Quæ bellum præceps amentia suasit,
Improbe? nonne vides, quos ulciscare, jacentes?
Sic ait, et frustra periturum missile summo
Affixit clypeo: risit vocesque manumque
Horridus Ægides, ferrataque arbore magnos
Molitur jactus, nec non prius ore superbo 770
Intonat: Argolici, quibus hæc datur hostia, manes,
Pandite Tartareum Chaos, ultricesque parate
Eumenidas, venit ecce Creon. Sic fatus, et auras
Dissipat hasta tremens: tunc qua subtemine duro
Multiplicem tenues iterant thoraca catenæ, 775
Incidit: emicuit per mille foramina sanguis
Impius: ille oculis extremo errore solutis
Labitur: adsistit Theseus gravis, armaque tollens:
Jamne dare exstinctis justos, ait, hostibus ignes,
Jam victos operire placet? vade, atra dature 780
Supplicia, extremique tamen secure sepulcri.
Accedunt utrinque pio vexilla tumultu,
Permiscentque manus: medio jam fœdera bello,
Jamque hospes Theseus: orant succedere muris,
Dignarique domos; nec tecta hostilia victor 785
Adspernatus init: gaudent matresque nurusque
Ogygiæ: qualis thyrso bellante subactus
Mollia laudabat jam marcidus Orgia Ganges.
Ecce per adversas Dircæi verticis umbras
Fœmineus quatit astra fragor, matresque Pelasgæ
Decurrunt: quales Bacchea ad bella vocatæ 791
Thyiades amentes, magnum quas poscere credas,
Aut fecisse nefas: gaudent lamenta, novæque

Exsultant lacrymæ: rapit huc, rapit impetus illuc,
Thesea magnanimum quærant prius, anne Creon-
Anne suos; vidui ducunt ad corpora luctus. [ta,
Non ego, centena si quis mea pectora laxet
Voce deus, tot busta simul, vulgique ducumque
Tot pariter gemitus, dignis conatibus æquem:
Turbine quo sese caris instraverit audax 800
Ignibus Evadne, fulmenque in pectore magno
Quæsierit: quo more jacens super oscula sævi
Corporis infelix excuset Tydea conjux:
Ut sævos narret vigiles Argia sorori:
Arcada quo planctu genitrix Erymanthia clamet,
Arcada consumto servantem sanguine vultus, 806
Arcada, quem geminæ pariter flevere cohortes.
Vix novus ista furor, veniensque implesset Apollo:
Et mea jam longo meruit ratis æquore portum.
Durabisne procul, dominoque legere superstes,
O mihi bissenos multum vigilata per annos 811
Thebai? jam certe præsens tibi fama benignum
Stravit iter, cœpitque novam monstrare futuris.
Jam te magnanimus dignatur noscere Cæsar,
Itala jam studio discit memoratque juventus.
Vive, precor: nec tu divinam Æneida tenta, 816
Sed longe sequere, et vestigia semper adora.
Mox, tibi si quis adhuc prætendit nubila livor,
Occidet, et meriti post me referentur honores.

ACHILLEIDOS

LIBER PRIMUS.

Magnanimum Æaciden, formidatamque Tonanti
Progeniem, et patrio vetitam succedere cœlo,
Diva, refer: quanquam acta viri multum inclyta cantu
Mæonio, sed plura vacant: nos ire per omnem
(Sic amor est) heroa velis, Scyroque latentem 5
Dulichia proferre tuba: nec in Hectore tracto
Sistere, sed tota juvenem deducere Troja.
Tu modo, si veteres digno deplevimus haustu,
Da fontes mihi, Phœbe, novos, ac fronde secunda
Necte comas: neque enim Aonium nemus advena pulso, 10
Nec mea nunc primis albescunt tempora vittis.
Scit Dircæus ager; meque inter prisca parentum
Nomina, cumque suo numerant Amphione Thebæ.
At tu, quem longe primum stupet Itala virtus
Graiaque, cui geminæ florent vatumque ducum-
Certatim laurus, (olim dolet altera vinci,) [que
Da veniam, ac trepidum patere hoc sudare parumper
Pulvere: te longo, necdum fidente paratu
Molimur, magnusque tibi præludit Achilles.
Solverat Œbalio classem de littore pastor 20
Dardanus, incautas blande populatus Amyclas,
Plenaque materni referens præsagia somni
Culpatum relegebat iter, qua condita ponto
Fluctibus invisis jam Nereis imperat Helle.
Cum Thetis Idæos (heu nunquam vana parentum
Auguria) expavit vitreo sub gurgite remos. 26
Nec mora: et undosis turba comitante sororum
Prosiluit thalamis: fervent coeuntia Phrixi
Littora, et angustum dominas non explicat æquor.
Illa ubi discusso primum subit aera ponto: 30
Me petit hæc, mihi classis, ait, funesta minatur:
Agnosco monitus, et Protea vera locutum.
Ecce novam Priamo, facibus de puppe levatis,
Fert Bellona nurum: video jam mille carinis
Ionium Ægæumque premi: nec sufficit, omnis
Quod pagæ Grajugenûm tumidis conjurat Atridis;
Jam pelago terrisque meus quæretur Achilles,
Et volet ipse sequi: quid enim cunabula parvo
Pelion, et torvi commisimus antra magistri?
Illic (ni fallor) Lapitharum prœlia ludit 40
Improbus, et patria jam se metitur in hasta.
O dolor, o seri materno in corde timores!
Non potui infelix, cum primum in gurgite nostro
Rhœteæ cecidere trabes, attollere magnum
Æquor, et incesti prædonis vela profunda 45
Tempestate sequi, cunctasque inferre sorores?
Nunc quoque... sed tardum est, jam plena injuria raptæ.
Ibo tamen, pelagique deos, dextramque secundi,
Quod superest, complexa Jovis, per Tethyos annos
Grandævumque patrem, supplex miseranda rogabo [regem
Unam hiemem. Dixit, magnumque in tempore
Adspicit. Oceano veniebat ab hospite, mensis
Lætus, et æquoreo diffusus nectare vultus,
Unde hiemes ventique silent, cantuque quieto
Armigeri Tritones eunt, scopulosaque cete, 55
Tyrrhenique greges circumque infraque rotantur
Rege salutato: placidis ipse arduus undis
Eminet, et triplici telo jubet ire jugales.
Illi spumiferos glomerant a pectore fluctus:
Pone natant, delentque pedum vestigia cauda. 60
Cui Thetis; O magni rector genitorque profundi
Adspicis in quales miserum patefeceris usus
Æquor? eunt tutis terrarum crimina velis,
Ex quo jura freti majestatemque repostam
Rupit Iasonia puppis Pagasæa rapina. 65
En aliud furto scelus, et spolia hospita portans
Navigat injustæ temerarius arbiter Idæ,
Eheu quos gemitus terris pelagoque daturus!
Quos mihi! sic Phrygiæ pensamus præmia palmæ? 69
Hi Veneris mores, hoc gratæ munus alumnæ?
Has saltem (non semideos, nostrumque reportant
Thesea) si quis adhuc undis honor, obrue puppes,
Aut permitte fretum: nulla inclementia: fas sit
Pro nato timuisse mihi: da tollere fluctus,
Nec tibi de tantis placeat me fluctibus unum 75
Littus, et Iliaci scopulos habitare sepulcri.
Orabat laniata comas, et pectore nudo
Cæruleis obstabat equis: tunc ductor aquarum
Invitat curru, dictisque ita mulcet amicis:
Ne pete Dardaniam frustra, Theti, mergere classem: 80
Fata vetant: ratus ordo deis miscere cruentas
Europæque Asiæque manus, consultaque bella

Jupiter, et tristes edixit cædibus annos.
Quem tu illic natum Sigeo in pulvere, quanta
Adspicies victrix Phrygiarum funera matrum! 85
Cum tuus Æacides tepido modo sanguine Teucros
Undabit campos, modo crassa exire vetabit
Flumina, et Hectoreo tardabit funere currus,
Impelletque manu nostros, opera irrita, muros.
Pelea jam desiste queri, thalamosque minores; 90
Crediderís peperisse Jovi: nec inulta dolebis;
Cognaris utere fretis: dabo tollere fluctus,
Cum reduces Danai, nocturnaque signa Caphareus
Exseret, et dirum pariter quæremus Ulixem.
Dixerat: illa gravi vultum demissa repulsa, 95
Quæ jam excire fretum, et ratibus bellare parabat
Iliacis, alios iterum commenta paratus,
Tristis ad Hæmonias detorquet brachia terras.
Ter conata manu, liquidum ter gressibus æquor
Repulit, et niveas feriunt vada Thessala plantas.
Lætantur montes, et connubialia pandunt 101
Antra sinus, lateque deæ Sperchios abundat
Obvius, et dulci vestigia circuit unda.
Illa nihil gavisa locis, sed cœpta fatigat
Pectore consilia, et solers pietate magistra 105
Longævum Chirona petit. Domus ardua montem
Perforat, et longo suspendit Pelion arcu.
Pars exhausta manu, partem sua ruperat ætas.
Signa tamen, divûmque tori, et quem quisque sacrarat 109
Accubitu genioque, locus monstrantur: at intra
Centauri stabula alta patent, non æqua nefandis
Fratribus: hic hominum nullos expetta cruores
Spicula, nec truncæ bellis genialibus omi,
Aut consanguineos fracti crateres in hostes, 114
Sed pharetræ insontes, et inania terga ferarum.
Hæc quoque dum viridis; nam nunc labor unus inermi,
Nosse salutiferas dubiis animantibus herbas,
Aut monstrare lyra veteres heroas alumno.
At tunc venatu rediturum in limine primo 119
Opperiens, properatque dapes, largoque serenat
Igne domum; cum visa procul de littore mater
Nereis: erumpit sylvis: dant gaudia vires,
Motaque desueto crepuit senis ungula campo.
Tunc blandus dextra, atque imos submissus in armos
Pauperibus tectis inducit, et admovet antris. 125
Jam udum tacito lustrat Thetis omnia visu;
Nec perpessa moras: Ubi nam mea pignora, Chiron?
Dic, ait, aut cur ulla puer jam tempora ducit
Te sine? num merito trepidus sopor, atraque matri 129
Signa deûm? magnos utinam mentita timores!
Namque mihi infestos utero modo contuor enses,
Nunc planctu livere manus, modo in ubera sævas
Deferas, sæpe ipsa (nefas) sub inania natum
Tartara, et ad Stygios iterum fero mergere fontes.
Hos abolere metus magici jubet ordine sacri 135
Carpathius vates, puerumque sub axe probato
Secretis lustrare fretis, ubi littora summa
Oceani, et genitor tepet illabentibus astris
Pontus, ubi ignotis horrenda piacula divis, [que;
Donaque. . .sed longum cuncta enumerare, veto-
Trade magis. Sic fata parens: neque enim ille dedisset. 141
Si molles habitus, et tegmina fœda fateri
Ausa seni. Tunc ille refert: Duc, optima, quæso,
Duc, genitrix, humilique deos infringe precatu.
Nam superant tua vota modum, placandaque multum 145
Invidia est: non addo metum, sed vera fatebor:
Nescio quid magnum (nec me patria omina fallunt)
Vis festina parat, tenerosque supervenit annos.
Olim ferre minas, et chiae audita solebat 149
Imperia, et nostris procul haud discedere ab antris.
Nunc illum non Ossa capit, non Pelion ingens,
Thessaliæve nives: ipsi mihi sæpe queruntur
Centauri raptas que domos, abstractaque coram
Armenta, et campis semet fluviisque figari. 154
Insidias et bella parant, tumidique minantur. [ges
Olim equidem, Argolicos pinus cum Thessala re-
Hac veheret, juvenem Alciden et Thesea vidi;
Sed taceo. Figit gelidus Nereida pallor.
Ille aderat multo sudore, et pulvere major.
Attamen arma inter, festinatosque labores, 160
Dulcis adhuc visu: niveo natat ignis in ore
Purpureus, fulvoque nitet coma gratior auro.
Necdum prima nova lanugine vertitur ætas,
Tranquillæque faces oculis, et plurima vultu
Mater inest: qualis Lycia venator Apollo 165
Cum redit, et sævis permutat plectra pharetris.
Forte et lætus adest: (o quantum gaudia formæ
Adjiciunt!) fetam Pholoes sub rupe leænam
Perculerat ferro, vacuisque reliquerat antris 169
Ipsam, sed catulos apportat, et incitat ungues.
Quos tamen, ut fido genitrix in limine visa est,
Abjicit, exceptamque avidis circumligat ulnis,
Jam gravis amplexu, jamque æquus vertice ma-
Insequitur magno jam tunc connexus amore [tri.
Patroclus, tantisque extenditur æmulus actis, 175
Par studiis, ævique modis, sed robore longe,
Et tamen æquali visurus Pergama fato.
Protinus ille subit rapido, quæ proxima, saltu
Flumina, fumantesque genas, crinemque novatur
Fontibus: Eurotæ qualis vada Castor anhelo 180
Intrat equo, fessumque sui jubar excitat astri.
Miratur, comitque senex, nunc pectora mulcens,
Nunc fortes humeros: angunt sua gaudia matrem
Tunc libare dapes Baccheaque munera Chiron
Orat, et attonitam vario oblectamine mulcens,
Elicit extremo chelyn, et solantia curas 186
Fila movet, leviterque expertas pollice chordas
Dat puero: canit ille libens immania laudum
Semina, quî tumidæ superarit jussa novercæ
Amphitryoniades: crudum quo Bebryca æstu
Obruerit Pollux: quanto circumdata nexu 191
Ruperit Ægides Minoi brachia tauri:
Maternos in fine toros, superisque gravatum
Pelion: hic ficto risit Thetis auxia vultu.
Nox trahit in somnos: saxo collabitur irgens
Centaurus, blandisque humeris se innectit Achilles, [mavult.
Quanquam ibi fida parens, adsuetaque pectora
At Thetis undisonis per noctem in rupibus ad-
Quæ nato secreta velit, quibus abdere terris [stans,
Destinet, huc illuc diversa mente volutat. 200
Proxima, sed studiis multum Mavortia, Thrace:
Nec Mace ûm gens dura placet, laudumque caturi
Cecropidæ stimulos: nimium opportuna carinis
Sestos, Abydenique sinus: placet ire per altas
Cycladas; hinc spretæ Myconosque, humilisque Seriphos, 205
Et Lemnos non æqua viris, atque hospita Delos
Gentibus: imbelli nuper Lycomedis in aula
Virgineos cœtus, et littora persona ludo
Audierat, duros laxantem Ægaona nexus 209
Missa sequi, centumque dei numerare catenas.
Hæc placet, hæc timidæ tellus tutissima matri.
Qualis vicino volucris jam sedula partu, [nem,
Jamque timens qua fronde domum suspendat ina

Providet hinc ventos, hinc anxia cogitat angues,
Hinc homines: tandem dubiæ placet umbra, novisque 215
Vix stetit in ramis, et protinus arbor amatur.
Altera consilio superest, tristemque fatigat
Cura deam, natum ipsa sinu complexa per undas,
An magno Tritone ferat, ventosque volucres
Advocet, an pelago solitam Thaumantida pasci.
Eficit inde fretis, et murice frenat acuto 221
Delphinas bijuges, quos illi maxima Tethys
Gergite Atlanteo pelagi sub valle sonora
Nutrierat: nullis vada per Neptunia glaucæ
Tantus honor formæ, nandique potentia, nec plus
Pectoris humani: jubet hos subsistere pleno 226
Littore, ne nudæ noceant contagia terræ.
Ipsa dehinc toto resolutum pectore Achillem
(Qui pueris sopor) Hæmonii de rupibus antri
Ad placidas deportat aquas, et jussa tacere 230
Littora: monstrat iter, totoque effulserat orbe
Cynthia: prosequitur divam, celeresque recursus
Securus pelagi Chiron rogat, udaque celat
Lumina, et abreptos subito jam jamque latentes
Erecto prospectat equo, qua cana parumper
Spumant signa fugæ, et liquido perit orbita ponto.
Illum non alias rediturum ad Thessala Tempe
Jam tristis Pholoe, jam nubilus ingemit Othrys,
Et tenuis Sperchios aquis, speluncaque docti
Muta senis: quærunt puerilia carmina Fauni,
Et sperata diu plorant connubia Nymphæ. 241
Jam premit astra dies, humilisque ex æquoræ Titan
Rorantes evolvit equos, et ab æthere magno
Sublatum curru pelagus cadit: at vada mater
Scyria jamdudum fluctus emensa tenebat, 245
Exierantque jugo fessi delphines herili;
Cum pueri tremefacta quies, oculique jacentes
Infusum sensere diem: stupet aere primo,
Quæ loca? qui fluctus? ubi Pelion? omnia versa
Atque ignota videt, dubitatque agnoscere matrem.
Occupat illa manu, blandeque affata paventem:
Si mihi, care puer, thalamos sors æqua dedisset,
Quos dabat, ætheriis ego te complexa tenerem
Sidus grande plagis, magnique puerpera cœli
Nil humiles Parcas, terrenaque fata vererer. 255
Nunc impar tibi, nate, genus, præclusaque leti
Tantum matre via est: quin et metuenda propinquant
Tempora, et extremis admota pericula metis.
Cedamus, paullumque animos submitte viriles,
Atque habitus dignare meos. Si Lydia dura 260
Pensa manu, mollesque tulit Tirynthius hastas;
Si decet aurata Bacchum vestigia palla
Verrere, virgineos si Jupiter induit artus,
Nec magnum ambigui fregerunt Cænea sexus;
Has sine, quæso, minas numenque exire malignum. 265
Mox iterum campos, iterum Centaurica reddam
Lustra tibi. Per ego hoc decus, et ventura juventæ
Gaudia, si terras, humilemque experta maritum
Te propter, si progenitum Stygos amne severo
Armavi, (totumque utinam,) cape tuta parumper
Tegmina, nil nocitura animo: cur ora reducis?
Quidve parant oculi? pudet hoc mitescere cultu?
Per te, care puer, cognata per æquora juro,
Nesciet hoc Chiron. Sic horrida pectora tractat
Nequicquam mulcens: obstat genitorque roganti,
Nutritorque ingens, et cruda exordia magnæ 276
Indolis. Effrenæ tumidum velut igne juventæ
Si quis equum primis submittere tentet habenis
Ille, diu campis, fluviisque, et honore superbo
Gavisus, non colla jugo, non aspera præbet 280
Ora lupis, dominique gemit captivus inire
Imperia, atque alios miratur discere cursus.
Quis deus attonitæ fraudes astumque parenti
Contulit? indocilem quæ mens detraxit Achillem?
Palladi littoreæ celebrabat Scyros honorum 285
Forte diem, placidoque satæ Lycomede sorores
Luce sacra patriis, quæ rara licentia, muris
Exierant, dare veris opes, divæque severas
Fronde ligare comas, et spargere floribus hastam.
Omnibus eximium formæ decus; omnibus idem
Cultus, et expleto teneri jam fine pudoris 291
Virginitas matura toris, annique tumentes.
Sed quantum virides pelagi Venus addita Nymphas
Obruit, aut humeris quantum Diana relinquit
Naidas, effulget tantum regina decori 295
Deidamia chori, pulchrisque sororibus obstat.
Illius et roseo flammatur purpura vultu,
Et gemmis lux major inest, et blandius aurum.
Atque ipsi par forma deæ, si pectoris angues
Ponat, et exemta placetur casside vultus. 300
Hanc ubi ducentem longe socia agmina vidit
Trux puer, et nullo temeratus pectora motu;
Diriguit, totisque novum bibit ossibus ignem.
Nec latet haustus amor, sed fax vibrata medullis
In vultus atque ora redit, lucemque genarum
Tingit, et impulsum tenui sudore pererrat. 306
Lactea Massagetæ veluti cum pocula fuscant
Sanguine puniceo, vel ebur corrumpitur ostro:
Sic variis manifesta notis palletque rubetque
Flamma recens: eat, atque ultro ferus hospita [sacra
Discutiat turbæ securus, et immemor ævi,
Ni pudor, et junctæ teneat reverentia matris. 312
Ut pater armenti quondam, rectorque futurus,
Cui nondum toto peraguntur cornua gyro,
Cum sociam pastus niveo candore juvencam
Adspicit, ardescunt animi, primusque per ora
Spumat amor: spectant hilares, optantque magistri.
Occupat arrepto jam tempore conscia mater:
Hosne inter simulare choros, et brachia ludo
Nectere, nate, grave est? gelida quid tale sub Ossa
Peliacisque jugis? o si mihi jungere curas, 321
Atque alium portare sinu contingat Achillem!
Mulcetur, lætumque rubet, visusque superbos
Obliquat, vestesque manu leviore repellit.
Adspicit ambiguum genitrix, cogique volentem,
Injecitque sinus. Tunc colla rigentia mollit, 326
Submittitque graves humeros, et fortia laxat
Brachia, et impexos certo domat ordine crines,
Ac sua dilecta cervice monilia transfert,
Et picturato cohibet vestigia limbo. 330
Incessum, motumque docet, fandique pudorem.
Qualiter artifici victuræ pollice ceræ [tur:
Accipiunt formas, ignemque manumque sequun-
Talis erat divæ natum mutantis imago.
Nec luctata diu: superest nam plurimus illi 335
Invicta virtute decor, fallitque tuentes
Ambiguus, tenuique latens discrimine sexus.
Procedunt, iterumque monet, rursumque fatigat
Blanda Thetis: Sic ergo gradus, sic ora manusque,
Nate, feres, comitesque modis imitabere fictis;
Ne te suspectum molli non misceat aulæ 341
Rector, et incepti pereant mendacia furti.
Dixit, et admoto non cessat comere tactu.
Sic ubi virgineis Hecate lassata pharetris 344
Ad patrem fratremque redit, comes hæret eunti
Mater, et ipsa humeros exsertaque brachia velat,

Ipsa arcum pharetram que locat, vestesque latentes
Deducit, sparsosque [studet] componere crines.
Protinus aggreditur regem: atque ibi, testibus aris, 349
Hanc tibi, ait, nostri germanam, rector, Achillis
(Nonne vides, ut torva genas, æquandaque fratri?)
Tradimus: arma humeris arcumque animosa pete-
Ferre, et Amazonio connubia pellere ritu. [bat
Sed mihi curarum satis est pro stirpe virili. 354
Hæc calathos et sacra ferat: tu frange regendo
Indocilem, sexumque tene, dum nubilis ætas,
Solvendusque pudor: neve exercere protervas
Gymnadas, aut lustris nemorum concede vagari.
Intus ale, et similes inter seclude puellas.
Littore præcipue, portuque arcere memento. 360
Vidisti modo vela Phrygum: jam mutua jura
Fallere transmissæ pelago didicere carinæ.
Accedit dictis pater, ingenioque parentis [stet?)
Occultum Æaciden (quis divûm fraudibus ob-
Accipit: ultro etiam veneratur supplice dextra,
Et grates electus agit. Nec turba piarum 366
Scyriadum cessat nimio defigere visu
Virginis ora novæ, quantum cervice comisque
Emineat, quantumque humeros ac pectora fundat.
Dehinc sociare choros, castisque accedere sacris
Hortantur, ceduntque loco, et contingere gaudent.
Qualiter Idaliæ volucres, ubi mollia frangunt
Nubila, jam longum cœloque domoque gregatæ,
Si junxit pennas, diversoque hospita tractu 374
Venit avis, cunctæ primum mirantur et horrent;
Mox propius propiusque volant, atque aere in ipso
Paullatim fecere suam, plausuque secundo
Circueunt hilares, et ad alta cubilia ducunt.
Digreditur multum cunctata in limine mater, 379
Dum repetit monitus, arcanaque murmura figit
Auribus, et tacito dat verba novissima voto.
Tunc excepta freto longe cervice reflexa
Abnatat, et blandis affatur littora verbis:
Cara mihi tellus, magnæ cui pignora curæ 384
Depositumque ingens timido commisimus astu,
Sis felix, taceasque, precor, quo more tacebat
Creta Rheæ: te longus honos, æternaque cingent
Templa, nec instabili fama superabere Delo.
At ventis et sacra fretis, interque vadosas
Cycladas, Ægææ frangunt ubi saxa procellæ, 390
Nereidum tranquilla domus, jurandaque nautis
Insula, ne solum Danaas admitte carinas,
Te precor: hic thiasos tantum, nihil utile bellis,
Hic famam narrare doce: dumque arma parantur
Dorica, et alternum Mavors interfurit orbem, 395
(Cedo equidem,) sit virgo pii Lycomedis Achilles.
Interea meritos ultrix Europa dolores
Dulcibus armorum furiis et supplice regum
Conquestu flammata movet: quippe ambit Atrides
Ille magis, cui nupta domi, facinusque relatu 400
Asperat Iliacum: captam sine Marte, sine armis
Progeniem cœli, Spartæque potentis alumnam;
Jura, fidem, superos, una calcata rapina. [terræ?
Hoc fœdus Phrygium, hæc geminæ commercia
Quid maneat populos, ubi tanta injuria primos
Degrassata duces? Coeunt gens omnis et ætas:
Nec tantum exciti, bimari quos Isthmia vallo
Claustra, nec undisonæ quos circuit umbo Maleæ;
Sed procul amotæ, Phrixi qua semita jungi
Europamque Asiamque vetat, quasque ordine gentes 410
Littore Abydeno maris alligat unda superni.
Fervet amor belli, concussasque erigit urbes.
Æra domant Temesæ: quatitur navalibus ora
Eubois: innumera resonant incude Mycenæ:
Pisa novat currus: Nemee dat terga ferarum:
Cirrha sagittiferas certat stipare pharetras: 416
Lerna graves clypeos cæsis vestire juvencis.
Dat bello pedites Ætolus, et asper Acarnan:
Argos agit turmas: vacuantur pascua ditis
Arcadiæ: frenat celeres Epiros alumnos: 420
Phocis, et Aoniæ jaculis rarescitis umbræ:
Murorum tormenta Pylos Messanaque tendunt.
Nulla immunis humus: velluntur postibus altis
Arma olim dimissa patrum, flammisque liquescunt
Dona deûm: raptum superis Mars efferat aurum.
Nusquam umbræ veteres: minor Othrys, et ar-
Taygeta: exuti viderunt aera montes. [dua sidunt
Jam natat omne nemus; cæduntur robora classi:
Sylva minor remis: ferrum laxatur ad usus 429
Innumeros, quod rostra liget, quod muniat arma,
Belligeros quod frenet equos, quod mille catenis
Squalentes nectat tunicas, quod sanguine fumet,
Vulneraque alta bibat, quod conspirante veneno
Impellat mortes: tenuantque humentia saxa
Attritu, et nigris addunt mucronibus iras. 435
Nec modus aut arcus lentare, aut fundere glandes,
Aut torrere sudes, galeasque attollere conis.
Hos inter motus pigram gemit ora quietem
Thessalis, et geminis incusat fata querelis, 439
Quod senior Peleus, nec adhuc maturus Achilles.
Jam Pelopis terras Graiumque exhauserat orbem
Præcipitans in transtra viros insanus equosque
Bellipotens: fervent portus, et operta carinis
Stagna, suasque hiemes classis promota, suosque
Attollit fluctus: ipsum jam puppibus æquor 445
Deficit, et totos consumunt carbasa ventos.
Prima rates Danaas Hecateia congregat Aulis,
Rupibus expositis longique crepidine dorsi
Euboicum scandens Aulis mare, littora multum
Montivagæ dilecta deæ, juxtaque Caphareus 450
Latratum pelago tollens caput: ille Pelasgas
Ut vidit tranare rates, ter monte ter undis
Intonuit, sævæque dedit præsagia noctis.
Cætus ibi armorum Trojæ fatalis; ibi ingens
Juratur bellum, donec sol annuus omnes 455
Conficeret metas: tum primum Græcia vires
Contemplata suas; tunc sparsa ac dissona moles
In corpus vultumque coit, et rege sub uno
Disposita est. Sic curva feras indago latentes
Claudit, et admotis paullatim cassibus arctat. 460
Illæ ignem sonitumque pavent, diffusaque linquunt
Avia, miranturque suum decrescere montem;
Donec in angustam ceciderunt undique vallem,
Inque vicem stupuere greges, socioque timore
Mansuescunt: simul hirtus aper, simul ursa, lupusque 465
Cogitur, et captos contemnit cerva leones.
Sed quanquam gemini pariter sua bella capessant
Atridæ, famamque avidi virtute paternam
Tydides Sthenelusque premant, nec cogitet annos
Antilochus, septemque Ajax umbone coruscet 470
Armenti reges, atque æquum mœnibus orbem,
Consiliis armisque vigil contendat Ulixes;
Omnis in absentem belli manus ardet Achillem;
Nomen Achillis amant, et in lectora solus Achilles
Poscitur: illum unum Teucris Priamoque loquuntur 475
Fatalem: quis enim Hæmoniis sub vallibus alter
Creverit, effossa reptans nive? cujus ab ortu
Cruda rudimenta et teneros formaverit annos
Centaurus? patrii propior cui linea cœli?
Quemve alium Stygios tulerit secreta per amnes

Nereis, et pulchros ferro perstrinxerit artus? 481
Hæc Graiæ castris iterant, traduntque cohortes.
Cædit turba ducum, vincique haud mæsta fatetur.
Sic cum bellantes Phlegræa in castra coirent
Cœlicolæ, jamque Odrysiam Gradivus in hastam
Surgeret, et Libycos Tritonia tolleret angues, 486
Ingentemque manu curvaret Delius arcum;
Stabat anhela metu solum Natura Tonantem
Respiciens; quando ille hiemes, tonitrusque vocaret [nam.
Nubibus, igniferam quæ fulmina posceret Æt-
Atque ibi dum mixta vallati plebe suorum 491
Et maris et belli consultant tempora reges,
Increpitans magno vatem Calchanta tumultu
Protesilaus ait: (namque huic bellare cupido
Præcipua, et primæ jam tunc data copia mortis:)
O nimium Phœbi, tripodumque oblite tuorum 496
Thestoride! quando ora deo possessa movebis
Justius? aut quando Parcarum occulta recludes?
Cernis, ut ignotum cuncti stupeantque petantque
Æaciden? sordet vulgo Calydonius heros, 500
Et magno genitus Telamone, Ajaxque secundus,
Nos quoque; sed Mavors arreptaque Troja probabunt.
Illum, neglectis (pudet heu) ductoribus, omnes
Belligerum ceu numen amant: dic ocius (aut cur
Serta comis et mitis honos?) quibus abditus oris,
Quave jubes tellure peti: nam fama, nec antris
Chironis, patria nec degere Peleos aula. 507
Eia irrumpe deos, et fata latentia laxa, [ri.
Laurigerosque ignes, si quando, avidissimus hau-
Arma horrenda tibi, sævosque remisimus enses.
Nunquam has imbelles galea violabere vittas:
Sis felix, numeroque ducum præstantior omni,
Si magnum Danais per te portendis Achillem.
Jamdudum trepido circumfert lumina motu,
Intrantemque deum primo pallore fatetur 515
Thestorides: mox igne genas et sanguine torquens
Nec socios, nec castra videt, sed cæcus et amens
Nunc superûm magnos deprendit in æthere cœtus,
Nunc sagas affatur aves, nunc dira sororum
Licia, thuriferas modo consulit anxius aras, 520
Flammarumque apices rapit, et caligine sacra
Pascitur: exsiliunt crines, rigidisque laborat
Vitta comis, nec colla loco, nec in ordine gressus.
Tandem fessa tremens longis mugitibus ora
Solvit, et oppositum vox eluctata furorem est:
Quo rapis ingentem magni Chironis alumnum
Fœmineis, Nerei, dolis? huc mitte: quid aufers?
Non patiar: meus iste, meus: tu diva profundi,
Et me Phœbus agit: latebris quibus abdere ten-
Eversorem Asiæ? video per Cycladas altas [tas
Attonitam, et turpi quærentem littora furto. 531
Occidimus: placuit Lycomedis conscia tellus.
O scelus! en fluxæ veniunt in pectora vestes.
Scinde, puer, scinde, et timidæ ne crede parenti.
Hei mihi! raptus abit: quænam hæc procul improba virgo? 535
Hic nutante gradu stetit, amissisque furoris
Viribus ante ipsas tremefactus corruit aras.
Tunc hærentem Ithacum Calydonius occupat heros:
Nos vocat iste labor: neque enim comes ire recuso,
Si te cura trahit: licet ille sonantibus antris 540
Tethyos adversæ gremioque prematur aquosi
Nereos, invenies: tu tantum providus astu [tus.
Tende animum vigilem, fecundumque erige pec-
Nam mihi quis vatum dubiis in casibus ausit
Fata videre prior? Subicit gavisus Ulixes: 545
Sic deus omnipotens firmet, sic annuat illa
Virgo paterna tibi: sed me spes lubrica tardat:
Grande quidem armatum castris inducere Achillem;
Sed si fata negent, quam fœdum ac triste reverti!
Vota tamen Danaûm non intentata relinquam.
Jamque adeo aut aderit mecum Peleius heros,
Aut verum penitus latet, et sine Apolline Calchas.
Conclamant Danai, stimulatque Agamemno volentes:
Laxantur cœtus, resolutaque murmure læto
Agmina discedunt: quales jam nocte propinqua
E pastu referuntur apes, vel in antra reverti 556
Melle novo gravidas mitis videt Hybla catervas.
Nec mora, jam dextras Ithacesia carbasus auras
Poscit, et in remis hilaris sedere juventus.
At procul occultum falsi sub imagine sexus
Æaciden furto jam noverat una latentem 561
Deidamia virum: sed opertæ conscia culpæ
Cuncta pavet, tacitasque putat sentire sorores.
Namque ut virgineo stetit agmine clarus Achilles,
Exsolvitque rudem genitrix digressa pudorem, 565
Protinus elegit comitem, (quanquam omnis in illum
Turba coit,) blandeque novas nil tale timenti
Admovet insidias: illam sequiturque, premitque
Improbus; illam oculis iterumque iterumque resumit.
Nunc nimius lateri non evitantis adhæret: 570
Nunc levibus sertis, lapsis nunc sponte canistris,
Nunc thyrso parcente ferit: modo dulcia notæ
Fila lyræ, tenuesque modos, et carmina monstrat
Chironis, ducitque manum, digitosque sonanti
Infringit citharæ: nunc occupat ora canentis, 575
Et ligat amplexus, et mille per oscula laudat.
Illa libens discit, quo vertice Pelion, et quis
Æacides, puerique auditum nomen et actus
Assidue stupet, et præsentem cantat Achillem.
Ipsa quoque et validos proferre modestius artus,
Et tenuare rudes attrito pollice lanas 581
Demonstrat, reficitque colos, et perdita dura
Pensa manu; vocisque sonum, pondusque tenentis,
Quodque fugit comites, nimio quod lumine sese
Figat, et in verbis intempestivus anhelet, 585
Miratur; jam jamque dolos aperire parantem
Virginea levitate fugit, prohibetque fateri.
Sic sub matre Rhea juvenis regnator Olympi
Oscula securæ dabat insidiosa sorori
Frater adhuc, medii donec reverentia cessit 590
Sanguinis, et veros germana expavit amores.
Tandem detecti timidæ Nereidos astus.
Lucus Agenorei sublimis ad orgia Bacchi
Stabat, et admissum cœlo nemus: hujus in umbra
Alternam revocare piæ trieterida matres 595
Consuerant, scissumque pecus, terraque revulsas
Ferre trabes, gratosque deo præstare furores.
Lex procul ire mares: iterat præcepta verendus
Ductor, inaccessumque viris edicitur antrum. 599
Nec satis est: stat fine dato metuenda sacerdos,
Exploratque aditus, ne quis temerator oberret
Agmine fœmineo: tacitus subrisit Achilles.
Illum, virgineæ ducentem signa catervæ,
Magnaque difficili solventem brachia motu,
(Et sexus pariter decet, et mendacia matris,) 605
Mirantur comites; nec jam pulcherrima turbæ
Deidamia suæ, tantumque admota superbo
Vincitur Æacide, quantum premit ipsa sorores.
Ut vero a tereti demisit nebrida collo,
Errantesque sinus hedera collegit, et alte 6
Cinxit purpureis flaventia tempora vittis.

Vibravitque gravi redimitum missile dextra;
Attonito stat turba metu, sacrisque relictis
Illum ambire libet, pronosque attollere vultus.
Talis, ubi ad Thebas vultumque animumque re-
Evius, et patrio satiavit pectora luxu, [misit
Serta comis mitramque levat, thyrsumque viren-
Armat, et hostiles invisit fortior Indos. [tem
Scandebat roseo medii fastigia cœli
Luna jugo, totis ubi Somnus inertior alis 620
Defluit in terras, mutumque amplectitur orbem.
Consedere chori, paullumque exercita pulsu
Æra tacent; tenero cum solus ab agmine Achilles
Hæc secum: Quonam timidæ commenta parentis
Usque feres? primumque imbelli carcere perdes
Florem animi? non tela licet Mavortia dextra,
Non trepidas agitare feras? ubi campus, et amnes
Hæmonii? quærisne meos, Sperchie, natatus,
Promissasque comas? an desertoris alumni
Nullus honos, Stygiasque procul jam raptus ad
umbras 630
Dicor, et orbatus plangit mea funera Chiron?
Tu nunc tela manu, nostros tu dirigis arcus,
Nutritosque mihi scandis, Patrocle, jugales:
Ast ego pampineis diffundere brachia thyrsis,
Et tenuare colos (pudet heu, tædetque fateri) 635
Jam scio: quin etiam dilectæ virginis ignem,
Æquævamque facem, captus, noctesque diesque
Dissimulas? quonam usque premes urentia pectus
Vulnera? teque marem (pudet heu) nec amore
probabis?
Sic ait, et densa noctis gavisus in umbra 640
Tempestiva suis torpere silentia furtis,
Vi potitur votis, et toto pectore veros
Admovet amplexus: risit chorus omnis ab alto
Astrorum, et teneræ rubuerunt cornua Lunæ.
Illa quidem clamore nemus montemque replevit:
Sed Bacchi comites, discussa nube soporis. 646
Signa choris indicta putant: fragor undique notus
Tollitur, et thyrsos iterum vibrabat Achilles
Ante tamen dubiam verbis solatur amicis [vis
Ille ego, (quid trepidas?) genuit quem cærula syl-
Peliacis mater, nivibusque immisit alendum 651
Thessalicis: neque ego hos cultus, aut fœda subis
Tegmina, ni primo te visa in littore: cessi [sem
Te propter; tibi pensa manu, tibi mollia ges o
Tympana: quid defles magno nurus addita ponto?
Quid gemis ingentes cœlo paritura nepotes? 656
Sed pater ante igni, ferroque excisa jacebit
Scyros, et in tumidas ibunt hæc versa procellas
Mœnia, quam sævo mea tu connubia perdas
Funere: non adeo parebimus omnia matri. 660
Vade; sed ereptum taceas, celesque pudorem.
Obstupuit tantis regina exterrita monstris,
Quanquam olim suspecta fides, et cominus ipsum
Horruit, et multum facies mutata fatentis.
Quid faciat? casusne suos ferat ipsa parenti, 665
Seque simul, juvenemque premat, fortassis acerbas
Hausurum pœnas? et adhuc in corde manebat
Ille diu deceptus amor: silet ægra, premitque
Jam commune nefas: unam placet addere furtis
Altricem sociam, precibus quæ victa duorum 670
Annuit: illa astu tacito raptumque pudorem,
Surgentemque uterum, atque ægros in pondere
menses
Occuluit, plenis donec stata tempora metis
Attulit, et partus index Lucina resolvit.

LIBER SECUNDUS.

Jamque per Ægæos ibat Laertia fluctus
Puppis, et innumeræ mutabant Cycladas auræ:
Jam Paros Olearosque latent: jam raditur alta
Lemnos, et a tergo decrescit Bacchica Naxos,
Ante oculos crescente Samo: jam Delos opacat
Æquor: ubi excelsa libant carchesia puppe, 6
Responsique fidem, et verum Calchanta precantur.
Audiit arcitenens, Zephyrumque e vertice Cynthi
Impulit, et dubiis pleno dedit omina velo.
It pelago secura ratis: quippe alta Tonantis 10
Jussa Thetin certas fatorum vertere leges
Arcebant ægram lacrymis, ac multa gementem,
Quod non erueret pontum, ventisque fretisque
Omnibus invisum jam tunc sequeretur Ulixem.
Frangebat radios humili jam pronus Olympo 15
Phœbus, et Oceani penetrabile littus anhelis
Promittebat equis; cum se scopulosa levavit
Scyros: in hanc totos emisit puppe rudentes
Dux Laertiades, sociosque resumere contum
Imperat, et remis Zephyros supplere cadentes. 20
Accedunt jussi: magis indubitata magisque
Scyros erat, placidique super Tritonia custos
Littoris: egressi numen venerantur amicæ
Ætolusque Ithacusque deæ: tum providus heros,
Hospita ne subito terrerent mœnia cœtu, 25
Puppe jubet remanere suos: ipse ardua fido
Cum Diomede petit: sed jam prævenerat arcis
Littoreæ servator Abas, ignotaque regi
Ediderat, sed Graia tamen, succedere terris
Carbasa. Procedunt, gemini ceu fœdere juncto 30
Hiberna sub nocte lupi: licet et sua pulset
Natorumque fames, penitus rabiemque minasque
Dissimulant, humilesque meant, ne nuntiet hostes
Cura canum, et trepidos moneat vigilare magi-
stros.
Sic segnes heroes eunt, campumque patentem, 35
Qui medius portum celsamque interjacet urbem,
Alterno sermone serunt: prior occupat acer
Tydides: Qua nunc verum ratione paramus
Scrutari? namque ambiguo sub pectore quondam
Verso, quid imbelles thyrsos mercatus et æra 40
Urbibus in mediis, Baccheaque terga, mitrasque
Huc tuleris, varioque adspersas nebridas auro.
Hisne gravem Phrygibus Priamoque armamus
Achillem?
Illi subridens Ithacus paullum ore remisso:
Hæc tibi, virginea modo si Lycomedis in aula 45
Fraude latens, ultro confessum in prælia ducen
Peliden: tu cuncta citus de puppe memento
Ferre, ubi tempus erit, clypeumque his jungere
donis,
Qui pulcher signis, auroque asperrimus ardet.

Hæc sat erunt: tecum lituo bonus adsit Agyrtes,
Occultamque tubam tacitos apportet in usus. 51
Dixerat: atque ipso portarum in limine regem
Cernit, et ostensa pacem præfatur oliva.
Magna (reor) pridem vestras pervenit ad aures
Fama trucis belli, regum placidissime, quod nunc
Europamque Asiamque quatit: si nomina quæras
Huc perlata ducum, fidit quibus ultor Atrides,
Hic tibi, quem tanta meliorem stirpe creavit
Magnanimus Tydeus, Ithacis ego ductor Ulixes.
Causa viæ (metuam quid enim tibi cuncta fateri,
Cum Graius, notaque fide celeberrimus unus?) 61
Explorare aditus, invisaque littora Trojæ,
Quidve parent. Medio sermone intercipit ille:
Annuerit Fortuna, precor, dextrique secundent
Ista dei: nunc hospitio mea tecta, piumque 65
Illustrate larem. Simul intra limina ducit.
Nec mora, jam mensas famularis turba torosque
Instruit: interea visu perlustrat Ulixes
Scrutaturque domum, si qua vestigia magnæ
Virginis, aut dubia facies suspecta figura: 70
Porticibusque vagis errat, totosque penates,
Ceu miretur, adit: velut ille cubilia prædæ
Indubitata tenens multo legit arva Molosso
Venator, videat donec sub frondibus hostem
Porrectum somno, positosque in cespite dentes.
Rumor in arcana jamdudum perstrepit aula, 76
Virginibus qua fida domus, venisse Pelasgûm
Ductores, Graiamque ratem, sociosque receptos.
Jure pavent aliæ: sed vix nova gaudia celat
Pelides, avidusque novos heroas et arma 80
Vel talis vidisse cupit. Jamque atria fervent
Regali strepitu, et picto discumbitur ostro.
Tum pater ire jubet natas, comitesque pudicas
Natarum. Subeunt, quales Mæotide ripa,
Cum Scythicas rapuere domos, et capta Getarum
Mœnia, suppositis epulantur Amazones armis. 86
Tum vero intentus vultus ac pectora Ulixes
Prælibat visu: sed nox, illataque fallunt
Lumina, et extemplo latuit mensura jacentis.
Et tamen erectumque genas, oculisque vagantem,
Nullaque virginei servantem signa pudoris, 91
Defigit, comitique obliquo lumine monstrat.
Quod nisi præcipitem blando complexa moneret
Deidamia sinu, nudataque pectora semper,
Exsertasque manus, humerosque in veste teneret,
Et prodire toris, et poscere vina vetaret 96
Sæpius, et fronti crinale reponeret aurum;
Argolicis ducibus jam tunc patuisset Achilles.
Ut placata fames epulis bis terque repostis,
Rex prior alloquitur, paterisque hortatur Achivos:
Invideo vestris, (fateor,) decora inclyta gentis 101
Argolicæ, cœptis: utinam mihi fortior ætas,
Quæque fuit, Dolopas cum Scyria littora adortos
Perdomui, fregique vadis: quæ signa triumphi
Vidistis celsas murorum in fronte carinas. 105
Saltem si soboles, aptam quam mittere bello.
Nunc ipsi viresque meas, et cara videtis
Pignora: quando novos dabit hæc mihi turba nepotes?
Dixerat, et solers arrepto tempore Ulixes: [tes
Haud spernenda cupis: quis enim non visere gen-
Innumeras, variosque duces, atque agmina regum
Ardeat? omne simul roburque decusque potentis
Europæ meritos ultro juravit in enses. [tos.
Rura urbesque vacant: montes spoliavimus al-
Omne fretum longa velorum obtexitur umbra. 115
Tradunt arma patres, ruit irrevocata juventus.
Non alias unquam tantæ data copia famæ
Fortibus, aut campo majore exercita virtus.
Adspicit intentum, vigilique hæc aure bibentem,
Cum paveant aliæ, demissaque lumina flectant;
Atque iterat: Quisquis proavis et gente superbus,
Quisquis equo jaculoque potens, qui prævalet arcu,
Omnis honos illic: illic ingentia certant
Nomina: vix timidæ matres, vix agmina cessant
Virginea: hic multum steriles damnatus in annos,
Invisusque deis, si quem hæc nova gloria segnem
Præterit. Exisset stratis, nisi provida signo
Deidamia dato cunctas hortata sorores 128
Liquisset mensas, ipsum complexa: sed hæret
Respiciens Ithacum, cœtuque novissimus exit.
Ille quidem incepto paullum ex sermone remisit,
Pauca tamen jungens: At tu tranquillus in alta
Pace mane, carisque para connubia natis,
Quas tibi sidereis divarum vultibus æquas 134
Sors dedit: ut me olim tacitum reverentia tangit!
Is decor est, formæ species permixta virili.
Occurrit genitor: Quid si Bacchea ferentes
Orgia, Palladias aut circum videris aras?
Et dabimus, si forte novus cunctabitur Auster.
Excipiunt cupidi, et tacitis spes addita votis. 140
Cætera depositis Lycomedis regia curis
Tranquilla sub pace silet; sed longa sagaci
Nox Ithaco, lucemque cupit, somnoque gravatur.
Vixdum exorta dies, et jam comitatus Agyrta
Tydides aderat, prædictaque dona ferebat. 145
Nec minus egressæ thalamis Scyreides ibant
Ostentare choros promissaque sacra verendis
Hospitibus: nitet ante alias regina, comesque
Pelides: qualis Siculæ sub rupibus Ætnæ
Naidas Ennæas inter Diana, feroxque 150
Pallas, et Elysii lucebat sponsa tyranni.
Jamque movent gressus, thiasisque Ismenia buxus [sant
Signa dedit: quater æra Rheæ, quater Evia pul-
Terga manu, variosque quater legere recursus.
Tunc thyrsos pariterque levant, pariterque reponunt, [actu,
Multiplicantque gradum, modo quo Curetes in
Quoque pii Samothraces eunt: nunc obvia versæ
Pectine Amazonio: modo quo citat orbe Lacænas
Delia, plaudentesque suis intorquet Amyclis. 159
Tunc vero, tunc præcipue manifestus Achilles,
Nec servare vices, nec jungere brachia curat.
Tunc molles gressus, tunc adspernatur amictus
Plus solito, rumpitque choros, et plurima turbat.
Sic indignantem thyrsos, acceptaque matris 164
Tympana, jam tristes spectabant Penthea Thebæ.
Solvuntur laudata cohors, repetuntque paterna
Limina, ubi in mediæ jamdudum sedibus aulæ
Munera, virgineos visus tractura, locarat
Tydides, signum hospitii, pretiumque laboris,
Hortaturque legant, nec rex placidissimus arcet.
Heu simplex, nimiumque rudis, qui callida dona,
Graiorumque dolos, variumque ignorat Ulixem!
Hinc aliæ, quas sexus iners, naturaque ducit,
Aut teretes thyrsos, aut respondentia tentant 174
Tympana, gemmatis aut nectunt tempora limbis:
Arma vident, magnoque putant donata parenti.
At ferus Æacides, radiantem ut cominus orbem
Cælatum pugnis sævis, et forte rubentem
Bellorum maculis, acclinem et conspicit hastam;
Infremuit, torsitque genas, et fronte relicta 180
Surrexere comæ: nusquam mandata parentis,
Nusquam occultus amor, totoque in pectore Troja
Ut leo, materno cum raptus ab ubere mores [est
Accepit, pectique jubas, hominemque vereri
Edidicit, nullasque ruit nisi jussus in iras; 185
Si semel adverso radiavit lumine ferrum,

Ejurata fides, domitorque inimicus; in illum
Prima fames, timidoque pudet servisse magistro.
Ut vero accessit propius, luxque æmula vultum
Reddidit, et similem tandem se vidit in auro,
Horruit, erubuitque simul. Tunc acer Ulixes
Admotus lateri submissa voce: Quid hæres?
Scimus, ait: tu semiferi Chironis alumnus,
Tu cœli, pelagique nepos: te Dorica classis,
Te tua suspensis exspectat Græcia signis, 195
Ipsaque jam dubiis nutant tibi Pergama muris.
Eia age, rumpe moras: sine perfida palleat Ide,
Et juvet hæc audire patrem, pudeatque dolosam
Sic pro te timuisse Thetin. Jam pectus amictu
Laxabat; cum grande tuba (sic jussus) Agyrtes
Insonuit: fugiunt disjectis undique donis, 201
Implorantque patrem, commotaque prœlia cre-
Illius intactæ cecidere a pectore vestes. [dunt.
Jam clypeus, breviorque manu consumitur hasta,
(Mira fides,) Ithacumque humeris excedere visus
Ætolumque ducem: tantum subita arma, calor-
Martius horrenda confundit luce penates. [que
Immanisque gradu, ceu protinus Hectora poscens,
Stat medius trepidante domo. Peleia virgo
Quæritur: ast alia plangebat parte retectos 210
Deidamia dolos: cujus cum grandia primum
Lamenta, et notas accepit pectore voces,
Hæsit, et occulto virtus infracta calore est.
Dimittit clypeum, regisque ad lumina versus,
Attonitum fatis, inopinaque monstra paventem,
Sicut erat, mediis Lycomedem affatur in armis:
Me tibi, care pater, (dubium dimitte timorem,)
Me Thetis alma dedit: te pridem tanta manebat
Gloria: quæsitum Danais tu mittis Achillem,
Gratior et magno (si fas dixisse) parente, 220
Et dulci Chirone mihi: sed corda parumper
Huc adverte libens, atque has bonus accipe voces.
Te Peleus nato socerum, et Thetis hospita jun-
Allegantque suos utroque a sanguine divos. [gunt,
Unam virgineo natarum ex agmine poscunt. 225
Dasne? an nos humiles tibi degeneresque videmur?
Non renuis: junge ergo manus, et concipe fœdus,
Atque ignosce tuis: tacito jam cognita furto
Deidamia mihi: quis enim his obstare lacertis,
Quæ potuit nostras possessa evadere flammas?
Me luere ista jube; pono arma, et reddo Pelas-
gis, [tas?
Et maneo. Quid triste fremis? quid lumina mu-
Jam socer es: natum ante pedes projecit, et addit,
Jamque avus: immitis quoties tractabitur ensis,
Turba sumus. Tunc et Danai per sacra fidem-
que 235
Hospitii, blandusque precum compellat Ulixes.
Ille, etsi caræ comperta injuria natæ,
Et Thetidis mandata movent, prodique veretur
Depositum tam grande deæ, tamen obvius ire
Tot metuit fatis, Argivaque bella morari. 240
Fac velit; ipsam illic matrem sprevisset Achilles.
Ne tamen abnueret genero se jungere tali,
Vincitur. Arcanis effert pudibunda tenebris
Deidamia gradum: veniam nec protinus amens
Credit, et opposito genitorem placat Achille. 245
Mittitur Hæmoniam, magni qui Pelea facti
Impleat, et classem comitesque in prœlia poscat.
Nec non et geminas regnator Scyrius alnos
Deducit genero, viresque excusat Achivis.
Tunc epulis consumta dies, tandemque receptum
Fœdus, et intrepidos nox conscia jungit amantes.
Illius ante oculos nova bella, et Xanthus, et Ide,
Argolicæque rates; atque hæc jam cogitat undas,
Auroramque timet: cara cervice mariti
Fusa novi, lacrymas jam solvit, et occupat artus.
Adspiciamne iterum, meque hoc in pectore ponam,
Æacide? rursusque tuos dignabere partus?
An tumidus, Teucrosque lares et capta reportans
Pergama, virgineæ nolis meminisse latebræ?
Quid precer heu, timeamve prius? quidve anxia
mandem, 260
Cui vix flere vacat? modo te nox una deditque,
Inviditque mihi. Thalamis hæc tempora nostris?
Hicne est liber Hymen? o dulcia furta, dolique,
O timor! eripitur miseræ permissus Achilles.
I, (neque enim tantos ausim revocare paratus,)
I cautus, nec vana Thetin timuisse memento.
I felix, nosterque redi. Nimis improba posco
Jam te spectabunt lacrymis planctuque decoræ
Troades, optabuntque tuis dare colla lacertis,
Et patriam pensare toris: aut ipsa placebit 270
Tyndaris, incesta nimium laudata rapina.
Ast ego vel primæ puerilis fabula culpæ
Narrabor famulis, vel dissimulata latebo.
Quin age, duc comitem: cur non ego Martia tecum
Signa feram? tu pensa manu, Baccheaque mecum
Sacra (quod infelix non credet Troja) tulisti. 276
Attamen hunc, quem mæsta mihi solatia linquis,
Hunc saltem sub corde tene: et concede precanti
Hoc solum, pariat ne quid tibi barbara conjux,
Ne qua det indignos Thetidi captiva nepotes.
Talia dicentem non ipse immotus Achilles 281
Solatur, juratque fidem, jurataque fletu
Spondet, et ingentes famulas, captumque reversus
Ilion, et Phrygiæ promittit munera gazæ.
Irrita ventosæ rapiebant verba procellæ. 285
Exuit implicitum tenebris humentibus orbem
Oceano prolata dies, genitorque coruscæ
Lucis, adhuc hebetem vicina nocte, levabat,
Et nondum excusso rorantem lampada ponto.
Et jam punicea nodatum pectora palla, 290
Insignemque ipsis, quæ prima invaserat, armis
Æaciden (quippe aura vocat, cognataque suadent
Æquora) prospectant cuncti, juvenemque ducem
Nil ausi meminisse, pavent: sic omnia visu [que,
Mutatus rediit, ceu, nunquam Scyria passus 295
Littora, Peliaco raptus descendat ab antro.
Tunc ex more deis (ita namque monebat Ulixes)
Æquoreis Austrisque litat, fluctuque sub ipso
Cæruleum regem tauro veneratur, avumque
Nerea: vittata genitrix placata juvenca est. 300
Hic spumante salo jaciens tumida exta profatur:
Paruimus, genitrix, quanquam haud toleranda
jubebas,
Paruimus nimium: bella ad Trojana ratesque
Argolicas quæsitus eo. Sic orsus, et alno
Insiluit, penitusque Noto stridente propinquis
Abripitur terris: jamque ardua crescere nubes
Incipit, et Scyros longe decrescere ponto. 307
Turre procul summa, lacrymis comitata sororum,
Confessumque tenens, et habentem nomina Pyr-
Pendebat conjux, oculisque in carbasa fixis [rhum,
Ibat, et ipsa fretum et puppim jam sola videbat.
Ille quoque obliquos dilecta ad mœnia vultus
Declinat, viduamque domum, gemitusque relictæ
Cogitat: occultus sub corde renascitur ardor,
Datque locum virtus. Sensit Laertius heros 315
Mærentem, et placidis aggressus flectere dictis:
Tene, inquit, magnæ vastator debite Trojæ,
Quem Danaæ classes, quem divûm oracula pos-
Erectumque manet reserato limine bellum, [cunt
Callida fœmineo genitrix velavit amictu? 320
Commisitque ullis tam grandia furta latebris?
Speravitque fidem? nimis o suspensa timisque

Mater! an hæc virtus tacita torperet in umbra,
Quæ, vix audito litui clangore, refugit
Et Thetin, et comites, et quos suppresserat ignes?
Nec nostrum est, quod in arma venis, sequerisque
precantes: 326
Venisses ultro. Quem talibus occupat heros
Æacides: Longum est resides exponere causas,
Maternumque nefas: hoc excusabitur ense
Scyros, et indecores, fatorum crimina, cultus. 330
Tu potius, dum lene fretum, Zephyrisque feruntur
Carbasa, quæ Danais tanti primordia belli,
Ede: libet justas hinc sumere protinus iras.
Hic Ithacus paullum repetito longius orsu:
Fertur in Hectorea (si talia credimus) ora 335
Electus formæ certamina solvere pastor
Sollicitus tenuisse deas, nec torva Minervæ
Ora, nec ætherii sociam rectoris amico
Lumine, sed solam nimium vidisse Dionen.
Atque adeo lis ista tuis exorta sub antris 340
Concilio superûm, dum Pelea dulce maritat
Pelion, et nostris jam tunc promitteris armis.
Ira quatit victas: petit exitialia judex
Præmia: raptori faciles monstrantur Amyclæ.
Ille Phrygas lucos, matris penetralia cædit 345
Turrigeræ, vetitasque solo procumbere pinus
Præcipitat, terrasque freto delatus Achæas
Hospitis Atridæ (pudet heu, miseretque potentis
Europæ) spoliat thalamos, Helenaque superbus
Navigat, et captos ad Pergama devehit Argos.
Inde dato passim varias rumore per urbes, 351
Undique inexciti sibi quisque et sponte coimus
Ultores: quis enim genialia fœdera rumpi
Capta dolis, facilique trahi connubia raptu,
Ceu pecus, armentumve, aut viles messis acervos
Perferat? hæc et non fortes jactura moveret. 356
Non tulit insidias divûm imperiosus Agenor,
Mugitusque sacros, et magno numine vectam
Quæsiit Europen, adspernatusque Tonantem est
Vi generum: raptam et Scythico de littore prolem 360
Non tulit Æetes, ferroque et classe secutus
Semideos reges, et ituram in sidera puppim.
Nos Phryga semivirum portus et littora circum
Argolica incesta volitantem puppe feremus?
Usque adeo nusquam arma et equi, fretaque invia
Graiis? 365
Quid si nunc aliquis patriis rapturus ab oris
Deidamian eat, viduaque a sede revellat
Attonitam, et magni clamantem nomen Achillis?
Illius ad capulum rediit manus, et simul ingens
Impulit ora rubor: tacuit contentus Ulixes. 370
Excipit Œnides: Quin, o dignissima cœli
Progenies, ritusque tuos, elementaque primæ
Indolis, et valida mox accedente juventa
Quæ solitus laudum tibi semina pandere Chiron,
Virtutisque aditus, quas membra augere per artes,
Quas animum, sociis multumque faventibus ede.
Sit pretium longas penitus quæsisse per undas
Scyron, et hos armis primum intendisse lacertos.
Quem pigeat sua facta loqui? tamen ille modeste
Inchoat, ambiguus paullum, propiorque coacto:
Dicor, et in teneris, et adhuc crescentibus annis,
Thessalus ut rigido senior me monte recepit,
Non ullas ex more dapes habuisse, nec almis
Uberibus satiasse famem, sed spissa leonum
Viscera, semianimesque libens traxisse medullas.
Hæc mihi prima Ceres, hæc læti munera Bacchi
Sic dabat ille pater: mox ire per avia secum
Lustra gradu majore trahens, visisque docebat
Arridere feris, nec fracta ruentibus undis
Saxa, nec ad vastæ trepidare silentia sylvæ. 390
Jam tunc hasta manu, jam tunc cervice pharetræ,
Et ferri properatus amor, durataque multo
Sole geluque cutis: tenero nec flexa cubili
Membra, sed ingenti saxum commune magistro.
Vix mihi bissenos annorum torserat orbes 395
Vita rudis, volucres cum jam prævertere cervos
Et Lapithas cogebat equo, præmissaque cursu
Tela sequi sæpe ipse gradu me præpete Chiron.
Dum velox ætas, campis admissus agebat
Omnibus, exhaustumque vago per gramina passu
Laudabat gaudens, atque in sua colla levabat.
Sæpe etiam primo fluvii torpore jubebat 402
Ire super, glaciemque levi non frangere planta.
Hoc puerile decus. Quid nunc tibi prœlia dicam
Sylvarum, et vacuos sævo jam murmure saltus?
Nunquam ille imbelles Ossæa per avia lynces
Sectari, aut timidas passus me cuspide damas
Sternere, sed tristes turbare cubilibus ursas,
Fulmineosque sues, et sicubi maxima tigris,
Aut seducta jugis fetæ spelunca leænæ. 410
Ipse sedens vasto facta exspectabat ab antro,
Si sparsus magno remearem sanguine: nec me
Ante nisi inspectis admisit ad oscula telis.
Jamque et ad ensiferos vicina pube tumultus
Aptabar: nec me ulla feri Mavortis imago 415
Præteriit: didici, quo Pæones arma rotatu,
Quo Macetæ sua gæsa citent, quo turbine cæstum
Sauromates, falcemque Getes, arcumque Gelonus
Tenderet, et flexæ Balearicus actor habenæ
Quo suspensa trahens libraret vulnera tortu, 420
Inclusum quoties distringeret aera gyro.
Vix memorem cunctos, etsi modo gessimus, actus.
Nunc docet ingenti fossas me jungere saltu:
Nunc caput aerii scandentem prendere montis,
Quo fugitur per plana gradu: simulacraque pugnæ
Excipere immissos curvato umbone molares,
Ardentesque intrare casas, peditemque volantes
Sistere quadrijugos. Memini, rapidissimus ibat
Imbribus assiduis pastus, nivibusque solutis
Sperchios, vulsasque trabes et saxa ferebat; 430
Cum me ille immissum, qua sævior impetus undæ,
Stare jubet contra, tumidosque repellere fluctus
Quos vix ipse gradu toties obstante tulisset.
Stabam equidem, nec me referebat concitus amnis
Et latæ caligo viæ: ferus ille minari
Desuper incumbens, verbisque urgere pudorem.
Nec nisi jussus abî: sic me sublimis agebat
Gloria, nec duri tanto sub teste labores. 438
Nam procul Œbalios in nubila condere discos,
Et liquidam nodare palen, et spargere cæstus,
Ludus erat, requiesque mihi: nec major in istis
Sudor, Apollineo quam fila sonantia plectro
Cum quaterem, priscosque virûm mirarer honores.
Quin etiam succos, atque auxiliantia morbis
Gramina, quo nimius staret medicamine sanguis
Quid faciat somnos, quid hiantia vulnera claudat,
Quæ ferro cohibenda lues, quæ cederet herbis,
Edocuit: monitusque sacræ sub pectore fixit
Justitiæ, qua Peliacis dare jura verenda 449
Gentibus, atque suos solitus pacare bimembres
Hactenus annorum, comites, elementa meorum
Et memini, et meminisse juvat: scit cætera mater.

* * * * * *

C. SILII ITALICI PUNICORUM

LIBER PRIMUS.

C. Silius Italicus gente antiqua perillustrique ortus, (nam de patria quidem non constat,) Romæ consultus summa eloquentiæ laude, summaque apud principes civitatis existimatione potitus est. Consulatum eo anno, quo Nero interfectus est, gessit; exinde proconsulatum Asiæ non sine laude administravit: a quo reversus publicis negotiis renuntiavit, seque litteris totum tradidit. Maxima illustrium scriptorum admiratione flagrasse dicitur, Virgilii præcipue et Ciceronis, quorum alterum in carminibus, alterum in dicendo imitatus est, gloriæque sibi maximæ duxisse quod Academiam Tullii, agrumque in quo Virgilius sepultus erat, possideret; quin et Virgilianis manibus quotannis sollennia faciebat. Ingravescentibus annis se in agrum Campanum contulit, ubi haud ita post insanabili morbo affectus inedia vitam finivit, anno ætatis septuagesimo sexto, Trajano principatum obtinente.

Ordior arma, quibus cœlo se gloria tollit
Æneadûm, patiturque ferox Œnotria jura
Carthago. Da, Musa, decus memorare laborum
Antiquæ Hesperiæ, quantosque ad bella crearit
Et quot Roma viros, sacri cum perfida pacti 5
Gens Cadmea super regno certamina movit;
Quæsitumque diu qua tandem poneret arce
Terrarum Fortuna caput. Ter Marte sinistro
Juratumque Jovi fœdus, conventaque Patrum
Sidonii fregere duces; atque impius ensis 10
Ter placitam suasit temerando rumpere pacem.
Sed medio finem bello excidiumque vicissim
Molitæ gentes; propiusque fuere periclo,
Quîs superare datum. Reseravit Dardanus arces
Ductor Agenoreas: obsessa Palatia vallo 15
Pœnorum, ac muris defendit Roma salutem.
Tantarum causas irarum, odiumque perenni
Servatum studio, et mandata nepotibus arma,
Fas aperire mihi, superasque recludere mentes.
Jamque adeo magni repetam primordia motus.
Pygmalioneis quondam per cærula terris 21
Pollutum fugiens fraterno crimine regnum
Fatali Dido Libyes appellitur oræ:
Tum pretio mercata locos, nova mœnia ponit,
Cingere qua secto permissum littora tauro. 25
Hic Juno ante Argos, (sic credidit alta vetustas,)
Ante Agamemnoniam gratissima tecta Mycenen,
Optavit profugis æternam condere gentem. [alte
Verum ubi magnanimis Romam caput urbibus
Exserere, ac missas etiam trans æquora classes
Totum signa videt victricia ferre per orbem, 31
Jam propius metuens, bellandi corda furore
Phœnicum exstimulat: sed enim conamine primæ
Contuso pugnæ, fractisque in gurgite cœptis
Sicanio Libycis, iterum instaurata capessens 35
Arma remolitur. Dux agmina sufficit unus
Turbanti terras, pontumque movere paranti.
Jamque deæ cunctas sibi belliger induit iras
Hannibal: hunc audet solum componere fatis.
Sanguineo tum læta viro, atque in regna Latini
Turbine mox sævo venientum haud inscia cladum,
Intulerit Latio spreta me Troius, inquit,
Exsul Dardaniam, et bis numina capta Penates,
Sceptraque fundarit victor Lavinia Teucris;
Dum Romana tuæ, Ticine, cadavera ripæ 45
Non capiant, similisque mihi per Celtica rura
Sanguine Pergameo Trebia et stipantibas armis
Corporibusque virûm retro fluat, ac sua largo
Stagna reformidet Trasimenus turbida tabo;
Dum Cannas tumulum Hesperiæ, campumque cruore 50
Ausonio mersum sublimis Iapyga cernam,
Teque vadi dubium coeuntibus, Aufide, ripis
Per clypeos, galeasque virûm, cæsosque per artus
Vix iter Adriaci rumpentem ad littora ponti.
Hæc ait, ac juvenem facta ad Mavortia flammat.
Ingenio motus avidus, fideique sinister 56
Is fuit. exsuperans astu, sed devius æqui:
Armato nullus divûm pudor: improba virtus,
Et pacis despectus honos, penitusque medullis
Sanguinis humani flagrat sitis: his super, ævi 60
Flore virens, avet Ægates abolere, parentum
Dedecus, ac Siculo demergere fœdera ponto.
Dat mentem Juno, ac laudum spe corda fatigat.
Jamque aut nocturno penetrat Capitolia visu,
Aut rapidis fertur per summas passibus Alpes. 65
Sæpe etiam famuli turbato ad limina somno
Expavere trucem per vasta silentia vocem,
Ac largo sudore virûm invenere futuras
Miscentem pugnas, et inania bella gerentem.
Hanc rabiem in fines Italûm, Saturniaque arva 70
Addiderat quondam puero patrius furor. Ortus
Sarrana prisci Barcæ de gente, vetustos
A Belo numerabat avos: namque orba marito
Cum fugeret Dido famulam Tyron, impia diri
Belides juvenis vitaverat arma tyranni, 75
Et se participem casus sociarat in omnes.
Nobilis hoc ortu, et dextra spectatus Hamilcar,
Ut fari primamque datum distinguere lingua
Hannibali vocem, sollers nutrire furores,
Romanum sevit puerili in pectore bellum. 80
Urbe fuit media sacrum genitricis Elissæ
Manibus, et patria Tyriis formidine cultum,
Quod taxi circum et piceæ squalentibus umbris
Abdiderant, cœlique arcebant lumine, templum.
Hoc sese, ut perhibent, curis mortalibus olim 85
Exuerat regina loco. Stant marmore mæsto
Effigies, Belusque parens, omnisque nepotum
A Belo series: stat gloria gentis Agenor,
Et qui longa dedit terris cognomina Phœnix

Ipsa sedet tandem æternum conjuncta Sichæo : 90
Ante pedes ensis Phrygius jacet ordine centum
Stant aræ cœlique deis, Ereboque potenti.
Hic, crine effuso, atque Ennææ numina divæ,
Atque Acheronta vocat Stygia cum veste sacerdos.
Immugit tellus, rumpitque horrenda per umbras
Sibila : inaccensi flagrant altaribus ignes. 96
Tum magico volitant cantu per inania manes
Exciti, vultusque in marmore sudat Elissæ.
Hannibal hæc patrio jussu ad penetralia fertur :
Ingressique habitus atque ora explorat Hamilcar.
Non ille evantis Massylæ palluit iras, 101
Non diros templi ritus, adspersaque tabo
Limina, et audito surgentes carmine flammas.
Olli permulcens genitor caput, oscula libat,
Attollitque animos hortando, et talibus implet :
Gens recidiva Phrygum Cadmeæ stirpis alumnos
Fœderibus non æqua premit : si fata negarint
Dedecus id patriæ nostra depellere dextra,
Hæc tua sit laus, nate, velis : age, concipe bella
Latura exitium Laurentibus : horreat ortus 110
Jam pubes Tyrrhena tuos, partusque recusent
Te surgente, puer, Latiæ producere matres.
His acuit stimulis; subicitque haud mollia dicta :
Romanos terra atque undis, ubi competet ætas,
Ferro ignique sequar, Rhœteaque fata revolvam.
Non superi mihi, non Martem cohibentia pacta,
Non celsæ obstiterint Alpes, Tarpeiaque saxa.
Hanc mentem juro nostri per numina Martis,
Per manes, regina, tuos. Tum nigra triformi
Hostia mactatur divæ, raptimque recludit 120
Spirantes artus poscens responsa sacerdos,
Ac fugientem animam properatis consulit extis.
Ast ubi quæsitas artis de more vetustæ
Intravit mentes superûm, sic deinde profatur :
Ætolos late consterni milite campos, 125
Idæoque lacus stagnantes sanguine cerno.
Quanta procul moles scopulis ad sidera tendit,
Cujus in aerio pendent tua vertice castra !
Jamque jugis agmen rapitur : trepidantia fumant
Mœnia, et Hesperio tellus porrecta sub axe 130
Sidoniis lucet flammis : fluit ecce cruentus
Eridanus : jacet ore truci super arma virosque,
Tertia qui tulerat sublimis opima Tonanti.
Heu ! quianam subitis horrescit turbida nimbis
Tempestas, ruptoque polo micat igneus æther?
Magna parant superi : tonat alti regia cœli, 136
Bellantemque Jovem cerno. Venientia fata
Scire ultra vetuit Juno, fibræque repente
Conticuere : latent casus, longique labores.
Sic clausum linquens arcano pectore bellum,
Atque hominum finem Gades, Calpenque secutus,
Dum fert Herculeis Garamantica signa columnis,
Occumbit sævo Tyrius certamine ductor.
Interea rerum Hasdrubali traduntur habenæ :
Occidui qui solis opes, et vulgus Iberum, 145
Bæticolasque viros furiis agitabat iniquis.
Tristia corda ducis, simul immedicabilis ira,
Et fructus regni feritas : erat asper amore
Sanguinis, et metui demens credebat honorem :
Nec nota docilis pœna satiare furores. 150
Ore excellentem, et spectatum fortibus ausis
Antiqua de stirpe Tagum, superûmque hominum-
Immemor, erecto suffixum robore mæstis [que
Ostentabat ovans populis sine funere regem.
Auriferi Tagus adscito cognomine fontis, 155
Perque antra et ripas Nymphis ululatus Iberis.
Mæonium non ille vadum, non Lydia mallet
Stagna sibi, nec qui riguo perfunditur auro
Campum, atque illatis Hermi flavescit arenis.
Primus inire manu, postremus ponere Martem.
Cum rapidum effusis ageret sublimis habenis 161
Quadrupedem, non ense virum, non eminus hasta
Sistere erat; volitabat ovans, aciesque per ambas
Jam Tagus auratis agnoscebatur in armis.
Quem postquam diro suspensum robore vidit 165
Deformem leti famulus, clam corripit ensem
Dilectum domino, pernixque irrumpit in aulam,
Atque immite ferit geminato vulnere pectus.
At Pœni succensi ira, turbataque luctu
Et sævis gens læta, ruunt, tormentaque portant.
Non ignes, candensque chalybs, non verbera pas-
Ictibus innumeris lacerum scindentia corpus, [sim
Carnificesve manus, penitusve infusa medullis
Pestis, et in medio luctantes vulnere flammæ
Cessavere : ferum visu dictuque, per artem 175
Sævitiæ extenti, quantum tormenta jubebant,
Creverunt artus : atque, omni sanguine rapto,
Ossa liquefactis fumarunt fervida membris.
Mens intacta manet : superat, ridetque dolores,
Spectanti similis, fessosque labore ministros 180
Increpitat, dominique crucem clamore reposcit.
Hæc inter spretæ miseranda piacula pœnæ,
Erepto trepidus ductore exercitus, una
Hannibalem voce, atque alacri certamine poscit.
Hinc studia accendit patriæ virtutis imago, 185
Hinc fama in populos jurati didita belli,
Hinc virides ausis anni, fervorque decorus,
Atque armata dolis mens, et vis insita fandi.
Primi ductorem Libyes clamore salutant :
Mox et Pyrenes populi, et bellator Iberus. 190
Continuoque ferox oritur fiducia menti,
Cessisse imperio tantum terræque marisque.
Æoliis candens Austris et lampade Phœbi
Æstifero Libye torretur subdita Cancro,
Aut ingens Asiæ latus, aut pars tertia terris. 195
Terminus huic roseos amnis Lageus ad ortus
Septeno impellens tumefactum gurgite pontum :
At qua diversas clementior adspicit Arctos,
Herculeo dirimente freto, diducta propinquis
Europes videt arva jugis : ultra obsidet æquor,
Nec patitur nomen proferri longius Atlas, 201
Atlas subducto tracturus vertice cœlum.
Sidera nubiferum fulcit caput, ætheriasque
Erigit æternum compages ardua cervix :
Canet barba gelu, frontemque immanibus umbris
Pinea sylva premit : vastant cava tempora venti,
Nimbosoque ruunt spumantia flumina rictu.
Tum geminæ laterum cautes maria alta fatigant,
Atque ubi fessus equos Titan immersit anhelos,
Flammiferum condunt fumanti gurgite currum
Sed qua se campis squalentibus Africa tendit, 211
Serpentum largo coquitur fecunda veneno.
Felix, qua pingues mitis plaga temperat agros,
Nec Cerere Ennæa, Phario nec victa colono.
Hic passim exsultant Nomades, gens inscia freni.
Quîs inter geminas per ludum mobilis aures 216
Quadrupedem flectit non cedens virga lupatis
Altrix bellorum, bellatorumque virorum
Tellus, nec fidens nudo sine fraudibus ensi
Altera complebant Hispanæ castra cohortes, 220
Auxilia Europa genitoris parta tropæis.
Martius hinc sonipes campos hinnitibus implet,
Hinc juga cornipedes erecti bellica raptant.
Non Eleus eat campo ferventior axis. [tem.
Prodiga gens animæ, et properare facillima mor-
Namque ubi transcendit florentes viribus annos,
Impatiens ævi spernit novisse senectam, [lum :
Et fati modus in dextra est. Hic omne metal-
Electri gemino pallent de semine venæ, 229

Atque atros chalybis fetus humus horrida nutrit.
Sed scelerum causas operit deus. Astur avarus
Visceribus laceræ telluris mergitur imis,
Et redit infelix effosso concolor auro.
Hic certant, Pactole, tibi Duriusque, Tagusque,
Quique super Gravios lucentes volvit arenas, 235
Infernæ populis referens oblivia Lethes.
Nec Cereri terra indocilis, nec inhospita Baccho,
Nullaque Palladia sese magis arbore tollit.
Hæ postquam Tyrio gentes cessere tyranno,
Utque dati rerum freni, nunc arte paterna 240
Conciliare viros; armis consulta senatus
Vertere, nunc donis: primus sumsisse laborem,
Primus iter carpsisse pedes, partemque subire,
Si valli festinet opus: nec cætera segnis, [negabat
Quæcunque ad laudem stimulant: somnumque
Naturæ, noctemque vigil ducebat in armis; 246
Interdum projectus humi, turbæque Libyssæ
Insignis sagulo duris certare maniplis:
Celsus et in magno præcedens agmine ductor
Imperium perferre suum: tum vertice nudo 250
Excipere insanos imbres cœlique ruinam.
Spectarunt Pœni, tremuitque exercitus Astur,
Torquentem cum tela Jovem, permixtaque nimbis
Fulmina, et excussos ventorum flatibus ignes
Turbato transiret equo: nec pulvere fessum 255
Agminis ardenti labefecit Sirius astro.
Flammiferis tellus radiis cum exusta dehiscit,
Candentique globo medius coquit æthera fervor,
Fœmineum putat inventa jacuisse sub umbra:
Exercetque sitim, et spectato fonte recedit. 260
Idem correptis sternacem ad prœlia frenis
Frangere equum, et famam letalis amare lacerti;
Ignotique amnis tranare sonantia saxa,
Atque e diversa socios arcessere ripa.
Idem expugnati primus stetit aggere muri: 265
Et quoties campo rapidus fera prœlia miscet,
Qua sparsit ferrum, latus rubet æquore limes.
Ergo instat fatis, et, rumpere fœdera certus,
Qua datur, interea Romam comprendere bello
Gaudet, et extremis pulsat Capitolia terris. 270
Prima Saguntinas turbarunt classica portas,
Bellaque sumta viro belli majoris amore.
Haud procul Herculei tollunt se littore muri,
Clementer crescente jugo, quis nobile nomen
Conditus excelso sacravit colle Zacynthos. 275
Hic comes Alcidæ remeabat in agmine Thebas
Geryone exstincto, cœloque ea facta ferebat.
Tres animas namque id monstrum, tres corpore dextras
Armarat, ternaque caput cervice gerebat.
Haud alium vidit tellus, cui ponere finem 280
Non posset mors una viro, duræque sorores
Tertia bis rupto torquerent stamina filo.
Hinc spolia ostentabat ovans, captivaque victor
Armenta ad fontes medio fervore vocabat,
Cum tumidas fauces accensis sole venenis 285
Calcatus rupit letali vulnere serpens,
Inachiumque virum terris prostravit Iberis.
Mox profugi ducente Noto advertere coloni,
Insula quos genuit Graio circumflua ponto,
Atque auxit quondam Laertia regna, Zacynthos.
Firmavit tenues ortus mox Daunia pubes, 291
Sedis inops, misit largo quam dives alumno,
Magnanimis regnata viris, nunc Ardea nomen.
Libertas populis pacto servata, decusque
Majorum: et Pœnis urbi imperitare negatum.
Admovet abrupto flagrantia fœdere ductor 296
Sidonius castra, et latos quatit agmine campos.
Ipse caput quassans circumlustravit anhelo
Muros sævus equo, mensusque paventia tecta,
Pandere jamdudum portas, ac cedere vallo 300
Imperat; et longe clausis sua fœdera, longe
Ausoniam fore, nec veniæ spem Marte subactis:
Scita patrum, et leges, et jura, fidemque, deosque
In dextra nunc esse sua: verba ocius acer
Intorto sancit jaculo, figitque per arma 305
Stantem pro muro, et minitantem vana Caicum.
Concidit exacti medius per viscera teli,
Effusisque simul prærupto ex aggere membris,
Victori moriens tepefactam retulit hastam.
At multo ducis exemplum clamore secuti 310
Involvunt atra telorum mœnia nube.
Clara nec in numero virtus latet: obvia quisque
Ora duci portans, ceu solus bella capessit.
Hic crebram fundit Baleari verbere glandem,
Terque levi ducta circum caput altus habena
Permissum ventis abscondit in aere telum. 316
Hic valido librat stridentia saxa lacerto:
Huic impulsa levi torquetur lancea nodo.
Ante omnes ductor, patriis insignis in armis,
Nunc picea jactat fumantem lampada flamma,
Nunc sude, nunc jaculo, nunc saxis impiger in-
Aut hydro imbutas, bis noxia tela, sagittas [stat.
Contendit nervo, atque insultat fraude pharetræ·
Dacus ut armiferis Geticæ telluris in oris,
Spicula qui patrio gaudens acuisse veneno 325
Fundit apud ripas inopina binominis Istri.
Cura subit, collem turrita cingere fronte,
Castelloque urbem circumvallare frequenti.
Heu priscis numen populis, at nomine solo
In terris jam nota fides! stat dura juventus, 330
Ereptamque fugam, et claudi videt aggere muros.
Sed dignam Ausonia mortem putat esse Sagunto,
Servata cecidisse fide. Jamque acrius omnes
Intendunt vires: adductis stridula nervis
Phocais effundit vastos ballista molares: 335
Atque eadem, ingentis mutato pondere teli,
Ferratam excutiens ornum media agmina rumpit.
Alternus resonat clangor: certamine tanto
Conseruere acies, veluti circumdata vallo
Roma foret: clamatque super: Tot millia, gentes
Inter tela satæ, jam capto stamus in hoste?
Anne pudet cœpti? pudet ominis? en bona virtus,
Primitiæque ducis! taline implere paramus
Italiam fama? tales præmittere pugnas? 344
Accensæ exsultant mentes, haustusque medullis
Hannibal exagitat, stimulantque sequentia bella
Invadunt manibus vallum, cæsasque relinquunt
Dejecti muris dextras: subit arduus agger,
Imponitque globos pugnantum desuper urbi.
Armavit clausos, ac portis arcuit hostem 350
Librari multa consueta phalarica dextra,
Horrendum visu robur, celsisque nivosæ
Pyrenes trabs lecta jugis, cui plurima cuspis;
Vix muris toleranda lues, sed cætera pingui
Uncta pice, atque atro circumlita sulfure fumat.
Fulminis hæc ritu, summis e mœnibus arcis 356
Incita, sulcatum tremula secat aera flamma.
Qualis sanguineo præstringit lumina crine
Ad terram cœlo decurrens ignea lampas.
Hæc ictu rapido pugnantum sæpe per auras, 360
Attonito ductore, tulit fumantia membra.
Hæc vastæ lateri turris ceu turbine fixa,
Dum penitus pluteis Vulcanum exercet adesis,
Arma virosque simul pressit flagrante ruina.
Tandem condensis actæ testudinis armis 365
Subducto Pœni vallo, cæcaque latebra,
Pandunt prolapsam suffossis mœnibus urbem.
Terribilem in sonitum procumbens aggere victo

Hercu eus labor, atque immania saxa resolvens,
Mugitum ingentem cœlo dedit. Alpibus altis 370
Aeriæ rupes, scopulorum mole revulsa,
Haud aliter scindunt resonanti fragmine montem.
Surgebat cumulo certatim prorutus agger,
Obstabatque jacens vallum, ne protinus instent
Hinc atque hinc acies media pugnare ruina. 375
Emicat ante omnes primævo flore juventæ
Insignis Rutulo Murrus de sanguine; at idem
Matre Saguntina Graius, geminoque parente
Dulichios Italis miscebat prole nepotes.
Hic magno socios Aradum clamore vocantem,
Qua corpus loricam inter galeamque patescit, 381
Conantis motus speculatus, cuspide sistit;
Prostratumque premens telo, voce insuper urget:
Fallax Pœne, jaces: certe Capitolia primus
Scandebas victor: quæ tanta licentia voti? 385
Nunc Stygio fer bella Jovi. Tum fervidus hastam
Adversi torquens defigit in inguine Iberi:
Oraque dum calcat jam singultantia leto,
Hac iter est, inquit, vobis ad mœnia Romæ,
O metuenda manus: sic, quo properatis, eundum.
Mox instaurantis pugnam circumsilit arma, 391
Et rapto nudum clypeo latus haurit Iberi.
Dives agri, dives pecoris, famæque negatus
Bella feris arcu jaculoque agitabat Iberus.
Felix heu nemorum, et vitæ laudandus opacæ,
Si sua per patrios tenuisset spicula saltus. 396
Hunc miseratus adest infesto vulnere Laudus.
Cui sævum arridens, Narrabis Hamilcaris umbris
Hanc, inquit, dextram, quæ jam post funera vulgi
Hannibalem vobis comitem dabit; et ferit alte
Insurgens gladio cristatæ cassidis æra, 401
Perque ipsum tegimen crepitantia dissipat ossa.
Tum frontem Chremetes intonsam umbrante capillo
Septus, et horrentes effingens crine galeros;
Tum Masulus, crudaque virens ad bella senecta
Carthalo, non pavidus fetas mulcere leænas, 406
Flumineaque urna cælatus Bagrada parmam,
Et vastæ Nasamon Syrtis populator Hiempsal,
Audax in fluctu laceras raptare carinas,
Una omnes dextraque cadunt iraque peremti. 410
Nec non serpentem diro exarmare veneno
Doctus Athyr, tactuque graves sopire chelydros,
Ac dubiam admoto sobolem explorare ceraste.
Tu quoque fatidicis Garamanticus accola lucis
Insignis flexo galeam per tempora cornu, 415
Heu frustra reditum sortes tibi sæpe locutas
Mentitumque Jovem increpitans, occumbis, Iarba.
Et jam corporibus cumulatus creverat agger,
Perfusæque atra fumabant cæde ruinæ.
Tum ductorem avido clamore in prœlia poscit.
Fulmineus ceu Spartanis latratibus actus, 421
Cum sylvam occursu venantum perdidit, hirto
Horrescit setis dorso, et postrema capessit
Prœlia, canentem mandens aper ore cruorem,
Jamque fremens geminat contra venabula dentem.
At parte ex alia, qua se insperata juventus 426
Extulerat portis, ceu spicula nulla manusque
Vim ferre exitiumve queant, permixtus utrisque
Hannibal agminibus passim furit, et quatit ensem,
Cantato nuper senior quem fecerat igni 430
Littore ab Hesperidum Temisus, qui carmine pollens
Fidebat magica ferrum crudescere lingua.
Quantus Bistoniis late Gradivus in oris
Belligero rapitur curru, telumque coruscans,
Titanum quo pulsa cohors, flagrantia bella 435
Cornipedum afflatu tonat, et stridoribus axis.
Jamque Oscum, Rutulumque Pholum, ingentemque Metiscum,
Jam Lygdum, Duriumque simul, flavumque Galæsum, [bris.
Et geminos, Chromin atque Gyan, demiserat umDaunum etiam, grata quo non spectatior alter 440
Voce movere fora, atque orando fingere mentes,
Nec legum custos sollertior, aspera telis
Dicta admiscentem: Quænam te, Pœne, paternæ
Huc adigunt furiæ? non hæc Sidonia tecta
Fœminea fabricata manu, pretiove parata, 445
Exsulibusve datum dimensis littus arenis.
Fundamenta deûm, Romanaque fœdera cernis.
Ast illum, toto jactantem talia campo,
Ingenti raptum nisu, medioque virorum
Avulsum inter tela globo, et post terga revinctum,
Hannibal ad pœnam lentæ mandaverat iræ; 451
Increpitansque suos inferri signa jubebat: [tum
Perque ipsos cædis cumulos, stragemque jacenMonstrabat furibundus iter, cunctosque ciebat
Nomine, et in prædas stantem dabat improbus urbem. 455
Sed postquam a trepidis allatum fervere partem
Diversam Marte infausto, Murroque secundos
Hunc superos tribuisse diem, ruit ocius amens
Lymphato cursu, atque ingentes deserit actus.
Letiferum nutant fulgentes vertice cristæ. 460
Crine ut flammifero terret fera regna cometes,
Sanguineum spargens ignem: vomit atra tuFax cœlo radios, ac sæva luce coruscum [bentes
Scintillat sidus, terrisque extrema minatur.
Præcipiti dant tela viam, dant signa, virique, 465
Atque ambæ trepidant acies: jacit igneus hastæ
Dirum lumen apex, ac late fulgurat umbo.
Talis ubi Ægæo surgente ad sidera ponto
Per longum vasto Cori cum murmure fluctus
Suspensum in terras portat mare, frigida nautis
Corda tremunt: sonat ille procul, flatuque tumescens 471
Curvatis pavidas transmittit Cycladas undis.
Non cuncta e muris unum incessentia tela,
Fumantesque ante ora faces, non saxa per artem
Tormentis excussa tenent. Ut tegmina primum
Fulgentis galeæ conspexit, et arma cruento 476
Inter solem auro rutilantia, turbidus infit:
En, qui res Libycas, inceptaque tanta retardet,
Romani Murrus belli mora: fœdera, faxo,
Jam noscas, quid vana queant, et vester Iberus.
Fer tecum castamque fidem servataque jura:
Deceptos mihi linque deos. Cui talia Murrus:
Exoptatus ades: mens olim prœlia poscit,
Speque tui flagrat capitis: fer debita fraudum
Præmia, et Italiam tellure inquire sub ima. 485
Longum in Dardanios fines iter, atque nivalem
Pyrenen, Alpesque tibi mea dextera donat.
Hæc inter cernens subeuntem cominus hostem,
Præruptumque loci fidum sibi, corripit ingens
Aggere convulso saxum, et nitentis in ora 490
Devolvit, pronoque silex ruit incitus ictu.
Subsedit duro concussus fragmine muri.
Tum pudor accendit mentem, nec conscia fallit
Virtus pressa loco; frendens luctatur, et ægro
Scandit in adversum per saxa vetantia nisu. 495
Sed postquam propior vicino lumine fulsit,
Et tota se mole tulit, velut incita clausum
Agmina Pœnorum cingant, et cuncta paventem
Castra premant, lato Murrus caligat in hoste.
Mille simul dextræ, densusque micare videtur
Ensis, et innumeræ nutare in casside cristæ. 501
Conclamant utrinque acies, ceu tota Saguntos

Igne micet : trahit instanti languentia leto [sit :
Membra pavens Murrus, supremaque vota capes-
Conditor Alcide, cujus vestigia sacra 505
Incolimus, terræ minitantem averte procellam,
Si tua non segni defenso mœnia dextra.
Dumque orat, cœloque attollit lumina supplex,
Cerne, ait, an nostris longe Tirynthius ausis
Justius affuerit : ni displicet æmula virtus, 510
Haud me dissimilem, Alcide, primoribus annis
Agnosces, invicte, tuis : fer numen amicum.
Et, Trojæ quondam primis memorate ruinis,
Dexter ades Phrygiæ delenti stirpis alumnos.
Sic Pœnus, pressumque ira simul exigit ensem,
Qua capuli statuere moræ, teloque relato 516
Horrida labentis perfunditur arma cruore.
Ilicet ingenti casu turbata juventus
Procurrit : nota arma viri, corpusque superbo
Victori spoliare negant : coit aucta vicissim 520
Hortando manus, et glomerata mole feruntur.
Hinc saxis galea, hinc clypeus sonat æreus hastis :
Incessunt sudibus, librataque pondera plumbi
Certatim jaciunt : decisæ vertice cristæ,
Direptumque decus nutantum in cæde jubarum.
Jamque agitur largus per membra fluentia sudor,
Et stant loricæ squamis horrentia tela :
Nec requies, tegimenve datur mutare sub ictu.
Genua labant, fessique humeri gestamina laxant.
Tum creber, penitusque trahens suspiria, sicco
Fumat ab ore vapor, nisuque elisus anhelo 531
Auditur gemitus, fractumque in casside murmur.
Mente adversa domat, gaudetque nitescere duris
Virtutem, et decoris pretio discrimina pensat.
Hic subitus scisso densa inter nubila cœlo 535
Erupit quatiens terram fragor ; et super ipsas
Bis pater intonuit geminato fulmine pugnas.
Inde inter nubes ventorum turbine cæco
Ultrix injusti vibravit lancea belli,
Ac femine adverso librata cuspide sedit. 540
Tarpeiæ rupes, superisque habitabile saxum,
Et vos, virginea lucentes semper in ara,
Laomedonteæ Trojana altaria flammæ,
Heu quantum vobis fallacis imagine teli
Promisere dei ! propius si pressa furenti 545
Hasta foret, clausæ starent mortalibus Alpes ;
Nec, Trasimene, tuis nunc Allia cederet undis.
Sed Juno, adspectans Pyrenes vertice celsæ
Nava rudimenta, et primos in Marte calores,
Ut videt impressum conjecta cuspide vulnus, 550
Advolat, obscura circumdata nube, per auras,
Et validam duris evellit ab ossibus hastam.
Ille tegit clypeo fusum per membra cruorem,
Tardaque paulatim et dubio vestigia nisu
Alternata trahens, aversus ab aggere cedit. 555
Nox tandem optatis terras pontumque tenebris
Condidit, et pugnas erepta luce diremit.
At duræ invigilant mentes, molemque reponunt,
Noctis opus : clausos acuunt extrema pericli,
Et fractis rebus violentior ultima virtus. 560
Hinc pueri, invalidique senes, hinc fœmina ferre
Certat opem in dubiis miserando nava labori,
Saxaque mananti subvectat vulnere miles.
Jam Patribus, clarisque senum sua munia curæ.
Concurrunt, lectosque viros hortantur, et orant,
Defessis subeant rebus, revocentque salutem,
Et Latia extremis implorent casibus arma.
Ite citi, remis velisque impellite puppim,
Saucia dum castris clausa est fera : tempore Martis
Utendum est rapto, et grassandum ad clara periclis. 570
Ite citi, deflete fidem, murosque ruentes,
Antiquaque domo meliora arcessite fata.
Mandati summa est : dum stat, remeate, Saguntos.
Ast illi celerant, qua proxima littora, gressum,
Et fugiunt tumido per spumea cærula velo. 575
Pellebat somnos Tithoni roscida conjux,
Ac rutilus primis sonipes hinnitibus altos
Afflarat montes, roseasque movebat habenas.
Jam celsa e muris exstructa mole juventus
Clausam nocturnis ostentat turribus urbem. 580
Rerum omnes pendent actus, et milite mæsto
Laxata obsidio, ac pugnandi substitit ardor,
Inque ducem versæ tanto discrimine curæ.
Interea Rutulis longinqua per æquora vectis
Herculei ponto cœpere exsistere colles, 585
Et nebulosa jugis attollere saxa Monœci.
Thracius hos Boreas scopulos immitia regna
Solus habet, semperque rigens nunc littora pulsat,
Nunc ipsas alis plangit stridentibus Alpes :
Atque ubi se terris glaciali fundit ab Arcto, 590
Haud ulli contra fiducia surgere vento. [lant
Vorticibus torquet rapidis mare, fractaque anhe-
Æquora, et injecto conduntur gurgite montes :
Jamque volans Rhenum Rhodanumque in nubila tollit.
Hunc postquam Boreæ dirum evasere furorem, 595
Alternos mæsti casus bellique marisque,
Et dubium rerum eventum sermone volutant.
O patria, o Fidei domus inclyta, quo tua nunc sunt
Fata loco ? sacræne manent in collibus arces ?
An cinis, heu superi ! tanto de nomine restat ? 600
Ferte leves auras, flatusque ciete secundos,
Si nondum insultat templorum Punicus ignis
Culminibus, Latiæque valent succurrere classes.
Talibus illacrymant noctemque diemque querelis
Donec Laurentes puppis defertur ad oras ; 605
Qua pater, acceptis Anienis ditior undis,
In pontum flavo descendit gurgite Tibris.
Hinc consanguineæ subeunt jam mœnia Romæ.
Concilium vocat augustum, castaque beatos
Paupertate Patres, ac nomina parta triumphis
Consul, et æquantem superos virtute senatum.
Facta animosa viros, et recti sacra cupido
Attollunt, hirtæque comæ, neglectaque mensa,
Dexteraque a curvis capulo non segnis aratris :
Exiguo faciles, et opum non indiga corda, 615
Ad parvos curru remeabant sæpe penates.
In foribus sacris, primoque in limine templi
Captivi currus, belli decus, armaque rapta
Pugnantum ducibus, sævæque in Marte secures
Perfossi clypei, et servantia tela cruorem, 620
Claustraque portarum pendent : hic, Punica bella,
Ægates cernas, fusaque per æquora classe
Exactam ponto Libyen testantia rostra :
Hic galeæ Senonum, pensatique improbus auri
Arbiter ensis inest, Gallisque ex arce fugatis 625
Arma revertentis pompa gestata Camilli :
Hic spolia Æacidæ, hic Epirotica signa,
Et Ligurum horrentes coni, parmæque relatæ
Hispana de gente rudes, Alpinaque gæsa.
Sed postquam clades patefecit et horrida bella
Orantum squalor, præsens adstare Sagunti 631
Ante oculos visa est extrema precantis imago.
Tum senior mæsto Sicoris sic incipit ore :
Sacrata gens clara fide, quam rite fatentur
Marte satam populi ferro parere subacti, 635
Ne crede emensos levia ob discrimina pontum.
Vidimus obsessam patriam, murosque trementes ;
Et, quem insana freta aut certus genuere ferarum,

Vidimus Hannibalem. Procul his a mœnibus,
Arcete, o superi, nostroque in Marte tenete [oro,
Fatiferæ juvenem dextræ. Qua mole sonantes
Exigit ille trabes! et quantus crescit in armis
Trans juga Pyrenes, medium indignatus Iberum,
Excivit Calpen, et mersos Syrtis arenis
Molitur populos, majoraque mœnia quærit. 645
Spumeus hic, medio qui surgit ab æquore, fluctus,
Si prohibere piget, vestras effringet in urbes.
An tanti pretium motus, ruptique per enses
Fœderis, hoc juveni, jurata in bella ruenti,
Creditis, ut statuat superatæ jura Sagunto? 650
Ocius ite, viri, et nascentem exstinguite flammam,
Ne seræ redeunt post aucta pericula curæ.
Quanquam o, si nullus terror, non obruta jam nunc
Semina fumarent belli; vestræne Sagunto
Spernendum consanguineam protendere dextram?
Omnis Iber, omnis rapidis fera Gallia turmis, 656
Omnis ab æstifero sitiens Libys imminet axe.
Per vos culta diu Rutulæ primordia gentis,
Laurentemque larem, et genitricis pignora Trojæ,
Conservate pios, qui permutare coacti 660
Acrisioneis Tirynthia culmina muris.
Vos etiam Zanclen Siculi contra arma tyranni
Juvisse egregium; vos et Campana tueri
Mœnia, depulso Samnitum robore, dignum
Sigeis duxistis avis. Vetus incola Dauni, 665
Testor vos, fontes, et stagna arcana Numici,
Cum felix nimium dimitteret Ardea pubem,
Sacra domumque ferens, et avi penetralia Turni,
Ultra Pyrenen Laurentia nomina duxi.
Cur ut decisa atque avulsa a corpore membra 670
Despiciar, vesterque luam cur fœdera sanguis?
Tandem ut finitæ voces, (miserabile visu,)
Submissi palmas, lacerato tegmine vestis,
Affigunt proni squalentia corpora terræ.
Inde agitant consulta Patres, curasque fatigant.
Lentulus, ut cernens accensæ tecta Sagunti, 676
Poscendum pœnæ juvenem, celerique negantis
Exuri bello Carthaginis arva jubebat.
At Fabius, cauta speculator mente futuri,
Nec lætus dubiis, parcusque lacessare Martem,
Et melior clauso bellum producere ferro, 681
Prima super tantis rebus pensanda; ducisne
Ceperit arma furor, Patres an signa moveri
Censuerint: mittique viros, qui exacta reportent.
Providus hæc, ritu vatis, fundebat ab alto 685
Pectore præmeditans Fabius surgentia bella.
Ut sæpe e celsa grandævus puppe magister
Prospiciens signis venturum in carbasa Corum,
Summo jamdudum substringit lintea malo.
Sed lacrymæ atque ira mixtus dolor impulit omnes
Præcipitare latens fatum: lectique senatu, 691
Qui ductorem adeant; si perstet surdus in armis
Pactorum, vertant inde ad Carthaginis arces,
Nec divûm oblitis indicere bella morentur.

LIBER SECUNDUS.

Cæruleis provecta vadis jam Dardana puppis
Tristia magnanimi portabat jussa senatus,
Primoresque Patrum. Fabius, Tirynthia proles,
Ter centum memorabat avos, quos turbine Martis
Abstulit una dies, cum fors non æqua labori 5
Patricio Cremeræ maculavit sanguine ripas.
Huic comes æquato sociavit munere curas
Poplicola, ingentis Volesi Spartana propago.
Is, cultam referens insigni nomine plebem,
Ausonios atavo ducebat consule fastos. 10
Hos ut depositis portum contingere velis
Allatum Hannibali, consultaque ferre senatus,
Jam medio seram bello poscentia pacem,
Ductorisque simul conceptas fœdere pœnas;
Ocius armatas passim per littora turmas 15
Ostentare jubet minitantia signa, recensque
Perfusos clypeos, et tela rubentia cæde. [clamat,
Haud dictis nunc esse locum; strepere omnia,
Tyrrhenæ clangore tubæ, gemituque cadentum.
Dum detur, relegant pontum, neu se addere clausis 20
Festinent: notum, quid cæde calentibus armis,
Quantum iræ liceat, motusve quid audeat ensis.
Sic ducis affatu per inhospita littora pulsi,
Converso Tyrios petierunt remige Patres.
Hic alto Pœnus fundentem vela carinam 25
Incessens dextra, Nostrum, pro Jupiter! inquit,
Nostrum ferre caput parat illa per æquora puppis.
Heu cæcæ mentes, tumefactaque corda secundis!
Armatum Hannibalem pœnæ petit impia tellus.
Ne deposce, adero dabitur tibi copia nostri 30
Ante exspectatum; portisque focisque timebis,
Quæ nunc externos defendis, Roma, Penates.
Tarpeios iterum scopulos præruptaque saxa
Scandatis licet, et celsam migretis in arcem,
Nullo jam capti vitam pensabitis auro. 35
Incensi dictis animi, et furor additus armis.
Conditur extemplo telorum nubibus æther,
Et densa resonant saxorum grandine turres.
Ardor agit, provecta queat dum cernere muros,
Inque oculis profugæ Martem exercere carinæ
Ipse autem incensas promissa piacula turmas 41
Flagitat, insignis nudato vulnere, ductor,
Ac repetens questus furibundo personat ore:
Poscimur, o socii: Fabiusque e puppe catenas
Ostentat, dominique vocat nos ira senatus. 45
Si tædet cœpti, culpandave movimus arma,
Ausoniam ponto propere revocate carinam;
Nil moror: evincta lacerandum tradite dextra.
Nam cur, Eoi deductus origine Beli,
Tot Libyæ populis, tot circumfusus Iberis, 50
Servitium perferre negem? Rhœteius immo
Imperet æternum, et populis sæclisque propaget
Regna ferox: nos jussa virûm nutusque tremamus.
Effundunt gemitus, atque omina tristia vertunt
In stirpem Æneadûm, ac stimulant clamoribus iras. 55
Discinctos inter Libyas populosque bilingues
Marmaricis audax in bella Œnotria signis
Venerat Asbyte, proles Garamantis larbæ.
Hammone hic genitus, Phorcynidos antra Medusæ,

Cinyphiumque Macen, et iniquo e sole calentes
Battiadas late imperio sceptrisque regebat: 61
Cui patrius Nasamon, æternumque arida Barce,
Cui nemora Autololum, atque infidæ littora Syrtis
Parebant, nullaque levis Gætulus habena.
Atque is fundarat thalamos Tritonide nympha,
Unde genus, proavumque Jovem regina ferebat,
Et sua fatidico repetebat nomina luco.
Hæc ignara viri, vacuoque adsueta cubili,
Venatu et sylvis primos impenderat annos:
Non calathis mollita manus, operatave fuso, 70
Dictynnam, et saltus, et anhelum impellere planta
Cornipedem, ac stravisse feras immitis amabat.
Quales Threiciæ Rhodopen Pangæaque lustrant
Saxosis nemora alta jugis, cursuque fatigant
Hebrum innupta manus: spreti Ciconesque, Getæque, 75
Et Rhesi domus, et lunatis Bistones armis.
Ergo habitu insignis patrio, religata fluentem
Hesperidum nodo crinem, dextrumque feroci
Nuda latus Marti, ac fulgentem tegmine lævam
Thermodontiaca munita in prœlia pelta, 80
Fumantem rapidis quatiebat cursibus axem.
Pars comitum bijugo curru, pars cætera dorso
Fertur equi: nec non Veneris jam fœdera passæ
Reginam cingunt: sed virgine densior ala est.
Ipsa autem gregibus per longa mapalia lectos
Ante aciem ostentabat equos: tumuloque propinquum 86
Dum sequitur gyris campum, vibrata per auras
Spicula contorquens summa ponebat in arce.
Hanc, hasta toties intrantem mœnia, Mopsus
Non tulit, et celsis senior Gortynia muris 90
Tela sonante fugat nervo, liquidasque per auras
Dirigit aligero letalia vulnera ferro.
Cres erat, ærisonis Curetum advectus ab antris,
Dictæos agitare puer levioribus annis
Pennata saltus adsuetus arundine, Mopsus. 95
Ille vagam cœlo divisit sæpe volucrem;
Ille procul campo linquentem retia cervum
Vulnere sistebat: rueretque inopina sub ictu
Ante fera incauto, quam sibila poneret arcus.
Nec se tum pharetra jactavit justius ulla, 100
Eois quanquam certet Gortyna sagittis.
Verum ut, opum levior, venatu extendere vitam
Abnuit, atque arctæ res exegere per æquor,
Conjuge cum Meroe natisque inglorius hospes
Intrarat miseram fato ducente Saguntum. 105
Coryti fratrum ex humeris, calamique paterni
Pendebant, volucerque chalybs, Minoia tela.
Hic medius juvenum, Massylæ gentis in agmen
Crebra Cydoneo fundebat spicula cornu.
Jam Garamum, audacemque Thyrum, pariterque ruentes [gittæ
Gisgonem, lævemque Bagam, indignumque sa-
Impubem malas tam certæ occurrere Lyxum
Fuderat, et plena tractabat bella pharetra.
Tum, vultum intendens telumque in virginis ora,
Desertum non grata Jovem per vota vocabat. 115
Namque ut fatiferos converti prospicit arcus,
Opposito procul insidiis Nasamonias Harpe
Corpore, præripuit letum, calamumque volantem,
Dum clamat, patulo excipiens transmisit hiatu:
Et primæ ferrum a tergo videre sorores. 120
At comitis frendens casu labentia virgo
Membra levat, parvaque oculos jam luce natantes
Irrorat lacrymis, totisque annisa doloris
Viribus intorquet letalem in mœnia cornum.
Illa volans humerum rapido transverberat ictu
Conantis Dorylæ, junctis jam cornibus arcus 126
Et ducti spatium nervi complente sagitta,
Excutere in ventos resoluto pollice ferrum.
Tum subitum in vulnus præceps devolvitur altis
Aggeribus muri, juxtaque cadentia membra 130
Effusi versa calami fluxere pharetra.
Exclamat paribus frater vicinus in armis
Icarus, ulciscique parat lacrymabile fatum:
Atque illum, raptim promentem in prœlia telum,
Hannibal excussi prævertit turbine saxi. 135
Labuntur gelido torpentia frigore membra,
Deficiensque manus pharetræ sua tela remisit.
At pater in gemino natorum funere Mopsus
Correptos arcus ter mæsta movit ab ira;
Ter cecidit dextra, et notas dolor abstulit artes.
Pœnitet heu sero dulces liquisse penates, 141
Arreptoque avide, quo concidis, Icare, saxo, [tra
Postquam ævum senior percussaque pectora frus-
Sentit, et, ut tantos compescat morte dolores,
Nil opis in dextra, vastæ se culmine turris 145
Præcipitem jacit, et delapsus pondere prono
Membra super nati moribundos explicat artus.
Dum cadit externo Gortynius advena bello,
Jam nova molitus stimulato milite Theron,
Alcidæ templi custos, araeque sacerdos, 150
Non exspectatum Tyriis effuderat agmen,
Et fera miscebat reserata prœlia porta.
Atque illi non hasta manu, non vertice cassis,
Sed, fisus latis humeris et mole juventæ,
Agmina vastabat clava, nihil indigus ensis. 155
Exuviæ capiti impositæ, tegimenque leonis,
Terribilem attollunt excelso vertice rictum.
Centum angues idem Lernæaque monstra gerebat
In clypeo, et sectis geminam serpentibus hydram.
Ille Jubam, Thapsumque patrem, clarumque Micipsam 160
Nomine avi, Maurumque Sacen, a mœnibus actos
Palantesque fuga, præceps ad littora cursu
Egerat, atque una fumabant æquora dextra.
Nec contentus Idi leto, letoque Cothonis,
Marmaridæ nec cæde Rothi, nec cæde Jugurthæ,
Asbytes currum et radiantis tegmina lænæ 166
Poscebat votis, gemmataque lumina peltæ,
Atque in belligera versabat virgine mentem.
Quem ruere ut telo vidit regina cruento,
Obliquos detorquet equos, lævumque per orbem
Fallaci gyro campum secat, ac velut ales 171
Averso rapitur sinuata per æquora curru.
Dumque ea se ex oculis aufert, atque ocior Euro
Incita pulveream campo trahit ungula nubem,
Adversum late stridens rota proterit agmen, 175
Ingerit et crebras virgo trepidantibus hastas.
Hic cecidere Lycus, Thamyrisque, et nobile no-
Eurydamas, clari deductum stirpe parentis, [men
Qui thalamos ausus quondam sperare superbos
Heu demens, Ithacique torum: sed enim arte
Fallacis toties revoluto stamine telæ [pudica
Deceptus, mersum pelago jactarat Ulixen.
Ast Ithacus vero ficta pro morte loquacem
Affecit leto, tædæque ad funera versæ.
Gens extrema viri campis deletur Iberis 185
Eurydamas Nomados dextra: superinstrepit ater,
Et servat cursum perfractis ossibus axis. [quam
Jamque aderat remeans virgo, inter prœlia post-
Destringi Therona videt, sævamque bipennem
Perlibrans mediæ fronti spolium inde superbum
Herculeasque tibi exuvias, Dictynna, vovebat. 191
Nec segnis Theron tantæ spe laudis, in ipsos
Adversus consurgit equos, villosaque fulvi
Ingerit objectans trepidantibus ora leonis.
Attoniti terrore novo rictuque minaci 19

Quadrupedes, jactant resupino pondere currum.
Tum saltu Asbyten conantem linquere pugnas
Occupat, incussa gemina inter tempora clava,
Ferventesque rotas, turbataque frena pavore
Disjecto spargit collisa per ossa cerebro, 200
Ac rapta, properans cædem ostentare, bipenni
Amputat e curru revolutæ virginis ora.
Necdum iræ positæ : celsa nam figitur hasta
Spectandum caput ; id gestent ante agmina Pœnûm
Imperat, et propere currus ad mœnia vertant. 205
Hæc cæcus fati, divûmque abeunte favore,
Vicino Theron edebat prœlia leto.
Namque aderat toto ore ferens iramque minasque
Hannibal, et cæsam Asbyten, fixique tropæum
Infandum capitis furiata mente dolebat. 210
Ac simul ærati radiavit luminis umbo,
Et concussa procul membris velocibus arma
Letiferum intonuere, fugam perculsa repente
Ad muros trepido convertunt agmina cursu.
Sicut agit levibus per sera crepuscula pennis 215
E pastu volucres ad nota cubilia vesper :
Aut, ubi Cecropius formidine nubis aquosæ
Sparsa super flores examina tollit Hymettos,
Ad dulces ceras et odori corticis antra
Mellis apes gravidæ properant, densoque volatu
Raucum connexæ glomerant ad limina murmur.
Præcipitat metus attonitos, cæcique feruntur.
Heu blandum cœli lumen ! tantone cavetur
Mors reditura metu, nascentique addita fata ?
Consilium damnant, portaque atque aggere tuto
Erupisse gemunt : retinet vix agmina Theron, 226
Interdumque manu, interdum clamore minisque,
State, viri: meus ille hostis : mihi gloria magnæ,
State, venit pugnæ : muro tectisque Sagunti
Hac abigam Pœnos dextra : spectacula tantum 230
Ferte, viri : vel, si cunctos metus acer in urbem
(Heu deforme) rapit, soli mihi claudite portas.
At Pœnus rapido præceps ad mœnia cursu,
Dum pavitant trepidi rerum, fessique salutis,
Tendebat : stat primam urbem, murosque patentes 235
Postposita cæde et dilata invadere pugna.
Id postquam Herculeæ custos videt impiger aræ,
Emicat, et velox formidine prævenit hostem.
Gliscit Elissæo violentior ira tyranno.
Tu solve interea nobis, bone janitor urbis, 240
Supplicium, ut pandas, inquit, tua mœnia leto.
Nec plura effari sinit ira, rotatque coruscum
Mucronem : sed contortum prior impete vasto
Daunius huic robur juvenis jacit : arma fragore
Icta gravi raucum gemuere, alteque resultant
Ære illisa cavo nodosæ pondera clavæ. 246
At viduus teli, et frustrato proditus ictu,
Pernici velox cursu rapit incita membra,
Et celeri fugiens perlustrat mœnia planta.
Instat atrox terga increpitans fugientia victor.
Conclamant matres, celsoque e culmine muri 251
Lamentis vox mixta sonat : nunc nomine noto
Appellant, seras fesso nunc pandere portas
Posse volunt : quatit hortantum præcordia terror,
Ne simul accipiant ingentem mœnibus hostem.
Incutit umbonem fesso, adsultatque ruenti 256
Pœnus, et ostentans spectantem e mœnibus urbem,
I, miseram Asbyten leto solare propinquo.
Hæc dicens, jugulo optantis dimittere vitam
Infestum condit mucronem, ac regia lætus 260
Quadrupedes spolia abreptos a mœnibus ipsis,
Quîs aditum portæ trepidantum sepserat agmen,
Victor egit, curruque volat per ovantia castra.
At Nomadum furibunda cohors miserabile humandi
Deproperat munus, tumulique adjungit honorem,
Et rapto cineres ter circum corpore lustrat. 266
Hinc letale viri robur, tegimenque tremendum
In flammas jaciunt ambustoque ore genisque,
Deforme alitibus liquere cadaver Iberis.
Pœnorum interea quîs rerum summa potestas
Consultant bello super, et quæ dicta ferantur
Ausoniæ a populis, oratorumque minaci [que,
Adventu trepidant. Movet hinc fœdusque, fides-
Et testes superi, jurataque pacta parentum ;
Hinc popularis amor cœptantis magna juventæ :
Et sperare juvat belli meliora. Sed olim 276
Ductorem infestans odiis gentilibus Hannon
Sic adeo increpitat studia incautumqe favorem :
Cuncta quidem, Patres, (neque enim cohibere minantum
Iræ se valuere,) premunt formidine vocem. 280
Haud tamen abstiterim, mortem licet arma propinquent.
Testabor superos, et cœlo nota relinquam,
Quæ postrema salus rerum patriæque reposcit.
Nec nunc obsessa demum et fumante Sagunto
Hæc serus vates Hannon canit : anxia rupi 285
Pectora ; ne castris innutriretur et armis
Exitiale caput, monui, et, dum vita, monebo,
Ingenitum noscens virus, flatusque paternos.
Ut, qui stelligero speculatur sidera cœlo,
Venturam pelagi rabiem, Corique futura 290
Prædicit miseris haud vanus flamina nautis.
Consedit solio, rerumque invasit habenas.
Ergo armis fœdus, fasque omne abrumpitur armis:
Oppida quassantur, longeque in mœnia nostra
Æneadûm arrectæ mentes, disjectaque pax est.
Exagitant manes juvenem, furiæque paternæ, 296
Ac funesta sacra, et conversi fœdere rupto
In caput infidum superi, Massylaque vates.
Haud nunc ille novi cæcus caligine regni
Externas arces quatit, haud Tirynthia tecta, 300
(Sic propria luat hæc pœna, nec misceat urbis
Fata suis,) nunc hoc, inquam, hoc in tempore muros
Oppugnat, Carthago, tuos, teque obsidet armis.
Lavimus Ennæas animoso sanguine valles,
Et vix conducto produximus arma Lacone. 305
Nos ratibus laceris Scyllæa replevimus antra,
Classibus et refluo spectavimus æquore raptis
Contorta e fundo revomentem transtra Charybdin.
Respice (pro demens ! pro pectus innne deorum !)
Ægates, Libyæque procul fluitantia membra. 310
Quo ruis ? et patriæ exitio tibi nomina quæris ?
Scilicet immensæ, visis juvenilibus armis,
Subsident Alpes ? subsidet mole nivali
Alpibus æquatum tollens caput Apenninus ?
Sed campos fac, vane, dari ; num gentibus istis
Mortales animi ? aut ferro flammave fatiscunt ?
Haud tibi Neritia cernes cum prole laborem.
Pubescit castris miles, galeaque teruntur
Nondum signatæ flava lanugine malæ.
Nec requies ævi nota, exsanguesque merendo 320
Stant prima inter signa senes, letumque lacessunt.
Ipse ego Romanas, perfosso corpore, turmas
Tela retorquentes correpta e vulnere vidi : [rem.
Vidi animos, mortesque virûm, decorisque furo-
Si bello absistis, nec te victoribus offers, 325
Quantum heu, Carthago, donat tibi sanguinis Hannon ! [coquebat
Gestar ad hæc : namque impatiens asperque
Jamdudum immites iras, mediamque loquentis

Bis conatus erat turbando abrumpere vocem:
Concilione, inquit, Libyæ Tyrioque senatu 330
(Pro superi) Ausonius miles sedet? armaque tantum [hostis.
Haud dum sumta viro? nam cætera non latet
Nunc geminas Alpes, Apenninumque minatur:
Nunc freta Sicaniæ, et Scyllæi littoris undas:
Nec procul est, quin jam manes umbrasque pavescat 335
Dardanias; tanta accumulat præconia leto
Vulneribusque virûm, ac tollit sub sidera gentem.
Mortalem, mihi crede, licet formidine turpi
Frigida corda tremant, mortalem sumimus hostem.
Vidi ego, cum, geminas arctis post terga catenis
Evinctus palmas, vulgo traheretur ovante 341
Carceris in tenebras spes et fiducia gentis
Regulus Hectoreæ: vidi, cum robore pendens
Hesperiam cruce sublimis spectaret ab alta.
Nec vero terrent puerilia protinus ora 345
Sub galea, et pressæ properata casside malæ.
Indole non adeo segni sumus: adspice, turmæ
Quot Libycæ certant annos anteire labore,
Et nudis bellantur equis: ipse, adspice, ductor,
Cum primam tenero vocem proferret ab ore, 350
Jam bella, et lituos, ac flammis urere gentem
Jurabat Phrygiam, atque animo patria arma movebat.
Proinde polo crescant Alpes, astrisque coruscos
Apenninus agat scopulos: per saxa nivesque,
(Dicam etenim, ut stimulent atram vel inania mentem,) [tritas
Per cœlum est qui pandat iter: pudet Hercule
Desperare vias, laudemque timere secundam.
Sed Libyæ clades et primi incendia belli
Aggerat, atque iterum pro libertate labores
Hannon ferre vetat. Ponat formidinis æstus, 360
Parietibusque domus imbellis fœmina servet
Singultantem animam: nos, nos contra ibimus hostem,
Quîs procul a Tyria dominos depellere Byrsa,
Vel Jove non æquo, fixum est. Sin fata repugnant,
Et jam damnata cessit Carthagine Mavors,
Occumbam potius, nec te, patria inclyta, dedam
Æternum famulam, liberque Acheronta videbo.
Nam quæ (pro superi) Fabius jubet? Ocius arma
Exuite, et capta descendite ab arce Sagunti.
Tum delecta manus scutorum incendat acervos,
Uranturque rates, ac toto absistite ponto. 371
Di, procul, o, (merita est nunquam si talia plecti
Carthago,) prohibite nefas, nostrique solutas
Ductoris servate manus. Ut deinde resedit,
Factaque censendi Patribus de more potestas;
Hic Hannon reddi propere certamine rapta 376
Instat, et auctorem violati fœderis addi. [tis,
Tum vero attoniti, ceu templo irrumperet hos-
Exsiluere Patres, Latioque id verteret omen,
Oravere deum. At postquam discordia sensit 380
Pectora, et infidas ad Martem vergere mentes;
Non ultra patiens Fabius rexisse dolorem,
Concilium exposcit propere, Patribusque vocatis
Bellum se gestare sinu pacemque profatus,
Quid sedeat legere, ambiguis neu fallere dictis,
Imperat; ac, sævo neutrum renuente senatu, 386
Ceu clausas acies gremioque effunderet arma,
Accipite infaustum Libyæ, eventuque priori
Par, inquit, bellum, et laxos effundit amictus.
Tum patrias repetit pugnandi nuntius arces. 390
Atque ea dum profugæ regnis agitantur Elissæ,
Accitis velox populis, quîs ægra lababat
Ambiguo sub Marte fides, prædaque gravatus
Ad muros Pœnus revocaverat arma Sagunti.
Ecce autem clypeum, sævo fulgore micantem, 395
Oceani gentes ductori dona ferebant,
Callaicæ telluris opus, galeamque coruscis
Subnixam cristis, vibrant cui vertice coni
Albentes niveæ tremulo nutamine pennæ;
Ensem una, ac multis fatalem millibus hastam.
Præterea textam nodis auroque trilicem 401
Loricam, nulli tegimen penetrabile telo.
Hæc, ære et duri chalybis perfecta metallo,
Atque opibus perfusa Tagi, per singula lætis
Lustrat ovans oculis, et gaudet origine regni. 405
Condebat primæ Dido Carthaginis arces,
Instabatque operi subducta classe juventus.
Molibus hi claudunt portus: his tecta domusque
Partiris, justæ Bitia venerande senectæ.
Ostentant caput effossa tellure repertum 410
Bellatoris equi, atque omen clamore salutant.
Has inter species orbatum classe suisque
Ænean, pulsum pelago, dextraque precantem
Cernere erat. Fronte hunc avide regina serena
Infelix, ac jam vultu spectabat amico. 415
Hinc et speluncam, furtivaque fœdera amantum
Callaicæ fecere manus: it clamor ad auras
Latratusque canum, subitoque exterrita nimbo
Occultant alæ venantum corpora sylvis.
Nec procul Æneadûm vacuo jam littore classis
Æquora nequicquam revocante tenebat Elissa.
Ipsa pyram super ingentem stans saucia Dido
Mandabat Tyriis ultricia bella futuris:
Ardentemque rogum media spectabat ab unda
Dardanus, et magnis pandebat carbasa fatis. 425
Parte alia supplex infernis Hannibal aris
Arcanum Stygia libat cum vate cruorem,
Et primo bella Æneadûm jurabat ab ævo.
At senior Siculis exsultat Hamilcar in arvis:
Spirantem credas certamina anhela movere. 430
Ardor inest oculis, torvumque minatur imago.
Nec non et lævum clypei latus aspera signis
Implebat Spartana cohors: hanc ducit ovantem
Ledæis veniens victor Xanthippus Amyclis.
Juxta triste decus pendet sub imagine pœnæ 435
Regulus, et fidei dat magna exempla Sagunto.
Lætior at circa facies, agitata ferarum
Agmina venatu, et cælata mapalia fulgent.
Nec procul usta cutem nigri soror horrida Mauri
Adsuetas patrio mulcet sermone leænas. 440
It liber campi pastor, cui fine sine ullo
Invetitum saltus penetrat pecus: omnia Pœnum
Armenti vigilem patrio de more sequuntur,
Gæsaque, latratorque Cydon, tectumque, focique
In silicis venis, et fistula nota juvencis. 445
Eminet excelso consurgens colle Saguntos·
Quam circum immensi populi, condensaque cingunt [tis.
Agmina certantum, pulsantque trementibus has-
Extrema clypei stagnabat Iberus in ora,
Curvatis claudens ingentem flexibus orbem. 450
Hannibal, abrupto transgressus fœdere ripas,
Pœnorum populos Romana in bella vocabat.
Tali sublimis dono, novo tegmina latis
Aptat concutiens humeris, celsusque profatur:
Heu quantum Ausonio sudabitis, arma, cruore!
Quas, belli judex, pœnas mihi, Curia, pendes! 456
Jamque senescebat vallatus mœnibus hostis,
Carpebatque dies urbem, dum signa manusque
Exspectant fessi socias: tandem æquore vano
Avertunt oculos, frustrataque littora ponunt. 460
Et propius suprema vident. Sedet acta medullis

Jamdudum, atque inopes penitus coquit intima
Est furtim lento misere durantia tabo [pestis.
Viscera, et exurit siccatas sanguine venas
Per longum celata fames: jam lumina retro 465
Exesis fugere genis: jam lurida, sola
Tecta cute, et venis male juncta trementibus, ossa
Exstant consumtis visu deformia membris.
Humentis rores noctis terramque madentem
Solamen fecere mali, cassoque labore 470
E sicco frustra presserunt robore succos.
Nil temerare piget: rabidi jejunia ventris
Insolitis adigunt vesci, resolutaque, nudos
Linquentes clypeos, armorum tegmina mandunt.
Desuper hæc cœlo spectans Tirynthius alto 475
Illacrymat fractæ nequicquam casibus urbis.
Namque metus, magnique tenent præcepta pa-
Ne sævæ tendat contra decreta novercæ. [rentis,
Sic igitur, cœpta occultans, ad limina sanctæ
Contendit Fidei, secretaque pectora tentat. 480
Arcanis dea læta polo tum forte remoto
Cœlicolûm magnas volvebat conscia curas.
Quam tali alloquitur Nemeæ pacator honore:
Ante Jovem generata, decus divûmque homi-
numque,
Qua sine non tellus pacem, non æquora norunt,
Justitiæ consors, tacitumque in pectore numen;
Exitiumne tuæ dirum spectare Sagunti,
Et tot pendentem pro te, dea, cernere pœnas
Urbem lenta potes? moritur tibi vulgus, et unam
Te matres, vincente fame, te mæsta virorum 490
Ora vocant, primaque sonant te voce minores.
Fer cœlo auxilium, et fessis da surgere rebus.
Hæc satus Alcmena: contra cui talia virgo:
Cerno equidem, nec pro nihilo est mihi fœdera
rumpi;
Statque dies, ausis olim tam tristibus ultor. 495
Sed me pollutas properantem linquere terras
Sedibus his, tectisque novis succedere adegit
Fecundum in fraudes hominum genus: impia
liqui,
Et, quantum terrent, tantum metuentia regna,
Ac furias auri, nec vilia præmia fraudum, 500
Et super hæc ritu horrificos ac more ferarum
Viventes rapto populos, luxuque solutum [rem.
Omne decus, multaque oppressum nocte pudo-
Vis colitur, jurisque locum sibi vindicat ensis;
Et probris cessit virtus. En adspice gentes: 505
Nemo insons: pacem servant commercia culpæ.
Sed si cura, tua fundata ut mœnia dextra
Dignum te servent memorando fine vigorem,
Dedita nec fessi transmittant corpora Pœno;
Quod solum nunc fata sinunt seriesque futuri,
Extendam leti decus, atque in sæcula mittam, 511
Ipsaque laudatas ad manes prosequar umbras.
Inde severa levi decurrens æthere virgo
Luctantem fatis petit inflammata Saguntum;
Invadit mentes, et pectora nota pererrat, 515
Immittitque animis numen: tum fusa medullis
Implicat, atque sui flagrantem inspirat amorem.
Arma volunt, tentantque ægros ad prœlia nisus.
Insperatus adest vigor, interiusque recursat
Dulcis honos divæ, et sacrum pro virgine letum.
It tacitus fessis per ovantia pectora sensus, 521
Vel leto graviora pati, sævasque ferarum
Attentare dapes, et mensis addere crimen.
Sed prohibet culpa pollutam extendere lucem
Casta Fides, paribusque famem compescere
membris. 525
Quam simul invisæ gentis prospexit in arce,
Forte ferens sese Libycis Saturnia castris,
Virgineum increpitat miscentem bella furorem,
Atque, ira turbata gradum, ciet ocius atram
Tisiphonen, imos agitantem verbere manes; 530
Et palmas tendens, Hos, inquit, Noctis alumna,
Hos muros impelle manu, populumque ferocem
Dextris sterne suis; Juno jubet: ipsa propinqua
Effectus studiumque tuum de nube videbo.
Illa deos summumque Jovem turbantia tela, 535
Quis Acheronta moves, flammam, immanesque
chelydros,
Stridoremque tuum, quo territa comprimit ora
Cerberus, ac, mixto quæ spumant felle, venena,
Et quicquid scelerum, pœnarum quicquid et iræ
Pectore fecundo coquitur tibi, congere præceps
In Rutulos, totamque Erebo demitte Saguntum.
Hac mercede Fides constet delapsa per auras.
Sic voce instimulans, dextra dea concita sævam
Eumenida incussit muris; tremuitque repente
Mons circum, et gravior sonuit per littora fluctus.
Sibilat insurgens capiti, et turgentia circum 546
Multus colla micat squalenti tergore serpens.
Mors graditur, vasto pandens cava guttura rictu,
Casuroque inhiat populo: tunc Luctus, et atri
Pectora circumdant Planctus, Mærorque, Do-
lorque, 550
Atque omnes adsunt Pœnæ, formaque trifauci
Personat insomnis lacrymosæ janitor aulæ.
Protinus adsimulat faciem mutabile monstrum
Tiburnæ, gressumque simul, sonitumque loquen-
Hæc bello vacuos et sævi turbine Martis [tis.
Lugebat thalamos, Murro spoliata marito; 556
Clara genus, Daunique trahens a sanguine nomen.
Cui vultus induta pares, disjectaque crinem
Eumenis in medios irrumpit turbida cœtus,
Et mæstas lacerata genas, Quis terminus, inquit?
Sat fidei proavisque datum. Vidi ipsa cruen-
Ipsa meum vidi lacerato vulnere nostras [tum,
Terrentem Murrum noctes, et dira sonantem:
Eripe te, conjux, miserandæ casibus urbis,
Et fuge, si terras adimit victoria Pœni, 565
Ad manes, Tiburna, meos: cecidere penates:
Occidimus Rutuli: tenet omnia Punicus ensis.
Mens horret, nec adhuc oculis absistit imago.
Nullane jam posthac tua tecta, Sagunte, videbo?
Felix, Murre, necis, patriaque superstite felix. 570
At nos, Sidoniis famulatum matribus actas,
Post belli casus vastique periculi ponti [mum
Carthago adspiciet victrix, tandemque supre-
Morte obita Libyæ gremio captiva jacebo.
Sed vos, o juvenes, vetuit quos conscia virtus 575
Posse capi, quîs telum ingens contra aspera mors
Vestris servitio manibus subducite matres. [est,
Ardua virtutem profert via: pergite primi
Nec facilem populis, nec notam invadere laudem.
His ubi turbatas hortatibus impulit aures, 580
Inde petit tumulum, summo quem vertice montis
Amphitryoniades spectandum ex æquore nautis
Struxerat, et grato cineres decorarat honore.
Excitus sede (horrendum) prorumpit ab ima
Cæruleus maculis auro squalentibus anguis. 585
Ignea sanguinea radiabant lumina flamma,
Oraque vibranti stridebant sibila lingua.
Isque inter trepidos cœtus mediamque per urbem
Volvitur, et muris propere delabitur altis,
Ac similis profugo vicina ad littora tendit, 590
Spumantisque freti præceps immergitur undis.
Tum vero excussæ mentes, ceu prodita tecta
Expulsi fugiant manes, umbræque recusent
Captivo jacuisse solo. Sperare saluti [nys,
Pertæsum, damnantque cibos: agit addita Erin-

Haud gravior duris divûm inclementia rebus, 596
Quam leti proferre moras: abrumpere vitam
Ocius attoniti quærunt, lucemque gravantur.
Certatim structus surrectæ molis ad astra [que
In media stetit urbe rogus; portantque trahunt-
Longæ pacis opes, quæsitaque præmia dextris,
Callaico vestes distinctas matribus auro,
Armaque Dulichia proavis portata Zacyntho,
Et prisca advectos Rutulorum ex urbe Penates:
Huc quicquid superest captis, clypeosque, simulque 605
Infaustos jaciunt enses, et condita bello
Effodiunt penitus terra, gaudentque superbi
Victoris prædam flammis donare supremis.
Quæ postquam congesta videt feralis Erinnys,
Lampada, flammiferis tinctam Phlegethontis in undis, 610
Quassat, et inferna superos caligine condit.
Inde opus aggressi, toto quod nobile mundo
Æternum invictis infelix gloria servat.
Princeps Tisiphone, lentum indignata parentem,
Pressit ovans capulum, cunctantemque impulit ensem, 615
Et dirum insonuit Stygio bis terque flagello.
Invitas maculant cognato sanguine dextras,
Miranturque nefas aversa mente peractum,
Et facto sceleri illacrymant. Hic, turbidus ira
Et rabie cladum, perpessæque ultima vitæ, 620
Obliquos versat materna per ubera visus:
Hic, raptam librans dilectæ in colla securim
Conjugis, increpitat sese, mediumque furorem
Projecta damnat stupefactus membra bipenni.
Nec tamen evasisse datur: nam verbera Erinnys
Incutit, atque atros insibilat ore timores. 626
Sic thalami fugit omnis amor, dulcesque marito
Effluxere tori, et subiere oblivia tædæ.
Ille jacit, totis connisus viribus, ægrum
In flammas corpus, densum qua turbine nigro
Exundat fumum piceus caligine vertex. 631
At medios inter cœtus pietate sinistra,
Infelix Thymbræe, furis, Pœnoque parentis
Dum properas auferre necem, reddentia formam
Ora tuam laceras, temerasque simillima membra.
Vos etiam primo gemini cecidistis in ævo, 636
Eurymedon fratrem, et fratrem mentite Lycorma,
Cuncta pares; dulcisque labor sua nomina natis
Reddere, et in vultu genitrici stare suorum.
Jam fixus jugulo culpa te solverat ensis, 640
Eurymedon, inter miseræ lamenta senectæ:
Dumque malis turbata parens, deceptaque visis,
Quo ruis? huc ferrum, clamat, converte, Lycorma;
Ecce simul jugulum perfoderat ense Lycormas.
Sed magno, Quinam, Eurymedon, furor iste? sonabat 645
Cum planctu, geminæque nota decepta figuræ,
Funera mutato revocabat nomine mater;
Donec, transacto tremebunda per ubera ferro,
Tunc etiam ambiguos cecidit super inscia natos.
Quis diros urbis casus, laudandaque monstra,
Et fidei pœnas, et tristia fata piorum 651
Temperet evolvens lacrymis? vix Punica fletu
Cessassent castra, ac miserescere nescius hostis.
Urbs, habitata diu Fidei, cœloque parentem
Murorum repetens, ruit inter perfida gentis 655
Sidoniæ tela, atque immania facta suorum,
Injustis neglecta deis: furit ensis et ignis:
Quique caret flamma, scelerum est locus. Erigit atro
Nigrantem fumo rogus alta ad sidera nubem.
Ardet in excelso proceri vertice montis 660
Arx, intacta prius bellis; hinc Punica castra,
Littoraque, et totam soliti spectare Saguntum.
Ardent tecta deûm: resplendet imagine flammæ
Æquor, et in tremulo vibrant incendia ponto.
Ecce inter medios cædum Tiburna furores, 665
Fulgenti dextram mucrone armata mariti,
Et læva infelix ardentem lampada quassans,
Squalentemque erecta comam, ac liventia planctu
Pectora nudatis ostendens sæva lacertis,
Ad tumulum Murri super ipsa cadavera fertur.
Qualis, ubi inferni dirum tonat aula parentis, 671
Iraque turbatos exercet regia manes,
Alecto solium ante dei sedemque tremendam
Tartareo est operata Jovi, pœnasque ministrat.
Arma viri, multo nuper defensa cruore, 675
Imponit tumulo illacrymans; manesque precata,
Acciperent sese, flagrantem lampada subdit.
Tunc rapiens letum, Tibi ego hæc, ait, optime conjux,
Ad manes, en, ipsa fero: sic ense recepto
Arma super ruit, et flammas invadit hiatu. 680
Semiambusta jacet nullo discrimine passim
Infelix obitus, permixto funere, turba.
Ceu stimulante fame cum victor ovilia tandem
Faucibus invasit siccis leo, mandit hianti
Ore fremens imbelle pecus, patuloque redundat
Gutture ructatus large cruor: incubat atris 686
Semesæ stragis cumulis, aut, murmure anhelo
Infrendens, laceros inter spatiatur acervos.
Late fusa jacent pecudes, custosque Molossus,
Pastorumque cohors, stabulique gregisque magister. 690
Totaque vastatis disjecta mapalia tectis.
Irrumpunt vacuam Pœni tot cladibus arcem.
Tum demum ad manes, perfecto munere, Erinnys
Junoni laudata redit, magnamque superba
Exsultat rapiens secum sub Tartara turbam. 695
At vos, sidereæ, quas nulla æquaverit ætas,
Ite, decus terrarum, animæ, venerabile vulgus,
Elysium et castas sedes decorate piorum.
Cui vero non æqua dedit victoria nomen,
(Audite, o gentes, neu rumpite fœdera pacis, 700
Nec regnis postferte fidem!) vagus exsul in orbe
Errabit toto, patriis projectus ab oris,
Tergaque vertentem trepidans Carthago videbit.
Sæpe Saguntinis somnos exterritus umbris
Optabit cecidisse manu: ferroque negato 705
Invictus quondam Stygias bellator ad undas
Deformata feret liventi membra veneno.

LIBER TERTIUS.

Postquam rupta fides Tyriis, et mœnia castæ,
Non æquo superûm genitore, eversa Sagunti;
Extemplo positos finiti cardine mundi
Victor adit populos, cognataque littora Gades.
Nec vatum mentes agitare et præscia corda 5
Cessatum super imperio. Citus æquore Bostar
Vela dare, et rerum prænoscere fata jubetur.
Prisca fides adytis longo servatur ab ævo,
Qua sublime sedens, Cirrhæis æmulus antris,
Inter anhelantes Garamantas corniger Hammon
Fatidico pandit venientia sæcula luco. 11
Hinc omen cœptis, et casus scire futuros
Ante diem, bellique vices novisse petebat.
Exin clavigeri veneratus numinis aras
Captivis onerat donis, quæ nuper ab arce 15
Victor fumantis rapuit semusta Sagunti.
Vulgatum (nec cassa fides) ab origine fani
Impositas durare trabes, solasque per ævum
Condentum novisse manus: hinc credere gaudent
Consedisse deum, seniumque repellere templis.
Tum, quîs fas et honos adyti penetralia nosse, 21
Fœmineos prohibent gressus, ac limine curant
Setigeros arcere sues: nec discolor ulli
Ante aras cultus: velantur corpora lino,
Et Pelusiaco præfulget stamine vertex. 25
Discinctis mos thura dare, atque e lege parentum
Sacrificam lato vestem distinguere clavo.
Pes nudus, tonsæque comæ, castumque cubile:
Irrestincta focis servant altaria flammæ.
Sed nulla effigies, simulacrave nota deorum 30
Majestate locum et sacro implevere timore.
In foribus labor Alcidæ Lernæa recisis
Anguibus hydra jacet, nexuque elisa leonis
Ora Cleonæi patulo cælantur hiatu.
Ast Stygius, sævis terrens latratibus umbras, 35
Janitor, æterno tum primum tractus ab antro,
Vincla indignatur, metuitque Megæra catenas.
Juxta Thraces equi, pestisque Erymanthia, et
Æripedis ramos superantia cornua cervi: [altos
Nec levior vinci Libycæ telluris alumnus 40
Matre super, stratique genus deforme bimembres
Centauri, frontemque minor truncam amnis Acar-
Inter quæ fulget sacratis ignibus Œte, [nan.
Ingentemque animam rapiunt ad sidera flammæ.
Postquam oculos varia implevit virtutis imago,
Mira dehinc cernit: surgentis mole profundi 46
Injectum terris subitum mare, nullaque circa
Littora, et infuso stagnantes æquore campos
Nam qua cæruleis Nereus evolvitur antris,
Atque imo freta contorquet Neptunia fundo, 50
Proruptum exundat pelagus, cæcosque relaxans
Oceanus fontes torrentibus ingruit undis.
Tum vada, ceu sævo penitus permota tridenti,
Luctantur terris tumefactum imponere pontum.
Mox remeat gurges, fractoque relabitur æstu: 55
Stat ratis erepto campis deserta profundo,
Et fusi in transtris exspectant æquora nautæ.
Cymothoes ea regna vagæ, pelagique labores
Luna movet: Luna, immissis per cærula bigis,
Fertque refertque fretum, sequiturque reciproca
Tethys. 60
Hæc propere spectata duci: nam multa fatigant.
Curarum prima exercet, subducere bello
Consortem thalami, parvumque sub ubere natum.
Virgineis juvenem tædis primoque Hymenæo
Imbuerat conjux, memorique tenebat amore. 65
At puer, obsessæ generatus in ore Sagunti,
Bissenos lunæ nondum compleverat orbes.
Quos ut seponi stetit, et secernere ab armis,
Affatur ductor: Spes o Carthaginis altæ
Nate, nec Æneadûm levior metus, amplior, oro,
Sis patrio decore, et factis tibi nomina condas,
Quîs superes bellator avum: jamque ægra timoris
Roma tuos numeret lacrymandos matribus annos.
Ni præsaga meos ludunt præcordia sensus,
Ingens hic terris crescit labor: ora parentis 75
Agnosco, torvaque oculos sub fronte minaces,
Vagitumque gravem, atque irarum elementa
mearum.
Si quis forte deûm tantos inciderit actus,
Et nostro abrumpat leto primordia rerum;
Hoc pignus belli, conjux, servare labora. 80
Cumque datum fari, duc per cunabula nostra;
Tangat Elissæas palmis puerilibus aras,
Et cineri juret patrio Laurentia bella.
Inde ubi flore novo pubescet firmior ætas,
Emicet in Martem, et calcato fœdere victor 85
In Capitolina tumulum mihi vindicet arce.
Tu vero, tanti felix quam gloria partus
Exspectat, veneranda fide, discede periclis
Incerti Martis, durosque relinque labores:
Nos clausæ nivibus rupes, suppostaque cœlo 90
Saxa manent; nos, Alcidæ mirante noverca,
Sudatus labor, et, bellis labor acrior, Alpes.
Quod si promissum vertat Fortuna favorem,
Lævaque sit cœptis, te longa stare senecta,
Ævumque extendisse velim: tua justior ætas, 95
Ultra me improperæ ducant cui fila sorores.
Sic ille. At contra Cirrhæi sanguis Imilce
Castalii, cui materno de nomine dicta
Castulo Phœbei servat cognomina vatis,
Atque ex sacrata repetebat stirpe parentes: 100
Tempore quo Bacchus populos domitabat Iberos,
Concutiens thyrso atque armata Mænade Calpen,
Lascivo genitus Satyro nymphaque Myrice
Milichus indigenis late regnarat in oris,
Cornigeram attollens genitoris imagine frontem.
Hinc patriam clarumque genus referebat Imilce,
Barbarica paulum vitiato nomine lingua.
Quæ tunc sic lacrymis sensim manantibus infit:
Mene, oblite tua nostram pendere salute,
Abnuis inceptis comitem? sic fœdera nota, 110
Primitiæque tori, gelidos ut scandere tecum
Deficiam montes conjux tua? crede vigori [rem.
Fœmineo: castum haud superat labor ullus amo-
Sin solo adspicimur sexu, fixumque relinqui;
Cedo equidem, nec fata moror: deus annuat oro.
I felix, i numinibus votisque secundis, 116
Atque acies inter flagrantiaque arma relictæ
Conjugis et nati curam servare memento.
Quippe nec Ausonios tantum, nec tela, nec ignes,
Quantum te, metuo: ruis ipsos acer in enses, 120
Objectasque caput telis: nec te ulla secundo
Eventu satiat virtus: tibi gloria soli
Fine caret, credisque viris ignobile letum
Belligeris in pace mori. Tremor implicat artus

Nec quenquam horresco, qui se tibi conferat unus.
Sed tu, bellorum genitor, miserere, nefasque 126
Averte, et serva caput inviolabile Teucris.
Jamque adeo egressi steterant in littore primo,
Et promota ratis, pendentibus arbore nautis,
Aptabat sensim pulsanti carbasa vento; 130
Cum, lenire metus properans, ægramque levare
Attonitis mentem curis, sic Hannibal orsus:
Ominibus parce et lacrymis, fidissima conjux.
Et pace et bello cunctis stat terminus ævi,
Extremumque diem primus tulit: ire per ora 135
Nomen in æternum paucis mens ignea donat,
Quos pater ætheriis cœlestum destinat oris.
An Romana juga, et famulas Carthaginis arces
Perpetiar? Stimulant manes, noctisque per umbras [cra
Increpitans genitor: stant aræ atque horrida sa-
Ante oculos, brevitasque vetat mutabilis horæ
Prolatare diem. Sedeamne, ut noverit una
Me tantum Carthago? et, qui sim, nesciat omnis
Gens hominum? letique metu decora alta relinquam? 144
Quantum etenim distant a morte silentia vitæ?
Nec tamen incautos laudum exhorresce furores:
Et nobis est lucis honos, gaudetque senecta
Gloria, cum longo titulis celebratur in ævo.
Te quoque magna manent suscepti præmia belli:
Dent modo se superi, Tibris tibi serviet omnis,
Iliacæque nurus, et dives Dardanus auri. 151
Dumque ea permixtis inter se fletibus orant,
Confisus pelago celsa de puppe magister
Cunctantem ciet: abripitur divulsa marito.
Hærent intenti vultus, et littora servant; 155
Donec, iter liquidum volucri rapiente carina,
Consumsit visus pontus, tellusque recessit.
At Pœnus belli curis avertere amorem
Apparat, et repetit properato mœnia gressu.
Quæ dum perlustrat, crebroque obit omnia visu,
Tandem solliciti cessit vis dura laboris, 161
Belligeramque datur somno componere mentem.
Tum pater omnipotens, gentem exercere periclis
Dardaniam, et fama sævorum tollere ad astra
Bellorum meditans, priscosque referre labores,
Præcipitat consulta viri, segnemque quietem
Terret, et immissa rumpit formidine somnos.
Jamque per humentem noctis Cyllenius umbram
Aligero lapsu portabat jussa parentis.
Nec mora: mulcentem securo membra sopore 170
Aggreditur juvenem, ac monitis incessit amaris:
Turpe duci totam somno consumere noctem,
O rector Libyæ: vigili stant bella magistro.
Jam maria effusas cernes turbare carinas,
Et Latiam toto pubem volitare profundo, 175
Dum lentus cœpti terra cunctaris Ibera. [tus,
Scilicet id satis est decoris, memorandaque vir-
Quod tanto cecidit molimine Graia Saguntos?
En age, si quid inest animo par fortibus ausis,
Fergressus agiles mecum, et comitare vocantem:
Respexisse veto; monet hoc pater ille deorum:
Victorem ante altæ statuam te mœnia Romæ.
Jamque videbatur dextram injectare, graduque
Lætantem trahere in Saturnia regna citato;
Cum subitus circa fragor, et vibrata per auras 185
Exterrent sævis a tergo sibila linguis:
Ingentique metu divûm præcepta paventi
Effluxere viro, et turbatus lumina flectit.
Ecce jugis rapiens sylvas, ac robora vasto
Contorta amplexu, tractasque per invia rupes, 190
Ater letifero stridebat turbine serpens.
Quantus non æquas perlustrat flexibus Arctos,
Et geminum lapsu sidus circumligat anguis:
Immani tantus fauces diducit hiatu,
Attollensque caput nimbosis montibus æquat.
Congeminat sonitus rupti violentia cœli, 196
Imbriferamque hiemem permixta grandine tor-
quet. [altæ
Hoc trepidus monstro, (neque enim sopor ille, nec
Vis aderat noctis, virgaque fugante tenebras
Miscuerat lucem somno deus,) ardua quæ sit, 200
Scitatur, pestis, terrasque urgentia membra
Quo ferat, et quosnam populos deposcat hiatu.
Cui gelidis almæ Cyllenes editus antris:
Bella vides optata tibi: te maxima bella,
Te strages nemorum, te moto turbida cœlo 205
Tempestas, cædesque virûm, magnæque ruinæ
Idæi generis, lacrymosaque fata sequuntur.
Quantus per campos populatis montibus actas
Contorquet sylvas squalenti tergore serpens,
Et late humectat terras spumante veneno: 210
Tantus, perdomitis decurrens Alpibus, atro
Involves bello Italiam, tantoque fragore
Eruta convulsis prosternes oppida muris.
His ægrum stimulis liquere deusque soporque.
It membris gelidus sudor: lætoque pavore 215
Promissa evolvit somni, noctemque retractat.
Jamque deûm regi Martique sub omine fausto
Instauratus honos; niveoque ante omnia tauro
Placatus meritis monitor Cyllenius aris.
Extemplo edicit convellere signa, repensque 220
Castra quatit clamor permixtis dissona linguis.
Prodite, Calliope, famæ, quos horrida cœpta
Excierint populos, tulerintque in regna Latini:
Et quas indomitis urbes armarit Iberis,
Quasque Parætonio glomerarit littore turmas 225
Ausa sibi Libye rerum deposcere frenos,
Et terris mutare jugum. Non ulla nec unquam
Sævior ît trucibus tempestas acta procellis;
Nec bellum raptis tam dirum mille carinis
Acrius infremuit, trepidumque exterruit orbem.
Princeps signa tulit Tyria Carthagine pubes
Membra levis, celsique decus fraudata supercilium
Corporis, at docilis fallendi, et nectere tectos
Nunquam tarda dolos. Rudis his tunc parma,
brevique
Bellabant ense; at vestigia nuda, sinusque 235
Cingere inadsuetum, et rubræ velamine vestis
Ars erat in pugna fusum occuluisse cruorem.
His rector fulgens ostro super altior omnes
Germanus nitet Hannibalis, gratoque tumultu
Mago quatit currus, et fratrem spirat in armis.
Proxima Sidoniis Utica est effusa maniplis, 241
Prisca situ, veterisque ante arces condita Byrsæ.
Tum, quæ Sicanio præcinxit littora muro,
In clypei speciem curvatis turribus, Aspis.
Sed dux in sese converterat ora Sichæus, 245
Hasdrubalis proles, cui vano corda tumore
Maternum implebat genus, et resonare superbo
Hannibal haud unquam cessabat avunculus ore
Affuit undosa cretus Berenicide miles:
Nec, tereti dextras in pugnam armata dolone, 250
Destituit Barce sitientibus arida venis.
Nec non Cyrene Pelopei stirpe nepotis
Battiadas pravos fidei stimulavit in arma: [dam,
Quos trahit antiquo laudatus Hamilcare quon-
Consilio viridis, sed belli serus, Ilertes. 255
Sabratha tum Tyrium vulgus, Sarranaque Leptis,
Œaque Trinacrios Afris permixta colonos,
Et Tingin rapido mittebat ab æquore Lixus.
Tum Vaga, et antiquis dilectus regibus Hippo,
Quæque procul cavit non æquos Ruspina fluctus,

Et Zama, et uberior Rutulo nunc sanguine Thapsus.
Ducit tot populos ingens et corpore et armis,
Herculeam factis servans ac nomine famam,
Antæus, celsumque caput super agmina tollit.
Venere Æthiopes, gens haud incognita Nilo, 265
Qui magneta secant: solis honor ille metalli,
Intactum chalybem vicino ducere saxo.
His simul, immitem testantes corpore solem
Exusti venere Nubæ. Non ærea cassis,
Nec lorica riget ferro, nec tenditur arcus: 270
Tempora multiplici mos est defendere lino,
Et lino munire latus, sceleratque succis
Spicula dirigere, et ferrum infamare veneno
Tum primum castris Phœnicum tendere ritu
Cinyphii didicere Macæ. Squalentia barba 275
Ora viris, humerosque tegunt velamine capri
Setigero: panda manus est armata cateia.
Versicolor contra cætra, et falcatus ab arte
Ensis Adyrmachidis, ac lævo tegmina crure.
Sed mensis asper populus, victuque maligno.
Nam calida tristes epulæ torrentur arena. 281
Quin et Massyli fulgentia signa tulere,
Hesperidum veniens lucis domus ultima terræ.
Præfuit intortos demissus vertice crines
Bocchus atrox, qui sacratas in littore sylvas, 285
Atque inter frondes revirescere viderat aurum.
Vos quoque desertis in castra mapalibus itis,
Misceri gregibus Gætulia sueta ferarum,
Indomitisque loqui, et sedare leonibus iras:
Nulla domus; plaustris habitant: migrare per [arva
Mos, atque errantes circumvectare penates.
Hinc mille alipedes turmæ, velocior Euris
Et doctus virgæ sonipes, in castra ruebant.
Ceu, pernix cum densa vagis latratibus implet
Venator dumeta Lacon, aut exigit Umber 295
Nare sagax e calle feras, perterrita late
Agmina præcipitant volucres formidine cervi.
Hos agit haud læto vultu, nec fronte serena,
Asbytes nuper cæsæ germanus, Acherras.
Marmaridæ, medicum vulgus, strepuere catervis:
Ad quorum cantus serpens oblita veneni, 301
Ad quorum tactum mites jacuere cerastæ.
Tum, chalybis pauper, Banjuræ cruda juventus,
Contenti parca durasse hastilia flamma,
Miscebant avidi trucibus fera murmura linguis.
Nec non Autololes, levibus gens ignea plantis,
Cui sonipes cursu, cui cesserit incitus amnis;
Tanta fuga est: certant pennæ, campumque volatu
Cum rapuere, pedum frustra vestigia quæras.
Spectati castris, quos succo nobilis arbor 310
Et dulci pascit lotos nimis hospita bacca.
Quique atro rabidas effervescente veneno
Dipsadas immensis horrent Garamantes arenis.
Fama docet, cæsæ rapuit cum Gorgonis ora
Perseus, in Libyam dirum fluxisse cruorem; 315
Inde Medusæis terram exundasse chelydris.
Millibus his ductor spectatus Marte Choaspes,
Neritia Meninge satus, cui tragula semper
Fulmineam armabat, celebratum missile, dextram.
Huc coit æquoreus Nasamon, invadere fluctu
Audax naufragia, et prædas avellere ponto: 321
Huc, qui stagna colunt Tritonidos alta paludis,
Qua virgo, ut fama est, bellatrix edita lympha
Invento primum Libyen perfudit olivo.
Nec non totus adest Vesper, populique reposti.
Cantaber ante omnes, hiemisque æstusque famisque 326
Invictus, palmamque ex omni ferre labore.
Mirus amor populo, cum pigra incanuit ætas,
Imbelles jam dudum annos prævertere saxo,
Nec vitam sine Marte pati: quippe omnis in armis 330
Lucis causa sita, et damnatum vivere paci.
Venit et Auroræ lacrymis perfusus in orbem
Diversum, patrias fugit cum devius oras,
Armiger Eoi non felix Memnonis Astur.
His parvus sonipes, nec Marti natus: at idem 335
Aut inconcusso glomerat vestigia dorso,
Aut molli pacata celer rapit esseda collo.
Cydnus agit, juga Pyrenes venatibus acer
Metiri, jaculove extendere prœlia Mauro.
Venere et Celtæ sociati nomen Iberis. 340
His pugna cecidisse decus, corpusque cremari
Tale nefas: cœlo credunt superisque referri,
Impastus carpat si membra jacentia vultur.
Fibrarum et pennæ divinarumque sagacem
Flammarum misit dives Callæcia pubem, 345
Barbara nunc patriis ululantem carmina linguis,
Nunc, pedis alterno percussa verbere terra,
Ad numerum resonas gaudentem plaudere cætras.
Hæc requies ludusque viris, ea sacra voluptas.
Cætera fœmineus peragit labor: addere sulco
Semina, et impresso tellurem vertere aratro 351
Segne viris: quicquid duro sine Marte geren- [dum,
Callaici conjux obit irrequieta mariti.
Hos Viriathus agit, Lusitanumque remotis
Extractum lustris, primo Viriathus in ævo, 355
Nomen Romanis factum mox nobile damnis.
Nec Cerretani, quondam Tirynthia castra,
Aut Vasco insuetus galeæ, ferre arma morati.
Non, quæ Dardanios post vidit Ilerda furores,
Nec qui Massageten monstrans feritate parem
Cornipedis fusa satiaris, Concane, vena. [tem
Jamque Ebusus Phœnissa movet, movet Arbu- [cus arma,
Aclyde vel tenui pugnax instare veruto.
Jam, cui Tlepolemus sator, et cui Lindus origo,
Funda bella ferens Balearis et alite plumbo; 365
Et quos nunc Gravios violato nomine Graiûm
Œneæ misere domus Ætolaque Tyde
Dat Carthago viros Teucro fundata vetusto,
Phocaicæ dant Emporiæ, dat Tarraco pubem
Vitifera, et Latio tantum cessura Lyæo. 370
Hos inter clara thoracis luce nitebat
Sedetana cohors, quam Sucro rigentibus undis,
Atque altrix celsa mittebat Sætabis arce,
Sætabis et telas Arabum sprevisse superba,
Et Pelusiaco filum componere lino. 375
Mandonius populis, domitorque insignis equorum
Imperitat Cæso, et socio stant castra labore.
At Vettonum alas Balarus probat æquore aperto.
Hic adeo, cum ver placidum, flatusque tepescit,
Concubitus servans tacitos, grex prostat equarum,
Et Venerem occultam genitali concipit aura. 381
Sed non multa dies generi, properatque senectus,
Septimaque his stabulis longissima ducitur æstas.
At non Sarmaticos attollens Uxama muros
Tam levibus persultat equis: hinc venit in arma
Haud ævi fragilis sonipes, crudoque vigore 386
Asper frena pati, aut jussis parere magistris.
Rhyndacus his ductor: telum sparus, ore ferarum
Et rictu horrificant galeas: venatibus ævum
Transigitur, vel more patrum vis raptaque pas-
Fulgent præcipuis Parnassia Castulo signis, [cunt.
Et celebre Oceano atque alternis æstibus Hispal,
Ac Nebrissa dei Nysæis concita thyrsis

Quam Satyri colvere leves, redimitaque sacra
Nebride, et arcano Mænas nocturna Lyæo. 395
Arganthoniacos armat Carteia nepotes.
Rex proavis fuit humani ditissimus ævi,
Ter quinos decies emensus belliger annos.
Armat Tartessos, stabulanti conscia Phœbo,
Et Munda, Emathios Italis paritura labores:
Nec decus auriferæ cessavit Corduba terræ. 401
Hos duxere viros flaventi vertice Phorcys,
Spiciferisque gravis bellator Arauricus oris,
Æquales ævi, genuit quos ubere ripa
Palladio Bætis umbratus cornua ramo. 405
Talia Sidonius per campos agmina ductor
Pulvere nigrantes raptat, lustransque sub armis,
Qua visu comprendere erat, fulgentia signa
Ibat ovans, longaque umbram tellure trahebat.
Non aliter, quoties perlabitur æquora curru, 410
Extremamque petit Phœbea cubilia Tethyn
Frenatis Neptunus equis, fluit omnis ab antris
Nereidum chorus, et sueto certamine nandi
Candida perspicuo connectunt brachia ponto.
At Pyrenæi frondosa cacumina montis 415
Turbata Pœnus terrarum pace petebat.
Pyrene celsa nimbosi verticis arce
Divisos Celtis late prospectat Iberos,
Atque æterna tenet magnis divortia terris.
Nomen Bebrycia duxere a virgine colles, 420
Hospitis Alcidæ crimen, qui, sorte laborum
Geryonæ peteret cum longa tricorporis arva,
Possessus Baccho sæva Bebrycis in aula
Lugendam formæ sine virginitate reliquit
Pyrenen, letique deus, si credere fas est, 425
Causa fuit leti miseræ deus: edidit alvo
Namque ut serpentem, patriasque exhorruit iras,
Confestim dulces liquit turbata penates.
Tum noctem Alcidæ solis plangebat in antris,
Et promissa viri sylvis narrabat opacis: 430
Donec mærentem ingratos raptoris amores,
Tendentemque manus, atque hospitis arma vocantem
Diripuere feræ. Laceros Tirynthius artus,
Dum remeat victor, lacrymis perfudit, et amens
Palluit invento dilectæ virginis ore. 435
At voce Herculea percussa cacumina montis
Intremuere jugis: mæsto clamore ciebat
Pyrenen, scopulique omnes ac lustra ferarum
Pyrenen resonant. Tumulo tum membra reponit, [ævo,
Supremum illacrymans: nec honos intercidit
Defletumque tenent montes per sæcula nomen.
Jamque per et colles, et densos abiete lucos
Bebryciæ Pœnus fines transcenderat aulæ.
Inde ferox quæsitum armis per inhospita rura
Volcarum populatur iter, tumidique minaces 445
Accedit Rhodani festino milite ripas.
Aggeribus caput Alpinis et rupe nivali
Proserit in Celtas, ingentemque extrahit amnem
Spumanti Rhodanus proscindens gurgite campos,
Ac propere in pontum lato ruit incitus alveo.
Auget opes stanti similis, tacitoque liquore 451
Mixtus Arar: quem gurgitibus complexus anhelis
Cunctantem immergit pelago, raptumque per arva
Ferre vetat patrium vicina ad littora nomen.
Invadunt alacres inimicum pontibus amnem: 455
Nunc celso capite et cervicibus arma tuentur,
Nunc validis gurges certatim frangitur ulnis.
Fluminea sonipes religatus ducitur alno:
Bellua nec retinet tardante Libyssa timore:
Nam trabibus vada, et injecta tellure repertum
Connexas operire trabes, ac ducere in altum 461
Paullatim ripæ resolutis aggere vinclis.
At gregis illapsu fremebundo territus atras
Expavit moles Rhodanus, stagnisque refusis
Torsit arenoso minitantia murmura fundo. 465
Jamque Tricastinis intendit finibus agmen;
Jam faciles campos, jam rura Vocuntia carpit.
Turbidus hic truncis saxisque Druentia lætum
Ductoris vexavit iter: namque Alpibus ortus,
Avulsas ornos et adesi fragmina montis 470
Cum sonitu volvens, fertur latrantibus undis,
Ac vada translato mutat fallacia cursu,
Non pediti fidus, patulis non puppibus æquus:
Et tunc, imbre recens fuso, correpta sub armis
Corpora multa virûm spumanti vortice torquens
Immersit fundo laceris deformia membris. 476
Sed jam præteritos ultra meminisse labores
Conspectæ propius demsere paventibus Alpes.
Cuncta gelu canaque æternum grandine tecta,
Atque ævi glaciem cohibent: riget ardua montis
Ætherii facies, surgentique obvia Phœbo
Duratas nescit flammis mollire pruinas.
Quantum Tartareus regni pallentis hiatus
Ad manes imos atque atræ stagna paludis
A supera tellure patet; tam longa per auras 485
Erigitur tellus, et cœlum intercipit umbra.
Nullum ver usquam, nullique æstatis honores.
Sola jugis habitat diris, sedesque tuetur
Perpetuas deformis Hiems: illa undique nubes
Huc atras agit, et mixtos cum grandine nimbos.
Jam cuncti flatus ventique furentia regna 491
Alpina posuere domo. Caligat in altis
Obtutus saxis, abeuntque in nubila montes.
Mixtus Athos Tauro, Rhodopeque adjuncta Mimanti, [rys.
Ossaque cum Pelio, cumque Hæmo cesserit Oth-
Primus inexpertas adiit Tirynthius arces. 496
Scindentem nubes, frangentemque ardua montis
Spectarunt superi, longisque ab origine sæclis
Intemerata gradu magna vi saxa domantem.
At miles dubio tardat vestigia gressu, 500
Impia ceu sacros in fines arma per orbem,
Natura prohibente, ferat, divisque repugnet.
Contra quæ ductor: (non Alpibus ille, nec ullo
Turbatus terrore loci; sed languida mæstus
Corda virûm fovet hortando, revocatque vigorem:)
Non pudet, obsequio superûm fessosque secundis
Post belli decus atque acies, dare terga nivosis
Montibus, et segnes submittere rupibus arma?
Nunc o, nunc, socii, dominantis mœnia Romæ
Credite vos, summumque Jovis conscendere culmen. [brim.
Hic labor Ausoniam, dabit hic in vincula Ti-
Nec mora: commotum promissis ditibus agmen
Erigit in collem, et vestigia linquere nota
Herculis edicit magni, crudisque locorum
Ferre pedem, ac proprio turmas evadere calle.
Rumpit inaccessos aditus, atque ardua primus
Exsuperat, summaque vocat de rupe cohortes.
Tum, qua durati concreto frigore collis 518
Lubrica frustratur canenti semita clivo,
Luctantem ferro glaciem premit: haurit hiatu
Nix resoluta viros, altoque e culmine præceps
Humenti turmas operit delapsa ruina.
Interdum adverso glomeratas turbine Corus
In media ora nives fuscis agit horridus alis:
Aut rursum immani stridens avulsa procella 525
Nudatis rapit arma viris, volvensque per orbem
Contorto rotat in nubes sublimia flatu.
Quoque magis subiere jugo, atque, evadere nisi,
Erexere gradum, crescit labor Ardua supra

Sese aperit fessis, et nascitur altera moles, 530
Unde nec edomitos exsudatosque labores
Respexisse libet; tanta formidine plana
Exterrent repetita oculos, atque una pruinæ
Canentis, quacunque datur permittere visus,
Ingeritur facies. Medio sic navita ponto, 535
Cum dulces liquit terras, et inania nullos
Inveniunt ventos securo carbasa malo,
Immensas prospectat aquas, ac, victa profundis
Æquoribus, fessus renovat sua lumina cœlo.
Jamque, super cautes atque importuna locorum,
Illuvie rigidæque comæ squalore perenni 541
Horrida semiferi promunt e rupibus ora,
Atque effusa cavis exesi pumicis antris
Alpina invadit manus, adsuetoque vigore
Per dumos, notasque nives, atque invia pernix
Clausum montivagis infestat cursibus hostem.
Mutatur jam forma locis: hic sanguine multo
Infectæ rubuere nives: hic nescia vinci
Paullatim glacies cedit tepefacta cruore;
Dumque premit sonipes duro vestigia cornu, 550
Ungula perfossis hæsit comprensa pruinis.
Nec pestis lapsus simplex: abscisa relinquunt
Membra gelu, fractosque asper rigor amputat ar-
Bis senos soles, totidem per vulnera sævas [tus.
Emensi noctes, optato vertice sidunt, 555
Castraque præruptis suspendunt ardua saxis.
At Venus, ancipiti mentem labefacta timore,
Affatur genitorem, et rumpit mæsta querelas:
Quis pœnæ modus, aut pereundi terminus, oro,
Æneadis erit? et quando terrasque fretumque
Emensis sedisse dabis? cur pellere nostros 561
A te concessa Pœnus parat urbe nepotes?
Alpibus imposuit Libyen, finemque minatur
Imperio: casus metuit jam Roma Sagunti.
Quo Trojæ extremos cineres, sacramque ruinam,
Assaracique larem, et Vestæ secreta feramus, 566
Da sedem, genitor, tutisque jacere: parumne est
Exsilia errantes totum quæsisse per orbem?
Anne iterum capta repetentur Pergama Roma?
His Venus: et contra genitor sic deinde profatur:
Pelle metus, neu te Tyriæ conamina gentis 571
Turbarint, Cytherea; tenet, longumque tenebit
Tarpeias arces sanguis tuus. Hac ego Martis
Mole viros spectare paro, atque expendere bello.
Gens ferri patiens, ac læta domare labores, 575
Paullatim antiquo patrum desuescit honori;
Atque ille, haud unquam parcus pro laude cru-
Et semper famæ sitiens, obscura sedendo [oris,
Tempora agit, mutum volvens inglorius ævum,
Sanguine de nostro populus, blandoque veneno
Desidiæ virtus paullatim evicta senescit. 581
Magnæ molis opus, multoque labore parandum,
Tot populos inter soli sibi poscere regna.
Jamque tibi veniet tempus, quo maxima rerum
Nobilior sit Roma malis. Hinc nomina nostro
Non indigna polo referet labor: hinc tibi Paullus,
Hinc Fabius, gratusque mihi Marcellus opimis.
Hi tantum parient Latio per vulnera regnum,
Quod luxu et multum mutata mente nepotes
Non tamen evertisse queant. Jamque ipse cre-
atus, 590
Qui Pœnum revocet patriæ, Latioque repulsum
Ante suæ muros Carthaginis exuat armis.
Hinc, Cytherea, tuis longo regnabitur ævo
Exin se Curibus virtus cœlestis ad astra
Efferet, et sacris augebit nomen Iulis 595
Bellatrix gens baccifero nutrita Sabino.
Hinc pater ignotam donabit vincere Thulen,
Inque Caledonios primus trahet agmina lucos:
Compescet ripis Rhenum, reget impiger Afros,
Palmiferamque senex bello domitabit Idumen.
Nec Stygis ille lacus viduataque lumine regna,
Sed superûm sedes, nostrosque tenebit honores.
Tum juvenis, magno præcellens robore mentis,
Excipiet patriam molem, celsusque feretur,
Æquatum imperio tollens caput. Hic fera gentis
Bella Palæstinæ primo delebit in ævo. 606
At tu transcendes, Germanice, facta tuorum,
Jam puer auricomo præformidate Batavo.
Nec te terruerint Tarpeii culminis ignes:
Sacrilegas inter flammas servabere terris. 610
Nam te longa manent nostri consortia mundi.
Huic laxos arcus olim Gangetica pubes [tras.
Submittet, vacuasque obtendent Bactra phare-
Hic et ab Arctoo currus aget axe per Urbem,
Ducet et Eoos, Baccho cedente, triumphos. 615
Idem, indignantem transmittere Dardana signa,
Sarmaticis victor compescet sedibus Istrum.
Quin et Romuleos superabit voce nepotes,
Quîs erit eloquio partum decus: huic sua Musæ
Sacra ferent, meliorque lyra, cui substitit Hebrus,
Et venit Rhodope: Phœbo miranda loquetur.
Ille etiam, qua prisca (vides) stat regia nobis,
Aurea Tarpeia ponet Capitolia rupe,
Et junget nostro templorum culmina cœlo.
Tunc, o nate deûm, divosque dature, beatas 625
Imperio terras patrio rege: tarda senectam
Hospitia excipient cœli, solioque Quirinus
Concedet, mediumque parens fraterque locabunt:
Siderei juxta radiabunt tempora nati.
Dum pandit seriem venturi Jupiter ævi, 630
Ductor Agenoreus, tumulis delatus iniquis,
Lapsantem dubio devexa per invia nisu [bat.
Firmabat gressum, atque humentia saxa preme-
Non acies hostisve tenet: sed prona minaci
Prærupto turbant, et cautibus obvia rupes. 635
Stant clausi, mærentque moras et dura viarum.
Nec refovere datur torpentia membra quiete:
Noctem operi jungunt, et robora ferre coactis
Approperant humeris, ac raptas collibus ornos.
Jamque ubi nudarunt sylva densissima montis,
Aggessere trabes, rapidisque accensus in orbem
Excoquitur flammis scopulus: mox proruta ferro
Dat gemitum putris resoluto pondere moles,
Atque aperit fessis antiqui regna Latini.
His tandem ignotas transgressus casibus Alpes,
Taurinis ductor statuit tentoria campis. 646
Interea, voces Jovis atque oracula portans,
Emensis aderat Garamantum lætus arenis
Bostar, et ut viso stimulabat corda Tonante:
Maxime Belide, patriis qui mœnibus arces 650
Servitium dextra, Libycas penetravimus aras.
Nos tulit ad superos perfundens sidera Syrtis:
Nos pæne æquoribus tellus violentior hausit.
Ad finem cœli medio tenduntur ab orbe
Squalentes campi: tumulum natura negavit 655
Immensis spatiis, nisi quem cava nubila torquens
Construxit turbo, impacta glomeratus arena:
Vel si perfracto populatus carcere terras
Africus, aut pontum spargens super aera Corus,
Invasere truces capientem prœlia campum, 660
Inque vicem ingesto cumularunt pulvere montes.
Has observatis valles enavimus astris:
Namque dies confundit iter, peditemque profun
do [tem,
Errantem campo, et semper media arva viden-
Sidoniis Cynosura regit fidissima nautis. 665
Verum ubi defessi lucos, nemorosaque regna
Cornigeri Jovis, et fulgentia templa subimus,

Exceptos hospes tectis inducit Arisbas. [pha,
Stat fano vicina (novum et memorabile) lym-
Quæ nascente die, quæ deficiente tepescit, 670
Quæque riget, medius cum sol accendit Olympum,
Atque eadem rursum nocturnis fervet in umbris.
Tum loca plena deo, dites sine vomere glebas,
Ostentat senior, lætaque ita mente profatur:
Has umbras nemorum, et connexa cacumina cœlo,
Calcatosque Jovi lucos prece, Bostar, adora. 676
Nam cui dona Jovis non divulgata per orbem,
In gremio Thebes geminas sedisse columbas?
Quarum, Chaonias pennis quæ contigit oras,
Implet fatidico Dodonida murmure quercum: 680
At quæ, Carpathium super æquor vecta, per auras
In Libyen nigris tranavit concolor alis,
Hanc sedem templo Cythereia condidit ales.
Hic, ubi nunc aram lucosque videtis opacos,
Ductore electo gregis, (admirabile dictu,) 685
Lanigeri capitis media inter cornua perstans
Marmaricis ales populis responsa canebat.
Mox subitum nemus, atque annoso robore lucus
Exsiluit, qualesque premunt nunc sidera quer-
A prima venere die: prisco inde pavore [cus,
Arbor numen habet, coliturque tepentibus aris.
Dumque ea miramur, subito stridore tremen-
Impulsæ patuere fores, majorque repente [dum
Lux oculos ferit: ante aras stat veste sacerdos
Effulgens nivea, et populi concurrere certant.
Inde, ubi mandatas effudi pectore voces, 696
Ecce intrat subitus vatem deus: alta sonoro
Collisis trabibus, volvuntur murmura luco,
Ac major nota jam vox prorumpit in auras:
Tenditis in Latium, belloque agitare paratis 700
Assaraci prolem, Libyes: cœpta aspera cerno,
Gradivumque trucem currus jam scandere, et
atram
In latus Hesperium flammam exspirare furentes
Cornipedes, multoque fluentia sanguine lora.
Tu, qui pugnarum eventus extremaque fati 705
Deposcis, claroque ferox das vela labori,
Invade Ætoli ductoris Iapyga campum:
Sidonios augebis avos, nullique relinques
Altius Ausoniæ penetrare in viscera gentis;
Donec victa tibi trepidabunt Dardana regna. 710
Nec ponet pubes unquam Saturnia curam,
Dum carpet superas in terris Hannibal auras.
Talia portabat lætis oracula Bostar,
Implebatque viros pugnæ propioris amore.

LIBER QUARTUS.

Fama per Ausoniæ turbatas spargitur urbes,
Nubiferos montes et saxa minantia cœlo
Accepisse jugum, Pœnosque per invia vectos,
Æmulaque Herculei jactantem facta laboris
Descendisse ducem: diros canit improba motus,
Et gliscit gressu, volucrique citatior Euro 6
Terrificis quatit attonitas rumoribus arces.
Adstruit auditis docilis per inania rerum
Pascere rumorem vulgi pavor. Itur in acres
Bellorum raptim curas, subitusque per omnem
Ausoniam Mavors strepit, et ciet arma virosque.
Pila novant, ac detersa rubigine sævus 12
Induitur ferro splendor, niveumque repostæ
Instaurant galeæ coni decus: hasta juvatur
Amento, recoquuntque nova fornace bipennes.
Conseritur tegimen laterum impenetrabile, multas
Passurus dextras atque irrita vulnera, thorax.
Pars arcu invigilat, domitat pars verbere anhe-
lum
Cornipedem in gyros, saxoque exasperat ensem.
Nec vero muris, quibus est luctata vetustas, 20
Ferre morantur opem: subvectant saxa, cavasque
Retractant turres, edit quas longior ætas.
Hinc tela accipiunt arces, ac robora portis
Et fidos certant obices arcessere sylva:
Circumdant fossas. Haud segnis cuncta magister
Præcipitat timor, ac vastis trepidatur in arvis. 26
Deseruere larem: portant cervicibus ægras
Attoniti matres, ducentesque ultima fila
Grandævos rapuere senes: tum crine soluto
Ante agitur conjux: dextra lævaque trahuntur 30
Parvi, non æquo comitantes ordine, nati.
Sic vulgus: traduntque metus, nec poscitur auctor.
At Patres, quanquam exterrent immania cœpta,
Inque sinu bellum, atque Alpes et pervia saxa
Decepere tamen crudam contra aspera mentem
Et magnos tollunt animos. juvat ire periclis 36
Ad decus, et dextra memorandum condere nomen,
Quale dedit nunquam rebus fortuna secundis.
Sed Libyæ ductor tuto fovet agmina vallo,
Fessa gradum, multoque gelu torpentia nervos:
Solandique genus, lætis ostentat ad Urbem 41
Per campos superesse viam, Romamque sub ictu.
At non et rerum curas consultaque belli
Stare probat, solusque nequit perferre quietem.
Armiferæ quondam prisca inter tempora gentes
Ausonium invasere latus sedesque beatas,
Et metui peperere manu: mox impia bella
Tarpeius pater et capti sensere Quirites.
Hos dum sollicitat donis, et inania corda 49
Ac fluxam morum gentem fovet, armaque jungit;
Jam consul, volucri pervectus littora classe,
Scipio Phocaicis sese referebat ab oris:
Ingentesque duces, pelagi terræque laborem
Diversum emensos, propiora pericula vallo
Jungebant, magnæque aderant primordia cladis.
Namque ut, collatis admoto consule castris, 56
Sustulerat fortuna moras, signumque furoris
Accensæ viso poscebant hoste cohortes:
Debellata procul, quæcunque coluntur Iberis,
Ingenti Tyrius numerosa per agmina ductor 60
Voce sonat; non Pyrenen Rhodanumve ferocem
Jussa adspernatos, Rutulam fumasse Saguntum,
Raptum per Celtas iter, et, qua ponere gressum
Amphitryoniadæ fuerit labor, isse sub armis
Pœnorum turmas, equitemque per ardua vectum
Insultasse jugo, et fremuisse hinnitibus Alpes. 66
Contra pulchra suos vocat ad discrimina consul:
Hostem, miles, habes fractum ambustumque ni-
vosis [tem
Cautibus, atque ægre torpentia membra trahen
En age, qui sacros montes rupesque profundas

Transiluit, discat, quanto stet celsius arce 71
Herculea vallum, et majus sit scandere colles,
An vestros rupisse globos. Det inania famæ,
Dum magna fuso pugna, retroque ruenti, [tum
Qua ventum est, obstent Alpes. Super ardua duc-
Huc egere dei, Latios ut sanguine fines 76
Imbueret, tellusque hostilis conderet ossa.
Scire libet, nova nunc nobis atque altera bellum
Carthago, anne eadem mittat, quæ, mersa sub
Ægates inter vasto jacet obruta ponto. [æquor,
Hæc ait, atque agmen Ticini flectit ad undas.
Cæruleas Ticinus aquas et stagna vadoso
Perspicuus servat turbari nescia fundo,
Ac nitidum viridi lente trahit amne liquorem.
Vix credas labi; ripis tam mitis opacis, 85
Argutos inter volucrum certamina cantus,
Somniferam ducit lucenti gurgite lympham.
Jamque sub extremum noctis fugientibus umbris
Lux aderat, somnusque suas confecerat horas.
Explorare locos consul, collisque propinqui 90
Ingenium, et campis quæ sit natura, parabat.
Par studium Pœno, similesque in pectore curæ.
Ergo aderant, rapidis equitum comitantibus alis.
Verum ubi commoto docuerunt pulvere nubes
Hostem ferre gradum, et propius propiusque
sonoro 95
Quadrupedum cornu tellus gemit, ac simul acer
Vincentum lituos hinnitus sævit equorum;
Arma, viri, capite arma, viri, dux instat uterque.
Ambobus velox virtus, geminusque cupido
Laudis, et ad pugnas Martemque insania concors.
Haud mora: jam tantum campi dirimebat ab ictu,
Quantum impulsa valet comprendere lancea nodo:
Cum subitum liquida, non ullis nubibus, æthra
Augurium mentes oculosque ad sidera vertit.
Accipiter, medio tendens a limite solis, 105
Dilectas Veneri notasque ab honore Diones
Turbabat violentus aves, atque unguibus idem,
Idem nunc rostro, duris nunc ictibus alæ,
Ter quinas dederat sæva inter vulnera leto.
Nec finis satiasve, novi sed sanguinis ardor 110
Gliscere, et urgebat trepidam jam cæde priorum,
Incertamque fugæ, pluma labente, columbam:
Donec Phœbeo veniens Jovis ales ab ortu
In tenues tandem nubes dare terga coegit.
Tum victrix lætos signa ad Romana volatus 115
Convertit, prolesque ducis qua parte decora
Scipio quassabat puerilibus arma lacertis,
Clangorem bis terque dedit, rostroque coruscæ
Præstringens conum galeæ se reddidit astris.
Exclamat Liger: (huic superos sentire monentes
Ars fuit, ac penna monstrare futura magistra:)
Pœne, bis octonos Italis in finibus annos,
Audaci similis volucri, sectabere pubem [dam:
Ausoniam, multamque feres cum sanguine præ-
Sed compesce minas: renuit tibi Daunia regna
Armiger ecce Jovis. Nosco te, summe deorum:
Adsis o, firmesque tuæ, pater, alitis omen.
Nam tibi servantur, ni vano cassa volatu 128
Mentitur superos præpes, postrema subactæ
Fata, puer, Libyæ, et majus Carthagine nomen.
Contra læta Bogus Tyrio canit omina regi,
Et faustum accipitrem, cæsasque in nube volucres
Æneadis cladem et Veneris portendere genti.
Tum dictis comitem contorquet primus in hostes,
Ceu suadente deo, et fatorum conscius, hastam.
Illa volans patuli longe per inania campi 136
Ictum perdiderat spatio, ni fusus habenas,
Dum primæ decus affectat decerpere pugnæ,
Obvia quadrupedis præceps Catus ora tulisset.
Sic elanguescens, ac jam casura, petitum 140
Invenit vulnus, cædemque accepit ab hoste
Cornus, et oblatæ stetit inter tempora frontis.
Incurrunt acies, magnoque fragore per æquor
Suspendunt cuncti frenis sublime reductos
Cornipedes, ultroque ruunt: erectus in auras
It sonipes, rapidaque volans per aperta procella
Tenuia vix summo vestigia pulvere signat.
Boiorum ante alias Crixo duce mobilis ala
Arietat in primos, obicitque immania membra.
Ipse, tumens atavis, Brenni se stirpe ferebat 150
Crixus, et in titulos Capitolia capta trahebat
Tarpeioque jugo demens et vertice sacro
Pensantes aurum Celtas umbone gerebat.
Colla viri fulvo radiabant lactea torque,
Auro virgatæ vestes, manicæque rigebant 155
Ex auro, et simili vibrabat crista metallo.
Sternitur impulsu vasto perculsa Camertum
Prima phalanx, spissæque ruunt conferta per ar-
Undæ Boiorum: sociata examina densent [ma
Infandi Senones, collisaque quadrupedantum 160
Pectoribus toto volvuntur corpora campo.
Arva natant, altusque virûm cruor, altus equorum
Lubrica belligeræ sorbet vestigia turmæ.
Seminecum letum peragit gravis ungula pulsu,
Et circumvolitans tetros a sanguine rores 165
Spargit humo, miserisque suo lavit arma cruore.
Spicula prima, puer, tumidi, Tyrrhene, Pelori
Purpureo moriens victricia sanguine tingis.
Nam tibi, dum stimulas cornu, atque in prœlia
mentes
Accendis, renovasque viros ad vulnera cantu, 170
Hæsit barbaricum sub anhelo gutture telum,
Et clausit raucum letali vulnere murmur.
At sonus, extremo morientis fusus ab ore,
Flexa pererravit mutis jam cornua labris.
Crixus Picentem Laurumque, nec eminus ambo:
Sed gladio Laurum; Picenti rasilis hasta, 176
Ripis lecta Padi, letum tulit: avia namque
Dum petit, ac lævo meditatur fallere gyro,
Hasta viri femur et pariter per nuda volantis
Ilia sedit equi, et geminam dedit horrida mortem.
Idem, sanguinea Venuli cervice revellens, 181
Sternit præcipitem tepido te, Farfare, telo,
Et te sub gelido nutritum, Tulle, Velino,
Egregium Ausoniæ decus, ac memorabile nomen,
Si dent fata moras, aut servent fœdera Pœni. 185
Tum Remulum, atque olim celeberrima nomina
bello
Tiburtes Magios, Hispellatemque Metaurum,
Et Clanium dubia meditatum cuspide vulnus.
Nec locus est Tyriis belli pugnæve, sed omnem
Celticus implevit campum furor: irrita nulli 190
Spicula torquentur, statque omne in corpore fer-
rum.
Hic inter trepidos immane Quirinius audens,
Cui fugere ignotum, atque invicta mente placebat
Rebus in adversis exceptum pectore letum,
Cuspide flammat equum, ac dispergit gæsa lacerto,
Si reserare viam, atque ad regem rumpere ferro
Detur iter; certusque necis petit omnibus ausis,
Quod nequeat sentire, decus. Cadit inguine fosso
Teutalus, et vasto quatitur sub pondere tellus.
Occumbit Sarmens, flavam qui ponere victor 200
Cæsariem, crinemque tibi, Gradive, vovebat
Auro certantem, et rutilum sub vertice nodum.
Sed Parcæ intonsa non exaudita voventem
Ad manes traxere coma: per candida membra
It fumans cruor, et tellus perfusa rubescit. 205
At, non tardatus jaculo occurrente, Ligaunus

Irruit, adversumque viro rotat obvius ensem,
Et ferit insurgens, humero qua brachia lenti
Annectunt nervi: decisaque vulnere læva
Laxatis paullum moribunda pependit habenis, 210
Dumque micans tremulo conatu lora retentat,
Flectentem adsuetos imitatur nescia frenos.
Demetit aversi Vogesus tum colla, jubaque
Suspensam portans galeam atque inclusa peremti
Ora viri, patrio divos clamore salutat. 215
Dumque ea Gallorum populi dant funera cam-
Accitas propere castris in prœlia consul [po,
Raptabat turmas, primusque ruebat in hostem,
Candenti sublimis equo: trahit undique lectum
Divitis Ausoniæ juvenem, Marsosque, Coram-
que, 220
Laurentumque decus, jaculatoremque Sabellum,
Et Gradivicolam celso de colle Tudertem,
Indutosque simul gentilia lina Faliscos,
Quosque sub Herculeis taciturno flumine muris
Pomifera arva creant Anienicolæ Catilli, 225
Quosque in prægelidis duratos Hernica rivis
Mittebant saxa, et nebulosi rura Casini.
Ibant in Martem terræ dominantis alumni,
Damnati superis, nec jam reditura juventus.
Scipio, qua medius pugnæ vorat agmina vortex,
Infert cornipedem, atque instinctus strage suo-
rum 231
Inferias cæsis mactat Labarumque, Padumque,
Et Caunum, et multo vix fusum vulnere Brencum,
Gorgoneoque Larum torquentem lumina vultu.
Occidis et tristi, pugnax Lepontice, fato. 235
Nam dum frena ferox objecto corpore prensat,
Atque æquat celsus residentis consulis ora
Ipse pedes, frontem in mediam gravis incidit
ensis, [amens
Et divisum humeris jacuit caput. At Batus,
Qui luctatur equo, parmaque incursibus obstat,
Ictu quadrupedis fulva porrectus arena 241
Elisa incussis amisit calcibus ora.
Perfurit Ausonius turbata per æquora ductor.
Ceu Geticus Boreas, totum cum sustulit imo
Icarium fundo victor mare: navita vasto 245
Jactatur sparsus lacerata classe profundo,
Cunctæque canenti perfunditur æquore Cyclas.
Crixus, ut in tenui spes, exiguumque salutis
Jam videt esse super, mortemque adstare pro-
pinquam,
Armat contemtu mentem necis: horrida barba
Sanguinea rutilat spuma, rictusque furentis 251
Albet, et affuso squalent a pulvere crines.
Invadit Tarium, vicino consule pugnas
Miscentem, sævisque virum circumtonat armis.
Volvitur ille solo: nam pronum effundit in armos
Fata extrema ferens abies, rapiturque pavore 256
Tractus equi, vinctis connexa ad cingula membris.
Longa cruor sparso linquit vestigia campo,
Et tremulos cuspis ductus in pulvere signat.
Laudabat leti juvenem, egregiosque parabat 260
Ulcisci consul manes: cum dira per auras
Vox venit, et Crixum ferri clamoribus audit,
Haud notum vultu: surgit violentior ira
Cominus, atque oculos optato in corpore figit.
Tum stimulans grato plausæ cervicis honore 265
Cornipedem alloquitur: Vulgum, Martemque mi-
norem
Hactenus, et leto dedimus sine nomine gentem.
Nunc, Gargane, vocant superi ad majora: videsne
Quantus eat Crixus? jam nunc tibi præmia pono
Illum, Sidonio fulgentem ardore, tapeta, 270
Barbaricum decus, et fulvis donabere frenis.
Sic fatus, magno Crixum clamore ciebat
In pugnam, ac vacuo poscebat prœlia campo
Nec detrectantem par ira accenderat hostem.
Ut jussæ cessere retro, spatiumque dederunt 275
Hinc atque hinc alæ, et medio stetit æquore
pugna;
Quantus Phlegræis telluris alumnus in arvis
Movit signa Mimas, et cœlum exterruit armis,
Tantus semifero Crixus sub pectore murmur
Torquet, et horrisonis ululatibus erigit iras. 280
Nemone incensæ captæque superfuit urbi,
Ut tibi, quas Brenni populus ferremus in arma,
Narraret, dextras? disce en nunc, inquit; et una
Contorquet nodis et obusto robore diram [dum,
Vel portas quassare trabem: sonat illa tremen-
Ac nimio jactu servasse improvida campi 286
Distantis spatium, propiorem transvolat hostem.
Cui consul: Ferre hæc umbris proavoque me-
mento,
Quam procul occumbas Tarpeia sede, tibique
Haud licitum sacri Capitolia cernere montis. 290
Tum nodo cursuque levi simul adjuvat hastam,
Dignum mole viri nisus: fugit illa per oras
Multiplicis lini, subtextaque tegmina nervis,
Atque altum tota metitur cuspide pectus.
Procumbit lata porrectus in arva ruina, 295
Et percussa gemit tellus ingentibus armis.
Haud aliter, structo Tyrrhena ad littora saxo
Pugnatura fretis subter cæcisque procellis
Pila, immane sonans impingitur ardua ponto.
Immugit Nereus, divisaque cærula pulsu 300
Illisum accipiunt irata sub æquora montem.
Ductore amisso pedibus se credere Celtæ:
Una spes anima tantusque pependerat ardor.
Ac veluti summo venator densa Picano
Cum lustra exagitat, spissisque cubilibus atram
Immittit passim dumosa per invia pestem: 306
Dum tacitas vires et flammam colligit ignis,
Nigranti piceus sensim caligine vertex
Volvitur, et pingui contorquet nubila fumo;
Mox subita in toto lucent incendia monte. 310
Fit sonitus: fugere feræ, fugere volucres,
Atque ima longe trepidant in valle juvencæ.
At Mago, ut vertisse globos, primumque labo-
rem,
Qui solus genti est, cassum videt, arma suorum
Ac patrium in pugnas equitem vocat. Undique
Adsiliunt frenis infrenatique manipli. [nudi
Nunc Itali in tergum versis referuntur habenis,
Nunc rursus Tyrias retro pavor avehit alas.
Aut illi dextros lunatis flexibus orbes,
Aut illi lævos sinuant in cornua gyros: 320
Texunt alterno glomerata volumina cursu,
Atque eadem refuga cedentes arte resolvunt.
Hac pontum vice, ubi exercet discordia ventos,
Fert Boreas, Eurusque refert, molemque pro-
fundi
Nunc huc alterno, nunc illuc flamine gestant.
Advolat aurato præfulgens murice ductor 326
Sidonius, circaque Metus, Terrorque, Furorque.
Isque ubi Callaici radiantem tegminis orbem
Extulit, et magno percussit lumine campos,
Spes virtusque cadunt, trepidaque a mente recedit
Vertere terga pudor: nec leti cura decori, 331
Sed fugere infixum est, terræque optantur hiatus.
Sic, ubi Caucasiis tigris se protulit antris,
Linquuntur campi, et tutas petit omne latebras
Turbatum insano vultu pecus; illa pererrat 335
Desertas victrix valles, jamque ora reducte
Paullatim nudat rictu, ut præsentia mandens

Corpora, et immani stragem meditatur hiatu.
Non illum Metabus, non illum celsior Ufens
Evasere tamen, quamvis hic alite planta, 340
Hic ope cornipedis totis ferretur habenis.
Nam Metabum ad manes demisit cuspide fulgens
Fraxinus, Ufentem collapsum poplite cæso
Ensis obît, laudemque pedum cum sanguine ademit. [que
Jamque dedit leto Sthenium, Laurumque, domo-
Collinum gelida, vitreo quem Fucinus antro 346
Nutrierat, dederatque lacum transmittere nando.
Fit socius leti conjecta Massicus hasta,
Vitiferi sacro generatus vertice montis,
Et Liris nutritus aquis, qui fonte quieto 350
Dissimulat cursum, ac nullo mutabilis imbri
Perstringit tacitas gemmanti gurgite ripas.
Exoritur rabies cædum, ac vix tela furori
Sufficiunt: teritur junctis umbonibus umbo,
Pesque pedem premit, et nutantes casside cristæ
Hostilem tremulo pulsant conamine frontem. 356
Tergemini primam ante aciem fera prœlia fra-
Miscebant, quos Ledæo Sidonia Barce [tres
Xanthippo felix uteri inter bella crearat.
Res Graiæ, ductorque parens, ac nobile Amyclæ
Nomen, et injectus Spartanis colla catenis 361
Regulus inflabant veteri præcordia fama:
Marte probare genus, factisque Lacœna parentem
Ardebant, gelidosque dehinc invisere montes
Taygeta, et tandem bellis innare subactis 365
Eurotan patrium, ritusque videre Lycurgi.
Sed Spartam penetrare deus, fratresque negarunt
Ausonii, totidem numero, quos miserat altis
Egeriæ genitos immitis Aricia lucis,
Ætatis mentisque pares; at non dabat ultra 370
Clotho dura lacus aramque videre Dianæ.
Namque ut in adversos, impacti turbine pugnæ,
Eumachus et Critias et lætus nomine patris
Xanthippus junxere gradus, ceu bella leones
Inter se furibunda movent, et murmure anhelo
Squalentes campos et longa mapalia complent:
Omnis in occultas rupes atque avia pernix
Maurus saxa fugit, conjuxque Libyssa profuso,
Vagitum cohibens, suspendit ab ubere natos:
Illi dira fremunt, perfractaque in ore cruento 380
Ossa sonant, pugnantque feris sub dentibus artus.
Haud secus Egeriæ pubes, hinc Virbius acer,
Hinc Capys, adsiliunt, paribusque Albanus in
Subsidens paullum perfossa proruit alvo [armis.
Albanum Critias; ast illi cuncta repente 385
Implerunt clypeum miserando viscera lapsu.
Eumachus inde Capyn: sed tota mole tenebat
Ceu fixum membris tegimen: tamen improbus
Annexam parmæ decidit vulnere lævam, [ensis
Inque suo pressa est non reddens tegmina nisu
Infelix manus, atque hæsit labentibus armis. 391
Ultima restabat fusis jam palma duobus
Virbius: huic trepidos simulanti ducere gressus
Xanthippus gladio, rigida cadit Eumachus hasta,
Et tandem æquatæ geminato funere pugnæ. 395
Inde alterna viris transegit pectora mucro,
Inque vicem erepta posuerunt prœlia vita.
Felices leti, pietas quos addidit umbris!
Optabunt similes venientia sæcula fratres,
Æternumque decus memori celebrabitur ævo,
Si modo ferre diem serosque videre nepotes 401
Carmina nostra valent, nec famam invidit Apollo.
At consul toto palantes æquore turmas
Voce tenet, dum voce viget: Quo signa refertis?
Quis vos, heu, vobis pavor abstulit? horrida primi 405
Si sors visa loci, pugnæque lacessere frontem;
Post me state, viri, et pulsa formidine tantum
Adspicite. Has dextras capti genuere parentes.
Qua fugitis? quæ spes victis? Alpesne petemus?
Ipsam turrigero portantem vertice muros 410
Credite submissas Romam nunc tendere palmas.
Natorum passim raptus, cædemque parentum,
Vestalesque focos exstingui sanguine cerno.
Hoc arcete nefas. Postquam inter talia crebro
Clamore obtusæ crassoque a pulvere fauces; 415
Hinc læva frenos, hinc dextra corripit arma,
Et latum objectat pectus, strictumque minatur
Nunc sibi, nunc trepidis, ni restent, cominus ensem.
Quas acies alto genitor dum spectat Olympo,
Consulis egregii movere pericula mentem. 420
Gradivum vocat, et patrio sic ore profatur:
Magnanimi me, nate, viri, ni bella capessis,
Haud dubie extremus terret labor: eripe pugnæ
Ardentem, oblitumque sui dulcedine cædum
Siste ducem Libyæ: nam plus petit improbus uno 425
Consulis exitio, tota quam strage cadentum.
Præterea (cernis) teneræ qui prœlia dextræ
Jam credit puer, atque annos transcendere factis
Molitur, longumque putat pubescere bello,
Te duce primitias pugnæ, te magna magistro 430
Audeat, et primum hoc vincat, servasse parentem.
Hæc rerum sator: at Mavors in prœlia currus
Odrysia tellure vocat: tum fulminis atri
Spargentem flammas clypeum, galeamque deorum
Haud ulli facilem, multoque labore Cyclopum 435
Sudatum thoraca capit, quassatque per auras
Titanum bello satiatam sanguinis hastam,
Atque implet cursu campos: exercitus una
Irarum, Eumenidesque simul, letique cruenti
Innumeræ facies, frenisque operata regendis 440
Quadrijugos atro stimulat Bellona flagello.
Fertur ab immenso tempestas horrida cœlo,
Nigrantesque globos et turbida nubila torquens
Involvit terras: quatitur Saturnia sedes
Ingressu tremefacta dei, ripasque relinquit 445
Audito curru, fontique relabitur amnis.
Ductorem Ausonium telis Garamantica pubes
Cinxerat, et Tyrio regi nova dona parabat
Armorum spolium, et rorantia consulis ora.
Stabat fortunæ non cedere certus, et acri 450
Mole retorquebat crudescens cædibus hastas.
Jamque suo, jamque hostili perfusa cruore [bem
Membra madent: cecidere jubæ, gyroque per or-
Arctato Garamas jaculis propioribus instat,
Et librat sæva conjectum cuspide ferrum. 455
Hic puer ut patrio defixum corpore telum
Conspexit, maduere genæ, subitoque trementem
Corripuit pallor, gemitumque ad sidera rupit.
Bis conatus erat præcurrere fata parentis,
Conversa in semet dextra: bis transtulit iras 460
In Pœnos Mavors. Fertur per tela, per hostes
Intrepidus puer, et Gradivum passibus æquat.
Continuo cessere globi, latusque repente
Apparet campo limes: metit agmina tectus
Cœlesti clypeo, et sternit super arma jacentum
Corporaque auctorem teli, multasque paternos
Ante oculos animas, optata piacula, mactat.
Tunc, rapta propere duris ex ossibus hasta,
Innixum cervice ferens humeroque parentem
Emicat: attonitæ tanta ad spectacula turmæ 470
Tela tenent, ceditque loco Libys asper, et omnis
Late cedit Iber, pietasque insignis et ætas
Belligeris fecit miranda silentia campis.

Tum celso e curru Mavors, Carthaginis arces
Exscindes, inquit, Tyriosque ad fœdera coges:
Nulla tamen longo tanta exorietur in ævo 476
Lux tibi, care puer: macte, o macte indole sacra,
Vera Jovis proles; et adhuc majora supersunt:
Sed nequeunt meliora dari. Tum nubila Mavors
Ætheraque, emenso terras jam sole, capessit,
Et fessas acies castris clausere tenebræ. 481
Condebat noctem devexo Cynthia curru
Fraternis afflata rotis, et ab æquore Eoo
Surgebant roseæ media inter cærula flammæ.
At consul tristis, campos Pœnisque secundam 485
Planitiem metuens, Trebiam collesque petebat.
Jamque dies rapti cursu navoque labore,
Et medio abruptus fluitabat in amne solutis
Pons vinclis, qui Dardanium transvexerat agmen;
Eridani rapidas aderat cum Pœnus ad undas. 490
Dumque vada et molles aditus per devia flexo
Circuitu petit, et stagni languentia quærit,
Interdum rapta vicinis saltibus alno
Flumineam texit, qua transvehat agmina, classem;
Ecce aderat, Trebiæque simul vicina tenebat, 495
Trinacrio accitus per cærula longa Peloro,
Gracchorum proles consul. Gens inclyta magno
Atque animosa viro, multusque in imagine claris
Præfulgebat avus titulis bellique domique.
Nec Pœni, positis trans amnem in gramine castris,
Deerant: namque animos stimulabant prospera rerum, 501
Increpitansque super ductor: Quis tertius Urbi
Jam superest consul? quænam altera restat in armis
Sicania? en omnes Latiæ, Daunique nepotum
Convenere manus. Feriant nunc fœdera mecum
Ductores Italûm, ac leges et pacta reposcant. 506
At tu, donata tela inter Martia luce,
Infelix animæ, sic, sic vivasque, tuoque
Des iterum hanc laudem nato: nec fine sub ævi
Oppetere in bello detur, cum fata vocabunt. 510
Pugnantem cecidisse meum est. Hæc personat ardens.
Inde levi jaculo Massylûmque impiger alis
Castra sub ipsa datis irritat et elicit hostem.
Nec Latius vallo miles debere salutem
Fas putat, aut clausas pulsari cuspide portas. 515
Erumpunt, cunctisque prior volat aggere aperto
Degener haud Gracchis consul: quatit aura comantes
Cassidis Auruncæ cristas, humeroque refulget
Sanguinei patrium saguli decus: agmina magno
Respectans clamore vocat, quaque obvia densos
Arctat turba globos, rumpens iter æquore fertur.
Ut torrens celsi præceps e vertice Pindi 522
Cum sonitu ruit in campos, magnoque fragore
Avulsum montis volvit latus: obvia passim
Armenta, immanesque feræ, sylvæque trahuntur:
Spumea saxosis clamat convallibus unda. 526
Non, mihi Mæoniæ redeat si gloria linguæ,
Centenasque pater det Phœbus fundere voces,
Tot cædes proferre queam, quot dextera magni
Consulis, aut contra Tyriæ furor edidit iræ. 530
Murranum ductor Libyæ, ductorque Phalantum
Ausonius, gnaros belli, veteresque laborum,
Alter in alterius fuderunt cominus ora.
Monte procelloso Murranum miserat Auxur,
Tritonis niveo te sacra, Phalante, profundo. 535
Ut primum insigni fulsit velamine consul,
Quanquam orbus partem visus, unoque Cupencus
Lumine sufficiens bellis, citat improbus hastam,
Et summæ figit tremebundam margine parmæ.
Cui consul, namque ira coquit: Pone, improbe, quicquid 540
Restat in ore fero, et truncata fronte relucet.
Sic ait, intorquens directo turbine robur,
Et dirum tota transmittit cuspide lumen.
Nec levior dextra generatus Hamilcare sævit.
Huic cadit infelix niveis Varenus in armis, 545
Mevanas Varenus, arat cui divitis uber
Campi Fulginia, et patulis Clitumnus in arvis
Candentes gelido perfundit flumine tauros.
Sed tristes superi, atque ingrata maxima cura
Victima Tarpeio frustra nutrita Tonanti. 550
Instat Iber levis, et levior discurrere Maurus.
Hinc pila, hinc Libycæ certant subtexere cornus
Densa nube polum: quantumque interjacet æqui
Ad ripas campi, tantum vibrantia condunt
Tela, nec arctatis locus est in morte cadendi. 555
Allius, Argyripa Daunique profectus ab arvis
Venator, rudibus jaculis et Iapyge campum
Persultabat equo, mediosque invectus in hostes
Appula non vana torquebat spicula dextra.
Huic horret thorax Samnitis pellibus ursæ, 560
Et galea annosi vallatur dentibus apri.
Verum ubi turbantem, solo ceu lustra pererret
In nemore, aut agitet Gargano terga ferarum,
Hinc Mago, hinc sævus pariter videre Maharbal;
Ut subigente fame diversis rupibus ursi 565
Invadunt trepidum gemina inter prœlia taurum,
Nec partem prædæ patitur furor: haud secus acer
Hinc atque hinc jaculo devolvitur Allius acto.
It stridens per utrumque latus Maurusia taxus:
Obvia tum medio sonuerunt spicula corde, 570
Incertumque fuit, letum cui cederet hastæ.
Et jam, dispersis Romana per agmina signis,
Palantes agit ad ripas (miserabile) Pœnus
Impellens trepidos, fluvioque immergere certat.
Tum Trebia infausto nova prœlia gurgite fessis
Inchoat, et precibus Junonis suscitat undas. 576
Haurit subsidens fugientum corpora tellus,
Infidaque soli frustrata voragine sorbet:
Nec niti, lentoque datur convellere limo
Mersa pedum penitus vestigia: labe tenaci 580
Hærent devincti gressus, resolutaque ripa
Implicat, aut cæca prosternit fraude paludis.
Jamque alius super atque alius per lubrica surgens,
Dum sibi quisque viam per inextricabile littus
Præripit, et putri luctatur cespite, lapsi 585
Occumbunt, seseque sua pressere ruina.
Ille, celer nandi, jam jamque apprendere tuta
Dum parat, et celso connisus corpore prensat
Gramina summa manu, liquidisque emergit ab undis,
Contorta ripæ pendens affigitur hasta. 591
Hic hostem, orbatus telo, complectitur ulnis,
Luctantemque vado permixta morte coercet.
Mille simul leti facies. Ligus occidit arvis;
Sed projecta viri lymphis fluvialibus ora
Sanguineum hauserunt longis singultibus amnem
Enabat tandem medio vix gurgite pulcher 596
Hirpinus, sociûmque manus clamore vocabat,
Cum rapidis illatus aquis et vulnere multo
Impulit asper equus, fessumque sub æquora mersit.
Accumulat clades subito conspecta per undas
Vis elephantorum turrito concita dorso.
Namque vadis præceps rapitur, ceu proruta cautes
Avulsi montis, Trebiamque insueta timentem
Præ se pectore agit, spumantique incubat alveo.
Explorant adversa viros, perque aspera duro 605
Nititur ad laudem virtus interrita clivo.
Namque inhonoratam Fibrenus perdere mortem

Et famæ nudam impatiens, Spectabimur, inquit,
Nec, Fortuna, meum condes sub gurgite letum.
Experiar, sitne in terris, domitare quod ensis 610
Non queat Ausonius, Tyrrhenave permeet hasta.
Tum jacit adsurgens, dextroque in lumine sistit
Spicula sæva feræ, telumque in vulnere linquit.
Stridore horrisono penetrantem cuspidis ictum
Bellua prosequitur, laceramque cruore profuso
Attollit frontem, ac lapso dat terga magistro. 616
Tum vero invadunt jaculis crebraque sagitta,
Ausi jam sperare necem, immensosque per armos
Et laterum extentus venit atra cuspide vulnus.
Stat multa in tergo et nigranti lancea dorso, 620
Ac sylvam ingentem concusso corpore vibrat:
Donec, consumtis longo certamine telis,
Concidit, et clausit magna vada pressa ruina.
Ecce per adversum, quanquam tardata morantur
Vulnere membra virum, subit implacabilis amnem 625
Scipio, et innumeris infestat cædibus hostem.
Corporibus, clypeisque simul, galeisque cadentum
Contegitur Trebia, et vix cernere linquitur undas.
Mazæus jaculo, Gestar prosternitur ense:
Tum Pelopeus avis Cyrenes incola Telgon. 630
Huic torquet rapido correptum e gurgite pilum,
Et, quantum longo ferri tenuata rigore
Procedit cuspis, per hiantia transigit ora.
Pulsati ligno sonuere in vulnere dentes.
Nec leto quæsita quies: turgentia membra 635
Eridano Trebia, Eridanus dedit æquoris undis.
Tu quoque, Thapse, cadis, tumulo post fata negato.
Quid domus Hesperidum, aut luci juvere dearum,
Fulvos aurifera servantes arbore ramos?
Intumuit Trebia, et stagnis se sustulit imis:
Jamque ferox totum propellit gurgite fontem,
Atque omnes torquet vires: furit unda sonoris
Vorticibus, sequiturque novus cum murmure torrens.
Sensit, et accensa ductor violentius ira,
Magnas, o Trebia, et meritas mihi, perfide, pœnas
Exsolves, inquit: lacerum per Gallica rivis 646
Dispergam rura, atque amnis tibi nomina demam,
Quoque aperis te fonte, premam; nec tangere ripas,
Illabique Pado dabitur. Quænam ista repente
Sidonium, infelix, rabies te reddidit amnem? 650
Talia jactantem consurgens agger aquarum
Impulit, atque humeros curvato gurgite pressit.
Arduus adversa mole incurrentibus undis
Stat ductor, clypeoque ruentem sustinet amnem.
Nec non a tergo fluctus stridente procella 655
Spumeus irrorat summas adspergine cristas.
Ire vadis, stabilemque vetat defigere gressum
Subducta tellure deus, percussaque longe
Raucum saxa sonant, undæque ad bella parentis
Excitæ pugnant, et ripas perdidit amnis. 660
Tum madidos crines et glauca fronde revinctum
Attollit cum voce caput: Pœnasne superbas
Insuper, et nomen Trebiæ delere minaris,
O regnis inimice meis? quot corpora porto
Dextra fusa tua! clypeis galeisque virorum, 665
Quos mactas, arctatus iter cursumque reliqui.
Cæde (vides) stagna alta rubent, retroque feruntur.
Adde modum dextræ, aut campis incumbe propinquis.
Hæc Venere adjuncta tumulo spectabat ab alto
Mulciber, obscuræ tectus caligine nubis. 670
Ingravat ad cœlum sublatis Scipio palmis:
Di patrii, quorum auspiciis stat Dardana Roma,
Talin' me leto tanta inter prœlia nuper
Servastis? fortine animam hanc exscindere dextra
Indignum est visum? redde o me, nate, periclis,
Redde hosti: liceat bellanti arcessere mortem,
Quam patriæ fratrique probem. Tum percita dictis
Ingemuit Venus, et rapidas direxit in amnem
Conjugis invicti vires: agit undique flammam
Dispersus ripis ignis, multosque per annos 680
Nutritas fluvio populatur fervidus umbras.
Uritur omne nemus, lucosque effusus in altos
Immissis crepitat victor Vulcanus habenis.
Jamque ambusta comas abies, jam pinus, et alni:
Jam, solo restans trunco, dimisit in altum 685
Populus adsuetas ramis habitare volucres.
Flamma vorax imo penitus de gurgite tractos
Absorbet latices, sævoque urgente vapore
Siccus inarescit ripis cruor: horrida late
Scinditur in rimas, et hiatu rupta dehiscit 690
Tellus, ac stagnis altæ sedere favillæ.
Miratur pater æternos cessare repente
Eridanus cursus, Nympharumque intima mæstus
Implevit chorus attonitis ululatibus antra.
Ter caput ambustum conantem attollere jacta
Lampade Vulcanus mersit fumantibus undis: 696
Ter correpta dei crines nudavit arundo.
Tum demum admissæ voces et vota precantis,
Orantique datum ripas servare priores:
Ac tandem a Trebia revocavit Scipio fessas 700
Munitum in collem, Graccho comitante, cohortes.
At Pœnus, multo fluvium veneratus honore,
Gramineas undis statuit socialibus aras;
Nescius heu, quanto superi majora moverent,
Et quos Ausoniæ luctus, Trasimene, parares. 705
Boiorum nuper populos turbaverat armis
Flaminius, facilisque viro tum gloria belli,
Corde levem atque astus inopem contundere gentem.
Sed labor haud idem Tyrio certasse tyranno.
Hunc, lævis Urbi genitum ad fatalia damna 710
Ominibus, parat imperio Saturnia fesso
Ductorem, dignumque virum veniente ruina.
Inde ubi prima dies juris, clavumque regendæ
Invasit patriæ, ac sub nutu castra fuere,
Ut pelagi rudis, et pontum tractare per artem 715
Nescius, accepit miseræ si jura carinæ,
Ventorum tenet ipse vicem, cunctisque procellis
Dat jactare ratem: fertur vaga gurgite puppis,
Ipsius in scopulos dextra impellente magistri.
Ergo agitur raptis præceps exercitus armis 720
Lydorum in populos, sedemque ab origine prisci
Sacratam Corythi, junctosque a sanguine avorum
Mæonios Italis permixta stirpe colonos.
Nec regem Afrorum poscenda ad cœpta moratur
Laude super tanta monitor deus. Omnia somni
Condiderant, ægrisque dabant oblivia curis; 726
Cum Juno, in stagni numen conversa propinqui,
Et madidæ frontis crines circumdata fronde
Populea, stimulat subitis præcordia curis,
Ac rumpit ducis haud spernenda voce quietem:
O felix famæ, et Latio lacrymabile nomen 731
Hannibal, Ausonia si te fortuna creasset,
Ad magnos venture deos, cur fata tenemus?
Pelle moras: brevis est magni fortuna favoris
Quantum vovisti, cum Dardana bella parenti 735
Jurares, fluet Ausonio tibi corpore tantum
Sanguinis, et patrias satiabis cædibus umbras.
Nobis persolves meritos securus honores.
Namque ego sum, celsis quem cinctum montibus ambit
Tmolo missa manus, stagnis Trasimenus opacis.

His agitur monitis, et lætam numine pubem 741
Protinus aerii præceps rapit aggere montis.
Horrebat glacie saxa inter lubrica, summo
Piniferum cœlo miscens caput, Apenninus.
Condiderat nix alta trabes, et vertice celso 745
Canus apex structa surgebat ad astra pruina.
Ire juvat: prior exstingui labique videtur
Gloria, post Alpes si stetur montibus ullis.
Scandunt prærupti nimbosa cacumina saxi.
Nec superasse jugum finit mulcetve laborem.
Plana natant, putrique gelu liquentibus undis751
Invia limosa restagnant arva palude.
Jamque ducis nudus tanta inter inhospita vertex
Sævitia quatitur cœli, manante per ora
Perque genas oculo. Facilis sprevisse medentes,
Optatum bene credit emi quocunque periclo 756
Bellandi tempus: non frontis parcit honori,
Dum ne perdat iter; non cætera membra moratur
In pretium belli dare, si victoria poscat:
Satque putat lucis, Capitolia cernere victor 760
Qua queat, atque Italum feriat qua cominus hostem.
Talia perpessi tandem inter sæva locorum
Optatos venere lacus, ubi deinde per arma
Sumeret amissi numerosa piacula visus.
Ecce autem Patres aderant Carthagine missi,
(Causa viæ non parva viris,) nec læta ferebant.
Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,
Poscere cæde deos veniam, ac flagrantibus aris
Infandum dictu, parvos imponere natos.
Urna reducebat miserandos annua casus, 770
Sacra Thoarteæ ritusque imitata Dianæ.
Cui fato sortique deûm de more petebat
Hannibalis prolem discors antiquitus Hannon.
Sed propior metus armati ductoris ab ira,
Et magna ante oculos stabat genitoris imago.775
Asperat hæc fœdata genas laceratque crines,
Atque urbem complet mæsti clamoris Imilce.
Edonis ut Pangæa super trieteride mota
It juga, et inclusum suspirat pectore Bacchum.
Ergo inter Tyrias, facibus ceu subdita, matres 780
Clamat: Io conjux, quocunque in cardine mundi
Bella moves, huc signa refer; violentior hic est,
Hic hostis propior: tu nunc fortasse sub ipsis
Urbis Dardaniæ muris vibrantia tela
Excipis intrepidus clypeo, sævamque coruscans
Lampada Tarpeiis infers incendia tectis. 786
Interea tibi prima domus atque unica proles,
Heu, gremio in patriæ Stygias raptatur ad aras.
I nunc, Ausonios ferro populare penates,
Et vetitas molire vias; i, pacta resigna 790
Per cunctos jurata deos: sic præmia reddit
Carthago, et tales jam nunc tibi solvit honores.
Quæ porro hæc pietas, delubra adspergere tabo?
Heu primæ scelerum causæ mortalibus ægris,
Naturam nescire deûm! justa ite precati 795
Thure pio, cædumque feros avertite ritus.
Mite et cognatum est homini deus. Hactenus
Sit satis ante aras cæsos vidisse juvencos: [oro,
Aut si velle nefas superos fixumque sedetque,
Me, me, quæ genui, vestris absumite votis. 800
Cur spoliare juvat Libycas hac indole terras?
An flendæ magis Ægates, et mersa profundo
Punica regna forent, olim si sorte cruenta
Esset tanta mei virtus prærepta mariti?
Hæc dubios vario divûmque hominumque timore
Ad cauta illexere Patres; ipsique relictum, 806
Abnueret sortem, an superûm pareret honori.
Tum vero trepidare sui vix compos Imilce,
Magnanimi metuens immitia corda mariti.
His avide auditis, ductor sic deinde profatur:
Quid tibi pro tanto non impar munere solvat
Hannibal æquatus superis? quæ præmia digna
Inveniam, Carthago parens? noctemque diemque
Arma feram, templisque tuis hinc plurima faxo
Hostia ab Ausonio veniat generosa Quirino. 815
At puer armorum et belli servabitur hæres.
Spes o, nate, meæ, Tyriarumque unica rerum
Hesperia minitante salus, terraque fretoque
Certare Æneadis, dum stabit vita, memento.
Perge, (patent Alpes,) nostroque incumbe labori.
Vos quoque, di patrii, quorum delubra piantur
Cædibus, atque coli gaudent formidine matrum,
Huc lætos vultus, totasque advertite mentes.
Namque paro sacra, et majores molior aras.
Tu, Mago, adversi conside in vertice montis: 825
Tu lævos propior colles accede, Choaspe:
Ad claustra et fauces ducat per opaca Sichæus.
Ast ego te, Trasimene, vago cum milite præceps
Lustrabo, et superis quæram libamina belli.
Namque haud parva deus promissis spondet aper-
Quæ spectata, viri, patriam referatis in urbem. [tis

LIBER QUINTUS.

Ceperat Etruscos occulto milite colles
Sidonius ductor, perque alta silentia noctis
Sylvarum anfractus cæcis insiderat armis.
At parte e dextra restagnans gurgite vasto
Effigiem in pelagi lacus exundabat inertis, 5
Et late multo fœdabat proxima limo:
Quæ vada, Faunigenæ regnata antiquitus Auno,
Nunc volvente die Trasimeni nomina servant.
Lydius huic genitor, Tmoli decus, æquore longo
Mæoniam quondam in Latias advexerat oras 10
Tyrrhenus pubem, dederatque vocabula terris:
Isque insueta tubæ monstravit murmura primus
Gentibus, et bellis ignava silentia rupit.
Nec modicus voti natum ad majora fovebat.
Verum ardens puero, castumque exuta pudorem,
(Nam forma certare deis, Trasimene, valeres,) 16
Littore correptum stagnis demisit Agylle,
Flore capi juvenum primævo lubrica mentem
Nympha, nec Idalia lenta incaluisse sagitta.
Solatæ viridi penitus fovere sub antro 20
Naides, amplexus undosaque regna trementem.
Hinc dotale lacus nomen, lateque Hymenæo
Conscia lascivo Trasimenus dicitur unda.
Et jam curriculo nigram Nox roscida metam
Stringebat, nec se thalamis Tithonia conjux 25
Protulerat, stabatque nitens in limine primo;
Cum minus abnuerit noctem desisse viator,
Quam cœpisse diem: consul carpebat iniquas.

Prægrediens signa ipsa, vias, omnisque ruebat
Mixtus eques; nec discretis levia arma maniplis,
Insertique globo pedites, et inutile Marti 31
Lixarum vulgus, præsago cuncta tumultu
Implere, ac pugnam fugientum more petebant.
Tum super ipse lacus, densam caligine cæca
Exhalans nebulam, late corruperat omnem 35
Prospectum miseris, atque atræ noctis amictu
Squalebat pressum picea inter nubila cœlum.
Nec Pœnum liquere doli: sedet ense reposto
Abditus, et nullis properantem occursibus arcet.
Ire datur, longeque patet, ceu pace quieta, 40
Incustoditum, mox irremeabile, littus.
Namque sub angustas arctato limite fauces
In fraudem ducebat iter, geminumque receptis
Exitium, hinc rupes, hinc undæ claustra preme-
At cura umbroso servabat vertice montis [bant.
Hostilem ingressum, refugos habitura sub ictu.
Haud secus ac vitreas sollers piscator ad undas,
Ore levem patulo texens de vimine nassam,
Cautius interiora ligat, mediamque per alvum
Sensim fastigans compressa cacumina nectit, 50
Ac fraude arctati remeare foraminis arcet
Introitu facilem, quem traxit ab æquore, piscem.
Ocius interea propelli signa jubebat
Excussus consul fatorum turbine mentem,
Donec flammiferum tollentes æquore currum 55
Solis equi sparsere diem: jamque orbe renato
Diluerat nebulas Titan, sensimque fluebat
Caligo in terras nitido resoluta sereno.
Tunc ales, priscum populis de more Latinis
Auspicium, cum bella parant, mentesque deorum
Explorant super eventu, ceu præscia luctus, 61
Damnavit vesci, planctuque alimenta refugit.
Nec rauco taurus cessavit flebile ad aras
Immugire sono, pressamque ad colla bipennem
Incerta cervice ferens altaria liquit. 65
Signa etiam affusa certant dum vellere mole,
Teter humo lacera nitentum erupit in ora
Exsultans cruor, et cædis documenta futuræ
Ipsa parens miseris gremio dedit atra cruento:
Ac super hæc divûm genitor, terrasque fretumque
Concutiens tonitru, Cyclopum rapta caminis 71
Fulmina Tyrrhenas Trasimeni torsit in undas:
Ictusque ætheria per stagna patentia flamma
Fumavit lacus, atque arserunt fluctibus ignes.
Heu vani monitus, frustraque morantia Parcas 75
Prodigia! heu fatis superi certare minores!
Atque hic egregius linguæ, nomenque superbum
Corvinus, Phœbea sedet cui casside fulva
Ostentans ales proavitæ insignia pugnæ,
Plenus et ipse deûm, et sociûm terrente pavore,
Immiscet precibus monita, atque his vocibus infit:
Iliacas per te flammas, Tarpeiaque saxa,
Per patrios, consul, muros, suspensaque nostræ
Eventu pugnæ natorum pignora, cedas
Oramus superis, tempusque ad prœlia dextrum
Opperiare: dabunt idem camposque diemque 86
Pugnandi; tantum ne dedignare secundos
Exspectare deos: cum fulserit hora, cruentam
Quæ stragem Libyæ portet, tum signa sequentur
Nulla vulsa manu, vescique interritus ales 90
Gaudebit, nullosque vomet pia terra cruores.
An te præstantem belli fugit, improba quantum
Hoc possit fortuna loco? sedet obvius hostis
Adversa fronte; at circa nemorosa minantur
Insidias juga, nec læva stagnantibus undis 95
Effugium patet, et tenui stant tramite fauces.
Si certare dolis, et bellum ducere cordi est,
Interea rapidis aderit Servilius armis,
Cui par imperium, et vires legionibus æquæ.
Bellandum est astu: levior laus in duce dextræ
Talia Corvinus: primoresque addere passim
Orantum verba, et divisus quisque timore
Nunc superos, ne Flaminio, nunc deinde precari
Flaminium, ne cœlicolis contendere perstet.
Acrius hoc accensa ducis surrexerat ira, 105
Auditoque furens socias non defore vires:
Siccine nos, inquit, Boiorum in bella ruentes
Spectastis, cum tanta lues vulgusque tremendum
Ingrueret, rupesque iterum Tarpeia paveret?
Quas ego tunc animas dextra, quæ corpora fudi,
Irata tellure sata, et vix vulnere vitam 111
Reddentes uno! jacuere ingentia membra [arva.
Per campos, magnisque premunt nunc ossibus
Scilicet has sera ad laudes Servilius arma
Adjungat, nisi diviso vicisse triumpho 115
Ut nequeam, et decoris contentus parte quiescam?
Quippe monent superi. Similes ne fingite vobis,
Classica qui tremitis, divos: sat magnus in hos-
tem [num
Augur adest ensis, pulchrumque et milite dig-
Auspicium Latio, quod in armis dextera præstat.
An, Corvine, sedet, clausum se consul inerti 121
Ut teneat vallo; Pœnus nunc occupet altos
Arreti muros, Corythi nunc diruat arcem,
Hinc Clusina petat; postremo ad mœnia Romæ
Illæsus contendat iter? Deforme sub armis 125
Vana superstitio est: dea sola in pectore Virtus
Bellantum viget. Umbrarum me noctibus atris
Agmina circumstant, Trebiæ qui gurgite, quique
Eridani volvuntur aquis inhumata juventus.
Nec mora: jam medio cœtu, signisque sub ipsis
Postrema aptabat nulli exorabilis arma. 131
Ære atque æquorei tergo flavente juvenci
Cassis erat munita viro, cui vertice surgens
Triplex crista jubas effundit crine Suevo:
Scylla super, fracti contorquens pondera remi,
Instabat, sævosque canum pandebat hiatus: 136
Nobile Gergovi spolium, quod rege superbus
Boiorum cæso capiti illacerabile victor
Aptarat, pugnasque decus portabat in omnes.
Loricam induitur: tortos huic nexilis hamos 140
Ferro squama rudi permixtoque asperat auro.
Tum clypeum capit, adspersum quem cædibus olim
Celticus ornarat cruor, humentique sub antro,
Ceu fetum, lupa permulcens puerilia membra,
Ingentem Assaraci cœlo nutribat alumnum. 145
Hinc ensem lateri, dextræque accommodat hastam.
Stat sonipes, vexatque ferox spumantia frena,
Caucasiam instratus virgato corpore tigrim.
Inde exceptus equo, qua dant angusta viarum,
Nunc hos, nunc illos adit, atque hortatibus implet.
Vestrum opus est, vestrumque decus, suffixa per
Urbem 151
Pœni ferre ducis spectanda parentibus ora. [que
Unum hoc pro cunctis sat erit caput. Aspera quis-
Hortamenta sibi referat: Meus, heu, meus atris
Ticini frater ripis jacet: at meus alta 155
Metitur stagna Eridani sine funere natus. [ris
Hæc sibi quisque: sed est vestrum cui nulla dolo-
Privati rabies, is vero ingentia sumat
E medio, fodiant quæ magnas pectus in iras;
Perfractas Alpes, passamque infanda Saguntum,
Quosque nefas vetiti transcendere nomen Iberi,
Tangere jam Tibrim: nam dum vos augur, et extis
Quæsitæ fibræ, vanusque moratur haruspex, 163
Solum jam superest, Tarpeio imponere castra.
Turbidus hæc, visque arctis in millibus atras
Bellatore jubas aptante, Est, Orphite, munus,

Est, ait, hoc certare tuum, quis opima volenti
Dona Jovi portet feretro suspensa cruento.
Nam cur hæc alia pariatur gloria dextra? [tam
Hinc prævectus equo, postquam inter prœlia no-
Accepit vocem, Procul hinc te Martius, inquit,
Murrane, ostendit clamor, videoque furentem
Jam Tyria te cæde: venit laus quanta! sed, oro,
Hæc angusta loci ferro patefacta relaxa.
Tum Soracte satum, præstantem corpore et armis,
Æquanum noscens, patrio cui ritus in arvo, 176
Cum pius arcitenens accensis gaudet acervis,
Exta ter innocuos læto portare per ignes:
Sic in Apollinea semper vestigia pruna
Inviolata teras, victorque vaporis ad aras 180
Dona serenato referas sollennia Phœbo;
Concipe, ait, dignum factis, Æquane, furorem
Vulneribusque tuis: socio te cædis et iræ [gem,
Non ego Marmaridûm mediam penetrare phalan-
Cinyphiæque globos dubitarim irrumpere turmæ.
Nec jam ultra monitus et verba morantia Martem
Ferre valet, longo Æneadis quod flebitur ævo.
Increpuere simul feralia classica signum, 188
Ac tuba terrificis fregit stridoribus auras.
Heu dolor, heu lacrymæ, nec tot post sæcula seræ!
Horresco ut pendente malo, ceu ductor ad arma
Exciret Tyrius. Latebrosis collibus Astur,
Et Libys, et torta Balearis sævus habena [masque:
Erumpunt, multusque Maces, Garamasque, No-
Tum, quo non alius venalem in prœlia dextram
Ocior attulerit, conductaque bella probarit, 196
Cantaber, et galeæ contemto tegmine Vasco. [que
Hinc pariter rupes, lacus hinc, hinc arma, simul-
Consona vox urget, signum clamore vicissim
Per colles Tyria circumfundente corona. 200
Avertere dei vultus, fatoque dederunt
Majori non sponte locum: stupet ipse tyranni
Fortunam Libyci Mavors, disjectaque crinem
Illacrymat Venus, et Delum pervectus Apollo
Tristem mærenti solatur pectine luctum. 205
Sola, Apennini residens in vertice, diras
Exspectat cædes immiti pectore Juno.
Primæ Picentum, rupto ceu turbine fusa
Agmina, et Hannibalem ruere ut videre, cohortes
Invadunt ultro, et pœnas pro morte futura, 210
Turbato victore, petunt accensa juventus;
Et, velut erepto metuendi libera cœlo,
Manibus ipsa suis præsumta piacula mittit.
Funditur unanimo nisu et concordibus ausis
Pilorum in Pœnos nimbus, fixosque repulsi 215
Submittunt clypeos curvato pondere teli.
Acrius hoc rursum Libys, ut præsentia sævi
Exstimulat ducis, hortantes se quisque vicissim
Incumbunt, pressoque impellunt pectore pectus.
Ipsa facem quatiens, ac flavam sanguine multo
Sparsa comam, medias acies Bellona pererrat.
Stridit Tartareæ nigro sub pectore divæ
Letiferum murmur, feralique horrida cantu
Buccina lymphatas agit in certamina mentes.
His iras adversa fovent, crudusque ruente 225
Fortuna stimulus spem projecisse salutis:
Hos dexter deus, et læto Victoria vultu
Atridens acuit, Martisque favore fruuntur.
Abreptus pulchro cædum Lateranus amore,
Dum sequitur dextram, in medios penetraverat
hostes. 230
Quem postquam florens æquali Lentulus ævo
Conspexit, nimium pugnæ, nimiumque cruoris,
Infestas inter non æquo Marte catervas
Fata irritantem; nisu se concitat acri,
Immitemque Bogam, qui jam vicina serebat 235
Vulnera pugnantis tergo, velocior hasta
Occupat, et socium duris se casibus addit.
Tunc alacres arma agglomerant, geminaque corusci
Fronte micant: paribus fulgent capita ardua cristis
Actus in adversos casu (namque obvia ferre 240
Arma quis auderet, nisi quem deus ima colentum
Damnasset Stygiæ nocti?) præfracta gerebat
Syrticus excelso decurrens robora monte,
Et, quatiens acer nodosi pondera rami,
Flagrabat geminæ nequicquam cædis amore. 245
Non hic Ægates infidaque littora nautis,
O juvenes, motumque novis sine Marte procellis
Fortunam bello pelagus dabit: æquoris olim
Victores, media sit qualis, discite, terra
Bellator Libys, et meliori cedite regno. 250
Ac simul infesto Lateranum vulnere truncæ
Arboris urgebat, jungens convicia pugnæ.
Lentulus huic frendens ira: Trasimenus in altos
Adscendet citius colles, quam sanguine roret
Iste pio ramus: subsidensque ilia nisu 255
Conantis suspensa fodit: tum fervidus atro
Pulmone exundat per hiantia viscera sanguis.
Nec minus accensis in mutua funera dextris
Parte alia campi sævit furor. Altus Iertes
Obtruncat Nerium: Rullo ditissimus agri 260
Occumbis, generose Volunx, nec clausa repostis
Pondera thesauris, patrio nec regia quondam
Præfulgens ebore, et possessa mapalia soli [auri
Profuerunt: quid parta juvant? quid habentibus
Nunquam exstincta sitis? modo quem Fortuna
fovendo 265
Congestis opibus donisque refersit opimis,
Nudum Tartarea portabit navita cymba.
Juxta bellator juvenilibus Appius ausis [tus,
Pandebat campum cæde, atque, ubi plurima vir-
Nullique adspirare vigor, decus inde petebat. 270
Obvius huic Atlas, Atlas a littore Ibero,
Nequicquam extremæ longinquus cultor arenæ,
Impetit os hasta, leviterque e corpore summo
Degustat cuspis generosum extrema cruorem.
Intonuere minæ, violentaque lumina flammis 275
Exarsere novis: furit, et diffulminat omnem
Obstantum turbam: at clausum sub casside vulnus
Martia commendat mananti sanguine membra.
Tum vero adspiceres pavitantem, et condere semet
Nitentem in sociis juvenem: ceu tigride cerva
Hyrcana cum pressa tremit, vel territa pennas
Colligit accipitrem cernens in nube columba;
Aut dumis subit, albenti si sensit in æthra 283
Librantem nisus aquilam, lepus orbe citato.
Ense ferit tum colla viri, dextramque micantem
Demetit, ac mutat successu sævior hostem.
Stabat fulgentem portans in bella bipennem
Cinyphius, socerique miser Magonis inire
Optabat pugnam ante oculos, spe laudis, Isalces,
Sidonia tumidus sponsa, vanoque superbus 290
Fœdere promissæ post Dardana prœlia tædæ.
Huic immittit atrox violentas Appius iras,
Conantique gravem fronti librare securim,
Altior insurgens, galeam super exigit ictum.
At fragilis valido conamine solvitur ensis 295
Ære in Cinyphio: nec dispar sortis Isalces
Umbonem incerto detersit futilis ictu. [saxum,
Tum, quod humo haud unquam valuisset tollere
Ni vires trux ira daret, contorquet anhelans
Appius, et lapsu resupino in terga cadentem 300
Mole premit scopuli, perfractisque ossibus urget.
Vidit conjuncto miscens certamina campo
Labentem socer, et lacrymæ sub casside fusæ
Cum gemitu, rapidusque ruit: data fœdera nuper

Accendunt animos, exspectatique nepotes.
Jamque aderat, clypeumque viri atque immania membra
Lustrabat visu, propiorque a fronte coruscæ 307
Lux galeæ sævas paullum tardaverat iras.
Haud secus e specula præceps delatus opaca
Subsidit campo, et submissos contrahit artus,
Cum vicina trucis conspexit cornua tauri,
Quamvis longa fames stimulet, leo; nunc ferus alta
Surgentes cervice toros, nunc torva sub hirta
Lumina miratur fronte, ac jam signa moventem
Et sparsa pugnas meditantem spectat arena. 315
Huic prior intorquens telum sic Appius infit:
Si qua tibi pietas, ictum ne desere fœdus,
Et generum comitare socer. Per tegmina velox
Tunc ærisque moras lævo stetit hasta lacerto.
At contra non dicta Libys, sed fervidus hastam
Perlibrat, magni donum memorabile fratris, 321
Cæso quam victor sub mœnibus ille Sagunti
Abstulerat Durio, ac spectatæ nobile pugnæ
Germano dederat portare in prœlia pignus.
Telum ingens perque arma viri, perque ora, do-
Adjutum nisu, letalem pertulit ictum, [loris
Exsanguesque viri conantis vellere ferrum
In vulnus cecidere manus. Jacet æquore nomen
Clarum Mæonio, atque Italæ pars magna ruinæ
Appius: intremuere lacus, corpusque refugit 330
Contractis Trasimenus aquis: telum ore cruento
Exspirans premit, atque admorsæ immurmurat
Nec fati melior Mamercus corpore toto [hastæ.
Exsolvit pœnas, nulli non saucius hosti.
Namque per adversos, qua Lusitana ciebat 335
Pugnas dira manus, raptum cum sanguine cæsi
Signiferi magna vexillum mole ferebat,
Et trepida infelix revocabat signa suorum.
Sed furiata cohors, ausisque accensa superbis,
Quodcunque ipsa manu gestabat missile, quic-
Præbebat tellus sparsis vix pervia telis, [quid
Injecit pariter, pluresque in corpore nullum
Invenere locum perfossis ossibus hastæ.
Advolat interea fraterni vulneris ira
Turbatus Libyæ ductor; visoque cruore, 345
Num lateri cuspis, num toto pondere telum
Sedisset, fratremque amens sociosque rogabat.
Utque metum leti procul, et leviora pavore
Cognovit, proprio tectum gestamine præceps
Ex acie rapit, et tutis a turbine pugnæ 350
Constituit castris. Medicas hinc ocius artes
Et senioris opem Synhali vocat: ungere vulnus
Herbarum hic succis, ferrumque e corpore cantu
Exigere, et somnum tacto misisse chelydro,
Anteibat cunctos, nomenque erat inde per urbes
Perque Parætoniæ celebratum littora Syrtis. [mon
Ipse olim antiquo primum Garamanticus Ham-
Scire pater dederat Synhalo, morsusque ferarum
Telorumque graves ictus sedare medendo.
Atque is deinde suo moriens cœlestia dona 360
Monstravit nato, natusque hæredis honori
Transmisit patrias artes: quem deinde secutus
Haud levior fama Synhalus Garamantica sollers
Monstrata augebat studio, multaque vetustum
Hammonis comitem numerabat imagine patrem.
Tum proavita ferens leni medicamina dextra
Ocius, intortos de more adstrictus amictus,
Mulcebat lympha purgatum sanguine vulnus.
At Mago, exuvias secum cæsique volutans
Hostis mente necem, fraternas pectore curas 370
Pellebat dictis, et casum laude levabat:
Parce metu, germane, meis medicamina nulla
Adversis majora feres: jacet Appius hasta
Ad manes pulsus nostra: si vita relinquat, [bras.
Sat nobis actum est: sequar hostem lætus ad um-
Quæ dum turbatos avertunt æquore campi
Ductores, valloque tenent; ex agmine Pœnum
Cedentem consul tumulo speculatus ab alto,
Atque atram belli castris se condere nubem,
Turbidus extemplo trepidantes milite mæsto
Invadit cuneos, subitoque pavore relaxat
Jam rarescentes acies: tum voce feroci
Poscit equum, ac mediæ ruit in certamina vallis.
Sic ubi torrentem crepitanti grandine nimbum
Illidit terris, molitus Jupiter altas 385
Fulmine nunc Alpes, nunc mixta Ceraunia cœlo,
Intremuere simul tellus, et pontus, et æther,
Ipsaque commoto quatiuntur Tartara mundo.
Incidit attonitis inopino turbine Pœnis
Haud secus improvisa lues, gelidusque sub ossa
Pervasit miseris conspecti consulis horror. 391
It medius, ferroque ruens densissima latum
Pandit iter: clamor vario discrimine vocum
Fert belli rabiem ad superos, et sidera pulsat.
Ceu pater Oceanus cum sæva Tethye Calpen 395
Herculeam ferit, atque exesa in viscera montis
Contortum pelagus latrantibus ingerit undis, [das
Dant gemitum scopuli, fractasque in rupibus un-
Audit Tartessos latis distermina terris,
Audit non parvo divisus gurgite Lixus. 400
Ante omnes jaculo tacitas fallente per auras
Occumbit Bogus, infaustum qui primus ad amnem
Ticini rapidam in Rutulos contorserat hastam.
Ille sibi longam Clotho turbamque nepotum
Crediderat, vanis deceptus in alite signis. 405
Sed non augurio Parcarum impellere metas
Concessum cuiquam: ruit inter tela cruentis
Suspiciens oculis cœlum, superosque reposcit
Tempora promissæ media jam morte senectæ.
Nec Pagaso exsultare, daturve impune relictum
Consulis ante oculos vita spoliasse Libonem. 411
Laurigeris decus illud avis navaque juventa
Florebat: sed Massylus succiderat ensis
Pubescente caput mala, properoque virentes
Delerat leto bellator barbarus annos. 415
Flaminium implorasse tamen jam morte suprema
Haud frustra fuit: avulsa est nam protinus hosti
Ore simul cervix: juvit punire feroci
Victorem exemplo, et monstratum reddere letum.
Quis deus, o Musæ, paribus tot funera verbis
Evolvat, tantisque umbris in carmine digna 421
Quis lamenta ferat? certantes laude cadendi
Primævos juvenes, mortisque in limine cruda
Facta virûm, et fixis rabiem sub pectora telis?
Sternitur alternus vastis concursibus hostis: 425
Nec spoliare vacat, prædæque advertere mentem.
Urget amor cædum, clausis dum detinet hostem
Fraternum castris vulnus: funditque ruitque
Nunc jaculis, nunc ense, modo inter millia consul
Bellantum conspectus equo, modo Marte feroci
Ante aquilas et signa pedes: fluit impia rivis 431
Sanguineis vallis, tumulique et concava saxa
Armorum sonitus flatusque imitantur equorum.
Miscebat campum, membrorum in prœlia portans
Celsius humano robur, visaque paventes 435
Mole gigantei vertebat corporis alas
Othrys Marmarides: lati super agmen utrumque
Ingens tollebant humeri caput, hirtaque torvæ
Frontis cæsaries, et crinibus æmula barba
Umbrabat rictus: squalore huic hispida diro 440
Et villosa feris horrebant pectora setis.
Adspirare viro, propioremque addere Martem
Haud ausum cuiquam: laxo ceu bellua campo

Incessebatur tutis ex agmine telis.
Tandem vesanos palantum in terga ferenti 445
Cum fremitu vultus tacita per nubila penna
Intravit torvum Gortynia lumen arundo,
Avertitque virum: fugientis ad agmina consul
Intorquet tergo jaculum, quod tegmine nudas
Irrupit costas, hirtoque a pectore primum 450
Mucronem ostendit. Rapidus convellere tentat,
Qua nasci ferrum fulgenti cuspide cernit;
Donec, abundanter defuso sanguine, late
Procubuit moriens, et telum vulnere pressit.
Spiritus exundans vicinum pulvere moto 455
Perflavit campum, et nubem dispersit in auras.
Nec minor interea tumulis sylvisque fremebat
Diversis Mavors, variaque per ardua pugna
Et saxa et dumi rorantes cæde nitebant.
Exitium trepidis, letique et stragis acerbæ 460
Causa Sichæus erat: Murranum ille eminus hasta
Perculerat, quo non alius, cum bella silerent,
Dulcius Œbalios pulsavit pectine nervos.
Occubuit sylva in magna, patriosque sub ipso
Quæsivit montes leto, ac felicia Baccho 465
Æquana, et Zephyro Surrentum molle salubri.
Addiderat misero comitem, pugnæque ferocis
Gaudebat tristi victor novitate Sichæus.
Palantes nam dum sequitur, pervaserat altam
In sylvam, et priscæ reclinis ab ictibus ulmi 470
Terga tuebatur trunco, frustraque relictos
Tauranus comites suprema voce ciebat.
Transegit juvenem, ac perfossis incita membris
Hæsit in opposito cuspis Sidonia ligno.
Quid vobis? quænam ira deûm, vel mente sinistra
Quæ sedit formido, viri, qui, Marte relicto, 476
Ramorum quæsistis opem? non æquus in arctis
Nimirum rebus suasor metus: arguit asper
Exitus eventu pravi consulta timoris.
Annosa excelsos tendebat in æthera ramos 480
Æsculus, umbrosum magnas super ardua sylvas
Nubibus insertans altis caput, instar (aperto
Si staret campo) nemoris, lateque tenebat
Frondosi nigra tellurem roboris umbra.
Par juxta quercus, longum molita per ævum 485
Vertice canenti proferre sub astra cacumen,
Diffusas patulo laxabat stipite frondes,
Umbrabatque coma summi fastigia montis.
Huc Ennæa cohors, Triquetris quam miserat oris
Rex, Arethusa, tuus, defendere nescia morti 490
Dedecus, et mentem nimio mutata pavore,
Certatim sese tulit, adscendensque vicissim
Pressit nutantes incerto pondere ramos.
Mox alius super atque alius consistere tuto
Dum certant, pars excussi, (nam fragmine putri
Ramorum et senio male fida fefellerat arbor,)
Pars trepidi celso inter tela cacumine pendent.
Turbatos una properans consumere peste
Corripit æratam jamdudum in bella bipennem,
Deposito clypeo mutatus tela, Sichæus. 500
Incumbunt sociæ dextræ, magnoque fragore
Pulsa gemit, crebris succumbens ictibus, arbos.
Fluctuat infelix concusso stipite turba:
Ceu, Zephyrus quatit antiquos ubi flamine lucos,
Fronde super tremuli vix tota cacuminis hærens
Jactatur, nido pariter nutante, volucris. 506
Procubuit tandem multa devicta securi
Suffugium infelix miseris et inhospita quercus,
Elisitque virûm spatiosa membra ruina.
Inde aliæ cladum facies: contermina cædis 510
Collucet, rapidoque involvitur æsculus igni.
Jamque inter frondes arenti robore gliscens
Verticibus sævis torquet Vulcanus anhelos
Cum fervore globos flammarum, et culmina torret.
Nec tela interea cessant: semusta gementum 515
Atque amplexa cadunt ardentes corpora ramos.
Hæc inter miseranda virûm certamina consul
Ecce aderat, volvens iram exitiumque Sichæo.
At juvenis dubio tantæ discrimine pugnæ
Occupat eventum telo tentare priorem; 520
Cui medio leviter clypeo stetit æris in ora
Cuspis, et oppositas vetita est transmittere crates.
Sed non et consul misso concredere telo
Fortunam optatæ cædis parat, at latus ense
Haurit; nec crudæ tardarunt tegmina parmæ. 525
Labitur infelix, atque appetit ore cruento
Tellurem exspirans: tum, diffundente per artus
Frigore se Stygio, manantem in viscera mortem
Accipit, et longo componit lumina somno.
Atque ea dum variis permixtus tristia Mavors
Casibus alternat, jam castris Mago relictis,
Jam Libyæ ductor properantia signa citato
Raptabant cursu, et cessata reponere avebant
Tempora cæde virûm, ac multo pensare cruore.
It globus intorquens nigranti turbine nubem 535
Pulveris, et surgit sublatis campus arenis:
Quaque ferens gressum flectit vestigia ductor,
Undanti circum tempestas acta procella
Volvitur, atque altos operit caligine montes.
Occubuere femur Fontanus, Buca canorum 540
Transfixi guttur, pressoque e vulnere cuspis
Prospexit terga: hunc tristes luxere Fregellæ
Multiplicem proavis, hunc mater Anagnia flevit.
Haud dispar fortuna tibi, Lævine, sed auso
Non eadem: neque enim Tyrio concurrere regi
Tentas, sed lectus par ad certamen Ithemon,
(Autololum moderator erat,) quem poplite cæso
Dum spolias, gravis immiti cum turbine costas
Fraxinus irrupit, collapsaque membra sub ictu
Hoste superfuso subita cecidere ruina. 550
Nec Sidicina cohors defit. Viridasius armat
Mille viros, nulli victus vel ponere castra,
Vel junxisse ratem, duroque resolvere muros
Ariete, et in turrim subitos immittere pontes.
Quem postquam Libyæ ductor virtute feroci 555
Exsultare videt, (namque illi vulnere præceps
Terga dabat levibus diffisus Arauricus armis,)
Acrius hoc pulchro Mavorte accensus in iram,
Et dignum sese ratus in certamina sævo
Cominus ire viro, referenti e corpore telum 560
Advolat, et fodiens pectus, Laudande laborum,
Quisquis es, haud alia decuit te occumbere dextra.
Ad manes leti perfer decus: Itala gentis
Ni tibi origo foret, vita donatus abires.
Hinc Fadum petit, et veterem bellare Labicum,
Cui Siculis quondam terris congressus Hamilcar
Clarum spectato dederat certamine nomen.
Immemor annorum seniumque oblitus in arma
Ille quidem cruda mente et viridissimus iræ
Ibat; sed vani frigentem in Marte senectam 570
Prodebant ictus: stipula crepitabat inani [mam.
Ignis iners, cassamque dabat sine robore flam-
Quem postquam adspexit patrio monstrante superbus
Armigero Pœnûm ductor, Certamina primæ
Hic lue nunc, inquit, pugnæ: te notus Hamilcar
Hac trahit ad manes dextra. Tum librat ab aure
Intorquens jaculum, et versantem in vulnere sese
Transigit: extracta fœdavit cuspide sanguis
Canitiem, ac longos finivit morte labores. 579
Nec minus Herminium primis obtruncat in armis,
Adsuetum, Trasimene, tuos prædantibus hamis
Exhaurire lacus, patriæque alimenta senectæ

Ducere suspenso per stagna jacentia lino.
Interea exanimem mæsti super arma Sichæum
Portabant Pœni, corpusque in castra ferebant. 585
Quos ubi conspexit tristi clamore ruentes
Ductor, præsago percussus pectora luctu,
Quinam, inquit, dolor, o socii, quemve ira deorum
Eripuit nobis? num te, dulcedine laudis
Flagrantem et nimio primi Mavortis amore, 590
Atra, Sichæe, dies properato funere carpsit?
Utque dato gemitu lacrymæ adsensere ferentum,
Et dictus pariter cædis mærentibus auctor;
Cerno, ait, adverso pulchrum sub pectore vulnus
Cuspidis Iliacæ: dignus Carthagine, dignus 595
Hasdrubale ad manes ibis: hæc te optima mater
Dissimilem lugebit avis, Stygiave sub umbra
Degenerem cernens noster vitabit Hamilcar.
At mihi Flaminius, tam mæsti causa doloris,
Morte sua minuet luctus: hæc pompa sequetur
Exsequias, seroque emtum volet impia Roma,
Non violasse mei corpus mucrone Sichæi.
Sic memorans torquet fumantem ex ore vaporem,
Iraque anhelatum proturbat pectore murmur:
Ut multo accensis fervore exuberat undis, 605
Clausus ubi exusto liquor indignatur aeno.
Tum præceps ruit in medios, solumque fatigat
Flaminium incessens: nec dicto segnius ille
Bella capessebat, propiorque insurgere Mavors
Cœperat, et campo junctus jam stabat uterque;
Cum subitus per saxa fragor, motique repente
(Horrendum) colles, et summa cacumina totis
Intremuere jugis: nutant in vertice sylvæ
Pinifero, fractæque ruunt super agmina rupes.
Immugit penitus convulsis ima cavernis 615
Dissiliens tellus, nec parvos rumpit hiatus,
Atque umbras late Stygias immensa vorago
Faucibus ostendit patulis, manesque profundi
Antiquum expavere diem. Lacus ater, in altos
Sublatus montes, et sede excussus avita, 620
Lavit Tyrrhenas ignota adspergine sylvas. [gum
Jamque eadem populos magnorumque oppida re-
Tempestas et dira lues stravitque tulitque,
Ac super hæc reflui pugnarunt fontibus amnes,
Et retro fluctus torsit mare: monte relicto 625
Apenninicolæ fugere ad littora Fauni.
Pugnabat tamen (heu belli vecordia) miles,
Jactatus titubante solo, tremebundaque tela,
Subducta tellure ruens, torquebat in hostem;
Donec pulsa vagos cursus ad littora vertit 630
Mentis inops, stagnisque illata est Daunia pubes.
Quis, consul terga increpitans, (nam turbine motæ
Ablatis terræ inciderat,) Quid deinde, quid, oro,
Restat, io, profugis? vos en ad mœnia Romæ
Ducitis Hannibalem; vos in Tarpeia Tonantis 635
Tecta faces ferrumque datis: sta, miles, et acres
Disce ex me pugnas: vel, si pugnare negatum,
Disce mori: dabit exemplum non vile futuris
Flaminius, ne terga Libys, ne Cantaber unquam
Consulis aspiciat: solus, si tanta libido 640
Est vobis rabiesque fugæ, tela omnia solus
Pectore consumo, et moriens, fugiente per auras
Hac anima, vestras revocabo ad prœlia dextras.
Dumque ea commemorat, densosque obit obvius hostes, 644
Advolat ora ferus mentemque Ducarius: acri
Nomen erat gentile viro, fusisque catervis
Boiorum quondam patriis, antiqua gerebat
Vulnera barbaricæ mentis; noscensque superbi
Victoris vultus, Tune, inquit, maximus ille
Boiorum terror? libet hoc cognoscere telo, 650
Corporis an tanti manet de vulnere sanguis.
Nec vos pœniteat, populares, fortibus umbris
Hoc mactare caput: nostros hic curribus egit
Insistens victos alta ad Capitolia patres.
Ultrix hora vocat. Pariter tunc undique fusis 655
Obruitur telis, nimboque ruente per auras
Contectus, nulli dextra jactare reliquit
Flaminium cecidisse sua. Nec pugna peremto
Ulterior ductore fuit: namque agmine denso
Primores juvenum, læva ob discrimina Martis 660
Infensi superis dextrisque, et cernere Pœnum
Victorem plus morte rati, super ocius omnes
Membra ducis stratosque artus certamine magno
Telaque, corporaque, et non fausto Marte cruentas
Injecere manus: sic densi cædis acervo, 665
Ceu tumulo, texere virum. Tum, strage per undas,
Per sylvas sparsa, perque altam sanguine vallem,
In medias fratre invectus comitante catervas
Cæsorum juvenum Pœnus, Quæ vulnera cernis?
Quas mortes? inquit: premit omnis dextera fer-
Armatusque jacet servans certamina miles. [rum,
Hos, en, hos obitus nostræ spectate cohortes.
Fronte minæ durant, restantque in vultibus iræ.
Et vereor, ne, quæ tanta creat indole tellus
Magnanimos fecunda viros, huic fata dicarint 675
Imperium, atque ipsis devincat cladibus orbem.
Sic fatus cessit nocti, finemque dedere
Cædibus infusæ subducto sole tenebræ.

LIBER SEXTUS.

Jam, Tartessiaco quos solverat æquore Titan
In noctem diffusus, equos jungebat Eois
Littoribus, primique novo Phaethonte retecti
Seres lanigeris repetebant vellera lucis.
At fœda ante oculos strages, propiusque patebat
Insani Mavortis opus: simul arma, virique, 6
Ac mixtus sonipes, dextræque in funere cæsæ
Hærentes hastis: passim clypeique, jubæque,
Atque artus trunci capitum, fractusque jacebat
Ossibus in duris ensis: nec cernere deerat 10
Frustra seminecum quærentia lumina cœlum.
Tum spumans sanie lacus, et fluitantia summo
Æternum tumulis orbata cadavera ponto.
Nec tamen adversis fuerat fracta Itala virtus.
Bruttius ingenti miserandæ cædis acervo, 15
Non æquum ostentans confosso corpore Martem,
Extulerat vix triste caput, truncosque trahebat
Per stragem, nervis interlabentibus, artus, [asper
Tenuis opum, non patre nitens linguave; sed
Ense, nec e Volsca quisquam vir gente redemit 20
Plus ævi, nec magnanimis puer addere sese
Pubescente gena castris optarat, et acri
Flaminio spectatus erat, cum Celtica victor
Obrueret bello divis melioribus arma.
Inde honor, ac sacræ custodia Marte sub omni
Alitis: hinc causam nutrivit gloria leti. 26

Namque, necis certus, captæ prohibere nequiret
Cum Pœnos aquilæ, postquam subsidere fata
Viderat, et magna pugnam inclinare ruina,
Occulere interdum et terræ mandare parabat. 30
Sed, subitis victus telis, labentia membra
Prostravit super, atque injecta morte tegebat.
Verum ubi lux nocte e Stygia miseroque sopore
Reddita, vicini de strage cadaveris hasta
Erigitur, soloque vigens conamine, late 35
Stagnantem cæde et facilem discedere terram
Ense fodit, clausamque aquilæ infelicis adorans
Effigiem, palmis languentibus æquat arenas.
Supremus fessi tenues tum cessit in auras
Halitus, et magnam misit sub Tartara mentem.
Juxta cernere erat meritæ sibi poscere carmen 41
Virtutis sacram rabiem. Lævinus ab alto
Priverno, vitis Latiæ præsignis honore,
Exanimum Nasamona Tyren super ipse jacebat
Exanimis: non hasta viro, non ensis; in arctis 45
Abstulerat fors arma: tamen certamine nudo
Invenit Marti telum dolor: ore cruento
Pugnatum, ferrique vicem dens præbuit iræ.
Jam laceræ nares, fœdataque lumina morsu,
Jam truncum raptis caput auribus, ipsaque diris
Frons depasta modis, et sanguine abundat hiatus:
Nec satias, donec mandentia linqueret ora
Spiritus, et plenos rictus mors atra teneret.
Talia dum præbet tristis miracula virtus,
Diverso interea fugientes saucia turba 55
Jactantur casu, sylvisque per avia cæcis
Ablati furtim multo cum vulnere solos
Per noctem metantur agros: sonus omnis et aura
Exterrent, pennaque levi commota volucris. 59
Non sopor, aut menti requies: agit asper acerba
Nunc Mago attonitos, nunc arduus Hannibal hasta.
Serranus, clarum nomen, tua, Regule, proles,
Qui, longum semper fama gliscente per ævum,
Infidis servasse fidem memorabere Pœnis,
Flore nitens primo, patriis, heu! Punica bella 65
Auspiciis ingressus erat, miseramque parentem
Et dulces tristi repetebat sorte penates
Saucius: haud illi comitum super ullus, et atris
Vulneribus qui ferret opem: per devia, fractæ
Innitens hastæ, furtoque ereptus opacæ 70
Noctis, iter tacitum Perusina ferebat in arva,
Ac fessus parvi (quæcunque ibi fata darentur)
Limina pulsabat tecti: cum membra cubili
Evolvens non tarda Marus (vetus ille parentis
Miles, et haud surda tractarat prœlia fama) 75
Procedit, renovata focis et paupere Vesta
Lumina prætendens: utque ora agnovit, et ægrum
Vulneribus duris, ac, lamentabile visu,
Lapsantes fultum truncata cuspide gressus,
Funesti rumore mali jam saucius aures, 80
Quod scelus, o, nimius vitæ, nimiumque ferendis
Adversis genitus cerno? te, maxime, vidi,
Ductorum, cum captivo Carthaginis arcem
Terreres vultu, crimen culpamque Tonantis,
Occidere, atque hausi, quem non Sidonia tecta
Expulerint eversa meo de corde, dolorem. 86
Estis ubi, en, iterum, superi? dat pectora ferro
Regulus, ac stirpem tantæ perjura recidit
Surgentem Carthago domus. Inde ægra reponit
Membra toro, nec ferre rudis medicamina (quippe
Callebat bellis) nunc purgat vulnera lympha, 91
Nunc mulcet succis: ligat inde, ac vellera molli
Circumdat tactu, et torpentes mitigat artus.
Exin cura seni tristem depellere fesso
Ore sitim, et parca vires arcessere mensa. [dem
Quæ postquam properata, sopor sua munera tan-
Applicat, et mitem fundit per membra quietem.
Necdum exorta dies, Marus instat vulneris æstus
Expertis medicare modis, gratumque teporem,
Exutus senium, trepida pietate ministrat. 100
Hic juvenis, mæstos tollens ad sidera vultus,
Cum gemitu lacrymisque simul: Si culmina non-
Tarpeia exosus damnasti sceptra Quirini, [dum
Extremas Italûm res Ausoniamque ruentem
Adspice, ait, genitor, tandemque adverte procellis
Æquos Iliacis oculos. Amisimus Alpes, 106
Nec deinde adversis modus est. Ticinus, et ater
Stragibus Eridanus, tuque insignite tropæis
Sidoniis Trebia, et tellus lacrymabilis Auni.
Sed quid ego hæc? gravior quanto vis ecce malorum! 110
Vidi crescentes Trasimeni cædibus undas
Prostrataque virûm mole: inter tela cadentem
Vidi Flaminium. Testor, mea numina, manes,
Dignam me pœnæ tum nobilitate paternæ
Strage hostis quæsisse necem, ni tristia letum,
Ut quondam patri, nobis quoque fata negassent.
Cætera acerbantem questu lenire laborans
Effatur senior: Patrio, fortissime, ritu
Quicquid adest duri, et rerum inclinata feramus.
Talis lege deûm clivoso tramite vitæ 120
Per varios præceps casus rota volvitur ævi.
Sat tibi, sat magna, et totum vulgata per orbem
Stant documenta domus: sacer ille, et numine nullo
Inferior, tuus ille parens decora alta paravit
Restando adversis: nec virtutem exuit illam 125
Ante, reluctantes liquit quam spiritus artus.
Vix puerile mihi tempus confecerat ætas
Cum primo malas signabat Regulus ævo.
Accessi comes, atque omnes sociavimus annos,
Donec dis Italæ visum est exstinguere lumen
Gentis, in egregio cujus sibi pectore sedem 131
Ceperat alma Fides, mentemque amplexa tenebat.
Ille ensem nobis magnorum hunc instar honorum
Virtutisque ergo dedit, et, sordentia fumo
Quæ cernis nunc, frena, sed est argenteus ollis 135
Fulgor: nec cuiquam Marus est post talia dona
Non prælatus eques. Verum superavit honores
Omnes hasta meos: cui me libare Lyæi [sam.
Quod cernis latices, dignum est cognoscere cau-
Turbidus arentes lento pede sulcat arenas 140
Bagrada, non ullo Libycis in finibus amne
Victus limosas extendere latius undas,
Et stagnante vado patulos involvere campos.
Hic studio laticum, quorum est haud prodiga tel-
Per ripas læti sævis consedimus arvis. [lus,
Lucus iners juxta Stygium pallentibus umbris
Servabat sine sole nemus, crassusque per auras
Halitus erumpens tetrum exspirabat odorem.
Intus dira domus, curvoque immanis in antro
Sub terras specus, et tristes sine luce tenebræ. 150
Horror mente redit: monstrum exitiabile, et ira
Telluris genitum, cui par vix viderit ætas
Ulla virûm, serpens centum porrectus in ulnas
Letalem ripam et lucos habitabat Avernos.
Ingluviem immensi ventris gravidamque venenis
Alvum deprensi satiabant fonte leones, 156
Aut acta ad fluvium torrenti lampade solis
Armenta, et tractæ fœda gravitate per auras
Ac tabe afflatus volucres: semesa jacebant
Ossa solo informi, lateque repletus et asper 160
Vastatis gregibus nigro ructabat in antro.
Isque ubi ferventi concepta incendia pastu
Gurgite mulcebat rapido et spumantibus undis,
Nondum etiam toto demersus corpore in amnem
Jam caput adversæ ponebat margine ripæ. 165

Imprudens tantæ pestis gradiebar, Aquino
Apenninicola atque Umbro comitatus Avente :
Scire nemus, pacemque loci explorare libebat.
Jamque propinquantum tacitus penetravit in artus
Horror, et occulto riguerunt frigore membra. 170
Intramus tamen, et Nymphas numenque precamur
Gurgitis ignoti, trepidosque et multa paventes
Arcano gressus audemus credere luco.
Ecce e vestibulo primisque e faucibus antri
Tartareus turbo atque insano sævior Euro 175
Spiritus erumpit, vastoque e gutture fusa
Tempestas oritur, mixtam stridore procellam
Cerbereo intorquens: pavefacti clade vicissim
Adspicimus: resonare solum, tellusque moveri,
Atque antrum ruere, et visi procedere manes. 180
Quantis armati cœlum petiere Gigantes
Anguibus, aut quantus Lernæ lassavit in undis
Amphitryoniaden serpens, qualisque comantes
Auro servavit ramos Junonius anguis ;
Tantus des ecta tellure sub astra coruscum 185
Extulit adsurgens caput, atque in nubila primam
Dispersit saniem, et cœlum fœdavit hiatu.
Diffugimus, tenuemque metu conamur anheli
Tollere clamorem frustra: nam sibila totum
Implebant nemus. At subita formidine cæcus 190
Et facti damnandus Avens (sed fata trahebant)
Antiquæ quercus ingenti robore sese
Occulit, infandum si possit fallere monstrum.
Vix egomet credo: spiris cingentibus arctæ
Arboris abstraxit molem, penitusque revulsam
Evertit fundo, et radicibus eruit imis. 196
Tum trepidum ac socios extrema voce cientem
Corripit, atque haustu sorbens et faucibus atris
(Vidi respiciens) obscæna condidit alvo.
Infelix fluvio sese et torrentibus undis 200
Crediderat, celerique fuga jam nabat Aquinus.
Hunc medio invasit fluctu, ripæque relatos
(Heu genus infandum leti) depascitur artus.
Sic dirum nobis et lamentabile monstrum
Effugisse datur. Quantum mens ægra sinebat, 205
Appropero gressum, et ductori singula pando.
Ingemuit, casus juvenum miseratus acerbos.
Utque erat in pugnas, et Martem, et prœlia, et hostem
Igneus, et magna audendi flagrabat amore,
Ocius arma rapi, et spectatum Marte sub omni
Ire jubet campis equitem. ruit ipse, citatum 211
Quadrupedem planta fodiens, scutataque raptim
Consequitur jusso manus, et muralia portat
Ballistas tormenta graves, suetamque movere
Excelsas turres immensæ cuspidis hastam. 215
Jamque ubi feralem strepitu circumtonat aulam
Cornea gramineum persultans ungula campum,
Percitus hinnitu serpens evolvitur antro,
Et Stygios æstus fumanti exsibilat ore.
Terribilis gemino de lumine fulgurat ignis: 220
At nemus arrectæ et procera cacumina saltus
Exsuperant cristæ: trifido vibrata per auras
Lingua micat motu, atque adsultans æthera lambit.
Ut vero strepuere tubæ, conterritus alte
Immensum attollit corpus, tergoque residens 225
Cætera sinuatis glomerat sub pectore gyris.
Dira dehinc in bella ruit, rapideque resolvens
Contortos orbes directo corpore totam
Extendit molem, subitoque propinquus in ora
Lato distantum spatio venit: omnis anhelat 230
Attonitus serpentis equus, frenoque teneri
Impatiens crebros exspirat naribus ignes.
Arduus ille super tumidis cervicibus altum
Mittit utroque caput: trepidos inde incitus ira
Nunc sublime rapit, nunc vasto pondere gaudet
Elisisse premens: tunc fractis ossibus atram 236
Absorbet saniem, et, tabo manante per ora,
Mutat hians hostem, semesaque membra relinquit.
Cedebant jam signa retro, victorque catervas
Longius avectas afflatus peste premebat; 240
Cum ductor, propere revocatam in prœlia turmam
Vocibus impellens, Serpentine Itala pubes
Terga damus, Libycisque parem non esse fatemur
Anguibus Ausoniam? si debellavit inertes
Halitus, ac viso mens ægra effluxit hiatu; 245
Ibo alacer, solusque manus componere monstro
Sufficiam. Clamans hæc atque interritus hastam
Fulmineo volucrem torquet per inane lacerto.
Venit in adversam non vano turbine frontem
Cuspis, et, haud paullum vires adjuta ruentis 250
Contra ardore feræ, capiti tremebunda resedit.
Clamor ad astra datur, vocesque repente profusæ
Ætherias adiere domos. Furit ilicet ira
Terrigena, impatiens dare terga, novusque dolori,
Et chalybem longo tum primum passus in ævo.
Nec frustra rapidi, stimulante dolore, fuisset 256
Impetus, ablato ni Regulus arte regendi
Instantem elusisset equo, rursusque secutum
Cornipedis gyros flexi curvamine tergi
Detortis læva celer effugisset habenis. 260
At non spectator Marus inter talia segni
Torpebat dextra: mea tanto in corpore monstri
Hasta secunda fuit. Jam jamque extrema trisulca
Lambebat lingua fessi certamine terga
Quadrupedis; torsi telum, atque urgentia velox
In memet sævi serpentis prœlia verto. 266
Hinc imitata cohors certatim spicula dextris
Congerit, alternasque ferum diducit in iras,
Donec murali ballista coercuit ictu. [ægra
Tum fractus demum vires: nec jam amplius
Consuetum ad nisus spina præstante rigorem, 271
Et solitum in nubes tolli caput, acrius instat.
Jamque alvo penitus demersa phalarica sedit,
Et geminum volucres lumen rapuere sagittæ:
Jam patulis vasto sub vulnere faucibus aer 275
Tabificam exspirat saniem, spes ultima; jamque
Ingenti cauda, et jaculis, et pondere conti
Hæret humi, lassoque tamen minitatur hiatu;
Donec tormentis stridens magnoque fragore
Discussit trabs acta caput, longoque resolvens 280
Aggere se ripæ tandem exhalavit in auras
Liventem nebulam fugientis ab ore veneni.
Erupit tristi fluvio mugitus, et imis [trum,
Murmura fusa vadis, subitoque et lucus, et an
Et resonæ sylvis ulularunt flebile ripæ. 285
Heu quantis luimus mox tristia prœlia damnis!
Quantaque supplicia et quales exhausimus iras!
Nec tacuere pii vates, famulumque sororum
Naiadum, tepida quas Bagrada nutrit in unda,
Nos violasse manu seris monuere periclis. 290
Hæc tunc hasta, decus nobis pretiumque secundi
Vulneris, a vestro, Serrane, tributa parente,
Princeps quæ sacro bibit e serpente cruorem.
Jamdudum vultus lacrymis atque ora rigabat
Serranus, medioque viri sermone profatur: 295
Huic si vita duci nostrum durasset in ævum,
Non Trebia infaustas superasset sanguine ripas,
Nec, Trasimene, tuus premeret tot nomina gurges.
Tunc senior, Magnas, inquit, de sanguine pœnas
Percepit Tyrio, et præsumta piacula mortis. 300
Nam defecta viris et opes attrita supinas
Africa tendebat palmas, cum sidere diro
Misit Agenoreis ductorem animosa Therapne.
Nulla viro species, decorisque et frontis egenum

Corpus; in exiguis vigor (admirabile) membris
Vividus, et nisu magnos qui vinceret artus. 306
Jam Martem regere, atque astus adjungere ferro,
Et durus facilem per inhospita ducere vitam.
Haud isti, quem nunc penes est sollertia belli,
Cederet Hannibali. Vellem hunc, o tristia nobis
Taygeta, hunc unum non durassetis opacis 311
Eurotæ ripis: vidissem mœnia flammis
Phœnissæ ruere, aut certe non horrida fata
Flevissem ducis, et nulla quos morte nec igni
Exutos servans portabo in Tartara luctus. 315
Consertæ campis acies, multusque per arva
Fervebat Mavors, nec mens erat ulla sine ira.
Hic inter medios memorandis Regulus ausis
Laxabat ferro campum, ac per tela ruebat,
Nec repetenda dabat letali vulnera dextra. 320
Sic ubi nigrantem torquens stridentibus Austris
Portat turbo globum, piceaque e nube ruinam
Pendentem terris pariter pontoque minatur,
Omnis et agricola, et nemoroso vertice pastor,
Et pelago trepidat subductis navita velis. 325
At fraudem nectens, socios ubi concava saxa
Claudebant, vertit subito certamine Graius,
Et dat terga celer ficta formidine ductor.
Haud secus ac stabulis procurans otia pastor
In foveam parco tectam velamine frondis 330
Ducit nocte lupos positæ balatibus agnæ.
Abripuit, traxitque virum fax mentis honestæ
Gloria, et incerti fallax fiducia Martis. [tum
Non socios, comitumve manus, non arma sequen-
Respicere; insano pugnæ tendebat amore 335
Jam solus: nubes subito cum densa Laconum
Saxosis latebris intento ad prœlia circum
Funditur, et Pœnûm insurgit vis sæva virorum.
O diram Latio lucem, fastisque notandam!
Dedecus o, Gradive, tuum! tibi dextera et urbi
Nata tuæ tristi damnatur sorte catenæ. 341
Haud unquam absistam gemitu: te, Regule, vidit
Sidonius carcer? tuque huic sat magna triumpho
Visa es, Carthago, superis? quæ pœna sequetur
Digna satis tali pollutos Marte Laconas? 345
At nova Elissæi jurato fœdera Patres
Consultant mandare duci, pacisque sequestrem
Mittere, poscentes vinctam inter prœlia pubem
Captivamque manum ductore rependere nostro.
Nec mora: jam stabat primis in littoris undis 350
Navali propulsa ratis; jam nautica pubes
Aut sylvis stringunt remos, aut abiete secta
Transtra novant: his intortos aptare rudentes,
His studium erecto componere carbasa malo.
Unca locant prora curvati pondera ferri. 355
Ante omnes doctus pelagi rectorque carinæ [alta
Puppim aptat clavumque Cothon: micat æreus
Fulgor aqua trifidi splendentis in æquore rostri.
Tela simul, variamque ferunt contra aspera ponti
Rerum ad tempus opem. Mediæ stat margine pup-
Qui voce alternos nautarum temperet ictus, [pis,
Et remis dictet sonitum, pariterque relatis
Ad numerum plaudat resonantia cærula tonsis.
Postquam confectum nautis opus, horaque cursus,
Atque armata ratis, ventique dedere profundum;
Omnis turba ruit, matres, puerique, senesque. 365
Per medios cœtus trahit atque inimica per ora
Spectandum Fortuna ducem. Fert lumina contra
Pacatus frontem, qualis cum littora primum
Attigit appulsa rector Sidonia classe. 370
Accessi comes haud ipso renuente, ratique
Impositus mæstis socium me casibus addo.
Illuviem, atque inopes mensas, durumque cubile,
Et certare malis urgentibus, hoste putabat
Devicto majus; nec tam fugisse cavendo 375
Adversa egregium, quam perdomuisse ferendo.
Spes tamen una mihi, (quanquam bene cognita et olim
Atrox illa fides,) urbem, murosque, domumque
Tangere si miseris licuisset, corda moveri
Posse viri, et vestro certe mitescere fletu. [bam
Claudebam sub corde metus, lacrymasque puta-
Esse viro, et nostræ similem inter tristia mentem;
Cum tandem patriæ Tiberino allabimur amni.
Servabam vultus ducis, ac prodentia sensum
Lumina, et obtutu perstabam intentus eodem.
Si qua fides, unum, puer, inter mille labores, 386
Unum etiam in patria, sævaque in Agenoris urbe,
Atque unum vidi pœnæ quoque tempore vultum.
Obvia captivo cunctis simul urbibus ibat
Ausonia, et. Campum turba vincente, propinqui
Implentur colles: strepit altis Albula ripis. 391
Ipsi Pœnorum proceres, immitia corda,
Ad patrios certant cultus revocare, togæque
Addebatur honos. Stetit, illacrymante senatu,
Et matrum turba, juvenumque dolore profuso,
Inter tot gemitus immobilis: aggere consul 396
Tendebat dextram, et patria vestigia primus
Ponentem terra occursu celebrabat amico.
Collegit gressum, monitusque recedere consul,
Nec summum violare decus: cingente superba
Pœnorum turba captivoque agmine septus 401
Ibat, et invidiam cœlo divisque ferebat.
Ecce trahens geminum natorum Marcia pignus
Infelix nimia magni virtute mariti,
Squalentem crinem et tristes lacerabat amictus.
Agnoscisne diem? an teneris non hæsit in annis
Atque ea, postquam habitu juxta et velamine Pœno
Deformem adspexit, fusis ululatibus ægra
Labitur, et gelidos mortis color occupat artus.
Si qua deis pietas, tales, Carthago, videre 410
Dent tibi Sidonias matres! Me voce quieta
Affatus, jubet et vestros et conjugis una
Arcere amplexus: patet impenetrabilis ille
Luctibus, et nunquam submissus colla dolori.
Hic alto juvenis gemitu lacrymisque coortis,
Magne parens, inquit, quo majus numine nobis
Tarpeia nec in arce sedet, si jura querelis
Sunt concessa piis, cur hoc matrique mihique
Solamen, vel cur decus hoc, o dure, negasti,
Tangere sacratos vultus, atque oscula ab ore 420
Libavisse tuo? dextram mihi prendere dextra
Non licitum? leviora forent hæc vulnera quan-
Si ferre ad manes infixos mente daretur [tum,
Amplexus, venerande, tuos! Sed, vana recordor
Ni, Mare, (nam primo tunc hærebamus in ævo,)
Humana major species erat: horrida cano 426
Vertice descendens ingentia colla tegebat
Cæsaries, frontique coma squalente sedebat
Terribilis decor, atque animi venerabile pondus.
Nil posthac oculis simile incidit. Excipit inde
Jam Marus, atque inhibens convellere vulnera questu, 431
Quid, cum præteritis invisa penatibus, inquit,
Hospitia et sedes Pœnorum intravit acerbas?
Affixi clypei, currusque, et spicula nota
Ædibus in parvis, magni monumenta triumphi,
Pulsabant oculos, conjuxque in limine primo 436
Clamabat, Quo fers gressus? non Punicus hic est,
Regule, quem fugias, carcer: vestigia nostri
Casta tori, domus et patrium sine crimine servat
Inviolata larem: semel hic iterumque (quid, oro, 440

Pollutum est nobis?) prolem, gratante senatu
Et patria, sum enixa tibi. tua (respice) sedes
Hæc est, unde ingens humeris fulgentibus ostro
Vidisti Latios consul procedere fasces;
Unde ire in Martem, quo capta referre solebas,
Et victor mecum suspendere postibus arma. 446
Non ego complexus et sanctæ fœdera tædæ
Conjugiumve peto: patrios damnare penates
Absiste, ac natis fas duc concedere noctem.
Hos inter fletus junctus vestigia Pœnis 450
Limine se clausit Tyrio, questusque reliquit.
Vixdum clara dies summa lustrabat in Œta
Herculei monumenta rogi, cum consul adire
Accirique jubet Libyas. Tum limina templi
Vidimus intrantem. Quæ consultata senatus,
Quasve viri voces extremum Curia mærens 456
Audierit, placido nobis ipse edidit ore.
Intulit ut gressus, certatim voce manuque
Ad solitam sedem et vestigia nota vocabant. [est.
Abnuit, antiquumque loci adspernatus honorem
At circumfusi non secius undique dextram 461
Prensare, ac, patriæ ductorem nomine tanto
Redderet, orabant: captiva posse redemtum
Pensari turba, ac Tyrias tum justius arces
Arsuras dextra, fuerit quæ vincta catenis. 465
Tum palmas simul attollens ac lumina cœlo:
Justitiæ rectique dator, qui cuncta gubernas,
Nec levior mihi diva Fides, Sarranaque Juno,
Quos reditus testes jurata mente vocavi,
Sit mihi fas me digna loqui, Latiosque tueri 470
Voce focos: ibo ad Tyrios non segnior, inquit,
Stante fide reditus et salvo fœdere pœnæ.
Sic nobis rerum exitio desistite honorem
Tendere. Tot bellis, totque annis fregimus ævum:
Nunc etiam vinclis et longo carcere torpent 475
Captivo in senio vires: fuit ille, nec unquam,
Dum fuit, a duro cessavit munere Martis
Regulus: exsangui spectatis corpore nomen.
At non Carthago, fraudum domus, inscia quantum
E nobis restet, juvenes parat, aspera ferro 480
Pectora, captivos nostra pensare senecta.
Ite dolos contra, gensque astu fallere læta
Discat, me capto quantum tibi, Roma, supersit.
Nec vero placeat, nisi quæ de more parentum
Pax erit. Exposcunt Libyes, nobisque dedere
Hæc referenda, pari libeat si pendere bellum
Fœdere, et ex æquo geminas conscribere leges.
Sed mihi sit Stygios ante intravisse penates,
Talia quam videam ferientes pacta Latinos.
Hæc fatus, Tyriæ sese jam reddidit iræ. 490
Nec monitus spernente graves fidosque senatu,
Pœnorum dimissa cohors: quæ mæsta repulsa,
Ac minitans capto, patrias properabat ad oras.
Prosequitur vulgus Patres, ac planctibus ingens
Personat et luctu Campus: revocare libebat 495
Interdum, et justo raptum retinere dolore.
At trepida, et subito ceu stans in funere, conjux
Ut vidit puppi properantem intrare, tremendum
Vociferans, celerem gressum referebat ad undas:
Tollite me, Libyes, comitem pœnæque necisque.
Hoc unum, conjux, uteri per pignora nostri 501
Unum oro, liceat tecum quoscunque ferentem
Terrarum pelagique pati cœlique labores.
Non ego Amyclæum ductorem in prœlia misi,
Nec nostris tua sunt circumdata colla catenis. 505
Cur usque ad Pœnos miseram fugis? accipe mecum
Hanc prolem: forsan duras Carthaginis iras
Flectemus lacrymis; aut, si præcluserit aures
Urbs inimica suas, eadem tunc hora manebit
Teque tuosque simul: vel, si stat rumpere vitam,
In patria moriamur: adest comes ultima fati.
Has inter voces vinclis resoluta moveri
Paullatim, et ripa cœpit decedere puppis.
Tum vero infelix, mentem furiata dolore,
Exclamat, fessas tendens ad littora palmas: 515
En, qui se jactat Libyæ populisque nefandis
Atque hosti servare fidem! data fœdera nobis,
Ac promissa fides thalamis ubi, perfide, nunc est
Ultima vox duras hæc tunc penetravit ad aures:
Cætera percussi vetuerunt noscere remi. 520
Tum fluvio raptim ad pelagi devolvimur oras,
Ac legimus pontum, pinuque innante cavata
Æquor, et immensas curva trabe findimus undas.
Ludibrium necis horrescens, vis aspera ponti
Obrueret, scopulisque ratem furor improbus Euri
Frangeret, optabam: letum id commune fuisset.
Sed nos ad pœnam moderato flamine lenes
Vexerunt Zephyri, Tyrioque dedere furori.
Infelix vidi, patriamque remissus in urbem
Narrator pœnæ dura mercede reverti. 530
Nec tibi nunc ritus imitantem irasque ferarum
Pygmalioneam tentarem expromere gentem,
Si majus quicquam toto vidisset in orbe [rentis
Gens hominum, quam quod vestri veneranda pa-
Edidit exemplum virtus. Pudet addere questus
Suppliciis, quæ spectavi placido ore ferentem.
Tu quoque, care puer, dignum te sanguine tanto
Fingere ne cessa, atque orientes comprime fletus
Præfixo paribus ligno mucronibus omnes
Armantur laterum crates, densusque per artem
Texitur erecti stantisque ex ordine ferri 541
Infelix stimulus, somnisque hac fraude negatis,
Quocunque inflexum producto tempore torpor
Inclinavit iners, fodiunt ad viscera corpus.
Absiste, o juvenis, lacrymis: patientia cunctos
Hæc superat currus. Longo revirescet in ævo
Gloria: dum cœli sedem terrasque tenebit
Casta Fides, dum virtutis venerabile nomen,
Vivet; eritque dies, tua quo, dux inclyte, fata
Audire horrebunt a te calcata minores. 550
Hæc Marus, et mæsta refovebat vulnera cura.
Interea rapidas perfusa cruoribus alas,
Sicut sanguinea Trasimeni tinxerat unda,
Vera ac ficta simul spargebat Fama per Urbem
Allia, et infandi Senones, captæque recursat 555
Attonitis arcis facies. Excussit habenas
Luctificus pavor, et tempestas aucta timendo.
Hic raptim ruit in muros: vox horrida fertur,
Hostis adest; jaciuntque sudes et inania tela.
Ast aliæ laceris canentes crinibus alta 560
Verrunt tecta deûm, et seris post fata suorum
Sollicitant precibus. Requiem tenebræque dies-
Amisere: jacent portis ululante dolore [que
Dispersum vulgus, remeantumque ordine longo
Servat turba gradus: pendent ex ore loquentum.
Nec lætis sat certa fides, iterumque morantur 566
Orando, et vultu interdum sine voce precati,
Quod rogitant, audire pavent: hinc fletus, ubi aures
Percussæ graviore malo; metus inde, negatum
Si scire, et dubius responsi nuntius hæsit. 570
Jamque ubi conspectu redeuntum visa propinqua
Corpora, sollicite læti funduntur, et ipsis
Oscula vulneribus figunt, superosque fatigant.
Hic inter trepidos curæ venerandus agebat
Serranum Marus: atque olim post fata mariti
Non egressa domum vitato Marcia cœtu, 576
Et lucem causa natorum passa, ruebat
In lucum similem antiquo: turbata repente,
Agnoscensque Marum, Fidei comes inclyte magnæ,

Hunc certe mihi reddis, ait: leve vulnus? an alte
Usque ad nostra ferus penetravit viscera mucro?
Quicquid id est, dum non vinctum Carthago catenis
Abripiat, pœnæque instauret monstra paternæ,
Gratum est, o superi. Quoties heu, nate, petebam
Ne patrias iras animosque in prœlia ferres, 585
Neu te belligeri stimularet in arma parentis
Triste decus. Nimium vivacis dura senectæ
Supplicia expendi: quæso, jam parcite, si qua
Numina pugnastis nobis. At cladis acerbæ
Discussa ceu nube, Patres conquirere fessis 590
Jam rebus meditantur opem, atque ad munera belli
Certatur, pulsusque timor graviore periclo.
Maxima curarum, rectorem ponere castris,
Cui Latium et moles rerum quassata recumbat,
Spectante occasum patria. Jovis illa ruenti 595
Ausoniæ atque Italis tempus protendere regnis
Cura fuit: nam Tyrrhenos Pœnumque secundis
Albana surgens respexerat arce tumentem,
Qui ferre in muros victricia signa parabat.
Tunc quassans caput, Haud unquam tibi Jupiter, inquit, 600
O juvenis, dederit portas transcendere Romæ,
Atque inferre pedem. Tyrrhenas sternere valles
Cædibus, et ripas fluviorum exire Latino
Sanguine fas fuerit: Tarpeium accedere collem
Murisque adspirare veto. Quater inde coruscum
Contorsit dextra fulmen, quo tota reluxit 606
Mæonidûm tellus, atramque per æthera volvens
Abrupto fregit cœlo super agmina nubem.
Nec Pœnum avertisse satis: dat numine magno
Æneadis, gentem gremio deponere tuto 610
Romuleam tandem, Fabioque salutis habenas
Credere ductori. Cui postquam tradita belli
Jura videt: Non hunc, inquit, superaverit unquam
Invidia, aut blando popularis gloria fuco;
Non astus fallax, non præda, aliusve cupido. 615
Bellandi vetus, ac laudum cladumque quieta
Mente capax: par ingenium castrisque togaque.
Sic genitor divûm, recipitque ad sidera gressum.
Hic, circumspectis nulli deprensus in armis,
Laudatusque Jovi, Fabius mirabile quantum 620
Gaudebat reducem patriæ annumerare reversus,
Duxerat egrediens quam secum in prœlia, pubem.
Nec membris quisquam natove pepercit amato
Acrius, aut vidit socium per bella cruorem
Tristior: atque idem, perfusus sanguine victor
Hostili, plenis repetebat mœnia castris. 626
Stirpe genus clarum, cœloque affinis origo.
Nam remeans longis olim Tirynthius oris,
Et triplicis monstri famam et spectacula captas
Mira boves hac, qua fulgent nunc mœnia Romæ,
Egit ovans. Tunc Arcadius (sic fama) locabat
Inter desertos fundata Palatia dumos
Paupere sub populo ductor; cum regia virgo,
Hospite victa sacro, Fabium de crimine læto
Procreat, et magni commiscet seminis ortus 635
Arcas in Herculeos mater ventura nepotes. [tem,
Ter centum domus hæc Fabios armavit in hos-
Limine progressos uno; pulcherrima quorum
Cunctando Fabius superavit facta, ducemque
Hannibalem æquando: tantus tunc, Pœne, fuisti.
Dum se perculsi renovant in bella Latini, 641
Turbatus Jove, et exuta spe mœnia Romæ
Pulsandi, colles Umbros atque arva petebat
Hannibal, excelso summi qua vertice montis
Devexum lateri pendet Tuder, atque ubi latis
Projecta in campis nebulas exhalat inertes, 646
Et sedet ingentem pascens Mevania taurum
Dona Jovi: tum Palladios se fundit in agros
Picenûm dites prædæ, atque errantibus armis,
Qua spolia invitant, transfert populantia signa;
Donec pestiferos mitis Campania cursus 651
Tardavit, bellumque sinu indefensa recepit. [que
Hic dum stagnosi spectat templumque domos-
Literni ductor, varia splendentia cernit
Pictura belli patribus monumenta prioris 655
Exhausti, (nam porticibus signata manebant,)
Quîs inerat longus rerum et spectabilis ordo.
Primus bella truci suadebat Regulus ore,
Bella neganda, viro si noscere fata daretur.
At princeps Pœnis indicta more parentum 660
Appius adstabat pugna, lauroque revinctus
Justum Sarrana ducebat cæde triumphum.
Æquoreum juxta decus et navale tropæum,
Rostra gerens nivea surgebat mole columna:
Exuvias Marti donumque Duilius, alto 665
Ante omnes mersa Pœnorum classe, dicabat:
Cui, nocturnus honos, funalia clara sacerque
Post epulas tibicen adest, castosque penates
Insignis læti repetebat murmure cantus.
Cernit et extremos defuncti civis honores: 670
Scipio ductoris celebrabat funera Pœni,
Sardoa victor terra. Videt inde ruentem
Littoribus Libycis dispersa per agmina pubem;
Instabat crista fulgens, et terga premebat
Regulus: Autololes, Nomadesque, et Maurus, et Hammon, 675
Et Garamas positis dedebant oppida telis.
Lentus arenoso spumabat Bagrada campo
Viperea sanie, turmisque minantibus ultor
Pugnabat serpens, et cum duce bella gerebat.
Nec non projectum puppi, frustraque vocantem
Numina, Amyclæum mergebat perfida ponto 681
Rectorem manus, et seras tibi, Regule, pœnas
Xanthippus digni pendebat in æquore leti.
Addiderant geminas medio consurgere fluctu
Ægates: laceræ circum fragmenta videres 685
Classis, et effusos fluitare in gurgite Pœnos.
Possessor pelagi, pronaque Lutatius aura
Captivas puppes ad littora victor agebat.
Hæc inter cinctus legatorum ordine Hamilcar,
Ductoris genitor, cunctarum ab imagine rerum
Totius in sese vulgi converterat ora. 691
Sed pacis faciem, et pollutas fœderis aras,
Deceptumque Jovem, ac dictantes jura Latinos
Cernere erat: strictas trepida cervice secures
Horrebat Libys, ac submissis ordine palmis
Orantes veniam jurabant irrita pacta. 696
Hæc Eryce e summo spectabat læta Dione.
Quæ postquam infesto percensuit omnia vultu
Arridens Pœnus, lenta proclamat ab ira:
Non leviora dabis nostris inscribere tectis 700
Acta meæ dextræ: captam, Carthago, Saguntum
Da spectare, simul ferro flammaque ruentem;
Perfodiant patres natorum membra: nec Alpes
Exiguus domitas capiet locus: ardua celsis
Persultet juga victor equis Garamasque Nomas-
Addes Ticini spumantes sanguine ripas, [que.
Et nostrum Trebiam, et Trasimeni littora Tuscis
Clausa cadaveribus: ruat ingens corpore et armis
Flaminius: fugiat consul manante cruore
Scipio, et ad socios nati cervice vehatur. 710
Hæc mitte in populos, et adhuc majora dabuntur.
Flagrantem effinges facibus, Carthago, Libyssis
Romam, et dejectum Tarpeia rupe Tonantem.
Interea vos, ut dignum est, ista, ocius ite,
O juvenes, quorum dextris mihi tanta geruntur,
In cineres monumenta date, atque involvite flam-
mis. 716

LIBER SEPTIMUS.

Interea trepidis Fabius spes unica rebus.
Ille quidem socios atque ægram vulnere præceps
Ausoniam armabat, viridique ad dura laborum
Bellator senio jam castra movebat in hostem.
Sed mens humana major, nec tela, nec enses, 5
Nec fortes spectabat equos: tot millia contra
Pœnorum invictumque ducem, tot in agmina solus
Ibat, et in sese cuncta arma virosque gerebat.
Ac ni sacra seni vis, impressumque fuisset,
Sistere Fortunam cunctando adversa foventem, 10
Ultima Dardanii transisset nominis ætas.
Ille modum superis in Punica castra favoris
Addidit, et Libyæ finem inter prospera bella
Vincendi statuit; tumefactum cladibus ille
Hesperiis lento Pœnum moderamine lusit. 15
Summe ducum, qui regna iterum labentia Trojæ,
Et fluxas Latii res, majorumque labores,
Qui Carmentis opes, et tecta Evandria servas,
Surge age, et emerito sacrum caput insere cœlo.
At Libyæ ductor, postquam nova nomina lecto
Dictatore vigent, raptim mutata Latinis 21
Imperia haud frustra reputans, cognoscere avebat,
Quæ fortuna viro, quodnam decus; ultima fessis
Ancora cur Fabius, quem post tot Roma procellas
Hannibali putet esse parem. Fervore carentes
Angebant anni, fraudique inaperta senectus. 26
Ocius accitum captivo ex agmine poscit
Progeniem, ritusque ducis, dextræque laborem.
Cilnius, Arreti Tyrrhenis ortus in oris,
Clarum nomen erat; sed læva adduxerat hora 30
Ticini juvenem ripis, fususque ruentis
Vulnere equi Libycis præbebat colla catenis.
Hic ardens extrema malis, et rumpere vitam:
Non cum Flaminio tibi res, nec fervida Gracchi
In manibus consulta, inquit. Tirynthia gens est:
Quam si fata tuis genuissent, Hannibal, oris, 36
Terrarum imperium Carthaginis arce videres.
Non ego te longa serie per singula ducam.
Hoc sat erit: nosces Fabios certamine ab uno.
Veientum populi violata pace negabant 40
Acceptare jugum, ac vicino Marte furebat
Ad portas bellum, consulque ciebat ad arma.
Delectus vetiti, privataque castra penates
Herculei implevere: domo (mirabile) ab una
Patricius junctis exercitas ibat in armis. 45
Ter centum exsiluere duces: quocunque liberet,
Uno non pavidus rexisses bella magistro.
Sed, dirum egressis omen, Scelerata minaci
Stridentis sonitu tremuerunt limina portæ,
Maximaque Herculei mugivit numinis ara. 50
Invasere hostem, numerarique aspera virtus
Haud est passa viros, et plures milite cædes.
Sæpe globo densi, sæpe et per devia passim
Dispersi subiere vices, meritique labore
Æquato, nulli quisquam virtute secundus, 55
Ducere ter centum Tarpeia ad templa triumphos.
Spes heu fallaces, oblitaque corda, caducum
Mortali quodcunque datur! grex ille virorum,
Qui Fabia gente incolumi deforme putabant
Publica bella geri, pariter cecidere deorum 60
Invidia, subitis circumvenientibus armis.
Nec tamen occisos est cur lætere; supersunt,
Quod tibi sit Libyæque satis: certaverit unus
Ter centum dextris; tam vivida membra, laborque
Providus, et cauta sollertia tecta quiete. 65
Nec vero, calidi, nunc tu, cui sanguinis ætas
Foderis in pugnam velocius ilia planta
Bellatoris equi, frenisque momorderis ora.
Quem cernens avidum leti post talia Pœnus,
Nequicquam nostras, demens, ait, elicis iras, 70
Et captiva paras moriendo evadere vincla.
Vivendum est: arcta serventur colla catena.
Hæc juvenis divisque tumens ausisque secundis.
At Patres Latiasque nurus raptabat ad aras
Cura deûm. Mæsto suffusæ lumina vultu 75
Fœmineus matres graditur chorus: ordine longo
Junoni pallam conceptaque vota dicabant.
Huc ades, o regina deûm: gens casta precamur,
Et ferimus, digno quæcunque est nomine, turba
Ausonidum pulchrumque, et acu subtemine fulvo,
Quod nostræ nevere manus, venerabile donum.
Ac dum decrescit matrum metus, hoc tibi, diva,
Interea velamen erit. Si pellere nostris
Marmaricam terris nubem dabis, omnis in auro
Pressa tibi varia fulgebit gemma corona. 85
Nec non et proprio venerantur Pallada dono,
Phœbumque, armigerumque deum, primamque Dionen.
Tanta adeo, cum res trepidæ, reverentia divûm
Nascitur: at raræ fumant felicibus aræ.
Dum Roma antiquos templis indicit honores,
Jam Fabius tacito procedens agmine, et arte
Bellandi lento similis, præcluserat omnes
Fortunæque hostique vias. Discedere signis [astra
Haud licitum: summumque decus, quo tollis ad
Imperii, Romane, caput, parere docebat. 95
Verum ubi prima satis conspecta in montibus altis
Signa procul, fulsitque novis exercitus armis,
Arrectæ spes Sidoniæ, fervetque secundis
Fortunæ juvenis: vincendi sola videtur, [mat,
Quod nondum steterint acies, mora: Pergite, cla-
Ite citi, ruite ad portas, propellite vallum 101
Pectoribus: quantum campi distamus, ad umbras
Tantum hosti superest. Resides ad bella vocantur,
Quîs pudeat certare, senes: quodcunque videtis,
Hoc reliquum est, primo damnatum, ut inutile, bello. [na gentis
En, ubi nunc Gracchi, atque ubi nunc sunt fulmi-
Scipiadæ? pulsi Ausonia non ante paventem
Dimisere fugam, quam terror ad ultima mundi
Oceanumque tulit: profugus nunc errat uterque,
Nomina nostra tremens, et ripas servat Iberi. 110
Est etiam, cur Flaminio mihi gloria cæso
Creverit, et titulis libeat cur figere nostris
Crudum Marte viri nomen. Quot demere noster
Huic annos Fabio gladius valet? et tamen audet.
Audeat: haud ultra faxo spectetur in armis. 115
Talia vociferans volucri rapit agmina cursu,
Ac prævectus equo nunc dextra provocat hostem,
Nunc voce increpitat, missa nunc eminus hasta
Fertur ovans, pugnæque agitat simulacra futuræ.
Ut Thetidis proles Phrygiis Vulcania campis 120
Arma tulit, clypeo amplexus terramque polumque,
Maternumque fretum, totumque in imagine mun-
Cassarum sedet irarum spectator, et alti [dum
Celsus colle jugi domat exsultantia corda,

Infractasque minas dilato Marte fatigat 125
Sollers cunctandi Fabius: ceu nocte sub atra
Munitis pastor stabulis per ovilia clausum
Impavidus somni servat pecus: effera sævit,
Atque impasta truces ululatus turba luporum
Exercet, morsuque quatit restantia claustra. 130
Irritus incepti movet inde, atque Appula tardo
Arva Libys passu legit, ac nunc valle residit
Conditus occulta, si præcipitare sequentem
Atque inopinata detur circumdare fraude;
Nunc nocturna parat cæcæ celantibus umbris 135
Furta viæ, retroque abitum fictosque timores
Adsimulat; tum castra citus deserta relicta
Ostentat præda, atque invitat prodigus hostem.
Qualis Mæonia passim Mæandrus in ora,
Cum sibi gurgitibus flexis revolutus oberrat. 140
Nulla vacant incepta dolis: simul omnia versat,
Miscetque exacuens varia ad conamina mentem.
Sicut aquæ splendor, radiatus lampade solis,
Dissultat per tecta, vaga sub imagine vibrans
Luminis, et tremula laquearia verberat umbra.
Jamque dolore furens ita secum immurmurat iræ:
Obvia si primus nobis hic tela tulisset,
Nulli amnem Trebiæ, Trasimeni nomina nulli
Lugerent Itali; nunquam Phaethontius amnis
Sanguinea pontum turbasset decolor unda. 150
Inventum, dum se cohibet, terimurque sedendo,
Vincendi genus est: quoties, velut obvius iret,
Discinxit ratione dolos, fraudesque resolvit!
Hæc secum, mediam somni cum buccina noctem
Divideret, jamque excubias sortitus iniquas
Tertius abrupta vigil iret ad arma quiete. 156
Vertit iter, Daunique retro tellure relicta
Campanas remeat notus populator in oras.
Hic vero, intravit postquam uberis arva Falerni,
(Dives ea, et nunquam tellus mentita colono,) 160
Addunt frugiferis inimica incendia ramis. [nores,
Haud fas, Bacche, tuos tacitum transmittere ho-
Quanquam magna incepta vocent: memorabere
Largitor laticis, gravidæ cui nectare vites [sacri
Nulli dant prælis nomen præferre Falernis. 165
Massica sulcabat meliore Falernus in ævo
Ensibus ignotis senior juga. Pampinus umbras
Nondum uva virides nudo texebat in arvo;
Pocula nec norant succis mulcere Lyæi,
Fonte sitim et pura soliti defendere lympha. 170
Attulit hospitio, pergentem ad littora Calpes
Extremumque diem, pes dexter et hora Lyæum;
Nec pigitum parvosque lares humilisque subire
Limina cœlicolam tecti: cepere volentem
Fumosi postes, et ritu pauperis ævi 175
Ante focos mensæ: lætus nec senserat hospes
Advenisse deum; sed enim de more parentum
Grato cursabat studio, instabatque senectæ,
Donec opes festas puris nunc poma canistris
Composuit, nunc irriguis citus extulit hortis 180
Rorantes humore dapes: tum lacte favisque
Distinxit dulces epulas, nulloque cruore
Polluta castus mensa Cerealia dona
Attulit, ac primum Vestæ decerpsit honorem
Undique, et in mediam jecit libamina flammam.
Deesse tuos latices, hac sedulitate senili 186
Captus, Iacche, vetas. Subito (mirabile dictu)
Fagina pampineo spumarunt pocula succo,
Pauperis hospitii pretium, vilisque rubenti
Fluxit mulctra mero, et quercu in cratera cavata
Dulcis odoratis humor sudavit ab uvis.
En cape, Bacchus ait, nondum tibi nota, sed olim
Viticolæ nomen pervulgatura Falerni
Munera; et haud ultra latuit deus: inde nitentem
Lumine purpureo frontem cinxere corymbi, 195
Et fusæ per colla comæ, dextraque pependit
Cantharus, ac vitis thyrso delapsa virenti
Festas Nysæo redimivit palmite mensas.
Nec facilis læto certasse, Falerne, sapori,
Postquam iterata tibi sunt pocula, jam pede risum,
Jam lingua titubante moves, patrique Lyæo 201
Tempora quassatus, grates et præmia digna
Vix intellectis conaris reddere verbis,
Donec composuit luctantia lumina Somnus, [mo
Somnus, Bacche, tibi comes additus. Hic ubi pri-
Ungula dispersit rores Phaethontia Phœbo, 206
Uviferis late florebat Massicus arvis,
Miratus nemora et lucentes sole racemos.
Id monti decus: atque ex illo tempore dives
Tmolus, et ambrosiis Ariusia pocula succis, 210
Ac Methymna ferox lacubus cessere Falernis.
Hæc tum vasta dabat, terrisque infestus agebat
Hannibal, et sicci stimulabant sanguinis enses,
Ludificante ducem Fabio. Jamque improba cas-
Ausoniis vota, et pugnandi prava libido [tris
Gliscebat: proni decurrere monte parabant.
Da famæ, da, Musa, virum, cui vincere bina
Concessum castra, et geminos domitare furores.
Fervida si nobis corda abruptumque putassent
Ingenium Patres, et si clamoribus, inquit, 220
Turbari facilem mentem, non ultima rerum
Et deplorati mandassent Martis habenas.
Stat pensata diu belli sententia: vincam
Servari invitos, urgentesque ultima fata.
Nulli per Fabium e vobis cecidisse licebit. 225
Si lucis piget, et supremis esse cupido est
Nominis Ausonii, tædetque in tempore tali
Nullum clade nova claræque fragore ruinæ
Insignem fecisse locum; revocandus ab atris
Flaminius vobis est sedibus: ille ruendi [disset.
Jam dudum properans signum auspiciumque de-
An nondum præceps vicinaque fata videtis?
Una, ut debellet, satis est victoria Pœno.
State, viri, et sentite ducem. Cum optabile tempus
Deposcet dextras, tunc ista ferocia dicta 235
Æquentur factis. Non est, mihi credite, non est
Arduus in pugnas ferri labor: una reclusis
Omnes jam portis in campum effuderit hora.
Magnum illud, solisque datum, quos mitis euntes
Jupiter adspexit, magnum est ex hoste reverti.
Fortunæ Libys incumbit, flatuque secundo 241
Fidit agens puppim: dum desinat aura, sinusque
Destituat tumidos subducto flamine ventus,
In rem cunctari fuerit. Non ulla perenni
Amplexu Fortuna fovet. Jam copia quanto 245
Arctior est nullo Tyriis certamine! quantum
Detritum est famæ! quin inter cætera nostra [tis
Haud laude abfuerit, modo qui...sed parcere dic-
Sit melius. Jam vos acies et prœlia et hostem
Poscitis? o maneat, superi, fiducia talis! 250
Interea, exclusa majoris sorte periculi,
Me solum, quæso, toti me opponite bello.
His dictis fractus furor, et rabida arma quierunt.
Ut cum turbatis placidum caput extulit undis
Neptunus, totumque videt, totique videtur 255
Regnator ponto, sævi fera murmura venti
Dimittunt, nullasque movent in frontibus alas:
Tum, sensim infusa tranquilla per æquora pace,
Languentes tacito lucent in littore fluctus.
Sensit cura sagax Pœni, fraudisque veneno
Aggreditur mentes. Pauca, atque hæc ruris aviti
Jugera, nec multis Fabius vertebat aratris;
Massicus uviferis addebat nomina glebis.
Hinc pestem placitum moliri, et spargere causas

In castra ambiguas: ferro flammisque pepercit,
Suspectamque loco pacem dedit arte maligna,
Ceu clandestino traheretur fœdere bellum.
Intellectus erat Fabio, Tyriosque videbat
Dictator sævire dolos: at non vacat agri
Invidiam gladios inter lituosque timere, 270
Et dubia morsus famæ depellere pugna.
Donec reptantem, et nequicquam sæpe trahentem
Huc illuc castra, ac scrutantem prœlia Pœnum,
Qua nemorosa juga et scopulosi vertice colles
Exsurgunt, clausit sparsa ad divortia turma. 275
Hinc Læstrygoniæ saxoso monte premebant
A tergo rupes, undosis squalida terris
Hinc Literna palus: nec ferri aut militis usum
Poscebat regio; septos sed fraude locorum
Arcta fames, pœnas miseræ exactura Sagunti,
Urgebat, finisque aderat Carthaginis armis. 281
Cuncta per et terras et lati stagna profundi
Condiderat somnus, positoque labore dierum
Pacem nocte datam mortalibus orbis agebat.
At non Sidonium curis flagrantia corda 285
Ductorem, vigilesque metus haurire sinebant
Dona soporiferæ noctis: nam membra cubili
Erigit, et fulvi circumdat pelle leonis,
Qua super instratos projectus gramine campi
Presserat ante toros: tunc ad tentoria fratris 290
Fert gressus vicina citos: nec degener ille
Belligeri ritus, taurino membra jacebat
Effultus tergo, et mulcebat tristia somno.
Haud procul hasta viri terræ defixa propinquæ,
Et dira e summa pendebat cuspide cassis: 295
At clypeus circa, loricaque, et ensis, et arcus,
Et telum Baleare simul tellure quiescunt.
Juxta lecta manus, juvenes in Marte probati,
Et sonipes strato carpebat gramina dorso.
Ut pepulere levem intrantis vestigia somnum,
Heus! inquit, pariterque manus ad tela ferebat,
Quæ te cura vigil fessum, germane, fatigat?
Ac jam constiterat, sociosque in cespite fusos
Incussa revocat castrorum ad munera planta.
Cum Libyæ ductor: Fabius me noctibus ægris,
In curas Fabius nos excitat: illa senectus, 306
Heu, fatis quæ sola meis currentibus obstat.
Cernis, ut armata circumfundare corona,
Et vallet clauso collectos miles in orbe? [porro,
Verum age, nunc, quoniam res arctæ, percipe
Quæ meditata mihi. Latos correpta per agros
Armenta adsueto belli de more sequuntur.
Cornibus arentes edicam innectere ramos,
Sarmentique leves fronti religare maniplos;
Admotus cum fervorem disperserit ignis, 315
Ut passim exsultent stimulante dolore juvenci
Et vaga per colles cervice incendia jactent.
Tum terrore novo trepidus laxabit iniquas
Custos excubias, majoraque nocte timebit.
Si cordi consulta, (moras extrema recusant,) 320
Accingamur, ait. Gemino tentoria gressu
Inde petunt. Ingens clypeo cervice reposta
Inter equos, interque viros, interque jacebat
Capta manu spolia et rorantia cæde Maraxes,
Ac dirum, in somno ceu bella capesseret, amens
Clamorem tum forte dabat, dextraque tremente
Arma toro et notum quærebat fervidus ensem.
Huic Mago, inversa quatiens ut dispulit hasta
Bellantem somnum: Tenebris, fortissime ductor,
Iras compesce, atque in lucem prœlia differ. [tus
Ad fraudem, occultamque fugam, tutosque recep-
Nunc nocte utendum est. Arentes nectere frondes
Cornibus, et latis accensa immittere sylvis
Armenta, oppositi reserent quo claustra manipli,
Germanus parat, atque obsessa evellere castra.
Emergamus, et hic Fabio persuadeat astus, 336
Non certare dolis. Nihil hinc cunctante, sed acris
Incepti læto juvene, ad tentoria Acherræ
Festinant, cui parca quies, minimumque soporis,
Nec notum somno noctes æquare: feroci 340
Pervigil inservibat equo, fessumque levabat
Tractando, et frenis ora exagitata fovebat.
At socii renovant tela, arentemque cruorem
Ferro detergunt, et dant mucronibus iras.
Quid fortuna loci poscat, quid tempus, et ipsi
Quænam agitent, pandunt, et cœptis ire ministrum 346
Haud segnem hortantur. Discurrit tessera castris,
Intentique docent, quæ sint properanda, monentque
Quisque suos: instat trepidis, stimulatque ruentes
Navus abire timor, dum cæca silentia, dumque
Majores umbræ. Rapida jam subdita peste 351
Virgulta, atque altis surgunt e cornibus ignes.
Hic vero ut, gliscente malo et quassantibus ægra
Armentis capita, adjutæ pinguescere flammæ
Cœpere, et vincens fumos erumpere vertex; 355
Per colles dumosque, (lues agit atra,) per altos
Saxosi scopulos montis lymphata feruntur
Corpora anhela boum, atque obsessis naribus igni
Luctantur frustra rabidi mugire juvenci.
Per juga, per valles errat Vulcania pestis, 360
Nusquam stante malo, vicinaque littora fulgent.
Quam multa, affixus cœlo sub nocte serena,
Fluctibus e mediis sulcator navita ponti
Astra videt: quam multa videt, fervoribus atris
Cum Calabros urunt ad pinguia pabula saltus,
Vertice Gargani residens incendia pastor. 366
At facie subita volitantum montibus altis
Flammarum, quîs tunc cecidit custodia sorti,
Horrere, atque ipsos nullo spargente vagari
Credere, et indomitos pasci sub collibus, ignes.
Cœlone exciderint, et magna fulmina dextra 371
Torserit omnipotens, an cæcis rupta cavernis
Fuderit egestas accenso sulfure flammas
Infelix tellus, media in formidine quærunt. [mis
Jamque abeunt; faucesque viæ citus occupat ar-
Pœnus, et in patulos exsultans emicat agros. 376
Huc tamen usque vigil processerat arte regendi
Dictator, Trebiam et Tusci post stagna profundi
Esset ut Hannibali Fabium Romanaque tela
Evasisse satis. Quin et vestigia pulsi 380
Et gressus premeret castris, nisi sacra vocarent
Ad patrios veneranda deos. Tum, versus ad Urbem,
Alloquitur juvenem, cui mos transmittere signa
Et belli summam primasque jubebat habenas,
Atque his præformat dictis, fingitque monendo:
Si factis nondum, Minuci, te cauta probare 385
Erudiit Fortuna meis; nec ducere verba
Ad verum decus, ac pravis arcere valebunt.
Vidisti clausum Hannibalem: nil miles et alæ
Juvere, aut densis legio conferta maniplis. 390
Testor te, solus clausi; nec deinde morabor.
Dis sine me libare dapem, et sollennia ferre;
Hunc iterum atque iterum vinctum vel montibus altis, [dam.
Amnibus aut rapidis, (modo pugna absistite,) tra-
Interea (crede experto, non fallimus) ægris 395
Nil movisse salus rebus. Sit gloria multis,
Et placeat, quippe egregium, prosternere ferro
Hostem; sed Fabio sit vos servasse triumphus.
Plena tibi castra atque intactus vulnere miles
Creditur: hos nobis (erit hæc sat gloria) redde.

Jam cernes Libycum huic vallo adsultare leonem,
Jam prædas offerre tibi, jam vertere terga,
Respectantem adeo, atque iras cum fraude co-
quentem. [næ.
Claude, oro, castra, et cunctas spes eripe pug-
Hæc monuisse satis. Sed si compescere corda
Non datur oranti, magno te jure pioque 406
Dictator capere arma veto. Sic castra relinquens
Vallarat monitis, ac se referebat ad Urbem.
Ecce autem flatu classis Phœnissa secundo
Littora Caietæ Læstrygoniosque recessus 410
Sulcabat rostris, portusque intrarat apertos,
Ac totus multo spumabat remige pontus;
Cum trepidæ fremitu vitreis e sedibus antri
Æquoreæ pelago simul emersere sorores,
Ac possessa vident infestis littora proris. 415
Tum magno perculsa metu Nereia turba
Attonitæ propere refluunt ad limina nota,
Teleboûm medio surgunt qua regna profundo,
Pumiceæque procul sedes: immanis in antro
Conditur abrupto Proteus, ac spumea late 420
Cautibus objectis rejectat cærula vates.
Is postquam (sat gnarus enim rerumque metus-
Per varias lusit formas, et terruit atri [que)
Serpentis squamis, horrendaque sibila torsit,
Aut fremuit torvo mutatus membra leone, 425
Dicite, ait, quæ causa viæ? quisve ora repente
Pervasit pallor? cur scire futura libido?
Ad quæ Cymodoce, Nympharum maxima natu
Italidum, Nosti nostros, præsage, timores.
Quid Tyriæ classes, ereptaque littora nobis 430
Portendunt? num migrantur Rhœteia regna
In Libyam superis? aut hos Sarranus habebit
Navita jam portus? patria num sede fugatæ
Atlantem et Calpes extrema habitabimus antra?
Tum sic, involvens repetita exordia, retro 435
Incipit ambiguus vates, reseratque futura.
Laomedonteus Phrygia cum sedit in Ida
Pastor, et, errantes dumosa per avia tauros
Arguta revocans ad roscida pascua canna,
Audivit sacræ lentus certamina formæ: 440
Tum matris currus niveos agitabat olores,
Tempora sollicitus litis servasse, Cupido.
Parvulus ex humero corytos et aureus arcus
Fulgebat, nutuque vetans trepidare parentem,
Monstrabat gravidam telis se ferre pharetram.
Ast alius nivea comebat fronte capillos, 446
Purpureos alius vestis religabat amictus;
Cum sic suspirans roseo Venus ore decoros
Alloquitur natos: Testis certissima vestræ
Ecce dies pietatis adest. Quis credere salvis 450
Hoc ausit vobis? de forma atque ore (quid ultra
Jam superest rerum?) certat Venus. Omnia parvis
Si mea tela dedi blando medicata veneno,
Si vester, cœlo ac terris qui fœdera sancit,
Stat supplex, cum vultis, avus, victoria nostra
Cypron Idumæas referat de Pallade palmas; 456
De Junone Paphos centum mihi fumet in aris.
Dumque hic aligeris instat Cytherea, sonabat
Omne nemus gradiente dea. Jam bellica virgo
Ægide deposita, atque adsuetum casside crinem
Involvi tum comta tamen, pacemque serenis 461
Condiscens oculis, ibat, lucoque ferebat
Prædicto sacræ vestigia concita plantæ.
Parte alia intrabat jussis Saturnia sylvis,
Judicium Phrygis et fastus pastoris et Iden 465
Post fratris latura toros: postrema nitenti
Affulsit vultu ridens Venus: omnia circa
Et nemora et penitus frondosis rupibus antra
Spirantem sacro traxerunt vertice odorem.
Nec judex sedisse valet; fessique nitoris 471
Luce cadunt oculi, ac metuit dubitasse videri
Sed victæ fera bella deæ vexere per æquor,
Atque excisa suo pariter cum judice Troja est.
Tum pius Æneas, terris jactatus et undis,
Dardanios Itala posuit tellure Penates. 475
Dum cete ponto innabunt, dum sidera cœlo
Lucebunt, dum sol Indo se littore tollet,
Hic regna, et nullæ regnis per sæcula metæ.
At vos, o natæ, currit dum immobile filum,
Hadriaci fugite infaustas Sasonis arenas. 480
Sanguineis tumidus ponto miscebitur undis
Aufidus, et rubros impellet in æquora fluctus:
Damnatoque deûm quondam per carmina campo
Ætolæ rursus Teucris pugnabitis umbræ.
Punica Romuleos quatient mox spicula muros,
Multaque Hasdrubalis turgebit strage Metaurus.
Hinc furto ille Jovis genitus patruique piabit
Idem ultor patrisque necem: tum littus Elissæ
Implebit flammis, avelletque Itala Pœnum
Viscera torrentem, et propriis superabit in oris. 490
Huic Carthago armis, huic Africa nomine cedet.
Hic dabit ex sese, qui tertia bella fatiget,
Et cinerem Libyæ ferat in Capitolia victor.
Quæ dum arcana deûm vates evolvit in antro,
Jam monita et Fabium bellique equitumque ma-
gister 495
Exuerat mente, ac præceps tendebat in hostem.
Pascere nec Pœno pravum ac nutrire furorem
Deerat, et, ut parvo majora ad prœlia damno
Eliceret, dabat interdum simulantia terga.
Non aliter, quam qui sparsa per stagna profundi
Evocat e liquidis piscem penetralibus esca, 501
Cumque levem summa vidit jam nare sub unda,
Ducit sinuato captivum ad littora lino.
Fama furit, versos hostes, Pœnumque salutem
Invenisse fuga: liceat si vincere, finem 505
Promitti cladum: sed enim ditione carere
Virtutem, et pœnas vincentibus esse repostas;
Clausurum jam castra ducem, rursusque referri
Vaginæ jussurum enses, reddatur in armis
Ut ratio, et purget miles, cur vicerit hostem. 510
Hæc vulgus: nec non Patrum Saturnia mentes
Invidiæ stimulo fodit et popularibus auris.
Tunc indigna fide censent optandaque Pœno.
Quæ mox haud parvo luerent damnata periclo.
Dividitur miles, Fabioque equitumque magistro
Imperia æquantur penitus. Cernebat, et expers
Irarum senior, magnas ne penderet alti
Erroris pœnas patria inconsulta, timebat.
Ac tum, multa putans secum, ut remeavit ab Urbe,
Partitus socias vires, vicina propinquis 520
Signa jugis locat, et specula sublimis ab alta
Non Romana minus servat, quam Punica castra.
Nec mora: disjecto Minuci vecordia vallo
Perdendi simul et pereundi ardebat amore.
Quem postquam rapidum vidit procedere castris
Hinc Libys, hinc Fabius; simul accendere sagaces
In subitum curas. Propere capere arma maniplis
Edicit, vallique tenet munimine turmas
Ausonius: torquet totas in prœlia vires
Pœnorum ductor, propellitque agmina voce: 530
Dum dictator abest, rape, miles, tempora pugnæ.
Non sperata diu plano certamina campo
Offert ecce deus: quoniam data copia, longum
Detergete situm ferro, multoque cruore
Exsatiate, viri, plenos rubiginis enses. 535
Atque ea cunctator pensabat ab aggere valli,
Perlustrans campos oculis: tantoque periclo
Discere, quinam esset Fabius, te, Roma, dolebat

Cui natus juncta arma ferens, Dabit improbus, inquit,
Quas dignum est, pœnas, qui per suffragia cæca
Invasit nostros hæc ad discrimina fasces. 541
Insanæ spectate tribus: pro lubrica rostra,
Et vanis fora læta viris! nunc munera Martis
Æquent imperio, et solem concedere nocti
Sciscant imbelles: magna mercede piabunt 545
Erroris rabiem, et nostrum violasse parentem.
Tum senior, quatiens hastam, lacrymisque coortis:
Sanguine Pœnorum, juvenis, tam tristia dicta
Sunt abolenda tibi. Patiarne ante ora manusque
Civem deleri nostras? aut vincere Pœnum, 550
Me spectante, sinam? nos æquavisse minori,
Solvetur culpa, si sunt mihi talia corda.
Jamque hoc (ne dubites) longævi, nate, parentis
Accipe, et æterno fixum sub pectore serva:
Succensere nefas patriæ, nec fœdior ulla 555
Culpa sub extremas fertur mortalibus umbras.
Sic docuere senes. Quantus, qualisque fuisti,
Cum pulsus lare et extorris Capitolia curru
Intrares exsul! tibi corpora cæsa, Camille,
Damnata quot sunt dextra! Pacata fuissent 560
Ni consulta viro, mensque impenetrabilis iræ;
Mutassentque solum sceptris Æneia regna,
Nullaque nunc stares terrarum vertice, Roma.
Pone iras, o nate, meas: socia arma feramus;
Acceleremus opem. Jamque intermixta sonabant
Classica, procursusque viros colliserat acer. 566
Primus claustra manu portæ dictator et altos
Disjecit postes, rupitque in prœlia cursum.
Non graviore movent venti certamina mole
Odrysius Boreas, et Syrtim tollere pollens 570
Africus: obnixi cum bella furentia torquent,
Distraxere fretum, ac diversa ad littora volvunt
Æquor quisque suum; sequitur stridente procella
Nunc huc, nunc illuc raptum mare, et intonat undis.
Haud prorsus daret ullus honos, tellusque subacta
Phœnicum, et Carthago ruens, injuria quantum
Orta ex invidia decoris tulit: omnia namque
Dura simul devicta viro, metus, Hannibal, iræ,
Invidia, atque una fama et fortuna subactæ.
Pœnus ab excelso rapidos decurrere vallo 580
Ut vidit, tremuere iræ, ceciditque repente
Cum gemitu spes haud dubiæ præsumta ruinæ:
Quippe aciem denso circumvallaverat orbe,
Hausurus clausos conjectis undique telis.
Atque hic Dardanius pravo certamine ductor 585
Jam Styga et æternas intrarat mente tenebras.
Nam Fabium auxiliumque viri sperare pudebat.
Cum senior, gemino complexus prœlia cornu,
Ulteriore ligat Pœnorum terga corona,
Et modo claudentes aciem nunc, extima cingens,
Clausos ipse tenet. Majorem surgere in arma,
Majoremque dedit cerni Tirynthius: altæ
Scintillant cristæ, et (mirum) velocibus ingens
Per subitum membris venit vigor: ingerit hastas,
Aversumque premit telorum nubibus hostem. 595
Qualis post juvenem, nondum subeunte senecta,
Rector erat Pylius bellis ætate secunda.
Inde ruens Thurin, et Beucen, et Narin, et Arsen
Dat leto, fisumque manus conferre Mahalcen,
Cui decus insigne, et quæsitum cuspide nomen.
Tum Garadum, largumque comæ prosternit Adherben, 601
Et geminas acies superantem vertice Thylin,
Qui summas alto prensabat in aggere pinnas.
Eminus hos: gladio Sapharum, gladioque Monæsum,
Et Morinum pugnas æris stridore cientem, 605
Dexteriore gena sedit cui letifer ictus,
Perque tubam fixæ decurrens vulnere malæ,
Extremo fluxit propulsus murmure sanguis.
Proximus huic jaculo Nasamonius occidit Idmon
Namque super tepido lapsantem sanguine, et ægra
Lubrica nitentem nequicquam evadere planta,
Impacto prosternit equo, trepideque levantem
Membra afflicta solo pressa violentius hasta
Implicuit terræ, telumque in cæde reliquit.
Hæret humi cornus motu tremefacta jacentis, 615
Et campo servat mandatum affixa cadaver.
Nec non exemplo laudis furiata juventus,
Sullæque, Crassique simul, junctusque Metello
Furnius, ac melior dextræ Torquatus, inibant
Prœlia, et unanimi vel morte emisse volebant 620
Spectari Fabio. Miser hinc vestigia retro
Dum rapit, et molem subducto corpore vitat
Intorti Bibulus saxi, atque in terga refertur,
Strage super lapsus socium, qua fibula morsus
Loricæ crebro laxata resolverat ictu, 625
Accepit lateri, penitusque in viscera adegit,
Exstabat fixo quod forte cadavere, ferrum.
Heu sortem necis! evasit Garamantica tela
Marmaridûmque manus, ut inerti cuspide fusus
Occideret telo non in sua vulnera misso. 630
Volvitur exanimis, turpatque decora juventa
Ora novus pallor: membris dimissa solutis
Arma fluunt, erratque niger per lumina somnus.
Venerat ad bellum Tyria Sidone, nepotum
Excitus prece, et auxilio socia arma ferebat, 635
Eoa tumidus pharetrati militis ala,
Gens Cadmi Cleadas, fulva cui plurima passim
Casside, et aurato fulgebat gemma monili.
Qualis ubi Oceani renovatus Lucifer unda
Laudatur Veneri, et certat majoribus astris. 640
Ostro ipse, ac sonipes ostro, totumque per agmen
Purpura Agenoreis saturata micabat aenis.
Hic avidum pugnæ, et tam clarum exscindere nomen [bem,
Brutum exoptantem, varie nunc lævus in or-
Nunc dexter levibus flexo per devia gyris 645
Ludificatus equo, volucrem post terga sagittam
Fudit, Achæmenio detrectans prœlia ritu.
Nec damnata manus, medio sed (flebile) mento
Armigeri Cascæ penetrabilis hæsit arundo,
Obliquumque secans surrecta cuspide vulnus
Uventi ferrum admovit tepefacta palato. 651
At Brutus, diro casu turbatus amici, [sævos
Ausum multa virum, et spargentem in vulnera
Fraude fugæ calamos, jam nullis cursibus instat
Prendere cornipedis, sed totam pectoris iram 655
Mandat atrox hastæ, telumque volatile nodo
Excutit, ac summum, qua laxa monilia crebro
Nudabant versu, transmittit cuspide pectus.
Labitur intento cornu transfossus, et una
Arcum læva cadens, dimisit dextra sagittam. 660
At non tam tristi sortitus prœlia Marte
Phœbei Soractis honor Carmelus agebat:
Sanguine quippe suo jam Bagrada tinxerat ensem,
Dux rectorque Nubæ populi; jam fusus eidem
Zeuxis, Amyclæi stirps impacata Phalanti, 665
Quem tulerat mater claro Phœnissa Laconi.
Talia dum metuit, nec pugnæ fisus in hoste
Tam rapido, nec deinde fugæ, suadente pavore,
Per dumos miser in vicina cacumina quercus
Repserat, atque alta sese occultabat in umbra
Hampsicus, insistens tremulis sub pondere ramis
Hunc longa multa orantem Carmelus, et altos
Mutantem saltu ramos, transverberat hasta

Ut, qui viscatos populatur arundine lucos,
Dum nemoris celsi procera cacumina sensin 675
Substructa certat tacitus contingere meta,
Sublimem calamo sequitur crescente volucrem.
Effudit vitam, atque alte manante cruore
Membra pependerunt curvato exsanguia ramo.
Jamque in palantes ac versos terga feroces 680
Pugnabant Itali, subitus cum mole pavenda
Terrificis Maurus prorumpit Tunger in armis.
Nigra viro membra, et furvi juga celsa trahebant
Cornipedes, totusque novæ formidinis arte
Concolor æquabat liventia currus equorum 685
Terga, nec erectis similes imponere cristis
Cessarat pennas, aterque tegebat amictus.
Ceu quondam æternæ regnator noctis, ad imos
Cum fugeret thalamos, Ennæa virgine rapta
Egit nigrantem Stygia caligine currum. 690
At Cato, tum prima sparsus lanugine malas,
Quod peperere decus Circæo Tuscula dorso
Mœnia, Laertæ quondam regnata nepoti,
Quanquam tardatos turbata fronte Latinos
Collegisse gradum videt, imperterritus ipse 695
Ferrata calce atque effusa largus habena
Cunctantem impellebat equum : negat obvius ire,
Et trepidat cassa sonipes exterritus umbra.
Tum celer in pugnam dorso delatus ab alto
Alipedem planta currum premit, atque volanti 700
Adsilit a tergo: cecidere et lora repente,
Et stimuli, ferrumque super cervice tremiscens
Palluit infelix subducto sanguine Maurus.
Ora rapit gladio, præfixaque cuspide portat.
At sævo Mavorte ferox perrumpit anhelum 705
Dictator cum cæde globum : miserabile visu,
Vulneribus fessum ac multo labente cruore
Ductorem cernit suprema ac fœda precantem.
Manavere genis lacrymæ, clypeoque paventem
Protegit, et natum stimulans, Fortissime, labem
Hanc pellamus, ait, Pœnoque ob mitia facta, 711
Quod nullos nostris ignes disperserit arvis,
Dignum expendàmus pretium. Tunc, arte paterna
Ac stimulis gaudens, juvenis circumdata Pœnûm
Agmina deturbat gladio, campumque relaxat,
Donec Sidonius decederet æquore ductor. 716
Ceu stimulante fame rapuit cum Martius agnum
Averso pastore lupus, fetumque trementem
Ore tenet presso ; tum, si vestigia cursu
Auditis celeret balatibus obvia pastor, 720
Jam sibimet metuens, spirantem dentibus imis
Rejectat prædam, et vacuo fugit æger hiatu.
Tum demum turmis, quas circumfuderat atra
Tempestas, Stygiæ tandem fugere tenebræ.
Torpebant dextræ, et sese meruisse negabant 725
Servari, subitisque bonis mens ægra natabat.
Ut, qui collapsa pressi jacuere ruina,
Eruta cum subito membra, et nox atra recessit,
Connivent, solemque pavent cognoscere visu.
Quîs actis, senior, numerato milite lætus, 730
Colles et tuto repetebat in aggere castra.
Ecce autem e media jam morte renata juventus,
Clamorem tollens ad sidera, et ordine longo
Ibat ovans, Fabiumque decus, Fabiumque salutem
Certatim, et magna memorabat voce parentem.
Tum, qui partitis dissederat ante maniplis, 736
Sancte, ait, o genitor, revocato ad lucis honorem
Si fas vera queri, cur nobis castra virosque
Dividere est licitum? patiens cur arma dedisti,
Quæ solus rexisse vales? hoc munere lapsi 740
Æternas multo cum sanguine vidimus umbras.
Ocius huc aquilas servataque signa referte : [uno.
Hic patria est : murique Urbis stant pectore in
Tuque dolos, Pœne, atque astus tandem exue notos :
Cum solo tibi jam Fabio sunt bella gerenda. 745
Hæc ubi dicta dedit, mille hinc (venerabile visu)
Cespite de viridi surgunt properantius aræ.
Nec prius aut epulas, aut munera grata Lyæi
Fas cuiquam tetigisse fuit, quam multa precatus
In mensam Fabio sacrum libavit honorem. 750

LIBER OCTAVUS.

Primus Agenoridûm cedentia terga videre
Æneadis dederat Fabius : Romana parentem
Solum castra vocant ; solum vocat Hannibal hostem,
Impatiensque moræ fremit. Ut sit copia Martis,
Exspectanda viri fata, optandumque sub armis 5
Parcarum auxilium : namque hac spirante senecta
Nequicquam sese Latium sperare cruorem. [
Jam vero concors miles, signisque relatis
Indivisus honos, iterumque et rursus eidem
Soli obluctandum Fabio, majoribus ægrum 10
Angebant curis. Lentàndo fervida bella
Dictator, cum multa adeo, tum miles egenus
Cunctarum ut rerum Tyrius foret, arte sedendi
Egerat, et, quarquam finis pugnaque manuque
Haud dum partus erat, jam bello vicerat hostem.
Quin etiam ingenio fluxi, sed prima feroces, 16
Vaniloquum Celtæ genus ac mutabile mentis,
Respectare domos : mærebant cæde sine ulla
(Insolitum sibi) bella geri, siccasque cruoris
Inter tela siti Mavortis hebescere dextras. 20
His super internæ labes et civica vulnus
Invidia augebant : lævus conatibus Hannon
Ductoris non ulla domo submittere Patres
Auxilia, aut ullis opibus juvisse sinebat.
Quîs lacerum curis et rerum extrema paventem
Ad spes armorum et furialia vota reducit 26
Præscia Cannarum Juno, atque elata futuris.
Namque hæc accitam stagnis Laurentibus Annam
Affatur voce, et blandis hortatibus implet :
Sanguine cognato juvenis tibi, diva, laborat 30
Hannibal, a vestro nomen memorabile Belo.
Perge age, et insanos curarum comprime fluctus.
Excute sollicito Fabium : sola ille Latinos
Sub juga mittendi mora, jam discingitur armis.
Cum Varrone manus, et cum Varrone serenda 35
Prœlia : ne desit fatis ad signa movenda.
Ipsa adero : tendat jamdudum in Iapyga campum.
Huc Trebiæ rursum et Trasimeni fata sequentur.
Tum diva Indigetis castis contermina lucis,
Haud, inquit, tua jus nobis præcepta morari. 40
Si fas, sit autum, quæso, retinere favorem

Antiquæ patriæ mandataque magna sororis,
Quanquam inter Latios Annæ stet numen honores.
Multa retro rerum jacet, atque ambagibus ævi
Obtegitur densa caligine mersa vetustas, 45
Cur Sarrana dicent Œnotri numina templo,
Regnisque Æneadûm germana colatur Elissæ.
Sed pressis stringam revocatam ab origine famam
Narrandi metis, breviterque antiqua revolvam.
Iliaco postquam deserta est hospite Dido, 50
Et spes abruptæ, mediis penetralibus atram
Festinat furibunda pyram: tum corripit ensem
Certa necis, profugi donum exitiale mariti.
Despectus tædæ regnis se imponit Hiarbas,
Et tepido fugit Anna rogo: quis rebus egenis 55
Ferret opem, Nomadum late terrente tyranno?
Battus Cyrenen molli tum forte fovebat
Imperio, mitis Battus, lacrymasque dedisse
Casibus humanis facilis: qui supplice visa 59
Intremuit regum eventus, dextramque tetendit.
Atque ea, dum flavas bis tondet messor aristas,
Servata interea sedes: nec longius uti
His opibus Battoque fuit: nam ferre per æquor
Exitium miseræ jam Pygmaliona docebat.
Ergo agitur pelago, divis inimica sibique, 65
Quod se non dederit comitem in suprema sorori.
Donec jactatam laceris (miserabile) velis
Fatalis turbo in Laurentes expulit oras.
Non cœli, non illa soli, non gnara colentum
Sidonis in Latia trepidabat naufraga terra. 70
Ecce autem Æneas, sacro comitatus Iulo,
Jam regni compos, noto sese ore ferebat.
Qui terræ defixam oculos, et multa timentem,
Ac deinde allapsam genibus lacrymantis Iuli,
Attollit, mitique manu intra limina ducit. 75
Atque ubi jam casus adversorumque pavorem
Hospitii lenivit honos, tum discere mæsta
Exposcit cura letum infelicis Elissæ.
Cui sic, verba trahens largis cum fletibus, Anna
Incipit, et blandas addit pro tempore voces. 80
Nate dea, solus regni lucisque fuisti
Germanæ tu causa meæ: mors testis, et ille
(Heu cur non idem mihi tum?) rogus. Ora videre
Postquam est ereptum miseræ tua, littore sedit
Interdum, stetit interdum, ventosque secuta 85
Infelix oculis, magno clamore vocabat
Ænean, comitemque tuæ se imponere solam
Orabat paterere rati: mox turbida anhelum
Retulit in thalamos cursum, subitoque tremore
Substitit, et sacrum timuit tetigisse cubile. 90
Inde amens, nunc sideream fulgentis Iuli
Effigiem fovet amplexu: nunc tota repente
Ad vultus conversa tuos, ab imagine pendet,
Conqueriturque tibi, et sperat responsa remitti.
Non unquam spem ponit amor: jam tecta domumque 95
Deserit, et rursus portus furibunda revisit,
Si qui te referant converso flamine venti.
Ad magicas etiam fallax atque improba gentis
Massylæ levitas descendere compulit artes.
Heu sacri vatum errores! dum numina noctis 100
Eliciunt, spondentque novis medicamina curis,
Quod vidi decepta nefas! congessit in atram
Cuncta tui monumenta pyram, et non prospera
Tum sic Æneas dulci repetitus amore: [dona.
Tellurem hanc juro, vota inter nostra frequenter
Auditam vobis, juro caput, Anna, tibique 106
Germanæque tuæ dilecti, invitus, Iuli,
Respiciens, ægerque animi tum regna reliqui [tus
Vestra; nec abscessem thalamo, ni magna mina-
Meque sua ratibus dextra imposuisset, et alto 110
Egisset rapidis classem Cyllenius Euris.
Sed cur, (heu seri monitus!) cur tempore tali
Incustodito sævire dedistis amori?
Contra sic infit, volvens vix murmur anhelum
Inter singultus, labiisque trementibus Anna: 115
Nigro forte Jovi, cui tertia regna laborant,
Atque atri sociæ thalami nova sacra parabam,
Quis ægram mentem et trepidantia corda levaret
Infelix germana tori, furvasque trahebam
Ipsa manu, properans ad visa pianda, bidentes. 120
Nam somno adspersam dirus me impleverat horror,
Terque suam Dido, ter cum clamore vocarat,
Et læta exsultans ostenderat ora Sichæus. [dent,
Quæ dum abigo menti, et sub lucem, ut visa secun-
Oro cœlicolas, ac vivo purgor in amni; 125
Illa, cito passu pervecta ad littora, mutæ
Oscula, qua steteras, bis terque infixit arenæ:
Deinde amplexa sinu late vestigia fovit,
Ceu cinerem orbatæ pressant ad pectora matres.
Tum rapido præceps cursu, resolutaque crinem,
Evasit propere in celsam, quam struxerat ante 131
Magna mole, pyram, cujus de sede dabatur
Cernere cuncta freta et totam Carthaginis urbem.
Hic Phrygiam vestem et baccatum induta monile,
Postquam illum infelix hausit, quo munera primum 135
Sunt conspecta, diem, et convivia mente reduxit,
Festasque adventu mensas, teque ordine Trojæ
Narrantem longos, se pervigilante, labores,
In portus amens rorantia lumina flexit, [fudit:
Atque hæc sparsa comam divis in morte pro-
Di longæ noctis, quorum jam numina nobis 141
Mors instans majora facit, precor, inquit, adeste,
Et placidi victos ardore admittite manes.
Æneæ conjux, Veneris nurus, ulta maritum,
Vidi constructas nostræ Carthaginis arces. 145
Nunc ad vos magni descendet corporis umbra.
Me quoque fors dulci quondam vir notus amore
Exspectat, curas cupiens æquare priores.
Hæc dicens, ensem media in præcordia adegit,
Ensem Dardanii quæsitum in pignus amoris. 150
Viderunt comites, tristique per atria planctu
Concurrunt: magnis resonant ululatibus ædes.
Accepi infelix, dirisque exterrita fatis,
Ora manu lacerans, lymphato regia cursu
Tecta peto, celsosque gradus evadere nitor. 155
Ter diro fueram conata incumbere ferro,
Ter cecidi exanimæ membris revoluta sororis.
Jamque ferebatur vicina per oppida rumor.
Tum Cyrenæam fatis agitantibus urbem
Devenio; hinc vestris pelagi vis appulit oris. 160
Motus erat, placidumque animum mentemque quietam
Troius in miseram rector susceperat Annam.
Jamque omnes luctus omnesque e pectore curas
Dispulerat, Phrygiis nec jam amplius advena tectis
Illa videbatur. Tacito nox atra sopore 165
Cuncta per et terras et lati stagna profundi
Condiderat, tristi cum Dido ægerrima vultu
Has visa in somnis germanæ effundere voces:
His, soror, in tectis longæ indulgere quieti, 169
Heu nimium secura, potes? nec, quæ tibi fraudes
Tendantur, quæ circumstent discrimina, cernis?
Ac nondum nostro infaustos generique soloque
Laomedonteæ noscis telluris alumnos?
Dum cœlum rapida stellas vertigine volvet
Lunaque fraterno lustrabit lumine terras, 175
Pax nulla Æneadas inter Tyriosque manebit.
Surge age: jam tacitas suspecta Lavinia fraudes
Molitur, dirumque nefas sub corde volutat.

Præterea, ne falsa putes hæc fingere somnum,
Haud procul hinc parvo descendens fonte Numicus
Labitur, et leni per valles volvitur amne. 181
Huc rapies, germana, viam tutosque receptus.
Te sacra excipient hilares in flumina Nymphæ,
Æternumque Italis numen celebrabere in oris.
Sic fata in tenuem Phœnissa evanuit auram. 185
Anna novis somno excutitur perterrita visis,
Itque timor totos gelido sudore per artus.
Tunc, ut erat tenui corpus velamine tecta,
Prosiluit stratis, humilique egressa fenestra
Per patulos currit plantis pernicibus agros: 190
Donec arenoso (sic fama) Numicius illam
Suscepit gremio, vitreisque abscondidit antris.
Orta dies totum radiis impleverat orbem,
Cum nullam Æneadæ thalamis Sidonida nacti,
Et Rutulum magno errantes clamore per agrum,
Vicini ad ripas fluvii manifesta sequuntur 196
Signa pedum: dumque inter se mirantur, ab alto
Amnis aquas cursumque rapit; tum sedibus imis
Inter cæruleas visa est residere sorores
Sidonis, et placido Teucros affarier ore. 200
Ex illo primis anni celebrata diebus
Per totam Ausoniam venerando numine culta est.
Hanc postquam in tristes Italûm Saturnia pugnas
Hortata est, celeri superum petit æthera curru,
Optatum Latii tandem potura cruorem. 205
Diva deæ parere parat, magnumque Libyssæ
Ductorem gentis nulli conspecta petebat.
Ille, virûm cœtu tum forte remotus ab omni,
Incertos rerum eventus bellique volutans,
Anxia ducebat vigili suspiria voce. 210
Cui dea sic dictis curas solatur amicis:
Quid tantum ulterius, rex o fortissime gentis
Sidoniæ, ducis cura ægrescente dolorem?
Omnis jam placata tibi manet ira deorum, 214
Omnis Agenoridis rediit favor: eia age, segnes
Rumpe moras, rape Marmaricas in prœlia vires.
Mutati fasces: jam bellum atque arma senatus
Ex inconsulto posuit Tirynthius heros,
Cumque alio tibi Flaminio sunt bella gerenda.
Me tibi, ne dubites, summi matrona Tonantis 220
Misit: ego Œnotris æternum numen in oris
Concelebror, vestri generata e sanguine Beli.
Haud mora sit: rapido belli rape fulmina cursu,
Celsus Iapygios qua se Garganus in agros 224
Explicat: haud longe tellus: huc dirige signa.
Hæc, ut Roma cadat, sat erit victoria Pœnis.
Dixit, et in nubes humentia sustulit ora.
Cui dux, promissæ revirescens pignore laudis:
Nympha, decus generis, quo non sacratius ullum
Numen, ait, nobis, felix oblata secundes. 230
Ast ego te, compos pugnæ, Carthaginis arce
Marmoreis sistam templis, juxtaque dicabo
Æquatam gemino simulacri munere Dido.
Hæc fatus, socios stimulat tumefactus ovantes:
Pone graves curas tormentaque lenta sedendi. 235
Fatalis Latio miles: placavimus iras
Cœlicolum: redeunt divi: finita maligno
Hinc Fabio imperia, et mutatos consule fasces
Nuntio. Nunc dextras mihi quisque, atque illa referto,
Quæ Marte exclusus promittere magna solebas.
En, numen patrium spondet majora peractis. 241
Vellantur signa, ac diva ducente petamus
Infaustum Phrygibus Diomedis nomine campum.
Dumque Arpos tendunt instincti pectora Pœni,
Subnixus rapto plebeii muneris ostro 245
Sævit jam rostris Varro, ingentique ruinæ
Festinans aperire locum, fata admovet Urbi.
Atque illi sine luce genus, surdumque parentum
Nomen, et immodice vibrabat in ore canoro
Lingua procax: hinc auctus opes, largusque rapinæ, 250
Infima dum vulgi fovet, oblatratque senatum,
Tantum in quassata bellis caput extulit urbe,
Momentum ut rerum et fati foret arbiter unus,
Quo conservari Latium victore puderet.
Hunc Fabios inter, sacrataque nomina Marti 255
Scipiadas, interque Jovi spolia alta ferentem
Marcellum, fastis labem suffragia cæca
Addiderant, Cannasque malum exitiale fovebat
Ambitus, et Graio funestior æquore Campus.
Idem, ut turbarum sator, atque accendere sollers
Invidiam, pravusque togæ, sic debilis arte 261
Belligera, Martemque rudis versare, nec ullo
Spectatus ferro, lingua sperabat adire
Ad dextræ decus, atque e rostris bella ciebat.
Ergo alacer, Fabiumque moræ increpitare profes-
Ad vulgum in Patres adovantia verba ferebat. [sus,
Vos, quorum imperium est, consul præcepta modumque
Bellandi posco. Sedeone, an montibus erro,
Dum mecum Garamas et adustus corpora Maurus
Dividit Italiam? an ferro, quo cingitis, utor? 270
Exaudi, bone dictator, quid Martia plebes
Imperitet: pelli Libyas, Romamque levari
Hoste jubet. Num festinant, quos plurima passos
Tertius exurit lacrymosis casibus annus? 274
Ite igitur, capite arma, viri: mora sola triumpho
Parvum iter est: quæ prima dies ostenderit hos-
Et Patrum regna et Pœnorum bella resolvet. [tem,
Ite alacres: Latia devinctum colla catena
Hannibalem Fabio ducam spectante per Urbem.
Hæc postquam increpuit, portis arma incitus effert,
Impellitque moras: veluti cum carcere rupto 281
Auriga indocilis totas effudit habenas,
Et, præceps trepida pendens in verbera planta,
Impar fertur equis: fumat male concitus axis,
Ac frena incerto fluitant discordia curru. [pus
Cernebat Paullus (namque huic communia Cam-
Jura atque arma tulit) labi mergente sinistro
Consule res, pessumque dari: sed mobilis ira
Turbati vulgi, signataque mente cicatrix
Uudantes ægro frenabat corde dolores. 290
Nam cum perdomita est armis juvenilibus olim
Illyris ora viri, nigro allatraverat ore
Victorem invidia, et ventis jactarat iniquis.
Hinc inerat metus et duræ reverentia plebis.
Sed genus admotum superis, summumque per altos
Attingebat avos cœlum: numerare parentem 296
Assaracum retro præstabat Amulius auctor,
Assaracusque Jovem: nec, qui spectasset in armis,
Abnueret genus. Huic Fabius jam castra petenti:
Si tibi cum Tyrio credis fore maxima bella 300
Ductore, (invitus vocem hanc e pectore rumpam,)
Frustraris, Paulle, Ausoniam: te prœlia dira,
Teque hostis castris gravior manet; aut ego multo
Nequicquam didici casus prænoscere Marte.
Spondentem audivi (piget heu tædetque senectæ,
Si, quas prospicio, restat passura ruinas) 306
Cum duce tam fausti Martis, qua viderit hora,
Sumturum pugnam. Quantum nunc, Paulle, supremo
Absumus exitio, vocem hanc si consulis ardens
Audivit Pœnus! jam latis obvia, credo, 310
Stat campis acies, exspectaturque sub ictu
Alter Flaminius. Quantos, insane, ciebis,
Varro, viros! tu, (pro superi,) tu protinus arma?
Tu campum noscas ante, exploresque trahendo

Quantum hosti victus? tu non, quæ copia rerum,
Quæ natura loci, quod sit, rimabere sollers, 316
Armorum genus? et stantem super omnia tela
Fortunam aspicies? Fer, Paulle, indevia recti
Pectora: cur, uni patriam si affligere fas est,
Uni sit servare nefas? Eget improbus arcto 320
Jam victu Libys, et, belli fervore retuso [tecto
Lassa fides sociûm est: non hic domus hospita
Invitat patrio, non fidæ mœnibus urbes
Excipiunt, renovatque pari se pube juventus.
Tertia vix superest, crudo quæ venit Ibero, 325
Turba virûm. Persta, et lenti meditamina belli
Cautus ama: si qua interea invitaverit aura,
Annueritque deus, velox accede secundis.
Cui breviter mæsto consul sic ore vicissim:
Mecum erit hæc prorsus pietas, mentemque feremus 330
In Pœnos, invicte, tuam: nec me unica fallit
Cunctandi ratio, qua, te grassante, senescens
Hannibal oppressum vidit considere bellum.
Sed quænam ira deûm? consul datus alter, opinor,
Ausoniæ est, alter Pœnis: trahit omnia secum,
Et metuit demens, alio ne consule Roma 336
Concidat: e Tyrio consortem accite senatu,
Non tam sæva volet. Nullus, qui portet in hostem,
Sufficit insano sonipes: incedere noctis, [bus
Quæ tardent cursum, tenebras dolet: itque super-
Tantum non strictis mucronibus, ulla retardet
Ne pugnas mora, dum vagina ducitur ensis.
Tarpeiæ rupes, cognataque sanguine nobis
Tecta Jovis, quæque arce sua nunc stantia linquo
Mœnia felicis patriæ, quocunque vocabit 345
Summa salus, testor spreto discrimine iturum.
Sed si surda mihi pugnabunt castra monenti,
Haud ego vos ultra, nati, dulcemque morabor
Assaraci de gente domum, similemve videbit
Varroni Paullum redeuntem saucia Roma. 350
Sic tum diversa turbati mente petebant
Castra duces. At prædictis jam sederat arvis
Ætolos Pœnus servans ad prœlia campos.
Non alias majore virûm, majore sub armis
Agmine cornipedum concussa est Itala tellus.
Quippe extrema simul gentique urbique timebant,
Nec spes certandi plus uno Marte dabatur.
Faunigenæ socio bella invasere Sicano
Sacra manus Rutuli, servant qui Daunia regna,
Laurentique domo gaudent, et fonte Numici: 360
Quos Castrum, Phrygibusque gravis quondam Ardea misit,
Quos celso devexa jugo Junonia sedes
Lanuvium, atque altrix casti Collatia Bruti:
Quique immite nemus Triviæ, quique ostia Tusci
Amnis amant, tepidoque fovent Almone Cybeben.
Hinc Tibur, Catille, tuum, sacrisque dicatum 366
Fortunæ Præneste jugis, Antemnaque prisco
Crustumio prior, atque habiles ad aratra Labici
Nec non sceptriferi qui potant Tibridis undam,
Quique Anienis habent ripas, gelidoque rigantur
Simbruvio, rastrisque domant Æquicula rura.
His Scaurus monitor, tenero tunc Scaurus in ævo,
Sed jam signa dabat nascens in sæcula virtus.
Non illis solitum crispare hastilia campo,
Nec mos pennigeris pharetram implevisse sagittis;
Pila volunt, brevibusque habiles mucronibus enses: 376
Ære caput tecti surgunt super agmina cristis.
At quos ipsius mensis seposta Lyæi
Setia, et incelebri miserunt valle Velitræ,
Quos Cora, quos spumans immiti Signia musto,
Et quos pestifera Pomptini uligine campi, 381
Qua Saturæ nebulosa palus restagnat, et atro
Liventes cœno per squalida turbidus arva
Cogit aquas Ufens, atque inficit æquora limo,
Ducit avis pollens, nec dextra indignus avorum
Scævola, cui diræ cælatur laudis honora 386
Effigie clypeus: flagrant altaribus ignes;
Tyrrhenûm valli medio stat Mucius ira
In semet versa, sævitque in imagine virtus.
Tunc icti specie finire hoc bella magistro 390
Cernitur effugiens ardentem Porsena dextram.
Quîs Circæa juga, et scopulosi verticis Anxur,
Hernicaque impresso raduntur vomere saxa,
Quîs putri pinguis sulcaris Anagnia gleba,
Sulla Ferentinis Privernatumque maniplis 395
Ducebat simul excitis, Soræque juventus
Addita fulgebat telis: hic Scaptia pubes,
Hic Fabrateriæ vulgus: nec monte nivoso
Descendens Atina aberat, detritaque bellis
Suessa, atque a duro Frusino haud imbellis aratro.
At qui Fibreno miscentem flumina Lirim 401
Sulfureum, tacitisque vadis ad littora lapsum
Accolit Arpinas, accita pube Venafro
Ac Larinatum dextris, socia hispidus arma
Commovet, atque viris ingens exhaurit Aquinum.
Tullius æratas raptabat in agmina turmas, 406
Regia progenies, et Tullo sanguis ab alto;
Indole pro quanta juvenis, quantumque daturus
Ausoniæ populis ventura in sæcula civem!
Ille super Gangen, super exauditus et Indos, 410
Implebit terras voce, et furialia bella
Fulmine compescet linguæ, nec deinde relinquet
Par decus eloquio cuiquam sperare nepotum.
Ecce inter primos Therapnæo a sanguine Clausi
Exsultat rapidis Nero non imitabilis ausis. 415
Hunc Amiterna cohors, et Bactris nomina ducens
Casperia, hunc Foruli, magnæque Reate dicatum
Cœlicolûm matri, nec non habitata pruinis
Nursia, et a Tetrica comitantur rupe cohortes.
Cunctis hasta decus, clypeusque refertur in orbem,
Conique implumes, ac lævo tegmina crure. 421
Ibant, et læti pars Sancum voce canebant
Auctorem gentis, pars laudes ore ferebant,
Sabe, tuas, qui de proprio cognomine primus
Dixisti populos magna ditione Sabinos. 425
Quid, qui Picenæ stimulat telluris alumnos,
Horridus et squamis et equina Curio crista?
Pars belli quam magna venit! non æquore verso
Tam creber fractis albescit fluctus in undis:
Nec cœtu leviore, ubi mille per agmina virgo
Lunatis acies imitatur Martia peltis, 431
Perstrepit et tellus et Amazonius Thermodon
Hic et quos pascunt scopulosæ rura Numanæ,
Et quîs littoreæ fumant altaria Cupræ,
Quique Truentinas servant cum flumine turres,
Cernere erat: clypeata procul sub sole corusco
Agmina sanguinea vibrant in nubila luce.
Stat fucare colus nec Sidone vilior Ancon,
Murice nec Libyco: statque humectata Vomano
Adria, et inclemens hirsuti signifer Ascli. 440
Hoc Picus, quondam nomen memorabile ab alto
Saturno, statuit genitor, quem carmine Circe
Exutum formæ volitare per æthera jussit,
Et sparsit plumis croceum fugientis honorem.
Ante (ut fama docet) tellus possessa Pelasgis,
Quîs Æsis regnator erat, fluvioque reliquit 446
Nomen, et a sese populos tum dixit Asisos.
Sed non ruricolæ firmarunt robore castra
Deteriore, cavis venientes montibus, Umbri.
Hos Æsis Sapisque lavant, rapidasque sonanti
Vertice contorquens undas per saxa Metaurus,

Et lavat ingentem perfundens flumine sacro
Clitumnus taurum, Narque albescentibus undis
In Tibrim properans, Tiniæque inglorius humor,
Et Clanis, et Rubico, et Senonum de nomine Sena.
Sed pater ingenti medios illabitur amne 456
Albula, et admota perstringit mœnia ripa.
His urbes Arna, et lætis Mevania pratis,
Hispellum, et duro monti per saxa recumbens
Narnia, et infestum nebulis humentibus olim
Iguvium, patuloque jacens sine mœnibus arvo
Fulginia: his populi fortes Amerinus, et armis
Vel rastris laudande Camers, his Sassina dives
Lactis, et haud parci Martem coluisse Tudertes.
Ductor Piso viros spernaces mortis agebat 465
Ora puer, pulcherque habitum: sed corde sagaci
Æquabat senium, atque astu superaverat annos.
Is primam ante aciem pictis radiabat in armis:
Arsacidûm ut fulvo micat ignea gemma monili.
Jamque per Etruscos legio completa maniplos
Rectorem magno spectabat nomine Galbam. 471
Huic genus orditur Minos, illusaque tauro
Pasiphae, clarique dehinc stant ordine patres.
Lectos Cære viros, lectos Cortona superbi
Tarchonis domus, et veteres misere Graviscæ:
Nec non Argolico dilectum littus Halæso 476
Alsium, et obsessæ campo squalente Fregenæ.
Affuit et sacris interpres fulminis alis
Fæsula, et antiquus Romanis mœnibus horror
Clusinum vulgus, cum, Porsena magne, jubebas
Nequicquam pulsos Romæ imperitare Superbos.
Tunc quos a niveis exegit Luna metallis,
Insignis portu, quo non spatiosior alter
Innumeras cepisse rates, et claudere pontum,
Mæoniæque decus quondam Vetulonia gentis. 485
Bissenos hæc prima dedit præcedere fasces,
Et junxit totidem tacito terrore secures:
Hæc altas eboris decoravit honore curules,
Et princeps Tyrio vestem prætexuit ostro:
Hæc eadem pugnas accendere protulit ære. 490
His mixti Nepesina cohors, Æquique Falisci,
Quique tuos, Flavina, focos, Sabatia quique
Stagna tenent, Ciminique lacum, qui Sutria tecta
Haud procul, et sacrum Phœbo Soracte frequen-
Spicula bina gerunt: capiti cudone ferino [tant.
Sat cautum: Lycios damnant hastilibus arcus.
Hæ bellare acies norant; at Marsica pubes
Et bellare manu, et chelydris cantare soporem,
Vipereumque herbis hebetare et carmine dentem.
Ætetæ prolem Anguitiam mala gramina primam
Monstravisse ferunt, tactuque domare venena,
Et lunam excussisse polo, stridoribus amnes 502
Frenantem, ac sylvis montes nudasse vocatis.
Sed populis nomen posuit metuentior hospes,
Cum fugeret Phrygias trans æquora Marsya Cre-
Mygdoniam Phœbi superatus pectine loton. [nas,
Marruvium, veteris celebratum nomine Marri,
Urbibus est illis caput, interiorque per udos
Alba sedet campos, pomisque rependit aristas.
Cætera in obscuro famæ, et sine nomine vulgi,
Sed numero castella valent. Conjungitur acer 511
Pelignus, gelidoque rapit Sulmone cohortes.
Nec cedit studio Sidicinus sanguine miles,
Quem genuere Cales: non parvus conditor urbi
(Ut fama est) Calais, Boreæ quem rapta per auras
Orithyia vago Geticis nutrivit in antris. 516
Haud ullo levior bellis Vestina juventus
Agmina densavit, venatu dura ferarum,
Quæ, Fiscelle, tuas arces, Pinnamque virentem,
Pascuaque haud tarde redeuntia tondet Aveiæ:
Marrucina simul Frentanis æmula pubes 521
Cerfini populos, magnumque Teate trahebat.
Omnibus in pugna fertur sparus, omnibus alto
Adsuetæ volucrem cœlo demittere fundæ.
Pectora pellis obit cæsi venatibus ursi. 525
Jam vero, quos dives opum, quos dives avorum
E toto dabat ad bellum Campania tractu,
Ductorum adventu vicinis sedibus Osci
Servabant; Sinuessa tepens, fluctuque sonorum
Vulturnum, quasque evertere silentia Amyclæ,
Fundique, et regnata Lamo Caieta, domusque
Antiphatæ compressa freto, stagnisque palustre
Liternum, et quondam fatorum conscia Cume:
Illic Nuceria, et Gaurus navalibus aptus:
Prole Dicarchea multo cum milite Graia 535
Illic Parthenope, ac Pœno non pervia Nola,
Allifæ, et Clanio contemtæ semper Acerræ:
Sarrastes etiam populos, totasque videres
Sarni mitis opes: illic, quos sulfure pingues
Phlegræi legere sinus, Misenus, et ardens 540
Ore giganteo sedes Ithacesia Baii.
Non Prochyte, non ardentem sortita Typhoea
Inarime, non antiqui saxosa Telonis
Insula, nec parvis aberat Calatia muris,
Surrentum, et pauper sulci Cerealis Abella. 545
In primis Capua, heu rebus servare serenis
Inconsulta modum, et pravo peritura tumore.
Lætos rectoris formabat Scipio bello.
Ille viris pila, et ferro circumdare pectus
Addiderat; leviora domo de more parentum 550
Gestabant tela, ambustas sine cuspide cornos:
Aclydis usus erat, factæque ad rura bipennes.
Ipse inter medios venturæ ingentia laudis
Signa dabat, vibrare sudem, transmittere saltu
Murales fossas, undosum frangere nando 555
Indutus thoraca vadum: spectacula tanta
Ante acies virtutis erant: sæpe alite planta
Ilia perfossum, et campi per aperta volantem
Ipse pedes prævertit equum: sæpe arduus idem
Castrorum spatium et saxo transmisit et hasta.
Martia frons, facilesque comæ, nec pone retroque
Cæsaries brevior: flagrabant lumina miti
Adspectu, gratusque inerat visentibus horror.
Affuit et Samnis, nondum vergente favore
Ad Pœnos, sed nec veteri purgatus ab ira. 565
Qui Batulum, Nucrasque metunt, Bovianiaque
Exagitant lustra, aut Caudinis faucibus hærent,
Et quos aut Rufræ, quos aut Æsernia, quosve
Obscura incultis Herdonia misit ab agris.
Bruttius haud dispar animorum, unaque juventus
Lucanis excita jugis, Hirpinaque pubes 571
Horrebat telis et tergo hirsuta ferarum.
Hos venatus alit: lustra incoluere, sitimque
Avertunt fluvio, somnique labore parantur.
Additur his Calaber, Sallentinæque cohortes, 575
Nec non Brundisium, quo desinit Itala tellus.
Parebat legio audaci permissa Cethego,
Cui socias vires, atque indiscreta maniplis
Arma recensebant: nunc sese ostendere miles
Leucosiæ e scopulis, nunc quem Picentia Pæsto
Misit, et exhaustæ mox Pœno Marte Cerillæ,
Nunc Silarus quos nutrit aquis, quo gurgite tradunt
Duritiem lapidum mersis inolescere ramis.
Ille et pugnacis laudavit tela Salerni
Falcatos enses, et quæ Buxentia pubes 585
Aptabat dextris irrasæ robora clavæ.
Ipse, humero exsertus gentili more parentum,
Difficili gaudebat equo, roburque juventæ
Flexi cornipedis duro exercebat in ore.
Vos etiam accisæ desolatæque virorum, 590
Eridani gentes, nullo attendente deorum

Votis tunc vestris, casura ruistis in arma.
Certavit Mutinæ quassata Placentia bello,
Mantua mittenda certavit pube Cremonæ,
Mantua Musarum domus, atque ad sidera cantu
Evecta Aonio, et Smyrnæis æmula plectris. 596
Tum Verona Athesi circumflua, et undique sollers
Arva coronantem nutrire Faventia pinum.
Vercellæ, fuscique ferax Pollentia villi,
Et quondam Teucris comes in Laurentia bella
Ocni prisca domus, parvique Bononia Rheni.
Quique gravi remo limosis segniter undis
Lenta paludosæ proscindunt stagna Ravennæ.
Tum Trojana manus, tellure antiquitus orti
Euganea, profugique sacris Antenoris oris. 605
Nec non cum Venetis Aquileia superfluit armis.
Tum pernix Ligus, et sparsi per saxa Vagenni
In decus Hannibalis duros misere nepotes.
Maxima tot populis rector fiducia Brutus
Ibat, et hortando notum accendebat in hostem.
Læta viro gravitas, ac mentis amabile pondus,
Et sine tristitia virtus: non ille rigoris
Ingratas laudes, nec nubem frontis amabat,
Nec famam lævo quærebat limite vitæ.
Addiderat ter mille viros, in Marte sagittæ 615
Expertos, fidus Sicula regnator ab Ætna.
Non totidem Ilva viros, sed lætos stringere ferrum,
Armarat patrio, quo nutrit bella, metallo.
Ignosset, quamvis avido committere pugnam,
Varroni, quicunque simul tot tela videret. 620
Tantis agminibus Rhœteo littore quondam
Fervere, cum magnæ Trojam invasere Mycenæ,
Mille rates vidit Leandrius Hellespontus.
Ut ventum ad Cannas, urbis vestigia priscæ,
Defigunt diro signa infelicia vallo. 625
Nec, tanta miseris jamque impendente ruina,
Cessarunt superi vicinas prodere clades.
Per subitum attonitis pila exarsere maniplis,
Et celsæ toto ceciderunt aggere pinnæ,
Nutantique ruens prostravit vertice sylvas 630
Garganus, fundoque imo mugivit anhelans
Aufidus, et magno late distantia ponto
Terruerunt pavidos accensa Ceraunia nautas.
Quæsivit Calaber, subducta luce repente
Immersus tenebris, et terram et littora Sipus:
Obseditque frequens castrorum limina bubo. 636
Nec densæ trepidis apium se involvere nubes
Cessarunt aquilis: non unus crine corusco
Regnorum eversor rubuit letale cometes.
Castra quoque et vallum rabidæ sub nocte silenti
Irrupere feræ, raptique ante ora paventum 641
Adjunctos vigilis sparserunt membra per agros.
Ludificante etiam terroris imagine somnos,
Gallorum visi bustis erumpere manes:
Terque quaterque solo penitus tremuere revulsæ
Tarpeiæ rupes, atque atro sanguine flumen 646
Manavit Jovis in templis, lacrymæque vetusta
Effigie patris large fluxere Quirini.
Major et horrificis sese extulit Allia ripis.
Non Alpes sedere loco, non nocte dieve 650
Ingentes inter stetit Apenninus hiatus.
Axe super medio, Libyes a parte, coruscæ
In Latium venere faces, ruptusque fragore
Horrisono polus, et vultus patuere Tonantis.
Ætnæos quoque contorquens e cautibus ignes 655
Vesbius intonuit, scopulisque in nubila jactis
Phlegræus tetigit trepidantia sidera vertex.
Ecce inter medios belli præsagus, et ore
Attonito sensuque simul, clamoribus implet
Miles castra feris, et anhelat clade futura: 660
Parcite, crudeles superi: jam stragis acervis
Deficiunt campi: video per densa volantem
Agmina ductorem Libyæ, currusque citatos
Arma virûm super atque artus et signa trahentem.
Turbinibus furit insanis, et prœlia ventus 665
Inque oculos inque ora rotat. Cadit immemor ævi,
Nequicquam, Trasimene, tuis Servilius oris
Subductus. Quo, Varro, fugis? Pro Jupiter! ictu
Procumbit saxi fessis spes ultima Paullus.
Cesserit huic Trebia exitio. Pons ecce cadentum
Corporibus struitur, reicitque cadavera fumans
Aufidus, ac victrix insultat bellua campis. 672
Gestat Agenoreus nostro de more secures
Consulis, et sparsos lictor fert sanguine fasces.
In Libyam Ausonii portatur pompa triumphi.
O dolor! hoc etiam, superi, vidisse jubetis?
Congesto, lævæ quodcunque avellitur, auro
Metitur Latias victrix Carthago ruinas. 678

LIBER NONUS.

Turbato monstris Latio, cladisque futuræ
Signa per Ausoniam prodentibus irrita divis,
Haud secus, ac si fausta forent et prospera pugnæ
Omina venturæ, consul traducere noctem
Exsomnis, telumque manu vibrare per umbras, 5
Ac modo segnitie Paullum increpitare, modo acres
Exercere tubas nocturnaque classica velle.
Nec minor in Pœno properi certaminis ardor.
Erumpunt vallo, fortuna urgente sinistra,
Consertæque manus. Jam, sparsi ad pabula campis
Vicinis raptanda, Macæ fudere volucrem 11
Telorum nubem. Ante omnes invadere bella
Mancinus gaudens, hostilique ungere primus
Tela cruore, cadit, cadit et numerosa juventus.
Nec pecudum fibras Varro et contraria Paullo 15
Auspicia incusante deûm compesceret arma,
Ni sors alterni juris, quo castra reguntur,
Arbitrium pugnæ properanti in fata negasset.
Quæ tamen haud valuit perituris millibus una
Plus donasse die: rediere in castra, gemente 20
Haud dubie Paullo, qui crastina jura videret
Amenti cessura viro, frustraque suorum
Servatas a cæde animas: nam turbidus ira
Infensusque moræ dilata ob prœlia ductor,
Siccine, sic, inquit, grates pretiumque rependis,
Paulle, tui capitis? meruerunt talia, qui te 26
Legibus atque urnæ dira eripuere minanti?
Tradant immo hosti revocatos ilicet enses,
Tradant arma jube, aut pugnantum deripe dextris.
Sed vos, quorum oculos atque ora humentia vidi,
Vertere cum consul terga et remeare juberet, 3'
Ne morem et pugnæ signum exspectate petendæ

Dux sibi quisque viam rapito, cum spargere pri-
Incipiet radiis Gargana cacumina Phœbus. [mis
Pandam egomet propere portas: ruite ocius, atque hunc 35
Ereptum revocate diem. Sic turbidus ægra
Pestifero pugnæ castra incendebat amore.
At Paullus, jam non idem nec mente nec ore,
Sed qualis stratis deleto milite campis
Post pugnam stetit, ante oculos atque ora futuro
Obversante malo, ceu jam spe lucis ademta 41
Cum stupet exanimata parens, natique tepentes
Nequicquam fovet extremis amplexibus artus:
Per toties, inquit, concussæ mœnia Romæ, [bra,
Perque has, nox Stygia quas jam circumvolat um-
Insontes animas, cladi parce obvius ire: 46
Dum transit divûm furor, et consumitur ira
Fortunæ, novus Hannibalis, sat, nomina ferre
Si discit miles, nec frigidus adspicit hostem.
Nonne vides, cum vicinis auditur in arvis, 50
Quam subitus linquat pallentia corpora sanguis,
Quamque fluant arma ante tubas? Cunctator et æger,
Ut rere, in pugnas Fabius quoscunque sub illis
Culpatis duxit signis, nunc arma capessunt.
At quos Flaminius... sed dira avertite, divi. 55
Sin nostris animus monitis precibusque repugnat,
Aures pande deo: cecinit Cumæa per orbem
Hæc olim vates, et te præsaga tuosque
Vulgavit terris proavorum ætate furores.
Jamque alter tibi, nec perplexo carmine, coram
Fata cano vates; sistis ni crastina signa, 61
Firmabis nostro Phœbeæ dicta Sibyllæ
Sanguine: nec Graio posthac Diomede ferentur,
Sed te, si perstas, insignes consule campi.
Hæc Paullus, lacrymæque oculis ardentibus ortæ.
Nec non et noctem sceleratus polluit error. 66
Xanthippo captus Libycis tolerarat in oris
Servitium Satricus, mox inter præmia regi
Autololum dono datus ob virtutis honorem:
Huic domus et gemini fuerant Sulmone relicti 70
Matris in uberibus nati, Mancinus et una
Nomine Rhœteo Solymus: nam Dardana origo,
Et Phrygio genus a proavo, qui, sceptra secutus
Æneæ, claram muris fundaverat urbem
Ex sese dictam Solymon: celebrata colonis 75
Mox Italis paullatim attrito nomine Sulmo.
Ac tum barbaricis Satricus cum rege catervis
Advectus, quo non spretum, si posceret usus,
Noscere Gætulis Latias interprete voces.
Postquam posse datum Peligna revisere tecta, 80
Et patrium sperare larem, ad conamina noctem
Advocat, ac furtim castris evadit iniquis.
Sed fuga nuda viri: sumto nam prodere cœpta
Vitabat clypeo, et dextra remeabat inermi.
Exuvias igitur prostrataque corpora campo 85
Lustrat, et exutis Mancini cingitur armis.
Jamque metus levior: verum, cui demta ferebat
Exsangui spolia, et cujus nudaverat artus,
Natus erat, paullo ante Maca prostratus ab hoste.
Ecce sub adventum noctis primumque soporem
Alter natorum Solymus vestigia vallo 91
Ausonio vigil extulerat, dum sorte vicissim
Alternat portæ excubias, fratrisque petebat
Mancini stratum sparsa inter funera corpus,
Furtiva cupiens miserum componere terra. 95
Nec longum celerarat iter, cum tendere in armis
Aggere Sidonio venientem conspicit hostem.
Quodque dabat fors in subitis necopina, sepulcro
Ætoli condit membra occultata Thoantis
Inde, ubi nulla sequi propius pone arma, virumque
Incomitata videt vestigia ferre per umbras, 101
Prosiliens tumulo contorquet nuda parentis
In terga haud frustra jaculum: Tyriamque sequentum
Satricus esse manum et Sidonia vulnera credens
Auctorem cæci trepidus circumspicit ictus. 105
Verum ubi victorem juvenili robore cursus
Attulit, et notis fulsit lux tristis ab armis,
Fraternusque procul luna prodente retexit
Ante oculos sese, et radiavit cominus umbo;
Exclamat juvenis, subita flammatus ab ira: 110
Non sum equidem Sulmone satus tua, Satrice, proles,
Nec frater, Mancine, tuus, fateorque nepotem
Pergameo indignum Solymo, si evadere detur
Huic nostras impune manus. Tu nobile gestes
Germani spolium ante oculos, referasque superba,
Me spirante, domus Pelignæ perfidus arma? 116
Hæc tibi, cara parens Acca, ad solatia luctus
Dona feram, nati ut figas æterna sepulcro.
Talia vociferans stricto mucrone ruebat.
Ast illi jam tela manu, jamque arma fluebant,
Audita patria, natisque, et conjuge, et armis; 121
Ac membra et sensus gelidus stupefecerat horror.
Tum vox semanimi miseranda effunditur ore:
Parce precor dextræ, non ut mihi vita supersit,
(Quippe nefas hac velle frui,) sed sanguine nostro
Ne damnes, o nate, manus. Carthaginis ille
Captivus, patrias nunc primum advectus in oras,
Ille ego sum Satricus, Solymi genus. Haud tua, nate,
Fraus ulla est: jaceres in me cum fervidus hastam,
Pœnus eram: verum castris elapsus acerbis 130
Ad vos et caræ properabam conjugis ora.
Hunc rapui exanimi clypeum: sed jam, unice nobis,
Hæc fratris tumulis arma excusata reporta.
Curarum tibi prima tamen sit, nate, referre
Ductori monitus Paullo, producere bellum 135
Nitatur, Pœnoque neget certamina Martis.
Augurio exsultat divûm, immensamque propinqua
Stragem acie sperat: quæso, cohibete furentem
Varronem: namque hunc fama est impellere signa.
Sat magnum hoc miseræ fuerit mihi cardine vitæ
Solamen, cavisse meis. Nunc ultima, nate, 141
Invento simul atque amisso redde parenti
Oscula. Sic fatus galeam exuit, atque rigentis
Invadit nati tremebundis colla lacertis,
Attonitoque timens, verbis sanare pudorem 145
Vulneris impressi et telum excusare laborat.
Quis testis nostris, quis conscius affuit actis?
Non nox errorem nigranti condidit umbra?
Cur trepidas? da, nate, magis, da jungere pectus.
Absolvo pater ipse manum, atque in fine laborum
Hac condas oculos dextra precor. At miser, imo
Pectore suspirans, juvenis non verba vicesque
Alloquio vocemve refert; sed sanguinis atri
Sistere festinat cursum, laceroque ligare
Ocius illacrymans altum velamine vulnus. 155
Tandem inter gemitus miseræ erupere querelæ:
Siccine te nobis, genitor, fortuna reducit
In patriam? sic te nato, natumque parenti
Impia restituit? felix o terque quaterque
Frater, cui fatis genitorem agnoscere ademtum!
Ast ego, Sidoniis imperditus, ecce, parentem 161
Vulnere cognosco. Saltem hoc, Fortuna, fuisset
Solamen culpæ, dubia ut mihi signa dedisses
Infausti generis: verum linquetur iniquis
Non ultra superis nostros celare labores. 165
Hæc dum amens queritur, jam deficiente cruore
In vacuas senior vitam disperserat auras.

Tum juvenis, mæstum attollens ad sidera vultum:
Pollutæ dextræ et facti Titania testis
Infandi, quæ nocturno mea lumine tela 170
Dirigis in patrium corpus, non amplius, inquit,
His oculis et damnato violabere visu. [trum
Hæc memorat: simul ense fodit præcordia, et a-
Sustentans vulnus, mananti sanguine signat
In clypeo mandata patris, FUGE PRŒLIA VARRO:
Ac summi tegimen suspendit cuspide teli, 176
Defletumque super prosternit membra parentem.
Talia venturæ mittebant omina pugnæ
Ausoniis superi, sensimque abeuntibus umbris
Conscia nox sceleris roseo cedebat Eoo. 180
Ductor in arma suos Libys, et Romanus in arma
Excibant de more suos: Pœnisque redibat,
Qualis nulla dies omni surrexerit ævo.
Non verborum, inquit, stimulantum, Pœnus, egetis,
Herculeis iter a metis ad Iapygis agros 185
Vincendo emensi: nusquam est animosa Saguntos:
Concessere Alpes: pater ipse superbus aquarum
Ausonidum Eridanus captivo defluit alveo. [pulto
Strage virûm mersus Trebia est, atque ora se-
Lydia Flaminio premitur, lateque refulgent 190
Ossibus, ac nullo sulcantur vomere campi.
Clarior his titulus, plusque allatura cruoris
Lux oritur. Mihi magna satis, sat vero superque
Bellandi merces sit gloria: cætera vobis
Vincantur. Quicquid diti devexit Ibero, 195
Quicquid in Ætnæis jactavit Roma triumphis,
Quin etiam Libyco si quid de littore raptum
Condidit, in vestros veniet sine sortibus enses.
Ferte domos, quod dextra dabit: nil ductor honoris
Ex opibus posco: raptor per sæcula longa 200
Dardanus edomitum vobis spoliaverit orbem.
Qui Tyria ducis Sarranum ab origine nomen,
Seu Laurens tibi Sigeo sulcata colono
Arridet tellus, seu sunt Byzacia cordi
Rura magis, centum Cereri fruticantia culmis,
Electos optare dabo inter præmia campos. 206
Addam etiam, flava Tibris quas irrigat unda,
Captivis late gregibus depascere ripas.
Qui vero externo socius mihi sanguine Byrsæ
Signa moves, dextram Ausonia si cæde cruentam
Attolles, hinc jam civis Carthaginis esto. 211
Neu vos Garganus Daunique fefellerit ora;
Ad muros statis Romæ, licet avia longe
Urbs agat, et nostro procul a certamine distet.
Hic hodie ruet, atque ultra te ad prœlia miles
Nulla voco: ex acie tende in Capitolia cursum.
Hæc memorat: tum, propulso munimine valli,
Fossarum rapuere moras, aciemque locorum
Consilio curvis accommodat ordine ripis.
Barbaricus lævo stetit ad certamina cornu 220
Bellator Nasamon, unaque immanior artus
Marmarides: tum Maurus atrox, Garamasque, Macesque,
Et Massylæ acies, et ferro vivere lætum
Vulgus Adyrmachidæ pariter, gens accola Nili,
Corpora ab immodico servans nigrantia Phœbo:
Quîs positum agminibus caput imperiumque Nealces. 226
At parte in dextra, sinuat qua flexibus undam
Aufidus, et curvo circumerrat gurgite ripas,
Mago regit: subiere leves, quos horrida misit
Pyrene, populi, varioque auxere tumultu 230
Flumineum latus: effulget cætrata juventus.
Cantaber ante alios, nec tectus tempora Vasco,
Ac torto miscens Balearis prœlia plumbo,
Bætigenæque viri. Celsus media ipse coercet
Agmina, quæ patrio firmavit milite, quæque 235
Celtarum Eridano perfusis sæpe catervis.
Sed qua se fluvius retro labentibus undis
Eripit, et nullo cuneos munimine vallat,
Turritæ moles, ac propugnacula dorso
Bellua nigranti gestans, ceu mobilis agger, 240
Nutat, et erectos attollit ad æthera muros.
Cætera jam Numidis circumvolitare, vagosque
Ferre datur cursus, et toto fervere campo.
Dum Libys incenso dispensat milite vires, [get
Hortandoque iterum atque iterum insatiabilis ur
Factis quemque suis, et se cognoscere jactat 246
Qua dextra veniant stridentis sibila teli,
Promittitque viris nulli se defore testem;
Jam Varro, exacta vallo legione, movebat
Cladum principia, ac pallenti lætus in unda 250
Laxabat sedem venturis portitor umbris.
Stant primi, quos sanguineæ pendente vetabant
Ire notæ clypeo, defixique omine torpent.
Juxta terribilis facies; miseranda jacebant
Corpora in amplexu, natusque in pectore patris
Imposita vulnus dextra letale tegebat. 256
Effusæ lacrymæ, Mancinique inde reversus
Fraterna sub morte dolor, tum triste movebat
Augurium, et similes defuncto in corpore vultus.
Ocius erroris culpam deflendaque fata 260
Ductori pandunt, atque arma vetantia pugnam.
Ille, ardens animi, Ferte hæc, ait, omina Paullo:
Namque illum, cui fœmineo stant corde timores,
Moverit ista manus, quæ, cæde imbuta nefanda,
Cum Furiæ expeterent pœnas, fortasse paterno
Signavit moriens sceleratum sanguine carmen.
Tum minitans propere describit munera pugnæ;
Quaque feras sævus gentes aciemque Nealces
Temperat, hac sese Marso cum milite, cumque
Samnitum opponit signis, et Iapyge alumno. 270
At campi medio (namque hac in parte videbat
Stare ducem Libyæ) Servilius obvia adire
Arma, et Picentes Umbrosque inferre jubetur.
Cætera Paullus habet lævo certamina cornu.
His super insidias contra Nomadumque volucrem
Scipiadæ datur ire manum: quæque arte dolisque
Scindent se turmæ, prædicit spargere bellum.
Jamque propinquabant acies, agilique virorum
Discursu, mixtoque simul calefacta per ora [mis
Cornipedum hinnitu, et multum strepitantibus ar-
Errabat cæcum turbata per agmina murmur.
Sic, ubi prima movent pelago certamina venti,
Inclusam rabiem ac sparsuras astra procellas
Parturit unda freti, fundoque emota minaces
Exspirat per saxa sonos, atque acta cavernis 285
Torquet anhelantem spumanti vertice pontum.
Nec vero, fati tam sævo in turbine, solum
Terrarum fuit ille labor: discordia demens
Intravit cœlo, superosque ad bella coegit.
Hinc Mavors, hinc Gradivum comitatus Apollo,
Et domitor tumidi pugnat maris; hinc Venus amens, 291
Hinc Vesta, et captæ stimulatus cæde Sagunti
Amphitryoniades, pariter veneranda Cybebe,
Indigetesque dei, Faunusque, satorque Quirinus,
Alternusque animæ mutato Castore Pollux. 295
Contra cincta latus ferro Saturnia Juno,
Et Pallas Libycis Tritonides edita lymphis,
Ac patrius flexis per tempora cornibus Hammon,
Multaque præterea divorum turba minorum.
Quorum ubi mole simul venientum et gressi-
bus alma 300
Intremuit tellus, pars implevere propinquos
Divisi montes, pars sedem nube sub alta
Ceperunt: vacuo descensum ad prœlia cœlo

Tollitur immensus deserta ad sidera clamor,
Phlegræis quantas effudit ad æthera voces 305
Terrigena in campis exercitus: aut sator ævi
Quanta Cyclopas nova fulmina voce poposcit
Jupiter, exstructis vidit cum montibus ire
Magnanimos raptum cœlestia regna gigantas.
Nec vero prima in tantis concursibus hasta 310
Ulla fuit: stridens nimbus certante furore
Telorum simul effusus, cupidæque cruoris
Hinc atque hinc animæ gemina cecidere procella:
Ac prius insanus dextra quam ducitur ensis, 314
Bellantum pars magna jacet. Super ipsa suorum
Corpora consistunt avidi, calcantque gementes.
Nec magis aut Libyco protrudi Dardana nisu
Avertive potest pubes, aut ordine pelli
Fixa suo Sarrana manus, quam vellere sede
Si cœptet Calpen impacto gurgite pontus. 320
Amisere ictus spatium, nec morte peracta
Arctatis cecidisse licet: galea horrida flictu
Adversæ ardescit galeæ, clypeusque fatiscit
Impulsu clypei, atque ensis contunditur ense:
Pes pede, virque viro teritur: tellusque videri
Sanguine operta nequit, cœlumque et sidera pen-
Abstulit ingestis nox densa sub æthere telis. [dens
Quîs adstare loco dederat fortuna secundo,
Contorum longo et proceræ cuspidis ictu,
Ceu primas agitent acies, certamina miscent. 330
At quos deinde tenet retrorsum inglorius ordo,
Missilibus certant pugnas æquare priorum.
Ultra clamor agit bellum, milesque, cupiti
Martis inops, sævis impellit vocibus hostem.
Non ullum defit teli genus: hi sude pugnas, 335
Hi pinu flagrante cient, hi pondere pili,
At saxis fundaque alius, jaculoque volucri.
Interdum stridens per nubila fertur arundo,
Interdumque ipsis metuenda phalarica muris.
Speramusne, deæ, quarum mihi sacra coluntur,
Mortali totum hunc aperire in sæcula voce 341
Posse diem? tantumne datis confidere linguæ,
Ut Cannas uno ore sonem? si gloria vobis
Nostra placet, neque vos magnis avertitis ausis,
Huc omnes cantus Phœbumque vocate parentem.
Verum utinam posthac animo, Romane, secunda,
Quanto tunc adversa, feras! sitque hactenus, oro,
Nec liceat tentare deis, an Troia proles 348
Par bellum tolerare queat! tuque, anxia fati,
Pone, precor, lacrymas, et adora vulnera laudes
Perpetuas paritura tibi: nam tempore, Roma,
Nullo major eris: mox sic labere secundis,
Ut sola cladum tuearis nomina fama.
Jamque inter varias Fortuna utrinque virorum
Alternata vices, incerto eluserat iras 355
Eventu, mediaque diu pendente per ambas
Spe gentes, paribus Mavors flagrabat in armis.
Mitia ceu virides agitant cum flamina culmos,
Necdum maturas impellit ventus aristas, [sim
Huc atque huc it summa seges, nutansque vicis-
Alterno lente motu incurvata nitescit. 361
Tandem barbaricis perfractam viribus acri
Dissipat incurrens aciem clamore Nealces:
Laxati cunei, perque intervalla citatus
Irrupit trepidis hostis. Tum turbine nigro 365
Sanguinis exundat torrens, nullumque sub una
Cuspide procumbit corpus: dum vulnera tergo
Bellator timet Ausonius, per pectora sævas
Exceptat mortes, et leto dedecus arcet.
Stabat cum primis mediæ certamine pugnæ 370
Aspera semper amans, et par cuicunque periclo
Scævola; nec tanta vitam jam strage volebat,
Sed dignum proavo letum, et sub nomine mortem.
Is postquam frangi res, atque augescere vidit
Exitium, Brevis hoc vitæ, quodcunque relictum,
Extendamus, ait: nam virtus futile nomen, 376
Ni decori sat sint pariendo tempora leti.
Dixit: et in medios, qua dextera concita Pœni
Limitem agit, vasto connisus turbine fertur.
Hic exsultantem Caralim, atque erepta volentem
Induere excelso cæsi gestamina trunco, 381
Ense subit, capuloque tenus ferrum impulit ira
Volvitur ille ruens, atque arva hostilia morsu
Appetit, et mortis premit in tellure dolores.
Nec Gabari Sicchæque virum tenuere furentes
Concordi virtute manus; sed perdidit acer, 386
Dum stat, decisam Gabar inter prœlia dextram.
At Siccha auxilium, magno turbante dolore,
Dum temere accelerat, calcato improvidus ense
Succidit, ac nudæ sero vestigia plantæ 390
Damnavit, dextraque jacet morientis amici.
Tandem convertit fatalia tela Nealcæ
Fulminei gliscens juvenis furor: exsilit ardens,
Nomine tam claro stimulante, ad præmia cædis.
Tum silicem scopulo avulsum, quem montibus altis 395
Depulerat torrens, raptum contorquet in ora
Turbidus: incusso crepuerunt pondere malæ,
Ablatusque viro vultus: concreta cruento
Per nares cerebro sanies fluit, atraque manant
Orbibus elisis et trunca lumina fronte. 400
Sternitur unanimo Marius succurrere Capro
Conatus, metuensque viro superesse cadenti.
Lucis idem auspicium, ac patrium et commune duobus
Paupertas; sacro juvenes Præneste creati
Miscuerant studia, et juncta tellure serebant. 405
Velle ac nolle ambobus idem, sociataque toto
Mens ævo, ac parvis dives concordia rebus.
Occubuere simul: votisque ex omnibus unum
Id Fortuna dedit, junctam inter prœlia mortem.
Arma fuere decus victori bina Symætho. 410
Sed longum tanto lætari munere casus
Haud licitum Pœnis: aderat terrore minaci
Scipio, conversæ miseratus terga cohortis,
Et cuncti fons Varro mali, flavusque comarum
Curio, et a primo descendens consule Brutus. 415
Atque his fulta viris acies repararet ademtum
Mole nova campum, subito ni turbine Pœnus
Agmina frenasset jam procurrentia ductor.
Isque ut Varronem procul inter prœlia vidit,
Et juxta sagulo circumvolitare rubenti 420
Lictorem; Nosco pompam, atque insignia nosco:
Flaminius modo talis, ait. Tum fervidus acrem
Ingentis clypei tonitru prænuntiat iram.
Heu miser! æquari potuisti funere Paullo,
Si tibi non ira superûm tunc esset ademtum 425
Hannibalis cecidisse manu: quam sæpe querere,
Varro, deis, quod Sidonium defugeris ensem?
Nam, rapido subitam portans in morte salutem
Procursu, cœpta in sese discrimina vertit
Scipio: nec Pœnum, quanquam est ereptus opimæ
Cædis honor, mutasse piget majore sub hoste 431
Prœlia, et erepti Ticina ad flumina patris
Exigere oblato tandem certamine pœnas.
Stabant educti diversis orbis in oris,
Quantos non alias vidit concurrere tellus, 435
Marte viri dextraque pares, sed cætera ductor
Anteibat Latius, melior pietate fideque.
Desiluere cava turbati ad prœlia nube,
Mavors Scipiadæ metuens, Tritonia Pœno:
Adventuque deûm, intrepidis ductoribus, ambæ
Contremuere acies. Ater, qua pectora flectit 44

Pallas, Gorgoneo late micat ignis ab ore,
Sibilaque horrificis torquet serpentibus ægis.
Fulgent sanguinei, geminum vibrare cometen
Ut credas, oculi, summaque in casside largus
Undantes volvit flammas ad sidera vertex. 446
At Mavors, moto proturbans aera telo,
Et clypeo campum involvens, Ætnæa Cyclopum
Munere fundentem loricam incendia gestat,
Ac pulsat fulva consurgens æthera crista. 450
Ductores pugnæ intenti, quantumque vicissim
Audere est, propius mensi, tamen arma ferentes
Sensere advenisse deos, et, lætus uterque
Spectari superis, addebant mentibus iras.
Jamque ictu valido libratam a pectore Pœni 455
Pallas in obliquum dextra detorserat hastam:
Et Gradivus, opem divæ portare ferocis
Exemplo doctus, porgebat protinus ensem
Ætnæum in pugnas juveni, ac majora jubebat.
Tum virgo, ignescens penitus, violenta repente
Suffudit flammis ora, atque, obliqua retorquens
Lumina, turbato superavit Gorgona vultu.
Erexere omnes immania membra chelydri
Ægide commota, primique furoris ad ictus 464
Retulit ipse pedem sensim a certamine Mavors.
Hic dea convulsam rapido conamine partem
Vicini montis scopulisque horrentia saxa
In Martem furibunda jacit, longeque relatos
Expavit sonitus tremefacto littore Sason.
At non hæc superûm fallebant prœlia regem.
Demittit propere succinctam nubibus Irim, 471
Quæ nimios frenet motus, ac talia fatur:
I, dea, et Œnotris velox allabere terris,
Germanoque truces, dic, Pallas mitiget iras,
Nec speret fixas Parcarum vertere leges: 475
Dic etiam, Ni desistis, (nam virus et æstus
Flammiferæ novi mentis,) nec colligis iram, [ces.
Ægide præcellant quantum horrida fulmina nos-
Quæ postquam accepit dubitans Tritonia virgo,
Nec sat certa diu, patriis an cederet armis, 480
Absistemus, ait, campo: sed Pallade pulsa
Num fata avertet? cœloque arcebit ab alto
Cernere Gargani ferventia cædibus arva?
Hæc effata, cava Pœnum in certamina nube
Sublatum diversa tulit, terrasque reliquit. 485
At Gradivus atrox remeantis in æthera divæ
Abscessu revocat mentes, fusosque per æquor
Ipse manu magna, nebulam circumdatus, acri
Restituit pugnæ: convertunt signa, novamque
Instaurant Itali versa formidine cædem. 490
Cum ventis positus custos, (cui flamina carcer
Imperio compressa tenet, cœlumque ruentes
Eurique et Boreæ parent, Corique, Notique,)
Junonis precibus, promissa haud parva ferentis,
Regnantem Ætolis Vulturnum in prœlia campis
Effrenat: placet hic iræ exitiabilis ultor. 496
Qui, se postquam Ætnæ mersit candente barathro,
Concepitque ignes, et flammea protulit ora,
Evolat horrendo stridore, ac Daunia regna
Perflat, agens cæcam glomerato pulvere nubem.
Eripuere oculos auræ, vocemque, manusque: 501
Vortice arenoso candentes (flebile dictu)
Torquet in ora globos Italûm, et bellare maniplis
Jussa lætatur rabie: tum mole ruinæ
Sternuntur tellure et miles et arma tubæque, 505
Atque omnis retro flatu occursante refertur
Lancea, et in tergum Rutulis cadit irritus ictus.
Atque idem flatus Pœnorum tela secundat,
Et velut amento contorta hastilia turbo
Adjuvat, ac Tyrias impellit stridulus hastas. 510
Tum denso fauces præclusus pulvere miles
Ignavam mortem compresso mæret hiatu.
Ipse, caput flavum caligine conditus atra,
Vulturnus, multaque comam perfusus arena,
Nunc versos agit a tergo stridentibus alis, 515
Nunc mediam in frontem veniens clamante pro-
Obvius arma quatit, patuloque insibilat ore. [cella
Interdum intentos pugnæ, et jam jamque ferentes
Hostili jugulo ferrum, conamine ducto
Avertit, dextramque ipso de vulnere vellit. 520
Nec satis Ausonias passim fœdare cohortes:
In Martem vomit immixtas mugitibus auras,
Bisque dei summas vibravit turbine cristas.
Quæ dum Romuleis exercet prœlia turmis
Æolius furor, et Martem succendit in iras, 525
Affatur virgo socia Junone parentem:
Quantos Gradivus fluctus in Punica castra [plet!
(Respice) agit, quantisque furens se cædibus im-
Nunc, quæso, terris descendere non placet Irim?
Quanquam ego non Teucros, (nostro cum pignore regnet 530
Roma, et Palladio sedes hac urbe locarim,)
Non Teucros delere aderam; sed lumen alumnæ
Hannibalem Libyæ pelli florentibus annis
Vita, atque exstingui primordia tanta negabam.
Excipit hic Juno, longique laboris ab ira, 535
Immo, ait, ut noscant gentes, immania quantum
Regna Jovis valeant, cunctisque potentia quantum
Antistet, conjux, superis tua, discute telo
Flagranti (nil oramus) Carthaginis arces,
Sidoniamque aciem vasto telluris hiatu 540
Tartareis immerge vadis, aut obrue ponto.
Contra quæ miti respondet Jupiter ore:
Certatis fatis, et spes extenditis ægras.
Ille, o nata, libens cui tela inimica ferebas,
Contundet juvenis Tyrios, ac nomina gentis 545
Induet, et Libycam feret in Capitolia laurum.
At cui tu, conjux, cui das animosque decusque,
(Fata cano,) avertet populis Laurentibus arma.
Nec longe cladis metæ: venit hora diesque,
Qua nullas unquam transisse optaverit Alpes. 550
Sic ait: atque Irim propere demittit Olympo,
Quæ revocet Martem, jubeatque abscedere pugna.
Nec vetitis luctatus abit Gradivus in altas
Cum fremitu nubes, quanquam lituique, tubæque,
Vulneraque, et sanguis, et clamor, et arma juvarent.
Ut patuit liber superûm certamine tandem
Laxatusque deo campus, ruit æquore ab imo
Pœnus, quo sensim cœlestia fugerat arma, [que
Magna voce trahens equitemque, virosque, feræ-
Turrigeræ molem, tormentorumque labores. 560
Atque ubi turbantem leviores ense catervas
Agnovit juvenem, scintillavitque cruentis
Ira genis, Quænam Furiæ, quisve egit in hostem,
En, Minuci, deus, ut rursum te credere nobis
Auderes, inquit? genitor tibi natus ab armis 565
Ille meis ubi nunc Fabius? semel, improbe, nos-
Sit satis evasisse manus: atque inde superbis [tras
Hasta comes dictis murali turbine pectus
Transforat, et voces venturas occupat ictu.
Nec ferro sævire sat est: appellitur atra 570
Mole fera, et monstris componitur Itala pubes.
Nam prævectus equo moderantem cuspide Lucas
Maurum in bella boves stimulis majoribus ire,
Ac raptare jubet Libycarum armenta ferarum.
Immane stridens agitur, crebroque coacta 575
Vulnere bellatrix properos fert bellua gressus.
Liventi dorso turris, flammaque virisque
Et jaculis armata, sedet: procul aspera grando
Saxorum super arma ruit, passimque volanti
Celsus telorum fundit Libys aggere nimbum. 580

Stat niveis longum stipata per agmina vallum
Dentibus, atque ebori præfixa cominus hasta
Fulget ab incurvo derecta cacumine cuspis.
Hic inter trepidos rerum per membra, per arma
Exigit Ufentis sceleratum bellua dentem, 585
Clamantemque ferens calcata per agmina portat.
Nec levius, Tadio lævum qua tegmine thorax
Multiplicis lini claudit latus, improba sensim,
Corpore non læso, penetrarunt spicula dentis,
Et sublime virum clypeo resonante tulerunt. 590
Haud excussa novi virtus terrore pericli.
Utitur ad laudem casu, geminumque citato
Vicinus fronti lumen transverberat ense.
Exstimulata gravi sese fera tollit ad auras
Vulnere, et erectis excussam cruribus alte 595
Pone jacit volvens reflexo pondere turrim.
Arma virique simul spoliataque bellua visu
Sternuntur subita (miserandum) mixta ruina.
Spargi flagrantes contra bellantia monstra
Dardanius tædas ductor jubet, et facis atræ, 600
Quos fera circumfert, compleri sulfure muros.
Nec jusso mora: collectis fumantia lucent
Terga elephantorum flammis, pastusque sonoro
Ignis edax vento per propugnacula fertur.
Non aliter, Pindo Rhodopeve incendia pastor
Cum jacit, et sylvis spatiatur fervida pestis, 606
Frondosi ignescunt scopuli, subitoque per alta
Collucet juga dissultans Vulcanius ardor.
It fera candenti torrente bitumine corpus
Amens, et laxo diducit limite turmas. 610
Nec cuiquam virtus propiora capessere bella:
Longinquis audent jaculis et arundinis ictu.
Uritur impatiens, et magni corporis æstu
Huc atque huc jactas accendit bellua flammas:
Donec vicini tandem se fluminis undis 615
Præcipitem dedit, et, tenui decepta liquore
Stagnantis per plana vadi, tulit incita longis
Exstantem ripis flammam; tum denique sese
Gurgitis immersit molem capiente profundo.
At qua pugna datur, necdum Maurusia pestis
Igne calet, circumfusi Rhœteia pubes 621
Nunc jaculis, nunc et saxis, nunc alite plumbo
Eminus incessunt: ut qui castella per altos
Oppugnat munita locos, atque adsidet arces.
Ausus digna viro, fortuna digna secunda, [sem
Extulerat dextram atque adversum cominus en-
Mincius infelix ausi: sed stridula, anhelum
Fervorem effundens, monstri manus abstulit acri
Implicitum nexu, diroque ligamine torsit,
Et superas alte miserum jaculata per auras 630
Telluri elisis afflixit (flebile) membris.
Has inter clades viso Varrone sub armis
Increpitans Paullus, Quin imus cominus, inquit,
Ductori Tyrio, quem vinctum colla catenis
Staturum ante tuos currus promisimus urbi? 635
Heu patria, heu plebes scelerata, et prava favoris!
Haud unquam expedies tam dura sorte malorum,
Quem tibi non nasci fuerit per vota petendum,
Varronem, Hannibalemve magis. Dum talia Paullus,
Urget præcipites Libys, atque in terga ruentum
Ante oculos cunctas ductoris concitat hastas. 641
Pulsatur galea, et quatiuntur consulis arma.
Acrius hoc Paullus medios ruit asper in hostes.
Tum vero excussus mentem, in certamina Paullo
Avia diducto, convertit Varro, manuque 645
Cornipedem inflectens, Das, inquit, patria, pœnas
Quæ Fabio incolumi Varronem ad bella vocasti.
Quænam autem mentis, vel quæ discordia fati,
Parcarumque latens fraus est? abrumpere cuncta
Jamdudum cum luce libet: sed comprimit ensem
Nescio qui deus, et meme ad graviora reservat.
Vivamne? et fractos sparsosque cruore meorum
Hos referam populo fasces, atque ora per urbes
Iratas spectanda dabo? et, quo sævius ipse
Hannibal haud poscat, fugiam, et te, Roma, vi-
Plura indignantem telis propioribus hostes [debo?
Egere, et sonipes rapuit laxatus habenas.

LIBER DECIMUS.

Paullus, ut adversam videt increbrescere pugnam,
Ceu fera, quæ, telis circumcingentibus, ultro
Adsilit in ferrum, et per vulnera colligit hostem,
In medios fert arma globos, seseque periclis
Ingerit, atque omni letum molitur ab ense. 5
Increpat horrendum: Perstate, et fortiter, oro,
Pectoribus ferrum accipite, ac sine vulnere terga
Ad manes deferte, viri: nisi gloria mortis,
Nil superest. Idem sedes adeuntibus imas
Hic vobis dux Paullus erit. Velocius inde 10
Hæmonio Borea, pennaque citatior ibat,
Quæ redit in pugnas fugientis arundine Parthi;
Atque, ubi certamen primi ciet immemor ævi
Fetus Gradivo mentem Cato, fertur in hostes,
Ac juvenem, quem Vasco levis, quem spicula den-
Cantaber urgebat, letalibus eripit armis. [sus
Abscessere retro, pavidique in terga relatos
Abduxere gradus: ut lætus valle remota
Cum capream venator agit, fessamque propinquo
Insequitur cursu, et sperat jam tangere dextra, 20
Si ferus adverso subitum se protulit antro
Et stetit ante oculos frendens leo, deserit una
Et color, et sanguis, et tela minora periclo,
Nec jam speratæ cura est in pectore prædæ.
Nunc in restantes mucronem cominus urget,
Nunc trepidos ac terga mala formidine versos 26
Adsequitur telis: furere, ac decorare labores,
Et sævire juvat: cadit ingens nominis expers
Uni turba viro; atque, alter si detur in armis
Paullus Dardaniis, amittant nomina Cannæ. 30
Tandem inclinato cornu sine more ruebat
Prima acies, non parca fugæ. Labienus, et Ocres
Sternuntur leto atque Opiter, quos Setia colle
Vitifero, celsis Labienum cingula saxa
Miserunt muris: junxit fera tempora leti 35
Sidonius non consimili discrimine miles.
Nam Labienus obit penetrante per ilia corno;
Fratres, hic humero, cecidere, hic poplite, cæsis.
Oppetis et Tyrio super inguina fixe veruto
Mecænas, cui Mæonia venerabile terra 40

Et sceptris olim celebratum nomen Etruscis.
Per medios agitur, projecto lucis amore
Hannibalem lustrans, Paullos: sors una videtur
Aspera, si occumbat ductore superstite Pœno.
Quam metuens molem (neque enim, certamine sumto, 45
Tempestas tanta et rabies impune fuissent)
In faciem pavidi Juno conversa Metelli,
Quid vanos, inquit, Latio spes unica consul,
Incassumque moves, fato renuente, furores?
Si superest Paullus, restant Æneia regna: 50
Sin secus, Ausoniam tecum trahis. Ire tumentem
Tu contra juvenem, et caput hoc abscidere rebus
Turbatis, o Paulle, paras? nunc Hannibal ipsi
(Tam lætus bello est) ausit certare Tonanti.
Et jam conversis (vidi nam flectere) habenis 55
Evasit Varro, ac sese ad meliora reservat.
Sit spatium fatis, et, dum datur, eripe leto [ses.
Hanc nostris majorem animam: mox bella capes-
Ad quæ suspirans ductor, Mortemne sub armis
Cur poscam, causa ista parum est, quod talia nostræ 60
Pertulerunt aures suadentem monstra Metellum?
I, demens, i, carpe fugam: non hostica tela
Excipias tergo, superos precor: integer, oro,
Intactusque abeas, atque intres mœnia Romæ
Cum Varrone simul. Talin', pavidissime, dignum 65
Me vita, pulchraque indignum morte putasti?
Quippe furit Pœnus, qui nunc contraria bella
Ipsi ferre Jovi valeat. Pro degener altæ
Virtutis patrum! quando certamen inire,
Cuive virûm mallem memet componere, quam qui
Et victus dabit et victor per sæcula nomen? 71
Talibus increpitat, mediosque aufertur in hostes,
Ac retro cursum tendentem ad crebra suorum
Agmina, et in densis furantem membra maniplis
Per conferta virum et stipata umbonibus arma 75
Consequitur melior planta, atque obtruncat Acher-
Ut canis occultos agitat cum bellicus apros, [ram.
Erroresque feræ sollers per devia mersa
Nare legit, tacitoque premens vestigia rostro
Lustrat inaccessos venantum indagine saltus, 80
Nec sistit, nisi, conceptum sectatus odorem,
Deprendit spissis arcana cubilia dumis.
At conjux Jovis, ut Paullum depellere dictis
Nequicquam fuit, et consul non desinit iræ,
In faciem Mauri rursus mutata Gelestæ 85
Avocat ignarum sævo a certamine Pœnum.
Huc tela, huc, inquit, dextram implorantibus
O decus æternum Carthaginis: horrida juxta [affer,
Stagnantes consul molitur prœlia ripas:
Et laus haud alio major datur hoste peremto. 90
Hæc ait, et juvenem diversa ad prœlia raptat.
Flumineo Libycam turbabat in aggere pubem:
Cristæ nomen erat: bis terni juncta ferebant
Arma senem circa nati: pauperque penatum,
Sed domus haud obscura Tuder, notusque per Umbros 95
Bellator populos, factis et cæde docebat
Natorum armigeram pugnas tractare cohortem.
Unanima inde phalanx, crudo ducente magistro,
Postquam hominum satiata nece est, prostraverat ictu
Innumero cum turre feram, facibusque secutis 100
Ardentem monstri spectabat læta ruinam;
Cum subitus galeæ fulgor, conoque coruscæ
Majore intremuere jubæ: nec tarda senectus
(Agnovit nam luce virum) rapit agmine natos
Sæva parens ultro in certamina, et addere passim
Tela jubet, nec manantes ex ore feroci, 106
Aut quæ flagrarent galea, exhorrescere flammas.
Armiger haud aliter magni Jovis, anxia nido
Cum dignos nutrit gestanda ad fulmina fetus,
Obversam spectans ora ad Phaethontia prolem,
Explorat dubios Phœbea lampade natos. 111
Jamque suis daret ut pugnæ documenta vocantis,
Stridentem gelidis vibravit viribus hastam,
Quæ medias raptim velox prætervolat auras.
Hæsit multiplici non alte cuspis in auro, 115
Ac senium invalido dependens prodidit ictu.
Cui Pœnus: Quinam ad cassos furor impulit ictus
Exsanguem senio dextram? vix prima momordit
Tegmina Callaici cornus tremebunda metalli.
En, reddo tua tela tibi: memorabilis ista 120
A nobis melius discet bellare juventus.
Sic propria miseri transfigit pectora corno.
At contra (horrendum) bis terna spicula dextra
Torta volant, paribusque ruunt conatibus hastæ.
Haud secus ac Libyca fetam tellure leænam 125
Venator premit obsesso cum Maurus in antro,
Invadunt rabidi jamdudum, et inania tentant
Nondum sat firmo catuli certamina dente.
Consumit clypeo tela, et, collectus in arma,
Sustinet ingentes crepitantibus ictibus hastas 130
Sidonius ductor: nec jam per vulnera credit,
Aut per tot cædes actum satis: iraque anhelat,
Ni leto det cuncta virûm, jungatque parenti
Corpora, et excidat miseros cum stirpe penates.
Tunc Abarim affatur: namque una hic armiger ira
Flammabat Martem, atque omnes comes ibat in
Suppedita mihi tela: vadis liventis Averni [actus:
Demitti globus ille cupit, qui nostra lacessat
Tegmina: jam stultæ fructus pietatis habebit.
Hæc fatus, jaculo Lucam, qui maximus ævi, 140
Transadigit: pressa juvenis cum cuspide labens
Arma super fratrum resupino concidit ore. [rum.
Mortiferum inde manu properantem vellere fer-
Pilo Volsonem (namque hoc de strage jacentum
Fors dabat) affixa sternit per tegmina nare. 145
Tum Vesulum, calido lapsantem in sanguine fratrum, [virtus)
Ense metit rapido; plenamque (heu barbara
Abscisi galeam capitis, ceu missile telum,
Conversis in terga jacit. Telesinus, ad ossa
Illiso saxo, qua spina interstruit artus, 150
Occumbit; fratrisque videt labentia membra
Quercentis, quem funda procul per inane voluta
Sopierat, dum supremam Telesinus in auras
Exhalat lucem, et dubitantia lumina condit.
At fessus mærore simul, cursuque, metuque, 155
Et tamen haud iræ vacuus, non certa per æquor
Interdum insistens Perusinus membra ferebat:
Hunc sude, quam raptam Libyci per terga jacentis
Armiger obtulerat monstri, super inguina fixum
Obtruncat, quercuque premit violentus obusta.
Tentarat precibus sævum lenire furorem, 161
Sed Stygius primos implevit fervor hiatus,
Et pulmone tenus demisit anhelitus ignem.
Tandem cum toto cecidit grege, nomen in Umbro
Clarum, Crista, diu populo: ceu fulmine celsa 165
Æsculus, aut proavis ab origine cognita quercus
Cum fumat percussa Jovi, sacrosque per ævum
Ætherio ramos populantur sulfure flammæ,
Donec victa deo late procumbit, et omnem
Collabens operit spatioso stipite prolem. 170
Atque ea dum juxta Tyrius stagna Aufida ductor
Molitur, Paullus, numerosa cæde futuram
Ultus jam mortem, ceu victor bella gerebat
Inter mille viros. Jacet ingens Phorcys ab antris

Herculeæ Calpes, cælatus Gorgone parmam, 175
Unde genus tristique deæ manabat origo.
Hunc objectantem sese, atque antiqua tumentem
Nomina saxificæ monstrosa e stirpe Medusæ,
Dum lævum petit incumbens violentius inguen,
Detrahit, excelsi correptum vertice coni, 180
Afflictumque premens, tergo qua balteus imo
Sinuatur, coxæque sedet munimen utrique,
Conjecto fodit ense super: vomit ille calentem
Sanguinis effundens per hiantia viscera rivum,
Et subit Ætolos Atlanticus accola campos. 185
Has inter strages rapido terrore coorti
Invadunt terga, atque averso turbine miscent
Bella inopina viri, Tyrius quos fallere doctos
Hanc ipsam pugnæ rector formarat ad artem:
Succinctique dolis, fugerent ceu Punica castra, 190
Dediderant dextras: tum totis mentibus actam
In cædes aciem pone atque in terga ruentes
Præcipitant: non hasta viro, non deficit ensis;
E strage est ferrum, atque evulsa cadavere tela.
Raptum Galba procul (neque enim virtutis amo- [rem
Adversa exemisse valent) ut vidit ab hoste
Auferri signum, connisus corpore toto
Victorem adsequitur, letalique occupat ictu.
Ac dum comprensam cæso de corpore prædam
Avellit, tardeque manus moribunda remittit, 200
Transfixus gladio propere accurrentis Amorgi
Occidit, immoriens magnis non prosperus ausis.
Hæc inter, veluti nondum satiasset Enyo
Iras sæva truces, sublatum pulvere campum
Vulturnus rotat, et candentes torquet arenas. 205
Jamque reluctantes stridens immane procella
Per longum tulit ad campi suprema, cavisque
Afflictos ripis tumidum demersit in amnem.
Hic tibi finis erat, metas hic Aufidus ævi
Servabat, tacito non felix Curio leto. 210
Namque, furens animi dum consternata moratur
Agmina, et oppositu membrorum sistere certat,
In præceps magna propulsus mole ruentum
Turbatis hauritur aquis, fundoque volutus
Adriaca jacuit sine nomine mortis arena. 215
Ingens ferre mala, et Fortunæ subdere colla
Nescius, adversa fronte incurrebat in arma
Vincentum consul; pereundi Martius ardor,
Atque animos jam sola dabat fiducia mortis.
Cum Viriathus agens telis, regnator Iberæ 220
Magnanimus terræ, juxta atque ante ora furentis
Obtruncat Paulli fessum certaminis hostem.
Heu dolor, heu lacrymæ! Servilius optima belli,
Post Paullum belli pars optima, corruit ictu 224
Barbarico, magnamque cadens leto addidit uno
Invidiam Cannis. Tristem non pertulit iram
Consul, et insani quanquam contraria venti
Exarmat vis, atque obtendit pulvere lucem,
Squalentem rumpens ingestæ torvus arenæ
Ingreditur nimbum, ac ritu jam moris Iberi 230
Carmina pulsata fundentem barbara cætra
Invadit, lævæque fodit vitalia mammæ.
Hic fuit extremus cædum labor: addere bello
Haud ultra licuit dextram, nec tanta relictum est
Uti, Roma, tibi posthac ad prœlia Paullo. 235
Saxum ingens, vasto libratum pondere, cæca
Venit in ora manu, et, perfractæ cassidis æra
Ossibus infodiens, complevit sanguine vultus.
Inde pedem referens, labentia membra propinquo
Imposuit scopulo, atque undanti vulnere anhelans
Sedit terribilis clypeum super ore cruento: 241
Immanis ceu, depulsis levioribus hastis,
Accepit leo cum tandem per pectora ferrum,
Stat teli impatiens media fremebundus arena,
Ac, manante jubis rictuque et naribus unda 245
Sanguinis, interdum languentia murmura torquens
Effundit patulo spumantem ex ore cruorem.
Tum vero incumbunt Libyes super: ipse citato
Ductor equo, qua flatus agit, qua pervius ensis,
Qua sonipes, qua belligero fera bellua dente. 250
Obrutus hic telis ferri per corpora Piso
Rectorem ut vidit Libyæ, connisus in hastam
Ilia cornipedis surrecta cuspide transi., [tat.
Collapsoque super nequicquam incumbere cœp-
Cum Pœnus, propere collecto corpore, quanquam
Cernuus inflexo sonipes effuderat armo: 256
Umbræne Ausoniæ rediviva in bella retractant
Post obitum dextras, nec in ipsa morte quiescunt?
Sic ait, atque ægrum cœptanti attollere corpus
Arduus insurgens totum permiscuit ensem. 260
Ecce Cydonea violatus arundine plantam
Lentulus effusis campum linquebat habenis;
Cum videt in scopulo rorantem saxa cruore,
Torvoque obtutu labentem in Tartara Paullum.
Mens abiit, puduitque fugæ: tunc visa cremari
Roma viro, tunc ad portas jam stare cruentus 266
Hannibal; Ætoli tunc primum ante ora fuere
Sorbentes Latium campi: Quid deinde relictum,
Crastina cur Tyrios lux non deducat ad Urbem,
Deseris in tantis puppim si, Paulle, procellis? 270
Testor cœlicolas, inquit, ni damna gubernas
Crudelis belli, vivisque in turbine tanto
Invitus, plus, Paulle, (dolor verba aspera dictat,)
Plus Varrone noces. Cape, quæso, hunc, unice rerum
Fessarum, cape cornipedem: languentia membra
Ipse levabo humeris, et dorso tuta locabo. 276
Hæc inter lacero manantem ex ore cruorem
Ejectans consul: Macte o virtute paterna:
Nec vero spes angustæ, cum talia restent
Pectora Romuleo regno. Calcaribus aufer, [Urbis
Qua vulnus permittit, equum atque hinc ocius
Claudantur portæ; ruet hæc ad mœnia pestis.
Dic, oro, rerum Fabio tradantur habenæ.
Nostris pugnavit monitis furor: amplius acta
Quid superest vita, nisi cæcæ ostendere plebi 285
Paullum scire mori? feroran consumtus in Urbem
Vulneribus? quantine emtum velit Hannibal, ut
Vertentes terga adspiciat? nec talia Paullo [nos
Pectora, nec manes tam parva intramus imago.
Ille ego...Sed vano quid enim te demoror æger, 290
Lentule, conquestu? perge, atque hinc cuspide fessum [Urbem
Eripe quadrupedem propere. Tum Lentulus
Magna ferens mandata petit: nec Paullus inultum,
Quod superest de luce, sinit: ceu vulnere tigris
Letifero cedens tandem, projectaque corpus 295
Luctatur morti, et languentem pandit hiatum
In vanos morsus, nec sufficientibus iræ
Rictibus, extrema lambit venabula lingua.
Jamque coruscanti telum, propiusque ferenti
Gressum exsultantem, et securo cædis Iertæ 300
Non exspectatum surgens defixerat ensem;
Sidoniumque ducem circumspectabat, in illa
Exoptans animam cedentem ponere dextra.
Sed vicere virum coeuntibus undique telis [Astur.
Et Nomas, et Garamas, et Celta, et Maurus, et
Hic finis Paullo: jacet altum pectus, et ingens
Dextera, quem (soli si bella agitanda darentur)
Æquares forsan Fabio: mors additur Urbi
Pulchra decus, misitque viri inter sidera nomen.
Postquam spes Italûm mentesque in consule
Ceu truncus capitis, sævis exercitus armis [lapsæ
Sternitur, et victrix toto fremit Africa campo.

Hic Picentum acies, hic Umber Martius, illic
Sicana procumbit pubes, hic Hernica turma.
Passim signa jacent, quæ Samnis belliger, et quæ
Sarrastes populi, Marsæque tulere cohortes: 316
Transfixi clypei, galeæque, et inutile ferrum,
Fractaque conflictu parmarum tegmina, et ore
Cornipedum derepta fero spumantia frena.
Sanguineus tumidas in campos Aufidus undas 320
Ejectat, redditque furens sua corpora ripis.
Sic Lagea ratis, vasto velut insula ponto
Conspecta, illisit scopulis ubi nubifer Eurus,
Naufragium spargens operit freta, jamque per undas
Et transtra, et mali, laceroque aplustria velo, 325
Ac miseri fluitant revomentes æquora nautæ.
At Pœnus, per longa diem certamina sævis
Cædibus emensus, postquam eripuere furori
Insignem tenebræ lucem, tum denique Martem
Dimisit, tandemque suis in cæde pepercit. 330
Sed mens invigilat curis, noctisque quietem
Ferre nequit; stimulat, dona inter tanta deorum,
Hortator nudi portas intrasse Quirini. [enses,
Proxima lux placet: hinc strictos ferre ocius
Dum fervet cruor, et perfusæ cæde cohortes, 335
Destinat, ac jam claustra manu, jam mœnia flam-
Occupat, et jungit Tarpeia incendia Cannis. [ma
Quo turbata viri conjux Saturnia cœpto,
Irarumque Jovis Latiique haud inscia fati,
Incautum ardorem atque avidas ad futile votum
Spes juvenis frenare parat. Ciet inde quietis 341
Regnantem tenebris Somnum, quo sæpe ministro
Edomita inviti componit lumina fratris.
Atque huic arridens, Non te majoribus, inquit,
Ausis, dive, voco, nec posco ut mollibus alis 345
Des victum mihi, Somne, Jovem: non mille premendi
Sunt oculi tibi, nec spernens tua numina custos
Inachiæ multa superandus nocte juvencæ.
Ductori precor immittas nova somnia Pœno,
Ne Romam et vetitos cupiat nunc visere muros, 350
Quos intrare dabit nunquam regnator Olympi.
Imperium celer exsequitur, curvoque volucris
Per tenebras portat medicata papavera cornu.
Ast ubi per tacitum allapsus tentoria prima
Barcæi petiit juvenis, quatit inde soporas 355
Devexo capiti pennas, oculisque quietem
Irrorat, tangens Lethæa tempora virga.
Exercent rabidam truculenta insomnia mentem.
Jamque videbatur multo sibi milite Tibrim
Cingere, et insultans adstare ad mœnia Romæ. 360
Ipse refulgebat Tarpeiæ culmine rupis,
Elata torquens flagrantia fulmina dextra,
Jupiter, et lati fumabant sulfure campi,
Ac gelidis Anio trepidabat cærulus undis: [dum
Et densi ante oculos iterumque iterumque tremen-
Vibrabant ignes: tunc vox effusa per auras: 366
Sat magna, o juvenis, prensa est tibi gloria Cannis.
Siste gradum; neque enim sacris irrumpere muris,
Pœne, magis dabitur, nostrum quam scindere cœ-
Attonitum visis, majoraque bella paventem [lum.
Post confecta Sopor Junonia jussa relinquit; 371
Nec lux terribili purgavit imagine mentem.
Quos inter motus somni vanosque tumultus,
Dedita per noctem reliquo cum milite castra
Nuntiat, et prædam pleno trahit agmine Mago. 375
Huic ductor lætas Tarpeio vertice mensas
Spondenti, cum quinta diem nox orbe tulisset,
Celatis superûm monitis, clausoque pavore,
Vulnera et exhaustas sævo certamine vires,
Ac nimium lætis excusat fidere rebus. 380
Tum spe dejectus juvenis, ceu vertere ab ipsis
Terga juberetur muris ac signa referre,
Tanta mole, inquit, non Roma, (ut credidit ipsa,)
Sed Varro est victus. Quonam tam prospera Martis
Munera destituis fato, patriamque moraris? 385
Mecum exsultet eques; juro hoc caput, accipe
Iliacos, portasque tibi sine Marte patentes. [muros
Dumque ea Mago fremit cauto non credita fratri,
Jam Latius sese Canusina in mœnia miles
Colligere, et profugos vicino cingere vallo 390
Cœperat. Heu rebus facies inhonora sinistris!
Non aquilæ, non signa viris, non consulis altum
Imperium, non subnixæ lictore secures.
Trunca atque ægra metu, ceu magna elisa ruina,
Corpora debilibus nituntur sistere membris. 395
Clamor sæpe repens, et sæpe silentia fixis
In tellurem oculis: nudæ plerisque sinistræ
Detrito clypeo: desunt pugnacibus enses:
Saucius omnis eques: galeis carpsere superbum
Cristarum decus, et damnarunt Martis honores.
At multa thorax perfossus cuspide, et hærens
Loricæ interdum Maurusia pendet arundo.
Interdum mæsto socios clamore requirunt.
Hic Galba, hic Piso, et leto non dignus inerti
Curio deflentur, gravis illic Scævola bello. 405
Hos passim; at Paulli pariter, ceu dira parentis
Fata gemunt: ut vera mali præsentia nunquam
Cessarit canere, et Varronis sistere mentem; [Urbi:
Utque diem hunc toties nequicquam averterit
Atque idem quantus dextra. Sed cura futuri 410
Quos premit, aut fossas instant præducere muris,
Aut portarum aditus (ut rerum est copia) firmant.
Quaque patet campus planis ingressibus hosti,
Cervorum ambustis imitantur cornua ramis,
Et stylus occulitur, cæcum in vestigia telum. 415
Ecce, super clades et non medicabile vulnus,
Relliquias belli atque imperdita corpora Pœnis
Impia formido ac major raptabat Erinnys.
Trans æquor Tyrios enses atque arma parabant
Punica et Hannibalem mutato evadere cœlo. 420
Dux erat exsilio collectis Marte Metellus,
Sed stirpe haud parvi cognominis: is mala bello
Pectora degeneremque manum ad deformia agebat
Consulta, atque alio positas spectabat in orbe,
Quîs sese occulerent, terras, quo nomina nulla 425
Pœnorum, aut patriæ penetraret fama relictæ.
Quæ postquam accepit flammata Scipio mente,
Quantus Sidonium contra fera prœlia miscens
Ductorem stetit in campis, rapit ocius ensem,
Atque, ubi turpe malum Latioque extrema coquebant 430
Cœpta viri, ruptis foribus sese arduus infert. [tum
Tum, quatiens strictum cum voce ante ora paven-
Mucronem: Tarpeia pater qui templa secundam
Incolis a cœlo sedem, et Saturnia nondum
Iliacis mutata malis, tuque aspera pectus 435
Ægide Gorgoneos virgo succincta furores,
Indigetesque dei, sponte en per numina vestra,
Perque caput, nullo levius mihi numine, patris
Magnanimi juro, nunquam Lavinia regna
Linquam, nec linqui patiar, dum vita manebit.
Ocius antestare deos, si mœnia tædis 441
Flagrabunt Libycis, nullas te ferre, Metelle,
Ausurum in terras gressus. Ni talia sancis,
Quem tremis, et cujus somnos formidine rumpis,
Hannibal hic armatus adest: moriere, nec ullo 445
Pœnorum melior parietur gloria cæso.
His excussa incepta minis: jamque ordine jusso
Obstringunt animas patriæ, dictataque jurant

Sacramenta deis, et purgant pectora culpa.
Atque ea dum Rutulis turbata mente geruntur,
Lustrabat campos, et sævæ tristia dextræ 451
Facta recensebat, pertractans vulnera visu,
Hannibal, et, magna circumstipante caterva,
Dulcia præbebat trucibus spectacula Pœnis.
Quas strages inter confossus pectora telis 455
Seminecem extremo vitam exhalabat in auras
Murmure deficiens jam Clœlius, oraque nisu
Languida vix ægro et dubia cervice levabat.
Agnovit sonipes, arrectisque auribus acrem
Hinnitum effundens, sternit tellure Vagesum, 460
Quem tunc captivo portabat in agmina dorso.
Hinc, rapidum glomerans cursum, per lubrica pingui
Stante cruore soli et mulctata cadavera cæde
Evolat, ac domini consistit in ora jacentis.
Inde inclinatus colla, et submissus in armos,
De more inflexis præbebat scandere terga 466
Cruribus, ac proprio quondam trepidabat amore.
Milite non illo quisquam felicius acri
Insultarat equo, vel si resupina citato
Projectus dorso ferret sua membra, vel idem 470
Si nudo staret tergo, dum rapta volucris
Transigeret cursu sonipes certamina campi.
At Libys, humanos æquantem pectore sensus
Haud parce miratus equum, quinam ille sinistræ
Depugnet sorti juvenis, nomenque, decusque 475
Erogitat, letique simul compendia donat.
Hic Cinna, (ad Tyrios namque is sua verterat arma,
Credulus adversis, et tum comes ibat ovanti,)
Auribus huic, inquit, ductor fortissime, origo est
Non indigna tuis. Quondam sub regibus, illa
Quæ Libycos renuit frenos, sub regibus olim
Roma fuit: sed enim, solium indignata Superbi
Ut sceptra exegit, confestim ingentia bella
Clusina venere domo. Si Porsena fando
Auditus tibi, si Cocles, si Lydia castra; 485
Ille, ope Mæonia et populo succinctus Etrusco,
Certabat pulsos per bella reponere reges.
Multa adeo nequicquam ausi, pressitque tyrannus
Janiculum incumbens. Ubi mox, jam pace probata, [lum,
Compressere odia, et positum cum fœdere bel-
Obsidibusque obstricta fides, (mansuescere corda
Nescia, pro superi! et nil non immite parata
Gens Italûm pro laude pati!) bis Clœlia senos
Nondum complerat primævi corporis annos,
Una puellarum Laurentum, et pignora pacis 495
Inter virgineas regi transmissa catervas: [nis,
(Facta virûm sileo:) rege hæc, et fœdere, et an-
Et fluvio spretis, mirantem interrita Tibrim
Tranavit, frangens undam puerilibus ulnis.
Cui si mutasset sexum natura, reverti 500
Forsan Tyrrhenas tibi non licuisset in oras,
Porsena. Sed juveni (ne sim tibi longior) hinc est
Et genus et clara memorandum a virgine nomen.
Talia dum pandit, vicinus parte sinistra
Per subitum erumpit clamor: permixta ruina
Inter et arma virûm et lacerata cadavera, Paulli
Eruerant corpus media de strage jacentum. [lis
Heu quis erat! quam non similis modo Punica te-
Agmina turbanti; vel cum Taulantia regna
Vertit, et Illyrico sunt addita vincla tyranno! 510
Pulvere canities atro, arentique cruore
Squalebat barba, et perfracti turbine dentes
Muralis saxi, tum toto corpore vulnus. [tor
Quem postquam adspexit geminatus gaudia duc-
Sidonius; Fuge, Varro, inquit, fuge, Varro, superstes, 515
Dum jaceat Paullus: Patribus Fabioque sedenti
Et populo consul totas edissere Cannas.
Concedam hanc iterum, si lucis tanta cupido est,
Concedam tibi, Varro, fugam. At, cui fortia et hoste
Me digna haud parvo caluerunt corda vigore, 520
Funere supremo et tumuli decoretur honore.
Quantus, Paulle, jaces! qui tot mihi millibus unus
Major lætitiæ causa es. Cum fata vocabunt,
Tale precor nobis salva Carthagine, letum.
Hæc ait: et sociûm mandari corpora terræ, 525
Postera cum thalamis Aurora rubebit apertis,
Imperat, armorumque jubet consurgere acervos
Arsuros, Gradive, tibi. Tum munera jussa,
Defessi quanquam, accelerant, sparsoque propinquos
Agmine prosternunt lucos: sonat icta bipenni
Frondosis sylva alta jugis: hinc ornus, et albæ
Populus alma comæ validis accisa lacertis
Scinditur, hinc ilex proavorum consita sæclo:
Devolvunt quercus, et amantem littora pinum,
Ac ferale decus mæstas ad busta cupressos. 535
Funereas tum deinde pyras certamine texunt,
Officium infelix et munus inane peremtis;
Donec anhelantes stagna in Tartessia Phœbus
Mersit equos, fugiensque polo Titania cæcam
Orbita nigrânti traxit caligine noctem. 540
Post, ubi fulserunt primis Phaethontia frena
Ignibus, atque sui terris rediere colores,
Supponunt flammam, et manantia corpora tabo
Hostili tellure cremant. Subit horrida mentem
Formido incerti casus, tacitusque pererrat 545
Intima corda pavor, si fors ita Martis iniqui
Mox ferat, hac ipsis inimica sede jacendum.
Ast, tibi, bellipotens, sacrum, constructus acervo
Ingenti mons armorum surgebat ad astra.
Ipse, manu celsam pinum flammaque comantem
Attollens, ductor Gradivum in vota ciebat: 551
Primitias pugnæ et læti libamina belli
Hannibal Ausonio cremat hæc de nomine victor,
Et tibi, Mars genitor, votorum haud surde meo-
Arma electa dicat spirantum turba virorum. [rum,
Tum face conjecta populatur fervidus ignis 556
Flagrantem molem, et rupta caligine in auras
Actus apex claro perfundit lumine campos.
Hinc citus ad tumulum donataque funera Paullo
Ibat, et hostilis leti jactabat honorem. 560
Sublimem eduxere pyram, mollesque virenti
Stramine composuere toros: superaddita dona,
Funereum decus, expertis invisus et ensis,
Et clypeus terror Nomadum, atque insigne superbum,
Tum laceri fasces, fractæque in Marte secures.
Non conjux native aderant, non juncta propinquo
Sanguine turba virûm, aut celsis de more feretris
Præcedens prisca exsequias decorabat imago
Omnibus exuviis nudo jamque Hannibal unus
Sat decoris laudator erat: fulgentia pingui 570
Murice suspirans inicit velamina et auro
Intextam chlamydem, ac supremo afflatur honore:
I, decus Ausoniæ, quo fas est ire superbas
Virtute et factis animas: tibi gloria leto
Jam parta insigni: nostros fortuna labores 575
Versat adhuc, casusque jubet nescire futuros.
Hæc Libys; atque repens crepitantibus undique flammis
Ætherias anima exsultans evasit in auras.
Fama dehinc gliscente sono jam sidera adibat
Jam maria ac terras, primamque intraveratUrbem.
Diffidunt muris: solam pavitantibus arcem 581
Speravisse sat est: nec enim superesse juventam,

Ac stare Ausoniæ vacuum sine corpore nomen.
Quodque adeo nondum portis irruperit hostis,
Contemtu cessare putant: jam tecta cremari,585
Ac delubra rapi, cædesque ante ora nefandæ
Natorum, septemque arces fumare videntur.
Lux una eversas bis centum in strage curules,
Ac juvenum bis tricenis orbata gemebat
Millibus exhaustæ nutantia mœnia Romæ: 590
Atque ea post Trebiam, post Tusci stagna profundi,
Nec sociûm numero pariter leviore peremto.
Sed vero, sed enim reliqui pia turba senatus
Munera sortito invadunt. Celer omnia lustrans
Clamitat attonitis Fabius, Non ulla relicta est, 595
Credite, cunctandi ratio: approperemus, ut hostis
Nequicquam armatos ausit succedere muros.
Dura inter pavidos alitur fortuna sedendo,
Et gliscunt adversa metu: ite ocius, arma
Deripite, o pubes, templis: vos atria raptim 600
Nudate, et clypeos in bella refigite captos.
Sat patriæ sumus, e numero si ad prœlia nostro
Nil minuit pavor. In patulis illa horrida campis
Sit metuenda lues: muros haud fregerit unquam,
Exsultare levis nudato corpore, Maurus. 605
Dum Fabius lapsas acuit formidine mentes,
Varronem adventare vagus per mœnia rumor
Spargit, et occulto perfundit pectora motu.
Haud secus ac fractæ rector si forte carinæ
Littoribus solus vacuis ex æquore sospes 610
Adnatet, incerti trepidant, tendantne, negentne
Jactato dextras, ipsamque odere salutem
Unius amissa superantis puppe magistri.
Quam restare viro labem, qui accedere portis
Audeat, ac dirum veniat pavitantibus omen! 615
Hos mulcens questus Fabius deforme docebat
Cladibus irasci, vulgumque arcebat ab ira.
Adversis etenim frangi non esse virorum,
Qui Martem inscribant genti, non posse dolores
Condere, et ex pœna solatia poscere luctus. 620
Si vero exprobrare sinant, sibi tristius illum
Illuxisse diem, quo castris viderit ire
Varronem, quam quo videat remeare sine armis.
His dictis sedere minæ, et conversa repente
Pectora: nunc fati miseret, nunc gaudia Pœno
Consulibus reputant cæsis erepta duobus. 626
Ergo omne effundit longo jam se agmine vulgus
Gratantum: magnaque actum se credere mente
Testantur, quod, fisus avis sceptrisque superbis,
Laomedontiadûm non desperaverit urbi. 630
Nec minus infelix culpæ, grandique pudore
Turbatus, consul titubantem ad mœnia gressum
Portabat lacrymans: dejectum attollere vultum,
Ac patriam adspicere, et luctus renovare pigebat.
Quod vero reduci tum se populusque Patresque
Offerrent, non gratari, sed poscere natos 636
Quisque suos, fratresque simul, miseræque parentes
Ire videbantur laceranda ad consulis ora.
Sic igitur nullo lictore invectus in urbem,
Damnatum superis adspernabatur honorem. 640
At Patres Fabiusque, procul mærore remoto,
Præcipitant curas. Raptim delecta juventa
Servitia armantur, nec claudit castra saluti
Postpositus pudor: infixum est Æneia regna
Parcarum in leges quacunque reducere dextra,645
Proque arce et sceptris et libertatis honore
Vel famulas armare manus. Primæva suorum
Corpora prætexto spoliant velamine, et armis
Insolitis cingunt: puerilis casside vultus
Clauditur, atque hostis pubescere cæde jubetur.
Idem obsecrantes, captivum vulgus ut auro 651
Pensarent parvo, (nec pauca fuere precantum
Millia,) miranti durarunt prodere Pœno.
Cuncta adeo scelera et noxam superaverat omnem,
Armatum potuisse capi. Tunc terga dedisse 655
Damnatis Siculas longe meritare per oras
Impositum, donec Latio decederet hostis.
Hæc tum Roma fuit; post te cui vertere mores
Si stabat fatis, potius, Carthago, maneres.

LIBER UNDECIMUS.

Nunc age, quos clades insignis Iapyge campo
Verterit ad Libyam populos Sarranaque castra,
Expediam. Stat nulla diu mortalibus usquam
Fortuna titubante fides: adjungere dextras
Certavere palam rumpenti fœdera Pœno, 5
Heu nimium faciles læsis diffidere rebus.
Sævior ante alios iras servasse repostas,
Atque odium renovare ferox in tempore Samnis.
Mox levis et sero pressurus fata pudore
Bruttius, ambiguis fallax mox Appulus armis.
Tum gens Hirpini vana indocilisque quieti, 11
Et rupisse indigna fidem: ceu dira per omnes
Manarent populos fœdi contagia morbi.
Jamque Atella suas, jamque et Calatia adegit,
Fas superante metu, Pœnorum in castra cohortes.
Inde Phalanteo levitas animosa Tarento 16
Ausonium laxare jugum: patefecit amicas
Alta Croton portas, Afrisque ad barbara jussa
Thespiadûm docuit submittere colla nepotes.
Idem etiam Locros habuit furor: ora vadosi 20
Littoris, Argivos major qua Græcia muros
Servat, et Ionio luitur curvata profundo,
Lætas res Libyæ et fortunam e more secuta,
Juravit pavitans Tyrio sua prœlia Marti.
Jam vero, Eridani tumidissimus accola, Celtæ 25
Incubuere malis Italûm, veteresque doloris
Tota se socios properarunt jungere mole.
Sed fas id Celtis, fas impia bella referre
Boiorum fuerit populis. Capuæne furorem,
Quem Senonum genti, placuisse, et Dardana ab ortu 30
Mœnia barbarico Nomadum sociata tyranno
Quisnam, mutato tantum nunc tempore, credat?
Luxus, et insanis nutrita ignavia lustris,
Consumtusque pudor peccando, unisque relictus
Divitiis probrosus honor, lacerabat hiantem 35
Desidia populum, ac resolutam legibus urbem.
Insuper exitio truculenta superbia agebat.

Nec vitiis deerant vires: non largior ulli
Ausoniæ populo (sic tum fortuna fovebat)
Aurique argentique modus: madefacta veneno
Assyrio maribus vestis, medioque dierum 41
Regales epulæ, atque ortu convivia solis
Deprensa, et nulla macula non illita vita.
Tum populo servi Patres, plebesque senatus
Invidia læta, et collidens dissona corda 45
Seditio. Sed enim interea temeraria pubis
Delicta augebat, pollutior ipsa, senectus.
Nec, quos vile genus despectaque lucis origo
Fœdabat, sperare sibi et deposcere prima
Deerant imperia, ac patriæ pereuntis habenas. 50
Quin etiam exhilarare viris convivia cæde
Mos olim, et miscere epulis spectacula dira
Certantum ferro, sæpe et super ipsa cadentum
Pocula, respersis non parco sanguine mensis.
Hos astu aggressus, quo verteret acrius ægras
Ad Tyrios mentes, quia nulla sorte daturam 56
Certus erat Romam, neque enim impetrata volebat,
(Pacuvio fuit haud obscurum crimine nomen,)
Hortatur summi partem deposcere juris,
Atque alternatos sociato consule fasces: 60
Et, si partita renuant sedisse curuli,
Æquatumque decus geminasque videre secures,
Ultorem ante oculos atque ora adstare repulsæ.
Ergo electa manus gressu fert dicta citato.
Antistat cunctis præcellens Virrius ore, 65
Sed genus obscurum, nullique furore secundus.
Qui postquam cœtu Patrum ingentique senatu
Impia dementis vulgi, ac vix tota, profudit
Consulta, et tumidis incendit vocibus aures;
Concordi fremitu renuentum effunditur asper 70
Toto e concilio clamor: tum quisque fatigat
Increpitans, vocumque tremit certamine templum.
Hic Torquatus, avum fronte æquavisse severa
Nobilis, Heu Capua portantes talia dicta
Romuleis durastis, ait, succedere muris? 75
Ad quos non ausi Carthago atque Hannibal arma
Post Cannas afferre suas? nunquamne per aures
It vestras, in Tarpeia cum sede Latini
Orarent paria, haud verbis, haud voce, sed acri
Propulsum dextra, qui tum mandata superbo 80
Ore apportabat, tanto per limina templi
Turbine præcipitem revoluti corporis actum,
Ut, sævo afflictus saxo, spectante piaret
Tristia dicta Jove, et lueret verba impia leto?
En ego progenies ejus, qui sede Tonantis 85
Expulit orantem, et nuda Capitolia consul [rum
Defendit dextra. Rapidum hinc, palmasque viro-
Intentantem oculis, proavitaque facta parantem
Ut vidit majore adeo crudescere motu.
Excipit his frendens Fabius: Pro cuncta pudendi!
Sedes, ecce, vacat belli viduata procella: 91
Quem, quæso, e vobis nuic imposuisse paratis?
Inque locum Paulli quemnam datis? an tua. Virri,
Prima atque ante alias sors, concedente senatu,
Te citat, ac nostris æquat jam purpura Brutis?
I, demens, i, quo tendis: tibi perfida fasces 96
Det Carthago suos. Medio fervore loquentis,
Impatiens ultra gemitu cohibere furorem,
Fulminea torvum exclamat Marcellus ab ira:
Quæ tandem, et quam lenta tenet patientia mentem,
O confuse nimis Gradivi turbine Varro, 101
Ut perferre queas furibunda insomnia consul?
Nonne exturbatos jamdudum limine templi
Præcipites agis ad portas? et discere cogis
Semiviros, quod sit nostro de more creati 105
Consulis imperium? Non unquam sobria pubes
Et peritura brevi, moneo, ocius urbe facesse.
Muros ante tuos, ut par est, debita ductor
Armatus responsa dabit. Consurgere cuncti
Hinc pariter, magnoque viros clamore premebant.
Nec non et foribus propere Campana juventus
Extulit ipsa gradum, tantæque dolore repulsæ
Concitus Hannibalem volvebat Virrius ore.
Fulvius, (huic nam spondebant præsagia mentis
Venturum decus, et Capuæ pereuntis imago 115
Jam tum erat ante oculos,) Non si Carthaginis, in-
Ductorem vestris devinctum colla catenis [quit,
Romam victor agis, posthac intrare Quirini
Sacratas dabitur sedes: tende ocius, oro,
Quo mens ægra vocat. Referunt hæc inde citati
Mixta minis et torva trucis responsa senatus. 121
Tantaue, omnipotens, caligine mersa latere
Fata placet? veniet quondam felicior ætas,
Cum pia Campano gaudebit consule Roma,
Et per bella diu fasces perque arma negatos 125
Ultro ad magnanimos referet secura nepotes.
Pœna superborum tamen hæc durabit avorum,
Quod non ante suos Capua ad suffragia mittet,
Quam Carthago suos. Postquam nunc dicta sena-
Nunc facta exposuit, tum veris falsa per artem [tus,
Virrius admiscens cecinit fatale cruenti 131
Turbatis signum belli. Furiata juventus
Arma, arma, Hannibalemque volunt. Ruit undique vulgus,
Et Pœnos in tecta vocant: ingentia facta
Sidonii juvenis celebrant, ut ruperit Alpes 135
Herculei socius decoris, divisque propinquas
Transierit cursu rupes; ut cæde referta
Clauserit Eridani victor vada; victor ut idem
Lydia Romano turbarit stagna cruore;
Ut Trebiæ ripas æterno nomine famæ 140
Tradiderit, Paullumque idem inter prœlia, et idem
Flaminium proceres rerum demiserit umbris.
His super excisam primori Marte Saguntum,
Et juga Pyrenes, et Iberum, et sacra parentis,
Juratumque viro bellum puerilibus annis, 145
Accumulant: unum, ducibus tot cæde peremtis,
Tot fusis acie, stare inter prœlia nullis
Attactum telis. Superûm cum munere detur
Huic sociare viro dextras et fœdere jungi,
Fastus exsanguis populi vanumque tumorem 150
Nimirum Capua et dominatum perferat urbis,
Ceu famulis fasces æquataque jura negantis?
Prorsus enim tanto potiorem nomine habendum
Varronem, ut fugit consul fulgentior ostro.
Talia jactantes jam lectam sorte parabant 155
Mittere, quæ Tyrios adjungat fœdere, pubem.
Sed non invictum ponebat pectore robur
Tum solum Decius Capuæ decus: isque receptus
In medios cœtus, neque enim differre dabatur;
Itis, ait, cives violanda ad jura parentum? 160
Damnatumque caput temerati fœderis aris
Jungitis hospitio? quæ tanta oblivio recti?
Magnum, atque in magnis positum populisque virisque,
Adversam ostentare fidem: nunc tempus inire
Prœlia pro Rutulis, nunc signa aciemque movere, 165
Dum trepidæ res, et medicinam vulnera poscunt;
Is locus officio, cum cessant prospera, cumque
Dura ad opem fortuna vocat: nam læta fovere
Haudquaquam magni est animi decus: huc, age, adeste.
Novi dis animas similes, et pectora magnis 170
Nunquam angusta malis: capiunt, mihi credite Cannas,
Et Trasimena vada, et Paulli memorabile letum.

Hi sunt, qui vestris inflixum mœnibus hostem
Dejecere manu, et Capuam eripuere superbis
Samnitum jussis: hi sunt, qui jura dedere 175
Terrore expulso, Sidicinaque bella remorunt.
Quo fugitis? socios quosve additis? ille ego sanguis
Dardanius, cui sacra pater, cui nomina liquit
Ab Jove ducta Capys, magno cognatus Iulo,
Ille ego semihomines inter Nasamonas, et inter
Sævum atque æquantem ritus Garamanta ferarum,
Marmarico ponam tentoria mixtus alumno?
Ductoremque feram, cui nunc pro fœdere proque
Justitia est ensis, solæque e sanguine laudes?
Non ita, non Decio permixtum fasque nefasque,
Hæc ut velle queat. Nullo nos invida tanto 186
Armavit Natura bono, quam janua mortis
Quod patet, et vita non æqua exire potestas.
Hæc vana aversas Decius jactavit ad aures.
Ast delecta manus jungebat fœdera Pœno. 190
Jamque aderat præmissa duci turbante tumultu
Autololes numerosa cohors: ipse agmine magno
Festinata citus per campos signa movebat.
Et Decius, Nunc hora, viri, nunc tempus: adeste,
Dum Capua dignum, dum me duce dextera vindex
Molitur facinus; procumbat barbara pubes.
Pro se quisque alacres rapite hoc decus. Hostis
Si parat, obstructas replete cadavere portas, [adire
Et ferro purgate nefas: hic denique solus
Eluerit sanguis maculatas crimine mentes. 200
Dumque ea nequicquam non ulli læta profatur,
Audita asperitate viri cœptoque feroci,
Multa feta gerens ira præcordia, Pœnus
Adstabat muris, propereque arcessere lectos
Immitem castris Decium jubet. Horrida virtus,
Armatumque fide pectus, rectique cupido, 206
Et major Capua mens imperterrita mole
Invicta stabat, torvoque minacia vultu
Jussa ducis, verbisque etiam incessebat amaris.
Quem Libyæ rector tot signa, tot arma ferentes
Spernentem increpitans magno clamore profatur:
Post Paullum, post Flaminium componimur, eheu!
Vecordi Decio, mecum certasse volenti 213
In decus et famam leti. Rapite, ite citati,
Signa, duces: pateatne mihi Campana vetante
Urbs Decio explorare libet, nova bella moventi
Cui patuere Alpes, saxa impellentia cœlum,
Atque uni calcata deo. Suffuderat ora
Sanguis, et a torvo surgebant lumine flammæ.
Tum rictus spumans, et anhelis faucibus acta
Versabant penitus dirum suspiria murmur. 221
Sic urbem invectus, toto comitante senatu,
Et vulgo ad spectanda ducis simul ora ruente,
Effundit cunctam rabiem irarumque procellas.
Nec non et Decio propiora pericula mentem
Flammarant, tempusque adeo cernebat adesse,
Quo laudes ducis invicti superaret inermis.
Non illum fuga, non clausi occuluere penates:
Sed liber, veluti nullus penetrasset in urbem
Hannibal, intrepido servaverat otia vultu. 230
Cum juvenem sævis (horrendum) concitus armis
Invadunt globus, et pedibus sublime sedentis
Ductoris sistunt. Tonat inde ferocibus alte
Incessens victor dictis: Solusne ruentem
Fulcire, et revocare paras a funere Romam, 235
O demens? en, qui divûm mihi munera tanta
Eripiat. Decio prorsus servabar inerti
Vincendus, Decio imbelli, cui fœmina nulla
Orta in Agenoreis nostræ Carthaginis oris
Desserit: huic agedum, (nam cur indigna fera-[mus?)
Magnanimo miles meritas innecte catenas.
Dixerat hæc: necdum finem convicia norant,
Cum fera gens Decii constanti pectore corpus
Invadit, vincitque manus post terga catenis.
Illatus velut armentis super ardua colla 245
Cum sese imposuit, victorque immane sub ira
Infremuit leo, et immersis gravis unguibus hæsit,
Mandit anhelantem pendens cervice juvencum.
At Decius, dum vincla ligant, Necte ocius, inquit,
(Nam sic Hannibalem decet intravisse,) catenas,
Fœderis infausti pretium: sic victima prorsus
Digna cadat Decius: nec enim te, sanguine lætum
Humano, sit fas cæsis placasse juvencis. [dum
En dextra! en fœdus! nondum tibi Curia, nec-
Templorum intrati postes; jam panditur acri 255
Imperio carcer. Perge, ac primordia tanta
Accumula paribus factis: mihi fama sub umbras
Te feret oppressum Capuæ cecidisse ruinis.
Nec plura effari concessum: obnubitur atra
Veste caput, trahiturque ferox ante ora suorum.
Exin victor ovans sedato pectore tandem 261
Spectandis urbis tectis templisque serenos
Lætus circumfert oculos, et singula discit:
Quis muris sator, et pubes sit quanta sub armis,
Quotque auri pateant bello argentique talenta:
Nunc qualis frenata acies, nunc deinde pedestris
Copia quanta viris: monstrant Capitolia celsa,
Stellatesque docent campos, Cereremque benignam. 268
Jamque diem ad metas defessis Phœbus Olympo
Impellebat equis, fuscabat et Hesperus umbra
Paullatim infusa properantem ad littora currum.
Instituunt de more epulas, festamque per urbem
Regifice exstructis celebrant convivia mensis.
Ipse, deûm cultu et sacro dignatus honore,
Præcipuus multoque procul splendentibus ostro
Accipitur sublime toris: non una ministri 276
Turba gregis: posuisse dapes his addita cura,
His adolere focos, his ordine pocula ferre:
Nec non et certis struitur penus. Aspera mensa
Pondera cælati fulgent antiquitus auri. 280
Eripiunt flammæ noctem, strepituque moventum
Murmurat alta domus. Stupet inconsuetus opimæ
Sidonius mensæ miles, faciemque superbi
Ignotam luxus oculis mirantibus haurit.
Vescitur ipse silens, et tantos damnat honores
Esse epulis, facilesque coli tanto agmine mensas;
Donec pulsa fames, et Bacchi munera duram
Laxarunt mentem: tum frontis reddita demum
Lætitia, et positæ graviores pectore curæ.
Personat Euboica Teuthras testudine, Cumes 290
Incola, et obtusas immiti murmure sævæ
Inter bella tubæ permulcet cantibus aures.
Jamque Jovem et lætos per furta canebat amores,
Electræque toros Atlantidos: unde creatus,
Proles digna deûm, tum Dardanus: isque Tonanti
Ut det Erichthonium magna de stirpe nepotem.
Hinc Tros, hinc Ilus, generis tunc ordine longo
Assaracus, nulloque minor famave manuve
Tum Capys ut primus dederit sua nomina muris.
Concelebrant plausu pariter Sidonia pubes 300
Campanæque manus: ante omnes ductor honori
Nominis augusto libat carchesia ritu;
Cætera quem sequitur, Bacchique ex more liquo-[rem
Irrorat mensis turba, ardescitque Lyæo.
Interea, Tyrio resoluta in gaudia cœtu 305
Converso, (neque enim, juvenis non digne sileri,
Transmittam tua cœpta libens, famamque negabo
Quanquam imperfectis, magnæ tamen indolis ausis,)
Mens una inviolata mero, nullisque venenis

Potando exarmata, decus pugnæque, necisque 310
Sidoniæ tacito volvebat pectore molem.
Quoque esset miranda magis tam sacra libido,
Pacuvio genitus patrias damnaverat artes.
Is variis oneratum epulis atque atria tardo
Linquentem gressu comitatus pone parentem, 315
Postquam posse datum meditata aperire, novos-
Pandere conatus, et liber parte relicta [que
Tectorum a tergo patuit locus, Accipe digna
Et Capua et nobis, inquit, consulta; togaque
Armatum amota nudat latus: Hoc ego bellum 320
Conficere ense paro, atque avulsum ferre Tonanti
Rectoris Libyci victor caput: hic erit ille,
Qui polluta dolis jam fœdera sanciet, ensis.
Si perferre nequit spectacula tanta senectus,
Et tremit inceptis lasso majoribus ævo, 325
At tu securis concede penatibus, et me [æquas
Linque meæ menti; summum quod credis, et
Hannibalem superis, o quantum nomine major
Jam Pœno tibi natus erit! Vibrabat ab ore
Ignis atrox, animusque viri jam bella gerebat; 330
Cum senior, tanti pondus conaminis ægra
Jamdudum vix aure ferens, tremebundus ibidem
Sternitur, et pedibus crebro pavida oscula figens,
Per si quid superest vitæ, per jura parentis,
Perque tuam nostra potiorem, nate, salutem, 335
Absiste inceptis, oro: ne sanguine cernam
Polluta hospitia, ac tabo repleta cruento
Pocula, et eversas pugnæ certamine mensas.
Tune illum, quem non acies, non mœnia et urbes
Ferre valent, cum frons propior, lumenque corusco
Igne micat, tune illa viri, quæ vertice fundit, 341
Fulmina pertuleris, si viso intorserit ense
Diram, qua vertit per campos agmina, vocem?
Fallit te, mensas inter quod credis inermem.
Tot bellis quæsita viro, tot cædibus armat 345
Majestas æterna ducem: si admoveris ora, [busta,
Cannas, et Trebiam ante oculos, Trasimenaque
Et Paulli stare ingentem miraberis umbram.
Quid? tanto in casu comitum juxtaque jacentum
Torpebunt dextræ? parce, oro, et desine velle, 350
Cui nequeas victor superesse: an tristia vincla
Et Decius non erudiunt componere mentem?
Talia commemorans, famæ majoris amore
Flagrantem ut vidit juvenem surdumque timori;
Nil ultra posco, refer in convivia gressum: 355
Approperemus, ait. Non jam tibi pectora pubis
Sidoniæ fodienda manu tutantia regem. [ferrum,
Hoc jugulo dextram explora: namque hæc tibi
Si Pœnum invasisse paras, per viscera ferrum
Nostra est ducendum: tardam ne sperne senectam;
Opponam membra, atque ensem extorquere nega-
tum 361
Morte mea eripiam. Lacrymæ tunc ore profusæ,
Et magna superûm cura servatus in arma
Scipiadæ Pœnus; nec tantum fata dederunt
Externa peragi dextra. Pulcherrimus iræ, 365
Et dignus fieri compos memorabilis ausi,
Amisit quantam posito conamine laudem,
Cui tantum est voluisse decus! Tum reddere sese
Festinant epulis, et tristia fronte serenant,
Donec læta virûm solvit convivia somnus. 370
Postera lux Phaethontis equos proferre parabat,
Jam rapido summis curru splendente sub undis:
Et juvenis magno generatus Hamilcare duras
Jamdudum exercet curas. Carthaginis arces
Ire ferox Mago, et Patribus portare jubetur 375
Nuntia facta ducis. Præda et captiva leguntur
Corpora, dereptæque viris sub Marte cruento
Exuviæ, fausti superis libamina belli.
Altera curarum Libycis demittitur oris,
Heu, Decius reduci lentas servatus ad iras; 380
Ni pœnæ juvenem indignæ miseratus ab alto
Jupiter antiquam Batti vertisset ad urbem.
Hic Pellæa virum Ptolemæi sceptra vehentum
Eripuere minis, resolutaque vincula collo.
Atque eadem vitæ custos mox deinde quieto 385
Accepit tellus ossa inviolata sepulcro.
Nec Venerem interea fugit exoptabile tempus
Pœnorum mentes cæco per læta premendi
Exitio, et luxu corda importuna domandi.
Spargere tela manu passim fallentia natis 390
Imperat, et tacitas in pectora mittere flammas.
Tum pueris dulce arridens: Eat improba Juno,
Et nos (nec mirum, quid enim sumus?) acta se-
cundis
Despiciat: valet illa manu, valet illa lacertis:
Parvula nos arcu puerili spicula sensim 395
Fundimus, et nullus nostro de vulnere sanguis.
Verum agite, o mea turba, precor, nunc tempus,
adeste,
Et Tyriam pubem tacitis exurite telis.
Amplexu, multoque mero, somnoque virorum
Profliganda acies, quam non perfregerit ensis, 400
Non ignes, non immissis Gradivus habenis.
Combibat illapsos ductor per viscera luxus:
Nec pudeat picto fultum jacuisse cubili,
Nec crinem Assyrio perfundere pugnet amomo.
Ille sub hiberno somnos educere cœlo 405
Jactatus, tectis malit consumere noctes;
Ac ponat ritus vescendi, sæpe citato
Dum residet sub casside equo, discatque Lyæo
Imbellem donare diem: tum deinde madenti
Post epulas sit grata chelys, segnisque soporas
Aut nostro vigiles ducat sub numine noctes. 410
Hæc postquam Venus, applaudit lascivus, et
Mittit se cœlo niveis exercitus alis. [alto
Sentit flammiferas pubes Maurusia pennas,
Et pariter fusis tepuerunt pectora telis. 415
Bacchi dona volunt, epulasque, et carmina rursus
Pieria liquefacta lyra: non acer aperto
Desudat campo sonipes: non ulla per auras
Lancea nudatos exercet torta lacertos.
Mollitæ flammis lymphæ languentia somno 420
Membra fovent, miserisque bonis perit horrida
virtus.
Ipse etiam, afflatus fallente Cupidine, ductor
Instaurat mensas dapibus, repetitque volentum
Hospitia, et patrias paullatim decolor artes
Exuit, occulta mentem vitiante sagitta. 425
Altera jam patria, atque æquo sub honore vocatur
Altera Carthago Capua, intactumque secundæ
Fortunæ ingenium vitia allatrantia quassant.
Nec luxus ullus mersæque libidine vitæ
Campanis modus: accumulant, variasque per artes
Scenarum certant epulas distinguere ludo: 431
Ut strepit assidue ad Phrygiam Nilotica loton
Memphis Amyclæo passim lasciva Canopo.
In primis dulcem, Pœno lætante, per aures
Nunc voce infundit Teuthras, nunc pectine can-
Isque ubi mirantem resonantia pollice fila [tum.
Ductorem vidit Libyæ, canere inde superbas
Aoniæ laudes sensim testudinis orsus,
Concordem citharæ movit per carmina linguam,
Vincere linquentes vitam quæ possit olores. 440
Atque hæc e multis carpsit mollissima mensæ
Facta antiqua virûm, placidas quîs mulceat au-
Argolicis quondam populis (mirabile dictu) [res.
Exaudita chelys, lapidem testudine felix
Ducere, et in muros posuisse volentia saxa. 445

Hæc Amphionio vallavit pectine Thebas,
Ac, silice aggeribus per se scandente vocatis,
Jussit in immensum cantatas surgere turres.
Altera, turbatum plectro moderata profundum,
Et tenuit phocas, et in omni Protea forma 450
Traxit, et æquoreo portavit Ariona dorso.
Jam, quæ Peliaca formabat rupe canendo
Heroum mentes et magni pectora Achillis,
Centauro dilecta chelys, compesceret iras,
Percussa fide, vel pelagi vel tristis Averni. [lem
Namque Chaos, cæcam quondam sine sidere mo-
Non surgente die, ac mundum sine luce canebat.
Tum deus ut liquidi discisset stagna profundi,
Tellurisque globum media compage locasset;
Ut celsum superis habitare dedisset Olympum:
Castaque Saturni monstrabat sæcula patris.
Sed, quos pulsabat Rhipæum ad Strymona, nervi,
Auditus superis, auditus manibus Orpheus,
Emerito fulgent clara inter sidera cœlo.
Hunc etiam mater, tota comitante sororum 465
Aonidum turba, mater mirata canentem.
Non illo Pangæa juga aut Mavortius Hæmus,
Non illo modulante sonos stetit ultima Thrace:
Cum sylvis venere feræ, cum montibus amnes.
Immemor et dulcis nidi, positoque volatu 470
Non mota volucris captiva pependit in æthra.
Quin etiam Pagasæa ratis, cum cærula nondum
Cognita terrigenis, pontoque intrare negarent,
Ad puppim sacræ, cithara eliciente, carinæ
Adductum cantu vidit mare. Pallida regna 475
Bistonius vates flammisque Acheronta sonantem
Placavit plectro, et fixit revolubile saxum.
O diræ Ciconum matres, Geticique furores,
Et damnata deis Rhodope! tulit ora revulsa
In pontum, ripis utraque sequentibus, Hebrus. 480
Tum quoque, cum rapidi caput a cervice recisum
Portarent fluctus, subito emicuere per undas
Ad murmur cete toto exsultantia ponto.
Sic tum Pierius bellis durata virorum
Pectora Castalio frangebat carmine Teuthras. 485
Interea placida attulerant jam flamina terris
Magonem Libycis. Lauro redimita subibat
Optatos puppis portus, pelagoque micabant
Captiva arma procul celsa fulgentia prora.
At patulo surgens jamdudum ex æquore late 490
Nauticus implebat resonantia littora clamor,
Et, simul adductis percussa ad pectora tonsis,
Centeno fractus spumabat verbere pontus.
Nec lentum in medios rapienda ad gaudia vulgus
Procurrit fluctus, elataque turba favore 495
Certatim ingenti celebrat nova gaudia plausu.
Æquatur rector divis: illum undique matres,
Illum turba minor moniti gaudere nepotes,
Et senior manus, et juxta populusque Patresque
Mactatis superûm dignantur honore juvencis. 500
Sic patriam Mago et portas ingressus ovantes
Fraternæ laudis fama. Ruit inde senatus,
Et multo Patrum stipatur curia cœtu.
Tum, divos veneratus avûm de more vetusto,
Martem, ait, egregium, et fractas, quîs Itala tellus
Nitebatur, opes, pars ipse haud parva laborum,
Nuntio: pugnatum superis in vota secundis.
Est locus, Ætoli signat quem gloria regis,
Possessus quondam prisca inter sæcula Dauno:
Humentes rapido circumdat gurgite campos 510
Aufidus, et stagnis intercipit arva refusis;
Mox fluctus ferit Adriacos, magnoque fragore
Cedentem impellit retrorsus in æquora pontum.
Hic Varro, et magnum Latia inter nomina Paullus
Nomen, quîs rerum ducibus permissa potestas, 515
Vixdum depulsa nigræ caligine noctis,
Invadunt campum, et late fulgentibus armis
Accendunt ultro lucem surgentis Eoi.
Nos contra (nam germanum furor acer agebat
Optatæ pugnæ) castris cita signa movemus. 520
Intremit et tellus, pulsusque immugit Olympus.
Hic fluvium et campos abscondit cæde virorum
Ductor, quo nunquam majorem ad bella tulerunt
Rectorem terræ. Vidi, cum turbine sævo
Ausonia et sonitu bellantis fusa per agros 525
Uni terga daret: vidi, cum Varro citato
Auferretur equo projectis degener armis.
Quin et magnanimum, perfosso corpore telis,
Strage super sociûm vidi te, Paulle, cadentem.
Ægates ille et servilia fœdera larga 530
Ultus cæde dies: non plus optasse liberet,
Quam tum concessit dexter deus. Altera jam
Si talis redeat, populis eris omnibus una [lux
Tum, Carthago, caput, terrasque colere per omnes.
Testes hi stragis, quos signum illustre superbis
Mos læva gestare viris. Tum funditur ante 536
Ora admirantum præfulgens annulus auro,
Datque fidem verbis haud parvo insignis acervo.
Hinc iterum repetens: Restat nunc sedibus imis
Vertenda atque æquanda solo jam subruta Roma.
Annitamur, ait, vires refovere tot haustas 541
Casibus, ut pateant non parca æraria dextris,
Quas emimus bello. Defit jam bellua, tristis
Ausoniis terror: nec non alimenta fatigant.
Atque ea dum memorat, torvo conversus in ora
Hannonis vultu, quem gliscens gloria pravum
Ductoris studio jamdudum agitabat acerbo, 547
Jamne tibi dextras inceptaque nostra probamus?
Jam fas Dardanio me non servire colono?
Anne iterum Hannibalem dedi placet? atra ve-
Invidiæ nigroque undantia pectora felle, [neno
Tandem tot titulis totque exorata tropæis,
Infelix, muta. Dextra en, en dextera, quam tu
Æneadis lacerare dabas, et littora, et amnes,
Et stagna, et latos implevit sanguine campos. 555
Hæc Mago, atque animos favor haud obscuras
alebat.
Cui, simul invidia atque ira stimulantibus, Han-
Talia vesani juvenis convicia miror [non:
Haud equidem: tumet ingenio, fraternaque corda
Non tarde agnoscas, et virus futile linguæ. 560
Qui ne mutatum vanis absistere credat, [rupto
Nunc pacem orandum, nunc improba fœdere
Arma reponendum, et bellum exitiale cavendum
Auctor ego. Atque adeo vosmet perpendite, quæso,
Quid ferat: haud aliud nobis censere relictum est
Tela, viros, aurum, classes, alimenta precatur,
Belligeramque feram. Victus non plura petisset.
Sanguine Dardanio Rutulos saturavimus agros,
Et jacet in campis Latium. Deponere curas
Tandem ergo, bone, da, victor, liceatque sedere
In patria; liceat non exhaurire rapacis 571
Impensis belli vacuatos sæpe penates.
Nunc en, nunc, inquam, (falsa ut præsagia nostra
Sint oro, mensque augurio ludatur inani,)
Haud procul est funesta dies: atrocia novi 575
Corda, ac prospicio natas e cladibus iras.
Vos ego, vos metuo, Cannæ. Submittite signa,
Atque adeo tentate agedum, ac deposcite pacem;
Non dabitur. Parat ille dolor, mihi credite, majus
Exitium accepto: citiusque hæc fœdera victor,
Quam victus dabit. Atque adeo, qui tanta super-
Facta sonas ore, et spumanti turbine perflas [be
Ignorantum aures, dic, en, germanus in armis
Ille tuus par Gradivo, per sæcula tellus

Cui similem nunquam ductorem in bella creavit,
Mœnia Romuleæ cur nondum viderit urbis? 586
Scilicet e gremio matrum rapiamus in hostem
Nondum portandis habiles gravioribus armis?
Æratas jussi texamus mille carinas,
Atque omnis Libyæ quæratur bellua terris; 590
Ut longa imperia, atque armatos proroget annos
Hannibal, et regnum trahat usque in tempora fati?
Vos vero, (neque enim occulto circumdamur astu,)
Ne dulces spoliate domos; castrisque potentum
Atque opibus sancite modum. Pax optima rerum,
Quas homini novisse datum est: pax una trium-
Innumeris potior: pax, custodire salutem [phis
Et cives æquare potens, revocetur in arces
Tandem Sidonias, et fama fugetur ab urbe
Perfidiæ, Phœnissa, tua. Si tanta libido 600
Armorum tenet, atque enses non reddere perstat
Poscenti patriæ; nil suppeditare furori
Hortor, et hæc fratri Magonem dicta referre.
Plura annectentem (neque enim satiaverat iras
Dicendo) clamor turbat diversa volentum. 605
Si Libyæ decus, haud ulli superabilis armis
Hannibal, est iræ tibi, destituemus ad ipsas
Victorem metas, nec opum adjumenta feremus,
Invidia unius sceptra ut jam parta retardet?
Inde alacres tribuunt, quæ belli posceret usus,
Absentique suum jactant sub teste favorem.
Mox eadem terris placitum traducere Iberis,
Dum malus obtrectat facta immortalia livor,
Nec sinit adjutas ductoris crescere laudes. 614

LIBER DUODECIMUS.

Jam terra glaciale caput, fecundaque nimbis
Tempora, et austrifero nebulosam vertice frontem
Immitis condebat Hiems, blandisque salubre
Ver Zephyris tepido mulcebat rura sereno.
Prorumpit Capua Pœnus, vicinaque late 5
Præmisso terrore quatit: ceu condita bruma,
Dum Rhipæa rigent Aquilonis flamina, tandem
Evolvit serpens arcano membra cubili,
Et splendente die novus emicat, atque coruscum
Fert caput, et saniem sublatis faucibus efflat. 10
At Libyci ducis ut fulserunt signa per agros,
Desolata metu cuncta, et suadente pavore
Vallo se clausere simul, trepidique salutis
Exspectant ipsis metuentes mœnibus hostem.
Sed non ille vigor, qui ruptis Alpibus arma 15
Intulerat, dederatque vias, Trebiaque potitus
Mæonios Italo sceleravit sanguine fluctus,
Tunc inerat: molli luxu madefacta meroque,
Illecebris somni torpentia membra fluebant,
Quîs gelidas suetum noctes thorace gravatis 20
Sub Jove non æquo trahere, et tentoria sæpe
Spernere, ubi hiberna ruerent cum grandine nim-
Ac ne nocte quidem clypeive ensesve reposti, [bi,
Non pharetræ aut jacula, et pro membris arma
fuere.
Tunc grave cassis onus, majoraque pondera visa
Parmarum, ac nullis fusæ stridoribus hastæ. 26
Prima instaurantem sensit certamina mitis
Parthenope, non dives opum, non spreta vigoris;
Sed portus traxere ducem, secura volentem
Æquora, quæ peteret veniens Carthagine puppis.
Nunc molles urbi ritus, atque hospita Musis 31
Otia, et exemtum curis gravioribus ævum.
Sirenum dedit una suum memorabile nomen
Parthenope muris Acheloias, æquore cujus
Regnavere diu cantus, cum dulce per undas 35
Exitium miseris caneret non prospera nautis.
Hæc pone aggressus (nam frontem clauserat
æquor)
Mœnia, non ullas valuit perfringere Pœnus
Tota mole vias, frustraque inglorius ausi
Pulsavit quatiens obstructas ariete portas. 40
Stabat Caunarum Graia ad munimina victor
Nequicquam, et cautæ mentis consulta probabat
Eventu, qui post Dauni stagnantia regna
Sanguine Tarpeias ire abstinuisset ad arces.
En, qui nos segnes, et nescire addere cursum 45
Fatis jactastis, quod vobis scandere nuper
Non acie ex ipsa concessum mœnia Romæ,
Intrate, atque epulas promissas sede Tonantis
His, quæ Graia manus defendit, reddite tectis.
Talia jactabat, famæque pudore futuræ, 50
Irritus incepti prima si absisteret urbe,
Audebat cuncta, atque acuebat fraudibus enses.
Sed subitæ muris flammæ, totoque fluebant
Aggeris anfractu tela improvisa per auras.
Haud secus, occuluit saxi cum vertice fetus 55
Ales fulva Jovis, tacito si ad culmina nisu
Evasit serpens, terretque propinquus hiatu,
Illa, hostem rostro atque adsuetis fulmina ferre
Unguibus incessens, nidi circumvolat orbem.
Tandem ad vicinos Cumarum vertere portus 60
Defessum subiit, varioque lacessere motu
Fortunam, et famæ turbando obstare sinistræ.
Sed custos urbi Gracchus, tutela vel ipsis
Certior arcebat muris, iterumque sedere
Portis, atque aditus iterum sperare vetabat. 65
Lustrat inops animi, rimaturque omnia circum
Alite vectus equo, rursusque hortatibus infit
Laudum agitare suos: Pro di, quis terminus, in-
Ante urbes standi Graias, oblite tuorum [quit,
Factorum miles, quis erit modus? Alpibus adstat
Nimirum major moles, et scandere cœlum 71
Pulsantes jubeo scopulos: quanquam altera detur
Si similis tellus, aliæque repente sub astra
Exsurgant rupes, non ibis, et arduus arma
Me ducente feres? tene, heu, Cumanus hiantem
Agger adhuc murusque tenet? Gracchumque,
moveri 76
Nunc ausum portis, parvo in discrimine cerno?
An vobis gentes, quæcunque labore parastis,
Casu gesta putent? per vos Tyrrhena faventum
Stagna deûm, per ego et Trebiam, cineresque
Sagunti 80
Obtestor, dignos jam vosmet reddite vestra,
Quam trahitis, fama, et revocate in pectora Can-
Sic ductor fessas luxu attritasque secundis [nas.
Erigere, et verbis tentabat sistere mentes.
Atque hic perlustrans aditus, fulgentia cernit 85
Arcis templa jugo, quorum tum Virrius, altæ
Immitis ductor Capuæ, primordia pandit.
Non est hoc, inquit, nostri, quod suspicis, ævi:

Majores fecere manus. Cum bella timeret
Dictæi regis, (sic fama est,) linquere terras 90
Dædalus invenit, nec toto signa sequenti
Orbe dare, ætherias aliena tollere in auras
Ausus se penna, atque homini monstrare volatus.
Suspensum hic librans media inter nubila corpus
Enavit, superosque novus conterruit ales. 95
Natum etiam docuit falsæ sub imagine plumæ
Attentare vias volucrum, lapsumque solutis
Pennarum remis, et non felicibus alis
Turbida plaudentem vidit freta: dumque dolori
Indulget subito, motis ad pectora palmis, 100
Nescius heu planctu duxit moderante volatus.
Hic pro nubivago gratus pia templa meatu
Instituit Phœbo, atque audaces exuit alas. [ertes
Virrius hæc. Sed enim ductor numerabat in-
Atque actos sine Marte dies, ac stare pudebat. 105
Ingemit adversis, respectansque irrita cœpta
Urbe Dicarchea parat exsatiare dolorem.
Hic quoque nunc pelagus, nunc muri saxea moles
Officit audenti, defensantumque labores.
Dumque tenet socios, dura atque obsepta viarum
Rumpere nitentes, lentus labor, ipse propinqua
Stagnorum terræque simul miracula lustrat.
Primores adsunt Capuæ: docet ille tepentes
Unde ferant nomen Baiæ, comitemque dedisse
Dulichiæ puppis stagno sua nomina monstrat.
Ast hic Lucrino mansisse vocabula quondam 116
Cocyti memorat, medioque in gurgite ponti
Herculeum commendat iter, qua discidit æquor
Amphitryoniades armenti victor Iberi.
Ille, olim populis dictum Styga, nomine verso
Stagna inter celebrem nunc mitia monstrat Aver-
num; [rens,
Tum tristi nemore atque umbris nigrantibus hor-
Et formidatus volucri, letale vomebat
Suffuso virus cœlo, Stygiaque per urbes
Religione sacer sævum retinebat honorem. 125
Hinc vicina palus (fama est Acherontis ad undas
Pandere iter) cæcas stagnante voragine fauces
Laxat, et horrendos aperit telluris hiatus,
Interdumque novo perturbat lumine manes.
At juxta caligantes, longumque per ævum 130
Infernis pressas nebulis, pallente sub umbra
Cimmerias jacuisse domos, noctemque profundam
Tartareæ narrant urbis: tum sulfure et igni
Semper anhelantes coctoque bitumine campos
Ostentant: tellus atro exundante vapore 135
Suspirans, ustisque diu calefacta medullis,
Æstuat, et Stygios exhalat in aera flatus.
Parturit, et tremulis metuendum exsibilat antris,
Interdumque cavas luctatus rumpere sedes,
Aut exire fretis, sonitu lugubre minaci 140
Mulciber immugit, laceratque viscera terræ
Mandit, et exesos labefactat murmure montes.
Tradunt Herculea prostratos mole gigantas
Tellurem injectam quatere, et spiramine anhelo
Torreri late campos, quotiesque minantur 145
Rumpere compagem impositam, expallescere cœ-
Apparet Prochyte sævum sortita Mimanta: [lum.
Apparet procul Inarime, quæ turbine nigro
Fumantem premit Iapetum, flammasque rebelli
Ore ejectantem, et, si quando evadere detur, 150
Bella Jovi rursus superisque iterare volentem.
Monstrantur Vesbina juga, atque in vertice summo
Depasti flammis scopuli, stratusque ruina
Mons circum, atque Ætnæ fatis certantia saxa.
Nec non Misenum servantem Idæa sepulcro 155
Nomina, et Herculeos videt ipso in littore Baulos.
Miratur pelagique minas terræque labores.
Quæ postquam perspecta viro, regressus ad altos
Inde Pherecyadum muros, frondentia læto
Palmite devastat Nysæa cacumina Gauri. 160
Hinc ad Chalcidicam transfert citus agmina Nolam.
Campo Nola sedet, crebris circumdata in or-
Turribus, et celso facilem tutatur adiri [bem
Planitiem vallo: sed, qui non turribus arma
Defendenda daret, verum ultro mœnia dextra
Protegeret, Marcellus opem auxiliumque ferebat.
Isque ubi Agenoream procul adventare per æquor,
Et ferri ad muros nubem videt; Arma, cruentus
Hostis adest, capite arma, viri, clamatque, capit-
que. 169
Circumstant rapidi juvenes, aptantque frementi
Sanguineas de more jubas: sonat inde, citato
Agmina disponens passu, Tu limina dextræ
Servabis portæ, Nero tu converte cohortes
Ad lævam patrias et Larinatia signa,
Clarum Volscorum Tulli decus: ast ubi jusso, 175
Per tacitum ruptis subita vi fundite portis
Telorum in campos nimbum: ferar ipse revulsa
In medios, equitumque traham certamina porta.
Dumque ea Marcellus, jam claustra revellere
Et scalis spretos tentabant rumpere muros. [Pœni
Insonuere tubæ passim, clamorque virorum,
Hinnitusque, simul litui, raucoque tumultu
Cornua, et in membris concussa furentibus arma.
Fertur acerba lues disjectis undique portis,
Effusæque ruunt inopino flumine turbæ: 185
Improbus ut fractis exundat molibus amnis,
Propulsum ut Borea scopulis impingitur æquor,
Ut rupto terras invadunt carcere venti.
Nec, torrente Libys viso armorumque virûmque
Dejectus, sperare valet. Dux Dardanus instat 190
Attonito, prægressus equo, tergisque ruentum
Incumbens hasta, socios nunc voce fatigat:
Perge age, fer gressus; dexter deus, horaque nos-
tra est:
Hac iter ad muros Capuæ: nunc rursus in hostem
Conversus, Sta: quo raperis? non terga tuorum,
Te, ductor Libyæ, increpito: sta: campus, et
arma,
Et Mars in manibus: dimitto e cæde cohortes;
Spectemur soli: Marcellus prœlia posco.
Sic rector Latius: juvenique invadere pugnam
Barcæo suadebat honor pretiumque pericli. 200
Sed non hæc placido cernebat pectore Juno,
Cœptoque avertit suprema in fata ruentem.
Sistere perculsos ille et revocare laborat.
Talesne e gremio Capuæ tectisque sinistris
Egredimur? state, o miseri, quîs gloria summa
Dedecori est: nil vos hodie (mihi credite) terga
Vertentes fidum exspectat: meruistis, ut omnis
Ingruat Ausonia, et sævo Mavorte parastis,
Ne qua spes fusos pacis vitæque maneret.
Vincebat clamore tubas, vocisque vigore 210
Quamvis obstructas sævus penetrabat in aures.
Polydamanteis juvenis Pedianus in armis
Bella agitabat atrox, Trojanaque semina et ortus
Atque Antenorea sese de stirpe ferebat,
Haud levior generis fama, sacroque Timavo 215
Gloria, et Euganeis dilectum nomen in oris.
Huic pater Eridanus, Venetæque ex ordine gentes.
Atque Apono gaudens populus, seu bella cieret,
Seu Musas placidus doctæque silentia vitæ
Mallet, et Aonio plectro mulcere labores, 220
Non ullum dixere parem; nec notior alter
Gradivo juvenis, nec Phœbo notior alter.
Qui postquam, effusis urgens vestigia frenis
Pœnorum, juxta galeam atque insigne peremti

Agnovit spolium Paulli: puer illa gerebat, 225
Non parvo lætus ductoris munere, Cinyps,
Dilectus Pœno Cinyps, quo gratior ora
Non fuit, ac nulla nituit plus fronte decoris.
Quale micat, semperque novum est, quod Tiburis
Pascit, ebur, vel qui miro candoris honore [aura
Lucet in aure lapis, rubris advectus ab undis. 231
Quem postquam, egregium cristis et casside nota
Fulgentem, extremo Pedianus in agmine vidit,
Ceu subita ante oculos Paulli emersisset imago
Sedibus infernis, amissaque posceret arma, 235
Invadit frendens: Tune, ignavissime, sacri
Portabis capitis, quæ non sine crimine vester
Invidiaque deûm gestaret tegmina ductor?
En Paullus. Vocat inde viri ad spectacula manes,
Et fugientis agit costis penetrabile telum. 240
Tum delapsus equo galeam atque insignia magni
Consulis abrumpit dextra, spoliatque videntem.
Solvitur omne decus leto, niveosque per artus
It Stygius color, et formæ populatur honores.
Ambrosiæ cecidere comæ, violataque cervix 245
Marmoreum in jugulum collo labente recumbit.
Haud secus Oceano rediens Cythereius ignis,
Cum sese Veneri jactat splendore refecto,
Si subita invadat nubes, hebetatur, et atris
Decrescens tenebris languentia lumina condit.
Ipse etiam capta Pedianus casside nudos 251
Attonitus stupet ad vultus, irasque coercet.
Tum, galeam magno sociûm clamore reportans,
Immitem quatiebat equum, spumantia sævo
Frena cruentantem morsu: cui turbidus armis 255
Obvia Marcellus rapido tulit ora tumultu,
Agnoscensque, Decus macte o virtutis avitæ,
Macte, Antenoride: nunc, inquit, rapta petamus,
Quod superest, Libyci ductoris tegmina; et ardens
Terrificis sævam fundit stridoribus hastam. 260
Nec forsan voti vanus foret, obvia ni vis
Gestaris opposito tenuisset corpore telum.
Qui dum vicinis ductorem protegit armis,
Transabiit non hunc sitiens gravis hasta cruorem,
Ingentesque minas mutata morte peregit. 265
Avehitur raptim ductor, discrimine leti
Turbatus, cursumque furens ad castra capessit.
Jamque, fugæ immodicus, tendit certamine gressum
Præcipitem versis Pœnorum exercitus armis.
Adsequitur telis hostis, longasque viritim 270
Exsatiant iras cladum, cœloque cruentos
Certatim ostentant et dis ultoribus enses.
Ille dies primus docuit, quod credere nemo
Auderet superis, Martis certamine sisti [que,
Posse ducem Libyæ. Raptant currusque, viros-
Massylamque feram, et vivis avulsa reportant
Tegmina bellantum, atque abeunt, sub cuspide terga
Contenti vidisse ducis. Tum Martis adæquant
Marcellum decori: graditur comitante triumpho
Major, quam ferret cum victor opima Tonanti. 280
Inde furens, postquam vallo vix depulit hostem,
Ductor Agenoreus, Quando hanc, quantoque cru-
Hostili labem eluerim? mea terga videre [ore
Contigit Ausoniæ? mene, inquit, summe deorum,
Post Trebiam statuis jam turpi funere dignum?
Vosque, invicta diu, nunc (heu) sine Marte juventus 286
Debellata bonis Capuæ, non degener ipse
Gestorum Ausoniis verti victricia signa,
Vobis terga dedi: vidi, cum ad bella vocarem,
Non secus atque Italo fugere a ductore paventes.
Quid reliquum prisci Martis tibi, qui dare terga
Me revocante potes? Fundebat talia Pœnus:
Et Latiæ sese Nolana ad mœnia turmæ,
Portantes spolia insigni clamore, ferebant.
At consueta graves per longum audire suorum
Eventus Roma, et nunquam recreata secundis,
Allato tandem faustæ certamine pugnæ,
Erigitur, primoque deûm se munere tollit. [rum,
Ante omnes pigra in Martem, fugiensque labo-
Dum bellum tonat, et sese furata juventus 300
Dat pœnas latebræ: tum, qui dulcedine vitæ
Invenere dolos, juratæque fœdera Pœno
Corrupere, notant, et purgant crimine gentem.
Punitur patriam meditati linquere terram
Consilium infelix sceleratque culpa Metelli. 305
Talia corda virûm: sed enim nec fœmina cessat
Mente æquare viros, et laudis poscere partem.
Omnis, præ sese portans capitisque manusque
Antiquum decus, ac derepta monilia collo,
Certatim matrona ruit, belloque ministrant. 310
Haud tanta cessisse viros in tempore tali
Laudis sorte piget, factoque in sæcula ituro
Lætantur tribuisse locum. Tum celsa senatus
Subsequitur turba: in medium certamine magno
Privatæ cumulantur opes: nudare penates, 315
Ac nihil arcanos vitæ melioris ad usus
Seposuisse juvat: coit et sine nomine vulgus.
Corpore sic toto ac membris Roma omnibus
Exsangues rursus tollebat ad æthera vultus. [usa
Addunt spem miseris dulcem Parnassia Cirrha
Portantes responsa viri: nam læta ferebant 321
Exaudisse adytis, sacra cum voce tonaret
Antrum, et mugiret Phœbo jam intrata sacerdos.
Solvite, gens Veneris, graviores corde timores
Adversi en quicquid duro sub Marte manebat,
Exhaustum est vobis: restant leviora laborum,
Et sine pernicie terror. Dis vota precesque
Ferte modo, et tepidos aris libate cruores.
Neu date terga malis: aderit Gradivus, et ipse
Delius avertet propiora pericula vates, 330
Trojanos notus semper minuisse labores.
Sed vero, sed enim ante omnes altaria fument
Centum festa Jovi, centum cadat hostia cultris.
Ille trucem belli nubem sævasque procellas
In Libyam violentus aget; spectabitis ipsi 335
Ægida turbato quatientem in prœlia mundo.
Atque ea Parnassi postquam clamata sub antris
Allatum, vulgique deus pervenit ad aures,
In Capitolinas certatim scanditur arces, [rart.
Sternunturque Jovi, et delubrum sanguine bono-
Tum Pæana canunt, responsaque fida precantur.
Interea adsuetis senior Torquatus in armis
Sardoas patrio quatiebat milite terras.
Namque ortum Iliaca jactans ab origine nomen
In bella Hampsagoras Tyrios renovata vocarat.
Proles pulchra viro, nec tali digna parente, 346
Hostus erat: cujus fretus fulgente juventa,
Ipse asper, paci, crudos sine viribus annos,
Barbarici studio ritus, refovebat in armis. 349
Isque ubi Torquatum raptim properata ferentem
Signa videt, pugnæque avidas accedere dextras,
Fraude loci nota latebrosa per avia saltus
Evolat, et, provisa fugæ compendia carpens,
Virgulta tegitur valle ac frondentibus umbris.
Insula, fluctisono circumvallata profundo, 355
Castigatur aquis, compressaque gurgite terras
Enormes cohibet nudæ sub imagine plantæ.
Inde Ichnusa prius Graiis memorata colonis,
Mox Libyci Sardus generoso sanguine fidens
Herculis, ex sese mutavit nomina terræ. 360
Affluxere etiam, et sedes posuere coactas

Dispersi pelago post eruta Pergama Teucri.
Nec parvum decus, advecto cum classe paterna
Agmine Thespiadûm, terris, Iolae, dedisti.
Fama est, cum laceris Actæon flebile membris
Supplicium lueret spectatæ in fonte Dianæ, 366
Attonitum novitate mali fugisse parentem
Per freta Aristæum, et Sardoos isse recessus:
Cyrenen monstrasse ferunt nova littora matrem.
Serpentum tellus pura, ac viduata venenis; 370
Sed tristis cœlo, et multa vitiata palude,
Qua videt Italiam, saxoso torrida dorso
Exercet scopulis late freta, pallidaque intus
Arva coquit nimium, Cancro fumantibus Austris.
Cætera propensæ Cereris nutrita favore. 375
Hoc habitu terræ nemorosa per invia crebro
Torquatum eludens hostis, Sidonia pugnæ
Tela exspectabat, sociosque laboris Iberos.
Qui postquam appulsis animos auxere carinis,
Haud mora, prorumpit latebris; adversaque late
Agmina inhorrescunt, longumque coire videtur
Et conferre gradum. Media intervalla patentis
Corripiunt campi properatis eminus hastis,
Donec ad exsertos enses, fidissima tela,
Perventum: dira inde lues, cæduntque caduntque,
Alternique animas sævo in mucrone relinquunt.
Non equidem innumeras cædes totque horrida
Sperarim tanto digne pro nomine rerum [facta
Pandere, nec dictis bellantum æquare calorem.
Sed vos, Calliope, nostro donate labori, 390
Nota parum magni longo tradantur ut ævo
Facta viri, et meritum vati sacremus honorem.
Ennius, antiqua Messapi ab origine regis,
Miscebat primas acies, Latiæque superbum
Vitis adornabat dextram decus: hispida tellus
Miserunt Calabri: Rudiæ genuere vetustæ, 396
Nunc Rudiæ solo memorabile nomen alumno.
Is prima in pugna, vates ut Thracius olim,
Infestam bello quateret cum Cyzicus Argo,
Spicula deposito Rhodopeia pectine torsit, 400
Spectandum sese non parva strage virorum
Fecerat, et dextræ gliscebat cædibus ardor.
Advolat, æternum sperans fore, pelleret Hostus
Si tantam labem, ac perlibrat viribus hastam.
Risit nube sedens vani conamina cœpti, 405
Et telum procul in ventos dimisit Apollo. [perbi
Ac super his: Nimium, juvenis, nimiumque su-
Sperata hausisti: sacer hic, ac magna sororum
Aonidum cura est, et dignus Apolline vates.
Hic canet illustri primus bella Itala versu, 410
Attolletque duces cœlo; resonare docebit
Hic Latiis Helicona modis, nec cedet honore
Ascræo famave seni. Sic Phœbus, et Hosto
Ultrix per geminum transcurrit tempus arundo.
Vertuntur juvenis casu perculsa per agros 415
Agmina, et effusæ pariter dant terga catervæ.
Tum pater, audita nati nece, turbidus iræ,
Barbaricum atque immane gemens, transfigit an-
Pectus, et ad manes urget vestigia nati. [helum
At Libyæ ductor Marcello fractus, et acri 420
Contusus pugna, campos damnarat, et arma
Verterat ad miseras non æqui Martis Acerras.
Inde, ubi permisit flammis atque ensibus urbem,
Nuceriæ, nihilo levior nec parcior ira,
Incussit sese, atque æquavit mœnia terræ. 425
Post Casilina sibi, multum obluctatus iniquis
Defendentum armis, ægre reseraverat astu
Limina, et obsessis vitam pensaverat auro. [pos,
Jamque, in Dauniacos transfundens agmina cam-
Flectebat rabiem, quo præda vel ira vocasset. 430
Fumabat versis incensa Petilia tectis,
Infelix fidei, miseræque secunda Sagunto, [tram.
At quondam Herculeam servare superba phare-
Verterat et mentem Tyria ad conata Tarentus,
Portisque intrarant Pœni: sed enim arce corusca,
Fisa loco, manus Ausoniæ stipata sedebat. 436
Hic, miranda movens, classem, quæ condita portu
Adstabat, (namque angustis e faucibus æquor
Erumpit scopulos inter, patuloque recessu
Infundit campis secretum gurgite pontum,) 440
Inclusas igitur, quibus haud enare dabatur,
Arce superposita, claustris maris, expulit astu,
Perque aversa tulit portatas arva carinas.
Lubrica roboreis aderant substramina plaustris,
Atque, recens cæsi tergo prolapsa juvenci, 445
Æquoream rota ducebat per gramina puppim.
Et jam, per colles dumosque ad littus adacta,
Innabat pelago veniens sine remige classis.
Nuntius interea vectis non more carinis
Terrentem freta curarum fervoribus implet; 450
Dum procul Œbalios amet expugnare nepotes,
Et primus rostris sulcet navalibus arva,
Adsessos Capuæ muros, claustra ipsa revelli
Portarum, ac totum miseris incurrere bellum.
Linquit cœpta ferox, pennasque addente pudore
Atque ira simul, immani per proxima motu 456
Evolat, et minitans avida ad certamina fertur.
Haud secus, amisso tigris si concita fetu
Emicet, attonitæ paucis lustratur in horis
Caucasus, et saltu transmittitur alite Ganges, 460
Donec fulmineo partus vestigia cursu
Colligat, et rabiem prenso consumat in hoste.
Obvius huic sparso Centenius agmine raptim
Funditur, audendi pravus, facilisque periclis.
Sed parvum decus Hannibali: nam, vitis honore
Perfunctus Latiæ, subito stimularat agrestes, 466
Semermemque manum sternendam objecerat hos-
Bis septem demissa neci, nec substitit agmen, [ti.
Millia: bis septem, quæ non sollertior ense,
Sed genus insignis, justis ducebat in armis 470
Fulvius, ast æque per corpora fusa jacentum
Raptum iter est, victorque moram non passus
eundi.
Exsequiæ tantum famam nomenque volentem
Mitificæ mentis tenuerunt funere læto [cæsus,
Namque per insidias (infandum) et ab hospite
Colloquium et promissa petit dum perfida gentis
Lucanæ Gracchus, cæco circumdatus astu
Occiderat, laudemque Libys rapiebat humandi.
Sed non, ut scitum celerare ad mœnia Pœnum,
Adstabat res ulla loco. Jam consul uterque 480
Præcipites aderant; Nola vis omnis, et Arpis
Ævi floridior Fabius rapida arma ferebat;
Hinc Nero, et hinc volucres Silanus nocte dieque
Impellebat agens properata ad bella cohortes.
Undique conveniunt, pariterque opponere cunctos
Uni ductores juveni placet. Arduus ipse 486
Tifata insidit, propior qua mœnibus instat
Collis, et e tumulis subjectam despicit urbem.
Verum ubi, tot sese circumfundentibus armis,
Vallatas sociûm portas, unaque negari 490
Intravisse sibi, Capuæque erumpere, cernit,
Anxius adventus, nunc ferro frangere cœtum
Obstantum meditatur; init nunc avia cœpto
Consilia, atque astu quærit tot millia portis
Abstrahere arctatis, cinctosque resolvere muros.
Sic igitur secum, curasque ita corde fatigat:
Quo, mens ægra, vocas? rursusne pericula sumam,
Non æquus regione loci? Capuaque vidente
Terga dabo? an residens vicini vertice montis
Exscindi ante oculos patiar socialia tecta? 500

Non ita me experti Fabius Fabiique magister
Turbatum, Hesperio cum clausos milite colles
Evasi victor, sparsosque per arva juvencos
Jactare accensis stimulavi cornibus ignes. 504
Haud dum omnes abiere doli. Defendere nobis
Si Capuam ereptum est, dabitur circumdare Romam.
Hæc postquam placita, et tenuit sententia mentem,
Non exspectato, Titan dum gurgite lucem
Spirantes proferret equos, impellit in agmen 509
Voce manuque viros, et cœpta immania pandit:
Perge age, vince omnem, miles, virtute laborem,
Et, quantum humani possunt se tendere passus,
Arduus accelera. Romam petis: hoc iter Alpes,
Hoc Cannæ stravere tibi. Eia, incute muris
Umbonem Iliacis, Capuæque rependе ruinas. 515
Quam tanti fuerit cadere, ut Pallatia cernas,
Et demigrantem Tarpeia sede Tonantem!
Instincti glomerant gressus: Roma auribus hæret,
Roma oculis; creduntque ducis sollertibus actis
Aptius id cœptum, quam si duxisset ab ipso 520
Fatali Æneadis campo. Vulturna citata
Transmittunt alno vada, postremique relinquunt
Tardandis Italis corruptas igne carinas.
Tum Sidicina legunt pernicibus arva maniplis,
Threiciamque Calen, vestras a nomine nati, 525
Orithyia, domos: hinc Allifanus Iaccho
Haud inamatus ager, Nymphisque habitata Casinis
Rura evastantur: mox et vicinus Aquinas,
Et quæ fumantem texere giganta Fregellæ,
Agmine carpuntur volucri: fert concitus inde 530
Per juga celsa gradum, duris qua rupibus hæret
Bellator Frusino, et surgit suspensa tumenti
Dorso frugiferis Cerealis Anagnia glebis.
Jamque adeo est campos ingressus et arva Labici,
Linquens Telegoni pulsatos ariete muros, 535
Haud dignam inter tanta moram: nec amœna re-
Algida, nec juxta Junonis tecta Gabinæ. [tentant
Præceps ad ripas immani turbine fertur,
Sulfureis gelidus qua serpit leniter undis
Ad genitorem Anio labens sine murmure Tibrim.
Hic ut signa ferox dimensaque castra locavit,
Et ripas tremefecit eques, perterrita pulsis
Ilia prima vadis sacro se conjugis antro
Condidit, et cunctæ fugerunt gurgite Nymphæ.
At matres Latiæ, ceu mœnia nulla supersint, 545
Attonitæ passim furibundis gressibus errant.
Ante oculos adstant laceræ trepidantibus umbræ,
Quæque gravem ad Trebiam, quæque ad Ticina fluenta
Oppetiere necem: Paullus Gracchusque cruenti,
Flaminiusque simul miseris ante ora vagantur.
Clausit turba vias. Stat celsus et asper ab ira,
Ingentemque metum torvo domat ore senatus.
Interdum tamen erumpunt sub casside fusæ
Per tacitum lacrymæ; quidnam Fortuna minetur,
Quidve parent superi? pubes dispersa per altas
Stat turres, atque huc ventum sub corde volutat,
Ut jam Roma satis credat defendere muros.
Pœnus ut ad somnos vix totam cursibus actæ
Indulsit pubi noctem, vigil ipse, nec ullam
Ad requiem facilis, credensque abscedere vitæ, 560
Quod sopor eripiat, tempus, radiantibus armis
Induitur, Nomadumque jubet prorumpere turmas.
Inde levis frenis circum pavitantia fertur
Quadrupedante sono perculsæ mœnia Romæ.
Nunc aditus lustrat, clausas nunc cuspide pulsat
Infesta portas, fruiturque timore paventum: 566
Nunc, lentus celsis adstans in collibus, intrat [rum.
Urbem oculis, discitque locos, causasque loco-
Ac legeret visu cuncta, et penetraret in omnes
Spectando partes, ni magno turbine adesset 570
Fulvius, haud tota Capuæ obsidione relicta.
Tum demum castris turmas inflexit ovantes,
Spectata ductor satiatus pectora Roma.
Atque ubi nox depulsa polo, primaque rubescit
Lampade Neptunus, revocatque Aurora labores,
Effundit rupto persultans agmina vallo, 576
Et quantum clamare valet, Per plurima vestra,
O socii, decora, et sacras in sanguine dextras,
Vobis ite pares, et tantum audete sub armis,
Quantum Roma timet. Reliquam hanc exscindite molem; 580
Nil, quod vincatis, toto restabit in orbe.
Neu populi vos Martigenæ tardarit origo;
Intratam Senonum capietis millibus urbem,
Adsuetamque capi: fortasse curulibus altis 584
Jam vos, exemplo proavorum, ad nobile letum
Exspectant de more senes, mortique parantur.
Talibus hinc Pœnus: sed contra Œnotria pubes
Non ullas voces ducis aut præcepta requirit.
Sat matres stimulant, natique, et cara supinas
Tendentum palmas lacrymantiaque ora parentum.
Ostentant parvos, vagituque incita pulsant 591
Corda virûm, armatis infigunt oscula dextris.
Ire volunt, et pro muris opponere densi
Pectora, respectantque suos, fletumque resorbent.
Ut vero impulso patefactæ cardine portæ, 595
Et simul erupit junctis exercitus armis,
Funditur immixtus gemitu precibusque per altos
Ad cœlum muros plangor, sparsæque solutis
Crinibus exululant matres, atque ubera nudant.
Fulvius antevolans agmen, Quîs nesciat, inquit,
Non sponte ad nostros Pœnum venisse penates?
A portis fugit Capuæ. Subnectere plura
Conantem tristis cœli cum murmure vasto
Turbavit fragor, et subita de nube procellæ.
Jupiter, Æthiopum remeans tellure, minantem 605
Romuleo Pœnum ut vidit succedere vallo,
Cœlicolis raptim excitis, defendere tecta
Dardana, et in septem discurrere jusserat arces.
Ipse e Tarpeio sublimis vertice cuncta,
Et ventos simul, et nubes, et grandinis iras, 610
Fulminaque, et tonitrus, et nimbos conciet atros.
Concussi tremuere poli, cœlumque tenebris
Clauditur, et terras cæco nox condit amictu.
Instat tempestas oculis, hostique propinquo 614
Roma latet: jactæ in turmas per nubila flammæ
Stridorem servant, membrisque insibilat ignis.
Hinc Notus, hinc Boreas, hinc fuscis Africus alis
Bella movent, quantis animos et pectora possint
Irati satiare Jovis: fluit agmen aquarum,
Turbine confusum piceo et nigrante procella, 620
Atque omnes circa campos spumantibus undis
Involvit: celsus summo de culmine montis
Regnator superûm sublata fulmina dextra
Librávit, clypeoque ducis non cedere certi
Incussit: summa liquefacta est cuspis in hasta, 625
Et fluxit, ceu correptus fornacibus, ensis.
Ambustis sed enim ductor Sidonius armis
Sistebat socios, et cæcum e nubibus ignem,
Murmuraque a ventis misceri vana docebat.
Tandem post clades sociûm cœlique ruinam,
Non hoste in nimbis viso, non ense, referri 631
Signa jubet castris, mæstasque resuscitat iras.
Ventis debebis nimirum hiemisque procellis
Unum, Roma, diem: sed non te crastina nobis
Lux unquam eripiet; descendat Jupiter ipse 635
In terras licet. Infrendens dum talia fatur,
Ecce serenato clarum jubar emicat axe,

Purgatusque nitet discussis nubibus æther.
Æneadæ sensere deum, telisque repostis
Submissas tendunt alta ad Capitolia dextras, 640
Et festa cingunt montis penetralia lauro.
Tum vultus, modo non parvo sudore madentes,
Nunc lætos Jovis adspectant. Da, summe deorum,
Da, pater, ut sacro Libys inter prœlia telo
Concidat: haud alia potis est occumbere dextra.
Sic adeo orantes pressere silentia, postquam
Abstulerat terras nigrantibus Hesperus umbris:
Quem simul, attollens rutilantem lampada, Titan
Obruit, et vitæ rediit mortalibus usus,
Pœnus adest, nec se castris Œnotria pubes 650
Continet. Haud dum enses stricti, mediumque jacebat
Tantum ad bella loci, quantum transmittere jactæ
Sufficerent hastæ, cum fulgor hebescere cœli
Per subitum cœpit, densæque subire tenebræ,
Atque dies fugere, atque armari ad prœlia rursus
Jupiter: incumbunt venti, crassusque, rotante 656
Austro, nimborum fervet globus: intonat ipse,
Quo tremat et Rhodope, Taurusque, et Pindus, et
Audivere lacus Erebi, mersusque profundis [Atlas.
Agnovit tenebris cœlestia bella Typhoeus. 660
Invadit Notus, ac piceam cum grandine multa
Intorquens nubem, cunctantem et vana minantem
Circumagit, castrisque ducem succedere cogit.
Verum ubi depositis sepsit sese aggere telis,
Læta serenati facies aperitur Olympi, 665
Nullaque tam mitem credas habuisse Tonantem
Fulmina, nec placido commota tonitrua cœlo.
Durat, et affirmans non ultra spondet in ipsos
Venturam cœli rabiem, modo patria virtus 669
In dextras redeat, nec Romam exscindere Pœni
Credant esse nefas. Ubi nam tunc fulmina tandem
Invicti latuisse Jovis, cum sterneret ensis
Ætolos campos? ubi, cum Tyrrhena natarent
Stagna cruore virûm? Pugnat pro mœnibus, in-
Si rector superûm tot jactis fulmine telis, [quit,
Inter tot motus cur me contra arma ferentem 676
Afflixisse piget? ventis hiemique fugaces
Terga damus: remeet, quæso, mens illa vigorque,
Qua vobis, cum pacta Patrum, cum fœdera adessent,
Integrare acies placitum. Sic pectora flammat, 680
Donec equûm Titan spumantia frena resolvit.
Nec nox composuit curas, somnusve frementem
Ausus adire virum, et redeunt cum luce furores.
Rursus in arma vocat trepidos, clypeoque tremendum
Increpat, atque armis imitatur murmura cœli. 685
Ut vero accepit, tantum confidere divis
Ausonios Patres, submissaque Bætis ad oras
Auxilia, et noctu progressum mœnibus agmen;
Sic agitare fremens obsessos otia, jamque
Securam Hannibalis Romam, violentior instat. 690
Jamque propinquabat muro, cum Jupiter ægram
Junonem alloquitur curis, mulcetque monendo:
Nullane Sidonio juveni, conjuxque sororque
Cara mihi, non ulla unquam sine fine feroci
Addes frena viro? fuerit delere Saguntum, 695
Exæquare Alpes, imponere vincula sacro
Eridano, fœdare lacus; etiamne parabit
Nostras ille domos, nostras perrumpere in arces?
Siste virum: namque, ut cernis, jam flagitat ig-
Et parat accensis imitari fulmina flammis. [nes,
His dictis grates agit, ac turbata per auras 701
Devolat, et prensa juvenis Saturnia dextra,
Quo ruis, o vecors? majoraque bella capessis,
Mortali quam ferre datum? Juno inquit, et atram
Dimovit nubem, veroque apparuit ore. 705
Non tibi cum Phrygio res Laurentive colono.
En age, (namque, oculis amota nube parumper,
Cernere cuncta dabo,) surgit qua celsus ad auras,
Adspice, montis apex, vocitata Palatia regi
Parrhasio plena tenet et resonante pharetra, 710
Intenditque arcum, et pugnas meditatur Apollo.
At, qua vicinis tollit se collibus altæ
Molis Aventinus, viden' ut Latonia virgo
Accensas quatiat Phlegethontis gurgite tædas,
Exsertos avide pugnæ nudata lacertos? 715
Parte alia, cerne, ut sævis Gradivus in armis
Implerit dictum proprio de nomine campum.
Hinc Janus movet arma manu, movet inde Quirinus, [quantus
Quisque suo de colle deus. Sed enim adspice,
Ægida commoveat nimbos flammasque vomentem
Jupiter, et quantis pascat ferus ignibus iras. 721
Huc vultus flecte, atque aude spectare Tonantem.
Quas hiemes, quantos concusso vertice cernis
Sub nutu tonitrus! oculis qui fulgurat ignis!
Cede deis tandem, et Titania desine bella. 725
Sic effata, virum indocilem pacisque modique,
Mirantem superûm vultus et flammea membra,
Abstrahit, ac pacem terris cœloque reponit.
Respectans abit, et castris avulsa moveri
Signa jubet ductor, remeaturumque minatur. 730
Redditur extemplo flagrantior æthere lampas,
Et tremula infuso resplendent cærula Phœbo.
At procul e muris videre ut signa revelli
Æneadæ, versumque ducem, tacita ora vicissim
Ostentant, nutuque docent, quod credere magno
Non audent hærente metu; nec abire volentis,
Sed fraudem insidiasque putant, et Punica corda
Ac tacitæ natis infigunt oscula matres,
Donec procedens oculis sese abstulit agmen,
Suspectosque dolos demto terrore resolvit. 740
Tum vero passim sacra in Capitolia pergunt,
Inque vicem amplexi permixta voce triumphum
Tarpeii clamant Jovis, ac delubra coronant. [tum,
Jamque omnes pandunt portas; ruit undique læ
Non sperata petens dudum sibi gaudia, vulgus. 745
Hi spectant, quo fixa loco tentoria regis
Adstiterint: hi, qua celsus de sede vocatas
Affatus fuerit turmas: ubi belliger Astur,
Atque ubi atrox Garamas, sævusque tetenderit Hammon.
Corpora nunc viva sparguntur gurgitis unda, 750
Nunc Anienicolis statuunt altaria Nymphis.
Tum festam repetunt lustratis mœnibus urbem

LIBER DECIMUS TERTIUS.

Segne iter emenso vixdum Tarpeia videri
Culmina desierant, torvos cum versus ad Urbem
Ductor Agenoreus vultus, remeare parabat.
Castra locat, nulla lædens ubi gramina ripa
Tutia deducit tenuem sine nomine rivum, 5
Et tacite Tuscis inglorius affluit undis.
Hic modo primores sociûm, modo jussa deorum,
Nunc sese increpitat: Dic o, cui Lydia cæde
Creverunt stagna, et concussa est Daunia tellus
Armorum tonitru, quas exanimatus in oras 10
Signa refers? qui mucro tuum, quæ lancea tandem
Intravit pectus? si nunc exsisteret alma
Carthago ante oculos turrita celsa figura,
Quas abitus, miles, causas, illæse, dedisses? 14
Imbres, o patria, et mixtos cum grandine nimbos,
Et tonitrus fugio. Procul hanc expellite gentis
Fœmineam Tyriæ labem, nisi luce serena
Nescire ac liquida Mavortem agitare sub æthra.
Terror adhuc inerat superûm, ac redolentia in ar-
Fulmina, et ante oculos irati pugna Tonantis. [mis
Parendi tamen, et cuicunque incumbere jusso 21
Durabat vigor, ac, sensim diffusus ad aures,
Signa reportandi crescebat in agmine fervor.
Sic, ubi perrupit stagnantem calculus undam,
Exiguos format per prima volumina gyros, 25
Mox, tremulum vibrans motu gliscente liquorem,
Multiplicat crebros sinuati gurgitis orbes,
Donec postremo laxatis circulus oris
Contingat geminas patulo curvamine ripas. [que
At contra Argyripæ pravum decus, (inclyta nam-
Semina ab Œnea ductoris stirpe trahebat 31
Ætoli,) Dasio fuit haud ignobile nomen,
Lætus opum, sed clauda fides, seseque calenti
Addiderat Pœno, Latiæ diffisus habenæ. 34
Is, volvens veterum memorata antiqua parentum,
Longo miles, ait, quateret cum Teucria bello
Pergama, et ad muros staret sine sanguine Mavors,
Sollicitis Calchas, (nam sic fortissimus heros
Poscenti socero sæpe inter pocula Dauno
Narrabat memori Diomedes condita mente,) 40
Sed Calchas Danais, nisi clausum e sedibus arcis
Armisonæ curent simulacrum avellere divæ,
Non unquam affirmat Therapnæis Ilion armis
Cessurum, aut Ledæ rediturum nomen Amyclas.
Quippe deis visum, ne cui perrumpere detur, 45
Effigies ea quas unquam possederit, urbes.
Tum meus adjuncto monstratam evasit in arcem
Tydides Ithaco, et, dextra molitus in ipso
Custodes aditu templi, cœleste reportat 49
Palladium, ac nostris aperit mala Pergama fatis.
Sed postquam Œnotris fundavit finibus urbem,
Æger delicti, Phrygium placare colendo
Numen, et Iliacos parat exorare Penates.
Ingens jam templum celsa surgebat in arce,
Laomedonteæ sedes ingrata Minervæ; 55
Cum medios inter somnos altamque quietem,
Nec celata deam, et minitans Tritonia virgo:
Non hæc, Tydide, tantæ pro laudis honore
Digna paras: non Garganus, nec Daunia tellus
Debentur nobis: quære in Laurentibus arvis, 60
Qui nunc prima locant melioris mœnia Trojæ.
Huc vittas castumque refer penetrale parentum.
Quîs trepidus monitis Saturnia regna capessit.
Jam Phryx condebat Lavinia Pergama victor,
Armaque Laurenti figebat Troia luco. 65
Verum ubi Tyrrheni perventum ad fluminis un
Castraque Tydides posuit fulgentia ripa, [das,
Priamidæ intremuere metu. Tum pignora pacis
Prætendens dextra, ramum canentis olivæ,
Sic orsus Dauni gener inter murmura Teucrûm: 70
Pone, Anchisiade, memores irasque metusque:
Quicquid ad Idæos Xanthum Simoentaque nobis
Sanguine sudatum, Scææque ad limina portæ,
Haud nostrum est: egere dei duræque sorores.
Nunc age, quod superest, cur non melioribus, ævi,
Ducimus auspiciis? dextras jungamus inermes. 76
Fœderis, en, hæc testis erit: veniamque precatus
Trojanam ostentat trepidis de puppe Minervam.
Hæc ausos Celtas irrumpere mœnia Romæ
Corripuit leto, neque tot de millibus unum 80
Ingentis populi patrias dimisit ad aras.
His fractus ductor convelli signa maniplis
Optato lætis abitu jubet. Itur in agros,
Dives ubi ante omnes colitur Feronia luco,
Et sacer humectat fluvialia rura Capenas. 85
Fama est, intactas longævi ab origine fani
Crevisse in medium congestis undique donis
Immensum per tempus opes, lustrisque relictum
Innumeris aurum, solo servante pavore.
Hac avidas mentes et barbara corda rapina 90
Polluit, atque armat contemtu pectora divûm.
Avia tunc longinqua placent, quæ sulcat aratro
Ad freta porrectis Trinacria Bruttius arvis. [dit,
Dum Libys haud lætus Rhegina ad littora ten-
Victor, submoto patriis a finibus hoste, 95
Fulvius infaustam Campana ad mœnia clausis
Portabat famam, miserisque extrema movebat.
Tum prensans passim, cuicunque est nomen in armis:
Dedecus hoc defende manu: cur perfida, et urbi
Altera Carthago nostræ, post fœdera rupta 100
Admissum ad portas Pœnum, post jura petita
Consulis alterni, stat adhuc? et turribus altis
Hannibalem ac Libycas exspectat lenta cohortes?
Miscebat dictis facta, et nunc robore celsas
Educi turres, quîs vinceret ardua muri, 105
Cogebat, nunc conjunctas adstringere nodis
Instabat ferroque trabes, quo frangeret altos
Portarum postes, quateretque morantia claustra.
Hic latera intextus stellatis axibus agger,
Hic gravida armato surgebat vinea dorso. 110
At postquam properata satis, quæ commonet usus,
Dat signum, atque alacer scalis transcendere mu-
Imperat, ac sævis urbem terroribus implet; [ros
Cum subito dextrum offulsit conatibus omen.
Cerva fuit, raro terris spectata colore, 115
Quæ candore nivem, candore anteiret olores.
Hanc agreste Capys donum, cum mœnia sulco
Signaret, grato parvæ mollitus amore,
Nutrierat, sensusque hominis donarat alendo.
Inde exuta feram, docilisque accedere mensis, 120
Atque ultro blanda attactu gaudebat herili.
Aurato matres adsuetæ pectine milem
Comere, et humenti fluvio revocare colorem.
Numen erat jam cerva loci: famulamque Dianæ
Credebant, ac thura deûm de more dabantur. 125

Hæc, ævi vitæque tenax, felixque senectam
Mille indefessos viridem duxisse per annos,
Sæclorum numero Trojanis condita tecta
Æquabat; sed enim longo nox venerat ævo.
Nam subito incursu sævorum agitata luporum,
Qui noctis tenebris urbem (miserabile bello 131
Prodigium) intrarant, primos ad luminis ortus
Extulerat sese portis, pavidaque petebat
Consternata fuga positos ad mœnia campos.
Exceptam læto juvenum certamine ductor 135
Mactat, diva, tibi, tibi enim hæc gratissima sacra,
Fulvius, atque, adsis, orat, Latonia, cœptis.
Inde, alacer fidensque dea, circumdata clausis
Arma movet, quaque obliquo curvantur in orbem
Mœnia flexa sinu, spissa vallata corona 140
Alligat, et telis in morem indaginis ambit. [gans
Dum pavitant, spumantis equi fera corda fati-
Evehitur porta sublimis Taurea cristis
Bellator, cui Sidonius superare lacerto
Ductor et Autololas dabat et Maurusia tela. 145
Is, trepido ac lituûm tinnitu stare neganti
Imperitans violenter equo, postquam auribus hos-
Vicinum sese videt, En, clamore propinquo, [tis
Claudius huic, inquit, (præstabat Claudius arte
Bellandi, et merita mille inter prœlia fama,) 150
Huic, inquit, solum, si qua est fiducia dextræ,
Det sese campo, atque ineat certamina mecum.
Una mora Æneadæ, postquam vox attigit aures,
Dum daret auspicium jusque in certamina ductor.
Prævetitum namque et capital, committere Mar-
Sponte viris. Erumpit ovans, ut Fulvius arma [tem
Imperio solvit, patulumque invectus in æquor
Erigit undantem glomerato pulvere nubem.
Indignatus opem amenti, socioque juvare
Expulsum nodo jaculum, atque arcessere vires,
Taurea vibrabat nudis conatibus hastam. 161
Inde ruens ira telum contorquet in auras.
At non idem animus Rutulo: speculatur, et omni
Corpore perlustrat, qua sit certissima ferro [tam,
In vulnus via: nunc librat, nunc comprimit has-
Mentiturque minas; mediam tunc transigit ictu
Parmam, sed grato fraudata est sanguine cuspis.
Tum strictum propere vagina deripit ensem.
Et jam ferrata rapiebat calce volantem
Taurea cornipedem, fugiens minitantia fata. 170
Nec Rutulus levior cedentis prendere terga:
Nam profugo rapidus fusis instabat habenis.
Utque metus victum, sic ira et gloria portis
Victorem immisit, meritique cupido cruoris.
Ac dum vix oculis, vix credunt mentibus, hostem
Confisum nullo comitante irrumpere tectis, 176
Per mediam propere trepidantum interritus urbem
Egit equum, adversaque evasit ad agmina porta.
Hinc ardore pari nisuque incurrere muris
Ignescunt animi, penetrataque tecta subire. 180
Tela simul flammæque micant: tunc saxeus im-
Ingruit, et summis adscendunt turribus hastæ. [ber
Nec pronum audendi virtute excellere cuiquam:
Æquarunt iræ dextras. Dictæa per auras
Tranat, et in medium perlabitur urbis arundo. 185
Lætatur, non hortandi, non plura monendi
Fulvius esse locum: rapiunt sibi quisque laborem.
Quos ubi tam erectos animi videt, et superesse
Fortunæ sibi quemque ducem; ruit impete vasto
Ad portam, magnæque optat discrimina famæ. 190
Tres claustra æquævo servabant corpore fratres,
Quîs delecta manus centeni cuique ferebant
Excubias, unaque locum statione tenebant.
Forma ex his Numitor, cursu plantaque volucri
Præstabat Laurens, membrorum mole Laburnus.
Sed non una viris tela: hic mirabilis arcu, 196
Ille hastam quatere, ac medicatæ cuspidis ictu
Prœlia moliri, et nudo non credere ferro:
Tertius aptabat flammis ac sulfure tædas.
Qualis Atlantiaco memoratur littore quondam 200
Monstrum Geryones immane tricorporis iræ,
Cui tres in pugnam dextræ varia arma gerebant:
Una ignes sævos, ast altera pone sagittas
Fundebat, validam torquebat tertia cornum,
Atque uno diversa dabat tria vulnera nisu. 205
Hos ubi non æquis variantes prœlia consul
Conspexit telis, et portæ limina circum
Stragem, ac perfusos subeuntum sanguine postes,
Concitat intortam furiatis viribus hastam.
Letum triste ferens auras secat Itala taxus, 210
Et, qua nudarat, dum fundit spicula ab alto
Arcum protendens, Numitor latus, ilia transit.
At, non obsepto contentus limine Martem
Exercere, levis bello, sed turbidus ausi
Virrius, incauto fervore eruperat amens 215
Reclusa in campum porta, miseramque furori
Vincentum obtulerat pubem. Ruit obvia in arma
Scipio, et oblatum metit insatiabilis agmen.
Tifata umbrifero generatum monte Calenum
Nutrierant, audere trucem: nec corpore magno
Mens erat inferior: subsidere sæpe leonem, 221
Nudus inire caput pugnas, certare juvenco,
Atque obliqua trucis deducere cornua tauri
Adsuerat, crudoque aliqua se attollere facto.
Is, dum præcipites expellit Virrius urbe, 225
Seu spreto, seu ne fieret mora, nudus in æquor
Thorace exierat, leviorque premebat anhelos
Pondere loricæ, et palantes victor agebat.
Jamque Veliternum media transegerat alvo,
Jam, solitum æquali ludo committere equestres
Scipiadæ pugnas, Marium tellure revulso 231
Perculerat saxo: miser implorabat amicum
Cum gemitu exspirans, scopulusque premebat
hiantem.
Sed, validas sævo vires duplicante dolore,
Effudit lacrymas pariter cornumque sonantem 235
Scipio, solamen properans optabile in armis
Hostem prostrato morientem ostendere amico.
Tranavit, liquidas volucris ceu scinderet auras,
Hasta viri pectus, rupitque immania membra.
Quanta est vis agili per cærula summa Liburnæ,
Quæ, pariter quoties revocatæ ad pectora tonsæ
Percussere fretum, ventis fugit ocior, et se,
Quam longa est, uno remorum præterit ictu.
Ascanium Volesus, projectis ocius armis,
Quo levior peteret muros, per aperta volantem
Adsequitur planta: dejectum protinus ense 246
Ante pedes domini jacuit caput; ipse secutus
Corruit ulterior procursus impete truncus.
Nec spes obsessis ultra reserata tueri
Mœnia: convertunt gressus, recipique precantes
(Infandum) excludunt socios: tum cardine verso
Obnixi torquent obices, munimina sera.
Acrius hoc instant Itali, clausosque fatigant.
Et, ni cæca sinu terras nox conderet atro,
Perfractæ rapido patuissent milite portæ. 255
Sed non in requiem pariter cessere tenebræ.
Hinc sopor impavidus, qualem victoria movit:
At Capua, aut mæstis ululantum flebile matrum
Questibus, aut gemitu trepidantum exterrita pa-
Tormentis finem metamque laboribus orat. [trum,
Mussat perfidiæ ductorque caputque senatus 261
Virrius: a Pœno nullam docet esse salutem,
Vociferans, pulsis vivendi e pectore curis.
Speravi sceptra Ausoniæ, pepigique, sub armis

Si dexter Pœnis deus et fortuna fuisset, 265
Ut Capuam Iliaci migrarent regna Quirini:
Qui quaterent muros Tarpeiaque mœnia, misi:
Nec mihi poscendi vigor abfuit, alter ut æquos
Portaret fasces nostro de nomine consul.
Hactenus est vixisse satis. Dum copia noctis, 270
Cui cordi comes æterna est Acherontis ad undam
Libertas, petat ille meas mensasque dapesque,
Et, victus mentem fuso per membra Lyæo,
Sopitoque necis morsu, medicamina cladis
Hauriat, ac placidis exarmet fata venenis. 275
Hæc ait, et turba repetit comitante penates.
Ædibus in mediis consurgens ilice multa
Exstruitur rogus, hospitium commune peremtis.
Nec vulgum cessat furiare dolorque pavorque.
Nunc menti seræ Decius redit, et bona virtus 280
Exsilio punita truci: despectat ab alto
Sacra Fides, agitatque virûm fallacia corda.
Vox occulta subit, passim diffusa per auras:
Fœdera, mortales, ne sævo rumpite ferro,
Sed castam servate Fidem: fulgentibus ostro 285
Hæc potior regnis. Dubio qui frangere rerum
Gaudebit pacta, ac tenues spes linquet amici,
Non illi domus, aut conjux, aut vita manebit
Unquam expers luctus lacrymæque: aget, æquore semper
Ac tellure premens, aget ægrum nocte dieque 290
Despecta ac violata Fides. Adit omnia jamque
Concilia, ac mensas contingit, et abdita nube
Accumbitque toris, epulaturque improba Erinnys.
Ipsa etiam Stygio spumantia pocula tabo
Porrigit, et large pœnas letumque ministrat. 295
Virrius interea, dum dat penetrare medullas
Exitio, adscenditque pyram, atque amplexibus hæ-
Jungentum fata, et subici jubet ocius ignes. [ret
Stringebant tenebræ metas, victorque ruebat.
Jamque superstantem muro, sociosque Milonem
Voce attollentem pubes Campana videbat. 301
Pandunt attoniti portas, trepidoque capessunt
Castra inimica gradu, quîs leto avertere pœnas
Defuerant animi: patet urbs, confessa furorem,
Et reserat Tyrio maculatas hospite sedes. 305
Matronæ puerique ruunt, mæstumque senatus
Concilium, nullique hominum lacrymabile vul-
Stabant innixi pilis exercitus omnis, [gus.
Spectabantque viros, et læta et tristia ferre
Indociles, nunc propexis in pectora barbis 310
Verrere humum, nunc fœdantes in pulvere crinem
Canentem, et turpi lacryma precibusque pudendis
Fœmineum tenues ululatum fundere in auras.
Atque ea dum miles miratur inertia facta,
Exspectatque ferox sternendi mœnia signum, 315
Ecce repens tacito percurrit pectora sensu
Relligio, et sævas componit numine mentes,
Ne flammam tædasque velint, ne templa sub uno
In cinerem traxisse rogo: subit intima corda
Perlabens sensim mitis deus; ille superbæ 320
Fundamenta Capyn posuisse antiquitus urbi,
Non cuiquam visus, passim monet: ille refusis
In spatium immensum campis habitanda relinqui
Utile tecta docet. Paullatim atrocibus iræ
Languescunt animis, et vis mollita senescit. 325
Pan Jove missus erat, servari tecta volente
Troia, pendenti similis Pan semper, et imo
Vix ulla inscribens terræ vestigia cornu.
Dextera lascivit cæsa Tegeatide capra
Verbera læta movens festa per compita cauda. 330
Cingit acuta comas, et opacat tempora, pinus,
Ac parva erumpunt rubicunda cornua fronte:
Stant aures, summoque cadit barba hispida mento.
Pastorale deo baculum, pellisque sinistrum
Velat rapta latus teneræ de corpore damæ. 335
Nulla in præruptum tam prona et inhospita cautes
In qua non, librans corpus, similisque volanti,
Cornipedem tulerit præcisa per avia plantam.
Interdum inflexus, medio nascentia tergo
Respicit arridens hirtæ ludibria caudæ: 340
Obtendensque manum solem infervescere fronti
Arcet, et umbrato perlustrat pascua visu.
Hic, postquam mandata dei perfecta, malamque
Sedavit rabiem, et permulsit corda furentum,
Arcadiæ volucris saltus et amata revisit 345
Mænala, ubi argutis longe de vertice sacro
Dulce sonat calamis, ducit stabula omnia cantu.
At legio Ausonidûm, flammas ductore jubente
Arcei portis, stantesque relinquere muros,
(Mite decus mentis,) condunt ensesque facesque.
Multa deûm templis domibusque nitentibus auro
Egeritur præda, et victus alimenta superbi,
Quîsque bonis periere, virûm de corpore vestes
Fœmineæ, mensæque alia tellure petitæ,
Poculaque Eoa luxum irritantia gemma. 355
Nec modus argento, cælataque pondera facti
Tantum epulis auri, tum passim corpora longo
Ordine captiva, et domibus depromta talenta,
Pascere longinquum non deficientia bellum,
Immensique greges famulæ ad convivia turbæ. 360
Fulvius, ut finem spoliandis ædibus, ære
Belligero revocante, dedit, sublimis ab alto
Suggestu, Magnis fautor non futilis ausis,
Lanuvio generate, inquit, quem Sospita Juno
Dat nobis, Milo, Gradivi cape victor honorem,
Tempora murali cinctus turrita corona. 366
Tum sontes procerum meritosque piacula prima
Acciit, et justa punit commissa securi.
Hic atrox virtus, (nec enim occuluisse probarim
Spectatum vel in hoste decus,) clamore feroci 370
Taurea, Tune, inquit, ferro spoliabis inultus
Te majorem animam? et jusso lictore recisa
Ignavos cadet ante pedes fortissima cervix?
Haud unquam hoc vobis dederit deus: inde, mi-
Obtutu torvum contra et furiale renidens, [naci
Bellatorem alacer per pectora transigit ensem.
Cui ductor, Patriam moriens comitare cadentem.
Qui nobis animus, quæ dextera, quidve viritim
Decernet Mavors: tibi, si rebare pudendum
Jussa pati, licuit pugnanti occumbere letum. 380
Dum Capua infandam luit haud sine sanguine
Interea geminos terra crudelis Ibera [culpam,
Fortuna abstulerat, permiscens tristia lætis,
Scipiadas, magnumque decus, magnumque dolo-
Forte Dicarchea juvenis dum sedit in urbe [rem.
Scipio, post belli repetens extrema penates, 386
Huc tristis lacrymas et funera acerba suorum
Fama tulit. Duris quanquam non cedere suetus,
Pulsato lacerat violenter pectore amictus.
Non comites tenuisse valent, non ullus honorum
Militiæve pudor: pietas irata sinistris 391
Cœlicolis furit, atque odit solatia luctus.
Jamque dies, iterumque dies absumta querelis.
Versatur species ante ora oculosque parentum
Ergo excire parat manes animasque suorum, 395
Alloquioque virûm tantos mulcere dolores.
Hortatur vicina palus, ubi signat Averni [mor.
Squalentem introitum stagnans Acherusius hu-
Noscere venturos agitat mens protinus annos.
Sic ad Cumæam, quæ tum sub nomine Phœbi
Autonoe tripodas sacros antrumque tenebat,
Fert gressus juvenis, consultaque pectoris ægri
Pandit, et adspectus orat contingere patrum.

Nec cunctata diu vates, Mactare repostis
Mos umbris, inquit, consueta piacula nigras 405
Sub lucem pecudes, reclusæque abdere terræ
Manantem jugulis spirantum cæde cruorem.
Tunc populos tibi regna suos pallentia mittent.
Cætera, quæ poscis, majori vate canentur.
Namque tibi Elysio repetita oracula campo 410
Eliciam, veterisque dabo inter sacra Sibyllæ
Cernere fatidicam Phœbei pectoris umbram.
Vade age, et, a medio cum se nox humida cursu
Flexerit, ad fauces vicini castus Averni
Duc prædicta sacris duro placamina Diti: 415
Mella simul tecum et puri fer dona Lyæi.
Hoc alacer monitu, et promissæ nomine vatis,
Apparat occulto monstrata piacula cœpto.
Inde, ubi nox jussam procedens contigit horam,
Et spatia æquarunt tenebras transacta futuras,
Consurgit stratis, pergitque ad turbida portæ
Ostia Tartareæ, penitus quîs abdita vates
Promissa implerat, Stygioque sedebat in antro.
Tum, qua se primum rupta tellure recludit
Invisum cœlo specus, atque eructat acerbam 425
Cocyti laxo suspirans ore paludem,
Inducit juvenem, ferroque cavare refossam
Ocius urget humum, atque arcanum murmur an-
Ordine mactari pecudes jubet: ater operto [helans
Ante omnes taurus regi, tum proxima divæ 430
Cæditur Ennææ casta cervice juvenca.
Inde tibi, Alecto, tibi, nunquam læta Megæra,
Corpora lanigerûm procumbunt lecta bidentum.
Fundunt mella super, Bacchique et lactis honorem. [omni,
Sta, juvenis, faciemque, Erebo quæ surgit ab
Exclamat vates, patere: accedentia cerno 436
Tartara, et ante oculos adsistere tertia regna.
Ecce ruunt variæ species, et quicquid ab imo
Natum hominum exstinctumque chao est. Jam cuncta videbat,
Cyclopas, Scyllamque, et pastos membra virorum
Odrysiæ telluris equos. Contende tueri, 441
Eductumque tene vagina interritus ensem.
Quæcunque ante animæ tendent potare cruorem,
Disjice, dum castæ procedat imago Sibyllæ.
Interea cerne, ut gressus inhumata citatos 445
Fert umbra, et properat tecum conjungere dicta:
Cui datur ante atros absumti corporis ignes,
Sanguine non tacto, solitas effundere voces.
Adspicit, et subito turbatus Scipio visu,
Quinam te, qui casus, ait, dux maxime, fessæ 450
Eripuit patriæ, cum tales horrida poscant
Bella viros? nec enim dextra concesserit ulli
Appius, aut astu Decimum lux retulit ortum,
Ut te, cum Capua remearem, vulnera vidi
Mulcentem, hoc uno mæstum, quod adire nequires
Saucius ad muros, et Martis honore careres. 456
Contra quæ ductor: Fesso mihi proxima tandem
Lux gratos Phaethontis equos avertit, et atris
Æternum demisit aquis. Sed lenta meorum,
Dum vanos ritus, cura, et sollennia vulgi 460
Exsequitur, cessat flammis imponere corpus,
Ut portet tumulis per longum membra paternis.
Quod te per nostri Martis precor æmula facta,
Arce, quæ putres artus medicamina servant,
Daque vago portas quamprimum Acherontis adire. 465
Tum juvenis: Gens o veteris pulcherrima Clausi,
Haud ulla ante tuam, quanquam non parva fatigent,
Curarum prior exstiterit. Namque ista per omnes
Discrimen servat populos, variatque jacentum
Exsequias tumuli et cinerum sententia discors.
Tellure, ut perhibent, is mos antiquus Ibera 471
Exanima obscænus consumit corpora vultur.
Regia cum lucem posuerunt membra, probatum
Hyrcanis adhibere canes. Ægyptia tellus [est
Claudit odorato post funus stantia saxo 475
Corpora, et a mensis exsanguem haud separat um-
Exhausto instituit Pontus vacuare cerebro [bram.
Ora virûm, et longum medicata reponit in ævum.
Quid, qui reclusa nudos Garamantes arena
Infodiunt? quid, qui sævo sepelire profundo 480
Exanimos mandant Libycis Nasamones in oris?
At Celtæ vacui capitis circumdare gaudent
Ossa (nefas) auro, ac mensis ea pocula servant.
Cecropidæ ob patriam Mavortis sorte peremtos
Decrevere simul communibus urere flammis. 485
At gente in Scythica suffixa cadavera truncis
Lenta dies sepelit, putri liquentia tabo.
Talia dum memorant, umbra veniente Sibyllæ
Autonoe, Finem hic, inquit, sermonibus adde
Alternis: hæc, hæc veri fecunda sacerdos: 490
Cui tantum patuit rerum, quantum ipse negarit
Plus novisse deus. Me jam comitante tuorum
Tempus abire globo, et pecudes imponere flam-
At gravida arcanis Cumes anus attigit ore [mis.
Postquam sacrificum, delibavitque cruorem, 495
In decus egregiæ vultus intenta juventæ,
Ætheria fruerer cum luce, haud segniter, inquit,
Cumæo populis vox nostra sonabat in antro.
Tunc te permixtum sæclis rebusque futuris
Æneadûm cecini. Sed non sat digna mearum 500
Cura tuis vocum: nec enim conquirere dicta,
Aut servare fuit proavis sollertia vestris.
Verum age, disce, puer, (quando cognoscere cordi
Jam tua, deque tuis pendentia Dardana fatis.[est,)
Namque tibi cerno properatum oracula vitæ 505
Hinc petere, et patrios visu contingere manes.
Armifero victor patrem ulciscceris Ibero,
Creditus ante annos Marti, ferroque resolves
Gaudia Pœnorum, et missum lætabere bello
Omen, Iberiacis victa Carthagine terris. 510
Majus ad imperium posthac capiere, nec ante
Jupiter absistet cura, quam cuncta fugarit
In Libyam bella, et vincendum duxerit ipse
Sidonium tibi rectorem. Pudet urbis iniquæ,
Quod post hæc decus hoc patriaque domoque carebit. 515
Sic vates, gressumque lacus vertebat ad atros
Tum juvenis, Quæcunque datur sors durior ævi,
Obnitemur, ait: culpa modo pectora cessent.
Sed te oro, (quando vitæ tibi causa labores
Humanos juvisse fuit,) siste, inclyta virgo, 520
Paulisper gressum, et nobis manesque silentum
Enumera, Stygiæque aperi formidinis aulam.
Annuit illa quidem; sed, Non optanda recludis
Regna, ait: hic tenebras habitant, volitantque per umbras
Innumeri quondam populi: domus omnibus una.
In medio vastum late se tendit inane; 526
Huc, quicquid terræ, quicquid freta, et igneus
Nutrivit primo mundi genitalis ab ævo, [aer
(Mors communis agit,) descendunt cuncta: capit que [rum
Campus iners, quantum interiit, restatque futu-
Cingunt regna decem portæ: quarum una recep-
Belligeros, dura Gradivi sorte creatos. [tat
Altera, qui leges posuere atque inclyta jura
Gentibus, et primas fundarunt mœnibus urbes.
Tertia ruricolas Cereris, justissima turba 535
Quæ venit ad manes, et fraudum illæsa veneno
Exin, qui lætas artes vitæque colendæ

Invenere viam, nec dedignanda parenti
Carmina fuderunt Phœbo, sua limina servant.
Proxima, quos venti sævæque hausere procellæ,
Naufraga porta rapit; sic illam nomine dicunt.
Finitima huic noxa gravido, et peccasse fatenti
Vasta patet populo: pœnas Rhadamanthus in ipso
Expetit introitu, mortemque exercet inanem.
Septima fœmineis reseratur porta catervis, 545
Humentes ubi casta fovet Proserpina lucos.
Infantum hinc gregibus, versasque ad funera tædas
Passis virginibus, turbæque in limine lucis
Est iter exstinctæ, et vagitu janua nota.
Tum seducta loco, et laxata lucida nocte 550
Claustra nitent, quæ secreti per limitis umbram
Elysios ducunt campos: hic turba piorum,
Nec Stygio in regno, cœli nec posta sub axe;
Verum, ultra Oceanum sacro contermina fonti,
Lethæos potat latices, oblivia mentis. 555
Extrema hinc, auro fulgens, jam lucis honorem
Sentit, et admoto splendet ceu sidere lunæ.
Hac animæ cœlum repetunt, ac mille peractis
Oblitæ Ditem redeunt in corpora lustris.
Has passim nigrum pandens Mors lurida rictum
Itque reditque vias, et portis omnibus errat. 561
Tum jacet in spatium sine corpore pigra vorago,
Limosique lacus: late exundantibus urit
Ripas sævus aquis Phlegethon, et turbine anhelo
Flammarum resonans saxosa incendia torquet.
Parte alia torrens Cocytos sanguinis atri 566
Vorticibus furit, et spumanti gurgite fertur.
At, magnis semper divis regique deorum
Jurari dignata palus, picis horrida rivo
Fumiferum volvit Styx inter sulfura limum. 570
Tristior his Acheron sanie crassoque veneno
Æstuat, et gelidam eructans cum murmure are-
Descendit nigra lentus per stagna palude. [nam
Hanc potat saniem non uno Cerberus ore:
Hæc et Tisiphones sunt pocula, et atra Megæra
Hinc sitit, ac nullo rabies restinguitur haustu. 576
Ultimus erumpit lacrymarum fontibus amnis
Ante aulam, atque aditus, et inexorabile limen.
Quanta cohors, omni stabulante per atria mon-
Excubat, et manes permixto murmure terret! [stro,
Luctus edax, Maciesque malis comes addita mor-
Et Mæror pastus fletu, et sine sanguine Pallor, [bis,
Curæque, Insidiæque, atque hinc queribunda Senectus,
Hinc angens utraque manu sua guttura Livor,
Et deforme malum ac sceleri proclivis Egestas, 585
Errorque infido gressu, et Discordia gaudens
Permiscere fretum cœlo; sed et ostia Ditis
Centenis suetus Briareus recludere palmis,
Et Sphinx virgineos rictus infecta cruore, [tum.
Scyllaque, Centaurique truces, umbræque Gigan-
Cerberus hic ruptis peragrat cum Tartara vinclis,
Non ipsa Alecto, non feta furore Megæra
Audet adire ferum, dum fractis mille catenis
Viperea latrans circumligat ilia cauda. [dit
Dextra vasta comas nemorosaque brachia fun-
Taxus, Cocyti rigua frondosior unda. 596
Hic diræ volucres, pastusque cadavere vultur,
Et multus bubo, ac sparsis strix sanguine pennis,
Harpyiæque fovent nidos, atque omnibus hærent
Condensæ foliis: sævit stridoribus arbor. 600
Has inter formas conjux Junonis Avernæ,
Suggestu residens, cognoscit crimina regum.
Stant vincti, seroque piget sub judice culpæ.
Circumerrant Furiæ, pœnarumque omnis imago.
Quam vellent nunquam sceptris fulsisse superbis!
Insultant duro imperio non digna nec æqua 606
Ad superos passi manes: quæque ante profari
Non licitum vivis, tandem permissa queruntur.
Tunc alius sævis religatur rupe catenis:
Ast alius subigit saxum contra ardua montis: 610
Vipereo domat hunc æterna Megæra flagello.
Talia letiferis restant patienda tyrannis.
Sed te maternos tempus cognoscere vultus,
Cujus prima venit non tardis passibus umbra.
Adstabat fecunda Jovis Pomponia furto. 615
Namque ubi cognovit Latio surgentia bella
Pœnorum Venus, insidias anteire laborans
Junonis, fusa sensim per pectora patrem
Implicuit flamma: quæ ni provisa fuissent,
Sidonia Iliacas nunc virgo accenderet aras. 620
Ergo ubi gustatus cruor, admonuitque Sibylla,
Et dedit alternos ambobus noscere vultus,
Sic juvenis prior: O magni mihi numinis instar
Cara parens, quam, te ut nobis vidisse liceret,
Optassem Stygias vel leto intrare tenebras; 625
Quæ sors nostra fuit, cui te, cum prima subiret,
Eripuit sine honore dies, et funere carpsit?
Excipit his mater: Nullos, o nate, labores
Mors habuit nostra: ætherio dum pondere par-
Exsolvor, miti dextra Cyllenia proles [tum
Imperio Jovis Elysias deduxit in oras, 631
Attribuitque pares sedes, ubi magna moratur
Alcidæ genitrix, ubi sacro munere Leda.
Verum age, nate, tuos ortus, ne bella pavescas
Ulla, nec in cœlum dubites te tollere factis, 635
Quando aperire datur nobis, nunc denique disce.
Sola die caperem medio cum forte petitos
Ad requiem somnos, subitus mihi membra ligavit
Amplexus, non ille, meo veniente marito,
Adsuetus facilisque mihi: tum luce corusca, 640
Implebat quanquam languentia lumina somnus,
Vidi (crede) Jovem: nec me mutata fefellit
Forma dei, quod, squalentem conversus in an-
Ingenti traxit curvata volumina gyro. [guem,
Sed mihi post partum non ultra ducere vitam 645
Concessum. Heu quantum gemui, quod spiritus ante,
Hæc tibi quam noscenda darem, discessit in auras!
His alacer colla amplexu materna petebat:
Umbraque ter frustra per inane petita fefellit.
Succedunt simulacra virûm concordia, patris
Unanimique simul patrui. Ruit ipse per umbram,
Oscula vana petens, juvenis, fumoque volucri
Et nebulis similes animas apprendere certat.
Quis te, care pater, quo stabant Itala regna,
Exosus Latium deus abstulit? hei mihi! nam cur
Ulla fuere adeo, quibus a te sævus abessem, 656
Momenta? opposito mutassem pectore mortem.
Quantos funeribus vestris gens Itala passim
Dat gemitus! tumulus vobis, censente senatu,
Mavortis geminus surgit per gramina campo. 660
Nec passi plura, in medio sermone loquentis
Sic adeo incipiunt. Prior hæc genitoris imago:
Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces;
Dulce tamen venit ad manes, cum gratia vitæ
Durat apud superos, nec edunt oblivia laudem. 665
Verum age, fare, decus nostrum, te quanta fatiget
Militia. Heu quoties intrat mea pectora terror,
Cum repeto, quam sævus eas, ubi magna pericla
Contingunt tibi! per nostri, fortissime, leti
Obtestor causas, Martis moderare furori. 670
Sat tibi sint documenta domus. Octava terebat
Arentem culmis messem crepitantibus æstas,
Ex quo cuncta mihi calcata, meoque subibat
Germano devexa jugum Tartessia tellus.
Nos miseræ muros et tecta renata Sagunto, 675

Nos dedimus Bætin nullo potare sub hoste.
Nobis indomitus convertit terque quaterque[quam
Germanus terga Hannibalis. Pro barbara nun-
Impolluta fides! peterem cum victor adesum
Cladibus Hasdrubalem, subito venale cohortes
Hispanæ vulgus, Libyci quas fecerat auri 681
Hasdrubal, abrupto liquerunt agmine signa.
Tunc hostis socio desertos milite, multum
Ditior ipse viris, spisso circumdedit orbe.
Non segnis nobis nec inultis, nate, peracta est 685
Illa suprema dies, et laude inclusimus ævum.
Excipit inde suos frater conjungere casus.
Excelsæ turris post ultima rebus in arctis
Subsidium optaram, supremaque bella ciebam.
Fumantes tædas, ac lata incendia passim, 690
Et mille injecere faces. Nil nomine leti
De superis queror: haud parvo data membra sepulcro
Nostra cremaverunt, in morte hærentibus armis.
Sed me luctus habet, geminæ ne clade ruinæ
Cesserit affusis oppressa Hispania Pœnis. 695
Contra quæ juvenis turbato fletibus ore:
Di, quæso, ut merita est, dignas pro talibus ausis
Carthago expendat pœnas. Sed continet acres
Pyrenes populos, qui, vestro Marte probatus,
Excepit fessos, et notis Marcius armis 700
Successit bello: fusos quoque fama ferebat
Victores acie, atque exacta piacula cædis.
His læti rediere duces loca amœna piorum:
Prosequiturque oculis puer adveneratus euntes.
Jamque aderat multa vix agnoscendus in umbra
Paullus, et epoto fundebat sanguine verba:
Lux Italûm, cujus spectavi Martia facta
Multum uno majora viro, descendere nocti
Atque habitanda semel subigit quis visere regna?
Cui contra tales effundit Scipio voces: 710
Armipotens ductor, quam sunt tua fata per Urbem
Lamentata diu! quam pæne ruentia tecum
Traxisti ad Stygias Œnotria tecta tenebras!
Tum tibi defuncto tumulum Sidonius hostis
Constituit, laudemque tuo quæsivit honore. 715
Dumque audit lacrymans hostilia funera Paullus,
Ante oculos jam Flaminius, jam Gracchus, et ægro
Absumtus Cannis stabat Servilius ore.
Appellare viros erat ardor, et addere verba:
Sed raptabat amor priscos cognoscere manes.
Nunc meritum sæva Brutum immortale securi
Nomen, nunc superos æquantem laude Camillum,
Nunc auro Curium non unquam cernit amicum.
Ora Sibylla docet venientum, et nomina pandit.
Hic fraudes pacis Pyrrhumque a limine portæ
Dejecit, visus orbus. tulit ille ruentem 726
Tibridis in ripas regem, solusque revulso
Pone ferox ponte exclusit redeuntia regna.
Si tibi dulce virum, primo qui fœdera bello
Phœnicum pepigit, vidisse, hic inclytus ille 730
Æquoreis victor cum classe Lutatius armis.
Si studium et sævam cognoscere Hamilcaris umbram, [missa
Illa est, (cerne procul,) cui frons nec morte re-
Irarum servat rabiem: si jungere cordi est
Colloquium, sine, gustato det sanguine vocem.
Atque ubi permissum, et sitiens se implevit
Sic prior increpitat non mitiScipio vultu:[imago,
Taliane, o fraudum genitor, sunt fœdera vobis?
Aut hæc Sicania pepigisti captus in ora?
Bella tuus toto natus contra omnia pacta 740
Exercet Latio, et perruptis molibus Alpes
Eluctatus adest: fervet gens Itala Marte
Barbarico, et refluunt obstructi stragibus amnes.
Post quæ Pœnus ait: Decimum modo cœperat an-
Excessisse puer, nostro cum bella Latinis [num
Concepit jussu: licitum nec fallere divos 746
Juratos patri. Quod si Laurentia vastat
Nunc igni regna, et Phrygias res vertere tentat,
O pietas, o sancta fides, o vera propago!
Atque utinam amissum reparet decus! inde citato
Celsus abit gressu, majorque recessit imago. 751
Exin designat vates, qui jura sub armis
Poscenti dederint populo, primique petitas
Miscuerint Italis Piræo littore leges.
Lætatur, spectatque virûm insatiabilis ora 755
Scipio, et appellet cunctos; ni magna sacerdos
Admoneat turbæ innumeræ: Quot millia toto
Credis in orbe, puer, lustras dum singula visu,
Descendisse Erebo? nullo non tempore abundans
Umbrarum huc agitur torrens, vectatque capaci
Agmina mole Charon, et sufficit improba puppis.
Post hæc, ostendens juvenem, sic virgo profatur
Hic ille est, tellure vagus qui victor in omni
Cursu signa tulit; cui pervia Bactra Dahæque;
Qui Gangen bibit, et Pellæo ponte Niphaten
Adstrinxit; cui stant sacro sua mœnia Nilo. 766
Incipit Æneades: Libyci certissima proles
Hammonis, quando exsuperat tua gloria cunctos
Indubitata duces, similique cupidine rerum
Pectora nostra calent, quæ te via, fare, superbum
Ad decus et summas laudum perduxerit arces.
Ille sub hæc: Turpis lenti sollertia Martis.
Audendo bella expedias; pigra extulit arctis
Haud unquam sese virtus. Tu magna gerendi
Præcipita tempus: mors atra impendet agenti.
Hæc effatus abit. Crœsi mox advolat umbra,
Dives apud superos; sed mors æquarat egenis
Atque hic Elysio tendentem limite cernens
Effigiem juvenis, castæ cui vitta ligabat
Purpurea effusos per colla nitentia crines, 780
Dic, ait, hic quinam, virgo? nam luce refulget
Præcipua frons sacra viro, multæque sequuntur
Mirantes animæ, et læto clamore frequentant.
Qui vultus! quam (si Stygia non esset in umbra)
Dixissem facile esse deum! Non falleris, inquit
Docta comes Triviæ: meruit deus esse videri,
Et fuit in tanto non parvum pectore numen.
Carmine complexus terram, mare, sidera, manes,
Et cantu Musas et Phœbum æquavit honore.
Atque hæc cuncta, prius quam cerneret, ordine terris 790
Prodidit, et vestram tulit usque ad sidera Trojam.
Scipio, perlustrans oculis lætantibus umbram,
Si nunc fata darent, ut Romula facta per orbem
Hic caneret vates, quanto majora futuros
Facta eadem intrarent hoc, inquit, teste nepotes!
Felix Æacida, cui tali contigit ore 796
Gentibus ostendi! crevit tua carmine virtus.
Sed, quæ tanta adeo grassantum turba, requirens,
Heroum effigies majoresque accipit umbras.
Inde viro stupet Æacide, stupet Hectore magno,
Ajacisque gradum venerandaque Nestoris ora
Miratur: geminos adspectat lætus Atridas,
Jamque Ithacum, corde æquantem Peleia facta.
Victuram hinc cernit Ledæi Castoris umbram:
Alternam lucem peragebat in æthere Pollux. 805
Sed subito vultus monstrata Lavinia traxit.
Nam virgo admonuit, tempus cognoscere manes
Fœmineos, ne cunctantem lux alma vocaret.
Felix hæc, inquit, Veneris nurus ordine longo
Trojugenas junxit sociata prole Latinis. 810
Vis et Martigenæ thalamos spectare Quirini?
Hersiliam cerne: hirsutos cum sperneret olim

Gens vicina procos, pastori rapta marito
Intravitque casæ, culmique e stramine fultum
Pressit læta torum, et soceros revocavit ab armis.
Adspice Carmentis gressus. Evandria mater 816
Hæc fuit, et vestros tetigit præsaga labores.
Vis et, quos Tanaquil vultus gerat? hæc quoque
Augurio valuit mentis, venturaque dixit [castæ
Regna viro, et dextros agnovit in alite divos.820
Ecce pudicitiæ Latium decus, inclyta leti
Fert frontem atque oculos terræ Lucretia fixos.
Non datur heu tibi, Roma, nec est, quod malle deceret,
Hanc laudem retinere diu. Virginia juxta,
Cerne, cruentato vulnus sub pectore servat, 825
Tristia defensi ferro monumenta pudoris,
Et patriam laudat miserando in vulnere dextram.
Illa est, quæ Tibrim, quæ fregit Lydia bella,
Nondum passa marem, quales optabat habere
Quondam Roma viros, contemtrix Clœlia sexus.
Cum, subito adspectu turbatus, Scipio poscit,
Quæ pœnæ causa, et qui sint in crimine manes.
Tum virgo: Patrios fregit quæ curribus artus,
Et stetit adductis super ora trementia frenis,
Tullia, non ullos satis exhaustura labores, 835
Ardenti Phlegethonte natat: fornacibus atris
Fons rapidus furit, atque ustas sub gurgite cautes
Egerit, et scopulis pulsat flagrantibus ora
Illa autem, quæ tondetur præcordia rostro
Alitis, (en quantum resonat plangentibus alis 840
Armiger ad pastus rediens Jovis!) hostibus arcem
Virgo (immane nefas) adamato prodidit auro
Tarpeia, et pactis reseravit claustra Sabinis.
Juxta (nonne vides? neque enim leviora domantur
Delicta) illatrat jejunis faucibus Orthrus, 845
Armenti quondam custos immanis Iberi,
Et morsu petit, et polluto eviscerat ungue.
Nec par pœna tamen sceleri: sacraria Vestæ
Polluit, exuta sibi virginitate, sacerdos. 849
Sed satis hæc vidisse, satis: mox deinde videnti
Nunc animas tibi, quæ potant oblivia, paucas
In fine enumerasse paro, et remeare tenebris.
Hic Marius (nec multa dies jam restat ituro
Ætheriam in lucem) veniet tibi origine parva
In longum imperium consul: nec Sulla morari
Jussa potest, aut amne diu potare soporo. 856
Lux vocat, et nulli divûm mutabile fatum.
Imperium hic primus rapiet: sed gloria culpæ,
Quod reddet solus; nec tanto in nomine quisquam
Exsistet. Sullæ qui se velit esse secundum. 860
Ille, hirta cui surrigitur coma fronte, decorum
Et gratum terris Magnus caput: ille deûm gens,
Stelligerum attollens apicem, Trojanus Iulo
Cæsar avo; quantas moles, cum sede reclusa
Hac tandem erumpent, terraque marique move-
Heu miseri, quoties toto pugnabitur orbe! [bunt!
Nec leviora lues, quam victus, crimina victor.
Tum juvenis lacrymans, Restare hæc ordine
Lamentor rebus Latiis. Sed luce remota [duro
Si nulla est venia, et merito mors ipsa laborat,
Perfidiæ Pœnus quibus aut Phlegethontis in undis
Exuret ductor scelus, aut quæ digna renatos
Ales in æternum laniabit morsibus artus?
Ne metue, exclamat vates: non vita sequetur
Inviolata virum: patria non ossa quiescent. 875
Namque ubi, fractus opum, magnæ certamine pug
Pertulerit vinci, turpemque orare salutem, [næ
Rursus bella volet Macetûm instaurare sub armis,
Damnatusque doli, desertis conjuge fida
Et dulci nato, linquet Carthaginis arces, 880
Atque una profugus lustrabit cærula puppe.
Hinc Cilicis Tauri saxosa cacumina viset.
Pro quanto levius mortalibus ægra subire [que,
Servitia, atque hiemes, æstusque, fugamque, fretum-
Atque famem, quam posse mori! post Itala bella
Assyrio famulus regi, falsusque cupiti 886
Ausoniæ motus, dubio petet æquora velo;
Donec, Prusiacas delatus segniter oras,
Altera servitia imbelli patietur in ævo,
Et latebram, munus regni. Perstantibus inde
Æneadis, reddique sibi poscentibus hostem, 891
Pocula furtivo rapiet properata veneno,
Ac tandem terras longa formidine solvet.
Hæc vates, Erebique cavis se reddidit umbris.
Tum lætus socios juvenis portumque revisit. 895

LIBER DECIMUS QUARTUS.

Flectite nunc vestros, Heliconis numina, cantus
Ortygiæ pelagus Siculique ad littoris urbes.
Muneris hic vestri labor est; modo Daunia regna
Æneadûm, modo Sicanios accedere portus,
Aut Macetûm lustrare domos et Achaia rura, 5
Aut vaga Sardoo vestigia tingere fluctu,
Vel Tyriæ quondam regnata mapalia genti,
Extremumve diem et terrarum invisere metas.
Sic poscit sparsis Mavors agitatus in oris. [mur.
Ergo age, qua litui, qua ducunt bella, sequa-
Ausoniæ pars magna jacet Trinacria tellus, 11
Ut semel expugnante Noto et vastantibus undis
Accepit freta, cæruleo propulsa tridente.
Namque per occultum cæca vi turbinis olim
Impactum pelagus laceratæ viscera terræ 15
Discidit, et, medio perrumpens arva profundo,
Cum populis pariter convulsas transtulit urbes.
Ex illo, servans rapidus divortia, Nereus
Sævo dividuos conjungi pernegat æstu.
Sed spatium, quod dissociat consortia terræ, 20
Latratus fama est (sic arcta intervenit unda)
Et matutinos volucrum transmittere cantus.
Multa solo virtus: jam reddere fœnus aratris,
Jam montes umbrare olea, dare nomina Baccho
Cornipedemque citum lituis generasse ferendis,
Nectare Cecropias Hyblæo accedere ceras. 26
Hic et Pæonios arcano sulfure fontes,
Hic Phœbo digna et Musis venerabere vatum
Ora excellentum, sacras qui carmine sylvas,
Quique Syracosia resonant Helicona Camœna. 30
Promtæ gens linguæ: ast eadem, cum bella cieret
Portus æquoreis sueta insignire tropæis. [na,
Post dirum Antiphatæ sceptrum et Cyclopia reg
Vomere verterunt primum nova rura Sicani.
Pyrene misit populos, qui nomen ab amne 35
Adscitum patrio terræ imposuere vacanti.
Mox Ligurum pubes, Siculo ductore, novavit
Possessis bello mutata vocabula regnis.
Nec Cres dedecori fuit accola· duxerat actos
Mœnibus e centum non fausta ad prœlia Minos

Dædaleam repetens pœnam: qui fraude nefanda
Postquam perpetuas judex concessit ad umbras
Cocalidûm insidiis, fesso Minoia turba 43
Bellandi studio Siculis subsedit in oris.
Miscuerunt Phrygiam prolem Trojanus Acestes,
Trojanusque Helymus, structis qui, pube secuta,
In longum ex sese donarunt nomina muris.
Nec Zanclæa gerunt obscuram mœnia famam,
Dextera quam tribuit posito Saturnia telo.
Sed decus Ennæis haud ullum pulchrius oris, 50
Quam quæ Sisyphio fundavit nomen ab Isthmo,
Et multum ante alias Ephyræis fulget alumnis.
Hic Arethusa suum piscoso fonte receptat
Alpheon, sacræ portantem signa coronæ.
At non æquus amat Trinacria Mulciber antra. 55
Nam Lipare, vastis subter depasta caminis,
Sulfureum vomit exeso de vertice fumum.
Ast Ætna eructat tremefactis cautibus ignis
Inclusi gemitus, pelagique imitata furorem
Murmure per cæcos tonat irrequieta fragores 60
Nocte dieque simul: fonte e Phlegethontis ut atro
Flammarum exundat torrens, piceaque procella
Semiambusta rotat liquefactis saxa cavernis.
Sed quanquam largo flammarum exæstuet intus
Turbine, et assidue subnascens profluat ignis, 65
Summo cana jugo cohibet (mirabile dictu)
Vicinam flammis glaciem, æternoque rigore
Ardentes horrent scopuli: stat vertice celsi
Collis hiems, calidaque nivem tegit atra favilla.
Quid referam Æolio regnatas nomine terras, 70
Ventorumque domos, atque addita claustra procellis?
Hic versi penitus Pelopea ad regna Pachyni
Pulsata Ionio respondent saxa profundo:
Hic, contra Libyamque situm Corosque furentes,
Cernit devexas Lilybæon nobile Chelas: 75
At, qua diversi lateris frons tertia terris
Vergit in Italiam prolato ad littora dorso,
Celsus arenosa tollit se mole Pelorus.
His longo mitis placide dominator in ævo
Præfuerat terris Hieron, tractare sereno 80
Imperio vulgum pollens, et pectora nullo
Parentum exagitare metu; pactamque per aras
Haud facilis temerare fidem, socialia jura
Ausoniis multos servarat casta per annos.
Verum, ubi fata virum fragili solvere senecta, 85
Primævo cessit sceptrum exitiale nepoti,
Et placida indomitos accepit regia mores.
Namque bis octonis nondum rex præditus annis
Caligare alto in solio, nec pondera regni
Posse pati, et nimium fluxis confidere rebus. 90
Jamque brevi nullum, delicta tuentibus armis,
Fas notum, ignotumque nefas: vilissima regi
Cura pudor. Tum præcipiti materna furori [bum
Pyrrhus origo dabat stimulos, proavique superÆacidæ genus, atque æternus carmine Achilles.
Ergo ardor subitus Pœnorum incepta fovendi:
Nec sceleri mora; conjungit nova fœdera, pacto
Cederet ut Siculis victor Sidonius oris.
Sed stabant pœnæ, tumulumque negabat Erinnys,
Qua modo pactus erat socium non cernere, terra.
Sævos namque pati fastus, juvenemque cruento
Flagrantem luxu, et miscentem turpia diris,
Haud ultra faciles, quos ira metusque coquebat,
Jurati obtruncant: nec jam modus ensibus; addunt
Fœmineam cædem, atque insontum rapta sororum
Corpora prosternunt ferro. Nova sævit in armis
Libertas, jactatque jugum: pars Punica castra.
Pars Italos et nota volunt; nec turba furentum
Defit, quæ neutro sociari fœdere malit.
Tali Trinacriæ motu, rebusque Sicanis 110
Exitio regis trepidis, sublimis honore
(Tertia nam Latios renovarat purpura fasces)
Marcellus classem Zanclæis appulit oris.
Atque ubi cuncta viro, cædesque exposta tyranni,
Ambiguæque hominum mentes; Carthaginis arma
Quos teneant, et quanta, locos; quod vulgus amicum
Duret Trojugenis; quantos Arethusa tumores
Concipiat, perstetque suas non pandere portas;
Incumbit bello, ac totam per proxima raptim
Armorum effundit flammato pectore pestem. 120
Non aliter Boreas, Rhodopes a vertice præceps
Cum sese immisit, decimoque volumine pontum
Expulit in terras, sequitur cum murmure molem
Ejecti maris, et stridentibus affremit alis.
Prima Leontinos vastarunt prœlia campos, 125
Regnatam diro quondam Læstrygone terram.
Instabat ductor, cui tarde vincere Graias
Par erat, ac vinci, turmas: ruit æquore toto,
(Fœmineum credas maribus concurrere vulgum,)
Et Cereri placitos fecundat sanguine campos.
Sternuntur passim, pedibusque evadere letum
Eripuit rapidus Mavors: ut cuique salutem
Promisit fuga, præveniens dux occupat ense.
Ite, gregem metite imbellem, ac succidite ferro,
Clamat, cunctantes urgens umbone catervas. 135
Pigro luctandi studio certamen in umbra
Molle pati docta, et gaudens splendescere olivo,
Stat, mediocre decus vincentum, ignava juventus.
Hæc laus sola datur, si viso vincitis hoste.
Ingruit audito ductore exercitus omnis; 140
Solaque, quod superest, secum certamina morunt,
Quis dextra antistet, spoliisque excellat opimis.
Euboici non, per scopulos illisa Caphareo,
Euripi magis unda furit, pontumve sonantem
Ejicit angusto violentius ore Propontis; 145
Nec fervet majore fretum rapiturque tumultu,
Quod ferit Herculeas extremo sole columnas.
Mite tamen dextræ decus inter prœlia tanta
Enituit fama. Miles Tyrrhenus (Asilo [enta,
Nomen erat) captus quondam ad Trasimena flu-
Servitium facile et dominantis mollia jussa
Expertus Beryæ, patrias remearat ad oras
Sponte faventis heri, repetitisque impiger armis
Tum veteres Siculo casus Mavorte piabat.
Atque is, dum medios inter fera prœlia miscet,
Illatus Beryæ, cui, pacta ad regia misso 156
Pœnorum a populis, sociataque bella gerenti,
Ærato cassis munimine clauserat ora,
Invadit ferro juvenem, trepideque ferentem
Instabiles retro gressus prosternit arena. 160
At miser, audita victoris voce, trementem
Cunctantemque animam Stygia ceu sede reducens,
Cassidis a mento malefidæ vincula rumpit,
Jungebatque preces, atque addere verba parabat.
Sed, subito adspectu et noto conterritus ore, 165
Tyrrhenus ferrumque manu revocavit, et ultro
Talia cum gemitu lacrymis effudit obortis:
Ne, quæso, supplex lucem dubiusque precare:
Fas hostem servare mihi. Multo optimus ille
Militiæ, cui postremum est primumque, tueri
Inter bella fidem. Tu letum evadere nobis 171
Das prior, et servas nondum servatus ab hoste.
Haud equidem indignum memet, quæ tristia vidi,
Abnuerim, dignumque iterum in pejora revolvi,
Si tibi per medios ignes mediosque per enses 175
Non dederit mea dextra viam. Sic fatur, et ultro

Attollit, vitaque exæquat munera vitæ.
At, compos Sicula primum certaminis ora
Cœpti, Marcellus victricia signa, quieto
Agmine progrediens, Ephyræa ad mœnia vertit.
Inde Syracosias castris circumdedit arces. 181
Sed ferri languebat amor: sedare monendo
Pectora cæca virûm, atque iras evellere avebat.
Nec (renuant si forte sibi, et si mitia malle
Credant esse metum) laxis servatur omissa 185
Obsidio claustris: quin contra intentior ipse
Invigilat cautis, frontem imperterritus, armis,
Et struit arcana necopina pericula cura.
Haud secus Eridani stagnis ripave Caystri
Innatat albus olor, pronoque immobile corpus
Dat fluvio, et pedibus tacitas eremigat undas.
Interea, dum incerta labat sententia clausis,
Exciti populi atque urbes socia arma ferebant:
Incumbens Messana freto, minimumque revulsa
Discreta Italia, atque Osco memorabilis ortu: 195
Tum Catane, nimium ardenti vicina Typhoeo,
Et generasse pios quondam celeberrima fratres:
Et cui non licitum fatis Camarina moveri.
Tum quæ nectareis vocat ad certamen Hymetton
Audax Hybla favis, palmisque arbusta Selinus,
Et, justi quondam portus, nunc littore solo 201
Subsidium infidum fugientibus æquora Myle.
Nec non altus Eryx, nec non et vertice celso
Centuripæ, largoque virens Entella Lyæo,
Entella Hectoreo dilectum nomen Acestæ. 205
Non Thapsos, non e tumulis glacialibus Acræ
Defuerunt: Agyrina manus, geminoque Lacone
Tyndaris attollens sese affuit: altor equorum
Mille rapit turmam, atque hinnitibus aera flammat
Pulveream volvens Acragas ad inania nubem.
Ductor Grosphus erat, cujus cælata gerebat 211
Taurum parma trucem, pœnæ monumenta vetus-
Ille, ubi torreret subjectis corpora flammis, [tæ.
Mutabat gemitus mugitibus, actaque veras
Credere erat stabulis armenta effundere voces.
Haud impune quidem: nam diræ conditor artis
Ipse suo moriens immugît flebile tauro. [læsa,
Venit ab amne trahens nomen Gela, venit Ha-
Et qui præsenti domitant perjura Palici
Pectora supplicio, Trojanaque venit Acesta;
Quique per Ætnæos Acis petit æquora fines, 221
Et dulci gratam Nereida perluit unda.
Æmulus ille tuo quondam, Polypheme, calori,
Dum fugit agrestem violenti pectoris iram,
In tenues liquefactus aquas evasit et hostem, 225
Et tibi victricem, Galatea, immiscuit undam.
Nec non qui potant Hypsamque Alabimque sono-
Et perlucentem splendenti gurgite Achaten: [ros,
Qui fontes, vage Chrysa, tuos, et pauperis alvei
Hipparin, ac facilem superari gurgite parco 230
Pantagiam, rapidique colunt vada flava Symæthi.
Littora Thermarum, prisca dotata Camœna,
Armavere suos, qua mergitur Himera ponto
Æolio: nam dividuas se scindit in oras,
Nec minus occasus petit incita, quam petit ortus.
Nebrodes gemini nutrit divortia fontis, 236
Quo mons Sicania non surgit ditior umbræ.
Enna deûm lucis sacras dedit ardua dextras.
Hic specus, ingentem laxans telluris hiatum,
Cæcum iter ad manes tenebroso limite pandit,
Qua novus ignotas Hymenæus venit in oras. 241
Hac Stygius quondam, stimulante Cupidine, rector
Ausus adire diem, mæstoque Acheronte relicto
Egit in illicitas currum per inania terras.
Tum rapta præceps Ennæa virgine flexit 245
Attonitos cœli visu lucemque paventes
In Styga rursus equos, et prædam condidit umbris
Romanos Petræa duces, Romana petivit
Fœdera Callipolis, lapidosique Enguion arvi,
Hadranum, Ergetumque simul, telaque superba
Lanigera Melite, et littus piscosa Calacte, 251
Quæque procelloso Cephalœdias ora profundo
Cæruleis horret campis pascentia cete,
Et qui correptas sorbentem verticis haustu,
Atque iterum e fundo jaculantem ad sidera pup-
Tauromenitana cernunt de sede Charybdin. [pes
Hæc Latium manus et Laurentia signa fovebat.
Cætera Elissæis aderat gens Sicana votis. [tris,
Mille Agathyrna dedit, perflataque Trogilos Aus-
Mille Thoanteæ sedes Phacelina Dianæ. 260
Tergemino venit numero fecunda Panormos,
Seu sylvis sectere feras, seu retibus æquor
Verrere, seu cœlo libeat traxisse volucrem.
Non Herbessos iners, non Naulocha pigra pericli
Sederunt, non frondosis Morgentia campis 265
Abstinuit Marte infido: comitata Menæis
Venit Amastra viris, et parvo nomine Tisse,
Et Netum, et Mutyce, pubesque liquentis Achæti.
Sidonios Drepane, atque undæ clamosus Helorus,
Et mox servili vastata Triocala bello, 270
Sidonios Arbela ferox, et celsus Ietas,
Et bellare Tabas docilis, Cossyraque parva,
Nec major Megara Mute concordibus ausis
Juvere, et strato Gaulum spectabile ponto,
Cum sonat Halcyones cantu, nidosque natantes
Immota gestat sopitis fluctibus unda. 276
Ipsa Syracusæ patulos urbs inclyta muros
Milite collecto variisque impleverat armis.
Ductores facilem impelli lætamque tumultus
Vaniloquo plebem furiabant insuper ore: 280
Nunquam hoste intratos muros, et quatuor arces:
Et Salaminiacis quantam Eoisque tropæis
Ingenio portus urbs invia fecerit umbram:
Spectatum proavis, ter centum ante ora triremes
Unum naufragium, mersasque impune profundo
Clade pharetrigeri subnixas regis Athenas. 286
Flammabant vulgum geniti Carthagine fratres,
Pœni matre genus, sed quos, sub crimine pulsus
Urbe Syracosia, Libycis eduxerat oris
Trinacrius genitor, geminaque a stirpe parentum
Astus miscebant Tyrios levitate Sicana. [visum
Quæ cernens ductor, postquam immedicabile
Seditio, atque ultro bellum surgebat ab hoste,
Testatus divos Siculorum, amnesque, lacusque,
Et fontes, Arethusa, tuos, ad bella vocari 295
Invitum; quæ sponte diu non sumserit, hostem
Induere arma sibi; telorum turbine vasto
Aggreditur muros, atque armis intonat urbi.
Par omnes simul ira rapit; certantque, ruuntque.
Turris, multiplici surgens ad sidera tecto, 300
Exibat, tabulata decem cui crescere Graius
Fecerat, et multas nemorum consumserat umbras.
Armatam hinc igni pinum et devolvere saxa
Certabant, calidæque picis diffundere pestem.
Huic procul ardentem jaculatus lampada Cimber
Conjicit, et lateri telum exitiabile figit. 306
Pascitur adjutus Vulcanus turbine venti,
Gliscentemque trahens turris per viscera labem
Perque altam molem et toties crescentia tecta
Scandit ovans, rapidisque vorat crepitantia flam-
Robora, et, ingenti simul exundante vapore [mis
Ad cœlum, victor nitentia culmina lambit.
Implentur fumo et nebula caliginis atræ:
Nec cuiquam evasisse datur: ceu fulminis ictu
Correptæ rapido in cineres abiere ruinæ. 315

Par contra pelago miseris fortuna carinis.
Namque ubi se propius tectis urbique tulere,
Qua portus muris pacatas applicat undas,
Improvisa novo pestis conterruit astu.
Trabs trabe juncta teres, derasis undique nodis,
Navali similis malo, præfixa gerebat 321
Uncæ tela manus : ea celso ex aggere muri
Bellantes curvi rapiebat in aera ferri
Unguibus, et mediam revocata ferebat in urbem.
Nec solos vis illa viros, quin sæpe triremem 325
Belligeræ rapuere trabes, cum desuper actum
Incuterent puppi chalybem morsusque tenaces;
Qui, simul affixo vicina in robora ferro
Sustulerant sublime ratem, (miserabile visu,)
Per subitum rursus laxatis arte catenis 330
Tanta præcipitem reddebant mole profundo,
Ut totam haurirent undæ cum milite puppim.
His super insidiis angusta foramina murus
Arte cavata dabat, per quæ confundere tela
Tutum erat, opposito mittentibus aggere valli.
Nec sine fraude labos, arcta ne rursus eodem 336
Spicula ab hoste via vicibus contorta redirent.
Calliditas Graia, atque astus pollentior armis
Marcellum tantasque minas terraque marique
Arcebat, stabatque ingens ad mœnia bellum. 340
Vir fuit, Isthmiacis decus immortale colonis,
Ingenio facile ante alios telluris alumnos,
Nudus opum; sed cui cœlum terræque paterent.
Ille novus pluvias Titan ut proderet ortu
Fuscatis tristis radiis; ille, hæreat anne 345
Pendeat instabilis tellus; cur fœdere certo
Hunc affusa globum Tethys circumliget undis,
Noverat, atque una pelagi lunæque labores,
Et pater Oceanus qua lege refunderet æstus.
Non illum mundi numerasse capacis arenas 350
Vana fides : puppes etiam constructaque saxa
Fœminea traxisse ferunt contra ardua dextra.
Hic dum Italum ductorem astu Teucrosque fati-
Annabat centum late Sidonia velis [gat,
Classis subsidio, et scindebat cærula rostris. 355
Erigitur subitas in spes Arethusia proles,
Adjungitque suas portu progressa carinas.
Nec contra Ausonius tonsis aptare lacertos
Addubitat, mersisque celer fodit æquora remis.
Verberibus torsere fretum : salis icta frequenti
Albescit pulsu facies, perque æquora late 361
Spumat canenti sulcatus gurgite limes.
Insultant pariter pelago, ac Neptunia regna
Tempestate nova trepidant : tum vocibus æquor
Personat, et clamat scopulis clamoris imago. 365
Ac jam diffusus vacua bellator in unda
Cornibus ambierat patulos ad prœlia fluctus,
Navali claudens humentem indagine campum.
At simili curvata sinu diversa ruebat
Classis, et arctabat lunato cærula gyro. 370
Nec mora : terrificis sævæ stridoribus æris,
Per vacuum late cantu resonante profundum,
Increpuere tubæ, quîs excitus æquore Triton
Expavit tortæ certantia murmura conchæ.
Vix meminere maris; tam vasto ad prœlia nisu
Incumbunt proni, positisque in margine puppis
Extremæ plantis nutantes spicula torquent.
Sternitur effusis pelagi media area telis,
Celsaque anhelatis exsurgens ictibus alnus
Cærula nigranti findit spumantia sulco. 380
Ast aliæ latere atque incussi roboris ictu
Detergent remos : aliæ per viscera pinus
Transmissis ipso retinentur vulnere rostris,
Quo retinent. Medias inter sublimior ibat
Terribilis visu puppis, qua nulla per omne 385
Egressa est Libycis major navalibus ævum.
Nam quater hæc centum numeroso remige pontum
Pulsabat tonsis : veloque superba capaci
Cum rapidum hauriret Borean, et cornibus omnes
Colligeret flatus, lento se robore agebat, 390
Intraret fluctus solis ceu pulsa lacertis.
Procurrunt levitate agili, docilesque regentis
Audivisse manum, Latio cum milite puppes.
Has ut per lævum venientes æquor Himilco
In latus obliquas jussamque incurrere proram 395
Conspexit, propere divis in vota vocatis
Æquoris, intento volucrem de more sagittam
Adsignat nervo; utque oculis libravit in hostem,
Et calamo monstravit iter, diversa relaxans
Brachia, deduxit vultu comitante per auras 400
In vulnus telum, ac residentis puppe magistri
Affixit plectro dextram : nec deinde regenda
Puppe manus valuit, flectenti immortua clavo.
Dumque ad opem accurrit, ceu capta, navita, puppe,
Ecce iterum fatoque pari nervoque sagitta, 405
In medium perlapsa globum, transverberat ictu
Orba gubernacli subeuntem munera Taurum.
Irrumpit Cumana ratis, quam Corbulo ductor
Lectaque complebat Stabiarum littore pubes.
Numen erat celsæ puppis vicina Dione. 410
Sed superingestis propior quæ subdita telis
Bella capessebat, media subsedit in unda,
Divisitque fretum : clamantum spumeus ora
Nereus implet aquis, palmæque, trahente profundo,
Luctantum frustra summis in fluctibus exstant.
Hic audax ira magno per cærula saltu 416
Corbulo transgressus, (nam textam robore turrim
Appulerant nexæ ferri compage triremes,)
Evadit tabulata super, flammaque comantem
Multifida pinum celso de culmine quassat. 420
Inde atros alacer pastosque bitumine torquet,
Amentante Noto, Pœnorum aplustribus ignes.
Intrat diffusos pestis Vulcania passim,
Atque implet dispersa foros : trepidatur omisso
Summis remigio; sed enim tam rebus in arctis 425
Fama mali nondum tanti penetrarat ad imos.
At rapidus fervor, per pingues unguine tædas
Illapsus, flammis victricibus insonat alveo. [pas,
Qua nondum tamen intulerat vim Dardana lam-
Parcebatque vapor, saxorum grandine dirus 430
Arcebat, fatumque ratis retinebat Himilco.
Hic miser, igniferam dum ventilat aere pinum,
Murali saxo per lubrica sanguine transtra
Volvitur in fluctus, Lychæi vulnere, Cydnus.
Fax nidore gravi fœdavit cominus auras, 435
Ambusto instridens pelago. Ferus inde citatum
Missile adorata contorquet Sabratha puppe :
Hammon numen erat Libycæ gentile carinæ,
Cornigeraque sedens spectabat cærula fronte. 439
Fer, pater, afflictis, fer, ait, Garamantice vates,
Rebus opem, inque Italos da certa effundere tela.
Has inter voces tremulo venit agmine cornus,
Et Neptunicolæ transverberat ora Telonis.
Urgebant nihilo levius, jam in limine mortis 444
Quos fuga præcipites partem glomerarat in unam
Puppis, adhuc vacuam tædæ; sed, proxima cursu
Fulmineo populatus, inevitabilis ardor
Correptam flammis involvit ovantibus alnum.
Primus, ope æquorei funis delapsus in undas,
Qua nondum Stygios glomerabat Mulciber æstus,
Ambustus sociûm remis aufertur Himilco. 451
Proxima nudarunt miserandi fata Batonis
Desertam ductore ratem : bonus ille per artem
Crudo luctari pelago, atque exire procellas.

Idem, quid Boreas, quid vellet crastinus Auster,
Anteibat: nec pervigilem tu fallere vultum 456
Obscuro quamvis cursu, Cynosura, valeres. [trum,
Is, postquam adversis nullus modus, Accipe nos-
Hammon, sanguinem, ait, spectator cladis iniquæ.
Atque, acto in pectus gladio, dextra inde cruorem
Excipit, et large sacra inter cornua fundit. 461
Hos inter Daphnis, deductum ab origine nomen
Antiqua, fuit infelix, cui linquere saltus,
Et mutare casas infido marmore visum.
At princeps generis quanto majora paravit 465
Inter pastores sibi nomina! Daphnin amarunt
Sicelides Musæ: dexter donavit avena
Phœbus Castalia, et jussit, projectus in herba
Si quando caneret, lætos per prata, per arva
Ad Daphnin properare greges, rivosque silere. 470
Ille ubi septena modulatus arundine carmen
Mulcebat sylvas, non unquam tempore eodem
Siren adsuetos effudit in æquore cantus:
Scyllæi tacuere canes: stetit atra Charybdis:
Et lætus scopulis audivit sibila Cyclops. 475
Progeniem hauserunt et nomen amabile flammæ.
Innatat ecce super transtris fumantibus asper
Ornytos, ac longam sibimet facit æquore mortem.
Qualis Oiliades, fulmen jaculante Minerva,
Surgentes domuit fluctus ardentibus ulnis. 480
Transigitur valida medius, dum se allevat, alni
Cuspide Marmarides Scyron: pars subnatat unda
Membrorum, pars exstat aquis, totumque per æquor
Portatur rigido (miserandum) immortua ferro.
Accelerant puppes utrinque, atque ora ruentum
Sanguinei feriunt remorum adspergine rores. 486
Ipse adeo senis ductor Rhœteius ibat
Pulsibus, et valido superabat remige ventos.
Quam rapidis puppim manibus frenare Lilæus
Dum tentat, sæva truncatur membra bipenni, 490
Ac fert hærentes trabibus ratis incita palmas.
Sicania Æoliden portabant transtra Podætum.
Hic, ævo quanquam nondum excessisset ephebos,
Seu lævi traxere dei, seu fervida corda,
Nec sat maturus laudum bellique cupido, 495
Arma puer niveis aptarat picta lacertis,
Et freta gaudebat celsa turbare Chimæra.
Jamque super Rutula, super et Garamantide pinu
Ibat ovans, melior remo meliorque sagitta: 499
Et jam turrigerum demerserat æquore Nessum:
(Heu puero malesuada rudi nova gloria pugnæ!)
Dum cristam galeæ trucis exuviasque precatur
De duce Marcello superos temerarius, hasta
Excepit raptim vulnus letale remissa.
Pro qualis! seu splendentem sub sidera nisu 505
Exigeret discum, jaculo seu nubila supra
Surgeret, aligeras ferret seu pulvere plantas
Vix tacto, vel dimensi spatia improba campi
Transiret velox saltu, decuere labores.
Sat prorsus, sat erat decoris discrimine tuto, 510
Sat laudis: cur fata, puer, majora petebas?
Illum, ubi labentem pepulerunt tela sub undas,
Ossa Syracosio fraudatum naufraga busto,
Fleverunt freta, fleverunt Cyclopia saxa,
Et Cyane, et Anapus, et Ortygie Arethusa. 515
Parte alia Perseus, (puppim hanc Tiberinus age-
Quaque vehebatur Crantor Sidonius, Io [bat,)
Concurrunt: injecta ligant hinc vincula ferri
Atque illinc, steteruntque rates ad prœlia nexæ.
Nec jaculo aut longe certatur arundine fusa: 520
Cominus, et gladio terrestria prœlia miscent.
Perrumpunt Itali, qua cædes prima reclusit
Monstravitque viam. Vastas hic mole catenas
Hortatur socios et vincla abrumpere ferri,
Ac parat hostili resoluta puppe receptos 525
Avehere, et paribus pelago diducere ab armis.
Ætnæo Polyphemus erat nutritus in antro,
Atque inde antiquæ nomen feritatis amabat.
Ubera præbuerat parvo lupa: corporis alti
Terribilis moles, mens aspera, vultus in ira 530
Semper, et ad cædes Cyclopia corde libido.
Isque relaxatis membrorum pondere vinclis
Impulerat puppim, et mergebat gurgite tonsas,
Duxissetque ratem, pressa Laronius hasta
Ni propere duro nitentem exsurgere velox 535
Affixet transtro: vix morte incepta remittit; [tus,
Namque manus servat dum suetos languida duc-
Ignavum summa attraxit super æquora remum.
Perculsi cuneo Pœni densantur in unum, [tus,
Quod caret hoste, latus; subito cum pondere vic-
Insiliente mari, submergitur alveus undis. 541
Scuta virûm, cristæque, et inerti spicula ferro,
Tutelæque deûm fluitant. Hic robore fracto
Pugnat inops chalybis, seseque in prœlia rursus
Armat naufragio: remis male fervidus ille 545
Festinat spoliare ratem, discrimine nullo
Nautarum interdum convulsa sedilia torquens.
Non plectro ratis, aut frangendæ in vulnera proræ
Parcitur, et pelago repetuntur nantia tela.
Vulneribus patulis intrat mare: mox sua ponto
Singultante anima propulsa refunditur unda. 551
Nec desunt, qui correptos amplexibus arctis
Immergant pelago, et, jaculis cessantibus, hostem
Morte sua perimant: remeantum gurgite mentes
Crudescunt, ac pro ferro stat fluctibus uti. 555
Haurit sanguineus contorta cadavera vortex.
Hinc clamor, gemitus illinc, mortesque, fugæque,
Remorumque fragor, flictuque sonantia rostra.
Perfusum bello fervet mare. Fessus acerbis
Terga fuga celeri Libyæ convertit ad oras 560
Exigua sese furatus Himilco carina.
Concessere mari tandem Graiusque Libysque:
Et jam captivæ vinclis ad littora longo
Ordine ducuntur puppes: flagrantibus alto
Stant aliæ tædis: splendet lucente profundo 565
Mulciber, et tremula vibratur imagine pontus.
Ardet nota fretis Cyane, pennataque Siren,
Ardet et Europe, nivei sub imagine tauri
Vecta Jovi, ac prenso transmittens æquora cornu.
Et quæ, fusa comas, curvum per cærula piscem
Nereis humenti moderatur roscida freno. 571
Uritur undivagus Python, et corniger Hammon,
Et, quæ Sidonios vultus portabat Elissæ,
Bis ternis ratis ordinibus grassata per undas.
At vinclis trahitur cognata in littora Anapus, 575
Gorgoneasque ferens ad sidera Pegasus alas.
Ducitur et Libyæ puppis signata figuram,
Et Triton captivus, et ardua rupibus Ætne,
Spirantis rogus Enceladi, Cadmeaque Sidon. [muros
Nec mora, quin trepidos hac clade irrumpere
Signaque ferre deûm templis jam jamque fuisset,
Ni subito importuna lues inimicaque pestis,
Invidia divûm pelagique labore parata,
Polluto miseris rapuisset gaudia cœlo.
Criniger æstiferis Titan fervoribus auras,
Et patulam Cyanen lateque palustribus undis 586
Stagnantem Stygio Cocyti opplevit odore,
Temporaque autumni lætis florentia donis
Fœdavit, rapidoque accendit fulminis igni.
Fumabat crassus nebulis caliginis aer: 590
Squalebat tellus vitiato fervida dorso, [bras
Nec victum dabat, aut ullas languentibus um
Atque ater picea vapor exspirabat in æthra

Vim primi sensere canes: mox nubibus atris
Fluxit deficiens penna labente volucris: 595
Inde feræ sylvis sterni: tum serpere labes
Tartarea, atque haustis populari castra maniplis.
Arebat lingua, et gelidus per viscera sudor
Corpore manabat tremulo: descendere fauces
Abnuerant siccæ jussorum alimenta ciborum. 600
Aspera pulmonem tussis quatit, et per anhela
Igneus efflatur sitientum spiritus ora.
Lumina, ferre gravem vix sufficientia lucem,
Unca nare jacent, saniesque immixta cruore
Exspuitur, membrisque cutis tegit ossa peresis.
Heu dolor! insignis notis bellator in armis 606
Ignavo rapitur leto: jactantur in ignem
Dona superba virûm, multo Mavorte parata.
Succubuit medicina malis: cumulantur acervo
Labentum, et magno cineres sese aggere tollunt.
Passim etiam deserta jacent inhumataque late
Corpora, pestiferos tetigisse timentibus artus.
Serpit pascendo crescens Acherusia pestis,
Nec leviore quatit Trinacria mœnia luctu,
Pœnorumque parem castris fert atra laborem. 615
Æquato par exitio, et communis ubique
Ira deûm, atque eadem leti versatur imago.
Nulla tamen Latios fregit vis dura malorum,
Incolumi ductore, viros, clademque rependit
Unum inter strages tutum caput. Ut gravis ergo
Primum letiferos repressit Sirius æstus, 621
Et minuere avidæ mortis contagia pestes;
Ceu, sidente Noto cum se maria alta reponunt,
Propulsa invadit piscator cærula cymba;
Sic tandem ereptam morbis grassantibus armat
Marcellus pubem, lustratis rite maniplis. 626
Circumstant alacres signa, auditisque tubarum
Respirant læti clangoribus: itur in hostem;
Et, si fata ferant, juvat inter prœlia ferro
Posse mori: sociûm miseret, qui sorte pudenda
In morem pecudum effudere cubilibus atris 631
Illaudatam animam: tumulos inhonoraque busta
Respiciunt, et vel nullo jacuisse sepulcro,
Quam debellari morbis, placet. Ardua primus
Ad muros dux signa rapit: tenuata jacendo 635
Et macie galeis abscondunt ora, malusque,
Ne sit spes hosti, velatur casside pallor.
Infundunt rapidum convulsis mœnibus agmen,
Condensique ruunt: tot bellis invia tecta,
Totque uno introitu capiuntur militis arces. 640
Totum, qua vehitur Titan, non ulla per orbem
Tum sese Isthmiacis æquassent oppida tectis.
Tot delubra deûm, totque intra mœnia portus,
Adde fora, et celsis suggesta theatra columnis,
Certantesque mari moles, adde ordine longo 645
Innumeras spatioque domos, æquare superba
Rura: quid inclusos porrecto limite longis
Porticibus, sacros juvenum certamine lucos?
Quid tot captivis fulgentia culmina rostris? 649
Armaque fixa deis, aut quæ Marathonius hostis
Perdidit, aut Libya quæ sunt advecta subacta?
Hic Agathocleis sedes ornata tropæis:
Hic mites Hieronis opes: hic sancta vetustas
Artificum manibus: non usquam clarior illo
Gloria picturæ sæclo: non æra juvabat 655
Quæsisse ex Ephyre: fulvo haud certaverit auro
Vestis, spirantes referens subtemine vultus,
Quæ radio cælat Babylon, vel murice picto
Læta Tyros, quæque Attalicis variata per artem
Aulæis scribuntur acu, aut Memphitide tela. 660
Jam simul argento fulgentia pocula, mixta
Quîs gemma quæsitus honos, simulacra deorum,
Numen ab arte datum servantia: munera rubri
Præterea ponti, depexaque vellera ramis,
Fœmineus labor. His tectis opibusque potitus 665
Ausonius ductor, postquam sublimis ab alto
Aggere despexit trepidam clangoribus urbem,
Inque suo positum nutu, stent mœnia regum,
An nullos oriens videat lux crastina muros,
Ingemuit nimium juris, tantumque licere 670
Horruit, et propere revocata militis ira,
Jussit stare domos, indulgens templa vetustis
Incolere atque habitare deis: sic parcere victis
Pro præda fuit, et sese contenta, nec ullo
Sanguine pollutis plausit Victoria pennis. 675
Tu quoque ductoris lacrymas, memorande, tulisti
Defensor patriæ: meditantem in pulvere formas
Nec turbatum animi tanta feriente ruina,
Ignarus miles vulgi te sorte peremit.
At reliquum vulgus, resoluta in gaudia mente,
Certarunt victi victoribus. Æmulus ipse 681
Ingenii superûm, servando condidit urbem.
Ergo exstat sæclis, stabitque insigne tropæum,
Et dabit antiquos ductorum noscere mores.
Felices populi! si, quondam ut bella solebant, 685
Nunc quoque inexhaustas pax nostra relinqueret urbes.
At, ni cura viri, qui nunc dedit otia mundo,
Effrenum arceret populandi cuncta furorem,
Nudassent avidæ terrasque fretumque rapinæ.

LIBER DECIMUS QUINTUS.

At nova Romuleum carpebat cura senatum,
Quis trepidas gentes Martemque subiret Iberum
Attritis rebus. Geminus jacet hoste superbo
Scipio, belligeri Mavortia pectora fratres.
Hinc metus, in Tyrias ne jam Tartessia leges 5
Concedat tellus, propioraque bella pavescat.
Anxia turba Patrum quasso medicamina mæsti
Imperio circumspectant, divosque precantur,
Qui laceris ausit ductor succedere castris.
Absterret juvenem, patrios patruique piare 10
Optantem manes, tristi conterrita luctu,
Et reputans annos, cognato sanguine turba.
Si gentem petat infaustam, inter busta suorum
Decertandum hosti, qui fregerit arma duorum,
Qui consulta ducum, ac flagret meliore Gradivo
Nec promtum teneris immania bella lacertis 16
Moliri, regimenque rudi deposcere in ævo.
Has lauri residens juvenis viridante sub umbra
Ædibus extremis volvebat pectore curas:
Cum subito adsistunt, dextra lævaque per auras
Allapsæ, haud paullum mortali major imago. 2
Hinc Virtus, illinc Virtuti inimica Voluptas.
Altera Achæmenium spirabat vertice odorem,
Ambrosias diffusa comas, et veste refulgens,

Ostrum qua fulvo Tyrium suffuderat auro: 25
Fronte decor quæsitus acu, lascivaque crebras
Ancipiti motu jaciebant lumina flammas.
Alterius dispar habitus, frons hirta, nec unquam
Composita mutata coma: stans vultus, et ore
Incessuque viro propior, lætique pudoris, 30
Celsa humeros niveæ fulgebat stamine pallæ.
Occupat inde prior, promissis fisa, Voluptas:
Quis furor hic, non digne puer, consumere bello
Florem ævi? Cannæne tibi, graviorque palude
Mæonius Stygia lacus excessere, Padusque? 35
Quem tandem ad finem bellando fata lacesses?
Tune etiam tentare paras Atlantica regna,
Sidoniasque domos? moneo, certare periclis
Desine, et armisonæ caput objectare procellæ.
Ni fugis hos ritus, Virtus te sæva jubebit 40
Per medias volitare acies, mediosque per ignes.
Hæc patrem patruumque tuos, hæc prodiga Paul-
Hæc Decios Stygias Erebi detrusit ad undas; [lum.
Dum cineri titulum, memorandaque nomina bustis
Prætendit, nec sensuræ, quid gesserit, umbræ. 45
At si me comitere, puer, non tramite duro
Jam tibi decurret concessi temporis ætas. [nos:
Haud unquam trepidos abrumpet buccina som-
Non glaciem Arctoam, non experiere furentis
Ardorem Cancri, nec mensas sæpe cruento 50
Gramine compositas: aberunt sitis aspera, et haustus
Sub galea pulvis, partique timore labores:
Sed current albusque dies, horæque serenæ;
Et molli dabitur victu sperare senectam.
Quantas ipse deus lætos generavit in usus 55
Res homini, plenaque dedit bona gaudia dextra!
Atque idem, exemplar lenis mortalibus ævi,
Imperturbata placidus tenet otia mente. [das
Illa ego sum, Anchisæ Venerem Simoentis ad un-
Quæ junxi, generis vobis unde editus auctor. 60
Illa ego sum, verti superûm quæ sæpe parentem
Nunc avis in formam, nunc torvi in cornua tauri.
Huc adverte aures: currit mortalibus ævum,
Nec nasci bis posse datur: fugit hora, rapitque
Tartareus torrens; ac secum ferre sub umbras, 65
Si qua animo placuere, negat. Quis luce suprema
Dimisisse meas sero non ingemit horas?
Postquam conticuit, finisque est addita dictis,
Tum Virtus: Quasnam juvenem florentibus, inquit,
Pellicis in fraudes annis, vitæque tenebras, 70
Cui ratio et magnæ cœlestia semina mentis
Munere sunt concessa deûm? Mortalibus alti
Quantum cœlicolæ, tantundem animalibus isti
Præcellunt cunctis: tribuit namque ipsa minores
Hos terris Natura deo: sed fœdere certo 75
Degeneres tenebris animas damnavit Avernis.
At, quîs ætherii servatur seminis ortus,
Cœli porta patet. Referam quid cuncta domantem
Amphitryoniaden? quid, cui, post Seras et Indos
Captivo Liber cum signa referret ab Euro, 80
Caucaseæ currum duxere per oppida tigres?
Quid suspiratos magno in discrimine nautis
Ledæos referam fratres, vestrumque Quirinum?
Nonne vides, hominum ut celsos ad sidera vultus
Sustulerit deus, ac sublimia finxerit ora; 85
Cum pecudes, volucrumque genus, formasque ferarum [vum?
Segnem atque obscænam passim stravisset in al-
Ad laudes genitum, capiat si munera divûm [lum
Felix, ad laudes hominum genus. Huc, age, paul-
Adspice, (nec longe repetam,) modo Roma mi-
Impar Fidenæ, contentaque crescere asylo, [nanti
Quo sese extulerit dextris: idem adspice, late
Florentes quondam luxus quas verterit urbes.
Quippe nec ira deûm tantum, nec tela, nec hostes
Quantum sola noces animis illapsa, Voluptas. 95
Ebrietas tibi fida comes, tibi Luxus, et atris
Circa te semper volitans Infamia pennis:
Mecum Honor, ac Laudes, et læto Gloria vultu,
Et Decus, ac niveis Victoria concolor alis.
Me cinctus lauro producit ad astra triumphus.
Casta mihi domus, et celso stant colle penates:
Ardua saxoso perducit semita clivo:
Asper principio (nec enim mihi fallere mos est)
Prosequitur labor: annitendum intrare volenti,
Nec bona censendum, quæ Fors infida dedisse,
Atque eadem rapuisse valet: mox celsus ab alto
Infra te cernes hominum genus. Omnia contra
Experienda manent, quam spondet blanda Volup-
Stramine projectus duro patiere sub astris [tas.
Insomnes noctes, frigusque famemque domabis.
Idem justitiæ cultor, quæcunque capesses, 111
Testes factorum stare arbitrabere divos.
Tunc, quoties patriæ rerumque pericula poscent,
Arma feres primus: primus te in mœnia tolles
Hostica: nec ferro mentem vincere nec auro.
Hinc tibi non Tyrio vitiatas murice vestes, 116
Nec donum deforme viro fragrantis amomi;
Sed dabo, qui vestrum sævo nunc Marte fatigat
Imperium, superare manu, laurumque superbam
In gremio Jovis excisis deponere Pœnis. 120
Quæ postquam cecinit sacrato pectore Virtus,
Exemplis lætum vultuque audita probantem
Convertit juvenem. Sed enim indignata Voluptas
Non tenuit voces: Nil vos jam demoror ultra,
Exclamat: venient, venient mea tempora quon-
Cum docilis nostris magno certamine Roma [dam,
Serviet imperiis, et honos mihi habebitur uni.
Sic quassans caput in nubes se sustulit atras.
At juvenis, plenus monitis, ingentia corde
Molitur, jussæque calet virtutis amore. 130
Ardua rostra petit, nullo fera bella volente,
Et gravia ancipitis deposcit munera Martis.
Arrecti cunctorum animi: pars lumina patris,
Pars credunt torvos patrui revirescere vultus.
Sed quanquam instinctis, tacitus tamen ægra peri-
Pectora subrepit terror, molemque paventes [clis
Expendunt belli, et numerat favor anxius annos.
Dumque ea confuso percenset murmure vulgus,
Ecce, per obliquum cœli squalentibus auro
Effulgens maculis, ferri inter nubila visus 140
Anguis, et ardenti radiare per aera sulco,
Quaque ad cœliferi tendit plaga littus Atlantis,
Perlabi resonante polo: bis terque coruscum
Addidit augurio fulmen pater, et vaga late
Per subitum moto strepuere tonitrua mundo. [tant
Tum vero capere arma jubent, genibusque salu-
Submissi augurium, atque iret, qua ducere divos
Perspicuum, et patrio monstraret semita signo.
Certatim comites rerum bellique ministros
Agglomerant sese, atque acres sociare labores
Exposcunt, laudumque loco est isdem esse sub armis. 151
Tum nova cæruleum descendit classis in æquor.
It comes Ausonia, atque in terras transit Iberas.
Ut, cum sæva fretis immisit prœlia, Corus
Isthmo incurvatas sublime suberigit undas, 155
Et, spumante ruens per saxa gementia fluctu,
Ionium Ægæo miscet mare. Celsus in arma
Emicat, ac prima stans Scipio puppe profatur:
Dive tridentipotens, cujus maria ire per alta
Ordimur, si justa paro, decurrere classi 160
Da, pater, ac nostros ne sperne juvare labores.

Per pontum pia bella veho. Levis inde secunda
Adspirans aura propellit carbasa flatus: [pes
Jamque agiles, Tyrrhena sonant qua cærula, pup-
Ausonium evasere latus, Ligurumque citatis 165
Littora transmittunt proris: hinc gurgite ab alto
Tellurem procul irrumpentem in sidera cernunt,
Aerias Alpes. Occurrunt mœnia Graiis
Condita Massiliæ: populis hæc cincta superbis,
Barbarus immani cum territet accola ritu, 170
Antiquæ morem patriæ cultumque habitumque
Phocais armiferas inter tenet hospita gentes.
Hinc legit Ausonius sinuatos gurgite ductor
Anfractus pelagi: nemoroso vertice celsus
Apparet collis, fugiuntque in nubila sylvæ 175
Pyrenes: tunc Emporiæ, veteresque per ortus
Graiorum vulgus, tunc hospita Tarraco Baccho.
Considunt portu: securæ gurgite clauso [di.
Stant puppes, positusque labor terrorque profun-
Nox similes morti dederat placidissima somnos:
Visa viro stare effigies ante ora parentis, 181
Atque hac adspectu turbatum voce monere:
Nate, salus quondam genitoris, nate, parentis
Et post fata decus, bellorum dira creatrix
Evastanda tibi tellus, et cæde superbi 185
Ductores Libyæ cauta virtute domandi,
Qui sua nunc trinis diducunt agmina castris.
Si conferre manum libeat, coeantque vocatæ
Hinc atque hinc acies, valeat quis ferre ruentes
Tergemina cum mole viros? absiste labore 190
Ancipiti, sed nec segnis potiora capesse.
Urbs colitur, Teucro quondam fundata vetusto,
Nomine Carthago: Tyrius tenet incola muros.
Ut Libyæ sua, sic terris memorabile Iberis
Hæc caput est: non ulla opibus certaverit auri,
Non portu, celsove situ, non dotibus arvi 196
Uberis, aut agili fabricanda ad tela vigore.
Invade aversis, nate, hanc ductoribus urbem.
Nulla acies famæ tantum prædæve pararit.
Talia monstrabat genitor, propiusque monebat;
Cum juvenem sopor et dilapsa reliquit imago.
Surgit, et infernis habitantia numina lucis
Ac supplex patrios compellat nomine manes.
Este duces bello, et monstratam ducite ad urbem:
Vobis ultor ego, et Sarrano murice fulgens 205
Inferias mittam fusis insignis Iberis,
Et tumulis addam sacros certamine ludos.
Progreditur, celeratque vias, et corripit agmen
Pernici rapidum cursu, camposque fatigat.
Sic, ubi prosiluit Pisæo carcere præceps, 210
Non solum ante alios, sed enim (mirabile dictu)
Ante suos it victor equus; currumque per auras
Haud ulli durant visus æquare volantem.
Jamque Hyperionia lux septima lampade surgens
Sensim attollebat propius subeuntibus arces 215
Urbis, et admoto crescebant culmina gressu.
Ac pelago vectus servata Lælius hora,
Quam dederat ductor subigendæ ad mœnia classi,
A tergo affusis cingebat tecta carinis.
Carthago, impenso naturæ adjuta favore, 220
Excelsos tollit pelago circumflua muros.
Arctatas ponti fauces modica insula claudit,
Qua Titan ortu terras adspergit Eoo.
At qua prospectat Phœbi juga sera cadentis,
Pigram in planitiem stagnantes egerit undas,
Quas auget veniens, refluusque reciprocat æstus.
Sed gelidas a fronte sedet sublimis ad Arctos
Urbs imposta jugo, pronumque excurrit in æquor,
Et tuta alterno defendit mœnia fluctu.
Audax, ceu plano gradiens victricia campo 230
Ferret signa, jugum certabat scandere miles.
Aris ductor erat: qui, cuncta amplexus in arctis
Auxilia, excelsam sociis præsepserat arcem.
Pugnabat natura soli, parvoque superne
Bellantum nisu passim per prona voluti 235
Truncato instabiles fundebant corpore vitam.
Verum ubi concessit pelagi revolubilis unda,
Et fluctus rapido fugiebat in æquora lapsu,
Quaque modo excelsæ sulcarant cærula puppes
Hac impune dabat Nereus transcurrere planta;
Hinc tacite nitens informidatus adire 241
Ductor Dardanius, subitam trahit æquore pubem
Perque undas muris pedes advolat: inde citati
A tergo accelerant, qua fisus fluctibus Aris
Incustoditam sine milite liquerat urbem. 245
Tum prostratus humi (miserandum) victa catenis
Pœnus colla dedit, populumque addixit inermem.
Hanc oriens vidit Titan, cum surgeret, urbem
Vallari castris, captamque adspexit eandem
Ocius, Hesperio quam gurgite tingeret axem. 250
Aurora ingrediens terris exegerat umbras:
Principio statuunt aras: cadit ardua taurus
Victima Neptuno pariter, pariterque Tonanti.
Tum merita æquantur donis, ac præmia virtus
Sanguine parta capit: phaleris hic pectora fulget,
Hic torque aurato circumdat bellica colla, 256
Ille nitet celsus muralis honore coronæ.
Lælius ante omnes, cui dextera clara domusque,
Ter dena bove et æquorei certaminis alto
Donatur titulo, Pœnique recentibus armis 260
Rectoris. Tunc hasta viris, tunc Martia cuique
Vexilla, ut meritum, et prædæ libamina dantur.
Postquam perfectæ laudes hominumque deûmque,
Captivæ spectantur opes, digestaque præda.
Hoc aurum Patribus, bello hæc Martique talenta,
Hoc regum donis, divûm hoc ante omnia templis:
Cætera bellantum dextræ pulchroque labori.
Quin etiam accitus populi regnator Iberi,
Cui sponsa, et sponsæ defixus in ossibus ardor;
Hanc notam formæ concessit lætus ovansque 270
Indelibata gaudenti virgine donum.
Tum vacui curis vicino littore mensas
Instituunt, festoque agitant convivia ludo.
Lælius affatur: Macte, o venerande, pudici,
Ductor, macte animi: cedat tibi gloria lausque
Magnorum heroum, celebrataque carmine virtus.
Mille Mycenæus qui traxit in æquora proras
Rector, et Inachiis qui Thessala miscuit arma,
Fœmineo socium violarunt fœdus amore:
Nullaque tum Phrygio steterunt tentoria campo
Captivis non plena toris: tibi barbara soli 281
Sanctius Iliaca servata est Phœbade virgo.
Hæc atque his paria alterno sermone serebant,
Donec Nox atro circumdata corpus amictu
Nigrantes invexit equos, suasitque quietem. 285
Emathio interea tellus Ætola tumultu
Fervebat, Macetûm subitis perculsa carinis.
Proximus hinc hosti dextras jungebat Acarnan.
Causa novi motus, Pœnis regique Philippo
In bellum Ausonium sociatæ fœdere vires. 290
Hic gente egregius, veterisque ab origine regni
Æacidûm sceptris proavoque tumebat Achille.
Ille et nocturnis conterruit Oricon armis,
Quaque per Illyricum Taulantius incola littus
Exiguos habitat non ullo nomine muros, 295
Turbidus incessit telis: ille æquore vectus,
Nunc et Phæacum Thesprotiaque arva lacessens
Epirum cassis lustrabat futilis ausis;
Nunc et Anactoria signa ostentavit in ora,
Ambraciosque sinus Pellæaque littora bello 300
Perfudit rapido: pepulit vada fervida remis

Leucatæ, et Phœbi vidit citus Actia templa.
Nec portus Ithacæ, Laertia regna, Samenque
Liquit inaccessam, fluctuque sonantia cano
Saxa Cephallenum, et scopulosis Neriton arvis.
Ille etiam, Pelopis sedes et Achaia adire 306
Mœnia prægaudens, tristem Calydona Dianæ,
Œneasque domos, Curetica tecta, subibat,
Promittens contra Hesperiam sua prœlia Graiis.
Tum lustrata Ephyre, Patræque, et regia Pleuron,
Parnassusque biceps, Phœboque loquentia saxa.
Ac, sæpe ad patrios bello revocante penates,
Cum modo Sarmaticus regna infestaret Orestes,
Aspera nunc Dolopum vis exundasset in agros,
Incepto tamen haud facilis desistere vano, 315
Belli per Graias umbram circumtulit oras;
Donec, nunc pelago, nunc terra exutus, omisit
Spem positam in Tyriis, et supplex fœdera sanxit
Dardana, nec legem regno accepisse refugit.
Tunc et Tyndarii Latias fortuna Tarenti 320
Auxit opes laudemque simul: nam perfida tandem
Urbs Fabio devicta seni, postremus in armis
Ductoris titulus cauti: sollertia tutum [muris.
Tum quoque adepta decus, captis sine sanguine
Namque ut compertum, qui Punica signa regebat,
Fœminea exuri flamma, tacitusque quietæ 326
Exin virtuti placuit dolus; ire sorori,
(Nam castris erat in Rutulis,) germanus amatæ
Cogitur, et magnis muliebria vincere corda
Pollicitis, si reclusas transmittere portas 330
Concedat Libycus rector; votique potitus
Evicto Fabius Pœno circumdata telis
Incustodita penetravit mœnia nocte. [urbe
Sed quisnam aversos Phœbum tunc jungere ab
Romulea dubitaret equos, qui tempore eodem 335
Marcellum acciperet letum oppetiisse sub armis?
Moles illa viri, calidoque habitata Gradivo [clis,
Pectora, et haud ullis unquam tremefacta peri-
(Heu quanta Hannibalem clarum factura ruina!)
Procubuere: jacet campis Carthaginis horror, 340
Forsan Scipiadæ confecti nomina belli
Rapturus, si quis paullum deus adderet ævo.
Collis Agenoreum dirimebat ab aggere vallum
Ausonio: (Dauni Mavors consederat arvis:)
Curarum comes et summi Crispinus honoris 345
Marcello socius communia bella ciebat.
Ad quem Marcellus: Gestit lustrare propinquas
Mens sylvas, medioque viros imponere monti,
Ne Libys occultis tumulum prior occupet ausis.
Si cordi est, te participem, Crispine, laboris 350
Esse velim: nunquam desunt consulta duobus.
Hæc ubi sedere, ardentes attollere sese
Jamdudum certant in equos. Marcellus, ut arma
Aptantem natum adspexit, lætumque tumultu,
Vincis, ait, nostros mirando ardore vigores. 355
Sit præmaturus felix labor. Urbe Sicana
Qualem te vidi, nondum permitteret ætas
Cum tibi bella, meo tractantem prœlia vultu!
Huc, decus, huc, nostrum, lateri te junge paterno,
Et me disce novum Martem tentare magistro. 360
Tum, pueri colla amplectens, sic pauca precatur:
Summe deûm, Libyco faxis de præside nunc his,
His humeris tibi opima feram. Nec plura, sereno
Sanguineos fudit cum Jupiter æthere rores,
Atque atris arma adspersit non prospera guttis. 365
Vixdum finitis intrarant vocibus arctas
Letiferi collis fauces; cum turba volucris
Invadunt Nomades jaculis, nimboque feruntur
Ætherio similes, cæca fundente latebra
Armatos in bella globos. Circumdata postquam
Nil restare videt virtus, quod debeat ultra 371
Jam superis, magnum secum portare sub umbras
Nomen mortis avet: tortæ nunc eminus hastæ
Altius insurgit, nunc sævit cominus ense.
Forsan et enasset rapidi freta sæva pericli, 375
Ni telum adversos nati venisset in artus.
Tum patriæ tremuere manus, laxataque luctu
Fluxerunt rigidis arma infelicia palmis.
Obvia nudatum transmittit lancea pectus,
Labensque impresso signavit gramina mento. 380
At postquam Tyrius sæva inter prœlia ductor
Infixum adverso vidit sub pectore telum,
Immane exclamat: Latias, Carthago, timere
Desine jam leges; jacet exitiabile nomen,
Ausonii columen regni. Sed dextera nostræ 385
Tam similis non obscuras mittatur ad umbras.
Magnanima invidia virtus caret. Alta sepulcri
Protinus exstruitur, cœloque educitur ara.
Convectant sylvis ingentia robora: credas
Sidonium cecidisse ducem: tum thura dapesque,
Et fasces, clypeusque viri, pompa ultima, fertur.
Ipse facem subdens, Laus, inquit, parta perennis:
Marcellum abstulimus Latio: deponere forsan
Gens Italûm tandem arma velit. Vos ite, superbæ
Exsequias animæ, et cinerem donate supremi 395
Muneris officio: nunquam hoc tibi, Roma, negabo.
Alterius par atque eadem fortuna laborum
Consulis: exanimum sonipes ad signa revexit.
Talia in Ausonia: sed non et talis Iberis
Armorum eventus campis. Carthaginis omnes
Per subitum raptæ pernix victoria late 401
Terruerat gentes. Ducibus spes una salutis,
Si socias jungant vires: ingentibus orsum
Auspiciis juvenem, ceu patria gestet in armis
Fulmina, sublimi vallatam vertice montis 405
Et scopulis urbem, cumulata strage virorum,
Non toto rapuisse die, qua Martius ille
Hannibal in terra consumto verterit anno,
Nec pube æquandam nec opum ubertate, Sagun-
Proximus, applicito saxosis aggere sylvis, [tum.
Tendebat, fratris spirans ingentia facta. 411
Hasdrubal: hic robur, mixtusque rebellibus Afris
Cantaber, hic volucri Mauro pernicior Astur:
Tantaque majestas terra rectoris Ibera,
Hannibalis quantus Laurenti terror in ora. 415
Forte dies priscum Tyriis sollennis honorem
Retulerat, quo, primum orsi Carthaginis altæ
Fundamenta, novam cœpere mapalibus urbem:
Et lætus, repetens gentis primordia, ductor
Festa coronatis agitabat gaudia signis, 420
Pacificans divos. Fraternum læna nitebat
Demissa ex humeris donum, quam fœderis arcti
Trinacrius Libyco rex inter munera pignus
Miserat, Æoliis gestatum insigne tyrannis.
Aurata puerum rapiebat ad æthera penna 425
Per nubes aquila, intexto librata volatu. [ostro,
Antrum ingens juxta, quod acus simulavit in
Cyclopum domus: hic recubans manantia tabo
Corpora letifero sorbet Polyphemus hiatu.
Circa fracta jacent excussaque morsibus ossa.
Ipse manu extenta Laertia pocula poscit, 431
Permiscetque mero ructatos ore cruores.
Conspicuus Siculi Tyrius subteminis arte
Gramineas pacem superûm poscebat ad aras:
Ecce inter medios hostilia nuntius arma, 435
Quadrupedante invectus equo, adventare ferebat.
Turbatæ mentes, imperfectusque deorum
Cessit honos: ruptis linquunt altaria sacris:
Clauduntur vallo: tenuemque ut roscida misit
Lucem Aurora polo, rapiunt certamina Martis.

Audax Scipiadæ stridentem Sabura cornum
Excepit, geminæque acies velut omine motæ.
Exclamat Latius ductor, Prima hostia vobis,
Sacrati manes, campo jacet: en age, miles,
In pugnam et cædes, qualis spirantibus ire 445
Adsueras ducibus, talis rue. Dumque ea fatur,
Incumbunt. Myconum Lænas, Cirtamque Latinus,
Et Thysdrum Maro, et incestum Catilina Nealcen
Germanæ thalamo obtruncat: cadit obvius acri
Carthalo Nasidio, Libycæ regnator arenæ. 450
Te quoque Pyrenes vidit conterrita tellus
Permixtum Pœnis, et vix credenda furentem,
Magnum Dardaniæ Læli decus; omnia felix
Cui Natura dedit, nullo renuente deorum.
Ille, foro auditus cum dulcia solverat ora, 455
Æquabat Pyliæ Neleia mella senectæ.
Ille, ubi suspensi Patres, et curia vocem
Posceret, ut cantu ducebat corda senatus.
Idem, cum subitum campo perstrinxerat aures
Murmur triste tubæ, tanto fervore ruebat 460
In pugnam atque acies, ut natum ad sola liqueret
Bella: nihil vitæ peragi sine laude placebat.
Tunc e furtivo tractantem prœlia luco
Dejecit Galam: sacris Carthaginis illum
Supposito mater partu subduxerat olim; 465
Sed stant nulla diu deceptis gaudia divis.
Tunc Alabim, Murrum, atque Dracen, demisit ad umbras,
Fœmineo clamore Dracen extrema rogantem:
Hujus cervicem gladio inter verba precesque
Amputat: absciso durabant murmura collo. 470
At non ductori Libyco par ardor in armis.
Frondosi collis latebras ac saxa capessit
Avia: nec cædes extremave damna movebant
Agminis; Italiam profugus spectabat et Alpes,
Præmia magna fugæ. Tacitum dat tessera sig-
Dimissa in colles pugna sylvasque ferantur [num,
Dispersi, et summam, quicunque evaserit, arcem
Pyrenes culmenque petat: tum primus, honore
Armorum exuto, et parma celatus Ibera,
In montes abit, atque volens palantia linquit 480
Agmina. Desertis Latius victricia signa
Immittit miles castris: non urbe recepta
Plus ulla partum prædæ, tenuitque moratas
A cæde, ut Libycus ductor providerat, iras.
Fluminei veluti deprensus gurgitis undis, 485
Avulsa parte inguinibus causaque pericli,
Enatat intento prædæ fiber avius hoste.
Impiger occultis Pœnus postquam abditur um-
Saxosæ fidens sylvæ, majora petuntur [bris,
Rursus bella retro, et superari certior hostis. 490
Pyrenes tumulo clypeum cum carmine figunt,
HASDRUBALIS SPOLIUM GRADIVO SCIPIO VIC-
Terrore interea posito trans ardua montis [TOR.
Bebrycia populos armabat Pœnus in aula,
Mercandi dextras largus, belloque parata 495
Prodigere in bellum facilis: præmissa feroces
Augebant animos argenti pondera et auri,
Parta metalliferis longo discrimine terris.
Hinc nova complerunt haud tardo milite castra
Venales animæ, Rhodani qui gurgite gaudent,
Quorum serpit Arar per rura pigerrimus undæ.
Jamque hieme affecta mitescere cœperat annus.
Inde, iter ingrediens rapidum per Celtica rura,
Miratur domitas Alpes, ac pervia montis
Ardua, et Herculeæ quærit vestigia plantæ, 505
Germanique vias divinis comparat ausis.
Ut vero ventum in culmen, castrisque resedit
Hannibalis; Quos Roma, inquit, quos altius, oro,
Attolli muros, qui post hæc mœnia fratri
Victa meo stent incolumes? sit gloria dextræ
Felix tanta, precor; neve usque ad sidera adisse
Invideat lævus nobis deus. Agmine celso
Inde alacer, qua munitum declivis ab alto
Agger monstrat iter, properatis devolat armis.
Non tanto strepuere metu primordia belli: 515
Nunc geminum Hannibalem, nunc jactant bina coire
Hinc atque hinc castra, et pastos per prospera bella
Sanguine ductores Italo conjungere Martem,
Et duplicare acies; venturum ad mœnia cursu
Hostem præcipiti, et visurum hærentia porta 520
Spicula, Elissæis nuper contorta lacertis.
His super infrendens sic secum Œnotria tellus:
Tantone, heu superi! spernor contemta furore
Sidoniæ gentis, quæ quondam sceptra timentem
Nati Saturnum nostris considere in oris, 525
Et regnare dedi? Decima hæc jam vertitur æstas,
Ex quo proterimur: juvenis, cui sola supersunt
In superos bella, extremo de littore rapta
Intulit arma mihi, temeratisque Alpibus ardens
In nostros descendit agros. Quot corpora texi
Cæsorum, stratis toties deformis alumnis! 531
Nulla mihi floret baccis felicibus arbor:
Immatura seges rapido succiditur ense:
Culmina villarum nostrum delapsa feruntur
In gremium, fœdantque suis mea regna ruinis.
Hunc etiam, vastis qui nunc sese intulit oris, 536
Perpetiar, miseras quærentem exurere belli
Relliquias? Tum me scindat vagus Afer aratro,
Et Libys Ausoniis commendet semina sulcis,
Ni cuncta, exsultant quæ latis agmina campis,
Uno condiderim tumulo. Dum talia versat, 541
Et thalamos clausit nox atra hominumque de-
ûmque,
Tendit Amyclæi præceps ad castra nepotis
Is tum Lucanis cohibentem finibus arma
Pœnum vicini servabat cespite valli. 545
Hic juvenem aggreditur Latiæ telluris imago:
Clausorum decus, atque erepto maxima Romæ
Spes Nero Marcello, rumpe atque expelle quietem.
Magnum aliquid tibi, si patriæ vis addere fatis,
Audendum est, quod, depulso quoque mœnibus hoste, 550
Victores fecissse tremant. Fulgentibus armis
Pœnus inundavit campos, qua Sena relictum
Gallorum a populis servat per sæcula nomen.
Ni propere alipedes rapis ad certamina turmas,
Serus deletæ post auxiliabere Romæ. 555
Surge age, fer gressus: patulos regione Metauri
Damnavi tumulis Pœnorum atque ossibus agros.
His dictis abit, atque abscedens visa paventem
Attrahere, et fractis turmas propellere portis.
Rumpit flammato turbatus corde soporem,
Ac supplex, geminas tendens ad sidera palmas,
Tellurem, Noctemque, et cœlo sparsa precatur
Astra, ducemque viæ tacito sub lumine Phœben.
Inde legit dignas tanta ad conamina dextras;
Quaque jacet superi Larinas accola ponti, 565
Qua duri bello gens Marrucina, fidemque
Exuere indocilis sociis Frentanus in armis;
Tum qua vitiferos domitat Prætutia pubes
Læta laboris agros, et penna, et fulmine, et undis
Hibernis, et Achæmenio velocior arcu [lutem
Evolat. Hortator sibi quisque: Age, perge, sa-
Ausoniæ ancipites superi, et, stet Roma cadatne,
In pedibus posuere tuis, clamantque, ruuntque.
Hortandi genus acer habet præcedere ductor.

Illum augent cursus annisi æquare sequendo,
Atque indefessi noctemque diemque feruntur.
At Roma adversi tantum mala gliscere belli
Accipiens, trepidare metu, nimiumque Neronem
Speravisse queri, atque uno sibi vulnere posse
Auferri restantem animam: non arma, nec aurum,
Nec puhem, nec, quem fundant, superesse cruorem.
Scilicet Hasdrubalem invadat, qui ad prœlia soli
Hannibali satis esse nequit? jam rursus, ubi arma
Avertisse suo cognorit devia vallo,
Hæsurum portis Pœnum: venisse, superbo 585
Qui fratri certet, cui maxima gloria cedat
Urbis deletæ. Fremit amens corde sub imo
Ordo Patrum, ac magno interea meditatur amore
Servandi decoris, quonam se fine minanti
Servitio eripiat, divosque evadat iniquos. 590
Hos inter gemitus obscuro noctis opacæ
Succedit castris Nero, quæ conjuncta feroci
Livius Hasdrubali vallo custode tenebat.
Belliger is quondam, scitusque accendere Martem
Floruerat primo clarus pugnator in ævo. 595
Mox falso læsus non æqui crimine vulgi,
Secretis ruris tristes absconderat annos.
Sed, postquam gravior moles terrorque periclo
Poscebat propiore virum, revocatus ad arma
Tot cæsis ducibus, patriæ donaverat iram. 600
At non Hasdrubalem fraudes latuere recentum
Armorum, quanquam tenebris nox texerat astus.
Pulveris in clypeis vestigia visa movebant,
Et properi signum accursus, sonipesque, virique
Substricti corpus, bis clarum buccina signum.
Præterea gemino prodebant juncta magistro 606
Castra regi. Verum, fratri si vita supersit,
Quî tandem licitum socias conjungere vires
Consulibus? sed enim solum (dum vera patescant)
Cunctandi restare dolum, Martemque trahendi.
Nec consulta fugæ segni formidine differt. 611
Nox, somni genitrix, mortalia pectora curis
Purgarat, tenebræque horrenda silentia alebant:
Erepit, suspensa ferens vestigia, castris,
Et muta elabi tacito jubet agmina passu. 615
Illunem nacti per rura tacentia noctem
Accelerant, vitantque sonos; sed percita falli
Sub tanto motu tellus nequit. Implicat actas
Cæco errore vias, umbrisque ferentibus arcto
Circumagit spatio sua per vestigia ductos. 620
Nam, qua curvatas sinuosis flexibus amnis
Obliquat ripas, refluoque per aspera lapsu
In sese redit, hac, casso ducente labore,
Exiguum involvunt frustratis gressibus orbem,
Inque errore viæ tenebrarum munus ademtum.
Lux urget, panditque fugam. Ruit acer apertis
Turbo equitum portis, atque omnes ferrea late
Tempestas operit campos. Nondum arma manusque
Permixtæ, jam tela bibunt præmissa cruorem.
Hinc, jussæ Pœnum fugientem sistere, pennæ 630
Dictææ volitant: hinc lancea turbine nigro
Fert letum cuicunque viro, quem prenderit ictus.
Deponunt abitus curam, trepidique coactas
Constituunt acies, et spes ad prœlia vertunt.
Ipse inter medios (nam rerum dura videbat) 635
Sidonius ductor, tergo sublimis ab alto [que,
Quadrupedantis equi, tendens vocemque manus-
Per decora extremo vobis quæsita sub axe,
Per fratris laudes oro, venisse probemus
Germanum Hannibalis: Latio Fortuna laborat
Adversis documenta dare, atque ostendere, quantus
Verterit in Rutulos domitor telluris Iberæ,
Suetus ad Herculeas miles bellare columnas.
Forsitan et pugnas veniat germanus in ipsas.
Digna viro, digna, obtestor, spectacula pleno 645
Corporibus properate solo. Quicunque timeri
Dux bello poterat, fratri jacet: unica nunc spes,
Et pœna et latebris infracto Livius ævo
Damnatum offertur vobis caput: ite, agite, oro,
Sternite ductorem, cum quo concurrere fratri 650
Sit pudor, et turpi finem donate senectæ.
At contra Nero: Quid cessas clausisse labores
Ingentis belli? pedibus tibi gloria, miles, [tra
Parta ingens: nunc accumula cœpta ardua dex
Heu, temere abducto liquisti robore castra, 655
Ni factum absolvit victoria. Præcipe laudem:
Adventu cecidisse tuo memorabitur hostis.
Parte alia, insignis nudatis casside canis,
Livius: Huc, juvenes, huc me spectate ruentem
In pugnas, quantumque meus patefecerit ensis,
Tantum intrate loci, et tandem præcludite ferro
Jam nimium patulas Pœnis grassantibus Alpes.
Quod ni veloci prosternimus agmina Marte,
Et fulmen subitum Carthaginis Hannibal adsit,
Quis deus infernis quenquam nostrûm eximat umbris? 665
Hinc, galea capite accepta, dicta horrida ferro
Sancit, et obtectus senium fera prœlia miscet.
Illum, per cuneos et per densissima campi
Corpora tot dantem leto, quot spicula torsit,
Turbati fugere Macæ, fugere feroces 670
Autololes, Rhodanique comas intonsa juventus.
Fatidicis Nabis veniens Hammonis arenis
Improba miscebat securus prœlia fati,
Ceu tutante deo, ac patriis spolia Itala templis
Fixurum vano tumidus promiserat ore. 675
Ardebat gemma Garamantide cærula vestis,
Ut cum sparsa micant stellarum lumina cœlo,
Et gemmis galeam, clypeumque accenderat auro.
Casside cornigera dependens infula sacros
Præ se terrores divûmque ferebat honorem. 680
Arcus erat pharetræque viro, atque incocta ceras-
Spicula, et armatus peragebat bella veneno. [tis
Nec non, cornipedis tergo de more repostus,
Sustentata genu per campum pondera conti
Sarmatici prona adversos urgebat in hostes. [ma
Tum quoque transfixum telo per membra, per ar-
Consulis ante oculos magno clamore Sabellum
Asportabat ovans, et ovans Hammona canebat.
Non tulit hanc iram tantosque in corde tumores
Barbarico senior, telumque intorsit, et una 690
Prædam animamque simul victori victor ademit.
Adsilit, audito tristis clamore ruinæ, [emto
Hasdrubal, et cœptantem Arabum raptare per-
Gemmiferi spolium cultus auroque rigentes
Exuvias, jaculum a tergo perlibrat ad ossa. 695
Jam correpta miser geminis velamina palmis
Carpebat propere, et tepidos nudaverat artus.
Concidit, et sacras vestes atque aurea fila
Reddidit exanimo, spoliatum lapsus in hostem.
At Canthus Rutulum, Canthus possessor arenæ,
Qua celebre invicti nomen posuere Philæni, 701
Ditem ovium Rutulum obtruncat, cui mille sub
Lanigeræ balant stabulis: ipse, otia molli [altis
Exercens cura, gelido nunc flumine soles
Frangebat nimios pecori, nunc lætus in herba
Tondebat niveæ splendentia vellera lanæ, 706
Aut, pecus e pastu cum sese ad tecta referret,
Noscentes matrem spectabat ovilibus agnos.
Occubuit clypei transfixo proditus ære,
Et sero ingemuit stabulis exire paternis. 710
Acrius hoc Italûm pubes incurrit, et urget,
Ut torrens, ut tempestas, ut flamma corusci

Fulminis, ut Boream pontus fugit, ut cava currunt
Nubila, cum pelago cœlum permiscuit Eurus.
Proceræ stabant, Celtarum signa, cohortes, 715
Prima acies; hos impulsu cuneoque feroci
Laxat vis subita, et fessos errore viarum,
Nec soli faciles, longique laboris anhelos
Avertit patrius genti pavor. Addere tergo
Hastas Ausonius, teloque instare sequaci, 720
Nec donare fugam. Cadit uno vulnere Thyrmis,
Non uno Rhodanus; profligatumque sagitta
Lancea deturbat Morinum, et jam jamque caden-
Cedentes urget, totas largitus habenas, [tem.
Livius acer equo, et turmis abeuntibus infert
Cornipedem: tunc aversi turgentia colla 726
Discidit ense Mosæ: percussit pondere terram
Cum galea ex alto lapsum caput, ac residentem
Turbatus rapuit sonipes in prœlia truncum.
Hic Cato, (nam medio vibrabat et ipse tumultu,)
Si, primas, inquit, bello cum amisimus Alpes,
Hic juveni oppositus Tyrio foret! hei mihi! quanta
Cessavit Latio dextra, et quot funera Pœnis
Donarunt pravi suffragia tristia campi!
Jamque inclinabant acies, cunctisque pavorem
Gallorum induerat pavor, et fortuna ruebat 736
Sidonia: ad Rutulos Victoria verterat alas.
Celsus, ceu prima reflorescente juventa,
Ibat consul, ovans major majorque videri.
Ecce trahens secum canentem pulvere turmam
Ductor Agenoreus subit, intorquensque lacertis
Tela, sonat: Cohibete fugam: cui cedimus hosti?
Nonne pudet? conversa senex marcentibus annis
Agmina agit: nunc, quæso, mihi nunc dextera in armis
Degenerat, nostrique piget? mihi Belus avorum
Principium, mihi cognatum Sidonia Dido 746
Nomen, et ante omnes bello numerandus Hamilcar
Est genitor: mihi, cui cedunt montesque, lacusque,
Et campi, atque amnes, frater: me magna secun-
Carthago putat Hannibali: me Bætis in oris [dum
Æquant germano passæ mea prœlia gentes. 751
Talia dum memorat, medios ablatus in hostes,
Ut nova conspecti fulserunt consulis arma,
Hastam præpropero nisu jacit: illa per oras
Ærati clypei et loricæ tegmina summo 755
Incidit haud felix humero, parceque petitum
Perstrinxit corpus, nec multo tincta cruore:
Vana sed optanti promisit gaudia Pœno.
Turbati Rutuli, confusaque pectora visu
Terrifico. Tunc increpitans conamina consul:
Fœmineis læsum vana inter cornua corpus 761
Unguibus, aut palmis credas puerilibus ictum.
Ite, docete, viri, Romanæ vulnera suerint
Quanta afferre manus. Tum vero effunditur in-
Telorum vis, et densa sol vincitur umbra. [gens
Jamque per extentos alterna strage virorum [dam
Corpora fusa jacent campos, demersaque in un-
Junxerunt cumulo crescente cadavera ripas.
Ut, cum venatu saltus exercet opacos
Dictynna, et lætæ præbet spectacula matri, 770
Aut Pindi nemora excutiens, aut Mænala lustrans,
Omnis Naiadum plenis comitata pharetris
Turba ruit, striduntque sagittiferi coryti.
Tum per saxa feræ, perque ipsa cubilia fusæ,
Per valles, fluviosque, atque antra virentia musco
Multa strage jacent: exsultat vertice montis 776
Gratam perlustrans oculis Latonia prædam.
Audito ante alios senioris vulnere, rumpit
Per medios Nero sævus iter, visaque virorum
Æquali pugna, Quid enim, quid deinde relictum
Italiæ fatis? hunc si non vincitis hostem, [est
Hannibalem vincetis, ait? ruit ocius amens
In medios; Tyriumque ducem inter prima fre-
mentem
Agmina ut adspexit, rabidi ceu bellua ponti,
Per longum sterili ad pastus jactata profundo, 785
Cum procul in fluctu piscem male saucia vidit,
Æstuat, et, lustrans nantem sub gurgite prædam,
Absorbet late permixtum piscibus æquor.
Non telo mora, non dictis: Haud amplius, inquit,
Elabere mihi: non hic nemora avia fallent 790
Pyrenes, nec promissis frustrabere vanis,
Ut quondam terra fallax deprensus Ibera
Evasti nostram mentito fœdere dextram.
Hæc Nero, et intorquet jaculum: nec futilis ictus
Nam latere extremo cuspis librata resedit. 795
Invadit stricto super hæc interritus ense,
Collapsique premens umbone trementia membra
Si qua sub extremo casu mandata referri
Germano vis forte tuo, portabimus, inquit.
Contra Sidonius: Leto non terreor ullo. 800
Utere Marte tuo, dum nostris manibus adsit
Actutum vindex. Mea si suprema referre
Fratri verba paras, mando, Capitolia victor
Exurat, cinerique Jovis permisceat ossa
Et cineres nostros. Cupientem annectere plura
Ferventemque ira mortis, transverberat ense, 806
Et rapit infidum victor caput. Agmina fuso
Sternuntur duce, non ultra fidentia Marti.
Jamque diem solisque vias nox abstulit atra,
Cum vires parco victu somnoque reducunt: 810
Ac, nondum remeante die, victricia signa,
Qua ventum, referunt clausis formidine castris.
Cum Nero, procera sublimia cuspide portans
Ora ducis cæsi, Cannas pensavimus, inquit,
Hannibal, et Trebiam, et Trasimeni littora tecum
Fraterno capite. I, duplica nunc perfida bella,
Et geminas arcesse acies. Hæc præmia restant,
Qui tua transmissis optarint Alpibus arma.
Compressit lacrymas Pœnus, minuitque ferendo
Constanter mala, et, inferias in tempore dignas
Missurum fratri, clauso commurmurat ore. 821
Tum, castris procul amotis, adversa quiete
Dissimulans, dubia exclusit certamina Martis.

LIBER DECIMUS SEXTUS.

Bruttia mœrentem casus patriæque suosque
Hannibalem accepit tellus: hic aggere septus
In tempus posita ad renovandum bella coquebat.
Abditus ut sylva, stabulis cum cesset ademtis
Amisso taurus regno gregis, avia clauso 5
Molitur saltu certamina, jamque feroci

Mugitu nemora exterret, perque ardua cursu
Saxa ruit: sternit sylvas, rupesque lacessit
Irato rabidus cornu: tremit omnis ab alto
Prospectans scopulo pastor nova bella parantem.
Sed vigor, hausurus Latium, si cætera Marti 11
Adjumenta forent, prava obtrectante suorum
Invidia revocare animos, ac stare negata
Cogebatur ope, et senio torpescere rerum.
Parta tamen formido manu, et tot cædibus olim
Quæsitus terror, velut inviolabile telis [armis,
Servabant sacrumque caput: proque omnibus
Et castrorum opibus, dextrisque recentibus unum
Hannibalis sat nomen erat. Tot dissona lingua
Agmina, barbarico tot discordantia ritu 20
Corda virûm mansere gradu, rebusque retusis
Fidas ductoris tenuit reverentia mentes.
Nec vero Ausonia tantum se lætus agebat
Dardanidis Mavors: jam terra cedit Ibera
Auriferis tandem Phœnix depulsus ab arvis. 25
Jam Mago, exutus castris, agitante pavore
In Libyam propero transmisit cærula velo.
Ecce aliud decus, haud uno contenta favore,
Nutribat Fortuna duci: nam concitus Hannon
Adventabat, agens trepidantibus agmina cætris 30
Barbara, et indigenas serus raptabat Iberos.
Non ars, aut astus belli, vel dextera deerat,
Si non Scipiadæ concurreret: omnia ductor
Magna adeo Ausonius majori mole premebat.
Ut Phœbe stellas, ut fratris lumina Phœben 35
Exsuperant, montesque Atlas, et flumina Nilus,
Ut pater Oceanus Neptunia cærula vincit.
Vallantem castra (obscuro nam Vesper Olympo
Fundere non æquam trepidanti cœperat umbram)
Aggreditur Latius rector, subitoque tumultu 40
Cæduntur passim cœpti munimina valli
Imperfecta: super contexere herbida lapsos
Pondera, et in tumuli concessit cespes honorem.
Vix uni mens digna viro, novisse minores
Quam deceat, pretiumque operis sit tradere famæ.
Cantaber ingenio membrorum et mole timeri 46
Vel nudus telis poterat Larus: hic fera gentis
More securigera miscebat prœlia dextra.
Et, quanquam fundi se circum pulsa videret
Agmina, deleta gentilis pube catervæ, 50
Cæsorum implebat solus loca: seu foret hostis
Cominus, expleri gaudebat vulnere frontis
Adversæ; seu læva acies in bella vocaret,
Obliquo telum reflexum Marte rotabat.
At, cum pone ferox aversi in terga veniret 55
Victor, nil trepidans retro jactare bipennem
Callebat, nulla belli non parte timendus.
Huic ducis invicti germanus turbine vasto
Scipio contorquens hastam, cudone comantes
Disjecit crines: namque altius acta cucurrit 60
Cuspis, et elata procul est ejecta securi.
At juvenis, cui telum ingens accesserat ira,
Barbaricam adsiliens magno clamore bipennem
Incutit: intremuere acies, sonuitque per auras
Pondere belligero pulsati tegminis umbo. 65
Haud impune quidem: remeans nam dextera ab
Decisa est gladio, ac dilecto immortua telo. [ictu
Qui postquam murus miseris ruit, agmina con-
Avertit fuga confestim dispersa per agros. [cors
Nec pugnæ species, sed pœnæ tristis imago [tum.
Illa erat, hinc tantum cædentum, atque inde ruen-
Per medios Hannon palmas post terga revinctus
Ecce trahebatur, lucemque, (heu dulcia cœli
Lumina!) captivus lucem inter vincla petebat. 74
Cui rector Latius: Tanta en qui regna reposcant,
Quis cedat toga et armiferi gens sacra Quirini!
Servitio si tam faciles, cur bella refertis?
Hæc inter celerare gradum, conjungat ut arma,
Hasdrubalem ignarum cladis prænuntius affert
Explorator eques: raptat dux obvia signa. 80
At, postquam optatam lætus contingere pugnam
Vidit, et ad letum magno venientia cursu
Agmina, suspiciens cœlum, Nihil amplius, inquit,
Vos hodie posco, superi: protraxtis ad arma 84
Quod profugos, satis est: in dextra cætera nobis
Vota, viri: rapite, ite, precor; vocat ecce furentes
Hinc pater, hinc patruus: gemina o mihi numina
belli,
Ducite, adeste; sequor: dignas spectabitis, aut me
Præscia mens fallit, vestro jam nomine cædes.
Nam quis erit tandem campis telluris Iberæ 90
Bellandi modus? en unquam lucebit in orbe
Ille dies, quo te armorum, Carthago, meorum
Adspiciam sonitus admotaque bella trementem?
Dixerat, et raucus stridenti murmure clangor
Increpuit: tonuere feris clamoribus astra. 95
Concurrunt: quantumque rapit violentia ponti,
Et Notus, et Boreas, et inexorabilis Auster, [ses;
Cum mergunt plenas tumefacta sub æquora clas-
Aut cum letiferos accendens Sirius ignes
Torret anhelantem sævis ardoribus orbem; 100
Tantum acies hominumque ferox discordia ferro
Demetit. Haud ullus terrarum æquarit hiatus
Pugnarum damna: aut strages per inhospita lustra
Unquam tot dederit rabies horrenda ferarum.
Jam campi vallesque madent, hebetataque tela.
Et Libys occubuere et amantes Martis Iberi. 106
Stat tamen una loco perfossis debilis armis, [tam.
Luctaturque acies, qua concutit Hasdrubal has-
Nec finem daret ille dies animosaque virtus,
Ni perlapsa viro loricæ tegmine arundo, 110
Et parco summum violasset vulnere corpus,
Suasissetque fugam. Rapido certamina linquit
In latebras avectus equo, noctisque per umbram
Ad Tartessiacos tendit per littora portus.
Proximus in pugna ductori Marte manuque 115
Regnator Nomadum fuerat, mox fœdere longo
Cultuque Æneadûm nomen Masinissa superbum
Huic fesso, quos dura fuga et nox suaserat atra,
Carpenti somnos subitus rutilante coruscum
Vertice fulsit apex, crispamque involvere visa est
Mitis flamma comam, atque hirta se spargere
fronte. 121
Concurrunt famuli, et serpentes tempora circum
Festinant gelidis restinguere fontibus ignes.
At grandæva, deûm prænoscens omina, mater,
Sic sit, cœlicolæ, portentaque vestra secundi 125
Condite, ait; duret capiti per sæcula lumen.
Ne vero, ne, nate, deûm tu læta pavesce
Prodigia, aut sacras metue inter tempora flammas.
Hic tibi Dardaniæ promittit fœdera gentis;
Hic tibi regna dabit regnis majora paternis 130
Ignis, et adjunget Latiis tua nomina fatis.
Sic vates, juvenisque animum tam clara movebant
Monstra; nec a Pœnis ulli virtutis honores.
Hannibal ipse etiam jam jamque modestior armis
Ire videbatur, Martisque liquescere fama. 135
Aurora obscuri tergebat nubila cœli,
Vixque Atlantiadum rubefecerat ora sororum:
Tendit in Ausonios, et adhuc hostilia castra.
Atque, ubi se vallo intulerat, ductorque benigno
Accepit Latius vultu, rex talibus infit: 140
Cœlestum monita et sacræ responsa parentis,
Disque tua, o Rutulûm rector, gratissima virtus
Avulsum Tyriis huc me duxere volentem.
Si tibi non segnes tua contra fulmina sæpe

Visi stare sumus, dignam te, nate Tonantis, 145
Afferimus dextram. Nec nos aut vana subegit
Incertæ mentis levitas et mobile pectus,
Aut spes et læti sectamur præmia Martis.
Perfidiam fugio, et perjuram ab origine gentem.
Tu, quando Herculeis finisti prœlia metis, 150
Nunc ipsam belli nobiscum invade parentem.
Ille tibi, qui jam gemino Laurentia lustro
Possedit regna, et scalas ad mœnia Romæ
Admovet, in Libyam flammis ferroque trahendus.
Sic Nomadum ductor. Tunc dextra Scipio dex-
Amplexus, Si pulchra tibi Mavorte videtur, [tram
Pulchrior est gens nostra fide: dimitte bilingues
Ex animo socios: magna hinc te præmia claræ
Virtutis, Masinissa, manent: citiusque vel armis,
Quam gratæ studio vincetur Scipio mentis. 160
Cætera quæ in Libyam portari incendia suades,
Expediet tempus: nec enim sunt talia rerum
Non meditata mihi, et mentem Carthago fatigat.
Hinc juveni dona insignem velamine picto [ipse
Dat chlamydem, stratumque ostro, quem ceperat
Dejecto victor Magone, animique probarat, 166
Cornipedem: tum, qua divûm libabat ad aras
Hasdrubal, ex auro pateram, galeamque coman-
Exin, firmato sociati fœdere regis, [tem.
Vertendas agitat jam nunc Carthaginis arces. 170
Massylis regnator erat ditissimus oris,
Nec nudus virtute, Syphax: quo jura petebant
Innumeræ gentes, extremaque littore Tethys.
Multa viro terra, ac sonipes, et bellua terror
Bellorum, nec non Marti delecta juventus. 175
Nec foret aut ebore, aut solido qui vinceret
Gætulisve magis fucaret vellus aenis. [auro,
Has adjungere opes avidus, reputansque laborem,
Si vertat rex ad Pœnos, dare vela per altum
Imperat, atque animo jam tum Africa bella ca-
pessit. 180
Verum ubi perventum, et portus tenuere carinæ,
Jam, trepida fugiens per proxima littora puppe,
Hasdrubal afflictis aderat nova fœdera quærens
Rebus, et ad Tyrios Massylia signa trahebat.
Audito pariter populorum in regna duorum 185
Advenisse duces, qui tota mole laborent,
Disceptentque armis, terrarum uter imperet orbi,
Celsus mente Syphax acciri in tecta benigne
Imperat, et tanto regni se tollit honore.
Tum lætos volvens oculos adversa per ora, 190
Sic Latium affatur juvenem, ac prior incipit ultro:
Quam te, Dardanida pulcherrime, mente serena
Accipio, intueorque libens! quamque ora recordor
Lætus Scipiadæ! revocat tua forma parentem.
Nam repeto, Herculeas Erythea ad littora Gades
Cum studio pelagi et spectandis æstibus undæ
Venissem, magnos vicina ad flumina Bætis
Ductores miro quondam me cernere amore.
Tum mihi dona viri præda delecta tulere, 199
Arma simul, regnoque meo tum cognita primum
Cornipedum frena, atque arcus, qui cedere nostro
Non norunt jaculo, et veteres tribuere magistros
Militiæ, qui dispersas sine lege catervas
Vestro formarent ritu ad certamina Martis. 204
Ast ego, cum vestro (in nostris quæ copia regnis)
Nunc auri ferrem, nivei nunc munera dentis,
Nil valui precibus: solos sibi cepit uterque,
Quos cohibebat ebur vaginæ sectilis, enses.
Quare age, lætus habe nostros intrare penates,
Ac, mea quando affert Libycum fortuna per undas
Ductorem, facili, quæ dicam, percipe mente. 211
Et vos, qui Tyriæ regitis Carthaginis arces,
Hasdrubal, huc aures, huc quæso advertite sensus
Quanta per Ausonios populos torrentibus armis
Tempestas ruat, et Latio suprema minetur, 215
Utque bibant Tyrium bis quinos sæva per annos
Sicana nunc tellus, nunc littora Ibera cruorem,
Cui nescire licet? quin ergo tristia tandem
Considunt bella, et deponitis arma volentes?
Tu Libya, tu te Ausonia cohibere memento. 220
Haud deformis erit vobis ad fœdera versis
Pacator mediusque Syphax. Subjungere plura
Non passus, gentis morem arbitriumque senatus
Scipio demonstrat, vanique absistere cœpti 224
Spe jubet, et Patres docet hæc expendere solos.
Suadendi modus hic: quodque est de parte diei
Exacti super, ad mensas et pocula vertunt.
Atque, epulis postquam finis, dant corpora somno,
Et dura in noctem curarum vincula solvunt.
Jamque novum terris pariebat limine primo 230
Egrediens Aurora diem, stabulisque subibant
Ad juga Solis equi, necdum ipse adscenderat ax
Sed prorupturis rutilabant æquora flammis: [em,
Erigit e stratis corpus, vultuque sereno
Scipio contendit Massyli ad limina regis. 235
Illi mos patrius fetus nutrire leonum,
Et catulis rabiem atque iras expellere alendo.
Tum quoque fulva manu mulcebat colla jubasque
Et fera tractabat ludentum interritus ora.
Dardanium postquam ductorem accepit adesse,
Induitur chlamydem, regnique insigne vetusti
Gestat læva decus: cinguntur tempora vitta
Albente, ac lateri de more adstringitur ensis.
Hinc in tecta vocat, secretisque ædibus hospes
Sceptrigero cum rege pari sub honore residunt.
Tum prior his infit terræ pacator Iberæ: 246
Prima mihi, domitis Pyrenes gentibus, ire
Ad tua regna fuit properantem et maxima cura,
O sceptri venerande Syphax: nec me æquore sævus
Tardavit medio pontus. Non ardua regnis 250
Quæsumus aut inhonora tuis: conjunge Latinis
Unanimum pectus, sociusque accede secundis.
Non tibi Massylæ gentes, extentaque tellus
Syrtibus, et latis proavita potentia campis
Amplius attulerint decoris, quam Romula virtus
Certa juncta fide, et populi Laurentis honores. 256
Cætera quid referam? non ullus scilicet ulli
Æquus cœlicolûm, qui Dardana læserit arma.
Audivit læto Massylus et annuit ore,
Complexusque virum, Firmemus prospera, dixit,
Omina, nec votis superi concordibus absint, 261
Comigerumque Jovem Tarpeiumque ore vocemus.
Et simul exstructis cespes surrexerat aris,
Victimaque admotæ stabat subjecta bipenni;
Cum subito abruptis fugiens altaria taurus 265
Exsiluit vinclis, mugituque excita late
Implevit tecta, et, fremitu suspiria rauco
Congeminans, trepida terrorem sparsit in aula:
Vittaque, majorum decoramen, fronte sine ullo
Delapsa attactu, nudavit tempora regis. 270
Talia cœlicolæ casuro tristia regno
Signa dabant, sævique aderant gravia omina fati.
Hic fractum bello regem solioque revulsum,
Tempus erit, cum ducet agens ad templa Tonantis,
Qui tunc orabat socialia fœdera supplex. 275
His actis repetit portum, puppesque secundo
Dat vento, et notis reddit se Scipio terris.
Concurrere avidæ gentes, variosque subacta
Pyrene misit populos: mens omnibus una: 279
Concordes regem appellant, regemque salutant.
Scilicet hunc summum norunt virtutis honorem.
Sed, postquam miti rejecit munera vultu
Ausonio non digna viro, patriosque vicissim

Edocuit ritus, et Romam nomina regum
Monstravit nescire pati; tum versus in unam, 285
Quæ restat, curam, nullo super hoste relicto,
Et Latios simul, et vulgum Bætisque Tagique
Convocat, ac medio in cœtu sic deinde profatur:
Quando ita cœlicolûm nobis propensa voluntas
Annuit, extremo Libys ut dejectus ab orbe 290
Aut his occideret campis, aut, axe relicto
Hesperio, patrias exsul lustraret arenas;
Jam vestra tumulos terra celebrare meorum
Est animus, pacemque dare exposcentibus umbris.
Mente favete pari, atque aures advertite vestras.
Septima cum solis renovabitur orbita cœlo, 296
Quique armis ferroque valent, quique arte regendi
Quadrijugos pollent currus, quîs vincere planta
Spes est, et studium jaculis impellere ventos,
Adsint, et pulchræ certent de laude coronæ. 300
Præmia digna dabo, e Tyria spolia inclyta præda:
Nec quisquam nostri discedet muneris expers.
Sic donis vulgum laudumque cupidine flammat.
Jamque dies prædicta aderat, cœtuque sonabat
Innumero campus, simulatasque ordine justo 305
Exsequias rector lacrymis ducebat obortis.
Omnis Iber, omnis Latio sub nomine miles
Dona ferunt, tumulisque super flagrantibus addunt.
Ipse, tenens nunc lacte, sacro nunc plena Lyæo
Pocula, odoriferis adspergit floribus aras. 310
Tum manes vocat excitos, laudesque virorum
Cum fletu canit, et veneratur facta jacentum.
Inde refert sese Circo, et certamina prima
Inchoat, et rapidos cursus proponit equorum.
Fluctuat æquoreo fremitu rabieque faventum,
Carceribus nondum reseratis, mobile vulgus, 316
Atque fores oculis et limina servat equorum.
Jamque, ubi prolato sonuere repagula signo,
Et toto prima emicuit vix ungula cornu,
Tollitur in cœlum furiali turbine clamor, 320
Pronique, ac similes certantibus, ore sequuntur
Quisque suos currus, magnaque volantibus idem
Voce loquuntur equis: quatitur certamine Circus
Certantum, ac nulli mentem non abstulit ardor.
Instant præcipites, et equos clamore gubernant.
Fulvus, arenosa surgens tellure, sub auras 326
Erigitur globus, atque operit caligine densa
Cornipedumque vias, aurigarumque labores.
Hic studio furit acris equi, furit ille magistri:
Hos patriæ favor, hos accendit nobile nomen 330
Antiqui stabuli: sunt, quos spes grata fatiget,
Et nova ferre jugum cervix: sunt, cruda senectus
Quos juvat, et longo sonipes spectatus in ævo.
Evolat ante omnes, raptoque per aera curru
Callaicus Lampon fugit, atque ingentia tranat 335
Exsultans spatia, et ventos post terga relinquit.
Conclamant, plausuque fremunt, votique peractam
Majorem credunt prærepto limite partem.
At, quîs interior cura, et prudentia Circi
Altior, effusas primo certamine vires 340
Damnare, et cassis longe increpitare querelis
Indispensato lassantem corpora nisu: [bat:)
Quo nimius, quo, Cyrne, ruis? (nam Cyrnus age-
Verbera dimitte, et revoca moderatus habenas.
Heu surdas aures! fertur securus equorum, 345
Nec meminit, quantum campi decurrere restet.
Proximus, a primo distans, quantum æquore currus
Occupat ipse, loci tantum, sed proximus ibat
Astur Panchates: patrium frons alba nitebat
Insigne, et patrio pes omnis concolor albo: 350
Ingentes animi, membra haud procera, decusque
Corporis exiguum, sed tum sibi fecerat alas
Concitus, atque ibat campo indignatus habenas
Crescere sublimem, atque augeri membra putares
Cinyphio rector cocco radiabat Iberus. 355
Tertius æquata currebat fronte Peloro
Caucasus, ipse asper, nec qui cervicis amaret
Applausæ blandos sonitus, clausumque cruento
Spumeus admorsu gauderet mandere ferrum.
At, docilis freni et melior parere, Pelorus 360
Non unquam effusum sinuabat devius axem,
Sed lævo interior stringebat tramite metam,
Insignis multa cervice, et plurimus idem
Ludentis per colla jubæ: mirabile dictu, [pis
Nullus erat pater: ad Zephyri nova flamina cam-
Vettonum eductum genitrix effuderat Harpe. 366
Nobilis hunc Durius stimulabat in æquore cur-
Caucasus antiquo fidebat Atlante magistro. [rum:
Ipsum Ætola, vago Diomedi condita, Tyde
Miserat: exceptum Trojana ab origine equorum
Tradebant, quos Æneæ Simoentis ad undas 371
Victor Tydides magnis abduxerat ausis. [pum,
Jamque, fere medium evecti certamine cam-
In spatia addebant: nisusque apprendere primos
Panchates animosus equos, super altior ire, 375
Et præcedentem jam jamque adscendere currum
Pone videbatur, curvatisque ungula prima
Callaicum quatiens pulsabat calcibus axem.
At postremus Atlas, sed non et segnior ibat
Postremo Durio: pacis de more putares 380
Æquata fronte et concordi currere freno.
Sensit ut exhaustas, qui proximus ibat, Iberus
Callaicas Cyrni vires, nec, ut ante, salire
Præcipitem currum, et fumantes verbere cogi
Assiduo violenter equos, ceu monte procella 385
Cum subita ex alto ruit, usque ad colla repente
Cornipedum protentus, et in capita ardua pendens,
Concitat ardentem, quod ferret lora secundus,
Panchaten, vocesque addit cum verbere mixtas:
Tene, Astur, certante feret quisquam æquore palmam 390
Erepto? consurge, vola, perlabere campum
Adsuetis velox pennis: decrescit anhelo
Pectore consumtus Lampon, nec restat hianti,
Quem ferat ad metas, jam spiritus. Hæc ubi dicta,
Tollit se sonipes, ceu tunc e carcere primo 395
Corriperet spatium, et nitentem opponere curvos
Aut æquare gradus Cyrnum post terga relinquit.
Confremit et cœlum, et percussus vocibus altis
Spectantum Circus. Fertur sublime per auras
Altius attollens cervicem victor ovantem 400
Panchates, sociosque trahit prior ipse jugales.
At postremus Atlas, Durius postremus in orbem
Exercent artes: lævos nunc appetit ille
Conatus, nunc ille premit, certatque subire
Dexter, et alterni nequicquam fallere tentant;
Donec, confisus primævæ flore juventæ, 406
Obliquum Durius conversis pronus habenis
Opposuit currum, atque eversum propulit axem
Atlantis senio invalidi, sed justa querentis:
Quo ruis? aut quinam hic rabidi certaminis est
Et nobis et equis letum commune laboras. [mos?
Dumque ea proclamat, perfracto volvitur axe
Cernuus, ac pariter fusi (miserabile) campo
Discordes sternuntur equi: quatit æquore aperto
Lora suis victor, mediaque Pelorus arena 415
Surgere nitentem fugiens Atlanta relinquit.
Nec longum Cyrni defessos prendere currus.
Hunc quoque, cunctantem et sero moderamina equorum
Discentem, rapido prætervolat incitus axe:
Impellit currum clamor vocesque faventum. 420

Jamque etiam dorso atque humeris trepidantis
Ora superposuit sonipes, flatusque vapore [Iberi
Terga premi, et spumis auriga calescere sentit.
Incubuit campo Durius, misitque citatos
Verbere quadrupedes: nec frustra; æquare videtur,
Aut etiam æquavit juga præcedentia dexter. 426
Attonitus tum spe tanta, Genitore, Pelore,
Te Zephyro eductum nunc, nunc ostendere tempus.
Discant, qui pecudum ducunt ab origine nomen,
Quantum divini præcellat seminis ortus. 430
Victor dona dabis, statuesque altaria patri.
Et, ni successu nimio lætoque pavore
Proditus elapso foret inter verba flagello,
Forsan sacrasset Zephyro, quas voverat, aras.
Tum vero infelix, veluti delapsa corona 435
Victoris capiti foret, in se versus ab ira,
Auratam medio discindit pectore vestem,
Ac lacrymæ simul et questus ad sidera fusi.
Nec jam subducto parebat verbere currus.
Pro stimulis dorso quatiuntur inania lora. 440
Interea metis, certus jam laudis, agebat
Sese Panchates, et præmia prima petebat
Arduus: effusas lenis per colla, per armos
Ventilat aura jubas: tum mollia crura superbi
Attollens gressus, magno clamore triumphat. 445
Par donum solido argento cælata bipennis
Omnibus, at vario distantia cætera honore.
Primus equum volucrem, Massyli munera regis
Haud spernenda, tulit: tulit huic virtute secundus
E Tyria, quæ multa jacet, duo pocula præda 450
Aurifero perfusa Tago: villosa leonis
Terga feri, et cristis horrens Sidonia cassis
Tertius inde honor est: postremo munere Atlanta,
Quamvis perfracto senior subsederat axe,
Accitum donat ductor, miseratus et ævum 455
Et sortem casus: famulus florente juventa
Huic datur, adjuncto gentilis honore galeri.
His actis ductor læta ad certamina plantæ
Invitat, positisque accendit pectora donis:
Hanc primus galeam; hac acies terrebat Iberas 460
Hasdrubal: hunc ensem, cui proxima gloria cur-
Accipiet; cæso pater hunc detraxit Hiempsæ. [sus,
Tertius extremam tauro solabere palmam.
Cætera contenti discedent turba duobus
Quisque ferox jaculis, quæ dat gentile metallum.
Fulgentes pueri Tartessos et Hesperos ora 466
Ostendere simul vulgi clamore secundo.
Hos Tyria misere domo patria inclyta Gades.
Mox subit adspersus prima lanugine malas 469
Bæticus: hoc dederat puero cognomen ab amne
Corduba, et haud parvo certamina læta fovebat.
Inde comam rutilus, sed cum fulgore nivali
Corporis, implevit caveam clamoribus omnem
Eurytus: excelso nutritum colle crearat 474
Sætabis, atque aderant trepidi pietate parentes.
Tum Lamus et Sicoris, proles bellacis Ilerdæ,
Et Theron potator aquæ, sub nomine Lethes
Quæ fluit, immemori perstringens gurgite ripas.
Qui postquam, arrecti plantis et pectora proni,
Pulsantesque æstu laudum exsultantia corda, 480
Accepere tuba spatium, exsiluere per auras
Ocius effusis nervo exturbante sagittis.
Diversa et studia et clamor, pendentque faventes
Unguibus, atque suos, ut cuique est gratia, anheli
Nomine quemque cient. Grex incitus æquore
Nullaque transmissa vestigia signat arena. [fertur,
Omnes primævi, flaventiaque ora decori,
Omnes ire leves, atque omnes vincere digni.
Extulit, incumbens medio jam limite, gressum
Eurytus, et primus brevibus, sed primus, abibat
Præcedens spatiis. Instat non segnius acer 491
Hesperos, ac prima stringit vestigia planta
Progressæ calcis: satis est huic esse priori,
Huic sperare sat est, fieri se posse priorem.
Acrius hoc tendunt gressus, animique vigore 495
Corpora agunt: auget pueris labor ipse decorem
Ecce, levi nisu postremoque agmine currens,
Postquam sat visus sibi concepisse vigoris,
Celsus inexhaustas effundit turbine vires
Non exspectato, subitusque erumpit, et auras 500
Prævehitur Theron: credas Cyllenida plantam
Ætherio nexis cursu talaribus ire. [quit,
Jamque hos, jamque illos, populo mirante, relin-
Et, modo postremus, nunc ordine tertia palma,
Hesperon infestat sua per vestigia pressum. 505
Nec jam quem sequitur tantum, sed prima coronæ
Spes trepidat tantis eventibus Eurytus ales.
Quartus sorte loci, sed, si tres ordine servent
Inceptos cursus, nequicquam vana laborans,
Tartessos fratrem medio Therone premebat. 510
Nec patiens ultra tollit sese æquore Theron
Igneus, et plenum prætervolat Hesperon iræ.
Unus erat super, et metæ propioribus ægros
Urebat finis stimulis: quascunque reliquit [vires,
Hinc labor, hinc penetrans pavor in præcordia
Dum sperare licet, brevia ad conamina uterque
Advocat: æquantur cursus, pariterque ruebant.
Et forsan gemina meruissent præmia palma,
Pervecti simul ad metas, ni, terga secutus
Theronis, fusam late per lactea colla 520
Hesperos ingenti tenuisset sævus ab ira
Traxissetque comam. Tardato lætus ovansque
Eurytus evadit juvene, atque ad præmia victor
Emicat, et galeæ fert donum insigne coruscæ.
Cætera promisso donata est munere pubes, 525
Intonsasque comas viridi redimita corona
Bina tulit patrio quatiens hastilia ferro.
Hinc graviora virûm certamina, cominus ensis
Destrictus, bellique feri simulacra cientur.
Nec quos culpa tulit, quos crimine noxia vita,
Sed virtus animusque ferox ad laudis amorem,
Hi crevere pares ferro; spectacula digna
Martigena vulgo, suetique laboris imago.
Hos inter gemini (quid jam non regibus ausum?
Aut quod jam regnis restat scelus?) impia Circo
Innumero fratres, cavea damnante furorem, 536
Pro sceptro armatis inierunt prœlia dextris.
Is genti mos dirus erat, patriumque peteban
Orbati solium lucis discrimine fratres.
Concurrere animis, quantis confligere par est, 540
Quos regni furor exagitat, multoque cruore
Exsatiata simul portantes corda sub umbras
Occubuere: pari nisu per pectora adactus
Intima descendit mucro: superaddita sævis
Ultima vulneribus verba, et convicia volvens
Dirus in invitas effugit spiritus auras. 546
Nec manes pacem passi: nam corpora junctus
Una cum raperet flamma rogus, impius ignis
Dissiluit, cineresque simul jacuisse negarunt.
Cætera distincto donata est munere turba, 550
Ut virtus et dextra fuit: duxere juvencos
Impressis dociles terram proscindere aratris
Duxere adsuetos lustra exagitare ferarum
Venatu juvenes, quos dat Maurusia præda.
Nec non argenti, nec non insignia vestis 555
Captivæ pretia, et sonipes, et crista nitenti
Insurgens cono, spolia exuviæque Libyssæ.
Tum jaculo petiere decus, spectacula Circi
Postrema, et metæ certarunt vincere finem
Burrus avis pollens, quem misit ripa metalli, 560

Qua Tagus auriferis pallet turbatus arenis,
Et Glagus, insignis ventos anteire lacerto,
Et, cujus nunquam fugisse hastilia cervi
Prærapida potuere fuga, venator Aconteus;
Indibilisque, diu lætus bellare Latinis, 565
Jam socius; volucresque vagas deprendere nube
Adsuetus jaculis, idem et bellator, Ilerdes.
Laus Burri prima, infixit qui spicula metæ;
Est donum serva, albentes invertere lanas [rant
Murice Gætulo docta: at, quem proxima hono-
Præmia, vicinam metæ qui propulit hastam, 571
Accepto lætus puero discessit Ilerdes,
Cui ludus nullam cursu non tollere damam.
Tertia palma habuit geminos insignis Aconteus
Nec timidos agitare canes latratibus aprum. 575
Quos postquam clamor plaususque probavit honores,
Germanus ducis atque effulgens Lælius ostro
Nomina magna vocant læti manesque jacentum,
Atque hastas simul effundunt: celebrare juvabat
Sacratos cineres, atque hoc decus addere ludis.
Ipse etiam, mentis testatus gaudia vultu, 581
Ductor, ut æquavit meritis pia pectora donis,
Et frater thoraca tulit multiplicis auri,
Lælius Asturica rapidos de gente jugales,
Contorquet magnis victricem viribus hastam 585
Consurgens, umbrisque dari testatur honorem.
Hasta volans (mirum dictu) medio incita campo
Substitit ante oculos, et terræ infixa cohæsit.
Tum subitæ frondes, celsoque cacumine rami,
Et latam spargens quercus, dum nascitur, um-
Ad majora jubent præsagi tendere vates: [bram.
Id monstrare deos, atque hoc portendere signo.
Quo super augurio, pulsis de littore cunctis
Hesperio Pœnis, ultor patriæque domusque
Ausoniam repetit, fama ducente triumphum. 595
Nec Latium curis ardet flagrantius ullis,
Quam juvenî Libyam et summos permittere fasces.
Sed frigens animis, nec bello prospera turba
Ancipiti senior temeraria cœpta vetabant,
Magnosque horrebant cauta formidine casus. 600
Ergo, ubi delato consul sublimis honore
Ad Patres consulta refert, deturque potestas,
Orat, delendæ Carthaginis, altius orsus
Hoc grandæva modo Fabius pater ora resolvit:
Haud equidem metuisse queam, satiatus et ævi
Et decoris, cui jam superest et gloria et ætas,
Ne credat nos invidiæ certamine consul
Laudibus obtrectare suis: satis inclyta nomen
Gestat fama meum, nec egent tam prospera laude
Facta nova: verum et patriæ, dum vita manebit,
Deesse nefas, animumque nefas scelerare silendo.
Bella nova in Libyæ moliris ducere terras?
Hostis enim deest Ausoniæ, nec vincere nobis
Est satis Hannibalem. Petitur quæ gloria major
Littore Elissæo? stimuli si laudis agunt nos, 615
Hanc segetem mete: composuit propioribus ausis
Dignum te Fortuna parem: vult Itala tellus
Ductoris sævi, vult tandem, haurire cruorem.
Quo Martem, aut quo signa trahis? restinguere primum est
Ardentem Italiam: tu fessos obvius hosti 620
Deseris, ac septem denudas proditor arces.
An, cum tu Syrtim ac steriles vastabis arenas,
Non dira illa lues notis jam mœnibus Urbis
Adsiliet, vacuumque Jovem sine pube, sine armis
Invadet? quanti, ut cedas, Romamque relinquas
Emerito, est! tanto perculsi fulmine belli 626
Siccine te, ut nuper Capua est accitus ab alta
Fulvius, æquoreis Libyæ revocabimus oris?
Vince domi, et trinis mærentem funera lustris
Ausoniam purga bello: tum tende remotos 630
In Garamantas iter, Nasamoniacosque triumphos
Molire: angustæ prohibent nunc talia cœpta
Res Italæ. Pater ille tuus, qui nomina vestræ
Addidit haud segnis genti, cum consul Iberi
Tenderet ad ripas, revocato milite primus 635
Descendenti avide superatis Alpibus ultro
Opposuit sese Hannibali. Tu consul abire
A victore paras hoste, atque avellere nobis
Scilicet hoc astu Pœnum: si deinde sedebit [tur,
Impavidus, nec te in Libyam tuaque arma seque-
Capta damnabis consulta improvida Roma. 641
Sed fac turbatum convertere signa, tuæque
Classis vela sequi: nempe idem erit Hannibal,
Cujus tu vallum vidisti e mœnibus urbis. [idem,
Hæc Fabius: seniorque manus paria ore freme-
bant. 645
Tum contra consul: Cæsis ductoribus olim
Magnanimis leto gemino, cum tota subisset
Sidonium possessa jugum Tartessia tellus,
Non Fabio, non, quîs eadem est sententia cordi,
Quoquam ad opem verso, fateor, primoribus annis
Excepi nubem belli, solusque ruenti 651
Objeci cœlo caput, atque in me omnia verti.
Tum grandæva manus puero male credita bella,
Atque idem hic vates temeraria cœpta canebat.
Dis grates laudemque fero, sub numine quorum
Gens Trojana sumus; puer ille, et futilis ætas,
Imbellesque anni, necdum maturus ad arma
Scipio, restituit terras illæsus Iberas
Trojugenis; pepulit Pœnos, solisque secutus
Extremas ad Atlanta vias, exegit ab orbe 660
Hesperio nomen Libyæ, nec retulit ante
Signa prius, quam fumantes citra æquora vidit
Romano Phœbum solventem littore currus.
Adscivit reges idem. Nunc ultimus actis
Restat Carthago nostris labor: hoc sator ævi 665
Jupiter æterni monet: Hannibali ecce senectus
Intremit, aut ægros simulat mentita timores,
Ne finem longis tandem peperisse ruinis
Sit noster titulus. Certe jam dextera nobis
Experta, et robur florentibus auximus annis. 670
Ne vero fabricate moras; sed currere sortem
Hanc sinite ad veterum delenda opprobria cla-
Quam mihi servavere dei. Sat gloria cauto [dum,
Non vinci pulchra est Fabio, peperitque sedendo
Omnia cunctator nobis: nec Mago, nec Hannon,
Nec Gisgone satus, nec Hamilcare terga dedisset,
Si segnes clauso traheremus prœlia vallo. 677
Sidoniusne puer, vix pubescente juventa,
Laurentes potuit populos et Troia adire
Mœnia, flaventemque sacro cum gurgite Tibrim,
Et potuit Latium longo depascere bello; 681
Nos Libyæ terris transmittere signa pigebit,
Et Tyrias agitare domos? secura pericli
Littora lata patent, et opima pace quieta
Stat tellus: timeat tandem Carthago, timeri 685
Adsueta, et nobis, quamvis Œnotria nondum
Hannibale arva vacent, superesse intelligat arma
Illum ego, quem vosmet cauti, consultaque vestra
In Latio fecere senem, cui tertia large
Fundenti nostrum ducuntur lustra cruorem, 690
Illum ego ad incensas trepidantem et sera paven-
Avertam patriæ sedes. An Roma videbit [tem
Turpia Agenoreæ muris vestigia dextræ;
Carthago immunis nostros secura labores
Audiet interea, et portis bellabit apertis? 695
Tum vero pulset nostras iterum improbus hostis
Ariete Sidonio turres, si templa suorum

Non ante audierit Rutulis crepitantia flammis.
Talibus accensi Patres, fatoque vocante,
Consulis annuerunt dictis, faustumque precati 100
Ut foret Ausoniæ, transmittere bella dederunt.

LIBER DECIMUS SEPTIMUS.

Hostis ut Ausoniis discederet advena terris,
Fatidicæ fuerant oracula prisca Sibyllæ,
Cœlicolûm Phrygia genitricem sede petitam
Laomedonteæ sacrandam mœnibus urbis:
Advectum exciperet numen, qui, lectus ab omni 5
Concilio Patrum, præsentis degeret ævi
Optimus: heu nomen melius majusque triumphis!
Jamque petita aderat Latia portante Cybebe
Puppe, atque innocuus, magno censente senatu,
Obvius accitis properabat Scipio sacris, 10
Qui, genitus patruo ductoris ad Africa bella
Tunc lecti, multa fulgebat imagine avorum.
Isque ubi longinquo venientia numina ponto
Accepit supplex palmis, Tuscique sonora
Tibridis adducit sublimis ad ostia puppim; 15
Fœmineæ tum deinde manus subiere, per amnem
Quæ traherent celsam religatis funibus alnum.
Circum arguta cavis tinnitibus æra, simulque
Certabant rauco resonantia tympana pulsu,
Semivirique chori, gemino qui Dindyma monte
Casta colunt, qui Dictæo bacchantur in antro,
Quique Idæa juga et lucos novere silentes.
Hos inter fremitus ac læto vota tumultu,
Substitit adductis renuens procedere vinclis
Sacra ratis, subitisque vadis immobilis hæsit. 25
Tum puppe e media magno clamore sacerdos:
Parcite pollutis contingere vincula palmis,
Et procul hinc, moneo, procul hinc, quæcunque profanæ,
Ferte gradus, nec vos casto miscete labori,
Dum satis est monuisse deæ: quod si qua pudica
Mente valet, si qua illæsi sibi corporis adstat 31
Conscia, vel sola subeat pia munera dextra.
Hic prisca ducens Clausorum ab origine nomen
Claudia, non æqua populi mala credita fama,
In puppim versis palmisque oculisque profatur: 35
Cœlicolûm genitrix, numen, quod numina nobis
Cuncta creas, cujus proles terramque, fretumque,
Sideraque, et manes regnorum sorte gubernant,
Si nostrum nullo violatum est crimine corpus,
Testis, diva, veni, et facili me absolve carina. 40
Tum secura capit funem: fremitusque leonum
Audiri visus subito, et graviora per aures
Nulla pulsa manu sonuerunt tympana divæ.
Fertur prona ratis, (ventos impellere credas,)
Contraque adversas ducentem prævenit undas. 45
Extemplo major cunctis spes pectora mulcet,
Finem armis tandem, finemque venire periclis.
Ipse alacer Sicula discedens Scipio terra
Abscondit late propulsis puppibus æquor,
Cui numen pelagi placaverat hostia taurus, 50
Jactaque cæruleis innabant fluctibus exta.
Tunc a sede deûm purumque per æthera lapsæ
Armigeræ Jovis ante oculos cœpere volucres
Æquoreas monstrare vias, ac ducere classem.
Augurium clangor lætum dabat: inde, secuti 55
Tantum progressos liquida sub nube volatus,
Quantum non frustra speculantum lumina servant,
Littora Agenoreæ tenuerunt perfida terræ.
Nec segnis, tanta in semet veniente procella,
Africa terribilem magno sub nomine molem 60
Regis opes contra et Massyla paraverat arma:
Spesque Syphax Libycis una, et Laurentibus unus
Terror erat. Campos pariter vallesque refusas
Littoraque implerat, nullo decorare tapete
Cornipedem Nomas adsuetus, densæque per auras
Condebant jaculis stridentibus æthera nubes. 66
Immemor is dextræque datæ junctique per aras
Fœderis, et mensas testes, atque hospita jura,
Fasque, fidemque simul, pravo mutatus amore
Ruperat, atque toros regni mercede pararat. 70
Virgo erat eximia specie claroque parente,
Hasdrubalis proles, thalamis quam cepit ut altis,
Ceu face succensus prima tædaque jugali,
Vertit opes gener ad Pœnos, Latiæque soluto
Fœdere amicitiæ, dotalia transtulit arma. 75
Sed non Ausonio curarum extrema Syphacem
Ductori monuisse fuit; missique minantur
Observet fœdus, neu pacis jura resolvat,
Stet regno, reputet superos, pacta hospita servet.
Longe conjugia, ac longe Tyrios Hymenæos 80
Inter Dardanias acies fore: sanguine quippe,
Si renuat, blando nimium facilique marito
Statura obsequia et thalami flagrantis amores.
Sic Latius permixta minis, at cassa, movebat
Ductor: nam surdas conjux obstruxerat aures. 85
Ergo asper, monitis frustra nitentibus, enses
Advocat, et, castas polluti fœderis aras
Testatus, varia Martem movet impiger arte.
Castra, levi calamo cannaque intexta palustri,
Qualia Maurus amat dispersa mapalia pastor, 90
Aggreditur, furtum armorum tutantibus umbris,
Ac tacita spargit celata incendia nocte.
Inde, ubi collecti rapidam diffundere pestem
Cœperunt ignes, et se per pinguia magno
Pabula ferre sono, claræ exspatiantur in auras, 95
Et frenos volucri propellunt lumine flammæ.
It totis inimica lues cum turbine castris,
Atque alimenta vorat strepitu Vulcanus anhelo
Arida, et ex omni manant incendia tecto.
Sentitur plerisque prius, quam cernitur, ignis 100
Excitis somno, multorumque ora vocantum
Auxilium invadunt flammæ: furit undique victor
Mulciber, et rapidis amplexibus arma virosque
Corripit: exundat pestis, semustaque castra
Albenti volitant per nubila summa favilla. 105
Ipsius ingenti regis tentoria saltu
Lugubre increpitans late circumvolat ardor,
Hausissetque virum, trepidus ni clade satelles
E somno ac stratis rapuisset multa precantem.
Verum, ubi mox juncto sociarant aggere vires
Massylus Tyriusque duces, accitaque regno 111
Lenierat pubes infaustæ vulnera noctis,
Ira, pudorque dabant, et conjux, tertius ignis,
Immanes animos; afflataque barbarus ora
Castrorum flammis, et se velamine nullo 115

Vix inter trepidas ereptum ex hoste catervas
Frendebat minitans: sed enim non luce Sypha-
Nec claro potuisse die, nec sole tuente, [cem,
A quoquam vinci. Jactarat talia vecors:
Sed jam claudebat flatus, nec plura sinebat 120
Atropos, et tumidæ properantur stamina linguæ.
Namque ubi prosiluit castris, ceu turbidus amnis,
Qui sylvas ac saxa trahens per devia præceps
Volvitur, et ripas spumanti gurgite laxat,
Ante omnes prævectus equo, trahit agmina voce.
Contra nava manus Rutuli, celsusque ruebat 126
Viso rege procul raptis exercitus armis.
Ac sibi quisque, Videsne? videsne, ut in agmine
Massylus volitet, deposcens prœlia, rector? [primo
Fac nostrum hoc, mea dextra, decus: violavit et
Cœlicolûm, et casti ductoris fœdera rupit. [aras
Sit satis hunc castris semel effugisse crematis.
Sic secum taciti, et certatim spicula fundunt.
Prima in cornipedis sedit spirantibus ignem
Naribus hasta volans, erexitque ore cruento 135
Quadrupedem, elatis pulsantem calcibus auras.
Corruit asper equus, confixaque cuspide membra
Huc illuc jactans, rectorem prodidit hosti.
Invadunt, vanumque fugæ, atque attollere fessos
Annitentem artus revocato a vulnere telo, [dum)
Corripiunt: tum vincla viro manicæque (puden-
Addita, et, exemplum non unquam fidere lætis,
Sceptriferas arcta palmas vinxere catena.
Ducitur ex alto dejectus culmine regni, [que
Qui modo sub pedibus terras, et sceptra, patens-
Littora ad Oceani sub nutu viderat æquor.
Prostratis opibus regni Phœnissa metuntur
Agmina, et invisus Marti, notusque fugarum
Vertit terga citus damnatis Hasdrubal ausis.
Stabat Carthago, truncatis undique membris,
Uni nixa viro, tantoque fragore ruentem 151
Hannibal absenti retinebat nomine molem.
Id reliquum fessos opis auxiliique ciere
Rerum extrema jubent: huc confugere paventes,
Postquam se superûm desertos numine cernunt.
Nec mora: propulsa sulcant vada salsa carina,
Qui revocent, patriæque ferant mandata monen
Ne lentus nullas videat Carthaginis arces. [tis,
Quarta Aurora ratem Dauni devexerat oras,
Et fera ductoris turbabant somnia mentem. 160
Namque gravis curis carpit dum nocte quietem,
Cernere Flaminium Gracchumque et cernere Paullum
Visus erat simul adversos mucronibus in se
Destrictis ruere, atque Itala depellere terra: [dis
Omnisque a Cannis, Trasimenique omnis ab un-
In pontum impellens umbrarum exercitus ibat. 166
Ipse, fugam capiens, notas evadere ad Alpes
Quærebat, terræque ulnis amplexus utrisque
Hærebat Latiæ; donec vis sæva profundo
Truderet, et rapidis daret asportare procellis. 170
His ægrum visis adeunt, mandata ferentes,
Legati, patriæque extrema pericula pandunt
Massyla ut ruerint arma, ut cervice catenas
Regnator tulerit Libyæ, letoque negato
Servetur nova pompa Jovi: Carthago laboret 175
Ut trepidi Hasdrubalis, qui rerum agitarit habe-
Non una concussa fuga: se (triste profatu) [nas,
Vidisse, arderent cum bina in nocte silenti
Castra, et luceret sceleratis Africa flammis.
Prærapidum juvenem minitari, Bruttia servet 180
Littora dum Pœnus, detracturum ignibus atris,
In quam se referat, patriam, suaque inclyta facta.
Hæc postquam dicta, et casus patuere metusque,
Effundunt lacrymas, dextramque ut numen adorant.
Audivit torvo obtutu defixus, et ægra 185
Expendit tacite cura secum ipse volutans,
An tanti Carthago foret: sic deinde profatur:
O dirum exitium mortalibus! o nihil unquam
Crescere, nec magnas patiens exsurgere laudes
Invidia! eversam jam pridem exscindere Romam
Atque æquasse solo potui, traducere captam 191
Servitum gentem, Latioque imponere leges.
Dum sumtus, dumque arma duci, fessosque secun-
Submisso tirone negant recreare maniplos, [dis
Dumque etiam Cerere et victu fraudasse cohortes
Hannoni placet, induitur tota Africa flammis: 196
Pulsat Agenoreas Rhœteia lancea portas.
Nunc patriæ decus, et patriæ nunc Hannibal unus
Subsidium: nunc in nostra spes ultima dextra.
Vertentur signa, ut Patres statuere; simulque 200
Et patriæ muros, et te servabimus, Hannon.
Hæc ubi detonuit, celsas e littore puppes [sem.
Propellit, multumque gemens movet æquore clas-
Non terga est ausus cedentum invadere quisquam,
Non revocare virum: cuncti præstare videntur,
Quod sponte abscedat, superi, tandemque resolvat
Ausoniam: ventos optant, et littora ab hoste
Nuda videre sat est: ceu flamina comprimit Auster
Cum fera, et abscedens reddit mare, navita parco
Interea voto non auras poscit amicas, 210
Contentus caruisse Noto, pacemque quietam
Pro facili cursu reputat salis. Omnis in altum
Sidonius visus converterat undique miles;
Ductor defixos Itala tellure tenebat
Intentus vultus, manantesque ora rigabant 215
Per tacitum lacrymæ, et suspiria crebra ciebat;
Haud secus ac patriam pulsus dulcesque penates
Linqueret, et tristes exsul traheretur in oras.
Ut vero affusis puppes procedere ventis,
Et sensim cœpere procul subsidere montes, [tellus;
Nullaque jam Hesperia, et nusquam jam Daunia
Hæc secum infrendens: Mentisne ego compos, et hoc nunc 222
Indignus reditu, qui memet finibus unquam
Amorim Ausoniæ? flagrasset subdita tædis
Carthago, et potius cecidisset nomen Elissæ.
Quid tunc? sat compos, qui non ardentia tela
A Cannis in templa tuli Tarpeia, Jovemque
Detraxi solio? sparsissem incendia montes
Per septem bello vacuos, gentique superbæ
Iliacum exitium et proavorum fata dedissem.
Cur porro hæc angant? nunc, nunc invadere ferro
Quis prohibet, rursumque ad mœnia tendere gressus?
Ibo, et, castrorum relegens monumenta meorum,
Qua via nota mihi est, remeabo Anienis ad undas
Flectite in Italiam proras, avertite classem. 235
Faxo, ut vallata revocetur Scipio Roma.
Talibus ardentem furiis Neptunus ut alto
Prospexit, vertique rates ad littora vidit,
Quassans cæruleum genitor caput æquora fundc
Eruit, et tumidum movet ultra littora pontum.
Extemplo ventos, imbresque, et rupe procellas
Concitat Æolias, ac nubibus æthera condit. 24
Tum, penitus telo molitus regna tridenti
Intima, ab occasu Tethyn impellit et ortu,
Ac totum Oceani turbat caput: æquora surgunt
Spumea, et illisu scopulus tremit omnis aquarum
Primus, se attollens Nasamonum sedibus, Auster
Nudavit Syrtim correpta nubilus unda.
Insequitur sublime ferens nigrantibus alis
Abruptum Boreas ponti latus: intonat acer 250
Discordi flatu, et partem rapit æquoris Eurus.
Hinc rupti reboare poli, atque hinc crebra micare

Fulmina, et in classem ruere implacabile cœlum.
Consensere ignes, nimbique, et fluctus, et ira
Ventorum, noctemque freto imposuere tenebræ.
Ecce intorta Noto veniensque a rupe procella
Antennæ immugit, stridorque immite rudentum
Sibilat, ac similem mo ti, nigrante profundo,
Ductoris frangit super ora trementia fluctum.
Exclamat, volvens oculos cœloque fretoque: 260
Felix o, frater, divisque æquate cadendo,
Hasdrubal, egregium fortis cui dextera in armis
Pugnanti peperit letum, et cui fata dedere
Ausoniam extremo tellurem apprendere morsu!
At mihi Cannarum campis, ubi Paullus, et illæ
Egregiæ occubuere animæ, dimittere vitam [mas,
Non licitum! vel, cum ferrem in Capitolia flam-
Tarpeio Jovis ad manes descendere telo.
Talia dum mæret, diversis flatibus acta
In geminum ruit unda latus, puppimque sub atris
Æquoris aggeribus tenuit, ceu turbine, mersam.
Mox, nigris alte pulsa exundantis arenæ 272
Vorticibus, ratis ætherias remeavit ad auras,
Et fluctus supra vento librante pependit.
At geminas Notus in scopulos atque horrida saxa
Dura sorte rapit (miserandum et triste) biremes.
Increpuere ictu proræ: tum murice acuto
Dissiliens sonuit, rupta compage, carina.
Hic varia ante oculos facies: natat æquore toto
Arma inter, galeasque virûm, cristasque rubentes,
Florentis Capuæ gaza, et seposta triumpho 281
Laurens præda ducis, tripodes, mensæque deorum,
Cultaque nequicquam miseris simulacra Latinis.
Cum Venus, emoti facie conterrita ponti,
Talibus alloquitur regem maris: Hoc satis iræ
Interea, genitor: satis ad majora minarum. 286
Cætera parce, precor, pelago: ne tollat acerba
Hoc Carthago decus, nullo superabile bello
Progenuisse caput, nostrosque in funera Pœni
Æneadas undis totoque eguisse profundo. 290
Sic Venus: et tumidi considunt gurgite fluctus,
Obviaque adversis propellunt agmina castris.
Dux vetus armorum, scitusque accendere corda
Laudibus, ignifero mentes fûriabat in iram
Hortatu, decorisque urebat pectora flammis. 295
Tu mihi Flaminii portas rorantia cæsi
Ora ducis: nosco dextram. Tu primus in ictus
Ingentis Paulli ruis, ac defigis in ossa
Mucronem. Tibi pugnacis gestantur opima
Marcelli, Gracchusque cadens tibi proluit ensem.
Ecce manus, quæ te pulsantem, belliger Appi,
Mœnia sublimis Capuæ de culmine muri
Excelso fusa moribundum propulit hasta.
Ecce aliud fulmen dextræ, quo nobile nomen
Fulvius excepit non unum pectore vulnus. 305
Huc prima te siste acie, cui consul in armis
Crispinus cecidit. Me tu comitare per hostes,
Qui nobis (memini) ad Cannas lætissimus iræ
Servili fers ora ducis suffixa veruto.
Cerno flagrantes oculos, vultumque timendum
Non ipso minus ense tuum, fortissime Pœnûm
O juvenis, qualem vidi, cum flumine sævo
Insignis Trebiæ complexum ingentibus ulnis
Mersisti fundo luctantem vana tribunum.
At tu, qui gelidas Ticini primus ad undas 315
Scipiadæ patris tinxisti sanguine ferrum,
Incepta exsequere, et nati mihi redde cruorem.
Horrescamne ipsos, veniant ad prœlia, divos,
Cum stetis turmæ, vidi certantia cœlo
Quas juga calcantes summas volitare per Alpes?
Cum videam, quorum ferro manibusque capaces
Arsere Argyripæ campi? num segnior ibis
Nunc mihi, qui primus torques in mœnia telum
Dardana, nec nostræ facilis concedere laudi?
Te vero, tene exstimulem, qui fulmina contra,
Et nimbos, tonitrusque, ac summi numinis iras
Cum starem, perferre ferox hæc vana jubebas
Nubila, et ante ducem Capitolia celsa petebas?
Quid vos, quîs claro deletum est Marte Saguntum,
Exhorter, quos nobilitant primordia belli? 330
Ut meque et vobis dignum, defendite, quæso,
Præteritas dextræ laudes. Divûm ipse favore
Vincendoque senex, patriam post trina labantem
Lustra, et non visos tam longa ætate penates,
Ac natum, et fidæ jampridem conjugis ora, 335
Confisus vobis, repeto. Non altera restat
Jam Libye; nec Dardaniis pugna altera restat.
Certatus nobis hodie dominum accipit orbis. [ba
Hannibal hæc: sed non patiens remorantia ver-
Ausonius miles, quoties dux cœperat ora 340
Solvere ad affatus, signum pugnamque petebant
Hæc procul aeria speculantem nube sororem
Ut vidit divûm genitor, mæstosque sub acri
Obtutu vultus, sic ore effatus amico est:
Qui te mentis edunt morsus, da noscere, conjux:
Num Pœni casus ducis, et Carthaginis angit 346
Cura tuæ? sed enim reputa tecum ipsa furores
Sidonios: gentem contra et fatalia regna
Teucrorum quis erit, quæso, germana, rebelli
Fractis fœderibus populo modus? ipsa malorum
Non plus Carthago tulit, exhausitque laboris,
Quam pro Cadmea tu exercita gente tulisti.
Turbasti maria ac terras, juvenemque ferocem
Immisti Latio: tremuerunt mœnia Romæ,
Perque bis octonos primus fuit Hannibal annos
Humani generis. Tempus componere gentem.
Ad finem ventum, et claudenda est janua belli
Tum supplex Juno: Neque ego hæc mutare labo-
Quîs est fixa dies, pendenti nube resedi; [rans,
Nec revocare acies, bellumve extendere quæro.
Quæ donare potes, quoniam mihi gratia languet,
Et cecidit jam primus amor, nil fila sororum
Adversus posco: vertat terga Hannibal hosti,
Ut placet, et cineres Trojæ Carthagine regnent.
Illud te gemini per mutua pignora amoris 365
Et soror et conjux oro, tranare pericla
Magnanimum patiare ducem, vitamque remittas,
Neve sinas captum Ausonias perferre catenas
Stent etiam contusa malis mea mœnia, fracto
Nomine Sidonio, et nostro serventur honori. 370
Sic Juno; et contra breviter sic Jupiter orsus:
Do spatium muris, ut vis, Carthaginis altæ; [jux,
Stent lacrymis precibusque tuis: sed percipe, con-
Quatenus indulsisse vacet: non longa supersunt
Fata urbi, venietque pari sub nomine ductor, 375
Qui nunc servatas evertat funditus arces. [auras,
Ætherias quoque, uti poscis, trahat Hannibal
Ereptus pugnæ. Miscere hic sidera ponto
Et terras implere volet redeuntibus armis,
Novi feta viri bello præcordia: sed lex 380
Muneris hæc esto nostri, Saturnia regna
Ne posthac videat, repetat neve amplius unquam
Ausoniam. Nunc instanti raptum avehe leto;
Ne, si miscebit latis fera prœlia campis,
Romulei nequeas juvenis subducere dextræ. 385
Dum statuit fata omnipotens urbique ducique
Invadunt acies pugnam, et clamore lacessunt
Sidera. Non alio graviores tempore vidit [rent,
Aut populos tellus, aut, qui patria arma move-
Majores certare duces: discriminis alta 390
In medio merces, quicquid tegit undique cœlum.
Ibat Agenoreus præfulgens ductor in ostro,

Excelsumque caput penna nutante levabat
Crista rubens: sævus magno de nomine terror
Præcedit, Latioque micat bene cognitus ensis.
At contra ardenti radiabat Scipio cocco, 396
Terribilem ostentans clypeum, quo patris et una
Cælarat patrui spirantes prœlia dira
Effigies: flammam ingentem frons alta vomebat.
Sub tanta cunctis vi telorumque virûmque 400
In ducibus stabat spes et victoria solis.
Quin etiam, favor ut subigit plerosque metusve,
Scipio si Libycis esset generatus in oris,
Sceptra ad Agenoreos credunt ventura nepotes;
Hannibal Ausonia genitus si sede fuisset, 405
Haud dubitant terras Itala in ditione futuras.
Contremuere auræ rapido vibrantibus hastis
Turbine, et horrificam traxere per æthera nubem.
Inde ensis, propiorque acies, et cominus ora
Admota, ac dira flagrantia lumina flamma. 410
Sternitur in medium contemtrix turba pericli,
Quæ primis se præcipitem tulit obvia telis,
Gentilemque bibit tellus invita cruorem.
Fervidus ingenii Masinissa, et fervidus ævi,
In primas Macetûm turmas immania membra 415
Infert, et jaculo circumvolat alite campum.
Cærulus haud aliter, cum dimicat, incola Thules
Agmina falcifero circumvenit arcta covinno.
Graia phalanx patrio densarat more catervas,
Innexisque adstat nulli penetrabilis hastis. 420
Immemor has pacti post fœdus in arma Philippus
Miserat, et quassam refovebat Agenoris urbem.
Rarescit multo laxatus vulnere miles,
Atque aperit patulas prostrato corpore late
Inter tela vias: irrumpit mole ruinæ 425
Ausonius globus, et perjuria Graia resignat. [bo
Archemorum Rullus, Teucrum Norbanus, (et am-
Mantua labenti genitrix dimiserat ævo,)
Obtruncat Samium bellacis dextra Caleni:
At Clytium Selius, Pellæum et vana tumentem
Ad nomen patriæ Clytium; sed gloria Pellæ 431
Haud valuit misero defendere Daunia tela.
Sævior his Latios vastabat, Bruttia signa,
Lælius increpitans: Adeone Œnotria tellus
Detestanda fuit, quam per maria aspera, perque
Insanos Tyrio fugeretis remige fluctus? 436
Sed fugisse satis fuerit: Latione cruore
Insuper externas petitis perfundere terras?
Hæc dicens, Silarum meditantem in prœlia telo
Prævenit: hasta volans imo sub gutture sedit, 440
Et vitæ vocisque vias simul incita clausit.
Virgilio Caudinus, acerbo Sarnus Amano
Sternitur. Accendunt iras vultusque virorum,
Armorumque habitus noti, et vox consona linguæ.
Quos ubi nudantes conspexit Hamilcare cretus
Terga fugæ, State, ac nostram ne prodite gentem,
Vociferans subit, et convertit prœlia dextra.
Qualis in æstiferis Garamantum feta veneno
Attollit campis ferventi pastus arena
Colla Parætonius serpens, lateque per auras
Undantem torquet perfundens nubila tabem. 451
Continuo infesta portantem cuspide vulnus
Impedit antevolans Herium, cui nobile nomen
Marrucina domus, clarumque Teate ferebat.
Atque illi magnum nitenti, et laudibus hostis 455
Arrecto, capuli ad finem manus incita sedit.
Quærebatque miser morienti lumine fratrem,
Cum juvenis subit, et leto stimulatus acerbo
Pleminius sævum mucronem ante ora coruscat,
Ac fratrem magno minitans clamore reposcit. 460
Huic proles Barcæ: Germanum reddere Averno
Si placet, haud renuo: maneant modo fœdera nostra, [nam
Hasdrubalem revocari umbris. Egone aspera po-
Unquam in Romanos odia, aut mansuescere corda
Nostra sinam? parcamque viro, quem terra crearit
Itala? tum manes inimicus sede repellat 466
Æterna, socioque abigat me frater Averno.
Sic ait, et clypei propulsum pondere toto,
Lubrica qua tellus lapsantis sanguine fratris
Fallebat nisus, prosternit, et occupat ense. 470
Extendit labens palmas, Heriumque jacentem
Amplexus, juncta lenivit morte dolores.
Tum Libys invadit mixtæ certamina turbæ,
Convertitque ruens per longum hostilia terga:
Ut cum fulminibus permixta tonitrua mundum
Terrificant, summique labat domus alta parentis,
Omne hominum in terris trepidat genus, ipsaque
Lux atrox micat, et præsens adstare viritim [ob ora
Creditur intento perculsis Jupiter igne.
Parte alia, ceu sola forent discrimina campo,
Qua miscebat agens truculentus Scipio Martem,
Aspera pugna novas varia sub imagine leti
Dat formas: hic ense jacet prostratus adacto
Hic saxo perfracta gemit lacrymabilis ossa;
Ast hos (turpe) pavor fusos projecit in ora; 485
Horum adversa dedit Gradivo pectora virtus.
Ipse super strages ductor Rhœteius instat:
Qualis apud gelidum currus quatit altior Hebrum,
Et Geticas solvit ferventi sanguine Mavors
Lætus cæde nives, glaciemque Aquilonibus actam
Perrumpit stridens sub pondere belliger axis.
Jamque ardore truci lustrans fortissima quæque
Nomina obit ferro: claris spectata per orbem
Stragibus occumbit late inter tela juventus;
Qui muros rapuere tuos, miserasque nefandi 495
Principium belli fecere, Sagunte, ruinas;
Qui sacros, Trasimene, lacus, Pha[illegible]ontia quique
Polluerant tabo stagna [illegible]nducia tanta
Quos tulit, ut superum regi soliumque domosque
Irent direptum, mactantur cominus uno 500
Exitio; redduntque animas, temerata ferebant
Qui secreta deûm, et primo pressere negatas
Gressibus humanis Alpes. Formidinis hujus
Plena acies propere retro exanimata ruebat.
Haud secus, ac tectis urbis Vulcania pestis 505
Cum sese infudit, rapidusque incendia flatus
Ventilat, et volucres spargit per culmina flammas,
Attonitum erumpit subita formidine vulgus,
Lateque ut capta passim trepidatur in urbe.
Verum ubi cunctari tædet dispersa virorum
Prœlia sectantem, et leviori Marte teneri; 511
Omnes in causam belli auctoremque malorum
Vertere jam vires tandem placet. Hannibal unus
Dum restet, non, si muris Carthaginis ignis
Subdatur, cæsique cadant exercitus omnis, 515
Profectum Latio: contra, si concidat unus,
Nequicquam fore Agenoreis cuncta arma virosque
Illum igitur lustrans circumfert lumina campo,
Rimaturque ducem: juvat in certamina summa
Ferre gradum, cuperetque viro concurrere, tota
Spectante Ausonia: celsus clamore feroci 521
Provocat increpitans hostem, et nova prœlia poscit.
Quas postquam audivit voces conterrita Juno
Ne Libyci ducis impavidas ferrentur ad aures,
Effigiem informat Latiam, propereque coruscis
Attollit cristis: addit clypeumque jubasque 52[illegible]
Romulei ducis, atque humeris imponit honorem
Fulgentis saguli: dat gressum habitusque cientis
Prœlia, et audaces adicit sine corpore motus.
Tum par effigies fallacis imagine vana 530

Cornipedis moderanda cito per devia passu
Belligeræ datur ad speciem certaminis umbræ.
Sic Pœni ducis ante oculos exsultat, et ultro
Scipio Junoni simulatus tela coruscat.
At viso lætus rectore ante ora Latino, 535
Et tandem propius sperans ingentia, Pœnus
Quadrupedi citus imponit velocia membra,
Et jacit adversam properati turbinis hastam.
Dat terga, et campo fugiens volat ales imago,
Transmittitque acies. Tum vero, ut victor, et alti
Jam compos voti, ferrata calce cruentat [nas:
Cornipedem, et largas Pœnus quatit asper habe-
Quo fugis, oblitus nostris te cedere regnis?
Nulla tibi Libyca latebra est, o Scipio, terra.
Hæc ait, et stricto sequitur mucrone volantem, 545
Donec longinquo frustratum duxit in arva
Diversa spatio procul a certamine pugnæ.
Tum fallax subito simulacrum in nubila cessit.
Fulmineus ductor, Quisnam se numine cæco
Composuit nobis, inquit, deus? aut latet idem 550
Cur monstro? tantumne obstat mea gloria divis?
Sed non avelles unquam, quicunque secundus
Cœlicolûm stas Ausoniæ, non artibus hostem
Eripies verum nobis. Frena inde citati
Convertit furibundus equi, campumque petebat;
Cum subito occultæ pestis collapsa tremore 556
Cornipedis moles ruit, atque efflavit anhelo
Pectore, Junonis curis, in nubila vitam.
Tum vero impatiens, Vestra est hæc altera, vestra
Fraus, inquit, superi: non fallitis. Æquore mersum
Texissent scopuli, pelagusque hausisset et undæ!
Anne huic servabar fato? mea signa secuti,
Quîs pugnæ auspicium dedimus, cæduntur, et absens
Accipio gemitus vocesque et verba vocantum
Hannibalem. Quis nostra satis delicta piabit 565
Tartareus torrens? Simul hæc fundebat, et una
Spectabat dextram, ac leti fervebat amore.
Tum Juno, miserata virum, pastoris in ora
Vertitur, ac sylvis subito procedit opacis,
Atque his alloquitur versantem ingloria fata: 570
Quænam te sylvis accedere causa subegit
Armatum nostris? num dura ad prœlia tendis,
Magnus ubi Ausoniæ reliquos domat Hannibal ar-
Si velox gaudes ire, et compendia grata [mis?
Sunt tibi, vicino in medios te tramite ducam. 575
Annuit, atque onerat promissis pectora largis
Pastori, Patresque docet Carthaginis altæ
Magna repensuros, nec se leviora daturum.
Præcipitem et vasto superantem proxima saltu
Circumagit Juno, et, fallens regione viarum, 580
Non gratam invito servat celata salutem.
Interea Cadmea manus deserta pavensque
Non ullum Hannibalem, nusquam certamina cernit
Sævi nota ducis: pars ferro occumbere credunt,
Pars damnasse aciem, et superis cessisse sinistris.
Ingruit Ausonius, versosque agit æquore toto
Rector: jamque ipsæ trepidant Carthaginis arces.
Impletur terrore vago cuncta Africa pulsis
Agminibus, volucrique fuga sine more ruentes
Tendunt attonitos extrema ad littora cursus. 590
Pars Tartessiacas profugi sparguntur in oras,
Pars Batti petiere domos, pars flumina Lagi.
Sic ubi, vi cæca tandem devictus, ad astra
Evomuit pastos per sæcula Vesbius ignes,
Et pelago et terris fusa est Vulcania pestis, 595
Videre Eoi (monstrum admirabile) Seres
Lanigeros cinere Ausonio canescere lucos.
At fessum tumulo tandem regina propinquo
Sistit Juno ducem, facies unde omnis, et atræ
Apparent admota oculis vestigia pugnæ. 600
Qualem Gargani campum, Trebiæque paludem,
Et Tyrrhena vada, et Phaethontis viderat amnem
Strage virûm undantem, talis (miserabile visu)
Prostratis facies aperitur dira maniplis.
Tum superas Juno sedes turbata revisit. [bant,
Jamque propinquabant hostes, tumuloque subi-
Cum secum Pœnus: Cœlum licet omne soluta
In caput hoc compage ruat, terræque dehiscant,
Non ullo Cannas abolebis, Jupiter, ævo. 609
Decedesque prius regnis, quam nomina gentes
Aut facta Hannibalis sileant: nec deinde relinquo
Securam te, Roma, mei, patriæque superstes
Ad spes armorum vivam tibi: nam modo pugna
Præcellis, resident hostes: mihi satque superque,
Ut me Dardaniæ matres atque Itala tellus, 615
Dum vivam, exspectent, nec pacem pectore norint.
Sic rapitur, paucis fugientum mixtus, et altos
Inde petit retro montes tutasque latebras.
Hic finis bello: reserantur protinus arces
Ausonio jam sponte duci: jura improba ademta,
Armaque, et incisæ leges, opibusque superbis
Vis fracta, et posuit gestatas bellua turres.
Excelsæ tum sæva rates spectacula Pœnis
Flammiferam accepere facem, subitaque procella
Arserunt maria, atque expavit lumina Nereus.
Mansuri compos decoris per sæcula rector, 626
Devictæ referens primus cognomina terræ,
Securus cœpti, repetit per cærula Romam,
Et patria invehitur sublimi tecta triumpho.
Ante Syphax, feretro residens, captiva premebat
Lumina, et auratæ servabant colla catenæ. 631
Hic Hannon, clarique genus Phœnissa juventa,
Et Macetûm primi, atque incocti corpora Mauri,
Tum Nomades, notusque sacro, cum lustrat arenas,
Hammoni Garamas, et semper naufraga Syrtis.
Mox victas tendens Carthago ad sidera palmas
Ibat, et effigies oræ jam lenis Iberæ,
Terrarum finis Gades, ac laudibus olim
Terminus Herculeis Calpe, Bætisque lavare
Solis equos dulci consuetus fluminis unda, 640
Frondosumque apicem subigens ad sidera mater
Bellorum fera Pyrene, nec mitis Iberus,
Cum simul illidit ponto, quos attulit, amnes.
Sed non ulla magis mentesque oculosque tenebat,
Quam visa Hannibalis campis fugientis imago.
Ipse, adstans curru, atque auro decoratus et ostro,
Martia præbebat spectanda Quiritibus ora.
Qualis odoratis descendens Liber ab Indis
Egit pampineos frenata tigride currus:
Aut cum Phlegræis, confecta mole Gigantum,
Incessit campis tangens Tirynthius astra. 651
Salve, invicte parens, non concessure Quirino
Laudibus, ac meritis non concessure Camillo.
Nec vero, cum te memorat de stirpe deorum,
Prolem Tarpeii mentitur Roma Tonantis. 655

C. VALERII FLACCI ARGONAUTICON

LIBER PRIMUS.

C. Valerium Flaccum, Patavinum, Romæ sub Domitiano egisse, tenui censu præditum, majorem tamen litteris quam negotiis operam impendentem, e familiari ejus Martiale accepimus. Quindecimvirali sacerdotio ornatum fuisse ipse testatus est. Cætera ignorantur; nisi quod præmatura morte circa A. C. 88 ereptum fuisse constat.

Prima deûm magnis canimus freta pervia natis,
Fatidicamque ratem, Scythici quæ Phasidis oras
Ausa sequi, mediosque inter juga concita cursus
Rumpere, flammifero tandem consedit Olympo.
Phœbe, mone, si Cumææ mihi conscia vatis 5
Stat casta cortina domo, si laurea digna
Fronte viret. Tuque o, pelagi cui major aperti
Fama, Caledonius postquam tua carbasa vexit
Oceanus, Phrygios prius indignatus Iulos,
Eripe me populis et habenti nubila terræ, 10
Sancte pater, veterumque fave veneranda canenti
Facta virûm: versam proles tua pandat Idumen,
(Namque potest,) Solymo nigrantem pulvere fratrem,
Spargentemque faces, et in omni turre furentem.
Ille tibi cultusque deûm, delubraque genti 15
Instituet, cum jam genitor lucebis ab omni [nas
Parte poli: neque enim in Tyrias Cynosura cari-
Certior, aut Graiis Helice servanda magistris;
Seu tu signa dabis, seu te duce Græcia mittet
Et Sidon Nilusque rates. Nunc nostra serenus
Orsa juves, hæc ut Latias vox impleat urbes. 21
Hæmoniam primis Pelias frenabat ab annis,
Jam gravis, et longus populis metus: illius amnes,
Ionium quicunque petunt; ille Othryn, et Hæmum,
Atque imum felix versabat vomere Olympum. 25
Sed non ulla quies animo, fratrisque paventi
Progeniem, divûmque minas: hunc nam fore regi
Exitio vatesque canunt, pecudumque per aras
Terrifici monitus iterant: super ipsius ingens
Instat fama viri, virtusque haud læta tyranno. [git
Ergo anteire metus, juvenemque exstinguere per-
Æsonium, letique vias ac tempora versat. [urbes
Sed neque bella videt, Graias neque monstra per
Ulla: Cleonæo jam tempora clausus hiatu
Alcides: olim Lernæ defensus ab angue 35
Arcas, et ambobus jam cornua fracta juvencis.
Ira maris, vastique placent discrimina ponti. [dus,
Cum juvenem, tranquilla tuens, nec fronte timen-
Occupat, et fictis dat vultum et pondera verbis:
Hanc mihi militiam, veterumque pulchrior actis,
Annue, daque animum. Nostri de sanguine Phrixus
Cretheos ut patrias, audisti, effugerit aras.
Hunc ferus Æetes, Scythiam Phasinque rigentem
Qui colit, (heu magni Solis pudor!) hospita vina
Inter et attonitæ mactat sollennia mensæ, 45
Nil nostri divûmque memor. Non nuntia tantum
Fama refert; ipsum juvenem tam sæva gementem,
Ipsum ego, cum serus fessos sopor alligat artus,
Adspicio, meque assiduis lacera illius umbra
Questibus, et magni numen maris excitat Helle. 50
Si mihi, quæ quondam, vires, vel pendere pœnas
Colchida jam, et regis caput hic atque arma videres.
Olim annis ille ardor hebet, necdum mea proles
Imperio et belli rebus matura marique.
Tu, cui jam curæque vigent animique viriles, 55
I, decus, et pecoris Nephelæi vellera Graio
Redde tholo, ac tantis temet dignare periclis.
Talibus hortatur juvenem, propiorque jubenti
Conticuit, certus Scythico concurrere ponto
Cyaneas, tantoque silet possessa dracone 60
Vellera, multifidas regis quem filia linguas
Vibrantem ex adytis cantu dapibusque vocabat,
Et dabat hesterno liventia mella veneno.
Mox taciti patuere doli, nec vellera curæ
Esse viro, sed sese odiis immania cogi 65
In freta. Qua jussos sic tandem quærere Colchos
Arte queat? nunc aerii plantaria vellet
Perseos, aut currum, ut sævos frenasse dracones
Creditus, ignaras Cereris qui vomere terras
Imbuit, et flava quercum damnavit arista. [ranno
Heu quid agat? populumne levem, veterique ty-
Infensum, atque olim miserantes Æsona patres
Advocet? an socia Junone, et Pallade fretus
Armisona, superet magis, et freta jussa capessat?
Si qua operis tanti domito consurgere ponto 75
Fama queat, tu sola animos mentemque peruris,
Gloria: te viridem videt immunemque senectæ
Phasidis in ripa stantem, juvenesque vocantem.
Tandem animi incertum confusaque pectora firmat
Relligio: tendensque pias ad sidera palmas, 80
Omnipotens regina, inquit, quam, turbidus atro
Æthera cæruleum quateret cum Jupiter imbre
Ipse ego præcipiti tumidum per Enipea nimbo
In campos et tuta tuli, nec credere quivi
Ante deam, quam te tonitru nutuque reposci 85
Conjugis, et subita raptam formidine vidi. [las
Da Scythiam Phasinque mihi: tuque, innuba Pal

Eripe me: vestris egomet tum vellera templis
Illa dabo; dabit auratis et cornibus igni
Colla pater, niveique greges altaria cingent. 90
Accepere deæ, celerique per æthera lapsu
Diversas petiere vias. In mœnia pernix
Thespiaca ad carum Tritonia devolat Argum.
Moliri hunc puppim jubet, et demittere ferro
Robora, Peliacas et jam comes exit in umbras. 95
At Juno Argolicas pariter Macetûmque per urbes
Spargit, inexpertos tentare parentibus Austros
Æsoniden; jam stare ratem, remisque superbam
Poscere quos revehat, rebusque in sæcula tollat.
Omnis avet, quæ jam bellis spectataque fama
Turba ducum, primæ seu quos in flore juventæ
Tentamenta tenent, necdum data copia rerum.
At quibus arvorum studiumque insontis aratri,
Hos stimulant, magnaque ratem per lustra viasque
Visi laude canunt manifesto in lumine Fauni, 105
Sylvarumque deæ, atque elatis cornibus Amnes.
Protinus Inachiis ultro Tirynthius Argis
Advolat, Arcadio cujus flammata veneno
Tela puer facilesque humeris gaudentibus arcus
Gestat Hylas; velit ille quidem, sed dextera nondum 110
Par oneri, clavæque capax: quos talibus amens
Insequitur, solitosque novat Saturnia questus:
O utinam Graiæ rueret non omne juventæ [nunc
In nova facta decus, nostrique Eurystheos hæc
Jussa forent! imbrem, et tenebras, sævumque tridentem 115
Jam jam ego, et inviti torsissem conjugis ignem.
Nunc quoque nec socium nostræ columenve carinæ [sit
Esse velim, Herculeis nec me unquam fidere fas
Auxiliis, comiti et tantum debere superbo. 119
Dixit, et Hæmonias oculos detorquet ad undas.
Fervere cuncta virûm cœtu, simul undique cernit
Delatum nemus, et docta resonare bipenni
Littora: jam pinus gracili dissolvere lamna
Thespiaden, jungique latus, lentoque sequaces
Molliri videt igne trabes, remisque paratis 125
Pallada velifero quærentem brachia malo.
Constitit ut longo moles non pervia ponto
Puppis, et ut tenues subiere latentia ceræ
Lumina, picturæ varios superaddit honores.
Hic insperatos Tyrrheni tergore piscis 130
Peleos in thalamos vehitur Thetis: æquora del-
Corripit: illa sedet dejecta in lumina palla, [phin
Nec Jove majorem nasci suspirat Achillem.
Hanc Panope, Dotoque soror, lætataque fluctu
Prosequitur nudis pariter Galatea lacertis, 135
Antra petens: Siculo revocat de littore Cyclops.
Contra ignis, viridique torus de fronde, dapesque,
Vinaque, et æquoreos inter cum conjuge divos
Æacides, pulsatque chelyn post pocula Chiron.
Parte alia Pholoe, multoque insanus laccho 140
Rhœtus, et Atracia subitæ de virgine pugnæ.
Crateres mensæque volant, araeque deorum,
Poculaque, insignis veterum labor. Optimus hasta
Hic Peleus, hic ense furens agnoscitur Æson.
Fert gravis invito victorem Nestora tergo 145
Monychus: ardenti peragit Clanis Actora quercu:
Nigro Nessus equo fugit: acclinisque tapeti
In mediis vacuo condit caput Hippasus auro.
Hæc quanquam miranda viris stupet Æsone natus, [tresque!
Et secum: Heu miseros nostrûm natosque pa-
Haccine nos animæ faciles rate nubila contra
Mittimur? in solum nunc sæviet Æsona pontus?
Non juvenem in casus eademque pericula Acastum
Abripiam? invisæ Pelias freta tuta carinæ
Optet, et exoret nostris cum matribus undas. 155
Talia cunctanti lævum Jovis armiger æthra
Advenit, et validis fixam erigit unguibus agnam.
At procul e stabulis trepidi clamore sequuntur
Pastores fremitusque canum: citus occupat auras
Raptor, et Ægæi super effugit alta profundi. 160
Accipit augurium Æsonides, lætusque superbi
Tecta petit Peliæ. Prior huic tum regia proles
Advolat, amplexus fraternaque pectora jungens.
Ductor ait: Non degeneres, ut reris, Acaste, 164
Venimus ad questus: socium te jungere cœptis
Est animus: neque enim Telamon, aut Canthus et Idas,
Tyndariusque puer mihi vellere dignior Helles.
O quantum terræ, quantum cognoscere cœli
Permissum est! pelagus quantos aperimus in usus!
Nunc forsan grave reris opus: sed læta recurret
Cum ratis, et caram cum jam mihi reddet Iolcon,
Quis pudor heu nostros tibi tunc audire labores?
Quas referam visas tua per suspiria gentes!
Nec passus rex plura virum, Sat multa parato,
In quæcunque voces; nec nos, ait, optime, segnes
Credideris, patriisque magis confidere regnis, 176
Quam tibi; si primos duce te virtutis honores
Carpere, fraternæ si des accrescere famæ.
Quin ego, ne qua metu nimio me cura parentis
Impediat, fallam ignarum, subitusque paratis 180
Tunc adero, primas linquet cum puppis arenas.
Dixerat: ille animos promissaque talia lætus
Accipit, et gressus avidos ad littora vertit.
At ducis imperiis Minyæ monituque frequentes
Puppim humeris subeunt, et tento poplite proni
Decurrunt, intrantque fretum: non clamor anhelis
Nauticus, aut blandus testudine defuit Orpheus.
Tum læti statuunt aras: tibi, rector aquarum,
Summus honor; tibi cæruleis in littore vittis[cam
Et Zephyris Glaucoque bovem, Thetidique juven-
Dejicit Ancæus: non illo certior alter 191
Pinguia letifera perfringere colla bipenni.
Ipse ter æquoreo libans carchesia patri
Sic ait Æsonides: O qui spumantia nutu
Regna quatis, terrasque salo complecteris omnes
Da veniam. Scio me cunctis e gentibus unum
Illicitas tentare vias, hiememque mereri: [tes
Sed non sponte feror, nec nunc mihi jungere mon-
Mens tumet, aut summo deposcere fulmen Olym-
Ne Peliæ te vota trahant: ille aspera jussa [po.
Reperit et Colchos in me luctumque meorum.
Illum ego ... tu tantum non indignantibus undis
Hoc caput accipias, et pressam regibus alnum.
Sic fatus, pingui cumulat libamine flammam.
Protulit ut crinem densis luctatus in extis 205
Ignis, et adscendit salientia viscera tauri;
Ecce sacer totusque dei per littora Mopsus,
Immanis visu, vittamque comamque per auras
Surgentem laurusque rotat: vox reddita tandem,
Vox horrenda viris; tum facta silentia vati: 210
Heu quænam adspicio? nostris modo conscius ausis
Æquoreos vocat ecce deos Neptunus, et ingens
Concilium: fremere, et legem defendere cuncti
Hortantur. Sic amplexu, sic pectora fratris, 214
Juno, tene: tuque o puppim ne desere, Pallas:
Nunc patrui, nunc flecte minas. Cessere, ratem-
Accepere mari. Per quot discrimina rerum [que
Expedior! subita cur pulcher arundine crines [tus
Velat Hylas? unde urna humeris, niveosque per ar-
Cæruleæ vestes? unde hæc tibi vulnera, Pollux?
Quantus, io, tumidis taurorum e naribus ignis

Tollunt se galeæ sulcisque ex omnibus hastæ,
Et jam jamque humeri. Quem circum vellera Martem
Adspicio? quænam aligeris secat anguibus auras
Cæde madens? quos ense ferit? miser, eripe par-
Æsonide; cerno en thalamos ardere jugales. [vos,
Jam dudum vates Minyas ambage ducemque
Terrificat: sed enim contra Phœbeius Idmon,
Non pallore viris, non ullo horrore comarum
Terribilis, plenus fatis Phœboque quieto, 230
Cui genitor tribuit monitu prænoscere divûm
Omina, seu flammas, seu lubrica cominus exta,
Seu plenum certis interroget aera pennis, [Apollo
Sic sociis Mopsoque canit: Quantum augur
Flammaque prima docet, præduri plena laboris
Cerno equidem, patiens sed quæ ratis omnia vin-
Ingentes durate animæ, dulcesque parentum [cat.
Tendite ad amplexus. Lacrymæ cecidere canenti,
Quod sibi jam clausos invenit in ignibus Argos.
Vix ea fatus erat, jungit cum talia ductor 240
Æsonius: Superûm quando consulta videtis,
O socii, quandoque datur spes maxima cœptis,
Vos quoque nunc vires animosque afferte pater-
Non mihi Thessalici pietas culpanda tyranni, [nos.
Suspectique doli: deus hæc, deus omine dextro
Imperat; ipse suo voluit commercia mundo 246
Jupiter, et tantos hominum miscere labores.
Ite, viri, mecum, dubiisque evincite rebus, [stent.
Quæ meminisse juvet, nostrisque nepotibus in-
Hanc vero, o socii, venientem in littore læti 250
Dulcibus alloquiis ludoque educite noctem.
Paretur: molli juvenes funduntur in alga,
Conspicuusque toris Tirynthius: exta ministri
Rapta simul veribus Cereremque dedere canistris.
Jamque aderat summo decurrens vertice Chiron,
Clamantemque patri procul ostendebat Achillem.
Ut puer ad notas erectum Pelea voces
Vidit, et ingenti tendentem brachia passu,
Adsiluit, caraque diu cervice pependit.
Illum nec valido spumantia pocula Baccho 260
Sollicitant, veteri nec conspicienda metallo
Signa tenent: stupet in ducibus, magnumque sonantes
Haurit, et Herculeo fert cominus ora leoni.
Lætus at impliciti Peleus rapit oscula nati,
Suspiciensque polum: Placido si currere fluctu
Pelea vultis, ait, ventosque optare ferentes, 266
Hoc, superi, servate caput. Tu cætera, Chiron,
Da mihi: te parvus lituos et bella loquentem
Miretur: sub te puerilia tela magistro
Venator ferat, et nostram festinet ad hastam. 270
Omnibus inde magis calor additus: ire per altum
Magna mente volunt: Phrixi promittitur absens
Vellus, et auratis Argo reditura corymbis.
Sol ruit, et totum Minyis lætantibus undæ
Deduxere diem: sparguntur littore curvo 275
Lumina, nondum ullis terras monstrantia nautis.
Thracius hic noctem dulci testudine vates
Extrahit; ut steterit redimitus tempora vittis
Phrixus, et injustas contectus nubibus aras
Fugerit, Inoo linquens Athamanta Learcho 280
Aureus ut juvenem miserantibus intulit undis
Vector, et adstrictis ut sedit cornibus Helle.
Septem Aurora vias, totidemque peregerat umbras
Luna polo, dirimique procul non æquore visa
Cœperat a gemina discedere Sestos Abydo. 285
Hic soror Æoliden, ævum mansura per omne,
Deserit, heu sævæ nequicquam erepta novercæ!
Illa quidem fessis longe petit humida palmis
Velleta, sed bibulas urgenti pondere vestes
Unda trahit, lævique manus labuntur ab auro. 290
Quis tibi, Phrixe, dolor, rapido cum concitus
Respiceres miseræ clamantia virginis ora, [æstu
Extremasque manus, sparsosque per æquora
crines!
Jamque mero ludoque modus, positique quietis
Conticuere toris: solus quibus ordine fusis 295
Impatiens somni ductor manet. Hunc gravis Æson,
Et pariter vigil Alcimede spectantque tenentque
Pleni oculos: illis placidi sermonis Iason
Suggerit affatus, turbataque pectora mulcet.
Mox, ubi victa gravi ceciderunt lumina somno,
Visa coronatæ fulgens tutela carinæ 301
Vocibus his instare duci: Dodonida quercum
Chaoniique vides famulam Jovis: æquora tecum
Ingredior, nec fatidicis avellere sylvis
Me nisi promisso potuit Tritonia cœlo. 305
Tempus adest: age, rumpe moras, dumque æquore
Currimus, incertus si nubila duxerit æther, [toto
Jam nunc mitte metus, fidens superisque mihique.
Dixerat: ille pavens, læto quanquam omine divûm,
Prosiluit stratis. Minyas simul extulit omnes
Alma novo crispans pelagus Tithonia Phœbo.
Discurrunt transtris: hi celso cornua malo
Expediunt; alii tonsas in marmore summo
Prætentant; prora funem legit Argus ab alta.
Increscunt matrum gemitus, et fortia languent
Corda patrum: longis flentes amplexibus hærent.
Vox tamen Alcimedes planctus super eminet omnes:
Fœmineis tantum illa furens ululatibus obstat,
Obruit Idæam quantum tuba Martia buxum.
Fatur et hæc: Nate, indignos aditure labores, 320
Dividimur; nec ad hos animum componere casus
Ante datum, sed bella tibi terrasque timebam.
Vota aliis facienda deis. Si fata reducunt
Te mihi, si trepidis placabile matribus æquor,
Possum equidem lucemque pati longumque timo-
Sin aliud Fortuna parat, miserere parentum, [rem.
Mors bona, dum metus est, nec adhuc dolor. Hei mihi! Colchos
Unde ego, et avecti timuissem vellera Phrixi?
Quos jam mente dies, quam sæva insomnia curis
Prospicio! quoties raucos ad littoris ictus [que,
Deficiam, Scythicum metuens pontumque polum-
Nec de te credam nostris ingrata serenis!
Da, precor, amplexus, hæsuraque verba relinque
Auribus, et dulci jam nunc preme lumina dextra.
Talibus Alcimede mæret; sed fortior Æson 335
Attollens dictis animos: O si mihi sanguis,
Quantus erat, cum signifero cratere minantem
Non leviore Pholum manus hæc compescuit auro!
Primus in æratis posuissem puppibus arma,
Concussoque ratem gauderem tollere remo. 340
Sed patriæ valuere preces, auditaque magnis
Vota deis: video en nostro tot in æquore reges,
Teque ducem: tales, tales ego ducere suetus
Atque sequi: nunc ille dies, (det Jupiter oro,)
Ille super, quo te Scythici regisque marisque 345
Victorem, atque humeros ardentem vellere rapto
Accipiam, cedantque tuæ mea facta juventæ
Sic ait: ille suo collapsam pectore matrem
Sustinuit, magnaque senem cervice recepit. 349
Et jam finis erat, Zephyrumque ratemque mo-
Solverat amplexus tristi tuba tertia signo. [rantes
Dant remo sua quisque viri, dant nomina transtris.
Hinc lævum Telamon pelagus tenet; altior inde
Occupat Alcides aliud mare. Cætera pubes
Dividitur; celer Asterion, quem matre cadentem

Cristatus gemino fovit pater amne Cometes, 356
Segnior Apidani vires ubi sentit Enipeus.
Nititur hinc Talaus, fratrisque Leodocus urget
Remo terga sui, quos nobile contulit Argos.
Hinc quoque missus adest, quamvis arcentibus,
Alitibus; sed turpe viro timuisse futura. [Idmon,
Hic et Naubolides tortas consurgit in undas
Iphitus: hic patrium frangit Neptunius æquor,
Qui tenet undisonam Psamathen semperque patentem
Tænaron, Euphemus: mollique a littore Pellæ
Deucalion certus jaculis, et cominus ense 366
Nobilis Amphion, pariter quos edidit Hypso,
Nec potuit similes, voluitve ediscere vultus.
Tum valida Clymenus percusso pectore tonsa
Frater et Iphiclus puppim trahit: et face sæva
In tua mox Danaos acturus saxa, Caphareu,
Nauplius: et tortum non ab Jove fulmen Oileus
Qui gemet, Euboicas nato stridente per undas:
Quique Erymanthei sudantem pondere monstri
Amphitryoniaden Tegeæo limine Cepheus 375
Juvit, et Amphidamas; at frater plenior annis
Maluit Ancæo vellus contingere Phrixi.
Tectus et Eurytion servato colla capillo,
Quem pater Aonias reducem tondebit ad aras.
Te quoque Thessalicæ, Nestor, rapit in freta pup-
Fama, Mycenæis olim qui candida velis [pis
Æquora, nec stantes mirabere mille magistros.
Hic vates, Phœbique fides non vana parentis
Mopsus, puniceo cui circumfusa cothurno
Palla imos ferit alba pedes, vittataque frontem 385
Cassis, et in summo laurus Peneia cono.
Quin etiam Herculeo consurgit ab ordine Tydeus,
Nelidesque Periclymenus, quem parva Methone,
Et levis Elis equis, et fluctibus obvius Aulon
Cæstibus adversos viderunt frangere vultus. 390
Tu quoque Phrixeos remo, Pæantie, Colchos,
Bis Lemnon visure petis, nunc cuspide patris
Inclytus, Herculeas olim moture sagittas.
Proximus hinc Butes Actæis dives ab oris: 394
Innumeras nam claudit apes, longaque superbus
Fuscat nube diem, dum plenas nectare cellas
Pandit, et in dulcem reges dimittit Hymetton.
Insequeris casusque tuos expressa, Phalere,
Arma geris: vacua nam lapsus ab arbore parvum
Ter quater ardenti tergo circumvenit anguis: 400
Stat procul intendens dubium pater anxius arcum.
Tum cælata metus alios gerit arma Eribotes.
Nec Peleus fretus soceris et conjuge diva
Defuit: at prora splendet tua cuspis ab alta,
Æacide; tantum hæc aliis excelsior hastis, 405
Quantum Peliacas in vertice vicerat ornos.
Linquit et Actorides natum Chironis in antro,
Ut socius caro pariter meditetur Achilli
Fila lyræ, pariterque leves puer incitet hastas,
Discat eques placidi conscendere terga magistri.
Et, quem fama genus non est decepta Lyæi, 411
Phlias, immissus patrios de vertice crines.
Nec timet Ancæum genitrix committere ponto,
Plena tulit quem rege maris. Securus in æquor
Haud minus Erginus, proles Neptunia, fertur, 415
Qui maris insidias, claræ qui sidera noctis
Norit, et e clausis quem destinet Æolus antris;
Non metuat cui regna ratis, cui tradere cœlum
Assidua Tiphys vultum lassatus ab Arcto.
Taurea vulnifico portat celer insita plumbo 420
Terga Lacon, saltem in vacuos ut brachia ventos
Spargat, et Œbalium Pagaseia puppis alumnum
Spectet securo celebrantem littora ludo.
Oraque Thessalico melior contundere freno,
Vectorem pavidæ Castor dum quæreret Helles,
Passus Amyclæa pinguescere Cyllaron herba.
Illis Tænario pariter tremit ignea fuco
Purpura, quod gemina mater spectabile tela
Duxit opus: bis Taygeton sylvasque comantes
Struxerat, Eurotan molli bis fuderat auro: 430
Quemque suus sonipes niveo de stamine portat,
Et volat amborum patrius de pectore cycnus.
At tibi collectas solvit jam fibula vestes,
Ostenditque humeros fortes, spatiumque superbi
Pectoris Herculeis æquum, Meleagre, lacertis.
Hinc numerosa phalanx, proles Cyllenia; certus
Æthalides subitas nervo redeunte sagittas
Cogere: tu medios gladio bonus ire per hostes,
Euryte: nec patrio Minyis ignobilis usu,
Nuntia verba ducis populis qui reddit, Echion.
Sed non, Iphi, tuis Argo reditura lacertis; 441
Heu celerem Scythica te mæsta relinquet arena,
Cessantemque tuo lugebit in ordine remum.
Te quoque dant campi tanto pastore Pheræi
Felices, Admete: tuis nam pendit in arvis 445
Delius, ingrato Steropen quod fuderat arcu.
Ah quoties famulo notis soror obvia sylvis
Flevit, ubi Ossææ captaret frigora quercus,
Perderet et pingui miseros Bœbeide crines!
Insurgit transtris, et remo Nerea versat 450
Canthus, in Ææo volvet quem barbara cuspis
Pulvere: at interea clari decus adjacet orbis,
Quem genitor gestarat Abas: secat aurea fluctu
Tegmina Chalcidicas fugiens Euripus arenas,
Celsaque semiferûm contorquens frena luporum
Surgis ab ostrifero medius, Neptune, Geræsto.
Et tibi Palladia pinu, Polypheme, revecto
Ante urbem ardentis restat deprendere patris
Relliquias, multum famulis pia justa moratis,
Si venias. Breviore petit jam cærula remo, 460
Occupat et longe sua transtra novissimus Idas.
At frater magnos Lynceus servatur in usus,
Quem tulit Arene, possit qui rumpere terras,
Et Styga transmisso tacitam deprendere visu.
Fluctibus e mediis terras dabit ille magistro, 465
Et dabit astra rati: cumque æthera Jupiter umbra
Perdiderit, solus transibit nubila Lynceus.
Quin et Cecropiæ proles vacat Orithyiæ,
Temperet ut tremulos Zetes fraterque ceruchos.
Nec vero Odrysius transtris impenditur Orpheus,
Aut pontum remo subigit; sed carmine tonsas
Ire docet, summo passim ne gurgite pugnent.
Donat et Iphiclo pelagus juvenumque labores
Æsonides, fessum Phylace quem miserat ævo,
Non jam operum in partem, monitus sed tradat ut acres, 475
Magnorumque viros qui laudibus urat avorum.
Arge, tuæ tibi cura ratis: te mœnia doctum
Thespia Palladio dant munere: sors tibi, ne qua
Parte trahat tacitum puppis mare, fissaque fluctu
Vel pice vel molli conducere vulnera cera. 480
Pervigil Arcadio Tiphys pendebat ab astro
Hagniades, felix stellis qui segnibus usum,
Et dedit æquoreos cœlo duce tendere cursus.
Ecce per obliqui rapidum compendia montis
Ductor avens lætusque dolis agnoscit Acastum,
Horrentem jaculis, et parmæ luce coruscum. 486
Ille ut se mediæ per scuta virosque carinæ
Intulit, ardenti Æsonides retinacula ferro
Abscidit: haud aliter saltus vastataque pernix
Venator cum lustra fugit, dominoque timentem
Urget equum, teneras compressus pectore tigres,
Quas astu rapuit pavido, dum sæva relictis
Mater in adverso catulis venatur Amano.

Ut pariter propulsa ratis, stant littore matres,
Claraque vela oculis, percussaque sole sequuntur
Scuta virûm; donec jam celsior arbore pontus,
Immensusque ratem spectantibus abstulit aer.
Siderea tunc arce pater pulcherrima Graiûm
Cœpta tuens, tantamque operis consurgere molem,
Lætatur: patrii neque enim probat otia regni.
Una omnes gaudent superi, venturaque mundo
Tempora, quæque vias cernunt sibi crescere Parcæ.
Sed non et Scythici genitor discrimine nati
Intrepidus, tales fundit Sol pectore voces; 504
Summe sator, cui nostra dies volventibus annis
Tot peragit reficitque vias, tuane ista voluntas?
Graiaque nunc undis duce te nutuque secundo
It ratis? an meritos fas et mihi rumpere questus?
Hoc metuens, et ne qua foret manus invida nato,
Non mediæ telluris opes, non improba legi 510
Divitis arva plagæ: teneant uberrima Teucer,
Et Libys, et vestri Pelopis domus: horrida sævo
Quæ premis arva gelu, strictosque insedimus amnes.
Cederet his etiam, et sese sine honore referret
Ulterius: sed nube rigens ac nescia rerum 515
Stat super, et nostros jam zona reverberat ignes.
Quid regio immanis, quid barbarus amnibus ullis
Phasis, et aversis proles mea gentibus obstat?
Quid Minyæ meruere queri? num vellere Graio
Vi potitur? profugo quin agmina jungere Phrixo
Abnuit, Inoas ultor nec venit ad aras: 521
Imperii sed parte virum natæque moratus
Conjugio, videt e Graia nunc stirpe nepotes,
Et generos vocat, et junctas sibi sanguine terras.
Flecte ratem motusque, pater, nec vulnere nostro
Æquora pande viris: veteris sat conscia luctus
Sylva Padi, et viso flentes genitore sorores.
Adfremit his, quassatque caput, qui vellera dono
Bellipotens sibi fixa videt: tentataque contra
Pallas, et amborum gemuit Saturnia questus. 530
Tum genitor: Vetera hæc nobis et condita pergunt
Ordine cuncta suo, rerumque a principe cursu
Fixa manent: neque enim terris tum sanguis in ul-
Noster erat, cum fata darem; justique facultas [lis
Hinc mihi, cum varios struerem per sæcula reges.
Atque ego curarum repetam decreta mearum: 536
Jam pridem regio, quæ virginis æquor ad Helles
Et Tanain tenus immenso descendit ab Euro,
Undat equis, floretque viris: nec tollere contra
Ulla pares animos, nomenque capessere bellis 540
Ausa manus; sic fata, locos sic ipse fovebam.
Accelerat sed summa dies, Asiamque labantem
Linquimus, et poscunt jam me sua tempora Graii.
Inde meæ quercus, tripodesque, animæque parentum
Hanc pelago misere manum: via facta per undas
Perque hiemes, Bellona, tibi: nec vellera tantum
Indignanda manent; propior de virgine rapta
Ille dolor: sed nulla magis sententia menti
Fixa meæ: veniet Phrygia nam pastor ab Ida,
Qui gemitus, irasque pares, et mutua Graiis 550
Dona feret. Qua classe dehinc effusa procorum
Bella! quot ad Trojam flentes hiberna Mycenas!
Quot proceres natosque deûm, quæ robora cernes
Oppetere, et magnis Asiam concedere fatis!
Hinc Danaûm de fine sedet, gentesque fovebo 555
Mox alias. Pateant montes, sylvæque, lacusque,
Cunctaque claustra maris: spes et metus omnibus esto
Arbiter: ipse locos terrenaque summa movendo
Experiar, quænam populis longissima cunctis
Regna velim, linquamque datas ubi certus habe-
Tunc oculos Ægæa refert ad cærula, robur [nas.
Herculeum Ledæque tuens genus, atque ita fatur:
Tendite in astra, viri: me primum regia mundo
Iapeti post bella trucis Phlegræque labores
Imposuit: durum vobis iter et grave cœli 565
Institui: sic ecce meus, sic orbe peracto
Liber, et expertus terras remeavit Apollo.
Dixit, et ingenti flammantem nubila sulco
Direxit per inane facem, quæ puppe propinqua
In bifidum discessit iter, fratresque petivit 570
Tyndarios, placida et mediis in frontibus hæsit
Protinus amborum, lumenque innoxia fudit
Purpureum, miseris olim implorabile nautis.
Interea medio sævus permissa profundo
Carbasa Pangæa Boreas speculatus ab arce, 575
Continuo Æoliam Tyrrhenaque tendit ad antra
Concitus: omne dei rapidis nemus ingemit alis,
Strata Ceres, motuque niger sub præpete pontus.
Æquore Trinacrio refugique a parte Pelori
Stat rupes horrenda fretis, quot in æthera surgit
Molibus, infernas toties demissa sub undas. 581
Nec scopulos aut antra minor juxta altera tellus
Cernitur: illam Acamas habitat, nudusque Pyracmon.
Has nimbi, ventique domos, et naufraga servat
Tempestas; hinc in terras latumque profundum
Est iter: hinc olim soliti miscere polumque 586
Infelixque fretum: neque enim tunc Æolus illis
Rector erat, Libya cum rumperet advena Calpen
Oceanus, cum flens Siculos Œnotria fines
Perderet, et mediis intrarent montibus undæ; 590
Intonuit donec pavidis ex æthere ventis
Omnipotens, regemque dedit, quem jussa vereri
Sæva cohors. In monte chalybs iterataque muris
Saxa domant Euros: cum jam prohibere frementum 594
Ora nequit, rex tunc aditus et claustra refringit
Ipse volens, placatque data fera murmura porta
Nuntius hunc solio Boreas proturbat ab alto:
Pangæa quod ab arce nefas, ait, Æole, vidi!
Graia novam ferro molem commenta juventus
Pergit, et ingenti gaudens domat æquora velo, 600
Nec mihi libertas imis freta tollere arenis.
Qualis eram, nondum vinclis et carcere clausus!
Hinc animi, structæque viris fiducia puppis,
Quod Borean sub rege vident. Da mergere Graios
Insanamque ratem: nil me mea pignora tangunt.
Tantum hominum compesce minas, dum littora juxta 606
Thessala, necdum aliæ viderunt carbasa terræ
Dixerat: at cuncti fremere intus, et æquora venti
Poscere. Tum valido contortam turbine portam
Impulit Hippotades: fundunt se carcere læti 610
Thraces equi, Zephyrusque, et nocti concolor alas
Nimborum cum prole Notus, crinemque procellis
Hispidus, et multa flavus caput Eurus arena.
Induxere hiemem, raucoque ad littora tractu
Unanimi freta curva ferunt: nec sola tridentis 615
Regna movent; vasto pariter ruit igneus æther
Cum tonitru, piceoque premit nox omnia cœlo.
Excussi manibus remi, conversaque frontem
Puppis in obliquum resonos latere accipit ictus.
Vela super tremulum subitus volitantia malum
Turbo rapit Qui tum Minyis trepidantibus horror, 621
Cum picei fulsere poli, pavidamque coruscæ
Ante ratem cecidere faces, antennaque lævo
Prona dehiscentem cornu cum sustulit undam!

Non hiemem, missosque putant consurgere ventos
Ignari, sed tale fretum. Tum murmure mæsto:
Hoc erat, illicitas temerare rudentibus undas,
Quod nostri timuere patres. Vix littore puppim
Solvimus, en quanto fremitu se sustulit Ægon
Hoccine Cyaneæ concurrunt æquore cautes? 630
Tristius an miseris superest mare? linquite, terræ,
Spem pelagi, sacrosque iterum seponite fluctus.
Hæc iterant, segni flentes occumbere leto.
Magnanimus spectat pharetras et inutile robur
Amphitryoniades: miscent suprema paventes 635
Verba alii, junguntque manus, atque ora fatigant;
Adspectu tota in misero cum protinus alnus
Solvitur, et vasto puppis mare sorbet hiatu.
Illam huc atque illuc nunc torquens verberat Eurus, [fervent
Nunc stridens Zephyris aufert Notus: undique
Æquora; cum subitus trifida Neptunus in hasta
Cæruleum fundo caput extulit: Hanc mihi Pallas,
Et soror hanc, inquit, mulcens mea pectora fletu,
Abstulerint; veniant Phariæ Tyriæque carinæ,
Permissumque putent. Quoties mox rapta videbo
Vela Notis, plenasque malis clamoribus undas! 646
Non meus Orion, aut sævus Pliade Taurus
Mortis causa novæ; miseris tu gentibus, Argo,
Fata paras: nec jam merito tibi, Tiphy, quietum
Ulla parens volet Elysium, manesque piorum. 650
Hæc ait, et pontum pater ac turbata reponit
Littora, depellitque Notos; quos cærulus horror,
Et madido gravis unda sinu, longeque secutus
Imber, ad Æoliæ tendunt simul æquora portæ.
Emicuit reserata dies, cœlumque resolvit 655
Arcus, et in summos redierunt nubila montes.
Jam placidis ratis exstat aquis, quam gurgite ab imo
Et Thetis, et magnis Nereus socer erigit ulnis.
Ergo humeros ductor sacro velatur amictu, [dens
Æsoniamque capit pateram, quam munere gau-
Liquerat hospitio, pharetrasque rependerat auro
Salmoneus, nondum ille furens, cum fingeret alti
Quadrifida trabe tela Jovis, contraque ruentem
Aut Atho, aut Rhodopen mæstæ nemora ardua
Æmulus, et miseros ipse ureret Elidis agros. [Pisæ
Hac pelago libat latices, et talibus infit: 666
Di, quibus undarum tempestatisque sonoræ
Imperium, et magno penitus par regia cœlo,
Tuque, fretum divosque pater sortite biformes,
Seu casus nox ista fuit, seu volvitur axis 670
Vi superûm, seu sidere opus tollique vicissim
Pontus habet, seu te subitæ nova puppis imago
Armorumque hominumque truces consurgere in iras
Impulit, hæc luerim satis, et tua numina, rector,
Jam fuerint meliora mihi: da reddere terris 675
Has animas, patriæque amplecti limina portæ.
Tum quocunque loco meritas tibi plurimus aras
Pascet honos, ubicunque rotis horrendus equisve
Stas, pater, atque ingens utrinque fluentia Triton
Frena tenet, tantus nostras condere per urbes. 680
Dixerat hæc: oritur clamor, dextræque sequentum
Verba ducis. Sic, cum stabulis et messibus in-
Ira deûm, et Calabri populator Sirius arvi [gens
Incubuit, coit agrestum manus inscia priscum
In nemus, et miseris dictat pia vota sacerdos. 685
Ecce autem molli Zephyros descendere lapsu
Adspiciunt: volat immissis cava pinus habenis,
Infinditque salum, et spumas vomit ære tridenti.
Tiphys agit, tacitique sedent ad jussa ministri.
Qualiter ad summi solium Jovis omnia circum
Prona parata deo, ventique, imbresque, nivesque,
Fulguraque, et tonitrus, et adhuc in fontibus amnes.
At subitus curaque ducem metus acrior omni,
Mensque mali præsaga quatit, quod regis adortus
Progeniem, raptoque dolis crudelis Acasto, 695
Cætera nuda neci, medioque in crimine patrem
Liquerit, ac nullis inopem vallaverit armis,
Ipse procul nunc tuta tenens; ruat omnis in illos
Quippe furor: nec vana pavet trepidatque futuris.
Sævit atrox Pelias, inimicaque vertice ab alto
Vela videt, nec qua se ardens effundere possit. 701
Nil animi, nil regna juvant: fremit objice ponti
Clausa cohors, telisque salum facibusque coruscat
Haud secus, ærisona volucer cum Dædalus ora
Prosiluit, juxtaque comes brevioribus alis, 705
Nube nova linquente domos, Minoia frustra
Infremuit manus, et visu lassatur inani
Omnis eques, plenisque redit Gortyna pharetris.
Quin etiam in thalamis primoque in limine Acasti
Fusus humi, juvenis gressus et inania signa 710
Ore premit, sparsisque legens vestigia canis,
Te quoque jam mæsti forsan genitoris imago,
Nate, ait, et luctus subeunt suspiria nostri:
Jamque dolos, circumque trucis discrimina leti
Mille vides. Qua te, infelix, quibus insequar oris?
Non Scythicas ferus ille domos, nec ad ostia Ponti
Tendit iter, falsæ sed captum laudis amore 717
Te, puer, in nostræ durus tormenta senectæ
Nunc lacerat. Celsis an si freta puppibus essent
Pervia, non ultro juvenes classemque dedissem?
O domus, o freti nequicquam prole penates!
Dixit, et extemplo furiis iraque minaci
Terribilis: Sunt hic etiam tua vulnera, prædo,
Sunt lacrymæ, carusque parens. Simul ædibus altis [sat.
Itque reditque fremens, rerumque asperrima ver-
Bistonas ad meritos cum cornua sæva Thyoneus
Torsit, et infelix jam mille furoribus Hæmus,
Jam Rhodopes nemora alta gemunt, talem incita longis
Porticibus conjuxque fugit natique Lycurgum.
Tartareo tum sacra Jovi Stygiisque ferebat 730
Manibus Alcimede, tanto super anxia nato,
Si quid ab excitis melius prænosceret umbris.
Ipsum etiam curisque parem, talesque prementem
Corde metus ducit, facilem tamen, Æsona conjux.
In scrobibus cruor, et largus Phlegethontis operti
Stagnat honos: sævoque vocat grandæva tumultu
Thessalis exanimes atavos, magnæque nepotem
Pleiones. Et jam tenues ad carmina vultus [que
Extulerat, mæstosque tuens natumque nurum-
Talia libato pandebat sanguine Cretheus: [quat,
Mitte metus, volat ille mari: quantumque propin-
Jam magis atque magis variis stupet Æa deorum
Prodigiis, quatiuntque truces oracula Colchos.
Heu quibus ingreditur fatis! qui gentibus horror
Pergit! mox Scythiæ spoliis nuribusque superbus
Adveniet: cuperem ipse graves tum rumpere terras. 746
Sed tibi triste nefas fraternaque turbidus arma
Rex parat, et sævos irarum concipit ignes.
Quin rapis hanc animam, et famulos citus effugis artus?
I, meus es: jam te in lucos pia turba silentum,
Secretisque ciet volitans pater Æolus antris. 751
Horruit interea famulûm clamore supremo
Mæsta domus, regemque fragor per mœnia dif-
Mille ciere manus, et jam dare jussa vocatis. [fert
Flagrantes aras, vestemque, nemusque sacerdos
Præcipitat, subitisque pavens circumspicit Æson,
Quid moveat. Quam multa leo cunctatus in arcta
Mole virûm, rictuque genas et lumina pressit;

Sic curæ subiere ducem, ferrumne capessat
Imbelle, atque ævi senior gestamina primi, 760
An patres regnique acuat mutabile vulgus.
Contra effusa manus hærensque in pectore conjux:
Me quoque, ait, casus comitem, quicunque propinquat,
Accipies; nec fata traham, natumque videbo
Te sine: sat cœli patiens, cum prima per altum
Vela dedit, potui quæ tantum ferre dolorem. 766
Talia per lacrymas: et jam circumspicit Æson,
Præveniat quo fine minas, quo fata capessat [que,
Digna satis: magnos obitus natumque, domum-
Et genus Æolium, pugnataque poscere bella. 770
Est etiam ante oculos ævi rudis altera proles,
Ingentes animos et fortia discere facta
Quem velit, atque olim leti meminisse paterni.
Ergo sacra novat: veteris sub nocte cupressi
Sordidus, et multa pallens ferrugine taurus 775
Stabat adhuc, cui cæruleæ per cornua vittæ,
Et taxi frons hirta comis: ipse æger, anhelans,
Impatiensque loci, visaque exteritus umbra.
Hunc sibi præcipuum, gentis de more nefandæ,
Thessalis in seros Ditis servaverat usus. 780
Tergeminam tum placat heram, Stygiasque supre-
Obsecrat igne domos, jam jam exorabile retro [mo
Carmen agens: neque enim ante leves niger avehit umbras
Portitor, et cunctæ primis stant faucibus Orci.
Illum ubi terrifici superesse in tempore sacri 785
Conspexit, statuit leto, supremaque fatur,
Ipse manu tangens damnati cornua tauri: [tum
Vos, quibus imperium Jovis, et non segne perac-
Lucis iter, mihi conciliis, mihi cognita bellis
Nomina, magnorum fama sacrata nepotum; 790
Tuque, excite parens umbris, ut nostra videres
Funera, et oblitos superûm paterere dolores,
Da placidæ mihi sedis iter, meque hostia vestris
Conciliet præmissa locis. Tu, nuntia sontum
Virgo Jovi, terras oculis quæ prospicis æquis, 795
Ultricesque deæ, Fasque, et grandæva Furorum
Pœna parens, meritis regis succedite tectis,
Et sævas inferte faces: sacer effera raptet
Corda pavor: nec sola mei gravia affore nati
Arma ratemque putet; classesque, et Pontica signa,
Atque indignatos temerato littore reges 801
Mente agitet, semperque metu decurrat ad undas
Arma ciens: mors sera viam tentataque claudat
Effugia, et nostras nequeat præcurrere diras;
Sed reduces jam jamque viros, auroque coruscum
Cernat iter: stabo insultans, et ovantia contra
Ora manusque feram: tum, vobis si quod inau-
Arcanumque nefas, et adhuc incognita leti [sum
Sors superest, date fallaci pudibunda senectæ
Exitia, indecoresque obitus: non Marte, nec armis,
Aut nati precor ille mei dignatus ut unquam
Ense cadat; quin fida manus, quin cara suorum
Diripiat laceretque senem, nec membra sepulcro
Contegat. Hæc noster de rege piacula sanguis
Sumat, et heu cunctæ, quas misit in æquora
Adstitit, et nigro fumantia pocula tabo [gentes
Contigit ipsa gravi Furiarum maxima dextra:
Illi avide exceptum pateris hausere cruorem.
Fit fragor: irrumpunt sonitu, qui sæva ferebant
Imperia, et strictos jussis regalibus enses. 820
In media jam morte senes, suffectaque leto
Lumina, et undanti revomentes veste cruorem
Conspiciunt: primoque rudem sub limine rerum
Te, puer, et visa pallentem morte parentum
Diripiunt, adduntque tuis. Procul horruit Æson
Excedens, memoremque tulit sub nubibus umbram. 826
Cardine sub nostro, rebusque abscisa supernis
Tartarei sedet aula patris; non illa ruenti
Accessura polo, victam si solvere molem
Jupiter, et primæ velit omnia reddere massæ. 830
Ingenti jacet ore Chaos, quod pondere fessam
Materiem, lapsumque queat consumere mundum.
Hic geminæ æternum portæ: quarum altera, dura
Semper lege patens, populos regesque receptat;
Ast aliam tentare nefas, et tendere contra; 835
Rara et sponte patet, si quando pectore ductor
Vulnera nota gerens, galeis præfixa rotisque
Cui domus, aut studium mortales pellere curas,
Culta fides, longe metus, atque ignota cupido;
Seu venit in vittis castaque in veste sacerdos. 840
Quos omnes lenis plantis, et lampada quassans,
Progenies Atlantis agit: lucet via late
Igne dei; donec sylvas et amœna piorum [num
Deveniant, camposque ubi sol, totumque per an-
Durat aprica dies, thiasique, chorique virorum,
Carminaque, et quorum populis jam nulla cupido.
Has pater in sedes æternaque mœnia natum
Inducitque nurum. Tum porta quanta sinistra
Pœna, docet, maneat Pelian, quo limine monstrat
Mirantur tantos strepitus, turbamque ruentem,
Et loca, et infernos almæ virtutis honores.

LIBER SECUNDUS.

Interea scelerum luctusque ignarus Iason
Alta secat: neque enim patrios cognoscere casus
Juno sinit, mediis ardens ne flectat ab undis,
Ac temere in Pelian et adhuc obstantia regis
Fata ruat, placitosque deis ne deserat actus. 5
Jamque fretis summas æquatum Pelion ornos,
Templaque Tisææ mergunt obliqua Dianæ.
Jam Sciathos subsedit aquis, jam longa recessit
Sepias: attollit tondentes pabula Magnes
Campus equos: vidisse putant Dolopeia busta, 10
Intrantemque Amyron curvas quæsita per oras
Æquora, flumineo cujus redeuntia vento
Vela legunt; remis insurgitur: inde salutant
Eurymenas: recipit velumque fretumque reversus
Auster, et in nubem, Minyis repetentibus altum, 15
Ossa redit: metus ecce deûm, damnataque bello
Pallene; circumque vident immania monstra
Terrigenûm cœlo quondam adversata gigantum,
Quos scopulis trabibusque parens miserata jugis-
Induit, et versos exstruxit in æthera montes. [que
Quisque suas in rupe minas, pugnamque, metusque
Servat adhuc: quatit ipse hiemes, et torquet ab alto
Fulmina crebra pater: scopulis sed maximus illis
Horror abest, Sicula pressus tellure Typhoeus.
Hunc profugum, et sacras revomentem pectore flammas, [altum
Ut memorant, prensum ipse comis Neptunus in
Abstulit, implicuitque vadis: totiesque cruenta

Mole resurgentem, torquentemque anguibus undas
Sicanium dedit usque fretum, cumque urbibus Ætnam
Intulit, ora premens: trux ille ejectat adesi 30
Fundamenta jugi; pariter tunc omnis anhelat
Trinacria, injectam fesso dum pectore molem
Commovet experiens, gemituque reponit inani.
Jamque Hyperionius metas maris urget Iberi
Currus, et evectæ prono laxantur habenæ 35
Æthere, cum palmas Tethys grandæva sinusque
Sustulit, et rupto sonuit sacer æquore Titan.
Auxerat hora metus; jam se vertentis Olympi
Ut faciem, raptosque simul montesque locosque
Ex oculis, circumque graves videre tenebras. 40
Ipsa quies rerum, mundique silentia terrent,
Astraque, et effusis stellatus crinibus æther.
Ac velut ignota captus regione viarum,
Noctivagum qui carpit iter, non aure quiescit,
Non oculis, noctisque metus niger auget utrinque
Campus, et occurrens umbris majoribus arbor: 46
Haud aliter trepidare viri. Sed pectora firmans
Hagniades, Non hanc, inquit, sine numine pinum
Dirigimus, nec me tantum Tritonia cursus
Erudiit; sæpe ipsa manu dignata carinam est. 50
An non experti, subitus cum luce fugata
Horruit imbre dies? quantis, pro Jupiter, Austris
Restitimus! quanta quoties et Palladis arte
In cassum decimæ cecidit tumor arduus undæ!
Quin agite, o socii; micat immutabile cœlum, 55
Puraque nec gravido surrexit Cynthia cornu:
Nullus in ore rubor, certusque ad talia Titan
Integer in fluctus, et in uno decidit Euro.
Adde, quod in noctem venti veloque marique
Incumbunt magis: it tacitis ratis ocior horis. 60
Atque adeo non illa sequi mihi sidera nunc stat,
Quæ delapsa polo reficit mare: tantus Orion
Jam cadit; irato jam stridet in æquore Perseus:
Sed mihi dux, vetitis qui nunquam conditus undis
Axe nitet serpens, septenosque implicat ignes. 65
Sic ait: et certi memorat qui vultus Olympi,
Pleiones Hyadumque locos; quo sidere vibret
Ensis, et Actæus niteat qua luce Bootes.
Hæc ubi dicta dedit, Cereris tum munere fessas
Restituunt vires, et parco corpora Baccho; 70
Mox somno cessere: regunt sua sidera puppim.
Jamque sub Eoæ dubios Atlantidis ignes
Albet ager, motisque truces ab ovilibus ursi
Tuta domosque petunt, ravas et littus in altum
Mittit aves; cum primus equis exegit anhelis 75
Phœbus Athon, mediasque diem dispersit in un-
Certatim remis agitur mare, rostraque cursu [das.
Prima tremunt: et jam summis Vulcania surgit
Lemnos aquis, tibi per varios defleta labores,
Ignipotens; nec te Furiis et crimine matrum 80
Terra fugat, meritique piget meminisse prioris.
Tempore quo primum fremitus insurgere opertos
Cœlicolûm, et regni sensit novitate tumentes
Jupiter, ætheriæ nec stare silentia pacis;
Junonem volucri primam suspendit Olympo, 85
Horrendum chaos ostendens, pœnasque barathri.
Mox etiam pavidæ tentantem vincula matris
Solvere, prærupti Vulcanum vertice cœli
Devolvit: ruit ille polo noctemque diemque,
Turbinis in morem, Lemni cum littore tandem
Insonuit. Vox inde repens ut perculit urbem, 91
Acclinem scopulo inveniunt, miserentque, foventque.
Alternos ægro cunctantem poplite gressus.
Hinc reduci superas postquam pater annuit arces,
Lemnos cara deo; nec fama notior Ætne,
Aut Lipares domus: has epulas, hæc templa, per-
Ægide, et horrifici formatis fulminis alis,
Lætus adit: contra Veneris stat frigida semper
Ara loco, meritas postquam dea conjugis iras
Horruit, et tacitæ Martem tenuere catenæ. 100
Quocirca struit illa nefas, Lemnoque merenti
Exitium furiale movet: neque enim alma videri
Jam tumet, aut tereti crinem subnectitur auro,
Sidereos diffusa sinus; eadem effera, et ingens,
Et maculis suffecta genas, pinumque sonantem
Virginibus Stygiis, nigramque simillima pallam.
Jamque dies aderat, Thracas qui fuderat armis:
Dux Lemni, puppes tenui contexere canna
Ausus, et inducto cratem defendere tergo,
Læta mari tum signa refert, plenasque movebat
Armentis nuribusque rates: it barbara vestis, 111
Et torques, insigne loci: sonat æquore clamor:
O patria, o variis conjux nunc anxia curis,
Has agimus longi famulas tibi præmia belli.
Cum dea se piceo per sudum turbida nimbo 115
Præcipitat, Famamque vagam vestigat in umbra:
Quam pater omnipotens digna atque indigna ca-
nentem,
Spargentemque metus, placidis regionibus arcet
Ætheris: illa fremens habitat sub nubibus imis,
Non Erebi, non diva poli, terrasque fatigat, 120
Qua datur: audentem primi spernuntque foventque;
Mox omnes agit, et motis quatit oppida linguis.
Talem diva sibi scelerisque dolique ministram
Quærit avens: videt illa prior, jamque advolat ultro
Impatiens, jamque ora parat, jam suscitat aures.
Hanc superincendit Venus, atque his vocibus im-
plet: 126
Vade age, et æquoream, virgo, delabere Lemnon,
Et cunctas mihi verte domos, præcurrere qualis
Bella soles, cum mille tubas, armataque campis
Agmina, et innumerûm flatus confingis equorum.
Affore jam luxu turpique cupidine captos 131
Fare viros, carasque toris inducere Thressas.
Hinc tibi principia; hinc rabidas dolor undique matres
Instimulet: mox ipsa adero, ducamque paratas.
Illa abit, et mediam gaudens defertur in urbem:
Et primam Eurynomen ad proxima limina Codri
Occupat, exesam curis, castumque cubile
Servantem: manet illa viro, famulasque fatigat
Velleribus; tardi repetunt quæ tempora belli
Ante torum, et longo mulcent insomnia penso. 140
Huic dea cum lacrymis, et nota veste Neæræ
Icta genas: Utinam non hic tibi nuntius essem,
O soror, aut nostros, inquit, prius unda dolores
Obruat, in tali quoniam tibi tempore conjux,
Sic meritæ, votis quem tu fletuque requiris, 145
Heu furit, et captæ indigno famulatur amore.
Jamque aderunt, thalamisque tuis Threissa propinquat,
Non forma, non arte colus, non laude pudoris
Par tibi, nec proles magni præclara Dorycli,
Picta manus, ustoque placet sed barbara mento.
Attamen hos tales forsan solabere casus 151
Tu thalamis, fatoque leges meliore penates;
Me tua matris egens, damnataque pellice proles
Exanimat, quam jam miseros transversa tuentem,
Letalesque dapes, infectaque pocula cerno. 155
Scis simile ut flammis simus genus: adde cruentis
Quod patrium sævire Dahis: jam lacte ferino,
Jam veniet durata gelu. Sed me quoque pulsam
Fama viro, nostrosque toros virgata tenebit
Et plaustro derepta nurus. Sic fata, querelas 160

Abscidit, et curis pavidam lacrymisque relinquit.
Transit ad Iphinoen, isdemque Amythaonis implet
Oleniique domum furiis; totam inde per urbem
Personat, ut cunctas agitent expellere Lemno,
Ipsi urbem Thressæque regant. Dolor iraque surgit: 165
Obvia quæque eadem traditque auditque, neque ulli [plent:
Vana fides. Tum voce deos, tum questibus im-
Oscula jamque toris, jamque oscula postibus ipsis
Ingeminant, lacrymisque iterum visuque morantur.
Prosiliunt, nec tecta virûm thalamosque revisunt
Amplius; agglomerant sese, nudisque sub astris
Condensæ fletus acuunt, ac dira precantur
Conjugia, et Stygias infanda ad fœdera tædas.
Has inter medias Dryopes in imagine mæstæ
Flet Venus, et sævis ardens dea planctibus instat.
Primaque: Sarmaticas utinam, Fortuna, dedisses
Insedisse domos, tristesque habitasse pruinas,
Plaustra sequi, vel jam patriæ vidisse per ignes
Culmen agi, stragemque deûm! nam cætera belli
Perpetimur. Mene ille novis, me destinat amens
Servitiis? urbem aut fugiens natosque relinquam?
Non prius ense manus raptoque armabimus igne,
Dumque silent, ducuntque nova cum conjuge somnos, [quens
Magnum aliquod spirabit amor? Tunc ignea tor-
Lumina, præcipites excussit ab ubere natos. 185
Ilicet arrectæ mentes, evictaque matrum [cunctæ
Corda sacer Veneris gemitus rapit: æquora
Prospiciunt, simulantque choros, delubraque festa
Fronde tegunt, lætæque viris venientibus adsunt.
Jamque domos mensasque petunt: discumbitur altis 190
Porticibus: sua cuique furens festinaque conjux
Adjacet: inferni qualis sub nocte barathri
Accubat attonitum Phlegyan et Thesea juxta
Tisiphone, sævasque dapes et pocula libat,
(Tormenti genus,) et nigris amplectitur hydris. 195
Ipsa Venus quassans undantem turbine pinum
Agglomerat tenebras, pugnæque accincta tremen-
Desilit in Lemnon: nimbis et luce fragosa [tem
Prosequitur polus, et tonitru pater auget honoro.
Inde novam pavidas vocem furibunda per aures
Congeminat, qua primus Athos, et pontus, et ingens
Thraca palus, pariterque toris exhorruit omnis
Mater, et adstricto riguerunt ubere nati.
Accelerat Pavor, et Geticis Discordia demens
E stabulis, hirtæque genis pallentibus Iræ, 205
Et Dolus, et Rabies, et Leti major imago
Visa, truces exserta manus, ut prima vocatu
Intonuit, signumque dedit Mavortia conjux.
Hic aliud Venus et multo magis ipsa tremendum
Orsa nefas, gemitus fingit vocesque cadentum, 210
Irrupitque domos, et singultantia gestans
Ora manu, taboque sinus perfusa recenti,
Arrectasque comas, Meritos en prima revertor
Ulta toros: premit ecce dies. Tum verbere victas
In thalamos agit, et cunctantibus invenit enses. 215
Unde ego tot scelerum facies, tot fata jacentum
Exsequar? heu vatem monstris quibus intulit ordo!
Quæ se aperit series! o qui me vera canentem
Sistat, et hac nostras exsolvat imagine noctes!
Invadunt aditus, et quondam cara suorum 220
Corpora; pars, ut erant, dapibus vinoque soporos;
Pars conferre manus etiam, magnisque paratæ
Cum facibus; quosdam insomnes, et cuncta tuentes,
Sed tentare fugam prohibetque capessere contra
Arma metus; adeo ingentes inimica videri 225
Diva dabat, notaque sonat vox conjuge major.
Tantum oculos pressere metu, velut agmina cernant
Eumenidum, ferrumve super Bellona coruscet.
Hoc soror, hoc conjux, propiorque hoc nata parensque
Sæva valet: prensosque toris mactatque trahitque
Fœmineum genus, immanes quos sternere Bessi, 231
Nec Geticæ potuere manus, aut æquoris iræ.
It cruor in thalamis, et anhela in pectore fumant
Vulnera, seque toris misero luctamine trunci
Devolvunt: diras aliæ ad fastigia tædas 235
Injiciunt, obduntque domos; pars ignibus acti
Effugiunt propere; sed dura in limine conjux
Obsidet, et viso repetunt incendia ferro.
Ast aliæ Thressas labem causamque furoris
Diripiunt: mixti gemitus, clamorque precantum
Barbarus, ignotæque implebant æthera voces. 241
Sed tibi nunc quæ digna tuis ingentibus ausis
Ora feram, decus et patriæ laus una ruentis,
Hypsipyle? non ulla meo te carmine dictam
Abstulerint, durent Latiis modo sæcula fastis, 245
Iliacique lares, tantique palatia regni.
Irruerant actæ pariter natæque nurusque,
Totaque jam sparsis exarserat insula monstris:
Illa pias armata manus, Fuge protinus urbem
Meque, pater: non hostis, ait, non mœnia læsi 250
Thraces habent; nostrum hoc facinus: ne quære quis auctor.
Jam fuge, jam dubiæ donum rape mentis, et ensem
Tu potius miseræ retine. Tunc excipit artus,
Obnubitque caput, tacitumque ad conscia Bacchi
Templa rapit, primoque manus a limine tendens,
Exime nos sceleri, pater, et miserere piorum 256
Rursus, ait: tacita pavidum tum sede locavit
Sub pedibus dextraque dei. Latet ilie receptus
Veste sacra: voces chorus et trieterica reddunt
Æra sonum, fixæque fremunt in limine tigres. 260
Regina ut roseis Auroram surgere bigis
Vidit, et insomni lassatas turbine tandem
Conticuisse domos; stabilem quando optima facta
Dant animum, majorque piis audacia cœptis,
Serta patri, juvenisque comam vestesque Lyæi
Induit, et medium curru locat, æraque circum
Tympanaque, et plenas tacita formidine cistas
Ipsa sinus hederisque ligat famularibus artus,
Pampineamque quatit ventosis ictibus hastam,
Respiciens, teneat virides velatus habenas 270
Ut pater, et nivea tumeant ut cornua mitra, [acri
Et sacer ut Bacchum referat scyphus. Impulit
Tum validas stridore fores, rapiturque per urbem
Talia voce canens: Linque o mihi cæde madentem,
Bacche, domum; sine fœdatum te funere pontus
Expiet, et referam lotos in templa dracones. 276
Sic medios egressa metus: facit ipse verendam
Nam deus, et flatu non inscia gliscit anhelo.
Jamque senem tacitis sæva procul urbe remotum
Occulerat sylvis: ipsam sed conscius ausi 280
Nocte dieque pavor, fraudataque turbat Erinnys.
Non similes jam ferre choros (semel orgia fallunt)
Audet, non patrios furtis accedere saltus:
Et fuga diversas misero quærenda per artes.
Visa ratis, sævæ defecta laboribus undæ, 285
Quam Thetidi longinqua dies Glaucoque repostam
Solibus, et canis urebat luna pruinis.
Huc genitorem, altæ per opaca silentia noctis,
Præcipitem sylvis rapit, et sic mæsta profatur
Quam, genitor, patriam, quanta modo lit quis inanes 290

Pube domos! pro dira lues, pro noctis acerbæ
Exitium! talin' possum te credere puppi,
Care parens? possum tantis retinere periclis?
Solvimus heu serum Furiis scelus! annue votis,
Diva, soporiferas quæ nunc trahis æquore bigas.
Non populos, non dite solum, non ulla parenti
Regna peto: patria liceat decedere terra.
Quando ego servato mediam genitore per urbem
Læta ferar? quando hic lacrymas planctusque videbo?
Dixerat: ille procul trunca fugit anxius alno, 300
Taurorumque locos delubraque sæva Dianæ
Advenit; hic illum tristi, dea, præficis aræ
Ense dato: mora nec terris tibi longa cruentis.
Jam nemus Egeriæ, jam te ciet altus ab Alba
Jupiter, et soli non mitis Aricia regi. 305
Arcem nata petit, quo jam manus horrida matrum
Congruerat. Rauco fremitu sedere parentum
Natorumque locis, vacuæque in mœnibus urbis
Jura novant: donant solio sceptrisque paternis,
Ut meritam, redeuntque piæ sua præmia menti.
Ecce procul validis Lemnon tendentia remis
Arma notant: rapitur subito regina tumultu, 312
Conciliumque vocat: non illis obvia tela
Ferre, nec infestos deerat furor improbus ignes,
Ni Veneris sævas fregisset Mulciber iras. 315
Tunc etiam vates Phœbo dilecta Polyxo, [thys,
Non patriam, non certa genus, te, maxima Te-
Proteaque ambiguum Phariis referebat ab antris
Huc rexisse vias junctis super æquora phocis.
Sæpe imis se condit aquis, cunctataque paullum
Surgit, ut auditas referens in gurgite voces:
Portum demus, ait; hæc hospita, credite, puppis
Adveniet: levior Lemno deus æquore flexit [gi,
Huc Minyas: Venus ipsa volens dat tempora jun-
Dum vires utero, maternaque sufficit ætas. 325
Dicta placent, portatque preces ad littora Graiis
Iphinoe; nec turba nocens, scelerisque recentis
Signa movent, tollitque loci Cytherea timorem.
Protinus ingentem procerum sub nomine taurum
Dejicit, insuetis et jam pia munera templis 330
Reddit, et hac prima Veneris calet ara juvenca.
Ventum erat ad rupem, cujus pendentia nigris
Fumant saxa jugis, coquiturque vaporibus aer.
Substitit Æsonides, atque hic regina precari 334
Hortatur; causasque docens, Hæc antra videtis
Vulcanique, ait, ecce domos; date vina precesque.
Forsitan hoc factum taceat jam fulmen in antro.
Nox dabit ipsa fidem, clausæ cum murmura flammæ,
Hospes, et incussæ sonitum mirabere massæ
Mœnia tum, viresque loci, veteresque parentum
Jactat opes. Mediis famulæ convivia tectis 341
Expediunt: Tyrio vibrat torus igneus ostro.
Stat mærens atavos reges, regesque maritos
Thressa manus, quæcunque faces timuisse jugales
Credita, nec dominæ sanctum tetigisse cubile. 345
Jam medio Æsonides, jam se regina locavit,
Post alii proceres: sacris dum vincitur extis
Prima fames, circum pateris it Bacchus, et omnis
Aula silet: dapibus cœptis mox tempora fallunt
Noctis, et in seras durant sermonibus umbras. 350
Præcipueque ducis casus mirata requirit
Hypsipyle, quæ fata trahant, quæ regis agat vis,
Aut unde Hæmoniæ molem ratis: unius hæret
Alloquio, et blandos paullatim colligit ignes,
Jam non dura toris, Veneri nec iniqua reversæ;
Et deus ipse moras spatiumque indulget amori.
Pliada lege poli nimboso moverat astro
Jupiter, æternum volvens opus, et simul undis
Cuncta ruunt; unoque dei Pangæa sub ictu,
Gargaraque, et mæsti steterant formidine luci.
Sævior haud alio mortales tempore mentes 361
Terror agit: tunc urget enim, tunc flagitat iras
In populos Astræa Jovem, terrisque relictis
Invocat assiduo Saturnia sidera questu.
Insequitur niger, et magnis cum fratribus Eurus
Intonat Ægæo, tenditque ad littora pontus. 366
Et lunam quarto densam videt imbribus ortu
Thespiades, longus cœptis et fluctibus arcet
Quem metus: usque novos divæ melioris ad ignes
Urbe sedent læti Minyæ, viduisque vacantes 370
Indulgent thalamis, nimbosque educere luxu,
Nec jam velle vias, Zephyrosque audire vocantes
Dissimulant; donec resides Tirynthius heros
Non tulit, ipse rati invigilans, atque integer urbis:
Invidisse deos tantum maris æquor adortis, 375
Desertasque domos, fraudataque tempore segni
Vota patrum: quid et ipse viris cunctantibus adsit?
O miseri, quicunque tuis accessimus actis!
Phasin, et Æeten, Scythicique pericula ponti
Redde, ait, Æsonide: me tecum solus in æquor
Rerum traxit amor, dum spes mihi sistere montes
Cyaneos, vigilemque alium spoliare draconem.
Si sedet Ægæi scopulos habitare profundi, [dicta,
Hoc mecum Telamon peraget meus. Hæc ubi
Haud secus Æsonides monitis accensus amaris,
Quam bellator equus, longa quem frigida pace
Terra juvat, brevis in lævos piger angitur orbes,
Frena tamen dominumque velit, si Martius aures
Clamor, et obliti rursus fragor impleat æris.
Tunc Argon Tiphynque vocat, pelagoque parari
Præcipitat: petit ingenti clamore magister 391
Arma, viros pariter, sparsosque in littore remos.
Exoritur novus urbe dolor, planctusque per omnes
It fa ies antiqua domos: sibi mœnia linqui
En iterum: ecquando natorum tempora, gentem
Qui recolant, qui sceptra gerant? nunc triste ne-
Noctis opus, vidui nunc illa silentia tecti [fandæ
Sæva magis, thalamos excussaque vincla quod au-
Induere, atque iterum tales admittere curas. [sæ
Ipsa quoque Hypsipyle subitos per littora cursus
Ut vidit, totaque viros decedere Lemno, 401
Ingemit, et tali compellat Iasona questu:
Jamne placet primo deducere vela sereno,
Carius o mihi patre caput? modo sæva quierunt
Æquora: sic portus fugeret ratis, aspera si te 405
Plias in adversæ tenuisset littore Thraces?
Ergo moras cœlo cursumque tenentibus undis
Debuimus? dixit lacrymans, hæsuraque caro
Dona duci promit chlamydem, textosque labores.
Illic servati genitoris conscia sacra 410
Pressit acu, currusque pios: stant sæva paventum
Agmina, dantque locum: viridis circum horrida tela
Sylva tremit: mediis refugit pater anxius umbris.
Pars et frondosæ raptus expresserat Idæ,
Illustremque fugam pueri: mox æthere lætus
Adstabat mensis: quin et Jovis armiger ipse 416
Accipit a Phrygio jam pocula blanda ministro.
Tunc ensem notumque ferens insigne Thoantis,
Accipe, ait, bellis mediæque ut pulvere pugnæ
Sim comes, Ætnæi genitor quæ flammea gessit
Dona dei, nunc digna tuis adjungier armis. 421
I memor, i, terræ, quæ vos amplexa quieto
Prima sinu, refer et domitis a Colchidos oris
Vela, per hunc, utero quem linquis Iasona nostro
Sic ait, Hæmonii labens in colla mariti. 425

Nec minus Orphea tristis cervice, tuaque,
Æacide, et gemino conjux a Castore pendet.
Has inter lacrymas legitur piger uncus arenis:
Jam remi rapuere ratem, jam flamina portant:
Spumea subsequitur fugientis semita clavi. 430
Tunc tenuis Lemnos, transitque Electria tellus
Threiciis arcana sacris: hic numinis ingens
Horror, et incautis decreta piacula linguis.
Hanc demissa Jovi non unquam lædere fluctu
Audet hiems: sponte ipse deus tunc asperat undas,
Cum vetat infidos sua littora tangere nautas. 436
Obvius at Minyas terris adytisque sacerdos
Excipit, hospitibus reserans secreta, Thyotes.
Hactenus in populos vati, Samothraca, diemque
Missa vale, sacrisque metum servemus opertis.
Illi sole novo læti, plenique deorum, 441
Considunt transtris. Jam, quas præviderat, urbes
Navita condebat, proræque accesserat Imbros,
Et sol ætherias medius conscenderat arces.
Thessala Dardaniis tunc primum puppis arenis
Appulit, et fatis Sigeo littore sedit. 446
Desiliunt: pars hinc levibus candentia velis
Castra levat; tracto pars frangit adorea saxo
Farra; citum strictis alius de cautibus ignem
Ostendit, foliisque et sulfure pascit amico. 450
Alcides Telamonque comes dum littora blando
Anfractu sinuosa legunt, vox accidit aures,
Flebile succedens, ceu fracta remurmurat unda.
Attoniti pressere gradum, vacuumque sequuntur
Vocis iter: jam certa sonat, desertaque duræ
Virgo neci quem non hominum superûmque voca-
Acrius hoc instare viri, succurrere certi. [bat?
Qualiter, implevit gemitu cum taurus acerbo
Avia, frangentem morsu super alta leonem
Terga ferens, coit e sparso concita mapali 460
Agrestum manus, et cæco clamore coloni.
Constitit Alcides, visuque enisus in alta
Rupe truces manicas, defectaque virginis ora
Cernit, et ad primos turgentia lumina fluctus.
Exanimum veluti, multa tamen arte coactum,
Mæret ebur, Pariusve notas et nomina sumit
Cum lapis, aut liquidi referunt miranda colores.
Ductor ait: Quod, virgo, tibi nomenque genusque?
Quæ sors ista, doce, tendunt cur vincula palmas?
Illa tremens, tristique oculos dejecta pudore, 470
Non ego digna malis, inquit; suprema parentum
Dona vides, ostro scopulos auroque frequentes.
Nos Ili veteris quondam genus, invida donec
Laomedonteos fugeret Fortuna penates.
Principio morbi, cœloque exacta sereno 475
Temperies; arsere rogis certantibus agri:
Cum subitus fragor, et fluctus Idæa moventes
Cum stabulis nemora: ecce repens consurgere
ponto [bus ullis,
Bellua, monstrum ingens; hanc tu nec monti-
Nec nostro metire mari: primæva furenti 480
Huic manus, amplexus inter planctusque parentum, [mon,
Deditur: hoc sortes, hoc corniger imperat Ham-
Virgineam damnare animam, sortitaque Lethen
Corpora: crudelis scopulis me destinat urna.
Verum o, jam redeunt Phrygibus si numina, tuque
Ille ades, auguriis promisse et sorte deorum,
Jam cui candentes votivo in gramine pascit
Cornipedes genitor, nostræ stata dona salutis,
Annue, meque, precor, defectaque Pergama monstris [debam
Eripe; namque potes: neque enim tam lata vi-
Pectora, Neptunus muros cum jungeret astris,
Nec tales humeros pharetramque gerebat Apollo.
Auxerat hæc locus, et facies mæstissima capti
Littoris, et tumuli, cœlumque, quod incubat urbi,
Quale laborantis Nemees iter, aut Erymanthi 495
Vidit, et infectæ miseratus flumina Lernæ.
Dat procul interea signum Neptunus, et una
Monstriferi mugire sinus, Sigeaque pestis
Agglomerare fretum: cujus stellantia glauca
Lumina nube tremunt, atque ordine curva trisulco
Fulmineus quatit ora fragor; pelagoque remenso
Cauda redit, passosque sinus rapit ardua cervix.
Illam incumbentem per mille volumina pontus
Prosequitur lateri adsultans, trepidisque ruentem
Littoribus sua cingit hiems: non fluctibus æquis
Nubiferi venit unda Noti, non Africus alto [nis
Tantus ovat, patriisque manus cum plenus habe-
Orion bipedum flatu mare tollit equorum.
Ecce ducem placitæ furiis crudescere pugnæ,
Surgentemque toris stupet, immanemque paratu
Æacides, pulsentque graves ut terga pharetræ.
Ille patrem, pelagique deos, suaque arma precatus
Insiluit scopulo, motumque e sedibus æquor
Horruit, et celsi spatiosa volumina monstri.
Qualis ubi a gelidi Boreas convallibus Hebri 515
Tollitur, et volucres Rhipæa per ardua nubes
Præcipitat, piceo necdum tenet omnia cœlo.
Illa simul molem horrificam scopulosaque terga
Promovet, ingentique umbra subit, intremere Ide,
Illidique ratis, pronæque resurgere turres. 520
Occupat Alcides arcum, totaque pharetræ
Nube premit: non illa magis, quam sede moveri
Magnus Eryx, deferre velint quem vallibus imbres.
Jam brevis, et telo volucri non utilis, aer.
Tum vero fremitus, vanique insania cœpti, 525
Et tacitus pudor, et rursus pallescere virgo.
Projicit arma manu; scopulos vicinaque saxa
Respicit, et quantum ventis adjuta vetustas
Impulerit, pontive fragor, tantum abscidit imi
Concutiens a sede maris: jamque agmine toto
Pristis adest, miseræque inhiat jam proxima præ
Stat mediis elatus aquis, recipitque ruentem [dæ.
Alcides, saxoque prior surgentia colla
Obruit; hinc vastos nodosi roboris ictus
Congeminat: fluctus defertur bellua in imos, 535
Jam totis resoluta vadis: Idæaque mater,
Et chorus, et summis ululartunt collibus amnes.
Protinus e scopulis et opaca valle resurgunt
Pastores, magnisque petunt clamoribus urbem.
Nuntius hinc socios Telamon vocat; ac simul ipsi
Horrescunt, subitoque vident in sanguine puppim.
Nec minus in scopulos crudique cacumina saxi
Emicat Alcides, vinclisque tenentibus aufert
Virgineas de rupe manus, aptatque superbis
Arma humeris: regem inde petens superabat
ovante 545
Littora tuta gradu: qualis per pascua victor
Ingreditur, tum colla tumens, tum celsior armis,
Taurus, ubi adsueti pecoris stabula alta revisit,
Et patrium nemus, et bello quos ultus amores.
Obvia cui contra longis emissa tenebris 550
Turba Phrygum, parvumque trahens cum conjuge
natum
Laomedon, jam mæstus equos, jam debita posci
Dona gemit. Pars aerii fastigia muri
Cingit, et ignotis juvenem mirantur in armis.
Illum torva tuens, atque acri lubricus astu 555
Rex subit, et patrio fatur male lætus amore:
Maxime Grajugenûm, quem non Sigea petentem
Littora, nec nostræ miserantem funera Trojæ
Appulit his fors ipsa locis, si vera parentem
Fama Jovem, summique tibi genus esse Tonantis,

Noster ades, junctusque veni: sator unus, et idem
Stirpis honos, quanquam longis disjungimur oris.
Quot mihi post lacrymas, post quanta piacula patrum
Serus ades! quam parva tuis jam gloria factis!
Verum age, nunc socios fraternis mœnibus infer,
Ut tibi, servata statui quæ munera prole, 566
Crastina lux bijuges stabulis ostendat apertis.
Dixerat hæc; tacitusque dolos, dirumque volutat
Corde nefas, clausum ut thalamis somnoque gravatum
Immolet, ereptaque luat responsa pharetra.
Namque bis Herculeis deberi Pergama telis 571
Audierat. Priami sed quis jam vertere regnis
Fata queat? manet immotis nox Dorica lustris,
Et genus Æneadûm, et Trojæ melioris honores.
Nos, ait, ad Scythici, Tirynthius, ostia ponti 575
Raptat iter; mox huc vestras revehemur ad oras,
Donaque dicta feram. Tum vero plura vocatis
Annuit ille deis: promissa infida tyranni
Jam Phryges, et miseræ flebant discrimina Trojæ.
Panditur hinc totis in noctem carbasus alis,
Littoraque, et veteris tumulos prælabitur Ili, 581
Dardaniumque patrem: vigili simul omnia ludo
Festa vident: hinc unda, sacris hinc ignibus Ide
Vibrat, et horrisonæ respondent Gargara buxo.
Inde ubi jam medii tenuere silentia ponti, 585
Stridentesque juvant auræ, Phrixea subibant
Æquora, et angustas quondam sine nomine fauces.
Ecce autem prima volucrem sub luce dehiscens
Terruit unda ratem, vittataque constitit Helle,
Jam Panopes Thetidisque soror, jamque aurea læva [ducemque
Sceptra tenens: tum sternit aquas, proceresque
Adspicit, et placidis compellat Iasona dictis:
Te quoque ab Hæmoniis ignota per æquora terris
Regna infesta domus, fatisque simillima nostris
Fata ferunt: iterum Æolios fortuna penates 595
Spargit, et infelix Scythicum gens quæritis amnem.
Vasta super tellus, longum (ne defice cœptis)
Æquor, et ipse procul (verum dabit ostia) Phasis.
Hic nemus arcanum, geminæque virentibus aræ
Stant tumulis: celeres hic prima piacula Phrixo
Ferte manu, cinerique precor mea reddite dicta:
Non ego per Stygiæ, quod rere, silentia ripæ,
Frater, agor; frustra vacui scrutaris Averni,
Care, vias: neque enim scopulis me et fluctibus actam
Frangit hiems; celeri extemplo subiere ruentem
Cymothoe Glaucusque manu: pater ipse profundi
Has etiam sedes, hæc numine tradidit æquo
Regna, nec Inois noster sinus invidet undis.
Dixerat, et mæstos tranquilla sub æquora vultus
Cum gemitu tulit, ut patrii rediere dolores. 610
Tum pelago vina invergens dux talibus infit:
Undarum decus et gentis, Cretheia virgo,
Pande viam, cursuque tuos age, diva, secundo
Immittitque ratem, mediasque intervolat urbes,
Qua brevibus furit æstus aquis, Asiamque pre-
Effugit abruptis Europa immanior oris. [mentem
Has etiam terras, consertaque gentibus arva,
Sic pelago pulsante reor, Neptunia quondam
Cuspis, et adversi longus labor abscidit ævi,
Ut Siculum Libycumque latus: stupuitque fragorem
Taurus, et occiduis regnator montibus Atlas
Jam juga Percotes, Pariumque infame fragosis
Exsuperant Pityamque vadis, transmissaque puppi
Lampsacus, Ogygii quam nec trieterica Bacchi
Sacra, neque arcanis Phrygius furor invehit antris,
Sed suus in Venerem raptat deus: illius aras
Urbe super, celsique vident velamina templi.
Rarior hinc tellus, atque ingens undique cœlum
Rursus, et incipiens alium prospectus in orbem.
Terra sinu medio Pontum jacet inter et Hellen,
Ceu fundo prolata maris; namque improba cæcis
Intulit arva vadis, longoque sub æquora dorso
Littus agit: tenet hinc veterem confinibus oris
Pars Phrygiam, pars discreti juga pinea montis.
Nec procul ad tenuis surgit confinia ponti 635
Urbs placidis demissa jugis; rex divitis agri
Cyzicus: Hæmoniæ qui tum nova signa carinæ
Ut videt, ipse ultro primas procurrit ad undas,
Miraturque viros, dextramque amplexus et hærens
Incipit: O terris nunc primum cognita nostris
Emathiæ manus, et fama mihi major imago! 641
Non tamen hæc adeo semota neque ardua tellus,
Longaque jam populis impervia lucis Eoæ,
Cum tales intrasse duces, tot robora cerno.
Nam licet hinc sævas tellus alat horrida gentes,
Meque fremens tumido circumfluat ore Propontis,
Vestra fides, ritusque pares, et mitia cultu
His etiam mihi corda locis: procul effera virtus
Bebrycis, et Scythici procul inclementia sacri.
Sic memorat, lætosque rapit: simul hospita pandi 650
Tecta jubet, templisque sacros largitur honores.
Stant gemmis auroque tori, mensæque paratu
Regifico, centumque pares primæva ministri
Corpora: pars epulas manibus, pars aurea gestant
Pocula, bellorum casus expressa recentum. 655
Atque ea prima duci porgens carchesia Graio
Cyzicus, Hic portus, inquit, mihi territat hostis:
Has acies sub nocte refert: hæc versa Pelasgûm
Terga vides: meus hic, ratibus qui pascitur, ignis.
Subjicit Æsonides: Utinam nunc ira Pelasgos
Efferet, et solitis tentent concurrere furtis, 661
Cunctaque se ratibus fundat manus: arma videbis
Hospita, nec post hanc ultra tibi prœlia noctem.
Sic ait: hasque inter variis nox plurima dictis
Rapta vices, nec non simili lux postera tractu.

LIBER TERTIUS.

Tertia jam gelidas Tithonia solverat umbras,
Exueratque polum; Tiphyn placida alta vocabant.
It tectis Argoa manus, simul urbe profusi [chum
Ænidæ caris sociûm digressibus hærent.
Dat Cererem, lectumque pecus, nec palmite Bac-
Bithyno Phrygiove satum, sed quem sua noto 6
Colle per angustæ Lesbos freta suggerit Helles.
Ipse agit Æsonidæ junctos ad littora gressus
Cyzicus, abscessu lacrymans, oneratque superbis
Muneribus, primas conjux Percosia vestes 10
Quas dabat, et picto Clite variaverat auro.
Tum galeam, et patriæ telum insuperabile dextræ

Addidit, ipse ducis pateras et Thessala contra
Frena capit, manibusque datis junxere penates.
Tu mihi nunc causas infandaque prœlia, Clio,
Pande virûm: tibi enim superûm data, virgo, facultas 16
Nosse animos, rerumque vias; cur talia passus
Arma, quid hospitiis junctas concurrere dextras
Jupiter; unde tubæ, nocturnaque movit Erinnys.
Dindyma sanguineis famulûm bacchata lacertis
Dum volucri quatit asper equo, sylvasque fatigat
Cyzicus, ingenti prædæ deceptus amore,
Adsuetum Phrygias dominam vectare per urbes
Oppressit jaculo redeuntem ad frena leonem.
Et nunc ille jubas captivaque postibus ora 25
Imposuit, spolium infelix, divæque pudendum.
Quæ postquam Hæmoniam, tantæ non immemor
Ærisono de monte ratem, præfixaque regum [iræ,
Scuta videt, nova monstra viro, nova funera volvit,
Ut socias in nocte manus, utque impia bella 30
Conserat, et sævis erroribus implicet urbem.
Nox erat, et leni canebant æquora sulco,
Et jam prona leves spargebant sidera somnos.
Aura vehit: religant tonsas, veloque Procneson,
Teque etiam medio flaventem, Rhyndace, ponto,
Spumosumque legunt fracta Scylaceion unda. 36
Ipse diem longe Solisque cubilia Tiphys
Consulit, ipse ratem vento stellisque ministrat.
Atque illum non ante sopor luctamine tanto
Lenit agens divûm imperiis: cadit inscia clavo
Dextera, demittitque oculos; resolutaque puppis
Turbine flectit iter, portuque refertur amico.
Ut notis allapsa vadis, dant æthere longo
Signa tubæ, vox et mediis emissa tenebris:
Hostis habet portus, soliti rediere Pelasgi. 45
Rupta quies: deus ancipitem lymphaverat urbem,
Mygdoniæ Pan jussa ferens sævissima Matris;
Pan nemorum bellique potens, quem lucis ad horas
Antra tenent, patet ad medias per devia noctes.
Sætigerum latus, et torvæ coma sibila frontis. 50
Vox omnes super una tubas, qua contus et enses,
Qua trepidis auriga rotis, nocturnaque muris
Claustra cadunt: talesque metus non Martia cassis,
Eumenidumque comæ, non tristis ab æthere Gor-
Sparserit, aut tantis aciem raptaverit umbris. [gon
Ludus et ille deo, pavidum præsepibus aufert 56
Cum pecus, et profugi sternunt dumeta juvenci.
Ilicet ad regem clamor ruit: exsilit altis
Somnia dira toris simulacraque pallida linquens
Cyzicus. Ecce super foribus Bellona reclusis,
Nuda latus, passuque movens orichalca sonoro,
Adstitit, et, triplici pulsans fastigia crista,
Inde ciere virum: sequitur per mœnia demens
Ille deam, et fatis extrema in prœlia tendit.
Qualis in Alciden et Thesea Rhœtus, iniqui 65
Nube meri geminam Pholoen majoraque cernens
Antra, ruit; qualisve redit venatibus actis
Lustra pater Triviamque canens, humeroque
Learchum
Advehit: at miseræ declinant lumina Thebæ.
Jamque adeo nec porta ducem, nec pone moratur
Excubias sortita manus, quæ prima furenti 71
Advolat; hinc alii subeunt, ut proxima quæque
Intremuit domus, et motus accepit inanes.
At Minyas anceps fixit pavor: ægra virorum
Corda labant, nec quæ regio, aut discrimina, cernunt, 75
Cur galeæ clypeique micent, num pervigil armis
Hostis, et exciti dent obvia prœlia Colchi;
Donec et hasta volans immani turbine transtris
Insonuit, monuitque ratem rapere obvia cæca
Arma manu. Princeps galeam constringit Iason,
Vociferans: Primam hanc nati, pater, accipe pugnam: 81
Vosque, viri, optatos huc affore credite Colchos.
Bistonas in medios ceu Martius exsilit astris
Currus, ubi ingentes animæ, clamorque, tubæque
Sanguineæ juvere deum, non segnius ille 85
Occupat arva furens: sequitur vis omnis Achivûm.
Agglomerant latera, et densis thoracibus horrens
Stat manus, ægisono quam nec fera pectore virgo
Dispulerit, nec dextra Jovis, Terrorque Pavorque,
Martis equi; sic contextis umbonibus urgent.
Cæruleo veluti cum Jupiter agmine nubem 91
Constituit, certant Zephyri, frustraque rigentem
Pulsat utrinque Notus: pendent mortalia longo
Corda metu, quibus illa fretis, quibus incidat arvis
Hinc manus infelix clamore impellere magno
Saxa, facesque atras, et tortæ pondera fundæ:
Fert sonitus immota phalanx, irasque retentant,
Congeries dum prima fluat. Stellantia Mopsus
Tegmina, et ingentem Corythi notat Eurytus um-
Restitit ille gradu, seseque a lumine ferri [bram.
Sustinuit præceps, subitum ceu pastor ad amnem
Spumantem nimbis, fluctuque arbusta ruentem.
Et Tydeus, En intentis quem viribus, inquit,
Experiar, manibusque dari quem cominus optem:
Quo steteris, moriere loco. Subit ilia cuspis
Olenii: dedit ille sonum, compressaque mandens
Æquora purpuream singultibus exspuit auram.
Ac velut in medio rupes latet horrida ponto,
Quam super ignari nunquam rexere magistri
Præcipites impune rates; sic agmine cæco 110
Incurrit strictis manus ensibus: occubat Iron,
Et Cotys, et Pyrno melior genitore Bienor.
At magis interea diverso turbida motu
Urbs agitur. Genyso conjux amoverat arma:
Ast illi subitus ventis vivoque reluxit 115
Torre focus; telis gaudes, miserande, repertis.
Linquit et undantes mensas infectaque pernox
Sacra Medon: chlamys imbelli circumvenit ostro
Torta manum, strictoque vias præfulgurat ense.
Talis in arma ruit; nec vina dapesque remotæ,
Statque loco torus, insomnes mansere ministri.
Inde vagi nec tela modis nec casibus isdem
Conseruere manum, et longe jacuere peremti.
Ecce, gravem nodis pinguique bitumine quassans
Lampada, turbata Phlegyas decurrit ab arce, 125
Ille leves de more manus, aciemque Pelasgûm
Per noctem remeasse ratus; pulsumque requirens
Sæpe sibi vano Thamyrum clamore petebat
Arduus, et late fumanti nube coruscus; [phon,
Quantus ubi immenso prospexit ab æthere Ty-
Igne simul ventisque rubens, quem Jupiter alte
Crine tenet, trepidant diro sub lumine puppes.
Tollitur hinc, totusque ruit Tirynthius arcu,
Pectore certa regens adversa spicula flamma
Per piceos accensa globos, et pectus arundo
Per medium contenta fugit: ruit ille comanti 136
Ore facem supra, majorque apparuit ignis.
Ambrosium Peleus, ingentem Ancæus Ethelum
Sternit, et elatæ propius succedere dextræ
Telecoonta sinit, duplicataque ora securi 140
Disjecit cervice tenus; simul aspera victor
Cingula sublustri vibrantia detrahit umbra.
Has, precor, exuvias et prima cadavera, Nestor,
Linquite, ait; ferro potius mihi dextera, ferro
Navet opus: prensumque manu detruncat Ama
Diversasque simul socios invadere turmas [strum
Admonuit. Pergunt rupta testudine fusi,

Qua tenebræ campique ferunt. Gravis invenit Ochum
Phlias, et trepido Pollux impingitur Hebro.
Ipse super vultus, taboque labantia terga, 150
Dux campi Martisque potens, ut cæca profundo
Currit hiems, Zelyn et Broten Abarinque relinquit
Semineces; Glaucum sequitur, Glaucumque ruen-
Occupat, et jugulo vulnus molitur aperto. [tem
Ille manu contra telum tenet, ultima frustra 155
Verba ciens, fixamque videt decrescere cornum.
Hinc Halyn, hinc rigido transcurrens demetit ense
Protin, et insignem cithara cantuque fluenti
Dorcea, qui dulci festis adsistere mensis
Pectine Bistoniæ magnum post ausus alumnum.
Nec pharetram aut acres ultra Tirynthius arcus
Exercet, socia sed disjicit agmina clava. 162
Ac veluti magna juvenum cum densa securi
Sylva labat, cuneisque gemit grave robur adactis,
Jamque abies piceæque ruunt: sic dura sub ictu
Ossa virûm malæque sonant, sparsusque cerebro
Albet ager. Levis ante pedes subsederat Ichnon;
Occupat os barbamque viri, clavamque superne
Intonat: Occumbens i nunc, ait, Herculis armis,
Donum ingens, semperque tuis mirabile fatis. 170
Horruit ille cadens, nomenque agnovit amicum
Primus, et ignaris dirum scelus attulit umbris.
Nec tibi Thessalicos tunc profuit, Ornyte, reges
Hospitiis, aut mente moras fovisse benigna,
Et laribus sacrasse diem: procul advenit Idmon,
Oblatumque ferit, galeam cristasque rubentes,
Heu tua dona, ferens. Quem te, qualemque videbit
Attonitus, Crenæe, parens! en frigidus orbes
Purpureos jam somnus obit; jam candor, et anni
Deficiunt, vitaque fugit decus omne soluta. 180
Desere nunc nemus, et Nympharum durus amores.
At diversa Sagen turbantem fallere nervo [lis
Tum primum puer ausus Hylas, spes maxima bel-
Pulcher Hylas, si fata sinant, si prospera Juno;
Prostravitque virum celeri per pectora telo. 185
Accessere (nefas) tenebris fallacibus acti
Tyndaridæ in sese: Castor prius ibat in ictus
Nescius; ast illos nova lux, subitusque diremit
Frontis apex. Tum Castor Ityn, qua cærulus ambit
Balteus, et gemini committunt ora dracones; [cen
Frater Hagen, Thapsumque, securigerumque Neal-
Transigit, et Canthi pallentem vulnere Cydnum.
Torserat hic totis connisus viribus hastam
Venatori Erymo: brevis hanc sed fata ferentem
Prodidit, et piceo comitem miserata refulsit 195
Luna polo: cessere jubæ, raptumque per auras
Vulnus, et extrema sonuit cita casside cuspis.
Nisæum Telamon, et Opheltem vana sonantem
Per clypei cedentis opus cratemque trilicem,
Qua stomachi secreta, ferit, lætusque profatur:
Di, precor, hunc regem, aut æque delegerit alta
Fors mihi gente satum, magnusque et flebilis urbi
Conciderit Super addit Aren, fratremque Melanthum,
Phoceaque Oleniden, Lelegum qui pulsus ab oris
Regis amicitiam, et famuli propioris honores 205
(Qua patiens non arte?) tulit. Nox alta cadentum
Ingentes densat sonitus, augetque ruinas.
Ut magis Inarime, magis ut mugitor anhelat
Vesbius, attonitas acer cum suscitat urbes: [dunt
Sic pugnæ crudescit opus: neque enim ignea ce-
Astra loco; lentis hæret nox conscia bigis. 211
Perge age Tartareæ mecum simul omnia noctis,
Musa, sequi. Trepidam Phaethon afflavit ab alto
Tisiphonen, graviorque locos jam luce propinqua
Umbra premit: non signa virûm, non funera cernunt, 215
Et rabie magis ora calent. Vos prodite, divæ,
Eumenidum noctisque globos, vatique patescat
Armorum fragor, et trepidi singultibus agri
Labentum, atque acti Minyis per littora manes.
Cyzicus hic aciem vanis discursibus implet,
Fata trahens; jam pulsa sibi cessisse Pelasgûm
Agmina, jam passim vacuos disjecta per agros
Credit ovans: tales aditus, ea gaudia fingit 223
Ira deûm. Fundo veluti cum Cœus in imo,
Vincla Jovis fractoque trahens adamante catenas,
Saturnum Tityonque vocat, spemque ætheris amens
Concipit: ast illum fluviis et nocte remensa
Eumenidum canis, et sparsæ juba repulit hydræ.
Sævit acerba fremens, tardumque a mœnibus agmen 229
Increpitat: Nunquamne dolor virtute subibit
Nil ausas sine rege manus? at barbara buxus
Si vocet, et motis ululantia Dindyma sacris,
Tunc ensis placeatque furor: modo tela sacerdos
Porrigat, et jussa sanguis exuberet ulna.
Talibus insultans jamdudum numine divæ 235
Deficit: infracti languescunt frigore cursus:
Corda pavent: audit fremitus irasque leonum,
Cornuaque, et motas videt inter nubila turres.
Tunc gravis et certo tendens stridore per umbras
Æsonii venit hasta ducis, latumque sub imo 240
Pectore rumpit iter. Quam nunc incognita vellet
Lustra sibi, nullisque datos venatibus annos?
Talia magnanimi diverso turbine fundunt
Tela viri, sonituque pedum, suspectaque motu
Explorant: prensant socios, vocemque reposcunt.
Quod si tanta lues seros durasset in ortus, 246
Exstinctum genus, et solas per mœnia matres
Vidisset, stratamque dies in littore gentem. [to,
Tum pater omnipotens tempus, jam rege perem-
Flectere fata ratus, miserasque abrumpere pugnas,
Supremam celeravit opem, nutuque sereno 251
Intonuit, quem nocte satæ, quem turbidus horret
Armipotens. Tunc porta trucis coit effera belli.
Continuo dant terga metu, versique per agros
Diffugiunt, quæ sola salus: nec terga ruentum
Mens Minyis conversa sequi; stetit anxia virtus.
Ecce levi primos jam spargere lumine portus
Orta dies, notæque (nefas) albescere turres.
Di maris, attonito conclamat ab agmine Tiphys,
Ut mea fatali damnastis pectora somno! 260
Heu socii quantis complerunt littora monstris!
Illi autem neque adhuc gemitus, neque conscia facti
Ora levant: tenet exsangues rigor horridus artus.
Ceu pavet ad crines et tristia Pentheos ora
Thyias, ubi impulsæ jam se deus agmine matris
Abstulit, et cæsi vanescunt cornua tauri. 266
Nec minus effusi grandævum ad littora vulgus,
Ut socias videre manus, dare versa retrorsus
Terga metu: dextram tendens proclamat Iason:
Quos fugitis? vellem hac equidem me strage meosque 270
Procubuisse magis: deus hæc, deus asper utrisque
Implicuit: sumus en Minyæ, sumus hospita turba.
Cur etiam flammas miserosque moramur honores?
Tum super exsangues confertæ cædis acervos
Præcipiti plangore ruunt. Agnoscit in alta 275
Strage virûm sua texta parens, sua munera conjux.
It gemitus toto sinuosa per æquora cœlo.
Pars tenues flatus, et adhuc stridentia prensant
Vulnera, pars sera componunt lumina dextra.
At vero, in mediis exsangui rege reperto 280

Aggeribus, tristi sileant ceu cætera planctu,
Sic famulûm matrumque dolor, sic omnis ad unum
Versa manus: circa lacrymis ac mentibus ægri
Stant Minyæ, deflentque nefas, et cuspidis ictus
Æsoniæ, sortemque ducis solantur acerbam. 285
Ille ubi concretos pingui jam sanguine crines,
Pallentesque genas, infractaque pectore caro
Tela, neque hesternos agnovit in hospite vultus,
Ingemit, atque artus fatur complexus amicos:
Te tamen ignarum tanti, miserande, furoris 290
Nox habet, et nullo testantem fœdera questu:
At mihi luctificum venit jubar. En quibus adsum
Colloquiis? cui me hospitio fortuna revexit?
Exstinguine mea (fatis hoc defuit unum)
Speravi te posse manu? talisve reliqui [bant,
Has ego, amice, domos? quod si jam bella mane-
Et placitum hoc superis, nonne hæc mea justius essent
Funera, meque tuus potius nunc plangeret error?
Nec Clarii nunc antra dei, quercusque Tonantis
Arguerem: talesne acies, talesne triumphos 300
Sorte dabant? tantumne nefas mens conscia vatum
Conticuit, patriæ exitium crudele senectæ
Et tot acerba canens? heu divis visa sinistris
Regna mihi! quinam reditus? quæ me hospita tellus
Accipiet? quæ non primis prohibebit arenis?
Invidere dei, ne, Phasidis arva remoti 306
Et Scythicas populatus opes, hæc rursus adirem
Littora, neve tuos irem tunc ultor in hostes?
Fas tamen est conferre genas, fas jungere tecum
Pectora, et exsangues miscere amplexibus artus.
Vos, age, funereas ad littora volvite sylvas, 311
Et socios lustrate rogos; date debita cæsis
Munera, quæ nostro misisset Cyzicus igni.
Parte alia Clite, laceras super ora mariti
Fusa comas, misera in planctus vocat agmina matrum, 315
Fatur et hæc: Primis, conjux, ereptus in annis
Cuncta trahis; necdum soboles, nec gaudia de te
Ulla mihi, quîs mæsta tuos nunc, optime, casus
Perpeterer, tenui luctum solamine fallens.
Mygdonis arma patrem, funestaque prœlia nuper
Natales rapuere domos, Triviæque potentis 321
Occidit arcana genitrix absumta sagitta: [que
Tu, mihi qui conjux pariter, fraterque, parens-
Solus, et a prima fueras spes una juventa,
Deseris heu, totamque deus simul impuliturbem.
Ast ego non media te saltem, Cyzice, vidi 326
Tendentem mihi morte manus, aut ulla monentis
Verba tuli: quin et thalamis modo questa morari,
Heu talem, tantique metus secura, recepi!
Illam vix gemino mærens cum Castore Pollux 330
Erigit hærentem, compressaque colla trahentem.
Interea innumeras nudatis montibus urgent
Certatim, decorantque pyras, et corpora mæsti
Summa locant: vadit sonipes cervice remissa,
Venatrix nec turba canum pecudumque morantur;
Funereæ quæ cuique manus, quæ cura suorum,
Quæ fortuna fuit. Medio rex aggere longe
Eminet; hunc crebris quatiens singultibus ora
Allevat Æsonides, celsoque reponit in ostro.
Dat pictas auro atque ardentes murice vestes, 340
Quas rapuit telis festina vocantibus Austris
Hypsipyle: galeam dilectaque cingula regi
Injicit: ille, suam vultum conversus ad urbem,
Sceptra manu veterum retinet gestamen avorum.
Nam quia nec proles, alius nec denique sanguis,
Ipse decus regnique refert insigne paterni. 346
Inde, ter armatos Minyis referentibus orbes,
Concussi tremuere rogi: ter inhorruit æther
Luctificum clangente tuba: jecere supremo
Tum clamore faces: rerum labor omnis in auras
Solvitur, et celsis collucent æquora flammis. 351
Scilicet hæc illo juvenem populosque manebant
Tempore, Peliacis caderet cum montibus arbor;
Hoc volucrumque minæ, præsagaque fulmina longo 354
Acta mari tulerant. Sed quis non prima refellat
Monstra deûm, longosque sibi non auguret annos?
Jamque solutus honos cineri: jam passibus ægris
Dilapsæ cum prole nurus, tandemque quiescunt
Dissona pervigili planctu juga: qualiter Arctos
Ad patrias avibus medio jam vere revectis 360
Memphis, et aprici statio silet annua Nili. [curis
At non inde dies, neque jam magis aspera
Nox Minyas tanta cæsorum ab imagine solvit:
Bis Zephyri jam vela vocant; fiducia mæstis
Nulla viris: ægro assidue mens carpitur æstu: 365
Necdum omnes lacrymas, atque omnia reddita cæsis
Justa putant: patria ex oculis, acerque laborum
Pulsus amor, segnique juvat frigescere luctu.
Ipse etiam Æsonides, quanquam tristissima re-
Castiganda duci, vultuque premenda sereno, [rum
Dulcibus indulget lacrymis, aperitque dolorem.
Tum secreta trahens Phœbeum ad littora Mopsum: [vûm?
Quænam, ait, ista lues? aut quæ sententia di-
Decretusne venit fato pavor? an sibi nectunt
Corda moras? cur jam immemores famæque larisque 375
Angimur? aut pariet quemnam hæc ignavia finem?
Dicam, ait, ac penitus causas labemque docebo,
Mopsus, et astra tuens: Non si mortalia membra,
Sortitusque breves, et parvi tempora fati
Perpetimur, socius superi quondam ignis Olympi,
Fas ideo miscere neces, ferroque morantes 381
Exigere hinc animas, rediturque semina cœlo.
Quippe nec in ventos, nec in ultima solvimur ossa:
Ira manet, duratque dolor. Cum deinde tremendi
Ad solium venere Jovis, questuque nefandam 385
Edocuere necem, patet ollis janua leti,
Atque iterum remeare licet: comes una sororum
Additur, et pariter terras atque æquora lustrant
Quisque suos sontes inimicaque pectora pœnis
Implicat, et varia meritos formidine pulsant. 390
At quibus invito maduerunt sanguine dextræ,
Si fors sæva tulit miseros, si proxima culpæ,
Hos variis mens ipsa modis agit, et sua carpunt
Facta viros resides; et jam nihil amplius ausi,
In lacrymas, humilesque metus, ægramque fatiscunt 395
Segnitiem: quos ecce vides. Sed nostra requiret
Cura viam, memori jam pridem cognita vati.
Est procul ad Stygiæ devexa silentia noctis
Cimmeriûm domus, et superis incognita tellus,
Cæruleo tenebrosa situ, quo flammea nunquam
Sol juga, sidereos nec mittit Jupiter annos. 401
Stant tacitæ frondes, immotaque sylva comanti
Horret Averna jugo: specus umbrarumque meatus
Subter, et Oceani præceps fragor, arvaque nigro
Vasta metu, et subitæ post longa silentia voces.
Ensifer hic, atraque sedens in veste, Celæneus 406
Insontes errore luit, culpamque remittens
Carmina turbatos volvit placantia manes.
Ille mihi, quæ danda forent lustramina cæsis,
Prodidit: ille volens Erebum terrasque retexit.
Ergo, ubi puniceas Oriens adscenderit undas, 411

Tu socios adhibere sacris, armentaque magnis
Bina deis: me jam cœtus accedere vestros
Haud fas interea, donec lustralia pernox
Vota fero. Movet en gelidos Latonia currus: 415
Flecte gradum; placitis sileant, age, littora cœptis.
Jamque sopor mediis tellurem presserat horis,
Et circum tacito volitabant somnia mundo;
Cum vigil arcani speculatus tempora sacri
Ampycides petit adversis Æsepia sylvis 420
Flumina, et æquoreas pariter decurrit ad undas.
Hic sale purpureo vivaque nitentia lympha
Membra novat, seque horrificis accommodat ac-
Tempora tum vittis et supplice castus oliva [tis.
Implicat, et stricto designat littora ferro: 425
Circum humiles aras, ignotaque numina divûm
Instituit, sylvaque super contristat opaca:
Utque metum, numenque loco, sacramque quietem
Addidit, ardenti nitidum jubar evocat alto.
Atque Argoa manus variis insignis in armis 430
Ibat, agens lectas aurata fronte bidentes.
Delius hic longe candenti veste sacerdos
Occurrit, ramoque vocat: jamque ipse recenti
Stat tumulo, placida transmittens agmina lauro;
Ducit et ad fluvios, ac vincula solvere monstrat
Prima pedum, glaucasque comis prætexere frondes
Imperat; hinc alte Phœbi surgentis ad orbem
Ferre manus, totisque simul procumbere campis.
Tunc piceæ mactantur oves; prosectaque partim
Pectora fert Mopsus, partim gerit obvius Idmon.
Ter tacitos egere gradus; ter tristia tangens 441
Arma simul vestesque virûm, lustramina ponto
Pone jacit: rapidis adolentur cætera flammis.
Quin etiam truncas nemorum effigiesque virorum
Rite locat quercus, simulataque subligat arma.
Huc Stygias transire minas, iramque severi
Sanguinis, his orat vigiles incumbere curas:
Atque ita lustrifico cantu vocat: Ite peremti,
Ac memores abolete minas: sint otia vobis, 449
Sit Stygiæ jam sedis amor: procul agmine nostro,
Et procul este mari, cunctisque absistite bellis.
Vos ego nec Graias unquam contendere ad urbes,
Nec triviis ululare velim: pecorique satisque
Nullæ adeo pestes, nec luctifer ingruat annus:
Nec populi, nostrive luant ea facta minores. 455
Dixerat, et summas frondentibus intulit aris
Libavitque dapes; placidi quas protinus angues,
Umbrarum famuli, linguis rapuere coruscis.
Continuo puppim petere et considere transtris
Imperat Ampycides, nec visum vertere terræ: 460
Exciderint, quæ gesta manu, quæ debita fatis.
Illi alacres, pars arma locant, pars ardua celsis
Insternunt tabulata foris: oriturque frementum
Remorum sonus, et lætæ concordia vocis. 464
Jupiter urgentem ceu summa Ceraunia nubem
Cum pepulit, movitque jugis, fulsere repente
Et nemora et scopuli, nitidusque reducitur æther:
Sic animi rediere viris: jamque ipse magister
Nutat ab arce ratis remisque obsistere tendit.
Instaurant primi certamina liber amictu 470
Eurytus, et dictis Talai non territus Idas; [lunt.
Inde alii increpitant, atque æquora pectore tol-
Par gemitu pulsuque labor: versumque vicissim
Mittitur in puppim remo mare. Lætus et ipse
Alcides, Quisnam hos vocat in certamina fluctus?
Dixit, et, intortis adsurgens arduus undis, 476
Percussit subito deceptum fragmine pectus,
Atque in terga ruens Talaum, fortemque Eribo-
Et longe tantæ securum Amphiona molis [tem,
Obruit, inque tuo posuit caput, Iphite, transtro.
Jam summas cœli Phœbus candentior arces 481
Vicerat, et longas medius revocaverat umbras.
Tardior hinc cessante viro, quæ proxima, Tiphys,
Littora, quosque dabat densos trabe Mysia montes,
Advehitur. Petit excelsas Tirynthius ornos: 485
Hæret Hylas lateri, passusque moratur iniquos.
Illum ubi Juno poli summo de vertice puppim
Deseruisse videt, tempus rata diva nocendi,
Pallada consortem curis cursusque regentem,
Ne qua inde inceptis fieret mora, fallere prima
Molitur, caroque dolis avertere fratri. 491
Tunc sic alloquitur: Procerum vi pulsus iniqua
Germanique manu (repetis quo crimine) Perses
Barbaricas jam movit opes, Hyrcanaque signa:
Æetes contra thalamis et virgine pacta 495
Conciliat reges Scythicos, primusque coacta
Advehit Albana Styrus gener agmina porta.
Bellum ingens, atque ipse citis Gradivus habenis
Fundit equos. Viden' Arctoo de carcere quanta
Tollat se nubes, atque æquore pendeat atro? 500
Corripe prima vias: finem cum Phasidis alti
Transierit Perses, aciemque admoverit urbi,
Cœpta refer, paullumque nefas et fœdera necte
Consiliis atque arte tua: sponde affore reges
Dis genitos, quîs arma volens, quîs agmina jun-
gat. 505
At virgo, quanquam insidias, æstusque novercæ
Sentiat, et blandos quærentem fingere vultus,
Obsequitur tamen, et jussas petit ocius oras.
Ingemuit Juno, tandemque silentia rumpit:
En labor, en odiis caput insuperabile nostris! 510
Quam Nemeen tot fessa minis, quæ prœlia Lernæ
Experiar? Phrygiis ultro concurrere monstris
Nempe virum, et pulchro reserantem Pergama
ponto [gentis
Vidimus. En ego nunc regum soror! et mihi
Ullus honos? jam tum indecores, justæque dolo-
Primitiæ, a tenero superati protinus angues. [rum
Debueram nullos juveni jam quærere casus
Victa, nec ad tales forsan descendere pugnas:
Verum animis insiste tuis, astumque per omnem
Tende, pudor: mox et Furias Ditemque movebo.
Hæc ait, et pariter lævi juga pinea montis 521
Respicit, ac pulchro venantes agmine Nymphas,
Undarum nemorumque decus: levis omnibus
arcus,
Et manicæ virides, et stricta myrtus habena:
Summo palla genu: tenui vagus innatat unda
Crinis, ad obscuræ decurrens cingula mammæ.
Ipsa citatarum tellus pede plausa sororum 527
Personat, et teneris submittit gramina plantis.
E quibus Herculeo Dryope percussa fragore,
Cum fugerent jam tela feræ, processerat ultra
Turbatum visura nemus; fontemque petebat 531
Rursus, et attonitos referebat ab Hercule vultus.
Hanc delapsa polo, piceæque acclinis opacæ
Juno vocat, prensaque manu sic blanda profatur:
Quem tibi conjugio tot dedignata dicavi, 535
Nympha, procos, en Hæmonia puer appulit alno,
Clarus Hylas, saltusque tuos fontesque pererrat.
Vidisti, roseis hæc per loca Bacchus habenis
Cum domitas acies et Eoi spicula regni
Duceret: ac rursus thiasos et sacra moventem
Hunc tibi, vel posito venantem pectine Phœbum
Crede dari. Quæ spes Nymphis aufertur Achæis
Præreptum quanto proles Bœbeia questu
Audiet, et flavi quam tristis nata Lycormæ!
Sic ait: et celerem frondosa per avia cervum 545
Suscitat, ac juveni sublimem cornibus offert.
Ille animos tardusque fugæ longumque resistens
Sollicitat, suadetque pari contendere cursu.

Credit Hylas, prædæque ferox ardore propinquæ
Insequitur: simul Alcides hortatibus urget 550
Prospiciens: jamque ex oculis aufertur uterque;
Cum puerum instantem quadrupes, fessaque minantem
Tela manu, procul ad nitidi spiracula fontis
Ducit, et intactas levis ipse superfugit undas.
Hoc pueri spes lusa modo est, nec tendere certat
Amplius: utque artus et concita pectora sudor 556
Diluerat, gratos avidus procumbit ad amnes.
Stagna vaga ceu luce micant, ubi Cynthia cœlo
Prospicit, aut medii transit rota candida Phœbi;
Tale jubar diffundit aquis: nil umbra comæque,
Turbavitque sonus surgentis ad oscula Nymphæ.
Illa, avidas injecta manus, heu sera cientem
Auxilia, et magni referentem nomen amici, 563
Detrahit: adjutæ prono nam pondere vires.
Jam pater umbrosis Tirynthius arcibus ornos
Depulerat, magnoque jugi stridore revulsas
Terga super fulvi porrexerat horrida monstri,
Littora curva petens: alio nam calle reversum
Credit Hylan, captaque dapes auxisse ferina. [sas
Sed neque apud socios, structasque in littore men-
Unanimum videt æger Hylan, nec longius acrem
Intendens aciem. Varios hinc excitat æstus
Nube mali percussus amor, quibus hæserit oris,
Quis tales impune moras casusve laborve
Attulerit: densam interea descendere noctem 575
Jam majore metu. Tum vero et pallor et amens
Cum piceo sudore rigor: ceu pectora nautis
Congelat hiberni vultus Jovis agricolisve,
Cum coit umbra minax: comitis sic afficit error
Alciden, sævæque monet meminisse novercæ. 580
Continuo, volucri ceu pectora tactus asilo
Emicuit Calabris taurus per confraga septis,
Obvia quæque ruens, tali se concitat ardens
In juga senta fuga. Pavet omnis conscia late
Sylva, pavent montes, luctu succensus acerbo 585
Quid struat Alcides, tantaque quid apparet ira.
Ille, velut refugi quem contigit improba Mauri
Lancea, sanguineus vasto leo murmure fertur,
Frangit et absentem vacuis sub dentibus hostem;
Sic Furiis accensa gerens Tirynthius ora 590
Fertur, et intento decurrit montibus arcu. [quam
Heu miseræ, quibus ille, feræ, quibus incidit us-
Immeritis per lustra viris! volat ordine nullo,
Cuncta petens; nunc ad ripas dejectaque saxis
Flumina, nunc notas nemorum procurrit ad umbras. 595
Rursus Hylan, et rursus Hylan per longa reclamat
Avia: responsant sylvæ, et vaga certat imago.
At sociis immota fides, Austrisque secundis
Causa moræ non parvus Hylas, quanquam omnibus æque 599
Grata rudimenta; Herculeo sed nomine pendent.
Illum omnes lacrymis, mæstisque reposcere votis;
Incertique metu nunc longas littore voces
Spargere, nunc seris ostendere noctibus ignes.
Ipse, vel excelsi cum densa silentia montis,
Strata vel oblatis ductor videt æquora ventis, 605
Stat lacrymans, magnoque viri cunctatur amore.
Illius incessus, habilemque ad terga pharetram,
Illum inter proceres, mæstæque silentia mensæ
Quærit inops, quondam ingenti comprensa trahentem 609
Vina manu, et duræ referentem monstra novercæ.
Nec minus interea crudelis Iapyga Juno
Assidue movet, et primis cum solibus offert.
Jamque moræ impatiens cunctantes increpat ausus
Tiphys, et oblato monet otia rumpere cursu.
Ergo animum flexus dictis instantis Iason 615
Concedit, sociosque simul sic fatur ad omnes:
O utinam, Scythicis struerem cum funera terris,
Vox mihi mentitas tulerit Parnassia sortes,
Agmine de toto, socius qui maximus armis
Afforet, hunc Jovis imperiis fatoque teneri, 620
Ante procellosum scopulis errantibus æquor.
Necdum fama viri, nec certior exstitit auctor.
Verum agite, et, dubiis variant quia pectora curis,
Consulite, et, motis seu vos via flatibus urget,
Pergite, et inceptos mecum revocate labores; 625
Seu plures tolerare moras, rursusque propinquis
Quæsivisse jugis, pretium haud leve temporis
Dixerat; et studiis jam dudum freta juventus [acti.
Orat inire vias: unum tanto abfore cœtu,
Nec minus in sese generis, dextrasque potentes
Esse ferunt. Tali mentem pars maxima flatu 631
Erigit, et vana gliscunt præcordia lingua.
Saltibus ut mediis tum demum læta reducit
Cerva gregem, tum gestit aper, reboatque superbis
Cominus ursa lupis, cum sese Martia tigris 635
Abstulit, aut curvo tacitus leo condidit antro.
At pius ingenti Telamon jam fluctuat ira
Cum fremitu, sævisque furens in jurgia dictis
Insequitur, magnoque implorat numina questu.
Idem orans prensatque viros, demissaque supplex
Hæret ad ora ducis, nil se super Hercule fari, 641
Sed socio quocunque, gemens: quanquam aspera fama
Jam loca, jamque feras per barbara littora gentes;
Non alium contra Alciden, non pectora tanta
Posse dari. Rursum instimulat, ducitque faventes
Magnanimus Calydone satus, potioribus ille 646
Deteriora fovens, semperque inversa tueri
Durus, et haud ullis unquam superabilis æquis,
Rectorumve memor: Non Herculis, inquit, ademti,
Sed tuus in seros hæc nostra silentia questus 650
Traxit honor, dum jura dares, dum tempora fandi.
Septimus hic celsis descendit montibus Auster,
Jamque ratem Scythicis forsan statuisset in oris:
Nos patriæ immemores, maneant ceu nulla revec-
Gaudia, sed duro sævæ sub rege Mycenæ, [tos
Ad medium cunctamur iter. Si finibus ullis 656
Has tolerare moras et inania tempora possem,
Regna hodie, et dulcem sceptris Calydona tenerem,
Lætus opum pacisque meæ, tutusque manerem,
Quis genitor materque, locis. Quid deside terra
Hæremus? vacuos cur lassant æquora visus?
Tun' comitem Alciden ad Phasidis amplius arva
Affore, tu socias ultra tibi rere pharetras?
Non ea fax odiis, oblitaque numine fesso
Juno sui: nova Tartareo fors semine monstra,
Atque iterum Inachiis jam nuntius urget ab Argis.
Non datur hæc magni proles Jovis; at tibi Pollux
Stirpe pares Castorque manent, at cætera divûm
Progenies: nec parva mihi fiducia gentis. [ferro
Ast egomet, quocunque voces, sequar; agmina
Plura metam; tibi dicta manus, tibi quicquid in ipso [ma, posco.
Sanguine erit; jamque hinc, operum quæ maxi-
Scilicet in solis profugi stetit Herculis armis
Nostra salus? nempe ora æque mortalia cuncti
Ecce gerunt; ibunt æquo nempe ordine remi. 675
Ille, vel insano jamdudum turbidus æstu,
Vel parta jam laude tumens, consortia famæ
Despicit, ac nostris ferri comes annuit actis.
Vos, quibus et virtua, et spes in limine primo,
Tendite, dum rerum patiens calor, et rude membris
Robur inest: nec enim solis dare funera Colchis

Sit satis, et tota pelagus lustrasse juventa.
Spes mihi, quæ tali potuit longissima casu
Esse, fuit: quîscunque virum perquirere sylvis
Egit amor: loca vociferans non ulla reliqui. 685
Nunc quoque, dum vario nutat sententia motu,
Cernere devexis redeuntem montibus opto.
Sat lacrymis comitique datum: quem sortibus ævi
Crede, vel in mediæ raptum tibi sanguine pugnæ.
Talibus Œnides urget, simul incita dictis 690
Heroum manus: ante omnes Argoa jubebat
Vincla rapi Calais: furias miratur ovantum
Æacides; multusque viri cunctantia corda
Fert dolor, an sese comitem tam tristibus actis
Abneget, et celsi mærens petat ardua montis. 695
Non tamen et gemitus et inanes desinit iras
Fundere: Quis terris, pro Jupiter, inquit, Achæis
Iste dies! sævi capient quæ gaudia Colchi!
Non hi tûm flatus, non ista superbia dictis, 699
Littore cum patrio, jam vela petentibus Austris,
Cunctus ad Alciden versus favor; ipse juvaret,
Ipse ducis curas, meritosque subiret honores.
Jamne animis, jam gente pares, atque inclyta vulgi
Dextera? nulla fides, nulli super Hercule fletus?
Nunc Parthaonides, nunc dux mihi Thracia proles?
Aspera nunc pavidos contra ruit agna leones?
Hanc ego, magnanimi spolium Didymaonis, hastam,
Quæ neque jam frondes, virides nec proferet umbras,
Ut semel est evulsa jugis, ac matre peremta
Fida ministeria et duras obit horrida pugnas, 710
Testor, et hoc omni, ductor, tibi numine firmo.
Sæpe metu, sæpe in tenui discrimine rerum
Herculeas jam serus opes, spretique vocabis[bunt.
Arma viri: nec nos tumida hæc tum dicta juvabunt.
Talibus Æacides socios terroribus urgens 715
Illacrymat, multaque comas deformat arena.
Fata trahunt, raptusque virûm certamine ductor
Ibat, et obtenta mulcebat lumina palla.
Hic vero ingenti repetuntur pectora luctu,
Ut socii sedere locis, nullæque leonis 720
Exuviæ, tantique vacant vestigia transtri.
Flet pius Æacides: mærent Pæantia corda:
Ingemit et dulci frater cum Castore Pollux
Omnis adhuc vocat Alciden fugiente carina,
Omnis Hylan, medio pereuntia nomina ponto. 725
Dat procul interea toto pater æquore signum
Phorcys, et immanes intorto murice phocas
Contrahit antra petens: simul et Massylus, et una
Lyctius, et Calabris redit armentarius arvis.
Ilicet extremi nox littore solis Iberas 730
Condidit alta domos, et sidera sustulit astris.
Flamina conticuere, jacet sine fluctibus æquor.
Amphitryoniades, nec quæ nova lustra requirat,
Nec quo tendat iter, comitis nec fata peremti
Quæ referat, videt, aut socios qua mente revisat.
Urit amor, solisque negat decedere sylvis. 736
Non aliter gemitu quondam lea prolis ademtæ
Terga dedit; sedet inde viis, inclusaque longo
Pervigilant castella metu: dolor attrahit orbes
Interea, et misero manat juba sordida luctu. 740

LIBER QUARTUS.

Atque ea non oculis divûm pater amplius æquis
Sustinuit; natique pios miseratus amores,
Junonem ardenti trepidam gravis increpat ira:
Ut nova nunc tacito se pectore gaudia tollunt!
Hæret inops, solisque furit Tirynthius oris. 5
At comite immemores Minyæ facilesque relicto
Alta tenent. Sic Juno ducem fovet anxia curis
Æsonium, sic arma viro sociosque ministrat. [tem
Jam quibus incertam bellis, Scythicæque paven-
Gentis opes, quanta trepidam formidine cernam!
Tum precibus, tum me lacrymis, et supplice dextra
Attentare veto: rerum mihi firma potestas.
I, Furias Veneremque move: dabit impia pœnas
Virgo, nec Æetæ gemitus patiemur inultos.
Dixit, et arcano redolentem nectare rorem, 15
Quem penes alta quies liquidique potentia somni,
Detulit, inque vagi libavit tempora nati.
Ille, graves oculos et Hylan resonantia semper
Ora ferens, ut nulla deum superare potestas,
Procumbit: tandem fessis pax reddita sylvis, 20
Fluminaque, et vacuis auditæ montibus auræ.
Ecce puer summa se tollere visus ab unda
Frondibus in croceis, et iniquæ munere Nymphæ,
Stansque super carum tales caput edere voces:
Quid, pater, in vanos absumis tempora questus?
Hoc nemus, hæc fatis mihi jam domus improba, quo me 26
Nympha rapit sævæ monitu Junonis: inanes
Nunc Jovis accessus, et jam mihi limina cœli
Conciliat, jungitque preces et fontis honores.
O dolor! o dulces, quas gessimus ante, pharetræ.
Jam socii lætis rapuerunt vincula ventis, 31
Hortator postquam furiis et voce nefanda
Impulit Œnides: verum cum gente domoque
Ista luet, sævæque aderunt tua numina matri.
Surge age, et in duris haud unquam defice; cœlo
Mox aderis, teque astra ferent: tu semper amoris
Sis memor, et cari comitis ne abscedat imago.
Talibus orantem dictis, visuque fruentem,
Ille ultro petit, et vacuis amplexibus instat,
Languentisque movet frustra conamina dextræ. 40
Corpus hebet somno, refugaque eluditur umbra.
Tum lacrymis, tum voce sequi, tum rumpere questus;
Cum sopor, et vano spes mæsta resolvitur actu.
Fluctus ab undisoni ceu forte crepidine saxi[que.
Cum rapit Halcyones miseræ fetumque larem-
It super ægra parens, queriturque, tumentibus undis, [que,
Certa sequi quocunque ferant, audetque, pavet-
Icta fatiscit aquis donec domus, haustaque fluctu
Illa dolens vocem dedit, et se sustulit alis. [est:
Haud aliter somni mæstus labor. Exsilit amens,
Effusisque genas lacrymis rigat: Ibimus, inquit,
Solus et hos montes desertaque lustra tenebis,
Care puer? nec res ultra mirabere nostras?
Hæc fatus relegitque vias, et vallibus exit,
Incertus quid Juno ferat, quas apparet iras. 55
Nec minus et socios cernit procul æquore ferri
Præcipites, tacitumque pudet potuisse relinqui

Jamque iter ad Teucros atque hospita mœnia
Flexerat, Iliaci repetens promissa tyranni; [Trojæ
Cum mæsto Latona simul Dianaque vultu 60
Ante Jovem stetit, et supplex sic fatur Apollo:
In quem alium Alciden, in quæ jam tempora differs [rum
Caucasium, rex magne, senem? nullumne malo-
Finem adeo pœnæque dabis? te cuncta precantur
Gens hominum, atque ipsi jam te, pater optime, montes, 65
Fessaque cum sylvis orant juga. Sat tibi furtum
Ignis, et ætheriæ defensa silentia mensæ.
Exit ubi e scopulis, media inter pabula diri
Vulturis, ipsum etiam gemitu mæstaque fatigat
Voce Jovem, sævis relevans ambusta pruinis 70
Lumina: congeminant amnes, rupesque fragorem
Caucasiæ: stupet ipse dei clamoribus ales.
Tunc etiam superas Acheronte auditur ad arces
Iapetus gravis; orantem procul arcet Erinnys,
Respiciens celsi legem Jovis. Ille, dearum 75
Fletibus et magno Phœbi commotus honore,
Velocem roseis demittit nubibus Irin:
I, Phrygas Alcides et Trojæ differat arma;
Nunc, ait, eripiat diræ Titana volucri.
Diva volat, defertque viro celeranda parentis 80
Imperia, atque alacrem lætis hortatibus implet.
Jam Minyæ mediis claræ per sidera noctis
Fluctibus intulerant placido cava lintea cursu,
Multaque deserto memores superHercule volvunt.
Thracius at summa sociis e puppe sacerdos, 85
Fata deûm, et miseræ solans incommoda vitæ,
Securum numeris agit et medicabile carmen:
Quo simul adsumta pulsus fide luctus, et iræ,
Et labor, et dulces cedunt e pectore nati.
Interea, magni jam jam subeuntibus astris 90
Oceani genitale caput, Titania frenis
Antra sonant: Sol auricomus, cingentibus Horis,
Multifidum jubar et bisseno sidere textam
Loricam induitur; ligat hanc, qui nubila contra
Balteus undantem variat mortalibus arcum. 95
Inde super terras et Eoi cornua montis
Emicuit, traxitque diem candentibus undis:
Et Minyas viso liquerunt flamina Phœbo.
Proxima Bebrycii panduntur littora regni,
Pingue solum, et duris regio non invida tauris.
Rex Amycus: regis fatis et numine freti 101
Non muris cinxere domos, non fœdera legum
Ulla colunt, placidas aut jura tenentia mentes.
Quales Ætnæis rabidi Cyclopes in antris
Nocte sub hiberna servant freta, sicubi sævis 105
Advectet ratis acta Notis tibi pabula dira [omnes
Et miseras, Polypheme, dapes: sic undique in
Prospiciunt cursantque vias, qui corpora regi
Capta trahant: ea Neptuno trux ipse parenti
Sacrifici pro rupe jugi, media æquora supra, 110
Torquet agens; sin forma viris præstantior adsit,
Tum legere arma jubet, sumtisque occurrere contra
Cæstibus: hæc miseri sors est æquissima leti.
Huc ubi devectam Neptunus gurgite puppim
Sensit, et extremum nati prospexit in oras, 115
Et quondam lætos domini certamine campos,
Ingemit, ac tales evolvit pectore questus:
Infelix, imas quondam mihi rapta sub undas,
Nec potius magno Melie, tum mixta Tonanti!
Usque adeone meam, quacunque ab origine, prolem
Tristia fata manent? sic te olim pergere sensi,
Jupiter, injustæ quando mihi virginis armis
Concidit infelix, et nunc Chaos implet, Orion.
Nec tibi nunc virtus, aut det fiducia nostri, 124
Nate, animos, opibusque ultra ne crede paternis.
Jam jam aliæ vires, majoraque sanguine nostro
Vincunt fata Jovis, potior cui cura suorum est.
Atque adeo neque ego hanc motis avertere ventis
Tentavi, tenuive ratem, nec jam mora morti 129
Hinc erit ulla tuæ: reges preme, dure, secundos.
Abstulit inde oculos, natumque et tristia linquens
Prœlia, sanguineo terras pater alluit æstu.
Principio fluvios, gentemque, et littora ductor
Explorare jubet: paullumque egressus Echion
Invenit obscura gemitus in valle trahentem 135
Clam juvenem, et cæsi mærentem nomen amici.
Ille, virum ut contra venientem, umbrataque vidit
Tempora Parrhasio patris de more galero,
Paciferæque manu nequicquam insignia virgæ,
Heu fuge, ait, certo, quicunque es, perdite, passu,
Dum datur. Obstupuit visu Nonacria proles, 141
Quid ferat admirans. Postquam remeare monen-
Ocius, et dictis perstantem cernit in isdem, [tem
Abripit, et sociis, quæ sint ea, promere cogit.
Ille manum tendens, Non hæc, ait, hospita vobis
Terra, viri; non hic ullos reverentia ritus 146
Pectora: mors habitat, sævæque hoc littore pugnæ.
Jam veniet diros Amycus qui tollere cæstus
Imperet, et vasto qui vertice nubila pulset.
Talis in advectos Neptuni credita proles 150
Æternum furit, atque æquæ virtutis egentes,
Ceu superûm segnes ad iniqua altaria tauros,
Constituit, tandem ut misero lavet arma cerebro.
Consulite, atque fugæ medium ne temnite tempus.
Namque isti frustra quisnam concurrere monstro
Audeat? aut quænam talem vidisse voluptas? 156
Ductor ad hæc: Bebryxne venis, diversaque regi
Corda gerens? (melior vulgi nam sæpe voluntas:)
Hostis an externis fato delatus ab oris?
Et tua cur Amycus cæstu nondum obruit ora? 160
Nomen, ait, prædulce mihi, numenque secutus
Otreos unanimi, decus ille: et læta suorum
Gloria, nec vestros comes adspernandus in actus,
Hesionam et Phrygiæ peteret cum gaudia nuptæ,
Hic Amycum contra jussus stetit, atque ego palmas
Implicui: sed prima procul vixdum ora levantis
Fulminea frontem dextra, disjectaque fudit
Lumina, me nunquam leto dignatus et armis:
Sed lacrymis potius luctuque absumor inerti.
Spes tamen, his fando si nuntius exiit oris, 170
Et Mariandynûm patrias penetravit ad urbes,
Unde genus fraterque viro: sed et ille quierit
Oro, nec a vanis cladem Lycus augeat armis.
Hæc ubi non ulla juvenes formidine moti
Accipiunt, dolor et duras insurgere mentes, 175
Terga sequi, properosque jubet conjungere gres-
Littore in extremo spelunca apparuit ingens, [sus
Arboribus super et dorso contecta minanti, [nem,
Non quæ dona deûm, non quæ trahat ætheris ig-
Infelix domus, et sonitu tremebunda profundi. 180
At varii pro rupe metus: hinc trunca rotatis
Brachia rapta viris, strictoque immortua cæstu,
Ossaque tetra situ, et capitum mæstissimus ordo
Respicias, quibus adverso sub vulnere nulla
Jam facies, nec nomen erat. Media ipsius arma
Sacra metu, magnique aris imposta parentis.
Hospitis hic primum monitus rediere Dymantis,
Et pavor, et monstri subiit absentis imago,
Atque oculos cuncti inter se tenuere silentes;
Donec sidereo Pollux interritus ore: 190
Te tamen hac, quicunque es, ait, formidine faxo
Jam tua sylva ferat, modo sint tibi sanguis et artus
Omnibus idem animus forti decernere pugna,
Exoptantque virum, contraque occurrere poscunt.
Qualiter ignotis spumantem fundit amnem 195

Taurus aquis qui primus init, spernitque tumentem,
Pandit iter: mox omne pecus formidine pulsa
Pone subit, jamque et mediis præcedit ab undis.
At procul e sylvis sese gregibusque ferebat
Sævus in antra gigas, quem nec sua turba tuendo
It tanti secura metus: mortalia nusquam 201
Signa manent: instar scopuli, qui montibus altis
Summus abit, longeque jugo stat solus ab omni.
Devolat inde furens, nec, quo via, curve profecti,
Nec genus ante rogat, sed tali protonat ira: 205
Incipite, o juvenes; etenim fiducia, credo,
Huc tulit, auditas et sponte lacessitis oras.
Sin errore viæ, necdum mens gnara locorum,
Hic mihi lex, cæstus adversaque tollere contra
Brachia: sic ingens Asiæ plaga, quique per Arcton
Dexter et in lævum Pontus jacet, hæc mea visat
Hospitia: hoc cuncti remeent certamine reges.
Neptuni domus, atque egomet Neptunia proles.
Jam pridem cæstus resides, et frigida raris
Dentibus aret humus. Qui mecum fœdera junget
Prima manu? cui dona fero? mox omnibus idem
Ibit honos: fuga sub terras, fuga nulla per auras.
Nec lacrymæ, nec forte preces, superive vocati
Pectora nostra movent: aliis rex Jupiter oris.
Faxo, Bebrycium nequeat transcendere puppis 220
Ulla fretum, et ponto volitet Symplegas inani.
Talia dicta dabat; cum protinus asper Iason,
Et simul Æacidæ, simul et Calydonis alumni,
Nelidesque, Idasque prior, quæ maxima, surgunt,
Nomina: sed nudo steterat jam pectore Pollux;
Cum pavor, et gelidus defixit Castora sanguis.
Nam nec ad Elei pugnam videt ora parentis,
Nec sonat Œbalius caveæ favor, aut juga nota
Taygeti, lavitur patrios ubi victor ad amnes,
Nec pretium sonipes, aut sacræ taurus arenæ;
Præmia sed manes, reclusaque janua leti. 231
Illum Amycus, nec fronte trucem, nec mole tremendum,
Vixdum etiam primæ spargentem signa juventæ,
Ore renidenti lustrans obit, et fremit ausum,
Sanguineosque rotat furiis ardentibus orbes. 235
Non aliter jam regna poli, jam capta Typhoeus
Astra ferens, Bacchum ante acies, primamque deorum
Pallada, et oppositos doluit sibi virginis angues.
Sic adeo insequitur, rabidoque ita murmure terret:
Quisquis es, infelix celera puer; haud tibi pulchræ
Manserit hoc ultra frontis decus, orave matri
Nota feres. Tune e sociis electus iniquis?
Tune Amyci moriere manu? Nec plura moratus,
Ingentes humeros spatiosaque pectoris ossa
Protulit, horrendosque toris informibus artus. 245
Deficiunt visu Minyæ: miratur et ipse
Tyndarides: redit Alcidæ jam sera cupido,
Et vacuos mæsto lustrarunt lumine montes.
At satus æquoreo fatur tunc talia rege:
Adspice et hæc crudis durata volumina tauris, 250
Nec pete sortis opem, sed, quos potes, indue cæstus.
Dixit, et urgentis post sera piacula fati
Nescius, extremum hoc, armis innectere palmas
Dat famulis; dat et inde Lacon: odia aspera surgunt
Ignotis prius, atque incensa mente feruntur
In medium sanguis Jovis et Neptunia proles.
Hinc illinc dubiis intenta silentia votis.
Et pater orantes cæsorum Tartarus umbras
Nube cava tandem ad meritæ spectacula pugnæ
Emittit: summi nigrescunt culmina montis. 260
Continuo Bebryx, Maleæ velut arce fragosa
Turbo rapax, vix ora virum, vix tollere passus
Brachia, torrenti præceps agit undique nimbo,
Cursibus involvens, totaque immanis arena
Insequitur. Vigil ille metu, cum pectore et armis
Huc alternus et huc, semper cervice reducta, 266
Semper et in digitis, et summi pulvere campi,
Projectusque redit: spumanti qualis in alto
Pliade capta ratis, trepidi quam sola magistri
Cura tenet, rapidum ventis certantibus æquor 270
Intemerata secat: Pollux sic providus ictus
Servat, et Œbalia dubium caput eripit arte.
Ut deinde urgentes effudit nubibus iras
Ardoremque viri, paullatim insurgere fesso
Integer, et summos manibus deducere cæstus.
Ille dies ægros Amyci sudoribus artus 276
Primus, et arenti cunctantem vidit hiatu.
Nec sua defessum noscunt loca, nec sua regem
Agmina. Respirant ambo, paullumque reponunt
Brachia, ceu Lapithas aut Pæonas æquore in ipso
Dum refovet, fixaque silet Gradivus in hasta.
Vix steterant, et jam ecce ruunt, inflictaque late
Terga sonant: nova vis iterum, nova corpora surgunt.
Hunc pudor, hunc noto jam spes audentior hoste
Instimulat: fumant crebro præcordia pulsu. 285
Avia responsant gemitu juga: pervigil ut cum
Artificum notat ipse manus, et fulmina Cyclops
Prosubigit, pulsis strepitant incudibus urbes.
Emicat hic, dextramque parat, dextramque minatur
Tyndarides: redit huc oculis et pondere Bebryx,
Sic ratus; ille autem celeri rapit ora sinistra. 291
Conclamant socii, et subitas dant gaudia voces.
Illum insperata turbatum fraude, furentemque
Œbalides prima refugit, dum detonet, ira,
Territus ipse etiam, atque ingentis conscius ausi.
Sævit inops Amycus, nullo discrimine sese 296
Præcipitans, avidusque viri (respectat ovantes
Quippe procul Minyas) cæstu velatus utroque
Irruit: hos inter Pollux subit, et trucis ultro
Advolat ora viri: nec spes effeta, sed ambæ 300
In pectus cecidere manus. Hoc sævior ille
Ecce iterum vacuas agit inconsulta per auras
Brachia: sentit enim Pollux rationis egentem
Dat genibus junctis latus, effusumque secutus
Haud revocare gradus patitur; turbatque, premitque
Ancipitem, crebros et liber congerit ictus
Desuper averso: sonat omni vulnere vertex
Inclinis, ceditque malis: jam tempora manant,
Sanguineæque latent aures; vitalia donec
Vincula, qua primo cervix committitur artu, 310
Solvit dextra gravis. Labentem propulit heros,
Ac super insistens: Pollux ego missus Amyclis,
Et Jove natus, ait; nomen mirantibus umbris
Hoc referes, sic et memori noscere sepulcro. 314
Bebrycas extemplo spargit fuga: nullus ademti
Regis amor: montem celeres sylvamque capessunt.
Hæc sors, hæc Amycum tandem manus arguit ausi,
Effera servantem Ponti loca, vimque juventæ
Continuam, et magni sperantem tempora patris.
Tenditur ille ingens hominum pavor, arvaque late
Occupat, annosi veluti si decidat olim 321
Pars Erycis, vel totus Athos: qua mole jacentis
Ipse etiam expleri victor nequit, oraque longo
Cominus obtutu mirans tenet: at manus omnis
Heroum densis certatim amplexibus urgent, 325
Armaque ferre juvat, fessasque attollere palmas.
Salve, vera Jovis, vera o Jovis, undique, proles,
Ingeminant: o magnanimis memoranda palæstris
Taygeta, et primi felix labor ille magistri!
Dumque ea dicta ferunt, tenues tamen ire cruores

Siderea de fronte vident: nec sanguine Pollux 331
Territus, averso siccabat vulnera cæstu.
Illius excelsum ramis caput, armaque Castor
Implicat, et viridi connectit tempora lauro;
Respiciensque ratem, Patriis, ait, has precor oris,
Diva, refer frondes, cumque hac freta curre corona.
Dixerat: hinc valida cædunt armenta bipenni,
Perfusique sacro placati gurgitis amne
Graminea sternuntur humo; tunc liba dapesque
Frondibus accumulant: exsortia terga Laconi 340
Præcipiunt pecudum: toto mox tempore mensæ
Lætus ovat nunc laude virûm, nunc vatis honoro
Carmine, victori geminans cratera parenti. [sunt
Jamque dies auræque vocant, rursusque capes-
Æquora, qua rigidos eructat Bosporos amnes. 345
Illos, Nile, tuis nondum dea gentibus Io
Transierat fluctus, unde hæc data nomina ponto.
Tum pius Œagri claro de sanguine vates,
Admonita genitrice, refert casusque locorum,
Inachidosque vias, pelagusque emensa juvencæ
Exsilia, intentisque canit: Videre priores 351
Sæpe Jovem terras Argivaque regna Pelasgûm
Virginis Iasiæ blandos descendere ad ignes.
Sensit Juno dolos, curaque accensa jugali
Æthere desiluit: dominam Lyrceia tellus 355
Antraque deprensæ tremuerunt conscia culpæ.
Cum trepida Inachiæ pellex subit ora juvencæ,
Sponte dei: plausu fovet hanc, et pectora mulcet
Juno, renidenti cohibens suspiria vultu. [Argis
Mox ita adorta Jovem: Da, quam modo ditibus
Campus alit, primæ referentem cornua Phœbes
Indomitamque bovem, da caræ munera nuptæ.
Ipsa ego dilectæ pecudi jam pascua digna,
Præcipuosque legam fontes. Qua fraude negaret,
Aut quos inventus timuisset Jupiter astus? 365
Muneris illa potens custodem protinus Argum
Adjungit; custos Argus placet, inscia somni
Lumina non aliter lucent cui vertice, quam si
Lyda nurus sparso telas maculaverit ostro.
Argus et in scopulos, et monstris horrida lustra,
Ignotas jubet ire vias, heu multa morantem, 371
Conantemque preces inclusaque pectore verba.
Ultima tum patriæ cedens dedit oscula ripæ.
Flevit Amymone, flerunt Messeides undæ,
Flevit et effusis revocans Hyperia lacertis. 375
Illa, ubi vel fessi tremerent erroribus artus,
Vel rueret summo jam frigidus æthere vesper,
Heu quoties saxo posuit latus! aut ubi longa
Ægra siti, quos ore lacus, quæ pabula carpsit!
Verbere candentes quoties exhorruit armos! 380
Quin et ab excelso meditantem vertice saltus,
Ardentemque mori, valles citus egit in imas
Argus, et arbitrio durus servavit herili.
Cum subito Arcadio sonuit cava fistula ritu,
Imperiumque patris celerans Cyllenius ales 385
Advenit, et leni modulatur carmen avena: [tus.
Quoque, ait, hinc diversus abis? heu respice can-
Haud procul insectans Argum, languentia somno
Lumina cuncta notat, dulcesque sequentia somnos,
Et celerem mediis in cantibus exigit harpen. 390
Jamque refecta Jovi paullatim in imagine
Ibat agris Io victrix Junonis; et ecce [prisca
Cum facibus, spirisque, et Tartareo ululatu
Tisiphonen videt, ac primo vestigia visu
Figit, et in miseræ rursus bovis ora recurrit, 395
Nec qua valle memor, nec quo se vertice sistat.
Inachias errore etiam defertur ad undas,
Qualis, et a prima quantum mutata juvenca!
Nec pater, aut trepidæ tentant accedere Nymphæ.
Ergo iterum sylvas, iterum petit invia retro, 400
Ceu Styga, dilectum fugiens caput; inde per urbe
Raptatur Graias, atque ardua flumina ripis;
Oblato donec paullum cunctata profundo
Incidit: absistunt fluctus, et gnara futuri [get
Dant pavidæ alta viam; celsis procul ipsa reful-
Cornibus, ac summa palearia sustinet unda.
Ast Erebi virgo ditem volat æthere Memphim
Præcipere, et Pharia venientem pellere terra.
Contra Nilus adest, et toto gurgite torrens
Tisiphonen agit, atque imis illidit arenis, 410
Ditis opem ac sævi clamantem numina regni.
Apparent sparsæque faces, disjectaque longe
Verbera, et abruptis excussi crinibus hydri.
Nec Jovis interea cessat manus: intonat alto
Insurgens cœlo genitor, curamque fatetur, 415
Atque ipsa imperium Juno pavet. Hæc procul Io
Spectat ab arce poli, jam divis addita, jamque
Aspide cincta comas, et ovanti persona sistro.
Bosporon hinc veteres errantis nomine divæ
Vulgavere. Juvet nostros nunc ipsa labores, 420
Immissisque ratem sua per freta provehat Euris.
Dixerat, et placidi tendebant carbasa venti.
Postera non cassæ Minyis Aurora retexit [juxta
Noctis iter: nova cuncta vident, Thynæaque
Littora, fatidici pœnis horrentia Phinei. 425
Dira deûm summoque lues urgebat in ævo.
Quippe neque extorrem tantum, nec lucis egentem,
Insuper Harpyiæ Typhonides, ira Tonantis,
Depopulant, ipsoque dapes prædantur ab ore.
Talia prodigia, et tales pro crimine pœnas 430
Perpetitur: spes una seni, quod pellere sævam
Quondam fata luem dederant Aquilone creatis.
Ergo ubi jam Minyas, certamque accedere Phineus
Sentit opem, primas baculo defertur ad undas,
Vestigatque ratem, atque oculos attollit inanes.
Tunc tenuem spirans animam: Salve, o mihi longum 436
Exspectata manus, nostrisque, ait, agnita votis.
Novimus et divis geniti quibus, et via jussos
Qua ferat, ac vestri (rebar sic) tempora cursus,
Proxima quæque legens; quantum Vulcania Lem nos 440
Traxerit, infelix tulerit quæ Cyzicus arma.
Sensi et Bebrycio supremam in littore pugnam
Jam propior, jamque hoc animam solamine mulcens. [neus,
Non ego nunc, magno quod cretus Agenore Phi-
Aut memorem, mea quod vates insedit Apollo 445
Pectora; præsentis potius miserescite fati.
Nec mihi diversis erratum casibus orbem,
Amissas aut flere domos, aut dulcia tempus
Lumina: consuetis serum est ex ordine fatis
Ingemere. Harpyiæ semper mea pabula servant,
Fallere quas nusquam misero locus: licet omnes
Deveniunt, niger intorto ceu turbine nimbus,
(Jamque alis procul et sonitu mihi nota Celæno:)
Diripiunt verruntque dapes, prædataque turbant
Pocula: sævit odor, surgitque miserrima pugna.
Parque mihi monstrisque fames. Sprevere quod omnes [atris,
Polluerunt que manus, quodque unguibus excidit
Has mihi fert in luce moras: nec rumpere fata
Morte licet: trahitur victu crudelis egestas.
Sed vos o servate precor, prædicta deorum 460
Si non falsa mihi, vos finem imponite pœnis.
Nempe adsunt, qui monstra fugent, Aquiloni proles,
Non externa mihi: nam rex ego divitis Hebri,
Junctaque vestra meo quondam Cleopatra cubili
Nomen ad Actææ Calais Zetesque sororis 465

Prosiliunt, Zetesque prior: Quem cernimus, inquit,
Tune ille Odrysiæ Phineus rex inclytus oræ?
Tu Phœbi comes, et nostro dilecte parenti?
O ubi nunc regni, generisque ubi gloria? quam te
Exedit labor, et miseris festina senectus! 470
Quin age, mitte preces: namque est tibi nostra voluntas,
Si non ira deûm, vel si placabilis urget.
Sustulit hic geminas Phineus ad sidera palmas;
Teque, ait, injusti, quæ nunc premis, ira Tonantis,
Ante precor, nostræ tandem jam parce senectæ;
Sit modus: et fore credo equidem: nam vestra voluntas [pam
Quo, juvenes, sine pace deûm? nec credite cul-
Sævitiæ, scelerumve mihi nunc crimina pendi.
Fata loquax, mentemque Jovis, quæque abdita
Consilia, et terris subito ventura parabat, [solus
Prodideram, miserans hominum genus: hinc mihi
Pestis, et offusæ media inter dicta tenebræ. [tanta
Jam tandem cessere iræ: nec casus, ab alto
Ipse volens nostris sed vos deus appulit oris.
Sic ait, et, fatis ita jam cedentibus, omnes 485
Impulit, et duræ commovit imagine pœnæ.
Instituere toros, mediisque tapetibus ipsum [vant,
Accipiunt, circumque jacent: simul æquora ser-
Astra simul: vescique jubent, ac mittere curas.
Cum subitus misero tremor, et pallentia primæ
Ora senis fugere manus: nec prodita pestis 491
Ante, sed in mediis dapibus videre volucres.
Fragrat acerbus odor, patriique exspirat Averni
Halitus: unum omnes incessere planctibus, unum
Infestare manus: inhiat Cocytia nubes 495
Luxurians, ipsoque ferens fastidia visu.
Tum sola colluvie, atque illisis stramina mensis
Fœda rigant: stridunt alæ, prædaque retenta [no
Sævit utrinque fames: nec solum horrenda Celæ-
Phinea, sed miseras etiam prohibere sorores. 500
Emicat hic subito, seseque Aquilonia proles
Cum clamore levat: genitor simul impulit alas.
Hoste novo turbata lues, lapsæque ruinæ
Faucibus; et primum pavidæ Phineia tecta
Pervolitant, mox alta petunt: stant littore fixi 505
Hæmonidæ, atque oculis palantia monstra sequun-
Sic ubi prorupti tonuit cum forte Vesevi [tur.
Hesperiæ letalis apex, vixdum ignea montem
Torsit hiems, jamque Eoas cinis induit urbes.
Turbine sic rapido populos atque æquora longe
Transabeunt, nullaque datur considere terra.
Jamque et ad Ionii metas, atque intima tendunt
Saxa; vocat magni Strophadas nunc incola Ponti.
Hic fessæ, letique metu propioris anhelæ [latu
Dum trepidant, humilique graves timidoque vo-
Implorant clamore patrem Typhona nefando, 516
Extulit adsurgens noctem pater, imaque summis
Miscuit, et mediis vox exaudita tenebris:
Jam satis huc pepulisse deas: cur tenditis ultra
In famulas sævire Jovis? quas, fulmina quanquam 520
Ægidaque ille gerens, magnas sibi legit in iras.
Nunc quoque Agenoreis idem decedere tectis
Imperat: agnoscunt monitus, jussæque recedunt.
Mox tamen et vobis similis fuga, cum premet arcus
Letifer. Harpyiæ nunquam nova pabula quærent,
Donec erunt divûm meritæ mortalibus iræ. 526
Hæsit uterque polo, dubiisque elanguit alis;
Mox abit, et sociæ victor petit agmina puppis.
Interea Minyæ pulsa lue prima Tonanti
Sacra novant: tum vina toris epulasque reponunt.
Ipse inter medios, ceu dulcis imagine somni 531
Lætus, ad oblitæ Cereris suspirat honores;
Agnoscit Bacchi latices, agnoscit et undam,
Et nova non pavidæ miratur gaudia mensæ.
Hunc ubi reclinem stratis, et pace fruentem 535
Adspicit, ac longæ ducentem oblivia pœnæ,
Talibus appellat, supplexque ita fatur Iason:
Vota, senex, perfecta tibi; nunc me quoque curis
Eripe, et ad nostros animum converte labores.
Omnis adhuc sors læta quidem, nec numine vano
(Si qua fides curæ superûm) tantum æquor adorti
Tendimus: ipsa mihi puppim Jovis optima proles
Instituit, sociosque dedit Saturnia reges.
Fidere mens sed cæca nequit, quantumque propinquat [angunt
Phasis, et ille operum summus labor, hoc magis
Proxima, nec vates sat jam mihi Mopsus et Idmon.
Ille ducem nec ferre preces, nec dicere passus
Amplius, hic demum vittas laurumque capessit,
Numina nota ciens. Stupet Æsonis inclyta proles
Phinea, ceu nunquam pœnis, nullaque gravatum
Peste Jovis; tam largus honos, tam mira senectæ
Majestas infusa: vigor novus auxerat artus.
Tum canit: O terras fama venture per omnes,
Quem sociis ducibusque deis, atque arte benigna
Pallados ipse ultro Pelias ad sidera tollit, 555
Demens, dum profugi non sperat vellera Phrixi:
Fata locosque tibi (possum quas reddere grates)
Expediam, rerumque vias finemque docebo.
Ipse etiam, qui me prohibet sua pandere terris
Sæcula, te propter fandi mihi Jupiter auctor. 560
Hinc iter ad Ponti caput, errantesque per altum
Cyaneas: furor his medio concurrere ponto:
Necdum ullas videre rates: sua cominus actæ
Saxa premunt, cautesque suas; cum vincula mundi
Ima labant, tremere ecce solum, tremere ipsa repente 565
Tecta vides; illæ redeunt, illæ æquore certant.
Di tibi progresso propius, di forsitan ipsi
Auxilium mentemque dabunt: ast ipse juvare
Ausa quibus monitis possim tua? quippe per altum
Tenditis, unde procul venti, procul unde volucres
Et pater ipse maris pavidas detorquet habenas.
Si qua brevis scopulis fuerit mora, si semel orsis
Ulla quies, fuga tunc medio properanda recursu.
Vix repetunt primæ celeres confinia terræ,
Jamque alio clamore ruunt, omnisque tenetur 575
Pontus, et infestis anceps cum montibus errat.
Verum animo redit illa meo sors cognita divûm,
(Fabor enim, nec spe dubios solabor inani.)
Cum mihi Tartareas sævo clangore volucres
Protulit ira Jovis, vox hæc simul accidit aures:
Ne vanas impende preces, finemque malorum
Expete, Agenoride: pontum penetraverit ulla
Cum ratis, et rapidi steterint in gurgite montes,
Tunc sperare modum pœnæ veniamque licebit.
Sic deus: aut vobis ergo fera saxa patescunt, 585
Aut mea jam sævæ redeunt ad pabula Diræ.
Verum inter medias dabitur sic currere cautes,
(Certe digna manus,) vacuumque exibis in æquor.
Proxima regna Lyci, remeat qui victor ab oris
Bebryciis: toto non ullus littore Ponti 590
Mitior. Hic lecto comitum de robore si quem
Perculerit vicina lues, ne defice, casus
Prædicti memor, atque animos accinge futuris.
Illic pestiferas subter juga concava torquet
Alter aquas Acheron, vastoque exundat hiatu 595
Fumeus, et sæva sequitur caligine campos.
Linque gravem fluvium, et miseris sua fata colonis.
Sic quoque non uno dabitur transcurrere luctu.

Quid tibi nubifera surgentem rupe Carambin,
Quid memorem, quas Iris aquas, quas torqueat Ancon? [to,)
Proxima Thermodon hic jam secat arva, (memen-
Inclyta Amazonidum, magnoque exorta Gradivo
Gens ubi: fœmineas nec tu nunc crede catervas,
Sed qualis, sed quanta viris insultat Enyo,
Divaque Gorgonei gestatrix innuba monstri. 605
Ne tibi tunc horrenda rapax ad littora puppim
Ventus agat, ludo volitans cum turma superbo
Pulvereis exsultat equis, ululataque tellus
Intremit, et pugnas mota pater incitat hasta. 609
Non ita sit metuenda tibi, sævissima quanquam,
Gens Chalybum, duris patiens cui cultus in arvis,
Et tonat afflicta semper domus ignea massa.
Inde omnem innumeri reges per littoris oram,
Hospitii quîs nulla fides; sed limine recto
Puppis, et æquali transcurrat carbasus aura: 615
Sic demum rapidi venies ad Phasidis amnem.
Castra ibi jam Scythiæ, fraternaque surgit Erinnys:
Ipse truces illic Colchos hostemque juvabis
Auxiliis. Nec plura equidem discrimina cerno.
Fors etiam optatam dabitur contingere pellem.
Sed te non animis, nec solis viribus æquum 621
Credere; sæpe acri potior prudentia dextra.
Quam tulerit deus, arripe opem Jamque ultima nobis [facto
Promere fata nefas: sileo et precor. Atque ita
Fine dedit tacitis iterum responsa tenebris. 625
Tum subita resides socios formidine Iason
Præcipitat, rumpitque moras, tempusque timendi.
Ipse viros gradiens ad primi littoris undam
Prosequitur Phineus: Quænam tibi præmia, dixit,
Quas, decus o Boreæ, possim persolvere grates?
Me Pangæa super rursus juga, meque paterna 631
Stare Tyro, dulcesque iterum mihi surgere soles
Nunc reor: exactæ nam vere abiere volucres,
Nec metuam, tutæque dapes. Date tangere vultus,
Dem sinite amplexus, propiusque accedite dextræ. 635
Dixerat: abscedunt terris, et littora condunt.
Omnibus extemplo sæva sub imagine rupes
Cyaneæ, propiorque labor; quando affore, quaque
Parte putent: stant ora metu, nec fessa recedunt
Lumina diversas circum servantibus undas. 640
Cum procul audiri sonitus, insanaque saxa:
Saxa neque illa viris, sed præcipitata profundo
Siderei pars visa poli: dumque ocius instant
Ferre fugam, maria ante ratem, maria ipsa repente
Diffugere, adversosque vident discedere montes,
Omnibus et gelida rapti formidine remi. 646
Ipse per arma volans, et per juga summa carinæ
Hortatur, supplexque manus intendit Iason,
Nomine quemque premens: Ubi nunc promissa superba, 649
Ingentesque minæ, mecum quibus ista secuti?
Idem animos Amyci viso timor omnibus antro
Perculerat; stetimus tamen, et deus affuit ausis.
Quin iterum idem aderit, credo, deus. Hæc ubi fatus,
Corripit abjecti remumque locumque Phaleri,
Et trahit: insequitur flammata pudore juventus.
Unda laborantes præceps rotat, ac fuga ponti 656
Obvia: miscentur rupes, jamque æquore torto
Cyaneæ juga præcipites illisa remittunt.
Bis fragor infestas cautes, adversaque saxis
Saxa dedit: flamma expresso bis fulsit in imbri.
Sic ubi multifidus ruptis e nubibus horror 661
Effugit, et tenebras nimbosque intermicat ignis,
Terrificique ruunt tonitrus, elisaque noctem
Lux dirimit, pavor ora virûm, pavor occupat aures
Haud secus implevit pontum fragor: effluit imber
Spumeus, et magno puppim procul æquore vestit
Advertere dei, defixaque numina ponto,
Quid scopulis præclusa ratis, quid dura juventus
Expediat: pendet magnis favor ortus ab ausis.
Prima coruscanti signum dedit ægide virgo, 670
Fulmineam jaculata facem. Vixdum ardua cautes
Cesserat; illa volans tenui per concita saxa
Luce fugit: rediere viris animique manusque,
Ut videre viam. Sequor o, quicunque deorum,
Æsonides, vel fallor, ait; præcepsque fragores 675
Per medios ruit, et fumo se condidit atro.
Cœperat hinc cedens abductis montibus unda
Ferre ratem, pelagoque dies occurrere aperto:
Sed neque permissis jam fundere rector habenis
Vela, nec eniti remis pote, cum super adsunt 680
Cyaneæ: premit umbra ratem, scopulique feruntur [Pallas
Cominus. Hic Juno præcepsque ex æthere
Insiliunt pariter scopulos: hunc nata coercet,
Hunc conjux Jovis: ut valido qui robore tauros
Sub juga, et invito detorquet in ilia cornu. 685
Inde, velut mixtis Vulcanius ardor arenis
Verset aquas, sic ima fremunt, fluctuque coacto
Angitur, et clausum scopulos super effluit æquor.
Contra omnes validis tenui discrimine remis
Pergere iter, mediosque ratem transferre per ictus:
Saxa sed extremis tamen increpuere corymbis, 691
Parsque (nefas) deprensa jugis; nam cætera cœlo
Debita. Conclamant Minyæ; latera utraque quippe
Dissiluisse putant: fugit ipse novissimus ictus
Tiphys, et e mediis sequitur freta rapta ruinis.
Nec prius obsessum scopulis respexit ad æquor,
Aut sociis tentata quies, nigrantia quam jam
Littora, longinquique exirent flumina Rhebæ.
Tunc fessas posuere manus, tunc arida anhheli
Pectora: discussa quales formidine Averni 700
Acides Theseusque comes pallentia jungunt
Oscula, vix primas amplexi luminis oras.
Nec vero ipse metus curasque resolvere ductor,
Sed maria adspectans: Heu quis datus iste deorum
Sorte labor nobis? serum ut veniamus ad amnem
Phasidis, et mites, inquit, dent vellera Colchi,
Unde per hos iterum montes fuga? Talia fundit,
Imperio fixos Jovis æternumque revinctos
Nescius: id fati certa nam lege manebat, 709
Si qua per hos undis unquam ratis isset apertis.
Tum freta, quæ longis fuerant impervia sæclis,
Ad subitam stupuere ratem: Pontique jacentis
Omne solum, regesque patent, gentesque repostæ.
Non alibi effusis cesserunt longius undis 714
Littora, nec tantas quamvis Tyrrhenus et Ægon
Volvat aquas, geminis et desint Syrtibus undæ.
Nam super huc vastos tellus quoque congerit amnes.
Non septemgemini memorem quas exitus Istri,
Quas Tanais, flavusque Lyces, Hypanisque, Melas-
Addat opes, quantosque sinus Mæotia laxent [que
Æquora: flumineo sic agmine frangit amari 721
Vim salis, hinc Boreæ cedens glaciantibus auris
Pontus, et exorta facilis concrescere bruma.
Utque vel immotos Ursæ rigor invenit amnes,
Vel freta versa vadis; hiemem sic unda per omnem 725
Aut campo jacet, aut tumido riget ardua fluctu;
Atque hac Europam curvis anfractibus urget,
Hac Asiam, Scythicum specie sinuatus in arcum.
Illic umbrosæ semper stant æquore nubes

Et non certa dies: primo nec sole profundum 730
Solvitur, aut vernis cum lux æquata tenebris,
Sed redit extremo tandem in sua littora Tauro.
Jam Mariandynis advertit puppis arenis,
Atque celer terras regemque exquirit Echion,
Dicta ferens; lectos fama est si nominis unquam
Hæmonii subiisse viros, det littora fessis. 736
Approperat Lycus auditis lætatus Achivis,
Ac simul Æsoniden omnemque in regia turbam
Tecta trahit, modo Bebryciis præfixa tropæis:
Mitis et in mediis effatur talia Graiis: 740
Haud temere est: fato divûm reor ad mea vectos
Littora vos, odium quibus atque eadem ira furentis
Bebryciæ, sævaque pares de gente triumphi.
Certa fides, animis idem quibus incidit hostis.
Nos quoque, nos Amycum, tanto procul orbe remoti, 745
Sensimus, et sævis frater mihi fusus arenis.
Ultor ego, atque illuc cunctis accensus in armis
Tunc aderam, cum vos mediis contenta ferebant
Vela fretis. Illum in sanie taboque recenti
Vidimus, æquoreo similem per littora monstro
Nec vero prærepta mihi suprema tyranni 75.
Fata queror, bellove magis lætarer et armis
Procubuisse meis, quam lege quod occidit usus
Ipse sua, meritoque madent quod sanguine cæstus.
Excipit Æsonides: Tuus ergo in montibus ignis
Ille? tuas acies medio de gurgite vidi? 756
Fatur, et ostentans prolem Jovis, Hic tibi Pollux
En, ait, inviso solvit cui pectore pœnas.
Ille virum circa mirantia lumina volvit.
Festa dehinc mediis ineunt convivia tectis, 760
Communesque vocant superos, quorum eruta nutu
Bebrycia, et votis pariter prædaque fruuntur

LIBER QUINTUS.

Altera lux haud læta viris emersit Olympo:
Argolicus morbis fatisque rapacibus Idmon
Labitur, extremi sibi tum non inscius ævi.
At memor Æsonides nimium jam vera locuti
Phineos, hinc alios rapto pavet Idmone luctus. 5
Tum comiti pia justa tulit, cælataque multa
Arte Dolionii donat velamina regis; [vellit
Hospes humum sedemque Lycus. Flens arma re-
Idmonis e celsa Mopsus rate: robora cædunt
Pars sylvis, portantque aræ; pars auguris alba 10
Fronde caput vittisque ligant, positumque feretro
Congemuere: dies simul et suus admonet omnes.
Ecce inter lacrymas, interque extrema virorum
Munera, quem cursus penes imperiumque carinæ,
Tiphyn agit violenta lues, cunctique pavore 15
Attoniti fundunt mæstas ad sidera voces:
Arcipotens, adverte, precor, nunc denique, Apollo:
Hoc, pater, hoc nobis refove caput, ulla laboris
Si nostri te cura movet, qui cardine summo [unis.
Vertitur, atque omnis manibus nunc pendet ab
Dicta dabant ventis, nec debita fata movebant. 21
Qualem præcipiti gravidum jam sorte parentem
Natorum flet parva manus, trepidique precantur,
Duret ut invalidis et adhuc genitoris egenis:
Haud aliter socii supremo in tempore Tiphyn 25
Ante alios superesse volunt: mors frigida contra
Urget, et ille recens oculis intervolat Idmon.
Exanimum frustra Minyæ clamore morantur,
Avellique negant: vix membra rigentia tandem
Imposuere rogo, lacrymasque et munera flammis
Vana ferunt: crescit donis feralis acervus. 31
Ut vero amplexus fessi rupere supremos,
Et rapidæ sonuere faces, tunc ipsa cremari
Visa ratis, medioque viros deponere ponto.
Non tulit Æsonides, geminis flagrantia cernens
Corpora cara rogis, sed pectore ductor ab imo 36
Talia voce gemit: Quid tantum infensa repente
Numina? quas nostri pœnas meruere labores?
Bina (nefas) tuto pariter mihi funera surgunt
Littore: magna adeo comitum numerosaque pubes! 40
Aut socios rapit atra dies, aut ipse relinquo [mon
Sontibus impulsus furiis. Ubi Tiphys? ubi Id-
Fata canens? ubi monstriferæ par ille novercæ?
Te sine, Thespiade, nos ulla movebimus ultra 44
Æquora? nec summa speculantem puppe videbo
Pleiadumque globos et agentes noctibus Arctos?
Cui Minyas caramque ratem, cui sidera tradis?
Carpere securas quis jam jubet Æsona noctes?
Hoc labor, hoc dulci toties fraudata sopore
Lumina, et admotis nimium mens anxia Colchis
Profuit? heu quantum Phasis, quantum Æa recessit! 51
Nunc quoque, si tenui superant in imagine curæ,
Adsis umbra, precor, venturi præscia cœli,
Rectoremque tuæ moneas ratis. Hæc ubi fatus,
Sola virûm flammis vidit labentibus ossa. 55
Quod tamen externis unum solamen in oris
Restat, ait, caras humus hæc non dividet umbras,
Ossaque nec tumulo, nec separe conteget urna,
Sed simul, ut junctis venistis in æquora fatis.
Haud mora: relliquias socii defletaque miscent 60
Nomina: tum vivo frondens e cespite tellus
Aggeritur, cineremque Lyco commendat Iason.
Mæsti omnes, dubiique, ratem fidissima cujus
Dextra regat: simul Ancæus, sollersque petebant
Nauplius. Erginum fato vocat ipsa monenti 65
Quercus, et ad tonsas victi rediere magistri.
Ac velut ille, gregis cessit cui regia, taurus
Fertur ovans, hunc omnis honos, hunc omnis in unum
Transit amor: primo lætus sic tempore rector
Ingreditur cursus: etenim dat candida certam 70
Nox Helicen. Jam prora fretum commoverat, et jam
Puppe sedens placidas dimiserat ancora terras.
Inde, premente Noto, tristes Acherusidos oras
Præterit, et festa vulgatum nocte Lyæi
Callichoron; nec vana fides: his Bacchus in undis
Abluit Eoo rorantes sanguine thyrsos. 76
Illum, post acies rubrique novissima claustra
Æquoris, hic resides thiasos, hic æra moventem,
Udaque pampinea nectentem cornua vitta,
Nunc etiam meministis aquæ, Bœotia qualem
Thyias, et infelix cuperet vidisse Cithæron. [nes
Fama per extremos quin jam volat improba ma-

Interea, et magnis natorum laudibus implet,
Venturam cœlo fatis melioribus Argo, [rentes
Addita jamque fretis repetens freta, jamque fe-
Cyaneas. Ardent avidos attollere vultus, 86
Quos pietas, vel tangit adhuc quos æmula virtus.
Fata immota manent: unum, qui littore in illo
Conditus, ad caræ mittunt spectacula turbæ.
It Sthenelus: qualem Mavortia vidit Amazon, 90
Cunque suis comitem Alcides ut condidit armis,
Talis ab æquorei consurgens aggere busti
Emicuit: fulsere undæ, sol magnus ut orbem
Tolleret, aut nubem quateret polus. Atque ea vixdum
Visa viris atra nox protinus abstulit umbra. 95
Ille dolens altum repetit Chaos. Omina Mopsus
Dum stupet, in prima tumulum procul adspicit
Obnubensque caput cineri dat vina vocato. [acta,
Carmina quin etiam visos placantia manes
Odrysius dum rite movet, mixtoque sonantem
Percutit ore lyram, nomenque reliquit arenis,
Altius in ventos rediit ratis, ac fugit omne
Crobiali latus, et fatis tibi, Tiphy, negatum
Parthenium, ante alios Triviæ qui creditur amnes
Fidus, et Inopi materna gratior unda. 105
Mox etiam Cromnæ juga, pallentemque Cytoron,
Teque cita penitus condunt, Erythea, carina.
Jamque reducebat noctem polus: alta Carambis
Raditur, et magnæ pelago tremit umbra Sinopes.
Assyrios complexa sinus stat opima Sinope, 110
Nympha prius, blandosque Jovis quæ luserat ig-
Cœlicolis immota procis: deceptus amatæ [nes,
Fraude deæ nec solus Halys, nec solus Apollo.
Addidit hic casu comites Fortuna benigno
Autolycum Phlogiumque et Deileonta, secutos
Herculis arma viros: vagus hos ibi fixerat error.
Ut Graiam videre manum, puppimque Pelasgam,
Prima ruunt celeres ad littora, seque precantur
Accipiant socios: nova dux accedere gaudet
Nomina, desertos et jam sibi currere remos. 120
Transit Halys, longisque fluens anfractibus Iris,
Sævaque Thermodon medio sale murmura vol-
Gradivo sacer, et spoliis ditissimus amnis, [vens,
Donat equos, donat votas cui virgo secures,
Cum redit ingenti per Caspia claustra triumpho,
Massageten Mædumque trahens. Est vera propago [alta
Sanguinis, est ollis genitor deus: hinc magis
Hæmonidæ petere, et monitus non temnere Phinei.
Ipse autem comitum conversus ad ora novorum,
Vos mihi nunc pugnas, ait, et victricia, ductor,
Herculis arma mei, vestrasque in littore Martis
Interea memorate manus. Sic fatus, et ægro
Corde silens, audit currus, bellique labores
Virginei: exciderit frenis quæ prima remissis;
Semianimem patrius quam vexerit amnis in æquor; 135
Quæ pelta latus, atque humeros nudata pharetris
Fugerit, Herculeæ mox vulnere prensa sagittæ;
Utque securigeras stimulaverit ira catervas,
Fleturusque pater; quantus duce terror in ipsa,
Qui furor, insignis quo balteus arserit auro. 140
Nocte sub extrema clausis telluris ab antris
Pervigil auditur Chalybum labor; arma fatigant
Ruricolæ, Gradive, tui: sonat illa creatrix
Prima manus belli terras crudelis in omnes.
Nam prius ignoti quam dura cubilia ferri 145
Eruerent, ensesque darent, odia ægra sine armis
Errabant, iræque inopes, et segnis Erinnys.
Inde Genetæi rupem Jovis, hinc Tibarenûm
Dant virides post terga lacus, ubi deside mitra
Feta ligat, partuque virum fovet ipsa soluto. 150
Vos quoque non notæ mirati vela carinæ
Mossyni, vos et stabulis Macrones ab altis,
Byzeresque vagi, Philyræque a nomine dicta
Littora, quæ cornu pepulit Saturnus equino.
Ultimus inde sinus, sævumque cubile Promethei
Cernitur, in gelidas consurgens Caucasus Arctos.
Ille etiam Alciden Titania fata morantem
Attulerat tum forte dies; jamque aspera nisu
Undique convellens, veteris cum strage pruinæ,
Vincula prensa manu saxis adduxerat imis 160
Arduus, et lævo gravior pede: consonat ingens
Caucasus, et summo pariter cum monte secutæ
Incubuere trabes, abductaque flumina ponto.
Fit fragor, ætherias ceu Jupiter arduus arces
Impulerit, imas manus aut Neptunia terras. 165
Horruit immensum Ponti latus, horruit omnis
Armeniæ prætentus Iber, penitusque recusso
Æquore Cyaneas Minyæ timuere relictas.
Tum gemitu propiore chalybs, densusque revulsis
Rupibus audiri montis labor, et grave Titan 170
Vociferans, fixos scopulis dum vellitur artus.
Contra autem ignari (quis enim nunc credat in illis
Montibus Alciden, dimissave vota retentet?)
Pergere iter socii: tantum mirantur ab alto
Littora discussa sterni nive, ruptaque saxa, 175
Et simul ingentem moribundæ desuper umbram
Alitis, atque atris rorantes imbribus auras. [sis
Sol propius flammabat aquas, extremaque fes-
Cœperat optatos jam lux ostendere Colchos,
Magnus ubi adversum spumanti Phasis in æquor
Ore ruit. Cuncti pariter loca debita poscunt,
Signaque commemorant, emensasque ordine gentes, [rusco
Dantque ratem fluvio. Simul æthere plena co-
Pallas, et alipedum Juno juga sistit equorum.
Ac dum prima gravi ductor subit ostia pulsu,
Populeos flexus, tumulumque virentia supra
Flumina cognati medio videt aggere Phrixi:
Quem comes infelix Pario de marmore juxta
Stat soror, hinc sævæ formidine mæsta novercæ
Inde maris, pecudique timens imponere palmas.
Sistere tum socios jubet, atque hic prima ligari
Vincula, ceu Pagasas patriumque intraverit am-
Ipse, gravi patera sacri libamina Bacchi [nem.
Rite ferens, umbram vocat, et sic fatur ad aras:
Per genus, atque pares tecum mihi, Phrixe, labores
Tu, precor, orsa regas, meque his tuteris in oris.
Tot freta, tot duce te, te propter sidera passis,
Phrixe, fave, et patrias placidus reminiscere terras.
Tu quoque nunc, tumulo nequicquam condita inani,
Annue, diva maris, numeroque accede tuorum.
Quando egomet rursus per te vehar? aurea quando
Seston, et infaustos agnoscent vellera fluctus?
Vos etiam, sylvæ, vos, Colchidos hospitis oræ,
Pandite, dives ubi pellis micet arbore sacra.
Tunc tibi, fecundi proles Jovis, orte nivali 205
Arcados axe deæ, fluvio modo, Phasi, quieto
Palladiam patiare ratem, nec dona, nec aræ
Defuerint tellure mea: veneranda fluentis
Effigies te, Phasi, manet, quam magnus Enipeus,
Et pater aurato quantus jacet Inachus antro. 210
Dixerat: atque illi dextra sine versa magistri
Protinus in proram rediit ratis, omine certo
Fluminis os pontumque tuens. Promittis ut, ecce
Utque vocas, revehamur, ait. Sic deinde precatus,
Arma jubet celsa socios depromere puppi: 215
Dona dehinc Bacchi, casus qui firmet in omnes:

Rapta Ceres, viridesque premunt longo ordine ripas.
Incipe nunc alios cantus, dea, visaque vobis
Thessalici da bella ducis: non mens mihi, non hæc
Ora satis: ventum ad furias, infandaque natæ 220
Fœdera, et horrenda trepidam sub virgine puppim;
Impia monstriferis surgunt jam prœlia campis.
Ante dolos, ante infidi tamen exsequar astus
Soligenæ, falli meriti, meritique relinqui;
Inde canens. Scythica senior jam Solis ab urbe
Fata laborati Phrixus compleverat ævi. 226
Illius extremo sub funere mira repente
Flamma poli, magnoque aries apparuit astro, [bra
Æquora cuncta movens: at vellera Martis in um-
Ipse sui Phrixus monimentum insigne pericli 230
Liquerat, ardenti quercum complexa metallo.
Quondam etiam tacitæ visus per tempora noctis
Effigie vasta, socerumque exterruit ingens
Prodita vox: O qui patria tellure fugatum,
Quærentemque domos, his me considere passus
Sedibus, oblata generum mox prole petisti, 236
Tunc tibi regnorum labes luctusque supersunt,
Rapta soporato fuerint cum vellera luco.
Præterea, infernæ quæ nunc sacrata Dianæ
Fert castos Medea choros, quemcunque procorum
Pacta petat, maneat regnis ne virgo paternis. 241
Dixit, et admota pariter fatalia visus
Tradere terga manu: tum falso fusus ab auro
Currere per summi fulgor laquearia tecti. [catur
Membra toris rapit ille tremens, patriumque pre-
Numen, et Eoo surgentes littore currus. 246
Hæc tibi, fatorum, genitor, tutela meorum,
Omnituens: tua nunc terris, tua lumina toto
Sparge mari: seu nostra dolos molitur opertos,
Sive externa manus, primus mihi nuntius esto.
Tu quoque, sacrata rutilant cui vellera quercu,
Excubias, Gradive, tene: præsentia luco 252
Arma tubæque sonent, vox et tua noctibus exstet.
Vix ea, Caucaseis cum lapsus montibus anguis,
Haud sine mente dei, spiris nemus omne refusis
Implicuit, Graiumque procul respexit ad orbem.
Ergo omnes prohibere minas prædictaque Phrixi
Invigilat: plena necdum Medea juventa
Annuitur thalamis Albani virgo tyranni.
Interea auguriis monstrisque minacibus urbem
Territat ante mon ns semper deus, et data seri
Signa mali: reddi jubet exitiale sacerdos
Vellus, et Hæmoniis infaustum mittere terris.
Contra Sole satus, Phrixi præcepta volutans
Ægro corde, negat: nec vulgi cura tyranno, 265
Dum sua sit modo tuta salus. Tunc ordine regi
Proximus, et frater materno sanguine Perses
Increpitare virum: sequitur duce turba reperto.
Ille furens ira solio se proripit alto,
Præcipitatque patres: ipsum quoque talibus ausis
Spem sibi jam rerum vulgi levitate serentem 271
Ense petit. Rapit inde fugam crudelia Perses
Signa gerens, omnemque quatit rumoribus Arcton.
Jamque aderat magnis regum cum millibus urbi,
Primaque in adversos frustratus prœlia muros
Constiterat: datus et sociis utrinque cremandis
Ille dies alterque dies, cum, Marte remisso,
Debitus Ææis dux Thessalus appulit oris.
Nox hominum genus et duros miserata labores
Retulerat fessis optata silentia terris: 280
At Juno, et summi virgo Jovis, intima secum
Consilia et varias sociabant pectore curas.
Virgo prior: Magna pariter quos mole petamus,
Cernis, ait, Colchos habeant quæ prœlia, quique
Nunc status: hinc Perses, illinc non viribus æquis
Apparat Æetes aciem: quibus addimur armis?
Cui Juno: Dimitte metus, ne prœlia forte
Hinc tibi grata negem: manet ingens ægida sudor
Et nostros jam sudor equos. Stat pectore fixum,
Æetæ sociare manus. Scio perfida regis 290
Corda quidem, nullos Minyis exsolvet honores:
Verum alios tunc ipsa dolos, alia orsa movebo.
Sint, precor, hæc; tua namque mihi comitanda potestas,
Pallas ait, liceat Graiis ut reddere terris [sæ,
Æsonium caput, et puppim, quam struximus ip-
Jactatam tandem nostro componere cœlo. [bant.
Talia tunc hominum superi pro laude move-
Tristior at nunquam, tantove paventibus ulla
Nox Minyis egesta metu: nil quippe reperto
Phaside, nil domitis actum Symplegados undis;
Cunctaque adhuc, magni veniant dum regis ad urbem,
Ambigua, et dubia rerum pendentia summa.
Præcipue Æsoniden varios incerta per æstus
Mens rapit, undantem curis, ac multa novantem.
Qualiter ex alta cum Jupiter arce coruscat, 305
Pliadas ille movens, mixtumque sonoribus imbrem,
Horriferamve nivem, canis ubi tollitur omnis
Campus aquis, aut sanguinei magna ostia belli,
Aut atros diris fatorum gentibus ortus:
Sic tum diversis hinc atque hinc molibus anceps
Pectora dux crebro gemitu quatit, optat et almum
Jam jubar, et certi tandem discriminis horas.
Tunc defixa solo, cœtuque intenta silenti [ausis
Versus ad ora virûm: Quod primum ingentibus
Optavistis, ait, veterumque quod horruit ætas,
Adsumus en, tantumque fretis enavimus orbem.
Nec pelagi nos mille viæ, nec fama fefellit,
Soligenam Æeten media regnare sub Arcto.
Ergo, ubi lux altum sparget mare, tecta petenda
Urbis, et ignoti mens experienda tyranni. 320
Annuet ipse, reor, neque inexorabile certe,
Quod petimus: sin vero preces et dicta superbus
Respuerit, jam nunc animos firmate repulsæ,
Quaque via est, patriis referamus vellera terris:
Stet procul, et rebus semper pudor absit in arctis.
Dixerat: et, Scythicam qui se comitentur ad urbem,
Sorte petit, numeroque novem ducuntur ab omni.
Inde viam, qua Circæi plaga proxima campi,
Corripiunt, regemque petunt jam luce reducta.
Forte deûm variis per noctem exterrita monstris,
Senserat ut pulsas tandem Medea tenebras, 331
Rapta toris, primi jubar ad placabile Phœbi
Ibat, et horrendas lustrantia flumina noctes.
Namque, soporatos tacitis in sedibus artus
Dum premit alta quies, nullæque in virgine curæ,
Visa pavens castis Hecates excedere lucis; 336
Dumque pii petit ora patris, stetit arduus inter
Pontus, et ingenti circum stupefacta profundo,
Fratre tamen conante sequi: mox stare paventes
Viderat intenta pueros nece, seque trementum
Spargere cæde manus, et lumina rumpere fletu.
His turbata minis fluvios ripamque petebat
Phasidis, æquali Scythidum comitante caterva.
Florea per verni qualis juga duxit Hymetti,
Aut Sicula sub rupe choros, hinc gressibus hærens
Pallados, hinc caræ Proserpina juncta Dianæ,
Altior, ac nulla comitum certante, priusquam
Palluit, et viso pulsus decor omnis Averno:
Talis et in vittis geminæ cum lumine tædæ
Colchis erat, nondum miseros exosa parentes.
Ut procul extremi gelidis a fluminis undis 351
Prima viros tacito vidit procedere passu,

Substitit, et mæsto nutricem affata timore est:
Quæ manus hæc, certo ceu me petat agmine, mater,
Advenit, haud armis, haud unquam cognita cultu?
Quære fugam, precor, et tutos circumspice saltus.
Audit virginei custos grandæva pudoris
Henioche, cultus primi cui creditus ævi;
Tum trepidam dictis firmans hortatur alumnam.
Non tibi ab hoste minæ, nec vis, ait, ulla propinquat, 360
Nec metus; externo jam flammea murice cerno
Tegmina, jam vittas, frondemque imbellis olivæ.
Graius adest, Graio sic cuncta simillima Phrixo.
Sic ait. At Juno, pulchrum longissima quando
Robur cura ducis, magnique edere labores, 365
Mole nova et roseæ perfudit luce juventæ.
Jam Talaum, jamque Ampyciden, astroque comantes
Tyndaridas ipse egregio supereminet ore.
Non secus, auctumno quam cum magis asperat ignes
Sirius, et sævo cum nox accenditur auro 370
Luciferas crinita faces, hebet Arcas, et ingens
Jupiter: ast illum tanto non gliscere cœlo
Vellet ager, vellent calidis jam fontibus amnes.
Regina, attonito quanquam pavor ore silentem
Exanimet, mirata tamen, paullumque reductis
Passibus, insolito stupuit duce; nec minus inter
Ille tot ignoti socias gregis hæret in una
Defixus, sentitque ducem dominamque catervæ.
Si dea, si magni decus huc ades, inquit, Olympi,
Has ego credo faces, hæc virginis ora Dianæ,
Teque renodatam pharetris ac pace fruentem 381
Ad sua Caucaseæ producunt flumina Nymphæ.
Sin domus in terris, atque hinc tibi gentis origo,
Felix prole parens, olimque beatior ille,
Qui tulerit, longis et te sibi junxerit annis. 385
Sed fer opem, regina, viris; nos hospita pubes
Advehimur, Graiûm proceres, tua tecta petentes.
Duc, precor, ad vestri, quicunque est, ora tyranni,
Ac tu prima doce fandi tempusque modumque.
Nam mihi sollicito deus ignaroque locorum 390
Te dedit; in te animos atque omnia nostra repono.
Dixit, et opperiens trepidam stetit: illa, parumper
Virgineo cunctata metu, sic orsa vicissim: 395
Quem petis Æeten, genitor meus, ipsaque juxta
Mœnia, si bivios possis discernere calles.
Hac adeo duce ferte gradus; ingentia namque
Castra alios aditus, atque impius obsidet hostis.
Dixerat hæc, patriumque viam detorquet ad amnem,
Sacraque terrificæ supplex movet irrita Nocti.
Ille autem inceptum famula duce protinus urget
Aere septus iter: patitur nec regia cerni 401
Juno virum, prior Æetæ ne nuntius adsit.
Jamque inerat populo mediæque incognitus urbi,
Cum comes orsa loqui: Phœbi genitoris ad aras
Ventum, ait: huc adytis jam se de more paternis
Rex feret; hic proceres audit populosque precantes 406
Alloqui facilis (præsens pater admonet) æqui.
Dixerat: ast illi propere monstrata capessunt
Limina, non aliter, quam si radiantis adirent
Ora dei, verasque æterni luminis arces. 410
Tale jubar per tecta micat: stat ferreus Atlas
Oceano, genibusque tumens infringitur unda.
At medii per terga senis rapit ipse nitentes
Altus equos, curvoque diem subtexit Olympo:
Pone rota breviore soror, densæque sequuntur 415
Pliades, et madidis rorant e crinibus ignes.
Nec minus hic varia dux lætus imagine templi
Ad geminas fert ora fores, cunabula gentis
Colchidos hic ortusque tuens: ut prima Sesostris
Intulerit rex bella Getis; ut clade suorum
Territus, hos Thebas patriumque reducat ad amnem,
Phasidis hos imponat agris, Colchosque vocari
Imperet: Arsinoen illi, tepidæque requirunt
Otia lætaPhari, pinguemque sine imbribus annum,
Et jam Sarmaticis permutant carbasa braccis. 425
Barbarus in patriis sectatur montibus Æan
Phasis, amore furens: pavidas jacit illa pharetras
Virgineo turbata metu; discursibus et jam
Deficit, ac volucri victam deus alligat unda.
Flebant populeæ juvenem Phaethonta sorores,
Ater et Eridani trepidum globus ibat in amnem:
At juga vix Tethys, sparsumque recolligit axem,
Et formidantem patrios Pyroenta dolores.
Aurea quin etiam præsaga Mulciber arte
Vellera, venturosque olim cælarat Achivos. 435
Texitur Argoa pinus Pagasæa securi:
Jamque eadem remos, eadem dea flectit habenas:
Ipsa subit, nudaque vocat dux agmina dextra.
Exoritur Notus, et toto ratis una profundo
Cernitur: Odrysio gaudebant carmine phocæ
Apparent trepidi per Phasidis ostia Colchi, 441
Clamantemque procul linquens regina parentem.
Urbs erat hic contra gemino circumflua ponto,
Ludus ubi, et cantus, tædæque in nocte jugales,
Regalique toro lætus gener; ille priorem 445
Deserit: ultrices spectant a culmine Diræ:
Deficit in thalamis, turbataque pellice conjux
Pallam et gemmiferæ donum exitiale coronæ
Apparat, ante omnes secum dequesta labores,
Munere quo patrias pellex ornetur ad aras 450
Infelix: et jam rutilis correpta venenis
Implicat igne domos. Hæc tum miracula Colchis
Struxerat ignipotens, nondum noscentibus ille
Quis labor, aligeris aut quæ secet anguibus auras
Cæde madens; odere tamen, visusque reflectunt.
Quin idem Minyas operum defixerat error, 456
Cum se Sole satus patriis penetralibus infert
Filius hunc juxta primis Absyrtus in annis,
Dignus avo, quemque insontem meliora manerent.
Tum gener Albanis Styrus qui advenerat oris,
Distulerant sed bella toros: tum Phrontis et Argus
Æolidæ, fraterque Melas, quos advena Phrixus
Progenuit, pariterque levi Cytisorus in hasta.
Post alii, quos præcipuo Titania tellus
Legit honore patres, motique ad prœlia reges.
Admonet hic socios, nebulamque erumpit Iason,
Sideris ora ferens: nova lux offusa Cytæis. [ausi,
Conveniunt, rogitantque viros, pavitantque, quid
Quidve ferant. Postquam primis inhiantia dictis
Agmina, suppressumque videt jam murmur Iason,
Talia miranti propius tulit orsa tyranno: 471
Rex Hyperionide, quem per freta tanta petendum
Cœlicolæ, et prima dignum statuere carina,
Si quando hic aliquam nostro satus orbe solebat
Thessaliam, si quos Phrixus memorare Pelasgos,
Hi tibi, tot casus, horrenda tot avia mensi. 476
Cernimur: ipse egomet proprio de sanguine Phrixi:
Namque idem Cretheus ambobus et Æolus auctor,
Cum Jove, Neptunoque, et cum Salmonide Nympha.
Meque nec huc enses araeque egere paternæ, 480
Nec tua, Thessalicis quanquam inclyta nomina terris,
Sponte sequor: cui non jusso tot adire voluptas
Monstra maris? cui Cyaneos intrare fragores?
Sceptra tui toto Pelias sub numine Phœbi
Maxima sorte tenens, totque illa creantia divos
Oppida, tot vigili pulcherrima flumina cornu;
Ille meum imperiis urget caput, ille labores

Dat varios, suus ut magnum rex spargit ab Argis
Alciden, Sthenelo ipse satus: tamen aspera regum
Perpetimur juga, nec melior parere recuso. 490
Hic sibi me auratæ pecudis quiscunque periclis
Exuvias perferre jubet. Tibi gratia nostri
Sit precor hæc, meritique locus, quod jussa recepi,
Teque alium, quam quem Pelias speratque cupitque,
Promisi, et meliora tuæ mihi fœdera dextræ. 495
Si petere hoc sævi statuissem sanguine belli,
Ossa dabat Pindusque rates, quotque ante secuti
Inde nec audacem Bacchum, nec Persea reges.
Sed me nuda fides, sanctique potentia justi
Huc tulit, et medii sociatrix gratia Phrixi, 500
Jamque tibi nostra geniti de stirpe nepotes.
Nec tamen aut Phrygios reges, aut arva furentis
Bebryciæ spernendus adi: seu fraude petivit,
Seu quis honore meos, sua reddita dona; deûmque
Nos genus, atque ratem magnæ sensere Minervæ.
Vix tandem longis quæsitam Colchida votis 506
Contigimus, qualemque dabat te fama, videmus.
Tu modo ne claros Minyis invideris actus.
Non aliena peto, terrisve indebita nostris,
Si quis et in precibus vero locus; atque ea Phrixo
Crede dari, Phrixum ad patrios ea ferre penates.
Munera tu contra victum mihi vecta per æquor
Accipe, Tænarii chlamydem de sanguine aeni,
Frenaque, et accinctum gemmis fulgentibus ensem.
Hoc patrium decus, hæc materni texta laboris,
His Lapithes adsuerat eques. Da jungere dextram,
Da Scythicas sociare domos: sciat effera regis
Ira mihi, quem te horrifero sortitus in axe
Caucasus a que tuis quantum mitescat habenis.
Talibus orantem vultu gravis ille minaci 520
Jamdudum premit, et furiis ignescit opertis.
Ceu tumet, atque imo sub gurgite concipit Austros
Unda silens: trahit ex alto sic barbarus iras.
Et nunc ausa viri, nunc (heu) sua prodita Graiis
Regna fremit: quin et facili sibi mente receptum
Jam Phrixum dolet, et Scythiæ periisse timores.
Nunc quassat caput, ac juvenis spes ridet inanes,
Quid vesanus agat, quid vellera poscat ab angue.
Urit et antiquæ memorem vox præscia sortis,
Cur simul aut Persen illinc sibi moverit, aut hinc
Thessalicam fortuna ratem; num debitus ista
Finis agat, sævæque petant jam vellera Parcæ.
Interea, quoniam belli pugnæque propinquæ
Cura prior, fingit placidis fera pectora dictis, 534
Reddit et hæc: Cuperem haud tali vos tempore tectis
Advenisse meis, quo me gravis adsidet hostis.
Frater enim (sceptri sic omnibus una cupido)
Excidium parat, et castris me ingentibus urget.
Quare age, cognatas primum defendite sedes,
Nec decus oblati dimiseris advena belli: 540
Namque virum trahit ipse chalybs: tum vellera victor,
Tum meritis, nec sola dabo. Contra inscius astus,
Ergo nec hic nostris deerat labor arduus actis,
Excipit Æsonides, et ceu nihil æquore passis 544
Additus iste dies? veniant super hæc quoque fato
Bella meo? non hunc parva mihi cæde dolorem,
Quasque dedit, luet ille moras. Tum Castora mittit,
Qui ferat Ææi sociis responsa tyranni.
Acribus ast illos curis mora sæva trahebat:
Ac simul ut medio viderunt Castora campo, 550
Crebrior incussit mentem pavor: O Jovis alma
Progenies, fare, an patriam spes ulla videndi,
Fare, omnes. Ille in mediis sic orsus Achivis:
Nec ferus Æetes, ut fama, nec aurea nobis
Terga negat; bello interea sed pressus iniquo 555
Auxilium petit: armatos dux protinus omnes
Accelerare jubet: longo nam tuta recessu
Puppis, et opposita fluvius defenditur urbe. [tus,
Haud mora; prosiliunt, quos nec Rhipæa juven-
Quos nec Iber, aut tota suis Aurora pharetris 560
Sustineat. Stetit explicito prius agmine pubes,
Expertique simul, si tela artusque sequantur.
Nec quisquam freta, nec patrias jam respicit urbes,
Sed magis ad præsens itur decus. Incita cristas
Aura quatit: variis floret via discolor armis. 565
Qualis ab Oceano nitidum chorus æthera vestit:
Qualibus adsurgens nox aurea cingitur astris.
Illos Sole satus tacita mæstissimus ira
Miratur temere adsumtos; nec talia mallet
Robora, quam medios hostem subiisse penates.
Interea læto patitur convivia vultu, 571
Et juxta Æsoniden magno cratere lacessit,
Nunc sibi monstrantem natos Jovis, oraque juxta
Æacidûm, nunc ingentes Calydonis alumnos:
Audit et Alciden infando errore relictum, 575
Defletosque duces, terræque marisque labores.
Ipse autem tantis concita furoribus arma
Expetit Æsonides, et amicos ordine reges: [per
Quis procul ille virûm nobis, quem balteus as-
Subligat, et stricto stat proximus armiger arcu, 580
Ceu pugnam paret, et positas confundere mensas?
Contra flammigeri proles Perseia Solis,
Quem rogitas, Carmeius, ait: mos cominus arma
Semper habere viro, semper meminisse pharetræ.
Quid Latagum, quid si amnigenam mirere Choas-
Bellatoris equi potantem cerne cruores; [pen?
Nec tamen immissis hic segnior ibit habenis.
Illum, ait Æsonides, pariter refer, horrida signis
Cui chlamys, et multa spirat coma flexilis aura.
Respicit Æetes, atque hunc quoque nomine reddit:
Dives Aron: croceos sic illius omnis odores 591
Jactat eques, unctis sic est coma culta maniplis.
Sed nec sperne virum, et comtis diffide capillis.
Campesus hic spoliis in tigridis, ille profundo
Incumbens Odrussa mero: viden' alta comantem
Pectora, et ingenti turbantem pocula barba? 596
Hic et laxarten dictis stupet hospes acerbis
Immodicum, linguaque gravem, cui nulla minanti
Non superûm, non præsentis reverentia belli.
Contra autem Æetes: Non frustra magna superbo
Dicta volant, ait, et vocem paria arma sequuntur:
Nec requies, quin Marte diem noctemque fatiget:
Atque ubi Rhipæa stupuerunt flumina bruma,
Jam pavidi cum prole Getæ, jam pervigil illum
Medus, et oppositis exspectat Iberia claustris.
Hos autem quæ quemque manus, quæ signa sequantur, [bram.
Si memorem, prius humentem lux solverit um-
Cras acies, atque illa ducum cras regna videbis
Dissona, saxiferæ surgat quibus imber habenæ,
Quæ jaculo gens apta levi, quæ picta pharetris
Venerit: ingentes animo jam prospice campos,
Atque hanc alipedi pulsantem corpora curru
Euryalen, quibus exsultet Mavortia turmis,
Et quantum elata valeat peltata securi,
Cara mihi, et veras inter non ultima natas. 615
Fatur, et occiduo libat cratera parenti.
Quisque suis tum vota deis et pocula fundit,
Dent aciem, dent belligeros superare labores.
Ecce autem Geticis veniens Gradivus ab antris,
Ingentemque trahens Arctoa per æquora nubem,
Adspicit Ææa Minyas stupefactus in urbe, 621
Ambitumque senem, promissaque vellera puppi
Thessalicæ. Citus ad summi stellantia patris

Tecta ruit, questuque Jovem testatur acerbo :
Quæ studiis, rex magne, quies ? jam mutua divi
Exitia in solos hominum molimur honores: 626
Teque ea cuncta juvant, rabidam qui Pallada cœlo
Non abigis, neque fœmineis jus objicis ausis.
Non querar, exstructa quod vexerit ipsa carina
Vellera sacra meis sperantem avertere lucis, 630
Quodque palam tutata viros: sic cætera pergat,
Si valet, insidiis quæ nunc fallacibus ambit,
Nostra ut Phrixeo spolientur templa metallo.
Non opus auxilio Colchis, nec fœdere vestro:
Et Persen simul, et Minyas deposcimus hostes.
Quin age, quid tantæ coeunt in prœlia gentes ?
Quid tuus Æsonides ? imus nos, protinus imus
In nemus auriferum, et sumtis decernimus armis ?
Vel tu sola polo tacitis inopina tenebris
Labere; quantus ibi deus, experiere, nec illas
Adstiteris impune trabes. An Martia templa 641
Intemeranda minus, tacitus mihi lucus, et agger
Quod rudis, et sola colimur si gentibus umbra ?
Est amor, est rerum cunctis tutela suarum :
Et tibi, magne pater, terris donaria certant : 645
Est honor his etiam suus. Atque ego clara Mycenes
Culmina, virgineas præder si Cecropis arces,
Jam conjux, jam te gemitu lacrymisque tenebit
Nata querens; metuant ergo, nec talia poscant.
Non tulit hæc animis, quin longa silentia Pallas
Rumperet, irridens strepitumque minasque Gradivi : [jactes,
Non tibi Bistonidæ, quibus hæc fera murmura
Non Lapithæ, sed Pallas, ait; neque ego ægide digna,
Nec vocer ulterius proles Jovis, excidat iste
Ni tibi corde tumor: lituos mox armaque faxo
Oderis, et primis adimam tua nomina bellis. 656
Quin simili matrem demens gravitate secutus,
Digna quidem monstrum superis quæ tale creavit.
Quod tamen aggressæ scelus, aut quo crimine son-
Si juvenem, qui jussa sui tam dira tyranni [tes,
Impavidus, maria et nondum qui nota subibat, 661
Juvimus, et magnis aliquam spem movimus ausis
An nullas præferre preces, nec fœdera regis
Ulla sequi, cæca sed cuncta impellere pugna
Debuimus ? sic Thraces agant, sic turbidus iste,
Si qua petit. Cuperem hæc etiam nunc bella remitti, 666
Nec socias armare manus: da vellera, rector,
Et medio nos cerne mari. Quod si mea Mavors
Abnegat, et solus nostris sudoribus obstat,
Ibimus indecores, frustraque tot æquora vectæ, 670
Fassaque quæ nequeam, sim fœmina ? Cœperat ardens
Hic iterum alternis Mavors insurgere dictis.
Excipit hinc contra pater, et sic voce coercet :
Quid, vesane, fremis ? cum vos jam pœnitet acti,
Peccatumque satis, tunc ad mea jura venitis. 675
Quolibet ista modo, quacunque impellite pugna,
Quæ cœpistis, habent quoniam sua fata furores.
Te tamen hoc, conjux, et te, mea nata, monebo :
Sit Persen pepulisse satis, nec vana retentet
Spes Minyas, finemve velint imponere bello. 680
Illum etenim talis rerum manet (accipite) ordo :
Victa retro nunc castra dabit, bellumque remittet,
Territus adventu ducis et virtute Pelasgi :
Mox ubi Thessalicis referent hos flamina terris,
Tunc aderit, victorque domos et sceptra tenebit;
Donec et Æeten inopis post longa senectæ 686
Exsilia (heu magnis quantum licet in pia fatis !)
Nata juvet, Graiusque nepos in regna reponat.
Hic labor, amborumque hæc sunt discrimina fratrum.
Vadite, et adversis, ut quis volet, irruat armis.
Dixerat: instaurat mensas, pacemque reducit,
Et jam sideream noctem demittit Olympo. 692
Tunc adsuetus adest Phlegræas reddere pugnas
Musarum chorus, et citharæ pulsator Apollo :
Fertque gravem Phrygius circum cratera minister
Surgitur in somnos, seque ad sua limina flectunt.

LIBER SEXTUS.

At vigil isdem ardet furiis Gradivus, et acri
Corde tumet : nec, quas acies, quæ castra sequatur,
Invenit: ire placet tandem, præsensque tueri,
Sternere si Minyas, magnoque rependere luctu
Regis pacta queat, Graiamque absumere pubem. 5
Impulit hinc currus, monstrum irrevocabile belli
Concutiens, Scythiæque super tentoria sistit.
Protinus e castris fugit sopor, excita tela,
Turbati coiere duces : hos insuper ingens
Fama movet, rate quæ sacra vulgabat Achivos 10
Advenisse, sui repetentes vellera Phrixi,
Quos malus hospitio junctaque ad fœdera dextra
Luserit Æetes, atque in sua traxerit arma.
Ergo, consiliis dum nox vacat alta movendis,
Legatos placet ire duces, mandataque Perses 15
Edocet affari Minyas, fraudemque tyranni
Ut moneant; quinam hinc animos averterit error;
Se primum Hæmoniis hortatum ea vellera terris
Reddere, et exuvias pecudis dimittere sacræ;
Hinc odium, et tanti venisse exordia belli. 20
Quin potius dextramque suam, suaque arma sequantur, [que
Aut remeent : neque enim Æetæ promissa fidem-
Esse loco : abstineant alienæ a sanguine pugnæ.
Non illos ideo tanti venisse labores 24
Per maris : ignotis quid opus concurrere, nec quos
Oderis ? Hæc medio Perses dum tempore mandat,
Aureus effulsit campis rubor, armaque et acres
Sponte sua strepuere tubæ : Mars sævus ab altis,
Hostis io, conclamat, equis, agite, ite, propinquat;
Ac simul hinc Colchos, hinc fundit in æquora Persen. 30
Tunc et quisque suis committit prœlia telis,
Voxque dei pariter pugnas audita per omnes.
Hinc age, Rhipæo quos videris orbe furores,
Musa, mone, quanto Scythiam molimine Perses
Concierit, quîs fretus equis per bella virisque. 35
Verum ego nec numero memorem, nec nomine cunctos, [ulla
Mille vel ora movens : neque enim plaga gentibus

Ditior: æterno quanquam Mæotia pubes
Marte cadat, pingui nunquam tamen ubere defit,
Quod geminas Arctos, magnumque quod impleat anguem. 40
Ergo duces solasque, deæ, mihi promite gentes.
Miserat ardentes, mox ipse secutus, Alanos
Heniochosque truces, jam pridem infensus Anausis,
Pacta quod Albano conjux Medea tyranno; 44
Nescius heu quanti thalamos adscendere monstri
Arserit, atque urbes maneat qui terror Achæas,
Gratior ipse deis, orbaque beatior aula.
Proxima Bisaltæ regio, ductorque Colaxes,
Sanguis et ipse deûm, Scythicis quem Jupiter oris
Progenuit, viridem Myracen Tibisenaque juxta
Ostia, semifero (dignum si credere) captus [gues.
Corpore, nec Nymphæ geminos exhorruit an-
Cuncta phalanx insigne Jovis, cælataque gestat
Tegmina dispersos trifidis ardoribus ignes:
Nec primus radios, miles Romane, corusci 55
Fulminis, et rutilas scutis diffunderis alas.
Insuper auratos collegerat ipse dracones, [que
Matris Oræ specimen; linguisque adversus utrin-
Congruit, et tereti serpens dat vulnera gemmæ.
Tertius unanimis veniens cum millibus Auchus
Cimmerias ostentat opes, cui candidus olim 61
Crinis inest, natale decus; dat longior ætas
Jam spatium, triplici percurrens tempora nodo:
Demittit sacro geminas a vertice vittas.
Datin Achæmeniæ gravior de vulnere pugnæ
Misit in arma Daraps: acies quem Martia circum
Gangaridûm, potaque Gerys quos efferat unda,
Quique lacum cinxere Bicen. Non defuit Assur,
Non Rhadalo cum fratre Sydon: Acesinaque lævo
Omine fatidicæ Crixus movet agmina cervæ.
Ipsa comes, setis fulgens et cornibus aureis, 71
Ante aciem celsi vehitur gestamine conti
Mæsta, nec in sævæ lucos reditura Dianæ.
Movit et Hylæa supplex cum gente Syenen
Impia germani prætentans vulnera Perses. 75
Densior haud usquam, nec celsior extulit ullas
Sylva trabes: fessæque prius rediere sagittæ,
Arboris ad summum quam pervenere cacumen.
Quin et ab Hyrcanis Titanius expulit antris
Cyris in arma viros, plaustrisque ad prœlia cunctas
Coraletæ traxere manus: ibi sutilis illis 81
Et domus, et crudo residens sub vellere conjux,
Et puer e primo torquens temone cateias.
Linquitur abruptus pelago Tyra, linquitur et mons
Ambenus, et gelidis pollens Ophiusa venenis: 85
Degeneresque ruunt Sindi, glomerantque paterno
Crimine nunc etiam metuentes verbera turmas.
Hos super æratam Phalces agit æquore nubem
Cum fremitu, densique levant vexilla Coralli,
Barbaricæ quîs signa rotæ, ferrataque dorso 90
Forma suum, truncæque Jovis simulacra columnæ:
Prœlia nec rauco curant incendere cornu,
Indigenas sed rite duces et prisca suorum
Facta canunt, veterumque viris hortamina laudes.
Ast Essedonicas mixtus pedes æquat habenas.
Illinc juratos se intrahit Æa Baternas, 96
Quos duce Teutagono crudi mora corticis armat,
Æquaque, nec ferro brevior nec rumpia ligno.
Nec procul albentes gemina ferit aclyde parmas,
Hiberni qui terga Noæ, gelidumque securi 100
Eruit, et tota non audit Alazona ripa: [rum.
Quosque Taras, niveûmque ferax Evarchus olo-
Te quoque venturis, ingens Ariasmene, sæclis
Tradiderim, molem belli, lateque ferentem
Undique falcatos deserta per æquora currus. 105
Insequitur Drancæa phalanx, claustrisque profusi
Caspiadæ, quîs turba canum non segnius acres
Exsilit ad lituos, pugnasque capessit heriles.
Inde etiam par mortis honos, tumulisque recepti
Inter avos positusque virûm: nam pectora ferro
Terribilesque innexa jubas ruit agmine nigro 111
Latratuque cohors, quanto sonat horrida Ditis
Janua, vel superas Hecates comitatus ad auras.
Ducit ab Hyrcanis vates sacer agmina lucis
Varnus: eum Scythiæ jam tertia viderat ætas 115
Magnanimos Minyas Argoaque vela canentem.
Illius et dites monitis spondentibus Indi,
Et centumgeminæ Lagea novalia Thebes,
Totaque Rhipæo Panchaia rapta triumpho.
Discolor hastatas effudit Iberia turmas, 120
Quas Otaces, quas Latris agunt, et raptor agrorum
Neurus, et expertes canentis lazyges ævi.
Namque, ubi jam viresque aliæ, notusque refutat
Arcus, et inceptus jam lancea temnit heriles,
Magnanimis mos ductus avis, haud segnia mortis
Jura pati, dextra sed caræ occumbere prolis, 126
Ense dato; rumpuntque moras natusque parens-
que,
Ambo animis, ambo miseri tam fortibus actis.
Hic et odorato spirantes crine Micelæ,
Cessææque manus, et qui tua jugera nondum 130
Eruis, ignotis insons Arimaspe metallis.
Doctus et Auchates patulo vaga vincula gyro
Spargere, ex extremas laqueis adducere turmas.
Non ego sanguineis gestantem tympana bellis
Thyrsageten, cinctumque vagis post terga silebo
Pellibus, et nexas viridantem floribus hastas. 136
Fama ducem Jovis et Cadmi de sanguine Bacchum
Hac quoque thuriferos, felicia regna, Sabæos,
Hac Arabas fudisse manu; mox rumperet Hebri
Cum vada, Thyrsagetas gelida liquisse sub Arcto.
Illis omnis adhuc veterum tenor, et sacer æris 141
Pulsus, et Eoæ memoratrix tibia pugnæ.
Jungit opes Eumeda suas; sua signa secuti
Exomatæ, Torinique, et flavi crine Satarchæ.
Mellis honos Torinis; ditant sua mulctra Satar-
Exomatas venatus alit, nec clarior ullis [chen;
Arctos equis: abeunt Hypanin fragilemque per
undam,
Tigridis aut sævæ profugi cum prole leænæ,
Mæstaque suspectæ mater stupet aggere ripæ.
Impulit et dubios Phrixei velleris ardor 150
Centoras, et diros magico terrore Choatras.
Omnibus in superos sævus honor, omnibus artes
Monstrificæ, nunc vere novo compescere frondes,
Nunc subitam trepidis Mæotida solvere plaustris.
Maximus hos inter Stygia venit arte Choastes:
Sollicitat nec Martis amor, sed fama Cytææ
Virginis, et paribus spirans Medea venenis.
Gaudet Averna palus, gaudet jam nocte quieta
Portitor, et tuto veniens Latonia cœlo.
Ibant et geminis æquantes cornibus alas 160
Ballonoti, comitumque celer mutator equorum
Mœsus, et ingentis frenator Sarmata conti.
Nec tot ab extremo fluctus agit æquore, nec sic
Fratribus adversa Boreas respondet ab unda, [tus
Aut is apud fluvios volucrum sonus, æthera quan-
Tunc lituûm concentus adit, lymphataque miscet
Millia, quot foliis, quot floribus incipit annus.
Ipse rotis gemit intus ager, tremebundaque pulsu
Nutat humus: quatit ut sævo cum fulmine Phle-
gram 169
Jupiter, atque imis Typhona reverberat arvis.
Prima tenent illinc patriis Absyrtus in armis,
Et gener, ingentesque inter sua millia reges.

At circa Æsoniden Danaûm manus, ipsaque Pallas
Ægide terrifica, quam nec dea lassat habendo,
Nec pater horrentem colubris vultuque tremendam
Gorgoneo: nec semineces ostendere crines 176
Tempus adhuc, primasque sinit concurrere pugnas.
Impulit hos contra Mavors pater, et mala leti
Gaudia, Tisiphoneque caput per nubila tollens
Ad sonitum litui, mediaque altissima pugna; 180
Necdum clara, quibus sese Fuga mentibus addat.
Illi ubi consertis junxere frementia telis
Agmina, virque virum galeis afflavit adactis,
Continuo hinc obitus, perfractaque cædibus arma,
Corporaque, alternus cruor, alternæque ruinæ:
Volvit ager galeas, et thorax egerit imbres 186
Sanguineos: hinc barbarici glomerantur ovatus,
Hinc gemitus, mixtæque virûm cum pulvere vitæ.
Caspius Ææum correpto crine Monæsen 189
Abstulit; hunc pariter Colchi Graïique sequuntur
Missilibus: rapit ille necem, prædamque relin- [quit,
Nec sociis jam cura viri. Dipsanta Caresus,
Strymonaque obscura spargentem vulnera funda
Dejicit; Albani cadit ipse Cremedonis hasta,
Jamque latet, currusque super turmæque feruntur.
Processere Melas et Hidasmenus: incipit hasta
Ante Melas: levis ast abies elusit utrumque;
Ensibus inde ruunt: prior occupat ære citato
Cassidis ima Melas: infracta est vulnere cervix.
Mixta perit virtus: nescit cui debeat Œbreus,
Aut cui fata Tyres: dum sibila respicit Iron 201
Cuspidis Argivæ, Pyliam latere accipit hastam.
Viderat Hyrcanos paribus discurrere fratres
Castor equis, pater armento quos dives ab omni
Nutrierat, fatisque viam monstrarat iniquis. 205
Tum magis atque magis peditem candore notato
Tyndariden incendit amor: simul obvius hastam
Pectus in adversum Gelæ jacit alipedemque:
Constitit excusso victor duce: risit ab alta
Nube pater, prensisque equitem cognovit habenis.
At pariter luctuque furens visuque Medores 211
Tyndariden petit, et superos sic voce precatur.
Hunc, age, vel cæso comitem me reddite fratri,
Primus et hic nostra sonipes cadat impius hasta,
Credita qui misero non retulit arma parenti, 215
Meque venit contra, captivaque terga ministrat.
Dixerat: Actæi sed eum prior hasta Phaleri
Dejicit: ad socias sonipes citus effugit alas.
Quis tibi fatales unquam metuisset Amyclas [ter
Œbaliamque manum, tot, Rhyndace, montibus in-
Diviso totidemque fretis? Cadit impiger una
Inguine transfosso clari Taulantis alumnus
Semidea genitrice Tages, cui plurima sylvis
Pervigilat nocturna soror, cultusque laborat.
Tenuia non illum candentis carbasa lini, 225
Non auro depicta chlamys, non flava galeri
Cæsaries, pictoque juvant subtemine braccæ.
Jamque novus mediæ stupefacta per agmina pug-
Vadit eques, densa spargens hastilia dextra, [næ
Fulmineumque viris proturbans ingerit ensem 230
Huc alternus et huc; cum sævior, ecce, juventus
Sarmaticæ coiere manus, fremitusque virorum
Semiferi: riget his molli lorica catena; [armos
Id quoque tegmen equis; at equi porrecta per
Et caput ingentem campis hostilibus umbram
Fert abies obnixa genu, vaditque virûm vi, 236
Vadit equûm, docilis relegi, docilisque relinqui,
Atque iterum medios non altior ire per hostes.
Orbibus hos rapidis, mollique per æquora Castor
Anfractu levioris equi deludit anhelos, [æque
Immemoresque mori. Sed non isdem artibus
Concurrunt, ultroque ruunt in funera Colchi.
Campesus impacta latus inter et ilia quercu
Tollitur, ac mediam moriens descendit in hastam
Œbasus, infestum submisso poplite Phalcen 245
Evasisse ratus, lævum per luminis orbem
Transigitur: teneræ liquuntur vulnere malæ.
Contra autem, geminis fidens thoracibus, ictum
Sustulit, et gladio Sibotes ferit ultima teli, [rat
Nequicquam: jam cuspis inest, nec fragmina cu-
Ambenus, et trunco medium subit Otrea ligno.
Seminecem Taxes Hypanin vehit, atque remissum
Pone trahit fugiens, et cursibus exsuit hastam;
Dumque recollectam rursus locat, irruit ultro,
Turbatumque Lacon, et adhuc invadit inermem.
Impulit adverso præceps equus Onchea conto,
Nequicquam totis revocantem viribus armos.
In latus accedit sonipes, accedit et ipse [pis.
Frigidus: arma cadunt: rorat procul ultima cus-
Qualem populeæ fidentem nexibus umbræ 260
Si quis avem summi deducat ab aere rami,
Ante manu tacita cui plurima crevit arundo,
Illa dolis viscoque super correpta sequaci
Implorat ramos, atque irrita concitat alas.
Parte alia infestis (nam fors ita junxit) in armis
Styrus adest, lætusque virum cognoscit Anausin,
Et prior: En cujus thalamis Æetia virgo
Dicta manet, nostrosque feret qui victor amores!
Non, ait, invitoque gener mutabere patri.
Tum simul adversas collatis cursibus hastas 270
Conjiciunt: fugit adductis Albanus habenis
Saucius, atque datum leto non sperat Anausin,
Nec videt: ille autem telo moribundus adacto,
Ad soceros pactæque sinus en conjugis, inquit,
Styre, fugis, vulnus referens, quod carmine nullo
Sustineat, nullisque levet Medea venenis. 276
Dixerat; extremus cum lumina corripit error,
Voxque repressa gelu, percussaque vertice tellus
Hinc animos acies auget, magnoque doloris
Turbine Gesandrum Mavors rapit; ille morantes
Increpat, et stricto sic urget Iazygas ense: [tus
Nempe omnes cecidere senes, nempe omnis adem-
Ante pater: quæ vos subito tam fœda senectus
Corripuit, fregitque animos, atque abstulit iras?
Aut mecum mediam, juvenes, agite, ite per urbem 285
Argolicamque manum, aut caris occumbite natis.
Irruit, et patrias cœptis ferus advocat umbras:
Sancte mihi Vorapte pater, tua pectora nato
Suggere nunc, animumque parem, si fata peroso
Tarda tibi turpesque moras non segnius ipsi 290
Paruimus, parvique viam didicere nepotes.
Hæc ait, auditurque Erebo: tunc corripit ensem
Turbidus, et furiis ardens quatit arma paternis.
Indigenis sacratus aquis, magnique sacerdos
Phasidis Arctois Aquites errabat in armis, 295
Populeus cui frontis honor, conspectaque glauco
Tempora nectuntur ramo, te, Cyrne, parentis
Immemorem duræ cupiens abducere pugnæ;
Jamque omnes impune globos diversaque lustrans
Agmina, quem quærit, nusquam videt, atque
iterum instat 300
Vociferans, iterum belli diversa peragrat:
Lancea cæruleas circum strepit incita vittas.
Opprimit admissis ferus hunc Gesander habenis.
Ille manum trepidans atque irrita sacra tetendit,
Teque per hanc, inquit, genitor tibi si manet, oro
Canitiem, compesce minas, et sicubi nato 306
Parce meo. Dixit: contra sic victor adacto
Ense refert: Genitor, turpi durare senecta [tra
Quem mihi reris adhuc, ipse hac occumbere dex-
Maluit, atque ultro segnes abrumpere metas. 310

Et tibi si pietas nati, si dextra fuisset,
Haud medii precibus tereres nunc tempora belli,
Præda future canum. Juveni sors pulchrior omni:
Et certare manu decet, et caruisse sepulcro.
Dixerat: ille deos moriens cœlumque precatur,
Dextera ne misero talis foret obvia nato. 316
Te quoque, Canthe, tui non inscia funeris Argo
Flevit, ab invita rapientem tela carina. [nem
Jam Scythicos, miserande, sinus, jam Phasidis am-
Contigeras; nec longa dies, ut capta videres 320
Vellera, et Euboicis patrios de montibus ignes.
Illum ubi congressu subiit Gesander iniquo,
Territat his: Tu, qui faciles, hominumque putasti
Has, Argive, domos, alium hic miser adspicis an-
Altricemque nivem, festinaque tædia vitæ. [num,
Non nos aut levibus componere brachia remis
Novimus, aut ventos opus exspectare ferentes;
Imus equis, qua vel medio riget æquore pontus,
Vel tumida fremit Ister aqua: nec mœnia nobis
Vestra placent; feror Arctois nunc liber in arvis,
Cuncta tenens mecum: omnis amor jacturaque
plaustri 331
Sola; nec hac longum victor potiere rapina. [rum.
Ast epulæ quodcunque pecus, quæcunque fera-
Mitte Asiæ, mitte Argolicis mandata colonis,
Ne trepident: nunquam has hiemes, hæc saxa
relinquam, 335
Martis agros, ubi jam sævo duravimus amne
Progeniem, natosque rudes: ubi copia leti
Tanta viris? sic in patriis bellare pruinis
Prædarique juvat, talemque hanc accipe dextram.
Dixit, et Edonis nutritum missile ventis 340
Concitat: it medium per pectus, et horrida nexu
Letifer æra chalybs. Trepidus super advolat Idas,
Ac simul Œnides, pariterque Menœtius, et qui
Bebrycio propius remeavit ab hospite victor.
At vero ingentem Telamon procul extulit orbem,
Exanimem te, Canthe, tegens: ceu septus in arcto
Dat catulos post terga leo, sic cominus hastam
Æacides gressumque tenet, contraque ruentem
Septeno validam circumfert tegmine molem.
Nec minus hinc urget Scythiæ manus, armaque
Canthi 350
Quisque sibi, et Graio pœnam de corpore poscens.
Arduus inde labos, medioque in corpore pugna
Conseritur. Magno veluti cum turbine sese
Ipsius Æoliæ frangunt in limine venti, [quatur
Quem pelagi rabies, quem nubila, quemque se-
Ille dies: obnixa virûm sic cominus hæret 356
Pugna, nec abrepto velli de corpore possunt.
Ut bovis exuvias multo qui frangere olivo
Dat famulis, tendunt illi, tractuque vicissim
Taurea terga domant: pingui fluit unguine tellus:
Talis utrinque labos, raptataque limite in arcto
Membra viri miseranda meant: hi tendere contra,
Hi contra, alternæque virûm non cedere dextræ.
Hinc medium Telamon Canthum rapit; hinc te-
net ardens
Colla viri, et molles galeæ Gesander habenas, 365
Insonuit quæ lapsa solo, dextramque fefellit.
Ille iterum in clypei septemplicis improbus orbem
Arietat, et Canthum sequitur, Canthumque repos-
cit: [tum
Quem manus a tergo sociûm rapit, atque recep-
Virginis Euryales curru locat; advolat ipsa, 370
Ac simul Hæmonidæ, Gesandrumque omnis in
unum
It manus. Ille novas acies et virginis arma
Ut videt; Has etiam contra bellabimus? inquit:
Heu pudor! inde Lycen ferit ad confine papillæ,
Inde Thoen, qua pelta vacat: jamque ibat in Har-
Vixdum prima levi ducentem cornua nervo, [pen,
Inque labantis equi tendentem frena Neippen;
Cum regina, gravem nodis auroque securim
Congeminans, partem capitis galeæque ferinæ
Dissipat. Hic pariter telorum immanis in unum
It globus: ille diu conjectis sufficit hastis, 381
Quis gravior, nutuque cadens exterruit Idam.
Tunc ruit, ut montis latus, aut ut machina muri,
Quæ scopulis trabibusque diu confectaque flam-
mis
Procubuit tamen, atque ingentem propulit urbem.
Ecce locum tempusque ratus, jamque et sua
Prœlia, falcatos infert Ariasmenus axes, [posci
Sævaque diffundit sociûm juga, protinus omnes
Grajugenas, omnes rapturus ab agmine Colchos.
Qualiter, exosus Pyrrhæ genus æquora rursus
Jupiter atque omnes fluviûm si fundat habenas,
Ardua Parnassi lateant juga, cesserit Othrys
Piniger, et mersis decrescant rupibus Alpes.
Diluvio tali, paribusque Ariasmenus urget
Excidiis, nullo rapiens discrimine currus. 395
Ægida tum primum virgo, spiramque Medusæ
Tercentum sævis squalentem sustulit hydris,
Quam soli vidistis equi: pavor occupat ingens
Excussis in terga viris, diramque retorquet
In socios non sponte luem: tunc ensibus uncis
Implicat, et trepidos lacerat Discordia currus. 401
Romanas veluti sævissima cum legiones
Tisiphone regesque movet, quorum agmina pilis,
Quorum aquilis utrinque micant, eademque pa
Rura colunt, idem lectos ex omnibus agris [rentes
Miserat infelix non hæc ad prœlia Tibris: 406
Sic modo concordes, externaque fata petentes,
Palladii rapuere metus; sic in sua versi
Funera concurrunt, dominis revocantibus, axes.
Non tam fœda virûm Laurentibus agmina terris
Ejecere Noti, Libyco nec talis imago 411
Littore, cum fractas involvunt æquora puppes.
Hinc bijuges, illinc artus tenduntur heriles, [que
Quos radii, quos frena secant: trahiturque, trahit
Currus cæde madens, atroque in pulvere regum
Viscera nunc aliis, aliis nunc curribus hærent.
Haud usquam Colchorum animi, neque cura cavere
Tela, sed implicitos miseraque in peste revinctos
Confodiunt; ac forma necis non altera surgit,
Quam cervos ubi non Umbro venator edaci, 420
Non penna petit, hærentes sed cornibus altis
Invenit, et cæca constrictos excipit ira.
Ipse recollectis audax Ariasmenus armis
Desilit: illum acies curvæ secat undique falcis,
Partiturque rotis, atque inde furentia raptus 425
In juga, Circæos tetigit non amplius agros.
Talia certatim Minyæ sparsique Cytæi [bant;
Funera miscebant campis, Scythiamque preme-
Cum Juno Æsonidæ, non hanc ad vellera cernens
Esse viam, nec sic reditus regina parandos, 430
Extremam molitur opem, funesta priusquam
Consilia, ac seras aperit rex perfidus iras.
Increpat et sævis Vulcanum mæsta querelis,
Cujus flammiferos videt inter regia tauros
Pascua Tartaream proflantes pectore noctem. 435
Hæc etenim Minyas ne jungere Marte peracto
Monstra satis jubeat Cadmei dentibus hydri
Ante diem, timet, et varias circumspicit artes.
Sola animo Medea subit; mens omnis in una
Virgine, nocturnis qua nulla potentior aris. 440
Illius ad fremitus sparsosque per avia succos
Sidera fixa pavent, et avi stupet orbita Solis.
Mutat agros, fluviûmque vias: suus alligat igni

Cuncta sopor : recoquit fessos ætate parentes,
Datque alias sine lege colus. Hanc maxima Circe
Terrificis mirata modis, hanc advena Phrixus,
Quamvis Atracio lunam spumare veneno
Sciret, et Hæmoniis agitari cantibus umbras.
Ergo opibus magicis et virginitate tremendam
Juno duci sociam conjungere quærit Achivo. 450
Non aliam tauris videt et nascentibus armis
Quippe parem : medio quam si stet in agmine flammæ,
Nullum mente nefas, nullos horrescere visus.
Quid, si cæcus amor, sævusque accesserit ignis?
Hinc Veneris thalamos, semperque recentia sertis
Tecta petit : visa jamdudum prosilit altis 456
Diva toris, volucrumque exercitus omnis Amorum.
Ac prior hanc placidis supplex Saturnia dictis
Aggreditur, veros metuens aperire timores :
In manibus spes nostra tuis, omnisque potestas
Nunc, ait : hoc etiam magis annue vera fatenti.
Durus ut Argolicis Tirynthius exsulat oris,
Mens mihi non eadem Jovis, atque aversa voluntas,
Nullus honor thalamis, flammæve in nocte priores.
Da, precor, artificis blanda adspiramina formæ,
Ornatusque tuos, terra cœloque potentes. 466
Sensit diva dolos, jampridem sponte requirens
Colchida, et invisi genus omne exscindere Phœbi;
Tum vero optatis potitur : nec passa precari
Ulterius, dedit acre decus, fecundaque monstris
Cingula, non pietas quibus, aut custodia famæ,
Non pudor, at contra levis et festina cupido,
Affatusque mali, dulcisque labantibus error,
Et metus, et demens alieni cura pericli. 474
Omne, ait, imperium, natorumque arma meorum
Cuncta dedi : quascunque libet nunc concute mentes.
Cingitur arcanis Saturnia læta venenis,
Atque hinc virgineæ venit ad penetralia sedis,
Chalciopen imitata sono formaque sororem.
Fulsit ab invita lumen procul, et pavor artus 480
Protinus, atque ingens Ætida perculit horror.
Ergo nec ignotis Minyas huc fluctibus, inquit,
Advenisse, soror, nec nostro sola parenti
Scis socias junxisse manus? at cætera muros
Turba tenet, fruiturque virûm cœlestibus armis.
Tu thalamis ignava sedes, tu sola paterna 486
Fixa domo? tales quando tibi cernere reges?
Illa nihil contra; nec enim dea passa, manumque
Implicat, et rapidis mirantem passibus aufert.
Ducitur infelix ad mœnia summa, futuri 490
Nescia virgo mali, et falsæ commissa sorori :
Lilia per vernos lucent velut alba colores
Præcipue, quîs vita brevis, totusque parumper
Floret honor, fuscis et jam Notus imminet alis.
Hanc residens altis Hecate Perseia lucis 495
Flebat, et has imo referebat pectore voces :
Deseris heu nostrum nemus æqualesque catervas,
Ah misera, ut Graias haud sponte vageris ad urbes!
Non injussa tamen; neque te, mea cura, relinquam.
Magna fugæ monimenta dabis : spernere nec usquam 500
Mendaci captiva viro, meque ille magistram
Sentiet, et raptu famulæ doluisse pudendo.
Dixerat : ast illæ murorum extrema capessunt,
Defixæque virûm lituûmque fragoribus horrent :
Quales instanti nimborum frigore mæstæ 505
Succedunt ramis, hærentque pavore volucres.
Jamque Getæ, jamque omnis Iber, Drancæaque densa
Strage cadit legio, et latis prosternitur arvis.
Semineces duplicesque inter sua tela, suosque
Inter equos sævam misero luctamine versant 510
Congeriem, et longis campos singultibus implent.
Victores contra patrium Pæana Geloni
Congeminant : eadem redeunt mox gaudia victis,
Qua deus, et melior belli respexit imago.
Quis tales obitus dederit, quis talia facta, 515
Dic age, tuque feri reminiscere, Musa, furoris.
Absyrtus clypei radiis, curruque coruscus
Solis avi, cujus vibrantem cominus hastam
Cernere, nec galeam gentes potuere minantem,
Sed trepidæ redeunt, et verso vulnera tergo 520
Accipiunt, magnisque fugam clamoribus augent,
Proterit impulsu gravis agmina, corporaque atris
Sternit equis, gemitusque premit spirantis acervi.
Nec levior comitatur Aron, horrentia cujus 524
Discolor arma super squalentesque ære lacertos
Barbarica chlamys ardet acu, tremefactaque vento
Implet equum : qualis roseis it Lucifer alis,
Quem Venus illustri gaudet producere cœlo.
At non inde procul Rhamelus et acer Otaxes
Dispulerant Colchos, pariterque inglorius Arnes,
Fraude nova stabula et furtis adsuetus inultis
Depopulare greges, frontem cum cornibus auxit
Hispidus, inque dei latuit terrore Lycæi.
Hac tunc attonitos facie defixerat hostes. 534
Quem simul ignota formidine bella moventem
Vidit Aron; Pavidos te, inquit, nunc rere magistros
Et stolidum petiisse pecus : non pascua, nec seps
Hic tibi; nocturnis mitte hæc simulacra rapinis,
Neve deum mihi finge, deus quoque consere dextram.
Sic ait, intentaque adjutum missile planta
Dirigit, et lapsis patuerunt vulnera villis. 541
Nec minus Æolii proles Æetia Phrixi
Fertur et ipsa furens, ac se modo læta Cytæis
Agminibus, modo cognatis ostentat Achivis.
Atque hos in medio duri discrimine belli 545
Laudibus inque ipsis gaudens ubi vidit Iason,
Macte, ait, o nostrum genus, et jam certa propago
Æoliæ, nec opina, domus : sat magna laborum
Dona fero : satis hoc visu quæcunque rependo.
Dixit, et in Sueten, magnique in fata Ceramni 550
Emicuit, clypeumque rotans hunc poplite cæso
Dejicit, illum aperit lato per pectus hiatu
Argus; utrumque ab equis ingenti porrigit arvo
Et Zacorum et Phalcen, peditem pedes haurit Amastrum.
Sanguinis ille globos effusaque viscera gestat 555
Barbarus, et cassa frendens sublabitur ira.
Dat Calais Barisanta neci, semperque propinquas
Rhipea venali comitantem sanguine pugnas.
Centum lecta boum bellator corpora, centum
Pactus equos; his ille animam lucemque rependit
Crudelis : tandem dulces jam cassus in auras 561
Respicit, ac nulla cœlum reparabile gaza.
Labitur, intortos per tempora cærula crines
Tunc quoque materna velatus arundine, Peucron.
At genitrix imis pariter Mæotis ab antris 565
Implevit plangore lacus, natumque vocavit,
Jam non per ripas, jam non per curva volantem
Stagna, nec in medio truncantem marmore cervos.
Eurytus Exomatas agit æquore : Nestoris hastæ
Immoritur primævus Helix (nec reddita caro 570
Nutrimenta patri) brevibus præreptus in annis.
At Latagum Zatenque Daraps, illum exigit hasta,
Hunc fugat, ingentem subiti cum sanguinis undam
Vidit, et extremo lucentia pectora ferro.
Ecce autem muris residens Medea paternis,
Singula dum magni lustrat certamina belli, 576
Atque hos ipsa procul densa in caligine reges
Agnoscit, quæritque alios Junone magistra,
Conspicit Æsonium longe caput, ac simul acres

Huc oculos, sensusque refert, animumque faven
tem; 580
Nunc quo se raperet, nunc quo diversus abiret,
Ante videns; quotque unus equos, quot funderet
arma,
Orantesque viros quam densis sterneret hastis.
Quaque iterum tacito sparsit vaga lumina vultu,
Aut fratris quærens, aut pacti conjugis arma, 585
Sævus ibi miseræ solusque occurrit Iason.
Tunc his germanam aggreditur, ceu nescia, dictis:
Quis, precor, hic, toto jamdudum fervere campo
Quem tueor, quemque ipsa vides? nam te quo-
que tali
Attonitam virtute reor. Contra aspera Juno 590
Reddit agens stimulis, ac diris fraudibus urget:
Ipsum, ait, Æsoniden cernis, soror, æquore tanto
Debita cognati repetit qui vellera Phrixi; [quam.
Nec nunc laude prior generis, nec sanguinis us-
Adspicis, ut Minyas inter proceresque Cytæos 595
Emicet effulgens, quantisque insultet acervis.
Et jam vela dabit, jam littora nostra relinquet,
Thessaliæ felicis opes dilectaque Phrixo [res!
Rura petens: eat atque utinam, superetque labo-
Tantum effata, magis campis intendere suadet,
Dum datur, ardentesque viri percurrere pugnas.
At simul hanc dictis, illum dea Marte secundo
Impulit, atque novas egit sub pectore vires.
Ora sub excelso jamdudum vertice coni 604
Sæva micant, cursuque ardescit, nec tibi, Perse,
Nec tibi, virgo, jubæ lætabile sidus Achivæ:
Acer ut auctumni canis, iratoque vocati
Ab Jove fatales ad regna injusta cometæ.
Nec sua Crethiden latuit dea, vimque recentem
Sentit agi membris, ac se super agmina tollit: 610
Quantus ubi ipse gelu, magnoque incanuit imbre
Caucasus, et summas abiit hibernus in Arctos.
Tunc vero, stabulis qualis leo sævit opimis
Luxurians, spargitque famem, mutatque cruores;
Sic neque parte ferox, nec cæde moratur in una
Turbidus, inque omnes pariter furit, ac modo sævo
Ense, modo infesta rarescunt cuspide pugnæ.
Tunc in terrificis undantem crinibus Hebrum
Et Geticum Priona ferit: caput eripit Auchi
Brachiaque, et vastis volvendum mittit arenis.
At genitus Jove complerat sua fata Colaxes;
Jamque pater mæsto contristat sidera vultu,
Talibus ægra movens nequicquam pectora curis:
Hei mihi, si duræ natum subducere sorti
Moliar, atque meis ausim confidere regnis! 625
Frater adhuc Amyci mæret nece, cunctaque divûm
Turba fremunt, quorum nati cecidere cadentque.
Quin habeat sua quemque dies, cunctisque negabo,
Quæ mihi. Supremos misero, sic fatus, honores
Congerit, atque animis moriturum ingentibus im-
Ille volat campis, immensaque funera miscet [plet.
Per cuneos: velut hiberno proruptus ab arcu
Imber agens scopulos, nemorumque operumque
ruinas,
Donec ab ingenti bacchatus vertice montis
Frangitur, inque novum paullatim deficit amnem.
Talis in extremo proles Jovis emicat ævo; 636
Et nunc magnanimos Hypetaona Gesithoumque,
Nunc Arinen Olbumque rotat: jam saucius Apren,
Et desertus equo Tydrum pedes excipit hasta
Phasiaden, pecoris custos de more paterni 640
Caucasus ad primas genuit quem Phasidis undas:
Hinc puero cognomen erat, famulumque ferebant
Phasidis intonso nequicquam crine parentes.
Jamque aliis instabat atrox; cum diva supremas
Rumpit iniqua colus victorque advenit Iason. 645
Excipit hunc sæva sic fatus voce Colaxes:
Vos Scythiæ saturare canes, Scythiæque volucres
Huc miseri venistis? ait: saxumque prehensum,
Illius et dextræ gestamen et illius ævi,
Concussa molitur humo, quod regia Juno 650
Flexit ad ignotum caput infletumque Monæsi.
Præceps ille ruit: nato non depulit ictus
Jupiter, Æsoniæ vulnus fatale sed hastæ
Per clypeum, per pectus abit; lapsoque cruentus
Advolat Æsonides, mortemque cadentis acerbat.
Spargitur hinc, miserisque venit jam notus Alanis.
At regina virum (neque enim deus amovet ig-
nem)
Persequitur lustrans, oculisque ardentibus hæret:
Et jam, læta minus præsentis imagine pugnæ,
Castigatque metus, et, quas alit inscia, curas, 660
Respiciens, an vera soror: nec credere falsos
Audet atrox vultus, eademque in gaudia rursus
Labitur, et sævæ trahitur dulcedine flammæ.
Ac velut ante comas ac summa cacumina sylvæ
Lenibus alludit flabris levis Auster, at illum 665
Protinus immanem miseræ sensere carinæ:
Talis ad extremos agitur Medea furores.
Interdum blandæ derepta monilia divæ
Contrectat, miseroque aptat flagrantia collo,
Quaque dedit teneros aurum furiale per artus, 670
Deficit, ac sua virgo deæ gestamina reddit;
Non gemmis, non illa levi turbata metallo,
Sed facibus, sed mole dei, quem pectore toto
Jam tenet: extremus roseo pudor errat in ore.
Ac prior his: Credisne patrem promissa daturum,
O soror, Argolicus cui dis melioribus hospes
Contigit? aut belli quantum jam restat acerbi?
Heu quibus ignota sese pro gente periclis
Objicit! Hæc fantem medio in sermone reliquit
Incepti jam Juno potens, securaque fraudis. 680
Imminet e celsis audentius improba muris
Virgo, nec ablatam sequitur quæritve sororem.
At quoties vis dira ducum, densique repente
Æsoniden pressere viri, cumque omnis in unum
Imber iit, toties saxis pulsatur et hastis. 685
Primaque ad infesti Lexanoris horruit arcus;
Alta sed Æsonium supra caput exit arundo,
Teque, Caice, petit: conjux miseranda Caico
Linquitur, et primo domus imperfecta cubili
Regius Eois Myraces interpres ab oris 690
Venerat, ut Colchos procul atque Æetia Parthis
Fœdera donato non irrita jungeret auro.
Tum juvenem terris Parcæ tenuere Cytæis,
Ac subiti Mavortis amor: simul armiger ibat
Semivir, impubemque gerens sterilemque juven
Iose, pharetratis residens ad frena tapetis, [tam
Nunc levis infesto procurrit in agmina curru,
Nunc fuga conversas spargit mentita sagittas.
At viridem gemmis et Eoæ stamine sylvæ
Subligat extrema patrium cervice tiaram, 700
Insignis manicis, insignis acinace dextro:
Improba barbaricæ procurrunt tegmina plantæ.
Nec latuere diu sævum spolia illa Syenen,
Perque levem et multo maculatam murice tigrin
Concita cuspis abit: subitos ex ore cruores 705
Saucia tigris hiat, vitamque effundit herilem:
Ipse puer fracto pronum caput implicat arcu.
Sanguine tunc atro chlamys ignea, sanguine vultus,
Et gravidæ maduere comæ, quas flore Sabæo
Nutrierat, liquidoque parens signaverat auro. 710
Qualem si quis aquis et fertilis ubere terræ
Educat, ac ventis cleam felicibus implet,
Nec labor assiduus, nec spes sua fallit alentem,
Jamque videt primam tenero de vertice frondem

Cum subito immissis præceps Aquilonia nimbis
Venit hiems, magnaque evulsam tendit arena:
Haud secus ante urbem Myraces, atque ipsius ante
Virginis ora cadit: sed non magis illa movetur,
Unius ægra metu, quam te, Meleagre, furentem,
Quam Talaum videt, aut pugnas miratur Acasti.
At satis hos ipsæ gentes campique videbant
Tempestate pari versis incumbere turmis. 722
Ante oculos fuga fœda ducum, largusque cadentum
It cruor, et currus dominis ingentibus orbi. [rum
Non tulit hos Perses gemitus, clademque suo-
Tergaque versa tuens his cœlum questibus implet:
Quid me jam patriis ejectum sedibus, istas
Ut struerem pugnas, Scythiamque in bella move-
Vos, superi, vos augurio lusistis inani? [rem,
Quid fratris meritas tua, Jupiter, omina pœnas 730
Promisere mihi? nobis Argoa parabas
Scilicet auxilia et tantas conjungere vires.
Sæva quidem lucis miseris mora; dent tamen, oro,
Unum illum mihi fata diem, quo fallat Achivos
Sic meritos, quoque hunc videam virtute superbum
Æsoniden, tantos flentem sine honore labores. 736
Dixerat hæc, pectusque suis everberat armis,
Et galeam fletu, galeam singultibus implet:
Ibat et in medii præceps incendia belli,
Ni prior adversis Pallas vidisset ab armis, 740
Et secum: Ruit ecce ferox in funera Perses,
Quem genitor Colchis, solioque reponere fratris
Jam statuit: nostra vereor ne fraude peremtum
Increpet, et culpam hanc magno terrore rependat.
Hæc dicens, atro nebulam diffundit amictu, 745
Stridentesque viri circum caput amovet hastas.
Ille super socias clementi turbine gentes
Erigitur, paullumque levi raptatus in æthra
Jam tandem extremas pugnæ defertur in oras,
Forte ubi serus Iber Essedoniæque phalanges
Marte carent, solisque juvant clamoribus agmen.
Nox simul astriferas profert mortalibus umbras,
Et cadit extemplo belli fragor, ægraque muris
Digreditur, longum virgo perpessa timorem.
Ut fera Nyctelii paullum per sacra resistunt, 755
Mox rapuere deum jam jam in quodcunque para-
Thyiades: haud alio remeat Medea tumultu, [tæ
Atque inter Graiûmque acies, patriasque phalanges
Semper inexpletis agnoscit Iasona curis, 759
Armaque, quique cava superest de casside vultus.

LIBER SEPTIMUS.

Te quoque Thessalico jam serus ab hospite vesper
Dividit, et te jam tua gaudia, virgo, relinquunt;
Noxque ruit, soli veniens non mitis amanti.
Ergo ubi, cunctatis extremo in limine plantis,
Contigit ægra toros, et mens incensa tenebris, 5
Vertere tunc varios per longa insomnia questus,
Nec pereat quo scire malo: tandemque fateri
Ausa sibi, paullum medio sic fata dolore est:
Nunc ego quo casu, vel quo sic pervigil usque
Ipsa volens errore trahor? non hæc mihi certe 10
Nox erat ante tuos, juvenis fortissime, vultus.
Quos ego cur iterum demens iterumque recordor,
Tam magno discreta mari? quid in hospite solo
Mens mihi? cognati potius jam vellera Phrixi
Accipiat, quæ sola petit, quæque una laborum 15
Causa viro. Nam quando domos has ille reviset?
Aut meus Æsonias quando pater ibit ad urbes?
Felices, mediis qui se dare fluctibus ausi,
Nec tantas timuere vias, talemque secuti
Hunc qui deinde virum: sed sic quoque talis abito.
Tum jactata toro, nimiumque experta cubile, 21
Ecce videt tenui candescere limen Eoo;
Nec minus insomnem lux orta refecit amantem,
Quam cum languentes levis erigit imber aristas,
Grataque jam fessis descendunt flamina remis. 25
At sua longarum Minyas jam cura viarum
Admonet, inque ipso nequicquam tempore regem
Lætitiæ meritique petunt: quem passus Iason
Vota prius, captasque deis accendere prædas,
Prominet, atque oculos longe tenet, aurea si jam
Pellis, et oblatis clarescant atria villis. 31
Ille autem jam jam vultus, vocesque paratas
Ante aperit, rumpitque moras, inque ipsa moran-
Prosilit ora viri, talique effunditur ira: [tis
Orbe satos alio, sua littora regnaque habentes, 35
Quis furor has mediis tot fluctibus egit in oras,
Quisve mei vos tantus amor? Tu prima malorum
Causa mihi, tu, Phrixe gener; non te æquore mersum,
Quo soror, ut felix nullos nunc nomine Graios
Nossem ego. Quis regum Pelias, quis Thessalus, aut quæ [ubi cautes
Græcia? quodnam hominum cerno genus? aut
Cyaneæ? venit Scythicas en hospes in oras.
Quinquaginta Asiam (pudet heu) penetrarit Iason
Exsulibus? meque ante alios sic spreverit una,
Una ratis, spolium ut vivo de rege reportet? 45
Ipsum efferre, meos ipsum me pandere lucos
Imperet, et nullo dignetur vincere bello?
Cur, age, non templis sacrata avellere dona
Omnibus, atque ipsas gremiis abducere natas,
Prædo, libet? vobisne domos, vobisne parentes
Esse putem, ratis infandis quos sola rapinis, 51
Sævaque pascit hiems? et quos, credamus ut ip-
Rex suus illisit pelago, vetuitque reverti? [sis,
Scilicet Æoliæ pecudis poteretur ut auro.
Ante meus cæsa descendet Caucasus umbra, 55
Ac prior Hæmonias rapiet super æquora prædas.
Haud ego cum vittis statui feralibus Hellen.
Si tamen his aliter perstas non cedere terris,
Teque pudor cassi reditus movet, ac latet una 59
Nescio quid plus puppe viris; haud ipse morabor,
Quæ petitis: modo nostra prior tu perfice jussa.
Martius ante urbem longis jacet horridus annis
Campus, et ardentes, ac me quoque, vomere presso,
Me quoque cunctantes interdum agnoscere tauri.
His magis atque magis rabiem nunc nostra senectus 65
Luxuriemque dedit, solitoque superbior ignis
Ore fremit. Succede meæ, fortissime, laudi,

Et nostros recole, hospes, agros: nec semina deerunt, [bam.
Quæ prius ipse dabam, et messes, quas solus obi-
Consiliis nox una satis, tecumque retracta 70
Cumque tuis hæc jussa deis; ac si quid in isto
Robore, prædicti venies in rura laboris. [est
Ipse incertus adhuc, tenebris te protinus illis
Involvi flammisque velim, durare parumper
An magis, everso jacias dum semina campo, 75
Ac tibi Cadmei dum seminis exeat hydri
Miles, et armata florescant pube novales.
Filia prima trucis vocem mirata tyranni
Hæsit, et ad juvenem pallentia retulit ora, 79
Contremuitque metu, ne nescius audeat hospes,
Seque miser ne posse putet. Perstrinxerat horror
Ipsum etiam, et mæsta stabat defixus in ira.
Non ita Tyrrhenus stupet Ioniusque magister,
Qui te jam, Tiberine, tuens, claramque serena 84
Arce Pharon, præceps subito nusquam ostia, nus-
Ausoniam videt, et sævas accedere Syrtes. [quam
Tum tamen, infando quæ det responsa tyranno,
Colligit, et tandem obtutu consurgit ab alto:
Non, ait, hos reditus, non hanc, Æeta, dedisti 89
Spem Minyis, cum prima tuis pro mœnibus arma
Induimus: quo versa fides? quos vestra volutant
Jussa dolos? alium hic Pelian, alia æquora cerno.
Quin agite, hoc omnes odiisque urgete, tyranni,
Imperiisque caput; quanquam mihi dextera, nec
Defuerit mox jussa pati, nec cedere duris. [spes
Unum oro, seu me illa suis seges obruet hastis, 96
Hauriet adverso seu crastinus ignis hiatu,
Nuntius hinc sævas Peliæ mittatur ad aures,
Hic periisse viros, et me, si vestra fuisset
Ulla fides, reducem patriæ potuisse referri. 100
Talibus attonitos dictis natamque patremque
Linquit, et infida præceps prorumpit ab aula.
At trepida, et medios inter deserta parentes
Virgo silet, nec fixa solo servare parumper
Lumina, nec potuit mæstos non flectere vultus:
Respexitque fores, et adhuc invenit euntem. 106
Visus et heu miseræ tunc pulchrior hospes amanti
Discedens; tales humeros, ea terga relinquit.
Illa domum atque ipsos paullum procedere postes
Optat, et ardentes tenet intra limina gressus. 110
Qualis ubi extremas Io vaga sentit arenas,
Fertque refertque pedem, tumido quam cogit Erinnys [tres:
Ire mari, Phariæque vocant trans æquora ma-
Circuit haud aliter, foribusque impendet apertis,
An melior Minyas revocet pater: oraque quærens
Hospitis, aut solo mæret defecta cubili, 116
Aut venit in caræ gremium refugitque sororis,
Atque loqui conata silet; rursusque recedens
Quærit, ut Ææis hospes consederit oris
Phrixus, ut aligeri Circen rapuere dracones. 120
Tum comitum visu fruitur miseranda suarum,
Implerique nequit; subitoque parentibus hæret
Blandior, et patriæ circumfert oscula dextræ.
Sic adsueta toris et mensæ dulcis herili,
Ægra nova jam peste canis rabieque futura, 125
Ante fugam totos lustrat queribunda penates.
Tandem etiam molli sese semel increpat ira:
Pergis, ait, demens, teque illius angit imago
Curaque, qui profuga forsan tenet alta carina,
Quique meum patrias referet nec nomen ad urbes?
Quid me autem sic ille movet, superetne labores,
An cadat, et tanto turbetur Græcia luctu?
Saltem, fata virum si jam suprema ferebant,
Jussus ad ignotos potius foret ire tyrannos 134
O utinam, et tandem non hac moreretur in urbe!
Namque et sidereo nostri de sanguine Phrixi
Dicitur, et caram vidi indoluisse sororem:
Seque ait has jussis actum miser ire per undas.
At redeat quocunque modo, meque ista precari
Nesciat, atque meum non oderit ille parentem.
Dixerat hæc, stratoque graves projecerat artus
Si veniat miserata quies; cum sævior ipse
Turbat agitque sopor: supplex hinc sternitur hospes,
Hinc pater: illa nova rumpit formidine somnos,
Erigiturque toro; famulas carosque penates 145
Agnoscit, modo Thessalicas raptata per urbes.
Turbidus ut pœnis cæcisque pavoribus ensem
Corripit, et sævæ ferit agmina matris Orestes:
Ipsum angues, ipsum horrisoni quatit ira flagelli,
Atque iterum infestæ se fervere cæde Lacænæ
Credit agens, falsaque redit de strage dearum 151
Fessus, et in miseræ collabitur ora sororis.
His ubi nequicquam nutantem Colchida curis
Juno videt, necdum extremo parere furori;
Non jam mentitæ vultum vocemque resumit 155
Chalciopes; quando ardor hebet, leviorque pudore,
Mensque obnixa malo, tenues sublimis in auras
Tollitur, et fulvo Venerem vestigat Olympo:
Sum memor, ut tantum mecum partita laborem:
Illa nimis sed dura manet, conversaque in iram
Et furias dolet, ac me nunc decepta reliquit. 161
I, precor, atque istum, quo me frustratur, amorem
Vince, precor, patriis ut tandem evadere tectis
Audeat, atque meum casu defendere ab omni
Æsoniden: quin illa sacro, quo freta, veneno 165
Illum etiam totis adstantem noctibus anguem,
Qui nemus omne suum, quique aurea (respice porro)
Vellera tot spiris circum, tot ductibus implet,
Solvat, et in somnos ingenti volvat ab orno. 169
Hæc tibi nunc, Furiis atque ipsi cætera mando.
Tum Venus aligerûm mater sic fatur Amorum.
Nec tibi, cum primos aggressa es flectere sensus
Virginis, ignotaque animûm contingere cûra.
Defuimus, data continuo sed cingula soli 174
Nostra tibi, quîs mota loco labefactaque cessit.
Haud satis est, sed me ipsa opus, et cunctantia poscunt
Pectora me, dubiusque pudor: jam fœdera faxo
Æsonii petat ipsa viri, metuatque morari.
Tu face luciferæ citus ad delubra Dianæ
Deveniat, sacras solita est ubi fundere tædas 180
Colchis, et æquali dominam lustrare caterva.
Nec te nunc Hecates subeat metus, aut mea forte
Impediat ne cœpta time; quin audeat opto:
Continuo transibit amor, cantuque trilingui
Ipsam flammiferos cogam compescere tauros, 185
Amplexumque pati. Volucrem tunc adspicit Irin,
Festinamque jubet monitis parere Diones,
Et juvenem Æsonium prædicto sistere luco.
Protinus hinc Iris Minyas, Cytherea petivit
Colchida; Caucasiis speculatrix Juno resedit 190
Rupibus, attonitos Ææa in mœnia vultus
Speque metuque tenens, et adhuc ignara futuri.
Vix primas occulta Venus prospexerat arces,
Virginis ecce novus mentem perstringere languor
Incipit: ingeminant commotis questibus æstus.
Ergo iterum sensus varios super hospite volvens
Mæret, et absenti nequicquam talia fatur:
Si tibi Thessalicis nunc, si tua forte venenis
Mater, et, heu si qua est, posset succurrere conjux!
Quidve tuos virgo possim nisi flere labores? 200

Hoc satis; ipsa etiam casus spectare supremos,
Atque iterum duræ cogar comes esse sorori.
Et nunc ille sua non quenquam sorte moveri,
Non ullum meminisse putat, cumque omnibus odit
Me quoque. Si quando fuerit tamen ulla potestas,
Illum ego, qui diris cinis ultimus hæserit arvis,
Ossaque, quis tauri sævusque pepercerit ignis,
Componam, sedemque dabo: fas tunc mihi ma-
Dilexisse viri, tumuloque has reddere curas. [nes
Dixerat: ecce toro Venus improvisa resedit,
Sicut erat, mutata deam, mentitaque pictis 211
Vestibus et magica Circen Titanida virga.
Ipsa, velut lenti fallatur imagine somni,
Sic oculos incerta tenet, magnique sororem
Paullatim putat esse patris: tum flebile gaudens
Prosiluit, sævæque ultro tulit oscula divæ. 216
Ac prior: O tandem, vix tandem reddita, Circe,
Dura tuis, quæ te bijugis serpentibus egit
Hinc fuga? quæve fuit patriis mora gratior oris?
Ante et Thessalicæ Phasin petiere carinæ, 220
Perque tot infelix frustra vada venit Iason,
Quam patriæ te movit amor. Tum cætera rumpit
Occurritque Venus: Tu nunc mihi causa viarum
Sola; tuæ venio, jampridem ignava, juventæ.
Cætera parce queri, neu me meliora secutam
Argue; quippe ut jam reputentur munera divûm,
Omnibus hunc potius communem animantibus orbem,
Communes et crede deos. Patriam inde vocato,
Qua redit itque dies. Nec nos, o nata, malignus
Clauserit hoc uno semper sub frigore Phasis. 230
Fas mihi non habiles, fas et tibi linquere Colchos.
Et nunc Ausonii conjux ego regia Pici,
Nec mihi flammiferis horrent ibi pascua tauris,
Meque vides Tusci dominam maris. At tibi qui-
nam 234
Sauromatæ, miseranda, proci? cui vadis Ibero
(Hei mihi!) vel sævo conjux non una Gelono?
Illa deæ contra jamdudum spernere voces:
Non ita me immemorem magnæ Perseidos, inquit,
Cernis, ut infelix thalamos ego cogar in illos.
I, precor, atque unum pro me dimitte timorem.
Sed magis his miseram, quando potes, eripe
curis, 241
Unde metus æstusque mihi, quæque aspera, ma-
Perpetior duræ jamdudum incendia mentis. [ter,
Nulla quies animo, nullus sopor ardua amanti.
Quære malis nostris requiem, mentemque repone:
Redde diem noctemque mihi: da prendere vestes
Somniferas, ipsaque oculos componere virga.
Tu quoque nil, mater, prodes mihi; fortior ante
Sola fui: tristes thalamos, infestaque cerno
Omnia, vipereos ipsi tibi surgere crines. 250
Talia verba dabat, collapsaque flebat iniquæ
In Veneris Medea sinus, pestemque latentem
Ossibus, atque imi monstrabat pectoris ignem.
Occupat amplexu Venus, et furialia figit
Oscula, permixtumque odiis inspirat amorem. 255
Dumque illam variis mærentem vocibus ambit,
Inque alio sermone tenet; Quin hoc, ait, audi.
Atque attolle genas, lacrymisque hæc infit obortis:
Cum levis a superis ad te modo laberer auris,
Forte ratem primo fugientem littore cerno, 260
Qualem nostra suo nunquam dimittere portu
Vellet, adhuc omnes quæ detinet insula nautas.
Unus ibi, ante alios qui tum mihi pulchrior omnes
Visus erat, (longeque ducem mirabar et ipsa,) 264
Advolat, atque unam comitum ratus esse tuarum,
Per, tibi si quis, ait, morituri protinus horror,
Et quem non meritis videas occurrere monstris,
Hæc, precor, hæc dominæ referas ad virginis au
Tu fletus ostende meos; illi has ego voces, [rem
Qua datur, hasque manus, ut possum, a littore
tendo. 270
Ipsæ, ego quas mecum per mille pericula traxi
Defecere deæ: spes et via sola salutis.
Quam dederit, si forte dabit: ne vota repellat,
Ne, mea; totque animas, quales nec viderit ultra,
Dic, precor, auxilio juvet, atque hæc nomina
servet. 275
Si Pelopis duros prior Hippodamia labores
Expediit, totque ora simul jugulata procorum
Respiciens, tandem patrios exhorruit axes;
Si dedit ipsa neci fratrem Minoia virgo;
Cur non hospitibus fas sit succurrere dignis 280
Te quoque, et Ææos jubeas mitescere campos?
Occidat æterna tandem Cadmeia morte
Jam seges, et viso fumantes hospite tauri. [tes!
Hei mihi, quod nullas hic possum exsolvere gra-
Ut tamen hoc sæva corpus de morte receptum,
Hanc animam sciat esse suam. Miserebitur ergo,
Dic, ait? an potius.. strictumque ruebat in ensem.
Promisi, (ne falle, precor,) cumque ipsa moverer
Alloquio casuque viri, te passa rogari 289
Sum potius; tu laude nova, tu supplice digno
Dignior es: sat fama meis jam parta venenis.
Torserat illa gravi jamdudum lumina vultu,
Vix animos dextramque tenens, quin ipsa loquen-
Iret in ora deæ; tanta pudor æstuat ira [tis
Verba cavens: horror molles invaserat artus. 295
Jamque toro trepidas infelix obstruit aures,
Nec quo ferre fugam, nec quo se vertere posset
Prensa videt: rupta condi tellure premique
Jamdudum cupit, ac diras evadere voces.
Illa sequi jubet, et portis exspectat in ipsis. 300
Sævus Echionia ceu Penthea Bacchus in aula
Deserit, injectis per roscida cornua vinclis,
Cum tenet ille deum, pudibundaque tegmina ma-
tris, [tam:
Tympanaque, et mollem subito miser accipit has-
Haud aliter deserta pavet, perque omnia circum
Fert oculos, tectisque negat procedere virgo.
Contra sævus amor, contra periturus Iason 307
Urget, et auditæ crescunt in pectore voces.
Heu quid agat? videt externo se prodere patrem
Dura viro, famam scelerum jamque ipsa suorum
Prospicit, et questu superos, questuque fatigat
Tartara: pulsat humum, manibusque immurmu-
rat uncis,
Noctis heram Ditemque ciens, succurrere tandem
Morte velint, ipsumque simul demittere leto, 314
Quem propter furit: absentem sævissima poscit
Nunc Pelian, tanta juvenem qui perderet ira.
Sæpe suas misero promittere destinat artes,
Dein negat, atque una potius decernit in ira:
Ac neque tam turpi cessuram semper amori 319
Proclamat, neque opem ignoto viresque daturam:
Atque toro projecta manet; cum visa vocari
Rursus, et impulso sonuerunt cardine postes.
Ergo ubi nescio quo penitus se numine vinci
Sentit, et abscisum, quicquid pudor ante monebat,
Tum thalami penetrale petit, quæ maxima norat
Auxilia Hæmoniæ quærens pro rege carinæ. 326
Utque procul magicis spirantia tecta venenis
Et sævæ patuere fores, oblataque contra
Omnia, quæ Ponto, quæ Manibus eruit imis,
Et quæ sanguinea Lunæ destrinxit ab ira; 330
Tune sequeris, ait, quicquam, aut patiere puden-
dum,
Cum tibi tot mortes, scelerisque brevissima tanti

Effugia? Hæc dicens, qua non velocior ulla
Pestis erat, toto nequicquam lumine lustrat,
Cunctaturque super, morituraque colligit iras. 335
O nimium jucunda dies, quam cara sub ipsa
Morte magis! stetit, et sese mirata furentem est:
Occidis heu primo (potes hoc durare?) sub ævo:
Nec tu lucis, ait, nec videris ulla juventæ
Gaudia, nec dulces fratris pubescere malas? 340
Hunc quoque, qui nunc est primævus, Iasona nes-
Morte perire tua, qui te nunc invocat unam, [cis
Qui rogat, et nostro quem primum in littore vidi?
Cur tibi fallaces placuit conjungere dextras
Tunc, pater, atque istis juvenem non perdere
monstris 345
Protinus? ipsa etiam, fateor, tunc ipsa volebam.
Testor, cara, tuas, Circe Titania, voces,
Te ducente sequor: tua me grandæva fatigant
Consilia, et monitis cedo minor. Hæc ubi fata,
Rursus ad Hæmonii juvenis curamque metumque
Vertitur, hunc solum propter seu vivere gaudens,
Sive mori, quodcunque velit: majora precatur
Carmina, majores Hecaten immittere vires
Nunc sibi, nec notis stabat contenta venenis.
Cingitur inde sinus, et, qua sibi fida magis vis
Nulla, Prometheæ florem de sanguine fibræ
Caucasium promit, nutritaque gramina tabo,
Quæ sacer ille nives inter tristesque pruinas
Durat editque cruor, cum viscere vultur adeso
Tollitur e scopulis, et rostro irrorat aperto. 360
Idem nec longi languescit finibus ævi
Immortale virens; idem stat fulmina contra
Sanguis, et in mediis florescunt ignibus herbæ.
Prima Hecate Stygiis duratam fontibus harpen
Intulit, et validas scopulis effodit aristas: [bes
Mox famulæ monstrata seges, quæ lampade Phœ-
Sub decima juga feta metit, sævitque per omnes
Relliquias saniemque dei: gemit irritus ille
Colchidos ora tuens: totos tunc contrahit artus
Monte dolor, cunctæque tremunt sub falce catenæ.
Talibus infelix contra sua regna venenis 371
Induitur, noctique tremens infertur opacæ. [tem
Dat dextram vocemque Venus, blandisque paven-
Alloquiis, junctoque trahit per mœnia passu.
Qualis adhuc teneros supremum pallida fetus 375
Mater ab excelso produxit in aera nido,
Hortaturque sequi, brevibusque insurgere pennis;
Illos cærulei primus ferit horror Olympi,
Jamque redire rogant, adsuetaque quæritur arbor:
Haud aliter cæcæ per mœnia deficit urbis 380
Incedens, horretque domos Medea silentes.
Hic iterum extremæ nequicquam in limine portæ
Substitit, atque iterum fletus, animique soluti,
Respexitque deam, paullumque his vocibus hæsit:
Ipse rogat certe, meque ipse implorat Iason. 385
Nullane culpa subest, labes non ulla pudoris,
Nullus amor? nec turpe viro servire precanti?
Illa nihil contra, vocesque abrumpit inanes.
Et jam jam magico per opaca silentia Colchis
Cœperat ire sono, monstrataque condere vultus
Numina, cumque suis averti collibus amnes; 391
Jam stabulis gregibusque pavor, strepitusque se-
pulcris
Inciderat: stupet ipsa gravi nox tardior umbra.
Jamque tremens longe sequitur Venus: utque
sub altas 394
Pervenere trabes, divæque triformis in umbram,
Hic subito ante oculos nondum speratus Iason
Emicuit, viditque prior conterrita virgo.
Atque hinc se profugam volucri Thaumantias ala
Sustulit, inde Venus dextræ dilapsa tenenti.
Obvius ut sera cum se sub nocte magistris 400
Impingit pecorique pavor, qualesve profundum
Per Chaos occurrunt cæcæ sine vocibus umbræ:
Haud secus in mediis noctis nemorisque tenebris
Inciderant ambo attoniti, juxtaque subibant,
Abietibus tacitis aut immotis cyparissis 405
Adsimiles, rapidus nondum quas miscuit Auster.
Ergo, ut erat vultu defixus uterque silenti,
Noxque suum peragebat iter, jam jam ora levare
Æsoniden, farique cupit Medea priorem.
Quam simul effusis pavitantem fletibus heros, 410
Flagrantesque genas vidit, miserumque pudorem,
Has tandem voces dedit, et solatus amantem est:
Fersne aliquam spem lucis? ait: miserata labo-
rem
Nempe venis? an et ipsa mea lætabere morte?
Ne, precor, infando similem te, virgo, parenti 415
Gesseris: haud tales decet inclementia vultus.
Hascine nunc grates, hæc exspectata laborum
Dona dari decuit? sic te sub teste remitti
Fas me, virgo, tuum? justas da vocibus aures.
Nec pater ante tuus tantis me opponere monstris,
(Quid meritum?) aut tales voluit me pendere
pœnas. [thus,
An jacet externa quod nunc mihi cuspide Can-
Quodque meus vestris cecidit pro mœnibus Iphis,
Aut Scythiæ tanta inde manus? jussisset abire
Perfidus, atque suis extemplo cedere regnis. 425
Spem mihi promissam per quæ discrimina rursus,
Et reddat qua lege, vides. Occumbere tandem
Possumus, idque sedet, quam non quæcunque
subire
Patris jussa tui: nunquam sine vellere abibo 429
Hinc ego, degenerem nec me tu prima videbis.
Hæc ait: illa tremens, ut supplicis adspicit ora
Conticuisse viri, jamque et sua verba reposci,
Nec quibus incipiat demens videt, ordine nec quo,
Quove tenus, prima cupiens effundere voce
Omnia, sed nec prima pudor dat verba timenti.
Hæret, et attollens vix tandem lumina fatur: 436
Quid, precor, in nostras venisti, Thessale, terras?
Unde mei spes ulla tibi? tantosque petisti
Cur non ipse tua fretus virtute labores?
Nempe, ego si patriis timuissem excedere tectis,
Occideras; nempe hanc animam sors sæva ma-
nebat 441
Funeris. En ubi Juno, ubi nunc Tritonia virgo,
Sola tibi quoniam tantis in casibus adsum
Externæ regina domus? miraris et ipse,
Credo, nec agnoscunt hæ nunc Ætida sylvæ. 445
Sed fatis sum victa tuis: cape munera supplex
Non mea; teque iterum Pelias si perdere quæret,
Inque alios casus aliasque immittet ad urbes,
Heu formæ ne crede tuæ. Titania jamque
Gramina, Persæasque sinu depromere vires 450
Cœperat; his iterum compellat Iasona dictis:
Si tamen aut superis aliquam spem ponis in ipsis,
Aut tua præsenti virtus educere leto
Si te forte potest, etiam nunc deprecor, hospes,
Me sine, et insontem misero dimitte parenti. 455
Dixerat; extemplo (nam jam matura ruebant
Sidera, et extremum suffixerat axe Booten)
Cum gemitu et multo juveni medicamina fletu,
Non secus ac patriam pariter, famamque, decusque,
Objicit: ille manu subit, et vim corripit omnem.
Inde ubi facta nocens, et non revocabilis unquam
Cessit ab ore pudor, propiorque implevit Erinnys;
Carmina nunc totos volvit figi que per artus
Æsonidæ, et totum septeno murmure fertur [tam;
Per clypeum, atque viro gravior em reddidit has-

Jamque sui tauris languent absentibus ignes.
Nunc age, et has, inquit, cristas, galeamque resume,
Quam modo funerea tenuit Discordia dextra.
Hanc jace per medias, cum verteris æquora,
Protinus in sese conversa furoribus ibit [messes;
Cuncta phalanx, atque ipse fremens mirabitur, et
Respiciet fortasse pater. Sic deinde locuta, [me
Jam magis atque magis mentem super alta ferebat
Æquora: pandentes Minyas jam vela videbat
Se sine. Tum vero extremo percussa dolore 475
Arripit Æsoniden dextra, ac submissa profatur:
Sis memor, oro, mei, contra memor ipsa manebo,
Crede, tui. Quando hinc aberis, dic quæso, profundi
Quod cœli spectabo latus? sed te quoque tangat
Cura mei quocunque loco, quoscunque per annos,
Atque hunc te meminisse velis, et nostra fateri
Munera; servatum pudeat nec virginis arte.
Hei mihi, cur nullos stringunt tua lumina fletus?
An me mox merita morituram patris ab ira
Dissimulas? te regna tuæ felicia gentis, 485
Te conjux natæque manent; ego prodita obibo:
Nec queror, et pro te lucem quoque læta relinquam. [illum
Protinus hospes ad hæc: (tacitis nam cantibus
Flexerat, et simili jam dudum afflarat amore:)
Tune, ait, Æsoniden quicquam te velle relicta 490
Credis, et ulla pati sine te loca? redde tyranno
Me potius, recipe ingratos atque exsue cantus.
Quis mihi lucis amor? patriam cur amplius optem,
Si non et genitor te primam amplectitur Æson,
Teque tuo longe fulgentem vellere gaudens 495
Spectat, et ad primos procumbit Græcia fluctus?
Respice ad has voces, et jam, precor, annue, conPer te, quæ superis divisque potentior imis, [jux.
Perque hæc, virgo, tuo redeuntia sidera nutu,
Atque per has nostri juro discriminis horas; 500
Unquam ego si meriti, noctis simque immemor huSi te sceptra, domum si te liquisse parentis [jus,
Senseris, et mea tum non hæc promissa videntem;
Tum me non tauros juvet evasisse, ferosque
Terrigenas; tum me tectis tua turbet in ipsis 505
Flamma, tuæque artes: nullus succurrere contra
Ingrato queat, et, si quid tu sævius, ipsis
Adjicias, meque in medio terrore relinquas.
Audiit, atque simul meritis perjuria pœnis
Despondet, questus semper Furor ultus amantis.
Hæc ubi dicta, tamen perstant defixus uterque,
Et nunc ora levant audaci læta juventa,
Ora simul toties dulces rapientia visus;
Dejicit hinc vultus æger pudor, et mora dictis
Redditur, ac rursus conterret Iasona virgo: 515
Accipe, perdomitis quæ deinde pericula tauris,
Et quis in Æolio maneat te vellere custos;
Nondum cuncta tibi, fateor, promissa peregi.
Sævior ingenti Mavortis in arbore restat,
Crede, labor; quem...tanta utinam fiducia nostri
Sit mihi, nocturnæque Hecates, vestrique vigoris!
Dixerat utque virum doceat, quæ monstra supersint, [guem
Protinus immensis recubantem anfractibus anTurbat, et Hæmonii subito ducis objicit umbram.
Ille, quod haud alias, stetit, et trepidantia torsit
Sibila, seque metu postquam sua vellera circum
Sustulit, atque omnis spiris exhorruit arbor,
Incipit inde sequi, et vacuo furit ore per auras.
Quis fragor hic? quænam tantæ, dic virgo, ruinæ?
Exclamat stricto Æsonides stans frigidus ense.
Illa trahit ridens, tandemque ait angue represso:
Hunc tibi postremum nostri parat ira parentis,
Heu miser, heu tantis iterum eripiende periclis!
O utinam, ut nullo te sim visura labore
Ipsam cæruleis squalentem nexibus ornum, 535
Ipsaque pervigilis calcantem lumina monstri,
Contingat vix deinde mori! Sic fata profugit,
Seque sub extremis in mœnia retulit umbris.
Et jam puniceo regem spes vana sub ortu
Extulerat, quantis nox una diremerit undis 540
Æsoniden; liberne freto jam vultus aperto,
Utque prius, totum sileat mare. Dumque ea longe
Explorare parat, contra venit Arcas Echion
Dicta ferens; jam Circæis Mavortis in agris
Stare virum; daret æripedes in prœlia tauros.
En vocor, en ultro, dixit, spesque addidit ausa.
Vos mihi nunc primum in glebas invertite, tauri,
Æquora, nunc totas aperite et volvite flammas:
Exeat Hæmonio messis memoranda colono,
Tuque tuum parti Graiûm da, nata, draconem.
Ipsius adspectu pereant: quin vellera, et ipsa 551
Terga mihi diros servent infecta cruores.
Fatur, et effusis pandi jubet æquora tauris.
Pars et Echionii subeunt immania dentis
Semina, pars diri portant grave robur aratri. 555
At sua magnanimum contra Pagasæa juventus
Prosequitur stipatque ducem: tum maxima quisque
Dicta dedit, sævisque procul discessit ab agris.
Fixerat ille gradus, totoque ex agmine solus
Stabat, ut extremis desertus ab orbibus axis, 560
Quem jam lassa dies Austrique ardentis arenæ,
Aut quem Rhipæas exstantem rursus ad arces
Nix et cærulei Boreæ ferus abstulit horror.
Cum subito attoniti longissima Phasidis unda,
Caucasiæque trabes, omnisque Æetia tellus 565
Fulsit, et ardentes stabula effudere tenebras.
Ac velut ex una si quando nube corusci
Ira Jovis torsit geminos mortalibus ignes,
Aut duo cum pariter ruperunt vincula venti,
Dantque fugam: sic tunc claustris evasit uterque
Taurus, et immani profiavit turbine flammas 571
Arduus, atque atro volvens incendia fluctu.
Horruit Argoæ legio ratis; horruit audax,
Qui modo virgineis servari cantibus Idas
Flebat, et invito prospexit Colchida vultu. 575
Non tulit ipse moras, seseque immisit Iason,
Diversos postquam ire videt: galeamque minantem
Quassat, et errantem dextra ciet obvius ignem.
Ut tandem stetit, et torvo se lumine flexit,
Qui prior adversi respexit Iasonis arma, 580
Cunctatus paullum subito furit. Æquora non sic
In scopulos irata ruunt, eademque recedunt
Fracta retro. Bis fulmineis se flatibus infert,
Obnubitque virum: sed non incendia Colchis
Adspirare sinit, clypeoque illiditur ignis 585
Frigidus, et viso pallescit flamma veneno.
Incitat Æsonides dextram, inque ardentia mittit
Cornua, dein totis propendens viribus hæret
Ille, virum atque ipsam tunc te, Medea, recusans,
Concutit, et tota nitentem cornibus ira 590
Portat iners: tandem gravius mugire residens
Incipit, et fesso victus descendere cornu.
Respicit hinc socios, immania vincula poscens,
Æsonides, jamque ora premit, trahiturque, trahitque,
Obnixusque genu superat, cogitque trementes
Sub juga aena toros. Alium dehinc turbida Colchis 596
Exarmat, lentumque offert timideque minantem;

Jamque propinquanti noctem implicat: ille fatiscens
In caput inque humeros ipsa vi molis et iræ
Proruit; invadit, totusque incumbit Iason 600
Desuper, atque suis defectum flatibus urget.
Utque dedit vinclis, validoque obstrinxit aratro,
Suscitat ipse genu, sævaque agit insuper hasta.
Non aliter, medio quam si telluris hiatu
Terga recentis equi, primumque invasit habenis
Murmur, et in summa Lapithes apparuit Ossa.
Ille, velut campos Libyes, ac pinguia Nili
Fertilis arva secet, plena sic semina dextra
Spargere gaudet agris, oneratque novalia bello.
Martius hic primum ter vomere fusus ab ipso
Clangor, et ex omni sonuerunt cornua sulco: 611
Bellatrix tunc gleba quati, pariterque creari
Armarique phalanx, totisque insurgere campis.
Cessit, et ad socios paullum se retulit heros,
Opperiens, ubi prima sibi daret agmina tellus. 615
At vero ut summis jam rura recedere cristis
Vidit, et infesta vibrantes casside terras,
Advolat, atque imo tellus qua proxima collo,
Necdum humeri videre diem, prior ense sequaci
Æquat humo truncos: rutilum thoraca sequenti,
Aut primas a matre manus premit obvius ante.
Nec magis aut illis, aut illis millibus ultra
Sufficit, ad diræ quam cum Tirynthius hydræ
Agmina Palladios defessus respicit ignes.
Ergo iterum ad socias convertere Colchidos artes,
Et galeæ nexus ac vincula dissipat imæ: 626
Cunctaturque tamen, totique occurrere bello
Ipse cupit: spes nulla datur, sic undique densant
Terrigenæ jam signa duces, clamorque, tubæque.
Jamque omnes odere virum, jamque omnia contra
Tela volant. Tum vero amens discrimine tanto,
Quam modo Tartareo galeam Medea veneno
Infectam dederat, ususque armarat in illos,
In medios torsit: conversæ protinus hastæ.
Qualis ubi attonitos mæstæ Phrygas annua Matris
Ira, vel exsectos lacerat Bellona comatos: 636
Haud secus accensas subito Medea cohortes
Implicat, et miseros agit in sua prœlia fratres.
Omnis ibi Æsoniden sterni putat: omnibus ira
Talis erat: stupet Æetes, ultroque furentes 640
Ipse viros revocare cupit; sed cuncta jacebant
Agmina, nec quisquam primus ruit, aut super ullus
Linquitur, atque hausit subito sua funera tellus.
Protinus in fluvium fumantibus evolat armis
Æsonides: qualis Getico de pulvere Mavors 645
Intrat equis, uritque gravem sudoribus Hebrum
Aut niger ex antris rutilique a fulminis æstu
Cum furit, et Siculo respirat in æquore Cyclops.
Redditus hic tandem, sociosque amplexus ovantes.
Haud jam mendacem promissa reposcere regem
Dignatur: nec, si ipse sibi terga ingerat ultro,
Qui pepigit, velit in pacem dextramque reverti
Amplius: ambo truces, ambo abscessere minantes. 653

LIBER OCTAVUS.

At trepidam in thalamis, et jam sua facta paventem
Colchida circa omnes pariter furiæque minæque
Patris habent: nec cærulei timor æquoris ultra,
Nec miseræ terra ulla procul: quascunque per undas [puppim.
Ferre fugam, quamcunque cupit jam scandere
Ultima virgineis tunc flens dedit oscula vittis,
Quosque fugit, complexa toros, crinemque ge-
Ante per antiqui carpsit vestigia somni, [nasque
Atque hæc impresso gemuit miseranda cubili:
O mihi si profugæ genitor nunc ille supremos 10
Amplexus, Æeta, dares, fletusque videres
Ecce meos! ne crede, pater, non carior ille est,
Quem sequimur: tumidis utinam simul obruar undis! [necta
Tu, precor, hæc longa placidus mox sceptra se-
Tuta geras, meliorque tibi sit cætera proles. 15
Dixit, et Hæmonio nunquam spernenda marito
Condita letiferis prodit medicamina cistis,
Virgineosque sinus, ipsumque monile venenis
Implicat, ac sævum super omnibus addidit ensem.
Inde, velut torto Furiarum erecta flagello, 20
Prosilit: attonito qualis pede prosilit Ino
In freta, nec parvi meminit conterrita nati, [mon.
Quem tenet: extremum conjux ferit irritus Isth-
Jam prior in lucos curis urgentibus heros
Venerat, et nemoris sacra se nocte tegebat, 25
Tum quoque siderea clarus procul ora juventa.
Qualis adhuc sparsis comitum per lustra catervis
Latmius æstiva residet venator in umbra,
Dignus amore deæ, velatis cornibus et jam
Luna venit: roseo talis per nubila ductor [tem.
Implet honore nemus, talemque exspectat aman-
Ecce autem pavidæ virgo de more columbæ,
Quæ super ingenti circumdata præpetis umbra
In quemcunque tremens hominem cadit; haud secus illa
Icta timore gravi mediam se immisit: at ille 35
Excepit, blandoque prior sic ore locutus:
O decus in nostros magnum ventura penates,
Solaque tantarum virgo haud indigna viarum
Causa reperta mihi, jam nunc non ulla requiro
Vellera, teque meæ satis est vexisse carinæ. 40
Verum age, et hoc etiam, quando potes, adjice tantis
Muneribus meritisque tuis: namque aurea jussi
Terga referre sumus: socios ea gloria tangit.
Sic ait, et primis supplex dedit oscula palmis.
Contra virgo novis iterum singultibus orsa est:
Linquo domos patrias te propter, opesque meorum, 46
Nec jam nunc regina loquor, sceptrisque relictis
Vota sequor: serva hanc profugæ, prior ipse dedisti [adsunt,
Quam (scis nempe) fidem: di nostris vocibus
Sidera et hæc te meque vident: tecum æquora tecum [tam
Experiar quascunque vias: modo ne quis abac-
Huc referat me forte dies, oculisque parentis

Ingera t: hoc superos, hoc te quoque deprecor, hospes.
Hæc ait, atque furens rapido per devia passu
Tollitur: ille hæret comes, et miseratur euntem.
Cum subito ingentem media inter nubila flam-
Conspicit, et sæva vibrantes luce tenebras. [mam
Quis rubor iste poli? quod tam lugubre refulsit
Sidus? ait: reddit trepido cui talia virgo:
Ipsius en oculos et lumina torva draconis 60
Adspicis: ille suis hæc vibrat fulgura cristis,
Meque pavens contra solam videt, ac vocat ultro,
Ceu solet, et blanda poscit me pabula lingua.
Dic age nunc, utrum vigilanti, hostemque videnti
Exuvias auferre velis, an lumina somno [guem?
Mergimus, et domitum potius tibi tradimus an-
Ille silet, tantus subiit ut virginis horror. [astris,
Jamque manus Colchis crinemque intenderat
Carmina barbarico fundens pede, teque ciebat,
Somne pater: Somne omnipotens, te Colchis ab omni 70
Orbe voco, inque unum jubeo nunc ire draconem,
Quæ freta sæpe tuo domui, quæ nubila cornu,
Fulminaque, et toto quicquid micat æthere: sed nunc,
Nunc, age, major ades, fratrique simillime Leto.
Te quoque, Phrixeæ pecudis fidissime custos, 75
Tempus ab hac oculos tandem deflectere cura.
Quem metuis me hic stante dolum? servabo parumper
Ipsa nemus: longum interea tu pone laborem.
Ille haud Æolio discedere fessus ab auro,
Nec dare permissæ, quamvis juvet, ora quieti 80
Sustinet; ac primi percussus nube soporis
Horruit, et dulces excussit ab arbore somnos.
Contra Tartareis Colchis spumare venenis,
Cunctaque Lethæi quassare silentia rami
Perstat, et adverso luctantia lumina cantu 85
Obruit, atque omnem linguaque manuque fatigat
Vim Stygiam, ardentes donec sopor occupat iras.
Jamque altæ cecidere jubæ, nutatque coactum
Jam caput, atque ingens extra sua vellera cervix,
Ceu refluens Padus, aut septem projectus in amnes
Nilus, et Hesperium veniens Alpheos in orbem.
Ipsa caput cari postquam Medea draconis
Vidit humi, fusis circum projecta lacertis,
Seque suumque simul flevit crudelis alumnum:
Non ego te sera talem sub nocte videbam, 95
Sacra ferens epulasque tibi; nec talis hianti
Mella dabam, ac nostris nutribam fida venenis.
Quam gravida nunc mole jaces! quam segnis inertem
Flatus habet! nec te saltem, miserande, peremi,
Heu sævum passure diem! jam nulla videbis
Vellera, nulla tua fulgentia dona sub umbra. 101
Cede deo, inque aliis senium nunc digere lucis
Immemor, oro, mei; nec me tua sibila toto
Exagitent infesta mari. Sed tu quoque cunctas,
Æsonide, dimitte moras, atque effuge raptis 105
Velleribus. Patrios exstinxi noxia tauros;
Terrigenas in fata dedi; fusum ecce draconis
Corpus habes; jamque omne nefas, jam, spero, peregi.
Quærenti tunc deinde viam, qua se arduus heros
Ferret ad aurigeræ caput arboris, Eia, per ipsum
Scande age, et adverso gressus, ait, imprime dorso.
Nec mora fit; dictis fidens Cretheia proles
Calcat, et, aeriam quamvis, perfertur ad ornum,
Cujus adhuc rutilam servabant brachia pellem,
Nubibus accensis similem, aut cum veste recincta
Labitur ardenti Thaumantias obvia Phœbo. 116
Corripit optatum decus extremumque laborem
Æsonides; longosque sibi gestata per annos
Phrixeæ monimenta fugæ vix reddidit arbor
Cum gemitu, tristesque super coiere tenebræ.
Egressi relegunt campos, et fluminis ora [mantem
Summa petunt: micat omnis ager, villisque co-
Sidereis totos pellem nunc fundit in arvus,
Nunc in colla refert, nunc implicat ille sinistræ.
Talis ab Inachiis Nemeæ Tirynthius antris 125
Ibat, adhuc aptans humeris capitique leonem.
Ut vero sociis, qui tunc prædicta tenebant
Ostia, per longas apparuit aureus umbras,
Clamor ab Hæmonio surgit grege: se quoque gaudens
Promovet ad primas juveni ratis obvia ripas. 130
Præcipites agit ille gradus, utque aurea misit
Terga prius, mox attonita cum virgine puppim
Insilit, ac rapta victor consistit in hasta.
Interea patrias sævus venit horror ad aures,
Fata domus, luctumque ferens, fraudemque, fugamque 135
Virginis. Hinc subitis vindex it frater in armis;
Urbs etiam mox tota coit: volat ipse senectæ
Immemor Æetes: complentur littora bello,
Nequicquam: fugit immissis nam puppis habenis.
Mater Idyia ambas tendebat in æquora palmas,
Et soror, atque omnes aliæ matresque nurusque
Colchides, æqualesque tibi, Medea, puellæ.
Exstat sola parens, impletque ululatibus auras.
Siste fugam, medio refer huc ex æquore puppim,
Nata, potes: quo, clamat, abis? hic turba tuorum
Omnis, et iratus nondum pater; hæc tua tellus,
Sceptraque: quid terris solam te credis Achæis?
Quis locus Inachias inter tibi, barbara, natas?
Istane vota domus, exspectatique Hymenæi?
Hunc petii grandæva diem? vellem unguibus uncis, 150
Ut volucris, possem prædonis in ipsius ora
Ire, ratemque supra, claroque reposcere cantu,
Quam genui. Albano fuit hæc promissa tyranno,
Non tibi; nil tecum miseri pepigere parentes,
Æsonide; non hoc Pelias evadere furto 155
Te jubet, aut ullas Colchis abducere natas. [plis.
Vellus habe, et nostris, si quid super, accipe tem-
Sed quid ego quenquam immeritis incuso querelis?
Ipsa fugit, tantoque (nefas) ipsa ardet amore.
Hoc erat, infelix, (redeunt nam singula menti,)
Ex quo Thessalici subierunt æquora remi, 161
Quod nullæ te, nata, dapes, non ulla juvabant
Tempora? non ullus tibi tum color, ægraque verba,
Errantesque genæ, atque alieno gaudia vultu
Semper erant? cur tanta mihi non prodita pestis,
Ut gener Æsonides nostra consideret aula, 166
Nec talem paterere fugam? commune fuisset
Aut certe tecum omne nefas, iremus et ambæ
In quascunque vias: pariter petiisse juvaret
Thessaliam, et sævi, quæcunque est, hospitis urbem. 170
Sic genitrix, similique implet soror omnia questu
Exululans: famulæ pariter clamore supremo
In vacuos dant verba Notos, dominamque reclamant
Nomine; te venti procul et tua fata ferebant.
Inde diem noctemque volant: redeuntibus aura
Gratior, et notæ Minyis transcurrere terræ. 176
Cum subito Erginus puppi sic fatur ab alta:
Vos, ait, Æsonide, contenti vellere capto,
Nec via quæ superet, nec quæ fortuna, videtis.
Crastina namque dies trucis ad confinia ponti 180
Cyaneasque vocat; meminique, o Tiphy, tuorum

Saxa per illa, pater, memini, venerande, laborum.
Mutandum, o socii, nobis iter; altera ponti
Eluctanda via, et cursu, quem fabor, eundum est.
Haud procul hinc ingens Scythici ruit exitus Istri,
Fundere non uno tantum quem flumina cornu
Accipimus; septem exit aquis, septem ostia pan-
Illius adversi nunc ora petamus, et undam, [dit.
Quæ latus in lævum ponti cadit; inde sequemur
Ipsius amnis iter, donec nos flumine certo 190
Perferat, inque aliud reddat mare: sint age tanti,
Æsonide, quæcunque moræ, quam sæva subire
Saxa iterum, quam Cyaneos perrumpere montes.
Sat mihi non totis Argo redit ecce corymbis.
Hæc ait, ignarus fixas jam numine rupes 195
Stare, neque adversis ultra concurrere saxis.
Reddidit Æsonides: Et te, fidissime rector,
Haud vani tetigere metus, nec me ire recuso
Longius, et cunctis redeuntem ostendere terris.
Protinus inde alios flectunt regesque locosque,
Adsuetumque petunt plaustris migrantibus æquor.
Puppe procul summa vigilis post terga magistri
Hæserat auratæ genibus Medea Minervæ:
Atque ibi dejecta residens in lumina palla [iret,
Flebat adhuc, quanquam Hæmoniis cum regibus
Sola tamen, nec conjugii secura futuri. 206
Illam Sarmatici miserantur littora ponti:
Illa Thoanteæ transit defleta Dianæ.
Nulla palus, nullus Scythiæ non mæret euntem
Amnis: Hyperboreas movit conspecta pruinas,
Tot modo regna tenens: ipsi quoque murmura
ponunt 211
Jam Minyæ, jam ferre volunt. Vix allevat ora
Ad seras, si quando, dapes, quas carus Iason
Ipse dabat, jam nubiferam transire Carambin
Significans, jam regna Lyci, totiesque gementem
Fallit, ad Hæmonios hortatus surgere montes.
Insula Sarmaticæ Peuce stat nomine Nymphæ,
Torvus ubi, et ripa semper metuendus utraque
In freta per sævos Ister descendit Alanos.
Solvere in hoc tandem resides dux littore curas,
Ac primum socios ausus sua pacta docere, 221
Promissamque fidem thalami, fœdusque jugale.
Ultro omnes læti instigant, meritamque fatentur.
Ipse autem invitæ jam Pallados erigit aras,
Incipit Idaliæ numen nec spernere divæ. 225
Præcipueque sui, si quando, in tempore pulcher
Conjugii, Minyas nunquam magis eminet inter:
Qualis sanguineo victor Gradivus ab Hebro
Idalium furto subit, aut dilecta Cythera;
Seu cum cœlestes Alcidæ invisere mensas 230
Jam vacat, et fessum Junonia sustinet Hebe.
Adsunt unanimes Venus, hortatorque Cupido
Suscitat affixam mæstis Ætida curis:
Ipsa suas illi croceo subtemine vestes
Induit, ipsa suam duplicem Cytherea coronam
Donat, et arsuras alia cum virgine gemmas. 236
Tum novus implevit vultus honor, ac sua flavis
Reddita cura comis, graditurque oblita malorum.
Sic ubi Mygdonios planctus sacer abluit Almo,
Lætaque jam Cybele, festæque per oppida tædæ,
Quîs modo tam sævos adytis fluxisse cruores 241
Cogitet? aut ipsi qui jam meminere ministri?
Inde, ubi sacrificas cum conjuge venit ad aras
Æsonides, unaque adeunt, pariterque precari
Incipiunt, ignem Pollux undamque jugalem 245
Prætulit, ut dextrum pariter vertantur in orbem.
Sed neque se pingues tum candida flamma per
auras
Explicuit, nec thura videt concordia Mopsus,
Promissam nec stare fidem, breve tempus amorum.
Odit utrumque simul, simul et miseratur utrumque
Et tibi jam nullos optavit, barbara, natos. 25
Mox epulas et sacra parant: sylvestria lætis
Præmia, venatu facili quæsita, supersunt:
Pars verubus, pars undanti despumat aheno.
Gramineis ast inde toris discumbitur, olim 255
Ister anhelantem Peucen quo presserat antro.
Ipsi inter medios, rosea radiante juventa,
Altius, inque sui sternuntur velleris auro.
Quîs novus inceptos timor impediit Hymenæos,
Turbavitque toros, et sacra calentia rupit? 260
Absyrtus subita præceps cum classe parentis
Advehitur, profugis infestam lampada Graiis
Concutiens, diramque premens clamore sororem:
Atque, Hanc, o si quis vobis dolor iraque, Colchi,
Accelerate viam: neque enim fugit æquore raptor
Jupiter, aut falsi sequimur vestigia tauri. 266
Puppe (nefas) una prædo Phrixea reportat
Vellera: qua libuit, remeat cum virgine: nobis
(O pudor) et muros et stantia tecta reliquit.
Quid mihi deinde satis? nec quæro vellera, nec
Accipio, germana, datam; nec fœderis ulla [te
Spes erit, aut iræ quisquam modus. Inde reverti
Patris ad ora mei tam parvo in tempore fas sit?
Quinquaginta animæ me scilicet, unaque mersa
Sufficiet placare ratis? te, Græcia fallax, [nem.
Persequor, atque tuis hunc quasso mœnibus ig-
Nec tibi digna, soror, desum ad connubia frater:
Primus et ecce fero, quatioque hanc lampada ves-
Conjugio; primus celebro dotalia sacra, [tro
Qui potui: patriæ veniam da, quæso, senectæ. 280
Quin omnes alii pariter populique patresque
Mecum adsunt. Magni virgo ne regia Solis
Hæmonii thalamos adeas despecta mariti,
Tot decuit coiisse rates, tot fulgere tædas.
Dixerat, itque orans iterum ventosque virosque
Perque ratis supplex vox remigis illa magistros.
Illi autem intorquent truncis frondentibus undam;
Quæque die fuerat raptim formata sub uno,
Et tantum dejecta suis a montibus arbor, 289
(Quid dolor, et veterum potuit non ira virorum?)
Haud longis jam distat aquis, sequiturque volantem
Barbara Palladiam puppim ratis; ostia donec
Danubii, viridemque vident ante ostia Peucen,
Ultimaque agnoscunt Argoi cornua mali.
Tum vero clamorem omnes inimicaque tollunt
Gaudia; tum gravior remis fragor, ut procul Argo
Visa viris, unamque petunt rostra omnia puppim.
Princeps navalem nodosi roboris uncum
Arripit, et longa Styrus prospectat ab unda,
Conjugio atque iterum sponsæ flammatus amore.
Jamque alii clypeos et tela trabalia dextris 301
Expediunt, armant alii picis unguine flammas.
Impatiens tremit hasta moræ; nec longius inter,
Quam quod tela vetet, superest mare: vocibus
urgent
Interea, et pedibus pulsant tabulata frementes. 305
Cum subitas videre rates, vibrataque flammis
Æquora, non una Minyæ formidine surgunt:
Primus et in puppim deserta virgine ductor
Prosilit, et summa galeam rapit altus ab hasta.
Ense simul clypeoque micat: nec cætera pubes
Segnius arreptis in littore constitit armis. 311
At tibi quæ scelerum facies, Medea, tuorum?
Quisve pudor Colchos iterum fratremque videnti
Quicquid et abscisum vasto jam tuta profundo
Credideras? ergo infausto sese occulit antro, 315
Non aliud quam certa mori, seu carus Iason,
Seu frater Graia victus cecidisset ab hasta.
Haud ita sed summo segnis sedet æthere Juno,

Aut sinit extrema Minyas decernere pugna,
Nec numero quoniam Colchis, nec puppibus æquos. 320
Ergo ubi diva rates hostemque accedere cernit,
Ipsa subit terras, tempestatumque refringit [trum
Ventorumque domos. Volucrum gens turbida fra-
Erumpit: classem dextra Saturnia monstrat.
Videre, inque unum pariter mare protinus omnes
Infesto clamore ruunt, inimicaque Colchis 326
Æquora, et adversos statuunt a littore fluctus.
Tollitur, atque intra Minyas Argoaque vela
Styrus abit; vasto rursus desidit hiatu
Abrupta revolutus aqua: jamque omnis in astra
Itque reditque ratis, lapsoque reciproca fluctu
Descendit: vorat hos vortex, hos agmine toto
Gurges agit: simul in vultus micat undique terror:
Crebra ruina poli cœlestia limina laxat.
Non tamen ardentis Styri violentia cedit. 335
Hortatur socios media inter prœlia divûm:
Transferat ergo meas, in quæ volet, oppida dotes
Colchis? et Hæmonius nobis succedet adulter?
Nec mihi tot magnos inter regesque procosque
Profuerit prona haud dubii sententia patris? 340
An virtus prælata viri est, et fortior ille, [tauros,
Quem sequitur? jungam igniferos sine carmine
Sævaque Echionii ferro sata persequar hydri.
Hoc adeo interea spectans de littore pugnas
Amborum, victoris eris: jam digna videbis 345
Prœlia, jamque illud carum caput ire cruenta
Sub freta; semiviri nec murrha corpus Achivi,
Sed pice, sed flammis et olentes sulfure crines.
Vos modo vel solum hoc, fluctus, expellite corpus,
Non te, Æeta pater, generi, aut, Sol magne, pudebit. 350
Fallor? an hos nobis magico nunc carmine ventos
Ipsa movet, diraque levat maria ardua lingua;
Atque iterum Æsonides, iterum defenditur arte,
Qua solet? haud illi cantus et futile murmur
Proderit: ite, rates, et frangite virginis undam.
Dixit, et intortis socio cum milite remis 356
Prosilit: at fluctu puppis labefacta reverso
Solvitur, effunditque viros, ipsumque minantem
Tunc quoque, et elata quærentem littora dextra.
Ibat et arma ferens et strictum naufragus ensem,
Incipit et remos et quærere transtra solutæ 361
Sparsa ratis, mæstas altis intendere voces
Puppibus: ast inter tantos succurrere fluctus
Nulla potest, aut ulla velit; quotiesque propinquat, [stat,
Tunc aliud rursus dirimit mare. Jam tamen ex-
Jamque abiit, fundoque iterum violentus ab imo
Erigitur: sed fluctus adest, magnoque sub altis
Turbine figit aquis, et tandem virgine cessit.
Absyrtus visu mæret defixus acerbo,
Nec quid agat, qua vi portus et prima capessat
Ostia, qua possit Minyas invadere clausos, 371
Quos videt agnoscitque fremens: maria obvia contra, [tus.
Sævaque pugnat hiems, totusque in vortice pon-
Abscessit tandem, vanaque recedit ab ira,
Et tanta de clade ratis. Latus inde sinistrum 375
Adversamque procul Peuces defertur in oram
Cum sociis: gemino nam scinditur insula flexu
Danubii: hac dudum Minyæ Pagasæaque puppis
In statione manent; illinc Æetius heros
Obsidet adversa tentoria Thessala classe 380
Impatiens, pugnæque datur non ulla potestas.
Noctes atque dies vastis mare fluctibus inter
Perfurit, expediant donec Junonia sese
Consilia, atque aliquem bello ferat anxia finem.
At Minyæ tanti reputantes ultima belli 385
Urgent, et precibus cuncti fremituque fatigant
Æsoniden: quid se externa pro virgine clausos
Objiciat, quidve illa pati discrimina cogat?
Respiceret pluresque animas, majoraque fata
Tot comitum, qui non furtis, nec amore nefando
Per freta, sed sola sese virtute sequantur. 391
An vero, ut thalamis raptisque indulgeat unus
Conjugiis? id tempus enim. Sat vellera Graiis,
Et posse oblata componere virgine bellum.
Quemque suas sinat ire domos, nec Marte cruento
Europam atque Asiam prima hæc committat
Erinnys. [canebat
Namque datum hoc fatis trepidus supplexque
Mopsus, ut in seros irent magis ista nepotes,
Atque alius lueret tam dira incendia raptor.
Ille trahens gemitum, tantis ac vocibus impar,
Quanquam jura deûm, et sacri sibi conscia pacti
Relligio, dulcisque movent primordia tædæ,
Cunctatur, mortemque cupit, sociamque pericli
Cogitat: haud ultra sociis obsistere pergit.
Hæc ubi fixa viris, tempus fluctusque quietos 405
Exspectant: ipsam interea, quid restet, amantem
Ignorare sinunt, decretaque tristia servant.
Sed miser ut vanos, veros ita sæpe timores
Versat amor, fallique sinit nec virginis annos.
Ac prior ipsa dolos, et quamlibet intima sensit 410
Non fidi jam signa viri, nimiumque silentes [quam,
Una omnes. Haud illa sui tamen immemor un-
Nec subitis turbata minis, prior occupat unum
Æsoniden, longeque trahit; mox talibus infit:
Me quoque, vir, tecum Minyæ, fortissima pubes,
Nocte dieque movent: liceat cognoscere tandem
Si modo Peliacæ non sum captiva carinæ,
Nec dominos decepta sequor, consultaque vestra
Fas audire mihi. Vereor, fidissime conjux,
Nil equidem: miserere tamen, promissaque serva
Usque ad Thessalicos saltem connubia portus, 421
Inque tua me sperne domo. Scis te mihi certe,
Non socios jurasse tuos: hi reddere forsan
Fas habeant, tibi non eadem permissa potestas.
Teque simul mecum ipsa traham; non sola reposcor [bo.
Virgo nocens, atque hac pariter rate fugimus am-
An fratris te bella mei patriæque biremes
Terrificant, magnoque impar urgeris ab hoste?
Finge rates alias, et adhuc majora coire
Agmina; nulla fides? nullis ego digna periclis?
Non merui mortemque tuam comitumque tuorum?
Vellem equidem nostri tetigissent littora patris
Te sine, duxque illis alius quicunque fuisset.
Nunc remeant, meque ecce (nefas) et reddere poscunt,
Nec spes ulla super. Quin tu mea respice saltem
Consilia, et nimio comitum ne cede timori. 436
Credidit ardentes quis te nunc jungere tauros
Posse? quis ad sævi venturum templa draconis?
O utinam ergo meus pro te non omnia posset,
Atque aliquid dubitaret amor! Quin nunc quoque quærit [dam
Nescio quid tuus iste pudor. Mene, optime quon-
Æsonide, me ferre preces et supplicis ora [pœnas
Fas erat? haud hoc nunc genitor putat, haud dare
Jam sceleris, dominumque pati. Sic fata, paran-
Reddere dicta virum furiata mente refugit [tem
Vociferans. Qualem Ogygias cum tollit in arces
Bacchus, et Aoniis illidit Thyiada truncis:
Talis erat, talemque jugis se virgo ferebat,
Cuncta pavens: fugit infestos vibrantibus hastis
Terrigenas, fugit ardentes exterrita tauros; 450

Si Pagasas, vel Peliacas hinc denique nubes
Cerneret, et Tempe viridi lucentia fumo,
Hoc visu contenta mori. Tunc tota querelis
Egeritur questuque dies, eademque sub astris
Sola movet; mæstis veluti nox illa sonaret 455
Plena lupis, quaterentque truces jejuna leones
Ora, vel orbatæ traherent suspiria vaccæ.
Procedit non gentis honos, non gloria magni
Solis avi, non barbaricæ decor ille juventæ. [tur.
Quid dubitas? heu, dure, siles? magnumque mina-
Qualis erat, cum Chaonio radiantia trunco 461
Vellera vexit ovans, interque ingentia Graiûm
Nomina Palladia virgo stetit altera prora.
Mæstus at ille minis et nota Colchidos ira
Hæret: et hinc præsens pudor, hinc decreta suorum [tem
Dura premunt: utcunque tamen mulcere gemen-
Tentat et ipse gemens, et tempora currere dictis
Mene aliquid meruisse putas? me talia velle?

* * * *

T. CALPURNII SICULI BUCOLICON

LIBER.

De Calpurnio silentium apud veteres : statuerunt tamen viri docti, locis quibusdam carminum ejus adducti, in quibus fortunas suas sub Corydonis nomine adumbrare videtur, fatum Virgiliano haud absimile sortitum fuisse ; quippe qui, cum paupere censu esset, in Hispaniamque rei instaurandæ gratia iter pararet, a claro quodam potentique ejus temporis viro (Junio, ut videtur, Tiberiano, magistro officiorum, litterarumque insigni fautore) revocatum esse, Caroque imperatori commendatum, qui eum magistrum, quem dicunt, memoriæ sibi fecit. Putant iidem eundem fuisse Junium Calpurnium, quem Caro in ultima sua militia (A. C. 284) comitem ivisse, ejusque mortem litteris ad senatum datis renuntiasse, accepimus.

Ecloga I.—*Ornytus, Corydon.*

Or. Nondum solis equos declivis mitigat æstas,
Quamvis et madidis incumbant præla racemis,
Et spument rauco ferventia musta susurro.
Cor. Cernis ut (ecce) pater quas tradidit, Ornyte, vaccæ
Molle sub hirsuta latus explicuere genista ? 5
Nos quoque vicinis cur non succedimus umbris ?
Torrida cur solo defendimus ora galero ? [tamus
Or. Hoc potius, frater Corydon, nemus, ista pe-
Antra patris Fauni, graciles ubi pinea densat
Sylva comas, rapidoque caput levat obvia soli ;
Bullantes ubi fagus aquas radice sub ipsa 11
Protegit, et ramis errantibus implicat umbras.
Cor. Quo me cunque vocas, sequor, Ornyte : nam mea Leuce,
Dum negat amplexus nocturnaque gaudia nobis,
Pervia cornigeri fecit sacraria Fauni. 15
Or. Prome igitur calamos, et si qua recondita servas.
Nec tibi defuerit nova fistula, quam mihi nuper
Matura docilis compegit arundine Lygdon.
Et jam captatæ pariter successimus umbræ.
Sed quænam sacra descripta est pagina fago, 20
Quam modo nescio quis properanti falce notavit ?
Cor. Adspicis, ut virides etiam nunc littera
Servet, et arenti nondum se laxet hiatu ? [rimas
Ornyte, fer propius tua lumina : tu potes alto
Cortice descriptos citius percurrere versus. 25
Nam tibi longa satis pater internodia largus,
Procerumque dedit mater non invida corpus.
Or. Non pastor, non hoc triviali more viator,
Sed deus ipse canit : nihil armentale resultat,
Nec montana sacros distinguunt jubila versus. 30
Cor. Mira refers : sed rumpe moras, oculoque sequaci
Quamprimum nobis divinum perlege carmen.
Or. Qui juga, qui sylvas tueor, satus æthere Faunus
Hæc populis ventura cano : juvat arbore sacra
Læta patefactis incidere carmina fatis. 35
Vos o præcipue nemorum gaudete coloni,
Vos populi gaudete mei : licet omne vagetur
Securo custode pecus, nocturnaque pastor
Claudere fraxinea nolit præsepia crate ;
Non tamen insidias prædator ovilibus ullas 40
Afferet, aut laxis abiget jumenta capistris.
Aurea secura cum pace renascitur ætas,
Et redit ad terras tandem squalore situque [tur
Alma Themis posito, juvenemque beata sequun-
Sæcula, maternis causas qui lusit in ulnis. 45
Dum populos deus ipse reget, dabit impia vinctas
Post terguin Bellona manus, spoliataque telis
In sua vesanos torquebit viscera morsus,
Et, modo quæ toto civilia distulit orbe, [pos
Secum bella geret. Nullos jam Roma Philip-
Deflebit, nullos ducet captiva triumphos. 51
Omnia Tartareo subigentur carcere bella, [bunt
Immergentque caput tenebris, lucemque time
Candida pax aderit ; nec solum candida vultu,
Qualis sæpe fuit, quæ libera Marte professo, 55
Quæ domito procul hoste, tamen grassantibus
Publica diffudit tacito discordia ferro. [armis
Omne procul vitium simulatæ cedere pacis
Jussit, et insanos Clementia condidit enses.
Nulla catenati feralis pompa senatus 60
Carnificum lassabit opus, nec carcere pleno
Infelix raros numerabit curia patres.
Plena quies aderit, quæ, stricti nescia ferri,
Altera Saturni revocet Latialia regna,
Altera regna Numæ, qui primus ovantia cæde 65
Agmina, Romuleis et adhuc ardentia castris,
Pacis opus docuit, jussitque silentibus armis
Inter sacra tubas, non inter bella, sonare.
Jam nec adumbrati faciem mercatus honoris,
Nec vacuos tacitus fasces et inane tribunal 70
Accipiet consul : sed legibus omne reductis
Jus aderit, moremque fori vultumque priorem
Reddet, et afflictum melior deus auferet ævum.
Exsultet, quæcunque Notum gens ima jacentem
Erectumque colit Borean, quæcunque vel ortu
Vel patet occasu, mediove sub æthere fervet.
Cernitis, ut puro nox jam vicesima cœlo
Fulgeat ? ut placidum radianti luce cometen
Proferat ? ut liquidum nutet sine vulnere sidus ?
Numquid utrumque polum, sicut solet, igne cruento 80
Spargit, et ardenti scintillat sanguine lampas ?
At quondam non talis erat, cum, Cæsare rapto,
Indixit miseris fatalia civibus arma.
Scilicet ipse deus Romanæ pondera molis
Fortibus excipiet sic inconcussa lacertis, 85
Ut neque translati sonitu fragor intonet orbis,
Nec prius ex meritis defunctos Roma Penates
Sentiat, occasus nisi cum respexerit ortus.

Cor. Ornyte, jamdudum velut ipso numine plenum
Me quatit, et mixtus subit inter gaudia terror.
Sed bona facundi veneremur numina Fauni. 91
Or. Carmina, quæ nobis deus obtulit ipse canenda,
Dicamus, teretique sonum modulemur avena:
Forsitan augustas feret hæc Melibœus ad aures.

Ecloga II.—*Idas, Astacus, Thyrsis.*

Intactam Crocalen puer Astacus et puer Idas,
Idas lanigeri dominus gregis, Astacus horti,
Dilexere diu; formosus uterque, nec impar
Voce sonans. Terras hi cum gravis ureret æstas,
Ad gelidos fontes et easdem forte sub ulmos 5
Conveniunt, dulcique simul contendere cantu
Pignoribusque parant: placet, hic ut vellera sep-
Ille sui victus ne messem vindicet horti: [tem,
Et magnum certamen erat sub judice Thyrsi.
Affuit omne genus pecudum, genus omne ferarum, 10
Et quæcunque vagis altum ferit aera pennis.
Convenit umbrosa quicunque sub ilice lentas
Pascit oves, Faunusque pater, Satyrique bicornes:
Affuerunt sicco Dryades pede, Naides udo,
Et tenuere suos properantia flumina cursus. 15
Desistunt tremulis incurrere frondibus Euri,
Altaque per totos fecere silentia montes.
Omnia cessabant, neglectaque pascua tauri
Calcabant: illis etiam certantibus ausa est
Dædala nectareos apis intermittere flores. 20
Jamque sub umbrosa medius consederat ulmo
Thyrsis, et, O pueri, me judice pignora, dixit,
Irrita sint, moneo: satis hoc mercedis habete,
Si laudem victor, si fert opprobria victus.
Et nunc, alternos magis ut distinguere cantus 25
Possitis, ter quisque manus jactate micantes.
Nec mora: discernunt digitis; prior incipit Idas.
I. Me Sylvanus amat, dociles mihi donat ave-
Et mea frondenti circumdat tempora tæda. [nas,
Ille etiam parvo dixit mihi non leve carmen: 30
Jam levis obliqua crescit tibi fistula canna.
A. At mihi Flora comas pallenti gramine spar-
Et matura mihi Pomona sub arbore ludit. [git,
Accipe, dixerunt Nymphæ, puer, accipe fontem:
Nam potes irriguis nutrire canalibus hortos. 35
I. Me docet ipsa Pales cultum gregis, ut niger
Terga maritus ovis nascenti mutet in agna, [albæ
Quæ neque diversi speciem servare parentis
Possit, et ambiguo testetur utrumque colore.
A. Non minus arte mea mutabilis induit arbos
Ignotas frondes, et non gentilia poma. 41
Ars mea nunc malo pira temperat, et modo cogit
Insita præcocibus subrepere persica prunis.
I. Me teneras salices juvat aut oleastra putare,
Et gregibus portare, novas ut carpere frondes 45
Condiscant, primoque recidere gramina morsu,
Ne depulsa vagas quærat fetura parentes.
A. Et mihi cum vulsis radicibus altera tellus
Panditur, irriguo perfunditur area fonte,
Et satiatur aqua, succos ne forte priores 50
Languida mutata quærant plantaria terra.
I. O si quis Crocalen deus afferat! hunc ego
Hunc ego sideribus solum regnare fatebor. [terris,
Dicam namque nemus, dicamque, Sub arbore numen
Hac erit; ite procul, (sacer est locus,) ite profani.
A. Urimur in Crocalen: si quis mea vota deorum 56
Audiat, huic soli, virides qua gemmeus undas
Fons agit, et tremulo percurrit lilia rivo,
Inter pampineas ponetur faginus ulmos.
I. Ne contemne casas et pastoralia tecta 60
Rusticus est, fateor, sed non et barbarus Idas.
Sæpe vaporato mihi cespite palpitat agnus,
Sæpe cadit festis devota Palilibus agna. [horti
A. Nos quoque pomiferi Laribus consuevimus
Mittere primitias, et fingere liba Priapo, 65
Rorantesque favos damus et liquentia mella:
Nec fore grata minus, quam si caper imbuat aras.
I. Mille sub uberibus balantes pascimus agnas,
Totque Tarentinæ præstant mihi vellera matres:
Per totum niveus premitur mihi caseus annum.
Si venias, Crocale, totus tibi serviet hornus. 71
A. Qui numerare velit, quam multa sub arbore nostra
Poma legam, citius tenues numerabit aristas:
Semper olus metimus, nec bruma nec impedit æstas.
Si venias, Crocale, totus tibi serviet hortus. 75
I. Quamvis siccus ager languentes excoquat herbas,
Sume tamen calathos nutanti lacte coactos. [cum
Vellera tunc dabimus, cum primum tempus apri-
Surget, et a tepidis fiet tonsura Calendis. [æstas,
A. Et nos, quos etiam prætorrida munerat
Mille renidenti dabimus tibi cortice Chias, 81
Castaneasque nuces totidem, cum sole Novembri
Maturis nucibus virides rumpentur echini.
I. Num, precor, informis videor tibi? num gravis annis?
Decipiorque miser, quoties mollissima tango 85
Ora manu, primique sequor vestigia floris
Nescius, et gracili digitos lanugine fallo?
A. Fontibus in liquidis quoties me conspicor,
Admiror toties: etenim sic flore juventæ [ipse
Induimur vultus, ut in arbore sæpe notavi 90
Cerea sub tenui lucere Cydonia lana. [ri.
I. Carmina poscit amor, nec fistula cedit amo-
Sed fugit ecce dies, revocatque crepuscula Vesper.
Hinc tu, Daphni, greges, illinc agat Alphesibœus.
A. Jam resonant frondes, jam cantibus obstrepit arbos. 95
I procul, o Doryla, primumque reclude canalem,
Et sine jamdudum sitientes irriget hortos.
Vix ea finierant, senior cum talia Thyrsis:
T. Este pares, et ab hoc concordes vivite: nam vos
Et decor, et cantus, et amor sociavit, et ætas. 100

Ecloga III.—*Iollas, Lycidas.*

I. Numquid in hac, Lycida, vidisti forte juvencam
Valle meam? solet illa tuis occurrere tauris:
Et jam pæne duas, dum quæritur, eximit horas;
Nec tamen apparet. Duris ego perdita ruscis
Jamdudum, et nullis dubitavi crura rubetis 5
Scindere, nec quicquam post tantum sanguinis egi.
L. Non satis attendi; neque enim vacat. Uror, Iolla,
Uror, et immodice: Lycidan ingrata reliquit
Phyllis, amatque novum post tot mea munera Mopsum.
I. Mobilior ventis o fœmina! sic tua Phyllis?
Quæ sibi (nam memini) si quando solus abesses,
Mella etiam sine te jurabat amara videri.
L. Altius ista querar, si forte vacabis, Iolla.
Has pete nunc salices, et lævas flecte sub ulmos.
Nam cum prata calent, illic requiescere noster 15

Taurus amat, gelidaque jacet spatiosus in umbra,
Et matutinas revocat palearibus herbas. [abibo.
I. Non equidem, Lycida, quamvis contemtus,
Tityre, quas dixit, salices pete lævus, et illinc,
Si tamen invenies, deprensam verbere multo 20
Huc age; sed fractum referas hastile memento.
Nunc age, dic, Lycida, quæ vos tam magna tulere
Jurgia? quis vestro deus intervenit amori?
L. Phyllide contentus (solus tu testis, Iolla, es)
Callirhoen sprevi, quamvis cum dote rogaret. 25
En! sibi cum Mopso calamos intexere cera
Incipit, et puero comitata sub ilice cantat.
Hoc ego cum vidi, fateor, sic intimus arsi,
Ut nihil ulterius tulerim: nam protinus ambas
Deduxi tunicas, et pectora nuda cecidi. 30
Alcippen irata petit, dixitque, Relicto,
Improbe, te, Lycida, Mopsum tua Phyllis amabit.
Nunc penes Alcippen manet; ac ne forte vagetur,
Ah vereor: nec tam nobis ego Phyllida reddi
Exopto, quam ne Mopso jungatur anhelo. 35
I. A te cœperunt tua jurgia; tu prior illi
Victas tende manus: decet indulgere puellæ,
Vel cum prima nocet. Si quid mandare juvabit,
Sedulus iratæ contingam nuntius aures. [placem.
L. Jamdudum meditor, quo Phyllida carmine
Forsitan audito poterit mitescere cantu:
Et solet illa meas ad sidera ferre Camœnas.
I. Dic age: nam cerasi tua cortice verba no-
Et decisa feram rutilanti carmina libro. [tabo,
L. Has tibi, Phylli, preces jam pallidus, hos tibi cantus 45
Dat Lycidas, quos nocte miser modulatur acerba,
Dum flet, et excusso distergit lumina somno.
Non sic destricta macrescit turdus oliva,
Non lepus, extremas legulus cum sustulit uvas,
Ut Lycidas domina sine Phyllide tabidus erro.
Te sine (væ misero) mihi lilia nigra videntur,
Nec sapiunt fontes, et acescunt vina bibenti.
At si tu venias, et candida lilia fient,
Et sapient fontes, et dulcia vina bibentur.
Ille ego sum Lycidas, quo te cantante solebas
Dicere felicem, cui dulcia sæpe dedisti 56
Oscula, nec medios dubitasti rumpere cantus,
Atque inter calamos errantia labra petisti.
Ah dolor! et post hoc placuit tibi torrida Mopsi
Vox, et carmen inops, et acerbæ stridor avenæ?
Quem sequeris? quem, Phylli, fugis? formosior
Dicor, et hoc ipsum mihi tu narrare solebas. [illo
Sum quoque divitior: certaverit ille tot hædos
Pascere, quot nostri numerantur vespere tauri?
Quid tibi, quæ nosti, referam? scis, optima Phylli, 65
Quam numerosa meis siccetur bucula mulctris,
Et quam multa suos suspendat ad ubera natos.
Sed mihi nec gracilis sine te fiscella salicto
Texitur, et nullo tremuere coagula lacte. 69
Quod si dura times etiam nunc verbera, Phylli,
Tradimus ecce manus: licet illæ et vimine tor-
Scilicet, et lenta post tergum vite domentur, [to
Ut mala nocturni religavit brachia Mopsi
Tityrus, et medio furem suspendit ovili.
Accipe, ne dubita: meruit manus utraque pœnas.
His tamen, his isdem manibus tibi sæpe palumbes,
Sæpe etiam leporem, decepta matre, paventem
Misimus in gremium: per me tibi lilia prima
Contigerunt, primæque rosæ: vixdum bene flo-
Degustabat apis, tu cingebare coronis. [rem
Aurea sed forsan mendax tibi munera jactat, 81
Qui metere occidua ferales nocte lupinos
Dicitur, et cocto pensare legumine panem,
Qui sibi tunc felix, tunc fortunatus habetur,
Vilia cum subigit manualibus hordea saxis. 85
Quod si turpis amor precibus, quod abominor, istis
Obstiterit, laqueum miseri nectemus ab illa
Ilice, quæ primum nostros violavit amores.
Hi tamen ante mala figentur in arbore versus
Credere, pastores, levibus nolite puellis; 90
Phyllida Mopsus amat, Lycidas habet ultima rerum.
Nunc age, si quicquam miseris succurris, Iolla
Perfer, et exora modulato Phyllida cantu.
Ipse procul stabo, vel acuta carice tectus,
Vel propius latitans vicina, ut sæpe, sub ara. 95
I. Ibimus: et veniet, nisi me præsagia fallunt.
Nam bonus a dextro fecit mihi Tityrus omen,
Qui redit inventa non irritus, ecce, juvenca.

Ecloga IV.—*Melibœus, Corydon, Amyntas.*

M. Quid tacitus, Corydon, vultuque subinde minaci, [humor,
Quidve sub hac platano, quam garrulus adstrepit
Infesta statione sedes? juvat humida forsan
Ripa, levatque diem vicini spiritus amnis.
C. Carmina jamdudum, non quæ nemorale resultent, [possint
Volvimus, o Melibœe; sed hæc, quibus aurea
Sæcula cantari, quibus et deus ipse canatur, [tam.
Qui populos, Urbemque regit, pacemque toga-
M. Dulce quidem resonas, nec te diversus Apollo 9
Despicit, o juvenis: sed magnæ numina Romæ
Non ita cantari debent, ut ovile Menalcæ. [acutis
C. Quicquid id est, sylvestre licet videatur
Auribus, et nostro tantum memorabile pago;
Dum mea rusticitas, si non valet arte polita
Carminis, at certe valeat pietate probari. 15
Rupe sub hac eadem, quam proxima pinus obumbrat,
Hæc eadem nobis frater meditatur Amyntas,
Quem vicina meis natalibus admovet ætas. [ceræ
M. Jam puerum calamos et odoræ vincula
Jungere non cohibes, levibus quem sæpe cicutis
Ludere conantem vetuisti fronte paterna? 21
Dicentem, Corydon, te non semel ista notavi:
Frange, puer, calamos, et inanes desere Musas;
I, potius glandes rubicundaque collige corna,
Duc ad mulctra greges, et lac venale per urbem
Non tacitus porta: quid enim tibi fistula reddet
Quo tutere famem? certe mea carmina nemo
Præter ab his scopulis ventosa remurmurat echo.
C. Hæc ego (confiteor) dixi, Melibœe; sed olim: 29
Non eadem nobis sunt tempora, non deus idem:
Spes magis arridet. Certe ne fraga rubosque
Colligerem, viridique famem solarer hibisco,
Tu facis, et tua nos alit indulgentia farre. [tam,
Tu nostras miseratus opes, docilemque juven-
Hiberna prohibes jejunia pellere fago. 35
Ecce nihil querulum per te, Melibœe, sonamus;
Per te secura saturi recubamus in umbra,
Et fruimur sylvis Amaryllidos, ultima nuper
Littora terrarum, nisi tu, Melibœe, fuisses,
Ultima visuri, trucibusque obnoxia Mauris 40
Pascua Geryonis, liquidis ubi cursibus ingens
Dicitur occiduas impellere Bætis arenas.
Scilicet extremo nunc vilis in orbe jacerem,
Ah dolor! et pecudes inter conductus Iberas

Irrita septena modularer sibila canna : 45
Nec quisquam nostras inter dumeta Camœnas
Respiceret : non ipse daret mihi forsitan aurem,
Ipse deus, vacuam, longeque sonantia vota
Scilicet extremo non exaudiret in orbe.
Sed, nisi forte tuas melior sonus avocat aures, 50
Et nostris aliena magis tibi carmina rident,
Vis hodierna tua subigatur pagina lima ?
Nam tibi non solum venturos noscere nimbos
Agricolis, qualemque ferat sol aureus ortum,
Attribuere dei ; sed dulcia carmina sæpe 55
Concinis, et modo te Baccheis Musa corymbis
Munerat, et lauro modo pulcher obumbrat Apollo.
Quod si tu faveas trepido mihi, forsitan illos
Experiar calamos, here quos mihi doctus Iollas
Donavit, dixitque : Truces hæc fistula tauros
Conciliat, nostroque sonat dulcissima Fauno. 61
Tityrus hanc habuit, cecinit qui primus in istis
Montibus Hyblæa modulabile carmen avena.

M. Magna petis, Corydon, si Tityrus esse la- [boras.
Ille fuit vates sacer, et qui posset avena
Præsonuisse chelyn, blandæ cui sæpe canenti
Allusere feræ, cui substitit advena quercus,
Quem modo cantantem rutilo spargebat acantho
Nais, et implicitos comebat pectine crines.

C. Est (fateor, Melibœe) deus : sed nec mi- 70
hi Phœbus
Forsitan abnuerit : tu tantum commodus audi :
Scimus enim, quam te non adspernetur Apollo.

M. Incipe ; nam faveo : sed prospice, ne tibi
Tinnula tam fragili respiret fistula buxo, [forte
Quam resonare solet, si quando laudat Alexin. 75
Hos potius calamos, magis hos sectare canales
Per me, qui dignas cecinerunt consule sylvas.
Incipe ; ne dubita. Venit en et frater Amyntas :
Cantibus iste tuis alterno succinat ore. [men :
Ducite, ne mora sit, vicibusque reducite car-
Tuque prior, Corydon, tu proximus ibis, Amynta.

C. Ab Jove principium, si quis canit æthera sumat,
Si quis Atlantiaci molitur pondus Olympi :
At mihi, qui nostras præsenti numine terras
Perpetuamque regit juvenili robore pacem, 85
Lætus, et augusto felix arrideat ore. [sar

A. Me quoque facundo comitatus Apolline Cæ-
Respiciat, montes neu dedignetur adire,
Quos et Phœbus amat, quos Jupiter ipse tuetur ;
In quibus augustos visuræ sæpe triumphos
Laurus fructificant, vicinaque nascitur arbos.

C. Ipse polos etiam qui temperat igne geluque,
Jupiter ille parens, cui tu jam proximus ipse,
Cæsar, abes, posito paullisper fulmine sæpe
Cresia rura petit, viridique reclinis in antro 95
Carmina Dictæis audit Curetica sylvis.

A. Adspicis, ut virides audito Cæsare sylvæ
Conticeant ? memini, quamvis urgente procella,
Sic nemus immotis subito requiescere ramis,
Et dixi : Deus hinc, certe deus expulit Euros.
Nec mora ; Pharsales solverunt sibila cannæ.

C. Adspicis, ut teneros subitus vigor excitet agnos,
Utque superfuso magis ubera lacte graventur,
Et nuper tonsis exundent vellera fetis ? [tavi,
Hoc ego jam (memini) semel hac in valle no-
Et, venisse Palen, pecoris dixisse magistros. [rat,

A. Scilicet omnis eum tellus, gens omnis ado-
Diligiturque deis, quem sic taciturna verentur
Arbuta, cujus iners audito nomine tellus
Incaluit, floremque dedit ; cui sylva vocato 110
Densat odore comas, stupefacta egerminat arbos

C. Illius ut primum senserunt numina terræ,
Cœpit et uberior, sulcis fallentibus olim,
Luxuriare seges, tandemque legumina plenis 114
Vix resonant siliquis : nec præfocata malignum
Messis habet lolium, nec inertibus albet avenis.

A. Jam neque damnatos metuit jactare ligones
Fossor, et invento, si fors dedit, utitur auro ;
Nec timet, ut nuper, dum jugera versat arator,
Ne sonet offenso contraria vomere massa ; 120
Jamque palam presso magis ac magis instat aratro.

C. Ille dat, ut primas Cereri dare cultor aristas
Possit, et intacto Bromium perfundere vino ;
Ut nudus ruptas saliat calcator in uvas ;
Ut quoque turba bono plaudat pagana magistro,
Qui facit egregios ad pervia compita ludos. 126

A. Ille meis pacem dat montibus : ecce, per
Seu cantare juvat, seu ter pede læta ferire [illum
Carmina : non nullas licet hic cantare choreas,
Et cantus viridante licet mihi condere libro : 130
Turbida nec calamos exsurdant classica nostros.

C. Numine Cæsareo securior ipse Lycæus
Pan recolit sylvas, et amœna Faunus in umbra
Securus recubat, placidoque in fonte lavatur
Nais, et humanum non calcatura cruorem 135
Per juga siccato velox pede currit Oreas.

A. Di, precor, hunc juvenem, quem vos (non fallor) ab ipso
Æthere misistis, post longa reducite vitæ
Tempora, vel potius mortale resolvite pensum,
Et date perpetuo cœlestia fila metallo : 140
Sit deus, et nolit pensare Palatia cœlo.

C. Tu quoque, mutata seu Jupiter ipse figura,
Cæsar, ades, seu quis superûm sub imagine falsa
Mortalique lates, vivas, atque hunc, precor, orbem, 144
Hos, precor, æternus populos rege : sit tibi cœli
Vilis amor, certamque, pater, ne desere terram.

M. Rustica credebam nemorales carmina vo-
Concessisse deos, et obesis auribus apta : [bis
Verum, quæ imparibus modo concinuistis avenis,
Tam liquidum, tam dulce sonant, ut non ego malim, 150
Quod Peligna solent examina lambere, nectar.

C. O mihi, quæ tenero decurrunt carmina versu, [istis
Tum, Melibœe, sonent, si quando in montibus
Dicar habere larem, si quando nostra videre
Pascua contigerit : vellit nam sæpius aurem 155
Invida paupertas, et dixit : Ovilia cura.
At tu, si qua tamen non adspernanda putabis,
Fer, Melibœe, deo mea carmina : nam tibi fas
Sacra Palatini penetralia visere Phœbi. [est
Tu mihi talis eris, qualis, qui dulce sonantem
Tityron e sylvis dominam deduxit in urbem, 161
Ostenditque deis, et, Spreto, dixit, ovili,
Tityre, rura prius, sed post cantabimus arma.

A. Respiciat nostros utinam fortuna labores
Pulchrior, et meritæ faveat deus ipse juventæ !
Nos tamen interea tenerum mactabimus hædum,
Et pariter subitæ peragemus fercula cœnæ.

M. Nunc ad flumen oves deducite : jam fremit æstus, [bras.
Jam sol contractas pedibus magis admovet um-

Ecloga V.—*Mycon.*

Forte Mycon senior, Canthusque Myconis alum-
Torrentem patula vitabant arbore solem ; [nus
Cum juveni senior præcepta daturus alumno,
Talia verba refert tremulis titubantia labris :

Quas errare vides inter dumeta capellas, 5
Canaque lascivo concidere germina morsu,
Canthe puer; quos, ecce, greges a monte reduc-
Cernis in aprico decerpere gramina campo; [tos
Hos tibi do senior juveni pater; ipse tuendos
Accipe: jam certe potes insudare labori; 10
Jam pro me gnavam potes exercere juventam.
Adspicis, ut nobis jamdudum mille querelas
Afferat, et baculum premat inclinata senectus?
Sed qua lege regas et amantes lustra capellas,
Et melius pratis errantes mollibus agnas, 15
Percipe. Vere novo, cum jam tinnire volucres
Incipient, nidosque reversa lutabit hirundo,
Protinus hiberno pecus omne movebis ovili.
Tunc etenim totus vernanti gramine saltus
Pullat, et æstivas reparabilis inchoat umbras 20
Tunc florent sylvæ, viridisque renascitur annus:
Tunc Venus, et calidi scintillat fervor amoris,
Lascivumque pecus salientes accipit hircos.
Sed non ante greges in pascua mittito clausos,
Quam fuerit placata Pales: tum cespite vivo 25
Pone focum, Geniumque loci, Faunumque, Laremque
Salso farre voca: tepidos tunc hostia cultros
Imbuat; hac etiam, dum vivit, ovilia lustra.
Nec mora, tunc campos ovibus, dumeta capellis,
Orto sole dabis, simul hunc transcendere montem
Cœperit, et primæ spatium tepefecerit horæ. 31
At si forte vaces, dum matutina relaxat
Frigora sol, tumidis spument tibi mulctra papillis:
Implebis, quod messe fluat; rursusque premetur
Mane, quod occiduæ mulsura redegerit horæ. 35
Parce tamen fetis: nec sint compendia tanti,
Destruat ut niveos venalis caseus agnos.
Nam tibi præcipuo fetura colatur amore.
Te quoque non pudeat, cum serus ovilia vises,
Si qua jacebit ovis partu resoluta recenti, 40
Hanc humeris portare tuis, natosque tepenti
Ferre sinu tremulos, et nondum stare paratos.
Nec tu longinquas procul a præsepibus herbas,
Nec nimis amotæ sectabere pabula sylvæ, 44
Dum peragit vernum Jovis inconstantia tempus.
Veris enim dubitanda fides: modo fronte serena
Blandius arrisit, modo cum caligine nimbos
Intulit, et miseras torrentibus abstulit agnas.
At cum longa dies sitientibus afferet æstus,
Nec fuerit variante deo mutabile cœlum, 50
Jam sylvis committe greges, jam longius herbas
Quære: sed ante diem pecus exeat; humida dulces
Efficit aura cibos, quoties fugientibus Euris
Frigida nocturno tinguntur pascua rore,
Et matutinæ lucent in gramine guttæ. 55
At simul argutæ nemus increpuere cicadæ,
Ad fontem compelle greges; nec protinus herbas
Et campos permitte sequi: sine protegat illos
Interea veteres quæ porrigit æsculus umbras.
Verum ubi declivi jam nona tepescere sole 60
Incipiet, seræque videbitur hora merendæ,
Rursus pasce greges, et opacos desere lucos.
Nec prius æstivo pecus includatur ovili,
Quam levibus nidis somnos captare volucris 64
Cogitet, ac tremuli dent mulctra coagula lactis.
Succida tum tereti constringes vellera junco,
Cum jam tempus erit maternas demere lanas,
Hircorumque jubas et olentes cædere barbas.
Ante tamen secerne pecus, gregibusque notatis
Consimiles include comas, ne longa minutis, 70
Mollia ne duris coeant, ne candida fuscis.
Sed tibi cum vacuas posito velamine costas
Denudabit ovis, circumspice, ne sit acuta
Forfice læsa cutis, tacitum ne pustula virus
Texerit occulto sub vulnere: quæ nisi ferro 75
Rumpitur, ah! miserum fragili rubigine corpus
Corrodet sanies, et putrida contrahet ossa.
Providus (hæc moneo) viventia sulfura tecum,
Et scillæ caput, atque intacta bitumina porta,
Ulceribus laturus opem; nec Bruttia desit 80
Dura tibi; et liquido simul unguine terga memento,
Si sint rasa, linas. Vivi quoque pondera melle
Argenti coquito, lentumque bitumen aeno,
Impressurus ovi tua nomina: nam tibi lites
Auferet ingentes lectus possessor in armo. [lus,
Tunc etiam, dum siccus ager, dum fervida tel-
Dum rimosa palus et multo torrida limo
Æstuat, et fragiles nimius sol pulverat herbas,
Lurida conveniet succendere galbana septis,
Et tua cervino lustrare mapalia fumo. 90
Obfuit iste malis odor anguibus: ipse videbis
Serpentum cecidisse minas: non stringere dentes
Ulla potest uncos, sed inani debilis ore
Marcet, et obtuso jacet exarmata veneno. [mæ
Tunc age, vicinæ, circumspice, tempora bru-
Qua ratione geras. Aperit cum vinea sepes, 96
Et portat lectas securus vinitor uvas,
Incipe falce nemus vivasque recidere frondes.
Tunc opus est teneras summatim stringere virgas,
Tunc debes servare comas, dum permanet humor, 100
Dum viret, et tremulas non excutit Africus umbras.
Has tibi conveniet tepidis fœnilibus olim
Promere, cum pecudes extremus clauserit annus.
Sic tibi nitendum est: labor hoc in tempore noster,
Gnavaque sedulitas venit, et pastoria virtus. 105
Nec pigeat ramos siccis miscere recentes,
Et succos adhibere novos: ne torrida nimbis
Instet hiems, nimioque gelu, nivibusque coactis,
Incurvare velis nemus, et constringere frondes.
Tu tamen aut læves hederas, aut molle salictum
Valle premes gelida: sitis est pensanda tuorum,
Canthe, gregum viridante cibo: nihil aridus illis,
Ingenti positus quamvis strue, prosit acervus,
Virgea si desint liquido turgentia succo,
Et quibus est aliquid plenæ vitale medullæ. 115
Præcipue gelidum stipulis et fronde caduca
Sterne solum, ne forte rigor penetrabile corpus
Urat, et interno vastet pecuaria morbo.
Plura quidem monuisse velim: nam plura supersunt.
Sed jam sera dies cadit, et jam sole fugato 120
Frigidus æstivas impellit Noctifer horas.

Ecloga VI.—*Astylus, Lycidas, Mnasyllus.*

Ast. Serus ades, Lycida: modo Nyctilus et puer
Certavere sub his alterno carmine ramis. [Alcon
Judice me, sed non sine pignore: Nyctilus hædos
Juncta matre dedit; catulum dedit ille, Lacænæ
Juravitque genus: sed sustulit omnia victor. 5
Lyc. Nyctilon ut cantu rudis exsuperaverit Alcon,
Astyle, credibile est? ita vincat acanthida cornix:
Vocalem superet sic dirus aedona bubo.
A. Ne potiar Petale, qua nunc ego maceror una,
Si magis aut docili calamorum Nyctilus arte, 10
Aut cantu magis est, quam vultu, proximus illi.
L. Jam nunc decipior, te judice: pallidus alter
Venit, et hirsuta spinosior hystrice barba;
Candidus alter erat, lævique decentior ovo,
Et ridens oculis, crinemque simillimus auro, 15

Qui posset dici, si non cantaret, Apollo.
A. O Lycida, si quis tibi carminis usus adesset,
Tu quoque laudatum posses Alcona probare.
L. Vis igitur, quoniam nec nobis, improbe, par es,
Ipse tuos judex calamos committere nostris? 20
Vis conferre manus? veniat licet arbiter Alcon.
A. Vincere tu quenquam? vel te certamine quisquam
Dignetur, qui vix stillantes, aride, voces
Rumpis, et expellis male singultantia verba?
L. Fingas plura licet: nec enim potes, improbe, vera 25
Exprobrare mihi, sicut tibi multa Lycotas.
Sed quid opus vana consumere tempora lite?
Ecce venit Mnasyllus: erit (nisi forte recusas)
Arbiter: Inflatis non credimus, improbe, verbis. [abire,
A. Malueram (fateor) vel prædam nactus
Quam tibi certanti partem committere vocis: 31
Nec tamen hoc impune feres. En adspicis illum,
Candida qui medius cubat inter lilia, cervum?
Quamvis hunc Petale mea diligat, accipe victor.
Scit frenos, scit ferre jugum, sequiturque vocantem 35
Credulus, et mensæ non improba porrigit ora.
Adspicis, ut fruticat late caput? utque sub ipsis
Cornibus, et tereti pendent redimicula collo?
Adspicis, ut niveo frons irretita capistro
Lucet, et, a dorso quæ totam circuit alvum, 40
Alternat vitreas lateralis cingula bullas?
Cornua [subtiles] ramosaque tempora molles
Implicuere rosæ, rutiloque monilia torque
Extrema cervice natant, ubi pendulus apri
Dens sedet, et nivea distinguit pectora luna. 45
Hunc ego, qualemcunque vides in valle, paciscor
Pendere, dum sciat hic se non sine pignore vinci.
L. Terreri, Mnasylle, suo me munere credit:
Adspice, quam timeam. Genus est, ut scitis, equarum
Non vulgare mihi; quarum de sanguine ponam 50
Velocem Petason, qui gramina, matre relicta,
Nunc primum teneris libavit dentibus: illi
[Pes levis, adductum latus, excelsissima cervix,]
Terga sedent, micat acre caput, sine pondere cervix,
Et tornata brevi substringitur ungula cornu: 55
Ungula, quæ viridi sic exsultavit in arvo,
Tangeret ut fragiles, sed non curvaret, aristas:
Hunc dare, si vincar, sylvestria numina juro.
Mn. Et vacat, et vestros cantus audire juvabit.
Judice me sane contendite, si libet: istic 60
Protinus, ecce, torum fecere sub ilice Musæ.
A. Sed, ne vicini nobis sonus obstrepat amnis,
Gramina linquamus, ripamque volubilis undæ.
Namque sub exeso raucum mihi pumice lymphæ
Respondent, et obest arguti glarea rivi. 65
L. Si placet, antra magis vicinaque saxa petamus,
Saxa, quibus viridis stillanti vellere muscus
Dependet, scopulisque cavum sinuantibus arcum
Imminet, exesa veluti testudine concha.
A. Venimus, et tacito sonitum tutabimur antro.
Seu residere libet, dabit ecce sedilia tophus;
Ponere seu cubitum, melior viret herba tapetis.
Mn. Nunc mihi seposita reddantur carmina lite:
Nam vicibus teneros malim cantetis amores:
Astyle, tu Petalen, Lycida, tu Phyllida lauda. 75
L. Tu modo nos illis jam nunc, Mnasylle, precamur,
Auribus excipias, quibus hunc et Acanthida nu-
Diceris in sylva judex audisse Thalea. [per
A. Non equidem possum, cum provocet iste, tacere: [quærit.
Rumpor enim merito: nihil hic, nisi jurgia,
Audiat, aut dicat, quoniam cupit; hoc mihi certe
Dulce satis fuerit, Lycidan spectare trementem,
Dum te stante palam sua crimina pallidus audit.
L. Me, puto, vicinus Stimicon, me proximus Ægon
Hos inter frutices tacite risere volentem 85
Oscula cum tenero simulare virilia Mopso.
A. Fortior o utinam non nunc Mnasyllus adesset!
Efficerem, ne te quisquam tibi turpior esset.
Mn. Quid furitis? quo vos insania tendere jussit?
Sic vicibus certare placet? sed non ego vobis 90
Arbiter: hoc alius possit discernere judex.
Et venit, ecce, Mycon, venit et vicinus Iollas:
Litibus hi vestris poterunt imponere finem.

Ecloga VII.—*Lycotas, Corydon.*

L. Lentus ab urbe venis, Corydon; vigesima certe
Nox fuit, ut nostræ cupiunt te cernere sylvæ,
Et tua mærentes exspectant jubila tauri.
C. O piger, et duro jam durior axe, Lycota,
Qui veteres fagos, nova quam spectacula, mavis
Cernere, quæ patula juvenis deus edit arena. 6
L. Mirabar, quæ tanta foret tibi causa morandi;
Cur tua cessaret taciturnis fistula sylvis,
Et solus Stimicon caneret pallente corymbo;
Quem sine te mæsti tenero donavimus hædo. 10
Nam, dum lentus abes, lustravit ovilia Thyrsis,
Jussit et arguta juvenes certare cicuta.
C. Sit licet invictus Stimicon, et præmia dives
Auferat, accepto nec solum gaudeat hædo,
Verum tota ferat, quæ lustrat ovilia Thyrsis; 15
Non tamen æquabit mea gaudia; nec mihi, si quis
Omnia Lucanæ donet pecuaria sylvæ,
Grata magis fuerint, quam quæ spectamus in urbe.
L. Dic age, dic, Corydon, nec nostras invidus aures
Despice: non aliter certe mihi dulce loquere, 20
Quam certare soles, quoties ad sacra vocatur
Aut fecunda Pales aut pastoralis Apollo. [tis
C. Vidimus in cœlum trabibus spectacula tex-
Surgere, Tarpeium prope despectantia culmen,
Immensosque gradus, et clivos lene jacentes. 25
Venimus ad sedes, ubi pulla sordida veste
Inter fœmineas spectabat turba cathedras.
Nam quæcunque patent sub aperto libera cœlo,
Aut eques, aut nivei loca densavere tribuni.
Qualiter hæc patulum contendit vallis in orbem,
Et sinuata latus resupinis undique sylvis 31
Inter continuos curvatur concava montes:
Sic tibi planitiem curvæ sinus ambit arenæ,
Et geminis medium se molibus alligat ovum.
Quid tibi nunc referam, quæ vix suffecimus ipsi
Per partes spectare suas? sic undique fulgor 36
Percussit: stabam defixus, et ore patenti,
Cunctaque mirabar, necdum bene singula noram.
Tum mihi, tum senior lateri qui forte sinistro
Junctus erat, Quid te stupefactum, rustice, dixit,
Ad tantas miraris opes, qui, nescius auri, 41
Sordida tecta casas, et sola mapalia nosti?
En ego tam tremulus, tam vertice canus, et ista
Factus in urbe senex, stupeo tamen omnia: certe
Vilia sunt nobis, quæcunque prioribus annis 45

Vidimus, et sordet, quicquid spectavimus olim.
Balteus en gemmis, en illita porticus auro
Certatim radiant · nec non, ubi finis arenæ
Proxima marmoreo peragit spectacula muro,
Sternitur adjunctis ebur admirabile truncis, 50
Et coit in rotulum, tereti qui lubricus axe
Impositos subita vertigine falleret ungues,
Excuteretque feras. Auro quoque torta refulgent
Retia, quæ totis in arenam dentibus exstant, 54
Dentibus æquatis; et erat (mihi crede, Lycota,
Si qua fides) nostro dens longior omnis aratro.
Ordine quid referam? vidi genus omne ferarum:
Hic niveos lepores, et non sine cornibus apros,
Mantichoram, sylvis etiam quibus editur alcen
Vidimus, et tauros, quibus aut cervice levata 60
Deformis scapulis torus eminet, aut quibus hirtæ
Jactantur per colla jubæ, quibus aspera mento
Barba jacet, tremulisque rigent palearia setis.
Nec solum nobis sylvestria cernere monstra
Contigit: æquoreos ego cum certantibus ursis 65
Spectavi vitulos, et equorum nomine dignum,
Sed deforme pecus, quod in illo nascitur amni,
Qui sata riparum venientibus irrigat undis.
Ah trepidi quoties nos descendentis arenæ
Vidimus in partes, ruptaque voragine terræ 70
Emersisse feras! et eisdem sæpe latebris
Aurea cum croceo creverunt arbuta libro. [nectus
L. O felix Corydon, quem non tremebunda se-
Impedit! o felix, quod in hæc tibi sæcula primos,
Indulgente deo, demittere contigit annos! 75
Nunc, tibi si propius venerandum cernere numen
Sors dedit, et præsens vultumque habitumque notasti, [rum.
Dic age, dic, Corydon, quæ sit modo forma deo-
C. O utinam nobis non rustica vestis inesset!
Vidissem propius mea numina: sed mihi sordes,
Pullaque paupertas, et adunco fibula morsu 81
Obfuerunt; utcunque tamen conspeximus ipsum
Longius, ac, nisi me decepit visus, in uno
Et Martis vultus et Apollinis esse putavi.

Ecloga VIII.—*Damœtas, Tityrus.*

Dam. Dum fiscella tibi fluviali, Tityre, junco
Texitur, et raucis resonant tua rura cicadis,
Incipe, si quod habes gracili sub arundine carmen
Compositum: nam te calamos inflare labello
Pan docuit, versuque bonus tibi favit Apollo. 5
Incipe, dum salices hædi, dum gramina vaccæ
Detondent, viridique greges permittere campo
Et ros et primi suadet clementia solis. [nectam
Tim. Hos annos canamque meam, vicine, se-
Tu juvenis carusque deis in carmina cogis? 10
Viximus, et calamis versus cantavimus olim,
Dum secura hilares ætas ludebat amores.
Nunc album caput, et Veneres tepuere sub annis:
Jam mea ruricolæ dependet fistula Fauno.
Te nunc rura sonant: nuper nam carmine victor
Risisti calamos et dissona flamina Mopsi, 16
Judice me. Mecum senior Melibœus utrumque
Audierat, laudesque tuas sublime ferebat;
Quem nunc, emeritæ permensum tempora vitæ,
Secreti pars orbis habet, mundusque piorum. 20
Quare age, si qua tibi Melibœi gratia vivit,
Dicat honoratos prædulcis tibia manes.
Dam. Et parere decet jussis, et grata jubentur.
Namque fuit dignus senior, quem carmine Phœbus, [pheus,
Pan calamis, fidibusque Linus, modulatibus Or-
Concinerent, atque acta viri laudesque sonarent.
Sed quia tu nostræ Musam deposcis avenæ,
Accipe, quæ super hoc quercus, quam cernis ad amnem, 28
Continet, inciso servans mea carmina libro. [nus
Tit. Dic age: sed nobis ne vento garrula pi-
Obstrepat, has ulmos potius fagosve petamus.
Tim. Hic cantare libet: virides nam subjicit herbas
Mollis ager, lateque tacet nemus omne; quieti,
Adspice, ut ecce procul decerpant gramina tauri.
Omniparens æther, et rerum causa liquores,
Corporis et genitrix tellus, vitalis et aer,
Accipite hos calamos, atque hæc nostro Melibœo
Mittite, si sentire datur post fata quietis.
Nam si sublimes animæ cœlestia templa
Sidereasque colunt sedes, mundoque fruuntur; 40
Tu nostros adverte modos, quos ipse benigno
Pectore fovisti, quos tu, Melibœe, probasti.
Longa tibi, cunctisque diu spectata senectus,
Felicesque anni, nostrique novissimus ævi
Circulus, innocuæ clauserunt tempora vitæ. 45
Nec minus hinc nobis gemitus lacrymæque fuere,
Quam si florentes mors invida pelleret annos.
Nec tenuit tales communis causa querelas:
Heu! Melibœe, jaces letali frigore segnis
Lege hominum, cœlo dignus, canente senecta, 50
Concilioque deûm. Plenum tibi ponderis æqui
Pectus erat: tu ruricolûm discernere lites
Adsueras, varias patiens mulcendo querelas.
Sub te ruris amor, sub te reverentia justi
Floruit: ambiguos signavit terminus agros. 55
Blanda tibi vultu gravitas, et mite severa
Fronte supercilium, sed pectus mitius ore.
Tu calamos aptare labris, et jungere cera
Hortatus, duras docuisti fallere curas.
Nec segnem nobis passus marcere juventam, 60
Sæpe dabas meritæ non vilia præmia Musæ.
Sæpe etiam senior, ne nos cantare pigeret,
Lætus Phœbea dixisti carmen avena.
Felix o Melibœe, vale! tibi frondis odoræ
Munera dat, lauros carpens, ruralis Apollo; 65
Dant Fauni, quod quisque valet, de vite racemos,
De campo culmos, omnique ex arbore fruges.
Dat grandæva Pales spumantia cymbia lacte,
Mella ferunt Nymphæ, pictas dat Flora coronas.
Manibus hic supremus honos. Dant carmina Musæ; 70
Carmina dant Musæ, nos te modulamur avena.
Sylvestris nunc te platanus, Melibœe, susurrat,
Te pinus; reboat te quicquid carminis Echo
Respondet sylvæ; te nostra armenta loquuntur.
Namque prius siccis phocæ pascentur in arvis,
Hirsutusque freto vivet leo, dulcia mella 76
Sudabunt taxi, confusis legibus anni
Messem tristis hiems, æstas tractabit olivas,
Ante dabit flores autumnus, ver dabit uvas,
Quam taceat, Melibœe, tuas mea fistula laudes.
Tit. Perge, puer, cœptumque tibi ne desere carmen. 81
Nam sic dulce sonas, ut te placatus Apollo
Provehat, et felix dominam perducat ad urbem.
Namque huc e sylvis præsens tibi fama benignum
Stravit iter, rumpens livoris nubila plena. 85
Sed jam sol demittit equos de culmine mundi,
Flumineos suadens gregibus præbere liquores.

Ecloga IX.—*Idas, Alcon.*

Formosam Donacen puer Idas et puer Alcon
Ardebant, rudibusque annis incensus uterque
In Donaces Venerem furiata mente ruebant.

Hanc, cum vicini flores in vallibus horti
Carperet, et molli gremium compleret acantho,
Invasere simul, Venerisque immitis uterque 6
Tum primum dulci carpebant gaudia furto.
Hinc amor, et pueris jam non puerilia vota,
Quîs anni ter quinque hiemes, et cura juventæ.
Sed postquam Donacen duri clausere parentes,
Quod non tam tenui filo de voce sonaret, 11
Sollicitusque foret pinguis sonus, improba cervix,
Suffususque rubor crebro, venæque tumentes;
Tum vero ardentes flammati pectoris æstus
Carminibus dulcique parant relevare querela, 15
Ambo ævo cantuque pares, nec dispare forma,
Ambo genis læves, intonsi crinibus ambo;
Atque sub hac platano mæsti solatia casus
Alternant, Idas calamis, et versibus Alcon.
I. Quæ colitis sylvas Dryades, quæque antra Napææ, 20
Et quæ marmoreo pede Naides uda secantes
Littora, purpureos alitis per gramina flores,
Dicite, quo prato Donacen, qua forte sub umbra
Inveniam, roseis stringentem lilia palmis?
Nam mihi jam trini perierunt ordine soles, 25
Ex quo consueto Donacen exspecto sub antro.
Interea, tanquam nostri solamen amoris
Hoc foret, aut posset rabidos medicare furores,
Nulla meæ trinis tetigerunt gramina vaccæ
Luciferis, nulloque biberunt amne liquores: 30
Siccaque fetarum lambentes ubera matrum
Stant vituli, et teneris mugitibus aera complent.
Ipse ego nec molli junco, nec vimine lento
Perfeci calathos cogendi lactis in usus.
Quid tibi, quæ nosti, referam? scis mille juvencas
Esse mihi: nosti nunquam mea mulctra vacare.
Idas ille ego sum, Donace, cui sæpe dedisti
Oscula, nec medios dubitasti rumpere cantus,
Atque inter calamos errantia labra petisti.
Heu, heu! nulla meæ te tangit cura salutis? 40
Pallidior buxo, violæque simillimus erro.
Omnes ecce cibos, et nostri pocula Bacchi
Horreo, nec placido memini concedere somno.
Te sine (væ misero) mihi lilia nigra videntur,
Pallentesque rosæ, nec dulce rubens hyacinthus:
Nullos nec myrtus, nec laurus spirat odores. 46
At tu si venias, et candida lilia flent,
Purpureæque rosæ, et dulce rubens hyacinthus:
Tum mihi cum myrto laurus spirabit odores.
Nam dum Pallas amet turgentes sanguine baccas,
Dum Bacchus vites, deus et sata poma Priapus,
Pascua læta Pales, Idas te diliget unam.
Hæc Idas calamis: tu, quæ responderit Alcon
Versu, Phœbe, refer; sunt aurea carmina Phœbo.
A. O montana Pales, o pastoralis Apollo, 55
Et nemorum Sylvane potens, et nostra Dione,
Quæ juga celsa tenes Erycis, cui cura jugales
Concubitus hominum totis connectere sæclis,
Quid merui? cur me Donace formosa reliquit?
Munera namque dedi, noster quæ non dedit Idas;
Vocalem, longos quæ ducit, aedona, cantus; 61
Quæ, licet interdum contexto vimine clausa,
Cum parvæ patuere fores, ceu libera, ferri
Norit, et agrestes inter volitare volucres;
Scit rursus remeare domum, tectumque subire, 65
Viminis, et caveam totis præponere sylvis. [bes
Præterea tenerum leporem, geminasque palum-
Nuper, quæ potui, sylvarum præmia misi.
Et post hæc, Donace, nostros contemnis amores?
Forsitan indignum ducis, quod rusticus Alcon 70
Te cupiam, qui mane boves in pascua ducam.
Di pecorum pavere greges, formosus Apollo,
Pan doctus, Fauni vates, et pulcher Adonis.
Quin etiam fontis speculo me mane notavi,
Nondum purpureos Phœbus cum tolleret ortus,
Nec tremulum liquidis splenderet lumen in undis.
Quod vidi, nulla tegimur lanugine malas.
Pascimus et crinem: nostro formosior Ida
Dicor, et hoc ipsum mihi tu narrare solebas,
Purpureas laudando genas et lactea colla, 80
Atque hilares oculos, et formam puberis ævi.
Nec sumus indocti calamis: cantamus avena,
Qua divi cecinere prius, qua dulce locutus
Tityrus e sylvis dominam pervenit ad urbem.
Nos quoque te propter, Donace, cantabimur urbi,
Si modo coniferas inter viburna cupressos, 86
Atque inter pinos corylum frondescere fas est.
Sic pueri Donacen toto sub sole canebant,
Frigidus e sylvis donec descendere suasit
Hesperus, et stabulis pastos inducere tauros. 90

Ecloga X.—*Pan.*

Nyctilos, atque Mycon, nec non et pulcher Amyntas
Torrentem patula vitabant ilice solem;
Cum Pan venatu fessus recubare sub ulmo
Cœperat, et somno lassatas sumere vires:
Quem super e tereti pendebat fistula ramo. 5
Hanc pueri (tanquam prædam pro carmine possent
Sumere, fasque esset calamos tractare deorum)
Invadunt furto: sed nec resonare canorem
Fistula, quem suerat, nec vult contexere carmen;
Sed pro carminibus male dissona sibila reddit
Tum Pan excussus sonitu stridentis avenæ,
Jamque videns, Pueri, si carmina poscitis, inquit,
Ipse canam. nulli fas est inflare cicutas,
Quas ego Mænaliis cera conjungo sub antris.
Jamque ortus, Lenæe, tuos, et semina vitis 15
Ordine detexam: debemus carmina Baccho.
Hæc fatus, cœpit calamis sic montivagus Pan:
Te cano, qui gravidis hederata fronte corymbis
Vitea serta plicas, quique udo palmite tigres
Ducis odorato perfusus colla capillo, 20
Vera Jovis proles: nam tunc post sidera cœli
Sola Jovem Semele vidit Jovis ora professum.
Hunc pater omnipotens, venturi providus ævi,
Pertulit, et justo produxit tempore partus.
Vos etiam Nysæ viridi nutristis in antro 25
Hunc Nymphæ, Faunique senes, Satyrique proca-
Quin et Silenus parvum veneratus alumnum [ces.
Aut gremio fovet, aut resupinus sustinet ulnis,
Et vocat ad risum digito, motuque quietem
Allicit, aut tremulis quassat crepitacula palmis.
Cui deus arridens horrentes pectore setas 31
Vellicat, aut digitis aures adstringit acutas, [tum,
Applauditve manu mutilum caput, aut breve men-
Et simas tenero collidit pollice nares.
Interea pueri florescit pube juventa, 35
Flavaque maturo tumuerunt tempora cornu.
Tum primum lætas ostendit pampinus uvas:
Mirantur Satyri frondes et poma Lyæi.
Tum deus, O Satyri, maturos carpite fructus,
Dixit, et ignotos, pueri, calcate racemos. 40
Vix hæc ediderat; decerpunt vitibus uvas,
Et portant calathis, celerique illidere planta
Concava saxa super properant: vindemia fervet
Collibus in summis: crebro pede rumpitur uva,
Nudaque purpureo sparguntur pectora musto. 45
Tum Satyri, lasciva cohors, sibi pocula quisque
Obvia corripiunt; quod fors dedit, hoc capit usus.
Cantharon hic retinet, cornu bibit alter adunco:

Concavat ille manus, palmasque in pocula vertit:
Pronus at ille lacu bibit, et crepitantibus haurit
Musta labris: alius vocalia cymbala mergit: 51
Atque alius latices pressis resupinus ab uvis
Excipit: at potis saliens liquor ore resultat,
Spumeus inque humeros et pectora diffluit humor.
Omnia ludus habet: cantusque, chorosque licentes, 55
Et Venerem jam vina movent; raptantur amantes
Concubitu Satyri fugientes jungere Nymphas;
Jam jamque elapsas hic crine, hic veste retentat.
Tum primum roseo Silenus cymbia musto
Plena senex avide non æquis viribus hausit. 60
Ex illo venas inflatus nectare dulci
Hesternoque gravis semper ridetur Iaccho.
Quin etiam deus ille, deus Jove prosatus ipso,
Et plantis uvas premit, et de vitibus hastas
Ingerit, et lynci præbet cratera bibenti. 65
Hæc Pan Mænalia pueros in valle docebat,
Sparsas donec oves campo conducere in unum
Nox jubet, uberibus suadens siccare fluorem
Lactis, et in niveas adstrictum cogere glebas.

Ecloga XI.—*Lycidas, Mopsus.*

Populea Lycidas, nec non et Mopsus in umbra,
Pastores, calamis ac versu doctus uterque,
Nec triviale sonans, proprios cantabat amores.
Nam Mopso Meroe, Lycidæ crinitus Iollas
Ignis erat; parilisque furor de dispare sexu 5
Cogebat trepidos totis discurrere sylvis.
Hos puer ac Meroe multum lusere furentes,
Dum modo condictas vitant in vallibus ulmos,
Nunc fagos placitas fugiunt, promissaque fallunt
Antra, nec est animus solitos alludere fontes. 10
Tum tandem fessi, quos lusus adederat ignis,
Sic sua desertis nudarunt vulnera sylvis,
Inque vicem dulces cantu dixere querelas.
M. Immitis Meroe, rapidisque fugacior Euris,
Cur nostros calamos, cur pastoralia vitas 15
Carmina? quemve fugis? quæ me tibi gloria victo?
Quid vultu mentem premis, ac spem fronte serenans
Tandem dura negas? possum non velle negantem.
Cantet, amat quod quisque; levant et carmina curas.
L. Respice me tandem, puer o crudelis Iolla:
Non hoc semper eris. Perdunt et gramina flores,
Perdit spina rosas, nec semper lilia candent,
Nec longum tenet uva comas, nec populus umbras.
Donum forma breve est, nec se tibi commodat annis. [curas.
Cantet, amat quod quisque; levant et carmina
M. Cerva marem sequitur, taurum formosa ju-
Et Venerem sensere lupæ, sensere leænæ, [venca,
Et genus aerium, volucres, et squamea turba,
Et montes, sylvæque: suos habet arbor amores.
Tu tamen una fugis, miserum tu perdis amantem
Cantet, amat quod quisque; levant et carmina curas. [arcto est.
L. Omnia tempus alit, tempus rapit: usus in
Ver erat, et vitulos vidi sub matribus istos,
Qui nunc pro nivea coiere in cornua vacca.
Et tibi jam tumidæ nares, jam fortia colla, 35
Jam tibi bis denis numerantur messibus anni.
Cantet, amat quod quisque; levant et carmina curas. [umbram:
M. Huc, Meroe formosa, veni; vocat æstus in
Jam pecudes subiere nemus: jam nulla canoro
Gutture cantat avis, torto non squamea tractu
Signat humum serpens: solus cano; me sonat
Sylva, nec æstivis cantu concedo cicadis. [omnis
Cantet, amat quod quisque; levant et carmina curas. [colorem
L. Tu quoque, sæve puer, niveum ne perde
Sole sub hoc; solet hic lucentes urere malas. 45
Hic, age, pampinea mecum requiesce sub umbra.
Hic tibi lene fluens fons murmurat, hic et ab ul-
Purpureæ fetis dependent vitibus uvæ. [mis
Cantet, amat quod quisque; levant et carmina curas.
M. Qui tulerit Meroes fastidia longa superbæ,
Sithonias feret ille nives, Libycosque calores, 51
Nerinas potabit aquas, taxique nocentis
Non metuet succos, Sardoaque gramina vincet,
Et sua Marmaricos coget juga ferre leones.
Cantet, amat quod quisque; levant et carmina curas. 55
L. Quisquis amat pueros, ferro præcordia duret,
Nil properet, discatque diu patienter amare,
Prudentesque animos teneris non spernat in annis,
Perferat et fastus: sic olim gaudia sumet,
Si modo sollicitos aliquis deus audit amantes. 60
Cantet, amat quod quisque; levant et carmina curas. [tæ
M. Quid prodest, quod me pagani mater Amyn-
Ter vittis, ter fronde sacra, ter thure vaporo
Lustravit, cineresque aversa effudit in amnem,
Incendens vivo crepitantes sulfure lauros, 65
Cum sic in Meroen totis miser ignibus arsi?
Cantet, amat quod quisque; levant et carmina curas.
L. Hæc eadem nobis, quæ versicoloria fila
Et mille ignotas Mycale circumtulit herbas,
Cantavit, quod Luna timet, quo rumpitur anguis,
Quo currunt scopuli, migrant sata, vellitur arbos.
Plus tamen, ecce, meus, plus est formosus Iollas.
Cantet, amat quod quisque; levant et carmina curas.

D. MAGNI AUSONII EPIGRAMMATA.

D. Magnus Ausonius Julii Ausonii medici insignis Burdigalensis et Æmiliæ Æoniæ nobilissimæ Sequanæ filius, Burdigala natus, ab avunculo suo Cæcilio Argicio Arborio, humanarum artium apud Tolosanos professore, disciplinis optimis eruditus est. Cujus exemplo cum Ausonius ipse Burdigalæ grammaticam docere professus esset, brevi adeo inclaruit, ut a civibus suis rhetor publicus erigeretur. Gliscente dein fama a Valentiniano I. Augusto in aulam accitus est, ad Gratianum filium erudiendum. Valentiniano quidem magno in honore fuit, ejusque signa cum in aliis militiis, tum præcipue Suevica comitatus est; a Gratiano Illyrica, mox Gallica præfectura, quam cum Hesperio filio conjunctim gessit, consulatu denique (A. C. 379) ornatus est: nec minus Theodosio successori acceptus fuit. Uxorem habuit Attusiam Lucanam Sabinam, castam eandem eruditamque, quam ita dilexit, ut ea florente ævo erepta reliquum vitæ cœlebs transegerit. Senescens vero in patriam rursus se contulit, ibique annos plusquam octoginta natus supremum diem obiit. De fide ejus ambigitur apud doctos. Christi cultum certe professus est; sed ita, ut amicum Paullinum non nomine tantum, sed re moribusque Christianum esse volentem, inhumanitatis cujusdam dementiæque argueret. Vixit autem circa A. C. 320—400.

Epigramma I.—*De Augusto.*

Phœbe potens numeris, præses Tritonia bellis,
Tu quoque ab aerio præpes Victoria lapsu,
Come serenatam duplici diademate frontem,
Serta ferens, quæ dona togæ, quæ præmia pugnæ.
Bellandi fandique potens Augustus, honorem 5
Bis meret; ut geminet titulos, qui prœlia Musis
Temperat, et Geticum moderatur Apolline Martem.
Arma inter, Chunosque truces, furtoque nocentes
Sauromatas, quantum cessat de tempore belli,
Indulget Clariis tantum inter castra Camœnis. 10
Vix posuit volucres stridentia tela sagittas;
Musarum ad calamos fertur manus, otia nescit,
Et commutata meditatur arundine carmen.
Sed carmen non molle modis; bella horrida Mar-
Odrysii, Thressæque viraginis arma retractat. [tis
Exsulta, Æacide; celebraris vate superbo 16
Rursum, Romanusque tibi contingit Homerus.

Epigramma II.—*De fera a Cæsare interfecta.*

Cedere quæ lato nescit fera saucia ferro,
Armatique urget tela cruenta viri,
Quam grandes parvo patitur sub vulnere mortes,
Et solam leti vim probat esse manum!
Mirantur casusque novos, subitasque ruinas: 5
Quæritur, et fallit lumina plaga recens.
Nec contenta ictos letaliter ire per artus,
Conjungit mortes una sagitta duas.
Plurima communi pereunt si fulminis ictu,
Hæc quoque de cœlo vulnera missa putes. 10

Epigramma III.—*Danubius Augustos alloquitur.*

Illyricis regnator aquis, tibi, Nile, secundus
Danubius lætum profero fonte caput.
Salvere Augustos jubeo natumque patremque,
Armiferis alui quos ego Pannoniis.
Nuntius Euxino jam nunc volo currere ponto, 5
Ut sciat hoc superûm cura secunda Valens;
Cæde, fuga, flammis stratos periisse Suevos,
Nec Rhenum Gallis limitis esse loco.
Quod si lege maris refluus mihi curreret amnis,
Huc possem victos inde referre Gothos. 10

Epigramma IV.—*Idem eosdem alloquitur.*

Danubius penitis caput occultatus in oris,
Totus sub vestra jam ditione fluo.
Qua gelidum fontem mediis effundo Suevis,
Imperiis gravidas qua seco Pannonias,
Et qua dives aquis Scythico solvo ostia ponto, 5
Omnia sub vestrum flumina mitto jugum.
Augusto dabitur sed proxima palma Valenti.
Inveniet fontes hic quoque, Nile, tuos.

Epigramma V.—*Sub Valentiani Junioris signo marmoreo.*

Nunc te marmoreum pro sumtu fecimus: at cum
Augustus frater remeaverit, aureus esto.

Epigramma VI.—*Picturæ subditi, ubi leo una a Gratiano sagitta occisus est.*

Quod leo tam tenui patitur sub arundine letum,
Non vires ferri, sed ferientis agunt.

Epigramma VII.—*De matre Augusti.*

Ante omnes alias felix tamen hoc ego dicar,
Sive deum peperi fœmina, sive virum.

Epigramma VIII.—*Exhortatio ad modestiam.*

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto;
Fercula gemmatis cum poneret horrida vasis,
Et misceret opes pauperiemque simul.
Quærenti causam, respondit: Rex ego qui sum 5
Sicaniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reverenter habe, quicunque repente
Dives ab exili progrediere loco.

Epigramma IX.—*De suis poematis.*

Est jocus in nostris, sunt seria multa libellis:
Stoicus has partes, has Epicurus agit.
Salva mihi veterum maneat dum regula morum,
Ludat permissis sobria Musa jocis.

Epigramma X.—*In Eumpinam adulteram.*

Toxica zelotypo dedit uxor mœcha marito;
Nec satis ad mortem credidit esse datum.
Miscuit argenti letalia pondera vivi,
Cogeret ut celerem vis geminata necem.
Dividat hæc si quis, faciunt discreta venenum: 5
Antidotum sumet, qui sociata bibet.
Ergo, inter sese dum noxia pocula certant,
Cessit letalis noxa salutiferæ:
Protinus et vacuos alvi petiere recessus,
Lubrica dejectis qua via nota cibis. 10

Quam pia cura deûm! prodest crudelior uxor:
Et cum fata volunt, bina venena juvant.

EPIGRAMMA XI.—*Echo ad pictorem.*

Vane, quid affectas faciem mihi ponere, pictor,
Ignotamque oculis sollicitare deam?
Aeris et linguæ sum filia, mater inanis
Indicii, vocem quæ sine mente gero.
Extremos pereunte modos a fine reducens, 5
Ludificata sequor verba aliena meis.
Auribus in vestris habito penetrabilis Echo:
Et, si vis similem pingere, pinge sonum.

EPIGRAMMA XII.—*In simulacrum Occasionis et Pœnitentiæ.*

Cujus opus? Phidiæ, qui signum Pallados, ejus
Quique Jovem fecit: tertia palma ego sum.
Sum dea, quæ rara, et paucis Occasio nota.
Quid rotulæ insistis? Stare loco nequeo.
Quid talaria habes? Volucris sum: Mercurius quæ
Fortunare solet, tardo ego, cum volui. 6
Crine tegis faciem. Cognosci nolo. Sed heus tu
Occipiti calvo es. Ne tenear fugiens.
Quæ tibi juncta comes? Dicat tibi. Dic, rogo, quæ sis.
Sum dea, cui nomen nec Cicero ipse dedit: 10
Sum dea, quæ facti, non factique exigo pœnas,
Nempe ut pœniteat: sic Metanœa vocor.
Tu modo dic, quid agat tecum. Si quando volavi,
Hæc manet: hanc retinent, quos ego præterii.
Tu quoque, dum rogitas, dum percontando mo-
Elapsam dices me tibi de manibus. [raris,

EPIGRAMMA XIII.—*Ad Gallam puellam jam senescentem.*

Dicebam tibi, Galla, senescimus; effugit ætas:
Utere vere tuo: casta puella anus est.
Sprevisti: obrepsit non intellecta senectus,
Nec revocare potes, qui periere, dies. 4
Nunc piget; et quereris, quod non aut ista volun-
Tunc fuit, aut non est nunc ea forma tibi. [tas
Da tamen amplexus, oblitaque gaudia junge:
Da, fruar, et si non quod volo, quod volui.

EPIGRAMMA XIV.—*De lepore capto a cane marino.*

Trinacrii quondam currentem in littoris ora
Ante canes leporem cæruleus rapuit.
At lepus: In me omnis terræ, pelagique rapina
Forsitan et cœli; si canis astra tenet. [est,

EPIGRAMMA XV.—*De Pergamo scriptore fugitivo, qui captus fuerat.*

Tam segnis scriptor, quam lentus, Pergame, cur-
Fugisti, et primo captus es in stadio. [sor,
Ergo notas scripto tolerasti, Pergame, vultu;
Et quas neglexit dextera, frons patitur.

EPIGRAMMA XVI.—*In eundem Pergamum.*

Pergame, non recte punitus, fronte subisti
Supplicium, lentæ quod meruere manus.
At tu, qui dominus, peccantia membra coerce.
Injustum falsos excruciare reos. [tram,
Aut inscribe istam, quæ non vult scribere, dex-
Aut profugos ferri pondere necte pedes. 6

EPIGRAMMA XVII.—*De Myrone et Laide.*

Canus rogabat Laidis noctem Myron;
Tulit repulsam protinus,
Causamque sensit, et caput fuligine
Fucavit atra candidum;
Idemque vultu, crine non idem Myron, 5
Orabat oratum prius.
Sed illa, formam cum capillo comparans,
Similemque, non ipsum rata,
Fortasse et ipsum; sed volens ludo frui,
Sic est adorta callidum: 10
Inepte, quid me, quod recusavi, rogas?
Patri negavi jam tuo.

EPIGRAMMA XVIII.—*De se, et uxore.*

Laidas et Glyceras, lascivæ nomina famæ,
Conjux in nostro carmine cum legeret;
Ludere me dixit, falsoque in amore jocari.
Tanta illi nostra est de probitate fides.

EPIGRAMMA XIX.—*Ad uxorem suam.*

Uxor, vivamus, quod viximus, et teneamus
Nomina, quæ primo sumsimus in thalamo:
Nec ferat ulla dies, ut commutemur in ævo;
Quin tibi sim juvenis, tuque puella mihi.
Nestore sim quamvis provectior, æmulaque annis
Vincas Cumanam tu quoque Deiphoben; 6
Nos ignoremus, quid sit matura senectus.
Scire ævi incertum, non numerare, decet.

EPIGRAMMA XX.—*In Meroen anum ebriosam.*

Qui primus, Meroe, nomen tibi condidit, ille
Thesidæ nomen condidit Hippolyto.
Nam divinare est, nomen componere, quod sit
Fortunæ, morum, vel necis indicium.
Protesilae, tibi nomen sic fata dederunt, 5
Victima quod Trojæ prima futurus eras.
Idmona quod vatem, medicum quod Iapida dicunt,
Discendas artes nomina præveniunt.
Et tu sic, Meroe: non quod sis atra colore,
Ut quæ Niliaca nascitur in Meroe; 10
Infusum sed quod vinum non diluis undis,
Potare immixtum sueta merumque merum.

EPIGRAMMA XXI.—*Nemesis, e Græco.*

Me lapidem quondam Persæ advexere, tropæum
Ut fierem bello: nunc ego sum Nemesis.
At sicut Græcis victoribus adsto tropæum,
Punio sic Persas vaniloquos Nemesis.

EPIGRAMMA XXII.—*De varietate fortunæ, e Græco.*

Thesauro invento, qui limina mortis inibat,
Liquit ovans laqueum, quo periturus erat.
At qui, quod terræ abdiderat, non reperit aurum,
Quem laqueum invenit, nexuit, et periit.

EPIGRAMMA XXIII.—*Idem aliter.*

Qui laqueum collo nectebat, reperit aurum,
Thesaurique loco deposuit laqueum.
At qui condiderat, postquam non reperit aurum,
Aptavit collo, quem reperit, laqueum.

EPIGRAMMA XXIV.—*De Thrasybulo Lacedæmonio.*

Excipis adverso quod pectore vulnera septem,
Arma superveheris quod, Thrasybule, tua,
Non dolor hic patris, Pitanæ sed gloria major
Rarum, tam pulchro funere posse frui.
Quem postquam mæsto socii posuere feretro, 5
Talia magnanimus edidit orsa pater:
Flete alios: natus lacrymis non indiget ullis,
Et meus, et talis, et Lacedæmonius

Epigramma XXV.—*De Lacæna matre.*

Mater Lacæna clypeo obarmans filium,
Cum hoc, inquit, aut in hoc redi.

Epigramma XXVI.—*In divitem quendam.*

Quidam superbus opibus, et fastu tumens,
Tantumque verbis nobilis,
Spernit vigentis clara sæcli nomina,
Antiqua captans stemmata,
Martem, Remumque, et conditorem Romulum 5
Primos parentes nuncupans.
Hos ille Serum veste contexi jubet,
Hos cælat argento gravi,
Ceris inurens januarum limina,
Et atriorum pegmata. 10
Credo, quod illi nec pater certus fuit;
Et mater est vere lupa.

Epigramma XXVII.—*Antisthenes Cynicus philosophus.*

Inventor primus Cynices ego: quæ ratio istæc?
Alcides multo dicitur esse prior.
Alcida quondam fueram doctore secundus:
Nunc ego sum Cynices primus, et ille deus.

Epigramma XXVIII.—*Idem.*

Discipulus melior nulli, meliorve magister,
Εἷς ἀρετὴν συνέβη, καὶ Κυνικὴν σοφίην.
Dicere me novit verum, qui novit utrumque,
Καὶ θεὸν Ἀλκείδην, καὶ κύνα Διογένην.

Epigramma XXIX.—*Libero Patri.*

Αἰγύπτου μὲν Ὄσιρις ἐγὼ, Μυσῶν δὲ Φανάκης,
Βάκχος ἐνὶ ζωοῖσιν, ἐνὶ φθιμένοις Ἀϊδωνεὺς,
Πυρογενὴς, δικέρως, τιτανολέτης, Διόνυσος.

Epigramma XXX.—*Myobarbum Liberi Patris, signo marmoreo in villa nostra omnium deorum argumenta habentis.*

Ogygia me Bacchum vocat,
Osirin Egyptus putat,
Mysi Phanacen nominant,
Dionyson Indi existimant,
Romana sacra Liberum, 5
Arabica gens Adoneum,
Lucaniacus Pantheum.

Epigramma XXXI.—*In Corydonem marmoreum.*

Αἴξ, χίμαρος, πήρη, ποιμὴν, ῥαβδοῦχος, ἐλαίη,
Εἷς λίθος. ἐκ πάντων λιτὸς ἐγὼ Κορύδων.

Epigramma XXXII.—*In simulacrum Sapphus.*

Lesbia Pieriis Sappho soror addita Musis,
Εἰμ' ἐνάτη λυρικῶν, Ἀονίδων δεκάτη.

Epigramma XXXIII.—*Deæ Veneris.*

Orta salo, suscepta solo, patre edita Cœlo,
Æneadûm genitrix, hic habito alma Venus.

Epigramma XXXIV.—*Ad libellum suum de Proculo.*

Si tineas cariemque pati te, charta, necesse est,
Incipe versiculis ante perire meis.
Malo, inquis, tineis. Sapis, ærumnose libelle,
Perfungi mavis qui leviore malo.
Ast ego damnosæ nolo otia perdere Musæ, 5
Jacturam somni quæ parit, atque olei.
Utilius dormire fuit, quam perdere somnum
Atque oleum. Bene ais: causa sed ista mihi est.
Irascor Proculo, cujus facundia tanta est,
Quantus honor: scripsit plurima, quæ cohibet.
Hunc studeo ulcisci; et promta est hæc ultio vati:
Qui sua non edit carmina, nostra legat.
Hujus in arbitrio est, seu te juvenescere cedro,
Seu jubeat duris vermibus esse cibum.
Huic ego, quod nobis superest ignobilis oti, 15
Deputo; sive legat, quæ dabo, sive tegat.

Epigramma XXXV.—*De nomine cujusdam Lucii, sculpto in marmore.*

Lucius una quidem, geminis sed dissita punctis
Littera; prænomen sic L.. nota sola facit.
Post M. incisum est: puto sic M. non tota videtur.
Dissiluit saxi fragmine læsus apex.
Nec quisquam, Marius, seu Martius, anne Metellus
Hic jaceat, certis noverit indiciis. 6
Truncatis convulsa jacent elementa figuris:
Omnia confusis interiere notis. [cunt:
Miremur periisse homines? monumenta fatis-
Mors etiam saxis, nominibusque venit. 10

Epigramma XXXVI.—*De Sabina uxore.*

Sive probas Tyrio textam subtemine vestem,
Seu placet inscripti commoditas tituli;
Ipsius hoc dominæ concinnat utrumque venustas:
Has geminas artes una Sabina colit.

Epigramma XXXVII.—*De eadem Sabina.*

Laudet Achæmenias Orientis gloria telas:
Molle aurum pallis, Græcia, texe tuis; [nam,
Non minus Ausoniam celebret dum fama Sabi-
Parcentem magnis sumtibus, arte parem.

Epigramma XXXVIII.—*De eadem Sabina.*

Licia qui texunt et carmina, carmina Musis,
Licia contribuunt, casta Minerva, tibi.
Ast ego rem sociam non dissociabo Sabina,
Versibus inscripsi quæ mea texta meis.

Epigramma XXXIX.—*Qualem velit amicam.*

Hanc volo, quæ non vult; illam quæ vult, ego
Vincere vult animos, non satiare Venus. [nolo.
Oblatas sperno illecebras, detrecto negatas.
Nec satiare animum, nec cruciare volo.
Nec bis cincta Diana placet, nec nuda Cythere. 5
Illa voluptatis nil habet, hæc nimium.
Callida sed mediæ Veneris mihi venditet artem
Fœmina, cui jungar; quod volo, nolo vocet.

Epigramma XL.—*De Chresto et Acindyno fratribus.*

Χρῆστος, Ἀκίνδυνος, εἰσὶν ἀδελφεοὶ, οἰκτρὰ δὲ τέκνα,
Moribus ambo malis nomina falsa gerunt.
Οὐδ' οὗτος χρηστὸς, οὐδ' οὗτος ἀκίνδυνός ἐστιν.
Una potest ambos littera corrigere.
Αἴκεν Χρῆστος ἕλῃ, καὶ Ἀκίνδυνος ἅλφ' ἀπολίσσῃ· 5
Κίνδυνος hic fiet: frater Ἄχρηστος erit.

Epigramma XLI.—*De iisdem.*

Germani fratres sunt, Chrestos, Acindynos alter.
Falsum nomen utrique: sed ut verum sit utrique,
Alpha suum Chresto det Acindynos, ipse sine al-
Permaneat; verum nomen uterque geret. [pha

Epigramma XLII.—*De Pallade, et Venere armata.*

Armatam vidit Venerem Lacedæmone Pallas.
Nunc certemus, ait, judice vel Paride.
Cui Venus: Armatam tu me, temeraria, temnis,
Quæ, quo te vici tempore, nuda fui?

EPIGRAMMA XLIII.—*Idem aliter.*

Armatam Pallas Venerem Lacedæmone visens,
Visne, ut judicium sic ineamus? ait.
Cui Venus arridens: Quid me galeata lacessis?
Vincere si possum nuda, quid arma gerens?

EPIGRAMMA XLIV.—*Ad Philomusum grammaticum.*

Emtis quod libris tibi bibliotheca referta est,
Doctum, et grammaticum te, Philomuse, putas?
Hoc genere et chordas, et plectra, et barbita conde,
Omnia mercatus; cras citharœdus eris.

EPIGRAMMA XLV.—*In statuam Rufi rhetoris semiviri et elinguis.*

Rhetoris hæc Rufi statua est: nil verius; ipsa est.
Ipsa adeo linguam non habet, et cerebrum:
Et riget, et surda est, et non videt: omnia Rufi.
Unum dissimile est; mollior ille fuit.

EPIGRAMMA XLVI.—*In tabulam, ubi erat picta imago Rufi rhetoris.*

Elinguem quis te dicentis imagine pinxit?
Dic mihi, Rufe: taces: nil tibi tam simile est.

EPIGRAMMA XLVII.—*De eadem tabula.*

Hæc Rufi tabula est: nil verius. Ipse ubi Rufus?
In cathedra. Quid agit? Hoc, quod et in tabula.

EPIGRAMMA XLVIII.—*De eodem Rufo.*

Reminisco Rufus dixit in versu suo.
Cor ergo versus, immo Rufus non habet.

EPIGRAMMA XLIX.—*Idem.*

Qui *Reminisco* putat se dicere posse Latine,
Hic, ubi *Co* scriptum est, legeret *Cor*, si cor haberet.

EPIGRAMMA L.—*De eodem Rufo.*

Rufus vocatus rhetor olim ad nuptias,
Celebri (fit ut) convivio,
Grammaticæ ut artis se peritum ostenderet,
Hæc vota dixit nuptiis:
Et masculini, et fœminini gignite, 5
Generisque neutri filios.

EPIGRAMMA LI.—*Imago Rufi rhetoris.*

Ore pulchro, et ore muto, scire vis quæ sim?
Imago Rufi rhetoris Pictavici. [Volo
Diceret sed ipse, vellem, rhetor hoc mî. Non po-
Cur? Ipse rhetor est imago imaginis. [test.

EPIGRAMMA LII.—*De eadem Rufi statua.*

Rhetoris hæc Rufi statua est: si saxea, Rufi.
Cur id ais? semper saxeus ipse fuit.

EPIGRAMMA LIII.—*De Diogene Cynico philosopho.*

Pera, polenta, tribon, baculus, scyphus, arcta su-
Ista fuit Cynici: sed putat hanc nimiam. [pellex
Namque cavis manibus cernens potare bubulcum,
Cur, scyphe, te, dixit, gesto supervacuum?

EPIGRAMMA LIV.—*De Cræso et eodem Diogene.*

Effigiem, rex Cræse, tuam, ditissime regum,
Vidit apud manes Diogenes Cynicus.
Constitit utque procul, solito majore cachinno
Concussus, dixit: Quid tibi divitiæ
Nunc prosunt, regum rex o ditissime, cum sis 5
Sicut ego solus, me quoque pauperior?
Nam quæcunque habui, mecum fero; cum nihil
Ex tantis tecum, Cræse, feras opibus. [ipse

EPIGRAMMA LV.—*Lais dicans Veneri speculum suum.*

Lais anus Veneri speculum dico: dignum habeat
Æterna æternum forma ministerium. [se
At mihi nullus in hoc usus, quia cernere talem
Qualis sum, nolo; qualis eram, nequeo.

EPIGRAMMA LVI.—*De Castore, Poluce et Helena.*

Istos, tergemino nasci quos cernis ab ovo,
Patribus ambiguis et matribus adsere natos.
Hos genuit Nemesis: sed Leda puerpera fovit.
Tyndareos pater his, et Jupiter: hic putat; hic
scit.

EPIGRAMMA LVII.—*De imagine Veneris sculpta a Praxitele.*

Vera Venus Cnidiam cum vidit Cyprida, dixit,
Vidisti nudam me, puto, Praxitele.
Non vidi, nec fas: sed ferro opus omne polimus.
Ferrum Gradivi Martis in arbitrio. [ren,
Qualem igitur domino scierant placuisse Cythe-
Talem fecerunt ferrea cæla deam. 6

EPIGRAMMA LVIII.—*In buculam æream Myronis.*

Bucula sum, cælo genitoris facta Myronis
Ærea: nec factam me puto, sed genitam.
Sic me taurus init: sic proxima bucula mugit:
Sic vitulus sitiens ubera nostra petit.
Miraris, quod fallo gregem? gregis ipse magister
Inter pascentes me numerare solet. 6

EPIGRAMMA LIX.—*De eadem bucula.*

Ubera quid pulsas frigentia matris aenæ,
O vitule, et succum lactis ab ære petis?
Hunc quoque præstarem, si me pro parte parasset
Exteriore Myron, interiore deus.

EPIGRAMMA LX.—*Ad Dædalum, de eadem bucula.*

Dædale, cur vana consumis in arte laborem?
Me potius clausæ subjice Pasiphaæ.
Illecebras veræ si vis dare, Dædale, vaccæ,
Viva tibi species vacca Myronis erit.

EPIGRAMMA LXI.—*Eadem de se.*

Errasti, attendens hæc ilia nostra, juvence.
Non manus artificis lac dedit uberibus.

EPIGRAMMA LXII.—*Eadem.*

Pasce greges procul hinc; ne, quæso, bubulce, Myronis
Æs, veluti spirans, cum bubus exagites.

EPIGRAMMA LXIII.—*Eadem.*

Me vitulus cernens immugiet: irruet in me
Taurus amans: pastor cum grege mittet agens.

EPIGRAMMA LXIV.—*De eadem.*

Ærea mugitum poterat dare vacca Myronis:
Sed timet artificis deterere ingenium.
Fingere nam similem vivæ, quam vivere, plus est;
Nec sunt facta dei mira, sed artificis.

EPIGRAMMA LXV.—*Eadem de se.*

Ærea bos steteram: mactata est vacca Minervæ;
Sed dea proflatam transtulit huc animam.

Et modo sum duplex: pars ærea, pars animata.
Hæc manus artificis dicitur, illa deæ.

EPIGRAMMA LXVI.—*Ad taurum eadem bucula.*

Quid me, taure, paras specie deceptus inire?
Non sum ego Minoæ machina Pasiphaæ.

EPIGRAMMA LXVII.—*De eadem Myronis bucula.*

Necdum caduco sole, jam sub vespere,
Ageret juvencas cum domum pastor suas
Suam relinquens, me minabat, ut suam.

EPIGRAMMA LXVIII.—*De eadem bucula.*

Unam juvencam pastor forte amiserat;
Numerumque jussus reddere,
Me defuisse conquerebatur, sequi
Quæ noluissem cæteras.

EPIGRAMMA LXIX.—*Quæ sexum mutarint.*

Vallebanæ (nova res, et vix credenda poetis;
Sed quæ de vera promitur historia)
Fœmineam in speciem convertit masculus ales,
Pavaque de pavo constitit ante oculos.
Cuncti admirantur monstrum: sed mollior agna 5
Adstitit in tenerum de grege versa marem.
Quid, stolidi, ad speciem notæ novitatis hebetis?
An vos Nasonis carmina non legitis?
Cænida convertit proles Saturnia Consus,
Ambiguoque fuit corpore Tiresias. 10
Vidit semivirum fons Salmacis Hermaphroditum:
Vidit nubentem Plinius androgynum.
Nec satis antiquum, quod Campana in Benevento
Unus epheborum virgo repente fuit.
Nolo tamen veteris documenta arcessere famæ. 15
Ecce ego sum factus fœmina de puero.

EPIGRAMMA LXX.—*Ad Pythagoram de Marco.*

Pythagora Euphorbi, reparas qui semina rerum,
Corporibusque novis das reduces animas,
Dic, quid erit Marcus jam fata novissima functus,
Si redeat vitam rursus in aeriam.
Quis Marcus? Feles nuper pullaria dictus, 5
Corrupit totum qui puerile secus,
Perversæ Veneris postico vulnere fossor,
Lucili vatis subulo pulliprema.
Non taurus, non mulus erit, non hippocamelus,
Non caper, aut aries; sed scarabæus erit. 10

EPIGRAMMA LXXI.—*Subscriptum picturæ Crispæ mulieris impudicæ.*

Præter legitimi genitalia fœdera cœtus,
Reperit obscænas Veneres vitiosa libido:
Herculis hæredi quam Lemnia suasit egestas,
Quam toga facundi scenis agitavit Afrani,
Et quam Nolanis capitalis luxus inussit. 5
Crispa tamen cunctas exercet corpore in uno.
Deglubit, fellat, molitur per utramque cavernam;
Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.

EPIGRAMMA LXXII.—*De Achilla, qui dissecuit calvariam.*

Abjecta in triviis inhumati glabra jacebat
Testa hominis, nudum jam cute calvitium.
Fleverunt alii: fletu non motus Achillas,
Insuper et silicis verbere dissecuit.
Eminus ergo icto rediit lapis ultor ab osse, 5
Auctorisque sui frontem oculosque petît.
Sic utinam certos manus impia dirigat ictus,
Auctorem ut feriant tela retorta suum.

EPIGRAMMA LXXIII.—*De Alcone medico, et Diodoro haruspice.*

Languenti Marco dixit Diodorus haruspex,
Ad vitam non plus sex superesse dies.
Sed medicus divis fatisque potentior Alcon,
Falsum convicit illico haruspicium,
Tractavitque manum victuri, ni tetigisset. 5
Illico nam Marco sex periere dies.

EPIGRAMMA LXXIV.—*De signo Jovis et Alcone medico.*

Alcon hesterno signum Jovis attigit: ille,
Quamvis marmoreus, vim patitur medici.
Ecce hodie jussus transferri ex æde vetusta,
Effertur, quamvis sit deus, atque lapis.

EPIGRAMMA LXXV.—*In Eunomum medicum.*

Languentem Caium moriturum dixerat olim
Eunomus: evasit fati ope, non medici.
Paullo post ipsum videt, aut vidisse putavit,
Pallentem, et multa mortis in effigie.
Quis tu? Caius, ait. Vivisne? Hic abnuit. At quid
Nunc agis hic? Jussu Ditis, ait, venio; [rem,
Ut, quia notitiam rerumque hominumque tene-
Accirem medicos. Eunomus obriguit. [omnes,
Tum Caius: Metuas nihil, Eunome; dixi ego et
Nullum, qui saperet, dicere te medicum. 10

EPIGRAMMA LXXVI.—*In hominem vocis absonæ.*

Latratus catulorum, hinnitus fingis equorum,
Caprigenûmque pecus, lanigerosque greges
Balatu adsimilas: asinos quoque rudere dicas,
Cum vis Arcadium fingere, Marce, pecus.
Gallorum cantus, et ovantes gutture corvos, 5
Et quicquid vocum bellua et ales habet,
Omnia cum simules ita vere, ut ficta negentur;
Non potes humanæ vocis habere sonum.

EPIGRAMMA LXXVII.—*Ad Crispam.*

Deformem quidam te dicunt, Crispa: at ego istud
Nescio: mi pulchra es; judice me satis est.
Quin etiam cupio, junctus quia zelus amori est,
Ut videare aliis fœda, decora mihi.

EPIGRAMMA LXXVIII.—*Qualem velit habere amicam.*

Sit mihi talis amica, velim,
Jurgia quæ temere incipiat,
Nec studeat quasi casta loqui:
Pulchra, procax, petulante manu
Verbera quæ ferat, et regerat; 5
Cæsaque ad oscula confugiat.
Nam nisi moribus his fuerit;
Casta, modesta, pudenter agens,
(Dicere abominor,) uxor erit.

EPIGRAMMA LXXIX.—*Ad Cupidinem, ex Græco.*

Hoc, quod amare vocant, misce, aut dissolve, Cupido.
Aut neutrum flammis ure, vel ure duos.

EPIGRAMMA LXXX.—*Ad Dionen de amore suo.*

Aut restingue ignem, quo torreor, alma Dione,
Aut transire jube; vel face utrinque parem.

EPIGRAMMA LXXXI.—*Ex Græco, ἀρχὴ τὸ ἥμισυ παντός.*

Incipe; dimidium facti est, cœpisse. Supersit
Dimidium: rursum hoc incipe, et efficies.

EPIGRAMMA LXXXII.—*E Græco,* Α χάρις ἀ βραδύπους ἄχαρις χάρις.

Gratia, quæ tarda est, ingrata est: gratia namque
Cum fieri properat, gratia grata magis.

EPIGRAMMA LXXXIII.—*Idem.*

Si bene quid facias, facias cito: nam cito factum
Gratum erit: ingratum gratia tarda facit.

EPIGRAMMA LXXXIV.—*In saltatorem ineptum.*

Deceptæ felix casus se miscuit arti.
Histrio, saltavit qui Capanea, ruit.
Idem, qui Nioben saltavit, saxeus, ut tum
Spectator veram crediderit Nioben.
In Canace, visus multo felicior ipsa, 5
Quod non hic gladio viscera dissecuit.

EPIGRAMMA LXXXV.—*De eodem.*

Daphnen et Nioben saltavit simius idem;
Ligneus ut Daphne, saxeus ut Niobe.

EPIGRAMMA LXXXVI.—*Dodralis potio.*

Dodra ex dodrante est: sic collige: jus, aqua, vinum,
Sal, oleum, panis, mel, piper, herba, novem.

EPIGRAMMA LXXXVII.—*De eadem.*

Dodra vocor. Quæ causa? Novem species gero.
Quæ sunt? [um, sal.
Jus, aqua, mel, vinum, panis, piper, herba, ole-

EPIGRAMMA LXXXVIII.—*De eadem dodra potione.*

Δόδρα πότος καὶ ἀριθμὸς, ἔχω μέλι, οἶνον, ἔλαιον,
Ἄρτον, ἅλας, βοτάνην, ζωμὸν, ὕδωρ, πέπερι.

EPIGRAMMA LXXXIX.—*De Jurisconsulto, qui uxorem habebat adulteram.*

Jurisconsulto, cui vivit adultera conjux,
Papia lex placuit, Julia displicuit.
Quæritis, unde hæc sit distantia? semivir ipse
Scatiniam metuens, non metuit Titiam.

EPIGRAMMA XC.—*Ad Zoilum, qui uxorem mœcham duxerat.*

Semivir uxorem duxisti, Zoile, mœcham.
O quantus fiet quæstus utrinque domi!
Cum dabit uxori molitor tuus, et tibi adulter,
Quantum deprensi damna pudoris ement!
Sed modo quæ vobis lucrosa libido videtur, 5
Jacturam, senio mox subeunte, feret.
Incipient operas conducti vendere mœchi,
Quos modo munificos lena juventa tenet.

EPIGRAMMA XCI.—*Ad Venerem δυσέρως.*

Hanc amo, quæ me odit: contra hanc, quoniam me amat, odi.
Compone inter nos, si potes, alma Venus.
Perfacile id faciam: mores mutabo, et amores,
Oderit hæc, amet hæc. Rursus idem patiar.
Vis ambas ut ames? Si diligat utraque, vellem. 5
Hoc tibi tu præsta, Marce; ut ameris, ama.

EPIGRAMMA XCII.—*Idem.*

Suasisti, Venus, ecce, duas dyseros ut amarem.
Odit utraque: aliud da modo consilium.
Vince datis ambas. Cupio; verum arcta domi res.
Pellice promissis. Nulla fides inopi.
Attestare deos. Nec fas mihi fallere divos. 5
Pervigila ante fores. Nocte capi metuo.
Scribe elegos. Nequeo, Musarum et Apollinis
Frange fores. Pœnas judicii metuo. [expers.
Stulte, ab amore mori pateris, non vis ob amorem.
Malo miser dici, quam miser atque reus. 10
Suasi, quod potui: tu alios modo consule. Dic quos?
Quod sibi suaserunt, Phædra et Elissa dabunt;
Quod Canace, Phyllisque, et fastidita Phaoni.
Hoc das consilium? Tale datur miseris.

EPIGRAMMA XCIII.—*Pulchrum dei responsum.*

Doctus Hylas cæstu, Phegeus catus arte palæstræ,
Clarus Olympiacis et Lycus in stadiis,
An possent omnes venturo vincere agone,
Hammonem Libyæ consuluere deum.
Sed deus, ut sapiens, Dabitur victoria vobis 5
Indubitata quidem, si caveatis, ait,
Ne quis Hylam cæstu, ne quis certamine luctæ
Phegea, ne cursu te, Lyce, prætereat.

EPIGRAMMA XCIV.—*De Hermiones zona.*

Punica turgentes redimibat zona papillas
Hermiones: zonæ textum elegion erat
Qui legis hunc titulum, Paphie tibi mandat, ames
Exemploque tuo neminem amare vetes. [me,

EPIGRAMMA XCV.—*De Hyla, quem Naides rapuerunt.*

Adspice, quam blandæ necis ambitione fruatur,
Lætifera experiens gaudia, pulcher Hylas!
Oscula et infestos inter moriturus amores,
Ancipites patitur Naidas, Eumenidas.

EPIGRAMMA XCVI.—*Ad Nymphas Narcissum persequentes.*

Furitis, procaces Naides,
Amore sævo et irrito.
Ephebus iste flos erit

EPIGRAMMA XCVII.—*De Narcisso, qui sui ipsius amore captus erat.*

Si cuperes alium, posses, Narcisse, potiri.
Nunc tibi amoris adest copia, fructus abest.

EPIGRAMMA XCVIII.—*De eodem.*

Quid non ex hujus forma pateretur amator,
Ipse suam qui sic deperit effigiem?

EPIGRAMMA XCIX.—*In Echo dolentem propter mortem Narcissi.*

Commoritur, Narcisse, tibi resonabilis Echo,
Vocis ad extremos exanimata modos:
Et pereuntis adhuc gemitum resecuta querelis,
Ultima nunc etiam verba loquentis amat.

EPIGRAMMA C.—*De Hermaphrodito.*

Mercurio genitore satus, genitrice Cythere,
Nominis ut mixti, sic corporis Hermaphroditus,
Concretus sexu, sed non perfectus, utroque,
Ambiguæ Veneris, neutro potiundus amori.

EPIGRAMMA CI.—*De conjunctione Salmacis cum Hermaphrodito.*

Salmacis optato concreta est Nympha marito.
Felix virgo, sibi si scit inesse virum.
Et tu formosæ, juvenis, permixte puellæ,
Bis felix, unum si licet esse duos.

Epigramma CII.—*Ad Apollinem, de Daphne puella fugiente.*

Pone arcum, Pæan, celeresque reconde sagittas:
Non te virgo fugit, sed tua tela timet.

Epigramma CIII.—*Ad corticem, quo Daphne tegebatur.*

Invide, cur properas, cortex, operire puellam?
Laurea debetur Phœbo, si virgo negatur.

Epigramma CIV.—*In duas sorores diversorum morum.*

Delia, vos miramur, et est mirabile, quod tam
Dissimiles estis, tuque sororque tua.
Hæc habitu casto, cum non sit, casta videtur;
Tu, præter cultum, nil meretricis habes.
Cum casti mores tibi sint, huic cultus honestus;
Te tamen et cultus damnat, et actus eam. 6

Epigramma CV.—*Ad Gallam.*

Vado, sed sine me, quia te sine: nec, nisi tecum,
Totus ero, pars cum sim altera, Galla, tui.
Vado tamen, sed dimidius; vado minor ipso
Dimidio: nec me jam locus unus habet.
Nam tecum fere totus ero, quocunque recedam; 5
Pars veniet mecum quantulacunque mei.
Separor unus ego: sed partem sumo minorem
Ipse mei; tecum pars mea major abit.
Si redeam, tibi totus ero: pars nulla vacabit,
Quæ mox non redeat in tua jura. Vale. 10

Epigramma CVI.—*In Venerem Anadyomenen.*

Emersam pelagi nuper genitalibus undis
Cyprin Apellei cerne laboris opus;
Ut complexa manu madidos salis æquore crines
Humidulis spumas stringit utraque comis.
Jam tibi nos, Cypri, Juno inquit et innuba Pallas,
Cedimus, et formæ præmia deferimus. 6

Epigramma CVII.—*In puerum formosum.*

Dum dubitat natura, marem faceretne puellam,
Factus es, o pulcher, pæne puella, puer.

Epigramma CVIII.—*In scabiosum Polygitonem.*

Thermarum in solio si quis Polygitona vidit
Ulcera membrorum scabie putrefacta foventem,
Præposuit cunctis spectacula talia ludis.
Principio tremulis gannitibus aera pulsat,
Verbaque lascivos meretricum imitantia cœtus 5
Vibrat, et obscænæ numeros pruriginis implet.
Brachia deinde rotat, velut enthea dæmone Mænas;
Pectus, crura, latus, ventrem, femora, inguina, suras,
Tergum, colla, humeros, luteæ Symplegadis antrum,
Tam diversa locis vaga carnificina pererrat, 10
Donec marcentem calidi fervore lavacri
Blandus letali solvat dulcedine morbus.
Desectos sic fama viros, ubi cassa libido
Fœmineos cœtus, et non sua bella lacessit,
Irrita vexato consumere gaudia lecto, 15
Titillata brevi cum jam sub fine voluptas
Fervet, et ingesto peragit ludibria morsu.
Turpia non aliter Polygiton membra resolvit;
Et, quia debentur suprema piacula vitæ,
Ad Phlegethonteas sese jam præparat undas. 20

Epigramma CIX.—*De quodam Sylvio Bono, qui erat Brito.*

Sylvius ille Bonus, qui carmina nostra lacessit,
Nostra magis meruit disticha Brito Bonus.

Epigramma CX.—*De eodem.*

Sylvius hic Bonus est. Quis Sylvius? Iste Britannus.
Aut Brito hic non est Sylvius, aut malus est.

Epigramma CXI.—*De eodem.*

Sylvius iste Bonus fertur, ferturque Britannus.
Quis credat civem degenerasse bonum?

Epigramma CXII.—*De eodem.*

Nemo bonus Brito est: si simplex Sylvius esse
Incipiat, simplex desinet esse Bonus.

Epigramma CXIII.—*De eodem*

Sylvius hic Bonus est: sed Brito est Sylvius idem:
Simplicior res est, credite, Brito malus

Epigramma CXIV.—*De eodem.*

Sylvi, Brito, Bonus: quamvis homo non bonus esse
Ferris, nec se quit jungere Brito Bono.

Epigramma CXV.—*In Furippum.*

Pars te Furippum vocitat, pars vero Furippum;
Altera producens, altera corripiens.
Elige utrum malis: aut tende, aut corripe nomen.
Conveniet quodvis, fur, furiose, tibi.

Epigramma CXVI.—*Epicuri opinio.*

Quod est beatum, morte et æternum carens,
Nec sibi parit negotium, nec alteri.

Epigramma CXVII.—*De homine pigro.*

Sanus piger febriente multo est nequior:
Potat duplum, dapesque duplices devorat.

Epigramma CXVIII.—*In Didus imaginem.*

Illa ego sum Dido vultu, quem conspicis, hospes,
Adsimilata, modis pulchraque mirificis.
Talis eram: sed non, Maro quam mihi finxit, erat
Vita nec incestis læta cupidinibus. 5
Namque nec Æneas vidit me Troius unquam,
Nec Libyam advenit classibus Iliacis:
Sed furias fugiens atque arma procacis Iarbæ,
Servavi, fateor, morte pudicitiam,
Pectore transfixo: castus quod perculit ensis,
Non furor, aut læso crudus amore dolor. 10
Sic cecidisse juvat: vixi sine vulnere famæ:
Ulta virum, positis mœnibus, oppetii.
Invida, cur in me stimulasti, Musa, Maronem,
Fingeret ut nostræ damna pudicitiæ?
Vos magis historicis, lectores, credite de me, 15
Quam qui furta deûm concubitusque canunt,
Falsidici vates; temerant qui carmine verum,
Humanisque deos adsimilant vitiis.

Epigramma CXIX.—*De tribus incestis.*

Tres uno in lecto; stuprum duo perpetiuntur,
Et duo committunt. Quatuor esse reor.
Falleris: extremis da singula crimina, et illum
Bis numeres medium, qui facit, et patitur.

Epigramma CXX.—*In Castorem.*

Lambere cum vellet mediorum membra virorum
Castor, nec posset vulgus habere domi,
Reperit, ut nullum fellator perderet inguen,
Uxoris cœpit lingere membra suæ.

Epigramma CXXI.—*De amissa puella.*

Tres fuerant Charites: sed dum mea Lesbia vixit,
Quatuor: ut periit, tres numerantur item.

EPIGRAMMA CXXII.—*In Faustulum staturæ brevis Anicii Probini.*

Faustulus insidens formicæ, ut magno elephanto,
Decidit, et terræ terga supina dedit.
Moxque idem ad mortem est mulcatus calcibus
Perditus ut posset vix retinere animam. [ejus,
Vix tamen est fatus: Quid rides, improbe Livor,
Quod cecidi? cecidit non aliter Phaethon. 6

EPIGRAMMA CXXIII.—*In Eunum liguritorem.*

Eune, quid affectas vendentem Phyllida odores?
Diceris hanc mediam lambere, non molere.
Perspice, ne mercis fallant te nomina, vel, ne
Aere Seplasiæ decipiare, cave;
Dum Custon Costonque putas communis odoris,
Et Nardum et Sardas esse sapore pari. 6

EPIGRAMMA CXXIV.—*In eundem Eunum.*

Diversa infelix et lambit, et olfacit Eunus.
Dissimilem olfactum naris, et oris, habet.

EPIGRAMMA CXXV.—*In eundem Eunum.*

Salgama non hoc sunt, quod balsama: cedite odores.
Nec male olere mihi, nec bene olere placet.

EPIGRAMMA CXXVI.—*In eundem Eunum.*

Λαΐς, Ἔρως, et Ἴτυς, Χείρων, et Ἔρως, Ἴτυς alter,
Nomina si scribis, prima elementa adime;
Ut facias verbum, quod tu facis, Eune magister.
Dicere me Latium non decet opprobrium.

EPIGRAMMA CXXVII.—*In eundem.*

Eune, quod uxoris gravidæ putria inguina lambis,
Festinas glossas non natis tradere natis.

EPIGRAMMA CXXVIII.—*Ad eundem pædagogum liguritorem.*

Eunus Syriscus inguinum liguritor,
Opicus magister, (sic eum doc t Phyllis,)
Muliebre membrum quadriangulum cernit;
Triquetro coactu Δ litteram ducit.
De valle femorum altrinsecus pares rugas 5
Mediumque, fissi rima qua patet, callem
Ψ dicit esse: nam trifissilis forma est.
Cui ipse linguam cum dedit suam, Λ est:
Veramque in illis esse Φ notam sentit.
Quid, imperite, P putas ibi scriptum, 10
Ubi locari I convenit longum?
Miselle doctor, ȣ tibi sit obscæno,
Tuumque nomen Θ sectilis signet.

EPIGRAMMA CXXIX.—*In Medeæ imaginem.*

Medeam vellet cum pingere Timomachi mens,
Volventem in natos crudum animo facinus;
mmanem exhausit rerum in diversa laborem,
Fingeret affectum matris ut ambiguum.
Ira subest lacrymis, miseratio non caret ira. 5
Alterutrum, videas, ut sit in alterutro. [mater
Cunctantem satis est: nam digna est sanguine
Natorum; tua non dextera, Timomache.

EPIGRAMMA CXXX.—*In eandem.*

Quis te pictorum simulavit, pessima Colchis,
In natos crudum volvere mente nefas?
Usque adeone sitis puerorum haurire cruorem,
Ut ne picta quidem parcere cæde velis?
Numnam te pellex stimulat? numne alter Iason,
Altera vel Glauce, sunt tibi causa necis? 6
Quin ne picta quidem fis barbara: namque tui vim
Cera tenax zeli concipit immodicam.
Laudo Timomachum, matrem quod pinxit in ense
Cunctantem, prolis sanguine ne maculet. 10

EPIGRAMMA CXXXI.—*In quendam, qui lævia sibi inguina faciebat.*

Inguina quod calido lævas tibi dropace, causa est:
Irritant vulsas lævia membra lupas.
Sed quod et elixo plantaria podice vellis,
Et teris incusas pumice Clazomenas,
Causa latet; bimarem nisi quod patientia morbum
Appetit, et tergo fœmina, pube vir es. 6

EPIGRAMMA CXXXII.—*In cæcum, et claudum.*

Insidens cæco graditur pede claudus utroque.
Quo caret alteruter, sumit ab alterutro.
Cæcus namque pedes claudo gressumque mini-
At claudus cæco lumina pro pedibus. [strat;

EPIGRAMMA CXXXIII.—*Idem.*

Ambulat insidens cæco pede captus utroque,
Atque alterna subit munia debilitas.
Nam cæcus claudo pede commodat; ille vicissim
Mutua dat cæco lumina pro pedibus.

EPIGRAMMA CXXXIV.—*De divite et paupere.*

Non est dives opum dives, nec pauper inopsque
Infelix; alio nec magis alter eget.
Dives eget gemmis, Cereali munere pauper.
Sed cum egeant ambo, pauper egens minus est.

EPIGRAMMA CXXXV.—*De Penelope.*

Intemerata procis, et tot servata per annos
Oscula, vix ipsi cognita Telemacho.
Hinc mea virginitas facibus tibi luxit adultis,
Arsit et invidia principe verus amor.
Sæpe ego mentitis tremui nova fœmina somnis,
Lapsaque non merito sunt mihi verba sono. 6
Et tamen ignotos sensi experrecta dolores,
Strataque tentavi sicca pavente manu.
Nam tibi anhelanti, supremaque bella moventi
Paruit indulgens et sine voce dolor: 10
Dente nihil violare fero, nihil unguibus ausæ;
Fœdera nam tacita pace peregit amor.
Denique non aviam tremulo clamore vocavi,
Nec prior obsequio serva cucurrit anus.
Ipsa verecundo tetigi pallore puellas, 15
Impositum teneri fassa pudoris opus.

EPIGRAMMA CXXXVI.—*In Grammaticum.*

Felix Grammaticus non est: sed nec fuit unquam;
Nec quisquam est felix nomine Grammaticus.
At si quis felix præter fatum exstitit unquam,
Is demum excessit Grammaticos canonas.

EPIGRAMMA CXXXVII.—*De infausto matrimonio Grammatici.*

Arma virumque docens, atque arma virumque peritus,
Non duxi uxorem, sed magis arma, domum.
Namque dies totos, totasque ex ordine noctes
Litibus oppugnat meque meumque larem;
Atque, ut perpetuis dotata a Marte duellis, 5
Arma in me tollit, nec datur ulla quies.
Jamque repugnanti dedam me, ut denique victum
Jurget ob hoc solum, jurgia quod fugiam.

EPIGRAMMA CXXXVIII.—*De Auxilio Grammatico.*

Emendata potest quænam vox esse magistri,
Nomen qui proprium cum vitio loquitur?

Auxilium te nempe vocas. Inscite magister,
Da rectum casum; jam Solicismus eris.

EPIGRAMMA CXXXIX.—*De fratribus Thebanis.*

Nec Stygiis lucis ineunt sua fœdera fratres
Œdipodionidæ, de misero ah miseri!
Namque etiam ex uno surgentes aggere flammæ
In diversa sui dissiliunt cineris.
Infandos juvenes, quos nec discordia cassos 5
Luce, nec in semet linquit atrox animus!
Atque utinam et Thebas quissent partirier ipsas,
Regnorum et metas, ut cinerum nebulas!

EPIGRAMMA CXL.—*De ingratis, ex Menandro.*

Nil homine terra pejus ingrato creat.
Vicinus, hospes, notus, ignotus, cliens,
Et si qua genera civium sunt id genus,
Si quid petenti promtus opis impertias;
Ut misereare, gratia actutum perit. 5

EPIGRAMMA CXLI.—*De Demosthene.*

Discere si cupis, a doctis quam multa licebit.
Quæ nosti, meditando velis inolescere menti:
Quæ didicisti, haud dum dicendo absumere tendas.

EPIGRAMMA CXLII.—*De uxore deformi.*

Deformis uxor cui sit, ancilla elegans,
Uxorem habere, subigere ancillam velit.

EPIGRAMMA CXLIII.—*De fortunæ varietate.*

Fortuna nunquam sistit in eodem statu;
Semper movetur: variat, et mutat vices,
Et summa in imum vertit, ac versa erigit.

EPIGRAMMA CXLIV.—*In Stellam.*

Stella, prius superis fulgebas Lucifer; at nunc
Exstinctus, cassis lumine Vesper eris.

EPIGRAMMA CXLV.—*Ex Menandro.*

Re fruere, ut natus mortalis; dilige sed rem,
Tanquam immortalis: sors est in utroque verenda.

EPIGRAMMA CXLVI.—*Ad Notarium velocissime excipientem.*

Puer, notarum præpetum
Sollers minister, advola.
Bipatens pugillar expedi,
Cui multa fandi copia
Punctis peracta singulis, 5
Ut una vox absolvitur.
Evolvo libros uberes,
Instarque densæ grandinis
Torrente lingua perstrepo.
Tibi nec aures ambigunt, 10
Nec occupatur pagina:
Et mota parce dextera
Volat per æquor cereum.
Cum maxime nunc proloquor,
Circumloquentis ambitu, 15
Tu sensa nostri pectoris
Ut dicta jam ceris tenes.
Sentire tam velox mihi
Vellem dedisset mens mea,
Quam præpetis dextræ fuga 20
Tu me loquentem prævenis.
Quis, quæso, quis me prodidit?
Quis ista jam dixit tibi,
Quæ cogitabam dicere?
Quæ furta corde in intimo 25
Exercet ales dextera?
Quis ordo rerum tam novus,
Veniat in aures ut tuas,
Quod lingua nondum absolverit?
Doctrina non hæc præstitit; 30
Nec ulla tam velox manus
Celeripedis compendii.
Natura munus hoc tibi,
Deusque donum tradidit,
Quæ loquerer ut scires prius, 35
Idemque velles, quod volo.

AUSONII EPIGRAMMATA IV. QUIBUS FASTORUM A SE DIGESTORUM MEMINIT.

EPIGRAMMA I.—*Ausonius Hesperio filio salutem.*

Ignota æternæ ne sint tibi tempora Romæ,
Regibus et Patrum ducta sub imperiis,
Digessi Fastos, et nomina perpetis ævi,
Sparsa jacent Latiam si qua per historiam.
Sit tuus hic fructus: vigilatas accipe noctes: 5
Obsequitur studio nostra lucerna tuo.
Tu quoque venturos per longum consere Janos,
Ut mea congessit pagina præteritos.
Exemplum jam patris habes, ut protinus et te
Aggreget Ausoniis purpura consulibus. 10

EPIGRAMMA II.—*Supputatio ab Urbe condita in consulatum nostrum.*

Annis undecies centum conjunge quaternos
Undecies unumque, super trieterida necte
Hæc erit æternæ series ab origine Romæ

EPIGRAMMA III.—*De eodem ad Proculum.*

Urbis ab æternæ deductam rege Quirino
Annorum seriem cum, Procule, accipies;
Mille annos, centumque, et bis fluxisse novenos
Consulis Ausonii nomen adusque leges.
Fors erit, ut, lustrum cum se cumulaverit istis,
Confectam Proculus signet Olympiadem. 6

EPIGRAMMA IV.—*In fine ejusdem libri additi.*

Hactenus adscripsi Fastos. Si sors volet, ultra
Adjiciam; si non, qui legis, adjicies.
Scire cupis, qui sim? titulum, qui quartus ab imo est,
Quære; leges nomen consulis Ausonii.

EPHEMERIS.

Mane jam clarum reserat fenestras:
Jam strepit nidis vigilax hirundo:
Tu, velut primam, mediamque noctem,
Parmeno, dormis.

Dormiunt glires hiemem perennem; 5
Sed cibo parcunt: tibi causa somni,
Multa quod potas, nimiaque tendis
Mole saginam.

Inde nec flexas sonus intrat aures,
Et locum mentis sopor altus urget, 10
Nec coruscantis oculos lacessunt
Fulgura lucis.

Annuam quondam juveni quietem,
Noctis et lucis vicibus manentem,
Fabulæ fingunt, cui Luna somnos 15
Continuarit.

Surge, nugator lacerande virgis;
Surge, ne longus tibi somnus, unde
Non times, detur: rape membra molli,
Parmeno, lecto. 20

Fors et hæc somnum tibi cantilena
Sapphico suadet modulata versu
Lesbiæ depelle modum quietis,
Acer Iambe.

Item Parecbasis

Puer, eia, surge, et calceos,
Et linteam da sindonem.
Da, quicquid est, amictui
Quod jam parasti, ut prodeam.
Da rore fontano abluam 5
Manus, et os, et lumina.
Pateatque, fac, sacrarium
Nullo paratu extrinsecus.
Pia verba, vota innoxia,
Rei divinæ copia est. 10
Nec thus cremandum postulo,
Nec liba crusti mellei:
Foculumque vivi cespitis
Vanis relinquo altaribus.
Deus precandus est mihi, 15
Ac Filius summi Dei,
Majestas uniusmodi,
Sociata sacro Spiritu.
Et ecce jam vota ordior,
Et cogitatio numinis 20
Præsentiam sentit pavens.
Pavetne quicquam spes, fides?

Oratio.

Omnipotens, solo mentis mihi cognite cultu,
Ignorate malis, et nulli ignote piorum:
Principio, extremoque carens: antiquior ævo,
Quod fuit, aut veniet: cujus formamque, modumque
Nec mens complecti poterit, nec lingua profari:
Cernere quem solus, coramque audire jubentem
Fas habet, et patriam propter considere dextram,
Ipse opifex rerum, rebus causa ipse creandis,
Ipse Dei verbum, verbum Deus, anticipator
Mundi, quem facturus erat: generatus in illo 10
Tempore, quo tempus nondum fuit: editus ante
Quam jubar, et rutilus cœlum illustraret Eous:
Quo sine nil actum, per quem facta omnia: cujus
In cœlo solium: cui subdita terra sedenti,
Et mare, et obscuræ chaos insuperabile noctis:
Irrequies, cuncta ipse movens, vegetator inertum:
Non genito genitore Deus: qui fraude superbi
Offensus populi, gentes in regna vocavit,
Stirpis adoptivæ meliore propage colendus:
Cernere quem licuit proavis: quo numine viso
Et Patrem vidisse datum: contagia nostra 21
Qui tulit, et diri passus ludibria leti
Esse iter æternæ docuit remeabile vitæ;
Nec solam remeare animam, sed corpore toto
Cœlestes intrare plagas, et inane sepulcri 25
Arcanum vacuis adopertum linquere terris.
Nate patris summi, nostroque salutifer ævo,
Virtutes patrias genitor cui tradidit omnes,
Nil ex invidia retinens, plenusque datorum;
Pande viam precibus, patriasque hæc perfer ad aures. [tem,
Da, Pater, invictam contra omnia crimina men-
Vipereumque nefas nocituri averte veneni.
Sit satis, antiquam serpens quod perdidit Evam,
Deceptumque adjunxit Adam: nos sera nepotum
Semina, veridicis ætas prædicta prophetis, 35
Vitemus laqueos, quos letifer implicat anguis.
Pande viam, quæ me post vincula corporis ægri
In sublime ferat, puri qua lactea cœli
Semita ventosæ superat vaga lumina Lunæ;
Qua proceres abiere pii, quaque integer olim 40
Raptus quadrijugo penetrat super æthera curru
Helias, et solido cum corpore prævius Enoch.
Da, Pater, æterni speratam luminis auram.
Si lapides non juro Deos, unumque verendi
Suspiciens altare sacri, libamina vitæ 45
Intemerata fero; si te Dominique, Deique
Unigenæ cognosco Patrem, missumque duobus,
Qui super æquoreas volitabat Spiritus undas;
Da, genitor, veniam, cruciataque pectora purga.
Si te non pecudum fibris, non sanguine fuso 50
Quæro, nec arcanis Numen conjecto sub extis;
Si scelere abstineo, errori obnoxius, et si
Opto magis, quam fido, bonus purusque probari,
Confessam dignare animam: si membra caduca
Exsecror, et tacitum si pœnitet, altaque sensus
Formido excruciat, tormentaque sera Gehennæ
Anticipat, patiturque suos mens saucia manes;
Da, Pater, hæc nostro fieri rata vota precatu.
Nil metuam, cupiamque nihil: satis hoc rear esse,
Quod satis est: nil turpe velim, nec causa pudoris [eodem
Sim mihi: non faciam cuiquam, quæ tempore
Nolim facta mihi: nec vero crimine lædar, 62
Nec maculer dubio; paullum distare videtur
Suspectus vereque reus: male posse facultas
Nulla sit, at bene posse adsit tranquilla potestas.
Sim tenui victu, atque habitu: sim carus amicis·
Et semper genitor, sine vulnere nominis hujus.
Non animo doleam, non corpore: cuncta quietis
Fungantur membra officiis, nec saucius ullis

Partibus amissum quicquam desideret usus. 70
Pace fruar: securus agam: miracula terræ
Nulla putem: suprema mihi cum venerit hora,
Nec timeat mortem bene conscia vita, nec optet.
Purus ab occultis cum, te indulgente, videbor,
Omnia despiciam; fuerit cum sola voluptas 75
Judicium sperare tuum; quod dum sua differt
Tempora, cunctaturque dies, procul exige sævum
Insidiatorem blandis erroribus anguem.
Hæc pia, sed mæsto trepidantia vota reatu,
Christe, apud æternum placabilis adsere patrem,
Salvator, Deus, ac Dominus, mens, gloria, verbum,
Filius, ex vero verus, de lumine lumen,
Æterno cum Patre manens, in sæcula regnans;
Consona quem celebrant modulati carmina David,
Et responsuris ferit aera vocibus Amen. 85

Egressio.

Satis precum datum Deo:
Quamvis satis nunquam reis
Fiat precatu Numini.
Habitum forensem da, puer.
Dicendum amicis est Ave 5
Valeque, quod fit mutuum
Quod cum per horas quatuor
Inclinet ad meridiem,
Monendus est jam Sosias.

Locus invitationis.

Tempus vocandis namque amicis appetit;
Ne nos, vel illi, demoremur prandium,
Propere per ædes curre vicinas, puer:
Scis ipse, qui sint: jamque dum loquor, redi.
Quinque advocavi: sex enim convivium 5
Cum rege justum; si super, convicium est.
Abiit; relicti nos sumus cum Sosia.

Locus ordinandi coqui.

Sosia, prandendum est: quartam jam totus in horam
Sol calet; ad quintam flectitur umbra notam.
An vegeto madeant condita obsonia gustu,
(Fallere namque solent,) experiundo proba.
Concute ferventes palmis volventibus ollas: 5
Tinge celer digitos jure calente tuos;
Vibranti lambat quos humida lingua recursu,
* * * * *

Desunt multa.

* * * * *

Quadrupedum et volucrum, vel cum terrena marinis
Monstra admiscentur; donec purgantibus Euris
Difflatæ liquidum tenuentur in aera nubes.
Nunc fora, nunc lites, lati modo pompa theatri
Visitur: et turmas equitum, cædesque latronum
Perpetior: lacerat nostros fera bellua vultus; 6
Aut in sanguinea gladio grassamur arena.
Per mare navifragum gradior pedes, et freta cursu
Transilio, et subitis volito super aera pennis
Infandas etiam Veneres, incestaque noctis 10
Dedecora, et tragicos patimur per somnia cœtus.
Perfugium tamen est, quoties portenta soporum
Solvit rupta pudore quies, et imagine fœda
Libera mens vigilat: totum bene conscia lectum
Pertractat secura manus: probrosa recedit 15
Culpa tori, et profugi minuiscunt crimina somni.
Cerno triumphantes inter me plaudere; rursum
Inter captivos trahor exarmatus Alanos.
Templa deûm, sanctasque fores, pallatiaque aurea
Specto, et Sarrano videor discumbere in ostro; 20
Et mox fumosis conviva accumbo popinis.
Divinum perhibent vatem sub frondibus ulmi
Vana ignavorum simulacra locasse soporum,
Et geminas numero portas: quæ fornice eburno
Semper fallaces glomerat super aera formas; 25
Altera, quæ veros emittit cornea visus.
Quod si de dubiis conceditur optio nobis,
Deesse fidem lætis melius, quam vana timeri:
Ecce ego jam malim falli: nam, dummodo semper
Tristia vanescant, potius caruisse fruendis, 30
Quam trepidare malis: satis est bene, si metus absit.
Sunt et qui fletus, et gaudia controversa
Conjectent, varioque trahant eventa relatu.
Ite per obliquos cœli, mala somnia, mundos,
Irrequieta vagi qua difflant nubila nimbi; 35
Lunares habitate polos: quid nostra subitis
Limina, et angusti tenebrosa cubilia tecti?
Me sinite ignavas placidum traducere noctes,
Dum redeat roseo mihi Lucifer aureus ortu.
Quod si me nullis vexatum nocte figuris 40
Mollis tranquillo permulserit aere somnus;
Hunc lucum, nostro viridis qui frondet in agro
Ulmeus, excubiis habitandum dedico vestris.

PARENTALIA.

PRÆFATIO.

Scio versiculis meis evenire, ut fastidiose legantur: quippe sic meritum est eorum. Sed quosdam solet commendare materia: et aliquoties fortasse lectorem solum lemma sollicitat tituli, ut festivitate persuasus, et ineptiam ferre contentus sit. Hoc opusculum nec materia amœnum est, nec appellatione jucundum. Habet mæstam religionem, qua carorum meorum obitus tristi affectione commemoro. Titulus libelli est, Parentalia. Antiquæ appellationis hic dies, et jam inde ab Numa cognatorum inferiis institutus: nec quicquam sanctius habet reverentia superstitum, quam ut amissos venerabiliter recordetur.

Item præfatio versibus annotata.

Nomina carorum jam condita funere justo,
Fleta prius lacrymis, nunc memorabo modis,
Nuda, sine ornatu, fandique carentia cultu.
Sufficit inferiis exsequialis honos.
Nænia funereis satis officiosa querelis, 5
Annua ne tacitus munera prætereas,

Quæ Numa cognatis sollennia dedicat umbris,
Ut gradus aut mortis postulat, aut generis.
Hoc satis et tumulis, satis et telluris egenis:
Voce ciere animas funeris instar habet. 10
Gaudent compositi cineres sua nomina dici:
Frontibus hoc scriptis et monumenta jubent.
Ille etiam, mæsti cui defuit urna sepulcri,
Nomine ter dicto pæne sepultus erit.
At tu, quicunque es, lector, qui fata meorum 15
Dignaris mæstis commemorare elegis,
Inconcussa tuæ percurras tempora vitæ,
Et, præter justum, funera nulla fleas.

I. *Julius Ausonius, pater.*

Primus in his pater Ausonius; quem ponere pri-
Etsi cunctetur filius, ordo jubet. [mum,
Cura Dei, placidæ functus quod honore senectæ
Undecies binas vixit Olympiadas.
Omnia quæ voluit, qui prospera vidit; et idem 5
Optavit quicquid, contigit, ut voluit.
Non quia fatorum nimia indulgentia; sed quod
Tam moderata illi vota fuere viro.
Quem sua contendit septem Sapientibus ætas,
Quorum doctrinam moribus excoluit; 10
Viveret ut potius, quam diceret arte sophorum,
Quanquam et facundo non rudis ingenio.
Præditus et vitas hominum ratione medendi
Porrigere, et fatis amplificare moras.
Inde et perfunctæ manet hæc reverentia vitæ, 15
Ætas nostra illi quod dedit hunc titulum:
Ut nullum Ausonius, quem sectaretur, habebat;
Sic nullum, qui se nunc imitetur, habet.

II. *Æmilia Æonia, mater.*

Proxima tu, genitrix Æonia, sanguine mixto
Tarbellæ matris, patris et Æduici.
Morigeræ uxoris virtus cui contigit omnis,
Fama pudicitiæ, lanificæque manus,
Conjugiique fides, et natos cura regendi, 5
Et gravitas comis, lætaque serietas.
Æternum placidos manes complexa mariti,
Viva torum quondam, functa fove tumulum.

III. *Æmilius Magnus Arborius, avunculus.*

Culta mihi est pietas, patre primum et matre vo-
Dicere sed rea fit, tertius Arborius. [catis;
Quem primum memorare nefas mihi, patre secundo;
Rursum non primum ponere, pæne nefas.
Temperies adhibenda 5
Ante alios: quanquam patre secundus erit.
Tu frater genitricis, et unanimis genitoris;
Et mihi qui fueris, quod pater, et genitrix:
Qui me lactentem, puerum, juvenemque, virum-
Artibus ornasti, quas didicisse juvat. [que
Te sibi Palladiæ antetulit toga docta Tolosæ; 11
Te Narbonensis Gallia præposuit,
Ornasti cujus Latio sermone tribunal,
Et fora Iberorum, quæque Novempopulis.
Hinc, tenus Europam fama crescente, perito 15
Constantinopolis rhetore te viguit.
Tu per mille modos, per mille oracula fandi
Doctus, facundus, tum celer, atque memor.
Tu, postquam primis placui tibi traditus annis,
Dixisti, nato me, satis esse tibi. 20
Me tibi, me patribus clarum decus esse professus,
Dictasti fatis verba notanda meis.
Ergo vale, Elysiam sortitus, avuncule, sedem.
Hæc tibi de Musis carmina libo tuis.

IV. *Cæcilius Argicius Arborius, avus.*

Officiosa, pium ne desere, pagina, munus;
Maternum post hos commemoremus avum,
Arborium, Æduico ductum de stemmate nomen,
Complexum multas nobilitate domus;
Qua Lugdunensis provincia, quaque potentes 5
Ædues, Alpino quaque Vienna jugo.
Invida sed nimium generique opibusque superbis
Ærumna incubuit: namque avus et genitor
Proscripti, regnum cum Victorinus haberet
Victor, et in Tetricos recidit imperium. 10
Tum profugum in terris, per quas erumpit Atur-
Tarbellique furor perstrepit Oceani, [rus,
Grassantis dudum fortunæ tela paventem
Pauperis Æmiliæ conditio implicuit.
Mox tenuis multo quæsita pecunia nisu 15
Solamen fesso, non et opes tribuit.
Tu cœli numeros, et conscia sidera fati
Callebas, studium dissimulanter agens.
Non ignota tibi nostræ quoque formula vitæ,
Signatis quam tu condideras tabulis, 20
Prodita non unquam; sed matris cura retexit,
Sedula quod timidi cura tegebat avi.
Tu novies denos vitam cum duxeris annos,
Expertus fortis tela cavenda deæ,
Amissum flesti post trina decennia natum. 25
Saucius, atque uno lumine cassus eras.
Dicebas sed te solatia longa fovere,
Quod mea præcipuus fata maneret honos.
Et modo conciliis animarum mixte piorum
Fata tui certe nota nepotis habes. 30
Sentis, quod quæstor, quod te præfectus, et idem
Consul, honorifico munere commemoro.

V. *Æmilia Corinthia Maura, avia.*

Æmiliam nunc fare aviam, pia cura nepotis,
Conjux prædicto quæ fuit Arborio.
Nomen huic joculare datum, cute fusca quod olim
Æquales inter Maura vocata fuit.
Sed non atra animo; qui clarior esset olore, 5
Et non calcata qui nive candidior.
Hæc non deliciis ignoscere promta pudendis,
Ad perpendiculum seque suosque habuit.
Hæc me præreptum cunis, et ab ubere matris,
Blanda sub austeris imbuit imperiis. 10
Tranquillos aviæ cineres præstate quieti
Æternum Manes, si pia verba loquor.

VI. *Æmilia Hilaria, matertera, virgo devota.*

Tuque gradu generis matertera, sed vice matris,
Affectu nati commemoranda pio,
Æmilia, in cunis Hilari cognomen adepta,
Quod læta, et pueri comis ad effigiem,
Reddebas verum non dissimulanter ephebum, 5
More virûm medicis artibus experiens.
Fœminei sexus odium tibi semper: et inde
Crevit devotæ virginitatis amor;
Quæ tibi septenos novies est culta per annos,
Quique ævi finis, ipse pudicitiæ. 10
Hæc, quia uti mater monitis et amore fovebas,
Supremis reddo filius exsequiis.

VII. *Claudius Contentus et Julius Callippio patrui.*

Et patruos, Elegia, meos reminiscere cantu:
Contentum, tellus quem Rutupina tegit;
Magna cui et variæ quæsita pecunia sortis,
Hæredis nullo nomine tuta, perît.
Raptus enim lætis et adhuc florentibus annis, 5
Trans mare, et ignaris fratribus, oppetiit.

Julius in longam produxit fata senectam,
Affectus damnis innumerabilibus; [ta,
Qui comis, blandusque, et mensa commodus unc-
Hæredes solo nomine nos habuit. 10
Ambo pii, vultu similes, joca seria mixti,
Ævi fortunam non habuere parem.
Discreti quanquam tumulis et honore jacetis,
Commune hoc verbi munus habete, Vale.

VIII. *Attusius Lucanus Talisius, socer.*

Qui proceres, veteremque volet celebrare senatum,
Claraque ab exortu stemmata Burdigalæ,
Teque tuumque genus memoret, Lucane Talisi,
Moribus ornasti qui veteres proavos.
Pulcher honore oris, tranquillo pectore, comis, 5
Facundo civis major ab ingenio:
Venatu, et ruris cultu, victusque nitore
Omne ævum peragens; publica despiciens:
Nosci inter primos cupiens, prior esse recusans,
Ipse tuo vivens segregus arbitrio. 10
Optabas tu me generum florente juventa:
Optare hoc tantum, non et habere datum.
Vota probant superi, meritisque faventia sanctis
Implent fata, viri quod voluere boni.
Et nunc perpetui sentis sub honore sepulcri, 15
Quam reverens natæ, quamque tui maneam.
Cœlebs namque gener nunc hæc pia munera solvo:
Nam et cœlebs nunquam desinet esse gener.

IX. *Attusia Lucana Sabina, uxor.*

Hactenus ut caros, ita justo funere fletos
Functa piis cecinit nænia nostra modis.
Nunc dolor, atque cruces, nec contrectabile ful-
Conjugis ereptæ mors memoranda mihi. [men,
Nobilis a proavis, et origine clara senatus, 5
Moribus usque bonis clara Sabina magis.
Te juvenis primis luxi deceptus in annis,
Perque novem cœlebs te fleo Olympiadas.
Nec licet obductum senio sopire dolorem:
Semper crudescit nam mihi pœna recens. 10
Admittunt alii solatia temporis ægri;
Hæc graviora facit vulnera longa dies.
Torqueo deceptos ego vita cœlibe canos;
Quoque magis solus, hoc mage mæstus ago. 14
Vulnus alit, quod muta domus silet, et torus alget;
Quod mala non cuiquam, non bona participo.
Mæreo, si conjux alii bona; mæreo contra,
Si mala: ad exemplum tu mihi semper ades.
Tu mihi crux ab utraque venis; sive est mala, quod tu
Dissimilis fueris; seu bona, quod similis. 20
Non ego opes cassas, et inania gaudia plango;
Sed juvenis juveni quod mihi rapta viro.
Læta, pudica, gravis, genus inclyta, et inclyta for-
Et dolor, atque decus conjugis Ausonii. [ma,
Quæ modo septenos quater impletura Decembres,
Liquisti natos, pignora nostra, duos. 26
Illa favore Dei, sicut tua vota fuerunt,
Florent, optatis accumulata bonis.
Et precor, ut vigeant; tandemque, superstite u-
Nuntiet hoc cineri nostra favilla tuo. [troque,

X. *Ausonius parvulus, filius.*

Non ego te infletum memori fraudabo querela,
Primus, nate, meo nomine dicte puer;
Murmura quem primis meditantem absolvere ver-
Indolis ut plenæ, planximus, exsequiis. [bis,
Tu gremio in proavi funus commune locatus, 5
Invidiam tumuli ne paterere tui.

XI. *Pastor, nepos ex filio.*

Tu quoque maturos, puer immature, dolores
Irrumpis, mæsti luctus acerbus avi,
Pastor care nepos, spes cujus certa fuit res,
Hesperii patris tertia progenies.
Nomine, quod casus dederat; quia fistula primum
Pastorale melos concinuit genito. 6
Sero intellectum vitæ brevis argumentum,
Spiritus afflatis quod fugit e calamis.
Occidis emissæ percussus pondere testæ,
Abjecit tecto quam manus artificis. 10
Non fuit artificis manus hæc; manus illa cruenti
Certa fuit fati, suppositura reum.
Heu quæ vota mihi, quæ rumpis gaudia Pastor!
Illa meum petiit tegula missa caput.
Dignior o, nostræ gemeres qui fata senectæ, 15
Et quererere meas mæstus ad exsequias

XII. *Julia Dryadia, soror.*

Si qua fuit virtus, cuperet quam fœmina prudens
Esse suam, soror hac Dryadia enituit.
Quin etiam multas habuit, quas sexus habere
Fortior optaret, nobilitasque virûm.
Docta satis vitamque colo, famamque tueri; 5
Docta bonos mores ipsa, suosque docens:
Et verum vita cui carius, unaque cura
Nosse Deum, et fratrem diligere ante alios.
Conjuge adhuc juvenis caruit: sed seria vitam
Moribus austeras æquiparavit anus. 10
Produxit celerem per sena decennia vitam,
Inque domo, ac tecto, quo pater, oppetiit.

XIII. *Avitianus, frater.*

Avitianum, Musa, germanum meum
Dona querela funebri.
Minor iste natu me, sed ingenio prior
Artes paternas imbibit.
Verum juventæ flore læto perfrui, 5
Ævique supra puberis
Exire metas vetuit infesta Atropos.
Heu quem dolorem sauciis,
Heu quanta vitæ decora, quem cultum spei,
Germane pubes, deseris! 10
Germane carnis lege, et ortu sanguinis,
Amore pæne filius.

XIV. *Valerius Latinus Euromius, gener.*

O generis clari decus, o mihi funus acerbum,
Euromi, e juvenum lecte cohorte gener
Occidis in primæ raptus mihi flore juventæ,
Lactentis nati vix bene note pater.
Tu procerum de stirpe satus, prægressus et ipsos
Unde genus claræ nobilitatis erat: 6
Ore decens, bonus ingenio, facundus, et omni
Dexteritate vigens, præcipuusque fide.
Hoc præfecturæ sedes, hoc Illyris ora
Præside te experta est, fiscus et ipse cliens.
Nil ævi brevitate tamen tibi laudis ademtum
Indole maturus, funere acerbus obis.

XV. *Pomponius Maximus, affinis.*

Et te germanum, non sanguine, sed vice fratris,
Maxime, devinctum nænia nostra canet.
Conjux namque meæ tu consociate sorori,
Ævi fruge tui destituis viduam.
Non domus hoc tantum sensit tua; sensit acerbum
Saucia (pro) casum curia Burdigalæ, 6
Te primore vigens, te deficiente relabens,
Inque Valentinum te moriente cadens

Heu quare nato, cur fruge et flore nepotum,
Ereptus nobis, Maxime, non frueris? 10
Sed frueris, divina habitat si portio manes,
Quæque futura olim gaudia, nosse datur.
Longior hic etiam lætorum fructus habetur,
Anticipasse diu, quæ modo participas.

XVI. *Veria Liceria, uxor Arborii sororis filii.*

Tu quoque vel nuruis mihi nomine, vel vice natæ,
Veria, supremi carmen honoris habe.
Cujus si probitas, si forma, et fama, fidesque
Morigeræ uxoris, lanificæque manus,
Nunc laudanda forent; procul et de manibus imis
Arcessenda esset vox proavi Eusebii. 6
Qui quoniam, functo jam pridem conditus ævo,
Transcripsit partes in mea verba suas;
Accipe funereas, neptis defleta, querelas,
Conjux Arborii commemoranda mei: 10
Cui parva ingentis luctus solatia linquens
Destituis natum, quo magis excrucias.
At tibi dilecti ne desit cura mariti,
Juncta colis thalamo nunc monimenta tuo. 14
Hic, ubi primus Hymen, sedes ibi mæsta sepul-
Nupta magis dici, quam tumulata potes. [cri:

XVII. *Pomponius Maximus Herculanus, sororis filius.*

Nec Herculanum genitum germana mea,
Modulamine nænia tristi
Tacitum sine honore relinquat:
Super indole cujus adulti
Magnæ bona copia laudis. 5
Verum memorare magis, quam
Functum laudare decebit.
Decus hoc matrisque, meumque,
In tempore puberis ævi
Vis perculit invida fati. 10
Eheu! quem, Maxime, fructum?
Facunde, et musice, et acer,
Mentem bonus, ingenio ingens,
Volucer pede, corpore pulcher,
Lingua catus, ore canorus, 15
Cape munus triste parentum,
Lacrymabilis orsa querelæ,
Quæ funereum modulatus
Tibi mæstus avunculus offert.

XVIII. *Fl. Sanctus, maritus Pudentillæ, quæ soror Sabinæ meæ.*

Qui joca lætitiamque colis, qui tristia damnas,
Nec metuis quenquam, nec metuendus agis;
Qui nullum insidiis captas, nec lite lacessis,
Sed justam et clemens vitam agis, et sapiens;
Tranquillos manes, supremaque mitia Sancti 5
Ore pio, et verbis advenerare bonis:
Militiam nullo qui turbine sedulus egit;
Præside lætatus quo Rutupinus ager.
Octoginta annos cujus tranquilla senectus
Nullo mutavit deteriore die. 10
Ergo precare favens, ut qualia tempora vitæ,
Talia et ad manes otia Sanctus agat.

XIX. *Namia Pudentilla, affinis.*

Tuque Pudentillam verbis affare supremis.
Quæ famæ curam, quæ probitatis habes.
Nobilis hæc, frugi, proba, læta, pudica, decora,
Conjugium Sancti jugiter hæc habuit.
Inviolata tuens castæ præconia vitæ 5
Rexit opes proprias, otia agente viro;
Non ideo exprobrans, aut fronte obducta, marito,
Quod gereret totam fœmina sola domum.
Heu! nimium juvenis, sed æta superstite nato
Atque viro, patiens fata suprema obiit, 10
Unanimis nostræ, et quondam germana, Sabinæ,
Et mihi inoffenso nomine dicta soror.
Nunc etiam manes placidos pia cura retractat,
Atque Pudentillam fantis honore colit.

XX. *Lucanus Talisius* curam filii.*

Nec jam tu metris, spes unica, ephebe Talisi
Consobrine, meis immemoratus eris,
Ereptus primis ævi florentis in annis;
Jam tamen et conjux, jam properate pater.
Festinasse putes fatum, ne funus acerbum 5
Duceret hoc genitor, tam cito factus avus.

XXI. *Attusia Lucana Talisia: Erminiscius Regulus, affinis.*

Notitia exilis nobis, Attusia, tecum,
Cumque tuo plane conjuge nulla fuit.
Verum tu nostræ soror es germana Sabinæ:
Affinis quoque tu, Regule, nomen habes.
Sortitos igitur tam cara vocabula nobis, 5
Stringamus mæsti carminis obsequio.
Quamvis Santonica procul in tellure jacentes,
Pervenit ad manes exsequialis honos.

XXII. *Severus Censor Julianus, consocer.*

Desinite, o veteres, Calpurnia nomina, Frugi
Ut proprium hoc vestræ gentis habere decus.
Nec solus semper Censor Cato, nec sibi solus
Justus Aristides his placeant titulis.
Nam sapiens quicunque fuit, verumque fidemque
Qui coluit, comitem se tibi, Censor, agat. 6
Tu gravis, et comis, cum justitiaque remissus,
Austeris doctus jungere temperiem.
Tu non adscito tibi me, nec sanguine juncto,
Optasti nostras consociare domos. 10
Nempe aliqua in nobis morum simulacra tuorum
Effigies nostri præbuit ingenii:
Aut jam Fortunæ sic se vertigo rotabat,
Ut pondus fatis tam bona vota darent.
Si quid apud manes sentis, fovet hoc tibi mentem,
Quod fieri optaras, id voluisse Deum. 16

XXIII. *Paullinus et Dryadia, filii Paullini et Megentiræ sororis filiæ.*

Qui nomen vultumque patris, Paulline, gerebas,
Amissi specimen qui genitoris eras;
Propter quem luctus miseræ decedere matris
Cœperat, offerret cum tua forma patrem,
Redderet et mores, et moribus adderet illud, 5
Paullinus caruit quo pater, eloquium;
Eriperis lætis et pubescentibus annis,
Crudaque adhuc matris pectora sollicitas.
Flemus enim raptam thalami de sede sororem,
Heu non maturo funere, Dryadiam. 10
Flemus; ego in primis, qui matris avunculus, et
Natorum tanquam diligo progeniem. [vos
Illa manus inter genitricis, et oscula patris
Occidit, Hispana tum regione procul.
Quam tener, et primo, nove flos, decerperis ævo,
Nondum purpureas cinctus, ephebe, genas! 16
Quatuor ediderat nunc facta puerpera partus:
Funera sed tumulis jam geminata dedit.
Sit satis hoc, Paulline pater; divisio facta est:
Debetur matri cætera progenies. 20

XXIV. *Paullinus, sororis gener.*

Qui lætum ingenium, mores qui diligit æquos,
Quique fidem sancta cum pietate colit;

Paullini manes mecum veneratus, amicis
Irroret lacrymis, annua liba ferens.
Æquævus, Paulline, mihi, natamque sororis 5
Indeptus thalamo: sic mihi pæne gener.
Stirpis Aquitanæ mater tibi: nam genitori
Cossio Vasatum municipale genus.
Scrinia præfecti meritus, rationibus inde
Præpositus Libycis, præmia opima capis. 10
Nam Correcturæ tibi Tarraco Ibera tribunal
Præbuit, affectans esse clienta tibi.
Tu socrum pro matre colens, affinis haberi
Non poteras, nati cum fruerere loco.
Inter concordes vixisti fidus amicos, 15
Duodeviginti functus Olympiadas.

XXV. *Æmilia Dryadia, matertera.*

Te quoque Dryadiam materteram,
Flebilibus modulis,
Germana genitus, prope filius,
Ore pio veneror.
Quam thalamo, tædisque jugalibus 5
Invida mors rapuit,
Mutavitque torum feretri vice
Exsequialis honor.
Discebas in me, matertera,
Mater uti fieres: 10
Unde modo hoc mæstum tibi defero
Filius officium.

XXVI. *Julia Cataphronia, amita.*

Quin et funereis amitam impartire querelis,
Musa, Cataphroniam.
Innuba devotæ quæ virginitatis amorem,
Parcaque anus coluit:
Et mihi, quod potuit, quamvis de paupere summa,
Mater uti, attribuit. 6
Ergo commemorata, Ave; mæstumque vocata
Pro genitrice, Vale.

XXVII. *Julia Veneria, amita.*

Et amita Veneria properiter obiit:
Cui brevia mela modifica recino;
Cinis uti placidula supera vigeat,
Loca tacita celeripes adeat Erebi.

XXVIII. *Julia Idalia, consobrina.*

Parva etiam fuit Idalia;
Nomine prædita quæ Paphiæ,
Et speciem meruit Veneris;
Quæ genita est mihi pæne soror:
Filia nam fuit hæc amitæ, 5
Quam celebrat sub honore pio
Nænia carmine funereo.

XXIX. *Æmilia Melania, soror.*

Æmilia, hos, vix nota mihi soror, accipe questus,
Debent quos cineri mæsta Elegia tuo.
Conjunxit nostras æquæva infantia cunas;
Uno tu quamvis consule major eras.
Invida sed nimium Lachesis properata peregit
Tempora, et ad manes funera acerba dedit. 6
Præmissa ergo vale, manesque verere parentum,
Qui majore ævo, quique minore venit.

XXX. *Pomponia Urbica, consocrus, uxor Juliani Censoris.*

Ut generis clari, veterum sic fœmina morum
Urbica, Censoris nobilitata toro;
Ingenitis pollens virtutibus, auctaque et illis
Quas docuit conjux, quas pater, et genitrix: 4
Quas habuit Tanaquil, quas Pythagorea Theano,
Quæque sine exemplo est in nece functa viri.
Et tibi si fatum sic permutare dedisset,
Viveret hoc nostro tempore Censor adhuc.
Sed neque tu viduo longum cruciata sub ævo,
Protinus optato fine secuta virum. 10
Annua nunc mæstis ferimus tibi justa querelis,
Cum genero et natis consocer Ausonius.

COMMEMORATIO PROFESSORUM BURDIGALENSIUM.

PRÆFATIO.

Vos etiam, quos nulla mihi cognatio junxit,
Sed fama, et caræ relligio patriæ,
Et studium in libris, et sedula cura docendi,
Commemorabo, viros morte obita celebres.
Fors erit, ut nostros Manes sic adserat olim, 5
Exemplo cupiet qui pius esse meo.

I. *Tiberius Victor Minervius, Orator.*

Primus Burdigalæ columen dicere, Minervi,
Alter Rhetoricæ Quinctiliane togæ.
Illustres quondam quo præceptore fuerunt
Constantinopolis, Roma, dehinc patria,
Non equidem certans cum majestate duarum; 5
Solo sed potior nomine, quod patria.
Adserat usque licet Fabium Calagurris alumnum,
Non sit Burdigalæ dum cathedra inferior.
Mille foro dedit hæc juvenes; bis mille senatus
Adjecit numero, purpureisque togis; 10
Me quoque: sed quoniam multa est prætexta, si-
Teque canam de te, non ab honore meo. [lebo;
Sive panegyricos placeat contendere libros,
In Panathenaicis tu numerandus eris;
Seu libeat fictas ludorum evolvere lites, 15
Ancipitem palmam Quinctilianus habet.
Dicendi torrens tibi copia; quæ tamen aurum,
Non etiam luteam volveret illuviem.
Et Demosthenicum, quod ter primum ille vocavit,
In te sic viguit, cedat ut ipse tibi. 20
Anne et divini bona naturalia doni
Adjiciam? memori quam fueris animo?
Audita ut, vel lecta semel, ceu fixa teneres?
Auribus et libris esset ut una fides?
Vidimus et quondam tabulæ certamine longo, 25
Omnes qui fuerant, enumerasse bolos,
Alternis vicibus quos præcipitante rotatu
Fundunt excisi per cava buxa gradus;
Narrantem fido per singula puncta recursu,
Quæ data, per longas quæ revocata moras. 30

Nullo felle tibi mens livida: tum sale multo
Lingua dicax, blandis et sine lite jocis.
Mensa nitens, quam non censoria regula culpet,
Nec nolit Frugi Piso vocare suam;
Nonnunquam pollens natalibus, et dape festa; 35
Non tamen angustas ut tenuaret opes.
Quanquam hæredis egens, bis sex quinquennia
Fletus es a nobis, ut pater, et juvenis. [functus,
Et nunc, sive aliquid post fata extrema supersit,
Vivis adhuc, ævi, quod periit, meminens; 40
Sive nihil superest, nec habent longa otia sensus,
Tu tibi vixisti: nos tua fama juvat.

II. *Latinus Alcimus Alethius, Rhetor.*

Nec me nepotes impii silentii
Reum ciebunt, Alcime;
Minusque dignum, non et oblitum ferent
Tuæ ministrum memoriæ;
Opponit unum quem viris prioribus 5
Ætas recentis temporis.
Palmæ forensis, et Camœnarum decus,
Exemplar unum in litteris,
Quas aut Athenis docta coluit Græcia,
Aut Roma per Latium colit. 10
Moresne fabor, et tenorem regulæ,
Adusque vitæ terminum?
Quod laude clarus, quod paratus litteris,
Omnem refugisti ambitum?
Te nemo gravior, vel fuit comis magis, 15
Aut liberalis indigis;
Danda salute, si forum res posceret;
Studio docendi, si scholam.
Vivent per omnem posterorum memoriam,
Quos tu sacræ famæ dabas. 20
Et Julianum tu magis famæ dabis,
Quam sceptra, quæ tenuit brevi.
Sallustio plus conferent libri tui,
Quam consulatus addidit.
Morum tuorum, decoris, et facundiæ 25
Formam dedisti filiis.
Ignosce, nostri læsus obsequio styli:
Amoris hoc crimen tui est,
Quod digna nequiens promere, officium colo,
Injuriose sedulus. 30
Quiesce placidus, et caduci corporis
Damnum repende gloria.

III. *Luciolus, Rhetor.*

Rhetora Luciolum condiscipulum, atque magis-
Collegamque dehinc, nænia mæsta refer; [trum,
Facundum doctumque virum, seu lege metrorum
Condita, seu prosis solveret orsa modis:
Eripuit patri Lachesis quem funere acerbo, 5
Linquentem natos sexu in utroque duos:
Nequaquam meritis cujus responderit hæres,
Obscuros quamvis nunc tua fama juvet.
Mitis amice, bonus frater, fidissime conjux,
Nate pius; genitor, pœnitet, ut fueris. 10
Comis convivis, nunquam inclamare clientes,
Ad famulos nunquam tristia verba loqui.
Ut placidos mores, tranquillos sic cole manes;
Et cape ab Ausonio munus, amice, Vale.

IV. *Attius Patera pater, Rhetor.*

Ætate quanquam viceris dictos prius,
Patera, fandi nobilis;
Tamen, quod ævo floruisti proximo,
Juvenisque te vidi senem,
Honore mæstæ non carebis næniæ, 5
Doctor potentum rhetorum.
Tu Bajocassis stirpe Druidarum satus,
Si fama non fallit fidem,
Beleni sacratum ducis e templo genus;
Et inde vobis nomina: 10
Tibi Pateræ; sic ministros nuncupant
Apollinaris mystici:
Fratri, patrique nomen a Phœbo datum,
Natoque de Delphis tuo.
Doctrina nulli tanta in illo tempore, 15
Cursusque tot fandi et rotæ.
Memor, disertus, lucida facundia,
Canore, cultu præditus,
Salibus modestus, felle nullo perlitus,
Vini cibique abstemius, 20
Lætus, pudicus, pulcher in senio quoque, ut
Aquilæ senectus, aut equi.

V. *Attius Tiro Delphidius, Rhetor.*

Facunde, docte, lingua et ingenio celer,
Jocis amœne Delphidi,
Subtextus esto flebili threno patris,
Laudi ut subibas æmulus.
Tu pæne ab ipsis orsus incunabulis 5
Dei poeta nobilis,
Sertum coronæ præferens Olympiæ,
Puer celebrasti Jovem.
Mox inde cursim, more torrentis freti,
Epos ligasti metricum, 10
Ut nullus æqua lege liber carminum
Orationem texeret.
Celebrata varie cujus eloquentia
Domi forisque claruit;
Seu tu cohortis præsulem prætoriæ, 15
Provinciarum aut judices
Coleres, tuendis additus clientibus,
Famæ et salutis sauciis.
Felix, quietis si maneres litteris,
Opus Camœnarum colens; 20
Nec odia magnis concitata litibus
Armaret ultor impetus;
Nec inquieto temporis tyrannici
Palatio te attolleres.
Dum spem remotam semper arcessis tibi, 25
Fastidiosus obviæ,
Tuumque mavis esse, quam fati, bonum;
Desiderasti plurima,
Vagus per omnes dignitatum formulas,
Meritusque plura, quam gerens. 30
Unde insecuto criminum motu gravi,
Donatus ærumnis patris:
Mox inde Rhetor, nec docendi pertinax
Curam fefellisti patrum;
Minus malorum munere expertus dei, 35
Medio quod ævi raptus es;
Errore quod non deviantis filiæ,
Pœnaque læsus conjugis.

VI. *Alethio Minervio filio, Rhetori.*

O flos juvenum,
Spes læta patris,
Nec certa tuæ
Data res patriæ,
Rhetor Alethi. 5
Tu primævis
Doctor in annis,
Et præceptor
Tempore, quo te
Discere adultum 10
Non turpe foret.
Prætextate
Jam genitori
Collatus eras.
Ille superbæ 15
Mœnia Romæ
Fama et meritis
Inclytus auxit;
Tu Burdigalæ
Lætus patriæ 20
Clara cohortis
Vexilla regens,
Post Nazarium,
Postque Pateram,

Major utroque, 25
Non sine morsu
Gravis invidiæ,
Cuncta habuisti
Commoda fati.
Non mansuris 30
Ornate bonis,
Omnia præcox
Fortuna tibi
Dedit, et rapuit.
Solstitialis 35
Velut herba solet,
Ostentatus
Raptusque simul,
Pubere in ævo
Deseruisti 40
Vota tuorum,
Et Rhetoricam
Floris adulti
Fruge carentem,
Et connubium 45
Nobile soceri,
Sine pace patris,
Et divitias
Utriusque domus
Sine hærede tuo. 50
Quam fatiloquo
Dicte profatu
Versus Horati!
Nihil est ab omni
Parte beatum. 55

VII. *Leontius, Grammaticus, cognomento Lascivus.*

Qui colis lætos hilarosque mores,
Qui dies festos, joca, vota, ludum
Annuum functi memora Leonti
Nomine threnum.

Iste Lascivus patiens vocari, 5
Nomen indignum probitate vitæ
Abnuit nunquam, quia gratum ad aures
Esset amicas.

Litteris tantum titulum adsecutus,
Quantus exili satis est cathedræ, 10
Posset insertus numero ut videri
Grammaticorum.

Tu meæ semper socius juventæ,
Pluribus quamvis cumulatus annis,
Nunc quoque in nostris recales medullis, 15
Blande Leonti;

Et juvat tristi celebrare cura
Flebilem cantum memoris querelæ,
Munus ingratum, tibi debitumque
Carmine nostro. 20

VIII. *Grammaticis Græcis Burdigalensibus.*

Romulum post hos prius, an Corinthi,
Anne Sperchei, pariterque nati
Atticas Musas memorem Menesthei
Grammaticorum?

Sedulum cunctis studium docendi; 5
Fructus exilis, tenuisque sermo:
Sed, quia nostro docuere in ævo,
Commemorandi.

Tertius horum mihi non magister;
Cæteri primis docuere in annis, 10
Ne forem vocum rudis, aut loquendi;
Sed sine cultu:

Obstitit nostræ quia, credo, mentis
Tardior sensus, neque disciplinis
Appulit Græcis puerilis ævi 15
Noxius error.

Vos levis cespes tegat, et sepulcri
Tecta defendant cineres opertos;
At meæ vocis titulus supremum
Reddat honorem. 20

IX. *Jucundo, Grammatico Burdigalensi, fratri Leontii.*

Et te, quem cathedram temere usurpasse loquun-
Nomen Grammatici nec meruisse putant, [tur,
Voce ciebo tamen, simplex, bone, amice, sodalis
Jucunde, hoc ipso care magis studio;
Quod, quamvis impar, nomen tam nobile amasti,
Es meritos inter commemorande viros. 6

X. *Grammaticis Latinis Burdigalensibus, Philologis, Macrino, Phœbicio, Concordio, Sucuroni, Ammonio, Anastasio Grammatico Pictaviorum.*

Nunc, ut quemque mihi
Flebilis officii
Relligiosus honor
Suggeret, expediam.
Qui, quamvis humili 5
Stirpe, loco, ac merito,
Introtulere tamen
Grammaticæ studium
Ingeniis hominum
Burdigalæ rudibus. 10
Permaneat series;
Sit Macrinus in his,
Sobrius, et puerorum
Utilis ingeniis.
Huic mea principio 15
Credita puerities.
Nec reticebo senem
Nomine Phœbicium;
Qui Beleni æddituus,
Nil opis inde tulit; 20
Sed tamen, ut placitum,
Stirpe satus Druidum,
Gentis Aremoricæ,
Burdigalæ cathedram
Nati opera obtinuit. 25
Et tu, Concordi,
Qui profugus patria,
Mutasti sterilem
Urbe alia cathedram.
Et libertina, 30
Sucuro, progenies,
Qui rudibus pueris
Prima elementa dabas
Pange et Anastasio
Flebile, Musa, melum, 35
Et memora tenuem,
Nænia, Grammaticum.
Burdigalæ hunc genitum
Transtulit ambitio,
Pictonicæque dedit; 40
Pauper ubi, et tenuem
Victum habitumque colens,
Gloriolam exilem
Et patriæ, et cathedræ
Perdidit in senio: 45
Doctrina exiguus,
Moribus implacidis,
Proinde, ut erat meritum,
Famam habuit tenuem:
Sed tamen hunc noster 50
Commemoravit honos.
Relligiosum etenim
Commemorare meæ
Grammaticum patriæ;
Ne pariter tumulus 55
Nomen et ossa tegat.

XI. *Herculano, sororis filio, Grammatico Burdigalensi.*

Herculane, qui profectus gremio de nostro et
schola, [culo,
Spem magis, quam rem fruendam præbuisti avun-

Particeps scholæ, et cathedræ pæne successor meæ,
Lubricæ nisi te juventæ præcipitem flexus daret,
Pythagorei non tenentem tramitis rectam viam; 5
Esto placidus, et quietis manibus sedem fove,
Jam mihi cognata dudum inter memoratus nomina.

XII. *Thalasso, Grammatico Latino, Burdigalensi.*

Officium, nomenque tuum, primæve Thalasse,
Parvulus audivi: vix etiam memini,
Qua forma, aut merito fueris, qua stirpe parentum.
Ætas nil de te posterior celebrat.
Grammaticum juvenem te tantum fama ferebat. 5
Tum quoque tam tenuis, quam modo nulla manet.
Sed quicunque tamen, nostro quia doctor in ævo
Vixisti, hoc nostrum munus habeto, Vale.

XIII. *Cithario, Siculo Syracusano, Grammatico Burdigalensi Græco.*

Et, Cithari dilecte, mihi memorabere, dignus
Grammaticos inter qui celebrere bonos.
Esset Aristarchi tibi gloria Zenodotique
Graiorum, antiquus si sequeretur honos.
Carminibus, quæ prima tuis sunt condita in annis.
Concedit Cei Musa Simonidei. 6
Urbe satus Sicula, nostram peregrinus adisti;
Excultam studiis quam prope reddideras.
Conjugium nactus cito nobilis et locupletis,
Invidia fati non genitor moreris. 10
At nos defunctum memori celebramus honore,
Fovimus ut vivum munere amicitiæ.

XIV. *Censorio Attico Agricio, Rhetori.*

Eloquii merito primis æquande, fuisti,
Agrici, hic positus posteriore loco:
Ævo qui quoniam genitus functusque recenti,
Dilatus nobis, non et omissus eras.
Quocunque in numero, tristi memorabere threno:
Unus honos tumuli serus, et ante datus. 6
Tam generis tibi celsus apex, quam gloria fandi,
Gloria Athenæi cognita sede loci;
Nazario, et claro quondam delata Pateræ,
Egregie multos qui excoluit juvenes. 10
Conjuge nunc, natisque superstitibus, generoque,
Majorum manes et monimenta foves.

XV. *Nepotiano Grammatico, eidem Rhetori.*

Facete, comis, animo juvenili senex,
Cui felle nullo, melle multo mens madens,
Ævum per omne nil amarum miscuit;
Nostri medela, Nepotiane, pectoris;
Tam seriorum quam jocorum particeps, 5
Taciturne, Amyclas qui silendo viceris.
Te fabulantem non Ulixes linqueret,
Liquit canentes qui melodas virgines.
Probe, et pudice, parce, frugi, abstemie,
Facunde, nulli Rhetorum cedens stylo, 10
Et disputator ad Cleanthen Stoicon:
Scaurum, Probumque corde callens intimo:
Et Epirote Cinea memor magis.
Sodalis, et convictor, hospes jugiter:
Parum quod hospes; mentis agitator meæ. 15
Consilia nullus mente tam pura dedit,
Vel altiore conditu texit data.
Honore gesti præsidatus inclytus,
Decies novenas functus annorum vices,
Duos relinquens liberos, mortem oppetis, 20
Dolore multo, tam tuorum, quam meo.

XVI. *Æmilius Magnus Arborius, Rhetor Tolosæ.*

Inter cognatos jam fletus, avuncule, manes,
Inter Rhetoricos nunc memorandus eris.
Illud opus pietas, istud reverenda virorum
Nomina, pro patriæ relligione habeant.
Bis meritum duplici celebremus honore parentem
Arborium, Arborio patre, et avo Argicio. 6
Stemma tibi patris Æduici; Tarbellica Mauræ
Matris origo fuit: ambo genus procerum.
Nobilis et dotata uxor, domus, et schola, cultæ
Principum amicitiæ contigerunt juveni; 10
Dum Constantini fratres opulenta Tolosa
Exsilii specie sepositos cohibet. [bem
Byzanti inde arcem, Thressæque Propontidis ur-
Constantinopolim fama tui pepulit.
Illic dives opum, doctoque ibi Cæsare honorus,
Occumbis patribus, Magne, superstitibus.
In patriam sed te sedem, ac monimenta tuorum
Principis Augusti restituit pietas.
Hinc renovat causam lacrymis, et flebile munus
Annuus ingrata relligione dies. 20

XVII. *Exuperius, Rhetor Tolosæ.*

Exuperi, memorande mihi, facunde sine arte,
Incessu gravis, et verbis ingentibus, ore [nusto:
Pulcher, et ad summam motuque habituque ve-
Copia cui fandi longe pulcherrima; quam si
Auditu tenus acciperes, deflata placeret; 5
Discussam scires solidi nihil edere sensus.
Palladiæ primum toga te venerata Tolosæ,
Mox pepulit levitate pari. Narbo inde recepit.
Illic Dalmatio genitos, fatalia regum
Nomina, tum pueros grandi mercede docendi 10
Formasti Rhetor, metam prope puberis ævi.
Cæsareum qui mox indepti nomen, honorem
Præsidis, Hispanumque tibi tribuere tribunal.
Decedens placidos mores, tranquillaque vitæ
Tempora prædives finisti sede Cadurca. 15
Sed patriæ te jura vocant, et origo parentum.
Burdigalæ ut rursum nomen de Rhetore reddas.

XVIII. *Marcello Marcelli filio, Grammatico Narbonensi.*

Nec te Marcello genitum, Marcelle, silebo;
Aspera quem genitrix urbe, domo pepulit
Sed fortuna potens cito reddidit omnia, et auxit.
Amissam primum Narbo dedit patriam:
Nobilis hic hospes Clarentius indole motus, 5
Egregiam natam conjugio attribuit.
Mox schola, et auditor multus, prætextaque pubes,
Grammatici nomen divitiasque dedit.
Sed nunquam jugem cursum fortuna secundat,
Præsertim pravi nacta virum ingenii. [cepi
Verum oneranda mihi non sunt, memoranda re-
Fata: sat est dictum, cuncta perisse simul;
Non tamen et nomen, quo te non fraudo, receptum
Inter Grammaticos prætenuis meriti.

XIX. *Sedatus, Rhetor Tolosanus.*

Relligio est, tacitum si te, Sedate, relinquam,
Quamvis docendi munus indepte es foris.
Communis patria est tecum mihi, sorte potentis
Fati Tolosam nactus es sedem scholæ.
Illic conjugium, natique opulenque senectus, 5
Et fama, magno qualis est par Rhetori
Quamvis externa, tamen a regione reducit
Te patria, et civem morte obita repetit [bi,
Cumque vagantem operam divisæ impenderis ur-
Arbitrium de te sumit origo suum 10

Est tua nunc soboles, moremque secuta parentis,
Narbonem ac Romam nobilitat studiis.
..... sed
Fama, velit nolit, Burdigalam referet.

XX. *Staphylius Rhetor, civis Auscius.*

Hactenus observata mihi lex commemorandi
Cives, sive domi, seu docuere foris.
Externum sed fas conjungere civibus unum
Te, Staphyli, genitum stirpe Novempopulis.
Tu mihi, quod genitor, quod avunculus; unus utrumque: 5
Alter ut Ausonius, alter ut Arborius.
Grammatice ad Scaurum atque Probum promtissime Rhetor,
Historiam callens Livii et Herodoti.
Omnis doctrinæ ratio tibi cognita, quantam
Condit sexcentis Varro voluminibus. 10
Aurea mens, vox suada tibi, tum sermo quietus;
Nec cunctator eras, nec properante sono. [que;
Pulchra senecta, nitens habitus, procul ira, dolus-
Et placidæ vitæ congrua meta fuit.

XXI. *Crispus et Urbicus, Grammatici Latini et Græci.*

Tu quoque in ævum, Crispe, futurum
Mæsti venies commemoratus
Munere threni,
Qui primævos, fandique rudes,
Elementorum prima docebas 5
Signa novorum.
Creditus olim fervere mero,
Ut Virgilii Flaccique locis
Æmula ferres.
Et tibi Latiis posthabite orsis, 10
Urbice, Graiis celebris, carmen
Sic ἐλελίσω.
Nam tu Crispo conjuncte tuo
Prosa solebas, et versu loqui
Impete eodem, 15
Priscos ut et heroes olim
Carmine Homeri commemoratos
Fando referres;
Dulcem in paucis ut Plistheniden,
Et torrentis ceu Dulichii 20
Ninguida dicta,
Et mellitæ nectare vocis
Dulcia fatu verba canentem
Nestora regem.
Ambo loqui faciles, ambo omnia carmina docti,
Callentes mython plasmata, et historiam. 26
Liberi et ambo genus: sed quos meruisse deceret
Nancisci, ut cluerent patribus ingenuis.

XXII. *Victorio Subdoctori, sive Proscholo.*

Victori studiose, memor, celer, ignoratis
Assidue in libris, nec nisi operta legens;
Exesas tineis, Opicasque evolvere chartas
Major, quam promtis cura tibi in studiis; [olim
Quod jus pontificum, quæ fœdera, stemma quod
Ante Numam fuerat sacrificis Curibus: 6
Quod Castor cunctis de regibus ambiguis, quod
Conjugis e libris ediderat Rhodope: [tum,
Quod jus pontificum, veterum quæ scita Quiri-
Quæ consulta Patrum; quid Draco, quidve
Solon 10
Sanxerit; et Locris dederit quæ jura Zaleucus;
Sub Jove quæ Minos, quid Themis ante Jovem;
Nota tibi potius, quam Tullius et Maro nostri.
Et quicquid Latia conditur historia.
Fors istos etiam tibi lectio longa dedisset, 15
Supremum Lachesis ni celerasset iter.
Exili nostræ fucatus honore cathedræ,
Libato tenuis nomine Grammatici;
Longinquis posthac Romæ defunctus in oris,
Ad quas de Siculo littore transieras. 20
Sed modo nobilium memoratus in agmine, gaude,
Pervenit ad manes si pia cura tuos.

XXIII. *Dynamio Burdigalensi, qui in Hispania docuit, et obiit.*

Sed neque te mæsta, Dynami, fraudabo querela,
Municipem patriæ causidicumque meæ.
Crimine adulterii quem saucia fama fugavit;
Parvula quem latebris fovit Ilerda suis;
Quem locupletavit conjux Hispana latentem: 5
Namque ibi mutato nomine Rhetor eras;
Rhetor Flavinii cognomine dissimulatus,
Ne posset profugum prodere culpa suum.
Reddiderat quamvis patriæ te sera voluptas,
Mox residem rursum traxit Ilerda domus. 10
Qualiscunque tuæ fuerit fuga, famaque vitæ,
Jungeris antiqua tu mihi amicitia:
Officiumque meum, sensus si manibus ullus,
Accipe jam verus morte obita, Dynami.
Diversis quamvis jaceas defunctus in oris, 15
Commemorat mæstis te pia cura elegis.

XXIV. *Acilio Glabrioni, Grammatico, juniori, Burdigalensi.*

Doctrinæ vitæque pari brevitate caducum,
Glabrio, te mæstis commemorabo elegis,
Stemmate nobilium deductum nomen avorum,
Glabrio Aquilini Dardana progenies.
Tu quondam puero compar mihi discipulo; mox,
Me dehinc facto Rhetore, Grammaticus. 6
Inque foro tutela reis, et cultor in agris,
Digne diu partis qui fruerere bonis. [dandis
Commode, læte, benigne, abstemie, tam bone
Semper consiliis, quam taciturne datis. [acerbo
Tam decus omne tuis, quam mox dolor, omnia
Funere præreptus, Glabrio, destituis:
Uxore et natis, genitore et matre relictis,
Eheu quam multis perdite nominibus!
Flete diu nobis, nunquam satis, accipe acerbum,
Glabrio in æternum commemorate, Vale. 16

XXV. *Coronis.*

Quos legis a prima deductos menide libri,
Doctores patriæ scito fuisse meæ, [que·
Grammatici in studio, vel Rhetoris, aut in utro-
Quos memorasse mihi, morte obita, satis est.
Viventum illecebra est laudatio: nomina tantum
Voce ciere, suis sufficiet tumulis. 6
Ergo, qui nostræ legis otia tristia chartæ,
Eloquium tu ne quære, sed officium,
Quo claris doctisque viris pia cura parentat,
Dum decora egregiæ commeminit patriæ. 10

XXVI. *Poeta.*

Valete, manes inclytorum Rhetorum,
Valete, doctores probi;
Historia si quos, vel poeticus stylus,
Forumve fecit nobiles;
Medicæ vel artes, dogma vel Platonicum, 5
Dedit perenni gloriæ.
Et si qua cunctis cura viventum placet,
Juvatque honor superstitum;

Accipite mæstum carminis cultum mei,
Textum querela flebili. 10
Sedem sepulcris servet immotus cinis:
Memoria vivat nominum;
Dum remeat illud, judicis dono Dei,
Commune cum dis sæculum.

EPITAPHIA HEROUM QUI BELLO TROICO INTERFUERUNT.

AUSONIUS LECTORI SUO S.

Ad rem pertinere existimavi, ut vel vanum opusculum materiæ congruentis absolverem, et libello, qui commemorationem habet eorum, qui vel peregrini Burdigalæ, vel qui Burdigalenses peregre docuerunt, Epitaphia subnecterem, scilicet titulos sepulcrales heroum, qui bello Troico interfuerunt. Quæ antiqua cum apud philologum quendam reperissem, Latino sermone converti, non ut inservirent ordini persequendi, sed ut cohærerent libere, nec aberrarent.

EPITAPHIUM I.—*Agamemnoni.*

Rex regum Atrides, fraternæ conjugis ultor,
Oppetii manibus conjugis ipse meæ.
Quid prodest Helenes raptum punisse dolentem,
Vindicem adulterii cum Clytemnestra necet?

EPITAPHIUM II.—*Menelao.*

Felix o Menelae, deûm cui debita sedes,
Decretumque piis manibus Elysium:
Tyndareo dilecte gener, dilecte Tonanti:
Conjugii vindex, ultor adulterii:
Æterno pollens ævo, æternaque juventa, 5
Nec leti passus tempora, nec senii.

EPITAPHIUM III.—*Ajaci.*

Ajacis tumulo pariter tegor obruta Virtus,
Illacrymans bustis funeris ipsa mei,
Incomtas lacerata comas, quod pravus Atrides
Cedere me structis compulit insidiis.
Jam dabo purpureum claro de sanguine florem, 5
Testantem gemitu crimina judicii.

EPITAPHIUM IV.—*Achilli.*

Non una Æaciden tellus habet: ossa teguntur
Littore Sigeo, crinem Larissa cremavit.
Pars tumuli .....
Orbe sed in toto ..... Homer .....

EPITAPHIUM V.—*Ulixi.*

Conditus hoc tumulo Laerta natus Ulixes.
Perlege Odyssean, omnia nosse volens.

EPITAPHIUM VI.—*Diomedi.*

Conditur hic genitore bono melior Diomedes;
Crimen ob uxoris pulsus dotalibus Argis,
Argyripam, clarosque viris qui condidit Arpos;
Clarior urbe nova, patriæ quam sede vetusta.

EPITAPHIUM VII.—*Antilocho.*

Consiliis belloque bonus, quæ copula rara est,
Carus et Atridis, carus et Æacidis;
Præmia virtutis simul et pietatis adeptus,
Servato Antilochus Nestore patre obii.
Non hic ordo fuit: sed justius ille superstes, 5
Troja capi sine quo perfida non poterat.

EPITAPHIUM VIII.—*Nestori.*

Hoc tegor in tumulo, quarti jam prodigus ævi
Nestor, consilio clarus, et eloquio.
Objecit sese cujus pro morte peremtus
Filius, et nati vulnere vivo pater.
Eheu! cur fatis disponere sic placet ævum, 5
Tam longum, ut nobis; tam breve, ut Antilocho?

EPITAPHIUM IX.—*Pyrrho.*

Orbe tegor medio, major virtute paterna,
Quod puer, et regis Pyrrhus opima tuli.
Impius ante aras quem fraude peremit Orestes;
Quid mirum, cæsa jam genitrice furens?

EPITAPHIUM X.—*Euryalo.*

Nec me non dignum titulo Pleuronia credit:
Cui communis erat cum Diomede domus,
Euryalo et Sthenelo: nam tertius hoc ego regnum
Possedi; de quo nunc satis est tumulus.

EPITAPHIUM XI.—*Guneo.*

Gunea pontus habet, tumulus sine corpore nomen,
Fama homines inter; cœlum animus repetit.
Cuncta elementa duci tanto commune sepulcrum
Quæ? cœlum, et tellus, et mare, et ora virûm.

EPITAPHIUM XII.—*Protesilao.*

Fatale adscriptum nomen mihi Protesilao:
Nam primus Danaûm bello obii Phrygio,
Audaci ingressus Sigeia littora saltu,
Captus pellacis Lartiadæ insidiis;
Qui, ne Trojanæ premeret pede littora terræ, 5
Ipse super proprium desiliit clypeum. [bant,
Quid queror? hoc letum jam tum mea fata cane-
Talè mihi nomen cum pater imposuit.

EPITAPHIUM XIII.—*Deiphobo.*

Proditus ad pœnam sceleratæ fraude Lacænæ,
Et deformato corpore Deiphobus, [tis
Non habeo tumulum, nisi quem mihi voce vocan-
Et pius Æneas, et Maro composuit.

EPITAPHIUM XIV.—*Hectori.*

Hectoris hic tumulus, cum quo sua Troja sepul-
Conduntur pariter, qui periere simul. [ta est.

EPITAPHIUM XV.—*Astyanacti.*

Flos Asiæ, tantaque unus de gente superstes,
Parvulus, Argivis sed jam de patre timendus,
Hic jaceo Astyanax, Scæis dejectus ab altis.
Pro dolor! Iliaci Neptunia mœnia muri
Viderunt aliquid crudelius Hectore tracto. 5

EPITAPHIUM XVI.—*Sarpedoni.*

Sarpedon Lycius, genitus Jove, numine patris
Sperabam cœlum; sed tegor hoc tumulo,
Sanguineis fletus lacrymis: pro ferrea fata!
En patitur luctum, qui prohibere potest.

EPITAPHIUM XVII.—*Nasti et Amphimacho*

Nastes Amphimachusque, Nomionis inclyta proles,
Ductores quondam, pulvis et umbra sumus.

EPITAPHIUM XVIII.—*Troilo.*

Hectore prostrato, nec dis, nec viribus æquis
Congressus sævo Troilus Æacidæ,
Raptatus bigis, fratris conjungor honori;
Cujus ob exemplum nec mihi pœna gravis.

EPITAPHIUM XIX.—*Polydoro.*

Cede procul, myrtumque istam fuge nescius hos-
Telorum seges est sanguine adulta meo. [pes:
Confixus jaculis, et ab ipsa cæde sepultus,
Condor in hoc tumulo bis Polydorus ego.
Scit pius Æneas, et tu, rex impie, quod me 5
Thracia pœna premit, Troia cura tegit.

EPITAPHIUM XX.—*Euphemo.*

Euphemum Ciconum ductorem Troia tellus
Condidit hastati Martis ad effigiem.
Nec satis est titulum saxo incidisse sepulcri;
Insuper et frontem mole onerant statuæ.
Ocius ista ruunt, quæ sic cumulata locantur: 5
Major ubi est cultus, magna ruina subest.

EPITAPHIUM XXI.—*Hippothoo et Pyleo in horto sepultis.*

Hippothoum Pyleumque tenet gremio infima tel-
Caulibus et malvis terga superna virent. [lus;
Nec vexat cineres horti cultura quietos,
Dum parcente manu molle olus excolitur.

EPITAPHIUM XXII.—*Ennomo et Chromio.*

Ennomus hic Chromiusque jacent, quîs Mysia regnum,
Quîs pater Alcinus, Oceanusque atavus.
Nobilitas quid tanta juvat? quo clarius istis
Est genus, hoc mortis conditio gravior.

EPITAPHIUM XXIII.—*Priamo.*

Hic Priami non est tumulus, nec condor in ista
Sede; caput Danai diripuere meum:
Ast ego cum lacerum sine nomine funus haberem,
Confugi ad cineres Hectoreos genitor.
Illic et natos, Trojamque, Asiamque sepultam 5
Inveni, et nostrum quicquid ubique jacet.

EPITAPHIUM XXIV.—*Item Priamo.*

Qui tumulum Priami quærit, legat Hectoris ante.
Ille meus, nato quem prius ipse dedi.
Hectoris, et patris simul est commune sepulcrum,
Amborum quoniam juncta ruina fuit.

EPITAPHIUM XXV.—*Hecubæ.*

Quæ regina fui, quæ claro nata Dymante,
Quæ Priami conjux, Hectora quæ genui,
Hic Hecuba injectis perii superobruta saxis;
Sed rabie linguæ me tamen ulta prius.
Fidite ne regnis, et prole, et stirpe parentum, 5
Quicunque hoc nostrum σῆμα κυνὸς legitis.

EPITAPHIUM XXVI.—*Polyxenæ.*

Troas Achilleo conjuncta Polyxena busto,
Malueram nullo cespite functa tegi.
Non bene discordes tumulos miscetis, Achivi.
Hoc violare magis, quam sepelire fuit.

ALIQUOT ALIORUM EPITAPHIA.

EPITAPHIUM XXVII.—*Niobæ, in Sipylo monte juxta fontem sepultæ.*

Thebarum regina fui, Sipyleia cautes
Quæ modo sum: læsi numina Latoidûm.
Bis septem natis genitrix læta atque superba,
Tot duxi mater funera, quot genui.
Nec satis hoc divis: duro circumdata saxo 5
Amisi humani corporis effigiem.
Sed dolor, obstructis quanquam vitalibus, hæret.
Perpetuasque rigat fonte pio lacrymas.
Pro facinus! tantæne animis cœlestibus iræ?
Durat adhuc luctus matris, imago perît. 10

EPITAPHIUM XXVIII.—*Eidem.*

Vivebam: sum facta silex, quæ deinde polita
Praxitelis manibus, vivo iterum Niobe.
Reddidit artificis manus omnia, sed sine sensu.
Hunc ego, cum læsi numina, non habui.

EPITAPHIUM XXIX.—*Eidem.*

Habet sepulcrum non id intus mortuum,
Habet nec ipse mortuus bustum super;
Sibi sed est ipse hic sepulcrum, et mortuus.

EPITAPHIUM XXX.—*Didoni.*

Infelix Dido, nulli bene nupta marito:
Hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris.

EPITAPHIUM XXXI.—*Diogeni Cynico, in cujus sepulcro, pro titulo, canis signum est.*

Dic, canis, hic cujus tumulus? Canis. At canis hic quis?
Diogenes. Obiit? Non obiit, sed abît.
Diogenes, cui pera penus, cui dolia sedes,
Ad manes abiit? Cerberus ire vetat.
Quonam igitur? Clari flagrat qua stella Leonis,
Additus est justæ nunc canis Erigonæ. 6

EPITAPHIUM XXXII.—*Sedecenni matronæ.*

Omnia, quæ longo vitæ cupiuntur in ævo,
Ante quater plenum consumsit Anicia lustrum:
Infans lactavit; pubes et virgo adolevit;
Nupsit, concepit, peperit, jam mater obivit.
Quis mortem accuset, quis non accuset, in ista?
Ætatis meritis anus est, ætate puella. 6

EPITAPHIUM XXXIII.—*Glauciæ immatura morte prævento.*

Læta bis octono tibi jam sub consule pubes
Cingebat teneras, Glaucia adulte, genas;
Et jam desieras puer, anne puella, videri;
Cum properata dies abstulit omne decus.
Sed neque functorum socius miscebere vulgo, 5
Nec metues Stygios flebilis umbra lacus:
Verum aut Persephonæ Cinyreius ibis Adonis,
Aut Jovis Elysii tu catamitus eris.

EPITAPHIUM XXXIV.—*Callicrateæ.*

Viginti atque novem genitrici Callicrateæ
Nullius sexus mors mihi visa fuit. [nos,
Sed centum et quinque explevi bene messibus an-
Intremulam baculo non subeunte manum.

EPITAPHIUM XXXV.—*Equo admirabili, jussu Augusti.*

Phosphore, clamosi spatiosa per æquora Circi
Septenas solitus victor obire vias,

Improperanter agens primos a carcere cursus,
Fortis prægressis ut potereris equis:
Promtum et veloces erat anticipare quadrigas; 5
Victores etiam vincere, laus potior.
Hunc titulum vani solatia sume sepulcri,
Et gradere Elysios præpes ad alipedes.
Pegasus hic dexter currat tibi; lævus Arion
Funalis; quartum det tibi Castor equum. 10

EPITAPHIUM XXXVI.—*In tumulo hominis felicis.*

Sparge mero cineres, bene olentis et unguine nardi,
Hospes, et adde rosis balsama puniceis.
Perpetuum mihi ver agit illacrymabilis urna:
Et commutavi sæcula, non obii.
Nulla mihi veteris perierunt gaudia vitæ, 5
Seu meminisse putes omnia, sive nihil.

EPITAPHIUM XXXVII.—*Sepulcrum Cari vacuum.*

Me sibi, et uxori, et natis commune sepulcrum
Constituit seras Carus ad exsequias.
Jamque diu monumenta vacant: sitque ista querela
Longior, et veniat ordine quisque suo,
Nascendi qui lege datus; placidumque per ævum
Condatur, natu qui prior, ille prior. 6

EPITAPHIUM XXXVIII.—*Ex sepulcro Latinæ viæ.*

Non nomen, non quo genitus, non unde, quid egi.
Mutus in æternum sum, cinis, ossa, nihil.
Non sum, nec fueram: genitus tamen e nihilo sum
Mitte, nec exprobres singula, talis eris.

AUSONII DE XII CÆSARIBUS PER SUETONIUM TRANQUILLUM SCRIPTIS.

Ausonius Hesperio filio S. D.

Cæsareos proceres, in quorum regna, secundis
Consulibus, dudum Romana potentia cessit,
Accipe bis senos: sua quemque monosticha signant,
Quorum per plenam seriem Suetonius olim
Nomina, res gestas, vitamque, obitumque peregit.

Monosticha de ordine XII Imperatorum.

Primus regalem patefecit Julius aulam
Cæsar, et Augusto nomen transcripsit et arcem.
Privignus post hunc regnat Nero Claudius: a quo
Caius, cognomen Caligæ cui castra dederunt.
Claudius hinc potitur regno: post quem Nero sævus,
Ultimus Æneadûm: post hunc tres, nec tribus annis:
Galba senex, frustra socio confisus inerti;
Mollis Otho, infami per luxum degener ævo;
Nec regno dignus, nec morte Vitellius ut vir.
His decimus, fatoque accitus Vespasianus: 10
Et Titus imperii felix brevitate: secutus
Frater, quem calvum dixit sua Roma Neronem

Tempus imperii XII Cæsarum.

Julius, ut perhibent, divus trieteride regnat.
Augustus post lustra decem sex prorogat annos.
Et ter septenis geminos Nero Claudius addit.
Tertia finit hiems grassantia tempora Caii.
Claudius hebdomadem duplicem trahit: et Nero dirus
Tantundem; summæ consul sed defuit unus. 6
Galba senex, Otho lascive, et famose Vitelli,
Tertia vos Latio regnantes nesciit æstas,
Interitus dignos vita properante probrosa.
Implet fatalem decadem sibi Vespasianus. 10
Ter dominante Tito cingit nova laurea Janum:
Quindecies, sævus potitur dum frater habenis.

De mortibus eorum.

Julius interiit Cæsar grassante senatu.
Addidit Augustum divis matura senectus.
Sera senex Capreis exsul Nero fata peregit.
Exegit pœnas de Caio Chærea mollis.
Claudius ambiguo conclusit fata veneno. 5
Matricida Nero proprii vim pertulit ensis.
Galba senex periit sævo prostratus Othone.
Mox Otho famosus, clara sed morte potitus.
Prodiga succedunt perimendi sceptra Vitelli.
Laudatum imperium, mors lenis Vespasiano. 10
At Titus, orbis amor, rapitur florentibus annis.
Sera trucem perimunt, sed justa, piacula fratrem.

EJUSDEM AUSONII TETRASTICHA A JULIO CÆSARE USQUE AD TEMPORA SUA.

Nunc et prædictos, et regni sorte sequentes
Expediam, series quos tenet imperii.
Incipiam ad Divo, percurramque ordine cunctos,
Novi Romanæ quos memor historiæ.

I. *Julius Cæsar.*

Imperium, binis fuerat sollenne quod olim
Consulibus, Cæsar Julius obtinuit

Sed breve jus regni, sola trieteride gestum,
Perculit armatæ factio sæva togæ.

II. *Octavius Augustus.*

Ultor, successorque dehinc Octavius, idem
Cæsar; at Augusti nomine nobilior.
Longæva, et nunquam dubiis violata potestas,
In terris positum credidit esse deum.

III. *Tiberius Nero.*

Prænomen Tiberi nactus Nero, prima juventæ
Tempora laudato gessit in imperio.
Frustra dehinc solo Caprearum clausus in antro,
Quæ prodit vitiis, credit operta locis.

IV. *Caius Caligula.*

Post hunc castrensis caligæ cognomine Cæsar
Successit, sævo sævior ingenio;
Cædibus, incestisque dehinc maculosus, et omni
Crimine pollutum qui superavit avum.

V. *Claudius Cæsar.*

Claudius irrisæ privato in tempore vitæ,
In regno specimen prodidit ingenii.
Libertina tamen, nuptarum, et crimina passus,
Non faciendo nocens, sed patiendo fuit.

VI. *Nero.*

Æneadûm generis qui sextus et ultimus hæres,
Polluit, et clausit Julia sacra Nero.
Nomina quot pietas, tot habet quoque crimina vitæ.
Disce ex Tranquillo, quæ meminisse piget.

VII. *Servius Galba.*

Spem frustrate senex, privatus sceptra mereri
Visus es, imperio proditus inferior.
Fama tibi melior juveni: sed justior ordo est,
Complacuisse dehinc, displicuisse prius.

VIII. *Marcus Otho.*

Æmula polluto gesturus sceptra Neroni,
Obruitur celeri raptus Otho exitio.
Fine tamen laudandus erit; qui morte decora
Hoc solum fecit nobile, quod periit.

IX. *Aulus Vitellius.*

Vitæ ut sors, mors fœda tibi, nec digne, Vitelli,
Qui fieres Cæsar: sic sibi fata placent.
Umbra tamen brevis imperii; quia præmia regni
Sæpe indignus adit, non nisi dignus habet.

X. *Divus Vespasianus.*

Quærendi attentus, moderato commodus usu,
Auget, nec reprimit Vespasianus opes.
Olim qui dubiam privato in tempore famam,
Rarum aliis, princeps transtulit in melius.

XI. *Titus Vespasianus.*

Felix imperio, felix brevitate regendi,
Expers civilis sanguinis, orbis amor;
Unum dixisti moriens te crimen habere:
Sed nulli de te, non tibi credidimus.

XII. *Domitianus.*

Hactenus edideras dominos, gens Flavia, justos.
Cur, duo quæ dederant, tertius eripuit?
Vix tanti est habuisse illos: quia dona bonorum
Sunt brevia; æternum, quæ nocuere, dolent.

XIII. *Nerva*

Proximus exstincto moderatur sceptra tyranno
Nerva senex, princeps nomine, mente parens.
Nulla viro soboles: imitatur adoptio prolem,
Quam legisse juvet, quam genuisse velit.

XIV. *Trajanus.*

Aggreditur regimen viridi Trajanus in ævo,
Belli laude prior, cætera patris habens.
Hic quoque prole carens, sociat sibi sorte legendi,
Quem fateare bonum, diffiteare parem.

XV. *Ælius Hadrianus.*

Ælius hinc subiit, mediis præsignis in actis;
Principia et finem fama notat gravior.
Orbus et hic, sociatque virum documenta datu-rum,
Adsciti quantum præmineant genitis.

XVI. *Antoninus Pius.*

Antoninus abhinc regimen capit: ille vocatu
Consultisque Pius, nomen habens meriti.
Filius huic fato nullus: sed lege suorum
A patria sumsit, qui regeret patriam.

XVII. *Marcus Antoninus.*

Post Marco tutela datur; qui scita Platonis
Flexit ad imperium, patre Pio melior.
Successore suo moriens, sed principe pravo,
Hoc solo patriæ, quod genuit, nocuit.

XVIII. *Commodus.*

Commodus insequitur, pugnis maculosus arenæ
Threcidico princeps bella movens gladio,
Eliso tandem persolvens gutture pœnas,
Criminibus fassus matris adulterium.

XIX. *Helvius Pertinax.*

Helvi, judicio et consulto lecte senatus,
Princeps decretis prodite, non studiis:
Quod doluit malefida cohors; errore probato,
Curia quod castris cesserat imperio.

XX. *Didius Julianus.*

Di bene, quod spoliis Didius non gaudet opimis,
Et cito perjuro præmia ademta seni.
Tuque, Severe pater, titulum ne horresce novantis.
Non rapit imperium vis tua, sed recipit.

XXI. *Severus Pertinax.*

Impiger egelido movet arma Severus ab Istro,
Ut parricidæ regna adimat Didio.
Punica origo illi; sed qui virtute probaret,
Non obstare locum, cum valet ingenium.

XXII. *Bassianus Antoninus Caracalla.*

Dissimilis virtute patri, et multo magis illi,
Cujus adoptivo nomine te perhibes:
Fratris morte nocens, punitus fine cruento,
In risu populi tu Caracalla magis.

XXIII. *Opilius Macrinus.*

Principis hinc custos, sumtum pro Cæsare ferrum
Vertit in auctorem cæde Macrinus iners.
Mox cum prole ruit. Gravibus pulsare querelis
Cesset perfidiam: quæ patitur, meruit.

XXIV. *Antoninus Heliogabalus.*

Tune etiam Augustæ sedis penetralia fœdas,
Antoninorum nomina falsa gerens?

* * * * *

Reliqua desiderantur.

ORDO NOBILIUM URBIUM.

I. *Roma.*

Prima urbes inter, divûm domus, aurea Roma.

II. *Constantinopolis et Carthago*

Constantinopoli adsurgit Carthago priori
Non toto cessura gradu; quia tertia dici
Fastidit, non ausa locum sperare secundum,
Qui fuit ambarum: vetus hanc opulentia præfert,
Hanc fortuna recens: fuit hæc, subit ista; novisque 5
Excellens meritis, veterem præstringit honorem,
Et Constantino concedere cogit Elissam.
Accusat Carthago deos jam plena pudoris,
Nunc quoque si cedat, Romam vix passa priorem.
Componat vestros fortuna antiqua tumores. 10
Ite pares, tandem memores, quod numine divûm
Angustas mutastis opes et nomina; tu cum
Byzantina Lygos, tu Punica Byrsa fuisti.

III. *Antiochia et Alexandria.*

Tertia Phœbeæ lauri domus Antiochia,
Vellet Alexandri si quarta colonia poni.
Ambarum locus unus: et has furor ambitionis
In certamen agit vitiorum: turbida vulgo
Utraque, et amentis populi male sana tumultu. 5
Hæc Nilo munita quod est, penitusque repostis
Insinuata locis, fecunda et tuta superbit;
Illa quod infidis opponitur æmula Persis.
Et vos ite pares, Macetûmque attollite nomen.
Magnus Alexander te condidit; illa Seleucum 10
Nuncupat, ingenuum cujus fuit ancora signum,
(Qualis inusta solet,) generis nota certa: per omNam sobolis seriem nativa cucurrit imago. [nem

IV. *Treveri.*

Armipotens dudum celebrari Gallia gestit,
Trevericæque urbis solium, quæ proxima Rheno,
Pacis ut in mediæ gremio secura, quiescit,
Imperii vires quod alit, quod vestit et armat.
Lata per extentum procurrunt mœnia collem: 5
Largus tranquillo prælabitur amne Mosella,
Longinqua omnigenæ vectans commercia terræ.

V. *Mediolanum.*

Et Mediolani mira omnia, copia rerum,
Innumeræ cultæque domus, facunda virorum
Ingenia, et mores læti: tum duplice muro
Amplificata loci species, populique voluptas
Circus, et inclusi moles cuneata theatri: 5
Templa, Palatinæque arces, opulensque Moneta,
Et regio Herculei celebris sub honore lavacri,
Cunctaque marmoreis ornata peristyla signis,
Mœniaque in valli formam circumdata labro.
Omnia quæ magnis operum velut æmula formis
Excellunt, nec juncta premit vicinia Romæ. 11

VI. *Capua.*

Nec Capuam pelago, cultuque, penuque potentem,
Deliciis, opibus, famaque priore silebo;
Fortuna variante vices, quæ freta secundis
Nescivit servare modum: nunc subdita Romæ,
Æmula tunc; fidei memor, anne infida, senatum
Sperneret an coleret, dubitans, sperare curules
Campanis ausa auspiciis, unoque suorum
Consule, ut imperium divisi attolleret orbis.
Quin etiam rerum dominam Latiique parentem
Appetiit bello, ducibus non freta togatis, 10
Hannibalis jurata armis, deceptaque in hostis
Servitium demens specie transivit herili.
Mox ut in occasum vitiis communibus acti
Corruerunt Pœni luxu, Campania fastu,
(Heu nunquam stabilem sortita superbia sedem!)
Illa potens, opibusque valens, Roma altera quon-
Comere quæ paribus potuit fastigia conis, [dam,
Octavum rejecta locum vix pæne tuetur.

VII. *Aquileia.*

Non erat iste locus; merito tamen aucta recenti
Nona inter claras Aquileia cieberis urbes,
Itala ad Illyricos objecta colonia montes,
Mœnibus et portu celeberrima; sed magis illud
Eminet, extremo quod te sub tempore legit, 5
Solveret exacto cui justa piacula lustro,
Maximus, armigeri quondam sub nomine lixæ.
Felix, quæ tanti spectatrix læta triumphi
Punisti Ausonio Rutupinum Marte latronem.

VIII. *Arelas.*

Pande, duplex Arelate, tuos blanda hospita portus,
Gallula Roma Arelas, quam Narbo Martius, et
Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis: [quam
Præcipitis Rhodani sic intercisa fluentis,
Ut mediam facias navali ponte plateam. 5
Per quem Romani commercia suscipis orbis,
Nec cohibes; populosque alios, et mœnia ditas,
Gallia quîs fruitur, gremioque Aquitania lato.

IX. *Emerita.*

Clara mihi post has memorabere nomen Iberum
Emerita, æquoreus quam præterlabitur amnis,
Submittit cui tota suos Hispania fasces.
Corduba non, non arce potens tibi Tarraco certat,
Quæque sinu pelagi jactat se Bracara dives. 5

X. *Athenæ.*

Nunc et terrigenis patribus memoremus Athenas,
Pallados et Consi quondam certaminis arcem:
Paciferæ primum cui contigit arbor olivæ:
Attica facundæ cujus mera gloria linguæ:
Unde per Ioniæ populos, et nomen Achæum 5
Versa Graia manus, centum se effudit in urbes.

XI. *Catina et Syracusæ.*

Quis Catinam sileat? quis quadruplices Syracusas?
Hanc ambustorum fratrum pietate celebrem,
Illam complexam miracula fontis et amnis,
Qua maris Ionii subter vada salsa meantes
Consociant dulces placita sibi sede liquores,
Incorruptarum miscentes oscula aquarum.

XII. *Tolosa.*

Non unquam altricem nostri reticebo Tolosam
Coctilibus muris quam circuit ambitus ingens,

Perque latus pulchro prælabitur amne Garumna;
Innumeris cultam populis, confinia propter
Ninguida Pyrenes, et pinea Cebennarum, 5
Inter Aquitanas gentes et nomen Iberum.
Quæ modo quadruplices ex se cum effuderit urbes,
Non ulla exhaustæ sentit dispendia plebis,
Quos genuit, cunctos gremio complexa colonos.

XIII. *Narbo.*

Nec tu, Martie Narbo, silebere, nomine cujus
Fusa per immensum quondam provincia regnum
Obtinuit multos dominandi jure colonos.
Insinuant qua se Sequanis Allobroges oris,
Excluduntque Italos Alpina cacumina fines; 5
Qua Pyrenaicis nivibus dirimuntur Iberi; [no.
Qua rapitur præceps Rhodanus genitore Lema-
Interiusque premunt Aquitanica rura Cebennæ,
Usque in Tectosagos primævo nomine Volcas,
Totum Narbo fuit: tu Gallia prima togati 10
Nominis attollis Latio proconsule fasces. [que?
Quis memoret portusque tuos, montesque, lacus-
Quis populos vario discrimine vestis et oris?
Quodque tibi quondam Pario de marmore templum
Tantæ molis erat, quantam non sperneret olim 15
Tarquinius, Catulusque iterum, postremus et ille,
Aurea qui statuit Capitoli culmina, Cæsar?
Te maris Eoi merces, et Iberica ditant
Æquora, te classes Libyci Siculique profundi:
Et quicquid vario per flumina, per freta cursu 20
Advehitur, toto tibi navigat orbe κατάπλους.

XIV. *Burdigala.*

Impia jamdudum condemno silentia, quod te,
O patria, insignem Baccho, fluviisque, virisque,
Moribus, ingeniisque hominum, procerumque senatu,
Non inter primas memorem; quasi conscius urbis
Exiguæ immeritas dubitem contingere laudes. 5
Non pudor hinc nobis: nec enim mihi barbara Rheni
Ora, nec Arctoo domus est glacialis in Hæmo.
Burdigala est natale solum, clementia cœli
Mitis ubi, et riguæ larga indulgentia terræ;
Ver longum, brumæque breves, juga frondea sub-
Fervent æquoreos imitata fluenta meatus. [sunt.
Quadrua murorum species, sic turribus altis
Ardua, ut aerias intrent fastigia nubes.
Distinctas interne vias mirere, domorum
Dispositum, et latas nomen servare plateas, 15
Tum respondentes directa in compita portas,
Per mediumque urbis fontani fluminis alveum;
Quem pater Oceanus refluo cum impleverit æstu,
Allabi totum spectabis classibus æquor.
Quid memorem Pario contectum marmore fontem
Euripi fervere freto? quanta umbra profundi!
Quantus in amne tumor! quanto ruit agmine præ-
Margine contenti bis sena per ostia cursus, [ceps
Innumeros populi non unquam exhaustus ad usus!
Hunc cuperes, rex Mede, tuis conjungere castris,
Flumina consumto cum defecere meatu; 26
Hujus fontis aquas peregrinas ferre per urbes,
Unum per cunctas solitus portare Choaspem.
Salve, fons ignote ortu, sacer, alme, perennis,
Vitree, glauce, profunde, sonore, illimis, opace;
Salve, urbis genius, medico potabilis haustu, 31
Divona Celtarum lingua, fons addite divis.
Non Aponus potu, vitrea non luce Nemausus
Purior, æquoreo non plenior amne Timavus.
Hic labor extremus celebres collegerit urbes.
Utque caput numeri Roma inclyta, sic capite isto
Burdigala ancipiti confirmet vertice sedem.
Hæc patria est: patrias sed Roma supervenit omnes. [sum,
Diligo Burdigalam; Romam colo: civis in hac
Consul in ambabus: cunæ hic, ibi sella curulis

LUDUS SEPTEM SAPIENTUM.

Ausonius Consul Latino Drepanio Pacato Proconsuli.

Ignoscenda isthæc, an cognoscenda rearis,
Attento, Drepani, perlege judicio.
Æquanimus fiam, te judice; sive legenda,
Sive tegenda putes carmina, quæ dedimus.
Nam primum est meruisse tuum, Pacate, favorem:
Proxima defensi cura pudoris erit. 6
Possum ego censuram lectoris ferre severi:
Et possum modica laude placere mihi.
Novit equus plausæ sonitum cervicis amare:
Novit et intrepidus verbera lenta pati. 10
Mæonio qualem cultum quæsivit Homero
Censor Aristarchus, normaque Zenodoti.
Pone obelos igitur spuriorum stigmata vatum.
Palmas, non culpas esse putabo meas;
Et correcta magis, quam condemnata vocabo, 15
Apponet docti quæ mihi lima viri.
Interea arbitrii subiturus pondera tanti,
Optabo, ut placeam: sin minus, ut taceam.

PROLOGUS.

Septem Sapientes, nomen quibus istud dedit
Superior ætas, nec secuta sustulit,
Hodie in orchestram palliati prodeunt.
Quid erubescis tu, togate Romule,
Scenam quod introibunt tam clari viri? 5
Nobis pudendum hoc, non et Atticis quoque,
Quibus theatrum curiæ præbet vicem.
Nostris negotiis sua loca sortito data:
Campus comitiis, ut Conscriptis curia;
Forum atque Rostra separatis civium. 10
Una est Athenis, atque in omni Græcia,
Ad consulendum publici sedes loci:
Quam in urbe nostra sero luxus condidit.
Ædilis olim scenam tabulatam dabat
Subito excitatam, nulla mole saxea. 15
Muræna sic, et Gallius: nota eloquar.
Postquam potentes, nec verentes sumtuum,
Nomen perenne crediderunt, si semel
Constructa moles saxeo fundamine

In omne tempus conderet ludis locum, 20
Cuneata crevit hæc theatri immanitas.
Pompeius hanc, et Balbus, et Cæsar dedit
Octavianus, concertantes sumtibus.
Sed ego quid istæc? non hac causa huc prodii,
Ut expedirem, quis theatra, quis forum, 25
Quis condidisset privas partes mœnium;
Sed ut verendos, disque laudatos viros
Prægrederer, ac referrem quid vellent sibi.
Pronuntiare suas solent sententias,
Quas quisque providentium anteverterit. 30
Scitis profecto, quæ sint: sed si memoria
Rebus vetustis claudit, veniet ludius
Edissertator harum, quas teneo minus.

Ludius.

Delphis Solonem scripse fama est Atticum,
Γνῶθι σεαυτόν· quod Latinum est, Nosce te.
Multi hoc Laconis esse Chilonis putant.
Spartane Chilon, sit tuum necne, ambigunt,
Quod introfertur, τέλος ὅρα μακροῦ βίου, 5
Finem intueri longæ vitæ quo jubes.
Multi hoc Solonem dixe Crœso existimant.
Et Pittacum dixisse fama est Lesbium,
Γίγνωσκε καιρόν· tempus ut noris, jubet:
Sed καιρὸς iste, tempestivum tempus est. 10
Bias Prieneus dixit, οἱ πλεῖστοι κακοί·
Quod est Latinum, Plures homines sunt mali:
Sed imperitos scito, quos dixit malos.
Μελέτη τὸ πᾶν, Periandri est Corinthii;
Esse meditationem totum qui putat. 15
Ἄριστον μέτρον esse dixit Lindius
Cleobulus; hoc est, Optimus cunctis modus.
Thales sed, ἐγγύα, πάρα δ' ἄτη, protulit;
Spondere qui nos, noxa quod præs est, vetat.
Hoc nos monere, fœneratis non placet. 20
Dixi; recedam: legifer venit Solon.

Solon.

De more Græco prodeo in scenam Solon,
Septem Sapientum fama cui palmam dedit:
Sed fama non est judicii severitas: [timo;
Neque me esse primum horum nec imum exis-
Æqualitas quod ordinem nescit pati. 5
Recte olim ineptum Delphicus jussit deus
Quærentem, quisnam primus Sapientum foret,
Ut in orbe tereti nomina eorum incideret,
Ne primus esset, ne vel imus quispiam.
Eorum e medio prodeo gyro Solon, 10
Ut quod dixisse Crœso regi existimor,
Id omnis hominum secta sibi dictum putet.
Græce coactum, τέλος ὅρα μακροῦ βίου·
Quod longius fit, si Latine edisseras:
Spectare vitæ jubeo cunctos terminum. 15
Proinde miseros aut beatos dicere
Evita, quod sunt semper ancipiti statu.
Id adeo sic est: si queam, paucis loquar.
Rex, an tyrannus, Lydiæ Crœsus fuit
His in beatis, dives insanum in modum, 20
Lateribus aureis templa qui divis dabat.
Is me evocavit: venio dicto obediens,
Meliore ut uti rege possint Lydii.
Rogat, beatum prodam, si quem noverim.
Telona dico civem non ignobilem; 25
Pro patria pugnans iste vitam objecerat.
Despexit; alium quærit: inveni Aglaum,
Fines qui agelli proprii nunquam excesserat.
At ille ridens: Quo dein me ponis loco,
Beatus orbe toto qui solus vocor? 30
Spectandum dico terminum vitæ prius;
Tum judicandum, si manet felicitas.
Dictum moleste Crœsus accepit: ego
Relinquo regem. Bellum ille in Persas parat.
Profectus, victus, vinctus, regi deditus, 35
* * * * *
At ille captus, funeris ipse instar sui,
* * * * *
Quin flamma totum se per ambitum dabat,
Volvens in altum fumidos æstu globos.
At pæne sero Crœsus ingenti sono,
O vere vates, inquit, o Solon, Solon! 40
Clamore magno ter Solonem nuncupat.
Qua voce Cyrus motus, exstingui jubet
Gyrum per omnem, et destrui ardentem pyram;
Et commodum profusus imber nubibus
Repressit ignem. Crœsus ad regem illico 45
Deductus lectam per ministrorum manum,
Interrogatus, quem Solonem diceret,
Et quam ciendi causam haberet nominis,
Seriem per omnem cuncta regi edisserit.
Miseratur ille; vimque fortunæ videns, 50
Laudat Solonem, Crœsum et in amicis habet;
Vinctumque pedicis aureis secum jubet
Reliquum quod esset vitæ, totum degere.
Ego duorum regum testimonio
Laudatus, et probatus ambobus fui. [tet.
Quodque uni dictum est, quisque sibi dictum pu-
Ego jam peregi, qua de causa huc prodii.
Venit ecce Chilon. Vos valete, et plaudite.

Chilon.

Lumbi sedendo, oculique spectando dolent,
Manendo Solonem quoad sese recipiat.
Hui, quam pauca quam diu loquuntur Attici!
Unam trecentis versibus sententiam
Tandem peregit, meque respectans abît. 5
Spartanus ego sum Chilo, qui nunc prodeo.
Brevitate nota, qua Lacones utimur,
Commendo nostrum γνῶθι σεαυτόν, Nosce te,
Quod in columna jam tenetur Delphica.
Labor molestus iste fructi est optimi, 10
Quid ferre possis, quidve non, dignoscere;
Noctu diuque quæ geras, quæ gesseris,
Adusque puncti tenuis instar quærere.
Officia cuncta, pudor, honor, constantia,
In hoc, et illa spreta nobis gloria. 15
Dixi. Valete memores; plausum non moror.

Cleobulus.

Cleobulus ego sum, parvæ civis insulæ,
Magnæ sed auctor, qua cluo, sententiæ,
Ἄριστον μέτρον quem dixisse existimant.
Interpretare tu, qui orchestræ proximus
Gradibus propinquis in quatuordecim sedes; 5
Ἄριστον μέτρον, an sit Optimus modus,
Dic: annuisti; gratiam habeo: persequar
Per ordinem. Poeta dixe isthoc loco
Afer videtur vester, Ut ne quid nimis:
Et noster quidam, μηδὲν ἄγαν. Huc pertinet 10
Uterque sensus, Italus, seu Dorius;
Fandi, tacendi, somni, vigiliæ est modus,
Beneficiorum, gratiarum, injuriæ,
Studii, laborum: vita in omni quicquid est,
Istum requirit optimæ pausæ modum. 15
Dixi. Recedam, ut sit modus: venit Thales.

Thales.

Milesius Thales sum, aquam qui principem
Rebus creandis dixi, ut vates Pindarus.
* * * * *

Dedere piscatores extractum mari.
Namque hi jubente Delio me legerant,
Quod ille munus hoc sapienti miserat. 5
Ego recusans non recepi, at reddidi
Ferendum ad alios, quos priores crederem.
Dein per omnes septem sapientes viros
Missum, ac remissum, rursus ad me referunt.
Ego receptum consecravi Apollini. 10
Nam si sapientem deligi Phœbus jubet,
Non hominem quenquam, sed deum credi decet.
Is igitur ego sum ; causa sed in scenam fuit
Mihi prodeundi, quæ duobus ante me,
Assertor ut sententiæ fierem meæ. 15
Ea displicebit ; non tamen prudentibus,
Quos docuit usus, et peritos reddidit.
Nos ἐγγύα, πάρεστι δ' ἄτη, dicimus :
Latinum est, Sponde ; noxia est præsto tibi.
Per mille possum currere exempla, ut probem 20
Prædes vadesque pœnitudinis reos ;
Sed nolo quenquam nominatim dicere.
Sibi quisque vestrûm dicat, et secum putet,
Spondere quantis damno fuerit et malo.
Gratum hoc officium maneat ambobus tamen. 25
Pars plaudite ergo ; pars offensi explodite.

Bias.

Bias Prieneus dixi, οἱ πλείστοι κακοί·
Latine dictum suspicor, Plures mali.
Dixisse nollem : veritas odium parit.
Malos sed imperitos dixi, et barbaros,
Qui jus, et æquum, et sacros mores negligunt. 5
Nam populus iste, quo theatrum cingitur,
Totus bonorum est : hostium tellus habet,
Dixisse quos me creditis, plures malos.
Sed nemo quisquam tam malus judex fuat,
Qui non bonorum partibus se copulet. 10
Sive ille vere bonus est, seu dici studet,
Jam fugit illum nomen invisum mali.
Abeo. Valete, et plaudite, plures boni.

Pittacus.

Mitylena oriendus Pittacus sum Lesbius,
Γίγνωσκε καιρὸν qui dixi sententiam.
Sed iste καιρὸς, tempus ut noris, monet ;
Et esse καιρὸν, tempestivum quod vocant.
Romana sic est vox, Venito in tempore. 5
Vester quoque ille comicus Terentius
Rerum omnium primum esse tempus autumat,
Ad Antiphilam quo venerat servus Dromo
Nullo impeditam, temporis servans vicem.
Reputate cuncti, quoties offensam incidat, 10
Spectata cui non fuerit opportunitas.
Tempus me abire, ne molestus. Plaudite.

Periander.

Ephyra creatus huc Periander prodeo,
Μελέτη τὸ πᾶν qui dixi ; et qui dictum probo,
Meditationem id esse totum, quod geras.
Is quippe solus rei gerendæ est efficax,
Meditatur omne qui prius negotium. 5
Adversa rerum, vel secunda, prædicat
Meditanda cunctis comicus Terentius.
Locare sedes, bellum gerere, aut ponere ;
Magnas, modicasque res etiam, parvas quoque
Agere volentem, semper meditari decet. 10
Nam segniores omnes in cœptis novis,
Meditatio si rei gerendæ defuit.
Nihil est, quod ampliorem curam postulet,
Quam cogitare, quod gerendum sit : dehinc
Incogitantes fors, non consilium regit. 15
Sed ego me ad partes jam recipio. Plaudite,
Meditati, ut vestram rem curetis publicam.

EORUNDEM SEPTEM SAPIENTUM SENTENTIÆ SEPTENIS VERSIBUS AB EODEM AUSONIO EXPLICATÆ.

Bias Prieneus.

Quænam summa boni ? Mens quæ sibi conscia recti.
Pernicies homini quæ maxima ? Solus homo alter.
Quis dives ? Qui nil cupiat. Quis pauper ? Avarus.
Quæ dos matronæ pulcherrima ? Vita pudica.
Quæ casta est ? De qua mentiri fama veretur. 5
Quod prudentis opus ? Cum possit, nolle nocere.
Quid stulti proprium ? Non posse, et velle nocere.

Pittacus Mityleneus.

Loqui ignorabit, qui tacere nesciet.
Bono probari malo, quam multis malis.
Demens superbis invidet felicibus.
Demens dolorem ridet infelicium.
Pareto legi, quisque legem sanxeris. 5
Plures amicos re secunda compara :
Paucos amicos rebus adversis proba.

Cleobulus Lindius.

Quanto plus liceat, tam libeat minus.
Fortunæ invidiæ est immeritus miser.
Felix criminibus nullus erit diu.
Ignoscas aliis multa, nihil tibi.
Parcit quisque malis, perdere vult bonos. 5
Majorum meritis gloria non datur :
Turpis sæpe datur fama minoribus.

Periander Corinthius.

Nunquam discrepat utile a decoro.
Plus est sollicitus magis beatus.
Mortem optare malum, timere pejus.
Faxis, ut libeat, quod est necesse.
Multis terribilis, caveto multos. 5
Si fortuna juvat, caveto tolli :
Si fortuna tonat, caveto mergi.

Solon Atheniensis.

Dico tunc beatam vitam, cum peracta fata sint.
Par pari jugator conjux : quicquid impar, dissidet.
Non erunt honores unquam fortuiti muneris.
Clam coarguas propinquum, propalam laudaveris.
Pulchrius multo parari, quam creari nobilem. 5

Certa si decreta sors est, quid cavere proderit?
Sive sint incerta cuncta, quid timere convenit?

Chilo Lacedæmonius.

Nolo minor me timeat, despiciatque major.
Vive memor mortis, uti sis memor et salutis.
Tristia cuncta exsuperans aut animo, aut amico.
Tu bene si quid facias, non meminisse fas est:
Quæ benefacta accipias, perpetuo memento. 5
Grata senectus homini, quæ parilis juventæ:
Illa juventa est gravior, quæ similis senectæ.

Thales Milesius.

Turpe quid ausurus, te sine teste time.
Vita perit, mortis gloria non moritur.
Quod facturus eris, dicere sustuleris
Crux est, si metuas, vincere quod nequeas.
Cum vere objurgas, sic inimice juvas: 5
Cum falso laudas, tunc et amice noces.
Nil nimium. Satis est; ne sit et hoc nimium

De iisdem septem Sapientibus, e Græco.

Septenis patriam Sapientum, nomina, voces,
Versibus expediam: sua quemque monosticha dicent. [seipsum.
Chilo, cui patria est Lacedæmon, Noscere
Periander, Trepidam moderare, Corinthius, iram.
Ex Mitylenæis, Nimium nil, Pittacus oris. 5
Mensuram optimum, ait Cleobulus Lindius, in re.
Exspectare Solon finem docet, ortus Athenis.
Plures esse Bias pravos, quem clara Priene.
Mileti, fugisse Thales vadimonia, alumnus.

AUSONII BURDIGALENSIS IDYLLIA.

IDYLLIUM I.—*Versus Paschales Procodicti.*

Sancta salutiferi redeunt sollennia Christi,
Et devota pii celebrant jejunia mystæ.
At nos æternum cohibentes pectore cultum,
Intemeratorum vim continuamus honorum.
Annua cura sacris, jugis reverentia nobis. 5
Magne pater rerum, cui terra, et pontus, et aer,
Tartaraque, et picti servit plaga lactea cœli:
Noxia quem scelerum plebes tremit, almaque rur- [sum
Concelebrat votis animarum turba piarum;
Tu brevis hunc ævi cursum, celeremque caducæ
Finem animæ donas æternæ munere vitæ. 11
Tu mites legum monitus, sacrosque prophetas
Humano impertis generi, servasque nepotes,
Deceptum miseratus Adam, quem capta venenis
Implicuit socium blandis erroribus Eva. 15
Tu Verbum, pater alme, tuum, natumque, Deumque
Concedis terris totum, similemque, paremque,
Ex vero verum, vivaque ab origine vivum.
Ille tuis doctus monitis hoc addidit unum.
Ut super æquoreas nabat qui Spiritus undas, 20
Pigra immortali vegetaret membra lavacro.
Trina fides auctore uno: spes certa salutis
Hunc numerum junctis virtutibus amplectenti.
Tale et terrenis specimen spectatur in oris
Augustus genitor, geminûm sator Augustorum;
Qui fratrem natumque pio complexus utrumque
Numine, partitur regnum, neque dividit unum,
Omnia solus habens, atque omnia dilargitus.
Hos igitur nobis trina pietate vigentes,
Rectores terræ placidos, cœlique ministros, 30
Christe, apud æternum placabilis adsere Patrem.

Ausonius lectori suo S. D.

Post Deum semper patrem colui, secundamque reverentiam genitori meo debui. Sequitur ergo hanc summi Dei venerationem Epicedion patris mei. Titulus a Græcis auctoribus, defunctorum honori dicatus, non ambitiosus, sed religiosus; quem commendo lectori meo, sive is filius est, seu pater, sive utrumque. Neque, ut laudet, exigo, sed, ut amet, postulo. Neque vero nunc patrem meum laudo, quod ille non eget, et ego functum oblectatione viventium onerare non debeo. Neque dico, nisi quod agnoscunt, qui parti ætatis ejus interfuerunt. Falsum me autem, morte ejus obita, dicere, et verum tacere, ejusdem piaculi existimo. Imagini ipsius hi versus subscripti sunt, neque minus in opusculorum seriem relati. Alia omnia mea displicent mihi; hos relegisse amo. Vale.

IDYLLIUM II.—*Epicedion in patrem suum Julium Ausonium.*

Nomen ego Ausonius, non ultimus arte medendi,
Et mea si nosses tempora, primus eram.
Vicinas urbes colui patriaque domoque,
Vasates patria, sed lare Burdigalam.
Curia me duplex, et uterque senatus habebat 5
Muneris exsortem, nomine participem.
Non opulens, nec egens, parcus sine sordibus egi.
Victum, habitum, mores semper eadem habui.
Sermone impromtus Latio: verum Attica lingua
Suffecit culti vocibus eloquii. 10
Obtuli opem cunctis poscentibus artis inemtæ,
Officiumque meum cum pietate fuit.
Judicium de me studui præstare bonorum;
Ipse mihi nunquam, judice me, placui.
Officia in multos diverso debita cultu, 15
Personis, meritis, tempore distribui.
Li ibus abstinui: non auxi, non minui rem.
Indice me nullus, sed neque teste, perît.
Invidi nunquam: cupere atque ambire refugi.
Jurare, aut falsum dicere, par habui. 20
Factio me sibi non, non conjuratio junxit·
Sincero colui fœdere amicitias.
Felicem scivi, non qui, quod vellet, haberet,
Sed qui per fatum non data non cuperet.
Non occursator, non garrulus, obvia cernens,
Valvis et velo condita non adii. 26
Famam, quæ posset vitam lacerare bonorum,
Non finxi; et, veram si scierim, tacui.
Ira procul, spes vana procul, procul anxia cura,
Inque bonis hominum gaudia falsa procul. 30
Vitati cœtus, ejuratique tumultus,

Et semper fictæ principum amicitiæ.
Deliquisse nihil nunquam laudem esse putavi,
Atque bonos mores legibus antetuli.
Irasci promtus, properavi condere motum, 35
Atque mihi pœnas pro levitate dedi.
Conjugium per lustra novem, sine crimine, con-
Unum habui: natos quatuor edidimus. [cors
Prima obiit lactens: at qui fuit ultimus ævi,
Pubertate rudi non rudis interiit. 40
Maximus ad summum culmen pervenit honorum,
Præfectus Gallis, et Libyæ, et Latio,
Tranquillus, clemens, oculis, voce, ore serenus,
In genitore suo mente animoque pater.
Hujus ego et natum et generum pro consule vidi:
Consul ut ipse foret, spes mihi certa fuit. 46
Matronale decus possedit filia: cujus
Egregia et nuptæ laus erat, et viduæ;
Quæ nati, generique, et progeneri, simul omnium
Multiplici illustres vidit honore domos. 50
Ipse nec affectans, nec detrectator honorum,
Præfectus magni nuncupor Illyrici.
Hæc me fortunæ larga indulgentia suasit,
Numine adorato, vitæ abitum petere;
Ne fortunatæ spatium inviolabile vitæ 55
Fatali admorsu stringeret ulla dies.
Obtinui, auditæque preces: spem, vota, timorem,
Sopitus placido fine, relinquo aliis.
Inter mærentes, sed non ego mæstus, amicos
Dispositis jacui funeris arbitriis. 60
Nonaginta annos baculo sine, corpore toto
Exegi, cunctis integer officiis.
Hæc quicunque leges, non adspernabere fari:
Talis vita tibi, qualia vota mihi.

Cum de palatio post multos annos honoratissimus, quippe jam consul, redisset ad patriam, villulam, quam pater reliquerat, introgressus, his versibus lusit, Luciliano stylo.

IDYLLIUM III.—*Ausonii Villula.*

Salve, hæredíolum, majorum regna meorum,
Quod proavus, quod avus, quod pater excoluit,
Quod mihi jam senior, properata morte, relinquit:
Eheu, nolueram tam cito posse frui!
Justa quidem series patri succedere: verum 5
Esse simul dominos, gratior ordo piis.
Nunc labor et curæ mea sunt: sola ante voluptas
Partibus in nostris; cætera patris erant.
Parvum hærediolem, fateor: sed nulla fuit res
Parva unquam æquanimis; adde etiam unani-
mis. [ex re.
Ex animo rem stare æquum puto, non animum
Cuncta cupit Crœsus, Diogenes nihilum:
Spargit Aristippus mediis in Syrtibus aurum:
Aurea non satis est Lydia tota Midæ.
Cui nullus finis cupiendi est, nullus habendi. 15
Ille opibus modus est, quem statuas animo.
Verum ager iste meus, quantus sit, nosce; etiam
Noveris, et noris te quoque, si potis es: [me
Quanquam difficile est se noscere: γνῶθι σεαυτὸν,
Quam propere legimus, tam cito negligimus.
Agri bis centum colo jugera: vinea centum 21
Jugeribus colitur, prataque dimidium; [vum.
Sylva supra duplum, quam prata, et vinea, et ar-
Cultor agri nobis nec superest, nec abest. [nis
Fons propter, puteusque brevis, tum purus; et am-
Naviger hic refluus me vehit, ac revehit. 26
Conduntur fructus geminum mihi semper in an-
num: [fames.
Cui non longa penus, huic quoque promta
Hæc mihi non procul urbe sita est, nec prorsus
ad urbem;
Ne patiar turbas, utque bonis potiar. 30
Et quoties mutare locum fastidia cogunt,
Transeo, et alternis rure vel urbe fruor.

Ausonius Hesperio filio.

Libellum, quem ad nepotulum meum, sororis tuæ filium, instar protreptici luseram, venturus ipse præmisi legendum. Hoc enim malui, quam ipse recitare, esset ut tibi censura liberior, quæ duabus causis impediri solet; quod aures nostras audita velocius, quam lecta prætereunt; et quod sinceritas judicandi præsentia recitantis oneratur. Nunc tibi utrumque integrum est; quia et legenti tibi libera mora est, et judicaturo non obstat nostri verecundia. Sed heus tu, fili dulcissime, habeo quod admoneam. Si qua tibi in his versiculis videbuntur (nam vereor ut multa sint) fucatius concinnata, quam verius, et plus coloris quam succi habere; ipse sciens fluere permisi, venustula ut essent magis, quam forticula; instar virginum,

quas matres student
Demissis humeris esse, vincto pectore, ut graciles
sient:

nosti cætera. Superest igitur, ut dicas: Quid moraris judicationem meam de eo, quod ipse pronuntias esse mendosum? Dicam scilicet me hujusmodi versibus foris erubescere, sed intra nos minus verecundari: namque ego hæc annis illius magis quam meis scripsi, aut fortasse et meis. Δὶς παῖδες οἱ γέροντες. Ad summam, valeat auctoritas tua; mihi cum infante ratio est. Vale, fili dulcissime.

IDYLLIUM IV.—*Ad nepotem Ausonium protrepticon de studio puerili.*

Sunt etiam Musis sua ludicra: mixta Camœnis
Otia sunt, mellite nepos, nec semper acerbi
Exercet pueros vox imperiosa magistri,
Sed requie studiique vices rata tempora servant.
Et satis est puero memori legisse libenter, 5
Et cessare licet. Graio schola nomine dicta est,
Justa laboriferis tribuantur ut otia Musis.
Quo magis, alternum certus succedere ludum,
Disce libens: longum delenitura laborem
Intervalla damus: studium puerile fatiscit, 10
Læta nisi austeris varientur festa profestis
Disce libens, tetrici nec præceptoris habenas
Detestere, nepos: nunquam horrida forma magi-
Ille licet tristis senio, nec voce serenus, [stri
Aspera contractæ minitetur jurgia frontis, 15
Nunquam immanis erit, placita adsuetudine vul-
Qui semel imbuerit: rugas nutricis amabit, [tus
Qui refugit matrem: pappos, aviasque trementes
Anteferunt patribus seri nova cura nepotes.
Sic neque Peliden terrebat Achillea Chiron 20
Thessalico permixtus equo, nec pinifer Atlas
Amphitryoniaden puerum; sed blandus uterque
Mitibus alloquiis teneros mulcebat alumnos.
Tu quoque ne metuas, quamvis schola verbere
multo 25
Increpet, et truculenta senex gerat ora magister.
Degeneres animos timor arguit: at tibi consta
Intrepidus; nec te clamor, plagæque sonantes,
Nec matutinis agitet formido sub horis. [lex
Quod sceptrum vibrat ferulæ, quod multa supel-

Virgea, quod fallax scuticam prætexit aluta, 30
Quod fervent trepido subsellia vestra tumultu.
Pompa loci, et vani fugiatur scena timoris.
Hæc olim genitorque tuus, genitrixque secuti
Securam placido mihi permulsere senectam.
Tu senium, quodcunque super labentibus annis 35
Fata dabunt, qui nomen avi geris indole prima
Prime nepos, vel re vel spe mihi porge fruendum.
Nunc ego te puerum, mox in juvenilibus annis,
Jamque virum cernam, si fors ita jusserit; aut si
Invidia est, sperabo tamen: nec vota fatiscent,
Ut patris, utque mei non immemor, ardua semper
Præmia Musarum cupias, facundus et olim
Hac gradiare via, qua nos præcessimus, et cui
Proconsul genitor, præfectus avunculus instant.
Perlege, quodcunque est memorabile: priva monebo. 45
Conditor Iliados, et amabilis orsa Menandri
Evolvenda tibi: tu flexu et acumine vocis
Innumeros numeros doctis accentibus effer,
Affectusque impone legens: distinctio sensum
Auget, et ignavis dant intervalla vigorem. 50
Ecquando ista meæ contingent dona senectæ?
Quando oblita mihi tot carmina, totque per ævum
Connexa historiæ, soccos, aulæaque regum,
Et melicos lyricosque modos præfando novabis,
Obductosque seni facies puerascere sensus? 55
Te præeunte, nepos, modulata poemata Flacci,
Altisonumque iterum fas est didicisse Maronem.
Tu quoque, qui Latium lecto sermone, Terenti,
Comis, et adstricto percurris pulpita socco, 59
Ad nova vix memorem diverbia coge senectam.
Jam facinus, Catilina, tuum, Lepidique tumultum,
Ab Lepido et Catulo jam res et tempora Romæ
Orsus, bis senos seriem connecto per annos.
Jam lego civili mixtum Mavorte duellum,
Movit quod socio Sertorius exsul Ibero. 65
Nec rudis hoc avus admoneo, sed mille docendo
Ingenia expertus: multos lactentibus annis
Ipse alui, gremioque fovens, et murmura solvens,
Eripui tenerum blandis nutricibus ævum.
Mox pueros molli monitu, et formidine leni 70
Pellexi, ut mites peterent per acerba profectus,
Carpturi dulcem fructum radicis amaræ.
Idem vesticipes motu jam puberis ævi
Ad mores, artesque bonas, fandique vigorem
Produxi, quanquam imperium cervice negarent
Ferre, nec insertis præberent ora lupatis. 76
Ardua temperies, dura experientia, rarus
Eventus, longo rerum spectatus ab usu,
Ut regat indocilem mitis censura juventam.
Quæ tolerata mihi, donec jam ærumna juvaret,
Leniretque usu bona consuetudo laborem. 81
Donec ad Augustæ pia munera disciplinæ
Accirer, varioque accingerer auctus honore:
Aurea cum parere mihi pallatia jussum.
Absistat Nemesis, ferat et Fortuna jocantem. 85
Præsedi imperio, dum prætextatus in ostro,
Et sceptro, et solio, sibi præfert jura magistri,
Majoresque putat nostros Augustus honores.
Quos mox sublimi maturus protulit auctu,
Quæstor ut Augustis, patri natoque, crearer, 90
Ut præfecturam duplicem, sellamque curulem,
Ut trabeam, pictamque togam, mea præmia, consul
Induerer, fastisque meis prælatus haberer
His ego quæsivi meritum quam grande nepoti
Consul avus, lumenque tuæ præluceo vitæ. 95
Quamvis et patrio jamdudum nomine clarus,
Posses ornatus, posses oneratus haberi;
Accessit tamen ex nobis honor inclytus: hunc tu
Effice, ne sit onus; per te ut connixus in altum
Conscendas, speresque tuos, te consule, fasces.

IDYLLIUM V.—*Genethliacon ad eundem Ausonium nepotem.*

Carmina prima tibi cum jam puerilibus annis
Traderet assidui permulcens cura magistri,
Imbueretque novas aures, sensusque sequaces,
Ut respondendas docili quoque murmure voces
Emendata rudi proferret lingua palato,
Addidimus nil triste senes; ne cura monendi
Læderet, aut dulces gustus vitiaret amaris.
At modo, cum motu vigeas jam puberis ævi,
Fortiaque a teneris possis secernere, et ipse
Admonitor morumque tibi fandique videri; 10
Accipe non præcepta quidem, sed vota precantis
Quin gratantis avi festum ad sollenne nepotis.
Annuito, ut reducem fatorum a fine senectam
Sospes agam, festumque diem, dubitataque cer-
Sidera, deposito prope conclamatus in ævo. [nam
Hoc, mellite nepos, duplicato fœnore partum, 16
Natali accedente tuo, munusque salutis
Plenius hoc nostræ, quod jam tibi puberis ævi
Crescit honos, juvenemque senex jam cerno nepotem.
Sexta tibi hæc primo remeat trieteris ab anno,
Septembres notis referens natalibus Idus. 21
Idus alma dies, geniis quoque culta deorum.
Sextiles Hecate Latonia vindicat Idus;
Mercurius Maias, superorum adjunctus honori;
Octobres olim genitus Maro dedicat Idus. 25
Idus sæpe colas bissenis mensibus omnes,
Ausonii quicunque mei celebraveris Idus.
Vale, nepos dulcissime.

Ausonius Gregorio filio S.

En unquam vidisti nebulam pictam in pariete? Vidisti utique, et meministi. Treveris quippe in triclinio Æoli fucata est pictura hæc: Cupidinem cruci affigunt mulieres amatrices, non hæ de nostro sæculo, quæ sponte peccant; sed illæ Heroicæ, quæ sibi ignoscunt, et plectunt deum: quarum partem in lugentibus campis Maro noster enumerat. Hanc ego imaginem specie et argumento miratus sum: deinde mirandi stuporem transtuli ad ineptiam poetandi. Mihi præter lemma, nihil placet. Sed commendo tibi errorem meum. Nævos nostros et cicatrices amamus: nec soli nostro vitio peccasse contenti, affectamus, ut amentur. Verum quid ego huic eclogæ studiose patrocinor? Certus sum, quodcunque meum scieris, amabis. Quod magis specto, quam ut laudes. Vale.

IDYLLIUM VI.—*Cupido cruci affixus.*

Aeris in campis, memorat quos Musa Maronis,
Myrteus amentes ubi lucus opacat amantes,
Orgia ducebant Heroides, et sua quæque,
Ut quondam occiderant, leti argumenta gerebant,
Errantes sylva in magna, et sub luce maligna, 5
Inter arundineasque comas, gravidumque papaver,
Et tacitos sine labe lacus, sine murmure rivos:
Quorum per ripas nebuloso lumine marcent
Fleti olim regum et puerorum nomina flores,
Mirator Narcissus, et Œbalides Hyacinthus, 10
Et Crocus auricomans, et murice pictus Adonis,
Et tragico scriptus gemitu Salaminius Æas.
Omnia quæ lacrymis et amoribus anxia mæstis
Exercent memores obita jam morte doloris:

Rursus in amissum revocant Heroidas ævum. 15
Fulmineos Semele decepta puerpera partus
Deflet, et ambustas lacerans per inania cunas
Ventilat ignavum simulati fulminis ignem.
Irrita dona querens, sexu gavisa virili,
Mæret in antiquam Cænis revocata figuram. 20
Vulnera siccat adhuc Procris, Cephalique cruen-
Diligit et percussa manum: fert fumida testa [tam
Lumina Sestiaca præceps de turre puella:
Et de nimboso saltum Leucate minatur
Mascula Lesbiacis Sappho peritura sagittis. 25
Harmoniæ cultus Eriphyle mæsta recusat,
Infelix nato, nec fortunata marito.
Tota quoque aeriæ Minoia fabula Cretæ
Picturarum instar tenui sub imagine vibrat.
Pasiphae nivei sequitur vestigia tauri. 30
Licia fert glomerata manu deserta Ariadne.
Respicit abjectas desperans Phædra tabellas.
Hæc laqueum gerit, hæc vanæ simulacra coronæ:
Dædaliæ pudet hanc latebras subiisse juvencæ.
Præreptas queritur per inania gaudia noctes 35
Laodamea duas, vivi functique mariti.
Parte truces alia strictis mucronibus omnes
Et Thisbe, et Canace, et Sidonis horret Elissa.
Conjugis hæc, hæc patris, et hæc gerit hospitis ensem.
Errat et ipsa olim, qualis per Latmia saxa 40
Endymioneos solita affectare sopores
Cum face et astrigero diademate Luna bicornis.
Centum aliæ veterum recolentes vulnera amorum
Dulcibus et mæstis refovent tormenta querelis.
Quas inter medias furvæ caliginis umbram 45
Dispulit inconsultus Amor stridentibus alis.
Agnovere omnes puerum, memorique recursu
Communem sensere reum, quanquam humida circum
Nubila et auratis fulgentia cingula bullis,
Et pharetram, et rutilæ fuscarent lampados ignem;
Agnoscunt tamen, et vanum vibrare vigorem 51
Occipiunt, hostemque unum loca non sua nactum,
Cum pigros ageret densa sub nocte volatus,
Facta nube premunt: trepidantem, et cassa paran-
Suffugia, in cœtum mediæ traxere catervæ. [tem
Eligitur mæsto myrtus notissima luco, 56
Invidiosa deûm pœnis: cruciaverat illic
Spreta olim memorem Veneris Proserpina Adonin.
Hujus in excelso suspensum stipite Amorem,
Devinctum post terga manus, substrictaque plantis
Vincula mærentem, nullo moderamine pœnæ 61
Affigunt: reus est sine crimine, judice nullo
Accusatus Amor: se quisque absolvere gestit,
Transferat ut proprias aliena in crimina culpas.
Cunctæ exprobrantes tolerati insignia leti 65
Expediunt: hæc arma putant, hæc ultio dulcis,
Ut quo quæque perît, studeat punire dolore.
Hæc laqueum tenet, hæc speciem mucronis inanem
Ingerit; illa cavos amnes, rupemque fragosam,
Insanique metum pelagi, et sine fluctibus æquor.
Nonnullæ flammas quatiunt, trepidoque minantur
Stridentes nullo igne faces: rescindit adultum
Myrrha uterum lacrymis ingentibus, inque paven-
Gemmea fletiferi jaculatur succina trunci. [tem
Quædam ignoscentum specie ludibria tantum 75
Sola volunt: stylus ut tenuis sub acumine puncti
Eliciat tenerum, de quo rosa nata, cruorem;
Aut pubi admoveant petulantia lumina lychni.
Ipsa etiam simili genitrix obnoxia culpæ
Alma Venus tantos penetrat secura tumultus. 80
Nec circumvento properans suffragia nato
Terrorem ingeminat, stimulisque accendit amaris
Ancipites Furias, natique in crimina confert
Dedecus ipsa suum; quod vincula cæca mariti
Deprenso Mavorte tulit; quod pube pudenda 85
Hellespontiaci ridetur forma Priapi;
Quod crudelis Eryx, quod semivir Hermaphrodi-
Nec satis in verbis: roseo Venus aurea serto [tus.
Mærentem pulsat puerum, et graviora paventem.
Olli purpureum mulcato corpore rorem 90
Sutilis expressit crebro rosa verbere; quæ, jam
Tincta prius, traxit rutilum magis ignea fucum.
Inde truces cecidere minæ, vindictaque major
Crimine visa suo, Venerem factura nocentem.
Ipsæ intercedunt Heroides, et sua quæque 95
Funera crudeli malunt adscribere fato.
Tum grates pia mater agit, cessisse dolentes,
Et condonatas puero dimittere culpas.
Talia nocturnis olim simulacra figuris
Exercent trepidam casso terrore quietem. 100
Quæ postquam multa perpessus nocte Cupido
Effugit, pulsa tandem caligine somni
Evolat ad superos, portaque evadit eburna

Ausonius Paullo suo S. P. D.

Pervincis tandem, et operta Musarum mearum, quæ initiorum velabat obscuritas, quanquam non profanus, irrumpis, Paulle carissime. Quam vis enim te non ejus vulgi existimem, quod Horatius arcet ingressu; tamen sua cuique sacra: nec idem Cereri, quod Libero, etiam sub iisdem cultoribus. Poematia, quæ in alumnam meam luseram, rudia, et inchoata ad domesticæ solatium cantilenæ, cum sine metu arcana securitate fruerentur, proferre ad lucem caligantia coegisti. Verecundiæ meæ scilicet spolium concupisti; aut, quantum tibi in me juris esset, ab invito indicari. Næ tu Alexandri Macedonis pervicaciam supergressus, qui fatalis jugi lora cum solvere non posset, abscidit, et Pythiæ specum, quo die nefas erat patere, penetravit. Utere igitur ut tuis, pari jure, sed fiducia dispari. quippe tua possunt populum non timere; meis etiam intra me erubesco.

Ut voluisti, Paulle, cunctos Bissulæ versus habes,
Lusimus quos in Suevæ gratiam virgunculæ,
Otium magis foventes, quam studentes gloriæ
Tu molestus flagitator lege molesta carmina.
Tibi, quod intristi, exedendum est: sic vetus verbum jubet,
Compedes, quas ipse fecit, ipsus ut gestet faber.

Ad lectorem hujus libelli.

Carminis incomti tenuem lecture libellum,
Pone supercilium.
Seria contractis expende poemata rugis:
Nos Thymelen sequimur.
Bissula in hoc schedio cantabitur, aut Erasinus.
Admoneo, ante bibas. 6
Jejunis nil scribo: meum post pocula si quis
Legerit, hic sapiet.
Sed magis hic sapiet, si dormiet, et putet ista
Somnia missa sibi. 10

Idyllium VII.—*Ausonii Bissula. Ubi nata sit, et quomodo in manus domini venerit.*

Bissula trans gelidum stirpe et lare prosata
Conscia nascentis Bissula Danubii, [Rhenum,
Capta manu, sed missa manu, dominatur in ejus
Deliciis, cujus bellica præda fuit.

Matre carens, nutricis egens, nescivit herai 5
Imperium: * * * * * *
Fortunæ ac patriæ quæ nulla opprobria sensit,
Illico inexperto libera servitio.
Sic Latiis mutata bonis, Germana maneret
Ut facies, oculos cærula, flava comas. 10
Ambiguam modo lingua facit, modo forma puel-
Hæc Rheno genitam prædicat, hæc Latio. [lam;

De eadem Bissula.

Delicium, blanditiæ, ludus, amor, voluptas,
Barbara, sed quæ Latias vincis alumna pupas,
Bissula nomen teneræ rusticulum puellæ,
Horridulum non solitis, sed domino venustum.

Ad pictorem de Bissulæ imagine.

Bissula nec ceris, nec fuco imitabilis ullo,
Naturale decus fictæ non commodat arti.
Sandyx, et cerussa, alias simulate puellas;
Temperiem hanc vultus nescit manus. Ergo age,
Puniceas confunde rosas, et lilia misce; [pictor,
Quique erit ex illis color aeris, ipse sit oris. 6

Ad eundem.

Pingere si nostram, pictor, meditaris alumnam,
Æmula Cecropias ars imitetur apes.

IDYLLIUM VIII.—*Precatio Ausonii Consulis designati, pridie Kalendas Januarii fascibus sumtis.*

Jane, veni: novus anne, veni: renovate veni Sol,
Consulis Ausonii Latiam visure curulem.
Ecquid ab Augusta nunc majestate secundum
Quod mireris, habes? Roma illa, domusque Qui-
Et toga purpurei rutilans prætexta senati, [rini,
Hoc capite æternis signat sua tempora Fastis. 6
Anne, bonis cœpte auspiciis, da vere salubri
Apricas ventorum animas, da roscida Cancro
Solstitia, et gelidum Boream Septemtribus horis.
Mordeat autumnas frigus subtile pruinas, 10
Et tenuata modis cesset mediocribus æstas.
Sementem Notus humificet: sit bruma nivalis,
Dum pater antiqui renovatur Martius anni.
Spiret odorato florum nova gratia Maio.
Julius et segetes coquat, et mare temperet Euris.
Sirius ardentem non augeat igne Leonem. 16
Discolor arboreos variet Pomona sapores.
Mitiget autumnus, quod maturaverit æstas,
Et genialis hiems parta sibi dote fruatur.
Pacem mundus agat, nec turbida sidera regnent.
Nulla tuos, Gradive, offendat stella penates, 21
Quæ non æqua tibi; non Cynthia, non celer Arcas
Finitimus terris, non tu, Saturne, supremo
Ultime circuitu; procul a Pyroente remotus
Tranquillum properabis iter: vos cominus ite, 25
Stella salutigeri Jovis, et Cythereie Vesper.
Nonnunquam hospitibus facilis Cyllenius adsit.
Jane, veni: novus anne, veni: renovate veni
Hostibus edomitis, qua Francia mixta Suevis [Sol.
Certat ad obsequium, Latiis ut militet armis; 30
Qua vaga Sauromates sibi junxerat agmina Chuni,
Quaque Getes sociis Istrum adsultabat Alanis;
(Hoc mihi præpetibus victoria nuntiat alis,)
Jam venit Augustus, nostros ut comat honores,
Officio exornans, quos participare cupisset. 35
Jane, veni: novus anne, veni: renovate veni Sol;
Aurea venturo, Sol, porrige gaudia Jano.
Fascibus Ausonii succedet Cæsar in annum,
Quintam Romulei prætextam habiturus honoris.
Ecce ubi se cumulat mea purpura: (mitibus audi
Auribus hoc, Nemesis:) post me dignatur oriri 41
Augustus consul, plus quam conferre videtur
Me sibi, qui jussit nostros præcedere fasces.
Jane, veni: novus anne, veni: renovate veni Sol
Coge secuturos bis sena per ostia menses. 45
Tu tropicum Soli da cedere, rursus et illum
Terga dare, ut duplex tropicus varietur ab astro
Et quater a ternis properet mutatio signis.
Æstivos impelle dies, brumamque morantem
Noctibus acceleret promissus Cæsaris annus. 50
Illum ego si cernam, tum terque quaterque beatus
Tunc ero bis consul, tunc tangam vertice cœlum.

IDYLLIUM IX.—*Item precatio Kalendis Januariis.*

Anne, bonis cœpte auspiciis, felicia cernis
Consulis Ausonii primordia: prome coruscum,
Sol æterne, caput, solitoque illustrior almo
Lumine purpureum jubar exsere lucis Eoæ.
Anne, pater rerum, quas Jani mense bifrontis 5
Volvis in hibernum glaciali fine Decembrem,
Anne, veni, et festum veteris novus adspice Jani.
Sollennes pervade vias, bissenaque mundo
Curricula æquatis varians per tempora signis
Præcipitem æterna perfer vertigine cursum; 10
Sic prono raptate polo, contraria Phœbus
Ut momenta ferat servata parte dierum,
Et novus hiberno reparet sua lumina pulsu.
Menstrua ter decies redcunt dum cornua Lunæ,
Exortus obitusque manu volvente rotabis, 15
Legitimum Phœbi cohibens per signa meatum.

IDYLLIUM X.—*Mosella*

Transieram celerem nebuloso lumine Navam,
Addita miratus veteri nova mœnia vico,
Æquavit Latias ubi quondam Gallia Cannas,
Infletæque jacent inopes super arva catervæ.
Unde iter ingrediens nemorosa per avia solum, 5
Et nulla humani spectans vestigia cultus,
Prætereo arentem sitientibus undique terris
Dumnissum, riguasque perenni fonte Tabernas,
Arvaque Sauromatum nuper metata colonis:
Et tandem primis Belgarum conspicor oris 10
Nivomagum, divi castra inclyta Constantini.
Purior hic campis aer, Phœbusque sereno
Lumine purpureum reserat jam sudus Olympum:
Nec jam, consertis per mutua vincula ramis,
Quæritur exclusum viridi caligine cœlum; 15
Sed liquidum jubar, et rutilam visentibus æthram
Libera perspicui non invidet aura diei.
In speciem cum me patriæ, cultumque nitentis
Burdigalæ, blando pepulerunt omnia visu,
Culmina villarum pendentibus edita ripis, 20
Et virides Baccho colles, et amœna fluenta
Subterlabentis tacito rumore Mosellæ.
Salve amnis laudate agris, laudate colonis,
Dignata imperio debent cui mœnia Belgæ:
Amnis odorifero juga vitea consite Baccho, 25
Consite gramineas amnis viridissime ripas:
Naviger, ut pelagus; devexas pronus in undas,
Ut fluvius; vitreoque lacus imitate profundo;
Et rivos trepido potis æquiparare meatu,
Et liquido gelidos fontes præcellere potu: 30
Omnia solus habes, quæ fons, quæ rivus, et amnis
Et lacus, et bivio refluus manamine pontus.
Tu placidis prolapsus aquis, nec murmura venti
Ulla, nec occulti pateris luctamina saxi.
Non superante vado rapidos reparare meatus 35
Cogeris; exstantes medio non æquore terras
Interceptus habes, justi ne demat honorem

Nominis, exclusum si dividat insula flumen.
Iu duplices sortite vias, et cum amne secundo
Defluis, ut celeres feriant vada concita remi; 40
Et cum per ripas nusquam cessante remulco
Intendunt collo malorum vincula nautæ.
Ipse tuos quotiens miraris in amne recursus,
Legitimosque putas prope segnius ire meatus!
Tu neque limigenis ripam prætexeris ulvis, 45
Nec piger immundo perfundis littora cœno;
Sicca sed in prima adspergis vestigia lympha.
I nunc, et Phrygiis sola lævia consere crustis,
Tendens marmoreum laqueata per atria campum.
Ast ego despectis, quæ census opesque dederunt,
Naturæ mirabor opus, non cura nepotum, 51
Lætaque jacturis ubi luxuriatur egestas.
Hic solidæ sternunt humentia littora arenæ,
Nec retinent memores vestigia pressa figuras.
Spectaris vitreo per lævia terga profundo, 55
Secreti nihil amnis habens: utque almus aperto
Panditur intuitu liquidis obtutibus aer,
Nec placidi prohibent oculos per inania venti;
Sic demersa procul durante per intima visu
Cernimus, arcanique patet penetrale fluenti, 60
Cum vada lene meant, liquidarum et lapsus aqua-
Prodit cærulea dispersas luce figuras: [rum
Quod sulcata levi crispatur arena meatu;
Inclinata tremunt viridi quod gramina fundo;
Utque sub ingenuis agitatæ fontibus herbæ 65
Vibrantes patiuntur aquas; lucetque, latetque
Calculus, et viridem distinguit glarea muscum.
Nota Caledoniis talis pictura Britannis,
Cum virides algas, et rubra corallia nudat
Æstus, et albentes concharum germina baccas, 70
Delicias hominum locupletum, quæque sub undis
Adsimulant nostros imitata monilia cultus.
Haud aliter placidæ subter vada læta Mosellæ
Detegit admixtos non concolor herba lapillos.
Intentos tamen usque oculos errore fatigant 75
Interludentes, examina lubrica, pisces.
Sed neque tot species, obliquatosque natatus,
Quæque per adversum succedunt agmina flumen,
Nominaque, et cunctos numerosæ stirpis alumnos,
Edere fas: haud ille sinit, cui cura secundæ 80
Sortis, et æquorei cessit tutela tridentis.
Tu mihi, flumineis habitatrix Nais in oris,
Squamigeri gregis ede choros, liquidoque sub al-
Dissere cæruleo fluitantes amne catervas. [veo
Squameus herbosas Capito interlucet arenas, 85
Viscere prætenero fartim congestus aristis,
Nec duraturus post bina trihoria mensis.
Purpureisque Salar stellatus tergora guttis,
Et nullo spinæ nociturus acumine Redo,
Effugiensque oculos celeri levis Umbra natatu. 90
Tuque per obliqui fauces vexate Saravi,
Qua bis terna fremunt scopulosis ostia pilis,
Cum defluxisti famæ majoris in amnem,
Liberior laxos exerces, Barbe, natatus.
Tu melior pejore ævo: tibi contigit omni 95
Spirantum ex numero non illaudata senectus.
Nec te puniceo rutilantem viscere, Salmo,
Transierim, latæ cujus vaga verbera caudæ
Gurgite de medio summas referuntur in undas,
Occultus placido cum proditur æquore pulsus.
Tu loricato squamosus pectore, frontem 101
Lubricus, et dubiæ facturus fercula cœnæ,
Tempora longarum fers incorrupte morarum,
Præsignis maculis capitis: cui prodiga nutat
Alvus, opimatoque fluens abdomine venter. 105
Quæque per Illyricum, per stagna Vinominis Istri,
Spumarum indiciis caperis, Mustella, natantum,
In nostrum subvecta fretum, ne lata Mosellæ
Flumina tam celebri defraudarentur alumno.
Quis te naturæ pinxit color? atra superne 110
Puncta notant tergum, quæ lutea circuit Iris.
Lubrica cæruleus perducit tergora fucus.
Corporis ad medium fartim pinguescis: at illinc
Usque sub extremam squalet cutis arida caudam.
Nec te delicias mensarum, Perca, silebo, 115
Amnigenas inter pisces dignande marinis,
Solus puniceis facilis contendere Mullis:
Nam neque gustus iners, solidoque in corpore
Segmentis coeunt, sed dissociantur aristis. [partes
Hic etiam Latio risus prænomine, cultor 120
Stagnorum, querulis vis infestissima ranis
Lucius, obscuras ulva cœnoque lacunas
Obsidet: hic nullos mensarum lectus ad usus,
Fervet fumosis olido nidore popinis.
Quis non et virides vulgi solatia Tincas 125
Norit, et Alburnos prædam puerilibus hamis,
Stridentesque focis obsonia plebis Alausas?
Teque inter species geminas, neutrumque, et
utrumque,
Qui necdum Salmo, nec jam Salar, ambiguusque
Amborum medio Fario intercepte sub ævo? 130
Tu quoque flumineas inter memorande cohortes,
Gobio, non major geminis sine pollice palmis,
Præpinguis, teres, ovipara congestior alvo,
Propexique jubas imitatus Gobio Barbi.
Nunc pecus æquoreum celebrabere magne Silure:
Quem velut Actæo perductum tergora olivo 136
Amnicolam Delphina reor; sic per freta magnum
Laberis, et longi vix corporis agmina solvis,
Aut brevibus defensa vadis, aut fluminis ulvis.
Aut cum tranquillos moliris in amne meatus, 140
Te virides ripæ, te cærula turba natantum,
Te liquidæ mirantur aquæ: diffunditur alveo
Æstus, et extremi procurrunt margine fluctus.
Talis Atlantiaco quondam Balæna profundo,
Cum vento motuve suo telluris ad oras 145
Pellitur, exclusum fundit mare, magnaque surgunt
Æquora, vicinique timent decrescere montes.
Hic tamen, hic nostræ mitis Balæna Mosellæ,
Exitio procul est, magnoque honor additus amni.
Jam liquidas spectasse vias, et lubrica pisces
Agmina, multiplicesque satis numerasse catervas.
Inducant aliam spectacula vitea pompam,
Sollicitentque vagos Baccheia munera visus:
Qua sublimis apex longo super ardua tractu,
Et rupes, et aprica jugi, flexusque, sinusque 155
Vitibus adsurgunt, naturalique theatro.
Gauranum sic alma jugum vindemia vestit,
Et Rhodopen, proprioque nitent Pangæa Lyæo.
Sic viret Ismarius super æquora Thracia collis.
Sic mea flaventem pingunt vineta Garumnam. 160
Summis quippe jugis tendentis in ultima clivi,
Conseritur viridi fluvialis margo Lyæo.
Læta operum plebes, festinantesque coloni
Vertice nunc summo properant, nunc dejuge
Certantes stolidis clamoribus: inde viator [dorso,
Riparum subjecta terens, hinc navita labens 166
Probra canunt seris cultoribus: adstrepit collis
Et rupes, et sylva tremens, et concavus amnis.
Nec solos hominum delectat scena locorum.
Hic ego et agrestes Satyros, et glauca tuentes 170
Naidas extremis credam concurrere ripis,
Capripedes agitat cum læta protervia Panas,
Insultantque vadis, trepidasque sub amne sorores
Terrent, indocili pulsantes verbere fluctum.
Sæpe etiam mediis furata e collibus uvas 175
Inter Oreiadas Panope fluvialis amicas,

Fugit lascivos paganica numina Faunos.
Dicitur et, medio cum sol stetit igneus orbe,
Ad commune fretum Satyros vitreasque sorores
Consortes celebrare choros, cum præbuit horas
Secretas hominum cœtu flagrantior æstus. 181
Tunc insultantes sua per freta ludere Nymphas,
Et Satyros mersare vadis, rudibusque natandi
Per medias exire manus, dum lubrica falsi
Membra petunt, liquidosque fovent pro corpore fluctus. 185
Sed non hæc spectata ulli, nec cognita visu,
Fas mihi sit pro parte loqui: secreta tegatur,
Et commissa suis lateat reverentia rivis.
Illa fruenda palam species, cum glaucus opaco
Respondet colli fluvius: frondere videntur 190
Fluminei latices, et palmite consitus amnis.
Quis color ille vadis, seras cum protulit umbras
Hesperus, et viridi perfundit monte Mosellam?
Tota natant crispis juga montibus, et tremit absens
Pampinus, et vitreis vindemia turget in undis:
Annumerat virides derisus navita vites, 196
Navita caudiceo fluitans super æquora lembo,
Per medium, qua sese amni confundit imago
Collis, et umbrarum confinia conserit amnis.
Hæc quoque quam dulces celebrant spectacula pompas, 200
Remipedes medio certant cum flumine lembi,
Et varios ineunt flexus, viridesque per oras
Stringunt attonsis pubentia germina pratis!
Puppibus et proris alacres gestire magistros,
Impubemque manum super amnica terga vagan-
Dum spectat, transire diem, sua seria, ludo [tem
Posthabet: excludit veteres nova gratia curas.
Tales Cumano despectat in æquore ludos
Liber, sulfurei cum per juga consita Gauri
Perque vaporiferi graditur vineta Vesevi; 210
Cum Venus Actiacis Augusti læta triumphis
Ludere lascivos fera prœlia jussit Amores,
Qualia Niliacæ classes, Latiæque triremes
Subter Apollineæ gesserunt Leucados arces;
Aut Pompeiani Mylasena pericula belli 215
Euboicæ referunt per Averna sonantia cymbæ,
Innocuos ratium pulsus, pugnasque jocantes
Naumachiæ, Siculo quales spectante Peloro
Cæruleus viridi reparat sub imagine pontus. 219
Non aliam speciem petulantibus addit ephebis
Pubertasque, amnisque, et picti rostra phaseli.
Hos Hyperionio cum sol perfuderit æstu,
Reddit nautales vitreo sub gurgite formas,
Et redigit pandas inversi corporis umbras
Utque agiles motus dextra lævaque frequentant,
Et commutatis alternant pondera remis, 226
Unda refert alios, simulacra humentia, nautas.
Ipsa suo gaudet simulamine nautica pubes,
Fallaces fluvio mirata redire figuras.
Sic ubi compositos ostentatura capillos, 230
Candentem late speculi explorantis honorem
Cum primum cæræ nutrix admovit alumnæ,
Læta ignorato fruitur virguncula ludo,
Germanæque putat formam spectare puellæ;
Oscula fulgenti dat non referenda metallo, 235
Aut fixas prætentat acus, aut frontis ad oram
Vibratis cœptat digitis extendere crines.
Talis ad umbrarum ludibria nautica pubes
Ambiguis fruitur veri falsique figuris.
Jam vero, accessus faciles qua ripa ministrat,
Scrutatur toto populatrix turba profundo: 241
Heu male defensus penetrali flumine piscis!
Hic medio procul amne trahens humentia lina,
Nodosis decepta plagis examina verrit;
Ast hic, tranquillo qua labitur agmine flumen,
Ducit corticeis fluitantia retia signis. 246
Ille autem, scopulis subjectas pronus in undas,
Inclinat lentæ convexa cacumina virgæ,
Indutos escis jaciens letalibus hamos.
Quos ignara doli postquam vaga turba natantum
Rictibus invasit, patulæque per intima fauces 251
Sera occultati senserunt vulnera ferri;
Dum trepidant, subit indicium, crispoque tre-
Vibrantis setæ nutans consentit arundo. [mori
Nec mora, et excussam stridenti verbere prædam
Dextera in obliquum raptat puer: excipit ictum
Spiritus, ut fractis quondam per inane flagellis
Aura crepat, motoque adsibilat aere ventus.
Exsultant udæ super arida saxa rapinæ,
Luciferique pavent letalia tela diei: 260
Quique sub amne suo mansit vigor, aere nostro
Segnis anhelatis vitam consumit in auris.
Jam piger invalido vibratur corpore plausus;
Torpida supremos patitur jam cauda tremores:
Nec coeunt rictus: haustas sed hiatibus auras
Reddit mortiferos exspirans branchia flatus. 266
Sic ubi fabriles exercet spiritus ignes,
Accipit alterno cohibetque foramine ventos
Lanea fagineis alludens parma cavernis.
Vidi egomet quosdam leti sub fine trementes 270
Collegisse animas, mox in sublime citatos
Cernua subjectum præceps dare corpora in am
Desperatarum potientes rursus aquarum. [nem,
Quos impos damni puer inconsultus ab alto
Impetit, et stolido captat prensare natatu. 275
Sic Anthedonius Bœotia per freta Glaucus,
Gramina gustatu postquam exitialia Circes
Expertus, carptas moribundis piscibus herbas
Sumsit, Carpathium subiit novus accola pontum.
Ille hamis et rete potens, scrutator operti 280
Nereos, æquoream solitus convertere Tethyn
Inter captivas fluitavit prædo catervas.
Talia despectant longo per cærula tractu
Pendentes saxis instanti culmine villæ,
Quas medius dirimit sinuosis flexibus errans 285
Amnis, et alternas comunt prætoria ripas.
Quis modo Sestiacum pelagus Nepheleidos Helles
Æquor, Abydeni freta quis miretur ephebi?
Quis Chalcedonio constratum ab littore pontum,
Regis opus Magni, mediis euripus ubi undis 290
Europæque Asiæque vetat concurrere terras?
Non hic dira freti rabies, non sæva furentum
Prœlia Cororum: licet hic commercia linguæ
Jungere, et alterno sermonem texere pulsu.
Blanda salutiferas permiscent littora voces, 295
Et voces, et pæne manus: resonantia utrinque
Verba refert, mediis concurrens fluctibus, Echo.
Quî potis, innumeros cultusque habitusque retexens,
Pandere tectonicas per singula prædia formas?
Non hoc spernat opus Gortynius aliger, ædis 300
Conditor Euboicæ, casus quem fingere in auro
Conantem Icarios patrii pepulere dolores:
Non Philo Cecropius, non qui laudatus ab hoste
Clara Syracosii traxit certamina belli. [bores
Forsan et insignes hominumque operumque la-
Hic habuit decimo celebrata volumine Marci 306
Hebdomas: hic clari viguere Menecratis artes,
Atque Ephesi spectata manus: vel in arce Miner-
Ictinus, magico cui noctua perlita fuco [væ
Allicit omne genus volucres, perimitque tuendo.
Conditor hic forsan fuerit Ptolemaidos aulæ 311
Dinochares, quadro cui in fastigia cono

Surgit, et ipsa suas consumit Pyramis umbras:
Jussus ob incesti qui quondam fœdus amoris
Arsinoen Pharii suspendit in aere templi. 315
Spirat enim tecti testudine Corus Achates,
Afflictamque trahit ferrato crine puellam.
Hos ergo aut horum similes est credere dignum
Belgarum in terris scenas posuisse domorum,
Molitos celsas fluvii decoramina villas. 320
Hæc est nativi sublimis in aggere saxi.
Hæc procurrentis fundata crepidine ripæ.
Hæc refugit, captumque sinu sibi vindicat amnem.
Illa tenens collem, qui plurimus imminet amni,
Usurpat faciles per culta, per aspera, visus: 325
Utque suis fruitur dives speculatio terris.
Quin etiam riguis humili pede condita pratis
Compensat celsi bona naturalia montis,
Sublimique minans irrumpit in æthera tecto, 329
Ostentans altam, Pharos ut Memphitica, turrim.
Huic proprium est clausos consepto gurgite pisces
Apricas scopulorum inter captare novales.
Hæc summis innixa jugis labentia subter
Flumina despectu jam caligante tuetur.
Atria quid memorem viridantibus adsita pratis?
Innumerisque super nitentia tecta columnis? 336
Quid quæ fluminea substructa crepidine fumant
Balnea, ferventi cum Mulciber haustus operto
Volvit anhelatas tectoria per cava flammas,
Inclusum glomerans æstu exspirante vaporem?
Vidi ego defessos multo sudore lavacri 341
Fastidisse lacus, et frigora piscinarum,
Ut vivis fruerentur aquis; mox amne refotos
Plaudenti gelidum flumen pepulisse natatu.
Quod si Cumanis huc afferet hospes ab oris, 345
Crederet Euboicas simulacra exilia Baias
His donasse locis: tantus cultusque nitorque
Allicit, et nullum parit oblectatio luxum.
Sed mihi qui tandem finis tua glauca fluenta
Dicere? dignandumque mari memorare Mosellam,
Innumeri quod te diversa per ostia late 351
Incurrunt amnes? quanquam differre meatus
Possent; sed celerant in te consumere nomen.
Namque et Pronææ Nemesæque adjuta meatu
Sura tuas properat non degener ire sub undas, 355
Sura interceptis tibi gratificata fluentis:
Nobilius permixta tuo sub nomine, quam si
Ignoranda patri confunderet ostia ponto.
Te rapidus Gelbis, te marmore clarus Erubrus
Festinant famulis quam primum allambere lym-
Nobilibus Gelbis celebratus piscibus; ille [phis.
Præcipiti torquens Cerealia saxa rotatu,
Stridentesque trahens per lævia marmora serras,
Audit perpetuos ripa ex utraque tumultus. 364
Prætereo exilem Lesuram, tenuemque Drabo-
Nec fastiditos Salmonæ usurpo fluores. [num,
Naviger undisona dudum me mole Saravus
Tota veste vocat, longum qui distulit amnem,
Fessa sub Augustis ut volveret ostia muris. 369
Nec minor hoc, tacitum qui per sola pinguia la-
Stringit frugiferas felix Alisontia ripas. [bens
Mille alii, prout quemque suus magis impetus urget,
Esse tui cupiunt: tantus properantibus undis
Ambitus, aut moles: quod si tibi, dia Mosella,
Smyrna suum vatem, vel Mantua clara dedisset,
Cederet Iliacis Simois memoratus in oris, 376
Nec præferre suos auderet Tibris honores. [cessat
Da veniam mihi, Roma potens: pulsa, oro, fa-
Invidia; et Latiæ Nemesis non cognita linguæ,
Imperii sedem, Romæque tuere parentes. [sella.
Salve, magne parens frugumque virûmque, Mo-
Te clari proceres, te bello exercita pubes,
Æmula te Latiæ decorat facundia linguæ.
Quin etiam mores, et lætum fronte severa
Ingenium, natura tuis concessit alumnis. 385
Nec sola antiquos ostentat Roma Catones,
Aut unus tantum justi spectator et æqui
Pollet Aristides, veteresque illustrat Athenas.
Verum ego quid laxis nimium spatiatus habenis
Victus amore tui præconia detero? conde, 390
Musa, chelyn, pulsis extremo carmine nervis.
Tempus erit, cum me studiis ignobilis oti
Mulcentem curas, seniique aprica foventem,
Materiæ commendet honos; cum facta viritim
Belgarum, patriosque canam decora inclyta mores.
Mollia subtili nebunt mihi carmina filo 396
Pierides, tenuique aptas subtemine telas
Percurrent: dabitur nostris quoque purpura fusis.
Quis mihi tum non dictus erit? memorabo quietos
Agricolas: legumque catos, fandique potentes,
Præsidium sublime reis: quos curia summos
Municipum vidit proceres, propriumque senatum:
Quos prætextati celebris facundia ludi
Contulit ad veteris præconia Quinctiliani:
Quique suas rexere urbes, purumque tribunal 405
Sanguine, et innocuas illustravere secures;
Aut Italûm populos, aquilonigenasque Britannos
Præfecturarum titulo tenuere secundo: [que
Quique caput rerum Romam, populumque, patres-
Tantum non primo rexit sub nomine, quamvis
Præfuerit primis: festinat solvere tandem 411
Errorem, Fortuna, tuum, libataque supplens
Præmia jam, veri fastigia reddet honoris
Nobilibus repetenda nepotibus. At modo cœptum
Detexatur opus: dilata et laude virorum, 415
Dicamus læto per rura virentia tractu
Felicem fluvium, Rhenique sacremus in undis.
Cæruleos nunc, Rhene, sinus, hyaloque virentem
Pande peplum, spatiumque novi metare fluenti,
Fraternis cumulandus aquis: nec præmia in undis
Sola, sed Augustæ veniens quod mœnibus urbis
Spectavit junctos natique patrisque triumphos,
Hostibus exactis Nicrum super, et Lupodunum,
Et fontem Latiis ignotum annalibus Istri.
Hæc profligati venit modo laurea belli: 425
Mox alias aliasque feret: vos pergite juncti,
Et mare purpureum gemino propellite tractu.
Neu vereare minor, pulcherrime Rhene, videri:
Invidiæ nil hospes habet: potiere perenni
Nomine: tu fratrem, famæ securus, adopta. 430
Dives aquis, dives Nymphis, largitor utrique
Alveus extendet geminis divortia ripis,
Communesque vias diversa per ostia fundet.
Accedent vires, quas Francia, quasque Chamaves,
Germanique tremant: tunc verus habebere limes.
Accedet tanto geminum tibi nomen ab amni: 436
Cumque unus de fonte fluas, dicere bicornis.
Hæc ego, Vivisca ducens ab origine gentem,
Belgarum hospitiis nunc per nova fœdera notus,
Ausonius, nomen Latium, patriaque domoque 440
Gallorum extremos inter, celsamque Pyrenen,
Temperat ingenuos qua læta Aquitania mores,
Audax exigua fide concino: fas mihi sacrum
Perstrinxisse amnem tenui libamine Musæ.
Nec laudem affecto; veniam peto: sunt tibi multi,
Alme amnis, sacros qui sollicitare fluores 446
Aonidum, totamque solent haurire Aganippen.
Ast ego, quanta mei dederit se vena liquoris,
Burdigalam cum me in patriam, nidumque senec-
Augustus pater, et natus, mea maxima cura. [tæ

Fascibus Ausoniis decoratum et honore curuli
Mittent, emeritæ post tempora disciplinæ,
Latius Arctoi præconia persequar amnis.
Addam urbes, tacito quas subterlaberis alveo,
Mœniaque antiquis te prospectantia muris. 455
Addam, præsidiis dubiarum condita rerum,
Sed modo securis non castra, sed horrea Belgis.
Addam felices ripa ex utraque colonos, [bores
Teque inter medios hominumque boumque la-
Stringentem ripas, et pinguia culta secantem. 460
Non tibi se Liger anteferet, non Axona præceps,
Matrona non Gallos Belgasque intersita fines,
Santonico refluus non ipse Carantonus æstu.
Concedes, gelido Durani de monte volutus
Amnis, et auriferum postponet Gallia Tarnem.
Insanumque ruens per saxa rotantia late 466
In mare purpureum, dominæ tamen ante Mosellæ
Numine adorato Tarbellicus ibit Aturrus.
Corniger externas celebrande Mosella per oras,
Nec solis celebrande locis, ubi fonte supremo 470
Exseris auratum taurinæ frontis honorem,
Quaque trahis placidos sinuosa per arva meatus,
Vel qua Germanis sub portubus ostia solvis:
Si quis honos tenui volet adspirare Camœnæ,
Perdere si quis in his dignabitur otia Musis, 475
Ibis in ora hominum, lætoque fovebere cantu.
Te fontes, vivique lacus, te cærula noscent
Flumina, te veteres pagorum gloria luci:
Te Druna, te sparsis incerta Druentia ripis, 479
Alpinique colent fluvii, duplicemque per urbem
Qui meat, et Dextræ Rhodanus dat nomina ripæ.
Te stagnis ego cæruleis, magnumque sonoris
Amnibus, æquoreæ te commendabo Garumnæ.

Ausonius Symmacho S

Latebat inter nugas meas libellus ignobilis: utinamque latuisset, neque indicio suo, tanquam sorex, periret. Hunc ego cum, velut gallinaceus Euclionis, situ chartei pulveris eruissem, excussum relegi: atque ut avidus fœnerator, improbum nummum malui occupare, quam condere. Dein cogitans mecum, non illud Catullianum,

Cui dono lepidum novum libellum,

sed ἀμουσότερον, et verius,

Cui dono illepidum, rudem libellum,

non diu quæsivi. Tu enim occurristi; quem ego, si mihi potestas sit ex omnibus deligendi unum, semper elegerim. Misi itaque ad te frivola gerris Siculis vaniora: ut cum agis nihil, hæc legas; et ne nihil agas, defendas. Igitur iste nugator libellus, jam diu secreta quidem, sed vulgi lectione laceratus, perveniet tandem in manus tuas. Quem tu aut ut Æsculapius, redintegrabis ad vitam; aut ut Plato, juvante Vulcano, liberabis infamia, si pervenire non debet ad famam. Fuit autem ineptiolæ hujus ista materia. In expeditione, quod tempus, ut scis, licentiæ militaris est, super mensam meam facta est invitatio, non illa de Rubrii convivio, ut Græco more biberetur; sed illa de Flacci ecloga, in qua propter mediam noctem, et novam lunam, et Murenæ auguratum, ternos ter cyathos attonitus petit vates. Hunc locum de ternario numero illico nostra illa poetica scabies cœpit exscalpere: cujus morbi quoniam facile contagium est, utinam ad te quoque prurigo commigret; et fuco tuæ emendationis adjecto, impingas spongiam, quæ imperfectum opus equi male spumantis absolvat. Ac ne me nescias gloriosum, cœptos inter prandendum versiculos ante cœnæ tempus absolvi: hoc est, dum bibo, et paullo ante quam biberem. Sit ergo examen pro materia et tempore. Sed tu quoque hoc ipsum paullo hilarior et dilutior lege; namque injurium est de poeta male sobrio lectorem abstemium judicare. Neque me fallit, fore aliquem, qui hunc jocum nostrum acutis naribus et caperata fronte condemnet, negetque, me omnia, quæ ad ternarium et novenarium numeros pertinent, attigisse. Quem ego verum dicere fatebor; juste, negabo. Quippe si bonus est, quæ omisi, non oblita mihi, sed præterita existimet. Dehinc qualiscunque est, cogitet secum, quam multa de his non reperisset, si ipse quæsisset. Sciat etiam me nec omnibus erutis usum, et quibusdam oblatis abusum. Quam multa enim de ternario sciens neglexi! tempora, et personas, genera, et gradus, novem naturalia metra cum trimetris, totam grammaticam, et musicam, librosque medicinæ, ter maximum Hermen, et amatorem primum philosophiæ, Varronisque numeros, et quicquid profanum vulgus non ignorat. Postremo, quod facile est, cum ipse multa invenerit, comparet se atque me, occupatum cum otioso, pransum cum abstemio, jocum et ludum meum, diligentiam et calumniam suam. Alius enim alio plura invenire potest; nemo omnia. Quod si alicui et obscurus videbor, apud eum me sic tuebere. Primum ejusmodi epyllia nisi vel obscura sint, nihil futura: deinde numerorum naturam non esse scirpum, ut sine nodo sint. Postremo si etiam tibi obscurus fuero, cui nihil neque non lectum est, neque non intellectum; tum vero ego beatus, quod affectavi, adsequar, me ut requiras, me desideres, de me cogites. Vale.

IDYLLIUM XI.—*Gryphus Ternarii numeri.*

Ter bibe, vel toties ternos; sic mystica lex est,
Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti,
Imparibus novies ternis contexere cœbum. [istis,
Juris idem tribus est, quod ter tribus: omnia in
Forma hominis cœpti, plenique exactio partus, 5
Quique novem novies fati tenet ultima finis.
Tres Ope progeniti fratres, tres ordine partæ,
Vesta, Ceres, et Juno, secus muliebre, sorores.
Inde trisulca Jovis sunt fulmina: Cerberus inde:
Inde tridens: triplexque Helenes cum fratribus
ovum. 10
Ter nova Nestoreos implevit purpura fusos:
Et toties terno cornix vivacior ævo:
Quam novies terni glomerantem sæcula tractus
Vincunt æripedes ter terno Nestore cervi:
Tres quorum ætates superat Phœbeius oscen: 15
Quem novies senior Gangeticus anteit ales,
Ales cinnameo radiatus tempora nido.
Tergemina est Hecate, tria virginis ora Dianæ:
Tres Charites: tria Fata: triplex vox: trina ele-
Tres in Trinacria Siredones; omnia terna: [menta.
Tres volucres, tres semideæ, tres semipuellæ
Ter tribus ad palmam jussæ certare Camœnis,
Ore, manu, flatu; buxo, fide, voce canentes.
Tres sophiæ partes: tria Punica bella: trimestres
Annorum cœlique vices: noctisque per umbram
Tergemini vigiles: ter clara instantis Eoi 26
Signa canit serus deprenso Marte satelles.
Et qui conceptus triplicatæ vespere noctis,
Jussa quater ternis affixit opima tropæis.
Et lyrici vates numero sunt Mnemosynarum, 30

Tres solas quondam tenuit quas dextera Phœbi:
Sed Citheron toties ternas ex ære sacravit
Relligione patrum, qui sex sprevisse timebant.
Trina Terentino celebrata trinoctia ludo:
Qualia bis genito Thebis Trieterica Bacchо. 35
Tres primas Thracum pugnas tribus ordine sellis
Juniadæ patri inferias misere sepulcro.
Ille etiam thalamos per trina ænigmata quærens,
Qui bipes, et quadrupes foret, et tripes, omnia solus,
Terruit Aoniam volucris, leo, virgo, triformis 40
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puel-
Trina in Tarpeio fulgent consortia templo. [la.
Humana efficiunt habitacula tergenus artes,
Parietibus quæ saxa locat, quæ culmine tigna,
Et quæ supremo comit tectoria cultu. 45
Hinc Bromii quadrantal, et hinc Sicana medimna:
Hoc tribus, hoc geminis tribus explicat usus agendi. [ma.
In physicis tria prima, Deus, mundus, data for-
Tergenus omnigenum, genitor, genitrix, genera-
Per trinas species trigonorum regula currit, [tum.
Æquilatus, vel crure pari, vel in omnibus impar.
Tres coit in partes numerus perfectus: ut idem
Congrege ter trino per ter tria dissolvatur. [ipse
Tres primus, par, impar habet, mediumque; sed
Ut tres, sic quinque et septem quoque dividit unus,
Et numero in toto positus sub acumine centri 56
Distinguit solidos cœbo pergente trientes,
Æquipares dirimens partes ex impare terno,
Et paribus triplex medium; cum quatuor et sex,
Bisque quaternorum secernitur omphalos idem.
Jus triplex, tabulæ quod ter sanxere quaternæ,
Sacrum, privatum, et populi commune quod usquam est.
Interdictorum trinum genus; unde repulsus
Vi fuero, aut utrobi fuerit, quorumve bonorum.
Triplex libertas, capitisque minutio triplex. 65
Trinum dicendi genus est, sublime, modestum,
Et tenui filo: triplex quoque forma medendi,
Cui logos, aut methodos, cuique experientia no-
Et medicina triplex, servare, cavere, mederi. [men.
Tres oratorum cultus, regnata Colosso 70
Quem Rhodos, Actææ quem dilexistis Athenæ,
Et quem de scenis tetrica ad subsellia traxit
Prosa Asiæ, in causis numeros imitata chororum.
Orpheos hinc tripodes, quia sunt tria, terra, aqua, flamma.
Triplex sideribus positus, distantia, forma. 75
Et modus, et genitrix modulorum musica triplex,
Mixta libris, secreta astris, vulgata theatris.
Martia Roma triplex, equitatu, plebe, senatu.
Hoc numero Tribus, et Sacro de monte Tribuni.
Tres equitum turmæ: tria nomina nobiliorum.
Nomina sunt chordis tria: sunt tria nomina mensi.
Geryones triplex: triplex compago Chimæræ.
Scylla triplex, commissa tribus, cane, virgine, pisce.
Gorgones, Harpyiæque, et Erinnyes agmine terno.
Et tres fatidicæ, nomen commune, Sibyllæ: 85
Quarum tergemini fatalia carmina libri:
Quos ter quinorum servat cultura virorum. [unus.
Ter bibe. Tres numerus super omnia; ter Deus
Hic quoque ne ludus numero transcurrat inerti,
Ter decies ternos habeat, deciesque novenos. 90

IDYLLIUM XII.—*Technopægnion. Ausonius Pacato Proconsuli.*

Scio mihi apud alios pro laboris modulo laudem non posse procedere. Quam tamen si tu indulseris, ut ait Afranius in Thaide,

Majorem laudem, quam laborem invenero

Quæ lecturus es, monosyllaba sunt, quasi quædam puncta sermonum. in quibus nullus facundiæ locus est, sensuum nulla conceptio, propositio, redditio, conclusio, aliaque sophistica, quæ in uno versu esse non possunt: sed cohærent ita, ut circuli catenarum separati. Et simul ludicrum opusculum texui, ordiri majuscula solitus: sed in tenui labor, at non tenuis gloria, si probantur. Tu facies, ut sint aliquid. Nam sine te monosyllaba erunt, vel si quid minus. In quibus ego, quod ad usum pertinet, lusi; quod ad molestiam, laboravi. Libello Technopægnii nomen dedi: ne aut ludum laboranti, aut artem crederes defuisse ludenti. Vale.

Ausonius Paullino suo.

Misi ad te Technopægnion, inertis otii mei inutile opusculum. Versiculi sunt monosyllabis cœpti, et monosyllabis terminati. Nec hic modo stetit scrupea difficultas, sed accessit ad miseriam cogitandi, ut idem monosyllabum, quod esset finis extremi versus, principium fieret insequentis. Dic ergo et, O mora, o pœna! rem vanam quippe curavi: exigua est, et fastiditur: inconnexa, et implicatur: cum sit aliquid, vel nihili deprehenditur. Laboravi tamen, ut haberet aut historicon quippiam, aut dialecticon. Nam poeticam, vel sophisticam levitatem necessitas observationis exclusit. Ad summam, non est quod mireris: sed paucis litteris additis, est cujus miserearis, neque æmulari velis. Et si huc quoque descenderis, majorem molestiam capias ingenii et facundiæ detrimento, quam oblectationem imitationis affectu. Vale.

Versus monosyllabis cœpti et finiti, ita ut a fine versus ad principium recurrant.

Res hominum fragiles alit, et regit, et perimit fors,
Fors dubia, æternumque labans: quam blanda fovet spes,
Spes nullo finita ævo: cui terminus est mors,
Mors avida, inferna mergit caligine quam nox,
Nox obitura vicem, remeaverit aurea cum lux, 5
Lux dono concessa deûm, cui prævius est sol,
Sol, cui nec furto Veneris latet armipotens Mars,
Mars nullo de patre satus, quem Thressa colit gens,
Gens infrena virûm, quibus in scelus omne ruit fas,
Fas hominem mactare sacris: ferus iste loci mos, 10
Mos ferus audacis populi, quem nulla tenet lex,
Lex naturali quam condidit imperio jus,
Jus genitum pietate hominum, jus certa Dei mens,
Mens, quæ cœlesti sensu rigat emeritum cor,
Cor vegetum mundi instar habens, animæ vigor ac vis. 15
Vis tamen hic nulla est: verum est jocus et nihili res.

Præfatio Monosyllaborum tantum in fine positorum.

Ut in vetere verbo est, Sequitur vara vibiam: similium nugarum subtexo nequitiam. Et hi versiculi monosyllabis terminantur, exordio tamen libero, quanquam fine legitimo. Sed laboravi, ut quantum ejus posset apud aures indulgentissimas, absurda concinerent, insulsa resiperent, hiulca congruerent; denique haberent et amara dulcedinem, et inamœna Venerem, et aspera lævitatem. Quæ quidem omnia quoniam insuavis materia devenustat, lectio benigna conciliet. Tu quoque mihi tua crede securior, quippe meliora: ut, quod per adagionem cœpimus, proverbio finiamus, et Mutuum muli scabant.

Æmula dis, naturæ imitatrix, omniparens ars,
Pacato ut studeat ludus meus, esto operi dux.
Arcta, inamœna licet, nec congrua carminibus lex,
Judice sub tanto fandi tamen accipiet jus.
Quippe et ridiculis data gloria, ni prohibet fors.

De membris.

Indicat in pueris septennia prima novus dens.
Pubentes annos robustior anticipat vox.
Invicta et ventis et solibus est hominum frons.
Edurum nervi cum viscere consociant os.
Palpitat irrequies, vegetum, teres, acre, calens cor: 5
Unde vigent sensus, dominatrix quos vegetat mens,
Atque in verba refert modulata lege loquax os.
Quam validum est, hominis quota portio, cæruleum fel!
Quam tenue, et molem quantam fert corpoream crus!
Pondere sub quanto nostrum moderatur iter pes! 10

Inconnexa.

Sæpe in conjugiis fit noxia, si nimia est, dos.
Sexus uterque potens, sed prævalet imperio mas.
Qui recte faciet, non qui dominatur, erit rex.
Vexat amicitias, et fœdera dissociat lis.
Incipe, quicquid agas: pro toto est prima operis pars. 5
Insinuat cœlo, disque inserit emeritos laus.
Et disciplinis conferta est, et vitiis urbs.
Urbibus in tutis munitior urbibus est arx.
Auro magnus honos: auri pretium tamen est æs.
Longa dies operosa viro, sed temperies nox, 10
Qua caret Æthiopum plaga, pervigil, irrequies gens,
Semper ubi æterna vertigine clara nitet lux.

De deis.

Sunt et cœlicolûm monosyllaba. Prima deûm Fas,
Quæ Themis est Graiis. Post hanc Rhea, quæ Latiis Ops.
Tum Jovis et Consi germanus, Tartareus Dis.
Et soror et conjux fratris, regina deûm Vis.
Et qui quadrijugo curru pater invehitur Sol. 5
Quique truces belli motus ciet armipotens Mars:
Quem nunquam pietas, nunquam bona sollicitat Pax.
Nec cultor nemorum reticebere, Mænalide Pan,
Nec Genius domuum, Larunda progenitus Lar.
Fluminibusque Italis præpollens sulfureus Nar. 10
Quæque piat divûm perjuria nocticolor Styx.
Velivolique maris constrator Leuconotos Libs.
Et nunquam in dubiis hominem bona destituens Spes.

De cibis.

Nec nostros reticebo cibos, quos priscus habet mos,
Irritamentum quibus additur æquoreum sal.
Olim communis pecori cibus atque homini glans,
Ante quidem campis quam spicea suppeteret frux.
Mox ador, atque adoris de polline pultificum far, 5
Instruxit mensas quo quondam Romulidûm plebs.
Hinc cibus, hinc potus, cum diluueretur aqua puls.
Est inter fruges morsu piper æquiparans gith.
Et Pelusiaco de semine plana, teres lens
Et duplici defensa putamine quinquegenus nux. 10
Quodque cibo et potu placitum, labor acer apum mel,
Naturæ liquor iste novæ, cui summa natat fæx.

De historiis.

Solamen tibi, Phœbe, novum dedit Œbalius flos.
Flore alio reus est Narcissi morte sacer fons.
Cædis Adoneæ mala gloria fulmineus sus.
Perjurum Lapitham Junonia ludificat nubs.
Ludit et Æaciden Parnassia Delphicolæ sors. 5
Threicium, Libycum freta, Cimmeriumque secat bos.
Non sine Hamadryadis fato cadit arborea trabs.
Quo generata Venus, Saturnia desecuit falx.
Sicca inter rupes Scythicas stetit alitibus crux,
Unde Prometheo de corpore sanguineus ros 10
Adspergit cautes, et dira aconita creat cos.
Ibycus ut periit, vindex fuit altivolans grus.
Æacidæ ad tumulum mactata est Andromachæ glos.
Carcere in Argivo Philopœmena lenta adiit mors.
Tertia opima dedit spoliatus Aremoricus Lars. 15
Sera venenato potu abstulit Hannibalem nex.
Res Asiæ quantas leto dedit immeritas fraus!
Ultrix flagravit de rupibus Euboicis fax.
Stat Jovis ad cyathum, generat quem Dardanius Tros.
Præpetibus pennis super aera vectus homo Cres. 20
Intulit incestam tibi vim, Philomela, ferus Thrax.
Barbarus est Lydus, bellax Geta, fœmineus Phryx,
Fallaces Ligures, nullo situs in pretio Car.
Vellera depectit nemoralia vestifluus Ser.
Nota in portentis Thebana tricorporibus Sphinx. 25
Nota et parvorum cunis muliebre pecus strix.

De vere primo.

Annus ab exortu cum floriparum reserat ver,
Cuncta vigent: nemus omne viret: nitet auricomum rus:
Et fusura umbras radicitus exigitur stirps.
Non denso ad terram lapsu glomerata fluit nix.
Florum spirat odor, Libani ceu montis honor thus. 5

Per interrogationem et responsionem.

Quis subit in pœnam capitali judicio? vas.
Quid si lis fuerit nummaria? quis dabitur? præs.
Quis Mirmilloni contenditur? æquimanus Thrax.
Inter virtutes quod nomen Mercurio? fur.
Thuribula, et pateræ, quæ tertia vasa deûm? lanx. 5
Cincta mari quænam tellus creat Hippocratem? Cos.
Grex magis, an regnum Minoida sollicitat? grex.
Quid præter nubem Phæacibus impositum? mons.
Dic, cessante cibo, somno quis opimior est? glis.
Tergora dic clypeis accommoda quæ faciat? glus 10
Sponte ablativi casus quis rectus erit? spons.
Quadrupes oscinibus quis jungitur auspiciis? mus.
Quid fluitat pelago, quod non natat in fluvio? pix.
Bissenas partes quis continet æquipares? as.
Tertia defuerit si portio, quid reliquum? bes. 15

De litteris monosyllabis Græcis ac Latinis.

Dux elementorum studiis viget in Latiis A.
Et suprema notis adscribitur Argolicis Ω.
Eta quod Ælidûm, quodque ε valet, hoc Latiale E
Præsto, quod E Latium semper breve, Dorica vox E.
Hoc tereti argutoque sono negat Attica gens ε. 5
Ω quod, et o Græcum, compensat Romula vox O.
Littera sum Jotæ similis, vox plena jubens I.
Cecropiis ignota notis ferale sonans V.
Pythagoræ bivium ramis pateo ambiguis Y.
Vocibus in Graiis nunquam ultima conspicior M. 10
Zeta jacens, si surgat, erit nota, quæ legitur N.
Mæandrum flexusque vagos imitata vagor Ξ.
Dividuum Betæ monosyllabon Italicum B.
Non formam, at vocem Deltæ gero Romuleum D.
Hostilis quæ forma jugi est, hanc efficiet Π. 15
Ausonium si P scribas, ero Cecropium P:
Et Rho quod Græcum, mutabitur in Latium P.
Malus ut antennam fert vertice, sic ego sum T.
Spiritus hic flatu tenuissima vivificans H.
Hæc tribus in Latio tantum addita nominibus K, 20
Prævaluit postquam Gammæ vice functa prius C,
Atque alium pro se titulum replicata dedit Q.
Ansis cincta duabus erit cum Jota, leges Θ.
In Latio numerus denarius, Argolicum X.
Hæc gruis effigies Palamedica porrigitur Φ. 25
Cappa fuit quondam Bœotia, nunc Latium K.
Furca tricoraigera specie, pæne ultima sum Ψ.

Grammaticomastix.

E logodædalia strides modo qui nimium trux,
Frivola condemnas? nequaquam; cum pretio est merx:
Ennius ut memorat, replet te lætificum gau:
Livida mens hominum concretum felle coquat pus.
Dic, quid significent catalecta Maronis? in his al 5
Celtarum posuit: sequitur non lucidius tau.
Imperium, litem, Venerem, cur una notet *res?*
Estne peregrini vox nominis, an Latii sil?
Et quod germano mixtum male letiferum min?
Lintribus in geminis constratus ponto sit, an pons? 10
Bucolico sepes dixit Maro cur Cicero seps?
Vox solita, et cunctis notissima, si memores, lac,
Cur condemnetur, ratio magis ut faciat lact?
An Libyæ ferale malum sit Romula vox seps?
Si bonus est insons, contrarius, et reus est sons? 15
Dives opum cur nomen habet Jove de Stygio Dis?
Unde Rudinus ait, Divûm domus altisonum cœl?
Et cujus de more, quod adstruit, Endo suam do?
Aut de fronde loquens cur dicit populea frus?
Sed quo progredior? quæ finis, quis modus, et calx? 20
Indulge, Pacate, bonus, doctus, facilis vir.
Totum opus hoc sparsum, crinis velut Antiphilæ. Pax.

Ausonius Paullo S.

Perlege hoc etiam, si operæ est, frivolum et nullius pretii opusculum, quod nec labor excudit, nec cura limavit; sine ingenii acumine, et moræ maturitate. Centonem vocant, qui primi hac concinnatione luserunt. Solæ memoriæ negotium sparsa colligere, et integrare lacerata: quod ridere magis, quam laudare possis. Pro quo, si per Sigillaria in auctione veniret, neque

Afranius Nauci daret, nec Cicum suum Plautus offerret. Piget enim Virgiliani carminis dignitatem tam joculari dehonestasse materia. Sed quid facerem? Jussum erat: quodque est potentissimum imperandi genus, rogabat, qui jubere poterat, S. Imperator Valentinianus, vir meo judicio eruditus: qui nuptias quondam ejusmodi ludo descripserat, aptis quidem versibus, et compositione festiva; experiri deinde volens, quantum nostra contentione præcelleret, simile nos de eodem concinnare præcepit. Quam scrupulosum hoc mihi fuerit, intellige. Neque anteferri volebam, neque posthaberi; cum aliorum quoque judicio detegenda esset adulatio inepta, si cederem; insolentia, si ut æmulus eminerem. Suscepi igitur similis recusanti: feliciterque et obnoxius gratiam tenui, nec victor offendi. Hoc, die uno et addita lucubratione properatum, modo inter liturarios meos cum reperissem, tanta mihi candoris tui et amoris fiducia est, ut severitati tuæ nec ridenda subtraherem. Accipe igitur opusculum de inconnexis continuum, de diversis unum, de seriis ludicrum, de alieno nostrum; ne in sacris et fabulis, aut Thyonianum mireris, aut Virbium, illum de Dionyso, hunc de Hippolyto reformatum. Et si pateris, ut doceam docendus ipse, Cento quid sit absolvam. Variis de locis, sensibusque diversis, quædam carminis structura solidatur, in unum versum ut coeant aut cæsi duo, aut unus et sequens cum medio. Nam duos junctim locare, ineptum est; et tres una serie, meræ nugæ. Diffunditur autem per cæsuras omnes, quas recipit versus heroicus, convenire ut possit, aut penthemimeris cum reliquo anapæsto: aut trochaice cum posteriore segmento: aut septem semipedes cum anapæstico chorico: aut post dactylum atque semipedem, quicquid restat hexametro. Simile ut dicas ludicro, quod Græci ὀστωματίων vocavere. Ossicla ea sunt: ad summam quatuordecim figuras geometricas habent. Sunt enim æquilatera: vel triquetra: extentis lineis: aut rectis angulis, vel obliquis: isoscele: vel isopleura: orthogona quoque, vel scalena. Harum vertibularum variis coagmentis simulantur species mille formarum: Elephantus bellua, aut Aper bestia, Anser volans, et Mirmillo in armis, subsidens Venator, et latrans Canis: quin et Turturis, et Cantharus, et alia hujusmodi innumerabilium figurarum, quæ alius alio scientius variegant. Sed peritorum concinnatio miraculum est; imperitorum junctura ridiculum. Quo prædicto, scies, quod ego posteriorem imitatus sum. Hoc ergo Centonis opusculum ut ille ludus tractatur, pari modo, sensus diversi ut congruant: adoptiva quæ sunt, ut cognata videantur: aliena ne interluceant: accersita ne vim redarguant: densa ne supra modum protuberent: hiulca ne pateant. Quæ si omnia ita tibi videbuntur, ut præceptum, dices me composuisse Centonem. Et quia sub imperatore meo tum merui, procedere mihi inter frequentes stipendium jubebis: sin aliter, ære dirutum facies; ut cumulo carminis in fiscum suum redacto, redeant versus, unde venerunt. Vale.

IDYLLIUM XIII. *Cento nuptialis.*

A. 5. Accipite hæc animis, lætasque advertite mentes,
A. 11. Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis,
B. 7. Ambo florentes, * genus insuperabile bello. A. 4
A. 6. Tuque prior, * nam te majoribus ire per altum A. 3
A. 3. Auspiciis manifesta fides, * quo justior alter A.
A. 1. Nec pietate fuit, nec bello major et armis;
A. 4. Tuque puerque tuus, * magnæ spes altera Romæ, A. 12
A. 8. Flos veterum virtusque virûm, * mea maxima A. cura,
A. 12. Nomine avum referens, animo manibusque parentem.
A. 6. Non injussa cano. * Sua cuique exorsa laborem, A. 10
A. 10. Fortunamque ferent: * mihi jussa capessere fas A. 1 est.

Cœna nuptialis

A. 5. Exspectata dies aderat: * dignisque Hymenæis A. 11
A. 6. Matres, atque viri, * juvenesque ante ora parentum G. 4
A. 1. Conveniunt, stratoque super discumbitur ostro.
Dant famuli manibus lymphas, * onerantque A. 8 canistris
Dona laboratæ Cereris, * pinguisque ferinæ A. 1
A. 8. Viscera tosta ferunt: * series longissima rerum, A. 1
A. 8. Alituum pecudumque genus, * capreæque secuaces G. 1
G. 3. Non absunt illis, * nec oves, hædique petulci, G. 4
G. 3. Et genus æquoreum, damæ, * cervique fugaces. G. 3
A. 11. Ante oculos, interque manus sunt * mitia poma. B. 1
A. 8. Postquam exemta fames, et amor compressus edendi,
A. 1. Crateras magnos statuunt, * Bacchumque ministrant. A. 8
A. 2. Sacra canunt: * plaudunt choreas, et carmina A. 6 dicunt.
A. 6. Nec non Threicius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum.
A. 9. At parte ex alia * biforem dat tibia cantum. A. 10
A. 4. Omnibus una quies operum, * cunctique relictis A. 8
Consurgunt mensis: * per limina læta frequentes A. 1
A. 9. Discurrunt, variantque vices * populusque paresque, A. 9
A. 11. Matronæ, pueri, * vocemque per ampla volutant A. 1
Atria: dependent lychni laquearibus aureis. A. 1

Descriptio egredientis sponsæ.

A. 4. Tandem progreditur * Veneris justissima cura, A. 10
A. 7. Jam matura viro, jam plenis nubilis annis,
A. 1. Virginis os habitumque gerens, * cui plurimus A. 12 ignem
Subjecit rubor, et calefacta per ora cucurrit;
A. 7. Intentos volvens oculos, * uritque videndo. G. 3
A. 7. Illam omnis tectis agrisque effusa juventus
Turbaque miratur matrum: * vestigia primi A. 5
Alba pedis, * dederatque comam diffundere A. 1 ventis.
A. 3. Fert picturatas auri subtemine vestes,
A. 1. Ornatus Argivæ Helenæ: * qualisque videri A. 2
A. 2. Cœlicolis, et quanta solet * Venus aurea contra, A. 10
A. 6. Talis erat species; * talem se læta ferebat A. 1
A. 2. Ad soceros, * solioque alte subnixa resedit. A. 1

Descriptio egredientis sponsi.

A. 9. At parte ex alia * foribus sese intulit altis A. 11
A. 9. Ora puer prima signans intonsa juventa,
Pictus acu chlamydem auratam, * quam plurima circum A. 5
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit,
A. 10. Et tunicam, molli mater quam neverat auro;
A. 1. Os, humerosque deo similis, * lumenque juventæ. A. 1
A. 8. Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda
Extulit os sacrum cœlo; * sic ora ferebat, A. 3
Sic oculos, * cursuque amens ad limina tendit. A. 2
A. 2. Illum turbat amor, figitque in virgine vultus.
A. 1. Oscula libavit, * dextramque amplexus inhæsit. A. 8

Oblatio munerum.

A. 5. Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Dona ferunt, * pallam signis auroque rigentem, A. 1
A. 11. Munera portantes, aurique eborisque talenta,
Et sellam, * et pictum croceo velamen acantho; A. 1
A. 1. Ingens argentum mensis, * colloque monile A. 1
Baccatum, et duplicem gemmis auroque coronam.
A. 5. Olli serva datur, * geminique sub ubere nati; A. 5
A. 10. Quatuor huic juvenes, * totidem innuptæque puellæ: A. 2
A. 5. Omnibus in morem tonsa coma: * pectore A. 5 summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

Epithalamium utrique.

A. 12. Tum studio effusæ matres * ad limina ducunt. A. 10
G. 4. At chorus æqualis, * pueri, innuptæque puellæ, A. 2
G. 2. Versibus incomtis ludunt, * et carmina dicunt: A. 6
B. 8. O digno conjuncta viro, * gratissima conjux. A. 10
A. 1. Sis felix, * primos Lucinæ experta labores, G. 4
G. 4. Et mater. Cape Mæonii carchesia Bacchi,
B. 8. Sparge, marite, nuces; * cinge hæc altaria vitta. B. 8
A. 8. Flos veterum virtusque virûm: * tibi ducitur B. 8 uxor,

A. 1. Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, et pulchra faciat te prole parentem.
A. 9. Fortunati ambo, * si quid pia numina possunt. A. 4
A. 3. Vivite felices: * dixerunt, currite, fusis B. 4
Concordes stabili fatorum numine Parcæ.

Ingressus in cubiculum.

G. 4. Postquam est in thalami pendentia pumice tecta
Perventum, * licito tandem sermone fruuntur. A. 8
A. 8. Congressi jungunt dextras, * stratisque repo- A. 4
nunt.
A. 1. At Cytherea novas artes * et pronuba Juno A. 4
A. 11. Sollicitat, suadetque ignota lacessere bella.
A. 1. Ille ubi complexu * molli fovet, atque repente A. 8
Accepit solitam flammam,* lectumque jugalem; A. 4
A. 6. O virgo, nova mi facies, * gratissima conjux, A. 10
A. 6. Venisti tandem, * mea sola et sera voluptas. A. 8
A. 2. O dulcis conjux, non hæc sine numine divûm
A. 12. Proveniunt: * placitone etiam pugnabis amori? A. 4
A. 4. Talia dicentem jamdudum aversa tuetur,
A. 12. Cunctaturque metu, telumque instare tremiscit,
A. 1. Spemque metumque inter, * funditque has ore A. 5
loquelas:
A. 10. Per te, per, qui te talem genuere, parentes,
B. 2. O formose puer, * noctem non amplius unam A. 1
A. 9. Hanc tu, oro, solare inopem, * et miserere pre- A. 10
cantis.
A. 12. Succidimus: non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires; nec vox aut verba sequuntur.
A. 9. Ille autem: Causas nequicquam nectis inanes:
A. 12. Præcipitatque moras omnes,*solvitque pudorem. A. 4

Parecbasis.

Hactenus castis auribus audiendum mysterium nuptiale ambitu loquendi et circumitione velavi. Verum quoniam et Fescenninos amat celebritas nuptialis, verborumque petulantiam notus vetere instituto ludus admittit, cætera quoque cubiculi et lectuli operta prodentur, ab eodem auctore collecta; ut bis erubescamus, qui et Virgilium facimus impudentem. Vos, si placet, hic jam legendi modum ponite; cætera curiosis relinquite.

Imminutio.

A. 11. Postquam congressi * sola sub nocte per um- A. 6
bram,
G. 3. Et mentem Venus ipsa dedit, * nova prœlia ten- A. 3
tant.
A. 10. Tollit se arrectum; * conantem plurima frustra A. 9
A. 10. Occupat os faciemque; * pedem pede fervidus A. 12
urget,
A. 7. Perfidus alta petens; * ramum qui veste latebat, A. 6
B. 10. Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem,
A. 12. Nudato capite, * et pedibus per mutua nexis, A. 7
A. 3. Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen
ademtum,
A. 10. Eripit a femore, et trepidanti fervidus instat.
A. 1. Est in secessu, * tenuis quo semita ducit, A. 11
A. 8. Ignea rima micans: * exhalat opaca mephitim. A. 7
A. 6. Nulli fas casto sceleratum insistere limen.
A. 7. Hic specus horrendum; * talis sese halitus atris A. 6
A. 6. Faucibus effundens * nares contingit odore. A. 9
A. 11. Huc juvenis nota fertur regione viarum,
A. 5. Et super incumbens * nodis et cortice crudo A. 9
A. 9. Intorquet summis adnixus viribus hastam.
A. 11. Hæsit, virgineumque alte bibit acta cruorem.
A. 2. Insonuere cavæ gemitumque dedere cavernæ.
A. 11. Illa manu moriens telum trahit; ossa sed inter
G. 3. Altius ad vivum persedit * vulnere mucro. A. 11
A. 4. Ter sese attollens, cubitoque innixa levavit;
Ter revoluta toro est. * Manet imperterritus A. 10
ille:
A. 3. Nec mora, nec requies: * clavumque affixus et A. 5
hærens
Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.
A. 6. Itque reditque viam toties, * uteroque re- A. 2
cusso
A. 9. Transadigit costas, * et pectine pulsat eburno. A. 6
A. 5. Jamque fere spatio extremo, fessique, sub ipsam
Finem adventabant: * tum creber anhelitus A. 5
artus
Aridaque ora quatit: sudor fluit undique rivis.
A. 11. Labitur exsanguis: * destillat ab inguine virus. G. 5

Contentus esto, Paule mi,
Lasciva, Paule, pagina:
Ridere nil ultra expeto.

Sed cum legeris, adesto mihi adversum eos, qui, ut Juvenalis ait,

—— Curios simulant, et Bacchanalia vivunt,

ne forte mores meos spectent de carmine.

Lasciva est nobis pagina, vita proba,

ut Plinius dicit. Meminerint autem, quippe eruditi, probatissimo viro Plinio in poematis lasciviam, in moribus constitisse censuram: prurire opusculum Sulpiciæ, frontem caperare: esse Apuleium in vita philosophum, in epigrammatis amatorem: in præceptis Ciceronis exstare severitatem, in epistolis ad Cærelliam subesse petulantiam: Platonis Symposion composita in ephebos idyllia continere. Nam quid Anniani Fescenninos? quid antiquissimi poetæ Lævii Erotopægnion libros loquar? quid Evenum, quem Menander sapientem vocavit? quid ipsum Menandrum? quid comicos omnes? quibus severa vita est, et læta materia. Quid etiam Partheniam dictum causa pudoris? qui octavo Æneidos, cum describeret coitum Veneris atque Vulcani, αἰσχροσεμνίαν decenter immiscuit. Quid in tertio Georgicorum de submissis in gregem maritis? nonne obscænam significationem honesta verborum translatione velavit? Et si quid in nostro joco aliquorum hominum severitas vestita condemnat, de Virgilio arcessitum sciat. Igitur cui hic ludus noster non placet, ne legerit; aut cum legerit, obliviscatur; aut non oblitus, ignoscat. Etenim fabula de nuptiis est; et velit, nolit, aliter hæc sacra non constant.

IDYLLIUM XIV.—*Rosæ.*

Ver erat, et blando mordentia frigora sensu
Spirabat croceo mane revecta dies.
Strictior Eoos præcesserat aura jugales,
Æstiferum suadens anticipare diem.
Errabam riguis per quadrua compita in hortis, 5
Maturo cupiens me vegetare die.
Vidi concretas per gramina flexa pruinas
Pendere, aut olerum stare cacuminibus;
Caulibus et patulis teretes colludere guttas,
Et cœlestis aquæ pondere tunc gravidas. 10
Vidi Pæstano gaudere rosaria cultu,
Exoriente novo roscida Lucifero.
Rara pruinosis canebat gemma frutetis,
Ad primi radios interitura die.
Ambigeres, raperetne rosis Aurora ruborem, 15
An daret, et flores tingeret orta dies.
Ros unus, color unus, et unum mane duorum.
Sideris, et floris, nam domina una Venus.
Forsan et unus odor: sed celsior ille per auras
Diffluit; exspirat proximus iste magis. 20
Communis Paphie dea sideris, et dea floris,
Præcipit unius muricis esse habitum.
Momentum intererat, quo se nascentia florum
Germina comparibus dividerent spatiis.
Hæc viret angusto foliorum tecta galero: 25
Hanc tenui folio purpura rubra notat.
Hæc aperit primi fastigia celsa obelisci,
Mucronem absolvens purpurei capitis.
Vertice collectos illa exsinuabat amictus,
Jam meditans foliis se numerare suis: 30
Nec mora; ridentis calathi patefecit honorem,
Prodens inclusi semina densa croci.
Hæc, modo quæ toto rutilaverat igne comarum,
Pallida collapsis deseritur foliis.
Mirabar celerem fugitiva ætate rapinam, 35
Et, dum nascuntur, consenuisse rosas.
Ecce et defluxit rutili coma punica floris,

Dum loquor, et tellus tecta rubore micat.
Tot species, tantosque ortus, variosque novatus
Una dies aperit, conficit una dies. [est.
Conquerimur, Natura, brevis quod gratia florum
Ostentata oculis illico dona rapis.
Quam longa una dies, ætas tam longa rosarum,
Quas pubescentes juncta senecta premit.
Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous,
Hanc rediens sero vespere vidit anum. 46
Sed bene, quod, paucis licet interitura diebus,
Succedens ævum prorogat ipsa suum. [pubes:
Collige, virgo, rosas, dum flos novus, et nova
Et memor esto ævum sic properare tuum. 50

Idyllium XV.—*Ex Græco, Pythagoricum de ambiguitate eligendæ vitæ.*

Quod vitæ sectabor iter? si plena tumultu
Sunt fora: si curis domus anxia: si peregrinos
Cura domus sequitur: mercantem si nova semper
Damna manent: cessare vetat si turpis egestas:
Si vexat labor agricolam; mare naufragus horror
Infamat; pœnæque graves in cœlibe vita, 6
Et gravior cautis custodia vana maritis:
Sanguineum si Martis opus: si turpia lucra
Fœnoris, et velox inopes usura trucidat?
Omne ævum curæ: cunctis sua displicet ætas.
Sensus abest parvis lactentibus: et puerorum 11
Dura rudimenta, et juvenum temeraria pubes.
Afflictat fortuna viros per bella, per æquor,
Irasque, insidiasque, catenatosque labores
Mutandos semper gravioribus: ipsa senectus 15
Exspectata diu, votisque optata malignis,
Objicit innumeris corpus lacerabile morbis. [dam
Spernimus in commune omnes præsentia. Quos-
Constat nolle deos fieri: Juturna reclamat,
Quo vitam dedit æternam? cur mortis ademta est
Conditio? sic Caucasea sub rupe Prometheus
Testatur Saturnigenam, nec nomine cessat
Incusare Jovem, data sit quod vita perennis.
Respice et ad cultus animi: sic nempe pudicum
Perdidit Hippolytum non felix cura pudoris. 25
At contra illecebris maculosam ducere vitam
Quem juvat, adspiciat pœnas et crimina regum,
Tereos incesti, vel mollis Sardanapali.
Perfidiam vitare monent tria Punica bella:
Sed prohibet servare fidem deleta Saguntos. 30
Vive, et amicitias semper cole: crimen ob istud
Pythagoreorum periit schola docta sophorum.
Hoc metuens igitur, nullas cole: crimen ob istud
Timon Palladiis olim lapidatus Athenis.
Dissidet ambiguis semper mens obvia votis. 35
Nec voluisse homini satis est; optata recusat.
Esse in honore placet: mox pœnitet: et dominari
Ut possit, servire volet: idem auctus honore,
Invidiæ objicitur. Pernox est cura disertis:
Sed rudis ornatu vitæ caret. Esto patronus, 40
Et defende reos: sed gratia rara clientis.
Esto cliens: gravis imperiis persona patroni.
Exercent hunc vota patrem: mox aspera curis
Sollicitudo subit: contemnitur orba senectus,
Et captatoris præda est hæredis egenus. 45
Vitam parcus agas: avidi lacerabere fama.
Et largitorem gravius censura notabit.
Cuncta sibi adversis contraria casibus. Ergo
Optima Graiorum sententia; quippe homini aiunt
Non nasci esse bonum, natum aut cito morte potiri.

Idyllium XVI.—*De viro bono,* Πυθαγορικὴ ἀπόφασις.

Vir bonus et sapiens, qualem vix reperit unum
Millibus e multis hominum consultus Apollo,
Judex ipse sui, totum se explorat ad unguem,
Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi
Securus, mundi instar habens, teres atque rotun-
Externæ ne quid labis per lævia sidat. [dus,
Ille, dies quam longus erit sub sidere Cancri,
Quantaque nox tropico se porrigit in Capricorno
Cogitat, et justo trutinæ se examine pendit,
Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æquis
Partibus ut coeat, nil ut deliret amussis, 11
Sit solidum quodcunque subest, nec inania subtus
Indicet admotus digitis pellentibus ictus.
Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quam longi reputaverit acta diei: 15
Quæ prætergressus? quid gestum in tempore? quid
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi? [non?
Quid mihi præteritum? cur hæc sententia sedit?
Quam melius mutare fuit? miseratus egentem
Cur aliquem fracta persensi mente dolorem? 20
Quid volui, quod nolle bonum foret? utile honesto
Cur malus antetuli? num dicto, aut denique vultu
Perstrictus quisquam? cur me natura magis, quam
Disciplina trahit? sic dicta et facta per omnia
Ingrediens, ortoque a vespere cuncta revolvens,
Offensus pravis, dat palmam et præmia rectis.

Idyllium XVII.—Ναὶ καὶ Οὐ Πυθαγορικόν.

Est, et Non, cuncti monosyllaba nota frequentant.
His demtis, nihil est, hominum quod sermo volutet
Omnia in his, et ab his sunt omnia, sive negoti,
Sive oti quidquam est, seu turbæ, sive quietis.
Alterutro pariter nonnunquam, sæpe seorsis 5
Obsistunt studiis, ut mores ingeniumque
Vel faciles, vel difficiles contentio nacta est.
Si consentitur, mora nulla intervenit, Est, Est.
Sin controversum, dissensio subjiciet, Non.
Hinc fora dissultant clamoribus: hinc furiosi 10
Jurgia sunt Circi: cuneati hinc læta theatri
Seditio: et tales agitat quoque Curia lites.
Conjugia, et nati cum patribus, ista quietis
Verba serunt studiis, salva pietate loquentes.
Hinc etiam placitis schola consona disciplinis 15
Dogmaticas agitat placido certamine lites.
Hinc omnis certat dialectica turba sophorum.
Est lux: estne dies ergo? Non convenit istuc:
Nam facibus multis, aut fulguribus quoties lux
Est nocturna homini, non est lux ista diei. [est,
Est et Non igitur, quoties lucem esse fatendum
Sed non esse diem: mille hinc certamina surgunt.
Hinc pauci, multi quoque talia commeditantes
Murmure concluso rabiosa silentia rodunt. [sant!
Qualis vita hominum, duo quam monosyllaba ver-

Idyllium XVIII.—*De ætatibus animalium, Hesiodeon.*

Ter binos deciesque novem super exit in annos
Justa senescentum quos implet vita virorum.
Hos novies superat vivendo garrula Cornix.
Et quater egreditur cornicis sæcula Cervus:
Alipedem cervum ter vincit Corvus: et illum 5
Multiplicat novies Phœnix reparabilis ales:
Quam vos perpetuo decies prævertitis ævo, [est.
Nymphæ Hamadryades, quarum longissima vita
Hi cohibent fines vivacia fata animantum.
Cætera secreti novit deus arbiter ævi [non,
Tempora; quæ Stilbon volvat, quæ sæcula Phæ-
Quos Pyrois habeat, quos Jupiter igne benigno
Circuitus: quali properet Venus alma recursu
Qui Phœben, quanti maneant Titana labores;
Donec consumto, Magnus qui dicitur, anno, 15

Rursus in antiquum veniant vaga sidera cursum,
Qualia dispositi steterant ab origine mundi.

IDYLLIUM XIX.—*Monosticha de ærumnis Herculis.*

Prima Cleonæi tolerata ærumna leonis.
Proximo Lernæam ferro et face contudit hydram.
Mox Erymantheum vis tertia perculit aprum.
Æripedis quarto tulit aurea cornua cervi.
Stymphalidas pepulit volucres discrimine quinto.
Threiciam sexto spoliavit Amazona baltheo. 6
Septima in Augeis stabulis impensa laboris.
Octava expulso numeratur adorea tauro.
In Diomedeis victoria nona quadrigis.
Geryone exstincto decimam dat Iberia palmam. 10
Undecimo mala Hesperidum destricta triumpho.
Cerberus extremi suprema est meta laboris.

IDYLLIUM XX.—*Musarum inventa, et munera*

Clio gesta canens, transactis tempora reddit.
Melpomene tragico proclamat mæsta boatu.
Comica lascivo gaudet sermone Thalia.
Dulciloquos calamos Euterpe flatibus urget. [get.
Terpsichore affectus citharis movet, imperat, au-
Plectra gerens Erato saltat pede, carmine, vultu.
Carmina Calliope libris heroica mandat.
Uranie cœli motus scrutatur et astra.
Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia gestu.
Mentis Apollineæ vis has movet undique Musas:
In medio residens complectitur omnia Phœbus.

ECLOGARIUM.

De ratione libræ.

Miraris quicunque manere ingentia mundi
Corpora, sublimi cœli circumdata gyro,
Et tantæ nullam moli intercedere labem;
Accipe, quod mirere magis. Tenuissima tantis
Principia, et nostros non admittentia visus, 5
Parvarum serie constant connexa atomorum:
Sed solidum in parvis, nullique secabile segmen;
Unde vigor viresque manent, æternaque rerum
Mobilitas, nulloque unquam superabilis ævo.
Divinis humana licet componere: sic est 10
As solidus, quoniam bis sex de partibus æquis
Constat, et in minimis paribus tamen una manet vis.
Nam si quid numero minuatur, summa vacillat,
Convulsæque ruunt labefacto corpore partes.
Ut medium si quis vellat de fornice saxum, 15
Incumbunt cui cuncta, simul devexa sequentur
Cætera, communemque trahent a vertice lapsum.
Non aliter libra est: si defuit uncia, totus
Non erit as, nomenque deunx jam cassus habebit.
Nec dextans retinet nomen, sextante remoto. 20
Et dodrans, quadrante carens, auctore carebit.
Divulsusque triens prohibet persistere bessem.
Jam quincunx tibi nullus erit, si prima revellas.
Et semis quî semis erit, pereuntibus assis
Partibus? et cujus libræ pars septima, septunx?
Libra igitur, totum si nulla in parte vacillet. 26
Ponderis, et numeri, morumque, operumque, et aquarum [signes.
Libra: nec est modulus, quem non hoc nomine
Telluris, medio quæ pendet in aere, libra est:
Et solis lunæque vias sua libra coercet. 30
Libra die somnique pares determinat horas.
Libra Caledonios sine littore continet æstus.
Tu quoque certa mane morum mihi libra meorum.

De ratione puerperii maturi.

Omnia, quæ vario rerum metimur in actu,
Astrorum dominatus agit: terrenaque tantum [ris,
Membra homini; e superis fortuna et spiritus au-
Septeno moderanda choro: sed præsidet ollis
Sortitus regimen nitidæ Sol aureus æthræ. 5
Nec sola in nobis moderatur tempora vitæ,
Dum breve solliciti spatium producimus ævi:
Creditur occultosque satus, et tempora vitæ
Materno ducenda utero, formare videndo,
Et nondum exortæ leges componere vitæ. 10
Namque ubi conceptus genitali insederit arvo,
Haud dubium, Solem cuicunque insistere signo.
Qui cum vicini stationem ceperit astri,
Contiguos nullum transfundit lumen in ortus.
Ast ubi conversis post menstrua tempora habenis
Scandit purpureo jam tertia sidera curru,
Obliqua exilem demittit linea lucem,
Adspirans tenues per inertia pondera motus.
Quarta in sede viget primi indulgentia Solis,
Suadet et infusus teneros coalescere fetus. 20
Fulgor tetragono adspectu vitale coruscat,
Clarum et lene micans, quinti qui cardine signi
Incutit attonitam vegetato infante parentem.
Nam sexto vis nulla loco: quia nulla tuendi
Æquati lateris signatur regula Phœbo. 25
Ast ubi signiferæ media in regione cohortis
Septimus accepit limes rutilantia flammis
Recto castra situ, turgentis fœdera partus
Jam plena sub luce videt; nec fulgura parci
Luminis intendens, toto fovet igne coronæ. 30
Hinc illud, quod legitimos Lucina labores
Prævenit, et gravidos sentit subrepere nixus
Ante exspectatum festina puerpera votum.
Quod nisi, septeno cum lumina fudit ab astro,
Impulerit tardi claustra obluctantia partus, 35
Posterior nequeat, possit prior: an quia sexto
Æmulus octavi conspectus inutilis astri
Nescit compariles laterum formare figuras?
Sed nono incumbens signo, cunctantia matrum
Vota levat, trigono vires sociante sequenti. 40
At si difficilis partus trahit Ilithyia,
Tetragono absolvet dubiarum vincla morarum.

Signa cœlestia.

Ad Boreæ partes Arcti junguntur, et Anguis:
Post has Arctophylax, pariterque Corona, Genuque
Prolapsus, Lyra, Avis, Cepheus, et Cassiopea,
Auriga, et Perseus, Deltoton, et Andromedæ astrum,
Pegasus, et Delphin, Telumque, Aquila, Anguitenensque. 5
Signifer inde subest, bis sex et sidera complent.
Hic Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,

Libra, Scorpius, Arcitenens, Capricornus, et Urnam
Qui tenet, et Pisces: post hos in partibus Austri
Orion, Procyon, Lepus, ardens Sirius, Argo, 10
Hydrus, Thuribulum, Chiron quoque, Piscis et ingens.
Hunc sequitur Pistrix, simul Eridanique fluenta.
Sed vaga præterea dicuntur lumina septem, [gens:
Luna, et Mercurius, Venus, ac Sol, Mars quoque ful-
Hic Jovis et sidus super omnia sidera lucens: 15
Celsior his Saturnus,* tardior omnibus astris.

Ratio dierum anni vertentis.

Nonaginta dies et quatuor ac medium Sol [trum,
Conficit, a tropico in tropicum dum permeat as-
Octipedem in Cancrum Phryxeo ab Ariete pergens.
Hoc spatio æstivi pulsusque et meta diei.
Semidiemque, duosque dies, deciesque novenos 5
A Cancro in Chelas. æquatæ tempora noctis
Atque die, cursu peragit Sol aureus altero,
Autumni æstatisque simul confinia miscens.
Unde autumnales transcurrens ordine menses
Ad tropicum pergit signum gelidi Capricorni, 10
Octo dies decies octonis insuper addens,
Quadrantemque die; quinto qui protinus anno
Mense Numæ extremo nomen capit embolimæi.
Inde ad Agenorei festinans cornua Tauri,
Scandit Lanigeri tropicum Sol aureus astrum, 15
Nonaginta dies decreto fine coercens.
Hic tibi circus erit semper vertentibus annis,
Tercentum, ac senis decies et quinque diebus.

De nominibus septem dierum.

Nomina, quæ septem vertentibus apta diebus
Annus habet, totidem errantes fecere planetæ,
Quos indefessa volvens vertigine mundus
Signorum obliqua jubet in statione vagari.
Primum, supremumque diem radiatus habet Sol.
Proxima fraternæ succedit Luna coronæ. 6
Tertius adsequitur Titania lumina Mavors.
Mercurius quarti sibi vindicat astra diei.
Illustrant quintam Jovis aurea sidera zonam.
Sexta salutigerum sequitur Venus alma parentem.
Cuncta supergrediens Saturni septima lux est. 11
Octavum instaurat revolubilis orbita Solem.

Hic versus sine auctore est. Quid quoque die demi de corpore oporteat.

Ungues Mercurio, barbam Jove, Cypride crines.

Hoc sic refellendum.

Mercurius furto probat ungues semper acutos,
Articulisque aciem non sinit imminui. [est
Barba Jovi, crines Veneri decor: ergo necesse
Ut nolint demi, quo sibi uterque placet.
Mavors imberbes, et calvos Luna adamasti: 5
Non prohibent comi tum caput atque genas.
Sol et Saturnus nihil obstant unguibus: ergo
Non placitum divis tolle monostichium.

De mensibus, et quatuor anni temporibus.

Æternos menses, et tempora quatuor anni,
Quatuor ista tibi subjecta monosticha dicent.
Martius, Aprilis, Maius sunt tempora Veris.
Julius, Augustus, nec non et Junius, Æstas. [bri.
Septembri, Octobri Autumnus, totoque Novem-
Brumales, Janus, Februarius, atque December

De mensibus monosticha.

Primus Romanas ordiris, Jane, Kalendas.
Februa vicino mense Numa instituit.
Martius antiqui primordia protulit anni.
Fetiferum Aprilem vindicat alma Venus.
Majorum dictus patrum de nomine Maius.
Junius ætatis proximus est titulo.
Nomine Cæsareo Quintilem Julius auget.
Augustus nomen Cæsareum sequitur.
Autumnum, Pomona, tuum September opimat.
Triticeo October fœnore ditat agros. 10
Sidera præcipitas pelago, intempeste November.
Tu genialem hiemem, feste December, agis.

Disticha de iisdem mensibus.

Jane nove, primo qui das tua nomina mensi,
Jane bifrons, spectas tempora bina simul.
Post superûm cultus, vicino Februa mense
Dat Numa cognatis manibus inferias.
Martius et generis Romani præsul et anni, 5
Prima dabas Latiis tempora consulibus.
Æneadûm genitrix, vicino nomen Aprili [mes.
Das, Venus: est Marti namque Aphrodita co-
Maia dea, an major, Mai, te fecerit ætas,
Ambigo; sed mensi est auctor uterque bonus.
Junius hunc sequitur duplici celebrandus honore,
Seu nomen Juno, sive Juventa dedit.
Inde Dionæo præfulgens Julius astro
Æstatis mediæ tempora certa tenet.
Augustus sequitur, cognatum a Cæsare nomen,
Ordine sic anni proximus, ut generis. [nant
Nectuntur post hos, numerumque ex ordine sig-
September, Bacchi munere præla rigans;
Et qui sementis per tempora, fœnore lætus,
October, cupidi spem fovet agricolæ; 20
Quique salo mergens sollennia signa November
Præcipitat, cœlo mox reditura suo.
Concludens numerum, genialia festa December
Finit, ut a bruma mox novus annus eat.

Quoteni dies sint mensium singulorum.

Implent tricenas per singula menstrua luces
Junius, Aprilisque, et cum Septembre November.
Unum ter denis cumulatius adde diebus
Per septem menses, Jani Martisque Calendis,
Et quas Maius agit, quas Julius, Augustusque, 5
Et quas October, positusque in fine December.
Unus erit tantum duodetriginta dierum,
Quem Numa præposito voluit succedere Jano.
Sic tercentenis decies accedere senos, [annus
Quadrantemque, et quinque dies sibi computat

De tribus menstruis mensium.

Bis senas anno reparat Lucina Calendas:
Et totidem medias dat currere Jupiter Idus.
Nonarumque diem faciunt infra octo secundi.
Hæc sunt Romano tantum tria nomina mensi.
Cætera per numeros sunt cognomenta dierum. 5

Quo mense quotæ Nonæ, vel Idus sint.

At Nonas modo quarta aperit, modo sexta refert lux.
Sexta refert Maii, Octobris, Martisque recursu,
Et qui solstitio sua tempora Julius infert.
Cætera pars mensum quartis est prædita Nonis.
Omnes vero Idus octava luce recurrunt. 5

Quotæ Calendæ sint mensium singulorum.

Post Idus, quas quisque suas habet ordine mensis,
Diversæ numero redeunt variante Calendæ,
Dum rursumque iterumque * * vocantur,
Ut tandem oblati procedant temporis ortus
Ter senis unoque die genialia festa 5

Porrigit, ut Janum arcessat nova bruma morantem.
Hoc numero mensisque Numæ redit, autumnique
Principium referens Bacchi September alumnus.
Julius, et Maius, positusque in fine December,
Octoberque die revocatur tardius uno. 10
Inde die redeunt minus uno quatuor ultra,
Quos numero adjiciam, Sextilis, Junius, atque
Aprilis, post quos pænultima meta November.
Ter quinis unoque die, Junonie Mavors,
Ut redeas, referasque exordia prima, cieris. 15
Hoc numero ad plenum vertens reparabitur annus.

In quo mense quod signum sit ad cursum Solis.

Principium Jani sancit tropicus Capricornus.
Mense Numæ in medio solidi stat sidus Aquari.
Procedunt duplices in Martia tempora Pisces.
Respicis Apriles, Aries Phryxee, Calendas.
Maius Agenorei miratur cornua Tauri. 5
Junius æquatos cœlo videt ire Laconas.
Solstitio ardentis Cancri fert Julius astrum.
Augustum mensem Leo fervidus igne perurit.
Sidere, Virgo, tuo Bacchum September opimat.
Æquat et October sementis tempore Libram. 10
Scorpion hibernus præceps jubet ire November.
Terminat Arcitenens medio sua signa Decembri.

Q. Ciceronis versus eo pertinent, ut quod signum quo tempore illustre sit, noverimus. Quod superius quoque nostris versibus expeditur.

Flumina verna cient obscuro lumine Pisces.
Curriculumque Aries æquat noctisque dieque.
Cornua quem condunt florum prænuntia Tauri,
Aridaque æstatis Gemini primordia pandunt.
Longaque jam minuit præclarus lumina Cancer. 5
Languificusque Leo proflat ferus ore calores.
Post modicum quatiens Virgo fugat orta vaporem.
Autumni reserat portas, æquatque diurna
Tempora nocturnis dispenso sidere Libra.
Et fetos ramos dinudat flamma Nepai. 10
Pigra Sagittipotens jaculatur frigora terris.
Bruma gelu glacians jubare spirat Capricorni.
Quam sequitur nebulas rorans liquor altus Aquari,
Tenta supra circaque vigent ubi flumina mundi.
At dextra lævaque ciet rota fulgida Solis 15
Mobile curriculum, et Lunæ simulacra feruntur.
Squama sub æterno conspectu torta Draconis
Eminet: hunc inter fulgentem sidera septem
Magna quatit stellans; quam servans serus in alta
Conditur Oceani ripa cum luce Bootes. 20

A solstitio in æquinoctium ratio.

Sol profectus a teporo veris æquinoctio,
Post semidiem postque totos nonaginta et quatuor,
Fervidis flagrans habenis pulsum æstivum conficit.
Inde Autumnus noctis horas librans æquo lumine,
Octo et octoginta gœris, et super trihorio, 5
* * * *
Inde floridum reflexis ver revisit oreis,
Additis ad hos priores gœros geminis orbibus.

De feriis Romanis.

Nunc et Apollineos Tiberina per ostia ludos,
Et Megalesiacæ matris operta loquar:
Vulcanique dies, autumni exordia primi,
Quinquatrusque deæ Pallados expediam:
Et medias Idus, Maii Augustique recursu, 5
Quas sibi Mercurius, quasque Diana dicat.
Matronæ quæ sacra colant pro laude virorum,
Mavortis primi cum rediere dies.
Festa Caprotinis memorabo celebria Nonis,
Cum stola matronis demta teget famulas. 10
Quatuor illa etiam discretis partibus anni
Solstitia, et luces nocte dieque pares.
Nec Regifugium, pulsis ex urbe tyrannis,
Lætum Romanis fas reticere diem.
Visne Opis ante sacrum, vel Saturnalia dicam, 15
Festaque servorum, cum famulantur heri?
Et nunquam certis redeuntia festa diebus,
Compita per vicos cum sua quisque colit?
Aut duplicem cultum, quem Neptunalia dicunt,
Et quem de Conso consiliisque vocant? 20
Festa hæc, navigiis aut quæ celebrata quadrigis
Jungunt Romanos finitimosque duces?
Adjiciam cultus peregrinaque sacra deorum,
Natalem Herculeum, vel ratis Isiacæ:
Nec non lascivi Floralia læta theatri, 25
Quæ spectare volunt, qui voluisse negant.
Nunc etiam veteres celebrantur Equiria ludi:
Prima hæc Romanus nomina Circus habet.
Et Dionysiacos Latio cognomine ludos
Roma colit, Liber quæ sibi vota dicat. 30
Ædiles plebeii etiam, ædilesque curules
Sacra, Sigillorum nomine dicta, colunt.
Et gladiatores funebria prœlia notum
Decertasse foro; nunc sibi arena suos
Vindicat, extremo qui jam sub fine Decembris
Falcigerum placant sanguine Cœligenam. 36

De lustralibus agonibus.

Quatuor antiquos celebravit Achaia ludos:
Cœlicolûm duo sunt, et duo festa hominum.
Sacra Jovis, Phœbique, Palæmonis, Archemori-
Serta quibus pinus, malus, oliva, apium. [que:

De locis agonum.

Prima Jovi magno celebrantur Olympia Pisæ.
Parnassus Clario sacravit Pythia Phœbo.
Isthmia Portumno bimaris dicat acta Corinthi.
Archemori Nemeæa colunt funebria Thebæ.

De auctoribus agonum.

Primus Olympiacæ sacravit festa coronæ
Jupiter Argivi stadia ad longissima Circi.
Proximus Alcides Nemeæ sacravit honorem:
Hæc quoque temporibus quinquennia sacra notandis.
Isthmia Neptuno data sunt, et Pythia Phœbo, 5
Ancipiti cultu divorum hominumque sepultis.

Quod iidem, qui sacri agones sunt, et funebres ludi habeantur.

Tantalidæ Pelopi mæstum dicat Elis honorem.
Archemori Nemeæa colunt quinquennia Thebæ.
Isthmia defuncto celebrata Palæmone notum.
Pythia placando Delphi statuere draconi

EPISTOLARUM LIBER.

EPISTOLA I.—*Ausonius ad patrem, de suscepto filio.*

Credideram nil posse meis affectibus addi,
Quo, venerande pater, diligerere magis.
Accessit (grates superis, medioque nepoti,
Bina dedit nostris qui juga nominibus.
Ipse nepos te fecit avum: mihi filius idem, 5
Et tibi ego: hoc nato nos sumus ambo patres.
Nec jam sola mihi pietas mea suadet amorem:
Nomine te gemini jam genitoris amo.)
Accessit titulus, tua quo reverentia crescat;
Quo doceam natum, quid sit amare patrem. 10
Quippe tibi æquatus videor, quod parvulus isto
Nomine honoratum me quoque nobilitat;
Atque ætas quia nostra eadem: nam supparis ævi
Sum tibi ego, et possum fratris habere vicem.
Nec tantum nostris spatium interponitur annis,
Quanta solent alios tempora dividere. 16
Vidi ego natales fratrum distare tot annis,
Quot nostros: ævum nomina non onerant.
Pulchra juventa tibi senium sic jungit, ut ævum,
Quod prius est, maneat; quod modo, ut inci-
Et placuisse reor geminis ætatibus, ut se [piat.
Non festinato tempore utraque daret;
Leniter hæc flueret, hæc non properata veniret,
Maturam frugem flore manente ferens.
Annos me nescire tuos, pater optime, testor, 25
Totque putare meos, quot reor esse tuos.
Nesciat hos natus, numeret properantior hæres,
Testamenta magis, quam pia vota fovens;
Exemploque docens pravo juvenescere natos,
Ut nolint patres se quoque habere senes. 30
Verum ego primævo genitus genitore, fatebor
Supparis hæc ævi tempora grata mihi.
Debeo quod natus, suadet pia cura nepotis,
Addendum patri, quo veneremur avum.
Tu quoque, mi genitor, geminata vocabula gaude,
Nati primævi nomine factus avus. 36
Exiguum, quod avus: faveant pia numina divûm,
Deque nepote suo fiat avus proavus.
Largius et poterunt producere fata senectam;
Sed rata vota reor, quæ moderata magis. 40

EPISTOLA II.—*Pater ad filium, cum temporibus tyrannicis ipse Treveris remansisset, et filius a patre profectus esset. Hoc inchoatum, neque impletum, sic de liturariis scriptum.*

Debeo et hanc nostris, fili dulcissime, curis
Historiam: quanquam titulo non digna sereno
Anxia mæstarum fuerit querimonia rerum.
Jam super egelidæ stagnantia terga Mosellæ
Protulerat te, nate, rates, mæstique parentis 5
Oscula et amplexus discreverat invidus amnis.
Solus ego, et quamvis cœtu celebratus amico,
Solus eram; profugæque dabam pia vota carinæ,
Solus adhuc te, nate, videns, celerisque remulci
Culpabam properos adverso flumine cursus. 10
Quis fuit ille dies? non annus longior ille est,
Attica quem docti collegit cura Metonis.
Desertus vacuis solisque exerceor arvis.
Nunc ego pubentes salicum deverbero frondes;
Gramineos nunc frango toros, viridesque per ulvas
Lubrica substratis vestigia libro lapillis. 16
Sic lux prima abiit: sic altera meta diei:
Sic geminas alterna rotat vertigo tenebras,
Sic alias: totusque mihi sic annus abibit,
Restituant donec tua me tibi fata parentem. 20
Hac ego conditione licet, vel morte, paciscar;
Dum decores suprema patris tu, nate, superstes.

EPISTOLA III.—*Ausonius Hesperio.*

Qualis Picenæ populator turdus olivæ
Clunes opimat cereas;
Vel qui lucentes rapuit de vitibus uvas,
Pendetque nexus retibus,
Quæ vespertinis fluitant nebulosa sub horis, 5
Vel mane tenta roscido:
Tales hibernis ad te de sepibus, ipsos
Capi volentes, misimus
Bis denos: tot enim crepero sub lucis Eoæ
Præceps volatus intulit. 10
Tum quas vicinæ suggessit præda lacunæ,
Anates maritas junximus,
Remipedes, lato populantes cærula rostro,
Et crure rubras punico:
Iricolor vario pinxit quas pluma colore, 15
Collum columbis æmulas.
Defrudata meæ non sunt hæc fercula mensæ:
Vescente te, fruimur magis.
Vale bene, ut valeam.

EPISTOLA IV.—*Ausonius Theoni suo S.*

Ausonius, cujus ferulam nunc sceptra verentur,
Paganum Medulis jubeo salvere Theonem.
Quid geris, extremis positus telluris in oris,
Cultor arenarum vates? cui littus arandum,
Oceani finem juxta, Solemque cadentem: 5
Vilis arundineis cohibet quem pergula tectis,
Et tingit piceo lacrymosa colonica fumo.
Quid rerum Musæque gerunt, et cantor Apollo?
Musæ non Helicone satæ, nec fonte caballi,
Sed quæ fecundo de pectore Clementini 10
Inspirant vacuos aliena mente poetas.
Jure quidem: nam quis malit sua carmina dici,
Qui te securo possit proscindere risu?
Hæc quoque ne nostrum possint urgere pudorem,
Tu recita; et vere poterunt tua dicta videri. 15
Quam tamen exerces Medulorum in littore vitam?
Mercatusne agitas, leviore nomismate captans,
Insanis quod mox pretiis gravis auctio vendat;
Albentis sevi globulos, et pinguia ceræ [pyrum,
Pondera, Naryciamque picem, scissamque pa-
Fumantesque olidum paganica lumina tædas?
An majora gerens, tota regione vagantes
Persequeris fures? qui te, postrema timentes,
In partem prædamque vocent: tu mitis, et osor
Sanguinis humani, condonas crimina nummis, 25
Erroremque vocas, pretiumque imponis abactis
Bobus, et in partem scelerum de judice transis.
An cum fratre vagos dumeta per avia cervos

Circumdas maculis, et multa indagine pinnæ ?
Aut spumantis apri cursum clamoribus urges, 30
Subsidisque fero ? moneo tamen, usque recuses
Stringere fulmineo venabula cominus hosti.
Exemplum de fratre time, qui veste reducta
Ostentat fœdas prope turpia membra lacunas,
Perfossasque nates vicino podice nudat. 35
Inde ostentator volitat, mirentur ut ipsum
Gedippa, Ursinusque suus, prolesque Jovini,
Taurinusque, ipsum priscis heroibus æquans.
Qualis in Olenio victor Calydonius apro,
Aut Erymantheo pubes fuit Attica monstro. 40
Sed tu parce feris venatibus, et fuge nota
Crimina sylvarum ; ne sis Cinyreia proles,
Accedasque iterum Veneri plorandus Adonis.
Sic certe crinem flavus, niveusque lacertos,
Cæsariem rutilam per candida colla refundis : 45
Pectore sic tenero, plana sic junceus alvo
Per teretes feminum gyros surasque nitentes
Descendis, talos a vertice pulcher ad imos.
Qualis floricoma quondam populator in Ætna
Virgineas inter choreas Deoida raptam 50
Sustulit emersus Stygiis fornacibus Orcus
An quia venatus ob tanta pericula vitas,
Piscandi traheris studio ? nam tota supellex
Domnotoni tales solita est ostendere gazas,
Nodosas vestes animantum Nerinorum, 55
Et jacula, et fundas, et nomina villica lini,
Colaque, et indutos terrenis vermibus hamos.
His opibus confise tumes : domus omnis abundat
Littoreis dives spoliis : referuntur ab unda
Corroco, letalis trygon, mollesque platessæ, 60
Urentes thynni, et male tecti spina elugati,
Nec duraturi post bina trihoria corvi.
An te carminibus juvat incestare canoras
Mnemosynes natas, aut tres, aut octo sorores ?
Et quoniam huc ventum, si vis cognoscere, quid
Inter doctrinam, deridendasque Camœnas ; [sit
Accipe congestas mysteria frivola nugas,
Quas tamen explicitis nequeas deprendere chartis,
Scillite decies non si purgeris aceto,
Anticipesque tuo Samii Lucumonis acumen ; 70
Aut adsit interpres tuus,
Ænigmatum qui cognitor
Fuit meorum, cum tibi
Cadmi nigellas filias,
Melonis albam filiam, 75
Notasque furvæ sepiæ,
Cnidiosque nodos prodidit.
Nunc adsit : et certe modo
Præsul creatus litteris,
Enucleabit protinus 80
Quod militantes scribimus.
Notos fingo tibi poeta versus :
Quos scis Hendecasyllabos vocari ;
Sed nescis modulis tribus moveri.
Istos composuit Phalæcus olim, 85
Qui Penthemimerin habent priorem
Et post semipedem duos iambos.
Sunt quos Hexametri creant revulsi :
Ut Penthemimeris prior locetur,
Tum quod bucolice tome relinquit. 90
Sunt et quos generat puella Sappho :
Quos primus regit Hippius secundus,
Ut claudat Choriambon Antibacchus.
Sed jam non potis es, Theon, doceri :
Nec fas est mihi regio magistro 95
Plebeiam numeros docere pulpam.
Verum protinus ede, quod requiro.
Nil quæro, nisi quod libris tenetur,
Et quod non opicæ tegunt papyri.
Quas si solveris, o poeta, nugas, 100
Totam trado tibi simul Vacunam,
Nec jam post metues ubique dictum :
Hic est ille Theon poeta falsus,
Bonorum mala carminum taberna.

Epistola V.—*Eidem Theoni.*

Ausonius Salve caro mihi dico Theoni,
Versibus expediens quod volo, quodve queror.
Tertia fissipedes renovavit Luna juvencas,
Ut fugitas nostram, dulcis amice, domum.
Nonaginta dies sine te, carissime, traxi : 5
Huc adde æstivos ; hoc mihi pæne duplum est.
Vis novies denos dicam, deciesque novenos
Isse dies ? anni portio quarta abiit.
Sexaginta horas super et duo millia centum
Te sine consumsi : quo sine et hora gravis. 10
Millia bis nongenta jubet demensio legum
Annumerata reos per tot obire dies.
Jam potui Romam pedes ire, pedesque reverti,
Ex quo te dirimunt millia pauca mihi.
Scirpea Domnotoni tanti est habitatio vati ? 15
Pauliacus tanti non mihi villa foret.
An quia per tabulam medico pugnante notatam
Debita summa mihi est, ne repetamus, abes ?
Bis septem rutilos regale nomisma Philippos
(Nec tanti fuerint) perdere malo, Theon, 20
Implicitum quam te nostris interne medullis
Defore tam longi temporis in spatio.
Ergo aut prædictos jam nunc rescribe Darios,
Et redime, ut mora sit libera desidiæ ;
Aut alios a me totidem dabo ; dummodo cari 25
Conspicer ora viri, pauperis usque licet.
Puppe citus propera, sinuosaque lintea veli
Pande : Medullini te feret ora Noti,
Expositum subter paradas, lectoque jacentem,
Corporis ut tanti non moveatur onus. 30
Unus Domnotoni te littore perferet æstus
Condatem ad portum, si modo deproperes,
Inque vicem venti, quoties tua flamina cessant,
Remipedem jubeas protinus ire ratem.
Invenies præsto subjuncta petorrita mulis. 35
Villa Lucani-mox potieris-aco.
Rescisso disces componere nomine versum.
Lucili vatis sic imitator eris.

Epistola VI.—*Eidem Theoni.*

Ausonius consul vatem resaluto Theonem.
Aurea mala, Theon, sed plumbea carmina mittis.
Unius massæ quis putet has species ? [que ;
Unum nomen utrisque ; sed est discrimen utris-
Poma ut mala voces, carmina vero mala. 5
Vale, beatis nomen a divis Theon.
Metoche sed ista sæpe currentem indicat.

Epistola VII.—*Ausonius Theoni, cum ei triginta ostrea, grandia quidem, sed tam pauca misisset.*

Exspectaveram, ut rescriberes ad ea, quæ dudum jocularitер luseram de cessatione tua valde impia, et mea efflagitatione : cujus rei munus reciprocum quoniam in me colendo fastidisti, inventa inter tineas epistola veteri, quam de ostreis et musculis affectata obscuritate condideram, quæ adolescens temere fuderam, jam senior retractavi. Sed in eundem modum instaurata est satirica et ridicula concinnatio ; saltem ut nunc respondeas notissimæ cantilenæ, qui illam novitiam silentio condemnasti.

Ostrea Baianis certantia, quæ Medulorum
Dulcibus in stagnis reflui maris æstus opimat,
Accepi, dilecte Theon, numerabile munus.
Verum quot fuerint, subjecta monosticha signant.
Quot ter luctatus cum pollice computat index. 5
Geryones quot erant, decies si multiplicentur.
Ter quot erant Phrygii numerata decennia belli.
Aut ter ut Æolidi menses tenet ignicomus Sol.
Cornibus a primis quot habet vaga Cynthia noctes.
Singula percurrit Titan quot signa diebus. 10
Quotque annis sublimis agit sua sæcula Phænon.
Quot numero annorum Vestalis virgo ministrat.
Dardaniusque nepos regno quot protulit annos.
Priamidæ quot erant, si bis deni retrahuntur, 14
Bisque viros numeres, qui fata Amphrysia ser-
Quot genuit fetus Albana sub ilicibus sus. [vant.
Et quot sunt asses, ubi nonaginta trientes.
Vel quot habet junctos Vasatica rheda caballos.
Quod si figuras fabulis adumbratas,
Numerumque doctis involutum ambagibus
Ignorat alto mens obesa viscere; 21
Numerare saltem more vulgi ut noveris,
In se retortas explicabo summulas.
Ter denas, puto, quinquiesque senas.
Vel bis quinque, dehinc decem, decemque.
Vel senas quater, et bis adde ternas. 26
Septenis quater addito unum et unum
Duc binas decies, semelque denas.
Aut ter quatuor adde bis novenis.
Octonis quater, hinc duæ recedant. 30
Binas terdecies, semel quaternas.
Et sex adde novem vel octo septem.
Aut septem geminis bis octo junge.
Aut, ne sim tibi pluribus molestus,
Triginta numero fuere cunctæ. 35
Junctus limicolis musculus ostreis
Primo composuit fercula prandio,
Gratus deliciis nobilium cibus,
Et sumti modicus pauperibus focis.
Non hic navifrago quæritur æquore, 40
Ut crescat pretium grande periculis;
Sed primore vado, post refugum mare,
Algoso legitur littore concolor.
Nam testæ duplicis conditur in specu,
Quæ ferventis aquæ fota vaporibus 45
Carnem lacteoli visceris indicat.
Sed damnosa nimis panditur area.
Fac campum replices, Musa, papyrium·
Nec jam fissipedis per calami vias
Grassetur Cnidiæ sulcus arundinis 50
Pingens aridulæ subdita paginæ
Cadmi filiolis atricoloribus.
Aut cunctis pariter versibus oblinat
Fulvam lacticolor spongia sepiam.
Parcamus vitio Domnotinæ domus; 55
Ne sit charta mihi carior ostreis.

EPISTOLA VIII.—*Ausonius Axio Paullo Rhetori S.*

Tandem eluctati retinacula blanda morarum,
Burdigalæ molles liquimus illecebras,
Santonicamque urbem vicino accessimus agro.
Quod tibi si gratum est, optime Paulle, proba.
Cornipedes raptant imposta petorrita mulæ: 5
Vel cisio trijugi, si placet, insilias,
Vel celerem mannum, vel ruptum terga veredum
Conscendas, propere dummodo jam venias.
Instantis revocant quia nos sollennia Paschæ,
Libera nec nobis est mora desidiæ. 10
Perfer in excursu vel terjuga millia epodon,
Vel falsas lites, quas schola vestra serit.
Nobiscum invenies nullas, quia liquimus istic
Nugarum veteres cum sale relliquias.

EPISTOLA IX.—*Ausonius Paullo.*

Ostrea nobilium cœnis, sumtuque nepotum
Cognita, diversoque maris defensa profundo,
Aut refugis nudata vadis, aut scrupea subter
Antra, et muriceis scopulorum mersa lacunis,
Quæ viridis muscus, quæ dedecor alga recondit,
Quæ testis concreta suis, ceu saxa, cohærent, 6
Quæ mutata loco, pingui mox condita limo,
Nutrit secretus conclusæ uliginis humor,
Enumerare jubes, vetus o mihi Paulle sodalis,
Adsuefacte meis joculari carmine nugis. 10
Aggrediar; quamvis curam non ista senilem
Sollicitent, frugique viro dignanda putentur.
Nam mihi non Saliare epulum, non cœna dapalis,
Qualem Penelopæ nebulonum mensa procorum,
Alcinoique habuit nitidæ cutis uncta juventus. 15
Enumerabo tamen, famam testesque secutus,
Pro studiis hominum semper diversa probantum.
Sed mihi præ cunctis mitissima, quæ Medulorum
Educat Oceanus, quæ Burdigalensia nomen
Usque ad Cæsareas tulit admiratio mensas, 20
Non laudata minus, nostri quam gloria vini.
Hæc inter cunctas palmam meruere priorem,
Omnibus ex longo cedentibus; ista et opimi
Visceris, et nivei, dulcique tenerrima succo,
Miscent æquoreum tenui sale tincta saporem. 25
Proxima sint quævis, sed longe proxima multo
Ex intervallo, quæ Massiliensia: portum
Quæ Narbo ad Veneris nutrit: cultuque carentis
Hellespontiaci quæ protegit æquor Abydi:
Vel quæ Baianis pendent fluitantia pilis: 30
Santonico quæ tecta salo: quæ nota Genonis:
Aut Eborum mixtus pelago quæ protegit amnis,
Ut multo jaceant algarum obducta recessu;
Aspera quæ testis, et dulcia farris opimæ.
Sunt et Aremorici qui laudent ostrea ponti: 35
Et quæ Pictonici legit accola littoris: et quæ
Mira Caledonius nonnunquam detegit æstus.
Accedunt, quæ fama recens Byzantia subter
Littora, et insana generata Propontidis acta,
Promoti celebrata ducis de nomine, laudat. 40
Hæc tibi non vates, non historicus, neque toto
Orbe vagus conviva loquor, sed tradita multis,
Ut solitum, quoties dextræ invitatio mensæ
Sollicitat lenem comi sermone Lyæum. 44
Hæc non per vulgum mihi cognita, perque po-
Aut parasitorum collegia Plautinorum; [pinas,
Sed, festos quia sæpe dies partim ipse meorum
Excolui, inque vicem conviva vocatus adivi,
Natalis si forte fuit sollennis amico,
Conjugioque dapes, aut sacra repotia patrum, 50
Audivi, meminique bonos laudare frequentes.

EPISTOLA X.—*Ausonius Paullo.*

Si qua fides falsis unquam est adhibenda poetis,
Nec plasma semper allinunt,
Paulle, Camœnarum celeberrime Castaliarum
Alumne quondam, nunc pater,
Aut avus, aut proavis antiquior, ut fuit olim 5
Tartessiorum regulus;
Intemerata tibi maneant promissa memento.
Phœbus jubet verum loqui.
Et si Pierias patitur lirare sorores,
Nunquam ipse torquet αὔλακα. 10

Te quoque ne pigeat consponsi fœderis: et jam
Citus veni remo, aut rota,
Æquoris undosi qua multiplicata recursu
Garumna pontum provocat;
Aut iteratarum qua glarea trita viarum 15
Fert militarem ad Blaviam.
Nos etenim primis sanctum post Pascha diebus
Avemus agrum visere.
Nam populi cœtus, et compita sordida rixis
Fastidientes, cernimus 20
Angustas fervere vias, et congrege vulgo
Nomen plateas perdere.
Turbida congestis referitur vocibus Echo,
Tene, feri, duc, da, cave:
Sus lutulenta fugit, rabidus canis impete sævo,
Et impares plaustro boves. 26
Nec prodest penetrale domus et operta subire;
Per tecta clamores meant.
Hæc, et quæ possunt placidos offendere mores,
Cogunt relinqui mœnia, 30
Dulcia secreti repetantur ut otia ruris
Nugis amœna seriis;
Tempora disponas ubi tu tua, jusque tuum sit,
Ut nil agas, vel quod voles.
Ad quæ si properas, tota cum merce tuarum 35
Veni Camœnarum citus.
Dactylicos, elegos, choriambum carmen, epodos,
Socci et cothurni musicam,
Carpentis impone tuis: nam tota supellex
Vatum piorum chartea est. 40
Nobiscum invenies catenoplia, si libet uti,
Non Pœna, sed Græca fide.

EPISTOLA XI.—*Ausonius Paullo S.*

Versus meos utili, et conscio sibi pudore celatos, carmine tuo et sermone præmissis, dum putas elici, repressisti. Nam qui ipse facundus et musicus editionis alienæ prolectat audaciam, consilio, quo suadet, exterret. Tegat oportet auditor doctrinam suam, qui volet ad dicendum sollicitare trepidantem; nec emerita adversum tirunculos arma concutiat veterana calliditas. Sensit hoc Venus, de pulchritudinis palma diu ambiguo ampliata judicio. Pudenter enim, ut apud patrem, velata certaverat; neque deterrebat æmulas ornatus æqualis. At postquam in pastoris examen deducta est lis dearum; qualis emerserat mari, aut cum Marte convenerat, et consternavit arbitrum, et contendentium certamen oppressit. Ergo nisi Delirus tuus, in re tenui non tenuiter laboratus, opuscula mea, quæ promi studueras, retardasset, jamdudum ego, ut palmes audacior, in hibernas adhuc auras improbum germen egissem, periculum judicii gravis inconsulta festinatione subiturus. Denique dissonum, quem Colonomon existimo proprie a philologis appellatum, ad te mittere, ut jubebas, recenti versuum tuorum lectione non ausus, ea, quæ tibi jam cursim fuerant recitata, transmitto. Etenim hoc poposcisti, atque id ego malui; tu ut tua culpa ad eundem lapidem bis offenderes; ego autem, quæcunque fortuna esset, semel erubescerem. Vide, mi Paulle, quam ineptum lacessieris: in verbis, rudem: in eloquendo, hiulcum: a propositis discrepantem: in versibus, concinnationis expertem: in cavillando, natura invenustum, nec arte conditum: diluti salis, et fellis ignavi: nec de mimo planipedem, nec de comœdis histrionem. Ac nisi hæc a nobis missa ipse lecturus esses, etiam de pronuntiatione rideres. Nunc commodiore fato sunt, quod licet apud nos genuina, apud te erunt adoptiva.

Vinum cum bijugo parabo plaustro
Primo tempore Santonos vehendum,
Ovum tu quoque passeris marini,
Quod nunc promus ait procul relictum
In fundo patriæ Bigerritanæ.

EPISTOLA XII.—*Αὐσόνιος Παύλῳ.*

Ἑλλαδικῆς μετέχων μούσης, Latiæque Camœnæ,
Ἀξίῳ Αὐσόνιος sermone alludo bilingui.
Musæ, quid facimus? τί κεναῖσιν ἐπ' ἐλπίσιν αὔτως
Ludimus, ἀφραδίῃσιν ἐν ἤματι γηράσκοντες;
Σαντονικοῖς campoισιν ὅπη κρύος ἄσπετον ἐστίν, 5
Erramus gelidoτρομεροὶ rigidique poetæ,
Πιερίδων τερενοπλοκάμων θεράποντες inertes.
Πάντα δ' ἔχει παγετός τε pedum, καὶ κρυμὸς ὀδόντων,
Θαλπωρὴ quia nulla πέλει χιονώδεϊ χώρῃ,
Et duplicant frigus ψυχρὰ carmina μητιόωντες. 10
Ἀρχόμενος δ' ἄρα μῆνιν ἐώια.....
Primitias Παύλῳ nostro πέμψω μελιηδεῖς.
Μνημοσύνης κρηδεμνοκόμου πολυinclyta τέκνα
Ἐννέα verbosæ, κρινοστέφανοί τε puellæ,
Ἔνθ' ἄγε μοι πολυπευέτ' ἔπη, κουρώδεια μολπὴν, 15
Φρόντibus ὑμετεραις πτέρινον præferte libellum
Ὑματαρ.....στίχον.....
Παύλῳ ἐφαρμόζητε μεμιγμένον.....ᾠδήν.
Οὐ γάρ μοι θέμις ἐστὶν in hac regione μένοντι,
Ἄξιον ab nostris ἐπιδεύεα esse Καμήναις. 20
Κεῖνος ἐμοὶ πάντων μέτοχος, qui seria nostra,
Qui joca παντοδαπῇ novit tractare παλαίστρῃ
Καὶ νῦν sepositus μοναχῷ ἐνὶ rure Κρεβέννῳ,
Ἀσταφύλῳ ἐνὶ χώρῳ, habet θυμαλγέα λέσχην,
Οὔτε φίλοις ἑτάροις, nec mensæ accommodus ulli,
Ὅστι ἀθελξινόοις αἰεὶ σύνεμεν φάτο μούσαις. 26
Jam satis, ὦ φίλε Παῦλε, πόνων ἀπεπειρήθημεν,
Ἐν τε foρῳ causaῖς τε, καὶ ingrataῖσι καθέδραις,
Ῥητορικοῖς ludοισι, καὶ ἔπλετο οὐδὲν ὄνειαρ.
Ἀλλ' ἤδη κεῖνος μὲν ἅπας juvenaλιος ἱδρὼς 30
Ἐκκέχυται μελέων· τρομερὴ λάβε βλέμμα senectus,
Καὶ minus in sumtum δαπανὰς levis arca ministrat.
Οὐ γὰρ ἔχει ὀπάλαμνος ἀνὴρ.....
Κλεινικὸς οὐθ' ὁ γέρων.....
Æquanimus si qua fueris, ἐς πάντα μάλ' εὔδειν 35
Malueris, λήθη δὲ πόνου ἔσετ', ἠδὲ πενίης.
Κεῖνο δὲ πάγκάλλιστον, ut omnibus undique mensis
Σὺν φίλῃ ἢ σὺν δέπαϊ συνοπάονι μουσέων
Θυμοῦ ἀκηχεμένου solatia blanda requiras.
Hic erit et fructus Δημήτερος ἀγλαοκάρπου. 40
Ἔνθα σοι εἶδαρ ἔοι, πολυχανδέα pocula θέντι,
Κιρνᾶν, αἴκε θέλοις, νέκταρ vinoιο bonoιο.
Ambo igitur nostræ παραλέξομεν otia vitæ,
Dum res, et ætas, et sororum
Νήματα πορφύρεα πλέκονται.

EPISTOLA XIII.—*Αὐσόνιος Παύλῳ*

Ῥωμαίων ὕπατος ἀρεταλόγῳ ἠδὲ ποιητῇ
Αὐσόνιος Παύλῳ. σπεύδε φίλους ἰδέειν.

EPISTOLA XIV.—*Ad eundem Paullum.*

Æquoream liqui te propter, amice, Garumnam;
Te propter campos incolo Santonicos.
Congressus igitur nostros pete: si tibi cura,
Quæ mihi, conspectu jam potiere meo.
Sed tamen appropera, quantum pote corpore, et
Ut salvum videam, sat cito te video. [ævo:
Si post infaustas vigor integratus habenas,
Et rediit membris jam sua mobilitas;

Si riguam lætis recolis Pimpleida Musis,
Jam vates, et non flagrifer Automedon; 10
Pelle soporiferi senium nubemque veterni,
Atque alacri mediam carpe vigore viam.
Sed cisium aut pigrum cautus conscende vere-
Non tibi sit rhedæ, non amor acris equi. [dum.
Cantheris moneo male nota petorrita vites; 15
Nec celeres mulas ipse Methyscus agas.
Sic tibi sint Musæ faciles, meditatio promta
Et memor, et liquidi mel fluat eloquii.
Sic, qui venalis tam longa ætate Crebennus
Non habet emtorem, sit tibi pro pretio. 20
Attamen ut citius venias, leviusque vehare,
Historiam, mimos, carmina, linque domi.
Grande onus in Musis: tot sæcula condita chartis,
Quæ sua vix tolerant tempora, nostra gravant.
Nobiscum invenies ἐπέων πολυμορφέα πληθύν, 25
Γραμματικῶν τε πλοκὰς καὶ λογοδαιδαλίην,
Δάκτυλον ἡρῷον, καὶ ἀοιδοπόλον χορίαμβον,
Σὺν Θαλίης τε χόρῳ σύρματα Τερψιχόρης
Σωταδικόν τε κίναιδον, ἰωνικὸν ἀμφοτέρωθεν,
Ῥυθμῶν Πινδαρικῶν ἔννομον εὐεπίην. 30
Εἰλιτόδην σκάζοντα, καὶ οὐ σκάζοντα τρίμετρον.
Ὀκτὼ Θουκυδίδου, ἔννεα Ἡροδότου.
Ῥητορικῶν θαυμαστὰ, σοφῶν ἐρικυδὲα φῦλα,
Πάντα μάλ' ὅσσ' ἐθέλοις, καὶ πλέον, αἴκε θέλοις.
Hoc tibi de nostris ἀσπαστικὸν offero libris. 35
Vale: valere si voles me, jam veni.

Epistola XV.—*Ausonius Tetradio salutem.*

O qui venustos uberi facundia
Sales opimas, Tetradi,
Cavesque, ne sit tristis et dulci carens
Amara concinnatio:
Qui felle carmen atque melle temperans, 5
Torpere Musas non sinis;
Pariterque fucas, quæque gustu ignava sunt,
Et quæ sapore tristia:
Rudes Camœnas qui Suessæ prævenis,
Ævoque cedis, non stylo: 10
Cur me propinquum Santonorum mœnibus
Declinas, ut Lucas boves
Olim resumto præferoces prœlio
Fugit juventus Romula?
Non ut tigris te, non leonis impetu, 15
Amore sed caro expeto.
Videre alumni gestio vultus mei,
Et indole optata frui.
Invitus olim devoravi absentiæ
Necessitatem pristinæ, 20
Quondam docendi munere adstrictum gravi
Iculisma cum te absconderet:
Et invidebam devio, ac solo loco
Opes Camœnarum tegi.
At nunc frequentes atque claros, nec procul, 25
Cum floreas inter viros;
Tibique nostras ventus auras deferat,
Auresque sermo verberet;
Cur me supino pectoris fastu tumens
Spernis poetam consulem? 30
Tuique amantem, teque mirantem, ac tua
Desiderantem carmina,
Oblitus alto negligis fastigio?
Plectendus exemplo tuo,
Ni stabilis ævo pectoris nostri fides 35
Quanquam recusantes amet.
Vale: valere si voles me, pervola
Cum scrinio, et Musis tuis.

Epistola XVI.—*Ausonius Probo Præfecto Prætorio S.*

Oblata per antiquarios mora, scio promissi mei gratiam exspectatione consumtam, Probe vir optime. In secundis tamen habeo non fefellisse. Apologos Titiani, et Nepotis chronica, quasi alios apologos (nam et ipsa instar sunt fabularum) ad nobilitatem tuam misi, gaudens atque etiam glorians fore aliquid, quod ad institutionem tuorum sedulitatis meæ studio conferatur. Libello tamen apologorum antetuli paucos epodos, studio in te observantiæ meæ impudentissimos, paucos quidem, ut ego loquax judico: verum tu, cum legeris, etiam nimium multos putabis. Adjuro benevolentiam tuam, verecundiæ meæ testem, eos mihi subita persuasione fluxisse. Nam quis hoc diu cogitaret? Quod sane ipsi per se probabunt. Fors fuat, ut si mihi vita suppetet, aliquid rerum tuarum, quamvis incultus, expoliam: quod tu etsi lectum non probes, scriptum boni consulas: cumque ego imitatus sim vesaniam Chœrili, tu ignoscas magnanimitate Alexandri. Hi igitur, ut Plautus ait, interim erunt antelogium fabularum, garruli et deceptores. Qui compositi ad honorificentiæ obsequium, ad aurium convicium concurrerunt. Vale, et me dilige.

Ad librum, ut eat ad Probum

Perge, o libelle, Sirmium,
Et dic hero meo, ac tuo,
Ave atque salve plurimum.
Quis iste sit nobis herus,
Nescis, libelle? an, cum scias, 5
Libenter audis, quod juvat?
Possum absolute dicere,
Sed dulcius circumloquar,
Diuque fando perfruar.
Hunc dico, qui lingua potens 10
Minorem Atridam præterit,
Orando pauca, et musica;
Qui grandines Ulixei,
Mellifluentem Nestora,
Concinnatorem et Tullium. 15
Qui solus. exceptis tribus
Heris, herorum primus est,
Prætorioque maximus.
Dico hunc senati præsulem,
Præfectum eundem, et consulem, 20
(Nam consul æternum cluet,)
Collegam Augusti consulis,
Columen curulis Romulæ,
Primum in secundis fascibus
Nam primus e cunctis erit 25
Consul, secundus principi.
Generi hic superstes aureo,
Satorque prolis aureæ,
Convicit Ascræum senem,
Quoi sæculum omne ferreum. 30
Qui vincit ævi injuriam,
Stirpis novator Anniæ,
Paribusque comit infulis
Aniciorum stemmata.
Probum loquor, (scis optime,) 35
Quem nemo fando dixerit,
Qui non prius laudaverit.
Perge, o libelle, et utere
Felicitate intermina.
Quin et require, si sinet 40

Tenore fari obnoxio
Age, vera proles Romuli,
Effare causam nominis.
Utrumne mores hoc tui
Nomen dedere, an nomen hoc 45
Secuta morum regula?
An ille venturi sciens
Mundi supremus arbiter,
Qualem creavit moribus,
Jussit vocari nomine? 50
Nomen datum præconiis,
Vitæque testimonio.
Libelle felix, quem sinu
Vir tantus involvet suo,
Nec occupari tempora 55
Grato queretur otio!
Quem mille cum vocis modis,
Leni aut susurro impertiet:
Cuique vigiles luminum
Vacare dignabunt coræ. 60
Quem mente et aure consciis,
Quibusdam omissis, perleget.
Quæcunque fortuna est tibi,
Perge, o libelle, et utere
Felicitate intermina. 65
Dic me valere, et vivere:
Dic vivere ex voto pio,
Sanctis precantem vocibus,
Ut quem curulis proxima
Collegio nati dedit, 70
Hunc rursus Augustus prior
Suis perennet fascibus.
Subnecte et illud leniter:
Apologos, en, misit tibi
Ab usque Rheni limite 75
Ausonius, nomen Italum,
Præceptor Augusti tui,
Æsopiam trimetriam,
Quam vertit exili stylo
Pedestre concinnans opus 80
Fandi Titianus artifex.
Ut hic avi ac patris decus
Mixto refulgens sanguine,
Probianoque, ac Anicio;
(Ut quondam in Albæ mœnibus 85
Supremus Ænea satus
Sylvios Iulis miscuit:)
Sic iste, qui natus tuus,
Flos flosculorum Romuli,
Nutricis inter lemmata, 90
Lallique somniferos modos,
Suescat peritis fabulis
Simul jocari et discere.
Et adde votum, quod pio
Concepimus rei Deo: 95
Ut genitor Augustus dedit
Collegio nati Probum;
Sic Gratianus hunc novum
Stirpi futuræ copulet.
Rata sunt futura, quæ loquor. 100
Sic merita, sic fatum jubet.
Sed jam ut loquatur Julius,
Fandi modum invita accipe,
Volucripes dimetria;
Aveque dicto, dic, Vale. 105

EPISTOLA XVII.—*Ausonius Symmacho.*

Modo intelligo, quam mellea res sit oratio; quam delenifica, et quam suada facundia. Persuasisti mihi, quod epistolæ meæ apud Capuam tibi redditæ concinnatio inhumana non esset. Sed hoc non diutius, quam dum epistolam tuam legi, quæ me blanditiis inhiantem tuis, velut succo nectaris delibuta, ducit. Ubi enim chartulam pono, et me ipsum interrogo, tum absinthium meum resipit, et circumlita melle tuo pocula deprehendo. Si vero, id quod sæpe facio, ad epistolam tuam redii, rursus illicior: et rursum ille suavissimus, ille floridissimus tui sermonis afflatus, deposita lectione vanescit, et testimonii pondus prohibet inesse dulcedini. Hoc me, velut aerius bracteæ fucus, aut picta nebula, non longius, quam dum videtur, oblectat; Chamæleontis bestiolæ vice, quæ de subjectis sumit colorem. Aliud sentio ex epistola tua, aliud ex conscientia mea: et tu me audes facundissimorum hominum laude dignari? Tu, inquam, mihi ista; qui te ultra commendationem hominum protulisti. Quisquamne ita nitet, ut comparatus tibi non sordeat? Quis ita ad Æsopi venustatem, quis ad sophisticas Isocratis conclusiones, quis ad enthymemata Demosthenis, aut opulentiam Tullianam, aut proprietatem nostri Maronis accedat? Quis ita affectat singula, ut tu imples omnia? Quid enim aliud es, quam ex omni bonarum artium ingenio collecta perfectio? Hæc, domine mi, fili Symmache, non vereor, ne in te blandius dicta videantur esse, quam verius. Et expertus es fidem meam mentis atque dictorum, dum in comitatu degimus ambo, ævo dispari. Ubi tu veteris militiæ præmia tiro meruisti; ego tirocinium jam veteranus exercui. In comitatu tibi verus fui; nedum me peregrem existimes composita fabulari. In comitatu, inquam, qui frontes hominum aperit, mentes tegit: ibi me et parentem, et amicum, et si quid utroque carius est, cariorem fuisse sensisti. Sed abeamus ab his, ne isthæc commemoratio ad illam Sosiæ formidinem videatur accedere. Illud quoque, quod pæne præterii, qua affectione addidisti, ut ad te didascalicum aliquod opusculum, aut sermonem protrepticum mitterem? Ego te docebo, docendus adhuc, si essem id ætatis ut discerem? Aut ego te vegetum atque alacrem commonebo? Eadem opera et Musas hortabor, ut canant: et maria, ut effluant: et auras, ut vigeant: et ignes, ut caleant, admonebo: aut, si quid invitis quoque nobis natura fit, superfluus instigator agitabo. Sat est unius erroris, quod aliquid meorum, me pœnitente, vulgatum est; quod bona fortuna in manus amicorum incidit. Nam si contra id evenisset, nec tu mihi persuaderes, placere me posse. Hæc ad litteras tuas responsa sint: cætera, quæ noscere habes, compendifaciam. Sic quoque jam longa est epistola. Julianum familiarem domus nostræ, si quid tamen de nobis percontandum arbitraris, allego: simul admoneo, ut cum causam adventus ejus agnoveris, juves studium, quod ex parte fovisti. Vale.

EPISTOLA XVIII.—*Ad Ursulum Grammaticum Trevirorum, cui strenas Calendis Januarus ab Imperatore non datas, reddi fecit.*

Primus jucundi fuit hic tibi fructus honoris,
Augustæ faustum munus habere manus.
Proximus ex longo gradus est, quæstoris amici
Curam pro strenis excubuisse tuis
Ergo interceptos regale nomisma Philippos 5
Accipe tot numero, quot duo Geryones:

Quot terni bijuges: demtoque triente Camœnæ:
Quotque super terram sidera zodiaci:
Quot commissa viris Romana Albanaque fata:
Quotque doces horis, quotque domi resides. 10
Ostia quot pro parte aperit stridentia Circus,
Excepto, medium quod patet ad stadium.
Quot pedibus gradiuntur apes, et versus Homeri:
Quotque horis pelagus profluit, aut refluit.
Protulit in scenam quot dramata fabellarum, 15
Arcadiæ medio qui jacet in gremio.
Vel quot juncturas geometrica forma favorum
Conserit extremis omnibus, et mediis.
Quot telios primus numerus, solusque probatur;
Quot par atque impar partibus æquiparat, 20
Bis ternos, et ter binos qui conserit unus;
Qui solus totidem congeminatus habet,
Quot faciunt juncti subterque supraque locati,
Qui numerant Hyadas, Pleiadasque simul.

* * * * * * *

Ursule collega nobilis Harmonio, [per,
Harmonio, quem Claranus, quem Scaurus, et As-
Quem sibi conferret Varro, priorque Crates,
Quique sacri lacerum collegit corpus Homeri,
Quique notas spuriis versibus apposuit:
Cecropiæ commune decus Latiæque Camœnæ,
Solus qui Chium miscet et Ammineum. 31

EPISTOLA XIX.—*Ausonius Pontio Paullino filio.*

Condiderat jam Solis equos Tartessia Calpe,
Stridebatque freto Titan insignis Ibero:
Jam succedentes quatiebat Luna juvencas,
Vinceret ut tenebras radiis, velut æmula fratris.
Jam volucres, hominumque genus superabile curis, 5
Mulcebant placidi tranquilla oblivia somni.
Transierant Idus, medius suprema December
Tempora venturo properabat jungere Jano:
Et nonas decimas ab se nox longa Calendas
Jugiter acciri celebranda ad festa jubebat. 10

Nescis, puto, quid velim tot versibus dicere. Medius fidius neque bene ipse intelligo; tamen suspicor. Jam prima nox erat ante diem nonum decimum Calendarum Januariarum, cum redditæ sunt mihi litteræ tuæ oppido quam litteratæ. His longe jucundissimum poema subdideras, quod de tribus Suetonii libris, quos ille de regibus dedit, in epitomen coegisti, tanta elegantia, solus ut mihi videare adsecutus, quod contra rerum naturam est, brevitas ut obscura non esset. In his versibus ego ista cognovi:

Europamque Asiamque, duo vel maxima terræ
Membra; quibus Libyam dubie Sallustius addit,
Europæ adjunctam, possit cum tertia dici:
Regnatas multis, quos fama oblitterat, et quos
Barbara Romanæ non tradunt nomina linguæ, 15
Illibanum, Numidamque Avelim, Parthumque Vononem,
Et Caranum, Pellæa dedit qui nomina regum:
Quique Magos docuit mysteria vana Necepsus,
Et qui regnavit sine nomine mox Sesoostris.

Hæc tu quam perite, et concinne, quam modulate, et dulciter, ita juxta naturam Romanorum accentuum enuntiasti, ut tamen veris ac primigeniis vocibus sua fastigia non perirent. Jam quid de eloquentia dicam? Liquido adjurare possum, nullum tibi ad poeticam facundiam Romanæ juventutis æquari. Certe ita mihi videris. Si erro, pater sum, fer me; et noli exigere judicium, obstante pietate. Verum cum pie diligam, sincere ac severe judico. Affice me, oro, tali munere frequenter: quo et oblector, et honoror. Accessit tibi in artem poeticam mellea adulatio. Quid enim aliud agunt,

Audax Icario qui fecit nomina ponto,
Et qui Chalcidicas moderate enavit ad arces,

nisi ut et vegetam et sublimem alacritatem tuam temeritatem voces; me vero, et consultum, et quem filius debeat imitari, salutari prudentia præditum dicas? Quod quidem contra est. Nam tu summa sic appetis, ut non decidas; senectus mea satis habet, si consistat. Hæc ad te breviter, et illico, vesperis illius secuto mane dictavi. Ita enim tabellarius tuus, ut epistolam referret, instabat. Nam si mihi otium fuerit, oblectabile negotium erit ad te prolixius delirare, te ut eliciam, mihi ut satisfaciam. Vale.

EPISTOLA XX.—*Ausonius Paullino S. P. D*

Paullino Ausonius. Metrum sic suasit, ut esses
Tu prior, et nomen prægrederere meum.
Quanquam et fastorum titulo prior, et tua Romæ
Præcessit nostrum sella curulis ebur.
Et quæ jamdudum tibi palma poetica pollet, 5
Lemnisco ornata est, quo mea palma caret.
Longævæ tantum superamus honore senectæ.
Quid refert? cornix non ideo ante cycnum:
Nec quia mille annos vivit Gangeticus ales,
Vincit centum oculos, regie pavo, tuos 10
Cedimus ingenio, quantum præcedimus ævo.
Adsurgit Musæ nostra Camœna tuæ.
Vive, vale: et totidem venturos congere Janos,
Quot tuus, aut noster conseruere patres.

EPISTOLA XXI.—*Ausonius Paullino suo S. D.*

Quanto me affecit beneficio non delata quidem, sed suscepta querimonia mea, Paulline fili! Veritus displicuisse oleum, quod miseras, munus iterasti: addito etiam Barcinonensis muriæ condimento, cumulatius præstitisti. Scis autem, me id nomen muriæ, quod in usu vulgi est, nec solere, nec posse dicere; cum scientissimi veterum, et Græca vocabula fastidientes, Latinum in gari appellatione non habeant. Sed ego quocunque nomine loquar, liquor iste sociorum vocatur. Vale.

Jam patinas implebo meas, ut parcior ille
Majorum mensis applaria succus inundet.

Quid autem tam amabile tamque hospitale, quam quod tu, ut me participes, delicias tuas in ipsa primitiarum novitate defraudas? O melle dulcior, o gratiæ venustate festivior, o ab omnibus patrio stringende complexu! Sed hæc atque alia hujusmodi documenta liberalis animi alicui fortasse, et aliquando, quamvis rarius; illud de epistolarum tuarum eruditione, de poematis jucunditate, de inventione, et continuatione, juro omnia, nulli unquam imitabile futurum, etsi fateatur imitandum. De quo opusculo, ut jubes, faciam. Exquisitius universa limabo: et quamvis per te manus summa contigerit, cælum superfluæ expolitionis adhibebo; magis ut tibi paream, quam ut perfectis aliquid adjiciam. Interea tamen, ne sine corollario poetico tabellarius tuus rediret, paucis iambicis præludendum putavi, dum illud, quod a me heroico metro desideras, inchoatur. Isti tamen, ita te et Hesperium

salvos habeam, quod spatio lucubratiunculæ unius effusi, quanquam hoc ipsi de se probabunt, tamen nihil diligentiæ ulterioris habuerunt. Vale.

Iambe Parthis, et Cydonum spiculis,
Iambe pennis alitum velocior
Padi ruentis impetu torrentior,
Magna sonoræ grandinis vi densior,
Flammis corusci fulminis vibratior, 5
Jam nunc per auras, Persei talaribus
Petasoque ditis Arcados vectus, vola.
Si vera fama est Hippocrene, quam pedis
Pulsu citatam cornipes fudit fremens,
Tu fonte in ipso procreatus Pegasi 10
Primus novorum metra junxisti pedum;
Illicque Musis concinentibus novem
Cædem in draconis concitasti Delium.
Fer hanc salutem præpes et volucripes [quor,)
Paullini ad usque mœnia, (Hebromagum lo-
Et protinus jam, si resumtis viribus 16
Alacri refecti corporis motu viget,
Salvere jussum mox reposce mutuum.
Nihil moreris, jamque dum loquor, redi,
Imitatus illum stirpis auctorem tuæ, 20
Triplici furentem qui Chimæram incendio
Supervolavit, tutus igne proximo.
Dic et, Valere, dic, Avere te jubet
Amicus, et vicinus, et fautor tuus,
Honoris auctor, altor ingenii tui; 25
Dic et magister, dic parens, dic omnia
Blanda atque sancta caritatis nomina.
Aveque dicto, dic Vale, et actutum redi.
Quod si rogabit, quid super scriptis novis
Maturus ævi, nec rudis dijudicem; 30
Nescire dices, sed paratum jam fore
Heroicorum versuum plenum essedum;
Cui subjugabo de molarum ambagibus,
Qui machinali saxa volvunt pondere,
Tripedes caballos terga ruptos verbere, 35
His ut vehantur tres sodales nuntii.
Fors et rogabit, quos sodales dixeris
Simul venire: dic, trinodem Dactylum
Vidi paratum crucianti cantherio:
Spondæus illi lentipes ibat comes, 40
Paribus moratur qui locis cursum meum:
Mihique similis, semper adversus tamen,
Nec par, nec impar, qui Trochæus dicitur.
Hæc fare cursim, nec moratus pervola,
Aliquid reportans interim munusculi 45
De largitate Musici promtarii.

EPISTOLA XXII.—*Ausonius Paullino suo*

Multas et frequentes mihi gratiæ tuæ causas et occasio subinde nata concinnat, et naturæ tuæ facilitas benigna conciliat, Paulline fili. Nam quia nihil, poscente me, abnuis, magis acuis procaciam, quam retundis: ut nunc quoque in causa Philonis procuratoris quondam mei experiere; qui apud Hebromagum conditis mercibus, quas per agros diversos coemit, concesso ab hominibus tuis usus hospitio, immature periclitatur expelli. Quod nisi indulseris, rogante me, ut et mora habitandi ad commodum suum utatur, et nauso aliave quavis navi usque ad oppidum præbita frugis aliquantulum nostræ advehi possit, Lucaniacus ut inopia liberetur mature; tota illa familia hominis litterati non ad Tullii Frumentariam, sed ad Curculionem Plauti pertinebit. Hoc quo facilius impetrarem, aut quo majorem verereris molestiam, si negares, concinnatam iambis signatamque ad te epistolam misi, ne subornatum diceres tabellarium, si ad te sine signi fide veniret. Signavi autem, non ut Plautus ait,

Per ceram, et linum, litterasque interpretes,

sed per poeticum characterem magis notavimus, tanquam signum impressum judicares.

Philon, meis qui villicatus prædiis
Ut ipse vult, epitropos,
(Nam gloriosum Græculus nomen putat,
Quod sermo fucat Doricus,)
Suis querelis adserit nostras preces, 5
Quas ipse lentus prosequor.
Videbis ipsum, qualis adstet cominus,
Imago fortunæ suæ,
Canus, comosus, hispidus, trux, attubus,
Terentianus Phormio, 10
Horrens capillis ut marinus asperis
Echinus, aut versus mei.
Hic sæpe falsus messibus vegrandibus,
Nomen perosus villici,
Semente sera, sive multum præcoqua, 15
Et siderali inscitia,
Cœlum lacessens, seque culpæ subtrahens,
Reos peregit cœlites.
Non cultor instans, non arator gnaruris,
Promusque, quam condus magis, 20
Terram infidelem, nec feracem criminans,
Negotiari maluit.
Mercatur* quoquo foro venalium:
Mutuatur ad Græcam fidem:
Sapiensque supra Græciæ septem viros, 25
Octavus accessit sophos.
Et nunc paravit triticum casco sale,
Novusque pollet emporus.
Adit inquilinos, rura, vicos, oppida,
Soli et sali commercio; 30
Acatis, phaselis, lintribus, stlatis, rate
Tarnim et Garumnam permeat;
Ac lucra damnis, damna mutans fraudibus,
Se ditat, et me pauperat.
Is nunc ad usque vectus Hebromagum tuam, 35
Sedem locavit mercibus.
* * * * * *
Ut inde nauso devehat
* * * * * *
Nostros in usus, ut refert.
Hunc ergo paucis ne graveris hospitem,
* * * * * *
Adjutus ut mox navis auxilio tuæ, 40
Ad usque portus oppidi,
Jam jam Perusina et Saguntina fame
Lucaniacum liberet.
Hoc si impetratum munus abs te accepero,
Prior colere, quam Ceres. 45
Triptolemon olim, sive Epimenidem vocant,
Aut Bullianum Buzygen,
Tuo locabo postferendos nomini.
Nam munus hoc fiet tuum.

EPISTOLA XXIII.—*Ausonius Paullino.*

Proxima, quæ nostræ fuerat querimonia chartæ,
Crediderat quod te, Paulline, inflectere posset,
Eliceretque tuam blanda objurgatio vocem.
Sed tu, juratis velut alta silentia sacris
Devotus teneas, perstas in lege tacendi. 5
Non licet? anne pudet, si quis tibi jure paterno
Vivat amicus adhuc, maneasque obnoxius hæres?

Ignavos agitet talis timor: at tibi nullus
Sit metus, et morem missæ acceptæque salutis
Audacter retine: vel si tibi proditor instat, 10
Aut quæsitoris gravior censura timetur,
Occurre ingenio, quo sæpe occulta teguntur.
Threicii quondam quam sæva licentia regis
Fecerat elinguem, per licia texta querelas
Edidit, et tacitis mandavit crimina telis: 15
Et pudibunda suos malo commisit amores
Virgo, nec erubuit taciturо conscia pomo.
Depressis scrobibus vitium regale minister
Credidit, idque diu texit fidissima tellus.
Inspirata dehinc vento cantavit arundo. 20
Lacte incide notas; arescens charta tenebit
Semper inaspicuas: prodentur scripta favillis.
Vel Lacedæmoniam scytalen imitare, libelli
Segmina Pergamei tereti circumdata ligno
Perpetuo inscribens versu, qui deinde solutus 25
Non respondentes sparso dabit ordine formas,
Donec consimilis ligni replicetur in orbem.
Innumeras possum celandi ostendere formas,
Et clandestinas veterum reserare loquelas.
Si prodi, Paulline, times, nostræque vereris 30
Crimen amicitiæ, Tanaquil tua nesciat istud.
Tu contemne alios, nec dedignare parentem
Affari verbis: ego sum tuus altor, et ille
Præceptor primus, primus largitor honorum,
Primus in Aonidûm qui te collegia duxi. 35

Epistola XXIV.—*Ausonius Paullino S.*

Discutimus, Paulline, jugum, quod certa fovebat
Temperies: leve quod positu, et tolerabile junctis,
Tractabat paribus concordia mitis habenis:
Quod per tam longam seriem volventibus annis
Fabula non unquam, nunquam querimonia movit,
Nulla querela loco pepulit, non ira, nec error, 6
Nec quæ compositis malesuada et credula causis
Concinnat veri similis suspicio culpas. [parentes
Tam placidum, tam mite jugum, quod utrique
Ad senium nostræ traxere ab origine vitæ, 10
Impositumque piis hæredibus usque manere
Optarunt, dum longa dies dissolveret ævum.
Et mansit, dum læta fides, nec cura laborat
Officii servare vices: sed sponte feruntur
Incustoditum sibi continuantia cursum. 15
Hoc tam mite jugum docili cervice subirent
Martis equi, stabuloque feri Diomedis abacti,
Et qui mutatis ignoti Solis habenis
Fulmineum Phaethonta Pado mersere jugales.
Discutitur, Paulline, tamen: nec culpa duorum
Ista, sed unius tantum tua: namque ego semper
Contenta cervice feram: consorte laborum
Destituor: nec tam promtum gestata duobus
Unum deficiente pari perferre sodalem. 24
Non animus viresque labant; sed iniqua ferendo
Conditio est oneri, cum pondus utrumque relicto
Ingruit, acceduntque alienæ pondera libræ.
Sic pars ægra hominis trahit ad contagia sanum
Corpus, et exigui quamvis discrimine membri
Tota per innumeros artus compago vacillat. 30
Obruar usque tamen, veteris ne desit amici
Me durante fides; memorique ut fixa sub ævo
Restituant profugum solatia casta sodalem.
Impie, Pirithoo disjungere Thesea posses,
Euryalumque suo socium secernere Niso. 35
Te suadente fugam Pylades liquisset Orestem,
Nec custodisset Siculus vadimonia Damon.
Quantum oblectamen populi, quæ vota bonorum
Sperato fraudata bono! gratantia cuncti
Verba loquebantur: jam nomina nostra parabant
Inserere antiquis ævi melioris amicis. 41
Cedebat Pylades: Phrygii quoque gloria Nisi
Jam minor, et promissa obiens vadimonia Damon.
Nos documenta magis felicia, qualia magnus
Scipio, longævique dedit sapientia Læli. 45
Nos studiis animisque isdem, miracula cunctis;
Hoc majora, pares fuimus quod dispare in ævo.
Ocius illa jugi fatalis solvere lora
Pellæum potuisse ducem reor, abdita opertis
Principiis, et utroque caput celantia nodo. 50
Grande aliquod verbum nimirum diximus, ut se
Inferret nimiis vindex Rhamnusia votis;
Arsacidæ ut quondam regis non læta triumphis,
Grandia verba premens, ultrix dea Medica belli
Sistere Cecropidûm in terris monumenta paranti
Obstitit, et Graio jam jam fingenda tropæo 56
Ultro etiam victis Nemesis stetit Attica Persis.
Quæ tibi Romulidas proceres vexare libido est?
In Medos Arabasque tuos per nubila, et atrum
Perge chaos; Romana procul tibi nomina sunto.
Illic quære alios oppugnatura sodales, 61
Livor ubi iste tuus, ferrugineumque venenum
Opportuna tuis inimicat pectora fucis. [ni
Paullinum Ausoniumque, viros, quos sacra Quiri-
Purpura, et auratus trabeæ velavit amictus, 65
Non decet insidiis peregrinæ cedere divæ.
Quid queror, Eoique insector crimina monstri?
Occidui me ripa Tagi, me Punica lædit
Barcino, me bimaris juga ninguida Pyrenæi,
Quæque suo longe dirimit provincia tractu 70
Trans montes, solemque alium, trans flumina et
Et quod terrarum cœlique extenditur inter [urbes,
Emeritensis Anæ, latæque fluenta Garumnæ.
Quod si intervallis spatium tolerabile limes
Poneret exiguus; quamvis longa omnia credant,
Qui simul esse volunt; faceret tamen ipsa propinquos 76
Cura locos, mediis jungens distantia verbis,
Mœnibus e patriis formam quoque vestis et oris
Santonus ut sibi Burdigalam, mox jungit Aginnum
Illa sibi, et populos Aquitanica rura colentes: 80
Utque duplex Arelas Alpinæ tecta Viennæ,
Narbonemque pari spatio sibi conserit; et mox
Quincuplicem socias tibi, Martie Narbo, Tolosam.
Hoc mihi si spatium vicinis mœnibus esset,
Tunc ego te ut nostris aptum complecterer ulnis,
Afflaretque tuas aures nostræ aura loquelæ. 86
Nunc tibi trans Alpes, et marmoream Pyrenen
Cæsareæ Augustæ domus est; Tyrrhenica propter
Tarraco, et ostrifero superaddita Barcino ponto.
Terjuga Burdigalæ trino me flumina cœtu 90
Secernunt turbis popularibus, otiaque inter
Vitiferi exercent colles, lætumque colonis
Uber agri, tum prata virentia, tum nemus umbris
Mobilibus, celebrique frequens ecclesia vico
Totque mea in Novero sibi proxima prædia pago,
Dispositis totum vicibus variata per annum, 96
Egelidæ ut tepeant hiemes, rabidosque per æstus
Adspirent tenues frigus subtile Aquilones.
Te sine sed nullus grata vice provenit annus.
Ver pluvium sine flore fugit: Canis æstifer ardet:
Nulla autumnales variat Pomona sapores: 101
Effusaque hiemem contristat Aquarius unda.
Agnoscisne tuam, Ponti dulcissime, culpam?
Nam mihi certa fides, nec commutabilis unquam.
Paullini illius veteris reverentia durat, 105
Quæque meo atque tuo fuerat concordia patri.
Si tendi facilis cuiquam fuit arcus Ulixi,
Aut præter dominum vibrabilis ornus Achilli

Nos quoque tam longo Rhamnusia fœdere solvet.
Sed cur tam mæsto sero tristia carmina versu?
Et non in meliora animus se vota propinquat?
Sit procul iste metus: certa est fiducia nobis,
Si genitor natusque Dei pia verba volentum 113
Accipiat, nostro reddi te posse precatu; [tum
Ne sparsam raptamque domum, laceratque cen-
Per dominos veteris Paullini regna fleamus;
Teque vagum toto, quam longa Hispania, tractu,
Immemorem veterum, peregrinis fidere amicis.
Accurre, o nostrum decus, o mea maxima cura,
Votis, ominibusque bonis, precibusque vocatus,
Appropera; dum tu juvenis, dum nostra senectus
Servat inexhaustum tibi gratificata vigorem.
Et quando iste meas impellet nuntius aures?
Ecce tuus Paullinus adest: jam ninguida linquit
Oppida Iberorum, Tarbellica jam tenet arva; 125
Hebromagi jam tecta subit; jam prædia fratris
Vicina ingreditur; jam labitur amne secundo;
Jamque in conspectu est; jam prora obvertitur
Ingressusque sui celebrata per ostia portus [amni;
Totum occursantis populi prævertitur agmen;
Et sua præteriens, jam jam tua limina pulsat.
Credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?

EPISTOLA XXV.—*Ausonius Paullino suo S.*

Quarta tibi hæc notos detexit epistola questus,
Paulline, et blando residem sermone lacessit.
Officium sed nulla pium mihi pagina reddit,
Fausta salutigeris adscribens orsa libellis.
Unde istam meruit non felix charta repulsam, 5
Spernit tam longo cessatio quam tua fastu?
Hostis ab hoste tamen per barbara verba salutem
Accipit, et Salve mediis intervenit armis.
Respondent et saxa homini: percussus ab antris
Sermo redit, redit et nemorum vocalis imago: 10
Littorei clamant scopuli, dant murmura rivi,
Hyblæis apibus sæpes depasta susurrat.
Est et arundineis modulatio musica ripis, [tis.
Cumque suis loquitur tremulum coma pinea ven-
Incubuit foliis quoties levis Eurus acutis, 15
Dindyma Gargarico respondent cantica luco.
Nil mutum natura dedit: non aeris ales,
Quadrupedesve silent: habet et sua sibila serpens,
Et pecus æquoreum tenui vice vocis anhelat.
Cymbala dant flictu sonitum, dant pulpita saltu
Icta pedum: tentis reboant cava tympana tergis:
Isiacos agitant Mareotica sistra tumultus.
Nec Dodonæi cessat tinnitus aeni,
In numerum quoties radiis ferientibus ictæ
Respondent dociles moderato verbere pelves. 25
Tu, velut Œbaliis habites taciturnus Amyclis,
Aut tua Sigalion Ægyptius oscula signet,
Obnixum, Paulline, taces. Agnosco pudorem:
Quod vitium fovet ipsa suum cessatio jugis,
Dumque pudet tacuisse diu, placet officiorum 30
Non servare vices, et amant longa otia culpam.
Quis prohibet Salve atque Vale brevitate parata
Scribere, felicesque notas mandare libellis?
Non ego longinquos ut texat pagina versus
Postulo, multiplicique oneres sermone tabellas.
Una fuit tantum, qua respondere Lacones, 36
Littera, et irato regi placuere negantes.
Est etenim comis brevitas. Sic fama renatum
Pythagoram docuisse refert: cum multa loquaces
Ambiguis sererent verbis, contra omnia solum 40
Est, respondebat, vel Non. O certa loquendi
Regula! nam brevius nihil est, nec plenius istis,
Quæ firmata probant, aut infirmata relidunt.
Nemo silens placuit; multi brevitate loquendi.
Verum ego quo stulte dudum spatiosa locutus
Provehor? ut diversa sibi vicinaque culpa est,
Multa loquens, et cuncta silens! non ambo pla-
cemus:
Nec possum reticere, jugum quod libera nunquam
Fert pietas, nec amat blandis postponere verum.
Vertisti, Paulline, tuos, dulcissime, mores? 50
Vasconis hoc saltus, et ninguida Pyrenæi
Hospitia, et nostri facit hoc oblivio cœli?
Imprecer ex merito quid non tibi, Iberica tellus?
Te populent Pœni; te perfidus Hannibal urat;
Te belli sedem repetat Sertorius exsul. 55
Ergo meum, patriæque decus, columenque senati
Bilbilis, aut hærens scopulis Calagurris habebit?
Aut quæ dejectis juga per scruposa ruinis
Arida torrentem Sicorim despectat Ilerda?
Hic trabeam, Paulline, tuam, Latiamque curulem
Constituis, patriosque istic sepelibis honores?
Quis tamen ista tibi tam longa silentia suasit?
Impius ut nullos hic vocem vertat in usus!
Gaudia non illum vegetent; non dulcia vatum
Carmina, non blandæ modulatio flexa querelæ,
Non fera, non illum pecudes, non mulceat ales,
Non quæ pastorum nemoralibus abdita lucis
Solatur nostras Echo resecuta loquelas.
Tristis, egens, deserta colat, tacitusque pererret
Alpini convexa jugi: ceu dicitur olim 70
Mentis inops, cœtus hominum et vestigia vitans,
Avia perlustrasse vagus loca Bellerophontes. [sæ,
Hæc precor; hanc vocem, Bœotia numina, Mu-
Accipite, et Latiis vatem revocate Camœnis.

AD GRATIANUM IMPERATOREM, DISCIPULUM, GRATIARUM ACTIO PRO CONSULATU.

Ago tibi gratias, Imperator Auguste; si possem, etiam referrem. Sed nec tua fortuna desiderat remunerandi vicem, nec nostra suggerit restituendi facultatem. Privatorum ista copia est, inter se esse munificos: tua beneficia ut majestate præcellunt, ita mutuum non reposcunt. Quod solum igitur nostræ opis est, gratias ago; verum ita, ut apud Deum fieri amat, sentiendo copiosius, quam loquendo. Atque non in sacrario modo imperialis oraculi, qui locus horrore tranquillo et pavore venerabili raro eundem animum præsentat et vultum; sed usquequaque gratias

ago, tum tacens, tum loquens, tum in cœtu hominum, tum ipse mecum, et cum voce patui, et cum meditatione secessi, omni loco, actu, habitu, et tempore. Nec mirum, si ego terminum non statuo tam grate profitendi, cum tu finem facere nescias honorandi. Quis enim locus est, aut dies, qui non me hujus, aut similis gratulationis admoneat? Admoneat autem? O inertiam significationis ignavæ! Quis, inquam, locus est, qui non beneficiis tuis agitet, inflammet? Nullus, inquam, Imperator Auguste, quin admirandam speciem tuæ venerationis incutiat: non palatium, quod tu, cum terribile acceperis, amabile præstitisti: non forum, et basilica olim negotiis plena, nunc votis, votisque pro tua salute susceptis: (nam de sua, cui non te imperante securitas?) non curia honorificis modo læta decretis, olim sollicitis mæsta querimoniis: non publicum, in quo occursus gaudentium plurimorum neminem patitur solum gratulari: non domus commune secretum. Lectus ipse ad quietem datus, beneficiorum tuorum reputatione tranquillior. Somnus abolitor omnium, imagines tuas offert. Ipsa autem sedes honoris, sella curulis, gloriosa pompis imperialis officii, in cujus me fastigio (ex qua mediocritate!) posuisti, quoties a me cogitatur, vincor magnitudine, redigor ad silentium, non ingratus beneficiis, sed oppressus. Ades enim locis omnibus; nec jam miramur licentiam poetarum, qui omnia Deo plena dixerunt. Spem superas, cupienda prævenis, vota præcurris; quæque animi nostri celeritas divinum instar affectat, beneficiis præeuntibus anteceditur. Præstare tibi est, quam nobis optare, velocius. Ago igitur gratias, optime Imperator. Ac si quis nunc sermonem meum iisdem verbis tam sæpe repetitum inopiæ loquentis adsignat, experiatur hoc idem persequi; sed nihil poterit proferre facundius. Aguntur enim gratiæ non propter majestatis ambitum, nec sine argumentis, Imperatori fortissimo: testis est uno pacatus anno et Danubii limes, et Rheni. Liberalissimo: ostentat hoc dives exercitus. Indulgentissimo: docet securitas erroris humani. Consultissimo: probat hoc tali principe Oriens ordinatus. Piissimo: hujus vero laudis locupletissimum testimonium est pater divinis honoribus consecratus: instar filii ad imperium frater adscitus: a contumelia belli patruus vindicatus: ad præfecturæ collegium filius cum patre conjunctus: ad consulatum præceptor evectus. Possem ire per omnes appellationes tuas, quas olim virtus dedit, quas proxime fortuna concessit, quas adhuc indulgentia divina meditatur. Vocarem Germanicum, deditione gentilium: Alemannicum, traductione captorum: vincendo et ignoscendo, Sarmaticum. Connecterem omnia merita virtutis, et cognomina felicitatis: sed alia est ista materia, et suo parata secreto, cum placuerit signanter et breviter omnia, quæ novimus, indicare, nec persequi; ut qui terrarum orbem unius tabulæ ambitu circumscribunt, aliquando detrimento magnitudinis, nullo dispendio veritatis. Nunc autem, quod diei hujus proprium, de consulatu gratias agam. Sed procurrunt et aliæ dignitates, atque in vocem gratulationis erumpunt, ac se prius debere profitentur. Tot gradus nomine Comitis propter tua incrementa congesti ex tuo merito: te ac patre principibus Quæstura communis: et tui tantum Præfectura beneficii, quæ et ipsa non vult vice simplici gratulari, liberalius divisa quam juncta; cum teneamus duo integrum, neuter desideret separatum. Sed illa, ut paullo ante promisi habebunt sui maneris peculiare secretum: consulatus hic meus orat, atque obsecrat, ut obnoxiam tibi uni sinas fieri ejus dignitatem, quem omnibus prætulisti. Quot quidem et ipse sibi invenit gradus! Cum clarissimo viro collega meo honore conjunctus, nuncupatione prælatus, consul ego, Imperator Auguste, munere tuo non passus septa, neque Campum, non suffragia, non puncta, non loculos: qui non prensaverim manus, nec consalutantium confusus occursu aut sua amicis nomina non reddiderim, aut aliena imposuerim: qui tribus non circumivi, centurias non adulavi, jure vocatis classibus non intremui, nihil cum sequestre deposui, cum diribitore nil pepigi. Romanus populus, Martius campus, equester ordo, rostra, ovilia, senatus, curia, unus mihi omnia Gratianus. Jure meo, Auguste maxime, affirmare possum incolumi omnium gratia, qui ad hunc honorem diversa unquam virtute venerunt venturique sunt, (suus enim cuique animus, suum meritum, sibique mens conscia est,) jure, inquam, meo affirmare possum, me mihi videri a cæteris esse secretum. Sunt, quos votorum cruciat inanitas; non optavi: quos exercet ambitus; non petivi: qui assiduitate exprimunt; non coegi: qui offeruntur occasione; non affui: quos juvat opulentia; obstat temporum disciplina. Non emi: nec possum continentiam jactare; non habui. Unum præstare tentavi, et hoc ipsum quasi meum vindicare non possum: in tua enim positum est opinione, si merui. Fecisti autem et facies alios quoque consules, piissime Gratiane, sed non et causa pari. Viros gloriæ militaris; habent enim tecum ut semper laboris, ita dignitatis plerumque consortium, virtutis quam honoris antiquiore collegio: viros nobilitatis antiquæ; dantur enim multa nominibus, et est Roma pro merito: viros fide inclytos, et officiis probatos; quorum me etsi non secerno numero, tamen, quod ad honoris viam pertinet, ratione dispertio. Quartum hunc gradum novi beneficii tui, Auguste, constituis auferre tibi ipsi, quo alter ornetur; bona animi tui ad alienam referre præstantiam, eruditionemque naturæ, quam Deo et patri et tibi debes, ad alterius efficaciam gratius retorquere, quam verius. Tua hæc verba sunt a te mihi scripta: Solvere te, quod debebas; et adhuc debere, quod solveris. O mentis aureæ dictum bracteatum! o de pectore candidissimo lactei sermonis alimoniam! Quisquamne tam parcus est in ostentatione beneficii? quisquam pondus gratiæ suæ vim meriti profitetur alieni? quisquam denique quod indulget, quasi ab obnoxio deferatur, pretium mavult vocare, quam donum? Certent huic sententiæ veteres illi et Homerici oratores, subtilis deducta oratione Menelaus, et instar profundæ grandinis ductor Ithacesius, et melleo delibutus eloquio jam tertiæ Nestor ætatis: sed neque ille concinnius eloquetur, qui se Laconica brevitate collegit; neque ille contortius, qui cum sensibus verba glomeravit; nec iste dulcius, cujus lenis oratio mulcendo potius, quam extorquendo, persuasit. Solvere te dicis, quod debebas; et debiturum esse, cum solveris. Auguste juvenis, cœli tibi et humani generis rector hoc tribuat, ut prælatus antiquis, quos etiam elegantia sententiæ

istius antecessisti, vincas propria singulorum; in Menelao regiam dignationem, in Ulixe prudentiam, in Nestore senectutem. Subjiciet aliquis, Ista quidem adeptus es; sed effare, quo merito? Quid me oneras, sciscitator? Rationem felicitatis nemo reddit. Deus, et qui Deo proximus, tacito munera dispertit arbitrio; et beneficiorum suorum indignatus per homines stare judicium, mavult de subditis dedisse miraculum. Quo, inquis, merito? Ego nullum scio, nisi quod tu, piissime Imperator, debere te dicis: et hoc debere, latissime pertinet; sive hoc eruditionis tuæ fœnus existimas: sive sine fœnore gloriam liberalitatis affectas: sive te pondere conceptæ sponsionis exoneras: seu fideicommissum patris exsolvis: seu magnanimitate cœlesti, ostentatione suppressa, Dei munus imitaris. Debere te dicis. Cui? quando? quo nomine? Lege syngrapham: nomina creditorem: accepti et expensi tabulæ conferantur: videbis alio summæ istius transire rationem. Tibi cœpit Deus debere pro nobis. Quid autem mihi debes, gratissime Imperator? patitur enim humanitas tua, ut præter regias virtutes, privata appellatione lauderis. Quid tu mihi debes? Et contra, quid non ego tibi debeo? Anne quod docui? hoc ego possum verius retorquere, dignum me habitum, qui docerem; tot facundia, doctrinaque præstantes, inclinata in me dignatione præteritos, ut esset quem tu matura jam ætate succinctum per omnes honorum gradus festinata bonitate proveheres; timere ut videreris, ne in me vita deficeret, dum tibi adhuc aliquid, quod deberes præstare, superesset. Negat Cicero consularis, ultra se habere, quod cupiat. Ego autem jam consul, et senex, adhuc aviditatem meam jam fatebor. Te videre sæpius in hoc magistratu, Gratiane, desidero; ut et sex Valerii Corvini, et septem Caii Marii, et cognominis tui Augusti tredecim consulatus unus æquipares. Tibi plures potest ætas et fortuna tua præstare, verum ego in numero parcior, quia tu in munere liberalior: ipsum enim te sæpius hoc honore defraudas, ut et aliis largiaris. Scis enim, Imperator doctissime, (rursum enim utar laude privata,) scis, inquam, septem ac decem Domitiani consulatus, quos ille, invidia alteros provehendi, continuando conseruit, ita in ejus aviditate derisos, ut hæc eum pagina Fastorum suorum, immo fastidiorum, fecerit insolentem, nec potuerit præstare felicem. Quod si principi honoris istius temperata, et quæ vocatur aurea, debet esse mediocritas; quid privati status hominibus, quid æquanimis, quid jam senibus erga se oportet esse moderaminis? Ego quidem, quod ad honores meos pertinet, et vota saturavi: tu tamen, Imperator optime, tu piissime, tu quem non fatigat liberalitas, nisi quando cessavit; tu, inquam, indulgentissime Gratiane, ut ad benefaciendum subito es nec opinus ingenio, adhuc aliquid, quod hoc nomine mihi præstetur, invenis. Sic intellexere omnes: sic nobis ordinem ipse fecisti: sic amicus Deo es, ut a te jam impetratum sit, quod optatur; a quo, et quod nundum optamus, adipiscimur. At rursum aliquis adjiciat, aut sermone libere, aut cogitatione liberius: Nonne olim, et apud veteres, multi ejusmodi doctores fuerunt? An tu solus præceptor Augusti? Immo ego cum multis conjunctus officio, sed cum paucissimis secretus exemplo. Nolo Constantini temporum taxare collegas: Cæsares docebantur. Superiora contingam. Dives Seneca, nec tamen consul, arguetur rectius, quam prædicabitur, non erudiisse indolem Neronis, sed armasse sævitiam. Quintilianus consularia per Clementem ornamenta sortitus, honestamenta nominis potius videtur, quam insignia potestatis habuisse. Quomodo et Titianus magister. Sed gloriosus ille municipalem scholam apud Visontionem Lugdunumque variando, non ætate quidem, sed vilitate consenuit. Unica mihi amplectenda est Frontonis imitatio: quem tamen Augusti magistrum sic consulatus ornavit, ut præfectura non cingeret. Sed consulatus ille cujusmodi? ordinario suffectus, bimestri spatio interpositus, in sexta anni parte consumtus; quærendum ut reliquerit tantus orator, quibus consulibus gesserit consulatum. Ecce aliud, quod aliquis opponat: In tanti ergo te oratoris fastigium gloriosus attollis? Cui talia requirenti respondebo breviter: Non ego me contendo Frontoni, sed Antonino præfero Gratianum. Celebrant quidem sollennes istos dies omnes ubique urbes, quæ sub legibus agunt, et Roma de more, et Constantinopolis de imitatione, Antiochia pro luxu, et Carthago discincta, et domus fluminis Alexandria; sed Treviri principis beneficio, et mox cum ipso auctore beneficii. Loca inter se distant, vota consentiunt. Unus in ore omnium Gratianus, potestate imperator, virtute victor, Augustus sanctitate, pontifex religione, indulgentia pater, ætate filius, pietate utrumque. Non possum fidei causa ostendere imagines majorum meorum, ut ait apud Sallustium Marius; nec deductum ab Heroibus genus ad deorum stemma replicare; nec ignotas opes, et patrimonia sparsa sub regnis; sed ea, quæ nota sunt, dicere potius, quam prædicare, patriam non obscuram, familiam non pœnitendam, domum innocentem, innocentiam non coactam, angustas opes, veruntamen libris et liberis dilatatas; frugalitatem sine sordibus, ingenium liberale, animum non illiberalem, victum, vestitum, supellectilem, munda, non splendida: veteribus ut illis consulibus (excepta, quæ tum erat, bellicarum collatione virtutum) si quis me conferre dignetur, seponat opulentiam, non derogaturus industriam. Verum quoniam gratiis agendis jamdudum succumbo materiæ, tu orationi meæ, Gratiane, succede. Tu, Gratiane, qui hoc nomen sic per fortunam adeptus es, ut nemo verius ambitione quæsierit: (neque enim justius Metellus cognomento Pius, patre revocato, qui esset impius exsulante; aut verius Sulla Felix, qui felicior ante, quam vocaretur; quam tu, Gratianus: cui et hoc nomen est, et illa Metelli Sullæque cognomina:) tu, inquam, Gratiane, qui hoc non singulis factis, sed perpetua grate agendi benignitate meruisti; cui, nisi ab avo deductum esset, ab omnibus adderetur; tu ipse tibi, inquam, pro me gratiam refer; tu tuæque virtutes: bonitas, qua in omnes prolixus es, perpetuus in me: pietas, qua orbem tuum temperas, quamque in ulciscendo patruo probas, tuendo in fratre cumulas, ornando in præceptore multiplicas. Agat gratias clementia, quam humano generi impertis: liberalitas, qua ditas omnes: fortitudo, qua vincis: et mens ista aurea, quam de communi Deo plus quam ullus hausisti. Agant et pro me gratias voces omnium Galliarum, quarum præfecto hanc honorificentiam detulisti

Ultra progredior; et hoc quia debere te dicis, agat, quæ optime agere potest, vox ista, quam docui. Jamdudum autem quam grati animi, tam sermonis exigui, ut supra dictum est, succumbo materiæ, neque adhuc illa perstrinxi, quæ ne infantissimus quidem, nisi idem impiissimus, eminentia per famam, et omnium gaudiis testata supprimeret; quæ supra vires dicendi meas posita cunctor attingere, aut ingrati crimine arguendus, aut temerarii professione culpandus: tamen alterum cum subeundum sit, audaciam quam malevolentiam malo reprehendi. Tu, Auguste venerabilis, districtus maximo bello, adsultantibus tot millibus barbarorum, quibus Danubii ora prætexitur, comitia consulatus mei armatus exerces. Tributa ista, quod in urbe Sirmio geruntur, an, quod in procinctu, Centuriata dicentur? An (ut quondam) Pontificalia vocabuntur, sine arbitrio multitudinis sacerdotum tractata collegio? Sic potius, sic vocentur, quæ tu Pontifex Maximus Deo participatus habuisti. Non est ingenii mei, piisime Imperator, talia comminisci. Verba sunt litterarum tuarum; quibus apud me auctoritatem summi numinis, et vim tuæ voluntatis amplificas. Sic enim loqueris: Cum de consulibus in annum creandis solus mecum volutarem, ut me nosti, ut facere debui, ut velle te scivi, consilium meum ad Deum retuli. Ejus auctoritati obsecutus, te consulem designavi, et declaravi, et priorem nuncupavi. Cujus orationis ordo lucidior? Quæ doctrina tam diligens propriis comitiorum verbis loqui, nec vocabulis moris antiqui nomina peregrina miscere? Valete modo classes populi, et urbanarum tribuum prærogativæ, et centuriæ jure vocatæ. Quæ comitia pleniora unquam fuerunt, quam quibus præstitit Deus consilium, Imperator obsequium? Et nunc ego, piissime Imperator, ne fastigium auditorii sacri dictorum tuorum timidus interpres offendam, divinitatis tuæ prope cum piaculo verba transcurro. Cum de consulibus, inquis, in annum creandis. Erudita vox, et cura sollennis! Solus mecum volutarem. O profundi altitudo secreti! Habes ergo consiliatorem, et non metuis proditorem. Ut me nosti. Quid familiarius? Ut facere debui. Quid constantius? Ut velle te scivi. Quid dici blandius potest? Consilium meum ad Deum retuli. Et quemadmodum solus, cui præsto est tam grande concilium? An plenius cum senatu, cum equestri ordine, cum plebe Romana, cum exercitu tuo, et provinciis omnibus deliberasses? Consilium meum ad Deum retuli. Non ut, credo, novum sumeres, sed ut sanctius fieret, quod volebas. Ejus auctoritati obsecutus: scilicet ut in consecrando patre, in ulciscendo patruo, in cooptando fratre fecisti. Te consulem designavi, et declaravi, et priorem nuncupavi. Quis hæc verba te docuit? Ego tam propria et tam Latina nescivi. Designavi, et declaravi, et nuncupavi. Non fit hoc temere. Habet moras suas dispertitis gradibus tam matura cunctatio. Has ego litteras tuas si in omnibus pilis atque porticibus, unde de plano legi possint, instar edicti pendere mandavero; nonne tot statuis honorabor, quot fuerint paginæ libellorum? Sed ad blandiora festino. Ab hac enim litterarum ad me datarum parte digressus, eo quoque descendisti, ut quæreres, qualis ad me trabea mitteretur. Omne largitionum tuarum ministerium sollicitudine fatigasti. Non ergo supra consulatum mihi est adhibita per te cura tam diligens, pro me cura tam felix? In Illyrico arma quatiuntur. Tu mea causa per Gallias civilium decorum indumenta dispensas. Loricatus de toga mea tractas. In procinctu, et cum maxime dimicaturus, palmatæ vestis meæ ornamenta disponis: feliciter, et bono omine. Namque iste habitus, ut in pace consulis est, sic in victoria triumphantis. Parum est, si qualis ad me trabea mittatur, interroges; te coram promi jubes. Nec satis habes, ut largitionum ministri ex more fungantur; eligis ipse de multis: et cum elegeris, munera tua verborum honore prosequeris. Palmatam, inquis, tibi misi, in qua divus Constantius parens noster intextus est. Me beatum, cujus insignibus talis cura præstetur! Hæc plane, hæc est picta, ut dicitur, vestis, non magis auro suo, quam tuis verbis! Sed multo plura sunt in ejus ornatu, quæ per te instructus intelligo. Geminum quippe in uno habitu radiat nomen Augusti. Constantius in argumento vestis intexitur; Gratianus in muneris honore sentitur. Accessit tam impenso beneficio tuo pondus quorundam sciscitatione cumulatum. Interrogatus, quem priorem discerneres consulem, nec dubitandum esse dixisti tu; et, qui tecum boni sunt, dubitare non poterant. Sed tamen ad hoc dictum erexerant animos, qui libenter clarissimum virum collegam meum, quem præsentem habebat occasio, prælatum credidissent. Fatigantes tamen, quod intellexerant, requirebant. Hic tu, sicut mihi renuntiatum est, noto illo pudore tuo paullisper hæsisti; non rationis ambiguus, sed eorum dubitationem vultu et rubore condemnans, qui studium suum interpretationis errore palpabant. Deinde illico subdidisti: Quid de duobus consulibus designatis quæritis, quis ordo sit nuncupationis? anne alius quam quem præfectura constituit? O felicem verecundiam tuam, cui ista popularis ratio tam prudenter occurrit! Scisti aliud, Gratiane, quod diceres; sed propter quorundam verecundiam dicere noluisti. Scrupulosus hic mihi locus est, et propter eam, quam nunquam appetivi, gloriam, recusandus. Cum prior renuntiatus sim, satis est tuum tenere judicium: interpretes valete meritorum. Neque autem ego, sacratissime Imperator, in tenui beneficio gradum nuncupationis amplector. Num est hæc gloria ignota Ciceroni? Prætorem me, inquit, populus Romanus primum fecit, consulem priorem. Ex ipsa ejus sententia intelligitur commendabilius ei videri, uni quam pluribus esse præpositum. Nulla enim est quidem contumelia secundi; sed ex duobus gloria magna prælati. Alexandri Macedonis hoc fertur, cum legisset illos Homericos versus, quibus Hectore provocante, e novem ducibus, qui omnes pugnare cupiebant, unum deligi placeret sortis eventu, trepida ubi conceptione votorum Jovem Optimum Maximum totus precatur exercitus, ut Ajacem, vel Tydei filium, aut ipsum regem ditium Mycenarum sortiri patiatur Agamemnonem; Occiderem, inquit, illum, qui me tertium nominasset. O magnanimitatem fortissimi viri! Nominari inter novem tertius recusabat; ubi certe pluribus antecelleret, quam subesset. Quanta hic verecundia gravaretur posterior de duobus! Est enim in hoc numero arduæ plena dignationis electio. Cum universis mortalibus duo, qui fiant consules, præferuntur, qui alteri præponitur, non

uni, sed omnibus antefertur. Exspectare nunc aures præsentium scio, et eminere in omnium vultu intelligo, quid desiderio concipiatur animorum. Existimant enim, cum ea, quæ ad gratias agendas pertinebant, summatim tenuiore filo, ut dicitur, deducta libaverim, aliqua me etiam de majestatis tuæ laudibus debere perstringere. Quanquam me istam dixerim seposuisse materiam, et in tempus aliud reservare, nihilominus tamen, ut nunc aliqua contingam, nutu et prope murmure cohortantur. Itaque faciam, quando cogunt volentem: sed majoribus separatis, tenuiora memorabo, nulla spe ad plenum exsequendi; sed universi ut intelligant, eorum, quæ intus prædicanda sunt, a me poscendam esse notitiam, ab aliis dignitatem. Nec excellentia, sed quotidiana tractabo. Nullum tu unquam diem ab adolescentia tua, nisi adorato Dei numine, et reus voti, et illico absolutus egisti; lautis manibus, mente pura, immaculabili conscientia, et, quod in paucis est, cogitatione sincera. Cujus autem unquam egressus auspicatior fuit, aut incessus modestior, aut habitudo cohibitior, aut familiaris habitus condecentior, aut militaris accinctior? In exercendo corpore quis cursum tam perniciter incitavit? Quis palæstram tam lubricus expedivit? Quis saltum in tam sublime collegit? Nemo adductius jacula contorsit, nemo spicula crebrius jecit, aut certius destinata percussit. Mirabamur poetam, qui infrenos dixerat Numidas; et alterum, qui ita collegerat, ut diceret in equitando verbera et præcepta esse fugæ et præcepta sistendi. Obscurum hoc nobis legentibus erat. Intelleximus te videntes, cum idem arcum intenderes, et habenas remitteres, aut equum segnius euntem verbere concitares, vel eodem verbere intemperantiam coerceres. Qui te visi sunt hoc docuisse, non faciunt: immo qui visi sunt docuisse, nunc discunt. In cibis autem, cujus sacerdotis abstinentior cærimonia? in vino, cujus senis mensa frugalior? Operto conclavis tui non sanctior ara Vestalis, non Pontificis cubile castius, nec pulvinar Flaminis tam pudicum. In officiis amicorum non dico paria reddis; antevenis, et quoties in obsequendo præcedimus, erubescis pudore tam obnoxio, quam in nobis esse deberet ab Imperatore præventis. In illa vero sede, ut ex more loquimur, consistorii, ut ego sentio, sacrarii tui, nullus unquam superiorum aut dicenda pensius cogitavit, aut consultius cogitata disposuit, aut disposita maturius expedivit. Et aliqua de oratoriis virtutibus tuis dicerem, nisi vererer mihi gratificari. Non enim Sulpicius acrior in concionibus, nec majoris Gracchi commendabilior modestia fuit, nec patris tui gravior auctoritas. Qui tenor vocis, cum incitata pronuntias! quæ inflexio, cum remissa! quæ temperatio, cum utraque dispensas! Quis oratorum læta jucundius, facunda cultius, pugnantia densius, densata glomeratius aut dixit, aut, quod est liberius, cogitavit? Vellem, si rerum natura pateretur, Xenophon Attice, in ævum nostrum venires, tu, qui ad Cyri virtutes exsequendas votum potius, quam historiam commodasti; cum diceres, non qualis esset, sed qualis esse deberet. Si nunc in tempora ista procederes, in nostro Gratiano cerneres, quod in Cyro tuo non videras, sed optabas. Atque ista omnia, quæ quasi punctis quibusdam acuminata signavi, si facundia pro voluntate suppeteret, et quanquam non copiosus, exsequerer, ubertatem stylo rerum magnitudine suggerente. Sed nec hujus diei, nec hujus ista materiæ. Qui dicturi estis laudes Principis nostri, habetis velut seminarium, unde orationum vestrarum jugera compleatis. Ego ista perstrinxi, atque, ut sciunt omnes, possum videri familiaris notitiæ secretus interpres domestica istæc non tam prædicare, quam prodere. Atque ut ista dixi de cognitis mihi, atque intra aulam familiaribus, possem et foris celebrata memorare; nisi omnia omnes, et separatim sibi quisque novisset. Possem pari brevitate dicere, qua superiora: Emendatissimi viri est pœnitenda non facere. At tu nunquam pœnitenda fecisti, et semper veniam pœnitentibus obtulisti. Pulchrum est indulgere timentibus; sed tu perpetuæ bonitatis edictis occurristi omnibus, ne timerent. Magnificum est largiri honores; tu honoratos et liberalitate ditasti. Laudabile est imperatorem faciles interpellantibus præbere aditus, nec de occupatione causari. Tu confirmas adire cunctantes; etiam querimoniis explicatis, ne quid adhuc sileatur, interrogas. Celebre fuit Titi Cæsaris dictum, Perdidisse se diem, quo nihil boni fecerat. Sed celebre fuit, quia Vespasiani successor dixerat, cujus nimia parsimonia et austeritas vix ferenda miram fecerat filii lenitatem. Tu Valentiniano genitus, cujus alta bonitas, præsens comitas, temperata severitas fuit, parto et condito optimæ reipublicæ statu, intelligis posse te esse lenissimum sine dispendio disciplinæ. Neque vero unum aliquod bonum uno die præstas; sed indulgentias sæculares per singula horarum momenta multiplicas. Vel illud unum cujusmodi est, de condonatis residuis tributorum? Quod tu quam cumulata bonitate fecisti! Quis unquam imperatorum hoc provinciis suis aut uberiore indulgentia dedit, aut certiore securitate prospexit, aut prudentia consultiore munivit? Fecerat et Trajanus olim; sed, partibus retentis, non habebat tantam oblectationem concessi debiti portio, quanta suberat amaritudo servati. Et Antoninus indulserat; sed imperii, non beneficii successor invidit, qui ex documentis tabulisque populi condonata repetivit. Tu argumenta omnia flagitandi publicitus ardere jussisti. Videre in suis quæque foris omnes civitates conflagrationem salubris incendii. Ardebant stirpes fraudum veterum, ardebant seminaria futurarum. Jam se cum pulvere favilla miscuerat, jam nubibus fumus involverat: et adhuc obnoxii in paginis concrematis ductus apicum, et sestertiorum notas cum titubantia et trepidatione cernebant; quod meminerant lectum, legi posse etiam tunc verentes. Quid te, Imperator Auguste, indulgentius, quid potest esse consultius? Quæ bona præstas, efficis ne caduca sint; quæ mala adimis, prospicis ne possint esse recidiva. Hæc provincialibus indulgentiæ bona. Quid illa nostro ordini? quid illa militibus? Antoninorum comitas fuit; et jam inde Germanicorum, cohorti amicorum et legionibus, familiaris humanitas. Sed ego nolo benevolentiam tuam aliorum collatione percellere. Abundant in te ea bonitatis et virtutis exempla, quæ sequi cupiat ventura posteritas, et, si rerum natura pateretur, adscribi sibi voluisset antiquitas. Necesse est tamen aliquid comparari, ut possit intelligi, bona nostra quo præstent. Ægrotantes amicos Trajanus

visere solebat: hactenus in eo comitas prædicanda est. Tu et visere solitus, et mederi, præbes ministros, instruis cibos, fomenta dispensas, sumtum adjicis medelarum, consolaris affectos, revalescentibus gratularis. In quot vias de una ejus humanitate progrederis! Legionibus universis, ut in communi Marte evenit, si quid adversi acciderat, vidi te circumire tentoria, Satin' salvæ, quærere, tractare vulnera sauciorum, et ut salutiferæ apponerentur medelæ, atque ut non cessaretur, instare. Vidi quosdam fastidientes cibum, te commendante, sumsisse. Audivi confirmantia ad salutem verba profari: occurrere desideriis singulorum: hujus sarcinas mulis aulicis vehere: his specialia jumenta præbere: illis ministeria perditorum instaurare lixarum: aliorum egestatem tolerare sumtu: horum nuditatem velare vestitu: omnia agere indefesse et benigne, pietate maxima, ostentatione nulla: omnia præbere ægris, nihil exprobrare sanatis. Inde cunctis salute nostra carior factus, meruisti, ut haberes amicos obnoxios, promtos, devotos, fideles, in ævum omne mansuros, quales caritas, non fortuna, conciliat. Concludam deinceps orationem meam, piissime Auguste, sermonis magis fine, quam gratiæ. Namque illa perpetua est, et spatio non transmeabili, terminum calcis ignorat. Flexu tamen parvo, nec a te procul, convertar ad Deum. Æterne omnium genitor, ipse non genite, opifex et causa mundi, principio antiquior, fine diuturnior, qui templa tibi et aras penetralibus initiatorum mentibus condidisti, tu Gratiano humanarum rerum domino ejusmodi semina nostri amoris inolesti, ut nihil in digressu segnior factus, meminisset et relicti, illustraret absentem, præsentibus anteferret; dein quia interesse primordiis dignitatis per locorum intervalla non poterat, ad sollennitatem condendi honoris occurreret, beneficiis ne deesset officium. Quæ enim memoria unquam transcursum tantæ celeritatis, vel in audacibus Græcorum fabulis, commenta est? Pegasus volucer actus a Lycia non ultra Ciliciam permeavit. Cyllarus atque Arion inter Argos Nemeamque senuerunt. Ipsi Castorum equi, quod longissimum iter est, non nisi mutato vectore transcurrunt. Tu, Gratiane, tot Romani imperii limites, tot flumina et lacus, tot veterum intersepta regnorum, ab usque Thracia, per totum, quam longum est, latus Illyrici, Venetiam, Liguriamque, et Galliam veterem, insuperabilia Rhætiæ, Rheni aquosa, Sequanorum invia, porrecta Germaniæ, celeriore transcursu, quam est properatio nostri sermonis, evolvis, nulla requie otii, ne somni quidem, aut cibi munere liberali, ut Gallias tuas inopinatus illustres; ut consulem tuum, quamvis desideratus, anticipes; ut illam ipsam, quæ auras præcedere solet, famam, facias tardiorem. Hoc senectuti meæ, hoc honori a te datum. Supremus ille imperii et consiliorum tuorum Deus conscius, et arbiter, et auctor, indulsit, ut sellam curulem, cujus sedem frequenter ornabis, ut prætextam meam purpuræ tuæ luce fucatam, ut trabeam non magis auro suo, quam munere tuo splendidam, quæ ab Illyrico sermonis dignitas honestavit, apud Gallias illustriora præstares; quæstorem ut tuum, præfectum ut tuo prætorio, consulem tuum, et, quod adhuc cunctis meis nominibus anteponis, præceptorem tuum, quem pia voce declaraveras, justa ratione prætuleras, liberali largitate ditaveras, augustæ dignationis officiis consecrares.

PERIOCHÆ IN HOMERI ILIADEM ET ODYSSEAM.

IN ILIADEM.

Si Homerum scriptorem Troici belli eatenus, qua Iliadem suam incipit, quaque finit, percenseamus, orsum ab iracundia Achillis ad sepulturam Hectoris quatuor et viginti libros contexuisse monstrabimus. Hæc ejus species apparet summam cutem primi operis intuenti. Verum hoc scripturæ ipsius tempus Trojano bello non totum, sed pæne ultimum fuit. Nam si ratio putanda est oppugnationis decennis, nonus fere annus, idemque prope finem sui, ea negotia continebit, quæ ab injuria Agamemnonis, ac Briseidis usurpatione, usque ad funus Hectoris digna memoratu erunt: illa temporum series, quæ ab ejusdem belli causis atque origine pertinent ad urbis excidium. Atqui ex eo eveniet, ut ignaris judicandi, et poeticæ œconomiæ expertibus, multa nobilia ab exordio belli usque ad Achillis jurgium omissa videantur; nec minus multa ab Hectoris funere ad usque deletum Ilium. Quorum quidem maxima exspectatio erat, propter tam longi certaminis consummationem: sed ut divinum poetam nihil, quod illustre fuerit, omisisse appareat, atque omnia, quæ finiri oportuit, contigisse, breviter, et in epitomæ speciem, belli Troici causam originis apparatusque, quæ annis superioribus acciderunt, retexuimus. Horum omnium prima origo est Paridis judicium inter deas: deinde classis contextio, qua idem Paris in Europam navigavit. Tum raptio Helenæ; quæ opinione veterum bipartita est: quod plerique Helenam juxta Homericum plasma ad Trojam deportatam fuisse existimaverunt; nonnulli autem opinati sunt, cum Alexander cursu deerrasset, delatusque ad Ægyptum fuisset, cognita hospitalis fœderis injuria, per Ægyptium regem servantissimum justi virum Helenam cum iis, quæ una cum eadem fuerant abrepta, Paridi sublatam, expugnatoque demum Ilio Menelao restitutam.

PERIOCHA LIBRI I.

Iram, diva, refer nati Peleos Achilli
Pestiferam, quæ mille dedit discrimina Achivis.

Chryses Apollinis sacerdos ob redimendam filiam cum Agamemnoni supplicasset, contumeliose repulsus, deum precatur ultorem. Insecuta subinde gravi pestilentia, cum Græcorum exercitus interiret, cogit Achilles concilium: et ab eodem invitus Calchas morbi causam compellitur

indicare. Qua cognita, Agamemnon concitatur in Achillem: qui percitus iracundia, etiam cædem regis audebat, nisi eum in ultimum furorem progredi Minerva vetuisset. A quo Briseis concubina in locum Chryseidis, quæ patri reddebatur, abducta est. Inde Thetis mater ad cœlum, lacrymas et contumeliam filii miserata, proficiscitur. Quæ fiducia defensi quondam cum Ægæone Jovis, ultum iri affectans injuriam obtestatur summum deorum, ut Trojanos in rebus belli superiores esse patiatur. Quibus Juno compertis, iracunde adversum conjugem commovetur. Sed gliscens jurgium per deridiculum, ministrante Vulcano, simul consilii specie intercedente, lenitur.

PERIOCHA LIBRI II.

Cœlestes, hominumque genus superabile curis,
Tranquilla obscuri carpebant munera somni.
At non pervigilem nox irrequieta Tonantem
Leniit, immodicos volventem corde paratus,
Cædibus ut Graiûm læsum ulciscatur Achillem.

Jupiter Agamemnonem somno monet prœlii faciendi tempus adesse: ne cunctetur dimicare. Tum ille, in concilium proceribus advocatis, mandatum Jovis, et speciem nocturnæ quietis explanat. Mox in concione, multitudine congregata, pertentat militum voluntatem, utque deposito bello ad sua quique redeant, cohortatur. Jamque omnibus navigationem adornantibus, fœda discessio ab Ulixe cohibetur: a quo etiam Thersites deformis et loquax, in Heroum contumelias verborum licentia promtus, cum acerba objurgatione pulsatur. Ipse Minervæ monitu cunctos a profectione deterret. Sumto deinde cibo armatur exercitus. Neque secius a Trojanis instructa acies, Iride ita monente, producitur. Sequitur enumeratio copiarum viritim; ut per catalogi seriem milites, naves, duces, patriæ, referantur.

PERIOCHA LIBRI III.

Argivos sua quemque acies in bella sequuntur,
Dispositi in turmas equitum, cuneosque pedestres.
Turbida clangentes confundunt agmina Troes.

Instructum prœlio exercitum, priusquam feriret acies, Priamus spectat e muris, et monstratu Helenæ de viris insignibus edocetur. Dehinc Menelaus ad singulare certamen ab Alexandro provocatur. Qui frustra Agamemnone dehortante congreditur, facta inter utrosque populos sponsione, et fœdere per sacra firmato, sub ea conditione, ut victorem Helena cum dote sequeretur. Sed superatus Paris, regressusque ad urbem, jurgio uxoris excipitur. Ab Agamemnone fœderis pacta repetuntur.

PERIOCHA LIBRI IV.

Jupiter interea cum dis genialibus una
Concilium cogit superûm de rebus Achivis.

Jovi placet delere Trojam: ad quod pertinacia Junonis urgetur. Cumque id fieri Minerva properaret, discidium fœderis comminiscitur, et Pandarum sagittandi peritum astu suadentis aggreditur, ut clam vulnerato Menelao, belli causa crudescat. Quo facto, a Græcis prœlium instauratur: congressisque exercitibus mutua clade decernitur.

PERIOCHA LIBRI V

Hic et Tydidem monitum Tritonia Pallas
Audaci virtute replet: vomit aurea flammas
Cassis, et undantem clypeus defulgurat ignem.
Ipse autumnali clarum micat æmulus astro

Diomedes auxilio Minervæ strenue prœliatur. Venus quoque filio subvenire conata, vulnere affecta digreditur. Mars etiam fit saucius, exceditque bello. Sequitur Tlepolemi Sarpedonisque congressio; et Tlepolemus Herculis filius certamine victus occiditur.

PERIOCHA LIBRI VI

Solæ decertant acies sine numine divûm,
Cessante auxilio: sua cuique exorsa laborem
Fortunamque ferunt, proprii discrimine fati.

Trojanis fortuna inclinatiore pugnantibus vates Helenus suadet, ut Minerva placetur. Igitur Hecuba ab Hectore monita, ut peplum in arcem inferat, peragit vota cum matribus. Alexander objurgatus a fratre pergit in prœlium. Glaucus Lycius Ætolusque Diomedes congressi ut dimicarent, cum jam certamen oriretur, paterna inter se hospitia recordati, facta armorum permutatione, discedunt.

PERIOCHA LIBRI VII

Hæc ubi dicta dedit, portis sese extulit Hector.

Minervæ Apollinisque consensu, fortissimus Græcorum ab Hectore provocatur. Novem ducibus ad dimicandum paratis, pugnaturum deligi placet sortis eventu. Ab Ajace Telamonio prœlium singulare conseritur: in quo Hector, lapide ictus, in suorum se recipit multitudinem. Perseverante certamine caduceator Idæus intervenit. Tum invicem missis muneribus pugna sedatur. Hector Ajacem gladio, Ajax Hectorem balteo muneratur. Intercessu noctis exercitus quique in sua discedunt. Die altero interfectorum humatio procuratur. Græcorum etiam navalia, fossa ac vallo circumdata, muniuntur.

PERIOCHA LIBRI VIII.

Aurora in croceis fulgebat lutea bigis.

Acto deorum concilio, Jupiter pro parte pronuntiat, sua quisque exercitus sorte decernat; nullus deorum odio in alteros vel favore procedat. In Idam montem ipse digressus. Unde Græci immisso terrore conterriti, turpi fuga ad munimenta compulsi, fossa et aggeribus sese tuentur. Junonem ac Minervam, Græcis auxiliari volentes, monitis Jovis Iris exterret: diremtoque ob noctem certamine, victores Trojani in ipso prœlii loco excubias obsidionis instituunt, multisque ignibus factis per totam noctem de belli ratione consultant.

PERIOCHA LIBRI IX

Interea vigilum excubiis cohibentur Achivi.

Græcis et præterita dimicatione perculsis, et instante conterritis, proceres ab Agamemnone convocantur. Quibus rex fugæ consilia, et apparatum ordinandæ per noctem navigationis indicit, Diomede et Nestore dehortantibus. Suadente autem Nestore Ajax et Ulixes legantur ad Achillem, dona ingentia pollicentes, si desistat irasci, et se auxiliatorem fessis rebus accommodet. Sed Achille in iracundia pertinaciter

permanente, legati Achivorum, re non impetrata, irriti revertuntur.

PERIOCHA LIBRI X.

Cætera per naves somno sopita manebat
Turba ducum : solum cura anxia vexat Atriden.

Ulixes et Diomedes speculatum nocte progressi, Dolonem conspicantur, qui et ipse promissis Hectoris incitatus Græcorum consilia exploratum prodierat, et fateri universa compulsum eodem loco interficiunt. A quo de adventu Rhesi Thracum regis edocti, ipsum, et cum eo duodecim obtruncant ; equosque ejus præmium simul et testimonium grassationis abducunt, insignes candore et celeritate, ut et nivibus et ventis antecederent.

PERIOCHA LIBRI XI.

Tithoni croceum linquens Aurora cubile
Spargebat terras, referens opera atque labores.

Ab omnibus Græcis egregie quidem, sed improspere dimicatur. Quorum proceribus vulneratis, incognitæ multitudini pugna committitur. Qua afflictione fortunæ Achilles paullisper inflexus, Patroclum mittit præsentia cogniturum. Qui cum adversi status nuntius reverteretur, Eurypylum contemplatur ægrum ex vulnere ; fomentisque medicæ artis admotis, redintegrat sanitati.

PERIOCHA LIBRI XII.

Actorides fovet Eurypylum dum vulnere fessum.

Res dubiæ apud Græcos, vel potius afflictæ, ultimæ fortunæ statu aguntur, præstantibus procerum vulneratis, cætero exercitu fugato aut formidine perculso. Trojani navalium munimentare scindunt, vallumque transgressi auguriis juvantur ex eventu ambiguis. Itaque et pars muri ab Sarpedone convellitur, et ab Hectore ictu lapidis porta discutitur, et in ipsis navalibus pugna conseritur.

PERIOCHA LIBRI XIII.

Jupiter admovit Troes atque Hectora classi.

Neptunus miseratione commotus, Argivorum tuendis navibus auxiliator accedit, et usurpata vatis effigie, Ajaces duos in prœlium cohortatur : nec minus cæteram multitudinem præsentia majestatis instigat. Idomeneus egregio certamine eminet. Trojani jam referentes gradum, firmati rursum per Hectorem, contrahuntur, et ingenti clamore utrinque certatur.

PERIOCHA LIBRI XIV.

Concussit, quamvis potantem, Nestora clamor,
Attonitasque aures pepulit gravitate tumultus.

Juno vinculum Veneris, cui cesto nomen est, mutuata, ad Jovem pergit in secessum montis Idæ ; exoratoque Somno, ut eum committeret in soporem, dehinc vigiliis ejus uxoriis labefactat illecebris. Cujus ignoratione Neptunus abutitur, fortunamque Græcorum promtius auxiliando restituit, Ajace Locro ultra cæteros prœliante.

PERIOCHA LIBRI XV.

Jam vallum fossamque super Trojana juventus institerat, captæ minitans incendia classi.

Jupiter somno expergitus, videt statum certaminis innovatum, pellique Trojanos, Græcis opem ferente Neptuno. Itaque aspere Junone increpata, et minaciter per Iridem conterrito fratre, jubet auxiliatorem desistere. Ipse Apollinem recreando allegat Hectori, monetque pro Phrygibus belli instaurare fortunam. Tum et Ajax Telamonius strenue prœliatur, et ab eodem plurimis hostium interfectis, conflagratio classis arcetur.

PERIOCHA LIBRI XVI.

Dum face, dum ferro celsam oppugnare carinam
Troes, et Argolici pergunt defendere reges.

Achilles Græcorum statum jam sub extrema sorte miseratur. Armis suis Patroclum permittit armari. Qui cum Myrmidonum produxisset exercitum, consternatosque Trojanos. Achillis specie fefellisset, ruentes supra vallum et invicem officientes cæco pavore usque ad campi aperta compellit. Deinde congressus Sarpedonem perimit ; multisque hostium cæsis, ipse ab Hectore interficitur, prius ab Euphorbo vulneratus.

PERIOCHA LIBRI XVII.

Actoridem cæsum nec te, Menelae, fefellit.

Circa interemtum Patroclum pugna contrahitur. Cum in diversa exercitus contenderent, Græci ut corpus defenderent, Trojani ut ad ludibrium cadaver eriperent, a Menelao Euphorbus occiditur ; et ad ostentationem gloriosi facinoris Achillis exuviis Hector armatur. Antilochus ad Achillem nuntius cladis acceptæ, Menelao instante, festinat. Qui et ipse postea cum Merione intra navalium munimenta se recipit ; cum tota moles belli Ajacibus ingruisset.

PERIOCHA LIBRI XVIII.

Dum furit in medio belli vis ignea Martis.

Achilles in miserabilem modum Patrocli deflet interitum : quem vi doloris affectum consolantibus verbis mater alloquitur ; nec inultum amicum fore pollicens, perlaturam sese Vulcani arma promittit. Interea et Iris ab Junone dimittitur ; cujus instantia Achilles extra vallum, quanquam inermis, egreditur : conterritisque Trojanis super alios aliis præcipitantibus, late fuga, et latius formido porrigitur. Eodemque tempore et Vulcanus exoratus a Thetide, tota nocte, quam longa est, cœlestia in gratiam Nymphæ arma molitur.

PERIOCHA LIBRI XIX.

Oceanum interea surgens Aurora reliquit.

Achilles armis cœlestibus ope Vulcani, et munere matris, instruitur. Dein Græcorum primoribus in concilium vocatis iracundiam suam abolitione deponit, et promissis ab rege muneribus coram concione ditatur. Tum militibus cibum capere jussis, ipse abstinet. Infesto deinde atque intento exercitu pergit in prœlium.

PERIOCHA LIBRI XX.

Jamque adeo celsis armati e navibus ibant,
Millia quot magnis unquam venere Mycenis.

At integris amborum copiis inter utrosque exercitus pugna conseritur. Dein permissu Jovis in partes deorum studia dividuntur. Cum pro

Græcis Juno et Minerva decertarent, neque secius eos Neptunus et Mercurius et Vulcanus adsererent; Trojanos Apollo cum Venere, et Diana cum matre, Mars etiam, et cum eis Scamander, adjuvarent; tum Æneam, diis et viribus iniquis cum Achille congressum, quanquam studens Græcis, nube circumdatum Neptunus eripuit.

PERIOCHA LIBRI XXI

Intulerat fluvio trepidas fuga fœda catervas.

Trojanis usque ad Scamandri fluminis alveum fuga et terrore compulsis, cum jam longius abeundi spatium non pateret, in ipso amne * * cum flumen exundat, ibi ab Achille duodecim Trojanorum juvenum vinciuntur, qui Patrocli inferiis immolarentur. Ipse Vulcanus ardoribus suis vim torrentis exurit. Tum in campum Achille progresso, passim studia deorum pro sua singulari parte depugnant. Trojanorum exercitus, instante victore, in mœnia urbis impingitur.

PERIOCHA LIBRI XXII.

Pulsa metu Phrygios lustrabant agmina muros.

Hector singulari certamine cum Achille congreditur, Priamo atque Hecuba, ne pugnaret, orantibus; Minerva e contrario specie Deiphobi, ut dimicet, adhortante. Hector interfectus, et religatus ad currum, ter circum mœnia Trojana raptatur: deinde lacerum corpus defertur ad naves, ultione Patrocli, et victoris iracundia, ad ulteriora supplicia reservandum.

PERIOCHA LIBRI XXIII.

Troja vacat lacrymis, ludis Argiva juventus.

Funebres ludi in honorem Patrocli frequentantur. Quibus Diomedes equis superat, lucta et cursu Ulixes, alioque alii certationis genere antestant.

PERIOCHA LIBRI XXIV.

Quisque suas repetunt misso certamine naves.

Jupiter Thetidem mittit ad filium cum mandatis ejusmodi, ut in defunctum sævire desistat, fatique hominum in exanimo hoste vereatur, ad sepulturam corpore restituto. Ejusdem jussu et Iris cohortatur Priamum, ut auro filium rependat exanimum. Qui Mercurio duce inter nocturnas hostium profectus excubias, Achilli supplex advolvitur; redemtumque filium justitio publico et dolet, et sepelit.

IN ODYSSEAM.

PERIOCHA LIBRI I.

Dic mihi, Musa, virum, captæ post tempora Trojæ
Qui mores hominum multorum vidit et urbes.

Minerva in Ithacam, Jove ita volente, descendit, Mentisque Taphiorum ducis sumit effigiem, suasura Telemacho, ut ad Nestorem Menelaumque festinet, qui recens domum regressi, certi aliquid de Ulixe novissent. Tunc Phemius citharista, adhibitus convivio procorum, inchoat flebilem cantilenam navigationis improsperæ, quæ profectos ab Ilio Græcos diversis sparsit exsiliis. Quem Penelope degressa chalcidico, argumento tam miserabilis offensa materiæ, ut alia concinat, adhortatur.

PERIOCHA LIBRI II.

Oceano extulerat roseos Aurora jugales.

Telemachus Ithacesios proceres cogit ad curiam; atque ibidem de contumelia domus et bonorum profligatione conquestus, consilia profectionis exponit, Antinoo resistente; qui eum, priusquam mater nuberet, abire prohibebat. Qua altercatione diu protracta, concilium dissolutum est. Telemachus ad littus procis ignorantibus pergit: adstantem sibi adorans Minervam, peregrinationi accommoda parat, hortante maxime dea; quæ populum, ipsumque Telemachum, Mentoris simulatione fallebat. Instructo ergo remigio, et nave deducta, Telemachus et Minerva de portu vespere instante solverunt.

PERIOCHA LIBRI III.

Jam sol Oceano radiatos promserat ortus.

Telemachus Nestorem de patre percontatus, nihil novi accipit ab ignorante: verum idem senex sequenti die, cum Pisistrato filio ut ad Menelaum pergat, hortatur. Nec mora facta consilio. Nocte quippe ea, quæ consecuta est, apud Pheras oppidum hospitio Dioclis diversati, altera Lacedæmonem pervehuntur.

PERIOCHA LIBRI IV.

Jamque adeo ventum validæ ad Lacedæmonis arces.

Telemachum, et qui cum eo venerant, Menelaus comiter hospitio accipit. Saneque sub vespera quædam de Ulixe cognoscunt. Die vero altera totum navigationis ordinem Menelaus explanat; quodque in Ogygia insula, promissis et illecebris Nymphæ Calypsonis, Ulixes remoretur, exponit; quæ quidem Proteus eidem narraverat de Græcorum ducibus requirenti. Proci autem postquam de abitu Telemachi compererunt, instructa deductaque navi, viginti, qui sese legerant, navigavere, redeunti insidias molientes. Circa Asteriam ergo insulam, quæ Ithacam Samumque interjacet, delitescentes, occasionem fraudis exspectant

PERIOCHA LIBRI V.

Liquerat in tepido Tithonum Aurora cubili.

Mercurius in Ogygiam insulam devolat, ut Jovis monitis Calypso conterrita, Ulixem patiatur discedere. Qui contextu ratis temere properatæ navigationem solus aggreditur. Duodevicesima die tempestate commota, ex iracundia infestante Neptuno, trabium compago dissolvitur. Quo casu proditur ultimæ spei, et irritis conatibus nando ab Ino dea misericorde servatur, quæ calanticam capiti suo demtam natanti accommodat. Cujus ille sustentatu ad usque Phæacum littus evadit.

PERIOCHA LIBRI VI

Carpebat somnos dudum ærumnosus Ulixes.

Ulixes, postquam ad Phæacum littus enaverat, fatigationem diluit somno. Sed cum virgo Nausicaa regis Alcinoi ludum in acta cum æqualibus exerceret, somno excitatus, ut erat nudus, erupit, foliorum oppositu pudenda velatus; et cum supplex ad genua regiæ virginis advolveretur, Minervæ instinctu movit misericordiam salutarem: impositusque carpento, et veste donatus, usque

ad templum Minervæ, quod ante urbem est, ita suadente virginis pudore, provehitur; ibique familiare sibi numen solita veneratione precatur.

PERIOCHA LIBRI VII.

Orabat superos dudum Laertia proles.

Minerva in puellæ speciem mutata, Ulixem primum in oppidum, mox in domum regiam ducit. Cumque Arete uxor Alcinoi, et unde vestem haberet, et cujas esset, et qua sorte delatus, sermone ipsius comperisset; bonum animum habere jussus, suadente vespera, concedit quieti.

PERIOCHA LIBRI VIII.

Jam cœlum rutilat roseis Aurora quadrigis.

Alcinous navigationis ærumnam summatim ab Ulixe cognoscit. Exinde jussis primoribus in curiam convenire, adventum hospitis, et infortunia diutinæ jactationis explanat. Accitoque ad convivium Ulixe, citharam jubet pulsare Demodocum: qui cum de dureo equo et de Troico cantaret excidio, lacrymas Ulixi, memoria fortunæ superioris, elicuit. Quas cum occultare sedulo conaretur, aut vultu dissimulans, aut veste detergens, oculos in se omnium, et maxime regis, advertit. Tum Alcinous, causa fletuum cognita, ut cuncta ex ordine tolerata dissereret, benigne omnia pollicitus, adhortatur.

PERIOCHA LIBRI IX.

Tum vice sermonis fatur Laertius heros.

Quatuor isthinc libri de Ulixis errore contexti sunt. Namque ab Alcinoo rogatus, seriem multiplicis erroris exponit; ut ab Ilio profectus, primum ad Ciconas delatus sit, atque illic expugnata Ismaro civitate, multis amissis fugatus abscesserit, utque inde Maleam Laconicæ promontorium circumegerit, ac dein ad Lotophagos venerit, mox ad Cyclopum insulam, quæ Lotophagis adjacet, cum una nave processerit; eaque sedulo occultata, ipse cum duodecim sociis in antrum Polyphemi penetraverit: qui cruentis dapibus expletus, quas cæde sociorum ejus instruxerat, vino etiam, quod Ulixes ingesserat, temulentus, cum in somnum procubuisset, ab Ulixe cæcatus pœnas immanitatis exsolvit.

ERIOCHA LIBRI X.

Æoliam ventorum agimur patriamque domumque.

Hinc refert Æoliam se fuisse pervectum, donisque donatum ab Æolo rege ventorum, qui omnibus comiter præbitis, quo securior navigaret, ventos etiam dederit utre conclusos; utque, cum jam Ithacæ propinquaret, refusus sit in soporem; sociique ejus opes aliquas in scorto inesse existimantes, dormiente ipso vincula dissolverint, adversisque flatibus ab ipsa patria jam sint relati. Inde ut Antiphatem Læstrygonasque delatus sit. Ibi amissis, una minus, cæteris navibus, Circæum litus accesserit; ibique veneficio potentis deæ Eurylochus, et præmissi cum eo socii, in ferarum ora conversi sint. Ipse etiam similia passurus Mercurio procurante vitaverit, cæterosque socios ad speciem pristinam redigi, virtutis admiratione, compulerit.

PERIOCHA LIBRI XI.

At postquam ventum ad naves et littora ponti.

Digressus a Circe Avernum pervenit, qui locus descensus ad manes existimatur. Ibi sacris rite perfectis, scrobem complet sanguine victimarum et circumvolantibus animabus, nullam sinit haustum cruoris attingere, nisi, ut Circe monuerat, prius Tiresias vates inde libasset. Ibi et Heroidas plurimas videt. Quarum enumerationem multa veterum fabularum venustate contexit.

PERIOCHA LIBRI XII.

Jamque adeo Oceani liquidos pede liquerat amnes.

Compertis a Tiresia vate, quæ oportuit scire, regreditur ad Circen: ab eaque, ut evitet mala cætera, edocetur; ut Sirenas prætereat, letalem navigantium cantilenam; ut Scyllam prætervehatur et Charybdim, freti Siculi famosa portenta. Quibus malis non sine gravi perpessione superatis, Trinacriam pervehitur, ubi incustodita Solis armenta, frustra prohibente ipso, cæteri socii, penuria cogente, dilaniant, dirisque prodigiis admissa boum cæde terrentur; ac mox inde navigantes, fulmine ad unum omnes intereunt, excepto Ulixe; qui fragmento laceræ navis cohærens, et adminiculo ejus adjutus, ad Ogygiam insulam solus enavit.

PERIOCHA LIBRI XIII.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.

Enarratis omnibus, quæ in multiplici errore pertulerat, a principibus Phæaciæ viris donis plurimis honoratur: a quibus remigio, et necessariis omnibus navis instruitur; dormiensque in Ithacam quietissima navigatione devehitur. Atque illic in portu patrio cum muneribus universis quiescens, et omnium ignarus, exponitur, Phæacibus eo dormiente remeantibus.

PERIOCHA LIBRI XIV.

Egreditur portu, tenuis quo semita ducit.

Somno expergitus Ulixes, portum et littus patriæ non sine animi consternatione cognoscit; admiraturque, ut advectus, ut expositus, ut relictus sit, ut cuncta nesciret. Requirit universa donorum: quæ postquam incolumia videt, quam potest tutissime occultat; consiliisque a Minerva confirmatus, ad servum suum Eumæum subulcum simulatus accedit, naufragi et mendicantis imitatu. Interrogatus deinde, quis esset, ait se esse Cresium; in Ægyptum navigantem Troja fuisse delatum. Eumæum etiam cum affectione mæstissima perurgens, et cogente denique vespere, et imbre continuo, sagulo amicitur. Atque ibidem multa secum volvens, tandem concedit quieti.

PERIOCHA LIBRI XV.

It Lacedæmonias arces Tritonia Pallas.

Telemachus a Minerva per somnium commonetur, domum ut rediret. Matureque digressus cubili, a Menelao veniam reversionis exorat. Qua comiter impetrata, regreditur ad navem in portu Pylio manentem; Pisistratoque ad urbem atque ad patrem remisso, ipse propere solvit e littore, comite navigationis assumto Theoclymeno vate Argivo, uno ex iis, quos Melampus Amythaonis erudivit. Vitatisque insidiatoribus procis, advehitur in patriam. Et sociis quidem portum petere jussis, ipse diverso itinere ad agrum Eumæumque proficiscitur.

PERIOCHA LIBRI XVI.

Commune Eumæus mapale et divus Ulixes.

Telemachus Eumæum nuntium reditus mittit ad matrem. Ipse, Minerva ita volente, patrem cognoscit, et cum eo deinceps agenda disponit. Penelope autem, cognito reditu filii, in conventum procorum, qua verecundia sinebat, egreditur · increpatisque insidiatoribus filii, non minus rata quam mæsta discedit.

PERIOCHA LIBRI XVII.

Jam cœlum roseis rutilat Tritonia bigis.

Telemachus anxiæ matri ordinem peregrinationis enarrat. Ulixes ad oppidum, Eumæo opitulante, perducitur. Domum, in qua proci epulabantur, ingressus, emendicat cibos, miserabiliter ambiendo. Inde ab Antinoo injuriose afficitur. Cui Penelope diras ob inhumanum facinus imprecatur. A qua missus Eumæus est, ut hospes, sic enim se ferebat, ad eam provocaretur. Qui tum quidem invitatus, gratiam facit; sed venturum sese ad vesperam pollicetur.

PERIOCHA LIBRI XVIII.

Irus adest populi per mendicabula notus.

Mendicante intra proprios lares Ulixe, alius quoque pari egestate Irus accessit, popularis Ithacesius, stipes intriviis solitus rogare. Jurgium ergo inopiæ communis æmulatione conseritur, quod ex verbis processit ad manus, hortantibus procis, quo magis rixa crudesceret, propositoque præmio caprini ventris omento. Victor igitur Ulixes, seminecem Irum extra januam projicit, ridicula adhortatione compellans. Penelope etiam munera sibi a procis pro opibus cujusque conferri, singulorum studia experiens, deposcit: quæ mature, utpote a cupientibus, offeruntur.

PERIOCHA LIBRI XIX.

At parte interiore domus secretus Ulixes.

Ulixes et Telemachus arma omnia de medio amoliuntur, procis perniciem comparantes; ne quid aut munimenti, aut teli relinqueretur, qui vel cavere vim, vel inferre possent. Ad Penelopen inde accitu ipsius pergit: ibique, ut Eumæo dixerat, Cretensem se esse mentitur, Ulixemque apud se hospitio diversatum comminiscitur. Mox cum Euryclea ejus nutrix, hospitalis officii causa, pedes ejus eluerat, tactu manus animadvertit cicatricem, quam habebat ex vulnere in Parnasso quondam suis dente percussus. Quo argumento alumnum suum esse agnoscit. Sed ab eodem, ne quid ultra vel quærat, vel garriat, coercetur.

PERIOCHA LIBRI XX.

Jamque procos genua amplectens orabat Ulixes.

Epulantibus procis Ctesippus in Ulixem crus bubulum jacit; sed destinatione non potitur. Theoclymenus autem apud Ithacenses divinationis expertus, imminens procis vaticinatur exitium. Quorum multa cavillatione derisus, mensa et domo, tanquam furiosus, excluditur.

PERIOCHA LIBRI XXI.

Hic mentem dedit Icariæ Tritonia Pallas.

Ulixes Eumæo et Philœtio, fidei eorum industriæque confisus, quis sit revelat. Et postquam facta cognitio est, cædem procorum tempore instrui placet. Quos Ulixes astu aggreditur, ut ipsum quoque intendendo arcum, vires seniles explorare patiantur, quem uni quondam Ulixi facilem, si quis intenderet, habiturus esset præmium, jus Penelopes nuptiarum. Sed prohibentibus procis, ne id ridiculus et mendicus auderet, quod frustra juventus tam lecta tentasset, dat Telemachus Ulixi, cæteris abnuentibus, experiendi potestatem. Et hinc nascitur admiratio prima virtutis, dedecore suo cæteris erubescentibus, quorum ignaviam senex et mendicus arguerit.

PERIOCHA LIBRI XXII.

Squalentes humeris habitus rejecit Ulixes.

Ulixes loco ulteriore capto intendit arcum, omnibusque foribus occlusis, ne qua pateret effugium, plerosque vino saucios, aut novitate rei stupidos, aut quidlibet aliud meditantes conficit. Cum primum omnium confixisset Antinoum, qui audacia et petulantia cæteros superaverat; Eumæus, et Telemachus, et Philœtius, sumtis et ipsi armis, egregia in consternatos cæde grassantur. Jamque omnibus interemtis, duobus tantummodo parcitur; Phemio citharœdo, qui ministerii causa adhibitus, nihil omnino in Ulixis domo, quod contumeliosum esset, ediderat; et Medonti præconi, cujus modestiæ etiam Telemachus suffragabatur. Et qui cum Telemacho erant, Melanthium famulorum Ulixis unum, qui procorum proterviam semper armaverat, cruciabiliter occidunt. Puellas inde duodecim, quæ cum procis flagitiose consueverant, suspendio perimunt. Ulixes cæde ad plenum perpetrata, ignem adolet, incensoque sulfure domum piaculo purgat.

PERIOCHA LIBRI XXIII.

Chalcidicum gressu nutrix superabat anili.

Euryclea nutrix gestæ rei nuntia, Penelopen de somno excitat. Cui advenientem ad se maritum non temere ipsum esse persuadet. Quadam cubiculi lege, et genialis lectuli positu sibi tantum et Ulixi cognito, an ipse sit maritus, explorat. In cœtum deinde conveniunt, totamque noctem mutuo sermone consumunt. Et hinc quidem elegans replicatio laborum, quos Ulixes pertulit, mira concinnatione colligitur.

PERIOCHA LIBRI XXIV.

Tartaream vocat in sedem Cyllenius umbras.

Procorum animas, recenti et communi cæde congestas, catervatim Mercurius ad inferna compellit. Tunc circa Agamemnonem manes heroici congregantur; miratique lectorum juvenum congregem densitatem uno agmine commeantem causas interitionis accipiunt. Tum apud inferos quoque virtus Ulixis et Penelopes pudicitia prædicantur, ab Agamemnone præ cæteris, cui dispar fuerat in utroque fortuna. Ulixes ad Laertem patrem in agrum profectus, et inopinato reditu, et rerum gestarum relatu affecit senem afficitur ab eo cognitis, quas exantlasset, ærumnis. Subinde et patres procorum, neces juvenum properant ultum ire; consilioque et vi communicatis, ante exspectatum agro superveniunt. Sed eos jam comitatior Ulixes fundit fugatque

Verum gliscentibus odiis, et majore seditione aut tumultu spectato, ex sententia Jovis in Ithacam Minerva descendit, et conciliata utrinque pace, studia et motus partium rerum gestarum abolitione componit.

PRÆFATIUNCULÆ TRES.

Theodosio Augusto Ausonius.

Agricolam si flava Ceres dare semina terræ,
Gradivus jubeat si capere arma ducem,
Solvere de portu classem Neptunus inermem,
Fidere tam fas est, quam dubitare nefas;
Insanum quamvis hiemet mare, crudaque tellus 5
Seminibus, bello nec satis apta manus.
Nil dubites auctore bono. Mortalia quærunt
Consilium; certus jussa capesse dei. [cit,
Scribere me Augustus jubet, et mea carmina pos-
Pæne rogans: blando vis latet imperio. 10
Non habeo ingenium: Cæsar sed jussit; habebo.
Cur me posse negem, posse quod ille putat?
Invalidas vires ipse excitat, et juvat idem,
Qui jubet: obsequium sufficit esse meum.
Non tutum renuisse deo: laudata pudoris 15
Sæpe mora est, quoties contra parem dubites.
Quin etiam non jussa parant erumpere dudum
Carmina: quis nolit Cæsaris esse liber,
Ne ferat indignum vatem, centumque lituras,
Mutandas semper deteriore nota? 20
Tu modo te jussisse, pater Romane, memento,
Inque meis culpis da tibi tu veniam

Ausonius Syagrio suo S.

Ausonius genitor nobis: ego nomine eodem
Qui sim, qua secta, stirpe, lare, et patria,
Adscripsi, ut nosses, bone vir, quicunque fuissem,
Et notum memori me coleres animo.
Vasates patria est patri: gens Ædua matri 5
De patre; Tarbellis sed genitrix ab Aquis.
Ipse ego Burdigalæ genitus: divisa per urbes
Quatuor antiquas stirpis origo meæ.
Hinc late fusa est cognatio: nomina multis
Ex nostra, ut placitum, ducta domo veniant 10
Derivata aliis; nobis ab stemmate primo
Et non cognati, sed genitiva placent.
Sed redeo ad seriem: genitor studuit Medicinæ,
Disciplinarum quæ dedit una deum. [mox
Nos ad Grammaticen studium convertimus; et
Rhetorices etiam quod satis attigimus. 16
Nec fora non celebrata mihi: sed cura docendi
Cultior, et nomen Grammatici merui:
Non tam grande quidem, quo gloria nostra subiret
Æmilium, aut Scaurum, Berytiumque Probum;
Sed quo nostrates, Aquitanica nomina, multos
Collatus, non et subditus, adspicerem.
Exactisque dehinc per trina decennia fastis
Adserui doctor municipalem operam.
Aurea et Augusti pallatia jussus adire 25
Augustam sobolem Grammaticus docui:
Mox etiam Rhetor: nec enim fiducia nobis
Vana, aut non solidi gloria judicii.
Cedo tamen fuerint fama potiore magistri,
Dum nulli fuerit discipulus melior. 30
Alcides Atlantis, et Æacides Chirouis,
Pæne Jove iste satus, filius ille Jovis,
Thessaliam, Thebasque suos habuere penates;
At meus hic toto regnat in orbe suo.
Cujus ego Comes, et Quæstor, et, culmen honorum,
Præfectus Gallis, et Libyæ, et Latio; 36
Et prior indeptus fasces, Latiamque curulem,
Consul, collega posteriore, fui.
Hic ego Ausonius: sed tu ne temne, quod ultro
Patronum nostris te paro carminibus. 40
Pectoris ut nostri sedem colis, alme Syagr.,
Communemque habitas alter ego Ausonium;
Sic etiam nostro præfatus habebere libro,
Differat ut nihilo, sit tuus, anne meus

Ausonius Latino Pacato Drepanio, filio.

Cui dono lepidum novum libellum?
Veronensis ait poeta quondam,
Inventoque dedit statim Nepoti.
At nos illepidum, rudem libellum
Burras, quisquilias, ineptiasque, 5
Credemus gremio cui fovendum?
Inveni, (trepidæ silete nugæ,)
Nec doctum minus, et magis benignum,
Quam quem Gallia præbuit Catullo.
Hoc nullus mihi carior meorum. 10
Quem pluris faciunt novem sorores,
Quam cunctos alios, Marone demto.
Pacatum haud dubie, poeta, dicis.
Ipse est: intrepide volate, versus,
Et nidum in gremio fovete tuto. 15
Hic vos diligere, hic volet tueri;
Ignoscenda teget, probata tradet.
Post hunc judicium timete nullum.

CL. CLAUDIANI IN PROBINI ET OLYBRII FRATRUM CONSULATUM PANEGYRIS.

Cl. Claudiano patriam quidem Alexandriam fuisse constat; quod vero ad ortum ejus attinet, primasque fortunas, ad id usque tempus quo in Stilichonis clarissimi ducis ejusdemque potentissimi viri contubernium introductus est, tacent veteres. Stilichonem in cohorte ab A. 395 ad 400, quo ille consulatum gessit, comitatus est; iisdemque fere temporibus divitem illustremque puellam, quam Serena Stilichonis uxor ei conciliaverat, matrimonio duxit. Romam dein reversus poeticam exercebat, Arcadiumque et Honorium imperatores, Stilichone commendante, patronos nactus est; qui eum statua publica, tribunatuque militum, titulo in cujusvis generis meritum id temporis conferri solito, extulerunt. Olybrium, Probinum, Mallium Theodorum, aliosque summos ætatis ejus viros familiares habuit; neque minus populi opinione, quam principum gratia, floruit. Quæ omnia Stilichonis mortem, A. 408, retro vertisse credibile est. Ac sunt quidem qui ad hoc tempus referant ea, quæ ab Hadriano Ægypti præfecto, probrose dicta in se quædam ulciscente, perpessus est. Sed de reliquis Claudiani temporibus nihil certi neque ab ipso neque ab aliis colligi potest: unde verisimile fit, eum non ita diu Stilichoni superfuisse; quippe qui aut de suis ipsius, aut de reipublicæ fortunis aliquid saltem testimonii relicturus erat.

Sol, qui flammigeris mundum complexus habenis
Volvis inexhausto redeuntia sæcula motu,
Sparge diem meliore coma, crinemque repexi
Blandius elato surgant temone jugales,
Efflantes roseum frenis spumantibus ignem. 5
Jam nova germanis vestigia torqueat annus
Consulibus, lætique petant exordia menses.
Scis genus Auchenium, nec te latuere potentes
Anniadæ: nam sæpe soles ductoribus illis
Instaurare vias, et cursibus addere nomen. 10
His neque per dubium pendet Fortuna favorem;
Nec novit mutare vices, sed fixus in omnes
Cognatos procedit honos: quemcunque requires
Hac de stirpe virum, certum est de consule nasci.
Per fasces numerantur avi, semperque renata 15
Nobilitate virent, et prolem fata sequuntur
Continuum simili servantia lege tenorem:
Nec quisquam procerum tentat, licet ære vetusto
Floreat, et claro cingatur Roma senatu,
Se jactare parem: sed, prima sede relicta 20
Aucheniis, de jure licet certare secundo.
Haud secus ac tacitam Luna regnante per Arcton
Sidereæ cedunt acies, cum fratre retuso
Æmulus adversis flagraverit ignibus orbis.
Tunc jubar Arcturi languet: tunc fulva Leonis 25
Ira perit Plaustro jam rara intermicat Arctos
Indignata tegi: jam caligantibus armis
Debilis Orion dextram miratur inermem. [bini
Quem prius aggrediar? veteris quis facta Pro-
Nesciat, aut nimias laudes ignoret Olybri? 30
Vivit adhuc, completque vagis sermonibus aures
Gloria fusa Probi, quam nec ventura silebunt
Lustra, nec ignota rapiet sub nube vetustas.
Illum fama vehit trans æquora, transque remotas
Tethyos ambages, Atlanteosque recessus. 35
Audiit et, gelido si quem Mæotica pascit
Sub Jove, vel calido si quis conjunctus in axe
Nascentem te, Nile, bibit. Virtutibus ille
Fortunam domuit, nunquamque levantibus alte
Intumuit rebus: sed mens circumflua luxu 40
Noverat intactum vitio servare rigorem.
Hic non divitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnavit opes: sed largior imbre
Sueverat innumeras hominum ditare catervas.
Quippe velut densos currentia munera nimbos 45
Cernere semper erat: populis undare penates:
Assiduos intrare inopes; remeare beatos.
Præceps illa manus fluvios superabat Iberos
Aurea dona vomens: sic quis tellure revulsa
Sollicitis fodiens rimatur collibus aurum. 50
Quantum stagna Tagi rudibus stillantia venis
Effluxere decus: quanto pretiosa metallo
Hermi ripa micat: quantus per Lydia culta
Despumat rutilas dives Pactolus arenas.
Non, mihi centenis resonent si vocibus ora, 55
Multifidusque ruat centum per pectora Phœbus,
Acta Probi narrare queam, quot in ordine gentes
Rexerit, ad summi quoties fastigia juris
Venerit, Italiæ late cum frena teneret,
Illyricosque sinus, et quos arat Africa campos. 60
Sed nati vicere patrem, solique merentur
Victores audire Probi: non contigit illi
Talis honor, prima cum parte viresceret ævi:
Non consul cum fratre fuit. Vos nulla fatigat
Cura, diu majora petens: non anxia mentem 65
Spes agit, et longo tendit præcordia voto.
Cœpistis, qua finis erat: primordia vestra
Vix pauci meruere senes; metasque tenetis
Ante, genas dulces quam flos juvenilis inumbret,
Oraque ridenti lanugine vestiat ætas. 70
Tu, precor, ignarum doceas, Parnassia, vatem,
Quis deus ambobus tanti sit muneris auctor.
Postquam fulmineis impellens viribus hostem
Belliger Augustus trepidas laxaverat Alpes,
Roma Probo cupiens dignas persolvere grates, 75
Sedula pro natis dominum flexura rogando
Ire parat: famuli currum junxere volantem
Impetus, horribilisque Metus, qui semper agentes
Prœlia cum fremitu Romam comitantur anhelo,
Sive petat Parthos, seu cuspide turbet Hydaspen.
Hic ligat axe rotas: hic sub juga ferrea mittit
Cornipedes, rigidisque docet servire lupatis.
Ipsa, triumphatis qua possidet æthera regnis,
Adsilit, innuptæ ritus imitata Minervæ.
Nam neque cæsariem crinali stringere cultu, 85
Colla nec ornatu patitur mollire retorto;
Dextrum nuda latus, niveos exserta lacertos,
Audacem retegit mammam, laxumque coercens
Mordet gemma sinum: nodus, qui sublevat ensem,
Album puniceo pectus discriminat ostro. 90
Miscetur decori virtus, pulcherque severo
Armatur terrore pudor, galeæque minaci

Flava cruentarum prætenditur umbra jubarum,
Et formidato clypeus Titana lacessit
Lumine, quem tota variarat Mulciber arte. 95
Hic patrius Mavortis amor, fetusque notantur
Rumulei: pius amnis inest, et bellua nutrix.
Electro Tiberis, pueri formantur in auro:
Fingunt æra lupam: Mavors adamante coruscat.
Jam simul emissis rapido velocior Euro 100
Fertur equis: stridunt Zephyri, cursuque rotarum
Saucia dividuis clarescunt nubila sulcis:
Nec traxere moras, sed lapsu protinus uno,
Quem poscunt, tetigere locum; qua fine sub imo
Angustant aditum curvis anfractibus Alpes, 105
Claustraque conjectis scopulis durissima tendunt,
Non alia reseranda manu, sed pervia tantum
Augusto, geminisque fidem mentita tyrannis.
Semirutæ turres, avulsaque mœnia fumant.
Crescunt in cumulum strages, vallemque profun-
Æquavere jugis: stagnant immersa cruore [dam
Corpora: turbantur permixto funere manes.
Haud procul exacto lætus certamine victor
Cespite gramineo consederat, arbore fultus
Acclines humeros: dominum gavisa coronat 115
Terra suum, surguntque toris majoribus herbæ.
Sudor adhuc per membra calet, creberque recurrit
Halitus, et placidi radiant in casside vultus.
Qualis letifera populatus cæde Gelonos
Procubat horrendus Getico Gradivus in Hæmo.
Exuvias Bellona levat, Bellona tepentes [tam
Pulvere solvit equos, immensaque cornus in has-
Porrigitur,tremulisque ferit splendoribus Hebrum.
Ut stetit ante ducem discussas Roma per auras,
Conscia ter sonuit rupes, et inhorruit atrum 125
Majestate nemus. Prior hic, O numen amicum,
Dux ait, et legum genitrix, longeque regendo
Circumfusa polo, consors adjuncta Tonanti,
Dic agedum, quæ causa viæ? cur deseris arces
Ausonias, cœlumque tuum? dic, maxima rerum.
Non ego vel Libycos cessem tolerare vapores,
Sarmaticosve pati medio sub frigore Coros,
Si tu, Roma, velis: pro te quascunque per oras
Ibimus, et nulla sub tempestate timentes
Solstitio Meroen, bruma tentabimus Istrum. 135
Tum regina refert: Non me latet, inclyte rec-
Quam tua pro Latio victricia castra laborent,[tor,
Nec quod servitium rursus, furiæque rebelles
Edomitæ paribus sub te cecidere triumphis.
Sed precor hoc donum cum libertate recenti 140
Adjicias, si vera manet reverentia nostri.
Sunt mihi pubentes alto de semine fratres,
Pignora cara Probi, festa quos luce creatos
Ipsa meo fovi gremio, cunabula parvis
Ipsa dedi, cum matris onus Lucina beatum 145
Solveret, et magnos proferrent sidera partus.
His ego nec Decios pulchros, fortesve Metellos
Prætulerim; non qui Pœnum domuere ferocem
Scipiadas, Gallisque genus fatale Camillos.
Pieriis pollent studiis, multoque redundant 150
Eloquio: nec desidiis, dapibusve paratis
Indulgere juvat; nec tanta licentia vitæ
Abripit, aut mores ætas lasciva relaxat:
Sed gravibus curis animum sortita senilem
Ignea longævo frenatur corde juventus. 155
Illis, quam proprium ducunt ab origine, sortem
Oramus præbere velis, annique futurum
Devoveas venientis iter: non improba posco.
Non insueta dabis: domus hoc de more requirit.
Annue: sic nobis Scythicus famuletur Araxes,
Sic Rhenus per utrumque latus, Medisque sub-
actis 161
Nostra Semiramiæ timeant insignia turres;
Sic fluat attonitus Romana per oppida Ganges.
Ductor ad hæc: Optata jubes, ultroque vo-
lentem, 164
Diva, rogas: non hæc precibus tentanda fuissent.
Usque adeone meam condunt oblivia mentem,
Ut pigeat meminisse Probi, quo vindice totam
Vidimus Hesperiam fessasque resurgere gentes?
Ante dabunt hiemes Nilum, per flumina damæ
Errabunt, glacieque niger damnabitur Indus; 170
Ante Thyesteis iterum conterrita mensis
Intercisa dies refugos vertetur in ortus,
Quam Probus a nostro possit discedere sensu.
Dixerat, et velox jam nuntius advolat Urbem.
Extemplo strepuere chori, collesque canoris 175
Plausibus impulsi septena voce resultant.
Lætatur veneranda parens, et pollice docto
Jam parat auratas trabeas, cinctusque micantes
Stamine, quod molli tondent de stipite Seres,
Frondea lanigeræ carpentes vellera sylvæ: 180
Et longum tenues tractus producit in aurum,
Filaque concreto cogit squalere metallo.
Qualis purpureas præbebat candida vestes
Numinibus Latona suis, cum sacra redirent
Ad loca nutricis jam non errantia Deli; 185
Illa feros saltus et desolata relinquens
Mænala, lassato certis venatibus arcu,
Phœbus adhuc nigris rorantia tela venenis
Exstincto Pythone ferens: tunc insula notos
Lambit amica pedes, ridetque Ægæus alumnis
Lenior, et blando testatur gaudia fluctu. 191
Sic Proba præcipuo natos exornat amictu,
Quæ decorat mundum: cujus Romana potestas
Fetibus augetur: credas ex æthere lapsam
Stare Pudicitiam, vel sacro thure vocatam 195
Junonem Inachiis oculos advertere templis.
Talem nulla refert antiquis pagina libris,
Nec Latiæ cecinere tubæ, nec Græca vetustas:
Conjuge digna Probo: nam tantum cœtibus exstat
Fœmineis,quantum supereminet ille maritos: 200
Ceu sibi certantes, sexus quid possit uterque,
Hunc legere torum. Taceat Nereida nuptam
Pelion: en duplici fecundam consule matrem,
Felicemque uterum, qui nomina parturit annis.
Ut sceptrum gessere manu, membrisque rigentes
Aptavere togas, signum dat summus hiulca 206
Nube pater, gratamque facem per inane rotantes
Prospera vibrati tonuerunt omina nimbi.
Accepit sonitus curvis Tiberinus in antris,
Ima valle sedens, arrectisque auribus hæsit, 210
Unde repentinus cœli fragor: ilicet herbis
Pallentes thalamos, et structa cubilia musco
Deserit, ac Nymphis urnam commendat herilem.
Illi glauca nitent hirsuto lumina vultu,
Cæruleis infecta notis, reddentia patrem 215
Oceanum: crispo densatur gramine colla.
Vertice luxuriat toto crinalis arundo,
Quam neque fas Zephyris frangi, nec sole perus-
Æstivo candore mori; sed vivida frondet [tam
Æquævum complexa caput: taurina levantur 220
Cornua temporibus raucos sudantia rivos.
Distillant per pectus aquæ: frons hispida manat
Imbribus: in liquidos fontes se barba repectit.
Palla graves humeros velat, quam neverat uxor
Ilia, percurrens vitreas sub gurgite telas. 225
Est in Romuleo procumbens insula Tibri,
Qua medius geminas interfluit alveus urbes
Discretas subeunte freto, pariterque minantes
Ardua turrigeræ surgunt in culmina ripæ.
Hic stetit, et subitum prospexit ab aggere votum,

Unanimes fratres juncto stipante senatu 231
Ire forum, strictasque procul radiare secures,
Atque uno bijuges tolli de limine fasces.
Obstupuit visu, suspensaque gaudia vocem
Oppressam tenuere diu; mox inchoat ore. 235
Respice, si tales jactas aluisse fluentis,
Eurota Spartane, tuis: quid protulit æquum
Falsus olor, valido quamvis decernere cæstu
Norint, et ratibus sævas arcere procellas?
En nova Ledæis soboles fulgentior astris. 240
Ecce mei cives, quorum jam signifer optat
Adventum, stellisque parat convexa futuris.
Jam per noctivagos dominetur Olybrius axes
Pro Polluce rubens, pro Castore flamma Probini.
Ipsi vela regent: ipsis donantibus auras 245
Navita tranquillo moderabitur æquore pinum.
Nunc pateras libare deis, nunc solvere multo
Nectare corda libet: niveos jam pandite cœtus,
Naides, et totum violis prætexite fontem.
Mella ferant sylvæ: jam profluat ebrius amnis 250
Mutatis in vina vadis: jam sponte per agros
Sudent irriguæ spirantia balsama venæ.
Currat, qui sociæ roget in convivia mensæ
Indigenas fluvios, Italis quicunque suberrant
Montibus, Alpinasque bibunt de more pruinas:
Vulturnusque rapax, et Nar vitiatus odoro 256
Sulfure, tardatusque suis erroribus Ufens,
Et Phaethonteæ perpessus damna ruinæ
Eridanus, flavæque terens querceta Maricæ
Liris, et Œbaliæ qui temperat arva Galesus. 260
Semper honoratus nostris celebrabitur undis
Iste dies; semper dapibus recoletur opimis.
Sic ait, et Nymphæ patris præcepta secutæ
Tecta parant epulis, ostroque infecta corusco
Humida gemmiferis illuxit regia mensis. 265
O bene signatum fraterno nomine tempus!
O consanguineis felix auctoribus anne,
Incipe quadrifidum Phœbi torquere laborem.
Prima tibi procedat hiems, non frigore torpens,
Non canas vestita nives, non aspera ventis, 270
Sed tepido calefacta Noto: ver inde serenum
Protinus, et liquidi clementior aura Favoni
Pratis te croceis pingat: te messibus æstas
Induat, autumnusque madentibus ambiat uvis.
Omni nobilior lustro, tibi gloria soli 275
Contigit, exactum nunquam memorata per ævum,
Germanos habuisse duces: te cuncta loquetur
Tellus, te variis scribent in floribus Horæ,
Longaque perpetui ducent in sæcula fasti.

IN RUFINUM LIBRI PRIMI PRÆFATIO.

Phœbeo domitus Python cum decidit arcu,
Membraque Cirrhæo fudit anhela jugo;
Qui spiris tegeret montes, hauriret hiatu
Flumina, sanguineis tangeret astra jubis.
Jam liber Parnassus erat, nexuque soluto 5
Cœperat erecta surgere fronde nemus.
Concussæque diu spatiosis tractibus orni
Securas ventis explicuere comas.
Et qui vipereo spumavit sæpe veneno
Cephisos, liquidis purior ibat aquis. 10
Omnis, Io Pæan, regio sonat: omnia Phœbum
Rura canunt: tripodas plenior aura rotat.
Auditoque procul Musarum carmine ducti
Ad Themidis coeunt antra severa dei.
Nunc alio Domini telis Pythone peremto 15
Convenit ad nostram sacra caterva lyram,
Qui stabilem servant Augustis fratribus orbem,
Justitia pacem, viribus arma regunt.

LIBER PRIMUS.

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, et incerto fluerent mortalia casu.
Nam cum dispositi quæsissem fœdera mundi,
Præscriptosque mari fines, annisque meatus, 5
Et lucis noctisque vices; tunc omnia rebar
Consilio firmata dei, qui lege moveri
Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,
Qui variam Phœben alieno jusserit igni
Compleri, solemque suo: porrexerit undis 10
Littora: tellurem medio libraverit axe.
Sed cum res hominum tanta caligine volvi
Adspicerem, lætosque diu florere nocentes,
Vexarique pios; rursus labefacta cadebat
Relligio, causæque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quæ currere semina motu 16
Affirmat, magnumque novas per inane figuras
Fortuna, non arte, regi: quæ Numina sensu
Ambiguo vel nulla putat, vel nescia nostri.
Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum, 20
Absolvitque deos. Jam non ad culmina rerum
Injustos crevisse queror: tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant. Vos pandite vati,
Pierides, quo tanta lues eruperit ortu.
Invidiæ quondam stimulis incanduit atrox 25
Alecto, placidas late cum cerneret urbes.
Protinus infernas ad limina tetra sorores,
Concilium deforme, vocat: glomerantur in unum
Innumeræ pestes Erebi, quascunque sinistro
Nox genuit fetu; nutrix Discordia belli, 30
Imperiosa Fames, leto vicina Senectus,
Impatiensque sui Morbus, Livorque secundis
Anxius, et scisso mærens velamine Luctus,
Et Timor, et cæco præceps Audacia vultu, 34
Et Luxus populator opum, quem semper adhæ-
Infelix humili gressu comitatur Egestas, [rens
Fœdaque Avaritiæ complexæ pectora matris
Insomnes longo veniunt examine Curæ.
Complentur vario ferrata sedilia cœtu,
Torvaque collectis stipatur curia monstris. 40
Alecto stetit in mediis, vulgusque tacere
Jussit, et obstantes in tergum repulit hydros,

Perque humeros errare dedit: tum corde sub imo
Inclusam rabidis patefecit vocibus iram.
Siccine tranquillo produci sæcula cursu, 45
Sic fortunatas patiemur vivere gentes?
Quæ nova corrupit nostros clementia mores?
Quo rabies innata perît? quid inania prosunt
Verbera? quid facibus nequicquam cingimur atris?
Heu nimis ignavæ, quas cœlo Jupiter arcet, 50
Theodosius terris! en aurea nascitur ætas.
En proles antiqua redit: Concordia, Virtus,
Cumque Fide Pietas alta cervice vagantur,
Insignemque canunt nostra de plebe triumphum.
Pro dolor! ipsa mihi liquidas delapsa per auras
Justitia insultat, vitiisque a stirpe recisis 56
Elicit oppressas tenebroso carcere leges.
At nos indecores longo torpebimus ævo,
Omnibus ejectæ regnis? agnoscite tandem
Quid Furias deceat: consuetas sumite vires, 60
Conventuque nefas tanto decernite dignum.
Jam cupio Stygiis invadere nubibus astra,
Jam flatu violare diem, laxare profundo
Frena mari, ruptis fluvios immittere ripis,
Et rerum vexare fidem. Sic fata cruentum 65
Mugiit, et tortos serpentum erexit hiatus,
Noxiaque effudit concusso crine venena.
Anceps motus erat: vulgi pars maxima bellum
Indicit superis; pars Ditis jura tuentur.
Dissensuque alitur rumor: ceu murmurat alti 70
Impacata quies pelagi, cum flamine fracto
Durat adhuc sævitque tumor, dubiumque per æs-
Lassa recedentis fluitant vestigia venti. [tum
Improba mox surgit tristi de sede Megæra, 74
Quam penes insani fremitus, animique profanus
Error, et undantes spumis furialibus iræ.
Non nisi quæsitum cognata cæde cruorem,
Illicitumve bibit, patrius quem fuderit ensis,
Quem dederint fratres: hæc terruit Herculis ora,
Et defensores terrarum polluit arcus: 80
Hæc Athamanteæ direxit spicula dextræ:
Hæc Agamemnonios inter bacchata penates
Alternis lusit jugulis: hac auspice tædæ
Œdipoden matri, natæ junxere Thyesten.
Quæ tunc horrisonis effatur talia dictis: 85
Signa quidem, o sociæ, divos attollere contra
Nec fas est, nec posse reor: sed lædere mundum
Si libet, et populis commune intendere letum,
Est mihi prodigium cunctis immanius hydris,
Tigride mobilius feta, violentius Austris 90
Acribus, Euripi refluis incertius undis,
Rufinus: quem prima meo de matre cadentem
Suscepi gremio: reptavit parvus in isto
Sæpe sinu, teneroque per ardua colla volutus
Ubera quæsivit fletu, linguisque trisulcis 95
Mollia lambentes finxerunt ora cerastæ.
Meque etiam tradente, dolos, artemque nocendi,
Et didicit simulare fidem, sensusque minaces
Protegere, et blando fraudem prætexere risu,
Plenus sævitiæ, lucrique cupidine fervens. 100
Non Tartessiacis illum satiarit arenis
Tempestas pretiosa Tagi, non stagna rubentis
Aurea Pactoli; totumque exhauserit Hermum,
Ardebit majore siti. Quam fallere mentes
Doctus, et unanimos odiis turbare sodales! 105
Talem progenies hominum si prisca tulisset,
Pirithoum fugeret Theseus; offensus Orestem
Desereret Pylades; odisset Castora Pollux.
Ipsa quidem fateor vinci, rapidoque magistram
Prævenit ingenio: nec plus sermone morabor:
Solus habet, quicquid scelerum possedimus omnes. 111
Hunc ego, si vestræ res est accommoda turbæ,
Regalem ad summi producam principis aulam.
Sit licet ille Numa gravior, sit denique Minos,
Cedet, et insidiis nostri flectetur alumni. 115
Orantem sequitur clamor, cunctæque profanas
Porrexere manus, inventaque tristia laudant.
Illa, ubi cæruleo vestes connexuit angue, [rum
Nodavitque adamante comas, Phlegethonta sono-
Poscit, et ambusto flagrantis ab aggere ripæ 120
Ingentem piceo succendit gurgite pinum,
Pigraque veloces per Tartara concutit alas.
Est locus, extremum qua pandit Gallia littus,
Oceani prætentus aquis, ubi fertur Ulixes
Sanguine libato populum movisse silentem. 125
Illic umbrarum tenui stridore volantum
Flebilis auditur questus: simulacra coloni
Pallida, defunctasque vident migrare figuras.
Hinc dea prosiliit, Phœbique egressa serenos
Infecit radios, ululatuque æthera rupit 130
Terrifico: sensit ferale Britannia murmur, [thys
Et Senonum quatit arva fragor, revolutaque Te-
Substitit, et Rhenus projecta torpuit urna.
Tunc in canitiem mutatis sponte colubris
Longævum mentita senem, rugisque severas 135
Persulcata genas, et ficto languida passu,
Invadit muros Elusæ, notissima dudum
Tecta petens, oculisque diu liventibus hæsit,
Pejorem mirata virum; tunc talia fatur:
Otia te, Rufine, juvant? frustraque juventæ
Consumis florem patriis inglorius arvis? 141
Heu nescis quid fata tibi, quid sidera donent,
Quid fortuna paret: toti dominabere mundo,
Si parere velis: artus ne sperne seniles.
Namque mihi magicæ vires, ævique futuri 145
Præscius ardor inest: novi, quo Thessala cantu
Eripiat lunare jubar, quid signa sagacis
Ægypti valeant, qua gens Chaldæa vocatis
Imperet arte deis: nec me latuere fluentes
Arboribus succi, funestarumque potestas 150
Herbarum, quicquid letali gramine pollens
Caucasus, et Scythicæ vernant in carmina rupes,
Quas legit Medea ferox, et callida Circe.
Sæpius horrendos manes, sacrisque citavi
Nocturnis Hecaten, et condita funera traxi 155
Carminibus victura meis, multosque canendo,
Quamvis Parcarum restarent fila, peremi
Ire vagas quercus, et fulmen stare coegi,
Versaque non prono curvavi flumina lapsu
In fontes reditura suos: neu vana locutum 160
Me fortasse putes, mutatos cerne penates.
Dixerat: et niveæ (mirum) cœpere columnæ
Ditari, subitoque trabes lucere metallo.
Illecebris capitur, nimiumque elatus avaro
Pascitur intuitu. Sic rex ad prima tumebat 165
Mæonius, pulchro cum verteret omnia tactu. [tos
Sed postquam riguisse dapes, fulvamque revinc-
In glaciem vidit latices, tum munus acerbum
Sensit, et inviso votum damnavit in auro. [caris,
Ergo animi victus, Sequimur quocunque vo-
Seu tu vir, seu numen, ait: patriaque relicta
Eoas jussu Furiæ tendebat ad arces,
Instabilesque olim Symplegadas, et freta remis
Inclyta Thessalicis, qua celsa Bosporus urbe
Splendet, et Odrysiis Asiam disterminat oris. 175
Ut longum permensus iter, ductusque maligno
Stamine fatorum claram subrepsit in aulam,
Licet ambitio nasci; discedere rectum;
Venum cuncta dari: profert arcana, clientes
Fallit, et ambitos a principe vendit honores. 180
Ingeminat crimen, commoti pectoris ignem

Nutrit, et exiguum stimulando vulnus acerbat.
Ac velut innumeros amnes accedere Nereus
Nescit, et undantem quamvis hinc hauriat Istrum,
Hinc bibat æstivum septeno gurgite Nilum, 185
Par semper, similisque meat: sic fluctibus auri
Expleri calor ille nequit. Cuicunque monile
Contextum gemmis, aut prædia culta fuissent,
Rufino populandus erat, dominoque parabat
Exitium fecundus ager: metuenda colonis 190
Fertilitas: laribus pellit, detrudit avitis
Finibus, aut aufert vivis, aut occupat hæres.
Congestæ cumulantur opes, orbisque rapinas
Accipit una domus: populi servire coacti,
Plenaque privato succumbunt oppida regno. 195
Quo vesane ruis? teneas utrumque licebit
Oceanum, laxet rutilos tibi Lydia fontes,
Jungantur solium Crœsi, Cyrique tiara;
Nunquam dives eris, nunquam satiabere quæstu.
Semper inops, quicunque cupit. Contentus ho-
Fabricius parvo spernebat munera regum, [nesto
Sudabatque gravi consul Serranus aratro,
Et casa pugnaces Curios angusta tegebat.
Hæc mihi paupertas opulentior: hæc mihi tecta
Culminibus majora tuis. Tibi quærit inanes 205
Luxuries nocitura cibos; mihi donat inemtas
Terra dapes: rapiunt Tyrios ibi vellera fucos,
Et picturatæ saturantur murice vestes;
Hic radiant flores, et prati viva voluptas
Ingenio variata suo: fulgentibus illic 210
Surgunt strata toris; hic mollis panditur herba,
Sollicitum curis non abruptura soporem.
Turba salutantum latas ibi perstrepit ædes;
Hic avium cantus, labentis murmura rivi.
Vivitur exiguo melius: natura beatis 215
Omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti.
Hæc si nota forent, frueremur simplice cultu:
Classica non fremerent: non stridula fraxinus iret:
Non ventus quateret puppes, non machina muros.
Crescebat scelerata sitis, prædæque recentis
Incestus flagrabat amor, nullusque petendi 221
Cogendive pudor: crebris perjuria nectit
Blanditiis: sociat perituro fœdere dextras.
Si semel e tantis poscenti quisque negasset,
Effera prætumido quatiebat corda furore. 225
Quæ sic Gætuli jaculo percussa leæna,
Aut Hyrcana premens raptorem bellua Parthum.
Aut serpens calcata furit? jurata deorum
Majestas teritur: nusquam reverentia mensæ.
Non conjux, non ipse simul, non pignora cæsa
Sufficiunt odiis: non exstinxisse propinquos, 231
Non notos egisse sat est: exscindere cives
Funditus, et nomen gentis delere laborat.
Nec celeri mittit leto: crudelibus ante
Suppliciis fruitur: cruciatus, vincla, tenebras, 235
Dilato mucrone, parat: pro sævior ense
Parcendi rabies, concessaque vita dolori!
Mors adeone parum. Causis fallacibus instat:
Arguit attonitos se judice: cætera segnis,
Ad facinus velox: penitus regione remotas 240
Impiger ire vias: non illum Sirius ardens,
Brumave Rhipæo stridens Aquilone retardat.
Effera torquebant avidæ præcordia curæ,
Effugeret ne quis gladios, neu perderet ullum
Augusto miserante nefas. Non flectitur annis,
Non ætate labat: juvenum rorantia colla 246
Ante patrum vultus stricta cecidere securi.
Ibat grandævus nato moriente superstes
Post trabeas exsul. Quis prodere tanta relatu
Funera, quis cædes possit deflere nefandas? 250
Quid tale immanes unquam gessisse feruntur
Vei Sinis Isthmiaca pinu, vel rupe profunda
Sciron, vel Phalaris tauro, vel carcere Sulla?
O mites Diomedis equi! Busiridis aræ
Clementes! jam Cinna pius, jam, Spartace, lenis
Rufino collatus eris. Dejecerat omnes 256
Occultis odiis terror, tacitique sepultos
Suspirant gemitus, indignarique verentur.
At non magnanimi virtus Stilichonis eodem
Fracta metu: medio solus sed turbine rerum 260
Contra letiferos rictus, contraque rapacem
Movit tela feram, volucris non præpete cursu
Vectus equi, non Pegaseis adjutus habenis.
Hic cunctis optata quies, hic sola pericli [tem.
Turris erat, clypeusque trucem porrectus in hos-
Hic profugis sedes, adversaque signa furori, 266
Servandis hic castra bonis: hucusque minatus
Hærebat, retroque fuga cedebat inerti.
Haud secus, hiberno tumidus cum vortice torrens
Saxa rotat, volvitque nemus, pontesque revellit,
Frangitur objectu scopuli, quærensque meatum
Spumat, et illisa montem circumtonat unda.
Qua dignum te laude feram, qui pæne ruenti
Lapsuroque tuos humeros objeceris orbi?
Te nobis trepidæ ceu sidus dulce carinæ 275
Ostendere dei, geminis quæ lassa procellis
Tunditur, et victo trahitur jam cæca magistro.
Inachius rubro perhibetur in æquore Perseus
Neptuni domuisse pecus; sed tutior alis:
Te non penna vehit: rigida cum Gorgone Perseus;
Tu non vipereæ defensus crine Medusæ. 281
Illum vilis amor suspensæ virginis egit;
Te Romana salus. Taceat superata vetustas:
Herculeos conferre tuis jam desinat actus.
Una Cleonæum pascebat sylva leonem: 285
Arcadiæ saltum vastabat dentibus unum
Sævus aper: tuque o compressa matre rebellis
Non ultra Libyæ fines, Antæe, nocebas:
Solaque fulmineo resonabat Creta juvenco, 289
Lernæamque virens obsederat Hydra paludem.
Hoc monstrum non una palus, non una tremebat
Insula: sed Latia quicquid ditione subactum
Vivit, et a primis Ganges horrebat Iberis.
Hoc neque Geryones triplex, nec turbidus Orci
Janitor æquabunt, nec si concurrat in unum [ræ.
Vis Hydræ, Scyllæque fames, et flamma Chimæ-
Certamen sublime diu, sed moribus impar,
Virtutum scelerumque fuit. Jugulare minatur;
Tu prohibes: ditem spoliat; tu reddis egenti.
Eruit; instauras: accendit prœlia; vincis; 300
Ac velut infecto morbus crudescere cœlo
Incipiens primos pecudum depascitur artus;
Mox populos urbesque rapit, ventisque perustis
Corruptos Stygiam pestem desudat in amnes:
Sic avidus prædo jam non per singula sævit, 305
Sed sceptris inferre minas, omnique peremto
Milite Romanas ardet prosternere vires. [tat
Jam gentes Istrumque movet, Scythiamque recep-
Auxilio, tradiqtue suas hostilibus armis
Relliquias. Mixtis descendit Sarmata Dacis, 310
Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax
Massagetes, cæsamque bibens Mæotida Alanus,
Membraque qui ferro gaudet pinxisse Gelonus,
Rufino collecta manus: vetat ille domari,
Innectitque moras, et congrua tempora differt. 315
Nam tua cum Geticas stravisset dextra catervas,
Ulta ducis socii letum, parsque una maneret
Debilior, facilisque capi; tunc impius ille
Proditor imperii, conjuratusque Getarum,
Distulit instantes eluso principe pugnas, 320
Hunnorum laturus opem, quos affore bello

Norat, et invisis mox se conjungere castris.
Est genus extremos Scythiæ vergentis in ortus
Trans gelidum Tanain, quo non famosius ullum
Arctos alit: turpes habitus, obscænaque visu 325
Corpora: mens duro nunquam cessura labori.
Præda cibus, vitanda Ceres, frontemque secari
Ludus, et occisos pulchrum jurare parentes.
Nec plus nubigenas duplex natura biformes
Cognatis aptavit equis. Acerrima nullo 330
Ordine mobilitas, insperatique recursus.
Quos tamen impavidus contra spumantis ad Hebri
Tendis aquas, sic ante tubas ferrumque precatus:
Mavors, nubifero seu tu procumbis in Hæmo,
Seu te cana gelu Rhodope, seu remige Medo 335
Sollicitatus Athos, seu caligantia nigris
Ilicibus Pangæa tenent, accingere mecum,
Et Thracas defende tuos: si lætior adsit
Gloria, vestita spoliis donabere quercu.
Audiit illa pater, scopulisque nivalibus Hæmi
Surgit, et hortatur celeres clamore ministros. 341
Fer galeam, Bellona, mihi, nexusque rotarum
Tende, Pavor: frena rapidos, Formido, jugales.
Festinas urgete manus: meus ecce paratur
Ad bellum Stilicho, qui me de more tropæis 345
Ditat, et hostiles suspendit in arbore cristas.
Communes semper litui, communia nobis
Signa canunt, junctoque sequor tentoria curru.
Sic fatus campo insiliit, lateque fugatas
Hinc Stilicho turmas, illinc Gradivus agebant,
Et clypeis et mole pares: stat cassis utrique 351
Sidereis hirsuta jubis, loricaque cursu
Æstuat, et largo satiatur vulnere cornus.
Acrior interea voto, multoque Megæra
Luxuriata malo, mæstam deprendit in arce 355
Justitiam, diroque prior sic ore lacessit.
En tibi prisca quies, revocataque sæcula rus-
Ut rebare, vigent: en nostra potentia cessit,
Nec locus est usquam Furiis: huc lumina flecte.
Adspice, barbaricis jaceant quot mœnia flammis,
Quas mihi Rufinus strages, quantumque cruoris
Præbeat, et quantis epulentur cædibus hydri.
Linque homines, sortemque meam: pete sidera: no-
Autumni te redde plagis, qua vergit in Austrum
Signifer: æstivo sedes vicina Leoni 365
Jam pridem, geminæque vacant confinia Libræ.
Atque utinam per magna sequi convexa liceret.
Diva refert: Non ulterius bacchabere demens.
Jam pœnas tuus iste dabit: jam debitus ultor
Imminet, et terras qui nunc, ipsumque fatigat 370
Æthera, nec vili moriens condetur arena.
Jamque aderit læto promissus Honorius ævo,
Nec forti genitore minor, nec fratre corusco;
Qui subigat Medos, qui cuspide proterat Indos.
Sub juga venturi reges: calcabitur asper 375
Phasis equo, pontemque pati cogetur Araxes.
Tuque simul gravibus ferri religata catenis
Expellere die, debellatasque draconum
Tonsa jubas imo barathri condere recessu.
Tum tellus communis erit: tum limite nullo 380
Discernetur ager: nec vomere sulcus adunco
Findetur; subitis messor gaudebit aristis.
Rorabunt querceta favis: stagnantia passim
Vina fluent, oleique lacus: nec murice tinctis
Velleribus quæretur honos, sed sponte rubebunt
Attonito pastore greges: pontumque per omnem
Ridebunt virides gemmis nascentibus algæ.

IN RUFINUM LIBRI SECUNDI PRÆFATIO.

Pandite defensum reduces Helicona sorores,
Pandite: permissis jam licet ire choris.
Nulla per Aonios hostilis buccina campos
Carmina mugitu deteriore vetat.
Tu quoque securis pulsa formidine Delphis, 5
Floribus ultorem, Delie, cinge tuum.
Nullus Castalios latices, et præscia fati
Flumina polluto barbarus ore bibit.
Alpheus late rubuit, Siculumque per æquor
Sanguineas belli retulit unda notas: 10
Agnovitque novos absens Arethusa triumphos,
Et Geticam sensit teste cruore necem.
Immensis, Stilicho, succedant otia curis,
Et nostræ patiens corda remitte lyræ.
Nec pudeat longos interrupisse labores, 15
Et tenuem Musis constituisse moram.
Fertur et indomitus tandem post prœlia Mavors
Lassa per Odrysias fundere membra nives,
Oblitusque sui, posita clementior hasta,
Pieriis aures pacificare modis. 20

LIBER SECUNDUS.

Jam post edomitas Alpes, defensaque regna
Hesperiæ, merita complexus sede parentem
Auctior adjecto fulgebat sidere mundus:
Jamque tuis, Stilicho, Romana potentia curis
Et rerum commissus apex; tibi credita fratrum 5
Utraque majestas, geminæque exercitus aulæ.
Rufinus (neque enim patiuntur sæva quietem
Crimina, pollutæque negant arescere fauces)
Infandis iterum terras accendere bellis
Inchoat, et solito pacem vexare tumultu. 10
Hæc etiam secum: Quanam ratione tuebor
Spem vitæ fragilem? qua tot depellere fluctus
Arte queam? premor hinc odiis; hinc milite cingor.
Heu quid agam? non arma mihi, non principis [ullus
Auxiliatur amor: matura pericula surgunt 15
Undique, et impositi radiant cervicibus enses.
Quid restat, nisi cuncta novo confundere luctu,
Insontesque meæ populos miscere ruinæ?
Everso juvat orbe mori: solatia leto
Exitium commune dabit: nec territus ante 20
Decedam: cum luce simul linquenda potestas.

Hæc fatus, ventis veluti si frena remittat
Æolus, abrupto gentes sic objice fudit,
Laxavitque viam bellis, et, ne qua maneret
Immunis regio, cladem divisit in orbem, 25
Disposuitque nefas. Alii per terga ferocis
Danubii solidata ruunt, expertaque remos
Frangunt stagna rotis: alii per Caspia claustra
Armeniasque nives inopino tramite ducti
Invadunt Orientis opes. Jam pascua fumant 30
Cappadocum, volucrumque parens Argeus equorum.
Jam rubet altus Halys: nec se defendit iniquo
Monte Cilix: Syriæ tractus vastantur amœni:
Adsuetumque choris, et læta plebe canorum
Proterit imbellem sonipes hostilis Orontem. 35
Hinc planctus Asiæ: Geticis Europa catervis
Ludibrio prædæque datur, frondentis adusque
Dalmatiæ fines: omnis, quæ mobile Ponti
Æquor, et Hadriacas tellus interjacet undas,
Squalet inops pecudum, nullis habitata colonis,
Instar anhelantis Libyæ, quæ torrida semper 41
Solibus humano nescit mansuescere cultu.
Thessalus ardet ager: reticet pastore fugato
Pelion: Emathias ignis populatur aristas. [cum,
Jam plaga Pannoniæ, miserandaque mœnia Thra-
Arvaque Mysorum jam nulli flebile damnum, 46
Sed cursus sollennis erat, campusque furori
Expositus, sensumque malis detraxerat usus.
Eheu quam brevibus pereunt ingentia fatis!
Imperium tanto quæsitum sanguine, tanto 50
Servatum, quod mille ducum peperere labores,
Quod tantis Romana manus contexuit annis,
Proditor unus iners angusto tempore vertit.
Urbs etiam, magnæ quæ dicitur æmula Romæ,
Et Chalcedonias contra despectat arenas, 55
Jam non finitimo Martis terrore movetur;
Sed propius lucere faces, et rauca sonare
Cornua, vibratisque peti fastigia telis
Adspicit. Hi vigili muros statione tueri,
Hi junctis properant portus munire carinis. 60
Obsessa tamen ille ferus lætatur in urbe,
Exsultatque malis, summoque e culmine turris
Impia vicini cernit spectacula campi.
Vinctas ire nurus, hunc in vada proxima mergi
Seminecem, hunc subito percussum vulnere labi
Dum fugit, hunc animam portis efflare sub ipsis,
Nec canos prodesse seni, puerique cruore
Maternos undare sinus, immensa voluptas,
Et risus plerumque subit: dolor afficit unus,
Quod feriat non ipse manu: videt omnia late 70
Præceptis incensa suis, et crimine tanto
Luxuriat, carumque sibi non abnuit hostem.
Jactabatque ultro, quod soli castra paterent,
Sermonumque foret vicibus permissa potestas,
Egregii quoties exisset fœderis auctor. 75
Stipatur sociis, circumque armata clientum
Agmina privatis ibant famulantia signis.
Ipse inter medios, ne qua de parte relinquat
Barbariem, revocat fulvas in pectora pelles,
Frenaque, et immanes pharetras, arcusque sonoros 80
Adsimulat, mentemque palam testatur amictu.
Nec pudet Ausonios currus et jura regentem
Sumere deformes ritus, vestemque Getarum,
Insignemque habitum Latii mutare togæque.
Mærent captivæ pellito judice leges. 85
Quis populi tunc vultus erat? quæ murmura furtim? [rem
Nam miseris nec flere quidem, aut lenire dolo-
Colloquiis impune licet: Quonam usque feremus
Exitiale jugum? diræ quis terminus unquam
Sortis erit? quis nos funesto turbine rerum 90
Aut tantis solvet lacrymis? quos barbarus illinc,
Hinc Rufinus agit: quibus arva fretumque negantur.
Magna quidem per rura lues; sed major oberrat
Intra tecta timor. Tandem succurre ruenti 94
Heu patriæ, Stilicho: dilecta hic pignora certe,
Hic domus: hic thalamis primum genialibus
Hic tibi felices erexit regia tædas. [omen:
Vel solus, sperate, veni: te prœlia viso
Languescent, avidique cadet dementia monstri.
Talibus urgetur discors Aurora procellis. 100
At Stilicho, Zephyris cum primum bruma re-
Et juga diffusis nudari cœpta pruinis, [mitti,
Partibus Italiæ tranquilla in pace locatis,
Utraque castra movens, Phœbi properabat ad or-
Gallica discretis Eoaque robora turmis [tus,
Complexus. Nunquam tantæ ditione sub una
Convenere manus, nec tot discrimina vocum.
Illinc Armeniæ vibratis crinibus alæ,
Herbida collectæ facili velamina nodo:
Inde truces flavo comitantur vertice Galli, 110
Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit,
Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus,
Quosque rigat retro pernicior unda Garumnæ,
Oceani pleno quoties impellitur æstu.
Mens eadem cunctis, animique recentia ponunt
Vulnera: non odit victus, victorve superbit. 116
Et quamvis præsens tumor, et civilia nuper
Classica, bellatrixque etiam nunc ira caleret,
In ducis eximium conspiravere favorem.
Haud aliter Xerxen toto simul orbe secutus 120
Narratur rapuisse vagos exercitus amnes,
Et telis umbrasse diem, cum classibus iret
Per scopulos, tectumque pedes contemneret æquor.
Vix Alpes transgressus erat, nec jam amplius errat
Barbarus, adventumque tremens se cogit in unam
Planitiem, tutoque includit pascua gyro. 126
Tum duplicem fossam, non exsuperabile vallum,
Asperat alternis sudibus, murique locata
In speciem cæsis obtendit plaustra juvencis.
At procul exsanguis Rufinum perculit horror:
Infectæ pallore genæ: stetit ore gelato 131
Incertus, peteretne fugam, veniamne subactus
Posceret, an fidos sese transferret in hostes.
Quid nunc divitiæ, quid fulvi vasta metalli
Congeries, quid purpureis effulta columnis 135
Atria, prolataeve juvant ad sidera moles?
Audit iter, numeratque dies, spatioque viarum
Metitur vitam: torquetur pace futura,
Nec recipit somnos, et sæpe cubilibus amens
Excutitur, pœnamque luit formidine pœnæ. 140
Sed redit in rabiem, scelerumque immane resumit
Ingenium, sacrasque fores prædivitis aulæ
Intrat, et Arcadium mixto terrore precatur.
Per fratris regale jubar, per facta parentis
Ætherii, floremque tui te deprecor ævi, 145
Eripe me gladiis: liceat Stilichonis iniquas
Evitare minas. In nostram Gallia cædem
Conjurata venit: quicquid rigat ultima Tethys,
Extremos ultra volitat gens si qua Britannos,
Mota mihi: tantis capiendi credimur armis? 150
Tot signis unum petitur caput? unde cruoris
Ista sitis? geminum cœli sibi vindicat axem,
Et nullum vult esse parem: succumbere poscit
Cuncta sibi: regit Italiam, Libyenque coercet;
Hispanis Gallisque jubet: non orbita solis, 155

Non illum natura capit. Quascunque paravit
Hic Augustus opes, et quas post bella recepit,
Solus habet: possessa semel non reddere curat.
Scilicet ille quidem tranquilla pace fruatur;
Nos premat obsidio: quid partem invadere tentat?
Deserat Illyricos fines; Eoa remittat 161
Agmina; fraternas ex æquo dividat hastas;
Nec sceptri tantum fueris, sed militis, hæres.
Quod si dissimulas nostræ succurrere morti,
Nec prohibere paras; manes et sidera testor, 165
Hæc cervix non sola cadet: miscebitur alter
Sanguis, nec Stygias ferar incomitatus ad umbras,
Nec mea securus ridebit funera victor.
Hæc ubi; dictatur facinus, missusque repente
Qui ferat extortas invito principe voces. 170
Interea Stilicho jam lætior hoste propinquo,
Nec multo spatii distantibus æquore vallis,
Pugnandi cupidas accendit voce cohortes.
Armeniis frons læva datur; per cornua Gallos
Dexteriora locat. Spumis ignescere frena, 175
Pulveris extolli nimbos, lateque videres
Surgere purpureis undantes anguibus hastas,
Serpentumque vago cœlum sævire volatu.
Implet Thessaliam ferri nitor, antraque docti
Cornipedis, teneroque amnis reptatus Achilli,
Et nemus Œtæum radiat: clamore nivalis 181
Ossa tonat, pulsoque fragor geminatur Olympo.
Intumuit virtus, et lucis prodigus arsit
Impetus: haud illos rupes, haud alta vetarent
Flumina: præcipiti stravissent omnia cursu. 185
His si tunc animis acies collata fuisset,
Prodita non tantas vidisset Græcia clades:
Oppida semoto Pelopeia Marte vigerent:
Starent Arcadiæ, starent Lacedæmonis, arces:
Non mare fumasset geminum flagrante Corintho,
Nec fera Cecropias traxissent vincula matres. 191
Illa dies potuit nostris imponere finem
Cladibus, et sceleris causas auferre futuri.
Invida, pro, quantum rapuit Fortuna triumphum!
Inter equos, interque tubas mandata feruntur 195
Regia, et armati veniunt ductoris ad aures.
Obstupuit: simul ira virum, simul obruit ingens
Mæror, et ignavo tantum licuisse nocenti
Miratur: dubios anceps sententia volvit
Eventus: peragat pugnas, an fortia cœpta 200
Deserat? Illyricis ardet succurrere damnis;
Præceptis obstare timet: reverentia frangit
Virtutis stimulos: hinc publica commoda suadent,
Hinc metus invidiæ. Tandem indignatus ad astra
Extollit palmas, et ab imo pectore fatur: 205
Numina Romanis necdum satiata ruinis,
Si juvat imperium penitus de stirpe revelli,
Uno si placuit deleri sæcula lapsu,
Si piget humani generis; prorumpat in arva
Libertas effrena maris, vel limite justo 210
Devius errantes Phaethon confundat habenas.
Cur per Rufinum geritur? procumbere mundum
Hoc auctore pudet. Mediis revocamur ab armis,
Pro dolor, et strictos deponere cogimur enses.
Vos, arsuræ urbes, perituraque mœnia, testor. 215
Cedo equidem, et miserum permitto casibus orbem.
Flectite signa, duces: redeat jam miles Eois.
Parendum: taceant lituì: prohibete sagittas.
Parcite contiguo, Rufinus præcipit, hosti.
His dictis, omnes una fremuere manipli, 220
Quantum non Italo percussa Ceraunia fluctu:
Quantum non madidis elisa tonitrua Coris.
Secernique negant, ereptaque prœlia poscunt:
Insignemque ducem populus defendit uterque,
Et sibi quisque trahit: magno certatur amore,
Alternamque fidem non illaudata lacessit 226
Seditio: talique simul clamore queruntur:
Quis mihi nudatos enses, quis tela lacertis
Excutit, et solvi curvatos imperat arcus?
Quisnam audet leges vibrato imponere ferro?
Inflammata semel nescit mitescere virtus. 231
Jam mihi barbaricos sitientia pila cruores
Sponte volant, ultrixque manus mucrone furenti
Ducitur, et siccum gladium vagina recusat.
Num patiar? semperne Getis discordia nostra 235
Proderit? en iterum belli civilis imago.
Quid consanguineas acies, quid dividis olim
Concordes aquilas? non dissociabile corpus,
Conjunctumque sumus. Te, quo libet ire, sequemur.
Te vel Hyperboreo damnatam sidere Thulen,
Te vel ad incensas Libyæ comitabor arenas. 241
Indorum si stagna petas, rubrique recessus
Æquoris, auriferum veniam poturus Hydaspen.
Si calcare Notum, secretaque littora Nili
Nascentis jubeas, mundum post terga relinquam.
Et quocunque loco Stilicho tentoria figet, 246
Hic patria est. Dux inde vetat: Desistite, quæso,
Atque avidam differte manum: cadat iste minacis
Invidiæ cumulus: non est victoria tanti,
Ut videar vicisse mihi. Vos, fida juventus, 250
Ite, mei quondam socii. Nec plura locutus
Flectit iter: vacuo qualis discedit hiatu
Impatiens remeare leo, quem plurima cuspis
Et pastorales pepulerunt igne catervæ,
Inclinatque jubas, demissaque lumina velat, 255
Et trepidas mæsto rimatur murmure sylvas.
Ut sese legio vidit disjuncta relinqui,
Ingentem tollit gemitum, galeasque solutis
Humectat lacrymis, pressamque morantia vocem
Thoracum validos pulsant suspiria nexus. 260
Tradimur, heu, tantumque sequi prohibemur amorem,
Exclamant: spernisne tuas, dux optime, dextras,
Quas tibi victrices toties Bellona probavit?
Nos adeo viles? adeo felicior axis
Hesperius, meruit qui te rectore teneri? 265
Quid nobis patriam, quid cara revisere tandem
Pignora, dilectosve juvat coluisse penates?
Te sine dulce nihil. Jam formidata tyranni
Tempestas subeunda mihi, qui forte nefandas
Jam parat insidias: qui nos aut turpibus Hunnis,
Aut impacatis famulos præstabit Alanis. 271
Quanquam non adeo robur defecerit omne,
Tantave gestandi fuerit penuria ferri.
Tu licet occidui maneas sub cardine solis,
Tu mihi dux semper, Stilicho, nostramque ve absens 275
Experiere fidem: dabitur tibi debita pridem
Victima: promissis longum placabere sacris.
Tristior Hæmoniis miles digressus ab oris
Tangebat Macetûm fines, murosque subibat,
Thessalonica, tuos: sensu dolor hæret in alto 280
Abditus, et tacitas vindictæ præstruit iras,
Spectaturque favens odiis locus, aptaque leto
Tempora: nec quisquam tanta de pube repertus,
Proderet incautis qui corda minantia verbis.
Quæ non posteritas, quæ non mirabitur ætas 285
Tanti consilium vulgi potuisse taceri,
Aut facinus tam grande tegi? mentisque calorem
Non sermone viæ, non inter pocula rumpi?
Æqualis tantam tenuit constantia turbam,

Et fuit arcanum populo. Percurritur Hebrus, 290
Deseritur Rhodope: Thracumque per ardua tendunt,
Donec ad Herculei perventum nominis urbem.
Ut cessisse ducem, propius venisse cohortes,
Cognita Rufino; magna cervice triumphat,
Omnia tuta ratus, sceptrumque capessere fervet,
Et conjuratos accendit voce clientes: 296
Vicimus: expulimus: facilis jam copia regni.
Nullus ab hoste timor: quis enim, quem poscere solum
Horruit, hunc tanto munitum milite vincat? 299
Quis ferat armatum, quem non superavit inermen?
I nunc, exitium nobis meditare remotus
Incassum, Stilicho: dum nos longissima tellus
Dividat, et mediis Nereus interstrepat undis,
Alpinas transire tibi me sospite rupes
Haud dabitur: jaculis illinc me figere tenta: 305
Quære ferox ensem, qui nostra ad mœnia tendi
Possit ab Italia. Non te documenta priorum,
Non exempla vetant? quis par conatus adire
Has jactat vitasse manus? detrusimus orbe
Te medio, tantisque simul spoliavimus armis. 310
Nunc epulas tempus, socii, nunc larga parare
Munera, donandumque novis legionibus aurum.
Opportuna meis oritur lux crastina votis.
Quod nolit, rex ipse velit, jubeatque coactus
In partem mihi regna dari: contingat in uno 315
Privati fugisse modum, crimenque tyranni.
Talibus acclamant dictis infame nocentum
Concilium, qui perpetuis crevere rapinis,
Et quos una facit Rufino causa sodales,
Illicitum duxisse nihil: delicta fuere 320
Nexus amicitiæ. Jam jam connubia læti
Despondent aliena sibi, frustraque vicissim
Promittunt quas quisque petat, quas devoret urbes.
Cœperat humanos alto sopire labores
Nox gremio, nigrasque Sopor diffuderat alas. 325
Ille diu curis animum stimulantibus ægrum
Labitur in somnos. Vix toto corde quierat,
Ecce videt diras alludere protinus umbras,
Quas dedit ipse neci: quarum, quæ clarior, una
Visa loqui: Pro surge toro: quid plurima volvis
Anxius? hæc requiem rebus finemque labori
Allatura dies: omni jam plebe redibis
Altior, et læti manibus portabere vulgi.
Has canit ambages: occulto fallitur ille
Omine, nec capitis sentit præsagia fixi. 335
Jam summum radiis stringebat Lucifer Hæmum,
Festinamque rotam solito properantior urget,
Tandem Rufini visurus funera, Titan.
Prosiluit stratis, densæque capacia turbæ
Atria regifico jussit splendere paratu 340
Exceptura dapes, et, quod post vota daretur,
Inscribi propriis aurum fatale figuris.
Ipse salutatum reduces post prœlia turmas
Jam regale tumens, et principe celsior, ibat,
Collaque fœmineo jactabat mollia gestu, 345
Imperii certus; tegeret ceu purpura dudum
Corpus, et ambirent ardentes tempora gemmæ.
Urbis ab angusto tractu, qua vergit in Austrum,
Planities vicina patet: nam cætera Pontus
Circuit, exiguo dirimi se tramite passus. 350
Hic ultrix acies ornatu fulgida Martis
Explicuit cuneos: pedites in parte sinistra
Consistunt; equites illic poscentia cursum
Ora reluctantur pressis sedare lupatis.
Hic alii sævum cristato vertice nutant, 355
Et tremulos humeris gaudent vibrare colores,
Quos operit formatque chalybs: conjuncta per artem
Flexilis inductis animatur lamina membris,
Horribilis visu: credas simulacra moveri
Ferrea, cognatoque viros spirare metallo. 360
Par vestitus equis: ferrata fronte minantur,
Ferratosque levant securi vulneris armos.
Diviso stat quisque loco: metuenda voluptas
Cernenti, pulcherque timor: spirisque remissis
Mansuescunt varii vento cessante dracones. 365
Augustus veneranda prior vexilla salutat.
Rufinus sequitur, quo fallere cuncta solebat
Callidus affatu, devotaque brachia laudat,
Nomine quemque vocans, natosque patresque reversis
Nuntiat incolumes. Illi, dum plurima ficto 370
Certatim sermone petunt, extendere longos
A tergo flexus, insperatoque suprema
Circuitu sociare parant: decrescere campus
Incipit, et clypeis in se redeuntia junctis
Curvo pullatim sinuantur cornua ductu. 375
Sic ligat immensa virides indagine saltus
Venator: sic attonitos ad littora pisces
Æquoreus populator agit, rarosque plagarum
Contrahit anfractus, et hiantes colligit oras.
Excludunt alios: cingi se fervidus ille [tem
Nescit adhuc, graviterque apprensa veste moran-
Increpat Augustum; scandat sublime tribunal:
Participem sceptri, socium declaret honoris.
Cum subito stringunt gladios, vox desuper ingens
Infremuit: Nobis etiam, teterrime, nobis 385
Sperasti famulas imponere posse catenas?
Unde redi nescis? patiarne audire satelles,
Qui leges aliis libertatemque reduxi?
Bis domitum civile nefas, bis rupimus Alpes.
Tot nos bella docent nulli servire tyranno. 390
Diriguit: spes nulla fugæ: seges undique ferri
Circumfusa micat: dextra lævaque revinctus
Hæsit, et ensiferæ stupuit mucrone coronæ.
Ut fera, quæ montes nuper dimisit avitos,
Altorumque exsul nemorum damnatur arenæ 395
Muneribus, commota ruit: vir murmure contra
Hortatur, nixusque genu venabula tendit.
Illa pavet strepitus, cuneosque erecta theatri
Respicit, et tanti miratur sibila vulgi.
Unus per medios audendi pronior ense 400
Prosilit exserto, dictisque et vulnere torvus, [tra
Hac petit, hac Stilicho, quem jactas pellere, dex-
Te ferit; hoc absens invadit viscera ferro.
Sic fatur, meritoque latus transverberat ictu.
Felix illa manus, talem quæ prima cruorem 405
Hauserit, et fessi pœnam libaverit orbis.
Mox omnes fodiunt hastis, artusque trementes
Dilaniant: uno tot corpore pila tepescunt,
Et non infecto puduit mucrone reverti.
Hi vultus avidos, et adhuc spirantia vellunt 410
Lumina: truncatos alii rapuere lacertos.
Amputat ille pedes, humerum quatit ille solutis
Nexibus: hic fracti resecat curvamina dorsi.
Hic jecur, hic cordis fibras, hic pandit anhelas
Pulmonis latebras. Spatium non invenit ira, 415
Nec locus est odiis: consumto funere vix tum
Deseritur, sparsumque perit per tela cadaver.
Sic mons Aonius rubuit, cum Penthea ferrent
Mænades, aut subito mutatum Actæona cornu
Traderet insanis Latonia visa Molossis. 420
Criminibusne tuis credis, Fortuna, mederi?
Et male donatum speras æquare favorem
Suppliciis? una tot millia morte rependi?
Eversis agedum Rufinum divide terris.

Da caput Odrysiis, truncum mereantur Achivi.
Quid reliquis dabitur? nec singula membra peremtis 426
Sufficiunt populis. Vacuo plebs obvia muro,
Jam secura, fluit: senibus non obstitit ætas,
Virginibusve pudor. viduæ, quibus ille maritos
Abstulit, orbatæque ruunt ad gaudia matres, 430
Insultantque alacres. Laceros juvat ire per artus,
Pressaque calcato vestigia sanguine tingi.
Nec minus assiduis flagrant elidere saxis
Prodigiale caput, quod jam de cuspide summa
Nutabat, digna rediens ad mœnia pompa. 435
Dextera quinetiam ludo concessa vagatur
Æra petens, fraudesque animi persolvit avari
Terribili lucro, vivosque imitata retentus
Cogitur adductis digitos inflectere nervis.
Desinat elatis quisquam confidere rebus, 440
Instabilesque deos, ac lubrica numina discat.
Illa manus, quæ sceptra sibi gestanda parabat,
Cujus se toties submisit ad oscula supplex
Nobilitas, inhumata diu, miseroque revulsa
Corpore feralem quæstum post fata poposcit. 445
Adspiciat, quisquis nimium sublata secundis
Colla gerit: triviis calcandus spargitur ecce,
Qui sibi pyramidas, qui non cedentia templis
Ornatura suos exstruxit culmina manes:
Et, qui Sidonio velari credidit ostro, 450
Nudus pascit aves: jacet en, qui possidet orbem,
Exiguæ telluris inops, et pulvere raro
Per partes tegitur, nusquam totiesque sepultus.
Senserunt convexa necem, tellusque nefandum
Amolitur onus: jam respirantibus astris, 455
Infernos gravat umbra lacus. Pater Æacus horret,
Intrantemque etiam latratu Cerberus urget.
Tunc animæ, quas ille fero sub jure peremit,
Circumstant, nigrique trahunt ad judicis urnam
Infesto fremitu: veluti pastoris in ora 460
Commotæ glomerantur apes, qui dulcia raptu
Mella trahit, pennasque cient, et spicula tendunt,
Et tenuis saxi per propugnacula cinctæ
Rimosam patriam, dilectaque pumicis antra
Defendunt, pronoque favos examine velant. 465
Est locus, infaustis quo conciliantur in unum
Cocytos Phlegethonque vadis: inamœnus uterque
Alveus: hic volvit lacrymas; hic igne redundat.
Turris per geminos flammis vicinior amnes
Porrigitur, solidoque rigens adamante sinistrum
Proluit igne latus: dextra Cocytia findit 471
Æquora, triste gemens, et fletu concita plangit
Huc post emeritam mortalia sæcula vitam
Deveniunt. Ibi nulla manent discrimina fati,
Nullus honos: vanoque exutum nomine regem
Proturbat plebeius egens. Quæsitor in alto 476
Conspicuus solio pertentat crimina Minos,
Et justis dirimit sontes: quos nolle fateri
Viderit, ad rigidi transmittit verbera fratris.
Nam juxta Rhadamanthus agit: cum gesta superni
Curriculi, totosque diu perspexerit actus, 481
Exæquat damnum meritis, et muta ferarum
Cogit vincla pati: truculentos ingerit ursis,
Prædonesque lupis: fallaces vulpibus addit.
At qui desidia semper vinoque gravatus 485
[Indulgens Veneri voluit torpescere luxu,]
Hunc suis immundi pingues detrudit in artus.
Qui justo plus esse loquax, arcanaque suevit
Prodere, piscosas fertur victurus in undas.
Ut nimiam pensent æterna silentia vocem. 490
Quos ubi per varias annis ter mille figuras
Egit, Lethæo purgatos flumine tandem
Rursus ad humanæ revocat primordia formæ.
Tum quoque, dum lites, Stygiique negotia solvit
Dura fori, veteresque reos ex ordine quærit, 495
Rufinum procul ecce notat, visuque severo
Lustrat, et ex imo concussa sede profatur.
Huc superûm labes, huc insatiabilis auri
Proluvies, pretioque nihil non ause parato,
Quodque mihi summum scelus est, huc improbe legum 500
Venditor, Arctoi stimulator perfide Martis,
Cujus ob innumeras strages angustus Averni
Jam sinus, et plena lassatur portitor alno.
Quid demens manifesta negas? en pectus inustæ
Deformant maculæ, vitiisque inolevit imago, 505
Nec sese commissa tegunt. Genus omne dolorum
In te ferre lubet. Dubio tibi pendula rupes
Immineat lapsu: volucer te torqueat axis:
Te refugi fallant latices, atque ore natanti
Arescat decepta sitis: dapibusque relictis 510
In tua mansurus migret præcordia vultur.
Quanquam omnes alii, quos hæc tormenta fatigant, [dax
Pars quota sint, Rufine, tui! quid tale vel au-
Fulmine Salmoneus, vel lingua Tantalus egit,
Aut inconcesso Tityos deliquit amore? 515
Cunctorum si facta simul jungantur in unum,
Præcedes numero. Cui tanta piacula quisquam
Supplicio conferre valet? quid denique dignum
Omnibus inveniam, vincant cum singula pœnas?
Tollite de mediis animarum dedecus umbris. 520
Adspexisse sat est: oculis jam parcite nostris.
Et Ditis purgate domos. Agitate flagellis [rathro
Trans Styga, trans Erebum; vacuo mandate ba-
Infra Titanum tenebras, infraque recessus
Tartareos, nostrumque Chaos, qua noctis opacæ
Fundamenta latent, penitusque immersus anhelet,
Dum rotet astra polus, feriant dum littora venti.

DE TERTIO CONSULATU HONORII AUGUSTI PRÆFATIO.

Parvos non aquilis fas est educere fetus
Ante fidem solis, judiciumque poli.
Nam pater, excusso saliit cum tegmine proles,
Ovaque maternus rupit hiulca tepor,
Protinus implumes convertit ad æthera nidos, 5
Et recto flammas imperat ore pati.
Consulit ardentes radios, et luce magistra
Natorum vires ingeniumque probat.
Degeneres refugo torsit qui lumine visus,
Unguibus hunc sævis ira paterna ferit. 10
Exploratores oculis qui pertulit ignes,
Sustinuitque acie nobiliore diem;

Nutritur volucrumque potens, et fulminis hæres,
Gesturus summo tela trisulca Jovi.
Me quoque Pieriis tentatum sæpius antris 15
Audet magna suo mittere Roma deo
Jam dominas aures, jam regia tecta meremur,
Et chelys Augusto judice nostra sonat.

DE TERTIO CONSULATU HONORII AUGUSTI PANEGYRIS.

Tertia Romulei sumant exordia fasces,
Terque suas ducat bellatrix pompa curules.
Festior annus eat, cinctusque imitata Gabinos
Dives Hydaspeis augescat purpura gemmis.
Succedant armis trabeæ: tentoria lictor 5
Ambiat, et Latiæ redeant ad signa secures.
Tuque o, qui patrium curis æqualibus orbem
Eoo cum fratre regis, procede secundis
Alitibus, Phœbique novos ordire meatus,
Spes votumque poli, quem primo a limine vitæ
Nutrix aula fovet: strictis quem fulgida telis 11
Inter laurigeros aluerunt castra triumphos.
Ardua privatos nescit fortuna penates,
Et regnum cum luce dedit cognata potestas.
Excepit Tyrio venerabile pignus in ostro, 15
Lustravitque tuos aquilis victricibus ortus
Miles, et in mediis cunabula præbuit hastis.
Te nascente ferox toto Germania Rheno
Intremuit, movitque suas formidine sylvas
Caucasus, et positis numen confessa pharetris 20
Ignavas Meroe traxit de crine sagittas.
Reptasti per scuta puer, regumque recentes
Exuviæ tibi ludus erant: primusque solebas
Aspera complecti torvum post prœlia patrem,
Signa triumphato quoties flexisset ab Istro 25
Arctoa de strage calens, et poscere partem
De spoliis, Scythicosve arcus, aut rapta Gelonis
Cingula, vel jaculum Daci, vel frena Suevi.
Ille coruscanti clypeo te sæpe volentem
Sustulit arridens, et pectore pressit anhelo 30
Intrepidum ferri, galeæ nec triste timentem
Fulgur, et ad summas tendentem brachia cristas.
Tum sic lætus ait: Rex o stellantis Olympi,
Talis perdomito redeat mihi filius hoste,
Hyrcanas populatus opes, aut cæde superbus 35
Assyria; sic ense rubens, sic flamine crebro
Turbidus, et grato respersus pulvere belli,
Armaque gaviso referat captiva parenti.
Mox ubi firmasti recto vestigia gressu,
Non tibi desidias molles, nec marcida luxu 40
Otia, nec somnos genitor permisit inertes;
Sed nova per duros instruxit membra labores,
Et cruda teneras exercuit indole vires:
Frigora sæva pati, gravibus non cedere nimbis,
Æstivum tolerare jubar, tranare sonoras 45
Torrentum furias, adscensu vincere montes,
Planitiem cursu, valles et concava saltu.
Nec non in clypeo vigiles producere noctes,
In galea potare nives: nunc spicula cornu
Tendere, nunc glandes Baleari spargere funda 50
Quoque magis nimium pugnæ inflammaret amorem,
Facta tui numerabat avi, quem littus adustæ
Horrescit Libyæ, ratibusque impervia Thule.
Ille leves Mauros, nec falso nomine Pictos
Edomuit, Scotumque vago mucrone secutus 55
Fregit Hyperboreas remis audacibus undas,
Et geminis fulgens utroque sub axe tropæis
Tethyos alternæ refluas calcavit arenas.
Hos tibi virtutum stimulos, hæc semina laudum,
Hæc exempla dabat. Non ocius hausit Achilles
Semiferi præcepta senis, seu cuspidis artes, 61
Sive lyræ cantus, medicas seu disceret herbas.
Interea turbata fides, civilia rursus
Bella tonant, dubiumque quatit discordia mundum.
Pro crimen superûm, longi pro dedecus ævi, 65
Barbarus Hesperias exsul possederat urbes,
Sceptraque dejecto dederat Romana clienti.
Jam princeps molitur iter, gentesque remotas
Colligit Auroræ, tumidus quascunque pererrat
Euphrates, quas lustrat Halys, quas ditat Orontes.
Thuriferos Arabes saltus, vada Caspia Medi, 71
Armenii Phasin, Parthi liquere Niphaten.
Quæ tibi tunc Martis rabies, quantusque sequendi
Ardor erat! quanto flagrabant pectora voto,
Optatas audire tubas, campique cruenta 75
Tempestate frui, truncisque immergere plantas!
Ut leo, quem fulvæ matris spelunca tegebat
Uberibus solitum pasci, cum crescere sensit
Ungue pedes, et terga jubis, et dentibus ora,
Jam negat imbelles epulas, et rupe relicta 80
Gætulo comes ire patri, stabulisque minari
Æstuat, et celsi tabo sordere juvenci.
Ille vetat, rerumque tibi commendat habenas,
Et sacro meritos ornat diademate crines.
Tantaque se rudibus pietas ostendit in annis, 85
Sic ætas animo cessit, quererentur ut omnes
Imperium tibi sero datum. Victoria velox
Auspiciis effecta tuis: pugnastis uterque,
Tu fatis, genitorque manu. Te propter et Alpes
Invadi faciles, cauto nec profuit hosti 90
Munitis hæsisse locis: spes irrita valli
Concidit, et scopulis patuerunt claustra revulsis.
Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adversas acies, revolutaque tela
Vertit in auctores, et turbine repulit hastas. 95
O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hiemes; cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.
Alpinæ rubuere nives, et Frigidus amnis
Mutatis fumavit aquis, turbaque cadentum 100
Staret, ni rapidus juvisset flumina sanguis.
At ferus inventor scelerum trajecerat altum
Non uno mucrone latus, duplexque tepebat
Ensis, et ultrices in se converterat iras
Tandem justa manus. Jam libertate reducta, 105
Quamvis emeritum peteret Natura reverti
Numen, et auratas astrorum panderet arces,
Nutaretque oneri venturo conscius Atlas,
Distulit Augustus cupido se credere cœlo,
Dum tibi pacatum præsenti traderet orbem. 110
Nec mora; Bistoniis alacer consurgis ab oris,

Inter barbaricas ausus transire cohortes
Impavido vultu: linquis Rhodopeia saxa
Orpheis animata modis: juga deseris Œtes
Herculeo damnata rogo: post Pelion intras 115
Nereis illustre toris: te pulcher Enipeus
Celsaque Dodone stupuit, rursusque locutæ
In te Chaoniæ moverunt carmina quercus.
Illyrici legitur plaga littoris: arva teruntur
Dalmatiæ: Phrygii numerantur stagna Timavi.
Gaudent Italiæ sublimibus oppida muris 121
Adventu sacrata tuo: submissus adorat
Eridanus, blandosque jubet mitescere fluctus;
Et Phaethonteas solitæ deflere ruinas
Roscida frondosæ revocant electra sorores. 125
Quanti tum juvenes, quantæ sprevere pudorem
Spectandi studio matres, puerisque severi
Certavere senes, cum tu genitoris amico
Exceptus gremio mediam veherere per urbem,
Velaretque pios communis laurea currus! 130
Quis non Luciferum roseo cum Sole videri
Credidit, aut junctum Bromio radiare Tonantem?
Floret cristatis exercitus undique turmis,
Quisque sua te voce canens: præstringit aena
Lux oculos, nudique seges Mavortia ferri 135
Ingeminat splendore diem: pars nobilis arcu,
Pars longe jaculis, pars cominus horrida contis.
Hi volucres tollunt aquilas: hi picta draconum
Colla levant, multusque tumet per nubila serpens
Iratus stimulante Noto, vivitque receptis 140
Flatibus, et vario mentitur sibila tractu.
Ut ventum ad sedes, cunctos discedere tectis
Dux jubet, et generum compellat talibus ultro:
Bellipotens Stilicho, cujus mihi robur in armis,
Pace probata fides, quid enim per prœlia gessi
Te sine? quem merui te non sudante triumphum?
Odrysium pariter Getico fœdavimus Hebrum
Sanguine, Sarmaticas pariter prostravimus alas,
Rhipæaque simul fessos porreximus artus
In glacie, stantemque rota sulcavimus Istrum. 150
Ergo age, me quoniam cœlestis regia poscit,
Tu curis succede meis: tu pignora solus
Nostra fove, geminos dextra tu protege fratres.
Per consanguineos thalamos, noctemque beatam,
Per tædas, quas ipsa tuo regina levavit 155
Conjugio, sociaque nurum produxit ab aula,
Indue mente patrem, crescentes dilige fetus,
Ut ducis, ut soceri: jam jam securus ad astra
Te custode ferar. Rupta si mole Typhoeus
Vinclis prosiliat, Tityos si membra resolvat, 160
Si furor Enceladi projecta mugiat Ætna,
Opposito Stilichone cadant. Nec plura locutus,
Sicut erat, liquido signavit tramite nubes,
Ingrediturque globum Lunæ, limenque relinquit
Arcados, et Veneris clementes advolat auras. 165
Hinc Phœbi permensus iter, flammamque nocentem [ma,
Gradivi, placidumque Jovem, stetit arce supre-
Algenti qua zona riget Saturnia tractu.
Machina laxatur cœli, rutilæque patescunt
Sponte fores. Arctoa parat convexa Bootes, 170
Australes reserat portas succinctus Orion:
Invitantque novum sidus, pendentque vicissim,
Quas partes velit ille sequi, quibus esse sodalis
Dignetur stellis, aut qua regione morari.
O decus ætherium, terrarum gloria quondam,
Te tuus Oceanus natali gurgite lassum 176
Excipit, et notis Hispania proluit undis.
Fortunate parens, primos cum detegis ortus,
Adspicis Arcadium; cum te proclivior urges,
Occiduum visus remoratur Honorius ignem. 180
Et quocunque vagos flectas sub cardine cursus,
Natorum per regna venis, qui mente serena
Maturoque regunt victas moderamine gentes;
Sæcula qui rursus formant meliore metallo.
Luget avarities Stygiis innexa catenis, 185
Cumque suo demens expellitur ambitus auro.
Non dominantur opes: non corrumpentia sensus
Dona valent: emitur sola virtute potestas
Unanimi fratres, quorum mare terraque fatis
Debentur, quodcunque manus evasit avitas, 190
Quod superest patri: vobis jam Mulciber arma
Præparat, et Sicula Cyclops incude laborat.
Brontes innumeris exasperat ægida signis:
Altum fulminea crispare in casside conum
Festinat Steropes: nectit thoraca Pyracmon: 195
Ignifluisque gemit Lipare fumosa cavernis.
Vobis Ionia virides Neptunus in alga
Nutrit equos, qui summa freti per cærula possint
Ferre viam, segetemque levi percurrere motu,
Nesciat ut spumas, nec proterat ungula culmos.
Jam video Babylona rapi, Parthumque coactum
Non ficta trepidare fuga; jam Bactra teneri
Legibus, et famulis Gangen pallescere ripis.
Gemmatosque humilem dispergere Persida cultus.
Ite per extremum Tanain, pigrosque Triones, 205
Ite per ardentem Libyam: superate vapores
Solis, et arcanos Nili deprendite fontes.
Herculeum finem, Bacchi transcurrite metas
Vestri juris erit quicquid complectitur axis.
Vobis rubra dabunt pretiosas æquora conchas,
Indus ebur, ramos Panchaia, vellera Seres. 211

DE QUARTO CONSULATU HONORII AUGUSTI PANEGYRIS.

Auspiciis iterum sese regalibus annus
Induit, et nota fruitur jactantior aula:
Limina nec passi circum privata morari
Exsultant reduces Augusto consule fasces.
Cernis ut armorum proceres, legumque potentes
Patricios sumunt habitus, et more Gabino 6
Discolor incedit legio, positisque parumper
Bellorum signis sequitur vexilla Quirini?
Lictori cedunt aquilæ, ridetque togatus
Miles, et in mediis effulget Curia castris 10
Ipsa Palatino circumvallata senatu
Jam trabeam Bellona gerit, parmamque removet
Et galeam, sacras humeris vectura curules.
Nec te laurigeras pudeat, Gradive, secures
Pacata gestare manu, Latiaque micantem 15
Loricam mutare toga, dum ferreus hæret
Currus, et Eridani ludunt per prata jugales.
Haud indigna coli, nec nuper cognita Marti

Ulpia progenies, et quæ diademata mundo
Sparsit, Ibera domus: nec tantæ vilior unda 20
Promeruit gentis seriem: cunabula fovit
Oceanus: terræ dominos pelagique futuros
Immenso decuit rerum de principe nasci.
Hinc processit avus, cui, post Arctoa frementi
Classica, Massylas annexuit Africa lauros: 25
Ille, Caledoniis posuit qui castra pruinis,
Qui medios Libyæ sub casside pertulit æstus,
Terribilis Mauro, debellatorque Britanni
Littoris, ac pariter Boreæ vastator et Austri.
Quid rigor æternus cœli, quid sidera prosunt, 30
Ignotumque fretum? maduerunt Saxone fuso
Orcades: incaluit Pictorum sanguine Thule:
Scotorum cumulos flevit glacialis Ierne.
Quid calor obsistit forti? per vasta cucurrit
Æthiopum, cinxitque novis Atlanta maniplis. 35
Virgineum Tritona bibit, sparsosque venenis
Gorgoneis vidit thalamos, et vile virentes
Hesperidum risit, quos ditat fabula, ramos.
Arx incensa Jubæ: rabies Maurusia ferro
Cessit, et antiqui penetralia diruta Bocchi. 40
Sed laudes genitor longe transgressus avitas
Subdidit Oceanum sceptris, et margine cœli
Clausit opes, quantum distant a Tigride Gades,
Inter se Tanais quantum Nilusque relinquunt.
Hæc tamen innumeris per se quæsita tropæis;
Non generis dono, non ambitione potitus. 46
Digna legi virtus: ultro se purpura supplex
Obtulit, et solus meruit regnare rogatus.
Nam cum barbaries penitus commota gementem
Irrueret Rhodopen, et mixto turbine gentis 50
Jam deserta suas in nos transfunderet Arctos,
Danubii totæ vomerent cum prœlia ripæ,
Cum Geticis ingens premeretur Mysia plaustris,
Flavaque Bistonios operirent agmina campos;
Omnibus afflictis, et vel labentibus ictu, 55
Vel prope casuris, unus tot funera contra
Restitit, exstinxitque faces, agrosque colonis
Reddidit, et leti rapuit de faucibus urbes.
Nulla relicta foret Romani nominis umbra,
Ni pater ille tuus jam jam ruitura subisset 60
Pondera, turbatamque ratem, certaque levasset
Naufragium commune manu. Velut ordine rupto
Cum procul insanæ traherent Phaethonta quadrigæ,
Sæviretque dies, terramque et stagna propinqui
Haurirent radii, solito cum murmure torvis 65
Sol occurrit equis: qui postquam rursus heriles
Agnovere sonos, rediit meliore magistro
Machina concentusque poli, currusque recepit
Imperium, flammæque modum. Sic traditus illi
Servatusque Oriens: at non pars altera rerum 70
Tradita, bis possessa manu, bis parta periclis.
Per varium gemini scelus erupere tyranni
Tractibus occiduis: hunc sæva Britannia fudit,
Hunc sibi Germanus famulum delegerat exsul:
Ausus uterque nefas, domini respersus uterque 75
Insontis jugulo: novitas audere priori
Suadebat, cautumque dabant exempla sequentem.
Hic nova moliri præceps; hic quærere tuta
Providus: hic fusis, collectis viribus ille:
Hic vagus excurrens, hic intra claustra reductus.
Dissimiles, sed morte pares: evadere neutri 81
Dedecus, aut mixtis licuit procumbere telis.
Amissa specie, raptis insignibus, ambo
In vultus redierę suos, manibusque revinctis
Oblati gladiis submittunt colla paratis, 85
Et vitam veniamque rogant. Pro damna pudoris!
Qui modo tam densas nutu movere cohortes,
In quos jam dubius sese libraverat orbis,
Non hostes victore cadunt, sed judice sontes.
Damnat voce reos, petiit quos Marte tyrannos. 90
Amborum periere duces: hic sponte carina
Decidit in fluctus; illum suus abstulit ensis.
Hunc Alpes, hunc pontus, habet. Solatia cæsis
Fratribus hæc ultor tribuit: necis auctor uterque
Labitur: Augustas par victima mitigat umbras.
Has dedit inferias tumulis, juvenumque duorum
Purpureos merito placavit sanguine manes. 97
Illi justitiam confirmavere triumphi,
Præsentes docuere deos: hinc sæcula discant
Indomitum nihil esse pio, tutumve nocenti. 100
Nuntius ipse sui longas incognitus egit
Prævento rumore vias: inopinus utrumque
Perculit, et clausos montes, ut plana, reliquit.
Exstruite immanes scopulos, attollite turres,
Cingite vos fluviis, vastas opponite sylvas, 105
Garganum Alpinis, Apenninumque nivalem
Permixtis sociate jugis, et rupibus Hæmum
Addite Caucasiis, involvite Pelion Ossæ;
Non dabitis murum sceleri: qui vindicet, ibit.
Omnia subsident meliori pervia causæ. 110
Nec tamen oblitus civem cedentibus atrox
Partibus infremuit: non insultare jacenti
Malebat: mitis precibus, pietatis abundans,
Pœnæ parcus erat: paci non intulit iram
Post acies: odiis idem, qui terminus armis. 115
Profuit hoc vincente capi, multosque subactos
Prospera laturæ commendavere catenæ.
Magnarum largitor opum, largitor honorum
Pronus, et in melius gaudens convertere fata.
Hinc amor, hinc validum devoto milite robur:
Hinc natis mansura fides. Hoc nobilis ortu 121
Nasceris, æquæva cum majestate creatus,
Nullaque privatæ passus contagia sortis.
Omnibus acceptis, ultro te regia solum
Protulit, et patrio felix adolescis in ostro: 125
Membraque vestitu nunquam temerata profano
In sacros cecidere sinus. Hispania patrem
Auriferis eduxit aquis; te gaudet alumno
Bosporus. Hesperio de limite surgit origo;
Sed nutrix Aurora tibi: pro pignore tanto 130
Certatur: geminus te civem vindicat axis.
Herculis et Bromii sustentat gloria Thebas:
Hæsit Apollineo Delos Latonia partu:
Cretaque se jactat tenero reptata Tonanti.
Sed melior Delo, Dictæis clarior oris, 135
Quæ dedit hoc numen regio: non littora nostro
Sufficerent angusta deo, nec inhospita Cynthi
Saxa tuos artus duro læsere cubili.
Acclinis genitrix auro, circumflua gemmis,
In Tyrios enixa toros: ululata verendis 140
Aula puerperiis. Quæ tunc documenta futuri!
Quæ voces avium! quanti per inane volatus!
Quis vatum discursus erat! tibi corniger Ammon,
Et dudum taciti rupere silentia Delphi.
Te Persæ cecinere Magi: te sensit Etruscus 145
Augur, et inspectis Babylonius horruit astris.
Chaldæi stupuere senes: Cumanaque rursus
Intonuit rupes, rabidæ delubra Sibyllæ.
Nec te progenitum Cybeleius ære sonoro
Lustravit Corybas; exercitus undique fulgens
Adstitit: ambitus signis augustior infans 151
Sentit adorantes galeas, redditque ferocem
Vagitum lituis. Vitam tibi contulit idem
Imperiumque dies: inter cunabula consul
Proveheris: signas posito modo nomine fastus:
Donaturque tibi, qui te produxerat, annus. 156
Ipsa Quirinali parvum te cinxit amictu

Mater, et ad primas docuit reptare curules.
Uberibus sanctis, immortalique dearum
Crescis adoratus gremio : tibi sæpe Diana 160
Mænalios arcus venatricesque pharetras
Suspendit, puerile decus : tu sæpe Minervæ
Lusisti clypeo, fulvamque impune pererrans
Ægida, tractasti blandos interritus angues.
Sæpe tuas etiam jam tum gaudente marito 165
Velavit regina comas, festinaque voti
Præsumtum diadema dedit ; tum lævibus ulnis
Sustulit, et magno porrexit ad oscula patri.
Nec dilatus honos : mutatus principe Cæsar
Protinus æquaris fratri : nec certius unquam 170
Hortati superi : nullis præsentior æther
Affuit ominibus. Tenebris involverat atra
Lumen hiems, densosque Notus collegerat imbres.
Sed mox cum solita miles te voce levasset,
Nubila dissolvit Phœbus, pariterque dabantur 175
Sceptra tibi, mundoque dies : caligine liber
Bosporus adversam patitur Chalcedona cerni.
Nec tantum vicina nitent, sed tota repulsis
Nubibus exuitur Thrace : Pangæa renident,
Insuetosque palus radios Mæotia vibrat. 180
Non Boreas nimbos, non Sol ardentior egit :
Imperii lux illa fuit : præsagus obibat
Cuncta nitor, risitque tuo Natura sereno.
Visa etiam medio populis mirantibus audax
Stella die, dubitanda nihil, nec crine retuso 185
Languida, sed quantus numeratur nocte Bootes.
Emicuitque plagis alieni temporis hospes
Ignis, et agnosci potuit, cum Luna lateret.
Sive parens Augusta fuit, seu forte reluxit
Divi sidus avi, seu te properantibus astris 190
Cernere Sol patiens cœlum commune remisit.
Apparet quid signa ferant. Ventura potestas
Claruit Ascanio, subita cum luce comarum
Innocuus flagraret apex, Phrygioque volutus
Vertice fatalis redimiret tempora candor. 195
At tua cœlestes illustrant omina flammæ.
Talis ab Idæis primævus Jupiter antris
Possessi stetit arce poli, famulosque recepit
Natura tradente deos : lanugine nondum
Vernabant vultus, nec adhuc per colla fluebant
Moturæ convexa comæ : tum scindere nubes 201
Discebat, fulmenque rudi torquere lacerto.
Lætior augurio genitor, natisque superbus
Jam paribus, duplici fultus consorte redibat,
Splendebatque pio complexus pignora curru. 205
Haud aliter summo gemini cum patre Lacones
Progenies Ledæa sedent : in utroque relucent
Frater, utroque soror : simili chlamys effluit auro :
Stellati pariter crines : juvat ipse Tonantem
Error, et ambiguæ placet ignorantia matri. 210
Eurotas proprios discernere nescit alumnos.
Ut domus excepit reduces, ibi talia tecum
Pro rerum stabili fertur ditione locutus :
Si tibi Parthorum solium fortuna dedisset,
Care puer, terrisque procul venerandus Eois 215
Barbarus Arsacio consurgeret ore tiaras ;
Sufficeret sublime genus, luxuque fluentem
Deside nobilitas posset te sola tueri.
Altera Romanæ longe rectoribus aulæ
Conditio : virtute decet, non sanguine niti. 220
Major et utilior fato conjuncta potenti,
Vile latens virtus. Quid enim submersa tenebris
Proderit obscuro ? veluti sine remige puppis,
Vel lyra, quæ reticet, vel, qui non tenditur, arcus.
Hanc tamen haud quisquam, qui non agnoverit ante
Semet, et incertos animi pacaverit æstus, 226
Inveniet : longis illuc ambagibus itur.
Disce orbi, quod quisque sibi. Cum condere artus
Nostros, ætheriis miscens terrena Prometheus,
Sinceram patrio mentem furatus Olympo 230
Continuit claustris, indignantemque revinxit.
Et, cum non aliter possent mortalia fingi,
Adjunxit geminas : illæ cum corpore lapsæ
Intereunt ; hæc sola manet, bustoque superstes
Evolat. Hanc alta capitis fundavit in arce 235
Mandatricem operum, prospecturamque labori.
Illas inferius collo, præceptaque summæ
Passuras dominæ digna statione locavit.
Quippe opifex veritus confundere sacra profanis,
Distribuit partes animæ, sedesque removit. 240
Iram sanguinei regio sub pectore cordis
Protegit imbutam flammis, avidamque nocendi,
Præcipitemque sui : rabie succensa tumescit,
Contrahitur stupefacta metu. Cumque omnia secum
Duceret, et requiem membris vesana negaret,
Invenit pulmonis opem, madidumque furenti 246
Præbuit, ut tumidæ ruerent in mollia fibræ.
At sibi cuncta petens, nil collatura, cupido
In jecur et tractus imos compulsa recessit.
Quæ velut immanes reserat dum bellua rictus,
Expleri pascique nequit : nunc verbere euras 251
Torquet avaritiæ, stimulis nunc flagrat amorum,
Nunc gaudet, nunc mæsta dolet : satiataque rursus
Exoritur, cæsaque redit pollentius Hydra.
Hos igitur si quis potuit sedare tumultus, 255
Inconcussa dabit puræ sacraria menti.
Tu licet extremos late dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent ;
Si metuis, si prava cupis, si duceris ira,
Servitii patiere jugum : tolerabis iniquas 260
Interius leges. Tunc omnia jure tenebis,
Cum poteris rex esse tui. Proclivior usus
In pejora datur, suadetque licentia luxum,
Illecebrisque effrena favet : tum vivere caste
Asperius, cum promta Venus : tum durius iræ
Consulitur, cum pœna patet. Sed comprime motus :
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,
Occurrat, mentemque domet respectus honesti.
Hoc te præterea crebro sermone monebo,
Ut te totius medio telluris in orbe 270
Vivere cognoscas, cunctis tua gentibus esse
Facta palam ; nec posse dari regalibus usquam
Secretum vitiis : nam lux altissima fati
Occultum nihil esse sinit ; latebrasque per omnes
Intrat, et abstrusos explorat fama recessus. 275
Sis pius imprimis : nam cum vincamur in omni
Munere, sola deos æquat clementia nobis.
Neu dubie suspectus agas, neu falsus amicis,
Rumorumve avidus : qui talia curat, inanes
Horrebit strepitus nulla non anxius hora. 280
Non sic excubiæ, non circumstantia pila,
Quam tutatur amor. Non extorquebis amari :
Hoc alterna fides, hoc simplex gratia donat.
Nonne vides, operum quo se pulcherrimus ipse
Mundus amore liget, nec vi connexa per ævum
Conspirent elementa sibi ? quod limite Phœbus
Contentus medio, contentus littore pontus ?
Et qui perpetuo terras ambitque vehitque,
Nec premat incumbens, oneri nec cesserit aer ?
Qui terret, plus ipse timet. Sors ista tyrannis 290
Convenit : invideant claris, fortesque trucident,
Muniti gladiis vivant septique venenis,
Ancipites habeant artes, trepidique minentur.
Tu civem, patremque geras : tu consule cunctis,
Non tibi : nec tua te moveant, sed publica vota.

In commune jubes si quid, censesve tenendum,
Primus jussa subi: tunc observantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum
Auctorem parere sibi: componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita regentis. 301
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.
His tamen effectis, neu fastidire minores,
Neu pete præscriptos homini transcendere fines.
Inquinat egregios adjuncta superbia mores. 305
Non tibi tradidimus dociles servire Sabæos:
Armeniæ dominum non te præfecimus oræ: [tem.
Non damus Assyriam, tenuit quam fœmina, gen-
Romani, qui cuncta diu rexere, regendi:
Qui nec Tarquinii fastus, nec jura tulere 310
Cæsaris. Annales veterum delicta loquentur:
Hærebunt maculæ: quis non per sæcula damnet
Cæsareæ portenta domus? quem dira Neronis
Funera, quem rupes Caprearum tetra latebit
Incesto possessa seni? victura feretur 315
Gloria Trajani, non tam quod Tigride victo
Nostra triumphati fuerint provincia Parthi,
Alta quod invectus fractis Capitolia Dacis,
Quam patriæ quod mitis erat. Ne desine tales,
Nate, sequi. Si bella tonant, prius agmina duris
Exerce studiis, et sævo præstrue Marti. 321
Non brumæ requies, non hibernacula segnes
Enervent torpore manus: ponenda salubri
Castra loco: præbenda vigil custodia vallo.
Disce ubi densari cuneos, ubi cornua tendi 325
Æquius, aut iterum flecti: quæ montibus aptæ,
Quæ campis acies, quæ fraudi accommoda vallis;
Quæ via difficilis: fidit si mœnibus hostis,
Tum tibi muralis librato machina pulsu
Saxa rotet: præceps aries protectaque portas 330
Testudo feriat: ruat emersura juventus
Effossi per operta soli. Si longa moretur
Obsidio, tum vota cave secura remittas,
Inclusumve putes: multis damnosa fuere
Gaudia: dispersi pereunt, somnove soluti. 335
Sæpius incautæ nocuit victoria turbæ.
Neu tibi regificis tentoria larga redundent
Deliciis, neve imbelles ad signa ministros
Luxuries armata trahat: neu flantibus Austris,
Neu pluviis cedas: neu defensura calorem 340
Aurea submoveant rapidos umbracula soles.
Inventis utere cibis: solabere partes
Æquali sudore tuas. Si collis iniquus,
Primus ini: sylvam si cædere provocat usus,
Sumta ne pudeat quercum stravisse bipenni. 345
Calcatur si pigra palus, tuus ante profundum
Prætentet sonipes: fluvios tu protere cursu
Hærentes glacie; liquidos tu scinde natatu.
Nunc eques in medias equitum te consere turmas,
Nunc pedes adsistas pediti: tum promtius ibunt
Te socio: tum conspicuus, gratusque feretur
Sub te teste labor. Dicturum plura parentem
Voce subis: Equidem, faveant modo numina
cœptis,
Hæc effecta dabo: nec me fratrique, tibique
Dissimilem populi commissaque regna videbunt.
Sed cur non potius, verbis quæ disseris, usu 356
Experior? gelidas certe nunc tendis in Alpes.
Duc tecum comitem: figant sine nostra tyrannum
Spicula: pallescat nostro sine barbarus arcu.
Italiamne feram furiis prædonis acerbi 360
Subjectam? patiar Romam servire clienti?
Usque adeone puer? nec me polluta potestas,
Nec pia cognati tanget vindicta cruoris?
Per strages equitare libet: da protinus arma.
Cur annos obicis? pugnæ cur arguor impar? 365
Æqualis mihi Pyrrhus erat, cum Pergama solus
Verteret, et patri non degeneraret Achilli.
Denique si princeps castris hærere nequibo,
Vel miles veniam. Delibat dulcia nati
Oscula, miratusque refert: Laudanda petisti.
Sed festinus amor: veniet robustior ætas. 371
Ne propera: necdum decimas emensus aristas
Aggrederis metuenda viris: vestigia magnæ
Indolis agnosco. Fertur Pellæus, Eoum
Qui domuit Porum, cum prospera sæpe Philippi
Audiret, lætos inter flevisse sodales, 376
Nil sibi vincendum patris virtute relinqui.
Hos video motus: fas sit promittere patri;
Tantus eris: nostro nec debes regna favori,
Quæ tibi jam natura dedit. Sic mollibus olim
Stridula ducturum pratis examina regem 381
Nascentem venerantur apes, et publica mellis
Jura petunt, traduntque favos: sic nascua parvus
Vindicat, et necdum firmatis cornibus audax
Jam regit armentum vitulus. Sed prœlia differ
In juvenem, patiensque meum cum fratre tuere
Me bellante locum: vos impacatus Araxes, 387
Vos celer Euphrates timeat: sit Nilus ubique
Vester, et emisso quicquid sol imbuit ortu.
Si pateant Alpes, habeat si causa secundos 390
Justior eventus, aderis, partesque receptas
Suscipies, animosa tuas ut Gallia leges
Audiat, et nostros æquus modereris Iberos.
Tunc ego securus fati, lætusque laborum
Discedam, vobis utrumque regentibus axem. 395
Interea Musis, animus dum mollior, insta,
Et, quæ mox imitere, legas: nec desinat unquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.
Antiquos evolve duces: adsuesce futuræ
Militiæ: Latium retro te confer in ævum. 400
Libertas quæsita placet? mirabere Brutum.
Perfidiam damnas? Meti satiabere pœnis.
Triste rigor nimius? Torquati despue mores.
Mors impensa bonum? Decios venerare ruentes.
Vel solus quid fortis agat, te ponte soluto 405
Oppositus Cocles, Muci te flamma docebit.
Quid mora perfringat, Fabius: quid rebus in arctis
Dux gerat, ostendat Gallorum strage Camillus.
Discitur hinc nullos meritis obsistere casus:
Prorogat æternam feritas tibi Punica famam, 410
Regule: successus superant adversa Catonis.
Discitur hinc quantum paupertas sobria possit:
Pauper erat Curius, cum reges vinceret armis:
Pauper Fabricius, Pyrrhi cum sperneret aurum.
Sordida Serranus flexit dictator aratra. 415
Lustratæ lictore casæ, fascesque salignis
Postibus affixi: collectæ consule messes,
Et sulcata diu trabeato rura colono.
Hæc genitor præcepta dabat: velut ille carinæ
Longævus rector, variis quem sæpe procellis 420
Exploravit hiems, ponto jam fessus et annis
Æquoreas alni nato commendat habenas,
Et casus artesque docet, quo dextra regatur
Sidere, quo fluctus possint moderamine falli:
Quæ nota nimborum: quæ fraus infida sereni:
Quid sol occiduus prodat: quo saucia vento 426
Decolor iratos attollat Cynthia vultus. [Austri,
Adspice nunc, quacunque micas, seu circulus
Magne parens, gelidi seu te meruere Triones;
Adspice, completur votum: jam natus adæquat
Te meritis, et, quod magis est optabile, vincit,
Subnixus Stilichone tuo; quem fratribus ipse
Discedens clypeum defensoremque dedisti.
Pro nobis nihil ille pati, nullumque recusat

Discrimen tentare sui; non dura viarum, 435
Non incerta maris: Libyæ squalentis arenas
Audebit superare pedes, madidaque cadente
Pliade Gætulas intrabit Syrtibus undas.
Hunc tamen in primis populos levitate feroces,
Et Rhenum pacare jubes. Volat ille citatis 440
Vectus equis; nullaque latus stipante caterva,
Aspera nubiferas qua Rhætia porrigit Alpes,
Pergit, et hostiles, tanta est fiducia, ripas
Incomitatus adit. Totum properare per amnem
Attonitos humili reges cervice videres. 445
Ante ducem nostrum flavam sparsere Sicambri
Cæsariem, pavidoque orantes murmure Franci
Procubuere solo: juratur Honorius absens,
Imploratque tuum supplex Alamannia nomen.
Bastarnæ venere truces, venit accola sylvæ 450
Bructerus Hercyniæ, latisque paludibus exit
Cimber, et ingentes Albin liquere Cherusci.
Accipit ille preces varias, tardeque rogatus
Annuit, et magno pacem pro munere donat.
Nobilitant veteres Germanica fœdera Drusos; 455
Marte sed ancipiti, sed multis cladibus emta,
Quis victum meminit sola formidine Rhenum?
Quod longis alii bellis potuere mereri,
Hoc tibi dat Stilichonis iter. Post otia Galli
Limitis, hortaris Graias fulcire ruinas. 460
Ionium tegitur velis, ventique laborant
Tot curvare sinus, servaturasque Corinthum
Prosequitur facili Neptunus gurgite classes:
Et puer Isthmiaci jam pridem littoris exsul
Secura repetit portus cum matre Palæmon. 465
Plaustra cruore natant: metitur pellita juventus.
Pars morbo, pars ense perit: non lustra Lycæi,
Non Erymantheæ jam copia sufficit umbræ
Innumeris exusta rogis, nudataque ferro
Sic flagrasse suas lætantur Mænala sylvas. 470
Excutiat cineres Ephyre: Spartanus et Arcas
Tutior exsangues pedibus proculcet acervos:
Fessaque pensatis respiret Græcia pœnis.
Gens, qua non Scythicos diffusior ulla Triones
Incoluit, cui parvus Athos, angustaque Thrace,
Cum transiret, erat, per te, viresque tuorum 476
Fracta ducum, lugetque sibi jam rara superstes,
Et, quorum turbæ spatium vix præbuit orbis,
Uno colle latent: sitiens, inclusaque vallo
Ereptas quæsivit aquas, quas hostibus ante 480
Contiguas alio Stilicho deflexerat actu,
Mirantemque novas ignota per avia valles
Jusserat averso fluvium migrare meatu.
Obvia quid mirum vinci, cum barbarus ultro
Jam cupiat servire tibi? tua Sarmata discors 485
Sacramenta petit: projecta fraude Gelonus
Militat: in Latios ritus transistis Alani.
Ut fortes in Marte viros, animisque paratos,
Sic justos in pace legis, longumque tueris
Electos, crebris nec succedentibus urges. 490
Judicibus notis regimur: fruimurque quietis
Militiæque bonis, ceu bellatore Quirino,
Ceu placido moderante Numa. Non imminet ensis:
Nullæ nobilium cædes: non crimina vulgo
Texuntur: patria mæstus non truditur exsul. 495
Impia continui cessant augmenta tributi:
Non infelices tabulæ: non hasta refixas
Vendit opes: avida sector non voce citatur:
Nec tua privatis crescunt æraria damnis.
Munificus largi, sed non et prodigus, auri. 500
Perdurat non emta fides, nec pectora merces
Alligat: ipsa suo pro pignore castra laborant.
Te miles nutritor amat. Quæ denique Romæ
Cura tibi! quam fixa manet reverentia patrum!
Firmatur senium juris, priscamque resumunt 505
Canitiem leges, emendanturque vetustæ,
Acceduntque novæ. Talem sensere Solonem
Res Pandionæ: sic armipotens Lacedæmon
Despexit muros rigido munita Lycurgo
Quæ sub te vel causa brevis, vel judicis error
Negligitur? dubiis quis litibus addere finem 511
Justior, et mersum latebris educere verum?
Quæ pietas, quantusque rigor, tranquillaque magni
Vis animi, nulloque levis terrore moveri,
Nec nova mirari facilis! quam docta facultas 515
Ingenii, linguæque modus! responsa verentur
Legati, gravibusque latet sub moribus ætas.
Quantus in ore pater radiat! quam torva volup-
Frontis, et augusti majestas grata pudoris! [tas
Jam patrias imples galeas: jam cornus avita 520
Tentatur vibranda tibi: promittitur ingens
Dextra rudimentis, Romanaque vota moratur.
Quis decor, incedis quoties clypeatus, et auro
Squameus, et rutilus cristis, et casside major!
Sic, cum Threicia primum sudaret in hasta, 525
Flumina laverunt puerum Rhodopeia Martem.
Quæ vires jaculis! vel cum Gortynia tendis
Spicula, quam felix arcus, certique petitor
Vulneris, et jussum mentiri nescius ictum!
Scis quo more Cydon, qua dirigat arte sagittas
Armenius, refugo quæ sit fiducia Partho. 531
Sic Amphioniæ pulcher sudore palæstræ
Alcides pharetras Dircæaque tela solebat
Prætentare feris, olim domitura Gigantas,
Et pacem latura polo; semperque cruentus 535
Ibat, et Alcmenæ prædam referebat ovanti.
Cæruleus tali prostratus Apolline Python
Implicuit fractis moritura volumina sylvis.
Cum vectaris equo, simulacraque Martia ludis,
Quis molles sinuare fugas, quis tendere contum
Acrior, aut subitos melior flexisse recursus? 541
Non te Massagetæ, non gens exercita campo
Thessala, non ipsi poterunt æquare bimembres.
Vix comites alæ, vix te suspensa sequuntur
Agmina, ferventesque tument post terga dracones.
Utque tuis primum sonipes calcaribus arsit, 546
Ignescunt patulæ nares: non sentit arenas
Ungula, discussæque jubæ sparguntur in armos.
Turbantur phaleræ: spumosis morsibus aurum
Fumat, anhelantes exsudant sanguine gemmæ. 550
Ipse labor, pulvisque decent, confusaque motu
Cæsaries: vestis radiato murice solem
Combibit: ingesto crispatur purpura vento.
Si dominus legeretur equis, tua posceret ultro
Verbera Nereidum stabulis nutritus Arion, 555
Serviretque tuis contemto Castore frenis
Cyllarus, et flavum Xanthus sprevisset Achillem.
Ipse tibi famulas præberet Pegasus alas,
Portaretque libens, melioraque pondera passus
Bellerophonteas indignaretur habenas. 560
Quin etiam velox Auroræ nuntius Æthon,
Qui fugat hinnitu stellas, roseoque domatur
Lucifero, quoties equitem te cernit ab astris,
Invidet, inque tuis mavult spumare lupatis.
Nunc quoque quos habitus, quantæ miracula pompæ 565
Vidimus, Ausonio cum jam succinctus amictu
Per Ligurum populos solito conspectior ires,
Atque inter niveas alte veherere cohortes,
Obnixisque simul pubes electa lacertis
Sidereum gestaret onus! sic numina Memphis 570
In vulgus proferre solet: penetralibus exit
Effigies, brevis illa quidem; sed plurimus infra
Liniger imposito suspirat vecte sacerdos.

Testatus sudore deum: Nilotica sistris
Ripa sonat, Phariosque modos Ægyptia ducit
Tibia: submissis admugit cornibus Apis. 576
Omnis nobilitas, omnis tua sacra frequentant
Tibridis et Latii soboles: convenit in unum
Quicquid in orbe fuit procerum, quibus auctor honoris
Vel tu, vel genitor: numeroso consule consul
Cingeris, et socios gaudes admittere patres. 581
Illustri te prole Tagus, te Gallia doctis
Civibus, et toto stipavit Roma senatu.
Portatur juvenum cervicibus aurea sedes,
Ornatuque novo gravior deus: asperat Indus 585
Velamenta lapis, pretiosaque fila smaragdis
Ducta virent: amethystus inest, et fulgor Iberus
Temperat arcanis hyacinthi cærula flammis.
Nec rudis in tali suffecit gratia textu:
Auget acus meritum, picturatumque metallis 590
Vivit opus, multaque ornantur iaspide cultus,
Et variis spirat Nereia bacca figuris.
Quæ tantum potuit digitis mollire rigorem
Ambitiosa colus? vel cujus pectinis arte
Traxerunt solidæ gemmarum stamina telæ? 595
Invia quis calidi scrutatus stagna profundi
Tethyos invasit gremium? quis divitis algæ
Germina flagrantes inter quæsivit arenas?
Quis junxit lapides ostro? quis miscuit ignes
Sidonii rubrique maris? tribuere colorem 600
Phœnices, Seres subtemina, pondus Hydaspes.
Hoc si Mæonias cinctu graderere per urbes,
In te pampineos transferret Lydia thyrsos,
In te Nysa choros: dubitarent Orgia Bacchi
Cui furerent: irent blandæ sub vincula tigres. 605
Talis Erythræis intextus nebrida gemmis
Liber agit currus, et Caspia flectit eburnis
Colla jugis: Satyri circum, crinemque solutæ
Mænades adstringunt hederis victricibus Indos.
Ebrius hostili velatur palmite Ganges. 610
Auspice mox lætum sonuit clamore tribunal,
Te Fastos ineunte quater: sollennia ludit
Omina libertas: deductum Vindice morem
Lex celebrat, famulusque jugo laxatus herili
Ducitur, et grato remeat securior ictu. 615
Tristis conditio pulsata fronte recedit.
In civem rubuere genæ, tergoque removit
Verbera permissi felix injuria voti.
Prospera Romuleis sperantur tempora rebus
In nomen ventura tuum. Præmissa futuris 620
Dant exempla fidem: quoties te cursibus ævi
Præfecit, toties accessit laurea patri.
Ausi Danubium quondam tranare Gruthungi
In lintres fregere nemus: ter mille ruebant
Per fluvium plenæ cuneis immanibus alni. 625
Dux Odothæus erat: tantæ conamina classis
Incipiens ætas et primus contudit annus.
Submersæ sedere rates: fluitantia nunquam
Largius Arctoos pavere cadavera pisces. 630
Corporibus premitur Peuce: per quinque recurrens
Ostia barbaricos vix egerit unda cruores.
Confessusque parens Odothæi regis opima
Retulit exuviasque tibi. Civile secundis
Conficis auspiciis bellum: tibi debeat orbis
Fata Gruthungorum, debellatumque tyrannum.
Ister sanguineos egit te consule fluctus, 636
Alpinos genitor rupit te consule montes.
Sed patriis olim fueras successibus auctor;
Nunc eris ipse tuis: semper venere triumphi
Cum trabeis, sequiturque tuos victoria fasces. 640
Sis precor assiduus consul, Mariique relinquas
Et senis Augusti numerum. Quæ gaudia mundo,
Per tua lanugo cum serpere cœperit ora,
Cum tibi prodiderit festas nox pronuba tædas!
Quæ tali devota toro, quæ murice fulgens 645
Ibit in amplexus tanti regina mariti?
Quænam tot divis veniet nurus, omnibus arvis
Et toto dotanda mari? quantusque feretur
Idem per Zephyri metas Hymenæus et Euri!
O mihi si liceat thalamis intendere carmen 650
Connubiale tuis, si te jam dicere patrem!
Tempus erit, cum tu trans Rheni cornua victor,
Arcadius captæ spoliis Babylonis onustus,
Communem majore toga signabitis annum,
Crinitusque tuo sudabit fasce Suevus: 655
Ultima fraternas horrebunt Bactra secures.

IN NUPTIAS HONORII ET MARIÆ PRÆFATIO.

Surgeret in thalamum ducto cum Pelion arcu,
Nec caperet tantos hospita terra deos;
Cum socer æquoreus, numerosaque turba sororum
Certarent epulis continuare dies;
Præberetque Jovi communia pocula Chiron, 5
Molliter obliqua parte refusus equi;
Peneus gelidos mutaret nectare fontes,
Œtæis fluerent spumea vina jugis;
Terpsichore facilem lascivo pollice movit
Barbiton, et molles duxit in antra choros. 10
Carmina nec superis, nec displicuere Tonanti,
Cum teneris nossent congrua vota modis.
Centauri Faunique negant. Quæ flectere Rhœteon,
Quæ rigidum poterant plectra movere Pholum?
Septima lux aderat cœlo, totiesque renatus 15
Viderat exactos Hesperus igne choros.
Tum Phœbus, quo saxa domat, quo pertrahit ornos,
Pectine tentavit nobiliore lyram;
Venturumque sacris fidibus jam spondet Achillem:
Jam Phrygias cædes, jam Simoenta canit. 20
Frondoso strepuit felix Hymenæus Olympo:
Reginam resonant Othrys et Ossa Thetin.

DE NUPTIIS HONORII ET MARIÆ.

Hauserat insolitos promissæ virginis ignes
Augustus, pronoque rudis flagraverat æstu.
Nec novus unde calor nec quid suspiria vellent
Noverat incipiens, et adhuc ignarus amandi.
Non illi venator equus, non spicula curæ: 5
Non jaculum torquere libet: mens omnis aberrat
In vulnus, quod fixit Amor. Quam sæpe medullis
Erupit gemitus! quoties incanduit ore
Confessus secreta rubor! nomenque beatum
Injussæ scripsere manus! Jam munera nuptæ 10
Præparat, et pulchros, Mariæ sed luce minores,
Eligit ornatus, quicquid venerabilis olim
Livia, divorumque nurus gessere superbæ.
Incusat spes ægra moras, longique videntur
Stare dies, segnemque rotam non flectere Phœbe.
Scyria sic tenerum virgo flammabat Achillem, 16
Fraudis adhuc expers, bellatricesque docebat
Ducere fila manus, et, mox quos horruit Ide,
Thessalicos roseo pectebat pollice crines. [rendus
Hæc etiam queritur secum: Quonam usque ve-
Cunctatur mea vota socer? quid jungere differt
Quam pepigit, castasque preces implere recusat?
Non ego, luxuriem regum moremve secutus,
Quæsivi vultum tabulis, ut nuntia formæ
Lena per innumeros iret pictura penates: 25
Nec variis dubium thalamis lecturus amorem
Ardua commisi falsæ connubia ceræ.
Non rapio præceps alienæ fœdera tædæ,
Sed quæ sponsa mihi pridem, patriisque relicta
Mandatis, uno materni sanguinis ortu 30
Communem partitur avum. Fastigia supplex
Deposui, gessique procum: de limine sacro
Oratum misi proceres, qui proxima nobis
Jura tenent. Fateor, Stilicho, non parva poposci:
Sed certe mereor princeps, hoc principe natus, 35
Qui sibi te generum fraterna prole revinxit,
Cui Mariam debes. Fœnus mihi solve paternum:
Redde suos aulæ. Mater fortasse rogari
Mollior. O patrui germen, cui nominis hæres
Successi, sublime decus torrentis Iberi, 40
Stirpe soror, pietate parens, tibi creditus infans,
Inque tuo crevi gremio, partuque remoto
Tu potius Flaccilla mihi. Quid dividis ergo
Pignora? quid juveni natam non tradis alumno?
Optatusne dies aderit? dabiturne jugalis 45
Nox unquam? Tali solatur vulnera questu.
Risit Amor, placidæque volat trans æquora
Nuntius, et totas jactantior explicat alas. [matri
Mons latus Eoum Cypri præruptus obumbrat,
Invius humano gressu, Phariumque cubile 50
Proteos, et septem despectat cornua Nili.
Hunc neque canentes audent vestire pruinæ,
Hunc venti pulsare timent, hunc lædere nimbi.
Luxuriæ Venerique vacat. Pars acrior anni
Exsulat: æterni patet indulgentia veris. 55
In campum se fundit apex: hunc aurea sæpes
Circuit, et fulvo defendit prata metallo.
Mulciber, ut perhibent, his oscula conjugis emit
Mœnibus, et tales uxorius obtulit arces.
Intus rura micant, manibus quæ subdita nullis 60
Perpetuum florent, Zephyro contenta colono;
Umbrosumque nemus, quo non admittitur ales,
Ni probet ante suos diva sub judice cantus.
Quæ placuit, fruitur ramis: quæ victa, recedit.
Vivunt in Venerem frondes, omnisque vicissim 65
Felix arbor amat: nutant ad mutua palmæ
Fœdera: populeo suspirat populus ictu:
Et platani platanis, alnoque adsibilat alnus.
Labuntur gemini fontes: hic dulcis, amarus
Alter, et infusis corrumpunt mella venenis, 70
Unde Cupidineas armavit fama sagittas.
Mille pharetrati ludunt in margine fratres,
Ore pares, similes habitu, gens mollis Amorum.
Hos Nymphæ pariunt; illum Venus aurea solum
Edidit: ille deos, cœlumque, et sidera cornu 75
Temperat, et summos dignatur figere reges;
Hi plebem feriunt. Nec cætera numina desunt.
Hic habitat nullo constricta Licentia nodo,
Et flecti faciles Iræ, vinoque madentes
Excubiæ, Lacrymæque rudes, et gratus amantum
Pallor, et in primis titubans Audacia furtis, 81
Jucundique Metus, et non secura Voluptas,
Et lasciva volant levibus Perjuria pennis.
Hos inter petulans alta cervice Juventas
Excludit Senium luco. Procul atria divæ 85
Permutant radios, sylvaque obstante virescunt.
Lemnius hæc etiam gemmis exstruxit et auro,
Admiscens artem pretio, trabibusque smaragdis
Supposuit cæsas hyacinthi rupe columnas.
Beryllo paries, et iaspide lubrica surgunt 90
Limina, despectusque solo calcatur achates.
In medio glebis redolentibus area dives
Præbet odoratas messes: hic mitis amomi,
Hic casiæ matura seges, Panchæaque turgent
Cinnama, nec sicca frondescunt vimina costo, 95
Tardaque sudanti prorepunt balsama ligno. [git
Quo postquam delapsus Amor, longasque pere-
Penna vias, alacer, passuque superbior intrat.
Cæsariem tunc forte Venus subnixa corusco
Fingebat solio. Dextra lævaque sorores 100
Stabant Idaliæ: largos hæc nectaris imbres
Irrigat: hæc morsu numerosi dentis eburno
Multifidum discrimen arat: sed tertia retro
Dat varios nexus, et justo dividit orbes
Ordine, neglectam partem studiosa relinquens.
Plus error decuit. Speculi nec vultus egebat 106
Judicio: similis tecto monstratur in omni,
Et rapitur quocunque videt. Dum singula cernit,
Seque probat, nati venientis conspicit umbram;
Ambrosioque sinu puerum complexa ferocem,
Quid tantum gavisus, ait? quæ prœlia sudas,
Improbe? quis jacuit telis? iterumne Tonantem
Inter Sidonias cogis mugire juvencas?
An Titana domas? an pastoralia Lunam 114
Rursus in antra vocas? durum magnumque videris
Debellasse deum. Suspensus in oscula matris
Ille refert: Lætare, parens: immane tropæum
Retulimus: nostrum jam sentit Honorius arcum.
Scis Mariam, patremque ducem, qui cuspide Gallos
Italiamque fovet: nec te præclara Serenæ 120
Fama latet. Propera: regalibus annue votis:
Junge toros. Gremio natum Cytherea removit;
Et crines festina ligat, peplumque fluentem
Allevat, et blando spirantem numine ceston
Cingitur, impulsos pluviis quo mitigat amnes, 125
Quo mare, quo ventos, irataque fulmina solvit.

Ut stetit ad littus, parvis hæc fatur alumnis:
Ecquis erit, pueri, vitreas qui lapsus in undas
Huc rapidum Tritona vocet, quo vecta per altum
Deferar? haud unquam tanto mihi venerit usu.
Sacri, quos petimus, thalami: pernicius omnes
Quærite, seu concha Libycum circumtonat æquor,
Ogygias seu frangit aquas: quicunque reperiunt
Duxerit, aurata donabitur ille pharetra.
Dixerat, et sparsa diversi plebe feruntur 135
Exploratores. Pelagi sub fluctibus ibat
Carpathii Triton, obluctantemque petebat
Cymothoen: timet illa ferum, seseque sequenti
Surripit, et duris elabitur uda lacertis. [imis
Heus, inquit speculatus Amor, num vestra sub
Furta tegi potuere vadis? accingere nostram 141
Vecturus dominam: pretium non vile laboris
Cymothoen facilem, quæ nunc detrectat, habebis.
Hac mercede veni. Prorupit gurgite torvus
Semifer: undosi verrebant brachia crines: 145
Hispida tendebat bifido vestigia cornu,
Qua pristis commissa viro. Ter pectora movit:
Jam quarto Paphias tractu sulcabat arenas.
Umbratura deam retro sinuatur in arcum
Bellua: tum vivo squalentia murice terga 150
Purpureis mollita toris: hoc navigat ostro
Fulta Venus: niveæ delibant æquora plantæ.
Prosequitur volucrum late comitatus Amorum,
Tranquillumque choris quatitur mare: serta per omnem
Neptuni dispersa domum: Cadmeia ludit 155
Leucothoe, frenatque rosis delphina Palæmon.
Alternas violis Nereus interserit algas.
Canitiem Glaucus ligat immortalibus herbis.
Nec non et variis vectæ Nereides ibant
Audito rumore feris: hanc pisce volutam 160
Sublevat Oceani monstrum Tartessia tigris:
Hanc timor Ægæi rupturus fronte carinas
Trux aries: hæc cæruleæ suspensa leænæ [cum.
Innatat: hæc viridem trahitur complexa juven-
Certatimque novis onerant connubia donis. 165
Cingula Cymothoe, rarum Galatea monile,
Et gravibus Spatale baccis diadema ferebat
Intextum, rubro quas legerat ipsa profundo.
Mergit se subito, vellitque coralia Doto.
Vimen erat, dum stagna subit: processerat undis;
Gemma fuit. Nudæ Venerem cinxere catervæ,
Plaudentesque simul tali cum voce sequuntur.
Hos Mariæ cultus, hæc munera nostra preca-
Reginæ regina feras: dic talia nunquam [mur
Promeruisse Thetin, nec cum soror Amphitrite
Nostro nupta Jovi: devotum sentiat æquor: 176
Agnoscat famulum virgo Stilichonia pontum.
Victrices nos sæpe rates, classemque paternam.
Veximus, attritis cum tenderet ultor Achivis.
Jam Ligurum terris spumantia pectora Triton
Appulerat, lassosque fretis extenderat orbes. 181
Continuo sublime volans ad mœnia Gallis
Condita, lanigeri suis ostentantia pellem,
Pervenit. Adventu Veneris pulsata recedunt
Nubila: clarescunt puris Aquilonibus Alpes. 185
Lætitiæ causas ignorat dicere miles,
Lætaturque tamen. Mavortia signa rubescunt
Floribus, et subitis animantur frondibus hastæ.
Illa suum dictis affatur talibus agmen: 189
Gradivum, nostri comites, arcete parumper,
Ut soli vacet aula mihi: procul igneus horror
Thoracum, gladiosque tegat vagina minaces.
Stent bellatrices aquilæ, sævique dracones.
Fas sit castra meis hodie succumbere signis.
Tibia pro lituis, et pro clangore tubarum 195
Molle lyræ faustumque canant: epulentur ad
Excubias: mediis spirent crateres in armis. [ipsas
Laxet terribiles majestas regia fastus,
Et sociam plebem non indignata potestas
Confundat turbæ proceres: solvantur habenis
Gaudia, nec leges pudeat ridere severas. 201
Tu festas, Hymenæe, faces, tu, Gratia, flores
Elige, tu geminas, Concordia, necte coronas.
Vos, pennata cohors, quocunque vocaverit usus,
Divisa properate manu: neu marceat ulla 205
Segnities: alii funalibus ordine ductis
Plurima venturæ suspendite lumina nocti:
Hi nostra nitidos postes obducere myrto
Contendant: pars nectareis adspergere tecta
Fontibus, et flamma lucos adolere Sabæos. 210
Pars infecta croco velamina lutea Serum
Pandite, Sidoniasque solo prosternite vestes.
Ast alii thalamum docto componite textu.
Stamine gemmato, picturatisque columnis
Ædificetur apex; qualem non Lydia dives 215
Erexit Pelopi, nec quem struxere Lyæo
Indorum spoliis et opaco palmite Bacchæ.
Illic exuvias omnes cumulate parentum;
Quicquid avus senior Mauro vel Saxone victis,
Quicquid ab innumeris socio Stilichone tremendus 220
Quæsivit genitor bellis: quodcunque Gelonus
Armeniusve dedit: quantum crinita sagittis
Attulit extremo Meroe circumflua Nilo:
Misit Achæmenio quicquid de Tigride Medus,
Cum supplex emeret Romanam Parthia pacem.
Nobilibus gazis, opibusque cubilia surgant 226
Barbaricis: omnes thalamo conferte triumphos.
Sic ait, et sponsæ petit improvisa penates.
Illa autem, secura tori, tædasque parari
Nescia, divinæ fruitur sermone parentis, 230
Maternosque bibit mores, exemplaque discit
Prisca pudicitiæ: Latios nec volvere libros
Desinit aut Graios, ipsa genitrice magistra,
Mæonius quæcunque senex, aut Thracius Orpheus,
Aut Mitylenæo modulatur pectine Sappho. 235
Sic Triviam Latona monet: sic mitis in antro
Mnemosyne docili tradit præcepta Thaliæ.
Cum procul augeri nitor, et jucundior aer
Attonitam lustrare domum, fundique comarum
Gratus odor: mox vera fides, numenque refulsit.
Cunctatur stupefacta Venus: nunc ora puellæ,
Nunc flavo niveam miratur vertice matrem.
Hæc modo crescenti, plenæ par altera lunæ.
Adsurgit ceu forte minor sub matre virenti
Laurus, et ingentes ramos, olimque futuras 245
Promittit jam parva comas: vel flore sub uno
Ceu geminæ Pæstana rosæ per jugera regnant:
Hæc largo matura die, saturataque vernis
Roribus indulget spatio; latet altera nodo,
Nec teneris audet foliis admittere soles. 250
Adstitit, et blande Mariam Cytherea salutat:
Salve, sidereæ proles Augusta Serenæ,
Magnorum soboles regum, parituraque reges
Te propter Paphias sedes Cyprumque reliqui:
Te propter libuit tantos explere labores, 255
Et tantum tranasse maris, ne vilior ultra
Privatos paterere lares, neu tempore longo
Dilatos juvenis nutriret Honorius ignes.
Accipe fortunam generis: diadema resume,
Quod tribuas natis, et in hæc penetralia rursus,
Unde parens progressa, redi. Fac nulla subesse
Vincula cognatæ; quamvis aliena fuisses
Principibus, regnum poteras hoc ore mereri.

Quæ propior sceptris facies? quis dignior aula
Vultus erit? non labra rosæ, nun colla pruinæ,
Non crines æquant violæ, non lumina flammæ.
Quam juncto leviter sese discrimine confert
Umbra supercilii! miscet quam justa ruborem
Temperies, nimio nec sanguine candor abundat!
Auroræ vincis digitos, humerosque Dianæ. 270
Ipsam jam superas matrem. Si Bacchus amator
Dotali potuit cœlum signare corona,
Cur nullis virgo redimitur pulchrior astris?
Jam tibi molitur stellantia serta Bootes,
Inque decus Mariæ jam sidera parturit æther. 275
I digno nectenda viro, tantique per orbem
Consors imperii: jam te venerabitur Ister:
Nomen adorabunt populi: jam Rhenus, et Al-
Serviet: in medios ibis regina Sicambros. [bis
Quid numerem gentes, Atlanteosque recessus
Oceani? toto pariter dotabere mundo. 281
Dixit: et ornatus, dederant quos nuper ovantes
Nereides, collo membrisque micantibus aptat.
Ipsa caput distinguit acu, substringit amictus,
Flammea virgineis accommodat ipsa capillis.
Ante fores jam pompa sonat, pilentaque sacram
Præradiant ductura nurum. Calet obvius ire
Jam princeps, tardumque cupit discedere solem.
Nobilis haud aliter sonipes, quem primus amoris
Sollicitavit odor, tumidus, quatiensque decoras
Turbata cervice jubas. Pharsalia rura 291
Pervolat, et notos hinnitu flagitat ignes,
Naribus accensis: mulcet fecunda magistrum
Spes gregis, et pulchro gaudent armenta marito.
Candidus interea positis exercitus armis 295
Exsultat socerum circa: nec signifer ullus,
Nec miles pluviæ flores dispergere ritu
Cessat, purpureoque ducem perfundere nimbo.
Hæc quoque velati lauro myrtoque canebant:
Dive parens, seu te complectitur axis Olympi,
Seu colis Elysias animarum præmia valles, 301
En promissa tibi Stilicho jam vota peregit.
Jam gratæ rediere vices: cunabula pensat,
Acceptum reddit thalamum, natoque reponit
Quod dederas genitor. Nunquam te, sancte, pige-
Judicii, nec te pietas suprema fefellit. [bit
Dignus quem legeres, dignus cui pignora tanti
Principis, et rerum commendarentur habenæ.
Dicere nunc possem, quæ prœlia gesta sub Hæmo,
Quæque cruentarint fumantem Strymona pugnæ,
Quam notus clypeo, quanta vi fulminet hostem;
Ni prohiberet Hymen: quæ tempestiva relatu,
Nunc canimus. Quis consilio, quis juris et æqui
Nosse modum melior? quod semper dissidet, in te
Convenit; ingenio robur, prudentia forti. 315
Fronte quis æquali? quem sic Romana decerent
Culmina? sufficerent quæ tantis pectora curis?
Stes licet in populo, clamet, quicunque videbit,
Hic est, hic Stilicho: sic te testatur, et offert
Celsa potestatis species, non voce feroci, 320
Non alto simulata gradu, non improba gestu.
Affectant alii quicquid, fingique laborant,
Hoc donat natura tibi. Pudor emicat una,
Formosusque rigor: vultusque auctura verendos
Canities festina venit. Cum sorte remotæ 325
Contingant gravitasque seni, viresque juventæ;
Utraque te cingit propriis insignibus ætas.
Ornatur fortuna viro. Non ulla nocendi
Tela, nec infecti jugulis civilibus enses.
Non odium terrore moves, nec frena resolvit 330
Gratia: diligimus pariter, pariterque timemus.
Ipse metus te noster amat. Justissime legum
Arbiter, egregiæ custos fidissime pacis,
Optime ductorum, fortunatissime patrum:
Plus jam, plus domino cuncti debere fatemur,
Quod gener est, invicte, tuus. Vincire corona:
Insere te nostris contemto jure choreis.
Sic puer Eucherius superet virtute parentem:
Aurea sic videat similes Thermantia tædas:
Sic uterus crescat Mariæ: sic natus in ostro 340
Parvus Honoriades genibus considat avitis.

IN NUPTIAS HONORII AUGUSTI ET MARIÆ FESCENNINA.

ALCAICUM.

Princeps corusco sidere pulchrior,
Parthis sagittas tendere certior,
Eques Gelonis imperiosior,
Quæ digna mentis laus erit arduæ?
Quæ digna formæ laus erit igneæ? 5
Te Leda mallet quam dare Castorem.
Præfert Achilli te proprio Thetis.
Victum fatetur Delos Apollinem.
Credit minorem Lydia Liberum.
Tu cum per altas impiger ilices 10
Præda citatum cornipedem reges,
Ludentque ventis instabiles comæ;
Telis jacebunt sponte tuis feræ,
Gaudensque sacris vulneribus leo
Admittet hastam morte superbior. 15
Venus reversum spernat Adonidem,
Damnet reductum Cynthia Virbium.
Cum post labores sub platani voles
Virentis umbra, vel gelido specu
Torrentiorem fallere Sirium, 20
Et membra somno fessa resolveris;
O quantus uret tum Dryadas calor!
Quot æstuantes ancipiti gradu
Furtiva carpent oscula Naides!
Quis vero acerbis horridior Scythis? 25
Quis belluarum corde furentior?
Quis, cum micantem te prope viderit,
Non optet ultro servitium pati?
Quis non catenas arripiat libens,
Colloque poscat vincula libero? 30
Tu si nivalis per juga Caucasi
Sævas petisses pulcher Amazonas,
Peltata pugnas desereret cohors,
Sexu recepto: patris et immemor
Inter frementes Hippolyte tubas 35
Strictam securim languida poneret,
Et seminudo pectore cingulum
Forti negatum solveret Herculi,

Bellumque solus conficeret decor.
Beata, quæ te mox faciet virum, 40
Primisque sese junget amoribus.

Age cuncta nuptiali
Redimita vere tellus
Celebra toros heriles.
Omne nemus cum fluviis
Omne canat profundum. 5
Ligures favete campi,
Veneti favete montes,
Subitisque se rosetis
Vestiat Alpinus apex,
Et rubeant pruinæ. 10
Athesis strepat choreis
Calamisque flexuosus
Leve Mincius susurret,
Et Padus electriferis
Admoduletur alnis. 15
Epulisque jam repleto
Resonet Quirite Tibris
Dominique læta votis
Aurea septemgeminas
Roma coronet arces. 20
Procul audiant Iberi,
Fluit unde semen aulæ:
Ubi plena laurearum,
Imperio feta domus,
Vix numerat triumphos. 25
Habet hinc patrem maritus,
Habet hinc puella matrem,
Geminaque parte ductum
Cæsareum flumineo
Stemma recurrit ortu. 30
Decorent vireta Bætin,
Tagus intumescat auro,
Generisque procreator
Sub vitreis Oceanus
Luxurietur antris. 35
Oriensque regna fratrum
Simul Occidensque plaudat.
Placidæ jocentur urbes,
Quæque novo, quæque nitent
Deficiente Phœbo. 40
Aquiloniæ procellæ,
Rabidi tacete Cori.
Taceat sonorus Auster.
Solus ovantem Zephyrus
Perdominetur annum. 45

Solitas galea fulgere comas
Stilicho molli necte corona.
Cessent litui, sævumque procul
Martem felix tæda releget.
Tractus ab aula rursus in aulam 5
Redeat sanguis patris officiis.
Junge potenti pignora dextra.
Gener Augusti pridem fueras,
Nunc rursus eris socer Augusti.
Quæ jam rabies livoris erit? 10
Vel quis dabitur color invidiæ?
Stilicho socer est, pater est Stilicho.

Attollens thalamis Idalium jubar,
Dilectus Veneri nascitur Hesperus.
Jam nuptæ trepidat sollicitus pudor:
Jam produnt lacrymas flammea simplices.
Ne cessa, juvenis, cominus aggredi, 5
Impacata licet sæviat unguibus.
Non quisquam fruitur veris odoribus
Hyblæos latebris nec spoliat favos,
Si fronti caveat, si timeat rubos.
Armat spina rosas, mella tegunt apes 10
Crescunt difficili gaudia jurgio,
Accenditque magis, quæ refugit, Venus.
Quod flenti tuleris, plus sapit, osculum.
Dices o quoties, Hoc mihi dulcius,
Quam flavos decies vincere Sarmatas! 15
Adspirate novam pectoribus fidem,
Mansuramque facem tradite sensibus.
Tam junctis manibus nectite vincula,
Quam frondens hedera stringitur æsculus,
Quam lento premitur palmite populus. 20
Et murmur querula blandius alite
Linguis assidui reddite mutuis,
Et labris animam conciliantibus.
Alternum rapiat somnus anhelitum.
Amplexu caleat purpura regio, 25
Et vestes Tyrio sanguine fulgidas
Alter virgineus nobilitet cruor.
Tum victor madido prosilias toro
Nocturni referens vulnera prœlii.
Ducant pervigiles carmina tibiæ, 30
Permissisque jocis turba licentior
Exsultet tetricis libera legibus.
Passim cum ducibus ludite milites·
Passim cum pueris ludite virgines.
Hæc vox ætheriis intonet axibus: 35
Hæc vox per populos, per mare transeat:
Formosus Mariam ducit Honorius.

DE BELLO GILDONICO LIBER.

Redditus imperiis Auster, subjectaque rursum
Alterius convexa poli: rectore sub uno
Conspirat geminus frenis communibus orbis.
Junximus Europen Libyæ: concordia fratrum
Plena redît: patriis quod solum defuit armis, 5
Tertius occubuit nati virtute tyrannus.
Horret adhuc animus, manifestaque gaudia differt,
Dum stupet, et tanto cunctatur credere voto.
Necdum Cinyphias exercitus attigit oras,
Jam domitus Gildon. Nullis victoria nodis 10
Hæsit, non terræ spatio, non objice ponti.
Congressum, profugum, captum vox nuntiat una,
Rumoremque sui prævenit laurea belli.
Quo, precor, hæc effecta deo? robusta vetusque
Tempore tam parvo potuit dementia vinci? 15
Quem veniens indixit hiems, ver perculit, hostem
Exitii jam Roma timens, et fessa negatis
Frugibus, ad rapidi limen tendebat Olympi,
Non solito visu, nec qualis jura Britannis
Dividit, aut trepidos submittit fascibus Indos. 20

Vox tenuis, tardique gradus, oculique jacentes
Interius: fugere genæ: jejuna lacertos
Exedit macies: humeris vix sustinet ægris
Squalentem clypeum: laxata casside prodit
Canitiem, plenamque trahit rubiginis hastam. 25
Attigit ut tandem cœlum, genibusque Tonantis
Procubuit, tales orditur mæsta querelas:
Si mea mansuris meruerunt mœnia nasci,
Jupiter, auguriis. si stant immota Sibyllæ
Carmina, Tarpeias si nondum respuis arces; 30
Advenio supplex, non ut proculcet Araxem
Consul ovans, nostræve premant pharetrata secures
Susa, nec ut rubris aquilas figamus arenis.
Hæc nobis, hæc ante dabas: nunc pabula tantum
Roma precor: miserere tuæ, pater optime, gentis.
Extremam defende famem. Satiavimus iram, 36
Si qua fuit: lugenda Getis, et flenda Suevis
Hausimus: ipsa meos exhorret Parthia casus.
Quid referam morbive luem, cumulosve repletos
Stragibus, et crebras corrupto sidere mortes? 40
Aut fluvium per tecta vagum, summisque minan-
Collibus? ingentes vexi submersa carinas, [tem
Remorumque sonos, et Pyrrhæ sæcula sensi.
Hei mihi! quo Latiæ vires, Urbisque potestas
Recidit? in qualem paullatim fluximus umbram?
Armato quondam populo patriisque vigebam 46
Consiliis: domui terras, urbesque revinxi
Legibus: ad solem victrix utrumque cucurri.
Postquam jura ferox in se communia Cæsar
Transtulit, et lapsi mores, desuetaque priscis 50
Artibus in gremium pacis servile recessi,
Tot mihi pro meritis Libyam Nilumque dedere,
Ut dominam plebem, bellatoremque senatum
Casibus æstivis alerent, geminoque vicissim
Littore diversi complerent horrea venti. 55
Stabat certa salus. Memphis si forte negasset,
Pensabam Pharium Gætulis messibus annum.
Frugiferas certare rates, lateque videbam
Punica Niliacis concurrere carbasa velis.
Cum subiit par Roma mihi, divisaque sumsit 60
Æquales Aurora togas. Ægyptia rura
In partem cessere novam: spes unica nobis
Restabat Libye, quæ vix ægreque fovebat
Solo ducta Noto, nunquam secura futuri,
Semper inops, ventique fidem poscebat et anni.
Hanc quoque nunc Gildon rapuit sub fine cadentis
Autumni: pavido metimur cærula voto,
Puppis si qua venit, si quid fortasse potenti
Vel pudor extorsit domino, vel prædo reliquit.
Pascimur arbitrio Mauri: nec debita reddi, 70
Sed sua concedi jactat, gaudetque diurnos,
Ut famulæ, præbere cibos, vitamque famemque
Librat barbarico fastu, vulgique superbit
Fletibus, et tantæ suspendit fata ruinæ.
Romuleas vendit segetes, et possidet arva 75
Vulneribus quæsita meis. Ideone tot annos
Flebile cum tumida bellum Carthagine gessi?
Idcirco voluit contemta luce reverti
Regulus? hoc damnis, genitor, Cannensibus emi?
Incassum toties lituis navalibus arsit 80
Hispanum Siculumque fretum? vastataque tellus,
Totque duces cæsi, ruptaque emissus ab Alpe
Pœnus, et attonitæ jam proximus Hannibal Urbi?
Scilicet, ut domitis frueretur barbarus Afris,
Muro sustinui Martem, noctesque cruentas 85
Collina pro turre tuli? Gildonis ad usum
Carthago ter victa ruit? hoc mille gementis
Italiæ clades, impensaque sæcula bello,
Hoc Fabius fortisque mihi Marcellus agebant,
Ut Gildo cumularet opes? haurire venena 90
Compulimus dirum Syphacem, fractumque Me-
tello [tham,
Traximus immanem Marii sub vincla Jugur-
Et Numidæ Gildonis erunt? pro funera tanta,
Pro labor! in Bocchi regnum sudavit uterque
Scipio: Romano vicistis sanguine Mauri. 95
Ille diu miles populus, qui præfuit orbi, [armis
Qui trabeas et sceptra dabat, quem semper in
Horribilem gentes, placidum sensere subactæ.
Nunc inhonorus, egens, perfert miserabile pacis
Supplicium, nulloque palam circumdatus hoste
Obsessi discrimen habet. Per singula letum 101
Impendet momenta mihi, dubitandaque pauci
Præscribunt alimenta dies. Heu prospera fata!
Quid mihi septenos montes, turbamque dedisti,
Quæ parvo non posset ali? felicior essem 105
Angustis opibus: mallem tolerare Sabinos
Et Veios: brevior duxi securius ævum.
Ipsa nocet moles. Utinam remeare liceret
Ad veteres fines, et mœnia pauperis Anci.
Sufficerent Etrusca mihi Campanaque culta, 110
Et Quinti Curiique seges, patriæque petenti
Rusticus inferret proprias dictator aristas. [lum.
Nunc quid agam? Libyam Gildo tenet, altera Ni-
Ast ego, quæ terras humeris pontumque subegi,
Deseror: emeritæ jam præmia nulla senectæ.
Di, quibus iratis crevi, succurrite tandem, 116
Exorate patrem: tuque o, si sponte per altum
Vecta Palatinis mutasti collibus Idam,
Prælatoque lavas Phrygios Almone leones,
Maternis natum precibus jam flecte, Cybelle. 120
Sin prohibent Parcæ, falsisque elusa vetustas
Auspiciis, alio saltem prosternite casu,
Et pœnæ mutate genus. Poisenna reducat
Tarquinios: renovet ferales Allia pugnas.
Me potius sævi manibus permittite Pyrrhi: 125
Me Senonum furiis, Brenni me reddite flammis.
Cuncta fame leviora mihi. Sic fata, refusis
Obticuit lacrymis. Mater Cytherea, parensque
Flet Mavors, sanctæque memor Tritonia Vestæ.
Nec sicco Cybele, nec stabat lumine Juno. 130
Mærent indigetes, et si quos Roma recepit
Aut dedit ipsa deos. Genitor jam corda remitti
Cœperat, et sacrum dextra sedare tumultum:
Cum procul insanis quatiens ululatibus axem,
Et contusa genas, mediis apparet in astris 135
Africa: rescissæ vestes, et spicea passim
Serta jacent: lacero crinales vertice dentes,
Effractum pendebat ebur: talique supernas
Irrupit clamore fores: Quid magne moraris
Jupiter, avulso nexu, pelagique solutis 140
Legibus, iratum populis immittere fratrem?
Mergi prima peto: veniant prærupta Pachyno
Æquora: laxatis subsidant Syrtibus urbes.
Si mihi Gildonem nequeunt abducere fata,
Me rape Gildoni. Felicior illa perustæ 145
Pars Libyæ, nimio quæ se munita calore
Defendit, tantique vacat secura tyranni.
Crescat zona rubens: medius flagrantis Olympi
Me quoque limes agat: melius deserta jacebo
Vomeris impatiens: pulsis dominentur aristis 150
Dipsades, et sitiens attollat gleba cerastas.
Quid me temperies juvit? quid mitior æther?
Gildoni fecunda fui. Jam Solis habenæ
Bis senas torquent hiemes, cervicibus ex quo
Hæret triste jugum: nostris jam luctibus ille 155
Consenuit, regnumque sibi tot vindicat annos.
Atque utinam regnum! privato jure tenetur,
Exigui specie fundi, quod Nilus et Atlas

Dissidet: occiduis quod Gadibus arida Barce,
Quodque Parætonio secedit littore Ganges, 160
Hoc sibi transcripsit proprium: pars tertia mundi
Unius prædonis ager. Distantibus idem
Inter se vitiis cinctus; quodcunque profunda
Traxit avaritia, luxu pejore refundit.
Instat terribilis vivis, morientibus hæres, 165
Virginibus raptor, thalamis obscænus adulter.
Nulla quies: oritur præda cessante libido,
Divitibusque dies, et nox metuenda maritis.
Quisquis vel locuples, vel pulchra conjuge notus,
Crimine pulsatur falso: si crimina desint, 170
Accitus conviva perit. Mors nulla refugit
Artificem: varios succos, spumasque requirit
Serpentum virides, et adhuc ignota novercis
Gramina. Si quisquam vultu præsentia damnet,
Liberiusve gemat, dapibus crudelis in ipsis 175
Emicat ad nutum stricto mucrone minister.
Fixus quisque toro tacita formidine libat
Carnifices epulas, incertaque pocula pallens
Haurit, et intentos capiti circumspicit enses.
Splendet Tartareo furialis mensa paratu, 180
Cæde madens, atrox gladio, suspecta veneno.
Ut vino calefacta Venus, tum sævior ardet
Luxuries: mixtis redolent unguenta coronis.
Crinitos inter famulos pubemque canoram
Orbatas jubet ire nurus, nuperque peremtis 185
Arridere viris. Phalarin, tormentaque flammæ
Profuit, et Siculi mugitus ferre juvenci,
Quam tales audire choros. Nec damna pudoris
Turpia sufficiunt. Mauris clarissima quæque
Fastidita datur: media Carthagine ductæ 190
Barbara Sidoniæ subeunt connubia matres.
Æthiopem nobis generum, Nasamona maritum
Ingerit: exterret cunabula degener infans.
His fretus sociis, ipso jam principe major
Incedit: peditum præcurrunt agmina longe: 195
Circumdant equitum turmæ, regesque clientes,
Quos nostris ditat spoliis: proturbat avita
Quemque domo, veteres detrudit rure colonos.
Exsiliis dispersa feror. Numquamne reverti
Fas erit, errantesque solo jam reddere cives?
Iret adhuc in verba dolor, nisi Jupiter alto 201
Cœpisset solio: voces adamante notabat
Atropos, et Lachesis jungebat stamina dictis:
Nec te, Roma, diu, nec te patiemur inultam,
Africa: communem prosternet Honorius hostem.
Pergite securæ: vestrum vis nulla tenorem 206
Separat, et soli famulabitur Africa Romæ.
Dixit, et afflavit Romam meliore juventa.
Continuo redit ille vigor, seniique colorem
Mutavere comæ: solidatam crista resurgens 210
Erexit galeam, clypeique recanduit orbis,
Et levis excussa micuit rubigine cornus.
Humentes jam Noctis equos Lethæaque Som-
Frena regens, tacito volvebat sidera curru. [nus
Jam duo divorum proceres, majorque minorque
Theudosii pacem laturi gentibus ibant; 216
Qui Jovis arcanos monitus, mandataque ferrent
Fratribus, et geminis sancirent fœdera regnis.
Sic, cum præcipites artem vicere procellæ,
Assiduoque gemens undarum verbere nutat 220
Descensura ratis, cæca sub nocte vocati
Naufraga Ledæi sustentant vela Lacones.
Circulus ut patuit Lunæ, secuere meatus
Diversos. Italas senior tendebat in oras.
At pater, intrantem Pontum qua Bosporus arctat,
Arcadii thalamis urbique illapsus Eoæ. 226
Quem simul ac vidit natus, (nam clara nitebat
Cynthia,) permixto tremuerunt gaudia fletu,
Complexuque fovens, quos non speraverat, artus
O mihi post Alpes nunc primum reddite, dixit,
Unde tuis optatus ades? da tangere dextram, 231
Qua gentes cecidere feræ. Quis tale removit
Præsidium terris? ut te mortalia pridem
Implorant, lugentque pium, fortemque requirunt!
Cui pater in tales rupit suspiria voces: 235
Hoc erat? in fratres medio discordia Mauro
Nascitur, et mundus germanaque dissidet aula?
Gildonisne salus tanti sit palma furoris?
Scilicet egregius morum, magnoque tuendus,
Et cujus meritis pietas a fratre recedat. 240
In primo genitore (vide) civile calebat
Dissidium: dubio stabant Romana sub ictu.
Quis procul Armenius, vel quis Mæotide ripa
Rex ignotus agit, qui me non juvit euntem?
Auxilio fovere Getæ, venere Geloni. 245
Solus at hic non puppe data, non milite misso
Subsedit fluitante fide: si signa tulisset
Obvia, detecto submissius hoste dolerem.
Restitit in speculis fati, turbaque reductus
Libravit geminas eventu judice vires, 250
Ad rerum momenta cliens, seseque daturus
Victori: fortuna simul cum Marte pependit.
Et si non cupidis essem præreptus ab astris,
Exemplum sequerer Tulli, laniandaque dumis
Impia diversis raptarem membra quadrigis. 255
Germani nunc usque tui responsa colebat.
En iterum calcat. Tali te credere monstro [dit,
Post patrem fratremque paras? Sed magna repen-
Inque tuam sortem numerosas transtulit urbes.
Ergo fas pretio cedet? mercede placebit 260
Proditio? Taceo, læsi quod transfuga fratris,
Quod levis ingenio: quamvis discrimine summo
Proditor apportet suspensa morte salutem,
Nunquam gratus erit: damnamus luce reperta
Perfidiam, nec nos patimur committere tali 265
Hoc genus emtori. Cives cum mœnibus offert?
Hoc vendit patriam: plerique in tempus abusi
Mox odere tamen. Tenuit sic Graia Philippus
Oppida: Pellæo libertas concidit auro.
Romani scelerum semper sprevere ministros.270
Noxia pollicitum domino miscere venena
Fabricius regi nudata fraude remisit,
Infesto quem Marte petit, bellumque negavit
Per famuli patrare nefas: ductosque Camillus
Trans murum pueros obsessæ reddidit urbi. 275
Traduntur pœnis alii, cum prœlia solvant;
Hic manet, ut moveat? quem respuit alter in
hostem,
Suspicis in fratrem? longi pro dedecus ævi!
Cui placet, Australes Gildo condonat habenas,
Tantaque mutatos sequitur provincia mores. 280
Quaslibet ad partes animus nutaverit anceps,
Transfundit secum Libyam, refluumque malignus
Commodat imperium: Mauri fuit Africa munus.
Tollite Massylas fraudes: removete bilingues
Insidias, et verba soli spirantia virus. 285
Ne consanguineis certetur cominus armis, [cenis;
Ne, precor: hæc trucibus Thebis, hæc digna My-
In Mauros hoc crimen eat. Quid noster iniquum
Molitur Stilicho? quando non ille jubenti
Paruit? an quisquam nobis devotior exstat? 290
Ut sileam varios, quos mecum gesserit, actus,
Quæ vidi post fata, loquar. Cum divus abirem,
Res incompositas, fateor, tumidasque reliqui.
Stringebat vetitos etiamnum exercitus enses
Alpinis odiis, alternaque jurgia victi 295
Victoresque dabant: vix hæc amentia nostris
Excubiis, nedum puero rectore, quiesset.

Heu quantum timui vobis, quid libera tanti
Militis auderet moles, cum cæca remoto
Ferveret jam læta metu! dissensus acerbus, 300
Sed gravior consensus erat. Tunc ipse paterna
Successit pietate mihi, tenerumque rudemque
Fovit, et in veros eduxit principis annos:
Rufinumque tibi, quem tu tremuisse fateris,
Depulit. Hunc solum memorem solumque fidelem
Experior: volui si quid, dum vita maneret, 306
Aut visus voluisse, gerit: venerabilis illi,
Ceu numen præsensque, vocor. Si tanta recusas,
At soceri reverere faces, at respice fratris
Connubium, pignusque meæ regale Serenæ. 310
Debueras etiam fraternis obvius ire [ter
Hostibus, ille tuis. Quæ gens, quis Rhenus et Is-
Vos opibus junctos, conspirantesque tulissent?
Sed tantum permitte, cadat: nil poscimus ultra.
Ille licet sese prætentis Syrtibus armet, 315
Oppositoque Atlante tegat: licet arva referta
Anguibus, et solis medios objecerit æstus;
Novi consilium, novi Stilichonis in omnes
Æqualem casus animum: penetrabit arenas:
Inveniet virtute viam. Sic divus, et inde 320
Sic natus: Jussis, genitor, parebitur ultro.
Amplector præcepta lubens: nec carior alter
Cognato Stilichone mihi: commissa profanus
Ille luat: redeat jam tutior Africa fratri.
Talia dum longo secum sermone retexunt, 325
Hesperiam pervenit avus, castumque cubile
Ingreditur, Tyrio quo fusus Honorius ostro
Carpebat teneros Maria cum conjuge somnos.
Adsistit capiti: tunc sic per somnia fatur:
Tantane devictos tenuit fiducia Mauros, 330
Care nepos? iterum post me conjurat in arma
Progenies vesana Jubæ, bellumque resumit
Victoris cum stirpe sui? Firmumne jacentem
Obliti? Libyam nostro sudore receptam
Rursus habent? ausus Latio contendere Gildo?
Germani nec fata timet? nunc ire profecto, 336
Nunc vellem, notosque senex ostendere vultus.
Nonne meam fugiet Maurus, cum viderit, umbram?
Quid dubitas? exsurge toris: invade rebellem:
Captivum mihi redde meum: desiste morari. 340
Hoc generi fatale tuo: dum sanguis in orbe
Noster erit, semper pallebit regia Bocchi.
Jungantur spoliis Firmi Gildonis opima.
Exornet geminos Maurusia laurea currus.
Una domus toties una de gente triumphet. 345
Di bene, quod tantis interlabentibus annis
Servati Firmusque mihi, fraterque nepoti.
Dixit, et afflatus vicino sole refugit.
At juvenem stimulis immanibus æmula virtus
Exacuit: jam puppe vehi, jam stagna secare 350
Fervet, et absentes invadere cuspide Mauros.
Tum jubet acciri socerum, dextramque vocato
Conserit, et quæ sit potior sententia quærit:
Per somnos mihi, sancte pater, jam sæpe futura
Panduntur, multæque canunt præsagia noctes.
Namque procul Libycos venatu cingere saltus,
Et juga rimari canibus Gætula videbar.
Mærebat regio sævi vastata leonis
Incursu: pecudum strages, passimque juvenci
Semineces, et adhuc infecta mapalia tabo, 360
Sparsaque sanguineis pastorum funera campis.
Aggredior latebras monstri, mirumque relatu
Conspicio: dilapsus honos: cervice minaces
Defluxere jubæ: fractos inglorius armos
Supposuit servile gemens, ingestaque vincla 365
Unguibus, et subitæ collo sonuere catenæ.
Nunc etiam paribus secum certare tropæis
Hortator me cogit avus. Quonam usque morati
Cunctamur? decuit pridem complere biremes,
Et pelagi superare minas. Transmittere primus
Ipse paro. Quæcunque meo gens barbara nutu
Stringitur, adveniat: Germania cuncta feratur
Navibus, et socia comitentur classe Sicambri.
Pallida translatum jam sentiat Africa Rhenum.
An patiar tot probra sedens, juvenisque relinquam
Quæ tenui rexique puer? bis noster ad Alpes 376
Alterius genitor defensum regna cucurrit:
Nos prædæ faciles insultandique jacemus?
Finierat: Stilicho contra cui talia reddit:
Adversine tubam, princeps, dignabere Mauri?
An feret ignavus clari solatia fati, 381
Te bellante mori? decernet Honorius inde,
Hinc Gildo? prius astra Chaos miscebit Averno.
Vindictam mandasse sat est: plus nominis horror,
Quam tuus ensis, aget: minuit præsentia famam.
Qui stetit, æquatur campo, collataque nescit 386
Majestatem acies. Sed quod magis utile factu,
Atque hosti gravius, (sensus adverte,) docebo.
Est illi patribus, sed non et moribus, isdem
Mascezel, fugiens qui dira piacula fratris 390
Spesque suas vitamque tuo commisit asylo.
Hunc ubi tentatis frustra mactare nequivit
Insidiis, patrias in pignora contulit iras,
Et quos ipse sinu parvos gestaverat, una
Obtruncat juvenes, inhumataque corpora vulgo
Dispulit, et tumulo cognatas arcuit umbras: 396
Naturamque simul, fratremque, hominemque cru-
Exuit, et tenuem cæsis invidit arenam. [entus
Hoc facinus refugo damnavit sole Mycenas,
Avertitque diem. Sceleri sed reddidit Atreus 400
Crimen, et infandas excusat conjuge mensas.
Hic odium, non pœna fuit. Te prodita jura,
Te pater ultorem, te nudi pulvere manes,
Te pietas polluta rogat. Si flentibus aram,
Et proprium miseris numen statuistis Athenæ:
Si Pandionias planctu traxere phalanges 406
Inachides, belloque rogos meruere maritis:
Si mæstæ squalore comæ lacrymisque senatum
In Numidas pulsus solio commovit Adherbal;
Hunc quoque nunc Gildo, tanto quem funere mer-
Hunc doleat venisse ducem, seseque minorem [sit,
Supplicibus sciat esse tuis. Quem sede fugavit,
Hunc præceps fugiat: fregit quem clade, tremiscat; [trem.
Agnoscatque suum, trahitur dum victima, fra-
Hæc ubi sederunt genero; notissima Marti
Robora, præcipuos electa pube maniplos 416
Disponit, portuque rates instaurat Etrusco.
Herculeam suus Alcides, Joviamque cohortem
Rex ducit superûm: premitur nec signifer ullo
Pondere; festinant adeo vexilla moveri. 420
Nervius insequitur, meritusque vocabula Felix,
Dictaque ab Augusto legio, nomenque probantes
Invicti, clypeoque animosi teste Leones.
Dictis ante tamen princeps confirmat ituros
Aggere conspicuus: stat circumfusa juventus 425
Nixa hastis, pronasque ferox accommodat aures
Gildonem domitura manus, promissa minasque
Tempus agi. Si quid pro me doluistis, in armis
Ostentate mihi: justo magnoque triumpho
Civiles abolete notas: sciat orbis Eous, 430
Sitque palam, Gallos causa, non robore, vinci.
Nec vos, barbariem quamvis collegerit omnem,
Terreat. An Mauri fremitum, raucosque repulsus

Umbonum, et vestros passuri cominus enses?
Non contra clypeis tectos, galeisve micantes 435
Ibitis; in solis longe fiducia telis.
Exarmatus erit, cum missile torserit, hostis.
Dextro movet jaculum: prætentat pallia læva:
Cætera nudus eques. Sonipes ignarus habenæ;
Virga regit. Non ulla fides, non agminis ordo.
Arma oneri, fuga præsidio. Connubia mille, 441
Non ulli generis nexus, non pignora curæ;
Sed numero languet pietas. Hæc copia vulgi.
Umbratus dux ipse rosis, et marcidus ibit
Unguentis, crudusque cibo, titubansque Lyæo;
Confectus senio, morbis stuprisque solutus. 446
Excitet incestos turmalis buccina somnos:
Imploret citharas cantatricesque choreas
Offensus stridore tubæ, discatque coactus,
Quas vigilat Veneri, castris impendere noctes.
Nonne mori satius, vitæ quam ferre pudorem?
Nam quæ jam regio restat, si dedita Mauris
Regibus, Illyricis accesserit Africa damnis?
Jus Latium, quod tunc Meroe, rubroque solebat
Oceano cingi, Tyrrhena clauditur unda. 455
Et cui non Nilus, non intulit India metas,
Romani jam finis erit Trinacria regni?
Ite recepturi, prædo quem sustulit, axem,
Ereptumque Notum. Caput insuperabile rerum
Aut ruet in vestris, aut stabit Roma lacertis. 460
Tot mihi debetis populos, tot rura, tot urbes
Amissas: uno Libyam defendite bello.
Vestros imperium remos, et vestra sequatur
Carbasa: despectas trans æquora ducite leges.
Tertia jam solito cervix mucrone rotetur, 465
Tandem funereis finem positura tyrannis.
Omina conveniunt dicto, fulvusque Tonantis
Armiger, ad liquidam cunctis spectantibus æthram,
Correptum pedibus curvis innexuit hydrum.
Dumque reluctantem morsu partitur obunco, 470
Hæsit in ungue caput: truncatus decidit anguis.
Licet auguriis alacres, per saxa citati [dat.
Torrentesque ruunt: non mons, non sylva retar-
Pendula ceu parvis moturæ bella colonis
Ingenti clangore grues æstiva relinquunt 475
Thracia, cum tepido permutant Strymona Nilo:
Ordinibus variis per nubila texitur ales
Littera, pennarumque notis inscribitur aer.
Ut fluctus tetigere maris, tunc acrior arsit
Impetus: arripiunt naves, ipsique rudentes 480
Expediunt, et vela ligant, et cornua summis
Adsociant malis. Quatitur Tyrrhena tumultu
Ora, nec Alpheæ capiunt navalia Pisæ.
Sic Agamemnoniam vindex cum Græcia classem
Solveret, innumeris fervebat vocibus Aulis. 485
Non illos strepitus, impendentisque procellæ
Signa, nec adventus dubii deterruit Austri.
Vellite, proclamant, socii, jam vellite funem.
Per vada Gildonem quamvis adversa petamus.
Ad bellum nos trudat hiems: per devia ponti
Quassatis cupio tellurem figere rostris. 491
Heu nimium segnes, cauta qui mente notatis,
Si revolant mergi, graditur si littore cornix.
Ora licet maculis adsperserit occiduus sol,
Lunaque conceptis livescat turbida Coris, 495
Et contusa vagos jaculentur sidera crines,
Imbribus humescant Hædi, nimbosaque Taurum
Ducat Hyas, totusque fretis descendat Orion;
Certa fides cœli, sed major Honorius auctor.
Illius auspiciis immensa per æquora miles, 500
Non Plaustris Arctove, regor: contemne Booten,
Navita: turbinibus mediis permitte carinas.
Si mihi tempestas Libyam ventique negabunt,
Augusti fortuna dabit. Jam classis in altum
Provehitur: dextra Ligures, Etruria læva 505
Linquitur, et cæcis vitatur Corsica saxis.
Humanæ in speciem plantæ se magna figurat
Insula: Sardoam veteres dixere coloni.
Dives ager frugum. Pœnos Italosve petenti
Opportuna situ: quæ pars vicinior Afris, 510
Plana solo, ratibus clemens; quæ respicit Arcton,
Immitis, scopulosa, procax, subitisque sonora
Fluctibus: insanos infamat navita montes. [aer
Hinc hominum pecudumque lues, hinc pestifer
Sævit, et exclusis regnant Aquilonibus Austri.
Quos ubi luctatis procul effugere carinis, 516
Per diversa ruunt sinuosæ littora terræ.
Pars adit antiqua ductos Carthagine Sulcos,
Partem littoreo complectitur Olbia muro.
Urbs Libyam contra Tyrio fundata potenti 520
Tenditur in longum Caralis, tenuemque per undam
Obvia dimittit fracturum flamina collem.
Efficitur portus medium mare, tutaque ventis
Omnibus ingenti mansuescunt stagna recessu.
Hanc omni petiere manu, prorisque reductis 525
Suspensa Zephyros exspectant classe faventes.

IN FL. MALLII THEODORI CONSULATUM PROLOGUS.

Audebisne, precor, doctæ subjecta catervæ
Inter tot proceres, nostra Thalia, loqui?
Nec te fama vetat, vero quam celsius actam
Vel servasse labor, vel minuisse pudor?
An tibi continuis crevit fiducia castris, 5
Totaque jam vatis pectora miles habet?
Culmina Romani majestatemque senatus,
Et, quibus exsultat Gallia, cerne viros.
Omnibus audimur terris, mundique per aures
Ibimus: ah nimius consulis urget amor. 10
Jupiter, ut perhibent, spatium cum discere vellet
Naturæ, regni nescius ipse sui,
Armigeros utrinque duos æqualibus alis
Misit ab Eois Occiduisque plagis.
Parnassus geminos fertur junxisse volatus: 15
Contulit alternas Pythius axis aves.
Princeps non aquilis terram cognoscere curat.
Certius in nobis æstimat imperium.
Hoc ego concilio collectum metior orbem:
Hoc video cœtu quicquid ubique micat.

DE CONSULATU FL. MALLII THEODORI V. C. PANEGYRIS.

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque late
Fortunæ secura nitet, nec fastibus ullis
Erigitur, plausuve petit clarescere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Divitiis animosa suis, immotaque cunctis 5
Casibus, ex alta mortalia despicit arce.
Attamen invitam blande vestigat, et ultro
Ambit Honos. Docuit toties a rure profectus
Lictor, et in mediis quæsitus consul aratris.
Te quoque naturæ sacris mundique vacantem, 10
Emeritum pridem, desudatisque remotum
Judiciis, eadem rursum complexa potestas
Evehit, et reducem notis imponit habenis.
Accedunt trabeæ: nil jam, Theodore, relictum,
Quo virtus animo crescat, vel splendor honore.
Culmen utrumque tenes. Talem te protinus anni
Formavere rudes, et dignum vita curuli
Traxit iter, primæque senes cessere juventæ.
Jam nunc canities animi, jam dulce loquendi
Pondus, et attonitas sermo qui duceret aures. 20
Mox undare foro victrix opulentia linguæ,
Tutarique reos. Ipsa hæc amplissima sedes
Orantem stupuit, bis laudatura regentem.
Hinc te pars Libyæ moderantem jura probavit,
Quæ nunc tota probat. Longi sed pignus amoris
Exiguæ peperere moræ; populumque clientem
Publica mansuris testantur vocibus æra.
Inde tibi Macetûm tellus, et credita Pellæ
Mœnia, quæ famulus quondam ditavit Hydaspes.
Tantaque commissæ revocasti gaudia genti 30
Mitibus arbitriis, quantum bellante Philippo
Floruit, aut nigri cecidit cum regia Pori.
Sed non ulterius te præbuit urbibus aula:
Maluit esse suum. Terris edicta daturus,
Supplicibus responsa, venis: oracula regis 35
Eloquio crevere tuo: nec dignius unquam
Majestas meminit sese Romana locutam.
Hinc sacræ mandantur opes, orbisque tributa
Possessi; quicquid fluviis evolvitur auri:
Quicquid luce procul venas rimata sequaces 40
Abdita pallentis fodit sollertia Bessi.
Ac velut exsertus lentandis navita tonsis
Præficitur lateri custos; hinc ardua proræ
Temperat, et fluctus tempestatesque futuras
Edocet: assiduo cum Dorida vicerit usu, 45
Jam clavum totamque subit torquere carinam:
Sic cum clara diu rerum documenta dedisses,
Non te parte sui, sed in omni corpore sumsit
Imperium, cunctaque dedit tellure regendos
Rectores. Hispana tibi Germanaque Tethys 50
Paruit, et nostro diducta Britannia mundo:
Diversoque tuas coluerunt gurgite voces
Lentus Arar. Rhodanusque ferox, et dives Iberus.
O quoties doluit Rhenus, qua barbarus ibat,
Quod te non geminis frueretur judice ripis! 55
Unius fit cura viri, quodcunque rubescit
Occasu, quodcunque dies devexior ambit.
Tam celer assiduos explevit cursus honores.
Una potestatum spatiis interfuit æstas,
Totque gradus fati juvenilibus intulit annis. [men
Postquam parta quies, et summum nacta cacu-
Jam secura petit privatum gloria portum;
Ingenii redeunt fluctus, aliique labores,
Et vitæ pars nulla perit: quodcunque recedit
Litibus, incumbit studiis: animusque vicissim 65
Aut curam apponit populis, aut otia Musis.
Omnia Cecropiæ relegis secreta senectæ,
Discutiens quod quisque novum mandaverit ævo,
Quantaque diversæ producant agmina sectæ.
Numque aliis princeps rerum disponitur aer: 70
Hic confidit aquis: hic procreat omnia flammis.
Alter, in Ætnæas casurus sponte favillas,
Dispergit revocatque deum, rursumque receptis
Nectit amicitiis quicquid discordia solvit.
Corporis hic damnat sensus, verumque videri 75
Pernegat. Hic semper lapsuræ pondera terræ
Conatur rapido cœli fulcire rotatu,
Accenditque diem prærupti turbine saxi.
Ille ferox, unoque tegi non passus Olympo,
Immensum per inane volat, finemque perosus 80
Parturit innumeros angusto pectore mundos.
Hi vaga collidunt cæcis primordia plagis:
Numina constituunt alii, casusque relegant.
Graiorum obscuras Romanis floribus artes
Irradias, vicibus gratis formare loquentes 85
Suetus, et alterno verum contexere nodo.
Quicquid Socratico manavit ab ordine, quicquid
Docta Cleantheæ sonuerunt atria turbæ,
Inventum quodcunque tuo, Chrysippe, recessu,
Quicquid Democritus risit, dixitque tacendo 90
Pythagoras; uno se pectore cuncta vetustas
Condidit, et major collectis viribus exit.
Ornantur veteres, et nobiliore magistro
In Latium spretis Academia migrat Athenis,
Ut tandem propius discat, quo fine beatum 95
Dirigitur: quæ norma boni, qui limes honesti:
Quænam membra sui virtus divisa domandis
Objectet vitiis: quæ pars injusta recidat,
Quæ vincat ratione metus, quæ frenet amores.
Aut quoties elementa doces, semperque fluentis
Materiæ causas: quæ vis animaverit astra, 101
Impuleritque choros: quo vivat machina motu:
Sidera cur septem retro nitantur in ortus
Obluctata polo: variisne meatibus idem
Arbiter, an geminæ convertant æthera mentes:
Sitne color proprius rerum, lucisne repulsu 106
Eludant aciem: tumidos quæ luna recursus
Nutriat Oceani: quo fracta tonitrua vento:
Quid trahat imbriferas nubes: quo saxa creentur
Grandinis: unde rigor nivibus: quæ flamma per
Excutiat rutilos tractus, aut fulmina velox [auras
Torqueat, aut tristem figat crinita cometen. [pim:
Jam tibi compositam fundaverat ancora pup-
Telluris jam certus eras: fecunda placebant
Otia: nascentes ibant in sæcula libri. 115
Cum subito liquida cessantem vidit ab æthra
Justitia, et tanto viduatas judice leges.
Continuo frontem nimbo velata pudicam
Deserit Autumni portas, qua vergit in Austrum
Signifer, et noctis reparant dispendia Chelæ. 120
Pax avibus, quacunque volat, rabiemque fremen-
Deposuere feræ: lætatur terra reverso [tes

Numine, quod prisci post tempora perdidit auri.
Illa per occultum Ligurum se mœnibus infert,
Et castos levibus plantis ingressa penates 125
Invenit ætherios signantem pulvere cursus,
Quos pia sollicito deprendit pollice Memphis:
Quæ moveant momenta polum: quam certus in astris
Error: quis tenebras soli causisque meantem
Defectum indicat numerus: quæ linea Phœben
Damnet, et excluso pallentem fratre relinquat. 131
Ut procul adspexit fulgentia virginis ora,
Cognovitque deam, vultus veneratus amicos
Occurrit, scriptæque notas confundit arenæ.
Tunc sic diva prior: Malli, sincera bonorum
Congeries, in quo veteris vestigia recti, 136
Et ductos video mores meliore metallo;
Jam satis indultum studiis, Musæque tot annos
Eripuere mihi: pridem te jura reposcunt.
Aggredere, et nostro rursum te redde labori. 140
Nec tibi sufficiat transmissæ gloria vitæ.
Humanum curare genus quis terminus unquam
Præscripsit? nullas recipit prudentia metas.
Adde, quod hæc multis potuit contingere sedes:
Sed meriti tantum redeunt, actusque priores 145
Commendat repetitus honos, virtusque reducit,
Quos fortuna legit. Melius magnoque petendum
Credis, in abstrusa rerum ratione morari?
Scilicet illa tui patriam præcepta Platonis
Erexere magis, quam qui responsa secutus 150
Obruit Eoas classes, urbemque carinis
Vexit, et arsuras Medo subduxit Athenas?
Spartanis potuit robur præstare Lycurgus
Matribus, et sexum leges vicere severæ:
Civibus et vetitis ignavo credere muro 155
Tutius objecit nudam Lacedæmona bellis.
At non Pythagoræ monitus, annique silentes,
Famosum Œbalii luxum pressere Tarenti.
Quis vero insignem tanto sub principe curam
Respuat? aut quando meritis majora patebunt 160
Præmia? quis demens adeo, qui jungere sensus
Cum Stilichone neget? similem quæ protulit ætas
Consilio vel Marte virum? nunc Brutus amaret
Vivere sub regno: tali succumberet aulæ
Fabricius: cuperent ipsi servire Catones. 165
Nonne vides, ut nostra soror Clementia tristes
Obtundat gladios, fratresque amplexa serenos
Adsurgat Pietas: fractis ut lugeat armis
Perfidia, et laceris morientes crinibus hydri
Lambant invalido Furiarum vincla veneno? 170
Exsultat eum Pace Fides: jam sidera cunctæ
Liquimus, et placidas inter discurrimus urbes.
Nobiscum, Theodore, redi. Subit ille loquentem
Talibus: Agrestem dudum me, diva, reverti
Cogis, et infectum longi rubigine ruris 175
Ad tua signa vocas? nam quæ mihi cura tot annos
Altera, quam duras sulcis mollire novales?
Nosse soli vires, nemori quæ commoda rupes,
Quis felix oleæ tractus, quæ gleba faveret
Frugibus, aut quales tegeret vindemia colles? 180
Terribiles rursum lituos veteranus adibo,
Et desueta vetus tentabo cærula vector?
Collectamque diu, et certis utcunque locatam
Sedibus, in dubium patiar deponere famam?
Nec me, quid valeat natura fortior usus, 185
Præterit, aut quantum neglectæ defluat arti.
Desidis aurigæ non audit verbera currus,
Nec manus agnoscit, quem non exercuit, arcum.
Esse sed injustum fateor quodcunque negatur
Justitiæ. Tu prima hominem sylvestribus antris
Elicis, et fœdo detergis sæcula victu. 191
Te propter colimus leges, animosque ferarum
Exuimus. Nitidis quisquis te sensibus hausit,
Irruet intrepidus flammis, hiberna secabit
Æquora, confertos hostes superabit inermis.
Ille vel Æthiopum pluviis solabitur æstus: 196
Illum trans Scythiam vernus comitabitur aer.
Sic fatus, tradente dea suscepit habenas
Quatuor ingenti Juris temone refusas. [tem
Prima Padum Tiberimque ligat, crebrisque mican-
Urbibus Italiam: Libyas Pœnosque secunda
Temperat: Illyrico se tertia porrigit orbi:
Ultima Sardiniam, Cyrnon, trifidamque retentat
Sicaniam, et quicquid Tyrrhena tunditur unda,
Vel gemit Ionia. Nec te molimina rerum, 205
Aut tantum turbavit onus: sed ut altus Olympi
Vertex, qui spatio ventos hiemesque relinquit,
Perpetuum nulla temeratus nube serenum,
Celsior exsurgit pluviis, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, et rauca tonitrua calcat: 210
Sic patiens animi per tanta negotia liber
Emergit, similisque sui; justique tenorem
Flectere non odium cogit, non gratia suadet.
Nam spretas quis opes, intactaque pectora lucro 214
Commemoret? fuerint aliis hæc forte decora:
Nulla potest laus esse tibi, quæ crimina purget.
Servat inoffensam divina modestia vocem,
Temperiem servant oculi: nec lumina fervor
Asperat, aut rabidas suffundit sanguine venas:
Nullaque mutati tempestas proditur oris. 220
Quin etiam sontes expulsa corrigis ira,
Et placidus delicta domas: nec dentibus unquam
Instrepis horrendum, fremitu nec verbera poscis
Qui fruitur pœna, ferus est, legumque videtur
Vindictam præstare sibi: cum viscera felle 225
Canduerint, ardet stimulis, ferturque nocendi
Prodigus, ignarus causæ. Dis proximus ille,
Quem ratio, non ira, movet; qui, facta repen-
Consilio punire potest. Mucrone cruento [dens,
Se jactent alii, studeant feritate timeri, 230
Addictoque hominum cumulent æraria censu.
Lene fluit Nilus, sed cunctis amnibus exstat
Utilior, nullas confessus murmure vires.
Acrior ac rapidus tacitas prætermeat ingens
Danubius ripas: eadem clementia sani 235
Gurgitis immensum diducit in ostia Gangen.
Torrentes immane fremant, lassisque minentur
Pontibus, involvant spumoso vortice sylvas.
Pax majora decet. Peragit tranquilla potestas
Quod violenta nequit; mandataque fortius urget
Imperiosa quies. Idem prædurus iniquas 241
Accepisse preces; rursus, quæ digna petitu,
Largiri facilis. Nec, quæ comitatur honores,
Ausa tuam leviter tentare superbia mentem.
Frons rivata manet: nec se meruisse fatetur, 245
Qui crevisse putat: rigidi sed plena pudoris
Elucet gravitas fastu jucunda modesto.
Quæ non seditio, quæ non insania vulgi
Te viso lenita cadat? quæ dissona ritu
Barbaries, medii quam non reverentia frangat?
Vel quis non sitiens sermonis mella politi 251
Deserat Orpheos blanda testudine cantus?
Qualem te legimus teneri primordia mundi
Scribentem, aut partes animæ per singula, talem
Cernimus, et similes agnoscit pagina mores. 255
Nec dilata tuis Augusto judice merces
Officiis: illumque habitum, quo jungitur aulæ
Curia, qui socio proceres cum principe nectit,
Quem quater ipse gerit, perfecto detulit anno;
Deposuitque suas te succedente curules. 260

Crescite virtutes. fecunda refloruit ætas:
Ingeniis patuit campus, certusque merenti
Stat favor: ornatur propriis industria donis.
Surgite sopitæ, quas obruit ambitus, artes.
Nil licet invidiæ, Stilicho dum prospicit orbi,
Sidereusque gener. Non hic violata curulis, 266
Turpia non Latios incestant nomina fastos.
Fortibus hæc concessa viris, solisque gerenda
Patribus, et Romæ nunquam latura pudorem.
Nuntia votorum celeri jam Fama volatu 270
Moverat Aonios audito consule lucos.
Concinuit felix Helicon, fluxitque Aganippe
Largior, et docti riserunt floribus amnes.
Uranie redimita comas, qua sæpe magistra
Mallius igniferos radio descripserat axes, 275
Sic alias hortata deas: Patimurne, sorores,
Optato procul esse die? nec limina nostri
Consulis, et semper dilectas visimus ædes?
Notior est Helicone domus. Gestare curules,
Et fasces subiisse libet. Miracula plebi 280
Colligite, et claris nomen celebrate theatris.
Tu Jovis æquorei submersam fluctibus aulam
Oratum volucres, Erato, jam perge quadrigas,
A quibus haud unquam palmam rapturus Arion.
Illustret Circum sonipes, quicunque superbo
Perstrepit hinnitu Bætin, qui splendida potat 286
Stagna Tagi, madidoque jubas adspergitur auro.
Calliope, liquidas Alciden posce palæstras.
Cuncta Palæmoniis manus explorata coronis
Adsit, et Eleo pubes laudata Tonanti. 290
Tu juga Taygeti frondosaque Mænala, Clio,
I Triviæ supplex: non adspernata rogantem
Amphitheatrali faveat Latonia pompæ.
Audaces legat ipsa viros, qui colla ferarum
Arte ligent, certoque premant venabula nisu.
Ipsa truces fetus captivaque ducat ab antris 296
Prodigia, et cædis sitientem differat arcum.
Conveniant ursi, magna quos mole rudentes
Torva Lycaoniis Helice miretur ab astris:
Perfossique ruant populo pallente leones, 300
Quales Mygdonio curru frenare Cybelle
Optet, et Herculei malint fregisse lacerti.
Obvia fulminei properent ad vulnera pardi
Semine permixto geniti, cum forte leænæ
Nobiliorem uterum viridis corrupit adulter;
Hi maculis patres referunt, et robore matres. 306
Quicquid monstriferis nutrit Gætulia campis,
Alpina quicquid tegitur nive, Gallica quicquid
Sylva timet, jaceat: largo ditescat arena
Sanguine: consumant totos spectacula montes.
Nec molles egeant nota dulcedine ludi. 311
Qui lætis risum salibus movisse facetus,
Qui nutu manibusque loquax; cui tibia flatu,
Cui plectro pulsanda chelys; qui pulpita socco
Personat, aut alte graditur majore cothurno,
Et qui magna levi detrudens murmura tactu, 316
Innumeras voces segetis moderatus aenæ,
Intonet erranti digito, penitusque trabali
Vecte laborantes in carmina concitet undas.
Vel qui more avium sese jaculentur in auras,
Corporaque ædificent celeri crescentia nexu, 321
Quorum compositam puer amentatus in arcem
Emicet, et, vinctus plantæ vel cruribus hærens,
Pendula librato figat vestigia saltu.
Mobile ponderibus descendat pegma reductis,
Inque chori speciem parcentes ardua flammas
Scena rotet: varios effingat Mulciber orbes
Per tabulas impune vagus, pictæque citato
Ludant igne trabes, et non permissa morari
Fida per innocuas errent incendia turres. 330
Lascivæ subito confligant æquore lembi,
Stagnaque remigibus spument immissa canoris.
Consul per populos, idemque gravissimus
Eloquii, duplici vita subnixus in ævum [auctor
Procedat, libris pariter fastisque legendus. 335
Accipiat patris exemplum, tribuatque nepoti
Filius, et cœptis ne desit fascibus hæres.
Decurrat trabeata domus, tradatque secures
Mutua posteritas, servatoque ordine fati
Mallia continuo numeretur consule proles. 340

IN EUTROPIUM LIBER PRIMUS.

Semiferos partus, metuendaque pignora matri,
Mœnibus et mediis auditum nocte luporum
Murmur, et attonito pecudes pastore locutas,
Et lapidum diras hiemes, nimboque minacem
Sanguineo rubuisse Jovem, puteosque cruore 5
Mutatos, visasque polo concurrere lunas,
Et geminos soles mirari desinat orbis.
Omnia cesserunt eunucho consule monstra.
Heu cœli terræque pudor! trabeata per urbes
Ostentatur anus, titulumque effœminat anni. 10
Pandite, Pontifices, Cumanæ carmina vatis:
Fulmineos sollers Etruria consulat ignes,
Immersumque nefas fibris exploret haruspex.
Quæ nova portendunt superi? Nilusne meatu
Devius, et nostri tendat jam transfuga mundi 15
Se rubro miscere mari? ruptone Niphate
Rursum barbaricis Oriens vastabitur armis?
An morbi ventura lues? an nulla colono
Responsura seges? quæ tantas expiet iras
Victima? quo diras jugulo placabimus aras? 20
Consule lustrandi fasces, ipsoque litandum
Prodigio: quodcunque parant hoc omine fata,
Eutropius cervice luat. Sic omnia volvis?
Hoc regni, Fortuna, tenes? quænam ista jocandi
Sævitia? humanis quantum bacchabere rebus?
Si tibi servili placuit fœdare curules 26
Crimine, procedat laxata compede consul:
Rupta Quirinales sumant ergastula cinctus. [dam
Da saltem quemcunque virum. Discrimina quæ-
Sunt famulis, splendorque suus; maculamque
minorem 30
Conditionis habet, domino qui vixerit uno.
Si pelagi fluctus, Libyæ si discis arenas,
Eutropii numerabis heros. Quot jura, quot ille
Mutavit tabulas, vel quanta vocabula vertit!
Nudatus qoties, medicum dum consulit emtor,
Ne qua per occultum lateat jactura dolorem! 36
Omnes pœnituit pretii, venumque redibat,

Dum vendi potuit. Postquam deforme cadaver
Mansit, et in rugas totus defluxit aniles;
Jam specie doni certatim limine pellunt, 40
Et fœdum ignaris properant obtrudere munus.
Tot translata jugis submisit colla vetustum
Servitium, semperque novum, nec destitit unquam.
Sæpe tamen cœpit. Cunabula prima cruentis
Dedita suppliciis: rapitur castrandus ab ipso
Ubere: suscipiunt matris post viscera pœnæ.
Advolat Armenius certo mucrone recisos
Edoctus mollire mares, damnoque nefandum
Aucturus pretium: fecundum corporis ignem
Sedibus exhaurit geminis, unoque sub ictu 50
Eripit officiumque patris, nomenque mariti.
Ambiguus vitæ jacuit, penitusque supremum
In cerebrum secti traxerunt frigora nervi.
Laudemusne manum, quæ vires abstulit hosti?
An potius fato causam tribuisse queramur? 55
Profuerat mansisse virum. Felicior exstat
Opprobrio: serviret adhuc, si fortior esset.
Inde per Assyriæ trahitur commercia ripæ.
Hinc fora venalis Galata ductore frequentat,
Permutatque domos varias. Quis nomina possit
Tanta sequi? Miles tabulis Ptolemæus in illis 61
Notior: hic longo lassatus pellicis usu
Donat Arinthæo: neque enim jam dignus haberi,
Nec maturus emi. Cum fastiditus abiret,
Quam gemuit, quanto planxit divortia luctu! 65
Hæc erat heu, Ptolemæe, fides? hoc profuit
In gremio consumta tuo, lectusque jugalis, [ætas
Et ducti toties inter præsepia somni?
Libertas promissa perît. Viduumne relinquis
Eutropium? tantasque premunt oblivia noctes,
Crudelis? generis pro sors durissima nostri! 71
Fœmina cum senuit, retinet connubia partu,
Uxorisque decus matris reverentia pensat.
Nos Lucina fugit, nec pignore nitimur ullo.
Cum forma dilapsus amor: defloruit oris 75
Gratia. Qua miseri scapulas tutabimur arte?
Qua placeam ratione senex? Sic fatus, acutum
Aggreditur lenonis opus: nec segnis ad artem
Mens erat, officiique capax, omnesque pudoris
Hauserat insidias. Custodia nulla tuendo 80
Fida toro: nulli poterant excludere vectes.
Ille vel ærata Danaen in turre latentem
Eliceret. Fletus domini fingebat amantis:
Indomitasque mora, pretio lenibat avaras,
Lascivasque jocis: non blandior ullus euntis 85
Ancillæ tetigisse latus, leviterque reductis
Vestibus occulto crimen mandare susurro,
Nec furtis quæsisse locum, nec fraude reperta
Cautior elusi fremitus vitare mariti.
Haud aliter juvenum flammis Ephyreia Lais
Et gemino dotata mari, cum serta refundit 91
Canities, jam turba procax, noctisque recedit
Ambitus, et raro pulsatur janua tactu,
Seque reformidat speculo damnare senectus;
Stat tamen, atque alias succingit lena ministras,
Dilectumque diu quamvis longæva lupanar 96
Circuit, et retinent mores, quod perdidit ætas.
Hinc honor Eutropio: cumque omnibus unica vir-
Esset in eunuchis, thalamos servare pudicos, [tus
Solus adulteriis crevit. Nec verbera tergo 100
Cessavere tamen, quoties decepta libido
Irati caluisset heri: frustraque rogantem,
Jactantemque suos tot jam per lustra labores,
Dotalem genero nutritoremque puellæ
Tradidit. Eous rector consulque futurus 105
Pectebat dominæ crines, et sæpe lavanti
Nudus in argento lympham gestabat alumnæ.
Et cum se rapido fessam projecerat æstu,
Patricius roseis pavonum ventilat alis.
Jamque ævo laxata cutis, sulcisque genarum
Corruerat passa facies rugosior uva. 111
Flava minus presso finduntur vomere rura,
Nec vento sic vela tremunt. Miserabile turpes
Exedere caput tineæ: deserta patebant
Intervalla comæ: qualis sitientibus arvis 115
Arida jejunæ seges interlucet aristæ;
Vel qualis gelidis pluma labente pruinis
Arboris immoritur trunco brumalis hirundo.
Scilicet ut trabeis injuria cresceret olim,
Has in fronte notas, hoc dedecus addidit oris 120
Luxuriæ Fortuna suæ. Cum pallida nudis
Ossibus horrorem dominis præberet imago,
Decolor et macies occursu læderet omnes,
Aut pueris latura metus, aut tædia mensis,
Aut crimen famulis, aut procedentibus omen,
Et nihil exhausto caperent in stipite lucri; 126
(Sternere quippe toros, vel cædere ligna culinæ,
Membra negant: aurum, vestes, arcana tueri
Mens infida vetat: quis enim committere vellet
Lenoni thalamum?) tandem ceu funus acerbum,
Infaustamque suis trusere penatibus umbram. 131
Contemtu jam liber erat. Sic pastor obesum
Lacte canem ferroque ligat, pascitque revinctum,
Dum validus servare gregem, vigilique rapaces
Latratu terrere lupos: cum tardior idem 135
Jam scabie laceras dejecit sordidus aures,
Solvit, et exuto lucratur vincula collo.
Est ubi despectus nimius juvat. Undique pulso
Per cunctas licuit fraudes impune vagari,
Et fatis aperire viam. Pro quisquis Olympi 140
Summa tenes, tantone libet mortalia risu
Vertere? qui servi non est admissus in usum,
Suscipitur regnis: et, quem privata ministrum
Dedignata domus, moderantem sustinet aula.
Ut primum vetulam traxere Palatia vulpem, 145
Quis non ingemuit? quis non irrepere sacris
Obsequiis doluit toties venale cadaver?
Ipsi quin etiam tali consorte fremebant
Regales famuli, quibus est illustrior ordo
Servitii, sociumque sibi sprevere superbi. 150
Cernite, quem Latiis poscant annectere fastis:
Cujus et eunuchos puduit. Sed vilior ante
Obscuræ latuit pars ignotissima turbæ,
Donec Abundanti furiis, qui rebus Eois
Exitium, primoque sibi produxit, ab imis 155
Evectus thalamis summos invasit honores.
Quam bene dispositum terris, ut dignus iniqui
Fructus consilii primis auctoribus instet!
Sic multos fluvio vates arente per annos,
Hospite qui cæso monuit placare Tonantem, 160
Inventas primus Busiridis imbuit aras,
Et cecidit sævi, quod dixerat, hostia sacri.
Sic opifex tauri, tormentorumque repertor,
Qui funesta novo fabricaverat æra dolori,
Primus inexpertum Siculo cogente tyranno 165
Sensit opus, docuitque suum mugire juvencum.
Nullius Eutropius, quam qui se protulit, ante
Direptas possedit opes, nullumque priorem
Perculit exsilio: solumque hoc rite peregit,
Auctorem damnare suum. Postquam obsitus ævo
Semivir excelsam rerum sublatus in arcem. 171
Quod nec vota pati, nec fingere somnia possent.
Vidit sub pedibus leges, subjectaque colla
Nobilium, tantumque sibi permittere fata;
Qui nihil optasset plus libertate mereri, 175
Jam jam dissimulat dominos, alteque tumescunt

Serviles animi. Procerum squalore repletus
Carcer, et exsulibus Meroe campique gemiscunt
Æthiopum : pœnis hominum plaga personat ardens :
Marmaricus claris violatur cædibus Hammon. 180
Asperius nihil est humili, cum surgit in altum :
Cuncta ferit, dum cuncta timet : desævit in omnes,
Ut se posse putent : nec bellua tetrior ulla
Quam servi rabies in libera terga furentis.
Agnoscit gemitus, et pœnæ parcere nescit, 185
Quam subiit, dominique memor, quem verberat,
Adde, quod eunuchus nulla pietate movetur, [odit.
Nec generi natisve cavet. Clementia cunctis
In similes, animosque ligant consortia damni.
Iste nec eunuchis placidus. Sed pejus in aurem
Æstuat : hoc uno fruitur succisa libido. 191
Quid nervos secuisse juvat? vis nulla cruentam
Castrat avaritiam. Parvis exercita furtis
Quæ vastare penum, neglectaque sueverat arcæ
Claustra remoliri, nunc uberiore rapina 195
Peccat in orbe manus. Quicquid se Tigris ab Hæmo
Dividit, hoc certa proponit merce locandum
Institor imperii, caupo famosus honorum.
Hic Asiam villa pactus regit : ille redemit
Conjugis ornatu Syriam : dolet ille paterna 200
Bithynos mutasse domo. Suffixa patenti
Vestibulo pretiis distinguit regula gentes.
Tot Galatæ, tot Pontus eat, tot Lydia nummis.
Si Lyciam tenuisse velis, tot millia ponas :
Si Phrygas, adde parum. Propriæ solatia sorti
Communes vult esse notas, et venditus ipse 206
Vendere cuncta cupit. Certantum sæpe duorum
Diversum suspendit onus : cum pondere judex
Vergit, et in geminas nutat provincia lances. 209
Non pudet heu, superi, populos venire sub hasta?
Vendentis certe pudeat. Quid jure sepultum
Mancipium tot regna tenet, tot distrahit urbes?
Pollentem solio Crœsum victoria Cyri
Fregit, ut eunucho fluerent Pactolus et Hermus?
Attalus hæredem voluit te, Roma, relinqui, 215
Restitit Antiochus præscripto margine Tauri,
Indomitos curru Servilius egit Isauros,
Et Pharos Augusto jacuit, vel Creta Metello,
Ne non Eutropio quæstus numerosior esset?
In mercem veniunt Cilices, Judæa, Sophene, 220
Romanusque labor, Pompeianique triumphi.
Quo struis hos auri cumulos? quæ pignora
Succedent opibus? nubas, ducasve licebit; [tantis
Nunquam mater eris, nunquam pater : hoc tibi ferrum,
Hoc natura negat. Te grandibus India gemmis,
Te foliis Arabes ditent, te vellere Seres; 226
Nullus inops adeo, nullum sic urget egestas,
Ut velit Eutropii fortunam et membra pacisci.
Jamque oblita sui, nec sobria divitiis mens,
In miseras leges, hominumque negotia ludit. 230
Judicat eunuchus. Quid jam de consule miror?
Prodigium quodcunque gerit. Quæ pagina lites
Fœmineas meminit? quibus unquam sæcula terris
Eunuchi videre forum? Sed ne qua vacaret
Pars ignominia, neu quid restaret inausum, 235
Arma etiam violare parat, portentaque monstris
Aggerat, et secum petulans amentia certat.
Erubuit Mavors, aversaque risit Enyo
Dedecus Eoum, quoties intenta sagittis
Et pharetra fulgens anus exercetur Amazon; 240
Arbiter aut quoties belli pacisque recurrit,
Alloquiturque Getas. Gaudet, cum viderit, hostis,
Et sentit jam deesse viros. Incendia fumant :
Muris nulla fides : squalent populatibus agri, 244
Et medio spes sola mari. Trans Phasin aguntur
Cappadocum matres, stabulisque abducta pater- [nis
Caucasias captiva bibunt armenta pruinas,
Et Scythicis mutant Argei pabula sylvis.
Extra Cimmerias Taurorum claustra paludes
Flos Syriæ servit : spoliis nec sufficit atrox 250
Barbarus : in cædem vertunt fastidia prædæ.
Ille tamen (quid enim servum, mollemque pudebit?
Aut quid in hoc poterit vultu flagrare ruboris?)
Pro victore redit. Peditum vexilla sequuntur,
Et turmæ similes, eunuchorumque manipli, 255
Hellespontiacis legio dignissima signis.
Obvius ire cliens, defensoremque reversum
Complecti. Placet ipse sibi, laxasque laborat
Distendisse genas, fictumque inflatus anhelat,
Pulvere respersus tineas, et solibus ora 260
Pallidior, verbisque sonat plorabile quiddam
Ultra nequitiam fractis, et prœlia narrat :
Perque suam tremula testatur voce sororem,
Defecisse vagas ad publica commoda vires :
Cedere livori, nec sustentare procellas 265
Invidiæ, mergique fretis spumantibus orat.
Exoretque utinam. Dum talia fatur, ineptas
Detergit lacrymas, atque inter singula dicta
Flebile suspirat : qualis venit arida socrus
Longinquam visura nurum : vix lassa resedit, 270
Et jam vina petit. Quid te, turpissima, bellis
Inseris, aut sævi pertentas Pallada campi?
Tu potes alterius studiis hærere Minervæ;
Tu telas, non tela, pati; tu stamina nesse;
Tu segnes operum sollers urgere puellas, 275
Et niveam dominæ pensis involvere lanam.
Vel si sacra placent, habeas pro Marte Cybellen.
Rauca Celænæos ad tympana disce furores.
Cymbala ferre licet, pectusque illidere pinu, 279
Inguinis et reliquum Phrygiis abscindere cultris.
Arma relinque viris. Geminam quid dividis aulam,
Conarisque pios odiis committere fratres?
Te magis, ah demens, veterem si respicis artem,
Conciliare decet. Gestis pro talibus annum
Flagitat Eutropius, ne quid non polluat unus; 285
Dux acies, judex prætoria, tempora consul.
Nil adeo fœdum est, quod non exacta vetustas
Ediderit, longique labor commiserit ævi.
Œdipodes matrem, natam duxisse Thyestes
Cantantur : peperit fratres Iocasta marito, 290
Et Pelopea sibi. Thebas ac funera Trojæ
Tristis Erechthei deplorat scena theatri.
In volucrem Tereus, Cadmus se vertit in anguem :
Scylla novos mirata canes : hunc arbore figit,
Elevat hanc pluma, squamis hanc fabula vestit,
Hanc solvit fluvio. Nusquam spado consul in orbe,
Nec judex ductorve, fuit. Quodcunque virorum
Est decus, eunuchis scelus est : exempla creantur
Quæ socci superent risus, luctusque cothurni.
Quam pulchre conspectus erat, cum tenderet artus
Exsangues onerare toga cinctumque gravatos,
Indutoque senex obscœnior iret in auro!
Humani qualis simulator simius oris,
Quem puer arridens pretioso stamine Serum
Velavit, nudasque nates ac terga reliquit, 305
Ludibrium mensis, erecto pectore dives
Ambulat, et claro sese deformat amictu.
Candida pollutos comitatur Curia fasces :
Forsitan et dominus. Præbet miracula lictor
Consule nobilior : libertatemque daturus, 310
Quam necdum metuit, scandit sublime tribunal;
Atque inter proprias laudes Ægyptia jactat
Somnia, prostratosque canit se vate tyrannos.

Scilicet in dubio vindex Bellona pependit.
Dum spado Tiresias, enervatusque Melampus 315
Reptat ab extremo referens oracula Nilo.
Obstrepuere avium voces: exhorruit annus
Nomen, et insanum gemino proclamat ab ore,
Eunuchumque vetat fastis accedere Janus.
Sumeret illicitos etenim si fœmina fasces, 320
Esset turpe minus. Medis levibusque Sabæis
Imperat hic sexus, reginarumque sub armis
Barbariæ pars magna jacet: gens nulla probatur,
Eunuchi quæ sceptra ferat. Tritonia, Phœbe,
Vesta, Ceres, Cybele, Juno, Latona coluntur. 325
Eunuchi quæ templa dei, quas vidimus aras?
Inde sacerdotes: hæc intrat pectora Phœbus:
Inde canunt Delphi. Trojanam sola Minervam
Virginitas Vestalis adit, flammasque tuetur.
Hi nullas meriti vittas, semperque profani. 330
Nascitur ad fructum mulier, prolemque futuram:
Hoc genus inventum est, ut serviat. Herculis arcu
Concidit Hippolyte: Danai fugere bipennem,
Penthesilea, tuam: claras Carthaginis arces
Creditur, et centum portis Babylona superbam
Fœmineus struxisse labor. Quid nobile gessit 336
Eunuchus? quæ bella tulit? quas condidit urbes?
Illas præterea rerum natura creavit;
Hos fecere manus: seu prima Semiramis astu
Assyriis mentita virum, ne vocis acutæ 340
Mollities, lævesve genæ se prodere possent,
Hos sibi conjunxit similes; seu Parthica ferro
Luxuries vetuit nasci lanuginis umbram,
Servatoque diu puerili flore coegit
Arte retardatam Veneri servire juventam. 345
Fama prius falso similis, vanoque videri
Ficta joco: levior volitare per oppida rumor,
Riderique nefas; veluti nigrantibus alis
Audiretur olor, corvo certante ligustris.
Atque aliquis gravior morum, Si talibus, inquit,
Creditur, et nimiis turgent mendacia monstris;
Jam testudo volat, profert jam cornua vultur:
Prona petunt retro fluvii juga: Gadibus ortum
Carmani texere diem: jam frugibus aptum
Æquor, et advectum sylvis delphina videbo; 355
Jam cochleis homines junctos, et quicquid inane
Nutrit, in Attalicis quæ pingitur India velis.
Subjicit et mixtis salibus lascivior alter:
Miraris? nihil est, quod non in pectore magnum
Concipit Eutropius: semper nova, grandia semper
Diligit, et celeri degustat singula sensu. 361
Nil timet a tergo: vigilantibus undique curis
Nocte dieque patet: lenis facilisque moveri
Supplicibus, mediaque tamen mollissimus ira.
Nil negat, et sese vel non poscentibus offert. 365
Quidlibet ingenio subigit, traditque fruendum.
Quicquid amas, dabit illa manus: communiter omni
Fungitur officio, gaudetque potentia flecti.
Hoc quoque consiliis peperit meritoque laborum:
Accipit et trabeas argutæ præmia dextræ. 370
Postquam vera fides facinus vulgavit Eoum
Gentibus, et Romæ jam certius impulit aures:
Eutropiumne etiam nostra dignabimur ira?
Hic quoque Romani meruit pars esse doloris?
Sic effata rapit cœli per inania cursum 375
Diva potens, unoque Padum translapsa volatu
Castra sui rectoris adit. Tum forte decorus
Cum Stilichone gener pacem implorantibus ultro
Germanis responsa dabat, legesque Caucis
Arduus, et flavis signabat jura Suevis. 380
His tribuit reges, his obside fœdera sancit
Indicto: bellorum alios transcribit in usus,
Militet ut nostris detonsa Sicambria signis.
Læta subit Romam pietas, et gaudia pæne
Moverunt lacrymas, tantoque exsultat alumno.
Sic armenta suo jam defensante juvenco 386
Celsius adsurgunt erectæ cornua matri.
Sic jam terribilem stabulis dominumque ferarum
Crescere miratur genitrix Massyla leonem.
Dimovit nebulam, juvenique apparuit ingens.
Tum sic orsa loqui: Quantum te principe possim,
Non longinqua docent, domito quod Saxone Tethys
Mitior, aut fracto secura Britannia Picto.
Ante pedes humili Franco tristique Suevo
Perfruor, et nostrum video, Germanice, Rhenum.
Sed quid agam? discors Oriens felicibus actis 396
Invidet, atque alio Phœbi de cardine surgunt
Crimina, ne toto conspiret corpore regnum.
Gildonis taceo magna cum laude receptam
Perfidiam, et fretos Eoo robore Mauros. 400
Quam suspecta fames, quantum discriminis urbi,
Ni tua vel soceri nunquam non provida virtus
Australem Arctois pensasset frugibus annum!
Invectæ Rhodano Tiberina per ostia classes,
Cinyphiisque ferax Araris successit aristis. 405
Teutonicus vomer, Pyrenæique juvenci
Sudavere mihi: segetes mirantur Iberas
Horrea, nec Libyæ senserunt damna rebellis
Jam Transalpina contenti messe Quirites.
Ille quidem solvit meritas (scit Tabraca) pœnas,
Ut pereat, quicunque tuis conflixerit armis. 411
Ecce recens isdem clades a partibus exit,
Terrorisque minus, sed plus habitura pudoris,
Eutropius consul. Pridem tolerare fatemur
Hoc genus, Arsacio postquam se regia fastu 415
Sustulit, et nostros corrupit Parthia mores.
Præfecti sed adhuc gemmis, vestique dabantur
Custodes, sacroque adhibere silentia somno.
Militia eunuchi nunquam transgressa cubile,
Non vita spondente fidem, sed inertia tutum 420
Mentis pignus erat. Secreta monilia servent,
Ornatus curent Tyrios; a fronte recedant
Imperii: tenero tractari pectore nescit
Publica majestas. Nunquam vel in æquore pupPim
Vidimus eunuchi clavo parere magistri.
Nos adeo sperni faciles? orbisque carina 426
Vilior? Auroram certe, quæ talia ferre
Gaudet, et adsuetas sceptris muliebribus urbes
Possideant: quid belliferam communibus urunt
Italiam maculis, nocituraque probra severis 430
Admiscent populis? peregrina piacula forti
Pellantur longe Latio, nec transeat Alpes
Dedecus: in solis, quibus exstitit, hæreat arvis
Scribat Halys, famæ scribat contemtor Orontes
Per te, perque tuos obtestor Roma triumphos,
Nesciat hoc Tibris, nunquam poscentibus olim
Qui dare Dentatis annos Fabiisque solebat.
Martius eunuchi repetet suffragia campus?
Æmilios inter, servatoresque Camillos
Eutropius? jam Chrysogonis tua, Brute, potestas
Narcissisque datur? natos hoc dedere pœnæ 441
Profuit, et misero civem præponere patri?
Hoc mihi Janiculo positis Etruria castris
Quæsiit, et tantum fluvio Porsenna remotus?
Hoc meruit vel ponte Cocles, vel Mucius igne?
Visceribus frustra castum Lucretia ferrum 446
Mersit, et attonitum tranavit Cœlia Tibrim?
Eutropio fasces adservabantur ademti
Tarquiniis? Quemcunque meæ vexere curules,
Laxato veniat socii spectator Averno. 450
Impensi sacris Decii prorumpite bustis,
Torquatique truces, animosaque pauperis umbra
Fabricii; tuque o, si forte inferna piorum

Jugera et Elysias scindis, Serrane, novales:
Pœno Scipiadæ, Pœno præclare Lutati, 455
Sicania Marcelle ferox: gens Claudia surgat.
Et Curii series; et qui sub jure negasti
Vivere Cæsareo, parvo procede sepulcro
Eutropium passure Cato. Remeate tenebris,
Agmina Brutorum, Corvinorumque catervæ. 460
Eunuchi vestros habitus, insignia sumunt
Ambigui Romana mares: rapuere tremendas
Hannibali Pyrrhoque togas: flabella perosi
Adspirant trabeis: jam non umbracula gestant
Virginibus, Latias ausi vibrare secures. 465
Linquite fœmineas, infelix turba, latebras,
Alter quos pepulit sexus, nec suscipit alter;
Exsecti Veneris stimulos, et vulnere casti;
Mixta duplex ætas; inter puerumque senemque
Nil medium; falsi complete sedilia Patres. 470
Ite novi proceres, infecundoque senatu
Eutropium stipate ducem: celebrate tribunal
Pro thalamis: verso jam discite more curules,
Non matrum pilenta, sequi. Neu prisca revolvam,
Neu numerem, quantis injuria mille per annos
Fit retro ducibus; quanti fœdabitur ævi 476
Canities; unam subeant quot sæcula culpam:
Inter Arinthæi fastus, et nomen herile,
Servus erit, dominoque suos æqualis honores
Inseret. Heu semper Ptolemæi noxia mundo
Mancipia! en alio lædor graviore Pothino. 481
En patior majus Phario scelus. Ille cruorem
Consulis unius Pellæis ensibus hausit:
Inquinat hic omnes. Si nil privata movebunt,
At tu principibus, vestræ tu prospice causæ, 485
Regalesque averte notas. Hunc adspicit unum
Aula magistratum: vobis Patribusque recurrit
Hic alternus honos. In crimen euntibus annis
Parce, quater consul· contagia fascibus, oro,
Defendas ignava tuis: neu tradita libris 490
Nomina, vestitusque meos, quibus omne, quod
Oceanus, domui, tanta caligine mergi [ambit
Calcarique sinas. Nam quæ jam bella geramus
Mollibus auspiciis? quæ jam connubia prolem,
Vel frugem latura seges? quid fertile terris, 495
Quid plenum sterili possit sub consule nasci?
Eunuchi si jura dabunt, legesque tenebunt,
Ducant pensa viri, mutatoque ordine rerum
Vivat Amazonio confusa licentia ritu. [differs,
Quid trahor ulterius, Stilicho? quid vincere
Dum certare pudet? nescis, quod turpior hostis
Lætitia majore cadit? piratica Magnum
Erigit, illustrat servilis laurea Crassum.
Annuis: agnosco fremitum, quo palluit Eurus,
Quo Mauri Gildoque ruit. Quid Martia signa 505
Sollicitas? non est jaculis hastisve petendus:
Conscia succumbent audito verbere terga.
Ut Scytha post multos rediens exercitus annos,
Cum sibi servilis pro finibus obvia pubes
Iret, et arceret dominos tellure reversos, 510
Armatam ostensis aciem fudere flagellis.
Notus ab inceptis ignobile repulit horror
Vulgus, et adductus sub verbera torpuit ensis.

IN LIBRUM SECUNDUM IN EUTROPIUM PROLOGUS.

Qui modo sublimis rerum flectebat habenas
Patricius, rursum verbera nota timet;
Et solitos tardæ passurus compedis orbes,
In dominos vanas luget abisse minas.
Culmine dejectum vitæ fortuna priori 5
Reddidit, insano jam satiata joco.
Scindere nunc alia meditatur ligna securi,
Fascibus et tandem vapulat ipse suis.
Illatas consul pœnas se consule solvit.
Annus qui trabeas, hic dedit exsilium. 10
Infaustum populis in se quoque vertitur omen:
Sævit in auctorem prodigiosus honos.
Ablato penitus respirant nomine fasti,
Maturamque luem sanior aula vomit.
Dissimulant socii, conjuratique recedunt: 15
Procumbunt pariter cum duce tota cohors;
Non acie victi, non obsidione subacti,
Ne pereant ritu, quo periere viri.
Concidit exiguæ dementia vulnere chartæ.
Confecit sævum littera Martis opus. 20
Mollis fœminea detruditur arce tyrannus,
Et thalamo pulsus perdidit imperium.
Sic, juvenis nutante fide, veterique reducta
Pellice, defletam linquit amica domum.
Canitiem largo raram de pulvere turpat, 25
Et lacrymis rugas implet anile gemens;
Suppliceterque pias humilis prostratus ad aras
Mitigat iratas voce tremente nurus.
Innumeri glomerantur heri, sibi quisque petentes
Mancipium solis utile suppliciis. 30
Quamvis fœdus enim, mentemque obscænior ore,
Ira dabit pretium: pœna meretur emi.
Quas, spado, nunc terras, aut quem transibis in
Cingeris hinc odiis, inde recessit amor. [axem?
Utraque te gemino sub sidere regia damnat. 35
Hesperius nunquam, jam nec Eous eris.
Miror cur, aliis qui pandere fata solebas,
Ad propriam cladem, cæca Sibylla, taces?
Jam tibi nulla videt fallax insomnia Nilus,
Pervigilant vates nec, miserande, tui. 40
Quid soror? audebit tecum conscendere puppim,
Et veniet longum per mare fida comes?
An fortasse toros eunuchi pauperis odit,
Et te nunc inopem dives amare negat?
Eunuchi jugulum primus secuisse fateris: 45
Sed tamen exemplo non feriere tuo.
Vive pudor fatis. En quem tremuere tot urbes!
En cujus populi sustinuere jugum!
Direptas quid plangis opes, quas natus habebit?
Non aliter poteras principis esse pater. 50
Improbe, quid pulsas muliebribus astra querelis,
Quod tibi sub Cypri littore parta quies?
Omnia barbarico per te concussa tumultu.
Crede mihi, terris tutius æquor erat.
Jam non Armenios jaculis terrebis et arcu: 55
Per campos volucrem non agitabis equum.
Dilecto caruit Byzantius ore senatus:
Curia consiliis æstuat orba tuis.
Emeritam suspende togam, suspende pharetram:
Ad Veneris partes ingeniumque redi. 60

Non bene Gradivo lenonia dextera servit:
Suscipiet famulum te Cytherea libens.
Insula læta choris, blandorum mater amorum.
Nulla pudicitiæ cura placere potest.
Prospectant Paphiæ celsa de rupe puellæ, 65
Sollicitæ, salvam dum ferat unda ratem.
Sed vereor, ne te teneant Tritones in alto,
Lascivas doctum fallere Nereidas;
Aut îdem cupiant pelago te mergere venti
Gildonis nuper qui tenuere fugam. 70
Inclyta captivo memoratur Tabraca Mauro·
Naufragio Cyprus sit memoranda tuo.
Vecturum moriens frustra delphina vocabis:
Ad terram solos devehit ille viros.
Quisquis adhuc similes eunuchus tendit in actus,
Respiciens Cyprum desinat esse ferox. 76

LIBER SECUNDUS.

Mygdonii cineres, et si quid restat Eoi,
Quod pereat, regni, certe non augure falso
Prodigii patuere minæ, frustraque peracto
Vulnere monstriferi præsagia discitis anni.
Cautior ante tamen violentum navita Corum 5
Prospicit, et tumidæ subducit vela procellæ.
Quid juvat errorem mersa jam puppe fateri?
Quid lacrymæ delicta levant? stant omina vestri
Consulis: immotis hæsere piacula fatis.
Tunc decuit sentire nefas, tunc ire recentes 10
Detersum maculas. Veteri post obruta morbo
Corpora, Pæonias nequicquam admoveris herbas.
Ulcera possessis alte suffusa medullis,
Non leviore manu, ferro sanantur et igni,
Ne coeat frustra mox eruptura cicatrix. 15
Ad vivum penetrant flammæ, quo funditus humor
Defluat, et vacuis corrupto sanguine venis
Arescat fons ille mali: truncantur et artus,
Ut liceat reliquis securum degere membris.
At vos egregie purgatam creditis aulam, 20
Eutropium si Cypros habet: vindictaque mundi
Semivir exsul erit. Quis vos lustrare valebit
Oceanus? tantum facinus quæ diluet ætas?
Induerat necdum trabeas; mugitus ab alto
Redditus: infernas rabies arcana cavernas 25
Vibrat, et alterno confligunt culmina lapsu.
Bacchatus per operta tremor Chalcedona movit,
Pronus et in geminas nutavit Bosporus urbes.
Concurrere freti fauces: radice revulsa
Vitant instabilem rursum Symplegada nautæ. 30
Scilicet hæc Stygiæ præmittunt signa sorores,
Et sibi jam tradi populos hoc consule gaudent.
Mox oritur diversa lues: hinc Mulciber ignes
Sparserat: hinc victa proruperat objice Nereus. 34
Hæc flagrant, hæc tecta natant. Quam, numina,
Servatis sceleri, cujus tot cladibus omen [pœnam
Constitit? Incumbas utinam, Neptune, tridenti,
Pollutumque solum toto cum crimine mergas.
Unam pro mundo Furiis concedimus urbem. 39
Utque semel patuit monstris iter, omina tempus
Nacta suum properant. Nasci tum decolor imber,
Infantumque novi vultus, et dissona partu
Semina: tum lapidum fletus, armentaque vulgo
Ausa loqui, mediisque feræ se credere muris.
Tum vates sine more rapi, lymphataque passim
Pectora terrifici stimulis ignescere Phœbi. 46
Fac nullos cecinisse deos; adeone retusi
Quisquam cordis erit, dubitet qui partibus illis
Affore fatalem castrati consulis annum?
Sed quam cæcus inest vitiis amor! omne futurum 50
Despicitur, suadentque brevem præsentia fructum,
Et ruit in vetitum damni secura libido
Dum mora supplicii lucro, serumque, quod instat,
Creditur. Haud equidem contra tot signa Camillo
Detulerim fasces; nedum (pro sexus) inerti 55
Mancipio, cui, cuncta licet responsa juberent,
Hortantesque licet sponderent prospera divi,
Turpe fuit cessisse viros. Exquirite retro
Crimina, continui lectis annalibus ævi:
Prisca recensitis evolvite sæcula fastis. 60
Quid senis infandi Capreæ, quid scena Neronis
Tale ferunt? spado Romuleo succinctus amictu
Sedit in Augustis laribus: vulgata patebat
Aula salutantum studiis: huc plebe senatus
Permixta, trepidique duces, omnisque potestas 65
Confluit: advolvi genibus, contingere dextram
Ambitus, et votum deformibus oscula rugis
Figere: præsidium legum, genitorque vocatur
Principis, et famulum dignatur regia patrem.
Posteritas, admitte fidem: monumenta petuntur
Dedecoris, multisque gemunt incudibus æra 7
Formatura nefas: hæc judicis, illa togati,
Hæc nitet armati species: numerosus ubique
Fulget eques: præfert eunuchi Curia vultus.
Ac veluti caveant, ne quo consistere virtus 75
Possit pura loco, cunctas hoc ore laborant
Incestare vias. Maneant immota, precamur,
Certaque perpetui sint argumenta pudoris.
Subter adulantes tituli, nimiæque leguntur
Vel maribus laudes: claro quod nobilis ortu; 80
Cum vivant domini: quod maxima prœlia solus
Impleat; et patitur miles? quod tertius urbis
Conditor; hoc Byzas, Constantinusque videbunt?
Inter quæ tumidus leno producere cœnas
In lucem, fœtere mero, dispergere plausum 85
Emturas in vulgus opes, totosque theatris
Indulgere dies, alieni prodigus auri.
At soror, et, si quid portentis creditur, uxor
Mulcebat matres epulis, et more pudicæ
Conjugis eunuchi celebrabat vota mariti. 90
Hanc amat, hanc summa de re, vel pace vel armis,
Consulit, huic curas et clausa palatia mandat,
Ceu stabulum vacuamque domum. Sic magna teneri
Regna nihil? patiensque jugi deluditur orbis?
Mitior alternum Zephyri jam bruma teporem
Senserat, et primi laxabant germina flores. 96
Jamque iter in gremio pacis sollenne parabant
Ad muros, Ancyra, tuos, auctore repertum
Eutropio, pelagi ne tædia longa subirent
Sed vaga lascivis flueret discursibus æstas. 100
Unde tamen tanta sublimes mole redibant,
Ceu vinctos traherent Medos, Indumque bibissent.
Ecce autem flavis Gradivus ab usque Gelonis
Arva cruentato repetebat Thracia curru
Subsidunt Pangæa rotis, altæque sonoro 105

Stridunt axe nives, ut vertice constitit Hæmi,
Fœmineasque togas pressis conspexit habenis.
Subrisit crudele pater, cristisque micantem
Quassabat galeam : tunc implacabile numen
Bellonam alloquitur, quæ sanguine sordida vestem
Illyricis pingues pectebat stragibus hydros: 111
Necdum mollitiæ, necdum, germana, mederi
Possumus Eoæ? nunquam corrupta rigescent
Sæcula? Cappadocum tepidis Argæus acervis
Æstuat: infelix etiamnum pallet Orontes. 115
Dum pereunt, meminere mali: si corda parumper
Respirare sinas, nullo tot funera sensu
Prætereunt, tantique levis jactura cruoris.
Adspicis obscænum facinus? quid crinibus ora
Protegis? en quales sese diffundit in actus 120
Parva quies! quantum nocuerunt otia ferri!
Qui caruit bellis, eunucho traditur annus.
Actum de trabeis esset, si partibus una
Mens foret Hesperiis: rueret derisa vetustas,
Nullaque calcati starent vestigia juris, 125
Ni memor imperii Stilicho morumque priorum
Turpe relegasset defenso Tibride nomen,
Intactamque novo servasset crimine Romam.
Ille dedit portum, quo se pulsata referret
Majestas Latii, deformatæque secures. 130
Ille dedit fastos, ad quos Oriente relicto
Confugeret sparsum maculis servilibus ævum.
Quam similes hæc aula viros! ad mœnia visus
Dirige: num saltem tacita formidine mussant?
Num damnant animo? plaudentem cerne senatum,
Et Byzantinos proceres Graiosque Quirites. 136
O Patribus plebes, o digni consule Patres!
Quid, quod et armati cessant, et nulla virilem
Inter tot gladios sexum reminiscitur ira?
Huccine nostrorum cinctus abiere nepotum? 140
Sic Bruti despectus honos? Ignosce parenti,
Romule, quod serus temeratis fascibus ultor
Advenio. Jam jam largis hæc gaudia faxo
Compensent lacrymis. Quid dudum inflare moraris [cem,
Tartaream, Bellona, tubam? quid stringere fal-
Qua populos a stirpe metas? molire tumultus,
Excute delicias. Thracum Macetûmque ruinæ
Tædet, et in gentes iterum sævire sepultas. [vas
Damna minus consueta movent. Trans æquora sæ-
Verte faces: aliis exordia sume rapinis. 150
Non tibi Rhipæis hostis quærendus ab oris,
Non per Caucasias accito turbine valles
Est opus. Ostrogothis colitur mixtisque Gruthungis
Phryx ager: hos parvæ poterunt impellere causæ
In scelus: ad mores facilis natura reverti. 155
Sic eat: in nostro quando jam milite robur
Torpuit, et molli didicit parere magistro,
Vindicet Arctous violatas advena leges:
Barbara Romano succurrant arma pudori.
Sic fatus, clypeo, quantum vix ipse deorum 160
Arbiter, infesto cum percutit ægida nimbo,
Intonuit. Responsat Athos, Hæmusque remugit:
Ingeminat raucum Rhodope concussa fragorem.
Cornua cana gelu mirantibus extulit undis
Hebrus, et exsanguem glacie timor alligat Istrum.
Tunc adamante gravem nodisque rigentibus hastam. 166
Telum ingens nullique deo jaculabile, torsit.
Fit late ruptis via nubibus: illa per auras
Tot freta, tot montes uno contenta volatu
Transilit, et Phrygiæ mediis affigitur arvis. 170
Sensit humus: gemuit Nysæo palmite felix
Hermus, et aurata Pactolus inhorruit urna,
Totaque submissis fleverunt Dindyma sylvis.
Nec dea præmissæ stridorem segnius hastæ
Consequitur, centumque vias meditata nocendi,
Tandem Targibilum (Geticæ dux improbus alæ
Hic erat) aggreditur. Viso tum forte redibat
Eutropio vacuus donis, feritasque dolore
Creverat, et, teneris etiam quæ crimina suadet
Ingeniis, Scythicum pectus flammabat egestas.
Huic sese vultu simulatæ conjugis offert, 181
Mentitoque ferox incedens barbara gressu,
Carbaseos induta sinus: post terga reductas
Uberibus propior mordebat fibula vestes:
Inque orbem tereti mitra redimente capillum 185
Struxerat, et virides flavescere jusserat angues.
Advolat, ac niveis reducem complectitur ulnis,
Infunditque animo furiale per oscula virus.
Principe quam largo veniat, quas inde reportet
Divitias, astu rabiem motura, requirit. 190
Ille iter ingratum, vanos deflere labores:
Quos super eunuchi fastus, quæ probra tulisset.
Continuo secat ungue genas, et tempore pandit
Arrepto gemitus: I nunc, devotus aratris
Scinde solum, positoque tuos mucrone sodales 195
Ad rastros sudare doce: bene rura Gruthungus
Excolet, et certo disponet sidere vites.
Felices aliæ, quas debellata maritis
Oppida, quas magnis quæsitæ viribus ornant 199
Exuviæ; quibus Argivæ, pulchræve ministrant
Thessalides, famulas et quæ meruere Lacænas.
Me nimium timido, nimium junxere remisso
Fata viro, totum qui degener exuit Istrum,
Qui refugit patriæ ritus, quem detinet æqui
Gloria, concessoque cupit vixisse colonus, 205
Quam dominus rapto. Quid pulchra vocabula pi-
Prætentas vitiis? probitatis inertia nomen, [gris
Justitiæ formido subit. Tolerabis iniquam
Pauperiem, cum tela geras? et flebis inultus,
Cum pateant tantæ nullis custodibus urbes? 210
Quippe metus pœnæ. Pridem mos ille vigebat,
Ut meritos colerent, impacatisque rebelles
Urgerent odiis: at nunc, qui fœdera rumpit,
Ditatur; qui servat, eget. Vastator Achivæ
Gentis, et Epirum nuper populatus inultam 215
Præsidet Illyrico: jam, quos obsedit, amicus
Ingreditur muros, illis responsa daturus,
Quorum conjugibus potitur, natosque peremit.
Sic hostes punire solent: hæc præmia solvunt
Excidiis. Cunctaris adhuc? numerumque tuorum
Respicis, exiguamque manum? Tu rumpe quiete-
tem: [rem,
Bella dabunt socios. Nec te tam prona mone-
Si contra paterere viros: nunc alter in armis
Sexus, et eunuchis se defensoribus orbis
Credidit: hos aquilæ Romanaque signa sequuntur.
Incipe barbaricæ tandem te reddere vitæ. 226
Te quoque jam timeant, admirenturque nocentem,
Quem sprevere pium. Spoliis prædaque repletus,
Cum libeat, Romanus eris. Sic fata, repente
In diram se vertit avem, rostroque recurvo 230
Turpis, et infernas tenebris obscurior alas
Auspicium veteri sedit ferale sepulcro.
Ille, pavor postquam resoluto corde quievit,
Et rigidæ sedere comæ, non distulit atrox
Jussa deæ. Sociis, quæ viderit, ordine pandit,
Invitatque sequi. Conjurat barbara pubes 236
Nacta ducem, Latiisque palam descivit ab armis.
Pars Phrygiæ, Scythicis quæcunque Trionibus alget
Proxima, Bithynos; solem quæ condit, Ionas;
Quæ levat, attingit Galatas: utrinque propinqui

Finibus obliquis Lydi, Pisidæque feroces 241
Continuant Australe latus. Gens una fuere
Tot quondam populi, priscum cognomen et unum
Appellata Phryges; sed (quid non longa valebit
Permutare dies?) dicti post Mæona regem 245
Mæones. Ægæos insedit Græcia portus.
Thyni Thraces arant, quæ nunc Bithynia fertur.
Nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens
Illis, ante vagus, tandem regionibus hæsit,
Gæsaque deposuit, jam Graio mitis amictu, 250
Pro Rheno poturus Halyn. Dat cuncta vetustas
Principium Phrygibus: nec rex Ægyptius ultra
Restitit, humani postquam puer uberis expers
In Phrygiam primum laxavit murmura vocem.
Hic cecidit Libycis jactata paludibus olim 255
Tibia, fœdatam cum reddidit umbra Minervam.
Hic et Apollinea victus testudine pastor
Suspensa memores illustrat pelle Celænas.
Quatuor hinc magnis procedunt fontibus amnes
Auriferi: nec miror aquas radiare metallo, 260
Quæ toties lavare Midan. Diversus ad Austrum
Cursus et Arctoum fluviis mare. Dindyma fun-
Sangarium, vitrei qui puro gurgite Galli [dunt
Auctus Amazonii defertur ad ostia Ponti.
Icarium pelagus Mycalæaque littora juncti 265
Marsya Mæanderque petunt: sed Marsya velox
Dum suus est, flexuque carens, jam flumine mix-
Mollitur, Mæandre, tuo, contraria passus, [tus
Quam Rhodano stimulatus Arar: quos interaprica
Planities Cererique favet, densisque ligatur 270
Vitibus, et glaucæ fructus attollit olivæ,
Dives equi, felix pecorum, pretiosaque picto
Marmore, purpureis cui cedit Synnada venis.
Talem tum Phrygiam Geticis populatibus uri
Permisere dei. Securas barbarus urbes 275
Irrumpit, facilesque capi. Spes nulla salutis,
Nulla fugæ: putribus jam propugnacula saxis
Longo corruerant ævo, pacisque senecta.
Interea gelidæ secretis rupibus Idæ
Dum sedet, et thiasos spectat de more, Cybebe,
Curetumque alacres ad tympana suscitat enses;
Aurea, sanctarum decus immortale comarum,
Defluxit capiti turris, summoque volutus
Vertice crinalis violatur pulvere murus.
Obstupuere truces omen Corybantes, et uno 285
Fixa metu tacitas presserunt orgia buxos.
Indoluit genitrix: tunc sic commota profatur:
Hoc mihi jampridem Lachesis grandæva cane-
Augurium: Phrygiæ casus venisse supremos [bat
Delapsus testatur apex. Heu sanguine qualis 290
Ibit Sangarius, quantasque cadavera lenti
Mæandri passura moras! immobilis hæret
Terminus: hæc dudum nato placuere Tonanti.
Par et finitimis luctus, frustraque Lyæi
Non defensuros implorat Lydia thyrsos. 295
Jamque vale, Phrygiæ tellus, perituraque flammis
Mœnia, conspicuas quæ nunc attollitis arces,
Mox campi nudumque solum: dilecta valete
Flumina; non vestris ultra bacchabor in antris,
Nec juga sulcabit noster Berecyntia currus. 300
Dixit, et ad tristes convertit tympana planctus.
Labentem patriam sacris ululatibus Attis
Personat, et lacrymis torvi maduere leones.
Eutropius, quamvis nequeat metuenda taceri
Ciades, et trepidus vulgaverit omnia rumor, 305
Ignorare tamen fingit, regnique ruinas
Dissimulat; parvam latronum errare catervam;
Ad sontes tormenta magis, quam tela, parari,
Nec duce frangendas jactat, sed judice, vires.
Vasta velut Libyæ venantum vocibus ales 310
Cum premitur, calidas cursu transmittit arenas,
Inque modum veli sinuatis flamine pennis
Pulverulenta volat; si jam vestigia retro
Clara sonent, oblita fugæ stat lumine clauso
Ridendum revoluta caput, creditque latere, 315
Quem non ipsa videt. Furtim tamen ardua mittit
Cum donis promissa novis, si forte rogatus
Desinat. Ille semel notæ dulcedine prædæ
Se famulo servire negat: nec grata timentum
Munera: militiam nullam, nec prima superbus
Cingula dignari: nam quis non consule tali 321
Vilis honos? Postquam precibus mitescere nullis,
Non auro cessisse, videt, creberque recurrit
Nuntius incassum, nec spes jam fœderis exstat;
Tandem concilium, belli confessus agendi, 325
Ad sua tecta vocat. Juvenes venere protervi,
Lascivique senes, quibus est insignis edendi
Gloria, corruptasque dapes variasse decorum;
Qui ventrem invitant pretio, traduntque palato
Sidereas Junonis aves, et si qua loquendi 330
Gnara coloratis viridis defertur ab Indis, [dam
Quæsitos trans regna cibos: quorumque profun-
Ingluviem non Ægæus, non alta Propontis,
Non freta longinquis Mæotia piscibus æquent.
Vestis adornatæ studium, laus maxima risum 335
Per vanos movisse sales, minimeque viriles
Munditiæ, comti vultus, onerique vel ipsa
Serica: si Chunus feriat, si Sarmata portas,
Solliciti scenæ: Romam contemnere sueti,
Mirarique suas, quas Bosporus alluit, ædes: 340
Saltandi dociles, aurigandique periti.
Pars humili de plebe duces, pars compede suras,
Cruraque signati nigro liventia ferro,
Jura regunt, facies quamvis inscripta repugnet,
Seque suo prodat titulo. Sed prima potestas 345
Eutropium præfert, Hosio subnixa secundo.
Dulcior hic sane cunctis, prudensque movendi
Juris, et admoto qui temperet omnia fumo;
Fervidus, accensam sed qui bene decoquat iram.
Considunt apices gemini ditionis Eoæ, 350
Hic coquus, hic leno, defossi verbere terga,
Servitio, non arte pares: hic sæpius emtus,
Alter ad Hispanos nutritus verna penates.
Ergo ubi collecti proceres, qui rebus in arctis
Consulerent, tantisque darent solatia morbis; 355
Obliti subito Phrygiæ, belloque relicto,
Ad solitos cœpere jocos et jurgia Circi
Tendere: nequicquam magna confligitur ira,
Quis melius vibrata puer vertigine molli
Membra rotet? verrat quis marmora crine supino?
Quis magis enodes laterum detorqueat arcus? 361
Quis voci digitos, oculos quis motibus aptet?
Hi tragicos meminere modos: his fabula Tereus,
His necdum commissa choro cantatur Agave.
Increpat Eutropius: Non hæc spectacula tempus
Poscere: nunc alias armorum incumbere curas.
Se satis Armenio fessum pro limite cingi,
Nec tantis unum subsistere posse periclis.
Ignoscant senio: juvenes ad prœlia mittant.
Qualis pauperibus nutrix invisa puellis 370
Assidet, et tela communem quærere victum
Rauca monet: festis illæ lusisse diebus
Orant, et positis æquævas visere pensis:
Iratæque operi jam lasso pollice fila
Turbant, et teneros detergunt stamine fletus. 375
Emicat extemplo cunctis trepidantibus audax
Crassa mole Leo, quem vix Cyclopia solum
Æquatura fames, quem non jejuna Celæno
Vinceret: hinc nomen fertur meruisse Leonis.
Acer in absentes linguæ, jactator, abundans 380

Corporis, exiguusque animi, doctissimus artis
Quondam lanificæ, moderator pectinis unci.
Non alius lanam purgatis sordibus æque
Præbuerit calathis; similis nec pinguia quisquam
Vellera per tenues ferri producere rimas. 385
Tunc Ajax erat Eutropii, lateque fremebat,
Non septem vasto quatiens umbone juvencos,
Sed, quam perpetuis dapibus pigroque sedili
Inter anus interque colos oneraverat, alvum.
Exsurgit tandem, vocemque expromit anhelam:
Quis novus hic torpor, socii? quonam usque sedemus 391
Fœmineis clausi thalamis, patimurque periclum
Gliscere desidia? graviorum turba malorum
Texitur, ignavis trahimus dum tempora votis.
Me petit hic sudor. Nunquam mea dextera segnis
Ad ferrum: faveat tantum Tritonia cœptis, 396
Inceptum peragetur opus. Jam cuncta furore
Qui gravat, efficiam leviorem pondere lanæ
Targibilum tumidum, desertoresque Gruthungos
Ut miseras populabor oves, et pace relata 400
Pristina restituam Phrygias ad stamina matres.
His dictis iterum sedit. Fit plausus, et ingens
Concilii clamor: qualis resonantibus olim
Exoritur caveis, quoties crinitus ephebus
Aut rigidam Nioben, aut flentem Troada fingit.
Protinus excitis iter irremeabile signis 406
Arripit, infaustoque jubet bubone moveri
Agmina, Mygdonias mox impletura volucres.
Pulcher, et urbanæ cupiens exercitus umbræ,
Assiduus ludis, avidus splendere lavacris, 410
Nec soles imbresve pati, multumque priori
Dispar, sub clypeo Thracum qui ferre pruinas,
Dum Stilicho regeret, nudoque hiemare sub axe
Sueverat, et duris haurire bipennibus Hebrum.
Cum duce mutatæ vires. Byzantia robur 415
Fregit luxuries, Ancyranique triumphi.
Non peditem præcedit eques: non commoda castris
Eligitur regio: vicibus custodia nullis
Advigilat vallo: non explorantur eundæ
Vitandæque viæ: nullo se cornua flectunt 420
Ordine: confusi passim per opaca vagantur
Lustra, per ignotas angusto tramite valles.
Sic vacui rectoris equi, sic orba magistro
Fertur in abruptum casu, non sidere, puppis.
Sic ruit in rupes amisso pisce sodali 425
Bellua, sulcandas qui prævius edocet undas,
Immensumque pecus parvæ moderamine caudæ
Temperat, et tanto conjungit fœdera monstro.
Illa natat rationis inops, et cæca profundi
Jam brevibus deprensa vadis, ignara reverti 430
Palpitat, et vanos scopulis illidit hiatus.
Targibilus similare fugam, flatusque Leonis
Spe nutrire leves; improvisusque repente,
Dum gravibus marcent epulis, hostique catenas
Inter vina crepant, largo sopita Lyæo 435
Castra subit. Perennt alii, dum membra cubili
Tarda levant: alii leto junxere soporem:
Ast alios vicina palus sine more ruentes
Excipit, et cumulis immanibus aggerat undas.
Ipse Leo dama cervoque fugacior ibat
Sudanti tremebundus equo: qui pondere post-quam
Decidit, implicitus limo, cunctantia pronus
Per vada reptabat cœno subnixa tenaci.
Mergitur, et pingui suspirat corpore moles,
More suis, dapibus quæ jam devota futuris 445
Turpe gemit, quoties Hosius mucrone corusco
Armatur, cingitque sinus, secumque volutat,
Quas figat verubus partes, quæ frusta calenti
Mandet aquæ quantoque cutem distendat echino.
Flagrat opus: crebro pulsatus perstrepit ictu.
Contexit varius penetrans Chalcedona nidor. 451
Ecce levis frondes a tergo concutit aura;
Credit tela Leo: valuit pro vulnere terror,
Implevitque vicem jaculi: vitamque nocentem
Integer, et sola formidine saucius, efflat.
Quis tibi tractandos pro pectine, degener, ensis,
Quis solio campum præponere suasit avito? 457
Quam bene texentum laudabas carmina tutus,
Et matutinis pellebas frigora pensis!
Hic, miserande, jaces: hic, dum tua vellera vitas,
Tandem fila tibi neverunt ultima Parcæ. 461
Jam vaga pallentem densis terroribus aulam
Fama quatit: stratas acies, deleta canebat
Agmina, Mæonios fœdari cædibus agros,
Pamphylos Pisidasque rapi: metuendus ab omni
Targibilus regione tonat: modo tendere cursum
In Galatas, modo Bithynis incumbere fertur.
Sunt qui per Cilicas rupto descendere Tauro,
Sunt qui correptis ratibus, terraque marique
Adventare ferant. Geminantur vera pavoris 470
Ingenio: longe spectari e puppibus urbes
Accensas, lucere fretum, ventoque citatas
Omnibus in pelago velis hærere favillas.
Hos inter strepitus funestior advolat alter
Nuntius, armatam rursus Babylona minari 475
Rege novo: resides Parthos ignava perosos
Otia Romanæ finem jam quærere paci.
Rarus apud Medos regum cruor, unaque cuncto
Pœna manet generi, quamvis crudelibus æque
Paretur dominis. Sed quid non audeat annus 480
Eutropii? socium nobis fidumque Saporem
Perculit, et Persas in regia vulnera movit;
Rupturasque fidem, leto pars ne qua vacaret,
Eumenidum tædas trans flumina Tigridis egit.
Tum vero cecidere animi, tantisque procellis 485
Deficiunt. Septi latrantibus undique bellis
Infensos tandem superos, et consulis omen
Agnovere sui. nec jam revocabile damnum
Eventu rerum stolidi didicere magistro.
Namque ferunt geminos uno de semine fratres
Iapetionidas generis primordia nostri 491
Dissimili finxisse manu. Quoscunque Prometheus
Excoluit, multumque innexuit æthera limo,
Hi longe ventura notant, dubiisque parati
Casibus occurrunt, fabro meliore politi. 495
Deteriore luto pravus quos condidit auctor,
Quem merito Graii perhibent Epimethea vates,
Et nihil ætherii sparsit per membra vigoris,
Hi pecudum ritu non impendentia vitant,
Nec res ante vident: accepta clade queruntur,
Et seri transacta gemunt. Jam sola renidet 501
In Stilichone salus, et cujus semper acerbum,
Ingratumque sibi factorum conscius horror
Credidit adventum; quem si procedere tantum
Alpibus audissent, mortem pœnasque tremebant;
Jam cuncti venisse volunt, scelerumque priorum
Pœnitet: hunc tantis bellorum sidus in undis
Sperant: hunc pariter justi sontesque precantur.
Ceu pueri, quibus alta pater trans æquora merces
Devehit, intenti ludo, studiisque soluti,
Lætius amoto passim custode vagantur: 511
Si gravis auxilio vacuas invaserit ædes
Vicinus, laribusque suis proturbet inultos,
Tum demum patrem implorant, et nomen inani
Voce cient, frustraque oculos ad littora tendunt.
Omnes supplicio dignos letoque fatentur, 516
Qui se tradiderint famulis, Stilichone relicto.
Mutati stupuere diu, sensuque reducto
Paullatim proprii mirantur monstra furoris,

Avertuntque oculos. Projectis fascibus horret
Lictor, et infames labuntur sponte secures. 521
Quales Aonio Thebas de monte reversæ
Mænades, infectis Pentheo sanguine thyrsis,
Cum patuit venatus atrox, matrique rotatum
Conspexere caput, gressus caligine figunt, 525
Et rabiem desisse dolent. Quin protinus ipsa
Tendit ad Italiam supplex Aurora potentem,
Non radiis redimita comam, nec flammea vultum,
Nec croceum vestita diem: stat livida luctu,
Qualis erat, Phrygio tegeret cum Memnona busto.
Quam simul agnovit Stilicho, (nec causa latebat,)
Restitit: illa manum victricem amplexa moratur,
Altaque vix lacrymans inter suspiria fatur:
Tantane te nostri cœperunt tædia mundi?
Sic me ludibrium famulis risumque relinquis, 535
Dux quondam rectorque meus, solamque tueris
Hesperiam? domiti nec te post bella tyranni
Cernere jam licuit? sic te victoria nobis
Eripuit, Gallisque dedit? Rufinus origo
Prima mali: geminas inter discordia partes 540
Hoc auctore fuit. Sed jam majora moventi
Occurrit justa rediens exercitus ira, [luxit
Fortis adhuc, ferrique memor. Brevis inde re-
Falsaque libertas: rursum Stilichonis habenis
Sperabam me posse regi. Pro cæca futuri 545
Gaudia! fraterno conjungi cœperat orbis
Imperio, (quis enim tanto terrore recentis
Exempli paribus sese committeret ausis?)
Cum subito monstrosa lues, turpisque relatu
Fabula, Rufini castratus prosilit hæres: 550
Et similes iterum luctus fortuna reduxit,
Ut solum domini sexum mutasse viderer.
Hic primum thalami claustris delicta tegebat,
Clam timideque jubens: erat invidiosa potestas,
Sed tamen eunuchi: necdum sibi publica jura
Sumere, nec totas audebat vertere leges. 556
At postquam pulsisque bonis et fæce retenta
Pejores legit socios, dignusque satelles
Hinc Hosius stetit, inde Leo; fiducia crevit,
Regnandique palam flagravit aperta libido. 560
Patricius consul maculat, quos vendit, honores;
Plus maculat, quos ipse gerit. Jam signa tubæque
Mollescunt: ipsos ignavia fluxit in enses.
Insultant merito gentes, facilesque volentum
Præda sumus. Jam Bistoniis Hæmoque nivali 565
Vastior expulsis Oriens squalebit aratris. [tis
Hei mihi, quas urbes, et quanto tempore Mar-
Ignaras, uno rapuerunt prœlia cursu!
Nuper ab extremo veniens equitatus Araxe
Terruit Antiochi muros, ipsumque decoræ 570
Pæne caput Syriæ flammis hostilibus arsit.
Utque gravis spoliis, nulloque obstante profunda
Lætus cæde redît, sequitur mucrone secundo [tes,
Continuum vulnus. Nec jam mihi Caucasus hos-
Nec mittit gelidus Phasis: nascuntur in ipso 575
Bella sinu. Legio pridem Romana Gruthungi,
Jura quibus victis dedimus, quibus arva domos-
que
Præbuimus, Lydos Asiæque uberrima vastant
Ignibus, et si quid tempestas prima reliquit,
Nec duce, nec numero freti; sed inertia nutrit,
Proditioque ducum, quorum per crimina miles
Captivis dat terga suis, quos teste subegit
Danubio, partemque timet, qui repulit omnes.
Aula choris epulisque vacat: nec perdita curant,
Dum superest aliquid. Ne quid tamen orbe recisso
Venditor amittat, provincia quæque superstes
Dividitur, geminumque duplex passura tribunal
Cogitur alterius pretium sarcire peremtæ.
Sic mihi restituunt populos: hac arte reperta
Rectorum numerum terris pereuntibus augent.
In te jam spes una mihi. Pro fronde Minervæ
Has tibi protendo lacrymas. Succurre ruenti.
Eripe me tandem servilibus, eripe regnis.
Neve adeo cunctos paucorum crimine damnes:
Nec nova tot meritis offensa prioribus obstet. 595
Jam jam flecte animum. Suprema pericula sem-
Dant veniam culpæ. Quamvis iratus et exsul [per
Pro patriæ flammis non distulit arma Camillus.
Non te subtrahimus Latio: defensor utrique
Sufficis. Armorum liceat splendore tuorum 600
In commune frui: clypeus nos protegat idem,
Unaque pro gemino desudet cardine virtus.

DE LAUDIBUS STILICHONIS LIBER PRIMUS.

Continuant superi pleno Romana favore
Gaudia, successusque novis successibus urgent.
Connubii necdum festivos regia cantus
Sopierat, cecinit fuso Gildone triumphos,
Et calidis thalami successit laurea sertis; 5
Sumeret ut pariter princeps nomenque mariti,
Victorisque decus. Libyæ post prœlia crimen
Concidit Eoum, rursumque, Oriente subacto,
Consule defensæ surgunt Stilichone secures.
Ordine vota meant. Equidem si carmen in unum
Tantarum sperem cumulos advolvere rerum, 11
Promtius imponam glaciali Pelion Ossæ.
Si partem tacuisse velim, quodcunque relinquam,
Majus erit. Veteres actus, primamque juventam
Prosequar? ad sese mentem præsentia ducunt. 15
Narrem justitiam? resplendet gloria Martis.
Armati referam vires? plus egit inermis:
Quod floret Latium, Latio quod reddita servit
Africa, vicinum quod nescit Iberia Maurum,
Tuta quod imbellem miratur Gallia Rhenum. 20
An gelidam Thracen, decertatosque labores
Hebro teste, canam? magnum mihi panditur æ-
Ipsaque Pierios lassant proclivia currus [quor,
Laudibus innumeris. Etenim mortalibus ex quo
Tellus cœpta coli, nunquam sincera bonorum 25
Sors uni concessa viro. Quem vultus honestat,
Dedecorant mores: animus quem pulchrior ornat,
Corpus destituit: bellis insignior ille,
Sed pacem fœdat vitiis: hic publica felix,
Sed privata minus. Partitum singula quemque 30
Nobilitant: hunc forma decens, hunc robur in
armis,
Hunc rigor, hunc pietas, illum sollertia juris,
Hunc soboles castique tori. Sparguntur in omnes

In te mixta fluunt: et, quæ divisa beatos
Efficiunt, collecta tenes. Quid facta revolvam 35
Militiamque patris? cujus producere famam,
Si nihil egisset clarum, nec fida Valenti
Dextera duxisset rutilantes crinibus alas,
Sufficeret natus Stilicho. Mens ardua semper
A puero, tenerisque etiam fulgebat in annis 40
Fortunæ majoris honos: erectus et acer,
Nil breve moliri, nullis hærere potentum
Liminibus, fatisque loqui jam digna futuris.
Jam tum conspicuus, jam tum venerabilis ibas;
Spondebatque ducem celsi nitor igneus oris, 45
Membrorumque modus, qualem nec carmina fingunt
Semideis. Quacunque alte gradereris in urbe,
Cedentes spatiis adsurgentesque videbas,
Quamvis miles adhuc: taciti suffragia vulgi
Jam tibi detulerant, quicquid mox debuit aula. 50
Vix primævus eras, paci cum mitteris auctor
Assyriæ: tanta fœdus cum gente ferire
Commissum juveni. Tigrin transgressus et altum
Euphraten, Babylona petis. Stupuere severi
Parthorum proceres, et plebs pharetrata videndi
Flagravit studio, defixæque hospite pulchro 56
Persides arcanum suspiravere calorem.
Thuris odoratæ cumulis et messe Sabæa
Pacem conciliant aræ. Penetralibus ignem
Sacratum rapuere adytis, rituque juvencos 60
Chaldæo stravere Magi: rex ipse micantem
Inclinat dextra pateram, secretaque Beli,
Et vaga testatur volventem sidera Mithram.
Si quando sociis tecum venatibus ibant,
Quis Stilichone prior ferro penetrare leones 65
Cominus, aut longe virgatas figere tigres?
Flectenti faciles Medus tibi cessit habenas.
Torquebas refugum Parthis mirantibus arcum.
Nubilis interea maturæ virginis ætas
Urgebat patrias, suspenso principe, curas; 70
Quem simul imperioque ducem, natæque maritum
Prospiceret. Dubius toto quærebat ab axe
Dignum conjugio generum, thalamisque Serenæ.
Judicium virtutis erat. Per castra, per urbes,
Per populos animi cunctantis libra cucurrit. 75
Tu legeris, tantosque viros, quos obtulit orbis,
Intra consilium vincis sensumque legentis,
Et gener Augustis, olim socer ipse futurus,
Accedis. Radiis auri Tyriaque superbit
Majestate torus. Comitata parentibus exit 80
Purpureis virgo: stabat pater inde tropæis
Inclytus; inde pium matris regina regebat [mis.
Obsequium, gravibus subnectens flammea gem-
Tunc et Solis equos, tunc exsultasse choreis
Astra ferunt, mellisque lacus et flumina lactis 85
Erupisse solo, cum floribus æquora vernis
Bosporus indueret, roseisque evincta coronis
Certantes Asiæ tædas Europa levaret.
Felix arbitrii princeps, qui congrua mundo
Judicat, et primus censet, quod cernimus omnes.
Talem quippe virum natæque adjunxit et aulæ,
Cui neque luxuries bello, nec blanda periclis
Otia, nec lucis fructus pretiosior unquam
Laude fuit. Quis enim Mysos in plaustra feroces
Repulit, aut sæva Promoti cæde tumentes 95
Bastarnas una potuit delere ruina?
Pallantis jugulum Turno moriente piavit
Æneas, tractusque rotis ultricibus Hector
Irato vindicta fuit vel quæstus Achilli.
Tu neque vesano raptas venalia curru 100
Funera, nec vanam corpus meditatus in unum
Sævitiam, turmas equitum, peditumque catervas,
Hostilesque globos tumulo prosternis amici.
Inferiis gens tota datur. Nec Mulciber auctor
Mendacis clypei, fabricataque vatibus arma 105
Conatus juvere tuos. Tot barbara solus
Millia, jam pridem miseram vastantia Thracen,
Finibus exiguæ vallis conclusa tenebas.
Non te terrisonus stridor venientis Alani,
Nec vaga Chunorum feritas, non falce Gelonus,
Non arcu pepulere Getæ, non Sarmata conto.
Exstinctique forent penitus, ni more maligno
Falleret Augustas occultus proditor aures, [sem,
Obstrueretque moras, strictumque reconderet en-
Solveret obsessos, præberet fœdera captis. 115
Assiduus castris aderat, rarissimus Urbi,
Si quando trepida princeps pietate vocaret:
Vixque salutatis Laribus, vix conjuge visa,
Deterso necdum repetebat sanguine campum.
Nec stetit, Eucherii dum carperet oscula saltem
Per galeam: patris stimulos, ignesque mariti 121
Vincit cura ducis. Quoties sub pellibus egit
Edonas hiemes, et tardi flabra Bootæ
Sub dio Rhipæa tulit! cumque igne propinquo
Frigora vix ferrent alii, tunc triste rigentem 125
Danubium calcabat eques, nivibusque profundum
Scandebat cristatus Athon, lateque corusco
Curvatas glacie sylvas umbone ruebat.
Nunc prope Cimmerii tendebat littora Ponti:
Nunc dabat hibernum Rhodope nimbosa cubile.
Vos, Hæmi gelidæ valles, quas sæpe cruentis 131
Stragibus æquavit Stilicho, vos, Thracia, testor,
Flumina, quæ largo mutastis sanguine fluctus.
Dicite Bisaltæ, vel qui Pangæa juvencis
Scinditis, offenso quantæ sub vomere putres 135
Dissiliant glebis galeæ, vel qualia rastris
Ossa peremtorum resonent immania regum.
Singula complecti cuperem: sed densior instat
Gestorum series, laudumque sequentibus undis
Obruimur. Genitor cæsi post bella tyranni 140
Jam tibi commissis conscenderat æthera terris.
Ancipites rerum ruituro culmine lapsus
Æquali cervice subis. Sic Hercule quondam
Sustentante polum melius librata pependit
Machina, nec dubiis titubavit signifer astris: 145
Perpetuaque senex subductus mole parumper
Obstupuit proprii spectator ponderis Atlas.
Nulli barbariæ motus: nil turbida rupto
Ordine tentavit novitas, tantoque remoto
Principe mutatas orbis non sensit habenas. 150
Nil inter geminas acies, ceu libera frenis,
Ausa manus certe: nec tantis dissona linguis
Turba, nec armorum cultu diversior unquam
Confluxit populus. Totam pater undique secum
Moverat Auroram: mixtis hic Colchus Iberis, 155
Hic mitra velatus Arabs, hic crine decoro
Armenius: hic picta Saces, fucataque Medus,
Hic gemmata niger tentoria fixerat Indus:
Hic Rhodani procera cohors, hic miles alumnus
Oceani. Ductor Stilicho tot gentibus unus, 160
Quot vel progrediens vel conspicit occiduus sol.
In quo tam vario vocum generumque tumultu
Tan a quies, jurisque metus servator honesti,
Te moderante, fuit, nullis ut vinea furtis,
Vel seges exsecta fraudarit messe colonum: 165
Ut nihil aut sævum rabies, aut turpe libido
Suaderent; placidi servirent legibus enses.
Scilicet in vulgus manant exempla regentum:
Utque ducum lituos, sic mores, castra sequuntur.
Denique victrices aquilas quocunque moveres,
Arebant tantis epoti millibus amnes. 171
Illyricum peteres, campi montesque latebant

Vexillum navale dares, sub puppibus ibat
Ionium. Nullis succincta Ceraunia nimbis,
Nec juga Leucatæ feriens spumantia fluctu 175
Deterrebat hiems. Tu si glaciale juberes
Vestigare fretum, securo milite ducti
Stagna reluctantes quaterent Saturnia remi.
Si deserta Noti, fontem si quærere Nili,
Æthiopum medios penetrassent vela vapores.
Te memor Eurotas, te rustica Musa Lycæi, 181
Te pastorali modulantur Mænala cantu, [gens
Partheniumque nemus, quod te pugnante resur-
Ægra caput mediis erexit Græcia flammis.
Plurima Parrhasius tunc inter corpora Ladon
Hæsit, et Alpheus Geticis angustus acervis 186
Tardior ad Siculos etiam nunc pergit amores.
Miramur rabidis hostem succumbere bellis,
Cum solo terrore ruant? num classica Francis
Intulimus? jacuere tamen: num Marte Suevos
Contudimus, quîs jura damus? quis credere pos-
Ante tubam nobis audax Germania servit. [sit?
Cedant, Druse, tui, cedant, Trajane, labores.
Vestra manus dubio quicquid discrimine gessit,
Transcurrens egit Stilicho, totidemque diebus
Edomuit Rhenum, quot vos potuistis in annis; 196
Quem ferro, alloquiis, quem vos cum milite, solus.
Impiger a primo descendens fluminis ortu
Ad bifidos tractus, et juncta paludibus ora,
Fulmineum perstrinxit iter. Ducis impetus undas
Vincebat celeres, et pax a fonte profecta 201
Cum Rheni crescebat aquis. Ingentia quondam
Nomina, crinigero flaventes vertice reges,
Qui nec principibus, donis precibusve vocati,
Paruerant, jussi properant, segnique verentur 205
Offendisse mora. Transvecti lintribus amnem
Occursant, ubicunque velis. Nec fama fefellit
Justitiæ: videre pium, videre fidelem.
Quem veniens timuit, rediens Germanus amavit.
Illi terribiles, quibus otia vendere semper 210
Mos erat, et fœda requiem mercede pacisci,
Natis obsidibus pacem tam supplice vultu
Captivoque rogant, quam si post terga revincti
Tarpeias pressis subeant cervicibus arces.
Omne, quod Oceanum fontesque interjacet Istri,
Unius incursu tremuit. Sine cæde subactus 216
Servitio Boreas, exarmatique Triones.
Tempore tam parvo tot prœlia sanguine nullo
Perficis, et luna nuper nascente profectus,
Ante redis, quam plena fuit: Rhenumque mina-
Cornibus infractis adeo mitescere cogis, [cem
Ut Salius jam rura colat, flexosque Sicambri
In falcem curvent gladios, geminasque viator
Cum videat ripas, quæ sit Romana requirat:
Ut jam trans fluvium non indignante Cauco 225
Pascat Belga pecus, mediumque ingressa per Albin
Gallica Francorum montes armenta pererrent:
Ut procul Hercyniæ per vasta silentia sylvæ
Venari tuto liceat, lucosque vetusta
Religione truces, et robora numinis instar 230
Barbarici nostræ feriant impune bipennes.
Ultro quin etiam devota mente tuentur,
Victorique favent. Quoties sociare catervas
Oravit, jungique tuis Alamania signis!
Nec doluit contemta tamen, spretoque recessit
Auxilio laudata fides. Provincia missos 236
Expellet citius fasces, quam Francia reges,
Quos dederis; acie nec jam pulsare rebelles,
Sed vinclis punire licet: sub judice nostro
Regia Romanus disquirit crimina carcer. 240
Marcomeres Sonnoque docent: quorum alter
Etruscum
Pertulit exsilium; cum se promitteret alter
Exsulis ultorem, jacuit mucrone suorum:
Res avidi concire novas, odioque furentes
Pacis, et ingenio scelerumque cupidine fratres.
Post domitas Arctos alio prorumpit ab axe 246
Tempestas, et, ne qua tuis intacta tropæis
Pars foret, Australis sonuit tuba. Moverat amens
Maurorum Gildo populos, quibus imminet Atlas,
Et quos interior nimio plaga sole relegat: 250
Quos vagus humectat Cinyps, et proximus hortis
Hesperidum Triton, et Gir notissimus amnis
Æthiopum, simili mentitus gurgite Nilum.
Venerat et parvis redimitus Nuba sagittis,
Et velox Garamas: nec quamvis tristibus Ammon
Responsis alacrem potuit Nasamona morari. 256
Stipantur Numidæ campi: stant pulvere Syrtes
Gætulæ: Pœnus jaculis obtexitur aer.
Hi virga moderantur equos: his fulva leones
Velamenta dabant, ignotarumque ferarum 260
Exuviæ, vastis Meroe quas nutrit arenis.
Serpentum gestant patulos pro casside rictus.
Splendent vipereæ squamosa pelle pharetræ.
Non sic intremuit Simois, cum montibus Idæ
Nigra coloratus produceret agmina Memnon;
Non Ganges, cum tela procul vibrantibus Indis
Immanis medium vectaret bellua Porum.
Porus Alexandro, Memnon prostratus Achilli;
Gildo nempe tibi. Nec solum fervidus Austrum,
Sed partes etiam Mavors agitabat Eoas, 270
Quamvis obstreperet pietas. His ille regendæ
Transtulerat nomen Libyæ, scelerique profano
Fallax legitimam regni prætenderat umbram.
Surgebat varia geminum formidine bellum;
Hoc armis, hoc triste dolis: hoc Africa sævis 275
Cinxerat auxiliis, hoc conjuratus alebat
Insidiis Oriens. Illinc edicta meabant
Corruptura duces: hinc frugibus atra negatis
Urgebat, tremidamque fames obsederat Urbem.
Exitiale palam Libycum; civile pudoris 280
Obtentu tacitum. Tales utrinque procellæ
Cum fremerent, lacerumque alternis ictibus an-
Imperium pulsaret hiems, nil fessa remisit [ceps
Officii virtus, contraque minantia fata
Pervigil, eventusque sibi latura secundos, 285
Major in adversis micuit. Velut arbiter alni
Nubilus Ægæo quam turbine vexat Orion,
Exiguo clavi flexu declinat aquarum
Verbera, nunc recta, nunc obliquante carina
Callidus, et pelagi cœlique obnititur iræ. 290
Quid primum mirer, Stilicho? quod cautus ad
Restiteris fraudes, ut te nec noxia furto [omnes
Littera, nec pretio manus inflammata lateret?
Quod nihil in tanto rerum terrore locutus
Indignum Latio? responsa quod ardua semper
Eois dederis, quæ mox effecta probasti? 296
Securus, quamvis et opes, et rura tenerent, [quam
Insignesque domos: levis hæc jactura, nec un-
Publica privatæ cesserunt commoda causæ.
Dividis ingentes curas, teque omnibus unum 300
Objicis, inveniens animo quæ mente gerenda,
Efficiens patranda manu: dictare paratus, [tum,
Quæ scriptis peragenda forent. Quæ brachia cen-
Quis Briareus aliis numero crescente lacertis
Tot simul objectis posset configere rebus? 305
Evitare dolos? veteres firmare cohortes,
Explorare novas? duplices disponere classes,
Quæ fruges vel bella ferant? aulæque tumultum,
Et Romæ lenire famem? quot nube soporis
Immunes oculi, per tot discurrere partes, 310
Tot loca, sufficerent, et tam longinqua tueri?

Argum fama canit centeno lumine, centum
Corporis excubiis unam servasse juvencam.
Unde tot allatæ segetes? quæ sylva carinas
Texuit? unde rudis tanto tirone juventus 315
Emicuit, senioque iterum vernante resumsit
Gallia bis fractas Alpino vulnere vires?
Non ego delectu, Tyrii sed vomere Cadmi
Tam subitas acies, concepto dente draconis,
Exsiluisse reor. Dircæis qualis in arvis 320
Messis cum proprio mox bellatura colono
Cognatos strinxit gladios, cum semine jacto
Terrigenæ galea matrem nascente ferirent,
Armiger et viridi floreret milite sulcus. [qui,
Hoc quoque non parva fas est cum laude relin-
Quod non ante fretis exercitus adstitit ultor,
Ordine quam prisco censeret bella senatus.
Neglectum Stilicho tot jam per sæcula morem
Retulit, ut ducibus mandarent prœlia Patres,
Decretoque togæ felix legionibus iret 330
Tessera. Romuleas leges remeasse fatemur,
Cum procerum jussis famulantia cernimus arma.
Tyrrhenum poteras junctis transmittere signis,
Et ratibus Syrtes, Libyam complere maniplis.
Consilio stetit ira minor; ne territus ille 335
Te duce, suspecto Martis graviore paratu,
Aut in arenosos æstus zonamque rubentem
Tenderet, aut solis fugiens transiret in ortus;
Missurusve sibi certæ solatia mortis,
Oppida diruerat flammis. Res mira relatu, 340
Ne timeare, times; et, quem vindicta manebat,
Desperare vetas. Quantum fiducia nobis
Profuit hostilis! salvæ Carthaginis arces:
Illæsis Tyrii gaudent cultoribus agri,
Quos potuit vastare fuga. Spe captus inani, 345
Nec se surripuit pœnæ, nostrisque pepercit,
Demens: qui numero tantum, non robore, mensus
Romanos, rapidis ibat ceu protinus omnes
Calcaturus equis, et, quod jactare solebat,
Solibus effetos mersurus pulvere Gallos. 350
Sed didicit non Æthiopum geminata venenis
Vulnera, non fusum crebris hastilibus imbrem,
Non equitum Latiis nimbos obsistere pilis.
Sternitur ignavus Nasamon: nec spicula supplex
Jam torquet Garamas: repetunt deserta fugaces
Autololes: pavidus projectat missile Mazax: 356
Cornipedem Maurus nequicquam hortatur anhe-
lum. [sum,
Prædonem lembo profugum, ventisque repul-
Suscepit merito fatalis Tabraca portu;
Expertum, quod nulla tuis elementa paterent
Hostibus, et lætæ passurum jurgia plebis, 361
Fracturumque reos humili sub judice vultus.
Nil tribuat fortuna sibi. Sic prospera semper
Illa quidem: sed non uni certamina pugnæ
Credidimus, totis nec constitit alea castris 365
Nutatura semel. Si quid licuisset iniquis
Casibus, instabant aliæ post terga biremes.
Venturus dux major erat. Victoria nulla
Clarior, aut hominum votis optatior unquam
Contigit. An quisquam Tigranen armaque Ponti,
Vel Pyrrhum, Antiochique fugam, vel vincla Ju-
gurthæ 371
Conferat, aut Persen debellatumque Philippum?
Hi propagandi ruerant pro limite regni:
Hic stabat Romana salus. Ibi tempora tutas
Traxerunt dilata moras. Hic vincere tarde 375
Vinci pæne fuit. Discrimine Roma supremo
Inter supplicium populi deforme pependit;
Et tanto Libyam fructu majore recepit,
Quam peperit, quanto graviorem amissa dolorem,
Quam necdum quæsita, movent. Quis Punica
gesta, 380
Quis vos, Scipiadæ, quis te jam, Regule, nosset,
Quis lentum caneret Fabium, si jure peremto
Insultaret atrox famula Carthagine Maurus?
Hæc omnes veterum revocavit adorea laurus.
Restituit Stilicho cunctos tibi, Roma, triumphos.

DE LAUDIBUS STILICHONIS LIBER SECUNDUS.

Hactenus armatæ laudes. Nunc qualibus orbem
Moribus, et quanto frenet metuendus amore,
Quo tandem flexus trabeas auctore rogantes
Induerit, fastisque suum concesserit annum,
Mitior incipiat fidibus jam Musa remissis. 5
Principio magni custos Clementia mundi,
Quæ Jovis incoluit zonam, quæ temperat æthram
Frigoris et flammæ mediam, quæ maxima natu
Cælicolûm, (nam prima Chaos Clementia solvit
Congeriem miserata rudem, vultuque sereno 10
Discussis tenebris in lucem sæcula fudit;)
Hæc dea pro templis et thure calentibus aris
Te fruitur, posuitque suas hoc pectore sedes.
Hæc docet, ut pœnis hominum vel sanguine pasci
Turpe ferumque putes: ut ferrum Marte cruen-
Siccum pace, feras: ut non infensus alendis [tum,
Materiem præstes odiis: ut sontibus ultro
Ignovisse velis: deponas ocius iram, [obstes:
Quam moveas: precibus nunquam implacabilis
Obvia prosternas, prostrataque more leonum 20
Despicias, alacres ardent qui frangere tauros,
Transiliunt prædas humiles. Hac ipse magistra
Das veniam victis: hac exorante calores
Horrificos, et quæ nunquam nocitura timentur
Jurgia, contentus solo terrore, coerces; 25
Ætherii patris exemplo, qui cuncta sonoro
Concutiens tonitru, Cyclopum spicula differt
In scopulos et monstra maris, nostrique cruoris
Parcus in Œtæis exercet fulmina sylvis.
Huic divæ germana Fides, eademque sorori 30
Corde tuo delubra tenens, sese omnibus actis
Inserit. Hæc nullo docuit livescere fuco,
Nunquam falsa loqui, nunquam promissa morari,
Invisos odisse palam: non virus in alto
Condere, non lætam speciem prætendere fraudi,
Sed certum mentique parem componere vultum.
Occulte sævire vetat, prodesse remittit.
Hæc et amicitias longo post tempore firmat,
Mansuroque adamante ligat: nec mobile mutat
Ingenium; parvæ strepitu nec vincula noxæ 40
Dissolvi patitur; nec fastidire priorem
Allicitur veniente novo: benefacta tenere,
Respuere offensas facilis: pariterque minoris
Officii magnique memor, superare laborat:

Utque hostes armis, meritis sic vincit amicos. 45
Hæc fovet absentes: hæc longe sola remotis
Consulit: hæc nullis avidam rumoribus aurem
Pandit, ut ignarum nunquam læsura clientem
Insidiosa tuos alienent murmura sensus.
Nec vivis annexus amor meminisse sepultos 50
Desinit: in prolem transcurrit gratia patrum. [bas;
Hac tu Theudosium, tenuit dum sceptra, cole-
Hac etiam post fata collis: nec pignora curas
Plus tua, quam natos, dederat quos ille monendos
Tutandosque tibi. Justos nimiumque fideles 55
Fama putat, qui, cum possint commissa negare,
Maluerunt nullo violati reddere quæstu.
At Stilicho non divitias, aurique relictum
Pondus, sed geminos axes, tantumque reservat
Depositum teneris, quantum sol igneus ambit.
Quid non intrepidus credas, cui regia tuto 61
Creditur? Hoc clypeo munitus Honorius altum
Non gemuit patrem; vitæque et lucis in ipso
Limine, contemtus nunquam dat jura subactis
Gentibus, et secum sentit crevisse triumphos. 65
Quem tu sic placida formas, sic mente severa,
Ut neque desidiæ tradas, dum pronus ad omne,
Quod libet, obsequeris; nec contra nixus ovantem
Confringas animum; secretus consona regno
Ceu juvenem doceas, moles quid publica poscat,
Ceu sanctum venerere senem; patriisque gubernes
Imperium monitis, dominum submissus adores;
Obsequiis moderere ducem, pietate parentem.
Hinc fuit, ut primos in conjuge disceret ignes,
Ordirique virum non luxuriante juventa, 75
Sed cum lege tori, casto cum fœdere, vellet.
Principe tu felix genero: felicior ille
Te socero. Fratrem levior nec cura tuetur
Arcadium: nec, si quid iners atque impia turba,
Prætendens proprio nomen regale furori, 80
Audeat, adscribis juveni. Discordia quippe
Cum fremeret, nunquam Stilicho sic canduit ira,
Sæpe lacessitus probris, gladiisque petitus,
Ut bello furias ultum, quas pertulit, iret
Illicito, causamque daret civilibus armis. 85
Hujus fulta fide mediis dissensibus aulæ
Intemeratorum stabat reverentia fratrum.
Quin et Sidonias chlamydes, et cingula baccis
Aspera, gemmatasque togas, viridesque smaragdo
Loricas, galeasque renidentes hyacinthis, 90
Gestatosque patri capulis radiantibus enses,
Et vario lapidum distinctas igne coronas,
Dividis ex æquo; ne non Augusta supellex,
Ornatusque pares geminis hæredibus essent.
Mittitur et miles, quamvis certamine partes 95
Jam tumeant. Hostem muniri robore mavis,
Quam peccare fidem: permittis justa petenti,
Idque negas solum, cujus mox ipse repulsa
Gaudeat, et quicquid fuerat deforme mereri.
Omnes præterea, puro quæ crimina pellunt 100
Ore deæ, junxere choros, unoque receptæ
Pectore diversos tecum cinguntur in usus.
Justitia utilibus rectum præponere suadet,
Communesque sequi leges, injustaque nunquam
Largiri sociis: durum Patientia corpus 105
Instruit, ut nulli cupiat cessisse labori:
Temperies, ut casta petas: Prudentia, ne quid
Inconsultus agas: Constantia, futile ne quid
Infirmumque geras. Procul importuna fugantur
Numina, monstriferis quæ Tartarus edidit antris.
Ac primam scelerum matrem, quæ, semper habendo 111
Plus sitiens, patulis rimatur faucibus aurum,
Trudis Avaritiam: cujus fidissima nutrix
Ambitio, quæ vestibulis foribusque potentum
Excubat, et pretiis commercia pascit honorum,
Pulsa simul: nec te gurges corruptior ævi 116
Traxit ad exemplum, quod jam firmaverat annis
Crimen, et in legem rapiendi verterat usus.
Denique non dives sub te pro rure paterno,
Vel laribus pallet: non insidiator oberrat 120
Facturus quemcunque reum: non obruta virtus
Paupertate latet. Lectos ex omnibus oris
Evehis, et meritum, non quæ cunabula, quæris;
Et qualis, non unde satus. Sub teste benigno
Vivitur: egregios invitant præmia mores. 125
Hinc priscæ redeunt artes: felicibus inde
Ingeniis aperitur iter, despectaque Musæ
Colla levant; opibusque fluens et pauper eodem
Nititur ad fructum studio, cum cernat uterque,
Quod nec inops jaceat probitas, nec inertia surgat
Divitiis. Nec te jucunda fronte fefellit 131
Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitriis hebetat caligine sensus,
Membraque Circæis effœminat acrius herbis;
Blanda quidem vultus, sed qua non tetrius ulla
Ultrices fucata genas, et amicta dolosis 136
Illecebris, torvos auro circumlinit hydros.
Illa voluptatum multos innexuit hamis:
Te nunquam conata capit. Non prava libido
Stupris advigilat: non tempora somnus agendi
Frustratur: nullo citharæ convivia cantu, 141
Non pueris lasciva sonant. Quis cernere curis
Te vacuum potuit? quis tota mente remissum,
Aut indulgentem dapibus, ni causa juberet
Lætitiæ? Non indecores æraria lassant 145
Expensæ: parvo non improba littera libro
Absentum condonat opes. A milite parcus
Diligeris: neque enim neglectas pace cohortes
Tunc ditas, cum bella fremunt. Scis nulla pla
cere
Munera, quæ metuens illis, quos spreverit, offert
Serus, et incassum servati prodigus auri. 151
Antevenis tempus, non exspectantibus ultro
Munificus, mensæque adhibes, et nomine quem-
Compellas, clari, quod sub te gesserit olim, [que
Admonitor facti; figendaque sensibus addis 155
Verba, quibus magni geminatur gratia doni.
Nec, si quid tribuas, jactatum sæpius idem
Exprobrare soles: nec, quos promoveris, alto
Turgidus alloqueris fastu: nec prospera flatus
Attollunt nimios. Quin ipsa superbia longe 160
Discessit, vitium rebus sollenne secundis,
Virtutumque ingrata comes. Contingere passim
Affarique licet. Non inter pocula sermo
Captatur; pura sed libertate loquendi
Seria quisque jocis nulla formidine miscet. 165
Quem videt Augusti socerum, regnique parentem,
Miratur conviva parem; cum tanta potestas
Civem lenis agat. Te doctus prisca loquentem,
Te matura senex audit, te fortia miles: [quam
Adspersis salibus, quibus haud Amphiona quis-
Præferat Aonios meditantem carmine muros, 171
Nec velit Orpheo migrantes pectine sylvas.
Hinc amor, hinc veris et non fallacibus omnes
Pro te solliciti votis: hinc nomen ubique
Plausibus, auratis celebrant hinc ora figuris. 175
Quæ non incudes streperent? quæ flamma vacaret
Fabrilis? quantis fluerent fornacibus æra
Effigies ductura tuas? quis devius esset
Angulus, aut regio, quæ non pro numine vultus
Dilectos colerent, talem ni semper honorem 180
Respueres? decus hoc rapiat, quem falsa timen-
tum

Munera decipiunt, qui se diffidit amari.
Hoc solus sprevisse potest, qui jure meretur.
Undique legati properant, generique sub ore
In tua centenas aptant præconia voces. 185
Grates Gallus agit, quod limite tutus inermi,
Et metuens hostile nihil, nova culmina totis
Ædificet ripis, et sævum gentibus amnem
Tibridis in morem domibus prævelet amœnis.
Hinc Pœni cumulant laudes, quod rura tyranno
Libera possideant: hinc obsidione solutus 191
Pannonius, potorque Savi, quod clausa tot annis
Oppida laxatis ausus jam pandere portis
Rursum cote novat nigras rubigine falces,
Exesosque situ cogit splendere ligones: 195
Agnoscitque casas, et collibus oscula notis
Figit, et impresso glebis non credit aratro.
Exsectis, inculta dabant quas sæcula, sylvis
Restituit terras, et opacum vitibus Istrum
Conserit: et patrium vectigal solvere gaudet,
Immunis qui clade fuit. Te sospite fas est 201
Vexatum laceri corpus juvenescere regni.
Sub tot principibus quæcunque amisimus olim,
Tu reddis. Solo poterit Stilichone medente
Crescere Romanum vulnus tectura cicatrix: 205
Inque suos tandem fines redeunte colono
Illyricis iterum ditabitur aula tributis.
Nec tamen humano cedit cœleste favori
Judicium. Cingunt superi concordibus unum
Præsidiis, hostesque tuos aut littore produnt, 210
Aut totum oppositi claudunt fugientibus æquor,
Aut in se vertunt furiis, aut militis ense
Bacchati laniant Pentheo corpora ritu.
Insidias retegunt, et in ipsa cubilia fraudum
Ducunt, ceu tenera venantem nare Molossi. 215
Ominibus ventura notant, aut alite monstrant,
Aut monitos certa dignantur imagine somnos.
Pro quibus innumeræ trabearum insignia terræ
Certatim petiere tibi. Poscentibus ipse
Restiteras, et mens aliorum prona favori, 220
Judex dura sui, facibus succensa pudoris,
Tarda verecundis excusat præmia causis.
Ergo avidæ, tantosque novi spe consulis annos
Elusæ, dominæ pergunt ad limina Romæ;
Si minus annueris precibus, vel cogere certæ 225
Cunctantem, votoque moras auferre paratæ.
Conveniunt ad tecta deæ, quæ candida lucent
Monte Palatino. Glaucis tum prima Minervæ
Nexa comam foliis, fulvaque intexta micantem
Veste Tagum, tales profert Hispania voces: 230
Cuncta mihi semper Stilicho, quæcunque po-
Concessit, tantumque suos invidit honores. [posci,
Augusti potuit soceri contemnere fasces:
Jam negat et genero. Si non ut ductor ab orbe,
Quem regit, accipiat saltem cognatus ab aula.
Exiguumne putet, quod sic amplexus Iberam
Progeniem nostros immoto jure nepotes
Sustinet, ut patrium commendet purpura Bætin?
Quod pulchro Mariæ fecundat germine regnum?
Quod dominis speratur avus? Tum flava repexo
Gallia crine ferox, evinctaque torque decoro, 241
Binaque gæsa tenens, animoso pectore fatur:
Qui mihi Germanos solus Francosque subegit,
Cur nondum legitur fastis? cur pagina tantum
Nescit adhuc nomen, quod jam numerare decebat?
Usque adeone levis pacati gloria Rheni? 246
Inde Caledonio velata Britannia monstro,
Ferro picta genas, cujus vestigia verrit
Cærulus, Oceanique æstum mentitur, amictus,
Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Me juvit Stilicho, totam cum Scotus lernen 251
Movit, et infesto spumavit remige Tethys.
Illius effectum curis, ne tela timerem
Scotica, ne Pictum tremerem, ne littore tuto
Prospicerem dubiis venturum Saxona ventis. 255
Tum spicis et dente comas illustris eburno,
Et calido rubicunda die, sic Africa fatur:
Sperabam nullas trabeis Gildone peremto
Nasci posse moras. Etiam nunc ille repugnat,
Et tanto dubitat fasces præbere triumpho? 260
Qui mihi Maurorum penitus lacrymabile nomen
Ignorare dedit. Post has Œnotria lentis
Vitibus intorquens hederas, et palmite largo
Vina fluens, Si vos adeo Stilichone curules
Augeri flagratis, ait, quas sola juvare 265
Fama potest; quanto me dignius incitet ardor,
Ut præsente fruar, conscendentemque tribunal
Prosequar, atque anni pandentem claustra salutem?
Talibus alternant studiis, Romamque precantes,
Pro cunctis, hortantur, eat. Nec segnius illa 270
Paruit officio, sed raptis protinus armis
Ocior excusso per nubila sidere tendit.
Transvehitur Tuscos, Apenninusque volatu
Stringitur: Eridanus clypei jam fulgurat umbra.
Constitit ante ducem, tetrica nec Pallade vultum
Deterior, nec Marte minor. Tremit orbe corusco
Jam domus, et summæ tergunt laquearia cristæ.
Tum prior attonitum gratis affata querelis:
Servatas, Stilicho, per te, venerande, curules,
Ornatas necdum, fateor. Quid profuit anni 280
Servilem pepulisse notam? Defendis honorem,
Quem fugis; et spernis, tanta quem mole tueris;
Respuis oblatum, pro quo labente resistis?
Quænam causa moræ? quo me cunctabere rursus
Ingenio? nullus Boreæ metus, omnis et Austri
Ora silet: cecidit Maurus, Germania cessit, 286
Et Janum pax alta ligat. Te consule necdum
Digna feror? titulumne levem, parvique nitoris
Credimus, Augusti quo se decorare fatentur;
Sub juga quo gentes captivis regibus egi? 290
Num, si prodigiis casus natura futuros
Signat, polluimur macula? Quod reris, Eois
Omen erat. Quanquam nullis mihi cognita rebus
Fabula: vix tanto risit de crimine rumor.
Opprobrii stat nulla fides, nec littera venit 295
Vulgatura nefas: in quo vel maxima virtus
Est tua, quod, nostros qui consulis omnia Patres,
De monstris taceas. Pellendi denique nulla
Dedecoris sanctum violant oracula cœtum,
Nec mea funestum versavit Curia nomen. 300
Pars sceleris dubitasse fuit. Quæcunque profana
Pagina de primo venisset limite Phœbi,
Ante fretum deleta mihi, ne turpia castis
Auribus Italiæ fatorum exempla nocerent.
Publicus ille furor (quantum tua cura peregit!)
Secretum meruit. Lætetur quisquis Eois 306
Scribere desierit: fastos portenta Gabinos
Ista latent. Propriam labem tersisse laborent.
Cur ego, quem nunquam didici sensive creatum,
Gratuler exemtum? delicti pœnitet illos: 310
Nos nec credidimus. Fuerit tamen omnibus unum
Crimen, et ad nostras manaverit usque secures:
Plus ideo sumenda tibi fastigia juris,
Ne pereat tam priscus honos, qui portus honorum
Semper erat. Nullo sarciri consule damnum, 315
Excepto Stilichone, potest. Bene præscia tempus
Mens tua distulerat. Titulo tunc crescere posses;
Nunc per te titulus. Consul succurre gravatis
Consulibus, quicunque fuit, quicunque futurus
Annum reade tuum, quem mox secura sequatur

Posteritas, nec jam doleat defensa vetustas. 321
Sit trabeis ultor Stilicho, Brutusque repertor.
Libertas populi primo tunc consule Bruto
Reddita per fasces: hic fascibus expulit ipsis
Servitium Instituit sublimem Brutus honorem:
Adseruit Stilicho. Plus est servasse repertum,
Quam quæsisse novum. Quid tardius ore rubenti
Annuis, et solitus frontem circumlinit ignis?
Tandem vince tuum, vincis qui cuncta, pudorem.
Hos etiam, quamvis corrumpi munere nullo 330
Te certum est, mirare libens ac suscipe cinctus,
Quos tibi divino mecum Tritonia duxit
Pectine: tincta simul repetito murice fila
Contulimus pensis, et eodem nevimus auro, 334
Aurea quo Lachesis sub te mihi sæcula texit.
Hic ego promissam sobolem, speratagque mundo
Pignora prælusi. Veram mox ipse probabis
Me vatem, nostræque fidem venientia telæ
Fata dabunt. Dixit, gremioque rigentia profert
Dona, graves auro trabeas. Insigne Minervam
Spirat opus. Rutilis hic pingitur aula columnis,
Et sacri Mariæ partus. Lucina labores
Solatur: residet fulgente puerpera lecto.
Sollicitæ juxta pallescunt gaudia matris. 344
Susceptum puerum redimitæ tempora Nymphæ
Auri fonte lavant. Teneros in stamine risus,
Vagitusque audire putes. Jam creverat infans
Ore ferens patrem: sed avus maturior ævi
Martia recturo tradit præcepta nepoti.
Parte alia spumis fucantem Serica frena 350
Sanguineis, primæ signatus flore juventæ,
Eucherius flectebat equum, jaculisque vel arcu
Aurea purpureos tollentes cornua cervos
Aureus ipse ferit. Venus hic invecta columbis
Tertia regali jungit connubia nexu, 355
Pennatique nurum circum stipantur Amores
Progenitam Augustis, Augustorumque sororem.
Eucherius trepido jam flammea sublevat ore
Virginis: arridet læto Thermantia fratri.
Nam domus hæc utroque petit diademata sexu,
Reginasque parit, reginarumque maritos. 361
Talibus invitat donis, dextræque gerendum
Diva simul porrexit ebur. Sollennibus urnam
Commovet auspiciis, avibusque incepta secundat.
Tunc habiles armis humeros dea vestibus ambit
Romuleis. Latii sederunt pectore cultus, 366
Loricæque locum decuit toga. Talis ab Istro
Vel Scythico victor rediens Gradivus ab axe,
Deposito mitis clypeo, candentibus Urbem
Ingreditur trabeatus equis: spatiosa Quirinus 370
Frena regit, currumque patris Bellona, cruentam
Ditibus exuviis tendens ad sidera quercum,
Præcedit: lictorque Metus cum fratre Pavore
Barbara ferratis innectunt colla catenis,
Velati galeas lauro: propiusque jugales 375
Formido ingentem vibrat succincta securim.
Vidit ut optato se consule Roma potitam,
Nunc, ait, Elysii lucos irrumpere campi,
Nunc libet, ut tanti Curiis miracula voti
Fabriciisque feram, famæ qui vulnere nuper 380
Calcatam flevere togam. Jam prata choreis
Pulsent, nec rigidos pudeat lusisse Catones.
Audiat hoc senior Brutus, Pœnisque tremendi
Scipiadæ, geminis tandem quod libera damnis
Unius auxilio fasces Libyamque recepi. 385
Quod superest, unum precibus, fortissime consul,
Adde meis, Urbique tuum largire parumper, [que
Quem rogat, adventum; quam tu belloque fame-
Depulsa terris iterum regnare dedisti. 389
Splendida suscipiant alium te Rostra Camillum.
Ultorem videant servatoremque Quirites, [per te,
Et populus, quem ductor ames, quibus Africa
Nec prius auditas Rhodanus jam donat aristas:
Ut mihi vel Massyla Ceres, vel Gallica prosit
Fertilitas, messesque vehant nunc humidus Auster,
Nunc Aquilo; cunctis ditescant horrea ventis.
Quæ tunc Flaminiam stipabunt millia vulgi!
Fallax o quoties pulvis deludet amorem
Suspensum, veniens omni dum crederis hora!
Spectabunt cupidæ matres, spargentur et omnes
Flore viæ, superes cum Pythia culmina consul
Arduus, antiqui species Romana senatus.
Pompeiana dabunt quantos proscenia plausus!
Ad cœlum quoties vallis tibi Murcia ducet
Nomen, Aventino Pallanteoque recessu! 405
Nunc te conspiciam castris, permitte, relictis,
Mox et cum genero trabeis visura secundis.
Hæc dum Roma refert, jam Fama loquacibus
Pervolat Oceanum linguis, et mille citatos [ales
Festinare jubet proceres: nullique senectus, 410
Non iter, nibernis obstant nec flatibus Alpes.
Vincit amor meriti pridem, clarique vetustis
Fascibus ad socii properant et vindicis annum.
Sic ubi fecunda reparavit morte juventam,
Et patrios idem cineres, collectaque portat 415
Unguibus ossa piis, Nilique ad littora tendens
Unicus extremo Phœnix procedit ab Euro,
Conveniunt aquilæ, cunctæque ex orbe volucres,
Ut Solis mirentur avem: procul ignea lucet
Ales, odorati redolent cui cinnama busti. 420
Nec minor in cœlo chorus est. Exsultat uterque
Theudosius, divique tui. Sol ipse quadrigis
Vere coronatis dignum tibi præparat annum.
Est ignota procul, nostræque impervia menti,
Vix adeunda deis, annorum squalida mater, 425
Immensi spelunca ævi, quæ tempora vasto
Suppeditat revocatque sinu. Complectitur antrum,
Omnia qui placido consumit numine, serpens,
Perpetuumque viret squamis, caudamque reducto
Ore vorat, tacito relegens exordia lapsu. 430
Vestibuli custos vultu longæva decoro
Ante fores Natura sedet, cunctisque volantes
Dependent membris animæ. Mansura verendus
Scribit jura senex, numeros qui dividit astris,
Et cursus stabilesque moras, quibus omnia vivunt
Ac pereunt fixis cum legibus: ille recenset 436
Incertum quid Martis iter, certumque Tonantis
Proficiat mundo, quid velox semita Lunæ,
Pigraque Saturni; quantum Cytherea sereno
Curriculo, Phœbique comes Cyllenius, erret. 440
Illius ut Phœbus ad limen constitit antri,
Occurrit Natura potens, seniorque superbis
Canitiem inclinat radiis. Tunc sponte reclusos
Laxavit postes adamas: penetrale profundum
Panditur, et sedes ævique arcana patescunt. 445
Hic habitant vario faciem distincta metallo
Sæcula certa locis: illic glomerantur aena,
Hic ferrata rigent, illic argentea candent.
Eximia regione domus, contingere terris
Difficiles, stabant rutili, grex aureus, anni. 450
Quorum præcipuum pretioso corpore Titan
Signandum Stilichone legit: tunc imperat omnes
Pone sequi, dictisque simul compellat euntes:
En, cui distulimus melioris sæcla metalli,
Consul adest. Ite optati mortalibus anni: 455
Ducite virtutes, hominum florescite rursus
Ingeniis, hilares Baccho, frugumque feraces.
Non inter geminos anguis glaciale Triones
Sibilet, immodico nec frigore sæviat Ursa.

Non torvo fremat igne Leo, nec brachia Cancri
Urat atrox æstas, madidæ nec prodigus urnæ 461
Semina prærupto dissolvat Aquarius imbre.
Phrixeus roseo producat fertile cornu
Ver Aries: pingues noc grandine tundat olivas
Scorpius: autumni maturet germina Virgo: 465
Lenior et gravidis allatret Sirius uvis.
Sic fatus, croceis rorantes ignibus hortos [bit
Ingreditur, vallemque suam, quam flammeus am-
Rivus, et irriguis largum jubar ingerit herbis,
Quas Solis pascuntur equi. Fragrantibus inde
Cæsariem sertis, et lutea lora jubasque 471
Subligat alipedum: gelidas hinc Lucifer ornat,
Hinc Aurora comas: juxtaque arridet habenis
Aureus, et nomen prætendit consulis, Annus:
Inque novos iterum revoluto cardine cursus 475
Scribunt ætheriis Stilichonem sidera fastis.

IN LIBRUM TERTIUM DE CONSULATU STILICHONIS PRÆFATIO.

Major Scipiades, Italis qui solus ab oris
In proprium vertit Punica bella caput,
Non sine Pieriis exercuit artibus arma:
Semper erat vatum maxima cura duci.
Gaudet enim virtus testes sibi jungere Musas. 5
Carmen amat, quisquis carmine digna gerit.
Ergo seu patriis primævus manibus ultor
Subderet Hispanum legibus Oceanum,
Seu Tyrias certa fracturus cuspide vires
Inferret Libyco signa tremenda mari; 10
Hærebat doctus lateri, castrisque solebat
Omnibus in medias Ennius ire tubas.
Illi post lituos pedites favere canenti,
Laudavitque nova cæde cruentus eques.
Cumque triumpharet gemina Carthagine victa, 15
(Hanc vindex patris vicerat, hanc patriæ,)
Cum longi Libyam tandem post funera belli
Ante suas mæstam cogeret ire rotas;
Advexit reduces secum Victoria Musas,
Et sertum vati Martia laurus erat. 20
Noster Scipiades Stilicho, quo concidit alter
Hannibal, antiquo sævior Hannibale,
Te mihi post quinos annorum, Roma, recursus
Reddidit, et votis jussit adesse suis.

LIBER TERTIUS.

Quem populi plausu, procerum quem voce pete-
bas, [longæ
Adspice, Roma, virum. Jam tempora desine
Dinumerare viæ, visoque adsurgere semper
Pulvere: non dubiis ultra torquebere votis.
Totus adest oculis, aderat qui mentibus olim, 5
Spe major, fama melior. Venerare curulem,
Quæ tibi restituit fasces: complectere dextram,
Sub juga quæ Pœnos iterum Romana redegit.
Excipe magnanimum pectus, quo frena reguntur
Imperii, cujus libratur sensibus orbis. 10
Os sacrum, quod in ære colis, miraris in auro,
Cerne libens. Hic est felix bellator ubique,
Defensor Libyæ, Rheni pacator et Istri.
Ostentare suos prisco si more labores,
Et gentes cuperet vulgo monstrare subactas; 15
Certarent utroque pares a cardine laurus,
Hæc Alamanorum spoliis, Australibus illa
Ditior exuviis: illinc flavente Sicambri
Cæsarie, nigris hinc Mauri crinibus irent.
Ipse albis veheretur equis, currumque secutus 20
Laurigerum festo fremuisset carmine miles.
Hi famulos traherent reges: hi facta metallo
Oppida, vel montes captivaque flumina ferrent.
Hinc Libyci fractis lugerent cornibus amnes:
Inde catenato gemeret Germania Rheno. 25
Sed non immodicus proprii jactator honoris
Consul, Roma, tuus. Non illum præmia tantum,
Quam labor ipse juvat: strepitus fastidit inanes,
Inque animis hominum pompa meliore triumphat.
Non alium certe Romanæ clarius arces 30
Suscepere ducem, nec cum cedente rediret
Fabricius Pyrrho, nec cum Capitolia curru
Pellææ domitor Paullus conscenderet aulæ.
Nec similis Latias patefecit gloria portas
Post Numidas Mario, post classica Martis Eoi 35
Pompeio. Nulli pars æmula defuit unquam,
Quæ gravis obstreperet laudes: stimulisque ma-
lignis
Facta sequebatur, quamvis ingentia, Livor.
Solus hic invidiæ fines virtute reliquit, [sit,
Humanumque modum. Quis enim livescere pos-
Quod nunquam pereant stellæ? quod Jupiter al-
tum 41
Possideat cœlum? quod noverit omnia Phœbus?
Est aliquod meriti spatium, quod nulla furentis
Invidiæ mensura capit. Ductoribus illis
Præterea divisus erat favor. Æquior ille 45
Patribus, invisus plebi: popularibus illi
Munito studiis languebat gratia Patrum.
Omnis in hoc uno variis discordia cessit
Ordinibus: lætatur eques, plauditque senator,
Votaque patricio certant plebeia favori. 50
O felix, servata vocat quem Roma parentem;
O mundi communis amor, cui militat omnis
Gallia, quem regum thalamis Hispania nectit

Cujus et adventum crebris petiere Quirites
Vocibus, et genero meruit præstante senatus: 55
Non sic virginibus flores, non frugibus imbres,
Prospera non lassis optantur flamina nautis,
Ut tuus adspectus populo. Quæ numine tanto
Littora fatidicas attollunt Delia lauros,
Venturi quoties affulget Apollinis arcus? 60
Quæ sic aurifero Pactoli fonte tumescit
Lydia, cum domitis apparuit Evius Indis?
Nonne vides et plebe vias, et tecta latere
Matribus? his, Stilicho, cunctis inopina reluxit
Te victore salus. Septem circumspice montes, 65
Qui solis radios auri fulgore lacessunt,
Indutosque arcus spoliis, æquataque templa
Nubibus, et quicquid tanti struxere triumphi.
Quantum profueris, quantam servaveris urbem,
Attonitis metire oculis. Hæc fabula certe 70
Cuncta forent, si Pœnus adhuc incumberet Austro.
Mos erat in veterum castris, ut tempora quercu
Velaret, validis qui fuso viribus hoste
Casurum morti potuit subducere civem.
At tibi quæ poterit pro tantis civica reddi 75
Mœnibus? aut quantæ pensabunt facta coronæ?
Nec solam populi vitam debere fatetur
Armis Roma tuis; sed, quo jucundior esset
Lucis honoratæ fructus, venerabile famæ
Pondus, et amissas vires, et regna recepit. 80
Jam non prætumidi supplex Orientis ademtam
Legatis poscit Libyam, famulosve precatur,
Dictu turpe, suos: sed robore freta Gabino
Te duce Romana tandem se vindicat ira.
Ipsa jubet signis, bellaturoque togatus 85
Imperat: exspectant aquilæ decreta senatus.
Ipsa tibi trabeas ultro dedit· ipsa curulem
Obtulit: hæc ultro fastos ornare coegit.
Nil perdit decoris prisci, nec libera quærit
Sæcula, cum donet fasces, cum prœlia mandet;
Seque etiam crevisse videt. Quis Gallica rura, 91
Quis meminit Latio Senonum servisse ligones?
Aut quibus exemplis fecunda Tibris ab Arcto
Vexit Lingonico sudatas vomere messes?
Illa seges non auxilium modo præbuit Urbi, 95
Sed fuit indicio quantum tibi, Roma, liceret.
Admonuit dominæ gentes, instarque tropæi
Retulit ignotum gelidis vectigal ab oris.
Hoc quoque majestas augescit plena Quirini,
Rectores Libyæ populo quod judice pallent, 100
Et post emeritas moderator quisque secures
Discrimen letale subit; quid Pœnus arator
Intulerit, madidus quantum transmiserit Auster.
Ardua qui late terris responsa dedere, 104
Nunc trepidant humiles: tremuit quos Africa nu-
Cernunt rostra reos. Cani virtutibus ævi [per,
Materiem pandit Stilicho, populumque vetusti
Culminis immemorem dominandi rursus in usum
Excitat, ut magnos calcet metuendus honores,
Pendat justitia crimen, pietate remittat 110
Errorem, purosque probet, damnetque nocentes,
Et patrias iterum clemens exerceat artes.
Fallitur, egregio quisquis sub principe credit
Servitium. Nunquam libertas gratior exstat, 114
Quam sub rege pio. Quos præficit ipse regendis
Rebus, ad arbitrium plebis patrumque reducit:
Conceditque libens, meritis seu præmia poscant,
Seu punire velint. Posito jam purpura fastu
De se judicium non indignatur haberi.
Sic docuit regnare socer: sic cauta juventæ 120
Frena dedit: teneros his moribus induit annos
Verior Augusti genitor, fiducia belli,
Pacis consilium; per quem squalore remoto
Pristina Romuleis infloruit arcibus ætas:
Per quem fracta diu, translataque pæne potestas,
Non oblita sui servilibus exsulat arvis; 126
In proprium sed ducta larem, victricia reddit
Fata solo, fruiturque iterum, quibus hæserat olim,
Auspiciis, capitique errantia membra reponit.
Proxime dis consul, qui tantæ prospicis Urbi,
Qua nihil in terris complectitur altius æther: 131
Cujus nec spatium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox ulla capit: quæ luce metalli
Æmula vicinis fastigia conserit astris:
Quæ septem scopulis zonas imitatur Olympi, 135
Armorum legumque parens: quæ fundit in omnes
Imperium, primique dedit cunabula juris.
Hæc est, exiguis quæ finibus orta tetendit
In geminos axes, parvaque a sede profectas
Dispersit cum sole manus. Hæc obvia fatis, 140
Innumeras uno gereret cum tempore pugnas,
Hispanas caperet, Siculas obsideret urbes,
Et Gallum terris prosterneret, æquore Pœnum,
Nunquam succubuit damnis, et territa nullo
Vulnere, post Cannas major Trebiamque freme-
bat: 145
Et cum jam premerent flammæ, murumque feriret
Hostis, in extremos aciem mittebat Iberos.
Nec stetit Oceano, remisque ingressa profundum
Vincendos alio quæsivit in orbe Britannos.
Hæc est, in gremium victos quæ sola recepit, 150
Humanumque genus communi nomine fovit,
Matris, non dominæ ritu: civesque vocavit,
Quos domuit, nexuque pio longinqua revinxit.
Hujus pacificis debemus moribus omnes,
Quod veluti patriis regionibus utitur hospes: 155
Quod sedem mutare licet: quod cernere Thulen
Lusus, et horrendos quondam penetrare recessus:
Quod bibimus passim Rhodanum, potamus Oron-
tem:
Quod cuncti gens una sumus. Nec terminus un-
Romanæ ditionis erit. Nam cætera regna [quam
Luxuries vitiis, odiisque superbia vertit. 161
Sic male sublimes fregit Spartanus Athenas,
Atque idem Thebis cecidit. Sic Medus ademit
Assyrio, Medoque tulit moderamina Perses:
Subjecit Macedo Persen, cessurus et ipse 165
Romanis. Hæc auguriis firmata Sibyllæ,
Hæc sacris animata Numæ: huic fulmina vibrat
Jupiter: hanc tota Tritonia Gorgone velat.
Arcanas huc Vesta faces, huc orgia Bacchus
Transtulit, et Phrygios genitrix turrita leones. 170
Huc defensurus morbos Epidaurius hospes
Reptavit placido tractu, vectumque per undas
Insula Pæonium texit Tiberina draconem.
Hanc tu cum superis, Stilicho præclare, tueris:
Protegis hanc clypeo, matrem regumque ducum-
Præcipueque tuam. Dedit hæc exordia lucis [que,
Eucherio, puerumque ferens hic regia mater
Augusto monstravit avo: lætatus at ille
Sustulit in Tyria reptantem veste nepotem:
Romaque venturi gaudebat præscia fati, 180
Quod te jam tanto meruisset pignore civem.
Nec tamen ingratum, nec qui benefacta referre
Nesciat, hunc credas populum. Si volvere priscos
Annales libeat, quoties hic prœlia sumsit
Pro sociis, quoties dono concessit amicis 185
Regibus Ausonio quæsitas sanguine terras
Publica sed nunquam tanto se gratia fudit
Adsensu. Quis enim princeps hoc omnibus emit
Obsequiis, dominum sese patremque vocari, 189
Quod tibi continuis resonant convexa diebus?
Macte novis, consul, titulis. Mavortia plebes

Te dominum, Bruto non indignante, fatetur.
Et, quod adhuc nullo potuit terrore subacta
Libertas Romana pati, Stilichonis amori
Detulit. Exsultant avidi, quocunque decorus 195
Conspiciare loco, nomenque ad sidera tollunt,
Nec vaga dilecto satiantur lumina vultu:
Seu Circum trabeis fulgentibus aureus intres:
Seu celebres ludos: solio seu fultus eburno
Cingas jure forum: densi seu turbine vulgi 200
Circumfusa tuæ conscendant rostra secures.
Quæ vero procerum voces, quam certa fuere
Gaudia, cum totis exsurgens ardua pennis
Ipsa duci sacras Victoria panderet alas!
O palma viridi gaudens, et amicta tropæis, 205
Custos imperii virgo, quæ sola mederis
Vulneribus, nullumque doces sentire laborem:
Seu tibi Dictææ placuerunt astra Coronæ,
Seu magis æstivo sedes vicina Leoni:
Seu sceptrum sublime Jovis, seu Pallados ambis
Ægida, seu fessi mulces suspiria Martis: 211
Adsis perpetuum Latio, votisque senatus
Annue, diva, tui: Stilicho tua sæpius ornet
Limina, teque simul rediens in castra reducat.
Hunc bellis comitare favens: hunc redde togatum
Consiliis. Semper placidis te moribus egit, 216
Servavitque piam victis, nec polluit unquam
Laurum sævitia: cives nec fronte superba
Despicit, aut trepidam vexat legionibus Urbem:
Sed verus patriæ consul, cessantibus armis, 220
Contentus lictore venit, nec inutile quærit
Ferri præsidium, solo munitus amore.
Magnarum nec parcus opum geminare profundas
Distulit impensas: sed, post miracula castris
Edita vel genero, Romæ majora reservat. 225
Auratos Rhodiis imbres, nascente Minerva, [num
Indulsisse Jovem perhibent: Bacchoque pater-
Jam pulsante femur, mutatus palluit Hermus
In pretium: votique famem passurus avari
Ditabat rutilo, quicquid Mida tangeret, auro. 230
Fabula, seu verum, canitur; tua copia vincit
Fontem Hermi, tactumque Midæ, pluviamque To-
Obscurat veteres, obscurabitque futuras [nantis.
Par donis armisque manus. Si solveret ignis,
Quas dedit immanes vili sub pondere, massas,
Argenti potuere lacus et flumina fundi. 236
Nec tibi, quæ pariter sylvis dominaris et astris,
Exiguam Stilicho movit, Latonia, curam.
Tu quoque nobilibus spectacula nostra laboras
Illustrare feris: summoque in vertice rupis 240
Alpinæ socias arcu cessante pudicas,
Et pharetratarum comitum inviolabile cogis
Concilium. Veniunt humeros et brachia nudæ,
Armatæque manus jaculis, et terga sagittis;
Incomtæ, pulchræque tamen. Sudoribus ora 245
Pulverulenta rubent: sexum nec cruda fatetur
Virginitas: sine lege comæ: duo cingula vestem
Crure tenus pendere vetant. Præcedit amicas
Flava Leontodame: sequitur nutrita Lycæo
Nebrophone, telisque domat quæ Mænala Thero.
Ignea Cretæa properat Britomartis ab Ida, 251
Et cursu Zephyris nunquam cessura Lycaste.
Jungunt se geminæ metuenda feris Hecaerge,
Et soror, optatum numen venantibus, Opis,
Progenies Scythiæ: divas nemorumque potentes
Fecit Hyperboreis Delos prælata pruinis. 256
Hæ septem venere duces. Exercitus alter
Nympharum incedunt, acies formosa Dianæ,
Centum Taygeti, centum de vertice Cynthi,
Et totidem casto genuit quas flumine Ladon. 260
Has ubi collectas vidit, sic Delia cœpit:

O sociæ, mecum thalami quæ jura perosæ
Virgineo gelidos percurritis agmine montes,
Cernitis, ut Latio superi communibus ornent
Hunc annum studiis? quantos Neptunus equorum
Donet ab orbe greges? laudi quam nulla canendæ
Fratris plectra vacent? nostram quoque sentiat idem,
Quam meritis debemus, opem. Non spicula poscit
Iste labor; maneant clausis nunc sicca pharetris,
Omnis et a solitis noster venatibus arcus 270
Temperet: in solam cruor hic servetur arenam.
Retibus et clathris dilata morte tenendæ
Ducendæque feræ: cupidas arcete sagittas.
Consulis in plausum casuris parcite monstris.
Acceleret divisa manus. Mihi cursus anhelas 275
Tenditur ad Syrtes: mecum Dictæa Lycaste
Et comes Opis eat: steriles juvat ire per æstus.
Namque feras aliis tellus Maurusia donum
Præbuit: huic soli debet, ceu victâ, tributum.
Dum nos horribiles Libyæ scrutamur alumnos,
Europæ vos interea perquirite saltus 281
Et scopulos. Posita ludat formidine pastor,
Securisque canat Stilichonem fistula sylvis.
Pacet muneribus montes, qui legibus urbes.
Dixit, et extemplo frondosa fertur ab Alpe 285
Trans pelagus. Cervi currum subiere jugales,
Quos decus esse deæ primi sub limine cœli
Roscida fecundis concepit Luna cavernis.
Par nitor intactis nivibus: frons discolor auro
Germinat, et spatio summas æquantia fagos 290
Cornua ramoso surgunt procera metallo.
Opis frena tenet: fert retia rara Lycaste,
Auratasque plagas: immortalesque Molossi
Latrantes mediis circum juga nubibus ibant. 294
Quinque aliæ paribus (Phœbe sic jusserat) armis
Diversa regione ruunt, ducuntque cohortem
Quæque suam. Variæ formis et gente sequuntur
Ingenioque canes: illæ gravioribus aptæ
Morsibus: hæ pedibus celeres: hæ nare sagaces
Hirsutæque fremunt Cressæ, tenuesque Lacænæ,
Magnaque taurorum fracturæ colla Britannæ. 301
Dalmatiæ lucos abruptaque brachia Pindi
Sparsa comam Britomartis agit. Tu Gallica cingis
Lustra, Leontodame, Germanorumque paludes
Eruis, et si quis defensus arundine Rheni 305
Vastus aper nimio dentes curvaverit ævo.
Nubiferas Alpes, Apenninique recessus,
Garganique nives Hecaerge promta fatigat.
Speluncas canibus Thero rimatur Iberas,
Informesque cavis ursos detrudit ab antris, 310
Quorum sæpe Tagus manantes sanguine rictus
Non satiavit aquis, et quos jam frigore segnes
Pyrenæa tegit latebrosis frondibus ilex.
Cyrneis Siculisque jugis venata virago
Nebrophone, cervos aliasque in vincula cogit 315
Non sævas pecudes, sed luxuriantis arenæ
Delicias, pompam nemorum. Quodcunque tremendum
Dentibus, aut insigne jubis, aut nobile cornu,
Aut rigidum setis, capitur, decus omne timorque
Sylvarum. Non cauta latent: non mole resistunt
Fortia: non volucri fugiunt pernicia cursu. 321
Hæc laqueis innexa gemunt: hæc clausa feruntur
Ilignis domibus. Fabri nec tigna polire
Sufficiunt: rudibus fagis texuntur et ornis
Frondentes caveæ. Ratibus pars ibat onustis 325
Per freta, per fluvios: exsanguis dextera torpet
Remigis, et propriam metuebat navita mercem.
Per terram pars ducta rotis, longoque morantur
Ordine plaustra vias, montani plena triumphi:

Et fera sollicitis vehitur captiva juvencis, 330
Explebat quibus ante famem: quotiesque reflexi
Conspexere boves, pavidi temone recedunt.
Jamque pererratis Libyæ flagrantibus oris,
Legerat eximios Phœbi germana leones,
Hesperidas qui sæpe fugant, ventoque citatis 335
Terrificant Atlanta jubis, armentaque longe
Vastant Æthiopum, quorumque impune fragosa
Murmura pastorum nunquam venere per aures.
Non illos tædæ ardentes, non strata superne
Lapsuro virgulta solo, non vocibus hædi 340
Pendentis stimulata fames, non fossa fefellit.
Ultro se voluere capi, gaudentque videri
Tantæ præda deæ. Respirant pascua tandem:
Agricolæ reserant jam tuta mapalia Mauri.
Tum virides pardos, et cætera colligit Austri 345
Prodigia, immanesque simul Latonia dentes,
Qui secti ferro in tabulas, auroque micantes,
Inscripti rutilum cælato consule nomen
Per proceres et vulgus eant. Stupor amnibus
Plurimus, ereptis elephas inglorius errat [Indis
Dentibus. Insedit nigra cervice gementum, 351
Et fixum dea quassat ebur, penitusque cruentis
Stirpibus avulsis patulos exarmat hiatus.
Ipsos quin etiam nobis miracula vellet
Ducere, sed pigra cunctari mole veretur. 355
Tyrrhenas fetus Libycos amplexa per undas
Classica turba sonat, caudamque a puppe retorquens
In proram jacit usque leo. Vix sublevat unum
Tarda ratis. Fremitus stagnis auditur in imis,
Cunctaque prosiliunt cete, terrenaque Nereus 360
Confert monstra suis, et non æquare fatetur.
Æquora sic victor quoties per rubra Lyæus
Navigat, intorquet clavum Silenus, et acres
Insudant tonsis Satyri, taurinaque pulsu
Baccharum Bromios invitant tympana remos. 365
Transtra ligant hederæ: malum circumflua vestit
Pampinus: antennis illabitur ebria serpens:
Perque mero madidos currunt saliuntque rudentes
Lynces, et insolitæ mirantur carbasa tigres.

IN LIBRUM DE BELLO GETICO PRÆFATIO.

Post resides annos longo velut excita somno
Romanis fruitur nostra Thalia choris.
Optatos renovant eadem mihi culmina cœtus,
Personat et noto Pythia vate domus.
Consulis hic fasces cecini, Libyamque receptam:
Hic mihi prostratis bella canenda Getis. 6
Sed prior effigiem tribuit successus aenam,
Oraque patricius nostra dicavit honos.
Annuit hunc princeps titulum, poscente senatu.
Respice, judicium quam grave, Musa, subis.
Ingenio minuit merces properata favorem: 11
Carminibus veniam præmia tanta negant:
Et magis intento studium censore laborat,
Quod legimur medio conspicimurque foro.
Materies tamen ipsa juvat, solitumque timoris 15
Dicturo magna sedula parte levat.
Nam mihi conciliat gratas impensius aures
Vel meritum belli, vel Stilichonis amor.

DE BELLO GETICO LIBER.

Intacti cum claustra freti, coeuntibus æquor
Armatum scopulis, audax irrumperet Argo,
Æetam Colchosque petens; propiore periclo
Omnibus attonitis, solus post numina Tiphys
Incolumem tenui damno servasse carinam 5
Fertur, et ancipitem montis vitasse ruinam,
Deceptoque vagæ concursu rupis in altum
Victricem duxisse ratem. Stupuere superbæ
Arte viri domitæ Symplegades, et, nova passæ
Jura soli, cunctis faciles jam puppibus hærent, 10
Ut vinci didicere semel. Quod si ardua Tiphyn
Navis ob innocuæ meritum sic gloria vexit;
Quæ tibi pro tanti pulso discrimine regni
Sufficiant laudes, Stilicho? Licet omnia vates
In majus celebrata ferant, ipsamque secandis 15
Argois trabibus jactent sudasse Minervam;
Nec nemoris tantum junxisse carentia sensu
Robora, sed, cæso Tmarii Jovis augure luco,
Arbore præsaga tabulas animasse loquaces.
Plurima sed quamvis variis miracula monstris 20
Ingeminent teneras vincturo carmine mentes,
Harpyiasque truces, insopitisque refusum
Tractibus aurati custodem velleris anguem,
Et juga taurorum rapidis ambusta favillis,
Et virides galeis sulcos, fetasque novales 25
Matris, et in segetem crescentis semina belli;
Nil veris æquale dabunt. Prohibere rapaces
Scilicet Harpyias, unaque excludere mensa
Nobilior titulus, quam tot potuisse paratas
In Latii prædam Geticas avertere fauces? 30
Anne ego terrigenas potius mirabor in ipsis
Procubuisse satis, vitæ quibus attulit idem
Principium finemque dies; quam cæsa Getarum
Agmina, quos tantis aluit Bellona tropæis,
Totaque sub galeis Mavortia canuit ætas? 35
Per te namque unum mediis exuta tenebris
Imperio sua forma redit, claustrisque solutæ
Tristibus exsangues audent procedere leges.
Jamque potestates priscus discriminat ordo
Justitiæ, quas ante pares effecerat una 40
Nube timor. Tua nos urgenti dextera leto
Eripuit, tectisque suis redduntur et agris
Damnati fato populi, virtute renati.
Jam non in pecorum morem formidine clausi

Prospicimus sævos campis ardentibus ignes: 45
Alta nec incertis metimur flumina votis
Excidio latura moram: non poscimus amnes
Undosam servare fidem, nubesque fugaces,
Aut conjuratum querimur splendere serenum.
Ipsa quoque interius furiis exercita plebis 50
Securas jam Roma levat tranquillior arces.
Surge, precor, veneranda parens, et certa secundis
Fide deis, humilemque metum depone senectæ,
Urbs æquæva polo. Tum demum ferrea sumet
Jus in te Lachesis, cum sic mutaverit axem 55
Fœderibus natura novis, ut flumine verso
Irriget Ægyptum Tanais, Mæotida Nilus,
Eurus ab occasu, Zephyrus se prodat ab Indis
Caucasiisque jugis calido nigrantibus Austro
Gætulas Aquilo glacie constringat arenas. 60
Fatales hucusque manus, crebrisque notatæ
Prodigiis abiere minæ. Nec sidera pacem
Semper habent: ipsumque Jovem turbante Typhoeo
(Si fas est) tremuisse ferunt, cum brachia centum
Montibus armaret totidem, spiramque retorquens
Lamberet attonitas erectis anguibus Arctos. 66
Quid mirum, si regna labor mortalia vexat?
Cum gemini fratres, genuit quos asper Aloeus,
Martem subdiderint vinclis, et in astra negatas
Tentarint munire vias, steteritque revulsis 70
Pæne tribus scopulis cœlesti machina bello.
Sed caret eventu nimius furor: improba nunquam
Spes lætata diu: nec pervenere juventæ
Robur Aloidæ. Dum vellere Pelion Otus
Nititur, occubuit Phœbo, moriensque Ephialtes
In latus obliquam projecit languidus Ossam. 76
Adspice, Roma, tuum jam vertice celsior hostem:
Adspice, quam rarum referens inglorius agmen
Italia detrusus eat; quantumque priori
Dissimilis, qui cuncta sibi cessura ruenti 80
Pollicitus, patrii numen juraverat Istri,
Non nisi calcatis loricam ponere rostris.
O rerum fatique vices! qui fœda parabat
Romanas ad stupra nurus, sua pignora vidit
Conjugibus permixta trahi. Qui mente profunda
Hauserat Urbis opes, ultro victoribus ipse 86
Præda fuit. Nostri quondam qui militis auro
Aggressus tentare fidem, desertus ab omni
Gente ua, manibusque redit truncatus et armis.
Hoc quoque, quod veniam leti valuere mereri,
Si positis pendas odiis, ignoscere pulchrum 91
Jam misero, pœnæque genus vidisse precantem.
Quæ vindicta prior, quam cum formido superbos
Flectit, et adsuetum spoliis affligit egestas?
Sed magis ex aliis fluxit clementia causis, 95
Consulitur dum, Roma, tibi. Tua cura coegit
Inclusis aperire fugam, ne pejor in arcto
Sæviret rabies venturæ conscia mortis.
Nec tanti nomen stirpemque abolere Getarum,
Ut propius peterere, fuit. Procul arceat altus 100
Jupiter, ut delubra Numæ, sedemque Quirini
Barbaries oculis saltem temerare profanis
Possit, et arcanum tanti deprendere regni.
Quanquam, si veterum certamina rite recordor,
Tunc etiam, pulchra cum libertate vigeret, 105
Et proprio late florerent milite Patres,
Semper ab his famæ petiere insignia bellis,
Quæ diversa procul tuto trans æquora vires
Exercere dabant. Currus regumque catervæ
Inter abundantis fati ludibria ductæ. 110
At vero Italiam quoties circumstetit atrox
Tempestas, ipsumque caput læsura pependit,
Non illis vani ratio ventosa favoris,
Sed graviter spectata salus: ductorque placebat,
Non qui præcipiti traheret simul omnia casu, 115
Sed qui maturo vel læta vel aspera rerum
Consilio momenta regens, nec tristibus impar,
Nec pro successu nimius, spatiumque morandi,
Vincendique modum mutatis nosset habenis.
Cautius ingentes morbos, et proxima cordi 120
Ulcera, Pæoniæ tractat sollertia curæ,
Parcendoque secat, ferro ne largius acto
Irrevocandus eat sectis vitalibus error.
Sublimi certe Curium canit ore vetustas,
Æaciden Italo pepulit qui littore Pyrrhum. 125
Nec magis insignis Paulli Mariique triumphus,
Qui captos niveis reges egere quadrigis.
Plus fuga laudatur Pyrrhi, quam vincla Jugurthæ.
Et quamvis gemina fessum jam clade fugarit,
Post Decii lituos, et nulli pervia culpæ 130
Pectora Fabricii donis invicta vel armis,
Plena datur Curio pulsi victoria Pyrrhi.
Quanto majus opus solo Stilichone peractum
Cernimus! hic validam gentem, quam dura nivosis
Educat Ursa plagis, non Chaonas atque Molossos,
Quos Epirus alit, nec Dodonæa subegit 136
Agmina, fatidicam frustra jactantia quercum.
Primus fulmineum lento luctamine Pœnum
Compressit Fabius: campo post ausus aperto
Marcellus vinci docuit: sed tertia virtus 140
Scipiadæ Latiis tandem deterruit oris.
Unus in hoc Stilicho diversis artibus hoste
Tres potuit superare duces; fregitque furentem
Cunctando, vicitque manu, victumque relegat.
Atque hæc tanta brevi. Miscentem incendia
Sustinuit toto mærens Œnotria lustro: [Pyrrhum
Et prope ter senas Itali per graminis herbas
Massylus Pœno sonipes vastante cucurrit,
Hannibalemque senem vix ad sua repulit arva
Vindex sera patrum post bellum nata juventus.
Hic celer effecit, bruma ne longior una 151
Esset hiems rerum, primis sed messibus æstas
Temperiem cœlo pariter belloque referret.
Sed quid ego Hannibalem contra Pyrrhumque tot annis
Certatum memorem? vilis cum Spartacus omne
Per latus Italiæ ferro bacchatus et igni, 156
Consulibusque palam toties congressus, inertes
Exuerit castris dominos, et strage pudenda
Fuderit imbelles aquilas servilibus armis.
Nos terrorum expers, et luxu mollior ætas 160
Deficimus queruli, si bos abductus aratro,
Si libata seges. Non hanc ergastula nobis
Immisere manum, nec conjurantis arenæ
Turba fuit. Qualem Stilicho dejecerit hostem,
Thraces et Hæmonii poterunt Mœsique fateri. 165
Frigida ter decies nudatum frondibus Hæmum
Tendit hiems vestire gelu, totiesque solutis
Ver nivibus viridem monti reparavit amictum,
Ex quo jam patrios gens hæc oblita Triones,
Atque Istrum transvecta semel, vestigia fixit 170
Threicio funesta solo; seu fata vocabant,
Seu gravis ira deûm, seriem meditata ruinis.
Ex illo, quocunque vagos impegit Erinnys,
Grandinis aut morbi ritu per devia rerum
Præcipites, per clausa, ruunt: nec contigit ullis
Amnibus aut scopulis proprias defendere terras.
Nil Rhodope, nil vastus Athos, nil profuit Hæmus
Odrysiis. Facili contemtum Strymona saltu,
Et frustra rapidum damnant Haliacmona Bessi.
Nubibus intactum Macedo miratur Olympum 180
More pererratum campi. Gemit irrita Tempe

Thessalus, et domitis irrisam cautibus Œten.
Sperchiusque, et virginibus dilectus Enipeus
Barbaricas lavere comus. Non objice Pindi
Servati Dryopes: nec nubifer Actia texit 185
Littora Leucates: ipsæ, qua durius olim
Restiterant Medis, primo conamine ruptæ
Thermopylæ. Valluta mari Scironia rupes,
Et duo continuo connectens æquora muro
Isthmos, et angusti patuerunt claustra Lechæi.
Nec tibi Parrhasios licuit munire colonos 191
Frondosis, Erymanthe, jugis: equitataque summi
Culmina Taygeti trepidæ vidistis Amyclæ.
Tandem supplicium cunctis pro montibus Alpes
Exegere Getis: tot tandem flumina victor 195
Vindicat Eridanus. Docuit nunc exitus, alte
Fatorum secreta tegi. Quisquamne reclusis
Alpibus ulterius Latii fore credidit umbram?
Nonne velut capta rumor miserabilis Urbe
Trans freta, trans Gallos, Pyrenæumque cucurrit;
Famaque nigrantes succincta pavoribus alas, 201
Secum cuncta trahens, a Gadibus usque Britannum
Terruit Oceanum, et nostro procul axe remotam
Insolito belli tremefecit murmure Thulen?
Mandemusne Noti flabris, quoscunque timores
Pertulimus, festæ doleant ne tristibus aures? 206
An potius meminisse juvat, semperque vicissim
Gaudia præmissi cumulant inopina dolores?
Utque sub occidua jactatis Pliade nautis
Commendat placidum maris inclementia portum;
Sic mihi tunc major Stilicho, cum læta periclis
Metior, atque illi redeunt in corda tumultus.
Nonne videbantur, quamvis adamante rigentes,
Turribus invalidis fragiles procumbere muri,
Ferratæque Getis ultro se pandere portæ. 215
Nec vallum densæque sudes arcere volantes [pes,
Cornipedum saltus? Jam jam conscendere pup-
Sardoosque habitare sinus, et inhospita Cyrni
Saxa parant, vitamque freto spumante tueri.
Ipsa etiam diffisa brevi Trinacria ponto, 220
Si rerum natura sinat, discedere longe
Optet, et Ionium refugo laxare Peloro.
Fultaque despiciens auro laquearia dives,
Tutior Æoliis mallet vixisse cavernis.
Jamque oneri creduntur opes, tandemque libido
Hæsit avaritiæ, gravioribus obruta curis. 226
Utque est ingenioque loquax, et plurima fingi
Permittens credique timor; tum somnia vulgo
Narrari, tum monstra deûm, monitusque sinistri:
Quid meditentur aves, quid cum mortalibus æther
Fulmineo velit igne loqui, quid carmine poscat
Fatidico custos Romani carbasus ævi.
Territat assiduus Lunæ labor, atraque Phœbe
Noctibus ærisonas crebris ululata per urbes.
Nec credunt vetito fraudatam Sole sororem 235
Telluris subeunte globo; sed castra secutas
Barbara Thessalidas patriis lunare venenis
Incestare jubar. Tunc anni signa prioris,
Et si quod fortasse quies neglexerit omen,
Addit cura novis: lapidosos grandinis ictus, 240
Molitasque examen apes, passimque crematas
Perbacchata domos nullis incendia causis,
Et nunquam cœlo spectatum impune cometen,
Qui primum roseo Phœbi prolatus ab ortu,
Qua micat astrigera senior cum conjuge Cepheus,
Inde Lycaonia paullatim expulsus ab Arcto 246
Crine vago Getici fœdavit sidera plaustri,
Donec in exiguum moriens vanesceret ignem.
Sed gravius mentes cæsorum ostenta luporum
Horrificant. Duo quippe lupi sub principis ora,
Dum campis exercet equos, violenter adorti
Agmen, et excepti telis, immane relatu
Prodigium, miramque notam duxere futuri.
Nam simul humano geminas de corpore palmas
Utraque perfossis emisit bellua costis: 255
Illo læva tremens, hoc dextera, ventre latebant,
Intentis ambæ digitis, et sanguine vivo.
Scrutari si vera velis, fera nuntia Martis
Ora sub Augusti casurum prodidit hostem.
Utque manus utero virides patuere retecto, 260
Romula post ruptas sic virtus emicat Alpes.
Sed malus interpres rerum metus omne trahebat
Augurium pejore via, truncataque membra,
Nutricemque lupam, Romæ regnoque minari.
Tunc reputant annos, interceptoque volatu 265
Vulturis, incidunt properatis sæcula metis.
Solus erat Stilicho, qui desperantibus augur
Sponderet meliora manu: dubiæque salutis
Dux idem vatesque fuit. Durate parumper,
Inquit, et excussis muliebribus ore querelis 270
Fatorum toleremus onus. Nil nautica prosunt
Turbatæ lamenta rati: nec segnibus undæ
Planctibus, aut vanis mitescunt flamina votis.
Nunc instare manu, toto nunc robore niti
Communi pro luce decet; succurrere velis, 275
Exhaurire fretum, varios aptare rudentes,
Omnibus et docti jussis parere magistri.
Non, si perfidia nacti penetrabile tempus
Irrupere Getæ, nostras dum Rhætia vires
Occupat, atque alio desudant Marte cohortes, 280
Idcirco spes omnis abît. Mirabile posset
Esse mihi, si fraude nova, vel calle reperto
Barbarus ignotas invaderet inscius Alpes.
Nunc vero geminis clades repetita tyrannis
Famosum vulgavit iter, nec nota fefellit 285
Semita præstructum bellis civilibus hostem.
Per solitas venere vias, aditusque sequendos
Barbarico Romana dedit discordia bello.
Sed nec præteritis hæc res incognita sæclis.
Sæpe lacessitam, sed non impune, fatemur 290
Ausoniam. Hæc Senonum restinxit sanguine flammas:
Hæc et Teutonico quondam patefacta furori
Colla catenati vidit squalentia Cimbri.
Vile decus, quod non erexit prævius horror.
Ingentes geminant discrimina magna triumphos.
Quid turpes jam mente fugas, quid Gallica rura
Respicitis, Latioque libet post terga relicto
Longinquum profugis Ararin præcingere castris?
Scilicet Arctois concessa gentibus Urbe 299
Considet regnum Rhodano, capitique superstes
Truncus erit. Vestros stimulant si pignora sensus,
Me quoque non impar naturæ cura remordet.
Nec ferro sic corda rigent, ut nosse recusem,
Quam sanctum soceri nomen, quam dulce mariti,
Quantus prolis amor. Sed nunquam oblita decoris
Obscænam latebram pietas ignava requiret. 306
Nec vobis fortis monitor, mihi cautior uni.
Hic conjux, hic progenies, hic carior omni
Luce gener: pars nulla mei subducta procellæ.
Accipe tu nostræ, tellus Œnotria, mentis 310
Vincula communes tecum subeuntia casus,
Exiguamque moram muris impende tuendis,
Dum redeo lectum referens in classica robur.
His dictis pavidi firmavit inertia vulgi 314
Pectora, migrantisque fugam compescuit aulæ
Ausaque tum primum tenebris emergere pulsis
Hesperia, ut secum junxisse pericula vidit
Augustum, tantoque sui stetit obside fati.
Protinus, umbrosa vestit qua littus oliva

Larius, et dulci mentitur Nerea fluctu, 320
Parva puppe lacum prætervolat. Ocius inde
Scandit inaccessos brumali sidere montes,
Nil hiemis cœlive memor. Sic ille relinquens
Jejunos antro catulos immanior exit
Hiberna sub nocte leo, tacitusque per altas 325
Incedit furiale nives: stant colla pruinis
Aspera: flaventes adstringit stiria setas.
Nec meminit leti, nimbosve aut frigora curat,
Dum natis alimenta paret. Sublimis in Arcton
Prominet Hercyniæ confinis Rhætia sylvæ:
Quæ se Danubii jactat Rhenique parentem, 331
Utraque Romuleo prætendens flumina regno.
Primo fonte breves, alto mox gurgite regnant,
Et fluvios cogunt unda coeunte minores
In nomen transire suum. Te Cimbrica Tethys
Divisum bifido consumit, Rhene, meatu: 336
Thracia quinque vadis Istrum vorat Amphitrite.
Ambo habiles remis, ambo glacialia secti
Terga rotis; ambo Boreæ Martique sodales.
Sed latus, Hesperiæ quo Rhætia jungitur oræ,
Præruptis ferit astra jugis, panditque terendam
Vix æstate viam. Multi seu Gorgone visa
Obriguere gelu: multos hausere profundæ
Vasta mole nives, cumque ipsis sæpe juvencis
Naufraga candenti merguntur plaustra barathro.
Interdum glacie subitam labente ruinam 346
Mons dedit, et tepidis fundamina subruit Austris
Pendenti malefida solo. Per talia tendit
Frigoribus mediis Stilicho loca. Nulla Lyæi
Pocula; rara Ceres: raptos contentus in armis
Delibasse cibos, madidoque oneratus amictu 351
Algentem pulsabat equum. Nec mollia fesso
Strata dedere torum: tenebris si cæca repressit
Nox iter, aut spelæa subît metuenda ferarum,
Aut pastorali jacuit sub culmine, fultus 355
Cervicem clypeo. Stat pallidus hospite magno
Pastor, et ignoto præclarum nomine vultum
Rustica sordenti genitrix ostendit alumno.
Illa sub horrendis prædura cubilia sylvis,
Illi sub nivibus somni, curæque, laborque 360
Pervigil, hanc requiem terris, hæc otia rebus
Insperata dabant: illæ tibi, Roma, salutem
Alpinæ peperere casæ. Jam fœdera gentes
Exuerant, Latiique audita clade feroces
Vindelicos saltus et Norica rura tenebant. 365
Ac veluti famuli, mendax quos mortis herilis
Nuntius in luxum falso rumore resolvit,
Dum marcent epulis, atque inter vina chorosque
Persultat vacuis effrena licentia tectis;
Si reducem dominum fors improvisa revexit, 370
Hærent attoniti, libertatemque perosus
Conscia servilis præcordia concutit horror.
Sic ducis adspectu cuncti stupuere rebelles,
Inque uno princeps, Latiumque, et tota refulsit
Roma viro. Frons læta parum, non tristior æquo,
Non dejecta malis, mixta sed nobilis ira: 376
Qualis in Herculeo, quoties infanda jubebat
Eurystheus, fuit ore dolor: vel qualis in atram
Sollicitus nubem mæsto Jove cogitur æther.
Tantane vos, inquit, Getici fiducia belli 380
Erigit? hinc animo frustra tumuistis inani?
Non ita Romanum fati violentia nomen
Opprimit, ut vestros nequeat punire tumultus
Parte sui. Neu vos longe sermone petito
Demorer, exemplum veteris cognoscite facti. 385
Cum ferus Ausonias perfringeret Hannibal arces,
Et Trebiam sævo geminassent funere Cannæ,
Nequicquam Emathium pepulit spes vana Philippum,
Ut velut afflictos ferro tentaret inerti.
Romanos commovit atrox injuria Patres, 390
Urgerent majora licet; graviterque tulere,
Urbibus inter se claris de culmine rerum
Congressis, aliquid gentes audere minores.
Nec pœnam differre placet; sed bella gerenti
Punica Lævino regis quoque prœlia mandant.
Paruit imperiis consul; fususque Philippus, 396
Vilia dum gravibus populis interserit arma,
Prætereunte manu, didicit non esse potentum
Tentandas, mediis quamvis in luctibus, iras.
Hoc monitu pariter nascentia bella repressit,
Et bello quæsivit opes: legitque precantes 401
Auxilio, mensus numerum, qui congruus esset,
Nec gravis Italiæ, formidandusve regenti.
Nec minus accepto nostræ rumore cohortes
(Sic ducis urget amor) properantibus undique signis 405
Conveniunt; visoque animi Stilichone recepti
Singultus varios lacrymosaque gaudia miscent.
Sic armenta boum, quæ vastis turbida sylvis
Spargit hiems, cantus ac sibila nota magistri
Certatim repetunt, et avitæ pascua vallis; 410
Inque vicem se voce rogant, gaudentque fideles
Reddere mugitus; et, qua sonus attigit aurem,
Rara per obscuras apparent cornua frondes.
Accurrit vicina manus, quam Rhætia nuper
Vindelicis auctam spoliis defensa probavit. 415
Venit et extremis legio prætenta Britannis,
Quæ Scoto dat frena truci, ferroque notatas
Perlegit exsangues Picto moriente figuras.
Agmina quin etiam flavis objecta Sicambris, [cos,
Quæque domant Cattos immansuetosque Cherus-
Huc omnes vertere minas, tutumque remotis 421
Excubiis Rhenum solo terrore relinquunt.
Ullane posteritas credet? Germania quondam
Illa ferox populis, quæ vix instantibus olim
Principibus tota poterat cum mole teneri, 425
Tam sese placidam præstat Stilichonis habenis,
Ut nec præsidiis nudato limite tentet
Expositum calcare solum, nec transeat amnem,
Incustoditam metuens attingere ripam.
Celsior o cunctis, unique æquande Camillo! 430
Vestris namque armis Alarici fracta quievit
Ac Brenni rabies. Confusis rebus uterque
Divinam tribuistis opem: sed tardior ille
Jam captæ vindex patriæ; tu sospitis ultor.
O quantum mutata tuo fortuna regressu! 435
Ut sese pariter diffudit in omnia regni
Membra vigor, vivusque redît color urbibus ægris!
Creditur Herculeis lucem renovasse lacertis
Fœmina dilecti fatis impensa mariti.
Et juvenem spretæ laniatum fraude novercæ 440
Non sine Circæis Latonia reddidit herbis.
Cretaque, si verax narratur fabula, vidit
Minoum rupto puerum prodire sepulcro,
Quem senior vates avium clangore repertum
Gramine restituit: miræ nam munere sortis 445
Dulcia mella necem, vitam dedit horridus anguis.
At tuus adventus non unum corpus ab umbris,
Sed tot communi populos sub morte jacentes,
Totaque Tartareis e faucibus oppida traxit.
Ipso Roma die (nec adhuc ostenditur auctor)
Personuit venisse ducem, lætisque Quirites 451
Vocibus auspicium certi plausere triumphi,
Muniti Stilichone suo. Quis gaudia vero
Principis, amplexus alacris quis disserat aulæ?
Pulveris ambiguam nubem speculamur ab altis
Turribus, incerti, socios apportet an hostes 456

Ille globus: mentem suspensa silentia librant:
Donec pulvereo sub turbine sideris instar
Emicuit Stilichonis apex, et cognita fulsit
Canities. Gavisa repens per mœnia clamor 460
Tollitur, Ipse venit. Portas secura per omnes
Turba salutatis effunditur obvia signis.
Non jam delectus miseri, nec falce per agros
Deposita jaculum vibrans ignobile messor:
Nec tentat clypeum projectis sumere rastris 465
Bellona ridente Ceres, humilisque novorum
Seditio clamosa ducum: sed vera juventus,
Verus ductor adest, et vivida Martis imago.
Prospera sed quantum nostræ spes addita menti,
Tantum exemta Getæ. Qui vertice proximus astris
Post Alpes jam cuncta sibi promisit apertas, 471
Nil superesse ratus; postquam tot flumina pulsus,
Cinctaque fluminibus crebris tot mœnia cernit,
Tot subitos pedites, equitum tot conspicit alas,
Seque velut clausum laqueis, sub pectore furtim
Æstuat, et nimium prono fervore petitæ 476
Jam piget Italiæ, speratagque Roma teneri
Visa procul: magni subeunt jam tædia cœpti.
Occultat tamen ore metum, primosque suorum
Consultare jubet bellis annisque verendos. 480
Crinigeri sedere patres, pellita Getarum
Curia, quos plagis decorat numerosa cicatrix,
Et tremulos regit hasta gradus, et nititur altis
Pro baculo contis non exarmata senectus.
Hic aliquis gravior natu, cui plurima dicti 485
Consiliique fides, defixus lumina terræ, [no,
Concutiensque comam, capuloque acclinis ebur-
Si numero non fallor, ait, tricesima currit [trum,
Bruma fere, rapidum postquam tranavimus Is-
Romanamque manum tantis eludimus annis.
Sed nunquam Mavors adeo constrinxit in arctum
Res, Alarice, tuas. Per tot certamina ducto
Crede seni, qui te tenero vice patris ab ævo
Gestatum parva solitus donare pharetra,
Atque aptare breves humeris puerilibus arcus.
Sæpe quidem frustra monui, servator ut icti 496
Fœderis Emathia tutus tellure maneres.
Sed quoniam calidæ rapuit te flamma juventæ,
Nunc saltem, si cura tibi manet ulla tuorum,
His claustris evade precor: dumque agmina longe,
Dum licet, Hesperiis præceps elabere terris, 501
Ne nova prædari cupiens, et parta reponas,
Pastorique lupus scelerum delicta priorum
Intra septa luas. Quid palmitis uber Etrusci,
Quid mihi nescio quam proprio cum Tibride Romam 505
Semper in ore geris? Referunt si vera parentes,
Hanc urbem insano nullus qui Marte petivit
Lætatus violasse redit. Nec numina sedem
Destituunt: jactata procul dicuntur in hostem
Fulmina, divinique volant pro mœnibus ignes;
Seu cœlum, seu Roma, tonat. Si temnis Olympum,
A magno Stilichone cave, qui semper iniquos
Fortuna famulante premit. Scis ipse, perosis
Arcadiæ quam densa rogis cumulaverit ossa;
Sanguine quam largo Graios calefecerit amnes.
Exstinctusque fores, ni te sub nomine legum
Proditio regnique favor texisset Eoi.
Talia grendævum flammata fronte loquentem
Obliquisque tuens oculis non pertulit ultra;
Sed rupit rabidas accensa superbia voces: 520
Si non mentis inops fraudataque sensibus ætas
Præberet veniam, nunquam hæc opprobria linguæ
Turpia Danubius me sospite ferret inultus.
Anne, tot Augustos Hebro qui teste fugavi,
Te patiar suadente fugam, cum cesserit omnis
Obsequiis natura meis? Subsidere nostris 526
Sub pedibus montes, arescere vidimus amnes.
Non ita di Getici faxint, manesque parentum,
Ut mea converso relegam vestigia cursu.
Hanc ego vel victor regno, vel morte tenebo 530
Victus humum. Per tot populos urbesque cucurri,
Fregi Alpes, galeisque Padum victricibus hausi.
Quid restat, nisi Roma, mihi? Gens robore nostra
Tunc quoque pollebat, nullis cum fideret armis.
At nunc Illyrici postquam mihi tradita jura, 535
Meque suum fecere ducem; tot tela, tot enses,
Tot galeas multo Thracum sudore parari,
Inque meos usus vectigal vertere ferri
Oppida legitimo jussu Romana coegi.
Sic me fata fovent: ipsi, quos omnibus annis 540
Vastabam, servire dati: nocitura gementes
Arma dabant, flammisque diu mollitus et arte
In sua damna chalybs fabro lugente rubebat.
Hortantes his adde deos. Non somnia nobis,
Nec volucres, sed clara palam vox edita luco est:
Rumpe omnes, Alarice, moras: hoc impiger anno
Alpibus Italiæ ruptis penetrabis ad Urbem.
Huc iter usque datur. Quis jam post talia segnis
Ambigat, aut cœlo dubitet parere vocanti?
Sic ait, hortatusque suos belloque viæque 550
Instruit: attollunt vanos oracula fastus.
O semper tacita sortes ambage malignæ,
Eventuque patens, et nescia vatibus ipsis
Veri sera fides! Ligurum regione suprema
Pervenit ad fluvium, miri cognominis, Urbem,
Atque illic domitus vix tandem interprete casu
Agnovit dubiis illusa vocabula fatis.
Nec non et Stilicho pugnam poscentia movit
Pleno castra gradu, dictisque instigat euntes:
Nunc o, nunc, socii, temeratæ sumite tandem
Italiæ pœnas: obsessi principis armis 561
Excusate nefas, deploratumque Timavo
Vulnus, et Alpinum gladiis abolete pudorem.
Hic est, quem toties campis fudistis Achivis;
Quem discors odiisque anceps civilibus orbis,
Non sua vis, tutata diu, dum fœdera fallax 566
Ludit, et alternæ perjuria venditat aulæ.
Credite nunc omnes, quas dira Britannia, gentes
Quas Ister, quas Rhenus alit, pendere paratas
In speculis. Uno tot prœlia vincite bello. 570
Romanum reparate decus, molemque labantis
Imperii fulcite humeris. Hic omnia campus
Vindicat: hæc mundo pacem victoria sancit.
Non in Threiciis Hæmi decernimus oris:
Nec super Alpheas umbrantia Mænala ripas 575
Constitimus: non hic Tegeen Argosque tuemur
Visceribus mediis, ipsoque in corde videtis
Bella geri: patrem clypeis defendite Tibrin.
Talia, nunc pediti, turmæ nunc mixtus equestri,
Dicta dabat: simul externis præcepta ferebat 580
Auxiliis. Ibat patiens ditionis Alanus,
Qua nostræ jussere tubæ: mortemque petendam
Pro Latio docuit gentis prælatus Alanæ;
Cui natura breves animis ingentibus artus
Finxerat, immanique oculos infecerat ira. 585
Vulneribus pars nulla vacat, rescissaque contis
Gloria fœdati splendet jactantior oris.
Ille tamen mandante procul Stilichone citatis
Acceleravit equis, Italamque momordit arenam;
Felix, Elysiisque plagis et carmine dignus, 590
Qui male suspectam nobis impensius arsit
Vel leto purgare fidem: qui judice ferro
Diluit immeritum laudato sanguine crimen.
Morte viri turbatus eques flectebat habenas:

Totaque præciso nutassent agmina cornu, 595
Ni celer instructa Stilicho legione secutus [trem.
Subsidiis peditum pugnam instaurasset eques-
Quis Musis ipsoque licet Pæane recepto
Enarrare queat, quantum Gradivus in illa
Luce suæ dederit fundator originis urbi? 600
Altius haud unquam toto descendimus ense
In jugulum Scythiæ: tanta nec clade superbum
Contudimus Tanain, vel cornua fregimus Istri.
Invisum miles sitiens haurire cruorem 604
Per varias vestes, oneratque plaustra metallo
Transit, et argenti cumulos, et cædis avarus
Contemtas proculcat opes: pretiosior auro
Sanguis erat. Passim neglecti prodiga lucri
Ira furens strictis odium mucronibus explet.
Purpureos cultus, absumtique igne Valentis 610
Exuvias, miserisque graves crateras ab Argis,
Raptaque flagranti spirantia signa Corintho
Callidus ante pedes venientibus objicit hostis
Incassum; neque enim feralis præda moratur,
Sed justos præbent stimulos monimenta doloris.
Adseritur ferro captivum vulgus, et omnes 616
Diversæ vocis populi, quos traxerat hostis
Servitio, tandem dominorum strage redemti
Blanda cruentatis affigunt oscula dextris,
Desertosque lares et pignora læta revisunt. 620
Miratur sua quemque domus, cladesque renarrant
Ordine: tum grati referunt miracula belli.
Quis tibi nunc, Alarice, dolor, cum Marte peri-
Divitiæ, spoliisque diu quæsita supellex, [rent
Pulsaretque tuas ululatus conjugis aures? 625
Conjugis, invicto quæ dudum freta marito
Demens Ausonidum gemmata monilia matrum,
Romanasque alta famulas cervice petebat.
Scilicet Argolicas Ephyreiadasque puellas
Cœperat, et pulchras jam fastidire Lacænas. 630
Sed dea, quæ nimiis obstat Rhamnusia votis,
Ingemuit, flexitque rotam. Domat aspera victos
Pauperies, unoque die Romana rependit
Quicquid ter denis acies amisimus annis.
O celebranda mihi cunctis Pollentia sæclis!
O meritum nomen felicibus apta triumphis! 636
Virtutis fatale solum, memorabile bustum
Barbariæ! nam sæpe locis ac finibus illis
Plena lacessito rediit vindicta Quirino.
Illic Oceani stagnis excita supremis 640
Cimbrica tempestas, aliasque immissa per Alpes,
Isdem procubuit campis. Jam protinus ætas
Adveniens geminæ gentis permisceat ossa,
Et duplices signet titulos commune tropæum:
Hic Cimbros fortesque Getas, Stilichone peremtos 645
Et Mario claris ducibus, tegit Itala tellus.
Discite vesanæ Romam non temnere gentes.

IN SEXTUM CONSULATUM HONORII AUGUSTI PRÆFATIO.

Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno,
Pectore sopito reddit amica quies.
Venator defessa toro cum membra reponit,
Mens tamen ad sylvas et sua lustra redit.
Judicibus lites, aurigæ somnia currus, 5
Vanaque nocturnis meta cavetur equis.
Furto gaudet amans: permutat navita merces:
Et vigil elapsas quærit avarus opes.
Blandaque largitur frustra sitientibus ægris
Irriguus gelido pocula fonte sopor. 10
Me quoque Musarum studium sub nocte silenti
Artibus adsuetis sollicitare solet.
Namque poli media stellantis in arce videbar
Ante pedes summi carmina ferre Jovis.
Utque favet somnus, plaudebant numina dictis,
Et circumfusi sacra corona chori. 16
Enceladus mihi carmen erat, vinctusque Typhoeus:
Hic subit Inarimen, hunc gravis Ætna domat.
Quam lætum post bella Jovem susceperit æther,
Phlegrææ referens præmia militiæ. 20
Additur ecce fides: nec me mea lusit imago,
Irrita nec falsum somnia misit ebur.
En princeps, en orbis apex æquatus Olympo:
En, quales memini, turba verenda, deos.
Fingere nil majus potuit sopor; altaque vati 25
Conventum cœlo præbuit aula parem.

DE SEXTO CONSULATU HONORII AUGUSTI PANEGYRIS.

Aurea Fortunæ Reduci si templa priores
Ob reditum vovere ducum, num dignius unquam
Hæc dea pro meritis amplas sibi posceret ædes,
Quam sua cum pariter trabeis reparetur et Urbi
Majestas? Nec enim Campus sollennis et urna 5
Luditur in morem: species nec dissona cœtu,
Aut peregrina nitet simulati juris imago.
Indigenas habitus nativa Palatia sumunt,
Et, patriis plebem castris sociante Quirino,
Mars augusta sui renovat suffragia Campi. 10
Qualis erit terris, quem mons Evandrius offert
Romanis avibus, quem Tibris inaugurat, annus?
Quanquam omnes, quicunque tui cognominis, anni
Semper inoffensum dederint successibus omen,
Sintque tropæa tuas semper comitata secures: 15
Hic tamen ante omnes miro promittitur ortu
Urbis et Augusti geminato nomine felix.
Namque velut stellas Babylonia cura salubres
Optima tunc spondet mortalibus edere fata,
Cœlicolæ cum celsa tenent, summoque feruntur
Cardine, nec radios humili statione retundunt:
Haud aliter Latiæ sublimis signifer aulæ,
Imperii sidus propria cum sede locavit,

Auget spes Italas: et certius omina surgunt
Victrici concepta solo. Cum pulcher Apollo 25
Lustrat Hyperboreas Delphis cessantibus aras,
Nil tum Castaliæ rivis communibus undæ
Dissimiles, vili nec discrepat arbore laurus:
Antraque mæsta silent, inconsultique recessus.
At si Phœbus adest, et frenis grypha jugalem 30
Rhipæo tripodas repetens detorsit ab axe,
Tunc sylvæ, tunc antra loqui, tunc vivere fontes:
Tunc sacer horror aquis, adytisque effunditur
Clarior, et doctæ spirant præsagia rupes. [Echo
Ecce Palatino crevit reverentia monti, 35
Exsultatque habitante deo, potioraque Delphis
Supplicibus late populis oracula pandit,
Atque suas ad signa jubet revirescere lauros.
Non alium certe decuit rectoribus orbis
Esse larem, nulloque magis se colle potestas 40
Æstimat, et summi sentit fastigia juris.
Attollens apicem subjectis regia rostris,
Tot circum delubra videt, tantisque deorum
Cingitur excubiis. Juvat infra tecta Tonantis
Cernere, Tarpeia pendentes rupe Gigantas, 45
Cælatasque fores, mediisque volantia signa
Nubibus, et densum stipantibus æthera templis,
Æraque vestitis numerosa puppe columnis
Consita, subnixasque jugis immanibus ædes,
Naturam cumulante manu, spoliisque micantes
Innumeros arcus. Acies stupet igne metalli, 51
Et circumfuso trepidans obtunditur auro.
Agnoscisne tuos, princeps venerande, penates?
Hæc sunt, quæ primis olim miratus in annis,
Patre pio monstrante, petis. Nil optimus ille 55
Divorum toto meruit felicius ævo,
Quam quod Romuleis victor sub mœnibus egit
Te consorte dies; cum, se melioribus addens
Exemplis, civem gereret terrore remoto,
Alternos cum plebe jocos dilectaque passus 60
Jurgia, patriciasque domos, privataque passim
Visere deposito dignatus limina fastu.
Publicus hinc ardescit amor, cum moribus æquis
Inclinat populo regale modestia culmen.
Teque rudem vitæ, quamvis diademate necdum 65
Cingebare comas, socium sumebat honorum,
Purpureo fotum gremio, parvumque triumphis
Imbuit, et magnis docuit præludere fatis.
Te linguis variæ gentes, missique rogatum
Fœdera Persarum proceres, cum patre sedentem
Hac quondam videre domo, positoque tiaram 71
Submisere genu. Tecum prælarga vocavit
Ditandas ad dona tribus: fulgentia tecum
Collecti trabeatus adit delubra senatus,
Romano puerum gaudens offerre favori, 75
Ut novus imperio jam tunc adsuesceret hæres.
Hinc tibi concreta radice tenacius hæsit,
Et penitus totis inolevit Roma medullis,
Dilectæque urbis tenero conceptus ab ungue
Tecum crevit amor: nec te mutare reversum 80
Evaluit propria nutritor Bosporus arce.
Et quoties optare tibi, quæ mœnia malles,
Alludens genitor regni pro parte dedisset,
Divitis Auroræ solium sortemque paratam
Sponte remittebas fratri: Regat ille volentes 85
Assyrios; habeat Pharium cum Tigride Nilum:
Contingat mea Roma mihi. Nec vota fefellit
Eventus. Fortuna, novum molita tyrannum,
Jam tibi quærebat Latium; belloque secundo
Protinus Eoa velox accitus ab aula 90
Suscipis Hesperiam patrio bis Marte receptam.
Ipsa per Illyricas urbes Oriente relicto
Ire Serena comes, nullo deterrita casu
Materna te mente fovens, Latioque futurum
Rectorem, generumque sibi. Seniore supernas
Jam repetente plagas, illo sub cardine rerum 96
Sedula servatum per tot discrimina pignus
Restituit sceptris patrui, castrisque mariti.
Certavit pietate domus, fidæque reductum
Conjugis officio Stilichonis cura recepit. 100
Felix ille parens, qui te securus Olympum
Succedente petît! quam lætus ab æthere cernit
Se factis crevisse tuis! Duo namque fuere
Europæ Libyæque hostes: Maurusius Atlas
Gildonis furias, Alaricum barbara Peuce 105
Nutrierat: qui sæpe tuum sprevere profana
Mente patrem. Thracum venientem finibus alter
Hebri clausit aquis; alter præcepta vocantis
Respuit, auxiliisque ad proxima bella negatis
Abjurata palam Libyæ possederat arva. 110
Quorum nunc meritam repetens non immemor
Suppliciis fruitur, natoque ultore triumphat. [iram
Ense Thyestiadæ pœnas exegit Orestes:
Sed mixtum pietate nefas, dubitandaque cædis
Gloria, materno laudem cum crimine pensat. 115
Pavit Iuleos inviso sanguine manes
Augustus: sed falsa pii præconia sumsit
In luctum patriæ civili strage parentans.
At tibi causa patris rerum conjuncta saluti
Bellorum duplicat lauros, îsdemque tropæis 120
Reddita libertas orbi, vindicta parenti.
Sed mihi jam pridem captum Parnassia Maurum
Pieriis egit fidibus chelys: arma Getarum
Nuper apud socerum plectro celebrata recenti.
Adventus nunc sacra tui libet edere Musis, 125
Grataque patratis exordia sumere bellis.
Jam Pollentini tenuatus funere campi,
Concessaque sibi (rerum sic admonet usus)
Luce, tot amissis sociis, atque omnibus una
Direptis opibus, Latio discedere jussus 130
Hostis, et immensi revolutus culmine fati,
Turpe retexit iter. Qualis piratica puppis,
Quæ, cunctis infensa fretis, scelerumque referta
Divitiis, multasque diu populata carinas, 134
Ipcidit in magnam bellatricemque triremem,
Dum prædam de more parat, viduataque cæsis
Remigibus, scissis velorum debilis alis,
Orba gubernaclis, antennis saucia fractis,
Ludibrium pelagi vento jactatur et unda,
Vastato tandem pœnas luitura profundo. 140
Talis ab Urbe minas retro flectebat inanes
Italiam fugiens, et, quæ venientibus ante
Prona fuit, jam difficilis, jam dura reversis.
Clausa putat sibi cuncta pavor, retroque relictos
Quos modo temnebat, rediens exhorruit amnes.
Undosa tum forte domo vitreisque sub antris,
Rerum ignarus adhuc, ingentes pectore curas
Volvebat pater Eridanus, quis bella maneret
Exitus: imperiumne Jovi, legesque placerent,
Et vitæ Romana quies, an jura perosus 150
Ad priscos pecudum damnaret sæcula ritus.
Talia dum secum movet anxius, advolat una
Naiadum, resoluta comam; complexaque patrem,
En Alaricus, ait, non qualem nuper ovantem 154
Vidimus: exsangues, genitor, mirabere vultus.
Percensere manum, tantaque ex gente juvabit
Relliquias numerasse breves. Jam desine mæsta
Fronte queri, Nymphasque choris jam redde so-
Dixerat. Ille caput placidis sublime fluentis [rores
Extulit, et totis lucem spargentia ripis 160
Aurea roranti micuerunt cornua vultu.
Non illi madidum vulgaris arundine crinem
Velat honos: rami caput umbravere virentes

Heliadum, totisque fluunt electra capillis.
Palla tegit latos humeros, curruque paterno 165
Intextus Phaethon glaucos incendit amictus.
Fultaque sub gremio cælatis nobilis astris
Ætherium probat urna decus: namque omnia
Argumenta sui Titan signavit Olympo, [luctus
Mutatumque senem plumis, et fronde sorores,
Et fluvium, nati qui vulnera lavit anheli. 171
Stat gelidis auriga plagis: vestigia fratris
Germanæ servant Hyades, Cycnique sodalis
Lacteus extentas adspergit circulus alas.
Stelliger Eridanus sinuatis flexibus errans 175
Clara Noti convexa rigat, gladioque tremendum
Gurgite sidereo subterluit Oriona.
Hoc deus effulgens habitu prospectat euntes
Dejecta cervice Getas: tunc talia fatur:
Siccine mutatis properas, Alarice, reverti 180
Consiliis? Italæ sic te jam pœnitet oræ?
Nec jam cornipedem Tiberino gramine pascis,
Ut rebare, tuum, Tuscis nec figis aratrum
Collibus? O cunctis Erebi dignissime pœnis,
Tune Giganteis urbem tentare deorum 185
Aggressus furiis? nec te meus, improbe, saltem
Terruit exemplo Phaethon, qui fulmina præceps
In nostris efflavit aquis, dum flammea cœli
Flectere terrenis meditatur frena lacertis,
Mortalique diem sperat diffundere vultu? 190
Crede mihi, simili bacchatur crimine, quisquis
Adspirat Romæ spoliis, aut Solis habenis.
Sic fatus, Ligures Venetosque erectior amnes
Magna voce ciet. Frondentibus humida ripis
Colla levant, pulcher Ticinus, et Addua visu 195
Cærulus, et velox Athesis, tardusque meatu
Mincius, inque novem consurgens ora Timavus.
Insultant omnes profugo, pacataque lætum
Invitant ad prata pecus: jam Pana Lycæum,
Jam Dryadas revocant, jam rustica numina Faunos. [pho
Tu quoque non parvum Getico, Verona, trium-
Adjungis cumulum: nec plus Pollentia rebus
Contulit Ausoniis, aut mœnia vindicis Astæ.
Hic rursus, dum pacta movet, damnisque coactus
Extremo mutare parat præsentia casu, 205
Nil sibi perjurum sensit prodesse furorem,
Converti nec fata loco; multisque suorum
Diras pavit aves, inimicaque corpora volvens
Ionios Athesis mutavit sanguine fluctus.
Oblatum Stilicho violato fœdere Martem 210
Omnibus arripuit votis, ubi Roma periclo
Jam procul, et belli medio Padus arbiter ibat.
Jamque opportunam motu strepuisse rebelli
Gaudet perfidiam: præbensque exempla labori
Sustinet accensos æstivo pulvere soles. 215
Ipse manu metuendus adest, inopinaque cunctis
Instruit arma locis, et, qua vocat usus, ab omni
Parte venit. Fesso si deficit agmine miles,
Utitur auxiliis, damni securus, et astu
Debilitat sævum cognatis viribus Istrum: 220
Et duplici lucro committens prœlia vertit
In se barbariem, nobis utrinque cadentem.
Ipsum te caperet, letoque, Alarice, dedisset,
Ni calor incauti male festinatus Alani
Dispositum turbasset opus. Prope captus anhelum
Verbere cogis equum: nec te vitasse dolemus.
I potius genti reliquus, tantisque superstes
Danubii populis, i, nostrum vive tropæum.
Non tamen ingenium tantis se cladibus atrox
Dejicit: occulto tentabat tramite montes, 230
Si qua per scopulos subitas exquirere posset
In Rhætos Gallosque vias. Sed fortior obstat
Cura ducis: quis enim divinum fallere pectus
Possit, et excubiis vigilantia lumina regni?
Cujus consilium non unquam reperit hostis, 235
Nec potuit texisse suum: secreta Getarum
Nosse prior, celerique dolis occurrere sensu.
Omnibus exclusus cœptis considit in uno
Colle tremens: frondesque licet depastus amaras
Arboreo figat sonipes in cortice morsus, 240
Et tetris collecta cibis annique vapore
Sæviat aucta lues, et miles probra superbus
Ingerat obsesso, captivaque pignora monstret;
Non tamen aut morbi tabes, aut omne periclum
Docta subire fames, aut prædæ luctus ademtæ,
Aut pudor, aut dictis movere procacibus iræ, 246
Ut male tentato toties se credere campo
Cominus auderet. Nulla est victoria major, [tes.
Quam quæ confessos animo quoque subjugat hos-
Jamque frequens rarum decerpere transfuga robur
Cœperat, inque dies numerus decrescere castris;
Nec jam seditio paucis occulta parari,
Sed cunei totæque palam discedere turmæ.
Consequitur, vanoque fremens clamore retentat,
Cumque suis jam bella gerit: mox nomina supplex 255
Cum fletu precibusque ciet, veterumque laborum
Admonet, et frustra jugulum parcentibus offert:
Defixoque malis animo sua membra suasque
Cernit abire manus. Qualis Cybeleia quassans
Hyblæus procul æra senex revocare fugaces 260
Tinnitu conatur apes, quæ sponte relictis
Descivere favis; sonituque exhaustus inani
Raptas mellis opes, solitæque oblita latebræ
Perfida deplorat vacuis examina ceris.
Ergo ubi præclusæ voci laxata remisit 265
Frena dolor, notas oculis humentibus Alpes
Adspicit, et nimium diversi stamine fati
Præsentes reditus, fortunatosque revolvit
Ingressus. Solo peragens tum murmure bellum,
Protento leviter frangebat mœnia conto, 270
Irridens scopulos: nunc desolatus et exspes
Debita pulsato reddit spectacula monti.
Tunc sic Ausonium respectans æthera fatur:
Heu regio funesta Getis, heu terra sinistris
Auguriis calcata mihi, satiare nocentum 275
Cladibus, et tandem nostris inflectere pœnis!
En ego, qui toto sublimior orbe ferebar,
Ante tuum felix aditum, ceu legibus exsul,
Addictusque reus, flatu propiore sequentum
Terga premor. Quæ prima miser, quæ funera dictis 280
Posteriora querar? non me Pollentia tantum,
Nec captæ cruciastis opes: hoc aspera fati
Sors tulerit, Martisque vices. Non funditus armis
Concideram: stipatus adhuc, equitumque catervis
Integer, ad montes reliquo cum robore cessi, 285
Quos Apenninum perhibent. Hunc esse ferebat
Incola, qui Siculum porrectus adusque Pelorum
Finibus ab Ligurum populos complectitur omnes
Italiæ, geminumque latus stringentia longe
Utraque perpetuo discriminat æquora tractu. 290
Huc ego continuum si per juga tendere cursum,
Ut prior iratæ fuerat sententia menti,
Jam desperata valuissem luce, quid ultra?
Omnibus oppeterem fama majore perustis,
Et certe moriens propius te, Roma, viderem: 295
Ipsaque per cultas segetes mors nostra secuto
Victori damnosa foret. Sed pignora nobis
Romanus, carasque nurus prædamque, tenebat:
Hoc magis exsertum raperem succinctior agmen.
Heu quibus insidiis, qua me circumdedit arte 300

Fatalis semper Stilicho! Dum parcere fingit,
Retudit hostiles animos, bellumque remenso
Evaluit transferre Pado. Pro fœdera sævo
Deteriora jugo! tunc vis exstincta Getarum.
Tunc mihi, tunc letum pepigi. Violentior armis
Omnibus expugnat nostram clementia gentem.
Mars gravior sub pace latet, capiorque vicissim
Fraudibus ipse meis. Quis jam solatia fesso
Consiliumve ferat? socius suspectior hoste.
Atque utinam cunctos licuisset perdere bello! 310
Nam quisquis duro cecidit certamine, nunquam
Desiit esse meus. Melius mucrone perirent,
Auferretque mihi luctu leviore sodales
Victa manus, quam læsa fides. Nullusne clientum
Permanet? infensi comites: odere propinqui.
Quid moror invisam lucem? qua sede recondam
Naufragii fragmenta mei? quæve arva requiram,
In quibus haud unquam Stilicho, nimiumque potentis
Italiæ nostras nomen circumsonet aures? [dit,
Hæc memorans instante fugam Stilichone teten-
Expertas horrens aquilas. Comitatur euntem 321
Pallor, et atra Fames, et saucia lividus ora
Luctus, et inferno stridentes agmine Morbi.
Lustralem sic rite facem, cui lumen odorum
Sulfure cæruleo nigroque bitumine fumat, 325
Circum membra rotat doctus purganda sacerdos,
Rore pio spargens, et dira fugantibus herbis
Numina, purificumque Jovem Triviamque precatus, [strum
Trans caput aversis manibus jaculatur in Au-
Secum rapturas cantata piacula tædas. 330
Acrior interea visendi principis ardor
Accendit cum plebe Patres, et sæpe negatum
Flagitat adventum. Nec tali publica vota
Consensu tradunt atavi caluisse per Urbem,
Dacica bellipotens cum fregerat Ulpius arma, 335
Atque indignantes in jura redegerat Arctos,
Cum fasces cinxere Hypanin, miratæque leges
Romanum stupuit Mæotia terra tribunal.
Nec tantis patriæ studiis ad templa vocatus,
Clemens Marce, redis, cum gentibus undique cinctam 340
Exuit Hesperiam paribus Fortuna periclis.
Laus ibi nulla ducum: nam flammeus imber in hostem [bat
Decidit: hunc dorso trepidum flammante fere-
Ambustus sonipes: hic tabescente solutus
Subsidit galea, liquefactaque fulgure cuspis 345
Canduit, et subitis fluxere vaporibus enses.
Tunc contenta polo mortalis nescia teli
Pugna fuit: Chaldæa mago seu carmina ritu
Armavere deos, seu (quod reor) omne Tonantis
Obsequium Marci mores potuere mereri. 350
Nunc quoque præsidium Latio non deesset Olympi,
Deficeret si nostra manus. Sed providus æther
Noluit humano titulos auferre labori,
Ne tibi jam, princeps, soceri sudore paratam,
Quam meruit virtus, ambirent fulmina laurum.
Jam toties missi proceres responsa morandi
Retulerant: donec differri longius Urbis
Communes non passa preces, penetralibus altis
Prosiluit, vultusque palam confessa coruscos
Impulit ipsa suis cunctantem Roma querelis: 360
Dissimulata diu tristes in amore repulsas
Vestra parens, Auguste, queror. Quonam usque tenebit
Prælatus mea vota Ligus, vetitumque propinqua
Luce frui, spatiis discernens gaudia parvis,
Torquebit Rubicon vicino numine Tibrin? 365
Nonne semel sprevisse sat est, cum reddita bellis
Africa venturi lusit spe principis Urbem?
Nec duras tantis precibus permovimus aures?
Ast ego frenabam geminos, quibus altior ires,
Electi candoris equos, et nominis arcum 370
Jam molita tui, per quem radiante decorus
Ingrederere toga, pugnæ monimenta dicabam,
Defensam titulo Libyam testata perenni.
Jamque parabantur pompæ simulacra futuræ
Tarpeio spectanda Jovi; cælata metallo 375
Classis ut aurato sulcaret remige fluctus,
Ut Massyla tuos anteirent oppida currus,
Palladiaque comas innexus arundine Triton
Edomitis veheretur equis, et in ære trementem
Succinctæ famulum ferrent Atlanta cohortes. 380
Ipse Jugurthinam subiturus carcere pœnam
Præberet fera colla jugo, vi captus et armis,
Non Bocchi Syllæve dolis. Sed prima remitto.
Num præsens etiam Getici me laurea belli
Declinare potest? Sedesne capacior ulla 385
Tantæ laudis erit? Tua te benefacta morantem
Conveniunt, meritisque tuis obnoxia virtus,
Quos servavit, amat. Jam flavescentia centum
Messibus æstivæ detondent Gargara falces,
Spectandosque iterum nulli celebrantia ludos
Circumflexa rapit centenus sæcula consul. 391
His annis, qui lustra mihi bis dena recensent,
Nostra ter Augustos intra pomœria vidi,
Temporibus variis: eadem sed causa tropæis
Civilis dissensus erat. Venere superbi, 395
Scilicet ut Latio respersos sanguine currus
Adspicerem. Quisquamne piæ lætanda parenti
Natorum lamenta putet? Periere tyranni,
Sed nobis periere tamen. Cum Gallica vulgo
Prœlia jactaret, tacuit Pharsalica Cæsar. 400
Namque inter socias acies cognataque signa
Ut vinci miserum, nunquam vicisse decorum.
Restituat priscum per te jam gloria morem
Verior, et fructum sinceræ laudis ab hoste
Desuetum jam redde mihi, justisque furoris 405
Externi spoliis sontes absolve triumphos.
Quem, precor, ad finem laribus sejuncta potestas
Exsulat, imperiumque suis a sedibus errat?
Cur mea, quæ cunctis tribuere Palatia nomen,
Neglecto squalent senio, nec creditur orbis 410
Illinc posse regi? Medium non deserit unquam
Cœli Phœbus iter, radiis tamen omnia lustrat.
Segnius an veteres Istrum Rhenumque tenebant,
Qui nostram coluere domum? leviusne tremebant
Tigris et Euphrates, cum fœdera Meduset Indus
Hinc peteret, pacemque mea speraret ab arce?
Hic illi mansere viri, quos mutua virtus
Legit, et in nomen Romanis rebus adoptans
Judicio pulchram seriem, non sanguine, duxit.
Hic proles atavum deducens Ælia Nervam, 420
Tranquillique Pii, bellatoresque Severi.
Hoc civis dignare forum, conspectaque dudum
Ora refer, pompam recolens ut mente priorem,
Quem tenero patris comitem susceperat ævo,
Nunc duce cum socero juvenem te Tiberis adoret.
Orantem medio princeps sermone refovit: 426
Nunquam aliquid frustra per me voluisse dolebis,
O dea, nec legum fas est occurrere matri.
Sed nec post Libyam (falsis ne perge querelis
Incusare tuos) patriæ mandata vocantis 430
Sprevimus. Advectæ misso Stilichone curules,
Ut nostras tibi, Roma, vices pro principe consul
Impleret, generoque socer. Vidistis in illo
Me quoque: sic credit pietas, non sanguine solo

Sed claris potius factis, experta parentem. 435
Cuncta quidem centum nequeam perstringere linguis, [unum,
Quæ pro me mundoque gerit: sed ab omnibus
Si fama necdum patuit, te, Roma, docebo,
Subjectum nostris oculis, et cujus agendi
Spectator vel causa fui. Populator Achivæ 440
Bistoniæque plagæ, crebris successibus amens,
Et ruptas animis spirans immanibus Alpes,
Jam Ligurum trepidis admoverat agmina muris,
Tutior auxilio brumæ, quo gentibus illis
Sidere consueti favet inclementia cœli; 445
Meque minabatur calcato obsidere vallo,
Spem vano terrore fovens, si forte, remotis
Præsidiis, urgente metu, qua vellet, obirem
Conditione fidem. Nec me timor impulit ullus,
Et duce venturo fretum, memoremque tuorum,
Roma, ducum, quibus haud unquam vel morte parata 451
Fœdus lucis amor pepigit dispendia famæ.
Nox erat, et late stellarum more videbam
Barbaricos ardere focos. Jam classica primos
Excierant vigiles, gelida cum pulcher ab Arcto
Adventat Stilicho. Medius sed clauserat hostis
Inter me socerumque viam, pontemque tenebat,
Addua quo scissas spumosior incitat undas.
Quid faceret? differret iter? discrimina nullas
Nostra dabant adeunda moras. Perrumperet agmen? 460
Sed paucis comitatus erat: nam plurima retro,
Dum nobis properat succurrere, liquerat arma
Extera, vel nostras acies. Hoc ille locatus
Ancipiti, longum socias tardumque putavit
Exspectasse manus, et nostra pericula tendit 465
Posthabitis pulsare suis, mediumque per hostem,
Flammatus virtute pia, propriæque salutis
Immemor, et stricto prosternens obvia ferro,
Barbara fulmineo secuit tentoria cursu.
Nunc mihi Tydiden attollant carmina vatum,
Quod juncto fidens Ithaco patefacta Dolonis 471
Indicio, dapibusque simul religataque somno
Thracia sopiti penetraverit agmina Rhesi,
Graiaque retulerit captos ad castra jugales,
Quorum, si qua fides augentibus omnia Musis,
Impetus excessit Zephyros, candorque pruinas.
Ecce virum, taciti qui nulla fraude soporis
Ense palam sibi pandit iter, remeatque cruentus,
Et Diomedeis tantum præclarior ausis,
Quantum lux tenebris, manifestaque prœlia furtis.
Adde, quod et ripis steterat munitior hostis, 481
Et cui nec vigilem fas est componere Rhesum.
Thrax erat: hic Thracum domitor. Non tela retardant,
Objice non hæsit fluvii. Sic ille minacem
Tyrrhenam labente manum pro ponte repellens
Trajecit clypeo Tibrin, quo texerat Urbem 486
Tarquinio mirante, Cocles, mediisque superbus
Porsennam respexit aquis. Celer Addua nostro
Sulcatus socero: sed, cum tranaret, Etruscis
Ille dabat tergum, Geticis hic pectora, bellis.490
Exsere nunc doctos tantæ certamina laudis,
Roma, choros, et, quanta tuis facundia pollet
Ingeniis, nostrum digno sonet ore parentem.
Dixit, et antiquæ muros egressa Ravennæ
Signa movet: jamque ora Padi, portusque relinquit 495
Flumineos, certis ubi legibus advena Nereus
Æstuat, et pronas puppes nunc amne secundo,
Nunc redeunte, vehit, nudataque littora fluctu
Deserit, Oceani lunaribus æmula damnis.
Lætior hinc Fano recipit Fortuna vetusto, 500
Despiciturque vagus prærupta valle Metaurus,
Qua mons arte patens vivo se perforat arcu,
Admittitque viam sectæ per viscera rupis,
Exsuperans delubra Jovis, saxoque minantes
Apenninigenis cultas pastoribus aras. 505
Quin et Clitumni sacras victoribus undas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis,
Visere cura fuit. Nec te miracula fontis
Prætereunt, tacito passu quem si quis adiret,
Lentus erat; si voce gradum majore citasset, 510
Commotis fervebat aquis: cumque omnibus una
Sit natura vadis, similes ut corporis umbras
Ostendant; hæc sola novam jactantia sortem
Humanos properant imitari flumina mores.
Celsa dehinc patulum prospectans Narnia cam-
Regali calcatur equo, rarique coloris [pum
Non procul amnis abest, urbi qui nominis auctor,
Illice sub densa sylvis arctatus opacis,
Inter utrumque jugum tortis anfractibus albet.
Inde, salutato libatis Tibride lymphis, 520
Excipiunt arcus, operosaque semita vastis
Molibus, et quicquid tantæ præmittitur urbi.
Ac velut officiis trepidantibus ora puellæ
Spe propiore tori mater sollertior ornat
Adveniente proco, vestesque et cingula comit
Sæpe manu, viridique angustat iaspide pectus,
Substringitque comam gemmis, et colla monili
Circuit, et baccis onerat candentibus aures:
Sic oculis placitura tuis, insignior auctis
Collibus, et nota major se Roma videndam 530
Obtulit. Addebant pulchrum nova mœnia vultum,
Audito perfecta recens rumore Getarum.
Profecitque opifex decori timor, et, vice mira,
Quam pax intulerat, bello discussa senectus
Erexit subitas turres, cinctosque coegit 535
Septem continuo montes juvenescere muro.
Ipse favens votis, solitoque decentior aer,
Quamvis assiduo noctem fœdaverit imbri,
Principis et Solis radiis detersa removit
Nubila: namque ideo pluviis turbaverat omnes
Ante dies, lunamque rudem madefecerat Auster,
Ut tibi servatum scirent convexa serenum.
Omne, Palatino quod pons a colle recedit
Milvius, et quantum licuit consurgere tectis,
Una replet turbæ facies. Undare videres 545
Ima viris, altas effulgere matribus ædes.
Exsultant juvenes æquævi principis annis: [fati
Temnunt prisca senes, et in hunc sibi prospera
Gratantur durasse diem: moderataque laudant
Tempora, quod clemens aditu, quod pectore, solus
Romanos vetuit currum præcedere Patres: 551
Cum tamen Eucherius, cui regius undique sanguis
Atque Augusta soror, fratri præberet ovanti
Militis obsequium. Sic illum dura parentis
Instituit pietas, in se vel pignora parci; 555
Quique neget nato, procerum quod præstet honori. [ætas:
Hæc sibi cura senum, maturaque comprobat
Idque inter veteris speciem præsentis et aulæ
Judicat, hunc civem, dominos venisse priores.
Conspicuas tum flore genas, diademate crinem,
Membraque gemmato trabeæ viridantia cinctu,
Et fortes humeros, et certatura Lyæo
Inter Erythræas surgentia colla smaragdos
Mirari sine fine nurus: ignaraque virgo, 564
Cui simplex calet ore pudor, per singula cernens
Nutricem consultat anum, quid fixa draconum
Ora velint; ventis fluitent, an vera minentur
Sibila suspensum rapturi faucibus hostem.

Ut chalybem indutos equites, et in ære latentes
Vidit cornipedes: Quanam de gente, rogabat, 570
Ferrati venere viri? quæ terra metallo
Nascentes informat equos? num Lemnius auctor
Addidit hinnitum ferro, simulacraque bellis
Viva dedit? Gaudet metuens, et pollice mon-
Quod picturatas galeæ Junonia cristas [strat,
Ornet avis, vel quod rigidos vibrata per armos
Rubra subaurato crispentur serica dorso.
Tum tibi magnorum mercem Fortuna laborum
Persolvit, Stilicho, curru cum vectus eodem
Urbe triumphantem generum florente juventa 580
Conspiceres, illumque diem sub corde referres,
Quo tibi confusa dubiis formidine rebus
Infantem genitor moriens commisit alendum.
Virtutes variæ fructus sensere receptos:
Depositum servasse, Fides: Constantia, parvum
Præfecisse orbi: Pietas, fovisse propinquum. 586
Hic est ille puer, qui nunc ad rostra Quirites
Evocat, et solio fultus genitoris eburno
Gestarum Patribus causas ex ordine rerum,
Eventusque refert; veterumque exempla secutus
Digerit imperii sub judice fata senatu. 591
Nil cumulat, verbisque nihil fiducia celat.
Fucati sermonis opem mens conscia laudis
Abnuit. Agnoscunt proceres, habituque Gabino
Principis, et ducibus circumstipata togatis 595
Jure paludatæ jam curia militat aulæ.
Affuit ipsa suis ales Victoria templis,
Romanæ tutela togæ; quæ divite pompa
Patricii reverenda fovet sacraria cœtus,
Castrorumque eadem comes indefessa tuorum,
Nunc tandem fruitur junctis, atque omne futurum
Te Romæ, seseque tibi, promittit in ævum.
Hinc te jam patriis laribus via nomine vero
Sacra refert. Flagrat studiis concordia vulgi,
Quam non illecebris dispersi colligis auri, 605
Nec tibi venales captant æraria plausus
Corruptura fidem. Meritis offertur inemtus
Pura mente favor: nam munere carior omni
Obstringit sua quemque salus. Procul ambitus erret:
Non quærat pretium, vitam qui debet amori. 610
O quantum populo secreti numinis addit
Imperii præsens Genius! quantamque rependit
Majestas alterna vicem, cum regia Circi
Convexum gradibus veneratur purpura vulgus,
Adsensuque cavæ sublatus in æthera vallis 615
Plebis adoratæ reboat fragor, unaque totis
Intonat Augustum septenis arcibus Echo.
Nec solis hic cursus equis: adsueta quadrigis
Cingunt arva trabes, subitæque adspectus arenæ
Diffundit Libycos aliena valle cruores. 620
Hæc et belligeros exercuit area lusus.
Armatos hic sæpe choros, certaque vagandi
Textas lege fugas, inconfusosque recursus,
Et pulchras errorum acies, jucundaque Martis
Cernimus, insonuit cum verbere signa magister,
Mutatosque edunt pariter tot pectora motus, 626
In latus allisis clypeis, aut rursus in altum
Vibratis: grave parma sonat mucronis acuti
Murmure, et umbonum pulsu modulante resul-
Ferreus alterno concentus clauditur ense. [tans
Una omnis submissa phalanx, tantæque salutant
Te, princeps, galeæ. Partitis inde catervis
In varios docto discurritur ordine gyros,
Quos neque semiferi Gortynia tecta juvenci,
Flumina nec crebro vincant Mæandria flexu. 635
Discreto revoluta gradu torquentur in orbes
Agmina: perpetuisque immoto cardine claustris
Janus bella premens, lætæ sub imagine pugnæ,
Armorum innocuos Paci largitur honores.
Jamque novum fastis aperit felicibus annum 640
Ore coronatus gemino: jam Tibris in uno
Et Bruti cernit trabeas, et sceptra Quirini.
Consule lætatur post plurima sæcula viso
Pallanteus apex: agnoscunt rostra curules
Auditas quondam proavis, desuetaque cingit 645
Regius auratis fora fascibus Ulpia lictor:
Et sextas Getica prævelans fronde secures
Colla triumphati proculcat Honorius Istri.
Exeat in populos cunctis illustrior annus,
Natus fonte suo: quem non aliena per arva 650
Induit hospes honos: cujus cunabula fovit
Curia: quem primi tandem videre Quirites:
Quem domitis auspex peperit Victoria bellis.
Hunc et privati titulis famulantibus anni,
Et quos armipotens genitor, retroque priores 655
Diversis gessere locis, ceu numen, adorent.
Hunc et quinque tui, vel quos habiturus in Urbe
Post alios, Auguste, colant: licet unus in omnes
Consul eas, magno sextus tamen iste superbit
Nomine, præteritis melior, venientibus auctor.

LAUS SERENÆ REGINÆ UXORIS STILICHONIS.

Dic, mea Calliope, cur tanto tempore differs
Pierio meritam serto redimire Serenam?
Vile putas donum, solitam consurgere gemmis,
Et rubro radiare mari, si floribus ornes
Reginæ regina comam? sed floribus illis, 5
Quos neque frigoribus Boreas, nec Sirius urit
Æstibus, æterno sed veris honore rubentes
Fons Aganippæa Permessius educat unda:
Unde piæ pascuntur apes, et prata legentes
Transmittunt sæclis Heliconia mella futuris. 10
Dignius an vates alios exercuit unum
Fœmineæ virtutis opus? Consorte redemto
Casta maritali successit Thessala fato,
Inque suos migrare virum non abnuit annos.
Hoc Graii memorant. Latiis movet ora Camœnis
Præscia fatorum Tanaquil, rediensque per undas
Clœlia Tibrinas, et eodem flumine ducens 17
Claudia virgineo cunctantem crine Cybellen.
Anne aliud toto molitur carminis actu
Mæonii mens alta senis? quod stagna Charybdis
Armarit, quod Scylla canes, quod pocula Circe;
Antiphatæ vitata fames, surdoque carina
Remige Sirenum cantus transvecta tenaces,
Lumine fraudatus Cyclops, contemta Calypso.
Penelopæ decus est: atque uni tanta paratur 25
Scena pudicitiæ. Terræ pelagique labores,
Et totidem sævi bellis, quot fluctibus, anni,
Conjugii docuere fidem. Sit Claudia felix
Teste dea, castosque probet sub numine mores,
Absolvens puppisque moras crimenque pudoris.
Penelope trahat arte procos, fallatque furentes
Stamina nocturnæ relegens sollertia telæ;

Non tamen audebunt titu is certare Serenæ.
Quod si nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus, atque omnes redeunt in semina causæ,
Quis venerabilior sanguis, quæ major origo, 36
Quam regalis, erit? Non hoc privata dedere
Limina, nec tantum poterat contingere numen
Angustis laribus. Patruo te principe celsam
Bellipotens illustrat avus, qui signa Britanno 40
Intulit Oceano, Gætulaque repulit arma.
Claram Scipiadûm taceat Cornelia gentem,
Seque minus jactet Libycis dotata tropæis.
Cardine tu gemino lauros prætendis avitas.
Inde Caledoniis, Australibus inde parentum 45
Cingeris exuviis. Necdum moderamina mundi
Sumserat illa domus, cum te Lucina beatis
Ederet astrorum radiis. O maxima rerum
Gloria! post genitam didicit regnare Serenam.
Quid dignum memorare tuis, Hispania, terris
Vox humana valet? Primo levat æquore Solem
India: tu fessos exacta luce jugales
Proluis, inque tuo respirant sidera fluctu.
Dives equis, frugum facilis, pretiosa metallis,
Principibus fecunda piis. Tibi sæcula debent 55
Trajanum: series his fontibus Ælia fluxit. [trum.
Hinc senior pater; hinc juvenum diademata fra-
Namque aliæ gentes, quas fœdere Roma recepit,
Aut armis domuit, varios aptantur in usus
Imperii. Phariæ segetes, et Punica messis 60
Castrorum devota cibo: dat Gallia robur
Militis: Illyricis sudant equitatibus alæ.
Sola novum Latiis vectigal Iberia rebus
Contulit Augustos. Fruges, æraria, miles
Undique conveniunt, totoque ex orbe leguntur:
Hæc generat, qui cuncta regant. Nec laude viro-
Censeri contenta fuit, nisi matribus æque [rum
Vinceret, et gemino certatim splendida sexu
Flaccillam, Mariamque daret, pulchramque Serenam.
Te nascente ferunt per pinguia culta tumentem
Divitiis undasse Tagum: Callæcia risit 71
Floribus, et roseis formosus Duria ripis
Vellera purpureo passim mutavit ovili.
Cantaber Oceanus vicino littore gemmas
Exspuit: effossis nec pallidus Astur oberrat 75
Montibus; oblatum sacris natalibus aurum
Vulgo vena vomit: Pyrenæisque sub antris
Ignea flumineæ legere ceraunia nymphæ.
Quæque relabentes undas æstumque secutæ
In refluos venere palam Nereides amnes, 80
Confessæ plausu dominam, cecinere futuris
Auspicium thalamis. Alio tum parvus in axe
Crescebat Stilicho, votique ignarus agebat,
Debita cui longe conjux, penitusque remoto
Orbe parabatur tanti concordia fati. 85
Nec tua mortalis meruit cunabula nutrix.
Ubera prima dabant gremiis redolentibus Horæ,
Ternaque te nudis innectens Gratia membris
Afflavit, docuitque loqui. Quacunque per her-
Reptares, fluxere rosæ: candentia nasci [bam
Lilia. Si placido cessissent lumina somno, 91
Purpura surgebat violæ, factura cubile
Gramineum, vernansque tori regalis imago.
Omnia non audet genitrix tam magna fateri,
Successusque suos arcani conscia voti 95
Spe trepidante tegit. Gestabat Honorius arcto
Te pater amplexu. Quoties ad limina princeps
Theudosius privatus adhuc fraterna veniret,
Oscula libabat, teque ad sua tecta ferebat
Lætior. In matrem teneris conversa querelis, 100
Quid me de propriis auferre penatibus, inquis,
Imperat hic semper? Præsagia luserat error,
Et dedit augurium regnis infantia linguæ.
Defuncto genitore tuo sublimis adoptat
Te patruus, magnique animo solatia luctus 105
Restituens, propius, quam si genuisset, amavit
Defuncti fratris sobolem. Nec carior olim
Mutua Ledæos devinxit cura Laconas.
Addidit et proprio germana vocabula nato, 109
Quaque datur, fratris speciem sibi reddit ademti.
Denique, cum rerum summas electus habenas
Susciperet, non ante suis impendit amorem
Pignoribus, quam te pariter fidamque sororem
Littus ad Eoum terris acciret Iberis.
Deseritur jam ripa Tagi, Zephyrique relictis 115
Sedibus Auroræ famulas properatur in urbes.
Incedunt geminæ, proles fraterna, puellæ,
Inde Serena minor, prior hinc Thermantia natu,
Expertes thalami, quarum Cythereia necdum
Sub juga cervices niveas Hymenæus adegit. 120
Utraque luminibus tumidum micat: utraque pul-
Excitat ore faces. Qualis Latonia virgo, [chras
Et solo Jove nata soror, cum forte revisunt
Æquorei sortem patrui, spumantia cedunt
Æquora, castarum gressus venerata dearum. 125
Non ludit Galatea procax: non improbus audet
Tangere Cymothoen Triton: totoque severos
Indicit mores pelago pudor, ipsaque Proteus
Arcet ab amplexu turpi Neptunia monstra.
Tales sceptriferi visuræ tecta parentis 130
Limen Honoriades penetrant regale sorores.
Ambas ille quidem patrio complexus amore:
Sed merito pietas in te proclivior ibat.
Et quoties, rerum moles ut publica cogit,
Tristior, aut ira tumidus flagrante redibat, 135
Cum patrem nati fugerent, atque ipsa timeret
Commotum Flaccilla virum, tu sola frementem
Frangere, tu blando poteras sermone mederi.
Alloquiis hærere tuis: secreta fideli * * *
Prisca puellares reverentia transilit annos. 140
Non talem Triviæ confert laudator Homerus
Alcinoo genitam, quæ, dum per littora vestes
Explicat, et famulas exercet læta choreas,
Auratam jaculata pilam, post naufraga somni
Otia progressum foliis expavit Ulixem. 145
Pierius labor, et veterum tibi carmina vatum
Ludus erant: quos Smyrna dedit, quos Mantua libros
Percurrens, damnas Helenen, nec parcis Elissæ.
Nobiliora tenent animos exempla pudicos,
Laodamia sequens remeantem rursus ad umbras
Phylaciden, et prona ruens Capaneia conjux 151
Communes ardente viro mixtura favillas,
Et gravis incumbens casto Lucretia ferro,
Vulnere quæ proprio facinus testata tyranni
Armavit patriæ justos in bella dolores 155
Exsule Tarquinio, memorandaque concidit uno
Ulta pudicitiam libertatemque cruore.
Talia facta libens non tu virtute minori,
Sed fato meliore, legis. Jam nubilis ætas
Principe sollicito votis erexerat aulam 160
Incertis, quem tanta tori fortuna maneret.
Antiquos loquitur Musarum pagina reges
Quod dira sub lege procos certare juberent,
Emturos thalamum dubii discrimine leti,
Et sua crudeles gauderent pignora mortis 165
Ambitione peti. Curru Pisæa marino
Fugit tela Pelops: nam perfidus objice regis
Prodidit Œnomai deceptum Myrtilus axem.
Hippomenes trepidus cursu ferroque secutam
Aurato volucrem flexit Schœneida pomo. 170

Herculeas vidit fluvio luctante palæstras
Mœnibus ex altis Calydon, pretiumque labori
Deianira fuit, cum pectore victor anhelo
Alcides premeret, retroque Acheloius iret
Decolor: attonitæ stringebant vulnera Nymphæ:
Saucia truncato pallebant flumina cornu. 176
Te non Hesperidum pomis, non amne subacto,
Non socerum fallente rota, sed judice dignus
Augusto, variis Stilicho spectatus in armis
Accipit, et regni dotes virtute paravit. 180
Sæpe duces meritas bello tribuere coronas:
Hunc cingit muralis honos: hunc civica quercus
Nexuit: hunc domitis ambit rostrata carinis.
Solus militiæ mira mercede jugalem
Promeruit Stilicho, socero referente, coronam.
Agnovit patrui similem Thermantia curam: 186
Nupsit et illa duci. Sed longe fata sororis
Inferiora tuis: alio tibi lumine tædas
Accendit Romana Salus, magnisque coronis
Conjugium fit cura tuum. Delectus equorum, 190
Quos Phrygiæ matres, Argeaque gramina pastæ
Semine Cappadocum sacris præsepibus edunt,
Primus honos. Gemino mox idem culmine duxit
Agmina: commissosque labor sic gessit honores,
Ut semper merito princeps cum magna dedisset,
Deberet majora tamen. Si bellica nubes 196
Ingrueret, quamvis annis et jure minori
Cedere grandævos equitum peditumque magistros
Adspiceres, totumque palam permittere Martem.
Nec gradus ætatisve pudor senioribus obstat, 200
Ne juveni parere velint. Ceu flamine molli
Tranquillisque fretis clavum sibi quisque regendum
Vindicat: incumbat si turbidus Auster, et unda
Pulset utrumque latus, posito certamine nautæ
Contenti meliore manu, seseque ratemque 205
Unius imperiis tradunt, artemque pavore
Confessis finem studiis fecere procellæ.
Haud aliter Stilicho, fremuit cum Thracia belli
Tempestas, cunctis pariter cedentibus, unus
Eligitur ductor. Suffragia quippe peregit 210
Judex vera timor: victus ratione salutis
Ambitus, et pulsus tacuit formidine livor.
Quis tibi tunc per membra tremor, quantæque cadebant
Ubertim lacrymæ, cum sæva vocantibus arma
Jam lituis, madido respectans limina vultu, 215
Optares reducem, galeæque inserta minaci
Oscula cristati raperes festina mariti!
Gaudia quæ rursus, cum post victricia tandem
Classica sidereas ferratum pectus in ulnas
Exciperes; castæ tuto per dulcia noctis 220
Otia pugnarum seriem narrare juberes!
Non illo nitidos unquam bellante capillos
Comere, non solitos gemmarum sumere cultus.
Numinibus votisque vacas, et supplice crine
Verris humum: teritur neglectæ gratia formæ
Cum proprio reditura viro. Nec deside cura 226
Segnis marcet amor: laudem prudentia belli
Fœminea pro parte subit. Dum gentibus ille
Confligit, vigili tu prospicis omnia sensu:
Ne quid in absentem virtutibus obvia semper 230
Audeat invidiæ rabies, neu rumor iniquus;
Ne qua procul positis furto subsederit armis
Calliditas nocitura domi. Tu sedula quondam
Rufino meditante nefas, cum quæreret artes
In ducis exitium, conjuratosque foveret 235
Contra pila Getas, motus rimata latentes,
Mandatis tremebunda virum scriptisque monebas.

* * * * *

EPITHALAMIUM DICTUM PALLADIO V. C. TRIBUNO ET NOTARIO, ET CELERINÆ, PRÆFATIO.

Carmina per thalamum, quamvis festina, negare
Nec volui genero, nec potui socero.
Hic socius, dux ille mihi; nostrique per aulam
Ordinis hic consors emicat, ille prior.
Hunc mihi conjungit studiis communibus ætas: 5
Hunc mihi præponit vel senium, vel honos.
Carmen amor generi, soceri reverentia poscit,
Officio vatis, militis obsequio.

EPITHALAMIUM.

Forte Venus blando quæsitum frigore somnos
Vitibus intexti gremio successerat antri,
Densaque sidereos per gramina fuderat artus,
Acclinis florum cumulo: crispatur opaca
Pampinus, et mites undatim ventilat uvas. 5
Ora decet neglecta sopor: fastidit amictum
Æstus, et exuto translucent pectore frondes.
Idaliæ juxta famulæ, triplexque vicissim
Nexa sub ingenti requiescit Gratia quercu.
Pennati passim pueri, quo quemque vocavit 10
Umbra, jacent: fluitant arcus, ramisque propinquis
Pendentes placido suspirant igne pharetræ.
Pars vigiles ludunt, aut per virgulta vagantur.
Scrutantur nidos avium, vel roscida læti 14
Mala legunt, donum Veneris, flexusque sequuntur
Palmitis, et summas pennis librantur in ulmos.
Defendunt alii lucum, Dryadasque procaces
Spectandi cupidas, et rustica numina pellunt,
Sylvestresque deos; longeque tuentibus antrum
Flammea lascivis intendunt spicula Faunis. 20
Cum subito varius vicina clamor ab urbe,
Et fausti juvenum plausus, mixtæque choreis
Auditæ per rura lyræ: Celerina per omnes
Italiæ canitur montes, omnisque maritum

Palladium resonabat ager. Pervenit ad aures 25
Vox jucunda deæ, strepituque excita resedit,
Et reliquum nitido detersit pollice somnum.
Utque erat indigesta comas, turbata capillos,
Mollibus exsurgit stratis, Hymenæon et omne 29
Agmen, et innumeros Hymenæon poscit Amores.
Hunc Musa genitum legit Cytherea, ducemque
Præfecit thalamis: nullum junxisse cubile
Hoc sine, nec primas fas est attollere tædas.
Conspicitur tandem: platano namque ille sub alta
Fusus inæquales cera texebat avenas,
Mænaliosque modos et pastoralia labris 36
Murmura tentabat relegens, orisque recursu
Dissimilem tenui variabat arundine ventum.
Restitit, ut vidit Venerem, digitisque remissis
Ad terram tacito defluxit fistula lapsu. 40
Dulce micant oculi: niveas infecerat igni
Solque pudorque genas: dubiam lanuginis um-
Cæsaries intonsa tegit. Prior ipsa silentem [bram
Compellat: Nunquamne, puer, dilecta relinques
Carmina? maternis nunquam satiabere donis, 45
Dedite Musarum studio, nimiumque parentis
Æmule? quid medio tecum modularis in æstu?
Jamne tibi sordent citharæ? jam lustra Lycæi,
Atque pecus cordi, redituraque rupibus Echo?
Huc ades, et tantæ nobis edissere causas 50
Lætitiæ; cui pompa toro tam clara resultet,
Quæ nova dotetur virgo: patriamque genusque
Pande, quibus terris orti, quo semine ducti.
Haud ignarus enim; nec te connubia fallunt
Ulla: tuo primæ libantur fœdere noctes. 55
Ille refert: Equidem dudum te, diva, morantem
Mirabar, quid adhuc tanti secura maneres
Conjugii. Non parva tibi mandatur origo.
Fascibus insignes, et legum culmine fultæ
Convenere domus, et qui lectissimus orbi 60
Sanguis erat. Rubris quæ fluctibus insula latrat,
Quis locus Æthiopum, quæ sic impervia famæ
Secessit regio, quo non rumore secundo
Palladii penetrarit amor, mentisque benigna
Temperies, doctique sales, et grata senectus? 65
Per cunctos iit ille gradus, aulæque labores
Emensus, tenuit summæ fastigia sedis,
Eoum stabili moderatus jure senatum.
Hic splendor juveni. Cunabula prima puellæ
Danubius, veteresque Tomi. Mavortia matris 70
Nobilitas spoliis armisque exsultat avitis,
Immensamque trahit Celerini robore lucem,
Qui quondam Meroen jussus Nilumque tueri,
Cum sibi post domitas ad Parthica flumina Carras
Sceptra daret miles, rebusque imponere vellet, 75
Despexit fremitus, et prætulit otia regno.
Respuit ingestum, quod vi, quod poscere ferro
Posthabita pietate solent. Tum purpura primum
Inferior virtute fuit, meruitque repulsam
Obvia majestas: doluit Fortuna minorem 80
Se concessa viro. Magnum delata potestas,
Majorem contemta probat. Cognomina sumsit
Plena ducis genitor, paullatim evectus in altum,
Princeps militiæ, qua non illustrior exstat
Altera: cunctorum tabulas adsignat honorum, 85
Regnorum tractat numeros, constringit in unum
Sparsas imperii vires, cuneosque recenset
Dispositos: quæ Sarmaticis custodia ripis,
Quæ sævis objecta Getis, quæ Saxona frenat
Vel Scotum legio; quantæ cinxere cohortes
Oceanum, quanto pacatur milite Rhenus. 91
Casta domus, sincera fides, industria sollers:
Elegit Stilicho. Nihil ultra laudibus addi
Judiciove potest. Tali nubente puella
Nonne tibi cessare nefas? Duc protinus omnes,
Duc age: marcentes cupio quassare coronas,
Et vibrare faces, et noctem ducere ludo.
Hæc quoque non vilem mihi fistula commodat usum,
Responsura choris. Vix hæc Hymenæus: at illa
Fontibus abluitur gelidis, legemque capillo 100
Reddit, et ornatum formæ: prælisque soluta
Mira Dionææ sumit velamina telæ.
Floribus exstruitur currus: juga floribus halant:
Florea purpureas annectunt frena columbas.
Undique concurrunt volucres, quæcunque fremente 105
Permulcent Athesin cantu, quas Larius audit,
Quas Benacus alit, quas excipit amne quieto
Mincius: ereptis obmutuit unda querelis.
Eridani ripas, et raucæ stagna Padusæ
Diffugiens nudavit olor. Lætantur Amores, 110
Frenatisque truces avibus per nubila vecti
Ostentant se quisque deæ, magnoque tumultu
Confligunt, pronique manus in verbera tendunt,
Atque impune cadunt: lapsus meliore volatu
Consequitur, vincitque suos auriga jugales. 115
Ut thalami tetigere fores, tum vere rubentes
Desuper invertunt calathos, largosque rosarum
Imbres, et violas plenis sparsere pharetris,
Collectas Veneris prato, quibus ipse pepercit
Sirius, et teneras clementi sidere fovit. 120
Gemmatis alii per totum balsama tectum
Effudere cadis, duro quæ saucius ungue
Niliacus pingui desudat vulnere cortex.
Aggreditur Cytherea nurum, flentemque pudico
Detraxit matris gremio. Matura tumescit 125
Virginitas, superatque nives ac lilia candor,
Et patrium flavis testatur crinibus Istrum.
Tum dextram complexa viri, dextramque puellæ
Tradit, et his ultro sancit connubia dictis:
Vivite concordes, et nostrum discite munus: 130
Oscula mille sonent: livescant brachia nexu,
Labra ligent animas. Neu tu virtute paterna
Confidas, juvenis: non est terrore domanda,
Sed precibus pacanda tibi. Concede marito
Tu quoque, neu Scythicas infensis unguibus iras
Exercere velis: vinci patiare rogamus. 136
Sic uxor, sic mater eris. Quid lumina tingis,
Virgo? crede mihi, quem nunc horrescis, amabis.
Dixit, et aligera geminos arcuque manuque
Præstantes e plebe vocat. Puer ilicet Æthon 140
Et Pyrois rutilas respersi murice plumas
Prosiliunt, puroque imbutis melle sagittis
Hic nuptam petit, ille virum. Sonuere reducta
Cornua: certa Notos pariter sulcavit arundo,
Et pariter fixis hæserunt tela medullis. 145

IN LIBRUM PRIMUM DE RAPTU PROSERPINÆ PRÆFATIO.

Inventa secuit qui primus nave profundum,
Et rudibus remis sollicitavit aquas;
Qui dubiis ausus committere flatibus alnum,
Quas natura negat, præbuit arte vias;
Tranquillis primum trepidus se credidit undis, 5
Littora securo tramite summa legens:
Mox longos tentare sinus, et linquere terras,
Et leni cœpit pandere vela Noto.
Ast ubi paullatim præceps audacia crevit,
Cordaque languentem dedidicere metum; 10
Jam vagus exsultat pelago, cœlumque secutus
Ægæas hiemes Ioniasque domat.

DE RAPTU PROSERPINÆ LIBER PRIMUS.

Inferni raptoris equos, afflataque curru
Sidera Tænario, caligantesque profundæ
Junonis thalamos audaci prodere cantu
Mens congesta jubet. Gressus removete, profani.
Jam furor humanos nostro de pectore sensus 5
Expulit, et totum spirant præcordia Phœbum.
Jam mihi cernuntur trepidis delubra moveri
Sedibus, et claram dispergere culmina lucem,
Adventum testata dei. Jam magnus ab imis
Auditur fremitus terris, templumque remugit 10
Cecropium, sanctasque faces attollit Eleusin.
Angues Triptolemi stridunt, et squamea curvis
Colla levant attrita jugis, lapsuque sereno
Erecti roseas tendunt ad carmina cristas.
Ecce procul ternas Hecate variata figuras 15
Exoritur, lenisque simul procedit Iacchus
Crinali florens hedera, quem Parthica velat
Tigris, et auratos in nodum colligit ungues.
Ebria Mæonius firmat vestigia thyrsus. [Averni
Di, quibus in numerum vacui famulantur
Vulgus iners, opibus quorum donatur avaris 20
Quicquid in orbe perit, quos Styx liventibus ambit
Interfusa vadis, et quos fumantia torquens
Æquora vorticibus Phlegethon perlustrat anhelis;
Vos mihi sacrarum penetralia pandite rerum, 25
Et vestri secreta poli: qua lampade Ditem
Flexit Amor, quo ducta ferox Proserpina raptu
Possedit dotale Chaos, quantasque per oras
Sollicito genitrix erraverit anxia cursu:
Unde datæ populis leges, et glande relicta 30
Cesserit inventis Dodonia quercus aristis.
Dux Erebi quondam tumidas exarsit in iras
Prœlia moturus superis, quod solus egeret
Connubii, sterilesque diu consumeret annos,
Impatiens nescire torum, nullasque mariti 35
Illecebras, nec dulce patris cognoscere nomen.
Jam quæcunque latent ferali monstra barathro
In turmas aciemque ruunt, contraque Tonantem
Conjurant Furiæ: crinitaque sontibus hydris
Tisiphone, quatiens infausto lumine pinum, 40
Armatos ad castra vocat pallentia manes.
Pæne reluctatis iterum pugnantia rebus
Rupissent elementa fidem, penitusque revulso
Carcere laxatis pubes Titania vinclis
Vidisset cœleste jubar, rursusque cruentus 45
Ægæon positis arcto de corpore nodis
Obvia centeno vexasset fulmina motu.
Sed Parcæ vetuere minas, orbique timentes
Ante pedes soliumque ducis fudere severam
Canitiem, genibusque suas cum supplice vultu 50
Admovere manus, quarum sub jure tenentur
Omnia, quæ seriem fatorum pollice ducunt,
Longaque ferratis evolvunt sæcula pensis.
Prima fero Lachesis clamabat talia regi,
Incultas dispersa comas: O maxime noctis 55
Arbiter, umbrarumque potens, cui nostra laborant
Stamina, qui finem cunctis et semina præbes,
Nascendique vices alterna morte rependis:
Qui vitam letumque regis: nam quicquid ubique
Gignit materies, hoc te donante creatur, 60
Debeturque tibi, certisque ambagibus ævi
Rursus corporeos animæ mittuntur in ortus:
Ne pete firmatas pacis dissolvere leges,
Quas dedimus, nevitque colus: neu fœdera fra-
Civili converte tuba. Cur impia tollis [trum
Signa? quid incestis aperis Titanibus auras? 66
Posce Jovem, dabitur conjux. Vix illa: pepercit,
Erubuitque preces, animisque relanguit atrox,
Quamvis indocilis flecti. Ceu turbine rauco
Cum gravis armatur Boreas, glacieque nivali 70
Hispidus, et Getica concretus grandine pennas
Bella cupit, pelagus, sylvas, camposque sonoro
Flamine rapturus: si forte adversus aenos
Æolus objecit postes, vanescit inanis 74
Impetus, et fractæ redeunt in claustra procellæ.
Tum Maia genitum, qui fervida dicta reportet,
Imperat acciri. Cyllenius adstitit ales,
Somniferam quatiens virgam, tectusque galero.
Ipse rudi fultus solio, nigraque verendus
Majestate sedet: squalent immania fœdo 80
Sceptra situ: sublime caput mæstissima nubes
Asperat, et diræ riget inclementia formæ.
Terrorem dolor augebat. Tunc talia celso
Ore tonat: tremefacta silent dicente tyranno
Atria: latratum triplicem compescuit ingens 85
Janitor, et presso lacrymarum fonte resedit
Cocytos, tacitisque Acheron obmutuit undis,
Et Phlegethonteæ requierunt murmura ripæ:
Atlantis Tegeæe nepos, commune profundis
Et superis numen, qui fas per limen utrumque 90
Solus habes, geminoque facis commercia mundo,
I celeres proscinde Notos, et jussa superbo
Redde Jovi. Tantumne tibi, sævissime fratrum,
In me juris erit? sic nobis noxia vires
Cum cœlo fortuna tulit? num robur et arma 95
Perdidimus, si rapta dies? an forte jacentes

Ignavosque putas, quod non Cyclopia tela
Stringimus, aut vanas tonitru deludimus aures?
Nonne satis visum, quod grati luminis expers
Tertia supremæ patior dispendia sortis, 100
Informesque plagas; cum te lætissimus ornet
Signifer, et vario cingant splendore Triones?
Sed thalamis etiam prohibes? Nereia glauco
Neptunum gremio complectitur Amphitrite.
Te consanguineo recipit post fulmina fessum 105
Juno sinu. Quid enim narrem Latonia furta?
Quid Cererem, magnamque Themin? Tibi tanta
Copia: te felix natorum turba coronat. [creandi
Ast ego deserta mærens inglorius aula
Implacidas nullo solabor pignore curas? 110
Non adeo toleranda quies. Primordia testor
Noctis, et horrendæ stagna intemerata paludis,
Si dicto parere negas, patefacta ciebo
Tartara: Saturni veteres laxabo catenas:
Obducam tenebris lucem: compage soluta 115
Fulgidus umbroso miscebitur axis Averno.
Vix ea fatus erat, jam nuntius astra tenebat.
Audierat mandata pater, secumque volutat,
Diversos ducens animos, quæ tale sequatur
Conjugium, Stygiosve velit pro sole recessus. 120
Certa requirenti tandem sententia sedit.
Hennææ Cereri proles optata virebat
Unica; nec tribuit sobolem Lucina secundam,
Fessaque post primos hæserunt viscera partus.
Infecunda quidem; sed cunctis altior exstat 125
Matribus, et numeri damnum Proserpina pensat.
Hanc fovet, hanc sequitur. Vitulam non blandius ambit
Torva parens, pedibus quæ nondum proterit arva,
Nec nova lunatæ curvavit germina frontis.
Jam vicina toro plenis adoleverat annis 130
Virginitas: tenerum jam pronuba flamma pudorem
Sollicitat, mixtaque tremit formidine votum.
Personat aula procis. Pariter pro virgine certant
Mars clypeo melior, Phœbus præstantior arcu.
Mars donat Rhodopen, Phœbus largitur Amyclas,
Et Delon, Clariosque lares. Hinc æmula Juno,
Hinc poscit Latona nurum. Despexit utramque
Flava Ceres; raptusque timens (heu cæca futuri)
Commendat Siculis furtim sua gaudia terris,
Ingenio confisa loci. Trinacria quondam 140
Italiæ pars una fuit: sed pontus et æstus
Mutavere situm. Rupit confinia Nereus
Victor, et abscissos interluit æquore montes:
Parvaque cognatas prohibent discrimina terras.
Nunc illam, socia raptam tellure, trisulcam 145
Opponit natura mari. Caput inde Pachyni
Respuit Ionias prætentis rupibus iras:
Hinc latrat Gætula Thetis, Lilybæaque pulsat
Brachia consurgens: hinc dedignata teneri
Concutit objectum rabies Tyrrhena Pelorum. 150
In medio scopulis se porrigit Ætna perustis:
Ætna Giganteos nunquam tacitura triumphos,
Enceladi bustum, qui saucia terga revinctus
Spirat inexhaustum flagranti pectore sulfur.
Et quoties detrectat onus cervice rebelli 155
In dextrum lævumve latus, tunc insula fundo
Vellitur, et dubiæ nutant cum mœnibus urbes.
Ætnæos apices solo cognoscere visu,
Non aditu tentare, licet. Pars cætera frondet
Arboribus: teritur nullo cultore cacumen. 160
Nunc vomit indigenas nimbos, piceaque gravatum
Fœdat nube diem: nunc molibus astra lacessit
Terrificis, damnisque suis incendia nutrit.
Sed, quamvis nimio fervens exuberet æstu,
Scit nivibus servare fidem, pariterque favillis 165
Durescit glacies tanti secura vaporis,
Arcano defensa gelu, fumoque fideli
Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.
Quæ scopulos tormenta rotant? quæ tanta cavernas
Vis glomerat? quo fonte ruit Vulcanius amnis?
Sive quod objicibus discurrens ventus opertis,
Offenso per saxa furit rimosa meatu,
Dum scrutatur iter, libertatemque reposcens
Putria multivagis populatur flatibus antra:
Seu mare sulfurei ductum per viscera montis 175
Oppressis ignescit aquis, et pondera librat.
Hic ubi servandum mater fidissima pignus
Abdidit, ad Phrygios tendit secura penates,
Turrigeramque petit Cybelen, sinuosa draconum
Membra regens, volucri qui pervia nubila tractu
Signant, et placidis humectant frena venenis. 181
Frontem crista tegit: pingunt maculosa virentes
Terga notæ: rutilum squamis intermicat aurum.
Nunc spiris Zephyros tranant: nunc arva volatu
Inferiore secant. Cano rota pulvere labens 185
Sulcatum fecundat humum. Flavescit aristis
Orbita: surgentes condunt vestigia culmi:
Vestit iter comitata seges. Jam linquitur Ætne,
Totaque decrescit refugo Trinacria visu.
Heu quoties præsaga mali violavit oborto 190
Rore genas! quoties oculos ad tecta retorsit,
Talia voce movens! Salve, gratissima tellus,
Quam nos prætulimus cœlo: tibi gaudia nostri
Sanguinis, et caros uteri commendo labores.
Præmia digna manent: nullos patiere ligones,
Et nullo rigidi versabere vomeris ictu. 196
Sponte tuus florebit ager: cessante juvenco
Ditior oblatas mirabitur incola messes.
Sic ait, et fulvis serpentibus attigit Iden.
Hic ædes augusta deæ, templique colendi 200
Relligiosa silex, densis quam pinus opacat
Frondibus, et nulla lucos agitante procella
Stridula coniferis modulatur carmina ramis.
Terribiles intus thiasi, vesanaque mixto
Concentu delubra gemunt: ululatibus Ide 205
Bacchatur: timidas inclinant Gargara sylvas.
Postquam visa Ceres, mugitum tympana frenant:
Conticuere chori: Corybas non impulit ensem:
Non buxus, non æra sonant: blandasque leones
Submisere jubas. Adytis gavisa Cybelle 210
Exsilit, et pronas intendit ad oscula turres.
Viderat hæc dudum summa speculatus ab arce
Jupiter, ac Veneri mentis penetralia nudat:
Curarum secreta tibi, Cytherea, fatebor.
Candida Tartareo nuptum Proserpina regi 215
Jam dudum decreta dari. Sic Atropos urget:
Sic cecinit longæva Themis. Nunc matre remota
(Rem peragi tempus) fines invade Sicanos,
Et Cereris prolem patulis illudere campis,
Crastina puniceos cum lux detexerit ortus, 220
Coge tuis armata dolis, quibus urere cuncta,
Me quoque sæpe, soles. Cur ultima regna quiescunt?
Nulla sit immunis regio, nullumque sub umbris
Pectus inaccensum Veneri. Jam tristis Erinnys
Sentiat ardores: Acheron, Ditisque severi 225
Ferrea lascivis mollescant corda sagittis.
Accelerat præcepta Venus: jussuque parentis
Pallas, et inflexo quæ terret Mænala cornu,
Addunt se comites. Divino semita gressu
Claruit. Augurium qualis laturus iniquum 230
Præpes sanguineo dilabitur igne cometes
Prodigiale rubens: non illum navita tuto,

Non impune vident populi: sed crine minaci
Nuntiat aut ratibus ventos, aut urbibus hostes.
Devenere locum, Cereris quo tecta nitebant
Cyclopum firmata manu. Stant ardua ferro 236
Mœnia: ferrati postes: immensaque nectit
Claustra chalybs. Nullum tanto sudore Pyracmon,
Nec Steropes construxit opus: nec talibus un-
Spiravere Notis animæ: nec flumine tanto [quam
Incoctum maduit lassa fornace metallum. 241
Atria vestit ebur: trabibus solidatur aenis
Culmen, et in celsas surgunt electra columnas.
Ipsa domum tenero mulcens Proserpina cantu
Irrita texebat redituræ munera matri. 245
Hic elementorum seriem sedesque paternas
Insignibat acu: veterem qua lege tumultum
Discrevit Natura parens, et semina justis
Discessere locis. Quicquid leve, fertur in altum:
In medium graviora cadunt: incanduit æther:
Egit flamma polum: fluxit mare: terra pependit.
Nec color unus inest: stellas accendit in auro,
Ostro fundit aquas, attollit littora gemmis:
Filaque mentitos jam jam cælantia fluctus
Arte tument. Credas illidi cautibus algam, 255
Et raucum bibulis inserpere murmur arenis.
Addit quinque plagas. Mediam subtemine rubro
Obsessam fervore notat: squalebat adustus
Limes, et assiduo sitiebant stamina sole.
Vitales utrinque duas, quas mitis oberrat 260
Temperies, habitanda viris: tum fine supremo
Torpentes traxit geminas, brumaque perenni
Fœdat, et æterno contristat frigore telas.
Nec non et patrui pingit sacraria Ditis,
Fatalesque sibi manes. Nec defuit omen. 265
Præscia nam subitis maduerunt fletibus ora.
Cœperat et vitreis summo jam margine texti
Oceanum sinuare vadis: sed cardine verso
Sensit adesse deas, imperfectumque laborem
Deserit, et niveos infecit purpura vultus 270
Per liquidas succensa genas, castæque pudoris
Illuxere faces. Non sic decus ardet eburnum,
Lydia Sidonio quod fœmina tinxerit ostro.
Merserat unda diem: sparso nox humida somno
Languida cæruleis invexerat otia bigis. 275
Jamque viam Pluton superas molitur ad auras
Germani monitu. Torvos invisa jugales
Allecto temone ligat, qui pascua mandunt
Cocyti, spatiisque Erebi nigrantibus errant,
Stagnaque tranquillæ potantes marcida Lethes
Ægra soporatis spumant oblivia linguis: 281
Orphnæus crudele micans, Æthonque sagitta
Ocior, et Stygii sublimis gloria Nycteus
Armenti, Ditisque nota signatus Alastor.
Stabant ante fores juncti, sævumque fremebant
Crastina venturæ spectantes gaudia prædæ. 286

IN LIBRUM SECUNDUM DE RAPTU PROSERPINÆ AD FLORENTINUM PRÆFATIO.

Otia sopitis ageret cum cantibus Orpheus,
Neglectumque diu seposuisset ebur;
Lugebant erepta sibi solatia Nymphæ,
Lugebant dulces flumina mæsta modos.
Sæva feris natura redit, metuensque leonum 5
Implorat citharæ vacca tacentis opem.
Illius et duri flevere silentia montes,
Sylvaque Bistoniam sæpe secuta chelyn.
Sed postquam Inachiis Alcides missus ab Argis
Thracia pacifero contigit arva pede, 10
Diraque sanguinei vertit præsepia regis,
Et Diomedeos gramine pavit equos;
Tum patriæ festo lætatus tempore vates
Desuetæ repetît fila canora lyræ,
Et resides lævi modulatus pectine nervos 15
Pollice festino mobile duxit ebur.
Vis auditus erat; venti frenantur et undæ.
Pigrior adstrictis torpuit Hebrus aquis.
Porrexit Rhodope sitientes carmina rupes:
Excussit gelidas pronior Ossa nives. 20
Ardua nudato descendit populus Hæmo,
Et comitem quercum pinus amica trahit:
Cirrhæasque dei quamvis despexerit artes,
Orpheis laurus vocibus acta venit.
Securum blandi leporem fovere Molossi, 25
Vicinumque lupo præbuit agna latus.
Concordes varia ludunt cum tigride damæ.
Massylam cervi non timuere jubam.
Ille novercales stimulos, actusque canebat
Herculis, et forti monstra subacta manu; 30
Qui timidæ matri pressos ostenderit angues,
Intrepidusque fero riserit ore puer.
Te neque Dictæas quatiens mugitibus urbes
Taurus, nec Stygii terruit ira canis:
Non leo sidereos cœli rediturus ad axes 35
Non Erymanthei gloria montis aper.
Solvis Amazonios cinctus: Stymphalidas arcu
Appetis: occiduo ducis ab orbe greges:
Tergeminique ducis numerosos dejicis artus,
Et toties uno victor ab hoste redis. 40
Non cadere Antæo, non crescere profuit Hydræ:
Non cervam volucres eripuere pedes.
Caci flamma perît: rubuit Busiride Nilus:
Prostratis rubuit nubigenis Pholoe.
Te Libyci stupuere sinus: te maximus Atlas 45
Horruit, imposito cum premerere polo.
Firmior Herculea mundus cervice pependit.
Lustrarunt humeros Phœbus et astra tuos.
Thracius hæc vates. Sed tu Tirynthius alter,
Florentine, mihi: tu mea plectra moves; 50
Antraque Musarum longo torpentia somno
Excutis, et placito ducis ab ore sonos.

DE RAPTU PROSERPINÆ LIBER SECUNDUS.

Impulit Ionios præmisso lumine fluctus
Nondum pura dies : tremulis vibravit in undis
Ardor, et errantes ludunt per cærula flammæ.
Jamque audax animi, fidæque oblita parentis,
Fraude Dionæa riguos Proserpina saltus 5
(Sic Parcæ volvere) petit. Ter cardine verso
Præsagum cecinere fores : ter conscia fati
Flebile terrificis gemuit mugitibus Henna.
Nullis illa tamen monstris, nulloque tenetur
Prodigio. Comites gressum junxere sorores. 10
Prima dolo gaudens, et tanti callida voti
It Venus, et raptus metitur corde futuros,
Jam durum flexura Chaos, jam, Dite subacto,
Ingenti famulos manes ductura triumpho.
Illi multifidos crinis sinuatur in orbes 15
Idalia divisus acu : sudata marito
Fibula purpureos gemma suspendit amictus.
Candida Parrhasii post hanc regina Lycæi,
Et Pandionias quæ cuspide protegit arces,
Utraque virgo, ruunt; hæc tristibus aspera bellis,
Hæc metuenda feris. Tritonia casside fulva 21
Cælatum Typhona gerit, qui, summa peremtus,
Ima parte viget, moriens et parte superstes.
Hastaque terribili surgens per nubila gyro
Instar habet sylvæ. Tantum strideutia colla 25
Gorgonos obtentu pallæ fulgentis inumbrat.
At Triviæ lenis species, et multus in ore
Frater erat ; Phœbique genas et lumina Phœbi
Esse putes, solusque dabat discrimina sexus.
Brachia nuda nitent : levibus projecerat auris 30
Indociles errare comas, arcuque remisso
Otia nervus agit : pendent post terga sagittæ.
Crispatur gemino vestis Gortynia cinctu
Poplite fusa tenus, motoque in stamine Delos
Errat, et aurato trahitur circumflua ponto. 35
Quas inter Cereris proles, nunc gloria matris,
Mox dolor, æquali tendit per gramina passu,
Nec membris nec honore minor : potuitque videri
Pallas, si clypeum, si ferret spicula, Phœbe.
Collectæ tereti nodantur iaspide vestes, 40
Pectinis ingenium. Nunquam felicior arti
Contigit eventus : nullæ sic consona telæ
Fila, nec in tantum veri duxere figuram.
Hic Hyperionio Solem de semine nasci
Fecerat, et pariter, sed forma dispare, Lunam, 45
Auroræ noctisque duces : cunabula Tethys
Præbet, et infantes gremio solatur anhelos,
Cæruleusque sinus roseis radiatur alumnis.
Invalidum dextro portat Titana lacerto,
Nondum luce gravem, nec pubescentibus alte 50
Cristatum radiis : primo clementior ævo
Fingitur, et tenerum vagitu despuit ignem.
Læva parte soror vitrei libamina potat
Uberis, et parvo signatur tempora cornu.
Tali luxuriat cultu : comitantur euntem 55
Naides, et socia stipant utrinque corona,
Quæ fontes, Crinise, tuos, et saxa rotantem
Pantagiam, nomenque Gelan qui præbuit urbi,
Concelebrant : quas pigra vado Camarina palustri,
Quas Arethusæi latices, quas advena nutrit 60
Alpheus. Cyane totum supereminet agmen.
Qualis Amazonidum peltis exsultat aduncis
Pulchra cohors, quoties Arcton populata virago
Hippolyte niveas ducit post prœlia turmas ;
Seu flavos stravere Getas, seu forte rigentem 65
Thermodontiaca Tanain fregere securi.
Aut quales referunt Baccho sollennia Nymphæ
Mæoniæ, quas Hermus alit, ripasque paternas
Percurrunt auro madidæ : lætatur in antro
Amnis, et undantem declinat prodigus urnam. 70
Viderat herboso sacrum de vertice vulgus
Henna parens florum, curvaque in valle sedentem
Compellat Zephyrum : Pater o gratissime veris,
Qui mea lascivo regnas per prata meatu
Semper, et assiduis irroras flatibus annum, 75
Respice Nympharum cœtus, et celsa Tonantis
Germina, per nostros dignantia ludere campos.
Nunc adsis faveasque, precor : nunc omnia fetu
Pubescant virgulta velis, ut fertilis Hybla
Invideat, vincique suos non abnuat hortos. 80
Quicquid thuriferis spirat Panchaia sylvis,
Quicquid odoratus longe blanditur Hydaspes,
Quicquid ab extremis ales longæva Sabæis
Colligit, optato repetens exordia busto,
In venas disperge meas, et flamine largo 85
Rura fove : merear divino pollice carpi,
Et nostris cupiant ornari numina sertis.
Dixerat. Ille novo madidantes nectare pennas
Concutit, et glebas fecundo rore maritat: [herbas
Quaque volat, vernus sequitur rubor. Omnis in
Turget humus, medioque patent convexa sereno.
Sanguineo splendore rosas, vaccinia nigro
Induit, et dulci violas ferrugine pingit.
Parthica quæ tantis variantur cingula gemmis
Regales vinctura sinus? quæ vellera tantum 95
Ditibus Assyrii spumis fucantur aeni?
Non tales volucer pandit Junonius alas :
Nec sic innumeros arcu mutante colores
Incipiens redimitur hiems, cum tramite flexo
Semita discretis interviret humida nimbis. 100
Forma loci superat flores. Curvata tumore
Parvo planities, et mollibus edita clivis
Creverat in collem. Vivo de pumice fontes
Roscida mobilibus lambebant gramina rivis.
Sylvaque torrentes ramorum frigore soles 105
Temperat, et medio brumam sibi vindicat æstu.
Apta fretis abies, bellis accommoda cornus,
Quercus amica Jovi, tumulos tectura cupressus,
Ilex plena favis, venturi præscia laurus.
Fluctuat hic denso crispata cacumine buxus, 110
Hic hederæ serpunt, hic pampinus induit ulmos.
Haud procul inde lacus (Pergum dixere Sicani)
Panditur, et nemorum frondoso margine cinctus
Vicinis pallescit aquis : admittit in altum
Cernentes oculos, et late pervius humor 115
Ducit inoffensos liquido sub gurgite visus,
Imaque perspicui prodit secreta profundi.
Huc elapsa cohors gaudent per florea rura.
Hortatur Cytherea, legant : Nunc ite, sorores,
Dum matutinis præsudat solibus aer : 120
Dum meus humectat flaventes Lucifer agros,
Roranti prævectus equo. Sic fata, doloris
Carpit signa sui. Varios tum cætera saltus
Invasere cohors. Credas examina fundi

Hyblæum raptura thymum, cum cerea reges 125
Castra movent, fagique cava demissus ab alvo
Mellifer electis exercitus obstrepit herbis.
Pratorum spoliatur honos. Hæc lilia fuscis
Intexit violis: hanc mollis amaracus ornat:
Hæc graditur stellata rosis; hæc alba ligustris.
Te quoque, flebilibus mærens Hyacinthe figuris,
Narcissumque metunt, nunc inclyta germina veris,
Præstantes olim pueros: tu natus Amyclis;
Hunc Helicon genuit: te disci perculit error;
Hunc fontis decepit amor: te fronte retusa 135
Delius, hunc fracta Cephisus arundine luget.
Æstuat ante alias avido fervore legendi
Frugiferæ spes una deæ. Nunc vimine texto
Ridentes calathos spoliis agrestibus implet:
Nunc sociat flores, seseque ignara coronat, 140
Augurium fatale tori. Quin ipsa tubarum
Armorumque potens, dextram, qua fortia turbat
Agmina, qua stabiles portas et mœnia vellit,
Jam levibus laxat studiis, hastamque reponit,
Insolitisque docet galeam mitescere sertis. 145
Ferratus lascivit apex, horrorque recessit
Martius, et cristæ pacato fulgure vernant.
Nec, quæ Parthenium canibus scrutatur odorem,
Adspernata choros, libertatemque comarum
Injecta tantum voluit frenare corona. 150
Talia virgineo passim dum more geruntur,
Ecce repens mugire fragor, confligere turres,
Pronaque vibratis radicibus oppida verti.
Causa latet. Dubios agnovit sola tumultus
Diva Paphi, mixtoque metu perterrita gaudet.
Jamque per anfractus animarum rector opacos
Sub terris quærebat iter, gravibusque gementem
Enceladum calcabat equis: immania findunt
Membra rotæ, pressaque gigas cervice laborat
Sicaniam cum Dite ferens, tentatque moveri 160
Debilis, et fessis serpentibus impedit axem.
Fumida sulfureo prælabitur orbita dorso.
Ac velut occultus securum prodit in hostem
Miles, et effossi subter fundamina campi
Transilit elusos arcano limite muros, 165
Turbaque deceptas victrix erumpit in arces,
Terrigenas imitata viros: sic tertius hæres
Saturni latebrosa vagis rimatur habenis
Devia, fraternum cupiens exire sub orbem.
Janua nulla patet: prohibebant undique rupes
Oppositæ, duraque deum compage tenebant. 171
Non tulit ille moras, indignatusque trabali
Saxa ferit sceptro. Siculæ tonuere cavernæ.
Turbatur Lipare: stupuit fornace relicta
Mulciber, et trepidus dejecit fulmina Cyclops.
Audiit, et si quem glacies Alpina coercet, 176
Et qui te, Latiis nondum præcincte tropæis
Tibri, natat, missamque Pado qui remigat alnum.
Sic, cum Thessaliam scopulis inclusa teneret
Peneo stagnante palus, et mersa negarent 180
Arva coli, trifida Neptunus cuspide montes
Impulit adversos: tum forti saucius ictu
Dissiluit gelido vertex Ossæus Olympo.
Carceribus laxantur aquæ, fractoque meatu
Redduntur fluviusque mari tellusque colonis. 185
Postquam victa manu duros Trinacria nexus
Solvit, et immenso late discessit hiatu;
Apparet subitus cœlo timor: astra viarum
Mutavere fidem: vetito se proluit Arctos
Æquore: præcipitat pigrum formido Booten.
Horruit Orion: audito palluit Atlas 191
Hinnitu: rutilos obscurat anhelitus axes
Discolor: et longa solitos caligine pasci
Terruit orbis equos. Pressis hæsere lupatis
Attoniti meliore polo; rursusque verendum 195
In Chaos obliquo pugnant temone reverti.
Mox ubi pulsato senserunt verbera tergo,
Et solem didicere pati; torrentius amne
Hiberno, tortaque ruunt pernicius hasta:
Quantum non jaculum Parthi, non impetus Austri,
Non leve sollicitæ mentis discurrit acumen. 201
Sanguine frena calent: corrumpit spiritus auras
Letifer: infectæ spumis vitiantur arenæ.
Diffugiunt Nymphæ: rapitur Proserpina curru,
Imploratque deas. Jam Gorgonos ora revelat 205
Pallas, et intento festinat Delia cornu:
Nec patruo cedunt. Stimulat communis in arma
Virginitas, crimenque feri raptoris acerbat.
Ille, velut stabuli decus armentique juvencam
Cum leo possedit, nudataque viscera fodit 210
Unguibus, et rabiem totos exegit in armos,
Stat crassa turpis sanie, nodosque jubarum
Excutit, et viles pastorum despicit iras.
Ignavi domitor vulgi, teterrime fratrum,
Pallas ait, quæ te stimulis facibusque profanis
Eumenides movere? tua cur sede relicta 216
Audes Tartareis cœlum incestare quadrigis?
Sunt tibi deformes Diræ: sunt altera Lethes
Numina: sunt tristes Furiæ te conjuge dignæ.
Fratris linque domos: alienam desere sortem:
Nocte tua contentus abi. Quid viva sepultis 221
Admisces? nostrum quid proteris advena mun-
Talia vociferans avidos transire minaci [dum?
Cornipedes umbone ferit, clypeique retardat
Objice, Gorgoneisque premens adsibilat hydris,
Prætentasque aperit cristas. Libratur in ictum
Fraxinus, et nigros illuminat obvia currus.
Missaque pæne foret, ni Jupiter æthere vulso
Pacificas rubri torsisset fulminis alas,
Confessus socerum. Nimbis Hymenæus hiulcis
Intonat, et testes firmant connubia flammæ. 231
Invitæ cessere deæ. Compescuit arcum
Cum gemitu, talesque dedit Latonia voces: [tris
Sis memor, o, longumque vale. Reverentia pa-
Obstitit auxilio: nec nos defendere contra 235
Possumus: imperio vinci majore fatemur.
In te conjurat genitor, populoque silenti
Traderis, heu, cupidas non adspectura sorores,
Æqualemque chorum. Quæ te fortuna supernis
Abstulit, et tanto damnavit sidera luctu? 240
Jam neque Partheniis innectere retia lustris,
Nec pharetram gestare libet: securus ubique
Spumet aper, sævumque fremant impune leones.
Te juga Taygeti, posito te Mænala flebunt
Venatu, mæstoque diu lugebere Cyntho. 245
Delphica quin etiam fratris delubra tacebunt.
Interea volucri fertur Proserpina curru,
Cæsariem diffusa Noto, planctuque lacertos
Verberat, et questus ad nubila rumpit inanes:
Cur non torsisti manibus fabricata Cyclopum
In nos tela, pater? Sic me crudelibus umbris 25
Tradere, sic toto placuit depellere mundo?
Nullane te flectit pietas? nihilumne paternæ
Mentis inest? tantas quo crimine movimus iras?
Non ego, cum rapido sæviret Phlegra tumultu,
Signa deis adversa tuli: non robore nostro 256
Ossa pruinosum vexit glacialis Olympum.
Quod conata nefas, aut cujus conscia noxæ
Exsul ad immanes Erebi detrudor hiatus?
O fortunatas, alii quascunque tulere 260
Raptores! saltem communi sole fruuntur.
Sed mihi virginitas pariter cœlumque negatur:
Eripitur cum luce pudor: terrisque relictis
Servitum Stygio ducor captiva tyranno.

O male dilecti flores, despectaque matris 265
Consilia, o Veneris deprensæ serius artes!
Mater, io, seu te Phrygiis in vallibus Idæ
Mygdonio buxus circumsonat horrida cantu,
Seu tu sanguineis ululantia Dindyma Gallis
Incolis, et strictos Curetum respicis enses, 270
Exitio succurre meo: compesce furentem:
Comprime ferales torvi prædonis habenas.
Talibus ille ferox dictis fletuque decoro
Vincitur, et primi suspiria sentit amoris.
Tunc ferrugineo lacrymas detergit amictu, 275
Et placida mæstum solatur voce dolorem:
Desine funestis animum, Proserpina, curis
Et vano vexare metu. Majora dabuntur
Sceptra, nec indigni tædas patiere mariti.
Ille ego Saturni proles, cui machina rerum 280
Servit, et immensum tendit per inane potestas.
Amissum ne crede diem. Sunt altera nobis
Sidera, sunt orbes alii: lumenque videbis
Purius, Elysiumque magis mirabere solem,
Cultoresque pios. Illic pretiosior ætas, 285
Aurea progenies, habitant: semperque tenemus,
Quod superi meruere semel. Nec mollia desunt
Prata tibi. Zephyris illic melioribus halant
Perpetui flores, quos nec tua protulit Henna.
Est etiam lucis arbor prædives opacis, 290
Fulgentes viridi ramos curvata metallo.
Hæc tibi sacra datur, fortunatumque tenebis
Autumnum, et fulvis semper ditabere pomis. [aer,
Parva loquor: quicquid liquidus complectitur
Quicquid alit tellus, quicquid salis æquora ver-
Quod fluvii volvunt, quod nutrivere paludes, [runt,
Cuncta tuis pariter cedent animalia regnis,
Lunari subjecta globo, qui septimus auras
Ambit, et æternis mortalia separat astris.
Sub tua purpurei venient vestigia reges, 300
Deposito luxu, turba cum paupere mixti.
Omnia mors æquat. Tu damnatura nocentes:
Tu requiem latura piis: te judice sontes
Improba cogentur vitæ commissa fateri.
Accipe Lethæo famulas cum gurgite Parcas. 305
Sit fatum, quodcunque voles. Hæc fatus ovantes
Exhortatur equos, et Tænara mitior intrat.
Conveniunt animæ, quantas truculentior Auster
Decutit arboribus frondes, aut nubibus imbres
Colligit, aut frangit fluctus, aut torquet arenas.
Cunctaque præcipiti stipantur sæcula cursu 311
Insignem visura nurum. Mox ipse serenus
Ingreditur, facili passus mollescere risu,
Dissimilisque sui. Dominis intrantibus ingens
Adsurgit Phlegethon: flagrantibus hispida rivis
Barba madet, totoque fluunt incendia vultu. 316
Occurrunt properi lecta de plebe ministri.
Pars altos revocant currus, frenisque solutis
Vertunt emeritos ad pascua nota jugales.
Pars aulæa tenent: alii prætexere ramis 320
Limina, et in thalamum cultas extollere vestes.
Reginam casto cinxerunt agmine matres
Elysiæ, teneroque levant sermone timores,
Et sparsos religant crines, et vultibus addunt
Flammea, sollicitum prævelatura pudorem. 325
Pallida lætatur regio, gentesque sepultæ
Luxuriant, epulisque vacant genialibus umbræ.
Grata coronati peragunt convivia manes.
Rumpunt insoliti tenebrosa silentia cantus.
Sedantur gemitus. Erebi se sponte relaxat 330
Squalor, et æternam patitur rarescere noctem.
Urna nec incertas versat Minoia sortes.
Verbera nulla sonant, nulloque frementia luctu
Impia dilatis respirant Tartara pœnis.
Non rota suspensum præceps Ixiona torquet: 335
Non aqua Tantaleis subducitur invida labris.
Solvitur Ixion: invenit Tantalus undas.]
Et Tityos tandem spatiosos erigit artus,
Squalentisque novem detexit jugera campi,
(Tantus erat:) laterisque piger sulcator opaci 340
Invitus trahitur lasso de pectore vultur,
Abreptasque dolet jam non sibi crescere fibras.
Oblitæ scelerum formidatique furoris
Eumenides cratera parant, et vina feroci
Crine bibunt, flexisque minis jam lene canentes
Extendunt socios ad pocula plena cerastas, 346
Ac festas alio succendunt lumine tædas.
Tunc et pestiferi pacatum flumen Averni
Innocuæ transistis aves, flatumque repressit
Amsanctus: tacuit fixo torrente vorago. 350
Tunc Acheronteos mutato gurgite fontes
Lacte novo tumuisse ferunt, hederisque virentem
Cocyton dulci perhibent undasse Lyæo.
Stamina nec rupit Lachesis, nec turbida sacris
Obstrepitant lamenta choris. Mors nulla vagatur
In terris, nullæque rogum planxere parentes. 356
Navita non moritur fluctu, non cuspide miles.
Oppida funerei pollent immunia leti.
Impexamque senex velavit arundine frontem
Portitor, et vacuos egit cum carmine remos. 560
Jam suus inferno processerat Hesperus orbi.
Ducitur in thalamum virgo. Stat pronuba juxta
Stellantes Nox picta sinus, tangensque cubile
Omina perpetuo genitalia fœdere sancit.
Exsultant cum voce pii, Ditisque sub aula 365
Talia pervigili sumunt exordia plausu:
Nostra parens Juno, tuque o germane Tonantis
Et gener, unanimi consortia discite somni,
Mutuaque alternis innectite colla lacertis.
Jam felix oritur proles: jam læta futuros 370
Exspectat Natura deos. Nova numina rebus
Addite, et optatos Cereri proferte nepotes.

DE RAPTU PROSERPINÆ LIBER TERTIUS.

Jupiter interea cinctam Thaumantida nimbis
Ire jubet, totoque deos arcessere mundo.
Illa colorato Zephyros prælapsa volatu
Numina conclamat pelagi, Nymphasque morantes
Increpat, et fluvios humentibus evocat antris. 5
Ancipites trepidique ruunt, quæ causa quietos
Excierit, tanto quæ res agitanda tumultu
Ut patuit stellata domus, considere jussi.
Nec confusus honos. Cœlestibus ordine sedes
Prima datur: tractum proceres tenuere secundum
Æquorei, placidus Nereus, et lucida Phorci 11
Canities. Glaucum series extrema biformem

Accipit, et certo mansurum Protea vultu.
Nec non et senibus fluviis concessa sedendi
Gloria: plebeio stat cætera more juventus, 15
Mille amnes. Liquidis incumbunt patribus udæ
Naides, et taciti mirantur sidera Fauni.
Tum gravis ex alto genitor sic orsus Olympo:
Abduxere meas iterum mortalia curas,
Jam pridem neglecta mihi, Saturnia postquam 20
Otia et ignavi senium cognovimus ævi;
Sopitosque diu populos torpore paterno
Sollicitæ placuit stimulis impellere vitæ,
Incultis ne sponte seges grandesceret arvis,
Undaret neu sylva favis, neu vina tumerent 25
Fontibus, et totæ fremerent in pocula ripæ. [est,
Haud equidem invideo; (nec enim livescere fas
Vel nocuisse deos:) sed quid dissuasor honesti
Luxus, et humanas oblimat copia mentes?
Provocet ut segnes animos, rerumque remotas 30
Ingeniosa vias paullatim exploret egestas:
Utque artes parit sollertia, nutriat usus.
Nunc mihi cum magnis instat Natura querelis
Humanum relevare genus, durumque tyrannum
Immitemque vocat, regnataque sæcula patri 35
Commemorat, parcumque Jovem se divite clamat.
Cur campos horrere situ, dumisque repleri
Rura velim, et nullis exornem fructibus annum?
Se jam, quæ genitrix mortalibus ante fuisset,
In diræ subito mores transisse novercæ. 40
Quid mentem traxisse polo, quid profuit altum
Erexisse caput, pecudum si more pererrant
Avia, si frangunt communia pabula glandes?
Hæccine vita juvat sylvestribus abdita lustris,
Indiscreta feris? Tales cum sæpe parentis 45
Pertulerim questus, tandem clementior orbi
Chaonio statui gentes avertere victu.
Atque adeo Cererem, quæ nunc ignara malorum
Verberat Idæos torva cum matre leones,
Per mare, per terras avido discurrere luctu 50
Decretum, natæ donec lætata repertæ
Indicio, tribuat fruges, currusque feratur
Avius, ignotas populis sparsurus aristas,
Et juga cærulei subeant Actæa dracones.
Quod si quis Cereri raptorem prodere divûm 55
Audeat; imperii molem, pacemque profundam
Obtestor rerum, natus licet ille, sororve,
Vel conjux fuerit, natarumve agminis una,
Se licet ille meo conceptum vertice jactet,
Sentiet iratam procul ægida, sentiet ictum 60
Fulminis, et genitum divina sorte pigebit,
Optabitque mori: tunc vulnere languidus ipsi
Tradetur genero, passurus prodita regna,
Et sciet an propriæ conspirent Tartara causæ.
Hoc sanctum: mansura fluant hoc ordine fata. 65
Dixit, et horrendo concussit sidera motu.
At procul armisoni Cererem sub rupibus antri,
Securam placidamque diu, jam certa peracti
Terrebant simulacra mali, noctesque timorem
Ingeminant, omnique perit Proserpina somno. 70
Namque modo adversis invadi viscera telis,
Nunc sibi mutatas horret nigrescere vestes,
Nunc steriles mediis frondere penatibus ornos.
Stabat præterea luco dilectior omni
Laurus, virgineos quæ quondam fronde pudica 75
Umbrabat thalamos: hanc ima stirpe recisam
Vidit, et incomtos fœdari pulvere ramos.
Quærentique nefas Dryades dixere gementes,
Tartarea furias debellavisse bipenni.
Sed tunc ipsa, sui jam non ambagibus ullis 80
Nuntia, materno facies ingesta sopori.
Namque videbatur tenebroso obtecta recessu
Carceris, et sævis Proserpina vincta catenis,
Non qualem Siculis olim mandaverat arvis,
Nec qua em roseis nuper convallibus Hennæ 85
Suspexere deæ. Squalebat pulchrior auro
Cæsaries, et nox oculorum infecerat ignes,
Exhaustusque gelu pallet rubor. Ille superbi
Flammeus oris honos, et non cessura pruinis
Membra colorantur picei caligine regni. 90
Ergo hanc ut dubio vix tandem agnoscere visu
Evaluit: Cujus tot pœnæ criminis? inquit.
Unde hæc informis macies? cui tanta facultas
In me sævitiæ est? rigidi cur vincula ferri
Vix aptanda feris molles meruere lacerti? 95
Tu, mea tu proles? an vana fallimur umbra?
Illa refert: Heu dira parens, natæque peremtæ
Immemor, heu fulvas animo transgressa leænas,
Tantane te nostri tenuere oblivia? tantum
Unica despicior? Certe Proserpina nomen 100
Dulce tibi, tali quæ nunc, ut cernis, hiatu
Suppliciis inclusa teror. Tu sæva choreis [bes.
Indulges, Phrygiasque etiamnum interstrepis ur-
Quod si non omnem pepulisti pectore matrem,
Si tu nota Ceres, et non me Caspia tigris 105
Edidit, his, oro, miseram defende cavernis,
Inque superna refer. Prohibent si fata reverti,
Vel saltem visura veni. Sic fata, trementes
Tendere conatur palmas: vis improba ferri
Impedit, et motæ somnum excussere catenæ. 110
Obriguit visis. Gaudet non vera fuisse
Complexu caruisse dolet. Penetralibus amens
Prosilit, et tali compellat voce Cybellen:
Jam non ulterius Phrygia tellure morabor,
Sancta parens: revocat tandem custodia cari 115
Pignoris, et cunctis objecti fraudibus anni.
Non mihi, Cyclopum quamvis exstructa caminis,
Culmina fida satis. Timeo, ne fama latebras
Prodiderit, leviusque meum Trinacria celet
Depositum. Terret nimium vulgata locorum 120
Nobilitas: aliis sedes obscurior oris
Exquirenda mihi. Gemitu flammisque propin-
Enceladi nequeunt umbracula nostra taceri. [quis
Somnia quin etiam variis infausta figuris
Sæpe monent, nullusque dies non triste minatur
Augurium. Quoties flaventia serta comarum 126
Sponte cadunt! quoties exsudat ab ubere sanguis!
Larga vel invito prorumpunt flumina vultu,
Injussæque manus mirantia pectora tundunt!
Si buxos inflare velim, ferale gemiscunt: 130
Tympana si quatiam, planctus mihi tympana red-
dunt.
Ah vereor, ne quid portendant omina veri!
Heu longæ nocuere moræ! Procul irrita venti
Dicta ferant, subicit Cybele: non tanta Tonanti
Segnities, ut non pro pignore fulmina mittat. 135
I tamen, et nullo turbata revertere casu.
Hæc ubi, digreditur templis: sed nulla ruenti
Mobilitas: tardos queritur non ire jugales:
Immeritasque movens alterno verbere pennas
Sicaniam quærit, cum necdum absconderit Iden.
Cuncta pavet, speratque nihil. Sic æstuat ales,
Quæ teneros humili fetus commiserit orno
Allatura cibos, et plurima cogitat absens;
Ne fragilem ventus discusserit arbore nidum:
Ne furtum pateant homini, neu præda colubris
Ut domus excubiis incustodita remotis, 146
Et resupinati neglecto cardine postes,
Flebilis et tacitæ species apparuit aulæ;
Non exspectato respectu cladis, amictus
Conscidit, et fractas cum crine avellit aristas. 150
Hæserunt lacrymæ: non vox, non spiritus oris

Redditur, atque imis vibrat tremor ossa medullis.
Succidui titubant gressus, foribusque reclusis,
Dum vacuas sedes et desolata pererrat
Atria, semirutas confuso stamine telas, 155
Atque interceptas agnoscit pectinis artes.
Divinus perit ille labor, spatiumque relictum
Audax sacrilego supplebat aranea textu.
Nec deflet, plangitve malum: tamen oscula telæ
Figit, et abrumpit mutas in fila querelas. 160
Attritosque manu radios, projectaque pensa,
Cunctaque virgineo sparsa oblectamina ludo,
Ceu natam, pressat gremio: castumque cubile,
Desertosque toros, et sicubi sederit olim,
Perlegit. Attonitus stabulo ceu pastor inani, 165
Cui pecus aut rabies Pœnorum inopina leonum,
Aut populatrices infestavere catervæ:
Serus at ille redit, vastataque pascua lustrans
Non responsuros ciet imploratque juvencos.
Atque ibi secreta tectorum in parte jacentem
Adspicit Electram, natæ quæ sedula nutrix, 171
Oceani priscas inter notissima Nymphas.
Par Cereri pietas. Hæc post cunabula dulci
Ferre sinu, summoque Jovi deducere parvam
Sueverat, et genibus ludentem aptare paternis.
Hæc comes, hæc custos, hæc proxima mater haberi. 176
Tum laceras effusa comas, et pulvere canos
Sordida, sidereæ raptus lugebat alumnæ.
Hanc aggressa Ceres, postquam suspiria tandem
Laxavit frenosque dolor, Quod cernimus, inquit,
Excidium? cui præda feror? regnatne maritus?
An cœlum Titanes habent? Quæ talia vivo
Ausa Tonante manus? rupitne Typhoia cervix
Inarimen? fractane jugi compage Vesevi
Alcyoneus per stagna pedes Tyrrhena cucurrit?
An vicina mihi quassatis faucibus Ætna 186
Protulit Enceladum? nostros an forte penates
Appetiit centum Briareia turba lacertis? [træ,
Heu ubi nunc, ubi nata mihi? quo mille minis-
Quo Cyane? volucres quæ vis Sirenas abegit? 190
Hæccine vestra fides? sic fas aliena tueri
Pignora? Contremuit nutrix, mærorque pudori
Cessit, et adspectus miseræ non ferre parentis
Emtum morte velit: longumque immota moratur
Auctorem dubium, certumque expromere funus.
Vix tamen hæc: Acies utinam vesana Gigantum 196
Hanc dederit cladem! levius communia tangunt.
Sed divæ, multoque minus quod rere, sorores
In nostras nimium conjuravere ruinas.
Insidias superûm, cognatæ vulnera cernis 200
Invidiæ: Phlegra nobis infensior æther.
Florebat tranquilla domus: nec limina virgo
Linquere, nec virides audebat visere saltus,
Præceptis obstricta tuis. Telæ labor illi,
Sirenes requies; sermonum gratia mecum, 205
Mecum somnus erat, cautique per atria ludi.
Cum subito (quonam dubium monstrante latebras
Rescierit) Cytherea venit, suspectaque nobis
Ne foret, hinc Phœben comites, hinc Pallada
Protinus effuso lætam se fingere risu. [junxit.
Nec semel amplecti, nomenque iterare sororis,
Et dura de matre queri, quæ tale recessu
Maluerit damnare decus, vetitoque dearum
Colloquio, patriisque procul mandaverit astris.
Nostra rudis gaudere malis, et nectare largo
Instaurare dapes. Nunc arma habitumque Dianæ
Induitur, digitisque attentat mollibus arcum:
Nunc crinita jubis galeam, laudante Minerva,
Implet, et ingentem clypeum gestare laborat.
Prima Venus campos Hennæaque rura maligno
Ingerit affatu. Vicinos callida flores 221
Ingeminat, meritumque loci, velut inscia, quærit
Nec credit, quod bruma rosas innoxia servet,
Quid gelidi rubeant alieno germine menses
Verna nec iratum timeant virgulta Booten. 225
Dum loca miratur, studio dum flagrat eundi,
Persuadet. Teneris, heu, lubrica moribus ætas!
Quos ego nequicquam planctus, quas irrita fudi
Ore preces? Ruit illa tamen confisa sororum
Præsidio: famulæ longo post ordine Nymphæ.
Itur in æterno vestitos gramine campos, 231
Et prima sub luce legunt, cum rore serenus
Albet ager, sparsosque bibunt violaria succos.
Sed postquam medio sol institit altior axi,
Ecce polum nox fœda rapit, tremefactaque nutat
Insula cornipedum strepitu, pulsuque rotarum.
Nosse nec aurigam licuit; seu mortifer Æstus,
Seu Mors ipsa fuit. Luror permanat in herbas:
Deficiunt rivi: squalent rubigine prata:
Et nihil afflatum vivit. Pallere ligustra, 240
Exspirare rosas, decrescere lilia vidi.
Ut rauco reduces tractu detorsit habenas,
Nox sua prosequitur currum; lux redditur orbi.
Persephone nusquam. Voto rediere peracto,
Nec mansere deæ. Mediis invenimus arvis 245
Exanimem Cyanen: cervix redimita jacebat,
Et caligantes marcebant fronte coronæ.
Aggredimur subitæ, et casus scitamur heriles,
(Nam propior cladi steterat,) quis vultus equorum?
Quis regat? Illa nihil: tacito sed læsa veneno
Solvitur in laticem. Subrepit crinibus humor:
Liquitur, in roremque pedes et brachia manant,
Nostraque mox lambit vestigia perspicuus fons
Discedunt aliæ. Rapidis Acheloides alis
Sublatæ Siculi latus obsedere Pelori, 255
Accensæque malo jam non impune canoras
In pestem vertere lyras: vox blanda carinas
Alligat: audito frenantur carmine remi.
Sola domi luctu senium tractura relinquor.
Hæret adhuc suspensa Ceres, et singula demens, [quens
Ceu nondum transacta, timet. Mox lumina tor-
Ultro in cœlicolas furiato pectore ferri.
Arduus Hyrcana quatitur sic matre Niphates,
Cujus Achæmenio regi ludibria natos
Avexit tremebundus eques: fremit illa marito
Mobilior Zephyro, totamque virentibus iram 266
Dispergit maculis, jamjamque hausura profundo
Ore virum, vitreæ tardatur imagine formæ.
Haud aliter toto genitrix bacchatur Olympo,
Reddite, vociferans: non me vagus edidit amnis:
Non Dryadum de plebe sumus: turrita Cybelle
Me quoque Saturno genuit. Quo jura deorum,
Quo leges abiere poli? quid vivere recte
Proderit? en audet noti Cytherea pudoris
Ostentare suos post Lemnia vincula vultus. 275
Hos animos bonus ille sopor castumque cubile
Præbuit? amplexus hoc promeruere pudici?
Nec mirum, si turpe nihil post talia ducit.
Quid vos expertes thalami? tantumne relictus
Virginitatis honos? tantum mutata voluntas?
Jam Veneri, et sociis junctæ raptoribus itis?
O templis Scythiæ, atque hominum sitientibus aris
Utraque digna coli! Tanti quæ causa furoris?
Quam mea vel dicto tenui Proserpina læsit?
Scilicet aut caris pepulit te, Delia, sylvis, 285
Aut tibi commissas rapuit, Tritonia, pugnas.
An gravis alloquio? vestros an forte petebat
Importuna choros? atqui Trinacria longe,

Esset ne vobis oneri, deserta colebat.
Quid latuisse juvat? rabiem livoris acerbi 290
Nulla potest placare quies. His increpat omnes
Vocibus: ast illæ (prohibet reverentia patris)
Aut reticent, aut nosse negant: responsaque matri
Dant lacrymas. Quid agat? rursus se victa remittit,
Inque humiles demissa preces, Ignoscite, si quid
Intumuit pietas; si quid flagrantius actum, 296
Quam decuit miseram. Supplex, dejectaque vestris
Advolvor genibus. Liceat cognoscere sortem.
Hoc tantum: liceat certos habuisse dolores.
Scire peto quæ forma mali: quamcunque dedistis
Fortunam, si nota, feram, fatumque putabo, 301
Non scelus. Adspectum precor indulgete parenti.
Non repetam. Quæsita manu securus habeto,
Quisquis es. Affirmo prædam: desiste vereri.
Quod si nos aliquo prævenit fœdere raptor, 305
Tu certe, Latona, refer: confessa Diana
Forte tibi. Nosti quid sit Lucina, quis horror
Pro genitis, et quantus amor: partusque tulisti
Tu geminos: hæc una mihi. Sic crine fruaris
Semper Apollineo, sic me felicior ævum 310
Mater agas. Largis tunc imbribus ora madescunt.
Quid? tantum dignum fleri, dignumque taceri?
Hei mihi! discedunt omnes. Quid vana moraris
Ulterius? non bella palam cœlestia sentis?
Quin potius natam pelago terrisque requiris?
Accingar lustrare diem: per devia rerum 316
Indefessa ferar: nulla cessabitur hora. [tum
Non requies, non somnus erit, dum pignus adem-
Inveniam, gremio quamvis mergatur Iberæ
Tethyos, et rubro jaceat vallata profundo. 320
Non Rheni glacies, non me Rhipæa tenebunt
Frigora, non dubio Syrtis cunctabitur æstu.
Stat fines penetrare Noti, Boreæque nivalem
Vestigare domum: primo calcabitur Atlas
Occasu, facibusque meis lucebit Hydaspes. 325
Impius errantem videat per rura, per urbes
Jupiter: exstincta satietur pellice Juno.
Insultate mihi: cœlo regnate superbi.
Ducite præclarum Cereris de stirpe triumphum.
Sic fatur, notæque jugis illabitur Ætnæ, 330
Noctivago tædas informatura labori. [præfert
Lucus erat prope flavum Acin, quem candida
Sæpe mari. pulchroque secat Galatea natatu:
Densus, et innexis Ætnæa cacumina ramis,
Qua libet usque, tegens. Illic posuisse cruentam
Ægida, captivamque pater post prœlia prædam
Advexisse datur. Phlegræis sylva superbit
Exuviis, totumque nemus victoria vestit.
Hic patuli rictus, hic prodigiosa Gigantum
Tergora dependent, et adhuc crudele minantur
Affixæ truncis facies, immaniaque ossa 341
Serpentum passim cumulis exsanguibus albent,
Et rigidæ multo suspirant fulmine pelles,
Nullaque non magni se jactat nominis arbor.
Hæc centumgemini strictos Ægæonis enses 345
Curvata vix fronte levat: liventibus illa
Exsultat Cœi spoliis: hæc arma Mimantis
Sustinet: hos onerat ramos exutus Ophion.
Altior at cunctis abies umbrosaque late
Ipsius Enceladi fumantia gestat opima, 350
Summi terrigenûm regis, caderetque gravata
Pondere, ni lassam fulciret proxima quercus.
Inde timor numenque loco, nemorisque senectæ
Parcitur, ætheriisque nefas nocuisse tropæis.
Pascere nullus oves, nec robora lædere Cyclops
Audet, et ipse fugit sacra Polyphemus ab umbra.
Non tamen hoc tardata Ceres: accenditur ultro
Relligione loci, vibratque incerta securim,
Ipsum etiam per itura Jovem. Succidere pinus,
Et magis enodes properat prosternere cedros, 360
Exploratque obiens truncos, rectique tenorem
Stipitis, et certo prætentat brachia nisu.
Sic qui vecturam longinqua per æquora merces
Molitur tellure ratem, vitamque procellis
Objectare parat, fagos metitur et alnos, 365
Et varium rudibus sylvis accommodat usum.
Quæ longa est, tumidis præbebit cornua velis:
Quæ fortis, malo potior: quæ lenta, favebit
Remigio: stagni patiens aptanda carinæ.
Tollebant geminæ capita inviolata cupressus
Cespite vicino, quales non rupibus Idæ 371
Miratur Simois; quales non divite ripa
Lambit Apollinei nemoris nutritor Orontes.
Germanas adeo credas: sic frontibus æquis
Adstant, et socio despectant vertice lucum. 375
Hæ placuere faces: permix invadit utramque
Cincta sinus, exserta manus, armata bipenni:
Alternasque ferit, totisque obnixa trementes
Viribus impellit. Pariter traxere ruinam,
Et pariter posuere comam, campoque recumbunt,
Faunorum Dryadumque dolor. Complectitur am-
Sicut erant, alteque levat, retroque solutis [bas,
Crinibus adscendit fastigia montis anheli,
Exsuperatque æstus, et nulli pervia saxa,
Atque indignantes vestigia calcat arenas. 385
Qualis pestiferas animare ad crimina taxos
Torva Megæra ruit, Cadmi seu mœnia poscat,
Sive Thyesteis properet sævire Mycenis. [tant
Dant tenebræ manesque locum, plantisque resul-
Tartara ferratis; donec Phlegethontis ad undam
Constitit, et plenos excepit lampade fluctus. 391
Postquam perventum scopuli flagrantis in ora,
Protinus arsuras adversa fronde cupressus
Faucibus injecit mediis, lateque cavernas 394
Texit, et undantem flammarum obstruxit hiatum.
Compresso mons igne tonat, claususque laborat
Mulciber: obducti nequeunt exire vapores.
Coniferi micuere apices, crevitque favillis
Ætna novis: stridunt admisso sulfure rami.
Tum, ne deficerent tantis erroribus ignes, 400
Semper inocciduos insopitosque manere
Jussit, et arcano perfudit robora succo,
Quo Phaethon irrorat equos, quo Luna juvencos.
Jamque soporiferas nocturna silentia terris
Explicuere vices. Laniato pectore longas 405
Inchoat illa vias, et sic ingressa profatur:
Non tales gestare tibi, Proserpina, tædas
Sperabam: sed vota mihi communia matrum,
Sed thalami, festæque faces, cœloque canendus
Ante oculos Hymenæus erat. Sic numina fatis
Volvimur, et nullo Lachesis discrimine sævit?
Quam nuper sublimis eram, quantisque procorum
Cingebar studiis! quæ non mihi pignus ob unum
Cedebat numerosa parens? Tu prima voluptas,
Tu postrema mihi: per te fecunda videbar. 415
O decus, o requies, o grata superbia matris!
Qua gessi florente deam: qua sospite nusquam
Inferior Junone fui: nunc squalida, vilis. [lum
Hoc placitum patri. Cur autem adscribimus il-
His lacrymis? Ego te, fateor, crudelis ademi,
Quæ te deserui, solamque instantibus ultro 421
Hostibus exposui. Raucis secura fruebar
Nimirum thiasis, et læta sonantibus arvis
Jungebam Phrygios, cum tu raperere, leones.
Accipe, quas merui, pœnas. En ora fatiscunt 425
Vulneribus, grandesque rubent en pectore sulci.
Immemor en uterus crebro contunditur ictu.
Qua te parte poli, quo te sub cardine quæram?

Quis monstrator erit? quæ me vestigia ducent?
Quis currus? ferus ipse quis est? terræne marisne
Incola? quæ volucrum deprendam signa rotarum?
Ibo, ibo quocunque pedes, quocunque jubebit
Casus. Sic Venerem quærat deserta Dione.
Efficietne labor? rursus te, nata, licebit
Amplecti? manet ille decor? manet ille genarum
Fulgor? an infelix talem fortasse videbo, 436
Qualis nocte venis, qualem per somnia vidi?
Sic ait, et prima gressus molitur ab Ætna;
Exitiique reos flores, ipsumque rapinæ
Detestata locum, sequitur dispersa viarum 440
Indicia, et pleno rimatur lumine campos,
Inclinatque faces. Omnis madet orbita fletu. [via
Omnibus admugit. Quacunque it in æquore, ful-
Annatat umbra fretis, extremaque lucis imago
Italiam Libyamque ferit: clarescit Etruscum 445
Littus, et accenso resplendent æquore Syrtes.
Antra procul Scyllæa petit, canibusque reductis
Pars stupefacta silet, pars nondum exterrita latrat

* * * * * *

GIGANTOMACHIA.

Terra parens quondam cœlestibus invida regnis,
Titanumque simul crebros miserata dolores,
Omnia monstrifero complebat Tartara fetu,
Invisum genitura nefas, Phlegramque retexit
Tanta prole tumens, et in æthera protulit hostes.
Fit sonus: erumpunt Erebo, necdumque creati 6
Jam dextras in bella parant, superosque lacessunt,
Stridula volventes gemino vestigia lapsu.
Pallescunt subito stellæ, flectitque rubentes
Phœbus equos, docuitque timor revocare meatus.
Oceanum petit Arctos, inocciduique Triones 11
Occasum didicere pati. Tum fervida natos
Talibus hortatur genitrix in prœlia dictis:
O pubes domitura deos, quodcunque videtis,
Pugnando dabitur: præstat victoria mundum.
Sentiet ille meas tandem Saturnius iras. 16
Agnoscet, quod Terra potest. Sic viribus ullis
Vincor? cur Cybele nobis meliora creavit?
Cur nullus Telluris honos? cur semper acerbis
Me damnis urgere solet? quæ forma nocendi 20
Defuit? Hinc volucrem vivo sub pectore pascit
Infelix Scythica fixus convalle Prometheus.
Hinc Atlantis apex flammantia pondera fulcit,
Et per canitiem glacies asperrima durat.
Quid dicam Tityon, cujus sub vulture sævo 25
Viscera nascuntur gravibus certantia pœnis?
Sed vos, o tandem veniens exercitus ultor,
Solvite Titanas vinclis: defendite matrem. [bris.
Sunt freta, sunt montes: nostris ne parcite mem-
In Jovis exitium telum non esse recuso. 30
Ite, precor; miscete polum, rescindite turres
Sidereas. Rapiat fulmen sceptrumque Typhoeus:
Enceladi jussis mare serviat: alter habenas
Auroræ pro Sole regat: te Delphica laurus
Stringat, Porphyrion, Cirrhæaque templa teneto.
His ubi consiliis animos elusit inanes, 36
Jam credunt vicisse deos, mediisque revinctum
Neptunum traxisse fretis: hic sternere Martem
Cogitat, hic Phœbi laceros divellere crines.
Hic sibi promittit Venerem, spiratque Dianæ
Conjugium, castamque cupit violare Minervam.
Interea superos prænuntia convocat Iris,
Qui fluvios, qui stagna colunt: cinguntur et ipsi
Auxilio manes, nec te, Proserpina, longe
Umbrosæ tenuere fores. Rex ille silentum 45
Lethæo vehitur curru, lucemque timentes
Insolitam mirantur equi, trepidoque volatu
Spissas cæruleis tenebras e naribus efflant.
Ac velut, hostilis cum machina terruit urbem,
Undique concurrunt arcem defendere cives: 50
Haud secus omnigenis coeuntia numina formis
Ad patrias venere domos. Tum Jupiter infit:
O nunquam peritura cohors, o debita semper
Cœlo progenies, nullisque obnoxia fatis;
Cernitis, ut nostrum Tellus conjuret in orbem 55
Prole nova, dederitque alios interrita partus?
Ergo, quot dederit natos, tot funera matri
Reddamus: longo maneat per sæcula luctu,
Tanto pro numero paribus damnata sepulcris.
Jam tuba nimborum sonuit: jam signa ruendi
His Æther, his Terra dedit: confusaque rursus
Pro domino Natura timet. Discrimina rerum
Miscet turba potens. Nunc insula deserit æquor:
Nunc scopuli latuere mari. Quot littora restant
Nuda! quot antiquas mutarunt flumina ripas! 65
Hic rotat Hæmoniam præduris viribus Œten:
Hic juga connixis manibus Pangæa coruscat.
Hunc armat glacialis Athos: hoc Ossa movente
Tollitur: hic Rhodopen Hebri cum fonte revellit,
Et socias truncavit aquas, summaque levatus 70
Rupe Giganteos humeros irrorat Enipeus.
Subsidit patulis tellus sine culmine campis,
In natos divisa suos. Horrendus ubique
It fragor, et pugnæ spatium discriminat aer.
Primus terrificum Mavors non segnis in agmen
Odrysios impellit equos, quibus ille Gelonos, 76
Sive Getas turbare solet. Splendentior igni
Aureus ardescit clypeus, galeamque nitentes
Arrexere jubæ. Tunc concitus ense Pelorum
Transigit adverso, femorum qua fine volutus 80
Duplex semiferi connectitur ilibus anguis,
Atque uno ternas animas interficit ictu.
Tum superinsultans avidus languentia curru
Membra terit, multumque rotæ sparsere cruoris.
Occurrit pro fratre Mimas, Lemnumque calentem
Cum lare Vulcani spumantibus eruit undis: 86
Et prope torsisset, si non Mavortia cuspis
Ante revelato cerebrum fudisset ab ore.
Ille viro toto moriens, serpentibus imis
Vivit adhuc stridore ferox, et parte rebelli 90
Victorem post fata petit. Tritonia virgo
Prosilit, ostendens rutila cum Gorgone pectus.
Adspectu contenta suo, non utitur hasta: [tem
Nam satis est vidisse semel: primumque furen-
Longius in faciem saxi Pallanta reformat. 95
Ille, procul subitis fixus sine vulnere nodis,
Ut se letifero sensit durescere visu, [quit,
Et steterat jam pæne lapis, Quo vertimur? in-
Quæ serpit per membra silex? qui torpor inertem
Marmorea me peste ligat? Vix pauca locutus,

Quod timuit, jam totus erat: sævusque Damastor,
Ad depellendos jaculum dum quæreret hostes,
Germani rigidum misit pro rupe cadaver.
Hic vero interitum fratris miratus Echion,
Inscius, auctorem dum vult tentare nocendo, 105
Te, dea, respexit, solam quam cernere nulli
Bis licuit. Meruit sublata audacia pœnas,
Et didicit cum morte deam. Sed turbidus ira
Palleneus, oculis adversa tuentibus atrox,
Ingreditur, cæcasque manus in Pallada tendit. 110
Hunc mucrone ferit dea cominus: ac simul angues
Gorgoneo riguere gelu, corpusque per unum
Pars moritur ferro, partes periere videndo.
Ecce autem medium spiris delapsus in æqu
Porphyrion trepidam conatur rumpere Delon, 115
Scilicet ad superos ut torqueat improbus axes.
Horruit Ægæus: stagnantibus exsilit antris
Longævo cum patre Thetis, desertaque mansit
Regia Neptuni, famulis veneranda profundis.
Exclamant placidæ Cynthi de vertice Nymphæ,
Nymphæ, quæ rudibus Phœbum docuere sagittis
Errantes agitare feras, primumque gementi
Latonæ struxere torum, cum lumina cœli
Parturiens geminis ornaret fetibus orbem.
Implorat Pæana suum conterrita Delos, 125
Auxiliumque rogat: Si te gratissima fudit
In nostros Latona sinus, succurre precanti.
En iterum convulsa feror.

* * * * * *

Ἐκ τῆς Γιγαντομαχίας.

Κύπρις δ' οὔτε βέλος φέρεν, οὐδ' ὅπλον· ἀλλ' ἐκόμιζεν
Ἀγλαΐην· θεμένη γὰρ ἐπ' ὄμμασιν ἄγγελον αὐδὴν,
Πρῶτα μὲν ἀπλεκέας περόνῃ διεκρίνατο χαίτας,
Καὶ πλεκτὰς ἔσφιγξε πυκνῷ περιπλέγματι σειρὰς
Στίλβεϊ δ' ὀφθαλμῶν ἐρατοὺς ὑπεγράψατο κανθοὺς· 5
Λεπτὰς εὐανέμοιο ῥαφὰς χαλάσασα χιτῶνος,
Πορφυρέων οὐ κρύπτεν ὑφ' εἵμασιν ἄνθεα μαζῶν,
Ὀμματος εἰς ἄγρην ὡπλισμένη· εἶχε γὰρ αὐτὴ
Πλέγμα κόρυν, δόρυ μαζὸν, ὀφρῦν βέλος, ἀσπίδα κάλλος,
Ὅπλα μέλη, θέλγητρον ἐν ἄλγεσιν· εἰ δέ τις αὐτῇ 10
Ὄμμα βάλῃ, δέδμητο.

* * * * * *

EPISTOLÆ.

EPISTOLA I. - *Deprecatio ad Hadrianum præfectum prætorio.*

Usque adeone tuæ producitur impetus iræ?
Nullus tot finis lacrymis? Subitisne favorem
Permutas odiis? Quo mens ignara nocendi,
Quo sensus abiere pii? Tantumne licebit
Invidiæ? tantum strepitus valuere maligni? 5
Me dolor incautum, me lubrica duxerit ætas,
Me tumor impulerit, me devius egerit ardor:
Te tamen haud decuit paribus concurrere telis.
Humanæ superos nunquam tetigere querelæ,
Nec vaga securum penetrant convicia cœlum. 10
Excessit jam pœna modum. Concede jacenti.
En adsum: veniam confessus crimina posco.
Manibus Hectoreis atrox ignovit Achilles.
Ultrices Furias matris placavit Orestes.
Reddidit Alcides Priamo, quas ceperat, arces. 15
Pellæum juvenem regum flexere ruinæ:
Darium famulis manibus doluisse peremtum
Fertur, et ingenti solatus fata sepulcro:
Tradita captivo spatiosior India Poro. 19
Conditor hic patriæ. Sic hostibus ille pepercit.
Hunc virtus tua digna sequi. Quemcunque deorum
Læsimus, insultet jugulo, pascatque furorem.
Gratia diffluxit: sequitur feralis egestas:
Desolata domus: caris spoliamur amicis. [sul.
Hunc tormenta necant: hic undique truditur ex-
Quid superest damnis? quæ sæva pericula restant?
Prætereunt subjecta feræ, mortisque facultas
Emollit rabiem prædæ, torvique leones,
Quæ stravisse calent, eadem prostrata relinquunt.
Nec nisi bellantis gaudet cervice juvenci 30
Nobiliore fames. Secuit nascentia fata
Livor, et ingesto turbavit gaudia luctu.
Jam jam suppliciis fessos, humilesque, serenus
Respice. Quid tanta dignaris mole clientem?
In brevibus nunquam sese probat Æolus antris,
Nec capit angustus Boreæ certamina collis. 36
Alpes ille quatit, Rhodopeia culmina lassat.
Incubuit nunquam cœlestis flamma salictis,
Nec parvi frutices iram meruere Tonantis.
Ingentes quercus, annosas fulminat ornos. 40
Hoc pro supplicibus ramis, pro fronde Minervæ,
Hoc carmen pro thure damus. Miserere tuorum.
Me, precor, heu, me redde mihi! gravibusque medere
Vulneribus, vitamque jube famamque reverti.
Quæ per te cecidit, per te fortuna resurgat. 45
Sanus Achillea remeavit Telephus hasta,
Cujus pertulerat vires, et sensit in uno [tem
Letalem placidamque manum: medicina per hos-
Contigit, et pepulit, quos fecerat ipse, dolores.
Quod si nec precibus, fletu nec frangeris ullo, 50
Eripe calcatis non prospera cingula Musis;
Eripe militiam: comitem me pelle sodalis.
Scilicet insignes de paupere vate triumphos!
Scilicet egregiis ornabere victor opimis!
Irruat in miseros cognata potentia cives. 55
Audiat hoc commune solum, longeque carinis
Nota Pharos, flentemque attollens gurgite vultum
Nostra gemat Nilus numerosis funera ripis.

EPISTOLA II.—*Ad Serenam.*

Orphea cum primæ sociarent lumina tædæ,
Ruraque compleret Thracia festus Hymen
Certavere feræ, picturatæque volucres,
Dona suo vati quæ potiora darent.
Quippe antri memores, cautes ubi sæpe sonoræ
Præbuerant dulci mira theatra lyræ. 6
Caucaseo crystalla ferunt de vertice lynces:
Gryphes Hyperborei pondera fulva soli.
Furatæ Veneris prato per inane columbæ
Florea connexis serta tulere rosis: 10
Fractaque nobilium ramis electra sororum
Cycnus oloriferi vexit ab amne Padi.

Et Nilo Pygmæa grues post bella remenso
Ore legunt rubri germina cara maris.
Venit et extremo Phœnix longævus ab Euro, 15
Apportans unco cinnama rara pede.
Nulla avium pecudumve fuit, quæ ferre negaret
Vectigal meritæ connubiale lyræ.
Tunc opibus, totoque Heliconis sedula regno
Ornabat propriam Calliopea nurum. 20
Ipsam præterea dominam stellantis Olympi
Ad nati thalamos ausa rogare parens.
Nec sprevit regina deûm, vel matris honore,
Vel justo vatis ducta favore pii,
Qui sibi carminibus toties lustraverat aras, 25
Junonis blanda numina voce canens,
Prœliaque altisoni referens Phlegræa mariti,
Titanum fractas Enceladique minas.
Ilicet adventu noctem dignata jugalem
Addidit augendis munera sacra toris; 30
Munera mortales non admittentia cultus;
Munera, quæ solos fas habuisse deos.
Sed quod Threicio Juno placabilis Orpheo,
Hoc poteris votis esse, Serena, meis.
Illius exspectant famulantia sidera nutum: 35
Sub pedibus regitur terra fretumque tuis.
Non ego, cum peterem, sollenni more procorum,
Promisi gregibus pascua plena meis:
Nec quod mille mihi lateant sub palmite colles,
Fluctuet et glauca pinguis oliva coma: 40
Nec quod nostra Ceres numerosa falce laboret,
Auratæque ferant culmina celsa trabes.
Suffecit mandasse deam: tua littera nobis
Et pecus, et segetes, et domus ampla fuit.
Inflexit soceros, et majestate petendi 45
Texit pauperiem nominis umbra tui.
Quid non perficeret scribentis voce Serenæ
Vel Genius regni, vel pietatis amor?
Atque utinam sub luce tui contingeret oris,
Conjugis et castris, et solio generi, 50
Optatum celebrare diem! me jungeret auspex
Purpura; me sancto cingeret aula choro!
Et, mihi quam scriptis desponderat ante, puellam
Conjugiis eadem pronuba dextra daret!
Nunc medium quoniam votis majoribus æquor 55
Invidet, et Libycæ dissidet ora plagæ;
Saltem absens, regina, fave, reditusque secundos
Annue sidereo læta supercilio.
Terrarum tu pande vias: tu mitibus Euris
Æquora pacari prosperiora jube: 60
Ut tibi Pierides, doctumque fluens Aganippe,
Debita servato vota cliente canant.

EPISTOLA III.—*Ad Olybrium.*

Quid rear, affatus quod non mihi dirigis ullos,
Nec redit alterno pollice ducta salus?
Scribendine labor? sed quæ tam prona facultas,
Carmina seu fundis, seu Cicerona tonas?
Cedere divitiis animi fortuna fatetur, 5
Et tantas oris copia vincit opes.
An rarus, qui scripta ferat? quin tempore nullo
Cessant Flaminiæ pulverulenta viæ.
Cum fluat ingenium, cum sit qui dicta reportet,
Quæ, nisi contemnor, causa relicta tibi? 10
Despicis ergo tuum, si fas est credere, vatem;
Perfidus et spatio debilitatur amor?
Excidimusne tibi? lucem jam condet Hydaspes,
Et Tartessiaco, Sol, oriere vado:
Candescet Geticis Meroe conversa pruinis 15
Claraque se vetito proluet Ursa mari.
Et si jam nostros fastidit Olybrius ignes,
Constat Oresteam nil valuisse fidem. [lem
Quin, age, rumpe moras, remoraturasque; soda-
Absens eloquio fertiliore doce: 20
Crebraque facundos festinet littera cursus,
Labris atque animis insinuanda meis.
Dignatus tenui Cæsar scripsisse Maroni:
Et tibi dedecori sit mea Musa? Vale.

EPISTOLA IV.—*Ad Probinum, ut scribat.*

Quem, precor, inter nos habitura silentia finem,
Quando dabit caras littera grata vices?
Me timidum, vel te potius dixisse superbum
Convenit? alterius crimen utrumque tenet.
Transfluxere dies, et, dum scripsisse priorem 5
Pœnitet, æternas itur in usque moras.
Sed quid agam? cœpisse vetat reverentia vestri
Hinc amor hortatur scribere: vincat amor.
Fors juvat audentes, Cei sententia vatis.
Hac duce non dubitem, te reticente, loqui, 10
Audax ut, si quid penitus peccasse videbor,
Arguar, ingrati non subiturus onus.
Romanos bibimus primum te consule fontes,
Et Latiæ cessit Graia Thalia togæ:
Incipiensque tuis a fascibus omina cœpi, 15
Fataque debebo posteriora tibi.
Ergo lacessitus tandem rescribe roganti;
Et patria florens sorte, Probine, vale.

EPISTOLA V.—*Ad Gennadium ex proconsule.*

Italiæ commune decus, Rubiconis amœn
Incola, Romani fama secunda fori;
Graiorum populis, et nostro cognite Nilo;
Utraque gens fasces horret amatque tuos.
Carmina jejunas poscis solantia fauces? 5
Testor amicitiam, nulla fuisse domi.
Nam mihi mox nidum pennis confisa relinquunt,
Et lare contemto non reditura volant.

IDYLLIA.

IDYLLIUM I.—*Phœnix.*

Oceani summo circumfluus æquore lucus
Trans Indos Eurumque viret, qui primus anhelis
Sollicitatur equis, vicinaque verbera sentit,
Humida roranti resonant cum limina curru:
Unde rubet ventura dies, longeque coruscis 5
Nox afflata rotis refugo pallescit amictu.
Hæc fortunatus nimium Titanius ales
Regna colit, solusque plaga defensus iniqua
Possidet intactus ægris animantibus oras,
Sæva nec humani patitur contagia mundi; 10
Par volucer superis, stellas qui vividus æquat
Durando, membrisque terit redeuntibus ævum,

Non epulis saturare famem, non fontibus ullis
Adsuetus prohibere sitim: sed purior illum
Solis fervor alit, ventosaque pabula libat 15
Tethyos, innocui carpens alimenta vaporis.
Arcanum radiant oculi jubar: igneus ora
Cingit honos: rutilo cognatum vertice sidus
Attollit cristatus apex, tenebrasque serena
Luce secat: Tyrio pinguntur crura veneno. 20
Antevolant Zephyros pennæ, quas cærulus ambit
Flore color, sparsoque super ditescit in auro.
Hic neque concepto fetu, nec semine surgit;
Sed pater est prolesque sibi, nulloque creante
Emeritos artus fecunda morte reformat, 25
Et petit alternam totidem per funera vitam. [tas,
Namque ubi mille vias longinqua retorserit æs-
Tot ruerint hiemes, toties ver cursibus actum,
Quas tulit autumnus, dederit cultoribus umbras;
Tum multis gravior tandem subjungitur annis, 30
Lustrorum numero victus: ceu lassa procellis
Ardua Caucasio nutat de vertice pinus,
Seram ponderibus pronis tractura ruinam.
Pars cadit assiduo flatu: pars imbre peresa
Rumpitur: arripuit partem vitiosa vetustas. 35
Jam breve decrescit lumen, languetque senili
Segnis stella gelu: qualis cum forte tenetur
Nubibus, et dubio vanescit Cynthia cornu.
Jam solitæ medios alæ transcurrere nimbos
Vix ima tolluntur humo. Tunc conscius ævi 40
Defuncti, reducisque parans exordia formæ,
Arentes tepidis de collibus eligit herbas,
Et cumulum texens pretiosa fronde Sabæum
Componit bustumque sibi partumque futurum.
Hic sedet, et blando Solem clangore salutat 45
Debilior, miscetque preces, ac supplice cantu
Præstatura novas vires incendia poscit. [nis,
Quem procul adductis vidit cum Phœbus habe-
Stat subito, dictisque pium solatur alumnum:
O senium positure rogo, falsisque sepulcris 50
Natales habiture vices, qui sæpe renasci
Exitiis, proprioque soles pubescere leto,
Accipe principium rursus, corpusque coactum
Desere: mutata melior procede figura.
Hæc fatus, propere flavis e crinibus unum 55
Concussa cervice jacit, missoque volentem
Vitali fulgore ferit. Jam sponte crematur,
Ut redeat, gaudetque mori festinus in ortum.
Fervet odoratus telis cœlestibus agger,
Consumitque senem. Nitidos stupefacta juvencos
Luna premit, pigrosque polus non concitat axes.
Parturiente rogo curis Natura laborat,
Æternam ne perdat avem, flammasque fideles
Admonet, ut rerum decus immortale remittant.
Continuo dispersa vigor per membra volutus
Æstuat, et venas recidivus sanguis inundat. 66
Victuri cineres nullo cogente moveri
Incipiunt, plumaque rudem vestire favillam.
Qui fuerat genitor, natus nunc prosilit idem,
Succeditque novus. Geminæ confinia vitæ 70
Exiguo medius discrimine separat ignis.
Protinus ad Nilum manes sacrare paternos,
Auctoremque globum Phariæ telluris ad oras
Ferre juvat. Velox alienum tendit in orbem,
Portans gramineo clausum velamine funus. 75
Innumeræ comitantur aves, stipatque volantem
Alituum suspensa cohors: exercitus ingens
Obnubit vario late convexa meatu.
Nec quisquam tantis e millibus obvius audet
Ire duci; sed regis iter fragrantis adorant. 80
Non ferus accipiter, non armiger ipse Tonantis
Bella movent: commune facit reverentia fœdus.
Talis barbaricas flavo de Tigride turmas
Ductor Parthus agit: gemmis et divite cultu
Luxurians sertis apicem regalibus ornat. 85
Auro frenat equum, perfusam nurice vestem
Assyria signatur acu, tumidusque regendo
Celsa per famulas acies ditione superbit.
Clara per Ægyptum placidis notissima sacris
Urbs Titana colit, centumque accline columnis
Invehitur templum Thebæo monte revulsis. 91
Illic, ut perhibent, patriam de more reponit
Congeriem, vultumque dei veneratus herilem
Jam flammæ commendat onus: jam destinat aris
Semina relliquiasque sui. Myrrhata relucent 95
Limina: divino spirant altaria fumo:
Et Pelusiacas productus adusque paludes
Indus odor penetrat nares, completque salubri
Tempestate viros, et nectare dulcior aura
Ostia nigrantis Nili septena vaporat. 100
O felix, hæresque tui! quo solvimur omnes,
Hoc tibi suppeditat vires: præbetur origo
Per cinerem: moritur te non pereunte senectus.
Vidisti quodcunque fuit: te sæcula teste
Cuncta revolvuntur. Nosti quo tempore pontus
Fuderit elatas scopulis stagnantibus undas: 106
Quis Phaethonteis erroribus arserit annus.
Et clades te nulla rapit, solusque superstes
Edomita tellure manes: non stamina Parcæ
In te dura legunt, non jus habuere nocendi. 110

IDYLLIUM II.—*Hystrix.*

Audieram, memorande, tuas, Stymphale, volucres
Spicula vulnifico quondam sparsisse volatu:
Nec mihi credibilis ferratæ fabula pinnæ
Visa diu. Datur ecce fides, et cognitus hystrix
Herculeas affirmat aves. Os longius illi 5
Adsimulat porcum: mentitæ cornua setæ
Summa fronte rigent: oculis rubet igneus ardor:
Parva sub hirsuto catuli vestigia dorso.
Hanc tamen exiguam miro natura tueri
Præsidio dignata feram. Stat corpore toto 10
Sylva minax, jaculisque rigens in prœlia crescit
Picturata seges, quorum cute fixa tenaci
Altera succrescit, alternantesque colorum
Tincta vices, spatiis intermigrantibus, exit
In solidæ speciem pinnæ, tenuataque furtim 15
Lævis in extremum sese producit acumen.
Sed non hæc acies ritu sylvestris echini
Fixa manet: crebris propugnat jactibus ultro,
Et longe sua membra regit, tortumque per auras
Evolat excusso nativum missile tergo. 20
Interdum fugiens, Parthorum more, sequentem
Vulnerat: in erdum, positis velut ordine castris,
Terrificum densa mucronum verberat unda,
Et consanguineis hastilibus asperat armos.
Militat omne feræ corpus, vibrataque rauco 25
Terga fragore sonant. Stimulis accensa tubarum
Agmina collatis credas confligere signis:
Tantus in angusto strepitus furit. Additur armis
Calliditas, parcusque sui tumor, iraque nunquam
Prodiga telorum, caute contenta minari, 30
Nec nisi servandæ jactus impendere vitæ.
Error abest: certum sollertia destinat ictum,
Nil spatio fallente modum: servatque tenorem
Mota cutis, doctique regit conamina nisus.
Quid labor humanus tantum ratione sagaci 35
Proficit? Eripiunt trucibus Gortynia capris
Cornua: subjectis eadem lentescere cogunt
Ignibus: intendunt taurino viscere nervos:
Instruitur pinnis, ferroque armatur arundo.
Ecce brevis propriis munitur bestia telis, 40

Externam nec quærit opem: fert omnia secum:
Se pharetra, sese jaculo, sese utitur arcu.
Unum animal cunctas bellorum possidet artes.
Quod si omnis nostræ paullatim industria vitæ
Fluxit ab exemplis, quicquid procul appetit hostem, 45
Hinc reor inventum; morem hinc traxisse Cydonas
Bellandi, Parthosque retro didicisse ferire,
Prima sagittiferæ pecudis documenta secutos.

Idyllium III.—*Torpedo.*

Quis non indomitam diræ Torpedinis artem
Audiit, et merito signatas nomine vires?
Illa quidem mollis, segnique obnoxia tractu
Reptat, et attritis vix languida serpit arenis.
Sed latus armavit gelido natura veneno, 5
Et frigus, quo cuncta rigent animata, medullis
Miscuit, et proprias hiemes per viscera duxit.
Naturam juvat ipsa dolis, et conscia sortis
Utitur ingenio, longeque extenta per algas
Hac confisa jacet: successu læta resurgit, 10
Et vivos impune ferox depascitur artus.
Si quando vestita cibis incautior æra
Hauserit, et curvis frenari senserit hamis,
Non fugit, aut vano conatur vellere morsu:
Sed propius nigræ jungit se callida setæ, 15
Et meminit captiva sui, longeque per undas
Pigra venenatis effundit flamina venis.
Per setam vis alta meat, fluctusque relinquit
Absentem vinctura virum: metuendus ab imis
Emicat horror aquis, et pendula fila secutus 20
Transit arundineos arcano frigore nodos,
Victricemque ligat concreto sanguine dextram.
Damnosum piscator onus, prædamque rebellem
Jactat, et amissa redit exarmatus avena.

Idyllium IV.—*Nilus*

Felix, qui Pharias proscindit vomere terras.
Nubila non sperat tenebris condentia cœlum,
Nec graviter flantes pluviali frigore Coros
Invocat, aut arcum variata luce rubentem.
Ægyptos sine nube ferax, imbresque serenos 5
Sola tenet, secura poli, non indiga venti.
Gaudet aquis, quas ipsa vehit, Niloque redundat:
Qui rapido tractu mediis elatus ab antris,
Flammigeræ patiens zonæ Cancrique calentis,
Fluctibus ignotis nostrum procurrit in orbem, 10
Secreto de fonte cadens, qui semper inani
Quærendus ratione latet; nec contigit ulli
Hoc vidisse caput. Fertur sine teste creatus,
Flumina profundens alieni conscia cœli.
Inde vago lapsu Libyam dispersus in omnem 15
Æthiopum per mille ruit nigrantia regna,
Et loca continuo solis damnata vapore
Irrorat, populisque salus sitientibus errat,
Per Meroen, Blemyasque feros, atramque Syenen.
Hunc bibit infrenis Garamas, domitorque ferarum
Girrhæus, qui vasta colit sub rupibus antra, 21
Qui ramos ebeni, qui dentes vellit eburnos;
Et gens compositis crinem vallata sagittis.
Nec vero similes causas crescentibus undis,
Aut tempus, meruit. Glacie non ille soluta, 25
Nec circumfuso scopulis exuberat imbre.
Nam cum tristis hiems alias produxerit undas,
Tunc Nilum retinent ripæ· cum languida cessant
Flumina, tunc Nilus mutato jure tumescit.
Quippe quod ex omni fluvio spoliaverit æstas, 30
Hoc Nilo natura refert, totumque per orbem
Collectæ partes unum revocantur in amnem.
Cumque diem Titane Canis flagrantior armat,
Et rapit humores madidos, venasque calore
Compescit, radiisque potentibus æstuat axis; 35
Nilo bruma vehit contraria tempora mundo
Defectum solitis referens cultoribus æquor
Effluit Ægæo stagnantior, acrior alto
Ionio, seseque patentibus explicat arvis.
Fluctuat omnis ager: remis sonuere novales 40
Sæpius, æstivo jaceat cum forte sopore,
Cernit cum stabulis armenta natantia pastor.

Idyllium V.—*Magnes.*

Quisquis sollicita mundum ratione secutus
Semina rimatur rerum, quo luna laborat
Defectu, quæ causa jubet pallescere solem:
Unde rubescentes ferali crine cometæ,
Unde fluant venti, trepidæ quis viscera terræ 5
Concutiat motus, quis fulgura ducat hiatus,
Unde tonent nubes, quo lumine floreat arcus:
Hæc mihi quærenti, si quid deprendere veri
Mens valet, expediat. Lapis est cognomine Magnes,
Decolor, obscurus, vilis: non ille repexam 10
Cæsariem regum, nec candida virginis ornat
Colla, nec insigni splendet per cingula morsu.
Sed nova si nigri videas miracula saxi,
Tum pulchros superat cultus, et quicquid Eois
Indus littoribus rubra scrutatur in alga. 15
Nam ferro meruit vitam, ferrique rigore
Vescitur: hoc dulces epulas, hoc pabula novit:
Hinc proprias renovat vires: hinc fusa per artus
Aspera secretum servant alimenta vigorem.
Hoc absente perit: tristi morientia torpent 20
Membra fame, venasque sitis consumit apertas.
Mavors, sanguinea qui cuspide verberat urbes,
Et Venus, humanas quæ laxat in otia curas,
Aurati delubra tenent communia templi.
Effigies non una deis: sed ferrea Martis 25
Forma nitet, Venerem magnetica gemma figurat.
Illis connubium celebrat de more sacerdos.
Ducit flamma choros: festa frondentia myrto
Limina cinguntur, roseisque cubilia surgunt
Floribus, et thalamum dotalis purpura velat. 30
Hic mirum consurgit opus. Cytherea maritum
Sponte rapit, cœlique toros imitata priores
Pectora lascivo flatu Mavortia nectit,
Et tantum suspendit onus, galeæque lacertos
Implicat, et vivis totum complexibus ambit. 35
Ille lacessitus longo spiraminis actu
Arcanis trahitur gemma de conjuge nodis.
Pronuba fit natura deis, ferrumque maritat
Aura tenax: subitis sociantur numina furtis.
Quis calor infundit geminis alterna metallis 40
Fœdera? quæ duras jungit concordia mentes?
Flagrat anhela silex, et amicam saucia sentit
Materiem, placidosque chalybs cognoscit amores.
Sic Venus horrificum belli compescere regem,
Et vultu mollire solet, cum sanguine præceps 45
Æstuat, et strictis mucronibus asperat iras.
Sola feris occurrit equis, solvitque tumorem
Pectoris, et blando præcordia temperat igni.
Pax animo tranquilla datur, pugnasque calentes
Deserit, et rutilas declinat in oscula cristas. 50
Quæ tibi, sæve puer, non est permissa potestas?
Tu magnum superas fulmen, cœloque relicto
Fluctibus in mediis cogis mugire Tonantem.
Jam gelidas rupes, vivoque carentia sensu
Membra feris: jam saxa tuis obnoxia telis, 55
Et lapides suus ardor agit, ferrumque tenetur
Illecebris: rigido regnant in marmore flammæ.

IDYLLIUM VI.—*Aponus*

Fons, Antenoreæ vitam qui porrigis urbi,
Fataque vicinis noxia pellis aquis,
Cum tua vel mutis tribuant miracula vocem,
Cum tibi Phœbeus carmina dictet honos,
Et sit nulla manus, cujus non pollice ductæ 5
Testentur memores prospera vota notæ;
Nonne reus Musis pariter Nymphisque tenebor,
Si tacitus soli prætereare mihi?
Indictum neque enim fas est tacitumque relinqui
Hunc, qui tot populis pervolat ora, locum. 10
Alto colle minor, planis erectior arvis,
Conspicuo clivus molliter orbe tumet,
Ardentis fecundus aquæ. Quacunque cavernas
Perforat, offenso truditur igne, latex.
Spirat putre solum, conclusaque subter anhelo 15
Pumice rimosas perfurit unda vias.
Humida flammarum regio, Vulcania terræ
Ubera, sulfureæ fervida regna plagæ.
Quis sterilem non credat humum? fumantia ver-
Pascua: luxuriat gramine cocta silex: [nant
Et cum sic rigidæ cautes fervore liquescant, 21
Contemtis audax ignibus herba viret.
Præterea grandes effosso marmore sulci
Saucia longinquo limite saxa secant.
Herculei (sic fama refert) monstratur aratri 25
Semita; vel casus vomeris egit opus.
In medio, pelagi late flagrantis imago,
Cærulus immenso panditur ore lacus,
Ingenti fusus spatio: sed major in altum
Intrat, et arcanæ rupis inane subit; 30
Densus nube sua, tactuque immitis et haustu,
Sed vitreis idem lucidus usque vadis.
Consuluit Natura sibi, ne mersa lateret,
Admisitque oculos, quo vetat ire calor.
Turbidus impulsu venti cum spargitur aer, 35
Glaucaque fumiferæ terga serenat aquæ;
Tunc omnem liquidi vallem mirabere fundi:
Tunc veteres hastæ, regia dona, micant:
Quas inter, nigræ tenebris obscurus arenæ,
Discolor abruptum flumen hiatus agit. 40
Apparent infra latebræ, quas gurges opacus
Implet, et abstrusos ducit in antra sinus.
Tunc montis secreta patent, qui flexus in arcum
Æquora pendenti margine summa ligat.
Viva coronatos adstringit scena vapores, 45
Et levis exili fornice terra natat:
Calcantumque oneri nunquam cessura virorum
Sustentat trepidum fida ruina pedem.
Facta manu credas: sic læves circuit oras
Ambitus, et tenuis perpetuusque riget. 50
Hærent stagna lacu plenas æquantia ripas,
Præscriptumque timent transiluisse modum.
Quod superat, fluvius devexa rupe volutus
Egerit, et campi dorsa recurva petit.
Devehit exceptum nativo spira meatu: 55
In patulas plumbi labitur inde vias,
Nullo cum strepitu; madidisque infecta favillis
Despumat niveum fistula cana salem.
Multifidas dispergit opes, artemque secutus,
Qua jussere manus, mobile torquet iter; 60
Et junctos rapido pontes subtermeat æstu,
Afflatosque vago temperat igne tholos.
Acrior interius rauci cum murmure saxi
Spumeus eliso pellitur amne vapor.
Hinc pingues repetunt fessi sudore lacunas, 65
Frigora quis longæ blanda dedere moræ.
Salve, Pæoniæ largitor nobilis undæ;
Dardanii salve gloria magna soli:
Publica morborum requies, commune medentum
Auxilium, præsens numen, inemta salus. 70
Seu ruptis inferna ruunt incendia ripis
Et nostro Phlegethon devius orbe calet:
Sulfuris in venas gelidus seu decidit amnis,
Accensusque fluit, quod manifestat odor:
Sive pari flammas undarum lance rependens, 75
Arbiter in fœdus mons elementa vocat,
Ne cedant superata sibi, sed legibus æquis
Alterius vires possit utrumque pati:
Quicquid erit causæ, quocunque emitteris ortu,
Non sine consilio currere certa fides. 80
Quis casum meritis adscribere talibus audet?
Quis negat auctores hæc statuisse deos?
Ille pater rerum, qui sæcula dividit astris,
Inter prima poli te quoque sacra dedit:
Et fragilem nostri miseratus corporis usum 85
Telluri medicas fundere jussit aquas,
Parcarumque colos exoratura severas
Flumina laxatis emicuere jugis.
Felices, proprium qui te meruere, coloni,
Fas quibus est Aponon juris habere sui. 90
Non illis terrena lues, corrupta nec Austri
Flamina, nec sævo Sirius igne nocet.
Sed quamvis Lachesis letali stamine damnet,
Inde sibi fati prosperiora petunt.
Quod si forte malus membris exuberat humor, 95
Languida vel nimio viscera felle virent,
Non venas reserant, nec vulnere vulnera sanant,
Pocula nec tristi gramine mixta bibunt:
Amissum lymphis reparant impune vigorem,
Pacaturque ægro luxuriante dolor. 100

IDYLLIUM VII.—*De piis fratribus, et eorum statuis quæ sunt apud Catinam.*

Adspice sudantes venerando pondere fratres,
Divino meritos semper honore coli;
Justa quibus rapidæ cessit reverentia flammæ,
Et mirata vagas repulit Ætna faces.
Complexi manibus fultos cervice parentes, 5
Attollunt vultus, accelerantque gradus.
Grandævi gemina sublimes prole feruntur,
Et cara natos implicuere mora.
Nonne vides, ut sæva senex incendia monstret?
Ut trepido genitrix invocet ore deos? 10
Erexit formido comam, perque omne metallum
Fusus in attonito palluit ære tremor.
In juvenum membris animosus cernitur horror,
Atque oneri metuens, impavidusque sui.
Rejectæ vento chlamydes: dextram exserit ille,
Contentus læva sustinuisse patrem; 16
Ast illi duplices in nodum colligit ulnas
Cautior in sexu debiliore labor.
Hoc quoque præteriens oculis ne forte relinquas,
Artificis tacitæ quod meruere manus. 20
Nam consanguineos eadem cum forma figuret,
Hic propior matri fit tamen, ille patri.
Dissimiles animos sollertia temperat artis:
Alter in alterius redditur ore parens:
Et nova germanis paribus discrimina præbens, 25
Divisit vultus cum pietate faber.
O bene naturæ memores, documenta supernæ
Justitiæ, juvenum numina, vota senum;
Qui spretis opibus medios properastis in ignes
Nil præter sanctam tollere canitiem! 30.
Haud equidem immerito tanta virtute repressas
Enceladi fauces obriguisse reor.
Ipse redundantem frenavit Mulciber Ætnam,
Læderet exempli ne monimenta pii.
Senserunt elementa fidem: pater affuit æther. 35

Terraque maternum sedula juvit onus.
Quod si notus amor provexit in astra Laconas,
Ænean Phrygio raptus ab igne pater;
Si vetus Argolicos illustrat gloria fratres,
Qui sua materno colla dedere jugo; 40
Cur non Amphinomo, cur non tibi, fortis Anapi,
Æternum Siculus templa dicavit honos?
Plura licet summæ dederit Trinacria laudi,
Noverit hoc majus se genuisse nihil.
Nec doleat damnis, quæ devius intulit ardor, 45
Nec gemat exustas igne furente domos.
Non potuit pietas flamma cessante probari.
Emtum est ingenti clade perenne decus.

EPIGRAMMATA.

Epigramma I.—*De mulabus Gallicis.*

Adspice morigeras Rhodani torrentis alumnas,
Imperio nexas, imperioque vagas,
Dissona quam varios flectant ad murmura cursus,
Et certas adeant voce regente vias.
Quamvis quæque sibi nullis discurrat habenis, 5
Et pateant duro libera colla jugo;
Ceu constricta tamen servit, patiensque laborum
Barbaricos docili concipit aure sonos.
Absentis longinqua valent præcepta magistri,
Frenorumque vicem lingua virilis agit. 10
Hæc procul angustat sparsas, spargitque coactas:
Hæc sistit rapidas, hæc properare facit.
Læva jubet? lævo deducunt limite gressum.
Mutavit strepitum? dexteriora petunt.
Nec vinclis famulæ, nec libertate feroces, 15
Exutæ laqueis, sub ditione tamen:
Consensuque pares, et fulvis pellibus hirtæ
Esseda concordes multisonora trahunt.
Miraris, si voce feras pacaverit Orpheus,
Cum pronas pecudes Gallica verba regant? 20

Epigramma II.—*De sene Veronensi, qui suburbium nunquam egressus est.*

Felix, qui patriis ævum transegit in agris,
Ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem:
Qui baculo nitens, in qua reptavit arena,
Unius numerat sæcula longa casæ.
Illum non vario traxit fortuna tumultu, 5
Nec bibit ignotas mobilis hospes aquas:
Non freta mercator tremuit, non classica miles,
Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum, vicinæ nescius urbis,
Adspectu fruitur liberiore poli. 10
Frugibus alternis, non consule, computat annum:
Autumnum pomis, ver sibi flore notat.
Idem condit ager soles, idemque reducit
Metiturque suo rusticus orbe diem.
Ingentem meminit parvo qui germine quercum,
Æquævumque videt consenuisse nemus. 16
Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
Benacumque putat littora rubra lacum.
Sed tamen indomitæ vires, firmisque lacertis
Ætas robustum tertia cernit avum. 20
Erret, et extremos alter scrutetur Iberos.
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

Epigramma III.—*De apro et leone.*

Torvus aper, fulvusque leo coiere superbis
Viribus. hic seta, sævior ille juba.
Hunc Mars, hunc Cybele laudat: dominatur uter-
Montibus: Herculeus sudor uterque fuit. [que

Epigramma IV.—*Descriptio armenti. Fragmentum.*

Non tales quondam species tulit armentorum
Tellus tergemino subdita Geryoni.
Non tales, Clitumne, lavas in gurgite tauros,
Tarpeio referunt quos pia vota Jovi.
Non talis Tyrias sparsisse juvencus arenas 5
Dicitur, optatum quando revexit onus.
Non Cretæus ager, nec amati conscia tauri
Gnossos, nec similes paverit Ida feras.
Ipse et dispariles monstro commissus in artus,
Qui crimen matris prodidit ore novo, 10
Cres puer haud talem potuisset reddere formam,
Præstarent totum si fera membra patrem.

Epigramma V.—*Concha.*

Transferat huc liquidos fontes Heliconia Nais,
Et patulo conchæ divitis orbe fluat.
Namque latex, doctæ qui laverit ora Serenæ,
Ultra Pegaseas numen habebit aquas.

Epigramma VI.—*De crystallo cui aqua inerat.*

Possedit glacies naturæ signa prioris,
Et fit parte lapis, frigora parte negat.
Sollers lusit hiems, imperfectoque rigore
Nobilior, vivis gemma tumescit aquis.

Epigramma VII.—*De eodem.*

Lymphæ, quæ tegitis cognato carcere lymphas,
Et quæ nunc estis, quæque fuistis aquæ,
Quod vos ingenium vinxit? qua frigoris arte
Torpuit, et maduit prodigiosa silex?
Quis tepor inclusus securas vindicat undas? 5
Interior glacies quo liquefacta Noto?
Gemma quibus claustris arcano mobilis æstu
Vel concreta fuit, vel resoluta gelu?

Epigramma VIII.—*De eodem.*

Solibus indomitum glacies Alpina rigorem
Sumebat, nimio jam pretiosa gelu.
Nec potuit toto mentiri corpore gemmam:
Sed medio mansit proditor orbe latex.
Auctus honos: liquidi crescunt miracula saxi, 5
Et conservatæ plus meruistis aquæ.

Epigramma IX.—*De eodem.*

Adspice porrectam splendenti fragmine venam,
Qua trahitur limes lucidiore gelu.
Hic nullum Boream, nec brumam sentit opacus
Humor, sed varias itque reditque vias.
Non illum constrinxit hiems, non Sirius ardens: 5
Ætatis spatium non tenuavit edax

EPIGRAMMA X.—*De eodem.*

Clauditur immunis convexo tegmine rivus,
Duratisque vagus fons operitur aquis.
Nonne vides, propriis ut spumet gemma lacunis,
Et refluos ducant pocula viva sinus?
Udaque pingatur radiis obstantibus Iris, 5
Secretas hiemes sollicitante die?
Mira silex, mirusque latex, qui flumina vincit,
Nec lapis est merito, quod fluit, et lapis est.

EPIGRAMMA XI.—*De eodem.*

Dum crystalla puer contingere lubrica gaudet,
Et gelidum tenero pollice versat onus;
Vidit perspicuo deprensas marmore lymphas,
Dura quibus solis parcere novit hiems:
Et siccum relegens labris sitientibus orbem 5
Irrita quæsitis oscula figit aquis.

EPIGRAMMA XII.—*De eodem.*

Marmoreum ne sperne globum: spectacula tran-
Regia, nec rubro vilior iste mari. [sit
Informis glacies, saxum rude, nulla figuræ
Gratia: sed raras inter habetur opes.

EPIGRAMMA XIII.—Ἔτι περὶ αὐτοῦ.

Χιονέη κρύσταλλος ὑπ' ἀνέρος ἀσκηθεῖσα
Δείξεν ἀκηρασίοιο παναίολον εἰκόνα κόσμου,
Οὐρανὸν ἀγκὰς ἔχοντα βαρύκτυπον ἔνδοθι πόντον.

EPIGRAMMA XIV.—Ἔτι περὶ αὐτοῦ.

Εἰπ' ἄγε μοι, κρύσταλλε, λίθῳ πεπυκασμένον ὕδωρ,
Τίς πῆξεν; Βορέης. ἢ τίς ἔλυσε; Νότος.

EPIGRAMMA XV.—Πρὸς Φοῖβον.

Ἱλαθί μοι, φίλε Φοῖβε, σὺ γὰρ θοὰ τόξα τιταίνων
Ἑβλήθης ἐπ' ἔρωτος ὑπ' ὠκυπόροισιν ὀϊστοῖς.

EPIGRAMMA XVI.—Εἰς μιμάδα γηράσασαν.

Μαχλὰς ἐϋκροτάλοισιν ἀνευάζουσα χορείαις,
Δίζυγα παλλομένοισι τινάγμασι χαλκὸν ἀράσσει.
Κτεὶς μὲν ὑποκλέπτων πολιὴν τρίχα γείτονα μοίρης,
Ἡλειάτοις ἀκτῖσι χαράσσεται ὄμματος αὐγήν.
Ψευδόμενον δ' ἐρύθημα κατέγραφεν ἄχροος αἰδὼς,
Ἀγλαΐῃ στέψασα νόθῃ κεκαλυμμένα μῆλα.

EPIGRAMMA XVII.—Εἰς δοῦλον τυπτηθέντα παρ' αὐτοῦ.

Ἕδρην χαλκεόπεζον ἐπὶ προθύροις Ἑλικῶνος
Ἑστήκει θεράπων τις ὑπὲρ νώτοιο μεμαρπὼς,
Οὐδ' ἔθελε μογέοντι πορεῖν ἐπιβάθρον ἀοιδῷ.
Τούνεκά μευ θώρηξεν ἰὸν πολύμητις ἀνάγκη.

EPIGRAMMA XVIII.—*In sphæram Archimedis.*

Jupiter in parvo cum cerneret æthera vitro,
Risit, et ad superos talia dicta dedit:
Hucine mortalis progressa potentia curæ?
Jam meus in fragili luditur orbe labor.
Jura poli, rerumque fidem, legesque deorum, 5
Ecce Syracosius transtulit arte senex.
Inclusus variis famulatur spiritus astris,
Et vivum certis motibus urget opus.
Percurrit proprium mentitus signifer annum,
Et simulata novo Cynthia mense redit. 10
Jamque suum volvens audax industria mundum
Gaudet, et humana sidera mente regit.
Quid falso insontem tonitru Salmonea miror?
Æmula naturæ parva reperta manus.

EPIGRAMMA XIX.—*De Polycaste et Perdice.*

Quid non sævus amor flammatum numine cogat?
Sanguinis affectum mater amare timet.
Pectore dum niveo puerum tenet anxia nutrix,
Illicitos ignes jam fovet ipsa parens.
Ultrices pharetras tandem depone, Cupido. 5
Consule jam Venerem; forsan et ipsa dolet.

EPIGRAMMA XX.—*De zona equi regii missa Honorio Aug. a Serena.*

Accipe parva tuæ, princeps venerande, sororis
Munera, quæ manibus texuit ipsa suis. [dent,
Dumque auro phaleræ, gemmis dum frena reni-
Hac uterum zona cinge frementis equi.
Sive illum Armeniis aluerunt gramina campis, 5
Turbidus Argæa seu nive lavit Halys,
Sanguineo virides morsu vexare smaragdos,
Et Tyrio dignum terga rubere toro:
O quantum formæ sibi conscius erigit armos,
Spargit et excussis colla superba jubis! 10
Augescit brevitas doni pietate Serenæ,
Quæ volucres etiam fratribus ornat equos.

EPIGRAMMA XXI.—*De zona ab eadem missa Arcadio Aug.*

Stamine resplendens, et mira textilis arte
Balteus alipedis regia terga liget,
Quem decus Eoo fratri, pignusque propinqui
Sanguinis Hesperio misit ab orbe soror.
Hoc latus adstringi velox optaret Arion: 5
Hoc proprium vellet cingere Castor equum.

EPIGRAMMA XXII.—*De chlamyde et frenis.*

Non semper clypei metuendum gentibus orbem
Dilecto studiosa parens fabricabat Achilli,
Lemnia nec semper supplex ardentis adibat
Antra dei, nato galeam factura comantem:
Sed placidos etiam cinctus, et mitia pacis 5
Ornamenta dabat, bello quibus ille peracto
Conspicuus reges inter fulgeret Achivos.
Ipsa manu chlamydes ostro texebat et auro,
Frenaque, quæ volucrem Xanthum Baliumque decerent,
Æquore quæsitis onerabat sedula gemmis. 10
At tibi diversis, princeps altissime, certant
Obsequiis soceri. Stilicho Mavortia confert
Munera, barbaricas strages, Rhenique triumphos.
Reginæ contenta modum servare Serena,
In tua sollicitas urget velamina telas. 15

EPIGRAMMA XXIII.—*De freno, phaleris, et cingulo equi Honorii a Serena missis.*

O felix sonipes, cui tanti frena mereri
Numinis, et sacris licuit servire lupatis;
Seu tua per campos vento juba lusit Iberos,
Seu te Cappadocum gelida sub valle natantem
Argææ lavere nives, seu læta solebas 5
Thessaliæ rapido perstringere pascua cursu:
Accipe regales cultus, et crine superbus
Erecto virides spumis perfunde smaragdos.
Luxurient tumido gemmata monilia collo.
Nobilis auratos jam purpura vestiat armos, 10
Et medium te zona liget, variata colorum
Floribus, et castæ manibus sudata Serenæ,
Persarum gentile decus. Sic quippe laborat
Maternis studiis, nec dedignatur equestres
Moliri phaleras, genero latura decorem. 15

EPIGRAMMA XXIV.—*Deprecatio ad Alethium quæstorem.*

Sic non Æthiopum campos æstate pererrem,
Nec Scythico brumam sub Jove nudus agam:
Sic non imbriferam noctem ducentibus Hædis

Ionio credam turgida vela mari:
Sic non Tartareo Furiarum verbere pulsus 5
Irati relegam carmina grammatici:
Nulla meos traxit petulans audacia sensus,
Liberior justo nec mihi lingua fuit.
Versiculos, fateor, non cauta voce notavi,
Heu miser ignorans quam grave crimen erat!
Orpheos alii libros impune lacessunt, 11
Nec tua securum te, Maro, fama vehit.
Ipse parens vatum, princeps Heliconis Homerus,
Judicis excepit tela severa notæ.
Sed non Virgilius, sed non accusat Homerus. 15
Neuter enim quæstor, pauper uterque fuit.
En moveo plausus, en pallidus omnia laudo,
Et clarum repeto terque quaterque sophos.
Ignoscat placidus tandem, flatusque remittat,
Et tuto recitet quod libet ore: placet. 20

Epigramma XXV.—*In Curetium*

Fallaces vitreo stellas componere mundo,
Et vaga Saturni sidera sæpe queri,
Venturumque Jovem paucis promittere nummis,
Cureti genitor noverat Uranius.
In prolem dilata ruunt perjuria patris, 5
Et pœnam merito filius ore luit.
Nam spurcos avidæ lambit meretricis hiatus,
Consumens luxu flagitiisque domum.
Et, quas fallacis collegit lingua parentis,
Has eadem nati lingua refundit opes. 10

Epigramma XXVI.—*In eundem.*

Si tua, Cureti, penitus cognoscere quæris
Sidera, patre tuo certius ipse loquar.
Quod furis, adversi dedit inclementia Martis:
Quod procul a Musis, debilis Arcas erat:
Quod turpem pateris jam cano podice morbum, 5
Fœmineis signis Luna Venusque fuit.
Attrivit Saturnus opes. Hoc prorsus in uno
Hæreo, quæ cunnum lambere causa facit.

Epigramma XXVII.—*In Jacobum magistrum equitum.*

Per cineres Pauli, per cani limina Petri,
Ne laceres versus, dux Iacobe, meos.
Sic tua pro clypeo sustentet pectora Thomas,
Et comes ad bellum Bartholomæus eat:
Sic ope Judithæ non barbarus irruat Alpes: 5
Sic tibi det vires sancta Susanna suas:
Sic quicunque ferox gelidum tranaverit Istrum,
Mergatur, volucres ceu Pharaonis equi:
Sic Geticas ultrix feriat rhomphæa catervas,
Romanasque tegat prospera Thecla manus: 10
Sic tibi det magnum moriens conviva triumphum,
Atque tuam vincant dolia fusa sitim:
Sic nunquam hostili maculetur sanguine dextra.
Ne laceres versus, dux Iacobe, meos.

Epigramma XXVIII.—*Rimanti telum ira fecit.*

In jaculum quodcunque gerit dementia mutat.
Omnibus armatur rabies pro cuspide ferri.
Cuncta volant, dum dextra ferox in vulnera sævit.
Pro telo geritur, quicquid suggesserit ira.

Epigramma XXIX.—*In podagrum.*

Quæ tibi cum pedibus ratio? quid carmina cul-
Scandere qui nescis, versiculos laceras. [pas?
Claudicat hic versus, hæc, inquit, syllaba nutat,
Atque nihil prorsus stare putat podager.

Epigramma XXX.—*De Theodoro et Hadriano.*

Mallius indulget somno noctesque diesque:
Insomnis Pharius sacra, profana, rapit.
Omnibus hoc, Italæ gentes, exposcite votis,
Mallius ut vigilet, dormiat ut Pharius.

Epigramma XXXI.—*Ad Æternalem.*

Quicquid Castalio de gurgite Phœbus anhelat,
Quicquid fatidico mugit certina recessu,
Carmina sunt: sed verba negant communia Musæ.
Carmina sola loquor: sic me meus implet Apollo.

Epigramma XXXII.—*Ad Maximum, qui mel misit.*

Dulcia dona mihi tu mittis, Maxime, semper,
Et quicquid mittis, mella putare decet.

Epigramma XXXIII.—*De locusta. Fragmentum.*

Horret apex capitis: medio fera lumina surgunt
Vertice: cognatus dorso durescit amictus.
Armavit natura cutem, dumique rubentes
Cuspidibus parvis multos acuere rubores.

Epigramma XXXIV.—*De balneis Quintianis.*

Fontibus in liquidis paullum requiesce, viator,
Atque tuum rursus carpe refectus iter.
Lympharum dominum nimium miraberis hospes,
Inter dura viæ balnea qui posuit.

Epigramma XXXV.—*Descriptio portus Smyrnensis.*

Urbs in conspectu montana cacumina velat,
Tranquillo prætenta mari: ducentia portum
Cornua pacatas removent Aquilonibus undas
Hic exarmatum terris cingentibus æquor
Clauditur, et placidam discit servare quietem. 5

Epigramma XXXVI.—*Est in secessu longe locus.*

Est procul ingenti regio submota recessu
Insula qua resides fluctus mitescere cogit,
In longum producta latus, fractasque per undas
Ardua tranquillo curvantur brachia portu.

Epigramma XXXVII.—*De quadriga marmorea.*

Quis dedit innumeros uno de marmore vultus?
Surgit in aurigam currus, paribusque lupatis
Unanimes frenantur equi. Quos forma diremit,
Materies cognata tenet, discrimine nullo.
Vir redit in currum: ducuntur ab axe jugales: 5
Ex alio se quisque facit. Quæ tanta potestas?
Una silex tot membra ligat, ductusque per artem
Mons patiens ferri varios mutatur in artus.

Epigramma XXXVIII.—*Fragmentum.*

Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Exercentur equis, et colla comantia pectunt.

Epigramma XXXIX.—*De paupere amante.*

Paupertas me sæva domat, dirusque Cupido:
Sed toleranda fames, non tolerandus amor.

Epigramma XL.—*De eodem.*

Esuriens pauper telis incendor Amoris.
Inter utrumque malum diligo pauperiem.

Epigramma XLI.—*In sepulcrum speciosæ.*

Pulchris stare diu Parcarum lege negatur.
Summa cadunt subito: magna repente ruunt.
Hic formosa jacet Veneris sortita figuram,
Egregiumque decus invidiam meruit.

Epigramma XLII.—*De birro Castoreo.*

Nominis umbra manet veteris: nam dicere Bir-
Si Castor niteat, Castoreum nequeo. [rum

Sex emtus solidis: quid sit, jam scire potestis.
Si mihi nulla fides, credite vel pretio.

EPIGRAMMA XLIII.—*De hippopotamo. Fragmentum.*

Utraque fecundo nutritur bellua Nilo,
Quæque vorat morsu, quæque sub ore fremit.

EPIGRAMMA XLIV.—*Quæ in mensa de sardonyche lapide.*

Mensa coloratis aquilæ sinuatur in alis,
Quam floris distinguit honos: similisque figura
Texitur: implumem mentitur gemma volatum.

EPIGRAMMA XLV.—*Carmen Paschale.*

Christe potens rerum, redeuntis conditor ævi,
Vox summi sensusque Dei: quem fudit ab alta
Mente pater, tantique dedit consortia regni:
Impia qui nostræ domuisti crimina vitæ,
Passus corporea mundi vestire figura, 5
Affarique palam populos, hominemque fateri:
[Quem verbo inclusum Mariæ mox numine viso]
Virginei tumuere sinus, innuptaque mater
Arcano stupuit compleri viscera partu,
Auctorem paritura suum. Mortalia corda 10
Artificem texere poli, mundique repertor
Pars fuit humani generis, latuitque sub uno
Pectore, qui totum late complectitur orbem,
Et, qui non spatiis terræ, non æquoris unda,
Non capitur cœlo, parvos confluxit in artus. 15
Quin et supplicii nomen nexusque subisti,
Ut nos surriperes leto, mortemque fugares
Morte tua: mox ætherias evectus in auras
Purgata repetis lætum tellure parentem.
Augustum foveas, festis ut sæpe diebus 20
Annua sinceri celebret jejunia sacri.

EPIGRAMMA XLVI.—Εἰς τὸν Σωτῆρα.

Ὦ πυρὸς ἀενάοιο σοφὴν ὠδῖνα φυλάσσων,
Ἐμβεβαὼς κόσμοιο παλίνδινητον ἀνάγκην,
Χριστὲ, θεορρήτοιο βίᾳ φυσίζοε πηγὴ,
Πατρὸς ἀσημάντοιο Θεοῦ πρωτοσπόρε φωνὴ,
Ὃς μέγα μητρῴων τοκετῶν ἐγκύμονα φόρτον, 5
Καὶ γόνον αὐτοτέλεστον ἀνυμφεύτων ὑμεναίων
Στήσας, Ἀσσυρίης γενεῆς ἑτερόφρονα λύσσαν
Ὀργία τ' εἰδώλων κενεῶν ψευδώνυμα λύσας,
Αἰθέρος ἀμφιβέβηκας ἐφ' ἑπτάζωνον ὀχῆα
Ἀγγελικαῖς πτερύγεσσιν, ἐν ἀῤῥήτοισι θαάσσων· 10
Ἵλαθι, παγγενέταο Θεὲ πρεσβήϊον ὄμμα,
Φορεὲ βίε, σῶτερ μερόπων, αἰῶνος ἀνάσσων.

EPIGRAMMA XLVII.—Εἰς τὸν Δεσπότην Χριστόν.

Ἀρτιφανὲς, πολιῆχε, παλαιγενὲς, υἷε νεοττὲ,
Αἰὼν ἐὼν προεών τε, ὑπέρτατε, ὕστατε, Χριστὲ
Ἀθανάτοιο πατρὸς, καὶ ὁμόχρονε, πάμπαν ὅμοιε.

EPIGRAMMA XLVIII.—*Laus Christi.*

Proles vera Dei, cunctisque antiquior annis,
Nunc genitus, qui semper eras, lucisque repertor
Ante tuæ, matrisque parens: quem misit ab astris
Æquævus Genitor, verbique in semina fusum
Virgineos habitare sinus, et corporis arcti 5
Jussit inire vias, parvaque in sede morari,
Quem sedes non ulla capit: qui lumine primo
Vidisti quicquid mundo nascente crearas.
Ipse opifex, opus ipse tui, dignatus iniquas
Ætatis sentire vices, et corporis hujus 10
Dissimiles perferre modos, hominemque subire,
Ut posses monstrare Deum, ne lubricus error,
Et decepta diu varii sollertia mundi,
Pectora tam multis sineret mortalia sæclis
Auctorem nescire suum. Te conscia partus 15
Mater, et attoniti pecudum sensere timores.
Te nova sollicito lustrantes sidera visu
In cœlo videre prius, lumenque secuti
Invenere Magi. Tu noxia pectora solvis,
Elapsasque animas in corpora functa reducis, 20
Et vitam remeare jubes. Tu lege recepti
Numinis, ad manes penetras, mortisque latebras
Immortalis adis. Nasci tibi non fuit uni
Principium, finisque mori: sed nocte refusa
In cœlum Patremque redis, rursusque perenni 25
Ordine purgatis adimis contagia terris.
Tu solus, Patrisque comes, tu Spiritus insons,
Et toties unus, triplicique in nomine simplex.
Quid, nisi pro cunctis, aliud? Quis credere possit
Te potuisse mori, poteras qui reddere vitam? 30

*EPIGRAMMA XLIX.—*Miracula Christi.*

Angelus alloquitur Mariam, quo præscia verbo
Concipiat, salva virginitate, Deum.

Dant tibi Chaldæi prænuntia munera reges.
Myrrham homo, rex aurum, suscipe thura Deus.

Permutat lymphas in vina liquentia Christus: 5
Quo primum facto se probat esse Deum.

Quinque explent panes, pisces duo, millia quin-
Et Deus ex parvo plus superesse jubet. [que:

Editus ex utero cæcus nova lumina sensit,
Et stupet ignotum se meruisse diem. 10

Lazarus e tumulo, Christo inclamante, resurgit,
Et duræ mortis lex resoluta perit.

Nutantem quatit unda Petrum: cui Christus in
Et dextra gressus firmat, et ore fidem. [alto

Exsanguis Christi contingit fœmina vestem: 15
Stat cruor in venis: fit medicina fides.

Jussus post multos graditur paralyticus annos
Mirandum, lecti portitor ipse sui

SUPPLEMENTUM IN VIRGILIUM.

Carmina quædam Virgiliana, ut feruntur, suo loco casu quodam prætermissa, hic reponuntur.

P. VIRGILII MARONIS CIRIS AD MESSALAM.

Etsi me vano jactatum laudis amore,
Irritaque expertum fallacis præmia vulgi,
Cecropius suaves exspirans hortulus auras
Florentis viridi Sophiæ complectitur umbra:
*Num mea quæret eo dignum sibi quærere carmen?
Longe aliud studium atque alios accincta labores,
Altius ad magni suspendit sidera mundi,
Et placitum paucis ausa est adscendere collem;
Non tamen absistam cœptum detexere munus,
In quo jure meas utinam requiescere Musas, 10
Et leviter blandum liceat deponere morem.
*Quod si mirificum proferre valent genus omnes
*Mirificum sæcli, modo sit tibi velle libido:
Si me jam summa Sapientia pangeret arce,
Quatuor antiquis quæ hæredibus est data consors,
Unde hominum errores longe lateque per orbem 16
Despicere, atque humiles possem contemnere cu-
Non ego te talem venerarer munere tali, [ras;
Non equidem; quamvis interdum ludere nobis,
Et gracilem molli liceat pede claudere versum; 20
Sed magno intexens, si fas est dicere, peplo,
Qualis Erechtheis olim portatur Athenis,
Debita cum castæ solvuntur vota Minervæ,
Tardaque confecto redeunt Quinquatria lustro,
Cum levis alterno Zephyrus concrebuit Euro, 25
Et prono gravidum provexit pondere currum.
Felix ille dies, felix et dicitur annus,
Felices, qui talem annum videre diemque.
Ergo Palladiæ texuntur in ordine pugnæ:
Magna Giganteis ornantur pepla tropæis: 30
Horrida sanguineo pinguntur prœlia cocco:
Additur aurata dejectus cuspide Typho,
Qui prius, Ossæis consternens æthera saxis,
Emathio celsum duplicabat vertice Olympum.
Tale deæ velum sollenni in tempore portant. 35
Tali te vellem, juvenum doctissime, ritu
Purpureos inter soles et candida lunæ
Sidera, cæruleis orbem pulsantia bigis,
Naturæ rerum magnis intexere chartis:
Æternum Sophiæ conjunctum carmine nomen 40
Nostra tuum senibus loqueretur pagina sæclis.[tes,
Sed quoniam ad tantas nunc primum nascimur ar-
Nunc primum teneros firmamus robore nervos,
Hæc tamen interea, quæ possumus, in quibus ævi
Prima rudimenta et primos exegimus annos, 45
Accipe dona, meo multum vigilata labore,
Et præmissa tuis non magna exordia rebus:
Impia prodigiis ut quondam exterrita amoris
Scylla novosque avium sublimis in aere cœtus
Viderit, et tenui conscendens sidera penna 50
Cæruleis sua tecta supervolitaverit alis,
Hanc pro purpureo pœnam scelerata capillo,
Proque patris solvens excisa funditus urbe.
Complures illam et magni, Messala, poetæ
(Nam verum fateamur: amat Polyhymnia verum)
Longe alia perhibent mutatam membra figura 56
Scyllæum monstra in saxum conversa vocari;
Illam esse, ærumnis quam sæpe legamus Ulixi
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates, et gurgite in alto 60
Deprensos nautas canibus lacerasse marinis. [tæ,
Sed neque Mæoniæ hæc patiuntur credere char-
Nec malus istorum dubiis erroribus auctor.
Namque alias alii vulgo finxere puellas,
Quæ Colophoniaco Scyllæ dicantur Homero. 65
Ipse Cratæin ait matrem: sed sive Cratæis,
Sive illam monstro genuit Persea biformi,
Sive est neutra parens, atque hoc in carmine toto
Inguinis est vitium et Veneris descripta libido:
Sive etiam est jactis speciem mutata venenis 70
Infelix virgo: quid enim commiserat illa?
Ipse Pater nudam sæva complexus arena
Conjugium caræ violaverat Amphitrites:
Attamen exegit longo post tempore pœnas,
Ut, cum cura sui veheretur conjugis alto, 75
Ipsa trucem multo misceret sanguine pontum.
Seu vero, ut perhibent, forma cum vinceret omnes,
Et cupidos quæstu passim spoliaret amantes,
Piscibus et canibus rabidis vallata repente
Horribiles circum vidit se sistere formas. 80
Heu quoties mirata novos expalluit artus!
Ipsa suos quoties heu pertimuit latratus!
Ausa quod est mulier numen fraudare deorum,
Et dictam Veneri votorum vertere pœnam: [va
Quam, mala multiplici juvenum quod sæpta cater-
Dixerat, atque animo meretrix jactata ferarum,
Infamem tali meritorum more fuisse,
Docta Palæphatia testatur voce papyrus.
Quicquid, et ut quisque est tali de clade locutus,
Omnia sint: potius liceat notescere Cirin, 90
Atque unam ex multis Scyllam non esse puellis.
Quare, quæ, cantus meditanti mittere certos,
Magna mihi cupido tribuistis præmia, divæ
Pierides, quarum castos altaria postes
Munere sæpe meo inficiunt, foribusque hyacinthi
Deponunt flores, aut suave rubens narcissus, 96
Aut crocus alterna conjungens lilia caltha.
Sparsaque liminibus floret rosa; nunc age, divæ,
Præcipue nostro nunc adspirate labori,
Atque novum æterno prætexite honore volumen.
Sunt Pandionii vicinæ sedibus urbes, 101
Actæos inter colles et candida Thesei
Purpureis late ridentia littora conchis:
Quarum non ulli fama concedere digna

Stat Megara, Actæi quondam munita labore 105
Alcathoi, Phœbique ; deus namque adfuit illi :
Unde etiam, citharæ voces imitatus acutas,
Sæpe lapis recrepat Cyllenia munera pulsus,
Et veterem sonitu Phœbi testatur honorem.
Hanc urbem, ante alios qui tum florebat in armis,
Fecerat infestam populator remige Minos, 111
Hospitio quod se Nisi Polyidos avito,
Carpathium fugiens et flumina Cæratea
Texerat. Hunc bello repetens Gortynius heros
Attica Cretæa sternebat rura sagitta. 115
Sed neque tunc cives, neque tunc rex ipse veretur
Infesto ad muros volitantes agmine turmas
Ducere, et indomita virtute retundere mentes :
Responsum quoniam satis est meminisse deorum.
Nam capite a summo regis (mirabile dictu) 120
Candida cæsaries : florebant tempora lauro ;
At roseus medio fulgebat vertice crinis :
Cujus quam servata diu natura fuisset, [rum
Tam patriam incolumem Nisi regnumque futu-
Concordes stabili firmarunt numine Parcæ. 125
Ergo omnis caro residebat cura capillo :
Aurea sollenni comtum quoque fibula ritu
Mopsopio tereti nectebat dente cicadæ.
Nec vero hæc vobis custodia vana fuisset,
Nec fuerat, nisi Scylla novo concepta furore, 130
Scylla, patris miseri patriæque inventa sepulcrum,
O nimium cupidis si non inhiasset ocellis!
Sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater
Iratum potuit, quem nec pater atque avus idem
Jupiter (ille etiam Pœnos domitare leones, 135
Et validas docuit vires mansuescere tigris ; [ast—
Ille etiam divos, homines .. sed dicere magnum :)
Idem tum tristes acuebat parvulus iras
Junonis magnæ, cujus perjuria divæ
Olim se meminisse diu perjura puellæ 140
Non ulli liceat. Violaverat inscia sedem,
Dum sacris operata deæ lascivit, et extra
Procedit longe matrum comitumque catervam,
Suspensam gaudens in corpore ludere vestem,
Et tumidos agitante sinus Aquilone relaxans. 145
Necdum etiam castos agitaverat ignis honores,
Necdum sollenni lympha perfusa sacerdos
Pallentis foliis caput exornarat olivæ ;
Cum lapsa e manibus fugit pila, cumque relapsa
Procurrit virgo : quo utinam ne prodita ludo 150
Aurea tam gracili solvisset corpora palla!
Omnia, quæ retinere gradum cursumque morari
Possent, o tecum vellem tua semper haberes!
Non unquam violata manu sacraria divæ,
Jurando infelix nequicquam jura, piasses. 155
Et si quis nocuisse tibi perjuria credat,
Causa pia est : timuit fratri te ostendere Juno.
At levis ille deus, cui semper ad ulciscendum
Quæritur ex omni verborum injuria dicto,
Aurea fulgenti depromens tela pharetra, 160
Heu nimium tereti, nimium Tirynthia visu,
Virginis in tenera defixerat omnia mente.
Quæ simul ac venis hausit sitientibus ignem,
Et validum penitus concepit in ossa furorem ;
Sæva velut gelidis Edonum Bistonis oris, 165
Ictave barbarico Cybeles antistita buxo,
Infelix virgo tota bacchatur in urbe,
Non styrace Idæo flagrantes picta capillos,
Cognita non teneris pedibus Sicyonia servans,
Non niveo retinens baccata monilia collo. 170
Multum illi incerto trepidant vestigia cursu :
Sæpe redit patrios adscendere prodita muros,
Aeriasque facit causam se visere turres ;
Sæpe etiam tristes volvens in nocte querelas,
Sedibus ex altis cœli speculatur amorem, 175
Castraque prospectat crebris lucentia flammis.
Nulla colum novit, carum nec respicit aurum :
Non arguta sonant tenui psalteria chorda,
Non Libyco molles plauduntur pectine telæ. [ri.
Nullus in ore rubor : ubi enim rubor, obstat amo-
Atque ubi nulla malis reperit solatia tantis, 181
Tabidulamque videt labi per viscera mortem ;
Quo vocat ire dolor, subigunt quo tendere fata,
Fertur, et horribili præceps impellitur œstro,
Ut patris, ah demens, crinem de vertice ferret 185
Furtim, atque arguto detonsum mitteret hosti.
Namque hæc conditio miseræ proponitur una.
Sive illa ignorans ; (quis non bonus omnia malit
Credere, quam tanto scelere damnare puellam ?)
Heu tamen infelix (quid enim imprudentia pro-
Nise pater : cui, direpta crudeliter urbe, [dest ?)
Vix erit una super sedes in turribus altis,
Fessus ubi exstructo possis considere nido.
Tu quoque avis moriere ; dabit tibi filia pœnas.
Gaudete, o celeres, subnixæ nubibus altis, 195
Quæ mare, quæ virides sylvas, lucosque sonantes
Incolitis, gaudete vagæ blandæque volucres ;
Vosque adeo, humani mutatæ corporis artus,
Vos o crudeli fatorum lege, puellæ
Dauliades, gaudete : venit carissima vobis 200
Cognatos augens reges numerumque suorum
Ciris, et ipse pater. Vos, o pulcherrima quondam
Corpora, cæruleas prævertite in æthera nubes,
Qua novus ad superûm sedes Haliæetus, et qua
Candida concessos adscendat Ciris honores. 205
Jamque adeo dulci devinctus lumina somno
Nisus erat, vigilumque procul custodia primis
Excubias foribus studio jactabat inani ;
Cum furtim tacito descendens Scylla cubili
Auribus arrectis nocturna silentia tentat, 210
Et pressis tenuem singultibus aera captat.
Tum suspensa levans digitis vestigia primis
Egreditur, ferroque manus armata bidenti
Evolat : at demtæ subita in formidine vires.
Cæruleas sua furta prius testatur ad umbras. 215
Nam, qua se ad patrium tendebat semita limen,
Vestibulo in thalami paullum remoratur, et altum
Suspicit ad culti nutantia sidera mundi,
Non accepta piis promittens munera divis.
Quam simul Ogygii Phœnicis filia Carme 220
Surgere sensit anus, (sonitum nam fecerat illi
Marmoreo æratus stridens in limine cardo,)
Corripit extemplo fessam languore puellam,
Et simul, O nobis sacrum caput, inquit, alumna,
Non tibi nequicquam viridis per viscera paller 225
Ægrotas tenui suffudit sanguine venas. [subegit.
Nec levis, hoc faceres, (neque enim pote,) cura
Haud fallor, quod te potius Rhamnusia fallit.
Nam qua te causa nec dulcis pocula Bacchi
Nec gravidos Cereris dicam contingere fetus ? 230
Qua causa ad patrium solam vigilare cubile,
Tempore quo fessas mortalia pectora curas,
Quo rapidos etiam requiescunt flumina cursus ?
Dic age nunc miseræ saltem, quod sæpe petenti
Jurabus nihil esse mihi, cum mæsta parentis 235
Formosos circum virgo morerere capillos.
Hei mihi, ne furor ille tuos invaserit artus,
Ille, Arabis Myrrhæ quondam qui cepit ocellos,
Ut scelere infando, quod nec sinit Adrastea,
Lædere utrumque uno studeas errore parentem!
Quod si alio quovis animo jactaris amore, 241
(Nam te jactari, non est Amathusia nostri
Tam rudis, ut nullo possim cognoscere signo ;
Si concessus amor noto te macerat igne ;

Per tibi Dictynnæ præsentia numina juro, 245
Prima deûm quæ te dulcem mihi donat alumnam,
Omnia me potius digna atque indigna laborum
Millia visuram, quam te tam tristibus istis
Sortibus et scoria patiar tabescere tali.
Hæc loquitur, mollique ut se velavit amictu, 250
Frigidulam injecta circumdat veste puellam,
Quæ prius in tenui steterat succincta corona.
Dulcia deinde genis rorantibus oscula figens,
Persequitur miseræ causas exquirere tabis;
Nec tamen ante ullas patitur sibi reddere voces, 255
Marmoreum tremebunda pedem quam retulit intra.
Illa autem, Quid nunc me, inquit, nutricula, torques?
Quid tantum properas nostros novisse furores?
Non ego consueto mortalibus uror amore,
Nec mihi notorum deflectunt lumina vultus, [nes.
Nec genitor cordi est: ultro namque odimus om-
Nil amat hic animus, nutrix, quod oportet amari,
In quo falsa tamen lateat pietatis imago;
Sed media ex acie, mediis ex hostibus: heu heu,
Quid dicam, quove ipsa malum hoc exordiar ore?
Dicam equidem, quoniam quid tu tibi dicere, nutrix, 266
Non sinis: extremum hoc munus morientis habeto.
Ille (vides) nostris qui mœnibus adsidet hostis,
Quem pater ipse deûm sceptri donavit honore,
Cui Parcæ tribuere nec ullo vulnere lædi, 270
(Dicendum est, frustra circumvehor omnia verbis,)
Ille mea, ille idem oppugnat præcordia Minos.
Quod te per divûm crebros obtestor amores, [næ,
Perque tuum memori haustum mihi pectus alum-
Ut me, si servare potes, ne perdere malis: 275
Sin autem optatæ spes est incisa salutis, [tem.
Ne mihi, quam merui, invideas, nutricula, mor-
Nam nisi te nobis malus, o malus, optima Carme,
Ante hunc conspectum casusve deusve tulisset,
Aut ferro hoc (aperit ferrum quod veste latebat)
Purpureum patris demsissem vertice crinem, 281
Aut mihi præsenti peperissem vulnere letum.
Vix hæc ediderat, cum clade exterrita tristi
Intonsos multo deturpat pulvere crines,
Et graviter questu Carme complorat anili: 285
O mihi nunc iterum crudelis reddite Minos,
O iterum nostræ Minos inimice senectæ,
Semper et, aut olim nata, o te propter eundem,
Aut amor insanæ luctum portavit alumnæ.
Tene ego tam longe capta atque avecta nequivi,
Tam grave servitium, tam duros passa labores, 291
Effugere, ut sistam exitium crudele meorum?
Jam jam nec nobis ea, quæ senioribus, ullum
Copia vivendi vitæ genus. At quid ego amens
Te erepta, o Britomarti, meæ spes una salutis, 295
Te, Britomarti, diem potui producere vitæ?
Atque utinam celeri ne tantum grata Dianæ
Venatus esses virgo sectata virorum,
Cnossia neu Partho contendens spicula cornu
Dictæas ageres ad gramina nota capellas! 300
Nunquam, tam obnixe fugiens Minois amores,
Præceps aeriis specula de montibus isses,
Unde alii fugisse ferunt, et numina Aphææ
Virginis adsignant; alii, quo notior esses,
Dictynnam dixere tuo de nomine Lunam. 305
Sint hæc vera velim; mihi certe, nata, peristi.
Nunquam ego te summo volitantem in vertice mon-
Hyrcanos inter comites agmenque ferarum [tis
Conspiciam, nec te redeuntem amplexa tenebo.
Verum hæc tum nobis gravia atque indigna fuere,
Tum, mea alumna, tui cum spes integra maneret,
Et vox ista meas nondum violaverat aures.
Tene etiam Fortuna mihi crudelis ademit?
Tene, o sola meæ vivendi causa senectæ?
Sæpe tuo dulci nequicquam capta sopore, 315
Cum premeret natura, mori me velle negavi,
Ut tibi Corycio glomerarem flammea luto. [vant?
Quo nunc me, infelix, aut quæ me numina ser-
An nescis, qua lege patris de vertice summo
Edita candentes prætexat purpura canos? 320
Quæ tenui patriæ spes sit suspensa capillo?
Si nescis, aliquam possum sperare salutem,
Inscia quandoquidem scelus es conata nefandum:
Sin est, quod metuo, per me, mea alumna, tuum-
Expertum multis miseræ mihi rebus amorem, [que
Per me et sacra precor per numina Ilithyiæ,
Ne tantum in facinus tam molli mente sequaris.
Non ego te incepto, fieri quod non pote, conor
Flectere amore, neque est cum dis contendere nos-
Sed patris incolumi potius te nubere regno, [trum;
Atque aliquos tamen esse velim tibi, alumna, penates. 331
Hoc unum, exitio docta atque experta, monebo.
Quod si non alia poteris ratione parentem [sis?)
Flectere, (sed poteris; quid enim non unica pos-
Tunc potius tamen ipsa, pio cum jure licebit,
Cum facti causam tempusque doloris habebis,
Tunc potius conata tua atque incepta referto.
Meque deosque tibi comites, mea alumna, futuros
Polliceor: nihil est, quod texas ordine, longum.
His ubi sollicitos animi relevaverat æstus 340
Vocibus, et blanda pectus spe vicerat ægrum;
Paullatim tremebunda genis obducere vestem
Virginis, et placidam tenebris captare quietem,
Inverso bibulum restinguens lumen olivo,
Incipit, ad crebros insani pectoris ictus 345
Ferre manum, assiduis mulcens præcordia palmis.
Noctem illam sic mæsta super morientis alumnæ
Frigidulos cubito subnixa pependit ocellos.
Postera lux ubi læta diem mortalibus almum,
Egelido veniens mani, quatiebat ab Œta 350
Quem pavidæ alternis fugitant optantque puellæ:
(Hesperium vitant, optant ardescere solem:)
Præceptis paret virgo nutricis, et omnes
Undique conquirit nubendi sedula causas.
Tentantur patriæ submissis vocibus aures, 355
Laudanturque bonæ pacis bona: multus ineptæ
Virginis insolito sermo novus errat in ore.
Nunc tremere instantis belli certamina dicit,
Communemque timere deum; nunc regis amicos,
(Namque ipso verita est orbari mæsta parente,) 360
Cum Jove communes qui quondam habuere nepo-
Nunc etiam conficta dolo mendacia turpi [tes;
Invenit, et divûm terret formidine cives;
Nunc alia ex aliis (nec desunt) omina quærit.
Quin etiam castos ausa est corrumpere vates, 365
Ut, cum cæsa pio cecidisset victima ferro,
Essent, qui generum Minoa auctoribus extis
Jungere, et ancipites suaderent tollere pugnas.
At nutrix, patula componens sulfura testa,
Narcissum casiamque herbas incendit olentes, 370
Terque novena ligat triplici diversa colore [go,
Fila; Ter in gremium mecum, inquit, despue, vir-
Despue ter, virgo: numero deus impare gaudet.
Inde Jovi geminat magno Stygialia sacra,
Sacra nec Idæis senibus nec cognita Graiis; 375
Pergit, Amyclæo spargens altaria thallo,
Regis Iolciacis animum defigere votis.
Verum ubi nulla movet stabilem fallacia Nisum,
Nec possunt homines, nec possunt flectere divi,
(Tanta est in parvo fiducia crine cavendi;) 380
Rursus ad inceptum sociam se adjungit alumnæ

Purpureumque parat rursus tondere capillum:
Cum longo quod jam captat succurrere amori,
Non minus illa tamen revehi quod mœnia Cretes
Gaudeat: et cineri patria est jucunda sepulto. 385
Ergo metu capiti Scylla est inimica paterno.
Tum coma Sidonio florens succiditur ostro; [tur;
Tum capitur Megara, et divûm responsa proban-
Tum suspensa novo ritu de navibus altis
Per mare cæruleum trahitur Niseia virgo. 390
Complures illam Nymphæ mirantur in undis,
Miratur pater Oceanus, et candida Tethys,
Et cupidas secum rapiens Galatea sorores;
Illa etiam, junctis magnum quæ piscibus æquor
Et glauco bipedum curru metitur equorum, 395
Leucothee, parvusque dea cum matre Palæmon;
Illi etiam, alternas sortiti vivere luces,
Cara Jovis soboles, magnum Jovis incrementum,
Tyndaridæ niveos mirantur virginis artus.
Has adeo voces, atque hæc lamenta per auras 400
Fluctibus in mediis questu volvebat inani,
Ad cœlum infelix ardentia lumina tollens,
Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas:
Supprimite o paullum turbati flamina venti,
Dum queror, et divos, quanquam nil testibus illis
Profeci, extrema moriens tamen alloquor hora.
Vos ego, vos adeo, venti, testabor, et auræ;
Vos, matutina si qui de gente venitis,
Cernitis: illa ego sum cognato sanguine vobis
Scylla, (quod, ah, salva liceat te dicere, Procne,)
Illa ego sum Nisi pollentis filia quondam, 411
Certatim ex omni petiit quam Græcia regno,
Qua curvus terras amplectitur Hellespontus;
Illa ego sum, Minos, sacrato fœdere conjux
Dicta tibi: tamen hæc, etsi non accipis, audis.
Vinctane tam magni tranabo gurgitis undas? 416
Vincta tot assiduas pendebo ex ordine luces?
Non equidem me alio possum contendere dignam
Supplicio, quod sic patriam carosque penates
Hostibus immitique addixi ignara tyranno. 420
Verum esto. Hæc, Minos, illos scelerata putavi,
Si nostra ante aliquis nudasset fœdera casus,
Facturos, quorum direptis mœnibus urbis,
O ego crudelis, flamma delubra petivi:
Te vero victore prius vel sidera cursus 425
Mutatura suos, quam te mihi talia captæ
Facturum metui. Jam jam scelus omnia vincit.
Tene ego plus patrio dilexi perdita regno?
Tene ego? nec mirum: vultu decepta puella
Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!
Non equidem ex isto speravi corpore posse 431
Tale malum nasci: forma vel sidere fallor.
Non me deliciis commovit regia dives,
Curalio fragili, atque electro lacrymoso:
Me non florentes æquali corpore nymphæ, 435
Non metus incensam potuit retinere deorum.
Omnia vincit amor: quid enim non vinceret
ille?
Non mihi jam pingui sudabunt tempora myrrha,
Pronuba nec castos accendet pinus odores,
Nec Libys Assyrio sternetur lectulus ostro. 440
Magna queror; nec et illa quidem communis alum-
Omnibus injecta tellus tumulabit arena. [na
Mene inter comites, ancillarumque catervas
Mene alias inter famularum munere fungi,
Conjugis atque tuæ, quæcunque erit illa, beatæ
Non licuit gravidos penso devolvere fusos? 446
At belli saltem captivam lege necasses.
Jam fessæ tandem fugiunt de corpore vires,
Et caput inflexa lentum cervice recumbit,
Marmorea adductisque labascunt brachia nodis.
Æquoreæ pestes, immania corpora ponti, 451
Undique conveniunt, et glauco in gurgite circum
Verbere caudarum atque oris minitantur hiatu.
Jam tandem casus hominum, jam respice, Minos.
Sit satis hoc, tantum solam vidisse malorum. 455
Vel fato fuerit nobis hæc debita pestis,
Vel casu incepto, merita vel denique culpa.
Omnia nam potius, quam te læsisse, putabo.
Labitur interea revoluta ab littore classis:
Magna repentino sinuantur lintea Coro: 460
Flectitur in viridi remus sale: languida fessæ
Virginis in cursu moritur querimonia longo.
Deserit angustis inclusum faucibus Isthmon,
Cypselidæ magni florentia regna Corinthum:
Præterit abruptas Scironis protinus arces, 465
Infestumque suis diræ testudinis exit
Spelæum, multoque cruentas hospite cautes.
Jamque adeo tutum longe Piræea cernit,
Et notas secum, heu frustra, respectat Athenas.
Jam procul e fluctu Minoia respicit arva, 470
Florentesque videt jam Cycladas hinc Stropha-
dasque;
Hinc sinus, hinc statio contra patet Hermionea.
Linquitur ante alias longe gratissima Delos
Nereidum matri et Neptuno Ægæo.
Prospicit incinctam spumanti littore Cythnon,
Marmoreamque Paron, viridemque allapsa Do-
nusam, 476
Æginamque simul, sementiferamque Seriphum.
Fertur, et incertis jactatur ad omnia ventis, [ses,
Cymba velut, magnas sequitur cum parvula clas-
Afer et hiberno bacchatur in æquore turbo; 480
Donec tale decus formæ vexavit, et ægros
Non tulit, et miseros mutavit virginis artus
Cæruleo pollens conjux Neptunia regno.
Sed tamen externam squamis vestire puellam,
Infidosque inter teneram committere pisces 485
Non statuit: nimium est avidum pecus Amphi-
Aeriis potius sublimem sustulit alis, [trites.
Esset ut in terris facti de nomine Ciris,
Ciris Amyclæo formosior ansere Ledæ.
Ac velut in niveo teneræ cum primitus ovo 490
Effigies animantis, et internodia membris
Imperfecta novo fluitant concreta calore:
Sic liquido Scyllæ circumfusum æquore corpus
Semiferi incertis etiam nunc partibus artus
Undique mutabant, atque undique mutabantur.
Oris honos primum, et multis optata labella,
Et patulæ frontis species, concrescere in unum
Cœpere, et gracili mentum producere rostro.
Tum, qua se medium capitis discrimen agebat,
Ecce repente, velut patrios imitatus honores, 500
Purpuream concussit apex in vertice cristam.
At mollis varios intexens pluma colores
Marmoreum volucri vestivit tegmine corpus,
Lentaque perpetuas fuderunt brachia pennas.
Inde alias partes, minioque infecta rubenti 505
Crura, nova macies obduxit squalida pelli,
Et pedibus teneris ungues confixit acutos.
Et tamen hoc demum miseræ succurrere pacto
Vix fuerat placida Neptuni conjuge dignum.
Nunquam illam posthac oculi videre suorum 510
Purpureas flavo retinentem vertice vittas:
Non thalamus Tyrio fragrans accepit amomo,
Nullæ illam sedes: quid jam cum sedibus illi?
Quæ simul ut sese cano de gurgite velox
Cum sonitu ad cœlum stridentibus extulit alis,
Et multum late dispersit in æquore rorem; 516
Infelix virgo nequicquam a morte recepta
Incultum solis in rupibus exigit ævum,

Rupibus et scopulis et littoribus desertis. [rex,
Nec tamen hoc iterum pœna sine: namque deûm
Omnia qui imperio terrarum millia versat, 521
Commotus talem ad superos volitare puellam,
Cum pater exstinctus cæca sub nocte lateret,
Illi pro pietate sua (nam sæpe tepenti
Sanguine taurorum supplex resperserat aras, 525
Sæpe deûm largo decorarat munere sedes)
Reddidit optatam mutato corpore vitam,
Fecit et in terris Haliæetus ales ut esset:
Quippe aquilis semper gaudet deus ille coruscis.
Huic vero miseræ, quoniam damnata deorum 530
Judicio, natique et conjugis, ante fuisset,
Infesti apposuit odium crudele parentis.
Namque, ut in ætherio signorum munere præstans
Unum quem duplici stellarum sidere vidi,
Scorpius alternis clarum fugat Oriona: 535
Sic inter sese tristes Haliæetus iras
Et Ciris memori servant ad sæcula fato.
Quacunque illa levem fugiens secat æthera pennis,
Ecce inimicus atrox magno stridore per auras
Insequitur Nisus: qua se fert Nisus ad auras, 540
Illa levem fugiens raptim secat æthera pennis.

CATALECTA.

I.—*Ad Tuccam.*

Delia, Tucca, tibi venit; sed sæpe videre
Non licet: occulitur limine clausa viri.
Delia sæpe tibi, non venit adhuc mihi: namque
Si occulitur, longe est, tangere quod nequeas.
Venerit aut tibi; sed jam jam mihi nuntius iste 5
Quid prodest? illi dicito, quæ rediit.

II.—*In C. Annium Cimbrum rhetorem.*

Corinthiorum amator iste verborum,
Iste iste rhetor! Namque quatenus totus
Thucydides tyrannus Atticæ febris,
Tau Gallicum spinæ ipsemet male illisit,
Ista omnia, ista verba miscuit fratri.

III.—*In Noctuinum.*

Socer beate nec tibi nec alteri,
Generque Noctuine, putidum caput,
Tuone nunc puella talis, heu tuo
Stupore pressa rus abibit? Hei mihi!
Ut ille versus usquequaque pertinet: 5
Gener socerque, perdidistis omnia.

IV.—*In eundem.*

Superbe Noctuine, putidum caput,
Datur tibi puella, quam petis, datur,
Datur, superbe Noctuine, quam petis
Sed, o superbe Noctuine, non vides
Duas habere filias Atilium, 5
Duas, et hanc et alteram, tibi dari.
Adeste nunc, adeste: ducit, ut decet,
Superbus, ecce, Noctuinus hemeam.
Thalassio! Thalassio! Thalassio!

V.—*In Lucium.*

Jacere me, quod alta non possim, putas,
Ut ante, vectari freta,
Nec ferre durum frigus, aut æstum pati,
Neque arma victoris sequi.
Valent, valent mihi ira et antiquus furor, 5
Et lingua; quîs adsim tibi,
Et prostitutæ turpe contubernium
Sororis ... O quid me incitas?
Quid, impudice et improbande Cæsari?
Sed furta dicuntur tua, 10
Et heluato sera patrimonio
In fratre parsimonia,
Vel acta puero cum viris convivia,
Udæque per somnum nates,
Et inscio repente clamatum super 15
Thalassio, Thalassio.
Quid palluisti, fœmina? an joci dolent?
An facta cognoscis tua?
Non me vocabis pulchra per Cotyttia
Ad feriatos fascinos: 20
Nec dein movere lumbos in crocotulam
Prensis videbo altaribus,
Flavum prope Tibrim et olentes nauticam
Vocare, ubi appulsæ rates
Stant in vadis cœno retentæ sordido 25
Macraque luctantes aqua:
Neque in culinam et uncta compitalia
Dapesque duces sordidas,
Quibus repletus ut salivosis aquis
Obesam ad uxorem redis, 30
Et æstuantes docte solvis pantices,
Os usque lambis saviis.
Nunc læde, nunc lacesse, si quicquam vales:
Et nomen adscribo tuum.
Cinæde Luci, an te reliquerunt opes, 35
Fameque genuini crepant?
Videbo habentem præter ignavos nihil
Fratres, et iratum Jovem,
Scissumque ventrem, et herniosi patrui
Pedes inedia turgidos. 40

VI.—*Ad Venerem.* (Vide p. 191.)

VII.—*Relictis aliis studiis philosophiam Epicuream amplectitur.*

Ite hinc, inanes rhetorum manipli, ite,
Inflata rore non Achaico turba,
Et vos, Sile, Albuti, Arquitique, Varroque,
Scholasticorum natio madens pingui;
Ite hinc inanis cymbalon juventutis; 5
Tuque, o mearum cura, Sexte, curarum,
Vale, Sabine; jam valete, formosi.
Nos ad beatos vela mittimus portus
Magni petentes docta dicta Syronis,
Vitamque ab omni vindicabimus cura. 10
Ite hinc, Camœnæ, vos quoque limite sævæ,
Dulces Camœnæ; nam (fatebimur verum)
Dulces fuistis: et tamen meas chartas
Revisitote; sed pudenter et raro.

VIII.—*De Sabino Parodia Catulliana.* (Vide p. 191.)

IX.—*Ad Varium.*

Scilicet hoc sine fraude, Vari dulcissime, dicam
Dispeream, nisi me perdidit iste putus.
Sin autem præcepta vetant me dicere; sane,
Non dicam: sed me perdidit iste puer.

X.—*Ad villam Syronis.* (Vide p. 191.)

XI.—*Ad M. Valerium Messalam.* (Vide p. 190.)

XII.—*In Pompeium Magnum, vel in Mithridatem.* (Vide p. 191.)

XIII.—*Ad Antonium Musam.*

Quocunque ire ferunt variæ nos tempora vitæ,
  Tangere quas terras, quosque videre homines,
Dispeream, si te fuerit mihi carior alter.
  Alter enim quis te dulcior esse potest,
Cui Venus ante alios, divi divûmque sorores 5
  Cuncta, neque indigno, Musa, dedere bona,
Cuncta, quibus gaudet Phœbus, chorus ipseque
  Doctior o quis te, Musa, fuisse potest? [Phœbi.
O quis te in terris loquitur jucundior uno?
  Clio nam certe candida non loquitur. 10
Quare illud satis est, si te permittis amari;
  Non, contra ut sit amor mutuus inde mihi.

XIV.—*In Octavii mortem.*

Quis deus, Octavi, te nobis abstulit? an, quæ
  Dicunt, an nimio pocula dura mero?
Vobis si culpa est bilis, sua quemque sequuntur
  Fata: quod immeriti crimen habent cyathi?
Scripta quidem tua nos multum mirabimur, et te
  Raptum et Romanam flebimus historiam. 6
Sed tu nullus eris. Perversi, dicite, manes,
  Hunc superesse patri quæ fuit invidia?

XV.—*P. Virgilii Maronis Fragmenta ex Epistola, quam ad Augustum Cæsarem super Æneide sua scripsit.*

Ego vero frequentes a te litteras accipio. *Et infra:* De Ænea quidem meo, si, me Hercules, jam dignum auribus haberem tuis, libenter mitterem. Sed tantum inchoata res est, ut pæne vitio mentis tantum opus ingressus mihi videar; cum præsertim, ut scis, alia quoque studia ad id opus, multoque potiora, impertiar.

COPA.

Copa Syrisca, caput Graia redimita mitella,
  Crispum sub crotalo docta movere latus,
Ebria fumosa saltat lasciva taberna,
  Ad cubitum raucos excutiens calamos.
Quid juvat æstivo defessum pulvere abesse, 5
  Quam potius bibulo decubuisse toro?
Sunt topia, et calybæ, cyathi, rosa, tibia, chordæ,
  Et trichila umbriferis frigida arundinibus;
Est et, Mænalio quæ garrit dulce sub antro,
  Rustica pastoris fistula in ore sonans; 10
Est et vappa, cado nuper defusa picato;
  Est strepitans rauco murmure rivus aquæ;
Sunt etiam croceo violæ de flore corollæ,
  Sertaque purpurea lutea mixta rosa,
Et quæ virgineo libata Achelois ab amne 15
  Lilia vimineis attulit in calathis.
Sunt et caseoli, quos scirpea fiscina siccat;
  Sunt autumnali cerea pruna die,
Castaneæque nuces, et suave rubentia mala·
  Est hic munda Ceres, est Amor, est Bromius.
Sunt et mora cruenta, et lentis uva racemis; 21
  Est pendens junco cæruleus cucumis.
Est tuguri custos armatus falce saligna;
  Sed non et vasto est inguine terribilis.
Huc, Calybita, veni: fessus jam sudat asellus; 25
  Parce illi: Vestæ delicium est asinus.
Nunc cantu crebro rumpunt arbusta cicadæ:
  Nunc etiam in gelida sede lacerta latet.
Si sapis, æstivo recubans te prolue vitro,
  Seu vis crystallo ferre novos calices. 30
Eia age, pampinea fessus requiesce sub umbra,
  Et gravidum roseo necte caput strophio.
Formosus teneræ decerpes ora puellæ.
  Ah pereat, cui sunt prisca supercilia!
Quid cineri ingrato servas bene olentia serta? 35
  Anne coronato vis lapide ista legi? [curant·
Pone merum et talos. Pereant, qui crastina
  Mors aurem vellens, Vivite, ait: venio.

1516
30167

LONDINI:
Typis W. Clowes et Fil.,
Stamford Street.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 089 437 6